Digitized by Google

XIII
E
4

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIII
E
4
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OPVS CONCIONVM TRIPARTITVM

MATTHIÆ FABRI

S. THEOL. LICENTIATI
PAROCHI NEOFORENSIS,
Et Palatinatus Superioris per Diœceſin
Aichſtadianam Viſitatoris,

NVNC SOCIETATIS IESV,

Pluribus in ſingula Euangelia Argumentis inſtructum:

PARS ÆSTIVALIS.

Editio quinta, correctior & auctior; cui acceſſere
Conciones Funebres & Nuptiales.

Cuiq; Indicibus prioribus additus ab Auctore nouus locorum Sacræ Scripturæ, quæ in toto Opere continentur, repoſitus ad calcem Tomi III.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

ANTVERPIÆ,
Apud Hieronymum & Ioan. Bapt. Verduſſen.
Anno M. DC. LXIII.

Cum Gratiâ & Priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

HAbes, Optime Lector, elucubrationes meas: Vtinam ſic excoctas, vt ſtomacho tuo ſapiant. Quod tamen ſi (vt vereor) aſſecutus non ſum, ignoſce Operis moli, ignoſce librorum penuriæ, ignoſce tenuitati ingenij, ignoſce alijs laboribus meis. In his quædam obiter tantum notaui, vti hiſtorias vulgò notas, vel paſſim obuias, vel alibi recenſitas. Quædam minus excoxi, quia non tam Conciones elaboratas, quam Concionum materias ſeu Conciones elaborandas tradere mens erat; vnde breuitati ſtudui, ne opus nimium excreſceret vnáque eius pretium. Aliqua in medium attuli, quæ ad propoſitum non applicaui; quia applicatio facilis erat, tuæ induſtriæ relicta. Quòd ſi ad inſtitutum tuum non faciant argumenta Concionum ſuis locis poſita, poteris ex alijs Dominicis aut Feſtis alia deſumere, non difficili labore, ſi inſpicias Documenta vel Myſteria, vel ſi ipſum Euangelium paulò accurratiùs expendas. Cui negotio ſeruiet, quod Indici ſubieci, Repertorium omnis generis materiarum. Exempli causâ in Feſto S. Andreæ, præter ibi dicta, inſtitui ſermo poteſt de Pace & Concordia, ſuper id: Vidit duos fratres, *&c. De otio vitando, ſuper id:* Mittentes rete in mare, *&c. Rurſum quòd ſuo quiſque ſtatu & talentis contentus eſſe debeat, ſuper id:* Erant enim piſcatores. *De varijs Dei vocationibus, ſuper id:* Venite poſt me, *&c. De obedientiâ ſuper id:* At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. *Quomodo Chriſtianus omnia ſua relinquere poſſit ac debeat, ſuper id:* Illis autem relictis retibus & patre, *&c. De examine conſcientiæ faciendo ſuper id:* Reficientes retia ſua. *tam citò ſecuti Chriſtum ſint Apoſtoli, ſuper id:* Secuti ſunt eum. *Materiæ porrò pro his concionibus quærendæ ſunt in Repertorio, quod manuducet te ad Indices, hi materias demonſtrabunt.*

Præter hæc, pauca quædam monenda eſſe cenſui. Parte Secunda in Exordio de Coronâ Chriſti ſpineâ, ſcripſi me non reperiſſe niſi vnicum apologum in SS. literis quod intelligendum de perfecto & proprio apologo; nam præter illum Iudic. 9. de Rhamno, extat quidam alius 4. Reg. 14. de Carduo & Cedro; qui tamen cùm breuiſſimus ſit & nullam collocutionem afferat, parœmiæ potiùs ſpeciem habet, quo nomine etiam appellatur à Sanctio in ll. Reg. cit. loco: tametſi eum alibi apologum indigitaui. Perfectum ergo & proprium apologum non niſi vnum reperi: plures ſi oſtenderit quiſpiam, fatebor me ignoraſſe. Deinde quia multos Auctores, quos hinc inde cito, in meâ Bibliotheca non habui, ex aliorum fide ipſorum ſcripta retuli; quare ſi in citandis illis error aliquis irrepſit, non ſanè mihi impingendus videtur, qui è riuulis hauſi quæ ex ipſis fontibus non potui haurire. Porrò, quia ſubinde lapſus aliqui in Autographi deſcriptione nec non in typo admiſſi ſunt, rem tibi Candide Lector, facies perutilem, ſi ex Indice erratorum eos emendaueris. Li-

Digitized by Google

berabis te hoc pacto non ſolùm à faſtidio & perplexo ſenſu, ſed etiam ſubinde ab errore. Præter hos ſiqui alij occurrant, vti facilè fieri in citatione Capitum vel librorum poteſt, qui deprehendi non potuerunt, condonabit eos, vt ſpero, Lector, prolixiori Operi, tumultuoſo tempori, abſentiæ Auctoris. Et quia facilis in ponendis numeris Librariorum error, idcircò non cuiuis fidendum citationi, ſed ad loca Scripturæ citata, in dubio, recurrendum ſuaderem. Ad extremum, Optime Lector, ſi rem gratam tibi præſtiti, vnam hanc rependе gratiam, vt aliquando memineris mei ad Altare Domini.

Typographus Antuerpienſis beneuolo Lectori.

EA eſt MATTHIÆ FABRI S. Th. Licent. eruditiſsimi, quondam Paſtoris in Neumarck, & Diœceſis Eyſtadianæ Viſitatoris, modò Societatis IESV Presbyteri religioſiſsimi, Concionum præſtantia, ea illas expetentium multitudo, vt nos nullæ impenſæ, quantumuis graues, deterrere potuerint à nouâ editione, quæ ordine quinta eſt, quò tandem debito illis ſplendore, formâ, charactere, chartâ, nitore & curâ in publicum exeant. Hac enim, beneuole Lector, nos ipſos ſpe lactamus, quod temporis & oculorum, ſummæque commoditatis magis quàm æris aliqualis ſis ſectaturus compendium, vbi hanc noſtram editionem cum altera contuleris. Syluam ſiue Auctarium variarum Concionum, quæ Tomum quartum conſtituent, breuî cum bono Deo quoque dabimus. Iſtud modò, Lector, volebam. Vale.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CONCIONVM.

DOMINICA I. POST PASCHA.

1. *De triplici pace.*
2. *Chriſtus cur toties in medio.*
3. *Cur retinuerit Chriſtus quinque vulnerum cicatrices.*
4. *Quomodo credendum.*
5. *Media ad conſeruandam fidem.*
6. *Fructus exercitij de omnipræſentia Dei.*
7. *Præſtantia & dignitas muneris Sacerdotalis.*
8. *Documenta moralia ex Euangelio.*
9. *Myſteria Euangelij ſeu Catecheſis.*

DOMINICA II. POST PASCHA.

1. *De Officio Magiſtratus & ſubditorum erga ſe mutuo.*
2. *Damnatur inobedientia & rebellio contra Superiores.*
3. *Principum & Magiſtratuum præcipuæ virtutes.*
4. *De obſeruantiâ, quâ colendi ſunt Sacerdotes, Magiſtratus, Senes.*
5. *Paſtor ſuipſius quomodo quiſque eſſe debeat.*
6. *Signa ouium Chriſti ſeu prædeſtinatorum.*
7. *Signa reprobationis.*
8. *Documenta Euangelica.*
9. *Myſteria.*

DOMINICA III. POST PASCHA.

1. *Omnia in mundo modica, etiam quæ videntur magna.*
2. *Septem Modica bene conſideranda.*
3. *Vocula, Modicum, quàm variè conſoletur iuſtos, terreat malos.*
4. *Quam modicum ſit gaudium malorum in hoc ſæculo.*
5. *De modico tribulationis, ſeu modicum eſſe quod nunc patimur.*
6. *Solidum ac iuge piorum gaudium in quo conſiſtat.*
7. *Non eſſe vanè lætandum in mundo, ſed plorandum potius.*
8. *Documenta.*
9. *Myſteria.*

DOMINICA IV. POST PASCHA.

1. *Iniuria in Spiritum Sanctum quadruplices.*
2. *Quatuor munia Spiritûs Sancti.*
3. *Itinera aliquot bene præcogitanda.*
4. *Quatuor deplorandi Chriſti diſceſſus.*
5. *De mortis viâ præmeditandâ.*
6. *Quâ ratione Diabolus doceat omnem falſitatem.*
7. *Tres funiculi ſalutis: de quibus arguit Spiritus ſanctus malos Chriſtianos.*

DOMINICA V. POST PASCHA.

1. *Incitamenta ad orandum.*
2. *Cur velit rogari Deus.*
3. *De vtilitate & fructibus Orationis.*
4. *Cauſæ cur interdum non audiantur preces noſtræ à Deo.*
5. *Circumſtantiæ Orationis.*
6. *Pro quibus potiſſimum ſit orandum.*
7. *Cauſæ & remedia diſtractionum in orando.*
8. *Fructus incarnationis & paſſiones Chriſti.*
9. *Myſteria.*

IN FERIIS ROGATIONVM.

1. *Conditiones bonæ Orationis.*
2. *Quid præcipuè petendum in Oratione.*
3. *Quam ſalubriter coniungantur Oratio, Ieiunium & Eleemoſyna.*
4. *Cur differat ſæpè Deus audire Orationes.*
5. *Multiplex orandi neceſſitas.*
6. *Diabolus in articulo mortis de tribus virtutibus Theologicis potiſſimùm tentans repellitur.*
7. *Quomodo hæreticorum miniſtri porrigant plebi lapidem pro pane, ſerpentem pro piſce, ſcorpionem pro ouo.*
8. *Quinam illi parentes, qui porrigunt liberis ſuis lapidem, ſerpentem, ſcorpionem.*
9. *Sanctorum inuocatio firmatur.*
10. *Supplicationum ritus exponuntur.*
11. *Oratio Dominica remedium contra ſeptem vitia capitalia.*
12. *Oratio Dominica exponitur.*
13. *Cur Deus ſinat nos calamitatibus premi.*
14. *Documenta.*
15. *Myſteria.*

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

1. *Chriſtus aſcendens Aquilæ comparatur.*
2. *Triumphus Aſcenſionis Chriſti.*
3. *Cauſæ Aſcenſionis Chriſti.*
4. *Circumſtantiæ aſcenſionis reliquæ.*
5. *Cur in die Aſcenſionis Chriſti fiat mentio Iudicij.*
6. *Quomodo Chriſtum proſequi & comitari in cælum quiſque debeat.*
7. *Via & ratio ad cælos aſcendendi poſt Chriſtum.*
8. *Quid rependendum Chriſto pro beneficijs.*
9. *Miracula credentium quomodo ſpiritualiter edenda.*
10. *Documenta.*
11. *Myſteria.*

DOMINICA VI. POST PASCHA.

1. *Quomodo Apoſtoli Chriſto perhibuerint teſtimonium, & Chriſtianus quiſque etiam Neophytus perhibere debeat.*
2. *Multiplex perfidia caſtigatur: fidelitas ſuadetur.*
3. *Scandalum actiuum communi omnium ſanctorum calculo vitandum.*
4. *Motiua ne ſcandalizemur in peccatis aliorũ.*
5. *Mali cur bonos oderint & cur veritatem.*
6. *Argumenta & teſtimonia fidei Chriſtianæ.*

Digitized by Google

7. Rectè & ſalubriter fieri, quòd indulgentiæ nunc liberaliùs concedantur.
8. Adhortatio ad Milites pro Eccleſiâ pugnantes.
9. Documenta.
10. Myſteria.

IN DOMINICA PENTECOSTES.

1. Gaudium & ſolennitas huius Feſti proponitur.
2. Diſpoſitiones ad Spiritûs ſancti ſeu gratiæ receptionem.
3 Quanta bona conferat homini Spiritus ſanctus per gratiam habitualem.
4. Signa inhabitantis Spiritûs ſancti ſeu gratiæ in homine.
5. Circumſtantiæ aduentûs Spiritûs ſancti.
6. Varij timores pelluntur igne charitatis.
7. Communicaturus ſit columba.
8. Documenta.
9. Myſteria.

FERIA II. PENTECOSTES.

1. Miſſio Spiritûs ſancti quantum donum ſit.
2. Cur in linguis igneis apparuerit Spiritus ſanctus.
3. De ſeptem donis Spiritûs ſancti.
4. Eadem Spiritûs ſancti dona aliter exponuntur.
5. Quantoperè dilexerit Deus mundum.
6. Amoris erga Deum affectus.
7. Peccatum tenebra: ſeu peccati turpitudo.
8. Fidei & religionis Chriſtianæ excellentia, oſtendens eam eſſe cœleſtem.
9. Myſteria & Documenta.

FERIA III. PENTECOSTES.

1. Varia Spiritûs ſancti functiones in hoc mundo.
2. Media ad Chriſtianam perfectionem inſpirata à Spiritu ſancto primis Chriſtianis.
3. Quibus ex cauſis ferè contemnatur Magiſtratus.
4. Dæmones cur in mundo.
5. Foramina per quæ hæreſis irrepſit in Germaniam.
6. Cæremoniæ Sacramenti Confirmationis exponuntur.
7. Quatuor fines ſacrificij Miſſæ.
8. Probantur Indulgentiæ.
9. Myſteria.

DOMINICA TRINITATIS.

1. Myſterium SS. Trinitatis oſtenditur.
2. Profeſſio SS. Trinitatis Chriſtianis commendatur.
3. Deum eſſe oſtenditur, eumq́, vnum.
4. De attributis Dei ſecundum ſe, Perfectione, Incomprehenſibilitate, Immenſitate, Æternitate.
5. Quatuor attributa Dei quæ reſpiciunt creaturas: Potentia, Sapientia, Miſericordia, Iuſtitia.
6. Probatur exiſtentia Chriſti realis in Euchariſtiâ.
7. Cauſa cur in ſolennitate Corporis Chriſti ſolenni proceſſione circũferatur Euchariſtia.
8. Quâ ratione Chriſtus ſit ſemper cum Eccleſiâ ſuâ.
9. Quâ ratione Chriſtus ſit cum ſeruis ſuis, Iuſtis.
10. Myſteria.

DOMINICA II. POST PENTECOST.

1. S. Euchariſtia cœna magna.
2. Facilia creditu oſtenduntur circa Euchariſtiam, quæ hæreticis incredibilia videntur.
3. Sacrificium Miſſæ aſſeritur.
4. De dignitate ſacrificij Miſſæ.
5. Triplices excuſatores in quadruplici cœnâ, pœnitentiariâ, Euangelicâ, Euchariſticâ, beatificâ.
6. Varij modi compellendi homines ad ſalutem.
7. Tria tempora & tres modi, quibus tria hominum genera vocata ſunt ad fidem.
8. Quid retineat hæreticos, ne conuertantur.
9. Documenta.
10. Myſteria.

DOMINICA III. POST PENTEC.

1. Quare Chriſtus tanto labore quæſierit ouem perditam hominem videlicet.
2. Vis & efficacia pœnitentiæ.
3. Murmurationes diſſuadentur.
4. Quàm deteſtandi ſint detractores.
5. Quid faciendum inter detrahentes.
6. Remedia contra detractionem actiuam & paſſiuam.
7. Efficacia & natura verbi Dei varijs ſimilitudinibus exponitur.
8. Multiplex lucerna accenſa à Deo noſtris hæreticis.
9. Documenta ex Euangelio.
10. Myſteria.

DOMINICA IV. POST PENTEC.

1. Hiſtoria naviculæ Petrinæ typus Eccleſiæ Catholicæ.
2. Piſcatio Euangelica quomodo fieri debeat.
3. Quàm fruſtrà laborent ſectatores Mundi.
4. Cauſa cur tam pauci conuertantur per verbi Dei prædicationem.
5. Quomodo ſæcularis quiſque perfectus eſſe queat ac debeat.
6. Examinis conſcientiæ quotidie faciendi incitamenta & ratio.
7. Sacerdotes ſanctos eſſe debere.
8. Quæ ſuſpectam faciant ſectam noſtrorum hæreticorum & falſam oſtendant.
9 Documenta.
10. Myſteria.

DOMINICA V. POST PENTEC.

1. Quomodo noſtra iuſtitia ſuperare debeat Phariſaicam.
2. Veteris & nouæ legis differentia.
3. Peccata etiam venialia pro viribus vitanda.
4. Ars iraſcendi ſine peccato; ſeu cur, cui, quomodo, quouſque, quando iraſcendum.
5. Iræ propriæ ſedandæ remedia.
6. Remedia iræ alienæ.
7. De malis effectibus iræ.
8. Cauſa & fines oblationum.
9. Documenta ex Euangelio. 10. Myſteria.

Digitized by Google

DOMINICA VI. POST PENTEC.

1. *Gula & luxus reprehenditur, temperantia & ſobrietas commendatur.*
2. *Quinque exceſſus gulæ.*
3. *De damnis ebrietatis.*
4. *Cur Germani ad ebrietatem procliniores ſint, Cauſa.*
5. *Mundi amatores nunquam ſatiari, oſtenditur.*
6. *Pauperes inſtruuntur.*
7. *Quàm conuenienter inſtituta ſint ſeptem Sacramenta.*
8. *Quâ ratione paranda & acquirenda ſint virtutes morales in voluntate ſita.*
9. *Documenta.* 10. *Myſteria.*

DOMINICA VII. POST PENTEC.

1. *Triplex arbor mala, Peccatum, Concupiſcentia, Voluptas: earundem fructus.*
2. *Exponitur ſententia Chriſti in arbores ſteriles.*
3. *Cur requirat à nobis DEVS bona opera.*
4. *Quinam fruſtra dicant DEO:* Domine, Domine.
5. *Mendacium quàm ſit fugiendum.*
6. *Quinque Pſeudoprophetæ cauendi, Mundus, Caro, Dæmon, Hæretici, Dominatores.*
7. *Hypocritarum indicia.*
8. *Fructus hæreſeos.*
9. *Hæretici depinguntur.*
10. *Documenta & Myſteria.*

DOMINICA VIII. POST PENTEC.

1. *Auarus, maximus diſſipator.*
2. *Prodigi taxantur.*
3. *Bona Dei quinam diſſipent.*
4. *Quâ ratione oporteat vti donis DEI.*
5. *Furtum & omne lucrum iniquum quantoperè auerſandum.*
6. *Circa mendacium peccata multiplicia.*
7. *Mira filiorum huius ſæculi prudentia, ſed caſtigata.*
8. *Incitamenta ad faciendum eleemoſynam & quamcumque miſericordiam.*
9. *Incitamenta ad ornatum templorum promouendum.*
10. *Documenta.* 11. *Myſteria.*

DOMINICA IX. POST PENTEC.

1. *De morte hominis in peccato exiſtentis.*
2. *Quæ potiſſimùm deploranda videantur in aliquâ Communitate.*
3. *Quid doceant nos Chriſti lachrymæ.*
4. *Deflendam fuiſſe Ieroſolymam & eſſe peccatorem: Cauſæ plures.*
5. *Diuina vindicta in excidio Ieroſolymitano oſtenditur.*
6. *Quamobrem erepta nobis ſit terra Sancta.*
7. *Variæ iniuriæ Eccleſiis illatæ, vt punitæ ſint.*
8. *Documenta.* 9. *Myſteria.*

DOMINICA X. POST. PENTEC.

1. *Ratio ingrediendi templum.*
2. *Ratio conuerſandi in templis.*
3. *Defectus orationis Phariſæi.*
4. *De varijs orandi ritibus.*
5. *Gratiarum actio pro beneficijs diuinis.*
6. *Quòd nemo ſe cuiquam præferre debeat.*
7. *Quæ ſint partes viri humilis.*
8. *Argumenta cur reddendæ Decimæ.*
9. *Documenta.* 10. *Myſteria.*

DOMINICA XI. POST PENTEC.

1. *Muti ſenſu myſtico quinam: eorundem cura.*
2. *Linguæ frenandæ media.*
3. *Aliquot linguæ vitia curantur.*
4. *Cur aliqui ad verbum DEI audiendum ſurdi ſint, & qui illi.*
5. *Media vt opera noſtra benefiant.*
6. *Septem mundi bona.*
7. *Quomodo omnia in vſum & bonum hominis creata ſint.*
8. *Quanto bono ſint Eccleſiæ ſuæ ceremoniæ.*
9. *Documenta.* 10. *Myſteria.*

DOMINICA XII. POST PENTEC.

1. *Quid nos mouere debeat ad ſeruandam DEI legem.*
2. *Quomodo oporteat proximum diligere ſicut ſeipſum.*
3. *Delinquentes corrigendi.*
4. *Correctionem æquo animo acceptandam eſſe.*
5. *Damna peccati originalis.*
6. *Quomodo per gratiam Mediatoris ſanentur vulnera peccati originalis.*
7. *De multiplici amicitiâ falsâ.*
8. *Quis ſit noſter proximus.*
9. *Documenta.* 10. *Myſteria.*

DOMINICA XIII. POST PENTEC.

1. *Gratitudinis & ingratitudinis varij gradus.*
2. *Quibus ſuam præ cæteris grati eſſe debeamus.*
3. *Incitamenta ad gratitudinem.*
4. *Lepra peccati quàm polluat Vniuerſum.*
5. *Quorumnam conſortium velut leproſorum, maximè fugiendum ſit & quidem ex præſcripto SS. Canonum.*
6. *Qui potiſſimùm homines in communitate non tolerandi, & ab alijs vitandi ſint.*
7. *Peccata carnis quàm cauenda ſint.*
8. *Incentiua & remedia luxuriæ.*
9. *Quàm congruenter & ſalubriter inſtituta ſit Confeſſio peccatorum.*
10. *Documenta.* 11. *Myſteria.*

DOMINICA XIV. POST PENTEC.

1. *Prouidentia DEI circa hominem ſpecialis.*
2. *Nimia ſolicitudo pro rebus fluxis ablegandâ.*
3. *Lilia agri quid nos doceant.*
4. *Volatilia quid nos doceant.*
5. *Quàm difficile ſit diuitem DEO ſeruire.*
6. *Quomodo diuitiæ haberi abſq; peccato queant.*
7. *Quare velit DEVS ſanctos aliquos hîc florere diuitijs & honoribus, adeoq; proſperari.*
8. *Documenta.*
9. *Myſteria.*

DOMINICA XV. POST PENTEC.

1. *Timor Domini quàm meritò in nobis eſſe debeat.*
2. *Mors cur in Mundo relicta.*

3. Quæ

3. *Quæ potiſſimùm vitia iuuenibus vitam abrumpant.*
4. *Cauſa cur tam multi ante maturam ætatem moriantur.*
5. *Ars bene moriendi.*
6. *An & quâ ratione mortui lugendi ſint.*
7. *Emendationem vitæ non eſſe differendam vſque ad ſenectutem.*
8. *De ſepulturâ Chriſtianorum eiuſq; cauſis.*
9. *Documenta & Myſteria.*

DOMINICA XVI. POST PENTEC.

1. *Cur homines non Angeli poſt lapſū reparati.*
2. *Feſti dies cur ſeduló obſeruandi, argumenta.*
3. *Dierum feſtiuorum profanatio reprehenditur.*
4. *Auaritia hydropiſis vitanda.*
5. *Remedia ebrietatis.*
6. *Qualia eſſe debeant conuiuia Chriſtianorum.*
7. *Modus corrigendi proximum.*
8. *Documenta.*
9. *Myſteria.*

DOMINICA XVII. POST PENTEC.

1. *Dilectionis Dei mandatum cur magnum.*
2. *Stimuli ad diligendum Deum.*
3. *Incitamenta ad diligendum Chriſtum.*
4. *Quomodo ſit diligendus Deus.*
5. *Incitamenta ad diligendum proximum.*
6. *Varia hominum de Chriſto iudicia.*
7. *Calumniæ aliquot hæreticorum in Pontificem & Pontificios refutantur.*
8. *Documenta.*
9. *Myſteria.*

DOMINICA XVIII. POST PENTEC.

1. *Quid requiratur à ciuitate, vt ſit ciuitas Chriſti.*
2. *Paralytici ſecundùm animam.*
3. *Blaſphemiæ grauitas.*
4. *Cur fugiendum ſit temerarium iudicium.*
5. *Cogitationes malas ſine morâ repellendas eſſe.*
6. *Ad ſpem quæ erigant puſillanimes.*
7. *Fructus timoris Domini.*
8. *Documenta.* 9. *Myſteria.*

DOMINICA XIX. POST PENTEC.

1. *Paucitas Electorum oſtenditur.*
2. *Supplicia damnatorum capitalia.*
3. *Cur tam varijs pœnis inferi exagitentur.*
4. *Iuſta peccatoris condemnatio oſtenditur.*
5. *Excuſationes peccatorum variæ retunduntur.*
6. *Media ac modi quibus Deus vocat.*
7. *Præparatio ad imminentem peſtem.*
8. *Documenta.* 9. *Myſteria.*

DOMINICA XX. POST PENTEC.

1. *Fructus tribulationis.*
2. *Indicia atrocitatis pœnarum Infernalium.*
3. *S. Eucharistia neceſſaria morientibus.*
4. *Extrema vnctio commendatur infirmis.*
5. *Præſcripta patrifamilias.*
6. *Quomodo Principes terræ per miracula ad fidem adducti ſint.*
7. *Prodigia & miracula in mundi conuerſione exhibita.*
8. *Documenta Euangelica.*
9. *Myſteria.*

DOMINICA XXI. POST. PENTEC.

1. *Rationes & ſtimuli ad iniurias remittendas.*
2. *Dilectio inimicorum ſuadetur exemplis totius Vniuerſi.*
3. *Vindicta quàm multos offendat.*
4. *Vindictam nullum homini bonum conferre oſtenditur.*
5. *Qui ſint illi, qui ſuffocant proximum.*
6. *Examen futuri iudicij, quàm diſtrictum ſit.*
7. *Stygij carceris æternitas deſcribitur, varijs de cauſis miſerrima.*
8. *Documenta.* 9. *Myſteria.*

DOMINICA XXII. POST PENTEC.

1. *Adulatorum mores & nequitia.*
2. *Hypocritarum nequitia oſtenditur.*
3. *Quid vnuſquiſque debeat, ſibi, proximo, Deo.*
4. *Bona noſtra quomodo cum Deo diuidenda.*
5. *Imago Dei in homine quoad multa.*
6. *Cur homo ad imaginem Dei conditus ſit.*
7. *Hominis præcipua membra quarum rerum ſint imago.*
8. *SS. imaginum cultus comprobatur.*
9. *Documenta.* 10. *Myſteria.*

DOMINICA XXIII. POST PENTEC.

1. *Pœnitentia commendatur infirmis.*
2. *Pœnitentia cur non differenda de die in diem.*
3. *Linguæ iniurioſæ vitia corriguntur.*
4. *Qui Chriſtum comprimant, impediant, derideant.*
5. *Bona ægritudinis.*
6. *Solatia ægrorum.*
7. *Explicantur cæremoniæ, quæ defunctis adhibentur.*
8. *Cantus ſacer Eccleſiaſticus cur inſtitutus.*
9. *Documenta obiter inſinuantur.*
10. *Myſteria.*

DOMINICA XXIV. POST PENTEC.

1. *De perſecutione Antichriſti omnium grauiſſimâ.*
2. *Perſecutio Antichriſti cur à Deo permittenda.*
3. *Grauitas peccati vnde colligatur.*
4. *Pœnitentia non differenda vſque ad finem vitæ.*
5. *Sex aſyla protegentia ab irâ Iudicis venturi.*
6. *Quibus maximè pertimeſcendum ſit Iudiciū.*
7. *Quare Crux appaꝛitura in die Iudicij.*
8. *Eccleſiam Catholicam veram eſſe Chriſti Eccleſiā demonſtratur ex quatuor eius notis.*
9. *Documenta.*
10. *Myſteria.*

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA PRIMA POST PASCHA.

Euangelium Ioannis 20.

IN illo tempore, cùm ſerò eſſet die illâ vnâ ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, venit IESVS & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit IESVS. Dixerũt ergo ei alij diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit IESVS ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Deinde dixit Thomæ: Infer digitum tuũ huc, & vide manus meas, & affer manum tuã, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & DEVS meus. Dicit ei IESVS: Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: Beati qui non viderunt & crediderunt. Multa quidem & alia ſigna fecit IESVS in cõſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt vt credatis quia Ieſvs eſt Chriſtus, filius DEI, & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.

CONCIONES.

I. *De triplici pace.*
II. *Chriſtus cur toties in medio.*
III. *Cur retinuerit Chriſtus 5. vulnerũ cicatrices.*
IV. *Quomodo credendum.*
V. *Media ad conſeruandam fidem.*
VI. *Fructus exercitij de omni præſentia Dei.*
VII. *Præſtantia & dignitas muneris ſacerdotalis.*
VIII. *Documenta moralia ex Euangelio.*
IX. *Myſteria Euangelij ſeu Catecheſis.*

CONCIO I.

De Triplici pace.

Triplex pax nobis neceſſaria eſt.
1. *Pax cum Deo.*
2. *Pax cum proximo, quæ conſiſtit in charitate, in religione, & tranquillitate publica.*
3. *Pax hominis cum ſeipſo.*

THEMA.

Pax vobis. Ioan. 20.

A. SAnctus ille patriarcha Iacob Chriſtum reſurgentem Leonis ſpecie nobis depinxit *Gen. 49. Catulus leonis Iuda* (ex qua tribu natus Chriſtus) *requieſcens accubuiſti vt Leo: quis ſuſcitabit eum.* Huc enim reſpexiſſe Patriarcham ſentiunt *Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius* & alij Patres; idemque confirmat S. Ioannes *Apoc. 5.* de Chriſto reſuſcitato dicens: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Quis ergo, Auditores, non expectaſſet ab hoc Leone ad vitam redeunte terribilem rugitum, quo omnia concuteret, & imprimis Iudæos, capitales inimicos ſuos; deinde etiam diſcipulos, ſui deſertores terreret atque exanimes redderet? Verùm non Leonis rugitum, ſed agni potiùs balatum audimus, pacem expoſcentis, non bellum: *Pax vobis.* Turturis illius vocem audimus, quæ poſt triſtiſſimam illam paſſionis hyemem lætiſſimum pacis ver annunciat. Columbam illam ex arca Noë dimiſſam cernimus, redeuntem poſt diluuium Dominicæ Paſſionis & afferentem ore ſuo ramum oliuæ, pacis ſymbolum, ad diſcipulos penè exanimatos ob abſentiam Magiſtri, in eadem domo quaſi in arca recluſos; qui inde certiores facti ſunt, ceſſaſſe aquas diluuij, præteriiſſe tempeſtatem, quæ obruerat Chriſtum: deſiiſſe luctum & contrà amœniſſimam reſurrectionis tranquillitatẽ mundo exortum eſſe. Multis quidem iniuriis affectus erat Dominus, non ſolùm à Iudæis, ſed etiam à diſcipulis, non tamen leonis inſtar cum rugitu nunc reuertitur, nec fert ore gladium atrocéſve minas; ſed pacem & amorem: *Pax vobis.* Non indicit bellum hoſtibus, à quibus vitâ eſt priuatus: non minatur cædes atque ſtrages iis, à quibus eſt cruci affixus; ſed pacem denunciat, pacem cum omnibus habere cupit, eamque nobis affert & quidem multifariam, vti nunc videbimus.

Ter in hodierno Euangelio repetit Dominus ſalutationem illam: *Pax vobis*; nequaquam ſine causâ, quia triplex pax nobis neceſſaria.

B. I. Pax cum Deo.

PRIMA Pax eſt cum Deo, quam conſtituit Chriſtus meritis paſſionis ſuæ inter Deum & humanum genus, dum hoc illi reconciliauit ſoluendo pro eo lytrum peccati, ſanguinem ſuum; ſiquidem per peccatum genus humanum Deo rebellarat eiuſque inimicitiam incurrerat, ſolo Chriſti ſanguine placandi. Summum hoc Chriſti beneficium ſæpe inculcat nobis Apoſtolus, veluti ad *Eph. 2. Nũc in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longè à Deo, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti; ipſe enim eſt pax noſtra*, nõ formalis; ſed cauſalis ſeu pacificator. Similiter ad *Coloſſ. 1.* & *2. Cor. 5.* ait nos per ſanguinem Chriſti Deo reconciliatos. Huius pacis typus fuit Iris illa, quam conſtituit Deus ſignũ fœderis inter ſe & homines; ad litteram quidem deſignans non futurum ampliùs diluuium: allegoricè verò *Iris illa*, inquit Lypomanus, *Chriſtum ſignificat, qui eſt ſignũ reconciliationis à Deo patre nobis donatũ. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui pro nobis aduocatus cõſtitutus, in cælis reſpicitur & à Deo patre, cum carnem filij ſui & cicatrices vulnerum conſiderat; & à nobis, cum illius miſericordiã ſupplices & in fide imploramus.* Vnde litera noſtra & Hebræus habet *Gen. 9. ſtatuam pactum inter me & vos*, vel *inter me & carnem*. In quæ verba ſcribit Rupertus: *Quodnã pactũ eſt hoc quod promittitur à Deo? nã ſtatuã, futuri temporis eſt; ſine dato autem & accepto pactũ non ſolet ſtatui. Dicimus itaque pactũ iſtud multoties quidem promiſſum, ſed vnum & ſemel initum, nempe Incarnatio vel paſſio Chriſti Domini. Hoc ſolo pacto inimicitia ſoluuntur, quæ erant inter Deũ & hominem. In hoc certa eſt conſtitutio pacis cũ ratione dati & accepti, dum accepta Deus fide hominũ, dat hominibus eundẽ Chriſtum filium ſuum, vt ſaluentur per ipſum.* Vnde Iris quaſi εἰρήνη, id eſt pax, dicta eſt, vt ait Ticonius *ho. 2. in Apocal.* Hanc quodammodò in carne ſuâ depictam oſtendit hodie Chriſtus diſcipulis, cum poſt precationem pacis, oſtendit eis manus & pedes ſeu vulnerum cicatrices, q. d. nolite timere, ſed iridem hanc aſpicite, per quam pax inter vos & Deum conſtituta eſt. Ad hanc orbi denunciandam, Primò Angeli nato Chriſto cecinerunt: *Gloria in excelſis Deo & in terrâ pax hominibus*. Deinde eo tempore pax in Orbe (teſte D. Hieron. in Iſaiam) vniuerſalis fuit, ideoque Iani templum ab Auguſto clauſum (quod pacis tempore ſolùm fiebat) belli tempore aperiebatur, vt ſcribit Oroſius S. Auguſtino Synchronus. *l. 6. c. 20.* & 21. & *l. 7. c. 2. Nam quemadmodum aduentante aquilâ*, inquit Hector Pintus in *c. 5. Ezech. auium reginâ, cæteræ aues alas ſubmittunt & in pace quieſcunt, pugnare non audentes: ſic aduentante è cælo aquilâ illâ diuinâ, Chriſto Deo noſtro, rege regum, & Domino dominantium, reges terræ quieuerunt, quoniã ille apparebat, qui eſt vera pax, de quo ait Apoſtolus: Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnũ. Quem Eſaias principe pacis appellat, quia à cœli veniens faſtigio terras luſtrauit, mortaliũ animos turbulentis motibus cõcitatos ſedauit, & pace illos ſpiritus mirabiliter tribuit.*

Igitur hæc pax à Chriſto nobis allata & in baptiſmo applicata eſt, vbi in amicitiam Dei ſuſcepti ſumus: & applicatur nobis rurſum in pœnitentia, vbi poſt violatam illam pacem denuò recipimur in gratiam. Verùm hîc Auditores, bene aduertendum, quòd ſcribit *Iſaias c. 2.* pacem illam mundo per Chriſtum allatam, ita nobis ſeruãdam vt ne impoſterum Deum peccatis noſtris impugnemus. Ita enim ait: *Et conflabũt gladios ſuos in vomeres & lãceas ſuas in falces.* Quid autem gladij & lanceæ, niſi ſenſus & membra noſtra, quibus priùs velut armis Diaboli pugnauimus contra Deum? Hæc ergo poſt reconciliationem illam conuertenda ſunt in vomeres & falces, id eſt, in arma iuſtitiæ ad excolendum agrum animæ noſtræ & Eccleſiæ; vt iam ſeruiamus Deo membris illis, quibus antè Diabolo ſeruiuimus, iuxta id Apoſtoli ad *Rom. 6. Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo.*

C. II. Pax cum proximo.

SECVNDA Pax eſt cum proximo, ſed triplici differentiâ. Alia enim conſiſtit in charitate fraternâ & animorum vnione, de qua prædictum *Ezech. 11. Dabo eis cor vnum & ſpiritum nouũ tribuam in viſceribus eorum*; vtique illum, de quo Dominus *Ioan. 13. Mandatũ nouum do vobis: vt diligatis inuicẽ*; nouo ſcilicet modo vt ſitis cor vnũ & anima vna. Id verò in Chriſtianis impletum ſcribit Lucas *Act. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Idem prædictum ab Iſaia *c. 11. Habitabit lupus cum agno & pardus cum hædo accubabit*, &c. (quomodo in arcâ Noë) hoc eſt, feroces cum mitibus, ſummi cùm infimis. Et *c. 23. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Hinc toties nobis Chriſtus pacem & charitatẽ fraternam commendat, præſertim in ſermone vltimæ cœnæ: *Pacem relinquo vobis, pacem meã do vobis.* Et *Marci 9. Pacẽ habete inter vos.* Sciuit enim Dominus nos inuictos fore quamdiu pacem & concordiam ſeruauerimus; quemadmodum & arca Noë ſalua & incolumis fuit quamdiu vnanimes fuerunt, qui in eâ vehebantur. Si enim arcæ animalia vel inter ſe vel cùm hominibus pugnaſſent, haud dubiè ſe & arcam peſſundediſſent. Lapis Thyrreus integer, quamuis grandis, innatat aquis; comminutus mergitur, vt ſcribit Plinius *l. 2. c. 103.* Ita quæuis communitas aut Reſpub. ſtabit dum conſenſerit, corruet cùm in partes & diſcordias ſecta fuerit. Hac de cauſa à gentibus etiam magno in honore pax fuit. Romæ à Tiberio Imp. templum Concordiæ extructum fuit, vt hominum inter ſe odia & ſimultates in eo factis ſacrificijs deponerentur, teſte Suetonio & Blondo *l. 1.* de Roma inſtaur. Nec procul inde propè montẽ Palatinum templum pacis magnificentiſſimum, vti hodie adhuc oſtendũt ruinæ, à Veſpaſiano inſtauratum. Quoties etiam inter virum & vxorem aliquid iurgij interceſſerat, in Sacellum Deæ Viriplacę veniebant & ibi inuicem locuti, quæ voluerãt, contentione depoſitâ reuertebantur concordes. Val. Max. *l. 2. c. 1.* Ex illorum numero Pomponius Atticus in funere matris, quam extulit nonagenariam, ipſe natus annos 67. gloriatus eſt, quod numquam cum matre in gratiam rediiſſet, eo quòd numquam eam offenderat; quòd numquam cum ſorore ſibi penè coæuâ fuiſſet in ſimultate. Hãc vocem ſe ab

1. *Cõſiſtens in charitate.*

ipſo

ipſo audiſſe ſcribit Corn. Nepos. Quod ſi hæc Gentiles: quid decet facere Christianos? Hi non ſolùm cùm propinquis & amicis, verum etiam externis & inimicis adeoque cum omnibus, pacem non naturæ ſed gratiæ; non gentilium, ſed Christi pacem habeant oportet, ſi præcepto Christi velint ſatisfacere. Alia in religione eiuſque vnanimi conſenſu. Qualis etiam pax fuit primorum Christianorum idem credentium & ſentientium, eſtque adhuc omnium Catholicorum. Eam Corinthiis commendat Apoſtolus 1. *Cor.* 1. ſcribens: *Obſecro vos fratres per nomen Domini noſtri Iesv Christi, vt idipſum dicatis omnes. Sitis autē perfecti* (græcè, *coagmētati*, vel *perfectè compacti*, vti vertit Theophylactus) *in eodem ſenſu & in eadem ſententia.* Quemadmodum enim arca Noe niſi eius tabulæ firmiter compactæ fuiſſent, impetum diluuij ſuſtinere non potuiſſet: ita nec Eccleſia inſultus Hæreticorum ſuſtinere poſſet, niſi hâc vnitate prædita eſſet. Per hanc autem concordiam creuit in regnum omnium ampliſſimum, toto orbe diffuſum; periere viciſſim ex illius defectu hæreſes, vtpote in ſectas mox diuiſæ. Vt enim nullum ædificium diu ſtare & ſuſtentari poteſt, vincula vbi ſuſtuleris: ſic nec religio aliqua adaugeri & ad ſuum faſtigium perduci poterit, niſi pacis huius vinculis conſtricta fuerit. Roma materialis ex caſâ facta eſt caput mundi: at rediit ad caſas eius imperium per diſcordias. Roma ſpiritualis Eccleſia Romana ab humili præſepio Christi facta eſt Domina gentium ſtabitque eius imperium ob fidei conſenſum, ab vno Capite in membra defluentem. Sunt quidem in Eccleſiâ diuerſi ſtatus & ordines religioſorum; ſed hi in fide & charitate omnes conueniunt, omnes idem ſentiunt; quo modo currus Dei *Ezech.* 10. deſcriptus habebat quatuor rotas, ſed omnium rotarum vna erat ſimilitudo: rurſum animalia quatuor currum trahentia erant quidem diuerſa, ſed vnanimi conſenſu & pari paſſu incedebant. Et quemadmodum in horologio plures quidem rotæ ſunt, aliæ maiores, aliæ minores: aliæ celeriùs, aliæ lentiùs ambulant: omnes tamen conformiter conficiunt curſum ſuum & miro modo conſpirant in horis diei nunciandis: ita in fide Catholica conſpirant ordines & ſtatus, tametſi quoad aliqua inter ſe diſcrepantes. Non pertinet ad hanc pacem profana illa & politica, quæ ſectarios ad tempus admiſit in imperium; non enim illis contulit nec conferre potuit communionem cum Eccleſiâ, à qua ſe ſegregarunt ſed præcisè id conceſſit, vt quietè in imperio degere poſſent, quoad ipſorum cauſa cognoſceretur & controuerſia decideretur, quod iam dudum factum, nulla tamen eorum emendatione.

2. *Conſiſtens in religione.*

Alia conſiſtit in quiete & tranquillitate publica ab hoſtium incurſibus & belli tumultibus libera. Magnum & hoc bonum, cùm nimirum vnuſquiſque ſine timore habitat *ſub vite ſuâ & ſub ficu ſuâ*, vt dicitur 3. *Reg.* 4. Tempus enim pacis ſereno cœlo; tempus belli turbido ſimile eſt; proinde exoptanda pax vtpote donum Dei, quod naſcente Christo in mundum allatum, vt prædixit *Iſaias ca.* 2. *Nō leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium*; intellige hoc de bellis iniquis, ambitioſis & tyrannicis, qualia fuerunt ferè Gentilium. Non eſt tamen ea pax ſemper expediens ad ſalutem animarum, præſertim diuturna. Conſtat enim longa pace ſæpe corrumpi hominum mores, ſegnitiem & vitia gigni, vti è ſtagnantibus aquis vermes: quod in ſuo ſæculo factum deplorat *S. Cyprianus l. de lapſis*; vbi inter alia inquit: *Quia traditam nobis diuinitus diſciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem & pene dixerim dormientem cenſura cœleſtis erexit*; perſecutio videlicet. Idem experti ſumus ſuperiore ſæculo, vbi diuturna Eccleſiæ pax & tranquillitas hæreſibus ianuam aperuit. Vt enim longa malacia propinquam tempeſtatem nauigantibus plerumque minatur: ita diuturna illa Eccleſiæ pax nouarum turbarum index quin & mater erat. Etenim pax diuitias gignere ſolet, diuitiæ ſuperbiam, ſuperbia lites & bella, bella calamitates, calamitates humilitatem, humilitas rurſus pacem. Atque hic eſt circulus & circuitus, hic Zodiacus viciſſitudinis & curſus huius mundi. Vnde exclamat Terentius: *Heus omnium rerum viciſſitudo eſt.* Cæterùm vbi pax haberi poteſt, litibus & bello vtique ſuperſedendum eſt. Ideò Card. Bellarminus dicere ſolebat: *Melior eſt vncia pacis & charitatis quàm libra victoriæ.* Similiter *S. Auguſtinus ſerm.* [illegible]. *de verbis Apoſtoli: Nolo habere cùm quo litigē. Multo eſt mihi optabilius inimicū non habere quàm vincere.* Vnde Apoſtolus ad *Coloſſ.* 3. ſuadet: *Pax Christi exultet in cordibus veſtris* (græce, βραβευέτω, palmam ferat) q. d. is ſe viciſſe putet, qui pacem perſuaſit & conſeruauit, tametſi in aliis bonis diſpendium paſſus. Nam ſicut quædam remedia triſtiora ſunt ipſo morbo, vt ſatius ſit mori, quàm his ſalutem quærere: velut ſugere ſanguinem è recenti decollatorum vulnere: Ita ſæpe præſtat ferre iniuriam, quàm maiore incommodo, præſertim ſanguinis effuſione, vlciſci: ferre pacem etiam parum commodam aut æquam, quàm bellum cùm immenſis malis ſuſcipere. Et quis non in quiete vitam degere ſecurus, quàm in tumultu & metu velit? Denique nonne pax eſt finis belli? quod ſi igitur pax haberi abſque hoc tam amaro & ſumptuoſo pharmaco poteſt, ad quid arma apprehendas? Fit etiam plerumque diuina vltione, vt qui arma paci præferunt, armis malè pereant, iuxta id Saluatoris: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, Matth.* 26. Exemplum volumus? Cyneas Theſſalus, Legatus Pyrrhi, Regis Epirotarum, Regem à Tarentinis vocatum contra Romanos cernens flagrare cupiditate Italicæ expeditionis, ſermones intulit per otiū huiuſcemodi: *Bellatores, Pyrrhe, ferūtur Romani, & bellicoſis gētibus imperare multis, quos ſi Deus ſuperare cōceſſerit nobis quo vtemur victoria? cui Pyrrhus: licio totū tenebimus* (deuaſtabimus *Italiā: Tū Cyneas: occupata, inquit Italiâ Rex quid agimus? Pyrrhus: Vicina, inſit, Sicilia eſt, manus porrigit, diues inſula & populoſa & captu facilis,* (*Hanc expugnabimus*) *Probabilia narras, inquit Cy-*

3. *Conſiſtens in tranquillitate publica.*

neus, ſed quid? nũ Sicilia occupata finis erit belli? Minimè verò, ait Pyrrhus: quis enim Africâ temperet, & Carthagine: quæ tunc erit ad nutũ. Quibus ſuperatis, & Macedoniã occuperant, & Græcia, ſine dubio, imperiũ occupare poterimus. Verùm vbi rerũ potiti erimus, quid tum? Ridens Pyrrhus: in alto otio, inquit viuemus, bone vir, compotabimus quotidie, & mutuis internos ſermonibus oblectabimus. Huc Cyneas Pyrrhum cùm deduxiſſet ſermone: Et nunc quid, inquit, obſtat, quo minus compotemus, atque otium inter nos traducamus, cum iã teneamus hæc, & citra negotium ad manum ſint, quæ per ſanguinem, per multos ſudores, per diſcrimina petituri ſumus multaſq́; calamitates allaturi aliis, & accepturi? Iratus Rex ſpreuit conſilium, bellum geßit & ſaxo percuſſus à vetula in obſidione ciuitatis periit. Plutarch. in Pyrrho. (Qui pacis oliuam non ferunt, Martis haſtam acutam & amentatam ſentiunt.) Denique pacifici à Chriſto vocantur filij Dei; neceſſe eſt ergò pacis oſores, filios eſſe Diaboli.

D. III. Pax hominis cum ſeipſo. 1. TERTIA. Pax eſt hominis cùm ſeipſo, eaque duplex. Prior ſita eſt in pacatâ & ſanâ cõſcientiâ, tametſi ea adhuc verſatur in luctâ cum Dæmone, carne & mundo. Sufficit illi victoria, quæ ſæpe conſiſtit in patiẽtia & conſtanti aduerſitatum & tentationum tolerantiâ potiùs quàm in earundem excluſione & profligatione vt docet *Tertull. l. de patientia.* Atque iſta pax eſt, quam Apoſtolus in ſuis Epiſtolis toties nobis commẽdat, vti ad Rom. 5. *Iuſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum.* Ad *Philip.* 4. *Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra.* Eamq́ue penè in omnibus ſuis epiſtolis precatur fidelibus ita eos ſalutans: *Gratia vobis & pax à Deo patre,* &c. Atque ita ſalutari domos iuſſit Saluator: *Intrantes domum, ſalutate eam, dicentes Pax huic domus, Matth.* 10. Eſt autem tranquillitas & ſerenitas mentis, & fiducia bonæ conſcientiæ: (orta non ex certitudine fidei diuinæ, quâ quis certiſſimò credat ſibi dimiſſa eſſe peccata, vt volunt Nouatores: ſed ex coniecturis, quæ moralem faciunt certitudinem ſe eſſe in Dei gratiâ conſtitutum) cum quis ſcelerum veniá in baptiſmo vel pœnitentiá acceptá, vti confidit mente non angitur, nulloq́ue à verme peccati alicuius mordetur. Quæ quidem tantum eſt bonum, vt S. Tiburtius Martyr dixerit: *Omnis nobis vilis eſt pœna, vbi pura comes eſt conſcientia.* Apoſtolus verò ait eam *exuperare omnem ſenſum,* hoc eſt, intelligi non poſſe quanta ſit. Solus ille nouit, qui hanc pacem poſſidet; eſt enim manna illud abſconditum, quod nemo ſcit niſi qui accipit, *Apoc.* 2. ſeu vt rectiùs dicam, eſt prægustus quidam cœleſtis illius mannæ, quo in cœlo paſcuntur beati. De hoc enim loquitur Apoſtolus ad *Rom.* 14. *Non eſt regnum Dei eſca & potus: ſed iuſtitia & pax & gaudium in ſpiritu S.* Iuſtitia, quia eſt ordo, Symmetria, craſis & conſonantia potentiarum in homine, qualis in hac vita poteſt haberi; ita vt ratio imperet corpus in ſeruitutem, paſſiones ad moderationem redigantur præſidio virtutum. Pax, quia eſt ſerenitas & tranquillitas conſcientiæ, nulla grauioris peccati nube turbata. Gaudium, quia *ſecura mens quaſi iuge conuiuium, Prou.* 15. Hoc regnum quotidie petimus in Dominicâ oratione, vt adueniat nobis; non enim petimus vt ſtatim rapiamur in cœlum, ſed vt Chriſtus primò per gratiam & pacem cordis noſtri regnet in nobis, vt ita demum nos cũ ipſo regnemus in cœlo. Verùm in peccatoribus regnum hoc non reperitur, quia *non eſt pax impiis, dicit Dominus, Iſa.* 57. Neque enim in illis eſt iuſtitia, quia nec ordo: ſpiritus non ſubeſt Deo, caro non ſubeſt ſpiritui, paſſiones & appetitus ſenſitiuus nõ ſubſunt rationi. Neque in illis pax & quies: quia vt ibidem ait Iſaias: *Impij quaſi mare feruens;* quia perpetuò cupiditatum æſtu & quaſi Dæmonũ afflatu agitantur: perpetuis item ſcelerum aculeis ſtimulantur etiam in mediis voluptatibus: quo modo Pharao à ciniphibus ſeu culicibus nullibi requiem habuit: neque in mensâ neque in lecto, *Exod.* 8. Nec denique in illis gaudium, ſed animi perturbatio, metus iudicij & gehennæ, imò etiam Magiſtratus & hominum quorumcunque, quibus eorum delicta innoteſcere queunt. Vnde ibid. Iſaias (iuxta verſionem 70.) ait: *Non eſt gaudium impiis.*

Poſterior conſiſtit in omnimoda vitiorum extirpatione & paſſionum ſubiugatione, ità vt contra rationis imperium aſſurgere non audeant, adeòq́ue vt per omnia conſentiant inter ſe ſpiritus & caro; cuiuſmodi pax non eſt in hac vita ſperanda, vt docet *S. Auguſtinus in* 1. *Petr. c.* 19. *Id autem nunc pacifici agunt,* inquit, *domando concupiſcentias carnis vt ad pacem pleniſsimam quandoque veniatur.* Hanc pacem promittit Deus iuſtis *Iſaiæ* 66. dicens: *Lætamini cum Ieruſalem & exultate in ea omnes qui diligitis eam: Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo ſuper eam, quaſi fluuium pacis.* q. d. pacem exuberantem quæ vos omnium bonorum affluentiâ repleat & obruat. Ibi ſunt perpetui dies Alcionij, quibus nulla prorſus ſæuit tempeſtas: nulli exurgunt fluctus, hìc perpetui motus, turbines & pericula, vbi ſemper remigandum & timendum. Ibi demum paſſionum noſtratum belluæ omnes nobis ſubijcientur, quo modo in paradiſo ſubiectæ erant Adamo; hic cicurari omnino non poſſunt; perdomari ſolùm, cùm efferantur, poſſunt ac debent, rationis caueâ & mortificationis vinculis, ne peccati vulnus infligant, coerceri poſſunt. Sufficit nobis hanc pacem conſequi in morte; id quod petiit Simeon ille: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace. Probans atque conteſtans,* inquit, *S. Cyprianus l. de mortalit. tunc eſſe ſeruis Dei pacem, tunc liberã, tunc tranquillam quietem quando de iſtis turbinibus mundi extracti ſedis & ſecuritatis æternæ portum petimus: quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus.* Ita dudum anteà Dauid *Pſ.* 4. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Hanc denique precamur animabus in Chriſto defunctorum, dicendo: *Requieſcant in pace.* 2.

Triplicem hanc pacem aſſequi qui vult, Chriſtum adeat neceſſe eſt, qui eſt Princeps pacis, vti vocatur *Iſa.* 9. *Ipſe eſt pax noſtra* ad *Eph.* 2. Ipſe eſt Melchiſedech *Rex Salem,* id eſt, Rex pacis. Ipſe pluſquam Salomon, id eſt, pacificus. Ipſe pacem habuit, pacem euangelizauit, ad

Digitized by

Eph. 2. pacẽ diſcipulis reliquit, *Ioan.* 14. pacem nobis promeruit, interficiens inimicitias in ſeipſo, *Ad Eph.* 2. pacem denique ſanxit inter Deum & homines. Dic ergo, da pacẽ Domine in diebus noſtris, quia non eſt alius qui pugnet pro nobis niſi tu Deus noſter, &c.

CONCIO II.

Chriſtus cur toties in medio.

Aſsignantur rationes Variæ:

1. *Inuentus fuit Chriſtus in medio duorum animalium in præſepio velut pacificator.*
2. *In medio Doctorum velut Doctor.*
3. *In medio Iudæorum velut auxiliator.*
4. *In medio diſcipulorum velut Pater.*
5. *In medio mundi velut mediator.*
6. *In medio latronum velut Iudex.*
7. *In medio diſcipulorum velut Rex.*

THEMA.

Venit IESVS & ſtetit in medio diſcipulorum. Ioan. 20.

A ISaias c. 12. feliciſſimo nũcio recreaturus populum ſuum, vaticinatur dicens: *Exulta & lauda habitatio Siõ, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.* Quibus verbis Propheta nũciat Ieroſolymæ, venturum eſſe Meſſiam, tamdiu expectatum, in medium ipſius; iubilet proinde & laudet Deum ſuum. Ex Hebræo vertunt aliqui: *Hinni & lauda habitatio Sion.* Et aptè meâ ſententiâ. Quemadmodũ enim equi in ſtabulo recluſi pabulo deſtituti, cum deſiderio expectant herum, terram pedibus pulſantes; deniq; ad ingreſſum eius hinniunt, quaſi iam aduertãt pabulũ ſibi adfore, vbi aduenit nutricius: ita iubet Propheta iubilare habitatores Siõ ad Domini ſui præſentiam. Sanè antequam Chriſtus in hunc mundum veniret; magno cum deſiderio expectabant Patres. Rurſum in triduo mortis Chriſti, triſtabantur miro modo habitatores Sion, id eſt, Eccleſiæ: diſcurrebãt enim fideles & Chriſtum reſurgentem auidi præſtolabantur. Ergo hinni & exulta nunc ô Sion, quia hodie ingreſſus ad tè Dominus tuus; & quod amplificat gaudium, ſtetit in medio tui, vt te conſolaretur.

Porrò ſæpius in medio Chriſtus viſus eſt; in medio duorũ animaliũ, cũ natus eſſet in Bethlehem: in medio Doctorũ repertus in Ieruſalem: in medio Iudæorum ad Iordanem: in medio diſcipulorum ad vltimam cœnam & poſt refectionem: in medio mundi & in medio latronum ad montem Caluariæ. Denique rurſũ in medio diſcipulorum poſt reſurrectionẽ, vt in hodierno Euãgelio patet. Videamus cauſas.

B. I. *In medio duorum animaliũ in præſepio, velut pacificator.*

PRIMÒ. Inuentus fuit in medio duorum animalium, cùm iaceret in præſepi. Sic enim ſcribit *Habacuc cap.* 3. *Domine opus tuũ, in medio duorũ animalium cognoſceris*, vti vertunt 70. Interpretes, quos credibile eſt habuiſſe correctiores Codices, quàm poſteri acceperint. Hec porrò animalia fuiſſe bouem & aſinum, iuxta id *Iſaiæ* 1. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuũ & aſinus præſepe Domini ſui*, ſentiũt multi Patres, Origenes, Ambroſius, Auguſtinus & alij: Voluit autem reperiri in medio bouis & aſini veluti pacificator populi Iudaici & gentilis. Aſinus animal immundum, populum gentilem: bos mundum animal, Iudaicũ deſignat. Antequam hæc animalia à Chriſto coniungerentur, non poterat arari in boue & aſino: id eſt, non poterant confœderari gẽtes & Iudæi. Sed Chriſto mediãte coierunt in eandem fidem. Cuius vnionis prodromi & typus fuerũt Hærodes & Pilatus: ille Iudæus, hic gentilis; qui ipſo die paſſionis & mortis Domini, amici facti ſunt. Atque hic eſt lapis angularis, qui fecit vtraque vnum, *medium parietem maceriæ ſoluens*, id eſt, inimicitias inter vtrumque populũ, vt ait Apoſtolus ad *Eph.* 2. Hoc idem ſignificatum eſt per linteum illud Petro oſtenſũ, in quo erant omnia quadrupedia, quæ occidere & comedere iubebatur cœleſti voce Petrus, *Act.* 10. Linteũ enim Eccleſiã ſignificat: quadrupedia, quæ ſecundùm *S. Hieron. in c.* 38. *Ezech.* & *Orig. ho.* 2. *in c.* 2. *Gen.* partim munda partim immunda erant, populum Iudaicum & Gentilem deſignabant.

A potiori pacificare voluit omnes Chriſtianos, tametſi genere, opibus, potentiâ, doctrinâ, naturâ, complexione diſcrepantes. Hoc enim vaticinatus eſt *Iſaias c.* 11. futurũ tempore gratiæ: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cũ hædo accubabit: vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur* (aduerte leonem medium reponi inter vitulum & ouem, capitalẽ alioquin vtriuſque hoſtẽ) *& puer paruulus minabit eos.* Hoc enim ſignificat metaphoricẽ, per Chriſtũ pacificandas gentes moribus alioquin admodum diſſimiles; gentiles cum Iudæis, feroces cum mitibus, diuites cum pauperibus, potentes cum infirmis, cholericos cum manſuetis confœderandos eſſe & à ſimplici paſtore ducendos ac dirigendos. Quod certè factum in primis Eccleſiæ temporibus, & fit etiamnum, præſertim inter religioſos & alios quamplurimos.

C. II. *In medio Doctorũ, velut Doctor.*

SECVNDÒ. Inuentus fuit ſedens in medio Doctorum *Luc.* 2. tanquam Doctor omnium Doctorum & omnium nationum totius vniuerſi. Quemadmodum enim ſol in medio planetarum cõſtitutus eſt, vt illuminet tam ſuperna, id eſt, ſtellas ſuperiores: quàm inferna, quæ ſcilicet infra ſolem ſunt, & deinde mediũ cœli percurrit inter vtrumque tropicum, ne alios lumine & calore deſtituat, alios nimio exurat: Sic primo Deus ſolem ſuum Chriſtum oriri fecit ſuper bonos & malos & apparere in medio hominũ, vt omnium mentes tenebris implicatas illuſtraret, quaſi *ſtella matutina in medio nebulæ, Eccl.* 50. Vnde *Ioãnes c.* 1. *Erat lux vera*, inquit, *quæ illuminat omnem hominem.* Verùm ſicut ſol non ſtatim illuminat totùm orbem, ſed paulatim, velociſſimè tamen percurrendo vtrumque hemiſphærium: ita Chriſtus ſuo Euangelio paulatim, etſi citiſſimè, mundum omnem perluſtrauit. Quod ſi hunc non omnes vident, ex illorum indiſpoſitione prouenit, vt cùm veſpertiliones vel talpæ ſolem non vident, quia ſcilicet illi in rimas ſeſe abdunt

dunt, hæ verò terram ſubeunt: quos imitantur multi. Secũdò in viuendi ratione tenuit Chriſtus medium tam exemplo quàm doctrina, nõ tradendo rigidiſſimam, qualem duxit Ioann. Baptiſta: neque etiam leniſſimam; vt ſic omnibus omnia fieret & omnes ad ſe traheret. Vt enim venator diſpoſitis in varios retium angulos ſocijs, mediã ipſe ſyluæ viam tenet & perambulat: ita etiam Chriſtus. Ac licet nõ venator, ſed ſocij feras captent & venabulo configant, captura tamen venatori potiſſimùm adſcribitur, qui feras & indagauit & in retia impulit: ita licet aliqui ſancti rigidiorem vitam duxerint, quàm Chriſtus vel duxerit vel ducendam ſuaſerit: illud nihilominus Chriſto adſcribendum, qui gratiam eis meruit, vt tam aſperam vitam agerent. Monentur hic Concionatores, vt ſimili ratione cùm alios illuminãt, in medio conſiſtant, nemini ſubtrahendo lucem veritatis, nec perſonam reuerendo. Vt enim Sol illuminat etiam ſtellas, quæ in firmamento ſupra ipſum ſunt; ita illuminandi etiam & corrigendi ſunt, qui videntur ſibiipſis ſatis illuminati & ſunt Superiores.

D. III. In medio Iudæorũ, velut auxiliator.

TERTIÒ. Stetit medius inter Iudæos ad Iordanem, *Ioan.* 1. velut omniũ medicus, conſolator & auxiliator, quem omnes facilè adire & inuenire poſſint. Sic lignum vitæ in medio paradiſi collocatum fuit, vt omnibus obuium eſſet & paratum ad inſtaurandas vires corporis *Gen.* 2. Hunc igitur in modum habemus Chriſtum in Eccleſia, quaſi vbique obuiũ, paratùm nobis mederi in ſacramẽtis & inprimis in Ven. Euchariſtia: in ſuperioribus, in pauperibus, &c. Verùm ſicut Iudæi in medio ſui ſtantem non agnouerunt nec coluerunt, vti Ioannes ait, *medius veſtrũ ſtetit, quẽ vos neſcitis*; ita fit hodieque etiam inter Chriſtianos. Licet enim Dominus aſſeruerit verſari ſe in medio pauperum, & ali in perſonis eorum: adorari & mãducari in Euchariſtiã: coli & audiri in ſuperioribus: multi tamen necdum eum agnoſcunt. At ſicut primi noſtri parẽtes citiùs adierunt arborem lethalẽ, ſcientiæ boni & mali, quàm arborem vitæ: ita plurimi Chriſtiani, relicto ſalutis ſuæ medico & medicamentis, ad noxia & venena currunt.

E. IV. In medio diſcipulorũ velut Pater.

QVARTÒ. In medio duodecim diſcipulorum ſuorum diſcurrens ad lotionem pedum. Sic enim tunc dicebat: *Ego in medio veſtrũ ſum ſicut qui miniſtrat, Luc.* 22. Fuit in medio diſcipulorũ veluti pater in medio filiorũ, æqualiter omnes complectens amore, beneuolentia, cura & ſolicitudine paterna: miniſtrauit omnibus cibum, porrexit omnibus corpus ſuum, lauit omnibus pedes, omnes exhortatus eſt lõgo ſermone, pacem inprimis illis commendans & amorem, quaſi hæreditatẽ paternam teſtamẽto ſibi relictã. Quare cùm eo loco & tempore contenderent inter ſe diſcipuli, quis eorum videretur eſſe maior, ſedauit Dominus cõtentionem ſententiã illã prædictã, *Ego in medio veſtrũ ſũ ſicut qui miniſtrat.* Fuit hoc mirandũ in Collegij Apoſtolici gubernatione, quòd cùm Dominus Petrum & filios Zebedæi ad peculiaria quædam loca & arcana familiariùs admitteret, veluti ad myſterijũ Transfigurationis, ad montem Oliueti & ſuſcitationem puellæ: ita tamen hæc omnia in reliquis Apoſtolis tractandis fouendiſque compenſabat, vt quilibet eorum in animũ ſibi poſſet inducere, neminẽ ſibi à Chriſto anteferri. Hinc enim orta eſt non ſemel illa inter eos contentio, quis eorum videretur eſſe maior. Non contendebant quòd Petrus vel Ioannes vel Iacobus vellet aut videretur eſſe maior: Sed quis eorum videretur maior; itaque ſibi omnes tales videbãtur. Ita nimirum Chriſtus vſque adeò in medio eorũ erat per amoris & beneuolẽtiæ ſigna, quæ modò vni, modò alteri exhibebat, vt nemo de beneficiis in alterũ collatis conquereretur, nemo alteri inuideret, quin potiùs quilibet eorũ ſe plus amari exiſtimare poſſet. Hunc in modum ſi vnuſquiſq; expẽdat dona ſua & ſigna beneuolentiæ, quæ accepit, videbitur ſibi in multis prælatus eſſe aliis & magis à Deo dilectus v. g. ſi religioſus es, prælatus es ſæcularibus: ſi Sacerdos, laicis: ſi doctus, indoctis: ſi indignitate poſitus, plebi: ſi diues, inopibus: ſi ſanus & roboſtus imbecillibus: ſi pauper, auaris: ſi æger & infirmus, ſanis peccatoribus; ſi fidelis, infidelibus & hæreticis, &c. Denique inueniet vnuſquiſque peculiares quaſdam dotes ſeu naturæ ſeu gratiæ à Deo ſe accepiſſe, quibus alios præcellit. Diſcant hinc parentes filios ſuos æqualiter amare, veſtire, educare; & dona ſua quoad fieri poteſt, æqualiter inter eos partiri, ne vni anſam puſillanimitatis, alteri dent ſuperbiæ, atque ita rixas & æmulationes inter eos ſerãt, quemadmodum cõtigit in domo Iacob, cùm ex eo, quòd viderent fratres Ioſephum à patre plus quàm cæteros amari & elegantiùs veſtiri, oderant eum & necem ei machinabantur, *Gen.* 37.

F. V. In medio mundi velut mediator.

QVINTÒ. In medio mundi, inter cœlum & terram & inter media elementa, quãdo in cruce ſtetit tanquam mediator inter homines & Deum, reconcilians ima ſummis. Quemadmodum enim gallina expandit alas ſuper pullos quando miluum videt: & aues aliæ inter pedes geſtãt pullos ſuos propter aquilam ſupernè volantẽ & prædæ inhiantem, vt ſic mater, potiùs quàm pulli, verſetur in diſcrimine; ita in Cruce Chriſtus, qui ab ira patris metuebat filiis ſuis, medius inter Deum & homines, cœlũ inter & terram, expandit alas brachiorum ſuorum & excepit in ſe ictus, ac fulmina, quæ in homines vibrarat Deus. Tunc enim quando Deus iam commouebat elemẽta ad perdendos Deïcidas, quando mũdi lumine extincto omnia tenebris inuoluebantur & terra immugiebat quaſi deuoratura impios: Chriſtus pro iis orauit: *Pater dimitte illis.*

Atque vt doceret, totum ſe mundum Patri reconciliaſſe, in medio mũdi paſſus eſt, iuxta id *Pſal.* 73. *operatus eſt ſalutem in medio terræ*; hoc eſt, Ieroſolymis, quæ in medio eſt terræ olim habitabilis; ſiquidem ſita eſt in finibus Europæ, Aſiæ, Africæ. Vnde & vmbilicus terræ vocatur *Ezechiel.* 38.

G. VI. In medio latronum velut Iudex.

SEXTÒ. In medio latronum pendens viſus eſt in monte Caluariæ velut Iudex bonorum

& malorum. A dextris enim habuit latronem bonũ, & hunc accepit in paradiſum: à ſiniſtris reprobũ, & hunc reliquit Gehennę, iuxta prædictionẽ ſuam, *Matt. 24. Duo erunt in lecto, vnus aſſumetur & vnus relinquetur.* Sic enim in die Iudicij ſtatuet oues à dextris, hędos à ſiniſtris; ipſe in medio exiſtens, æquitatem iudicabit, ſine omni perſonarũ reſpectu, & nulli erit vicinior, quod attinet ad iuſtitiã. Paſſionis tempore ſub meridiem cecidit vmbra Chriſti crucifixi ſuper vmbram dextri latronis, non item ſuper vmbram ſiniſtri; (cruces enim ita poſitæ erant, vt crucifixorum facies aſpicerent Occidentem, vt alibi diximus) vt poſſet dicere latro bonus: *ſub vmbrá manus ſuæ protexit me:* ſic in die iudicij ſub vmbra Chriſti protegẽtur boni: reprobi nõ itẽ, ſed æſtuantes dicent montibus: *cadite ſuper nos, &c.* quia hoc exigit iuſtitia. Narrauit etiam mihi Romæ doctiſſimus vir P. Ioã. Bapt. Villalpandus & in ſua Ieroſolymæ delineatione (quã accuratiſſimè elaborauit, vt videre eſt in Bibliothecâ Collegij Romani) oſtendit, tempore paſſionis Domini, rupem montis Caluariæ ita fuiſſe terræ motu diſſiſſã, vt crux Chriſti & latronis pœnitẽtis ex vna parte, crux verò impœnitentis ex alia manſerit abrupta: ita in extremo iudicio Chriſtus cum electis ſuis à reprobis ſe diuidet, eoſque tartaro relinquet.

H. VII. In medio diſcipulorum velut Rex.

SEPTIMÒ. In medio diſcipulorum poſt reſurrectionem, vt in hodierno Euangelio velut Rex in medio populi ſeu Eccleſię ſuę. Sic enim & poſteà Ioanni *Apoc. 1.* apparuit in medio cãdelabrorũ, id eſt, Epiſcoporũ ſeu Eccleſię vniuerſę. Sic regem decet habitare in medio ciuitatis & regni ſui; quemadmodũ & cor in homine mediam obtinet ſedem & quaſi regiam eius, vt inde in omnia membra pari celeritate influere poſſit. Ergo vt ſciremus Chriſtũ ſimili modo eſſe in Eccleſia, quaſi in medio eius, vnde in omnia ſua mẽbra per gratiã & auxilia ſua mox influere queat, in medio Apoſtolorũ ſuorum, qui candelabra erant Eccleſiæ, apparuit; quaſi vbique præſto ſit ad emũgẽda lumina ne fides extinguatur, ne diſciplina corruat, &c. nec non ad candelabra amouenda, id eſt, Prælatos deponendos, prout ibid. c. 2. minatur Epiſcopo Epheſi: *mouebo candelabrũ tuũ de loco ſuo.* Porrò edictum regis noſtri primarium eſt: *Pax vobis*, atque vt pax inter fideles ſeruaretur, ſtatuit ſe in eorũ medio, cùm pacem eis præcepit; quaſi is qui pacem violat, Chriſtum priùs offendat (vtpote in medio ſtantem) quàm inimicum ſuum.

Docentur hîc Magiſtratus in medio conſiſtere, ita videlicet æquitatem adminiſtrando, vt nihil ex affectu agant aut perſonã accipiãt. Cùm vnicum in vrbe horologiũ eſt, decet vt ſit in eius medio, quò ab omnibus poſſit audiri: non in aliquo angulo. Similiter & fons publicus. Ita etiam Magiſtratus omnibus vigilet & ius dicat ac procuret, non aliquibus tantùm.

Vidimus Chriſtum in medio penè vndique repertum, quodque obſeruandum videtur, ſecundùm omnẽ ſitum. In medio iacuit: in medio ſedit: in medio ſtetit: in medio diſcurrit: in medio pependit; quid amplius requirimus?

Ergo exultemus & laudemus Deum, qui habitamus Sion, Eccleſiam Chriſti, inquam, quòd in medio noſtri dignatus ſit habitare: & oremus eum vt in medio quoque cordis noſtri velut Rex in regno dignetur ſedem ſuam ponere tandemque nos in electorum ſuorum medio ſtatuere.

CONCIO III.

Cur Chriſtus retinuerit quinque vulnerum Cicatrices.

Quinq; rationes aſſeũtur ex D. Th. 3. p. q. 54. a. 4.
1. Ad ſui corporis gloriam.
2. Ad confirmandam fidem noſtram.
3. Vt haberet noſtri memoriale.
4. Vt admoneret nos amoris ſui.
5. Vt ea in diem iudicij ſeruaret.

THEMA.

Infer digitũ tuum huc & vide manus meas. Ioan. 20.

EX hodierno Euãgelio manifeſtũ eſt Chriſtum retinuiſſe veſtigia quinque vulnerũ, quandoquidem in ea iuſſit Thomam mittere manũ. Sed hoc ipſum tamẽ valde eſt admirabile. Quid enim corpori glorioſo cum vulnerum cicatricibus & foraminibus? Deinde idipſum mirantur Angeli *Zach. 13. Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Qua in re imprimis nullatenus audimus Porphyrium apud *Aug. ep. 49.* hinc colligentem non fore poſt reſurrectionem ſtatum beatum; ſiquidem hæ cicatrices nec dolorem nec ignominiam Chriſto afferebant. Nec audimus gentiles apud *Bedam libr. 6. in Lucam.* arguentes inde, quaſi reſurrectio fieri nequeat, eò quòd Chriſtus vulnera ſua non obliterarit. Hi enim nõ aduertũt, quòd qui reſurgere potuit & corpus viuificare potuerit etiam totum quoad omnia reſtituere ſi voluiſſet. Aliæ igitur cauſæ ſunt, cur Chriſtus voluerit reſurgere, retẽtis vulnerum cicatricibus. Quinque illæ afferuntur à *D. Thoma 3. p. q. 54. ar. 4.* quas hic excutiemus. A

B. I. Ad ſui corporis gloriam.

PRIMÒ. Retinuit eas tanquam victoriæ trophæa ad ſui corporis gloriam promeritam. I[illegible] *Ambroſius ſuper Luc. vlt.* Et *Bern ſer. 3. de reſurrect. Intrauit*, ait, *Dominus ad diſcipulos oſtendens manus & latus ſicut ſolet in ſignũ virtutis clypeorũ foramina monſtrari.* Rationẽ affert *V. Beda ſuper Luc. c. 24.* cũ ait. *Si aliquis fortiſſimus miles iubẽte rege ſuo pro totius gẽtis ſalute ſingulari certamine deſudans, multis quidem vulneribus exceptis, hoſtẽ tamẽ interficiat & victoriã ſuæ gẽti reportet, interrogatusq; à medico, velitnè ita curari vt nec veſtigia vulnerũ vlla deſideãt, an magis ita vt cicatrices quidem remaneant, deformitas tamẽ prorſus omnis abſit, reſpõdeat ſe potius ita velle ſanari vt perpetua ſecũ circũferat ſigna triũphi: ſic Dominus ob ſignũ perpetis victoriæ vulnerũ cicatrices cœlo inferre maluit quàm abolere.* Vnde Franciſcus Petrarcha Dial. de vulneribus 77. ait, ſi cauſa vulnerum pulchra eſt, ea non Cicatrices aut vulnera, ſed virtu-

virtutis dicenda eſſe veſtigia & præclaris affixa frontibus ſigna meritorũ. Sic & Curtius *li.4.* *Vulnera*, ait, *quæ quiſque* (in prælio) *excipit, indicia virtutis ſunt.* Hinc eſt quod *S. Aug. l. 22. de ciuit. c.20.* putat reſurrecturos etiam Martyres cum vulnerum ſuorum cicatricibus, eaſque perpetuò retenturos, ad maiorem eorumdem gloriã. Quis ignorat veſtes ſericas cum ſcitè diſcinduntur & varij coloris fimbrijs, vel etiã gemmis & margaritis diſtinguuntur, ſplendorem inde maiorem ſumere, quàm ſi prorſus integræ perſeuerent? Ornant igitur ſplendidiſſimum Chriſti corpus hæ vulnerum margaritæ, vt nõ immeritò dixerit ſpõſa *Cant. 5. Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ Hyacinthis.* Hyacinthus mirabilis eſt naturæ vt refert *Bartol. Angl. de propr. l. 16. c. 54.* quia cœlo obſcuro obſcurus, ſereno ſerenus eſt & lætitiam affert. Ita etiam vulnera Chriſti, quæ in paſſione, vbi cœlum obſcuratum, dolorem & coram hominibus confuſionem afferebant: eadem nunc cœlo ſereno, poſt reſurrectionem ſcilicet, ſerenitatem præſeferunt, & lætitiam Chriſto ac decorem afferunt. Ita nimirum nouit Chriſtus contumelias & vulnera in honorem & gemmas commutare. De M. Catone qui ſibi Vticæ necem cõſciuit ait *Valerius Max. l. 3. cap. 2.* è fortiſſimis eius vulneribus plus gloriæ fluxiſſe quàm ſanguinis. Verius id de Chriſto, qui non ex deſperatione aut inani gloriâ, ſed noſtrì amore, voluntariâ obedientiâ, nullâ coactione glorioſè occubuit, ſuaque morte vitam omnibus tribuit hominibus. Præclarum quidem fuit Horatij Coclitis dictum (ſcribit Frãciſcus Petrarcha de vulner. c.77.) quo cùm ei aduerſarius quiſpiam claudi pedis vitium, quod intuendo ponte ſublicio, vſq; dum à tergo per ſuos deſtrueretur, deinde in Tyberim deſiliendo contraxiſſet, obijceret: reſpõdit aduerſario: *Minimè claudico, ſed Dij immortales voluere vt per ſingulos paſſus meminerim triumphi mei.* At quanto rectiùs Chriſtus vulnerum ſuorum cicatrices manibus perpetuò circumfert, perpetuò aſpicit: qui non vnam gentẽ nec ad breue tẽpus ab hoſte eſt tutatus: ſed omnes & in perpetuum: nec in flumen ſolummodò ſalutis ſuæ causâ deſilijt; ſed in Crucem vſque noſtræ ſalutis gratiâ aſcendit? Meritò igitur victoriæ ſuæ indicia ſemper in manibus geſtat & contemplatur. Sed & nos Chriſtiani ea tanquam ſalutis noſtræ trophæa memori mente intueri & omni veneratione deoſculari debemus. Nam ſi illum quoque, vt inquit Petrarcha vbi ſuprà. Cæſium Scæuam mitæ virũ fortitudinis, ſed iuſtitiæ nullius, mille lacerum perfoſſumque vulneribus hoſtes quoque venerati & propter vnius virtutis admirationem, vulnera ipſa deoſculantes, armorum fragmina & ſagittas repenti cadauere eductas Deorum templis ceu ſacrum aliquid affigebãt: quid de Chriſti Domini vulneribus ſentiendum? qua reuerentia nobis deoſculanda venerandaque erunt? ſanè Conſtantinus Magnus Imp. in Cõcilio Niceno Epiſcoporũ oculos in perſecutione effoſſos, piè oſculabatur pro certo perſuaſus, vt ait *Theodoretus libr. 1. cap. 11.* oſculo benedictionem ſe inde hauſturum. Si riuulos iſtos ex vulneribus Chriſti promanantes adeò veneratur Imperator, quid nos fontibus ipſis debemus?

SECVNDÒ. Ad confirmandam fidem in nobis duplicem. Primò, *vt agnoſcatur in Chriſto proprietas diuinæ humanæq; naturæ indiuidua permanere*, vt ait *S. Leo. ſerm. 1. de reſurr.* Et hoc cõtra Eutychetem, qui cenſuit humanitatẽ Chriſti poſt reſurrectionem conuerſam eſſe in diuinitatem eiuſque attributa omnia ſortitam: Vnde ſequeretur, humanitatem Chriſti ceſſaſſe, &c. Iam verò in eo quod retinuit Chriſtus cicatrices, oſtendit ſe reuerà etiam retinuiſſe humanitatem in ſua natura: nec conuerſam eam eſſe in diuinitatem, ſiquidem cicatrices vulnerum naturæ diuinæ non competunt. C. II. Ad confirmandã fidem noſtram. 1.

Secundò, vt eſſent argumentum Dominicæ reſurrectionis, quo nimirum illum ipſum, & non alium reſurrexiſſe intelligeremus. Ita *S. Chryſ. hom. 86. in Ioan. S. Leo, Damaſc. Chryſologus.* Idem docet *S. Aug. in Pſ. 74.* ad illa verba: *Ego confirmaui colũnas eius. Colũnas*, inquit Auguſt. *dicit pſalmographus Apoſtolus. Et quid eſſent illæ columnæ, niſi ab eo firmarẽtur? Columnæ quæ in paſſione nutauerunt, in reſurrectione firmatæ ſunt. Terruerunt eos vulnera, firmauerũt cicatrices.* &c. Itaque Thomam habemus quaſi legatum noſtrum, exploratorem terræ ſanctæ quoad palpationem: reliquos Apoſtolos, quoad viſum & auditum. Vnde *Greg. hom. 26. ſuper Euãgelia* dicit: *plus nobis Thomæ infidelitas ad fidẽ quàm fides credentium diſcipulorũ profuit; quia dum ille ad fidẽ palpãdo reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſita, in fide ſolidatur.* Fundatur autẽ in reſurrectione Chriſti, fides reſurrectionis noſtræ. Et vnde tot tamque bellicoſi Martyres ad ſanguinis effuſionem tã alacriter decertantes niſi ex vulnerum illorum & reſurrectionis Chriſti certificatione? Sanè vt Elephãtes viſo ſanguine aut ſãguinis ſpecie aliquâ, vti mori vel uvæ rubræ (quemadmodum legitur 1. *Mach. 6.*) accenduntur in præliũ, ita SS. Martyres oſtenſis Chriſti vulneribus. Vnde *Ber. ſerm. 61. in Cant.* ait: *Vult benignus Dux decori militis vultũ & oculos in ſua ſuſtolli vulnera vt illius ex hoc animũ erigat & exẽplo ſui reddat ad tollerãdũ fortiorẽ. Enimuerò non ſentiet ſua, dum illius vulnera intuebitur.* Et mirũ ſanè eſt, quod vulneribus & vulnera curet Chriſtus, & animos infirmis addat. Nutabant corda diſcipulorũ & infirmi eramus ad patiendum. Vtrique malo medebantur Chriſti vulnera. Nimirum vt ſcorpio enectus medetur morſui ſcorpionis, aranea araneæ, mus ferro apertus muris morſui: ita & Chriſti vulnera, quæ necem ipſi attulerunt & dolorem, vitam nobis & robur cõtulerunt. Refert Iulius Solinus ad capiendos Elephantes fieri foueam vt in eam incidant, & tunc accedere venatorem vnum, qui hoſtiliter eum aggrediatur & aliquantum vulneret: ſubuenire verò alterum qui hunc depellat & membra ſua ſanguine tingat quaſi propter ipsũ à venatore vulneratus eſſet. Hoc viſo manſueſcere Elephantem & liberatori velut mancipium quaquauerſum obedire. 2.

Nos

Nos in ſoueam cecideramus, Chriſtus inde nos eripuit; & ita quidem, vt dum cædentem & vulnerantem nos dæmonem expugnaret, ipſe pro nobis vulneraretur. Cùm igitur nunc aſpicimus eius vulnera, an non eum velut Dominum noſtrũ maximè amabimus & in omnibus ſequemur? poſt inſignem victoriam quam obtinuerat populus Iſrael Gedeonis operâ de Madianitis, adeò ei deuinctus erat vt diceret: *Dominare noſtri tu & filius tuus & filius filij tui, Iud.* 8. Et ita in principem ſuum elegerunt illum, qui ne vnum quidem vulnus in conflictu illo acceperat. Quanto æquiori iure hoc dicimus & facimus Christo, qui pro liberatione noſtrâ tam grauiter vulneratus eſt?

D. III. Vt haberet noſtri memoriale.

Tertiò. Vt haberet noſtri perpetuum memoriale: Ac primò, vt meminiſſet ea cœleſti patri commonſtrare, iramque eius in nos iuſtiſſimam licet, exarmare, iuxta id 1. *Ioann.* 2. *Sed etſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem,* IESVM CHRISTVM *iuſtum.* Quod facit repræſentando patri naturam humanam cicatricibus ſignatam, vt ait loco cit. *S. Thomas.* Et *S. Cyprianus ſerm. de baptiſ. Hebræor. Vt appareant,* inquit, *vulnera Dei pro nobis & vt ſemper ſeruata in corpore plagæ ſalutis humanæ exigant pretium.* Vt enim Seruator noſter cuiuſcumque æui homines morte ſuâ redemit; ita non deſiſtit omni tempore interpellare pro nobis, meritum redemptionis noſtræ Patri repræſentando, vt pretio ſuo compenſetur. Quia enim Sacerdos eſt in æternum ideo ſacrificium redemptionis noſtræ perpetuò offert Patri ſuo pro nobis. Et ſicut ipſe de Iride dixit: *Erit arcus meus in nubibus & videbo illum* & recordabor fœderis ſempiterni, quod pactum eſt inter Deum & omnem animam viuentem, *Gen.* 9. ſic aſpiciens vulnera in carne filij ſui, recordabitur etiam fœderis inter ipſum & nos pacti, meritis Chriſti mediantibus. Multum valet ad impetrandum quidpiam exhibitio vulnerum acceptorum: Sic namque Marcus Antonius pro Aquileio perorans (vt ſcribit Cicero orat. in Verrem) cùm ſenatui Aquilei veſtem oſtendens ſingula vulnera pro republicâ ſuſcepta numeraret, facilè Iudicibus perſuaſit, vt pro Aquileio pronunciarent. Denique *S. Chryſoſtom. ſer.* 1. *in Iuuentin. & Maximum* ait: *ſicut milites vulnera, in prælijs ſibi inflicta, Regi monſtrantes fidenter loquuntur; Ita & illi* (Martyres) *manibus abſciſſa capita geſtantes & in medium afferentes, quæque voluerint, apud Regem cælorum impetrare poſſunt.* Si hæc omnia, inquam, homines poſſunt: quid non poterit apud Deum filius Dei, membra ſua vndique ſaucia ei ſi commonſtret? Habemus igitur *teſtamenti noui Mediatorem* IESVM, vt ait S. Paulus ad *Hebr.* 12. *& ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel.* Quid ita? ſanguis Abel clamabat ad Deum: Vindicta, vindicta. Sanguis autem Chriſti: Miſericordia, Miſericordia. Atque ad hæc faciunt quinque vulnerum foramina veluti quinque patula ora ſemper ad Deum clamantia.

2. Secundò, vt perpetuam noſtri memoriã maximamque curam & ſolicitudinem gerere ſe demonſtraret: & ne aliquando de eius in nos amore & ſolicitudine dubitaremus. Quid enim ſunt niſi cælaturæ quædam manibus eius inſculptæ? Qui rei alicuius vult meminiſſe, annulum in digito ponit; id feciſſe Chriſtum dico, dum ſtigmata retinuit ne noſtri obliturum aliquando arbitremur. Vnde *Iſa.* 49. ait: *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar. Ecce in manibus meis deſcripſi te;* ſanguine videlicet velut atramento, clauo velut calamo. Ac ne putemus facilè deletum iri ſcripturam illam, aut Chriſtum pœnituiſſe paſſionis ſuæ, *Zach.* 3. cælandus dicitur pretioſus lapis, Chriſtus, vulneribus ſuis, vt intellexit S. Hieronym. *in comment. ſuper Zach.* vt ſic abijci non poſſit ſculptura eius, & fructus paſſionis aut memoria redemptorum aliquando extingui. Olim certè pœnituit Deum quòd hominem feciſſet, *Gen.* 6. At verò de redemptione noſtrâ & paſſione ſuâ numquam pœnituit, nec pœnitebit: neque etiam obliuionem ſuorum vnquam poſt hâc deponet. Strenuus quidam miles ad Iulium Cæſarem delatus quaſi proditionem in eum moliretur: re intellectâ ad Cæſarem venit & aperto pectore cicatrices vulnerum in bello pro ipſius causâ ſuſceptorum oſtendit: atque ita Cæſari plenam fidem de conſtanti ſua fidelitate fecit, (*refert. Oſor. tom.* 3. *in F. S. Thomæ.*) Idem feciſſe Marium coram Romano ſenatu ob ſimilem ſuſpicionem refert *Salmeron, to.* 11. *tract.* 16. Oſtendit ergo & nobis Chriſtus vulnera ſua, vt ne de eius erga nos conſtanti amore vnquam dubitemus.

E. IV. Vt admoneret nos amoris ſui.

Quartò. Vt commonefaceret nos amoris nobis exhibiti, & viciſſim debiti noſtri. Quid enim aliud ſibi volunt verba illa: *infer digitum tuum huc, &c.* quàm quod Paulus 1. *ad Cor.* 6. & Petrus *ep.* 1. *c.* 1. dixit: redemptos nos eſſe *nõ corruptibilibus, auro vel argento, ſed pretioſo agni ſanguine?* Hinc enim Thomas ob amorem illum ſibi in vulnere demonſtratum quaſi extra ſe raptus, ac veluti in camino ignis manum vſtulaſſet, exclamat: *Dominus meus & Deus meus. Patet arcanum cordis,* ait, *S. Bern. ſerm.* 61. *in Cant. per foramina corporis.* Iulius Cæſar volens Romano ſenatui, in quo erat, monſtrare labores ſuos pro Republica Romanâ ſuſceptos adeoque fidem ſuam, aperuit thoracem & monſtrauit ei cicatrices vulnerum pro Romanis ſuſceptorum. Commonſtrat etiam nobis hodie ſuas Chriſtus: *Videte,* inquit, *manus meas & pedes meos.* Videte, inquam, quantum pro vobis fecerim! poſteaquam enim fodi torcular hoc in vineâ meâ, *quid vltra ei debui facere & non feci?*

Videte deinde quis hæc foramina fecerit, Iudæi, dicetis: verum eſt; ſed & nos fecimus Chriſtiani, qui toties delinquimus & ſine illorum vulnerum pretio ſatisfacere nequaquam poſſumus. Peccata noſtra claui fuerunt, membra Chriſti penetrantes: voluntas noſtra malleus fuit eos intrudens: Niſi peccaſſemus aut peccaturi eſſemus, Chriſtus paſſus non fuiſſet. Agnoſce igitur in Chriſto vulnera tua, ſcelera tua. Nicodromus quondam Crateti impegit in os pugnum eumque in fronte vulnerauit. At

Cra-

Crates fronti impoſuit tabellam, cui inſcripſit. *Nicodromus faciebat*. Itaque cum liuore ſuo obambulans traduxit cytharœdum. *Laert.l. 6.c.1.* Non diſpari ratione, quo agnoſcas te quicumque es, vulnerum Chriſti auctorem, ecce tibi palam retinuit & circumtulit geſtatque etjamnum in cœlo, & monſtrabit in die iudicij tabellas illas, vt ita loquar, vulnerum ſuorum. Quòd ſi enim quæramus à Chriſto cùm *Zach.cap.* 13. *quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Dicet: *his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.* Tales imprimis Iudæi, qui in lege veteri Deum diligebant, tales nos Chriſtiani qui ſaltem aliquando Deum diligebamus: poſteà verò omnes peccatis noſtris ſauciauimus. Denique videte quid his plagis debemus. Honorem vtique debemus, non execrationem aut blaſphemiam. Si enim ipſum dominum interrogemus: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* reſpondebit manſuetiſſimè: *His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me.* Non execratur vulnerum horum auctores. Quis ergo vulnera Chriſti execrari audeat omni veneratione colenda?

F. V. Vt ea in diem iudicij ſeruaret.

QVINTÒ. Vt ea ad diem Iudicij conſpicienda ſeruaret, iuſtis ad ſolatium, malis ad terrorem: iuxta id *Apoc.* 1. *Videbit eum omnis oculus & qui eum pupugerunt. Inimicis*, inquit *D. Auguſtin. in lib.* 2. *de ſymbolo cap.* 8. *vulnera demonſtraturus eſt ſua, vt conuincens eos dicat. Ecce hominem quem crucifixiſtis, videtis vulnera quæ infixiſtis, agnoſcitis latus quod pupugiſtis, quoniam per vos & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.* Alexander M. dicere ſolebat; *Vt maximè ſanetur vulnus quod illatum eſt, manet tamen cicatrix*; id eſt, memoria iniuriæ, etſi dolor abſceſſerit, apud *Eraſ. lib.* 8. *apopht.* Ita ſanè tunc, etſi Chriſtus iam olim paſſus eſt, & dolorem nullum ſentiet ampliùs: manebit tamen memoria ſcelerum contra impœnitentes nec obliterabitur niſi pro meritis puniantur. Quantum ibi confundentur & cruciabuntur, qui ſacratiſſima hæc vulnera blaſphemo ſuo ore tam facilè proſciderunt? Item, qui hos ſalutis fontes contẽpſerunt & neglexerunt? Exiſtimo etiam vulnera illa fore Chriſto non ſolùm ante, ſed etiam poſt iudicium, quaſi ſymbola monitoria ad vltionem faciendam de hoſtibus & ne miſereatur damnatorũ in æternum. Iuſtinianus ſecundus Imp. poſt recuperatum imperium quo eum naſoque ſimul Leontius Patritius priuauerat, acerbiſſimè iniuriam vltus eſt. Nam quoties naſum emungeret, hoſtium ſuorum vnum capite mulctabat, quorum in vinculis magnum numerum habebat. *Bapt. Fulg.l.*9. Sic, vt opinor, toties nouas flammas concipiet infernus, quoties Chriſtus intuebitur ſua vulnera. Sed clauorum ſigna bonis ſalutaria ſunt vſque ad diem Iudicij, ait *Cæſarius Arelaten ho.* 24. Corpus Chriſti templũ eis eſt, à Iudæis quidem dirutũ, ſed à Chriſto reædificatum: eius quinque vulnera, quinque templi portæ ſunt. Hæc piſcina probatica, cuius 5. porticus. Hæ ciuitates refugij, de quibus 1. *Paralip.*6. Hæc foramina petræ, in quibus protegitur columba ab Aquilâ, ſeuero illo Iudice, *Cant.* 2. Hæc denique foſſa humus de qua *Iſaias c.*2. ait: *Ingredere in petram & abſcondere in foſſa humo à facie timoris domini.* Hic præſidium repeciunt & ſolatium, quotquot eò confugiunt. Teſtatur id S. Bern. qui ſerm. 61. in Cant. ait: *Ego verò fidenter quod ex me mihi deeſt, vſurpo ex viſceribus domini, quoniam miſericordiâ affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus eius & pedes, latusq́, lancea forauerunt, & per has rimas liceat mihi ſugere mel de petra, oleumq́ de ſaxo duriſſimo.* Teſtatur S. Hiero. qui quoties à carne tentaretur, remedium ſe in iis inueniſſe ſcribit, imò angelicam puritatem, apud *Oſor. tom.*3. in F. S. Thomæ.

G. VI. Ad beatorum gaudium.

Ad extremum, ſeruata ait Hugo Cardin. in Ioannem, vt beati ea videntes, indeſinenter ei gratias agant. Ea enim intuentes æternùm canent id *Apoc.*5. *dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutẽ & diuinitatem & ſapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem in ſæcula ſæculorum, Amen.*

CONCIO IV.

Quomodo credendum.

1. *Credendum eſt ſimpliciter Deo reuelanti.*
2. *Prudenter, diſcernendo credenda à non credendis.*
3. *Firmiter & ſine hæſitatione.*
4. *Tempeſtiuè, non præproperè & cunctanter nimis.*
5. *Explicitè & in ſpecie.*
6. *Verè & completè.*

THEMA.

*Beati qui non viderunt & crediderunt. Ioan.*20.

A

QVemadmodũ in ædificio nihil magis neceſſarium, quàm eius fundamentum, vtpote quo deficiente, ruit ædificium; interim tamen nihil magis negligitur, quia cùm in terra lateat, non examinatur; ita ferè contingit in ædificio ſpirituali vitæ Chriſtianæ. Fundamentum eius fides eſt, iuxta id Apoſtoli ad *Hebr.*11. *fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*, id eſt, baſis & fundamentum; vti vocatur à S. Dionyſio de diuinis nominibus *c.* 7. quo quidem corruente, tota iuſtitia hominis Chriſtiani corruat neceſſe eſt. Interim verò ſicut, qui incolũt domos, præſumunt fundamentũ earum fixum & ſtabile eſſe, vnde nihil de eo cogitant, & ſæpe decipiuntur: ita plerique Chriſtiani numquam examinant fidem ſuam, quia ſupponunt eam, fixam eſſe & ſtabilem, quæ reuerà tamen ſæpenumerò defectuoſa & ruinoſa eſt. Sanè in hodierno Euangelio niſi ſapientiſſimus Architectus Chriſtus domum S. Thomæ à fundamẽto reparaſſet, ea tota corruiſſet. Ergo quemadmodum vnius ædificij ruinâ, vicini excitantur ad luſtranda ædificia ſua, ne idem ſibi contingat: ita nos exemplo Thomæ edocti, recognoſcemus fundamentum domûs noſtræ, fidem, & audiamus quomodo ſit credendum.

B. I. Credendum Deo ſimpliciter.

PRIMÒ. Credendum eſt ſimpliciter Deo reuelanti, non interrogandum proprium iudicium. Intellecto enim hoc, quòd aliquid à Deo

Deo ſit reuelatum, fides adhibenda eſt, nec ſine graui Dei iniuriâ aliud quæri teſtimonium poteſt, quo impellamur ad credendũ. Faceſſat igitur proprium iudiciũ aut ſenſus. Quis enim ſine iniuria eaque grauiſſimâ Principis vel Epiſcopi aſſertum ſubiiciet iudicio alicuius ruſtici vel ſcurræ? Eſt ſanè viſus ſenſuum nobiliſſimus ac fideliſſimus, eum tamen nihilominus reprobat in materia fidei Chriſtus, cùm ait Thomæ: *Quia vidiſti me Thoma credidiſti: beati qui non viderunt & crediderunt.* Eadem ratio de iudicio proprio & ratione naturali eſt; magis enim ſuperatur ab obiecto fidei, quàm oculus noctuæ à radiis ſolaribus. Itaque qui vult videre quæ ſunt fidei, cæcus fiat & talpa. Talpa in tenebris viuit, ad lucem producta moritur, teſte Pierio in hierogl. *l.* 13. Ita etiam nos in tenebris fidei credentes, viuemus: ad lucem ſi prodire & examinare voluerimus, quæ credenda ſunt, moriemur. Non eſt in hoc mundo tempus aut locus ea videndi quæ credimus, ſed in altero. Vnde *Aug. tract.* 27. *&* 40. *in Ioann.* ait: *Fides eſt credere quod nõ vides, cuius veritas & merces eſt videre, quod credidiſti.* Simus igitur in fidei negotio Barionæ, id eſt, filij columbæ, quæ omnia ſimplici intuetur oculo; quo nomine laudatus eſt S. Petrus, *Beatus es Simon Bariona,* &c. Simon, id eſt, obediens, ob habitum piæ affectionis, qui inclinat voluntatem ad aſſentiendum. Bariona ob credendi ſimplicitatem. Sed & cæteri Apoſtoli in hoc excelluerunt, quod ex eo colligit Theophylactus, quòd audientes in vltimâ cœnâ fore vnum ex ipſis, qui Chriſtum proditurus ſit? quaſi magis Chriſto aſſerenti, quàm ſi quiſque crederet, interrogarunt ſemetipſos: *Numquid ego? Numquid ego?* quaſi dubitantes de ſeipſis.

C. II. Prudenter. SECVNDÒ Prudenter, vt videlicet diſcernamus credenda à non credendis. Debet hæc prudentia comes eſſe ſimplicitatis, iuxta illud Domini: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ.* Simplicitas enim ſine prudentiâ, ſtultitia eſt, non prudentiâ. Quare Primò

1. non omnia credenda ſunt, quæ paſſim ab his vel illis dicuntur: quia vt ait Seneca l. de moribus: *perinde vitium eſt omnia credere, ac vitium eſt nihil credere.* Sed quæ ex iudicio & auctoritate Eccleſiæ, quæ eſt Magiſtra & columna veritatis, directa à Spiritu ſancto, credenda proponũtur. Hoc ſenſu ait S. Ioannes Apoſt. 1. *epiſt. c.* 4. *Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere.* Peccant hîc etiam qui Eccleſiæ cęremonias ſingulas habẽt pro fidei articulis, quaſi proinde fides mutetur cùm cæremoniæ mutantur.

2. Secundò. Non omnia à fide excludenda, quæ non continentur in SS. literis: ſed credendum etiam eſt SS. traditionibus in Eccleſiâ receptis. Quod primò patet ex Apoſtolo 2. *Theſſal.* 2. dicente: *Fratres ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolã noſtram.* Ex quo habemus non omnia quæ credenda ſunt eſſe SS. literis mandata. Patet ex hodierno Euangelio vbi dicitur: *Multa autem & alia ſigna fecit Chriſtus, &c. quæ nõ ſunt ſcripta in libro hoc.* Secundò quia hoc ipſũ ex traditione tantùm credere poſſunt hæretici, nihil eſſe credendum niſi quod eſt ſcriptum. Vbi enim hoc ſcriptum eſt? Adhæc vnde conſtat aliquid eſſe reuelatum à Deo? Ex SS. literis inquies. Rectè; ſed vnde noſti illas literas eſſe ſcripturam ſacram? nonnè inde ſolùm, quia ſic per manus veterum traditum eſt ad poſteros? Nam ſi dixeris ſcripturam ſibiipſi perhibere teſtimonium rideberis; quia idipſum de ſe perhibet Turcicus Alcoranus. Si dicas id teſtari aliam ſcripturam; quæram ego idem de hac aliâ ſcripturâ; & ita in infinitum dabitur progreſſus. Neque dicas id per ſe euidens eſſe, quia experientia reclamat, cùm tot ſint hodie cõcertationes, quinam libri ſint canonici. Quære ex puero vel peregrino, quinam libri tales ſint: nihil reſpondere poterit. Supereſt igitur vt vnius vel plurium, qui à Spiritu ſancto id didicerint, auctoritate hoc intelligatur: Iſti ſunt Eccleſia Catholica, ſeu prælatorum cœtus, à quibus illa regitur & recta fuit retroactis ſæculis: quoniam illi à Deo facta eſt promiſſio infallibilitatis.

Taceo quòd illa hæreticorum doctrina dat anſam innumeris hæreſibus; ſiquidem plurima ſiunt quæ non ſunt ſcripta in SS. literis. Atque hinc prodijt Anabaptiſtarum hæreſis (quia nullibi ſcriptum eſt baptizandos eſſe paruulos) aliæque plures.

Neque etiam licet excludere vnum, alterumve fidei articulum, quia eadem diuina veritas reuelauit omnes & iubet credi omnes. Vnde omnium reus fit, qui vni fidem abnegat; quia qui præcepit vnum, præcepit & alterum. 3.

TERTIÒ. Firmiter. Primò ſine trepidatione aut hæſitatione. Quia non exigua Deo infertur iniuria, cùm eius veritas vel potentia in dubium vel ſuſpicionem reuocatur. Hinc Moyſes morte punitus fuit, quòd de promiſſâ à Deo aquâ ex petrâ, dubitanter ſit locutus: *Num de petra hac poterimus vobis aquã elicere? Num.* 20. Et *Marci* 9. qui dixit Chriſto: *Domine ſi quid potes, adiuua nos*; non priùs fuit auditus, quàm fidem ſuam firmaret. Quare peccat etiam contra fidem & eſt hæreticus, qui in aſſenſu fidei voluntariè dubitat. Ne in hanc labem incidamus, cogitemus Primò Deum, vt ait *S. Ioannes ep.* 1. *c.* 3. *maiorem eſſe corde noſtro,* id eſt, plura ſcire, videre & facere poſſe, quàm nos humanâ ratione aſſequi poſſimus. Sufficiat nobis myſteria illa non eſſe contra rationem, vti verè non ſunt, ſed oſtendi poſſunt, eſſe credibilia & poſſibilia. Secundò ſalubriter à Deo fuiſſe nobis abſcondita fidei myſteria vt haberemus occaſionem ſingularem valdè eum colendi & optimè merendi. Amici veri ſe produnt maximè in aduerſis: & beſtiæ generoſæ tunc exerunt vires ſuas, cùm aduertunt ſe committi cùm hoſtibus violentiſſimis. Cuius rei hiſtoriam congruam eamque recentem recenſet P. Lud. Richeomus in valedict. animæ coll. 11. de equâ generoſâ annis confectâ, quæ commiſſa cum Leone in celebri Hiſpaniarum vrbe Sarogoza accedentem ad ſe Leonem primo ſtatim congreſſu, ad vocem compellantis ſe heri & confirmantis, ita ſalutauit valido ictu vt mox impactâ in frontem calce attonitus Leo confeſtim

D. III. Firmiter. 1.

angu-

angulum peteret & hoſti tam potenti ſaltem ad tempus cederet. Igitur & nos in difficillimis fidei articulis heroes nos exhibeamus. Rugiant circa nos licet hæretici, nihil metuamus. Confirmat nos in Euangelio Dominus: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

2. Secundò. Ita vt malimus mori potius, quàm fidem abnegare. Scimus enim Chriſtum negantibus ſe comminatum eſſe, negaturum ſe eos in cœlo, *Matth.* 10. Scimus etiam Petrum, ob negatum Chriſtum, fleuiſſe amarè, *Luc.* 22. Scimus denique olim in Eccleſia acerrimè diſputatum, vtrum qui ſic deliquerant, recipiendi eſſent ad Eccleſiam; quamquam vicit ſententia affirmans.

E. IV. Tempeſtiuè. Qvartò. Tempeſtiuè, & Primò non præproperè. Ait enim Eccleſiaſticus ca. 19. *Qui cito credit, leuis eſt corde.* Citò autem credit, qui neſcit quid aut cur credat, vt qui ex animi leuitate

1. vel ex motiuo impertinente & temporali tantùm credit, vt ſunt qui fidem Catholicam idcircò ſolùm ſuſcipiunt, quia cum Catholicis pro tempore habitant, vel quia in loco Catholico matrimonium inierunt, nulla prius habita fidei ratione, vel præmiſſa inſtructione. Hi enim quàm facilè admittunt quod dicitur, tam facilè dimittunt, vbi grauior aliqua difficultas oritur, ſiue argumentum pro contraria parte ſuggeritur. Contra quos ſcribit Apoſtolus ad *Eph.* 4. *Iam non ſimus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ.* Vt enim nouellæ plantæ, nondum ſat fundatæ, leui vento eruuntur, & accelerata ædificia citò iterum corruunt; & vulnus præproperè curatum citò recrudeſcit: ita illorum fides, tam facilè parta, facilè dilabitur. Hinc prohibet Eccleſia quemquam infidelem ablui baptiſmo, priuſquam edoctus ſit diligenter fidei rudimenta. Similiter & hæretici priuſquam recipiantur, bene diſcutiendi & in fide inſtruendi ſunt.

2. Secundò non cunctanter nimis. Tardè autem credit, qui poſtquam inſtructus eſt res fidei euidenter eſſe credibiles, cunctatur tamen credere: ſufficienter autem inſtructus eſt, qui vel miracula ipſa vidit, vel à teſtibus irrefragabilibus confirmata eſſe diſcit, vel ab Eccleſia Catholica audit eſſe reuelatum à Deo, quod proponitur; vel contineri in verbo Dei. Nolle enim acquieſcere Eccleſiæ tot miraculis firmatæ, tot ſæculis conſeruatæ, per orbem dilatatæ, ſanctitate etiam conſpicuæ, &c. manifeſtæ peruicaciæ eſt. *Quidquid per orbem frequentat Eccleſia,* ait *S. Auguſtinus ep.* 118. *ad Ianuarium cap.* 5. *de eo diſputare, an ita ſentiendum ſit, inſolentiſſima eſt inſania:* Hanc ergò veritatem Magiſtram cùm audire te contingit, vide ne tardus ſis ad credendum; niſi velis audire cum ſimilibus illud Saluatoris: *O ſtulti & tardi corde ad credendum! Luc.* 24. Quod ſi noua miracula requiras, perinde agis cum Deo, atque ſi alicui mutuum dare nolis, niſi pignus ab eo capias. Arguit hoc Chriſtus velut magnam diffidentiam: *niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Ioan.* 4.

F. V. Explicitè. Qvintò. Explicitè & in ſpecie. Primò præ-
1. cipui fidei articuli, vt qui in ſymbolo continentur. Nam ſi in genere tantùm credamus vera eſſe, quæ Deus pronuntiauit, nihil differemus à paganis; nec ſufficienter colemus Deum eiuſmodi fide generali, in qua nulla eſt difficultas. Neque ſufficit poſt Chriſtum credere tantùm in vnum aliquem Mediatorem ſicut ſufficiebat ante Chriſtum. Credendum modò in hunc Mediatorem, Ieſum ſcilicet. Deinde etiam myſterium SS. Trinitatis & Incarnationis Chriſti & quæ ad munus redemptionis pertinent, vti Chriſti diuinitas & humanitas, paſſio, mors, reſurrectio, explicitè credenda ſunt, neceſſitate medij, non præcepti tantùm. Alij ſymboli articuli neceſſitate præcepti tantùm. Ita enim docent Doctores cũ *S. Thoma* 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. Neceſſitas autem medij tanta eſt, vt ſi quis, etiam ſine culpâ ſuâ, medio illo deſtituatur, à ſalute excidat.

Secundò in certis caſibus omnia fidei dogmata, v.g. cùm quis circa aliquod tentatur, vel 1. cùm accedens ad Eccleſiam audit ea ſibi proponi à fideli Catechiſtâ; vel cùm tenetur actu externo fidem profiteri; tunc enim mente etiam profiteri eam debet, ne mens ori aut facto contradicat.

Denique quiuis adultus, ſi ſaluari vult, debet ſaltem ſemel actum aliquem fidei elicere, 3. quia fides explicita non conſiſtit in habitu, ſed in actu.

Sextò. Verè & completè, ita nimirum vt fidei tanquam fundamento ſuperædificentur opera bona, velut parietes & tectum. *Ille enim verè credit, qui exercet operando, quod credit,* ait *S. Gregorius in hom.* ſuper hodiernum Euangelium. Hocque eſt ædificium domus ſpiritualis, quod quiuis Chriſtianus in ſeipſo extruere debet. Cæterum ſi poſito fundamento nihil ſuperædificat, omnes aliquando incipient ei illudere dicentes: *Hic homo cœpit ædificare & non potuit conſummare. Luc.* 14. Et quantum apud inferos ille pudefiet? Parum dedecoris eſt homini cœpiſſe ædificare & non conſummaſſe, ſi nõ potuit conſummare, quia videlicet ſumptibus deſtituitur. Maius longè dedecus erit, cùm dicetur de Chriſtiano: Hic homo cœpit ædificare & non voluit conſummare. Virtutis laus omnis in actione conſiſtit, & fidei laus in operibus, ſine quibus teſte S. Iacobo mortua eſt. Fides fundamentum homini eſt, quale eſt aqua natanti, quæ nonnihil ſubleuat eum, ſola tamen ſuſtinere nequit: ipſe etiam brachia & crura mouere ac natare debet, alioquin ſubmergetur: ita qui ſola fide nixus virtutum actiones reliquerit, in barathrum inferni mergetur. Neque ſolùm Chriſtiano turpe & periculoſum eſt non viuere Chriſtianè; verùm etiam ipſi Chriſto Domino iniurioſum. Grauem vtique contumeliam Chriſto inferebant improbi illi milites, qui Chriſtum ore regem vocabant & velut regem genu flexo adorabant, interim manu eum percutiebant, arundinem quoque cauam ei offerebant & caput ſpinis vulnerabant. Et quid aliud agit Chriſtianus qui ore quidem Chriſtum profitetur & adorat: interim fidem illi inanem exhibet & operibus cum percutit

G. VI. Verè & completè.

cutit: ore compellat Dominum ſuum, opere autem negat? quod ſanè eſt vno genuflexo, altero non flexo adorare Chriſtum, vti fecerunt milites. Quibus ait Dominus *Luc.* 6. *Quid vocatis me Domine Domine: & non facitis quæ dico?* Quare Auditores ne in caput noſtrum contumeliæ iſtę recidant, & omnes qui vidēt nos incipiant illudere nobis, conſummemus id, quod cœpimus, opus perfectionis Chriſtianæ: nō innitamur ſoli fidei: præſtemus opere quod fatemur ore adeoque vtroque genuflexo adoremus Dominum & Saluatorem noſtrum.

CONCIO V.

Media ad conſeruandam fidem.

Vt lumen fidei in nobis conſeruetur.

1. *Vitanda eſt curioſitas in perſcrutandis rebus fidei.*
2. *Vitanda conſuetudo grauiter peccandi.*
3. *Fugienda maximè ſuperbia & libido.*
4. *Fugienda Hæreticorum conſortia, nempe connubia, nimia familiaritates, libri, conciones & diſputationes eorum.*
6. *Bonis operibus vacandum.*

THEMA.

Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Ioan. 20.

A VIdemus, Auditores, in hodierno Euangelio, quanti referat fidem ſemel apprehenſam retinere ac conſeruare. Quod enim puero pædagogus, quod cœco ductor, quod lucerna nocti, quod ouiculæ paſtor eſt, quod fides homini. Quid agendum fuiſſet Hebræis in deſerto peregrinantibus, ſi Deus columnæ ductū eis abſtuliſſet? nonne in deſerto vndique oberraſſent & in hoſtium manus incidiſſent? Sanè cùm ſe id facturum eis minaretur *Exodi* 33. *audiens populus ſermonem hunc peſſimum luxit*, inquit Scriptura, *& nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.* Quid conſilij cepiſſent Magi, ſi ſtella viæ Dux, quam perdiderant Ieroſolymis, non rurſum apparuiſſet reuertentibus ex vrbe? Qua ratione Chriſtum natum inuenire potuiſſent? quomodo non maximoperè contriſtari ac demum ſine fructu domum reuerti debuiſſent? Quid cum Thoma actum eſſet, ſi in ſuâ incredulitate ſibi relictus, perditaque ouis à paſtore Chriſto requiſita non fuiſſet? Nonnè in ſuis tenebris perpetuò obambulâſſet & à viâ cœli deuiâſſet? Quare nunc videndum quâ ratione lumen fidei in nobis conſeruandum ſit.

B. I. Vitanda nimia curioſitas. PRIMÒ. Vitanda nimia curioſitas & præſumptio in perſcrutandis rebus fidei. Ait enim Sapiēs *Prou.* 25. *Scrutator maieſtatis opprimetur à gloriâ.* Quomodo ſcilicet imbecillior viſus, veluti infantum opprimitur à nimio ſolis lumine, læditur & vitiatur. Vel quo modo Plinius rerum naturalium curioſiſſimus indagator dum incēdium montis Veſuuij in Campaniâ coram indagare venit, erumpente interim flammâ & igneum quaſi fluuium cinerum euomente, ab eodem oppreſſus & ſuffocatus eſt vti ſcribit Plinius iunior in ep. ad Corn. Tacitum. Dicere ſolemus, periſſimos natatores præſtantiſſimos pugiles & qui in ſcandendis arboribus plurimum valent, maximè periclitari de exitio & ruinâ; quia ſuis viribus nimiùm præfidentes, in pericula ſe conijciunt. Atqui tales reuerà ſunt, qui arcana fidei myſteria curioſiùs rimantur. Natare enim contendunt per immenſum pelagus: conſcendere audent arborem, quæ in cœlum ſe protendit: committunt ſeſe prælio pugnantium inter ſe Doctorum, in quo non pauci eruditi, dum vincere voluerunt, turpiter victi ſunt. Boni ergò Chriſtiani eſt *in captiuitatem redigere intellectum in obſequium fidei*, vt ait Apoſtolus 2. *Cor.* 10. Veraciſſimus eſt Deus & mentiri nequit; optimus eſt & neminē decipit; omnipotens eſt & plurima facit captum noſtrum excedentia, quia *maior corde noſtro* 1. *Ioan* 3. Pythagoræis ſatis erat Magiſtri ſui auctoritas, quam allegabant eo verbo: *Ipſe dixit*: Cur non ſufficiat Chriſtiano Dei verbum?

SECVNDÒ. Vitanda conſuetudo grauiter peccandi. Tametſi enim peccatum mortale formaliter fidem non eliminat, frequenter tamen iteratum ita eam debilitat vt tandem omninò deſtruat, diſpoſitiuè ſcilicet. Hinc enim quibuſdā hæreticis ait Apoſtolus 1. *Tim.* 1. quòd *bonam conſcientiā repellentes circa fidē naufragauerunt.* q. d. fidei naufragiū fecerunt, quia anchoram bonæ conſcientiæ, quæ nauim fidei roborat & in tribulatione conſeruat, dimiſerunt. Quemadmodum ergo nauis anchorâ deſtituta alliditur ad ſcopulos ſubinde & tandem crebrâ alliſione frangitur: (vti patet *Act.* 27. vbi ſublatis ancharis impegit nauis in ſcopulis & diſſoluta eſt) ita fides vbi exuta eſt bonâ conſcientiâ mox allīditur ad vitiorum ſcopulos, luxuriam, ebrietatem, ambitionem, auaritiā, inde omninò perditur. Cuius ratio eſt primò naturalis antipathia & contrarietas, quæ eſt inter fidē & vitam malam; hāc enim fides ſemper carpit & reprehendit. Quare ſicut Herodias necem attulit Ioanni, quòd ab ipſo argueretur de inceſtu: ita iſti eliminant fidem, à quâ ſe reprehendi & redargui aduertūt. Secundò, Pondus ipſum peccati, quod paulatim hominem trahit ad grauiora peccata & profundius ſemper mergit: Nemo enim repente fit peſſimus: nec ab vno extremo ad alterum fit progreſſus, niſi pertranſitis medijs. Hæreſis autem peſſimum & quaſi extremum malum eſt quod radicē omnium virtutū exſcindit. Ergò de foſsâ in foſſam, de peccato in peccatū prius ſaliendum, antequam ad imum hæreſis barathrum peruenias. Tertiò, Punitio diuina. Deus enim tales deſtituit ſuo lumine & tandem in reprobum ſenſum tradit, vti docet Apoſtolus ad *Rom.* 1. Quartò, Peruerſitas & corruptio naturæ ex peccandi conſuetudine orta, quâ fit vt facilè ac libenter credatur id, quod arridet & delectat. Nō eſt difficile voluptuarijs & carnalibus hominibus perſuadere, Sacerdotes vxoratos eſſe debere: caſtitatē impoſſibilem eſſe: ieiunia eſſe ſuperflua: ciborū delectum eſſe ſuperſtitioſum. Non eſt apud auaros

C. II. Vitanda conſuetudo grauiter peccandi.

Ratio. 1. 2. 3. 4.

B diffi-

difficile vſuras excuſare, apud ambitioſos ſimoniam, apud luxurioſos fornicationem. Vnde nec mirum ſi Mahometo primùm, deinde Luthero noſtro tempore tam multi adhæſerunt, quia illorum ſectæ carni fræna laxarunt & timorem Dei ſuſtulerunt. Porrò ſi frequentia & grauia peccata non ſemper ad infidelitatem ducunt, eneruant tamen & mortificant omniq́ue merito euacuant fidem, quæ quidem peccatori ineſſe poteſt, prodeſſe tamen non poteſt.

D. III. Fugienda maximè ſuperbia & libido.

Tertiò. Fugienda inter alia vitia, maximè ſuperbia & libido, velut duæ primariæ fidei voragines quæ pleroſque Apoſtatas à fide abripuerunt & in perfidiam demerſerunt. Superbia inter alios Simonem Magum, primum Hæreſiarcham, qui Spiritum Sanctum emere voluit, vt eum, quibus vellet, elargiri, & coli velut donator Spiritus ſancti poſſet. Deinde Tertullianum, Aërium, Lutherum, Ochinum & alios quamplurimos qui cùm apud noſtros ſperatas aſſequi dignitates non poſſent, primatum & nominis ſui celebritatem quæſierũt inter hæreticos. At verò ſuperbi præ alijs peccatoribus nauſeam Deo pariunt, vt teſtatur Amos *c.6.* dicens: *Iurauit Dominus in anima ſua, dicit Dominus exercituũ: Deteſtor ego ſuperbiam Iacob.* Quo loco vox Hebræa ſignificat nauſeam & faſtidiũ habere. Quoniam ergò ſuperbi nauſeam Deo creant, quid mirum ſi illos euomat ex ore & Eccleſiâ ſuâ? Libido rapuit Nicolaum Diaconum, Marcionem, Montanum, & noſtro ſæculo Lutherum & alios Sacerdotes ac votifragos Monachos, qui in Eccleſiâ votum continentię Deo nuncuparunt, poſteà turpiter violârunt, atque vt in lididinis ſuæ cœno ſecurè volutari poſſent, ab Eccleſia defecerunt. *Malè viuentes,* inquit *S. Chryſoſtomus in 1. ad Tim. 1. ne futurorũ metu & expectatione crucietur, perſuadere ſibi omni ſtudio curãt, falſa eſſe omnia, quæ noſtra religio cõtinet, nempe de peccatis, reſurrectione, iudicio futuro & ſimilibus.* Quod certè præſtitére noſtri Hæreſiarchæ, qui præceptorum obligationẽ, SS. Canones & cenſuras, vota, purgatorium & ex parte infernum ſuſtulerunt, quia inde ſe redargui, inde ſibi exitium imminere ſenſerunt. Et quâ ratione, dicet aliquis, fieri potuit, vt viri etiam doctiſſimi adeò obliuiſcerentur Dei, cœli, iudicij, inferni, legis naturæ & mandatorum diuinorum? Ratio in promptu eſt, quia à ſuis concupiſcentijs, quas ſectabantur, excæcati & perturbati quaſi in nebulâ ambulârunt, ideoq́; non viderunt, quæ ſana & recta ſunt. Refert Plinius *l.7.c.24.* & Salonius *c.7.* Meſſalam Coruinum oratorem clarum ac nobilem ex diuturno & vehementi morbo in tantam rerum, quas nouerat, omnium veniſſe obliuionem, vt etiam proprij ſui nominis non recordaretur. Huiuſmodi autẽ morbus, ſiquis vllus, eſt libido, quæ toto impetu rapit hominem & quodammodò dementat, vt Dei, cœli, inferni ſuiq́ue ipſius obliuiſcatur. Hinc Eccleſiaſticus c. 19. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.*

E. IV. Fugienda hæreticorum conſortia.

Qvartò. Fugienda Hæreticorum conſortia & familiaritates nimiæ: nec imitandi eorum ritus & mores. Scimus enim Petrum dum ad focum ſe calefacturus iunxit infidelibus, Chriſtum abnegaſſe. Eodem in periculo verſantur qui moribus hæreticorum ſe accommodant. Quemadmodum enim Cælius ille, qui apud Martialẽm l.7. Epigr. 33. mẽtiebatur podagram, reipsâ tandem hoc morbo correptus eſt & fingere deſijt: Ita iuſto Dei iudicio ſæpe contingit, vt qui hæreticis ſe accommodant, ſenſim eis aſſueſcant & reipsâ adhæreant.

Cæterum præcipuè fugienda & vitanda ſunt Primò cõnubia hæreticorum cum Catholicis, vt præcipitur in *C. non oportet. c.* 28. q. 1. niſi profiteantur Catholicos ſe futuros. Et ſanè eiuſmodi connubia nihil boni parere poſſunt, tum quia diſcordiarum cauſa ſunt, quod in fabulis docuit hirundo turdum volentem cõtrahere cum illâ; ſiquidem illa calidis, hic verò frigidis delectatur locis: illa ad æſtatem venit, ad hyemem recedit: hic cõtrà ad hyemẽ venit, ad æſtatem abit. Tum quia longè procliuior eſt ad hæreſim via quàm ad fidem Catholicam, vnde multò faciliùs peruertitur à coniuge Catholicus, quàm conuertatur hæreticus. Patuit id in connubijs Iſraelitarum, quæ contraxerãt cum Azoticis, gentilibus fæminis, quorum liberi neſciebant loqui Iudaicè, loquebantur potiùs Azoticè, quod diſcebãt à matribus, *Nehem. vlt.* patuit in Salomone, qui tot libris ſuis tãtaq́ue ſapientiâ ſuâ nec vnã conuertit vxorẽ ſuã ab Idololatriâ: ſed contrà ab ijs peruerſus eſt. — In ſpecie. 1. Connubia.

Secundò. Nimiæ cum eis familiaritates. *Nulla cum talibus colloquia miſceantur,* inquit Cyprianus *l. 1. ep. 3. Simus ab eis tã ſeparati, quàm illi de Eccleſiã profugi.* Hoc idem S. Antonius præcipit: *Zelum meũ contra omnes hæreticos & veritatis hoſtes tenete, ſcitis quia nunquã illis molliter aut pacificè locutus ſum,* &c. Idem dicebat: *Talium amicitia atque ſermones, nõ niſi mera ſunt animæ pernicies.* Athan. in vita eius. Et ſanè qui amicitias & fraternitates cum illis contrahunt, parum ſe Catholicos & fidei ſuæ Zelatores oſtendunt. *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* inquit Ieremias c. 2. ad Iſraelitas, qui quandoque Ægyptijs ſe iungebant. Aqua turbida eſt doctrina infecta, obſcura & hæretica. Et quanquã non neſcio, neceſſarium ſæpe eſſe, cum hæreticis & inter eos conuerſari, idq́ue ſine culpâ fieri poſſe: hoc tamen eſt quod dico, familiaritates nimias & amicitias ac fraternitates cum ijs non contrahendas. Dico negotia & colloquia quæ cum illis habenda ſunt, breuiſſimè expedienda eſſe, non ſecus ac canes de Nilo bibunt, obiter videlicet & per tranſitum, ne ſubito erumpentes è Nilo Crocodili eos corripiant ac deuorent. Quod ipſum ſemper timendum inter hæreticos. — 2. Nimiæ familiaritates.

Tertiò. Non legendi ſed abijciendi eorum libri. Non fruſtrà *Exod.* 22. præcepit Deus: *Carnem quæ à beſtijs fuerit prægustata, non comedetis;* vult enim doctrinam animalem quæ hæreticorum dentibus fuerit laniata, vti Lutheri Biblia, ne guſtemus, vt exponit Rabanus: ſeu vt libros hæreticos ne legamus. Quid enim eorum libri niſi à beſtiis guſtata & lacerata caro? quid niſi venenata aſpidum oua, quæ ſi fregeris — 3. Libri eorum.

erum-

erumperet in te venenatus fœtus teque inficiet? Vnde *Eſa.* 59. dicitur: *Oua aſpidum ruperunt: qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum eſt, erumpet in regulum.* Quid ſunt oua aſpidum, niſi peſtilentes hæreticorum libri, quos ipſi & poſuerũt & excluſerunt? hos qui aperit & legit, facilè inficitur & putorẽ ſentiet. Oua aſpidum vt notat Vegas in *Apoc. c.* 6. foris quidẽ pulchra ſunt, intus autem venenata & peſtilentia. Et tales hæreticorum libri, blandi, elegantes, ſcripturis exornati: interim hæreſi pleni ſunt. Quod expertus eſt Luthetię Atheus quidã anno 1572. combuſtus, qui à Iudice interrogatus vnde tantam hauſiſſet impietatem? *E Caluini libris*, inquit, *apud quem cùm Deum legerem cauſam eſſe flagitiorũ omnium, atque ad ea perpetranda impellere homines, ſatius eſſe duxi nullum omninò Deum ponere, quàm talem agnoſcere*, refert P. Chauaſſ. de prudentiâ *l.* 3. *c.* 10. Nec excuſaris ſi dicas, te inde bona tantùm ſelecturum velut apem, venena præteriturum. Hoc enim magno illi Theophilo legenti quoſdã damnatos Origenis tractatus, vitio datum eſt & in eo reprehenſum, teſte Caſſiod. in vitâ Theophil. Optimè hac de re Florimundus Remund. *l.* 4. *de Orig. & progreſſ. hær. c.* 2. ſcribit: *Neque illi excuſandi mihi videntur, qui iſta ſe legere vel audire aiunt, vt fidem inde ſuam tanto magis cõfirment. Numquid enim non ridiculus, ſed ſtultus ille fuit, qui primus in ſe aconiti vim cum certiſſimâ ſuâ morte (poſtquam omnis iſta cognitio inutilis eſt) experiri voluit? S. Hieronymus reprehẽdit eos qui ieiunijs operã daturi, ſumptuoſis tamẽ & ſplendidis epulis intereſſe gaudent; vt & Monachos, qui perruptis Monaſterij clauſtris, in principũ aulis & medijs ſæcularium hominũ turbis obuerſantur, vbi vix tuta eſſe poteſt pudicitia: quum præcipuus religioſæ vitæ ſcopus eſſe debeat, domare concupiſcentias & carnis ſtimulos retundere, vt continentia tanto magis reddatur meritoria. Nouerat enim vir ſanctus, quàm periculoſũ ſit velut collato pede cum ijs hoſtibus pugnare, qui vix vllâ ratione quàm fugiẽdo vinci poſſunt. Longè facilius & tutius eſt intra murũ contra arietis ictum ſeſe defendere, hoſtemq́; è ſuperiore loco propulſare, quàm medijs in campis, vbi aſſiliri vndiq́; poſſis, acie cum hoſte confligere. Quàm citò enim vel leui brachio tortum telum in caput noſtrum incidere, vitamq́; nobis auferre queat? ſerpens ille ſub pulcris illis, vt videntur, hæreticorũ ſcriptorum floribus latens, vbi oculos noſtros ad legẽdum pellexerit, virus ſuum animis ſtatim tacitè afflat, ſenſus noſtros peruertit, & iudicium corrumpit in ijs qui nullo muniti prophylactico medicamẽto, rem tam peſtiferam tractare non verẽtur. Et quemadmodum nautæ littus legentes, etiamſi nihil minus cogitent quàm in altum enauigare, niſi tamen nauim in portu anchorâ firment, maris tempeſtate & fluctuum vi ſæpe abripiuntur: ſic curioſi iſti qui hæreticorum libros legendos ſuſcipiunt, niſi firmiſſimam fidei anchoram in Romanæ portu Eccleſiæ iecerint, leuitatis ſuæ ventis in errorum vel etiam impietatis & atheiſmi abyſſum, cum ſempiterno animæ exitio plerumque propelluntur.* Nec verò tutum etiam eſt, domi retinere, licet eoſdem non legas: quia etiam oua aſpidum in domo non tolerares, licet non attingeres: lapis enim offenſionis ſunt, & Deo infeſti. Refert Euiratus *in prato ſpirituali c.* 66. B. Virginem cum SS. Ioanne Baptiſtâ & Euangeliſta aliquando appariuiſſe Cyriaco Abbati circa annum 42). Sed cellam eius ingredi noluiſſe quòd in eâ duo Neſtorij libri, licet ipſo neſcio, forent.

Quartò, Vitandæ illorum Conciones. Domino teſte, oues ſequuntur & audiunt tantùm paſtorem ſuum legitimum, alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, *Ioan.* 10. non tantùm non ſequuntur, vel curioſè intuentur: ſed fugiunt ab eo: vocem eius & aſpectum horrent. Alieni verò ſunt prædicantes hæreticorum, quia ſine legitimâ miſſione & ſucceſſione per foramen ingreſſi ſunt. Igitur qui vera Chriſti ouis eſt, fugiat lupum. S. Antonius Arianorum Conciones ſerpentibus deteriores dicebat, apud Athan. in vita. Sed quid ſi ab aliquibus non tantùm audiantur libenter alieni, ſed etiam ſæpè laudentur & probentur? Hinc certè natæ hæreſes & ſerpunt in hodiernum. Propheta *facti ſunt greges mei in rapinam & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri*, ait Deus per Ezech. *c.* 34. Sed væ tam prædicantibus iſtis, quàm audientibus. *Stupor & mirabilia facta ſunt in terrâ*, ait Hieremias *c.* 5. *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in nouiſſimo eius?* 4. Conciones eorundem.

Quintò. Vitandæ illorum diſputationes, præſertim indoctis. Pellicanus cùm in alto habitare poſſet, terram eligit ouaque terram condit; quod aduertentes aucupes loco illi ignem circumponunt, quem Pellicanus extinguere conatur & interim alas adurit ignemque magis excitat, & pennis aduſtis capitur. Refert Pierius *l.* 20. Ita ſi tu cum hæreticis verſari velis, ignem illi diſputationis accendent, quem tu dum extinguere voles, vreris. Sanctus ille Ioſeph noluit cum domina litigare & pallium vi eripere, ne eius contactu vitiaretur, ſed maluit id relinquere & fugere, *Gen.* 29. Sic & tu noli litigare cum hæreticis. Audi S. Auguſt. *tract.* 1. *in Ioan.* *Quiſpiam*, inquit, *tædium patiebatur à muſcis, inuenit illum Manichæus tædio affectum, & cùm diceret, ſe non poſſe pati muſcas, & odiſſe vehementer illas, ſtatim ille: Quis fecit has? & quia tædio affectus erat & oderat illas, nõ eſt auſus dicere, Deus illas fecit; erat enim Catholicus. Ille ſtatim ſubiecit, ſi Deus non fecit illas, quis eas fecit? Planè ait ille, ego credo quòd Diabolus fecit muſcas. Et ille ſtatim, ſi muſcam Diabolus fecit, ſicut te video confiteri, quia prudenter intelligis; Apem quis fecit, quæ paulò maior eſt muſcâ? non auſus eſt ille dicere, quia Deus fecit apẽ, & muſcam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locuſtam, à locuſta ad lacertam, à lacertâ ad auem, ab aue duxit ad pecus, inde ad bouem, inde ad elephantem, poſtremò ad hominem & perſuaſit homini, quia non à Deo factus eſt homo. Ita ille miſer cùm tædium paſſus eſt à muſcis, muſca factus eſt quem diabolus poſſederat.* Hactenus Aug. 5. Diſputationes eorum.

F.

Quintò. Bonis operibus vacandum. Hæc enim ſunt oleum illud virginum prudentum, quo conſeruârunt lampades ſuas ne extinguerentur; quoque deſtitutæ fatuæ dicebant: *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguũtur* V. Vacandũ bonis operibus.

tur. Quiſquis ergò lucernam fidei conſeruatam in ſe vult, oleum illud affundat, neceſſe eſt.

Inprimis verò expedit crebros actus fidei exercere, ita videlicet vt quæ agimus bona non tantùm ex motiuò propriæ virtutis, ſed etiam quia fides id præſcribit, agamus; deinde vt fidem in baptiſmo nobis infuſam, à patribus traditam, crebra profeſſione conteſtatam ſæpe recolamus & firmiſſimè ſtatuamus ei adhærere vſque ad extremum ſpiritū. Vt enim aquâ crebrâ motione purior & ſanior fit: immota verò putreſcit; vt gladius & vomis exercitio poliuntur & acuuntur: otio deſtruuntur & rubiginem contrahunt; vt artes vſu perficiuntur, inertiâ perduntur: ita fides & virtutes aliæ conſeruantur aſſiduâ earundem exercitatione, amittuntur intermiſſione. Propterea Apoſtolus hortatur Timotheum diſcipulum ſuum: *Exerce teipſum ad pietatem*. 1. *Tim*. 4. q. d. ad Dei cultum & vitam homine Chriſtiano dignam, in rebus diuinis legendis, audiendis, meditandis, vt earum amorem & affectum in te excites. Virtus enim & ars magis exercitio aſſiduo quàm multâ ſpeculatione addiſcitur & perficitur. Hinc Appelles in more habuit vt nullam diem prætermiſerit, quin lineam aliquam duceret, & pingeret aliquantulum; inde pictorum omniū præſtantiſſimus euaſit. Plin. l. 35. c. 10.

CONCIO VI.

Fructus exercitij de omni-præſentia Dei.

1. *Primus aſſignatur collectio mentis in oratione.*
2. *Puritas mentis.*
3. *Ardor ad pugnam ſpiritualem.*
4. *Cordis ſtabilitas.*
5. *Lætitia & conſolatio ſpiritualis.*

Deinde aſſignat auctor modum concipiendi omni-præſentiam Dei.

THEMA.

Venit Ieſus ianuis clauſis & ſtetit in medio. Ioan. 20.

A VEram & genuinam cauſam cur in medio diſcipulorum ſtare voluerit Chriſtus rediuiuus, non dubito eſſe illam, vt ab omnibus nimirum diſcipulis videri & agnoſci poſſet. Quemadmodum enim Sol in medio cœlorum conſtitutus eſt vt omnia illuminet, tam ea quæ ſupra ſe, quàm ea quæ infra ſe habet, adeoque vt omnium ad ſe conuertat oculos (vnde Græcè ἥλιος à cōſeruatione appellatur) ita in hodierno Euangelio Chriſtus medium occupauit locum vt diſcipulorum omnium oculos ad ſe conuerteret. Videtur tamen & hoc docere nos voluiſſe Dominus, hominis Deum timentis eſſe, habere ſemper in conſpectu ſuo Deum ſibi præſentem, quandoquidem reuerà omnibus rebus & locis præſentiſſimus eſt, imò in medio vniuſcuiuſq; iuxta id *Deut*. 6. *Dominus Deus tuus in medio tui*. Omnium ergò noſtrûm oculos ad ſe trahere deberet hæc omni-præſentia Dei, quod vt impetrare à vobis poſſim, Auditores, fructus huius exercitij videamus.

PRIMVS. Collectio mentis in oratione. Abbas Ioannes in collat. Patrum, coll. 9. c. 7. ait: *Quales orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus*. Nimirum quale frumentum ad molēdinum fertur, talis reportatur farina; ſi hordeum infundas molæ, non recipies farinam niſi hordeaceam. Ita tu ſi toto die incumbis lucro, litibus, confabulationibus, iocis, ſympoſiis, aliiſue ſæculi negotijs, quid aliud tibi occurret in oratione quando lapis lapidem terit, id eſt, cum voluntas & intellectus exercentur, quàm quod priùs actitabas, ſæcularia nugamēta? His onuſtus Rex Maneſſes ait 2. *Paralip*. c. 6. *Incuruatus ſum multo vinculo ferreo & non poſſū tollere caput & nō eſt reſpiratio mihi*. q. d. multitudo curarum ſæculariū ita caput incuruat meum vt non poſſim tollere illud per orationem ad Deum. Talibus onerabantur etiam Iſraelitæ à Pharaone *Exod*. 5. operibus ſcilicet luti & laterum conficiendorum, vt ſic & ſordidi & delaſſati ſacrificare Deo ſuo non poſſent. Nouit hoc etiam diabolus, ideò ſæculi ſtudioſos talibus occupat opprimitque paleis & vanitatibus, ne meliorem in molendino orationis inueniant farinam. Ideò prædictus Abbas ſubiungit: *Quidquid ante orationis horā anima noſtra cōceperit, neceſſe eſt vt orantibus nobis per ingeſtionē recordationis occurrat. Verborum vel ſenſuum ante oculos imago præludens, aut iraſci nos ſecundū præcedētem qualitatem faciet, aut triſtari, aut concupiſcētias cauſasuè præteritas retractare, aut riſu fatuo, quod etiā pudet dicere, cuiuſquam ſcurrilis dicti vel facti titillatione pulſari, aut ad priores faciet volitare diſcurſus. Et idcircò quidquid orātibus nobis nolumus vt irrepat, ante orationem de abditis noſtri pectoris extrudere feſtinemus*: hæc ille. S. Baſilius in reg. bre. 106. rogatus quēadmodū ſēper collecta eſſe mens poſſet in ſuis cogitationibus, Reſpōdit: *Si Dauidem imitemur, qui ait: prouidebam Dominū, in conſpectu meo ſemper, Pſal*. 15. Et iterum: *oculi mei ſemper ad Dominum Pſ*. 24. Sanè Dauid templum intraturus orabat: *dirige in conſpectu tuo viā meam Pſ*. 5. & ſine dubio etiam orans Deum ſemper in conſpectu ſuo habuit, cuius oculi ſēper ad Dominum etiam ante orationē fuerunt: vnde etiam facilè intelligimus, collectiſſimum ſemper fuiſſe. Quis enim, aſpiciens coram ſe Regem, non ſedulò ad eum attēdat? De S. Romualdo ſcribit Petrus Damianus apud Surium to. 3. Rainerium Tuſciæ Marchionem, vanitatibus mundi alioquin & potentiâ tumentem, ſolitum dicere, ſibi non Imperatorem poſſe tantum metum incutere, non vllum mortalium, quantum ſe Romualdi terreret aſpectus: ante eius quippe vultum neque quid diceret ſcire, neque quibus ſe defenderet, excuſationes inuenire. Habebat reuerà vir ſanctus hanc ex diuino munere gratiam, vt quicunque peccatores, præſertim potentes ſæculi, in eius præſentiam veniſſent, mox vt ante maieſtatem Dei territi formidarent. Sanctus nimirum ſpiritus, qui pectori eius inſidebat, hunc terrorem iniuſtis intentabat. Quòd ſi viri vnius ſancti aſpectus terrere alios potuit, quis non metuat, ſibique & actione ſuæ inten-

B. 1. Collectio mentis in oratione.

intendat, cùm in conſpectu Dei ſtat & cum ipſo loquitur.

C. II. Puritas mentis.

SECVNDVS. Puritas mentis. Quando Princeps eſt in ſuo palatio, non admittunt in palatium quemuis ianitores, ſed excludunt ſordidos, abiectos, vagos: & ſi quos tales intùs inuenerint, eijciunt. Vbi verò Princeps abeſſe cognoſcitur, paſſim omnes ingrediuntur, ruſtici, opifices & alij. Simili ratione vbi Deus exulat ab hominum memoriâ, ibi ianitor nullus; vnde vitia conglomeratim in animos irruunt, iuxta id *Pſ. 9. Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſũt viæ illius in omni tempore.* Cuius exemplum præbet Cain, qui quia egreſſus eſt à facie Domini, vt dicitur *Gen. 4.* id eſt, à loco in quo Deus loqui & apparere ſolebat: quia Deũ oblitus eſt & à mente ſuâ excluſit: & habitauit ad orientalem plagam Eden, id eſt deliciarum (ſic enim exponitur Eden) ideò, vt ſcribit Ioſephus, l. 1. antiqui. c. 11. *Tantũ abfuit, vt hac caſtigatione in melius vitam mutauerit, vt peior etiã fit factus, ſuis voluptatibus vel cum aliorum iniuriâ indulgens & facultates domeſticas per vim ac rapinas accumulans accitis vndecũque latrociniorũ & nequitiæ ſocijs, magiſter illis ad facinoroſam vitam fit affectus. Ad hæc ſimplicem hactenus viuendi rationẽ, excogitatis menſuris & ponderibus immutauit, priſtinamq; ſynceritatem & generoſitatem ignaram taliũ artium in nouã quandam verſutiã deprauauit.* hæc Ioſephus. E contrà verò vbi Deus eſt in palatio & memoriâ alicuius, inde cumprimis expelli videbis rabulas & ganiones, exturbari vitia: Prorſus ſicut ſole oriente beſtiæ ſylueſtres noctem peruagatæ & graſſatæ aufugiunt abdunturque in ſuis foueis, & cubilibus, prout *Pſ. 103.* dicitur: ita Deo animam præſentiâ ſuâ colluſtrante, vitia dilabuntur, quæ priùs eam vaſtabant.

Deinde videbis nihil admitti flagitioſum. Vnde Sapiens *Prouerb. 3.* ait. *In omnibus vijs tuis cogita dominum, & ipſe diriget greſſus tuos*; ne ſcilicet offendas in peccato. Hinc Thales aiebat, homines exiſtimare oportere, Deos omnia cernere Deorumque omnia eſſe plena, & tunc fore omnes caſtiores. Cic. *l. 2.* de legibus. Exemplo eſt famoſa illa Thais, quæ Paphnutio Abbati ſcelus ſuadens cùm ſe niſi à Deo videri non poſſe, dixiſſet: *agedũ*, ait Abbas; *Si Deus te videt, quâ fronte tu in conſpectu eius te puriſſimis oculis intuentis audebis peccare?* quare illicò mens meretricis cœleſti radio colluſtrata, tanto pudore ſuffuſa, & pœnitentiæ ſtimulo tacta eſt, vt abiuratâ turpitudine infame lucrum in medio Alexandriæ flammis exuſſerit, ſeque anguſtiſſima cellâ concluſerit, vitamque aſperâ pœnitentiâ ad mortem vſque caſtigârit. Bene igitur S. Bernardus, de modo viuendi ad ſororem ſcribit: *Ibi pecca, vbi Deus nõ eſt.* S. Baſilius interrogatus: *Quis frequenter iraſcitur? Quis ad bona opera piger eſt: Quis Dei gloriam non promouet?* Hoc vnum ad ſingula reſpondit: *Qui nõ ſemper cogitat Deũ ſuarum actionum inſpectorem eſſe.* Refert Corn. à Lapid. in c. 6. Gen. S. Ignatius ep. ad Heronẽ ait: *Memento Dei, & nõ peccabis.* E contrà ſicut Luna mox obſcuratur cùm nõ reſpicit Solem, ob interpoſitũ ſcilicet terræ globum: ita homo cùm Deum præſentem non cogitat, mox ſplendorem gratiæ perdit & in ſcelera prolabitur.

D. III. Ardor ad pugnam ſpiritualem.

TERTIVS. Ardor ad pugnam ſpiritualẽ; quis enim neſcit omnes eos, qui robore vel arte aliquâ excellunt, magis exerere vires, cùm vident circa ſe ſpectatores eximios, quàm dum ſoli ſunt? Atqui vt S. Paulus 1. *ad. Cor. 4.* ait: *ſpectaculum facti ſumus mundo, angelis & hominibus*; qui nimirum omnes certamen noſtrum cupidi aſpiciunt. Ita in certamine S. Stephani ſurgit quodammodò Chriſtus, qui ſedet ad dextram patris, & ſtans ad valuas cœli ſpectat eius certamen. Quis igitur non alacriter decertet coram tanto ſpectatore? S. Antonius præſentiſſimum ait remedium ad vincendas omnes dæmonis tentationes eſſe, retinere continuam Dei ſpirituali gaudio memoriam. Vnde cùm ipſe ſemel à dæmonibus verbera terroreſque perferret, lux diuinitus apparuit, quâ expauefacti dæmones diffugêre. Antonius verò eo ſplendore erectus, quaſi Deum præſentem cerneret, dixit: *Vbi eras bone Ieſu, vbi eras?* Reſponſumque accepit: *Aderam Antoni, ſed euentũ pugnæ tuæ præſtolabar, quã quia imperterritus immotusq; viriliter ſuſtinuiſti, manet te victoria tua indeficiens in cœlo triumphus.* Athan. in vita Antonij apud Sur. to. 1. Sic etiam Iudas Machabæus & ſocij, 2. *Mach. 15.* quia præſentem ſibi Deum contemplantur, *manu quidem pugnantes ſed Dominũ cordibus orantes proſtrauerunt nõ minus triginta quinque millia præſentia Dei magnificè delectati* & ab pugnam animati. Cæterum licet ſpectatores tuos non videas, ſatis tibi eſſe debet quòd ad ipſis videaris; nam vt rectè S. Bonauentura ait: *Athleta fortes non ideò fortiter pugnant, quia vident circa ſe ſpectatores, ſed quia ab illis ſe videri ſciunt.* Excæcatus erat Samſon, cùm ad conuiuium Philiſtinorum introduceretur, *Iud. 16.* & cùm adeſsẽt ad tria millia ſpectantiũ ſe ludentem (id quod per viſum ſcire non potuit, ſed aliunde) ſtrenuiſſimum omnium deſignauit facinus, concutiendo ambas columnas, & occidit plures moriens quàm viuens. Quot angeli, quot ſancti, tot tibi ſpectatores, quos etſi non vides, videris tamen ab illis, quod Paulus tibi dixit. Imò magis placet Principi, ſi cùm abſens eſſe creditur, egregiũ aliquod ſuorum ſtratagema videt aut honorem ſuum defendi ab eis audit, quàm ſi ab ijs cerneretur, hinc enim eorum virtutem experitur, nihil ſimulatè agi videt. Ideò volentes ſuorum facta explorare, per cancellos & proſpectus occultos cernunt, vnde videre quidem eos poſſint, ſed videri ab eis nõ poſſint. Hoc autẽ facit Deus. Vnde *Cant.* 2. dicitur: *Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloq; ceruorum: en ipſe ſtat poſt parietẽ noſtrũ, reſpiciens per feneſtras, proſpiciẽs per cãcellos.* Caprea acutiſſimè videt, ceruus celerrimè currit, vt ait ibi Card. Hugo: itaque vt videat ſuos Athletas Deus, & viſum acutiſſimè intendit in eos, & celerrimè accurrit: ſed niſi per cancellos nos aſpicit: quia nimirũ etſi certamine noſtro ſũmè delectatur, vult tamen vt fide interim aſpiciamus eum, & ſpem in præmiatore etiam nõ viſo collocemus.

E. IV. Cordis ſtabilitas.

QVARTVS. Cordis ſtabilitas. *Cor hominis nõ inuenit obices*, ait *Aug. in Pſ. 85. quibus retineat vagos*

vagos ſuos motus. Non inuenit certè in terrâ, ſed inuenit in cœlo; nam ſicut acus magnetica continuè circumagitur, donec ſeptentrionem aſpiciat; ibi conſiſtit: Ita prorſus animus noſter, qui concitatior eſt, quàm vt terrenis rebus ſtabiliri poſſit, ſolo cœli, ſolo Dei aſpectu ſiſti poteſt. Vnde: *quærite dominum & confirmamini*, ait pſalmus 104. *quærite faciem eius ſemper.* Vbi Auguſtinus: *facies Dei*, inquit, *eſt Dei præſentia: confirmabitur ergo & ſtabilietur in bono, non tatùm qui faciem & præſentiam Dei inuenit in glorâ, verùm etiã qui hic quærit in contemplatione.* Patiuntur autem cordis inquietudinem maximè peccatores, qui velut piſcis extra aquam, ignis extra ſphæram, brachium luxatum extra ſuum locum, agniculus extra gregem, numquam interquieſcunt, ſed continuo ſaltu, motu, dolore & remorſu agitantur. Incidunt tamen in eam etiam modo aliquo Dei ſerui, dum terreno amori plus æquo addicti, cùm Deo aliquid aliud amant, etſi plus Deum quàm creaturam ament. Nam vti Agar non bene conuenit cum Sarâ, Iſmael cum Iſaac: ita nec amor alicuius creaturæ cum amore Dei. Igitur & hinc diſcordiæ, ſed optimum vtriſque remedium, Dei præſentis imaginatio. Sic enim Doſitheus miles quondam flagitioſus in virum perfectum euaſit intra quinquennium, ex inſtructione S. Dorothei, qui hoc ei præceptum dederat. *Nunquam in corde tuo memoriam Dei depone, cogita illũ ſemper ſtare coram te & te coram illo.* Sic & S. Catharina Senenſis cùm familiæ laboribus continuis occuparetur, à parentibus, à Deo docta cor ſuum pro cubiculo habuit, Deumque in eo velut præſentem ſibi ſemper contemplata eſt; hocque pacto cum Deo vnionem firmam acquiſiuit, vt nullo ſæculi labore deinceps diſtraheretur. Vnde & Abrahæ Deus dicit *Gen.* 17. *Ambula coram me & eſto perfectus.* q. d. nihil amplius requiritur ad perfectionem, quàm ambulare in conſpectu meo. Itaque *ſemper Dei memineris, & cœlum mens tua euadet*, inquit S. Ephrem.

F. V. Lætitia & conſolatio ſpiritualis

QVINTÒ. Lætitia & conſolatio ſpiritualis. Quemadmodum enim in hodierno Euangelio diſcipuli viſo Domino gauiſi ſunt: ita gaudio impletur, qui Deum ſibi præſentẽ eſſe cogitat: ſi modò Dei amicus ſit. Teſtatur hoc Dauid *Pſ. 76. Renuit conſolari anima: memor fui Dei & delectatus ſum*, id eſt, carnales deliciæ me non ſolabantur, ſed ſola Dei præſentis memoria. Et iterum *Pſ. 15. Prouidebam dominũ in conſpectu meo ſemper, quoniã à dextris eſt mihi ne commouear: propter hoc lætatũ eſt cor meũ & exultauit lingua mea,* &c. Rectè itaque S. Dorotheus ſer. 12. ait: *Nihil eſt quod animam noſtram adeò roboret & reficiat atque aſſidua Dei memoria.* Metaphraſtes de S. Gregorio Epiſcopo Agrigentino memorat eum, dum eſſet adoleſcens, profectus Hieroſolymam & in quoddam Palæſtinæ monaſterium diuertens, cùm vidiſſet aſperrimam religioſorum pœnitentiam & virtutes, cœpiſſe contriſtari ac pudefieri ob errata ſua præterita. Cauſam ergò pudoris Præpoſitus exiſtimans eſſe diſtantiam eius à patria: *Fili*, inquit, *confide in Deo, breui patebit reditus in ſolum natale.* Sed reſpondit iuuenis; *Non ea cauſa mœroris mei eſt, quòd longè abſim à conſpectu meorum: ſola enim præſentis vbique Dei contemplatio, ad illum remouendũ mihi ſatis eſt; dum enim cogito me continuò in eius verſari conſpectu, ſatis ſolatij accipio: id verò vnum me contriſtat, quod hactenus non inſtituerim vitam Chriſtiano homine dignam.* Abſceſſit Abbas putans non indigere ſolatio eum, qui ob tale exercitium poſſit ſolari alios. Quapropter exclamare cum Reginâ Sabâ poſſumus: *Beati viri tui & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam*, 3. *Reg.* 10. id eſt, qui ſemper verſantur in Dei vt præſentis contemplatione.

Modus concipiẽdi omnipræſentiam Dei.

Sed quâ ratione, dicet aliquis, hanc conſequi beatitudinem, quomodo Deum nobis præſentem ſemper ante oculos conſtituere poſſumus? Id docet nos S. Auguſtinus qui *ep.* 3. *ad Fortunatianum* ait: *Deus totus oculus eſt, totus manus eſt, totus pes eſt. Totus oculus eſt, quia omnia videt: totus manus, quia omnia operatur: totus pes eſt, quia vbique eſt.* Etenim hoc triplici modo Deum facilè vbique præſentem imaginari poſſumus. Primò enim quà pes eſt, reliquit poſt ſe in omni re & loco veſtigium aliquod, quod ipſum nobis repræſentet; in hominibus quidẽ per modũ ſpeciei & ſimilitudinis, quia ad imaginẽ Dei facti: in alijs verò creaturis viſibilibus, per modum effectus; eo ferè modo, quo ex cognitione veſtigij in puluere aut niue deuenimus in cognitionẽ animalis; ex perceptione caloris ac luminis, in cognitionem ſolis & ignis: ex vaſtatione regionis alicuius hoſtilem perſentimus exercitum. Reliquit enim in quauis re certam formam, modum agendi, ordinem, diſpoſitionem, virtutem, &c. quæ omnia intelligimus à mente aliquâ diuinâ eis impreſſa fuiſſe & ab eadem in ſuo eſſe conſeruari debere. Habes itaque in ijs aliquam perfectionem Deique repræſentationem etſi minùs accuratam. Adam poſtquam peccaſſet, etſi necdum viderat Dominum, audiuit tamen eum in viciniâ magno ſonitu & fragore ambulantem & *quaſi preſſis veſtigijs*, vt ait Bened. Pererius in Gen. l. 6. *arbores tremefacientem.* Vnde ſtatim timere incepit & abſcondit ſe *Gen.* 3. Atqui tu quocumque vadas, Dei tibi obuiantis ſonitum audis & veſtigia vides. 1.

Secundò. Quà oculus omnia inſpicit; quod ſic intelligere poſſumus. Pingũtur aliquæ imagines arcum intendentes, quæ ſemper aſpiciunt hominem quacunque ex parte conſiderentur. Talis profectò Deus, qui vbicunque tu conſiſtis, obtutum in te figit. Potes homini ſupra caput medium digitum oſtendere, quia oculus eius ſubter frontem eſt, ſupra caput non ſe extendit; at non potes Deo. Ægyptij hanc Dei perſpicacitatem delineare volentes, vt refert Cyrillus *lib. 9. contra Iulian.* & Pierius *Hierogl. l.* 33. in ſceptri vertice oculum vigilantem pingebant, quia nihil impeditus omnia circumquaque intuetur. Vnde *Eccl.* 23. dicitur: *Oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem.* Rationem dat ibid. Lyra. quia cùm ſolis radij terræ viſcera non tranſeant, nec ad Antipodes pertingant, pertingit tamen oculus domini. 2.

Ad

Ad hæc ille præſentia tantùm externa illuminat: oculus Dei verò futura etiam & præterita, ſiue externa ſiue interna, quia *Domino antequam crearentur omnia ſunt agnita*, ait Eccl. c. 23. Quod ſi Sol in loco terræ vel tota terra Sol quidam eſſet, facilè conciperemus, nihil eum fugere poſſe, quia velut centrum radios ſuos mitteret in totam peripheriam: atqui talis oculus Deus eſt, quem definit Merc. Triſm. in Pimandro, *ſphæram intelligibilem, cuius centrum eſt vbique, circumferentia autem nuſquam.* Centrum: Dei oculus eſt quaquauerſum ſe diffundens: Cirumferentia nulla, quia viſionis eius nullus eſt terminus. S. Brigittæ *l. 2. reuel. c. 1.* loquens Deus comparat oculum ſuum, oculo auis piſcem in profundo maris ex alto conſpicientis, vtpote quia videat non tantùm hominis cor, ſed etiam profunditatem illius, quò nimirum tendat & quid deſideret.

3. Tertiò. Quà manus eſt, ſic eum imaginari poſſumus, ſi conſideremus quidquid creaturæ faciunt, facere Deum, qui neceſſariò cum omnibus cooperatur eo ferè modo, quo manus ſcribentis à docente ducitur: vt enim res omnes in eſſe & operari à Deo pendent, ita & actiones earum. Exiſtima ergò quidquid beneficij & ſeruitutis tibi à creaturis impenditur, à Deo impendi. Sapit cibus, ſatiat potus, tegit veſtis, fouit ignis, ſol illuſtrat, portat tellus, refrigerat aër? id totum Deus facit, autor principalis, manus dirigens; creatæ ſubſtantiæ manus ſunt directa; calamus, virtus per quam agunt. Si quando vir primarius hoſpitio te excipiat, accedant ſerui, alius tibi potum, alius veſtem, alius donaria iuſſu domini afferant: cui tu adſcribis id beneficij? nonnè Domino? atqui Deus non modò omnia tibi impendit, quæ per creaturas habes & accipis, ſed eaſdem ipſe ſuſtentat, cum iiſdem operatur: quid ergò ſupereſt niſi vt Deum tuum tibi ſeruire exiſtimes? Hinc Ambroſius in *lib. 6. de dignit. condit. huma.* dixit: *ſicut nullum eſt temporis momentum, in quo non fruatur homo Dei bonitate; ita nullum eſſe debet, quo illum non habeat & meditetur præſentem.*

CONCIO VII.

Præſtantia & dignitas muneris ſacerdotalis.

Quæ in his conſiſtit.

1. *Quod Sacerdotes ſint conſtituti ad offerendum.*
2. *Quod ſint conſtituti Iudices.*
3. *Quod ſint conſtituti legati Dei.*

THEMA A.

Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Ioan. 20.

A QVando Chriſtus paralyticum ſanauit & abſoluit à peccatis in Capharnao, timuerunt turbæ & glorificabant Deum, qui talem poteſtatem dedit hominibus *Matth.* 9. Non erat multum Chriſto, ſanare morbos & peccata cōdonare poſſe, quia hæc poteſtas ipſi propria & debita erat. Illud verò mirandum omnique veneratione prædicandum eſt, quòd hanc ipſam poteſtatem abſoluendi à peccatis contulerit Chriſtus hominibus. Quàm multi è nobis paucos ante dies iacebant in Eccleſiâ velut paralytici, peccatorum vinculis colligati, qui à ſacerdotibus abſoluti & liberati, nunc exultant in cordibus ſuis? Quanta Dei bonitas, qui talem poteſtatem dedit hominibus? Quanta ſacerdotum dignitas, qui tantam à Deo accepere poteſtatem? Id verò pluribus nunc exponendum.

PRIMÒ. Conſtituti ſunt à Deo Sacerdotes ad offerendum & conficiendum Euchariſtiæ Sacramētum per poteſtatem ordinis. Vnde ſolis illis dicitur: *Infer digitum tuum huc.* Et iterum: *Palpate & videte.* Magdalenæ verò volenti eius pedes tenere, dicitur: *Noli me tangere.* B. I. Conſtituti ſunt Sacerdotes ad offerendum. Quis hic non exclamet cum S. Thomâ: *Dominus meus & Deus meus*? quid enim eſt homo, vt manibus ſuis tractare poſſit Deum ſuum? Felicem meritò prædicauit Deiparam mulier illa, quòd meruerit portare Chriſtum, lactare & tractare. Felicem etiam iure dicimus Simeonem, qui in ſuas vlnas meruit accipere Chriſtum. Sed hoc idem facere Sacerdotibus datum eſt, quoties volunt. Seraphinus ille, qui carbone cadente tetigit os Iſaiæ, nequaquam nudis manibus carbonem attrectauit, ſed forcipe tulit de altari, & ita contigit os Prophetæ, *Iſaiæ 6.* Carbo ille Euchariſtiæ typus erat, quia ſicut *carbo non ſimplex lignum eſt*, inquit S. Damaſcenus *l. 4. de fide c. 14. ſed vnitum igni: ſic panis communionis, non panis ſimplex eſt, ſed vnitus diuinitati.* Viderit ergò Sacerdos quàm puris attrectare manibus Corpus Chriſti debeat, nimirum forcipe bicipiti, fidei & charitatis? vel charitatis Dei & proximi. Vnde S. Chryſoſtomus *hom. 83. in Matth.* ait, *Quo non oportet igitur eſſe puriorem, tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hāc diuidentem? os quod igni ſpirituali repletur? linguam quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit?* Quàm nobis, Sacerdotes, horrere pili deberent, cùm hoc legimus vel audimus!

Neque tractare ſolùm, ſed & conficere eis datum eſt. Et Primò panem & vinum in corpus Chriſti tranſmutare. Nonnè iſtud maius eſt, quàm quod Moyſes fecit, quando aquam mutauit in ſanguinem? REX Perſarum cùm probâſſet, quod per manū Sacerdotum aqua craſſa conuerteretur in ignem, donauit eis multa bona & alia atque alia munera, 2. *Mach.* 1. Quid faceret ſi crederet per manus Sacerdotum conuerti panem in corpus Chriſti? 1.

Secūdò euocare Chriſtum in terras è cœlis, quando, quoties & quorſum placet. Multum omninò fuit, quòd Elias ignem de cœlo in terram fecit deſcendere & deuorare holocauſtum 3. *Reg. vlt.* Multum quòd Moyſes manna de cœlo accepit. Multum quòd Ioſue fecit ſtare ſolem. Multùm, quòd Ezechias fecit eundem retrogredi decem gradibus, *Iſa.* 38. Sed longè maius eſt, quod Sacerdos facit: ſiquidem de cœlo in terras euocat ipſum Deum, qui eſt ignis conſumens & manna abſconditum & Sol Iuſtitiæ; facit, inquam, illum deſcendere decem gradi- 2.

gradibus, id eſt, per nouem angelorum choros & cælos cœlorum. Quis hic non exclamet cum Hebræis illis: *Manhu*, quid eſt hoc? Quis nõ cum Ioanne Baptiſta: *Domine tu venis ad me?* Ecce obedit Deus voci veſtræ, ô Sacerdotes; nos ergò non per omnia obediemus Deo?

C. II. Conſtituti ſunt Iudices.

SECVNDÒ. Conſtituti ſunt à Deo Iudices mundi in cauſis ſpiritualibus, per poteſtatem iuriſdictionis; & quidem in hodierno Euangelio, quando illis dixit Chriſtus: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; &c. Primò ergò poſſunt remittere peccata, quæ in Deum & homines cõmittuntur, eaq; delere penitus. Vnde cum inſufflatione data eſt illis hæc poteſtas; quia ſicut flatu extinguitur ignis; ſic peccata pœnitentũ per abſolutionem Confeſſarij. Quãta hæc poteſtas? *Quis enim poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* inquiunt *Luc.* 5. Phariſæi. Quis peccata in aliũ commiſſa præſertim in Deum, niſi ipſe qui offenſus eſt? Et tamẽ Sacerdotes confidẽter eas omnes iniurias, quæ in Deum & homines fiunt, remittunt & condonant, adeoque peccata populi comedunt vt dicitur *Oſ.* 4. id eſt, deuorant & digerunt, vt obliuioni tradantur. Non eſt hoc minus, quàm miracula patrare. Quare ſi miraculorum patratores honoramus & quaſi Dei amicos magnificamus, vti fecerunt Lycaones Apoſtolis, *Act.* 14. pari iure ſuſpiciendi ſunt Sacerdotes. Si Ioſephum ita honorauit Pharao, Danielem Nabuchodonoſor, vbi experimentum habuere collatæ eis diuinitus ſapientiæ: cur non æquè honorandi erunt Sacerdotes, quibus diuinum illud eximiumq́ue donum remittendi peccata conceſſum eſt? ſcribit S. Hieronymus in Ezech. c. 23. & in Oſe. c. 2. Ninum Aſſyriorum Regem erexiſſe ſtatuam patri ſuo Belo defuncto, vt eius imagine dolorem amiſſi patris ſolaretur, ideoque & confugientibus ad eam quibuſcunque reis immunitatem conceſſiſſe. Vnde factum vt ſtatua illa pro Deo coli inciperet, ex quo idololatriam natam autumat. Sanè eiuſmodi imago eſt Sacerdos erecta à Chriſto Domino: quicũque ſcelerati confugerint ad illam, gehennam euadent. Vide ergò quàm colendi ſint Sacerdotes. Quidquid ipſi ſoluunt in terrâ, ſolutum eſt in cœlo, &c. Eadem poteſtate ſuâ exarmant iram Dei, & quodammodò eius decreta mutant. Quàm ſtupenda res! Stupendum vtique fuit, quod effecit Ioſue, quando ſolem increpauit & ſtare fecit, ne moueretur contra Gabaonitas: *Sol contra Gabaon ne mouearis. Stetit itaque ſol in medio cœli & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei,* donec vlciſceretur ſe Ioſue de hoſtibus Gabaonitarum, quos receperat in fœdus, *Ioſ.* 10. Idem penè Sacerdos facit, vel potiùs maius aliquid. Recipit enim peccatores ad ſe per pœnitentiam confugientes & imperat quodammodò ſoli iuſtitiæ, Deo, ne ſuis radijs percutiat & perſequatur illos. Iubet ergò ſtare Dei iram illaq; conquieſcit. Perfringit omnes Dei carceres, comminuit catenas vinctorum & inde educit illos donatq; libertate, retractat Dei ſententias condemnantes. Quanta eſt hæc poteſtas?

Neque hoc ſolùm, ſed prætereà cœlum aperit peccatoribus & cœleſtes theſauros, gratiam & virtutes illis elargitur, filios Dei & reges conſtituit; ſiquidem claues regni cœlorum ei tradidit Deus. Si quis ab Imperatore accepiſſet poteſtatem, creandi vno verbo alios quidem Comites, alios verò Duces, alios Reges, etiam poſt patrata ab illis crimina læſæ maieſtatis: quanta hæc poteſtas foret? ſed maior eſt abſque dubio illa Sacerdotis, quia ex peccatoribus facit Dei filios, cœli reges, & diſtribuit illis cœleſtes manſiones, quæ omne mundi imperium in immenſum ſuperant. Bernardinus Corius in vita Conradi Sueui ſcribit, monitum aliquando Conradum Imp. filium Lampoldi Comitis (qui poſteà Henricus Secundus Imp. fuit) fore ipſi in Imperio ſucceſſorem. Hunc ergò cùm in aulâ ſuâ ſibi ſuſpectum de ſucceſſione haberet, miſit cum literis ad Imperatricem deferendis. Is in viâ feſſus diuertit in Sacerdotis cuiuſdam domum, ibiq́ue in ſcamno obdormiuit. Sacerdos interim literas clam aperuit & hæc verba in illis legit: *Tabellarium hunc, quamprimum ad te venerit, chariſſima coniux, clam interfici curato.* Scelus tantum exoſus Sacerdos, eraſis literis, manum Imperatoris imitatus, ſubſtituit hæc verba: *Filiam noſtram ei in matrimonium dato* Doli ignarus Henricus ad Imperatricem literas defert. Illa filium ei collocat. Cõradus ergò ſpe ſuâ fruſtratus, cùm generum eum ſe habere intellexiſſet, quẽ omnibus modis perditum cupiebat, diuinæ prouidentiæ ceſſit, & Henricum porrò pro genero ſuſcepit, vtque in Imperio ſuccederet, moriens confirmauit. Ad hunc modum quando Deus peccatorem gehennæ adiudicauit, ecce tibi Sacerdos, eradit illud decretum eiuſq; loco ſcribit, vt ipſi detur regnum cœlorum & hæreditas Dei; idq; ratum habet Deus. Vnde patet linguam Sacerdotis clauem eſſe, quâ hominibus cœlum aperitur, manum eius ſpongiã, quâ peccata delentur: vocem eius fulmen eſſe, quo carcer & catenæ vinctorũ conteruntur. An non meritò glorificamus Deũ, qui talem poteſtatem dedit hominibus?

D. III. Conſtituti Legati Dei.

TERTIÒ. Conſtituti ſunt Legati Dei. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos,* inquit Chriſtus. Porrò Chriſtus à patre miſſus eſt in mundum, Primò vt eſſet Doctor. Secundò vt eſſet Mediator. Similiter Sacerdos à Chriſto miſſus Primò velut Doctor. Illis enim dixit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Rurſum per Malachiam c. 2. dicitur: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Tigurina vertit: *Legatus enim eſt Domini exercituum.* Et Paulus 2. *Cor.* 5. *Pro Chriſto legatione fungimur.* Eſt itaque Sacerdos Angelus, id eſt, nuncius ſeu legatus Dei ad homines, vt eius voluntatem hominibus annunciet, nihil addat aut demat. Et idcircò conſtituit Deus os Sacerdotis, quaſi arcam ſeu apothecam quandam ſalutarem, vnde quiſque depromat ſibi neceſſaria. Quare Auctor imperfecti apud S. Chryſoſtomum *ho.* 38. *in Matth.* comparat Sacerdotem ſtomacho. *Sicut enim ſtomachus,* ait, *accipiens cibum coquit in ſeipſo & per totum corpus diſpergit: ſic & Sacerdotes accipiunt*

I. Vt Doctores.

piunt

piunt ſcientiam ſermonis per ſcripturā à Deo,& excoquunt eam in ſe, id eſt, tractantes & meditantes apud ſe vniuerſo populo ſubminiſtrāt. S. Ambroſius ſer. 13. comparat eos apibus. *Sicut apes*, inquit, *de diuinarum ſcripturarum floſculis ſuauia mella conficiunt & quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris ſui arte componunt.* Quare ſicut reprehēſione dignus eſt & ſuæ perditionis cauſa, qui Medicum conſulere negligit, vel conſilia eius contemnit, vel eo ſpreto anilia deliramenta ſectatur: ita qui legem Dei ex ore Sacerdotis non requirunt, ſed è libris tantùm vel aliis, qui ad docendum miſſi non ſunt, haurire volunt. *An ignoras*, inquit S. Chryſoſt. *hom. 2. in ep. 2. ad Timoth. quid ſit Sacerdos? Angelus vtique Domini eſt. Non ex ſeipſo loquitur, ſi deſpicis, non illum deſpicis, ſed Deum qui illum ordinauit.*

2. *Vt mediatores, ſuo modo.* Secundò velut mediator inter Deum & homines; & ita etiam Sacerdos eſt legatus hominum ad Deum. Eſt enim modò aliquo mediator placans Deum ſacrificio vnigeniti eius filij, qui non poteſt non placere patri. Eſt veluti murus inter iram Dei & hominum flagitia poſitus. Vnde fit, vt ſicut Chriſtus inter cœlum & terram pendens reconciliauit nobis Deum: ita in Eccleſia, toto populo in genua procumbente, ſolus Sacerdos erectus ſtet ad altare coram Deo velut pro toto populo vnus decertans. Quoties enim ad altare ſacrificat, reiterat illud ſacrificium, quod Chriſtus mediator noſter obtulit pro nobis in cruce, vbi ipſe & victima & Sacerdos fuit. Ergò Sacerdos velut Legatus Eccleſiæ, imò totius orbis, ſtat inter altare & populum, vt cum Deo ſumma negotia tractet: nimirum vt nomine totius creaturæ homagium Deo præſtet, & duxologiam ſeu gratiarum actionem reddat pro omnibus beneficijs à qualibet creaturâ perceptis: vt oret & propitiet Deum pro peccatis totius mundi: vt peccatoribus perituris veniam & gratiam impetret: vt omnium afflictorum miſerias, morbos, tentationes ei repræſentet opemque poſtulet: vt ſingulis fidelibus Dei gratiam, virtutum augmentum omniaq; bona impetret; vt pro defunctis ſupplicet, &c. Itaque velut Aaron cum thuribulo ſtans inter viuos & mortuos placare contendit Deum, *Num. 16.* Et veluti Moyſes Deum tenet, ne euaginet gladium contra perditos, *Exod. 32.* Fatetur Honorius Imp. in quadam epiſtolâ imperium ſtare & ruere precibus Sacerdotum, apud Baron. anno 407. Quò verò efficaciùs peroret hic Legatus, & fortiùs Deum teneat, profert in altari munera, exponit calicem & patenam, proponit panem & vinum, mutatque in corpus Chriſti, quem totius populi nomine donat Deo patri, velut munus irrefragabile; vt pro infinito iſto munere finita alia recipiat. Quæ cùm ita ſint, videte imprimis vos Sacerdotes vocationem veſtram, vt hac tantâ poteſtate vobis traditâ, debitè vtamini & pro dignitate tantâ dignè conuerſemini. Vobis enim inprimis dictum à Deo exiſtimate illud: *Filij hominum vſquequò graui corde* (Hebr. *vſquequò inclyti mei*) *vt quid diligitis vanitatem?* Sanè nobiles in aulâ principis conſtituti nobilia tantùm exercitia ſectantur & cum principe vt plurimùm verſantur, venantur, equitant, ludunt, confabulantur: ea quæ vulgus tractat, auerſantur & contemnunt. Sacerdotes Chriſti aulici ſunt; cum ipſo agere, loqui, venari animas, recreari ſacris ſtudiis & contemplationibus, denique ſeria tantùm tractare debent. Quale igitur iudicium ſuſtinebunt, ſi relicto Domino ſuo & ingenuis illis exercitiis, ad ſordida & illiberalia ſtudia, veluti ad aleas, compotationes, venationes, equeſtres ludos aut equorum curam ſe demittant? Exemplum capite. Theophylactus Conſtantinopolitanus Patriarcha adoleſcens adhuc electus contra decorum & officium equas plurimas alebat, vnam verò inſigniorem ſacro magno quinto die peperiſſe ſacra celebranti nuntiatum eſt. Lætitiâ elatus diuinoque ſacrificio properanter abſoluto, ad pullum recens natum feſtinauit, ac deinde in Eccleſiā reuerſus reliqua ſanctæ paſſionis Seruatoris peregit. Cuius rei pœnas dedit, cùm poſteà ex equitatione, quâ audaciſſimè vtebatur, terræ alliſus, ſanguinem per os reiecit, aquâ deinde intercute accedente diem clauſit, Zonaras in Conſt. Leonis filio. Ita nimirum malè iis cedit, qui cum Dei miniſterio adſcripti ſunt, tractant ea quæ mundi ſunt, Chriſtoque principe ſuo deſerto ad ſordida ſe effundunt.

Sed & vos, Auditores, videte vt honorem debitum Sacerdotibus impendatis. Ipſi enim ſunt Patres veſtri, qui per baptiſmum & verbū Dei in Chriſto vos genuerunt. Ipſi nutritij veſtri qui vos paſcunt Sacramentis. Ipſi Iudices veſtri, qui condonant delicta veſtra. Ipſi veſtri Medici, qui abſtergunt iniquitates veſtras. Ipſi ianitores cœli. Ipſi poſt Chriſtum Dominum Mediatores veſtri. Videte vt glorificetis Deum qui talem poteſtatem dedit hominibus; cui ſit honor & gloria.

D. III. *Conſtituti Legati Dei.*

1. *Vt Doctores.*

CONCIO VIII.

Documenta.

Documenta & bona varia hinc deſumenda.

1. *Bonum perſecutionis.*
2. *Bonum ſocietatis.*
3. *Indicium reſurrectionis noſtræ ſpiritualis.*
4. *Indicia veri Chriſtiani.*
5. *Gaudium verum in Deo quærendum.*
6. *Sacra ceremoniæ approbatæ & vtiles.*
7. *Sacrarum Traditionum approbatio & neceſſitas.*
8. *Virtutis exemplar in Chriſto.*

THEMA.

Venit Ieſus & ſtetit in medio. Ioan. 20.

Lignum vitæ, Auditores, teſtatur ſacer textus *Gen. 2.* poſitum fuiſſe in medio paradiſi; A
in medio, inquam, ſeu meditullio, quo ab omnibus paradiſi incolis facilè adiri & delibari poſſet. Lignum vitæ myſtico ſenſu eſt Saluator noſter, à morte ſuſcitatus, quando iam immortalis factus omnibus etiam hominibus, à quibus per fidem fuerit guſtatus, immortalitatem tribuit. Igitur hæc arbor in medio diſcipulorum

rum ſeſe ipſam ſtatuit in hodierno Euangelio, vt omnibus æquè vicina in animos ſingulorum influere & inſinuare ſeſe poſſet, eos conſolando, ad fidem erigendo, docendo, clauium poteſtate condecorando. Sed & vobis, Auditores, hoc lignum in medio Eccleſiæ proponunt Concionatores, quoties de eo eiuſque Euangelio verba ad vos faciunt hortanturque vt illius ligni fructum audiendo verbum diuinum, ſedulò deguſtetis. Vt enim ſine arbore vitæ ſubinde deguſtatâ nõ potuiſſent homines conſeruare vitam in paradiſo: ita ſine Dei verbo ſubinde percepto non poterunt multo tempore conſeruare in ſe gratiam, quæ eſt vita animæ. Propterea igitur maiores noſtri templa parochialia & primaria, in quibus cõcio fieret, communiter extruere in medio ciuitatis, oppidi, vel pagi conſueuerunt, vt pari facilitate ab omnibus adiri ad reſtaurandas animæ vires poſſent. Ergò nunc ad arborem iſtam nos conferamus, indeq; decerpamus, quos offert nobis fructus in hodierno Euangelio.

B. I. Bonum perſecutionis. PRIMVS Fructus eſt bonum perſecutionis, quâ Deus vtitur velut inſtrumento ad perducendos ſuos electos in finem, ad quem prædeſtinati ſunt. Etenim in hodierno Euangelio mediante Iudæorum irâ & odio in diſcipulos, congregauit eos ex fugâ in domum vnam, vt ibi eum reſuſcitatum cernerent, aliaque in mandatis ab ipſo acciperent. Poſteà quando opus erat vt in varias nationes diuiderentur ad prædicandum vndique Euangelium, iterum excitatâ perſecutione in Stephanum & Chriſtianos alios, fecit vt ob eam diſpergerentur penè omnes (præter Apoſtolos) per Iudææ & Samariæ regiones, eaque occaſione diſſeminarent Euangelium, Act. 7. Quod acutè expreſſit ibi S. Lucas græca voce, [illegible], id eſt, diſſeminati (quod noſter interpres vertit; *diſperſi*)ſunt; *quaſi ſeminantes frumenta ad panem ſupercæleſtẽ conficiendũ: vniuerſúmque orbem peragrantes viuifica doctrina virtutes efficaciaſque diſſeminarunt*, inquit S. Athanaſius *hom. de fermento.*

C. II. Bonum ſocietatis. SECVNDVS eſt bonum ſocietatis; quod experti ſunt diſcipuli congregati: didicit etiam damno ſuo Thomas, dum ſolus ipſe Domini aſpectu recreatus non fuit, quia à cæteris abfuit. Solent animalia, quæ rapinis non aluntur, nec ad eas armata ſunt, ferè gregatim degere, vt è plurium conſortio vires ſibi quærant; cuiuſmodi ſunt palumbes, columbæ, grues, ſturni, cornices, turdi, formicæ, apes; è piſcibus thunni, limoſæ, auriæ. Atqui hominem quoque natura armis deſtituit: è plurium ergò ſocietate præſidium ſibi quærere debet. Vnde Seneca l. 4. de benef. c. 18. ait: *Fac nos ſingulos: quid ſumus? Præda animalium & victima, ac viliſſimus & facillimus ſanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam ſui ſatis virium datum eſt. Quæcumque vagâ naſcuntur & acturæ vitam ſegregem, armata ſunt; hominem imbecillitas cingit: non vnguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit. Nudum & infirmum ſocietas munit.* Hæc Seneca, quibus conſentiunt ea quæ ſcribit Eccleſiaſtes cap. 4. *Melius eſt duos eſſe ſimul quàm vnum; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ, ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſubleuantem ſe. Et ſi dormierint duo, fouebuntur mutuò; vnus quomodo calefiet? Et ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtunt ei.* Exemplum vnum à naturâ petamus. Dentices piſces tam ſocietatis ſunt amantes, vt non ferant ſeſe à gregalibus ſuis ſeparari: ſolent autem iuxta ætatum diſcrimina degere; peradoleſcentes enim ſeparatim à reliquis natant: ij quoque qui ſunt natu grandiores inter ſe viuunt, atque hac mutua inter ſe ſocietate ſe inuicem etiam iuuant & contra piſcatores tuentur; nam vbi hi cibum demiſerint, congregati & in orbem conſiſtentes inter ſe conſpiciunt, & quaſi ſigno dato admonent, ne potius ad cibum accedant: Accidit autem nonnunquam, vt ſoliuagus quiſpiam ex eis hamum deuoret, nempe qui non interfuit, cùm omnibus diceretur non eſſe demiſſum cibum attingendum, ac ſuæ ſolitudinis præmium mortem accipiat. Ita ſcribit Antonius de Balinghem in Zoopædiâ. Huiuſmodi ſoliuagus nonnè fuit Thomas, qui à cæterorum Apoſtolorum cœtu alienus, infidelitatis hamo captus & illaqueatus fuit?

D. III. Indicium reſurrectionis noſtræ ſpiritualis. TERTIVS. Indicium reſurrectionis noſtræ ſpiritualis; ſi nimirum eam comprobemus, quo modo Chriſtus comprobauit ſuam, aſpectu, tactu, auditu, flatu, & apud Lucam, guſtu ſeu eſu piſcis & faui. Noluerunt diſcipuli credere Chriſtum reſurrexiſſe, priuſquã his argumentis illud demonſtraret: nec ego credere poſſum reſurrexiſſe peccatorem è ſepulchro ſcelerum ſuorum niſi id ſimilibus oſtendat modis. Quid igitur opus? inſufflet primò in aures Sacerdotis per confeſſionẽ peccata ſua, deinde accedat ad menſam Domini & comedat eâ quâ decet reuerentiâ & fide fauum S. Euchariſtiæ, vnà cum memoriâ paſſionis Dominicæ; poſt hæc externâ conuerſatione præbeat ſe virum alium, monſtret manus benè operando; non refugiat palpari, cum ipſius errata corriguntur & taxantur; loquatur ea quæ ſanæ mentis ſunt & Chriſtianum decent. Scribit Egeſippus l. 3. c. 2. tentaſſe aliquando Simonem Magum Romæ ſuſcitare ſuis præſtigijs adoleſcentem nobilem, ad conuincendum S. Petrum; verùm nihil aliud effeciſſe, quàm vt videretur adoleſcens caput agitare, dolo clam adhibito. Videbatur ea res commouere populum; ſed Petrus dolum aduertens, iubet Simonem procul à iuuene diſcedere, aitque: *Si viuit iuuenis, loquatur. Si verè reſuſcitatus eſt, ſurgat, ambulet, fabuletur.* Verùm nihil horum præſtitit adoleſcens; remanſit autem qui erat mortuus. Tum Petrus in nomine Domini Ieſu reſuſcitauit adoleſcentem, qui ſurrexit, ambulauit, locutus eſt & comedit. Quid ſibi vult hæc hiſtoria? figura eſt multorum, qui tempore paſchali videntur reſurrexiſſe ſecundùm animam, quia videlicet præſeferunt aliquos pietatis motus & ſpecimina, dum vnà cum alijs venerunt in templum cum roſarijs, abſolutionis & S. communionis participes facti ſunt; itaque caput nõ

nihil

nihil agitarunt & viuos ſe ſimularunt: verùm non probarunt: è lecto priſtinorum peccatorum ſurgere, viam virtutis ambulare, loqui ſana & honeſta, Dei verbum appetere & cum guſtu audire debent, ſi reuerà viuunt.

E. IV. Indicium veri Chriſtiani.

QVARTVS. Indicium veri & ſynceri Chriſtiani, cùm nimirum cor operibus reſpondet. Hoc enim hic docet Dominus, quando diſcipulis ſuis oſtendit manus & latus, ſeu in perfoſſo latere cor. Facilè inueniemus qui opere externo Chriſtianos ſe præſeferunt & amicos, atque etiam iactant: verùm an in corde tales ſint: magnum plerumque dubium. Vidit hoc Eccleſiaſticus, qui cap. 13. ait: *Veſtigium cordis boni & faciem bonam difficilè inuenies. Facies* externum opus, *cor* intentionem denotat. Vnde gloſſa ibidem: *Quia multi ſimulati & ficti, ideo difficilè inuenitur, in quo cor & facies, id eſt, cogitatio & operatio atque doctrina in bono conueniant.* Sapiens etiam fortem vult eſſe illam mulierem, quæ *lanam & linum quæſiuit & operata eſt conſilio manuũ ſuarum.* Lanea veſtis externa, linea verò interna eſt ſeu interula: illa opus externum, hæc cordis intentionem ſignificat. Debet itaque Chriſtianus ſimul vtramque veſtem gerere, ſeu, vt ſequentibus verbis explicat Eccleſiaſticus *operari conſilio manuum ſuarum*, quia debet in corde ſentire, quod opere commouſtrat, adeóque ex conſilio & directione cordis agere quod agit, quo modo nautæ ex conſilio & intentione nauarchi dirigunt nauim.

F. V. Gaudium verum in Deo quærendum.

QVINTVS. Gaudium verum & genuinum in ſolo Deo quærendũ; quod indicatur in Euangelio cùm dicitur: *Gauiſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino.* Quid ſibi vult particula, *Ergo:* niſi quòd in alijs rebus gaudium non inuenerint diſcipuli, in ſolo Domino inuenerint, quaſi dicat Euãgeliſta; quia nihil aliud niſi Chriſtũ Magiſtrum ſuum diſcipuli deſiderabant, gauiſi ſunt ergò viſo illo. Hinc illa eorum exultatio, dicentium ad Thomam: *Vidimus Dominum*, q. d. quod vnicè deſiderauimus, tandem conſecuti ſumus. Et hoc eſt illud gaudium, quod prædixit illis Dominus: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrũ nemo tollet à vobis* Ioan. 16. Omne mundi gaudium riuulus & torrens eſt, citò exareſcens; Chriſtus autem veri gaudij fons eſt indeficiens. Iſmaeli filio Abrahæ ex Agar ancillâ datus eſt vter aquæ, qui paulò poſt defecit, & idcircò filium cum matre in extremas anguſtias redegit. *Gen.* 21. At verò Iſaaco Saræ filio datus eſt aquę puteus indeficiens, cui nomen abundantia, *Gen.* 26. Prior aqua gaudiũ & conſolationem mundanorum repræſentat: poſterior verò gaudium piorum. Illud vter, hoc fons eſt: illud breuiculum & modicum, hoc indeficiens & abundans eſt.

G. VI. Sacræ cæremoniæ approbatæ & vtiles.

SEXTVS. SS. Cæremoniarum approbatio & vtilitas; quando audiuimus Chriſtum adhibitâ inſufflatione contuliſſe Apoſtolis Spiritum Sanctum & poteſtatem remittendi peccata; vtrumque enim hoc donum aptè repræſentat flatus: Spiritum Sãctum, quia ipſe eſt quodammodò flatus & ſpiritus oris Chriſti, per ſpirationem à Patre & Filio productus. Poteſtatem verò abſolutionis, quia ſicut vento nubes, & flatu oris diſſipatur puluis: ita poteſtate illâ diſſipantur & extinguuntur peccata, iuxta id Iſ. 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.* Quod ergò intùs in animâ geritur, hoc extrà denotant & rudibus exponunt cæremoniæ.

Cæremoniæ defenduntur.

Porrò has cæremonias ad cultum diuinum facere eiuſque partem eſſe oſtendi poteſt. Primò ex SS. literis: veteris inprimis teſtamenti, 1.
Exod. 18. vbi Iethro auctor eſt Moyſi, vt ciuilia iudicia alijs committat, ipſe autem populum doceat cæremonias & ritum colendi Deum. Noui verò paſſim, ſiquidem Chriſtum ſcimus non ſolum in hodierno Euangelio ritu inſufflationis, ſed & alibi crebrò cæremonijs vſum eſſe. Quiſquis ergò cæremonias noſtras ridet, Chriſtum priùs deridere debet. Secũdò à communi conſenſu populorum omnium. *Nulla religio*, 2.
inquit S. Auguſtinus l. 19. contra Fauſtum c. 11. *ne falſa quidem, ſine cæremoniis conſiſtere potuit.* Quod idem fatetur Caluinus l. 4. Inſtit. c. 14. his verbis: *Hãc neceſſitatem certo aliquo ſignorum exteriorum conſortio homines colligandi cùm Deus præuideret, ea poſteà Satan ad ſuperſtitioſos cultus transferendo deprauauit. Hinc illæ gentilitiæ imitationes in ſua ſacra & cæteri degeneres ritus, qui tametſi errores erant & ſuperſtitionis pleni, indicio tamen ipſi quoque erant, non poſſe in profeſſione religionis homines externis huiuſmodi ſignis carere.* Tertiò. Quia ſunt profeſſio quædam practica 3.
veræ fidei & religionis; per eas enim non minùs diſcernimur ab alienæ ſectæ cultoribus, quàm per vocem. v. g. ſi coram Turcis pingam in fronte crucem, non minùs ratiocinabuntur me Chriſtianum eſſe; quàm ſi diſertis verbis talem me prædicauero. Hinc Apoſtoli vt Eccleſiam à Iudaiſmo diſpeſcerent ne cum Iudæis Iudaizarent, ſabbatum mutarunt in diem Dominicam, nouâ cæremonia. Quartò. Quia ſtu- 4.
dium pietatis erga Deum excitant, augent & incendunt, teſte S. Auguſtino *ep. ad Ianuar. c.* 7. vbi ait: *Si animus feratur ad ſimilitudines corporales & inde ad ſpiritualia, quæ ſimilitudinibus illis figurãtur, ipſo quoque tranſitu vegetatur & tanquã in faculâ ignis agitatus accenditur.* Teſte inſuper ratione; nam ſtatim atque expendit ſecum animus, quot & quanta circa Dei cultum fiant, accenſas lampades, amictus varios & pretioſos, ordinem vbique eximium, genuflexiones, inclinationes, varietatem miniſtrantium, thurificationes, proceſſiones, aſperſiones, benedictiones, & id genus alia, non poteſt non concludere eximium eſſe Deum, cuius in cultu tot tantaq; interueniunt, eximia item ſacrificia, & ſacramenta, quæ cum his peraguntur. Pergit mox vlterius, & multo maiorem concipere incipit rerum ſacrarum venerationem, quin etiam ſtudium nouũ timendi & honore afficiendi diuinam illam maieſtatem. Teſte denique experiẽtiâ. Hinc enim in ſummis feſtiuitatibus longè maior apparet populi pietas, quàm alijs temporibus, quia nimirum ſolito maior eſt ſacrorum apparatus, cæremoniæque plures & auguſtiores. Pendet enim mens noſtra à rebus ſenſibilibus,

bus, quarum interuentu niſi excitetur ad proſecutionem alicuius boni vel fugam alicuius mali, valde tenuiter mouebitur, vti palam eſt. Plerique enim qui inferni habent fidem, longè minùs permouentur illius cogitatione, quàm ſuſpendio, carcere, verberibus, torturâ, mulctâ pecuniaria. Vnde hoc, niſi quia hæc ſub ſenſum cadunt ideoque voluntatem vehementer mouent: illa verò inferorum tormenta non item.
5. Quintò, Quia pariunt & in memoriâ conſeruant notitiam Dei ac rerum diuinarum; dant enim occaſionem interrogandi & diſcendi cur hoc vel illud fiat, v.g. cur in adminiſtratione ſacramentorum paſſim adhibeatur ſignum crucis. Reſpondebitur enim id fieri vt omnes intelligant vim omnem ſacramétorum pendere à morte & paſſione Chriſti, cuius ſymbolum crux eſt. Sic de Iudæorum paſchate dicitur Exod. 12. *Cùm dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt iſta religio? dicetis eis: Victima trãſitus Domini eſt, quãdo tranſiuit ſuper domos filiorum Iſraël.*
6. Sextò, Quia rem diuinam ornant atque illuſtrant; quo modo etiam homines cæremonijs honorantur, vti purpurâ eiuſque oſculo Imperator. Sicut enim ſponſus non contentus fuit facere ſponſæ murenulas aureas: ſed ad maiorem ornatum voluit eas facere vermiculatas argento, *Cant.* 1. Et ſicut Chriſtus non contentus fuit cœnaculo ad inſtitutionem Euchariſtiæ, ſed elegit cœnaculum grande ſtratum, ad honorem ſacramenti: ita par eſt vt cultum diuinum quo poſſumus modo exornemus, iuxta id *Eccl.* 24. *Qui elucidant, vitam æternam habebunt.*

H. VII. SS. Traditionum approbatio & neceſſitas.

SEPTIMVS. SS. Traditionum approbatio & neceſſitas. Etenim S. Ioannes multis annis poſt reliquos Euangeliſtas ſcripſit Euangelium ſuũ, vt teſtatur D. Hieronymus de ſcript. Eccleſ. & tamen fatetur nequaquam omnia quæ Chriſtus egit ac docuit ſcripta eſſe vel ſcribi poſſe. Inter illa verò ſunt traditiones Apoſtolicæ, quæ neceſſariò admittendæ, nec minùs quàm ſcriptum Dei verbum credendæ ſunt.
1. Primò, quia ſine traditionibus illis non poteſt conſtare an & qui libri ſint canonici & verbum Dei: an ſalui & incorrupti: quis eorum legitimus ſenſus ſit.
2. Secundò quia multa credunt nobiſcum hæretici, quæ in ſcripturis expreſſa non ſunt, ſed ſolâ traditione habentur, v.g. ſymbolum fidei quòd ſit verè canonicum & Apoſtolicum: Spiritum Sanctum à Filio etiam procedere, non à ſolo Patre: eundem procedere, non gigni: infantes baptizandos eſſe: baptiſmi formam pronunciandam: Deiparam manſiſſe perpetuò virginem, &c.
3. Tertiò, quia teſtamentum nouum non niſi poſt Domini aſcẽſionem annis aliquot ſcribi cœpit, nec ſtatim omnibus innoteſcere potuit; interim igitur traditionibus tantùm ſtandum ac credendum fuit.

Scripturis ſimul & traditionibus docenda erat Eccleſia.

Iure autem & ſapientiſſimo conſilio voluit Deus Eccleſiam ſcripturis ſimul & traditionibus docere.
1. Primò, quia hunc etiam modum ab initio mundi cœpit & probauit; primò per ſolas traditiones docuit homines, poſteà legem ſcriptam addidit.
2. Secundò, quia coniunctio vtriuſque modi perfectior eſt magiſque accommodatè docet.
3. Tertiò pluribus prodeſt modus iſte docendi ex vtroque compoſitus: ſcripturæ faciunt pro doctis, traditiones pro indoctis.
4. Quartò facit magis ad fidei & humilitatis exercitationem. Denique vſitatior eſt in quauis repub. bene inſtitutâ, in quâ non ſolùm ſunt leges ſcriptæ, ſed etiam ἄγραφοι & non ſcriptæ ſeu conſuetudines.

I. VIII. Virtutum exemplar in Chriſto.

OCTAVVS. Virtutum exemplar in Chriſto Domino.
1. Charitas.
Primò videte eius charitatem, qui in gratiam vnius ouiculæ perditæ, rurſum apparet diſcipulis, eademque illa facit quæ priùs propter reliquos fecerat diſcipulos; nam & Spiritum Sanctum ac poteſtatem remittendi peccata ei, poſtquam credidit, à Chriſto etiam ipſomet collatam eſſe veriſimilius eſt, quàm priùs abſenti datam fuiſſe cum alijs diſcipulis. Non ergò negligamus vel vnicum errantem à viâ ſalutis, quin reducere eum curemus. Non dicamus cum Caino: *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Gen.* 4. Nec cum principibus Sacerdotum: *Quid ad nos? tu videris,* (Iuda) *Matth.* 27.
2. Humilitas.
Secundò humilitatem, quâ cum ſuis tam humaniter conuerſatur vti priùs: tangi vult à ſuis, & clauorum foramina perluſtrari.
3. Tertiò comitatem & affabilitatem, quâ Thomam allocutus eſt & inuitauit ad ſe tangendum, volens eum conuincere de conceptâ incredulitate & manuducere ad fidem dicendo: *Noli eſſe incredulus* (quia hoc non ſum promeritus) *ſed fidelis*; qualis antea mihi ſemper fuiſti. Et forſan ipſemet Dominus arripuit manum Thomæ & impoſuit in plagas ſuas.
4. Sapientia.
Quartò ſapientiam, dum non ſoli Thomæ ſeorſim, ſed coram diſcipulis apparuit, vt inde partim Thomas erubeſceret conuictus, partim ipſi diſcipuli magis firmarentur in fide & accenderentur ad amorem tam benigni Magiſtri ſui.

Hi ſunt, Auditores fructus, quos volui decerpere ex arbore vitæ Chriſto, quos & reperire potui in hodierno Euangelio, quanquam non niſi obuios tantùm. Veſtrum eſt decerptos ſedulò aſſeruare ad medelam animarum veſtrarum, vt cum immortali Chriſto immortalitatem induatis; tum animæ, ne impoſterum peccatis; tum corporis, vt in die reſurrectionis ad gloriam reſurgatis.

CONCIO IX.

Myſteria.

Varia myſteria & ænigmata elucidantur.

1. *Cur prima ſtatim die apparet Chriſtus.*
2. *Cur intrauit ianuis clauſis?*
3. *Cur apparuit ſerò?*
4. *Cur ſtetiſſe ſolùm legitur poſt reſurrectionem?*
5. *Cur in medio ſtetit?*
6. *Cur pacem ſuis precatur?*
7. *Cur oſtendit eis manus & latus?*
8. *Cur Spiritum Sanctum inſufflatione dedit.*

THEMA.

Gauiſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino. Ioan. 20.

A. Securis Eliſæi.

CONtigiſſe videtur, Auditores, Chriſti Domini diſcipulis quod *l.* 4. *Reg. c.* 6. legimus

Typus mortis & reſurrectionis Chriſti. gimus accidiſſe diſcipulis Eliſæi, filiis prophetarum, qui cùm imperante Magiſtro ligna cæderent ad ædificandum ſibi ſpatioſius habitaculum (nam prius anguſtè habitabant) cecidit vni ferrum ſecuris de manubrio in aquam. De quo cùm is valde contriſtaretur clamans: *Heu heu heu Domine mi*; fecit Eliſæus vt ferrum è ſolo gurgitis iterum enataret ad manubrium & ſecurim redintegraret. Quæ redintegratio tantum abſque dubio gaudium attulit diſcipulo, quantum priùs dolorem attulerat eiuſdem iactura. Hunc in modum Chriſti diſcipuli dum vnà cum Magiſtro ſuo inſtant prædicationi & correctioni Iudæorum, arborum infructuoſarum; tum ecce inſperatò perdunt ſecurim ſuã, Chriſtum, dum eo à Iudæis occiſo ferrum à manubrio, hoc eſt, anima Chriſti ſeparatur à corpore per mortem: deſcendente ad inferos anima, corpore verò in ſepulchro repoſito. Quantum hæc Magiſtri iactura dolorem attulerit diſcipulis, prædixit illis Dominus, cum dixit fore dolorem eorum, qualis eſt mulieris parientis. Verum hodierno in Euangelio cernimus Chriſti animam iterum ad corpus ſuum ex inferis enataſſe Chriſtumque rediuiuum in medio diſcipulorum ſtetiſſe eoſque de nouo ſecuri illa armatos miſiſſe ad exſcindendos non Iudæos tantùm, verùm & gentiles, Idololatriam & peccata omnia, ad prædicandum etiam in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Quid mirum ergo, Auditores, ſi viſo reſuſcitato Domino adeoque recepta ſecuri ſua gauiſi ſunt diſcipuli? Gaudeamus ergo & nos cum diſcipulis Chriſti: deinde ſecurim applicemus ad hodiernum Euangelium indeque nobis ligna cædamus ad fouendum ſpiritum.

B. I. Cur primo ſtatim die apparet Chriſtus.

Quæſt. Prima. Cur prima ſtatim reſurrectionis die diſcipulis apparet Chriſtus, cum tamen in Galilæam eos ad ſe videndum ire præceperit? Reſpon. Primò hoc feciſſe, vt conſolaretur diſcipulos, quos in magna exerceri triſtitia videbat. Tametſi enim eis Galilæam deſignârat, vbi eum in patria, & extra metum Iudæorum liberius contemplari poſſent: velut tamen moræ impatiens promiſſionem anteuertit, vt amorem erga eos ſuum demonſtraret. Quemadmodum enim mater flenti paruulo ſuo porrigit vbera, quia eius lachrymas ferre nequit: ſic diſcipulis ſuis mærentibus ipſo reſurrectionis ſuæ die apparere voluit; quemadmodum prædicitur *Iſa.*66. vbi cum propheta præmiſiſſet inſultationem Iudæorum factam Chriſti diſcipulis: *Glorificetur Dominus* (reſurgendo ſcilicet ex mortuis, vt ibi exponit Cornel. à Lap.) (*& videbimus in lætitia veſtra*? paulò poſt reſpondet in perſona Chriſti: *Quomodo ſicut mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & in Ieruſalem conſolabimini. Videbitis & gaudebit cor veſtrum.* Eò alluſit Dominus, cùm prædicens reſurrectionem ſuam diſcipulis dixit: *Iterum videbo vos & gaudebit cor veſtrum*, *Ioan.* 16. Addit verò Iſaias notanter: *Et in Ieruſalem conſolabimini.* q. d. non expectabo donec veniatis in Galilæam: apparebo vobis ſtatim ipſo die in Ieruſalem, ad confuſionem Iudæorum.

Secundò. Vt eos citò eximeret ex infidelitate: in qua ſi diutius perſtitiſſent, non ſolum in deſolationem magnam, verum etiam in deſperationem fortè incidiſſent. Periculoſum & noxium valde eſt, hærere in ſtatu peccati. Non ſolum enim perditur tempus, quo ingẽtia in cœlo lucra poterant parari; ſed etiam ſolutio debitorum contractorum ſemper fit difficilior: quo modo pecuniæ à fœneratore ſuſceptæ, niſi maturè reſtituantur, quotidie debitum augent. Præterea peccata quæ per pænitentiam non mox delentur, ſuo pondere trahunt ad alia: & quanto diutius immoraris in culpa, tanto diutius morari cogeris in pœna, ſi ea ſit temporalis vel ſi ſit æterna, tanto acrius torqueberis. 2.

C. II. Cur intrauit ianuis clauſis.

Quæſt. Secunda. Cur ad eos intrare ianuis clauſis voluit? Reſp. Primò ad literã ſecundum Euthymium, ne ſi oſtium pulſaſſet vel ſubitò aperuiſſet, turbarentur diſcipuli qui intus erant ob Iudæorum metum clauſi. Timere enim poterant ne Iudæi vi irrumperent. *Quam bonus igitur Dominus his qui recto ſunt corde!* 1.

Secundò. Vt oſtenderet ſtatum corporis ſui glorioſum longeque alium à priore, ſiquidem per ſubtilitatis dotem penetrare omnia queat obſtacula. 2. Tertiò. Secundũ D. Chryſ. *ſerm.* 84. Vt ſe totius creaturæ demonſtraret auctorem & ſe tanquam Dominum abſolutum poſſe omnia pro libitu facere, poſſe animam ingredi & mutare nullo impediente, &c. 3. Quartò. Vt doceret ſe ad eos ingredi per internam viſitationem & ſpiritualem gratiam, qui claudunt ſuper ſe ſenſus ſuos adeoque in receſſu animæ ſedent à mundi ſtrepitu remoti & Deo ac ſaluti propriæ intenti. 4. Vnde *Cant.* 4. commendatur inde ſponſa, quod ſit inſtar horti vndique clauſi & ſepti, non inſtar agri vel prati patuli & omnibus peruii. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus cõcluſus.* Homines ſæculo immerſi velut agri aut montes ſunt, vndique aperti & beſtiis etiam peruii, de quibus dicitur *Iob* 40. *Omnes beſtiæ agri ludent ibi.* Omnes inquam Dæmones. Iſta enim in illum locum ait S. Gregorius: *An non ſpiritibus immundis ludere eſt mentes hominũ modò ficta promiſſione decipere; modò vacuis terroribus irridere, modò eis trãſitoria gaudia quaſi mãſura imprimere, modò mãſuras pœnas quaſi trãſitorias leuigare?* Hi ſunt luſus Dæmonũ in horto nõ cõcluſo.

D. III. Cur apparuit ſerò.

Quæſt. Tertia. Cur apparuit illis, cum iam ſerò eſſet? Reſpon. Primò al literam, quia credibile eſt, diſcipulos ex fuga diſſipatos, ſerò congregatos eſſe. 1. Secundò. Vt doceremur numquam ne in extremo quidem mortis articulo de ipſius ope & miſericordia deſperare, ſed conſtanter confidere iuxta id *Habac.* 2. *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet & non tardabit.* 2. Solet enim Deus adeſſe maxime rebus deſperatis, vt hic diſcipulis, cùm ſe iam in cœnaculo clauſiſſent, quaſi eo die Chriſtum viſuri non eſſent amplius. Theophilus Imp. hæreticus, & Iconomachus duodecim annis vexarat Eccleſiam & Catholicos multos occiderat: propter quod ad extremum punitus eſt tam deformi oris hiatu, vt per eum conſpici viſcera eius poſſet: flagellatus quoq; à duobus An-

gelis, vociferabatur id ſibi euenire ob imagines
confractas. Interim tamen dum pro eo Theo-
dora coniunx ſancta & Catholica preces fun-
dit, agnoſcit miſer reatum ſuum & imaginem
S. è cuiuſdam aſtantis collo dependentem ar-
ripit & oſculatur: moxque tam hiatus oris, quã
flagellatio angelorum ceſſauit: obiitque Impe-
rator certa ſpe ſalutis, quæ poſtea nouo oſtento
certior facta eſt. Refert Gennadius apud Ba-
ron, ann. 842. Cæterùm ſi nos expectemus Do-
minum, ad pœnitentiam ſcilicet parati, non
fraudabimur ſpe aduentus eius, quia veniens
veniet. Secus vero contingit ſæpe, ſi ipſe nos
expectare debet, imparatos videlicet & rebel-
3. les. Tertiò, Vt dilectorum ſuorum patientiam
exerceret & deſiderium videndi ſui acueret ſic-
que ad gratiam conferendam melius eos diſpo-
neret.

E. IV. Cur ſtetiſſe ſolùm legitur poſt reſurrectionem.

Quæſt. Quarta. Cur ſtetiſſe tantùm Chri-
ſtus poſt reſurrectionem, non ſediſſe vel ia-
cuiſſe in terrâ legitur? Reſp. Primò id factum
ad indicandum ſtatum beatorum in cœlo, qui
erit perfectus, adeoque ſitum ſtandi, non ſe-
dendi habebit. Quod enim Chriſtus & beati di-
cuntur etiam ſedere in cœlo, non indicat aliud
1. niſi vel iudiciariam poteſtatem vel quietem
ſummam. Propterea Eccleſia tempore paſcha-
li, ſtando, non flectendo orat, vt indicet ſtatum
reſurrectionis Chriſti & noſtræ, ad quem per
ipſum erecti ſumus. Secundò, ad documentum
2. noſtrum, vt poſtquam è peccatorum tumulo
ſurreximus adeoque verſus cœlum caput no-
ſtrum ereximus, non iam ad terram amplius
inclinemur & in ſordes conſideamus vel pro-
cumbamus, ſed quæ ſurſum ſunt ſapiamus &
quæramus. Conſident, qui peccata venialia ad-
mittunt; ſordes enim aliquas contrahunt & a-
liquantulum à Deo elongantur, non tamen
auertuntur. Procumbunt verò in ſordes, qui
mortaliter delinquunt; longiſſimè enim à cœ-
lo & Deo ſe ſubmouent & auertunt.

F. V. Cur in medio ſtetit.

Quæſt. Quinta. Cur in medio ſtetit? Re-
ſpon. Primò, quia etiam media in SS. Trini-
tate perſona eſt. Secundò, quia Rex Eccleſiæ,
qui cupiat pari promptitudine omnibus ſuccur-
1. rere: doctrinam, amorem, miſericordiam & iu-
2. ſtitiam impendere. Tertiò, quia amat habitare
3. in medio hominis id eſt corde eius. Quidquid
illi demus, præter cor, parum vel nihil erit. Cur
vero ipſi tradit, qui voluntatem ſuam ipſi reſi-
gnat, ipſumque ſuper omnia diligit. Hinc for-
ſitan inſtituit Euchariſtiam ſub ſpecie cibi &
potus, vt viſcera noſtra ingrediens habitaret
velut rex in medio noſtrûm. Quartò, quia in
4. omnibus nobis deſiderat auream mediocrita-
tem ſeruari; quæ nos Deo gratos efficit, quia
virtus in medio conſiſtit. Commendat etiam
nobis mediocritatem illam à Salomone poſtu-
latam? *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi; ſed
tantum victui meo tribue neceſſaria.* Quã rem pul-
chrè explanat S. Chryſoſtomus ho. 14. de ava-
ritia: *Si quando,* inquit, *onus eſt iuſto grauius, de-
mergit cymbam: rurſum cum eſt moderatum, proſpero
fertur curſu. Idem vſuvenit in noſtris ædibus. Cum
vltra quam vſus poſtulat, congeris pecunias, exigui
venti procella & quiuis rerũ inexpectatarũ incurſus
demergit cymbam. At ſi tantum reponas, quantum po-
ſtulat neceſſitas, etiã ſi vehemẽs turbo ingruat, facile
percurris vndas.* Sic ille. Sane poſtquam Chriſti
diſcipuli impleuerunt nauiculas piſcibus, penè
mergebantur. Idem timeant, qui nimiis opibus
inhiant. Hinc illa difficultas diuitis ſaluandi:
Quam difficile eſt diuitem intrare in regnum cælorũ.

G. VI. Quare pacem ſuis precatus.

Quæſt. Sexta. Quare pacem ſuis precatus
eſt diſcipulis? Reſp. Primò, vt eos conſolaretur
& ſe illis beneuolum ac reconciliatum oſten-
deret. Poterant enim illi ac debebant merito
timere, ne ab eo velut deſertores viciſſim deſe- 1.
rerentur, ac velut ſpurii repudiarentur. Hunc
ergo timorem vt eis eximeret, pacem eis preca-
ri prima iterataque voce voluit. Huius rei alle-
goriam legimus *Gen.* 45. vbi Ioſeph ad princi-
patum Ægypti euectus poſtquam ſe manifeſta-
uit fratribus, à quibus erat venditus, blandè
eos conſolatus dicebat; *Nolite pauere neque vobis
durum eſſe videatur, quod vendidiſtis me in his regio-
nibus: pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos
in Ægyptum.* Similiter Chriſtus poſt reſurrectio-
nem ſuam diſcipulis, à quibus deſertus erat, di-
cebat: *Pax vobis: ego ſum, nolite timere, Luc.* 24.
Secundò, Vt fructum paſſionis & mortis ſuæ 2.
nobis demonſtraret, qui alius non eſt, niſi pax
cum Deo, hominibus & nobis ipſis; quam
triplicem pacem trina illa ſalutatio *pax vobis,* in
hodierno Evangelio indicare videtur. Sed de
hoc alias copioſe diximus.

H. VII. Cur oſtendit eis manus & latus.

Quæſt. Septima, Cur oſtendit eis manus &
latus? Reſp. Primò, vt eos de reſurrectione ſua
certificaret; ſiquidem veſtigia vulnerum ipſum
& non alium eſſe oſtenderent. Voluit Chriſtus
agnoſci à ſuis ex ſignis humilitatis, etiam in
gloria ſua. At nos ad dignitatem euecti ab- 1.
ſcõdimus quæ ſunt humilitatis; ne agnoſcamur
& vilipendamur: parum Chriſto in hoc ſimi-
les. Secundò, vt pretium redemptionis noſtræ 2.
nobis in diſcipulis ſuis inculcaret: quaſi dice-
ret: Videte quanti mihi conſtiterit ea pax, quam
vobis affero!
Tertiò, vt doceret nos, non verbis tantum, 3.
ſed operibus quoque loquendum & proximum
iuuandum. Salutem ergo & benedictionem
alter alteri precetur, ſed & manum porrigat in-
digenti: oſtendat ſe habere manus perforatas,
id eſt, liberales. Pacem mutuo precemur, ſed
& impendamus, beneficiis & amore.

I. VIII. Cur Spiritum S. cum inſufflatione dedit.

Quæſt. Octava. Quare cum inſufflatione
Spiritum Sanctum dedit Apoſtolis? Reſpond.
Primò, vt indicaret Spiritum ſanctum ab ipſo
procedere eſſeque quodammodo flatum oris
ſui. Adumbrabat ergo flatus ille Spiritum San-
ctum qui à patre & filio procedit, vti flatus
ex vtero & ore; vnde vocatur ſpiritus à ſpiran- 1.
do. Et idcirco in Pentecoſte Spiritus Sanctus
cum vento vehementi datus fuit, cuius pignus
erát eſſe flatus, quia hic ad vnũ tantum effectum,
remiſſionem ſcilicet peccatorum, illic ad multos
etiã alios effectus dirigebatur. Secundò, vt ſigni- 2.
ficaret ſe eundẽ eſſe qui inſpirauit in faciẽ Ada-
mi de limo formati ſpiraculũ vitæ, quo factus
eſt homo in animam viuentem: & hunc ſpiritũ
eoſdem

eoſdem habere in anima effectus, quos alter ille habuit in corpore: adeoque viuificare & pulchram reddere animam, tribuendo ei motus & ſenſus ad opera ſupernaturalia, ſicut anima viuificat & ornat corpus ad opera naturalia patranda.

3. Tertiò. Vt adumbraret eo flatu poteſtatem remittendi peccata, quam eo momento Apoſtolis dabat. Vt enim venti flatu nubes toto aëre pelluntur: ſic flatu Domini, id eſt, Spiritu

Peccata nubes. Sancto, peccatorum nubes diſperguntur; iuxta illud Iſa. 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas & quaſi nebulam peccata tua.* nubiũ inſtar ſunt pec-

1. 2. cata. Primò, quia ſunt tetri vapores è corde aſcendentes quaſi ex vliginoſa & paluſtri terra. Secundò, quia Dei aſpectum, beneuolentiam & beneficentiam adimunt, noſque ab eo ſeparant ſicut nubes diſpeſcunt cœlum à terrâ. Vnde epuloni dicitur: *Inter nos & vos chaos magnum fir-*

3. *matum eſt, Luc.* 16. Tertiò, quia vt ex nube fulmina & tonitrua, ſic è peccatis procedunt ſupplicia & Dei vindicta.

Quare cùm Confeſſarius dicit pœnitenti: *Ego te abſoluo*, delet illicò eius peccata & exufflat velut nubem, vt nuſquam amplius appareant. Hinc *Pſ.* 102. dicitur: *Secundum altitudinem cæli à terra corroborauit miſericordiã ſuam ſuper timentes te: quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras.* q. d. veriſſimè & pleniſſimè ea remiſit ac ſi nunquam commiſſa fuiſſent. Hic Domini afflatus ſimilis eſt vento illi, qui locuſtas omnes arripuit & proiecit in mare rubrum, *Exod.* 10. Idem enim facit poteſtas abſoluendi, collata Sacerdotibus à Chriſto, iuxta prophetiam Michææ. c. 7. *proiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Denique voluit Dominus flatu probare ſe non eſſe ſpiritum, ſed habere corpus, vnde flatus ille prodiret. Vtinam hunc in modum elapſo pœnitentiæ tempore nobis omnibus dimiſſa eſſent peccata noſtra & à nobis remota quantum diſtat cœlum à terrâ, ortus ab occidente. Quemadmodum etiam cælũ & terra, ortus & occaſus nulla ratione coire & ſe mutuò contingere poſſunt: ſic vellem etiam nobis nullum omninò acceſſum eſſe ad dimiſſa peccata: quod nobis largiatur Deus.

DOMINICA SECVNDA POST PASCHA.

Euangelium Ioannis 10.

IN illo tempore dixit IESVS Phariſæis: Ego ſum paſtor bonus: bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit & diſpergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego agnoſco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili. Et illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus paſtor.

CONCIONES.

I. *De Officio Magiſtratus & ſubditorum erga ſe mutuo.*
II. *Damnatur inobedientia & rebellio contra Superiores.*
III. *Principum & Magiſtratuũ præcipua virtutes.*
IV. *De obſeruantia, qua colendi ſunt Sacerdotes, Magiſtratus, Senes.*
V. *Paſtor ſuiipſius quomodo quiſque eſſe debeat.*
VI. *Signa ouium Chriſti ſeu prædeſtinatorum.*
VII. *Signa reprobationis.*
VIII. *Documenta Euangelica.*
IX. *Myſteria.*

CONCIO I.

De Officio ſubditorum & Magiſtratus erga ſe mutuo.

Requiritur ergo vt

1. *Subditi honorent & ament Magiſtratum, & Magiſtratus viciſſim non contemnat ſubditos: Conc. Fabri Pars Æſtiualis.*
2. *Subditi Magiſtratum timeant; Magiſtratus gerat ſe vt timeatur.*
3. *Subditi obediãt ſuis ſuperioribus, & Magiſtratus ita præſit: vt timeatur.*
4. *Subditi ſint grati ſuperioribus: Magiſtratus vigilet pro ſubditis.*
5. *Subditi ſubleuent Magiſtratum: Magiſtratus moderetur exactiones.*

THEMA.

Cognoſco oues meas & cognoſcunt me meæ. Ioan. 20.

VAriæ fuerunt opiniones ſeptem græcorũ ſapientum, quænam eſſet optima reſpublica; apud Stobæum ſerm. 41. de rep. Et Plut. in conuiuio 7. ſapientum. Bias dicebat eam eſſe optimam in qua legem omnes perinde ac ipſum Regem metuunt. Chilon eam, quæ maximè leges, minime autem Rhetores audit. Cleobulus eam, in qua ciues magis infamiam quàm legem metuunt. Periander A.

 eam,

Digitized by Google

eam, in qua cum reliqua æqualia exiſtimentur, virtute quod melius, vitio autem quod deterius eſt deſignatur. Pittacus eam, in qua malis non daretur imperandi facultas. Thales eam, quæ ciues neque prædiuites, nec admodũ pauperes contineret. Solon eam prætulit, in quâ iniuriarum authores accuſantur non minus ab iis qui iniuriam paſſi non ſunt, quàm ab iis qui ſunt paſſi. Item, vbi boni honoribus afficiuntur, mali pœnis coercentur. Item vbi ciues Magiſtratui obediunt, Magiſtratus autem legibus. Omnia quidem iſta ſapienter dicta ſunt. Sed iuxta Euangelicam doctrinam, ego illam approbauero rempublicam, in quâ Magiſtratus eſt velut paſtor, ciues velut oues. Hoc eſt quod inſinuat Dominus in hodierno Euangelio cùm ait: *Cognoſco oues meas & cognoſcunt me meæ.* q. d. Ego talem me exhibeo erga oues meas, vt apertè videant, me paſtorem earum eſſe verum & bonum. Et ipſæ viciſſim ita ſe gerunt erga me, vt manifeſtè cernam, ipſas eſſe oues veras & bonas. Quod ſi nos hoc ipſum dicere poſſemus, nihil dubitarem, quin optimam haberemus rempublicam. Videamus ergò quid ab ouibus, quid à paſtore requiratur.

B. 1. *Subditi honorent & ament Magiſtratum.* 1.

Primò, Oues venienti paſtori de viâ cedunt: ſic ſubditi debent honorare & amare Magiſtratum ſuum. Primò, ſcriptum enim eſt *Exod.* 20. *Honora patrem tuum.* Sunt autem non ſolum naturâ patres, ſed & politiâ ac regimine. Hinc olim omnes Reges Palæſtinæ vocabantur, *Abimelech*, id eſt, *Pater meus Rex*, ut notat Hieron. l. 9. in Ezech. Et Imperatores Romanorum, *Patres patriæ.* Et ſenatores à Romulo creati pro gubernatione reipublicæ honoris cauſa dicti ſunt *patres conſcripti*, eorumque filii *patricii.* Sic compellabant milites illi Principem ſuum Naaman 4. *Reg.* 5. *Pater etſi rem grandem dixiſſet tibi propheta, certe facere debueras,* &c.

2. Secundò, Quia perſonam Dei repræſentant, vtpote ab eo conſtituti velut eius Vicarii, à quo omnis eſt poteſtas (*nõ eſt enim poteſtas niſi à Deo,* inquit Apoſtolus ad *Rom.* 13.) In Anglicanâ aula, ſedes regia etiam abſente rege honoratur non aliter ac Rex. In Chinâ ſimiliter per omnes eius ciuitates aſſeruatur & proponitur certo loco regis effigies, quæ à proregibus & omnibus officialibus quotidie ita honoratur ac ſi nõ effigies regis ſed Rex ipſe foret. Hinc Magiſtratus vocantur à Deo Dij, *Exod.* 22. *Diis non detrahes & principi populi tui non maledices.* Sed nónne S. Paulus Ananiam principem ſacerdotum vocauit parietem dealbatum? *Act.* 33. Ita eſt, ſed quamprimum intellexit eſſe ſummum Sacerdotem, id retractauit dicens: *Neſciebam fratres, quia princeps eſt Sacerdotum; ſcriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices.* Quod ſi Iudicem ſaltem eſſe ſciebat, præſumebat tamen eſſe ſæcularem, qui poteſtate abutebatur.

Magiſtratus non contemnat ſubditos.

Viciſſim paſtor ouem perditam non contemnit, ſed quærit & ponit ſuper humeros ſuos ac reportat ad caulam; ſic Magiſtratus memores eſſe humilitatis debent, nec contemnere ſubditos ſuos aut quaſi canes habere. Nam primò ſcire debent ſe ſubditorum non tam dominos quàm patres eſſe, adeoque eiuſdem cum ipſis naturæ. Licet aureum habeant caput quemadmodum ſtatua illa Nabuchodonoſoris, dignitatis ſcilicet & gloriæ; argenteum pectus ſcientiæ; æreum ventrẽ poteſtatis & iuriſdictionis; habent tamen fictiles pedes, ſimiles aliis hominibus, hoc eſt, eandem & naſcẽdi & moriendi conditionem. Sic dicebat S. Antonius ad fratres ſuos, cùm legeret eis literas Conſtantini Imperatoris ad ſe miſſas: *Reges ſeculi,* inquit, *ad nos miſerunt epiſtolas. Quæ hic Chriſtianis adhibẽda admiratio eſt? Licet enim diuerſa ſit dignitas, attamen eadem naſcendi & moriendi conditio eſt.* Athanaſ. in eius vitâ. Vnde bene monuit Eccleſiaſticus *c.* 32. *Rectorem te poſuerunt; noli extolli: Sed eſto quaſi vnus ex illis.* Quod intelligendum non de externa cõuerſatione, in qua oportet eum moderatam ſeruare grauitatem, ne ſit contemptui: Sed de internâ; iuxta quam cogitare debes, te imperare multis, qui te meliores ſunt & in aliquibus ſaltem te excedunt; Item habere te etiã dominum in cœlo, prout monet Apoſtolus ad *Coloſſ.* 4. Secundò habere ſe quam habent poteſtatem, non à ſe, ſed à Deo, cui aliquando ſtrictam reddent rationem de ſubditis. Sic enim Apoſtolus ad *Hebr.* 13. ait: *Obedite præpoſitis veſtris & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationẽ pro animabus veſtris reddituri.* Quo loco S. Chryſoſtomus *hom.* 34. dixit: *Miror, ſi poteſt aliquis rectorũ ſaluari.* Videant ergo ne, qui hîc audierunt: *Aſcende ſuperius:* audiant ibi: *Da huic locum,* & tu deſcende in infernum profundius. Maximoperè verò caueant, ne ab aſſentatoribus patiantur ſibi deferri honores nõ debitos, præſertim diuinos. Hanc enim ob cauſam cum Herodes pro tribunali concionaretur & populus ei applaudens acclamaret: *Dei voces & non hominis,* confeſtim percuſſit eum angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo: & conſumptus à vermibus expirauit, *Act.* 12.

Secundò, Oues vnicum paſtoris ſui ſibilum aut baculum timẽt: ſic ſubditi Magiſtratum timeant; ſcriptum enim eſt ad *Rom.* 13. *Si malum feceris, time; nõ enim ſine cauſa gladiũ portat* (Magiſtratus:) *Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui male agit.* concluditque: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum: cui vectigal vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorẽ.* Quod ſi Iudicis gladium non times, quia gladius ipſius eſt, time ſaltem, quia gladius Dei eſt, à Deo ipſi traditus. Vnde paulo ante dicit Apoſtolus ib. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autẽ reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Gladius Gedeonis, gladius Dei,* clamabãt bellatores illi. *Iudicum* 7. quia gladius Magiſtratus, gladius Dei eſt, qui minatur damnationẽ iis, qui Magiſtratui reſiſtunt. S. Auguſt. in illum verſum Pſ. 118. *à verbis tuis formidauit cor meũ,* ait: *Habuerunt quidem & illi* (principes) *verba minantia: Expello, occido, vngulis torqueo ignibus torreo, beſtiis ſubigo, mẽbra dilanio ſed tua me potius verba terruerunt. Nolite timere eos qui occidunt corpus: ſed eum timete, qui poteſt corpus & animã perdere.* ſic ille. C. II. *Subditi Magiſtratum timeant.*

Viciſſim paſtor baculum in manu gerit ad coërcendas oues & quandoque in ipſum gre-

gem

gem iacit. Sic Magiſtratus gerat ſe vt timeatur: non ſeruili timore & coacto, quo modo is dicebat: *Oderint dum metuant*; ſed potiùs filiali. Quod fiet, ſi cùm res exigit, ſeuerus legum vindex ſit, & gladium contra nocentes exerat. Alioquin enim ſine cauſâ gladium portat, & ſimilis eſt ſtramineo militi qui fortè gladio armatus inter ſegetes ſtatuitur ad terrorē auium: quæ quidem primò eum metuunt, ſed poſtquā aduertunt nunquam euaginare gladium, aut mouere brachium, tandem ipſi inſident & naſum eius conſpurcant. De quibus dicitur *Zach. 11. ô paſtor & Idolum*. Pro talibus habentur multi rectores à ſubditis, ſed ferè ipſorum culpâ, quia nullum vindictæ actum in noxios exercent. Sic olim Themiſtocles dicebat Theutidē Athenienſium Ducem neutiquam timendum: quia nimirum gladium quidem haberet ad iugulandum, non tamen cor ad educendum.

Debet tamen magis inclinatus eſſe ad clementiam, quàm ad ſeueritatem, adeoque gladio vti, ſicut eques virgulâ; magis ad terrendum, quàm ad feriendum. Liuia Auguſti coniunx hoc ipſum ei perſuaſura ait inter alia: *Videtiſne vt Medici rariſſimè ſectiones & ignes adhibeant, ne ipſa videlicet vitia corporis exaſperent? Pleraque etiam lenibus corporis exercitiis & medicamentis molliunt ac ſanant.* Et infra: *neque ego omnibus ex æquo noxiis parcendū eſſe dico, ſed audaces, inquietos, malitioſos ac ſiniſtri cōſilii homines, immedicabilique & continua malitia aſſuetos exſcindere te iubeo, exemplo earum corporis partium, quæ medicinam non patiuntur. Aliquos, qui propter ætatem, imperitiam, imprudentiam aut alio caſu quodam vel volentes vel inuiti peccant, verbis caſtigare, minis corrigere, aliáue tolerabili ratione tractare*, &c. Qua oratione commouit Imperatorem, vt reos indemnes dimiſerit, apud Dion. l. 55.

D. III. Subditi obediant ſuis ſuperioribus.

Tertiò. Oues paſtoris vocem audiunt & ſequuntur eum. Ita ſubditi obediant ſuis ſuperioribus. Sic enim ſcribit Apoſtolus ad *Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Quod ibidem probat multis rationibus, nimirum, quia ſic à Deo ordinatum eſt; quia Dei miniſtri ſunt, quia gladium portant: quia conſcientia hoc dictat: quia Deus vindex eſt; quia lex Chriſtiana id iubet. Et ad *Hebr. 13. Obedite præpoſitis veſtris*, inquit, *& ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilāt, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Vbi vides alias rationes hanc obedientiam ſuadentes. Prima, quia
1. debent ſubditos cuſtodire tanquam rationem pro iis reddituri. Quòd ſi aliquis conſtituitur Dux cæco, debet eum ſequi cæcus, alioqui Dux indemnis erit, ſi fortè corruat cæcus. Se-
2. cunda, quia alioquin ſubditi aggrauabunt onus ſuperioribus. Gemunt enim Præpoſiti ſub onere regiminis, cùm vident omnes ſuos labores & conſilia irrita & ſpreta. Quemadmodum equiti permoleſtus eſt equus, qui niſi coactus & calcaribus fatigatus non progreditur; & aurigæ currus ſtridentibus ſemper rotis obſtrepens: ita Magiſtratui ciues, qui ſemper queritantur & obſtrepunt, nec niſi minis & pœnis adacti
parent. Tertiò, quia hoc cedit in damnum ſub- 3.
ditorum, ſiquidem talis prælatorum gemitus clamat ad Deum & inuocat eius vltionem. Quam ob cauſam etiam Moyſes ad inobedientes ſermonem facturus ait: *Inuocabo contra eos cælum & terram, Deut. 30.* Rurſum per hoc conſtringitur præpoſitus, vt non audeat præcipere, quod ſubdito eſt vtilius & ſæpe dimittat eum in deſideriis ſuis. Denique peribunt hoc modo ſubditi: *ſicut*, inquit S. Chryſoſtomus: eo loco hom. 34. *ſi ex choro ipſum choryphæum auferes, nequaquam modulatus chorus vel ordinatus exiſtit. Et phalanx militū, ſi Ducem nō habeat, nullo modo, numero acies illa vel ordine procedit: & nauis ſi gubernatore priuetur, peſſum eat neceſſe eſt: & gregi ſi paſtorē abſtuleris, cunctus diſpergetur & peribit.* ſic ille. Similiter ferè Iulius Cæſar ſic alloquens milites quoſdam tumultuantes dixit: *Ego ſanè neque rectum eſſe arbitror, vt qui principatum gerit, ſubditis ſit inferior: neque ſalutare quidquam agi poſſe cenſeo vbi, hi quibus iniunctum eſt vt dicto ſint audientes, imperare ipſi velint. Intelligitis enim, quam probè ſit futura ornata domus, in qua natu minoribus ætate grandiores deſpectui ſunt: aut ludus literarius, vbi diſcipuli Magiſtros contemnunt. Quæ ſpes ſanitatis ægrotis, ſi non per omnia Medicis obtemperent? Quàm tuta nauigatio, ſi nautæ gubernatoris iuſſui non pareant? Ita natura duas neceſſarias res eaſque ſalutares comparauit in humano genere, vt alii cum imperio eſſent, alii ſubiicerentur, nihilque eſt quod abſque his ſit, quod vel minimo ſpatio perdurare poſſit.* ſic ille apud Dion. l. 44. Parum prodeſt bonus & ſedulus agricola niſi terram habeat, quæ ſubigi ſe patiatur & in omnem verſari partem. Ita non florebit Reſp. ſi ciues habeat immorigeros, tametſi bonus ſit Magiſtratus.

Magiſtratus ita præſit vt audiatur.

Viciſſim etiam paſtor ante oues vadit. Sic Magiſtratus ita præſit, vt populus incitetur ad promptè obediendum: quod fiet ſi primò iuſta 1.
præcipiat, & quæ diuinæ legi rationique non repugnant: alioquin enim tranſiliet fines imperii ſui & facilè confundetur à dicturis, Deo potiùs quàm hominibus obtemperandum eſſe. Ægrè etiam paret, qui ſuſpicatur ſe non duci ex ratione, nec facile eſt cuiuis abnegare proprium iudicium. Quare Traianus Imp. Magiſtratum & Iudicem conſtituens, illique de more gladium porrigens: *Illo*, inquit, *pro me, quamdiu æqua mandauero: ſin iniqua, contra me vtere.* Niceph. Call. l. 3. *hiſt. Eccleſ. cap.* 23. Secun- 2.
dò, ſi paulatim ſubditos aſſuefaciat per imperia primò faciliora, deinde difficiliora: quo modo equos frænis: & pueros præceptis facilioribus ad aſperiora aſſuefacimus. Tertiò, ſi 3.
exēplo præeat. Vt enim pictor exemplar præ ſe videns, facilè imitatur ſuo penicillo: ita ſubditi Magiſtratum, in quem potiſſimum oculos ſuos coniiciunt. Hinc Chriſtus & Apoſtoli tam potenter conuerterunt mundum, quia id agebant, quod docebant. Contrà deuiante Magiſtratu facilè deuiant ſubditi; vt enim chori rector, quando in menſura errat, omnes cantores errare facit: ita Magiſtratus. Longè efficacius mouent exempla quàm verba.

Quartò. Oues præbent paſtori ſuo lac.

E. IV. Subditi ſint grati ſuperioribus.

Pari modo ſubditi debent eſſe grati erga ſuperiores ſuos; *Ipſi enim peruigilant* pro eis, *quaſi rationem* pro eis *reddituri*; teſte Apoſtolo vbi ſup. ideoque *ſubiacete eis*, inquit, q. d. Quantumuis in eorum gratiam & pro eis faciatis, nihil æquale rependetis, quia ipſi ſolliciti ſunt de ſalute veſtrâ, dum vos in vtramque aurem dormitis & nihil minus quàm de ſalute cogitatis. Neque dicat aliquis, minùs ſe obligatum ſuperioribus propterea, quòd non pro ipſo tantùm, ſed & pro aliis inuigilant; ſiquidem ob hoc non extenuatur beneficium, quod pluribus conferatur, ſicut nec ideò minùs obligamur Chriſto, quòd non pro me & te ſolummodò, ſed pro omnibus ſit paſſus: aut medico, quòd non tantùm nos, ſed & alios curârit ab infirmitate: aut Deo, quod non noſtræ tantùm ciuitati, ſed toti orbi faciat oriri ſolem. Neq; obiiciendum eſt Magiſtratibus otium: quia etiam Nauarchi quieti in puppi ſedent, aliis remigantibus: plus tamen interim faciunt, quàm remiges.

Inprimis vero pro iis orare debent, tum ob cauſam dictam, tum quia plurimum in rectoribus poſitum eſt. Cum Conſtantino Imp. conuerſus eſt orbis: cum vno principe peruerſo peruertuntur omnes eius ſubditi. Numantini hoſtes Romanorum, rogati cur iam Romanos fugerẽt, qûos anteà fugârant? reſponderunt: *Oues quidem eadem ſunt, ſed alium iam habent paſtorem.* Plut. in apophth. Rom.

Magiſtratus vigilet pro ſubditis.

Viciſſim vero paſtor pro ouibus vigilat, earum curam ait, &c. Similiter præpoſiti vigilare pro gregibus debent eoſque defendere, quo modo Dauid dum paſcebat oues, apprehendebat mentum Leonis & vrſi & eruebat oues ex ore ipſorum. 1. *Reg.* 17. Magis etiam timeant gregibus ſuis quàm ſibi, quemadmodum & canes ouium cuſtodes; cùm enim lupum vident, non ſibi ſed gregi timent & pro illo pugnant. Adſint prætereà fideliter gregibus ſuis; plurimùm enim nocet eorum abſentia, vt patet in populo Hebræo, qui abſente Moyſe paſtore ſuo, cœpit inſoleſcere & Idolum colere. Exo. 32. Nec vinci impatientiâ debent, ſi non ſtatim ac cupiunt, aſſequuntur finem & fructum ſperatum. Non eſt vnius diei opus, feram cicurare, multò minùs homines multos, feris ſæpè efferatiores perdomare. Quid; quod nos ipſos ſæpe non poſſumus frænare & efficere tales, quales volumus: & mirabimur, ſi alios non poſſimus? Sufficit rectoribus ſtrenuè laborâſſe pro ſalute ſubditorum: non tenentur eos Deo repræſentare bonos. *Curam illius habe,* ait Samaritanus ſtabulario, *& quodcumque erogaueris, reddam tibi.* Cura, inquit, non ſana.

F. V. Subditi ſubleuent Magiſtratum.

Quintò. Oues præbent lanam paſtori, in anno ſemel aut bis. Sic debent etiam ſubditi ſuis facultatibus iuuare Magiſtratum, onerum geſtatione, tributi penſione, &c. iuxta præceptum Apoſtoli ad Ro. 13. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Ratio, quia niſi caput adiuuetur à membris, non poterit officium ſuum præſtare & ſeruire membris. Vnde qui ad conſeruationem boni publici non iuuant Magiſtratum, ſeipſos peſſundant. Pedes geſtant caput, brachia ſuffulciunt: ſic faciant ſubditi Magiſtratui. Deſeruit aliquando plebs ſenatum Romanũ, quod diceret eum otio deditum, ſubditorũ veſci laboribus, ideò cauſam ſenatus apud plebem, quæ in ſacrũ montem ex vrbe receſſerat, egit & peregit Menenius Agripppa teſte Liuio *l.* 2. *dec.* 1. *Tempore,* inquit, *illo, quo in homine, vt nunc, omnia in vnum conſentirent, ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerat; ferunt indignatas reliquas partes, ſua cura, ſuo labore ac miniſterio ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum nihil aliud quã datis voluptatibus frui; conſpiraſſe inde, ne manũ ad os cibum ferrent, ne os acciperet datum, nec dentes conficerent; hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipſa vna membra totumque corpus ad extremã tabem veniſſe; inde apparuiſſe ventris quoque haud ſegne miniſterium eſſe, nec magis ali quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo viuimus vigemuſque, diuiſum pariter in venas maturum confecto cibo ſanguinem. Comparando hinc, quàm inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in patres flexit Menenius mentes hominum.*

Magiſtratus moderetur exactiones.

Viciſſim paſtor, etſi tondet oues, non excoriat tamen aut deglubit. Huius igitur exemplo meminerit Magiſtratus moderari exactiones: ne alioquin deteriores ſint Tiberio Cæſare, qui publicanis & præſidibus prouinciarum ſuadentibus augmenta vectigalium & tributorum, reſcripſit: *Boni paſtoris eſt, nõ oues excoriare, ſed lanam duntaxat ſibi retinere; tondere pecus, non deglubere.* Sueton. c. 13. Similiter Alexander Magnus cùm quidam admoneret longè plus vectigalium à ciuitatibus auferri poſſe, reſpondit: *Et Olitorem odi, qui radicitus olera exſcindit.* Maxim. ſerm. 13. Plotinam maritũ ſuum Traianum Imperatorem monuit, Fiſcum eſſe velut lienem, quo turgeſcente reliqua corporis membra decreſcunt. Cælius Rhodiginus l. 4. c. 18. Quare merito Conſtans Imp. teſte Eutropio dicebat, opes publicas meliùs à priuatis pluribus haberi, quàm intra vnum principis clauſtrum reſeruari. In confeſſo eſt expedire vt prouincia abundans ſit & diues, quia ſi inops fuerit & velut abſtracta pelle nuda, quomodo lanam dabit, quâ ſe veſtiat Magiſtratus? His certè iraſcitur Deus *Michææ* 3. dicens: *Violenter tollitis pelles eorum deſuper eis & carnes deſuper oſſibus eorum!* Cum S. Odoardus Angliæ Rex ingentem pecuniam à Quæſtoribus ſuis collectam admiraretur, vidit ſimul Diabolum illi inſidentem & gaudio ſubſilientem; quo obiecto perterritus, omnem confeſtim populo iuſſit reſtitui, vt ſcribit Polydorus Virgilius. S. Ludouicus Galliæ Rex Philippum filium regni hæredem in teſtamento ſuo ſic inter alia alloquitur: *Ne ſubditis tuis tributum imperes aut imponas onera, niſi neceſſitas vrgeat, teque manifeſta regni vtilitas compellat, idque non vltro ſed graui de cauſa facias. Si ſecus faxis, non Rex ſed tyrannus habeberis.* Quare Auditores, vultis veſtram Remp. optimè diſpoſitam? faciat Magiſtratus, quod paſtoris eſt: faciant ſubditi, quod ouium eſt. Ita beatam & quietam ſortiemini Remp. quam donet nobis Deus.

CON-

CONCIO II.

Damnatur inobedientia & rebellio contra Superiores & Magiſtratus.

Huius rei aſsignat, Auctor rationes has quatuor, quia

1. Per eam offenditur Deus.
2. Offenditur Magiſtratus.
3. Offenditur proximus.
4. Offenditur ipſe rebellis.

THEMA.

Vocem meam audient. Ioan. 10.

A. Oues obedientium typus.

PRæcipua cauſa, ob quam Chriſtus ſuos fi-
deles ouium nomine appellat, videtur eſſe
obedientia, quæ in iſtâ pecude eximia eſt, &
potiſſimùm commendatur à Chriſto Domino
Ioan. c. 10. vnde Euangelium hoc deſumptum
1. eſt. Primò enim oues vocem paſtoris audiunt
2. & ad eam reducuntur. Deinde præeuntem ſe-
quuntur paſtorem, quod non faciunt alia pe-
cora, quæ potiùs agi debent ab inſequentibus
3. paſtoribus. Neque paſtorem tantum, ſed & ca-
4. nem eius & capras præeuntes ſequuntur. Deni-
que neſciunt rebellare aut reſiſtere paſtori;
quod tamen ſolent alia pecora, boues cornibus,
ſues dentibus, equi calcibus. Iure igitur meritò
proponitur nobis ouis in exemplum obedien-
tiæ ſuperioribus exhibendæ: iis præſertim qui
neſciunt obedire. Si enim homini, & quidem
ad nutum, parent bruta, cur non pareat homo,
qui nouit ſuperiorem ſuum Dei vices agere &
perſonam repræſentare? nouit rationes alias,
quæ inuitant hominem ad præſtandam obe-
dientiam fugiendamque rebellionem? Ergò
quia non tantùm ſalus animæ, ſed & reipubli-
cæ in hoc eſt ſita, videamus quantum malum ſit
non obedire ſuperioribus.

Quatuor potiſſimùm rationes, quamobrem inobedientiam & rebellionẽ contra ſuperiores cauere debeamus, adducit Apoſtolus ad *Rom.* 13.

B. I. Per eam offenditur Deus.

PRIMA. Quia redundat in ipſum Deum; de quâ ait: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Quia videlicet ſuperiores Dei quaſi vicarij conſtituti ſunt. Similiter & Dominus *Luc.* 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* inquit. Ita olim Deus ad Samuelem dixit de Hebræorum populo, qui repudiato Samuele æquiſſimo Iudice, poſtulârat ſibi regem iuxta morem gentium: *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper vos. 1. Reg.* 8. Sed quomodo abiiciunt Deum immorigeri? Id optimè explicat ipſe Samuel 1. *Reg.* 15. dicens: *Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus Idololatriæ nolle acquieſcere.* Qua ratione, inquies? quia ſicut ariolus neglecto vero Deo, conſulit falſos Deos, adeoque Diabolum ipſum: ita refractarij neglecto ſuperiorum ſuorum (qui Deum verum repræſentant) mandato & conſilio, proprium ſenſum vel ipſius etiam diaboli aut peruerſorũ hominum ſequuntur ſuaſiones: *Quaſi ergò peccatum ariolandi eſt repugnare,* ait S. Gregorius eo loco; *quia velut contempto diuino altari, ad aras Dæmonum reſponſa percipiunt, dum cordis ſui praſtigioſis ac ſuperbis adinuẽtionibus credunt & ſalubribus prælatorum conſiliis contraria ſentiendo refragantur.* Sed quomodò ſcelus Idololatriæ nolle acquieſcere? Quia vt Idololatra idolum ſuum colit & adorat; ita ſuo modo inobediens proprium iudicium omnibus aliis præfert. *Nolle acquieſcere,* ait ibid. Gregorius, *idololatriæ ſceleri ſimile dicitur, quia nimirũ in inobedientia ſua obſtinatione nemo perſiſteret, ſi propoſiti ſui figmentum in corde, quaſi Idolum, non geſtaret. Et dum conceptum mentis propoſitũ ſe acturum deliberat, quaſi ad adorandum ſimulacbrum ſe inclinat.* Subdit deinde Samuel ſtatim ad Saulem loquens: *Pro eo ergò, quòd abiecisti ſermonẽ Domini, abiecit te Dominus, ne ſis Rex.* Sermo ille Domini, non immediatè à Deo, ſed à Samuelẽ intimatus fuerat Sauli: & tamen abiicitur Saul; quia videlicet abiiciendo ſermonem Samuelis, abiecit ſermonem Dei. Propterea etiam Dominus vocans Samuelem puerum tertiò aſſumpſit vocem Heli Domini eius ſenilem, ita vt Samuel crederet vocari ſe ab Heli, 1. *Reg.* 3. quia voluit nos docere, ipſum loqui nobis in ſuperioribus horumque vocem eſſe ipſius vocem.

C. II. Offenditur Magiſtratus.

SECVNDÒ offenditur Superior ſeu Magiſtratus, quod indicat cit. loco Apoſtolus, cùm ait: *Time;* (ſcilicet poteſtatem Iudicis) *non enim ſine causâ gladiũ portat. Dei enim miniſter eſt.* q. d. Deus accinxit illum gladio, dando ei poteſtatem vindicandi ſcelera; ergò illi timorem pariter & honorem ac obedientiam exhibe; alioquin tentas tu quodammodò diſcingere, quem accinxit gladio Deus. Nactus aliquando erat Dauid occaſionem occidendi in ſpeluncâ Saulem, Dominum ſuum regem, ſed hoſtem infenſiſſimum, & tamen non aliter ei nocuit, quàm vt clam accederet, & præſcinderet oram chlamydi eius. Nihilominus facti mox pœnituit, & percuſſit eum cor ſuum eò quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saul, quia videlicet, vt mox dicebat, Dominus ipſius & *Chriſtus Domini,* id eſt vnctus, erat 1. *Reg.* 24. Quãtò potiùs timeant ſubditi inſurgere in Magiſtratus & ſuperiores ſuos, chlamydemque honoris ac poteſtatis, quam contulit eis Deus, detrahere aut præſcindere per rebellionem, detractionem, murmurationem aut quouis alio modo? Sunt enim & ipſi Domini eorum, ac ſuo modo vncti vt regant ſubditos. Vnde vulgò ciues vocant Magiſtratum ſuum *Dominos ſuos.* Quod ſi eorũ Domini ſunt, quomodo eis repugnant? *Quid vocatis me, Domine, Domine: & non facitis quæ dico?* ait Dominus *Luc.* 6. Idem dicere ſubditis poſſent Magiſtratus. Refert P. Gregorius Schererius *Dom.* 3. *poſt Epiph.* Machometem II. Turcarum Imp. cùm anno 1596. aſcenderet cum exercitu in Vngariam, ab incolis oppidi Ketſchemit, rogantibus ſibi parci ab equitibus Turcicis ſubinde cateruatim tranſeuntibus, donatum 500. ouibus, 100. bobus, 11. curribus ſimilâ refertis, remuneratum eſſe eoſdem 300. ducatis & vnâ veſte aureâ, iuſſiſſeque vt hanc veſtem aduenientibus monſtrarent; tunc fore ſe ſecuros. Factum vt imperatum. Quoties aduenêre equites, iudex loci veſte illâ conſpi-

ctus ſeſe contuendum Turcis obtulit. Et continuò Turcæ illi ab equis delapſi, veſtem deoſculabantur maximâ cum veneratione, & recedebant ab illo loco, nec quidquam moleſtiæ ei inferebant. Quid aliud facit Deus cum rectore quem conſtituit, niſi quod ei ſimilem togam, eminentis poteſtatis induat & donet? Et quis audebit talem violare togam? quis contumeliis inſectari? quis detractionibus proſcindere? quis eam oppugnare? vt enim chlamys illa Turcicum Imperatorem repræſentabat: ita Magiſtratus & ſuperior repræſentat Deum. *Quis extendet manum ſuam in Chriſtum Domini & innocens erit?* ait Dauid ſeruo ſuo Abiſai cupienti interficere Saulem dormientẽ 1.*Reg*. 26.

D. III. Offenditur proximus.

TERTIÒ. Offenditur etiam proximus, qui malo vnius rebellantis exemplo abalienatur à ſuo Magiſtratu vel rectore, vt parui aut nihili ducat omnia ipſius monita ac præcepta. Huc pertinet illud Apoſtoli loco ſuprad. *ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram*(id eſt, metum ſupplicij ab iis inferendi (*ſed etiam propter conſcientiam* (partim veſtram ſcilicet; partim aliorum, quos exemplo veſtro ſcandalizatis.) Sic enim rebellis ille Draco, Lucifer, traxit caudâ ſuâ, id eſt, hortatu & exemplo tertiam partem ſtellarum in terram, maximam inquam partem angelorum in infernum, vt dicitur. *Apoc*. 12. & exponit *D.Tho*. 1.*p.q*.63.*art*.7. & alij. Sic Core, Dathan, Abiron & Hon, rebellionis contra Moyſen auctores traxerunt ſecum in eandem rebellionẽ alios 250. viros, quos abſumpſit ignis. Cum quatuor verò illis Ducibus vnà etiam vxores, liberi, famuli & ancillæ omneſque domeſtici abſorpti ſunt à terrâ, quia vel conſenſerunt eorum rebellioni, vel ſaltem ab eis recedere noluerunt, prout facere moniti erant, *Num*. 16. Clamabat enim Moyſes ad turbam: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum*. Peſtiferum igitur malum eſt inobedientia & rebellio, quia cùm vnus non ſufficiat reſiſtere poteſtati ſuperiori, ſocios ſibi adſciſcit: & facilè acquirit, quia iugi excuſſionem & libertatem ſuadet. Hinc etiam monuit Apoſtolus 2.*Theſſ*.3. *Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur*. Ergò vt infectus peſte vitatur, nec ſolùm ipſe, ſed & veſtes eius & quidquid habuit ac tetigit; & vt ouis morbida eiicitur è caulâ: ita vitandus etiam rebellis & qui antiſtiti ſuo detrahit, ne aliis malum ſuum afflet; vti monet etiam S. Baſilius *in qq. breu. q*.26. 27. 39. Quam ob cauſam rebelles illi vnà cum tabernaculis etiam omnique ſubſtantiâ ſuâ abſorpti ſunt à terrâ; ne contagies rebellionis vel per eorum ſupellectilem in alios deriuaretur.

E. IV. Offenditur ipſe rebellis.

QVARTÒ. Offenditur ipſemet rebellis & quidem grauiſſimè, quia vt cit. loco ait Apoſtolus, *qui reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Damnationem verò multiplicem.

1. Primò per turbationem & pauorem perpetuum in conſcientiâ, quæ ſemper eis præſagit, non fore impune peccatum. Quemadmodum enim qui ſuperiorum ſuorum nutibus ducuntur, placidè & quaſi dormientes ſub alieno vehuntur regimine: ita è contrà qui extra obedientiam & directionem ſui rectoris ſunt, iactantur in tempeſtate, nauarcho deſtituti, cuius onus in proprium dorſum tranſtulerunt. Serui fugitiui ſunt, nullo loco tuti aut quieti. Ob hanc cauſam Achab Rex poſt deuictum inſigni victoriâ Benadadum Syriæ regem rediens domum venit furibundus in Samariam, qui lætus & hilari vultu redire debuit: vt magis eum victum quàm victorem exiſtimares; quia nimirũ tunc redargutus erat à Propheta de inobedientiâ, quâ contra Dei mandatum dimiſerat Benadadum à ſe captum, & quia Prophetam redarguentem contempſit 3.*Reg*.20. Hic vermis illum roſit & penè ad inſaniam redegit.

2. Secundò, Damnationem temporalem. Talibus enim viciſſim rebellant creaturæ. *Ideò inferiora noſtra nobis non obediunt, quia nos Deo vel illi, qui loco eius eſt, non obedimus*, ait S. Gregorius. Sicut è contra *ſi voluntati eius obtemperes, ſi legem eius ſequaris; ipſe tibi elementa etiam contra naturã ſuam ſeruire compellet*, ait Origenes. Obedientem voci S. Benedicti Abbatis ſui Maurum geſtauit fluuius, donec extraheret Placidum: èconträ verò mare noluit ſuſtinere inobedientem Ionam, *fugientem à facie Domini, Ion*.1. Cœlum non ſuſtinuit rebelles angelos, ſed euomuit & eiecit eos velut fulmina. Terra non ſuſtinuit rebelles illos Corem, Dathan & Abiron, vt diximus, ſed dirupta ſubter eis, viuos abſorbuit.

Vnde horum ſectatoribus minatur Iudas Apoſtolus: *Væ illis, qui in contradictione Core abierunt*. Sanè in SS. litteris punitum ſemper legimus fuiſſe hoc peccatum etiam pœnâ temporali, vti in Abſalone; qui quòd patri rebellaſſet, ex arbore pendulus inter cœlum & terram, quaſi neutram tangere dignus, confixus tribus iaculis periit, 2.*Reg*.18. Deinde in Hebræis, vti *Num*. 11. vbi murmurantes contra Moyſen plagâ ignis conſumpti ſunt. *Num*. 14. vbi iam vicini terræ promiſſæ reducti ſunt in aſperrimam ſolitudinem, in eaque detenti per annos 38. in pœnitentiam murmuris ſui contra Moyſen & Deum: omnes item præter Ioſue & Caleb è Palæſtinæ ingreſſu excluſi. *Num*. 21. vbi ſerpentes igniti punierunt eos, qui *acuerant linguam ſuam ſicut ſerpentis* in Deum & Moyſen. Vbi obſeruat D. Thomas Deum atrociùs animaduertiſſe in obtrectatores ſuorum Præpoſitorum, quàm in ipſos vituli aurei adoratores. Iſtos enim ſatis habuit gladio vlciſci: illos ignis cælitùs, terra funditùs, viuos, videntes deuorauit, vt nimirum intelligeremus quàm grauiter Deus iniuriam, quæ vicariis eius infertur, accipiat. Quot huius rei exempla? nonne ſeditioſi illi ruſtici in bello Schmalcaldico ad centena millia periêre anno 1525. nónne in Auſtriâ non multis abhinc annis ruſtici rebelles partim ſuſpenſi, partim in contos acti, partim auribus & naribus truncati ſunt? nónne eiuſdem farinæ Bohemi nuper; & nuperrimè incolæ ſupra Anaſum victi, necati & ſpoliati ſunt? Neque iniuriâ; ſcimus enim *Deut*. 17. morti addici eum qui Sacerdotis

dotis imperio non obedierit. Similiter *Ioſ.* 1. dictum eſt: *Qui contradixerit ori tuo & non obedierit cunctis ſermonibus tuis, quos præceperis eis, moriatur.* Et nunc pœnam ſibiipſis conſtituerunt ibi Hebræi, vtpote æquiſſimam & iuri naturali conuenientiſſimam. Qui Moyſis violârant imperium, ij ferè non à Moyſe, ſed à Deo ſemper puniti fuêre. Hi verò aduerſus ſeipſos decernunt pœnam, etiamſi Deus non puniret: nec qualemcunque, ſed grauiſſimam, mortis ſupplicium.

Denique damnationem etiam æternam ſibi acquirunt. Hic fructus, hæc meſſis eſt tam operoſæ & amarulentæ rebellionis.

Ergò quia ſupremus noſter paſtor Chriſtus, paſtor eſt bonus, ſimus nos oues bonæ. Nemo in ſuo grege toleraret ouem malam, morbidam vel ſcabioſam; nemo in domo ſeruum malum: nemo in ore dentem malum ſeu afflictum. Et cur nos patiemur animas noſtras malas, rebelles & refractarias? Simus igitur oues, non arietantes capri, ne in die illâ ſegregati ab ouibus Chriſti colocemur inter hædos, quod auertat benigniſſimus DEVS.

CONCIO III.

Principum & Magiſtratuum præcipuæ virtutes.

Virtutes in principibus & Magiſtratu præcipuè requiſita ſunt,

1. *Religio & pietas.*
2. *Humilitas.*
3. *Prudentia.*
4. *Iuſtitia.*
5. *Fortitudo.*
6. *Manſuetudo & affabilitas.*

THEMA.

Ego ſum paſtor bonus. Ioann. 20.

A. Bonus Magiſtratus magnum bonum.

QVàm magnum eſt Dei beneficium, paſtor bonus, Rex bonus, Magiſtratus bonus; tam grande eſt ſupplicium, paſtor malus, Rex malus, Magiſtratus malus. Hinc Deus puniturus Iſraëliticum populum improbis paſtoribus ob illius peccata, præcipit Zachariæ c. 11. vt aſſumat perſonam paſtoris improbi & ſtulti: *(ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti)* & populo repræſentet ac prænuntiet damna, quæ accepturus erat à malis ſuis paſtoribus. Quod idem ferè Chriſtus facit in hodierno Euãgelio, cùm paſtorem malum mercenarij veſte induit. Sed & paſtorem bonum induit vaſis ſuis, quando ſe in exemplum paſtoribus proponit dicens: *Ego ſum paſtor bonus.* Dimiſſo igitur paſtore malo, contemplemur bonum, indutum *vaſis*, hoc eſt, veſtibus & inſtrumentis ſuis.

B. I. Religio & pietas. 1.

PRIMA. Religio & pietas. Hanc inprimis colere principes ac Rectores debent. Primò quia maiora beneficia à Deo acceperunt, quàm plebeij: imperium, gloriam, honorem, diuitias, delicias omniſque generis commoditates. Hinc Nathan ex ore Dei exprobat Dauidi lapſo in adulterium, dignitatem regiam ei collatam aliaque beneficia collata: *Ego vnxi te in regem ſuper Iſraël*, inquit, *& ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui,* &c. 2. *Reg.* 12. q. d. debebas ergò præ cæteris omnibus colere & timere Deum.

Secundò quia in periculoſiori ſtatu ſunt, in quo facilè labentur in omnis generis vitia, niſi Deum impensè timeant & colant, quo mereantur ab eo protegi & dirigi. Hinc *Deut.* 17. iubetur Rex deſcribere ſibi Deuteronomium & legere illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum. Et 4. *Reg.* 11. eius traditione inaugurantur. Hinc Dauid, Conſtantinus Magnus, Carolus Magnus, Theodoſius, Iuſtinus Impp. & quicunque Dei eximij cultores fuerunt, in omnibus proſperati ſunt. Vnde Conſtantinus Imp. dicebat: *Romani Imperij dignitas & amplitudo fontem atque radicem habet veram pietatem.* Contrà qui Dei cultum abiecerunt, citò contriti ſunt, vti Iechonias, qui tribus tantùm menſibus regnauit & idcircò *vas fictile* vocatur, *Ier.* 22. vt ibi Corn. à Lap. 2.

Tertiò. Quia hic eſt optimus & ſecuriſſimus modus continendi in obedientiâ ſubditos. Habebit deuotos ſibi ſubditos, qui deuotus fuerit Deo. Multi multa excogitarunt vt morigeros haberent ſubditos. Alij largitionibus eos ſibi deuinciebant, vt hodie Turcarum Imperatores Ianizaros ſuos. Alij affabilitate vt Alexander Magnus. Alij indulgentiâ & impunitate. Alij crudelitate & tyrannide, vt is qui dicebat: *oderint, dum metuant*, apud Ciceronem Phil. 1. Alij gratificando votis etiam iniquis ciuium, vti Herodes, qui in gratiam Iudæorum occidit Iacobum. Sed optima & præſentiſſima ratio eſt, timor ac cultus Dei. Tales fouet Deus & reddit charos ſubditis, qui facilè obediunt, ſi intelligant ſe ſeruire pio Principi, metuuntque offendere illum, qui Deo cordi eſt. Vt enim corpora inferiora motui cœleſtium ſphærarum propter naturæ nobilitatem parent: ita libenter inferiores ſe principi ſubiiciunt, quem pietatis & virtutum radiis micantem vident. Itaque paſtor hominum ſæpiſſimè, ſi nõ quotidie, Miſſam audiat; in feſtis celebrioribus expurget animum ſuum per S. exomologeſin & muniat S. Synaxi, &c. publicis precibus aliiſque deuotionis actibus interſit, præſertim quando religio contra hæreticos defendenda eſt; vti Franciſcus I. Galliæ Rex, qui contra ſacramentarios ſui temporis, publicæ lõgiſſimæq; circumgeſtationi S. Euchariſtię pedeſtris & nudo ſemper capite, quamuis æſtuantiſſimo die, adfuit. Et Carolus V. qui idem fecit in Comitiis Auguſtanis ad confuſionem Lutheranorum. Præ omnibus celebratur aula Theodoſij iunioris Imp. qui inſtituit eam velut ſcholam, in quâ ſe ſuoſque ad pietatem non ſecus ac in monaſterio exercuit, *habens ordine diſtributa tempora lectionum, Pſalmorum, ieiuniorum & vigiliarum,* ait Socrates l. 7. c. 12. & Theodoretus l. 5. c. 36. 3.

C. II. Humilitas.

SECVNDA. Humilitas, quam tribus argumentis commendabat Agathon Magiſtratui, cùm dixit debere eum meminiſſe trium. Primò quòd imperet hominibus. Secundò quòd ſecundùm leges. Tertiò quòd non ſemper imperet. Stob. ſerm. 41. Quorum trium, niſi fallor monetur quiuis Rex, *Deut.* 17. his Dei verbis

Nec

Nec eleuetur cor eius in ſuperbiã ſuper fratres ſuos: (en primum) *neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram* (en ſecundum) *vt longo tempore regnet* (en tertium.) Agnoſcat ergo,

1. Primò ſe eorum, quibus imperat, ſimilem ac fratrem eſſe; in quo ſtultiſſimè errauit Caligula, qui pro Deo haberi voluit hac argumentatione: *Ouium paſtor non eſt ouis, boum paſtor non eſt bos, nec caprarum capra: ergò hominum paſtor non eſt homo: quid ergò? Deus:* Ita veſanus ille homines faciebat pecora vt ſe ac feret Deum. Philo, in lib. de legatione ad Caiũ. Rectiùs pij ac ſapientes Principes ſolent ſaltem interdum ad humilitatis opera ſe demittere, vt ſe homines agnoſcant, ſubditis ſuis ſimiles, eoſque exemplo ſuo ædificent, vti fecit Ioſue, cùm ad honorem Dei erexit in Iordane 12. lapides *Ioſ.* 4. Et Conſtantinus Magnus Imp. cùm octauo die poſt baptiſmũ ſuſceptum depoſito diademate, ſumpto ligone ac bidente terram eruit, indeque 12. terræ cophinis ad honorem 12. Apoſtolorũ ablatis ac loco Baſilicæ Principis Apoſtolorum deſignato Eccleſiam ædificauit, vti legit Eccleſia 18. Nouemb. Et Leo Papa, cùm in muniendâ vrbe Oſtienſi ipſemet laborauit & ſuis manibus opus fecit, vt docet tom. 9. Baronius.

2. Secundò. Agnoſcat ſe à legibus nequaquam eſſe exemptum, ſed iuxta earum præſcriptum imperare ac viuere debere, quia eſt velut horologium ciuitatis, quod regulatiſſimè debet ambulare, quia ab omnibus aſpicitur & ad eius normam omnia componuntur. Sic enim dicitur Dauid à Betſabee, 3. *Reg.* 1. *In te oculi reſpiciunt totius Iſrael.* Stupendũ eſt quod de Charodda Turiorum & Diocle Syracuſanorum Legiſlatoribus ſcribit Diodorus Siculus l. 12. qui cùm legem tuliſſent ne quis cum armis in forum & concionem prodiret, ipſi deinde ex obliuione armati proceſſiſſent, ob hoc ab aliis redarguti quaſi propriam violaſſent legem: *Minimè hercle,* aiebant: *Quin eas potius ſanciam.* Itaque exertum gladium in iugulum ſuum adegerunt ſibique vitam velut legis præuaricatoribus ademerunt.

3. Tertiò. Norit ſe non ſemper imperaturum, imò nec diu, ſi malè imperet, vt expertus eſt Ieroboam, Baaſa, Iehu, Nero, Iulianus, Valens, Attila aliique præſertim hæretici. Sciat etiam ſibi de ouibus ſuis reddendam coram Deo rationem; quemadmodum Iacob de ouibus ſuis dixit: *Ego damnum omne reddebam, Gen.* 31.

D. III. Prudentia.

Tertia. Prudentia, quæ inprimis dictat conſilio vti prudentum, nec proprio capiti fidere in rebus grauioribus, iuxta id *Prouerb.* 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et infrà: *ne ſis ſapiens apud temetipſum.*

1. Plus enim vident oculi quàm oculus; & ſicut ad res obſcuras ac ſubtiles cernendas adhibemus perſpicilia; ita ad decernendas quæſtiones præſertim grauiores opera Conſiliariorum adhibenda; quod accuratè faciebat Alexander Seuerus Imp. qui nullam ſanciebat legem niſi adhibitis Iureconſultiſſimis; dicebat enim hoc pacto maieſtatem imperij fore diuturniorem ac ſecuriorem. Lamprid. in eius vitâ.

Secundò. Munera prudenter & idoneis diſtribuere, ne alioqui dicatur, quod ait Sapiens *Eccleſiaſt.* 10. *Eſt malum, quod vidi ſub ſole, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi.* Obſeruant hoc accuratè Turcarum Imperatores & Sinenſium, vt in muneribus diſtribuendis ad ſolam indolem & merita reſpiciant, grauiſſimo priùs adhibito examine; non ad ſtirpes aut preces; quo fit vt ad virtutem & præclara generoſæ mentes mirè incendantur. Inuitis & reluctantibus danda eſſe publica officia, non ambientibus, volebat Alexander Seuerus Imp. apud Ælium Spart. Multò minus venalia facienda. Dignitatibus homines, non hominibus dignitates quærendas ait Æneas Syluius. 2.

Tertiò. Leges prudenter ferre & ſeruandas inculcare. Sunt enim inſtar mœnium, continentes populum intra fines rationis. Et ſicut grauem reatum incurreret, qui mœnia tranſiliret aut perfoderet: ita multò magis puniendus, qui legibus contrait. Contemnitur etiam Magiſtratus cùm eius ſanctiones triduo tantùm obſeruantur: Item ſi ſint velut aranearum telæ, quæ non retinent niſi muſcas paruulas, perrumpuntur à grandioribus. 3.

E. IV. Iuſtitia.

Quarta. Iuſtitia, quæ ab iis requirit: Primò vt non quæuis ſibi licere exiſtiment, ſed iuſta ſolùm & honeſta. Antigonus Rex dicente quodam, omnia regibus honeſta iuſtaque eſſe: *Sunt per Iouem,* inquit, *Barbarorum duntaxat regibus: at nobis ea tantùm honeſta ſunt, quæ honeſta ſunt: & ea tantùm iuſta, quæ iuſta ſunt.* Plut. in Apophth. Hoc ipſum potiori iure perſuaſum ſibi habeant Rectores Chriſtiani; non eſſe ſe videlicet regulas iuſtitię ſed miniſtros, adeoque nec poſſe omnia, quæ libent, ſed quæ licent. 1.

Secundò. Vt ius dicant vnicuique; ad hoc enim conſtituti ſunt potiſſimùm. Audient alioquin iure meritò, quod audiuit Philippus Macedo, qui tergiuerſans & differens cauſam audire cuiuſdam anus, quòd otium ſibi ad id negaret eſſe, reſponſum ab iratâ tulit: *Proinde ne Rex quidem eſſe velis.* Plut. in Apopht. Reg. & Imp. 2.

Tertiò. Vt ſcelera plectant; alioquin ea faciunt ſua, quemadmodum ſapienter dixit quidam Morio Ludouico vndecimo Francorum Regi, qui, cùm ad eum veniſſet homicida quidam veniam petens, Rex facti enormitatem conſiderans, quodque iam tertiò impunè cædem commiſiſſet: *Ecquid,* ait, *tu rurſus veniam poſtulas? iam tertium homicidium perpetraſti.* Id audiens Regis Morio: *Quid,* inquit, *Domine, tertium? imò primum duntaxat eſt; quod hic perpetrauit; ſecundum & tertium tuum eſt; quia ſi primum non condonaſſes, reliqua non perpetraſſet.* Cornel. à Lap. in *Ier. c.* 48. Talibus dicitur *Ier.* 48. *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Quare Ferdinandus Cæſar crebro ſermone illud vſurpabat: *Fiat iuſtitia aut pereat mundus.* Laur. Poteſt. in ſymb. Impp. 3.

F. V. Fortitudo.

Quinta. Fortitudo. Sic enim dicitur Moyſi *Exod.* 18. à Iethro: *prouide de omni plebe viros potentes.* (Hebr. *viros virtutis.*) Primò vt non patiantur ſe diuelli vllâ ratione ab æquo ac recto. 1.

Digitized by Google

recto. Tales optabat habere Fridericus Imp. tertius, *qui non magis me*, aiebat, *quàm Deum timeant*. Talis initio fuit Balaam qui vocatus à Rege Balaac & muneribus prouocatus vt malediceret populo Iſraël Deum potiùs audiuit, id prohibentem, quàm Balaac imperantem. Aiebat enim: *Si dederit mihi Balaac plenam domum auri & argenti, non potero immutare Verbum Domini mei. Num.* 22. Ac licet à Rege variè tentaretur & ad tria diuerſa loca duceretur, adduci tamen non potuit vt malediceret. Narrat Herodotus l. 5. Val. Maximus l. 6. c. 3. Præſidem Siſamnem, qui pecuniâ corruptus, iniuſtam ſententiam tulerat, interfectum à Cambyſe, & toti corpori cutem detractam, quam inſtrauit Tribunali: poſteà filium Siſamnis Otanem in eâ ſede collocauit, ac iuſſit eum intuentem patris exuuias iuſtè iudicare, ne ſimili ſupplicio afficeretur. Notent hæc, qui Iuris nodos, legum ænigmata ſoluunt. Nam: (Iuuenal. ſat. 8.)

Gens ſine iuſtitiâ, ſine remige nauis in vndâ eſt.

2. Secundò. Vt ſubditos tueantur ac defendant. Peculiari cæremoniâ promittebant hoc Vngariæ Reges inaugurandi; aſcendebant enim ad Albam regalem in altiſſimam turrim & quàm maximè poterant, protenſo extra turrim brachio, ad 4. mundi partes nudatum enſem porrigebant, quaſi vndique regnum tutaturi. Refert Petrus Bizarus hiſtor. Genuenſis l. 23.

3. Tertiò. Vt ſint ambidextri ad inſtar illius Aod Iudicis, *Iudic.* 3. qui neque aduerſis rebus frangantur, neque ſecundis extollantur: & tales regno dignos dicebat Sigiſmundus Imp. Non deiiciantur ob ſubditorum querelas, murmurationes, repugnantiam: non extollantur eorum laude vel aſſentatione.

G. VI. Manſuetudo & affabilitas.

SEXTA. Manſuetudo & affabilitas, quâ faciles vnicuique aditus & aures præbeant, à quâ laude celebris fuit imprimis Tribunus ille Romanus agens Ieroſolymis qui nepotē Pauli vincti ad ſe miſſum? manu apprehēdit magnaq; comitate ſeorſim audiit atque ex eius indicio Paulum ſtipatum militibus, vt ab inſidiis Iudæorum liberaret, Cæſaream ad Præſidem miſit, *Act.* 23. Deinde Cæſar Auguſtus, qui in audientiâ perſtabat vſque ad noctem etiam ſub porticibus: lecticâ etiam vtens pro tribunali, ſi parum corpore valeret: vel etiam domi cubans. Idem alicui libellum ſupplicem timidè ſibi porrigenti per iocum dicebat: *Num Elephanti ſtipem porrigis?* Refert Sueton. in eius vita c. 33. & 72. Poſt hunc Veſpaſianus, qui dicebat: *Non oportet quemquam à Cæſare triſtem diſcedere.* Sueton. in eius vitâ. Filius eius Titus tam erga omnes comis & beneficus fuit, vt non permitteret quemquā à ſe minùs voti compotem factum, triſtem abire. Sueton. apud Baron. anno 81. Inter Chriſtianos illuſtris eſt inprimis Gratianus Imp. de quo Auſonius: *Laudabile eſt Imperatorem interpellantibus faciles præbere aditus nec de occupatione cauſari. Tu confirmas adhuc cunctantes, & querimoniis explicatis, nequid adhuc ſileatur, interrogas.* Deinde S. Ioannes eleēmoſynarius Epiſcopus Alexandrinus, qui duobus in hebdomade diebus conſidebat in porticibus templi, omnium querelas audiens. Dicebat enim: *ſi nobis qui homines ſumus, licet ad Deum accedere abſque vllo interceſſore, quomodo non etiam id liceat conſeruis noſtris ad nos?* Baron. anno 610. Et S. Ambroſius, qui, vt ſcribit S. Auguſtinus *l. 6. Confeſſ. c.* 3. id expertus, neminem vetuit ad ſe ingredi, nec venientes nuntiari ſibi iuſſit. E contrà iure meritò carptus fuit Lygdamis Tyrannus à Legatis Lacedæmoniis, qui cùm ab eo infirmitatem obtendente, differrentur à colloquio, reſponderunt: *Per Iouem, non venimus huc cum illo luctaturi, ſed collocuturi.* Plut. in Lacon. Tarquinius vltimus inter 7. primos Rom. Reges ingratiſſimus aduerſus ſocerum fuit; proditor patriæ, & Lucretiæ violator; & tamen non ingratus, non proditor, non adulter, ſed Tarquinius ſuperbus fuit cognominatus ob ſolam morum aſperitatem. Iulius Cæſar vltimus Dictator, & primus Imperator, cùm laudabilis eſſet conſuetudo, vt Imperatorem Senatores genibus nixi ſalutarent, & Imperator ipſis habitâ dignitatis cuiuſque ratione aſſurgeret, quoniam per arrogantiam ritum illum ſeruare noluit, 23. vulneribus confoſſus vitam perdidit. Sicut Medici paululo rhabarbaro multos expurgant humores corporis; ſic minima principis beneuolentia plurimas tollit ex cordibus ſubditorum vomicas. Princeps catenas auferens à pedibus vinctorum, cordibus eas iniicit ſubditorum. Tymp. in ſpec. Magiſtr. ſig. 7.

Atque hæc ſunt, Auditores: vaſa & inſtrumenta paſtoris Chriſtiani. Paſtorem decet roſarium, quo ruri degēs ſuas fundere preces queat; & hæc eſt pietas ac religio in Magiſtratu Chriſtiano. Paſtor opus habet ocreis, quibus paludoſas ac lutoſas vias peruadere non dubitet; & hæ ſunt in Magiſtratu humilitas & legum quas aliis præſcribit obſeruantia, vt non dubitet eò & ipſe ambulare, quò alios impellit. Paſtor indiget perâ; & hæc eſt Rectoris prudentia, è quâ depromat bona & ſana conſilia, leges ſalutares, æquas munerum diſtributiones, &c. Paſtori congruit baculus; & hic, quid niſi iuſtitia eſt, Magiſtratui tam neceſſaria, quàm paſtori baculus, ſcriptori calamus? Paſtor eget cane grandi & robuſto ad cuſtodiendum gregem & à lupis defendendum; & hic in Magiſtratu eſt fortitudo & vigilantia. Denique Paſtores habent ferè tibias, quibus inflatis demulcent greges; & quid iſtæ niſi comitas & manſuetudo Magiſtratûs? Hæc ſunt vaſa non paſtoris ſtulti, ſed ſani & ſapientis: quæ quiſquis habuerit, næ is coram Deo aliquando dicere poterit: *Ego ſum paſtor bonus; & cùm apparuerit princeps paſtorum, percipiet immarceſſibilem gloriæ coronam* 1. Pet. 5.

CON-

CONCIO IV.

De obſeruantia quâ colendi ſunt Sacerdotes, Magiſtratus, ſenes.

Docetur quâ obſeruantia colendi ſunt Sacerdotes, Magiſtratus, ſenes.

1. *Colendi, honorandi Sacerdotes.*
2. *Magiſtratus ciuiles.*
3. *Senes, alendo, ab oneribus eximendo; conſulendo & in Magiſtratum aſſumendo.*

THEMA.

Cognoſco oues meas & cognoſcunt me meæ. Ioan. 10.

A. Magiſtratus reip. neceſſarius.

NOn abſque arcano conſilio dedit Deus populo Hebræorum primum Regem talem qui ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum, vt habetur 1. *Reg.* 9. Is verò erat Saul. Volebat enim regem ita eſſe conſpicuum vt ab omnibus agnoſceretur & obſeruaretur. Idipſum omninò cernere eſt in politiâ apum, humanarum politiarum ſpeculo. Habent enim regem egregiâ formâ & duplo cæteris grandiorem; huic inceſſus celſior & in fronte macula, quaſi diademate quodam candicans. Eo extincto perturbantur omnia, vt ſcribit Ælianus *l.5.c.11.* & funditus peruertuntur; fuci in apum cellis pariunt atque ita miſcentur vt examen omninò deterius habeat; denique regis defectione atque inopiâ pereunt. Tanti nimirum refert Magiſtratum habere, eumq́ue agnoſcere, colere & obſeruare; id quod etiam inſinuauit Dominus in hodierno Euangelio cùm dixit: *Cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ.* Habere autem Regem vel Magiſtratum & non obſeruare, non habere eſt. Hinc omnia perturbantur, iura perrumpuntur, corruit diſciplina & ipſa tandem reſpublica.

Porrò tria potiſſimùm genera hominum ſunt, quibus reſpublicæ gubernantur, Sacerdotes, Magiſtratus ciuiles, & Senes: (taceo parentes, Dominos, præceptores, de quibus alibi) nunc de illorum obſeruantiâ dicendum.

B. 1. Sacerdotes honorandi.

PRIMÒ, Honorandi ſunt Eccleſiæ Prælati & Sacerdotes cæteriq́ue clerici, propter Deum, cui placuit eos cultui ſuo præficere & Cooperatores habere in animarum ſanctificatione, regimine & prouectione ad vitam æternam. Ipſi ſunt Laicorum Patres, dum gignunt eos per baptiſmum: nutricij, dum alunt Sacramentis: Medici, dum curant eorum vulnera: Magiſtri, dum inſtruunt: Defenſores, dum tuentur precibus & ſacrificijs: Denique nobiles & Aulici Dei, ſignati charactere ordinis; ideoq́ue in proceſſionibus immediatè præcedũt Euchariſtiam, ſicut Aulici Principem, plebe ſubſequente.

1. Primò itaque iis aſſurge reuerenter, caput aperi, munus præſertim ſuum obeuntibus. Si ſimul cum iis incedendum ſit, ſequere, non præcede. Ne ſedeas facilè iis ſtantibus, niſi te excuſet dignitas aut corporis imbecillitas. Ad hæc nomine honorifico compellare eos memento. Certè in Concilio Matiſconenſi, quod ſecundum eſt dictum & generale; Can. 15. ſtatutum fuit, vt clerico pedeſtri, eques obuians ſæcularis, ad terram deſiliret; apud Baron. anno 588. Quòd ſi eiuſmodi honores laicis paulò inſignioribus vel principum aulicis exhibemus; cur non magis Dei miniſtris?

2. Monentes audiendi.

Secundò, Monentes & arguentes audi, iuxta id Domini *Luc.* 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, q. d. qui vos non audit, ſpernit vos; quod teſte D. Baſilio *in Conſtit. Monaſt.* cap. 23. Cypr. *ep. 69. ad Florent.* omnibus Apoſtolorum poſteris; populi rectoribus dictum intelligendum eſt. Ita Dominus de ouibus ſuis dicit in hodierno Euangelio. *Vocem meam audient.* Quamdiu ergò quis ouis eſt ſui paſtoris, tamdiu vocem eius audire debet, licet is ſit malus. Vnde Baſilius Imp. in plenâ Synodo ad Laicos perorans dixit: *Quantũcumque religionis & ſapientiæ Laicus exiſtat, ouis vocari non deſinet: rurſum quantumcumque Epiſcopus ſit irreuerentiâ plenus & nudus omni virtute, donec antiſtes eſt, & veritatis verbum rectè prædicauerit, paſtoris nominationis & dignitatis damna non patitur*, &c. apud Baron. anno 869. Quòd ſi edicta laici Magiſtratûs contraria ſint Eccleſiaſticis: iſtis potiùs obtemperandum (niſi graue inde damnum tibi proueniat) quia ſicut motus cœli ſuperioris præualet motui inferioris, & ſicut mentes corporibus, æterna temporalibus: ita lex ſuperioris Magiſtratûs præponderat legi inferioris.

3. Non detrahendum illis.

Tertiò, Caue illis detrahere. Propterea *Leuit.* 4. præcepit Deus vitulum pro peccato Sacerdotis immolatum efferri extra caſtra & cremari in loco mundo, vt moneret non licere peccata Sacerdotum in publicum iactare neque in locum immundum, id eſt, in detractorum conuenticula, linguas & aures: ſed tacenda eſſe, eorumq́ue reliquias ſeu defectus igne charitatis abſumendas ac perpetuo ſilentio contegendas, ne quid remaneat, quod in exemplum trahi poſſit. Sic Conſtantinus Magnus cùm aliquot altercationum libellos accepiſſet à Sacerdotibus in Conc. Nicæno, nequaquam eos legit, ſed combuſſit: *Nam Sacerdotum*, ait, *vitia non ſunt populo aperienda, ne is inde causâ offendiculi acceptâ licenter peccare aggrediatur.* Idem etiam dicebat, ſi Sacerdotem flagitioſè aliquid patrantem cerneret, ſe purpurâ ſuâ eum contecturum. Theodoret. *l.1.c.11.* Dalmaticum Ruthenæ ciuitatis Epiſcopum cùm quidam preſbyter in conuiuio probroſè fatuum & delirum appellaſſet, repentè mortuus concidit. Refert Gregorius Tur. l.5. hiſt. Fr. c. 46.

4. Manus eis non iniiciendæ.

Quartò, Multò magis abſtine à manuum iniectione iuxta id *Pſalm.* 104. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Si enim capitale eſt violentas manus iniicere in miniſtros laici Magiſtratûs, quantò magis in miniſtros Eccleſiæ Dei? *Quis extendat manum ſuam in Chriſtum Domini*, ait Dauid 1. *Reg.* 26. *& innocens erit?* Vnde meritò talem Anathemate ferit Eccleſia c. 17. q. 4. can. *Si quis ſuadente.* Extenderat manum Ieroboam Rex contra Prophetam Domini, iubens eum apprehendi: ſed ſtatim exaruit manus eius, 3. Reg. 13.

*Reg.*13. Ozias minabatur tantùm Azariæ & aliis Sacerdotibus ſe increpantibus: & mox factus eſt leproſus, 2.*Par.*26. Audiamus exempla alia probata ex Card. Baronio Anno 380. dum S. Ambroſius Epiſcopus Mediolani ſederet in ſuâ Cathedrâ, vna de virginibus Arianorum tribunal conſcendens apprehenſo veſtimento Sacerdotis, cùm illum attrahere vellet ad partẽ mulierum vt ab ipſis cæſus, de Eccleſiâ pelleretur, audiuit (vt ipſe ſolitus erat referre) *Et ſi ego indignus tantò Sacerdotio ſum, tamen te non conuenit, vel profeſſionem tuam, in qualemcunq́; Sacerdotẽ manus injicere, vnde debes vereri Dei iudiciũ, ne tibi aliquid eueniat.* Quod dictum exitus comprobauit; nam alio die mortuam ad ſepulchrum vſque deduxit, gratiam pro contumeliâ rependens. Hoc factum non leuem aduerſariis incuſſit metum, pacemque magnam Eccleſiæ Catholicæ tribuit. Eundem Ambroſium improbus Macedonius, fautor hæreticorum excluſit aliquando à prætorij ingreſſu; ideò & ipſe pòſt confugiens ad Eccleſiam, aditum reperire non potuit, licet apertis ianuis. Rurſum Euthymius quidam, domo in proximo conductâ & parato curru attẽdit per annum integrum vt Ambroſium abreptum (inſtigante Iuſtinâ Imperatrice Arianâ) abduceret in exilium. Sed diuino factum iudicio, vt anno euoluto ipſe eodem curru deportaretur in exilium, Ambroſio cum viatico proſequente. Refert Paulinus in eius vitâ apud Baron. anno 380. & 381. & 387.

5. *Non violanda eorum immunitas.* Quintò. Neque immunitatem eorum quouis modo violato. Nullũ enim ius eſt laico in Clericum: ſed Magiſtratui tantùm Eccleſiaſtico, quemadmodum id Timotheo Epiſcopo tribuit Apoſtolus 1. *Tim.*5. Hanc immunitatem Clericorum Ludouico Craſſo Galliæ regi paſſim infringenti, ſeuerè prænunciauit S. Bernardus: *Scito rex fore vt in vindictam huius delicti tui moriatur non ita multo poſt Philippus tuus quem tibi in ſucceſſorem delegiſti.* Prædictioni reſpondit euentus; paulò enim pòſt equitante Philippo Lutetiæ per vicum S. Antonij, in equi pedes incurrit porcus, vnde equus territus in pauimentum excuſſit ſeſſorem ſuum & reſupinus in eum corruit, adeoque terræ eum alliſit, vt nocte proxima mortuus ſit. Belleſor in Philippo.

C. II. Magiſtratus ciuiles. Secundò. Honorandi ſunt Adminiſtratores reip. ciuilis. Quia & ipſi patres ſunt ſubditorũ. ideò apud Romanos *Patres cõſcripti* dicti (quòd eorum nomina aureis literis conſcriberentur) & Deum repræſentant, cuius ſunt miniſtri, quamuis fortè inter ipſos aliqui malè audiant, iuxta id 1.*Pet.*2. *Regem honorificate: ſerui ſubditi eſtote in omni tempore Dominis non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis, hoc eſt prauis aſperis, moroſis.* Eundem honorem exhibemus cruci, ſiue ex auro, ſiue ex ære, ſiue ex ligno ſit fabrefacta: non enim ad materiam, ſed ad figuram attendimus. Ita honorandus eſt, qui legitimè præeſt, licet non aureos habeat mores, ſed ligneos, gehenna dignos. Amaſis Rex Ægypti, vt refert Herodotus *l.*2. Cùm ſe ab Ægyptiis, quòd obſcuro loco natus eſſet, non magni fieri aduerteret: peluim auream, in qua ipſe & Coniuæ pedes abluere ſolebant, conflari in ſimulachrum alicuius Dei fecit & populo adorandum propoſuit, quod is non difficilè fecit: Tum conuocato populo dixit ex abiecta illâ pelui fabricatum eſſe Idolum ſeque ei ſimilem eſſe qui ex obſcuris natalibus in regiam ſit euectus: proinde ſi iam non dubitant adorare Deum illum, qui ex vili pelui prodiit; nihil etiam cauſæ eſſe, cur ſibi honorem debitum negent ad regiam euecto. *Hunc in modum*, ait Herodotus, *ad ſe traduxit Ægyptios, ita vt æquum cenſerent ei ſeruire.* Quis Rege Saul in Dauidem iniquior? nihil tamen ideo remiſit Dauid de conſueta ſua in illum obſeruantia. Quare etſi gubernator peluis quædam ſordibus plena ſit, quia tamen auctoritatem gerit, hac ex parte nihilo minus honorandus eſt.

Primò itaque honora Magiſtratũ tuum cultu externo, aſſurgendo, aperiendo caput, honorificè alloquendo. Hæc enim eſt eius merces, vt ſcribit Ariſtoteles l.5. Eth. pro cura & ſollicitudine ſua cæteriſque officiis in remp. cui attendunt, priuatis rebus ſuis poſthabitis. Hoc attendentes Romani iuuenes, ipſo ſenatus die ſenatores ad curiam honorificè deducebant affixiq; valuis expectabant donec reducendi officio etiam fungerentur, teſte Val. Max. *l.*2.*c.*1. P. Æmilius tametſi patre carbonario natus, vbi ad conſulatum euectus eſt aduertitque ſibi publicè incedendi non aſſurrexiſſe Decium prætorem, veſtem & ſellam eius mox in fruſta concidit & iuriſdictionem ei abſtulit. Pliu. *l.*2. *de viris illuſtribus.* Tanti nimirum erat Magiſtratus apud Romanos. Quare qui in publica dignitate conſtituti ſunt, ferre non debent contemptus ſuos, ſed punire, & auctoritatem ſuam tueri, quia non perſonam ſuam, ſed Remp. ipſam longè auguſtiorem repræſentant. 1. *Honorandi.*

Secundò. Iuſſa & pronuntiata eius magni æſtima & tanquam oracula obſerua. Leges enim & mandata eius inſtar mœniorum ſunt continentes populum intra fines rationis. Quis autem neſcit in quantum reatum incurrat, qui mœnia perfodit, tranſilit aut ſubuertit? Remum occidit Romulus frater, quod mœnia vrbis à ſe erecta tranſilierit per contemptum. Ita in maximum Magiſtratus contemptum vergit, ſi imperata eius nihili fiant. Vocantur eiuſmodi ſubditi *filij Belial*, id eſt, exleges in SS. literis, proinde filij Diaboli. 2. *Audiendi.*

Tertiò. Eo præſente nihil contra decorum dic aut fac; hoc enim ipſo contemnere illum præſumeris & iure pœnas lues. Reus quidam (apud Aul. Gellium *l.* 4.) coram cenſoribus inurbanè oſcitare viſus, ab iiſdem graui pœnæ addictus eſt, quæ tamen, vbi is excepit natiuum ſibi hoc eſſe, remiſſa eſt. Alius quidam ab iiſdem interrogatus cur obeſo cum eſſet corpore, equum haberet ſtrigoſum & macilentum: lepidè reſpondit, ſed ſibi perniciosè: *Nil id eſſe mirum cum ſe ipſe aleret, equum verò ſerui.* Huic enim mox pœna conſtituta, quod cum tantis viris, quaſi cum ſociis iocari viſus eſſet. Sed neque in gratiam eius aliquod ei ius deferre in res ſacras aut alienas debes. Audiendus potius 3. *Nihil indecori coram eis faciendũ.*

S. Ambroſius, qui Valentiniano Imp. ſe opponens in ep. ad Marcellinam ſcribens ait: *Allegatur Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa. Reſpondeo, noli te grauare imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere. Eſto Dei ſubditus. Scriptum eſt: quæ Dei, Deo: quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent. ad Sacerdotem Eccleſia. Publicorum tibi mœnium ius conceſſum eſt non ſacrorum.* Ad hæc quid Imperator? cohibuit ſe ad vocem præſulis, nec miſit falcem ſuam in alienam meſſem.

4. *Non ei detrahendum.* Quartò. Vide ne ei detrahas. Sic enim præcipitur Exod. 22. *Diis non detrahes.* Hebr. *Elohim*, id eſt, Iudicibus, quod idem etiam nomen Dei eſt. Vult ergò dicere Deus: Quos ego nomine meo cohoneſto & Deos voco, vide ne tu vilipendas aut infames. Detractores huiuſmodi imitatores ſunt maledicti illius Cham; qui patris ſui nuditatem fratribus nuntiauit, *Gen.* 9. Et quemadmodum Noë id facilè indagauit (ex pallio vtique à 2. filiis ſibi iniecto) & propterea filium maledixit: ita tales facilè manifeſtantur iis, quibus detrahunt. Vnde *Eccl.* 10. dicitur: *In cogitatione tuâ regi ne detrahas & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam*, &c. q. d. fama perferet tua maledicta ad aures eius. Multos legimus à Seuero Imp. dicto pertinace, damnatos qui in eum iocati dixerant: *Verè ſui nominis Imperator, verè Seuerus, verè pertinax.* Citò hæc conuitia ad aures eius venerunt. Baron. anno 200.

D. III. Senes. Tertiò. Honorandi ſunt ſenes, quamdiu videlicet nullo graui ſcelere canos ſuos maculant; Præcipit id Deus *Leuit.* 19. *Coram cano capite conſurge & honora perſonam Senis & time Dominum Deum tuum.* q. d. Propter timorem Domini ſenes honora, ad quorum honorem vel contemptum Deus attendit, & illum quidem præmiat, hunc caſtigat. Hinc Italis vox ſignor, & Hiſpanis ſeñor, à voce ſenior, deducta, Dominum ſignificat.

1. *Honorandi.* Itaque primò honorentur externo cultu aſſurgendo, ſequendo, cedendo, &c. Obſeruârunt id naturæ ſolius inſtinctu, omnes penè nationes Spartani, teſte Plutarcho, in theatro venientibus ſenibus aſſurgebant & locum dabant. Idem in conuiuiis faciebant Romani, apud Val. M. *l.* 2. *c.* 1. ante illos enim nemo conſidebat aut ſurgebat aut abibat. Vnde Ariſtoteles *l.* 9. *Eth. c.* 2. *Omni ſeniori honor pro ætate reddendus eſt, aſſurgendo & ceſſione cedendo*, &c. Et Iuuenal. *Sat.* 13. *credebant hoc grande nefas & morte piandũ: Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat.* Præceptorum eſt, ſedere: diſcipulorum ſtare, vti voluit Theodoſius. Senes ſunt præceptores, iuuenes diſcipuli. Idem videre eſt in brutis: Vaccæ iuniores cedunt ſenioribus. Et hodie adhuc naues leuiores cùm occurrunt grãdioribus & dignioribus, honoris gratiâ vela demittunt.

2. *Cõſulendi & in Magiſtratum legendi.* Secundò. Conſulantur & in ſenatum aſſumantur, quia longo rerum uſu, prudentiâ, maturitate conſiliorum & morum grauitate communiter præcellũt iuniores. Vnde meritò ægrè ferunt, ſi neglectis ipſis iuuenes conſulantur & euehantur ad gubernandum: Neque diu ſtare eiuſmodi regimen poteſt. Hinc Senatus dictus eſt à ſenibus. Rectè S. Gregorius Nazianzenus dicebat: *Laudo legem nauticam, quâ nemo ad nauis gubernacula admittitur, niſi prius diu ſederit ad remos*, Beyrl. in apopht. Quomodo enim non periclitari & mergi tandem nauis reipublicæ debet, ſi ſpretis ſeniorum ſententiis, iuuenes ſuas vrgeant quaſi ſaniores? Certè horum conſiliis peruerſum & euerſum ſcimus Roboamum. Similiter Ludouicus XI. Galliæ Rex, quod ſeniorum conſilio acquieſcere nollet, regno penè exutus, vocato ad ſe filio moriens dixit: *Vide ſeniores conſiliarios in conſilium adhibeas, eorum ſententiam ſequaris, verbis inſiſtas.* Ioan. Spinæus de tranquill. animi.

Tertiò. A communibus oneribus eximantur & liberentur. Ita inter apes, quæ ætate prouectæ ſunt, ſuum habent locum à iunioribus diſcretum, neque vt hæ ad mella colligenda egrediũtur, ſed domi remanent. Similiter & formicæ annis grauiores ad inferendam meſſem non exeunt, ſed in limine domûs expectant iuniores, earumque onera excipiunt, & in horreum inferunt. Antonius de Balinghem in Zoopæd. 3. *Eximendi à communibus oneribus.*

Quartò. Emeriti alantur. Si enim cuidam Sileſiæ Duci (vt refert Aeneas Syluius *l.* 4. *comment. in res geſtas Alphonſi*) non abſurdum viſum eſt, vt in teſtamento ſuo iuberet ædificari domum, in quâ canes vetuli olim venationi vtiles, à Dominis relicti, vſque ad mortem alerentur, deſignatis in eam rem nonnullis agris: quanto æquius id præſtatur ſenibus? 4. *Emeriti alendi.*

Denique ne calumniis aut contumeliis aliiſve iniuriis appetantur. Quos enim Deus tam longâ honorauit ætate, quâ ratione ſpernere homo poteſt? Obrepet enim & nobis aliquando triſtis ſenectus, ſi tamen eâ digni ſumus. Vnde *Eccl.* 8. dicitur. *Ne ſpernas hominẽ in ſua ſenectute; etenim ex nobis ſeneſcunt.* q. d. ex iuuenibus quales modo nos ſumus ſenes ipſi deformes & imbecilles ac moroſi fiunt. Idẽ & nobis cõtinget; ſi tamen contingat & nõ citiùs vita abrumpatur. 5. *Calumniis aut iniuriis non appetendi.*

Quare finiens, Auditores, audeo vobiſcum facere ſpõſionem & dicere. Obſeruate Clerum, obſeruate Magiſtratum, obſeruate Senes: & ſtabitis, & proſperamini, & viuetis: hic benè, ibi optimè.

CONCIO V.

Paſtor ſuiipſius quomodo eſſe quiſque debeat.

Docetur qualiter quiſque ſui ipſius debeat eſſe paſtor.

1. *Dominetur affectibus, ſenſibus & membris ſuis.*
2. *Seipſum & ſuos defectus norit.*
3. *Educat vires ſuas vt oues ad paſcua bona.*
4. *Cuſtodiat vires ſuas.*
5. *Pro iiſdem pugnet.*

THEMA.

Ego ſum paſtor bonus. Ioan. 10.

FÆlices nos, ſi ſinguli cum Chriſto dicere poſſemus *Ego ſum paſtor bonus*. Sed A.

Greges ab vnoquoque paſcendi.

videor mihi audire pleroſque reſpondentes: Quid ad me paſtoris nomen? homo plebeius ſum, non paſtor. Viderint Principes & Magiſtratus: Viderint Epiſcopi & Parochi. At non hi ſoli ſunt, quibus paſtorale incumbit munus, quilibet etiam ſuipſius paſtor eſſe debet, habet enim non vnum ſed plures greges ſibi commiſſos, quorum primus ſunt vires animæ rationalis, intellectus, voluntas, memoria. Secundus animi paſſiones, gaudium, triſtitia, ſpes, timor, aliæque affectiones. Tertius quinque corporis ſenſus. Quartus corporis membra & corpus ipſum. Quatuor hi greges paſcendi ab vnoquoque videntur indicati (ſenſu tropologico) *Gen.* 1. vbi præficitur homo quatuor generibus animalium, ſcilicet auibus, piſcibus, beſtiis terræ ſeu quadrupedibus, & reptilibus. Per aues intelligere poſſumus gregem primum, per beſtias terræ ſecundum, per piſces tertium, per reptilia quartum. Hos greges qui cuſtodire nouit, is verè paſtor bonus dicendus erit. Vt enim Cato, teſte Plutarcho, dicebat *optimum eſſe Imperatorem, qui ſuis affecti- imperare poßit*: itaècontra Alphonſus Aragonum Rex dicebat: *nihil eſſe inconuenientius, quàm ſiquis aliis imperaret, qui ſuis affectibus propriis imperare non poteſt.* Huc ergo Auditores, animum intendamus, vt nos ipſos paſcere & cuſtodire ſciamus.

B.
I.
Dominetur affectibus, ſenſibus & membris ſuis.

Primò: Bonus paſtor ante oues ſuas vadit. vt dicitur *Ioan.* 10. & oues eum ſequuntur. Huiuſmodi paſtor eſt, qui dominatur affectibus, ſenſibus & membris ſuis. Solitus eſt Chriſtus præire diſcipulos ſuos; vnde quoties aliquem vocabat, dicebat: *ſequere me*; non autem: veni mecum. Voluit autem per hoc monere eos; vt ipſum ſequerentur voluntate & affectu, ipſique obedirent velut Domino & Magiſtro ſuo. Hinc cùm aliquando Petrus Chriſtum à patiendi voluntate retrahere vellet: dicens: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc*: comminatus eſt ei Dominus, dicens: *Vade poſt me ſathana: ſcandalum mihi es, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum, Matth.* 16. Rurſum cùm duo ex ipſis eum ad vindictam contra Samaritanam ciuitatem prouocarent; *Vis dicimus, ignis deſcendat de cœlo & cõſumat illos?* repreſſit & increpauit eos; *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Luc.* 9. Aliàs cùm alter altero maior eſſe, & hic ſedere ad eius dexteram, alter ab eius ſiniſtram vellet, repreſſit ambitionem eorum. Hunc igitur in modum, quoties paſſiones vel ſenſus præire rationem volunt eamque ab æquo & virtutis propoſito dimouere, toties reprimendi ſunt, dicendo vel cogitando: Vade poſt me cholera, vade poſt me inordinata lætitia, timor vel audacia, ſcandalum mihi es, non ſapis ea, quæ Dei ſunt, neſcis cuius ſpiritus ſis. Hoc eſt, quod Eccleſiaſticus monuit *c.* 18. dicens: *Poſt concupiſcentias tuas nõ eas, & à voluntate tua auertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Quemadmodum enim Sampſon Dalilæ ſuæ, cui imperare debebat, dum obſequitur, captus fuit ab hoſtibus atque exoculatus, ſicque gaudium peperit hoſtibus ſuis & expoſitus eſt in ludibrium pueris eorum, *Iudic.* 16. Ita cõtingit iis, qui ſe ſequuntur affectus ſuos euntque poſt concupiſcentias ſuas. Capiuntur enim amore voluptatum, diuitiarum, honorum, vindictæ, & ſimul fiunt ſerui peccati & ludibrium dæmonibus. Quare ſicut oues præcedit paſtor, quia ſtolidæ ſunt nec norunt viam quæ ad paſcua ducit: ita ratio præcedere debet cæcos illos affectus & appetitus ſenſuales; & ſi eam anteuertere conentur, imperio velut baculo repellere.

C.
II.
Seipſum & ſuos defectus norit.

Secundò. Bonus paſtor cognoſcit oues ſuas. Audite Dominum: *Ego ſum paſtor bonus & cognoſco oues meas.* Et paulò ante hodiernum Euangelium præmiſit: *Proprias oues vocat* (paſtor) *nominatim*, id eſt, accuratè & diſtinctè eas nouit curamque ac ſolicitudinem de illis habet. Talis diſcipulorum inprimis ſuorum paſtor erat Chriſtus, qui dicebat: *non de omnibus vobis dico: ego ſcio quos elegerim*, &c. *Ioan.* 13. Nouerat enim proditorem ſuum, quem ibi taxat: nouerat Petri infirmitatem & futuram negationem; nouerat alios, vnde & aliquibus noua impoſuit nomina. Hunc in modum quiuis noſſe debet ſeipſum ſuaque vitia ac defectus, ſuarum virium imbecillitatem & lapſus quotidianos, in eoſque per examen inquirere, eos ad iudicium ſigillatim euocare, redarguere & in ſe caſtigare. Qui hoc modo cognoſcunt ſe & greges, ſequuntur concupiſcentias ſuas malas; nec in hoſtibus eas reputant, ſed eis miſerabili cæcitate ſeruiunt, inſuper & beatos ſe putant ſatiando eas potiùs quàm domando, qui tunc rectiùs ſe affectos credunt, quando ſapidè comedunt & placidè bibunt & ſuauiter multis horis dormiunt, carnis appetitus paſcunt iuxta libitum: applaudunt ſibi cùm quem dolo circumuenerunt, cùm iniquum lucrum pararunt, cùm vltionem de hoſte ſumpſerunt, &c. Ita contingit eis id, quod minatur Deus ſponſæ *Cant.* 1. cùm ait: *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum tuorũ & paſce hædos tuos.* q. d. quia te ignoras ſequeris appetitus carnis & beſtiales motus & paſces laſciuos ſenſus tuos ſenſualibus illecebris adeoque à brutis nihil differes. Bonus paſtor fuit Adam in ſtatu innocentiæ, quia nouerat omnia animalia & virtutes eorum, vnde ſingula ad ſe vocauit & nominibus ſuis inſigniuit, quæ ſingulorum proprietatibus conuenirent, *Gen.* 2. De quâ re Moyſes Barcephas in l. de paradiſo, ex ſententiâ antiquorum, ſcribit, Adamum in loco editiore ſediſſe cum maieſtate & vultu ſplendido, qualem poſteà Moyſes habuit in monte. ſicque euocâſſe ſingula ad ſe animalia quæ prono & demiſſo capite tranſibant, vultum eius reuerentia. Quidquid de hoc ſit, hâc ratione quiſq; noſſe debere greges ſuos, affectiones, propenſiones, vitia, errores ſuos, eoſque ad examen vocatos ſuis nominibus indigitare v. g. Hodie tu cholera leui de causâ irata es: Leonem ergò induiſti, hodie tu lingua impudicè locuta es: hircum ergò oluiſti; hodie tu guſtus te ingur-

ingurgitaſti: in porcum ergò immigraſti; hodie tuos in proximum dentes exeruiſti, in canem ergò mutatus es, &c. itaque demiſſo animo veniam petat praua tua voluntas, ſeductus intellectus, vagabundi ſenſus, affectus inordinati & brutales. Ratio velut Iudex reſidēs, ſingulos increpet, corrigat, caſtiget, dicendo v. g. intellectui vel voluntati: Ego noui ceruicem tuam duram, facilitatem, inconſtantiam Linguæ: Ego noui tuam caninam rabiem, præcipitantiam. Oculis: noui veſtram curioſitatem &c. Attendat item & norit, quæ mortalia ſint, quæ venialia & ex his; quæ ſtudioſè patrata, quæ non ſtudioſè, curetque vitare omnia priora vero maximè. Videat ætatem harum ouicularum, quot annorum, quot menſium, quot dierum ſit hoc vel illud eius peccatum. Videatque prolificæ ſint, alia poſt ſe peccata trahentes, &c.

D. III. Educat oues ſuas ad paſcua bona.

Tertiò. Bonus paſtor *educit oues ſuas*, inquit Dominus loco cit. ad paſcua videlicet, eaque bona & ſalubria v. g. ad montoſa & arentia (pinguia enim & humentia ſolent ouibus obeſſe.) Sic Chriſtus educere conſueuit diſcipulos ſuos ad loca orationi & Euangelicæ prædicationi idonea; veluti ad feſta templi Ieroſolymitani, ad deſertum, ad montem Olìueti, ad ſpectandam gloriam ſuam in montē Thabor. *Luca* 24. ad ſpectandam aſcenſionem ſuam, eduxit eos foras in Bethaniam. Adhæc in doctrinâ & ſermonibus duxit eos ad intelligentiam S. Scripturæ, ad monumenta miſericordiæ & vindictæ diuinæ; velut *Luc.* 17. *Memores eſtote vxoris Loth.* Ad viam cœli contemplandā, veluti *Matth.* 18. quando ſtatuit paruulū in medio eorū & dixit: *Niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ad contemplandas inferni pœnas, in hiſtoriâ Epulonis, hominis non veſtiti nuptialiter, conuerſi exactoris, ſerui pigri, &c. Hunc in modum quilibet educere ſuas ouiculas, intellectum, voluntatem, memoriam, ſenſus, affectus, ipſaque membra ſua debet ad paſcua non humentia & pinguia, quæ carni blandiantur & animę interim noceant; ſed ad ea quæ animam impinguent, ad templa & conciones ſedulò & attentè audiendas, ad libros pios legendos; ad cœmeteria, ad loca ſacra & miraculoſa veneranda, ad contemplandam cœli, adeoque patriæ noſtræ ſupernæ magnitudinem & pulchritudinem; ad ſpectanda iuſtitiæ vel miſericordiæ memorabilis monumenta; veluti cùm Iridem intuemur aut crucem. Ad recolenda diuina beneficia, & Sanctorum exempla; vt cùm per annum feſta Chriſti & Sanctorum celebramus, &c. S. Hieronymus ſenſus & cogitationes ſuas educere conſueuerat ad incunabula Chriſti aliaque terræ S. loca, in quibus Chriſtus ſalutem noſtram operatus eſt. Idem de Sanctâ Paulâ in eius vita ſcribit; *S. Paula terram ſanctā peragrans, cum ad Segor, ſiue Zoaram veniſſet, recordabatur ſpelūca Loth & verſa in lachrymas, virgines ſocias admonebat, cauēdum eſſe vinum, in quo eſt luxuria, cuius opus Moabitæ ſunt & Ammonitæ.* Typum huius induſtriæ exhibuit nobis Moyſes *Exod.* 3. quando gregem, quem paſcebat, *minauit ad interiora deſerti* (ſiue *ad locum optimi paſtus*, vt habent Chaldaica) ſicque venit ad montem Horeb, vbi Deus ipſi locutus eſt. Seceſſit autem in eum locum, vt rationi & contemplationi quietiùs vacare poſſet, his mediis commodiùs peruenitur ad montem Dei. Quò ſanè non peruenient, qui ſenſus, mentē & cogitationes ſuas ducunt ad mundi vanitates contuendas & audiendas, ad ganeas & popinas, ad choreas & ludos inhoneſtos, ad ſpectacula & colloquia impudica, ad loca hæreſi infecta, ad nundinas & forum, &c. Vbi omnis generis imagines ingrediuntur in animam per feneſtras ſenſuum, eamque diſtrahunt, perturbant & quodammodò è propriâ domo expellunt, vt iam non ampliùs ſecum habitet, ſed alibi per orbem vagetur, ſicque omni deuotionis ſpiritu euacuetur.

Quartò. Bonus paſtor pro ſuis ouibus ponit animam ne à lupo rapiantur, vti audiuimus in hodierno Euangelio. Idque fecit Chriſtus, cùm in monte Oliueti proceſſit obuiam cohorti & iuſſit ac fecit ſuos diſcipulos abire immunes atq; illæſos: *Si ergo me quæritis*, inquit, *ſinite hos abire; vt impleretur ſermo, quem dixit: Quia quos dediſti mihi, nō perdidi ex eis quemquam*, *Ioan.* 18. Idem de ſuis ouibus, id eſt, omnibus electis ait *Ioannis c.* 10. *Non rapiet eas quiſquam de manu mea*: nimirum ſicut Miloni pomum manu comprehenſum (apud Pier. *l.* 48. *hierogl.*) Herculi claua à nemine eripi potuit: ita multò minùs Chriſto electi eius. Chriſtum imitatus eſt S. Thomas Cantuarienſis Epiſcopus, qui in templo ſicariis ſibi immiſſis obuiam procedens dixit: *Vos Dei iuſſu cauete ne cuipiam meorū noceatis.* Vt in Breuiar *l.* 6. feſti. Quare ſimili modo cuſtodire vnuſquiſque debet vires animæ & corporis ſui intellectum, voluntatem, affectus, ſenſus, membra eaque contra mundum, carnem, dæmonem eorumq; illecebras, defendere ac cohibere ne in peccatum conſentiant adeoque abripiantur à lupis illis, quin potiùs omnia perdere, vitam etiam ipſam paratus ſit, quàm vt mortiferum peccatū, per viſum v. g. guſtum, tactum, aures, linguam, nutus, cogitationes committat, vel patiatur intellectum ſuum errore hæreſeos, inuidiâ, auaritiâ vel ſimili vitio cæcari, aut voluntatem illicito amore ligari. Scimus quid euenerit Sampſoni poſtquam ſe tondere & in ſinum Dalilæ reclinari ac ſopiri paſſus eſt. Idem contingit iis, qui rationem & mentem ſibi adimi, voluntatemque inclinari ac ſopiri muneribus, blanditiis, amoribus patiuntur. Cautiores & fortiores animarum ſuarum paſtores fuerunt tres illi SS. pueri, qui maluerunt in rogum iniici, quàm ſtolido errore adorare ſtatuam Nabuchodonoſoris, *Dan.* 3. Suſanna, quæ maluit incidere in manus improborum, quàm eiſdem proſtituere corpus & pudiciciam ſuam, *Dan.* 13. ſeptem fratres Machabæi, qui maluerunt exquiſitiſſimis necari tormentis, quàm contra leges patrias guſtum ſuum polluere carnibus porcinis, 2. *Machab.* 7. Ita omnes SS. Martyres, quorum vna ea vox ad tyrannos fuit: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos. Probatio eſt enim innocentia noſtra iniquitas*

E. IV. Cuſtodiat oues ſuas.

tas veſtra; apud Tertull. *apol. vlt.* Noſtro ſæculo tales erant Thomas Morus Angliæ Cancellarius, Ioannes Roffenſis Epiſcopus aliique plures Abbates & Monachi, qui manus potius carnifici dare quàm ad impiũ Regis Henrici decretum ſubſcribendum applicare eiuſque errore & Schiſmate inuolui voluerunt. Cogitet vnuſquiſque oues prædictas ſuas eſſe, ideoque non relinquendas hoſti, cogitet ſe paſtorem earum à Deo conſtitutum, cui ſtrictam reddere rationem debeat, cogitet ſe eas, ſi ſeruet, in vitam æternam beandas ſeruare, ſin perdat, cruciandas in gehennam mittere.

F. V. *Pro iiſdē pugnet.* Quintò. Bonus paſtor pugnat pro ſuis ouibus contra lupos. Mercenarius autem videns venientem lupum dimittit oues & fugit. Bonus eiuſmodi paſtor fuit David, qui vt ipſe teſtatur 1. *Reg.* 17. ſiquis ipſi aries è grege raperetur ab vrſo vel leone, perſequebatur illos & percutiebat, eruebatque illum de ore eorum, & ſi illi conſurgerent in eum apprehendebat mentum eorum & ſuffocabat eos. Melior adhuc Dauide paſtor, Chriſtus per Dauidem præfiguratus, qui pro ouibus ſuis, diſcipulis aliiſque ſtrenuè pugnauit orando, diſputando, patiendo, eruitque eos ex ore lupi infernalis, vt Petrum, quærendo eum oculis ſuis poſt negationem: Thomã, euocando eum ad ſui contrectationem: Magdalenam, Publicanos alioſque peccatores, quos à Dæmone ligatos, ſoluit & abſoluit, defenditque contra obtrectatores Phariſæos, efficacibus rationibus percutiendo ora illorum, adeoque ſuffocando, denique pro noſtrũm omnium liberatione pugnauit in cruce vſque ad ſanguinem & necem. Hunc igitur paſtorem imitari quiſq; ſtudeat, & Primò ingruente tentatione armet

1\. ſe virtutibus illi contrariis, ſuperbiam humiliatione, gulam ieiunio, libidinem flagellis & ciliciis, auaritiam eleemoſynis oppugnet, in omnibus denique orationem adhibeat. Sola carnis peccata fugâ vinci debent, quia quo diutiùs mens in iis defigitur, eo fortiùs accenditur. Qui hac ratione pugnat, percutit hoſtem.

2\. Secundò. Perſequatur hoſtem pergendo in ſolitis ſuis exercitiis ſpiritualibus nec quidquam de iis remittat, nec de vetere inſtituto ac propoſitis aliquid immutet. Vt enim Dæmon nil aliud lucri à nobis ferat, ſatis illi ſuperque eſt nos ad tẽpus interturbâſſe. Aqua turbida nihil repreſentat, limpida vero & tranquilla minimos etiam lapillos oſtendit. Tentatio perturbat hominem & ineptum reddit ad res ſuis momentis ponderandas iuxta id *Pſal.* 36. *Comprehenderunt me iniquitates meæ & non potui vt viderē.* Denique perſequetur hoſtem, qui otium vitabit & ſemper occupatus à dæmone inuenietur.

3\. Tertiò, apprehendat mentum lupi eumque ſuffocet, reſiſtendo tentationum initiis. Ita ſuffocatur ignis antequam graſſetur & creſcat in incendium, dum exorienti exitus & ſpiracula omnia præcluduntur, nõ item vbi flamma exitum & vires acquiſierit. Facilè defenditur ciuitas, antequam hoſtes eam ingreſſi ſint, qui vbi introierunt & in eã ſedem ſuam firmârunt, inde non niſi cum maximâ difficultate poſſunt expelli. Saxum, cùm in montis vertice iacet facili negotio ibi detineri poteſt, ne cadat; vbi verò iam cadere cœpit & in motu eſt, vix magnis viribus retinetur. Ita cogitationes malæ facilè reprimuntur, ſi initio ſtatim iis occurratur, antequam radices egant. Modus ad hoc conueniens eſt mentem citò aliò deflectere v. g. ad meditationē mortis vel inferni: vel ſtatuere ſe coràm imagine Chriſti crucifixi & contemplari vulnera, dolores ac riuos ſanguinis eius, denique cogitare, hæc eum ideò pertuliſſe, vt deſtrueret peccatum; proinde totis viribus vitanda impoſterũm peccata.

Sed vereor Auditores ne dum iſta doceo, in pleriſque operam ludam. Quot enim putatis eſſe, qui hanc doctrinam capiant ſibique applicare ſtudeant? Et tamen niſi dictâ ratione pugnemus pro noſtris ouibus, nõ paſtores, ſed mercenarii erimus, qui lupo aduentante fugiunt & derelinquunt gregem, audiemuſque id *Zach.* 11. *ô paſtor & Idolum derelinquens gregem.* Et quid fiet huiuſmodi paſtori ligneo & fictitio? Idem omnino quod gregi, quem lupi dentibus reliquit. Et quid tali gregi? Audiatur pſaltes *Pſ.* 48. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos:* Sæuiet ibi mors ſeu plaga in ſingulas illas oues miſerè derelictas, in intellectum, voluntatem, memoriam: in affectus, & paſſiones; in ſenſus tam internos quàm externos: in membra denique omnia. Sicut econtra; ſi has oues noſtras bene cuſtodierimus, ſentiemus eas in cœlo ſingulas ſingulis beari gaudiis: quæ nobis tribuat Deus.

CONCIO VI.

Signa ovium Chriſti ſeu prædeſtinatorum.

Enarrantur ſigna ouium ſeu prædeſtinatorum.

1. Manſuetudo. 2. Patientia.
3. Eleemoſynæ ſtudium.
4. Pœnitentia & mortificatio.
5. Appetitus verbi Dei.
6. Frequens & debitus vſus Sacramentorum.
7. Timor & fuga peccati.
8. Studium orationis. 9. Humilitas.

THEMA.

Cognoſco oues meas, Ioan. 10.

Refert Ludouicus Bloſius *in appendice de quatuor ſanctis fœminis,* Sanctam Virginem Mechtildem, cùm feriâ quartâ poſt diem paſchæ inchoaretur Miſſæ introitus: *Venite benedicti patris mei,* ingenti & inuſitatâ lætitiâ repletam dixiſſe ad Dominum: *ô ſi vna eſſem ex illis benedictis, qui hanc dulciſſimã vocem tuam audituri ſunt!* Cui Dominus, *certò ſcias te vnam ex illis eſſe: & vt nihil dubites, ecce ego do tibi cor meum in pignus amoris.* A quo tempore cæpit mirâ lætitiâ & deuotione erga cor Chriſti affici: quæ etiam inſtante morte ſuâ audiuit ea Chriſti verba: *Veni benedicta Patris, poſſide paratum tibi regnum à conſtitutione mũdi.* Forſitan nos, Auditores, ſimilem cogitationem habuimus cùm audiuimus in hodierno Euangelio: *Ego ſum paſtor* A.

bonus & cognoſce oues meas. O ſi & ego eſſem vna de Chriſti ouibus? ò quàm lætum hoc eſſet nūcium, ſi & nos audire poſſemus, nos eſſe de illis ouibus & nomina noſtra ſcripta eſſe in libro vitæ? Certè S. Fanciſcus cùm à Deo per reuelationem didiciſſet ſe eſſe prædeſtinatum, per 8. dies quaſi extra ſe conſtitutus, cibi & precum horariarum oblitus, exultabat & dicebat. *Laudetur Dominus.* Sed paucis datū eſt vt eiuſmodi vocem audirent. Habemus tamen aliqua non parua indicia, ex quibus probabiliter colligere poſſimus, eaque ex SS. ſcript. & Patribus, vtrum de ouibus Chriſti ſimus. Et quoniam Chriſtus ſuos electos ouibus comparauit, non obſcurè inſinuauit, fore nos de illorum numero, ſi habuerimus indicia illa, è quibus noſcitur ouis. Audiamus.

B. I. Manſuetudo.

Prima. Agnoſcitur ouis ex manſuetudine, quia ſola ex animantibus omninò inermis eſt, nec vtitur aliquo defenſionis genere; nec enim cornibus ferit, nec vnguibus lacerat, nec dentibus mordet, nec calcibus icit, quantumuis malè tractetur, quin etiam cum capris amicitiæ vinculo iuncta eſt. Ita etiam ovis Chriſti noſcitur ex eo, ſiquis proximum ſuum etiam inimicum non contemptim tractet adeoque cornibus ſuperbiæ non feriat, ſi vindictæ appetitu non laceret, ſi dentibus detractionis non mordeat; ſi dicta factaque eius non malè interpretetur, &c. Sic enim S. Bonauentura *lib. de profectu religioſi* dicit non eſſe evidentius prædeſtinationis argumentum, quodque hominem magis Deo aſſimilet, quàm manſuetum eſſe & patientem. Patet ex *Matth. 6.* vbi dicitur: *diligite inimicos veſtros, &c. vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Et *beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*; quod ſi filij, & hæredes. Vnde ibidem additur: *beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram,* ſcilicet viuentium, ſeu cœlum, vt exponit Hieronymus. Quando Dauid à Saule ad necem quæſitus, pepercit Sauli in ſpeluncâ, præcindens oram de chlamyde illius, cùm occidere eum potuiſſet, eamque chlamydem oſtendit Sauli deprocul & manſuetiſſimè locutus eſt, patrem eum vocādo; videns Saul tantam Dauidis manſuetudinem filium eum vocauit & fleuit, concluſitque eum poſt ſe regem fore in Iſrael *1. Reg. 24. Et nunc quia ſcio,* inquit, *quod certiſſimè regnaturus ſis & habiturus in manu tua regnū Iſrael.* Similiter etiam non vanè colligitur eum regnaturum in cœlo, qui manſuetudinem ouinam gerit in terra. Centurio videns inter alia prodigia Chriſti manſuetudinē in Cruce cùm orauit ad patrem pro inimicis, concluſit eum eſſe Dei filium debere: *Verè filius Dei erat iſte.* Maximum enim hoc prodigium erat, quòd cœlum & terra & omnia propemodum elementa pro eo pugnarent, ipſe interim nullum iracundiæ verbum promeret, ſed inſuper pro inimicis ſuis oraret quemadmodum agnoſcit S. Ber. *ſerm. de paſſ. Dom.* Quoniam igitur per manſuetudinem proximè accedimus ad Deum patrem, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos:* eiuſque filium, qui in cruce cùm malediceretur, non maledicebat, ſed vt agnus manſuetiſſimus tacebat: fieri facilè non poteſt, vt ab eius gloriâ excludamur, ſi manſuetudine excellamus.

C. II. Patientia.

Secundò. Ex patientiâ, quia ligari & tonderi ſe patitur, nec repugnat ſicut canes & feles. Siue ad paſcua ducatur, ſiue ad macellum, æquo fert animo, nec vociferatur veluti porcus cùm iugulatur. Ita etiam ex patientia tribulationum agnoſcitur hæres cœli. Teſtatur id primò Apoſtolus ad *Hebr. 12.* dicens: *quis enim filius quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis: ergo adulteri* (græcè, *nothi,* id eſt, ſpurij) *& non filij eſtis.* Teſtatur S. Chryſoſtomus: *ſiquidem videris virtutis ſtudioſum,* inquit *orat. de Lazaro, innumeris tamen affligi moleſtijs beatum hunc puta, vt qui commiſſa peccata hic diluat & illic paratam habeat mercedem.* Cui tamen addendum eſt: ſi is tribulationes patienter toleret. Nam alioqui videmus non ſolùm bonos, ſed etiam impios tribulari: non tamen eodem modo ab vtriſque tribulationes ſufferri. *Nec enim magis aliud iniuſtos & iuſtos diſcernit,* ait S. Gregor. *ſerm. 3.* de bono patientiæ, *quàm quod in aduerſis iniuſtus per impatientiam conqueritur & blaſphemat, patientia autē iuſtos probat.* Cum ollam fictilem examinare volumus, digito eam pulſamus & ſiquidē hiulcum edit ſonum, fractam colligimus, ſin verò obtuſum, integram. Denique vti *vaſa figuli probat fornax: ſic homines iuſtos tentatio tribulationis,* ait Eccleſiaſticus *c. 27.* nam vas teſteum probum, in igne ſolidatur: improbum vero crepat & diſſilit. Vnde S. Auguſt. in *Pſ. 60.* ait: *Videte ergo palea, videte & vos qui aurum eſtis: in eodem igne palea fumat, aurum rutilat, in eadem afflictione improbus blaſphemat Deum aut accuſat, patiēs laudat & ex ipſis aduerſis vires ſumit, vti ignis qui flatu impetitur, & creſcit, atque vnde extinguendus creditur, inde roboratur.* triticum ventilatum perſiſtit, paleæ auolant. Vis ſcire num pertineas ad triticum, in horreum Domini congregandum, an ad paleas igne comburendas? Vide num in tribulatione perſiſtas patienter, an vero auoles per impatientiam.

D. III. Eleemoſynæ ſtudium.

Tertiò. Ex multiplici ſuâ vtilitate; paſcit enim homines carne ſuâ, potat lacte, veſtit lanâ adeoque Euangelicam implet legem prout dixit aliquando S. Martinus de ove quæ tondebatur, quia duas tunicas habens, dat vnam non habenti. Sic etiam oues Chriſti agnoſcuntur ex liberalitate ſi paſcunt eſurientes, ſi potum dant ſitientibus, ſi veſtiunt nudos. Hoc enim expreſsè habetur *Pſal. 40. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus.* Et *Tob. 4. Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat & non patietur animā ire in tenebras.* Ratio, quia talis facit ſibi debitorem Deum, ſiquidem ipſe dixit: *quod vni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis.* Adhæc, quia fieri vix poteſt vt tot vota pauperum ſint inania, quibus ipſi toties precantur æternam retributionem largientibus ſibi eleëmoſynam, perpetuò enim dicunt: *Gott vergelts: Geb euch Gott darfur den Himmel,* &c. Vota autem & orationes pauperum efficaciſſimæ ſunt apud Deum iuxta *Pſ. 9. deſiderium pauperū exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Vnde Hieron.

in ep. ad Nepotian. ait: *nunquam memini me legiſſe, malâ morte defunctũ, qui libenter opera charitatis exhibuit. Habet enim multos interceſſores, & impoßibile eſt multorum preces non exaudiri.* hæc ille.

Quare ſi vis aliquod præſagium ſalutis tuæ, dicam tibi, quemadmodum Cyngari ſolent vaticinari; longè tamen veriùs. Iubent illi aperiri manum & enunciant inde futura. Aperi & tu manum pauperi, da frequentes & largas eleemoſynas, & ſaluus fies: Sic enim *Deut.* 15. dicitur: *Aperies manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terrâ.* ſubditque paulò infra: *Dabis ei nec ages quippiã callidè in eius neceßitatibus ſubleuandis: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore.* Exemplum refert ven. Beda de S. Oſwaldo Anglorum Rege lib. 3. hiſt. Angl. c. 6. qui cùm aſſidente ſibi Aidano Epiſcopo, diſcum argenteum cum dapibus ſibi appoſitis, iuſſiſſet efferri pauperibus, præ foribus expectantibus; Epiſcopus manum eius apprehendens dixit: *nunquàm inueteraſcat hæc manus.* Quod & factum. Rege enim in prælio interfecto, manus illius à corpore reſectæ repertæ ſunt, quæ deinceps ſemper incorruptæ permanſerunt & aſſeruatæ ſunt in regiâ ciuitate. Quo exemplo oſtendit Deus, non perituros eos, qui liberales ſunt erga pauperes, ſicut & iſtæ manus à putredine immunes fuerunt.

E. IV. Pœnitentia & mortificatio.

Quartò. Ex lanâ & pelle villoſâ. Ita ouis Chriſti cenſetur, qui *mortificationem* Ieſu cum Apoſtolo 2. *Cor.* 4. *ſemper in corpore ſuo circumfert*: & pœnitentiæ pellem quam Adamo peccatori induit Deus, nunquam deponit, ſaltem quoad habitum. Talis eſt, qui quoties recordatur præteritorum peccatorum ſuorum, toties ingemiſcit aut tundit pectus, ſemperque putat ſibi adhuc ſupereſſe, quod fletu puniat, quod ieiunio, oratione & eleemoſynâ diluat. Tacitè hoc innuit Dominus *Matth.* 11. cum dixit: *Ecce, qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* Quaſi à contrario dicere voluerit, quod S. Chryſoſt. *hom.* 29. *in ep. ad Hebr.* addit: *qui ergò talia veſtimenta non habent, in cœlis ſunt.* Itaque qui delicatè viuunt & pœnitentiam auerſantur ac mortificationem, mundo ſeruiunt; veſtiti verò cum Ioanne pilis camelorum & qui aſſueſcunt operibus pœnitentiæ, ad aulã cœleſtem pertinent. De S. Auguſtino dixit quidam Epiſcopus L. 3. confeſſ. c. 12. fieri non poſſe, vt filius tantarum lachrymarum periret; quod pro eius conuerſione & ſalute toties flere ſoleret eius mater: quanto ſecurius idipſum dici poteſt de eo qui propria peccata aſſiduè deflet & in ſeipſo punit? ſicut enim aquæ ſalſæ maris non facile ſinunt perire nauem, ob ſuam denſitatem; ſic lachrymæ pœnitentiæ non ſinunt mergi hominem: quia ex amaro & Deũ amante corde proficiſcuntur.

F. V. Appetitus verbi Dei.

Quintò. Ex ſalis appetitu, auidè enim ſalem comedit & ex eius frequenti comeſtione fœcundior fit. Similiter oues Chriſti agnoſcuntur ex eo ſi ſalem appetant doctrinæ ſalutaris, & verbi Dei præcones, de quibus *Matth.* 5. dicitur: *Vos eſtis ſal terræ*: libenter audiant. Ita *Ioan.* 8. Dominus dixit: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Et *Ioa.* 10. *oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me: & non peribunt in æternum*, &c. Quanquam non ſufficit crebrò tantum audire verbum Dei: ſed prætereà audiendum eſt cum guſtu, ſine tædio, licet diutius prolongetur, ſine ſatietatis limite, cum ruminatione eiuſdem & vſu: hæc enim omnia & ouis facit. De hoc S. Auguſtin. *Pſ.* 118. ait: *Mens prædeſtinati diuina & ſacra cupidè anhelat, ſepon: iubet negotia, ludos abrumpi, epulas etiam quandoque deſeri præcipit, ad templum, ad concionem vrget, nec excuſationes admittit, pluuium cœlum non metuit, ſerenum etiam negligit, aprico & campis templorum fornices præponit, ſatagit audire, nec ſatiatur auditis.* hæc ille. Sic audierunt verbum Dei *Actor.* 13. *quotquot præordinati erant ad vitam æternam*, quando audientes id gentes *gauiſæ ſunt & glorificabant verbum Domini & crediderunt*, ait Lucas. Sic Magdalena, quæ à pedibus Domini auelli non poterat: ſic Deipara Virgo, quæ *conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Terra bona illa fuit, quæ ſemen accepit & fructum tulit. Hi ſunt qui *audiunt cum gaudio & retinent in corde bono & optimo & fructum afferunt in patientiâ*, ait Dominus *Luc.* 8. Vis ergò indicium aliquod prædeſtinationis tuæ? vide num cum gaudio, guſtu & fructu audias verbum Dei. Refertur à Ioan. Griths ſerm. Quad. in Dom. Paſch. ex lib. ænigm. Salomonis, inter alia propoſuiſſe Reginam Saba Salomoni duos flores ſimillimos, vnum naturalem, alterum artificialem; ad diſcernendum. Salomon cùm ſimillimos eos videret, iuſſit eos teneri à puero vnum in dextrâ, alterum in ſiniſtrâ, & hinc dimitti apes, illinc muſcas. Tunc muſcæ inſederunt arte facto flori, apes naturali vt inde mel conficerent. Video ante me multos auditores, ſed alij ſunt flores veri in horto Chriſto, alii fictitij: nec poſſum ego diſcernere inter illos, ſed quilibet in ſeipſo poteſt, dum ego hic dimitto apes; id eſt, monita ſalutis: & diabolus alibi muſcas, id eſt, cogitationes terrenas & inutiles. Si enim ſuper cor tuum requieſcat verbum Dei & inde ſuccum bonarum cogitationum exſugat ad mel bonorum operum conficiendum: ſalua res, flos verus es, ouis es; ſin vero muſcæ ſub concione cor tuum obſidere & perambulare ſoleant: fictitius es, hædus es. Rationem quæris? dulce eſt vnicuique & iucũdum audire de patriâ ſuâ, ad quam repedare, vel de regione, in quam proficiſci deſiderat: de eâdem ſermones miſceri libenter audit, interrogat, fabulatur. Sic Iſraelitæ ſuper flumina Babylonis ſedentes, ſemper ſuſpirabant ad patriam *Pſ.* 136. & per hoc commonſtrabant ſe ciues Ieroſolymæ, non Babylonis eſſe.

G. VI. Frequens & debitus vſus ſacramentorum.

Sextò, Ex paſtu, quia auidè valde & quaſi inſatiabiliter præſertim ingruente pabulatur hyeme, vt refert ſanctus Ambroſius in hexam. quaſi ſciens paulò poſt herbas frigore adurendas. Ita ouis Chriſti dignoſcitur ex frequenti vſu Sacramentorum Confeſſionis & Euchariſtiæ: Confeſſionis quidem, quia cum pœnitentia ſit ſecunda poſt naufragium tabula, perire nequit, qui tabulæ illi firmiter ſemper adhæret, vel poſt naufragium ſtatim eam

arripit. Aſt vbi eam dimiſerit & inceperit propriis manibus natare, iam res periculo plena eſt. Nec poterit homo ſine pœnitentia diu ſaltem durare & incolumis perſiſtere in hoc mundi pelago, quia plerique diu non ſunt ſine crimine. Hoc videns Seruator noſter, non dixit: niſi pœnitẽtiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis; ſed *niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*; *Luc.* 13. Vbi ergò quis habet & retinet ſemper pœnitentiam, ſecurus eſt de ſalute, nec facilè contingere poteſt vt illius domum reperiat Deus immundam, qui frequenter eam ſcopis mundare ſolet, nec leues quidẽ in ea ſordes tolerare poteſt. Cõmunionis verò, quemadmodum enim qui ex arbore vitæ in paradiſo ſubinde comediſſent, ſemper vixiſſent: ita qui dignè frequentant communionem, mortem non guſtabunt in æternum. Vnde Auguſtinus *de quarta feria cap.*6. ait: *Vt pulchra permaneas, ô anima Christiana, carnem Christi quotidie manducabis: vt vitam æternam habeas ſanguinem eius potabis: Vide ne menſam hanc deſeras.* hæc S. Auguſtinus. Huius rei figuram exhibet panis ille ſubcinericeus, in cuius fortitudine Elias ambulauit vſque ad montem Dei Oreb. 3. *Reg.* 19. Quod ſi igitur auidè comedas herbas horum Sacramentorum, dum nunc paſcua durant, antequam veniat hyems mortis, vbi herbæ illæ non erunt ampliùs, indiciũ præbes tuæ prædeſtinationis.

H. VII. Timor & fuga peccati.

Septimò. Ex timiditate & pauore, quia non tantum lupum timent, ſed etiam omnem luporum ſpeciem, & qui lupis aliquantum ſimiles ſunt. Ita & oues Christi noſcuntur ex timore & fugâ peccatorum & quidquid peccati ſpeciem repræſentat. Hinc Salomon *Prouerb.*28. dixit: *Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus.* Qui caſtello ſuo ſemper adhibet vigiles, noctu & interdiu, tempore pacis & belli, omneſque intrare volentes examinat, non facilè perdet munitionem illam. Et tu ſi timorem Dei adhibeas ſemper portis ſenſuum & appetituum tuorum; ſi omnia obiecta examines, & iuxta conſilium Apoſtoli, abſtineas te *ab omni ſpecie mala.* 1. *Theſſ.* 5. non facilè pedes Dei gratiam.

Deinde ſi errauerit ouicula & gregem ſuum perdiderit; nullibi quieſcit, ſed continuò balans hac illac diſcurrit & ad vocem vel intuitum gregis aut matris feſtinanter accurrit. Similiter etiam oues Christi, cùm fortè in peccatum lapſæ ſunt, quietem non habent: timent ſemper cũ ſancto Iob, *quaſi tumẽtes ſuper ſe fluctus.* Deum eiuſque iudicium: & ideò citò quærunt media ad reſurgendum & oblata mox arripiunt. Vnde peccant quaſi ſecundum ſuperficiem tantùm: reprobi autem ſecundum omnem dimenſionem, qui longiſſimè à Deo alienantur. Illi in faciem cadunt, & quorſum cadant agnoſcunt, ideoque manibus ſe iuuare poſſunt citoque reſurgere conantur: iſti verò retrorſum, quemadmodum cohors illa Chriſtum comprehenſura in monte Oliueti. *Ioan.* 18. qui quò cadant non agnoſcunt, ideoque nec reſurgere adlaborant. Priori modo videtur erraviſſe Dauid, qui dixit: *quoniam iniquitatem meam ego cognoſco & peccatum meum contra me eſt ſemper. Pſal.* 50. Vnde per orationem laborauit emergere, cùm dixit *Pſal.*118. *Erraui ſicut ouis quæ periit, quære ſeruum tuum.* Denique auditâ Dei vocatione per increpationem Nathan, ſtatim ad Deum rediit per pœnitentiam: cùm contra Saul multis minis & plagis reduci non potuerit. Sic Petrus ſolo Chriſti intuitu permotus poſt negationem ad ſe rediit & in lachrymas reſolutus eſt, *ſicut fluit cera à facie ignis:* cùm contrà Iudas nec beneficiis nec amiciſſimis verbis, nec minis denique reuocari potuerit. Quin etiam in ipſo peccato perſiſtens prædeſtinatus præſefert quandam virtuoſi hominis ſpeciem & nobilitatem adeoque veſtigia ſuæ prædeſtinationis; inclinatur enim adhuc ad virtutem, delectatur & afficitur rebus diuinis, deteſtatur vitia, diſplicent ei iniquitates, placet virtus, &c. Et ſicut nobilis filius per infortunium depauperatus & humili ſeruitio addictus verbi gratia ferro cudendo: inter ipſos carbones & ſufflatoria præfert adhuc nobilitatis ſuæ indicia: Sic Dauid etiam in ſtatu peccati adhuc conſtitutus 2. *Reg.* 12. Zelum iuſtitiæ monſtrat, reum mortis exclamando eum qui abſtulit pauperi ouem.

I. VIII. Studium orationis.

Octavò. Ex crebo balatu: ſic ouis Chriſti & prædeſtinatus ex ſtudio orationis, ſi iuxta præceptum Apoſtoli *ſine intermiſſione* oret, hoc eſt, frequenter & quandocunque fert occaſio & neceſſitas, manè cùm ſurgit, veſperi cùm it cubitum: ante & poſt cibi ſumptionem, ante & poſt opus, præſertim difficile. Sic enim & ouis antequam humi decumbat, priùs in genua ſe curuat: ſimiliter antequam reſurgat priùs in genua ſe erigit. Agnellus etiam dum ſugit, plerumque genua flectit. Quiſquis igitur hunc precum ſpiritum habet, fiduciam ad Deum habeat, quòd ſit prædeſtinatus. Sic enim intelligit S. Auguſt. illud *pſalmi* 65. *benedictus Deus, qui non amouit orationẽ meam & miſericordiam ſuam à me*; quaſi hoc ſit certum perſeuerantiæ argumentum, ſi ab oratione non ceſſemus. *Cum videris*, inquit, *non à te amotam deprecationẽ tuam, ſecurus eſto quia non eſt à te amota miſericordia eius.* Idque optimè concludit; quibus enim Deus mandat vt ſemper orent & ſimul dat ſpiritum ſemper orandi & petendi perſeuerantiam miſericordiæ vſque ad finem: ſine dubio non amouet ab illis miſericordiam ſuam, ſed miſericorditer facit eos perſeuerare vſque in finem. Si quis ex nobis mandaret homini pauperi, vt à ſe quotidie peteret eleemoſynam, non poſſet iuſtè negare petenti quotidianam eleemoſynam. Sic omninò liberaliſſimus Dominus qui dixit: *oportet ſemper orare & non deficere*; & qui donat amicis ſuis voluntatem ſemper orandi ſicut oportet, ſine dubio exaudiet eos & conſeruabit illis miſericordiam ſuam, donec in cœleſti patria coronet eos. Cui accedit ſtudium frequentandi templum; ſi enim Chriſtus duodennis in templo repertus dixit parentibus ſuis: *Neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe:* an non idem de filiis Dei adoptiuis dicere licebit? ſcilicet ſi filii Dei ſunt, nónne libenter in domo patris ſui morabuntur? Et ſi libenter in eâ morantur,

tur, nónne indicium præbent, quod ſint filij Dei?

Speciatim verò cultus Deiparæ Virginis, prædeſtinationis aliquod indicium eſſe non immeritò aſſeritur à B. Alano l. *de Pſalt. Virg.* c.11.cum ait: *Habentibus deuotionem ad hanc*(Deiparam) *ſignum eſt ordinationis & prædeſtinationis permagnum ad gloriam.* Colligitur hoc etiam ex variis epithetis illius. Vocatur enim communiter *ſtella maris*; per hanc autem diriguntur nauigantes, ne à portu errent, ſed fæliciter appellant. *Vallum fidelium.* à B. Ephrem. *in orat. ad Virg. Commune mundi propitiatorium ib.* & ab Andr. Cret. *ſerm. de aſſumpt. Virg.* &c. Colligitur ex figuris. Ipſa enim eſt *virga de radice Ieſſe, Iſa.* 11. virga autem Aſſueri Regis ad aliquem protenſa & ad oſculum porrecta, ſignum erat regiæ clementiæ & ſecuritatis vitæ: auerſa verò ſignum auerſationis & mortis, *Eſth.*4.& 5. Ipſa eſt *arca fœderis:* arcam autem quia portauerat Abiathar ſummus Sacerdos, vitam & ſalutem impetrauit à Salomone, licet alioqui vir mortis eſſet quòd conſpiraſſet contra Salomonem, 3.*Reg.*2. Portant verò ſpiritualiter arcam illam, qui ſingulari deuotione Mariam colunt. Ipſa eſt *Iris & arcus cœleſtis*, ſignũ fœderis inter Deum & hominem; ſiquidem eius interuentu pax inter Deum hominemq́ue firmata eſt. Ipſa eſt *Eſther*, cuius gratiâ & cum quâ etiam pediſſequæ eius, veſtem reginæ defluentem portantes, ad conſpectum regis venire poterant.

X. IX. Humilitas. Nonò. Ex humilitate, nam humili greſſu incedunt & capras etiam in viâ ſequuntur: neque etiam erigunt ſe in pedes ad depaſcendes frutices, vt capræ, ſed in terrâ manent. Pari modo *ſignum electorum eſt*, inquit D. Ambroſius *in apologiâ de Dauide cap.* 9. *malè de ſe ſentire & vulnus ſuum agnoſcere.* S. Greg. *l.* 34. *moral. c.* 21. ait: *Quia redemptor noſter corda regit humilium, & Leuiathan Rex dicitur ſuperborum, apertè cognoſcimus, quod euidentiſſimum reproborum ſignum eſt ſuperbia, & contrà humilitas electorum.* Atque hæ ſunt notæ quæ quadantenùs oſtendunt, quinam ex electis ſint. Supereſt nunc vt ouium naturam imitemur. Audiamus Thomam de Kempis *de imitat. Chriſti lib.* 1. *c.* 25. *Cùm quidem*, inquit, *anxius inter metum & ſpem frequenter fluctuaret & quadam vice mœrore confectus in Eccleſiâ ante quoddam altare ſe in oratione proſtrauiſſet, hæc inter ſe reuoluit dicens, ô ſi ſcirem quod adhuc perſeueraturus eſſem! ſtatimq́; audiuit intus diuinũ reſponſum. Quod ſi hoc ſcires, quid facere velles? fac nunc quod tunc facere velles & bene ſecurus eris. Móxque conſolatus & confortatus diuinæ ſe commiſit voluntati: & ceſſauit anxia fluctuatio, noluitq́; curioſè inueſtigare vt ſciret quæ ſibi eſſent futura. Sed magis ſtuduit inquirere quæ eſſet voluntas Dei beneplacens & perfecta ad omne opus bonum inchoandum & perficiendum.* Quando igitur ſcimus quid nobis faciendum ſit, vt ſimus oues Chriſti, faciamus ea nunc, quæ aliquando in articulo mortis vellemus feciſſe.

CONCIO VII.

Signa Reprobationis.

Enarrantur ſigna reprobationis:

1. *Facilitas peccandi lethaliter.*
2. *Dilatio continua pœnitentiæ.*
3. *Faſtidium verbi Dei.*
4. *Tædium orationis.*
5. *Terrenarum rerum appetitus & ſitis.*
6. *Nimia proſperitas ſæculi.*
7. *Odia & inimicitiæ tenaces.*

THEMA.

Cognoſco oues meas. Ioan. 10.

TAmetſi Chriſtus paſtor noſter bonus cognoſcit oues ſuas, quas cœlo vult inferre: nos tamen eas non cognoſcimus: neque ſolùm alios vtrùm oues Chriſti ſint, ſed nec ipſi nos: teſtante Eccleſiaſtico, cùm dixit c. 9. *Neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit.* Nec cognoſcemus niſi in iudicio, quando ſegregabit Chriſtus oues ab hædis. Ergò nunc inter oues Chriſti etiam hædi ſunt, qui tamen ſæpe oues putantur. Quantum igitur, Chariſſimi, timere ſemper debemus? quàm ſolicitè ſemper ſalutem noſtram operari? nam vt S. Auguſtinus *lib. de ouibus cap.* 10. ait: *Ouem te putas: hircum te fortè Deus nouit.* Et ob id B. Aloyſius Bertrãdus ſemper amarè flebat dicẽs: *Cur non amariſſimè fleam, cùm non certò ſciã, an æternæ ſalutis compos ſim futurus!* vt in eius vitâ F. M. Iuſtinianus *c.*4. refert. Quemadmodum verò hac in re nihil prorſus certi ſcimus: ita probabilia habemus indicia, quibus hædos ab ouibus dignoſcamus, vt ita nobis cauere & gregem hædorum fugere poſſimus, & ne puſillanimes fiamus. Ideò ſicut electos oues, ita præſcitos hædos nominat Dominus *Matth.* 25. vbi Chryſoſtomus ait: *Mores vtriuſque partis aperiuntur, cùm alij hædorum, alij ouium nuncupatione nominantur.* Nõ enim electos ouibus, reprobos hædis comparâſſet Dominus, niſi hæc animalia typus eſſent vtrorumque. Vidimus priore concione ſigna & proprietates ouium, videamus nunc hædorum ſeu hircorum. A.

Primò. Hædi ſeu capri (hos enim diſtinguit ab ouibus Chriſtus) proni ſunt ad nocendum hortis & arboribus; facilè enim tranſiliunt ſepta & vaſtãt quidquid occurrit tenellorum arbuſtorum. ſic qui facilè lethaliter delinquunt ſine doloris ſenſu aut conſcientiæ remorſu, adeoque proni ſunt ad tranſgrediendum Dei leges abſque timore, oſtendunt ſe eſſe hædos: vti ſentit vir illuminatiſſimus Ludouicus Granatenſis. *Reprobationis ſignum mihi certum videtur*, ait, *facilitas lethaliter peccandi, ſine doloris ſenſu.* Scribit Diodorus Siculus *l.* 2. de patre qui vnum tantum habebat filium, duos verò ab vxore adulterâ ſuppoſitos. Hic cum moriens legitimum ſuum filium inſtituiſſet hæredem, qui tamen neſciebatur è tribus quis eſſet, Iudex decreuit vt qui iaculo cor patris propiùs attingeret, hæres eſſet. Ergò ſpurij duo admodum expeditè ſagittas eiaculati ſunt & patrem feriẽre: tertius verò nequaquam adigi poterat vt B. I. Facilitas peccandi lethaliter.

patrem

Patrem iaculo peteret, quòd hoc ſibi piaculo duceret. Vnde collegit Iudex, hunc eſſe verum filium, eique addixit hæreditatem patris. Simili ratione colligere poſſumus, qui ſint filii Dei, qui non. Nam *filius honorat patrem*, ait Dominus *Malach.* 1. *& ſeruus Dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum vbi eſt timor meus?* Quare ſiquis abſque doloris ſenſu facilis eſt ad feriendum Deum lethalibus peccatis, oſtendit ſe non eſſe filiũ; vti contra filium ſe demonſtrat, qui ad peccandum difficilis eſt, peccare horret, & ſi quando delinquit, non abſque doloris ſenſu. Quid aliud agit homo, cùm peccat, quàm quod iaculo, quantum in ipſo eſt, petit & configit Deum? Vnde *Malach.* 3. ait Dominus: *Quia vos configitis me*; peccatis ſcil.

C. II. Dilatio continua pœnitentiæ.

Secundò. Hædi ſemper fætent. Ita qui peccatis obnoxij pœnitentiam ſemper differũt nec properant ad lauacrum, neque poſteà ſe emendãt; hædos ſe oſtendũt. Audi S. Iſidorum: *Pigritia*, inquit, *& indies pœnitentiã differre, ſignũ manifeſtum reprobationis eſt.* Colligo hoc ex *Apoc.* 2. vbi de peruerſa quadam Iezabele ait: *Dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & nõ vult pœnitere à fornicatione ſua. Ecce ego mitto eam in lectum*, hoc eſt, in infernum, vt exponunt Beda, Rupertus & Richardus de S. Vict. iuxta id *Eſa.* 14. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuũ: ſubter te ſternetur tinea & operimentum tuũ erunt vermes.* Vel lectus ille ſignificat ſecuritatem, ſecundum Primaſium & Anſbertum: ita vt dimittatur illa Iezabel in lecto impœnitentiæ ſuæ ſuauiter decumbere, nec excitetur à Deo plagis aut clamoribus: donec omninò obdormiat ad mortem æternam. Electi cum in peccato hærent, quaſi in ſcamno iacent, quia requiem non habent, ſtimulantur à conſcientiâ & ideo ad Dei vocem citò excitantur, nec facilè negligunt occaſiones pœnitentiæ ſibi oblatas. Ita Thomas, qui per octiduum manſit in incredulitate, ſtatim ad primam Magiſtri vocem cum gaudio & fide exclamauit: *Dominus meus & Deus meus.* Petrus ad reſpectum Chriſti quamprimum recordatus verbi diuini, *egreſſus fleuit amarè.* Dauid ad primam increpationem prophetæ, pænituit & dixit: *Peccaui Domino.* Contrà vero dati in reprobum ſenſum ſuauiter velut in lecto dormiunt in peccatis, nec facilè excitantur oblatis ſibi pœnitentiæ occaſionibus & incitamentis, ideoque tandem pereunt. Sic Pharao tot ſignis & plagis non eſt excitatus. Sic Iudas tot domini beneficiis, comminationibus & ſuauiſſimis illis verbis: *Amice ad quid veniſti?* admonitus: immobilis & pertinax manſit in propoſito: atque ita vterque periit.

Idem iudicium eſt de iis qui ſe non emendant. Sic enim S. Gregorius in *cap.* 5. *Iob*, ait: *reproborum eſt proprium ſemper praua agere & nunquam quæ egerint, retractare.*

D. III. Faſtidium verbi Dei.

Tertiò, Vti ouium eſt manere in iiſdem paſcuis: ita hircorum & caprarum non manere, ſed diſcurrere huc illuc. Item vti ouium eſt, herbas ad radicem vſque decerpere: ita hircorum & caprarum, extremitates tantum frondium carpere. Similiter qui verbum Dei obiter & carptim audiunt, vel omninò audire faſtidiunt; quiq; ad verba tantum, non ad rem attendunt: diſcurrunt de vno concionatore ad alium merâ ex curioſitate, ad hædos pertinere dignoſcuntur. Audi Bern *ſerm.* 1. *in Septuag. Nonnullos ſic interdũ audientes inuenies*, inquit, *ac ſi nihil omninò ad eos pertineant, quæ dicuntur: non intrare cor ſuum, non diſcutere mores ſuos, non cogitare ne fortè quod audiunt, dictum ſit propter eos. Magis autem ſi fortè ſermo Dei viuus & efficax (qui ſuo & non eius qui loquitur, arbitrio fertur, quocunque voluerit) ſi inquam manifeſtè aduerſus vitia illa proceſſerit, quibus ſeſe illi ſentiunt obligatos, diſſimulant & auertunt oculos cordis, aut qualibet adinuentione palliant vitia & ſeducunt miſeri ſemetipſos. In his ergò ſalutis ſigna non video, magis autem vereor, ne fortè propterea nõ audiant verbum Dei, quia non ſunt ipſi ex Deo.* ſic Bern. Idem de audientibus ſed non retinentibus verbum Dei aſſerit S. Gregorius *hom.* 15. *in Euang. Cibus mentis eſt ſermo Dei*, inquit, *& quaſi acceptus cibus ſtomacho languẽte reijcitur, quando auditus ſermo in ventre memoriæ non tenetur: ſed quiſquis alimenta non retinet, huius profectò vita deſperatur.* Sic ille. Ratio, quia magis periculoſa eſt animæ ſubtractio verbi Dei, quã corpori ſubtractio & defectus ciborum corporalium, vt patet *Amos* 8. *Mittam famem in terram* (ait Dominus) *non famem panis, ſed audiendi verbum Domini.* At de pane corporali dixit Dominus, Marci 8. *Si dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in viâ.* Multò ergò magis deficient in viâ, qui ieiunant à verbo Dei. Deinde hi oſtendunt, ſe non deſiderare aut quærere cœlum; quia ſicut qui nihil deſiderat ſcire de terrâ ſanctâ & Ieroſolymis; eo ipſo oſtendit ſe non cogitare illuc aliquando proficiſci: ita qui non curat audire ſermones de cœlo & itinere cœleſti: oſtendit ſe eò non tendere. Vnde *Ioan.* 3. ait Baptiſta: *Amicus ſponſi qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Ergò qui non gaudet ad vocem ſponſi, amicus eius non eſt.

E. IV. Tædium orationis.

Quartò. Vt oues crebrò & multum balant, ita raras edunt voces hædi. Similiter qui exoſum habent orandi ſtudium & à ſe ablegant (tametſi fortè in ſolennitatibus aliquid eiaculantur precatiunculæ & vnam alteramue vocem edunt) de hædorum numero videntur eſſe. Quemadmodum enim artifex, quando vendit inſtrumenta ſuæ artis vel aliâ ratione perdit, ſe & familiam ſuſtentare nequit, ſed cogitur mendicare vel fame interire: ita qui ſeponit orandi ſtudium, breuî ad eam redigetur inopiam, vt nec ipſe vitam animæ ſuæ ſuſtentare, nec alijs vitam ſpiritualem ſuppeditare queat; ſi quidem oratio eſt commune & generale inſtrumentum hominis Chriſtiani ad omne opus bonum rectè exercendum neceſſarium. Quando lupus ouem tenet apprehenſam faucibus, abſque dubio eam perimet, quia non habet ouis, quo auxilium inuocet. Ita tenuit latronem malum, qui ſi vel vnum *memento* ad Chriſtum effudiſſet, nequaquam periiſſet. Bonus autem cùm cæteroqui ligatus, ſola verò linguâ liber Chri-

ſtum

ed by Google

ſtum brauit, eum auxiliatorem habuit. O infælix latro! ſi modò aperuiſſes os & optimum oraſſes Dominum: quàm libenter tibi ignouiſſet! ſed tentus fuit in faucibus à tartareo illo lupo.

F. V. *Terrenarum rerum appetitus & ſitis.*

Quintò. Hædorum ſeu caprorum pili omnes pendent deorſum, nulli eriguntur ſurſum: quod nequaquam cernitur in ouibus. Ita illi, quorum cogitationes & deſideria ad ſæcularia propendent, ad cœleſtia non eriguntur; oſtendunt ſe pertinere ad hircos. Audiatur S. Gregorius *Moral. l. 8. ca. 41. Electorum anima*, inquit, *ad cæleſtia eriguntur, reproborum verò ad terrena; vt quòd ferrum mox ad magnetem adulat, cognationem quandam alterius cum altero ſignificat; & quod naphta bituminis quoddam genus, citiſſime ad viſum ignem inflammatur, ſignum eſt igneæ cuiuſdam in ipſo naturæ: ſic cæleſtis cuiuſdam originis & ciuis in ciuitate Dei & beatorum habendi quoddam indicium eſt, ſæpe cœlum ſuſpirare & dicere illud pſalmi: ſitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*, &c. Confirmatur hoc ſignum ex illâ domini ſententiâ: *Qui non renuntiauerit omnibus quæ poßidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Si exſcindenda ſit aliqua arbor, quam in partem eam putas caſuram? nónne in eam, in quam arbor eiuſque rami penè omnes inclinantur? Similiter ergo ſi cor tuum & cogitationes cordis tui propendeant ad ſiniſtram, ſæcularium bonorum; ad ſiniſtram cades. Sin vero ad dextram, ſupernorum bonorum; illuc cades. Vnde Sapiens *Prouerb.* 2. *Inclinata eſt*, inquit; *ad mortem domus eius; & ad inferos ſemitæ ipſius.* Quiſquis ergo hic tenebras & opera tenebrarum amat & ambulat in tenebris interioribus quorſum deueniet niſi ad tenebras exteriores? Intuere duas illas arbores, paulò antè commemoratas, latronẽ dextrum & ſiniſtrum: & videbis dextrum propendiſſe ad cœlum, beatitudinem deſiderando: *memento mei dum veneris in regnum tuum*; ſiniſtrum verò ad terram, vitam & libertatem deſiderando: *ſalua temetipſum & nos.* Quid mirum ergo, ſi ad ſuperos ille, hic verò ad inferos ceciderit? Ex quo etiam colligitur eos, qui ſegnes ſunt in exercitijs diuinis & piis: ſtudioſi vero & expediti in negotiis ſæculi peragendis, ad reprobos pertinere, quorum *pedes ad malum currunt* (Prouerb. 1.) & *veloces ſunt ad effundendum ſanguinem* Pſ. 13.

G. VI. *Nimia proſperitas ſæculi.*

Sextò. Hirci tametſi apparent macilenti, multæ tamen ſunt pinguedinis occultæ vt inde quandoque moriantur: ſic qui nimiâ proſperitate gaudent, bonis & deliciis perfruuntur, nec aliquando à Deo per tribulationes & flagella emaciantur ſeu caſtigantur: his magnoperè timendum eſt ne de hircorum numero ſint. Qui ſint filij huius ſæculi ſeu *filij alieni*, vt vocat Dauid, deſcribit ipſe *Pſ* 143. *Quorum filij ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua.* (dum videlicet virent ac florent formâ & veſtitu) *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi*, id eſt, ſplendidæ & ornatæ. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud*, id eſt, cum veteribus frugibus ſuperueniunt nouæ. *Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreßibus ſuis, boues eorum craſſæ: non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus neque clamor in plateis eorum.* q. d. nullum vnquam accipiunt damnum, vel in rebus etiam minimis, nullâ patiuntur moleſtiam: omnia ipſorum ſalua, omnia pacata ſunt. Subdit denique: *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.* Sed hanc vulgi opinionẽ reijcit & explodit, cum ſubiicit: *Beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Fuit quidem multorum ſanctorum magna etiam proſperitas in rebus temporalibus. Sed non ſine flagellis tamen & tribulationibus: non omnia habuerunt ſalua & pacata. Deinde bona temporalia eorumque, ſiue poſſeſſionem ſiue iacturam non magni æſtimârunt. Non moratur in illis ædibus Deus, vbi nullæ diuertunt aduerſitates, vt patet ex D. Ambroſij dicto & experientiâ circa hoſpitem quendam, apud Paulinum in vitâ. Deſumitur hoc ſignum ex verbis Abrahæ ad Lazarum. *Luc.* 16. *Fili recordare, quia recepiſti bona in vitâ tuâ & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Vnde S. Chryſoſt. *hom.* 3. *de Lazaro*, ait, *Vbi videris improbam vitam agentem nec quidquam acerbi hic patientem: ne putaueris illum beatum, ſed defle potiùs ac deplora velut illic omnia triſtia perpeſſurum, quemadmodum diues fecit.* Et D. Gregor. *hom.* 40. in Euang. ſuper eandem ſententiam ait: *Iſta fratres mei ſententia pauore potius indiget, quàm expoſitione. Nam ſiqui eſtis, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepiſtis: ipſum vt ita dicã, donum exteriùs pertimeſcere debetis, ne vobis per quorundam reſtrorum actuum recompẽſatione[illegible] ſit datum: ne Iudex qui hic bona exteriora reſtituit, à retributione boni intimi repellat.* ſic ille. Confirmatur idẽ ex Apoſtolo ad *Hebr.* 12. *Quòd ſi extra diſciplinam*, inquit, *facti eſtis cuius participes facti ſunt omnes; ergo adulteri & non filij eſtis.* Super quo D. Auguſt. ſic infert: *ſi exceptus es à paßione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Vnde D. Petr. Chryſologus in *ep.* 4. ſumptâ metaphorâ ab ædificatione tẽpli Hieroſolymitani, ait: *In ædificatione tẽporali omnes lapides priùs malleis tundebantur, ne in illorum poſitione ſonus mallei audiretur: neque in horreo domini reponitur granũ, donec flagellis aut triturantiũ pedibus ſit excuſſum; ſic & viui lapides, qui ponẽdi ſunt in illa cæleſti Hieruſalẽ, quæ ædificatur vt ciuitas, varijs infortuniorũ concußionibus poliuntur, priuſquã in ædificio cæleſtis habitaculi collocentur.* ſic ille. Vnde Eccleſia canit: *Tunſionibus, preſſuris expoliti lapides, &c.* non decet vt in cœlo primùm tundantur & poliãtur lapides, adeoque excitetur ibi tumultus flagellorũ, ciliciorum & ſimilium tunſionum; ſed hic, extra templum fieri hoc debet, vt lapides ſanctuarij ſtatim ibi ad ædificium reponi queant.

H. VII. *Odia & inimicitiæ tenaces.*

Septimò. Hædi duriſſima habent cornua & proni ſunt ad pugnandum & arietandum. Sic qui odium & inimicitias in corde gerunt & cornua, id eſt, vindictæ appetitum non deponunt, hirci comprobantur. De talibus enim ait Ezechiel *c.* 32. *Deſcenderunt ad infernum cum armis ſuis & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis.* q. d. deſcenderunt cum appetitu vindictæ & iracundiâ ſuâ ad inferos quia ſemper meditabantur vindictam, nec interim poterant quieſcere: cuiuſmodi ceruicali vtuntur omnes, qui ab offenſione tantum quietem ſibi quærunt. Sic Aman

Aman requiem non habebat, quamdiu videbat Mardochæum ſedentem ante fores regias, *Eſth.* 5. Sed hoc ipſum odiũ ei ſuſpendij cauſa fuit. Similiter de Eſau ait Apoſtolus *Hebr.* 12. *Reprobatus eſt; non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam.* Qui videlicet *ſemper oderat Iacob, pro benedictione qua benedixerat ei pater,* vt dicitur *Gen.* 27. Eandem ob cauſam Saul & Antiochus miſericordiam non inuenerunt, quia ira & odio ſemper æſtuabant. Sic Pharao eiuſque currus & equites *deſcenderunt in profundum quaſi lapis quia vltionem quærebant.* Vnde meritò Eccleſiaſticus *c.* 28. dixit: *Iudicium ſine miſericordia ei qui non fecerit miſericordiam.*

Ergò Auditores, quando ex Scripturâ ſacrâ & SS. Patribus deprehendimus non vana hædorum ſeu reproborũ indicia: intueatur vnuſquiſque ſemetipſum ac videat, num hædi ſpeciem præſeferat. Ac ſi quidẽ hoc deprehendat, quàm primùm mutare pellem & ouem induere ſatagat, niſi cum fœtentibus hircis velit in die illâ reiici ad ſiniſtram Iudicis & æternùm reprobari.

CONCIO VIII.

Documenta Euangelica.

Ad paſtores & oues documenta Euangelica.

1. *Paſtor gregi neceſſarius.*
2. *Paſtores adſint gregi.*
3. *Chriſtiani omnes oues.*
4. *Deus timendus.*
5. *Nemo turbetur ob incertitudinem ſalutis.*
6. *Vnum ouile quod eſt Eccleſia Chriſti.*
7. *Vnus Eccleſiæ paſtor ſupremus.*

THEMA.

Vocem meam audient, Ioan 10.

A. HOdiernum Euangelium vehementer vrget nos, vt Chriſtum paſtorem noſtrum diligamus & ſequamur. De nobis enim locutus eſt ſuauiſſima illa verba: *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere & vocẽ meam audient.* Ecce oues vocat, quando adhuc eramus hirci ſub Diabolo paſtore; quia nimirum ipſius gratia oues aliquando futuri eramus. Adhæc, *oportet*, inquit, *eas me adducere.* Ecce quantum amauit nos! Vult nos quærere & adducere: idque, *oportet*, inquit, quia nimirũ amor ad hoc vrſit illũ, qui nullius eget. Sed *& vocem meam audient*, inquit. Quare ſi fidẽ fallere Chriſto nolumus, audiamus vocem eius.

B. I. *Paſtor gregi neceſſarius.* Primò. Diſcimus, paſtorem gregi ſeu communitati eſſe neceſſarium; ſi quidem eo abſente aut fugiẽte, *Lupus rapit & diſpergit oues*, ait Dominus. Oues paſtore deſtitutæ, facilè pereunt, nec enim ſe tueri, nec domum redire ſciunt: & quò vna præcedit, etiam in periculoſum locum, eò ſequuntur aliæ: imò nec paſcua inuenire poſſunt. Ita populus Duce carens, potentiorum iniuriis obnoxius eſt, & facilè ſeducitur atque in ſeditiones diuiditur, & agit vnuſquiſque quod vult, vti *Iudic.* 17. dicitur: *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi rectũ videbatur, hoc faciebat.* Tum verò rectum videtur, quod eſt diſtortiſſimum: quod cuiuſuis cæcæ libidini placet, id bonum iudicatur. Hinc precatur Moyſes moriturus Deum, vt prouideat populo de Duce ſibi ſucceſſuro: *ne ſit populus Domini*, inquit *ſicut oues ſine paſtore, Num.* 27. Idemque omnis populus ſedulò precari deberet, quia ſicut nauis gubernatore, exercitus Duce carens, diu ſtare nequit: ita populus ſine rectore.

C. II. *Paſtores adſint gregi.* Secundò. Diſcunt Rectores adeſſe gregi ſuo & noſſe vultum eorum, iuxta id: *Ego ſum paſtor bonus & cognoſco oues meas.* Sic *Prouerb.* 12. dicitur: *Diligenter cognoſce vultũ pecoris tui tuoſq́; greges conſidera.* Ariſtoteles l. 1. *Oecon.* refert duo apophtegmata huic rei accommodata: alterum Perſæ cuiuſdam, qui interrogatus: quid maximè ſaginaret equum: *oculus Domini*, reſpondit. Alterum Afri, qui rogatus: quod ſtercus eſſet optimũ? *Domini veſtigia*, inquit; hoc eſt, Domini per agrum inambulatio. Viderit verò rector qui ſuâ abſentiâ, cõmittendo aliis omnia, damna dat reipub. Deo enim rationem reddet. Exemplo eſt Miceſlaus Poloniæ Rex, qui cùm regimen aulicis ſuis totum committeret, illique dominarentur, reprehenſus eſt à Gedeone Epiſcopo Cracouienſi: ſed fruſtrà. Itaque Epiſcopus mulierem ſubornauit, quæ ſordido habitu & miſerabili voce principis iuſtitiam imploraret. Iuſſa illa dicere; ait gregem ouium ſe filio commendaſſe, illum porrò mercenariis commiſiſſe, quorum negligentia factum vt grex à lupis dilaniatus ſit, rogare itaque ſe vt ad reſtitutionem amiſſi gregis reus condemnaretur. Citantur mercenarij, qui pariter ſubornati adſunt, & culpam in filium mulieris cõiiciunt: filius viciſſim in ipſos. Itaque Miceſlaus filium condemnat damni dati. Approbatâ ab ob omnibus hac ſententiâ, ſurgens Gedeon ait: *Rectè iudicaſti: Mulier illa patria tua eſt, quam tu mercenarijs commendaſti, & ita lupis deuorandam gregem, dum tu venaris, prodis, ſiquidem crudeles exactores ſanguine innocentum tuorum ſaginas, qui perinde ac à lupis impunè diripiuntur. Hac damna omnia à te reſarcienda ſunt, quemadmodum tu iudicaſti, canes coercendi, lupi perſequendi.* Confuſus hâc oratione Rex è Senatu ſe proripuit & in maiorem Poloniam ſe recepit. Proceres eum Principatu deponunt. Ziegler. *de viris illuſtr. Germ. c.* 75.

Tertiò. Diſcimus omnes nos oues eſſe. Si enim Chriſtus paſtor noſter, ergò nos oues eius. Ita *Ioan.* 21. dixit Petro: *Paſce agnos meos, paſce oues meas.* Suprà iam audiuimus Baſilium Macedonem, Græcorum Imperatorem in Concilio 8. Oecumenico, ad populum perorantem: *Quantacunque religionis & ſapientiæ laicus exiſtat, ouis vocari non deſinet. Rurſum quantumcunque Epiſcopus ſit irreuerentiâ plenus & nudus omni virtute, donec antiſtes & veritatis verbũ rectè prædicauerit, paſtoris nominationis & dignitatis damna non patitur.* Baron. anno 869. Porrò tria de ouibus commemorat Dominus.

Primum. *Cognoſcunt me meæ.* Agnus licet inter tota ouilia oberret, è mille matribus balantibus agnoſcit matrem ſuam, eamque ſuo balatu ad reſpondendum ſimili balatu excitat, vt 1.

ſic

ſic matrem inuenire queat, hocque niſi haberet, fame interire deberet, quia non admittitur ad vbera ab alienis. Fallitur ſæpe paſtor in diſcretione tam ouium quàm agnorum: ſed non falluntur matres nec agni. Sic ergo agnoſcere debemus Chriſtum: tanquam patrem & paſtorem noſtrum, ad eumque in anguſtiis recurrere & clamoribus noſtris eum magnâ fiduciâ excitare, velut certi de eius reſpõſione & ope. Multis agniculis meliores ſumus nos. Cur ergo non inuocamus? cur de ipſius ſuccurſu dubitamus? Oues ergo Chriſti non ſunt, qui ipſi diffidunt. Non enim eum cognoſcunt, neſciunt eſſe patrem ſuum. Norunt oues Chriſti, ipſum pro ſe paſſum & mortuum: vndè certò ſciunt ſibi ab eo præſtanda, quæ ſunt vtiliora. Neque Chriſtum tantùm, ſed & paſtorem ſuum Chriſto ſubordinatum cognoſcere oues debent; quod fit frequentando templum & ſacramẽta. Norunt etiam oues canem ſui paſtoris, vnde nõ timent illum, alios verò canes timent; quia canem paſtoris non habent pro hoſte: ita ſubditi noſſe debent caſtigationes & reprehenſiones Dei & ſuperiorum ſuorum, tanquam ſibi vtiles & nequaquam noxias.

2. Secundum. *Vocem paſtoris audiunt & ſequuntur eum.* Ouis enim ad tenuem paſtoris ſui ſibilum, reuocatur ad gregem, vel leui ſundæ iactu & ſuſurro. Non ita tauri, equi, capræ & bubali, qui ſtimulis coërceri debent. Adhæc ſequuntur oues paſtorem præeuntem, cùm aliæ pecudes à paſtore ſequente agi debeant. Ita ergo fideles promptè obedire & ſequi paſtorem ſuum debent: non diſputare, non quærere diuerticula, non expectare ſtimulos. Moleſtæ ſunt paſtori pecudes, quæ non niſi verberibus coërceri poſſunt: ita paſtori ſpirituali ſubditi ignaui. Quòd ſi brutę oues ita parent homini: quanto promptiùs parere debet homo homini, quẽ nouit ſibi à Deo præpoſitum ipſumque repræſentare?

3. Tertium. *Alienum non ſequuntur ſed fugiunt:* imprimis verò lupum, naturali horrore etiam poſt mortem durante; ſiquidem fides ouillæ, iuxta lupinas extenſæ cùm percutiuntur, non ſonant. Pier. *l. 10. hierogl.* Ita fideles fugere debent hæreticos & diabolũ imprimis: & qui illiterati ſunt, quando ſonat fides hæretica, taceãt, nec cum hæreticis diſputent, laici præſertim, quibus id expreſsè inhibetur Ca. *Quicunq; de hæreticis in 6.* Vbi Alexãder Papa ſic ſtatuit; *Inhibemus quoque ne cuiquã laicæ perſonæ liceat publicè vel priuatim de fide Catholicâ diſputare. Qui verò cõtra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Sic docuit facere S. Ioannes *ep. 2. c. 2. Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert,* inquit, *nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.* Sic S. Antonius moribundus: *Scitis*, ait ad ſuos fratres, *quia nunquam illis molliter aut pacificè locutus ſum: itaq; venena illorum & colloquia prorſus vitate.* Viderint ergo num oues Chriſti ſint, qui conciones hæreticorum audiunt: Quid ad hoc Ieremias *c. 5. Stupor*, inquit, *& mirabilia facta ſunt in terrâ, Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebãt manibus ſuis, & populus meus dilexit talia; quid igitur fiet in nouiſſimo eius?*

Conc. Fabri Pars Æſtiualis.

QVARTÒ. Diſcimus Deum timere; ſiquidem ipſe ait: *Ego cognoſco oues meas.* Et paulò ante: *proprias oues vocat nominatim & educit eas.* Ergo *nominatim*, id eſt, exactiſſimè nouit oues ſuas, non tantùm numerum, ſed conditionem, ſtatum, qualitatem, animum, intentionem, greſſus, &c. Hoc eſt quod ad *Hebr. 4.* confirmat Apoſtolus cùm ait: *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius.* Aperta, inquam, id eſt, excoriata vel exenterata, vti verbum Græcum τετραχηλισμένα ſignificat, q.d. Sicut in ouibus excoriatis & diſſectis ipſa inteſtina patefcunt: ità corda noſtra Chriſto. Poſſunt ergo oues decipere quidem paſtores ſuos, ſed non item principem paſtorũ, Chriſtum. Viderint proinde vt in confeſſione conſcientias ſuas fideliter aperiant confeſſariis ſuis: ne alioquin cùm detrahetur illis cutis in morte, inueniantur ſub ouinâ pelle lupinam geſſiſſe: & cùm ibidem exenterabuntur ab eo, qui ſcrutatur renes & corda, inueniantur intus reprobi. P. IV. Deus timendus.

QVINTÒ. Diſcimus non perturbari ob incertitudinem ſalutis noſtræ; quia Chriſtus cognoſcit oues ſuas, nec vlli faciet iniuriam; non reprobabit eam, quæ audierit vocem eius. Et vt Apoſtolus 2. *Ad Tim. 2.* ait: *Cognouit Dominus qui ſunt eius. Nouit Dominus*, inquit S. Auguſtin. *tract. 12. in Ioan. qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam: nouit in areâ ſuâ triticum, nouit paleam, nouit ſegetem, nouit zizania.* Hęc verò Dei præſcientia potiùs conſolatur iuſtos, quàm perturbat, quia quales futuri ſunt, tales prænouit futuros Deus; nõ ideo tales futuri, quia præcogniti à Deo; ſed ideo tales præcogniti, quia tales futuri. Vnde ſequitur electionem aut reprobationem noſtram nequaquam pendere à Dei præuiſione, ſed potiùs à nobis & vitâ noſtrâ, quæ eſt nota & character prædeſtinationis vel reprobationis. Eſt enim in poteſtate noſtrâ benè vel malè agere, ergo etiam ſaluari & damnari. Quare ſtulta eſt illa quorũdam phantaſia, quâ ſic argumentantur: ſi prædeſtinatus ſum ad gloriam certus ſum de eâ, nec poſſum ab eâ excidere quibuſcumque tandem peccatis: ſi præſcitus ad perditionem, nihil me iuuabit indeque liberabit quidquid boni egero, fruſtra ergo laborabo, &c. Sic enim argumentari potiùs debes: ſi bene vixero, ero ex prædeſtinatis: ſi malè, ex præſcitis; quia à bonâ vitâ tanquam cauſâ pendet electio ad gloriam, vti à malâ reprobatio & damnatio. Hoc ſenſu dixit S. Auguſtinus, *ſi non es prædeſtinatus, da operã vt prædeſtineris.* Quia bona vel mala vita eſt in poteſtate noſtra, ergo & electio & reprobatio. Prædicta illa Phantaſiâ implicatus erat Ludouicus Landgrauius à Thuringiâ, vt refert Cæſarius *l. 1. c. 27.* qui in grauem morbum lapſus, medicum vocauit vt eius opę ſanitatem recuperaret. Sed reſpondit Medicus (conſcius erroris & phãtaſiæ illius) *Domine ſi moriturus es, nihil proderit opera mea. Si nõ moriturus, fruſtra erit medicina mea.* Attonitus hoc reſpõſo Comes: *ſi medicinã*, inquit, *nõ adhibuero negligã meipſũ, & moriar ãte tẽpus.* Lętus hoc reſpõſo Medicus: *Domine ſi cre-* P. V. Nemo turbetur ob incertitudinẽ.

E

ſi creditis, ait, poſſe vobis vitā prorogari per medicinā meam, cur nō creditis ſalutem veſtrā procurari poſſe per pœnitentiam & opera iuſtitiæ? ſine his enim anima moritur. Cui Landgrauius: *De cætero eſto medicus animæ meæ: quia per linguam tuam medicinalem Deus me liberauit a maximo errore.* Quare de medijs ad ſalutem perducentibus ſolliciti eſſe debemus, non de prædeſtinatione. Vnde Apoſtolus cū dixiſſet: *cognouit Dominus qui ſunt eius*; Mox ſubjicit quod ex noſtra parte requiritur: *Et diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomē Domini.* Et hæc orthodoxa veritas adeò conformis eſt naturæ liberi arbitrij & lumini naturæ, vt eandem viderint etiam Philoſophi & Poetæ, quorum illa eſt gnome. Cum Mineruā quoque manum moue; orta vel ab agaſone qui extrahendo è luto aſino ſuo Herculem implorauit, ipſe otioſus ſtans; cui reſpondit oraculum: *Admoue manum aſino laboranti, ita demum Numen tibi aderit.* Vel à paleſtritā, qui in paleſtra luctaturus Mineruam conſuluit num futurus eſſet victor, audiitque victorem fore. Verùm cùm is ingreſſus in theatrum, manus ad luctam non moueret, percuſſus ab aduerſario & victus eſt.

G. VI. Vnum ouile ſeu Eccleſia Chriſti.

SEXTÒ. Diſcimus vnum eſſe Chriſto ouile, ſeu Eccleſiam. Qui in hac Noë arcâ non eſt, peribit. Qui in hac domo Rahab non eſt, in gladium incurret. Qui in hac vite non eſt, in igne erit. Ergo decipiuntur hæretici qui volunt vnumquemque in ſuâ ſectâ ſaluari poſſe. Certè religio noſtra ab illorum ſectâ diuerſiſſima eſt, vti apertiſſimum. Viderit ergo quiſque quo in ouili ſit. Nos Catholici cauſam non habemus dubitandi aut metuendi ne extra ouile Chriſti ſimus, quia videmus antiquam noſtram domunculam, antiquum præſepe, antiquam ianuam, antiquos paſtores, antiquum pabulum, antiquos paſtorum noſtrorum canes: hoc eſt, antiqua noſtra templa iuxta veterum morem adornata, antiquum ſacrarium vbi aſſeruatur corpus Chriſti, antiquum baptizandi ritum, antiquos Doctores, antiquum Dei verbum antiquorū Patrum ſenſu expoſitū & antiqua ſacramenta, antiquos canones & cenſuras. Dicant enim hæretici, quando hæc talia non habuerimus, quando nouitatem induxerimus, quo anno, quo loco, ſub quo Imperatore, Pontifice, &c. At ipſi quamplurimas ſuſpicandi rationes habēt, ſe in eo ouili non eſſe, cui Chriſtus & Apoſtoli præfuerunt; ſiquidem templa illorum ſtabulis ferè ſimilia facta ſunt, & antiquo ornatu ſpoliata; monaſteria deſolata & in horrea mutata: ſacraria diruta aut vacuata, nec alio fine in templo manentia quàm quo globus ſuper haram poſitus: alius baptizandi ritus, alij paſtores, priùs non viſi, prophani, vxorati; aliud Dei verbum: alia ſacramenta; aliæ leges &c. In eiuſmodi ouile qui ingreditur, meritò circumſpicere deberet & mirari eius nouitatem, idque ſuſpectum habere.

H. VII. Vnus Eccleſiæ paſtor ſupremus.

SEPTIMÒ. Diſcimus vnum eſſe Eccleſiæ paſtorem, cui ſubordinati ſint reliqui inferiores adeoque Eccleſiæ regimen eſſe Monarchicum. Hunc autem in ouili tantùm Catholicorum reperimus. Hæretici ſunt acephali. Obijciunt paſtorem ſuum Chriſtum eſſe, & de hoc intelligenda Chriſti verba, Non neſcio, ſed cùm ouile Chriſti ſit in terra, ipſe autē in cœlo, quomodo Eccleſiæ ſuæ ſatis prouidit, niſi etiam dederit illi paſtorem viſibilem in terrâ? Quomodo enim in dubiis rebus recurrere ad Chriſtum poſſumus eiuſque definitionem obtinere? Eſt ſanè Chriſtus Eccleſiæ caput quoad internum gratiæ influxū, verùm quoad externā gubernationē conſtituit ei Vicarium ſuum, qui viſibilis Eccleſiæ qualē ipſe inſtituit & cui ipſe viſibiliter præfuit, dum in terris eſſet, viſibile caput eſſet, ne regimē Eccleſiæ viſibile & Monarchicum mutaretur. Hinc Eccleſia comparatur exercitui ordinato, *Cant.* 6. Regno, *Dan.* 2. Domui, 1. *Timoth.* 3. Corpori humano, 1. *Cor.* 12. Ouili denique in hodierno Euangelio. Debet autem exercitus habere Ducem ſuum viſibilem, regnum ſuum regem, domus patremfamilias, corpus caput, ouile paſtorem, alioquin erit diuiſio, ſchiſma & diſſenſio; v. g. ſi duo vel tres Duces eiuſdem forent exercitûs; vnus ſuaderet pugnandum, alter quieſcendum, tertius fugiendum. In hoc ergo ouili perſiſtamus, Auditores, donec inde à paſtore noſtro ad cœleſtis vitæ paſcua educamur.

CONCIO IX.

Myſteria.

Myſteria veri paſtoris enarrantur.

1. *Chriſtus quomodo paſtor.*
2. *Quomodo Chriſtus paſtor ille bonus?*
3. *Quomodo bonus paſtor dat animam pro ouibus.*
4. *Quinam mercenarij.*
5. *Licétne paſtori fugere tempore perſecutionis?*
6. *Quis lupus.*
7. *Quinam oues.*
8. *Quæ oues aliæ extra ouile.*
9. *Cur Eccleſia regimen monarchicum.*

THEMA.

Vocem meam audient. Ioan. 10.

SAt ſuperque, Auditores, demonſtrauit hactenus Dominus ſe paſtorem bonum, qualē ipſe deſcribit *Ioan.* 10. & ex parte in hodierno Euangelio. Nā primò pauit oues ſuas, diſcipulos, delicatiſſimo illo pabulo corporis & ſanguinis ſui in vltimâ cœna. Deinde defendit & ſeruauit oues ſuas, quando in monte Oliueti ab inſidiatorum manibus tutatus ac nulli quidquam mali inferri paſſus eſt. Ad hæc in paſſione ſuâ poſuit pro ouibus animā ſuam: proſtrauitq; lupum (Dæmonem) baculo crucis ſuæ. Deniq; ab inferis regreſſus reuiſit gregem ſuum & in vnam congregauit domum, reduxit etiam ad ouile ſuum errantem illam ouiculam, Thomam, vti vidimus ante octiduum. Iure igitur ac verè dicere in hodierno Euāglio potuit: *Ego ſum paſtor bonus.* Supereſt nunc vt demonſtremus eſſe nos boni paſtoris oues bonas. Quod verò potiſſimum requirit paſtor iſte ab ouibus ſuis, eſt vt audiant vocē eius; quam profectò ex ore ipſiuſmet Chriſti audire nunc non licet: ex ore Concionatorū licet, qui in Prophetiâ Ieremiæ *c.* 15. A.

ac

os Domini nuncupantur, dicente ad Prophetam Domino: *Quaſi os meum eris*. Itaque, Auditores, oues vos præſtate & audite vocem paſtoris veſtri.

B. I. Chriſtus quomodo paſtor.

QVÆRIT. PRIMÒ, Chriſtus quomodo paſtor? Reſp. quia inſtar paſtoris Eccleſiam ſuam regit & cuſtodit. Primò enim oues ſuas paſcit SS. Euchariſtiâ alijſque ſacramentis & verbo
1. Dei. Deinde defendit & tuetur contra Ty-
2. rãnos & Hæreticos, eſtq; eis velut *murus igneus in circuitu*, vti promiſit *Zach.* 2. Rurſum *Michææ* 5. *ſtabit & paſcet in fortitudine*. q.d. Sicut paſtor innixus baculo ſuo ſtat intentus in ſuas oues, num quæ aberrat, vel an lupus aliquis aduenter: Sic Chriſtus inuigilabit Eccleſiæ ſuæ. Vnde S. Stephanus dimicans cum lupis vidit Chriſtũ ſtantẽ in cœlo ad opem ſibi ferendam.

Denique quia pro eis plurimos & grauiſſi-
3. mos ſuſtinuit labores, dum in terris degeret, imò mortem ipſam oppetiit vt è tartarei lupi faucibus eas eriperet. S. Hieronymus *Zach.* 11. paſtoris inſignia deſcribit, Chriſto conuenientia. Sunt autem pera, baculus, fiſtula, ſibilus, melotes ſeu ouis exuuium, & canes. Melotes in Chriſto quid niſi humana eius natura, quam de ouibus ſuis, vt per omnia eis ſimilis fieret, aſſumpſit? Peram, imò multas peras gerit, vaſcula ſcilicet ſacramentorũ, in quibus gerit animarũ pharmaca & pabula. Baculum præfert Crucem, de quâ *Pſal.* 22. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*. Nullâ enim re magis recreantur Chriſti oues quàm Crucis & Paſſionis Dominicæ aſſiduâ meditatione. Eo dæmonẽ proſtrauit & ab ouili ſuo arcet hodieque, dum vel nudo Crucis ſigno inſidias eius depellit & annihilat. Fiſtula, quâ mulcet oues, verba ſunt diuina, Conciones & ſcripturæ ſacræ aliique libri pij, quibus plena eſt Eccleſia. Sibilus ſunt inſpirationes cordis, quibus homines vocat ad ſe & reuocat à vitiis. Denique Moloſſi eius ſunt Eccleſiæ Doctores & Concionatores, Prælati, Confeſſarij, qui latratibus ſuis Eccleſiam defendunt & ab ouili Lupos arcent.

Eadem ferè ſunt inſignia Paſtoris ſeu Prælati cuiuſcũque, vti oſtẽdit Adam de Perſeuiâ. *Ad hoc enim vt ſit paſtor humilis, vtilis & fidelis*, inquit, *debet habere panem in pera, canẽ in fune, baculũ cum virga, cornu cũ fiſtula. Panis eſt verbũ Dei, pera eſt memoria verbi, canis eſt zelus paſtoris. Quia zelare habet pro domo Domini ſui & deterrere lupos piis latratibus ſãcta prædicationis, & indefeſſæ orationis. Funis quo canis tenetur, moderamẽ zelantis, & diſcretio, quâ zelus paſtoris ſpiritu pietatis & ſcientia temperatur, ne fortè, ſicut ait Apoſtolus, zelum Dei habeat, ſed non ſecundum ſcientiam. Baculus eſt pia exhortationis conſolatio quâ ſuſtentet, & conſoletur puſillanimes, ne in tempore tribulationis deficiãt. Virga eſt poteſtatis authoritas, qua corripit inquietos, ne de impunitate, audaciam ſumant. Cornu cuius ſonitu terribili ad belli conflictum milites animantur; eſt terribilis comminatio, quâ Chriſti milites cõtra vitiorũ mollitiẽ, ſpiritu fortitudinis accingũtur. Fiſtula quæ dulciùs canit, æternæ dulcedinis ſuauitatem deſignat, quam ſubditorum auribus fidelis paſtor dulciter, ac frequenter inculcat.*

Conc. Fabri Pars Æſtiualis.

C. II. Quomodo Chriſtus paſtor ille bonus.

Quærit. SECVNDÒ. Quomodo Chriſtus paſtor bonus: & per emphaſim (vti articulus græcus ὁ καλὸς indicat) ille bonus? Reſp. talem ſe appellat Chriſtus vt indicet ſe paſtorem illum eſſe à Prophetis prædictum, qui ſolus erat oues de ore lupi tartarei eruturus. De eo enim prophetauit Ezechiel *c.* 34. *Suſcitabo ſuper eos paſtorem vnum*. Iſaias *c.* 40. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet*. Zacharias *c.* 13. *Framea ſuſcitare ſuper paſtorẽ & ſuper virum cohærentem mihi*; qui nimirũ perſona vna ex diuinis ſit. Ideoque à S. Petro *ep.* 1. *cap.* 5. vocatur *princeps paſtorum*. Eſt ergo paſtor bonus per excellentiam. Primò, quia Deus, qui 1.
eſt eſſentialiter bonus; quo modo nemo alius cẽſeri bonus poteſt, vt indicauit Dominus adoleſcenti cuidã, dicens *Nemo bonus niſi ſolus Deus*, *Marci* 10. Secũdò, quia etiam ſecundùm huma- 2.
nitatem adeò bonus fuit, vt nihil vnquam mali admiſerit, nec admittere potuerit. Tertiò, quia 3.
officium paſtorale per excellentiam adminiſtrauit; quo modo nemo vnquam. Imprimis 1.
enim ſummo cum amore intrauit per lutum, per ſpinas & clauos crucis vt ouem perditam recuperaret: hæſit etiam baculo crucis & demiſſo capite, quaſi portans ouem humeris poſuit animam pro ouibus ſuis, poſtquam exquiſitiſſimis tormentis, pro illarum cuſtodiâ depugnaſſet & ſalute, quam ſolus eis parare poterat; nec qualemcunque vitam poſuit, ſed vitam hominis Dei, toto mundo pretioſiorem. Poſuit etiam ſponte, merâ liberalitate & amore. Poſuit quoque gratis, quærens ouium emolumentum. Poſuit abſolutè, non ſecundùm conditionem accelerationis tantùm; ſiquidem ipſi ratione vnionis hypoſtaticæ debebatur immortalitas; vnde debebat numquam mori: cæteri paſtores, qui vitam pro ouibus poſuerunt, aliquando nihilominus mori debuiſſent. Magnũ ergo in hoc diſcrimẽ eſt inter Chriſtum & paſtores alios pro ouibus occiſos. Deinde paſcua 2.
eis prouidit, non corporalia vt cibum: ſed ſpiritualia, Dei verbum, ſacramenta, corpus & ſanguinem ſuum. Vnde *Ezech.* 34. ait, *Paſcam eas in montibus Iſrael, in riuis & in cunctis ſedibus terræ. In paſcuis vberrimis paſcam eas & in montibus excelſis Iſrael erunt paſcua earum: ibi requieſcẽt in herbis virentibus & paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſrael*. Paſcua in vallibus ad riuos, ſũt frequens ſacramẽtorum vſus & verbi diuini prædicatio, oues Chriſti impinguãs. Paſcua in mõtibus ſunt contẽplationes & exercitia Anachoretarum & religioſorum, qui in iis requieſcunt & ludũt velut oues in herbis virẽtibus. Adhæc Tertiò, nouit omnes oues ſuas & ita quidem vt nulla ei rapi de manu queat; ſignauit enim eas ſignaculo prædeſtinationis, quod nemo delere poteſt. Nouit etiam non extrà ſolùm, ſed intùs & in cute; quas alij paſtores non nôrant. Quartò, Auget ouile ſuum ex alienis caulis, abripit enim Dæmoni quamplurimas ouiculas ſeu potiùs hircos & inducit in ouile ſuum facitque ex hircis oues. Vnde hîc ait: *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere*. Quod & fecit per Apoſtolos, mittendo eos ad Gentes. Denique nihil emolumenti

acci-

accipit ab ouibus, non lac, non lanam, non carnes: totum emolumentum ouium eſt. Et ſi qua gloria ex ſalute ouium redundat in Chriſtum, ea primò ouium eſt; deinde Chriſto neceſſaria non eſt, cui ratione vnionis hypoſtaticæ debetur omnis gloria. Quàm verè igitur Chriſtus aſſerit ſe eſſe paſtorem illum bonum?

D. III. Quomodo bonus paſtor dat animam pro ouibus.

Quærit. TERTIÒ. Quomodo verum illud: Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis? Quis enim paſtor hoc faceret? quis homo mori velit pro pecude? & nónne paſtor iugulat oues?
1. Reſp. 1. Chriſtum metaphoricè loqui de paſtore hominum: de quo veriſſimũ eſt dicere: *Bonus paſtor* (ouium ratione præditarum) *animam ſuam dat pro ouibus ſuis*, cùm ſcilicet dare opus eſt. Ac licèt vita Chriſti, vt ſuprà diximus, præſtantior fuerit omnium hominum vitâ, voluit tamen Chriſtus temporalem ſuam vitam æternæ ouium vitæ poſtponere; maius bonum iudicans ſalutem ouium æternam, quàm paſtoris vitam breuem. Ita Baradius hic.

2. Reſp. 2. Etiam paſtorem ouium brutarum debere pro ouibus ſuis animam ponere, hoc ſenſu, quia debet facere ea quæ ſunt officij ſui etiam cum periculo vitæ, ne ipſius culpâ alienæ pereant oues, quarũ paſtor conſtitutus eſt. Præſtat enim mori quàm Deum vel leuiſſimè offendere. Ita de Dauide ait Ionathas ad Saul Patrem: *Poſuit animã ſuam in manu tua*. 1. *Reg*. 19. hoc eſt, expoſuit vitã ſuam pro te periculis. Sic *Act*. 15. dicitur de Paulo & Barnaba, quòd tradiderint animas ſuas pro nomine Domini. Aliquando etiam cum laude pro re temporali vitam ipſam profundimus, vt cùm quis cõtra furem tuetur domũ ſuam: cùm paſtor contra lupũ decertat pro ouibus ſuis etiam propriis & interim à lupo laceratur: cùm nautæ merguntur dum vacant nauigationi, milites militiæ, &c.

E. IV. Quinam mercenarius.

Quæritur QVARTÒ, Quinam mercenarius? Reſp. duplices eſſe mercenarios. Alii enim ſunt à Dominis ouium conſtituti vt pro mercede paſcant oues, & de his ſi faciant officium ſuum, non eſt hic ſermo; eoſque excludit Dominus cùm explicans mercenarium, addit: *Et qui non eſt paſtor*. q. d. de illo mercenario loquor, qui non paſcit oues pro officio ſuo. Quare qui propter mercedem operantur, ſecundariâ tamen intentione, mercenarij quidem vocari poſſunt, ſed non reprehenſibiles, neque hîc taxantur. Alij ergò ſunt, qui vel intuitu ſolius mercedis paſcunt oues, lucri causâ, non ex amore: vel malè paſcunt, non attendentes muneri ſuo. Ita D. Gregorius *homil*. 14. *in Euangel*. ait: *Non paſtor ſed mercenarius vocatur, qui nõ pro amore intimo oues Dominicas ſed ad tẽporales mercedes paſcit. Mercenarius quippe eſt, qui locum quidem paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit*. Et S. Auguſtinus *tract*. 46. *in Ioan. ſuper hunc locum: ſunt quidem Eccleſiæ Præpoſiti de quibus Paulus Apoſtolus dicit: ſua quærentes, nõ quæ* IESV CHRISTI. *Quid eſt, ſua quærẽtes? Non Chriſtum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærẽtes, temporalia commoda ſectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes; hæc quando amantur è propoſito & propter hæc ſeruitur Deo, quiſquis eſt talis, mercenarius eſt*.

Tales ergo, Primò dicuntur eſſe mercenarij, quia intuitu ſolius mercedis paſcunt oues, *quærentes quæ ſua ſunt, non quæ* IESV CHRISTI, *ad Philip*. 2. De quibus ait Ezechiel c. 34. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nónne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini & quod craſſum erat occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis*. q. d. ad reditus tantùm & honores attendebatis, non ad oues. Salaria pinguia ab ouibus exigebatis, quibus curam nullam impendebatis. Audiant hi Bernardum ep. 2. *Quidquid præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt*. 1.

Secundò. Habere oues velut alienas & non ſuas; quia tam parum curant eas, ac ſi nihil ad ſe pertineant, cùm tamen paſtor licèt mercede conductus ita debeat cuſtodire oues ac ſi ipſius propriæ forent, adeóque eas per amorem facere proprias. Sunt autem huiuſmodi qui oues aliis committunt nec curant quomodo ab iis paſcantur: numquam eos viſitant: numquam examinant an faciant officium ſuum: diutiſſimè autem ſemper á grege ſuo abſunt. Antiqui Philoſophi Principem & Præſulem cum ſole comparabãt, quẽ appellabant *Theon*, id eſt currentẽ; vt ſignificarent debere illum ſubditos ſuos perpetuò luſtrare omniaque animo percurrere, curam & vigilantiam apprimè illi neceſſariam eſſe. Diſcant à Philoſophis præſules Chriſtiani. 2.

Tertiò, Dicuntur non paſtores; quia etſi nomen paſtoris gerunt munus tamen non exercent: quales hodie multi, qui pinguia beneficia poſſidentes, ſine habitu clericali incedunt, quia de eo erubeſcunt etſi de fructibus glorientur. Horas canonicas nõ recitant: Miſſam rariſſimè celebrãt: templũ raró adeunt, nihil deniq; ſacri præſeferunt; quòdque pernicioſiſſimum, oues pabulo verbi Dei & ſacramentorum deſtituunt. Nauarchi nomen non meretur, qui in nauigando ſe mauult incolumem ſeruare quàm nauim: ſic paſtoris nomine indignus eſt, qui ſe potiùs quàm oues paſcit. Illos Zacharias c. 11. vocat idola: *ò paſtor & Idolum* (Hebr. pro Idolo habetur Elil; id eſt, Deiculus q. d. ó Deicule! ó Gotzle!) & paſtores ſtultos (Heb. Euil.) Vult ergo dicere tales eſſe velut ſtatuas aut laruas poſitas coram grege: *Euilim & Elilim* ſtultos & Idolula. Idolum *os habet & non loquetur: oculos habet, & non videbit: aures habet, & non audiet, manus habet & non palpabit; pedes habet & non ambulabit: non clamabit in gutture ſuo*. Ita talis non habet doctrinam, quam loquatur ad populum, neque oculos ad neceſſitates ouium commiſerandas, nedum ſubleuandas; ſed tantummodò ad tondendum, & accipiendum lac & caſeum. Non habet aures, quas lucro temporali obturatas habet, & ſæpe abſens eſt, vt illas audire non poſſit; ac idcircò meritò auribus deſtitutus cenſeri poteſt. Manus habet, non ad orãdum aut ſacrificium offerẽdum, aut ad ſuccurrendum ouibus indigentibus, ſed ad rapiendũ fructus Eccleſiæ ſuæ & percutiendum ſententia excommunicationis, niſi fideliter & integrè decimæ reddantur. Pedes habet non ad viſitandum 3.

duin diœceſim & ad educendum oues in paſcua, vt ante eas vadat; ſed vt viſo lupo, aut perſecutione orta fugam arripiat, & oues ſuo auxilio & præſidio deſtituat.

Quartò. Dicuntur veniente lupo dimittere oues & fugere? quia accedente perſecutione vel fugiunt corporaliter, dimittendo oues: vel ſpiritualiter dum hæreſes permittunt graſſari in ouiculas: vel Diabolum ipſum, peccata diſſimulando, ouibus verbi Dei & ſacramentorum pabulum ſubtrahendo, &c. *Fugiſti*, ait ſanctus Auguſtinus *tractat.* 46. *in Ioan. quia tacuiſti; tacuiſti, quia timuiſti. Fuga enim timor eſt: corpore ſtetiſti, ſpiritu fugiſti.* Et S. Greg. *ho.* 14. *in Euang. Fugit mercenarius non mutando, ſed ſubtrahendo ſolatium. Fugit quia iniuſtitiam vidit & tacuit. Fugit quia ſe ſilentio abſcondit. Quibus bene per Prophetam dicitur: Nō aſcendiſtis ex aduerſo neque oppoſuiſtis murū pro domo Iſrael. &c. Ezech.* 13. Et *l.* 29. *Moral. cap.* 2. *Video*, inquit, *alios, quibus exhortandi officia ſunt commiſſa; qui vident aliquod illicitum committi, & dum potentum quorundam gratiam offendere metuunt, arguere non præſumunt. Quiſquis iſte eſt, quid facit aliud, niſi videt lupum venientem & fugit?* His dicitur *Ezech.* 34. *Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabitis eis & cum potentia. Et diſperſæ ſunt oues meæ eò quòd non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri.*

F. V. Licetnè paſtori fugere perſecutionis tẽpore.

QVAERIT. QVINTÒ. Licetne paſtori fugere perſecutionis tempore? Reſpondet ad hoc S. Auguſtin. *ep.* 180. *ad Honoratum*, & ex eo DD. in hunc modum. Quando ex fugâ alicuius, alij grauiter ſcandalizarentur, iuſtitia opprimeretur, prædicatio & ſacramentorum adminiſtratio omitteretur, ac oues Chriſti periclitarentur, non licet fugere ei, per cuius fugam hæc ſequerentur. Cùm verò maior gloria Dei, & Eccleſiæ vtilitas, & Euangelium ipſum poſtulat vt fugiamus, fugiendum eſt, & non fugere peccatum, v. g. quia non expedit Eccleſiæ priuari tali Doctore. Rurſum S. Auguſt. epi. cit. *Fugiant*, inquit, *de ciuitate in ciuitatem ſerui Chriſti, quando eorum quiſquam ſpecialiter à perſecutoribus quæritur, vt ab aliis, qui non ita requiruntur, non deſeratur Eccleſia. Cum autem omnium eſt commune periculum hi qui aliis indigent, non deſerantur ab his, quibus indigent.* Rurſum fugere licet cùm eius qui manſerit, fides in periculo verſabitur. *Chriſtum*, enim, inquit S. Chryſoſto. *fugiendo non negat, qui ideo fugit, ne neget.* Ille autem qui ad euitandum periculum recedit abſque detrimento gregis non tanquam mercenarius fugit. Imò ſic fugere non deſerere, ſed inſtaurare prælium eſt.

G. VI. Quis lupus.

QVAERIT. SEXTÒ. Quis lupus? Reſpondet
1. Primò S. Gregorius *homil.* 14. *in Euang. Lupus ſuper oues venit cum quilibet iniuſtus & raptor fideles quoſque atque humiles opprimit.* Reſpondet Se-
2. cundò idem ſanctus ibid: *Sed eſt alius lupus, malignus videlicet ſpiritus, qui caulas fidelium inſidians circuit & mortes animarum quærit.* Et mox: *Lupus rapit & diſpergit oues, cum alium ad luxuriam pertrahit, alium ad auaritiam accendit, alium in ſuperbiam erigit, alium per iracundiam diuidit, hunc inuidia ſtimulat, illum fallacia ſupplantat. Quaſi ergo lupus gregem diſsipat, cum fidelium populum Diabolus per tentationes necat.* Adnæc inſatiabilis eſt in laniandis animabus: vlulat in cœlum, blaſphemando Deum, &c.

Reſpondetur Tertio, ſecundum Apoſtolum *Act.* 20. Lupos eſſe hæreſiarchas: *Ego ſcio*, inquit, *quoniam poſt diſceſsionem meā intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Hi enim inprimis inſatiabili ingluuie iugulant, quos poſſunt; deinde miro odio proſequuntur canes, id eſt, Eccleſiæ Doctores, qui illis impedimento ſunt; ad hæc vti lupi Africani, teſte Auguſtino, fingunt interdum vocem canis & paſtoris; ita illi ſub prætextu ſcripturæ decipiunt. Taceo alia. Tria dicitur facere lupus. Primò venit. Secundò rapit. Tertiò diſpergit oues. Idem facere primò Tyranni qui in ouile Chriſti graſſati, alios fideles rapuerunt ad martyria, alios diſperſerunt in exteras regiones & ſolitudines. Deinde hoc facit Diabolus qui venit ſubdolè per tentationem: rapit dum per conſenſum trahit hominem quaſi vnguibus comprehenſum ad peccatum: dilaniat dum in alia & alia vitia ac demum in profundum vitiorum impellit: diſpergit oues, cùm diſcordias ſeminat: cùm à quiete mentis in extraneas cogitationes & curas mundi abſtrahit, vt homo ſui & Dei oblitus vagetur extra ſe cum prodigo filio. Denique id quoque hæreſiarcnæ faciunt; qui veniunt, non miſſi à legitima poteſtate; deinde rapiunt oues dentibus blandiloquentiæ ſuæ; denique aliis in hæreſin abreptis alios diſpergunt & eiiciunt ex ſedibus ſuis: ſcindunt vrbes & familias in diuerſas ſectas, coniiciunt alios in dubia & perplexitates vt neſciant quid credere, quem paſtorem ſequi debeant.

QVAERIT. SEPTIMÒ. Quænam oues? Reſp. hoc loco eſſe omnes fideles ſiue bonos ſiue malos, qui in ouili Chriſti ſunt; quia nimirum Dominus voluntate antecedente vult eos omnes eſſe veras, id eſt, electos, & quantum in ipſo eſt conatur eos tales facere. Rectè autem homines, comparantur ouibus. Primò, quia vti oues, ita & ipſi à natura inermes creati ſunt, vt manſuetudine pollerent. Secundò, infeſtantur tot morbis, quot oues, vt ſcribit Ariſtoteles. Tertiò, brevi tempore viuunt, quemadmodum & oues quæ ad denos annos, duces verò pecoris ad quindenos annos pertrahunt vitam, inquit Ariſtoteles 6. *hiſt. anim. ca.* 19. Quartò ſingulæ Reſpub. ſingulos habere rectores debent, quemadmodum & ſingula ouilia ſingulos duces. Ariſt. ibid. Quintò ſæpè & facilè deuiant ab æquo & recto, quemadmodum & oues à via & grege; vnde vt hæ lupo, ita illi dæmoni preda fiunt.

H. VII. Quinam oues. Homines. 1. 2. 3. 4. 5.

Dicuntur hæ oues Primò Chriſtum paſtorem ſuum agnoſcere (*cognoſcunt me meæ*) partim per fidē, vti omnes fideles; cuiuſmodi nō erant Phariſæi, qui de illo dicebant: *Hunc neſcimus vnde ſit, Ioa.* 9. partim etiam per dilectionem vti illi tantùm, qui in gratia conſtituti. Et hæc eſt cognitio approbationis & amicitiæ; de quâ

Paſtorem agnoſcũt.

1. *Ioa.* 2. dicitur; *Qui dicit ſe noſſe Deum & mandata eius non obſeruat, mendax eſt.*

2. *Audiunt vocem, eius.* Secundò. Audire vocem eius. (*Vocem meam audient.*) Solent enim agnoſcere oues vocem matrum è millibus licet aliis, nec nõ & paſtoris ſui vocem ac ſibilum: ita ergò & fideles non modò Eccleſiæ vniuerſalis matris ſuæ vocem, ſed etiam paſtorum ſuorum mandatum & nutum audire conuenit. Hoc ſignificarunt cognati Iob, qui poſt exantlatos patientiæ labores, ſinguli obtulerunt ei ouem vnam cum inaure vna aurea, *Iob.* 42. nimirum Chriſto poſt immenſos crucis labores offerenda in mercedem & ſolatium laborum eſſe gentes ex omnibus mundi plagis, velut oues, quæ promptiſſima voluntate vocem eius audituræ eſſent.

I. VIII. *Quæ oues aliæ extra ouile.* QVÆRIT. OCTAVÒ. Quæ oues aliæ extra ouile ſynagogæ fuerunt? Reſpon. fuiſſe Gentes. Fuerunt enim ab initio mundi ſemper iuſti aliquot ante ſynagogam exortam, qui de ſemine Iudæorum non erant (à circumciſione enim Abrahæ primum cœpit ſynagoga Iudæorum) quibus ſatis erat credere in vnum Deum Saluatorem & retributorem operum; quanquam illa Eccleſia inter gentes propter corruptam hominum naturam & introductam vndique Idololatriam nimium quantùm imminuta fuit vſque ad Chriſti aduentum, creſcente interim Synagoga. Has igitur oues adducturum ſe ait Chriſtus, vt ex vtroque ouili, Gentilium & Iudæorum vnum faceret, eadem fide, iiſdemque legibus ſub vno ſummo paſtore viſibili colligandum: eadem doctrina, iiſdem Sacramentis & cæremoniis paſcendum: extra hoc ouile ſe nullas habiturum oues.

K. IX. *Cur Eccleſiæ regimen Monarchicum.* QVÆRIT. NONÒ. Quare Chriſtus Eccleſiæ ſuæ regimen voluit eſſe monarchicum, ſeu vnicum ouile ſub vno ſummo paſtore viſibili? Reſp. quia cùm tres ſint ſpecies regiminis, Ariſtocratia, quæ eſt plurium, ſed optimatum, qualis cernitur Venetiis & Genuæ. Democratia, quæ eſt populi, qualis eſt in Heluetia & Hollandia. Monarchia, quæ eſt vnius ſummi rectoris, hæc cæteris præcellit & optima eſt ex mente omnium Philoſophorum nec non principis Poetarum Homeri, qui Iliad. *l.* 2. canit *Non eſt bonum multorum principatus, εἷς κοίρανος ἔστω.* Vnus princeps eſto, vnus Rex. Ratio primò, quia etiam imperium mundi totius eſt Monarchicum ſub vno Deo, mundi rectore. 1.
Par igitur erat vt etiam Eccleſia Chriſti in terris ſicut vnum habet caput inuiſibile in cœlo, Chriſtum ſcilicet ipſum: ita vnum viſibile haberet in terra.

Secundò, quia in Monarchico regimine meliùs conſeruatur vnitas & concordia, quando ea ab vno ſummo capite influit in omnia membra: diſcordiarum, æmulationis & inuidiæ cauſa eſt pluralitas rectorum. Tertiò, quia ſolidior & durabilior eſt virtus vnita; quod ſequitur ex præcedente. Nam *omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur*, teſte Domino. Quartò faciliùs reperitur vnus bonus & idoneus regimini, quàm plures. Denique inter plures paſtores, minor eſt ſingulorum ſolicitudo & attentio. Vnde ſolemus dicere, malè paſci oues à pluribus paſtoribus: pluribus à coquis malè condiri iuſcula. Adſtipulatur huic ſententiæ ipſa natura. Vnus in mundo ſol: vnius regni vnus eſt Rex: vnus exercitus vnum habet Ducẽ: vna nauis vnum gubernatorem: vna domus vnum patremfamilias. Rurſum *in apibus principes ſunt: Grues vnũ ſequũtur ordine literato. Imperator vnus: Iudex vnus prouinciæ. Roma cõdita duos fratres ſimul Reges habere nõ potuit. In Rebecca vtero Eſau & Iacob bella geſſerunt. Quare Epiſcopus vnus, nõ duo eſſe debent*; inquit S. Hieronymus *ep.* 4. *ad Ruſticum Monachum.* Hinc S. Gregorius *Cant.* 4. docet Eccleſiam pulcherrimo malo punico ſimilem eſſe. Nam vt plurima ſunt mali punici grana, vno cortice concluſa: ſic plurimi ſunt Chriſtiani vna Eccleſia contenti. *Per malum punicum* (ait Gregorius) *Eccleſia deſignatur, quia dum multos populos in vnitate fidei nutrit, quaſi multa grana ſub vno cortice ſtringit,* &c. Punicum malum coronatum eſt, vnamque tantummodò coronam habet: ita Eccleſia coronata eſt, vnamque ſolùm habet maximi Pontificis tiaram Eccleſiaſticam. Inferiores enim Epiſcoporum tiaræ omnes ſummæ illi parent. Maneat igitur Eccleſiæ regimen Monarchicum velut omnium optimum.

(Right margin numerals beside the right column: 2. at "Secundò", 3. at "Tertiò", 4. at "Quartò".)

DOMINICA
TERTIA POST PASCHA.

Euangelium Ioannis 16.

IN illo tempore, dixit IESVS diſcipulis ſuis: Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad patrem: Dixerunt ergo ex diſcipulis eius ad inuicem: Quid eſt hoc quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad patrem? Dicebant ergo: Quid eſt hoc, quod dicit, Modicum? neſcimus quid loquitur. Cognouit autem IESVS, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & nõ videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. Amen Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mũdus autem

autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

CONCIONES.

I. *Omnia in mũdo modica, etiam quæ videntur magna.*
II. *Septem Modica bene conſideranda.*
III. *Vocula, Modicum, quàm variè conſoletur iuſtos, terreat malos.*
IV. *Quàm modicum ſit gaudium malorum in hoc ſæculo.*
V. *De modico tribulationis, ſeu modicum eſſe quod nunc patimur.*
VI. *Solidum ac iuge piorum in quo conſiſtat.*
VII. *Non eſſe vanè lætandum in mundo ſed plorandum potiùs.*
VIII. *Documenta.*
IX. *Myſteria.*

CONCIO I.

Omnia in mundo modica, etiam quæ videntur magna.

Quoniam ſepties in Euangelio repetitur vocula Modicum; *hinc ſeptem mundi modica aſſignantur.*
1. *Modicum eſt ſapientia quantumcunque magna.*
2. *Modicum eſt nobilitas, honor, dignitas.*
3. *Modicum eſt robur corporis.*
4. *Modicum eſt forma corporis.*
5. *Modicum ſunt diuitiæ.*
6. *Modicum eſt fauor principum.*
7. *Modicum eſt dominatus.*

THEMA.

Quid eſt hoc, quod dicit nobis modicum? Ioan. 16.

A. Nihil in mundo magnum.

MAgna eſt, Auditores, differentia inter Dei iudicia & hominum. *Quia ſicut exaltantur cæli à terra*, inquit Deus per os Iſaiæ *c. 55. Sic exaltata ſunt viæ meæ à vijs veſtris & cogitationibus veſtris.* Quemadmodum ergo ea, quæ nos in terris magna dicimus & reputamus, veluti montes magnos, regiones magnas, ciuitates magnas, &c. Si ex concauo Lunæ aſpicerentur, modica, imò nulla apparerent; ita etiam contingit vt bona illa terrena, quæ nos magni æſtimamus, Deus parui vel nihili æſtimet. Ecce Chriſtus in hodierno Euangelio tempus ab vltima cœna vſque ad aſcenſionem ſuam (ſi S. Auguſtini ſententiam ſequamur) & rurſum tempus illud ab aſcenſione vſque ad diem iudicij, modicum tempus vocat, Cùm tamen prius illud tempus Apoſtolis diuturnum videretur, hoc verò nobis omnibus longiſſimum cenſeatur; quia videlicet coram Deo *mille anni tanquam dies heſterna.* Par ratio eſt in rebus alijs quas quidem mundus magnas, Deus verò modicas dicit. Magnum eſſe bonum clamat mundus ſapientiam, dignitatem, robur, pulchritudinem, diuitias, fauorem, imperium: quæ omnia tamen Deo modica ſunt & nulla. Quoniam ergo in hodierno Euangelio ſepties repetitur vocula illa, *modicum*, videamus ſeptem mundi modica.

B. I. Modicum eſt ſapientia & ſcientia.

PRIMÒ. Clamat mundus magnam eſſe & ſciētiam, & ſapientiā. Hanc in Salomone ſuſpiciebat Regina Saba quæ viſâ eius ſapientiâ nō habebat vltra ſpiritū & dicebat: *Maior eſt ſapientia tua, quàm rumor quem audiui, 3. Reg.* 10. Et tamē ipſe Salomon de ſe dixit: *Stultiſſimus ſum virorū & ſapientia hominū non eſt mecum, Prou.* 30. Hominum ſapientia, inquit, non Angelorum. Modica eſt ergo hominum ſapientia & ſcientia quatuor de cauſis ſecundùm D. Thomam. Primò, quia fluxa & mutabilis vt patet in Salomone qui in ſenecta (vbi maximè ſapere debebat) deprauatus & *infatuatus eſt velut Sal*, vt ait S. Hieronymus *ep. ad Ruſt.* Sæpe etiam perditur in hac vita, vt de Alberto Magno nouimus, qui ad extremum omnium ſuarum ſcientiarum oblitus eſt: de Theodorico Caniſio Soc. IESV, qui ob mortem Petri fratris attonitus factus, obriguit apoplexiâ tactus ſimulque omnium literarum obliuione, adeoque ſui etiam nominis, vt Raderus in vita vtriuſque refert. Meſſala Coruinus Orator morbi diritate afflictus proprij nominis oblitus eſt. Plin. *l.* 7. *c.* 24. Quod ſi in hac vita hominem non deſerat ſcientia, nihil tamen iuuabit in altera. Eò pertinet id *Iſa.* 29. *Peribit ſapientia à ſapientibus.* Perijt enim vel memoria vel gloria ſapientum huius mundi. Vnde Apoſtolus 1. *Cor.* 1. exclamat: *Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor ſæculi?* q. d. vbi philoſophi gentilium? vbi Doctores Iudæorum? vbi phyſiologi, Plato, Ariſtoteles, &c. *Euanuerunt in cogitationibus ſuis*, inquit idem Apoſtolus ad *Rom. c.* 1.

1. Quia fluxa.

2. Quia imperfecta.

Secundò, quia imperfecta, ſcatens multis erroribus & multarum rerum ignorantiâ. Audite præclarum & doctiſſimum virum, Iuſtum Lipſium, de ſeipſo *in Notis ad libr. de Cruce* ſcribentem: *Quò longius*, inquit, *in hac vita via progredior, magis magiſque aſpicio circumfuſam animo caliginem, corporis imbecillitatē. Heraclitus olim dicere ſolitus, ſe cum iuuenis eſſet, nihil ſcire; cum ſenex, nihil ignorare: mihi planiſſimè contra euenit, & qui olim aliquid ſcire viſus, nunc parum aut nihil. Et ô miſeri, quid nos, doctrina, fama ſumus? Ipſi puluis, illa opinio, iſta ventus*, ſic ille. Idem de ſe ſentiunt quicumque ſapiunt eruditi.

3. Quia periculoſa.

Tertiò, quia periculoſa. Nam *ſcientia inflat*, ait Apoſtolus 1. *Cor.* 8. velut piſa ſcilicet comedentem. Communiter enim ſcientia, niſi humilitate coërceatur, eleuat hominem in ſuperbiam, præſumptionē & contemptum proximorum; & ita cum dat præcipitem in peccatum & ſæpe in graues errores atque hæreſin, iuxta id

Abdiæ,

Abdiæ; *Cùm exaltatus fueris vt aquila, inde detraham te.* Qui enim nimis altè volare & ſolem, id eſt, arcana Dei curioſiùs ſcrutari tentant, ſæpenumerò detrahuntur in errores & caliginem. Paruus ergo imò nullus eſt coram Deo doctus ſuperbus. Vnde S.Greg. *lib.* 17. *Moral. c.* 6. ait: *Humilis ignorantia magis Deo placet, quàm elata ſcientia.* Magni vir conſilij fuit Achitophel, ſed ingenij ſagacitas ad ſuſpendium eum adegit, 2. *Reg.* 17.

4. *Quia laborioſa.*

Quartò quia laborioſa, & nonniſi in ſera ætate obtinetur. Vnde *Eccleſ.* 1. dicitur. *Qui addit ſcientiam, addit & laborem.*

C. II. Modicum eſt nobilitas, honor, dignitas.

SECVNDÒ. Clamat mundus magnum bonum eſſe generis nobilitatem, honorem & dignitatem. Hanc admirabantur quaſi diuinum aliquid in Herode Agrippâ Rege Tyrij & Sidonij, *Act.* 12. Cũ enim ille ſtatuto die, veſtitus regio cultu (videlicet purpurâ, coronâ aureâ, ſceptro, & vt ſcribit Ioſephus *l.* 19. *antiq. c.* 8. veſte ex argento, mirabili arte contextâ, quæ radijs ſolis percuſſa mirandum emittebat ſplendorem) ſederet pro tribunali & concionaretur ad illos, acclamabant: *Dei voces & non hominis.* Sed quàm modicus fuerit hic honor, ibidem mox oſtenſum eſt. *Cõfeſtim* enim *percuſſit* Herodem *Angelus Domini, eo quòd non dediſſet honorem Deo* (quod ſcilicet diuinos honores ſibi tribui paſſus eſſet) *& conſumptus à vermibus expirauit.* Modicum ergo eſt bonum.

1. *Quia fluxum.*

Primò quia fluxum. Quàm citò enim expirat honor? Inuentus fuit aliquis Caninius Rebilius qui vnico tantùm die fuit Romæ Conſul; quo enim die conſulatum inijt, eodem & depoſitus eſt: vt poſteà quæſitum fuerit, quibus Conſulibus Conſul fuerit? Luſit in eundem Cicero *lib.* 4. *ep.* 30. *Vigilantem,* inquit, *habemus Conſulem, qui in toto Conſulatu ſomnum non vidit.* Fuit aliquis annus (qui erat 71. Chriſti) quo ſucceſſiuè imperauêre & periêre tres Rom. Imperatores. In ſummo dignitatis culmine breuis æui ſunt Potifices Romani quorum nullus præter S.Petrum, 25. annum attigit in imperio, tametſi aliqui propè acceſſerunt, vt S.Leo I. S. Syluester, Adrianus I. Quocirca Pontifici, dum inauguratur, acclamatur: *Beatiſsime Pater, annos Petri non videbis.* Id enim ita fore euincit tot cẽtenorum annorum continua experientia. Plerique exiguo tempore, alij tribus annis, alij vno, alij paucis menſibus, alij paucis tantùm diebus ſediſſe memorantur. Vidimus vno eodemque anno 1590. ſucceſſiuè præſidere tres Pontifices, Sixtum V. Vrbanum VII. Gregorium XIV. Ita vt omnes dicere poſſint: *Modicum & nõ videbitis me.* Quæſiuit hac de re Alexander Secundus PP. B. Petrum Damianũ; cùm aliqui præſertim fuerint florenti adhuc ætate? Qui reſpondit *l.* 1. *ep* 17. Deum ſic diſpoſuiſſe, vt quàm deſpicienda ſit temporalis vitæ gloria, in ipſo ſummo culmine appareret. Addit Lorinus in 2. *Petri c.* 1. id fieri, vt minùs appetant homines Papatûs culmen, quod ferè certi ſunt, non diu duraturum.

2. *Quia infirmum.*

Secundò, quia debile & infirmum. Non enim eximit hominem à communibus miſeriis, quas à communi patre Adamo hæreditario iure accepimus, curis, laboribus, moleſtijs, fame, ſiti, frigore, æſtu, inſidiis, hoſtibus, morbis, interitu. Vnde Dauid Rex *Pſalm.* 29. ait: *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Quid intereſt an vnus geſtet aureos compedes, alter autem ferreos? an curru vel equo feratur vnus ad ſepulchrum, alter pedibus?

3. *Quia periculoſa.*

Tertiò quia periculoſum; magnam enim præbet ad peccandum libertatem. Non immeritò putant aliqui nobilitatis & dominandi originem fuiſſe vitam illam Gigantum, qui è nobiliſſimis & validiſſimis prognati parentibus (qui *Gen.* 6. vocantur *filij Dei, & filiæ hominum*) cœperunt per tyrannidem homines opprimere, bella & clades inferre, adeoque cum omni libertate peccare, ex quo præcipuè permotus eſt Deus ad diluuium immittendum. Taceo labores, curas & moleſtias quæ comitantur dignitatem tantoque magis, quanto illa maior.

D. III. Modicum eſt robur corporis.

TERTIÒ. Magnum bonum exiſtimat mundus eſſe robur & vires corporis. Has in Sampſone imprimis admirabatur mundus, vt qui mille viros vnus interficeret aliaque ſtupendæ fortitudinis monumenta ederet. Verùm & iſtud bonum modicum atque exile eſt.

1. *Quia fragile.*

Primò quia fragile; quemadmodum enim Sampſoni ſeptem crines raſi abſtulere robur & hoſtium ludibrio expoſuere eum, qui priùs illos necabat velut culices, *Iudic.* 16. ita modica glans ſclopeti, modica febris & paulatim ſenectus ipſa vires carpit & vitam. Vnde S. Iob *c.* 6. ait: *Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea: nec caro mea ænea eſt.* Quanto faſtu inceſſit Goliath contra Dauidem? nónne videbatur ſtatim vno bolo deuoraturus iuuenem? Et tamen vnicus ſilex ipſius oſſibus durior fuit; fronti enim eius infixus eum proſtrauit, 1. *Reg.* 17. Maximinus Imperator mole & robore penè giganteo fuit, pollice ita vaſto vt vxoris dextrocherio pro annulo ſit vſus; calceamentum eius pede maius hominis veſtigio atque menſurâ: tantis viribus vt rhedam onuſtam ſolus moueret, pugno vno dentes equo excuteret, calce crura frangeret, lapides tophicios friaret, arbores teneriores ſcinderet, &c. Vnde mirè inſoleſcebat, viribus ſuis præfiſus, quaſi non poſſet occidi, immortalem ſe exiſtimans. Et tamen biennio non imperauit, quin à proprijs militibus in tentorio dormiens necaretur vnà cum filio, vt teſtatur Iulius Capitolinus.

2. *Quia ſæpe noxium.*

Secundò quia ſæpe noxium & occaſio peccati vel alterius mali & internecionis, dum qui robore pollent nimium ſibi fidunt, periculis ſe exponunt omniaque non in æquitate & honeſtate ſed in viribus tantùm ponunt. Milo Crotoniates ictu nudæ manûs occidebat bouem eodemque die abſumebat, teſte Solino *cap.* 3. Idem tamen *cùm iter faciens,* ait Val. Maximus *l.* 9. *c.* 12. *quercum in agro cuneis adactis fiſſam vidiſſet, fretus viribus acceſſit ad eam inſertiſque manibus diuellere conatus eſt: quas arbor excuſſis cuneis in ſuam naturam reuocata compreſſit eumque cum*

tot

Goo

tot gymnicis palmis lacerandum feris præbuit. Velociſſimus curſor Aſaël fuit, ſed in malum ſuum, dum enim militarem gloriam aucupans curſu inſequitur Abnerum ab eo confoditur haſtâ auerſâ, 2. *Reg.* 2.

3. *Quia ſæpe inutile.*

Tertiò, quia ſæpe inutile. Audi Eccleſi. *c.* 9. *Vidi ſub ſole,* inquit, *nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratias: ſed tempus caſumq́; in omnibus.*

Taceo quòd Deus *non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei,* Pſ. 146.

E. IV. Modicũ eſt forma corporis.

QVARTÒ. Magnum aliis bonum videtur eſſe forma & pulchritudo corporis. Hanc in Abſalone mirè ſuſpiciebant homines, ita vt capillos eius, quoties tonderetur, emerent ducentis ſiclis, ſeu 133. florenis, pulchritudine enim eximiâ omnes ſuperabat, & in toto corpore nullam habebat maculam, vt habetur 2. *Reg.* 14. Verùm & hoc bonum eſt modicum.

1. *Quia caduca.*

Primò, quia caducum, vti vel ipſe oſtendit Abſalon, qui in flore iuuentutis ſuæ pendulus è quercu factus tribus lanceis confixus & magnâ lapidum congerie ſepultus eſt. Ita enim ait S. textus: *Et tulerunt Abſalon & proiecerunt eum in ſaltu, in foueam grandem & comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum. Reg.* 18. Ecce corpus quod viuum adeò amabatur & ſuſpiciebatur, nunc velut canis mortuus vel aſinus abiicitur in foueam, ne hominum oculos offendat, quos antè recreabat. Referunt terræ ſanctæ Topographi extare etiamnum cumulum illum lapidum, quem ſic horrent Machometani incolentes eam terram, vt cum execratione eò lapides mittant, dicentes: *Maledictus ſit parricida Abſalon.* Deprehendi in SS. literis, elegantioris formæ feminas ſæpe à plantis nomen eſſe ſortitas, ſiue Dei diſpẽſatione, ſiue, vulgi denominatione. Ita Abſalonis filia *elegantis formæ, Thamar* vocata eſt, id eſt, palma, quæ arborum pulcherrima eſt. 2. *Reg.* 14. Ita Suſanna ſpecioſiſſima à lilio nomẽ accepit, *Dan.* 13. Suſanna enim lilium ſignificat. Ita Eſther cognomentum à pulchritudine obtinuit dictaque eſt Edeſſa, Hebr. Hadaſch, id eſt myrtea vel myrtus, quæ eſt planta ſpecioſiſſima. *Eſth.* 2. Quâ re indicatur formæ pulchritudinem tam fugacem eſſe, quàm eſt decor florum, arborum & plantarum, qui interdum vnâ nocte ex pruina perit, floribus intra paucos dies, arboribus intra æſtatem vnam. Mementote hederæ Ionæ, quæ à modico vermiculo vna nocte exeſa aruit: (vti mox dicemus) talis eſt forma corporis, quæ modicâ febri perditur. Bene ergo Sapiens dixit: *Fallax gratia & vana eſt pulchritudo: mulier timens Deum ipſa laudabitur, Prou.* 31.

2. *Quia inſidioſa.*

Secundò, quia inſidioſum & ſæpe noxium. Patet in Abſalone, cuius aurea cæſaries, quam ille ſic amabat, vt numquam eam tonderet, niſi cùm ab ea grauaretur, quamque alij magno pretio comparabant, facta eſt illi in laqueum; vnde in quercu pẽdulus inimicorum ludibriis & vulneribus pateret. Eadem pulchritudo in diſcrimen adduxit Saram, Ioſephum & Suſannam; tametſi euaſerunt periculum. Alios flore pudicitiæ violenter ſpoliauit, vti Bethſabæam & Thamarem. Vnde Socrates dixit: *Pulchritudo eſt modici temporis tyrannis.* Petrarchæ eſt *viſcus animæ*, quo illaqueantur & oculi affectus hominum.

F. V. Modicũ ſunt diuitiæ.

QVINTÒ. Magnum vulgò ac pænè ſummum bonum reputant alij diuitias & amplas poſſeſſiones. *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt,* inquit *Pſ.* 143. Et de diuite illo viro Nabal dicitur 1. *Reg.* 25. *Erat vir quiſpiam in ſolitudine Maon, & homo ille magnus nimis.* Sed nihil magnum eſt in diuitiis.

1. *Quia facilè perduntur.*

Primò, quia citò & facilè perduntur, quod vel exẽplo dicto poſſumus diſcere. Cùm enim illi Nabal indicaſſet manè vxor, quòd gladius Dauidis à tergo eum inſecutus fuerat, factus eſt præ metu totus ſtupidus ac *velut lapis*, vt ait textus; cumque talis manſiſſet decem diebus, percuſſit eum Dominus & mortuus eſt. Videre mihi hîc videor hederam illam Ionæ, præparatam illi à Deo; ſub cuius vmbrâ dum quieſceret & lætaretur Ionas, diluculo parauit Deus vermem in craſtinum, qui percuſſit & areſecit hederam, *Ion* 4. Vnde de illâ in Hebr. pulchrè dicitur: *Filia noctis erat & filia noctis periit.* Huiuſmodi hedera & filia noctis eſt abundantia, ſub cuius vmbrâ dormiunt homines ſuauiſſimè; ſed multoties euenit, vt intra vnam noctem, menſem vel annum vermis aliquis veniat, qui hederam illam percutiat & extinguat; v.g. incendium vel rapina vel grauis mulcta vel mors. Expertus id fuit diues ille, qui dicebat: *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos,* &c. Dixit autem illi Deus: *ſtulte hac nocte repetunt à te animam tuam,* &c. *Luc.* 12. Experti id ſunt Ægyptij, qui Deo diſpenſante, vnâ nocte ſpoliati ſunt vaſis ſuis aureis & argenteis *Exod.* 12. quæ donauit Deus Hebræis, tametſi ab his mutuò tantùm accepta fuerant.

2. *Quia inſufficientes.*

Secundò, quia modicæ & inſufficientes ſunt, ac veriùs paupertas quàm diuitiæ appellandæ. Socrates cùm videret Alcibiadem ob diuitias elatum & propter agrorum ſpatioſos limites ſuperbientem, adduxit eum ad tabulam ſeu Mappam, in qua totus orbis terræ deſcriptus erat & rogauit, vt ibi Atticam requireret. Quam cùm inueniſſet, ſuos fundos iuſſit oſtendere: & cùm reſponderet, nuſquam ibi pictos eſſe; tum Socrates: *Horum,* inquit, *poſſeſſione te effers, qui nulla pars ſunt terræ?* Ælian. lib. 3. *var. hiſt. c.* 28.

Taceo quia noxiæ & laborioſæ, pungentes & ſaucientes animam ac ſementem ſuffocantes vt alibi vidimus.

G. VI. Modicum eſt fauor Principũ.

SEXTÒ. Magnum quid cenſetur eſſe fauor & gratia Principum ac Magnatum. Ita enim legimus Amanem miro modo ſibi gratulatum de gratiâ Regis & Reginæ; narrabant enim domi ſuæ, quantâ cum gloriâ ſuper omnes principes & ſeruos ſuos Aſſuerus eleuaſſet, quomodo ad conuiuium regis à regina vocatus eſſet, *Eſth.* 5. Et propterea etiam ipſum ſuſpiciebant omnes flexoque genu adorabant, *Eſth.* 3.

Eſth. 3. At verò & hoc quidquid eſt, modicum eſt.

1. *Quia fallax.* Primò, quia inconſtans & fallax, vt vel in Amane patet, qui in illo ipſo conuiuio, quod habuit cum rege & regina, vtrique exoſus & abominabilis factus, facie velatus (quaſi, qui regem aſpiceret indignus foret) & decreto regis, è regiâ eiectus atque in altiſſimo patibulo ſuſpenſus eſt, *Eſth.* 7. Idem experiuntur alij ſæpe, etiam nullâ ſuâ culpâ, vti bonus Ioſeph, qui hero ſuo primùm gratiſſimus, poſteà fictâ dominæ delatione, hoſtis iudicatus, traditus eſt in carcerem, *Gen.* 39. Similiter & Moyſes qui primò à Pharaonis filiâ adoptatus in filium, poſteà ex aula regis fugere compulſus eſt, quòd ipſius vitæ Rex inſidiaretur. *Exod.* 2. Bene ergo Ieremias c. 17. dixit: *Maledictus homo qui confidit in homine & ponit carnem brachium ſuum*; vt ſcilicet eo velut forti brachio ſe tueatur, cùm ſit caro tantùm, non os vel brachium. Quam ſententiam Origenes acutè explicat per eam *Deut.* 21. *Maledictus homo qui pendet in ligno.* E ligno enim pendet, qui ſpem ſuam ex homine veluti fragili ramo ſuſpenſam habet. Ferunt Elephantem ad ſomnum capiẽdum arbori inniti, quare venatores eam in imo diſſecant, ita tamen vt nihilominus ſtet erecta velut integra. Elephas ergo cùm ex more venit accubitum, ſuccisæ innititur, ſicque & ſe & arborem humi ſternit, & cùm ſurgere nequeat, fit præda Venatorum. Barth. Angel. *l.* 18. *c.* 43. Idem contingit ferè iis, qui gratiam hominum ambiunt, ſectantur & mercantur precibus, pretio, obſequiis. Innituntur enim arboribus iam pridem mortis vulnere inciſis, & cùm minimè putauerint, ſubitò ruituris & omnem eorum ſpem eluſuris. Vel enim patronus eorum moritur, vel bonis ſuis exuitur, vel ipſi de gratiâ eius excidũt, vel moriuntur ipſi. Audi S. Auguſtinum in *Pſal.* 131. *Multi, ait, de amicis potentioribus præſumpſerũt: ceciderunt illi, de quibus præſumpſerunt, & inuoluerunt eos, quid de ſe præſumpſerunt.* Bene nos Germani: **Hern gunſt vnd Nagelwein riechen vber Nacht auſſ.**

2. *Quia mancus.* Secundò, quia infirmum & mancum. Vt enim fauor & gratia magnatum iuuet nos in hoc ſæculo, non poterit tamen iuuare in altero. Vnde illis dicitur *Deuter.* 32. *Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant & opitulentur vobis & in neceſſitate vos protegant.* Maxima & extrema neceſſitas erit in futuro cuiuſque iudicio; vbi ſanè patroni illi non poterunt opitulari.

H. VII. *Modicũ eſt dominatus.* Septimò. Magnum denique bonum reputatur dominatus & potentia. Hoc enim nomine inter alios gloriabatur Rex Nabuchodonoſor *Dan.* 4. cùm in palatio ſuo obambulans diceret: *Nónne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei?* Verùm & hoc bonum modicum atque exiguum eſt.

1. *Quia nõ diuturnum.* Primò, quia non diuturnum; vti expertus eſt Nabuchodonoſor. Cùm enim ſermo adhuc eſſet in ore eius, vox de cœlo ruit, quæ minata eſt ei eiectionem de regno ad ſyluas & feras eadẽque horâ completa eſt; & cœpit Rex inter foras ientacula boum edere, cui priùs regis fercula centena eaque lautiſſima apponebantur. Quorumdam imperium tam breue & exile fuit vt ſomnium potiùs quàm imperium fuiſſe videretur, quale fuit Samgaris Principis Hebræorum, qui propterea ab aliquibus non numeratur inter Iudices, quod in primò principatûs anno non expleto mortuus ſit, *Iudic.* 3. Item Maximi Rom. Imper. qui cùm inuaſiſſet imperium, regnauit tantùm duos menſes & aliquot dies; tum fugiens à Romanis inſecutis lapidatus membratimque diſcerptus eſt. Baron. Anno 455. Item fabri illius Marij, poſteà Imperatoris, de quo Trebellius in l. de 30. Tyrannis; *Vnâ, inquit, die factus eſt Imperator: aliâ die viſus eſt, imperare: tertiâ die interemptus eſt.* Vniuerſim denique verum eſt, quod dixit Eccleſiaſticus *cap.* 10. *Omnis potentatus breuis vita.* Et mox: *Rex hodie eſt, & cras morietur.*

Secundò, quia laboribus & curis plenũ. Alphonſo Aragonum regi in cœna quidam importuniùs inſtabat: Rex nihil commotus, Aſinos tantum regibus beatiores eſſe dixit: *Illis enim dum comedũt clitellas auferũt agaſones, mihi verò ſenex iſte cœnanti imponit.* Æn. Sylu. *de dictis & factis Alph.* Meminerunt Belgæ Caroli V. qui ſeneſcens onerum Reip. pertæſus cùm Bruxellæ principatum Belgij in filium Philippum II. transferret, illachrymans dixit: *ô fili magnum tibi onus impono, ego enim toto tempore principatûs mei nunquam quadrantem horæ magnis curis & anxietatibus vacuum habui.* Secedens ergo à turbis quatuor vltimos annos ſibi & Deo vixit. 2. *Quia plenus laboribus.*

Taceo alia plurima, quæ modicũ eſſe oſtendunt imperium terrenum, alibi commodiùs referenda.

Vidimus igitur, Auditores, modica omnia eſſe, quæ mundus reputat magna. Quid ergo nunc faciemus? Num relictis iis, quæ verè magna, ſolida & cœleſtia bona ſunt, hæc modica ſectabimur? Num pro integro vini & mellis dolio, guttulam acceptabimus? num vnius hoſtis ſpolium quàm plenam de integro exercitu victoriã? Non ita ſapientiſſimus Dux Ioſue, qui cùm in prælio contra 5. reges audiſſet eos fugiſſe de prælio in ſpeluncam, nequaquam eorũ gratiâ hoſtem cædere deſtitit, nec victoriæ portiunculam toti antepoſuit, ſed cœpto benè prælio fortiter inſtitit, monens ſocios: *Vos autem nolite ſtare, ſed perſequimini hoſtes & extremos quoſque fugientium cædite, Ioſ.* 10. Nos igitur relictis in huius mundi ſpeluncâ regibus, id eſt, caducis, modicis & fallacibus bonis, quæramus & perſequamur ſolida magna & veracia cœli bona. Inſtar Hippomenis illius veteris nobiſcum agit diabolus; ſpargit in itinere poma, quorum amore capimur, aliqua; vt iis colligendis occupati, à melioribus retardemur & excidamus. Non ita nos deſipiamus: vera & magna & ſolida conſectemus bona, quibus æternùm beati ſimus.

CON-

CONCIO II.

Septem Modica benè conſideranda.

Recenſentur ſeptem Modica bene conſideranda.
1. *Eſt modicum temporis.*
2. *Modicum ſeruitium quod impendimus Deo.*
3. *Modica vitia à nobis depoſita.*
4. *Modica bona quæ fecimus.*
5. *Modicus electorum numerus.*
6. *Modicum quod requiritur ad damnationem.*
7. *Modicum quod requiritur ad parandam beatitudinem.*

THEMA.

Quid eſt hoc, quod dicit nobis modicum? Ioan. 16.

A. CRedidere olim Gentiles, futuræ ſerenitatis omen eſſe, ſi aures ter aut quater repetitam vocem ederent. De coruorum crocitatu ſcribit Virgilius *lib.* 1. *Georg.* *Tum liquidas corui preſſo ter gutture voces, aut quater ingeminant.* Miſsâ tamen hac Gentilium coniecturâ, dico veriùs, non ſine portento aliquo in hodierno Euangelio ſepties nobis occini vocem illam, *Modicum*, quater à Chriſto Domino, rurſum ter ab eius diſcipulis. Quid igitur nobis portendit ea vox toties repetita? Sanè niſi monitum ſalutis aliquod denunciaret, tam crebrò à Chriſto & diſcipulis repetita non fuiſſet. Iure igitur quærimus exemplo diſcipulorum: *Quid eſt hoc quod dicunt nobis modicū*, Chriſtus & Apoſtoli? Imprimis iſta vox ter & quater repetita denunciat venturam ſuperatâ paſſionis Dominicæ tempeſtate ſerenitatem & lætitiam, Domino teſtante: *Iterum videbo vos & gaudebit cor veſtrum.* Deinde meâ quidem ſententiâ ſeptem iſta modica ſeptem nobis conſiderationes ingerunt per ſeptem hebdomadæ dies animo voluendas, quoniam ad vitam rectè inſtituendam magnoperè nos excitant mentiſque ſerenitatem afferunt. Earum quatuor præſentem, tres reliquæ futuram vitam concernunt. Videtur ergo Ioannes voluiſſe nobis præſcribere hebdomadariam meditationem in 7. iſtis modicis, quæ nunc videbimus.

B. I. Modicū temporis. PRIMVM. Modicum temporis eſt. *Quid enim eſt vita noſtra? Vapor ad modicū parens*, inquit S. Iacobus *cap.* 4. Conſidera enim tempus vitæ tuæ elapſum, quàm citò id præteriit? Priuſquā aliquid egeris: veſper adeſt & finitur ſeptimana, necdum tamen perfeciſti quod cogitabas & fortè vix cœpiſti. Porrò tempus futurum ſcito non fore tardius quàm præteritum. Vnde ſi in præterito tempore parum profeciſti, timendum ne etiam parum proficias in futuro. In prima manſione itineris ſui manſit Tobias iuxta fluuium Tigrim, (qui ob celeritatem curſûs à Tigride beſtiâ nomen habet, teſte Iſidoro *lib.* 13. *cap.* 20.) *& exiuit vt lauaret pedes ſuos*, vt dicitur *Tob.* 6. Sic primò ſeptimanæ die contemplari nos decet vitæ breuitatem, quæ inſtar Tigris velociſſimè dilabitur: & ibi lauare pedes noſtros, affectus, inquam, à luto terreni amoris, quod in mundo contrahunt. Flumina ad mare currunt & inde reuertuntur vt iterum fluant: ſed non ita homo, qui eſt *ſpiritus vadēs & non rediens*, *Pſ.* 77. Falcones Noruegiæ, quoniam dies ibi breues ſunt, ad prædam magis induſtrij ſunt & celerrimè prædari dicuntur. Cùm igitur ſciamus breues eſſe dies noſtros, cur non ſedulò inſtamus bonis operationibus? Et mirum ſanè eſt quòd ſolertiſſimus ille Falco diabolus magis ſedulus ſit in ſalute noſtrâ impediendâ, quā nos in procurandâ. Quid enim ait de diabolo Ioannes *Apoc.* 12. *Væ terræ & mari*, inquit, *quia deſcēdit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.* Hinc in agone magis tentat homines & circa finem mundi magis ſæuiet. Cur ergo non maturè nobis proſpicimus, & hoſtem noſtrum præoccupamus, agendo pœnitentiam & benè operādo, dum durat hoc temporis modicum? Sanè Dauid, quando aduertit quòd ſurrexiſſet Philiſthæus & veniens appropinquaret contra ſe, *feſtinauit & cucurrit ad pugnam ex aduerſo Philiſthæi*, vt dicitur 1. Reg. 17. *& miſit manum in peram*, & ſublatum inde lapidem iecit & infixit fronti Philiſthæi. Ita nimirum præueniendus dæmon eſt; feſtinanter enim ad pugnam eſt currendum & mittenda in peram manus, id eſt, non cunctandum, ſed manus adhibenda operi; & in fronte percutiendus dæmon ſeu in initio, ne nos percutiat in calcaneo ſeu in morte.

C. II. Modicū ſeruitiū, quod impendimus Deo. SECVNDVM. Quàm modicum hoc die vel hebdomade ſeruitium Deo impenderimus & quàntum impendere potuiſſemus. Imprimis enim deberemus ſaltem decimam diei partem ſeruitio Dei dare, quia non minor eſt ratio cur decima pars frugum debeatur Deo & nō decima pars temporis. Hoc verò facere poſſemus audiendo Miſſam, orando manè & veſperi, ante & poſt menſam agendo Deo gratias. Deinde inſpicere ſemel in die conſcientiam, num ſit commaculata & quomodo purganda: quotidie meminiſſe Dei, & pro occaſione ex ipſis creaturis eum laudare, cognoſcere & admirari cum S. Antonio: nec non ſuſpirare ad cœleſtem patriam, meminiſſe mortis & gehennæ. Sed ſi interrogemur quid hac in re præſtiterimus? Modicum reſpondere cogemur, ſi mentiri non velimus. Omne tempus impenſum corpori vel mundo, tranſactum dormiendo, comedendo, bibendo, ludendo, deambulando, lucris inhiando: & quid his omnibus capimus? Audi S. Auguſtinum in illud *Pſ.* 89. *Dies noſtri ſicut aranea meditabuntur; Aranea, ait, texit totâ die, & labor grandis eſt, ſed effectus nullus: ſic & vita hominum: poſſeſſiones quærimus, diuitias appetimus, procreamus filios, in regna ſuſtollimur & omnia facimus; & non intelligimus quod araneæ telam teximus, & interim æternæ felicitatis, ad quam creati & vocati ſumus, obliuiſcimur.* Ita Heliogabalus Imperator Lamprid. *in eius vita*, iubebat ſibi deferri millena pondo aranearum, propoſito præmio, dicituŕque collegiſſe decem millia pondo, dicens hinc conijciendum, quàm magna eſſet Roma. Quàm multi hodie ſunt Heliogabali, quàm multi aranearum venatores, qui nō aliud [illegible] quàm opes & honores, hoc eſt, aranearum telas [illegible] ! ſed eis, Mihi

mihi & familiæ vacandum eſt: non poſſum tempus impendere Dei ſeruitio. Sed audi Salomonis iudicium: iuſſit is infantem diuidi per medium & dari vnicuique mulieri partem, quòd vtraque contenderet de integro ſibi dando, 3. *Reg.* 3. Contendit anima, pars hominis nobilior, totum ſibi diem impendendum eſſe, quo ſaluti ſuæ conſulat: contendit etiam corpus, pars debilior, diem ſibi dandum, quòd pluribus indigeat. Quid igitur factu opus? Diuidatur Infans ſeu modicum vitæ noſtræ, & pars vna detur animæ, altera verò corpori. Quamquam poſſumus etiam totum dare animæ & Deo, ſi omnes actiones noſtras ad Dei gloriam dirigere & Deo offerre velimus.

D. III. Modica vitia à nobis depoſita.

Tertium. Quàm modica vitia, hoc die, hebdomade, mēſe, imò & anno depoſuerimus. Eadem adhuc ſuperbia, auaritia, inimicitia, ebrietatis ſtudium, tepiditas, quæ fuit anni initio, vel ante etiam multos annos. *Quid eſt quod fuit?* ait Eccleſiaſtes c. 1. *Ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt.* Idem dici de maiori hominum parte poteſt. Quid faciunt hoc anno? Idem quod fecerunt ante annum. Quales ſunt hoc anno? quales fuerūt ante annum. Non recordamini, quid viderit cæcus ille apud *Marcum* 8. à Domino nondum plenè illuminatus. Quid enim vidit? *Video homines* inquit: *velut arbores ambulantes.* Et quomodo ambulant arbores? num de loco mouentur in locum? num progrediuntur? Minimè gentium: ſed quando ventis agitantur, multum quidem commouentur & videntur locum mutare: Sed ne palmum quidem mutant: cras enim ibi reperiuntur, vbi hodie ſtetere, quia radicem in terra defixam habent. Ita nimirum ambulat hominum maior pars. Qui enim deberent quotidie progredi in virtutibus & vnum vitium poſt alterum paulatim extirpare, nihil vel modicum proficiunt. Commouentur quidem interdum vento aliquo diuini afflatûs; vt quando in paſchate confitentur & communicant. Sed poſteà reperiuntur eodem loco, quo priùs conſiſtebant, quia terræ affixi ſunt, id eſt, amori terreno & prauis ſuis habitibus.

E. IV. Modica bona quæ fecimus.

Quartum, quàm modica bona opera, die vel hebdomade elapsâ feceris, quibus cœlum emas: quàm modica repoſueris apud Chriſtum merita, quamque parum mercedis recepturus ſis. Inuenies enim pleroſq; dies bonis operibus vacuos: velut ſi in vrnam conijcias manum & inter plurimas ſchedas vix vnam ſcriptā extrahas, reliquas omnes vacuas. Cogita quàm modicum in pauperes erogaris, quàm modicum eis ſpiritualis eleemoſynæ impenderis, quàm modicum tibi ciborum vel commodorum ſubtraxeris, quàm modicas animas docendo, corrigendo lucratus ſis. Ita forſan inuenies plurimum te perdidiſſe temporis. Etſi Titus Imp. quòd aliquo die nemini beneficium impertiiſſet, dixit: *Amici, diem perdidi:* quid tu dices, qui fortè non tantùm vno die, ſed quampluriмis nihil feciſti boni? ſed quid ait Apoſtolus 2. *Cor.* 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Scito ergo modicum te meſſurum mercedis apud Deum; ſi modicum ſeminaueris bonorum operum. Et quid ait Sapiens *Prou.* 20. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æſtate, & non dabitur illi.* Sic eueniet pigro in æſtate alterius vitę, qui hic ob modicam moleſtiam bene operari & terram corporis ſui aratro pœnitentiæ proſcindere neglexerit. Hoc expertæ ſunt fatuæ virgines oleum non præparantes; mendicare enim coactæ ſunt & non dabatur eis.

F. V. Modicus electorū numerus.

Quintum, quàm modicus ſit electorum numerus, quem Dominus puſillum gregem vocat, *Luc.* 12. quia *multi vocati, pauci verò electi, Matth.* 22. Maior enim hominum pars damnatur, magna ad purgatorium mittitur, modica eſt, quæ rectà ad cœlum fertur. Cùm Innocentius tertius Papa, ſed tunc temporis adhuc Cardinalis, inuiſeret quemdam Eremitam ſanctitate celebrem, reperit eum humi iacentem, qui cùm attruſus euigilaret: *Quàm mirabilia,* ait, *& horribilia? vidi enim animas in infernum deſcendantes tantâ copiâ, quantâ niues cadunt, cùm multitudine ſuâ obtenebrant aërem. In purgatorium verò deſcendebant inſtar niuis rarioris. In cœlū autem ſolos tres vidi ingreſſos.* Ii erant Epiſcopus vnus, Carthuſianus vnus & vna femina: quam nominabat; Refertur in *l. de orig. Carthuſian.* Cura itaque quotidie vt viuas ſicut pauci. Compara vitam & mores tuos cum vita & moribus aliorum, & ſi deprehenderis te viuere vt plures, meritò timere debes: neque obtrudas excuſationem illam: non ſum ego ſolus in hoc vitio: faciunt id alij, non ſum primus nec vltimus. *Propterea enim dilatauit infernus animā ſuam & aperuit os ſuum abſq; vllo termino,* ait Iſaias c. 5. quia ſcilicet multi ſunt, qui ambulant per viam latam.

G. VI. Modicū quod requiritur ad damnationem.

Sextum. Quàm modicum requiratur ad damnationem; vnum ſcilicet peccatum mortale, vna fornicatio, vna ebrietas, vnum periurium, vna delectatio in cogitatione turpi. Ad purgatorium verò minima quæque ſufficiunt, cogitatio inutilis, verbum otioſum, mendacium iocoſum, nihil hic expientur. Ita omnes Patres & Theologi docent & docuerunt ſemper. Si enim *Nihil coinquinatū intrabit in regnum cælorum*, teſte Ioanne; ſi de omni verbo otioſo reddenda eſt ratio Deo teſte Domino: ſi qui contemnit proximum ſuum & fatuum appellat, reus eſt gehennæ ignis, teſte eodem: quomodo non vera ſunt quæ diximus? Etſi ſcripturâ & Patribus atteſtantibus in altero ſæculo tam carò cōputantur, quæ hic tam vilia æſtimamus: cur tam facilè delinquimus, vel in minimis? Quæſo enim te, ſi à multis fide dignis hominibus audires in vicina aliqua natione tantam eſſe rerum caritatem, vt vna menſura vini væneat 50. ducatis: vna menſura cereuiſiæ 5. ducatis: vna libra carnis 30. florenis: vnus capo 100. &c. Tunè homo paucorum nūmorum auderes tibi heluari & vel cereuiſiâ, ne dicam vino, te ingurgitare & inſuper compotores inuitare? Non recordaris ſerui illius Euangelici, qui debebat domino ſuo decem millia talenta? Et quomodo tantum contraxit debitum niſi

niſi quia in altero ſæculo omnia magno computantur & quia magni domini magna diſſipauit bona? Ideò iubetur vænundari cum vxore, liberis & omnibus ſuis. Si tam rigidas haberemus leges: vt qui mendacium profert, linguâ mutiletur: qui rem occultam intuetur, oculis priuetur, qui audit detractorē, auribus truncetur: qui alterum percuſſerit, igni adiudicetur; quis ſibi non caueret? Atqui ignis purgatorij deſtinatus eſt omnibus peccatis venialibus. Vnde refert quidam Carthuſianus, Iacobus de paradiſo in l. de peccatis mentalibus apud Collect. Speculi, de duobus fratribus religioſis mutuò ſibi deuinctiſſimis; quorum alter cùm poſt obitum appareret mæſtus & vili habitu ſodali: rogatus de ſtatu ſuo reſpondit: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit, quàm diſtrictè iudicat Deus & quàm ſeuerè punit.* Quo dicto diſparuit & ſodalem magno timore perculſum reliquit, nobis vtique in cautelam. Miſerrimus itaq; homo, qui etiam cùm venialiter tantùm peccat tot ligna comportat ad ſui vſtionem, quot peccata facit, niſi ea hîc deleat. quàm ergò ſeduli eſſe deberemus ad expianda etiam venialia per frequentationem Miſſæ, aſperſionem aquæ benedictæ, tunſionem pectoris, indulgentiarum vſum, &c. quantum vigilare, ne vel modicum peccatum committeremus?

H. VII. Modicum quod requiritur ad parandam beatitudinē.

Septimum. Quàm modicum requirat à te Deus pro gloriâ quam vult dare. Amorem enim ſolummodò exigit qui facilis eſt & omnia facilitat. Virtus etiam ſecundum naturam eſt adeoque facilior quàm peccatum, quod contra naturam eſt. Maiora & moleſtiora exigit diabolus ad damnationem: & plures faciunt ſumptus, tolerant moleſtias & dolores mali ad comparandam perditionem, quàm boni ad ſalutem. Vnde *Sapient.* 5. dicitur: *Laſſati ſumus in via iniquitatis, ambulauimus vias difficiles.*

Etenim via ſuperborum eſt montoſa, quia honores ſunt montes, qui ſine labore non ſcanduntur. Via auarorum ſpinoſa, quia diuitiæ ſunt ſpinæ vndique pungentes. Via libidinoſorum lutoſa, quia fœdè inquinat. Via inuidorum tenebroſa quia inuidia excæcat. Via guloſorum ſumptuoſa, quia magno conſtat. Via iracundorum tumultuoſa, quia pacem turbat. Via pigrorum tædioſa, quia in terram deprimit, quàm verè itaque dicunt impij: *Ambulauimus vias difficiles?* Et quæ tandem huius ambulationis merces? eadem quæ equorum & aſinorum onera portantiū. Vbi enim ad vitæ terminum venerint exonerantur mercibus, quas geſtârunt: dorſa deinde preſſuris exulcerata ſentiunt, ſicque miſera animalia in ſtabulum detruduntur. Ita prorſus impij poſtquam ambulârunt vias difficiles, ad finem vitæ deſpoliantur omnibus bonis ſuis, conſcientias ſuas deprehendunt dirè vulneratas, ad extremum abripiuntur in gehennæ ſtabulum. At verò qui Deo ſeruiunt, fatentur ſibi viam cœli planam fieri & facilem, pluſque conſolationis ſe experiri quàm laboris, id quod ex illorum teſtimonio ſcribit Eccleſiaſticus *c.* 51. *Videte oculis veſtris quia modicum laboraui & inueni mihi multam requiem.* Hæc ſunt modica, Auditores, quæ mihi videbantur benè expendenda, quod ſperem eorum conſiderationem, magnam animo noſtro tranquillitatem allaturam.

CONCIO III.

Vocula, *modicum*, quàm variè conſoletur iuſtos, terreat malos.

Septem in rebus vocula, modicum, conſolatur iuſtos, ac primò.

1. *In reproborum exaltatione & proſperitate.*
2. *In malorum præuaricatione.*
3. *In hæreſum infeſtatione.*
4. *In tribulationibus.*
5. *In paupertate.*
6. *In peregrinatione noſtrâ.*
7. *In mortis agone.*

THEMA.

Iterum modicum & videbitis me. Ioan. 16.

QVod prædixit Deus per Iſaiam *c. vlt. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos*; id fecit in hodierno Euangelio Chriſtus cùm de ſuo diſceſſu triſtes conſolatus eſt diſcipulos & ſimul etiam nos, dicens: *Modicum & non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me.* Quemadmodum enim mater, cùm à liberis recedit, conſolando eos dicit? Bono animo eſtote, mox ad vos redibo; Cùm quis eorum ægrotat: Bono animo eſto, breuî conualeſces; cùm iter agit vnà cum ipſis, feſſos alloquitur: Bono animo eſtote, paulò poſt ad terminum veniemus, &c. ita agit cum electis ſuis Deus. Et quidem vocula illa, *Modicum*, vti ſepties nominatur in hodierno Euangelio, ita ſeptem etiam in rebus, iuſtos conſolatur. A.

Sancti Franciſci aſſidua hæc concio, breuis quidem, ſed neruoſa fuit: *Labor modicus, voluptas æterna: Voluptas modica, pœna perpetua: multorum vocatio, paucorum electio, omniū retributio.* Et hanc concionem ex hodierno Euangelio videtur deſumpſiſſe, in quo modicum illud partim animat & conſolatur iuſtos, partim increpat & terret malos. Breuiſſima concio, *Modicum* eſt ſed efficax & bona: quoniam igitur tales optantur conciones, breues ſcilicet & bonæ, talem nunc demus.

B. I. In reproborum exaltatione & proſperitate.

Primò, Modicum conſolatur iuſtos in malorum hominum exaltatione & proſperitate. Hanc enim cùm intuentur boni, quomodo non tentatione & indignatione aliqua tanguntur? ſed conſolatur eos illud *Modicum*, dum intelligunt breuî duraturam illorum proſperitatem. Eiuſmodi tentationem ſuam aperuit Dauid *Pſ.* 72. cum ait: *Mei autē pene moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei*: id eſt, penè corrui in terram adeoque etiam in dubietatem circa Dei prouidentiam: *quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Sed quæ iſta pax: *Quia nō eſt reſpectus morti eorum*, id eſt, non cogitant de morte, vel, vt alii vertunt, *non ſunt vincula in morte ipſorum*, quaſi dicat, non trahuntur ad mortem variis morborum vinculis, vt accidit iuſtis, ſed diu & ſani viuunt; *& firmamentum in plaga eorum*, id eſt, non eſt ſtabilitas in plagis eorum, quia mox habent

habent medicos & remedia ſua quibus curentur. *In labore hominum non ſunt & cum hominibus non flagellabuntur*, id eſt, propter abundantiam ſuam non habent neceſſe conflictari cum inopiâ laboribus, angoribus, &c. quibus alii homines communiter flagellantur. Sed quid tandem ad hæc Propheta? *Veruntamen propter dolos poſuiſti eos*, (in Hebraico habetur: *in lubrico poſuiſti eos*) *deiecisti eos dum alleuarentur.* Repentinam hanc mutationem prædicit illis idem Dauid *Pſ.* 82. dicens: *Deus meus pone illos vt rotam & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Rota enim quem euehit, mox deprimit. Sic & ſtipula à vento eleuata ab eodem mox deprimitur. Denique & Iob *c.* 24. cùm ait: *Eleuati ſunt ad modicum.* Seſoſtres Rex Ægyptiorum quòd multas nationes ſibi ſubiecisset in arrogantiam ſublatus, curru ex auro lapidibuſque pellucidis & prætioſis constructo vehi ſolebat, qui à quatuor regibus ab ipſo deuictis trahebatur. Horum vnus ſæpe reſpiciens, rotam, quæ volvebatur, aſpiciebat. Cauſam à Seſoſtre rogatus reſpondit: *Intuens rotæ volubilitatem cum ſtupore eam admiror, in quâ ſumma cito fiunt ima: & cogito fortunæ inſtabilitatem aliàs excelſa humiliantem, aliàs humilia exaltantem.* Hac ſententia motus Seſoſtres noluit deinceps à regibus trahi. Hac eadem parabola per legatum recenſita mouit Imp. Mauritius Chaianum Regem Auarum vt pacem cum Romanis faceret. Niceph. *l.* 18. *cap.* 39. Pauci nunc potentes hanc rotã contemplantur? pauci intelligunt hoc fortunæ modico impios rotari; ſed *cum perierint peccatores, videbis*, inquit Dauid *Pſ.* 36. *Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani. Et tranſiui & ecce non erat: quæſiui eum & nõ eſt inuentus locus eius.* Sic euenit hoſpiti illi Diui Ambroſii, Mediolano Romam euntis. Is enim cùm affirmaſſet nunquã ſe aduerſam fortunam paſſum, vir ſanctus ad ſuos comites conuerſus: *Properè hinc diſcedamus*, inquit, *ne diuina vindicta nos hic obruat. Deus enim non moratur in his ædibus.* Cumque paulũ cum ſuis progreſſus eſſet terra dehiſcens hoſpitem iſtum cum domo & familia ſua abſorpſit. Paulin. *in vita Ambroſ.* Quàm verè dixit de his Iob. *c.* 21. *Ducũt in bonis dies ſuos & in puncto ad inferna deſcendunt?*

C. II. In malorum præuaricatione. Secundò. In malorum præuaricatione. Cum enim videmus eos liberrimè delinquere & omnia mala agere, nec tamen interim puniri quia nimirum Deus differt punitionem, Magiſtratus ſæpe non vult aut non poteſt punire: graue eſt hoc bonis. Vnde Dauid *Pſ.* 118. dixit: *Vidi preuaricantes & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt.* Et Abacuc *c.* 1. *Quare reſpicis contemptores & taces conculcante impio iuſtiorem ſe? Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptilia nõ habentia Ducem?* ſed conſolatur nos in hac re, *Modicum* illud, quo malorum peruerſitas durabit. vnde ad querelam Abacuc propoſitam reſpondet Deus ibidem *cap.* 2. *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet & nõ tardabit*; ſeu vt Apoſtolus cum *ad Hebr.* 10. citat: *Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit*; ad literam quidem Cyrus Rex qui liberauit Iudæos à ſeruitute Babilonicâ. Allegoricè vero Chriſtus, qui liberabit omnes oppreſſos à iugo impiorum. Ita gemebant Chriſtiani ſub imperio Iuliani & Valentis, qui Chriſtianis & dira inferebant & extrema minabantur: & audiuit Deus gemitus eorum; breui enim vtrumque exterminauit & in bello miſerè peremit. Ita gemebat Fridericus ille Canonicus ob ſceleratam vitam Vdonis Epiſcopi ſui: & breui ſecutum eſt Vdonis ſupplicium, vt videre eſt in hiſtoriâ illâ notiſſima. Ita etiam gemebant *Apoc.* 6. ſubtus altare animæ interfectorum propter verbum Dei clamantes: *Vſquequo Domine, ſanctus & verus, non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terrâ?* Et dictum eſt illis vt requieſcerent adhuc modicum tempus, donec complerentur conſerui eorum, &c.

Tertiò. In hæreſum oppugnatione. Cùm enim intuemur mala, quæ Eccleſiæ inferunt hæretici: cum videmus ab illis lacerari veſtem Chriſti, Eccleſiam, vti vidit S. Petrus epiſcopus Alexandrinus: Cùm videmus mulos illos calcitrantes contra altare, vt vidit S. Antonius: Cum videmus eorũ perfidiã, & odium quo nos proſequuntur, meritò ingemiſcimus, ſed conſolatur nos, id *modicum*, quo durabunt hæreſes. De his dixiſſe Dauidẽ arbitror *Pſ.* 57. *Ad nihilum deuenient ſicut aqua decurrens.* In quem locum S. Auguſtinus ait: *Non vos terreant fratres quidã fluuij, qui dicuntur torrentes, hyemantibus aquis implentur, nolite timere: poſt paululum trãſit, decurrit aqua, ad tẽpus perſtrepit, mox ceſſabit, diu ſtare nõ poſſunt: Multæ hæreſes iam emortuæ ſunt. Cucurrerunt in riuis ſuis quantum potuerunt decurrere; ſiccati ſunt riui, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint: ſpernentur tanquam aqua decurrens.* ſic ille. D. III. In hæreſum infeſtatione.

De iiſdem etiam Apoſtolus 2. ad *Timoth. c.* 3. ait: *Vltrà non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus ſicut & illorum fuit* (Iannis videlicet & Mambris Magorum Pharaonis, qui reſtiterunt Moyſi.) Quo loco Apoſtolus loquitur de Simone & Gnoſticis, hæreticis ſui temporis, vt ſcribit Primaſius. Idem autem euenit aliis hæreſibus, Photini, Neſtorii, Sabellii, Manetis, Arrii, Pelagii, cæterorumq; omnium. Ex quibus Manes Manichæorum parens, cum filium regis perſarum, à morbo ſe curaturum promiſiſſet, & contrà occidiſſet, comprehenſus & ad Regem adductus eſt. Cui Rex exprobrauit mendacium & fugam; eumque excoriari iuſſit, & corpus quidem beſtiis dari, cutem verò quæ tantum nebulonem continebat, velut vtrem ante portas ſuſpendi. Cyril. Ieroſol. *Catech.* 6. Arrius vero cùm Alexander Epiſcopus Conſtant. vrgeretur ad recipiendum eum in communionem, precante Alexandro pro Arrii exterminio, in fœdis locis viſcera effundens extinctus eſt. Baron. anno 336. Conſoletur ergo & nos hoc *modicum*, quo durabunt hæreſes noſtri temporis. Videbimus ſenſim & breui magis videbimus Lutheraniſmum & Caluiniſmum conſeneſcere & emori apud multos; apud alios in atheiſmum & politiciſmum deſinere. Veriſſimũ enim eſt prouerbium Hebræorum, *Veritatem ſtabiles, mendacium debiles habere pedes.* Telæ aranearum ſunt hæreſes, quibus muſcæ, id eſt

id eſt, ſtolidi tantùm capiuntur & tenentur: ſed veſpæ, id eſt, docti eas perrumpunt, vt ſcribit Nazianz. in Heronis laudem. Et quemadmodum eiuſmodi telæ citò deijciuntur ſcopis: ita hæreſes.

E. IV. In tribulationibus.

Quartò. In tribulationibus. Quales enimcunque illæ ſint *modicum* quoddam ſunt teſtante Deo per Iſaiam c. 54. *Ad punctum in modicum dereliquite, & in miſerationibus magnis congregabo te.* Et S. Petro ep. 1. cap. 1. *In quo exultabitis modicum nunc, ſi oportet contriſtari in varijs tentationibus.* Et S. Athanaſio, qui ab Alexandriæ præfecto crebris moleſtijs affectus & inſidijs petitus, & neceſſarios ſuos de eiuſmodi procellâ alloquens: *Recedamus*, inquit, *ad tempus. Nubecula eſt, quæ cito euaneſcet.* Socrat. l. 3. hiſt. Eccleſiaſt. c. 12. Multas ipſe pertulit eiuſmodi procellas, & ſæpius in exilium actus, ſæpiùs fugere coactus eſt: ſemper tamen cum honore & applauſu omnium ad Epiſcopatum ſuum reuocatus & reductus eſt. Faberferrarius iuxta focum, paratum habet ſcrobem aquâ plenum, in quo ferrum ex igne eductum refrigerat: ſic agit & nobiſcum Deus. Ad punctum nos in modico dereliquit in igne tribulationis, vt ſic ad nutum ſuum efformare quales vult, poſſit: ſed citò inde extrahit & aquâ conſolationis refrigerat. Vnde Pſ. 35. dicit Dauid in perſonâ iuſtorum: *Tranſiuimus per ignem & aquam & eduxiſti nos in refrigerium.* Si quis igitur onoroſum habeat Dominum, onoroſam vxorem vel maritum: ſiquis grauiter decumbat, cogitet hoc *modicum*. Non ſemper erit hyems: ſed venit etiam æſtas, quæ decorem arboribus, quem hyems quidem abſtulit, reſtituet cum fœnore.

F. V. In paupertate.

Quintò. In paupertate & rei domeſticæ tenuitate; dicit enim Dauid *Pſalm* 36. *Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas.* Ratio eſt, quia qui modicum habet plerumque modico etiam contentus eſt: inde non erit auarus, nec poteſt eſſe prodigus; non eget, nec grauatur ære alieno, neque retinet otioſas opes vnde vel in ſuperbiam erigatur vel ad luxuriam prouocetur. Similis eſt ſententia illa Sapientis *Prouerb.* 17. *Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.* Vbi autem modica eſt ſubſtantia, ibi tranquillitas & quies: iurgia verò, curæ, lites, inimicitiæ in domibus diuitum plerumque hoſpitantur. Non diſſimilis eſt ſententia S. Auguſtini *l.* 10. de chordis *c.* 9. *Melior eſt modica amaritudo in faucibus, quàm ſempiternum tormentum in viſceribus.* Exemplo eſſe poteſt Lazarus ille mendicus, qui modicam famem pertulit in faucibus: Epulo verò perpetuam ſitim ac famem in tormentis. *Gaudet piſcis*, inquit idem Auguſtinus in l. de agone Chriſtiano c. 7. *quando hamum non videns eſcam deuorat: ſed cum piſcator eum adducere cœperit, viſcera eius torquentur.* Idem euenit Epuloni illi contrarium verò Lazaro.

G. VI. In peregrinatione noſtra.

Sextò In labore peregrinationis noſtræ. Multis enim grauis & moleſta fit peregrinatio vitæ huius, plurimis referta laboribus. Sic enim ſanctus ille Propheta Elias fugiens gladium Iezabelis & videns diuturnas perſecutiones ſuas, *proiecit ſe ſubter vnam iuniperum & petiuit animæ ſuæ vt moreretur dicens: ſufficit mihi Domine, tolle animam meam; neque enim melior ſum quàm patres mei*, 3. Reg. 19. Multi reperiuntur, qui idipſum petunt, cum iam ſenio ſe confectos, à mundo deſpectos, ærumnis circumdatos, & laboribus penè confectos vident. Sed conſoletur eos *modicum* illud, quod ſupereſt vitæ & itineris. Sic enim ait Apoſtolus ad *Hebr.* 10. *Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus eſt, veniet & non tardabit.* B. Ioannes Viſcherus Epiſcopus Roffenſis, quod Henrico 8. Anglorum regi primatum Eccleſiaſticum nollet tribuere, ad mortem condemnatus, cùm iam propè ad ſupplicij locum acceſſiſſet, abiecto cui ſenex innitebatur baculo: *Eia*, inquit, *pedes facite officium veſtrum, parum iam itineris reſtat: Nicol. Sand. de Schiſm. Ang. l. 1.* Idipſum ſibi quiſque dicere poteſt, cum aliquo laboris vel ſanctæ exercitationis tædio afficitur. Iacob certè interrogatus à Pharaone de ætate reſpondit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt parui & mali. Gen.* 47. Parui ſeu pauci, ſi nimirum comparentur cum annis patrum eius. Quam pauci ergo ſunt dies noſtri qui vix dimidium attingunt ætatis Iacobi.

Viderint & mali, quàm modica ſit eorum peregrinatio, quàm præceps eis immineat exterminium. Babyloni certè dicitur *Ier.* 51. *Venit finis tuus, pedalis præciſionis tuæ.* q. d. modica vitæ menſura, pede non longior, tibi conſtituta eſt, quâ impletâ cum te in medio curſu & flore eſſe exiſtimabis, ſubito præſcindetur tibi velut à exuente vita tua.

H. VII. In mortis agone.

Septimò. In mortis anguſtiâ & agone. Sic ſe animabat S. Hilarion Abbas cum vi morbi extremo penè ſpiritu conflictaretur: *Egredere quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis ſeruiſti Chriſto & mortem times?* Atque his verbis ſpiritum exhalauit. Cum aliquando Sapores Perſarum Rex centum Epiſcopos & Presbyteros comprehendi & occidi iuſſiſſet: inter illos Senex quidam nomine Aninas, cum ad occiſionem præpararetur, vehementius tremebat. Id videns Puſices regis Ædilis ſic eum affatus eſt: *O ſenex, modicum claude oculos & expecta gladium animosè quia mox videbis magnum Dei lumen. Niceph. l. 8. cap. 36.* Cogitent hoc & ij, qui bene ſibi conſcij cum morte conflictantur. *Quanta eſt dignitas & ſecuritas*, (inquit *S. Auguſt. ſerm.* de S. Laurentio in diuerſis) *exire hinc lætum: exire inter anguſtias & preſſuras glorioſum, claudere in momento oculos quibus mundus videtur: aperire eos ſtatim vt Deus videatur, &c.*

CONCIO IV.

Quàm modicum ſit gaudium malorum in hoc ſæculo.

Rationes aſsignantur hæ:
1. *Quia modicum eſt in ſeipſo ſpectatum.*
2. *Comparatione ſolidorum gaudiorum.*
3. *Reſpectu breuis durationis.*
4. *Ratione triſtitiæ ſecuturæ.*

THEMA.

Quid eſt hoc quod dicit nobis, Modicum? *Ioan.* 16.

A. SCribit Herodotus, Solonem vnum ex ſeptem Græcorũ ſapientibus aliquando habito cum Crœſo Lydiæ rege colloquio eum ſedulò admonuiſſe fugacitatis & inconſtantiæ, quæ eſt in bonis temporalibus & ſtatu proſperitatis : vti proinde non nimiùm confideret in opibus ac potentiâ ſua. Hoc tamen documentum cum ſurda aure bibiſſet, Crœſus tandem bello victus & captus à Cyro Perſarum rege, rogo eſt impoſitus, igne abſumendus. Ibi tum Crœſus Solonis ſui meminiſſe & exclamare: *ô Solon, Solon.* Quam vocẽ cùm audiſſet Cyrus: cauſam ſciſcitatus eſt. Retulit ergo Crœſus, quæ ſibi aliquando documenta dediſſet Solon, quæ quidem tunc contempſiſſet, nunc vero nimium vera & fidelia fuiſſe agnoſceret, de inconſtantia videlicet & celeri fuga humanæ proſperitatis, potentiæ & opum. Quo audito permotus enim ipſe Cyrus, conſiderans quod & ipſum hic ſermo tangeret, Crœſum liberauit. Hoc idem documentum inſinuat nobis Chriſtus in hodierno Euangelio dum ſæpius nobis repetit vocem illam *modicum.* Quid enim hac voce aliud ſignificat, quàm omnem mundi pompam, ſplendorem & proſperitatem eſſe vnum *modicum?* Et tamen quàm multi ſunt, qui inſtar Crœſi iſtud non aduertunt? Quod enim diſcipuli intelligere noluerunt in hodierno Euãgelio, quod nimirum ſit illud *modicum:* hoc etiam intelligere nolunt mundi ſectatores. Prædicamus enim & ad nauſeam vſque clamamus modicum eſſe huius mundi gaudium, modicam pompam, modicam voluptatem, modicam proſperitatem, &c. & tamen inter hæc omnia intelligere nolunt homines quid ſit illud modicum, quod ipſi putant magnum. Veniet autem tempus, cùm in agone mortis iacebimus: quando hæc veriſſima fuiſſe dicemus, ô Chriſte, Chriſte, ô modicum modicũ! Quod ne ſerò & incaſſum nobis contingat, modò & tempeſtiuè contemplabimur hoc modicum.

Quomodocunque & quacunque ex parte intuear mundi gaudium, non inuenio niſi modicum.

B. I. *Modicũ eſt in ſeipſo ſpectatum.* Primò. Modicum eſt, in ſeipſo ſpectatum ſiquidem vanum & puerile eſt ac nugatorium. Sic enim *Eccleſ.* 2 ait: *Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi quare fruſtra deciperis.* Experto crede Ruperto: Vt ipſe in eod. c. exponit: *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos & plantaui vineas? feci hortos & pomaria* &c. *Cumq; me conuertiſſem ad vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ & ad labores in quibus fruſtra ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi & nihil permanere ſub ſole.* Igitur exempli cauſa gula & ebrietas quid quæſo habet gaudij? nónne modicum, dum in ore tantùm & gutture cibus & potus ſapit moxque traijcitur? Quid Choreæ? Nónne viri nobiles rident ſuos ruſticos cùm vident eos ſaltare, ad lyræ & lyripipij inconcinnum ſtrepitum exhilarari & in gyrum velut inſanos diſcurrere? Iam verò eodem modo ridentur deliciæ nobilium ab angelis & viris ſpiritualibus, qui hæc illorum gaudia inaniſſima eſſe perſpiciunt dicuntque id *Amos* 6. *Quid lætamini in nihilo?* Diuitiæ verò quid? Audi Eccleſiaſten. *c.* 5. *quid prodeſt poſſeſſori,* inquit, *niſi quod cernit diuitias oculis ſuis?* Nos ridemus pueros cùm tam contentioſè ludunt globulis aut nucibus. Ita S. Paulus riſit mundum, *arbitratus diuitias vt ſtercora,* ad *Philip.* 3. ſtercore autem delectantur ſues & immunda animalia, non homines. Quid veſtium ornatus? nónne idem quod baculus vel manipulus frumenti ſplendidè adornatus byſſo, auro, purpura? ſic olim Xerxes ridendo modo platanum velut amaſiam torquibus armilliſque appenſis ornaſſe fertur, teſte Æliano *l.* 2. *c.* 14. Quid enim veſtes niſi vel pelles vel pili animalium, vel excrementa bombycum? quid zibettum, niſi ſtercus catti? Vnde Veſpaſianus Imperator adoleſcentem fragrantem vnguento, cum is pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, grauiſſimâ voce increpauit: *Maluiſſem* inquit, *allium oboluiſſes;* & literas reuocauit, teſte Suetonio.

Quid honor & dignitas? nónne fumum merum tibi proponit ac vendit? Perinde enim agit mundus te laudans & honorans ac ſi fumũ aliquem thuris coram te accenderet, his te illecebris paſcens, dum ipſe interim manducat & bibit. Hoc pacto Philippus Rex Menecraten Medicum arrogantiſſimum, qui Iouis ſibi cognomen vſurpabat, ad cœnam vocatum & medio in triclinio, editiore loco poſuit, & ante eum dum cæteris conuiuis fercula varia apponerentur, thura ſolùm & libamina, qualia in ſacris ſolent, adoleri præcepit. Videns igitur medicus ſe rideri, dum nihil inferretur, quod eſuriem placaret, è conuiuio cum ſuis ſe proripuit indignabundus, Aelian *l.* 12. *c.* 51.

C. II. *Comparatione ſolidorum gaudiorũ.* Secundò, Comparatione ſolidorum & verorum gaudiorum. Habent enim ſerui Dei gaudiũ internũ, quod naſcitur ex bonâ conſcientiâ & expectatione beatitudinis, reſpectu cuius nihil ſunt omnia externa gaudia: cæpe tantùm & allia ſunt quibus aſſueti Iſraelitæ, manna contempſerunt, *Num.* 11. De hoc ait Dominus per os Ioannis *Apoc.* 2. *Vincenti dabo manna abſconditum.* Eſt verò abſcõditum, quia id *nemo ſcit, niſi qui accipit,* vti paucis interiectis ſubiungit. Exiſtimat quidem mundus nullum eſſe ſeruis Dei gaudium, ſed perpetuâ eos melancoliâ, tædio & triſtitia laborare: qui tamen ſi vel ſemel experiretur gaudium illorum, ſua omnia ſolatia præ illo facilè contemneret. Etenim mun-

mundus hæc in re ſimilis eſt paſtori aut ruſtico alicui ſolitario, qui tota vita ſua nil niſi aquam bibit. Vnde fit vt nullum eſſe potum exiſtimet aquâ meliorem. Ducitur ergo ad cauponam & propinatur illi ſelectiſſimum vinum : quo degustato ille mox aquam ſuam ſpernit & vinum millies præfert. Simili modo quamdiu mundus non deguſtat gaudium ſpirituale, quod habent ſerui Dei, pro nihilo illud habet, & ſuis tantum gaudiis afficitur: ſed aliter ſentiret, ſi gaudium illorum ſentiret. Eſt vero multis modis praſtantius illud gaudium omnibus
1. mundi gaudijs: Primò quia gaudium externum quodcunque anguſto vaſe capitur, corporis nimirum ſenſibus, & ex vena tantum bibitur, creaturis videlicet. At gaudium internum capaciſſimo ore bibitur, ipſa nimirum intelligentia, quæ eſt tantæ capacitatis vt ipſo mundo impleri nequeat, & ex ipſo fonte, imo Oceano gaudiorum omnium, Deo, hauriat. Quid quæſo refrigerij ſenſiſſet Epulo, licet Lazarus extremo digiti ſui intincto tetigiſſet eius linguam æſtuantem? Atqui tali modo potatur hominis animus, infinitâ ſiti æſtuans, cum ei gaudium ſenſuale propinatur. Et quid hoc?

2. Secundò, quia gaudium externum facile turbatur interueniente aliqua triſtitia aut moleſtia; ſicut qui alienis vtitur crinibus, facilè comam perdit, ſi per eam apprehendatur: non ita, qui natiuam habet. Cum enim infortunium aliquando, velut obitus amici, tonitrua vel grando vel alius adverſus caſus gaudiis mundi interuenit, ilicò ea diſturbat. Conuiuium Balthaſaris perturbauit manus Dei ſcribens illi iudicium ad parietem. Conuiuium Herodis & feſtum natalitium, perturbauit mors & caput Ioannis; quia *contriſtatus eſt propter iuſiurandum.* Contrà verò *non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit,* ait Sapiens *Prouerb.* 12.

3. Tertiò ratione triſtitiæ perpetuæ illius comitis, iuxta id *Prouerb.* 14. *Riſus dolore miſcebitur & extrema gaudij luctus occupat.* Nullum enim impiorum eſt gaudium, quod non maiorem habeat annexam triſtandi cauſam. Imprimis enim gaudiũ illud ſæpe magni conſtat & cum magnis expenſis paratur, aut cum magno periculo, ſi iniquum ſit. Sic nobiles plerumque plus conſumunt venatione, quàm acquirant. Intereſt quis crebrò conuiuiis alienis? tunc niſi impudens eſſe velit, eandem aleam ſubire debet, & inuitare etiam alios. Magnam alis familiam & ducis pompam? ſed magno cum impendio. Magnã adeptus es dignitatem? ſed & magnas curas. Optatas fortè nuptias celebras? ſed ſtatim ſubit cogitatio: quomodo vxorẽ & liberos ſuſtentare velis, aut alia ſimilis cura. Hinc cùm aliquando S. Franciſcus grauẽ pateretur carnis tentationem, in niuem ſe immerſit & ex illa ſibi ſeptem formauit effigies humanas & dicere ſibi cœpit: *Ecce hæc maior imago vxor tua eſt, quatuor vero iuxta poſita, liberi tui ſunt: duæ vero pediſſequa, famulus & ancilla. Nunc quantocyus vide vt omnes illas veſtias, quia frigore peribunt, niſi mox hoc feceris. Sin autem tibi moleſta eſt hæc pro multis ſolicitudo: vni Domino ſerui.* Hâc arte ſanctus vir vicit tentationem.

Denique gaudium id comitatur certa ſcientia, quòd nõ diu durabit. Maior eſt autem triſtitia amittentis bonum, quàm gaudium poſſidentis; & generatim bona temporalia non habita pariunt deſiderium: habita faſtidium & curas, amiſſa dolorem. Deniq; perturbata & rodens conſcientia, quæ longè magis torquet animum, quàm delectet externum gaudium. Hoc enim extrà tantùm illum afficit, illa verò intrà. Quare ſicut diues aliquis podagrâ aut alio acuto morbo perpetuò laborans miſerior eſt paupere mechanico ſano : ita peccatores inter ipſas voluptates & delicias, miſeriores ſunt quàm iuſti, qui iis omnibus carent. Identidem enim illos vellicat remorſus conſcientiæ.

Quartò. Ratione breuiſſimæ durationis, Ait enim Iob c. 20. *Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram: quod laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Sed E. IV. Reſpectu breuis durationis.
quomodo hoc verum eſt, inquies? Reſpondeo 1.
tribus rationibus. Primò gaudiũ hoc inſperato & in puncto deſinit. Huius rei typus exhibitus eſt, cùm præparauit Deus hederam ſuper caput Ionæ, vt faceret illi vmbram ſole æſtuante & protegeret eum æſtu laborantem. Quo facto *lætatus eſt Ionas ſuper hedera, lætitia magna,* ait Scriptura. Sed quamdiu? *Et parauit Deus vermẽ,* ſubdit mox eadem, *aſcenſu diluculi in craſtinum: & percuſſit hederam & exaruit. Et cũ ortus fuiſſet Sol, præcepit Dominus vento calido & vrenti & percuſſit ſuper caput Ionæ, & æſtuabat & petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & dixit: melius eſt mihi mori quam viuere. Ion.* 4. Hedera iſta deſignat mundi bona, voluptates, opes & honores, quæ ad tempus quidem vmbram homini faciunt & gaudium aliquod pariunt. Sed nihil eorum eſt, quod non habeat ſuum vermem, qui breui illud rodat & auferat fruentibus. Hodie viret & cras areſcit hedera. Et quàm ægrè amittitur, quod cum amore & gaudio poſſidetur? Hugo de S. Victore, ſimiles dixit mundi ſectatores nauigantibus, qui tranquillâ tempeſtate lætantur & canunt cytheris ac lyris omnique genere melodiæ, repente vero exortâ tempeſtate naufragium faciunt & à fluctibus hauriuntur. Hoc eſt quod S. Iob confirmat c. 21. dicens: *Tenent tympanum & cytharam & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos & in puncto ad inferna deſcendunt.*

Secundò, quia poſtquam tranſiit, putamus non diutiùs duraſſe, quàm ad punctum temporis. Et quo hilariores ſunt iſti, eo breuiùs gaudent, vt patet in iis qui cum ſuaui colloquio aut comitatu iter faciunt, aut epulantes ac cantantes nauigant; mirantur enim quod tam cito ad deſtinatum locum præter opinionem ſuam venerint, quod tam repente tempus fugerit. 2.

Tertiò, quia de quouis gaudio licet diuturno, non percipimus niſi punctum : præterita enim gaudii pars, iam non eſt ampliùs, niſi in memoria : futura vero nondum eſt, niſi in ſpe. Ea vero quã frueris, non eſt niſi punctum. Itaque perinde eſt, ac ſi quotanis mille Ducatos habeas inſumendos, ſed non niſi obolatim, ita vt quouis momento poſſis aliquid expendere vel emere, ſed non niſi pro obolo ſemper 3.

per. Et quales hæ diuitiæ? imò quanta paupertas? Modicum illud fili, quod inter digitos rotat Parca, gaudium eſt, quod poſſides. Quod in colo eſt, nondum poſſides: quod in fuſo, iam poſſediſti.

F. V. Ratione triſtitiæ ſecuturæ.

Quintò. Ratione triſtitiæ ſecuturæ. Et hic eſt ille æſtus, hic ventus calidus & vrens, qui breuiſſimam hederæ vmbram ſecutus, grauiùs Ionam afflixit, quàm priùs recrecârit vmbra. Incipiet hic ventus & æſtus primò in hâc vitâ. Nam inprimis communiter mundi gaudia deſinunt in triſtitiam, mox aut breui ſequentem. Vnde *Eccleſ. c. 7.* ait: *Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtultorum.* Ad cuius intellectum facit quod S. Bern. *ſerm. 1. de diuerſis*, in ſimili re ait: *Sicut flamma illius nouiſſima,* inquit *fumus occupat & caligo: ſic lætitia lata rei in triſtitiã commutatur.* Ita videmus Sympoſia deſinere in dolores capitum, catarrhos, febres & morbos, quandoque in mortem repentinam: libidinem in luem veneream, vomicas, &c. Superbiam in odium, inuidiam, probra & ignominias. Miro modo exultabat Aman, quòd à regina vocatus eſſet ad conuiuium; ſed è cõuiuio ductus eſt ad patibulum, *Eſth. 7.* Iucundus factus eſt Holofernes inter pocula ad præſentiam Iudith: ſed breui caput ei reſectum eſt. Deinde magis adhuc in mortis articulo, vt patet in Antiocho rege impio *1. Mach. 6.* Cùm enim decidiſſet in lectum dicebat: *In quantam tribulationẽ deueni & in quos fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum, qui iucundus eram & dilectus in poteſtate mea? nunc vero reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem,* &c. *Cognoui ergo quia propterea inuenerũt me mala iſta: & ecce pereo triſtitiâ magna in terra aliena.* Vnde Dominus *Luc. 6.* ait: *Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.* Delectatur aliquamdiu piſcis eſcâ: ſed cùm hamus attrahitur, ſentit tunc quid deuorârit. Auguſt. *l. de agone Chriſtiano* ait: *Gaudet piſcis quando hamum non videns, eſcam deuorat, ſed cum piſcator eum adducere cœperit, viſcera eius torquentur primò, deinde ab omni lætitia ſua per ipſam eſcam, de qua lætatus eſt, ad conſumptionem trahitur. Sic ſunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos ſe eſſe putant: hamum enim acceperunt & cum illo ſibi vagantur. Veniet tempus vt ſentiant quanta tormenta cũ auiditate deuorauerint.* ſic Aug. Vnde veriſſimè Eccleſiaſtes *c. 9.* ait: *Sicut piſces capiuntur hamo & ſicut aues laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo ſuperuenerit.* Qualis erit ille aculeus, cùm dicet illis propria conſcientia: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua?* Sed multò maximè incipiet in inferno. Tunc enim venient anni ſterilitatis & boues macilentæ quæ deuorabunt boues pingues, id eſt, annos vitæ præteritæ iucundos; ita vt eorum nulla ampliùs memoria ſit futura; quemadmodum vidit Pharao *Gen. 41.* Vtinam ſic cum illo præuideremus annos ſterilitatis, quos Epulo poſt ingluuiem expertus eſt, & nobis præuideremus de annonâ! Qui verò id non faciunt, ſimiles ſunt Ægyptiis illis inſipientibus qui fertilitate & abundantiâ ſeptem annorũ abuſi, nihil in futurũ repoſuerunt, ſed omnia diſſipârunt: idcircò præ aliis nationibus maximè fame afflicti ſunt, ita vt non pecora tantùm ſed & prædia ac ſeipſos vendere Regi in ſeruitutem debuerint, *Gen. 47.* Sic eueniet damnatis: quibus pro ſeptem annis fertilitatis venient infiniti ſterilitatis. Et heu quantum ſibi iraſcentur in inferno reprobi, quod pro tam breui & inani gaudio tam immanes & æternos cruciatus ſibi cõparauerint? Cùm in Ionatham pater ferret mortis ſententiam, ob guſtatum parum mellis virgæ ſummitate, dicebat Ionathas: *Guſtans guſtaui parum mellis & ecce ego morior 1. Reg. 14.* Quid ergò damnati dicent? optimè ergò monet Tertull. *de ſpect. c. 27. Omnia perinde habe ac ſi ſtillicidia mellis delibares cum baculo venenato, nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum* ſic Tertull.

Ad extremum memoriæ mandandum eſt quod S. Chryſoſtomus *hom. 22. ad pop.* ſcribit: *ſiquis intra centum annos* ait, *vna ſolum nocte ſuaue lætumq; ſomnium vidiſſet, & centenis ob id annis puniretur, an ſomnium hoc appetendum eſſet? Quod autem* inquit, *eſt ſomnium ad centum annos, hoc eſt præſens vita ad futuram, imo multo minus; & quod eſt gutta ad pelagus, hoc anni mille ſunt ad futuram æternitatem.* Quare vtinam cordi noſtro inſcriberemus vocem illam, S. Gregorii: *momentaneum eſt quod delectat, æternum vero quod cruciat.*

Ponderemus bene nunc *modicum* hoc mundanum, ne aliquando cum Crœſo in rogo inextinguibili fruſtra id recolamus. Concedat nobis Dominus, vt inter mundanas varietates, ibi noſtra fixa ſint corda, vbi vera ſunt gaudia.

CONCIO V.

De modico tribulationis, ſeu modicum eſſe quod nunc patimur.

Probat hoc Auctor his collationibus.

1. *Si cõparetur tribulatio cũ peccato ſeu malo culpæ.*
2. *Si conferatur cum demeritis noſtris.*
3. *Si conferatur cum malorum proſperitate.*
4. *Si conferatur cum tribulationibus aliorum.*
5. *Si conferatur cum pœnis damnatorum.*
6. *Si conferatur cum æterna gloria.*

THEMA.

Modicum & non videbitis me. Ioan. 16.

GEn. 25. Legimus Rebeccam paulo ànte puerperium magnis anguſtiatam fuiſſe doloribus, eo quòd colliderentur in vtero eius paruuli. Quæ cum ſuper hoc Dominum conſuluiſſet, audiuit: *Duæ gentes ſunt in vtero tuo & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populuſque populum ſuperabit & maior ſeruiet minori.* Si præſentem Germaniæ noſtræ ſtatum intueamur, Auditorẽs, non obſcurẽ cernimus, hoc idem nunc euenire patriæ, quod olim euenit Rebeccæ. Vidimus enim iam per aliquot annos in eius vtero collidi acerrimis bellis exercitus cum exercitibus, populus cum populis: vidimus bella in Auſtria, bella in Bohemiâ, bella in Saxoniâ, bella in Haſſiâ, bella in Vngariâ,

bella

bella in Palatinatu, bella ad Rhenum, bella in Alſatiâ, bella in Rhetio, & nunc acriora timemus. Nec eſt quòd Deum conſulamus, quid hoc ſibi velit; ſcimus enim duas eſſe gentes in vtero Germaniæ; quæ inter ſe colliduntur & conuenire numquam poſſunt, Catholicos & hæreticos. Verùm inter hos medios patriæ noſtræ dolores, conſolatur nos hodie Chriſtus, cùm aſſerit dolore ſuorum Chriſtianorum eſſe dolores parturientis, hoc eſt, modicum duraturos: *Modicum & videbitis me*, inquit. Et hoc quidem magnum eſt motiuum, cur deiici non debeamus, nec murmurare contra Deum. Sed ſunt adhuc longè plura, quæ idipſum nobis perſuadent vt videbimus.

Si alicuius rei grauitatem indagare volumus, ſolemus eam ponderare cum aliis ponderibus, Ergò cum aliis magni ponderis rebus conferamus tribulationem noſtram.

B. I. Si comparetur tribulatio cum peccato, ſeu malo culpæ.

Primò. Si ponderemus tribulationem cum culpâ ſeu peccato, modicum quid eſt, quia malum pœnæ tantùm; Pœna autem reſp. culpæ modicum malum eſt, vti fatetur etiam Ethnicus ille Tullius *ep. ad Miſſinium. fam.* 5. cum ait, *præter culpas & peccatum homini accidere nihil poſſe, quod ſit terribile aut pertimeſcendum*. Ratio, quia tribulatio non lædit animam ſed corpus tantùm, non aufert Deum, ſed res tantùm fluxas. Vnde qualiſcunque ſit tribulatio, & ſicut dicebat S. Ægidius, *licet lapides & ſaxa de cælo plueret Dominus, nō nocebit nobis, ſi tales fuerimus quales nos ille requirit*, vt habetur *in ſent. aureis* eiuſdē. Hocque nunciatur iuſto Eſa. 3. *dicite iuſto, quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet*. Quidquid enim accidat iuſto, *bene eſt*. quia vt ait S. Gregorius: *cui nulla dominatur iniquitas, ei nulla nocebit aduerſitas*. Quemadmodum enim naufragus aut viator, qui incidit in latrones, nihili æſtimat merces & pecunias quas perdidit, modò vitam ſeruet: ita iuſtus nihil curat, quæ hic in mundo perdit, dummodò ſalua ei ſit à peccato anima. Illa ſola vera & incomparabilis tribulatio eſt, vbi peccata regnant, qualis maximè fuit paulò ante diluuium & Sodomæ incendium, eritque tempore Antichriſti. Et de hac ſubdit mox Iſaias: *Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei.*

C. II. Si confertur cum demeritis noſtris.

Secundò. Si appendamus cum peccatis & demeritis noſtris præſentem tribulationem, reperiemus modicum quid eſſe & contrarium eius quod de ſe dicebat Iob. c. 6. *quaſi enim arena maris grauiora* apparent peccata noſtra, *quàm calamitas quam patimur*. Quis enim numerare poſſet ſcelera omnium penè ſtatuum eaque notoria, quæ hactenus in Germaniâ noſtrâ vigebant? Cū his ſi appendamus præſentem calamitatem, modica hæc & leuis, imò nulla apparebit & velut puluis aëris reſp. arenæ maris. Non eſt igitur quod queramur, ſed quod gratias agamus, qui citra condignum affligimur, & Dei miſericordiam prædicemus. Quando Dauid Sauli, ad necem ſe quærenti & in tentorio ſuo dormienti abſtulit lanceam & Scyphum, cùm occidere eum potuiſſet: eaſque manubias Sauli poſteà deprocul oſtendiſſet: Saul non furtum eius accuſabat, ſed miſericordiam prædicabat & bonitatem, dicens: *Benedictus tu fili mi Dauid*, 1. *Reg.* 26. Similiter 1. *Reg.* 24. quando Dauid in ſpeluncâ abſcidit ei chlamydis oram & deprocul monſtrauit: *Iuſtior tu es quam ego*, ait Saul. Quia videlicet Dauid, cùm vitam illi eripere potuiſſet, nil præterquam lanceam, Scyphum & oram chlamydis abſtulit. Pari modo ſi conſideremus ſcelera noſtra quibus hactenus Deum noſtrum tam multipliciter (vt Saul Dauidem lanceâ ſuâ) impetiuimus & offendimus; & alterâ ex parte præſentem calamitatem, quâ Deus, qui vitam nobis adimere & inferni pœnas irrogare potuiſſet, nil aliud aufert, præterquam lanceam, hoc eſt, facultatem rebellandi Deo, robur & ſanitatem ſcilicet: ſcyphum, hoc eſt, occaſionem & facultatem commeſſationum, luxûs, ebrietatum: oram chlamydis, hoc eſt, copiā pretioſi & ſuperflui veſtitûs, meritò exclamamus: *Benedictus Dominus, qui fecit nobiſcum miſericordiam*, qui tam miti flagello punit reos grauiſſimos. Accedit, quòd hoc flagellum non tam Deus, quàm ipſi nobis confeciſſe videmur. Euenit igitur nobis modò quod mercatoribus illis, *Ioan.* 2. qui *proprio flagello*, vt ait Anacletus Papa *ep. 2. percuſſi & eiecti ſunt è templo* à Chriſto, fecerat enim Chriſtus id flagellum de funiculis, qui haud dubiè ab ipſiſmet mercatoribus, vt ſolet, allati fuerant ad merces colligandas. Eodem modo noſtra peccata cùm non minima cauſa ſint præſentis calamitatis, meritò nobis imputemus, ſi per eam nunc caſtigemur, dicamuſque cum fratribus Ioſephi: *meritò hæc patimur quia peccauimus*. Cum latrone crucifixo: *nos quidem digna factis recipimus*.

D. III. Si confertur cum malorum proſperitate.

Tertiò. Si comparemus eam cum malorum proſperitate, modicam eſſe dicemus. Malorum ſiquidem proſperitas grauiſſima omnium pœnarum eſt, quæ in hac vitâ contingere homini poſſunt, reſp. cuius tribulatio modicum malum, imo magnum beneficium eſt. Quemadmodum enim potio medica vel phlebotomia ad ſanitatem recuperandam è medico ſuaſa & adhibita, malum quidem aliquod eſt, reſp. tamen deſolationis, quâ Medicus ægrum omnino deſtituit, vel omnia illi noxia concedit, modicum malum, imo potiùs beneficium eſt, ita & tribulatio, quæ ad ſalutem procurandam hominibus à Deo immittitur, ſalutem adfert, cùm contrà proſperitas malorum ad mortem æternam ducat. Modicum eſt damnum vti & modicum vulnus, quod facit Chirurgus cum ægro venam incidit, ſed maximum interim bonum, ſanitas videlicet diuturna, quod affert. Et quid magnum eſt, ſi v. g. omnia magno conſtent? Si vinum vix haberi; ſi cupediæ, ſi veſtes pretioſæ in maximo ſint pretio? imo ſi corpus aliquā inedia maceretur? modicum damnum, imò magnum beneficium. Hoc enim medio elicit nobis Deus noxium ſanguinem ſuperbiæ cōmeſſationū, ebrietatum & quæ ex eâ oriuntur, rixarum, libidinum. Ante hoc tempus quanta in veſtibus inſolentia? qui luxus? qui tumultus & rixæ in tabernis, quot choreæ,

in

reæ? qui luſus? quàm communis, frequens & paſſim obuia ebrietas? quæ otia? Nunc verò per inſtantem penuriam & annonæ difficultatem his malis magnâ ex parte Deus medetur. O felix phlebotomia! *Vadam poſt amatores meos*, ait: quædam fornicaria *Oſ.* 2. *qui dant panes mihi & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum & potum meum.* Sed reſpondet Dominus: *Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis & ſepiam eam maceria & ſemitas ſuas non inueniet.* Pari ratione ne luxu diſſoluantur homines, ſalubriter nunc caſtigantur penuriâ vel peſte. Vnde hæc noſtra tribulatio, medicina potiùs eſt & Dei miſericordia quàm ira. Vt enim Ioſeph cùm iratum ſe finxit in fratres, eos terrendo & anguſtiando, non tam auſterus quàm benignus fuit; ſiquidem eo medio elicuit ſanguinem noxium, dum agnoſcere eos fecit peccatum ſuum *Gen.* 42. ita Dominus Deus magis clemens quàm ſeuerus eſt, cum plectit delinquentes, vt redeant in ſe. *Oculos enim quos culpa claudit; pœna aperit*, inquit S. Gregorius Papa.

E. IV. Si confe-ratur cum tribula-tionibus aliorum.

Quartò. Si comparemus tribulationes noſtras cum tribulationibus aliorum partim iniquorum. Quid enim noſtra tribulatio reſpectu perſecutionis primorum Chriſtianorum & eorum qui adhuc in Iaponiâ & aliis orbis partibus premuntur? quid reſpectu SS. Martyrum, Bartholomæi, Simonis, Laurẽtij, vincentii, &c. qui omnes dicere poſſunt Deo: *Igne nos examinaſti & non eſt inuenta in nobis iniquitas?* Fatebimur illos ænea vaſa, qui malleo & igne probata fuere, nos vero fictiles ollas, quæ digiti pulſu tantùm explorantur. Quid etiam noſtra hæc tribulatio reſpectu aliarum tribulationum, quas alii homines paſſi ſunt? nondum caput aſini veniit octoginta argenteis & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis, quemadmodum in obſidione Samariæ contigit 4. *Reg. c.* 6. Nondum matres coxere filios, quemadmodum ibidem & in obſidione Ieroſolymitana ſub Tito Imp. nondum coriis madefactis & igne ſiccatis foliiſq; arborum victitauimus, quemadmodum Petilini à Pœnis obſeſſi: neque adhuc mus vnus centum denariis emptus eſt, quemadmodum à Caſſilinis obſeſſis ab Hannibale, vt refert Philippus Viler. Liladamus *apud Philippũ Lonicerum in Chron. Turcic.* nondum fame vrgente alterni ſe eſitabant, quemadmodum in Italia. Anno 539. ex Procop. *de bello Gothico l.* 2. Baron. An. 539. Nondum modius frumenti væniit decem ſiclis ſeu 7. florenis, vti anno 850. circa Rhenum, vbi mater antequam ab Epiſcopo Moguntino Rabano paſceretur, in limine præ inediâ corrüit & filiolus è demortuæ vberibus ſugere tentabat. Ex Pith. *in Annal. Fran.* Hæc & horum ſimilia conſiderantes, nónne adhuc exoſculari debemus virgam Dei, quâ tam paternè caſtigamur, eumque inſtanter orare, ne grauiores addat afflictiones? nónne dicere debemus: **Wir ſeind noch im Roſengarten!**

F. V. Si confe-ratur cum pœnis damna-torum.

Quintò. Sic conſideremus eam reſp. tribulationis damnatorum æternæ. quid enim eſt præſentis temporis tribulatio reſpectu illius æternæ? non tantum, quantum punctum reſp. cœli. Omne tempus à Chriſto vſque ad iudicium vocatur à Ioanne 1. *Ioan.* 2. *nouiſſima hora.* Et in hodierno Euangelio iuxta explicationem S. Auguſtini, primum modicum ſignificat tempus illud, quod à paſſione intererat vſque ad Aſcenſionem Chriſti. Secundũ verò modicum quod ab Aſcenſione vſque ad iudicium. Et ſi totum id tempus eſt modicum: quàm modicum erit tempus præſentis calamitatis, quod citò mutatur in ſerenitatem? tametſi verò *hoc modicum longum nobis videtur*, vt inquit S. Auguſt. *tract.* 101. *in Ioan. cùm finitum fuerit, tunc ſentiemus quàm modicum fuerit.* Apud inferos primùm videre cœperunt damnati illi *Sap.* 5. vitæ ſuæ peractæ breuitatem, cùm aiunt: *Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra &c. tanquam nũtius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertranſit fluctuantẽ aquam; aut tanquam auis quæ tranſuolat in aere, aut tanquã ſagitta emiſſa, &c. Sic & nos nati continuò deſiuimus eſſe.* Conſiderabant nimirum & conferebant vitam ſuam præteritam cum æternâ ſuâ damnatione, & reſp. illius *modicum*, imo nihil videbatur eis totum id quod vixerunt ſpatium. Quis ergò non libenter ſufferat modicam tribulationem vt evadat æternam damnationem?

Punit Deus in hac vita, & quaſi vno digito; vti fatentur Magi Pharaonis *Exod.* 8. dicentes: *digitus Dei eſt hic* (Chaldæus vertit: *à facie Dei plaga hæc eſt.*) Ibi verò puniet diabolus, & totâ quidem manu totaque vi. Vnde & damnatis dicet quod olim Roboã ſubditis ſuis. 3. *Reg.* 12. *Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei. Et nunc pater meus poſuit ſuper vos iugum graue, ego autem addam ſuper iugum veſtrum: Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.* Flagello cæditur homo ad emendationem, ſcorpionibus verò ad internecionem, vt SS. Martyres plurimi. Pater Dæmonis Deus dici poteſt, quia creauit illum: cædit nos Deus hîc flagellis; Diabolus ibi ſcorpionibus. Quoniam igitur ſemel pro peccatis noſtris puniri debemus, nónne malimus hic à Deo flagello, quàm ibi à dæmone ſcorpionibus cædi? nonne dicere debemus cum Dauide: *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt?* & rurſum: *ego autem in flagella paratus ſum?* Et cum S. Auguſtino. *Hic ſeca vt in æternum parcas!*

G. VI. Si confe-ratur cũ æternâ gloriâ.

Sextò. ſi præſentem tribulationem appendamus cum æternâ gloria, quæ patientibus promiſſa eſt, dicemus illam eſſe modicam, & cum Apoſtolo ad *Rom.* 8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* Modicum tribulationis diſcipulorum erat 40. horarum, tempus videlicet paſſionis & mortis Chriſti: tempus verò gaudii ſubſecuti, 40. dierum, ſcilicet à reſurrectione vſque ad aſcenſionem, quo tempore cum Chriſto iterum verſabantur. Sic & tempus tribulationis præſentis modicum eſt: gaudij verò futuri interminabile. Ita teſtatur Dominus *Iſa.* 54. *Ad punctum in modico dereliqui te & in miſerationibus magnis congregabo te.* Quis ergo non libenter ſuſtineat modicum tribulationis pro æterno gaudio? modicum damnum pro maximo emolumento? En tibi exemplum opportunum ſimulque lepidum.

obi-

Nobilis quidam mihi notiſſimus ait Chauaſſius *de perf. prudētia l. 3. c. 6.* cùm die quodam iter faciens aſellum obuium habuiſſet inſtructum prælongis auribus, famulo cuidam ſuo dixit: *Iam datur nobis oblectationis iucundæ occaſio, gladium tuum exere & eleganti huic auiculæ alam vnam præcidito.* Dictum, factum; videns autem bruti dominum ægrè id ferentem, dixit: *Boni conſulas, rogo, quod me actu iſto recreauerim, en tibi ſatisfactionis loco coronatum.* Placuit ruſtico ſatisfaciendi modus & genus, adhibitoque vxoris conſilio die ſequenti ad arcem venit aſello comite nobilemque illum eſt obteſtatus, vt dignaretur pari pretio obtruncata miſeri animalis auricula altera ſeſe oblectare. Riſit tunc ille pactoque inito accinxit ſe ad mutilationem alteram. Cogitemus ergo & nos modicum eſſe, auriculam eſſe ſeu rem non neceſſariam quam tollit nobis Deus tribulationis gladio; & cum eam ſuo tempore tam largiter compenſaturus ſit, rogemus inſuper, vt flagello ſuo ſæpius nos caſtigare velit, quo vberior ſit corona noſtra, quam nobis largiatur. Amen.

CONCIO VI.

Solidum ac iuge piorum gaudium in quo conſiſtat.

Gaudium hoc primò
1. *Conſiſtit in Deo.*
2. *Conſiſtit in Chriſto Ieſu.*
3. *In fide & Chriſtianiſmo.*
4. *In bona Conſcientia.*
5. *In ſpe mercedis æternæ.*
6. *In tribulationibus æquo animo toleratis.*

THEMA.

Iterum videbo vos & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Ioan. 16.

A. SI bene expendamus hodiernum Euangeliū non video quomodo aliquando poſſimus eſſe triſtes. Prædicit enim ſuis diſcipulis Dominus, ploraturos quidem illos & triſtitiam habituros in triduo paſſionis ſuæ: Sed *iterum*, inquit *videbo vos*, vbi videlicet reſurrexero, *& gaudebit cor veſtrum & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis:* Ergo voluit Dominus gaudium diſcipulorum poſt ſuam reſurrectionem eſſe continuū & indeficiens. Quod verò illis dixit, nobis omnibus dixit. Hoc enim S. Paulus ſæpiùs nobis inculcat. Ad *Philipp.* 3. *De cetero* (gl. interl. exponit *deinceps*) *fratres mei gaudete in Domino.* Et c. 4. ſequente: *Gaudete in Domino ſemper: iterum dico, gaudete.* Et 1. *Theſſal.* 5. *ſemper gaudete.* Sed obijciet mihi aliquis, quod ſenior ille & cæcus Tobias obiecit angelo Raphaeli. Hic enim cùm ad eum ingreſſus dixiſſet: *Gaudium tibi ſemper*, reſpondit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video? Tob.* 5. Dicet enim aliquis: Quomodo hoc tam calamitoſo ſæculo poſſumus gaudere, qui nihil vſpiam cernimus: quod nos recreare queat? Videmus vndique calamitatem & afflictionē; quomodo ergò gaudere poſſumus? Verum gaudium noſtrum non repit in his infimis & inanibus bonis: ſublime eſt & tranſcendit omnia mundi bona: ita vt gaudere poſſimus, licet omnia in mundo ſurſum deorſum eant. Id quod hic videbimus.

Primò & potiſſimum Conſiſtit in Deo. Quâ de re 1. *Reg.* 2. audimus Annam canentem: *Exultauit cor meum in Domino.* Et Deiparam *Luc.* 1. *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Multis autem modis gaudere in Deo poſſumus, primò ob eius infinitatem, quâ omnia bona eminenter in ſe continet, eſtque pulcherrimus, ditiſſimus, ſapientiſſimus, potentiſſimus, ſanctiſſimus, &c. præ omnibus quæ ſunt & eſſe poſſunt. Quis enim non maximoperè gauderet, ſi patrem haberet, potentiſſimum, ſapientiſſimum, beatiſſimum? Quantum ergo debemus gaudere, cùm cogitamus patrem nos habere cæleſtem, qui omnibus bonis affluit & circumfluit? Qui ſi pater noſter eſt, ergo omnia quæ habet, noſtra ſunt. Sic enim ait pater filij prodigi ad ſeniorem filium: *omnia mea tua ſunt, Luc.* 15. Adhæc, quod caput eſt, nemo nobis Deum auferre poteſt inuitis. Querebatur Magdalena: *Tulerunt Dominum meum & neſcio vbi poſuerunt eum.* Sed fruſtra angeris Magdalena; nemo tibi, nemo nobis auferre Dominum poteſt niſi eum tradiderimus. B. I. Conſiſtit in Deo. 1.

Secundò. Ob eius omniſcientiam & præſentiam in omnibus locis, cùm cogitamus eum omni loco poſſe à nobis inueniri, ſemper & vbique audire preces noſtras, videre miſerias noſtras. Quomodo non recreentur afflicti, ſi in omni ſuâ afflictione cogitent adeſſe ſibi patrem, protectorem, medicum ſuum. *Domine ſi fuiſſes hic*, dicebat Martha & Magdalena, *frater meus non fuiſſet mortuus.* Atqui ſcimus nos Deum nobis adeſſe ſemper inſeparabiliter. Ergò non patietur nos tentari ſupra id quod poſſumus: ergò iniurias, quas patimur, ſuo tempore vlciſcetur: ergò laborantibus & patientibus in tempore ſuccurret, &c. 2.

Tertiò. Ob eius iuſtitiam inuiolabilem, cùm cogitamus eum nemini prorſus iniuriam facturum, nec ab vllo deprauari aut nos apud ipſum falſis delationibus diffamari poſſe. Multi etiam boni principes quandoque decepti ſeu falsâ ſuſpicione ſeu falſis denuntiationibus vitâ priuarunt innocentes. Cuius rei exemplum non vulgare refert P. Raderus *in aula S. cap.* 16. de Theodoſio iuniore Imp. qui Paulinum virum primarium, quo cum in aula enutritus erat ſibique chariſſimum vanâ ſuſpicione deluſus, occidit. *Homo namque peregrinus fortunaque tenuis pomum Phrygium inuſitatæ magnitudinis donum offert. Imperator cum proceribus mali generoſi molem admiratus, centum quinquaginta aureos pauperi pro dono repoſuit munuſque Eudociæ auguſtæ miſit: Eudocia Paulino ægro tum à pedibus, quem propter excellentem tum eruditionē tum virtutem egregiè charum habebat, præſertim quod nuptiarum fuiſſet paranymphus, & in ea re Auguſtam non parum iuuiſſet. Sed eheu cauſa mali ſemper malum, diſcordia potentum illud, non concordia fuit. Paulinus ignarus pomum ab Auguſto ad Auguſtam profectum, tertius [illegible] Theodoſio tanquam tantum* 3.

rum & peregrinum generoſiſſimi fructus miraculum, & ſignum officij ſui in Imperatorem. Imperator ſequius rem interpretatus agnouit illico pomum quod Eudocia miſerat, à Paulino donatum. Trahit factum in ſuſpicionem adulterij, ſeruari clam malum iubet. Accerſitam Eudociam rogat, vbi pomum ſit paulò ante à ſe miſſum. Eudocia perculſa verebatur, nè ſi Paulinum nominaret, Imperator alia ſuſpicaretur, ſe ediſſe affirmat? Itanè, inquit Imperator, ex animi tui ſententia comediſti? comedi, inquit. Per ſalutem tuam ait Imperator comediſti? Deierat illa: per ſalutem imò exitium ſuum. Profert inde pomum Theodoſius Paulinumq́; eadem nocte interfecit, ab Eudociâ abnoctat. Deiurium enim auxerat conceptam anteà ſuſpicionem. Nemo talem cataſtrophen tamq́ue noxium errorem formidare apud Deum debet. Omnia is per ſe nouit, nullâ ſuſpicione ab æquo trahi poteſt.

C. II. In Chriſto Ieſu. SECVNDÒ. IN CHRISTO IESV, vti ſexcentis annis ante ortum eius dixit Abacuc c. 3. *Exultabo in Deo Ieſu meo.* Gaudere autem in Chriſto Ieſu poſſumus ac debemus quia in hoc nomine continentur negotium & œconomia totius noſtræ ſalutis, quæ conſiſtit in redemptione, iuſtificatione, glorificatione. Per redemptionem liberati ſumus à poteſtate diaboli, à peccato quæ eſt mors animæ, & à morte æternâ ſeu inferno. Per iuſtificationem conſtituimur ex inimicis Dei amici, ex filijs gehennæ filij & heredes Dei ac cœleſtis gloriæ; denique à morte excitati incipimus viuere vitâ & ſpiritu Chriſti, ſicut palmites in vite, ex quâ vitam, ſuccum & fructum ſumunt. Per glorificationem, quam expectamus, conſtituemur reges cœli, & ita ab omnibus vitæ huius miſerijs abſoluti & exuti replebimur omnibus bonis. Primũ beneficium iam accepimus, ſecundò adhuc fruimur, tertium expectamus. Quis hæc cogitans, & vel ſolum Ieſu nomen audiens non totis viribus geſtiat & exultet? Quis triſtetur? quis deſperet? quis vitæ huius calamitates, quis diabolum, quis mortem, quis gehennam ipſam metuat? Hoc enim nomẽ Ieſu, dicit malorum omnium exterminium, & bonorum omnium cumulum. Ergò in deſolatione, in timore, in ſcrupulis & anxietatibus, in tentationibus & tribulationibus. Ieſum cogitemus. Ieſum inuocemus, & gaudebit & recreabitur vtique cor noſtrum, ac dicemus cum Dauide: *Memor fui Dei & delectatus ſum.* Dices ſcio me redemptum; Sed neſcio an iuſtificatus, neſcio an glorificandus ſim. Quæ hic gaudij materia? Reſpondeo in manu tua eſſe gratiam & gloriam. Nónne gaudet fur, quòd de carcere ereptus ſit, licet neſciat an iterum ab alijs capiendus ſit? Quòd ſi diceretur furi: Si depreceris culpam, in patriam redibis, gratiam principis impetrabis, imò hæres eius fies; quantoperè gauderet? nobis iſtud dicitur & reuerâ à Deo præſtatur.

D. III. In fide & Chriſtianiſmo. Tertiò. In fide & Chriſtianiſmo. Hoc gaudium propheticè deſcribit Iſaias c. 61. dicens: *Gaudẽs gaudebo in Domino & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me veſtimentis ſalutis & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum coronâ; & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Quod nobis contigit in baptiſmo. Ibi toti ſumus à peccatis veſtiti gratiâ ſanctificante, hæredes regni facti, cœlo nobis aperto; monili characteris conſignati vt Eccleſiæ filij. Vnde huc alludens Apoſtolus ad Gal. 3. ait: *Quicunq́; in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Non gauderemus multò maximè, ſi reges aut reginæ crearemur? Chriſtianũ eſſe, plus eſt. Audi Ioannem Apoc. 1. *Dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum,* id eſt, *reges* (vt in multis græcis codicibus legitur) nec qualeſcumque, ſed cœli reges. Hinc Theodoſius Imp. magis ſe gaudere aiebat, quod eſſet Chriſtianus; quàm quod eſſet Imperator. Et D. Ludouicus Francorum rex fundo Poſſiaco plurimum delectabatur, eoque frequẽter ventitabat, quod ibi ſacro renatus eſſet baptiſmate. Imò paſſim iactabat ſe plus eo loci accepiſſe dignitatis & beneficij cùm Chriſti diademate & oleo condecoratus eſſet, quàm Rhemis cùm rex inauguratus & inunctus. Nicol. Ægidius & Frãc. Belleforeſtius in eius vitâ. Nec immerito; Regia enim dignitas munus eſt humanum: Chriſtianiſmus munus eſt diuinum. Vnde Apoſtolus Paulus cùm Romam è Syriâ perductus prædicare ibi Chriſtum cœpiſſet, & Iudæorum aduerteret incredulitatem, dixit: *Notum ergo ſit vobis quoniam gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei, & ipſi audient,* act. ult. Noluerunt illi ingredi in arcam Noë: nos ergo ad eam vocati & per gratiam Dei ingreſſi ſumus quemadmodum tempore Noë, quia homines in eam ingredi noluerunt, inducta ſunt animalia bruta. Quantò gaudio putatis circumfluxiſſe in diluuio Noën cum ſuis, quando ſe in tuto poſitum, cæteros omnes inter vndarum fluctus cum morte luctari vidit? nos cum Noë in arcâ Eccleſiæ ſumus: cæteri extra illam pereant neceſſe eſt.

Quartò. In bona conſcientia; cum videlicet cor noſtrum non reprehendit nos de mortifero peccato. *Lætamini in Domino,* ait pſalmiſta pſal. 31. *& exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.* Et Chriſtus *Luc.* 10. *Gaudete,* inquit, *quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Scripti autem in libro vitæ ſunt ſaltem inchoatè, qui ſunt in ſtatu gratiæ. Hoc gaudium exoptabat Dauid, cùm dicebat: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Cùm videlicet intellexero dimiſſi mihi eſſe peccata: *non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudiũ,* ait *Eccl.* 30. *Quid enim ditiùs,* inquit, *S. Bern. l. de* Conſiderat. *quid in corde dulcius, quid in terra quietius eſt & ſecurius bona conſcientia.* Cæterum tunc demum bona erit & ſecura conſcientia, quando poſt accuratam & frequentem vitæ noſtræ diſcuſſionem nihil in nobis inuenimus, quod diuinæ legi repugnet, ſed deprehendimus nos in lege Domini ambulare & delectari. *S. Baſil. interrog.* 193. *in reg. breu.* quærit: *Cuiuſmodi eſt gaudium, quod eſt in Domino? & quid eſt quod facientes gaudere debeamus? In his quæ ſecundum mandatum Domini fiunt, gaudere, eſt in Domino gaudere. Quocirca quandocumque mandata Dei exequimur aut propter nomen Domini aliquid patimur gaudere & gratulari inter nos debemus.* Habet bona cõſcientia in ſe fontem E. IV. In bona conſcientiâ.

omnis

omnis lætitiæ Deum. Vnde *ſicut in immenſum mare decidens ſcintilla breui facile extinguitur: ſic quantacunque Deum timenti illidantur, velut in vaſtum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur*, ait S. Chryſoſt. *ho. 18. ad pop.* Veriſſimum ergò illud *Eccl c. 1. Timor Domini delectabit cor & dabit lætitiam & gaudium.*

F. V. In ſpe mercedis æternæ. Quintò. In ſpe mercedis & felicitatis æternæ. Ita docet Dominus *matth.* 5. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Et Apoſtolus ad *Rom.* 12. vult nos eſſe *ſpe gaudentes.* Etenim, vt inquit Philo, *ſpes gaudium eſt ante gaudiũ.* Ergò ſi vixerimus ſicut decet Chriſtianos, ſemper gaudere poſſumus, quia ſpem moraliter certam habemus futuræ retributionis. Hinc B. Apollonius Abbas, nolebat vt in ſuo cœnobio quiſquam triſtis eſſet; dicebat enim: *non oportet nos eſſe triſtes, quibus ſalus in Deo eſt, & ſpes in regno cœlorum. Triſtentur gentiles, lugeant Iudæi, plangant ſine ceſſatione peccatores: nos vero qui tantæ gloriæ pem & æternitatis habemus promiſſionem, cur non omni exultatione lætemur?* Ruffinus & Pallad. in eius vitâ. Hanc etiam ob cauſam S. Antonius ſemper erat lætus, ita vt ex vultûs hilaritate è reliquis Monachis etiam ab ignaris ſtatim agnoſceretur, vt ſcribit de eo S. Athanaſius; qui & cauſam addit: *Nam ſemper hilarem faciem gerens*, ait: *liquidò oſtendebat ſe de cœleſtibus cogitare.* Afficiebatur autem adeò Antonius erga cœleſtium rerum comtemplationem, vt ſæpe Sol oriens eodem veſtigio ſtantem & in cœlum ſuſpicientem aſpexerit, quo eum occidens reliquerat, teſte eodem Athanaſio. Et verò pij omnes meritò recreantur cùm vel cœlum aſpiciunt. Sicut enim qui ex remotiſſimâ regione venit, vtique valde gaudet, cùm patriam ac domum de procul intuetur ſuam, licet adhuc nauiget vel lutoſa viâ aut in pluuiis incedat: ita lætantur electi cœleſtis patriæ aſpectu, licet nondum ibi ſint & adhuc inter mundi huius fluctus laborent.

Augere noſtrum hoc gaudium debet, quòd adhuc in via ſumus, adeoque augere ſemper magis mercedem noſtram poſſumus. Quid enim darent damnati ſi in hanc redire vitam poſſent? quid animæ purgantes? Ecce nũc tempus nundinarum: Nunc *regnum Dei intra nos eſt.* O quàm gauiſum exiſtimamus fuiſſe Petrum illum telonearium, qui cùm fuiſſet auariſſimus nec quidquam boni egiſſet, prætèrquam quòd aliquando vnum panem in faciem mendici indignans proieciſſet; in ægritudinem raptus & appenſus in ſtaterâ cùm vnicus ille panis adæquaret lancem alteram peccatis eius onuſtam, ideoque iuberetur ab angelis redire & addere ad panem illum, niſi vellet rapi ab aſtantibus Mauris, dæmonibus? ô quanto reuerſum gaudio putamus? Certè poſt liberaliſſimus factus omnia ſua pauperibus & ſeipſum denique elargitus eſt, vt habetur in vita apud Metaphraſten. Imò etiam beati, qui iam fruũtur cœlo, beatiores nos hac ex parte iudicãt, quòd cum ipſi iam ſint in termino, nos augere merita noſtra indies poſſimus. Legimus enim in vitâ S. Mechtildis Virginis, eam aliquando audiuiſſe ſanctos ſibi dicentes: *Eia quàm felices vos eſtis, qui adhuc viuitis in terris, & quam multa promereri poteſtis! quia ſi homo ſciret, quanta vna etiam die promereri poſſet, mox vt è ſomno euigilaret, tanto gaudio cor eius dilataretur pro eo quod dies illa illuxiſſet, in quo Deo viuere & ex Dei gratia ſuum meritum ad Dei laudem augere poſſet, quod tota die ad omnia quæ agere aut pati deberet, alacrior & fortior redderetur.* Refert Bloſius *l. 4. ſpirit. vitæ c. 4.*

G. VI. In tribulationibus. Sextò. In tribulationibus æquo animo acceptis: vti monet S. Iacobus *c. 1. Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Triplicem huius rei cauſam indicat nobis Sara Raguelis filia in ſuâ precatione *Tob.* 3. cùm ait. *Hoc pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & ſi in correptione* (ſic enim rectiùs legitur) *fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit.*

1. Primò ergò intelligit ſe in tentatione probari, & tunc *cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe*, vt ait S. Iacobus *c.* 1. epiſtolæ ſuæ. Ergò ſicut non dolent ſed gaudent potius, qui ſæpe magni lucri laborem aliquem ſubeunt: ita pij quoque quia ex aduerſis magnam ſibi coronam ſperant. Gauderet ſanè lapis, ſi ſenſum haberet, quòd ſcalpello poliatur fiatque ſtatua regis elegans: lignum quod dolabrâ læuigetur fiatque thronus Pontificis: pannus quod lixiuio purgetur à ſordibus, &c: idem facit tribulatio iuſto, cur ergo is non gaudeat?

2. Secundò. Intelligit ſe tribulari ſeu exagitari flagellis & moleſtiis, & tunc liberabitur à periculis & variis peccandi occaſionibus, quas ei bona valetudo, rerum affluentia & ſecura quies offert: quo modo mediis tribulis purgatur à paleis triticum. Sicut enim ſal conſeruat carnes à putredine: ita tribulatio corpus & animam à concupiſcentiâ & peccato.

3. Tertiò, intelligit ſe corripi, vt peccatorum, in quæ impegerat, maculis pœniſque detritis, miſericordiam conſequatur, qua in hoc potius quam altero puniatur ſæculo. Non enim punit Deus bis in idipſum. Hinc viri oculati nõ tolli ſibi tribulationes, ſed augeri peroptârunt, vti Pius V. Pontifex, qui acribus calculi doloribus afflictus dicebat; *Domine auge dolorem, auge & patientiam.* S. Tereſia, quæ orabat: *Da aut pati aut mori. Vitam enim meam aliud eſſe nolo quam te amare, pro te laborare, pro te pati.* S. Xauerius, qui precatus eſt: *Domine ne hanc crucem mihi auferas niſi maiorem immittas.* Maluerunt enim hic vri quàm ibi. Sed dices tribulationem eſſe plagam communem tam reprobis quàm bonis, tam infidelibus quàm fidelibus; vnde igitur materiam gaudii præbere queat bonis? Reſpon. bonis eam prodeſſe, non malis; ſicut ſolis lux bonum eſt commune & ſalutare, ſed laborantibus & ea bene vtentibus: non prodeſt cæcis nec dormientibus, nec otiantibus &c. Sic tribulatio bonum eſt quidem commune, ſed non prodeſt cæcis, id eſt, infidelibus & hæreticis, nec peccatoribus, tametſi fidelibus, nec impatientibus & murmurantibus, &c. Prodeſt

Prodeſt autem fidelibus, pœnitentibus & patientibus.

Ergo ſi hic tempus habuerimus nubilum, ibi habebimus ſerenum, ſi præceſſerit modicum tribulationis, ſubſequetur æternum conſolationis. Ideo ſubdit Sara, *Non enim delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis. Sit nomen tuum Deus Iſrael benedictum in ſæcula.*

CONCIO VII.

Non eſſe vanè lætandum in mundo ſed plorandum potius.

Aſſignantur variæ rationes cur potiùs plorare debeamus in hoc mundo quam ridere.

1. *Propter debita noſtra.*
2. *Quia obſtacula ſalutis multa.*
3. *Incertitudo ſalutis.*
4. *Quia ſumus in Valle lachrymarum.*
5. *Præſentia Dei inſpectoris.*
6. *Mors, iudicium, & infernum.*
7. *Quia Gloria non ſine fletu obtinenda.*

THEMA.

Amen Amen dico vobis; quia plorabitis & flebitis vos: Mundus autem gaudebit. Ioan. 16.

A. DVos ſibi plurimum aduerſatos fuiſſe in moribus Philoſophos narrat antiquitas: Democritum videlicet & Heraclitum. Quorum prior, vbicunque locorum eſſet, ridere homineſque deludere ſolebat, adiungens, *Cupiditatem diu viuendi hominum meram eſſe ſtultitiam.* E contrà Heraclitum Philoſophum ſemper fleuiſſe; compatientem hominum miſeriis. Laërt. *l.* 5. *cap.* 2. Certant eâdem de re inter ſe Babylon & Ieroſolyma. Illius enim incolæ lætandum eſſe aſſerunt, cantandum, ſaltandum, ludendum, epulandum. Vnde inuitant homines ad lætitiam *Sap.* 2. *Venite & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creaturâ tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioſo & vnguentis nos impleamus & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo veſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ: vbique relinquamus ſigna lætitiæ,* &c. Huius verò incolæ contrarium docent, flendum potiùs & dolendum eſſe in mundo aſſerunt, & ad hoc etiam nos inuitant *Pſ.* 94. *Venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Atque hoc ipſum eſt, quod hodie audimus in Euangelio: *Mundus autem gaudebit, vos verò* (diſcipuli & ſerui Chriſti) *contriſtabimini.* Quid igitur faciemus Auditores? Ad quam partem ibimus? Ego ſanè ſi cætera omnia eſſent paria, cum Democrito, Babylone & mundo non difficilè ſentirem. Quis enim neget ſuauius eſſe, gaudere quàm triſtari? ridere quàm plorare? ſed terreor vehementer; quia multa video, quæ lætari me non ſinunt, ſed potiùs ad fletum trahunt. Audio enim inprimis ſapientiſſimum illum Salomonem, teſtem expertum & omni exceptione maiorem, dicentem *Eccleſiaſtis* 2. *Dixi ergo in corde meo: Vadã & affluam deliciis & fruar bonis. Et vidi quod hoc quoq; eſſet vanitas. Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi: quare fruſtra deciperis?* Et infra *c.* 7. *melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.* Et rurſum ibidem: *cor ſapientum vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia.* Audio deinde ſapientiorem & meliorem Salomone Chriſtum, qui *Luc.* 6. ait: *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis.* Et paulò poſt ſubiungit: *Væ vobis qui ridetis nũc, quia lugebitis & flebitis.* Quã doctrinam ſuam opere impleuit, quod non fecit Salomon; quia vt S. Chryſoſtomus *hom.* 6. *in matth.* ait: *Flentem Chriſtum frequenter inuenies, nunquam verò ridentem.* Quâ in re non docuit Chriſtus gaudium & riſum honeſtum ſeruis Dei illicitum eſſe: ſed tantum non licere Chriſtianis, dare ſe & vacare ineptę & vanę lætitiæ, quâ obliuiſcamur nos eſſe in valle lachrymarum. Quoniam verò hanc doctrinam difficillimè credit mundus, afferam in medium aliquot argumenta, quæ clarè eam oſtendunt.

Meritò Sapiens ait, *Eccl.* 22. *muſica in luctu importuna narratio.* Quemadmodum enim fidicines in luctuosâ domo canere incipientes ſtatim increpantur & iubentur faceſſere: ita qui in hoc mundo ineptè vult gaudere, obiurgatur à quamplurimis. Quis enim eſt, quæſo, qui cantantem, ridentem & gaudentem hominem hic non arguat? tacere non iubeat?

Primò. Iubent debita noſtra, peccata ſcilicet præterita eorumque pœnæ adhuc luendæ, quæ ſæpè plurima & ingentia ſunt. Experimur autem nos cum magnis debitis premimur, vix dormire poſſe, diu noctuq; angi, aliquos propterea ſibi ipſis necem inferre: vt mirum ſit, ſi magnus debitor lætus eſſe poſſit, ad inſtar illius Equitis Romani, qui cum ingentem pecuniarum ſummam deberet, id tamen ſemper reticuit dum viueret. Eo igitur defuncto, cum debitorum enormitas pateſceret & res illius auctioni ſubijcerentur, vt creditoribus ſatisfieret: miratus Auguſtus Cæſar hominem illum tam obæratum viuere quietè potuiſſe, ex bonis illius culcitram bicubitalem emi ſibi præcepit. Mirantibus aliis: *habenda eſt*, inquit, *ad ſomnum mihi conciliandum culcitra illa, in qua ille tanto ære alieno obſtrictus ſomnum capere potuit.* Refert Macrob. *l.* 2. *ſaturn. c.* 4. Non iniuriâ hoc idem dixerit quis de iis qui debita debitis addendo quotidie peccant & interim de ſatisfactione ac pœnitentiâ nihil ſoliciti ſunt. B. I. Iubent Debita noſtra.

Hoc in ſe deplorat Dauid *Pſ.* 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meũ; & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Et mox: *miſer factus ſum vſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar.* Dic enim mihi, ſi ſcires tibi ſaltem per vnum diem, imò per vnam horam manendum eſſe in purgatorio, an tu non malles hic per 30. annos viuere in auſtero Ordine? Quid enim non promittunt ij qui vltimo ſupplicio adiudicati ſunt? In acie exercitûs ſe dimicaturos & hoſtem primò aggreſſuros, in triremibus ſe remos tracturos pollicentur, modò dimittantur. Et non meritò timemus, ne diutius in pur-

Digitized by Google

purgatorio aliquando detineamur? Et adhuc ridemus.

C. II. Obſtacula ſalutis. SECVNDÒ, Obſtacula ſalutis noſtræ plurima: Tentationes & tentatores, caro, mundus, Dæmon. Dolet mercator videns nundinarum tempus accelerare & ſe cum naui ſemper hærere in ſalo. Dolet Alexáder & plorat, quòd necdum vnum ſubegerit orbem: & nos non ploremus, qui ſæpe longo tempore nec vnicum ſuperare & vincere in nobis poſſumus vitium? Ob ſimilem cauſam vociferabatur & flebat populus Iſrael videns & audiens tot ſe habere impedimenta perueniendi ad terram promiſſam, vrbes grandes altiſſimis muris cinctas, terram deuorantem habitatores ſuos, homines Gigantes. *Num.* 14. Atqui iter ſalutis noſtræ multo plures & peiores obſident hoſtes, Mundus, Caro, Dæmon: qui perpetuò nobis inſidiantur, vulnerant & proſternunt nos vel ſaltem à ſalute retardant. Quomodo igitur inter tot hoſtes poſſumus gaudere? Hinc S. Aug. *l. de conflictu vitior. & virtutum c.* 21. ait: *Vnde tibi lætitia? Numquid iam Diabolum viciſti? numquid iam inferni pœnas euaſiſti? numquid iam de exilio ad patriam veniſti?*

D. III. Incertitudo ſalutis. TERTIÒ, Incertitudo ſalutis, quia adhuc nauigamus in incerto neſciente quomodo appulſuri ſimus. Iter agens & in ſylua oberrans hilaris eſſe nequit, donec indaget recto ſe itinere incedere, cur non magis in via ſalutis? Dum iudicium alicuius incarcerati agitatur inter ſpem & metum conſtituti, quomodo is lætari poſſit, donec certior fiat de liberatione ſuâ? quomodo non ſuſpirijs & lachrymis imploret opem iudicis? Nimis parui æſtimaret vitam ſuam, ſi adhuc in carcere cantaret, tripudiaret, luderet. Atqui nobiſcum de fortunis omnibus & vita æterna agitur. Iacob in patriam reuertens, cùm audiſſet Eſau fratrem ſuum, quo cum graues ſemper inimicitias geſſerat, properare in occurſum ſibi cum quadringentis viris, valdè timuit & perterritus ſeparauit de ſingulis gregibus ſuis munera & præmiſit ad fratrem placandum, quem ne iratus ſibi & inimicus occurreret, timebat, *Gen.* 32. Occurret nobis cum multis angelorum millibus aliquando Chriſtus Iudex, & neſcimus, num placido an irato vultu nos intuiturus ſit, quomodo igitur non ſemper vehementer timemus, & cum S. Hieronymo ſiue comedimus ſiue bibimus, tubam illam audire nobis videmur: *Surgite mortui, venite ad Iudicium?* Tametſi enim aliquis ſibi conſcius non eſt, vnde timere debeat: dum tamẽ cogitat, Deum eſſe illum Iudicem, qui multa videre poteſt, quæ nos non videmus, quomodo ſecuritatem ſibi polliceri poteſt? Dauid certè *Pſ.* 18. cùm ſe mandatorũ Dei ſedulũ obſeruatorẽ pronuntiaſſet, dicens: *Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea:* Mox ſe corrigit ſubiungens: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me & ab alienis parce ſeruo tuo.* Iob etiam etſi dixerat: *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea c.* 27. ait tamen: *Quid faciam cùm ſurrexerit ad iudicandum Deus? & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi? c.* 31. Et Apoſtolus Paulus 1. *Cor.* 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Similiter B. Aloyſius Bertrandus ſedulò flebat & interrogatus dicebat: *Cur non amariſſimè fleam, cum non certò ſciam, an æternæ ſalutis compos ſim futurus?* V. M. Iuſtinian. *in vitâ cap.* 4.

QVARTÒ, Locus, quia ſumus in valle lachrymarum & pœnitentiæ. Sic Adæ dictum: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Item: *ſpinas & tribulos terra germinabit tibi.* Qui etiam de paradiſo eiectus in exilium contra paradiſum poſitus eſt, vt eius intuitu ſemper doleret memor vnde excidiſſet. Rob. Holcot. *in l. Sap. l.* 144. refert in libro de nat. rerũ, ſcribit auẽ paradiſi quandã eſſe pulcherrimum & omnium penè colorum, voce tã dulci & piâ vt in hominibus deuotionem excitet, quæ ſi fortè capta detineatur inceſſanter gemit, donec dimittatur. Ita anima noſtra, quia de paradiſo eſt & ad Dei laudem creata, hic detenta mirum quomodo nõ gemat ſemper cum Apoſtolo; *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et Dauide: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.* Tobias ab Angelo gaudere iuſſus: *Quale gaudium,* inquit, *mihi ſit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Sedemus & nos hic in tenebris ignorantiæ & lumẽ cœli Deum nõ videmus: quale ergo gaudiũ nobis? Ideò Arſenius Abbas aſſiduè flebat ob deſiderium cœleſtis patriæ. Piſci dũ extra aquã eſt, brachio dum extra locum ſuum, bene eſſe non poteſt: Ita nec ſpiritui noſtro, dum extra patriam ſuam eſt. Vnde nihil hic eſt, quo ſatietur, ſed guſtata aliqua creatura, mox eam reſpuit, & bonum ſuum quærit, quo ſatiari poſſit. Vnde Dauid *Pſ.* 76. *Renuit conſolari anima mea.* Sic Iſraelitæ in captiuitate Babylonica non poterant cantare, ſed ſuſpenderunt in ſalicibus organa ſuá & fleuerunt, *Pſal.* 136. Suſpendunt in ſalicibus organa ſua, qui inſtrumenta lætitiæ relinquunt infructuoſis mundi huius arboribus & amatoribus. Vnde cantare iuſſi hymnos ſeu cantica læta, dicunt. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* E. IV. Vallis lachrymarum iſta.

F. V. Præſentia Dei inſpectoris. QVINTÒ, Præſentia Dei inſpectoris. Non ſolent canere aues aquila præſente. Et Balthaſar in conuiuio tremit, quando videt manum contra ſe ſcribẽntem amaritudines; *Dan.* 5. Scribebat enim peccatum illius, quo ſacris templi vaſis in mẽſa abuteretur. Vnde Iob *c.* 31. ait: *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum.* dum ergò tu rides, ſaltas, lætus es & hilaris, ſcribit & notat interim manus Dei omnia acta tua, imò *omnes greſſus tuos numerat,* vt Iob ait, *& appendit in ſtaterâ.* Væ tibi ſi leuior & minùs habens reperiaris. Sed dubitas forſan Deus te ſemper aſpiciat? quæſo mihi reſponde: putáſne audiri te à Deo cùm oras? Imò, ais. Sed num etiam ſi in loco clauſo & obſcuro precaris? Etiam, dices, quia Dominus dicit *Matth.* 6. *Intra in cubiculum tuum & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Similiter num ſtans an flexus ores: num tátũ vel tãti Eleemoſynæ des, &c. vidétne ad vnguem? Omninò, ais. Iam igitur ſi bona tua opera facteris & nequaquam dubitas videri à Deo, leuitates, ineptias & petulantias videri ab eo

eo non putas? Peruulgata eſt illa hiſtoria de Damocle aſſentatore Dionyſij iunioris Regis Syracuſani, qui cùm quotidie fortunam & felicitatem regis prædicaret, rogauit eum Rex; num illam experiri ſecum & deguſtare velit fortunam & felicitatem? *Annuentem regali & aureo collocauit lecto, ſtrato pulcherrimo textili ſtragulo, magnificiſq́ operibus picto, abacumq́ ornauit argẽto auroq́ cœlato: eximia formâ pueros delectos conſiſtere ad menſam, atque ad nutum illius intuentes, omnia diligenter adminiſtrare iuſſit: addidit vnguenta & coronas incendit odores, ipſamq́ menſam exquiſitiſſimis epulis conſtruxit. Damocles ſibi fortunatus viſus. At Dionyſius in medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſetâ equinâ appenſum demitti iubet, vt impenderet illius beati ceruicibus. Quo animaduerſo Damocles, ita animo concidit, vt nec pulchros deinceps adminiſtratores, nec plenum artis aurum & argentum aſpiceret, nec manum in menſam porrigeret. Iam ipſa defluxerant corona; denique Tyrannum precatus eſt, vt abire liceret, quòd iam beatus eſſe nollet.* Refert Maiol. *to.7. Cauic. coll. vlt.* Talis mihi videtur eſſe vita noſtra. Vnicuique enim impendet gladius iuſtitiæ diuinæ omnia noſtra facta, dicta, cogitata obſeruantis. Et quis hic gaudere queat?

6. VI. Mors, iudicium & infernus. Sextò, Mors, iudicium & infernus. Hoc argumentum affert Eccleſiaſtes *c.11.* dicens: *Lætare iuuenis in adoleſcentiâ tuâ, &c. & ſcito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Vult dicere: Minimè lætare, planctum potiùs aſſume, quia à tergo mors & iudicium. Videmus enim vnũ poſt alium mori & omnes cum luctu & fletu ſepeliri. Sumus hîc velut in carcere, vnde quotidie educuntur & plectuntur nunc decem, nunc viginti: quâ ergo lætitiâ affici poſſunt hi, qui in carcere adhuc manẽt? Nõne quoties captiui claues carceris audiunt, toties cõtremiſcũt? Et tu quoties vides efferri mortuos, toties claues mortis audis. Sed nimirum verè ait Didacus Stella in Lucam, in id: *qui habet aures audiendi audiat*; nos ſæpe aures habere ad videndum & oculos ad audiendũ. Cum enim funus videmus iuxta nos tranſire & ferri ad cœmiterium, non aliter id ſentimus, ac ſi audiſſemus Romæ in hoſpitali S. Spiritûs aliquem eſſe mortuum: contrà cùm lætum aliquid recenſeri audimus, id mox tam firmiter credimus & plaudimus ac ſi vidiſſemus. Ranæ, tranſeunte quopiam iuxta paludem earum & loquente, omnes conticeſcũt: vbi verò is præterijt, ad clamores ſuos redeunt. Ita cùm funus effertur iuxta tabernam, omnes inibi cõticeſcunt, poſteà mox ad ſolitos clamores & tripudia reuertuntur. Non ita nos, non ita: vbicunque locorum ſimus, ad mortem, ad iudicium, ad infernum oculos defigamus. Ita ſapuit ſenior quidam ſanctus, qui cùm vidiſſet fratrẽ quendam ridentẽ ait: *Coram cælo & terra rationem reddemus totius vita noſtra & tu rides.* Dion. Carth. *de 4. nouiſſ. cap.16.* Ita pius quidam coquus, quem ſcribit Climachus *gradu 4. de obedientia*, perpetuis lachrymis & luctui addictum fuiſſe, propterea quòd, dum coqueret, ignis materialis inſpectione perpetuò meditaretur tartareum illum ignem.

Septimò, Spes præmij & gaudij cœleſtis quod non ſine fletu & bonorum operum difficultate obtinetur. Ita *Pſ.125.* dicitur: *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.* Opera enim, quibus obtinenda ſalus, laborioſa ſunt & difficilia. *Delicatus es, frater, ſi hic vis gaudere cum ſeculo & ibi regnare cum Chriſto*, ait S. Hier. *in ep. ad Heliodor.* Non habuit hoc Chriſtus, nec dilectiſſima eius mater, nemo ſanctorum, qui omnes *euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua.* Vnde hanc neceſſitatem confirmat hodie quaſi iuramento Dominus: *Amen, Amen, quia plorabitis, &c.* Syrenes in vita cantant ſuauiſſimè, in articulo mortis aſcendente veneno de cauda ad cor earum, ingentes eiulatus edunt, vt refert Did. de la Vega. *Dom. 3. poſt Paſcha.* Contrà cygnus in vita gemens, in morte ſuauiſſimè cantat. Ita res habet in propoſito. Qui hîc lætatur, in morte triſtabitur: & contrà, iuxta id *Luc.6. Va vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Vnde diuiti illi Epuloni petenti guttam aquæ non dixit Abraham: Memento, quia nec tu dediſti Lazaro micam panis, ſed *memento fili, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala*: quaſi hæc conuerſio ſit neceſſaria. Ergo ſicut bini illi diſcipuli cum triſtitiâ quidem ibãt in Emaus, ſed viſo ibi & agnito Domino reuerſi ſunt Ieroſolymam cùm ingenti gaudio: ita ſperemus nos gaudium poſt mœrorem. Vidimus ergo non vnam, ſed multas cauſas, quæ fletum potiùs ſuadent quàm riſum: triſtitiam quàm lætitiam. Sed quid tandem fit? Id quod queritur Iſaias *c.22.* dicens: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & planctum & ad caluitium & ad cingulum ſacci: Et ecce gaudium & latitia, occidere vitulos & iugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum. Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Sed Iob quid de iſtis dicit? *Tenent tympanum & cytharam & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos & in puncto ad inferna deſcendunt.* 7. VII. Gloria non ſine fletu obtinenda.

CONCIO VIII.

Documenta.

Hinc diſcimus primò:

1. *Qualis honor Chriſto exhibendus.*
2. *Quòd Chriſtus ardenter amandus.*
3. *Quòd omnia quæ in mundo modica.*
4. *Diſcrimen inter verum & falſum gaudium.*
5. *Qualiter bona propoſita exequenda.*
6. *Matres ita pariãt liberos vt de ijs gaudere queãt.*
7. *Quod quiſque ſuo agoni conſulere debeat.*

THEMA.

Quid eſt hoc, quod dicit nobis? Ioan. 16.

QVod Exodi *cap.16.* legimus, hoc modo aliquo ſpiritualiter impletum cernimus in hodierno Euangelio. Ibi poſtquam filij Iſrael abſumpſiſſent in deſerto panem & farinam, quam tulerant de Ægypto, dedit eis Deus panem de cœlo nouum & meliorem, manna videlicet; quod cùm vidiſſent Iſraelitæ, dixerunt ad inuicem: *manhu*, id eſt, *Quid eſt hoc?* Quibus reſpondit Moyſes: *Iſte eſt panis quem* A.

Domi-

Dominus dedit vobis ad veſcendum. Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum. Hic verò poſtquam Dominus in paſchali cœna comediſſet panes azymos cũ diſcipulis, proponit eis panem nouum longè meliorem, panem, inquam, cœleſtem, qui proceſſit de ore Dei, concionem bene longam, ſaluberrimam & mirificam. Quam audientes & guſtantes diſcipuli dixerunt ad inuicem: *Quid eſt hoc, quod dicit nobis?* quaſi dicerent: *Manhu!* Quia verò hoc manna non Apoſtolis tantùm ſed & nobis miſſum eſt: veſcamur eo & nos, & vt ſalubriter veſcamur, priùs maſticatum & dentibus intelligentiæ contritum memoriæ commendemus.

B. I. Honor & reuerentia Christo exhibenda.

Primò, Diſcimus à diſcipulis reuerentiam & honorem Chriſto exhibendum eiuſque dictis & factis. Nam cùm eius ſermonem minùs intelligerent, non auſi ſunt loquentem interrumpere & interrogare, quid ſibi vellet; ſed ſilenter interrogant ſe inuicem: *Quid eſt hoc, quod dicit nobis?* Nimirum maximi faciebant magiſtrũ ſuum, quem velut oraculum diuinũ timidè interrogabant ac ſæpe ad reſpondendum prouocare non audebant; ſciebant enim loqui ſe cum Deo. Hunc in modum decet nos revereri verbum Dei & geſta dictaque Chriſti. Primò, Vt
1. de iis nullatenus dubitemus adeoque nec interrogemus, vtrum, hoc vel illud eius dictum verum ſit. Quanta enim hæc Chriſto foret contumelia?

2. Secundò, Vt eius verbis aut factis non abutamur ad profanos vſus, aut S. Euangelium ventilemus in tabernis; ſiquidem Euangelium & tota S. Scriptura epiſtola Dei ſunt, ad nos ſcripta, & dictata à Spiritu S. Epiſtolæ S. Pauli in Eccleſijs legi conſuerant, vt colligitur ex *ep. ad Col.* 4. quantò magis epiſtolæ Dei non in profanis locis aut profanè recitari ac tractari debent.

3. Tertiò, Vt in dubiis non requiramus reſponſum ab ipſo Deo, per reuelationes, vel miracula; ſed ſufficiat nobis interrogare nos inuicem, hoc eſt, doctiores & imprimis ſedem Apoſtolicam. Voluit enim Deus vt alter alterum doceret, quò docendus humilitatem, docens verò exerceret charitatem: Cuius exemplum legimus in Io. Moſchi *Limonario c.* 199. de ſene quodam ſimplice & ſancto, qui malè edoctus ab hæreticis, prauum quid recitabat in S. Miſſa, in qua tamen angelos ſibi aſſiſtentes cernere conſueuerat. Correctus igitur à Diacono, quæſiuit ex Angelis, num audiendus eſſet Diaconus? Annuentibus porrò illis, dixit: *Eccur vos non dixiſtis mihi?* Cui reſponderunt angeli: *Deus ita diſpoſuit vt homines ab hominibus corrigantur.* Et propterea etiam voluit Deus multa obſcura eſſe in SS. literis, quia alios voluit eſſe Doctores, alios diſcipulos.

C. II. Christus ardenter amandus.

Secundò, Diſcimus ab ijſdem Chriſtum ardenter diligere. Teſtatur enim & prædicit Chriſtus ſuam paſſionem pariturum ipſis maximos dolores, quales ſolent eſſe puerperæ: & rurſum ſuam reſurrectionem allaturam eis maximam lætitiam, qualis eſt mulieris poſtquam enixa eſt filium. Et verè ſic euenit. Nam capto Domino; fugâ dilapſi ſeſe occultarunt, & qui ex ipſis remanſerunt ſteterunt à longè quando in cruce pependit Dominus, vt habetur *Luc.* 23. præter Ioannem. Quis explicare poterit pugnam amoris & timoris in corde diſcipulorũ; Amor impellebat ad ſequendum Chriſtum, ad carceres & mortem: timor repellebat. Quãtum doluerunt Magiſtrum & Dominum ſuum tot affici iniurijs? Quàm acriter ſeipſos eo triduo redarguerunt, ob Magiſtrum derelictum? quantùm erubuerunt? quàm fugerunt oculos hominum? quàm vagi diſcurrerunt? quàm ardenter vna ex parte deſiderarunt videre reſuſcitatum Dominum: ex altera verò quàm timuerunt prodire in conſpectum eius? Rurſum cùm viderunt Dominum, quanto gaudio impleti ſunt? Hinc currebant ad ſepulchrum, & alter alteri nũtiabat ſe vidiſſe Dominum & præ gaudio mirabantur, ita vt vix ſeipſos caperent & crederent eſſe, quem oculis cernebant. Totum hoc faciebat amor: qui ſi in nobis eſt, compatiemur imprimis Chriſto patienti, præſertim diebus Veneris & Sabbato, quibus Eccleſia recolit triſtitiam Apoſtolorum, per carnis abſtinentiam: deinde dolebimus Chriſtum à nobis ablatum peccato mortali plus quàm ſi omnia perdidiſſemus mundi bona. Cogitabimus enim quanto onere conſcientiam noſtram grauauerimus, quàm leui ac breui voluptate quantum mœrorem emerimus: quanto in periculo verſemur: & quod caput eſt, quòd à Chriſto recedendo, adulterinum partum conceperimus: quàm bonum & amabilem ſponſum dereliquerimus: quanta nobis confuſio eſſe debeat prodire in conſpectum eius? Rurſum poſt pœnitentiam Chriſto reconciliati gaudebimus vt puerperæ, quòd liberati ſimus à remorſu conſcientiæ & periculo gehennæ, quòd gratiam obtinuerimus, pignus æternæ ſalutis: adeoque cœlo nati ſimus. Quæ qui non facit, Chriſtum non amare conuincitur, quia non dolet de offenſo, non gaudet de reconciliato.

D. III. Omnia in mundo modica.

Tertiò, Diſcimus à Chriſto omnia, quæ in mundo ſunt, eſſe modica, ſiue gaudij ſint, ſiue mœroris: ſiquidem Chriſtus vtrumque tempus, & quo cum diſcipulis futurus, & quo ab eis abfuturus erat modicum appellat. Illud tempus gaudij, hoc mœroris erat: illud magis recreabat diſcipulos quàm omnes mũdi deliciæ; hoc magis affligebat quàm omnes mundi miſeriæ; & tamen vtrumque modicum erat. Quid ergo in hoc mundo magnum erit? Omnia enim alligata ſunt vitæ noſtræ fragili & cum illâ tranſeunt, quo modo cum naui nauigantes & quæcumque in ea ſunt: quæ modico tempore apparent, quia cum naui abeunt. Quid honores & dignitates: quid diuitiæ: quid voluptates? modicũ, quia vita modica. Rurſum quid contemptus & abiectio? quid paupertas? quid calamitates? modicum, quia vita modica. *Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor ad modicum parens*, ait *S. Iac. c.* 4. Et *Sapien. ca.* 5. *Tranſierunt*, inquit, *omnia illa tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam.* Hoc modicum expendamus & dicamus cum diſcipulis: *Quid eſt hoc, quod dicit modicum?* Legimus S. Henrico Imperatori dum ad ſepulchrum

chrum S. Wolfgangi oraret, præſulem repentè adſtitiſſe, qui iubebat, vt vicinum tumulo parietem aſpiceret. Aſpexit Henricus & vidit in eo has exaratas literas: *Poſt ſex.* Territus hoc oraculo exiſtimauit ſibi ſextum indè diem fatalem fore; vnde ad mortem ſe componens magnam vim pecuniæ in pauperes diſtribuit. Cùm verò diem illum ſaluus pertranſiſſet, ſextum ab illo menſem deſignatum eſſe ominatus eſt. Rurſum cùm & huic ſuperuixiſſet, ſextum annum expectauit & in eius expectatione ſanctiſſimè vixit: quo elapſo non quam expectabat mortem, ſed quam minimè expectabat. Imperialem dignitatem conſecutus eſt, vti habet eius vita apud Matth. Raderum *in Bauaria S par. 1.* Ergo & tu Chriſtiane inſpice hodiernum Euãgeliũ: Quid eſt quod tibi Chriſtus dicit, *modicum?* Significat abſque dubio breuî te moriturum vnaque omnibus tuis exuendum; ſpoliandum, honoribus, opibus, delicijs, amicis, vſurâ huius lucis, &c. Et quando effluet illud modicum? quid ſi poſt ſex horas? quid ſi poſt ſex dies? quid ſi poſt ſex hebdomades? quid ſi poſt ſex menſes aut ſaltem annos? Ergo quia hoc neſcis para te ex hac horâ: ſic moriturus viues, nec tam ad mortẽ, quã ad vitã & gloriam ibis.

E. IV. Diſcrimẽ inter verũ & falſum gaudium.

QVARTÒ, Diſcimus differentiam inter verũ & falſum gaudium. Nam Primò gaudiũ verũ, quod habent Dei amici, internum eſt & ab intus naſcitur, videlicet à bonâ conſcientiâ, & Deo ipſo animam inhabitante. Vnde ait Dominus: *Et gaudebit cor veſtrum.* Gaudiũ falſum, quod habent amatores ſæculi, externum
1. eſt, & ab externis cauſis naſcitur; eſtque velut muſica, quæ ægrotantem aut afflictum parum afficit, quia aures tantùm, non cor mulcet. Illud ſimile eſt riſui qui ex forti apprehenſione obiecti ridiculi prouenit: hoc verò riſui ex titillatione prouenienti, qui coactus & imperfe-
2. ctus eſt ac ridentem potiùs affligit. Secũdò gaudium verũ eſt perenne: vnde ſubdit Dominus: *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Gaudium falſum eſt momentaneum. Illud eſt velut puteus perennis & indeficiens: hoc veluti ciſterna continere non valens aquas. Illud hauritur ingẽti & capaciſſimo vaſe intelligentiâ: hoc verò anguſto, ſenſibus corporeis. Tertiò, gaudium ve-
3. rum in altera vita perficitur: falſum verò mutatur in triſtitiam. Vnde illud ſimile eſt mulieri natiuam habenti pulchritudinem, quam lotione non amittit ſed auget: hoc verò mulieri fucatæ, quæ citò amittit ſpeciẽ leui auræ afflatu; queadmodũ gaudium Balthaſaris in conuiuio turbatum eſt tribus verbis, quæ ſcribebãtur in pariete, *Dan. 5.* gaudium Achab victoris, vnâ voce Prophetæ increpantis *3. Reg. 20.* Balthaſar enim cõmutatâ facie tremere & pallere cœpit nocteque inſequente peremptus: Achab verò in furiam verſus eſt. Quare vti piſcis gaudet, quando hamum non videns eſcam deuorat: Sed cùm piſcator eum adducere cœpit, viſcera eius torquentur: ſic impij in hoc mundo lætantur; hamum mortis nihil aduertentes: ſed cùm eos adducere cœperit Deus ex hoc ſæculo in alterum, tum demum ſentiunt aculeum, palpitant & tremunt, torquenturque eorum viſcera.

F. V. Bona propoſita exequenda.

QVINTÒ, Diſcimus bona propoſita, quæ concepimus, ſuo tempore parere. Audimus enim mulierem tunc primùm gaudio repleri, quando peperit filium, viuum ſcilicet & vegetum. Quo gaudio nondum fruitur, dum gerit adhuc vterum, quia neſcit quo euentu paritura ſit, viuúmne an mortuũ, maſculum an feminam, imò an paritura ſit. Hunc in modum gratulari quidem ſibi quiſque poteſt, quando concepit bona propoſita: ſed nondum impletum eſt gaudium, donec ea pepererit. Accidit enim multoties vt cùm bona deſideria in effectũ deducenda ſunt, ob difficultates occurrentes, vires pariendi deſint, quemadmodum dicitur *Iſa. 37.* *Venerunt filij vſque ad partum & virtus non eſt pariendi.* Loquitur enim ibi Ezechias rex de belli difficultate, quâ præuentus erat, quando contra Sennacherib neceſſariũ ſuſcipere bellum debebat: Sed vires non habebat, ærario exhauſto. Idipſum euenit ſæpe Magiſtratibus, quando in bonum publicum multa facere decreuerunt, veluti abuſus tollere, vitia corrigere, &c. in ipſa verò executione, dum ſentiunt obſtacula, vti reſpectus perſonarum, oblocutiones, minas, operis difficultatem, reſiliunt à propoſito & retrahunt fœtum ſuum, ac tolerant non tolerãda. Euenit & illis, qui meliora vident & probant, tamen abrepti paſſionum vehementiâ vel puſillanimitate deiecti ſequuntur deteriora. Audias ſæpe dicentes aliquos: Quàm iſte eſt vir bonus! quàm pius & frequens in templo! quàm ſobrius! quàm largus erga pauperes! quàm amans æquitatis! ſic oporteret viuere, &c. En bonũ concepiſti fœtum; ſed cur tu non ita viuis, quemadmodum ille viuit? quia virtus non eſt pariendi. Euenit & illis, qui decreuerunt confiteri omnia ſua peccata, ſed in ipſa confeſſione, pudore ſuperati, grauiora reticent: cuiuſmodi exemplum notum ſatis ſcribit Ioan. Iunior *in ſcala cæli*, de femina quadam, quæ in confeſſione adulterium celauerat, alia peccata aperuerat: de cuius ore vidit ſocius Pœnitentiarij toties egredi bufonem, quoties illa peccatum aliquod confitebatur: vnus tantùm cæteris grandior remanſerat, qui peccatum adulterij deſignabat: cum quo cæteri omnes in os eius regreſſi ſunt. Quare pernicioſum fœtum fouent, quotquot bona deſideria concepta non enituntur: ſiquidem à fœtu, quem enecant, necabuntur.

G. VI. Matres ita pariãt liberos, vt de iis, gaudere queant.

SEXTÒ, In ſpecie diſcunt matres ita parere filios, vt de partu ſuo iure poſſint gaudere. Quod imprimis fiet, ſi de legitimo matrimonio liberos progignant. Alioquin enim de ſpurio ſemine non niſi dolorem & confeſſionẽ metent, vti patet exẽplo Bethſabees & Dauidis *2. Reg. 11.* perpetrato enim adulterio miſit illa ad Dauidem dicens: *Concepi.* Non ſanè vt lætum quid nuntiaret, ſed vt infamiam & ſupplicium lapidationis, ex lege decretum adulteris, declinaret. Eo nuntio etiam Dauid nequaquam recreatus, ſed ſummoperè fuit perterritus: vnde nihil non machinatus eſt præter ius & fas vt ſcelus

ſcelus ſuum tegeret. Taceo iſtorum liberos ſæpe naſci miſeros, quales Boleſlai regis Poloniæ, ex pellice prognati, qui omnes deformes, monſtroſi & trementes nati ac ſuccreſcente ætate in amentiam deuoluti ſunt vnà cum ſuis poſteris. Vt habetur in vita S. Staniſlai.

2. Secundò, Si prognatos magna curâ ſeruent, quo renaſcantur per batipſmum, & poſteà bonis moribus iterum formentur ad pietatem & virtutem. Alioquin quale gaudium erit parentibus, ſi filios in lucem edant, ſepeliendos æternis tenebris aut etiam cremandos ignibus, affigendos patibulis, gladio necandos, & demum gehennâ mulctandos? An non de his dicamus: *Melius erat illis, ſi nati non fuiſſent*? Et illud *Iere. 20. maledictus vir, qui annuntiauit patri meo, dicens: natus eſt tibi puer maſculus.*

3. Tertiò, Si & ipſæ matres ſibi prouideant ante partum de ſalute ſuâ per implorationem opis diuinæ, confeſſionem & communionem. Quid enim ſi mater pereat filio naſcente? quale hoc erit gaudium, maximè ſi mater in ſtatu peccati obeat? Nulla igitur ſibi fidat, tametſi ſæpius experta ſit felicem in partu ſucceſſum. Scimus enim Rachelem ſecundo partu perijſſe, *Gen.* 35. idemque multis alijs contingere.

H. VII. Conſulere ſuo quiſque agoni. SEPTIMÒ. Monemur omnes conſulere ſuo quiſque agoni, in quo velut in puerperio pariet ſeu effundet animam ſuam alteri mundo ſiue ad vitam æternam, ſiue ad mortem æternam. De hoc verè dicere poſſumus: *Ibi dolores vt parturientis, Pſ.* 47. imò acriores. Vnde S. Dauid præſens mortis periculum imminens ſibi à Saule per metaphoram hominis morituri deſcribẽs ait *Pſ.* 17. *Circumdederunt me dolores mortis & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferni circumdederunt me, praeoccupauerunt me laquei mortis.* Ecce tibi quatuor extremas calamitates, quæ circumdant morientẽ. Prima ſunt dolores mortis, id eſt, morbi vis & dolor de vitâ & mundo deſerendo. Secunda ſunt torrentes iniquitatis, id eſt, memoria præteritorum peccatorum, quæ torrentis inſtar obruent morientem. Tertia dolores inferni, id eſt, metus gehennæ & damnationis. Quarta laquei mortis, id eſt, tentationes & inſidiæ Diaboli, qui eo maximè tẽpore vires & artes ſuas exſerit. O partum periculoſum? partum metuendum! Qui ſanè non abſimilis mihi videtur partui Rachelis ſecũdo, quo dum peperit Beniamin, ipſa interim perijt, *Gen.* 35. Cùm enim ob difficultatem partus periclitari cœpiſſet, dixit ei obſtetrix: *Noli timere, quia & hunc habebis filium.* Sed enitẽs filium, animam ſimul efflare cœpit: vnde vocauit filium ſuum *Bennoni*, id eſt, *filium doloris mei*. Pater contrà vocauit eum Beniamin, id eſt, *filium dexteræ*. Quid ſibi volunt iſta, Auditores? Obſtetrix confortans puerperam ſignificat amicos, qui plerumque vanè conſolantur moribundos, promittentes eis vitam, ſalutem & gloriam, de eorum pænitentiâ nihil memorantes. Diſſidium matris & patris quid niſi dubium morientium abitum deſignat: Ergo tu te voca *Benoni*, id eſt, *filium doloris*, filium pœnitentiæ, pœnas omnes meritum; vt te Deus vocet *Beniamin*, id eſt, *filiũ dexteræ*, filium cœli. Quare cùm hanc difficultatem omnes ſubituri ſimus, & neſciamus quo ſucceſſu; conſulamus nobis in tempore: & quia parituri ſumus animas noſtras æternitati, tota vita noſtra ſit præparatio ad illam, vt ita cæleſti partu edito, ſolido recreemur gaudio.

CONCIO IX.

Myſteria.

Quæritur primò.

1. *Quid ſibi velit illa ſententia*, modicum &c?
2. *Cur hoc dictum non intellexerunt Apoſtoli?*
3. *Cur præuenit Dominus interrogationem diſcipulorum?*
4. *Cur prædictionem ſuam confirmat voce, Amen?*
5. *Cur Apoſtolorum triſtitia comparatur puerperio?*
6. *Quinam alij dolores puerperio comparantur?*
7. *Quod illud perenne Apoſtolorum gaudium?*

THEMA.

Quid eſt hoc quod dicit, Modicum? Ioan. 16.

NOn mirum, Auditores, ſi non intellexerunt Apoſtoli, quid eſſet illud *Modicum*, quià copioſa illa Spiritus ſancti lux poſteà in Pentecoſte danda, nondum eos irradiarat. Sine ea luce & dioptra ne modicum quidem intelligimus in Scriptura ſacra, & verè omnes dicere poſſumus: *Neſcimus quid loquitur*. Non ergo audiamus Hæreticos, qui ex ſuo capite Scripturas interpretantur; Sed adeamus potiùs ſedem Apoſtolicam & SS. Patres, è quibus loquitur Spiritus Sanctus, & exponit nobis Scripturas. A.

B. I. Quid illa ſententia: Modicũ, &c. Quærit. PRIMÒ, Quid ſibi vult illa ſententia: *Modicum & iam non videbitis me; & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem?* Reſpondet Primò S. Auguſt. priùs modicum complecti tempus Chriſti à cœna vſque ad eius aſcenſionem: poſterius modicum totum tempus ab aſcenſione vſque ad diem Iudicij; hoc ſenſu: Modicum tempus eſt vſque ad aſcenſionem meam, & tunc non videbitis me. Et ab aſcenſione iterum modicum vſque ad diem Iudicij; & tunc iterum videbitis me in carne venturum. 1.

Reſpondet Secundò Gloſſa ord. D. Cyrillus & alij probabiliùs priùs modicum deſignare triduum mortis Chriſti, quo clauſus ſepulchro, viſus non eſt. Poſterius verò quadraginta dies quibus poſt reſurrectionem ſuam verſatus eſt in terra & ſubinde apparuit diſcipulis. 2.

Reſpondet Tertiò Rupertus, Caietanus & Toletus paulò aliter; Modicum eſt vſque ad aſcenſionem & mortem meam, & poſt illud non videbitis me, quia ſepultus ero. Et iterum modicum, tempus ſcilicet quo ſepulchro condar; & poſt illud rurſum videbitis me à mortuis excitatum; quia hoc pacto per mortem & reſurrectionem meam vado ad patrem. 3.

Diſce hinc. Diſcimus hinc Primò: Modicum eſſe quidquid in mundo eſt reſpectu æternitatis. Tam enim interuallum à die aſcenſionis Domini vſque ad Iudiciũ extremum appellatur à Chriſto modi-

modicum quàm dies quadraginta, qui inter reſurrectionem & aſcenſionem: & tres qui inter paſſionem & reſurrectionem eius medij erant. Ergò ſicut totus terræ globus, qui in ſuo ambitu plura quam quinquies mille & ducẽta milliaria continet, non eſt niſi punctum reſpectu cæli (vt oſtendunt Mathematici cùm ex omni terræ ſuperficie, non minùs videant medietatẽ cæli quàm ſi in centro terræ eſſent) ita omne tẽpus, quantumuis longum appareat, non eſt niſi modicum reſpectu æternitatis. Nimius tantùm vitæ huius amor & Diaboli deceptio facit, vt longum æſtimemus quod breuiſſimum eſt.

2. Secundò. Læta & triſtia ſibi mutuò ſuccedere. Triſte illud mortis Chriſti *modicum*, lætum illud reſurrectionis ſecutum eſt. Huic iterum ſucceſſit triſte aliud *modicum* abſentiæ, ab aſcenſione Chriſti vſque ad ſecundum eius aduentum. Poſt hoc ſequetur *æternum* beatitudinis cœleſtis. Ita nimirum inter aduerſitatis & proſperitatis libramentum ſecurè nauigamus & vadimus ad patrem Deum.

3. Tertiò. Modica bonorum triſtia, breuiora eſſe lætis eorumdem modicis. Etenim in triduo ſepulturæ Domini, contriſtati fuerunt Apoſtoli: ſed huic illorum triſtitiæ ſucceſſit ingens gaudium Chriſto reſurgente durans per dies quadraginta. Rurſum ab aſcenſione Chriſti incepit alterum *modicum* abſentiæ Chriſti Domini, durans vſque ad mortem Apoſtolorum: ſed hoc ſecutum eſt æternum beatitudinis gaudium.

4. Quartò. Triſtia iuſtorum præcedere, læta eorum ſequi: priùs eos carere conſpectu Dei, poſteà frui: priùs plorare & flere, poſteà gaudere. Contrarium euenit improbis, qui hîc quidem exultant, rident, iubilant: ibi verò Dei conſpectu æternùm priuantur, æternùm plorant & ſtrident dentibus.

C. II. Cur hoc dictum non intellexerunt Apoſtoli. Quærit. SECVNDÒ. Cur hoc Chriſti dictum: *modicum*, &c. non intellexerunt diſcipuli? Reſpondet

1. Primò S. Chryſoſtomus, quia obſcurum erat. Varijs enim modis fieri poterat, vt Chriſtus à diſcipulis modò videretur, modò non videretur. Non exprimebat illa ſententia, quomodo & quando diſcipulis ſubtrahendus eſſet; quia noluit Dominus eorum corda grauiùs ſauciare, ſi expreſsè dixiſſet, ſe nunc rectà pergere ad paſſionem & mortem, voluit potiùs vt poſt factum perſpicerent mortem à ſe præuiſam & prædictam eſſe.

2. Secundò, Obſtitiſſe videtur vehementia amoris, quo eum proſequebantur & præſentem ſemper optabant. Hinc non aduerterunt, ipſum pergere ad mortem. Quod ſi amor Apoſtolorum licitus, imperfectus tamen glaucoma obiecit oculis eorum, ne intelligerent verba Chriſti, quantò magis id facit amor carnalis & impurus, vt apparet in Sampſone, Dauide, Salomone?

3. Tertiò, Obſtitiſſe etiam videtur imperfectio quædam fidei, quâ capere nolebant Chriſtum moriturum. Perpetuò victurum putabant & regnum Iſrael reſtituturum libertati & proſperitati temporali. Ac licet ab eo non ſemel ſed ſæpiùs audiſſent ipſum gentibus tradendum & moriturũ, non poterant tamen hoc ſibi perſuadere, firmo ſaltẽ aſſenſu. Ex quo diſcimus quam periculoſa ſit concepta ſemel perſuaſio in rebus præſertim vtilibus & ſenſualitatem concernentibus. Perſtabat Aman in ea opinione ſe diligi à Rege præ omnibus, ideóque ſuggeſſit Regi, quomodo honorandus eſſet amicus Regis, ſperans eum honorem ſibi deferendum. Sed turpiſſimè errauit. Perſtant etiam hæretici in ſuis commentis ſemel apprehenſis, quia inde ſibi metunt commoditates temporales, vt nullis rationibus eximi eis queant. Cauenda hæc pertinacia & in ſententiam doctiorum libenter eundum.

Quærit. TERTIÒ, Cur præuenit Dominus interrogationem diſcipulorum, reſpondens intentioni eorum? Reſp. Primò. Vt fidem diuinitatis ſuæ fortiùs eis imprimeret, eo præſertim tempore, quo breui eius abiectionem & mortem eſſent cõſpecturi: indeque in fide nutaturi. Deum enim hoc intelligunt intentiones etiam ſuas, ſolâ mente agitatas, Chriſto perſpectas eſſe: quomodò hinc non colligunt, ipſum plus quàm hominem eſſe, adeóque reuerà cordium ſcrutatorem Deum? Itaque ſi ex vna parte audiebant eum vt hominem eſſe moriturum: cogitare poterant altera ex parte, vt Deum ſe rurſum viuificaturum. D. III. Cur præuenit Dominus interrogationem diſcipulorum. 1.

Secundò. Vt ſuam erga nos inſtruendos & iuuandos propenſionem patefaceret. Solet enim præuenire conatus & labores noſtros cùm nos erga pietatem & virtutem bene affectos videt, iuxta *Pſ.* 9. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Quod *Iſa.* 65. promiſſum imprimis eſt fidelibus noui teſtamenti: *Eritq́, antequam clament, ego exaudiam.* Cæterùm hoc promiſſum impijs non congruit. De his enim idem *Iſaias ca.* 1. in perſona Dei loquens ait: *Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtra ſanguine plena ſunt.* Iuſtis tantùm promiſſa eſt talis beneuolentia. Porrò etiam ante merita noſtra ſolet nos præuenire Dei gratia, quod, inquam, multis rebus oſtendi poteſt. Elegit nos ad fidem & gratiam nullo præcedente noſtro merito. Elegit ſuos ad gloriam ante præuiſa eorum merita. Trahit nos ad ſe, antequam veniamus. Vocat antequam eum imploremus. 2.

Quærit. QVARTÒ. Cur prædictionem ſuam confirmat voculâ *Amen, Amen*? Reſp. Primò, Vt diſcipulis ſuis eximat vanam illam perſuaſionem, quâ credere nolebant ipſum paſſurum & moriturum. Vidit enim Dominus eos, ſtante hâc perſuaſione, inopinato mortis ſuæ ſpectaculo grauiſſimè percellendos & quaſi vno ictu proſternẽdos adeóque à fide deijciendos. Quare vt ictũ illum leuiùs ferrẽnt ſcirentque mortem ſuo Magiſtro præuiſam & delectam fuiſſe, ſeriò eis inculcauit mortem ſibi iam inſtantem nec non orituram inde triſtitiam eorum. Quod ipſum tamen non expreſsè ſed parabolicè per ſimilitudinem puerperæ fecit, ne eoſdem E. IV. Cur prædictionem ſuam confirmat voce, Amen. 1.

in præſentia nimiùm contriſtaret, ſed animaret potiùs ſpe ingentis gaudij, modicam triſtitiam breuî ſecuturi. Quemadmodum ergo mater conſolatur filium afflictum v. g. calculo laborantem, à Chirurgo ſecandum, non indicans apertè quid ipſi ferendum ſit: ſanitatem potiùs mox ſperandam proponit: Et quemadmodum Abraham filio ſuo iam iam immolando noluit aperire, ipſum futurum hoſtiam, ſed: *Dominus prouidebit ſibi victimam holocauſti*, inquit; ne cor filij ſcilicet grauiùs ſauciaret, *Gen.* 22. Ita egit Dominus cum diſcipulis ſuis.

2\. Secundò. Vt doceret nos cautelam in aſſeuerandis dictis noſtris adhibendam. Legimus enim Chriſtum, cùm res poſtulabat, ſolitum quidem adhibere grauiorem aſſeuerandi rationem, vti hoc loco: abſtinuiſſe tamen iuramentis, nō quòd illicita ſint (ſi debito modo fiant) ſed ne exemplo ſuo ad culpabilem iurandi conſuetudinem homines prouocaret, quo ex ſe procliues ſunt. Eſt autem ea conſuetudo partim temeraria ad Dei contemptum & iniuriam vergens: partim periculoſa, facilè ad periuria inducens: partim etiam noxia, fidem hominis minuens. Plus enim longè credi ſolet homini cordato & conſtanti, qui nudè rem aſſerit & iuramenta fugit, quàm ei qui pronus eſt ad leuiculè iurandum. Scribit Cæſarius *l.* 3. *c.* 37. duos Colonienſes Mercatores ob iurandi conſuetudinem à Confeſſario redargutos fuiſſe. Reſponderunt illi, ita exigere contractus, ſe aliâ ratione vendere nil poſſe; ſpoponderunt tamen experientiam vnius anni. Quid actum? anno illo paucas vendidêre merces; idque ſuo Confeſſario queſti ſunt. Reſpondit ille hoc Dei permiſſu factum, tum in pœnam priorum iuramentorum, tum quia abſtinuerant, non amore Dei, ſed causâ experientiæ. Propoſuerunt ergo impoſterum abſtinere iuramentis Dei & virtutis amore, non pecuniæ: factumque vt deinceps felici rerum ſucceſſu breuî ditarentùr. Porrò licitum iuramentum tres requirit comites, quos deſcribit Ieremias *c.* 4. dicens: *Iurabis: viuit Dominus; in veritate & in iudicio & in iuſtitiâ.* Debet enim iuramentum eſſe verum, diſcretum, iuſtum, vt aduertit ibi S. Hieronymus.

F. V. *Cur Apoſtolorū triſtitia comparetur puerperio.*

Quærit. QVINTÒ, Cur Apoſtolorum triſtitia tempore paſſionis Chriſti, puerperio comparatur? Reſp. ob plures cauſas. Prima,
1\. Ob triſtitiæ magnitudinem. Solet enim Scriptura maximos dolores vocare dolores parturientis, vt *Pſ.* 47. *Iſa.* 26. Fuit autem Apoſtolorum triſtitia patiente Domino & Magiſtro eorum, ſine dubio incomparabilis, quia cum ſummè dilexerant eoque perdito omnia ſe perdidiſſe exiſtimabant. Colligitur ex dolore Iudæ, qui condemnatum videns Dominum, inexpiabile reputauit ſcelus ſuum, ideoque in ſe ipſemet ſuſpendio puniuit. Colligitur etiam ex triſtitia duorum Diſcipulorum euntium in Emaus, tametſi illi non ex Apoſtolis; ſed ex 72. diſcipulis tantùm erant. Secunda,
2\. Ob eiuſdem breuitatem. Vt enim dolor parturientis non eſt diuturnus: ita Apoſtolorum luctus biduo tantùm *durauit.* Tertia, Ob periculum 3.
vitæ, in quo puerpera verſatur & quandoque extinguitur. Ita enim & Apoſtoli in triduo paſſionis & mortis Domini de fide periclitabantur, expetiti à Sathana vt cribrarentur. Certè omnes ſcandalum aliquod paſſi ſunt & nutabant in fide, ſaltem reſurrectionis Domini. Sola Deipara palmæ inſtar erecta & immota ſtetit. Quarta, Ob lætitiæ ſecutæ magnitudinem. 4.
Vt enim mater editâ prole præſertim maſculâ, gaudio impletur, ita & Apoſtoli viſo reſuſcitato Domino tantoperè gauiſi ſunt, vt præ gaudio non poſſent initio credere Dominum & Magiſtrum ſuum eſſe, cum quo loquebantur & edebant, quem videbant & palpabant vt habetur *Luce* 24. Quinta, Ob lætitiæ perennitatem; 5.
quia vt puerpera partu feliciter edito, non meminit prioris preſſuræ ob gaudium cōſecutum: ſic Apoſtolorum gaudium viſo rediuiuo Domino perenne fuit: ita vt nullis ampliùs tribulationibus deiici ab interna pace & ſolatio cordis ſui poſſent. Sexta, Ob reſurre- 6.
ctionis cum natiuitate conformitatem. Quemadmodum enim infans ex anguſto & obſcuro matris vtero per natiuitatem prodit in mundum ampliſſimum, lucidiſſimum, ſpecioſiſſimum: ita per mortem Chriſtus ex hoc mundo, alia ex parte, anguſto, tenebricoſo, fœdo, tranſiit ad vitam beatam alterius ſæculi, omnibus bonis refertam, & factus eſt nouus quidam & cœleſtis homo. Reſurrectio ergò Chriſti, altera quaſi ei natiuitas fuit; quemadmodum & nobis erit noſtra reſurrectio; quæ propterea à Domino vocatur regeneratio.

G. VI. *Quinam alij dolores puerperio comparantur in ſcripturâ.*

Quærit. SEXTÒ, Quinam alij dolores doloribus puerperæ comparantur à Scriptura? Reſp. Primò, Dolores & labores paſtorum, 1. *Labores paſtorum.*
Concionatorum & Confeſſariorum, quos perferunt & aſſumunt animarum lucrandarum gratiâ. Ita enim Apoſtolus *ad Galatas c.* 4. ait: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus.* Et *ad Corinthios ep.* 1. *ca.* 4. *In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Boni enim paſtores pro animarum lucro nullis parcunt laboribus: meditantur indies & frangunt ſibi caput, quò panem frangant paruulis: obligant eorum vulnera in confeſſionum exceptione, functione difficillima & oneroſiſſima: ægrotos inuiſunt & communiunt ſacramentis: vitam quoque pro ſalute eorum, vbi opus eſt, in diſcrimen ponunt. Videte, Auditores, vtrum illis vos gratiam non debeatis, honorem & amorem.

Secundò, Dolores electorum, quos ſuſtinent in expugnatione vitiorum, in ſubeundis pœnitentiis, in ſuperandis tentationibus & tribulationibus, in ſubiugandis ſuis paſſionibus. De his enim ait Iſaias *c.* 26. *Sicut quæ concepit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus à facie tuâ* Domine: *concepimus & quaſi parturiuimus & peperimus Spiritum* (ſeptuaginta addunt) *ſalutis.* q. d. maxima cum moleſtia, labore & dolore exuimus veterem hominē carnalē, & induimus nouū ſpiritualē. Ea porrò difficultas liquet etiam ex hoc, quòd 2. *Dolores electorum Chriſtianorum.*

quòd multi *venerunt vſque ad partum & non eſt virtus pariendi*, vt ait idem Iſaias c. 37. nempe, qui in virtutis & religionis cœpto itinere deficiunt, difficultate abſterriti.

3. *Dolores reproborum.* Tertiò Dolores reproborum, quos ſubeunt ſuâ ſponte donec conceptas ſuas nequitias effectui dent, furentur, mœchentur, occidant, iniuſta bona venentur, peccata perpetrata tegant, pallient, excuſent, &c. Hoc ſenſu de impio, dixit Dauid *Pſ.* 7. *Ecce parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Plus enim multoties tolerant impij vt mereantur infernum, quàm pij vt lucrentur cœlum.

4. *Vis illata creaturis.* Quartò. Moleſtia & violentia, quæ infertur creaturis etiam inanimatis, cùm ad iniuriam creatoris ſui ſeruire peccatoribus coguntur, ad perpetranda inprimis ſcelera. Hoc enim eſt, quod Apoſtolus ad *Rom.* 8. ait: *Omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc.* q. d. anxiè & cum dolore finem iniquæ ſeruitutis expectat, cupiens liberari à tyrannide peccatoris (liberabitur autem in die Iudicij) & tendere potiùs ad finem ſuum & obſequium creatoris ſui, ac ſi vocem & ſenſum haberet, ingemiſceret ſub hac preſſurâ velut parturientes.

5. *Dolores hoſtium Chriſti.* Quintò. Dolores hoſtium CHRISTI, quibus inſperatò & ſubitò obruentur partim hìc, partim in inferno, poſtquam priùs voluptatibus operam dederunt. De his enim dicitur *Pſ.* 45. *Ibi dolores vt parturientis.* q. d. ſubiti & ingentes, nullâ ratione euitabiles aut alleuiabiles.

II. VII. Quod illud perenne Apoſtolorum gaudium. Quærit. SEPTIMÒ. Quodnam illud perenne Apoſtolorum gaudium, quod nemo ab eis tollet? Reſpondetur eſſe partim gaudium quod habuerunt in hoc ſæculo de Chriſti reſurrectione: partim quod habent altero in ſæculo de perpetuâ Dei & Chriſti præſentiâ & intuitu. Vtrumque inamiſſibile erat in Apoſtolis; primum quia fundabatur in Chriſto, eiuſque gratiâ, in quâ confirmati ſunt miſſo ad eos Spiritu ſancto. Vt ergo nemo eos Chriſto eiuſque fide & gratiâ ſpoliare potuit, ita neque gaudio inde promanante. Alterum, quia de beatitudinis eſſentiâ eſt vt ſit perennis & inamiſſibilis; alioquin nullâ ratione ſatiaret appetitum beati, nec foret ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, quæ eſt beatitudinis definitio. Quare licet beati cernant in inferno propinquos ſuos, liberos, parentes, amicos: nihil tamen inde contriſtabuntur, quia in Dei iuſtitiâ, quam cognoſcent, pleniſſimè acquieſcent, nec poterunt amare, quos deſpexit Deus, proinde nec triſtari de illorum ruina. Licet etiam animæ beatorum naturalem inclinationem habeant ad reſumenda corpora ſua, velut ad compartes ſuas: illa tamen inclinatio ante præſtitutum communis reſurrectionis diem nullum iis pariet mœrorem, quia ad accidentalem tantùm beatitudinem ſpectat; & quemadmodum flores aliæque plantæ ante vernum tempus non germinant aut reuireſcunt: ita animæ beatorum ante illud ver, de quo Dominus, *Matth.* 24. ait: *Ab arbore fici diſcite parabolam. Cùm iam ramus eius tener fuerit & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas*; minimè deſiderant induere decorem corporum glorioſorum. Quare, Auditores, ſi vera gaudia quærimus, illa quæramus, quæ nullâ perturbari triſtitiâ, nullo perdi tempore poſſunt, cœleſtia nimirum.

DOMINICA QVARTA POST PASCHA.

Euangelium Ioannis 16.

IN illo tempore, dixit IESVS diſcipulis ſuis: Vado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio: de peccato quidem, quia non crediderunt in me: de iuſtitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me: de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcunque audiet: loquetur: & quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet & annunciabit vobis.

CONCIONES.

I. *Iniuriæ in Spiritum S. quadruplices.*
II. *Quatuor munia Spiritus Sancti.*
III. *Itinera aliquot bene-præcogitanda.*
IV. *Quatuor deplorandi Chriſti diſceſſus.*
V. *De mortis viâ præmeditandâ.*
VI. *Quâ ratione Diabolus doceat omnem falſitatem.*
VII. *Tres funiculi ſalutis, de quibus arguit Spiritus S. malos Chriſtianos.*
VIII. *Documenta.*
IX. *Myſteria.*

CONCIO I.

Iniuriæ in Spiritum Sanctum quadruplices.

Enarrantur varij modi quibus offenditur Spiritus S. ac primò,
1. *Quidam reſiſtunt Spiritui Sancto variè.*
2. *Alij mentiuntur Spiritui Sancto variè.*
3. *Alij contriſtant Spiritum Sanctum.*
4. *Alij extinguunt Spiritum Sanctum variè.*

THEMA.

Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato. Ioan. 16.

A. GRauia eſſe peccata, quæ committuntur in Chriſtum Dominum, nemo dubitare poteſt, ſiquidem propter ea arguet mundum Spiritus Sanctus, vt audiuimus in Euangelio. Sed audeo dicere grauiora eſſe peccata in Spiritum ſanctum. Id enim teſtatur Dominus *Matt.* 12. cùm ait: *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc ſæculo neque in futuro.* Quod ſi ergò Spiritus Sanctus arguit mundum de peccatis quæ in Chriſtum perpetrantur: non arguet eum de peccatis quæ in ipſummet committuntur? Hæc igitur vt caueamus, videamus quibus modis offendatur Spiritus Sanctus.

Plures ſacra Scriptura cõmemorat iniurias, quæ peculiari ratione tangunt Spiritum Sanctum. Aliqui enim dicuntur reſiſtere Spiritui Sancto, vt *Act.* 7. Alij mentiri, vt *Act.* 5. Alij contriſtare eum, ad *Epheſ.* 4. Alij eũm extinguere, 1. *Tim.* 5.

B. PRIMÒ. Quidam reſiſtunt Spiritui Sancto, quemadmodum teſtatur S. Stephanus *Act.* 7. dicens: *Durâ ceruice & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Huiuſmodi autem ſunt, qui Spiritui S. aditum præcludunt, dum remouent à ſe media & diſpoſitiones ad Spiritus Sancti gratiam comparandam requiſitas, veluti timorem, ſpem, illuſtrationem, compunctionem, &c. Cùm enim Spiritus Sanctus ad ſe communicandum ſit proniſſimus, quemadmodum Sol ad illuminandos omnes, quiſquis excludit media, quibus viâ ordinariâ ad homines venire ſolet, excludit Spiritum Sãctum, adeoque ei reſiſtit, ſicuti qui valuas aliumve obicem ſoli opponit, ne domus illuſtretur eius lumine. Huiuſmodi verò obices numerantur à *D. Th.* 2.2. *q.* 14. *a.* 2. ſex: Deſperatio, præſumptio, impœnitentia, obſtinatio, impugnatio veritatis agnitæ & inuidentia fraternæ charitatis: quæ peccata irremiſſibilia dicuntur, quia vix remittuntur, cùm ipſum remiſſionis principium impugnent.

I. Quidam reſiſtunt Spiritui Sancto.

Reſiſtunt ergò Spiritui S. Primò qui deſperãt de Dei miſericordia. Hi enim excludũt Dei opẽ, quia ſibi perſuadẽt Deũ aut non poſſe aut nõ velle mederi. Hinc in omnia vitiorũ genera deſperatè ſe proiiciunt. *Sicut infirmus,* inquit Auctor operis imperfect. *ho.* 40. *donec mediocriter habet aliquam paſſionem & ſperat ſe poſſe curari, ſeruat ſe à nociuis eſcis: ſi autem intellexerit inſanabilem ſe iam eſſe, iam non parcit: ſic & homo donec mediocriter peccat, ſperat ſalutem quantumcumq; poteſt, obſeruat ſe à malo: ſi autem grauiter peccando cœperit deſperare, eam nihil dubitat facere quaſi qui iam peccatis ſuis vincit iudicium Dei.* Hi ergò infallibiliter damnantur: nam vt ait S. Auguſt. *l.* 50. *homiliarum; quomodo qui ſibi collum ligant, inde ſe occidunt, quia non ad eos intrat ſpiritus aëris huius: ſic illi, qui deſperant de indulgentiâ Dei, ipſâ deſperatione intus ſe ſuffocant, vt eos Spiritus Sanctus viſitare non poſſit.*

1. Qui deſperant.

Secundò, Qui præſumunt de Dei indulgentia. Hi enim cùm ad ſua peccata abutantur Dei miſericordiâ, reddunt ſe illâ indignos, ſicut qui in ipſam Eccleſiæ immunitatẽ peccat, v.g. qui in templo, ſpe immunitatis patrat homicidium, indignum ſe facit priuilegio immunitatis, vti ſtatuitur. *C. vlt. de immunit. Eccleſiar.* Præiudicant etiam Deo & ſceptrũ illi eripiunt: trahẽdo in ius ſuum, quæ meræ Dei miſericordiæ ſunt. Denique cùm ex Dei miſericordia meliores fieri deberent, fiunt deteriores; quod aliud non eſt, quàm Dei clementiâ vertere ſibi in iram & vindictam, adeoque Spiritûs Sancti bonitati ianuam præcludere. Ita periit Amon regis Manaſſis filius, qui vt ſcribit Glycas *p.* 2. *Annal. Cogitationem quidem prauam apud animum inſtituit, cùm ſecum ita loqueretur: Pater meus à puero multa ſcelera fecit ac in ſenectâ pœnitentiam egit. Quamobrem & ipſe hac in ætate pro animi libidine me geram, & deinceps ad Dominum me conuertam. Hac igitur de cauſa Deus pœnitentiam illius non expectauit, quando paternis calamitatibus nullo modo factus erat melior.* hæc Glycas, & Auctor *op. imperf. in Matth. ho.* 1. Interfectus enim eſt à ſeruis ſuis anno regni ſui ſecundo, ætatis 24. 4. *Reg.* 21.

2. Qui præſumunt de Dei miſericordia.

Huc pertinent qui ſola in Chriſtum fide ſibi blandientes vel in mediis peccatorum ſordibus ſibi & aliis cœlum ſecurè promittunt.

Tertiò; Impœnitentes, qui dolere de peccatis & reſurgere ad gratiam nolunt. Hi enim qui tot impulſus & obiurgationes Spiritus Sancti, quibus eos redarguit & hortatur ad pœnitentiam, aſpernantur & viuunt ſemper in peccatis, quomodo non reſiſtunt Spiritui ſancto? Hic enim ait per os Prophetæ *Ier.* 8. *Nunquid qui cadit, non reſurget?* In quem locum S. Hieronymus ait: *Humanum eſt cadere, Diabolicum nolle reſurgere.*

3. Impœnitentes.

Quartò,

Digitized by Google

4. *Obſtinati.* Quartò, Obſtinati, qui monitis Spiritus S. Eccleſiæ & paſtorũ eius, nec nõ parentum aliorumque Superiorum aures occludunt iuxta id *Pſal.* 57. *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas: quæ non exaudiet vocem incantantium,* &c. quales erant Iudæi, quos redarguit S. Stephanus loco ſuprà cit. *Dura ceruice & incircumciſis cordibus & auribus,* &c. Noluerunt enim ipſi aures dare Euangelio, quod ipſis præ omnibus promulgauit Spiritus Sanctus per os Petri in die Pentecoſtes & aliorum deinde Apoſtolorũ. Talis erat Saul qui à Filio Ionatha monitus ne innocẽtẽ perſequeretur Dauidẽ, magis exacerbatus lanceâ eũ cõfigere niſus eſt, 1. *Reg.* 19. Talis Imp. Valẽs Arianus, qui cùm decretum de eiiciendo in exilium Baſilio ſcribere vellet, ſella eius ſub ipſo confracta eſt, & tribus adhibitis calamis, nullus eorũ atramentũ reddidit; cùm nihilominus in propoſito ſcribẽdi impium decretũ perſiſteret, ipſius dextera diſſolutis neruis tota contremuit. Inſuper tunc vxor eius intimis cruciata eſt doloribus & vnicus filius in grauem incidit morbum. Quibus tamen omnibus nihil emẽdatus eſt. Talis itẽ Boleſlaus rex Poloniæ, qui vt S. Staniſlaum perſequi deſiſteret, multis modis eſt admonitus: inprimis mortui ſuſcitatione, qui teſtimoniũ viro ſãcto perhibuit; deinde militum quos in eũ immiſerat, repreſſione per occultam vim, quâ diuinitus tertiò repulſi sũt. Quibus tamen nihilo melior factus impias ipſe manus in Sanctum iniecit. Vt in Breuiario.

5. *Qui impugnant agnitam veritatẽ.* Quintò, Qui impugnant veritatem ſibi perſpectam. Quid enim hoc eſt aliud, quàm lucem meridianam excludere & velle in tenebris errare? Tales illi qui dicebant Chriſtum in Beelzebub eiicere dæmonia, *Matt.* 12. Item qui non ex infirmitate aut ignorantia ſed ex certa malitia peccando obſiſtunt ſanctificationi Spiritûs ſãcti. Tales illi Hebræi, qui derelicto Deo ſuo de vitulo dixerunt: *Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti, Exod.* 32. Tales & ij, de quibus ait Dominus: *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum nõ haberent: nunc autem excuſationem non habent, Ioan.* 15.

6. *Qui fraternæ gratiæ inuidẽt.* Sextò, Qui fraternæ gratiæ inuidẽt. Hi enim ligare volunt manus Spiritui ſancto datori bonorum omnium, ne in alios ſit liberalis. Sed hoc ipſo ligãt ſibi ipſis franguntque aliis pontẽ, per quem tranſire ipſimet debent, adeoque etiam ſibi. Terribile huius rei exemplum præbet nobis Theophilus Imp. (auctore Cuſpin. in Cæſaribus) *Qui ex graui dyſenteriâ ſalutis ſuæ nullam ſpem habens, vocato ad ſe ſenatu iuramentum exegit, vt vxorem filiumque pro regibus ſuſciperent, eoſq; ſeruarent: quod promiſſum factumque eſt. Cœpit autem maximè ſuſpectum habere Theophobum, quem ipſe Perſis præfecerat, à quibus & ipſe Rex fuit, licet inuitus, appellatus. Dum igitur paulatim corpus inſumitur, Theophilus metuens ne ſe mortuo Theophobus regnum inuaderet, eum intra regiam contineri iubet. Et iam animam agens Theophobum iubet trucidari & eius caput afferri, quod manibus ſuis contrectaſſe fertur iis verbis: Nec tu poſthac Theophobus, nec ego Theophilus ero. Hoc dicto animam efflauit, cùm duodecim annos & menſes tres regnaſſet.* Hunc tamen Gennadius ſcribit ad extremum pœnituiſſe, precibus vxoris interuenientibus, vt alibi diximus.

C. II. *Alij mentiuntur Spiritui ſancto.* Secvndò, Alij mentiuntur Spiritui ſancto, vti docet S. Petrus *Act.* 5. vbi redarguens Ananiam ob fraudem factam & voti violationem ait: *Cur tentauit ſatanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto & fraudare de pretio agri?* quo audito repente extinctus eſt plagâ diuinitùs inflictâ: quemadmodum & paulò pòſt vxor eius, ob ſimile mendacium.

1. *Qui vota non ſoluunt ex debito.* Mentiuntur autem Spiritui ſancto, Primò, Qui vota ſua ſacrilegè ſoluunt aut defraudant. Spiritus enim ſanctus eſt, qui inſpirat vota, ergo in illius iniuriam tendit eorum effractio: Sanè *Leuit.* 27. præceptum legimus, ne quis rem Deo votam immutaret, nec meliorem malâ, nec peiorem bonâ daret. Id cùm aliquando Clodoueus Francorum Rex minùs exactè obſeruaſſet, per miraculum eruditus eſt. Nam cùm Alaricum Viſigothorum regem proſtrauiſſet, ac perſoluendi voti causâ equum, cui victor inſediſſet, Beato Martino Turonis obtuliſſet, actum eſt, ne equus Eccleſiæ relinqueretur, ſed Regi & Eccleſiæ commodius futurum, ſi pecuniâ redimeretur. Clodoueus igitur centum aureos ſolidos obtulit: equus paruo ſe æſtimari animaduertens immobilis extitit, neque reduci ſe paſſus eſt. Cùm autem Clodoueus duplicaſſet, quaſi æquiore ſe pretio æſtimatum equus nouiſſet, in viam ſe dedit, & reduci paſſus eſt. Id memorat Gregor. Turon. & ex eo Vinc. *hiſt. li.* 22. *c.* 13. Naucler. *Gener.* 17. Crantz. in Suetia *l.* 3. *c.* 15.

2. *Qui vinculũ matrimonij diſſoluũt.* Secundò, Qui vinculum matrimonij diſſoluunt. Spiritus enim Sanctus, qui eſt vinculum ſeu nexus Patris & Filij, idem ſua gratia Sacramentali ſociat coniuges per amoris vinculum, roborat ad ſuperandas illius ſtatûs difficultates, inclinat ad amorem mutuum & reſtringit amores illicitos; idemque eſt præſes Eccleſiæ totius in cuius facie promittunt ſibi mutuam fidem coniuges. Mentiuntur ergo Spiritui ſancto qui fidem illam violant.

3. *Qui propoſita emendationis temerè mutant.* Tertiò, Qui propoſita emendationis temerè mutant & relabuntur in priſtina vitia. Credibile eſt Ananiam & Saphiram non expreſſum votum, ſed tacitam tantùm rerum ſuarum abdicationem feciſſe, & tamen aſſerit Petrus mentitos eſſe Spiritui ſancto & mulctantur pœnâ mortis. Igitur qui poſt emendationis promiſſa temerè reſilit in peccata dimiſſa: qui ſpopondit ſe iniurias remiſſurum & non remittit: aliena reſtituturum & non reſtituit, viderit an non imitetur Ananiam & Saphiram.

4. *Qui mentiuntur Confeſſario.* Quartò, Qui mentiuntur Confeſſario, ſupprimendo vel perperam excuſando peccata ſua. His enim dicere Confeſſarius poteſt, quod S. Petrus Ananiæ dixit: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo;* & inprimis Spiritui ſancto, qui eſt Spiritus veritatis & ſynceritatis, quique eo tempore expectat confitentem vt per ſuam gratiam inhabitet in illo.

Ter-

D. III. *Alij contriſtant Spiritum ſanctum.*

TERTIÒ, Alij contriſtant Spiritum ſanctum teſte Apoſtolo ad *Eph.* 4. cùm ait: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis,* id eſt, baptiſmi. Hoc autem faciunt (quantum eſt in ipſis) Primò: Qui venialiter licet, ſtudioſè tamen & datâ operâ peccant: quia talia peccata relinquunt poſt ſe in animo aliquid amaritudinis: quod non faciunt ea, quæ ex indauertentiâ committuntur. Illa igitur contriſtant Spiritum ſanctũ, quia maculant & infeſtant domum eius, animam, & priuant eam multis fauoribus, quos alioquin reciperet à Deo, perturbant & diſtrahunt in oratione, &c. Ita contriſtaret coniugem maritus, ſi alienam vxorem induceret in domum, eique familiariter aſſueſceret ac blandiretur, ſi colluderet cum ancillis.

1. *Qui ſtudioſè committunt venialia peccata.*

2. *Impuri & iracundi.*

Secundò, Impuri & iracundi, vt colligitur ex prædictâ Apoſtoli ſententiâ, cui immediatè præmittit hæc verba: *Omnis ſermo malus* (græcè, *putris ſeu corruptus*) *ex ore veſtro non procedat.* Putris autem ſermo eſt, qui ſale prudentiæ non eſt conditus, ſed amarulentiâ & odio infectus: vnde ibidem ſubdit: *Omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blaſphemia tollatur à vobis.* Et quemadmodum apes fugiunt putredinem & fœtorem roſque amaras, alliciuntur verò dulcibus & odoriferis vti melle, lacte & virgultis bene olentibus: ita Spiritus ſanctus moleſtè fert impuritatem & iracundiam, etiam quæ culpâ mortali caret, quia Spiritus ſanctitatis & amoris eſt. Econtrà allicitur & ſuauiter retinetur, cùm linit homo vas cordis ſui cogitationibus, verbis & operibus mundis, manſuetis, benignis. Vnde ſubdit Apoſtolus: *Eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem.*

3. *Qui peccatum mortale committunt.*

Tertiò, Qui peccatum mortale admittunt. Hi enim in cor ſuum introducunt diabolum, cum quo conſiſtere nequit Spiritus ſanctus; neceſſariò igitur expellitur, quo modo Henricus VIII. Angliæ Rex introductâ pellice Anna Bolena expulit Catharinam cõiugem ſuam legitimam, cui Anna inſeruierat. Iam enim anteà in hanc procaces oculos coniecerat Henricus. Spondan. anno 1532. An hoc fortè non eſt contriſtare Spiritũ ſanctum? adimere ei arcem tot laboribus & pugnis occupatam? arcem iure poſſeſſam, ſummè dilectam, ſplendidè exornatam? Huc etiam videtur reſpexiſſe Apoſtolus proximè cit. loco, cùm ait: *Nolite locum dare diabolo.* Subdit enim paulò pòſt: *Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum.* Quemadmodum ergo fumus & teter odor fugat ex alueario apes: ſic peccatum Spiritum ſanctum.

E. IV. *Alij extinguunt Spiritum ſanctum.*

QUARTÒ. Alij extinguunt Spiritum ſanctum, ita videlicet vt etiam fugatus & pulſus nequeat ad eos redire & reuerti in ſuam arcẽ, Apoſtolo teſtante, qui 1. *Theſſ.* 5. ait: *Spiritum nolite extinguere.* id eſt, impulſum & lumen Spiritus ſancti. Hoc autem faciũt Primò: Qui terrenis deſideriis, ſæculi negotiis ac voluptatibus totos ſe addicunt, ita vt tempus & otium non habeant audiendi motus & impulſus Spiritus ſancti vel cernendi lumẽ ab eo accenſum. Vt enim ignis in lychno extinguitur, ſi puluerem ei inſpergas aut aquam (*quemadmodum ſcribit S. Chryſoſtomus in illum locum*) ita & Spiritus ſanctus cùm occupas te deſideriis, voluptatibus & negotiis terrenis. His enim velut aquâ aut puluere obruis lumen & impulſus, quos excitat in te, atque ita non apparet, quâ ratione peccatis tuis obſiſtere & currentem te ad infernum retinere queat.

1. *Qui ſæculo ſe addicunt.*

Secundò, Qui ſtimulos conſcientiæ extinguunt, dando ſe voluptatibus, ebrietati, &c. ne reclamantem audiant. Reperiuntur enim, qui in certo ac continuo ſtatu peccati viuunt, ſed ne obiurgentur à ſua conſcientiâ, frequentant conuiuia, choreas, ludos, venationes; & ita fugiunt ſeipſos, nec vnquam ingrediuntur ſuam conſcientiam. Sic volebat extinguere Spiritum ſanctum in filio ſuo Ioſaphat Rex Auennir, vt ſcribit Damaſcenus, procurando, nequid triſte, quoad fidem Chriſtianã & religioſam permoueri poſſet, ei proponeretur. Fugiunt iſti viros religioſos, concionatores & conciones, libros pios & quæcumque ipſos redarguere ac ſcrupulum eis poſſunt inijcere, imò propriam conſcientiam. Quemadmodum Elephas ſuammet ſpeciem timet, ideoque non ex limpida ſed ex turbida tantùm bibit: (*Pier. l. 2. Hierogl.*) ita iſti fugiunt omnia, in quibus ſuam poſſent cernere fœditatem & idcircò turbant atque obſcurant ſuam conſcientiam voluptatibus, ebrietate, &c. 2. *Qui ſtimulos conſcientiæ extinguunt.*

Tertiò, Qui ſe deuouent diabolo, quæ extrema eſt nequitia. Hi enim Spiritui ſancto ne ab eo viſitari & reduci ad ſalutem poſſint, omnes præcludunt aditus. Incredibile eſt quantæ molis ſit homines eiuſmodi Dæmoni eripere, vt ex pluribus hiſtoriis patet. Earum recentem vnam ad longum narrat Martinus Delrio Soc. IESV *l. 6 diſquiſit. Mag. c. 2. ſ. 3. q. 3.* de iuuene Pruteno, qui cùm parentum gratiâ excidiſſet & domo profugere coactus pecuniam abſumpſiſſet Dæmonique datâ ſyngraphâ ſeſe deuouiſſet, Anno 1600. Græcij opera Patrum Societatis liberatus recepit ſyngrapham ſuã propria manu (quam ei compreſſerat Dæmon indeque ſanguinẽ ad ſcriptionem expreſſerat) ſcriptam; ſed quantos poſt labores? obſtitit ſiquidem ei Dæmon viſibili aſpectu, nũc minis eũ terrẽdo, nũc perfidiâ exprobrando, nunc blanditiis mulcendo, nunc os occludendo ne fidei profeſſionẽ edere, nunc oculos & aures obſerando ne pia verba legere vel audire, nunc in aerem attollẽdo vt vix à decẽ viris retineri poſſet: aliàs vultũ pallio diuerberando, manum ſiniſtrã lacerando ad ſanguinis effuſionem, collũ torquendo. Ad extremum iuuenis ope S. Confeſſionis & Communionis ab infeſtatione hoſtis liber quidem fuit, ſyngraphâ tamẽ ſuam, quam illi Dæmon de faſtigio templi ex ingenti fune dependentem repræſentarat, nondum obtinere potuit. Decima igitur die Iunij Patres Societatis *domi ſe rurſum contra inimicum armant quibus modis nouit Societas. Iuuenis quoque ne ſibi deeſſet totâ die cilicium geſtat, & ſe ſub veſperam ſponte flagello acriter diuerberat. Ingens rurſum tum eo veſpere, tum noctis magnâ parte ventus collegium* 3. *Qui Diabolo ſe deuouent.*

collegium impetit. Ante XI. noctis adeſt inimicus alio aliave comitatus, & per cubiculum, in quo cum alijs tribus iuuenis cubabat, deambulans; Cernis (inquit ad ſociam; nam ſaga quapiam exiſtimatur) vt iacet hic nequam? & rurſum, ô ſi aliter rem meam inſtituiſſem, non eſſet hunc ſortita finem. Ante octiduum penè me abegiſſent (Patres intellexit) Interim tibi hominem commendo, eum quantum licuerit aſſiduè dinexa; & conuerſus ad iuuenem fremebundus; Perfide nebulo, homoq́; leuiſſimè & inconſtantiſſimè, nunquam fidem mihi ſeruaſti; ô pectus ignobile ac degener. Maiores tui maluiſſent centies corporis animaq́; facere iacturam, quàm vel ſemel datam fidem violare. En tua habe, qua mihi dederas: ego viciſſim, quod meum eſt reſeruabo. Et hoc dicto, bis aut ter, iuuene audiente, ſtrepitum fecit, velut cuiuſpiam aliquid è chartâ eradentis. Et rurſum ſocia: Pergam ad locum mihi conſtitutum, tu interim huius curam habeto: Rurſumq́; iuueni: Et exiſtimas perdite nequam fore, meas manus vt euadas? coactus nunc tibi tua reſtituo. Tu interim & Ieſuita nebulones me poſthac à ſtultis confictiſq́; caremoniis veſtris liberum eſſe finitote: quod enim tuum ſit, nihil omninò habeo, licet plura longè poſthac ex te ſim accepturus. Fides enim quam ſuſcepiſti iniqua eſt, & per Papas (quos vos velut ſanctiſſimos colitis, ego autem in inferno tracto pro merito) conficta. Quibus dictis & manu frigidiſſimâ iuuenis collo ſine omni læſione contrectato, euanuit. Ad omnia hac iuuenis nihil reſpondit, excepto hoc vnico, videlicèt, vt abiret, habere ſe Deum propitium. Inter hac iuuenis cateros in cubiculo altùm dormientes ſuſcitare conabatur, eorum nomina inclamans; quorum vnus ager vocem audiuit, proſilit in pedes, & ad alterius ſani lectum accedens eum excitat. Hic ignem excutit è ſilice, ſulphur accendit, ſed priuſquam candela admoueret, violenter ab aliquo exſtinguitur, idq́; ſecundò; accendit tertiò iamq́; candela lumen conceperat; cùm ſimul & ſemel materia ſulphurata candelaq́; reſtinguuntur. Tandem venit homini in mentem vt cereum benedictum accenderet; accendit, nec ampliùs valuit exſtingui. Habito lumine inimicus euanuit, & quamuis ſemel ac iterum dixiſſet, ſi iuueni reſtituere omnia qua ipſius eſſent, nihil tamen ab eo iuuenis receperat. Componunt igitur ſe ad orationem, & qui lumen accenderat, ante imaginem D. Virginis Litanias recitat. Poſt mediam circiter horam ſurgens videt humi iacere chartam ſanguinolentam, attollit, eiq́; porrigit, cuius erat chirographum. Hic agnito ſuo chirographo geſtire latitiâ, exoſculari illud & pectori admouere: & illico Deo omnes ſimul agunt gratias, & quatuor ſimul (tot enim erant) recitant, Te Deum laudamus. Et, ne fortè Damon illud recuperare poſſet, ſigno crucis muniunt, aſpergunt aquâ benedictâ, & coronâ B. Virginis circumligant. Placuit tandem Sereniſſimo Principi Ferdinando Archiduci (nunc Romanorum inuictiſſimo imperatori) & Reuerendiſſimo Epiſcopo Secouienſi, vt ſeries tota & proceſſus pro concione populo proponeretur, quod factum eſt 18. Iunij à meridie & ipſum chirographum vnà cum ſanguine, quo alterum deſcriptum erat, in templo Societ. IESV *per Parochum Gracienſem, iuſſu Epiſcopi, in magno hominum concurſu & frequentia combuſtum fuit.*

CONCIO II.

Quatuor munia Spiritus Sancti principalia.

Recenſentur autem hac. Primum quod ſit:

1. *Paracletus ſeu conſolator circa varia.*
2. *Quod arguat mundum de peccato.*
3. *Quod doceat omnem veritatem.*
4. *Quod glorificet Chriſtum & teſtimonium de illo ferat.*

THEMA.

Cùm venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ioan. 16.

NOVIMVS Spiritum ſanctum in die Pentecoſtes, ſub ſpecię ignis deſcendiſſe in Apoſtolos. Et cur in ſpecie ignis? Haud dubiè, A
quia quod ignis corporaliter, hoc ipſe præſtat ſpiritualiter. Et quid facit ignis? Calefacit & fouet tempore frigoris, vrit, illuminat, illuſtrat & ſplendeſcere facit, maximè corpora radiantia vt gemmas, aurum, &c. Totum hoc Spiritus ſanctus facit, vt oſtendit hod. Euang. Nam inprimis fouet & conſolatur in tribulationibus: vnde dicitur paracletus: Ecce ignem calefacientem. Secundò arguit mundum: Ecce ignem vrentem. Tertiò, Docet omnem veritatem: Ecce ignem illuminantem. Denique Chriſtum clarificat: Ecce ignem illuſtrantem. Videamus ſingula.

B. I. Paracletus ſeu Conſolator eſt.

PRIMVM Officium Paracletum eſſe, ſeu conſolari: & quia hoc præcipuum eſt, inde appellationem Chriſtus ei tribuit. Indigebat Eccleſia tali paracleto, ob Chriſti ſponſi ſui abſentiam; quem non niſi poſt mortem viſura erat. Quomodo verò tam diuturnam ſponſi abſentiam ferre poſſet ſponſa, niſi diuino aliquo conſolatore confirmaretur? Deinde ob grauiſſimas perſecutiones, quas multo tempore toleratura erat; ne deficeret. Denique quia via cœli arcta eſt multis difficultatibus obnoxia, multis latronibus obſeſſa, ne in tentationibus ſuccumberet. Quare ſicut mater infantem deſerens, nutricem ei relinquit: pater filium à ſe ablegans, pædagogum ei aſſignat: ita Chriſtus ab Eccleſia recedens non reliquit eam orphanam, ſed paracletum ei dedit.

1. *Conſolatur Eccleſiam vt ſit fidelis.*

Conſolatur ergò Eccleſiam Primò, Vt fidelis ſit vſque ad mortem & patienter expectet beatam illam ſpem & aduentum magni Dei. Cùm enim fideles in vita ſua non expectent mercedem, ſed poſt mortem: nec videant eam oculis, ſed ſperent tantùm: conſolatur interim eos, vt ne deficiant animis. Mittit enim illis ſubinde conſolationem aliquam, ſed per modum prægustûs, non ſaturitatis: ſicut cùm aucupes falconibus carnem prægustandam offerunt, vt alacriores ad venatum reddant: non verò vt ſaturent. Dicit eis Spiritus ſanctus repoſitam illis eſſe in cœlo mercedem: pergant igitur, & augeant merita ſua.

Secundò

2. *Fideles ne ſuccumbant in tribulationibus.*

Secundò, Conſolatur fideles in afflictionibus & tribulationibus vt ne ſuccumbant, ſed prætereà gaudeant in illis. Sic Andreas in cruce pendens, tantâ perfundebatur conſolatione, vt deponi nollet & rogaret Deum, ne id permitteret; quia nimirum virtutem S. Crucis agnouiſſet. Sic in trium primorum Eccleſię ſæculorum perſecutionibus miſit ſubinde Imperatorem, ſub quo reſpirare poſſent: perſecutores dirè afflixit & ſuſtulit, aliiſque plurimis modis eos conſolatus eſt. Dicit eis Spiritus ſanctus: *fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* 1.Cor.10. Et *Omne gaudiũ exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.* *Iacob.*1. Dat ſubinde tempus reſpirandi, &c.

3. *In viâ mandatorũ Dei.*

Tertiò, Conſolatur in viâ mandatorum Dei,& facit iugum Chriſti ſuaue, quod priùs horrebant & fugiebant. Vngit currum vt facilè & ſine ſtridore trahatur. Vnde S.Bern.ait: *Homines vident crucem noſtram, ſed non vident vnctionem noſtram.* Videtur in curru onus, ſed non axium inunctio, quæ leue illud fecit. Vnctio hæc eſt gratia adiuuans, exemplum aliorum & Chriſti, conſolationes internæ, ſpes mercedis,&c.

4. *Ne quis animo concidat.*

Quartò, Ne cùm quis peccauerit, deſperet, ſed recurrat ad Dei benignitatem quaſi illi inſuſurrans id Eccleſiaſtici *c.*21. *Fili peccaſti? non adiicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Et illud Saluatoris: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* *Matth.* 9. Et illud Dei, *Iſai.*1. *Venite & arguite me, dicit Dominus, ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* q.d. peccata veſtra etiam horrenda & grauiſſima dimittam, ſi feceritis opera charitatis: quod niſi fecero, venite & intendite mihi litem.

C. II. Arguit mundum de peccatis.

Secundum, Arguere mundum de peccatis. Facit autem hoc multis modis. Primò, per conſcientiæ ſtimulum. Hic enim inſtar canis excubitoris, alienos ingredientes domum, (peccata inquam, cor intrantia) allatrat & ſtans præ foribus non deſinit latrare contra domum, quouſque illi egreſſi fuerint.

1. *Per conſcientiæ ſtimulum.*

Sic *Gen.* 4. dicitur Cain: *Si male egeris, ſtatim in foribus peccatum aderit.* Hebr. *excubabit*; inſtar canis videlicet furem allatrantis & inſequentis: canis autem iſte excitatur ad hunc latratum à Spiritu Sancto & ſignum eſt bonum: nimirum quòd Spiritus Sanctus velit repetere ſuum habitaculum & expellere hoſtem, peccatum: ſicut cùm quis Dux perditam ciuitatem mox iterum obſidet & repetit, ſignum eſt, quod non facilè eam in manibus hoſtium relicturus ſit. Qui verò poſt peccata grauia latratum hunc non ſentiunt, timere debent, ne à Spiritu Sancto omninò deſerti & in ſenſum reprobum traditi ſint.

2. *Per Concionatores.*

Secundò, Per Doctores & prædicatores, qui & ipſi canes vocantur in SS.literis: & redarguuntur vel *vt canes muti, nõ valentes latrare*, ab Iſaia *cap.* 56. quando non latrant, multos impediunt & retrahunt à peccatis; vti canes impediunt furta. Deinde furto rem ablatam recuperant, dum peccatores ad pœnitentiam reuocant. Denique ſaltem Dei iuſtitiam elucidant, dum toties fruſtra reprehenſos oſtendunt digniſſimos, qui à Deo puniantur. Quare ſi per nos allatremur, habemus quod Spiritui Sancto gratias agamus; ſiquidem ipſe immittit in nos canes iſtos. Stulti igitur agunt, qui eos mordent, velut canis baculum quo percutitur: ipſi enim inſtrumenta Spiritus Sancti & ad medelam noſtram miſſi ſunt: *Meliora ſunt vulnera diligentis quam fraudulenta oſcula blandientis*, ait Sapiens *Prouerb.*27. Quamdiu ergo tales ſuperſunt, qui nos arguant, tamdiu Spiritus Sanctus à nobis non receſſit. Huiuſmodi canes erant Ioannes Baptiſta, immiſſus in Herodem: Baſilius in Valentem: Ambroſius in Theodoſium: & in vetere lege Nathan in Dauidem: Elias in Achabum, &c.

Tertiò, Per bona exempla & viam ſanctam atque auſteram illorum, qui tibi ſimiles & eiuſdem tecum naturæ ſunt. *3. Per bona aliorum exempla.* cùm enim aliorum ſanctitatem & tuam improbitatem vides, ſuggerit tibi Spiritus talem fortè cogitationem: Itáne hic tam ſanctè, tam auſterè viuit, qui olim amicus & notus meus? qui nihil vnquam graue deliquit? ego verò tam impiè, tam mei oblitus? Iacoponus nobilis Tudertinus primùm ſæculo deditus, cùm vxor eius ex alto cecidiſſet, & ipſe accurrens veſtem moribundæ ad meatus animæ laxandos diſfibulare conaretur & ſub pretioſâ eius veſte, horridum deprehenderet cilicium, præter omnem expectationem: rei ſtupore attonitus & quaſi extra ſe raptus, quod ſimilem ſibi ſæculo addictam credidiſſet; mox de vitæ mutatione cogitare cœpit, & fortunis omnibus in egenos diſtributis, familiæ S. Franciſci nomen dedit. Rader. *p.*2.*Virid. c.*3. ſic arguit nos Spiritus per innumera bonorum exempla, per vitam & habitum Capucinorum, Carthuſianorum & ſimilium Ordinum, q.d. Ecce iſti non confidebant ſibi vt natare auderent per mare ſæculi, ſed pontem vel nauem quæſiêre: & tu cum tanto onere tam periculosè natare audes? Ecce tibi Anachoretas & Aſcetas priorum ſæculorum! quàm rigidè ieiunârunt? quàm vigilârunt in orationibus? quas ſubiere pœnitentias? quàm attriuere carnem ſuam? Et tu ne modicum quid horum facere aut pati voles?

Quartò, Per clades & caſtigationes, præſertim publicas & diuinitùs immiſſas. *4. Per clades & caſtigationes.* Quemadmodum enim Abſalon necdum Patri reconciliatus cùm ſæpiùs rogâſſet Ioab vt pro ſe apud patrem preces interponeret: Ioab verò diſſimulaſſet; tandem miſit ſeruos ſuos, qui ſegetem eius incenderent ac venire ad ſe compellerent; ſicque tandem obtinuit, ab eo quod voluit, 2. *Reg.* 14. Ita agit etiam Spiritus ſanctus. Quos enim blanditiis corrigere

gere non poteſt, verberibus tandem caſtigat: & hoc ipſum magna etiam gratia eſt. Quoties ergò aduertis, poſt peccatum immitti tibi aliquam plagam, ſubeat tibi cogitatio, hanc eſſe redargutionem Spiritûs ſancti.

D. III. Docet omnem veritatem.

Tertium, Docere omnem veritatem. Et primò docere omnia, quæ ad fidem & mores pertinent, ad Eccleſiam regendam & Scripturas intelligendas; quod agit cùm per Pontifices
1. Eccleſiam regit & res fidei docet; Pontificem Summum dirigit ne in fidei articulis decernẽdis errare poſſit.
2. Secundò ſuggerere quæ priùs ipſe docuit, quod fecit cùm Apoſtolis ſuggeſſit verba & ſermones Chriſti, vt ea prædicare, literis conſignare & abſque errore poſteris tradere poſſent; quomodo enim aliàs tam exactè ſcire & meminiſſe potuiſſent tot Chriſti parabolas, geſta, miracula, &c?
3. Tertiò annuntiare futura per ora Prophetarum, quales ſemper in Eccleſiâ fuêre.

Docuit Eccleſiã.

1. Docuit itaque Eccleſiam. Primò geſta & dicta Chriſti, inſpirando ea Apoſtolis, & conſeruando ſacras Scripturas & traditiones, quamdiu durat Eccleſia. Quod certè non parum admirandũ eſt, cùm Euangeliſtæ ipſiſſima Chriſti verba, & Ioannes primùm poſt 50. annos à Chriſti aſcenſione, nobis tradiderint. Adhæc conſtat veterum hæreticorum libros omnes periiſſe nec reperiri eorum dogmata, niſi quantùm à noſtris referuntur, cum tamen SS. Patrum libri adhuc ſuperſint innumeri: imò & Ethnicorum. Nimirum Spiritûs Sancti prouidentiæ debemus, quòd erroneos illos libros ab oculis noſtris remouere & extirpare voluerit, ne venenum inde ſugeremus.

2. Secundò, Docuit Pontifices ſummos & Concilia quid in rebus fidei decernere deberent, nihil enim ad hæc vſque tempora deprehenſum, quod ab vllo Pontifice vel legitimo Concilio circa fidem erratum eſſet: quæ verò illis contradicebant, hæreſes extinctæ ſunt.

3. Tertiò, Inſtruxit contra Ethnicos & hæreticos, vt ſcirent quid reſpondere deberent illis, iuxta id *Matth.* 10. *Cum ſteteritis ante reges aut præſides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Hinc tam grauiter, conſtanter & neruosè diſſerebant SS. Martyres, etiam mulieres & illiterati coram tribunalibus vt multos conuerterent, cæteros in admirationem raperent. Similiter innumeros eccleſiæ dedit viros doctrinâ præſtantiſſimos. Docuit rationem expugnandi hæreſes per Concilia, diſputationes, cenſuras. Et ferè ad ſingularum hæreſum exordia ſingulos excitauit viros ſanctos, qui ſuâ ſanctitate & doctrinâ totam hæreſim extinguerent vti non ita pridem S. Ignatium eiuſque Societatem contra Lutherum.

4. Quartò, Docuit ferre ſanctas & vtiliſſimas leges ad regendam eccleſiam omni culpâ & labe vacuas, vt patet ex SS. Canonibus, in quibus nihil non ſanctum & rationi ac legi Dei conuenientiſſimum atque ſaluberrimum reperitur: cum contrà Hæreticorum, Ethnicorum & Mahumetanorum nec non Iudæorum dogmata & ſtatuta innumeris erroribus & ſpurcitiis referta ſint. Docuit autem variis modis. Per lumen internum illuſtrando intellectum. Per Eccleſiam eiuſque Doctores ac prædicatores. Per pios & eruditos libros, quos eccleſiæ prouidit in omni genere doctrinæ innumeros & excellentiſſimos. Quæ enim vſpiam Secta quæ ita abundet viris doctis & libris, vti eccleſia? Per exempla tot ſanctorum ex vniuerſo orbe, quorum acta fideliter conſcripta ante oculos noſtros iacent. Per miracula, quibus innumeris fidem confirmauit & in fide Chriſtianos. Quis enim fidei articulus, qui non miraculis ſtabilitus ſit? Per reuelationes & prophetias. Sic per viſionem S. Antonio oſtenſam, docuit eccleſiam futuram Arianorum cladem, quando ille vidit altare Dei mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia diſſipabant, vt refert Athanaſ. in eius vitâ.

E. IV. Clarificat Chriſtũ.

Quartum, Clarificare Chriſtum & teſtimonium de illo ferre, Chriſto prædicanti non credebant omnes, qui dicebãt: *Tu de teipſo teſtimonium dicis: teſtimonium tuum non eſt verum, Ioan.* 8. Nunc ergò Spiritus ſanctus de ipſo tulit teſtimonium vt eum clarificaret, hoc eſt, toti mundo oſtenderet verum Deum & hominem, eiuſque fidem & doctrinam veram & cæleſtem eſſe. Fecit autem hoc multipliciter. Pri- 1.
mò, Dando Apoſtolis & prædicatoribus os & ſapientiam, *vt non poſſent eis reſiſtere omnes aduerſarij eorum*, quemadmodum prædixit Chriſtus *Luc.* 21. S. Antonius cæteroqui rudis tam efficaciter cõfirmabat dogmata fidei Chriſtianæ, vt Philoſophi gentiles qui eius ruditatem venerant irriſuri, ſtupentes abirent, S. Spiridion ſimplicis literaturæ vir recitatâ fidei confeſſione, ſuperbientem Philoſophum & vicit & conuertit, apud Sozom. vt alibi recenſui.

Secundò, Animando Martyres vt in me- 2.
dium proſilirent & Chriſtum contra eius hoſtes & obtrectatores defenderent, ac prædicarent, Tyrannos confunderent, arguerent & tortoribus inſultarent. Quæ certe ratio clarificandi Chriſtum præſtantiſſima eſt, cùm nimirum ſanguine ſubſcribitur factæ cõfeſſioni. Sic Publia vidua cum aliis virginibus trãſeunte Iuliano Imp. Apoſtatâ, in eius contemptum occinebat illi verſiculum illum: *Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Et *ſimiles illis fiant qui faciunt ea & omnes qui confidunt in illis:* Theodoret. *lib.* 3. *cap.* 17.

Tertiò, Inſtigando Eccleſiam vt fidem eiuſ- 3.
que articulos publicè profiteatur contra hæreticos, vt ſic ipſi hæc videntes confundantur & contabeſcant, quo modo inſtigauit pueros vt Chriſto acclamarent: *Benedictus qui venit in no-*

mine

mine Domini; ad confuſionem Iudæorũ Chriſto ipuidentiũ. Ita inſpirauit Eccleſiæ, vt vita monaſtica & religioſa ſub variis inſtitutis & regulis per orbem vndique propagaretur contra hæreticos, qui Virginitati detrahebant & votis monaſticis. Vt in honorem ſanctorum eius paſſim templa erigerentur & eorum feſta celebri ſolemnitate peragerentur eorumque laudes & viuendi ratio pro concione populo proponerentur, contra illos, qui Sanctis debitum negant cultum. Vt feſtũ Corporis Chriſti ſolenniſſimè peragerettur contra Sacramentarios. Vt paſſim pro defunctis maximâ contentione ſuffragia fierent à fidelibus. Vt proceſſiones & Litaniæ inſtituerentur, ſacræ cæremoniæ diſponerentur ad diuinum cultum & deuotionem populi promouendam. Vt Epiſcopatus & Præpoſituræ opulentiſſimis patrimoniis erigerentur, quò ſe defendere contra hæreticos poſſent.

Quartò, Inſpirando Eccleſiæ contemptum & abrenuntiationem ſeculi: vt pro amore Chriſti, ad eum imitandum & digno ſeruitio colendũ, innumeri cuiuſcunque ſtatûs & cõditionis, ſolitudines peterent, monaſteriis ſe includerent, aliorum directioni totos ſe permitterent: in maximâ auſteritate, paupertate & vitæ innocentiâ Deo ſeruirent. Quæ res niſi à Spiritu ſancto eſſe non poterat, & Chriſti gloriam mirificè amplificabat tamquam authoris & inſtitutoris omnis perfectionis.

Rogemus ergò Spiritum ſanctum, vt ſit nobis eiuſmodi ignis, vt nimirum conſoletur nos, urgeat nos, doceat nos & glorificet in nobis Chriſtum per bona opera & ſanctam conuerſionem.

CONCIO V.

Itinera aliquot bene præcogitanda.

Enumerat Auctor ſeptem: ac primum

1. *Eſt iter ad templum vel Sacramenti ſuſceptionem.*
2. *Eſt iter ad ſomnum.*
3. *Iter ad militiam, matrimonium, dignitatem.*
4. *Iter ad peccatum.*
5. *Iter ad magos & veridicos.*
6. *Iter ad hæreſim.*
7. *Iter ad ſenectam & mortem.*

THEMA.

Quo vadis? Ioan. 16.

A. VIdetur in hoc Euangelio Dominus malè fuiſſe contentus cum diſcipulis ſuis, quòd abiturum ad patrem adeoque ad mortem non interrogarent, quorſum iret, quaſi hoc nihil aut parum eſſet ad mortem & ad Deum ire. Peiùs adhuc nobiſcum contentus erit Dominus, ſi cùm nos ipſi magis & magis indies ad mortem accedamus adeoque ad diſtrictum Iudicem noſtrum, nunquam interrogemus noſmetipſos. *Quo vadis?* quaſi hoc nihil ſit, pergere ad mortem & iudicium diuinum. Eccur verò dixit Eccleſiaſticus *c. 18. Ante iudicium interroga teipſum: & in conſpectu Dei inuenies propitiationem?* Solemus nos mortales ferè interrogare alios, noſipſos vix aut nunquam. Cùm nobis quiſpiam obuiat, hoc primum interrogamus, quorſum tendat? Et cùm noſipſi periculoſa ſæpe itinera ſuſcipiamus, numquam interrogamus nos: *quo vadis?* Siſtamus ergò gradum, & huiuſmodi itinera aliquot bene expendamus.

B. 1. Primò. Quo vadis, cùm ad templum, orationem vel Sacramenti alicuius ſuſceptionem pergis? Nonnè ad Deum & res diuinas vadis, ideoque ſeriò tibi attẽdere debes, ne cùm peccato aut irreuerentiâ illuc vadas? Etenim ſi gentilibus olim lex eiuſmodi poſita fuit, quam recenſet Cicero *l. 1. de legibus: Ad Diuos adeunto caſtè, pietatem tenento, opes amouento, ſiquis ſecus faxit, Deus ipſi vindex eſto.* Quantò magis decet, vt hoc Chriſtiani faciant cum ad Deum verum adeunt? Similiter Heſiodus canit: *Illotis manibus ſacra tractare eſt nefas.* Hinc & olim Chriſtiani tẽplum ingreſſuri manus lauabant, vt monerentur puras ad Deum leuare manus in oratione, & quia illis in formam crucis complicatis, Euchariſtiam ſuſcepturi erant; ideo præ foribus Eccleſiæ poſitum erat vas aquæ ad purificationem. Pro quo nunc remanſit vas aquæ benedictæ, quâ dum ingreſſi templum aſpergimur, admonemur, vt peccatis renunciantes, puras ad Deum afferamus animas. Propterea etiam olim candidis induti veſtibus Eccleſiam ingrediebantur, vt docet S. Chryſoſt. *hom. 25. in Matth.* Hanc ob cauſam altare in templo Salomonis formam Leonis præferebat, Leonis conſiſtens cruribus, ideoque *Ariel*, id eſt, *Leo Dei* vocabatur *Ezech. 43.* vt ſcirent homines cum timore & tremore, cum humilitate & innocentia accedendum eſſe ad Deum, vt qui ſimilis ſit Leoni qui in alios quidem ſæuit, proſtratis tamen parcit & infantibus, teſte Plinio *l. 8. c. 16.* Ita enim Deus humilibus & innocentibus eſt placabilis, ſuperbis vero & reprobis auſterus. Hanc ob cauſam ſapiens ille publicanus in templo illo orans, non appropinquauit ad altare, ſed retro ſtans deprimebat vultum, & cor ſuum Deo proſternebat dicens; *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Contrà vero Maria Ægyptiaca adhuc viuens impudicè cùm ad illaqueandos iuuenes ſuperbè adornata in Feſto Exaltationis S. Crucis templum ingredi vellet, ipſa cæteris omnibus intrantibus, ter quaterque occultâ vi repulſa fuit, nec vllo conatu intrare potuit, donec in ſe rediens, ſcelerum ſuorum culpam agnoſceret, pectus tunderet & de vitæ emendatione cogitaret. Sur *tom. 2. in vita.*

Iter ad templum vel ſacramenti ſuſceptionem.

Similiter cùm Sacramentum aliquod ſuſcipitur, purificandus eſt prius animus ab omni peccati labe, ne fructus & gratia Sacramentalis obicem reperiat in eo: vt enim aſſeres pugari & dedolari debent ad hoc vt glutino vniantur: ita animus noſter purificari, vt glutino gratiæ puriſſimo Deo iũgi & vniri poſſit. Deinde ob reuerentiam

tiam Sacramenti; ſi enim illotis manibus non facilè menſæ aſſidemus, vt cibum naturæ debitum ſumamus: quanto magis cùm ad menſam Dei aſſidemus & cibum diuinum ac cæleſtem vel aliud Sacramentum percipimus? Vt ergò olim viri Chriſtiani Euchariſtiam lotis excipiebant manibus, mulieres verò puriſſimo linteo tectis (vt patet ex Conc. Altiſiodor.) ſic nos puro corde ſuſcipiamus Sacramenta. Id verò omnium maximè obſeruandum in ſanctâ Communione; *qui enim manducat indignè, iudicium ſibi manducat & bibit*. 1. *Cor*. 11. Ibi vndique nobis anguſtiæ ſunt. Niſi enim comederimus, mors nobis eſt: ſi indignè comederimus, iudicium manducabimus. Proſternamur ergò ante Leonem noſtrum, cum Centurione dicamuſque: *Domine non ſum dignus*, &c.

C. II. Iter ad ſomnum. Secundò, Quo vadis, cùm is veſpere cubitum? Nónne ad *fratrem mortis*, vt dicebat Diogenes? Et quid ſi fortè frater fratrem amplectatur, & tu manè non reſurgas? Quam multis id euenit. Nónne in ſomno occiſus Iſboſeth? 2. *Reg*. 4. Holofernes, *Iud. c*. 13. Siſara, *Iudic*. 4. Quomodo tu cum peccato cubitum audes ire, potes & dormire? Epaminondas Dux quempiam è vigilibus ſomno oppreſſum cùm offendiſſet, gladio transfixit. Obiurgatus ob tantam ſeueritatem: *Talem*, inquit, *eum reliqui; qualem inueni*. Plut. Quid ſi etiam Deus te in peccato dormientem talem relinquat, qualem reperit? Deinde nocturno tempore facilius peccatur; cùm non planè vigilat ratio, ideoque praui motus liberiùs exurgunt & tumultuantur, ex quo Dæmon nobis faciliùs illudere poteſt. In ſomno attonſus fuit Samſon à Dalilâ & fortitudine ſpoliatus, *Iudic*. 16. Saul dormiens haſtam & ſcyphum perdidit, 1. *Reg*. 26. Quare ſicut canes antequam decumbant, priùs aliquoties circumeundo ſtratum ſibi accommodant: ita nos per conſcientiæ examen priùs veſperi circumire debemus diem, quem tranſegimus, & ſiquid ibi aſperũ vel diſtortum inuenerimus, per actum contritionis complanare, vt molliùs cubemus, nullius conſcientiæ ſtimulis agitati. Ouiculæ procubituræ in genua prius ſe demittunt: ita nos per orationem præuiam pergere ad ſomnum decet.

D. III. Iter ad militiam, matrimonium, dignitatem. *Attende milites*. Tertiò, Quò vadis, cùm ad militiam, ad matrimonium, ad dignitatem aliumue ſtatum aut iter periculoſum pergis? Nam alto mari te credis, vbi Primò bene tibi attendendum quò tendas. Qui ad polum arcticum nauigant, buccinam (conſtellationem aquilonarem) intuentur: qui verò ad antarcticum, crucem (conſtellationem meridionalem) aſpiciunt. Ita qui v. g.

1. militiam ſectaturi vel prælium inituri ad gloriam tantùm, auaritiam, prædam, libertatem, &c. aſpiciunt: ad noctem illam profundam & æternam militant. Qui verò cum Conſtantino Magno militaturi crucem intuentur, id eſt, gloriam Dei & Eccleſiæ defenſionem: ad meridiem æternam peruenient, & vincent, etiam victi.

2. Secundò ad ſcopulos attendendum, ad pericula peccandi, quæ in bello plurima. In medio enim laqueorum ingrediuntur milites: nec tot habent hoſtes corporis, quot inſidiatores animæ. Quare ſicut Dauid contra Goliath pugnaturus, accepit baculum & fundam: ita miles aſſumat crucem & roſarium, ſeu orationem, ſaltem iaculatoriam, quâ ſ. id eſt, pauca verba precatoria ad Deum crebrò tamen eiaculetur. Sine eiuſmodi fundâ nullus miles inueniri debet.

Tertiò ad mortem perpetuò ſibi imminentem. Vt enim nauigantes à morte vix vno palmo abſunt: ita & militantes. Ne ſint *quaſi equus impetu vadens in prælium*, vt ait Ieremias *c*. 8. Saltat enim equus ad prælium, quia neſcit quò vadat. Ipſi dicere poſſint Chriſto id *Pſ*. 43. *Propter te mortificamur totâ die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis*. Viderint ergò vt ſemper ſanæ ſint conſcientiæ, non minus, quàm qui periculosè ægrotant. 3.

Attende ſponſe. Similiter qui ad matrimonium vadunt, cogitent ſe ire ad religionem omnium auſteriſſimam, in quâ nihil non pati æquo animo debeant, ſi pacem habere velint. Vt ergò quilibet, antequam religionem ingrediatur, rigidam præſertim, priùs bene cogitat, quomodo in eâ perſeuerare poſſit adeóque iuxta Domini conſilium, an habeat ſumptus ad perfectionis turrim ædificandam: & ad hoc nouitiis datur integer annus: ita facere deberet, qui coniugium niturus eſt. Abbas Neſtero, *in vitis PP. l*. 5. *c*. 15. intrans monaſterium dicebat ſibiipſi; *Deinceps tu & aſinus vnum eſtote. Sicut enim aſinus vapulat & non loquitur: iniuriam patitur & non reſpondet: ſic & tu*. Hinc factum vt cum ſumma pace, ſilentio & patientiâ ſemper vixerit in monaſterio. Hoc ipſum cogitare deberent, qui ſe deſpondent, vt nimirum aſini ſint ad quæuis aduerſa toleranda reſoluti & parati.

Attende Candidato. Nec minus attendere debent, quò vadant, qui ad dignitates & prælaturas vadunt. Aſcendunt enim in tectum quodammodò; & ſuper illo ambulant. Væ illis, niſi vigilent. Qui ſuper menſam volutantur, magis periclitantur, quàm qui in terra, vti oſtendit quidem vir ſanctus iuueni nepoti apud S. Hieron. *in reg. Monach. cap*. 15. ita qui in honorum faſtigiis conſtituti ſunt, magis obnoxij ſunt lapſuum periculis.

Attende nauiganti. Similiter qui maris nauigationem, periculoſam præſertim, ſuſcipiunt, cogitent illud Anacharſis apud Laert. l. 1. c. 9. Se non plus quàm 4. digitis, à morte diſtare. Quocirca vetus fidelium conſuetudo erat, vt nauigaturi priùs de peccatis confiterentur & cum Deo in gratiam redirent: conſcenſuri etiam nauim priùs flexis genibus orarent, vti fecere cum S. Paulo nauigaturo, etiam ij qui deducebant eum ad nauim, *Act*. 20. & 21. Idemque teſtatur adhuc fieri Nicolaus Trigautius *in vita Gaſp. Barzæi l*. 1. *c*. 5.

E. IV. Iter ad peccatum. Quartò, Quò vadis, cùm manifeſta peccandi pericula adis? Nónne ſicut bos ad macellum? ſic enim Sapiens *Prouerb*. 7. de tali, qui illectus à muliere impudicâ trahitur in rete: ait? *Statim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam & quaſi*

quaſi agnus laſciuiens, & ignorans quòd ad vincula ſtultus trahatur, &c. Exiſtimant talia pecora, ſe ad paſcua amœna duci, cùm ducuntur ad macellum: Sic qui ad peccatum & peccandi pericula pergit. Scimus angelum Balaamo obſtitiſſe in viâ ſtricto gladio, minitantem ne quid moliretur contra præceptum Dei in Iſraelem, *Num. 22. Ego veni vt aduerſarer tibi*, inquit, *quia peruerſa eſt via tua, mihiq; contraria*. Idem tibi loqui clàm in corde tuo angelum cuſtodem, cùm ad malum pergis, certò tibi perſuadeas. Siſte ergò gradum & cogita quò tendas; quia ad infernum tendis. Exemplo eſt iuuenis ille Zwollenſis in Traiectẽſi Epiſcopatu, cui angelus cuſtos, quòd peruerſam ſocietatem ſectatus, in præſentiſſimũ peccandi periculum lapſus & vix ereptus ſit, colaphum impegit, *in Speculo magno exempl tit. Angelus. ex. 20.* Pro eiuſmodi angelo miſſus fuit impudico iuueni S. Ignatius Loiola, quando tendentem ad turpes amores, in lacu frigidiſſimo immerſus tranſeuntem noctu inclamauit: *Perge miſer, perge ad tuas fatidiſſimas voluptates; impendentem capiti tuo ruinam non vides? inſtantem peſtem non perhorreſcis? Hic ego pro te tamdiu me macerabo, donec iuſtiſſimum Dei in te furorem paratum auertam.* Exterritus hâc voce iuuenis pedem retulit, & impudicam familiaritatem reſcidit. Ribad. *l. 5. de eius vita c. 2.* Pedem & tu referes, ſi hoc idem cogites.

F. V. Iter ad magos & veneficos.

QVINTÒ, Quò vadis, cùm ad magos, ariolos, & magicas ſuperſtitiones pro remedio vel conſilio adis? Nónne ad ipſummet Dæmonem, hoſtem tuum infenſiſſimum? Vt enim perinde eſt, veſci idolothytis, ac idola venerari: ita perinde eſt, vti rebus magicis, atque recurrere ad ipſum Dæmonem. Ab hac inſaniâ dehortatur nos Deus Iſaiæ c. 8. inquiens: *Cùm dixerint ad vos: Quærite à Pythonibus & à Diuinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis; Nunquid non populus à Deo ſuo requiret pro viuis & mortuis? Ad legem magis & ad teſtimonium.* q. d. nunquid non eſt Deus in Iſraël, à quo oraculum exquiri de futuro euentu queat? Ad legem potiùs, ad arcam & propitiatorium recurrendum vobis: hîc veritas docetur; mendacium à Pythonibus. Exemplum ſcribit S. Gregorius Turonenſis *l. 5. hiſt. Franc. cap. 14. & 18.* de Morouco Childerici regis Francorum filio, qui ambiens regnum, de patre & nouercâ multa crimina loquebatur. Quadam die inuitauit ad conuiuium Gregorium Epiſcopum Turonenſem, petens aliquam animę inſtructionem. Gregorius aperiens librum Prouerb. incidit in illud *c. 30. v. 17. Oculum qui ſubſannat patrem, &c. effodiant eum corui de torrentibus.* Conſuluit deinde Moroueus pythoniſſam anno Chriſti 580. quæ reſpondit Childericum eo anno moriturum & Moroueum ſolum excluſis fratribus, in omne eius regnũ ſucceſſurũ. Cumque hæc narraret ipſe, corripuit eum Gregorius Epiſcopus Turonẽſis, dicens à Deo hęc poſcenda eſſe; dæmonem enim eſſe mendacem. Moroueus ergò adiit ſepulchrum S. Martini, in eoque poſuit tres libros, ſcilicet Pſalterij, Regum, & Euangeliorum, & vigilans totâ nocte petiit, vt S. Martinus oſtenderet quid ſibi circa regnum eueniret. Poſt triduana ieiunia, vigilias & orationes, accedit ad tumulum & reuoluit librum qui erat Regum; verſus autem primus paginæ quam reſerauit, hic erat: *Pro eo quod reliquiſtis Dominum Deum veſtrum, & ambulaſtis poſt deos alienos, nec feciſtis rectum ante conſpectum eius, ideo tradidit vos Dominus Deus veſter in manibus inimicorũ veſtrorũ. 2. Paral. 7.* Pſalterij autẽ verſus hic eſt inuentus: *Veruntamen propter dolos poſuiſti eis mala, deiecisti eos dum alleuarentur: Quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitates ſuas, Pſal. 72.* In Euangeliis autem hoc eſt repertum: *Scitis quia poſt biduum paſcha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* In his reſponſionibus confuſus ille & flens diſceſſit. Meritò nam hæc ei obuenerunt; eodem enim anno Moroueus preſſus ab hoſtibus, ne in eorum manus veniret, ſpontaneâ nece Fredegundis artibus interiit. Ita nimirum Deus punit ſæpenumerò eos, qui ſe vnico auxiliatore contempto, currunt ad Dæmonẽ. Sinit enim eos decipi ab eo, quem inuocant, & quodammodò reſpondet ſicut Paulo Cæſarem appellanti reſpondit Feſtus *Act. 25. Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis.* Dæmonem appellâſti, ad dæmonem ibis. Sed experiuntur multi, inquies, opem præſentiſſimam, cùm magicis rebus vtũtur. Reſpondeo Primò, Quid iuuat ſanari corpora aut acquiri res perituras, ſi interim animæ detrimentum patiaris eamque Diabolo oppignores? Deinde licet dæmon ſæpiùs obſequatur tuis deſideriis, ſuo tamen tempore te incautum opprimet, cùm in ſtatu peſſimo te repererit, conniuente iuſtò Dei iudicio. *Norunt Franci*, inquit Mart. Delrio *l. 1 diſquiſit. cap. 4. q. 3. cum ſuperioribus annis cum Barone Danon hæreticorum germanorum examina in Franciam irrupiſſent, & à Duce Guiſio ſtrenuè debellata fuiſſent; huiuſmodi ſchediaſmata (amuleta contra vulnera) collo cæſorum ferè omnium appenſa fuiſſe reperta ab ijs, qui cadauera ſpoliarunt.* Nimirum Dæmon inſtar aucupis expectat auem ſecurè & cum aliis plurimis pabulantem, tunc retia contegit.

Obiectio ſoluitur.

G. VI. Iter ad hæreſin.

Sextò, Quò vadis, cùm ab Eccleſiâ Catholicâ fugis & ad hæreticos deflectis? Eò nimirum quò deflexit Agar, cùm à Dominâ ſuâ fugeret, *Gen. 16.* Cum enim duriuſculum dominæ imperium ferre nollet, profugit ab eâ in deſertum verſus Ægyptum; vbi iuxta fontem aquæ inuenta eſt ab Angelo ſibi dicente: *Agar ancilla Sarai, vnde venis & quò vadis?* Et illa: *A facie Sarai Dominæ meæ ego fugio.* Cui angelus: *Reuertere ad Dominã tuam & humiliare ſub manu illius.* Hunc in modum plurimi hoc tempore, quo Catholica religio hæreſi pulsâ reſtituitur, fugiunt ab ingreſſu Eccleſiæ quòd eius diſciplinam & præcepta perferre nequeant, ad loca hæretica, vt ibi ſectam ſuam retineant. Sed fugiunt Primò, Dominam ſuam, Eccleſiam, quæ ius in illos habet, tum ratione baptiſmi, in quo veræ Eccleſiæ fidem dederunt; tum ratione fidei quã primitùs ab Eccleſiâ Catholicâ acceperunt, poſteà ipſi peruerterunt. Secundò, Incidunt in deſertum, errorum plurimorum, vbi à veritate aberrantes de hæreſi in hæreſin labuntur ac denique in

Atheiſmum. Tertiò, Herent iuxta fontē aquæ; hoc eſt: incidunt in paupertatem & abſumunt ſuis emigrationibus ſemetipſos, vt qui in locis Catholicis ſi manſiſſent, vinum bibere poterant aquam poſteà bibere cogantur. Audiant igitur iſti angelum Domini loquentem: *Vnde venis & quo vadis?* E quàm felici domo Chriſti in quod exilium emigrâſti? *Reuertere ad Dominam tuam & humiliare ſub manu illius.*

H. VII. Iter ad ſenectam & mortē. Septimò, Quò vadis cùm paulatim conſeneſcis? Nónne ad domum æternitatis tuæ, in quâ perpetuo manebis, ſiue ea domus cœlū ſit ſiue infernus? Sic enim ait Eccleſiaſtes *c. vlt. Quoniam ibit homo ad domum æternitatis ſuæ.* Quis ergo non ſemper ſolicitus attendat, ad vtram domum vadat? Ad duas iſtas domos duæ viæ ſunt, de quibus *Ierem.* 21. dicitur: *Ecce ego do coram vobis viā vitæ & viam mortis. Qui habitauerit in vrbe hac, morietur gladio & fame & peſte: qui autē egreſſus fuerit & transfugerit ad Chaldæos, qui obſident vos, viuet.* Via vitæ eſt ſtudium virtutis & præceptorum Dei: Via mortis peccatum & mandatorū præuaricatio. Viam virtutis ambulant, qui ex hoc mundo fugiunt & velut peregrini ad cœlū tendunt: Viam mortis, qui mundo inhærent. Rurſum nónne ad ſepulchrum, domum tuam obſcuram & anguſtam, omnibus rebus deſtitutam, in quâ habitabis vſque ad diem Iudicii? Ita enim *Pſ.* 48. dicitur: *Relinquēt alienis diuitias ſuas & ſepulchra eorum, domus illorum in æternum.* Audiamus hac de re monitū & iucundum & ſalutare S. Iacoponi Tudertini, viri ſapientiſſimi, tametſi is Chriſti amore ſtultum ſe ſimulauerat (apud Raderum p. 2. Virid. c. 3.) *Ciuis Tudertinus emerat par pullorū, quos cùm domum vellet mittere, Iacoponum conſpicit, eumq́, vt ſibi pullis domum deferendis gratificetur orat: qui ſe vero libenter facturum pollicetur. Cape igitur, ait ille, defer obſecro, nec mihi imponas velim. Iacoponus excipit. Mihi tu fidito, inquit, domum tuam pullos feram. Fide data rectà ad ædem S. Fortunato ſacram, in quâ ciuis monumentum ſuum hebebat, ſe confert, ſepulchrale ſaxum amolitur, pullos inicit, lapidē reponit. Ciuis ad ædes reuenit, pullos deſiderat: circumuentum ſe ratus in forum recurrit & pullos à Iacopono exigit ac quorſum tulerit, petit. Mirari Iacoponus & in domū ſe illius Aues tuliſſe aſſerit. Qui fieri poteſt, ait ciuis, cùm domi meæ nunquam viſus hodie ſis? Hic Iacoponus, mecum ades, inquit, iam me tibi obſecutum eſſe monſtrabo. In templum ergo ducit, apertoq́, eius monumento; nunquid amice, ait tua hæc eſt domus? Vide ergo num mei incuſandi tibi fuerit cauſa. Ciuis nec verbo addito, receptis pullis, nō abſque trepidatione, optimis cogitationibus imbutus domum reuertit.* Ita Raderus. Ad hoc innuendum iubetur *Leuit.* 1. vt aue ad ſacrificium deplumatâ, plumæ proiiciantur in locum cinerū verſus orientem. Sic ergò nos plumas ſeu opes noſtras proiiciamus in ſepulchrum, in quo locus cinerum, & vbi mortui facie ad orientem verſâ ſepeliri ſolent. Ne poſteà hæredes deplumatos proiiciant in locū cinerum & ſibi pennas opum noſtrarum reſeruent: noſque in egeſtate deſerant ſepultos. Deinde nónne vadimus ad eum, qui miſit nos, Iudicem noſtrum, vt ei rationem reddamus de talentis expenſis? *Ego miſi vos metere,* ait Chriſtus diſcipulis ſuis *Ioan.* 4. Et *c.* 15. *Poſui vos vt eatis & fructum afferatis.* Omnibus vero dixit illud: *Negotiamini dum venio.* Viderit ergò vnuſquiſque quid lucri & laboris fecerit, vt mercedem à Iudice recipere poſſit. Rē hanc perſpexit gentilis ille quidem, ſed ſapientiſſimus Plato, & ſi credimus ipſi, ad iudiciū ſuſtinendum vitam ſuam compoſuit. Ita enim ſcribit in Gorgia: (citat eum Theodor. *l.* 11. *de Cur. Græc. affect.*) *Rhadamantus,* (quem gentiles credebant eſſe iudicem mortuorum) inquit, *nihil ſanè aliud hominis nouit, neque quis ſit ille, neque ex quibus parētibus ortus, ſed ſolum curat maluſne ille ſit: quod vbi comperit, ad Tartarū eum demittit, animam vero conſpicatus quæ ſanctè vitam peregerit, idiotaque aut alterius qui veritatem coluerit, Philoſophi præſertim animam nactus, qui ſoli ſibi vacauerit, neque multarum præterea rerū in vita ſollicitus fuerit, amanter illam excipit, atque ad beatorum inſulas mittit.* Vnde infert Plato: *Mihi quidem ô Callicles his rationibus perſuaſum planè iam eſt, idq́, vnum maximè aſpicio vt quàm ſanctiſſimam animam iudici Rhadamantho oſtēdam. Miſſas igitur faciens, quas multi appetunt dignitates, veritatiq́, incumbens, curabo, vt quantum in me ſit quàm optimus homo viuam; cumq́, mihi moriendum ſit, mori homo quàm optimus.* Et mox quemlibet ad idem ſtudium adhortans: *Neque enim, ait, tibi ipſi vllas afferre poteris ſuppetias, cùm tibi cauſa ibi fuerit, ſtatuetur q́, iudicium: ſed cùm veneris in conſpectum iudicis, hiabis attonitus, tenebraſq́, & vertiginem patieris,* &c. Quid hic dicamus, Auditores? Quid ſi enim Plato in iudicio nos accuſet, qui cùm Chriſtiani ſimus, nihil aut parum curamus, quâ animi præparatione ad iudicium pergamus? Quare conſilium ſapientis audiamus, *Eccleſiaſtici* 18. *Ante iudicium interroga teipſum & in conſpectu Dei inuenies propitiationem.*

CONCIO IV.

Quatuor deplorandi Chriſti diſceſſus.

Recenſentur potiſſimùm quatuor receſſus Chriſti:
1. *Quando recedit cum gratia ſua.*
2. *Quando recedit cum fide ſua.*
3. *Quando hominem incorrigibilem deſerit.*
4. *Quando in Iudicio à damnatis recedet.*

THEMA.

Vado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me: quo vadis? Ioan. 16.

Legimus *Exod.* 33. Dominum ob populi Hebræi Idololatriam commiſſam in erectione & adoratione vituli iratum, recedere voluiſſe ab eo nec amplius eum comitari in itinere, quod fecerit in columnâ nubis. *Non enim aſcendam tecum,* inquit, *quia populus duræ ceruicis es. Audiens autē populus ſermonem hunc peſſimum, luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo,* ait Sacer textus; adeò nimirum conſternatus eſt ex eo quòd recedere Deus vellet; intellexit enim & expertus eſt, quantū ſibi profuiſſet Dei præſentia & comitatus per iter id deſerti: quantumque A.

zed by Google

tumque damni allaturus eſſet Dei ſui receſſus. Quòd ſi homines pari modo exactè intelligerent, quid ſit receſſus Dei ab homine, nullum mihi dubium, quin ſimili modo lugerent & mœrore afficerentur, cùm recedit ab illis Deus. Et tamen miſeri mortales receſſum hunc non curant nec deplorant, ad inſtar infantũ, qui nequaquam plorát cùm moritur & ab eis aſportatur optimus pater aut mater ad ſepulchrum. Quales videntur fuiſſe tunc Chriſti diſcipuli, cùm inſtante Magiſtri ſui paſſione, nihil mouebantur, quia rem non intelligebant. Ob quam cauſam ait Dominus in hodierno Euangelio: *Vado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me: quo vadis?* q.d. non percipitis modò triſtem illum meum receſſum, quem aliquando ſerò deplorabitis. Sed tolerabilis tamen erat is receſſus, quia corporalis tantùm & ad breue tẽpus. *Iterũ* enim *videbo vos*, ait Dominus, *& gaudebit cor veſtrum.* Ille verò omnium triſtiſſimus & ſanguineis lachrymis deplorandus eſt, cùm recedit per gratiam. Et tamen hunc ipſum, pauciſſimi ſunt qui ſentiant, vix vnus qui deploret. Ab his recedit Dominus vt præparet eis gehennam: & nemo tamen eorum interrogat eum: *quo vadis?* ſunt autem quatuor potiſſimùm tales Dei receſſus, primus triſtis, ſecundus triſtior, tertius triſtiore triſtior, quartus omnium triſtiſſimus.

B. 1. Quando recedit cum gratiâ ſuâ.

PRIMVS, Quando recedit ab aliquo cũ gratiâ ſuâ, quod facit quoties quis de ſtatu gratiæ incidit in peccatum mortale. Cuius receſſus typus fuit, receſſus Aſſueri, quando audiens à reginâ, Amanem menſæ ſuæ aſſiſtentem eſſe hoſtem Reginæ peſſimum, ſtatim iratus ſurrexit de menſâ & exiuit in hortum, quia videlicet non dignabatur eum amplius aſpectu, nedum aſſeſſu. *Eſth.* 7. Poſtquam ergò peccatum hoſtem animæ peſſimum videt Deus in domo ſuâ (quæ eſt cor hominis) ſtatim inde diſcedit cum horrendâ indignatione & vultûs gratiæque ſuæ auerſione: quia cum peccato eſſe non vult. Optimè verò exprimitur hic diſceſſus per ſeparationem animæ à corpore, ſeu mortem corporalem. Etenim S. Auguſtinus *ſerm.* 18. *de verb. Apoſtoli*, ait: *Vita corporis anima eſt, vita animæ Deus.*

Peccatum eſt mors, 1.

Quod ergò eſt corpus ſine anima hoc eſt anima ſine gratiâ. Inde enim Epiſcopo Sardicenſi ſcribit Ioannes *Apoc* 3. *Nomẽ habes quod viuas & mortuus es.* Ergò Primò remanet corpus poſt animæ diſceſſum, pallidum, deforme, horridum, fœtidum quod priùs erat formoſum. Sic anima poſt diſceſſum gratiæ, remanet fœda, deformis, abominabilis, vtpote deſtituta veſte gratiæ, in quâ priùs Deo & angelis placebat: & adeò quidem fœda, vt niſi reſipiſcat, abijcienda ſit à cõſpectu Dei & dæmonibus tradẽda per omnem æternitatem. Ita enim S. Chryſ. *hom.* 13. *in epiſt. ad Theſſal.* ait: *Quemadmodum mortui deformes ſunt & fœtidi, ita & anima eorum qui in malitiâ ſunt.* Et quemadmodum à mortuo fugiunt, qui eum priùs maximè dilexerant, ob aſpectum eius triſtem: ſic horret peccatorem Deus & fugiunt angeli ſancti. Quid dicit Deus homini iuſto? *Euge ſerue bone & fidelis.* Quid dicit iniuſto? *Serue nequam.* Et: *ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.*

Secundò, nudatur corpus emortuum & vnico tantùm linteo ac ſudario veſtitur. Sic peccans ſpoliatur charitate & omnibus meritis, remanet in eo fides tantùm & ſpes; quibus nihilò plus valet aut eſt quàm æs ſonans aut cymbalum tinniens: quia ſunt informes & mortuæ: ſunt lintea cadaueris, quæ vermibus donátur & horrori ſunt. Quòd mors vel ideircò amariſſima eſt, quia non relinquit homini plus quàm vnũ linteum: vti oſtendit Saladinus ille Ægyptius præcipiens linteum ſuum per caſtra circumferri; quanto amarior animæ mors, quæ præter fidem & ſpem informem, nihil relinquit homini? 2.

Tertiò, Priuatur omnibus viribus & ſenſibus ac virtute ſe mouendi. Sic anima peccatrix nequit in ſtatu peccati quidquam boni agere, quo gratiam & gloriam mereatur; quia omnia eius opera diſplicent Deo, velut opera inimici & mortui, neque ſeipſum iuuare ad ſurgendum poteſt. Atque ita talis anima ſimilis eſt alicui, qui nauiculæ impoſitus, ligatis manibus & pedibus, ſine remis & remigibus euectus in altum mare, cõmittitur ventis & fluctibus: qui aliud nil poteſt, præterquam orare & opem prænauigantium implorare. Vnde anima in tali ſtatu conſtituta bene precari poteſt id *Iob.* 7. *Memẽto mei Domine, quia ventus eſt vita mea.* Vnus enim peſtilens aër, vna febris poteſt eam demergere in infernum. 3.

Quartò, Mox fætere incipit. Sic peccator mox fœtorem infamiæ contrahit, præſertim vbi quatriduanus incipit eſſe, id eſt, ſi perſeueret in peccato idque ſæpiùs iteret. Hinc de ipſo vulgò ſcabioſè loquuntur, eiuſque vitium carpunt, imò aliquando in eum expuunt velut in cadauer & carcinoma. Quin etiam ipſe ſibi fætet; quærit enim latibula, timet prodi, erubeſcit cùm proditur vel etiam cùm de illo vitio, quo tenetur, audit verba fieri. Tegit etiã excuſationibus quaſi ficuũ foliis, vti primi parentes peccatum & nuditatem ſuam Semper cogitat quomodo id abſcondat ab hominibus, vti Dauid adulterium ſuum, licet is non haberet quem timeret ex hominibus. Quæſo vos: an non fætes, cùm dicitur hæc mulier æquè facilè inebriatur atque viri? De auaro: **Er iſt nicht ſo treu daſs er ihm genug Eſſ.** Item, **Er ſchund ein Lauſs vmb ein Balg.** Item cùm dicitur de caupone: **Er ſchreibt mit doppleter Kreiden.** De alio: **Er taufft den Wein.** De mercatore: **Er braucht falſch Gewicht?** &c. 4.

Quintò, Citò vermibus ſcatet. Sic animæ peccatoris tranſacto peccato ſtatim infeſtatur à verme conſcientiæ, qui perpetuò eam rodit, timorem punitionis & iudicij ingerit, nec quietem illi concedit, etiam in ipſis deliciis. Placet fortè pomum in arbore & arridet ſpecie ſuâ, foris quidem pulchrum, intùs tamen à verme eroſum, quod ſi loqui poſſet, diceret: ô quã deciperis mi homo: noli me vocare pulchrum, ſed potiùs amarum, quia amaritudine ſum repletum & à peſſimo verme rodor. Sic diceret 5.

peccator, ſi verum dicere auderet. Iam ergò ſi tot quærimus & applicamus remedia ad fugandam & fugiendam mortem corporis, quæ tamẽ neceſſaria eſt: cur non magis id facimus contra mortem animæ, quæ merè voluntaria eſt? Et ſi deploramus mortem amici, cur non potius animæ propriæ? Vnde Auguſtinus loco cit. ſubdit: *Non ſunt in te viſcera pietatis, ſi ploras corpus, à quo receßit anima, & non ploras animam, à quâ receßit Deus. Talis enim anima poſt peccatum non aliter relicta eſt, quàm corpus à quo anima receßit.*

C. II. Quando recedit cum fide ſuâ.

1. SECVNDVS, Quádò recedit ab aliquo homine vel communitate cum fide ſuâ. Vt enim recedente rege & transferente domicilium ſuum in lòcum alterum, omnis cum eo recedit familia, omnes conſiliarij, peritiſſimi medici & totius aulæ decor: ſic quando nuper receſſit Deus cum fide à ſeptentrione, receſſerunt cum eo religioſi eius aulici, Doctores & concionatores eius conſiliarii, Confeſſarij eius Medici & per conſequens ſacramenta. Hinc ego mihi perſuadeo pleroſque de plebe Lutheranorum & Caluinianorum damnari non tam propter hæreſin, quæ in vulgo plerumque materialis tãtùm eſt, quàm propter peccata alia, quia non habent media reſurgendi & peccata expiandi. Nulla enim apud eos abſolutio; nulla vera pœnitentia quia contritionem ſeu dolorem ac deteſtationem peccatorum præteritorum à pœnitentia excludunt, ſufficere vitæ emendationem aiunt. Nulla apud eos cura ſalutis, ſed vana & falſa ſecuritas: nullum bonorum operum ſtudium. Nulla ſalutis præſidia: non ſacramẽtorum vſus, non interceſſio nec communio ſanctorum, &c.

2. Deinde deſeritur regis palatium & deſtituitur ornatu ſuo: ſic hæreticorum templa, ornatu Eccleſiaſtico, imaginibus SS. reliquiis, ſacrificiis, cæremoniis, ſeptem horarum decãtatione, ſacrorum officiorum varietate, &c. quibus alioquin vulgus inſtruitur, iuuatur & excitatur ad Dei cultum, pœnitentiam, virtutem. Vnde veriſſimè de eorum templis dici poteſt, quod de vineâ illa *Pſ.* 79. *Exterminauit eam aper de ſylua & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* Et *Iſaia. Relinquetur filia Syon ſicut vmbraculum in vineâ,* &c.

3. Tertiò ceſſant iucunda exercitia, haſtiludia, exercitatio equorum, venationes, pompæ, &c. Sic apud hæreticos ceſſant exercitia ſpiritualia, religioſi ordines, proceſſiones, comprecationes, indulgentiarum lucrum, ieiunia, Miſſæ, &c.

Imò & commoda ac lucra ciuium. Nam apud hæreticos ſolos nutrire ſe non poſſent pictores, ſculptores, organotecti, campanarum fuſores, cantores, &c.

4. Quartò perit vel ſaltem imminuitur politia per diſceſſum principis. Sic apud hęreticos politia Chriſtiana, cenſuræ Eccleſiaſticæ, legum obſeruatio; quia perit etiam verbi Dei ſyncera prædicatio. De quâ re dicit Dominus Amos 8. *Mittã famem in terram, non famẽ panis neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini. Et commouebũtur à mari ad mare, & ab Aquilone ad Orientẽ circuibunt quærentes verbũ Domini & non inuenient. In die illâ deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti.* In quem locum S. Hieronymus ait: *Tunc Dominus mittit famem in terram ſuper eos, qui terrena ſapiunt, & famem non panis, ſitimq́, non aquæ ſed audiendi verbum Domini: quando propter peccata eorum doctrina deficit vera & à mari vſque ad mare, id eſt, à falſis & amariſsimis fluctibus vſque ad amarum mare perueniunt: non occurrentes fluminibus, non dulciſsimis & variis fontibus veræ & Catholicæ doctrinæ, & ab Aquilone qui eſt vẽtus duriſsimus, vſque ad Orientem peruenire cupientes, ab hæreſi ſcilicet ad veritatis lucem, quam reperire non poterunt: quia non recto pergunt itinere, ſed deuiis circumeunt callibus viamq́, regiam non tenentes fidei, quam Deus Eccleſiæ ſuæ reuelauit, curuis ducuntur anfractibus. Quamobrem deficient animæ virginales, quas incorruptas Apoſtolus nominat: deficient, inquam, virgines, quia verbũ Domini non inuenient. Deficientibus autem virginibus & adoleſcentes deficient, qui prius vicerant mundum & quidquid in eo erat calcauerant. Ex quo intelligimus, quando doctrina veraq́, fides non fuerit, perire pudicitiam, caſtitatem mori, omnes obire virtutes, quia non comedunt verbũ Domini,* &c. hæc S. Hier. Quę veriſſima eſſe, apparet in hæreticis noſtris, vbi nulla exercitia virtutum, non opera charitatis, nõ libri puri & pij, non ſtudiũ perfectionis, non viri religioſi, non ſacræ Moniales, in caſtitate viuẽtes, non ſynceri verbi Dei præcones. Cauſam horum malorum ſubdit ibid. immediatè Amos dicẽs: *Qui iurant in delicto* (id eſt, Idolo) *Samariæ & dicunt: Viuit Deus tuus Dan.* &c. Dan, iudiciũ interpretantur. Quia ergò hæretici proprio tãtùm iudicio nituntur, non Eccleſiæ & Patrum, hinc illæ inter eos turbæ, ex Scripturâ perperam & pro libitu cuiuſque intellectâ: Vnde fit vt de hæreſi in hæreſim & demum in Atheiſmum labantur: ſicut qui ſemel à viâ aberrauit regiâ, de viâ in viâ errat & tandem omnem viam perdit.

Huius diſceſſus typus aliquis cernitur in diſceſſu Iacob à ſocero ſuo Laban; abſtulit enim benedictionem, quam ſecum intulerat domui eius, *Gen.* 30. abſtulit filias & nepotes, & mediantibus vxoribus ſuis Idola eius: pecora item plurima. Diſceſſit autem Iacob poſtquam animaduertit faciẽ Laban non eſſe erga ſe ſicut anteà, *Gen.* 31. Sic quando tepidi Chriſtiani non ſunt ita ampliùs affecti erga Chriſtum ſicut anteà, quando incipiunt ſubſannare ſacra, Sacerdotes contemnere, negligere Sacramentorum vſum, nouis delectari dogmatibus, &c. Tunc fidem ab illis tollit Chriſtus.

TERTIVS, Cùm hominem incorrigibilem deſerit, non dando ei talia gratiæ auxilia, quibus efficaciter conuertatur, exigente hoc hominis obſtinatione & peruerſitate. Huc pertinet, quod Phariſæis obſtinatis dicebat Chriſtus *Ioan.* 8. *Ego vado & quæretis me & in peccato veſtro moriemini.* Sic enim & Medicus, poſtquã æger medicamenta omnia repulit vel non iuxta præſcriptum vixit, tandem eum deſerit aut aliqua præſcribit parum efficacia. Optimè verò comparatur hic abitus ſolis receſſui, quando de æquinoctio autumnali recedit à nobis vſque ad ſolſtitium hyemale, ſeu de Æquatore ad tropicum

D. III. Cùm hominem incorrigibilem deſerit.

Ad modũ recedentis ſolis.

cum capricorni cauſatque hyemem, triſte illud ſterileque tempus. Nam inprimis ſol per hyemem non exercet ampliùs terram nec occupat, ſed ſinit dormire & otiari in ſuâ induratione: ſic obſtinati & qui à Deo elongati ſunt, permittuntur ſequi ſuas cupiditates & libidines, nec ab illis remouentur earum illecebræ & occaſiones iuxta id *Pſ.* 80. *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Et *Ezech.* 16. *Eò quòd prouocaſti me in omnibus his: quapropter & ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus.* Cùm contrà bonis dicat: *Sepiam vias tuas ſpinis. Oſ* 2.

1\.

2\. Secundò. Seceſſus ſolis cauſa eſt multarum niuium, quæ ſi nimiæ ſint, fruges enecant & ſuffocant. Sic cùm receſſit ab homine Deus, dat vel permittit ei affluentiam rerum temporalium vel proſperos ſucceſſus, quibus ille permouetur ad liberiùs peccandum & tandem ſuffocatur in ſpinis diuitiarum. Hoc dicere vult Dauid *Pſal.* 72. cùm ait: *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis*; hoc eſt, adeps & abundantia, ac proſperitas hominum cauſa illis fuit cur liberiùs delinquerent & omnia ſibi acquirerent, quæ cordi eorum arridebant.

3\. Tertiò, Aufert tonitrua & fulgura, quæ ſalutares afferunt pluuias, etſi ſimul terrorem afferre ſolent hominibus. Receſſus Dei aufert minas, terrores & tribulationes, quibus caſtigati alioquin peccatores redire ſolent ad ſanam mentem. Hoc minatur Deus Ieroſolymæ *Ezech.* 16. dicens: *Auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius.* Et *Pſal.* 72. *In labore hominum non ſunt & cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate.*

4\. Quartò, Aufert ſpecioſam Iridem, ſignum fœderis inter Deũ & homines. Sic Dei elongatio aufert ſanctorum interceſſionem, ne pro nobis Deum orent & pacem nobis impetrent, iuxta id *Ierem.* 7. *Tu noli orare pro populo hoc & non obſiſtas mihi quia non exaudiam te.* Et c. 15. *Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, nõ eſt anima mea ad populum iſtum.* Nec etiam ipſoſmet orantes audit, quia ſc. gratiam orandi ſicut decet, non præbet, vel quia ipſi in peccatis perſiſtentes orant: teſte Salomone *Prouerb.* 1. *Inuocabunt me & non exaudiam, manè conſurgent & non inuenient me, eo quod exoſam habuerint diſciplinam.*

5\. Quintò, Aufert ſalutarem rorem, pluuias & calorem, quibus alioquin impinguatur & fæcundatur terra. Sic receſſus Dei aufert ab obſtinatis ſalutares inſpirationes angeli cuſtodis, admonitiones Confeſſariorum, correptiones concionatorum ac Dei verbi prædicationem: quod & fecit Babyloni, *Ier.* 51. cùm angeli dixerunt: *Curauimus Babylonem & non eſt ſanata; derelinquamus ergo eam, quoniam peruenit vſque ad cœlum iudicium eius.* Et *Act.* 13. Paulus & Barnabas ad Iudæos: *Quoniam repellitis illud* (Verbum & regnum Dei) *Ecce conuertimur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus.*

6\. Sextò, Pro rore & pluuiis mittit glaciem, in quâ labentes ſæpe corruunt & quandoque pereunt in ſubter labentibus fluuiis. Mittit malos conſiliarios, nec non falſos Prophetas & Doctores, qui eos ſua blandiloquentiâ, hypocriſi & dogmatibus abducunt in præcipitia. Sic Roboam ſtultorum iuuenum conſilium ſecutus, magnam regni partem perdidit. Sic Abſalon vtile conſilium Achitophel reſpuens & conſilium Chuſai malum ſequens ad exitium perductus eſt. Sic Magi Pharaonis ſignis & Præſtigiis ſuis Pharaonem in pertinaciâ obfirmârunt. Sic Achab ſeduxerunt Pſeudoprophetæ loquentes ei placita.

Septimò, Aufert arboribus folia & quaſi pallia ſua, denudatas exponit frigori & cœli iniuriis. Sic Deus aufert peccatori omnis generis præſidia, bonos ſuperiores, bonos ſocios, bona exempla, &c. Sicut minatur Dominus *Iſa.* 5. vineæ ſterili: *Et nunc oſtendam,* inquit, *vobis, quid ego faciam vineæ meæ. Auferam ſepem eius & erit in direptionem: diruam maceriam eius & erit in conculcationem.* Inde tales de peccato in peccatum ruunt & quandoque etiam in manus carnificum deueniunt, miſerabiliter excruciandi. 7.

Octauò. Vento Aquiloni habenas laxat. Sic poſtquam Deus ab homine tali receſſit, laxat habenas Diabolo, ampliorem ei faciens poteſtatem inſidiandi & nocendi tali homini: quâ ille acceptâ eum mirè exagitat, ſeducendo variis opinionibus, obiiciendo varias peccatorum illecebras, turbando phantaſiam & inflammando affectus, &c. Ita in viſione Michææ 2. *Reg. vlt.* egreditur Spiritus mendax ad decipiendum Achab, acceptâ poteſtate à Deo ad hoc faciendum. 8.

Porro ſicut ſolis receſſus, horum quæ diximus cauſa eſt, non poſitiua ſed negatiua in quantum videlicet ſubtrahit terræ radiorum ſuorum influxum & efficaciam: ſic etiam Deus eiuſmodi indurationis cauſa negatiua tantùm eſt; quia ſcilicet non dat homini obſtinato potentem illam, copioſam, ſpecialem & efficacem gratiam ſuam, quâ conuertatur: ſed ſufficientem tantùm & minùs potentem, quâ conuerti quidẽ poteſt reprobus, ſed non conuertetur: & hoc iuſtè facit, quia ſcilicet talem deſolationem promeritus eſt ſuâ incorrigibilitate & peccandi libidine. Sicut enim receſſit à Samſone, auferendo ei vires, ipſi non debitas, & permittendo cum manibus Philiſthæorum, quia nimirum ſæpiùs paſſus eſt ſibi imponi à Dalilâ: ita iuſtè deſerit hominem, qui amori mundi nimium adhærens, ſæpiùs deceptus & ad lapſum pertractus, non reſipiſcit nec ſibi cauet.

Quartus, Omnium miſerabiliſſimus Chriſti diſceſſus eſt, qui fiet peracto extremo iudicio, quando recedet cum gloriâ ſuâ à damnatis. De quo videtur loqui apud Oſeam *cap.* 9. *Væ eis, cum receſſero ab eis.* Hic enim Dei receſſus omnimodam dicit deſolationem & bonorum omnium ſubtractionem per omnem æternitatem; quando videlicet cum ſanctis ſuis aſcendet ad cœlum Deus; quando *dorſum & non faciem* vertet condemnatis *in die perditionis eorum.* O quis explicare queat horrorem iſtius receſſus? Cogitate qualis eſſet miſeria in genere humano, ſi per integros aliquot annos, nunquam luceret

E. IV. Cum in iudicio receder à damnatis.

ceret Sol,ſed perpetuæ forent tenebræ? ſi nulla vnquam pluuia caderet aut ros,non ventus,non nix? ſi nulla creſceret herba? ſi fontes & fluuij ſiccarentur? ſi pecora omnia conſumerentur? quæ tunc in mundo foret triſtitia? qui gemitus? quæ lamenta? quanto deſiderio tunc præſtolaremur ſolem? vidit eiuſmodi triſtem faciem aliquando Samaria, in quâ annis tribus & dimidio nec ros nec pluuia cecidit ſuper terram. Vbi ipſemet Rex Achab exiuit ad quærendam iumentis herbam 3. *Reg.* 18. Vnde neceſſe fuit pecora interire & herbas ac fruges emori: homines fame perire. Sed nihil hoc eſt, ſi cum die illâ comparetur, in quâ Chriſtus ſe ſubtrahet à damnatis, deſerendo eos in dæmonum poteſtate, deturbandos in abyſſum. Illinc enim non tantùm ros & pluuia non cadent vnquam, ſed ipſum adeò cælum quodammodò ab eis recedet, *ſicut liber inuolutus*, vt ait Ioannes *Apoc. 6.* & *complicabitur*, vt ait Iſaias *cap.* 34. hoc eſt nullum ampliùs motum habebit, nullum lumen dabit, nullum calorem ſubminiſtrabit, nullâ vi aut efficaciâ pollebit. Modò certè cœlum inſtar pulchri libri expanſum eſt: tot ibi ſpecioſa lumina; inde anni varietates; inde omnes progignuntur flores, herbæ, gemmæ, metalla: inde aëris temperies, inde demum agnoſcimus & miramur creatorem. O elegantem librum! Sed quando in illâ die redibit ad cœlum Chriſtus & ab improbis recedet, complicabitur hic liber & ſimul quaſi cum Iudice recedet, hoc eſt, non videbitur à damnatis ampliùs per omnem æternitatem, ô receſſum malum? ô complicationem triſtem? Ergóne, dicent reprobi, non videbimus, ô ſocii, ex hoc die ampliùs cælum hoc tot luminibus coruſcans? non videbimus hunc ſolem, qui ſuum nobis lumen toties infudit? nõ ſpecioſam illam lunam, quæ menſtruis reuolutionibus ſuis adeò nos recreauit? Ergóne ab hinc in æternum, non cadet ſuper nos pluuia aut ros? non blanda nix? non ſuauis Eurus? Nón videbimus deinceps floſculum vnum, herbulam vnam, arbuſtulum vnum? non lepuſculum, non paſſerem, non muſcam vnam? Nec reuiſemus ab hoc die patriam & amicos noſtros? non edemus ampliùs panem, nedum lautas epulas? non bibemus ampliùs aquam, nedũ præſtans vinum? O iuſtitiæ *Sol, ne mouearis contra* nos. *Domine ne diſcedas à nobis: mane nobiſcum Domine.*

Sed quid cœli facies, reſpectu faciei Chriſti, quam tunc auertet à damnatis & per omnem æternitatem non oſtendet amplius? Hæc enim eſt facies plena gratiarum, in quam angeli deſiderant proſpicere. Cum Paulus diſcederet à ſenioribus Epheſi, & iam nauim intraturus diceret: *Et nunc ecce ego ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam omnes vos, magnus omnium fletus factus eſt & procumbentes ſuper collum Pauli oſculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non eſſent viſuri, Act.* 20. Cogitate iam quis futurus ſit fletus damnatorum, cum diſcedet ab illis Chriſtus, cuius faciem non videbunt amplius, quamdiu Deus eſt Deus.

O receſſum deplorandum! Et tamen (heu inſaniam,) homines inueniuntur & quidem magno numero qui teſte Iob *c.* 12. dicunt Deo; *Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Quales ſunt inprimis, qui nolunt illa credere, quod aliquando ſint futura: quales etiam, qui tametſi credant, nihil tamen ſe emendant, ſed omnes admonitiones ſpernunt, *quorum finis eſt interitus.* Sed nos cum Dauide finiamus & oremus: *Domine ne diſcedas à me, Pſal.* 34. & *Pſ.* 37. *ne derelinquas me Domine Deus meus, ne diſceſſeris à me. Intende in adiutorium meum Domine Deus ſalutis meæ.* Sed & ita viuamus, vt Deus Optimus Max. non inueniat cauſam à nobis diſcedendi.

CONCIO .V.

De mortis via præmeditanda.

Cum quilibet noſtrum quolibet momento ad mortem vadat & ad locum obliuionis obſcurum tedat, mirum quod iter iſtud nulla preuia præmeditatione aggrediamur, cum tamen

1. *Vadis ad locum ſupplicij.*
2. *Vadis ad deſertum.*
3. *Vadis per locum congelatum.*
4. *Vadis ad perpetuos carceres.*
5. *Vadis ad oculatiſſimum Dominum.*
6. *Vadis ad Deum iudicem.*

THEMA.

Vado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me: quo vadis?
Ioan. 16.

Videtur hiſce verbis expoſtulare Dominus cum diſcipulis ſuis, quòd audiant ipſum ab eis receſſurum & interim tamen non curent aut quærant, quò, quâ viâ iturus ſit. A.
Iturus erat dominus, (de quo loquitur ibi) ad paſſionem, ad Crucem, ad mortem: id quod ſæpius eis inſinuauit. Et quaſi hoc parum eſſet, diſcipuli huius itineris cauſas, myſteria, conditionem non curant perueſtigare. Simili modo expoſtulare nobiſcum poſſent ciues & fratres noſtri, quos quotidie videmus nunc cum morte confligere, nunc ad cœmiterium efferri atque adeo & ipſos vadere. (De his enim ſolemus dicere **der gehet auch dahin / der will auch fort**/&c.) Poſſent ergo iſti dicere? *Ego vado, & nemo ex vobis interrogat me: quo vadis?* Quinimo noſtrum quilibet dum viuit, ſemper ad mortem vadit: & fortè per totum annum nunquam noſipſos interrogamus: *quo vadis*, vadimus ad locum obliuionis ignotum, obſcurum, periculoſum: & nunquam cogitamus quid ad iter illud nobis neceſſarium ſit: quomodo nos paremus? quomodo armemur, &c. Vereor ſanè ne hac in re hoſtis humani generis oculos nobis claudat, quo minus rem tam formidabilem, quam declinare nequaquam poſſumus, præmeditemur. Quid enim, nonnè leuis iacturæ ſuſpicio aut metus ſomnum nobis ſæpenumerò aufert? Nónne iter longinquum inſtituturus, multis diebus præcogitat, quid ſibi ad iter neceſſarium ſit idque ſedulo ſibi parat, velut equum, viati-

viaticum, comites, commendationes, ſaluum conductum, teſtimoniales ſanitatis, &c? Quomodo igitur in hoc vno itinere, mortis, omnium longiſſimo & periculoſiſſimo adeò improuidi ſumus, vt nullâ præuiâ cogitatione & præparatione id aggrediamur? Quemadmodum igitur Nabuchodonoſor Sedeciam regem ducturus in Babylonicam captiuitatem, priùs excæcauit. 4. *Reg. c.* 28. Sic facit nobis Dæmon, vt incautos ad perditionem ducat. Quod ne contingat nobis, maturè interrogemus nos ipſos, *quo vadis?*

B. I. Vadis ad locum ſupplicij.

Primò, Ad locum ſupplicij nobis deſtinatum, quia dudum lata eſt in nos mortis ſententia; vnde vita noſtra nil aliud eſt quàm via ad illam. Etſi alius alio longiorem facit viam, donec ad locum ſupplicij veniat, omnes tamen ad ſupplicium adeunt, & paris cõditionis ſunt, nec magis gaudet is, qui ad duo milliaria abducitur ad mortẽ, quàm qui ad triginta paſſus. Ita nec æſtimari debet, quod vnus hoc, alter alio anno ad mortem peruẽturus ſit. Ponamus enim aliquem in medio mari nauigantem, qui ſciat ſe ad mortem damnatum & iugulandum, quamprimum nauis ad terram appulerit: licet hic neſciat tempus appulſus & ſperare poſſit, fortè non appulſuram nauim ante medium annum: nihilo magis tamen hæc ſpes eum recreabit. S. Ignatius martyr de Antiochia Romam per mare mediterraneum, longiſſimo itinere, miſſus vt beſtiis obiiceretur, ſcribit ad Romanos: *De Syriâ vſque ad Romam pugno ab beſtiis in mari & in terrâ.* Ergò beſtias & mortem ſuam etſi longe adhuc diſtantem, quaſi iam præſentem ſemper ante oculos habebat. S. Chryſoſt. *in Gen. cap.* 3. ait: *A quo tempore Adam audiuit: terra es & in terram ibis, ſententiã mortis accepit & ex illo tempore mortuus eſt. Vnde verificatum eſt: in quocunque die comederis, morte morieris. Sicut in humanis iudiciis, quãdo quis ſentẽtiã latâ, vt capite mulctetur iterum in carcerem conicitur: & licet ibi multo tẽpore agat, nihil melius tamẽ habet defũctis & mortuis, vtpote iam per ſentẽtiam mortuus.* Igitur quot dies, tot paſſus ad mortem conficis. Numera hebdomadam pro vno paſſu, & vix habebis 2000. paſſus, qui faciunt 40. annos. Et quàm citò tranſit vna hebdomada? Agedum vero iam, ſi ita res habet, quo fine tu mundi bona amas vel quæris? Dic enim quæſo; num ii, qui in carcere conſtituti paulò poſt educendos ſe ad mortem ſciunt, curam aliquam corporis aut mundi habent? An non inſanire eos diceres, ſi pridie mortis ſuæ venam incidere, veſtes nouas parare, domum emere vellent? An non potiùs vides, quomodo ſeipſos negligunt, capillum non tondent aut pectunt, nihil de veſtitu curã cogitãt? O ſi & tu cogitares, paulo poſt te educendum cum illis & ad ſepulchrũ efferendum, non dubium quin & tu hæc omnia negligeres. Cui enim, ò delicatule, cui nutris carnẽ tuam, nónne vermibus? Cui diues congregas opes tuas, nónne alienis? Quomodo quis ſuperbè corpus ornet, qui videt illud conuertendum in cinerem? quomodo auaritiam ſectetur, qui videt omnia ſibi relinquenda? quomodo luxuriam, qui videt oſſa & reliquias pulcherrimorum olim hominum? quomodo inuidiam aut iram, cùm videt omnes vno in cæmiterio, vno modo, vno tegendos ſabulo? quomodo gulam, cùm aſpicit vermes ſui conuiuas corporis?

Rem aliâ ſimilitudine comprehendite. Si quis domum proximam Danubio, quâ rapidiſſimus eſt, & in dies deuorata terra, domui eius appropinquaret fluuius, ita vt iam ad decem cubitos non abſit: ſi is domum illam exornare, depingere, augere multis adiunctis ædificiis, horreis, ſtabulis vellet, inſuper variâ ſupellectile adornare; nónne inſanus cenſeretur? quin potiùs incipiet, ſi ſapit, eam paulatim deſtruere, ornatum eius omnem intermitttere, & ex ea omnem quam poteſt ſubtrahere ſuppellectilem & in locum tutiorem transferre. Corpus & vita noſtra hæc domus eſt, morti ſemper vicinior; quid igitur eam exornare, augere diuitiis, honoribus, &c. ſtudemus? Quin potiùs deſtruimus & ornatum ac ſupellectilem noſtram alio trãsferimus, *vbi fures non effodiunt, nec ærugo & tinea demolitur?*

C. II. Vadis ad deſertum.

Secundò, Ad deſertum & locum vaſtæ ſolitudinis, vbi nil reperies ad vitam neceſſarium, niſi quod illuc præmiſeris. Iam ſi ſcires per deſertum non reperiri potum, nónne potius aquas tecum ferres quàm aurum? quid enim proderit aurum, ſi nõ habeas quod bibas? In deſerto Lybiæ Azoard duo comites peregrinabantur, quorũ alter vaſculum aquæ habebat ſecũ alter vltra decem aureorum nummorũm millia. Hic igitur ob aquæ penuriam inopem ſe eſſe aduertens, obtulit ſocio totam auri ſummã pro aquæ vaſculo. Hic cupiditate auri ductus vẽdidit aquam, qua ipſemet plurimum egebat: eaque mercimonia vtrique quidem parum proficua fuit, vterque enim ſiti mortuus eſt, ob deſerti vaſtitatem: emptor tamen ſerius; ac ſiquidem pluſculũ aquæ fuiſſet in vaſculo, non dubium quin omnino ſe ſeruaſſet. Refert Leonius *p.* 1. Deſertum eſt via mortis: nulla ibi diuerſoria niſi quæ tibi hic exſtruxeris: nulla victualia niſi habeas bona opera: cum auro igitur peribis, cum aqua gratiæ & virtutum ſeruaberis. Similem fecere mercatum ciues duo Conſtantinopolitani, apud Cedrenum & Baron. anno Domini 553. quorum alter diues cum ægrotaret mortemque timeret, promiſit ſe 30. libras argenti in pauperes erogaturum, reſtitutus autem ſanitati præter ſpem ſuam, fraude diaboli eo inductus eſt vt facti ipſum pœniteret: quòd cum alteri fideli amico ſuo indicaret, is caſtigare eius inſaniam & monere ne huic aſſentiat cogitationi. Sed cum non moueretur, imo magis magiſque irritaretur: quando, inquit alter, *ſalutare conſilium nõ admittis, aliud tibi ſubiiciam poſcenti, Agedum,* inquit, *in templũ vade, & non te ſed me in pauperes elargitum pecuniã iſtam dicito: ipſe ſtatim* 30. *libras reddam.* Conſentiens infelix ille ad templum abit, ita vt alter præceperat, locutus eſt, & aurum recepit. Vnde egrediens, ad ipſam templi portam concidit mortuus. Quis iſtius hominis ſtultitiam non deploret? Quid igitur faciendum?

præmi-

præmittenda ſunt victualia, quæ ſunt virtutum opera; quia ibi noſtrum erit diuerſorium & quidem æternum.

D. III. Vadis per lacum cõgelatum.

Tertiò, Per lacum congelatum, dubium & ancipitem ob glaciei fragilitatem. Huiuſmodi enim via mortis eſt, anceps, inquam, & periculi plena, ob ſubſequens iudicium. Hoc ſenſit moribundus Ariſtoteles cùm dixit: *neſcio quo vado.* Quamquam enim ſpes miſericordiæ diuinæ erigit animum, recordatio tamen peccatorum noſtrorum & Iuſtitiæ diuinæ timorem afferunt. Hanc incertitudinem ſignificabat commutatio illa manuum Iacob in benedictione filiorum Ioſeph: hanc diuerſus ille exitus incarceratorum cum Ioſeph piſtoris & pincernæ. Quis neſcit latronem è crucis patibulo in cœlum aſcendiſſe, Iudam de Apoſtolatûs culmine in gehennam deſcendiſſe? Erit aliquando momẽtum, in quo timidiſſimè expectabis ſententiam tuam: velut ſimiles qui reus in circo à cõmilitonibus iudicetur, poſt quod immediatè aut ſuſpendendum ſe aut liberandum eſſe ſcit. Vel ſi vita tua cõmittatur ſorti, vt ſi niger calculus prodeat, in rogũ viuus inijciaris: ſi albus libereris. Quis tibi tunc foret animus? quid cogitares cum immitteres manũ ad ſortem extrahendam? quid Deo non voueres pro tuâ liberatione? quid ſentires ſi cũ Heluetio illo Wilhelmo Thellio cogereris pomum à capite filij ſagittâ deiicere aut mori, quid ſi caueam Leonis intrare & cibum illi eripere, quid ſi Danubium glacie concretum, dubius tamen de glaciei duritie, tranſire, ſed nihil ſunt hæc reſpectu mortis. Facito igitur, quod vulpes ſolent glaciem tranſituræ: priùs aurem glaciei admouent, & ſi ſtrepentem ſubtus aquam audiant, non tranſeunt: ſin verò quieta omnia ſint, ſecurè pergunt: vt refert Pier. *l.* 13. hierogl. Tu admoue aurem ad conſcientiam tuam, antequam tranſeas mortis flumen, & ſiquidem audias remurmurantem conſcientiam, ſiſte gradũ & *diſpone* priùs *anima tua*; ſin quieta illa ſit, eſt quod benè ſperes. Qui foſſam paulò latiorem tranſilire debet, priùs retrocedit & curſum ſibi præripit vt foſſam ſaltu traiiciat. Foſſa profunda & periculoſa eſt tranſitus mortis; nam è temporali vitâ ſalios vel in ripam cœli, vel in aquam & foueam inferni. Noli igitur ſtulti inſtar, ſaltum illum facere abſque præuio conatu & præparatione debitâ. Noli differre pœnitentiam vſque in articulum mortis, quando difficillimum erit trãſilire: ſed dum ſanus es, præripe tibi curſum & age pœnitentiam.

E. IV. Vadis ad perpetuos carceres.

Quartò, Ad perpetuos carceres; *quoniam adibit homo domũ æternitatis ſuæ*, ait Eccleſiaſtes *c. vlt.* religionem intraturus diu deliberat omniaque ſedulò perpendit, (licet religio quæuis annum ſaltem probationi concedat) quia profeſſio ſemel edita per omnem vitam obſeruanda eſt. Eccur verò non magis in propoſito ad æternum clauſtrum ingreſſuri priùs deliberamus, quorſum ingredi velimus, præſertim cum nullus ibi probationis annus, dies aut hora cõcedatur. Tranſiturus glaciem poteſt vnum pedem ponere in glacie & pertentare eius firmitatem, firmato pede altero in terrâ, vt ſi firma non ſit glacies, ilicò pedem referat. Quod ſi conſimili modo facere poſſemus in itinere illo æternitatis, ſecura & ſalua res foret: ſi vnum, inquam, pedem in altero ſæculo ponere, vnum hîc retinere poſſemus, vt ſi ibi nobis non placeret locus; pedem referremus. Sed non eſt hoc poſſibile; vtrumque ſimul pedem illuc ponere debemus, nec ſi malè poſuerimus, regredi vllatenus licebit. Quàm cautè & gnauiter attendunt Sagittarij vt iaculantes pro inſigni dono, bene explodant, ſciunt enim totum in exploſione poſitum. Quãtò cautius attendendum vt vltimum ſpiritum in ſtatu gratiæ emittamus, ſed nimirum quales ſunt ad contrahendas nuptias homines, tales ferè in propoſito: vtrobique inconſiderati, idque poſteà primùm damno ſuo experiuntur. Quàm multi ex improuiſo contrahunt matrimonium, qui poſtmodum lamentantur & ſuam ſtoliditatem ac præcipitantiam deplorant toto connubij tempore. Hinc illæ inter coniuges querelæ: O ſi te prius nouiſſem, in æternum nõ duxiſſem, &c. nihilominus tamen ſibi mutuo adhærere debent, donec per mortem ſeparentur. Sic dicent quoque in Inferno: ô ſi melius rem ponderaſſem, *Nos inſenſati: ergò errauimus & lumen veritatis non luxit nobis.* Sed non eſt ibi redemptio, quantumcunque lamententur. In matrimonio moleſto expectari potes mors, quæ finem imponet labori: ſed non ita in inferno, quia vermis eorum non morietur: & illa ipſa mors, quæ aliquando hîc miſerias omnes terminat, ibi eos depaſcet: quia vt ait S. Gregorius *l.* 9. *Moral. c.* 48. ibi *mors viuit & finis ſemper incipit.*

F. V. Vadis ad oculatiſſimum Dominum.

Quintò, Ad ſapientiſſimum Dominum, qui omnia noſtra acta, dicta & cogitata, per omnem vitæ noſtræ curſum, accuratiſſime nouit, cui nihil occultare, nihil negare poterimus; ſiquidem is conuincet nos teſtimonio conſcientiæ noſtræ, quam facinorum noſtrorum teſtem ac proditricem nobiſcũ gerimus. Exemplo rem apprehendamus. Scribit Ludouicus Richeomus iucundam de puero Peruuiano hiſtoriolam. *Europæus quidem non ita pridem Peruuianum in Braſilia* (cui genti ſcribendi facultas nõdum comperta erat) *regnum incolebat, nobili oriundus genere. Is aliquando ad vicinum ſuum eiuſdem nationis itidemque nobilem, ſportulam recentibus ficubus oneratã, per pediſſequum Peruuianum deportari iuſſit, addita ſcheda muneris indice. Puer in viam ſe dãns, curioſitate quadam adducitur, eas vt non modo contempletur, ſed attingat etiam, deguſtet ac contrectet; mandatum heri nihilominus exequitur, & munus quò mittebatur defert. Nobilis dono accepto ac literis iuxta lectis, fraudẽ ſubodoratus, ſubridere largius paulò & fructus prægustatos puero dicere: negare ille, proteſtari, ſtomachari: nobilis teſtimonium heri allegare, qui numerum ficuum in literis ſibi perſcripſiſſet. Hîc tum adoleſcens poſtquam chartam numerum indicare, & quid rerum geſtum eſſet demonſtrare animaduertit, admirari, ſtupere, hærere, adeo & lapides locutos putare, & potius diuinare, nec bilem velle*

augurari,

augurari, & veritatem iſthoc ſermonis genere expiſcari, quàm ex literis iſtiuſmodi aliquid reſciuiſſe ſuſpicari; pertinaciter proinde negare, & velut plauſibili argumento rem diluiturus, contendere, chartæ nec aures eſſe nec os; atque ideo vana narrari, ſibi mendacia affingi, fumos vendi. Nobilis ergò mirificè homine ita in ſtuporem dato & propter inſignem conſtantiam admodum recreatus, eum ad herũ remittit, adiectâ ſimiliter ſchedâ quâ gratias pro dono agebat, & quid accidiſſet referebat. Et itaq; domum reuerſo, & hiſtoria ab hero cognita, altum ſiletum, riſus incredibilis oritur, & per tempus cõmoda famulo punitio reſeruatur. Octo ergò diebus pòſt eundem cum ſimili dono ac literulis ad prædictum nobilẽ ablegat, ſporta cõnihil firmius quàm ante obſerata, ne denuò pediſſequo furti occaſio & aditus præberetur. Verùm ille & mundum & homines ludos ſe nuper feciſſe autumans, velut ex condicto in corbem inuolat, ficus egerit, chartam cui ſenſum ineſſe fortè ſuſpicabatur ſubtus inuentã lapidi ſupponit ipſe inſidens animosè epulatur, & haud aliquanto largiùs quàm proximè belluatur. Schedã in locum reponit & iter proſequitur. Ergò cùm humaniter à nobili exceptus fuiſſet, mox ab eodem obiurgatur & quo manifeſtè ſe teneri intelligeret, quantum comederit, quomodo mãdatum heri contempſerit audit. Hic ille ſudare, admirari, & iam velut ſubtiliorem ſagacioremq; nobilem factum intueri, varia in animo voluere, quomodo charta retruſa & abſcondita, ignara etiam, quæ viderit, nec ſenſerit, adeo manifeſtè ediſſerat; negare ergo, peierare, & eundẽ quem nuper euentum ſperare. Nobilis itaq; homine dimiſſo & alia ſchedâ traditâ accuratè rẽ vniuerſam complectente, acquieſcit. Herus certior factus iuuenẽ flagris cædi iubet, clamitare ille & ne factum fateretur, chartam mutam eſſe vociferari, latuiſſe etiam eam quid geri potuerit, & mirum eſſe quomodo ab eâ accuſatus delatuſq; ſit. Quid ad profectum noſtrum hiſtoria? Multum per omnem modum. Vadimus nos ad eum, qui omnia noſtra acta nouit accuratiſſimè, miſſi à Deo cum certo talentorum numero. Iam ſi horum aliqua malè impendamus adeoque deuoremus & Domino noſtro ſuffuremur, rationem Deo reddemus. Prodet autem nos epiſtola conſcientiæ noſtræ quam nobiſcum gerimus; nec vllâ ratione ſupprimere, cæcam aut elinguem reddere poſſumus. Vnde ait Seneca l. de moribus: *Nullũ conſcium ſcelerum tuorũ magis timueris quàm teipſum. Alienum enim fugere potes: te nunquam.* Quis igitur tunc erit tibi animus, quando coram Deo tuo prodet te conſcientia tua, qui fortè ad proditorem hunc nunquam attendiſti? Quàm ſtupebis? quàm ſudabis? quàm pudefies? quàm & vapulabis? Hic eſt ille aduerſarius tuus (ex ſententia S. Athanaſii q. 61.) cui nos conſentire iubet Dominus, dum ſumus cum illo in viâ, *Matth. 5.* ne Iudici nos tradat.

G. VI. Vadis ad Deum Iudicem.

Sextò, Denique ad eum qui miſit nos, vadimus? Deum ſcilicet Iudicem qui miſit nos in vineam vt operaremur & fructum afferremus: Mercedẽ ergò accepturi ad eum pergimus, ſed qualem accepturi ſimus, neſcimus. Iacob obuians fratri Eſau valdè ſibi timuit ac præmiſſis muneribus placare eum ſtuduit, neſciens vtrum iratum an placatum inuenturus eſſet, *Gen. 32.* Si ergò hominem, ſi fratrem timere poteſt homo, nõ timebit Deum, cuius gratiâ an odio dignus ſit, neſcit? In hiſtoriâ Barlaam & Ioſaphat refert Damaſcenus parabolã de rege qui cùm aliquãdo de curru exſiliẽs pauperes amplexatus & oſculatus eſſet, ob id à fratre culpatus; miſit ad domũ fratris tubicinẽ, qui pro more regni illius, buccinæ ſonitu mortis iudicium ei inſinuaret. Quá re conſternatus frater & pullâ indutus tãquam reus mortis coram rege apparuit cũ vxore & filiis, flẽs ad fores palatij. Cui introducto dixit rex: *O ſtulte & inſipiens ſi tu timuiſti preconẽ germani fratris tui, aduerſus quẽ te nihil deliquiſſe cognoſcis: quomodo me reprehendere auſus es, quod precones Dei mei, in quem grauiter me peccaſſe ſcio, & cui me occurſurũ aliquando noui: ſalutarim?* Vnde S. Hier. in epiſtola: *Si tantâ curâ pertimeſcitur iudicium pulueris, quâ intentione cogitandũ eſt, quâ formidine præuidendum tantæ iudicium maieſtatis?* Sed ô quàm verè dixit Sapiens: *Stultorũ infinitus eſt numerus! Eccleſ. 1.* Quàm multi enim repeniuntur, qui non modò non cõſiderant ſe vadere ad Iudicem ſeueriſſimum, ſed ita ſe adornãt & poliunt, ac ſi ad nuptias & conuiuia pergerent! qui ſi cor haberent, & vel ſemel, quò vadant, intuerentur, toti cõtremiſcerent. Cùm ad furcã aliquis educitur reus, ſi is (fortè inebriatus) obliuiſceretur ſui itineris & periculi atque adeò quò vadat neſciret: poſſet ſibi imaginari, ſe maximo cum honore veluti principem duci ad amœniſſimum locum, dum tantum circa ſe comitatum videt. Poſſet enim cogitare ſe principem eſſe, eo quòd ſolus ipſe in curru vehatur: reliquos omnes verò ſeruos ſuos, eò quod pedeſtres ſequantur: poſſet cogitare Prætorem eſſe Magiſtrum aulæ ſuæ; lictores & prætoris ſatellites eſſe corporis ſui cuſtodes ac ſatellites: Sacerdotem Confeſſarium, ſuum Capellanum aulicum: reliquos ſe comitantes eſſe ſeruos ſuos: tympanum & tibiam vel campanam ſanguinariam eſſe ſuam Muſicã, &c. quæ ſi cogitaret & iactaret miſer iſte, nónne diceremus: Ah miſer quò vadis? nónne vides te ad furcã duci, & hos omnes interitum tantùm tuum partim procurare, partim ſpectare velle, paulo pòſt, te ad coruorum pabulum in furcâ relicto, ad ædes ſuasredituros? Et quidnam intereſt, quæſo, inter iſtum & illos. Mundi ſectatores, qui *tenent tympanum & cytharam,* inquit Iob *c. 12. & gaudent ad ſonitum organi: Ducunt in bonis dies ſuos & in puncto ad inferna deſcendunt?* Opes eorum, honores, ſerui & amici, quibus ipſi ſtipati ſe præ aliis attollũt & pluſquam homines eſſe putant, quid ſunt aliud niſi ſatellites & lictores, qui partim eos ad infernum comitantur, partim carnifici infernali plectendos tradunt?

Nos ergò Auditores, cùm intelligamus nos ad eum ire, qui miſit nos, diligentiſſimè attendamus vt Iudicem noſtrum præmiſſis bonorum operum, miſericordiæ inprimis, muneribus placare, nobiſque propitium reddere ſtudeamus, & demum in hoc itinere ita nos comparemus & res noſtras componamus, quò eum, ad quem vadimus, non ſeuerum Iudicem, ſed clementiſſimum patrem experiamur.

CONCIO VI.

Quâ ratione Diabolus doceat omnem falſitatem.

Plures ſunt mentiendi artes, quibus Diabolus primo
1. *Docet mentiri officioſè, iocoſè, pernicioſè.*
2. *Docet excuſare vel defendere peccata.*
3. *Docet mutare aliorum dicta vel facta.*
4. *Docet fingere.*
5. *Docet rem fucare.*
6. *Docet peierare.*
7. *Docet ſimulare.*
8. *Docet calumniari.*

THEMA.

Cùm venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ioan. 16.

A VIR doctus ordinis Prædicatorum, Robertus Holcot *in librum Sapientia lect. 11.* ſcribit Gulielmum Normandiæ Ducem occupatâ per vim Angloſaxoniâ, deliberâſſe quâ ratione linguam Anglicam è terrâ illâ eliminaret & in ſuam Gallicam commutaret; mandaſſe igitur primò vt nemo in aulâ ſuâ fungeretur munere aliquo, niſi Gallicam loqueretur, deinde vt pueri ad ſcholas mittendi non niſi Gallico inſtruerentur idiomate & per hoc addiſcerent Latinum. Videre mihi videor hic, Auditores, principem tenebrarum, Diabolum, qui non iure quidem ſed vi & dolo occupat magnâ ſaltem ex parte mundum iſtum, qui poſt exortum Euangelium Anglia ſeu Angelica terra eſſe & Angelicam veritatis linguam loqui deberet. At verò improbus ille princeps, quia Spiritus mendacii & pater eius eſt, conatur omnibus modis eliminare linguam veritatis, quæ eſt Angelorum: & introducere linguam falſitatis ac mendacii: quæ eſt Dæmonum. Idcircò inprimis laborat vt qui extra Eccleſiam conſtituti, in aulâ quaſi ipſius ſeruiunt, vti infideles, Iudæi & Hæretici mendaci linguâ vtantur, nullo prorſus rubore aut timore: deinde vt etiam fideles à teneris inſtruantur in hac linguâ & mẽdaciis aſſueſcant; quò tandem noxia iſta & Gallicâ lue fœdior lingua totum perrepat mundũ: Et quia non vna mendaciorum ſpecies eſt, ſed complures, idcircò plures etiam mentiendi artes docet ille artifex. Quantum enim ex vnâ parte contendit Spiritus ſanctus docere veritatem, tantum iſte ex altera contendit docere falſitatem. Ergò vt impoſtorem iſtum eiuſque artes noſcamus ac fugiamus, audiemus nunc quas mendaciorum artes doceat.

B. I. Docet mentiri. PRIMÒ, Docet Tinctoriam artem, quæ nouit tingere pannos, è candidis facere nigros. Qua ratione, inquis? Quia docet mendacium pro veritate obtrudere, aſſerere quod non eſt, negare quod eſt: album facere nigrum & nigrum album: in animo candidum credere, ſed voce nigrum aſſerere. Hinc veteres picturi mendacium, picam pinxere, à fronte albam, à tergo nigram. Pier. *l. 24. hierogl.* Atque hoc eſt fundamentum & mater cæterarum falſitatum, Mendacium videlicet, quod pro candido offert nigrum, pro luce tenebras, pro vero falſum, & quidem triplici fine; ad vtilitatem alicuius, præſertim loquentis; ad iocum & ludum faciendum; ad perniciem alterius. Primum officioſum & malum: ſecundùm iocoſum & deterius priore: tertium pernicioſum & peſſimum, ac ſi perniciem magnam inferat, lethale eſt. Ad primum edoctus fuit Giezi, ſeruus Eliſæi (quamuis etiam pernicioſè, in præiudicium Heri ſui mentitus ſit) cùm per mendacium extorſit argentum & veſtes à Naaman Syro; & cùm poſt hoc interrogatus à Domino ſuo: *Vnde venis Giezi:* reſpondit: *non iuit ſeruus tuus quoquam, 4. Reg. 5.* *Mendacium officioſum.* In promptu habuit mendacium, tum ad emungendum à Syro argentum, tum ad eludendum Herum. Nimirum ſicut Erinaceus cùm poma & pyra aſportare in cubile ſuum vult, & caput & pedes habet; at cùm à canibus vel homine deprehenditur, in globum ſe conuoluit, quaſi nec pedes nec os habeat. Ita non defuerunt Giezi os ad fingendum, pedes ad currendum, manus ad accipiendum, quod non debebatur. At cùm ab hero de hoc interrogatur, nec pedes nec manus habere videtur: *non iuit ſeruus tuus quoquam.* Verùm quàm fœdè mentitus fuit, tam fœda eum lues mox corripuit, lepra, inquam, Naamanis, quam in ſe deriuauit: quo modo is qui veſtem emit aut furatur ab eo, qui peſte infectus eſt, peſtem quoque ſecum domum refert. Ita enim qui in rem & commodum ſuum mentitur, vnà cum eo commodo fœdam mendacii lepram affert animæ ſuæ. Ad idem edoctæ erant obſtetrices Hebræorum Ægyptiæ, etſi non ad proprium, ſed Hebræorum commodum, *Exodi 1.* Iuſſæ enim Hebræorum proles maſculas interficere, reſeruarunt, mentientes Pharaoni Hebræas nôſſe artem obſtetricandi ſibimet & parere antequam ipſæ veniant. Tametſi enim in hoc laudandæ erant iſtæ obſtetrices, quòd ex commiſeratione & Dei timore ſeruarunt paruulos, ideóque à Deo remuneratæ ſunt numeroſâ prole & longeuâ ac diuite progenie: in eo tamen quòd mentitæ ſunt, vituperandæ erant; quia peccârunt, cùm omne mendacium ex naturâ ſuâ intrinſecè ſit malum, vt repugnans veracitati & in ſe turpe. Illis ergò mulieribus imperium Pharaonis *liberrimè recuſandum & moriendum erat potius pro innocentiſſimâ veritate,* inquit S. Auguſtinus *l. contra mendacium c. 17.* Id quod fecit Anthimus Martyr & Epiſcopus Nicomedienſis apud Metaphraſten. Cùm enim à Maximiani Imp. militibus ad necẽ quęreretur, eos hoſpitio ſimul & conuiuio excepit Anthimus, licet illis ignotus. Remotis menſis quærunt milites vbi locorum indagandus eſſet Anthimus: Quibus ille intrepidus: *Ego ſum,* inquit, *Anthimus: quo vultis, ducite: libẽs ſequor.* Obſtupefacti illi ob acceptã liberalitatẽ dixerũt ſe confi-

conficturos Tyranno, non eſſe inuentum Anthimum. At ille: *Hoc ô viri, nefas eſt, cuiuſquam vita mentiendo propugnari poteſt.* Ita ſuos conuiuas ſecutus ad martyrij palmam perrexit, eamque inuictus obtinuit:

Mendacium iocoſum. Nihilo magis licitum eſt mendacium iocoſum; quia & ipſum turpe in omnium ore, magis tamen in ore clerici aut religioſi; quod quidam vir ſæcularis ingenioſè notauit in religioſo itineris comite. Cùm enim hic repente ſæcularem compellans diceret: *En illic volantem aſinum.* Suſpexit alter præproperis & nimium credulis oculis. Quem irridens ille: *ô te ſimplicem* inquit, *qui credas aſinum volare poſſe!* Cui alter: *Ignoſce mihi qui tuis verbis deceptus ſum, nec mireris velim quod ſuſpexerim, facilius enim credebam aſinum volare poſſe, quàm mentiri religioſum.* Cape tibi hoc.

Mendacium pernicioſum. Peſſimum eſt illud quod in aliorum perniciem tendit, quale fuit id Excubitorum ad ſepulchrum Domini, qui acceptâ à Principibus pecuniâ ſparſerunt Chriſtum à Diſcipulis furto ablatũ, quemadmodum à Phariſæis mendacij huius Architectis erant edocti, *Matt.* 28. Huiuſmodi deaurata mendacia (vt quidem vocat) crebra ſunt in ore Cauſidicorum & procuratorum qui cauſæ iniquæ patrocinium ſuſcipiunt.

C. II. *Docet mutare aliorum dicta vel facta.* SECVNDÒ, Artem Arithmeticam eiuſque ſpecies, additionem, ſubſtractionẽ, diuiſionem, multiplicationem, quia docet mutare aliorum dicta, iis addere vel demere, bifida lingua loqui, & per hyperbolen rem augere, ex muſcâ elephantem cudere.

Addere & ſubtrahere. In primis duabus ſpeciebus edoctam fuiſſe Euam cum ſerpente ſermocinantem putat S. Ambroſius *l. de paradiſo c.* 12. ſiquidem Dei præceptum non fideliter recenſet. Addit, cùm ait: *Et ne tangeremus illud*; hoc enim in Dei mandato non exprimitur. Subtrahit, cùm ait: *ne fortè moriamur*; cùm tamen Deus expreſsè dixerit eos morituros, ſi comederint. Vnde Ambroſius: *Diſcamus*, inquit, *hinc nihil vel cautionis gratiâ iungere nos debere mandato. Si quid enim vel addas vel detrahas, præuaricatio quædam videtur eſſe mandati.* Verùm nos lapſu matris noſtræ non tam emendamur quàm peruertimur. Hinc enim tam procliues ad mentiendum ſumus vt à teneris aſſueſcamus fallere, nullo licet magiſtro, & dicatur *Pſ.* 115. *Omnis homo mendax.*

Diuidere. Docet quoque diuidere, hoc eſt bifidâ linguâ loqui: præſentem laudare, abſentem vituperare. Hæ enim duæ linguæ, quaſi filiæ & quidem gemellæ ſunt Mendacij, cùm alterutram ſaltem oporteat eſſe mendacem, quando quis ex eodem ore calidum ſpirat & frigidum. Refert Diodorus Siculus *l.* 3. in Auſtrali quadam Inſulâ reperiri homines, qui diuiſam habeant linguam tamque volubilem vt non humanas tantùm ſed auium etiam quoſcunque imitari cantus queant. Quid de hoc ſit, fides penes Auctorem ſit. Nos veriùs aſſerimus artificium hoc & bifidam linguam eſſe hominis, de quo loquimur, bilinguis, qui inter columbas gemit; inter coruos crocitat: præſentes ſuaui, abſentes inamœno carmine deprædicat. Et licet hoc artificio venari emolumentum aliquod moliatur, plerumque tamen id non aſſequitur & confuſionem potiùs reportat, quia teſte Eccleſiaſtico *c.* 3. *Cor ingrediens duas vias non habebit ſucceſſus*, ſicut plerumque fit, vt qui duos lepores ſectatur, neutrum comprehendat.

Multiplicare. Docet & multiplicare, augendo rem per hyperbolen, aut per ſuperlatiuos amplificando v.g. ait quis vidiſſe ſe complures lupos in ſyluâ quadam: excipit hoc alius & narrat aliis viſos eſſe decem lupos: poſt hunc ait viſos eſſe viginti: tandem creſcit fama ad triginta & quinquaginta. At vbi tandem accuratè res perquiritur, vix vnus aut alter lupus, vel quid ſimile lupo viſum eſſe comperitur. Ita peccârunt exploratores illi in Chanaam miſſi, qui cùm vidiſſent ibi tres gigantes, filios Enac, nimirum Achiman, Siſai & Tholmai, Giganteam ſtaturam extenderunt ad omnes Chananæos: *Populus*, inquiunt, *quem aſpeximus proceræ ſtaturæ eſt*, cùm tamen Chananæi ordinariè non eſſent proceriores quàm Hebræi. Addunt amplificationes alias iuſto maiores: *Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere Giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur*, *Num.* 13. Rurſum: *Vrbes* (eorum) *magnæ & ad cœlum vſque munitæ, Deut.* 1. Quibus amplificationibus redegerunt populum in anguſtiam ac penè redegerunt ad deſperationem. Proinde abſtinendum etiam huiuſmodi hyperbolis, quia ſi non ſemper mendacia, mendaciis tamen propinquæ ſunt, & multoties pernicioſæ.

D. III. *Docet excuſare vel defendere peccata.* TERTIÒ, Artem fulloniam, quæ omnis generis maculas eluit è pannis. Docet enim ſuos diſcipulos Diabolus quæuis eorum delicta dexterrimè excuſare vel defendere adeoque ſe purgare quidquid tandem commiſerint. Docuit hanc ni fallor primos noſtros parentes, qui aſperſam ſibi peccati maculam mox abſtergere conati, culpam à ſe amoliti, aliis impegerunt. Adam in mulierem, mulier in ſerpentem reiecit culpam. Ille: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi*, &c. q. d. Si non dediſſes hanc mihi deceptricem, non eſſem trangreſſus legem. Hæc verò: *Serpens decepit me*; q. d. quare tu hoc animal intromiſiſti in paradiſum? Abſque hoc enim non peccâſſem. Itaque in Deum penè omnem culpam exonerant. Et *hinc eſt*, inquit S. Gregorius 4. *Moral. c.* 23. *quod huius erroris ramus in humano genere ex illâ nunc vſque radice protrahitur, vt quod malè agitur, adhuc etiam defendatur.* Quemadmodum enim felis, munditiei amantiſſimum animal, pelliculam ſuam linguâ vndique extergit, modò pedes anteriores, modò corpus reliquum delingit, fimetum denique ſuum quàm poteſt diligentiſſimè & oculis ac naribus hominum ſubducit: ita ferè ſtudent homines ſeipſos ab omni labe purgare, næuis etiam ſuis nitorem allinere, ſordes abſtergere, callidis defenſiunculis errores operire. Hæc ſunt folia illa ficus, quibus ſuam nuditatem operire conati ſunt primi parentes, ſicut explicat D. Ambroſius *l. de parad. c.* 13. *Facit ſupra ſe folia*, inquit, *qui culpam velare deſiderans, aut Diabolum delicti memorat auctorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam perſuaſorem prodit erroris.* Quam ob cauſam forſitan Dominus areſecit ficum illam

illam, quæ folia tantùm habuit, quaſi vltionem ſumere volens de foliis illis ficûs, quibus ſe operuerunt protoplaſti.

F. IV. Docet fingere.

QVARTÒ, Figulinam? quæ rotæ benificio ex luti maſſa celerrimè nouit effingere qualecunq; vas volueris. Hæc enim quid eſt, niſi celeritas fingendi omnis generis mendacia ad ſe defendendum, purgandum, eximendum à patrato ſcelere? Ea verò communiter vnius voculæ, *Non putabam*, vtitur beneficio, & quaſcunque obiectiones refellit. v.g. deprehenditur in horto filius deuorâſſe uvas è vite decerptas. Et cur hoc, inquit parens? putabam eſſe pruna ſylueſtria, inquit filius. Dormit ſeruus manè vſque ad nonam: obiurgatus ob id ab hero: putabam eſſe primùm ſextam, inquit. Fur in aurifabri officinâ deprehenſus & interrogatus, quomodo alienas ædes effringere auſus eſſet? Putabam, inquit, me non deprehendendum. Appoſuerat hoſpes duobus placentas; alter maturè accumbens omnes deuorauit. Tùm qui ſeriùs accubuit; quænem hæc, inquit, voracitas? cur mihi reliquum nihil feciſti? Putabam, ait alter, te laborare dentibus. Talia ſexcenta promptum eſt fingere iis, quibus mentiri eſt conſuetum, vel leue ac nullum peccatum reputatur. Bene Seneca *l. 2. de ira c. 31.* ait: *Turpiſſimã aiebat Fabius Imperatori excuſationem eſſe: non putaui. Ego turpiſſimam homini puto.* Huiuſmodi mendacii figulus Amalecites ille, qui nuntians Dauidi mortem Saulis, finxit ſe rogatum ab eo necem ei intuliſſe; pro honorario igitur occiſus, 2. *Reg.* 1.

F. V. Docet rẽ fucare.

QVINTÒ, Pictoriam, quæ vmbratica lineamenta viuis coloribus illuſtrare nouit, & ſæpe rem tam ad viuum efformat vt iures non imaginem, ſed rem ipſam eſſe, quæ depingitur. Ad perdicem à Protogene in Rhodo depictam aduolârunt viuæ perdices. Draco depictus in Triumuiratu ceſſare fecit aues à cantu, quæ interrumpebant ſomnum Lepido. Corui in Theatro Claudii decepti à feneſtris pictis, per eas dum auolare vellent, impegerunt. Equo ab Apelle picto & in publicum producto adhinnierunt equæ. Idem tam ac viuum aliquos depinxit vt Diuinatores ex imaginum figurâ & lineamentis diuinarent eis vitam & mortem. Refert Plinius *l. 35. c. 10.* Stob. *L.* 14. Denique pictores communiter rem pulchriorem effingunt quàm reipſa ſit. Hanc artem docet Dæmon, rem ſcilicet quæ narratur ita illuſtrare, fucare & adornare vt iures ita ſe rem habere. Didicit hanc artem Cain ſatis tempeſtiuè, qui vt fratrem neci daret, euocauit ad deambulationem quaſi amicè cum fratre locuturus. *Egrediamur foras*, inquit; foras igitur ductum occidit. Qui cùm deinde à Deo interpellaretur de fratre; *Vbi eſt Abel frater tuus? Tum Cain anxius*; inquit Ioſephus *l. 1.* Antiquit. *c. 2. nec habens quod reſponderet Deo, primum ſe quoque demirari ait, qui factum ſit quod frater nuſquam compareat. Inſtante vero Deo & accuratius inquirẽte, iam commotior negauit ſe pædagogum fratris aut rerum eius obſeruatorem eſſe.* Vide fucum, vide colores. Non minùs erudito fuco palliauit mendacium ſuum Rahab, quæ abſconſis domi ſuæ exploratoribus Hebræorum, regiis ſatellitibus eos quærentibus reſpondit: *Fateor venerunt ad me ſed neſciebam vnde eſſent, cumq; porta clauderetur in tenebris & illi pariter exierunt, neſcio quo abierunt: perſequimini cito,* (ecce fucum) *& comprehendetis eos. Ioſ.* 2. Huc pertinet Ioab qui dum Amaſam oſculatur & ſalutat amicum: *Salue mi frater*; interim pugionem lateri eius infixit 2. *Reg.* 20. Iudas oſculo tradens Chriſtum. Simeon & Leui qui cùm locuti eſſent pacifica Hemor & Sichem filio eius, promiſiſſentque amicitiam & connubia, ſi circumciderentur; tertio die ad eos ingreſſi ingentem ediderunt ſtragem, *Geneſ.* 34. Gabaonitæ, qui inſigni aſtu perſuaſerunt Ioſue, ſe nil cũ Chananæis habere commune, longè ab eis diſſitos eſſe *Ioſ.* 9. Itaque deceperunt Ducem alioquin prudentiſſimum.

G. VI. Docet peierare.

SEXTÒ, Victoriam, quæ vaſcula diſſoluta & perflua circulis adactis conſtringere & firmare nouit, vt ſolida perſiſtant & contineant liquores. Hanc artem exercet mendax cùm periurium addit mendacio, quo id velut vas fragile & ſuapte vanitate breui diſſoluendum, ſolidat & confirmat, quò fidem ad alios inueniat; (das bindts) Circulum voco periurium quia in illo Deus, qui circulus eſt incomprehenſibilis (cuius centrum eſt vbique, circumferentia nuſquam, ex Empedoclis ſententiâ) in teſtimonium adducitur: ligneum verò, quia falſò & impiè adducitur. Vi adigitur hic circulus mendacio, quia audaci & præfracto animo, timida vox periurium prodit. Cæterùm vti circuli illi ſæpe diſſiliunt, ſi aridi aut alteri defectui ſint obnoxii: ita periurium ſæpenumero reſilit in periurum, maximo eius damno. Refert Polydorus Virgilius *l. 8. hiſt. Angl.* Comitem quendam Godwinum in menſâ dixiſſe; *Si mentiar, hic ipſe bolus me ſtrãgulet.* Dixit & factum eſt: panis bolo ſuffocatus eſt. Audiamus aliud exemplum à Germano quodam Iuriſconſulto ſcriptum *l. 1.* de lamiis, (apud Mart. Delrio. *l. 3. diſquiſit. p. 1. q. 7. ſ. 1.*) his verbis: *In Saxoniâ Virgo opulenta formoſo iuueni, at tenuioris fortunæ matrimoniũ promiſit. Hic quid futurũ prævidens, illam prædiuitem, & ſexus ratione mutabilẽ? fidem vix ſeruaturam eſſe puellæ reſpondit. Illa contrà diris ſe execrari his verbis cœpit; ſi alteri, quàm tibi nupſero, tunc me Diabolus in nuptiis illis abripiat; Quid fit? poſt interuallum aliquod mutat animum, nubit alteri, priore ſponſo ſpreto; qui eam ſemel atque iterum promiſſi, diræq; imprecationis admonuit. Sed illa poſthabitis his omnibus, nuptias cum altero ſponſo, relicto priore, celebrat. Ipſo die nuptiali, cognatis, amicis & conuiuis hilaribus, ſponſa vigilante conſcientiâ, redditur triſtior ſolito. Tandem Diaboli duo, ſub ſpecie duorum equitum, in ædes nuptiales adueniunt, excipiuntur, adducũtur menſæ; hiſque remotis, chorea, vniq; ex his ſponſa, honoris causâ, tanquã peregrino adiungitur, cum quâ bis ſaltauit, & tandem eam è conſpectu parentum & amicorũ, ſummo cum gemitu & lamentatione, per oſtium, in altum ſuſtilit. Altero die parentes & amici mœſti, ſponſam quærunt, vt delapſam forte ſepelirent: ſed ecce iiſdẽ ſocii occurrunt, veſtes & aurũ referentes, additis his verbis. Nõ in has res, ſed in ſponſã à Deo nobis fuit poteſtas cõceſſa.* Sic illa corpore & animâ Diabolo

bolo tradita, quæ promiſſionem nuptiarum violauit, & imprecationem additam contempſit.

H. VII. Docet ſimulare. SEPTIMÒ, Hiſtrionicam; cuius eſt verborum lenocinio & totius corporis variâ agitatione populum lactare, ſuſpendere, delectare, ad riſum & applauſum commouere: nihil interim feriò agere. Hanc artem docet Magiſter & pater mendaciorum, dum incitat diſcipulos ſuos, vt voce quidem ad placitum aliorum & applauſum loquantur eoſque lactent & delectent: ficto tamen animo & aduerſo corde. Fallacibus enim blanditiis odia velant & oris ſuauitatem inducunt vt quàm ſuauiſſimè fallant. Vnde Sapiens *Prouerb.* 11. *Simulator ore decipit amicum ſuum.* Sic Laban abeuntem Iacobum generum ſuum quem ſiniſtro vultu iam cœperat aſpicere, (*Gen.* 31.) velut fugitiuum inſecutus, vbi comprehendit: *Cur*, inquit, *ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi vt proſequerer te cum gaudio & canticis & tympanis & citharis?* Itane ô Laban, quem ægrè domi ſuſtinebas? Vt canem è culinâ vel templo, credo, deducere volebas. Mel in ore oſtentas, ſed non procul inde aculeum geris, quem infigere parabas. Sic Abſalon vt populum ad nouarum rerum ſtudium incitaret & in legitimum ſuum Dominum concitaret *manè conſurgens ſtabat iuxta introitum portæ, & omnem virum qui habebat negotium vt veniret ad regis iudicium, vocabat ad ſe & dicebat: Videntur mihi ſermones tui boni & iuſti, ſed non eſt qui te audiat conſtitutus à rege, &c. Sed & cùm accederet ad eum homo vt ſalutaret illum, extendebat manum ſuam & apprehendes oſculabatur eum* 2. *Reg.* 15. Verùm quid hoc ſuo hiſtrionico lenocinio lucratus tandem ſit, ſcimus. Nihilo melior fuit Herodes Aſcalonita, qui dicebat Magis: *Ite & renuntiate mihi vt & ego veniens adorem eum* (Chriſtum;) mactare enim parabat, non adorare: vti poſteà patuit. Idem ipſe Ariſtobulum cõiugis ſuæ Mariamnes fratrem pontificem declaratum conuiuio peracto in opportunum locum magnâ comitate pertraxit, *oſtenditq́, ſe paratum in eius gratiam iuueniliter colludere cumq́, loci eius natura eſſet æſtuoſior, cito defeſſi relicto luſu, magnis piſcinis quæ ibi circa aulam erant imminentes frigus captabant meridiano tempore, ac primum ſpectabant natantes quoſdam è ſociis & famulis: deinde poſtquam prouocante Herode adoleſcens quoque eis ſe miſcuit, amici quibus hoc datum erat negotium, deprimentes eum natantem, & quaſi per luſum ac petulantiam mergentes non priùs deſtiterunt quàm omnino aqua præfocatus ſit.* Ita Ioſephus *l.* 15 *Antiqu. c.* 3.

I. VIII. Docet calumniari. OCTAVÒ, Impoſturam Magicam, quæ nouit ſuis præſtigiis hominibus imponere & illudere. Fuit in Aulâ Reginæ Anglicanæ Magus qui alteri itidem Mago hanc ſtropham texuit. Iuſſit eum proſpicere per feneſtram, quo facto eius capiti ceruina affinxit cornua, vt non poſſet caput retrahere, ſed ita feneſtræ affixus, ludus & fabula populi aſpectantis fieret. Refert Maiolus *to.* 2. *Canic. coll.* 3. Pleni ſunt his technis Magi. Hos vero imitantur qui calumnias alteri ſtruunt. Eſt enim *calumnia falſa & malitioſa criminis impoſitio*, vt ait *D. Thomas.* 2. 2. *q.* 68. *art.* 3. Itaque calumniator talia quædam cornua homini imponit minimè illi debita dum affingit crimina, quibus deludatur & famæ vel alterius boni damnum incurrat. Profecerunt in hac arte inſigniter improbi illi ſenes, qui calumniam excogitarunt in caſtiſſimam Suſannam, quaſi cum iuuene conſueſſet, *Dan.* 13. Siba Seruus Miphiboſeth, qui occurrens Dauidi filium Abſalonem fugienti, iniquiſſimè detulit Dominum ſuum, quaſi is tunc ſperaret reſtituendum ſibi regnum patris ſui, Dauidi adimendũ, 2. *Reg.* 16. Famula Saræ, quæ calumniabatur eam attuliſſe necem ſeptem maritis, *Tob.* 3. Iudæi dicẽtes Chriſtum habere ſecum Dæmonium, *Ioan.* 18. Meretricula illa, quæ à maleuolis immiſſa S. Gregorio Thaumaturgo calumniam ſtruxit, ſuo ſe quæſtu poſt patratam libidinem ab eo fraudatam garriens. Cui Gregorius numerari quidem pecuniam iuſſit quaſi reus fuiſſet, ne vtilem ſermonem interturbaret. Verùm mox à Dæmone obſeſſa, ſpumare, capillos ſibi euellere, corruere, os fœdè contorquere, oculos inuertere cœpit eoque geſtu calumniam fateri. Tandem precibus Gregorij à Dæmone liberata eſt. Sur. *to.* 6. die 17. Septemb. Denique impurus ille qui Mariam, cui nomen Doloroſa, in Belgio de libidine fruſtra tentatam, furti falsò accuſauit adeoque in Carnificis manus impegit, vltimo affectam ſupplicio. Itaque à Dæmone occupatur & toto ſeptẽnio vexatus, tandem ad ſepulchrum illius Mariæ libertatem cõſecutus eſt. Io. Molanus *in Natal. SS. Belgij* 18. *Iunij.*

Vidimus quas artes doceat ſpiritus mendacii. Supereſt vt ſcholam peſſimi huius Magiſtri fugiamus Auditores: niſi quis velit ex hac ſcholâ deſcendere potiùs quàm aſcendere. E ſcholâ ſpiritûs veritatis aſcenditur ad cœlum: è ſcholâ ſpiritûs mendacii deſcenditur ad infernum.

CONCIO VII.

Tres funiculi ſalutis de quibus arguit Spiritus ſanctus malos Chriſtianos.

Sunt autem hi:

1. *Amor ſeu beneficia incarnationis, Doctrinæ &c.*
2. *Pudor ob exempla ſanctorum.*
3. *Timor Iudicij & gehennæ vinculum omnium fortiſſimum.*

THEMA.

Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de Iuſtitia & Iudicio. Ioan 16.

QVANDO Lamech genuit Noë, dixit: *Iſte conſolabitur nos*, & idcircò vocauit eum *Noë*, id eſt, *conſolatio.* Sed quomodo putamus conſolatorem fuiſſe Noën? Forſitan ille perditum illud ſæculum conſolabatur vt eſſent hilares, ederent, biberent, vxores ducerent? forſitan quia vinum plantauit, vt homines ſe eo inebriarent? Non ſanè, non fuit talis conſolator Noë: Præco pœnitentiæ fuit & comminabatur hominibus perditis imminens diluuium quod poſt 120. annos futurum prædixerat illi Dominus, vt pœnitẽtiã prędicaret. Imò tota illa Arcæ fabricatio, in quâ 100. annis laborauit Noë, nihil aliud fuit quàm pœnitentiæ A.

prædicatio & reproborum increpatio;ſiquidem ad euitandum diluuij interitum deſtinabatur. Spiritus ſanctus in hodierno Evangelio vocatur & ipſe *Paraclitus*, id eſt, *Conſolator*. Sed qualis ſit conſolator, mox ſubiungit Dominus: *Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato & de iuſtitia & de iudicio.* Ecce qualis Conſolator. Nimirum ad inſtar Noë prædicat nobis pœnitentiam per ſacras literas, per libros pios, per Concionatores, per exempla bona, per internas inſpirationes, & ſedulò hortatur vt fabricemus nobis nauem pœnitentiæ (quam ipſe in plurimorum cordibus ædificat) quò iudicij extremi diluuium evadamus. Non eſt igitur Conſolator noſter ille, qui loquitur nobis placentia, qui tegit & præterit noſtra ſcelera; ſed qui ea increpat, qui nos arguit, qui ad pœnitentiam & virtutem compellit: hic Conſolator, hic Noë paraclitus eſt. Igitur ſi in diluuio illo perire nolumus, non claudamus aures huic præconi, patiamur & exoſculemur illius increpationem, eiuſque hortatu nobis prouideamus.

Eccleſiaſtes *cap. 4.* ait: *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Cui doctrinæ conformare voluit ſe Deus, quando tres adhibuit funes vt traheret ad ſe hominem eoſque robuſtiſſimos: Amorem, pudorem & timorem; quæ tria indicâſſe Dominum in hodierno Evangelio, ſentit Stephanus, in id *Malach. 1. Si ego Dominus, vbi eſt timor?* Amorem, alliciendo nos beneficiis & promiſſis: Pudorem, excitando nos exemplis ſanctorum: Timorem, compellando nos minis & terroribus. Et hæc tria indicantur *Luc. 14.* vbi ad cœnam primò inuitantur hoſpitantes, quia parata ſunt omnia. Secundò mittitur alius ſeruus, qui introducat eos. Tertiò mittitur alius qui compellat intrare. Primus amorem, ſecundus pudorem, tertius timorem ſignificat. Vt meritò arguere nos poſſit Spiritus ſanctus, ſi tria hæc vincula ruperimus.

B. 1. Amor ſeu beneficia. PRIMÒ, Adhibuit Chriſtus amorem, inuitando nos ad ſe beneficiis in primo ſuo aduentu. Vt enim taceamus beneficia creationis & conſeruationis, quibus nos è nihilo ad ſui imaginem, orbis & eorum quæ in illo ſunt Imperatores fecit: ſuſtentat & conſeruat, &c. de quibus meritò etiam arguere nos Spiritus ſanctus poteſt: peculiaria illa memoremus quæ à Chriſto obtinemus. Et primò beneficium Incarnationis quo Deus ad nos miſit filium ſuum. (1. *Incarnationis.*) Secundò, Beneficium doctrinæ, quo nos viam Dei in veritate docuit; (2. *Doctrinæ.*) quod feciſſe Chriſtum ipſi eius aduerſarij teſtati ſunt: *Magiſter ſcimus quia verax es & viã Dei in veritate doces.* Et quomodo eam docere non potuiſſet, cùm eſſet Dei filius? Iam verò nonnè ingens eſt beneficium, quòd Deus legem ſuam & viam cœli per proprium filium docere nos voluerit? Non docuit ita Gentes olim, ſed per creaturas tantùm rudi literaturâ, legem naturę ſubobſcurè eis inſinuauit per lumen naturæ & creaturas. Non ita Iudæos, quibus per Prophetas & quandoque per Angelos locutus eſt, Myſteria redemptionis & fidei per figuras tantùm indicauit: *nouiſſimè autẽ locutus eſt nobis in Filio ſuo*, per quẽ habemus tot inſignes libros, Concionatores, miracula: quot in nullis retrò ſæculis fuère. Iam verò ſi gentiles dicit Apoſtolus ad *Rom. 1.* eſſe inexcuſabiles, quibus tamen per creaturas tantùm lex innotuit: quis excuſabit nos?

Tertium, Beneficium exemplorum, vt nos vitæ ſuæ ſanctitate ad virtutem traheret: id quod accuratè præſtitit Chriſtus; quanta enim illa paupertas, naſci in ſtabulo? non recipi in diuerſorio? quanta miſeria, pati mox perſecutionem ab Hêrode? quanta humilitas, latere per 30. annos inter homines, quaſi nihil pluris quàm homo & quidem ignotus eſſet? quantus animarũ zelus, reliquum vitæ conſumere perpetuis prædicationibus, vigiliis, orationibus, ieiuniis, itineribus, laſſitudine, frigore, æſtu, fame, ſiti propter lucrum animarum? Quanta miſericordia, quibuſcunque infirmis ſanitatem impertiri, eſurientes paſcere, ignorantes docere, mortuos ſuſcitare, peccatores abſoluere & recipere? quanta charitas, etiam inimicis benefacere & pro illis orare? quanta humilitas, ad ægrorum ædes vocatum deſcendere, pedibus ſolùm incedere, diſcipulorum pedes lauare? Iam verò quis neſcit quàm efficacia ſint exempla Ducum ad prouocandos ſubditos? 3. *Exemplorum.*

Quartum, Beneficium redemptionis à peccato & morte æterná, per paſſionem & mortem ſuam, quòd omnia alia ſuperat beneficia diuina. 4. *Redemptionis.* In aliis enim Deus dedit nobis ſua, in hoc autem ſeipſum. In aliis communicauit nobis doctrinam & virtutem ſuam; in hoc verò etiam vitam ſuam, quâ charitate maior non eſt, Domino teſte. In aliis fecit pro nobis plurima, in hoc verò paſſus eſt, quod longè difficilius. Certè Moyſes & Elias loquentes cum Chriſtò in eius trãsfiguratione, beneficium hoc vocabant *exceſſum, Luc. 9.* Non exceſſit Chriſtus in victu; quia ieiunauit 40. diebus: Non exceſſit in veſtitu, quia non niſi duas pauperes tunicas habebat: non exceſſit in ſomno, quia erat pernoctans ſæpè in orationibus. Non in opibus cumulandis, quia non habebat quò caput reclinaret. Exceſſit igitur in ſolo amore; dum ipſe prior pacem nobis obtulit, qui petere debebamus: pro nobis ſatisfecit, cui ſatisfacere debebamus: & cùm vnâ ſanguinis guttâ ſatisfacere potuiſſet, voluit totum effundere & innumeros cruciatus ac ſupplicia perferre, vt ſuum erga nos amorem teſtaretur. Inde tam copioſum nobis effudit gratiæ fluuium in Sacramentorum inſtitutione. Tantum eſt hoc vinculum, vt de eo dixerit Chriſtus: *Cum exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum.* Sed ô Deus, cùm ſcimus te pro nobis exaltatum, adhuc reluctamur & trahi ad te nolumus.

Quintum, Beneficium Adoptionis & ius ad vitam æternam. 5. *Adoptionis.* Non enim ſolùm condonauit nobis culpam & pœnam, ſed præterea adoptauit nos in filios & hæredes regni ſui. Satis liberaliter & præclarè nobiſcum egiſſet Deus, ſi cõdonato peccato reliquiſſet nos in ſtatu naturæ & pro mercede dediſſet nobis ſtatũ angelicum qualis angelis eſt naturalis, (Quanta enim

ret

res eſt, eſſe ſimilem angelis immortalitate, agilitate, impaſſibilitate, ſufficientiâ ſui, exactâ rerum omnium ſcientiâ?) Verùm immenſa illa bonitas ſupra has naturales dotes longè nos euexit, dum etiam filios & hæredes regni ſui fecit.

.6. *Perpetui meritorū theſauri.* Sextum, Beneficium perpetui theſauri meritorum Chriſti, quibus quoties volumus ablui à peccatis & reconciliari Deo poſſumus. Quis pater, non dico Princeps, ita clemens eſt vt paratus ſit remittere quæcunque crimina quotieſcunque committuntur? vix reperias, qui bis vel ter ignoſcat.

7. *Euchariſtia.* Septimum, Beneficium Euchariſtiæ quâ eſt ſacrificium & alimentum noſtrum, in quo poſſumus merita Chriſti quodammodò edere & bibere. Vnde meritò exclamat S. Chryſoſt. *hom.* 61. *ad pop. Antioch. Heu mihi, quot ad ſalutem nobis viæ! Nos corpus ſuum effecit, nobis ſuum communicauit corpus: & horum nos nihil à malis auertit.*

Hinc arguit nos Spiritus S. de peccato. Propterea igitur Primò arguit nos Spiritus ſanctus, *de peccato*, quia non credimus in Chriſtum, hoc eſt, quia vel non credimus ſaltem firmiter vel non credimus fide viua; hoc enim eſt credere in Deum. Nam ex S. Auguſt. *tract.* 20. *in Ioan.* credunt Deum, qui credunt Deum eſſe: credunt Deo, qui credunt dicenti: credunt in Deum, qui in eum vt finem vltimum cum intellectu & voluntate feruntur, per fidem & amorem. Iam, quòd hæc tanta in nos contulerit beneficia Chriſtus, dubitare nullatenùs poſſumus; quòd ſi igitur credimus, quâ ratione fieri poteſt, vt tanto amoris incendio circumdati non accendamur? Quis tot teſtibus amoris Dei in nos non credat? quis credat & non mox in eiuſdem amorem exardeſcat? accidit ſenili noſtro ſæculo quod in cano Dauid, qui licet operiretur veſtibus, non tamen caleſiebat 3. *Reg.* 1. Ita enim ſenex iam mundus licet tantis operiatur Dei beneficiis, tot muniatur Sacramentis, non tamen caleſit, non inflammatur ad Dei amorem. Vnde meritò arguitur à Spiritu Sancto. Neque verò putes te non arguendum aut damnandum aliquando propterea quod Deus adeo te amârit: ne pollicearis, inquam, tibi Dei amicitiam; quia quo plura & maiora accepiſti beneficia, tanto magis arguêris & tanto profunditùs in infernum demergêris, ſi hîc arguentem non audieris. Quis enim neſcit eum, qui à rege magis muneribus affectus & ciuitati totius Imperij ampliſſimæ præfectus eſt, ſi proditionem in regem moliatur, tanto duriùs arguendum & caſtigandum, quanto maiora accepit à rege beneficia? An non Ioſeph à Putiphare Principe exercitus Pharaonis primo quidem vehementer dilectus fuit & tori eius familiæ præpoſitus: ſimul atque tamen ſuſpectus fieri Domino ſuo cœpit, licet per iniquam accuſationem, non modò ab officio ſuo depoſitus, verùm etiam in diuturnum & tetrum carcerem coniectus eſt? *Gen.* 39. An non Aman Aſſuero regi principiò chariſſimus, poſt ſuam verò iniquam machinationem ab eodem mox in altiſſimo patibulo appendi iuſſus eſt? *Eſth.* 7. Similiter ergò intelligamus velim, nos quò plura accepimus beneficia & amoris ſigna à Deo, tanto grauiùs arguendos à Spiritu Sancto, & ſi tot amoris vinculis ad Deum non trahamur, tanto grauiùs damnâdos. Quid enim dicit Dominus de Capharnao ciuitate? ciuitate, inquam, *ſua*, vt ait Matthæus *c.* 9. in quâ communiter habitârat & tot ſigna fecerat? quid dicit? *Et tu Capharnaum vſque in cœlum exaltata: vſque ad infernum demergeris. Luc.* 10.

Secvndò, Adhibuit fortius ni fallor vinculum, pudoris: ſanctorum infinita exempla, vt meritò nos pudere debeat, ſi illis non trahamur. C. II. *Pudor ob exempla Sanctorum.* Exemplum, prædicatio & paſſio Chriſti etſi nos vehementer trahunt & inuitant ad cœnam eius, non tamen introducunt, quia dicere poſſumus, Chriſtum fuiſſe Deum, nos vero eſſe homines & quidem fragiles. Habemus igitur exempla ſanctorum, qui nobis quoad omnia ſimiles fuerunt & ad cœnam illam feliciter intrârunt & adhuc intrare contendunt: ac proinde nos velut manu prehenſos ad eandem introducunt. Pleni ſunt talium exemplorum veteris & noui teſtamenti libri; poſt hos Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, primis præſertim temporibus Eccleſiæ, quando plures multo de gentilibus conuerſi ſunt ad fidem ob Chriſtianorum exemplarem vitam, charitatem, miſericordiam, innocentiam, patientiam, pietatem, &c. quàm per prædicationem. Denique non deſunt eiuſmodi iuſtorum noſtris etiam temporibus plurima exempla, tot millium religioſorum, qui relictis parentibus, opibus, dignitatibus, genere, ſeueram amplectuntur vitam: tot aliorum qui in ſæculo ſanctitatis & iuſtitiæ famâ celebres viuunt, vt nemo niſi amens hæc negare audeat. Habemus ſanctos in omni ſtatu, clericos, laicos: reges, ſubditos: literatos, indoctos: diuites, pauperes: nobiles, ignobiles: adultos, iuuenes: mares, fæminas. Habemus quos miremur, qui ingentia paſſi ſunt, miracula fecerunt, ſeueriſſimè vixerunt: habemus quos imitemur, qui nec paſſi ſunt, nec mira fecerunt, nec ſeueriùs vixerunt, ſed itinere plano incedentes ſancti fuerunt. Habemus qui ſemper innocentes ſine lethali crimine vitam duxerunt: habemus peccatores, qui pœnitentiam egerunt, & horum alij horâ tertiâ, alii ſextâ, alii vndecimâ primùm & in articulo mortis gratiam imò & ſanctitatem conſecuti ſunt. Hem quàm tritam, quàm planam fecerunt ſancti viam cœli! quot agmina præceſſerunt Martyrum, Confeſſorum, Doctorum, Monachorum; Virginum, Viduarum, Coniugatorum! Quot agmina adhuc ſequuntur noſtro etiam ſæculo! Habemus enim viros in magnâ vitæ aſperitate & innocentiâ degentes. Quiſquis Carthuſianum, Paulinum, Capucinum videt mediâ hyeme, nudis pedibus, vna togâ, lecto ſtramineo & eleemoſynis ſolis contentum, anni partem ferè mediam ſtrictiſſimè ieiunare aliaſque corporis caſtigationes adhibere, habet vnde pudeſiat; (ſi nihil tale agit) ac ſi non ex toto, ſaltem ex parte imitetur eos, quantum vires ferunt, ieiunet, det eleemoſynas, &c. Certè ſanctus Hieronymus in *epiſt. ad Euſeb.* ſcribit ſanctorum qui ſuo tempore ſciebantur

tantum fuiſſe numerum vt præter primum Ianuarij diem (in quo Gentiles ſanguinem non fundebant) in ſingulos dies poni in Martyrologio vltra quinque millia poſſent. Et tamen tunc nondum 400. Salutis anni elapſi erant. Quis nunc erit numerus ? Propterea igitur ſecundò arguit nos Spiritus ſanctus *de Iuſtitiâ*, ſanctorum ſcilicet & iuſtorum, vt exponit S. Auguſtinus, qui & ipſi, vti & nos, Chriſtum hic in terrâ non viderunt, & tamen crediderunt. Quemadmodum Chriſtus indicat dicens: *quia vado ad patrem & iam non videbitis me.* Quomodo igitur aſperum aut impenetrabile videri nobis iter cœli poteſt, quod tot veſtigiis tritum eſt ? ſi nemo vel certè pauci ante non ad cœnam illam præceſſiſſent, mirum fortè non eſſet, ſi nos excuſaremus: ſicut non vehementer miror cur homines ante diluuium nullam ſibi fabricârint arcam ſeu nauim ad vitandum diluuium: quia neminem alium videbant arcam fabricare præter vnum Noën; atqui nunc ô quot hominum centuriæ eiuſmodi arcam ſibi fabricârunt fugiendo ad pœnitentiam & innocentiam, qui non modò à diluuio iudicii nihil paſſi ſunt, ſed etiam cum arca ſuâ ad altiſſimum cœli montem delati quieuerunt ? Cùm in bello vident milites aliquem de ſe ob virtutem militarem Ducem factum, alium ſigniferum, &c. reliqui mox æmulantur & animum adiiciunt ad conſequendos ſimiles honores. Cur non idipſum facimus in militiâ Chriſtianâ ? Quid enim prohibet ne ad ſanctorum gloriam euehamur ? Num gratia ? atqui illam orando conſequi poſſumus. Num vires naturales ? atqui illi omnes homines erant vt nos. *Ibi tot pueri & puellæ: ibi tot viduæ & anus:* Ibi tot ſimplices & illiterati: *Tu non poteris quod illi & illæ ?* Iulius Cæſar viſa Alexandri Magni ſtatuâ ingemuit, quòd ipſe in eâ ætate nihil adhuc præclarè egiſſet, in quâ Alexander iam penè totū ſubegerat orbē: Quam meritò ingemiſcimus & nos, quando audimus ſanctos tam mirabilia virtutum deſignaſſe facinora, cùm nos nihil horum adhuc fecerimus ? An non erubeſcimus, cùm illorum vitam aſpicimus noſtræ tam diſſimilem ? Sæuiente in Chriſtianos perſecutione Diocletiani, Narciſſus Epiſcopus Auguſtam Vindelicorum venit profugus; & neſcius, vbi diuerteret, ad Affram mulierem paganam forte diuertit, cum Diacono ſuo Felice. Quæ ſibi conſcia de publicæ impudicitiæ notâ, primùm eos turpitudinis ſtudio eò deflexiſſe rata, cœnam pro more inſtruit opiparam. Porrò Epiſcopus cùm ad ſumendum cibum acceſſiſſet, & primùm toto corpore, vultu, oculiſque ad orationem ſe componeret, illa, cui omnis orandi conſuetudo, non modò incognita, ſed ne viſa quidem eſſet, inſolitâ pietate ſtupefacta inquiſiuit quis eſſet. Cumque Chriſtianorum Epiſcopum eſſe cognouiſſet, mox ſalutari pudore ſuffuſa, & timore pariter correpta, ad eius ſe pedes abiecit, ac impudicitiæ labem vltrò eſt confeſſa. Ita S. Albanus à paganiſmo per Clerici cuiuſdam, quem hoſpitio receperat, piam & ſanctam vitam ad Chriſtum conuerſus eſt & tandem martyr effectus; apud Bedam *l. hiſt. Anglicanæ c. 7.* Huiuſmodi ſalutari pudore & ſtimulo occupari deberemus cùm ſanctorum geſta inſpicimus eoque extimulari ad eorum imitationem.

Hinc arguit nos Spiritus S. de Iuſtitia.

TERTIÒ, Adhibuit timorem omnium fortiſſimū vinculū, quo compellat nos intrare: comminando nobis iram Dei & in vltimo ſuo aduentu iudicium ſeueriſſimum & gehennam. Prædixit enim Dominus toties ibi fore priuationem beatitudinis: *Diſcedite à me maledicti*; & illâ puniendos, qui non fecerint bona opera: prædixit ibi fore tenebras exteriores, & illuc mittendum qui non habuerit veſtem nuptialem, prædixit ibi fore ignem æternum, & in eum mittendas eſſe paleas, Zizania, infructuoſam arborem, palmitem à ſe ſeparatum, &c. prædixit ibi fore vermem rodentem immortalem, & eo cruciandum qui ſcandalizatur. Prædixit ibi fore fletum & ſtridorem dentium, dæmonum ſocietatem, &c. Quorum vel vnicum ſatis nobis eſſe deberet, vt conuerteremur & virtutem amplecteremur. Propterea igitur Spiritus Sanctus arguit nos. Tertiò *de Iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt*, id eſt, (vt exponit Auguſtinus) quia cùm ſciamus caput impiorum dæmonem, ob peccatum cœlo exturbatum & in Orcum eſſe detruſum; ſimilem pœnam ſubituros peccatores, vtpote membra & ſubditos illius, non eſt dubitandum. Si enim Princeps malorum dæmon, princeps angelorum fuit, & modò *Lucifer*, modò *ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ & perfectus decore* nominatur: *cuius ornamentum fuit omnis lapis pretioſus: quem æmulata ſunt omnia ligna paradiſi*: ſi hic, inquam, præſtantiſſimus, ſapientiſſimus & pulcherrimus angelorum propter vnum peccatum è cœlo exturbatus & in abyſſum præcipitatus eſt: vnde ſibi peccatores, qui ſæpe totos annos in plurimis peccatis hærent: eadem ſcelera ſæpiſſimè repetunt variaque accumulant, blandiri de Dei beneuolentiâ poſſunt ? quo modo non meritò formidabunt ? Iam ergò qui fieri poteſt vt adhuc tantâ facilitate & quaſi per riſum peccemus, ſi perſuaſum nobis eſt Deum irreuocabili ſententiâ ſtatuiſſe, vt qui in peccato lethali moritur, æterno ſupplicio addicatur ? Si edicto Principis noſtri cautum eſſet, ne quis de nocte in plateis vagaretur, ſuſpendio propoſito; quis quæſo hoc attentaret ? Et ſi fortè quis id feciſſet, quomodo non eius facti teſtes vehementer pertimeſceret? *1. Reg. 14.* præceperat Saul militibus ſuis 10000. vt ne comederent quidquam vſque ad veſperam, ſub pœna mortis. Quam legem adeò timuere milites vt licet eſurientes tranſirent per agros, vbi coram ipſis mel fluebat, nullus tamen applicuerit manum ad os, vt guſtaret mel, excepto vno Ionathâ filio Saulis, qui quoniam legem illam abſtinentiæ non audierat, in ſummitate virgæ ſuæ guſtauit parum mellis: non guſtaturus profectò, ſi iuramentum patris audiſſet. Ecce tantum potuit pœnæ mortis comminatio, vt in maximâ tentatione & præſenti ſuauique delinquendi occaſione nemo deliquerit tot viro-

D. III. *Timor iudicij & gehennæ.*

Hinc arguit nos Spiritus S. de Iudicio.

Iſa. 14. Iob 4. Ezech. 28.

virorum, alioqui temerariorum, quales plerumque ſunt milites; Et quomodo nos non coërcet gehennæ comminatio, ne manum ad peccandum & ſæculi voluptates extendamus? Ionas propheta ad Niniuen trium dierum ciuitatem à Deo miſſus & clamare iuſſus: *Adhuc 40. dies & Niniue ſubuertetur: cœpit introire ciuitatem itinere diei vnius* & clamare; & ſtatim *peruenit verbum eius ad regem & crediderunt viri Niniuitæ in Deum & prædicauerũt ieiunium & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem, Ion. 3.* Ecce tanta ciuitas prophetæ comminatione terretur & agit pœnitentiam: quomodo non arguit nos Spiritus ſanctus, ſi poſt iſtas multo grauiores comminationes adhuc peccatis indormimus? Sed fortaſſe non credimus comminationibus Chriſti? Propterea *Viri Niniuitæ*, inquit Dominus *Matth. 12. Surgent in iudicio cum generatione hac* (nobiſcum) *& condemnabunt eam quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquàm Ionas hic.* Sed quis vidit inferni ignem dicet aliquis; quis inde ad nos remeauit vt vera hæc eſſe renuntiaret? O ſtultam quæſtionem! Propterea enim lacus inferni tanto magis extimeſcendus eſt, quòd nemo inueniatur, qui emergere ex illo potuerit. Si enim aliqui emergerent, ſperarent etiam alii inde ſe reuerſuros. Nunc autem cùm nullus redeat, argumentum eſt lacum illum tam profundum eſſe & portas eius adeò obſeratas, vt inde ſe ſubtrahere impoſſibile ſit. Doceat nos in hac re fabula illa de vulpe, quæ inuitata ad ſpecum Leonis, cùm vidiſſet plurima ingreſſorum animalium veſtigia, nulla verò reuerſorum, recuſauit ingredi dicẽs: *Quia me veſtigia terrent, omnia me aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum.* Quin etiam non pauci ad vitam reuocati, horribilia de inferno nuntiârunt & vera eſſe declamârunt arctiſſimâ ſuâ vitâ, quam poſt eiuſmodi reuocationem tenuerunt, vt ſcribunt S. Gregorius, Ioan. Climachus & alii. Et vt iſta non eſſent, non ſufficiat nobis Chriſtum eâ de re tanta dixiſſe? Qui videbat quæ in cœlo fiebant, non potuit videre quæ in inferno? An non ipſe dixit: *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem? Luc. 10.* Denique ſi teſte Ariſtotele *l. 2. de animâ ſect.* 154. Sola opinio mali imminentis ſufficit ad timorem generandum: non ſufficiat nobis fidei certitudo tam multipliciter comprobata in re ſummi momenti? Si audiremus ante portas ciuitatis eſſe terribilem Leonem: quis egredi tentaret, licet facilè fieri poſſet, vt à Leone non videretur? Arguit igitur & meritiſſimò arguit nos Spiritus ſanctus, ſi tam neruoſis vinculis non trahimur ad pœnitentiam, non allicimur ad virtutem. Atque vtinam arguentem audiamus; quis hic arguit ad ſalutem, monet inſtar Noë vt fabricemus nobi nauem pœnitentiæ, vt fugiamus ad Arcam. Væ autem nobis ſi non audierimus: quia veniet aliquando Iudex & arguet ad interitum; quod toties deprecratur Dauid dicens: *Domine ne in furore tuo arguas me.*

Obiectioni reſpondetur.

Quis dubitat homines tempore Noë, quando iam viſſerunt diluuium inualeſcere, ſeipſos redarguiſſe ac dixiſſe: O Noë, ô Noë! quàm fideliter nos monuiſti! quàm verè nobis Noë & conſolator eras! ô ſi nunc adeſſes! quàm promptè, quàm hilariter ad tuam nunc vellemus adnatare arcam! Quàm miſeri & cæci fuimus, qui dicenti non credimus! Hæc nos Auditores crebrò expendamus, ne in diluuium gehennæ improuidi incidamus.

CONCIO VIII.

Documenta.

Varia docentur in hoc Euangelio: ac primò

1. *Mors charorum æquo animo ferenda.*
2. *Superior ſubditorum potius ſtudeat commodis quàm propriis.*
3. *Eccleſia & paſtores eius etiam debent arguere.*
4. *Superiores condeſcendant inferioribus, fortiores debilioribus.*
5. *Veritas non niſi in Catholicâ reperitur Eccleſiâ.*
6. *Spiritus Prophetiæ tantùm in Eccleſia Catholica.*

THEMA.

Cùm venerit ille ſpiritus veritatis: docebit vos omnem veritatem.
Ioan. 16.

D. Auguſtinus *lib. 2. de doctrina Chriſt.* aſſerit Gentilium Philoſophorum aſſerta, dicta & facta, quando fidei noſtræ accommodata & conformia ſunt, non ſolùm non formidanda aut fugienda eſſe, ſed ab eis etiam tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus in vſum noſtrum vindicanda. Idque probat exemplo Hebræorum, qui ex præcepto Dei ſumpſerunt ab Ægyptiis mutuò vaſa & ornamenta de auro & argento, veſtem quoque plurimam, *Exod. 12.* ſibi retinenda ad meliorem vſum. Ad eum enim modum poſſe nos à Gentilium moribus, dictis & geſtis ea nobis applicare ad meliorem vſum, quæ ipſi ex rationis lumine prudenter & eruditè ſcripſerunt, dixerunt ac fecerunt. Ex gentilium igitur penu deſumptum eſt, quod ſcribit Ælianus *lib. 14. c. 34.* Summum Sacerdotem apud Ægyptios (qui & ſupremus eorum iudex erat) geſtâſſe collo appenſam imaginem, Sapphiro inſculptam, cui nomen erat *Veritas*, quòd ipſi exiſtimarent nullam magis dotem præter iſtam conuenire Sacerdoti. Conformis eſt hic ritus illi Hebræorum, quorum ſummus Sacerdos in rationali geſtabat inſcripta duo illa nomina: *Doctrina & Veritas, Exod. 28.* Nos igitur hunc ritum nobis applicantes dicimus Chriſtum Dominum huiuſmodi Sacerdotem eſſe, qui in pectore ſuo gerat Spiritum ſanctum ab ipſo procedentem per amorem Patris reciprocum, cui nomen *Veritas*, ſeu *Spiritus veritatis*, vti vocatur in hodierno Euangelio à Chriſto. Et quoniam hic Spiritus loquitur in Eccleſia per os Doctorum, non malè etiam dixerim Verbi Dei præcones gerere in pectore ſuo imaginem veritatis. Itaque Auditores, non eſt quod metuatis ne in concione falſa vobis pro veris obtrudantur, aut erro-

A *Dicta & geſta Ethnicorum ſana, non reſpuenda à Chriſtianis.*

erroneum quid proponatur. Non patitur hoc Chriſtus in Eccleſiâ Catholicâ, non fert Spiritus veritatis; cuius operâ & afflatu depromemus nunc veritates, quas in hodierno Evangelio deprehendimus.

B. I. Mors charorum æquo ferenda animo.

Prima Veritas, Mors charorum noſtrorum æquo & forti animo ferenda eſt, nec eo modo deflenda, quo modo mors infidelium. Docet hanc veritatem Chriſtus in hodierno Evangelio, cùm videns ſuos diſcipulos ex prædictione mortis ſuæ factos eſſe triſtes aſſerit mortem ſuam profectionem eſſe ad Patrem. Eandem confirmat Apoſtolus 1. *Theſſal.* 4. dicens: *Non contriſtemini* (de dormientibus) *ſicut & cæteri, qui ſpem non habent*, &c. Quia nimirum vt inſinuat, mors Chriſtianorum ſomnus potiùs eſt quàm mors. Vbi non omnem omnino triſtitiam prohiberi audimus; (hæc enim naturalis eſt) ſed inordinatam & immoderatam. *Contriſtamur nos*, inquit S. Auguſtinus *ſerm.* 32. de verb. Apoſtoli, *in noſtrorum mortibus neceſſitate amittendi, ſed cum ſpe recipiendi, inde triſtamur, hinc conſolamur.* Antonius Pius Imp. mortem ſuam defleri noluit, quod diceret ſe vocari à Diis non ad mortem ſed ad vitam. Iul. Capitolino auctore. Verum inanis hæc illius perſuaſio & vana ſpes, hominis nimirum gentilis fuit. Veriùs multo nos Chriſtiani dicimus vocari nos à Deo ad vitam immortalem ac beatam cùm hinc evocamur. Habet quidem mors amarorem ſibi innatum, verùm eum Chriſtus mitigauit ſuâ morte & reſurrectionis ſpe; quomodo Moyſes aquas amaras iniecto ligno, quod dulcorandi vim habebat, dulces & potabiles reddidit, *Exod.* 15. Dulce hoc lignum & glycyrrhiza eſt ſpes beatæ vitæ. Quanquam & Gentiles aliquos ſcimus mortem chariſſimorum forti & inuicto tuliſſe animo. Sanè illorũ exemplo conſolatur S. Hieronymus Heliodorum in Nepotiani nepotis morte. *Quid memorem Romanos Duces?* inquit, *Puluillus Capitolium dedicans, mortuum vt nuntiabatur, ſubito filium ſe iuſſit abſente ſepeliri. L. Pulus ſeptem diebus inter duorum exequias filiorum triumphans vrbem ingreſſus eſt*: (Etenim Paulo Æmilio triumphanti filius vnus quatriduo ante, alter triduo poſt triumphum expirârat.) Demum ſubiicit: *Hac in ſuggillationem noſtri breuiter dicta ſunt, ſi non præſtet fides, quod exhibuit infidelitas.*

C. II. Superior ſubditorum potius ſtudeat commodis quam propriis.

Secvnda, Subditorum magis commodis ſtudere quàm propriis debet, qui præeſt. Ita enim Dominus: *Expedit vobis*, inquit, *vt ego vadam. Vobis*, inquit, non mihi; quia nimirum Spiritum Sanctum miſſurus illis erat. Ariſtotele auctore *l.* 8. *Polit. cap.* 10. hæc eſt differentia inter principem & Tyrannum: *Tyrannus ſuum ipſius commodum ſpectat & quærit: Rex ſubditorum. Porro Reſpublica nõ eſt Regis, ſed Rex eſt reipublicæ*, inquit Claudianus ad Honorium. Reipublicæ ergò potiùs quàm ſibi ſeruire debet; quemadmodum caput comedit, loquitur, videt, non tam ſibi quàm toti corpori. Videre id eſt in Dauide, qui ob ſuum vnius peccatum aduertens puniri ſubditos lue peſtiferâ conuerſus ad Dominum exclamauit: *Ego ſum qui peccaui, ego iniquè egiſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? vertatur obſecro manus tua contra me.* 2. *Reg.* 24. In S. Gregorio Nazianzeno, qui cùm ab orientalibus Epiſcopis depoſceretur in Patriarcham Conſtantinopolitanum, reclamantibus Ægyptiis Epiſcopis, quo pacem publicam conſeruaret ceſſit electioni ſuæ, id Ionæ vſurpans: *Si propter me orta eſt hac tempeſtas, mittite me in mare vt vos iactari deſinatis.* Audiamus & Gentiles. Cùm ingens rei frumentariæ penuria eſſet Romæ. Cneus Pompeius annonæ procurator in Africam, Siciliam & Sardiniam nauigauit multaque frumenti vi collectâ Romam ire properauit. Verùm cùm ingenti tempeſtate obortâ nautæ detrectarent nauigationem, ipſe primus nauim ingreſſus, iuſſit anchoras tolli clamans: *Vt nauigemus vrget neceſſitas, vt viuamus non vrget.* Patriæ ergò incolumitatis rationem habuit. Plut. *in Rom. apopht.* Traianus Imperator cùm vulneratis militibus faſciæ deeſſent ad obliganda vulnera, veſtem ſuam conſcidit & in eum finem militibus diſtribuit, Sabell. *l.* 4. Alexander Macedo militem ſenem frigore obſtupefactum ac pene enectum cernens, ſurrexit de ſuo ſolio, quod propinquum igni erat, militemque ei impoſuit, vnius etiam militis incolumitatem propriæ dignitati præferens. Val. Max. *l.* 5. *c.* 1. Porrò ſi hæc gentiles, quid faciant Chriſtiani?

D. III. Eccleſia & Paſtores eius debent etiam arguere.

Tertia, Non conſolari ſolùm ſed & ſuo tempore arguere & punire debet Eccleſia & qui in eâ præſunt. Audimus enim in hodierno Evangelio Spiritum ſanctum (qui præſes eſt Eccleſiæ) non ſolùm eſſe paraclitum & conſolatorem; verùm etiam Cenſorem, qui vitia redarguit & punit. Iudicauit aliquando Hebræos fæmina quædam prophetis nomine Debora, quæ vox apem ſignificat, indicatque rectorem populi quaſi apem eſſe debere, quæ non ſolùm mel in ore gerit, ſed etiam aculeum à tergo, quo punit, Vnde S. Ambroſius *l.* 5. *hexam. c.* 21. ait: *Inter mella fundunt apes venena, ſi fuerint laceſſitæ.* Huiuſmodi apis fuit Debora illa, quæ geſtauit mel in ore, quando vaticinata eſt, quando populum exhortata ad aſſerendam libertatem ſuam de manu gentilium, quando carmen victoriale cecinit: ſed & venenum in hoſtes fudit, quando exercitum in Siſaram miſit, *Iudic.* 4. Debora talis eſt Eccleſia, quæ quidem inſtar apis mel fundit erga obedientes filios, conſolando remiſſionibus & indulgentiis, precibus & ſuffragiis, verbo Dei, paſcendo Sacramentis, ſanctorum communione, concionibus & ſacrificiis, &c. at ſi laceſſita fuerit, aculeum etiam & venenũ fundit in proteruos & pertinaces, arguendo, confundendo, Sacramentis & ſepulturâ priuando, è cætu fidelium eiiciendo. Idẽ hoc notabat paſtoralis virga Moyſis, quæ dum manu eius retenta fuit, virga fuit: vbi verò ad Pharaonem obiecta eſt, in ſerpentem verſa eſt, *Exod.* 4. Virga igitur Hebræis vtpote morigeris fuit, de quâ dicitur *Pſal.* 22. *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Serpens fuit Ægyptiis, vtpote contumacibus. Hæ ſunt duæ illæ virgæ à Deo aſſumptæ ad regen-

regendos Iudæos, quarum vnam vocauit *decorem*, alteram *funiculum*, *Zach.* 11. Virgâ decoris eos rexit, cùm per aduentum, conciones, miracula Chriſti eis blanditus eſt. Virgâ funiculi, quando per Romanos eos velut incorrigibiles caſtigauit & funiculis colligatos vendidit. Thucydides *l.* 6. ait; *Magiſtratus eſt Medicus ciuitatis.* Vt ergò Medicus non ſolùm blandientia adhibet medicamẽta, ſed cùm opus eſt, etiam ſecat, ſcindit, vrit: ita Magiſtratus duo eſſe officia dicebat Ageſilaus (teſte Plut. in Lacon.) *erga rebellantes audaciâ, erga ſubiectos beneuolentiâ vti.* Non decet Magiſtratum vitia ſubditorum diſſimulare, multò minus facinoroſis patrocinari. Docuit hoc Aſſeſſorem quẽdam Thomas Morus iucundâ ſanè ſtrophâ. Etenim Moro in Angliâ pro tribunali ſedente crumeniſecæ aliquot, id genus fures producti ſunt & accuſati. Ibi Aſſeſſorum vnus, vir grauis & ſenex eos, qui reos illos accuſabant, grauiter reprehendit, quòd in cuſtodiendis nummis & aliis ſuis rebus negligentes fuiſſent, atque ita furto occaſionem ipſi præbuiſſent. Huius importunitate offenſus Morus, Iudices tum dimiſit: ſequenti verò nocte vnum ex cleptis ad ſe adduci iuſſit, & quid fieri vellet, commonſtrauit, impunitate, ſi id feciſſet, promiſſa. Sequenti die Morus iterum pro tribunali ſedens, primùm eum, quo cum antè egerat, produci iubet; multorum furtorum accuſatus, facilem, ait, ſibi fore purgationem; modò vel ipſe Iudex, vel Aſſeſſorum aliquis ſecretò aures ſibi præbere vellet: reuelaturum enim aliquid, quod ipſorum omnium intereſſet. Tum Morus vnum ex Aſſeſſoribus eligendi poteſtatem fecit. Ille verò ſeni illi, heſterno ſuo Aduocato rem omnem aperturum ſe dixit. Sic igitur cum illo ſeorſum abſcedens, auri neſcio quid inſuſurrat: interim verò marſupium eius quærit, & inuentum aufert. Illo iam ad ſubſellium reuerſo, Morus hominem in carcere detineri ait, qui fame pereat, & rogare, vt Aſſeſſores paruâ ſtipe ſubueniant. Singulis igitur manum ad crumenam admouentibus, ſenex quoque ille marſupium ſuum quærit, eoque non inuento, vehementer commotus, rem indignam exclamat, crumenam ſibi eo ipſo in loco, vbi ius dicitur, eſſe ereptã. Tandem Morus rem omnem exponit, monens, ne poſthac tam acerbè reprehendat eos, quibus tale quid contingeret, neue furum & crumeniſecarum ſuſciperet patrocinium.

E. IV. Superiores condeſcendant inferioribus, fortiores debilioribus.

QVARTA, Inferioribus condeſcendere debent, qui ſunt ſuperiores; debilioribus fortiores. Ita enim Chriſtus in hodierno Euangelio ad captum diſcipulorum ſe accommodat nec plura eis imponit diſciplinæ onera, quàm ferre queant. *Adhuc multa habeo vobis dicere*, inquit; *ſed non poteſtis portare modo.* Quia, vt ait S. Auguſtinus in *Pſal.* 36. *c.* 1. *Tanquam Magiſter ſciebat & docere quod prodeſſet, & tacere quod obeſſet.* Hanc ob cauſam Hæbræi, non omnia quæ in ſacris literis ſunt, paſſim ab omnibus legi patiebantur, vt docet D. Greg. Nazianz. in Apologet. Teſte etiam D. Hieronymo *l.* 1. *in Ezech.* niſi quis apud Hebræos ætatem ſacerdotalis miniſterij, id eſt, triceſimum annum impleuiſſet, nec principia Geneſeos, nec Canticum Canticorum, nec Ezechielis exordium & finem legere permittebatur; donec nimirum ad perfectum illarum ſcripturarum intellectum adoleſceret. Quid mirantur ergò Hæretici, ſi Eccleſia Catholica non omnibus paſſim & ſine diſcrimine concedit legenda S. Biblia? Videt enim Eccleſia pleroſque eſſe paruulos nec pares habere humeros ferendis iis diſciplinis; quæ traduntur in Bibliis. Atque ita egit Apoſtolus, qui 1. *Cor.* 3. ait: *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi non eſcam*, hoc eſt, rudiora fidei documenta tradidi, non altiora. Quare condeſcendat inprimis Concionator & accommodet ſe captui ſuorum Auditorum: cùm infantibus balbutiat: cum ſapientibus ſapientiam loquatur. Deinde ſuperior quiſque condeſcendat inferioribus, firmior infirmioribus, vt ne idem onus imponat aſino & boui: quod in veteri lege cautum: *Non arabis in boue ſimul & aſino, Deut.* 22. hoc eſt, vt exponit S. Gregorius *l.* 1. *Moral. c.* 16. *Fatuum ſapientibus in prædicatione ne ſocies, ne per eum qui rem implere non valet, illi qui præualet obſiſtas.* Ita Plato duos diſcipulos ſuos, Xenocratem tardioris, Ariſtotelem acrioris ingenij coniuncturus: *Hui*, inquit, *qui aſinum cum equo ſociabo? hic fræno, ille calcari indiget.* Plut. *in Platone.* Sanctus ille Patriarcha Iacob poterat vtique pedibus aſſequi fratrem ſuum Eſau, verùm quia ſecum ducebat liberos ſuos, eorum greſſui ſe accommodaturus dicebat fratri: *Præcedat Dominus meus ante ſeruum: & ego ſequar paulatim veſtigia eius, ſicut videro paruulos meos poſſe, Gen.* 33. Ergò cùm ſuperior habet ſubditos pauperes, rudes, puſillanimes, timidos, qui non poſſunt vel audent petere quod ſibi neceſſe eſt, vel implorare ius, &c. ad eos ſe demittat, eorum miſeriis condeſcendat, non ſupra æquum oneret, nec ſolùm aures det oppreſſis, ſed etiam perquirat eorum preſſuras.

F. V. Veritas non niſi in Catholicâ reperitur Eccleſiâ.

QVINTA, Veritas in Eccleſia Catholicâ quærenda eſt, mendacium apud Hæreſes. Etenim Eccleſiæ ſuæ promiſit Chriſtus in hodierno Euangelio *ſpiritũ veritatis* cumque miſit in Pentecoſte, ſuæ, inquam, Eccleſiæ, non alteri. Eſt autẽ *ſpiritus veritatis*, id eſt, veriſſimus (per Hebraiſmum) quia (vt explicat Dominus) docet omnem veritatem & nullam admittit vel admiſcet falſitatem, quod ſolent facere hæreſes. Vnde *Pſal.* 88. de Eccleſiâ Spiritu Sancto præditâ dicitur: *Thronus eius* (Chriſti) *ſicut ſol in conſpectu meo & ſicut Luna perfecta in æternum.* Thronus Chriſti Eccleſia eſt, quia in eâ reſidet Chriſtus. Thronus iſte luce veritatis integrâ & immutabili ſplendet, quemadmodum Sol qui totus ſemper luminoſus eſt: & Luna, non qualiſcunque, ſed perfecta, qualis eſt in plenilunio. Habent etiam hæreſes vera quædam dogmata, ſed admixta falſis, habent ergò Lunam, ſed corniculatam & tenebrarum maculis aſperſam. De Eccleſiâ tantùm Chriſti dicitur: *Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te, Cant.* 4.

Nihil

Digitized by Google

Nihil hactenus demonſtrare potuerunt hæretici, quod rationi aut S. Scripturæ contrarium adeoque falſum eſſet in Catholicâ fide. Eccleſia etiam à ſuis decretis & dogmatibus nunquam diſceſſit, nunquam ea mutauit. Cæteri omnes in contrarias ſententias ſæpe abierunt, & modò hoc crediderunt, modò non crediderunt: vti patet de Auguſtanâ Confeſſione toties mutatâ ab iis, qui eam cuderunt. Veteres depinxerunt Veritatem quadrato inſiſtentem lapidi, ad eius firmitatem oſtendendam: Mendacium verò rotundo, ob eius inſtabilitatem. Veritas Catholica quadrato ſuper lapide fundata eſt: ſuper rotundo hæretica. Hinc etiam illud prouenit, vt Catholici mendacia longè magis auerſentur, quàm hæretici, quibus mentiri communiſſimum & promptiſſimum; quia & mendacia modò non ſint noxia, communiter pro peccatis non habent; cùm econtrà Eccleſia Catholica conſtanter doceat omne mendacium eſſe peccatum. Hinc & iſtud vt pro aſſerendâ Catholicâ veritate tot milleni martyres ſanguinem profunderent. Vnde S. Auguſtinus *ep. 9.* ait: *Incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum. Pro iſtâ enim fortiùs Martyres noſtri aduerſus hanc Sodomam, quàm pro illâ mille Heroes aduerſus Troiam dimicauerunt.* Depromant etiam Hæretici ſuos Martyres, qui pro ſuis dogmatibus aſſerendis vitam poſuerunt. Quàm paucos numerabunt, ſi facinoroſos ex iis demas!

G. VI. Spiritus Prophetiæ in Eccleſiâ tantum Catholicâ.

Sexta, In Eccleſia Catholica eſt ſpiritus Prophetiæ, nequaquam in ſynagogis hæreticorum. Audimus enim in hodierno Euangelio ſpiritum Prophetiæ Eccleſiæ promiſſum: *Et quæ futura ſunt annunciabit vobis.* Hunc verò in Eccleſiâ noſtrâ ſemper inuentum eſſe, nō difficilè oſtēdi poteſt. Quamquam ſuperuacaneum exiſtimo id de prioribus ſæculis oſtendere, cùm luce clarius ſit; ſolùm igitur recentiora aliqua teſtimonia afferemus. Anno 1583. obiit Aloyſius Bertrandus Valentianus Ordinis S. Dominici. Hic plurima prædixit, quæ omnia euentus vera fuiſſe oſtendit. *Inter alia cuidam nobili prænuntiauit fore vt ex eius filiis tres Societati* IESV *ſe adiungerent, vnus vxorem duceret. Hoc erat in voluntate poſitum, & nemo poterat id videre, niſi ſolus Deus. Paſtori cuidam quicquid habebat in animo, detexit. Vxori cuiuſdam, à quo malè habebatur, virum breui fore illi placatiſſimum, ipſam tamen paulo poſt morituram. Mulieri, quæ confitebatur, neque animo poterat omiſſa quædam ſcelera repetere, oſtendit quænam cogitaſſet aduerſus Dei legem, quæ nemo poterat ſcire, cum numquam excidiſſent ex ore ipſius. Deridebat Aloyſium quidam, & de illo detrahebat, quod auſus eſſet ipſi edicere, ne Valentiâ decederet, & Italiam appelleret, alioquin malo exitu vitam concluſurum: deridebat ille; ſed exitus rem comprobauit. Inciderat alicui mala de Aloyſio ſuſpicio, nemini tamen euulgârat; accitum monet hic Aloyſius: Falleris, qui de me id cogites; remq́;, vt erat aperuit. Alij ſignificauit in multas ærumnas caſurum. Inuiſerunt eum tres: accitos ſic eſt allocutus: Video arborem, cui tres rami; quorum primus ſterilis erat, præcidetur, & in anguſto loco reponetur: fructum ſecundus feret, ſed acerbum; ideo amputabitur, & videor mihi eum videre in ſepulchro: tertius edet fructus ſuaues, & conſeruabitur. Edixit deinde iis, ne cui hæc detegerent. Vt dixit, accidit. Primus impos mentis effectus in vincula eſt coniectus. Secundus religionem profeſſus haud multum religionis ſpecimen dedit, & breui vita deceſſit. Tertius diu ac ſanctè vixit. Iacebat ægrotus Franciſcus Borgia, medici vitam deſperabant: Aloyſius prædixit fore, vt paulò poſt conualeſceret, ac videret duos è filiis, qui vxorem ducerent: ideo ſuam in Deo ſpem poneret.* Atque hæc quidem de Aloyſio Bozius *to. 1. de Sign. Eccl. ſig.* 10. Græcis ob diſſenſionem & diſceſſionem à Romano Pontifice & ob ſuperbiam Patriarcharum Conſtantinop. aliquod, qui ſibi nomen Oecumenici arrogare auſi ſunt, excidium prædixere Leo Magnus & Gregorius Magnus; ſpeciatim Nicolaus V. Græcis vniuerſale quoddam decretum reſpuentibus inter alia ſic ſcribit, (vt refert Gennadius Patriarcha Conſtantinop.) *Sed toleramus in Ieſum reſpicientes ſempiternum Sacerdotem & Dominum qui ſterilem illam ficum vſque ad annum tertium iuſſit aſſeruari, agricolâ iam ad excidendam arborem ſe accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatis ruinam: anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimoprimo hanc conſcripſit epiſtolam: & milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio capta eſt Conſtantinopolis. Num poteſtis dicere hæc vera non eſſe? minimè gentium: cùm id ſit manifeſtum & res ipſa apertè loquatur. Tres inquit annos exſpectabimus, ſi vos fortè à ſchiſmate & ſeparatione conuerteritis, & vos verè decreto adiunxeritis, ſecundum Saluatoris de ficu præceptum. Sin minus, exſcindemini ne terram otioſam & inutilem reddatis. Hoc miraculorum miraculum maximum, quod vt in epiſtola ipſa ſcribit Nicolaus Papa, Græcorum illa magna & formidabilis, ſapiens, clara, fortis, terrarum Domina, ob diuinam vltionem ita in barbarorum ſeruitutem abducta eſt. Hæc narranti mihi ſubit lamentari, & deplorare excidium gētis noſtræ.* Anno 1595. obiit Romæ S. Philippus Nereus, qui quamplurimos euentus aliis prædixit, vt refert Antonius Gallonius in eius vitâ. Coæuus Philippo vixit Romæ S. Ignatius & ipſe Prophetiæ ſpiritu illuſtris; vt in eius vitâ videre eſt. B. Franciſcus Xauerius plurima ſæpe in publicis concionibus populo præſignificauit. Quid memorem alios ex eiuſdem Ignatij Societate, vti Cardinalem Bellarminum, Petrum Caniſium, &c. eodem dono præditos? Id enim atteſtantur eorum acta typis vulgata. Taceo alios quos recenſet Thomas Bozius *l. 6. de ſig. Eccl. ſig.* 19. Alexandrum Capocchum Florentinum ex Ord. S. Dominici: Antoniam mulierem Romanam ſanctitate præſtantem, Catharinam Raconiſiam: Margaretam Rauennatem, &c. quorum vaticinia longum nimis foret referre. Vnicum id audiamus quod in Germaniâ noſtrâ Virgo ſanctiſſima Hildegardis edidit præuidens hæreſes in eâ orituras operâ Lutheri & Caluini, vti refert Thaulerus: *Ah miſera Eccleſia quid ages? Mille hæreſes in te exorientur, quibus reſiſtere vix poteris. Ædes tua ſacra*

cra atque adeò ipſa etiam ſacra profanabuntur: Principes contra te inſurgent, populi contra te arma capient: omniaq; in ruinam tuam conſpirabunt. Quum primi illi homines luxui & voluptatibus ſeſe dediſſent, Deus aquarum eluuionibus vniuerſam terram ſubmerſit: at quia vltimi ſæculi homines in crudelitate & quouis opinionum vento abripi ſe patientur, Deus Eccleſiam ab eis auferet. Rurſus: *In tantam homines fluctuationem atq; errorem præcipites ibunt, vt tutam ceu Catholicæ veritatis aſſertori credere tutò poſſent atq; confidere, prorſus ſint ignaturi.* Item: *Exurget enim vox fallax, quæ omnes huic paternæ voci* (Chriſti & Eccleſiæ) *auſcultare nolentes in errorem abducet. Sonat autem nobis paterna vox per vocem S. Matris Eccleſiæ in omnibus doctrinis, præceptis atque conſilijs illius. Væ proinde atque iterum væ omnibus voci huic obtemperare nolentibus, vt ſeipſos in veritate paruipendant & ſtudeant eſſe humiles: his enim teterrima deſperationis vox inſpirabitur dicentibus pſeudodoctoribus falſum eſſe atque confictum quidquid vnquam priſcæ veritatis Doctores hinc docuêre.* Hæc an per Lutheri hæreſim Germaniæ contigerint, ſatis experti ſumus.

Nos ergò Auditores, in eâ perſeueremus Eccleſiâ, quæ & veritatem inuiolabilem ſpiritum Prophetiæ habet, nec alia niſi Catholica eſt.

CONCIO IX.

Myſteria.

Varia quæruntur ratione Euangelij hodierni; ac primò.

1. *An Apoſtoli non interrogârint quo vadis?*
2. *Cur expediebat Chriſtum diſcedere?*
3. *Cur non dicebat mitti Spiritum Sanctum Chriſto præſente?*
4. *Quomodo arguit mundum de peccato, de iuſtitia & iudicio?*
5. *Cur Apoſtoli tunc non poterant omnia portare?*
6. *Paracletus cur vocatur ſpiritus veritatis?*
7. *Quomodo verum eſt quod docuerit omnia?*
8. *Quomodo Spiritus Sanctus non loquitur à ſeipſo?*

THEMA.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis. Ioan. 16.

A. PLERAQVE Euangelia, Auditores, quæ hoc paſchali tempore leguntur, deſumpta ſunt ex præclaro & prolixo illo Domini ſermone, quem habuit ad Apoſtolos peractâ vltimâ cœnâ, & deſcribit nobis Ioannes *c.* 14. 15. 16. 17. Vnde inprimis miretur aliquis, quomodo Ioannes tam longum tamque ſuccoſum ac ſententioſum ſermonem de verbo ad verbum referre & ſcribere potuerit. Deinde cur Eccleſia ſermonem illum cœnæ, per tot Euangelia repetat tempore paſchali? Hæc dubia nobis reſoluit hodiernum Euangelium, cùm ait de Spiritu ſancto Dominus: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* Ergò inprimis Spiritus ſanctus eſt, qui præclarum illum ſermonem ita ſuggeſſit Ioanni, vt eum memoriâ retinere & exactè ſcribere ad inſtructionem noſtram poſſet, vti paulò ante *Ioan.* 14. dixerat Dominus; *Suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis,* (græcè, *in memoriam reducet vobis omnia quæcumque dixi vobis.*) Abſque inſpiratore illo nulli Euangeliſtæ poſſibile fuiſſet, concionem illam repetere tam exactè & ſyncerè. Deinde quia Spiritus ſanctus clarificare ſolet Chriſtum, ſuggeſſit etiam Eccleſiæ vt hunc Domini ſermonem, qui gloriam Chriſti Domini mirè amplificat, ſedulò ruminaret & inculcaret filijs ſuis. Nos ergò velut munda animalia ruminemus iſto tempore, quæ Saluator noſter in vltimâ ſuâ cœnâ manducanda nobis appoſuit.

B. I. QVAERIT. PRIMÒ. Quomodo Apoſtoli non interrogârunt Dominum: *Quò vadis?* cùm id Petrus paulò ante ſub eâdem cœnâ fecerit, dicens: *Domine quò vadis? Ioan.* 13. Et Thomas *c.* 14. quaſi interrogando: *Domine neſcimus quò vadis.* Reſp. iſtos quidem hoc propoſuiſſe; ſed cùm reſpondiſſet Dominus: *Quò ego vado vos non poteſtis venire,* debebant rurſum quærere: Quò ergò vadis Domine? quod tamen non fecerunt. Deinde priori interrogatione videntur tantum inquiſiſſe terminum viæ, non ipſam viam & mirandos ſaltus, vti vocat S. Gregorius *hom.* 10. *in Euang.* quibus ad patrem iturus erat Chriſtus: aſcendendo videlicet in Crucem, inde deſcendendo in ſepulchrum, hinc rurſum exſiliendo in terram indeque ad cœlum. Hos ſaltus editurum Dominum neſciuerant vel ſaltem perſuadere ſibi non poterant Apoſtoli, vnde nec interrogârunt de hoc miro itinere. Via de quâ *c.* 14. dixit: *Et quò ego vado ſcitis & viam ſcitis;* alia via eſt, Chriſtus videlicet, vt exponit ipſemet: non paſſio & mors illius. Videtur ergò dicere Dominus: Audiſtis me ad patrem ire: non tamen interrogatis, quâ viâ & quibus medijs me oporteat ire: cùm tamen plurimum veſtra interſit, vt per crucem, mortem, reſurrectionem & aſcenſionem ad eum pergam. Petrus ſuam interrogationem ideò formarat, vt poſſet ſequi Dominum. Hoc verò cùm fieri non poſſe intellexit, debebat vlteriùs inquirere: Quò ergò vadis Domine? quâ viâ, quibus paſſionibus ad patrem ire paras vt ſequi te non poſſim? Hæc eadem ſunt, quæ nos ſedulò expendere decet. Primùm, Quâ ratione Chriſtus & ſibi & nobis gloriam parârit; per ſtupendos ſcilicet ſaltus; vt ita ei grati ſimus, nec pigeat nos quadantenùs ipſum imitari. Exigui ſaltus ſunt, ſi de opibus ad inopiam, de famâ ad ignominiam, de ſanitate ad ægritudinem, de dignitate ad contemptum: forte ſaliamus. Maiores ſaltus edidit Dominus; vnde in Canticis dicitur: *ſaliens in montibus & tranſiens colles.* Secundum, Quâ ratione nos Chriſtum imitemur. Plurimi noſtrûm ad finem tantùm æternæ beatitudinis attendimus, media verò non

An Apoſtoli non interrogârint. Quo vadis.

Diſc. primò.

Secundò.

non curamus, vti filij Zebedæi, qui regnanti Chriſto aſſidere cupiebant, de paſſionis calice priùs ebibendo nihil cogitabant. Ergò non ad finem tantùm, quò tendimus, ſed ad viam quoque & media ſedulò attendamus; & Primò ad mortem, ad tribulationes & paſſiones, quomodo eas ſuperemus: deinde ad ſpiritualem noſtram reſurrectionem, quomodo per veram & ſynceram pœnitentiam de peccatis reſurgamus ad gratiam & vitæ nouitatem. Denique ad aſcenſionem quoque, quâ ratione poſt iuſtificationem proficiamus ſemper in bono & progrediamur de virtute in virtutem. Ita ſeipſum crebrò interrogabat Arſenius Eremita: *Arſeni propter quid exiſti?* de ſæculo ſcilicet ad Eremum. Et S. Bernardus in ſuo monaſterio: *Bernarde ad quid veniſti?*

C. II. Cur expediebat Chriſtum diſcedere.

QVAERIT. SECVNDÒ. Cur expediebat Chriſtum recedere à diſcipulis per aſcenſionem? Reſp. Primò, Quia cùm priùs exiſtimarent regnum Chriſti fore temporale (vt indicant duo illi diſcipuli euntes in Emaus) 1. ex hoc diſceſſu didicerunt, fore ſpirituale, temporali multò ſublimius: quo hic in hominum animis regnaret per gratiam, ibi per gloriam. 2. Secundò, Vt diſcipulorum amorem purgaret & fidem perficeret. Hi enim dum præſentem cernebant Chriſti humanitatem, ei ſoli inhærebant ob præclariſſimas virtutes in eâ reſplendentes; cùm inde ad diuinitatem eius tranſire debuiſſent eique potiſſimùm inhærere. Fides etiam illorum, quamdiu illis aderat Dominus, tanti eſſe meriti non poterat, quàm ſi ab eis tolleretur. 3. Tertiò, Expediebat toti mundo Chriſtum non in terris, ſed in cœlo degere, vt ſciremus ipſum eſſe cœli & terræ Dominum. Patri conſidere in gloriâ & inde velut è celſiſſimo throno contemplari & gubernare mundum: nobis verò adeſſe per Ven. Euchariſtiam; quod ſufficere nobis debet. 4. Quartò, quia vt ſubdit Dominus, alioquin Spiritus ſanctus in terram miſſus non eſſet? *Si non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos,* quâ de re mox.

D. III. Cur non decebat mitti Spiritum S. Chriſto in terris degente.

QVAERIT. TERTIÒ, Cur non congruebat mitti Spiritum ſanctum Chriſto adhuc in terris degente? Reſp. Chriſto tria quaſi ſtadia fuiſſe percurrenda in ſuo ad patrem itinere, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem; & de ſingulis intelligi poſſe ea verba: *Si non abiero, paraclitus non veniet.* Primum quidem, quia 1. *Non ante mortem eius.* mitti non poterat Spiritus ſanctus niſi Chriſtus Deum inter homines pacem firmâſſet ſanguine ſuo. Miſſio enim Spiritus Sancti effectus eſt paſſionis Chriſti. Ac licet Patres veteris legis iuſti Spiritum ſanctum habuerint, habuere tamen non niſi in ſanguine Chriſti, ſuo tempore fundendo, anticipatâ ſolutione. Ita exponit Theophylactus & Rupertus. Secundum 2. *Non ante reſurrectionem.* verò, quia non decebat membra coronari aut perfici ante caput, homines priùs impleri Spiritu ſancto quàm Chriſto, qui nobis donum id promeruit, redderetur ſua gloria. Non enim effundit ſe fons in riuulos, priuſquam ipſe ſuum impleuerit alueum. Vnde *Ioan.* 7. dicitur: *Nondum erat Spiritus datus, quia* IESVS *nondum erat glorificatus.* Tertium denique ob plures cauſas. 3. *Non ante aſcenſionem.* Primò, quia niſi Chriſtus priùs ad cœlos aſcendiſſet, non putaretur Spiritus S. à Patre & filio miſſus eſſe, adeoque nec ab vtroque procedere, ſed à ſolo patre. Secundò. Operationes Spiritus ſancti, vt miracula, prophetiæ, directio Eccleſiæ, &c. non ita clarè internoſcerentur ab operibus Chriſti, ſed huius potiùs præſentiæ quam Spiritui ſancto adſcriberentur. Chriſto verò ad cœlos euecto, ſatis apparebat opera illa Spiritus ſancti eſſe. Tertiò, Diſcipuli minus capaces fuiſſent Spiritus ſancti, vtpote adhuc carnali quâdam dilectione Chriſto inhærentes, ac veluti infantes hactenus lacte paſti: quod niſi eis ſubtraheretur, fruſtra daretur ſolidus cibus. Nihil eſt quod ita cum Spiritu ſancto pugnat atque carnis & rerum terrænarum amor, etiam non illicitus; quia vt viſco implicatæ auium alæ impediuntur à volatu: ita hominum animi terrenis rebus affixi euolare ad ſuperna & ſapere ſpiritualia bona nequeunt. Quamdiu ergò diſcipuli Magiſtri ſui præſentiæ corporali adhærebant, ad diuinitatis eius amorem difficulter ſe eleuare poterant. At *poſtquam Chriſti humanitas*, inquit Haymo, *exaltata eſt ſuper cœlos, Apoſtoli pariter omne deſiderium poſt Dominum tranſtulerunt.* Idem docet Auguſtinus, Gregor. Bernard. Beda. Iam verò Auditores ſi Apoſtoli Chriſti capaces non fuerunt Spiritus ſancti, quamdiu carnem Chriſti ſanctiſſimam omniq́ue virtutum ſplendore rutilantiſſimam corporaliter amârunt; quomodo nos paracletum illum ſperare poſſumus, qui ſæpe carnem peccatricem, fœtidam & fœdam, peccatis aſſuetam amamus? *Errat, errat omninò,* inquit S. Bernard. *ſerm. 6. de Aſcenſ. ſi quis cœleſtem illam dulcedinem huic cineri, diuinum illud balſamum huic veneno, chariſmata illa Spiritus miſceri poſſe huiuſmodi illecebris arbitratur. Quis enim ſectans lenocinia carnis ſua ſperare audeat gratiam illam Spiritus vehementis, quam nec cum ipſâ quidem Verbi carne obtinere Apoſtoli potuerunt?*

E. IV. Quomodo Spiritus Sanctus arguit mundum de peccato, Iuſtitiâ & iudicio.

QVAERIT. QVARTÒ. Quomodo Spiritus ſanctus arguit mundum de peccato, de Iuſtitiâ & de Iudicio? Reſp. De peccato inprimis infidelitatis arguit Iudæos impios, quia non crediderunt in Chriſtum ad ſe præ alijs miſſum, à ſe viſum & auditum; qui idcircò excuſationẽ non habent. De hoc autem ſpecialiter eos redarguit, quia infidelitas eorum ſummum erat peccatum & radix cæterorum ſcelerum. Radice autem arboris emortuâ, nullus ab eâ ſperari fructus *De peccato.* 1. poteſt. Ita exponit S. Chryſoſt. *hom. 77. in Ioan.* 2. S. Aug. *tract. 95. in Ioan.* Deinde de peccato vniuerſim, tam originali quàm actuali, arguit non Iudæos tantùm, ſed omnes infideles, quia oſtendit eos eſſe peccatores & in peccatis hærere, quotquot fidem noluerunt amplecti: quia extra fidem non eſt iuſtitia & ſalus quemadmodum nec remedia ſalutis, baptiſmus, remiſſio peccatorum & alia. Ita Cyril. *l. 10. c. 40.*

De

De Iuſtitia. 1. De Iuſtitia Primò ipſius Chriſti, quem iuſtiſſimum & ſanctiſſimũ, tametſi à Iudæis crucifixum, oſtendit, eò quòd Chriſtus poſt paſſionem ſuam in cœlum aſcendit & ſedet à dextris DEI, id quod mundo teſtificatus eſt Spiritus ſanctus, velut teſtis eius ab ipsò in terrâm miſſus. Quòd ſi Chriſtus iuſtiſſimus non fuiſſet, ſanè ad dextram Dei nequaquam aſcendiſſet. Si, vt Iudæi clamabant, malefactor & ſeductor fuiſſet, non cœlum ſed orcus potiùs illum excepiſſet. Ita D. Chryſoſtomus. 2. Secundò, De iuſtitia fidei Chriſtianæ, quam ſolam veram eſſe iuſtitiam docebit: arguet verò iuſtitiam politicam & hypocriticam, Philoſophorum, Iudæorum, Hæreticorum & Politicorum, velut inanem & inutilem, vt quæ hominem fingit tantùm iuſtum, nõ facit. Vera iuſtitia in ſolâ Chriſti fide eaque non mortuâ ſed viuente eſt, quam iuſtitiam nobis parauit Chriſtus quando per mortem & ſanguinem ſuum ad patrem iuit. 3. Tertiò, De iuſtitiâ Apoſtolorum & cæterorum fidelium, quòd eam infideles imitari nolint, ſed barbaram potiùs, obſcænam & flagitioſam vitam ducant; quemadmodum oſtendit eis Spiritus ſanctus comparatione Chriſtianorum, humanam, caſtam & inculpabilem vitam degentium, denique in Chriſtum etiam abſentem firmiſſimè credentium & ſperantium eique per amorem adhærentiũ; quod notat Dominus cùm ait: *Quia vado ad patrem & iam non videbitis me.* Sanè hiſtoriæ tradunt multos Gentiles conſpectâ Chriſtianorum fide & amore erga Chriſtum, ita vt pro eo quæuis aduerſa pati geſtirent mirum in modum partim eruditos, partim confuſos fuiſſe: ex illorum innocentiâ ſuas maculas & ſordes agnouiſſe. Ita D. Auguſtinus & Cyrillus.

De Iudicio. 1. De Iudicio Primò, Quia oſtendit mundum à Chriſto iudicandum & impios quidem condemnandos cum Lucifero & igni æterno tradendos; ſiquidem ipſe Lucifer, princeps impiorum, iam iudicatus & damnatus eſt, qui tamen priùs inter angelos ſpecioſiſſimus erat. Huius ergò lapſu ſi non erudiatur & caueat ſibi mundus, ſed inſuper etiam adhæreat huic reprobato & ad Orcos detruſo angelo, ab eo conſilia & opem poſtulet, cum eo conſpiret, ſuggeſtiones eius audiat, &c. redarguitur à Spiritu ſancto velut iure & ipſe damnandus. Ita Auguſt. *tract.* 95. 2. Secundò, Quia oſtendit Luciferum à Chriſto iam ſuo imperio exutum & triumphatum, quod prædixit Dominus *Ioan.* 12. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras, &c.* idque mundo demonſtratum eſt, quando ex Idolis & hominibus vndique dæmones pulſi, delubra deiecta, Idololatria extincta eſt. Hinc ergò colligere mundus debet Chriſtum reuerà mundi principem eſſe, ab omnibus colendum, non Diabolum. Alia moralis huius loci expoſitio videri poteſt parte 1. Concionum in Feſto SS. Philippi & Iacobi conc. 4. in Epilogo.

F. V. *Cur Apoſtoli tunc non poterant omnia portare.* Quærit. QVINTÒ, Quam ob cauſam Apoſtoli non poterant tunc portare omnia, quæ dicenda erant? Reſp. 1. Primò ob mœſtitiam, quâ occupati erant: futuri poſteà capaces cum deſcendiſſet Spiritus ſanctus eoſque conſolatus fuiſſet. 2. Secundò, Quia doctrinæ tradendæ tunc eorum captum ſuperabant: Spiritus ſancti illuminatio neceſſaria illis erat; vt ſentit Aug. Chryſ. Cyrillus. Poſtquam ergo Dominus Spiritum ſanctum S. Apoſtolis miſit, credibile eſt per illum aperuiſſe etiam illa, quæ priùs capere non poterant. Ait enim Dominus: *Adhuc multa habeo vobis dicere.* Sed nónne *Ioan.* 15. ait ſe omnia, quæ audiuit à Patre, nota iis feciſſe? Reſpondeo, nota feciſſe omnia, quæ illos tunc temporis ſcire oportebat: non quæ futuris temporibus. Vel præteritum: *Nota feci,* includit etiam futurum, phraſi Scripturæ.

G. VI. *Paraclitus cur vocatur ſpiritus veritatis.* Quærit. SEXTÒ, Quare paraclitus vocatur ſpiritus veritatis? Reſp. 1. Primò per Hebraiſmum, quia eſt veriſſimus, nullamque omninò falſitatem docere, neque decipi poteſt, ideoque fide digniſſimus eſt, vt ait S. Chryſoſtomus *hom.* 7?. *in Ioan.* 2. Secundò, quia eſt ſpiritus Patris & Filij, qui eſt vera & genuina patris imago ac Verbum, quemadmodum veritas eſt conformitas ſermonis vel imaginis cum re. 3. Tertiò, Quia veritatem aperit, vmbras figurarum veteris legis reuelat & explanat, vt docet idem Chryſoſtomus *hom.* 74. *in Ioan.* tenebras quoque ignorantiæ depellit, hominemque ad cognitionem verorum & ſolidorum, hoc eſt, ſupernorum bonorum adducit; quo modo Philoſophia aperit homini oculos ad cognitionem rerum naturalium. 4. Quartò, quia è diametro contrarius ſpiritui terreno & diabolico, qui ſunt ſpiritus mendacij. Vt enim duæ ſunt Sapientiæ, teſte S. Iacobo *c.* 3. vna de ſurſum, altera terrena: ita duo quoque ſunt ſpiritus, quorum alter inſufflat veritatem & cœleſtes facit: alter inſufflat mendacia & terrenos facit.

H. VII. *Quomodo Spiritus Sanctus docuit omnia?* Quærit. SEPTIMÒ, Quomodo, quando & quos docuit Spiritus ſanctus omnẽ veritatem? Reſpon. ad primum, non docuiſſe abſolutè v. g. omnes Philoſophorum ſcientias, aut ſeptem artes liberales: ſed omnia, quæ Apoſtolos ſcire decuit, videlicet quæ ad fidem & mores, & Eccleſiæ regimen, ad Scripturarum interpretationem pertinent.

Quando. Reſp. ad ſecundum, incertum eſſe an ea quæ diximus, docuerit Apoſtolos ſimul & ſemel in die Pentecoſtes, an verò paulatim etiam poſteà. Hoc poſterius videtur ex Actis Apoſtolorum colligi, vbi inſtruitur Petrus de vocatione Gẽtium per linteum cœlo demiſſum *c.* 10. Et *c.* 15. vbi in Concilio Apoſtoli conſultant de obſeruatione legis Iudaicæ.

Quos. Reſp. ad tertium, non ſolos docuiſſe Apoſtolos, ſed Eccleſiam quoque eiuſque inprimis rectores & ſumma capita: vti Romanos Pontifices, Patres in Conciliis legitimè congregatos, Doctores Eccleſiæ, &c. Æquè enim Eccleſia poſteris temporibus eguit hoc Doctore, ac tempore Apoſtolorum; vnde Dominus dixit *Ioan.* 14. *Ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.* Singularem autem huius Doctoris aſſiſtentiam habet Sedes Romana, ita vt in rebus fidei Eccleſiæ proponendis & explanandis nequeat errare; alioquin ſuæ

ſuæ Eccleſiæ Chriſtus nequaquam ſatis prouidiſſet; ſi nimirum Nauarchus ipſe ſua imprudentia euertere nauim poſſet.

I. VIII. Quomodo Spiritus Sanctus loquitur à ſeipſo? QVÆR. OCTAVO, Quomodo Spiritus Sanctus non loquitur à ſemetipſo, ſed quæ audit? Reſp. Primò, quia quæcunque docet, à Patre & filio accepit, à quibus & procedit. Quæ ergo ab æterno accepit, illa nobis tradit. Secundò, quia perficit doctrinam à Chriſto priùs traditam vel potiùs inchoatã. Poterat Chriſtus Eccleſiam in omnibus per ſe erudire: non indiguit ſubſtituto. Sed voluit dare locum etiam Spiritui Sancto, tertiæ in diuinis perſonæ, eique ſuam Eccleſiam, à ſe genitam & lacte enutritam commendare velut pædagogo & Doctori: vt ita Pater creatoris, Filius redemptoris, Spiritus Sanctus Doctoris dignitate coruſcaret, indeque myſterium SS. Trinitatis mundo clariùs innoteſceret. Tertiò quia nihil docet Chriſto aut doctrinæ eius contrarium, ſed omnia cõformia, vt exponit S. Chryſoſtomus & Cyrillus. Spiritus erroris ex propriis loquitur cùm mendaciũ loquitur, *Ioan.* 8. non ita Spiritus Chriſti, qui Dei Patris & filij placita annunciat hominibus. Hunc ergò nos Doctorem audiamus, Auditores non attendamus ſpiritibus erroris, ne à viâ veritatis abrepti de internis ignorantiæ tenebris eiiciamur in tenebras exteriores.

DOMINICA QVINTA POST PASCHA.

Euangelium Ioannis 16.

IN illo tempore, dixit IESVS diſcipulis ſuis, Amen Amen dico vobis. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo. Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Hæc in prouerbiis locutus ſum vobis. Venit hora, cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, ſed palàm de patre meo annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis. Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Dicunt ei Diſcipuli eius: Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc ſcimus, quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à DEO exiſti.

CONCIONES.

I. *Incitamenta ad orandum.*
II. *Cur velit rogari Deus.*
III. *De vtilitate & fructibus Orationis.*
IV. *Cauſæ cur interdum non audiantur preces noſtræ à DEO.*
V. *Circumſtantia Orationis.*
VI. *Pro quibus potiſſimùm ſit orandum.*
VII. *Cauſa & remedia diſtractionum in orando.*
VIII. *Fructus Incarnationis & paſſionis Chriſti.*
IX. *Myſteria.*

CONCIO I.

Incitamenta ad orandum.

Ad orationem incitant hæc quinque:
1. *Dignitas & præſtantia orationis.*
2. *Neceſſitas.*
3. *Facilitas.*
4. *Vtilitas.*
5. *Exemplum ſanctorum.*

THEMA.

Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Ioan. 16.

A SOLENT hoc tempore, Auditores, Principes terræ ad bella procedere, ideoque nunc paſſim bellicæ tubæ perſonant tympanaque perſtrepunt, quibus conſcribantur ad bellum & incitentur ad prælium milites. Nos ergò, qui non terrena regna ſed cœlum expugnare quærimus, pretioſum iſtud tempus non decet otio perdere. Quare S. Eccleſia & ipſa his diebus prodit & campanis ſuis quaſi bellicis tubis, ſolito magis perſtrepit & vexillis crucis erigit, vt nos ad ea conuocet & ad pugnam ſpiritualem, quæ media oratione potiſſimùm peragitur, excitet & armet: quo videlicet nos, dum alij pro terrâ pugnant, pro cœlo dimicemus. Quare dum pugnat Ioſue; non deſinat interim Moyſes leuare ad Deum manus. (*Exod.* 17.) cumque dies iſti ſint dies rogationum, videamus quæ ad hoc bellandi genus nos incitare debeant.

PRIMÒ, Dignitas & præſtantia orationis. Nam Primò, Oratio Deum & totam cœleſtem curiam exhilarat & delectat. Hinc enim *Apoc.* 5. orationes vocantur *odoramenta in phialis aureis*, quas coram Deo geſtabãt ſancti in manibus. Et *Apoc.* 8. angelus accepit incenſa de orationibus Sanctorum & obtulit coram Deo. Thymiama igitur ſuauiſſimum coram Deo ſunt orationes; ſicut nares hominum recreantur odorum fragrantiâ; ſic DEVS & cœleſtis curia oratione ſanctorum. Propterea etiam DEVS in lege veteri præcepit ſibi erigi altare thymiamatis, in quo id ſtatis temporibus offerretur. Non ſanè quòd odorum ſuffitu Deus delectetur, ſed quia thymiama typus orationis erat. B. I. Dignitas & præſtantia orationis.

Secun-

2. Secundò, Angelos ſibi amicos, familiares & præſentes facit, quod S. Bern. *ſerm.7. in Cant.* ex variis Scripturæ locis oſtendit, vt ex illo *Pſal. 137. In conſpectu angelorum pſallam tibi.* Et *Pſ.67. præuenerunt principes coniuncti pſallentibus.* Et ex dicto Raphaelis ad Tobiam, *Tob. 12. Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationes tuas coram Domino.* Legimus etiam *Act. 10.* Cornelio oranti aſtitiſſe angelum, qui eum hortabatur acceſſere Petrum & fidem ac baptiſmum ab eo recipere. Vt enim aulici comitantur eum, qui ad regem peroraturus venit: ita angeli orantes.

3. Tertiò, Hominem ad Deum eiuſque colloquium eleuat, ita vt coram eo effundere poſſit cor ſuum, petere quæ vult & miſerias ſuas exponere: id quod à principibus mundi huius ſæpe obtineri nequit & pro magno reputatur cùm quis ad audientiam principis admittitur. Quod ſi etiam ex conuerſatione cum viris principibus & ſapientioribus illuſtramur, recreamur, accendimur & confirmamur: quantò magis ex colloquio & conſortio Dei? Vnde ait Dauid *Pſal. 33. Accedite ad eum & illuminamini.*

C. II. Neceſſitas. SECVNDÒ, Neceſſitas. Verſamur enim in continuis periculis & inter innumeros animæ & corporis hoſtes, à quibus ſine Dei ope ſeruari nequaquam poſſumus. Propter quod Apoſtolus toties monet vt orationi perpetuò intenti ſimus, vti *1. Theſſ. 5. ſine intermiſſione orate.* Et ad *Col. 4. Orationi inſtate.* Primò enim quis enumeret hoſtes & pericula, quæ interdiu: quis ea quæ de nocte nobis imminent? itaque iure meritò manè ſaltem & veſperè Deus exorandus eſt à quouis Christiano? manè vt dirigat actiones diurnas, veſperè vt nocturnas. Sic præibit nobis quemadmodum Hebræis in hoc periculoſo vitæ itinere columna nubis per diem & columna ignis per noctem.

2. Secundò, Quis enumeret errata noſtra, quæ quotidie diu noctuque committimus? Quotidie ergò orandus Deus, vt dimittat nobis debita noſtra. Sic reddemus Deo, quod olim exegit ab Hebræis iuge ſacrificium, agnum ſcilicet manè & rurſum alium veſperè quotidie immolandum, (*Num. 28.*) quo placemus DEVM toties offenſum, de die & de nocte.

3. Tertiò, Quis recenſeat quantis rebus quotidie indigeamus ad animæ & corporis ſuſtentationem, quas niſi à ſolo Deo non poſſumus obtinere? Inter alia quamplurima indigemus terræ frugibus, quæ circa iſtud tempus maximè periclitantur. Indigemus Dei auxilio, ne frugibus illis & huius temporis amœnitate abutamur ad luxum & voluptatem. Indigemus viribus & victoriâ contra hoſtes Eccleſiæ & patriæ, qui hoc maximè tempore ad bella ſolent procedere. Indigemus Dei præſidio, quo præſeruemur à tempeſtatibus & fulminibus, quæ ſæpe incautos enecant. Indigemus Dei benedictione ad valetudinem tuendam, quæ primis terræ & arborum frugibus communiter lædi ſolet, ita vt peſtes & omnis generis morbi ab iis generentur. Et propterea Eccleſia hoc potiſſimùm tempore inſtituit ſupplicationes, in quibus inter alia precatur: *A fulgure & tempeſtate libera nos Domine.* Item: *vt inimicos S. Eccleſiæ humiliare digneris. Vt regibus & principibus Chriſtianis pacem & veram concordiam donare digneris. Vt fructus terræ dare & conſeruare digneris: te rogamus audi nos.*

D. III. Facilitas. 1. TERTIÒ, Facilitas eiuſdem. Primò enim inter opera mortificationis facillimum eſt oratio, quam ſine graui difficultate ſemper & vbique in promptu habere poſſumus. Vnde dicebat Dauid, *Pſal. 41 Apud me oratio Deo vitæ meæ; dicam Deo: ſuſceptor meus es.* q.d. Semper ergo mecum ad inſtar teſtudinis, domũ orationis meæ, in quam me recipio tentationis tempore & ad Deum confugio. Vnde S. Bern. *ſer. 5. in Quadr.* ait: *Rogo vos fratres vt ſemper ad manum habeatis tutiſſimum orationis refugium.* Dicere aliquis poterit: eleemoſynas dare nequeo, quia diues non ſum: ieiunare & corpus affligere non poſſum, quia robuſtus non ſum. Sed non poteſt dicere: orare non poſſum. Poteſt enim quiſque vel vnico deſiderio præſentare Deo neceſſitatem ſuam: quia *deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, Pſal. 9.*

2. Secundò, Deus ad audiendam orationem ſemper & vbique eſt paratiſſimus. Certè ſi ſemel quouis menſe tempus poſtulandi nobis conſtituiſſet, magnæ ipſi adhuc agendæ forent gratiæ. Solemus enim laudare principes illos, qui ſemel in hebdomade aut menſe ſaltem dant omnibus audientiam. Quid ergò nos facere par eſt, quando hoc beneficium Deus exhibet omni tempore? Non faſtidit noſtrum reditum nec ſæpe repetitas preces (quod facere ſolent homines, qui ſæpiùs adiutos tandem ope deſtituunt) quia *diues eſt in omnes, qui inuocant illum;* (*Rom. 10.*) imò vt petamus inſtigat & hortatur nos ipſemet toties in Euangelio, & allicit nos muneribus, quæ petentibus promittit.

3. Tertiò, Homo miſer & afflictus omnibuſque bonis deſtitutus nequaquam graue ſibi ducit aliorum opem implorare, imò hoc vnicum remedium & ſolatium miſeriæ ſuæ habet & auidiſſimè arripit. Quàm inſtanter & feruenter orant qui iactantur in maris tempeſtatibus? Hinc enim dici ſolet: *Qui neſcit orare eat ad mare.* Et quid facit, qui naufragium paſſus, omnia ſua perdit? an fortè erubeſcit aut detrectat cladem ſuam recenſere & aliorum opem implorare? minimè ſanè, imò hoc vltimum eius refugium & ſolatium eſt, ſuâ calamitate & imploratione permouere alios ad compatiendum.

Qui orare neſcit conſideret, 1. Itaque qui orare neſcit, conſideret inprimis, quantas miſerias incurrerit, per naufragium peccati originalis: perpendat infirmitatem & nuditatem ſuam, quâ velut pullus hirundinis in nidulo derelictus ſolius Dei opem expectat; conſtituat ſe ante Deum inſtar infantis, cæci, nudi, famelici, mendici, ab omnibus derelicti. Quantâ patientia & ſubmiſſione egenus præ foribus diuitis etiam fruſtillum panis præſtolatur? quàm flebiliter panem emendicat? Sic componamus nos & ipſi ante oſtium Dei.

2. Secundò, Ineat ſecum rationem, quot annis vixerit, quàm parum in illis profecerit, quàm exiguum diſcrimen videat inter ſenem vel adultum ſe & iuuenem; an proinde non meritò audire debeat iudicium illius ficûs (*Luc.* 13.) quæ triennio expectata fructus nullos fecit, ideoque exſcindi iuſſa eſt? Cogitet cum Thaide illà pœnitente, indignum ſeſe eſſe, qui proferat ore nomen Dei, dicens tantummodo: *Qui plaſmaſti me, miſerere mei.*

3. Tertiò, Doleat quòd ad orandum tam tepidus & pertæſus ſit, quodque in oratione tam aridus, diſtractus & indeuotus, & hoc imputet peccatis ſuis, quibûs huic ſiccitati & animi tumultibus cauſam dederit, ideoque iure plectatur virgâ illâ, quam ipſe ſibi confecerit. Amplectatur ergò hanc pœnam cum ſubmiſſione & propoſito emendationis.

4. Quartò, Deſideret ſaltem magno affectu maiorem in oratione deuotionem: deſideret eo affectu & ſpiritu orare, quo ſanctiſſimi quique orârunt; idem velit, idem quærat, quod ipſi quæſierunt, quemadmodum fecit vir ille, de quo ſcribit Carthuſianus quidam Monachus in tract. de Communione, incidiſſe illum in S. Ignatium Loyolam eiuſque ſocios aliquos in itinere Barcinonam contendentes rogaſſeque vt ſuam quiſque ſarcinulam ipſi ferendam traderet. Quod cùm vix impetraſſet, pergunt ſimul & hoſpitium ſubeunt, vbi ſinguli ſocij ſingulos ſibi angulos orationi aptos quærunt. Quod videns ille comes, ſociorum factum æmulatur, fixis genibus & ipſe vt poteſt orat. Reſumpto itinere quærunt ex eo ſocij, ecquidnam ipſe fecerit in angulo ſuo latitans? Quibus ille: *hoc ſolùm*, inquit, *Domine Deus, viri iſti ſancti ſunt, & ego iumentum ipſorum, quod ipſi volunt & quærunt, hoc & ego. Hæc*, inquit, *oratio mea eſt & præter hãc nihil.* Concludit verò Monachus ille, virum illum perfectè ſpiritualem euaſiſſe. Et quis noſtrûm ſimili modo nequeat orare? Denique coniungat & vniat orationem ſuam cum oratione & meritis Chriſti & hæc cum ſuis offerat. Quid hac re facilius? & quid hac oratione vtilius?

E. IV. Vtilitas. 1. QVARTÒ. Vtilitas, de quâ multa alibì dicta. Breuiter nunc dico Primò, Orationem eſſe medium vniuerſale ad vitam animæ conſeruandam, ſimile calori ſtomachi naturali, cuius ope fit concoctio digeſtioque, membra vegetantur totuſque homo inſtauratur & conſeruatur: Simili enim modo per orationem digeruntur omnia moleſta & aduerſa, vegetantur vires ad exercendas operationes virtutum, ad reſiſtendum contrariis vitiis, &c.

2. Secundò, Eſt inſtrumentum vniuerſale ad quæuis efficienda, ſicut manus hominis totius corporis inſtrumentum eſt: aut proboſcis Elephantis, quâ omnia illa facilè agit, quæ homo agit manu. Laborat manus hominis vt totum corpus ſuſtentetur, alatur, veſtiatur, ſanetur, defendatur & ipſa cum eodem. Idem ſuo modo præſtat & oratio.

3. Tertiò, Eſt præſidium vniuerſale contra omnia tentamenta, pericula & inſidias hoſtium; murus & antemurale. Hinc à S. Chryſ. *hom.* 5. *de incomparabili naturâ Dei*, homo orationi deditus comparatur arbori, quæ altiſſimas in terrâ radices fixit, ideoque frangi aut euelli à quibuſcunque ventis nequit. Et *l.* 1. *de orando Deo*, orationem aſſimilat baſi & carinæ nauis, quæ totam nauim compaginat. Et *l.* 2. *ſequente*, neruis, quibus totum corpus cohæret, currit, ſtat, viuit & compactum eſt, adeò vt *quemadmodum ſi incidas neruos, vniuerſam corporis harmoniam diſſolues: ita ſi orationem ſuſtuleris, animæ vires & actiones perdas.* Quare ſicut Iacob luctans cum angelo, ſuperari non potuit, donec neruus eius inciſus eſſet: quo inciſo Iacob claudicare cœpit, ideoque Iſraëlitæ ex eo tempore neruum non comederunt (*Gen.* 32.) ita inſuperabiles erimus, quamdiu neruus orationis viguerit in nobis, eo inciſo deficiemus. Caueamus igitur & nos neruum hunc abſumere: caueamus amouere ſtudium orationis. Audiamus eundem Chryſoſtomum paulò infrà: *Si teipſum*, inquit, *oratione deſtitueris, perinde feceris ac ſi piſcẽ ex aquâ extraxeris; vt enim piſci vita eſt aqua, ita tibi deprecatio.* Piſcis in aquâ fortis, extra aquam debilis eſt: ita SS. Confeſſores pro fide Chriſti capti à Tyrannis, fortes & inuicti perſtiterunt, quotquot iugi orationi ſeſe dediderunt; ceciderunt verò ij, qui orare neglexerunt, teſte S. Cypriano (vel quiſquis eſt auctor) *tract. de duplici martyrio: Noui ego*, inquit, *ac fleui quoſdam magnâ animi fortitudine præditos, qui iam coronæ proximi defecerũt, & quem diu profeſſi fuerant, abnegârunt. Quid fuit in cauſâ? Dimouerant oculos ſuos ab eo, qui ſolus robur dat infirmis: intermiſerant orationem ac cœperunt ad humana præſidia reſpicere.*

QVINTÒ, Exemplum ſanctorum, qui orationis ſtudio addictiſſimi fuerunt. Quorum princeps Chriſtus, qui cùm non indigeret oratione, in eâ tamen multoties pernoctauit. Dauid etſi Rex, occupatus regiis negotiis, *ſepties in die laudem dixit* Deo & *mediâ nocte ſurgebat ad confitendum Deo*, *Pſal.* 118. Daniel in aulâ Regis ter in die ſtatutis horis genua ſua flexit & adorauit Deum, *Dan.* 6. Iacobus Alphæi tam aſſiduus in orando fuit, vt genua eius in modum Camelorum, procumbendi aſſiduitate callum obduxerint, Bartholomæus Apoſtolus centies in die & centies in nocte flectere ad orandum cõſueuit genua ſua; quod idem feciſſe S. Martham ſcribit Petrus de Natalibus, & imitatus eſt Apollonius Abbas, vt habetur in vitis PP. Marul. *l.* 2. *c.* 1. Cornelium Centurionem Romanum, adeoque adhuc gentilem ſtata habuiſſe tempora ad orandum colligimus ex Actis Apoſtolorum *c.* 10. Audi S. Chryſoſtomum eâ de re loquentem ibi: *Cornelius*, inquit, *vita religioſæ ſibi tempora conſtituit: non enim eſt vir pius, qui ſibi ſtata orandi & bonis operibus vacandi tempora non præfigit.* Notate hoc verbũ, Auditores: *Non eſt vir pius qui ſibi ſtata orandi & bonis operibus vacandi tẽpora nõ præfigit.* Taceo alios nouæ legis & vtriuſq; ſexus ſanctos, qui ad miraculũ & ſtuporẽ vacârunt orationi, quos mirari potiùs quàm imitari poſſumus, vt qui dies nocteſque continuâ precatione immoti ſtantes tranſegerunt, vti S. Antonius: & qui annos integros, vti Ioannes Abbas,

F. V. Exemplũ ſanctorum.

qui

qui ſub quadam cauæ rupis fornice annos tres: & Siſinnius, qui in quodam lapideo monumento ſe occludens, per triennium ſemper rectus oraſſe dicitur, vt ſcribit Palladius *hiſt.* 61. & 109. Quid recenſeam Stylitas, qui ad 10. 20. & 30. annos ſtetere in columnis?

De his vtique Iſaias *c.* 8. in perſonâ Chriſti loquitur ad nos: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum & in portentum Iſraël.* Vt enim perſpiceremus, quid poſſit homo cum Dei gratiâ, dedit Deus Eccleſiæ tam portentoſos precatores, in exemplum aliorum, qui penè nihil volunt facere & leuiſſima etiam virtutum opera, qualis eſt oratio, reſpuunt. Videant igitur hi, quid poſſit natura cum Dei gratiâ, quæ nemini negatur. Ecce iſti homines fuerunt ſimiles nobis eâdem veſtiti carne: vt vigilârunt dies ac noctes cum Chriſto in oratione: *Sic* nos cum illo non poterimus *vnâ horâ vigilare?*

Ergo ad arma, ad arma, Auditores, quibus & terrena nobis ſubſidia quaſi ſpolia comparemus & vnà cœlum expugnemus, quò demum obtentâ victoriâ ibidem triumphemus.

CONCO II.

Cur velit rogari Deus.

Rationes aſſignat Auctor has:

1. *Vt per orationem diſponamur ad accipiendum.*
2. *Vt donum quod petimus, mereamur.*
3. *Vt mereamur plus accipere.*
4. *Vt hoc religionis actu ad eius amorem magis inflammemur.*
5. *Vt familiares Deo reddamur.*
6. *Vt dona Dei æſtimemus pro dignitate.*
7. *Vt agnoſcamus miſerias noſtras.*

THEMA.

Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Ioan. 16.

A PVLCHRAM quæſtionem mouet S. Baſilius *de conſtitut. monaſt. cap.* 2. Cur voluerit Deus ab hominibus rogari & obſecrari. Tribus enim de cauſis homines rogamus; vel quia neſciunt noſtram indigentiam, vel quia nos non amant, vel quia non pertinet ad ipſos nobis prouidere. Rogamus ergo eos. Primò, vt ſciant miſeriam & indigentiam noſtram. Secundò, Vt nobis compatiantur. Tertiò, Vt noſtri curam gerant. Sed nihil horum vrget, vt rogemus Deum. Ipſe enim Primò, melius nouit, quàm nos quibus indigeamus. Vnde *Matth.* 6. ait Dominus: *Orantes nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt,* &c. *Scit enim pater veſter quid opus ſit vobis, antequam petatis eum.* Deinde Deus amat nos, vti pater filios; ſicut etiam teſtatur Dominus vel in hodierno Euangelio, dicens: *Non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis; Ipſe enim pater amat vos.* Denique quia pater noſter eſt, ſpectat ad eum prouidere nobis tanquam filijs. Cur ergo vult rogari? Ad hoc Primò & generatim reſponderi poteſt, decretum eſſe à Deo dare nobis ea, quæ neceſſaria & ſalutaria ſunt & mediante oratione: quo modo etiam diſpoſitum eſt vt mediante matrimonio humanum genus propagaretur, medioque ſemine & terræ ſubactione, panis homini pararetur, &c. Huius verò decreti cauſas aliquot inueſtigemus.

PRIMÒ, Secundum S. Auguſt. in Matthæi c. 6. Vt per orationem diſponamur ad acceptionem bonorum, quæ poſtulamus. *Quia,* inquit, *ipſa orationis intentio cor noſtrum ſerenat & purgat, capaciúſque efficit ad excipienda munera, quæ ſpiritualiter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui ſemper paratus eſt dare ſuam lucem nobis vitalem, ſed nos non ſemper parati ſumus accipere, cùm inclinamur in alia & rerum temporalium cupiditate tenebramur.* Vbi duabus ſimilitudinibus inſinuatis rem explicat. B. I. Vt per orationem diſponamur ad accipiendum.

Primò, Solis, qui ſemper quidem lucet & quantum eſt in ipſo, ſemper eſt paratus communicare nobis lucem ſuam: ſed nos non ſemper poſſumus recipere lucem illam, quia ſcilicet nebula vel nubes tegit viſum noſtrum. Ita etiam Deus ſemper eſt paratus communicare nobis bona ſua: ſed nos ſæpe incapaces ſumus, quia ſcilicet non agnoſcimus indigentiam noſtram, & donorum Dei præſtantiam, ideoque ob ſuperbiam vel ſtultitiam noſtram indigni ſumus donis Dei. Oratio ergo diſſipat nebulam iſtam, ſerenat & purgat cor, dum orans hoc ipſo, quòd orat, ſeſe humiliat & inopem ſe agnoſcit. *Oratio enim humiliantis ſe penetrat nubes,* inquit Eccleſiaſt. *c.* 35. 1.

Secundò, Fontis, qui perpetuò quidem fluit, ſed non implet vaſculum, quia tu id clauſum vel inuerſum vel inclinatum tenes. Ita etiam Deus fons eſt bonorum omnium, omnes implere cupiens; ſed nos ſæpe cor clauſum habemus, vel auerſum aut inclinatum. Clauſum, cum bona, quibus egemus, non deſideramus. Quis autem nobis ea donet, quæ non curamus nec appetimus? Tum demum paſcit pullos ſuos auicula, cùm illi aperto ore inhiant eſcæ & quo poſſunt modo eam flagitant. Inde *Pſal.* 80. ait Dominus: *Dilata os tuum & implebo illud.* Auerſum vel inclinatum cor habemus, cùm terrenarum rerum cupiditate poſſidemur: quo etiam caſu incapaces & indigni ſumus Dei donis, quia quamdiu farina Ægypti ſuppetit, non ſapiet nobis manna. Ergò per orationem dilatamus ora noſtra verſus Deum & monſtramus ei appetitum atque indigentiam noſtram, ſicque impleri meremur. 2.

SECVNDÒ, ſecundùm S. Hieronymum in id *Ier.* 29. *Orabitis me & ego exaudiam vos:* Vt ſic donum, quod petimus, promereamur. Quis enim neget maioris dignitatis ac laudis eſſe frui bonis propriâ induſtriâ partis quàm gratis datis? Non ita magni æſtimant libros ſtudioſi, quos ex parentum pecuniâ acceperunt, atque eos quos præmij loco ob doctrinæ ſuæ excellentiam. Hinc pueri Lacedæmoniorum non obtinuere panem à parentibus niſi quem iaculis deieciſſent. Et noſtri etiam parentes mandant ſæpe filijs, vt ſi veſtem nouam velint, prius eam C. II Vt donū, quod petimus, mereamur.

lucrentur ſuâ induſtriâ, labore, vel probitate. Debet certè pater filijs alimentum; ſed quia vrſorum eſt ſuffurari mel apibus, & ignaui hominis eſt alieno veſci labore, idcircò meritò vrget, vt filij aſſueſcant lucrari panem ſuum. Vult ergò Pater noſter cœleſtis, vt cum merito honore & gaudio fruamur ijs, quæ date nobis vult; quod fit ſi inſtanti & humili oratione ea petierimus. Hinc, opinor, dixit in hodierno Euangelio: *Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Magnum quidem gaudium tibi eſt, hoſtem deuictum videre & ſpolia diſtribuere: ſed ſi tu eum viceris bellicâ induſtriâ & fortitudine, tunc gaudium perfectum eſt. Quæ per orationem obtinemus, noſtrâ aliquâ paramus induſtriâ, & ſic quaſi iaculis quibuſdam panem è cœlo deijcimus.

Et licet non obtineamus id quod petimus, non tamen fruſtramur merito orationis & virtutum, quas in eâ exercemus. Vnde Clemens Alex. *l.7.Strom.* ait *melius eſſe orare & non impetrare, quam accipere & non orare.*

D. III. Vt mereamur plus accipere.

TERTIÒ, Secundùm S.Hieronymum ſuper *cap.* 38.*Iſa.* Vt mereamur plus accipere, quàm petimus, vel quàm Deus daturus eſſet, ſi non peteremus. Eſt enim Deus veluti fons ſemper ſcaturiens & effundens in creaturas bona ſua. Hunc verò fontem largiùs fluere facimus, cùm orationis impetum & pondus adhibemus: ſicut aqua fontana, quò magis premitur & conſtringitur, eò profluit vehementiùs. Cùm ergo Deus cupiat dare pro dignitate ſua affluenter, (*Iacobi* 1.) vult à nobis exorari & quaſi vi quadam ad hoc vrgeri. Quod etiam videre eſt in fœtibus animalium, agnellis & porcellis alijſque, qui ſubinde matris vber ore premunt; pulſant & exagitant, vt hac copioſius emulgeant. Certè Deus rectè petentibus ſolet dare plus quàm petunt. Abraham petiit à Deo filium tantùm; & accepit ab eo talem, ex cuius ſemine Chriſtus natus eſt & benedictæ ſunt omnes gẽtes, *Gen.*21. Iſaac etiam deprecatus pro vxore ſuâ, meruit accipere gemellos, *Gen.*25. Iacob orauit Deum vt remitteret ſibi filios ſuos vndecim ex itinere Ægyptiaco; & meruit videre etiam filium ſuum duodecimum quem mortuum putârat, *Gen.*43. Anna petiit filium, & accepit eum ſanctiſſimum Prophetam, Samuelem, 1.*Reg.*1. Tobias petiit reditum filij ex Mediâ: & vidit redeuntem non modò ſaluum, ſed etiam cum vxore diuite & pharmaco cæcitatis ſuæ, *Tob.*5. Latro in cruce petit à Chriſto ſui memoriam tantùm, & obtinet paradiſum, *Luc.* 23. Mater S.Auguſtini Monica petiit à Deo, vt filium ſuum Chriſtianum Catholicum videret antequam moreretur: *Cumulatiùs hoc mihi*, inquit ipſa ad filium, *Deus meus præſtitit vt te etiam contemptâ felicitate terrenâ, ſeruum eius videam. l.* 9.*Confeſſ.c.*10.

E. IV. Vt magis ad eius amorem inflammemur.

QVARTÒ, Vt hoc religionis actu Deum colamus & ad eius amorem magis inflammemur ſecundum Chryſoſtomum *hom.*20. *in Gen.* Debemus certè Deo cultum & amorem ſuper omnia. Hunc verò ei reddimus in oratione, in qua exercemus fidem, ſpem, charitatem, humilitatem, timorem, reuerentiam, &c. Confitemur enim Deum eſſe authorem & datorem bonorum omnium. Confitemur eum eſſe patrem noſtrum, ad quem recurrere in neceſſitate debeamus. Confitemur eum poſſe ac velle mederi neceſſitatibus noſtris, ideoque & ſperamus ab illo remedium. Deinde in oratione blandimur quodammodo Deo, & poſitis alijs erga creaturas affectibus, ipſum nos amare velle oſtendimus, à quo opem flagitamus: (quis enim non amet eum, à quo beneficium ſperat & accipit?) ſic inflammatur amor filiorum erga parentes, cùm parentes ab ipſis rogari volunt. Ad hæc nos coram ipſo humiliamus, ipſum reueremur, adoramus, &c. Et hoc eſt illud thymiama ſuauiſſimi odoris, quod offerri, tam præcepit Deus *Exod. cap.* 30. Nemo ſibi rudis eſt, vt credat ſuffitum illum Deo curæ, honori vel oblectationi fuiſſe, niſi quatenus repræſentauit Iudæis, quibus omnia in figurâ contingebant, orationem, de quâ Dauid *Pſal.* 140. ait: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Vt enim incenſum illud oblectabat odoratum, pellebat fœtorem, fiebat ex confuſis aromatibus, prodibat ex igne: ita oratio honorat & oblectat Deum, pellit fœtorem peccati & Dei iram, procedit ex corde contrito & humiliato, inardeſcit ex amore. *Pro aris*, inquit Origenes *l.*7. contra Celſum, *nobis eſt mens ſua cuique ex quâ feruntur ſurſum verè & intelligibiliter ſuaueolentes ſuffitus, preces ex purâ conſcientiâ.* Hi ſunt *vituli labiorum noſtrorum. Oſe.*14. quos reddimus Deo noſtro, vti exponit Apoſtolus ad *Hebr.vlt.* Vnde nulla vnquam natio fuit, quæ non haberet certam ſupplicandi Deo ſuo rationem.

F. V. Vt familiares Deo fiamus.

QVINTÒ, Secundùm eundem Chryſoſtomum *hom.*19. *in Matth.* vt familiares Deo efficiamur interpellationis frequentiâ; ſiquidem ex crebro colloquio gignitur familiaritas; & cùm experimur ſæpiùs nos auditos obtinuiſſe, quæ petiuimus, inde fiduciam acquirimus propiùs & familiariùs cum Deo conuerſandi & nihil non impetrandi. Sic videmus fera animalia ciborum porrectione paulatim allici & magis ad manum porrigentis accedere tandemque intrepidè è manu cibum capere, nec fugere attrectantem, imo ei familiaria & addicta fieri. Muræna Craſſi Romani appellantis vocem agnoſcebat atque ad eum adnatabat: cumque ei quidpiam porrigebat, gaudio exiliens prompto & parato animo accipiebat. Vnde Craſſo tam erat chara, vt mortem eius fleuerit, teſte Æliano *l.* 8. *c.*4. Solent & mendici conſuetis ſuis largitoribus magis commendari & familiares fieri. Vnde S.Bernard. *tract. ad fratres de monte Dei*, ſic deſcribit orationem: *Oratio eſt hominis Deo adhærentis affectio & familiaris quædam & pia allocutio & ſtatio illuminatæ mentis ad fruendum Deo quamdiu licet.* Nouimus certè Moyſen ex conſortio ſermonis cum Deo habiti ſecundâ vice in monte Sinai, vultum eius fulgidis illuminatum eſſe radiis, vt nemo in eius faciem poſſet intendere, *Exod.*34. Nimirum qui cum Deo ſæpe conuerſantur & orantes

tes eloquuntur, inſtar Moyſis radiis Dei afflantur, fiuntque Deiformes & lucidi in animâ & quandoque etiam in corpore, vti Chriſtus Dominus in oratione trâſfiguratus colluſtrauit ſuis radiis Moyſen, Eliam & tres diſcipulos. Sancti etiam aliquot, vti Antonius, Frâciſcus, Ignatius Loyola aliique qui inter orandum viſi ſunt toti radiare. Nec mirum; ſi enim ex côuerſatione cû homine muſcum redolente, etiam ipſi odorem aliquem contrahimus; ſi redolent manus ex chirothecis redolêtibus, ſi ex pharmacopolio odorem aliquem efferimus: quid mirum ſi ex Dei familiari colloquio diuinum aliquid induamus? Et quoniam ipſe dixit: *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum:* idcirco per orandi ſtudium voluit nos ſibi fieri familiares. Principes terreni nô admittunt quoſuis ad ſuam conuerſationem ac colloquium, multò minùs inuitant. Vnde audires illos dicentes: *Noli mihi moleſtus eſſe.* Sed non ita Deus, qui inuitat omnes, vt inſtanter petant & cum ipſo colloquantur: *Petite & accipietis*, &c.

G. VI. Vt Dei dona æſtimemus pro dignitate. SEXTÒ, Secundùm S. Baſilium loco ſup. cit. vt cognoſcamus Dei dona & quanti decet æſtimemus ac conſeruemus. De humanis donis concedi poteſt illud Senecæ *l. de benef. Nulla res cariùs conſtat quàm quæ precibus empta eſt.* Nequaquam de diuinis; de his enim dicebat Chriſtus ad Samaritanam: *ſi ſcires donû Dei, tu forſitâ petiſſes*, id eſt, vtique petiſſes. Ea verò ſi nullis interpoſitis precibus à Deo gratis omninò offerrentur, vtique vileſcerent. Ex actis Apoſtolorû *cap.* 22. ſcimus tribunum illum magni æſtimâſſe, ciuem eſſe Romanum; ſiquidem eam dignitatem magnâ pecuniæ ſummâ conſecutum ſe dicebat. Quâto æquiùs igitur eſt, vti Dei dona, quia omne pretium ſuperât, precibus ſaltem comparentur? Scimus S. Auguſtinum vocatum ab Epiſcopo quodâ, *filium lacrymarum* matris ſuæ, quod eius côuerſionem Monica mater multis lachrymis & precibus obtinuiſſet; vt eſt in *Confeſſ. l.* 3. *cap.* 12. Quod donû tanti ipſa æſtimauit, vt propter id vnicum viuere, eo verò obtento mori deſiderârit; vt habetur *ibid. l.* 9. *c.* 10. ideoque filium terrâ marique comitaretur, *ibid. l.* 6. *c.* 1.

H. VII. Vt habeamus cauſam agnoſcendi miſerias noſtras. SEPTIMÒ, Secundùm Chryſoſtom. *ho.* 19. *in Matth.* Vt habeamus occaſionem & incitamentum humiliandi nos, & agnoſcendi miſerias, defectus & peccata noſtra. Prudês paterfamilias, vt in humilitate & officio côtineat ſeruos ſuos, reſeruat ſibi claues aliquot, veluti clauem pecuniarum, quas eis pro ſeruitio pactus eſt: clauem penuariam & cellariam; clauem domus, &c. ita vt ſi nummos velint, ſi panem aut vinum appetât, ſi noctu egredi è domo cupiant, non id libitu ſuo obtineant, ſed petere cogâtur. Simili ratione Deus bonorum ſuorum claues ſibi reſeruauit, vt dum ea petere ab ipſo debemus, in officio & humili obedientiâ contineamur. Pulchrè autem Hebræi dicunt, quatuor potiſſimum claues Deum ſibi reſeruaſſe. *Quatuor ſibi claues Deus reſeruaſſe dicitur.* Primò Clauê vitæ ſeu generationis, vti indicat Iacob, cùm obiurgatus ab vxore, vt daret ei liberos; reſpondit: *Nunquid pro Deo ego ſum, qui priuauit te fructu ventris tui? Gen.* 30. Secundò, Clauem pluuiarum, quas cùm vult emittit, quaſi ex theſauro ſuo, *Deut.* 28. *Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimû, cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore ſuo.* Tertiò, Clauem alimoniæ ad famem depellendam, *Pſal.* 103. *Omnia à te expectant vt des illis eſcam in tempore. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur.* Et *Pſ.* 144. *Aperis tu manum tuam*, &c. Quartò, Clauem ſepulchrorum ſeu reſurrectionis, *Ezech.* 37. *Ecce ego aperiam tumulos veſtros & educam vos de ſepulchris veſtris.* Hæc & ſimilia bona dum ſibi reſeruauit Deus, voluit hominem ſibi aſtringere vt cogeretur ad ipſum recurrere, & continere ſe in humilitate; quia eius ruinas implere debet, qui cecidit ex ſuperbiâ. In cuius locum ille nos perducat, qui eum ſicut fulgur de cœlo cadentem vidit.

(Margin: 1. 2. 3. 4.)

CONCIO III.

De vtilitate & fructibus orationis.

Oratio varios fructus affert, ac primò,

1. *Mentem exhilarat.*
2. *Parit contemptum.*
3. *Munit contra hoſtes.*
4. *Reprimit Dæmonem.*
5. *Vincit ipſum Deum.*
6. *Impetrat quod petit.*
7. *Meretur ſemper aliquid.*
8. *Satisfacit pro peccatis.*

THEMA.

Petite & accipietis. Ioan. 16.

IN libro Iudith *cap.* 7. legimus Holofernem, cùm obſidere pararet Bethuliam & circuiret priùs ciuitatem, reperiſſe fontem, qui per aquæductum dirigebatur & influebat in ciuitatem. Primum itaque quod fecit, erat, vt incidi præciperet aquæductum illum, quò nimirum ciues aquâ deſtituti citiùs ſe dederent. Et obtinuiſſet abſque dubio quod machinabatur, niſi Deus de cœlo per famulam ſuam Iudith populo ſuo ſuccurriſſet & Holofernem proſtrauiſſet. A. Orationis neceſſitas. Spirituali ſenſu hoc idem molitur humani generis hoſtis, qui ſciens quantum boni nobis proueniat è cœleſti aquæductu, qui mihi nihil aliud eſt quàm oratio, de fonte bonorum omnium Deo, omnia nobis neceſſaria adducens; idcircò ante omnia conatur hunc incidere & ab orandi ſtudio homines auertere, certus vtique quòd facilè ſuperari queant, qui hoc ſtudio deſtituti ſunt. Sed quod Holofernes potuit per vim, non poterit diabolus niſi conſentiamus nos. Abſit igitur à nobis vt incidi patiamur aquæductum noſtrum. Quin potius ſi cætera bonorum operum ſtudia fortè quis intermittat, ſaltem orandi ſtudium nemo intermittat, niſi in extremas calamitates & certiſſimum exitium præcipitari velit. Quod vt conſtantiùs faciamus, cœleſtis huius aquæductus commoda videamus.

B. I. Mentem exhilarat. PRIMÒ. Oratio mentem exhilarat, teſte S. Iacobo *c.* 5. *Triſtatur aliquis veſtrum? oret.* Et 1. *Theſſal.* 5. *Semper gaudete, ſine intermiſſione orate.* q.d. Si ſemper vultis gaudere, ſemper orate. Similiter *Iſa.* 56. *Lætificabo eos in domo orationis meæ.*

Google

meæ. Etenim Iudæi lætantes ibant ad templum, quaſi ad domum Domini, ibique exultantes orabant & canebant omnis generis inſtrumentis. Vnde Dauid dixit *Pſ*. 121. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*. Quantò maiori lætitiâ adire templa noſtra deberemus, vbi verè & corporaliter Deus habitat in Euchariſtiâ? ſcimus Dauidem exultaſſe ante arcam & luſiſſe inſtrumentis, licet arca illa typus tantùm Euchariſtiæ fuerit: quantâ ergò cum conſolatione deberemus effundere corda noſtra in tēplis noſtris? Refert S. Hilarius initio expoſitionis Pſalm. Dauidem cùm adhuc paſtor eſſet & ruri ſolus degeret, ſubinde melancholiâ laboraſſe: idcircò ei pellendæ pſalterium accepiſſe & diuinas laudes ceciniſſe, hacque ratione ſeipſum exhilaraſſe. Quo experimento edoctus poſteà etiam Saulem liberauit à dæmone melancholico 1. *Reg*. 16. Ad huius igitur exemplum, ſi qua nos triſtitia inuadit, ſumamus cytharam orationis & canamus.

Ratio; quia cùm alteri, ſuperiori præſertim & Iudici, aperimus afflictiones noſtras & iniurias, quas patimur, inde recreamur & ſubleuamur, quaſi iam depoſuerimus onus. Multò magis conſolari debemus, quando Domino Deo aperuimus noſtras miſerias & afflictiones; ipſe enim pater noſter, Medicus & Iudex eſt. Vnde *Pſal*. 36. dicitur: *Reuela Domino viam tuam & ſpera in eo, & ipſe faciet & educet quaſi lumen iuſtitiam tuam*. q.d. Aperi Deo per orationē & committe cauſam tuam: & ipſe inueniet rationem, quâ innocentia & iuſtitia tua pateſiat cōtra oppreſſores, &c. Quod experta eſt Suſanna; ſuſpiciens enim in cœlum, quando iniuſtè condemnabatur, commendabat cauſam ſuam Deo; *erat enim cor eius fiduciam habens in eo*; moxque excitauit Deus puerum Danielem, qui innocentiam eius prodidit eamque liberauit, *Dan*. 13.

C. II. Parit cōtemptum mundi.

Secvndò, Parit contemptum rerum mundanarum. Deo enim appropinquat orans & de rebus maximi momenti cum eo tractat ac colloquitur, quibus deguſtatis faſtidire incipit puerilia, quæ in mundo ſunt negotia. Vt enim Regis conſiliarij qui de prouinciis, de exercitibus, de bellis & legationibus ac ſimilibus cum rege ſolent agere: quando domum redeunt, priuata negotia & quæ ad rem domeſticam pertinent, leui nutu expediunt & tanquam vilia ſpernunt: ita qui cum Deo mediâ oratione agunt & de rebus illis ſummis, quæ ad Dei gloriam & animæ ſalutem ſpectant, agitant conſilia: quando ad terrena iſta oculos conuertunt, omnia contemnunt tanquam inaniſſima. Si quis ſtaret iuxta ſolem; & terram inde aſpiceret, totam vix puncto compararet: & qui in altiſſimâ turri ſtat, homines formicis & equos catellis nihilo grandiores putat: ita qui orationi addictus eſt, terrena omnia pro nihilo ducit. Eſt enim oratio, aſcenſus mentis ad Deum: & per eam non tam appropinquant nobis Deus, quàm nos illi: quia vt aduertit S. Dion. Areopag. ſicut qui in naue poſitus trahit ſe ad littus videtur littus ad ſe trahere, cùm tamen contrà fiat: ita orans trahitur potius ad Deum, quàm trahat illum ad ſe.

Hinc ergò fit, vt talis non facilè moueatur aut triſtetur, licet aliquod damnum vel iniuriam accipiat, licet maiora in alijs, minora in ſe videat bona, &c. quia conſcius rerum ſupernarum, omnia hæc contemnit. ſimiliter nec gaudet ob fortunam temporalem, ſi opes acquirat, ſi veſtibus fulgeat, ſi inimicorum ſuorum infortunia cernat, &c. quia nihil iſta ducit, quæ alioquin homines in terrâ conſtituti magna eſſe putant, eiſque plurimùm mouentur.

D. III. Munit contra hoſtes.

Tertiò, Munit inſtar mœnium contra omnia pericula & hoſtium incurſus. Cuius rei exēplum videre eſt. *Exod*. 17. vbi quamdiu Moyſes leuabat manus & orabat, vincebat Iſrael: ſin autem paululùm remiſiſſet, ſuperabat Amalec. Quo exemplo animabat ſuos contra Holofernem & excitabat ad orationem adeoque opem ſenſit Eliachim Sacerdos, *Iudith* 4. Idem ferè accidit orante S. Gregorio Thaumaturgo: Sæuiente enim perſecutione ipſe pro ſuis ciuibus & martyribus cum Tyranno depugnantibus oraturus in montem cum Diacono aſcendit, ibique extenſis manibus orârunt: Inſecuti ſunt eos duo perſecutores, ſed eos non agnouerūnt: putabant enim ſe non duos homines, ſed duas arbores videre. Teſtatur Gregorius Nyſſenus in eius vita. Hinc Honorius Imp. dicere non dubitauit. *Imperium Romanum ruere & ſtare precibus Sacerdotum*. Et Iuſtinianus Imp. in nouellâ conſtitut. 133. dicit *Imperium, militiam, agros ipſos & quidquid habent homines ſæculares, per orationes conſeruari ſanctorum*. Et noſtro tempore S. Tereſia ad hūc potiſſimùm finem erexit monaſteria religioſarum mulierum, vt quando manu contra hæreſes pugnare nequirent, oratione pugnarent & lachrymis *l*. 2. *c*. 1. vitæ eius. Senſit & hanc orationis efficaciam olim Ludouicus Palatinus, qui cùm venationi deditiſſimus eſſet & publico edicto ſeuerè cauiſſet, ne quiſquam ſubditorum ceruis aliiſque feris nocumentum afferret: indeque factum eſſet vt ab illis paſſim ſegetes & vineta vaſtarentur: querebantur ſubditi & dicebant: *niſi edictum hoc mitiges, eris poſthac expers precum populi tui*. Quo audito ille: *ſi ita fore exiſtimatis*, inquit, *malim carere etiam totâ vitâ ferinis ferculis, quàm meorum precibus*. Timoth. Brech. *in Orat. Ludou. Princ*. Quod ſi tantum valet oratio aliena, quantò plus valebit propria? Expertus eſt Iudas Machabæus, qui tot tamque nobiles victorias de Antiocho obtinuit, quia ſemper ante ſingula prælia feruentes ad Deum preces fudit, excepto vltimo, in quo confoſſus occubuit, quia tunc oraſſe non legitur. 1. *Mach*. 9.

E. IV. Reprimit Dæmonem.

Qvartò; Dæmonem reprimit. *Scelerati Spiritus*, inquit Chryſoſt. *l*. 1. de orando Deo, *ſi nos conſpexerint deprecatione munitos, ilicò reſiliunt, nō aliter quàm prædones ac facinoroſi, vbi conſpiciunt militis gladium in caput ſuum vibrari. Quòd ſi contingat aliquem eſſe nudum precationis præſidio, hic auulſus deportatur à dæmonibus & in calamitates variaq; mala impellitur*, Sic ille. In Vitis Patrum *l*. 6. *tit*. 2. legimus, Iulianum Imp. Apoſtatam & Necromanticum miſiſſe dæmonem ex Perſide in Occidentem, ad ferendum ſibi inde reſponſum

ſum aliquod. Cumque veniſſet dæmon ad locum in quo habitabat Publius Monachus, ſtetit ibidem per decem dies immotus, quia Monachus ille continuò orabat, itaque tranſitum eius impediebat. Regreſſus ergo dæmon & à Iuliano increpatus, cur tamdiu moram feciſſet, reſpondit: *Publius Monachus tranſitū meum impediuit & ita re infectâ redeo.* Iulianus indignatus minatus eſt Publio mortem: ſed ipſe priùs & non multò pòſt interfectus eſt. Scribunt in Thraciâ equos, tametſi ferociſſimi ſunt, vno tamen filo frænari & retineri poſſe. An non equus ferociſſimus dæmon? Et tamen tenuiſſimo orationis filo domatur & retinetur, vti diximus. Hinc *Cant.* 4. vbi vulgata legit: *Sicut vitta coccinea labia tua*; alia litera legit: *Sicut filum coccineum labia tua,* non obſcurè indicans eiuſmodi filum eſſe labia orantis. De Chamæleonte ſcribit Scaliger exercit. 196. quòd ſit hoſtis animalium venenatorum; vnde videns ſerpentem in arborem aſcendit, & ex ore quaſi filum more araneæ demittit, in cuius extremitate eſt guttula margaritæ ſplendore; hanc pede anteriore diriget ſuper ſerpentem, eâque tactum enecat. Similem efficaciam habet oratio contra dæmonem in nomine IESV facta, iuxta id: *In nomine meo dæmonia ejcient.* Idcircò Eccleſia ad omnes orationes in fine appendit quaſi margaritam filo orationis ex ore deducto, dum precatur *per Dominum noſtrū IESVM Chriſtum.* Quare cùm inſidiatur nobis ſerpens infernalis, conſcendamus orationis arborem, eleuemus mentem ad Deum, & texamus eiuſmodi filum. Huc facit, quod Abbas Ioan. dicebat: *Sicut vir videns feram, fugit ſcanditq́; arborem: ita cùm veniunt praua cogitationes, fuge per orationem ad Dominum & ſaluaberis.* In Vitis Patrum *l.* 3. *c. vlt.*

F. V. Vincit ipſum Deū. QVINTÒ, Vincit ipſum Deum. Sic enim *Exod.* 32. Moyſes per orationem tenuit & ligauit quodammodò Deum, ne perderet is populum idololatrantem. Vnde Deus: *dimitte me,* inquit, *vt iraſcatur furor meus contra eos & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* Illud: *dimitte me,* Chaldæus vertit: *Intermitte deprecationem.* Sed perrexit Moyſes in orando Domino, placatuſque eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat. Quo loco Lipomanus ait: *Humano loquitur more Dominus Deus, veluti cùm filius offendit patrem & pater in manu euaginatum tenens gladium, quaſi ad iugulandum eum, alicui ſeruo propè exiſtenti dicat: ne retineas me à percuſſione reprobi huius, innuens nihilominus magis contrarium, videlicet quòd retineri velit.* Eadem orationis vis deſignata fuit in luctâ illa Iacob, quam habuit cum angelo: tenuit enim illum nec voluit dimittere, priuſquam ab eo benediceretur, *Gen.* 32. Amicus ille, qui iuxta Domini parabolam, reſpondit amico ſuo petenti à ſe tres panes, quis eſt niſi Deus? Is ergò primò animum obfirmauerat, cùm diceret: *Iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi.* Et tamen perdurante altero in precibus, victus eius importunitate ſurrexit & dedit ei panes, quotquot habuit neceſſarios. Mira eſt vis remoræ, piſcis pedis longitudine, quæ ingentes naues etiam contra fluctus & ventos remorari ſcribitur à Plinio *l.* 9. *c.* 25. & alijs, quod etiam atteſtantur nautæ. Sed longè maior eſt vis orationis, quæ ipſum Deum retinet, ne progrediatur ad vindictam. Amos propheta ſcribit. *c.* 7. miſiſſe Deum aliquando locuſtas vt deuorarent fruges terræ. Cumque iam partem deuoraſſent orabat Amos: *Domine Deus propitius eſto, obſecro quis ſuſcitabit Iacob, quia paruulus eſt?* Mox *miſertus Dominus ſuper hoc: non erit,* ait. Poſteà videbatur illi Dominus deuoraturus terram per ignem: & cùm iam pars abſorpta eſſet, rurſum orabat Amos: *Domine Deus, quieſce obſecro: quis ſuſcitabit Iacob, quia paruulus eſt? Miſertus dominus ſuper hoc: ſed & iſtud non erit,* inquit. Vide quantam Dei iram continuerit breuis oratio.

SEXTÒ, Impetrat quod petit. Eſt enim oratio velut clauis aurea, qualis dari Camerarijs ſolet à Principibus in ſignum, quod omnes ingredi Cameras poſſint & quocumque tempore Principem adire, omneſque aperire ſeras. Hanc nobis contulit Chriſtus, quando dixit in hodierno Euangelio: *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et quis explicare queat quàm mira & mirabilia per clauem hanc obtenta ſint? Moyſes aquam è petra, manna de cœlo, coturnices, maris rubri diuiſionem obtinuit. Elias quaſi claues cœli haberet, id clauſit, & aperuit rurſum ad pluuiam, cùm voluit. Dauid quanta? Sed multò plura & mirabiliora ſerui Dei in nouâ lege obtinuerunt per orationem. Abbas Beſſarion orauit per dies 14. continuos manibus in cœlum extenſis; Vnde aquam maris dulcem reddidit. Ruff. *l.* 3. *in vitâ Patr.* Iacobus Niſibites oratione Niſibim vrbem contra Saporem defendit omneſque eius molitiones irritas reddidit. Theod. in eius vitâ. Simeon Stilites oratione aquam impetrauit plurimaque miracula patrauit, teſte Theodor. Thomas Abbas oratione latrones reddidit immobiles. Zachæus peſtem Cæſareâ eiecit. Hilarion dæmones eiecit. Taceo alia innumera. O. VI. Impetrat quod petit.

Dicunt Hebræi Deum 4. ſibi claues reſeruâſſe, clauem pluuiarum, *Deut.* 28. *v.* 12. Clauem generationis *Geneſ.* 30. *v.* 2. Clauem alimoniæ ad famem depellendam, *Pſal.* 144. *v.* 16. Clauem reſurrectionis, *Ezech.* 37. *v.* 12. Sed oratio eſt quaſi clauis vniuerſalis, **ein Dieterich** / omnia illa bona obſerata aperiens. Orauit Elias, & obtinuit pluuiam famemque depulit, 3. *Reg.* 18. Orauit Iſaac pro fæcunditate ſterilis vxoris, & obtinuit geminos filios, *Gen.* 25. Orauit Elias & ſuſcitauit mortuum, 3. *Reg.* 17. Orauit S. Eliſabetha pro iuuene profano, ſæculo addicto, & impetrauit ei gratiam vt religioſus fieret. Etenim *Gertrudis Leimbacha femina nobilis, ad Eliſabetham venerat ſalutandam quam comitabatur Ephebus Bertoldus, profano cultu corporis ornatus ſed parum à virtutibus excultus, vt ſolet vana iuuentus, parum penſi habens ſalutem, antequam ponit corporis ornamenta. Hunc contemplata*

templata Eliſabetha, & ex habitu oris veſtiumq́; vanitate coniectans de animo: Quid agis, inquit, adoleſcens parum bene ad virtutem compoſita; quamobrem non applicas animum ad virtutis cultum, & auctori vitæ tuæ te ipſum auctoras, à quo olim æternis bonis augearis? Propitia tu mihi, inquit, numen Domina, A *vt illum, prout par eſt colam. Vis, inquit Eliſabetha, pro te preces fundam? annuente & precante. Simul ergò Deo ſupplicemus, ambobusq́; in genua ſubſidentibus in cœnobio VVerdenſi, vbi res gerebatur, cœpit vterque Deo preces ſupplices ſternere, & tam ardentes Eliſabetha, vt adoleſcens ſentiret non animum ſuum tantùm cœleſti calore inardeſcere, ſed ardorem etiam in corpus redundare; quem cum ferre vehementiorem non poſſet, rogauit, vt illa modum precandi faceret; ſed perſeuerante cœpit ſudore perfundi, toto corpore diffluere, æſtuare, concidere, vt ab accurrentibus fuerit leuandus, maxima voce inclamans Eliſabetham, vt remitteret preces, alioquin in carbonem redigendus, deſijt illa precari; ille feruere, calorem, imò ardorem adoleſcentis ancilla vix potuit ſuſtinere, quæ manus illius tangebat. Ipſe ad S. Franciſci familiam ſe mox contulit.* Ita Raderus in *Bauaria S. p.* 1. Verum ſicuti Camerarij principum, non debent indiſcretè vti claue illâ, alioquin reſtringetur illis poteſtas: ſic nihil oportet à Deo indiſcretè petere. Idcircò ait S. Auguſt. *in hom.* ſuper hodiernum Euangelium *tract.* 102. *in Io.* addidiſſe Chriſtum vt in nomine eius peteretur, propter eos qui nonnulla petunt à patre in Chriſti nomine, nec accipiunt; quia nimirum *non petitur in nomine Saluatoris, quidquid petitur contra rationem ſalutis.* Cæterum ne oratio talis vacua prorſus abſcedat, obtinebit à Deo aliquid melius quàm petit. Sic enim pater filio diſcedenti ad ſtudia dicit: ſcribe ad me omnia, quæ tibi neceſſaria fuerint, & ego prouidebo tibi. Quòd ſi tamen filius poſteà per literas peteret ſclopeta, gladios, pocula, chartas luſorias & aleas, libroſque vetitos, nequaquam obtineret: ſed ſaniora & meliora. Similiter ait Deus *à quo*, vt ait S. Bernardus *ſer.* 5. *in Quadr.* de triplici modo orationis, *vnum è duobus indubitanter ſperare poſſumus: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit eſſe vtilius.*

H. VII. Meretur ſemper aliquid.

SEPTIMÒ, Meretur ſemper aliquid oratio deuota, licet fortè non impetret quod petit. Non fuit audita Pauli oratio, quando ter orauit vt auferretur ab eo ſtimulus carnis: habuit tamen meritum ſuum. Non ergò aufertur, quod oranti non conceditur, ſed differtur, & in futuram mercedem commutatur. Sicut cùm quis vouet Deo eiuſque Eccleſijs certam pecuniæ ſummam, pro ſanitate, v.g. ſuâ aut aliorum, vel curat dici Miſſas: licet non impetret quod petit, non perit tamen meritum operis quod fecit, ſed reponitur in cœlo.

I. VIII. Satisfacit pro peccatis.

OCTAVÒ, Satisfacit pro peccatis, ſi labor aliquis accedat, v.g. Si nocturna ſit vel diuturna, ſi fixis diu genibus, ſi extentis brachijs, ſi in frigore, &c. Sic enim pœna pœnam tollit. Satisfacit autem non pro noſtris tantùm, ſed pro aliorum etiam ſeu viuorum ſeu defunctorum peccatis: prodeſſe orationem animabus purgantibus, exemplo oſtendemus. Anno 920. fato conceſſit Siſinaudus quartus Compoſtellanus Epiſcopus, cuius tanta fuit fama ſanctitatis, vt Ioan. Papa, opinor decimus, per literas & tabellarium proprium ſe precibus ipſius commendauerit. Mortuus eſt autem ſenio confectus. In cuius obitu voces auditæ ſunt angelorum canentium: *Veni electe Dei, intra in gaudium Domini tui.* Succeſſit illi Gundeſindus V. Compoſtellanus Præſul, & Comitis cuiuſdam filius: ſed hic cùm mundo, quàm Deo magis deditus eſſet, vitam non ſatis pio fine clauſiſſe dicitur. De quâ re mater eius, matrona pia, graui confecta dolore, & de anima filij vehementer ſollicita ante aram beatiſſimi Iacobi Apoſtoli diuinam miſericordiam dies nocteſque non deſtitit implorare, & fletibus, precationibus, ieiunijs eleëmoſynis ſibi demereri, interpoſito S. Iacobi patrocinio, donec quadam nocte in templo eiuſdem Apoſtoli vocem hanc audiuit: *Scias filium tuum hac nocte ad electorum ſocietatem admiſſum fuiſſe.* Ita habet Ioannes Valſeus in Chronico Hiſpan. ad Annum 920.

CONCIO IV.

Cauſæ cur interdum non audiantur preces noſtræ à Deo.

Prima eſt.
1. *Defectus fiduciæ.*
2. *Quia non petimus ea quæ conuenit.*
3. *Quia non feruenter petimus.*
4. *Quia fortè in peccatis hæremus.*
5. *Quia fortè noxia petimus.*

THEMA.

Amen, Amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 16.

TANTÆ & tam manifeſtæ ſunt promiſſiones Chriſti, orantibus factæ, vt mirum videatur quid ſit, quòd tam rarò quæ petimus, conſequamur. Quid clarius & præſtantius hodiernâ promiſſione cùm ait: *Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis?* Iam verò quàm multi ſunt, qui petita non aſſequuntur? Noſipſi quamdiu pro pace & tranquillitate, Principum vnione & hæreſium extirpatione ſupplicauimus? quot Litanias & proceſſiones inſtituimus; & tamen adhuc tempeſtas, adhuc bella & minæ. Quæ huius rei cauſa & vbinam defectus? Certum inprimis eſt, non eſſe cauſam ex parte Dei, qui non poteſt non promiſſis ſtare. Vbi igitur defectus? In nobis vtique, qui non petimus ſicut decet & Chriſtus petendum præſcripſit. *Petitis & non accipitis*, inquit Iacob. *eò quòd malè petatis, c. 4. epiſt.* Quâ in re attendenda ſunt etiam verba Chriſti ſingula, non tantùm ſenſus verborum quomodo ſcilicet & quâ lege promittat. Ideò *Ioan.* 15. ſignanter ait: *ſi verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis & fiet vobis.* A Ergò ſi

ſi peteremus, quo modo inſinuauit nobis Chriſtus: nil eſſet, quod non impetraremus. Quare dum in hodierno Euangelio iuſſit nos petere, & promiſit ſe nos auditurum, interim etiam docuit, quomodo rogari velit. Et quia in promiſſionibus mens promittentis admittenda eſt: penſanda ſunt verba illa: *Amen, Amen dico vobis,* &c. quod hîc facimus.

B. I. Defectus fiduciæ.

Non audimur PRIMÒ, Quia fortè fiduciam in Deum non habemus: quam tamen requirit Chriſtus cùm ait: *Amen, Amen dico vobis,* q. d. certiſſimè mihi credite & confidite me vos auditurum, &c. Hâc videtur caruiſſe Moyſes in eductione aquę de petrâ, ideò ad primum ictum non fluxit aqua, quia nimirum *diſtinxit in labiis ſuis, Pſal.* 105. ſeu *dubius fuit*, vt habet ibi Gręcus textus. Sed pôſt reſumptâ fiduciâ ad ſecundum ictum fluxit, *Num.* 20. Sunt enim inprimis aliqui, qui niſi mox audiantur; ſtatim diffidere incipiunt & relicto Deo ſuo vnico adiutore, ad auxilia alia & ſæpe illicita confugiunt: Velut ægri aliqui, qui niſi à Medico ſuo primo ſtatim curentur pharmaco; mox alium accerſunt; vel etiam imperitorum conſiliis & remediis vti incipiunt. Hóccine verò non in deſpectum medici cedat? nónne is meritò poſteà ægrum deſerat? ſimiliter non poteſt non ægerrimè ferre Deus, ſi homo confidat in homine & creaturis, earúmque auxilium imploret ſe relicto. Sanè Dauid ſæpiùs incluſus erat & iamiam in manus Saulis venturus, quia tamen in Deo fidebat & ad orationem confugiebat, ſemper incolumis euaſit. Aliquando perſequente ipſum Saule, intrauit in ſpeluncam Engaddi, 1. *Reg.* 24. Quid agis, Dauid? nónne in ſpeluncâ mox deprehendi potes & occidi? Confidebat certè non in vmbrâ ſpeluncæ, ſed in vmbrâ Dei potiùs. Vnde tunc pſalmum 56. recitans, hac de re ait: *Miſerere mei Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea, & in vmbrâ alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.* Et tranſiit certè illic Saul cum ſuo exercitu, nec deprehendit Dauidem in interiore ſpeluncâ latitantem: quâ de causâ? ſubiungit Dauid ſtatim: *Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum, qui benefecit mihi.* Vbi paraphraſis Chaldaica ita exponit: *Orabo coram Deo altiſſimo & forti, qui accerſiuit araneam vt perficeret in ore ſpelunca telam propter me.* Quo nimirum Saul arguere non poſſet aliquem intro eſſe: id quod etiam S. Felici Martyri Nolano perſecutionem fugienti diuinitus accidiſſe legimus. Quod ſi de Dauide quoque verum, vide quid potuerit eius in orando fiducia. Simili fiduciâ præditæ fuêre & obtinuêre poſtulata duæ illæ viduæ: quæ amiſſis filio & filiâ, vtraque ad ſtatuam Virginis properat & filiũ ei è brachiis extorquet, quoad ſuum recipiat. Illum lupus, hanc hoſtes in vincula rapuerant: Nec mora: redditur vtrique, illi filia à lupo: huic filius reſerante carcerem Deiparâ. Apud Rader. *p.* 2. *Viridar. cap.* 5.

C. II. Quia non petimus ea quæ conuenit.

SECVNDÒ, Quia fortè non petimus ea, quæ poſtulare conuenit. Vnde dicitur: *Si quid petieritis.* Res enim temporales & quæ ad ſalutem non pertinent, pro nihilo computat Sapiens & in omnibus videt vanitatem, *Eccl.* 1. Quare ipſe iuſſus aliquid petere à Deo quod vellet, petiit nõ rem inutilem, vt dies multos, animas inimicorum, ſed ſapientiam; vnde factum vt etiam terrena ei & minora omnia adiicerentur, 3. *Reg.* 3. Quòd ſi inutilia & vilia petimus, iniuriam facimus Deo, qui ditiſſimus eſt Princeps & magna petere nos iuſſit: ſicut non abſque cõtemptu Alexandri Magni Diogenes iuſſus ab eo petere quod vellet, petiit *vt procul à ſe recederet, ne ſolem ſibi auferret:* Volens per hoc opes eius cõtemnere. Idem faciunt Deo, qui inania petunt, quaſi Dei diuitias contemnant. Idem Alexander M. donans Perillo 50. talenta argenti; dicente Perillo: ſufficere ſibi decem; reſpondit: *Tibi quidem ſat eſt accipere, ſed mihi non ſat eſt dare.* Plutarch. in appoth. Igitur & à Deo non niſi ea petenda ſunt, quę diuinâ munificentiâ digna ſunt; bona nimirum ſolida & cœleſtia. *Rex noſter,* inquit S. Baſilius *c.* 2. Conſtit. Monaſt. *munificentiſſimus eſt & auguſtiſſimus & indignè fert quandocunque quis exiguum aliquid à ſe petit, quandoque quis noſtrûm de rebus ipſum minimè ipſi conuenientibus rogat.* Intellexit hoc etiam vir ille bonus, qui (recẽſet Salmeron *tom.* 10. *tract.* 11. *p.* 105.) precum loco recitauit 24. Elementa literarum, cum hac clauſulâ: *Domine iũge literas & à te peto quod tibi magis placet & mihi magis expedit. Quid autem ſit illud, tu meliùs nôſti.* Petierant iam dudum aliqua diſcipuli à Chriſto, velut Iacobus & Ioannes, vt ſedere poſſent ad eius dexteram in regno eius (quod putabant fore, terrenum) & tamen eis dicit hodie Chriſtus: *Vſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo*; quia ſcilicet illud nihil erat: terrenum & fluxum erat. Hinc in oratione Dominicâ *nulla diuitiarum petitio,* inquit Caſſianus *collat.* 9. *c.* 24. *nulla memoria dignitatum: nulla potentatûs ac fortitudinis poſtulatio: nulla corporea ſanitatis ſeu temporalis vita mentio continetur. Nihil enim caducum vult à ſe: nihil vile: nihil temporale aeternitatum conditor implorari. Itaque magnificentia eius ac munificentia maximam irrogabit iniuriam, quiſquis his ſempiternis petitionibus prætermiſſis, tranſitorium aliquid & caducum ab eo maluerit poſtulare: & offenſam potiùs quàm propitiationem iudicis ſui vilitate orationis incurret.*

D. III. Quia non feruenter petimus.

TERTIÒ, Quia fortè non feruenter petimus. Vnde ait: *petieritis*; & alibi: *petite, quærite & pulſate*; iubens per hoc ſeriò, inſtanter, feruenter petere. Alioquin enim cenſetur orans Dei dona vilipendere, quaſi ea per iocum tantùm petat, velut ſi quis mitteret famulum ſuum ad Regem vt ab eo peteret 1000. florenulos ad reparationem domûs ſuæ quæ incendio perierit. Nónne hic dupliciter peccaret & Regem luderet donúmque eius vilipenderet. Primò, Quia non per ſe, ſed per famulum petit: Secundò, Quia rem tantam diminuit? Similiter orans ſi ore tantùm, non item ſpiritu oret, famulum ad Deum mittit quaſi Dei dona exigua & florenuli ſolùm eſſent. Non ita Dauid qui ait: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Vt enim thus non aſcendit ſurſum nec odorem ſpargit, niſi in igne poſitum: ſic oratio niſi ex feruenti corde procedens, non dirigitur ad

Deum nec penetrat cœlum. Audi Bernardum *ſer.*16.*in Pſal* Qui habitat. *Meritò non exauditur qui clamare diſſimulat, aut omninò nõ poſtulans, aut tepidè poſtulans & remiſſè; ſiquidem in Dei auribus deſideriũ vehemẽs, clamor magnus; è regione remiſſa intentio, vox ſubmiſſa. Vt autẽ clamandum ſibi nouerit homo, inter primordia ſuæ orationis ipſum quem oraturus eſt patrem, in cœlis eſſe protinus admonetur, quod videlicet impetu quodam ſpiritûs illo ſibi iaculandam eſſe meminerit orationem,*&c. Et paulò infrà: *Hinc eſt, quòd Moyſes foris tacens, intùs auditur, dicente Domino: Quid clamas ad me?* Hæc ille. Clamores ergò iſti non tam oris quàm cordis intelligendi ſunt: quales ſunt lachrymæ, gemitus, ſuſpiria, ignita deſideria. Hæc ſunt quæ Domino omnia perſuadent: Non egemus Demoſthenis, aut Ciceronis eloquentiâ, longis & exquiſitis ſermonibus, ſed *deſiderium pauperum exaudiuit Dominus,* inquit Dauid *Pſal.* 10. Quia pauperes inſtanter & feruenter rogant. Placent etiam Deo, qui ſimplici & recto corde orant, quemadmodum ſancti illi viri apud Raderum 2.p. *Viridarij c.*5. quorum alius ſimplex & rudis orãs dicebat: *Miſerere tui Deus*: non intelligens quæ dicebat. Et adeò grata tamen eius oratio erat Deo, vt idem ſicco pede maria & flumina calcaſſe memoretur. Alter S. Salaunus, qui primâ ætate miſſus in ludum literarium plus per omnem ætatem capere non potuit, quàm ſalutationis angelicæ primas duas voces, *Aue MARIA*: quas domatim mendicans & orans ſemper replicabat: & in tantum hæc oratio placuit Deo, vt è mortui ſepulchro creuerit lilium candidiſſimum, in cuius foliis literis inſcripta erant ſolemnia illa Salauni verba: *Aue MARIA*.

E. IV. Quia fortè in peccatis hæremus.

QVARTÒ, Quia fortè inimicitias cum DEO gerimus, peccato adhærentes. Hoc notat Dominus cùm ait: *Patrem.* Si enim tu filius non es ſed hoſtis Dei, quomodo rogabis Deum patrem? Vnde Ieremias *Thren.*3. ait; *Nos iniquè & ad iracundiam prouocauimus, idcircò tu inexorabilis es. Oppoſuiſti nubem tibi ne tranſeat oratio.* Ecce quare interdum recludat ſe dominus in cœlis nec admittat orationes noſtras. Intellexit hoc Bias Græciæ ſapiens, qui aliquando cum impiis & flagitioſis hominibus in naui periclitans, impiis Deorum opem implorantibus: *Silete,* inquit, *ne Dij vos nebulones hîc nauigare ſentiant; ſiquidem Deus impiorum precibus irritatur magis ad vindictam, quàm ad opitulandum flectitur.* Laërt. *l.*1.*c.*6. Venerabilis Beda *in natali Innocent. mart.* ait: *Sicut iuxta Dei ſententiam vulneri medicamentum, ſi adhuc ferrum in eo manet, non proficit: Ita nihil oratio illius, cuius adhuc dolor in mente, vel odium manet in pectore.* Hinc Paulus 1.ad *Tim.*2. ait: *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus ſine irâ & diſceptatione.* Dauid quoque *Pſal.* 65. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. In corde,* inquit, ſi nimirũ adhuc placet peccatum. Dic enim mihi, quæſo, quomodo audieris à principe gratiam aliquam poſtulans, ſi manus ſanguine filij eius tinctas afferas? Atqui tu dum in peccatis perſiſtis, manus pollutas habes ſanguine filij Dei, quem offendiſti. Vnde *Eſa* 2. dicitur: *Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Quomodo igitur tu oras: *Pater noſter,* cùm nolis eſſe filius? quomodo: *ſanctificetur nomen tuũ,* cùm tu blaſphemes totâ die? quomodo, *adueniat regnum tuum;* cùm tu id non deſideres, ſed ad infernum properes? quomodo: *fiat voluntas tua,* cùm eam nunquam facias? quomodo, *panem noſtrum,* &c. cùm tu pauperibus eum ſubtrahas? quomodo: *dimitte nobis debita noſtra,*&c. cùm non dimittas inimico tuo? quomodo, *ne nos inducas,*&c. cùm tu tot peccandi occaſionibus vltrò te exponas? quomodo: *libera nos à malo,* cùm tu ipſe liberari nolis? Quid aliud hæ petitiones, quàm peſtilens quidam fœtenſque halitus ex ore tuo egrediens? Cùm quis tibi loqui vult, cuius os fœtidum expirat halitum, eum ſanè non libenter audis, ſed auerſaris. Ita puta & Deum horrere tuam loquelam, cuius os tam turpiter fœtet. Vnde *Thren.*3. dicitur: *Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio;* peccatorum ſcilicet. Idcircò orat Dauid, *Pſal.* 146. *dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Incenſum non aſcendit nec ſuauiter olet, niſi igne inflammatum: ita nec oratio tua Deo placita erit, niſi charitate ardeat.

F. V. Quia fortè noxia petimus.

QVINTÒ, Quia fortè non ea quæ nobis ſunt vtilia petimus, ſed noxia potiùs. Hunc defectũ inſinuat Dominus, cùm ait: *in nomine meo. Nomen filij Ieſus eſt,* inquit S. Gregorius *hom.*27.*in Euang. Ieſus autem Saluator, vel etiam ſalutaris dicitur: ille ergò in nomine Saluatoris petit, qui illud petit quod ad veram ſalutem pertinet. Nam ſi id quod nõ expedit, petitur, nõ in nomine* IESV *petitur pater. Vnde & eiſdẽ Apoſtolis adhuc infirmãtibus Dominus dicit: vſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo. Ac ſi apertè diceretur: Nõ petiſtis in nomine Saluatoris, qui neſcitis quærere æternam ſalutẽ. Hinc eſt, quòd & Paulus non exauditur; quia ſi liberaretur à tentatione, ei non prodeſſet ad ſalutem. Ecce videmus, fratres chariſſimi, quàm multi ad ſolemnitatem martyris conueniſtis, genua flectitis, pectus tunditis, voces orationis ac cõfeſſionis emittitis, faciẽ lachrymis rigatis. Sed penſate, quæſo, petitiones veſtras: videte ſi in nomine Ieſu petitis: id eſt, ſi gaudia ſalutis æternæ poſtulatis. In domo enim Ieſu, Ieſum non quæritis, ſi in æternitatis templo importunè pro tẽporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit vxorem, alius petit villam, alius poſtulat veſtem, alius dari ſibi deprecatur alimentum,*&c. Idem teſtantur alij ſancti Patres: S. Auguſtinus *ep.*34. ad Paulinum: *Bonus Dominus,* inquit, *qui non tribuit ſæpe quod volumus, vt quod mallemus attribuat.* S. Iſidorus *l.*3. de ſummo bono *c.*7. *Multos,* inquit, *Deus non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad ſalutem.* S. Bernardus contra vitium ingrati. *Miſericordia res eſt,* ait, *hac in parte ſubtrahere Deum miſericordiam.* Atque eò pertinent verba Apoſtoli Iacobi *c.* 4. *Petitis & non accipitis eò quòd malè petatis, vt in concupiſcentiis* (Græcè, *voluptatibus*) *veſtris inſumatis.* Scimus in Iudæos, qui carnes importunè concupierunt & impetrârunt, plagam ignis mox deſæuiſſe, ideoque locum illum appellatum eſſe, *ſepulchra concupiſcentiæ, Num.*11. Intellexerũt hoc & Gentiles. Platonis oratio erat: *Iupiter da nobis bona, ſiue ea petamus, ſiue non: arce verò mala, etiãſi ea ex*

errore

errore petamus. Socrates, inquit Val. Max. *l.7.c.2. humanæ ſapiētia quaſi quoddam terreſtre oraculum, nihil vltrà petēdum à Diis immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent: quia ij demum ſcirent, quid vnicuique eſſet vtile: nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetraſſe melius foret. Etenim deſiſſimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quam latè patentem errorem cæcas precationes tuas ſpargis? diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiſcis, qui complures peſſumdederunt: regna tecum ipſa voluis, quorum exitus ſæpenumero miſerabiles cernuntur: ſplendidis cōiugiis inijcis manus, at hæc vt aliquando illuſtrant, ita nonnunquam funditùs domos euertunt. Deſine igitur ſtulta futuris malorum tuorum cauſis quaſi feliciſſimis rebus inhiare, teq́; totum cæleſtium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſſima poſſunt.* Hinc non miremur ſi interdum petita non acquirimus, quia ea in meliùs conuertit Deus, atque adeò pluſquam nos velimus audiri, nos audit: quemadmodum, ſi puerulus petens cultrum, velit ſibi ſcindere panem: pater non quidem dat cultrum, ſed ipſe eum arripit eique panem ſcindit, timens ne puer cultro ſeipſum lædat. Simili modo ægroti petunt hæc & hæc à Medico, plerumque ſibi noxia, quæ Medicus quidem promittit, ſed dat ad ſanitatem, non ad voluntatem. Hoc ergò pacto, etſi non petitio, deſiderium tamen noſtrum auditur à Deo. Nam ſi petitionem nudam conſideremus, Dæmones exaudiuit (vt obſeruat Auguſtinus *tract.6. epiſt. Ioannis*) cùm petierunt vt ſibi Iob tentare & in porcos ingredi liceret: non audiuit Paulum petentem vt ſtimulus carnis ab eo auferretur. Non dubitandum tamen quin ſecretiore quodam modo magis Apoſtolum audierit quàm diabolum. Vnde Auguſt. ibid. ait: ***Paulus ad ſalutem exauditus eſt, ad voluntatem non eſt exauditus: Diabolus exauditus eſt ad voluntatem, ſed ad damnationem.*** Et mox: ***Imò Apoſtolus exauditus eſt, dæmones non ſunt exauditi: Dæmonum voluntas facta eſt, Pauli ſanitas perfecta eſt.***

Denique hic orandi (per Ieſum) titulus rectè figuratur & explicatur per veſtem illam Eſau, quâ indutus Iacob benedictionem patris obtinuit, *Gen.27.* Dum enim in Chriſti nomine petimus, ipſum quaſi induti repræſentamus. Sed notandum eſt induere debuiſſe Iacob veſtem illam & ita perſonam Eſau atque odorem veſtimenti eius repræſentare: alioquin enim ſi veſtes illas in faſcem colligatas tantùm attuliſſet, nihil obtinuiſſet. Simili modo qui in nomine Chriſti vult obtinere benedictionem, perſonam Chriſti & virtutum eius odores repræſentet, quod faciet ſi conabitur ad eum modum orare, quo Chriſtus orauit patrem. Is enim non nudam orationem fecit, ſed eam plurimis ornauit virtutibus, humilitate, quia procidit in genua: perſeuerantiâ, quia ter eandem repetiit orationem: obedientiâ & reſignatione, quia voluntatem non ſuam ſed patris fieri voluit: attentione, quia ſecretò & in receſſu orauit: feruore, quia vſque ad ſudorem ſanguineum, &c.

CONCIO V.

Circumſtantiæ orationis.

1. *Quæritur quis ſit orandus?*
2. *Quis debeat orare?*
3. *Quid ſit orandum?*
4. *Quando orandum?*
5. *Quomodo?*
6. *Vbi ſit orandum?*

THEMA.

Petite & accipietis vt gaudium veſtrum ſit plenum. Ioan.16.

LIb.1.Reg.c.17. Quando congreſſurus erat Dauid cum Goliatho, *induit eum Saul veſtimentis ſuis & impoſuit galeam æream ſuper caput eius & veſtiuit eum loricâ. Accinctus ergò Dauid gladio eius ſuper veſtem ſuam, cœpit tentare ſi armatus poſſet incedere: non enim habebat conſuetudinem. Dixitq́; Dauid ad Saul: non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo.* Dominus noſter hodierno in Euangelio ſimili modo nos armis præclariſſimis iiſque ſuis induit cùm iubet vt in nomine eius petamus quidquid volumus. Sed quemadmodum non omnes ſciunt tractare arma, ita vereor ne aliqui ſint Chriſtiani, qui his etiam orationis armis vti neſciant, quia ſcilicet vſum non habent orandi. Quid autem iuuat habere balliſtam & neſcire artem iaculandi? Quid iuuat habere clauem omnes aperientem ſeras, & neſcire modum aperiendi? Itaque cùm his Rogationum diebus ad prælium orationis egreſſuri ſimus, priùs videbimus & diſcemus quis, à quo, quid, quando, quoties, quomodo, & vbi ſit orandus. A.

PRIMÒ, Quis orandus? Reſp. DEVS propriè loquendo ſolus, tanquam vnicus dator bonorum ſupernaturalium, gratiæ & gloriæ, quæ ſolùm ſecundùm ſe peti debent. Vnde Apoſt. Iacobus ait: *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum.* Ideóque Eccleſia omnes orationes, quas in Miſſa & horariis precibus fundit, immediatè ad Deum dirigit, non ad ſanctos (etiam in Sanctorum feſtiuitatibus) annectit tamen & includit ſanctorum nomina & memoriam, vt per eos velut Dei amicos & potentes interceſſores faciliùs impetret. Minùs propriè etiam ſancti poſſunt orari (iuxta id *Iob 5. ad aliquem Sanctorum conuertere.*) tanquam interpellatores & ſolicitatores; quo modo habemus noſtros Aduocatos ad Cameram vel regimen aliquod qui cauſam noſtram efficaciter proponant & agant, pro expeditione ſolicitent, Iudices nobis concilient, &c. Si enim potuerunt orare pro hominibus dum viuerent: quantò magis id poterunt, dum cum Deo iam ſunt, nec habent ampliùs neceſſe orare pro ſeipſis? B. I. Quis orandus.

SECVNDÒ, Quis debet orare? Reſpondeo, quiſquis adhuc viator eſt. Iuſtus Primò, vt in iuſtitiâ perſeueret, ſicut qui feliciter nauigat, orat C. II. Quis debet orare.

1. *Iuſtus.* orat vt feliciter appellat; maximum enim ſæpè periculum in appellendo. *Qui ſtat, videat ne cadat*, 1. *Cor.* 10. Secundò, Quia *neſcit homo vtrum odio an amore dignus ſit.* Epiſcopo Laodiciæ ſcribit Ioannes *Apoc.* 3. *Dicis quòd diues ſum & locupletatus & nullius egeo. Et neſcis quia tu es miſer & miſerabilis & pauper*, &c. Idipſum tibi contingere poteſt, & quidem à potiori, ſi hoc contigit Epiſcopo Eccleſiæ primitiuæ tam ſanctæ: ſi Epiſcopo ab Apoſtolis inſtituto. Tertiò, Quia quantò maiora accepiſti à Deo dona, tantò magis debes eum laudare & orare vt ea in te conſeruet, augeat, coronet; præterea vt proximo tuo eadem communicet.

Peccator. Peccator, vt gratiam recuperet: velut naufragus vt manum ipſi Deus porrigat. Tametſi enim peccator ſuis operibus apud Deum nihil meretur de condigno; non tamen debet ceſſare ab oratione, ſed vtiliter orat. Primò, Quia interim à peccatis abſtinet. Secundò, Quia per orationem paulatim præparatur ad immutandam prauam voluntatem ſuam: ſicut qui pedetentim adrepit igni, paulatim caleſit. Tertiò, Quia oratio non ſolum eſt meritoria, ſed etiam impetratoria. Vnde licet oratio peccatoris nil mereatur, poteſt tamen impetrare; ideoque S. Auguſt. *lib.* 40. *homil. hom.* 43. *Quid facimus*, inquit, *ſi peccatores Deus non exaudit? Date mihi, qui roget: ecce eſt qui exaudiat.* Ibidem & *tract.* 44 *in Ioan.* verbum illud cæci nati: *Scimus quia peccatores Deus non audit* (*Ioan.* 9.) verbum cæci fuiſſe affirmat, nondum ſatis illuminati, quia videbat oculis, ſed corde adhuc non videbat. Et ſubiungit: *Incumbite ergò orationibus peccatores, confitemini peccata veſtra, orate vt depellantur, orate vt minuantur, orate vt vobis proficientibus ipſa deficiant.* Sic ille.

D. III. Quando orandum. Tertiò, Quando orandum? Reſpondeo. 1. Primò, dum ſanus es, congrega tibi per orationem ea, quibus eges: ſicut formica in æſtate congregat ſibi victum, quia in hyeme ægritudinis difficulter poteris orare, vbi corpus aggrauat animam, ne per orationem leuare ſe poſſit ad Deum. Sumptus bello neceſſarios congregant Veneti à ſubditis pacis tempore, relaxant verò tempore belli vt refert Bembus *lib.* 6. *hiſt. Venet.* Ita quamdiu ſanus es, tamdiu ſolue tributum orationum tuarum quotidianarum, vt habeas tempore morbi, vnde opem ſperes. Ad hæc peccator ægrotans animaduerſione hâc percutitur vt vix memor ſit ſui; qui dum ſanus eſſet, memor non fuit Dei. Quare ſapienter anteuertit Dauid extremi illius temporis afflictionem, ſic orans: *Ne derelinquas me in tempore ſenectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Pſal.* 70.

2. Secundò, Tempore tentationis maximè; vt enim nautæ tunc maximè laborant remigantque cùm pons aliquis vel locus periculoſus tranſeundus eſt: ita tentationis tempore maximè orandum. Quòd ſi in periculo naufragij diſcunt & incipiunt orare etiam perditiſſimi quique: multò magis id neceſſarium cùm periclitatur animæ ſalus. Rurſum tempore tribulationis & cùm ob publicam neceſſitatem ſupplicationes vel comprecationes inſtituuntur, vti his diebus fieri ſolet. Tunc enim nemo eſſe debet, qui orationibus non vacet: ne alioquî cum Ionâ dormiente in tempeſtate, dum alij omnes clamarent ad Deos ſuos; audiat quis illam increpationem: *Quid tu ſopore deprimeris? ſurge inuoca Deum tuum*, Ionæ 1.

Tertiò, Non tempeſtiuè, quando alteri negotio magis vtili aut neceſſario vacandum eſt: vti ſub Concione. Diaboli enim hæc ars eſt, ſuffurari homini verbi Dei auditum prætextu orationis; ſicut auceps vt auferat falconi prædam delicatam & viuam cum aſtu ſubſtituit ei carnem vilem & exſanguem. Verbi Dei perceptio delicata & viuax animæ eſca eſt, oratio vilior & inefficacior: quæ nequaquam ita mouet aut viuificat animam, vti verbum Dei. 3.

Qvartò, Quoties? Reſpondet Sapiens *Eccl.* 18. *Non impediaris orare ſemper.* Et Dominus *Luc.* 18. *oportet ſemper orare, & nõ deficere.* Et *c.* 21. *Vigilate omni tempore orantes.* Et Apoſtolus 1. *Theſſal.* 5. *ſine intermiſſione orate.* Ex quibus locis patet inprimis quanta nobis omnibus incumbat neceſſitas frequenter orandi, non ſolis Monachis & Sacerdotibus. Sed quomodo, inquies, ſemper orare poſſumus? Reſpondeo Primò, Non intelligendũ hoc Mathematicè ita vt nec ad momentum ceſſare ab oratione debeamus, ſed moraliter, ita vt ſæpiſſimè & quantum fieri poteſt diligentiſſimè inſtemus orationi, tanquam rei comprimis neceſſariæ. Sicut tempore peſtis ſuaderi ſolet, vt nunquam ſimus inani ſtomacho, ſed curemus vt ſemper aliquid comedamus vel bibamus, manè, meridiè, veſperè, &c. Id quod ſedulò faciebat Dauid rex licet regiis occupatus negotiis, qui *Pſal.* 62. ait: *Memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te.* Et *Pſal.* 54. *Ego autem ad Dominum clamaui & Dominus ſaluabit me. Veſperè & manè & meridie narrabo & annuntiabo & exaudiet vocem meam.* Sic Daniel ter in die orabat, *Dan.* 6. E. IV. Quoties orandum. *Semper orare quomodo poſſit.* 1.

Secundò, Si verè Deum & ardenter amaremus, facilè poſſemus omni tempore orare; ſi nimirum mentẽ ſemper ad Deum haberemus erectam. Quis enim neſcit amantem ferè ſemper eſſe vbi amat? *Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Sic monet facere S. Baſilius orat. in Iulittam: *Accumbẽs menſæ, ora*, inquit, *eſurus panem, largitori gratiam rependito: Suffulciens firmansq́, infirmiores corporis vires vino, eius fac memineris, qui hoc te dono impertiuit ad inferendam cordi tuo lætitiam & ad multiplicium infirmitatum non mediocre ſolamen. Nulla tibi eſt ſumendi edulij neceſſitas? Caue te prætereat eius memoria, cuius liberali beneficio expleſti ventrem. Tunicam indueris? Gratias agito benigno datori. Amiciris pallio? Fac in te augeſcat intẽtior erga Deum charitas, qui cõtegumenta gratuitò largitus eſt hyemi æſtatiq́, accõmoda, quibus & vita cõſeruetur, & obueletur turpitudo. Tibine dies expletus abijt, illi referto gratias, qui ſolem quidem nobis nihil tale commeritis indulſit in diuinæ operationis myſteriũ: ignem verò intulit illuſtrandæ nocti, vtq́, ſubſeruiat reliquis vitæ cõmoditatibus. Ipſa rurſũ nox alias ad orationem ſuggerere poterit occaſiones.* Hęc magnus Baſilius. Semper etiã orabis ſi ſubinde per 2.

quæ-

quædam interualla, breuiculam ad Deum orationem dirigas, non ſecus ac columbæ oculos crebrò in cœlum attollunt: vel etiam ſimul oblectes te pio quodam Cantico. Si enim inter laborandum difficile non eſt mundanis canere profana cantica & amatoria, fabulas narrare, &c. cur non poſſis eâdem operâ, ſpirituale quid loqui vel cantare? Certè S. Hieronymi tempore *in Chriſti villulâ quocunque te vertiſſes, arator ſtiuã tenens, Alleluia decantabat, ſudans meſſor pſalmis ſe auocabat, & curuâ attondẽs vitem falce vinitor, aliquid Dauidicum canebat*, vt teſtatur ipſe ad *ep. ad Marcellam.* Quare cùm ſurgis vel quid aliud incipis, dic: *Quod Deus bene vertat.* das walt Gott. Cùm audis horam dic more Heluetiorum: *ſit nobis hora felix*, &c. Semper etiam orat qui bene operatur. Ita Auguſtinus in illud Pſalmi, *Tota die laudem tuam: Vis*, inquit, *medium ſemper laudandi? Quidquid egeris, bene age, & laudaſti Deũ.* Idem prorſus S. Hilarius in *Pſal.* 1. *per hoc enim efficitur, vt ſine intermiſſione oremus: cum per opera Deo placita, & in gloriã eius ſemper exercita, ſancti cuiuſq; viri vita omnis, oratio ſit, ac ſic ſecundùm legem nocte dieq; viuendo vita ipſa nocturna legis erit & diurna meditatio.* Et S. Hieronymus in verſum illum: *Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen*; quærit quomodo hæc omnia laudent Deum, & reſpondet, *in eo, quod à ſuo officio & ſeruitio non recedunt: ſeruitium ipſorum, laus Dei eſt.* Ita agebat Abbas Lucius qui dicebat: *Ego ſtatis horis oro, dein manibus laborans ad Deum nonnunquam excurro, & quidquid cibi ſupereſt in pauperes diſtribuo vt illi orent pro me cùm ego dormio.* In vitis Patrum *p.* 2.

3. Tertiò, Quotidie tantùm temporis dandũ orationi, quantum ſufficit ad ſeruandum cor quietum, corroboratum & munitum ad omnia, quæ illi incumbunt, facienda & ſufferenda: adeò vt ſicut Hebræi colligebant tantum manna quotidie quantum illis eo die ſufficiebat: ſic etiam quiſque ſtudeat tantam quotidie fundere orationem, quanta ei ſufficit ad vitæ Chriſtianæ conſeruationem. Si de clero ſis, perſolue diligenter quotidie penſum 7. horarum: ſi laicus & in regimine, vel periculoſo ſtatu conſtitutus, tantò plus ora, quantò maius tibi incumbit onus & ratio reddenda coram Deo. Diues es? ora vt ne opes laqueus tibi fiant perditionis. Pauper & afflictus? tantò magis habes quod ores.

F. V. Quid petendum. 1. QVINTÒ, Quid in oratione petendum? Reſpondetur, talia bona, quibus malè vti non poſſumus. Vnde primò non petendum quidquam flagitioſum aut noxium; ſiquidem nec ab homine talia licet petere. Vnde *lex* 3. *C. de precibus Imp. offer.* dicit: *Nec damnoſa fiſco, nec iuri cõtraria poſtulare oportet.* Qui enim flagitioſum quid peteret, Deum fontem flagitij faceret. Qui noxium aliquid petit, magnam accipit gratiam, ſi quod petit non obtineat: vt patet *Num.* 11. Vbi dedit Iudæis petitas coturnices Deus: ſed ad perniciem eorum. *Adhuc enim carnes erant in dentibus eorum: & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plagâ magnâ nimis.*

2. Secundò, Malum aliis ſicut nec imprecari, ita nec à Deo poſtulare licet, ſed ad ſummum vt temporalibus quibuſdam pœnis exerceantur impij & ſcelerati vt ſic reſipiſcant. Ita S. Anaſtaſia pro impio viro ſuo Publio fundi preces optauit à ſancto Chryſogono, vt ſcilicet aut ad fidem veniret, aut ſi Deus ſciret non venturum, moreretur; ſiquidem melius ei foret exhalare ſpiritum, quàm Dei filium denegare & eum confitentes impedire. Vt refert Suidas.

Tertiò, Temporalia & tranſitoria non niſi quatenus conducunt aut neceſſaria ſunt ad bona ſpiritualia & æterna, ſuntque inſtrumenta virtutum & adminiculũ ad beatitudinem: quo modo panis quotidianus; ſiquidem niſi viuamus, bene viuere & Deo ſeruire non poſſumus. 3. Vnde ea ſola petitio orationi Dominicæ admixta eſt, cæteræ omnes de bonis ſpiritualibus ſunt. *Magnificentiſſimus eſt enim Rex noſter*, inquit S. Baſilius in Conſtit. v. 1. *& indignatur ſi quis paruum quid ab eo petat & nihil ad ipſum attinens. Ne igitur in oratione tuâ indignationem tibi ipſi adducas, pete tibi digna Rege Deo.* Sic ille. Iniuriam faceret Principi, qui peteret ab eo fruſtum panis vel hauſtum cereuiſiæ, quantò magis Deo? Quia verò neſcimus quæ temporalia ad Dei gloriam & ſalutem noſtram faciant, ideò ſi quæ petuntur, cum reſignatione & indeterminatione petenda ſunt, ſicut cùm à Medico petit æger medicinam; non enim ait, da mihi hanc vel illam: ſed medere. Sic Deipara deficiente vino in nuptiis, penuriam tantùm inſinuauit filio: *Vinũ non habent.* Sic Martha & Magdalena de morbo fratris Chriſto nuntiant: *Ecce quem amas infirmatur.* Inde nolebat S. Petrus, filiam Petronillam curare ab infirmitate, quòd ei hanc ſanitate vtiliorem diceret. Vt in eius vita 31. Maij. Qui initium tantùm viarum videt, non poteſt diiudicare, quæ via ſit melior: ſed qui totas vias, initium, medium & finem aſpicit. Fieri enim poteſt vt ea quæ nobis videtur melior, obſeſſa ſit à latronibus aliiſve affecta incommodis. DEVS hoc videt, non videmus nos. Ideò Lacedæmonij (mirum in gentilibus) ſolùm orabant à Diis ſibi dari optima.

SEXTÒ, Quomodo petendum? Reſpondemus cõditiones orationis alibi relatas eſſe. Quibus hæc addenda. Primò, Melius eſt coniunctim orare quàm ſingulariter. Primò quia Deo placet noſtra concordia. Nam *ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quacunque petierint, fiet illis à Patre meo qui eſt in cœlis; vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, ait Dominus *Matth.* 18. Refert Oſorius *to.* 4. *Concion. Conc. in ſupplic. publ. pro ſalute regis*; ex orientali Indiâ ſcriptum eſſe à Patribus Societatis, in quodam oppido relictum ab vno Patre hominem fuiſſe ad reliquorum fidelium doctrinam & cõſolationem, donec ipſe rediret. Is cùm in grauem infirmitatem incidiſſet, conuenerunt in eius domum fideles, dolentes de eius periculo, quòd valdè eis vtilis eſſet. Inter hæc vnus ex ipſis dicebat: *Inter alia quæ nobis prædicata ſunt, vnũ eſt, vt cùm aliquâ re indiguerimus, eam à Deo poſtulemus, qui nobis illã præſtabit; Eamus igitur in Eccleſiam & huius vitã à Deo*

G. VI. Quomodo petendum. 1. Coniunctim orare melius. 1.

poſtulemus, quæ nobis neceſſaria eſt. Hoc audito omnes ad Eccleſiam conuenerunt & fusâ ad Deum oratione infirmus in integram reſtitutus eſt ſanitatẽ, ita vt in Eccleſiam veniret & orantes offenderet, cum quibus & ipſe orauit, gratias agens pro valetudine recuperatâ. Secundò, quia multi ſimul orantes eundem omnium patrem efficaciùs flectunt ad miſericordiam. Eam ob cauſam miſit Iacob decem filios ſuos ſimul in Ægyptum (ſolo retento minimo) ad frumenta coëmenda, vt Ægypti Ducem magis mouerent ad commiſerationem, ſi dicerent ſe omnes vnius patris eſſe filios. Sed non contentus Ioſeph iuſſit adeſſe omnes, *Gen.* 42. Et hinc in plurali numero iuſſit nos orare Dominus: *Pater noſter.*
3. Tertiò, quia cùm multi ſimul orant, vnus ſupplet alterius defectum. Nam cùm certæ conditiones requirantur ad impetrandum, quod vni deeſt, aderit alteri: & multum eſt ſi vel vnus è multis ſit qui bene precetur; poſſunt enim cæteri quoque illius oratione frui. Inter decem illos leproſos vnus tantùm bonus fuit: quia tamen omnes ſimul precati ſunt: *Ieſu præceptor miſerere noſtri*; omnes exauditi ſunt. Sicut ergo nummus vnus non habens iuſtum pondus, ſi detur creditori, ab eo reiicitur: ſin verò multis aliis miſceatur, acceptatur tranſitque cum cæteris: ita & oratio ſolitarij ſi ſit tepida, vaga, negligens, reiicitur à Deo; ſi verò multis aliis feruentibus iungatur, earum vi & quaſi alis attollitur & in cœlum euolat.

2. *Præparanda ad eã mens.* Secundò, *Ante orationem præpara animam & noli eſſe quaſi qui tentat Deum,* inquit Eccleſiaſticus c.18. Vt enim cythara priùs temperari & fides concordari debent, antequam incipias ludere: ita animus ad orationem priùs præparandus, alioquin tentas Deum, quaſi conſequi velis fructum orationis per miraculum, non adhibitis mediis neceſſariis. Sic tentaret Principis clementiam qui accederet ad illum non petitâ licentiâ, ſine cultu, ſine reuerentiâ, ſine præmeditatione eorum, quæ loqui vellet. Conſidera ergò priùs magnitudinem & ſublimitatem maieſtatis diuinæ, deinde tuam vtilitatem: & ſi peccati conſcius tibi es, de eo dole ex animo.

3. *Sine interruptione.* Tertiò, Non facilè interrumpenda oratio profanis aut impertinentibus colloquiis vel negotiis, in gratiam hominum, &c. Si enim id irreuerentia foret agere coram principe, quantò magis coram Deo? S. Ludgerus Epiſcopus Monaſterienſis euocatus ad Carolum Magn. Imp. per cubicularium dum inſiſteret orationi; venturum ſe dixit abſolutis precibus: ſecundò etiã & tertiò vocatus omninò ire diſtulit, donec preces abſoluiſſet. Poſteà ad Imperatorem veniens & de cunctatione rogatus: intrepidè reſpondit: *Ego Imp. tuum ſemper præceptum ita in omnibus exequendum putaui, vt tamen Deum tibi vbique præferendum non dubitarem.* Gratias habuit Imperator, & ob id Epiſcopum ſibi tantò chariorem Refertur apud Baron. anno 809.

H. VII. *Vbi orandum.* Septimò, Vbi? Reſpondet Apoſtolus 1. *Tim.*2. *Volo viros orare in omni loco.* Quia videlicet Deus inuenitur & paratus eſt vbique nos exaudire. *Si hominẽ rogare volueris,* inquit Chryſoſt. hom. de Chananæâ, *interrogat: quid facit? & audies: dormit, aut non vacat: aut certè non dignabitur reſpondere miniſter tibi: ad Deum autem nihil horum opus eſt: Sed vbicunque fueris aut inuocaueris, audit te. Dicito: miſerere mei: & Deus ilicò aderit; adhuc loquente te dicit: adſum.* Sic ille.

Cùm periculum eſt vanæ gloriæ: tunc *intra in cubiculum & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito,* ait Dominus *Matth.*6.

Optimum autem orare in templo: vti ſæpe indicat Scriptura. *Pſal.* 5. *Adorabo ad templum ſanctum tuum. Luc.*18. *Duo homines aſcendebant in templum vt orarent. Act.*3. *Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonã.* Ratio; Quia ibi ſpecialis Dei beneuolentia ad audiendas preces: ibi plura incitamenta ad deuotionem: ibi denique precantium vnitas & multitudo. Vnde Tertull. *in apol.c.*39. ait: *Coimus in cœtum & congregationem, vt Deum quaſi manu factâ, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt.* Et S. Chryſoſt. *hom.* 3. de incompreh. Dei natura: *Ante hos annos,* inquit, *capti nonnulli ſunt Tyrannidem appetentes, cuius rei vos etiam meminiſſe arbitror. Fuit inter eos quidam dignitate ac principatu præditus, qui cùm dãnatus capite ad ſuppliciũ duceretur, populus motus miſericordiâ vniuerſus prætorem adiit & deprecãdi communi operâ efficere potuit, vt reus ille veniâ nullâ dignus liberaretur ab irâ Imperatoris. Quòd ſi cùm irã terreni Imp. velitis extinguere, vniuerſi cũ liberis & vxoribus feſtinatis; cur quoties ad cæleſtem illum Imp. placandum reddendumq́, propitiũ ire pergitis vt eius ira eximatis non vnum, vt tunc, nec duos aut tres aut centum, ſed omnes orbis terrarum peccatores, omnes dæmone agitatos à flagello liberetis diaboli, foris ſedetis, non vniuerſi concurritis & Eccleſiam penetratis?* Hæc Chryſoſt. Ergò Auditores, quando his Rogationum diebus ſæpiùs in vnum conuenturi ſumus ad rogandum Deum pro communibus noſtris neceſſitatibus, date inprimis operam vt quicunque poteſtis, in cœtu hoc compareatis; deinde vt eâ, quâ decet, deuotione & pietate Supplicationibus interſitis, quò & ipſi iratum placare Deum nec non flagellum è manibus eius eripere poſſitis, Amen.

CONCIO VI.

Pro quibus potiſſimùm ſit orandum.

Orare vnuſquiſque debet inprimis
1. *Pro ſeipſo.*
2. *Pro ſummo Pontifice, & omni Clericorum ſtatu.*
3. *Pro Regibus & Principibus.*
4. *Pro extirpatione veneficorum.*
5. *Pro conuerſione hæreticorum.*
6. *Pro repreßione vel conuerſione Turcarum.*
7. *Pro defunctis.*

THEMA.

Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 16.

Diſceſſurus à filiis pater in longinquam regionem, quo mœſtos & deſolatos conſoletur,

letur, relinquit eis clauem ad ciſtam pecuniariam, ad cellam vinariam, ad penum aliaque quę ad victum eis neceſſaria ſunt. Idem nobis feciſſe Chriſtum amantiſſimum noſtrum Patrem, ex hodierno Euangelio diſcimus; diſceſſurus enim à nobis in cælum, reliquit nobis auream illam orationis clauem, quâ omnes aperire penus indéque ea depromere, quæ neceſſaria nobis ſunt, nō difficilè poſſemus; neque verò nobis ſolùm, ſed & fratribus noſtris, quidquid illis deſiderauerimus. Verùm vt hac claue rectè & prudenter vtamur, ſciendum nobis eſt, quibus potiſſimùm aperire, quibus impertire beneficium orationis debeamus, quod hîc diſcemus.

B. I. Pro ſe quiſque.

PRIMÒ, Orare debet vnuſquiſque pro ſeipſo, nec confidere in ſolis aliorum & ſanctorū precibus. Ita Chananæa tum demum audita fuit, cùm præcedentibus diſcipulorum Chriſti precibus etiam ipſa acceſſit ad precandum. Audi Chryſoſtomum *hom. de profectu Euangelij: Vis diſcere,* inquit, *quòd etiam per noſmetipſos orantes apud Deum plus efficimus, quàm dum alij pro nobis orant? Clamauit hæc* (Chananæa) *& vt acceſſerunt diſcipuli dicunt: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Et ad illos quidem dixit: non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Quando autem ipſamet acceſſit & perſeuerauit clamans & dicens: Domine etiam, nam & catuli edunt de menſâ dominorum ſuorum. Tunc beneficium dedit & ait? Fiat tibi ſicut vis. Vides quoniam repulit, cum alij precarentur, vbi verò ipſamet pro dono clamauit, annuit?* ſic ille. Senior quidam in vitis Patrum *p.2. c.1. §. 12.* rogatus à Monacho vt pro ipſo preces funderet: cùm factâ pro eo oratione, vidiſſet in viſione Monachum illum & Diabolum colludentes, angelum verò cuſtodem dehortantem eum, quem ille negligebat; reuerſus ad eum dixit: *Quia res per te ſtat, impoſſibile eſt vt aliena preces te iuuent, niſi ipſe ieiuniis, vigiliis & orationibus inſiſtas.*

Vnde S. Auguſtinus *in hom.* ſuper hodiernum Euangelium *tract. 102. in Ioan.* ait: *Exaudiuntur quippe omnes ſancti pro ſeipſis: non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis ſuis, vel quibuſlibet aliis; quia non vtcunque dictum eſt, dabit; ſed dabit vobis.*

C. II. Pro aliis etiam.

Deinde orandum etiam pro aliis, idcircò enim in oratione dominica oramus: *Pater noſter, panem noſtrum da nobis, & dimitte nobis*, &c. vt aduertit S. Cyprianus *l. de orat. Dominica.* Et Chryſoſtomus *hom.14. in Matth.* ait: *pro ſe orare neceſſitas cogit; pro altero autem Charitatis fraternitas hortatur.*

1. Pro ſummo Pontifice.

PRIMÒ, Pro Summo Pontifice; vti facit inprimis Eccleſia, quæ in Canone ſemper & in Collectis crebrò orat pro eo: idque didicit à primitiuâ Eccleſiâ, quæ dum Petrus teneretur Ieroſolymis in carcere, orabat pro eo. Ita enim *Act. 12.* legimus: *Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere; oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Nec ea fruſtranea fuit; cùm enim Petrus alterâ die producendus eſſet ad mortem, nocte præcedente liberatus eſt è carcere per angelum. Iure fit hæc oratio.
1. Primò ratione ipſiuſmet Pontificis, qui in ſtatu periculoſiſſimo verſatur. Pius V. dicebat ſe in Pontificatu de ſalute penè deſperare: Ipſe enim quaſi Atlas Eccleſiæ, totum eius pondus humeris ſuis ſuſtinet. Cùm S. Clemens PP. ad mare pergeret mergendus, populus ad littus ſtans pro eo orabat dicens: *Domine Ieſu Chriſte ſalua illum.* Pontifex cum Petro ſupra mare quodammodò incedit: Vnde iure pro eo oramus: *Domine ſalua illum.*

Secundo, ratione noſtri ſeu fidelium omnium, quorum directio & ex parte ſalus pendet à Pontifice. Ipſe noſter Nauarchus eſt, ipſe auriga, ipſe Dux. Hinc ſicut Hebræorum populus Duci ſuo precabatur: *Sit Dominus Deus tuus tecum ſicut fuit cum Moyſe. Ioſ. 1.* Ita nos precari decet noſtro Papæ. 2.

C. II. Pro omni Clericorum ſtatu.

SECUNDÒ, Pro omni ſtatu Clericali. Primò, quia *meſſis multa, operarij autem pauci*, ait Chriſtus: *rogate ergò Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam*, *Luc.* 10. Non intelligimus modò, quam neceſſarij ſint Sacerdotes & Concionatores: quia nobis ſemper adſunt. Si abeſſent aliquamdiu, tunc intelligeremus. Fieremus enim velut Arabes & Scythæ. Nulla dirior fames, quàm fames verbi Dei, vt habemus *Amos* 8. 1.

Secundò, Quia in iis plurimum poſitum, vt faciant officium ſuum. Tam victima pro peccato Pontificis, quàm victima pro peccato totius populi cremanda erat extra caſtra *Leuit.* 4. cùm tamen aliæ victimæ pro peccatis priuatorum immolarentur intra caſtra, quia ſcilicet Pontificis peccatum æquè contaminabat tota caſtra, atque peccatum vniuerſi populi. Angeli eſſe deberent; & tamen quàm difficile eſt tot angelos in carne reperire? Ipſi ſunt ſtomachus, quia concoquunt cibum & diuidunt toti corpori, vt explicat Auctor imperfecti *ho.38. in Matth.* Stomacho malè affecto, omnia membra tabeſcunt. *Quemadmodum Medicus*, inquit, *quando primò ingreditur ad infirmum, ſtatim de ſtomacho eius interrogat & eum componere primùm feſtinat: quia ſi ſtomachus ſanus fuerit, totum corpus validum eſt: ſi autem diſſipatus fuerit, totum corpus infirmum eſt: ita ſi Sacerdotium integrum fuerit, tota Eccleſia floret; ſi autem corruptum fuerit; omnium fides marcida eſt.* Ideoque Chriſtum ait poſt ingreſſum in Ieruſalem reformationem inchoaſſe à templo, in die palmarum. 2.

D. III. Pro regibus & principibus.

TERTIÒ, Pro regibus & principibus. Primò, Vt eos nobis det bonos, neque dicat nobis, quod Hebræis *Oſeæ* 13. *Dabo tibi regem in furore meo.* Anaſtaſius Nicænus *q. 15. in ſcript.* duo illuſtria refert exempla. Primum, cùm Phocas Imp. quaſi Tyrannus ſæuiret in innocentes; Monachus quidam ſæpe cum Deo expoſtulabat: *Cur Domine eum feciſti Imperatorem?* Cui reſponſum eſt cælitùs: *Quoniam non inueni peiorem.* Secundum: M[illegible]chus quidam hypocrita ſed ſceleſtus, angeli [illegible]tu præcipitur eligi in Epiſcopum Theli[illegible]s ſceleratæ ciuitatis. Cùm verò ille mox inſoleſcere inciperet, audiuit ab angelo: *Cur ſuperbis ô infelix? non es creatus Epiſcopus quòd dignus Sacerdotio ſis, ſed quòd ciuitas tali digna erat Epiſcopo.* 1.

populi ſalus à bono rege pendet, quia *regis ad exemplum totus componitur orbis*; cum eo mutat religionem, fidem, pietatem. Hinc Apoſtolus 1. *Tim.* 2. ait: *Obſecro igitur primò omnium fieri obſecrationes, &c. Pro regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate.*

Viderunt idipſum Gentiles. Euripidis eſt hæc vox: *Gubernari oportet malos à bonis, & parere ſe melioribus: ſi verò impios in ciuitate promoneris, ſurſum atque deorſum vita noſtra inopinatò tota peruertetur.* Platonis iſta: *Sutores, ſi praui & perditi ſint, quamquam diſſimulent, nihil inde periculi ciuitati imminet: cuſtodes verò legum & ciuitatis, ſi non reuerà boni ſint, ſed videantur tantùm, vrbem totam funditùs perdunt.*

2. Secundò, Vt Deus proſperet eorum imperium & adiuuet conatus contra hoſtes Eccleſiæ Catholicę & Imperij Romani. Accommodatè noſtro tempori ſcribit S. Gregorius *lib.* 9. *ep.* 40. *Pro vitâ piiſſimi & Chriſtianiſſimi Imperatoris Domini noſtri & tranquilliſſimâ eius coniuge & manſuetiſſimâ ſobole ſemper orandum, quorum temporibus ora hæreticorum cõticeſcunt: quia etſi eorum corda in inſaniâ peruerſi ſenſus ebulliunt, orthodoxi tamen Imperatoris tempore praua quæ ſentiunt, eloqui non præſumunt.* Dum Iudith ſe parauit ad necandum Holofernem, qui Bethuliam premebat obſidione; dicebat ad ciues ſuos: *Vos autem nolo vt ſcrutemini actum meum, & vſque dum renunciem vobis, nihil aliud pro me fiat, niſi oratio ad Dominum Deum noſtrum. Iudith* 8. Quâ egrediente ad Holofernem, presbyteri ciuitatis pro eâ precati ſunt Dominum, vt daret ei gratiam ad perficiendum ſuum conſilium: cæterique omnes reſponderunt: *fiat, fiat, Iudith* 10.

E.
IV.
Pro extirpatione veneficorum.

QVARTÒ, Pro extirpatione veneficorum & veneficarum. Primò, Quia grauiſſimum ſcelus eſt & ſcelerum colluuies. Deus ergò per hoc grauiſſimè ſemper offenditur & ad clades toti reipublicæ inferendas prouocatur maximè; vt his infeliciſſimis temporibus experimur, quibus huius ſectæ flagitia bonorum hominum precibus & pietati præponderant, pluſque illa poſſunt ad irritandum, quàm hæc ad Deum placandum. Satius multò foret viuere inter gentiles, quàm inter huiuſmodi homines, qui ad nocendum ex profeſſo conueniunt & impelluntur à dæmone.

1.

2. Secundò, Quia magnus talium numerus eſt & ſemper indies augetur, dum alter alterum ſeducere laborat, vt vix per viam iuſtitiæ extirpari hoc vitium poſſit. Ita Ioſaphat Rex, cùm tam ingens multitudo hoſtium inſurgeret contra eum, vt reſiſtere eis diffideret, inſtituit preces publicas. Inter quas concione habitâ ait inter alia: *Deus noſter ergò non iudicabis eos? In nobis quidem non eſt tanta fortitudo vt poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cùm ignor[illegible]uid agere debeamus, hoc ſolum habemus re[illegible], vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Cui mox reſpondit Dominus per Leuiten, ne timeret, ſuam eſſe hanc pugnam, non ipſius regis. Cùm ergò cœpiſſent Leuitæ laudes canere, vertit Dominus inſidias hoſtium in ſemetipſos, vt mutuis ſe conciderent vulneribus, 2. *Paral.* 20.

F.
V.
Pro conuerſione hæreticorum.

QVINTÒ, Pro conuerſione hæreticorum. Primò, Quia graue malum hæreſis: iamque diu ſatis detinuit in tenebris miſeros. Sicut ergò orauit Eliſæus Deum vt aperiret oculos Syrorum, qui venerant eum capere, & quia cæcitate percuſſi, ſeducti erant ad terram hoſtilem, 4. *Reg.* 6. Sic nos rogemus Deum, vt aperiat hæreticorum oculos, quò nimirum videant ſe à Luthero & Caluino ſeductos & abductos eſſe in terram hoſtilem, id eſt, in hæreſin & ſtatum damnationis. Sed placet audire ex probato Auctore (P. Chauaſſ. *l.* 5. 4. *de notis fid. c.* 4.) calamitates in Germaniam à tempore Lutheri per eius hæreſin inuectas. *Sunt profectò quàm plurimæ omniſque generis. Nunquam in pueris & adoleſcentibus tantum aſtutiæ, fraudis, pertinaciæ, inobedientiæ, petulantiæ, & procacitatis, nec in militibus tantum licentiæ ac perfidiæ, nec in Palatinis tantum vanitatis, diſſolutionis, inuidentiæ, proditionis mutuæ, ſimulationis, cupediarum, inaniſſimorum ſumptuum; nec in coniugatis tanta nuptiarum immaturitas, tot infidelitates & diuortia, nec inter ciues tantum ſimultatis, nec in confœderatis & contrahentibus tantum malæ fidei.*

1.

Excreuit ad ſummum vſurarum iniquitas, vt non paucos videre ſit, ô portentum! qui ſingulis diebus mutui augẽt intereſſe ſiue auctarium ſecundùm proportionẽ Geometricam. Sæpe affines & conſanguinei ſibi inuicẽ extranei ſunt & barbari. In peccatoribus nũquã indolentia maior, currunt præcipites in vitium, ſicut equus impetu vadẽs ad prælium, frõs meretricia facta eſt illis, neſcierunt erubeſcere, gloriantur cum malefecerint, & exultãt in rebus peſſimis; vix eſt qui ſeriò agat pœnitentiam ſuper ſcelere ſuo, peruerſi difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Nulla olim tanta rerum caritas, nihil iam circumfertur vilis pretij, ad intolerabile prouexit quidlibet auri ſacra fames, vt quæ olim obolis, nunc Regalibus cõparentur. Poſtularet ratio, vt eiuſmodi pretium incrementa & decremẽta caperet, prout annona carior eſſet aut vilior, & ecce in eodem conſiſtit gradu, quantumuis terræ bona multiplicentur, & benefica natura frugibus agros oneret. Quidquid extorquere vẽditor ab emptoribus poteſt, iuſtũ putat. Luxus nunquam maior in victu, veſtitu, ſatellitio, & dotibus, in ſupellectili domeſtica, in cõuiuiis, choreis, aleâ, & eiuſmodi vanitatibus. Vrbanos ac ciues æmulantur agricolæ. Ciues ſericis ſeſe amiciunt perinde ac Nobiles, è quibus qui minoris ſunt notæ videri Comites volunt, hi Marchiones, qualibus parũ eſt in ſuo gradu excellere, niſi etiam fulgeant more Principum: ſtipantur Principes vt Reges, & fortè Regibus orbis vnus terrarũ nõ ſufficit ſicut nec Alexandro. Politica res nunquã minus bene conſtituta. Sortiuntur officia publica non meliores aut peritiores, ſed nequiores magiſque imperiti, ſi modò opulentiores, qui ſcilicet plures poſſint aureos ſoles vt Romulus aues oſtendere. Tributa tam multa penduntur, vt locum nominare poſſim, in quo & matres paruulos ſuos occiderunt, quod ſe omni re domeſtica à feris exactoribus ſpoliatas alere illos poſſe diffiderent; & ruſtici in eandem coniecti penuriam, ex furfuribus panem & ardoſiarum puluere ſibi pinſuerunt. Merces, panni, opificia ferè omnia fu-

exta, caduca, infirma, adulterina. Typis mandatur quidquid lubet, libelli etiam famoſi, obſcæni, hæretici ſuperſtitioſi, vix vllus librorum Cenſor, quem vbiq; oportet eſſe accuratiſſimum. Etiam ad ipſa humana corpora extendit ſeſe temporũ noſtrorum infelicitas. Nunquam homines vtpote puſilli, infirmi, delicati, valetudinarij, vt quocunque te vertas, miſeriarum videre ſit cumulos inductos à Pſeudoeuangelicis, vt vel inuitus agnoſcas quia iſtud eſt ſemen cui maledixit Dominus, ait enim Matth. 7. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Sed ais: nónne factum eſt occaſione ſectarum (quod ſuo etiam tempore factum notat Aug. lib. in Geneſ. contra Manich.) vt oſcitabundi Catholici torpore excuterent, & quam profitebantur veritatem acriùs propugnarent? factum ſanè ita vt, quod notat Alphonſus à Caſtro l. 1. c. 4. plures viros doctos nunc Eccleſia poſſideat, quàm habuerit ſuperioribus aliquot ſæculis. Reſpondeo id non ſectis ſed diuinæ prouidentiæ tribuendum elicienti ex malis bona.

Secundò, Quia iam in motu & progreſſu eſt eorum conuerſio. Iam trahi cœpit currus, oratione additâ impellendus eſt. Cùm repararentur muri Ieroſolymæ deſtructi 2. *Eſdr.* 4. nemo erat, qui non adhiberet operam ſuam; alij ędificabant, alij portabant onera, alij excubias in armis agebant contra imminentes hoſtes. Idem nos faciamus in reparatione Eccleſiæ ab hæreticis laceratæ. Dum enim alij pugnant & hæreticos expugnant, dum alij eos erudiunt & ædificant; nos interim excubemus in orationibus.

§. VI. Pro repreſſione vel conuerſione Turcarũ.

SEXTÒ, Pro repreſſione vel conuerſione Turcarum. Primò, Quia ſecta peſtifera eſt & crudelis. Non enim ſolùm tributa à Chriſtianis exigit, verùm etiam eorum liberos decimat & ad ſectam ſuam traducit; captiuos dirè torquet. Terram ſanctam, Chriſti incunabula & ſepulchrum velut iniqui poſſeſſores detinent & iniquè habent.

1. *Turcarũ immanitas in Chriſtianos.*

Sed quò planiùs adhuc (verba ſunt Balt. Chauaſſij *l. 5. de Notis fid. c. 4.*) *magiſq; in ſpecie nouerimus ſectam illam exitialem reuera eſſe factamq; ad reliqui orbis deſolationẽ, conuenit nos præcipuè obrutum dirigere ad Chriſtianos illos, qui in Turcico imperio mortem potiùs quàm vitam degunt. Superant ſanè illorum miſeriæ omnem dicendi ſcribendiq; vim & facultatem. Quàm mihi Tullianam hoc loco expeterem, vt ſtertentibus Europæis ſenſum aliquem tantæ calamitatis darem, ne fortè & ipſi veniant in eundem locum tormentorum!* Eiuſmodi Chriſtiani aut tributarij *ſunt, qui nempè vitam ibi à parentibus liberis acceperunt, aut ſerui, nempè vel à victoribus in bello capti, vel Turcicis latrunculis intercepti, qui turmatim quotannis ad finitimas ditiones prædatum exeunt. Si tributarij, ab iis quouis anno exigitur quarta pars fructuum tam ex agris & pecoribus, quàm ex quæſtu proueniẽs. Singuli prætereà quotquot in familia vna numerantur ſingulos ducatos pendunt. Quod ſi parentes ſoluendo non ſint, cogũtur liberorum aliquem pretio diſtrahere. Huic tributo admodum certè oneroſo coniunctum eſt alterum omniũ grauiſſimum. Nam quarto quoque anno, velut ſcribit Cuſpinianus tertio, expedita aliquot turma equitum peditumq; peruadunt imperium, & ex eorundem Chriſtianorum filiis quartum quemq; eligunt & abducunt qui nimirum robuſtior, venuſtior, aut aliis naturæ dotibus inſtructior appareat, abductumq; paulò pòſt circumcidunt, & vel militiæ ſuo adſcribũt tempore ſi aptus videatur, vel in mechanicis occupant. Si à quoquam parente celetur filius vel aufugiat, diriſſimis tormentis exercetur parens donec illum ſiſtat. Vix autem celare poteſt quia πρότογερὸς, ſeu pagi prætor Muſulmanus ſemper eſt; eiq; incumbit ſub graui pœna obſeruare, quot cuiq; Chriſtiani filij naſcantur & filiæ & tanquam aliud nihil agens, indolem explorare ſingulorum. Nemo verbis explicare poteſt, inquit Septemcaſtrenſis, quibus lachrymis, quo ſingultu ac gemitu hanc pignorum ſuorum abſtractionem miſeri parentes proſequantur. Pater filium, quem in Chriſti cultu educauerat, ad militiam ſatanæ rapi videt vt Chriſtũ oppugnet. Sed nihil proſunt eiulatus. Si ſunt ſerui venduntur numeratâ pecuniâ Mercatoribus & Laniſtis, qui magno numero ſubſequuntur exercitum, atque ab eis vinciuntur catenis ferreis tam productis, vt nunc 12. nunc 20. aliquando etiam 30. vel 60. vinciendis ſufficiant. Mox manibus quoque injiciuntur manicæ, atque ita vno paſſu alios ab aliis dirimente abiguntur & procedunt. Ingruente nocte ſua pedibus accedunt vincula. Supini omnes, inquit Lonicerus, aëriſq; iniuriis expoſiti iacere coguntur.* l. 2. de relig. & mor. Turc. *Sed longè grauiores iniuriæ quas in nefandis abactoribus iſtis accipiunt. Auditur enim per totam noctem eiulatus triſtiſſimus vtriuſque ſexus adoleſcentium infandæ vim Veneris patientium tanto furore exerceri ſolitam, vt nec ſexennis ætas miſeros à tali vexatione & calamitate defendat. Paruuli autem & adhuc pueri portantur in ſaccis, vt ſcribit idẽ Septemcaſtrenſis, capite ſexto. Vix ad conſtitutas ciuitates perueniunt, cuiuſmodi maximè ſunt Conſtantinopolis, Alepus, Alexandria, &c. cùm ad forum publicum talibus deſtinatum mercibus iiſdem catenis colligati, & tædio, laboribus atque inediâ conſumpti brutorum more venalium deducũtur, nudantur, attrectantur etiam in partibus quas videri pudor vetat, probantur, circumaguntur, ad curſum incitãtur, & rationales creaturæ inſignitæ Chriſti charactere, eius denique inæſtimabili redemptæ ſanguine mòdico pretio venundantur, inſpicientibus patre & matre filij, viris vxores, vxoribus viri, nutricibus paruuli inter eos futuri quos Græci ἀνάτρεφεις ἀμήτρεις vocant. De ſe vno teſtatur Barthol. Georgeniz in præfatione, quod vt iumentum aliquod oppidatim, vicatim & plateatim venumductus ſit, adeò vt ad grauiſſima variaq; ruſtica negotia ſepties ſit venditus. Si qui inobedientes (verba pono Cuſpiniani,) aut verecundi pudenda tractari recuſauerint, colaphizantur & flagellis caduntur, hic filius venditur matre vidente, hic mater abducitur in confuſionem filij, hic marito erubeſcente vxor vt ſcortum illuditur, alteriq; viro traditur; hic vxor maritum videt aratro alligari, hic paruuli è ſinu matris rapiuntur. Ibidem nec dignitatis, nec ætatis minima habetur ratio, miles, paganus, Sacerdos, plebeius, nobilis, ignobilis, doctus & indoctus, pius & impius, vel pari taxantur pecuniâ, vel ille maiore quem melius ad labores natura finxerit. Cæteri quantumuis nobiles, aut ingenio pollentes reputantur telluris onera, nihili ſunt, perpetuo ludibrio ſunt, miniſteria omnium ſordidiſſima viliſſimaq; obeunt, pannoſi quouis tempore incedunt, vix ſiliquas habent quas fami opponant. Ibi crebrò vir nobilis & delicata matrona, quibus olim ſerui magno cũ apparatu obſequebantur, vili pretio ſeruilem conditionem ſubeunt.*

ſubeunt, ſpe omni abiecta ſolatij & libertatis. Si minus quis laborauerit, quàm præſcriptum eſt, tunditur vt aſinus, eiq́ inter verbera paſsio cruxq́ Chriſti improperatur, omnibus iniuriis aëris interdiu exponitur, æſtui, frigori, grandini, pluuiæ, ventis ac niuibus, & nunc quidem baiulum agit, terram arat, molendina torquet, nunc beſtias curat ea ſemper lege vt ſub noctem certũ penſum referat, de reſiduo, quòd ſæpe nullum eſt, viuat. Eundem Dominum ſuum ſi quando verbo factóve offendat, neruis caditur, inquit Ioannes Boterus 3.p. Rel. l. 2. Vel ei oleum infunditur ardens, aut ſeuum, aut laridũ. Prouecta nocte in antrum tenebricoſum, & graueolentiâ pedoreq́ horridum cum ſociis abducitur, vbi in compedes mittuntur bini & bini, reſonat infælix carcer lamentis & eiulatibus, horrẽt capilli omnibus, & concreſcit ſanguis ob mala præſentia. Inde educũtur ſummo mane luridi, làceri, fæculenti, & ad labores emittuntur ſolitos. Aliàs circumducuntur per niues & ſaxa, nec prius miſeria exitum reperit quàm vita. Nemini cuiuſcumque ſit ætatis & conditionis illud obtingit beneficium, vt in itinere ſi ægrotet, illum herus apud hoſpitem in diuerſorio curandum relinquat, ſed flagris potius & ſcuticis vt pergat impellitur. Quòd ſi illum omnino vires deficiunt, iumento imponitur, cui ſi inſidere nequeat, alligatur ei in tranſuerſum ſarcinæ more aut manticæ; morientem barbarus detractis veſtibus in proximam foueam aut vallem canibus, lupis ac vulturibus eſcam futurum abijcit. Ex captiuis pueris ſolent elegantiores Imperatori ſeruari, quos cũ ſuo præficit Gynicæo perfectè euirat, ô immanem crudelitatem! ſic vt nulla in iis reſtent virorum indicia, teſte Barth. Geor. capite vigeſimo nono. Quod ad captiuas mulieres, præter omnis generis libidinẽ cui proſtituũtur, & patent, ſpurciſsimis plerumque miniſteriis addicuntur. Comitantur inter alia heras ſuas cum aqua vaſculo, ad ſeceſſum euntes, hoc dixiſſe ſufficit. In ſumma autem, adeò miſeranda & acerba eſt ſors omnium, vt mortẽ nemo ei non anteponat. Loquentem audiamus Cuſpinianum loco citato: Serui itaque nihil aliud cogitant, aut nulla alia de re colloquuntur, niſi de conſilio fugiendi. Heri hoc animaduertentes cibũ ſubtrahunt, ne viaticum parent. Rarò autẽ fugâ elapſi euadunt, præſertim qui vltra mare abducuntur. Plerumque enim aut morbo & inediâ, aut fluminum profunditate, aut ferarum dentibus, aut opilionũ cornis pereũt, aut ad heros proprios quaſi fugitiui retrahũtur. Valdè namq́ ſolliciti ſunt Turci requirendi inueniendiq́ profugos. Si retrahi contigerit, fiunt nouiſsima illorum peiora prioribus. Prima vice duplicatur miſeria. Si reducantur iterum affliguntur ſine vlla commiſeratione, abſcinduntur multis aures, nares vel labra vt deformes appareant, vſtulantur alijs pedũ nerui. Omiſit hic auctor flagellationem, cuius tanta eſt atrocitas, vt in Lotharingia indigenam vnum poſt captiuitatem annorum viginti trium, opera & beneficio Legati Franciæ liberatum non viderim ſolùm, ſed ſæpe etiam ſim allocutus, cui ictus vnus oculum eruerat. Nam prima vice fruſtra fugere tentauerat, reſtitutus autem Domino ſuo immani ſtatim fuit verbere cruentatus. Idem referebat, hero cuicumque licere lege patria ſeruum ſuum, qui tertiò retrahitur priuare vita perindè ac pecus domeſticum. Sufficiunt hæc, ſpero, vt quam ſit diabolica religio, & ſecta illa tota, nemo non videat.

Secundò, Quia ſunt potentiſſimi. Duo enim orbis imperia Trapezuntinum & Conſtantinopolitanum occupârunt & præterea maiorem orbis partem, pluraque in dies occupant: adeò vt nuper ſubacta maiori Hungariâ & Tranſyluaniâ, iam Germaniæ, Italiæ & Poloniæ immineant, idque per Chriſtianorum principum diſſidia & hęreſum adminicula. His noſtris malis illi creſcunt, ac Chriſtiani quaſi excæcati id non vident, non curant. Nónne Viennam Turca iam ſemel obſedit? Auguſtæ & toti Germaniæ, Venetiis & Italiæ iam dudum minatus eſt & imminuit?

Septimò, Pro defunctis. *Sancta* enim *& ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*, ait ſecundus Machabæorum liber *c.12.* Decretum eſt Diuinæ iuſtitiæ pœnas aliquas temporales à peccatoribus repetere etiam ab iis, qui in gratiam cum Deo redierunt, & peccatorum ſuorum remiſſionem quoad culpam ſunt conſecuti. At ſæpiſſimè contingit, vt ſub vitæ exitum dumtaxat reſipiſcant, & in gratiam illam redeant, atque ita deſtituantur vitæ ſpatio ad illas Deo pendendas idoneo; aliquis igitur admittendus eſt alterius vitæ ſtatus in quo eos luant, priuſquam ad beatas illas ſedes admittantur, quibus flagellum non appropinquabit. Decedunt quoque penè omnes cum peccato aliquo veniali, quale haud dubiè cùm veniale tantùm ſit, non poteſt peccatorem in infernum demergere, expiari interim debet ante ingreſſum illum in regnum cœlorum, cùm ſit quoddam inquinamentum, & ſcribat Ioannes *Apoc.21.* nihil coinquinatum eò intraturum. Iam ſi datur ſtatus eiuſmodi purgatorius, quomodo non incumbet charitati noſtræ fuſis ad Deum precibus, & ſacrificiis, & pietatis operibus purgandarum ibi animarum pœnas mitigare? fortè quia eiuſmodi animæ membra non ſunt eiuſdem cuius nos Eccleſiæ. Sed enim falſiſſima eſt iſta ſuppoſitio teſte Auguſtino *l. 20. de Ciuit. c.9.* cùm ait: *Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti, alioquin nec ad altare Dei fieret illarum memoria in communione corporis Chriſti.* Huius ergò doctrinæ Catholicę exemplum audiamus. Ioannes Euiratus *in Prato Spirit. c. 44.* narrat de ſene quodam cuius diſcipulus negligens mortuus eſt. Contriſtatus ergò orauit & dixit: *Domine IESV CHRISTE verax Deus noſter, reuela mihi, quid ſit circa fratris animam.* Adſpexit autem in exceſſu mentis effectus, fluuium ignis, ingentemque in ipſo igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad medium vſque demerſum. Tunc ait ille Senior: *Nónne te propter hanc pœnam orabam, vt curam animæ ageres, fili?* Reſpondit frater, & ait Seni: *Gratias ago Deo, pater, quòd vel caput meum requiem habet. Per orationes enim tuas ſupra caput Epiſcopi ſto.*

H. VII. Pro defunctis.

Sed hæc ſatis ſint, pro hoc loco. Plura alibi dicta. Supereſt nunc vt his precationum diebus memores ſimus illarum inprimis, quas diximus, perſonarum, &c.

CON-

CONCIO VII.

Cauſæ & remedia diſtractionum in orando.

1. *Prima cauſa diſtractionum in oratione diſtractiones precedentes.*
2. *Occupationes & cura Familiæ.*
3. *Affectus inordinati ad creaturas.*
4. *Corporis indiſpoſitio.*
5. *Obliuio Dei præſentis.*
6. *Loci incommoditas.*
7. *Humana fragilitas.*
8. *Conſuetudo inueterata.*
9. *Diabolus infeſtans.*

THEMA.

Petite & accipietis. Ioan. 16.

A. Orare facillimum & difficillimum.

SI me quis interrogaret, Auditores, quid facillimum vnaque difficillimum ſit in exercitiis ſpiritualibus, reſponderem abſque morâ & dicerem: Orare; facillimum, inquam, orare; difficillimum deuotè & attentè orare. Primum facile, ni fallor, patet; quia orare nihil adimit homini, niſi parum temporis. Cætera bona opera aut carni aduerſantur, vt ieiunium, ſobrietas, caſtitas, patientia, vigiliæ, &c. aut ſpiritui, vt humilitas, manſuetudo: aut bonis externis, vt eleëmoſyna, hoſpitalitas, &c. Nihil horum offendit oratio. Quid enim facilius, quàm petere aliquid à Deo? Denique ipſum optare coram Deo eſt orare. Alterum porrò oſtendere poſſum. Primò ex S. Bernardo, qui aliquando iter faciens cum aliquo comiter per occaſionem conqueſtus eſt de cordis inſtabilitate inter orandum. Comes verò temerè de ſe præſumens, nihil ſe eiuſmodi pati aſſerebat. Bernardus itaque vt temeritatis eum conuinceret, ſpondet illi equum ſuum, ſi Dominicam orationem abſque omni diſtractione percurreret, modò veritatem indicaret. Acceptâ conditione ſecedit alter lætiſſimus & quaſi iam triumphans. Sed ecce vix orationem inchoat & ilicò ſubrepit ei cogitatio talis: num & ſellam equo eſſet additurus Bernardus. Atque ita quod erat exponens, temeritatem ſuam arguit. Accedit Abbas Agatho, qui dicebat nulli ſpiritualium actionum plus ineſſe laboris, quàm precationi, quia dum illi intendimus, malignus ſpiritus ſe plurimùm nobis infeſtum reddit. In vitis PP. p. 2. Itaque dum oramus, perpetuò in armis ſtare, ſi bene orare volumus, debemus, ac ſicut Hebræi murum Ieroſolymæ reparantes, vnâ manu tenebant gladium, alterâ faciebant opus, 2. *Eſdr.* 4. Sic nobis dum oramus, interim pugnandum contra occurrentes diſtractiones. Quod vt faciliùs impetremus, diſtractionum cauſas videamus.

B. I. Præcedẽtes diſtractiones.

PRIMÒ. Exurgunt diſtractiones in oratione ex præcedentibus diſtractionibus, cùm à negotiis ſæcularibus immediatè ad orationem tranſimus ſine præuiâ præparatione; tunc enim nihil mirum, ſi cogitationes illæ temporales nobis adhuc inhæreant, quemadmodum nec mirum egredi è molendino, reſperſum aliqua albedine: vel recedentem à mari ſentire adhuc ſtrepitum maris in auribus. Remedium præbet Eccleſiaſticus *cap.* 18. cùm ait; *Ante orationem prepara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.* Qui fidibus canere vult, priùs eas attemperat & concordat; alioqui moleſtus foret auditorum auribus. Similiter qui cum Rege loqui debet, priùs quid & quomodo loqui velit, conſiderat: alioquin ſi abſque reuerentiâ & diſcretione impertinentia & ſtulta loqueretur, abſque dubio Regis patientiam tentaret. Eadem ratio eſt cum oratione. Cogita quid, cum quo & quomodo velis loqui. Quid? de re ſummui momenti & ſalutem tuam æternam attinente. Cum quo? cum cœli & terræ Domino. Quomodo? compone omnia corporis membra ad pietatem: Deinde collige vires animi ad deuotionem & attentionem. Inprimis verò propone tibi ſeriò, velle te cum ſummâ attentione orare Deum; hæc enim attentio virtualis durat pet totam orationem licet ſubinde diſtraharis, modò non volens euageris, nec euagationi des habenas, aut aliud interim agas, cum quo attentio ſtare nequeat. Antequam eiacularetur Dauid lapidem in Goliathum, gyrauit priùs fundam, vt ſic imprimeret impetum lapidi adeoque virtualiter manum ſuam. Idem fit per propoſitum attentionis, initio conceptum, quod virtute comitatur totam orationem, facitque eam ſalutarem. Remedium.

SECVNDÒ, Exurgunt ex occupationibus & curis familiaribus, quibus quotidie diſtinemur. Eſt enim mens noſtra ſimilis molendino, quod iuxta frumenti affuſi qualitatem reddit farinam. Vnde ſicut non reddit triticeam farinam, ſi lolium molæ infuderis: ita ſi tu per diem variis contractibus, litibus, commerciis, compotationibus aliiſque negotiis implicaris, & vix vnquam Dei memores, quam putas indè fieri farinam poſſe, niſi cogitationum alienarum & ſæcularium ita importunarum, vt ne ad punctum quidem mentem in Deo figere poſſis? Remedium dat Abbas Ioannes *in collat. Patrum* cùm ait: *Quales in oratione inueniri volumus, tales extra orationem eſſe debemus.* Igitur animum ab eiuſmodi curis & occupationibus abſtrahe ſaltem ita, vt ne illis te immergas, ſed extremis quaſi labris ſolùm delibes. Hirundines marinæ ſuos nidos in modum rotundæ pilæ ſupernè tantùm apertos, alioquin vndique clauſos conficere feruntur in littore maris, vt cũ à fluctibus abripiuntur, ſecurè ſupernatent, & nihil aquæ ſubintrare & nocere pullis queat; Ad hunc modũ conſtitutum eſſe cor noſtrum debet, vt licet in mediis ſæculi curis & occupationibus natet, ſemper tamen ſupernatet, & ſæculo quidem clauſum, cœlo autem apertum ſit. Prudens Aduocatus non admittit ruſticos in ſuum conclaue vel Muſæum, ſed foras ad illos prodit, tum ne id commaculent, tum ne longiores ibi moras nectant. Sic etiam ſeruandum ſaltem cor immune à curis ſæculi, vt ne eas in cor admittas, ſed quaſi foras prodiens expedias, ac rurſum ad cordis tui conclaue redeas, vti fecit S. Bernardus, qui à Põtificibus & Principibus ad varias legationes euocatus à ſuo clau-

C. II. Occupationes & curæ familiæ.

Remedium.

clauſtro, corde interim ſemper in Deo fixus & quaſi domi in cellâ ſuâ erat.

D. III. Affectus inordinati erga creaturas. TERTIÒ, Ex affectibus inordinatis erga creaturas. *Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum:* & vbi eſt cor tuum, ibi & cogitatio tua: Vti canis quem lactaſti, ſemper te inſequitur & difficulter abigitur, ita res amata.

Remedium. Remedium eſt excutere eiuſmodi amorem & odium eius concipere, adeoque canem baculis abigere, & cor in Deo figere. Cum aliquando S. Franciſcus texuiſſet vimineum corbem, poſteà cùm oraret, de illo cogitare cœpit. Mox ergò proiecit eum in ignem, dicens: *Non auelles me à Deo.* Idem nos dicamus quibuſcunque creaturis, cùm nos à Dei amore & ſeruitio abſtrahere conantur.

E. IV. Corporis indiſpoſitio. QVARTÒ, Ex corporis indiſpoſitione: *Pinguis* enim *venter non gignit ſenſum tenuem*, vt ſcribit S. Hieronymus *ep. 2. ad Nepotian.* quia cibi & potûs nimietate obruuntur vires animi, & quodammodo ligantur, quo minùs officium ſuum præſtare & in Deo ac diuinis figere ſe poſſint, ſicuti artifex impeditur à ſuo opificio, cùm inundans aqua in officinam eius penetrat. Hinc & ægroti difficilè orant. Nimia etiam commotio eandem difficultatem parit.

Remediū. Remedium eſt ſobrietas, vt oſtendit Abbas ille in Vitis Patrum, *p. 2. l. de humil. & pat.* qui dicebat nunquam ſe in orando diſtrahi ſolere, quia nunquam ad ſatietatem indulgeret refectioni. Idem præſtat corporis quies.

F. V. Obliuio Dei præſentis. QVINTÒ, Scribit S. Baſilius *Reg. 21, ex Breu.* inanem mentis agitationem ex propriâ ipſius inertiâ naſci, quando rebus nihil neceſſariis ſe occupat, nec recogitat, quod ſcriptum eſt: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.*

Remediū. Remedium adhibet idem Baſilius *l. 1. hexam.* cùm ait: *Quomodo obtinebit quis, vt in oratione ſenſus eius non vagetur?* Reſpondet; *Si cogitet ſe aſſiſtere ante oculos Domini.* Atque vt hoc tibi perſuadeas, cogita te, niſi ſcires Deum videre & audire orationem tuam, minimè oraturum eſſe. Quantâ verò attentione tu loquereris, ſi cum rege tibi ſermo eſſet? *Cum obſecrationibus loquitur pauper*, inquit Sapiens *Prouerb. 18. & diues effabitur rigidè.* Quod ſi homines diuites rigidè reſpondent pauperibus etiam cum obſecratione loquentibus; quale reſponſum expectas à Deo, quando ſine omni reuerentiâ & attentione cum eo loqueris? Sufficit autem nos ſcire, quòd ab ipſo videamur, tametſi non videmus illum. Nam ſi dicatur cæco, ipſi adſtare principem, certè mox ad grauitatem & modeſtiam ſe componet, licet non videat principem.

G. VI. Loci incommoditas. SEXTÒ, Ex loci incommoditate. Difficilis enim eſt collectio in locis publicis. Vnde S. Antonius ſi fortè ab ortu ſolis in oratione deprehenſus eſſet, de eius luce conqueſtus dicebat. *Quid me impedis ſol, qui ad hoc iam oriris vt me ab huius veri luminis abſtrahas claritate?* Refert Caſſianus *collat. 9. cap. 31.*

Remediū. Remedium eſt, quærere locum orationi ſolitarium, iuxta id *Matth 6. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum & clauſo ſuper te oſtio ora patrem tuum in abſcondito.* Et hinc opinor, primi Chriſtiani de nocte ſurgebant ad orationem vti Paulus & Silas *Act. 16.* Et alij communiter teſte Plinio epiſt. ad Traianum. Hinc Euſtochio ſuadet & ſcribit S. Hieronymus: *Eſto Cicada noctium.* Claude deinde ſenſus tuos & cohibe ab euagatione, atque ita per cogitationem include te cellæ cordis tui. Vel ora in templo, vbi locus clauſus, conſecratus, ſacris imaginibus deſcriptus attentionem & deuotionem excitat.

SEPTIMÒ, Ex humanâ fragilitate. Difficile eſt enim homini ſemper in eodem obiecto firmare cogitationem. Quâ de re queritur ipſe S. Hieronymus, *in dial. contra Luciferianos cap. 6. Nunc creberrimè in oratione meâ aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero.* H. VII. Humana fragilitas.

Remedium eſt, vigilare contra eiuſmodi diſtractiones & deprehenſas mox abigere, animumque ad Deum reuocare ac dolere de eiuſmodi defectibus, qui meritum quidem orationis non tollunt, ſed ſuauitatem. Deinde cogitationi dicere cum Bernardo: *Propter te non cœpi, propter te non deſinam.* Item facere crucem ante pectus, quoties occurrit extranea cogitatio; eâ enim ratione oſtendes tibi diſplicere illam; neque enim vulnerant eiuſmodi diſtractiones niſi accedente voluntatis conſenſu, aut complacentiâ longioreque morâ. Nec eſt cur perturberis, ſi eas omninò euitare nequeas; quia vti Paſtor Abbas oſtendit cuidam Monacho, id tam impoſſibile eſt, ac ventos ſinu conſtringere. In Vitis Patrum *part. 2. l. de diſcretione.* Remedium.

OCTAVÒ, Ex inueteratâ conſuetudine. Vt enim canis in aliquâ domo nutritur, licet inde eiiciatur, mox tamen ad eam redit: ita mentis euagatio multo tempore admiſſa. I. VIII. Conſuetudo inueterata.

Remedium videtur, pauca & lenta, non properante pronunciatione orare: orationes proprio marte componere: petere à Deo ante orationem, gratiam attentionis: conſiderare inconſtantis & adhuc terreni animi eſſe indicium, tantam mentis & ſenſuum euagationem: cogitare quàm ſit graue, tentare hoc pacto Deum, iuxta id: *Non tentabis Dominum tuum:* colligere ſe ſubinde adhibitis certis ſymbolis, &c. Remedium.

NONÒ, Ex diabolo, qui cupiens nos priuare orationis ſuauitate & fructu, nihil non molitur, vt nos externarum rerum cogitationibus occupet & diſtractionibus confundat, mane inprimis primas ingerendo cogitationes ſæculares & nugatorias: deinde cùm orare incipimus. Id aliquando Deo imperante monſtrauit ipſe Dæmon Machario Abbati Alexandrino, cùm de nocte cellam eius pulſans, iuſſit eum venire ſecum ad preces matutinas, & oſtendit ei in choro fratrum paruulos Æthiopes, qui variè occupabantur in diſtrahendis fratribus ab orationis deuotione. Aliis contingebant palpebras, & ſomnum conciliabant. Aliis immittebant in os digitos, & occitare eos faciebant. Aliis inſiliebant in humeros, & tædio offici K. IX. Diabolus infeſtans.

ficij

ficij prægrauabant: Alij in ædiculis extruendis ſe occupabant: Alij in veſte fæmineâ aliud nugabantur: Alij denique à quibuſdam feruentibus ſtrenuè repellebantur. Quibus geſticulationibus viſis Macharius contriſtatus, vocauit ad ſe Monachos illos & deprehendit iiſdem nugis fuiſſe in choro occupatos ſub diuino officio vti oſtenderat ei Dæmon: Sicque errores eorum reprehendit & correxit. Refert Euagrius in Machario.

Remedium. Remedium eſt, mundare conſcientiam à prauis inclinationibus. Item principijs diſtractionum obſtare, & primo earum aſpectu caput ſerpentis conterere, contemptu & deteſtatione earum. Denique eiuſmodi diabolicas ſuggeſtiones aperire confeſſario. Non vult prodi Dæmon, nec ſuſtinet contemptum. His ergò & ſimilibus armis, ipſi maximè contrarijs aggrediendus & pellendus eſt. Denique *noli triſtari aut mærore vllo affici*, inquit Climachus in ſcala paradiſi, *ſi dum oras, ſubtiliſſimè inimicus irripit, animiq; intentionem clam vt fur auertit: Sed bono animo eſto, dum ſemper lubricam reuocas mentem. Angelis enim ſolis datum eſt huiuſmodi non patere furibus.* Vt ergò Abraham volucres à victimâ ſubinde aduolantes continuò abegit, *Gen.* 15. ita nos cacodæmones orationi noſtræ inſidiantes abigamus.

Denique vniuerſale remedium oratio orationi eſt, quo modo clauum clauo pellimus. Qui ergò nondum rectè orare nouit, poſtulet hoc donum à Deo, qui ait: *Petite & accipietis.* Et *Zach.* 12. *Effundam ſuper domum David & ſuper habitatores Ieruſalem,* (id eſt, Eccleſiæ,) *ſpiritum gratiæ & precum,* quem & nobis largiatur Deus, qui eſt ſuper omnia benedictus.

CONCIO VIII.

Fructus Incarnationis & Paſſionis Chriſti.

Primus fructus Incarnationis Chriſti eſt Illuminatio qua Chriſtus nos lumen cæli videre fecit.
2. *Exemplo ſuo duxit nos ad virtutem.*
3. *Gloriam nobis & gratiam comparauit.*
4. *Merita Iuſtitiæ quibus gloriã cæleſtem mereamur nobis parauit, & peccatum deleuit.*
5. *Dæmonem compeſcuit.*
6. *A morte nos eripuit.*
7. *Bonis omnibus nos cumulauit.*

NB. Huic concioni correſpondet concio octaua in F. Aſcenſionis.

THEMA.

Exiui à parte & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad patrem. *Ioan.* 16.

A HEbdomas hæc, Auditores, à ſupplicationibus in eâ fieri conſuetis, nomen habet. Eas verò ſupplicationes rectè inſtituimus, tum ob alias cauſas, tum ob eam inprimis, quòd Saluator noſter ipſemet miram quandam proceſſionem inſtituit & peregit, cùm è cœlo in terram, indeque ruſum ad cœlum iuit; quo modo ſcilicet nos à propriâ Eccleſiâ ad externam alterius loci ſupplicatum imus, & inde ad propriam redimus. Hanc ſuam proceſſionem deſcribit nobis in hodierno Euangelio cùm ait: *Exiui à patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem.* Porrò hæc Chriſti peregrinatio ſeu proceſſio plurimos & maximos mundo fructus attulit, quos in noſtris ſupplicationibus iure merito expendere ſedula meditatione deberemus. Eos igitur hoc loco proponere decreuimus.

Beneficia & fructus Dominicæ Incarnationis & Paſſionis videtur olim Deus depingere voluiſſe per angelum Raphaelem, quem miſerat Tobiæ, vt eum duceret & reduceret in ſuâ peregrinatione. Huius enim beneficia recenſens patri Tobias, inquit: *Pater quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius? Me duxit & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, vxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab eâ ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit, meipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli & bonis omnibus per eum repleti ſumus.* Tob 12. Eadem hæc beneficia ſed in re maiore & modo eminentiore præſtitit nobis Chriſtus.

B. I. Chriſtus illuminauit nos. PRIMÒ. Patrem noſtrum illuminauit & lumen cœli videre fecit. Pater noſter Adam eſt totaque eius poſteritas, quæ per peccatum admiſſum velut per ſtercus Diabolicæ hirundinis cæcata & in tenebras inſipientiæ & errorum depulſa fuit, ita vt lumen cœli, id eſt, beatitudinem ſuam, finem vltimum ac creatorem ſuum minimè agnoſceret, ſed pro eo lapides & ligna coleret, mundi illecebras & carnis cupiditates velut beſtia ſequeretur. Audi S. Auguſtinum *tract.* 2. *in Ioan. Carnalis anima,* inquit, *facta erat conſentiẽdo affectibus carnalibus, inde fuerat oculus mentis cæcatus; Verbum caro factum eſt; Medicus iſte fecit collyrium, &c.* Nimirum quale olim fecit ex luto & ſputo ad inungendos cæci nati oculos, quo ſignificabatur naturæ diuinæ cum humanâ vnio hypoſtatica, *Ioan.* 9. Ergò ſuâ incarnatione Chriſtus Adamum ſeu mundum illuminauit, dum viam cœli docuit, dum cœleſtium bonorum magnitudinem, gehennæ cruciatus, peccati grauitatem, virtutum pulchritudinem, animæ noſtræ dignitatem aliaque innumera ad ſalutem noſtram pertinentia cernere fecit. Inprimis verò ad hæc videnda illuſtrauit mundum felle, id eſt, amaritudine ſuæ paſſionis (vti alibi oſtendimus.) Quamobrem S. Chryſoſtomus de Adamo in Caluariæ monte ſepulto intelligit Prophetiam illam, quam affert Apoſtolus ad *Eph.* 5. *Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Nos enim qui in Adamo mortui, cæcati & ſepulti quodammodò eramus; per Chriſti paſſionem iterum ſuſcitati & illuminati ſumus. Sanè Philoſophi olim poſt multa multorum annorum ſtudia vix tandem aliquam de Deo cognitionem conſecuti ſunt eamque non ſine maximis admixtis erroribus: modò verò ſimplex anicula abſque vllo ſtudio è ſolo crucis myſterio exactam ſibi Dei

Dei & rerum diuinarum ad ſalutem pertinentium cognitionem comparabit.

C. II. *Exemplo ſuo duxit nos.*

SECVNDÒ. Duxit nos & reduxit; quia exemplo ſuo nos præeundo ad virtutem & omne bonum accendit atque animauit. *Vidit enim Deus* (verba ſunt Card. Bellarm. de *Aſcenſione in Deum grad.* 13.) *neceſſarium eſſe generi humano cõtra inſidias diaboli, contemptum temporalium bonorum, voluptatum carnis, affluentia diuitiarum, gloria mundana & ſimilium, quæ ſunt laquei diaboli & captiuos demergunt in interitum & perditionem.*

Quid igitur excogitauit, vt iſta hominibus amareſcerent, & contraria, id eſt, caſtitas, paupertas, humilitas, patientia, contemptus denique mundi dulceſcerent? Deſcendit ipſe de cælo & formâ ſerui ſuſceptâ, medicamentum neceſſarium homini ægroto, ſed amariſſimum & horrẽdum, ita exemplo ſuo dulce & ſuaue reddidit, vt multi iam homines magis ament ieiunium quàm crapulam, paupertatem quàm diuitias, virginitatem quàm cõiugium, martyrium quàm delitias, obedire quàm imperare, contemni quã honorari, ſubeſſe quàm præeſſe, humiliari quàm exaltari. Quis enim videns Deum, in formâ humanâ plenum ſapientiâ & gratiâ, & qui nec falli nec fallere poteſt, pauperem, humilem, patientem, continentem, & quod mirabilius eſt, pro redimendo humano genere, cruci affixum & pretioſo effuſo ſanguine voluntariè & ex ardentiſſima charitate morientem, non animetur & excitetur ad imitandum? Si enim exemplum Othonis Imperatoris, qui ſeipſum interemerat, potuit efficere, vt eodem modo milites eius ſe quoque interficerent ad rogum eius, æmulatione decoris & charitate principis, vt ſcribit Tacitus l. 2. ſi hoc, inquam, potuit factum principis inſanum: cur exemplum Chriſti ſeipſum mortificantis & humiliantis ſapientiſſimum & laudatiſſimum non accendat nos ad ſui imitationem?

D. III. *Gloriam nobis cõparauit.*

TERTIÒ. Vxorem nos habere fecit, per quã intelligere poſſumus beatitudinem cœleſtem, quæ dum hic à nobis habetur in ſpe per gratiã, ſponſa nobis eſt: cùm verò ibi habebitur in re, per gloriam, vxor nobis erit. Vnde *Apoc.* 21. cœleſtis Ieruſalem ſeu gloria beatorum vocatur ſponſa & vxor agni. Sic *Geneſ.* 29. Iacob accipit in ſponſam primò Liam, deinde Rachelem. Illa gratiam, hæc gloriam notat; quia illa minùs decora & lippa, hæc formoſa & oculata. Hanc vero etiam nos per Chriſtum obtinuimus, qui eam nobis teſtamento ſuo legauit, in quo nos cœli hæredes fecit. Et hoc ingerit nobis vox. *Teſtamentum nouum*, qua legis nouæ promiſſionem & gratiam indicamus. Hanc vxorem deſponſauit Chriſtus Latroni in Cruce cùm dixit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Hanc ipſi & patribus limbi illo ipſo mortis ſuæ die tradidit. Hanc eodem die nobis omnibus aſpectandam & deſponſandam propoſuit, cùm velum templi ſcidit & ſancta ſanctorum patere fecit. Hanc denique olim patribus per vmbram quandam oſtendit, quando Noë in arcam ingreſſo ſecuta eſt ingens pluuia, diluuio terram obruens, in quo arca euecta eſt & requieuit ſuper montes Armeniæ. Gen. 8. Hoc enim ſignificabat gratiam pluuiarum Dei filio ingreſſo in Virginem, in terram è cœlo effundendam, qua Eccleſia eueheretur ad quietem æternam & cœleſtem. Nemo ante Chriſtum ambire vel per ſomnium audebat tantam ſponſam, hæreditatem regni cœlorum; quã tamen poſt & per illum omnes nunc ambimus. Vnde S. Hieron. *ep.* 129. *Et mihi*, inquit, *in Euangelio promittuntur regna cælorum, quæ teſtamentum vetus omnino non nominat.*

Hoc ipſo etiam gaudium parentibus noſtris fecit; quia Deum priùs nobis iratum reconciliauit & patrem nobis noſque filios eius conſtituit; deinde ob dæmonis in nos tyrannidem quodammodo perturbatum, rurſum ſerenauit & vnà cum tota curia ſua cœleſti lætificauit, iuxta id: *Gaudium eſt in cælo ſuper vno peccatore pænitentiam agente.* Hinc angeli in eius natiuitate hymnum cecinerunt: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus*, in eius reſurrectione & aſcenſione veſtibus albis tanquam feſtiuis induti apparuerunt. Quare ſicut Ionâ in mare iactato, ſtetit mare à furore ſuo & facta eſt tranquillitas: ita Chriſto paſſo & mortuo, ira Dei deſijt ſæuire in genus humanum, & Dei fauor atque amicitia id amplecti cœpit. Non lætatur Deus in morte & perditione impiorum, ſed in eorum potiùs conuerſione & ſalute.

E. IV. *Merita iuſtitiæ nobis parauit.*

QVARTÒ. Pecuniam nobis parauit, id eſt, merita iuſtitiæ, quibus gratiam augere & gloriam cœleſtem mercari poſſumus. Hæc ſunt illa talenta & mnæ datæ nobis à Domino noſtro ad negotiandum, *Luc.* 19. & *Matt.* 25. Porro ſicut Raphaël ad recuperandam Tobiæ pecuniam ſolus iuit in Rhages, *Tob.* 9. ita etiam Chriſtus ad paranda nobis merita & gratiam, ſolus iuit in paſſionem & mortem, (Rhages enim tempeſtatem ſignificat: & quid aliud Chriſti paſſio fuit?)

Ad hæc quemadmodum Raphael Gabelo Chirographum ſuum, quo is Tobiæ obligabatur ad ſoluenda decem argenti talenta, reſtituit; ita etiam Chriſtus Chirographum peccati, quo iuſtitiæ diuinæ obligabamur ad ſoluendas pœnas æternas, deleuit & caſſauit donans nobis delicta, teſte Apoſtolo *ad Coloſſ.* 2. *Delens, quod aduerſus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.* Deleuit autem peccatum. Primò. Quia pro peccatis hominum ſatisfecit, ita vt pœnam ſaltem æternam à pœnitentibus amolitus ſit. Secundò. Quia idololatriam ſuſtulit & dæmonem peccati incentorem compeſcuit. Tertiò. Quia peccato bellum indixit, vt iam vndique vituperetur, pellatur, puniatur etiam ab ipſo pœnitente, qui id patrarat; quod antea non fiebat. Eſt enim *Chriſtianiſmus mors criminum & vita virtutum*, vt ait S. Cyprianus *l.* 2. *ep.* 2. *ad Donatum.* Quartò. Quia gratiam & Sacramenta nobis parauit, quibus id præcauere & facilè ſuperare poſſumus. Hinc Daniel c. 9. prædixit, in aduentu Meſſiæ *conſummandam eſſe præuaricationem.* Et fortè eo reſpexit Dominus, cùm in cruce moriens dixit: *Conſummatum eſt.*

Peccatum deleuit. 1. 2. 3. 4.

F. V.

QVINTÒ. Dæmonia impedientia nos à conſecutione beatitudinis & tyrannicè nobis dominantia

Dæmonē compeſcuit. minantia compeſcuit noſque in paternâ Dei protectione, à quâ excideramus, conſtituit. Teſtatur etiam hoc Apoſtolus loco paulò ante cit. cùm ſubdit? *Et expolians principatus & poteſtates* (id eſt, ſpolians dæmones ſua poteſtate, dominio & tyrannide in homines, Chirographo peccati ſibi obligatos & ſubditos) *traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Græcè habetur, in ipſo, ſcilicet. αὐτῷ, id eſt, cruce, de quâ paulò ante locutus fuerat; & ita legit Origenes *Hom.*8. in Ioſ. vbi docet Dæmonem in cruce fuiſſe crucifixum inuiſibiliter, dum in eâ Chriſtus crucifixus fuit viſibiliter, quomodo in eodem curru triumphali ſupernè ſedet Imperator triumphans, infernè alligatus trahitur hoſtis triumphatus. Dum ergò Chriſtus ſponte & ad tempus crucem aſcendit, dæmonem inuitum & in æternum eius opprobrium crucifixit, dum eum poteſtate ſuâ exuit, & omnibus etiam pueris & fœminis vincendum & illudendum expoſuit. Audi Card. Bellarminum libello & loco ſupracit. *Diabolus, inquit, qui ad tempus exultauit, ob deuictum ac proſtratum à ſe primum hominem, multò maiorem triſtitiam habuit de victoriâ Chriſti hominis, quàm fuerit prior exultatio. Ex victoriâ enim Chriſti factum eſt, vt iam non ſolùm viri qualis erat Adam, ſed etiam paruuli & fœminæ diabolo inſultent ac de ipſo triumpheut. Non fuiſſet turpe diabolo vinci ab Adamo in paradiſo, quando carebat ignorantia & infirmitate, & armatus erat iuſtitiâ Originali, qua partem inferiorem rationi ita ſubyciebat, vt rebellare non poſſet, niſi priùs mens ipſa Deo rebellis exiſteret. At nunc vinci diabolum ab homine mortali, peregrino, ignorantia & concupiſcentia obnoxio, ſummum dedecus eſt. Et vincitur tamen per Chriſti gratiā & ita vincitur vt multi trophæa charitatis, patiētia, humilitatis, caſtitatis erigant, quamuis diabolus ignita iacula ſua tentationum & perſecutionum aſſiduè iaciat.* Dicet aliquis; ſi Diabolus crucifixus eſt, quomodo adhuc tot fidelibus præualet? Reſpondet ad hoc Origenes ſuprad. hom.8. cùm ait: *Intelligendum eſt, quòd diabolus victus eſt quidem & crucifixus, ſed ÿs, qui cum Chriſto crucifixi ſunt.*

G. VI. A morte nos eripuit.

SEXTÒ. Nos à deuoratione piſcis, id eſt, mortis eripuit, quia meruit nobis reſurrectionem à mortuis & liberationem à gehennâ, quæ eſt mors ſecunda, Apoc.20. & 21. Illam ſortientur omnes, hanc electi tantùm. Vtramque indicat Oſeas c.13. cùm ait in perſonâ Chriſti; *Ero mors tua ô mors: morſus tuus ero inferne.* In quem locū S. Auguſtinus *ho.*137. *de tempore* & ex eo S. Gregorius *ho.*22. *in Euang.* ait: *Id namque quod occidimus; agimus vt penitus non ſit: ex eo autem, quod mordemus, partem abſtrahimus, partemq́; relinquimus. Quia ergò in electis ſuis funditùs occidit mortem, mors mortis extitit. Quia verò ex inferno partem abſtulit & partem reliquit; non occidit funditus, ſed momordit infernum, &c.* Porrò ſicut Raphael piſcem illum, qui deuorare nitebatur Tobiam, edomuit & animum Tobiæ addidit ad eum apprehendendum, præcepit inſuper exenterandum & in medicamenta adhibendum: ita etiam Chriſtus non ſolùm mortem domuit, cohibendo eius fauces ne deuoraret & perderet homines; ſed inſuper audaciam nobis tribuit, alacri & forti animo mortem aggrediendi; fecitque vt ea nobis in meritum & animæ ſalutem cederet.

H. VII. Bonis omnibus nos cumulauit.

SEPTIMÒ. Denique bonis omnibus nos repleuit. Huiuſmodi eſt in primis theſaurus meritorum Chriſti perpetuus & inexhauſtus, quo toties, quoties relabimur, recuperare Dei gratiam & peccatorum remiſſionem poſſumus; & quidem modicâ adhibitâ operâ cōtritionis vel ſaltem attritionis cum Sacramenti ſuſceptione; lucrari indulgentias, &c. Deinde S. Euchariſtia, fons omnis gratię, & Miſſæ ſacrificium. Adhæc perpetua pro nobis interpellatio apud Deum patrem & paterna ac ſingularis protectio. Rurſum dona Spiritus S. & virtutes ſupernaturales. Accedunt reditus Eccleſiaſticorum, eleemoſynæ pauperum, pax & tranquillitas Eccleſiæ, victoriæ de impijs & rebellibus, &c. vt planè dicere poſſit Chriſtus mundo, quod olim Iacob Socero ſuo Laban: *Modicum habuiſti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es, benedixitq́; tibi Dominus ad introitum meum, Gen.*30. Et ſicut prodigus filius meliùs veſtitus fuit poſt reditum ad patrē, quàm fuerit ante diſceſſum: ita & nos per Chriſtum meliùs ditati & ornati ſumus gratiâ, virtutibus & donis Spiritûs S. quàm ſi ex eius gratiâ nunquam excidiſſemus.

Meritò igitur Eccleſia in benedictione cerei paſchalis canit, & nos cum illa canimus: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!*

CONCIO IX.

Myſteria.

1. *Quæritur quid petere in nomine Chriſti.*
2. *Quomodo Apoſtoli eiuſque nihil petierint in nomine eius.*
3. *Quodnam illud gaudium plenum quod ſequitur orationem.*
4. *Quænam illa hora qua palam locutus Chriſtus.*
5. *An & quomodo Chriſtus roget pro nobis Patrem.*
6. *Quomodo Pater amet diſcipulos quia ipſi Chriſtum amarunt.*
7. *Quomodo Chriſtus exiuit à Patre & venit in mundum.*
8. *Quomodo iterum reliquit mundum & iuit ad Patrem.*
9. *Vnde collegerint Apoſtoli Chriſtum omnia ſcire.*

THEMA.

*Hæc in prouerbijs locutus ſum vobis. Ioan.*16.

NOn eſſe omnia clara & perlucida in ſcripturis ſacris, Auditores, oſtendunt Euangelia quæ hoc paſchali tempore leguntur, ſub obſcura & ænigmatica, quorum pleraque deſumpta ſunt ex prolixo illo ſermone, quem habuit Dominus ad diſcipulos poſt vltimam illam A.

illam cœnam, quique vt fatetur ipſemet in hodierno Euangelio, multa continet prouerbia, ſeu ſententias velo quodam tectas & profundi intellectus. *Hæc*, inquit, *in prouerbijs locutus ſum vobis.* q.d. parabolicè & obſcurè. Miſcuit enim illi ſermoni aliquas parabolas, veluti de vite, de muliere parturiente: multa etiam prædixit futura, velut paſſionem ſuam, miſſionem Spiritus ſancti, perſecutiones Apoſtolorum, &c. quæ ſubobſcurè potius quàm apertè voluit proponere partim ni nimiâ triſtitiâ diſcipulorum corda impleret, partim quia non poterant portare ſeu capere omnia. Quando igitur hodiernum etiam Euangelium ſua obſcuritatum inuolucra habet, conabimur ea remouere, adeoque nucem frangere, aſpirante Deo.

B. I. Quid eſt petere in nomine Chriſti.

1\. QVÆRIT. PRIMÒ. Quid eſt petere in nomine Chriſti? Reſp. Primò. Petere per & ob eius merita; quaſi dicamus: Domine Deus, quia ego indignus ſum qui audiar à te, audi me propter filium tuum, qui ſua mihi merita donauit. Sic famulus empturus aliquid à mercatore abſque paratâ pecuniâ, nihil facilè obtinebit, ſi ſuo nomine emere velit; at ſi in heri ſui nomine petat, vtpote ab hero ſoluendum, ſtatim impetrabit: quemadmodum & pauper ſi nomine diuitis propinqui ſui petat. Sic Iacob ſecundò genitus & minùs à patre dilectus, impetrauit patris benedictionem, dum induit veſtes fratris Eſau primogeniti odore fragrantes, à patre plus dilecti, vt Eſau crederetur, *Gen.* 27.

2\. Secundò. Petere iuſſu & imperio Chriſti, per modum legationis, non quâ ipſi, ſed quâ nobis, eius tamen iuſſu & miſſione, aliquid petamus. Hoc ſenſu dicebat Petrus, *Lucæ* 5. *In verbo tuo laxabo rete.* Poterat dicere: In nomine tuo. Hoc orandi artificio reddiderunt efficacem ſuam orationem fratres Ioſephi, cùm ſic eum precarentur: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te.* Gen. vlt. Idem etiam Chriſtus nos orare docuit in precatione nobis præſcriptâ; *Et dimitte nobis debita noſtra*; aliaque in eius nomine petenda.

3\. Tertiò. Petere ea tantùm, quæ ad ſalutem noſtram faciunt, vti vult S. Auguſtinus: nec nõ D. Gregorius *hom.* 27. *in Euangelia*, vbi ait: *Quia nomen filij Ieſus eſt. Ieſus autem Saluator vel etiam ſalutaris dicitur: ille ergò in nomine Saluatoris petit, qui illud petit quod ad veram ſalutem pertinet. Nam ſi id quod non expedit, petitur: non in nomine Ieſu petitur pater. Vnde & eiſdem Apoſtolis adhuc infirmantibus Dominus dicit: Vſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo: ac ſi apertè diceretur. Non petiſtis in nomine Saluatoris: qui neſcitis quærere æternam ſalutem.*

4\. Quartò. Petere ad laudem & gloriam Chriſti; omnia enim noſtra poſtulata aliaque opera ad Dei & Redemptoris noſtri gloriam vltimatè tendere debent, ita vt Deum velut datorem, Chriſtum velut impetratorem bonorum omnium honorificemus.

C. II. Quomodo Apoſtoli vſque nil petierunt in eius nomine.

1\. QV. SECVNDÒ. Quomodo Apoſtoli vſque non petierunt quidquam in Chriſti nomine? Reſp. Primò quia modum illum orandi per Chriſtum mediatorem nunquam adhibuerant, vtpote Iudæis, quorum pauci myſterium Trinitatis & Incarnationis perſpicuè agnouerunt, incognitum: Eccleſia primum cœpit ita ſemper claudere ſuas orationes: *Per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, &c.* Iudæi in ſuis precibus allegabant tantùm merita patrum ſuorum, Abraham, Iſaac, Iacob, hauſta non ex ipſo fonte qui eſt Chriſtus, ſed ex riuulis tantùm à fonte deriuatis.

2\. Secundò. Quia vt paulò ante audiuimus ex Gregorio, non petierant quæ ad ſalutem eorum ſpectabant. Sanè duo illi Boanerges videntur neſciuiſſe veram ſalutem conſiſtere in cœleſti beatitudine Deique contemplatione: regnum Chriſti temporale & terrenum fore exiſtimabant & in eo primas ſedes poſtulabant; idcircò iure audierunt: *Neſcitis quid petatis*, *Matth.* 20. quaſi dicat: nihil veri & ſolidi boni, quod faciat ad ſalutem æternam, petitis.

3\. Tertiò. *Quia in comparatione rei, quam petere debuiſtis, pro nihilo habendum eſt quod petiſtis*, inquit S. Auguſtinus. Senſus primus literæ magis congruit.

D. III. Quodnã illud gaudium plenum.

1\. QVÆRIT. TERTIÒ. Quodnam illud gaudium plenum, quod ſequitur orationem? Reſp. Primò. Eſſe gaudium huius vitæ, quod ſequitur rei impetrationem. Dicitur autem plenum. Primò, Quia magnum. Magna gratia eſt, impetraſſe poſtulata à Rege: multò verò maxima exauditum eſſe à Deo; hoc enim homini denunciat Dei beneuolentiam & fauorem. Secundò. Quia ad maximum illud gaudium æternæ fælicitatis dirigitur & dirigit ipſum hominem. Gratia enim & cætera Dei dona gradus ſunt ad vitam æternam. Tertiò. Quia perfectum, vtpote non omnino gratuitò, ſed quodam merito obtentum. Oratio enim non ſolùm impetratoria, ſed etiam meritoria eſt. Quod omninò gratis datur, non tam ſuauiter & hilariter accipitur, quàm quod proprio ſtudio, induſtriâ & labore paratur. Ceruus à Venatore tuo captus non te ita recreat, atque is, quem tu ipſe iaculo confixiſti. Hoc ergò perfectum ſanctis gaudium parit; cœlum promeruiſſe. In Maioricâ & Minoricâ Inſulis Hiſpaniæ adiacentibus, ſcribunt olim liberos à teneris aſſuefactos vt panem à parentibus non priùs obtinerent, quàm fundâ eum deiicerent è palo; indeque factum eſſe vt peritiſſimi fundibularij & robuſti viri euaderent. Voluit etiam Deus vt bona ſuperna precibus impetraremus atque ita fundâ quaſi deijceremus de cœlo; quia hoc nobis maiorem gloriã, maius quoque gaudium pariet ſuo tempore. Eâdem ex causâ ſtatuit, vt adulti cœlum non ſolo hæreditatis titulo, vt infantes, adeoque ex dono mero, ſed etiam ex iuſtitia meritis ſuis acquirerent.

QVÆRIT. QVARTÒ. Quænam illa hora, E.

quâ

E. IV. *Quæ illa hora, in quâ palâ locutus Chriſtus.* quâ non in prouerbijs, ſed palam & apertè locutus Dominus? Item quæ dies illa, in quâ diſcipuli in nomine eius petierunt? Reſp. Eſſe tempus illud, quo Chriſtus cum diſcipulis poſt reſurrectionem ſuam quadraginta dierum ſpatio verſatus eſt. Etenim ipſo reſurrectionis ſuæ die ſtatim incepit explanare ſcripturas primò duobus diſcipulis euntibus in Emaus, deinde diſcipulis congregatis. *Tunc aperuit illis ſenſum*, inquit S. Lucas c. 24. *vt intelligerent ſcripturas.* Idque continuauit reliquo tempore, *per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei*; hoc eſt, de futuro Eccleſiæ ſtatu inſtitutione, regimine, ſcripturarum intellectu, Sacramentis, &c. item de regno cœleſti. Hæc omnia clarè & apertè eis tradidit, ita vt deinceps alio Doctore non egerent. Ex illa informatione fluunt traditiones Apoſtolicæ, de numero, materiâ & formâ Sacramentorum & Ordinum, in ſcripturâ non expreſſorum, de Miſſæ ſacrificio, ieiunio quadrageſimali, baptiſmo paruulorum, &c. quæ omnia Apoſtoli non quidem literis mandarunt (niſi pauca quædam) poſteris tamen tradiderunt, haud dubiè non tradituri, niſi à Chriſto accepiſſent. Et quo alio tempore acceperunt, niſi prædicto, quo palam & manifeſtè omnia eis oſtendit? Nimirum quemadmodum ante mortem teſtatoris teſtamentum clauſum eſt, poſt mortem reſeratur & tunc patefacit diuitias teſtatoris hæredibus relictas, Legata, fundationes ex mente teſtatoris faciendas: ita ante mortem Chriſti pleraque fidei myſteria Eccleſiæ tradenda adhuc occulta erant, poſt mortem voluit Dominus aperire teſtamentum ſuum & omnia diſponere, quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent. Prophetarum etiam vaticinia & figuræ ſcripturarum priùs erant *tenebroſa aqua in nubibus aeris*, *Pſal.* 17. At vbi aqua illa è nubibus effuſa, vbi à Chriſto poſt pluuiam paſſionis eius explanata eſt, omnibus conſpicua fuit, ita vt in eâ ſe & alia omnia contemplari poſſent.

F. V. *An & quomodo Chriſtus rogat pro nobis Patrem.* QVÆRIT. QVINTÒ. An & quomodo Chriſtus rogat pro nobis patrem? Reſp. ad primum; Chriſtum in cœlo orare pro nobis. Ita enim *Ioan.* 14. ait ipſemet. *Ego ad patrem vado, &c. & ego rogabo patrem & alium paraclitum dabit vobis.* Neque huic aduerſatur, quod ait in hodierno Euangelio: *Non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis:* His enim verbis ſolùm indicat, non eſſe neceſſe vt pro eis roget: non negat ſe oraturum. Idem teſtatur Apoſtolus ad *Rom.* 8. inquiens: *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et ad *Hebr.* 7. *ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Reſp. ad ſecundum. 1. Orare in cœlo Chriſtum, Primò oratione interpretatiuâ, oſtendendo ſcilicet Patri humanam ſuam naturam propter nos aſſumptam & vulnerum noſtri gratiâ acceptorum cicatrices; ac proinde merita ſua ei repræſentando, iuxta id Apoſtoli *ad Hebr.* 9. *Introiuit in cœlum vt appareat vultui Dei pro nobis.* Ita explicant communiter Patres, Gregorius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Beda, D. Thomas, &c. Secundò oratione propriè dictâ, ſaltem mentali, abſque externis humilitatis indicijs, vti genuflexione, anxietate, lachrymis, gemitibus, &c. (hæc enim ſummum gloriæ Regem decere non videntur in cœlo: proinde quod S. Bonauentura l. de vita Chriſti c. 98. ait Chriſtum ad cœlos eleuatum genuflexo patrem adoraſſe, pia ſolùm meditatio videtur eſſe.) Sic enim ſcriptura apertè loquitur cùm ait, eum rogare & interpellare pro nobis. Quod ita intelligendum, non quòd ſuâ oratione denuò mereatur & impetret nobis aliquid, vti fecit in hac vita, in qua omne ſuum meritum conſummauit omniaque impetranda impetrauit: ſed quòd exigat ius meritis ſuis debitum & præmium à patre iam antea impetratum, gratiam & ſalutem noſtram, debita cum reuerentia & ſubmiſſione ex parte humanitatis ſuæ, ratione cuius eſt creatura Deo ſubiecta. Pater quidem omnia ei dedit in manus nihilque ei negat, ſicque Chriſtus vt homo etiam omnia poteſt, mediatè tamen & dependenter à Deo. Cæterum Eccleſia non ſolet orare Chriſtum vt pro nobis interpellet, ſed vt pro ſuâ auctoritate ipſemet noſtri miſereatur & det quæ poſtulamus, quia attendit ad digniorem Chriſti naturam, diuinam ſcilicet, ratione cuius auctor ſimul & largitor eſt bonorum omnium.

G. VI. *Quomodo Pater amat diſcipulos, quia ipſi Chriſtum amarunt.* QVÆRIT. SEXTÒ. Quomodo ait: *Ipſe pater amat vos, quia vos me amaſtis?* Itáne priùs diligimus Deum, quàm diligamur à Deo? Reſp. Duplici amore diligi nos à Deo, antecedente & conſequente ſeu concomitante. Illo priùs diligimur à Deo quàm diligamus Deum, quia abſque præuijs meritis donat nobis gratiam & gloriam: iſto verò priùs diligimus Deum, quam diligamur à Deo: quia iſte amor meretur vt diligat nos Deus; & de hoc loquitur Dominus in propoſito, q.d. quia vos me amaſtis, hinc promeriti eſtis vt nouo amore diligat vos pater, ex merito veſtro.

H. VII. *Quomodo exiuit à patre & venit in mundum.* QVÆRIT. SEPTIMÒ. Quomodo exiuit à patre & venit in mundum? Reſp. Primò. Exiuiſſe à patre, dum ab eo genitus fuit ex æternitate: non ita tamen exiſſe, vt extra eum ſit: ſed vt perſona à patre diſtincta, in eo tamen manens. 1.
Secundò. Exiuiſſe, dum à patre miſſus eſt. Tertiò. Dum naturam humanam induit, aſſumens quod priùs non habuit. Quartò. Dum non in ſuæ diuinitatis gloria & maieſtate, ſed in humili, paupere & abiectâ formâ apparuit. 2. 3. 4.

Veniſſe autem in mundum dicitur, non ſecundùm motum localem (Deus enim immotus eſt) ſed quia in mundo incarnatus, genitus & verſatus eſt viſibiliter per ſuam humanitatem.

I. VIII. *Quomodo iterum reliquit mundum & ad Patrem iuit.* QVÆRIT. OCTAVÒ. Quomodo iterum reliquit mundum & ad patrem iuit? Reſpond. hoc modo: quia exuit carnem mortalem, fami, frigori, doloribus & morti obnoxiam, induitque immortalem dotibus beatitudinis exornatam & in ea ad cœlos aſcendit, vbi in gloria ſua viſibilis habitat. Manſit interim in

in mundo. Primum ſecundum diuinitatem: deinde ſecundum humanitatem etiam in Ven. Euchariſtia, velatam tamen ſpeciebus Sacramenti: denique ſecundum paternam ſuam protectionem, quâ Eccleſiæ ſuæ adeſt velut Paſtor ouili, Medicus ægro, Gubernator naui, Dux exercitui, Sol mundo. Hinc S. Auguſtinus ait: *ſic ad mundum veniens Chriſtus exijt à patre vt non deſereret patrem & ſic vadit ad patrem relicto mundo, vt non deſerat mundum.*

QVÆRIT. NONÒ. Vnde collegerunt Apoſtoli Chriſtum omnia ſcire? Reſpond. ex eo, quòd reſpondit ad occultam ipſorum cogitationem & intentionem, quâ rogare eum volebant, quid eſſet illud: *Modicum*, &c. Hinc enim collegerunt penetrari ab eo corda ſua adeoque patere illi omnia veluti Deo vero. Indicant hoc ſequentibus verbis: *Et non eſt opus tibi, vt quis te interroget:* v. g. quid ſit modicum, &c. tu enim voluntatem etiam ac deſiderium noſtrum, quo interrogare te volebamus, perſpicis. Idcircò *in hoc credimus quia à Deo exiſti*; q. d. vel hoc vnicum, ſi alia plura argumenta non haberemus, ſufficit ad perſuadendum, te reuerà Dei filium eſſe. Exiſtimabant ergò diſcipuli ſe iam in his ſatis fundatos. Verùm necdum firmi erant, vti mox inſinuat eis Dominus ſubijciens: *Modò creditis? ecce venit hora & iam venit vt diſpergamini vnuſquiſque in propria & me ſolum relinquatis.* Ita nemo ſuis viribus nimium præfidat: vnuſquiſque ſuam ſalutem cum timore & tremore operetur. Solus Deus nouit quale ſit cor noſtrum & quàm firmiter fundatum, &c.

IN FERIIS ROGATIONVM.

Euangelium Lucæ 11.

IN illo tempore dixit IESVS diſcipulis ſuis. Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi. Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum. Et ille deintus reſpondens dicat: noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtiũ clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi. Et ſi ille perſeuerauerit pulſans: dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens eò quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios. Et ego dico vobis: Petite & dabitur vobis: quærite & inuenietis: pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piſcem: nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ovum, nunquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quantò magis pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?

CONCIONES.

I. *Conditiones bonæ orationis.*
II. *Quid præcipuè petendum in oratione.*
III. *Quàm ſalubriter coniungantur Oratio, Ieiunium, Eleemoſyna.*
IV. *Cur differat ſæpe Deus audire Orationes.*
V. *Multiplex orandi neceßitas.*
VI. *Diabolus in articulo mortis de tribus virtutibus Theologicis potißimum tentans repellitur.*
VII. *Quomodo hæreticorum miniſtri porrigant plebi lapidem pro pane, ſerpentem pro piſce, ſcorpionem pro ouo.*
VIII. *Quinam illi parentes, qui porrigunt liberis ſuis lapidem, ſerpentem, ſcorpionem.*
IX. *Sanctorum innocatio firmatur.*
X. *Supplicationum ritus exponuntur.*
XI. *Oratio Dominica remedium contra 7. vitia capitalia.*
XII. *Oratio Dominica exponitur.*
XIII. *Cur Deus ſinat nos calamitatibus premi.*
XIV. *Documenta.*
XV. *Myſteria.*

CONCIO I.

Conditiones bonæ orationis.

Vt oratio debito modo fiat requiritur
1. *Vt fiat in ſtatu gratiæ.*
2. *Cum fiducia in Deum.*
3. *Cum humilitate.*
4. *Cum attentione.*
5. *Cum perſeuerantia.*

THEMA

THEMA.

Quis veſtrum habebit amicum & ibit ad illum media nocte? Luc. 11.

LVCÆ *cap.* 14. monet Chriſtus per parabolam, quid agendum ſit Regi, qui venienti contra ſe fortiori reſiſtere non valet. Huiuſmodi enim Rex *Legationem mittens,* inquit, *rogat ea quæ pacis ſunt.* Tali conſilio vſos legimus Gabaonitas *Ioſ.* 9. Cùm enim audiſſent potentiam Ioſue totiuſque populi Iſraëlitici appropinquantis ad regionem ſuam, miſerunt Legatos qui pacem & amicitiæ fœdus ab eo emendicarent, idque non difficilè obtinuerunt, tametſi non ſine aſtu & ementito habitu, quaſi à longè veniſſent, qui propè habitabant. Nos, Auditores, ſi miſerias & calamitates noſtrorum temporum expendere velimus, videbimus ac propemodum palpabimus Deum nobis iratum ducere contra nos exercitum militum ſuorum, belli, famis, annonæ, caritatis, peſtis, ſpoliationis, vaſtitatis, incendij & ſimilium calamitatum, quas per annos aliquot hactenus experti ſumus. Et quis poterit reſiſtere potentiſſimo illi regi? quis flagella eius inhibere? *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi?* inquit Dauid *Pſal.* 75. Supereſt igitur vt Legatum mittamus ad hunc regem & rogemus ea, quæ pacis ſunt. Quis verò hic Legatus niſi deuota Oratio ſuis numeris conſtans? De hac enim ait Eccleſiaſticus *cap.* 35. *Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit & donec propinquet* (Dei throno ſcilicet) *non conſolabitur & non diſcedet donec altiſſimus aſpiciat.* Similiter & Dauid, *Pſ.* 87. *Intret in conſpectu tuo oratio mea.* In quem locum S. Auguſtinus: *Mira virtus orationis,* inquit, *quæ illuc intrat ad Deum, quò caro peruenire nequit.* Verùm quia Legati ſæpe repelluntur & abijciuntur ſine honore, vti legimus factum Legatis Nabuchodonoſoris, Iudith c. 1. videndum nobis eſt, quibus potiſſimùm rebus inſtructus eſſe Legatus noſter debeat, quo inueniat gratiam in conſpectu Dei; id quod nunc audiemus.

B. I. Status gratiæ.

PRIMÒ. Legatus in habitu decenti, cum ornatu & apparatu digno comparere coram Rege debet, ne alioquin ab ipſo totaque eius aulâ ſpernatur. Scimus Dauidem non admiſiſſe in conſpectum ſuum proprios Legatos ad ſe veſte truncatâ & barbâ attonsâ remiſſos 2. *Reg.* 10. Scimus etiam Ioſephum è carcere eductum priuſquam duceretur in conſpectum Pharaonis, tonderi debuiſſe & decentiore veſte indui. *Gen.* 41. nec licuiſſe cuiquam ſacco indutum ingredi ad Aſſuerum, *Eſth.* 4. Quantò minùs ergò licebit Legato noſtro intrare ad conſpectum Dei, ſi ſqualido peccatorum ſacco & intonſo atque impexo corde ad eum pergat? Scimus Deum Moyſi ad viſionem rubi acceſſuro priùs dixiſſe: *Solue calceamenta de pedibus tuis,* hoc eſt, opera mortua, *Exod.* 3. Deinde populo vniuerſo antequam ad eum deſcenderet in montem Sinai: *Lauent veſtimenta ſua & ſint parati in diem tertium, Exod.* 19. Denique in Euangelicâ parabola is, qui ſine nuptiali veſte viſus eſt à rege in conuiuio nuptiali, ſtatim inde eiectus & in tenebras exteriores miſſus eſt, *Matth.* 22. Quid aliud expectare poteſt oratio, ſi gratia Dei deſtituta ad Deum ingrediatur? Sanè paſſim teſtantur SS. literæ, tales orationes à Dei facie excludi. Iſaias c. 59. ait Deum interponere murum inter ſe & peccatorem orantem: *Iniquitates veſtræ,* inquit, *diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* Ieremias Thren. 3. ait Deum interponere nubem denſam: *Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio. Ezech. c.* 4. ſcribit interponi à Deo ſartaginem ferream *Sume tibi ſartaginem ferream inter te & inter ciuitatem,* q. d. ædifica inter eam & me (quem tu repræſentas) murum ferreum, ne eius orationes penetrare ad me queant, vel ego calamitates eius aſpiciam. Denique audiamus S. Chryſoſtomum, qui hom. 52. in Matth. ſcribit: *Si quis pedes tuos ſtercore ſordidatis manibus ſupplicando tangeret: non modo non exaudires, verum etiam calcibus expelleres, quomodo igitur audes tu hoc modo Deum orare? nam qui orat, quaſi manu lingua vtitur, qua genua Dei ſupplicando attingit.* Idem *hom.* 10. cùm presbyter eſſet deſig. *Quemadmodum in coronis,* inquit, *non ſatis eſt flores eſſe puros, niſi pura ſit & manus eos contexens, ſic & in ſacris hymnis oportet non verba tantum eſſe pia, verum etiam animum hymnos continentem.* Quæ omnia tamen intelligenda ſunt de peccatore, qui in peccatis adhuc perſiſtit, nondum ad cor redit, nondum ſe emendare cogitat.

C. II. Fiducia in Deum.

SECVNDÒ. Legatus debet habere literas (vt vocant) credentiæ, quibus doceat ſibi tanquam Legato fidem adhibendam & conſequenter etiam ſperet ſe à rege audiendum. Debet etiam oratio tales habere litteras, fidem inquam, ſeu fiduciam, non quá ſibi fidendum velit orans, ſed quá Deo confidat ſe ab ipſo audiendum. Hanc requirit S. Iacobus in epiſtola ſua c. 1. dicens: *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans.* Imò ipſemet Dominus *Marci* 11. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis & euenient vobis.* Fundatur autem hæc fiducia non tam in meritis noſtris, quàm in Dei benignitate, meritis Chriſti & promiſſione diuina. Prima duo immenſa ſunt & inexhauſtum pelagus, vnde nihil non ſperare, illorum beneficio poſſumus. Etenim ſi omnes homines inde accipiant omnia ea quæ poſtulant, perinde eſt, ac ſi mille formicæ biberent ex Oceano, imò longè minus eſt. Tertium fundamentum, promiſſio diuina ſæpiſſimè replicata eſt & firmiter aſſerta: *Amen, amen ſi quid petieritis,* &c. vt nullus ſit dubitationi locus: cœlum & terra potiùs peribunt, quàm hoc eius verbum. Et qua ratione Deo diffidere poſſumus, cùm ipſe dator bonorum omnium, toties moneat vt petamus? Quis dubitat quod velit, ſi iubet petere quæ poteſt dare? Si iubeat te princeps petere à ſe præfecturam, num metueres repulſam? Quare hæc Chriſti promiſſio eſt quaſi charta blanca ſeu munda, manu eius ſubſcripta, vt qualemcumque vis petitionem, ei poſſis inſcribere, habiturus rem confectam. Vnde monent SS. Patres, quo

quo plus fiduciæ habuerimus in Deum, tantò plus gratiæ nos impetrare. *Quantum vas fidei capacius afferimus*, inquit S. Cyprianus *in epiſt. ad Donatum, tantum gratia inundantis haurimus Dei enim miſericordia velut inexhauſtus quidam bonorũ fons eſt, à quo plus haurit, qui capacius fidei vas ad illum affert.* Magnum iſtiuſmodi vas attulerat ad Chriſtum Archiſynagogus cum dicebat: *Veni impone manum tuam ſuper eam* (filiam) *& viuet.* Sed Hæmorrhoiſſa paulò antè curata maius adhuc vas attulerat: *Si tantum tetigero fimbriam*, inquit, *ſalua ero*; ideoque mox etiam tacente Chriſto ſanata eſt, ſolo eius tactu: cùm filia Iairi & manu Chriſti erecta & voce ad vitam reuocata ſit. Maximum denique attulit Centurio, qui nec Chriſti præſentiam nec tactum requirebat, ſed *tantum dic verbo*, inquit, *& ſanabitur puer meus*; vnde & mox auditus eſt. His iure accenſenda è veteri teſtamento Iudith, quæ vbi orationem ſuam pro excidio Holofernis ad Deum fudit, plena omni fiducia ſumpſit ſecum ancillam, quæ peram geſtaret, in qua caput Holofernis reſcindendum conderet, & ita egreſſa eſt ex vrbe in caſtra Holofernis, vt habetur c. 13. Iud. Itáne verò ô mulier peram tu iam paras pro capite Holofernis, qua nondum ingreſſa es eius caſtra, nondum vides occaſionem rem tantam perpetrandi, nec gladium quidem accepiſti quo caput eius reſecares? Nimirum fiducia erat, quæ in oratione ei dicebat, hæc omnia adfutura & ex animo ſucceſſura. Audiamus tales & è Chriſtianis. Apud Cæſarium *l.6. c.31.* Cœnobita quidam ſyncerus in monaſterio Hemmenrodis, graui preſſus anguſtia, ex ſingulari amici candore & fiducia conuerſus ad Chriſtum ſic orabat: *Nate Virginis aut libera me ab hac cruce qua premor, aut apud tuam te accuſabo matrem.* Placuit Deo petitio & omnem mox animi perturbationem abſterſit. Eadem fide roboratus Abbas Siſois orans pro Abraham diſcipulo ſuo tentato & lapſo, fidenter ad Deum dixit: *Deus, vis non vis, non dimitto te, niſi curaueris eum.* Et curatus eſt diſcipulus, vt habetur in Vitis Patrum *l.6. c.4.*

D. III. Humilitas. TERTIÒ. Legatus inſtructus eſſe debet pretioſis ac ſplendidis donarijs Regi offerendis, vt habet mos omnium gentium. Quod ergò munus noſter Legatus Deo præſentabit? *Nihil tam gratum Deo*, inquit S. Ludouicus Epiſcopus Toloſanus, *quàm ſi vita merito magni, humilitate ſimus infimi; cùm tanto quis Deo ſit pretioſior, quantò propter eum ſibi eſt vilior.* Humilitas ergò donum eſt Deo acceptiſſimum; quod non difficilè oſtendi poteſt. Non enim poſſumus magis honorare aliquem, quàm ſi eius magnitudinem extollamus, & noſtram viciſſim exiguitatem coram eo conteſtemur. Hinc illi Gabaonitarum Legati tam celeriter auditi ſunt à Ioſue & in amicitiam recepti, quia coram eo prædicârunt eius gloriam & potentiam, ſuam verò oſtenderunt humilitatem & ſubiectionem: *ſerui tui ſumus*, inquiunt. Rurſum interrogati quinam eſſent & vnde venirent; reſpondent: *De terrâ longinquâ valde venerunt ſerui tui in nomine Domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius*, &c. *Ioſ.* 9. Eodem munere inſtructus Abraham ad orãdum Deum accedere ſolebat, vti patet Gen. 18. vbi rogans pro ſalute Sodomitarum, priùs depromit humilitatem ſuam: *Loquar ad Dominum cum ſim puluis & cinis.* Deinde rurſum oraturus: *Ne quæſo*, inquit, *indigneris Domine, ſi loquar: Quid ſi inuenti fuerint triginta?* Tertiò denique precaturus. *Obſecro*, inquit, *ne iraſcaris Domine, ſi loquar adhuc ſemel: Quid ſi inuenti fuerint decem?* Quid vero ſibi volunt verba illa: *Loquar ad Dominum cum ſim puluis & cinis*; niſi hoc: Si puluerem me non agnoſcerem, loqui ad Deum & orare non auderem? Cùm enim à viro graui gratiam aliquam petituri, nos priùs humiliemus, veniam petamus, indigentiã noſtram aperiamus & noſtra ei ſeruitia deferamus; quantò magis coram Deo nos humiliamus? Hinc mendici, vt ſtipem colligant, laceros centones induunt, vlcera ſua oſtendunt, flebili quoque voce prætereuntium opem implorant. Ita orabat Publicanus ſtans retrò nec audens attollere oculos. Ita Dauid, qui, cùm rex eſſet, in oratione ſe tanquam leproſum agnouit, cupiens aſpergi hyſſopo, herbâ humili, quâ aſpergebantur aliàs leproſi mundandi, *Leuit.* 14. *Aſperges me hyſſopo & mundabor*, inquit *Pſ.* 50. Ita Elias Propheta, qui orans *pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua.* 3. *Reg.* 18. Eo enim habitu eſt fætus in maternis adhuc viſceribus incluſus, conglobatus videlicet in ſeipſum, eâ ſpecie, qua nulla videtur eſſe miſerior: quâ clamat quodammodo ad Deum, ſibi vt liceat lucem aſpicere & auram ducere vitalem, vt docet Ariſtoteles *l.7. hiſt. anim. c.8.* dicens: *Homo in ſemet conglobatus ſic geſtatur vt naſum inter genua, oculos ſuper genua, aures extra genua habeat.* Ea vero Eliæ humilitas nubes penetrauit, quæ priùs inſtar ferri induratæ erant nec pluuiam dederãt per annos tres & dimidium. Denique ipſe Chriſtus in monte proſtratus in faciem orauit, filius, inquam, Dei naturalis. Nos quidem appellamus Deum Patrem noſtrum; ſed addimus: *Qui es in cœlis*; quia longiſſimè ab ipſo diſtamus & ab eius gratia excidere poſſumus, vtpote filij non natura, ſed gratia. Quantò igitur maior humilitas à nobis requiretur? Et inter hæc tamen multi ad orandum ægrè flectunt genua, præ pudore non attollunt iunctas manus, &c. *Quid ſuperbis terra & cinis?*

QVARTÒ. Legatus ſit facundus & conſideratus in loquendo neceſſe eſt, ne vel impertinentia loquendo vel balbuciendo regem audientem offendat; facile enim tentatur principum patientia, cùm quis inepta loquitur. Debet ergò orans attendere inprimis ad orationem ſuam, vt ſciat & intelligat quid loquatur; ne alioquin audiat id Chryſoſtomi in homil. *Tu ipſe non audis orationem tuam & Deum vis audire precẽ tuam.* Et illud S. Cypriani *in expoſit. orat. Dom. Quomodo te audiri à Deo poſtulas, cum te ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui cum rogas: cùm tu ipſe memor tui non ſis.* Debet firmare mentem in eo quod orat, nec aliò facilè deflectere, ſed E. IV. Attentio.

toto

penſus hærere, vt audiatur: quemadmodum & Orator dum perorat, cum rege ſolo loquitur, ab eo totus pendet, ad alios circumſtantes vel extraneos ſermonem non abrumpit, (quod abſurdum foret) multò minus abrupto ſermone à rege diſcedit. At hoc tamen Deo facit, qui orationem inchoatam leuiculè abrumpit, vel ab eâ mentem ad alia deflectit nec de Deo, cui loquitur, ampliùs cogitat. Denique non debet interim cogitare impertinentia, abſurda, ridicula, putida. Vnde S. Chryſoſtomus *hom.* 1. *ſuper ea verba: Vidi Dominum, &c.* ait: *Qui cum terreno rege loquitur, de ijs tantum verba facit, de quibus ille voluerit audire: tu vero cum rege regum colloquens, cui cum horrore ſeruiunt Angeli, omiſſo cum illo ſermone, de luto, de puluere, de telis aranearum loqueris. Nihil enim aliud ſunt huius vitæ negotia. Et quomodo ſuſtinebis huius contemptus pænam?* Cùm aliquando à Romanis tres eſſent deſignati, qui Legati proficiſcerentur in Bithyniam, quorum vnus podagrâ tenebatur, alter caput habebat vulneribus confoſſum, tertius væcordiâ laborare videbatur: Cato ridens dixit, *populi Romani legationem nec pedes habere, nec caput, nec cor.* Plut. auctore. Huiuſmodi legatio multorum eſt Oratio. Caput enim non habet, quando non attendit ad ea quæ loquitur, nec intelligit ſeipſam: Pedes non habet, quando non firmat ſe in Dei conſpectu & colloquio, ſed concidit in alias terrenas cogitationes: cor non habet, quando indigna, ſtulta, ridicula & vana mente interim agitat. Ergò his defectibus prudenter occurrendum eſt. Sequere inprimis conſilium Domini dicentis: *Intra in cubiculum tuum & clauſo oſtio ora Patrem, Matth.* 6. Cubiculum cordis ſaltem, ſi non domus tuæ: claude oſtia ſenſuum tuorum: firma in Deo mentem quaſi coram eum videns & ab eo viſus: denique cum Abrahamo qui *Gen.* 15. aſſedit ſacrificio & ab eo volucres ſubinde aduolantes abegit, cogitationum muſcas ad orationem aduolantes inceſſanter repelle. Valebit hoc pacto oratio tua, ſi non vt oratio, ſaltem vt luctatio.

F. V. Perſeuerantia.

QVINTÒ. Legatum decet eſſe virum ad res agendas exercitatum & vt ſolemus dicere, practicum, induſtrium, vigilantem & indefeſſum in extorquendis ſuis poſtulatis, deuinciendis ſibi Regis Conſiliarijs & amicis, &c. Pari modo oratio debet eſſe indefeſſa & quodammodo importuna & perſeuerans, etiamſi ſemel iterumque repulſam pati videatur. Ita enim monet per parabolam hodiernam ipſe Dominus. Ita filiæ ſuæ incolumitatem & ſolutionem à dæmone impetrauit Chananæa, dum iterum iterumque repulſa, ſemper redijt & cauſam ſuam denuò vrſit, ad inſtar alicuius Canis (cui etiam appoſitè ſe comparauit) qui per vnum oſtium eiectus, per alterum mox recurrit, *Matth.* 15. Ita ſolent milites ad communem menſam ſeipſos inuitare & comedere; ac ſiquidem eis cochlear eripias & pro foribus eijcias: illi mox abiectum tollere & rurſum ad menſam conſedere, neque enim arbitrantur hoc ſibi dedecus eſſe, cùm alienis domiciliis & menſis vti debeant, deſtituti propriis. Multò minùs nos dedecori nobis ducamus, ſi quandoque reiecti iterum reuertamur ad eandem orationem. Grata eſt enim Deo hæc noſtra impudentia, nobiſque neceſſaria, cùm ſciamus ſolum Deum eſſe noſtrum patremfamilias, eo ſublato nos omni ope deſtitutos eſſe. Ciuitas quæ continuò quatitur tormentis, tandem dedere ſe cogitur: ſic oratio perſeuerans vincit tandem Deum. Apud S. Lucam c. 18. proponit Dominus in parabolâ viduam quæ multo tempore moleſta Iudici, vindicari cupiens de aduerſario ſuo, tandem ab eo audita eſt dicente: *Etſi Deum non timeo nec hominem reuereor, tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouiſſimo veniens ſugillet me.* Hæc vidua ex ſententia S. Auguſtini l. 2. *quæſtion. Euang. cap.* 45. eſt Eccleſia, quæ marito ſuo, Chriſto, in cœlum euecto, vidua quaſi remanſit & proinde deſolata graues patitur ab aduerſarijs iniurias. Horum primus & primarius eſt Diabolus, qui nunquam non eam infeſtat & affligit in membris ſuis. Alter eſt immanis ille Turca, perpetuus Eccleſiæ hoſtis & direptor. Tertius eſt Hæreſis, hoſtis inteſtinus, nec tam corpora quàm animas diripiens. Reliqui ſunt mundus, caro, nec non aliæ afflictiones, quales nunquam deſunt. Vnicum igitur huic viduæ ſupereſt perfugium, orationis ad Deum. Hic ſanè iniquus Iudex non eſt, ſed quandoque à peccatoribus talis reputatur: Deum hic non timet, quia neminem habet ſuperiorem: multò minùs hominem reueretur, quia caret vitio acceptionis perſonarum. Nihilominus ad extremum audit viduam illam, ne ipſa in nouiſſimo die eum ſugillare queat, ſeu de ipſo conqueri aut famam eius carpere, quaſi contra ſuam promiſſionem, oppreſſos non audierit. Itaque hæc parabola tollit omnem cauſam formidandi aut dubitandi de audiendis noſtris precibus. Porrò argumentum victricis illius viduæ, Eccleſiæ, habemus *Act.* 12. Vbi Petrus tenebatur vinctus in carcere, oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Et quid obtentum? Cùm iam illuceſcente proximo die producturus eum eſſet Herodes ad necem, in ipsâ nocte mittitur Angelus à Deo qui diſſoluit Petri catenas eduxitque eum è carcere & conſtituit in tuto. Orabat ergò hæc vidua, quamdiu in carcere Petrus erat, nec audita fuit niſi extremo tempore, quo iam parabat gladium carnifex ad obtruncandum Apoſtolum. Non ergò deſperandum, etiam cùm res ad reſtim redit, de diuinâ ope, ſi conſtanter oremus. Cæterùm ſi orationi addamus alia bona opera, præſertim eleëmoſynam & ieiunium, tantò efficacior fiet ad impetrandum. Per eleëmoſynam enim demulcemus regis aulicos, pauperes videlicet vt regem nobis beneuolum reddant: per ieiunium mouemus regem ad commiſerationem, ſi pro eius gratia captanda noſipſos affligamus. Atque hæ ſunt duæ illæ manus Eliſei, quas poſuit ſuper manum Ioæ regis, quem iacere Sagittam iuſſit

Manus.

Manus Ioæ ſagittantis orationem deprecantis denotat, quæ adiuta à ieiunio & eleemoſyna tanget à duabus ſanctis manibus non dubiè quaſi ſcopum, ad quem collimat. 4. *Reg.* 13.

Atque hæc eſt, Auditores, inſtructio Legati, quem ad Deum mittere volumus & mittimus hoc tempore. Quæ ſi adſit noſtro Legato, penetrabit ille nubes: ad Deum appropinquabit nec ab eo diſcedet, donec altiſſimus eum aſpiciat oculo beneuolentiæ. Neque ſolùm impetrabit ea quæ petimus, ſed præterea obtinebit vt rectè inſtituamus vitam noſtram Deoque per omnia placeamus. Non enim temerè dixit S Auguſtinus *ho.4.ex 50. Rectè nouit viuere, qui rectè nouit orare.*

CONCIO II.

Quid Præcipuè petendum in Oratione.

Sicut tria petuntur in hodierno Euang. piſcis, ouũ & panis: ita tres virtutes Theologicas potiſſimum petere debemus: ac

1. *Fidem velut piſcem.*
2. *Spem velut ouum.*
3. *Charitatem velut panem.*

THEMA.

Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Luc. 2.

A. DIximus alibi orationem eſſe legatum noſtrum, quem hiſce præſertim diebus ad Deum amandamus eumque neceſſarijs rebus iuſtruximus. Sed nondum diximus quid legatus ille noſter petere à Deo debeat. Fieri enim poteſt & fit aliquoties vt noxia petamus, quæ ſi nobis dentur, ad interitum dabuntur, quemadmodum & Iſraëlitis carnes à Deo petentibus in deſerto euenit, *Num.* 11. Etenim *adhuc eſca eorum erat in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*; ſi quidem ignis inuoluit eos & locus inde vocatus eſt, *ſepulchra concupiſcentiæ.* Ad hunc enim modum petunt multi multa ſibi perquam noxia; laborant aliqui concupiſcentiâ oculorum, petuntque diuitias; & quid petunt niſi lapidem, cùm iis vt plurimum non fruantur, ſed eas velut lapides habeant? Alij concupiſcentia carnis & petunt dælicias cibi & potus vel vxores, &c. & quid niſi ſcorpiones petunt, qui capite blandiuntur, caudâ pungunt? Alij laborant ſuperbiâ vitæ & petunt honores ac dignitates: & quid niſi ſerpentes petunt qui eos inficiunt veneno peccatorum? Videamus igitur quid Chriſtus doceat petendum nobis eſſe.

B. Virtutes Theologicæ maximè homini neceſſariæ. 1.

Tria petenda notantur in hodierno Euangelio: piſcis, ouum, panis: quæ S. Auguſtinus *ſermon.* 29. *de verbis Domini* exponens, per piſcem fidem, per ouum ſpem, per panem charitatem intelligit. Et ſanè hæc tria ſunt omnium maximè vtilia, maximè neceſſaria, maximeque ſecura, quæ petere poſſimus vel debeamus. Quid enim magis nobis expetendum quàm vt imago SS. Trinitatis, quæ per peccatum in nobis obſoleta & propemodum deſtructa eſt, reparetur? Factus eſt homo ad imaginem Deitatis ſecundum animam mente & ratione præditam: nec non ad imaginem totius Trinitatis, vt colligit Aug. *lib.* 12. *de Trinitate* ex eo quod dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Habet ergò, vt idẽ annotauit, etiam mens noſtra ſuam Trinitatem: habet intellectum, qui repræſentat patrẽ: Memoriam, quæ filium: Voluntatem, quæ Spiritum ſanctum. Et hæc quidem in ſtatu innocentiæ ſuam perfectionem habebant accuratam, virtutibus Theologicis, moralibus & iuſtitiâ originali inſtructam. Ibi rationi nihil deerat ad diſcernẽdum inter bonum & malum: Memoria ſine impedimento ſemper verſari poterat in recolendâ Dei ſapientiâ, bonitate, potentiâ, &c. Voluntati nihil obſtabat, quò minùs per charitatem Deo adhærere poſſet. Cæterùm poſt infelicem noſtrum caſum, ratio cæcutire & palpare in tenebris, noxia pro ſalutaribus amplecti: Memoria hebeſcere & quiduis aliud potiùs quàm cœleſtia retinere. Voluntas terrena ſolum appetere & vanitates ſectari, nauſeare verò cæleſtia. Vnde homo miſerè deformatus & in beluam quaſi mutatus eſt. Quod igitur huic malo remedium? Tres illæ Theologicæ virtutes mentem noſtram iterum ad Deum, finem vltimum rectè ordinantes, & quantum fieri poteſt ac ſufficit, imaginem Dei in eâ deformatam reſtaurantes. Fides illuminat rationem ſeu intellectum; ſpes erigit memoriam, vt id deſiderio cæleſtium rerum ſedulò verſetur: Charitas accendit voluntatem, vt iam facilè, hilariter & expeditè bonum operetur; atque ita per has virtutes imago illa reſtituitur nobis.

Secundò. Tres iſtæ virtutes ſunt nobis maximè neceſſariæ vt vniamur fini noſtro ſupernaturali, Deo. Primò enim ſcire debemus & cognoſcere finem, alioquin non poſſemus appetere; quia non potes collimare in ſcopum quem non vides, & ignoti nulla cupido: Secundò debemus poſſe aſſequi finem: Tertiò, debemus velle vniri illi. Primum habemus per fidẽ, ſecundum per ſpem, tertium per charitatem, fides enim illuminat intellectum circa finem vltimum, ſpes animat ad obtinendum, charitas impellit vt comprehendas. Denique maximè ſecuræ ſunt: quia iis malè vti non poſſumus. II.

PRIMÒ igitur petendus eſt piſcis, id eſt fides. Vnde Auguſt. vbi ſup. ait: *Dixit quidam ſanctus & nos dicere delectat: piſcis bonus pia eſt fides. Viuit in fluctibus nec frangitur aut ſoluitur fluctibus. Viuit inter tentationes tempeſtateſq́, huius ſaculi pia fides, ſaeuit mundus, & integra eſt.* hæc ille. Et præterea vt piſcis ſub aquá eſt & tamen videt, licet obſcurè, quæ extra aquam ſunt, ita fides ſubobſcurè, quaſi per aquas videt Deum & cæleſtia. Cæterum ſine illa prorſus nihil videmus ſed in tenebris ambulamus & creaturas pro Deo amplectimur. Ita olim gentiles Deum vndique quærentes, modò hunc, modò illum pro Deo amplectebantur, turpiter errantes, indeque vt Apoſtolus *ad Rom.* 1. ait: *mutauerunt gloriam* C. 1. Petenda fides velut piſcis.

gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum & ſerpentum. Immolauerunt dæmonijs proprios filios & ſeipſos denique. Quod ipſum patet in hæreticis noſtri temporis, qui per hæreſin in Cimerias tenebras deuoluti ſunt. Igitur vt columna ignis illuminabat Iſraëlitas in deſerto, ne per noctem exerrarent: Stella Magos duxit: ſine quibus illi ad terram promiſſam, hi ad Chriſtum non veniſſent: ita nos illuminat fides, ſine cuius lumine in tenebris ambularemus & in mille errores ac præcipitia laberemur. Hoc autem lumen qua ratione putatis obtineri debere? Num ſola prædicatione & miraculis? At nónne plurimi ipſum Dei filium concionantem & mira facientem viderunt? & tamen de eis dicit Ioannes c. 12. *cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum.* Quid ſanctius, quid ſapientius, quid mirabiliùs Chriſto experientia etiam teſtatur in vicinis hæreticis, prædicationes, diſputationes, exhortationes, licet reſpondere nihil queant, parum aut nihil eos mouere. Vnde, niſi quia fides eſt donum Dei? *ad Phil.* 1. & *Eph.* 2. & idcircò oratione quæri debet? Audierat haud dubiè Paulus ante conuerſionem, ſi non alios, ſaltem B. Stephanum prædicantem, & quidem ita *vt nemo poſſet reſiſtere ſapientiæ & Spiritui qui in eo loquebatur:* viderat ſigna & prodigia facientem: nihilominus ſpirans minarum, fidem noſtram extremè impugnabat; at poſtquam cœleſti luce perfuſus & Damaſcum ductus orare incepit, ſtatim in viſu vidit Ananiam introëuntem & imponentem ſibi manus vt viſum reciperet: quia dicebat ad Ananiam Dominus: *Ecce enim orat.* Factúmque vt ingrediente ad eum Anania, ſtatim caderent quaſi ſquamæ ab oculis eius & viſum reciperet, *Act.* 9. Oremus igitur & ſedulò quidem cum cæco illo: *Domine vt videam.*

Deinde licet fidem habeamus, adhuc ſemper orandum, vt conſeruemus; quia multi doctiſſimi naufragauerunt in fide, Tertullianus, Origenes, &c. & ſi tanta eorum doctrina non potuit eos in fide retinere, quis non videt, ſemper cuiuis orandum, vt ne fidem perdat?

Orandum quoque vt ea firma minimeque imbecilla ſit. Audimus enim S. Athanaſium in ſymbolo dicentem. *Quam niſi quiſque fideliter firmiterq́, crediderit, abſque dubio in æternum peribit.* Dicamus ergo cum diſcipulis Chriſti: *Domine adauge nobis fidem, Luc.* 17. Et cũ Patre illo: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam; Marci* 9. Vnde enim quæſo noſtra omnis tepiditas, negligentia, delinquendi pronitas, niſi quia non firmiter credimus Deum ſcire & videre actus noſtros, & redditurum vnicuique iuxta opera ſua; aliaque fidei dogmata?

D. II. Petenda ſpes velut ouum.

Secvndvm. Ouum, id eſt, ſpes. *Spes enim,* vt ait loco cit. S. Aug. *nondum peruenit ad rem, & ouum eſt aliquid, ſed nondum eſt pullus.* Et paulò infrà: *ouum eſt & nondum pullus eſt & teſtudine tectum eſt, non videtur, quia operitur: cum patientia expectetur, &c.* Itaque ex ſpe prodibit res, vti pullus ex ouo. Et hæc adeò etiam neceſſaria eſt vt ſine ſpe mercedis æternæ nemo bonum operaretur. Neque enim ſemina committeret agricola terræ, niſi meſſem ſperaret: nec mercator pecuniam ſuam fortunæ & negotiationis periculo, niſi lucrum: nec miles vitam exponeret belli diſcriminibus, niſi prædam ſperaret & promotionem ac ſtipendium. Canis etiam videns leporem aſſequi ſe non poſſe, deſinit à curſu. Sine hac nos quoque deficeremus & animum deſponderemus, impœnitentes & deſperati viueremus ac moreremur. Propterea Apoſtolus *ad Hebr.* 6. comparat ſpem anchoræ; quia vt naues procellis iactatæ terram matrem ſuam mediante anchora quaſi brachio amplectuntur, ſicque fluctus contemnunt, à quibus alioquin haurirentur: Ita & animæ nauicula, anchoram ſpei ſuæ in cœlo, vnde oriunda eſt, firmat, ne à fluctibus tentationum & tribulationum huius mundi abripiatur & mergatur: ſine qua tandem periret. Sed qua ratione potiſſimum obtinebimus hanc anchoram? num ſolis exhortationibus & concionibus? Atqui eæ ſolæ non ſufficiunt. Etenim Cainum animabat Deus ad ſpem, & dum poſuit in eo ſignum ne interficeretur, *reflectere voluit errantem*, vt ait S. Ambroſius, & inuitare ad correctionem: & tamen ille deſperatus manſit. Similiter & Iudas qui tantum Chriſti Magiſtri ſui beneuolentiam & clementiam nouerat, qua peccatores omnes reciperet; quaque in ipſa traditione amicus ab eo ſalutatus eſt, nihilominus tamen deſperauit nec tanta Magiſtri ſuauitate retentus eſt. Quod etiamnum ſæpe fit; prædicamus enim Dei promittentis veritatem & infallibilitatem, prædicamus eius confirmationem ſub iuramento propoſitam, prædicamus eius ſubſcriptionem ſanguine proprio factam, Sacramenta, facilia, Euangelium, gratiam, Ieſum Saluatorem, meritaque Chriſti infinita; & his omnibus tamen necdum retinentur aliqui, ne deſperent, & ſibiipſis vim ac mortem inferant, vel ſaltem vt pœnitentiam amplectantur.

Ratio verò eſt; quia hominem imbecillum, morti expoſitum, ex materia concretum, brutarum animantium in hac vita ſocium, omnibus miſeriæ telis obnoxium, de terra ſumptum, cuius pondere prohibetur alta petere, ſponte autem ad infima ruit: talem, inquam hominem in cœlum euehi & cœleſtium bonorum participem fieri, ſummoque bono, Deo beatiſſimè perfrui, res eſt omni virtute & potentia naturali ſuperior prorſúſque admirabilis. Vnde diuino illo ſpei ſupernaturalis dono indigemus, quo excitemur ad certandum pro cœleſti mercede. Quare orandus ſedulò Deus vt hoc donum nobis impertiat, & vt ſpei cooperemur.

E. III. Petenda charitas velut panis.

Tertiò, Panis charitatis: vt enim cibi alij pane; ita opera bona charitate condienda ſunt, & ſine ea non ſapiunt. *Intelligitur panis Charitas,* ait Aug. l. 2. *quæſt. Euang.* c. 22. *propter maiorem appetitum & tam neceſſarium, vt ſine illa cætera nihil ſint, ſicut ſine pane menſa eſt* inops. Deinde ſicut pani opponitur lapis in Euangelio hodierno,

hodierno, ita duritia charitati, vt ait Auguſt. vbi ſup. Vnde patet virtutis huius neceſſitas. niſi enim opera bona condiantur charitate, nihil merentur apud Deum. In cuius rei figuram, quidquid in templo Salomonis conſecratum erat, vel aurum vel deauratum eſſe debebat, 3. *Reg.* 6. Idipſum ſignificabat, quòd licet virgines fatuæ lampadem fidei, & lychnum ſpei haberent, quia tamen oleum charitatis non habebant, admiſſæ non ſint ad nuptias. Vnde Apoſtolus 1. *Cor.* 13. ait: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Vnde ſit aliquis hîc quantumuis diues & in omnibus abundans & excellens, ſi charitatem non habet, pauper eſt & nudus: Contrà qui charitatem habet, omnibus abundat. Taceo, quòd etiam ſine hac nimis difficilia & inſipida ſunt nobis opera bona. Quomodo igitur acquirenda? ſanè perdifficile eſt Deum, quem non videmus, diligere ſupèr omnia, præſertim cùm amore proprio noſipſos naturaliter maximè diligamus, & res creatas quas videmus. Prætereà Charitas veſtis adeò pretioſa eſt, vt non niſi diuinis manibus fieri queat, quia *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. Rom.* 5. tametſi eam quidem libero arbitrio cooperante induimus; (non quemadmodum lignum veſtitur, quod non iuuat ad ſui veſtitionem.)

Non parua etiam difficultas in conſeruanda charitate: quia *qui ſtat, videat ne cadat*; ait Apoſtolus 1. *Cor.* 10. Ipſa eſt tenella plantula & peregrina, è paradiſo in hortum animæ noſtræ tranſplantata; vnde facilè exareſcit, & leui aura peccati euaneſcit: vnde etiam magni ſancti aliqui è charitate exciderunt; vti Dauid, Petrus, Thomas, &c.

Quid ſupereſt igitur niſi vt è cœlo hunc cœleſtem mendicemus panem, veſtem, florem?

Ita enim Samaritana illa cùm audiuit Chriſtum poſſidere mirandam aquam, quæ in vitam æternam ſalit & ſitim in perpetuum extinguit, ſtatim eam petijt: *Domine da mihi hanc aquam, vt non ſitiam neque veniam huc haurire.* Quin etiam non difficilè obtinuit, cum relicta hydria in ciuitatem cucurrit & Chriſtum annuntiauit atque in eum credidit, *Ioan.* 4. Hanc ergò auditores, hanc nos imitemur & dicamus: Domine da mihi piſcem fidei; da mihi ouum ſpei; da mihi panem charitatis. Da mihi aquam illam, quæ omnem extinguit ſitim & ſalit in vitam æternam.

CONCIO III.

Quam vtiliter coniungantur Oratio, Ieiunium, eleëmoſyna.

Electuarium quod fit ex oratione ieiunio & eleëmoſyna.

1. *Iuuat ad expugnandum dæmonem & peccatum.*
2. *Ad ſatisfaciendum pro peccatis.*
3. *Ad impetrandum quod petitur.*
4. *Ad promerendam vitam æternam.*

THEMA.

Amice, accommoda mihi tres panes,
Luc. 2.

NOuimus iuniorem illum Tobiam nimiùm quantùm conſternatum fuiſſe, quando è Tigri piſcis prodijt quaſi deuoraturus eum. *Tob.* 6. Qui tamen inſtructore Angelo cognouit paulò pòſt, quàm ſalutaris ille piſcis foret. Etenim cor, fel & iecur magnis vſibus fuerunt ad extricandum Dæmonem, & viſum patri reſtituendum. Myſtico ſenſu piſcis iſte ſatisfactio eſt, quæ quidem multos homines præcipuè hæreticos noſtros truci intuetur vultu, quaſi deuoratura illos. Sed tamen interim per quam ſalutaris eſt, & complectitur tria opera ad varios vſus præſtantiſſima. Orationem ſcilicet, ieiunium & eleëmoſynam. Oratio ſignificatur per cor; per fel, quod guſtum affligit, ieiunium; per hepar, quod ſanguinem in membra corporis pro cuiuſque exigentia diſtribuit, eleëmoſyna. Quod quidem ipſemet Raphaël Angelus videtur indicare, cùm diſceſſurus à Tobia, dixit: *Bona eſt oratio cum ieiunio & eleëmoſyna, magis quàm theſauros auri recondere, Tob.* 12. Scio bona eſſe hæc opera, vel ſeorſim præſtita: ſed cur ſimul iuncta meliora adhuc videtur, quod indicat hic Angelus? Reſpondebimus ad hoc: audite. A

Cùm eam ſententiam protulit angelus ſubiunxit immediatè: *Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam & vitam æternam.* Quod ſi ſola præſtat, multò magis cum oratione & ieiunio. Ergo ad quatuor hos fines admodum ſalutare eſt hoc Electuarium, quod fit ex oratione, ieiunio & eleëmoſyna.

B. I. Faciunt ad expugnandum Dæmonem.

PRIMÒ. Iuuat valde ad expugnandum dæmonem ac peccatum: & ſic *liberat à morte.* Primò. Tres enim ſunt diaboli catenæ, concupiſtia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, 1. *Ioan.* 2. Prima rumpitur per ieiunium, ſecunda per eleëmoſynam, tertia per orationem. Concupiſcentia carnis partim gula, partim luxuria eſt, cui opportunè occurritur per ieiunium, quod reſtringit gulam & atterit atque eneruat carnem. Concupiſcentia oculorum eſt auaritia, cui occurritur per eleëmoſynam; illa enim congregat, hæc diſpergit. Superbia meliùs non emendatur quàm pèr orationem, quâ propriæ miſeriæ Deo repræſentantur & diuina miſericordia egentibus imploratur.

Secundò. Quia tria maximè arma defendunt militem: gladius, æneus thorax, & ſcutum. Gladius eſt oratio. Thorax ieiunium, vnde dicitur *Pſ.* 68. *Operui in ieiunio animam meam.* Ex quo infert S. Ambroſius *in l. de Elia & ieiunio c.* 4. *Gula ergo, ait, nudos facit, ieiunia operiunt & exutos. Bonum operimentum quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur, ne à tentatore nudetur.* Non habet acceſſum dæmon ad ieiunum hominem. Scutum eſt eleëmoſyna, quod hoſtium ictus in ſe recipit, & nos ſaluat. Vnde *Eccl.* 29. de ea dicitur: *Super ſcu-*

tum

rum potentis & ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit. Exemplum de Zenone Imp. refert Ioannes Moſchus in prato ſpirituali c. 175. qui mulierem quandam in filia ipſius iniurioſè tractauerat. Hæc autem in templo Dei genitricis orabat cum lachrymis dicens: *Vindica me de Zenone Imp.* Cùm ergò multis diebus hoc faceret, apparuit ei S. Dei genitrix dicens: *Crede mihi mulier, vltionem tuam ſæpe facere volui, ſed manus eius prohibet me.* Erat enim valde miſericors & liberalis in pauperes.

3. Tertiò. Quia *ſi oratio eleëmoſyna aſſocietur,* inquit Fráciſcus Gregorius *to.* 6. *ſect.* 9. *problem.* 417. ſuper locum illum Tobiæ 12. *Operi charitatis, Deo gratiſsimo coniungitur: & ſi ieiunium addatur, quantò magis animalis homo per ipſum debilitatur, tantò magis ſpiritualis roboratur.* Ergò orans per ieiunium roboratur ad pugnam, per eleëmoſynam verò auxiliatorem acquirit fortiſſimum.

C. II. Faciunt ad ſatisfaciendum pro peccatis.

SECVNDÒ. Iuuat vehementer ad ſatisfaciendum pro peccatis, & ſic *purgat peccata.* Primò. Namque ideò Dei debitores, qui inordinatè te habuiſti erga Deum, erga teipſum, erga proximum, modò per orationem ordinas mentem ad Deum; per ieiunium ad teipſum, per eleëmoſynam ad proximum. Reddis igitur quod debes vnicuique debitori: & ſic iterum rectas facis vias tuas. Debes Deo ſubiectionem, proximo dilectionem, tibi diſciplinam. Lignum incuruatum flecti in contrariam partem debet, vt rectam acquirat figuram.

2. Secundò. Quia in tribus maximè offendimus: in bonis animi, corporis, fortunæ. Decet igitur, vt in iiſdem puniamur, & arma quibus Deo, nobis & proximo nocuimus, abijciamus. Iam per orationem humilias Deo animam & ſubijcis eius voluntati abijciſque tuam; per ieiunium priuas te commodis corporis; per eleëmoſynam bonis fortunæ.

3. Tertiò. Quia cùm ſatisfactio etiam medicina peccatorum eſſe debeat, omnis autem peccatorum radix ſit vel concupiſcentia carnis, vel concupiſcentia oculorum, vel ſuperbia vitæ, 1. *Ioan.* 2. idcircò hoc emplaſtrum meritò adhibetur ſanandis animæ vulneribus. Per orationem namque obuiatur ſuperbiæ, per ieiunium concupiſcentiæ carnis, per eleëmoſynam concupiſcentiæ oculorum. Atque ita per hæc etiam radices peccatorum euelluntur. Pœnitentiâ quidem peccata velut falce gramina demetuntur: ſed non radicitus tolluntur; manent contracti habitus mali, qui facilè repullulant. Hos euellunt opera illa ſedulò repetita.

D. III. Faciunt ad impetrandum.

TERTIÒ. Iuuat ad impetrandum, quod à Deo petitur, & ſic *facit inuenire miſericordiam.*
1. Primò, quia hoc pacto oratio fit commiſeratione & exauditione dignior. Mendici non ſolùm conceptis verbis feruentiſſimè orant, ſed etiam vulnera ſua & defectus corporis oſtendunt, centones item & laceras induunt veſtes, vt omni quo poſſunt modo, neceſſitatem, miſeriam & paupertatem ſuam depromant, hominesque ad commiſerationem moueant. Nihilo minus præſtant apud Deum oratio, ieiunium, eleëmoſyna. Nam oratio ad Deum clamat; ieiunium corporis maciem & imbecillitatē Deo repræſentat; vnde Dominus dixit: *Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo me ſuſtinent, nec habent quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos deficient in viâ;* eleëmoſyna paupertatem monſtrat, præſertim ſiquis ea, quæ ſibi erant neceſſaria, pauperioribus largitur.

Itaque omnia hæc tria orant & clamant ad Deum: ſicut preces, vulnera & centones Mendici clamant ad homines. Oratio quidem expreſsè, ieiunium tacitè: vti ieiunium Achab. 3. *Reg.* 21. ieiunium item pecorum in Niniue, *Ionæ.* 3. Eleemoſyna per pauperem, *Eccleſiaſt.* 29. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, hæc pro te exorabit.*

Secundò. Quia ſic oratio fit efficacior. Nam per hæc tria offers Deo holocauſtum acceptiſſimum, omnia videlicet tua. Per orationem ſacrificas illi ſpiritum tuum, tradens ei cor tuum, ſubtrahendo tibi ea, quæ delectabilia ſunt huius mundi. Per eleemoſynam offers ei facultates tuas (*quod enim vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, ait) dum earum commodis te ſpolias. Vnde potes allegare cum Apoſtolis: *Ecce nos reliquimus omnia.* Quis autem dubitat Deum hoc munus largiſſimè remunerari? *Quis enim prior dedit illi? & retribuetur ei,* ait Apoſtolus. Non dubium quin gratiſſima fuerint Chriſto munera Magorum, aurum, thus & myrrha, eaque quàm largiſſimè ab ipſo compenſata ſint. Atqui eadem illa offert, & quidem modo præſtantiori, qui tria illa offert, nam thus orationem, aurum eleemoſynam, myrrha ieiunium carni amarum denotat. 2.

Tertiò. Quia ſic oratio fit feruentior & attentior. Nā inprimis repletio cibi nimia grauat mentem, ne ad Deum ſe erigere & de ipſo cogitare poſſit: ſomnum etiam & torporem inducit; diuitiæ verò varias ingerunt curas & diſtractiones orantibus. Ergò ieiunium & eleemoſyna tollunt magnâ ſaltem ex parte hæc obſtacula. Tunc bene oras, quando ieiunas; tunc bene ieiunas, cùm ea, quæ tibi ſubtrahis, pauperibus elargiris. Vnde bene Franciſcus Georgius *loco cit. Cùm oratio ſit eleuatio mentis in Deum, tantò magis mens ipſa eleuatur, quantò orans à grauaminibus expeditior exiſtit. Duo enim ſunt grauamina, quæ mortales valde deprimunt: oblectamentum carnis videlicet, & terrenorum affectus. Illud autem grauanti corpori animam ſubijcit, & hic facibus terræ ipſam animam ſuffocat. Hinc ab vtroque expeditus homo faciliùs ad Deum mente conſcendit.* Hæ ſiint duæ alæ, quibus oratio ad cœlum euolat. 3.

E. IV. Faciunt ad promerendum beatitudinem.

QVARTÒ. Iuuat ſummoperè ad promerendā vitam æternam: & ſic *facit inuenire vitam æternā.* Primò. Quia datis illis tribus damus omnia noſtra pro pretioſâ illâ margaritâ, iuxta monitū Chriſti. Damus animā per orationem, corpus per ieiuniū, bona externa per eleemoſynam.

Secundò. Quia ſic eam obtinemus omnibus titulis; titulo miſericordiæ, per orationem, quâ mendicamus eam; titulo iuſtitiæ & mercedis, per ieiunium, quâ fodimus carnem

nem noſtram; titulo amicitiæ, per eleemoſynam; quia facimus nobis amicos, qui recipiant nos ad æterna tabernacula. Quòd ſi villicus iniquitatis gratiam inuenit per eleemoſynam, qui tamen mendicare erubuit, & fodere non valuit, quantò magis nos inueniemus gratiam apud Deum, ſi ſimul omnia præſtemus?

3. Denique, quia per hæc tria opera excellens illa ſanctitas obtinetur, quam Michæas commendauit c. 6. dicens: *Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Primum fit per ieiunium, cùm per id delicta punis; alterum per eleemoſynam; tertium per orationem ſedulam, attentam & deuotam. Quantò ergò melius eſt, operibus his vacare, quàm theſauros auri recondere, vti dixit Raphael?

Atque hi ſunt tres illi panes myſtici, quos in hodierno Euangelio petit à nobis Chriſtus ſibi commodari. Videte ne vel vnum ei denegetis. Quid enim ſi ieiunium obſeruetis & eleemoſynas elargiamini, nunquam verò oretis? vel ſi oretis & ieiunetis, non tamen eleëmoſynas faciatis? vel oretis & liberales ſitis, ieiunia tamen ab Eccleſia præſcripta violetis? nónne vnumquodque horum vos condemnabit in illo die? Quid vobis prodeſt, multò labore abrumpere duas diaboli catenas, & in tertia adhuc hærere?

Porrò ſi vnquam aliàs occaſio eſt exercendi tria iſta opera, hoc triduo eſt, vbi ſupplicationes fiunt, vbi abſtinentia ex veterum conſuetudine meritò obſeruatur, (tametſi non ex præcepto) vbi plurimi confluunt pauperes ad exigendam eleemoſynam.

Denique ſcire debemus, mutuò tantùm à nobis peti panes iſtos; Reddet enim illos Dominus ſuo tempore cum fænore.

CONCIO IV.

Cur differat ſæpe Deus audire orationes.

Varijs rationibus ad hanc quæſtionem reſpondetur.
1. *Vt agnoſcamus noſtram miſeriam.*
2. *Vt agnoſcamus diuinorum donorum præſtantiam.*
3. *Vt rectiùs petamus.*
4. *Vt meliùs probemur.*
5. *Vt excitet in nobis maiorem feruorem.*
6. *Vt probet fidem noſtram & patientiam.*
7. *Vt nos ſecùm loquentes diutiùs retineat.*
8. *Vt talione nos puniat.*

THEMA.

Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt. Luc. 11.

A. QVANTÒ fælicior fuit iſte homo, qui in hodierno Euangelio amici fores pulſauit, fatuis illis virginibus? Venerunt illæ nocte mediâ ad clauſam ſponſi ianuam, & licet pulſibus inſtarent ac vocibus: *Domine, Domine, aperi nobis:* non tamen ſunt auditæ nec ad nuptias intromiſſæ. Venit etiam mediâ nocte pauper hodierni Euangelij ad amicum ſuum (& quis ille niſi Chriſtus?) clauſo iam domus oſtio: dum tamen inſtat precibus, fores reſerantur & obtinet quidquid petit. Nimis magna differẽtia eſt inter hoc & alterum ſæculum. In hoc enim Chriſtum habemus amicum & quidem integerrimum, qui ſi ad illum humiliter accedamus, & ſeriò precemur, nunquam nos excludit, licet mediâ veniamus peccatorum noſtrorum nocte: licet ipſe oſtium ſuum clauſerit & à gratiâ ſuâ nos excluſerit atque adeò abiecerit, ſi tamen pulſare perſeueremus, reſerabit tandem nobis oſtium miſericordiæ diuinæ, quia ipſe eſt oſtij huius ianitor, imò ipſum oſtium: nam, *ego ſum oſtium*, inquit, *per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* Ioan. 10. Sed non ita erit in altero ſæculo, quia tunc velut ſponſo in die nuptiarum occupato non vacabit ampliùs ad oſtium ſedere & extraneis aperire. Deo igitur gratias, quòd adhuc eo loco & ſtatu ſumus, vbi Chriſtum amicum habemus, ad fores miſericordiæ peccatores præſtolantem. Sed dicat mihi aliquis: cur adeò extollis Chriſti amicitiam & liberalitatem? Nónne pauperem illum duriùs accepit, tametſi ad extremum audiuit? Nónne diu foris ſtare & ſæpiùs pulſare permiſit? Nónne etiam repulit cùm dixit: *noli mihi moleſtus eſſe; iam oſtium clauſum & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi?* Adhæc quamdiu ego infirmitate alijſque afflictionibus detineor; & cùm perpetuò pulſem & orem, non auditus ſum huc uſque, ſed & duriùs quandoque tractatus, atque vt mihi videtur, excluſus & repulſus. Quomodo ergo in hoc ſæculo magnus noſter amicus eſt Chriſtus? quomodo ianitor & hoſtium miſericordiæ diuinæ, ſed bono animo eſto: ſurget tandem & aperiet Chriſtus, quemadmodum amicus fecit pauperi in hodierno Euangelio. Quòd autem non ſtatim ſurgat & tibi aperiat, non vna tantùm cauſa eſt.

Differt PRIMÒ, Vt manifeſtiùs cognoſcamus ſummam noſtram miſeriam, quæ niſi à ſolo Deo ſubleuari nequeat. Quia enim ſuperbum hominum genus non vult agnoſcere ſuam miſeriam & paupertatem, idcircò permittit nos Deus ſæpe ad extrema deuenire, vt cognoſcamus non eſſe alium, qui poſſit nos iuuare, quàm Deum. Ita permiſit Deus Hebræos ciues Bethuliæ ab Holoferne obſideri & ad extremas redigi anguſtias, ita vt aqua eis nec ad vnum quidem diem ſupereſſet. *Iudith* 7. cùm illi interim ſemper precarentur. Et tamen ad extremum, rebus omnibus deſperatis, cùm iamiam tradere ſe vellent, Deus ſuccurrit illis per manum Iudith. Similiter Suſannam permiſit deuenire in manus ſeniorum & innoxiam condemnari, licet ipſa interim ad cœlum ſuſpiceret & Deum inuocaret vindicem: permiſit quoque eam duci iam ad mortem; Et tum demum excitauit Danielem, qui eam liberauit. B. I. Vt agnoſcamus noſtram miſeriam.

Dan. 13.

Dan. 13. Sic etiam non ſtatim prouidit Deus Iudæis in deſerto de pane: ſed expectauit donec aſſumptâ farinâ Ægypti egerent, & magnis vocibus ad eum clamarent. *Tunc enim* (ait Cyrillus *l. 3. c. 34.* in *Ioan. ſuper illo loco Exodi*) *gratiſſimum ſolet eſſe beneficium, quando magno ardore petitur & imminente periculo neceſſariò expectatur; aliter animus hominis beneficij magnitudinem non cognoſceret.* Sic Cyrillus.

C. II. Vt agnoſcamus Dei dona. SECVNDÒ. Vt agnoſcamus donorum diuinorum præſtantiam, nec vilipendamus illa & ita ingrati ſimus. Ita S. Aug. *de verb. Dom. ſerm.* 27. *Quod dare vult differt vt ampliùs deſideres dilatum, ne vileſcat citò datum.* Et *ſerm. 5. de verb. Dom. Cùm aliquando*, inquit, *tardius dat, commendat dona, non negat. Diu deſiderata dulciùs obtinentur: citò autem data viléſcunt.* Parui æſtimaremus virtutes & cætera dona Dei, ſi ad primam ſtatim inſtantiam petentibus darentur. Quis enim magnifaceret ſapientiam, docile ingenium, eloquentiam, &c. ſi ſtatim cuiuis petenti exhiberentur? Quis magnifaceret nobilitatem, ſi eam Imperator cuiuis petenti daret? Cùm Eliſæus petiſſet ab Eliâ domino ſuo: *Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Reſpondit Elias: *Rem difficilem poſtulaſti: attamen ſi videris me quando tollar à te, erit quod petiſti; ſi autem non videris, non erit,* 4. *Reg. c.* 2. Conditionem hanc videtur poſuiſſe Elias, vt Eliſæus indiuiſibiliter ei adhæreret nec à latere eius diſcederet, ſi vellet eam impleri. Vnde & Eliſæus ſemper ei adhæſit, idque præſentiens, cùm paulò antè ſæpiùs tentaſſet eum Elias à ſe dimittere, nunquam adduci potuit Eliſęus, ſed reſpondit ſemper. *Viuit Dominus & viuit anima tua, quia non derelinquam te.* Vnde & meruit obtinere quod petijt; vidit enim Eliam tolli per turbinem in cœlum, & obtinuit pallium eius ſibi ab eo relictum vnaque duplicem eius ſpiritum. *Quis eſt ſpiritus iſte duplex,* (inquit S. Bern. *ſerm. 3. in Aſcenſione*) *qui quæritur, niſi illuminatio intellectus & affectus purgatio. Res difficilis, quia rarus eſt in terris qui illam habere videatur.* Quia ergò hæc bona etiam nos à Deo poſcimus, nil mirum ſi iubeat nos ſibi conſtantes adhærere per inſtantiam precum. Sic enim agnoſcere debemus, magna eſſe quæ petimus, & ſi modò non agnoſcimus, agnoſcemus ſuo tempore.

D. III. Vt rectiùs petamus. TERTIÒ. Quia ſæpè initio non rectè petimus, quæ dum perſeueramus, tum demum rectè petere incipimus. Ad hunc modum ſemina à ſuperueniente frigore & hyeme ſalubriter retardantur ne excreſcant; ſic enim profundiores agunt radices & ad frugem vberiùs ſurgunt æſtate. Similiter ergo preces noſtræ ſæpè fructuosè differuntur, vt eas perficiamus ad plus merendum & impetrandum. Simplex aliquis fortè optaret vt ſemina autumno iacta mox ſurgerent in germina & ſpicas: Sed poſteà videret, ſe deceptum eſſe, quòd fruges vel nullæ vel modicæ prouenirent: Sic quia initio orationis ſæpè imperfectè oramus, ſi ſtatim audiremur, parum obtineremus vel mereremur. Vnde Sapiens *Eccleſiaſt.* 7. ait: *Melior eſt finis orationis quàm principium.* Hoc S. Auguſtinus *in l. ſoliloq.* precatur: *Deus vniuerſitatis conditor, præſta mihi primùm vt bene te rogem; deinde vt me agam dignum quem liberes; poſtremò vt liberes.*

QVARTÒ. Quia ſæpe non expedit ſtatim dare. Abacuc prophetiam ſuam inchoat eiuſmodi querelâ: *Vſquequò Domine clamabo & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens & non ſaluabis?* E. IV. Vt melius probemur. Sed audi quid S. Hieronymus ſcribit in illum locum: *Quomodo ſi ægrotus æſtuans febribus,* inquit, *aquam frigidam poſtulet & dicat ad medicum: vini patior, crucior, vror, exanimor, vſquequò medice clamabo & non exaudies me: Et reſpondeat ei ſapientiſſimus ac clementiſſimus medicus: ſcio quo tempore dare debeam quod poſtulas: & non miſereor modò, quia miſericordia iſta crudelitas eſt & voluntas tua contra te petit. Ita & Deus noſter, ſciens clementia ſua pondera atque menſuras, interdum non exaudit clamantem, vt eum probet & magis prouocet ad rogandum & quaſi igne excoctum iuſtiorem & puriorem faciat.* Hinc S. Auguſt. *l.* 1. *de ordine c.* 10. ait: *Satis mihi ſunt vulnera mea, quæ vt ſanentur penè quotidianis fletibus rogans, indigniorem tamen eſſe me: qui tam citò ſaner, quàm volo, ſæpe memetipſe conuinco.*

QVINTÒ. Vt excitet in nobis maiorem appetitum, & feruorem deuotionis magis accendat, quo nos bonorum dandorum capaces reddat, eaque det abundantiùs. De primo S. Aug. *tr.* 4. *in epiſt. Ioannis*, ait: *Sicut ſi velles implere aliquem ſinum & noſti quàm magnum ſit quod dabitur, extendis ſinum vel ſacci vel vtris vel alius rei, vt extendendo facias capaciorem: Sic Deus differendo petitionem extendit deſiderium; deſiderando extendit animam, extendendo facit capacem eorum, quæ oculus non vidit & auris non audiuit.* Ruſum idem S. Pater *ſerm.* 5. *de verb. Dom. Seruat ſibi Deus,* inquit, *quod non vult citò dare, vt & tu diſcas magna magnè deſiderare.* Antigonus Macedonum rex Traſillo Cynico petenti drachmam: *non eſt,* inquit, *munus regium.* Cynico ſubijciente: *Talentum ergò da; At non eſt,* inquit, *Cynicum tale munus accipere.* Similiter Deus noſter vult nobis magna & ſe digna dare, ſed non ſumus nos ſtatim capaces aut digni tantorum bonorum. Tales ergò fieri per dilationem & exercitationem deſiderij debemus.

F. V. Vt excitet in nobis maiorem feruorem. 1.

Secundò. Vt ſic creſcente in nobis deuotione, abundãtiùs nobis det. Vt enim qui puteum fodit, quantò altiùs fodit, tantò plus inuenit humoris & aquæ: ita quo plus in petendo perſeueramus, tantò plus tandem obtinemus. Patet in hodiernâ parabolâ Euangelij, vbi pauper ab amico tres panes tantum petijt: cùm verò perſeuerauit petere, obtinuit quotquot habuit neceſſarios. Patet in Chananæa, quæ filiæ tantùm liberationem petierat; vbi verò inſtitit petendo, nõ tantùm obtinuit quod petijt, ſed prætereà magnam à Chriſto laudem obtinuit: *Mulier, magna eſt fides tua.* Vnde optimè Auguſtin. ſer. 27. de verbis Dom. ait: *Non accipimus aliquando, vt meliora quàm petimus accipiamus.* 2.

G. VI. Vt probet noſtram fidem & patientiã. SEXTÒ. Vt probet noſtram fidem & patientiam; num fortè impatientiâ aut infidelitate victi remedia quæramus vijs illicitis & iniuſtis. Quomodo probantur is, qui ſuſci-

quo plus fiduciæ habuerimus in Deum, tantò plus gratiæ nos impetrare. *Quantum vas fidei capacius aſſerimus,* inquit S. Cyprianus *in epiſt. ad Donatum, tantum gratiæ inundantis haurimus Dei enim miſericordia velut inexhauſtus quidam bonorũ fons eſt, à quo plus hauriet, qui capacius fidei vas ad illum affert.* Magnum iſtiuſmodi vas attulerat ad Chriſtum Archiſynagogus cum dicebat: *Veni impone manum tuam ſuper eam* (filiam) *& viuet.* Sed Hæmorrhoiſſa paulò antè curata maius adhuc vas attulerat: *Si tantum tetigero fimbriam,* inquit, *ſalua ero*; ideoque mox etiam tacente Chriſto ſanata eſt, ſolo eius tactu: cùm filia Iairi & manu Chriſti erecta & voce ad vitam reuocata ſit. Maximum denique attulit Centurio, qui nec Chriſti præſentiam nec tactum requirebat, ſed *tantum dic verbo,* inquit, *& ſanabitur puer meus*; vnde & mox auditus eſt. His iure accenſenda è veteri teſtamento Iudith, quæ vbi orationem ſuam pro excidio Holofernis ad Deum fudit, plena omni fiducia ſumpſit ſecum ancillam, quæ peram geſtaret, in qua caput Holofernis reſcindendum conderet, & ita egreſſa eſt ex vrbe in caſtra Holofernis, vt habetur c. 13. Iud. Itáne verò ô mulier peram tu iam paras pro capite Holofernis, qua nondum ingreſſa es eius caſtra, nondum vides occaſionem rem tantam perpetrandi, nec gladium quidem accepiſti quo caput eius reſecares? Nimirum fiducia erat, quæ in oratione ei dicebat, hæc omnia adfutura & ex animo ſucceſſura. Audiamus tales & è Chriſtianis. Apud Cæſarium *l.* 6. *c.* 31. Cœnobita quidam ſyncerus in monaſterio Hemmenrodis, graui preſſus anguſtia, ex ſingulari amici candore & fiducia conuerſus ad Chriſtum ſic orabat: *Nate Virginis aut libera me ab hac cruce qua premor; aut apud tuam te accuſabo matrem.* Placuit Deo petitio & omnem mox animi perturbationem abſterſit. Eadem fide roboratus Abbas Siſois orans pro Abraham diſcipulo ſuo tentato & lapſo, fidenter ad Deum dixit: *Deus, vis non vis, non dimitto te, niſi curaueris eum.* Et curatus eſt diſcipulus, vt habetur in Vitis Patrum *l.* 6. *c.* 4.

D. III. Humilitas.

TERTIÒ. Legatus inſtructus eſſe debet pretioſis ac ſplendidis donarijs Regi offerendis, vt habet mos omnium gentium. Quod ergò munus noſter Legatus Deo præſentabit? *Nihil tam gratum Deo,* inquit S. Ludouicus Epiſcopus Toloſanus, *quàm ſi vita merito magni, humilitate ſimus infimi; cùm tanto quis Deo ſit pretioſior, quantò propter eum ſibi eſt vilior.* Humilitas ergò donum eſt Deo acceptiſſimum; quod non difficilè oſtendi poteſt. Non enim poſſumus magis honorare aliquem, quàm ſi eius magnitudinem extollamus, & noſtram viciſſim exiguitatem coram eo conteſtemur. Hinc illi Gabaonitarum Legati tam celeriter auditi ſunt à Ioſue & in amicitiam recepti, quia coram eo prædicârunt eius gloriam & potentiam, ſuam verò oſtenderunt humilitatem & ſubiectionem: *ſerui tui ſumus,* inquiunt. Rurſum interrogati quinam eſſent & vnde venirent; reſpondent: *De terrâ longinquâ valde venerunt ſerui tui in nomine Domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius,* &c. *Ioſ.* 9. Eodem munere inſtructus Abraham ad orãdum Deum accedere ſolebat, vti patet Gen. 18. vbi rogans pro ſalute Sodomitarum, priùs depromit humilitatem ſuam: *Loquar ad Dominum cum ſim puluis & cinis.* Deinde rurſum oraturus: *Ne quæſo,* inquit, *indigneris Domine, ſi loquar: Quid ſi inuenti fuerint triginta?* Tertiò denique precaturus. *Obſecro,* inquit, *ne iraſcaris Domine, ſi loquar adhuc ſemel: Quid ſi inuenti fuerint decem?* Quid vero ſibi volunt verba illa: *Loquar ad Dominum cum ſim puluis & cinis*; niſi hoc: Si puluerem me non agnoſcerem, loqui ad Deum & orare non auderem? Cùm enim à viro graui gratiam aliquam petituri, nos priùs humiliemus, veniam petamus, indigentiã noſtram aperiamus & noſtra ei ſeruitiæ deferamus; quantò magis coram Deo nos humiliamus? Hinc mendici, vt ſtipem colligant, laceros centones induunt, vlcera ſua oſtendunt, flebili quoque voce prætereuntium opem implorant. Ita orabat Publicanus ſtans retrò nec audens attollere oculos. Ita Dauid, qui, cùm rex eſſet, in oratione ſe tanquam leproſum agnouit, cupiens aſpergi hyſſopo, herbâ humili, quâ aſpergebantur aliàs leproſi mundandi, *Leuit.* 14. *Aſperges me hyſſopo & mundabor,* inquit *Pſ.* 50. Ita Elias Propheta, qui orans *pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua.* 3. *Reg.* 18. Eo enim habitu eſt fætus in maternis adhuc viſceribus incluſus, conglobatus videlicet in ſeipſum, eâ ſpecie, qua nulla videtur eſſe miſerior: quâ clamat quodammodo ad Deum, ſibi vt liceat lucem aſpicere & auram ducere vitalem, vt docet Ariſtoteles *l.* 7. *hiſt. anim. c.* 8. dicens: *Homo in ſemet conglobatus ſic geſtatur vt naſum inter genua, oculos ſuper genua, aures extra genua habeat.* Ea vero Eliæ humilitas nubes penetrauit, quę priùs inſtar ferri induratæ erant nec pluuiam dederãt per annos tres & dimidium. Denique ipſe Chriſtus in monte proſtratus in faciem orauit, filius, inquam, Dei naturalis. Nos quidem appellamus Deum Patrem noſtrum; ſed addimus: *Qui es in cœlis*; quia longiſſimè ab ipſo diſtamus & ab eius gratia excidere poſſumus, vtpote filij non natura, ſed gratia. Quantò igitur maior humilitas à nobis requiretur? Et inter hæc tamen multi ad orandum ægrè flectunt genua, præ pudore non attollunt iunctas manus, &c. *Quid ſuperbis terra & cinis?*

E. IV. Attentio.

QVARTÒ. Legatus ſit facundus & conſideratus in loquendo neceſſe eſt, ne vel impertinentia loquendo vel balbutiendo regem audientem offendat; facile enim tentatur principum patientia, cùm quis inepta loquitur. Debet ergò orans attendere inprimis ad orationem ſuam, vt ſciat & intelligat quid loquatur; ne alioquin audiat id Chryſoſtomi in homil. *Tu ipſe non audis orationem tuam & Deum vis audire precẽ tuam.* Et illud S. Cypriani *in expoſit. orat. Dom. Quomodo te audiri à Deo poſtulas, cum te ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui cum rogas: cùm tu ipſe memor tui non ſis.* Debet firmare mentem in eo quod orat, nec aliò facilè deflectere, ſed

penſus hærere, vt audiatur: quemadmodum & Orator dum perorat, cum rege ſolo loquitur, ab eo totus pendet, ad alios circumſtantes vel extraneos ſermonem non abrumpit, (quod abſurdum foret) multò minus abrupto ſermone à rege diſcedit. At hoc tamen Deo facit, qui orationem inchoatam leuiculè abrumpit, vel ab eâ mentem ad alia deflectit nec de Deo, cui loquitur, ampliùs cogitat. Denique non debet interim cogitare impertinentia, abſurda, ridicula, putida. Vnde S. Chryſoſtomus *hom. 1. ſuper ea verba: Vidi Dominum, &c.* ait: *Qui cum terreno rege loquitur, de ijs tantum verba facit, de quibus ille voluerit audire: tu vero cum rege regum colloquens, cui cum horrore ſeruiunt Angeli, omiſſo cum illo ſermone, de luto, de puluere, de telis aranearum loqueris. Nihil enim aliud ſunt huius vitæ negotia. Et quomodo ſuſtinebis huius contemptus pœnam?* Cùm aliquando à Romanis tres eſſent deſignati, qui Legati proficiſcerentur in Bithyniam, quorum vnus podagrâ tenebatur, alter caput habebat vulneribus confoſſum, tertius væcordiâ laborare videbatur: Cato ridens dixit, *populi Romani legationem nec pedes habere, nec caput, nec cor.* Plut. auctore. Huiuſmodi legatio multorum eſt Oratio. Caput enim non habet, quando non attendit ad ea quæ loquitur, nec intelligit ſeipſam: Pedes non habet, quando non firmat ſe in Dei conſpectu & colloquio, ſed concidit in alias terrenas cogitationes: cor non habet, quando indigna, ſtulta, ridicula & vana mente interim agitat. Ergò his defectibus prudenter occurrendum eſt. Sequere inprimis conſilium Domini dicentis: *Intra in cubiculum tuum & clauſo oſtio ora Patrem, Matth. 6.* Cubiculum cordis ſaltem, ſi non domus tuæ: claude oſtia ſenſuum tuorum: firma in Deo mentem quaſi coram eum videns & ab eo viſus: denique cum Abrahamo qui *Gen. 15.* aſſedit ſacrificio & ab eo volucres ſubinde aduolantes abegit, cogitationum muſcas ad orationem aduolantes inceſſanter repelle. Valebit hoc pacto oratio tua, ſi non vt oratio, ſaltem vt luctatio.

F. V. Perſeuerantia.

QVINTÒ. Legatum decet eſſe virum ad res agendas exercitatum & vt ſolemus dicere, practicum, induſtrium, vigilantem & indefeſſum in extorquendis ſuis poſtulatis, deuinciendis ſibi Regis Conſiliarijs & amicis, &c. Pari modo oratio debet eſſe indefeſſa & quodammodo importuna & perſeuerans, etiamſi ſemel iterumque repulſam pati videatur. Ita enim monet per parabolam hodiernam ipſe Dominus. Ita filiæ ſuæ incolumitatem & ſolutionem à dæmone impetrauit Chananæa, dum iterum iterumque repulſa, ſemper redijt & cauſam ſuam denuò vrſit, ad inſtar alicuius Canis (cui etiam appoſitè ſe comparauit) qui per vnum oſtium eiectus, per alterum mox recurrit, *Matth. 15.* Ita ſolent milites ad communem menſam ſeipſos inuitare & comedere; ac ſiquidem eis cochlear eripias & pro foribus eijcias: illi mox abiectum tollere & rurſum ad menſam conſedere, neque enim arbitrantur hoc ſibi dedecus eſſe, cùm alienis domiciliis & menſis vti debeant, deſtituti proprijs. Multò minùs nos dedecori nobis ducamus, ſi quandoque reiecti iterum reuertamur ad eandem orationem. Grata eſt enim Deo hæc noſtra impudentia, nobiſque neceſſaria, cùm ſciamus ſolum Deum eſſe noſtrum patremfamilias, eo ſublato nos omni ope deſtitutos eſſe. Ciuitas quæ continuò quatitur tormentis, tandem dedere ſe cogitur: ſic oratio perſeuerans vincit tandem Deum. Apud S. Lucam c. 18. proponit Dominus in parabolâ viduam quæ multo tempore moleſta Iudici, vindicari cupiens de aduerſario ſuo, tandem ab eo audita eſt dicente: *Etſi Deum non timeo nec hominem reuereor, tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouiſſimo veniens ſugillet me.* Hæc vidua ex ſententia S. Auguſtini l. 2. *queſtion. Euang. cap.* 45. eſt Eccleſia, quæ marito ſuo, Chriſto, in cœlum euecto, vidua quaſi remanſit & proinde deſolata graues patitur ab aduerſarijs iniurias. Horum primus & primarius eſt Diabolus, qui nunquam non eam infeſtat & affligit in membris ſuis. Alter eſt immanis ille Turca, perpetuus Eccleſiæ hoſtis & direptor. Tertius eſt Hæreſis, hoſtis inteſtinus, nec tam corpora quàm animas diripiens. Reliqui ſunt mundus, caro, nec non aliæ afflictiones, quales nunquam deſunt. Vnicum igitur huic viduæ ſupereſt perfugium, orationis ad Deum. Hic ſanè iniquus Iudex non eſt, ſed quandoque à peccatoribus talis reputatur: Deum hic non timet, quia neminem habet ſuperiorem: multò minùs hominem reueretur, quia caret vitio acceptionis perſonarum. Nihilominus ad extremum audit viduam illam, ne ipſa in nouiſſimo die eum ſugillare queat, ſeu de ipſo conqueri aut famam eius carpere, quaſi contra ſuam promiſſionem, oppreſſos non audierit. Itaque hæc parabola tollit omnem cauſam formidandi aut dubitandi de audiendis noſtris precibus. Porrò argumentum victricis illius viduæ, Eccleſiæ, habemus *Act. 12.* Vbi Petrus tenebatur vinctus in carcere, oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Et quid obtentum? Cùm iam illuceſcente proximo die producturus eum eſſet Herodes ad necem, in ipſâ nocte mittitur Angelus à Deo qui diſſoluit Petri catenas eduxitque eum è carcere & conſtituit in tuto. Orabat ergò hæc vidua, quamdiu in carcere Petrus erat, nec audita fuit niſi extremo tempore, quo iam parabat gladium carnifex ad obtruncandum Apoſtolum. Non ergò deſperandum, etiam cùm res ad reſtim redit, de diuinâ ope, ſi conſtanter oremus. Cæterùm ſi orationi addamus alia bona opera, præſertim eleëmoſynam & ieiunium, tantò efficacior fiet ad impetrandum. Per eleëmoſynam enim demulcemus regis aulicos, paupères videlicet vt regem nobis beneuolum reddant: Per ieiunium mouemus regem ad commiſerationem, ſi pro eius gratia captanda noſipſos affligamus. Atque hæ ſunt duæ illæ manus Eliſæi, quas poſuit ſuper manum Ioæ regis, quem iacere ſagittam iuſſit. Manus.

Manus Ioæ ſagittantis orationem deprecantis denotat, quæ adiuta à ieiunio & eleemoſyna tanget à duabus ſanctis manibus non dubiè quaſi ſcopum, ad quem collimat. *4. Reg. 13.*

Atque hæc eſt, Auditores, instructio Legati, quem ad Deum mittere volumus & mittimus hoc tempore. Quæ ſi adſit noſtro Legato, penetrabit ille nubes: ad Deum appropinquabit nec ab eo diſcedet, donec altiſſimus eum aſpiciat oculo beneuolentiæ. Neque ſolùm impetrabit ea quæ petimus, ſed præterea obtinebit vt rectè inſtituamus vitam noſtram Deoque per omnia placeamus. Non enim temerè dixit S. Auguſtinus *ho. 4. ex 50. Rectè nouit viuere, qui rectè nouit orare.*

CONCIO II.

Quid Præcipuè petendum in Oratione.

Sicut tria petuntur in hodierno Euang. piſcis, ouũ & panis: ita tres virtutes Theologicas potiſſimum petere debemus: ac

1. Fidem velut piſcem.

2. Spem velut ouum.

3. Charitatem velut panem.

THEMA.

Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Luc. 2.

A. DIximus alibi orationem eſſe legatum noſtrum, quem hiſce præſertim diebus ad Deum amandamus eumque neceſſarijs rebus iuſtruximus. Sed nondum ediximus quid legatus ille noſter petere à Deo debeat. Fieri enim poteſt & fit aliquoties vt noxia petamus, quæ ſi nobis dentur, ad interitum dabuntur, quemadmodum & Iſraëlitis carnes à Deo petentibus in deſerto euenit, *Num. 11.* Etenim *adhuc eſca eorum erat in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*; ſi quidem ignis inuoluit eos & locus inde vocatus eſt, *ſepulchra concupiſcentiæ.* Ad hunc enim modum petunt multi multa ſibi perquam noxia; laborant aliqui concupiſcentiâ oculorum, petuntque diuitias; & quid petunt niſi lapidem, cùm iis vt plurimum non fruantur, ſed eas velut lapides habeant? Alij concupiſcentia carnis & petunt dælicias cibi & potus vel vxores, &c. & quid niſi ſcorpiones petunt, qui capite blandiuntur, caudâ pungunt? Alij laborant ſuperbiâ vitæ & petunt honores ac dignitates: & quid niſi ſerpentes petunt qui eos inficiunt veneno peccatorum? Videamus igitur quid Chriſtus doceat petendum nobis eſſe.

B. Virtutes Theologicæ maxumè homini neceſſariæ. 1.

Tria petenda notantur in hodierno Euangelio: piſcis, ouum, panis: quæ S. Auguſtinus *ſermon. 29. de verbis Domini* exponens, per piſcem fidem, per ouum ſpem, per panem charitatem intelligit. Et ſanè hæc tria ſunt omnium maximè vtilia, maximè neceſſaria, maximeque ſecura, quæ petere poſſimus vel debeamus. Quid enim magis nobis expetendum quàm vt imago SS. Trinitatis, quæ per peccatum in nobis obſoletâ & propemodum deſtructa eſt, reparetur? Factus eſt homo ad imaginem Deitatis ſecundum animam mente & ratione præditam: nec non ad imaginem totius Trinitatis, vt colligit Aug. *lib. 12. de Trinitate* ex eo quod dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Habet ergò, vt idẽ annotauit, etiam mens noſtra ſuam Trinitatem: habet intellectum, qui repræſentat patrẽ: Memoriam, quæ filium: Voluntatem, quæ Spiritum ſanctum. Et hæc quidem in ſtatu innocentiæ ſuam perfectionem habebant accuratam, virtutibus Theologicis, moralibus & iuſtitiâ originali inſtructam. Ibi rationi nihil deerat ad diſcernẽdum inter bonum & malum: Memoria ſine impedimento ſemper verſari poterat in recolendâ Dei ſapientiâ, bonitate, potentiâ, &c. Voluntati nihil obſtabat, quò minùs per charitatem Deo adhærere poſſet. Cæterùm poſt infelicem noſtrum caſum, ratio cæcutire & palpare in tenebris, noxia pro ſalutaribus amplecti: Memoria hebeſcere & quiduis aliud potiùs quàm cœleſtia retinere. Voluntas terrena ſolum appetere & vanitates ſectari, nauſeare verò cæleſtia. Vnde homo miſerè deformatus & in beluam quaſi mutatus eſt. Quod igitur huic malo remedium? Tres illæ Theologicæ virtutes mentem noſtram iterum ad Deum, finem vltimum rectè ordinantes, & quantum fieri poteſt ac ſufficit, imaginem Dei in eâ deformatam reſtaurantes. Fides illuminat rationem ſeu intellectum; ſpes erigit memoriam, vt id deſiderio cæleſtium rerum ſedulò verſetur: Charitas accendit voluntatem, vt iam facilè, hilariter & expeditè bonum operetur; atque ita per has virtutes imago illa reſtituitur nobis.

Secundò. Tres iſtæ virtutes ſunt nobis maximè neceſſariæ vt vniamur fini noſtro ſupernaturali, Deo. Primò enim ſcire debemus & cognoſcere finem, alioquin non poſſemus appetere; quia non potes collimare in ſcopum quem non vides, & ignoti nulla cupido: Secundò debemus poſſe aſſequi finem: Tertiò, debemus velle vniri illi. Primum habemus per fidẽ, ſecundum per ſpem, tertium per charitatem, fides enim illuminat intellectum circa finem vltimum, ſpes animat ad obtinendum, charitas impellit vt comprehendas. Denique maximè ſecuræ ſunt: quia iis malè vti non poſſumus. II.

C. 1. Petenda fides velut piſcis.

PRIMÒ igitur petendus eſt piſcis, id eſt fides. Vnde Auguſt. vbi ſup. ait: *Dixit quidam ſanctus & nos dicere delectat: piſcis bonus pia eſt fides. Viuit in fluctibus nec frangitur aut ſoluitur fluctibus. Viuit inter tentationes tempeſtateſq́ huius ſæculi pia fides, ſæuit mundus, & integra eſt.* hæc ille. Et præterea vt piſcis ſub aquâ eſt & tamen videt, licet obſcurè, quæ extra aquam ſunt, ita fides ſubobſcurè, quaſi per aquas videt Deum & cæleſtia. Cæterum ſine illa prorſus nihil videmus ſed in tenebris ambulamus & creaturas pro Deo amplectimur. Ita olim gentiles Deum vndique quærentes, modò hunc, modò illum pro Deo amplectebantur, turpiter errantes, indeque vt Apoſtolus *ad Rom. 1.* ait: *mutauerunt gloriam*

gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum & ſerpentum. Immolauerunt dæmonijs proprios filios & ſeipſos denique. Quod ipſum patet in hæreticis noſtri temporis, qui per hæreſin in Cimerias tenebras deuoluti ſunt. Igitur vt columna ignis illuminabat Iſraëlitas in deſerto, ne per noctem exerrarent: Stella Magos duxit: ſine quibus illi ad terram promiſſam, hi ad Chriſtum non veniſſent: ita nos illuminat fides, ſine cuius lumine in tenebris ambularemus & in mille errores ac præcipitia laberemur. Hoc autem lumen qua ratione putatis obtineri debere? Num ſola prædicatione & miraculis? At nónne plurimi ipſum Dei filium concionantem & mira facientem viderunt? & tamen de eis dicit Ioannes c. 12. *cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum.* Quid ſanctius, quid ſapientius, quid mirabiliùs Chriſto experientia etiam teſtatur in vicinis hæreticis, prædicationes, diſputationes, exhortationes, licet reſpondere nihil queant, parum aut nihil eos mouere. Vnde, niſi quia fides eſt donum Dei? *ad Phil.* 1. & *Eph.* 2. & idcircò oratione quæri debet? Audierat haud dubiè Paulus ante conuerſionem, ſi non alios, ſaltem B. Stephanum prædicantem, & quidem ita *vt nemo poſſet reſiſtere ſapientiæ & Spiritui qui in eo loquebatur:* viderat ſigna & prodigia facientem: nihilominus ſpirans minarum, fidem noſtram extremè impugnabat; at poſtquam cœleſti luce perfuſus & Damaſcum ductus orare incepit, ſtatim in viſu vidit Ananiam introëuntem & imponentem ſibi manus vt viſum reciperet: quia dicebat ad Ananiam Dominus: *Ecce enim orat.* Factúmque vt ingrediente ad eum Anania, ſtatim caderent quaſi ſquamæ ab oculis eius & viſum reciperet, *Act.* 9. Oremus igitur & ſedulò quidem cum cæco illo: *Domine vt videam.*

Deinde licet fidem habeamus, adhuc ſemper orandum, vt conſeruemus; quia multi doctiſſimi naufragauerunt in fide, Tertullianus, Origenes, &c. & ſi tanta eorum doctrina non potuit eos in fide retinere, quis non videt, ſemper cuiuis orandum, vt ne fidem perdat?

Orandum quoque vt ea firma minimeque imbecilla ſit. Audimus enim S. Athanaſium in ſymbolo dicentem. *Quam niſi quiſque fideliter firmiterq́ crediderit, abſque dubio in æternum peribit.* Dicamus ergo cum diſcipulis Chriſti: *Domine adauge nobis fidem, Luc.* 17. Et cũ Patre illo: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam; Marci* 9. Vnde enim quæſo noſtra omnis tepiditas, negligentia, delinquendi pronitas, niſi quia non firmiter credimus Deum ſcire & videre actus noſtros, & redditurum vnicuique iuxta opera ſua: aliaque fidei dogmata?

D. II. Petenda ſpes velut ouum.

SECVNDVM. Ouum, id eſt, ſpes. *Spes enim,* vt ait loco cit. S. Aug. *nondum peruenit ad rem, & ouum eſt aliquid, ſed nondum eſt pullus.* Et paulò infrà: *ouum eſt & nondum pullus eſt & teſtudine tectum eſt, non videtur, quia operitur: cum patientia expectetur, &c.* Itaque ex ſpe prodibit res, vti pullus ex ouo. Et hæc adeò etiam neceſſaria eſt vt ſine ſpe mercedis æternæ nemo bonum operaretur. Neque enim ſemina committeret agricola terræ, niſi meſſem ſperaret: nec mercator pecuniam ſuam fortunæ & negotiationis periculo, niſi lucrum: nec miles vitam exponeret belli diſcriminibus, niſi prædam ſperaret & promotionem ac ſtipendium. Canis etiam videns leporem aſſequi ſe non poſſe, deſinit à curſu. Sine hac nos quoque deficeremus & animum deſponderemus, impœnitentes & deſperati viueremus ac moreremur. Propterea Apoſtolus *ad Hebr.* 6. comparat ſpem anchoræ; quia vt naues procellis iactatæ terram matrem ſuam mediante anchora quaſi brachio amplectuntur, ſicque fluctus contemnunt, à quibus alioquin haurirentur: Ita & animæ nauicula, anchoram ſpei ſuæ in cœlo, vnde oriunda eſt, firmat, ne à fluctibus tentationum & tribulationum huius mundi abripiatur & mergatur: ſine qua tandem periret. Sed qua ratione potiſſimum obtinebimus hanc anchoram? num ſolis exhortationibus & concionibus? Atqui eæ ſolæ non ſufficiunt. Etenim Cainum animabat Deus ad ſpem, & dum poſuit in eo ſignum ne interficeretur, *reflectere voluit errantem,* vt ait S. Ambroſius, & inuitare ad correctionem: & tamen ille deſperatus manſit. Similiter & Iudas qui tantum Chriſti Magiſtri ſui beneuolentiam & clementiam nouerat, qua peccatores omnes reciperet; quaque in ipſa traditione amicus ab eo ſalutatus eſt, nihilominus tamen deſperauit nec tanta Magiſtri ſuauitate retentus eſt. Quod etiamnum ſæpe fit; prædicamus enim Dei promittentis veritatem & infallibilitatem, prædicamus eius confirmationem ſub iuramento propoſitam, prædicamus eius ſubſcriptionem ſanguine proprio factam, Sacramenta, facilia, Euangelium, gratiam, Ieſum Saluatorem, meritaque Chriſti infinita: & his omnibus tamen necdum retinentur aliqui, ne deſperent, & ſibiipſis vim ac mortem inferant, vel ſaltem vt pœnitentiam amplectantur.

Ratio verò eſt; quia hominem imbecillum, morti expoſitum, ex materia concretum, brutarum animantium in hac vita ſocium, omnibus miſeriæ telis obnoxium, de terra ſumptum, cuius pondere prohibetur alta petere, ſponte autem ad infima ruit: talem, inquam hominem in cœlum euehi & cœleſtium bonorum participem fieri, ſummeque bono, Deo beatiſſimè perfrui, res eſt omni virtute & potentia naturali ſuperior prorſuſque admirabilis. Vnde diuino illo ſpei ſupernaturalis dono indigemus, quo excitemur ad certandum pro cœleſti mercede. Quare orandus ſedulò Deus vt hoc donum nobis impertiat, & vt ſpei cooperemur.

E. III. Petenda charitas velut panis.

TERTIÒ, Panis charitatis: vt enim cibi alij pane; ita opera bona charitate condienda ſunt, & ſine ea non ſapiunt. *Intelligitur panis Charitas,* ait Aug. l. 2. *quæſt. Euang.* c. 22. *propter maiorem appetitum & tam neceſſarium, vt ſine illa cætera nihil ſint, ſicut ſine pane menſa eſt inops.* Deinde ſicut pani opponitur Lapis in Euangelio hodierno,

hodierno, ita duritia charitati, vt ait Auguſt. vbi ſup. Vnde patet virtutis huius neceſſitas. niſi enim opera bona condiantur charitate, nihil merentur apud Deum. In cuius rei figuram, quidquid in templo Salomonis conſecratum erat, vel aurum vel deauratum eſſe debebat, 3. *Reg.* 6. Idipſum ſignificabat, quòd licet virgines fatuæ lampadem fidei, & lychnum ſpei haberent, quia tamen oleum charitatis non habebant, admiſſæ non ſint ad nuptias. Vnde Apoſtolus 1. *Cor.* 13. ait: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Vnde ſit aliquis hîc quantumuis diues & in omnibus abundans & excellens, ſi charitatem non habet, pauper eſt & nudus: Contrà qui charitatem habet, omnibus abundat. Taceo quòd etiam ſine hac nimis difficilia & inſipida ſunt nobis opera bona. Quomodo igitur acquirenda? ſanè perdifficile eſt Deum, quem non videmus, diligere ſupèr omnia, præſertim cùm amore proprio noſipſos naturaliter maximè diligamus, & res creatas quas videmus. Prætereà Charitas veſtis adeò pretioſa eſt, vt non niſi diuinis manibus fieri queat, quia *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. Rom.* 5. tametſi eam quidem libero arbitrio cooperante induimus; (non quemadmodum lignum veſtitur, quod non iuuat ad ſui veſtitionem.)

Non parua etiam difficultas in conſeruanda charitate: quia *qui ſtat, videat ne cadat*; ait Apoſtolus 1. *Cor.* 10. Ipſa eſt tenella plantula & peregrina, è paradiſo in hortum animæ noſtræ tranſplantata; vnde facilè exareſcit, & leui aura peccati euaneſcit: vnde etiam magni ſancti aliqui è charitate exciderunt; vti Dauid, Petrus, Thomas, &c.

Quid ſupereſt igitur niſi vt è cœlo hunc cœleſtem mendicemus panem, veſtem, florem?

Ita enim Samaritana illa cùm audiuit Chriſtum poſſidere mirandam aquam, quæ in vitam æternam ſalit & ſitim in perpetuum extinguit, ſtatim eam petijt: *Domine da mihi hanc aquam, vt non ſitiam neque veniam huc haurire.* Quin etiam non difficilè obtinuit, cum relicta hydria in ciuitatem cucurrit & Chriſtum annuntiauit atque in eum credidit, *Ioan.* 4. Hanc ergò auditores, hanc nos imitemur & dicamus: Domine da mihi piſcem fidei; da mihi ouum ſpei; da mihi panem charitatis. Da mihi aquam illam, quæ omnem extinguit ſitim & ſalit in vitam æternam.

CONCIO III.

Quam vtiliter coniungantur Oratio, Ieiunium, eleëmoſyna.

Electuarium quod fit ex oratione ieiunio & eleemoſyna.

1. *Iuuat ad expugnandum dæmonem & peccatum.*
2. *Ad ſatisfaciendum pro peccatis.*
3. *Ad impetrandum quod petitur.*
4. *Ad promerendam vitam æternam.*

THEMA.

Amice, accommoda mihi tres panes, Luc. 2.

NOuimus iuniorem illum Tobiam nimiùm quantùm conſternatum fuiſſe, quando è Tigri piſcis prodijt quaſi deuoraturus eum. *Tob.* 6. Qui tamen inſtructore Angelo cognouit paulò pòſt, quàm ſalutaris ille piſcis foret. Etenim cor, fel & iecur magnis vſibus fuerunt ad extricandum Dæmonem, & viſum patri reſtituendum. Myſtico ſenſu piſcis iſte ſatisfactio eſt, quæ quidem multos homines præcipuè hæreticos noſtros truci intuetur vultu, quaſi deuoratura illos. Sed tamen interim per quam ſalutaris eſt, & complectitur tria opera ad varios vſus præſtantiſſima. Orationem ſcilicet, ieiunium & eleëmoſynam. Oratio ſignificatur per cor; per fel, quod guſtum affligit, ieiunium; per hepar, quod ſanguinem in membra corporis pro cuiuſque exigentia diſtribuit, eleëmoſyna. Quod quidem ipſemet Raphaël Angelus videtur indicare, cùm diſceſſurus à Tobia, dixit: *Bona eſt oratio cum ieiunio & eleëmoſyna, magis quàm theſauros auri recondere, Tob.* 12. Scio bona eſſe hæc opera, vel ſeorſim præſtita: ſed cur ſimul iuncta meliora adhuc videtur, quod indicat hic Angelus? Reſpondebimus ad hoc: audite. A

Cùm eam ſententiam protulit angelus ſubiunxit immediatè: *Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam & vitam æternam.* Quod ſi ſola præſtat, multò magis cum oratione & ieiunio. Ergo ad quatuor hos fines admodum ſalutare eſt hoc Electuarium, quod fit ex oratione, ieiunio & eleëmoſyna.

B. I. *Faciunt ad expugnandum Dæmonem.*

PRIMÒ. Iuuat valde ad expugnandum dæmonem ac peccatum: & ſic *liberat à morte.* Primò. Tres enim ſunt diaboli catenæ, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, 1. *Ioan.* 2. Prima rumpitur per ieiunium, ſecunda per eleëmoſynam, tertia per orationem. Concupiſcentia carnis partim gula, partim luxuria eſt, cui opportunè occurritur per ieiunium, quod reſtringit gulam & atterit atque eneruat carnem. Concupiſcentia oculorum eſt auaritia, cui occurritur per eleëmoſynam; illa enim congregat, hæc diſpergit. Superbia meliùs non emendatur quàm per orationem, quâ propriæ miſeriæ Deo repræſentantur & diuina miſericordia egentibus imploratur.

Secundò. Quia tria maximè arma defendunt militem: gladius, æneus thorax, & ſcutum. Gladius eſt oratio. Thorax ieiunium, vnde dicitur *Pſ.* 68. *Operui in ieiunio animam meam.* Ex quo infert S. Ambroſius *in l. de Elia & ieiunio c.* 4. *Gula ergo*, ait, *nudos facit, ieiunia operiunt & exutos. Bonum operimentum quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur, ne à tentatore nudetur.* Non habet acceſſum dæmon ad ieiunum hominem. Scutum eſt eleëmoſyna, quod hoſtium ictus in ſe recipit, & nos ſaluat. Vnde *Eccl.* 29. de ea dicitur: *Super ſcutum*

tuum potentis & ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit. Exemplum de Zenone Imp. refert Ioannes Moſchus in prato ſpirituali c. 175. qui mulierem quandam in filia ipſius iniurioſè tractauerat. Hæc autem in templo Dei genitricis orabat cum lachrymis dicens: *Vindica me de Zenone Imp.* Cùm ergò multis diebus hoc faceret, apparuit ei S. Dei genitrix dicens: *Crede mihi mulier, vltionem tuam ſæpe facere volui, ſed manus eius prohibet me.* Erat enim valde miſericors & liberalis in pauperes.

3. Tertiò. Quia *ſi oratio eleëmoſyna aſſocietur*, inquit Fráciſcus Gregorius *to. 6. ſect. 9. problem.* 417. ſuper locum illum Tobiæ 12. *Operi charitatis, Deo gratiſſimo coniungitur: & ſi ieiunium addatur, quantò magis animalis homo per ipſum debilitatur, tantò magis ſpiritualis roboratur.* Ergò orans per ieiunium roboratur ad pugnam, per eleëmoſynam verò auxiliatorem acquirit fortiſſimum.

C. II. Faciunt ad ſatisfaciendum pro peccatis.

SECVNDÒ. Iuuat vehementer ad ſatisfaciendum pro peccatis, & ſic *purgat peccata.* Primò. Namque ideò Dei debitores, qui inordinatè te habuiſti erga Deum, erga teipſum, erga proximum, modò per orationem ordinas mentem ad Deum; per ieiunium ad teipſum, per eleëmoſynam ad proximum. Reddis igitur quod debes vnicuique debitori: & ſic iterum rectas facis vias tuas. Debes Deo ſubiectionem, proximo dilectionem, tibi diſciplinam. Lignum incuruatum flecti in contrariam partem debet, vt rectam acquirat figuram.

2. Secundò. Quia in tribus maximè offendimus: in bonis animi, corporis, fortunæ. Decet igitur, vt in iiſdem puniamur, & arma quibus Deo, nobis & proximo nocuimus, abijciamus. Iam per orationem humilias Deo animam & ſubijcis eius voluntati abijciſque tuam; per ieiunium priuas te commodis corporis; per eleëmoſynam bonis fortunæ.

3. Tertiò. Quia cùm ſatisfactio etiam medicina peccatorum eſſe debeat, omnis autem peccatorum radix ſit vel concupiſcentia carnis, vel concupiſcentia oculorum, vel ſuperbia vitæ, 1. *Ioan.* 2. idcircò hoc emplaſtrum meritò adhibetur ſanandis animæ vulneribus. Per orationem namque obuiatur ſuperbiæ, per ieiunium concupiſcentiæ carnis, per eleëmoſynam concupiſcentiæ oculorum. Atque ita per hæc etiam radices peccatorum euelluntur. Pœnitentiâ quidem peccata velut falce gramina demetuntur: ſed non radicitus tolluntur; manent contracti habitus mali, qui facilè repullulant. Hos euellunt opera illa ſedulò repetita.

D. III. Faciunt ad impetrandum.

TERTIÒ. Iuuat ad impetrandum, quod à Deo petitur, & ſic *facit inuenire miſericordiam.*

1. Primò, quia hoc pacto oratio fit commiſeratione & exauditione dignior. Mendici non ſolùm conceptis verbis feruentiſſimè orant, ſed etiam vulnera ſua & defectus corporis oſtendunt, centones item & laceras induunt veſtes, vt omni quo poſſunt modo, neceſſitatem, miſeriam & paupertatem ſuam depromant, homineſque ad commiſerationem moueant. Nihilo minus præſtant apud Deum oratio, ieiunium, eleëmoſyna. Nam oratio ad Deum clamat; ieiunium corporis maciem & imbecillitatem Deo repræſentat; vnde Dominus dixit: *Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo me ſuſtinent, nec habent quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos deficient in viâ*; eleëmoſyna paupertatem monſtrat, præſertim ſiquis ea, quæ ſibi erant neceſſaria, pauperioribus largitur.

Itaque omnia hæc tria orant & clamant ad Deum: ſicut preces, vulnera & centones Mendici clamant ad homines. Oratio quidem expreſsè, ieiunium tacitè: vti ieiunium Achab. 3. *Reg.* 21. ieiunium item pecorum in Niniue, *Ionæ.* 3. Eleemoſyna per pauperem, *Eccleſiaſt.* 29. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, hæc pro te exorabit.*

Secundò. Quia ſic oratio fit efficacior. Nam per hæc tria offers Deo holocauſtum acceptiſſimum, omnia videlicet tua. Per orationem ſacrificas illi ſpiritum tuum, tradens ei cor tuum, ſubtrahendo tibi ea, quæ delectabilia ſunt huius mundi. Per eleemoſynam offers ei facultates tuas (*quod* enim *vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, ait) dum earum commodis te ſpolias. Vnde potes allegare cum Apoſtolis: *Ecce nos reliquimus omnia.* Quis autem dubitat Deum hoc munus largiſſimè remunerari? *Quis enim prior dedit illi? & retribuetur ei*, ait Apoſtolus. Non dubium quin gratiſſima fuerint Chriſto munera Magorum, aurum, thus & myrrha, eaque quàm largiſſimè ab ipſo compenſata ſint. Atqui eadem illa offert, & quidem modo præſtantiori, qui tria illa offert, nam thus orationem, aurum eleemoſynam, myrrha ieiunium carni amarum denotat. 2.

Tertiò. Quia ſic oratio fit feruentior & attentior. Nã inprimis repletio cibi nimia grauat mentem, ne ad Deum ſe erigere & de ipſo cogitare poſſit: ſomnum etiam & torporem inducit; diuitiæ verò varias ingerunt curas & diſtractiones orantibus. Ergò ieiunium & eleemoſyna tollunt magnâ ſaltem ex parte hæc obſtacula. Tunc bene oras, quando ieiunas; tunc bene ieiunas, cùm ea, quæ tibi ſubtrahis, pauperibus elargiris. Vnde bene Franciſcus Georgius *loco cit. Cùm oratio ſit eleuatio mentis in Deum, tantò magis mens ipſa eleuatur, quantò orans à grauaminibus expeditior exiſtit. Duo enim ſunt grauamina, quæ mortales valde deprimunt: oblectamentum carnis videlicet, & terrenorum affectus. Illud autem grauanti corpori animam ſubijcit, & hic facibus terræ ipſam animam ſuffocat. Hinc ab vtroque expeditus homo faciliùs ad Deum mente conſcendit.* Hæ ſunt duæ alæ, quibus oratio ad cœlum euolat. 3.

QVARTÒ. Iuuat ſummoperè ad promerendã vitam æternam: & ſic *facit inuenire vitam æternã.* E. IV. Faciunt ad promerendum beatitudinem.

Primò. Quia datis illis tribus damus omnia noſtra pro pretioſâ illâ margaritâ, iuxta monitũ Chriſti. Damus animã per orationem, corpus per ieiuniũ, bona externa per eleemoſynam.

Secundò. Quia ſic eam obtinemus omnibus titulis; titulo miſericordiæ, quâ mendicamus eam, per orationem, titulo iuſtitiæ & mercedis, per ieiunium, quâ fodimus carnem

nem noſtram; titulo amicitiæ, per eleemoſynam; qua facimus nobis amicos, qui recipiant nos ad æterna tabernacula. Quòd ſi villicus iniquitatis gratiam inuenit per eleemoſynam, qui tamen mendicare erubuit, & fodere non valuit, quantò magis nos inueniemus gratiam apud Deum, ſi ſimul omnia præſtemus?

3. Denique, quia per hæc tria opera excellens illa ſanctitas obtinetur, quam Michæas commendauit c. 6. dicens: *Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Primum fit per ieiunium, cùm per id delicta punis; alterum per eleemoſynam; tertium per orationem ſedulam, attentam & deuotam. Quantò ergò melius eſt, operibus his vacare, quàm theſauros auri recondere, vti dixit Raphael?

Atque hi ſunt tres illi panes myſtici, quos in hodierno Euangelio petit à nobis Chriſtus ſibi commodari. Videte ne vel vnum ei denegetis. Quid enim ſi ieiunium obſeruetis & eleemoſynas elargiamini, nunquam verò oretis? vel ſi oretis & ieiunetis, non tamen eleëmoſynas faciatis? vel oretis & liberales ſitis, ieiunia tamen ab Eccleſia præſcripta violetis? nónne vnumquodque horum vos condemnabit in illo die? Quid vobis prodeſt, multò labore abrumpere duas diaboli catenas, & in tertia adhuc hærere?

Porrò ſi vnquam aliàs occaſio eſt exercendi tria iſta opera, hoc triduo eſt, vbi ſupplicationes fiunt, vbi abſtinentia ex veterum conſuetudine meritò obſeruatur, (tametſi non ex præcepto) vbi plurimi confluunt pauperes ad exigendam eleemoſynam.

Denique ſcire debemus, mutuò tantùm à nobis peti panes iſtos; Reddet enim illos Dominus ſuo tempore cum fænore.

CONCIO IV.

Cur differat ſæpe Deus audire orationes.

Varijs rationibus ad hanc quæſtionem reſpondetur.
1. *Vt agnoſcamus noſtram miſeriam.*
2. *Vt agnoſcamus diuinorum donorum præſtantiam.*
3. *Vt rectiùs petamus.*
4. *Vt meliùs probemur.*
5. *Vt excitet in nobis maiorem feruorem.*
6. *Vt probet fidem noſtram & patientiam.*
7. *Vt nos ſecum loquentes diutiùs retineat.*
8. *Vt talione nos puniat.*

THEMA.

Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt. Luc. 11.

A. QVANTÒ fælicior fuit iſte homo, qui in hodierno Euangelio amici fores pulſauit, fatuis illis virginibus? Venerunt illæ nocte mediâ ad clauſam ſponſi ianuam, & licet pulſibus inſtarent ac vocibus: *Domine, Domine, aperi nobis*: non tamen ſunt auditæ nec ad nuptias intromiſſæ. Venit etiam mediâ nocte pauper hodierni Euangelij ad amicum ſuum (& quis ille niſi Chriſtus?) clauſo iam domus oſtio: dum tamen inſtat precibus, fores reſerantur & obtinet quidquid petit. Nimis magna differẽtia eſt inter hoc & alterum ſæculum. In hoc enim Chriſtum habemus amicum & quidem integerrimum, qui ſi ad illum humiliter accedamus, & ſeriò precemur, nunquam nos excludit, licet mediâ veniamus peccatorum noſtrorum nocte: licet ipſe oſtium ſuum clauſerit & à gratiâ ſuâ nos excluſerit atque adeò abiecerit, ſi tamen pulſare perſeueremus, reſerabit tandem nobis oſtium miſericordiæ diuinæ, quia ipſe eſt oſtij huius ianitor, imò ipſum oſtium: nam, *ego ſum oſtium*, inquit, *per me ſi quis introierit, ſaluabitur*. Ioan. 10. Sed non ita erit in altero ſæculo, quia tunc velut ſponſo in die nuptiarum occupato non vacabit ampliùs ad oſtium ſedere & extraneis aperire. Deo igitur gratias, quòd adhuc eo loco & ſtatu ſumus, vbi Chriſtum amicum habemus, ad fores miſericordiæ peccatores præſtolantem. Sed dicat mihi aliquis: cur adeò extollis Chriſti amicitiam & liberalitatem? Nónne pauperem illum duriùs accepit, tametſi ad extremum audiuit? Nónne diu foris ſtare & ſæpiùs pulſare permiſit? Nónne etiam repulit cùm dixit: *noli mihi moleſtus eſſe; iam oſtium clauſum & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi?* Adhæc quamdiu ego infirmitate alijſque afflictionibus detineor; & cùm perpetuò pulſem & orem, non auditus ſum hucuſque, ſed & duriùs quandoque tractatus, atque vt mihi videtur, excluſus & repulſus. Quomodo ergo in hoc ſæculo magnus noſter amicus eſt Chriſtus? quomodo ianitor & hoſtium miſericordiæ diuinæ, ſed bono animo eſto: ſurget tandem & aperiet Chriſtus, quemadmodum amicus fecit pauperi in hodierno Euangelio. Quòd autem non ſtatim ſurgat & tibi aperiat, non vna tantùm cauſa eſt.

Differt PRIMÒ, Vt manifeſtiùs cognoſcamus ſummam noſtram miſeriam, quæ niſi à ſolo Deo ſubleuari nequeat. Quia enim ſuperbum hominum genus non vult agnoſcere ſuam miſeriam & paupertatem, idcircò permittit nos Deus ſæpe ad extrema deuenire, vt cognoſcamus non eſſe alium, qui poſſit nos iuuare, quàm Deum. Ita permiſit Deus Hebræos ciues Bethuliæ ab Holoferne obſideri & ad extremas redigi anguſtias, ita vt aqua eis nec ad vnum quidem diem ſupereſſet. *Iudith* 7. cùm illi interim ſemper precarentur. Et tamen ad extremum, rebus omnibus deſperatis, cùm iamiam tradere ſe vellent, Deus ſuccurrit illis per manum Iudith. Similiter Suſannam permiſit deuenire in manus ſeniorum & innoxiam condemnari, licet ipſa interim ad cœlum ſuſpiceret & Deum inuocaret vindicem: permiſit quoque eam duci iam ad mortem; Et tum demum excitauit Danielem, qui eam liberauit, *Dan.* 13.

B. I. Vt agnoſcamus noſtram miſeriam.

Dan. 13. Sic etiam non ſtatim prouidit Deus Iudæis in deſerto de pane: ſed expectauit donec aſſumptâ farinâ Ægypti egerent, & magnis vocibus ad eum clamarent. *Tunc enim* (ait Cyrillus *l. 3. c. 34. in Ioan. ſuper illo loco Exodi*) *gratiſſimum ſolet eſſe beneficium, quando magno ardore petitur & imminente periculo neceſſariò expectatur; aliter animus hominis beneficij magnitudinem non cognoſceret.* Sic Cyrillus.

C. II. Vt agnoſcamus Dei dona.

Secundò. Vt agnoſcamus donorum diuinorum præſtantiam, nec vilipendamus illa & ita ingrati ſimus. Ita S. Aug. *de verb. Dom. ſerm. 27. Quod dare vult differt vt ampliùs deſideres dilatum, ne vileſcat citò datum.* Et *ſerm. 5. de verb. Dom. Cùm aliquando,* inquit, *tardius dat, commendat dona, non negat. Diu deſiderata dulciùs obtinentur: citò autem data vileſcunt.* Parui æſtimaremus virtutes & cætera dona Dei, ſi ad primam ſtatim inſtantiam petentibus darentur. Quis enim magnifaceret ſapientiam, docile ingenium, eloquentiam, &c. ſi ſtatim cuius petenti exhiberentur? Quis magnifaceret nobilitatem, ſi eam Imperator cuiuis petenti daret? Cùm Eliſæus petiſſet ab Eliâ domino ſuo: *Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Reſpondit Elias: *Rem difficilem poſtulaſti: attamen ſi videris me quando tollar à te, erit quod petiſti; ſi autem non videris, non erit, 4. Reg. c. 2.* Conditionem hanc videtur poſuiſſe Elias, vt Eliſæus indiuiſibiliter ei adhæreret nec à latere eius diſcederet, ſi vellet eam impleri. Vnde & Eliſæus ſemper ei adhæſit, idque præſentiens, cùm paulò antè ſæpiùs tentaſſet eum Elias à ſe dimittere, nunquam adduci potuit Eliſæus, ſed reſpondit ſemper. *Viuit Dominus & viuit anima tua, quia non derelinquam te.* Vnde & meruit obtinere quod petijt; vidit enim Eliam tolli per turbinem in cœlum, & obtinuit pallium eius ſibi ab eo relictum vnaque duplicem eius ſpiritum. *Quis eſt ſpiritus iſte duplex,* (inquit S. Bern. *ſerm. 3. in Aſcenſione*) *qui quæritur, niſi illuminatio intellectus & effectus purgatio. Res difficilis, quia rarus eſt in terris qui illam habere videatur.* Quia ergò hæc bona etiam nos à Deo poſcimus, nil mirum ſi iubeat nos ſibi conſtantes adhærere per inſtantiam precum. Sic enim agnoſcere debemus, magna eſſe quæ petimus, & ſi modò non agnoſcimus, agnoſcemus ſuo tempore.

D. III. Vt rectiùs petamus.

Tertiò. Quia ſæpè initio non rectè petimus, quæ dum perſeueramus, tum demum rectè petere incipimus. Ad hunc modum ſemina à ſuperueniente frigore & hyeme ſalubriter retardantur ne excreſcant; ſic enim profundiores agunt radices & ad frugem vberiùs ſurgunt æſtate. Similiter ergo preces noſtræ ſæpè fructuoſè differuntur, vt eas perficiamus ad plus merendum & impetrandum. Simplex aliquis fortè optaret vt ſemina autumno iacta mox ſurgerent in germina & ſpicas: Sed poſteà videret, ſe deceptum eſſe, quòd fruges vel nullæ vel modicæ prouenirent: Sic quia initio orationis ſæpè imperfectè oramus, ſi ſtatim audiremur, parum obtineremus vel mereremur. Vnde Sapiens *Eccleſiaſt. 7.* ait: *Melior eſt finis orationis quàm principium.* Hoc S. Auguſtinus *in l. ſoliloq.* precatur: *Deus vniuerſitatis conditor, præſta mihi primùm vt bene te rogem; deinde vt me agam dignum quem liberes; poſtremò vt liberes.*

E. IV. Vt melius probemur.

Quartò. Quia ſæpe non expedit ſtatim dare. Abacuc prophetiam ſuam inchoat eiuſmodi querelâ: *Vſquequò Domine clamabo & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens & non ſaluabis?* Sed audi quid S. Hieronymus ſcribit in illum locum: *Quomodo ſi ægrotus æſtuans febribus,* inquit, *aquam frigidam poſtulet & dicat ad medicum: vim patior, crucior, vror, exanimor, vſquequò medice clamabo & non exaudies me: Et reſpondeat ei ſapientiſſimus ac clementiſſimus medicus: ſcio quo tempore dare debeam quod poſtulas: & non miſereor modò, quia miſericordia iſta crudelitas eſt & voluntas tua contra te petit. Ita & Deus noſter, ſciens clementiæ ſuæ pondera atque menſuras, interdum non exaudit clamantem, vt eum probet & magis prouocet ad rogandum & quaſi igne excoctum iuſtiorem & puriorem faciat.* Hinc S. Auguſt. *l. 1. de ordine c. 10.* ait: *Satis mihi ſunt vulnera mea, quæ vt ſanentur penè quotidianis fletibus rogans, indigniorem tamen eſſe me: qui tam citò ſaner, quàm volo, ſæpe memetipſe conuinco.*

F. V. Vt excitet in nobis maiorem feruorem.

Quintò. Vt excitet in nobis maiorem appetitum, & feruorem deuotionis magis accendat, quo nos bonorum dandorum capaces reddat, eaque det abundantiùs. De primo S. Aug. *tr. 4. in epiſt. Ioannis,* ait: *Sicut ſi velles implere aliquem ſinum & noſti quàm magnum ſit quod dabitur, extendis ſinum vel ſacci vel vtris vel alius rei, vt extendendo facias capaciorem: Sic Deus differendo petitionem extendit deſiderium; deſiderando extendit animam, extendendo facit capacem eorum, quæ oculus non vidit & auris non audiuit.* Rurſum idem S. Pater *ſerm. 5. de verb. Dom. Seruat tibi Deus,* inquit, *quod non vult citò dare, vt & tu diſcas magna magnè deſiderare.* Antigonus Macedonum rex Traſillo Cynico petenti drachmam: *non eſt,* inquit, *munus regium.* Cynico ſubijciente: *Talentum ergò da; At non eſt,* inquit, *Cynicum tale munus accipere.* Similiter Deus noſter vult nobis magna & ſe digna dare, ſed non ſumus nos ſtatim capaces aut digni tantorum bonorum. Tales ergò fieri per dilationem & exercitationem deſiderij debemus. 1.

Secundò. Vt ſic creſcente in nobis deuotione, abundâtiùs nobis det. Vt enim qui puteum fodit, quantò altiùs fodit, tantò plus inuenit humoris & aquæ: ita quo plus in petendo perſeueramus, tantò plus tandem obtinemus. Patet in hodiernâ parabolâ Euangelij, vbi pauper ab amico tres panes tantum petijt: cùm verò perſeuerauit petere, obtinuit quotquot habuit neceſſarios. Patet in Chananæa, quæ filiæ tantùm liberationem petierat; vbi verò inſtitit petendo, nõ tantùm obtinuit quod petijt, ſed prætereà magnam à Chriſto laudem obtinuit: *Mulier, magna eſt fides tua.* Vnde optimè Auguſtin. ſer. 27. de verbis Dom. ait: *Non accipimus aliquando, vt meliora quàm petimus accipiamus.* 2.

G. VI. Vt probet noſtram fidem & patientiam.

Sextò. Vt probet noſtram fidem & patientiam; num fortè impatientiâ aut infidelitate victi remedia quæramus vijs illicitis & iniuſtis. Quomodo probaturis, qui ſuſci-

pi in aliquam religionem petit, num ſeriò & conſtanter velit ſæculo renuntiare? Sic Dominus Chananæam diſtulit *non vt eam repelleret*, inquit S. Chryſoſtomus *hom. de profectu Euangelij, ſed vt patientiam mulieris omnibus monſtraret. Nam ſi propter repulſam diſtuliſſet, neque tarde ei donaſſet: & nos minime agnouiſſemus mulieris ab initio vſque ad finem fortitudinem. Dimitte eam inquiunt, quia clamat poſt nos. Vos auditis vocem, ego mentem video; ſcio quid dictum ſit: Nolo theſaurum mentis ſuæ occultum permanere, ſed expecto & ſileo vt omnibus manifeſtetur & omnibus clarus fiat.* Sic ille. Pudefacit ergo nos gentilis illa mulier, ſi ob dilatas petitiones, victi impatientiâ deficiamus, ad inſtar Leopardi, qui niſi ſecundo vel tertio ſaltu prædam apprehendat, illicò deſperat & perſequi eam deſinit. Quomodo pudefient in illa die Chriſtiani, qui morborum aut ſimilium tribulationum impatientiâ victi, quòd non ilicò ſint auditi, ad magica & diabolica confugerunt remedia? Non ſanè ita Iob, qui dixit: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo, c.* 13.

H. VII. Vt nos ſecum loquentes diutiùs retineat.

SEPTIMÒ. Vt nos ſecum diutiùs loquentes retineat. Audi Chryſoſtomum hom. de profectu Euangelij: *Si differt aliquando Dominus*, inquit, *non id odio facit, neque te auerſatur, ſed differendo te ſecum diutiùs ſeruare vult; ſicut & patres filios indulgentiùs amantes, quo illos diutiùs apud ſe detineant, quos deſides vident, debitâ operâ morantur aliquid daturi*, ſic Chryſoſtomus. Ex hac cauſa videtur Dominus diſtuliſſe cæcum illum clamantem, *Ieſu fili David miſerere mei. Luc.* 18. Cùm enim increpatus, ipſe multò magis clamaret, *fili David miſerere mei*; tum demum ſtans Ieſus iuſſit illum adduci ad ſe & interrogauit eũ, *quid vis vt faciam tibi?* & confeſtim reddidit ei viſum. Nimirum placuit Chriſto perſeuerans illa oratio, ſuauiſſimam faciens mentionem patris Chriſti, Dauidis, velut miſericordiſſimi & manſuetiſſimi regis, viri ſecundùm cor Dei: & propterea in eius gratiam ſtetit & iuſſit eum ad ſe adduci, fecitque ei poteſtatem petendi quod vellet. O magnam perſeuerantis orationis potentiam! Fecit aliquando Ioſue ſtare ſolem illo verbo: *ſol contra Gabaon ne mouearis*. Sed oratio cæci perſeuerans ſtare fecit ipſum ſolis factorem.

I. VIII. Vt talione nos puniat.

OCTAVÒ. Quid ſi denique talione te puniat Deus, dum diu petentem differt, qui & ipſe diu ſæpe monentem diſtuliſti? Certè Iſaias *c.* 27. ait de vineâ Domini: *In menſura contra menſuram iudicabit eam.* Et Dominus *Matt.* 7. *In quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis.* Cogitet quiſque ſecum, quoties fortè monentem, rogantem vel præcipientem agere pœnitentiam vel hoc aut illud bonũ, diſtulerit. *Ego enim ſto ad oſtium & pulſo*, ait Dominus, *Apoc.* 3. Etſi tardè ei aperuiſti: ne mireris, ſi & ipſe tibi multoties pulſanti, tardiùs aperiat. Hanc ob cauſam Ioſeph diu preſſit fratres & tanquam alienum atque auerſum ſeſe eis exhibuit; quia & ipſi priùs deprecantem ſe non audierant. Vnde demum huius culpæ memores, ad ſe inuicem dicebant: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiã animæ illius, dum deprecaretur nos & non audiuimus. Idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio. Gen.* 42. Pari iure nos quia fratrem noſtrum, Saluatorem, deprecantem nos ſæpe non audiuimus, idcircò non eſt mirum ſi veniat ſuper nos grauis tribulatio & non audiamur ſtatim orantes.

Eadem talionis pœnâ animaduertet aliquando in impœnitentes, qui ſæpiùs hortantem nũquam audierunt, ſed in ſuâ pertinaciâ perſtiterunt: quod teſtatur Iſaias *c.* 28. *Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* Hoc videlicet impij dixerunt Domino monenti eos per Prophetas. Sed quid reſpondebit illis Dominus? Audi quod ſubiungitur: *In loquelâ enim labij & linguâ alterâ loquetur ad populum iſtum, &c. Et erit eis verbum Domini: manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: vt vadant & cadant retrorſum & conterantur & illaqueentur & capiantur.* Quia ergo impœnitentes hoc domino reſponderunt: reſpondebit idipſum eis Deus per omnem æternitatem, quando clamabunt: *Domine, Domine aperi nobis. Manda remanda: expecta reexpecta, modicum ibi.* Sed ô quale modicum? Quàm exiguum eſt modicum, quod nos hic expectamus donec audiamur in noſtris orationibus, ſi cum illo comparetur; Triginta & octo annis iacuit prope piſcinam languidus ille, donec tandem à Chriſto curaretur, *Ioan.* 5. Multum hoc exiſtimamus ſed nónne modicum eſt ſi cum illo æterno comparetur? Itaque licet multis annis in ægritudine & doloribus, in paupertate & nuditate, in fame & penuriâ, in afflictione & perſecutione detinearis & inſtes orationibus, vt hac cruce libereris, nec tamen audiaris, noli murmurare, noli deſperare: imò noli admirari; modicum adhuc tempus eſt, quo pateris: tandem aliquando audieris; eſt enim qui vocanti reſpondeat & pulſanti aperiat.

O quantum ergò lætari debemus, quòd hîc aperire per orationem poſſumus oſtium miſericordiæ diuinæ! quàm ſedulò incumbere orationi! quàm patienter ferre! licet non quàm primùm audiamur! Sufficit nobis vel in vltimo ſpiritu audiri, tandemque aperto cœleſtis patriæ oſtio admitti ad panem illum, de quo dixit quidam: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Luc.* 14.

CONCIO V.

Multiplex orandi neceſſitas.

Ad orandum impellit & vrget.

1. *Neceſſitas Eccleſiæ, & ideo orandum* Sanctificetur nomen tuum.
2. *Neceſſitas corporalis, vnde orandum:* Adueniat regnum tuum.
3. *Cæcitas & ignorantia noſtra, vnde orandum:* Fiat voluntas tua.
4. *Suſtentatio vitæ noſtræ, vnde orandum:* Panem noſtrum.
5. *Facilitas ad peccandum.*
6. *Periculum in eligendo ſtatu: vnde orandum,* Et ne nos inducas, &c.
7. *Pericula corporalia.*

THEMA.

Amicus meus venit de via ad me & nõ habeo quod ponam ante illum. Luc. 11.

A. INTER alias epiſtolas, quas ad ſeptem Epiſcopos minoris Aſiæ ſcribit ex Inſulâ Pathmos S. Ioannes *in Apoc.* ad Epiſcopum Laodicię ita ſcribit c. 3. *Dicis, quòd diues ſum & locupletatus & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis & pauper & cæcus & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum vt locuples fias.* Habet iſte Epiſcopus vſque in hodiernum diem multos diœceſanos, qui idipſum ſentiunt & cum ipſo dicunt: *Diues ſum*, doctus ſum, iuuenis ſum, ſanus & robuſtus ſum, liber ſum *& nullius egeo.* Atque idcircò nunquam penè orant, quia nullam in ſe agnoſcunt egeſtatem; vnde orationes ad Carthuſianos & Franciſcanos ablegant, ſibi neceſſarias non ducunt. Sed interim reuerà miſeri ſunt & miſerabiles & pauperes & cæci & nudi, tam in corpore quàm in animo: & omnes egẽnt gratiâ Dei omnibus penè momentis. Quid igitur ipſis faciendum? Suadeo vt emant à Deo aurum diuinæ gratiæ ignitum & probatum, vt verè locupletes fiant. Emitur autem per orationem dum in eâ non noſtra ſed Chriſti merita allegamus & quaſi pretium offerimus, cùm per ipſum & in eius nomine oramus. Imò emimus, ſecundum S. Greg. Nazianz. *in orat. in ſanct. baptiſma*, dum noſtrum etiam deſiderium & petitionem Deo offerimus; tam bonus enim & munificus eſt dominus vt petitionem imò deſiderium tantùm noſtrum velut pro pretio accipiat & pro eo gratiam nobis vendat. *Appetitionem ipſam*, inquit ipſe, *Deus ingentis pretij loco habet, ſitit ſitiri, bibere cupientibus potum præbet, cùm à Deo beneficium petitur, beneficio id ducit, &c.* O mercatũ bonum! Venite ô Chriſtiani, *emite abſque argento & abſque vlla commutatione*, inquit Iſaias c. 55. Quod vt faciatis, oſtendam vobis priùs indigentiam, miſeriam, paupertatem, cæcitatem & nuditatem veſtram, vt tantò libentiùs ematis.

B. 1. Vrget Eccleſiæ neceſſitas.

PRIMÒ. Ad orandum impellit Eccleſiæ neceſſitas. Tametſi enim Eccleſia vniuerſalis certam & infallibilem habet à Chriſto promiſſionem ſtabilitatis, non tamen habet Eccl. ſia particularis, huius vel illius loci, v. g. Eccleſia Germaniæ noſtræ. Sicut enim Eccleſia Græcorum, Anglorum, Saxonum & ſimiles priùs à Deo dilectæ & tot Sanctis viris corruſcantes interierunt, ab hæreticis & Turcis occupatæ: ita contingere etiam Germaniæ noſtræ poteſt. Et quomodo id impedire poſſemus, ſi Deus à nobis recedere & fidem ſuam aliò transferre vellet? Sanè licet omnes Epiſcopi aſſiduò vigilarent & clamarent prędicando & hortando & vitæ exẽplo præeundo; licet principes arma cogerent & exercitus colligerent: non poſſent ſaluare fidem in aliquâ natione, niſi Deus daret; quemadmõdum & Hebræi poſt reditum è captiuitate Babylonica reſtaurantes ciuitatem Ieruſalẽ & domum Dei, licet vnâ manu ædificarent & alterâ tenerent gladium; inſuper etiam cuſtodias agerent contra hoſtes, impedire volentes opus eorum: niſi tamen ad hæc omnia iunxiſſent orationem & oraſſent Deum ſuum, vt habetur 2. *Eſdr.* 4. nihil effeciſſent; ſiquidem propter orationem eorum diſſipauit Deus conſilium hoſtium. Vnde de hoc propheticè dictum eſt in *Pſ.* 126. *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam.* Quod idem de Eccleſia dicere poſſumus: Licet Epiſcopi vigilent & clament, non poſſunt tamẽ cor penetrare & mouere: licet principes gladium teneant & cuſtodias agant, fruſtrà laborant ſine Dei cuſtodia; quia fides eiuſque obſeruatio donum Dei eſt. Quid igitur ſupereſt, niſi vt oremus & ad Deum clamemus: *Sanctificetur nomen tuum?* hoc eſt, da vt nomen tuum quod in ſe ſanctum eſt & glorioſum, habeatur ſanctum ab omnibus hominibus, vt exponit S. Aug. *l. 2. de ſer. Dom. in monte c.* 10. ſiue, vt ſancti nominis tui honor & cultus veraque fides in terrâ noſtrâ conſeruetur, ſiue vt hæretici conuertantur & ſanctum Dei nomen agnoſcant & colant. Quid enim faciunt nauigantes in maximâ tempeſtate, niſi ad Deum clament, & cum diſcipulis naui periclitantibus Chriſtum excitent: *Domine ſalua nos perimus?* Quod tantò magis nunc faciendum nobis, quantò grauiori tempeſtate iactatur nauicula Eccleſiæ Germanicæ: & quò grauiora ſunt peccata noſtra, ob quę meremur à Deo deſeri. Quando Dominus finxit ſe receſſurum à diſcipulis euntibus in Emaus, illi coëgerunt eum manere dicentes: *Mane nobiſcum Domine.* Qui ſanè niſi per orationem, cogere eum nullatenus potuiſſent, *Luc. vlt.* Videtur profectò iam ab aliquot annis recedere velle Chriſtus à Germaniâ & longiùs ire ſuamque hinc fidem aliò transferre. Quomodo cogemus eum vt maneat nobiſcum, niſi oremus & clamemus: *mane nobiſcum Domine?* ſola enim eſt oratio, quæ tenere Deum poteſt, quemadmodum & tenuit illum oratione ſuâ Moyſes in monte Sinai, ne peccantem populum, & ſaltantem coram vitulo penitus deleret, Exod. 42.

Ideò orandum Sanctificetur nomen tuũ.

Compellit & neceſſitas ſanctificandi Deum in animâ noſtrâ per bona opera, & glorificandi eum per virtutum exercitia. Atqui poſt lapſum hominis perſeuerat in nobis ſpiritualis illa maledictio, vt non niſi in ſudore vultûs noſtri operemus panem virtutum: & non niſi in dolore, id eſt, cum difficultate magna pariamus opera virtuoſa, quæ priùs cum delectatione peperiſſemus, quia tunc virtus appetitui noſtro erat connaturalis & proportionata, vnde & caro noſtra, quæ tunc fructum bonorum operum protuliſſet, nunc ſpinas & tribulos germinat nobis. Quòd ſi non expeditè & hilariter peragamus opera bona, nihil meremur. Quid igitur ſupereſt, niſi vt clamemus ad Deum & oremus. *Sanctificetur nomen tuum*, id eſt, *glorificetur in nobis per confeſſionem & bona opera?* vt exponit Greg. Nyſſ. *de orat.* Quid enim faciamus aut facere poſſumus, cùm diu terra noſtra pluuiâ caruit: nónne proceſſiones inſtituimus vt

vt pluat? ſimilis eſt terra carnis noſtræ, quæ ſine pluuia gratiæ non profert opera virtutum. Vnde Salomon, *Sap.* 8. ait: *Vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, adij Dominum & deprecatus ſum illum.* Et Dauid velut terra arida petit imbrem gratiæ à Deo *Pſ.* 142. *Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi: Velociter exaudi me Domine.* Nimirum ſicut terra ſine aqua neque veſtitur herbis, neque ornatur floribus, neque producit fructus, ſed eſt inanis & vacua: ſic anima ſine gratia Dei nec virtuoſas habet cogitationes, nec ſermones ſanctos, nec bonas operationes.

C. II. Vrgent neceſſitates corporales. *Vnde orandum: Adueniat regnum tuum.*

SECVNDÒ. Compellit etiam ſæpe neceſſitas corporalis, vti in deſolationibus, oppreſſionibus, morbis deſperatis, & ſimilibus vbi humanum deficit auxilium. Et quàm facilè hæc nobis euenire poſſunt? & quoties eueniunt? Quid tunc ſupereſt cùm hominum ope deſtituti, terram & regnum mundi relinquere cogimur, niſi vt conuertamus nos ad Deum & dicamus: *Adueniat regnum tuum?* Sic Ezechias auditâ mortis ſententiâ conuertit ſe ad parietem & fleuit, deprecatuſque eſt Dominum & impetrauit adhuc 15. annos. Quid dicitur reo iam iudicato & ad ſupplicium ducto? noli ampliùs ſupplicare, dicitur, noli ampliùs de vita aut auxilio humano cogitare; moriendum tibi eſt, de Deo nunc cogita: id ſolum tibi ſupereſt. Similiter ſiquis è turri cadens pendulus hæreret in media turri fragili è ligno: quid iſti ſupereſſet, niſi vt Deo ſe commendaret & eum propitium ſibi in alterâ ſaltem vitâ redderet; Modò omnes nos morti dudum adiudicati ſumus & hanc vitam deſerere neceſſariò debemus: quin etiam quotidie ad mortem illam paſſum facimus, & neſcimus quando ad metam peruenturi ſimus. Quid igitur ſupereſt, niſi vt ſemper oremus: *Adueniat regnum tuum*, id eſt, quandoquidem regnum mundi neceſſariò deſerendum eſt, & iuuare me non poteſt, tu Domine adiuua me vt ſaltem in regno tuo locum habeam. Hoc conſiderans bonus latro, quòd ſcilicet paulò poſt moriendum ſibi eſſet, ipſeque per omnia ligatus, ſolam linguam liberam haberet, orare incepit, vt ſaltem in regno Chriſti locum inueniret: de rebus huius mundi nullam cogitationem habuit.

Impellit fragilitas & inconſtantia noſtra; quantumcunque enim vallati ſimus virtutibus, diſciplina regulari, muris monaſterij, ſolitudinis aſperitate, ſcientiâ diuinarum literarum, &c. facilè nihilominùs excidere à Dei gratia & regno poſſumus, & excidunt quamplurimi. Quod ipſi regi Sauli contigit, qui priùs placuerat Deo, poſteà diſplicuit & abiectus eſt. Quid igitur ſupereſt, niſi vt ſemper oremus & clamemus cum Dauide: *Ne proijcias me à facie tuâ & Spiritum S. tuum ne auferas à me?* Quid niſi illud: *Adueniat regnum tuum.* hoc eſt, ne patiaris nos excidere à regno tuo? Quid enim agit mercator, qui omnem ſuam fortunam & ſubſtantiam miſit in Indiam ad comparandas & aſportandas merces, ſi præſertim tardet venire nauis ipſius: quid agit, niſi quòd continenter orat: ô ſi veniret nauis mea! ô ſi ſalua & incolumis appelleret ad portum! Poteſt enim optimè dicere: *Memento mei Domine, quoniam ventus eſt vita mea*; ſiquidem vna tẽpeſtas, vnus ventus perdere ipſum poteſt. Pari modo dum in naui gratiæ Dei vehimus omnem fortunam noſtram, & interim ea inter huius mundi fluctus valde periclitatur: vbi & plurimæ, etſi robuſtiſſimæ, naues pereunt: quid ſupereſt niſi vt ſemper oremus, ne pereat noſtra nauis, ne excidamus à Dei gratia? ſic enim dixit Dominus *Luc.* 18. *oportet ſemper orare & non deficere.* Et S. Auguſtinus *l. 2. de bono perſeuerant. c.* 16. ait, Deum alia dona dare etiam non orantibus, ſicut initium fidei; alia non niſi orantibus, præparaſſe, ſicut vſque in finem perſeuerantiam.

D. III. Vrget cæcitas & ignorantia noſtra.

TERTIÒ. Compellit noſtra cæcitas & ignorantia in quam incidimus, dum quid agere debeamus in ſingulis penè rebus ignoramus, malum pro bono habemus & vitium pro virtute, falſa pro veris amplectimur & velut in ſylua Hercinia oberramus; vnde poſteà nos pœnitet factorum, cùm deceptos nos videmus. Sic enim *Sap.* 9. dicitur: *Cogitationes mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Ratio, quia Dei prouidentiæ eſt dirigere actiones hominum & ipſe ſolus nouit euentus futuros. Quoties nobiſcum ipſi pugnamus & deliberamus quid facere expediat? Et ſæpe nemo hominum conſulere nobis poteſt. Quid igitur ſupereſt niſi vt oremus & dicamus: *Fiat voluntas tua?* Sic enim Ier. 33. dicitur: *clama ad me & exaudiã te & annũtiabo tibi grandia & firma quæ neſcis* Et 2. *Par.* 20. Ioſaphat cinctus ab hoſtibus Rex ait: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Quo facto inſignem de hoſtibus victoriã reportauit. Hac de cauſa Eccleſia ante omnes horas canit (& in prima diei hora quater) *Deus in adiutorium meum intende.* Et ſic ante omnes actiones, orandum eſſe vult Caſſianus. Rurſum in eadem prima orat Eccleſia: *Sit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos & opus manuum noſtrarum dirige.* Sic Moyſes orauit Dominum vt præcederet in deſerto, alioqui non proceſſurus cum populo, *Exod.* 33. Cùm enim non ſufficiat lumen intellectus noſtri: debet à lumine alio intendi, & quaſi columnâ ignis præeunte duci. Solus autem Deus eſt pater luminum à quo omne bonum, *Iac.* 1. Quemadmodum ergò puer paruulus quem deſerit nutrix & ſinit ire ſolùm, paulò pòſt cadet, vel in forum procedens incidet in occurſum equorum vel vaccarum & neſciet fugere vel redire in domum. Ita ſi Deus nos permittat ire ſolos, ſtatim cadimus & noſipſos perdimus. Ita Roboam ſequens iuuenes ſcidit regnum ſuum: Achab ſequens pſeudoprophetas loquentes ei placita, iuit ad bellum & perijt. Quid ergò faciat talis paruulus ſibi relictus in foro, niſi vt ploret & nutricem aduocet. Hoc agnouit Salomon, cùm ait: 3. *Reg.* 3. *Ego ſum puer paruulus ignorans egreſſum & introitum meum, Dabis ergò ſeruo tuo cor docile, &c.*

Vnde orandum: Fiat voluntas tua.

Com-

Compellit etiam naturæ noſtræ imbecillitas, vt iam non niſi difficillimè facere Dei voluntatem poſſimus eiuſque præcepta ſeruare. Etenim humana natura homo ille eſt qui deſcendit ab Ieruſalem in Iericho & incidit in latrones, qui deſpoliauerunt eum & plagis impoſitis reliquerunt iacentem ſemiuiuum. Spoliatus enim originali iuſtitia incidit in mille miſerias & hoſtes, quibus reſiſtere nequit naturâ ſauciatâ, carne rebellante ſpiritui, &c. Vnde non poteſt ex ſe tanquam ex ſe agere vel loqui vel cogitare aliquid, quod Deo ſit gratum, neque dicere, *Dominus Ieſus*: niſi adiutus à Spiritu S. Nec poteſt ſine Dei gratia ſeruare, ſaltem diu, omnia Dei præcepta naturalia, & vitare omnia peccata mortalia: tametſi poſſit ſingula. Vnde exclamat Apoſtolus *ad Rom.7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Reſpondet autem: *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quòd ſi igitur tam miſeri & imbecilles ſumus, quid ſupereſt niſi vt ad Deum clamemus & dicamus: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terrâ.* Hoc enim verbo oramus vt poſſimus facere voluntatem Dei & obedire omnibus mandatis eius, ſeu *vt fiat voluntas Dei in nobis*, vt ait B. Cypr. *in expoſ. orat. Domin.* Quid enim aliud facere poſſet ſaucius ille, qui à latronibus relictus eſt: cùm ipſe ob debilitatem & vulnera ambulare nequiret, niſi vt prætereuntes inuocaret, à quibus tolleretur in dorſum vel equum & ferretur ad hoſpitium; Ita niſi nos adiuuemur à Dei gratia, voluntatem eius facere, longiori ſaltem tempore, non poſſumus: & tamen interim iubemur omnia Dei mandata ſeruare. Quid igitur ſupereſt, niſi vt aſſiduò clamemus cum S. Auguſtino: *Domine da quod iubes & iube quod vis?* Seu vt tollat nos in iumentum gratiæ ſuæ, vti Samaritanus.

E. IV. Vrget vitæ noſtræ ſuſtentatio.

QVARTÒ, Compellit vitæ noſtræ ſuſtentatio. Licet enim nos terram aratro proſcindamus, ſemen iaciamus & agrum rigemus, nihil proficiemus, niſi Deus faciat creſcere ſegetem. Quia teſte Apoſtolo, *neque qui rigat eſt aliquid, neque qui plantat, ſed qui incrementum dat Deus.* Ipſe *aufert* (id eſt in altum tollit) *ſtillas pluuiæ & effundit imbres ad inſtar gurgitum, &c. In manibus abſcondit lucem & præcipit ei vt rurſus adueniat*, (Chald. *deſcendat propter orantem*) ait Iob c. 36. Et ſicut Chriſtus dixit: ipſe *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Quis ſereno tempore ſic citatis omnibus ſuis artibus & incantationibus educere de cœlo poteſt pluuiam? quis tempore pluuioſo claudere cataractas cœli? Nemo prorſus. Ad Deum confugimus, alium ad quem confugiamus, non habemus. Quid igitur ſupereſt niſi vt oremus & clamemus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie?* Quid agere debet equus ad præſepe alligatus, & à cuſtode ſuo deſertus, pabulo & potu deſtitutus niſi vt crebro hinnitu ac pedum pulſu famem ſuam prodat & quempiam vocet à quo paſcatur? Quid pullus hirundinis aut columbæ cùm nec plumas nec alas habet, nec vllo modo cibum quærere per ſe poteſt, parentibus venire tardantibus? Quid ei ſupereſt, niſi vt repleat aërem clamoribus? & querelis ac gemitibus viſcera parentum pulſet? Nunc verò nos velut pulli ſumus, qui à Deo expectamus vt det nobis eſcam in tempore. Ita rex Ezechias Iſ.38. *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo*, inquit, *meditabor vt columba.* Quanta igitur orandi neceſſitas nobis incumbit: Accedit, quod licet quis abundet temporalibus, ſi tamen Dei benedictione careat, nihil ei ſufficiet. Qui mercedes congregauit, mittet eas in ſacculum pertuſum: inferet in domum & dominus exufflabit illud. *Agg.1.*

Vnde orandum: Panem noſtrũ &c.

Compellit etiam animæ ſuſtentatio, quæ ſine pane ſpirituali verbi Dei vitam degere diu nequit: quia *non in ſolo pane viuit homo*, inquit Dominus, *ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Ad huius verò penum claues habet Deus, & cùm grauiſſimè vult punire, panem illum ſubtrahit. Ac licet pleriſque offerat hunc panem per manus prædicatorum, non tamen omnibus dat appetitum, vt panem hunc arripiant, maſticent, ruminent, digerant & in ſui naturam conuertant, indeque confortentur & creſcant. Etenim concionator poteſt aperire aures, ſed Deus habet claues cordium, ſine cuius gratia cor non penetratur à verbo Dei, non aſſentitur, non obedit: ſed aure audit & non intelligit, &c. Sic enim licet angeli prædicerent Lotho excidium ciuitatis & cogerent ac hortarentur ad exeundum ſi ſaluus eſſe vellet: nihilominus adhuc diſſimulabat & moras nectebat, donec apprehenderunt manum eius & eduxerunt illum, *Gen.19.* Non enim ſapiebat hoc verbum Lotho, cupiebat manere in domo ſuâ, cum ſupellectile ſuâ; ſiue vt eam ab incẽdio eriperet, vt vult Rupertus, ſiue vt oraret Deum pro vrbis conſeruatione, vt vult Abulenſis. Idipſum fit cum plurimis, qui verbum Dei quidem audiunt, ſed illo nihil mouentur, quia vel non ſapit illis, vel plus ſapiunt eis bona terrena: atque ita verbum Dei non mandunt, nec inde quidquam proficiunt. Quid igitur ſupereſt, niſi vt clament ad Deum: *Panem noſtrum* ſpiritualem *quotidianum da nobis hodie*: Non vtique vt videamus aut guſtemus tantùm, ſed vt edamus, maſticemus, ruminemus, in nos vertamus, indeque creſcamus. Atque hinc fit, vt ante concionem oratio præmittatur: quâ appetitus verbi Dei in nobis excitetur.

F. V. Vrget noſtra ad peccandũ facilitas.

QVINTÒ. Compellit etiam quotidiana noſtra inconſideratio & facilitas ad peccandum. Cùm enim quotidie ante oculos Dei peccemus & ſæpiſſimè in eadem mox peccata recidamus: quando oculos ad Deum erigimus, & inſpectorem noſtrum cernimus, an non cauſæ ſatis habemus, cur quotidie & ardentiſſimè oremus: Quid enim facis cùm fortè coram honoratis aut religioſis viris indecens aliquid per inconſiderationem locutus es, aut verbo minùs prouido virum grauem offendiſti, quem abſentem putaſti, poſteà verò præſentem cernis: nónne ſtatim veniam precaris & honorem illi reſtituis verbumque tuum corrigis & parci

parci tibi oras, maximè cùm iam ſemel condonatâ culpâ eandem repetis? Nunc verò totâ die peccamus ante oculos Dei perpetui inſpectoris noſtri, & dimiſſa dudum peccata toties repetimus; an non igitur neceſſarium ducimus, vt quoties cogitatione, verbo vel opere nos offendiſſe recordamur, & noſipſos reflectimus offendiſſe Deum Iudicem præſentem & omnia contemplantem, toties percutiamus pectus & dicamus: O quid feci? Parce mihi Domine; *Et dimitte nobis debita noſtra.* Quid enim faceret publicanus in templo coram Deo conſtitutus, niſi vt demitteret oculos, tunderet pectus & oraret: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Quid ageret Dauid de adulterio à Nathan conuictus, niſi vt fleret & clamaret: *peccaui Domino.* Quid ageret ſeruus, à domino in furto deprehenſus, niſi vt procidens veniam precaretur. Quod cum nobis quotidiè eueniat: nónne vrgentiſſimam habemus orandi cauſam.

Compellit immenſitas debitorum noſtrorũ ſeu peccatorum, quorum partim eſt ingens numerus: partim maxima grauitas. Horum multa vel non ritè confeſſi ſumus, vel ex ignorantia culpabili non agnoſcimus pro peccatis, vel ſumus obliti, vel ſi confeſſi ſumus, debitam pro eis ſatisfactionem ob corporis infirmitatem, impotentiam, &c. peragere non poſſumus. Quid igitur nobis ſupereſt, niſi vt cum ſeruo illo debitore decem millium talentorum, venundari iuſſo, procidẽtes ante creditorem noſtrum dicamus: *Patientiam habe in me?* ſeu illud: *Dimitte nobis debita noſtra?* Quando enim fodere non valemus, corpus affligendo per ieiunia, cilicia, peregrinationes fortè ob teneritatem vel infirmitatem; quando facere nobis amicos non poſſumus de mammonâ iniquitatis, quia ipſimet indigemus: quid aliud ſupereſt, niſi vt mendicare apud Deum non erubeſcamus, vt remittat nobis debita. Quid niſi vt dicamus cum Iob: *Domine non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia ſi volueris contendere mecum, non reſpondebo tibi vnum pro mille.*

G. VI. Vrget periculum in eligendo ſtatu.

Sextò. Compellit periculum in eligendo ſtatu, vitæ ratione, munere, loco, &c. Fieri enim plerumque ſolet, vt qui vocationi Dei ad certum ſtatum, non obediunt, ſed alium ſibi pro libito eligunt, in eo pereant: contrà verò rariſſimè pereat, qui ſtatum ad quem vocatus eſt amplectitur. Ratio: quia non omnium humeri, omni ſufficiunt oneri: & ſi tuapte culpâ grauius tibi onus imponas, tibi ipſi imputa, ſi illi ſuccumbas. Deinde liberum eſt Deo ponere te in hoc vel illo ſtatu, magis vel minus periculoſo, religioſo vel ſæculari, prælaturæ vel ſubiectionis, publico vel priuato; & licet in omni ſtatu ſufficiens præbeat auxilium nihilominus tamen in vno maius eſt periculum; pronior, certior ad damnationem via quàm in altero. Vnde fit ſæpe vt in religione aliquis damnetur, qui in ſæculo ſaluatus fuiſſet, & contrà in hoc officio vel loco pereat, qui in alio non periiſſet. Poteſt autem Deus quemlibet conſtituere in ſtatu quo vult, quia cuique ſufficiens impertit auxilium, nec tenetur conſtituere in ſecuriſſimo. Sicut enim Dux poteſt conſtituere milites in fronte prælij quos vult, vti Vriæ fecit Dauid (licet in hoc aliunde peccarit) & quos vult in fine. Quid igitur in hoc dubio & periculo ſupereſt niſi vt oremus importunè. *Et ne nos inducas in tentationem:* ſic filio ſuadet Tobias: *pete ab eo* (Deo) *vt vias tuas dirigat.* Quia enim ſolus Deus nouit, quo loco, ſtatu, conditione, ſimus bene victuri & perſeueraturi: ideò rogandus vt arceat nos à ſemitis, in quibus nouit nos damnandos.

Præterea compellit multiplex peccandi periculum & tot laqueorum euitandorum difficultas. Militia enim eſt vita hominis ſuper terram & continua colluctatio aduerſus nequitias ſpirituales, aduerſus mundum, & propriam carnem. Diabolus nunquam ferè non tentat, & tam grauiter & multipliciter vt proprijs viribus diutiùs ſaltem reſiſtere nequeamus. Vnde Dauid *Pſal.* 93. ait: *Quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem: niſi quia Dominus adiuuit me, paulò minus,* id eſt paulò pòſt, *habitaſſet in inferno anima mea.* Et iterum Pſal. 21. *aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut Leo rapiens & rugiens:* quos niſi cohiberet & impediret Deus, tentationibus nos opprimerent. Quid ſupereſt igitur, niſi vt clamemus cum Dauide: *ſalua me ex ore Leonis.* Et cum Tobia, quando piſcis eum deuorare conabatur, *Domine inuadit me.* Mundus etiam plenus eſt ſcandalis & muſcipulis, vt in eo verè *in medio laqueorum,* ſicut dixit Eccleſiaſticus *cap.* 9. ingrediamur: & mors vndique aſcendit per feneſtras ſenſuum noſtrorum. Inter tot laqueos, quid ſupereſt, niſi vt perpetuò vigilemus, ſuper cuſtodiam noſtram ſtemus, & ad quemuis paſſum quodammodo oremus & clamemus cum Dauide: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem: pone Domine cuſtodiam ori meo & oſtium circumſtantiæ labijs meis.* Quando Noë ingreſſus fuit arcam, *incluſit eum Dominus deforis,* Gen. 7. ſeu vt Hebræa habent: *clauſit Dominus pro eo,* videlicet oſtium contra impetum vndarum, bitumine id obliniendo: quis enim alius id facere potuiſſet. Similiter dum in corpore, velut in naui, ſumus inter mundi huius fluctus, quomodo claudere ſenſus omnes poſſumus contra tot illecebras tam blandientes, niſi Dominus id faceret. Caro etiam noſtra, veluti vortex quidam perpetuò nos gyrat & in abyſſum demergere conatur: ipſa velut equus effrænis, currens poſt deſideria ſua abripit nos per multa præcipitia, nec patitur ſe teneri, quia frænum illud aureum iuſtitiæ originalis amiſimus. Vnde Actor operis imperf. *in Matth. ho.* 37. ait: *Sicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur, quò tempeſtas voluerit: ſic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum agit quod non vult, ſed quod diabolus vult.* Et Ambroſius in Pſal. 43. *Hæc omnia venerunt ſuper nos nec obliti ſumus te,* ait: *Quis eſt tam fortis vt nequaquam in tentatione moueatur, niſi dominus adiutor ei aſſiſtat.* Quid faciat verò talis, qui cum naviculâ ſuâ à vortice abſtractus gyratur aliquamdiu

Vnde orandum: Et ne nos inducas, &c.

quamdiu paulò pòſt mergendus: qui currenti per præcipitia equo ſine fræno inſidet, niſi vt clamores edat, Dei hominumque auxilium imploret? In tam multiplici igitur & difficili prælio, nunquid non habemus quod oremus & dicamus: *Et ne nos inducas in tentationem?* Quamdiu Moyſes eleuatis orabat manibus, tamdiu vincebat Ioſue, quando manus remittebat, tunc vincebat Amalec. *Exod.* 17. Ita res habet in conflictu ſpirituali Chriſtianorum. *Hoſtis enim*, vt ait in eum locum S. Chryſoſtomus, *dum oras premitur; dum ceſſas, erigitur. Oratio iugis, infirmitas hoſtis; ille contra ſe tela miniſtrat, qui hoſtem precum inſtantiâ non fatigat.*

H. VII. Vrgent pericula corporalia.

Septimò. Compellunt etiam pericula corporalia quamplurima, infortunia, bella, inſidiæ inimicorum, peſtis, morbi, fames, lapſus ex alto, nauigandi periculum, beſtiarum incurſus, dæmonum infeſtatio, mors repentina, &c. Quę omnia præuidere, cauere & euadere nequaquã poſſumus, niſi Deus nos cuſtodiat per angelos cuſtodes, &c. Quis ſcit, ſi hodiernum diem viuas? Si manè conſurgas? quot in hoc decepti ſunt?

Compellit peccatores ſtatus periculoſiſſimus & dãnationi proximus. Quamdiu enim in peccato letifero perſiſtimus, ſemper rei ſumus gehennæ, ac niſi Deus impediret, angeli boni & mali omneſque creaturæ in nos inſurgerent & perditum nos irent. In huius enim rei ſignificationem, ſerui illi patrisfamilias parati erant ſtatim eradicare zizania de medio iuſtorum & cõburere: *Vis imus & colligimus ea? Matth.* 13. Ipſe gladius diuinæ vindictæ ſuper caput tuum in tenuiſſimo filo fragiliſſimæ vitæ tuæ pendet, quod ſtatim abrumpere poſſet Deus. Quid ſupereſt igitur peccatori, niſi vt inſtanter oret ne filũ illud rumpatur, dicatque cum Dauide: *Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te.* Et cum ſeruo illo dicente: *patientiam habe in me & omnia reddam tibi?* Quid enim faceret is qui ab inimico ſuo pendulus in fune teneretur ſuper puteo profundo pleno ſerpentibus & bufonibus? nõnne ardentiſſimè orare & veniam precari deberet, ne is memor iniuriæ dimitteret funem? Quid ſupererat rebelli & fugitiuo Ionæ in ventre ceti conſtituto, niſi vt oraret & clamaret de ventre inferi ad Dominũ ne à piſce in profundum abyſſi euomeretur? Et quo alio loco putamus eſſe peccatores niſi in ventre, id eſt, poteſtate dæmonis? Et hic libentiſſimè quidem eos in abyſſum inferni deijceret, modò Deus id nõ impediret. Quanta igitur orandi neceſſitas incumbit peccatoribus! clamãdi cum Ieremia: *miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti! Thren.* 3. denique orandi: *Libera nos à malo!*

CONCIO VI.

Diabolus in articulo Mortis de tribus Theologicis virtutibus maximè tentans, repellitur.

1. *Tentat diabolus circa fidem, pro piſce porrigens ſerpentem infidelitatis.*
2. *Circa ſpem porrigens pro ouo ſcorpionem deſperationis.*
3. *Circa charitatem pro pane dilectionis offerens lapidem odij Dei, quibus ſingulis correſpondent ſua remedia.*

THEMA.

Quis ex vobis patrem petit panem: nunquid lapidem dabit illi? Luc. 11.

A. De Fide, Spe & Charitate tentat Diabolus nos & tentauit Chriſt.

Audimus in hodierno Euangelio (quod alibi expoſuimus) cœleſtem patrem porrigere petentibus panem charitatis, ouum ſpei, piſcem fidei: nec dare pro pane lapidem, nec pro ouo ſcorpionem, nec pro piſce ſerpentẽ. Sed eſt alius quiſpiam humani generis hoſtis, qui pro pane Charitatis porrigit lapidem duriſſimum odij Dei, pro ouo ſpei, ſcorpionem deſperationis, extrema caudâ pungentem & necantem; pro piſce fidei, ſerpentem lubricum hæreſeos & infidelitatis. Etenim hæc omnia, ſi animũ aduertamus, porrexiſſe ipſi Chriſto in deſerto ad finẽ ieiunij eius deprehenditur. Lapidem enim imprimis pro pane illi obtulit: ecce odium pro dilectione. Deinde petijt ab illo, vt ſe præcipitaret deorſum: ecce deſperationem pro ſpe. Denique adorari ab eo petijt: ecce idololatriam pro fide. Quæ eadem porrigit hominibus maximè in articulo mortis, vbi de his 3. virtutibus Theologicis, in quibus nouit ſalutem noſtram eſſe poſitam, vehementiùs tentat hominem. Vt enim Pharao filios Iſraël tunc maximè exagitauit, quando ex Ægypto diſcedere in Palæſtinam volebant: ita planè calcaneo noſtro, id eſt, ſupremo vitæ tempori, maximè inſidiatur diabolus: Cæterùm cùm difficile ſit ingraueſcente morbo, illos virtutum actus perfectè elicere, ſi priùs illis non aſſueuerimus, in eis exercere nos debemus paſſim currente vitâ. Vix enim ſerò metitur, quòd manè non eſt ſeminatum. Vix fæliciter pugnat, qui arma non nouit tractare ante conflictum. Audiamus ergò tentationes, & opponamus remedia.

B. I. Tentat circa fidem, porrigens ſerpentẽ pro piſce.

Primò. Tentat circa fidem & pro piſce fidei porrigit ſerpentem infidelitatis aut hæreſis & imprimis doctis, qui circa hæc curioſiùs occupantur aliquando, nec non alijs, qui aliquibus circa fidem ſcrupulis agitantur. Nouit enim curioſos & ſcrupuloſos facilè ſibi aures præbere circa res fidei, & ſicut auceps philomelã inſpectante (quia nouit eam curioſam) ſcrobem fodit & caueam ei præparat, vt ipſa alliciatur ad ſpectandum id quod actum eſt & in caueam incidat: ſic facit etiam ipſe. Exemplum ſcribit Petrus Barochius Epiſcopus Patauinus *l.* 2. *de ratione bene moriendi*, in hæc verba: *Fuere quemadmodum audiui, duo quondam viri eruditiſſimi, & omniumque, qui ex eodem gymnaſio eſſent, in diſputando facilè principes: ac ijdem bene morati maximéque religioſi. E quibus vnus cùm exceſſiſſet è viuis, ei, qui ſuperſtes erat, in ſuâ fortè bibliothecâ ſcripturæ ſacræ ſtudijs incumbenti totus ardens apparuit, territoque, ac quænam ei tam grandis pœna cauſa foret, interroganti; gemens dolenſque reſpondit. Cùm eſſem migraturus è vita, venit ad me hoſtis antiquus, & quoniam apprimè eruditum nouerat, ſciſcitari cœpit, de fide quid crederem. Ego, quæ in Apoſtolorum Symbolo ſunt, credere me reſpon-*

reſpondit. Ille exponi ſibi quædam, quæ minùs lucida viderentur, rogauit. Expoſui vt in Symbolo Athanaſij legeram. Neque enim lucidius, aut veriùs exponi poſſe putabam. Tum ille non eſt, ait, vt putas: ſed quæ ad patrem pertinent, partim aperta & vera, partim obſcura & falſa ſunt. Nam ipſe quidem æternus eſt, non tamen vt ſemper Deus, ſic ſemper & pater, ſed priùs Deus, poſteà Pater. Ad hæc cum ego exclamarem, hæreticum eſſe documentum, doctrinamq́; diabolicam: non eſt, inquit ille, clamoribus differendum, ſed rationibus, ſi veritatis indagandæ ſtudio ducimur. Ego quid pro meâ ſententiâ ſit, dicere facile poſſum, tu quid pro tuâ ſit, explicare ſi poteris, ab errore me grandi liberaueris. Ipſe miſer, qui ingenio, & doctrina mea magis; quàm æquum erat, confiderem, cùm eo tanquam cum vno quolibet hominum cæterorum diſputare cœpi, tandemq́; rationibus, quas mihi ex aduerſo plurimas ingerebat, &, quod magis admiratus ſum ſcripturæ ſacræ teſtimonijs in errorem me paulatim tam nefarium miſit, vt iam neque Filium, neque Spiritum Sanctum Deum putarem. Interim rapuit animam mors, & qualem reperit, Iudici obtulit. Ab eo diſcedere in hunc ignem ſum iuſſus: quem, etſi maximus eſt, tolerabilem tamen vtcunque putarem, ſi poſt mille annorum millia finiendus foret. Sed æternus eſt, idemq́; tantus, quantum nulla apud nos vidit ætas: vt me in ſingulas fermè horas ſcientiæ meæ pœniteat, quæ in tam immane præcipitium me deiecit; & hæc dicens euanuit. Ac ille tum rei nouitate, tum verò amici damno permotus, vt in ſe primum reuerſus eſt, cum ijs, qui ſibi amiciſſimi erant, quod viderat, contulit, petiitq́;, quidnam aduerſus eiuſcemodi rem factu optimum ducerent. Decretum in commune eſt, vt ad eam ſe quiſque fidem referret, quam Catholica ſeruat Eccleſia. Paulò pòſt in ægrotationem, ex quâ mortuus eſt, incidit, & ecce ad eum itidem antiquus hoſtis prioris diſputationis ſucceſſu animoſior, venit, quærit de fide, quid credat. Reſpondet credere ſe, quæ mater Eccleſia credit. Rurſus antiquus hoſtis, quidnam credat Mater Eccleſia, ſuſcitatur. Et ille, quod ego, inquit; atque in hunc modum audientibus his, qui aſtabant, veluti ab aliquo interrogatus; credo, quæ credit Eccleſia, & Eccleſia credit, quæ ego credo, tantiſper dicere non ceſſauit, dum animam redderet. Ita factum eſt, vt delusâ inimici verſutiâ, ipſe in cœlum migraret. Et poſt paucos dies amicis, quos, quidnam in huiuſcemodi re factu optimum videretur conſuluerat, longè alio habitu corporis apparens, gratias egit, quòd eorum conſilio ad cæleſte Regnum aſcenderat. Quæ nos, vti ſunt geſta, deſcribere ſuperfluum arbitrati non ſumus, vt horum vel infortunio, vel ſucceſſu diſcedere vnuſquiſque poſſet, de fide cum Diabolo diſputari non oportere; ſed ſatis eſſe, ſi ad eam vnuſquiſque ſe referat fidem, quam Catholica ſeruat Eccleſia. Hæc Barochius.

Remediũ. 1. Remedium igitur eſt. Primò, Non diſputare cum hoſte maligno, ſed referre ſe ad fidem Eccleſiæ Catholicæ. Sufficit tibi nôſſe, quòd in eâ ſis Eccleſiâ, ab eâque edoctus, quæ vna, ſancta, Catholica & Apoſtolica eſt. Ad illam mitte diabolum, pro te vtique reſponſuram; neque enim teneris tu rationem reddere huius vel illius articuli, ſed tantùm cur hanc vel illam Magiſtram religionem ſecutus ſis. Pythagoræis in omni ſcientiarum genere Magiſtri ſui authoritas ſufficiebat: cur non ſufficiat nobis authoritas diuina? Ipſis ſatis erat dicere: *Ipſe dixit*; cur non ſufficiat nobis, ſi dicatur: Deus reuelauit; Eccleſia, fidei Magiſtra expertiſſima, credendum hoc propoſuit? Scimus enim Eccleſiam infallibiliter à Spiritu ſancto dirigi & propterea fieri certiſſimam fidei regulam, quâ ſe etiam firmabat S. Hieronymus adhuc iuuenis, cùm ab Arianis interrogaretur, quid ſentiret de diuinis hypoſtaſibus, eſſéntne tres an vnica? Reſpondit *credere ſe id omne, quod ſancta credit Eccleſia Romana, extra quam ſciret ſalutem nemini repoſitam*. Marianus in vitâ S. Hieronymi.

Deinde ſi tentatio verſetur circa Deum ipſum incomprehenſibilem, velut quomodo ſit vnus & trinus, quomodo ſit immenſus & vbique, quomodo æternus, infinitus, &c. Reſponde tu non eſſe mirum ſi Deus ſit maior corde noſtro; qualis enim eſſet Deus, ſi à tam anguſto vaſe capi eius naturæ poſſet; Rurſum plurima eſſe non ſolùm ſpiritualia ſed & corporalia, quorum naturam indagare non poſſumus. Quis enim nouit ex qua materia cœli & ſtellæ ſint? Quàm pauci credunt ſtellas firmamenti ſingulas maiores eſſe orbe terrarum, quod tamen Mathematici facilè demonſtrant eſſe veriſſimum? Adhæc nónne quando oramus, omni tempore & omni loco putamus nos audiri & videri à Deo: cur ergo dubitabimus eum eſſe immenſum & vbiuis præſentem? 2.

Rurſum ſi tenteris circa opera Dei intellectu difficilia, vti circa præſentiam Chriſti in Euchariſtiâ: reſponde mirum non eſſe, ſi Deus in occulto operetur nec patiatur homines introſpicere in opera ſua; talia enim opera illum decent quæ intellectum creatum ſuperent. Quâ ratione credis, Deum vno verbo totum mundum feciſſe, eumque mirabiliter conſeruare & gubernare: item corpora defunctorum incinerata & in alias naturas conuerſa à Deo redintegranda & viuificanda: eadem ratione credito cætera. Denique ſcito & dicito Deum, quo modo tentauit noſtram voluntatem præſcribendo nobis mandata: ſic tentare etiam meritò noſtrum intellectum per res fidei ſuperantes illum: vt probet num ſicut voluntatem, ſic etiam intellectum noſtrum ſubijcere ei velimus, & vt Apoſtolus loquitur, 2. *Cor.* 10. *captiuare in obſequium fidei*: vt ita etiam meritum conſequamur: Vnde S. Greg. *hom. 26. in Euangelia. Sciendum nobis eſt*, inquit, *quod diuina operatio ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* 3.

C. II. Tentat circa ſpẽ, porrigens ſcorpionem pro ouo.

Secundò. Tentat circa ſpem, & porrigit nobis pro ouo ſpei ſcorpionem deſperationis. Quo modo imprimis tentat graues peccatores proponendo illis ſcelerum ſuorum multitudinem & enormitatem. Sic fecit Anglo illi apud Bedam *l. 3. hiſt. Angl.* cùm propoſuit morituro codicem ingentis magnitudinis &

ponderis

ponderis penè importabilis, ex quo legeret omnia ſua ſcelera. Hoc enim perlecto exclamauit ad regem Coënredum qui eum ad pœnitentiam hortabatur: *Quid vis modò? quid huc veniſti? non enim mihi aliquid vtilitatis aut ſalutis potes vltrà conferre.* Atque ita deſperatus obijt. Sic etiam monacho cuidam malè viuenti apud eundem Bedam *lib. 5. c. 15. hiſt.* qui dicebat ſe videre infernum apertum & Sathanam in profundo eius, iuxtaque eum Caipham cum cæteris, qui occiderunt Dominum, inque eorum viciniâ locum ſibi paratum. Qui cùm à fratribus moneretur ad pœnitentiam agendam; ſiquidem adhuc tempus eſſet & locus, reſpondit: *non eſt mihi modò tempus vitam mutandi, cùm ipſe viderim iudicium meum eſſe completum.* Talia dicens obijt ſine pœnitentiâ & viatico. Vbi dubium non eſt, perſuaſum fuiſſe hominem à diabolo, quòd tempus pœnitentiæ non ſupereſſet.

Quandoque etiam pijſſimos viros hac ratione tentat, quaſi nihil cæleſti præmio dignum egerint, adeóque cœlo indigni ſint. Quo modo ſcribit S. Antoninus *1. p. ſummæ tit. 5. c. 2.* tentatum in graui infirmitate fuiſſe S. Bernardum, quaſi Deo negligenter ſeruierit & nihil vnquam boni fecerit, vt tantum præmium côſequi mereretur. Sed vir ſanctus cœleſti lumine illuſtratus reſpondit: *Fateor me nil feciſſe tanto præmio dignum; ſed Chriſtus duplici titulo regnum cœlorum obtinet, hæreditate nimirum tanquam Dei filius & merito paſſionis. Ipſe priori titulo contentus eſt, alterum mihi largitus eſt, vt per merita paſſionis eius conſequar beatitudinem.* Ita tentationem excluſit. Simile eſt quod refert Ludolphus de vitâ Chriſti *p. 2. c. 50.* de quodam monacho, cuius ſocius cùm ſibi reuelatum (vtique Diabolica tantùm illuſio fuit) diceret ipſum eſſe de numero damnatorum, reſpondit: *Benedictus Deus, nec tamen ſic deſperabo, ſed pœnitentiam per ingreſſum religionis aſſumpſi, de cætero duplicabo & triplicabo, donec gratiam & miſericordiam apud Deum altiſſimum, qui pius eſt, inueniam.* Poſt multos dies iterum ſed diuinitus ſocio eius reuelatum eſt, ipſum eſſe de numero ſaluandorum.

Remediū. 1. Tales itaque iaciant anchoram ſpei, & Primò proponant ſibi immenſam Dei miſericordiam, quæ longè ſuperat molem omnium peccatorum, & ſi tentatio cum Cain dicat: *maior eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear*, reſpondeant illi; quod ait S. Bernardus *ſerm. 11. ſuper Cant.* *Mentiris Cain, maior eſt enim Dei pietas, quàm quæuis iniquitas.* Recordentur etiam cœleſtem patremfamilias non exijſſe tantùm horâ primâ, tertiâ & ſextâ ad conducendos operarios, ſed etiam nonâ & vndecimâ. Adhæc conduxiſſe operarios ex pacto: & promiſiſſe, *quacunque horâ ingemuerit peccator, ſe omnes eius iniquitates non recordaturum ampliùs.*

2. Secundò. Proponant ſibi merita Chriſti mediatoris noſtri. *Ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi, 1. Ioan. 1.* Proponant, inquam, ſibi paſſionis abundantiam & exceſſum, quoniam qui vnâ guttâ ſanguinis redimere nos potuiſſet, voluit tot tormentis & morte crudeliſſimâ.

Tertiò. Proponant ſibi efficaciam pœnitentiæ, quæ ſi vera ſit, numquam repulſam patitur apud Deum. *Cor enim contritum & humiliatum Deus non deſpicies; Pſal. 50.* 3.

Quartò. Proponant ſibi exempla deſperatiſſimorum peccatorum in gratiam receptorum: filij prodigi: Latronis in Cruce: Pauli, qui repentè ex perſecutore factus eſt Prædicator, vt omnes peccatores eius exemplo conuerterentur & nemo deſperaret de Dei miſericordiâ, quod teſtatur ipſe *1. Tim. 1. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum: ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum vt in me primò oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam.* 4.

D. III. Tentat circa charitatem, porrigens lapidem pro pane.

Tertiò. Tentat circa charitatem & pro pane dilectionis offert lapidem odij Dei. Perſuadet enim aliquibus inprimis, maximè ſagis & magis, fore ipſos beatos ſi perſiſtant in ſuis ſceleribus: promittit enim illis ſeruaturum ſe eos incolumes, & ſi ſupplicio addicantur, inde erepturum; vel ſi mori eos contigerit, doloris ſenſum ablaturum: poſt mortem verò ſe in amœniſſimum paradiſum eos traducturum, vbi beatam vitam, qualem ipſi dæmones agunt, inchoaturi ſint, vt ipſæmet ſagæ ſæpiùs confeſſæ ſunt.

Deinde aliorum affectum & amorem ita affigit rebus tranſitoriis licet paulò pòſt relinquendis, vt inde ſe expedire & animum ad cœleſtia deſideria Deique amorem attollere non poſſint, ſed terrenis & fluxis rebus pertinaciſſimè adhæreant eaque tanquam Idola venerentur nec curent denique ſiue cœlum ſiue infernum. Exemplum recenſet Cardin. Bellarm. *de arte bene moriendi lib. 2. cap. 11.* de Cauſidico, quem morti propinquum cùm inuiſeret ipſe & hortaretur ad negotium animæ procurandum, reſpondit ille: *Ego Domine cupiui alloqui te, non pro me, ſed pro coniuge meâ & filijs meis.* Ego enim propero ad inferos, neque eſt, quòd aliquid pro me agas. Et hæc animo tam tranquillo protulit ac ſi loqueretur de itinere ad villam vel oppidum. Ita nimirum Diabolus animam eius ſibi ſubiecerat, vt non cuperet nec vellet ab eo diuelli, licet ſeriò admoneretur de periculo ſalutis. Alios ad impatientiam, vt ob morbi dolores & diuturnitatem, Deum blaſphemare & odiſſe eique obmurmurare incipiant.

Vt occurramus huic tentationi, Primò conſiderandum, diabolum eſſe mendacem & patrem mendacij teſte Domino *Ioan. 8.* Primus enim omnium mentiri cœpit cùm dixit Euæ: *nequaquam moriemini.* Quàm verè autem locutus ſit, exitus oſtendit. Vnde quidam Pater exclamat: *ô nequam, vbi eſt illud tuum nequaquam.* Remediū. 1.

Secundò, Diabolus iam iudicatus eſt & igni 2.

igni æterno addictus, *Matth. 25. Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius.* Quales ergo opes aut delitias in regno eius expectes?

3. Tertiò. Experientiâ conſtat, nihil adhuc eorum præſtitum eſſe à diabolo, quæ ſagis pollicentur. Quos enim dedit theſauros? quos eripuit ab ignibus aut carceribus, aut triremibus, qui à legitimâ poteſtate ad hæc condemnati fuerint? Fuit quidem Eon hæreticus, inſignis etiam magus, *qui oculos hominum ita faſcinabat, vt videretur magnam virorum turbam penes ſe habere & regiis delitiis ciborum & apparatus ſplendidiſſimi abundare*, vt ſcribit Guil. Neubrigenſis *l. 1. hiſt. Angl. c. 19.* ſed hunc tandem conſilio Remenſi damnatum, cùm ad mortem duceretur, ſæpiùs ad terram dixiſſe: *Terra findere, terra findere:* irrito tamen conatu, legimus apud Robertum in Chron. ſic Dæmon ludit præſtigiatores, ſeruos ſuos.

4. Quartò, Denique quæ eſt iſta dementia, amare temporalia iamiam eripienda, nec de Deo Iudice, ad quem eundum eſt, cogitare? An non meritò audiet talis illud: *Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te, & quæ paraſti, cuius erunt?* Et illud Auguſtini: *Temporalia perdere timuerunt, & regnum cælorum perdere non cogitauerunt, at ſi vtrumque amiſerunt?*

Qui verò doloribus premuntur, dicant illud: *non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.*

Remediũ commune oratio. Denique cõmune remedium pro ſupradictis tentationibus eſt oratio vel ægrotantis vel adſtantium. Quantum enim hæc poſſit, oſtendit S. Gregorius *lib. 4. dial. c. 37. & ho. 38. in Euang. Ante biennium*, inquit, *frater quidam in monaſterium meum, quod iuxta beatorum martyrum Ioannis & Pauli Eccleſiam ſitum eſt, gratiâ conuerſationis venit: qui diu regulariter protractus, quandoque ſuſceptus eſt. Quem frater ſuus ad monaſterium non conuerſationis ſtudio, ſed carnali amore ſecutus eſt. Is autem qui ad conuerſationem venerat valde fratribus placebat. Et contrà frater illius longè à vitâ eius ac moribus diſcrepabat. Viuebat tamen in monaſterio neceſſitate potiùs quàm voluntate. Et cùm in cunctis actibus peruerſus exiſteret, pro fratre ſuo ab omnibus æquanimiter tolerabatur. Erat enim leuis eloquio, prauus actione, cultus veſtibus, moribus incultus, ferre verò non poterat ſi quis illi de ſancti habitus conuerſatione loqueretur. Facta autem fuerat vita illius cunctis fratribus viſu grauis, ſed tamen, vt dictum eſt, pro fratris ſui gratia erat cunctis tolerabilis. Aſpernabatur valde ſiquis ſibi aliquid de prauitatis ſuæ correctione loqueretur. Bona non ſolùm facere, ſed etiam audire non poterat numquam ſe ad ſanctæ conuerſationis habitum venire, iurando, iraſcendo, deridendo, teſtabatur. In hac autem peſtilentiâ, quæ nuper huius vrbis populum magnâ ex parte conſumpſit, percuſſus in inguine, eſt perductus ad mortem. Cumq́, extremum diem ageret, conuenerunt fratres, vt egreſſum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema fuerat parte præmortuum in ſolo tantummodò pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tantò pro eo cæperunt enixiùs orare, quantò eum iam videbant ſub celeritate diſcedere. Tum repentè cœpit eiſdem fratribus aſſiſtentibus adniſu quo poterat clamare, & orationes eorum interrumpere, dicens: Recedite, recedite, ecce draconi ad deuorandum datus ſum, qui propter veſtram præſentiam deuorare me non poteſt. Caput meum iam in ſuo ore abſorbuit: date locum vt me ampliùs non cruciet, ſed faciat quod facturus eſt. Si ei ad deuorandum datus ſum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere: Quid eſt quod loqueris frater? Signum tibi ſanctæ crucis imprime. Reſpondebat ille vt poterat, dicens: Volo me ſignare, ſed non poſſum, quia à Dracone premor. Cumq́, hoc fratres audirent, proſtrati in terrâ cum lachrymis cœperunt pro ereptione illius vehementiùs orare. Et ecce ſubitò cœpit melioratus æger, quibus valebat vocibus exultare, dicens: Gratias Deo, ecce draco qui me ad deuorandum acceperat, fugit, orationibus veſtris expulſus eſt, & ſtare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus ſum, & ſæcularem vitam funditùs relinquere. Homo ergo qui, ſicut iam dictum eſt, ab extrema corporis fuerat parte præmortuus, reſeruatus ad vitam, toto ad Deum corde conuerſus eſt, longis & continuis in conuerſatione eâdem flagellis eruditus, atque ante paucos dies excreſcente corporis moleſtiâ defunctus eſt. Qui iam moriens draconem non vidit, quia illum per cordis immutationem vicit.*

CONCIO VII.

Quomodo hæreticorum Miniſtri porrigant plebi lapidẽ pro pane, ſerpentem pro piſce, ſcorpionem pro ouo.

1. *Probatur primum, quia in Communione pro vero Corpore & Sanguine Chriſti porrigunt merum panem & vinum.*
2. *Pro piſce ſerpentem offerunt in Pœnitentia, cùm pro remiſſione peccatorum dant hominibus mortiferam Fiduciam quâ credant peccata ipſis remiſſa eſſe.*
3. *Pro ouo ſcorpionem in verbi diuini & S. Scripturæ deprauatione.*

THEMA.

Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi, &c. Luc. 11.

QVæro ex vobis, Auditores: Quid diceretis de tali patre, qui filio petenti panem, piſcem, ouum: pro pane daret lapidem, pro piſce ſerpentem, pro ouo ſcorpionem? Ego ſanè mihi perſuadeo, vos omnes eſſe dicturos: Hic nequaquam pater, ſed latro eſt, carnifex eſt imò ipſemet ſcorpio eſt, qui deuorat proprios fœtus: ſerpens eſt & lapis. Equidem & hoc dicturum fuiſſe Chriſtum puto, ſi mentem ſuam explicare voluiſſet. Ita enim hanc rem propoſuit in hodierno Euangelio, quaſi ea fieri non poſſet, nec tam crudelis pater vſpiam reperiri. Atque vtinam non reperirentur, vel ſaltem non tam multi. Sed quid cogor dicere? Plurimi ſunt tales patres, qui tamen à filijs ſuis interim amantur, coluntur, A

tur, defenduntur: ſuntque miniſtri verbi Lutherani & Caluiniani, qui ſuis gregibus pro pane dant lapidem, pro piſce ſerpentem, pro ouo ſcorpionem. Quid ergò facturos & dicturos putatis ipſorum parochianos, ſi hanc rem intelligerent? Sed videbor illis calumniari, niſi iſta oſtendam: idcircò hoc nunc faciam.

B. I. Porrigũt lapidem pro pane in Cõmunione.

PRIMÒ. Porrigunt eis lapidem pro pane in Communione, quia pro vero corpore & ſanguine Chriſti, dant eis merum naturalem panem ac merum naturale vinum. An non hæc crudelis eſt deceptio? Chriſtus enim dixit: *niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Itaque hi miniſtri vitam adimunt miſeris, dum pro carne & ſanguine Chriſti panem tantùm & vinum eis præbent: ad inſtar immanis illius belluæ & acerbi irriſoris, Heliogabali Imp. qui ſenatui Romano inuitato, pictos ſolùm & fictos appoſuiſſe cibos ſcribitur. Ita omninò ipſi; dum enim corpus Chriſti promittunt, nil aliud dant aut dare poſſunt, quàm quod piſtores & caupones, panem ſcilicet & vinum. Sed probandum eſt quod dicimus, Sacramentum Euchariſtiæ confici non poteſt niſi à ſacerdote: Lutheranorum & Caluinianorum miniſtri non ſunt ſacerdotes, ergò. Maior patet ex ſacerdotio Chriſti, qui fuit ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech: praxi totius Eccleſiæ. Vbi enim vnquam pro vero Chriſti corpore habitum eſt, quod non conficeretur à ſacerdote? vbi etiam offerre alicui, qui ſacerdos non eſſet, licuit? certè peruenit olim ad S. Concilium Nicænum, quod in quibuſdam ciuitatibus Diaconi Sacramenta porrigerent tantùm ſacerdotibus. Ad quod Concilium: *Hoc neque regula, neque conſuetudo tradidit, vt hi, qui offerendi non habent poteſtatem, his qui offerunt corpus Chriſti porrigant.* Ex Conc. Nicæno. S. Hieronymus *aduerſ. Luciſer. c.8.* Apoſtatæ Diacono ſcribit; *Neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos ac presbyteros non habens.*

Soli Catholici habent Sacerdotes. 1.

Minor probatur. Primò, ſi enim miniſtri illi ſunt Sacerdotes; vel ſunt ex ordinatione: vel ex baptiſmo per inſtitutionem Chriſti. Non primum; vbi enim non præcedit manuum impoſitio facta per Epiſcopos, ibi non eſt ordinatio & Sacerdotium. Conſtat enim in Eccleſiâ Sacerdotes non niſi per impoſitionem manuum Epiſcopalium factos eſſe. Sic *Act.* 13. Paulo & Barnabæ impoſitæ manus: ſimiliter Timotheo & Tito à Paulo. Neque dicere poſſunt hæretici, eandem eſſe Epiſcopi & Sacerdotis poteſtatem: quia contradicit tota antiquitas: & cum aliquando Aërius id aſſereret, mox ab Epiphanio & Auguſtino confutatus & damnatus eſt. Nónne in veteri lege ſummus pontifex à Sacerdotibus, in nouâ Apoſtoli à 72. diſcipulis differebant? Non potuerunt ergò miniſtri hæreticorum Ordines accipere à Luthero, Oecolampadio, Bucero, Zwinglio & ſimilibus, qui Sacerdotes quidem fuerunt non tamen Epiſcopi, adeoque nec ordinare alios potuerunt. Vnde mera veſania & illuſio fuit illa Lutheri ordinatio, quâ Anno 1540. Witebergæ, M. Schuchmannum ordinauit, dicendo: *ſicut miſit nos Deus, ita mittimus te.* Crediderim tunc conſcientiam illi dixiſſe: Tu verò miſſus à Deo non es, ergò nec is quem mittis. Sanè Lutherus, non accepit ab Epiſcopo in ſuâ ordinatione poteſtatem ordinandi alios; vti nec alij Sacerdotes; ſed tantùm ſacerdotalia munia obeundi. Quomodo ergò dare potuit alijs, quod ipſe non accepit? vnde dum iam vnus prædicans, alium ordinat, perinde agunt ac ſi ruſtici ſe mutuò Equites crearent & Barones: vt enim hæc creatio vaniſſima eſt & ludicra; ſic eorum ordinatio.

Multò minùs dici poteſt ſecundum, quod tamen aſſerit Lutherus, Chriſtum ſcilicet omnibus Chriſtianis dediſſe hanc poteſtatem in vltimâ cœnâ, quâ omnibus ibi præſentibus dixiſſe ait: *Hoc facite, &c. in ep. ad ſenat. Pragenſ.* Quin *in l. de Miſſâ priuatâ & ordin.* concedit munus conſecrandi & ſacramenta adminiſtrandi etiam Diabolo & eius matri, ſi hoc munus obire vellet. Sed quis non abhorret ab hac blaſphemia? Eccleſia certè ſemper tenuit, nec angelis nec ipſi Deiparæ hoc munus competere aut conceſſum eſſe: quod Lutherus etiam concedit Diabolo & omnibus laicis. Deinde falſum eſt, quod ait; ſolis enim diſcipulis tunc præſentibus dixit Chriſtus: *Hoc facite, &c.* Vel cùm nihil credendum aſſerant Lutherani, niſi quod ſcriptum eſt, oſtendant hoc ipſum dictum eſſe omnibus Chriſtianis, etiam abſentibus. Secundò, ſi hoc dictum eſſet & mandatum omnibus, tenerentur omnes conſecrare & diſtribuere; id autem non ſolùm eſſet abſurdiſſimum, ſed etiam contra conſuetudinem omnium tum Catholicorum tum hæreticorum. Et ſuperintendentes vel Magiſtratus Lutheranus qui hoc non concederent omnibus etiam plebeis, contrauenirent iuri diuino, quod omnibus hoc conceſſit, vt dicunt.

Tertiò, Proferatur aliud exemplum, quo probetur in aliquo caſu aliquem non ordinatum conſecrâſſe Euchariſtiam: qualia tamen habemus de baptiſmo. Certè neque Diaconi hoc poſſunt.

Secundò. Conuincuntur ex hoc, quòd ipſiſmet Lutheranis dictat conſcientia Catholicos ſacerdotes veros eſſe Sacerdotes & verè conficere Sacramentum: non ipſorum miniſtros. Patet enim Sacerdotes Apoſtatas, ſi qui ad eos declinant, ab ipſis non ordinari ampliùs: (cùm tamen ipſorum miniſtri, à nobis ordinari debeant) imò ipſos ab illis libentiùs percipere Sacramenta quàm à ſuis. Ad hæc ipſimet Lutherani à ſtatibus S. Rom. Imperij petierunt aliquando vt ipſorum miniſtri, paſtores & prædicantes ab Epiſcopis Miſniæ, & Norimbergæ ordinarentur. Quemadmodum & Huſſitæ ſolebant ſuos miniſtros amandare ad Epiſcopos Catholicorum vt aſtu & mendacijs Ordinem ſuffurarentur: hoc ipſo teſtantes ius ordinandi eſſe tantùm apud Epiſcopos Catholicos. Refert Franciſcus Turrianus in l. de Eccleſia & ordinatione miniſtrorum.

Tertiò: Quia miniſtri hæreticorum miniſterium & ordinem ſuum putatiuum deponunt quando volunt, proprio arbitrio, quemadmodum & Marcioniſtæ olim tales habebant, de quibus Tertull. antiquiſſimus doctor, qui vixit initio tertij ſæculi *l. de præſcript. aduerſ. hæret. c. 41.* ait: *Hodie presbyter, qui cras Laicus.* Quod ipſum concedit Lutherus varijs in locis, dicens Sacerdotium eſſe tantùm officium, quod expirat, cùm quis id deponit. Hinc paſſim apud hæreticos, prædicantes fiunt Ludimoderatores, æditui, caupones, mercatores, procuratores, lictores, &c. Denique ipſi eorum miniſtri nolunt vocari Sacerdotes, nec ita vocantur à ſuis: cùm tamen Petrus & Paulus presbyteros ſe vocent *Act. 14. Tit. 1. 1. Tim. 5. 1. Pet. 5.* Neque ipſi conſentiunt inter ſe vtrum ordo ſit Sacramentum. Itaque veriſſimè hæreticorum miniſtri, lapidem pro pane porrigunt ſuis, dum merum panem & vinum, pro corpore & ſanguine Chriſti dant. Quâ ex re mirum apparet, quòd hæretici, de vtraque ſpecie adeò contendant, interim verò neutrâ habeant, ſed ſuſtulerint vtramque dum Sacerdotium ſuſtulerunt. Lepidiſſimi nimirum homines, inſtar Æſopici canis dum de vmbrâ ſpeciei vnius contendunt, vtramque perdunt.

C. II. Pro piſce ſerpentē, in pœnitentia.

Secvndò. Pro piſce ſerpentem porrigunt, quando à peccatis abſoluunt; quia pro remiſſione peccatorum & gratiâ iuſtificante porrigunt eis mortiferam quandam fiduciam, nullo fundamento nixam, quâ credere eos iubent ac certos eſſe afferunt, remiſſa ſibi eſſe peccata cùm tamen nullam omninò poteſtatem habeant dimittendi peccata. Quod quid aliud eſt quàm ſerpentem in ſinum eorum recondere, qui interitum eis afferat? Vnde meritò dixeris; *Venenum aſpidum ſub labijs eorum.* Pſal. 13. quia *ſanant contritionem populi dicentes, pax, pax, cùm non ſit pax*, Ier. 8. Dicunt enim & iubent eos certos & ſecuros eſſe de remiſſione peccatorum, cùm tamen ipſi verbi miniſtri nihil remittere queant. Probatur hoc quod dicimus. Si enim habent poteſtatem dimittendi peccata, vel habent immediatè à Deo, vel mediatè per homines: neutrum, ergò. Non immediatè à Deo, quia deberent hoc oſtendere miraculis, ſicuti oſtenderunt Moyſes & Apoſtoli, *Domino cooperante & ſermonem eorum confirmante ſequentibus ſignis.* Marci vlt. Alioquin enim quilibet Lurco dicere poſſet, ſe immediatè à Deo miſſum: & ſic omnes hæretici ſe in ouile Chriſti intruderent. Atqui Lutherus & Caluinus nulla patrârunt miracula. (Nam quod pro miraculo affert Zeæman contra Vngerſdorff, Lutheraniſmi dilatationem breui tempore per Germaniam factam; vaniſſimum eſt: fuit enim res facilis negotij homines per ſe ad malum pronos, in ſpiritu languidos, mortificationis & bonorum operum pertæſos, bonorum Eccleſiaſticorum cupidos ab arctâ ſalutis ad ſpatioſam illam perditionis viam perducere.)

Nec quidquam valet quod Lutherus in Dom. prima poſt paſcha poſtillæ aſſerit verba Chriſti: *Quorum remiſeritis peccata, &c.* ad omnes Chriſtianos dicta eſſe, adeoque omnes Chriſtianos ab ipſo baptiſmo habere hanc poteſtatem. Falſiſſimum enim eſt hæc verba omnibus dicta eſſe. Solis Apoſtolis dicta ſunt. Et ſi ex ipſorum placito, nihil credendum quod non eſt ſcriptum: vnde probant hoc ad omnes Chriſtianos pertinere, quod ſolis dictum eſt Apoſtolis?

Deinde iterum diuinum ius infringerent, ſi poteſtatem quam Chriſtus omnibus dedit, ipſi laicis adimerent & ſolis miniſtris conferrent.

Non mediatè ſeu ordinariè; quia Lutherus vel accepit hanc poteſtatem ab Eccleſiâ, cui creditæ ſunt claues cœli à Chriſto. Et hoc non; quis enim dedit poteſtatem Luthero prædicandi Euangelium ſuum nouum & peccata dimittendi? Certè Leo X. Lutherum excommunicauit, adeoque omne ei ius prædicandi, abſoluendi, docendi abſtulit, ſi quod priùs habuit. Quòd ſi ipſe hanc habuiſſet, non potuiſſet tamen eam conferre alteri: quia hæ claues ab ipſo ſummo Eccleſiæ capite dependent, à quo ipſe ſe ſeparauit. Item ſi ab illâ accepit poteſtatem, ergò Eccleſia Catholica vera eſt: Vel ſi ipſa vera non eſt & Papa Antichriſtus eſt; quomodo Lutherus ab illo mitti & poteſtatem accipere legitimam potuit? Item ſi Papa potuit mittere ipſum, ergò & alios in omnes terræ partes, ergò eſt legitimus vniuerſalis Epiſcopus totius mundi: quod ipſi pernegant. Vel à Magiſtratu ſæculari: & hoc non, quia dicant vnde Magiſtratus ille habeat hanc poteſtatem, non à iure diuino: quia id potiùs eam illi adimit: *regnum meum non eſt de hoc mundo*, ait Dominus, non à iure canonico, vt patet, nec Cæſareo; quia conſtitut. 123. Auth. ait Iuſtinianus Imp. *Si Eccleſiaſticum negotium ſit, nullam communionem habeto ciuilis Magiſtratus cum illa diſceptatione ſed religioſiſſimi Epiſcopi ſecundùm ſacros canones finem imponunto.* Itaque vaniſſima eſt poteſtas & miſſio quam accipiunt prædicantes à ſecularibus. Quemadmodum nobilis illa Domina (taceo nomen) in Auſtriâ mundo ſe ridendam expoſuit, dum præceptorem filiorum ſuorum paſtorem conſecrauit & inſtituit, imponendo ei manus vnaque præcinctorium ſuum. Vel à Doctoribus Academiæ, qui Doctoris gradum Luthero contulerunt. Et hoc non, quia illorum non eſt conferre talem poteſtatem. Et aliud eſt docendi habere poteſtatem (quam Catholici dant ſolùm docendi Catholicè) aliud abſoluendi.

Nemo igitur indigitari poteſt, à quo Lutherus & proinde omnes eius ſectatores (qui ſi quam habent, non niſi ab ipſo mediatè accepiſſent poteſtatem) abſoluendi poteſtatem habeant. Serpentem ergò pro piſce dant ſuis. Confugient fortè ad remiſſionis annuntiationem (quando poteſtatem ſibi probare nequeunt) dicendo, idem eſſe remittere peccata & prædicare remiſſionem peccatorum. Vnde Lutherus *in ſerm. de confeſſ. to. 6.* Witteberg. aſſerit, quoties concionator loquitur, vel Sacerdos in altari dicit: *pax vobis* toties eum

eum annuntiare remiſſionem peccatorum. Sed vaniſſimum hoc eſt, quia aliud eſt, remittere peccata, aliud nuntiare remiſſionem, ſicut aliud eſt numerare pecuniam, aliud dicere, numerandam eſſe pecuniam. Et Chriſtus non dixit: quibus prædicaueritis remiſſionem peccatorum; ſed: *quorum remiſeritis peccata*. Deinde claues cùm dantur, datur poteſtas aperiendi. Idcircò etiam Dominus cum afflatu dedit eis tunc Spiritum Sanctum & poteſtatem abſoluendi, quia ſicut flatus extinguit lumen & diſſipat fumum: ſic poteſtas ſacerdotum ad remittenda peccata, extinguit illa, iuxta id Iſa. 44. *deleui vt nubem peccata tua*. Idem colligitur ex metaphorâ ligandi & ſoluendi: Item ex eo, quòd non tantùm datur poteſtas remittendi, ſed etiam retinendi. Rurſum ex voce *Quorum*: quia non vult omnibus promiſcuè & indefinitè remitti, ſed pro arbitrio & iudicio ſacerdotum. Taceo alia, de quibus Bellarminus *de pœnitentia l. 3. c. 2. ad fin.*

Vnde patet quàm miſerè decipiant plebem nuntiando & promittendo eis falſiſſimam remiſſionem, quam dare ſe non poſſe intelligunt. Agunt hi perinde atque illi duo Anabaptiſtæ, Ioannes de Leyden & Dauid Georgius Anno 1534. in Epiſcopatu Vltraiectino, qui multis ſimplicioribus perſuaſerunt dicentes vt pecunias ipſis traderent, ac in terram promiſſionis cum ipſis proficiſcerentur, atque in itinere arbores conſcenderent, accepturi illic panem cœleſtem: quod cùm facerent, aliqui ſemineces ceciderunt ex arboribus. Sic iſti pecuniam accipiunt de confitentibus & promittunt vel annuntiant eis remiſſionem peccatorum. Qui tamen fraudati aliquando decident illuſi de ſpe ſuâ. Quanta ergò hæreticorum miſeria, qui toto vitæ tempore perpetuò in peccatis ſuis viuunt, nec vnquam ab iis abſoluuntur! Si enim *beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, teſte Dauide *Pſ.* 31. ergò miſeri, quorum non ſunt remiſſæ. *Væ ciuitati ſanguinum*, ait Ezechiel cap. 24. *olla cuius rubigo in eâ eſt: & rubigo eius non exiuit de ea per partes & per partes eijce eam.*

D. III. Pro ouo ſcorpionem in verbi diuini & S. Scripturæ deprauatione.

TERTIÒ. Pro ouo ſcorpionem porrigunt, dum pro vero & ſyncero Dei verbo eiuſque intellectu, prauum & noxium offerunt: quod quidem in facie blanditur vt ſcorpio, ſed in caudâ tandem pungit & necat.

1. Hoc autem faciunt multipliciter. Primò, dum omnia ſua dogmata & penè ſingula verba ſcripturarum ſententijs pingunt, & perpetuò verbum Dei ſpecioſo titulo ingeminant populoque inculcant, quaſi ipſi ſoli verbum Dei habeant, intelligant & ſequantur: nemo alius. *Sciunt enim*, inquit Vinc. Lirinenſis *l contra hæreſ. c. 35. ſatores ſuos nulli ferè citò eſſe placituros; ſi nudi & ſimplices exhalentur; atque idcirco eos cœleſtis alloquij velut quodam odore aſpergunt, vt ille qui humanum facilè deſpiceret errorem, diuina facilè non contemnat oracula: idemq́ faciunt quod hi qui paruulis auſtera quædam temperant pocula, ora melle circumlinunt vt incauta ætas cùm dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet.* ſic ille. Quaſi verò non etiam Diabolus ſcripturam allegauerit Chriſto, & ex illâ tentationi ſuæ prætextum ſumere non potuerit.

Secundò, Dum ferè relictis claris obſcuriſſimas adducunt ſcripturas & ignota per ignotiora probare conantur: ad inſtar vulpis, quæ aduerſum canes in apertum non prodit, ſed ſyluas petit & foueas, deque vnâ in aliam repit. Item dum in controuerſijs ſemper ad ſcripturam appellant, in quâ ſciunt inuenire plurima latibula. Cùm enim ea obſcura ſit & varijs modis exponi poſſit & exponatur, facilè ibi inueniunt, quo errores ſuos tegant. Interim verò ſimplices decipiunt; quia *ſcriptura non in legendo ſed in intelligendo conſiſtunt*, ait S. Hieronymus aduerſ. Lucifer. Et S. Hilarius *l. 2. de Trinit.* ait: *De intelligentia hæreſis eſt, non de ſcriptura.* Nemo enim hæreſiarcharum fuit, qui dogmata ſua ex ſcripturis firmare non contenderet. Lutherus hanc ſententiam ita intelligit, Caluinus ita, Zwinglius ſic. Cui ergò tandem credendum, nonne antiquitati & illorum patrum communi ſenſui, qui ante nos in verâ Eccleſia fuerunt? Cùm quæritur de ſtatu Romæ veteris & litigatur ex hiſtoriâ Liuij, v. g. quis arbiter adhibendus? num recentiores ſcriptores? an verò antiquiores qui tunc Romæ vixerunt? 2.

Tertiò, Tunc omnibus etiam ruſticis plenam faciunt poteſtatem legendi & intelligendi Biblia, imò etiam iubent; quod eſt dare pueris cultros, quibus ipſi ſe conficiant. Sic enim S. Petrus 2. *ep. c.* 3. ait in Epiſtolis Pauli eſſe *quędã difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauãt, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem*. Et talibus nos prohibemus lectionem Bibliorum, qui ſcilicet indocti ſunt & inſtabiles, nec Eccleſiæ ſe ſubijciunt; ſed pro capite ſuo ſcripturas exponere volunt. 3.

Quartò, Dum ſcripturas peruertunt & perperam exponunt. Lutherus enim ex 1. *Theſſal.* 4. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*, abſtulit ſequentia verba: (*vt abſtineatis vos à fornicatione*) quia ſcil. malè cohærebant cum eius dogmate: *ſi nolit vxor, veniat ancilla.* In Epiſtolâ Pauli *ad Rom. c.* 3. *arbitramur hominem iuſtificari per fidem*, addit: *ſolam*. Et cùm de hoc carperetur: reſpondit *papiſtam & aſinum idem eſſe. Sic volo ſic iubeo*, &c. In ep. Iacobi c. 2. *oſtende mihi fidem tuam ſine operibus?* ait Apoſtolus? Lutherus reponit: *Oſtende mihi fidem tuam cum operibus.* In 2. Pet. 1. *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*; omittit id: *Per bona opera.* Idem *Pſal.* 75. ad id: *Vouete & reddite Domino Deo veſtro*, gloſſat: *Habete Dominum pro Deo veſtro.* In ſymbolo Apoſtolorum, pro Eccleſiâ Catholicâ reponit Chriſtianam; quia ſcilicet vidit ſuam non eſſe Catholicam. 4.

Quintò, Dum peſſimè ſcripturam explicant & per hoc peſſima & peſtilentiſſima dogmata docent, quibus animas ſimplicium necant. Quale eſt: *Deum eſſe cauſam peccatorum, iubere, præcipere ſimul perpetrare; hominem non habere liberum arbitrium: non poſſe obſeruari decem præcepta: bona opera nihil nobis prodeſſe, imò peccata* 5.

peccata eſſe : neminem damnari ob quantacumque peccata poſſe , niſi ob ſolam infidelitatem : imò vitare peccata obeſſe Chriſtiano : licere marito adulterari cum ancillis , & ſimilia. Blandiuntur hiſce dictis vt ore ſuo ſcorpio , ſed caudâ venenum inferunt.

Sextò. Dum ſeligunt & offerunt tantùm ſcripturas , quæ ipſorum capiti & ventri fauere videntur : aduerſas verò reticent : proferunt eas , quæ de coniugibus loquuntur,tacent quæ de virginitate. Proferunt eas, quæ de laude & præconio fidei; tacent , quæ de neceſſitate bonorum operum. Proferunt quæ de libertate ſpiritûs , tacent quæ de obligatione mandatorum. Proferunt quæ de ciborum munditie & conceſſione : tacent,quæ de ieiunio. Proferunt quæ de Dei Miſericordia , tacent quæ de Dei Iuſtitia. Vt enim leæna, cùm pro catulis fæta dimicat , oculorum aciem traditur defigere in terram,ne venabula expaueſcat , vt ſcribit Plinius *l.8.c.16.* Ita illi à ſcripturis, quibus feriũtur,auertunt oculos. Hinc ſuis omnibus ſalutis ſecuritatem promittunt: **thuen aim ich wedern verſtorbenem ain himmelſpreug**(En mel in ore, ſed fel in caudâ ſcorpionis.) Tacent quod ex noſtrâ parte requiritur : quæ conditio an à nobis explicatur non conſtat nobis. Itaque vobis ô miſeri,quicũque in hęreſi degitis,dictum credite,quod Iſaias c. 3. dicit : *Popule meus qui te beatum dicunt,ipſe te decipiunt.* Sentietis aliquando ſcorpionis vobis oblati venenum in vltimâ illâ horâ,quæ pręſentabit vos diuino tribunali. Quam enim habere fiduciam ſalutis & ſecuritatem queat,qui tunc temporis recordatur ſe latam iuiſſe viam , bonis operibus non ſtuduiſſe, noua dogmata ſecutum eſſe, viam & fidem ſaltem ſuſpectam tenuiſſe ? Fatetur ſanè ipſe Lutherus ad duos parochos de Anabaptiſmo;rurſum de Miſsâ priuatâ & vnctione ſacerdotum, in papatu eſſe veram ſcripturam & Euangelium ſyncerum in cancellis , veram abſolutionem & veras claues ad remiſſionem peccatorum, verum ſacramentum altaris. Nos verò oſtendimus hæc omnia apud hæreticos non eſſe. Cur ergò ſaltem non tenetis certum , & dimittitis incertum: præſertim in re ſummi momenti : ſi enim veſtri conficiunt & dant (vt putatis) vobis verum Chriſti corpus in Sacramento: Multò certiùs nos. Si ipſi verè abſoluunt ; multò certiùs nos.Si ipſi pro ſe habent ſcripturas,multò magis nos,qui pręterea etiam habemus conſenſum antiquitatis & communem Patrum interpretationem. *Tene ergò certum & dimitte incertum*,ait. Auguſtinus. Sanè ſi tibi ex vnâ parte offerretur piſcis, quem certò agnoſcis:ex alterâ verò anguilla , de quâ dubitares,piſciſne ſit an ſerpens ? an tu malles hanc arripere quàm illum ? Ergò ſi ad ſalutem corporis adeò ſolerter attendimus , par eſt vt ſaluti animæ multò magis inuigilemus.

CONCIO VIII.

Quinam illi parentes,qui porrigunt ſuis liberis pro pane lapidem,&c.

Primo illi parentes lapidem pro pane liberis dant,qui negant illis panem naturalem,qui alunt eos pane furtiuo,& priuant pane ſpirituali.

2. Serpentem pro piſce dant qui intemperanter viuunt qui liberos diuis dououent , & nimis ergo eis ſeueri ſunt.

3. Pro ouo ſcorpionem dant qui nimiùm liberis blandiuntur,omnia eis ad placitum concedunt, & teſtamentum cùm opus eſt non conficiunt.

THEMA.

Quis veſtrum patrem petit panem : nunquid pro pane lapidem dabit illi? Luc. 11.

DIXI aliàs , Dæmonem eſſe primum,qui hoc facere contendat hominibus, mortis A
præſertim in articulo. Dixi rurſum,hæreticorũ prædicantes eſſe , qui hoc faciant imperitæ plebi. Dico nunc amplius,quòd,parentes etiam ipſos eſſe non paucos, qui hoc faciant ſuis liberis. Horrendum eſt quod dico. De Dæmone non mirum,quia is nil aliud quærit,quàm perditionem noſtram.Nec miror de prædicantibus,quia ipſis de pane lucrando , de vxoribus & liberis cura & res eſt. Sed de parentibus quis non miretur? Sanè Chriſtus Dominus ita de iis loquitur in hodierno Euangelio, quaſi eiuſmodi parentes nuſpiam inueniantur. *Quis veſtrum* , inquit, *patrem petit panem; nunquid pro pane lapidem dabit illi?* q.d.quis credat hoc facturum aliquem parentem ? Atque vtinam non inuenirentur. Sed ſi accuratiùs inquiramus , fortè eiuſmodi parentes,non paucos inueniemus;vti nunc videbimus.

PRIMÒ, Lapidem pro pane porrigunt ſuis liberis parentes illi parum pij, qui Primò negant ſuis liberis panem naturalem; vti matres , quæ cùm commodè poſſint, non alunt proprio lacte proles,quas in lucem ediderũt. Id certè videtur naturæ repugnare , ſi enim in vtero ſuo aluerũt imperfectum,quod non viderunt:cur non alant ſed nutricibus tradant,quod iam vident viuere, iam hominem materna officia implorantem? Deinde hoc eſt intercidere coagulũ amoris,quo natura parentes cum liberis ſociauit. Eccur etiam natura matribus turgere facit mammillas & quaſi lagenulas quaſdam lacte replet,niſi ad nutriendas proles ? Arguunt eiuſmodi matres bruta animantia , quæ cum magna inclinatione nutriunt fætus ſuos. Arguunt matres primorum ſeculorum, Sara, Rebecca, Anna, mater ſeptem Machabæorum, Deipara, &c. quæ proprio lacte filios aluerunt. Arguit eos incontinentia, cuius ſe reas produnt , ſi abſque cauſa liberos ſuos alijs dant nutricibus. Maximè vero delinquunt , cùm eos dant nutricibus improbis, impudicis , iracundis , temulentis , crudelibus aut morbo infectis ; conſtat enim tales fere

B. I. Lapidem pro pane dant.

I. *Qui negant illis panē naturalem.*

ferè exiſtere proles, quales fuêre nutrices. Inde Titus Veſpaſiani filius ſemper infirmâ valetudine fuit, quòd ab infirma nutrice lactatus: Tiberius Nero, magnus potator, ideò Bibertus Mero vocatus: quia nutricem habuit vinolentam: Caligula crudelis & ſanguinolentus, quòd eiuſmodi lac ſuxerit. Contrà S. Auguſtinus *in l. Confeſſ.* fatetur ſe cum lacte matris, Dei cultum & venerationem hauſiſſe.

Deinde patres, qui poſt primum triennium non curant alere liberos ſuos, ſed vel miſeræ vxori onus hoc relinquunt, vel rem domeſticam abliguriunt, vel omninò deſerunt liberos ſuos. Similes hi ſunt Aquilæ, vt oſtendit S. Baſilius *hom.* 8 *in hexa.* quæ vnam prolem tædio nutritionis abijcit è nido, tandem & alteram deſerit. *Eiuſmodi parentes*, inquit Baſilius, *ſunt in liberos praduri & inclementes, qui prætextu à paupertate quæſito ſuos infantes exponũt, aut certè iniquiſſimos ſe declarant patrimonio in filios partiendo.* Comparantur item meritò ſtruthioni de qua *Iob.* 29. dicitur: *Derelinquit oua ſua in terra, obliuiſcitur quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat: duratur ad filios quaſi non ſint ſui.* Siquidem eiuſmodi liberi ita derelicti coguntur malis artibus ſe alere, vnde prauis ſocijs ſe adiungunt & diſcunt ludere, furari, peierare, &c. Quò fit vt nõ modò ab hominibus conculcentur, ſed etiam à Carnifice ſæpe exterminentur. Viderint parentes, qui tam durum lapidem pro pane dant ſuis liberis. Certè aues, vti gallinæ, ſtudioſiſſimè alunt proles ſuas, & proprio ori ſubducunt eſcam, vt illis eam partiant: plures ſimul ſub alas ſuas recipiunt & fouent. Erubeſcant igitur parentes, qui hoc negant liberis ſuis.

2. *Qui alũt eos pane furtiuo.* Secundò. Qui porrigunt & procurant quidem eis panem, ſed alienũ, ſed furtiuum, aluntque eos ex iniquo Mammona. Talem enim panem, non tam panem quàm lapidem eſſe teſtatur Sapiens *Prouerb.* 20. *Suauis eſt homini*, inquit, *panis mendacij*, (id eſt, iniquè & cum fraude partus) *& poſteà implebitur os eius calculo.* q. d. Initio quidem ſuauis eſt eiuſmodi panis, quia aquæ furtiuæ dulciores: ſed tandem aliquando fiet lapis, quem non poterunt parentes & filij deglutire, cùm ſtrangulabit eos in iudicio Dei.

3. *Qui non dant eis panem ſpiritualem.* Tertiò. Qui non procurant eis panem ſpiritualem, diſciplinam & inſtitutionem bonam, ſed pro ea dant eis libertatem agendi quiduis, & viuendi prout volunt: aut etiam inſtitutores peruerſos. Dant hi, inquam, liberis lapidem pro pane, quia per hanc licentiam viuendi & libertatem duri, præfracti & lapidei fiunt, vt poſteà nullis artibus coërceri ampliùs queant. Vt enim equi, qui non frænantur à tenera ætate, præfractum os acquirunt, nec poſſunt ampliùs ad nutum equitis verti: Vel enſis, qui non curuatur dum in igne molleſcit, curuari dein ægrè poteſt: ita & iuuentus. Vnde Eccleſiaſticus ait: *Equus indomitus euadit durus, ita filius remiſſus euadit præceps, Eccl.* 30. Neque dicant parentes: Bonæ ſunt indolis filij & filiæ meæ, non indigent culturâ aut cuſtodiâ; ſiquidem malorum conſuetudo poteſt etiam bonos peruertere, & vt ſic dicam, angelos mutare in diabolos; ſi eos inueniat debitâ inſtitutione deſtitutos. *Optima quæque*, inquit Plato *l.* 6. de rep. *ſiue natura ſiue fortunæ munera, ſi negligenter culta fuerint, peſſima tandem euadunt.* Ita enim Iulianus Imp. lac ſuxit piæ ſynceræque doctrinæ, eandemque per adoleſcentiam tenuit: poſt tamen factus eſt peruerſiſſimus. Theodoretus *l.* 3. *hiſt. c.* 1. 3. Non fidunt nautæ maris tranquillitati, quando parant ſoluere, ſed quærunt remos, anchoras, clauos aliaque futuris tempeſtatibus neceſſaria præſidia. Tardè nimis iniicitur frænum equo, cùm iam incipit in præcipitia currere. Hirundinum ac paſſerum matres, quando earum pulli de nido volare primùm cœperint, cum ſtrepitu circum eos volitant neque facilè deſerunt, donec tutò volare poſſunt, vocibuſque pijs teſtantur pericula filiorum. Ita mater S. Auguſtini ſolicita admodum de filij conuerſione fuit; quem etiam Mediolanum vſque ſecuta eſt, nec deſeruit illum, ſed enixè laborauit vt factâ cum S. Ambroſio conſuetudine; ab eo reduceretur ad fidem veram, & vitæ frugem, idque tamdiu donec ſalutem filij in tuto poſitam vidit. Similiter agant parentes & inprimis filias ſuas à latere ſuo diſcedere non facilè permittant, iuxta conſilium Sapientis *Eccli.* 42. *ſuper filiam luxurioſam* (inuerecundam item & leuiculam) *confirma cuſtodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, à detractione in ciuitate & abiectione plebis, & confundat te in multitudine populi.* Quod quidem non rarò fit, cùm parentes ſponſo tradere ſe exiſtimant virginem: & paulò poſt vident tradiſſe corruptam.

Secvndò. Serpentem pro piſce porrigunt liberis parentes illi ſæuiores, qui Primò intemperanter & malè viuunt. Hi enim duplici modo, ſerpentino quaſi veneno inficiunt ſuos liberos, malo inprimis exemplo quando iis præſentibus erumpunt in execrationes, blaſphemias, verba impudica, vel inebriantur, &c. Siquidem hæc prauitatis exempla tam facilè arripiunt liberi, ac ſi à parentibus oblata, imò docta & mandata eſſent. Sic cùm Petrus aliquando Iudæis ſe iunxiſſet & cum illis Iudaicè vixiſſet, arguit eum Paulus quod exemplo ſuo gentiles, quos Chriſto iam pepererat, cogeret iudaizare, *ad Gal.* 2. Itaque iudaizans pater, hoc eſt, vſurarius, irreligioſus, blaſphemus, &c. iudaizare cogit filios. Vnde Plautus *in Pſeudolo.* dixit: *Id ne tu mirare, ſi patriſſet filius?* C. II. *Serpentẽ pro piſce dant.* I. *Qui intẽperanter viuunt.*

Deinde per generationem prauas inferendo inclinationes & communicando malam complexionem, ex qua velut inſito veneno genimina viperarum prodeunt. Ferunt ex ouo Ibidis prodire Baſiliſcum, quod auis illa venenum crebrò deuoret. Pier. *l.* 17. *hierogl.* Eadem ratione ex intemperantibus parentibus, qui veneno vitiorum aſſueſcunt, prodeunt peiores filii, iuxta id *Iſa.* 14. *De radice colubri egredietur regulus.* Ex iracundo vel temulento patre, iracundior vel temulentior filius: ex ſuperba vel laſciua matre, ſuperbior & laſciuior filius. Vnde Diogenes videns adoleſcentem mero ſtupidum & prorſus deſipientem: *Adoleſcentule,*

le, inquit, *temulento ſatus es patre*, teſte Stobæo. Inprimis verò matres ſuas complectiones communiter transfundunt in liberos. Agrippina libidinoſa Neronem filium habuit libidinoſum. Heliogabalus obſcœniſſimus matrem habuit græcam meretricem. Salomon adulteram habuit matrem mulierum plurimarum adamator. Afra prius meretrix Hilariam ſibi ſimilem habuit matrem, antequam conuerterentur. Vnde aliquibus in locis matribus auelluntur ſpurij liberi, ne malâ educatione magis peruertantur. Vti Romæ, vbi educantur in Hoſpitali S. Spiritûs, in monaſterio S. Catharinæ de Funarijs.

2. *Qui diris eos deuouent.* Secundò, Qui diris eos deuouent & imprecationibus malis onerant, quibus inſtar ſerpentum venenum in eos expuunt. Præterquàm enim quòd liberi his execrationibus nihilo meliores euadunt, maximam inde perniciem hauriunt, partim dum auerſos à ſe parentes vident, ſicque auertuntur & ipſi ab eis: partim dum periculo euentûs mali, quem imprecatio expreſſit, ſubijciuntur; eò quòd eiuſmodi maledictiones ſæpe efficaciam habent. Et quod peius venenum eſſe poteſt, quàm deuouere liberos diabolo, morti repentinæ aut infami, peſti aut lepræ, &c. Inter plura exempla alibi recenſita, notabile id quod S. Auguſtinus refert teſtis oculatus, de matre, quæ cùm vidiſſet filios 10. ex maledictione ſuâ tremore membrorum percuſſos, doloris ſtimulis agitata; laqueo ſibi guttur fregit, *l.* 22. *de Ciuit. c.* 8. Quid verò de illis matribus dicam, quæ non ſolùm deuouent, ſed reipſa tradunt dæmoni liberos ſuos & deſponſant, ſagos & ſagas efficiendo? Quid hoc aliud quàm liberis ſuis ſerpentem dare; ſerpentem, inquam, diabolicum? Quod vnquam tam ſæuum animal repertum eſt, quod fœtus proprios exponat & prodat hoſtibus?

3. *Qui nimis erga eos ſeueri ſunt.* Tertiò, Qui nimis erga illos ſeueri ſunt & rigidi. Modus enim adhibendus, & ingenui præſertim liberi magis paternis blandiſque monitis ac munuſculis quàm metu, clamoribus, minis & verberibus ad officium inducendi ſunt. Sic enim monet Apoſtolus ad *Coloſ.* 3. *Patres nolite ad indignationem prouocare filios veſtros, ne puſillo animo fiant.* Bucephalus Philippi, pòſt Alexandri Magni Regis generoſiſſimus equus cum duriùs tractatus eſſet, adeò ſæuus & præfractus eſt effectus, vt neque ſeſſorem admitteret, nec vocem cuiuſquam pati vellet, ideoque inutilis iudicaretur. Videns id Alexander & indignans quòd tam ingenuum equum perdere vellent, accedens habenâ eum comprehendit & cõtra ſolem ſtare fecit, quòd eum ex vmbræ metu conſternari animaduerteret. Tunc demulcto paululùm, ſaltum arripiens inſedit, eumque ad nutum vertit & ad curſum incitauit, adeoque obſequentem reddidit, vt herum inſeſſurum ſponte ſuâ genua ſubmittens, exciperet. Curtius l. 6. Ita ingenui filij ſæpè deſtruuntur nimiâ ſeueritate, blanditijs verò vel ſaltem minarum remiſſione fiunt obſequentes & morigeri.

Maximè verò hi peccant parentes, qui ad certum ſtatum, verbi gratiâ, regularem vel coniugalem nolentes cogunt liberos. Imponunt enim illis onus graue nimis & faciunt eos quodammodo Martyres Diaboli, non aliter ac parentes illi, qui immolârunt filios ſuos Idolo Moloch. Illi enim impellebant liberos ſuos in amplexum ſtatuæ quæ eos brachijs ſuis retinebat donec cremarentur igne ſubiecto intrinſecùs. Interim pulſabatur tympanum, ne eiulatus eorum audiretur. Et dicebant tunc parentes, raptum eſſe filium ad Deum, cùm raptus eſſet ad Diabolum. Ita nimirum parentes aliqui impellunt liberos in ſtatum difficilem, vnde illi referre pedem nequeunt, ſicque cruciatos immolant Diabolo, quos Deo ſe donaſſe putant.

Tertiò. Pro ouo ſcorpionem porrigunt parentes. Primò, qui nimiùm liberis blandiuntur. Vt enim ſcorpio facie blanditur, ex occulto interim caudâ reflexâ vulnerat: ità parentes, dum nimis blandiuntur liberis, venenum infundunt. Ait enim Sapiens *Prouerb.* 13. *Qui parcit virgæ, odit filium.* Et Eccleſiaſticus *c.* 30. *Lacta filium & pauentem te faciet: lude cum eo & contriſtabit te: Non corrideas illi ne doleas & in nouiſſimo obſtupeſcent dentes tui.* Obſtupeſcent, inquam, in altero ſæculo, cùm videbunt liberos ſuos gehennæ addictos; vel etiam in iſto, cùm videbunt eos fortè tradi carnificibus, qualis ille, quem mater valdè indulgenter educauit, & cùm ob ſcelera ſua ad laqueum duceretur, dixit: *non me Iudex, ſed mater mea è patibulo ſuſpendit.* Apud Ianſen. in 23. c. *Prou.* Veriſſimè igitur hac in re dici poteſt: *Qui amat filios ſuos perdet eos; & qui odio habet* filios ſuos *in vitam æternam cuſtodit eos.* D. III. *Pro ouo ſcorpionē dant.* 1. *Qui nimium liberis blandiuntur.*

Secundò, qui quæ plauſibilia quidem, noxia tamen ſunt, eis dant vel concedunt, vti pecunias, veſtes ſplendidas, arma, chartas luſorias, &c. Hæc enim initio blandiuntur & placent, in fine tamen pungunt & inficiunt. Quid enim hoc aliud, quàm intricare illorum conſcientias, onerare dorſa ſarcinis, occaſiones præbere luxui & luxuriæ, vanitati, ignauiæ? Solent namque locupletum filij, ab ipſâ pueritiâ eſſe tumidi, faſtuoſi, præſumptuoſi: contemnunt & derident inferiores: ſibi omnia licere putant, luxu diffluunt, nihilo non audent, opes ſuas ad omnia ſufficere putant: vnde virtutes, artes & ſtudia literarum negligunt & hoc ipſo ignaua pecora fiunt. Quàm viciſſim obſequentes, humiles, obſequioſi, tractabiles, reuerentes ſunt filij pauperum vel mediocris fortunæ parentum, quia non habent vnde extollantur? Hoc videns Theodoſius Imp. filios ſuos, Arcadium & Honorium, Arſenio tradidit imbuendos eâ lege, vt ſi vitam & mores ad diſciplinam & leges Dei componerent, in imperio ſibi ſuccederent; ſin minùs, vitam priuatam agerent. Egnat. Zonaras, &c. Meliùs & honorificentius igitur eſt liberis marte proprio acquirere aliquid, quàm hæreditariò. Magnam partem theſauri à patre ſibi relicti inſumpſit Salomon in vanitates vanitatum, cantores & can- 2. *Qui ad placitum eis omnia concedunt.*

tatrices, palatia & hortos, ſcyphos & vrceos, &c. vti ipſe teſtatur Eccleſiaſtes c.2. Denique ſicut ſcorpio dicitur necare proprium parentem, auctore Plinio *l.*11.*c.*16. ita eiuſmodi filij ditati à parentibus iniurias tandem pro gratiâ illis rependunt. Audiamus exemplum: *Pater quidam locuples*, ait Ioan. Paulus in iocoſerijs *filias honeſtiſſimè elocârat, perſuadent illæ miſero ſeni vt viuus iis opibus ſibi liberos deuinciret, quas mortem ipſius auidè exſpectantes poſt obitum hæreditate conſecuturæ eſſent, id vnum ſanctè pollicitæ de alimentis ſe patri proſpecturas. Et primo quidem anno benignè & liberaliter ab illis tractatus eſt. Verùm cùm præter ſpem ipſarum diutiùs viueret, ſenis pertaſæ pietatis & pactorum immemores duriùs illum tractare cæperunt: ille imprudentiam ſuam aſtu emendare volens, ciſtam ſaxis & arenâ plenam cubiculo ſuo clàm inferri curat, eamq́; nocte aperiēs nummum aureum vnum aut alterum, quos ſolos ex tantis diuitiis retinuerat, repetitis caſibus menſæ incidentes continuâ ſupputatione; voce ſubmiſſâ, ſic tamen vt à genero facilè audiri poſſet, ad immenſam pecuniæ ſummam produxit, & tandem capſam firmiſſimè clauſit. Filiæ manè cauſſam nocturni ſtrepitus, conſciis maritis, auidè exquirunt. Et pater, remotis arbitris, Theſauri mei rationes mecum inire cœpi, filiæ, vt quàm quæque veſtrûm de me optimè merita fuerit, tam quoque poſt obitum meum, cùm viuo me æquales hæreditate fueritis, digna feratis præmia. Eâ ſpe lactatæ æmulatione mutuâ omni officiorum genere patrem proſequi cœpere. Eo mortuo apertâ ciſtâ, plenam ſaxis & arenâ reperere, cum ligneo fuſte, cui linguâ Britannicâ hæc inſculpta erant: Quod pietas non potuit, extorſit auaritia. Nolite, ô patres, committere vt dum indulgentiâ veſtrâ auaritiæ liberorum ſatisfacere cupitis, impietatis maioris occaſionem detis. Exemplo meo prudentiores redditi valete, ſtulti ſuſtuario pœnas luite.*

Sed quid de illis dicam, qui ducunt liberos ad compotationes, choreas, ludos? procurant illis amaſios vel amaſias? nónne hi ſcorpionum aculeos ijs reipsâ infigunt?

3. *Qui teſtamenta, cùm opus eſt, non conficiũt.* Tertiò, Qui cùm poſſint ac debeant, non conficiunt teſtamentum ante mortem, cùm adhuc ſibi præſentes ſunt, & idcircò tricas & diſcordias perpetuaque odia cauſant inter liberos. Quid enim hoc aliud, niſi more ſcorpionis pungere in caudâ ſeu vitæ fine? Ergo proinde agunt atque ille qui cæcis porcum mactandum dediſſe dicitur, quem dum illorum quiſque cædere contendit, ſemetipſos miſerè cæciderunt, vulnerarunt & mactârunt. Sic enim dum de patrimonio litigant liberi, cæci & incauti, ſuas interim animas & ſe inuicem longè grauiùs mactant & conficiunt.

Viderint ergo parentes quid aliquando reſponſuri ſint Domino Deo, ſi in proprium ſanguinem tam ſæui & crudeles fuerint, propriaque viſcera depaſcere non dubitauerint: haud dubiè non mitiùs tractandi quàm parricidæ. Viderint & Liberi vt hæc talia à parentibus oblata ne accipiant, niſi vnà cum ipſis æternùm perire velint.

CONCIO IX.

Sanctorum inuocatio firmatur.

Primò ex S. Scriptura.
2. *Ex ratique.*
3. *Ex vſu & conſenſu Eccleſiæ.*
4. *Ex Miraculis.*

THEMA.

Amice, accommoda mihi tres panes. Luc. 11.

CERTVM eſt, Auditores, magnum noſtrum amicum, ad quem iubemur ire in noſtris neceſſitatibus, non eſſe alium quàm Christum, qui vt amicus noſter fieret, carnem noſtram induit: Vnde *Ioan.* 15. ait: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* Negari tamen interim non poteſt, eſſe nobis alios etiam, etſi minores amicos, quorum interuentu ad magnum illum amicum noſtrum poſſumus venire & omnia quæ volumus, ab eo impetrare. Hi verò ſunt ſancti Dei, Christo amiciſſimi, quos in Litanijs, his diebus inuocamus vt ad magnum illum amicum noſtrum faciliùs veniamus, & quæ poſtulamus ab eodem obtineamus. Sed ecce tibi turbam Hæreticorum noſtri huius temporis, in hos amicos arietantium. Aſſerunt enim iſti ſtultum eſſe & impium, ſanctos inuocare. Impium, quia hoc pacto Deum ſuo honore ſpoliamus eumque ſanctis impendimus: & ita tot Deos fingimus, quot ſunt templorum turres. Stultum verò, quia, vt ludit Caluinus, ſancti non habent tam longas aures, vt preces noſtras audire poſſint, & præterea mortui ſunt, vti ab ipſo vocantur. A.

Sed reuerà miſeri Hæretici, qui hæc talia dicunt ſtulti ſunt & impij, vti palam fiet.

Oſtenditur PRIMÒ. Ex ſcripturâ, quam quidem iactant Hæretici nullibi præcipere Sanctorum inuocationem. Eſto hoc quod dicunt: ſed dicant vbi eam vetet: ſi non vetat, ergò concedit iuxta regulam iuris. Verùm ſanctos orare pro viuis oſtenditur Primò, *Ier.* 15. vbi dicitur: *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Hebr. *Si ſtabit.* Ergò ſtare poterant ad orandum pro populo. Alioquin imperita locutio foret, velut ſi diceres: ſi mortuus pro illo oret, vel brutum, non faciam. Dices, reclamare huic expoſitioni Iſaiam c.63. ait enim; *Abraham neſciuit nos & Iſrael ignorauit nos.* Reſpondeo, patres in limbo poſitos, de quibus vtroque loco cit. eſt ſermo, non cognouiſſe res mortalium, vtpote in obſcuro & extra Dei conſpectum poſitos, ideoque in ſpecie pro hoc aut illo non oraſſe: oraſſe tamen in genere pro omnibus fidelibus. Quare Iſaias aſſerit, fruſtrà inuocari patres in limbo poſitos, vt qui noſtras ærumnas neſciunt. Ieremias verò ait, ſi Moyſes & Samuel in ſpecie orent pro populo ſuo, non audiendos. B. I. *Oſtenditur ex ſcriptura.*

Secundò, 2. Matth. 25. dicitur Ieremias iam

iam vitâ functus apparuiſſe gloriâ & decore mirabilis & multum oraſſe pro populo. *Hic eſt fratrum amator & populi Iſrael; hic eſt qui multum orat pro populo & vniuerſâ S. ciuitate, Ieremias propheta Dei.* Quem locum pro inuocatione Sanctorum citans Origenes *tom. 18. in Ioannem. Apparet*, inquit, *Sanctis, qui ex hac vita emigrârint, curam eſſe de populo, quemadmodum in Machabæorũ geſtis ſcriptum eſt, poſtquã plurimos annos ab obitu Ieremiæ: Hic eſt Ieremias Dei propheta, qui multum orat pro populo.* Sed respondent hæretici & inprimis Caluinus hoc loco preſſus, librum Machabæorum non eſſe canonicum. Non miror, ſolent hoc facere & alijs libris, qui ſibi aduerſantur, vti Epiſtolæ S. Iacobi. Verùm eum canonicum eſſe docet Concilium Carthaginenſe Tertium *Can.* 47. Conc. Trid. *ſeſſ.* 4. Innocentius primus, Gelaſius & alij, quibus maior vtique fides habenda.

Iam ſi orant pro nobis Sancti, quid vetat eos inuocare? ſanè Iacob Patriarcha inuocauit angelum ſuum, additque inuocandum nomen ſuum (ſiquidem & ipſe Sanctus erat) & nomina Patrum ſuorum Abraham & Iſaac, *Gen.* 48. *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris iſtis & inuocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum.* &c.

C. II. Ex ratione. SECVNDÒ, Ex ratione. Si enim inuocare eos nefas aut ſuperuacaneum eſt, id fit, vel quia neceſſitates & preces noſtras ignorant; vel quia ſuo patrocinio nos iuuare nolunt; vel quia licet vellent iuuare, non poſſunt; vel quia illorum inuocatio in honoris diuini detrimentum cedit: ſed nihil horum obſtat; ergò neque nefas neque ſuperuacaneum erit eos inuocare.

Non primum, *quid enim illi nõ vident, qui omnia videntem vident?* ait S. Gregorius 2. moral. c. 3. Et ſanè miſeriores eſſent viuentibus, ſi illis occultarentur, quæ ad ipſos pertinent. Legimus enim Moyſi, Eliſæo, Samueli, Ahiæ & alijs reuelata eſſe à Deo abſentia, quæ ipſos tangebant (*Exod.* 32. 4. *Reg.* 5. & 6. 1. *Reg. vlt.* 3. *Reg.* 14.). Vel ergo vident preces viuentium in Deo, vt vult S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *art.* 4. vel certè cognoſcunt per reuelationem.

Non ſecundum, quia ſunt fratres noſtri, nec charitatem depoſuerunt, quemadmodum ſpem & fidem, ſed perfectiorem ſortiti ſunt. Nónne epulo ille Euangelicus inter medias inferni flammas, ſuorum fratrum meminit & pro illorum ſalute Abrahamo ſupplicauit, *Luc.* 16. ne in eundem tormentorum locum venirent? Ergò iniuriam facit ſanctis, qui illos hac ex parte immitiores illo & deteriores facit. Deinde ſi cùm adhuc in vitâ peregrinarentur, de fratrum ſuorum ſalute erant ſoliciti, vti Moyſes, qui deleri de libro vitæ, & Paulus, qui pro ſuis anathema fieri paratus erat: quantò magis cùm iam extra periculum in ſecurâ ſtatione ſunt? Qui cum alijs nauigâſſet per ingentia pericula & naufragio ereptus portum ſubijſſet, ſi ſociorum adhuc in mari fluctuantium curam omnem deponeret, eoſque periclitantes aſpiciens minimè iuuaret, quid de illo diceres? Nónne crudelem vocares? Propterea inhumanus habitus eſt pincerna Pharaonis, eò quòd eductus è carcere, interpretis & ſocij ſui Ioſephi adhuc in eo detenti memoriam abiecisſet; *Gen.* 40. Scimus etiam Moyſen iniunxiſſe Rubenitis & Gadditis ac dimidiæ tribui Manaſſe, qui ſuam poſſeſſionem iam acceperant cis Iordanem, vt iuuarent fratres ſuos Iordanem tranſituros, donec & ipſi requiem & poſſeſſionem ſuam caperent; ſcirent alioquin ſe grauiter peccaturos, *Num.* 32. idemque replicauit *Ioſue.* c. 1. *Ioſ.* Vnde illi paratiſſimo animo opem eis tulerunt.

Non tertium, quia cùm ſint Dei amici & magni apud eum meriti, vt qui pro eius honore ſtrenuè pugnârunt: quomodo ab eo nil poterunt impetrare ijs, quibus bene cupiunt; quomodo verificabitur illud Pſalmi 138. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis cõfortatus eſt principatus eorum?* Bene ergò S. Chryſoſtomus *ſer. in Iuuen. & Maxim.* ſcripſit: *Sicut milites vulnera in prælio ſibi inflicta regi monſtrãtes, fidẽter loquuntur; ita & illi* (Iuuentinus & Maximus) *in manibus abſecta capita geſtantes & in mediũ afferentes, quæque voluerint, apud regẽ cœlorum impetrare poſſunt.* Adhæc ſi potuerunt ſuis precibus opitulari alijs, cùm adhuc ipſimet in vitâ infirmitate circumdarentur & aliorum ope indigerent: quantò magis hoc poterunt cùm in cœlo regnant innocentiſſimi & Deo coniunctiſſimi?

Non quartum, quia oratio quæ fit ad ſanctos, terminatur in Dei cultum. Vnde nihil illi demitur, ſed potiùs additur maior quædam gloria, quando videlicet homo, velut reus timens obſecrare Deum, adhibet deprecatores Deo charos, qui dum ſuam indignitatem agnoſcit, nónne Dei magnitudinem amplificat. Adhæc nemo neget, regi eſſe glorioſius; cùm ipſi eius aulici vel familiares pro aliquo deprecatum veniunt, quàm cùm vilis homo ſupplicat. Porrò maxima eſt diuerſitas inter inuocationem Dei & ſanctorum: illum enim inuocamus vt authorem gratiæ & bonorum omnium; hos præciſè vt interceſſores; (Dicimus enim Chriſto, *miſerere nobis*, Sanctis: *Ora pro nobis*) qui honor tantũ abeſt, vt diuinus ſit, vt Deo conuenire nequeat, cùm inuoluat imperfectionem. Adhæc non derogatur Deo honor cùm viuentes orant pro viuentibus; (ſic enim Apoſtolus petiit adiuuari fratrum orationibus, vti *Rom.* 15. *Col.* 4.) ergo nec cùm beati orant pro militantibus. Sed derogamus, inquiunt, Dei ſcientiæ & bonitati, quaſi per ſanctos primùm debeat intelligere noſtras calamitates & moueri ad opitulandum. Ridiculum eſt hoc: ſic enim nec ipſi pro nobis Deum orare deberemus; ſiquidem non aliter inuocamus ſanctos; niſi vt faciant hoc, quod nos facimus, quia meliùs & efficaciùs id facere poſſunt. Nec etiam poſſemus petere panem à parentibus, ſcientiam à Doctoribus, à Medicis medicinam, quia ſcimus hæc dona à Deo tanquam à primo ac præcipuo fonte fluere.

Neque per hoc Chriſto quidquam derogatur, quaſi præter ipſum conſtituamus alios Mediatores inter nos & Deum, Chriſtum in hoc ſenſu ſolùm agnoſcimus Mediatorem, quia nimirum,

mirum, ipſe ſolus nos redemit, ſolus ſuis meritis patri reconciliauit, & precibus ac operibus aliorum vim merendi tribuit. Nihil horum Sanctis tribuimus, etiam cùm eos Mediatores appellamus. Authoritatem tantùm illis attribuimus pro nobis interueniendi, à Chriſto profectam eiſque communicatam, ita vt quidquid impetrant, non niſi per Chriſtum impetrent: id quod Chriſti gloriam amplificat, non diminuit. Itaque ſicut Chriſtus per excellentiam eſt noſter Pater, Magiſter, Dominus: interim tamen & alios vocamus patres, Magiſtros & Dominos: ita præter ipſum Mediatorem poſſumus & alios hoc nomine honorare, etſi magno cum diſcrimine.

D. III. Ex vſu & Conſenſu Eccleſiæ.

TERTIÒ. Ex vſu & conſenſu totius Eccleſiæ, vt patet ex antiquiſſimis etiam Patribus, Origene, Cypriano, Auguſtino, Ambroſio, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Chryſoſtomo, & alijs.

1. Primò enim ſemper ſoliti ſunt inuocare ſanctos, vti crebrò facit in ſuis ſermonibus Sanctus Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus alijque. S. Auguſtinus antiquitatis ſcientiam habens exploratiſſimam, ſerm. 16. de Annuntiat. ſcribit verba illa decantatiſſima. *Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes*, &c. Conſtat etiam S. Gregorium M. Romæ tempore peſtis, Litanias indixiſſe anno D. 590. & in ijs ſanctos inuocaſſe, Deiparæ quoque imaginem circumgeſtâſſe.

2. Secundò, ſemper ſoliti ſunt ſupra ſepulchra & memorias martyrum Miſſas celebrare quod quidem Fælix Papa, qui ſub Aureliano Imp. anno D. 275. martyrio coronatus eſt, decreto ſanxiſſe legitur: ante ipſum tamen ex traditione ſaltem fieri conſueuit: vt ibi Baron. Ad quid autem iſtud factum eſt, niſi vt per interceſſionem ſanctorum, preces & ſacrificia hominum Deo gratiora fierent?

3. Tertiò, ſemper in eorum memoriam templa ſolita ædificari; quamprimùm ſcilicet Eccleſia pacem à perſecutione habere cœpit, vti conſtat ex varijs Concilijs & Patribus apud Bellarm. *Contron. de ſanctis l. 3. c. 4. concl.* Et quid aliud teſtantur templa Chriſtianorum per vniuerſum orbem extructa eáque ſæpe antiquiſſima niſi cultum & inuocationem ſanctorum, quos ſibi ſingulæ ciuitates & parochiæ in Patronos elegerunt?

4. Quartò, A ſanctis plurimæ ciuitates, oppida & monaſteria per vniuerſum orbem nomen ſibi ſumpſerunt & retinent in hodiernum. Et cur, niſi vt ſub eorum patrocinio tutiùs degerent?

E. IV. Ex miraculis.

QVARTÒ. Ex miraculis. Primò à S. Bernardo factis in confirmationem huius rei. Cùm enim contra Henricianos, qui inter alias hæreſes reijciebant inuocationem ſanctorum, prædicaſſet, populo offerente panes vt eis benediceret, benedicebat ille ſigno S. Crucis edito, dicens: *In hoc ſcietis vera eſſe quæ à nobis, falſa quæ ab Hæreticis ſuadentur, ſi infirmi veſtri guſtatis panibus iſtis adepti fuerint ſoſpitatem.* Et cùm Epiſcopus Carnotenſis Gaufridus, qui aderat, timens diceret: *Si bonâ fide ſumpſerint, ſanabuntur.* Bernardus de omni virtute nihil hæſitans: *Non hoc ego dixerim,* ait, *ſed verè, qui, guſtauerint, ſanabuntur vt proinde veros nos & veraces Dei nuncios eſſe cognoſcant.* Tam ingens multitudo languentium guſtato eodem pane conualuit, vt per totam prouinciam verbum hoc diuulgaretur. Ita in eius vitâ l. 3. cap. 5.

Accedunt infinita penè miracula, quibus ſancti demonſtrarunt ſe audire preces viuẽtium & poſſe ac velle eos iuuare. Ac ne dubitemus de fide ſcriptorum, plurima illorum ſcripta ſunt à viris SS. vti à S. Nilo *in epiſt. recitatâ in 7. Synodo act. 4.* Ambroſio *ſermone* 90. Auguſtino *l. 22. de Ciuit. c. 8.* Gregorio Turonenſi *in l. de gloria Martyr. & Confeſſ.* Gregorio Magno Papa *l. 3. dial.* S. Bonauent. *in vitâ S. Franciſci.* Bernardo *in vita S. Malachiæ*, &c.

Taceo quæ paſſim in varijs locis hodiéque fieri conſueuerunt; quæ omnia negare & fraudis accuſare, inſani aut impudentiſſimi hominis eſt. Narrat S. Auguſtinus *l. 22. de Ciuitate Dei c.* 8. inter alia memorabile exemplum de honorandis & inuocandis ſanctis, quámque in ſibi ſupplices benigni ſint ac beneuoli. Accipite S. Patris verba: *Erat quidam ſenex Florentius Hipponenſis noſter: homo religioſus & pauper, qui Sartoris ſe arte paſcebat, caſulã perdiderat, & vnde ſibi emeret non habebat: ad viginti Martyres, quorum memoria apud nos eſt celeberrima, clara voce vt veſtiretur orauit. Audierunt eum adoleſcentes, qui fortè aderant irriſores: eumq́ diſcedentem exagitantes proſequebãtur: quaſi à martyribus quinquagenos folles, vnde veſtimentum emeret, petiuiſſet. At ille tacitus ambulans, eiectum grandem piſcem palpitantem vidit in littore eumq́, illis fauentibus atque iuuantibus apprehendit, & cuidam coco Carchoſo nomine, bene Chriſtiano, ad coquinam conditariam, indicans quid geſtum ſit, trecentis follibus vendidit, lanam comparare inde diſponens, vt vxor eius, quomodo poſſet, ei, quo indueretur, efficeret. Sed coquus conſcindens piſcem, annulum aureum in ventriculo eius inuenit, moxq́, miſeratione flexus, & religione perterritus, homini eum reddidit; dicens: Ecce quomodo viginti martyres te veſtierunt?* Eſt autem hoc loco follis nummi genus.

Ergo, Auditores, ſi magnum illum amicum noſtrum adire forſitàn timemus, quia ſcilicet Iudex eſt & cenſor noſtrarum actionum: aſſumamus amicos minores, ſanctos, inquam, & horum interuentu, quaſi quodam malleolo foribus appẽſo, oſtium pulſemus, vt Chriſtus nobis oſtium miſericordiæ dignetur aperire. Sancti in cœlo veluti campanulæ ſunt domeſticæ, quæ intus appenſæ foris pulſantur vt excitent Dominum ad aperiendum. Funiculus eſt oratio, quâ campanis illas mouemus. Verùm ne putemus totum eſſe poſitum in ſanctorum precibus. Audiuimus enim ex Ieremia: *ſi ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Ergo niſi ſanctorum precibus iungamus vires noſtras, parum aut nihil efficiemus. Habent enim, inquit S. Chryſoſtomus *hom.* 5. in Matth. *vim pro nobis, & quidem maximam orationes ſupplicationesq́ ſanctorum; ſed tunc profectò* cùm

cùm nos quoque idipſum per pœnitentiam poſtulamus & ad ſtudia meliora confugimus.

CONCIO X.

Supplicationum ritus.

Probatâ Supplicationum antiquitate aſsignantur ritus & cæremoniæ in iis fieri ſolitæ earumq́ rationes & ſignificationes:

1. *Præfertur Crux & vexilla.*
2. *Cantantur litaniæ.*
3. *Geſtantur SS. Reliquiæ & imagines.*
4. *Adhibentur faces & cerei ardentes.*
5. *Proceditur ordine bini & bini, præcedentibus parvulis.*
6. *Adhibetur aliqua mortificatio procedendo pedibus, habituq́ vulgari, &c.*

THEMA.

Quis veſtrûm habebit amicum & ibit ad illum media nocte? Luc. 11.

A. REm antiquam & omnibus notam gentibus eſſe ſupplicationem, quà populus in cœtum conuenire & vnà Deum precari in afflictione ſolet, non difficilè oſtendi poteſt. Nota fuit inprimis antiquis Chriſtianis, vt teſtatur ſupplicatio & Litania S. Gregorij Magni, anno Dom. 590. Romæ habita contra peſtem. Supplicatio Procli Epiſcopi Conſtantinop. ſub annum 36. imperij Theodoſij habita Conſtantinopoli contra terræ motus. Supplicatio inſtituta à Mamerto Epiſcopo Viennenſi in Gallia circa annum Domini 470. aliæque. Nota fuit Hebræis, è quorum numero Ioël Propheta c. 2. ſupplicationem indicit his verbis: *Canite tubâ, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate paruulos & ſugentes vbera. Et dicent: parce Domine, parce populo tuo,* &c. Supplicationem inſtituit Ioſue, cùm vrbem Iericho ſepties circũiens muros eius ſubuertit, *Ioſ. 6.* Rurſum Dauid cùm reduxit ad ſe arcam fœderis 1. *Par.* 13. Denique Ioſaphat Rex, quando vidit venire contra ſe multitudinem inimicorum, cui reſiſtere non poterat 2. *Par.* 20. Taceo Iudæos illos, qui cum Iaddo Pontifice ſuo, Alexandro Magno ad ſe venienti cum exercitu, extra vrbem Ieroſolymam obuiam prodiêre in formâ ſupplicationis, & incolumitatem ſibi & vrbi obtinuêre apud Ioſephum *l.* 11. *Antiq. c.* 8. Nota fuit Ethnicis, è quibus Romani imprimis, cùm victoriæ ſpes affulgebat, Deorum templa aperiebant & ſupplicationes ad illa inſtituebant votaque faciebant, apud Io. Roſinum *in Antiq. l.* 10. *c.* 28. Et quid multa? Ipſæ etiam beſtiæ ſupplicationis quandam formam agnoſcere videntur. Memorat enim Ælianus *l.* 4. *hiſt. animal. cap.* 9. Elephãtes, ab interlunio recreſcente Luna ob quædam ſibi naturæ indita recondita, ex ſylua vbi gregatim paſcuntur, decerpere ramos eoſque ſublimes ferre atque ad Lunam ſuſcipientes leniter mouere tanquam ſupplicationem quãdam Lunæ prætenderent. Mirum itaque eſt, quòd Hæretici huius temporis ſupplicationes noſtras rideant, quaſi inauditas & peregrinas. Nimirum ipſi nuper primùm nati ſunt. Vnde omnia ipſis noua ſunt, quia ipſi noui. Ergò ducemus eos ad venerandam antiquitatem paulisper contemplandam. Eccleſia, ſponſa Chriſti *Cant. 6. terribilis* appellatur *vt caſtrorum acies ordinata.* Habet autem aciei bellicæ formam & ſimilitudinem, potiſſimùm in ſupplicatione publica. Ibi enim geſtantur vexilla quemadmodum & in acie, ſed cruce Domini inſignita: ibi auditur cantus Litaniarum & Hymnorum, quaſi ſonitus tubarum & tympanorum: ibi feruntur ſanctorum ſæpè imagines & reliquiæ, quaſi tormenta bellica: ibi geſtantur faces vel cerei ardentes quaſi igniarij funiculi quos gerunt ſclopetarij: ibi ordinatè omnes procedũt bini, terni vel quaterni, quemadmodum & in acie milites; ibi omnes inſtructi roſariis quaſi armis ſpiritualibus, haſtis vel balliſtis: ibi præmittuntur iuniores, quaſi flos militiæ: ibi denique militaris quaſi diſciplina cernitur in fidelibus.

B. I. Præfertur Crux & vexilla.

PRIMÒ igitur præferuntur crux & vexilla crucis. Nec immeritò; nam Primò ſic monſtramus orbi inſignia noſtra & profitemur publicè, 1. militare nos ſub cruce, nec de ea erubeſcere ſed potiùs gloriari, ſicut ſæpè monet Apoſtolus; velut ad *Hebr. vlt. Exeamus ad eum extra caſtra,* inquit, *improperium eius portantes.* Secundò, re- 2. præſentamus orbi victoriam Chriſti, quam per mortem, reſurrectionem & aſcenſionem ſuam retulit de Diabolo, morte, peccato. Hinc enim imagini Chriſti reſuſcitati vexillum attribuitur, in quo crux ſignificat inſtrumentum, quo mediante victoria illa parta fuit, velum autem è ſerica confectum tela, gloriam corporis rediuiui Chriſti, quaſi ſpolium hoſti detractum. Tertiò, Inſultamus aëreis poteſtatibus earumque aſſeclis, Tyrannis, Hæreticis & quibuſcunque crucis Chriſti inimicis; & quodammodo dicimus: *Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus?* Ecce baculum illum quo percuſſi & debellati ſunt tartarei canes, Dæmones, Perſecutores, Hæretici. Labarum illud, quo vſus eſt Conſtantinus Magnus in præliis ſuis, præſertim contra Maxentium, inſignem ei victoriam peperit; ad quamcumque enim aciei partem ferebatur, eam mox confirmabat: tela in geſtatorem miſſa, in ſe excepit, ipſo incolumi, vt ſcribit Euſebius Cæſar. *l.* 2. *de vita Conſtantini,* Sozom. *l.* 1. *hiſt. Eccleſ. cap.* 4. Eodem Crucis vexillo fretus Theodoſius Imperator cum Eugenio Tyranno, etſi viribus impar, confligere non dubitauit. Suadentibus enim quibuſdam prælium omittendum eſſe: *Abſit,* inquit, *id agamus: Exercitui meo Crux præit: illius copias Hercules ducit.* Itaque glorioſè vicit diuino fultus præſidio. Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 39. Ita confirmamur nos præſentiâ & aſpectu crucis. Denique ſignificamus hanc eſſe cœli re- 3. giam viam, quam oporteat ſequi, crucem ſcilicet, hanc eſſe columnam ignis & nubis, quæ nos ducere debeat per deſertum huius mundi ad terram illam lacte & melle manantem, cœlum.

SECVNDÒ, Cantantur Litaniæ, in quibus inuocatur

C. II. Cantatur Litaniæ.

inuocatur inprimis Deus velut fons & dator bonorum omnium, voce, *Kyriè eleyſon*, id eſt, Domine miſerere: Deinde ſancti velut Interceſſores, voce *ora pro nobis*. Ergò inprimis hoc cantu Dei opem & ſanctorum ſuffragia inuocamus. Deinde animos fidelium ad feruorem orationis & hilaritatem ſpiritus excitamus. Ita enim S.Bernardus *ſerm.2.de Purif.* ait: *Quoniam hilarem datorem diligit Deus & fructus charitatis eſt gaudium in ſpiritu ſancto, cantemus in viis Domini; quoniam magna eſt gloria Domini.* Denique hoc perterrere volumus Eccleſiæ inimicos ſeu viſibiles ſeu inuiſibiles. Neque enim ſemel eo cantu incantati ſunt mortiferi ſerpentes vt nocere non poſſent Eccleſiæ Chriſti: narrat Paulus Diaconus l.16. Antiochiam ciuitatem à terræ motibus diuturnis liberatam eſſe, poſtquam ciues qui remanſerunt vnâ voce conclamârunt: *Kyrie eleyſon*. Idem ſub Theodoſio iuniore obtentum Conſtantinopoli eiuſdem vocis ingeminatione, ſuprà diximus, & ſcribit Nicephorus *l.14.hiſt.c.46.* Henricus Auceps Imperator Vngaros Saxoniam vaſtantes expulit ac deuicit, dum in eos irrueret clamante vniuerſo exercitu: *Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon*; Vngaris econtrà clamantibus: *hui, hui, hui*, apud Cranzium *l.3. Metrop.Sax.c.8.*

D. III. Geſtantur SS. reliquiæ & imagines.

TERTIÒ. Geſtantur etiam multoties ſacræ reliquiæ & imagines Sanctorum.
1. Primò. Vt eorum quaſi præſentium patrocinio fortiores fiant preces noſtræ & illorum ſaltem interuentu audiantur, ſi ob merita noſtra audiri non mereantur. Sicut enim Iacob deliniuit fratrem Eſau ſibi obuiantem præmiſſione munerum, nec non paruulorum ſuorum, *Gen.33.* ita ſperamus etiam Deum facilius nobis placandum, ſi in noſtris precibus repræſentemus & quodammodò obuiam mittamus amicos eius fideles, ſanctos, quaſi munera grata & fratres noſtros. Fuêre enim illorum corpora Spiritûs ſancti organa. Et ſi ira Dei quieuit & ſubſtitit, graſſante igne in Hebræos; cùm interpoſuit ſe Aaron inter viuos & mortuos, *Num.16.* Cur non idem ſperare poſſumus, ſi ſanctorum lipſana ante nos geſtemus:
2. Secundò. Vt illorum præſentiâ animemur ad feruentiores preces maioremque in Deum fiduciam concipiendam. Quis enim neſcit animari pugilem, cùm ei periclitanti robuſtus alius miles ſuccurrit?
3. Tertiò. Vt illorum præſidio, dum ſic eos honoramus & inuocamus, muniamur contra hoſtes noſtros. Non legimus vndenam arma acceperint Iſraelitæ egredientes de Ægypto: & tamen *Exodi 13.* dicuntur egreſſi eſſe *armati*. Armati igitur erant oſſibus Ioſephi Patriarchæ, quæ (vt ſtatim ibi ſubditur) ſecum aſportârunt ex Ægypto, velut reliquias ſanctiſſimi viri & defenſoris ſui. Idem fecêre paſſim Chriſtiani in ſuis ſupplicationibus, vti Rhemenſes, qui aſſumptâ pallâ de ſepulchro S. Remigij accenſis ſuper Cruces cereis, pſallentes circuierunt Vrbem & vicos, & quacumque deflexerunt, ea loca immunia fuerunt à lue inguinariâ, quæ per vrbem ſæuiebat, apud Greg. Turon. *l.4.hiſt.c.5.* Idem imitati ciues Cæſarauguſtani obſeſſi à Childeberto & Lothario, Vrbem enim circuierunt cum tunicâ S. Vincentij, effeceruntque vt hoſtes mox obſidionem ſoluerent, eodem auctore l.3. *cap.29.* Idem fecêre Edeſſeni cum imagine Chriſti miſſa ad Abagarum Edeſſæ regem. Obſeſſi enim à Coſrhoe Perſarum rege, extulerunt imaginem ad murum ciuitatis verſus hoſtium aggeres è lignis confectos, factumque vt inde inflammati aggeres conflagrârint, hoſtemque cum dedecore diſcedere coëgerint: Niceph. *l.2.hiſt.c.7.* Euagrius *l.4.hiſt.c.29.* Euſebius *l.1.hiſt.c.13.* Scribit Lampridius *in hiſt. Alex.* & Cagnol. *in lib.1. ff. ſi cert. pet.* Vlpianum Iuriſconſ. purpurâ Doctorali oppoſitâ repreſſiſſe impetum armatorum militum, qui irruebant in Seuerum Imp. Talis nobis purpura ſunt reliquiæ ſacræ, maioris procul dubio efficaciæ contra hoſtes noſtros, quam fuerit illa Doctoralis.

E. IV. Adhibentur cerei ardentes.

QVARTÒ. Adhibentur ſæpe faces & cerei ardentes.
1. Primò. Vt hac cæremoniâ Deum honoremus, igne, inquam, velut clariſſimo, ſupremo & potentiſſimo elemento, quod inſigne diuinæ maieſtatis eſt. Hinc enim Deus in rubo Moyſis, in columna, in monte Sina, in templo & alibi cùm eius regia aut iudiciaria poteſtas exprimitur, in igne apparuit; imò *Deut.4. ignis conſumens* appellatur, eumque ignis præcedere dicitur *Pſal.49. & 96.* Vnde & Imperatoribus olim præferebatur ignis, teſte Herodiano in Commodo Imp. Holoferni quoque obuiam ierunt vrbes cum coronis & lampadibus vt eum ſibi conciliarent, *Iudith c.3.* Veſtales etiam Romanæ ad honorem Veſtæ Deæ ignem perpetuum fouere adſtringebantur.
2. Secundò. Vt noſipſos admoneamus officij noſtri, quo iubemur occurrere ſponſo animarum noſtrarum, Chriſto, cum lampadibus accenſis, iuxta monitum Saluatoris: *ſint lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Ardentes, inquam, igne charitatis ſeu fide viuâ. Qui gratiam obtinere vult à principe, amicum ſe eius demonſtrare debet: pari modo, ſi à Deo in noſtris ſupplicationibus cupimus audiri, in ſtatu gratiæ eſſe nos oportet, cuius rei admonet nos ardens cereus. Fatuæ illæ Virgines à nuptijs excluſæ fuerunt quia hoc igne caruerunt.
3. Tertiò. Vt doceamur feruidè & ardenter quærere atque orare Deum. Sic enim mulier illa, quæ drachmam ſuam perdiderat, accendit lucernam & euerrit domum, quæſijtque diligenter, donec inueniret. *Luc.15.* idemque dudum anteà præcepit Iſaias *c.11.* dicens: *Si quæritis, quærite, conuertimini & venite.* q. d. quærite ſedulò & efficaciter, adhibendo media debita; quo modo dicimus: *age quod agis.* Hinc oratio thuri comparatur ſeu incenſo, quia cum igne deuotionis euolare ad cœlum debet: hinc orare iuſſi ſumus: *Pater noſter qui es in cælis*; vt fortiter clamemus (ſpiritu, non ore) quò nimirum audiamur à Deo in cœlis conſtituto, nos in terrâ poſiti. Hoc igne arſerunt duo illi diſcipuli peregrinantes, qui dicebant: *Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, &c.* Luc.24. Hanc
cauſam

cauſam reddit, S. Bernardus *ſer. 2. de purificat.* his verbis: *Ipſa denique opera noſtra in feruore agenda ſunt & in deſiderio cordis vt ſint Lucernæ ardentes in manibus noſtris. Alioquin timendum eſt ne forte tepidos nos euomere incipiat, qui in Euangelio dixit: Ignem veni mittere in terram & quid volo niſi vt ardeat?*

F. V. Proceditur cum ordine. 1. *Bini & bini.*

QVINTÒ. Proceditur cum ordine; & Primò plerumque gradiuntur bini & bini, partim in ſignum pœnitentiæ, quando & animalia inſtante diluuio in arcam Noë, bina & bina ingreſſa, leguntur, *Gen. 7.* partim ad commendationem fraternæ charitatis, quam etiam Saluator commendare voluit diſcipulis cùm ad prædicandum binos & binos miſit? vti docet S. Bern. *ſer. cit.* vbi addit: *Turbat proceſſionem ſiquis ſolitarius incedere curat: nec ſibi ſoli nocet, ſed etiam ceteris eſt moleſtus. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes, nec ſoliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.*

2. *Præceduñt paruuli.* 1.

Secundò, Præmittuntur communiter paruuli. Primò. In ſignum humilitatis, quâ eos nobis præponimus velut innocentes nocentibus. Ita S. Bernardus loco indicato vbi ait: *Humilitas virtus maxima maximeq́; neceſſaria eſt, vt honore præueniamus inuicem, nec modò priores, ſed & ipſos iuniores ſibi quiſque præponat, quæ nimirum humilitatis perfectio eſt & iuſtitiæ plenitudo.* Secundò: In ſignum deditionis, quâ Deo inſinuemus nolle nos cum eo pugnare, ſed pacem & gratiam petere; ſi enim pugnare vellemus, fortiores præmitteremus, quod ſolet fieri in prælio. Ita Elephantes, cùm inſidiantur eis venatores, congregati præmittunt & in acie conſtituunt eos qui minimos habent dentes, quaſi non veniant ad pugnandum, vtpote armis deſtituti, vel ne dentium cauſâ inſidias patiantur; quod refert Ælianus *in hiſt. animal.* Tertiò, In ſignum deprecationis, quâ per innocentes Deum nobis placemus & culpam deprecemur. *Efficax eſt puerorum baptizatorum oratio,* inquit Gerſon *in ſer. de orat. in quibus nondum vigent carnalia deſideria, quia per regenerationem facti ſunt filij Dei & placabiles ei.* Ita Iacob obuians Eſau fratri, præmiſit paruulos ſuos, quo mitigaret eius odium, vti & factum, *Gen. 33.* Volumus ergò hoc ritu dicere Deo, quod olim ei dixit Abraham: *Nunquid perdes iuſtum cum impio? Gen. 18.* q.d. ſi vis punire reos, parce ſaltem eis propter innocentes. Eodem certè argumento motus Deus pepercit Niniuitis; ait enim Ionæ: *Ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt inter dexteram & ſiniſtram?* hoc eſt, paruuli & infantes. *Ion. 4.* Elephantes amnem tranſmiſſuri dicuntur iuniores præmittere, ne maiores mole ſuâ amnem efficiant altiorem, auctore Barth. Angl. *l. 18. c. 41.* Itaque & nos præmittimus iuniores, ne adultorum peccatis in Dei conſpectum adductis ira eius ingraueſcat, ſed potiùs mitigetur. Hac arte placatus fuit S. Henricus Imp. & Troiæ tum Italiæ ciuitati reconciliatus, vti ſcribit Glaber. Cùm enim Troiam obſideret, & ciues ſpe auxilij à Baſilio Græcorum Imperatore ferendi, ad quartum menſem obſidionem ſuſtinerent, nec non Imperatori ſuis ignium iaculationibus & eruptionibus multa inferrent damna (ita vt iuraret Imperator ſe quidquid ſtirpis virilis in vrbe eſſet, in furcas acturum, vrbemq́ue ſolo æquaturum) tandem ſeſe dedere coacti, ſupplicationem talem ad Imperatorem inſtituerunt. Virum religioſum habitu monachi rogant, vt ducem ſe legationis præbeat, crucem geſtet, huic quidquid in vrbe pueritiæ erat, ac prope infantiæ, adiungunt certo ordine: caſtra ingrediuntur, clamant omnes *Kyrie eleiſon.* Cumq́ue iam vox aures Imperatoris feriret, illachrymabat ille: cumq́ue illi veniam precarentur, remiſit eos in vrbem. Et ait: *Nouit ille Cardiognoſta Deus, ciues impios & perduelles, cauſam potius horum necis quàm me eſſe.* Obſeſſi cùm animum Imperatoris motum, non tamen victum viderunt, eandem illi ſupplicationem poſtero die mittunt. Imperator vbi innocentium voces, *Kyrie eleiſon,* audiuit, vltrò ſurrexit & progreſſus ad ſpectandum, illud Domini edixit: *Miſereor ſuper turbam;* pacemq́ue ciuibus eâ lege dedit, vt eam murorum partem, quæ molibus illius bellicis erat obiecta, demoliretur, quos & pacis acceptis conditionibus, ſaluos voluit & murum deiectum reſarcire imperauit. Iam igitur ſi aſpectus innocentum in formâ ſupplicationis potuit expugnare cor irati Imperatoris & pacem vrbi toti adeoq́ue hoſtibus impetrare, non temerè ſperamus idem quoque à Deo nobis impetrari poſſe.

G. VI. Adhibetur aliqua mortificatio.

SEXTÒ. Adhibetur aliqua mortificatio. Primò pedibus omnes incedunt & detecto capite ad exemplum Dauidis, qui exulans à regia ſuâ fugit Abſalonem flens, nudis pedibus incedens operto capite 2. *Reg. 15.* operuit ipſe caput in ſignum luctûs: nos caput diſcooperimus in ſignum humilitatis & reuerentiæ. Significamus autem hoc ritu Primò, oportere nos per multas tribulationes ingredi in regnum cœlorum, iuxta id *Pſal. 125. Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Vt enim Hebræi (de quibus hic ſermo) cum labore & faſtidio quidem reuerſi ſunt ex Babylone in patriam, eâ tamen poſſeſsâ gaudio impleti ſunt: ita ſperamus nos poſt laborioſum vitæ huius iter ad cœleſtem ingredi patriam. Secundò, decere omni modo vt Chriſtum Ducem noſtrum cruce oneratum exeuntem ad mortem pedibus ſubſequamur, quomodo etiam Dauidem exulantem pedeſtres ſecuti ſunt eius aulici. Hinc ſumma quæque capita non erubuerunt proceſſiones pedibus comitari, vti S. Ludouicus Galliæ rex, qui nedum in terrâ, ſed etiam in mari cùm tempeſtas ingruebat, ſupplicationes pedibus inſtituebat. S. Pulcheria Auguſta & ipſa pedes frequentabat ſupplicationes, teſte Cedreno. Eius quoque maritus Marcianus Imp. vir ſummâ religione præditus in publicâ ſupplicatione alijs præire conſueuit, teſte Nicephoro *l. 15. cap. 15.* Thomas Morus priuſquam eſſet Angliæ Cancellarius crucem in proceſſionibus publicis ſacerdoti

1. *Pedibus incedunt.* 1.

2.

doti præferebat. Factus Cancellarius non potuit adduci vt in prolixioribus proceſſionibus, quæ fiunt his rogationum diebus, equum aſcenderet. Dicebat enim? *Nolo Dominum meum* (crucifixi imaginem) *peditem eques ſequi.* Stapletonus in eius vita *ca.6.* conformiter Concilio Moguntino, quod hoc præcipit *Can.* 34. *non equitando,* &c.

2. *Habitu vulgari.* Secundò. Habitu vulgari, non pretioſo, ſed lugubri potiùs & vili, quod etiam præcipit Concilium Moğunti. *loco cit. nec pretioſis induti veſtibus*, &c. Ratio eadẽ quæ ſuperior. Etenim Primò ad Deum velut pœnitentes mendici imus, gratiam eius imploraturi; non conuenit autem mendicis & pœnitentibus habitus pretioſus. Scimus enim Deum præcepiſſe Hebræis poſt adoratum vitulum, pœnitentibus: *Iam nunc depone ornatum tuum vt ſciã quid faciam tibi, Exod.* 33. q. d. depone arma, quibus me oſtendiſti, faſtum & ſuperbiam tuam tunc fortè propitiabor tibi. Hoc aduertens Theodoſius Senior Imp. pugnaturus cum Eugenio Tyranno, in ſummo rei periculo, cum ſupplicatione abijt orationum loca vnà cum Sacerdotibus & populo, & ante martyrum thecas proſtratus iacuit cilicio indutus, auxilium efflagitans, vti narrat Ruffinus *l.* 2. *c.* 33. Similiter Theodoſius iunior in proceſſione, de qua ſuprà, priuato habitu proceſſit indutus & diſcalceatis pedibus, apud Nicephorum *l.* 14. *c.* 46. Quibus accedit, quod S. Antoninus 3. *p. hiſt. ti.* 22. §. 32. ſcribit proceſſionem ſuo tempore inſtitutam cum ieiunio in pane & aqua habitu quaſi religioſorum in cappis albis lineis, caput velantibus (relictis tantùm ad oculos foraminibus) ad talos vſque protenſis. Rurſum quod S. Gregorius Turon. *l.* 3. *hiſt. c.* 29. Mulieres amictus nigris pallijs diſſolutâ cæſarie ac ſuppoſito cinere, alios cum cilicio & ieiunio, per ſupplicationis ritum impetraſſe liberationem ciuitatis Cæſar-auguſtanæ à Childeberto & Clothario obſeſſe.

Quæ omnia ſatis, opinor, ſuperque oſtendunt neque nouas, neque irrationabiles eſſe ſupplicationes, quas peragit Eccleſia. Supereſt vt nos hæc, quæ externo ritu agimus, animi quoque ſenſu deuotè peragamus & maiorum noſtrorum pietatem piè æmulemur.

CONCIO XI.

Oratio Dominica remedium cõtra ſeptem vitia Capitalia.

Septem vitijs capitalibus opponuntur ſeptem petitiones Orationis Dominicæ, ac.

1. *Contra ſuperbiam petimus*, Sanctificetur nomen tuum.
2. *Contra auaritiam.* Adueniat regnum tuum.
3. *Contra iram:* Fiat voluntas tua.
4. *Contra gulam:* Panem noſtrum &c.
5. *Contra inuidiam:* Et demitte nobis &c.
6. *Contra luxuriam:* Et ne nos inducas.
7. *Contra acediam.* Sed libera nos à malo.

Conc. Fabri Pars Æſtiualis.

THEMA.

Sic ergo vos orabitis: Pater noſter qui es in cœlis. Matth. 6.

A Narrat in Apocalypſi Ioann. *c.* 13. ſe vidiſſe beſtiam ſepticipitem de mari aſcendentem: quam admirata eſt vniuerſa terra, & adorauerunt, dicentes: *Quis ſimilis beſtia, & quis poterit pugnare cum ea?* Si non iſta, ſaltem non abſimilis beſtia eſt peccatum, quod de mari huius mundi aſcendens & ſeptem criminibus capitalibus horridum, penè vniuerſam poſt ſe trahit terram ad ſui admirationẽ & venerationem. Sed (vt totus mundus abeat poſt beſtiam illam) abſit à nobis vt ſequamur aut veneremur eam; quin potiùs pugnemus contra eam, quia ad barathrum ducit & gehennam. Sed *quis ſimilis beſtiæ*, dicunt peccatores eam ſequentes, & quis poterit pugnare cum illâ? Vnde nobis gladius tam acutus ad præcidenda beſtiæ capita? Subminiſtrat eum nobis Chriſtus in oratione quam nos docuit, in qua totidem petitionibus, quot capita ſunt beſtiæ, totidem impetuntur & reſecantur crimina capitalia. Et quidem gladium iſtum fecit ipſemet artium omnium Magiſter, vt meritò exiſtimare poſſimus præfiguratum fuiſſe per illum quo Dauid abſcidit caput Goliathi, quemque poſteà ab Achimelech Sacerdote petijt dicens: *non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum,* 1. *Reg.* 21. Ad eundem enim modum petierunt à Chriſto diſcipuli gladium ſpiritualem: *Domine doce nos orare.* Et Dominus *Sic ergo orabitis, Pater noſter*, &c. Videamus igitur num hoc gladio poſſimus reſecare ſeptem illa capita.

Capulum huius enſis eſt initium orationis: *Pater noſter qui es in cœlis*, Vt enim capulo retinetur enſis, ita fiduciæ nititur hæc oratio. Dicimus enim: *Pater noſter*, ergo vult. Dicimus: *qui es in cœlis*, ergo poteſt nos audire.

B. I. *Contra ſuperbiã. Sanctificetur nomẽ tuum.* PRIMVM Beſtiæ caput, eſt ſuperbia, quæ vicit & decepit ſupremum angelum cum ſocijs & deiecit in infernum, Pharaonem, Sennacherib, Nabuchodonoſor, &c. Dicunt iſti: ſanctificetur nomen noſtrum; & quod ædificatores turris Babylonicæ: *Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat vſque ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum. Gen.* 11. Qui tamen ad extremum turpiter confuſi & decepti ſunt. Quid igitur huic vitio opponamus? *Sanctificetur nomen tuum.* Quæ verba nil aliud ſonare videntur, quam quod illa Dauidis: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Etenim Deus omnia quæ habemus bona, nobis dedit, omniaque in nobis bona operatur tãquam cauſa primaria, nos verò tanquam ſecundaria tantum; quia ipſe non ſolùm vires naturales, ſed etiam ſupernaturales, ipſe inſtrumenta agendi, gratiam & virtutes dat, ipſe ad agendum mouet, ipſe ſimul nobiſcum operatur & manum nobis ducit: Et quomodo non ipſi debeatur omnis honor? quomodo ſine furti crimine nobis eum tribuere honorem poſſu-

P

poſſumus, qui ſoli debetur Deo? Dic enim mihi, ſodes: ſi Magiſter pueri calamum, chartam, atramentum det puero, ſi ſcribere eum doceat & in ipſa ſcriptione manum illi ducat vt literas elegantes exaret: cuius tu nomen celebrandum & huic ſcriptioni apponendum putas? nonne Magiſtri? Vel ſiquis inſignis pictor ſpecioſam pingat imaginem, num quia ad picturam penicillo vſus eſt, abſcribendum imagini putas: *penicillum hanc pinxit imaginem?* Non ſanè, ſed pictori adſcribitur opus. Pari etiam ratione, ſi quâ excellas re, dignitate, ſcientia, formâ, genere, fortunæ bonis, virtute: ſiquid virtuoſi; ſiquid ſtrenui deſignes, puer es, penicillũ & inſtrumentum es; Deus, verò auctor. Iniuriam igitur Deo facit & furtum quoddã cõmittit, qui talia bona ſibi adſciribit & per ea ſuum celebrare conatur nomen. Vt enim ille Putiphar omnia ſua credidit Ioſepho prætérquam vxorem, Gen. 39. ita & Deus tradidit quidem nobis bona ſua, eâ tamen lege vt ne ea nobis adſcriberemus, ſed gloriam eorum Deo intactam relinqueremus & diceremus in omnibus bonis noſtris: *ſanctificetur nomen tuum.* Ipſe enim dixit *Iſa.* 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Hoc ſanè agnouit Ethnicus ille Python Athenienſis, qui quòd Cotyn regem interfeciſſet, ob res feliciter geſtas prædicatus dixit: *Dijs habenda eſt gratia, quibus auctoribus hoc factum eſt. Nam ipſe nihil aliud quàm manum & operam meam commodaui.* Plut. in præcept. polit. Cautiſſimus in eadem re fuit Carolus V. Imp. qui debellatis in Germania Proteſtantibus non dixit cum Iulio Cæſare poſt deuictum primò acceſſu Pharnacen: *Veni, vidi, vici;* ſed: *veni, vidi & vicit Dominus.* Iacet igitur hic reſectum primum caput.

C. II. Contra auaritiam Adueniat regnum tuum.

SECVNDVM. Caput eſt Auaritia. Perdidit hæc Iudã & de Apoſtolatûs culmine deiectum ad laqueum ac denique in gehennam præcipitauit: hæc diuitem Epulonem in inferno ſepeliuit: hæc Ananiam & Saphiram, repentinâ nece extinxit: & alios innumeros. Dicunt iſti omnes: Adueniat nobis regnum mundi: & ſi penes ipſos eſſet, eligerent potiùs huius mundi opes, quemadmodũ & filij Ruben & Gad, quibus erat in iumentis infinita ſubſtantia, habitare cis Iordanem elegerunt potiùs quàm tranſire ad terram promiſſionis dicentes: *Nec quicquã quæremus trans Iordanem, quia iam habemus noſtram poſſeßionem in orientali eius plaga.* Num. 32. Quid igitur huic vitio opponamus? *Adueniat regnũ tuum:* quod idẽ eſt ac dicere cum Dauide, *Pſal.* 72. *Quid mihi eſt in cœlis? & à te quid volui ſuper terram?* q.d. nihil creatum inuenio, quod me ſatiet. Et rationem ſubdit *defecit caro mea & cor meum.* q.d. vbicũque ſeu in quacunque re creatâ ponã cor & carnẽ meam, ſcio quia putreſcet & deficiet, Idcircò, *Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum*, ait; quia ſcilicet ipſe ſolus eſt theſaurus & hæreditas mea, in quâ ſolâ ſemper acquieſcam. Stultè igitur agunt, qui regnum mundi eligunt eiuſque diuitias, dimiſſo vel non deſiderato regno Dei, quemadmodum diues ille, qui hîc quærebat & ſtatuebat ſibi conſolationem ſuam. Audiuit enim à Deo: *ſtulte hac nocte repetunt à te animam tuam, & quæ paraſti cuius erunt? Luc.* 12. Quia enim ſcimus regnum & opes huius mũdi neceſſariò & breui perituras, ac licet retineri ſemper poſſent; plenas tamen eſſe curarum & miſeriarũ, quanta inſania eſt regnum cœlorũ cum illis commutare velle? *Quid enim prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Eme tuo theſauro, tuis opibus diues vel vnam in cœlo ſtellam, vel vnicam cœleſtis roris guttam; ſi potes. Certè Epulo ille cùm omnibus ſuis opibus nec vnam ſibi in inferno emere aquæ guttam potuit. Compara cum cœlo terram: quàm exigua eſt? ſi enim terra globus inter ſtellas firmamenti poneretur & à Deo illuſtraretur, à nobis vix hic videretur. Deinde *heu quàm ſordet tellus, cùm cœlum aſpicio?* (dicebat S. Ignatius Loyola quando noctu cœlum intuebatur) proptereà Moyſes *grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis*, vt ait Apoſtolus *ad Heb.* 11. *maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti.* Scribit de Moyſe infante, cùm adhuc tanquam filius filiæ Pharaonis educaretur in aula Pharaonis, Ioſephus l. 2. c. 5. *de Antiqui.* Moyſen, cùm ei Pharao impoſuiſſet diadema ſuum, de capite detraxiſſe in terram & pedibus conculcaſſe. Ita S. Franciſcus quòd multa pauperibus largiretur accuſatus à patre & bonis paternis cedere iuſſus; etiam reiectis veſtibus patri conceſſit omnia, dicens ſe impoſterum habere maiorem facultatem dicendi: *Pater noſter qui es in cœlis.* In Breu.

D. III. Contra iram: Fiat voluntas tua.

TERTIVM. Ira quæ perdidit Cainum, Amanem, Antiochum & alios. Dicunt verò irati omnes: Fiat voluntas mea; dum vlciſci iniurias ſuas volunt contra Dei voluntatem, qui vindictam ſibi reſeruauit: ſimiles Iſraelitis, qui Moyſe prohibente ne aſcenderent ad hoſtes oppugnandos in montem, nihilominus contenebrati aſcenderunt & idcircò cæſi ab hoſtibus ſunt, *Num.* 14. Dominus dicit: *Mihi vindictam & ego retribuam:* iracundi contrà dicunt: *ego retribuam.* Quomodo reſecandum eſt hoc caput? verbis illis: *Fiat voluntas tua*, quibus dicere vult Chriſtus: Interroga prius Dei voluntatem & ille dicet: *Mihi vindictam*; & fortè depones iram. Diſcite hoc vel à canibus. Quando enim canis aliquis cũ ferociâ inuadere aliquem conatur, ſi vel vnico verbo ab hero increpetur, ſtatim demittit iubã & rabiẽ deponit. Quin etiam vento ſæuienti & fluctus mittenti in nauim, Chriſtus dixit: *tace, obmuteſce: & ceſſauit ventus & facta eſt tranquillitas magna*, *Marc.* 4. Dicit etiam tibi iracunde, cum vltionẽ cogitas: Acquieſce, *tace, obmuteſce*; quia *mea eſt vltio*, Igitur *erubeſce Sidon, ait mare* (Iſa. 23.) quando irrationalia voluntatem Dei ſequuntur, & Heri, tu contrà ſceptrum Deo eripis & cui ipſius eſſe vis Iudex. Athenodorus Philoſophus diſceſſurus ab Auguſto Cæſare, vt refert Plut. *in apophteg.* hoc illi documentum dedit: *Cùm te ô Cæſar, ira ceperit, nihil prius neque dixeris neque feceris, quàm ipſas* 24. *Elementarias literas*

res tecum ipſe percurreris: Sic enim mitigandum interim putabat Cæſaris animum. Sed ni fallor, efficacius eſt remedium cohibendæ iræ, dicere Deo antequam iraſcaris? *Fiat voluntas tua:* vel integram priùs recitare orationem Dominicam. Cùm enim aduertis voluntatem Dei tibi aduerſari & vindictam ſibi reſeruare: mirum erit ſi tu illi contra ire volueris. Hoc monito vſi ſunt diſcipuli Chriſti ante portam Samariæ, cùm non admitterentur: *Domine vis dicimus, deſcendat ignis de cælo & conſumat illos?* Sed audierunt à Magiſtro. *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Luc.* 9. Similiter & Petrus, qui percuſſurus in horto milites priùs interrogauit: *Domine ſi percutimus in gladio?* Sed & ipſe audijt: *Sinite, Luc.* 22. Hoc igitur & nos faciamus, interrogemus os Domini priùs quàm vlciſcamur, & caput hoc reſecabimus.

E. IV. Contra gulam, Panem noſtrum quotidianum, &c.

QVARTVM. Gula, quæ perdidit primos noſtros parentes, Eſau, Holofernem, Epulonem & innumeros ſimiles, qui omnes cum guloſis Iſraelitis dicunt: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis: In mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, Num.* 11. Contra hanc oramus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quibus verbis non prohibet nobis dominus cibos alios, ſed docet ſobrietatem & temperantiam obſeruandam modicaque ſuſtentatione contentos eſſe; quid enim panis quotidianus, niſi cibi minimè exquiſiti? Iam ſi non plus quam eiuſmodi ſuſtentationem petimus, quo iure tam immoderatè, tam opiparè viuimus? Siquid vltra neceſſariam ſuſtentationem mittat Deus, tantò parciùs ſumere debemus. *Initium enim vitæ hominis aqua & panis,* inquit Eccleſiaſticus cap. 29. Et certè innumeri adhuc reperiuntur, qui vel pro pane & aqua ſudare & algere debent, & ſæpe nec ea quidem habere poſſunt. Et quid illi commiſerunt, putas? An non & ipſi Dei creaturæ, & tui ſimiles ſunt? Et quid ſi nobis etiam panis ſubtraheretur? Legimus certè 4. Reg. 6. tantam aliquãdo in Samaria fuiſſe famem, vt caput aſini venderetur 80. argenteis. Quid ſi id & nobis contingat? Exoſculare igitur & gratis manibus accipe vel ſolum panem, & vide ne per intemperantiam tuam & iſto deſtituaris. Vnde enim venit, quòd panem fortè humi iacentem tollimus & exoſculamur, ac piaculum putamus micam eius perdere vel pedibus premere, niſi quia Dei donum eſt omni acceptione dignum?

F. V. Contra inuidiam: Et dimitte nobis debita noſtra.

QVINTVM. Inuidia, quæ perdidit Saulem inuidẽtem Dauidi. Sororem Moyſis leprâ infecit, Cainum profugum fecit. Hanc reſecat petitio quinta: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris;* ſiquidem his verbis alligat nobis Chriſtus proximũ noſtrum, vt eandem ſortem cum illo experiri debeamus, quam illi optamus, ſicuti pedicâ alligantur bini equi ad paſcua, quia precamur vt Deus ita ſe nobiſcum gerat, ſicut nos gerimus erga proximum. Quis igitur proximo malum velle poteſt, niſi ſibiipſi velit? quis bonum inuidere, niſi ſibiipſi inuideat? Quis enim pontem deijciat propterea ne alius eum tranſire poſſit, ſi ſciat ſibi per eundem eſſe tranſeundum? nonne meritò ſtultitiam ſuam accuſaret, ſi non tantùm alteri, ſed etiam ſibi pontem deieciſſet? Audi Auguſtinum lib. 50. homiliar. hom. de diligendis inimicis: *An fortè vis,* inquit, *vt Deus vſque ad te patiens ſit, quouſque tu peruenias ad iuſtitiam, quia Deus extendit pontem miſericordiæ ſuæ vt tu tranſire poſſis? Hoc vis vt iam ſubducatur, ne alius tranſeat?* hæc ille? Non ſanè hoc facit Deus, ſed ipſe à longè aſpicit & obſeruat, quid tu proximo tuo cupias, & poſtmodum gerit ſe tecum ſimiliter: Deijcis tu proximo tuo pontem? non reparabit illum tibi Deus. Sinis tranſire illum? tranſibis etiam tu. Nónne hoc expreſſe vidimus accidiſſe ſeruo illi nequam, *Matt.* 18. qui quoniam prior conſeruum ſuum tenuit & in carcerem miſit, poſtmodum reuocatus ab hero in carcerem & ipſe miſſus eſt? Vnde ſuper hoc Chryſoſtomus *ho.* 62. *in Matth.* ait: *Quid facis homo? non ſentis aduerſus te ipſum mucronem adigere ac ſententiam ac munus Domini reuocare?* Igitur ſi dimitti vis, dimitte; ſi magnas à Deo gratias obtinere vis, impertire vel ſaltem non inuide eaſdem proximo tuo.

G. VI. Contra luxuriam: Et ne nos inducas in tentationem.

SEXTVM. Luxuria, quæ perdidit Sodomam, Sichem, Amnon, &c. Et iſti dicunt Sap. 2. *nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Sed tandem deplorant ſuum errorem dicẽtes: *Ergò errauimus à viâ veritatis, Sap.* 5. Quid huic igitur opponamus? *Et ne nos inducas in tentationem.* Quid enim tentationes incontinentiæ paſſim obuiæ & fortiſſimæ ſunt, & nihil procliuius quàm in huiuſmodi laqueos incidere, ideò nullius vitij occaſiones adeò fugiendæ ſunt, atque iſtius. Quiuis enim mortalium circumfert ſecum ſtupam & fomitem incontinentiæ; Obiecta verò inſtar ignis ſunt; & ideò nil ſecurius quàm fuga occaſionum, ne intres in tentationem. Quæſo te, ſi veſtis tua pice & reſinâ imbuta foret, nónne omnibus modis ignem fugeres, ne ex eius vicinitate veſtis inflammaretur & tu perires. Corpora hominum pice concupiſcentiæ imbuta ſunt & ad carnis ardorem diſpoſita. Fuge igitur, ni ardere velis. Accipe exemplum de Carolo primo Nauarræ Rege, qui in iuuentute per libidinem ita natiuum exhauſit calorem, vt annos natus 54. calefieri nullo modo poſſet. Vnde Medicorum ſuaſu inuolutus panno eſt aquâ viua bene tincto, quam riuam vocant. Contigit autem (vereor ne in tantæ pœnam intemperantiæ, inquit Chauaſſius *de vera perfectaq́; prudentia l.* 3. *c.* 4.) vt dum famulus qui illum conſuerat, non habens cultrum ad ſecandum filum, vteretur accenſo cereo: ſtatim verò aquâ viua flammam vndique concepit, quæ miſerum regem confecit. Nimirum ſicuti peccauerat, hic rex, ita & punitus eſt. In iuuentute enim dum incontinentiæ ardorem circumferebat, & igni libidinis appropinquabat, in vitia ruit: propterea per ignem etiam punitus eſt. Orandum igitur ſedulò: *Et ne nos inducas in tentationem.* Sed & nos intrare non debemus ſiue occaſiones tales quærere, niſi ſimili exitu perire velimus,

velimus. Non pudeat nos tam laudabilem & ſalutarem arripere fugam: ſicut nec puderet fugere domum peſtilentia aut lue gallica infectam.

H. VII. *Contra acediam. Sed libera nos à malo.*

Septimvm. Acedia, quæ multos retinet in captiuitate dæmonis, ſicut & Iſraelitas illos pleroſque qui de captiuitate Babylonica redire in patriam ſuam, Palæſtinam tardabant. Et quod huic vitio remedium? Orare diligenter Deum; *Libera nos à malo.* Per *malum* enim acediam intelligere poſſumus, quia ipſa malorum multorum eſt mater. *Multam malitiam docuit otioſitas*, inquit Eccleſiaſticus *c.* 33. Ea verò ligat hominem quaſi catena quædam ne recta operetur, adeoque in captiuitate & carcere detinet, vtique ad mortem, niſi ſe extricet. Vnde S. Bonauentura *ſerm. 6. de aduentu*, ait, *triſtitiam & acediam binas eſſe diaboli catenas, illa animam ligari, hac corpus.* Atqui piger nulla ferè admittit morbi ſui remedia, quia catenâ pigritiæ vinctus eſt, oret igitur & clamet: *libera nos* ab hoc *malo*, diſſolue Domine catenas iſtas.

Itaque ſic iam oremus: *Pater noſter qui es in cœlis*, aufer à nobis ſuperbiam, inanem gloriam & iactantiam, & fac vt in omnibus operibus noſtris *ſanctificetur nomen tuum.* Aufer à nobis cupiditatem terrenorum & caducorum bonorum: nec non amorem huius mundi & pro eo nobis *adueniat regnum tuum.* Aufer à nobis omnem iram & rancorem nec non vindictæ appetitum & fac vt in omnibus non noſtra ſed *fiat voluntas tua.* Aufer à nobis gulam & intemperantiam & pro ſuperfluitate ſaltem *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Aufer à nobis inuidiam, da charitatem in proximum *& dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Aufer à nobis omnem incontinentiam, & vt vitare eam poſſimus, *& ne nos inducas in tentationem.* Aufer denique à nobis omnem acediam & tædium bonorum operum, *& libera nos à malo. Amen.*

CONCIO XII.

Orationis Dominicæ expoſitio.

Probatâ Dominicæ orationis præſtantia, auctoritate, breuitate, perfectione, vtilitate & neceſſitate, exponitur eius præfatio, Pater noſter qui es in cœlis: *deinde ſingulæ eius partes.*

THEMA.

Petite & accipietis. Luc. 11.

A PRVDENTISSIMA illa Rebecca, vt chariſſimo ſibi filio Iacob impetraret benedictionem patris, non ſolùm induit eum veſtibus Eſau fratris ſui odoriferis, verùm etiam coxit eſcam ſelectiſſimam, quam offerret patri, gratiſſimam & ad guſtum eius factam, *Gen.* 27. Ita Saluator noſter vt cœleſtis patris benedictionem nobis impetraret non ſolùm induit nos veſtibus ſuis odoriferis, cùm in nomine ſuo petere iuſſit: verùm etiam coxit nobis gratiſſimam Deo eſcam, dum edocuit orationem perfectiſſimam, quam offerremus Deo. Præſtat enim oratio Dominica omnibus alijs quibuſcumque orationibus.

Oratio Dominica præſtat omnibus orationibus.

Primò, auctoritate; quia Chriſtus eam compoſuit. Vnde S. Cyprianus *lib. de orat. Dom.* ait: *Agnoſcat pater filij ſui verba, cùm precem facimus*: 1.
Secundò, Breuitate; quaſi ſit ſermo ille Eſa. 10. *Sermonem breuiatum faciet Dominus in toto orbe terra.* Eius breuitatis cauſas tradit Alexander de Ales p. 4. q. 37. *Faciliùs ſcitur, meliùs retinetur, frequentiùs iteratur, minùs faſtidit orantem, citò exaudiri innuit, plus affectu quàm ore orandum eſſe inſinuat, ignorantem excuſat.* Petrus Chryſologus *ſerm.* 67. ait: *Chriſtus breuiter orare docuit qui citò vult poſtulata præſtare.* 2.
Tertiò, Perfectione, complectitur enim omnes ſpecies orationis teſte Auguſtino *ſer. 22. ad fratr. in Eremo.* Imò *nedum venerationem Dei aut hominis petitionem* ait Tertullianus *lib. de orat. c.* 1. ad fin. *complexa eſt, ſed omnem ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ, vt reuerà in eâ oratione breuiarium totius Euangelij comprehendatur.* 3.

Quartò, Vtilitate. *Cùm habeamus*, inquit Cyprian. vbi ſup. *apud Patrem Aduocatum pro peccatis noſtris quando peccatores pro delictis noſtris petimus, aduocati noſtri verba promamus. Nam cùm dicat, quia quandocumque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, quantò efficaciùs impetrabimus, quod petimus in Chriſti nomine, ſi petamus ipſius oratione?* S. Aug. l. 50. hom. 42. ait: *ſpem habemus obtinendæ cauſæ noſtræ, quando talis Iuriſperitus nobis preces dictauit, qui ſedet ad dexteram patris. Ipſe eſt Aduocatus noſter, qui venturus eſt Iudex noſter.* Sanè delet hæc oratio peccata venialia teſte Concil. Tolet. 4. ca. 9. S. Aug. Enchirid. ad Lauren. c. 7. 4.

Quintò, Neceſſitate. Eam enim Chriſtiani orantes ſcire debent & frequenter dicere. S. Clemens l. 7. Conſt. Apoſt. c. 25. monet Chriſtianos eam ter in die dicere. S. Aug. ſer. in Dõ. 10. de Chriſt. nom. tom. 10. ait: *Symbolum vel orationem Dominicam & ipſi tenete, & filijs veſtris oſtendite. Nam neſcio quâ fronte Chriſtianum ſe dicat; qui paucos verſus in Symbolo vel oratione Dominicâ parare diſſimulat.* hæc ille. Nunc ad expoſitionem. 5.

B. I. *Præfatio orationis. Monet,*

Pater noſter qui es in cœlis. Hæc verba præfationem continent. Monent enim nos primùm adoptionis diuinæ, dum dicimus, *Pater noſter*: & peregrinationis terrenæ, *qui es in cœlis*; vt ſimul nos intelligamus egere auxilio, quia peregrini; & fiduciam concipiamus petendi, quia filij. Sic Bernard. ſerm. de natali Beatæ Mariæ, qui dicitur de aquæ ductu. 1.

Deinde hæc eadem ſunt quaſi procœmium captans beneuolentiam, ex Augu. lib. 2. ſerm. Dom. in mon. c. 18. nam cùm dicimus, *pater noſter*, laudamus Dei bonitatem, qui pater dignatur à viliſſimis mancipijs appellari; cùm addimus, *qui es in cœlis*, laudamus eius potentiam, & excellentiam; quæ duo exprimuntur illis vocibus: *optimus, maximus.* 2.

Tertiò, excitant hæc in orante amorem, dum dicimus *pater noſter*; & timorem cum ſubiungimus, 3.

iungimus *qui es in cœlis*, quaſi altiſſimo ſolio ſe-
dens terrena ſimul, & cœleſtia moderetur.
4. Quartò, rationem inſinuant, cur Deus poſſit,
& debeat nos audire; nam ſi pater; debet filijs
quod iuſtè poſtulant, non negare: ſi in cœlis; vt
ſummus rector poteſt, quæcunque voluerit fa-
cere.
5. Quintò, inquit Cyprianus, moneri nos his
verbis patri terreno renuntiaſſe, & patrem cœ-
piſſe in cœlis habere, ac proinde non terrenam
nobis ſed cæleſtem ducendam vitam. Iam ad
ſingula verba deſcendamus.
C. II. *Pater*, dicitur Primò ob creationem, guber-
nationem, redemptionem: Sed hic ſpeciatim
Pater. ob adoptionem noſtram. Secundò, vt filij ma-
1. gnam fiduciam habeant ad petendum, maiorem
2. ad impetrandum. *Matth.* 7. & *Luc.* 11. Tertiò, vt
3. meminerimus quòd quaſi filij Dei agere debea-
mus: Vt quomodo nos placemus nobis de
Deo patre, ſic ille placeat ſibi de nobis filijs. Cy-
prian. *ſerm. de orat. Dom.* deinde vt deponamus
omne id, quod Deo diſplicet, peccati ſcilicet
affectum: alioqui quomodo eum inuocabimus
vt patrem? Et hoc initio faciendum; *ſcimus
enim, quia Deus peccatores non exaudit.*
Noſter. *Noſter*, dicitur Primò, Vt oremus non pro
1. nobis tantùm, ſed & pro alijs; talis enim ora-
tio eſt vtilior, ob charitatem proximi. Cyprian.
ſerm. 5. vbi ſup. quia nobis communis pater &
nos omnes fratres & membra vnius Eccleſiæ.
2. Secundò, Ne extollantur diuites & nobiles
contra inopes & ignobiles. Auguſtinus *l.* 2. *de
ſer. Dom. in monte*, quia ſimul dicunt: *Pater no-
ſter*, quod non poſſunt verè ac piè dicere, niſi ſe
fratres eſſe agnoſcant.
Qui es in cœlis. *Qui es in cœlis*, dicitur. Primò, Vt orans à ter-
ris abducat mentem, & ſupernis habitaculis ac
1. regionibus affigat excelſis. Chryſoſt. *hom.* 20. *in
Matth. operis imperf.* quia in cœlis magis ſe ma-
2. nifeſtat. Secundò, *In cœlis*, id eſt, angelis ſanctis.
3. Aug. *de ſerm. Dom. in monte c.* 9. Tertiò, Vt me-
minerimus nos non naturales, ſed adoptiuos
tantùm eius filios eſſe, quos proinde caſtigare
& abijcere poteſt, ac facilè abijciet, ſi inobedien-
tes ſint; nondum enim in patria ſumus, ſed ad-
huc longè ab ea diſtamus, & peregrini ſumus.
4. Denique vt valido non oris ſed cordis etiam
clamore opus eſſe ſciamus, quo audiamur de
profundis orantes.
D. III. *Sanctificetur nomen tuum*, dicitur Primò, Vt
Sanctificetur nomen tuũ. ſanctificetur in nobis. Vt quod in baptiſmo eſſe
cœpimus, in eo perſeueremus. Cyprian. loco
cit. Secundò, vt glorificetur Dei nomen à no-
1. bis per confeſſionem & bona opera. Greg. Nyſ-
2. ſenus de orat. Tertiò, Vt nomen Dei, quod in
ſe ſanctũ eſt & glorioſum, habeatur ſanctum ab
3. omnibus hominibus, Aug. *lib.* 2. *de ſer. Dom. in
monte c.* 10.
E. IV. *Adueniat regnum tuum*, dicitur Primò, Vt re-
Adueniat regnum tuum. gnet in Eccleſia & in mentibus fidelium per
gratiam. S. Ambroſius *l.* 5. *de ſacr. c.* 4. Secundò,
Vt veniat regnum cœleſtis beatitudinis, idque
1. maturius vt ab hoc exilio liberemur. Tertull.
2. *lib. de orat.* Tertiò, Vt veniat regnum Chriſti
3. venturi ad iudicium. Vnde Auguſt. *conc.* 20. in

Pſ. 118. ait, Prima tempora Eccleſiæ ante Vir-
ginis partum Sanctos habuiſſe, qui deſiderarent
Incarnationis Chriſti aduentum: Iſta verò
tempora, ex quo aſcendit in cœlum, habere
Sanctos, qui deſiderent eius manifeſtationem
ad viuos & mortuos iudicandos: vnde dicimus
quotidie: *adueniat regnum tuum*, &c. Monet
interim Dominus vt tam bonæ conſcientiæ ſi-
mus, quâ non formidemus, ſed potiùs deſidere-
mus aduentum eius ad iudicium.
Fiat voluntas tua, dicitur Primò, Vt poſſimus E. IV.
eam facere, & obedire omnibus Dei mandatis; Fiat voluntas tua.
ad hoc enim gratia Dei neceſſaria, ſaltem vt om-
nia & prout par eſt, ſeruare poſſimus. Atque
hæc eſt voluntas ſigni, quæ proponitur nobis 1.
in præceptis Dei, nec ab omnibus impletur.
Voluntas beneplaciti, quâ abſolutè aliquid fie-
ri vult, ſemper impletur nec impediri poteſt.
Secundò, Vt dirigat omnes actiones noſtras ſe- 2.
cundum ſuum beneplacitum. Sic orabat Salo-
mon: *Domine ego ſum puer paruulus neſciens in-
greſſum & egreſſum meum, da ergo ſeruo tuo cor
docile*, &c. 3. *Reg.* 3.
Sicut in cœlo & in terra, dicitur Primò, Vt fiat Sicut in cœlo & in terrâ.
inter carnem & Spiritum. Auguſt. *lib.* 2. *de ſerm.
Dom. in monte c.* 11. *& ſer.* 135. *de temp.* Secundò,
Vt per cœlum intelligatur Chriſtus, per terram 1.
Eccleſia. Aug. *ib.* Tertiò, Vt etiam in illis qui 2.
adhuc terreni ſunt, fiat voluntas Domini, ſicut 3.
fit in iuſtis. Cypr. *de orat. Dom.* & Aug. vbi ſup.
Quartò, Vt ſic à nobis fiat quemadmodum fit 4.
à ſanctis Angelis, Aug. *ep.* 121. *c.* 11.
Panem. Primò corporalem, ſed veluti admi- G.
niculum ſpiritualis panis; hoc enim quod Salo- VI.
mon petit: *Diuitias & paupertatem ne dederis mi-* Panem.
hi, ſed tantum victus meo tribue neceſſaria. Aug. *ep.* 1.
121. *ad Probam c.* 12. Secũdò, ſpiritualem & pri- 2.
mò Euchariſtiæ panem; ideo in Græco habe-
tur, *ſuperſubſtantialem*. Secundò, verbi Dei.
Noſtrum, dicitur Primò, quia petimus non Noſtrum.
nobis tantùm, ſed etiam alijs per nos commu- 1.
nicanda ſubſidia. Chryſoſt. *in opere imperf.* Se- 2.
cundò, panem noſtrum iuſtis laboribus acqui-
ſitum, non alienum aut iniuſtum. Greg. Nyſſ.
lib. de orat. Similiter quoad panem ſpiritualem
petimus doctrinam noſtram ſcilicet Catholi-
cam, ſacramenta noſtra, cæremonias noſtras, non
hæreticorum, infidelium, &c. Cyprian. *de orat.
vbi ſup.* Panem verò Euchariſtiæ, quia panis fi-
liorum vt eo digni fiamus.
Quotidianum, dicitur Primò, vt luxurioſi cibi Quotidianum.
compeſcantur: & tantum quis manducet, quan-
tum naturalis ratio exigit; non quantum laſ- 1.
ciuia carnis impellit. Si enim in vno conuiuio
tantum expendas quantum in pluribus ſuffice-
re poterat; v.g. hominibus centum moderatè
viuentibus aut tibi ipſi centum diebus diſci-
plinatè viuenti, iam non quotidianum cibum
manducas, ſed multorum dierum. Ita Chryſoſt.
hom. 14. *in opere imperf.* Secundò, quia cibo et- 2.
iam ſpirituali quotidie indigemus. Vnde Am-
broſ. *l.* 4. *de ſacr. c.* 5. loquens de pane Euchari-
ſtiæ ait: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum
illum ſumis? Accipe quotidie, quod quotidie tibi
proſit, ſic viue vt quotidie merearis accipere.* Qui
non

non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere. hæc Ambr. Certè in Eccleſia quotidie ſumitur ſaltem in membris & ſacerdotum oblationibus, quæ fiunt pro omnibus.

Da nobis. 1. *Da nobis*, dicitur Primò, vt quod manducamus, de manu Dei accipiamus: Nam habere ad manducandum, commune eſt iuſtorum & iniuſtorum: de manu autem Dei accipere, eſt tantùm piorum. Ita Chryſ. *ho.14. in Matth.* Et infrà ait: *Qui cum iuſtitiâ præparat panē, illi dat Deus panem quem manducat: qui autem cum peccato, illi non dat Deus, ſed diabolus.* 2. Secundò, quoad panem ſpiritualē, vt detur nobis ab Eccleſiæ antiſtitibus ac paſtoribus, bonis & veris. 3. Tertiò vt detur cum benedictione, ita nimirum vt panis ille nobis cedat ad ſalutem corporis & animæ. Quid enim ſi comedamus illum vt Iſraelitæ carnes? *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum & ira Dei aſcendit ſuper eos. Pſ.77.*

Hodie. 1. *Hodie*, dicitur Primò, pro toto tempore huius vitæ. S. Aug. *l.2. de ſerm. Dom. in monte c.12.* 2. Secundò, pro hodierno die, vt ſic ſolicitudo inanis pro craſtino ſemoueatur. Tertull. de orat. 3. Tertiò, vt moneamur quotidie orare & petere pro ſingulis diebus ſingulos panes. *Vt ſaltem neceſſitas cibi vrgeat nos vt frequenter Deum adeamus & mentem ad cæleſtia erigamus*, inquit Toletus in comment. *Luc.* 11. Denique vt moneamur vitam noſtram incertam & diariam eſſe.

H. VII. Et dimitte nobis debita noſtra. 1. *Et dimitte nobis debita noſtra*, dicitur Primò, vt admoneamur omnes nos in conſpectu Dei eſſe peccatores & reos. Cypr. de orat. Domin. Ideo antiquitus cùm hoc dicebant, tundebant orantes pectora ſua, S. Auguſt. *ſer.10. inter hom.50.* 2. Secundò, vt intelligamus poſt baptiſma pœnitentiæ remedium concedi, S. Chryſoſt. *in opere imperf.* 3. Tertiò, vt ſciamus quædam eſſe venialia peccata, quæ conſiſtant cum charitate. Omnes enim orare iubemur, nec tamen omnes mortifera peccata habemus.

Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. 1. *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, dicitur Primò, vt cum Deo pactum ineamus, quo nobis eo modo, quo nos dimittimus, dimittat. Cyrill. Hieroſolym. *catecheſi myſtag.5.* 2. Secundò, vt moneamur nos priùs & ſtatim dimittere. Vnde dicimus: *dimittimus*, non dimittemus. Scit enim Deus homines eſſe mendaces: ideo vult vt priùs & in præſenti dimittamus. Chryſoſt. *hom.14. in opere imperf.* Ipſe prior nos intuetur quid agamus cum proximo, vt in illa parabola: *ſic & pater meus cæleſtis faciet vobis*, &c.

I. VIII. Et ne nos inducas in tentationem. 1. *Et ne nos inducas in tentationem*, petimus Primò, Ne in tentationem incidamus, ſaltem gratiem: ne ſcilicet ponamur in fronte prælij, vbi certiſſimum periculum, vti fuit Vrias conſtitutus à Dauid. Cyprian. vbi S. Chryſoſt. *hom. 20. in Matth.* ait: *Docet nos non quidem recuſare certamina, nec tamen in ea audaciùs inſilire.* Et S. Aug. *l.9. confeſſ. c.28.* ait: *Iubet eas* (de tentationibus loquitur) *tolerare, non amare.* 2. Secundò, ne in tentatione ſuccumbamus. S. Aug. *ep.121. c.11.* & alij. 3. Tertiò, vt admoneamur infirmitatis noſtræ, quæ metum nobis incutere debet: deinde Dæmonem nihil in nos poſſe ſine Dei permiſſu, eiuſque beneficium eſſe quidquid à Dæmone non patimur. Ita S. Cyprian. vbi ſuprà.

K. IX. Sed libera nos à malo. 1. *Sed libera nos à malo*, dicitur Primò, Vt liberemur à Dæmone. Græci enim *mali* nomine Dæmonem interpretantur, qui *etſi non naturâ malus eſt, in eo tamen omnis vitioſitas exuberat*, (ait Petrus Laodicenſis poſt Chryſoſt.) & per antonomaſiam malus dicitur. 2. Secundò, Vt ab omni malitiâ & aduerſitate repellamur, quatenùs à ſummo bono impediunt. Cypria. Aug. & alij. 3. Tertiò, Vt moneamur Deo noſtras petitiones reſignare, qui ſolus nouit, quid nobis bonum vel malum ſit, ideo in genere tantùm, & nullum in ſpecie malum nominamus.

In Græco & Syriaco textu additur: *Quoniam tuum eſt regnum & potentia & gloria in ſæcula.* Quæ tamen verba ab Eccleſia & Latinis patribus non agnoſcuntur, neque in mendatâ editione habentur. A Græcis quibuſdam patribus exponuntur. Sed videntur in textum Græcum irrepſiſſe ex ipſorum Liturgiâ, ſiue Miſsâ.

Amen. 1. *Amen* dicitur Primò, Aduerbialiter, ſcilicet verè, fideliter. q. d. verè ac fideliter hæc petimus. 2. Secundò. Amen, hoc eſt, fiat vel ita ſit: precamur vt eueniat quod petimus.

CONCIO XIII.

Cur Deus ſinat nos calamitatibus premi.

Deus immittit nobis clades & calamitates,

1. *Quia decet vt Deus ſinat res ferri ſuis motibus.*
2. *Quia peccatis noſtris debentur.*
3. *Quia ſunt fructus naturæ noſtræ.*
4. *Quia cognoſcere & Deum timere faciunt.*
5. *Quia ſunt nobis exercitamenta.*

THEMA.

Noli mihi moleſtus eſſe. Luc. 11.

A. IN vita S. Bennonis Epiſcopi Miſnenſis ſcribit Hieronymus Emſer apud Sur. menſe Iulio, ſanctum illum, cùm apud paludem ſacrificio orationique intentus ranarum coaxatione turbaretur, præcepiſſe eis, vt ſilentium ſeruarent, dum ipſe ſacra perageret: & mox conticuerunt ranæ. Simillimam hiſtoriam de alio Sacerdote ranas compeſcente ſcribit S. Ambroſius *in l. de Virginibus*, ad quam deinde exclamat: *Silent igitur paludes: homines non ſilebunt?* Sed ad quid ego iſta? Videor mihi hoc afflicto tempore audire ranas è paludibus ſuis coaxantes; homines, inquam, contra diuinam prouidentiam, quâ Deus ac Dominus noſter in cœleſti templo ſedens mundum ſapientiſſimè gubernat, murmurantes quaſi iniquè cum ipſis agat, dum eos miſeriis & calamitatibus inuolui ſinit. Sed obmuteſcite peſſimæ ranæ. *Dominus in templo ſancto ſuo: ſileat à facie eius omnis terra*, ait Habacuc *cap.2.* q. d. E cœlo aſpicit, dirigit & moderatur res hominum;

num:ſileat ergò à facie eius omnis terra; nemo ei obmurmuret, nemo conqueratur. Eoque ſenſu intelligere poſſumus, verba hodierni Euangelij: *Noli mihi moleſtus eſſe.* Moleſti enim Deo ſunt, non qui eum orant, ſed qui contra cũ murmurant, vt patet *Num.* 14. Vbi de ſimilibus ranis queritur: *vſquequò multitudo hæc peſſima murmurat contra me: Silent ergò paludes: non ſilebunt homines!* Cæterùm vt vindicemus Dominum Deum à murmure & calumnijs hominum, cauſas aperiemus, propter quas immittere ſolet nobis clades & calamitates.

B. I. Quia decet vt Deus ſinat res ferri ſuis motibus.

Primò. Quia decet Deum ſupremum Moderatorem, vt ſinat agi res ſuis motibus. Nam ſi cauſæ ſint naturales, vt imbres, æſtus, venti, nebulæ, fulmina, &c. propter priuata aliquorum damna, non debet inhiberi communis naturæ curſus, præſertim cùm etſi his obſint, alijs proſint. Si cauſæ ſint liberę, multò magis ſibi ſinendæ ſunt, ne bonum ſit coactum; ſic enim periret meritum. Qui regit communitatem, non poteſt attendere ad commoda ſingulorum. Sic Dux belli oppugnans ciuitatem etiam multis innocentibus nocere cogitur, vt punire nocentes poſſit. Pateſcet ſuo tempore, quomodo hæc omnia ad finem vltimatum, qui eſt perfectio vniuerſi vel potiùs Dei gloria, optimè & ſapientiſſimè ordinata ſint.

Adhæc quia Dominus & ſupremus gubernator eſt, non facit nobis iniuriam, ſi nobiſcum agat iure & libitu ſuo. *Dominus eſt,* dicebat Heli (cùm audiuiſſet ſe à Deo caſtigandum) *quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* 1. *Reg.* 3. Si mendici nobiſcum expoſtularent, quòd non tantùm panis hoc anno illis demus, quantum aliàs dedimus: mox reſponderemus: Amice, nihil tibi debeo. Nos Dei mendici ſumus: vnde ſi nõ ſemper det abundanter, quid contra ipſum dicere poterimus? Et certè Deus omne in nos ius habet, vt non poſſimus conqueri, quidquid nobis immiſerit, nec ab ipſo rationem exigere. Cur ſic mecum agis? Ipſe enim in nos iure ſuo vtitur, & centuplo duriora poteſt in nos ſtatuere. Satis ſit nobis, ipſi ſic placere. Non putamus nos iniuriam facere locuſtis, ſi eas capiamus, occidamus aut pedibus proteramus. Atqui nos coram Deo locuſtæ ſumus. Audi Iſaiam c.40. *Qui ſedet ſuper gyrum terræ,* (id eſt, Deus qui præſidet toti orbi) *& habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ.* Vt enim locuſtæ ex putredine naſcuntur, venter tantùm & pituita ſunt, à vento potiùs feruntur quàm volatu proprio, &c. ita homines quoque.

C. II. Quia peccatis noſtris debentur.

Secundò. Quia hæc omnia ſæpe noſtris peccatis ſumus commeriti. Si enim vnum peccatum mortale punitur æterno inferni ſupplicio; idque iuſto Dei iudicio: cur durum nobis videatur, ſi temporalibus flagellis puniat Deus peccata noſtra multa? Fortè centies commeriti ſumus pœnas inferorum; nónne ergò maxima eſt gratia, ſi puniat nos Deus pœnis temporalibus? Audi Deum per Iſaiam ca.48. loquentem: *Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum: elegi te in camino paupertatis:* q. d. non excoxi te pro merito tuo, puniendo te: ſic enim omnino conſumpſiſſem te; ſed purificaui te leuiore camino paupertatis. At licet aliqui lethaliter non peccarint, peccauerunt tamen venialiter; debetur autem etiam venialibus delictis ſua pœna temporalis. Hinc Tyranni per quos immittit nobis Deus clades, dicuntur *Virga Dei*, vti Sennacherib rex Aſſyriorum, *Virga furoris Dei & baculus, Iſa.* 10. Virga pro ijs qui minùs: baculus pro ijs qui grauiùs deliquerunt. Hinc & Attila ille vaſtator orbis, *flagellum Dei* dictus fuit. Similiter Tamerlanes ille Tartarorum princeps *iram Dei & orbis vaſtitatem* ſe appellabat. Dicat ergò quiſquiſque cum Michæa c.4. *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei.* Ita egit Mauritius Imp. qui ob peccata quædam ſua hîc in vitâ puniri eligens, cùm quinque eius Filijs ipſo inſpectante à Phoca necarentur, ad ſingulorum trucidationem exclamabat: *Iuſtus es Domine & rectum iudicium tuum.* Theophanes apud Baron. anno D.602.

D. III. Quia ſunt fructus naturæ noſtræ.

Tertiò. Quia hæ calamitates ſunt fructus, Primò naturæ noſtræ, quæ inter ſpecies rationalium eſt infima, & ſepoſita Dei ope omnibus malis obnoxia. Videmus ergo nunc quàm ſimus vaſa fragilia quæ faciunt inuicem anguſtias; ſimul enim atque auertit Deus à nobis manum aut faciem ſuam ilicò corruimus, turbamur & in puluerem noſtrum reuertimur. In huius rei figuram Ionas, cùm creuiſſet tempore æſtûs ſuper caput eius hedera, lætatus eſt ſuper eâ: ſed mox vbi percuſſa à verme aruit, cœpit Ionas æſtuare & petere animæ ſuæ vt moreretur, *Ion.* 4. Secundò, Peccati originalis, quod hæc omnia mala inuexit. Sublatâ enim iuſtitiâ originali, his malis homo eſt expoſitus, à quibus ante à Dei protectione fuiſſet præſeruatus. Tertiò. Congruunt exilio noſtro. In valle enim lachrymarum ſumus, non in Paradiſo voluptatis; in loco certaminis, non in loco triumphi. Faciunt ergo nobis ſordere terram & terrena omnia. Inueniuntur interdum homines, tam ſtulti, qui ſi poſſent, cuperent ſemper in mundo degere: ſed modò vident, quàm deſipiant, dum ſordidum & inops ſtabulum eligunt pro ſplendido diuiteque palatio.

1.

2.

3.

E. IV. Quia nos cognoſcere & timere Deũ faciunt.

Qvartò. Quia hæc faciunt nos cognoſcere & timere Deum noſtrum, dum videmus, quàm varijs & facilibus modis, quàm potenter nos affligere poſſit. Caſtigauit nos aliquando per ſiccitatem, iam per imbres diuturnos, iam per grandinem, iam per pruinam. Aliàs, bello, peſte, fame, Vah quàm potens eſt ille Deus? Sed hæ omnes clades, velitationes tantùm Elementorum ſunt. Emittit Deus in nos hîc vnum aut alterum militem: non exercitum totum. Quid erit, cùm extremo tempore elementa omnia committentur & vnà in hominem pugnabunt? *Aperuit Dominus theſaurum ſuum*, inquit Ieremias ca.50. *& protulit vaſa iræ ſuæ.* Habet enim velut in armario infinita genera tormentorum & plagarum. Quid erit, cùm totum armarium aperiet & in hoſtes ſuos immittet?

F. V. Quia ſunt

Qvintò. Quia hæc omnia ſunt nobis exercitamenta vel inſtrumenta virtutum, calcar ad emendandum vitã & ſeges coronarũ, ſi bene eis voluerimus

Nobis exercitamenta. voluerimus vti. Primò, Multorum virtus conſopita iacuiſſet, niſi aduerſitas eam prodidiſſet; facile enim eſt Deo ſeruire cùm omnia ad votum

2. ſuccedunt: facile nauigare cum ventus ſecundus aſpirat; tempeſtas oſtendit nautæ virtutem & peritiam. Hinc Iacobus ait ca. 1. *Patientia opus perfectum habet.* Si enim tempore tribulationis nihil quis remittat de ſolito pietatis ſtudio, ſed eodem pede perſtet & grauia incommoda propter Deum ſuſtineat, ille perfectus oſtenditur. Tribulatio eſt ventilabrum illud, quod Ioa. Baptiſtâ teſte, Chriſtus in manu ſuâ tenet & quo purgat aream ſuam. Triticū enim ſeu vir bonus perſiſtat ventilatus, id eſt, mouetur quidem nonnihil, ſed à Deo tamen & recto non recedit; palea verò ſeu vir malus auolat per impatientiam.

2. Secundò, reuocāt nos ad Deum à quo fugimus per peccatum. Sic enim exorta in mari tempeſtas retraxit Ionam ad Deum eiuſque mandatum exequendum, à quo fugerat. *Ion.* 1. Cuius rei typus fuit ignis quem immiſit Abſalon in ſegetem Ioabi, quem ad ſe euocatum eliter adducere non poterat. 2. *Reg.* 14.

3. Tertiò, faciunt ad emendationem noſtram. Hinc tribulationem aratro comparat S. Chryſoſtomus hom. 4. de pœnitentia, quia vt aratro noxiæ euelluntur & enecantur herbæ; ſic vitia per tribulationem. Vnde ſi agricolæ ſemel aut ſæpiùs in anno aratro excolunt agrum: quid mirum ſi idem faciat in mundo Deus? Certè vitia plurima eradicantur tribulationis tempore; & quemadmodū S. Ioannes è feruentis olei dolio exijt vegetior: ita & virtus hominum tribulatione perficitur. Contrà proſperitas diſſolutos & molles facit. Dauid in aduerſitate & perſecutione bene ſemper ſe geſſit, in proſperitate & pace deliquit. Proſperitas & abundantia prodigum à patre abduxit, fames & aduerſitas ad eundem reduxit.

4. Quartò præſeruant à futuris malis, quo modo ſal carnem à putredine; & hinc Apoſtolo datus fuit ſtimulus carnis, ne extolleretur. Hoc fine relicti ſunt Chananæi in terra ſanctā, vt Hebræi per illos exercerentur ne otio diffluerent & peruerterentur, *Iudic.* 3. Hoc ſenſu videtur dixiſſe Abigail animas iuſtorum *cuſtodiri quaſi in faſciculo viuentium: impiorum verò animas rotari quaſi impetu & circulo funda.* 1. Reg. 25. *Sic enim electi*, inquit gl. Ord. *preſſuris tribulationum conſtringuntur vt his admoniti arctiùs ad inuicem mutuâ charitate nectantur, & adunati per manus redemptoris in perpetuum conſeruentur: Reprobi quantò latiùs voluptatibus ſuis dimittuntur, tantò longiùs à diuina viſionis gloria proijciuntur.*

5. Denique ſi patienter afflictiones nobis immiſſas tulerimus; magnum inde nobis bonum proueniet. Hinc virga illa vigilans oſtenſa Ieremiæ, & correctionē denotans, ſecundùm verſionem 70. Interpretum, vocatur *baculus nuceus*; ſecundum Theodotionem *Virga amygdalina*; quia quemadmodum nux ſiue amygdalū habet amariſſimū corticē & teſtâ duriſſimâ cingitur, quibus detractis fructus dulcis reperitur: ita correctio diuina amara quidem videtur ad præſens, ſed in futuro fructus parit dulciſſimos, iuxta id Apoſtoli ad Hebr. 12. *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij ſed mœroris: poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.* Quæ verba citans Bernardus *ſer.* 10. *de cœna Domini* præclarè ait: *Flagellis Domini pinguedo carnalis voluptatis atteritur & virtutes animæ roborantur: laſciua caro reſtringitur & anima pennis virtutum ad cœleſtia ſubleuatur: caro quod ſuperfluum habet amittit, & Spiritus virtutes quas non habebat acquirit. Si ergò per flagella Domini virtutes augentur, vitia reſecantur, ſpernuntur terrena, amantur cœleſtia; nos æternitatis præmia præſtolantes ſi nobis aliqua grauis infirmitas, vel tentatio fortis, vel etiam damnum temporalium rerum irrepſerit, ex his omnibus vires ſumere debemus: quia creſcente pugna, glorioſiorem non ambigemus nobis manere victoriam. In hoc namque oſtendimus; quanta ad Deum cupiditate flagramus, ſi non ſolum ad eum per tranquilla & mollia, ſed etiam per aſpera & dura tranſimus. Ad æterna gaudia iam redire non poſſumus, niſi per temporalia detrimenta: & ideo ſpe manentis lætitiæ, omnia aduerſa proſperitatem non modicam debemus reputare.*

Quare videmus, Auditores, immeritò nos murmurare contra Deum cùm immittit nobis clades aliquas; id quod grauibus verbis dixit Ieremias *Thren.* 3. *Quid murmurauit homo viuens.* q.d. Quando *vniuerſa vanitas* eſt *omnis homo viuens* (Pſ. 38.) quid murmurat cōtra Deum quòd ab eo puniatur pro peccatis ſuis? Vidit hoc gentilis ille Pythagoras, qui dicebat. *Quibuſcūq; infortunijs homines anguntur, prout ſors tua fuerit, eam ferto moderatè neque indignare.* Et eius diſcipulus atque interpres Hierocles, qui dixit: *Tibi & culpæ tuæ indignare, non Deo. Culpam tolle & infortunium auferet Deus.*

Ad extremū igitur ſi liberari à preſſuris noſtris volumus, alio vtamur remedio, neceſſe eſt. Quodnam verò illud? Oratio, quæ Deum etiam iuſtè nobis iratum flectit ad miſericordiam & amotionem flagellorum. Hoc remedio vſus Baruch Propheta complures adhibet modos mitigandi iram Dei, *c.* 2. Primò, allegat Iudæos populum Dei eſſe, quem tantâ curâ & labore eduxit de Ægypto; v. 11. *Et nunc*, inquit, *Domine Deus Iſrael, qui eduxiſti populum tuum de terra Ægypti in manu valida*, &c. q.d. noli Domine tuum opus tantis auctum fauoribus & miraculis, perdere aut deſerere. Deinde fatetur & deprecatur culpam populi ſui v. 12. *Peccauimus, impiè egimus, iniquè geſſimus, Domine Deus noſter, in omnibus iuſtitijs tuis:* Tertiò, allegat ſummam populi calamitatem & deſolationem, v. 13. *Auertatur ira tua à nobis: quia derelicti ſumus pauci inter gentes, vbi diſperſiſti nos.* Quartò, proijcit ſe in clementiam diuinam, in merita ſua, v. 14. *Exaudi Domine preces noſtras & orationes noſtras, & educ nos propter te.* q.d. nō propter merita noſtra ſed propter te & infinitam tuam clementiā parce. Quintò, proponit Deo gloriam eius inde reſultaturam v. 15. *Vt ſciat omnis terra*, inquit, *quia tu es Dominus Deus noſter*; vt omnes nimirum

rum gentes celebrẽt tuam clementiam & paternam prouidentiam. Sextò, proponit eidẽ iacturam & intermiſſionem publici Dei cultus, ſi periret Hebræorum populus v.17. *Aperi oculos tuos & vide: quia non mortui qui ſunt in inferno dabunt honorem & iuſtificationem Domino.* Septimò, monet eum promiſſionis ſuę quâ veniam pœnitentibus promiſit v.28. *ſicut locutus es in manu pueri tui Moyſi,* &c. Denique repræſentat ei merita & promiſſiones patrum ſuorum, Abrahæ, Iſaac & Iacob, v.34. *Reuocabo illos in terram quam iuraui patribus eorum, Abraham, Iſaac & Iacob.*

Hac ratione, Auditores, conemur etiam nos placare Deum noſtrũ & auertere iram eius. Primò quidem, refricando ei in memoriam quòd ſimus populus eius electus, quòd mẽbra Eccleſiæ eius quam tanto labore emit, tot fauoribus cumulauit præ omnibus nationibus. Secundò, agnoſcamus & confiteamur peccata noſtra, quibus iram Dei prouocauimus & iuſtè commeruimus. Tertiò, ſtatuamus ei ante oculos noſtras calamitates feruenti oratione. Quartò, referamus nos non ad merita noſtra, ſed ad diuinam potiùs miſericordiam; quam etiam indignis ſolet impendere. Quintò, oſtendamus ei gloriam, quæ ex noſtrâ liberatione in ipſum redundabit, cùm videbunt gentes & aduerſarij noſtri, quòd curam habeat noſtri, nec deſeruit populum ſuũ. Sextò, allegemus etiam iacturam cultûs diuini, qui intercidit & ceſſat, ſi fideles intereãt & Eccleſia in manus hoſtium deueniat. Septimò, Refricemus ei in memoriam promiſſionem ſuam, quâ ſe fore cum Eccleſia ſuâ & pœnitentibus veniam daturum promiſit. Denique repræſentemus ei merita Chriſti Domini noſtri, in cuius nomine eum oramus, vt per merita eius audiri mereamur, qui meritis noſtris diffidimus.

Hi ſunt clamores, hi pulſus, quibus fores magni noſtri amici Dei, pulſandæ ſunt; Non murmur aut querimoniæ. Sperandum etiam eſt ad huiuſmodi preces tandem reſeratum iri ianuam miſericordiæ, & quod petimus, nos obtenturi eſſe.

CONCIO XIV.

Documenta.

Docetur primò paucos eſſe amicos veros.
2. *Amicum eſſe debere qui Deum orat.*
3. *Propter amicum, laborem eſſe ſubeundum.*
4. *Commodandum & mutuo dandum.*
5. *Liberalitas Dei & pronitas ad largiendum.*
6. *Virtus & efficacia orationis.*
7. *Rectè inſtitui ſupplicationes.*

THEMA.

Amice, commoda mihi tres panes. Luc. 11.

A. *Triplex panis petendus.*

NIMIVM, Auditores, videtur iſte petere, qui prò vnico hoſpite, tres panes mutuò petit. Sed ni fallor, voluit Dominus ternario hoc numero nobis inſinuare tres potiſſimùm panes, à Deo poſtulandos. Primus eſt, panis corporis, de quo in oratione Dominicâ dicimus quotidie: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie,* Alter eſt panis animæ, de quo Dominus *Matth.* 4. ait: *non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Tertius eſt panis animæ & corporis, quem in cœlo expectamus, ſtatus beatitudinis; de quo dixit quidam diſcumbentium cum Chriſto: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Luc.* 14. Nos ergò, Auditores, in tribus iſtis ſupplicationibus, tres panes hos poſtulemus. Et quia panis verbi diuini latet in hodierno Euangelio velut in arcâ recluſus, illum hodie petamus, vt eum nobis Deus promere & frangere dignetur.

B. I. *Pauci amici veri.*

Diſcimus PRIMÒ, Paucos eſſe amicos veros, quos mediâ nocte, id eſt, in tribulatione tuâ adire audeas & beneuolos reperias. Hoc enim indicare videtur Dominus eâ loquendi formulâ: *Quis veſtrum habebit amicum?* q. d. non ſunt paſſim obuij tales amici veri. Confirmat hoc idem Eccleſiaſticus c.6. dicens: *Amicus fidelis protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum.* Ratio eſt, quia hominum amicitia plerumque fragili nititur fundamento. Aliorum amicitia fundatur in delectatione, aliorum in vtilitate, aliorum in viuendi communi conſuetudine & ſtudiorum communione, aliorum in ſanguinis propinquitate, &c. quorum nulla eſt ſolida. De prima teſtem habemus Samſonem, qui à ſua Dalila, robore ſpoliatus & hoſtium manibus traditus eſt. De ſecunda ait Eccleſiaſticus c. cit. *Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.* Tertia amicitia diſſoluitur, vbi amici ſeparantur, & plerumque nimia familiaritas odium parit, eaque tandem inueteraſcit; ſicut nullum eſt veſtimentum tam feſtiuum, quin tãdem fiat quotidianum & vile. Nimia familiaritas Saulis cum Dauide citò in odium verſa eſt. Quartam communiter ſoluit mors. Nam qui diutiùs ægrotat, moleſtus fit propinquis: Mortuus deinde breui obliuione ſepelitur. Et hi omnes amici quid proſunt morienti; ibi verificatur, quod ait Ieremias Thren. 1. *Vocaui amicos meos, & ipſi deceperunt me,* Ad literam Ægyptios intelligit, qui à Iudæis vicinis obſeſſis vocati in auxilium contra Chaldæos, videntes horum copias & vires, reuerſi ſunt & Iudæos non iuuerunt. Sic in Belgio nuper inſignis vir in morte vocauit & implorauit opem vxoris: *Chariſſima coniux adiuua me in his anguſtijs:* cumque illa flens diceret: *Ecqui poſſum te iuuare, cariſſime marite, in morbo incurabili?* Vocauit filium primogenitum: *Fili adiuua, eripe me ex hiſce anguſtijs, ego pro te nocte & die laboraui, & vitam ſæpe periculo expoſui.* Cumque ille pariter gemens diceret: *Vtinam mi pater te morte eripere poſſem! Sed hoc vires meas excedit.* Vocauit ſecundum, deinde tertium, ac cæteros ordine filios & filias, deinde famulos & ancillas, quemque ſigillatim compellans, ac eius implorans opem; cumque ſinguli dolentes idem reſponderent, dicerentque contra mortem non eſſe remedium, exclamauit ille: *O vanas hominum curas! ô quantum eſt in rebus inane! Ecce ego tibi ô Vxor, vobis ô filij & filiæ, laboraui, ſudaui, vires & vitam impendi, quin & animam fortè oppignoraui; & ecce hæc eſt merces mea, vt in hac hora vltima*

ma implo-ans opem veſtram, non inueniam. O quàm ſatius fuiſſem ſi Deo ſeruiuiſſem! Si amicos in terra & in cælis paraſſem, qui in hoc articulo mihi adeſſent! O ſi viuere liceret quàm ſaperem! Refert P. Corn. à Lap. in Ierem.

Omnes ergò hi amici, baculi ſunt arundinei, quibus ſi inniti velis, franguntur. Argentum viuum licet auro ſit arctiſſimè copulatum, in igne tamen id deſerit: ita amici dicti morientem ſaltem deſerunt, etſi viuẽti fortiſſimè adhæſerunt.

C. II. Amicus Dei ſit, qui orat.

Diſcimus SECVNDÒ. Amicum eſſe debere, qui Deum orat. Audimus enim amicũ rogari ab amico, qui ſi illi infenſus fuiſſet, quomodo eum rogare auſus eſſet? Hinc idem Dominus *noſter* ita nos orare iuſſit: *Pater noſter qui es in cælis.* Et rurſum *Ioan.* 15. dixit: *Si feceritis quæ præcipio vobis & verba mea in vobis manſerint, quodcumq́, volueritis petetis, & fiet vobis.* Alioquin enim ſiquis in Dei inimicitia perſeueret, ſciat veriſſimum fore illud verbum cæci: *Scimus quoniam peccatores Deus non audit; ſed ſi quis Dei cultor eſt & voluntatem eius facit, hunc exaudit, Ioan.* 9.

D. III. Propter amicum iuuandum labor ſubeundus.

Diſcimus TERTIÒ, Propter amicum iuuandum libenter aliquid laboris ſubire. Ecce enim is qui iam cum ſuis liberis in cubili quieſcebat, euocatus ab amico in ſubſidium, prodijt tandẽ, ſuam quietem poſthabẽs amici neceſſitati; quod etſi cum aliquâ renitentiâ fecit, non tamen idcircò omni laude caruit. Gratus fuit Deo & ſuũ pondus habuit panis ille Petri telonearij, quem (vt alibi diximus) in pauperem coniecerat. Scimus etiam Loth ab incendio Sodomæ ſeruatũ, licet inuitus inde exiret & penè extraheretur, *Geneſ.* 19. Scimus eos quoque ad cœnam admiſſos fuiſſe, qui intrare compulſi ſunt. *Luc.* 14. Verùm vt augeatur meritum, præſtat citò & libenter dare, quàm tardè & renitenter. Qui citò dat, bis dat. Propterea videtur mihi Dominus moroſitatem & imperfectionem hodierni datoris taxaſſe in fine Euangelij, cùm ait: *Si ergò vos cùm ſitis mali, &c.* q. d. Vos homines duri & difficiles ad dandum, vinci poteſtis precibus: quantò magis pater veſter proniſſimus ad largiendum?

E. IV. Commodandum & mutuò dandum.

Diſcimus QVARTÒ. Commodare & mutuum dare & quidem ſine vſuræ exactione, vel ſpe alterius muneris. Nihil enim hic lego fœnoris, pacti, emolumenti vel etiam pignoris. Sine vllo pacto mutuos dedit panes, qui rogabatur, non dixit, dabis mihi quatuor pro tribus vel ſuperaddes munus, &c. Refrixit nunc hæc charitas etiam inter Chriſtianos, quorum nemo ferè mutuum dare, niſi ſub pignore certo, vel ſub ſpe & interdum expreſſo pacto emolumenti vult, quod planè fœnus eſt turpiſſimum: vel loco mutui iam emptionis contractus fiunt, vt lucrum è pecuniâ eliciatur. Quod licet per ſe licitum ſit, quia tamen Chriſtianam inuicem mutuandi rationem extinguit, *ſuſpicione criminis non caret,* inquit P. Alph. Salmeron in hunc locum: *nam vulgus dum has emptiones facit ſe mutuare aſſerit.* Video tamen huius mali cauſam eſſe plurimorum perfidiam & ingratitudinem, qui mutuò data tempore reſtitutionis etiam interpellati non reſtituunt. Hinc enim ditiores velut piſcator ictus ſapere diſcunt ſuiſq́ue rebus, non aliorum commodis proſpicere. Pauci ergo volunt mutuare, quia pauci volunt ſoluere. Scire ergò & iſti debent, precatorem huius Euangelij non dixiſſe: dona mihi, ſed *commoda tres panes:* promittens tacitè panum reſtitutionem fideliter faciendam. Si tu frumentum molæ affundas, mox infernè ſaccum apertum tenes, vt farinam colligas. Quis affunderet frumentum, ſi farina non ſequeretur, ſed in aquam vel occultum cuniculum fraude molitoris caderet? Diceret ſanè quilibet: abſit vt reuertar ad iſtum molitorem. At huiuſmodi molitores plurimi nunc ſunt, quodq́ue amplius eſt, nemo ſibi conſcientiæ ſcrupulum facit, ſi vltra cõſtitutum tempus mutuatori rem ſuam detineat; Prodigunt multi mutuatam ſibi pecuniam; & cùm mutuator ad deſtinatum terminum expectat ſuo marſupio nummos alteri creditos, nihil ad ſe redire videt, niſi fortè inimicitiam mutuatarij, improba verba & diras imprecationes.

F. V. Liberalitas Dei & pronitas ad largiendum.

Diſcimus QVINTÒ, Dei liberalitatẽ & pronitatem ad benefaciendum & largiendum nobis. Tametſi enim hæc parabola videtur in cortice oſtendere, Deum ægrè & difficulter exorari; re tamen contrariũ concludit. In ea enim docet Dominus, quâ ratione poſſumus Deum precando expugnare, inſtando videlicet perſeueranter orationi. Velut ſiquis mendico dicat: Pater meus ægrè quidem dat & diu multumq́ue exorandus eſt, hoc tamen habet, vt neminem, qui inſtanter & importunè roget, indonatum relinquat. Hic ſanè mendicum à mendicãdo non auertit, ſed inſtruit & hortatur. Vnde Petrus Rauennas *ſerm.* 19. ait: *O quàm dare vult, qui ſe inquietari taliter, taliter ſciſcitari patitur?* Et mox: *ô quàm negare noluit, qui ſibi etiam neganti qualiter extorqueretur oſtendit?* Nimirum delectatur Dominus orationis noſtræ ſeriâ inſtantiâ, quod videre poſſumus in Chananæa illa, quam Dominus permiſit diu poſt ſe clamare, quaſi eã non audiret, tametſi à diſcipulis moneretur: *Dimitte eam quia clamat poſt nos.* Delectabatur enim Dominus eius oratione, quæ in ea virtutes ſuas complures exſerebat. Tantum igitur abeſt vt Deo moleſti ſimus, cùm importunè eum oramus, vt potiùs moleſti ſimus, cùm non oramus. Ita enim Achaz, quia ſignum à Deo petere noluit, moleſtus fuiſſe Deo dicitur *Iſa.* 7.

G. VI. Virtus & efficacia orationis.

Diſcimus SEXTÒ. Virtutem & efficaciam orationis. Quemadmodum enim amicus iſte precibus tandem victus ſurrexit & dedit poſtulanti, quod voluit: ita etiam inſtanti oratione expugnatur tandem Deus, vt petitiones audiat. Quare bene S. Gregorius *hom.* 14. *in Ezech.* comparat orationem cum lucta angeli Deum repræſentantis & Iacobi, *Gen.* 32. Ibi enim Iacob tamdiu tenuit & quodammodò fatigauit angelum, vt dimittere noluerit niſi benedictionem ab eo impetraret. Id quod ſignificabat Deum precibus vinci & expugnari poſſe. Vnde Iacob ob id vocatus eſt Iſrael, id eſt, *vir dominans*, quia præualuit angelo. Sic expugnauit Chriſtum mulier Chananæa, quæ licet repulſam ſemel iterumq́ue paſſa, rogare tamen pro filia inſtitit,

ſtitit, tandemque non ſolùm audita eſt ſed etiã miro præconio à Chriſto commendata. *Matth.* 15. Quòd ſi oratio fortis eſt contra Deum, quãtò magis contra homines prævalebit? vt ait Angelus ad Iacob, loco cit. Hinc ſancti ex potentia orationis facti ſunt Thaumaturgi & quaſi omnipotentes, vti S. Bernardus, S. Franciſcus, S. Dominicus, qui dictitabat ſe nihil vnquam à Deo poſtulaſſe, quod impetraſſet; idque demõſtrauit in D. Conrado, cui impetraturum ſe gratiam prædixit, quà ad ipſius religionem è ſæculo tranſiret, vti factum, & nos alibi diximus. S. Thomas Aquinas aſſerebat ſe omne id aſſecutum, quod interceſſione Beatę Virginis efflagitaſſet. S. Eliſabeth promiſit adoleſcenti ſæculo addicto, ſe ipſi impetraturum, vt Dei amore inflammatus ſæculo valediceret, vt factum, & alibi dictum. S. Catharina Senenſis in orando dicebat: Domine non dimittam te, niſi id quod poſtulo (v. g. huius vel illius peccatoris conuerſionem) à te obtinuero; itaque omnia obtinebat.

H. VII. Rectè inſtituuntur ſupplicationes.

Diſcimus Septimò. Non errare Eccleſiam cùm ad aliquod templum, velut ad alicuius Sãcti patrocinium inſtituit ſupplicationem. Hoc enim fecit in hodierno Euangelio is, qui panibus indiguit, dum ad amicum ſuum mediâ nocte eos petitum venit. Poſſumus ergò & nos adire inprimis magnum noſtrum amicum, Chriſtum, deinde Sanctos eius, qui vtique & ipſi amici noſtri ſunt. Poſſumus, inquam, adire, ritu ſupplicationis quaſi facto cuneo & cum quodam exercitu. Docemur hoc inprimis ab ipſo Deo, qui per Ioelem prophetam c. 2. ſupplicationem indici iuſſit cùm ait; *Canite tubâ in Sion* (ad conuocandum ſcilicet populum in publicam ſupplicationem) *ſanctificate ieiunium, vocate cætum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate paruulos,* &c. Docemur id Secundò, exemplo Ioſue & Iſraelitarum, qui ſepties cum arca circumeundo muros Iericho, clangore tubarum proſtrauerunt, *Ioſ.* 6. Tertiò, Exemplo Chriſti, qui publicâ proceſſione ingreſſus eſt Ieroſolymam & templum in die palmarum, *Matth.* 21. Quartò. Ratione, ſi enim vnius hominis importuna oratio Deo quodammodo vim facit & extorquet id quod poſtulat, vt in hodierno Euangelio audimus; quantò magis integræ ciuitatis vel communitatis? verè enim Tertull. *in apol.* ait: *Publicâ omnium oratione quaſi manu factâ expoſtulamus & vim facimus Deo. Sed hæc vis grata eſt Deo.* Placet vtique Deo tot animorum vnio & concordia; placet feruor & afflictio quæ in itinere ſuſcipitur, & ſi in magno numero aliqui ſint peccatores, fieri tamen nequit, vt in eo non ſint etiam iuſti aliqui, quorum preces audiet, quibus etiam iuncti peccatores faciliùs audirentur. Denique his accedit effectus, quem huiuſmodi litaniæ ſæpiſſimè conſecutæ ſunt; vti illa à Gregorio M. Romæ inſtituta, peſtis ceſſationem, vt teſtatur ipſe *l.* 11. *ep.* 2. Et illa Hieroſolymæ ab Epiſcopis inſtituta in caſtris, vrbis occupationem, apud Wilhel. Tyrium *l.* 8. *belli Sacri c.* 11. Cùm enim à noſtris Godefrido Lotharingo Duce, anno Domini 1099. Hieroſolyma obſideretur, in ipſis Chriſtianorum caſtris, *de publico decreto* (ait idem Tyrius) *indictæ ſunt vniuerſo populo Litaniæ: & aſſumptis crucibus, & Sanctorum patrocinijs Epiſcopi & clerus vniuerſus induti ſacerdotalibus & Leuiticis indumentis, nudis pedibus & cum multa deuotione populum ſubſequentem vſque ad montem Oliueti præceſſerunt. Vbi vir nobilis Petrus Eremita, & Arnolphus Nordmãnorum Comitum familiaris, vir litteratus, exhortationis ſermonem habentes ad populum, in quantum poterant ad longanimitatem animabant.* Quis verò eiuſmodi proceſſionis exitus? *Vrbe iam capta & armis depoſitis, in ſpiritu humilitatis & in animo contrito, nudis veſtigijs, iunctis manibus, & ſumptis mundioribus indumentis cum gemitu & lachrymis loca venerabilia, quæ Saluator propriâ voluit illuſtrare & ſanctificare præſentiâ, cœperunt cum omni deuotione circuire, & cum intimis deoſculari ſuſpirijs: ſpecialiter autem Dominicæ paſſionis & reſurrectionis Eccleſiam, vbi Clerus & populus fidelium, qui per tot annos duræ nimis & indebitæ ſeruitutis iugum portauerant, de reſtituta libertate, Redemptori gratias exhibentes, cum crucibus & ſanctorum Patrocinijs, principibus occurrentes, eos in prædictam cum hymnis & canticis ſpiritualibus introduxerunt Eccleſiam. Intueri enim erat amœniſſimum, & ſpirituali plenum iucunditate, quanta deuotione, quanto pij feruore deſiderij, ad loca ſancta accederet populus. Quanta mentis exultatione & ſpirituali gaudio Dominicæ diſpenſationis deoſculabantur memoriam? Vbique lachrymæ, vbique ſuſpiria, non qualia mœror & anxietas ſolet extorquere, ſed qualia feruens deuotio & interioris hominis conſummata lætitia ſolet Domino, in holocauſtum incendere. Erat porrò tam in Eccleſia, quàm per vniuerſum orbem, tantus populi gratias Domino exhibentis clamor, vt iam quaſi vſque ad ſidera tolli ſonus videretur, vt de ijs meritò dictum crederetur: Vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis iuſtorum. Feruebant ſanè pio ſuccenſa deſiderio, per vrbem vniuerſam opera miſericordiæ. Hi Domino confitebantur deflenda quæ commiſerant, voto ſe obligantes ne de cætero deflenda committerent: illi in ſenes, valetudinarios & egentes profusâ liberalitate cunctam erogabant ſubſtantiam, pro ſummis & ſufficientibus reputantes diuitijs, quòd hunc vidiſſe diem, ſibi fuerat conceſſum diuinitùs: illi flexis nudiſque genibus, cum ſingultibus & præcordialibus ſuſpirijs loca circuibant venerabilia, lachrymarum cuncta replentes aſpergine: quorum verò ſermo dirigebatur ad Dominum. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Quid plura: Difficile eſt, vt noſtro comprehendatur ſermone, quanta in plebe fideli ſanctæ deuotionis eſſet immenſitas. Certatim enim ſe mutuò vincere cupientes, in operibus pietatis vnanimiter deſudabant, cæleſtis memores beneficij, & gratiam præ oculis habentes diuinam, quæ tantos eorum labores remunerare dignata eſt. Quis enim tam ferrei pectoris, quis mentis adamantinæ, cuius interiora non liquefierent, cum liceret tantæ peregrinationis fructum carpere dignißimum, & exhibita militiæ numerare ſtipendia,* &c.

Illa

Illa quoque de Proclo Epiſcopo Conſtantinopolitano inſtituta ſupplicatio ſub Theodoſio Imp. terræ motus inhibuit. *Tunc enim ſex totis menſibus non per interualla, ſed aſſiduo laborauit motu irrequieta tellus, orbemq́; concuſſit vniuerſum. Conſtantinopoli præter maxima plurimaq́; opera publica, priuata, procubuit macrontichos, quod longum murum & Cherſoneſum appellant; euerſæ celſæ turres, templa magnificentiſſima collapſa. Senſit & Alexandria labem; impulſa Antiochia tanto impetu, vt theatra ſpectaculaq́; prociderint, terrâ mariq́; ingentes paſſim clades acceptæ. Hauſit tellus vicos, inſulas abſcondit, montes protruſit; fontes ſiccauit, naues aquis deſectas vadis illiſit, mare in littora effuſum, monſtra piſcium veluti balliſta eiecit. Helleſpontus, Bithynia, Phrygia cæteris grauius afflictæ. Conſtantinopolis exanimata Metis, ſedibus propè ſuis conuulſa eſt, Imperator priuato ſchemate, nudus pedes, Patriarcha, populuſq́; vniuerſus desertâ vrbe in campum egreſſi dies nocteſq́; Numini flectendo ſupplices fudêre preces; cùm ecce ſpectantibus cunctis puer occultâ vi Numinis raptus, ſublimis abit. Trepidant pauentq́; vniuerſi, ingeminantq́; vnà omnes ſolemne illud Kyrie eleyſon. Delatus è cælo poſt horam puer eâdem quâ aſcenderat viâ, audiſſe dixit à cæleſtibus muſicis, hymnum triſagion: Sanctus DEVS, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis. Præcepitq́; vt nihil adderetur. Proclus Patriarcha odarium auditum ſtatim ab vniuerſo populo reuocari iuſſit. Firmauit ea vox trepidam terram. Puer hymno triſagij pronuntiato mox defunctus Spiritu ad beatorum ſedes rediit. Corpuſculum in S. Irenes æde conditum. Locus ex quo primùm ſublimis ductus eſt, ὕψωμα θεῖον appellatus, quaſi diceret, diuina elatio.* Refert ex Paulo Diacono *lib. 14. var. hiſt.* Matth. Raderus *in Aula S. c. 14.*

CONCIO XV.

Myſteria.

1. *Quæritur quinam ſint iſti tres amici.*
2. *Cur tres panes mutuo petit.*
3. *Cur foris & in via orat.*
4. *Quid ſit illud:* Noli mihi moleſtus eſſe.
5. *Quid illud:* Si vos cùm ſitis mali, &c.
6. *Quid illud monitum.* Petite, &c.

THEMA.

Amice, commoda mihi tres panes. Luc. 11.

A. ORTA aliquando fuit contentio inter Phrygas & Ægyptios (vti refert Pierius in hierogl.) circa vtriuſque nationis antiquitatem. Porrò Ægypti rex Pſammetichus inter vtroſque Iudex conſtitutus & arbiter: duos in ſolitudine infantes curauit enutriri, vetans ne quiſpiam eos alloqueretur. Hos ergò iam loquelæ capaces produci in conſpectum ſuum iuſſit & vario linguarum genere interrogauit. Qui cùm nihil reſponderent, vtpote omnis linguæ expertes, vnus tamen illorum hanc vocem, *Beth*, emiſit. Quæ vox, quia lingua Phrygia panem ſignificabat, rex victoriam Phrygibus accenſuit, indeque iudicabat nil adeò naturæ neceſſarium eſſe atque panem, cùm ea etiam non edocta panem petere noſſet. Conſonat huic hiſtoriæ quod in hodierno Euangelio legimus amicum præuentum neceſſitate nil aliud rogaſſe niſi panem: *Amice commoda mihi tres panes.* Iam verò Auditores, ſi natura corporea corporalem panem adeò requirit, quid ni etiam anima hominis ſuum requirat, ſpiritualem panem? Et quid dicturam putatis animam hominis ſi loqui per ſe ſola poſſet, niſi *Beth?* niſi id: *panem noſtrum ſuperſubſtantialem,* panem verbi diuini *da nobis?* Sanè non inuenio, cur potiùs corpori quàm animæ panem ſuum demus. Itaque ſi corpus paſcimus quotidie, paſcamus etiam animam pane verbi Dei, ſaltem in hebdomade ſemel, id quod nunc faciemus.

Q. PRIMÒ. Qui ſunt iſti tres amici? Vnus enim rogatur, alius rogat, tertius de via venit. B.
Reſpondeo per amicum qui rogatur intelligi Chriſtum. Nam *quis amicior nobis*, inquit S. Ambroſius *in ca. 11. Luc. quàm qui pro nobis corpus ſuum tradidit?* Itaque amicus noſter eſt & quidem omnium maximus. Primò. Quia animam ſuam pro nobis poſuit. Secundò. Quia nobis omnia ſua communia fecit, iuxta id: *amicorum omnia ſunt communia.* Communicauit enim nobis omnia merita ſua, hæreditatem ſuam, dignitatem & nomen filiorum Dei. Tertiò. Quia inuenit modum, quo vniri nobis & nos ipſi poſſemus, arctiſſimum qui eſſe poterat, in Euchariſtia & communione. Celebratur Artemiſia Cariæ Regina tanquam ex mulieribus omnibus mariti amantiſſima, quòd Mauſoli viri ſui defuncti cineres vino miſtos hauſerit, vt ſic quo poſſet modo, eum ſibi vniret & quodammodò in ſe ad vitam ſuſcitaret: ſed longè præſtat adinuentio Chriſti, quâ ſeipſum nobis integrum & viuum, ſed panis & vini ſub velamine ſumendum præbuit, vt ſic in ipſo nos & ipſe in nobis viueret: Amicus verò rogans, quilibet noſtrûm eſt, qui in ſua neceſſitate confugit ad Chriſtum. Ipſe enim nos hoc dignatus eſt nomine, quando *Ioan. 15.* dixit: *Iam non dico vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis.* Qua ex re colligere poſſumus, quanta cum fiducia accedere poſſimus ad Chriſtum in omnibus noſtris afflictionibus. Cùm enim nos amicos ſuos vocet, & ipſe præ omnibus amiciſſimum ſe nobis exhibuerit, quid, quæſo, trepidamus? quomodo etiam adduci poſſumus vt magno hoc amico noſtro præterito, alienos adeamus & hoſtes, ipſumque adeò dæmonem.

I. Qui ſunt iſti tres amici.

Amicus denique de viâ ad nos veniens & diuertens, ad literam quæcunque eſt neceſſitas, quæ nos ad Chriſtum ire compellit. Et quia nulla maior neceſſitas, quàm ſalus animæ noſtræ, idcircò amicus iſte primò & principaliter eſt anima noſtra, quando cum filio prodigo de terra longinqua venit in ſe & reuertitur

tur, ſicut pulchrè exponit S. Bern. *ſerm. in rogat. de tribus panibus. Ego quidem,* inquit, *amicum venientem ad me; non alium intelligo, quàm meipſum. Nemo quippe charior mihi, nemo germanior eſt. Ad me ergò de vis venit amicus cùm tranſitoria deſerens ad cor redeo, ſicut ſcriptum eſt: Redite præuaricatores ad cor, &c.* Quando igitur tibi ipſi vel proximo tuo habes ſuccurrere, tunc venit ad te amicus de viâ, & monet Chriſtum ad eas pro ſubſidio.

C. II. Cur tres panes mutuos petit. Q. SECVNDÒ. Cur pro vno amico tres panes mutuos petit? *Quid eſt quod amicum vnum perhibet adueniſſe,* ait S. Bern. *ſerm. in rogat. de 3. panibus, nec tamen contentus eſt quærere panem vnum? Putáſne tam voracem æſtimabat amicum, vt non poſſet vni ſufficere panis vnus?* Reſpondetque: *Puta ergò cum vxore & mancipio hominem adueniſſe, vt ſuum cuiq; panem apponere velit amicus. Per virum intelligit rationem deficientem præ ignorantiâ veritatis: per vxorem, voluntatem languentem præ inediâ affectionis: per mancipium, carnem infirmatam præ inopia fortitudinis. Commoda ergo mihi amice, inquit, tres panes, vt intelligam, vt diligam, vt faciam voluntatem.* Sic ille. Sed hæc & ſimiles aliorum expoſitiones myſticæ ſunt. Mihi videtur hîc Dominus inſinuare voluiſſe: exercendam eſſe hoſpitalitatem, & quidem liberaliter ac cum aliquo diſpendio, ſic enim & Abraham, cùm tres angelos hoſpitio excepiſſet, feſtinauit in tabernaculum ad Saram dixitque ei; *Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce & fac ſubcinericios panes.* Ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero coquendum, *Gen.* 18. Sic Chriſtus ita ſuos pauit conuiuas, vt modò 7. modò 12. cophini ſupereſſent. Eandem ergò liberalitatem exhibere conuenit, pauperibus præſertim & religioſis, quia ſub eorum perſonâ Chriſtus paſcitur & recipitur.

D. III. Cur foris & in via orat. Q. TERTIÒ. Quid eſt, quòd foris orat & in via publica? (Siquidem rogatus de intus reſpondet ad exiſtentem foris) cùm verò tradat hic Dominus rationem orandi, & alibi dixerit: *Cùm oraueris intra in cubiculum tuum,* &c. *Matt.* 6. Cur inducit hunc orantem foris in platea? Reſpondetur in cubiculo orandum, pro maiori collectione & excitanda deuotione: & quaſi in platea orandum, pro maiori reuerentia. Hinc optimè dixit Seneca ep. 10. cum ait: *Sic viue cum hominibus tanquam Deus videat: Sic loquere cum Deo tanquam homines audiant.* Etenim ſæpenumero tam parum reuerenter loquimur cum Deo, vt ſic loqui cum homine non auderemus; & confunderemur ſi pateret illis noſtra diſtractio & irreuerentia ac cogitationes impertinentiſſimæ, quibus ſub oratione diſtinemur. Viciſſim ſi ad Deum omnia cernentem oculos conuerteremus, quando cum hominibus agimus, quàm cautè ageremus & prouidè? Quare Seneca ep. cit. ait. *Nihil Deum roges, niſi quod rogare non poſſis palam. Nunc enim quanta eſt dementia hominum? turpiſſima vota Dijs inſuſurrant: ſi quis admouerit aurem, conticeſcent; & quod ſcire hominem nolunt. Deo narrant.* Hinc fortaſſe veteres opem implorantes in foro ſedebant, Pierio teſte. *l.* 43. *hierogl.*

E. IV. Quid illud: *Noli mihi moleſtus eſſe.* Q. QVARTÒ. Quid ſibi vult illud amici reſpondentis in perſona Dei: *noli mihi moleſtus eſſe?* Num enim Deo moleſta eſt noſtra deprecatio? Minimè gentium: ſed hoc verbo, Primò, magis excitare voluit affectum noſtrum ad rogandum inſtantiùs: Sicut cùm mater filio roganti primò abnuit poſtulatum, vt magis eum rogare faciat. Sic reſpondit Chananææ: *non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael;* non vt à ſe repelleret, ſed vt magis ad orandum impelleret. Hominibus quidem moleſti ſumus, cùm multa & crebrò ab eis petimus, ſed Deo contrà moleſti ſumus, quando parum aut rarò ab eo petimus. Sic enim *Iſa.* 7. cùm iuberet Deus petere regem Achaz ſignum ſiue in cœlo ſurſum, ſiue in inferno deorſum, & ipſe petere nollet, Iſaias reſpondit: *numquid parum vobis eſt, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo?* Quare ſicut filius ægrotus moleſtus eſt parentibus, quando non explicat ægritudinem ſuam, nec poſtulat medelam: ita Deo etiam moleſti ſunt, qui nihil ab ipſo petunt. Licet enim ipſe ſciat quid nobis deſit, vult tamen à nobis rogari & quidem propter bonum noſtrum, vt alibi diximus. Vult ergò Dominus dicere, nunquam ſibi importunas eſſe preces noſtras, quandocunque & quotieſcunque deferantur. Eodem ſpectat, quod ſequitur: *iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili.* Vult enim dicere: Licet ego differam concedere quod petitur, & videar id negaturus: licet in cœlo quietus regnem cum electis meis, & exiſtimer negligere viuentes, volo nihilominus vt pulſando inſtetis, quia vos audiam tandem. *Non dormit* profectò, *nec dormitat* Dominus, *qui cuſtodit Iſraël:* deſcribitur tamen velut dormiens, quia multis hominibus talis exiſtimatur dum neceſſitates & afflictiones bonorum, libidinem verò & proſperitatem malorum videre ſe diſſimulat. Sed ſuo tempore excitabitur & vindictam ſumet de malis, liberabit verò bonos, ſicut *Pſ.* 77. dicitur de punitione Philiſthinorum, qui poſtquam aliquamdiu permiſſi ſunt affligere Hebræos: tunc *excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percuſſit inimicos ſuos in poſteriora,* id eſt, in ſecretiori parte natium, vt ſimul cruciarentur dolore & pudore, quemadmodum legitur 1. *Reg.* 5.

Secundò, Hoc verbo inſinuare videtur, non tam citò ac facilè audiri à Deo illos, qui non niſi in nocte tribulationis & aduerſitatis veniunt ad Deum: ſicut audiuntur, qui de die etiam proſperitatis veniunt. Ita enim regulus ille, qui non niſi ob neceſſitatem filij nimirum, deſperatâ ægritudine compulſus ad Chriſtum oraturus venit, audiuit: *niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis;* & iteratò pulſare ſinitur, nec ad primam petitionem ſtatim auditur. *Ioan.* 4. Sumus enim nos ferè inſtar fontis illius, qui *fons ſolis* dicitur in Cyrenaicâ prouinciâ, & teſte *Mela l.* 14. de nocte feruet, de die friget. Sic enim nos in die proſperitatis à Deo fugimus & tepeſcimus: in nocte verò aduerſitatis ad Deum accedimus & amore eius incaleſcimus. 2.

F. V. Quid illud: *Si vos cùm ſitis mali*, &c. Q. QVINTÒ. Quid illud: *Si vos, cùm ſitis mali*, &c. Nunquid omnes mali ſumus? Reſpondeo
1. Primò, Nos malos eſſe & iure ſic vocatos quia ob naturam per peccatum in Adamo corruptam, ad malum propenſi, duri & difficiles ſumus ad exaudiendum eos, qui aliquid à nobis petunt, & proprio tantùm amori ſtudemus. Vult ergo dicere Dominus: ſi vos qui ex vitio naturæ corruptæ tam amantes veſtri eſtis, & tam difficiles ad ſurgendum causâ alterius & tribuendum: nihilominùs filijs veſtris nôſtis bona dare & non mala, quantò magis Pater veſter cœleſtis, qui naturâ ſuâ benigniſſimus & ad benefaciendum propenſiſſimus eſt, dabit vobis Spiritum bonum? &c.

2. Secundò. Mali ſumus comparati cum Deo, qui ex ſe ſolus eſt bonus. Luc. 18. *Nemo bonus niſi ſolus Deus*, ait Dominus. Nos autem participatione tantùm & quaſi ex mendicatione. Sicut ergò omne lucidum coram ſole euaneſcit, & comparatione eius obſcurum videtur: ſic omnis noſtra iuſtitia cum diuinâ comparata, malitia reputatur.

G. VI. Quid illud monitum: *Petite*, &c. Q. SEXTÒ. Quid ſibi vult crebra illa ad orandum incitatio; *Petite & accipietis; quærite & inuenietis: pulſate & aperietur vobis?* Reſpondetur
1. Primò, indicare maximam noſtram & extremam, in quâ verſamur, neceſſitatem, quos tam anxiè Chriſtus iubet petere. Hanc ſi nos cognoſceremus, per noſmetipſos ad eum curreremus: ſicut cùm vim morbi ſentimus, medicum mox quærimus. At quia non cognoſcimus, idcircò tam ſolicitè ſtimulat nos Chriſtus, qui videt infirmitates & miſerias noſtras: Sic cùm quis homicidio facto ſaluare ſe & fugere differt, monetur ab amicis, vt currat ad aſylum & fores eius inſtanter pulſet: ne à lictoribus inſequentibus deprehendatur. Et tamen adhuc tam multi ſunt, qui orandi ſtudium ſibi neceſſarium non putant, & multis ſæpè diebus abſtinere oratione poſſunt. De quorum deſperatione meritò timeri poteſt; non enim difficilè eos aſſequetur Tartareus ille lictor & in vincula ſua trahet. Horum typus erant filij Iacob, parum de pane ſoliciti etiam tempore famis. Vnde increpans eos pater ait: *Quare negligitis?* (Hebr.) *vt quid vos ipſi aſpicitis? audiui quòd triticum venderetur in Ægypto. Deſcendite & emite nobis neceſſaria vt poſſimus viuere. Gen. 42.*

Secundò. Oſtendere nobis Dei benignitatem & munificentiam, qui tam ſeriò nos iubet inſtare orationi. Quomodo enim non paratiſſimus, imò obligatus eſt ad largiendum, qui tam multis verbis inuitat ad petendum? Alexander Seuerus Imp. amicos & bene de ſe meritos, etiam inuitabat ad petendum, & vni eorum dicebat. *Quid eſt, quòd nihil petis? An me vis tibi fieri debitorem? pete, ne ſit quòd priuatus de me quæratur.* Lamprid. Sed longè maiori eſt Dei noſtri munificentia, qui omnes omninò inuitat & inſtigat ad petendum. Ergò, Auditores, ſine hæſitatione vel timore accedite ad Dominum: *petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis.* 2.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

Euangelium Marci vlt.

IN illo tempore, recumbentibus vndecim diſcipulis apparuit illis IESVS & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient: Linguis loquentur nouis. Serpentes tollent: Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem IESVS, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

CONCIONES.

I. *Chriſtus aſcendens Aquilæ comparatur.*
II. *Triumphus aſcendentis Chriſti.*
III. *Cauſa aſcenſionis Chriſti.*
IV. *Circumſtantiæ aſcenſionis reliquæ.*
V. *Cur in die Aſcenſionis Chriſti fiat mentio Iudicij.*
VI. *Quomodo Chriſtum proſequi & comitari in cœlum quiſque debeat.*
VII. *Via & ratio ad cœlos aſcendendi poſt Chriſtum.*
VIII. *Quid rependendum Chriſto pro beneficijs.*
IX. *Miracula credentium quomodo ſpiritualiter edenda.*
X. *Documenta.*
XI. *Myſteria.*

CONCIO I.

Chriſtus aſcendens aquilæ comparatur.

Primò ob mirabilem aſcenſionem.
2. *Ob amorem erga diſcipulos.*

3. Ob ſolicitudinem de ſuis.
4. Ob prouidentiam erga ſuos.
5. Ob ſingularem iuſtitiam in ſuos.
6. Ob liberalitatem.

THEMA.

Aſſumptus eſt in cælum & ſedet à dextris Dei. Marci vlt.

A. EZECH. 17. præcepit Deus Ezechieli vt domui Iſrael proponeret hoc ænigma: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* Ad literam ſignificabat hoc ænigma, venturum Nabuchodonoſor regem Babylonis potentiâ & opibus maximum, cum magno exercitu in Ieruſalem, & inde ablaturum præcipua ac pretioſa quæque. Sed quoniam vnius ſcripturæ ſacræ non vnus tantùm eſt ſenſus à Spiritu ſancto intentus, & idem ænigma pluribus modis ſolui poteſt: poſſumus nos aliter ſoluere hoc ænigma ſenſu allegorico. Dicimus enim Chriſtum eſſe hanc aquilam, qui in die aſcenſionis ſuæ, magnis potentiæ alis, magno ſanctorum patrum (veluti membrorum ſuorum) ductu & exercitu, plenus decore & gloriâ tam corporis quàm animæ, venit ad Libanum cœli, & ibi accepit medullam cedri, id eſt, ſupremam gloriæ ſedem, vtpotè à dexteris Dei. Quòd non malè expoſuerim hoc ænigma, teſtem aduoco ſanctum Gregorium, qui *hom. 4. in Ezechielem* aſſerit quatuor illis animalium (hominis, vituli, Leonis, aquilæ) vultibus Chriſtum deſignari. *Totum*, inquit, *ſimul nobis eſt Chriſtus.* Quia & naſcendo homo, & moriendo vitulus, & reſurgendo Leo, & ad cœlos aſcendendo aquila factus eſt. Teſte S. Maximo, qui *hom. 2. de Pentecoſte*, ait: *Sicut aquila humilia deſerit, alta petit, cælorum vicina conſcendit: ita & Saluator humilia inferni deſeruit, paradiſi altiora petijt, cælorum faſtigia penetrauit*, &c. Vidimus alibi quâ ratione Chriſtus in paſſione vitulus, in reſurrectione fuerit Leo; videamus nunc, quomodo in aſcenſione ſit Aquila.

B. I. Ob mirabilem aſcenſioné. PRIMÒ. Ob volatum præcellentiſſimum. Nam vt Aquila ſuper omnes aues altiſſimè volat, ita vt oculi cæterorum animantium vix aſſequi eam poſſint; vnde & auium regina dicitur: ſic Chriſtus ſuper omnem creaturam aſcendit ad altiſſimam cæli ſedem. Vnde *Pſ. 17.* dicitur: *Quia aſcendit ſuper Cherubim & volauit ſuper pennas ventorum*, id eſt, angelorum. Et *Pſ. 67.* *Qui aſcendit ſuper cælum cæli ad orientem.* Et ad Epheſ. 4. *Aſcendit ſuper omnes cælos.* Adhuc meliùs altiſſimum hunc Chriſti volatum deſcripſit Marcus cùm ait in hodierno Euangelio? *Aſſumptus eſt in cælum & ſedet à dextris Dei.* Ad ipſam ergò Dei altiſſimi dexteram aſcendit. Quis aſſequatur vel oculis altiſſimum hunc volatum? Cùm rem magnam ſed intellectu difficilem volumus deſcribere, prouerbio dicimus: *Aquila in nubibus*, quia ſcilicet auis quidem magna eſt, ſed viſu perdifficilis ob ſui altitudinem. Talis omninò eſt Chriſtus in ſua aſcenſione, quæ etiam ipſi Salomoni difficilis intellectu fuit, *Prouerb. 30. Tria ſunt mihi difficilia*, inquit, *& quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo: viam colubri ſuper terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentulâ*, vt aliqui legunt. Via aquilæ eſt Chriſti aſcenſio, via colubri ſuper terram eſt eiuſdem reſurrectio, via nauis in mari eſt eius conuerſatio ſuper terram, via viri in adoleſcentula, eſt eius conceptio in vtero Virginis: vt exponit S. Ambroſius *in l. 2. de Salomone c. 2.* Itaque ipſemet Salomon teſtatur ſe non intelligere Chriſti aſcenſionem; & prætereà admiratur Eccleſia, cùm in Litania vocat eam *admirabilem*. Mirabilis enim eſt Primò. Quoad ipſam itineris magnitudinẽ. Si enim, vt vult Alpharabius Arabs, à terra ad firmamẽtum vix octo millibus annorum peruenire ambulando poſſemus: & ſi iuxta Aſtrologos (apud Cornel. à Lapide in Gen. c. 1.) totus mundus intra concauum firmamenti contentus multò minor eſt reſpectu cœli empyrei, quàm ſit globus terræ reſpectu firmamenti: quis non admiretur altiſſimum Chriſti volatum? Ad hæc velociſſimè eò peruenit; vbi enim ab oculis ſuorum videri non poterat ampliùs, ibi in momento aſcendit, dote agilitatis. 1.

Secundò, Quoad terminum, qui eſt dextera Patris: vt ait Marcus. Videtur ergò Marcus nõ nihil contemplatus eſſe hanc aquilam in nubibus conſtitutam, & voluiſſe dicere: peruenit volandó ad ineffabilem quietem, & ſummam regiam poteſtatem (quæ deſignantur per ſeſſionem) & denique ad ipſam Dei æqualitatem & conſortium regni Dei patris ſuper omnes creaturas (quod deſignatur per ſeſſionem à dextris.) 2.

Tertiò, Quoad modum, vt enim ſola aquila certo ad cœlum tramite aſcendit, reliquæ aues obliquo: ita Chriſtus dominus mirabili & potentiſſimo modo aſcendit, non ſcalis adiutus, non ſubleuatus funibus: non euectus curru vt Elias, non incedens pedibus, ſed *gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ*, quod admirantur angeli *Iſa. 63.* Adhæc corpore ſuo cœlos non diuiſit, ſed penetrauit; pedem aſcendendo aut brachium non mouit, ſed rectò aſcendit corporis ſtatu. 3.

SECVNDÒ. Ob amorem erga pullos ſuos. Nam aquila ante pullos ſuos adhuc in nido hærentes volat, ad volandum eos prouocans: vt teſtatur Moyſes *Deut. 32.* qui ait Deum ſimili modo euocaſſe Iſraëlem de Ægypto in terram promiſſionis, *ſicut aquila prouocans*, inquit, *ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas & aſſumpſit eum*, &c. quia ſcilicet per varia ſigna in Ægypto edita eum euocauit & ad proſequendum iter incitauit, præiens per angelum ſuum in columna nubis. Ad eundem modum Chriſtus in aſcenſione ſua videntibus diſcipulis ſuis euolans ad cœlum, prouocauit eos ad ſimilem volatum ſuique ſequelam, per cordis deſideria videlicet, ita vt ſemper eſſe cum Chriſto deſiderarent, & cordibus in cœlis fixi eſſent, ac demum, quando eos per mortem corporalem auocaturus eſſet, læto & hilari animo C. II. Ob amorem erga diſcipulos.

varietate vaſtabunt; ſed neceſſe eſt, vt dum leuatur, in ipſo nixu & leuatione ponderis grauiſsimus lapis ſciſſuram aliquam in leuantium corporibus derelinquat. Super Eccleſia verò ſic interpretari poteſt, quòd cuncti perſecutores, qui contra domum Domini dimicârunt, inebrientur eo calice, quem vniuerſis gentibus propinat Ieremias, vt bibant & inebrientur & cadant & vomant & inſaniant. Hoc Hieronymus.

F. V. Ob iuſtitiam in ſuos. QVINTÒ. Ob ſingularem iuſtitiam & generoſam indolem erga pullos ſuos. Nam teſte Plinio l. 10. c. 3. Ariſtotele l. 9. c. 34. Æliano l. 2. c. 26. & alijs, ad ſolem examinat pullos ſuos: qui ſi non rectis oculis, ſed nictantibus (vt vult Ælianus) vel lachrymantibus (vt volunt Ariſtoteles & Plinius) ſolem aſpiciant, degeneres cenſentur & à parente abijciuntur. Sic quoque Chriſtus *extra Eccleſiam proijcit*, ait Ambroſ. *l. 2. Salom. c. 2. in quibus fides lumen infirmum eſt, qui igneam Euangeliorum lucem vitijs ſæcularibus inquinati ferre non poſſunt.* Vel, vt S. Chryſoſtomus explicat, *ſuper c. 24. Matth. hom. 49.* dicens: *ſic & filij Dei ad Chriſti iuſtitiam pleno corde ſuſcipiendam comprobantur.* Non itaque ſatis eſt eſſe in nido Chriſti eiuſque pullum, ſeu Chriſtianum; generoſos vult habere pullos ſuique ſimiles Chriſtus, qui ipſum rectis intueantur & ſiccis oculis, hoc eſt, qui & doctrinam ac præcepta eius audiant & ſeruent: non degeneres & molles. Tales enim abijcit vel hîc de Eccleſia ſuâ, permittendo vt labantur in hæreſin: vel ibi ſaltem condemnando in Iudicio. Contigit hoc illi, qui in nuptijs conſtitutus veſte nuptiali caruit; qui vtique non deſignat hæreticum, ſed malum Catholicum, qui non viuit iuxta fidei præſcripta. Continget hoc & illis qui ſplendorem verbi diuini oderunt ac fugiunt lucem, *ne arguantur opera illorum*, (Ioan. 3.) Quod enim dictum eſt Sauli: *Pro eo quod abiecisti ſermonem Domini, abiecit te Dominus*, 1. *Reg.* 15. hoc & illis dicetur.

G. VI. Ob liberalitatem. SEXTÒ. Ob ſingularem liberalitatem erga aues alias, quæ prædæ participandæ causâ ipſam ſequuntur. Sic enim Chriſtus in aſcenſione ſuâ non ſolus comedit prædam ſuam, beatitudinem videlicet: ſed diuiſit eam cum comitantibus ſe Patribus, aſſumendo eoſdem ſecum ad cœleſtem gloriam, iuxta id Apoſtoli *ad Eph. 4. Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Dedit etiam dona hominibus in terrâ conſtitutis, mittendo Spiritum ſanctum, deinde præparando eis locum in cœlo; ſiquidem omnium electorum nomine cœli poſſeſſionem cœpit. Vnde pro eo quod Apoſtolus ait: *dedit dona hominibus.* Dauid *Pſ. 67.* habet: *accepiſti dona in hominibus.* q. d. loco hominũ. Vnde S. Leo *ſerm. 1. de aſcenſ. Domini*, ait: *Hodie non ſolùm paradiſi poſſeſſores firmati ſumus, ſed etiam cœlorum in Chriſto ſuperna penetrauimus; ampliora adepti per ineffabilem Chriſti gratiam, quàm per Diaboli amiſeramus inuidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate deiecit, eos ſibi concorporatos Dei filius ad dextram patris collocauit.* Sic Leo.

Quin etiam in temporalibus defectibus liberalem ſe nobis præbebit, ſi faciamus quod à nobis requirit & quæramus primùm regnum cœlorum. Refert Ven. Beda de S. Guthberto Epiſcopo Lindiſfarnenſi, in eius vitâ c. 12. quòd cùm aliquando magnum iter faceret nec haberet diuerſorium, vbi reficeretur cibis vnà cum ſuo comite, iuſſerit bono eſſe animo comitem, ſurſumque proſpectans dixerit: *Vides aquilam illam in altum volantem? Illa nobis hoſpitis præbebit officium.* Mox in fluuium deſcendens aquila captum piſcem permiſit Guthberto & comiti eius in cibum. Nobis etiam Chriſtus adijceret temporalia, ſi primùm quæreremus ſpiritualia, iuxta promiſſionem ſuam. Quoties ergò quis in aliqua afflictione eſt, conſoletur ſe illis verbis: *Vides aquilam illam* in alto conſtitutam & nos inde contemplantem? Illa te paſcet. Iacta cogitatum tuum in Domino & ipſe te enutriet.

CONCIO II.

Triumphus aſcendentis Chriſti.

1. *Triumphaturus Chriſtus conuocauit & dilaudauit SS. Patres è limbo eductos.*
2. *Exceptus eſt à nube ſplendida.*
3. *Aſcendit cum iubilo.*
4. *Cum cæleſtibus delicijs.*
5. *Duxit ſecum captiuos.*
6. *Cum corona vt laborum præmio.*
7. *Cum purpura, diademate & annulis.*
8. *Coram plurimis ſpectatoribus.*
9. *Porta iubilæi aperta.*
10. *Aſcendit ad cæli curiam.*
11. *Commendauit Eccleſiam Patri.*
12. *Epulum ſuis dedit.*
13. *Demiſit Spiritum ſanctum.*

THEMA.

Aſſumptus eſt in cœlum & ſedet à dextris Dei. Marci vlt.

A MOs erat apud Romanos, vt qui inſignem aliquam victoriam de hoſte reportaſſet, & non minùs quàm quinque millia hoſtium vnâ acie cæcidiſſet, ex decreto Senatûs Romani triumphum poſteà ageret, & ingenti cum pompâ ac gloriâ Romam ingrederetur in remunerationem victoriæ obtentæ. Quæ ſolemnitas tanta erat, vt inter alia optarit S. Auguſtinus videre Romam triumphantem. Nemo vnquam in orbe victor fuit aut erit, qui victori Chriſto comparari queat; ſiquidem is non vnum, ſed 5. inſuperabiles exercitus glorioſiſſima morte ſua ſuperauit. Mundi, dæmonis, mortis, peccati, Inferni. Docuit igitur multò maximè vt idem à cœleſti Senatu SS. Trinitatis triumphus decerneretur: qui hodierna die in cœleſtem Romam inſtitutus fuit. Et hic quidem cum Auguſtino optandum eſſet vt qualis ille fuerit, ſaltem capere poſſemus. Sed videntur ipſimet Euangeliſtæ hoc capere non potuiſſe, qui rem tam glorioſam tam paucilis verbis inſinuarunt. *Et Dominus quidem* IESVS, inquit Marcus, *poſtquam locutus eſt*

eſt eis, *aſſumptus eſt in cœlum & ſedet à dextris Dei*, quaſi his verbis nobis reliquerit conſiderandum, qualis pompa illa fuerit; ſiquidem nihil tam magnificum excogitari queat, quod non longè ſuperetur ab illo Chriſti triumpho. Contemplemur igitur eum intellectu,quantum aſſequi poſſumus.

Triumphi Romani pompa & apparatus deſcribitur à Zonara l. 2. alijſque apud autor. *antiquit.Rom.*l. 10. cap. 29. vt ſequitur, & alibi etiam diximus.

B. I. Dilaudauit SS. Patres è limbo eductos.

PRIMÒ. Triumphaturus conuocabat milites ſuos & poſtquam eos dilaudaſſet,coronis & muneribus pro cuiuſque merito donauit: alios aureâ, alios argenteâ, alios quernâ, &c. Siquis murum primus conſcendiſſet, muri: ſiquis caſtellum expugnaſſet, caſtelli formâ coronam gerebat: ſi nauali prælio quid effeciſſet, roſtris ornatam. Ita etiam Chriſtus conuocauit patres è limbo eductos, in cœlum aſcenſurus: & quis dubitat; eos priùs à Chriſto commendatos fuiſſe & laudatos; ſi enim certantibus adhuc diſcipulis dixit: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tribulationibus. Et ergo diſpono vobis regnum*, &c. quantò magis id feciſſe credendum eſt,patribus illis iam victoribus? Ibi commédatus à Chriſto de pœnitentia Adam, de pietate Abel,de iuſtitia Noë, de obedientia Abraham, de innocentia Iſaac, de fortitudine Iacob, de caſtitate Ioſeph, de manſuetudine Moyſes & Dauid, de patientia Iob, de amore proximi latro bonus,&c. Adhæc ſingulis ſuas aſſignabat coronas.

C. II. Exceptus à nube ſplendida.

SECVNDÒ. Aſcendit currum triumphalem ſplendidiſſimum,cui aliquando cerui, aliquando Leones, aliquando equi alibi iungebantur: & vehebatur per portam triumphalem. Sic Chriſtum aſcendentem excepit nubes, vtique ſplendidiſſima, lucida & obumbrans, qualis in transfiguratione fuit. Vnde Pſal. 103. dicitur: *Qui facis nubem, aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum*. Ne tamen quis cogitaret eum hac nube velut curru indiguiſſe, priùs aliquantum ſpatij abſque nube ferebatur in cœlũ, & poſteà primùm excepit eum nubes, altiùs euectum, propriâ enim virtute, partim ob diuinitatem, partim ob glorioſi corporis agilitatem aſcendit: non alienâ, quo modo Elias curru igneo raptus. O currum mirabilem! quis enim aliquando nube velut curru vſus eſt? Iumenta verò currum hunc non tam vehentia, quàm ornantia fuêre innumerabiles angeli. iuxta Pſ.67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium in eis*. Vbi Chald. habet: *Currus Dei ignis ardentis, duo millia angelorum ducunt illum, diuinitas Dei quieſcit ſuper illum*. Hem mirabiles vectores! nunquid non ceruis celeriores? Leonibus fortiores? mannis nitidiores? Ducebāt autem hunc currũ,non neceſſitatis ſed venerationis causâ, quo modo ducitur à paranympho ſponſa; ambiebant enim angeli hunc honorem vt currui illi manum admouere poſſent. Quis verò deſcribat arcum illum cœli Triumphalem,per quem ingreſſus Dominus? ſi enim extima pars firmamenti, quâ terram intuetur, tam pulchra eſt & amabilis, qualis erit ingreſſus cœli empyrei!

D. III. Aſcendit cum iubilo.

TERTIÒ. Præcedebant tubicines, canentes modos muſicos, vel claſſicum. Hoc etiam factũ ab angelis aſcendente Domino, quis auſit dubitare? Certè Pſ. 46. ait Dauid: *Aſcendit Deus in iubilo & Dominus in voce tubæ*. Et hinc meritò pulſantur tympana, inflantur tubæ,& reſonant organa,dum peragitur cæremonia aſcenſionis Domini. Si enim in natiuitate eius *facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum*, vt habetur Luc. 2. quando paſtoribus nuntiabatur Chriſti natiuitas: quantò magis factam oportuit in aſcenſione Domini, vbi eius triumphalis ingreſſus nuntiabatur cœlo? Quòd ſi fortaſſe hi chori non ſunt auditi ab Apoſtolis,id factum vt ipſi non diſtraherentur ab aſpectu & contemplatione myſterij aſcenſionis Domini: vti exiſtimat Card. Bellar. eo Pſ. Et quis cogitare queat Muſicæ illius magnificentiam & ſuauitatem? quis dubitet cœleſtes Spiritus omnem ſuam induſtriam hîc exſeruiſſe & velut apes ſuauiſſimâ harmoniâ regem ſuum circumſonuiſſe? Fortaſsè canebant illum Pſal. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*. Fortaſsè canebant illum; *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum?* Corpus ſcilicet & animam Chriſti; quorum illud priùs in tribulatione,hæc verò in delitijs fuerat, nunc verò in vnum habitare & ambo in delitijs eſſe incipiunt.

E. IV. Cœleſtibus cum delicijs.

QVARTÒ. Ducebantur boues in ſacrificio mactandi, vittis ſertiſque redimiti, inauratis cornibus. Nõ deſunt etiam in Chriſti triumpho tauri. Sic enim Matth. 21. cùm inuitat vocatos ad cœleſtes nuptias, dicit: *Tauri mei & altilia mea occiſa ſunt*. Quid verò hi tauri niſi cœleſtes deliciæ per omnem æternitatem percipiendæ, quæ Chriſtum aſcendentem & Sanctos illius partim comitabantur,partim in cœlo iam paratæ expectabant? Si adeò lætatus eſt Iſraeliticus populus audito nuntio Danielis, Aggæi & Zachariæ,quod reuerti mox deberet è captiuitate Babylonicâ in Ieruſalem ſuam, vt diceret: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*; Quantò maior eſſe debuit lætitia ſanctorum,cùm iam ſe euehi cum Chriſto viderent in cœlum? quas enim non delitias expectabant in verâ & cœleſti patriâ ſuâ?

F. V. Duxit ſecum captiuos.

QVINTÒ. Geſtabantur manubiæ & ſpolia hoſtibus detracta, tituli item deuictarum gentium & imagines captarum vrbium, quibus mixta interdum animalia priùs non viſa aut mirabiles plantæ ex hoſtium terris allatæ. Quibus ſuccedebant, qui ex hoſtibus capti erant, Duces vincti catenis. Similiter in triumpho aſcenſionis Chriſti, ducta inprimis ſpolia deuictorum hoſtium, SS. videlicet è limbo Patres, dæmoni & inferno abſtracti. Id enim aſſerit Apoſtolus *ad Eph.* 4. *Aſcendens Chriſtus in altum captiuam duxit captiuitatem*: hoc eſt, Patres, qui in limbo priùs captiui erant, liberauit, ſeu potiùs iterum captiuauit, melioribus adſtringẽdo vinculis, amoris ſcilicet & gloriæ. Nec ſolùm patres illos,ſed etiam innumerorũ præter-

eã

eâ fidelium adhuc in terris degentium, vti inprimis matris & Apoſtolorum, corda captiua, id eſt, charitate ſibi deuincta, ſecum in cœlum duxit; adhæc imagines etiam vincendarum nationum & ad fidem conuertendarum. Quibus mixta erant peregrina aliqua ſpolia, priùs in cœlo nunquam viſa, caro ſcilicet humana in Chriſto (& fortè etiam in quibuſdam patribus, qui reſurrexerunt) quæ teſte Greg. *hom. 9. quaſi ad peregrina ducta eſt dum in cœlo fuit collocata*; mirabilis planta, cui olim à Deo dictum erat: *Terra es & in terram ibis*, ea nunc in cælũ iuit. Oo id introducit Dauid *Pſ.* 8. angelos quaſi tardantes aperire Chriſto & iteratò quærentes: *Quis eſt iſte rex gloriæ?* Deinde magis adhuc peregrinum animal ibi fuit: latro de Cruce ſaliens in cœlum. Et fortè non deerant captiui Duces catenis vincti, dæmones videlicet in aere traducti & oſtentui habiti. Quo enim alio loco id factum dicemus, quod Apoſtolus *ad Coloſſ.* 2. ait: *Expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, triumphans illos in ſemetipſo?* Vbi pro verbo, *traduxit*; Græcè habetur: *oſtentauit* ſeu *in exemplũ poſuit*: quaſi eos in triumpho duxerit humiliatos vinctoſque poſt terga manibus: id quod in aere fieri potuit, quamdiu aſcenſu Chriſti durauit.

G. VI. Cum corona vt laborum præmio.

SEXTÒ. Currui præferebantur coronæ aureæ, ſiquæ triumphatori à prouincijs per legationes fuerunt oblatæ. In triumpho Chriſti coronæ illæ, ſunt præmia, quæ reſpondent Chriſti amori in incarnatione, humilitati in natiuitate, patientiæ in circumciſione, zeli in Euangelizatione, obedientiæ in paſſione, &c. Vnde admirantur angeli Cant. 2. *Egredimini filiæ Sion & videte regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua.*

H. VII. Cum purpura, diademate & annulis.

SEPTIMÒ. Sequebatur Imperator in curru triumphali, purpurâ fulgens auro intextâ, armillas in manibus geſtans, coronâ laureâ redimitus & ramum lauri in manu ferens. Non abſimili modo Chriſtus in Eccleſiaſtica illa aſcenſionis cæremonia repræſentatur, veſte videlicet rubra aut purpurea, vt ſentit Frid. Nauſea in Catechiſ. c. 36. quia eam depurpurauit proprio ſanguine. Vnde aiunt angeli de Chriſto aſcendente *Eſa.* 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtolâ ſuâ*, &c. Et rurſum: *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Reſponderque, *Torcular calcaui ſolus.* Gerit etiam armillas, id eſt, cicatrices vulnerum in manibus & pedibus: quod itẽ mirantur angeli *Zach.* 13. *quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Gerit in capite coronã, id eſt, omnes prædeſtinatos in ſignum victoriæ? Vnde *Cant.* 2. angeli rurſum mirantur: *Egredimini filiæ Sion & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua.* Diadema & corona Chriſti ſunt omnes electi, hoc enim ſenſu etiam Apoſtolus Philippẽſes vocauit *gaudium & coronam ſuã*, c. 5. In ea tot roſæ & flores, quot prædeſtinati. O mirabilem coronã! Crucẽ denique in manu gerit, quia eleuatis manibus benedixit ſuis, per ſignum crucis, opinor, quo modo etiam Iacob cancellatis in crucis formam manibus benedixit moriturus Ephraim & Manaſſe, *Gen.* 48. vt ſentit Gretſerus l. de Cruce.

I. VIII. Coram plurimis ſpectatoribus.

OCTAVÒ. Spectatores, qui ex vrbe & ferè totâ Italiâ aduenerant, omnes applaudebant & ferè in veſtitu albo pompam ſpectabant. Ita in triumpho Chriſti angeli de cœlo in terras deſcendere & in veſtibus albis diſcipulis apparuêre, *Act.* 1. nec dubium, quin omnes omnino confluxerint in eum cœli locum, vbi Chriſtus aſcendit. Id quod repræſentatur in illâ aſcenſionis cæremoniâ, quâ angeli cum Chriſto circum volitantes euehuntur: iuxta id *Ioan.* 1. *videbitis cœlum apertum & angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis.* Et notandum quod S. Laurentius Iuſtinianus Patriarcha ſcribit *in feſto Aſcenſionis Domini: Aſcendente Chriſto egrediebantur interdum Angeli & delectabiliter intuebantur humanitatis illius elegantiam, præclaram formam, radiantem faciem, imperiale decus & honorabilem ſtatum.*

K. IX. Porta Iubilæi aperta.

NONÒ. Interim omnes ædes ſacræ fuerunt apertæ, & coronis ac ſuffitibus repletæ. Ita in aſcenſione, porta iubilæi aperta in toto orbe, & aditus ad cœlum vbique patefactus. Tunc enim Chriſtus dixit: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Quamquam adornandæ etiam ſunt Eccleſiæ coronis & ſuffitibus bonorum operum. Alioquin, *fortaſſe vnuſquiſque apud ſemetipſum dicat*, ait S. Greg. *in hom. hodiern.* Feſt. hom. 29. in Euangelium: *Ego iam credidi, ſaluus ero. Verum dicit, ſi fidem operibus tenet. Vera etenim fides eſt, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit.* hæc ille.

L. X. Aſcendit ad cœli curiam.

DECIMÒ. In Capitolium vehebatur, Romanorum curiam ſplendidiſſimam, vbi præcepit hoſtes in triumphum ductos, vel iugulari vel perpetuo carceri mancipari. Et eo die penes ipſum imperium erat,

Ita Chriſtus *aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem.* ait *pſ.* 67. id eſt, ad fontem omnis luminis. Tunc alios in abyſſum detruſit, alios ſuper terram, ſed vinctos dimiſit. Ex illo etiam tempore Pater omne imperium dedit filio, nõ ad vnum, ſed vſque ad nouiſſimum diem. Vnde *ad Eph.* 1. dicitur: *Conſtituens illum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum, & poteſtatem & virtutem & dominationem, &c.*

Tunc imperium capeſſebat nunquam terminandum & inchoabat diſtribuendo ſedes militibus ſuis, quos ſecum duxerat.

M. XI. Commendauit Eccleſiam Patri.

VNDECIMÒ. In Capitolio Iouis gratias agebat, quod per manus eius rem Romanam bene geſſiſſet, eamque vt ſeruaret, foueret & protegeret rogabat: eique immolabat hoſtias & ſpolia dicabat.

Sic Chriſtus in cœlo Patri ſuo, cui & acceptam referebat victoriam ſuam, nec non Eccleſiam ſuam commendabat; aſcendit ſiquidem *vt appareat vultui Dei pro nobis*, ait Apoſtolus. q. d. velut noſter Aduocatus. Et fortaſſe dixit id *Ioan.* 17. *Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi in mundo. Tui erant*

erant, & mihi eos dediſti & ſermonem tuum ſeruarunt, &c. Et: *Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego & illi ſint mecum, &c. Ioan. 17.*

N. XII. Epulum ſuis dedit. DVODECIMÒ. Epulum publicum inchoabat cum ſuis: ad quod inuitabat Primò, Senatores, ſed poſteà rogabat vt venire ſuperſederent, ne quis eo die, quo ipſe triumphabat, maioris in eodem conuiuio eſſet imperij.

Ita Chriſtus ſuis prædixit *Luc. 22. Et ego diſpono vobis vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno patris mei.* Et hæc illa cœna magna *Luc. 14.* Hæ nuptiæ filij regis *Matth. 22.* Ad hoc epulum inuitat omnes homines: ſuperbis tamen, qui eius fidei & præceptis ſubijcere ſe nolunt, dicet vt venire ſuperſedeant; ſiquidem non deceat, vt aliquis in cœleſti conuiuio maior ſit ipſo. Et hoc ideo, quia & ipſi illi ſuperbuli reſpondebant in parabola inuitatoribus: *villam emi, iuga boum emi, rogo te habe me excuſatum.* Similiter ergo reſpondebit eis Chriſtus. Quid enim aliud, quod aſcenſurus dixit: *Prædicate Euangelium omni creaturæ* (ecce omnes inuitantur ad epulum cœleſte) *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur?*

O. XIII. Demiſit Spiritum ſanctum. TERTIODECIMÒ. Pecunias plebi diſtribuebat.

Ita Chriſtus Spiritûs S. gratiam & dona, quibus velut pecunijs negotiari poſſent homines & vſuras ſpirituales facere. ſic enim ait *ad Eph. 4. Aſcendens Chriſtus in altum, dedit dona hominibus*, ſi ergo gratiam illam exerceamus & cum eâ bene operemur, cœleſtia bona ingentia nobis comparabimus. Quemadmodum pauperi nummus datur, vt eo panem emat: Sic gratia Spiritus ſancti, nobis datur vt ea mercemur per bona opera æternam gloriam. Vnde Dominus ille ſeruis ſuis talenta partitus, & peregrè, id eſt, in cœlum abiturus dixit: *negotiamini dum venio.*

Vidimus pompam Chriſti hodiernam, vidimus triumphum, ſupereſt vt nunc triumphanti applaudamus. Dicamus igitur cum Eccleſia in hodierno officio: *O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie ſuper omnes cœlos aſcendiſti, ne derelinquas nos orphanos, ſed mitte promiſſum patris in nos ſpiritum veritatis.*

CONCIO III.

Cauſæ aſcenſionis Chriſti.

Aſcendit Dominus.

1. *Vt fidem noſtram augeret.*
2. *Vt firmaret noſtram ſpem.*
3. *Vt charitatem erga ſe noſtram accenderet.*
4. *Vt in cœlo aduocatus noſter eſſet.*
5. *Vt mitteret nobis Spiritum ſanctum.*
6. *Aſcendit ſui cauſâ.*

THEMA.

Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, Aſſumptus eſt in cœlum, Marci vlt.

DVbitare aliquis poſſet, gaudendúmne potiùs nobis ſit hoc die, an dolendum. Dolendum nobis eſſe videtur, quia Dominus noſter hodie quidem ad cœlos abijt; Eccleſiam verò ſuam veluti turturem, ob ablatum ſponſum ſuum continuè gementem, in terris reliquit. Quid putatis ſenſiſſe B. V. MARIAM, quando vidit à ſe diſcedentem filium, cuius ipſa comes ſemper indiuidua erat? Quid Mariam Magdalenam, quæ Domini præſentiâ adeò delectabatur vt numquam non ad eius pedes reperiretur? Quid Domini diſcipulos, qui ſine Magiſtro ſuo ſemper triſtes, timidi & deiecti erant? Certè Marcus Euangeliſta hodiernus hanc Eccleſiæ triſtitiam & deſolationem voce querulâ inſinuare videtur, dum ait: *Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum & ſedet à dextris Dei.* Videtur, inquam, illud, *Quidem*, eſſe vox mœrentis; quaſi dicere vellet: Abijt *quidem* Dominus & Magiſter noſter in cœlum & ſedet à dextris Dei. Sed interim nos hîc relicti, eoque orbati ſumus. Verùm, licet Chriſti diſceſſus mœſtitiam aliquam parere Eccleſiæ ſuæ potuerit, alia tamen ex parte multò magis eam lætificare debuit; tum quia ipſa ſponſum ſuum vidit mirificè exaltatum & ad dexteram Dei euectum (quæ autem ſponſa non gaudeat de exaltatione ſui ſponſi?) tum etiam ob propriam maximamque vtilitatem ſibi inde prouenientem. Idcirco enim *Ioan. 16.* Dominus non vult vt triſtemur ob illius diſceſſum: *Sed ego veritatem vobis dico*, inquit: *Expedit vobis vt ego vadam.* Quando igitur ita iubet Dominus, ponamus triſtitiam & gratulemur potiùs nobis de Domini noſtri aſcenſione. Quod vt alacriùs facere poſſimus, audiamus quid nobis attulerit commodi eius Aſcenſio, & quid gloriæ Chriſto.

PRIMÒ. Aſcendit Dominus vt fidem noſtram adaugeret, tam quoad firmitatem quàm quoad meritum. Quoad firmitatem quidem, quia ſi Dominus ſemper nobiſcum in terra manſiſſet, homines Phariſaici dixiſſent ei: Multa dixiſti de regno tuo: quando ad illud proficiſceris? Inuita etiam nos aliquando in regnum tuum. Videamus ſi poſſis volare in cœlum, &c. Sic enim dixerunt de eius deſcenſu de cruce: *Videamus ſi veniat Elias, liberans eum. Si filius Dei eſt deſcendat nunc de cruce & credimus ei.* Sed iam quid maius eſt, ô increduli, Chriſtum aſcendere in cœlum: an deſcendere de cruce? Hoc forſitan Milonis & Samſonis fortitudo potuiſſet: illud verò nequaquam. Quare ſi non vidiſtis ibi de Cruce deſcendentem, aſpicite iam in cœlum aſcendentem, quod multò amplius eſt. *Ioan. c. 6.* differebat Dominus de veritate corporis ſui in Euchariſtia, dicendo: *Caro mea verè eſt cibus*, &c. quod cùm aliqui ex diſcipulis eius non crederent ſed ab eo diſcederent; videns incredulitatem eorum, eamque conuincere volens, dixit: *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat priùs?* q. d. *quid dicturi eſtis*, vt ait S. Chryſoſt. *quando contra omnem naturæ vim ac poteſtatem me filium hominis, quem modò nihili facitis, in cœlum, vbi priùs*

A. B. I. Vt fidem noſtram augeret. I.

Digitized by Google

priùs in natura diuina erant, aſcendere, illucq́; humanam naturam inferre videritis. Itaque tam mira eſt hæc aſcēſio, vt etiam difficillimos fidei articulos credendos eſſe vel ipſa ſola perſuadeat. Vnde præ alijs omnibus eius miraculoſis operibus Eccleſia illam prædicat *admirabilem* in SS. Litanijs. Attentauerat quidem Simon Magus hoc artificium, & conuocato ingenti populo volatum ad cœlum promittebat, ſed factum vt in terram caderet & crura ſua frangeret, & (vt S. Maximus ait) *qui pennas aſſumpſerat, plantas amitteret.* Quòd ſi ei volatus iſte ſucceſſiſſet, bone Deus, quantum populum perfidiæ ſuæ adiunxiſſet? Igitur quod nemo alius potuit, hoc feciſſe Chriſtum noſtrum ſcimus, & ſi huic ſpectaculo nos non interfuimus, interfuère multi alij, quibus videntibus eleuatus eſt in cœlum, & quorum relatione didicimus. Quòd ſi tale quid de Romulo & Iulio Cæſare finxit Ethnicorum infidelitas: numquam tamen id ab vlla natione creditum eſt. Et quomodo iam non firmiter adhæreamus Chriſto per fidem, quem ſcimus tam fælici tamque mirabili clauſulâ & coronide conuerſationem ſuam finijſſe?

Nec firmior ſolùm, ſed etiam maioris meriti facta eſt fides noſtra per Chriſti aſcenſionem, per quam ab oculis noſtris ſubtractus eſt; ſiquidem Dominus dixit: *Beati qui non viderunt & crediderunt,* id eſt, magis beati, quam qui viderunt. Non credimus quidem vt cæci, quia rationibus nitimur, quæ euidenter nobis oſtendunt credenda eſſe, quæ credimus: ſed non petimus cum Thoma (adhuc incredulo) vt ad oculum nobis oſtendantur, quia aliunde ex alijs firmiſſimis rationibus tantam de Chriſto Domino noſtro concepimus exiſtimationem, vt impoſſibile putemus, eum falſa nobis dixiſſe. Hoc verò maioris eſſe meriti, quis dubitet? ſi tibi vir quiſpiam grauis, magnæ & publicæ auctoritatis, aliquid narraret: & tu illius verbis contentus eſſe nolles, ſed peteres id tibi in medium produci, oſtendi, &c. nónne parum honorificè de illo ſentires? nónne vituperium potius, quàm laudem ab illo reportares? Quoniam igitur in Chriſtum credimus, quem oculis non vidimus, beatiores ab illo dicimur quàm qui viderunt. Hoc perpendens ſponſa *Cant.* 1. ita canere ad ſponſum ſuum Chriſtum incipit: *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino.* Lac enim quod non videtur, ſed ex vberibus ab infante attrahitur, non examinatis eius qualitatibus, fidem repræſentat, quæ eſt argumentum rerum non apparentium: vinum verò quod antequam bibatur, videtur in vitro, & colore ac odore priùs examinatur, ſcientiam deſignat. Rurſum ſicut Auicennâ teſte. *Can.* 2. lac melius eſt, quod ex ipſis vberibus ſugitur: ita & fides melior experimento & ſcientiâ.

C. II. Vt firmaret noſtrã ſpem.

Secundò. Vt noſtram ſpem firmaret; ſi enim ſemel in Chriſto caro noſtra aſcendit in cœlum, quomodo diffidere de noſtra aſcenſu poſſumus? Quando in caſtelli alicuius oppugnatione vnus mœnia conſcendit, omnes alij eodem aſpirant. Erat quidem anteà obſeratum regnum cœlorum, vti & Paradiſus gladio verſatili cuſtoditus: Sed remouit nunc Chriſtus hoc impedimentum, quia primus illuc penetrauit. Et ſi ipſe propriâ virtute aſcendere in cœlum potuit, quomodo non ad ſe trahere nos poterit, manumq́ue nobis porrigere? Naturali virtute ferrum eleuat corpus alioqui graue: & non poterit Chriſtus corpora noſtra grauia trahere in cœlum? Adhæc ſecundum Philoſophos, in corpore proportionato vbi caput ingredi per foramen poteſt, ſequi etiam corpus poteſt. Igitur ſi proportionata Chriſto membra fuerimus, ſequi eundem in cœlum poſſumus. Vnde S. Leo *ſerm.* 1. *de huc feſtiu. Quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis.*

Poteſt igitur, & præterea etiam vult nos ad ſe trahere. Quid enim ſibi volunt illæ eius promiſſiones: *Vado parare vobis locum?* Et, *ſi abiero & præparauero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego & vos ſitis? Ioan.* 14. Quid illud Apoſtoli *ad Heb.* 6. *præcurſor pro nobis introiuit Ieſus?* Imò *ad Eph.* 2. ait: *conreſuſcitauit & conſedere nos fecit in Chriſto in cæleſtibus.* In huius rei indicium reliquit Chriſtus, in loco vnde ad cœlum abijt, veſtigia ſua lapidi impreſſa, adeò vt licet à peregrinis ſæpe radantur, ſemper tamen ſuccreſcant & indeleta maneant. Similiter & via ſeu meatus ille, per quem, aërem aſcendendo ſecuti poſtmodum Eccleſiâ ibidem ædificatâ numquam obſtrui vel obduci potuit, ſed in ſumma fornice rotundum foramen, quâ Chriſtus aſcendit, ſemper apertum manſit: quod vtrumque ſcribit & ſuo tempore monſtratum aſſerit S. Hieronym. de locis Hebræ, ex Actis Apoſtolicis S. Paulinus ad Seuerum *ep.* 11. Beda de locis SS. *c.* 7. Reliquit igitur nobis, ô Chriſtiani, viam cœli apertam & permeabilem Dominus; quid dubitamus; clauſiſſet vtique illam, ſicuti poſt eiectionem Adami Paradiſum, ſi eam nobis negare voluiſſet.

D. III. Vt charitatem in nobis erga ſe accenderet.

Tertiò. Vt charitatem ergà ſe noſtram accenderet, ad Deum & cœleſtia bona deſideria noſtra erigeret. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum,* inquit Dominus *Matth.* 6. Atqui omnem noſtram ſalutem & ſpem in Chriſto poſitam eſſe non ignoramus, meritò igitur nunc frequenter in cœlum aſpicimus & aſpiramus, vbi theſaurus noſter eſt. I. Videt fortè canis herum ſuum ingredi domum quampiam & ille deforis excluſus ad ianuam ſemper intendit, donec herum contueatur; vti & acus nautica; quæ donec ſeptentrionem aſpicit, numquam interquieſcit. Ita & diſcipuli quia corporibus proſequi Dominum ſuum aſcendentem non poterant, oculis proſequebantur & cordis ardentiſſimo deſiderio. Vnde Apoſtolus *ad Coloſſ.* 3. monet: *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Et D. Greg. *hom.* 49. *Oportet vt eum ſequamur corde,* inquit, *quo eum corpore aſcendiſſe credimus. Deſideria terrena fugiamus, nihil iam nos delectet in infimis, qui patrem habemus in cœlis.*

Canis

Canis quando odoratu percipit veſtigia præeuntis Domini, ijs pertinaciter inſiſtit donec herum inueniat. Ita à nobis quæri deſiderauit Chriſtus, qui veſtigia ſua propterea reliquit terræ impreſſa. Exemplum recitat Rudolph. *l.4. hiſt.c.6.* de quodam Burgundo Lethbaldo nomine, qui cum alijs Hieroſolymam profectus & ad veſtigia illa Chriſti in monte Oliueti orans, vt ibi moreretur: deinde in hoſpitium regreſſus mox ægrotare cœpit & hilari vultu exclamans: *Gloria tibi Domine,* animam Deo reddidit. Ita S. Paulus: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto,* inquit. Ita S. Petrus ſemper vbertim flebat; cauſam rogatus, reſpondit: *Deſiderio Domini.* Ita Magdalena indagauit veſtigia Chriſti ſurgentis currendo huc illuc & quærendo: *Si tu ſuſtuliſti eum,* &c.

2. Deinde accendit in nobis deſideriũ ſequendi ipſum. Quis enim ad coronas non ſequatur, ſi præeuntem habeat, qui omnes viæ difficultates ipſi remoueat? Alexander Magnus interiorem Perſidem penetraturus, iter imperuium, glacie & niuibus denſis obſitum, ipſe primus aperuit cùm arrepto ligone glaciem diuiſit. Quo viſo, *erubuerunt non ſequi,* inquit Curtius l.v. *primùm amici, deinde copiarum Duces, ad vltimum milites.* Ad eundem modum Chriſtus quomodo non inuitat omnes homines ad ſequendum ſe; ſiquidem *aſcendit pandens iter ante eos,* vt inquit Michæas *c.2.* iter vtique priùs imperuium? Igitur vt arcâ Iordanem diuidente & præcedente, omnis Iſrael facilè ſecutus eſt: ita par eſt vt cum omni conatu alacriter Chriſtum bonis operibus proſequamur, quibus ſecurum ad cœlum iter obtineamus.

E. IV. Vt in cœlo Aduocatus noſter eſſet.

QVARTÒ. Vt in cœlo apud Patrem aduocatus noſter eſſet. Ita enim S. Ioannes 1. *Ioan.2.* ait: *Sed etſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum.* Et Apoſt. Paulus *ad Hebr. 9. Introiuit in ipſum cœlum vt appareat vultui Dei pro nobis.* Quis non vehementer gaudeat, quòd apud Patrem Iudicem, fratrem habeamus Aduocatum? ſed quomodo eſt Aduocatus noſter? Reſpondeo, dum ſemper repræſentat Deo Patri vulnera ſua pro nobis accepta. Vnde *Apoc. 5.* Vidit Ioannes agnum in cœlo ſtantem, *quaſi occiſum*: quia nimirum ſicut in Cruce obtulit patri paſſionem ſuam, noſtrum ſe Aduocatum præbens: ita etiam nunc in cœlo eam Patri repræſentat, quaſi adhuc pateretur, atque ita interpretatiuè orat.

Deinde iuxta Patrum ſententiam verè etiam & propriè orat, dum ius meritis ſuis debitum & præmium ſibi à Patre promiſſum, gratiam ſcilicet & gloriam nobis communicandam exigit, quà homo. Quod indicat Apoſtolus *ad Rom.8.* cùm ait: *Etiam interpellat pro nobis.* Sicut ergo in cruce pro tranſgreſſoribus orauit; ita pro ijſdem ſupplicat etiam in cœlo iuſtitiæ diuinæ; ſed in cruce & terra per modum ſerui, cum ſolicitudine, pauore, *clamore valido & lachrymis*: in cœlo verò per modum filij, cum libertate, confidentiâ & hilaritate: ſtans, non in faciem procidens. Porrò Agnus ſtans ideò etiam viſus eſt Ioanni (cùm in Euangelio hodierno ſedere dicatur, ob maieſtatem iudiciariam & quietem) vt indicetur ſemper paratus eſſe ad opitulandum, quemadmodum & S. Stephano martyrio decertanti viſus, ſtans à dextris Dei.

F. V. Vt mitteret nobis Spiritum ſanctum.

QVINTÒ. Vt mitteret nobis Spiritum ſanctum, quem & poſt decem dies miſit. Hinc *Ioã. 14.* dixit: *Niſi ego abiero, paracletus non veniet ad vos.* Decuit autem vt non ante ſed poſt aſcenſionem ſuam mitteret, vt per eam miſſionem probaret ſe in cœlo regnare. Si enim nihil inde nobis miſiſſet, dubitaremus fortè, num in cœlum aſcendiſſet. Iam verò quia ſpiritum ſuum miſit, non eſt dubitandi locus. Ita Ioſeph probauit patri ſuo Iacob per fratres, ſe dominari in Ægypto, dum fratrum iumenta onerauit frumento & pecuniâ, plauſtra quoque cum vario remiſit apparatu, plurimiſque alijs diuitijs ac donis, *Gen.45.* Habemus igitur certiſſimum argumentum, vt iam nil ſuperſit dubij, redemptorem noſtrum & ſponſum animarum noſtrarum eſſe in cœlo, & quidem vt cœli regem; ſiquidem tam inſignè donum Sponſæ ſuæ miſit. Itaque ô Chriſtiani, *Ioſeph* frater *noſter viuit, & ipſe dominatur in omni terra Ægypti,* Iacob audiens viuere filium ſuum *quaſi de graui ſomno euigilans, cùm vidiſſet plauſtra & vniuerſa quæ miſerat* ei Ioſeph, *reuixit ſpiritus eius & ait: Sufficit mihi ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit, vadam & videbo illum antequam moriar.* Pro illo, *reuixit ſpiritus eius,* Chaldæus vertit? *Quieuit Spiritus S. ſuper Iacob.* Ecce typum miſſionis Spiritûs S. Non ergo iam dubitamus de Chriſti Domini exaltatione; ſed vnicum id deſideremus, vt cum ipſo ſimus. Dicat ergo vnuſquiſque Chriſti amator: *Vadam & videbo* (Ieſum meum) *antequam moriar.*

G. VI. Aſcendit ſui cauſâ.

Denique ſuiipſius causâ Chriſtus aſcendit in cœlum, primò vt ſuam legem & doctrinam confirmaret ac cœleſtem eſſe oſtenderet; ſiquidem dubium eſſe non poteſt eum è cœlo deſcendiſſe & inde legem attuliſſe, qui in cœlum 1.
quoque aſcendit. Secundò, Vt reipsâ doceret, 2.
quod coram Pilato conteſtatus eſt, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, ſed de cœlo: & quod coram Caipha dixit ſe venturum aliquando *in nubibus cœli.* Hoc enim facilè iam credere poterant, quando audierunt eum nunc in nubibus cœlum conſcendiſſe. Tertiò, vt corpori ſuo 3.
in terris humiliato & afflicto iuſtam daret mercedem & gloriam. Locus enim certaminis terra, locus coronæ cœlum: quemadmodum Duces Romani Romæ triumphabant, ſed alibi militabant. Nos itaque, Auditores, tametſi hodierno die perdidimus quidem Chriſtum ſecundùm ſpeciem viſibilem, gaudeamus tamen & toto pectore exultemus, tum quia & noſtri & ſui gratiâ ad Patrem ſuum migrauit, cui ſit honor & gloria.

CON-

CONCIO IV.

Circumſtantiæ aſcenſionis reliquæ.

1. *Quæritur vnde aſcenderit Dominus? nempe ex monte Olueti prope Bethaniam.*
2. *Quando aſcenderit? Reſp. poſt 40. dies feriâ quintâ poſt meridiem.*
3. *Cur non diutius in terra manſerit.*
4. *Quomodo aſcenderit? Reſp. paulatim, benedicens illis.*
5. *Quorſum aſcendit? Reſp. ſuper omnes cœlos, ad dexteram patris, & ad ſeſsionem.*

THEMA.

Aſſumptus eſt in cœlum & ſedet à dextris Dei. Marci vlt.

A. CVm quis rem charam perdit, ſæpè de ea cogitat, vbi perdiderit, quomodo & quãdo perdiderit, & quorſum ea deuenerit, inquirit. Videmus etiam canes, cùm conſpectum fortè leporem perdiderunt, impigrè diſcurrere, veſtigia eius perquirere, illis inſiſtere & feram indagare. Perdidimus hodie ſummum bonum noſtrum, Chriſtum videlicet. Si hunc nos amamus, ſedulò cogitemus, vbi, quando & quomodo & quorſum à nobis receſſerit. Ideo reliquit nobis veſtigia ſua impreſſa monti Olìueti, vt ea inueſtigantes in ipſum raperemur. Hoc feciſſe Deiparam, Magdalenam, Apoſtolos, quis poteſt dubitare? Faciamus idem & nos.

B. I. Vnde aſcendit. 1. Ex monte. PRIMÒ. Vnde aſcendit, Reſpondetur ex monte Olìueti, non procul à Bethania vt habetur *Act.* 1. Primò igitur ex monte quodam deſerto & coram paucis teſtibus aſcendit glorioſus, qui in vrbe Ieroſolymitana totius Palæſtinæ celeberrima coram omnibus populis qui tunc aderant, ſumma cum ignominia in crucem agi voluit: vt doceret nos contumelias & ignominias etiam publicas libenter amplecti, gloriam verò fugere. Hanc eandem cauſam arbitror eſſe, cur Euangeliſtæ paſſionem Domini & quæ ad humiliationem eius ſpectant, enucleatiſſimè & ad longum ſcripſerint: quæ verò ad exaltationem & gloriam eius pertinent, breuiter & ſuccinctè: vti aſcenſionem eius hodiernam. Nouerant enim mentem Chriſti qui ſolebat gloriam ſuam paucis manifeſtare, infirmitatem verò & paſſionem omnibus; & quidem ad doctrinam noſtram quaſi dicere illud: *Vade & fac ſimiliter.* Nos tacemus vitia noſtra, infirmitates & miſerias noſtras, & omnibus modis occultamus; gloriam verò & excellentiam oſtentamus.

2. Ex Oliueto. 1. Secundò. Ex monte Olìueti. Vt inde aſcenderet ad gloriam, vnde deſcendit ad paſſionem. Ait enim Apoſtolus *ad Eph.* 4. *Quid eſt quod aſcendit, niſi quia & deſcendit?* Ergo quæ via eſt ad patientiam, eadem eſt ad gloriam: & qui vult aſcendere, debet priùs deſcendere. Hinc eſt quod dixit Gabriel ſeſſurum ſuper ſolium Dauid: quia ſicut Dauid *de poſt fœtantes* & paſtorali munere euectus eſt ad regiam: ſic etiam Chriſtus de paſſione ad gloriam. In illo monte Chriſtus iacuit primò proſtratus & ſanguine perfuſus: in eodem poſteà aſcendit glorioſus. Vis ergo in altum exſilire? priùs ad terram te deprimito. Secundò. Quia in hoc monte ſæpe Chriſtus orauit & pernoctauit, vt patet *Luc. c.* 21. 22. & 23. demonſtrans orationis aſſiduitatem ſternere homini viam ad cœlum. 2.
Tertiò. Vt in conſpectu impiæ & Iudaicæ Ieruſalem, quæ eum depreſſerat & occiderat, glorioſus aſcenderet; itaque abolito Iudaiſmo Chriſtianiſmum ſanciret & illuſtraret. Mons enim Olìueti tantæ altitudinis eſt, vt ex eo omnes penè plateæ Ieruſalem (quin & mare mortuum) conſpiciantur. Quartò, Quia Oliuetum & oleum ſymbolum eſt gratiæ & miſericordiæ, quam Chriſtus nobis in hoc monte patiens & aſcendens impendit. Hinc pariter in hoc loco iudex conſidebit, cùm in fine mundi redibit vt iudicium vniuerſale peragat: Hoc enim futurum eſt in valle Ioſaphat, quæ ſubiacet monti Olìueti, & exiguo ſpatio inter eum & vrbem Ieruſalem interiacet, vt Iudæi infideles & impij qui paſſionis & aſcenſionis eius oleum & mel ſpreuerunt, ibidem ſentiant guſtentque acetum & fel iræ ipſius & vindictæ. 3. 4.

Tertiò prope Bethaniam. Non fruſtra commemoratur hoc oppidum, ad quod exiuit Dominus in cœlum aſcenſurus. Sonat enim *Bethania* domum obedientiæ, vt indicetur Primò, Chriſtum ſicut ex obedientia erga patrem venit in hunc mundum & verſatus eſt in eo, ita & exire voluiſſe. Secundò, vt ſciamus ſecuriſſimè ad cœlum tendere, qui in domo obedientiæ, hoc eſt, in religione ſub obedientiâ viuunt. 3. Prope Bethaniam. 1. 2.

Q. SECVNDÒ. Quando aſcendit. Reſpondetur 40. die poſt reſurrectionem, qui erat dies Iouis, poſt meridiem. Expectauit per 40. dies, vt præberet *ſeipſum viuum in multis argumentis, Act.* 1. Vt ageret cum Apoſtolis de regno Dei, id eſt, de Eccleſia eiuſque inſtitutione, gubernatione, capite, de ſacramentis, de ſcripturis, &c. Et demum vt charitatem & humilitatem ſuam vehementiùs commendaret, dum etiam in ſtatu gloriæ ſuæ cum hominibus tam frequenter & tam familiariter conuerſari voluit. Solent apud homines, honores mutare mores: & qui ex humili conditione ad dignitates euecti ſunt, deſpicere & obliuiſci, quos priùs familiariter nouerant. Sed non ita Chriſtus. C. II. Quando aſcendit. 1. Poſt 40. dies.

Secundò feriâ quintâ: illo nimirum die, quo priùs ad montem Olìueti ſed paſſurus iuerat, vt oſtenderet eandem eſſe viam ad paſſionem, & ad gloriam. Item die, quo Euchariſtiam inſtituerat, fortè vt nobis inſinuaret, ſe & à nobis recedere, & nobiſcum manere, in Euchariſtia. Vnde mox aſcenſurus dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* 2. Feria quintâ.

Tertiò poſt meridiem (dicitur enim priùs cum diſcipulis comediſſe *Act.* 1.) vt ſicut poſt meridiem eiectus è paradiſo eſt Adam: ita ſecundus 3. Poſt meridiem. 1.

2. ſecundus Adam eodem tempore intraret. Se-
3. cundò, vt manifeſtior eſſet eius aſcenſio. Tertiò, quia etiam in meridie circa horam diei ſextam crucifixus fuit; vt quo tempore ſe humiliauit ad mortem crucis, eodem exaltaretur
4. ad cœlum. Quartò, Anno ætatis 34. adhuc cur-
Cur non diutiùs in terra manſit. rente. Sed cur non diutiùs in terris manſit? Reſpondetur Primò, intra id tempus perfeciſſe Dominum totum opus legationis ſuæ, nil re-
1. ſtitiſſe ampliùs; adeoque paucis annis expleuiſſe
2. tempora multa. Secundò, quia corpori eius cœleſti cœlum debebatur vbi ab angelis & futuris beatis auidè expectabatur: non terra, vbi parum honorificè habitum, imò à multis contemptu aut probris affectum fuiſſet. Tertiò, vt
3. doceret nos non longam deſiderare vitam, ſed bene viuendo paucis annis explere tempora multa.

D. III. *Quomodo aſcendit.* Q. Tertiò. Quomodo aſcendit? Reſpondetur Primò, Statu corporis recto, nullo pedum
1. motu, quia hoc non indiguit. Secundò, Facie ad occidentem verſa, ſicut oſtendunt veſtigia impreſſa lapidi, teſte Adrichomio, vt Romam & occidentales populos benediceret. Tertiò,
2. Nubes ſuſcepit eum ad indicandam diuinam
3. eius maieſtatem. Dei enim apparitiones ferè cum nubibus factæ ſunt, partim ob eius diuinam maieſtatem, cuius inſignia ſunt nubes; partim quòd hîc in terris non niſi obſcurè videri Dei gloria poteſt.

4. *Paulatim.* Quartò, Videntibus diſcipulis & cæteris qui aderant. Paulatim enim ferebatur ſurſum;
1. Primò, Vt palam eſſet omnibus nihil hîc eſſe fictionis & illuſionis. Poſteà vbi videri ampliùs non poterat, in inſtanti aſcendit, quia iam nulla
2. erat tardandi cauſa. Secundò. Vt cum diſcipulorum oculis vnà etiam animos eorum ſecum veheret in cœlum per ardentiſſimum deſiderium habitandi in cœleſtibus.

5. *Benedixit illis.* Quintò. Benedixit illis eleuatis manibus Primò: Vt oſtenderet benedictionem & bona quæ
1. per eam conferuntur; de cœlo deſcendere.
2. Secundò. Vt doceret ſine Dei benedictione non ſuccedere noſtra negotia: vti nec Apoſtolorum prædicatio quidquam potuiſſet, niſi Dei benedictio ad eam acceſſiſſet. Sic benedixit Deus creaturis ſuis, vt creſcerent & multiplicarentur: quia *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Hinc etiam in fine Miſſæ diſceſſuros ad opera ſua benedicit Sacerdos. Hæc ergo Dei benedictio in rebus arduis maximè eſt petenda; Neque contemnenda illa quæ fit à ſacerdotibus, Chriſti Vicarijs. Si enim promiſit olim *Num.* 6. Deus ſe benedicturum hominibus, quibus benedixerint filij Aaron: cur non idem de ſacerdotum benedictione credendum. Certum enim eſt multis eam profuiſſe, vti Comitia Montfort data à Cominæo Epiſcopo: mox enim claſſicum canens cum 800. militibus fugauit exercitum Aragonum ad 20000. milites habentem. Hac accepta à Pio V. Pont. Ioannes de Auſtria nobiliſſimam Victoriam reportauit à Turcis ad Echinadas, vbi captæ Turcarum triremes 180. incenſæ 20. depreſſæ totidem: tribus horis quibus pugnatum eſt, cæſâ Turcarum 25. millia, in his magnus Baſſa: Chriſtiani recuperati ad 20. millia. Anno Domini 1571. die 7. Octobris. Contrà verò qui eam contemnunt, accipiunt pro benedictione maledictionẽ, vti Legatus Palatini Comitis in Comitijs Auguſtanis anno 1559. qui celebrante Ottone Cardinale & Epiſcopo Auguſtano exequias Caroli V. Imp. & benedictionem ei offerentur in ſacræ patinæ oſculo, recuſans audijt ad eo: *ſi non vis benedictionem, habeto maledictionem.* Ita enim accidit: nam Principis gratiam & liberos perdidit & exul in paupertate mortuus eſt. Pontan. in Att. bell. p. 2.

Q. Quartò. Quorſum aſcendit? Reſp. Primò, *Aſcendit ſuper omnes cœlos,* inquit Apoſtolus E. IV. *Quorſum aſcendit.*
ad Eph. Primò, Vt ſicut in terra omnium in- 1. *Super omnes cœlos.*
fimum & contemptiſſimum habuit locum, in cruce nimirum inter latrones medium: ita & exaltatus haberet omnium ſummum. Notum enim eſt, tam altè aſcendere aquam, quam profundè priùs deſcendit. Dixit aliquando Chriſtus ipſe exaltandum fore eum, qui in menſa nouiſſimum occupat locum, auditurumque, *Amice aſcende ſuperius.* Hoc in ipſo nunc expletum eſt. Quia enim in terra nouiſſimum occupauit locum, & ſecundùm Iſaiam *c.* 54. *nouiſſimus virorum* eſſe voluit, ideo exaltari meruit ſuper omnes cœlos & choros angelorum, audireque à cœleſti Patre ſuo: *Amice aſcende ſuperius.* Ita Apoſtolus teſtatur *ad Philip.* 2. *humiliauit ſemetipſum,* &c.

Secundò, Vt ſe probaret Dominum eſſe vniuerſorum, ipſumque velut regem in regia vel amphitheatro, influere in membra & contueri omnia. Vnde S. Bern *ſer.* 2. *de Aſcenſ.* ait: *Cùm ſe Dominum vniuerſorum, quæ ſunt in terra & in mari & in inferno probaſſet, non reſtabat niſi vt aëris & cœlorum ſe eſſe Dominum argumentis ſimilibus vel certè potioribus approbaret. Terra enim cognouit Dominum, quia ad vocem virtutis eius, cùm clamaſſet magna voce, Lazare veni foras, mortuum reddidit. Cognouit mare quia ſolidum ſe prabuit ſub pedibus eius, ita vt Apoſtoli eum putarent phantaſma eſſe. Cognouit infernus, cuius ipſe portas æreas & vectes ferreos confregit.*

Secundò. Ad dexteram Patris, quia æ- 2. *Ad dexteram Patris.*
qualem cum patre obtinet gloriam, & proinde ſummam poteſtatem & dominium, tam ad operandum quàm ad impetrandum omnibus creaturis & iudicandum de omnibus hominibus. Itaque cœleſtis pater vocauit hodie Chriſtum *Beniamin*, id eſt, filium dexteræ, quem priùs Synagoga mater eius vocarat *Benoni*, id eſt, filium doloris ſui. *Gen.* 35. Filius ergo eſt dexteræ, quia Patri chariſſimus, iuxta id *Cant.* 2. *Dextera illius amplexabitur me.* Filius dexteræ, quia in ſumma gloria, iuxta id *Pſal.* 109. *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis.* Filius dexteræ, quia in ſummis delitijs, iuxta id *Pſalm.* 15. *delectationes in dextera tua.* Filius dexteræ, quia in ſecuro & æterno beatitudinis ſtatu, iuxta id *Prouerb.* 3. *Longitudo dierum in dextera eius.* Filius dexteræ, quia fortiſſimus noſter auxiliator & defenſor,

deſenſor, iuxta id *Iob* 14. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Filius dexteræ, quia poſſeſſor beatitudinis loco omnium electorum, quos ad dexteram conſtituendos expectat.

3. *Ad ſeſſionem.* Tertiò, Ad ſeſſionem, Primò, Tanquam ad poteſtatem Iudiciariam. Iudicum enim eſt ſedere.

1. 2. Secundò. Tanquam ad quietem & ceſſationem à præteritis laboribus. In mundo ſemper viſus eſt ambulare, numquam ferè ſedere, niſi fortè cum doceret. Nunc tandem poſt fatigationem venit ad quietem. Nunc tandem poſt diluuium paſſionis, menſe ſeptimo arca requieuit ſuper montes Armeniæ, *Gen.* 8. Quò & nos euehere dignetur.

CONCIO V.

Cur in die Aſcenſionis Chriſti fiat mentio iudicij.

Angeli faciunt hodie iudicij mentionem.
1. *Vt ſciamus Chriſtum eſſe hominem illum qui peregrè profectus eſt.*
2. *Vt fides ſecundi aduentus eius confirmaretur.*
3. *Vt doceant qualis futurus ſit.*
4. *Vt doceant ſpei timorem admiſcendum.*
5. *Ad conſolationem diſcipulorum.*

THEMA.

Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Act. 1.

A. SAnctus Gregor. M. *homil.* 2. *in Euang.* ait SS. Angelos læta nunciare, quando albis veſtibus induti nobis apparent. Sic enim de Angelo illo, quem mulieres in monumento ſtolâ candidâ coopertum viderunt, ſcribit: *ſtolâ candidâ coopertus apparuit, quia feſtiuitatis noſtræ gaudia nuntiauit. Candor etenim veſtis ſplendorem noſtræ denuntiat ſolemnitatis*: Similiter loquitur *ſuper hodiernum Euangelium hom.* 29. cur nimirum duo illi Angeli in albis apparuerint Chriſto ad cœlos aſcendente. Sed nónne hodiernâ die quando aſcendit Dominus, duo illi Angeli amicti veſtibus albis, videntur nuntiaſſe triſtia & terribilia; diem videlicet Iudicij? *Sic veniet*, inquiunt, *quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Quid hic aliud dicunt, quàm quod dicturi ſunt in iudicio; *ſurgite mortui, venite ad iudicium?* Verùm ſi nuncium iſtud rectè expendamus, proſperum & bonum eſſe deprehendemus, vti nunc audiemus.

B. I. *Vt ſciamus Chriſtum eſſe hominem illũ, qui peregrè profectus eſt.* Faciunt Angeli iudicij mentionem. Primò, Vt intelligamus Chriſtum, qui modò aſcendit, eſſe hominem illum, qui partitus eſt talenta ſeruis ſuis & peregrè profectus eſt in regionem longinquam accipere ſibi regnum & reuerti, vti legimus *Matth.* 25. & *Luc.* 19. Quod enim ibi dixit ſeruis ſuis: *negotiamini dum venio*; hoc nũnc per Angelos repetit. *Peregrè iuit.* 1. Porrò peregrè iuiſſe dicitur. Primò, quia vt ait S. Gregor. *hom.* 9. *in Euang. carnis locus proprius terra eſt, quæ quaſi ad peregrina ducitur, dum per redemptorem noſtrum in cœlo collocatur.* Erat antea cælum, Dei tantùm & Angelorum ciuitas, iuxta id *Pſal.* 113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum:* at verò ex quo Chriſtus cœlum incolere cœpit, factum eſt etiam ciuitas noſtra, & quidem ex Chriſti meritis, quæ deſignata fuêre per 30. argenteos, quibus ipſe venditus eſt, & emptus ager figuli in ſepulturam peregrinorum. Nos iſti peregrini ſumus, quibus agrum figuli illius, qui de luto nos formauit, ſanguine ſuo emit, vt meritò nunc cœlum vocare debeamus *Haceldama* ſeu agrum ſanguinis. Secundò quòd reliquerit hominibus libertatem arbitrij viuendi pro libitu ac ſi abſens eſſet; ſed interim ſcire debemus eum reuerſurum & rationem negotiationis exacturum. Monentur proinde aſtantes, vt mox ex illo tempore incipiant negotiari; vnde aiunt Angeli: *Viri Galilei, quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* q. d. quid moramini? non iam tempus aſpiciendi cœlum, ſed lucrandi & faciendi quod vobis commiſſum eſt; maximè quia neſcitis, quâ horâ ſit venturus. Interrogabant quidem diſcipuli paulò antè: *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?* ſed reſpondit Dominus: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Quod ſi vtile nobis fuiſſet ſcire aduentum eius, vtique nobis dixiſſet. Sed quia hoc potiùs noxium erat, noluit aperire. Si enim modò cùm neſciamus diem & horam aduentus eius, adhuc tam ignaui ſumus, & pœnitentiam ac bona opera de die in diem, de ætate in ætatem differimus, adeoque tempus nobiliſſimum peſſimè conſumimus, quid ageremus ſi ſciremus diem quâ nos ad iudicium euocaturus eſt Dominus? Porrò ſi notantur Apoſtoli, quod paulò diutiùs ſtent Chriſtum aſcendentem oculis proſequentes & non potiùs eant mox ad munus Apoſtolicum ſibi demandatum exequendum: quâ notâ digni erunt illi, qui otioſi ſtant in foro oculo circumferentes & inanibus colloquiis tempus perdentes? quàm reprehendendi illi, qui multò ſæpè tempore ſtant coram ſpeculo donec ſe veſtiant? Rurſum qui in tabernis deſident, & ſinunt interim vxorem ac liberos domi eſurire?

SECVNDÒ. Vt fides ſecundi aduentus Chriſti in nobis confirmaretur. Etenim in nouiſſimis temporibus incipient homines dubitare de aduentu Chriſti ad iudicium, eò quòd tamdiu tardet; & hinc incipient magis ſceleratè viuere: ſicut olim Hebræi, cùm tardaret Moyſes deſcendere de monte, dicebant: *Moyſi huic viro ignoramus quid acciderit*, & propterea inceperunt vitulum conflare, edere, & bibere & ludere, *Exod.* 32. Et ſi credimus R. Salomoni, dæmon pheretrum Moyſis in aëre oſtendit Hebræis, vt putarent eum mortuum. Ad hunc ergò modum etiam dæmon homines decipiet, quaſi non ſit venturus Chriſtus, quò ad maiorem C. II. *Vt fides ſecundi aduentus eius confirmaretur.*

rem peccandi libertatem eos prouocet. Sic enim 2. *Pet.* 3. dicitur: *Venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores iuxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes: Vbi eſt promiſſio aut aduentus eius:* Sequitur deinde: *Adueniet autem dies Domini vt fur.* Et quid ait Dominus *Matth.* 24. *Si dixerit*, inquit, *malus ſeruus ille in corde ſuo: moram facit Dominus meus venire; & cœperit percutere conſeruos ſuos, manducet autem & bibat cum ebrioſis: veniet Dominus ſerui illius in die quâ non ſperat & horâ quâ ignorat, & diuidet eum partemq́; eius ponet cum hypocritis; illic erit fletus & ſtridor dentium.* Videntur ergò dicere Angeli ad tales: *Quid ſtatis*, ô homines aſpicientes in cœlum & dicentes: non veniet Iudicium? Ecce ſicut aſcendit veriſſimè in oculis hominum: ſic etiam redibit. Vt enim Moyſes tandem cum furore deſcendit & tabulas confregit ac puniuit præuaricatores: ſic faciet & Chriſtus.

D. III. Vt doceat qualis ſit futurus ſecundus Chriſti aduentus.

TERTIÒ. Vt doceant nos, qualis ſit futurus ſecundus Chriſti aduentus. Multa terribilia prædixit Dominus, de hoc aduentu ſuo; ſed ne quis fortè diceret cum incredulis Iudæis. *Tu de teipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum;* idcircò duo viri, Angeli nimirum, teſtimonium huic veritati perhibent. In primis
1. Chriſtus improuisò eleuari cœpit & ferebatur in cœlum: *Sic veniet*, repentè nimirum & im-
2. prouisò. Secundò. Nouiſſimè recumbentibus vndecim ſubitò apparuit & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis: *Sic veniet*, quando nimirum homines recumbent, edent, bibent, facientque ſicut in diebus Noë, tunc repentè apparebit & exprobrabit reprobis duritiam cordis erga pauperes: *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare*, &c. Deinde incredulitatem, quòd nimirum credere noluerunt illud: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*
3. Tertiò, Aſcendit benedicens ſuis diſcipulis & fidelibus: *Sic veniet*, dicturus ad electos: *Venite*
4. *benedicti patris mei, percipite regnum*, &c. Quartò, Aſcendens alios aſſumpſit ſecum, vti Angelos & patres è limbo eductos: alios in terrâ reliquit, vt Apoſtolos, ſic in illo die alios aſſumet, alios relinquet. *Dico vobis*, inquit, *Luc.* 17. *in illâ nocte erunt duo in lecto vno; vnus aſſumetur & alter relinquetur: duo erunt molentes in vnum; vna aſſumetur & altera relinquetur: duo in agro; vnus*
5. *aſſumetur & alter relinquetur.* Quintò, Super nubem aſcendit Dominus: *Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*, ait Lucas *Act.* 1. *Sic veniet: Videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli*, ait Do-
6. minus. Sextò, Aſcendit Dominus, congregatis in vnum fidelibus: *Sic veniet*, congregatis videlicet omnibus populis in valle Ioſaphat, *Ioël*
7. 3. Denique videntibus diſcipulis Dominus eleuatus eſt: ſic in die illo videntibus reprobis eleuabitur cum electis, ad maiorem illorum dolorem. Iam verò etiam iſtud monitum bonum & ſalutare eſt. Nam ſi ſciamus, quid illo die euenturum ſit, conſulere nobis poſſumus, vt bona nobis eueniant. Si ſcimus Iudicem venturum inſperatò, ergò ſtudeamus omni tempore illum expectare cum oleo & lampadibus. Si ſcimus venturum, quando homines edent & bibent, nec non exprobraturum malis duritiam cordis: ſtudeamus vitare crapulam & vacare operibus miſericordiæ. Si ſcimus ex amicis alios aſſumendos, alios relinquendos: adhortemur nos mutuo ad pœnitentiam & bona opera vt ne in illo die ab inuicem ſeparemur.

QVARTÒ. Vt doceant ſpei timorem admiſcendum contra hæreticos & alios nimiùm ſibi de miſericordiâ Dei blandientes. Aſcendens enim Chriſtus naturam quidem humanam intulit in cœlum & loco ac nomine omnium electorum poſſeſſionem cœpit, ac *quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis*, ait S. Leo *ſerm.* 1. *de Aſcenſ. Domini:* non tamen idcirco ſecuri eſſe debemus, quia priùs ad iudicium citabimur, Angelis id nunc teſtantibus. Vt enim priùs tranſeundus erat Domino torrens Cedron, quàm veniret ad montem Oliueti, vnde ad cœlos aſcendit; ſic nobis priùs tranſeundum eſt iudicium quàm attingamus cœlum. Deus filios Iſraël traduxit per mare rubrum magnâ quidem cum eorum fiduciâ, dum viderunt Deum ſibi adeò beneuolum: ſed non abſque timore, dum viderunt aquas maris vtrimque inſtar murorum conſiſtentes, & ſi fortè peccarent, in ſe reuerſuras, *Exod.* 14. Ita vult etiam nos tranſire per hanc vitam, inter ſpem & metum: ſpem, inquam, vitæ æternæ, & metum iudicij: inter ſpem ne deijciamur, inter metum ne præſumamus & contra Deum erigamur. Hi ſunt duo axes in ſalutis bigâ: tolle axem ſpei, ſtatim corruemus. Tolle axem timoris, ſtatim ad omnia ſcelera proni ruemus.

E. IV. Vt doceat ſpei timorem miſcendum.

QVINTÒ. Ad conſolationem diſcipulorum Chriſti & triſtitiam eorum leniendam: Non enim dubium, quin contriſtati ſint vehementer ob Domini ſui receſſum. Si diſcipuli S. Martini morituro dicebant: *Cur nos pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces:* multò magis dicere hoc poterant Chriſti diſcipuli qui audierant mittendos ſe ſicut agnos inter lupos. Quare ſicuti pater à liberis diſcedens conſolatur eos ſpe & promiſſione velocis reditûs: ſic fecit modò Chriſtus ſuos Angelos. Videntur enim iſti dicere: *Quid aſpicitis in cœlum*, & quid oculis veſtris proſequimini abeuntem? Sic enim breuî ad vos redibit, ſicut videtis abeuntem. Huius conſolationis participes ſunt omnes electi, qui proinde orant quotidie: *Adueniat regnum tuum.* Contrà non libenter audiunt reprobi, hoc verbum Angelorum, quia Iudicem formidant, quem contempſiſſe ſe meminerunt.

F. V. Ad conſolationem diſcipulorum.

Quare fratres mei Chariſſimi & deſideratiſſimi, rogo vos per diem illum Iudicij, quem hodie nobis annuntiârunt Angeli; ita vos gerite, vt venientem Iudicem cum deſiderio expectare & cum gaudio videre poſſitis. Amen.

Digitized by Google

CONCIO VI.

Quomodo Chriſtum proſequi & comitari in cœlum quiſque debeat.

Chriſtum aſcendentem proſequi debemus.
1. *Admiratione.*
2. *Gaudio & gratulatione propter ipſius gloriam.*
3. *Feruentibus deſideriis.*
4. *Contemptu rerum terrenarum.*
5. *Spe & fiduciâ.*
6. *Timore.*
7. *Vitæ innocentiâ.*

THEMA.

Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Act. 1.

A. QVando arcam fœderis induxit in ciuitatem ſuam regiam Dauid, incredibile eſt, quantâ cum lætitiâ, gloriâ & pompâ eandem proſecutus ſit. Congregauit enim omnes electos ex Iſraël, triginta millia virorum, qui comitarentur arcam: conſtituit cantatores in omni inſtrumentorum genere, qui epinicium ſeu victoriale carmen accinerent: mactauit hoſtias: ipſe coram arcâ præ gaudio ludebat organis & ſaltabat totis viribus; vti legimus 2. *Reg.* 6. & 1. *Par.* 15. Hodie, Auditores, vera illa fœderis arca, Chriſtus, illata eſt in cœleſtem ciuitatem, vt ibi in æternum habitet. Noſtrarum igitur partium eſt, vt arcæ huius deductionem quibus par eſt honoribus & gaudiis proſequamur. Et quia corporis greſſibus proſequi non poſſumus, ſaltem animi affectibus debemus; quâ etiam ratione diſcipuli procul omni dubio Chriſtum aſcendentem proſecuti ſunt, cùm mente poſt ipſum rapti cœlum continuò intuiti, & quaſi ab eo ſuſpenſi hærebant. Solent multis in locis effigies Chriſti reſuſcitati, ad inſtructionem plebis, hodiernâ die euehi in templo ſupra eius fornicem: ſed hæc ſolùm typica & rudis quædam deductio eſt: rudi ſolùm plebeculæ & pueris conueniens. Nos qui velut adulti non ampliùs lacte nutrimur, ſolidiori ac præſtantiori pompâ Chriſtum deducemus: præclaris ſcilicet virtutum actibus, piis quoque affectibus, vti nunc audiemus.

B. I. Admiratione. Aſcendentem Chriſtum PRIMÒ proſequi debemus admiratione. Nihil enim ſimile ab ortu mundi ad ea tempora viſum eſt vnquam. Finxêre quidem Romani ſuos Imperatores aliquos ad cœlum aſcendiſſe: ſed finxêre, non vidêre; ideò aquilam rogis eorum incluſere, quæ ad volatum inde emiſſa hominibus perſuaderet, Imperatorem rediuiuum ad cœlos abiiſſe. Subornârunt eorundem Romanorum Senatores Proculum quendam, qui teſtaretur viſum ſibi Romulum ad cœlos aſcendiſſe. Sed id tam vanum eſt, vt Tertullianus *contra Marcion.* dicat: *Romulus ſcalis mendacij aſcendit in cœlum.* Enoch & Elias rapti ſunt in Paradiſum: ad cœlum nec venerunt nec aſcenderunt. Tentauit hunc volatum Simon Magus, ſed precibus Sancti Petri deiectus eſt ex aëre peſſimus impoſtor & tam graui caſu terræ illiſus, vt *qui pennas aſſumpſerat, ſubitò plantas amitteret*, inquit Sanctus Maximus. Chriſtus igitur ſolus verè & viſibiliter ac propriâ virtute aſcendit: vnde rectè Eccleſia hanc aſcenſionem vocat *admirabilem*; maximè quia & ipſi Angeli eam admirantur Iſaiæ 63. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtolâ ſuâ, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ?* Et *Pſal.* 23. cùm dictum eſſet Angelus: *Attollite portas principes veſtras & eleuamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ.* Reſpondent illi: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* q.d. Inauditum & nouum eſt hoc, hominem aſcendere ad cœlos, non tamquam hoſpitem, ſed Dominum. Quare ſi deſcendente manna Hebræi dixerint: *Manhu? quid eſt hoc?* multò magis hodie dicẽdum aſcendente Chriſto. Videte Chriſtiani quàm magnum, quàm potentem habeamus Dominum: & quàm meritò ei acclamemus cum Dauide: *Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſâ terrâ? quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos?* Pſal. 8.

C. II. Gaudio & gratulatione. SECVNDÒ, Gaudio & congratulatione propter ipſius gloriam, quam ei gratulari tanquam fratri noſtro debemus. Vnde ait Dominus: *ſi diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem.* Quando audiuit Iacob, Ioſeph filium ſuum viuere & dominari vniuerſæ terræ Ægypti, reuixit ſpiritus eius & dixit: *ſufficit mihi ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit, vadam & videbo illum antequam moriar. Gen.* 45. Quantò igitur gaudio perfundi nos decet hoc die, quo nobis nuntiatur Chriſtum fratrem euectum ad cœli regiam dominari cœlo & terræ? Ipſe enim dixit, *Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, Ioan.* 20. Gaudium huius feſtiuitatis nuntiârunt nobis Angeli, qui in albis veſtibus (quæ lætitiam præ ſe ferunt) diſcipulis apparuerunt, cùm aſcendit Dominus. Feſtiuitas autem hæc noſtra eſt potiùs quàm Angelorum; indicat enim nuptias Chriſti cum Eccleſiâ hodie inchoatas eſſe in cœlo; & ſicut amici ſponſi gaudent propter ſponſum & ad eius honorem feſtiuè ſe adornant: ita fecerunt Angeli, nos interim admonentes, vt idem & multò magis faciamus, quoniam ad eaſdem nuptias nos quoque exſpectamur.

Quòd ſi ita à nobis receſſiſſet Chriſtus, vt nos deſertos relinqueret, poſſemus forſitan contriſtari, & dicere ei: *Cur nos Pater deſeris? aut cui nos deſolatos relinquis? Inuadunt enim gregem tuum lupi rapaces.* At hoc non poſſumus dicere; quia ita à nobis receſſit, vt ſimul nobiſcum maneat: *ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, inquit.

D. III. Feruentibus deſideriis. TERTIÒ, Feruentibus deſideriis, iuxta id Apoſtoli ad Col. 3. *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dexterâ Dei ſedens.* Sanè Iacob, vti diximus, cùm audiſſet filium ſuum chariſſimum

inum Ioſeph, viuere & dominari in Ægypto, tanto incenſus eſt videndi illius deſiderio; vt migrare ad eum conſtituerit cum totâ domo ſuâ, non habitâ ratione ſenectutis ſuæ (erat enim 130. annorum.) Nec itineris moleſtia, nec mutandæ domûs & familiæ difficultas eum abſterrere poterat; tanta erat vis amoris. Quare ſi hoc potuit amor in Patriarcha, qui præter illum Ioſephum alios plures habuit filios: cur non idem & plus in nobis poſſit amor Chriſti, vnici noſtri patris? *Vbi eſt theſaurus tuus*, ait Dominus, *ibi eſt & cor tuum*, *Matth. 6.* Cùm ergò theſaurus noſter in cœlo ſit, ibi etiam fixum ſit cor noſtrum, ſi verè Chriſtum amamus. Hinc orantes ad Orientem conuertimur, quia Chriſtus *aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem*, *Pſal. 67.* *quaſi nos adhuc teneant deſideria aſcendentis*, vt ait S. Auguſtinus *tom. 4. l. 2. de ſerm. Domini in monte c. 9.* Lingula ſemel affricata magneti, ſemper ad Septentrionem ſe vertit, nec quieſcit priùs quàm ipſi ſe obuertat, quia & magnes ipſe ibi ſedem ſuam habet. Nos omnes in baptiſmo Chriſto affricti ſumus eiuſque ſanguine tincti: quare inquietum ſemper debet eſſe cor noſtrum, donec requieſcat in Chriſto.

E. IV. Contemptu rerum terrenarum.

QVARTÒ, Contemptu rerum terrenarum, vti monet etiam Apoſtolus *ad Col. 3. Quæ ſurſum ſunt ſapite*, id eſt, cum guſtu quærite: *non quæ ſunt ſuper terram.* Quemadmodum enim vxor amantiſſima ſui mariti, vbi illum perdidit, nihil amplius in mundo reperit, quo recreetur: non adit conuiuia, non nuptias aut choreas, non veſtitur multi-coloribus ſed nigris tantùm: Et ſicut turtur amiſſo compare, non aſſumit alterum, nec ſuper ramum viridem ſedet, nec aquam puram bibit; gemitum pro cantu edit, ad ſolitudinem ſe recipit, & hominum conſpectum fugit, ſolitaria incedit: ita facere nos deceret, poſtquam ſponſum noſtrum vnicum amiſimus & in cœlo conſtitutum cernimus. Vnde S. Gregorius *in hom. ſuper hodiernum feſtum & Euangelium*, ait: *Fratres Chariſſimi, oportet vt eum ſequamur corde, vbi eum corpore aſcendiſſe credimus. Deſideria terrena fugiamus: nihil nos iam delectet in infimis, qui patrem habemus in cœlis.* Eò reſpexit in ſpiritu Dauid Pſalm. 4. dicens: *Filij hominum vſquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum;* Chriſtum ſcilicet de quo dicebat dæmon: *ſcio quis ſis, ſanctus Dei.* Vt exponit ibi Cardinal. Bellarminus. *Peto à te nate,* (dicebat vni filiorum mater 7. Machabæorum 2. *Mach. 6.*) *vt aſpicias ad cœlum & terram.* Peto à vobis, Auditores, vt aſpiciatis ad cœlum quò aſcendit Chriſtus: & ad terram, vbi nos degimus. Quid hæc reſpectu cœli? Punctum eſt, nihil eſt: & tamen pro hoc puncto adeò contendimus. Contrà *ô Iſraël, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius?* ait Baruch. Rurſus, *heu quàm ſordet tellus, cùm cœlum aſpicio?* dicebat Sanctus Ignatius Loiola. At nos miſeri mortales velut talpæ terræ inhiamus & terram perforamus, ac domus velut talparum tumulos erigimus: cùm tamen ea omnia breui mors ſit vaſtatura noſque veluti talpas inſidiis captura & eiectura è terrâ. Interim de cœlo, verâ noſtrâ patriâ, nihil cogitamus. Nimirum vti infans Regius in carcere natus & educatus, nihil vnquam de paterno regno cogitat, ſed in carceris anguſtiis acquieſcit, iocatur, ludit: ita & nos mortales in hoc mundi exilio, cùm cœlo nati ſumus.

F. V. Spe & fiducia.

QVINTÒ. Spe & fiduciâ, quòd ipſum aliquando ſecuturi ſimus; ſiquidem ipſe dixit: *Vado parare vobis locum.* Et quaſi eum locum iam obtineremus, ait Apoſtolus ad Epheſ. 2. *Cōſedere nos fecit in Chriſto in cœleſtibus.* Quia, vt S. Leo inquit, *quò præceſſit gloria capitis, eò vocatur & ſpes corporis.* Et S. Gregorius hom. prædictâ: *Quamuis adhuc*, inquit, *rerum perturbationibus animus fluctuet, iam tamen ſpei veſtræ anchoram in æternam patriam figite: intentionem mentis in verâ luce ſolidate.*

G. VI. Timore.

SEXTÒ, Timore. Idcircò enim Angeli eumdem venturum Iudicem monent. Fratres Ioſephi vehementer conſternati ſunt, quando viderunt Ioſephum dominari in Ægypto, quia nimirum recordabantur ſceleris ſui, quod in eum patrârant; vnde metuebant, ne à tam potenti vindice plecterentur. Nos fratrem in cœlo habemus, Chriſtum omnium potentiſſimum: ſed væ nobis ſi eum offenderimus, quia *ſic veniet*, ad Iudicium ſcilicet cum ſimili potentiâ & maieſtate, ſicuti aſcendit ad cœlum. *Qui placidus aſcendit terribilis redibit*, ait Greg. vbi ſuprà *& quidquid nobis cum manſuetudine præcepit, hoc à nobis cum diſtinctione exiget. Nemo ergo indulta pœnitentiæ tempora paruipendat. Nemo curam ſui dum valet agere, negligat: quia redemptor noſter tantò tunc in Iudicium diſtrictior veniet, quantò nobis ante Iudicium magnam patientiam prærogauit.*

H. VII. Vitæ innocentia.

SEPTIMÒ, Vitæ innocentiâ, iuxta id Pſalm. 12. *Quis aſcendet in montem Domini aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* Ideò Angeli monent: *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* q. d. quid hîc moras nectitis & manum in ſinu ponitis? Ad laborem, ad vineam ite & gloriam hanc mereamini. *Galilæi*, id eſt, peregrini eſtis, ad iter vos accingite. Hinc Chriſtus *Galilæus* & primi Chriſtiani è Gentilibus *Galilæi*, id eſt, tranſmigrantes vocati, nec falsò, quia non quærimus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Si ergò ſequi ad cœlum euntem volumus, ſequi etiam præeuntem in virtutibus debemus. Sic enim religioſi, qui volunt beatitudinem ſuorum Fundatorum aſſequi, regulam eorumdem obſeruare debent. Alioquin fruſtrà dicetur quis Franciſcanus vel Benedictinus, qui eorum regulas minimè obſeruat; Cuiuſmodi Monachos, fratres, muſcas vocabat S. Franciſcus. Similiter fruſtrà dicimur Chriſtiani, ſi Chriſtum non imitamur. Si videritis aliquem Monachum ſæculariter viuentem, frequen-

frequentantem tabernas, choreas, ludos, &c. ilicò diceretis: Iſte non eſt Monachus. Ergò nec tu Chriſtianus, qui non viuis Chriſtianè, ſed Iudaicè vel Ethnicè. Pro certo igitur habetote, quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum *Apoc.* 21. *Nam cùm bonitatis auctore non aſcendit malitia*, ait Auguſtin. ſerm. 176. *nec cum Magiſtro humilitatis ſuperbia, nec cum filio Virginis libido atque luxuria. Non, inquam, aſcendunt vitia poſt virtutum parentem, nec peccata poſt iuſtum, nec infirmitates ac morbi poſſunt ire poſt Medicum.* Aquila non educit ad volatum & prædam pullos ſuos, donec exutis putridis pennis ſolidas induerint. Pari ratione Chriſtus neminem in cœlum ad prædam gloriæ admittit, niſi prius depoſitâ vitiorum putredine in virum perfectum adoleuerit. Vnde S. Ambroſius *l.* 5. *in Luc.* ait: *Tenerâ corporis curâ luxuq́, & laſciniarum cupiditate mollitos nequaquam cœleſtis aula ſuſcipit, ad quam duris laborioſæ virtutis gradibus aſcenditur.* Cui conſentit Sanctus Hieronymus in ep. ad Paulam & Euſtochium ſcribens: *Aula cœleſtis non ſuſcipit niſi ſanctos, ſimplices & iuſtos.* Quando ergo ex trium Eccleſiæ Doctorum vnanimi conſenſu, non ſuſcipit aula cœleſtis homines vitioſos, ſanctos requirit & laborioſos, opus eſt vt euigilemus & noſipſos examinemus an habiles & idonei ad aulam illam ſimus, &c.

CONCIO VII.

Via & ratio ad cœlos aſcendendi poſt Chriſtum.

Vt aſcendendo Chriſto veſtigiis inſiſtamus.

1. *Eundum eſt in Bethaniam velut in domum obedientiæ & afflictionis.*
2. *Aſcendendum in montem Oliueti per deſiderium bonorum cœleſtium, per victoriam ſui ipſius per patientiam tribulationis, &c.*

THEMA.

Dominus quidem IESVS *poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum. Marci* 16.

A. MAgnus ille Propheta Elias, quando curru igneo raptus diſceſſit ab Eliſæo diſcipulo ſuo, decidit ei pallium, ſicut teſtatur Regum hiſtoria *l.* 4. *c.* 2. & remanſit Eliſæo. Neque hoc fortuitò contigit, quaſi videlicet Propheta minùs diligenter id ſeruâſſet; ſed magno Dei conſilio, vt quoties Eliſæus pallium Eliæ videret, parentis ſui ſubiret memoria & ſeipſum ad illius exprimendam imaginem incitaret. Simile quiddam accidit, quando Chriſtus ad cœlos aſcendens, receſſit à diſcipulis ſuis. Remanſerunt enim in petroſo monte, cui tunc inſiſtebat, impreſſa pedum eius veſtigia, quæ nullâ ratione tot ſæculis deleri potuerunt, ibique etiamnum inter medios licet Turcas viſuntur, quamuis peregrini ea crebrò radere deuotionis causâ ſoleant, ſicut teſtantur recentiores Geographi & peregrini terræ ſanctæ, & quoad antiquiora ſæcula S. Hieronymus in locis Hebr. S. Paulinus ad Seuerum epiſt. 11. Beda de locis Sanctis cap. 7. Adhæc cùm eodem loco rotundum & magnificum templum ad honorem Aſcenſionis poſtea erectum eſſet à S. Helenâ matre Conſtantini Magni quod ea Chriſti veſtigia in ſe includebat, tectum illius eâ parte, quâ Chriſti corpus aſcendit, numquam contegi aut concamerari potuit, ſed tranſitus eius è terrâ ad cœlum vſque ſemper apertus manſit, vt ſcribunt locis citatis S. Hieronymus & Beda. Quid verò per hoc, Auditores, quid aliud ſibi Chriſtus voluit, niſi monſtrare nobis primò viam cœli in veſtigiis ſuis, deinde inuitare nos vt iis inſiſtentes poſt ipſum aſcenderemus; ſiquidem ipſe viam cœli ita nobis aperuit, vt ſemper adhuc pateat omnibus & ſingulis. Iam ergò quâ ratione inſiſtere eius veſtigiis, quâ viâ poſt eum aſcendere poſſimus, videamus.

PRIMÒ. Eundum eſt in Bethaniam; ſiquidem Chriſtus aſcenſurus ad cœlos, diſcipulos ſuos eduxit foras in Bethaniam, *Luc.* 24. Bethania autem ſignificat domum obedientiæ & domum afflictionis; repræſentat verò Eccleſiam, in quam educi debet, quiſquis ad cœlum tendit, & Primò tanquam in domum obedientiæ, vt pareat ſuperioribus & patiatur ſeſe duci etiam ad ea quæ non capit vel alioquin fugit. *In obedientiâ enim*, inquit S. Hieron. in reg. monial. *ſumma virtutum clauſa eſt; nam ſimplici greſſu hominem ducit ad Chriſtum.* Hinc Chriſtus ſuos fideles vocauit & vocari voluit oues, quæ totæ à paſtoris ductu pendent, & ſine eo mox aberrant. Sic *Ioan. vlt.* committens Eccleſiam Petro, ait: *Paſce oues meas.* Ac ne ipſe Petrus ab omni prorſus obedientiâ immunis eſſet, addit mox: *Cùm ſenueris alius te cinget & ducet, quò tu non vis.* Inprimis verò obediendum eſt Romano Pontifici tanquam Summo Eccleſiæ paſtori. Nam, vt dicebat Angliæ Rex Oſuui, apud Ven. Bedam *l.* 3. *cap.* 25. *hic eſt oſtiarius ille, cui contradicere nolo: ſed in quantum noui vel valeo, huius cupio in omnibus obedire ſtatutis, ne fortè me adueniente ad fores regni cœlorum, non ſit, qui reſeret auerſo illo, qui claues tenere probatur.* Deinde cæteris inferioribus Eccleſiæ paſtoribus, quibus vnuſquiſque ſubeſt. Primum donum quo deſponſauit ſeruus Abrahæ Rebeccam Iſaaco, fuere inaures aureæ. *Gen.* 24. Et prima virtus, quâ deſponſantur Chriſto fideles, eſt obedientia. Vnde baptizans tangit ſacro oleo aurem baptizandi dicens: *Ephpheta*, quod eſt, *adaperire.* Has inaures Hebræi ſibi detraxerunt & dederunt in conflaturam aurei vituli, ideoque reprobati ſunt à Deo nec ampliùs vocati populus eius, ſed Moyſis: *peccauit populus tuus, &c. Exodi* 32. Nos ergò inaures iſtas ne abijciamus, niſi cœlo excludi & abijci velimus à Deo.

B. I. Eundum in Bethaniam.

1. *Velut in domum obedientiæ.*

Nec malè Bethania vocatur domus obedientiæ. Ibi enim Magdalena ſedit ad pedes Domini audiens verbum eius velut diſcipula Magiſtrum: Ibi ſolicita Martha miniſtrauit Domino: Ibi Lazarus iam ſepultus prodiit ad mandatum eius.

2. *Velut in domum afflictionis.*

Secundò tanquam in domum afflictionis. Bene etiam Bethania domus afflictionis dicitur. In eâ ſiquidem Magdalena lauit ſuis lachrymis pedes Chriſti in domo Simonis Leproſi, (quæ erat in Bethania *Matth. 26.*) quemadmodum canit Eccleſia in Feſto S. Mariæ Magdalenæ. Ibidem præter Martham & Magdalenam fleuit Chriſtus mortem Lazari *Ioann. 11.* Talis domus eſt Eccleſia, vt teſtatur Chriſtus *Ioann. 16.* dicens *Amen, Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Docet verò & iubet Eccleſia flere. Primò, propria peccata cum Magdalenâ & lachrymis delere. Secundò, peccata aliena & alias proximorum calamitates cum Chriſto, qui defleuit mortem Lazari & ſororum eius dolorem. Tertiò, paſſionem Chriſti, cum eadem Magdalena, quæ lachrymis rigauit pedes Chriſti.

Errant ergò, qui exiſtimant dies vitæ huius dies eſſe delitiarum & lætitiæ. Scriptum enim eſt *Pſalm. 125. Qui ſeminat in lachrymis in exultatione metet.* Hîc tempus eſt ſerendi cum lachrymis & pœnitentiâ, ibi tempus metendi cum gaudio. Quemadmodum ergò vinitores non decerpunt uvas immaturas, ſed abſtinent donec matureſcant, quia immaturæ dentibus ſtuporem afferunt, maturæ dulce vinum præbent: ita & quicumque vindemiam & meſſem cœleſtem expectant, hîc ſibi interdicunt voluptates, delicias & ſæcularia gaudia, ne iacturam faciant cœleſtium gaudiorum. Vnde S. Gregorius *lib. 11. moral. c. 15.* in id *Ezech. 18. patres comederunt uvam acerbam,* inquit: *Quid uva acerba niſi peccatum eſt? uva quippe acerba eſt fructus ante tempus. Quiſquis enim præſentis vitæ delectationibus ſatiari deſiderat, quaſi fructus ante tempus comedere feſtinat.* Sanè Chriſtus hodiernâ primùm die inchoauit gaudia ſua: vſque ad illam diem à gaudiis abſtinuit: perpetuam crucem geſtauit, & calicem paſſionis bibit totâ vitâ ſuâ, ſemper à ſe præuiſum.

C. II. *Aſcendendum in montem Oliueti.*

SECVNDÒ. Aſcendendum eſt in montem Oliueti, ſiquidem ex eo monte aſcendit in cœlum Chriſtus, vt teſtatur idem S. Luc. *Act. 1.*

1. *Per deſiderium cœleſtium bonorum.*

Aſcendendum autem Primò, Per deſiderium & contemplationem bonorum cœleſtium, contemptum verò terrenorum. Sanè mons Oliueti vicinus eſt Ieroſolymæ & tantæ altitudini, vt ex eo omnes penè plateæ Ieruſalem (quin & mare mortuum) conſpiciantur, vt ſcribit Corn. à Lapide in *Act. c. 1.* Qui ergò aſcendere cum Chriſto ad cœlum volunt, aſcendant priùs cum eodem ad montem Oliueti, contemplando Primò & deſiderando bona æterna, cupiant diſſolui & eſſe cum Chriſto: non illorum more, qui tædio & impatientia laborum vel ærumnarum victi cupiunt vitare moleſtias, quas in mundo pati coguntur, ſed amore præſentiæ Chriſti; illam beatam vitam ſemper in deſiderio habeant, ad illam anhelent, illuc bona ſua præmittant, in illam omnem ſuam conſolationem differant. Contemplentur ſæpenumerò cœleſtem Ieruſalem & plateas eius, quæ teſte S. Ioanne *Apoc. 21.* ſunt *aurum mundum & tanquam vitrum* pellucidum, conferantque cum his infirmis & abiectis mundi ſordibus.

Deinde ex eodem monte deſpiciant & contemnant mare mortuum huius ſæculi. Quale eſt enim mare mortuum, fœtidum, fumoſum, putridum; talis eſt & mundus. Hinc Apoſtolus tranſiens per mundi bona nares occludebat ob eorum fœtorem, quemadmodum etiam faciunt, qui iuxta mare mortuum tranſeunt. Ait enim ſe ea arbitratum eſſe *vt ſtercora ad Philipp. 3.* Gal. 6. *Mihi mundus crucifixus eſt.* q. d. quemadmodum viatores cùm cloacas tranſeunt vel cadauerum lanienam aut locum ſuppliciorum, nares & os auertunt: ſic ego abominor mundum. Qui huc uſque aſcendit, magnum profectò gradum ad cœli conſcenſum fecit. Sed quàm paucos tales videas? Inter aues pleræque ſunt, quæ nullâ difficultate ſeſe in altum librant & ibidem commorantur: aliæve verò ſunt, quæ modicè & per interualla volant nec ſine difficultate, ideoque citò in terram relabuntur: pauciſſimas verò videas, quæ nunquam omninò volant. In hominibus è contrà plurimi ſunt, qui numquam à terra ſe ſuſtollunt: alij verò quàm multi qui ad clamorem prædicationis, ad impulſum ſacri temporis Paſchalis, Iubilæi, &c. nonnihil ſe attollunt & volant aliquantum, vacando Deo & ſalutis ſuæ, à prauis tamen ſuis habitibus ad terram mox retrahuntur: pauciſſimi demum ſunt, qui vt generoſæ aquilæ ponunt in cœlo nidum conuerſationis ſuæ.

2. *Per victoriam ſuiipſius.*

Secundò, Per victoriam ſuiipſius ſeu ſubactionem paſſionum & prauorum habituum. Etenim ex Oliueti monte Dominus ſedens ſuper aſinam more triumphantis, ingreſſus eſt Ieruſalem. Aſina noſtra & pullus, caro & eius concupiſcentia eſt. Hæ itaque ſubigendæ. Poſſumus autem nobis ex ipſis noſtris paſſionibus ſcalam cœli facere. Si, vt Euſebius Emiſſenus ait, *vnuſquiſque noſtrûm ſubdere eas ſibi ſtudeat & eminentiâ dominantis animi ſuper eas ſtare conſueſcat, ex ipſis ſibi gradum conſtruat, quo ad ſuperiora conſcendat. Sublimabunt nos, ſi fuerint infra nos: de noſtris quoque vitiis ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus.* De Chriſto aſcenſuro prophetizauit Zacharias c. 14. *ſtabunt pedes eius in die illâ ſuper montem Oliuetum.* Simili ratione ſtent etiam pedes noſtri ſuper affectus noſtros, calcando & comprimendo illos; & rectà ad cœlum tendimus. Geſtemus lectum noſtrum vti paralyticus ille ſanus: non nos geſtet lectus, vti eumdem geſtauerat ægrum, *Matth. 9.*

Tertiò,

3. *Per patientiam tribulationum.*

Tertiò, Per patientiam tribulationum. In monte enim Oliueti incepit Chriſtus paſſionem ſuam, ſanguinem ſudauit, cohorti ſe ligandum obtulit & inde ad crucem ſuam perrexit, ac poſtremò ex eodem ad gloriam ſuam aſcendit. Atque hæc eſt certa ad cœlum via, quam ante nos pandit Chriſtus, iuxta id Michææ cap. 2. de eo prophetantis : *Aſcendet pandens* (Hebr. *fractor* ſeu *perruptor*) *iter ante eos.* Fregit enim & perrupit Chriſtus omnia tormentorum genera, omnes hoſtium acies, ipſaſque inferni portas, donec prædam ſuam aſſequeretur. Vnde ait ipſe ad duos illos diſcipulos : *Nónne hæc oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam?* Luc. vlt. Viam cœli aſperam faciunt tribulationes, perſecutiones, morbus, paupertas, tentationes item carnis, mundi, dæmonis: pœnitentiæ aſperitas, præcepta obſeruanda : amor ſæculi, caro & ſanguis : inolitæ conſuetudines, religio Lutherana vel Caluiniana à parentibus tradita & hæreditariò accepta : iactura bonorum, ſi religio mutanda foret, &c. Has tu ſeras frange, has acies perrumpe, hæc vincula confringe. Ligatus erat Paulus amore patriæ & Iudaiſmi, à parentibus & Magiſtris ſibi traditi fortiſſimeque imbibiti, ſed abrupit vinculum. Ligatus ab Amaſiâ Auguſtin. ſed & ipſe perruptor factus eſt : ſequamur hos & nos, ſaluriſque noſtræ obices fortiter perrumpamus.

4. *Per conſiderationem nouiſſimorũ.*

Quartò, Per nouiſſimorum conſiderationem, iudicij præſertim extremi, quod in valle Ioſaphat, cui imminet mons Oliueti (futura Iudicis ſedes) peragetur. Nam ſi in eam vallem quotidie conuerteremus oculos, magnos vtique progreſſus in viâ cœli faceremus. S. Clemens epiſt. 1. narrat S. Petrum dicere ſolitum: *Quis peccare poterit, ſi ſemper ante oculos ſuos iudicium Dei ponat?* Huc igitur aſſiduè reſpiciebat Dauid, qui dixit *Pſal.* 76. *Cogitaui dies antiquos & annos æternos in mente habui.* Huc S. Pelagia pœnitens, quæ à vanitate mundi conuerſa per B. Nonnum Heliopoleos, perpetuæ ſe addixit, ad eámque delegit Oliueti montem, vbi tugurium erexit, ex quo in vallem Ioſaphat deſpectus eſt, vt iugum Chriſti patientis æquè ac Iudicis venturi imaginem ſibi ob oculos poneret. Vt in eius vitâ 8. Octob. & Adrichom. in deſcript. terræ S. Denique & Angeli qui Chriſto iam aſſumpto diſcipulis apparuerunt, videntur eos monere, vt vallem potiùs Ioſaphat, quàm cœlum aſpicere velint. Aiunt enim : *Quid ſtatis aſpicientes in cœlum? quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum, ſic veniet.* q. d. conſiderate potiùs venturum iterum velut Iudicem & ſeſſurum in hoc monte.

5. *Per bonorum operum ſtudium.*

Quintò. Per bonorum operum ſtudium. Scimus enim Chriſtum in monte oliuarum crebrò & feruenter oráſſe : ſcimus eum ibidem ſanguinem ſudaſſe : ſcimus eum ibi Iudam traditorem ad oſculum recepiſſe, Malcho comprehenſori ſuo aurem reſtituiſſe, aliaque charitatis opera deſignaſſe, quibus abſque dubio monſtrauit nobis viam cœli, quæ tria illa complectitur bonorum operum genera, orationem, ieiunium, eleemoſynam. Oſtium oraculi fecit Salomon de lignis oliuarum, & in eo ſculpſit Cherubim palmas, 3. *Reg.* 6. Tu ergo ſi intrare vis in oraculum cœleſte da eleëmoſynam, ora, & caſtiga corpus tuum : hæc tria reſerant portam cœli. Oliua eleëmoſynam : Cherubim orationem : Palma victoriam ſui ipſius denotat. Atque hoc eſt pallium, hæc veſtigia nobis à Chriſto relicta.

Quare videtur nobis dixiſſe Iſaias illud cap. 30. *Aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis : Hæc eſt via ambulate in eâ.* Quis his poſt tergum monens? Chriſtus vtique qui in cœlum aſcendens, nos quaſi poſt tergum monuit, quando viam indicauit quâ ſequi eum poſſemus. Ergò, Auditores, ambulate in hac via, inſiſtite his veſtigiis, quæ reliquit poſt ſe Chriſtus. Sic enim itur ad aſtra.

CONCIO VIII.

Quid rependendum Chriſto pro beneficiis.

1. *Primum quod Chriſto pro beneficijs debetur, eſt Beneficiorum memoria.*
2. *Amor erga benefactorem.*
3. *Seruitus & obſequium perpetuum.*
4. *Gratiarum actio, laus, admiratio & gratulatio.*

NB. *Hæc concio correſpondet concioni octauæ in Dom. 5. præcedenti.*

THEMA.

Illi autem profecti prædicauerint vbique. Marci vlt.

A.

SCRIBIT Iacobus à Vitriaco Cardinalis & Epiſcopus Tuſculanus *in lib. de mirabilibus Orientalium regionum* (apud Barth. Angl. *de ter. propriet.* lib. 12. cap. 29.) in Ægypto reperiri Pelicanum, qui pullos ſuos à ſerpente fortè enectos, ſanguine ſuo de pectore, vel vt alij, de cruribus elicito, vitæ & vigori priſtino reſtituit. Quò ex vulnere cùm magnoperè debilitetur, ita vt ad paſtum ſuum nequeat euolare; aduertit ad pullos ſuos quinam ex illis memores paterni beneficij paſtum ei afferant: quique degeneres & ingrati facere hoc omittant; poſtmodum ſibi reſtitutos pullos à quibus fouebatur diligit & fouet : eos verò à quibus deſerebatur, nido exturbat & deſerit. Auem iſtam Chriſto comparat S. Gregorius Magnus *ſuper ſeptem Pſalmos ad Pſalm.* 5. Et S. Auguſtin. *in Pſalm.* 101. Vbi in perſonâ pauperis Chriſtus ait : *Similis factus ſum Pelicano ſolitudinis.* Hic vt nos à diabolico ſerpente eþectos in paradiſo, vitæ reſtitueret, ſanguinem de latere & membris ſponte ſuâ elicuit, dum ſe in crucem & mortem tradidit. Audiuimus ſuperiori Dominicâ, quid & quantum nobis contulerit eius Incarnatio & Paſſio. Cæterùm attendit ille nobis, quales & quàm gratos nos ipſi exhibeamus, vt gratos quidem diligat & in cœlo

cœlo æternùm foueat, ingratos verò deſerat, & ad inferos deturbet. Ergò ſicut Raphaële, Tobiæ ductore, diſceſſuro in cœlum, conſultabant pater & filius, quid pro beneficiis ei rependerent: ita & nos hac die, antequam à nobis diſcedat in cœlum Chriſtus & auolet Pelicanus noſter, conſultabimus, Auditores, quid ei pro meritis debeamus.

II. 1. Beneficiorum memoria. PRIMVM. Eſt beneficiorum memoria. Fecit hoc Tobias iunior, non ſemel ſed iterum ac tertiò. In primis enim vbi ad paternas ædes rediit, narrauit parentibus ſuis omnia beneficia Dei, quæ feciſſet circa eum per hominem, qui eum duxerat, *Tob.* 11. Deinde rurſum cùm mercedem ductori ſuo dare vellet, omnia eius beneficia ſigillatim patri recenſuit. Denique vbi ab eis angelus diſceſſit, ſimul proſtrati per tres horas in faciem benedixerunt DEVM & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius, *Tob.* 12. Quòd ſi angeli beneficia ſic commemorauit Tobias, quantò magis decet vt nos Chriſti beneficia infinities maiora memori mente reponamus & voce depromamus? Monuit eo loco Raphaël: *Opera Dei reuelare & confiteri honorificum eſt.* Quare *cùm Dei opera reuelare* (inquit S. Seuerus Epiſcopus Minoricenſis in ep. de Conuerſione Iudæorum) *& confiteri honorificum eſſe Raphaël Archangelus moneat, profectò ſilere vel celare opera Chriſti, periculoſum eſt.* Fecit hoc inprimis Deipara, quæ Dei filio grauida, erupit in Dei laudes, annuntiauit Eliſabethæ, prædicauit Dei beneficium: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt,* &c. *Luc.* 1. Pari modo Dauid in perſonâ omnium electorum prædicat Dei beneficia *Pſalm.* 65. cùm ait: *Venite, audite & narrabo omnes qui timetis Deum quanta fecit animæ meæ.* Neque id ſemel tantùm in die fecit, nam *Pſal.* 54. ait: *Veſpere & manè & meridie narrabo* miſericordias ſcilicet Domini; tacitè monens nos vt idipſum faciamus: quemadmodum & facit Eccleſia cùm ter in die, manè, meridiè, veſperè pulſum ſalutationis Angelicæ auribus noſtris inſonat, vt beneficium Incarnationis Dominicæ ter quouis die memoremur: prorſus ſicut Tobias ter commemorauit Raphaëlis beneficia, ante eius diſceſſum, in diſceſſu, poſt diſceſſum. Adhæc ſi quid ſcimus, quod Dei & Chriſti eiuſque ſponſæ Eccleſiæ gloriam amplificare poteſt, id omni modo propalare & extollere conemur, ac ſi poſſumus literis etiam commendare vti miracula aliaque ſpecialia Dei beneficia. Ita monuit angelus Tobiam vtrumque in Hebræo textu, vbi dicitur: *Nunc ergò ſcribite vobis omnia hæc in libro & erit in teſtimonium inter vos & Deum veſtrum omnibus diebus vitæ veſtræ*: quod & fecerunt ſcribendo vel dictando ſaltem librum ſuæ hiſtoriæ. Quare ſi quis inſigne aliquod beneficium, vel recuperatæ ſanitatis, vel ereptionis è graui diſcrimine, &c. percepit à Deo, curet mandari literis, depingi in tabulâ & ad ſanctorum, quorum fortè patrocinio id accepit, ædes ſuſpendi; vel ſaltem ipſemet crebrò prædicet.

Quod attinet ad ordinaria beneficia, deſcribat ea vnuſquiſque in corde ſuo & rememoretur quotidie ſaltem veſpere, partim communia illa quæ ſup. Dominicâ recenſuimus, partim ſingularia, v. g. quòd te angelo ſuo comite per varia itinera duxerit, & reduxerit; quòd te bonis temporalibus ditârit, & ſuſtentârit victu quotidiano; quòd Eccleſiam tibi matrem, hæreditatem cœli in ſponſam dederit; quòd Dæmonem animæ tuæ inſidiantem ſæpiſſimè compeſcuerit; quòd in tui conuerſione gaudium in cœlo angelis fecerit; quòd te à grauibus mortis periculis animæ & corporis ſæpe eripuerit; quòd à bonis parentibus & præceptoribus inſtrui, fide illuminari & lumen cœleſtium bonorum videre fecerit; quòd bonis omnibus repleuerit. Parum exigo, cum hoc exigo. Nihil enim minus referri poteſt benefactori, quàm memoria beneficij, quâ is, qui accepit, illud ſibi gratum eſſe & à ſe æſtimari oſtendit. Qui hoc facere detrectat ingratiſſimus eſt & indicat eo neglectu, ſe illud parui aut nihili ducere, quales hodie innumeri, qui ita rebus infimis ſunt immerſi & in omnia alia intenti, vt vix vnquam de diuinis beneficiis, niſi fortè obiter cogitent; quaſi hæc terrena & pereuntia ſint maioris meriti quàm illa, quæ Dominus vel nobis contulit, vel pro nobis geſſit, vel nobis promiſit. Tu ſi ſapis, non attende quid alij faciant, ſed quid te facere oporteat: pondera quotidie multitudinem diuinorum beneficiorum, tuam ingratitudinem, &c.

SECVNDVM. Amor in benefactorem. Cùm enim nihil dignum inuicem tantorum beneficiorum reipsâ poſſimus præſtare; par eſt vt ſaltem affectu ea compenſemus. Hoc autem fit amore, qui bonum, quod conferre non poteſt, vel gratulatur ſi adſit, vel optat ſi deſit, vel procurat ſi poſſit. Hunc amorem ductori ſuo exhibuit Tobias; blandiſſimè enim alloquebatur & vocabat eum fratrem, *Tob.* 6. & 9. *Azaria frater*, inquit, *peto vt auſcultes verba mea.* Tametſi enim eum velut mercenarium tantùm ſibi adiunxerat, tamen audiuerat eum ex magno genere eſſe, Ananiæ magni filium; deinde viderat eum iuuenem eſſe ſplendidum, *Tob.* 5. denique ab eo magna beneficia iam acceperat. Eaſdem ferè ob cauſas vocauit Dauid Ionatham fratrem ſuum, vnicè dilectum; *Doleo ſuper te*, inquit, *frater mihi Ionatha, decore nimis & amabilis ſuper amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium ſuum: ita ego te diligebam.* 2. *Reg.* 1. Sciebat enim illum in primis eſſe filium Regis, ſe verò hominem ruſticanum & ignobilem. Secundò, Videbat eum decorum & amabilem valde, formâ & virtute præſtantem. Tertiò, Recordabatur beneficiorum ab eo acceptorum; quâ ratione ſcilicet propria veſte ab eo donatus, eiuſque ope, cum præſentiſſimo vitæ diſcrimine, ab irâ Saulis & decreto mortis ſeruatus eſſet; interim verò C. II. Amor erga benefactorem.

ei nullâ beneficia retulerat. Hinc aliquando illum accedens, adorauit priùs ter pronus in terrâ, 1. *Reg.* 20. quia videlicet tres illas excellentias & dignitatis ornamenta in eo venerabatur & colebat. Quæ eadem in Chriſto tantò excellentiora ſunt, quantò excellentior Deus homine. Factus eſt Chriſtus frater noſter; cùm naturam noſtram ſibi copulauit & inſuper peregrinationis noſtræ comitem nobis ſe adiunxit. Sanè cùm poſt reſurrectionem ſuam iam eſſet gloriâ & honore circumdatus, vocauit diſcipulos, *fratres* ſuos, *Ioan.* 20. At qualis & quantus eſt hic frater noſter? Filius inprimis eſt magni Dei; ſummi Regis. Deinde *ſpecioſus præ filiis hominum*, iuuenis ſplendidiſſimus, in quo inhabitat omnis gratiæ plenitudo. Denique beneficia eius in nos collata immenſa ſunt & innumera: Vt enim taceam illa, quæ vt Deus tantùm nobis exhibuit, creationis, conſeruationis, &c. nónne nos à primâ felicitate in exitium lapſos iterum redemit? nónne ex inimicis filios Dei conſtituit? nónne ius cœleſtis hæreditatis nobis inſtaurauit? nónne amore noſtri veſtibus gloriæ ſuæ ſeſe ſpoliauit & formam ſerui induit? nónne propter nos liberandos iræ patris ſui ſe obiecit? nónne eum propter nos pater lanceâ confixit? nónne propter nos vincula & flagella, ſputa & opprobria, crucem denique & mortem pertulit? nónne nobis donauit theſaurum meritorum ſuorum velut veſtem precioſiſſimam, quâ induti ipſi & patri eius placemus? nónne etiam baltheum ſuum chariſſimum, corpus, inquam, & ſanguinem ſuum in Sacramento nobis reliquit? Nolo commemorare alia beneficia ſuperiori Dominicâ recenſita, hæc enim non ſufficiunt ad redamandum eum, qui adeò nos amauit, fratrem noſtrum? Et nos quinam ſumus, cum ipſo comparati? Infimus naturæ rationalis terminus, beſtiis affines & in nihilum propendentes, Dei mancipia. Deinde vitio noſtro improbi, viles & deſpecti. Denique ingrati & Dei iram ac gehennam millies commeriti. Hæc ſi nos accuratè expendamus, vtique in meditatione noſtrâ exardeſcet ignis amoris diuini. Sicut enim ſolis radij ſpeculo excepti & in vnum collecti, calorem ingentem nec non & ignem excitant: ita diuina beneficia mente collecta & attentiùs conſiderata feruorem & cœleſtem amoris ignem in cordibus noſtris accendunt.

D. III. Seruitus & obſequium.

TERTIVM. Seruitus & obſequium perpetuum. Debet enim beneficium beneficio compenſari, vbi non deeſt facultas: vel vbi ea deeſt, ſeruitio ſaltem & obſequio. Non defuit hac in re muneri ſuo Tobias. Inprimis enim ductorem ſuum vocat Dominum, *Tob.* 5. *Domine*; *inuadit me*, (piſcis) inquit. Deinde præter diurnum ſalarium, quod erat drachma cum victu ex pacto ei decreta & auctarium mercedis aliquod, (vt habet textus Græcus & Hebræus, *Tob.* 5.) obtulit ei medietatem ampliſſimæ dotis, quam tulerat à ſocero; rogans inſuper, vt eam accipere dignaretur; & in beneficio reponens, ſi acciperet. Libenter obtuliſſet totum, dicebat enim iam anteà: *ſi meipſum tradam tibi in ſeruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ. Tob.* 9. Habemus hic, quid obſequij debeamus Chriſto vero duci noſtro. Primò velut Dominum noſtrum peculiariter veneremur, quia emit & redemit nos pretio ſanguinis ſui. Secundò debemus ei quotidie drachmam, id eſt, animam noſtram Dei imagine inſignitam offerre & reſignare ad obſequium eius. Tertiò, Decet etiam vt de bonis noſtris temporalibus, quæ ipſe nobis contulit, ipſum honoremus ſiue in templis, ſiue in membris eius, pauperibus: & ſi non dimidium cum Tobiâ & Zachæo, partem ſaltem aliquam eis offeramus. Pro beneficio reputemus, ſi dignetur Dominus à nobis hæc accipere. Obligamus enim illum ad reddenda nobis plura; ſicut pro beneficio reputatur, cùm magnam ſummam pecuniæ ſub annuo cenſu ab aliquo acceptat Princeps. Totum quod habemus, ei offerendum eſſet, quia totum ei debemus. Cur non ergò addamus aliqua ſupererogationis opera & plus quàm à nobis exigitur? Quartò, Denique ſi nos ipſos in perpetuam ſeruitutem ei addicamus, nihil adhuc dignum eius beneficentiæ faciemus. Animam ei debemus, & mille quidem titulis. Audiamus S. Chryſoſtom. *hom.* 62. *in Matth. Putáſnè*, inquit, *ſi quotidie pro eo, qui nos tam mirificè amat, moriamur, condignas non poſſe referre gratias, imò vel minimum quid reddere? nequaquam.* Quare ſi in ægritudine tibi conſtituto offertur ſuperſtitioſum aliquod remedium pro ſanitate recuperandâ fidei Chriſtianæ contrarium: elige potiùs propitio Chriſto emori, quàm eo offenſo viuere; & ita gere te in alijs.

E. IV. Gratiarum actio.

QVARTVM. Gratiarum actio, laus, benedictio & gratulatio. Hoc enim exigit ius gratitudinis, vt agnoſcamus nos beneficium gratis à benefactore accepiſſe, eique acceptum feramus; deinde vt id laudemus & magni æſtimemus, denique vt ipſi viciſſim bona imprecemur, vel ſi ea iam poſſidet, ob poſſeſſa ei gratulemur. Præſtitit hoc Raphaëli Tobias, cùm ei ſe obligatum cum omni ſuâ ſubſtantiâ & vitâ profeſſus eſt, eò quòd per ipſum omnia poſſideret: deinde cùm præ ſtupore & admiratione cecidit in faciem ſuam, & rurſum cùm proſtratus in terra iacens vnà cum parentibus benedixit Deum, *Tob.* 12. Iam cùm Chriſti in nos beneficia infinita ſint, infinitam quoque ei debemus gratiarum actionem; quam cum reddere nequeamus, infinitè abſumus ab huius debiti compenſatione. Vt tamen ex parte noſtrâ præſtemus quantum poſſumus, animos noſtros ad diuinas laudes crebrò excitemus, dicendo cum Prophetâ, Pſal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Et Pſalm. 102. *Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me ſunt, nomini Sancto eius. Benedic anima mea* Domino

Lau-

cœlo æternùm foueat, ingratos verò deſerat, & ad inferos deturbet. Ergò ſicut Raphaële, Tobiæ ductore, diſceſſuro in cœlum, conſultabant pater & filius, quid pro beneficiis ei rependerent: ita & nos hac die, antequam à nobis diſcedat in cœlum Chriſtus & auolet Pelicanus noſter, conſultabimus, Auditores, quid ei pro meritis debeamus.

II. I. Beneficiorum memoria. PRIMVM. Eſt beneficiorum memoria. Fecit hoc Tobias iunior, non ſemel ſed iterum ac tertiò. In primis enim vbi ad paternas ædes rediit, narrauit parentibus ſuis omnia beneficia Dei, quæ feciſſet circa eum per hominem, qui eum duxerat, *Tob.* 11. Deinde rurſum cùm mercedem ductori ſuo dare vellet, omnia eius beneficia ſigillatim patri recenſuit. Denique vbi ab eis angelus diſceſſit, ſimul proſtrati per tres horas in faciem benedixerunt DEVM & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius, *Tob.* 12. Quòd ſi angeli beneficia ſic commemorauit Tobias, quantò magis decet vt nos Chriſti beneficia infinities maiora memori mente reponamus & voce depromamus? Monuit eo loco Raphaël: *Opera Dei reuelare & confiteri honorificum eſt*. Quare *cùm Dei opera reuelare* (inquit S. Seuerus Epiſcopus Minoricenſis in ep. de Conuerſione Iudæorum) *& confiteri honorificum eſſe Raphaël Archangelus moneat, profectò ſilere vel celare opera Chriſti, periculoſum eſt.* Fecit hoc inprimis Deipara, quæ Dei filio grauida, erupit in Dei laudes, annuntiauit Eliſabethæ, prædicauit Dei beneficium: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt*, &c. *Luc.* 1. Pari modo Dauid in perſonâ omnium electorum prædicat Dei beneficia *Pſalm.* 65. cùm ait: *Venite, audite & narrabo omnes qui timetis Deum quanta fecit animæ meæ.* Neque id ſemel tantùm in die fecit, nam *Pſal.* 54. ait: *Veſpere & manè & meridie narrabo* miſericordias ſcilicet Domini; tacitè monens nos vt idipſum faciamus: quemadmodum & facit Eccleſia cùm ter in die, manè, meridiè, veſperè pulſum ſalutationis Angelicæ auribus noſtris inſonat, vt beneficium Incarnationis Dominicæ ter quouis die memoremur: prorſus ſicut Tobias ter commemorauit Raphaëlis beneficia, ante eius diſceſſum, in diſceſſu, poſt diſceſſum. Adhæc ſi quid ſcimus, quod Dei & Chriſti eiuſque ſponſæ Eccleſiæ gloriam amplificare poteſt, id omni modo propalare & extollere conemur, ac ſi poſſumus literis etiam commendare vti miracula aliaque ſpecialia Dei beneficia. Ita monuit angelus Tobiam vtrumque in Hebræo textu, vbi dicitur: *Nunc ergò ſcribite vobis omnia hæc in libro & erit in teſtimonium inter vos & Deum veſtrum omnibus diebus vitæ veſtræ*; quod & fecerunt ſcribendo vel dictando ſaltem librum ſuæ hiſtoriæ. Quare ſi quis inſigne aliquod beneficium, vel recuperatæ ſanitatis, vel ereptionis è graui diſcrimine, &c. percepit à Deo, curet mandari literis, depingi in tabulâ & ad ſanctorum, quorum fortè patrocinio id accepit, ædes ſuſpendi; vel ſaltem ipſemet crebrò prædicet.

Quod attinet ad ordinaria beneficia, deſcribat ea vnuſquiſque in corde ſuo & rememoretur quotidie ſaltem veſpere, partim communia illa quæ ſup. Dominica recenſuimus, partim ſingularia, v. g. quòd te angelo ſuo comite per varia itinera duxerit, & reduxerit; quòd te bonis temporalibus ditârit, & ſuſtentârit victu quotidiano; quòd Eccleſiam tibi matrem, hæreditatem cœli in ſponſam dederit; quòd Dæmonem animæ tuæ inſidiantem ſæpiſſimè compeſcuerit; quòd in tui conuerſione gaudium in cœlo angelis fecerit; quòd te à grauibus mortis periculis animæ & corporis ſæpe eripuerit; quòd à bonis parentibus & præceptoribus inſtrui, fide illuminari & lumen cœleſtium bonorum videre fecerit; quòd bonis omnibus repleuerit. Parum exigo, cum hoc exigo. Nihil enim minus referri poteſt benefactori, quàm memoria beneficij, quâ is, qui accepit, illud ſibi gratum eſſe & à ſe æſtimari oſtendit. Qui hoc facere detrectat ingratiſſimus eſt & indicat eo neglectu, ſe illud parui aut nihili ducere, quales hodie innumeri, qui ita rebus infimis ſunt immerſi & in omnia alia intenti, vt vix vnquam de diuinis beneficiis, niſi fortè obiter cogitent; quaſi hæc terrena & pereuntia ſint maioris meriti quàm illa, quæ Dominus vel nobis contulit, vel pro nobis geſſit, vel nobis promiſit. Tu ſi ſapis, non attende quid alij faciant, ſed quid te facere oporteat: pondera quotidie multitudinem diuinorum beneficiorum, tuam ingratitudinem, &c.

SECVNDVM. Amor in benefactorem. Cùm enim nihil dignum inuicem tantorum beneficiorum reipsâ poſſimus præſtare; par eſt vt ſaltem affectu ea compenſemus. Hoc autem fit amore, qui bonum, quod conferre non poteſt, vel gratulatur ſi adſit, vel optat ſi deſit, vel procurat ſi poſſit. Hunc amorem ductori ſuo exhibuit Tobias; blandiſſimè enim alloquebatur & vocabat eum fratrem, *Tob.* 6. & 9. *Azaria frater*, inquit, *peto vt auſcultes verba mea.* Tametſi enim eum velut mercenarium tantùm ſibi adiunxerat, tamen audiuerat eum ex magno genere eſſe, Ananiæ magni filium; deinde viderat eum iuuenem eſſe ſplendidum, *Tob.* 5. denique ab eo magna beneficia iam acceperat. Eaſdem ferè ob cauſas vocauit Dauid Ionatham fratrem ſuum, vnicè dilectum; *Doleo ſuper te*, inquit, *frater mihi Ionatha, decore nimis & amabilis ſuper amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium ſuum: ita ego te diligebam.* 2. *Reg.* 1. Sciebam enim illum in primis eſſe filium Regis, ſe verò hominem ruſticanum & ignobilem. Secundò, Videbat eum decorum & amabilem valde, formâ & virtute præſtantem. Tertiò, Recordabatur beneficiorum ab eo acceptorum; quâ ratione ſcilicet propria veſte ab eo donatus, eiuſque ope, cum præſentiſſimo vitæ diſcrimine, ab irâ Saulis & decreto mortis ſeruatus eſſet; interim verò ei C. II. Amor erga benefactorem.

ei nullâ beneficia retulerat. Hinc aliquando illum accedens, adorauit priùs ter pronus in terrâ, 1. *Reg.* 20. quia videlicet tres illas excellentias & dignitatis ornamenta in eo venerabatur & colebat. Quæ eadem in Chriſto tantò excellentiora ſunt, quantò excellentior Deus homine. Factus eſt Chriſtus frater noſter; cùm naturam noſtram ſibi copulauit & inſuper peregrinationis noſtræ comitem nobis ſe adiunxit. Sanè cùm poſt reſurrectionem ſuam iam eſſet gloriâ & honore circumdatus, vocauit diſcipulos, *fratres* ſuos, *Ioan.* 20. At qualis & quantus eſt hic frater noſter? Filius inprimis eſt magni Dei; ſummi Regis. Deinde *ſpecioſus præ filiis hominum*, iuuenis ſplendidiſſimus, in quo inhabitat omnis gratiæ plenitudo. Denique beneficia eius in nos collata immenſa ſunt & innumera. Vt enim taceam illa, quæ vt Deus tantùm nobis exhibuit, creationis, conſeruationis, &c. nónne nos à primâ felicitate in exitium lapſos iterum redemit? nónne ex inimicis filios Dei conſtituit? nónne ius cœleſtis hæreditatis nobis inſtaurauit? nónne amore noſtri veſtibus gloriæ ſuæ ſeſe ſpoliauit & formam ſerui induit? nónne propter nos liberandos iræ patris ſui ſe obiecit? nónne eum propter nos pater lanceâ confixit? nónne propter nos vincula & flagella, ſputa & opprobria, crucem denique & mortem pertulit? nónne nobis donauit theſaurum meritorum ſuorum velut veſtem pretioſiſſimam, quâ induti ipſi & patri eius placemus? nónne etiam baltheum ſuum chariſſimum, corpus, inquam, & ſanguinem ſuum in Sacramento nobis reliquit? Nolo commemorare alia beneficia ſuperiori Dominicâ recenſita, hæc enim non ſufficiunt ad redamandum eum, qui adeò nos amauit, fratrem noſtrum? Et nos quinam ſumus, cum ipſo comparati? Infimus naturæ rationalis terminus, beſtiis affines & in nihilum propendentes, Dei mancipia. Deinde vitio noſtro improbi, viles & deſpecti. Denique ingrati & Dei iram ac gehennam millies commeriti. Hæc ſi nos accuratè expendamus, vtique in meditatione noſtrâ exardeſcet ignis amoris diuini. Sicut enim ſolis radij ſpeculo excepti & in vnum collecti, calorem ingentem nec non & ignem excitant: ita diuina beneficia mente collecta & attentiùs conſiderata feruorem & cœleſtem amoris ignem in cordibus noſtris accendunt.

D. III. Seruitus & obſequium.

TERTIVM. Seruitus & obſequium perpetuum. Debet enim beneficium beneficio compenſari, vbi non deeſt facultas: vel vbi ea deeſt, ſeruitio ſaltem & obſequio. Non defuit hac in re muneri ſuo Tobias. Inprimis enim ductorem ſuum vocat Dominum, *Tob.* 5. *Domine; inuadit me*, (piſcis) inquit. Deinde præter diurnum ſalarium, quod erat drachma cum victu ex pacto ei decreta & auctarium mercedis aliquod, (vt habet textus Græcus & Hebræus, *Tob.* 5.) obtulit ei medietatem ampliſſimæ dotis, quam tulerat à ſocero; rogans inſuper, vt eam accipere dignaretur, & in beneficio reponens, ſi acciperet. Libenter obtuliſſet totum, dicebat enim iam anteà: *ſi meipſum tradam tibi in ſeruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ. Tob.* 9. Habemus hîc, quid obſequij debeamus Chriſto vero duci noſtro. Primò velut Dominum noſtrum peculiariter veneremur, quia emit & redemit nos pretio ſanguinis ſui. Secundò debemus ei quotidie drachmam, id eſt, animam noſtram Dei imagine inſignitam offerre & reſignare ad obſequium eius. Tertiò, Decet etiam vt de bonis noſtris temporalibus, quæ ipſe nobis contulit; ipſum honoremus ſiue in templis, ſiue in membris eius, pauperibus: & ſi non dimidium cum Tobiâ & Zachæo, partem ſaltem aliquam eis offeramus. Pro beneficio reputemus, ſi dignetur Dominus à nobis hæc accipere. Obligamus enim illum ad reddenda nobis plura; ſicut pro beneficio reputatur, cùm magnam ſummam pecuniæ ſub annuo cenſu ab aliquo acceptat Princeps. Totum quod habemus, ei offerendum eſſet, quia totum ei debemus. Cur non ergò addamus aliqua ſupererogationis opera & plus quàm à nobis exigitur? Quartò, Denique ſi nos ipſos in perpetuam ſeruitutem ei addicamus, nihil adhuc dignum eius beneficentiæ faciemus. Animam ei debemus, & mille quidem titulis. Audiamus S. Chryſoſtom. *hom.* 62. *in Matth. Putáſne*, inquit, *ſi quotidie pro eo, qui nos tam mirificè amat, moriamur, condignas non poſſe referre gratias, imò vel minimum quid reddere? nequaquam.* Quare ſi in ægritudine tibi conſtituto offertur ſuperſtitioſum aliquod remedium pro ſanitate recuperandâ fidei Chriſtianæ contrarium: elige potiùs propitio Chriſto emori, quàm eo offenſo viuere; & ita gere te in alijs.

E. IV. Gratiarum actio.

QVARTVM. Gratiarum actio, laus, benedictio & gratulatio. Hoc enim exigit ius gratitudinis, vt agnoſcamus nos beneficium gratis à benefactore accepiſſe, eique acceptum feramus, deinde vt id laudemus & magni æſtimemus, denique vt ipſi viciſſim bona imprecemur, vel ſi ea iam poſſidet, ob poſſeſſa ei gratulemur. Præſtitit hoc Raphaëli Tobias, cùm ei ſe obligatum cum omni ſuâ ſubſtantiâ & vitâ profeſſus eſt, eò quòd per ipſum omnia poſſideret: deinde cùm præ ſtupore & admiratione cecidit in faciem ſuam, & rurſum cùm proſtratus in terra iacens vnà cum parentibus benedixit Deum, *Tob.* 12. Iam cùm Chriſti in nos beneficia infinita ſint, infinitam quoque ei debemus gratiarum actionem; quam cùm reddere nequeamus, infinitè abſumus ab huius debiti compenſatione. Vt tamen ex parte noſtrâ præſtemus quantum poſſumus, animos noſtros ad diuinas laudes crebrò excitemus, dicendo cum Prophetâ, *Pſal.* 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Et Pſalm. 102. *Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me ſunt, nomini Sancto eius. Benedic anima mea Domino*

Laus.

Domino & noli obliuiſci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, &c. Et quia admodum exiguum eſt, quod per nos poſſumus, conemur ſupplere per amicos, & accerſamus Angelicos Spiritus, cœleſtia corpora, ſublunaria omnia & vniuerſam creaturam animatam & inanimem, vt nobiſcum & pro nobis Deo de infinitâ ipſius in nos miſericordiâ gratias agat, eumque laudet & benedicat. Sic faciebat Dauid variis in Pſalmis, vti *Pſal.* 148. *Laudate Dominum de cœlis,* &c. Et ſocij Danielis in fornace Babylonicâ: *Benedicite omnia opera Domini Domino,* &c. Sunt enim creaturæ, quaſi voces quædam, Dei bonitatem, ſapientiam, potentiam prædicantes, ſuaque pulchritudine, varietate, multitudine, virtutibus creaturam rationalem ad Dei laudem incitantes. Adhæc quia Dei in nos beneficia capere omnimodè non poſſumus, ea ſaltem admiremur & quaſi attoniti paueamus. Sic Regina Saba cùm non poſſet capere ſapientiam Salomonis, obſtupuit præ admiratione, vt mente exceſſiſſe videretur, 3. *Reg.* 2. Ita & Tobias audiens ductorem ſuum non eſſe hominem ſed angelum, ſtupore attonitus cecidit in terram ſuper faciem ſuam. Quando ergò & nos audimus, ducem, præceptorem & redemptorem noſtrum in terris fuiſſe, non regem, non angelum, ſed Devm; an non obſtupeſcere & mente excedere deberemus? Iſaac audiens vocem Iacob ſub piloſâ ſpecie Eſau, admirans, dicebat: *Tu es filius meus Eſau? Gen.* 27. Cumque poſteà didiciſſet, reuerà fuiſſe Iacobum ſub veſtitu Eſau, à ſe benedictum, *expauit ſtupore vehementi* (70. habent: *raptus eſt in ecſtaſin*) *& vltrà quàm dici poteſt admirans, dicebat: Quis igitur ille eſt!* &c. Talis autem Chriſtus fuit, Devs, inquam, ſub ſpecie hominis, impaſſibilis ſub ſpecie paſſibili, immortalis ſub mortali, innocens & impollutus ſub ſpecie peccatoris, vt oſtendit S. Bern. ſerm. 28. in Cant. Quis hîc non expaueſcat? non obſtupeat & extra ſe rapiatur? quis non corruat in faciem? Hiccíne eſt Devs pro nobis in crucem actus & pro maledicto habitus? hiccíne eſt ille formoſus, in quem deſiderant Angeli proſpicere, noſtri cauſa adeò deformatus ac veluti leproſus factus, &c.

Admiratio.

Gratulatio.

Denique, quia Chriſtus omnia bona iam poſſidet, gratulemur ei toto corde & gaudeamus de eius gloriâ non minùs, imò magis quàm ſi noſtra foret. Gratulemur ei victoriam obtentam de Diabolo, peccato, morte, mundo, perfidis Iudæis. Gratulemur ei glorioſam reſurrectionem, triumphalem aſcenſionem, ſeſſionem ad patris dexteram, plenariam & iudiciariam poteſtatem in cœlo & in terrâ. Exaltemus eum in cœlum votis noſtris velut manibus, iuxta Pſalm. *Exaltabo te Domine.* Item: *Exaltare Domine in virtute tuâ,* &c. Comitemur eum hodie noſtris cogitationibus & affectibus vſque ad cœlum empyreum, cum iubilatione & voce tubæ. Gaudeamus & magnificemus eum, cùm hoc tempore videmus Eccleſiam dilatari in noſtris partibus, dum hæreſes extirpantur; partim in orbe nouo, dum Idololatria pellitur. Dicamus alter alteri, quod primæui illi Chriſtiani dicebant Paulo *Act.* 21. *Vides frater, quot millia ſunt in Iudæis* (hæreticis Gentilibus) *qui crediderunt & omnes æmulatores ſunt legis?* Ita fiet vt eumdem laudare in perpetuum poſſimus in cœlis.

CONCIO IX.

Miracula credentium qua ratione ſpiritualiter edenda.

1. *Explicatur hîc primò, Quinam dæmonia eijciant.*
2. *Linguis nouis qui loquantur.*
3. *Serpentes qui tollant.*
4. *Mortiferum ſine noxa qui bibant.*
5. *Ægros qui ſanent.*

THEMA.

Signa autem eos, qui crediderint hæc ſequentur, &c. Marci vlt.

A. CVm magnus ille Propheta Elias curru igneo raptus diſcederet ab Eliſæo diſcipulo ſuo & contriſtatus inde Eliſæus clamaret: *Pater mi, Pater mi, currus Iſraël & auriga eius;* reliquit ei in terra pallium ſuum; cuius magna ſanè virtus erat. Eo namque indutus Eliſæus duplicem Eliæ ſpiritum conſecutus eſt, eoque mox percutiens aquas Iordanis diuiſit in duas partes, vt ſicco veſtigio tranſire poſſet, 4. *Reg.* 2. Simile quiddam, Auditores, hodierno die geſtum eſt. *Elias Deus Dominus,* exponitur, & quem alium deſignat niſi Chriſtum, cui dicebat Thomas: *Dominus meus & Deus meus?* Iſte currus & auriga Iſraël, veriùs longè fuit, quàm Elias ille; hic enim velut currus ſuſcepit in ſe & portauit totius mundi ſcelera; velut auriga duxit ac direxit ad ſalutis viam verbo & exemplo populum Iſraëliticum, imò mundum totum. Cæterùm is hodierno die aſſumptus eſt in cœlum, ablatus à diſcipulis ſuis haud dubiè non modico ipſorum cum mœrore. Verùm ne ipſos omninò deſtitueret, reliquit eis virtutem miracula patrandi, quaſi mirificum quoddam pallium: *In nomine meo dæmonia eijcient,* &c. quod diſcipulus inprimis, deinde cæteris fidelibus dictum eſſe colligitur ex textu. Et quidem Chriſti diſcipuli innumera fecére miracula virtute huius pallij. Sed vbi, dicet aliquis, hæc mira nos patramus? vbi dæmonia eiicimus? vbi ægros ſanamus? vbi ſerpentes tollimus, &c. Reſpondet ad hoc S. Gregorius *hom. in hodiernum Euangelium* quæ eſt 29. *Hæc* (ſigna) *neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt,* &c. deinde: *Sancta Eccleſia quotidie ſpiritualiter facit, quod tunc per Apoſtolos corporaliter faciebat,* &c. Similiter S. Bernardus *in ſerm. de Aſcenſ.* qui per virtutum merita fieri ea ſigna aſſerit,

aſſerit, eſſeque certiora & ſecuriora, quàm ſint vera miracula. Certiora ſunt, quia ſanctum faciunt, non oſtendunt: ſecuriora, quia vanæ gloriæ minùs obnoxia. Ergò, Auditores, hoc Eliæ noſtri pallium vnicuique noſtrûm relictum eſt: cuius vi & efficaciâ facere miracula poſſumus. Qualia verò hæc miracula ſint, audiamus.

B. I. Dæmonia qui eijciant.

PRIMÒ, *Sine dubio Dæmonia eijciuntur*, inquit S. Bernard. loco cit. *cùm eradicantur è corde peccata.* Adſtipulatur ei S. Chryſoſtomus *in hunc Marci locum*, inquiens: *Magnus Dæmon peccatum eſt; quod ſi à te abieceris, maius (mihi crede) feciſti opus, quàm ſi Dæmonia eyceres.* Qui Sanctus rectè peccatum appellat magnum Dæmonem, quia Dæmon corpus tantùm vexat, peccatum verò perdit animam & corpus adeoque totum hominem. Vnde melius foret vexari ab integrâ legione Dæmonum, quàm vno peccato pollui. Quemadmodum ergò Pyrata ille Dionides Alexandrum Magnum vocauit magnum prædonem, quòd magnâ claſſe integra regna & nationes depopularetur & ſpoliaret; ſe verò paruum prædonem aſſerens quòd vnicâ nauiculâ prædam quæreret (apud Plutarc. in Alexand.) ita peccatum magnus Dæmon iure vocari debet, cuius reſpectu Dæmon ipſe paruus eſt, quia hic in corpus tantùm graſſari poteſt: illud animam occupans deprædatur & in cœlum vſque graſſatur ac Deo ipſam ſpoliat. Quodque amplius eſt, faciliùs ab homine Dæmon eijcitur quàm peccatum. Hic enim exorciſmis & precibus Eccleſiæ pelli poteſt, olimque ab Exorciſtis paſſim expulſus eſt: illud verò multis ſæpè machinis precibus & minis eximi non poteſt, præſertim vbi longâ aſſuetudine altas in homine radices egit. Hinc de auaro, cùm forte Eccleſiæ aut pauperi eleemoſynam donauit: de ebrioſo, ſi aliquandoè conuiuio tempeſtiuè ſurrexit & ſobrius domum rediit: de pigro & inerte, ſi aliquando primus in templo viſus eſt, dicere ſolemus **der hat ein zaichen gethan**: miraculum patrauit. Hæc ſunt miracula illa omnium ſaluberrima, quale edidit Apoſtolus cùm ex Saulo factus Paulus, Chriſtum prædicauit, quem priùs perſecutus fuit. *Stupebant enim omnes*, inquit S. Lucas Act. 9. *qui eum audiebant & dicebant: nónne hic eſt qui expugnabat in Ieruſalem eos, qui inuocant nomen iſtud, & huc ad hoc venit vt victos illos duceret ad Principes Sacerdotum?* Talia edidêre in communi primi Chriſtiani, cùm ab Ethniciſmo conuerſi toti alij & noui homines facti ſunt, cùm dominarentur ſuis cupiditatibus qui priùs ſeruiebant illis, adeoque Angeli quodammodo facti ſunt ex dæmonibus; quod videntes Ethnici pro miraculo habuerunt, vti teſtatur S. Petrus *in epiſt. 1. c. 4.* ſcribens: *Admirantur* (Græcè, *peregrinantur.* q. d. putant ſe Gentiles in peregrinâ terrâ & nouo mundo eſſe) *non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem.* Hoc eſt, in laſciuiam, concupiſcentiæ deſideria, temulentiam, compotationes, &c. vti ſuprà recenſuit.

C. II. Linguis nouis qui loquantur.

SECVNDÒ, *Linguis loquuntur nouis*, inquit S. Bernard. ſerm. cit. *cùm iam recedunt vetera de ore eorum, nec de cætero vetuſtâ protoparentum linguâ loquuntur, declinantium in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Secundum S. Gregorium homil. dictâ. *Qui iam vitæ veteris ſæcularia verba derelinquunt, ſancta autem myſteria inſonant, conditoris ſui laudem & potentiam, quantum præualent, narrant.* Teſtatur S. Iacobus cap. 3. difficillimum eſſe domare linguam: feroces beſtias domari, linguam ferè à nullo domari. Ergò qui excluſâ vetuſtâ ſeu veteris vitæ linguâ, loquitur nouâ, profectò magnum edet miraculum. Quæ autem eſt lingua vetuſta, niſi quam introduxit ſerpens in paradiſum? Talis lingua erat curioſa illa ſerpentis loquacitas: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradiſi?* Noua lingua foret, cohibere linguam præſertim in conuiuiis & conuentibus profanis, vbi quaſi ex condicto linguæ fræna laxantur, proximorum fama roditur & putidiſſima quæque ſine pudore effutiuntur. Cuiuſmodi exemplum dedit Zeno Zitticus, qui à Ptolomæi Legatis inuitatus ad conuiuium inter alios ſapientes multa garrientes tacuit ſemper. Rogatus ab eis quid de ſe dici Regi vellet, reſpondit: *Dicite vos vidiſſe ſenem, qui in conuiuio tacere nouerit.* Laërt. lib. 7. cap. 1. Diſcant Chriſtiani ab homine Gentili. Vetuſta lingua eſt ſermo mendax; quem etiam ſerpens docuit cùm dixit: *Nequaquam moriemini; ſcit enim Deus*, &c. Noua & mira lingua foret, ſi quis nullum vnquam mendacium diceret; quo in facto celebratur Iob ſub veteri lege; ait enim cap. 24. *Quis me poteſt arguere eſſe mentitum?* Theonas Abbas qui innumerabilium pæne Monachorum regimen gerebat, & Ioannes Chryſoſtom. Anuph & Benus Abbates; ſub nouâ; plures non memini me legiſſe quibus laus hæc tribuatur. Fuge ergò mendacium, & ſignum magnum facis. Vetuſta lingua eſt, lingua murmuris; cùm dixit ſerpens: *Cur præcepit vobis Deus*, &c. Lingua noua eſſet, ſi cùm res nobis ſiniſtrè ſuccedunt, non murmuraremus, ſed Deo gratias cum Iob ageremus: ſi in medio flammæ cum tribus pueris hymnum Deo diceremus. Sed ô quàm pauci nôrunt hanc linguam! Vetuſta lingua eſt, lingua excuſationis, cùm Adam in Euam & DEVM, & Eua in ſerpentem culpam reiecit. Noua & mira lingua foret, ſi in confeſſione peccata grauia non palliaremus, ſed laruam eis detraheremus & in ſuâ nuditate ac fœditate ea Confeſſario oſtenderemus. Sed ô quàm difficilis lingua! Vetuſta lingua eſt, profana & ſæcularis, quâ de rebus fluxis & inanibus, vti Eua cum ſerpente, de ciborum & vinorum cupediis, de ſcientia & honoribus diſcurrebat: Noua lingua foret & miraculoſa prorſus, ſi quando Chriſtiani noſtri in conuiuiis, in menſa, in conuentibus non de rebus profanis, negotiis domeſticis, alieni ſcurris & cenſuris

Digitized by Google

ſuris, nouis ſæcularibus, &c. Sed de ſalute animæ, de rebus fidei, de doctrinâ Chriſtiana, de concionum fructu cum ſociis, cum domeſticis, cum liberis colloquerentur. Sed nemo eſt qui eructet Manna; omnes eructant cepas & allia, vti illi *Num.* 11. Qui diuina & ſalutaria ad colloquium afferre conatur, ridetur vel faceſſere iubetur quaſi importuna narrans. Signum igitur faciet & peregrinâ loquetur linguâ, cui nemo reſpondebit facilè, qui pia tunc loquetur. Vetuſta denique lingua blaſphemiæ eſt, quam docuit ſerpens antiquus, cùm dixit; *Nequaquam moriemini, ſcit enim Deus*, &c. volens per hoc, vt aduertit Rupertus ibi; mendacem & inuidum facere DEVM, quaſi & falſum dixiſſet, & inuideret hominibus gloriam ſuam. Noua lingua foret, ſi quis audiretur è plebe præſertim, diu loqui, & nunquam interim iurare vel blaſphemare. Videtur enim hoc tempore Diabolus peruertiſſe linguas hominum, vt vix tria verba loqui poſſint aliqui niſi aut iuramenta aut execrationes aut blaſphemias addant.

D. III. Serpentes qui tollant.

TERTIÒ, *Serpentes tollent; cùm venenatas ſuggeſtiones extinguent*, inquit Bern. *ſerm. cit.* Cogitationes malæ inſtar ſerpentum flexuoſo & fraudulento inceſſu inſinuant ſe in animos hominum, ac niſi eas mox abſtuleris, venenum affundent delectationis, quo ſenſim animum percurrente, mortem animæ, cùm ſcilicet ad cor venerint per conſenſum, afferent. Harum progreſſus & fraus deſcribi videtur *Ezech.* 8. Vbi fodiens parietem Propheta & inſpiciens templum, vidit ſimilitudines reptilium & Idola depicta in pariete. Secundò, Inſpiciens vidit ibi mulieres ſedentes & plangentes Adonidem. Tertiò, Inſpiciens vidit ibi viros vertentes dorſa contra templum. Et addit: *Nunquid leue eſt hoc domui Iuda, vt facerent abominationes iſtas?* Putant ſanè multi leue quid imò nullum eſſe peccatum, cogitationes malas, niſi in externam operationem prodeant: ſed grauiter decipiuntur; ſiquidem tota malitia peccati externi ab interno emanat. Leues quidem ſunt initio, cùm primò eas intellectus intuetur; at pòſt vbi ſedere & delectari in illis cœperit, graues fiunt; grauiſſimæ denique, ſi conſenſum addiderit, tunc enim dorſum vertere contra Deum incipit, per ſuggeſtionem fiunt imagines fœdæ: per delectationem fiunt mulieres ſedentes coram Adonide: per conſenſum fiunt viri, dorſum DEO vertentes. Quare vti ſerpentes capite apprehendi ſolent, ita & cogitationes initio necandæ. Nam niſi tu mox eas enecueris, necabunt te ipſæ, fietque quod Plinius *l.* 10. *c.* 74. *de aſpide* ſcribit, quæ educata in domo cuiuſdam, cùm neminem læſiſſet, catulum tamen peperit tandem, qui filium hoſpitis occidit: vel quod ruſtico illi qui videns in viâ ſerpentem frigore concretum, cum ſuſtulit & in ſinu repoſuit: mox ſerpens calefactus, & ſibi reſtitutus, ruſticum occidit. Sic quondam Alcamenes Pyrata cœperat Caium Cæſarem & ſuſpendium ei minabatur iocando: ſed dimiſſo Cæſare, poſteà ipſe ab eo captus & ſuſpenſus eſt, vbi vehementer doluit idcircò tantùm, quòd ſuſpenſorem ſuum, cùm potuiſſet, non ſuſpenderit. *Beatus* igitur *qui tenebit & allidet paruulos tuos* (ſuggeſtiones tuas malas ó Babylon) *ad petram*, *Pſal.* 136. Difficile verò id eſt & doctiſſimis ſæpe negotium faceſſit, teſte D. Gregor. l. 4. moral. qui ait: *Facilè eſt, peruerſa opera vitare, ſed nimis difficile eſt ab illicitâ cogitatione mentem corrigere.* Quemadmodum enim nodus qui in tenui filo holoſerico fit, difficiliùs ſoluitur, quàm qui in filo craſſo, ita cogitationum nexus & implicationes difficulter expediuntur. Certè pauci ſunt, qui in confeſſione enumerandas putant cogitationes malas. Verùm ſicut nodus etiam in tenuiſſimo filo deprehenditur, cùm id per acum tranſire debet: Ita in Iudicij anguſtâ portâ, cogitationes illæ deprehendentur & in oſtium cœli impingent, hominemque in purgatorio ſaltem aliquamdiu detinebunt. Quare caueamus nodos iſtos: excutiamus è corde ſerpentem quemadmodum Apoſtolus excuſſit viperam, quæ manui eius adhæſerat, in ignem ſine læſione, vti legimus *Act.* 28. Secundum D. Greg. *hom. indicata*: *Qui bonis ſuis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, ſerpentes tollunt.* Quid enim peccatum in corde peccatoris niſi ſerpens in antro ſuo? Tales ergò ſerpentes qui apprehendere ſtudet & eruere è cordibus, profectò rem mirandam faciet. Eſt enim iuſtificatio impij maius & difficilius opus, quàm creatio cœli & terræ, vt vult D. Auguſtinus & ex eo S. Thomas 1. 2. *q.* 113. *art.* 9. Sed hac de re infrà.

QVARTÒ, *Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*; quod fit *dum peſtiferas ſuaſiones audiunt: ſed tamen ad operationem prauam minimè pertrahuntur; mortiferum quidem eſt quod bibunt, ſed non eis nocebit*; inquit S. Gregorius *in hom. præd.* Quod vidit aliquando S. Antonius, mundum ſcilicet plenum laqueis, hoc ſub aliâ formâ vidit ante ipſum S. Ioannes *Apoc.* 17. mulierem habentem poculum aureum plenum abominatione & immunditiâ è quo biberunt habitatores terræ. Significat autem mundi illecebras, quibus ineſcantur plerique mortalium: & laqueos quibus illaqueantur; quales ſunt noxia conſilia, adulatoria verba, praua ſociorum exempla & peccandi incitamenta. Huiuſmodi venena qui ſapiunt *cùm guſtauerint*, inquit S. Bernardus *ſerm.* 1. *citat. ad exemplum Chriſti nolent bibere; id eſt, cùm ſenſuerint, nolent conſentire.* Noluit bibere Sanctus ille Eleazarus, qui ſuadentibus amicis vt ſimularet ſaltem veritæ carnis eſum, renuit ne iuniores ſcandalo perderet, 2. *Mach.* 6. Noluit S. Iob, propinante venenum vxore, vt malediceret Deo (id enim ſonat ibi vox benedic.) Vnde 70. Interpretes plura eius verba recenſent, nimirum *Quouſque perſeuerabis dicens: Ecce modicum adhuc tempus operior exſpectans ſalutis meæ ſpem? Ecce nunc tui memoria è terra euanuit filij*

E. IV. Mortiferum ſine noxâ qui bibant.

filij ſcilicet & filiæ, vteri mei partus labores quos cum doloribus fruſtrà enixa ſum. Tu verò ipſe in vermium putredine ſedes, ſub dio pernoctans, & ego errabunda & famulabunda, locum ex loco, & domum ex domo circumeo, expectans quando ſol occaſurus ſit: vt requieſcam à laboribus & ærumnis, quæ me nunc detinent. Sed dic verbum in Dominum & morere. Sed quid Iob ad hoc poculum: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es,* &c. *Iob.* 2. Noluit S. Saturus, qui cùm eſſet Ariani regis domus procurator, & vt à Catholicâ fide deficeret ad Arianos, inuitaretur promiſſis honoribus & diuitijs, minis inſuper adiectis, quòd diſtractis mancipijs & filijs vxor eius ipſo præſente danda eſſet Camelario in coniugium; & ob id vxor multis eum precaretur gemitibus vt aſſentiretur iniquo poſtulato, dicens: *Cognoſcit Deus quia inuitus facturus es hoc, quod fortè voluntarij aliquanti fecerunt*; reſpondit voce ſancti Iob: *Tanquam vna ex inſipientibus mulieribus loqueris. Formidarem mulier, ſi ſola eſſet huius vitæ amara dulcedo, artificio coniunx Diaboli miniſtraris. Si diligeres maritum, nunquam ad ſecundam mortem attraheres proprium virum. Diſtrahant filios, ſeparent vxorem, auferant ſubſtantiam mei Domini, ego ſecurus de promiſſis verba tenebo: ſi quis non dimiſerit vxorem, filios, agros aut domum, meus non poterit eſſe diſcipulus. Quid vltra! diſcedente muliere cum filiis refutatâ, confortatur Saturus ad coronam, diſcutitur, expoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur.* Ita Victor Vticenſis *l.* 1. *de perſec. VVandal.* Pari animi fortitudine repudiauit vxoris conſilium imprudens Thomas Morus, ſolicitantis vt ſubſcriberet iniquo Henrici Regis decreto, vt alibi vidimus. Idem ad ſupplicium iam pergens filiæ ſuæ vnicæ lenocinanter inſtanti vt voluntati regis ſubſcriberet, reſpondit: *Recede Eua, ſiccine cui conſtantiam gratulari debueras, hunc ab officij Chriſtiani ratione demouere tentas? recede, tanquam vna de ſtultis mulieribus locuta es.* Non videtur omittendus Fridericus Tertius Imp. qui ſuadentibus ſibi Conſiliarijs malis, vt Ladiſlaum Vngariæ & Bohemiæ Regem, quem adhuc puerum educabat, ſanguine ſibi iunctum perderet, vtpotè cuius mors plurima ſibi regna & opes allatura eſſet, reſpondit: *Quî fit quod me diuitem potiùs quàm pium erga meos eſſe cupitis: ego ſanè diuitias non ita amo vt impijs conſilijs perſuaſus propter eas indignum facinus perpetrare velim.* refert Æneas Syluius *l.* 3. *comment. de rebus Alphonſi.*

F. V. *Ægros qui ſanet.* QVINTÒ. Super ægros manus imponent & bene habebunt: *qui*, vt S. Gregor. ſupra cit. ait, *quoties proximos ſuos in bono opere infirmari conſpiciunt, dum eis totâ virtute ſuccurrunt & exemplo ſuæ operationis illorum vitam roborant, qui in propriâ actione titubant.* Quiſquis ergò ſpirituale aliquod miſericordiæ opus proximo impendit, vt qui peccantem fratrem corrigit, ignorantes docet, infirmum bono ſuo exemplo roborat & confirmat, dubitanti rectè conſulit, pro ſalute proximi orat, mœſtos conſolatur & deprecantibus remittit offenſas, quiſquis, inquam, horum aliquid præſtat, manus ſuper ægrum imponit & ſalutem ei impertit, magno & ſaluberrimo miraculo. Miraculo, inquam, quia raro. Quotuſquiſque enim eſt, qui ad ſpirituales proximorum infirmitates attendit. Prope hominem illum, qui ſauciatus fuit à latronibus, tranſierunt Sacerdos & Leuita, ſed opem non tulerunt: ſolus Samaritanus acceſſit & curam ei impendit. Citiùs reperiat qui iumentum in viâ collapſum erigere conentur, quàm qui hominem in peccati cœno merſum. Vnde exclamat S. Bernardus *l.* 4. *de conſiderat.* *Heu cadit aſina & non eſt qui ſubleuet eam: perit anima & nemo eſt qui reputet.* Barbarum & immane genus hominum ſunt nautæ, de his tamen ſcribit S. Chryſoſtom. *hom. de hab. cura ſal. prox.* *Nautæ licet nobis ſecundo vento ferantur, cùm tamen vident alios vel à longè naufragium facere, non ad propriam ſpectantes vtilitatem, illorum contemnunt calamitatem: ſed ſiſtunt nauem, detrahunt vela, eijciunt anchoram proferunt funes, proijciunt tabulas, vt ille qui à fluctibus mergitur, fortè aliquo illorum arrepto emergat. Imitare & tu nautas, cùm videris nauigantium aliquem natare in fluctibus & iam ſubmergi, relictis negotijs tuis ſtatim illius prouide ſaluti.* Quin & beſtiæ hoc docent; etenim Elephante vno in foueam lapſo cæteri ramos in eam deijciunt & aggeres deuoluunt, vt ſic, complanatâ nonnihil foueâ lapſus emergat, teſte Plinio *l.* 8. *c.* 8. Scaurus etiam piſcis cùm in naſſam incidit, ab alijs ſcauris foris adnatantibus eripitur; nam vel ipſe illorum caudas mordicùs apprehendit vel per caudam ab illis apprehenditur & extrahitur, vt ſcribit Ælianus libro 1. cap. 5. Nôrunt ergò bruta opem ferre comparibus in periculo conſtitutis: & non nôrit homo?

Porrò manus, quam ægris ſecundùm animam imponere iubemur, multiplex eſt; Oratio inprimis; deinde charitas, quâ ad omnes nos dimittere & omnibus omnia fieri debemus; rurſum manſuetudo quâ in ſpiritu lenitatis corrigere errantes; adhæc prudentia quâ etiam minas, increpationes & plagas adhibere: vel laudando, promittendo, benefaciendo, prout quiſque efficaciùs trahitur, inuitare. Sic Ioſeph Patriarcha fratres nondum peccatum ſuum agnoſcentes, grauiter primò obiurgauit, quò recordarentur ſceleris in fratrem patrati, dicerentque: *Meritò hæc patimur quia peccauimus in fratrem noſtrum, &c.* poſteà vbi delictum agnouerunt & ſibi à fratre metuebant, mœſtos conſolatus eſt, dicens: *Nolite expauere neque vobis durum eſſe videatur quòd vendidiſtis me, &c.* deinde muneribus ac blanditijs delinitos domum remiſit, *Gen.* 45. Itaque inſtar illius Samaritani primò vinum nonnihil mordens, deinde oleum leniens in vulnera eorum infudit. Iam quid oratio pro peccatoribus fuſa poſſit, audiamus. In vitâ S. Catharinæ Senenſis per Raymundum Capuanum editâ apud Sur. 29. April. legitur

tur ſequens hiſtoria. *Quodam tempore apud Senas inſigniter flagitioſi latrones capti & atrociſſimis ſupplicijs adducti propter facinorum immanitatem, iam ducebantur ad mortem & curribus impoſiti ignitis fiſcinulis diſcerpebantur. Nemo illos vllâ ratione potuit inducere, vt facerent ſuorum peccatorum confeſſionem, immò verò blaſphemas voces in ſanctos & Deum palam iactabant. Eo autem tempore erat Sancta Virgo Catharina Senenſis apud Alexiam ſociam & diſcipulam ſuam, cuius ædes præteribant miſerrimi illi. Vbi autem id ſenſit Alexia celeriter indicat ſanctæ Virgini; illa ſe totam confert ad deprecandam clementiam Saluatoris pro ſalute deſperatorum, cùm vidiſſet per feneſtram ingentem dæmonum turbam illos miſerè exagitantium. Impetrat à Domino, vt poſſit ſpiritu ſe illis adiungere, & cum eis ad portam vſque proficiſci. Vt autem eam viderunt dæmones apud illos, palam clamitabant; ſi non ceſſaueris, te dæmoniacam efficiemus. Illa contemnens minas procaces perſtitit in precibus. Vbi ad portam vrbis ventum eſt, ecce clementiſſimus Saluator apparet illis obſtinatis, totus vulneribus confectus, & ſanguine madidus, inuitat ad pœnitentiam, promittit veniam. Illi mox mutati, cum multâ inſtantiâ petunt Sacerdotem, peccata ſua valde dolenter confitentur. Facta confeſſione, blaſphemia mutantur in laudes Dei, dignos ſe etiam maioribus tormentis fatentur, ſtupent omnes repentinam conuerſionem, carnifices quoque miteſcunt, nec audent noua imprimere ſtigmata dum vident tantam animorum deuotionem. Denique illi ad mortem non ſecus atque ad epulas feſtinant, ſpe bona freti, ſe per ſupplicia temporanea citiùs venturos ad gaudia ſempiterna.*

Quare, Auditores, ne terreamur ſi nos Chriſtianos ſigna ea quæ à Saluatore dicta ſunt ſecundùm litteram intellecta non ſequuntur; ſiquidem ea *non tam merita quàm indicia meritorum ſunt*, vti ait S. Bernardus ſæpe cit. loco; ſufficiat nobis ſi hæc ſigna ſecundum ſpiritum patremus. *Nam corporalia illa miracula*, inquit S. Gregorius hom. ſupra citat. *oſtendunt aliquando ſanctitatem, non faciunt. Hæc verò ſpiritualia quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non oſtendunt, ſed faciunt. Illa habere & mali poſſunt: iſtis autem perfrui niſi boni non poſſunt. Nolite ergò fratres chariſſimi amare ſigna, quæ poſſunt cum reprobis haberi communia, ſed hæc quæ modò diximus, charitatis atque pietatis miracula amate, quæ tanto ſecuriora ſunt, quantò & occulta: & de quibus apud Dominum eò maior fiet retributio, quò apud homines minor eſt gloria.*

CONCIO X.

Documenta.

Docetur in hoc Euangelio.

1. *Chriſtum ſuis paſſim adeſſe.*
2. *Redarguendos eos qui nondum credunt.*
3. *Præmium incredulitatis, damnatio.*
4. *Fidem Chriſti toti mundo eſſe prædicandam.*
5. *Ad ſuadendam fidem requiri miſſionem & miracula.*
6. *Quàm felix ſit virtutis clauſula.*

THEMA.

Prædicate Euangelium omni creaturæ. Marci 16.

SOlent boni filij vltima parentum monita memoriæ benè imprimere & ſtudioſè exequi. Hodie, chariſſimi, dilectiſſimus pater noſter Chriſtus, in cœlos iam abiturus, magnum & ſpeciale monitum nobis commendauit; imò præceptum dedit, vt verbum Dei ipſiuſque Euangelium omnes audiremus. Et quando hoc præcepit, niſi quando dixit Apoſtolis ſuis: *Prædicate Euangelium omni creaturæ?* Si enim iuſſit Euangelium ſuum omnibus prædicari, conſequenter etiam iuſſit ab omnibus audiri. Neque enim voluit aut iubere potuit vt parietibus & ſedilibus, vel etiam creaturis irrationalibus Apoſtoli prædicarent. Hominibus prædicare iuſſit & quidem vniuerſis cuiuſcumque ſtatûs & conditionis. Ergò niſi huius paterni & vltimi præcepti præuaricatores eſſe velimus, demus operam, Auditores, vt Chriſti Euangelio aures non claudamus. Quare ad honorem ſanctiſſimi huius feſti expendamus hodiernum Euangelium, & quæ in eo documenta ſunt, auidè audiamus. A.

B. I. Chriſtus ſuis paſſim adeſſe.

Diſcimus PRIMÒ, Securè & cautè viuere, ſecurè in tribulatione, cautè in tentatione. Videmus enim Chriſtum paſſim varijs locis & temporibus apparuiſſe ſuis diſcipulis, & cùm aliud agentes de eo nihil cogitabant, iam peregrinantibus, iam conſedentibus, iam piſcantibus, iam diſcumbentibus: rurſum modò ſummo manè vti ad ſepulchrum & littus maris, modò in meridie vti in hodierno Euangelio, modò veſperè & ſerò, vti *Ioan.* 20. quando ad diſcipulos clauſis foribus intrauit. Vt ita intelligamus eum nunquam non adeſſe nobis non quidem per humanitatis ſuæ præſentiam (vt volunt Vbiquiſtæ) ſed per prouidentiam & inſpectionem, ſiue bene, ſiue malè agamus. Quare ſi in tribulatione ſimus, illicò nobis aderit: ſi peccemus, aderit; ita vt in illo caſu nunquam deſolati, in hoc nunquam tuti ſimus. Si aduertat ſeruus Dominum ſibi paſſim à tergo adeſſe cùm ſe maximè ſecurum reputat, nónne ſemper timet & cautiùs ſe gerit? Abraham quando immo-

Digitized by Google

immolaturus filium audiuit Angelum dehortantem ſe à propoſito, vocauit montem illum: *Dominus videt*; quin & poſteri hoc nomen retinuerunt dicentes; *In monte Dominus videbit, Gen.* 22. Cùm ergo ſciamus nos nullo non in loco videri à Chriſto Domino, omni loco dicamus: En ſumus in loco, cui nomen: *Dominus videt*. Ergò ſi quid malè machinentur, *Dominus videbit*: ſi quid viciſſim boni, *Dominus videbit*.

C. II. Redarguendi qui nondum credunt.

Diſcimus SECVNDÒ. Quàm meritò reprehendendi ſint, qui poſt grauia fidei argumenta adhuc in eâ vacillant, dubitant, tergiuerſantur, errant. Audimus enim in Euangelio Dominum obiurgaſſe illos, qui tot teſtimoniis reſurrectionem Chriſti probantibus non credidiſſent. Idemque fecit duobus diſcipulis euntibus in Emmaus, cùm eos *ſtultos & tardos corde dixit*. Nec immeritò ſanè, tum quia fides eſt fundamentum totius ædificij ſpiritualis, quo nutante omnia vacillant: tum quia grauis error erat, poſt prædictionem Chriſti, quâ toties & tam clarè intellexerant eum gentibus tradendum, conſpuendum, flagellandum, crucifigendum & tertio die reſurrecturum, inſuper experti erant, rei euentum cætera comprobaſſe, ſoli eius reſurrectioni fidem non adhibere: neque etiam teſtibus oculatis & omni exceptione maioribus. Viderint igitur moderni hæretici, quantopere obiurgandi ſint à Chriſto, ſuo tempore, vt qui poſt fidei Catholicæ tanta argumenta & perfidiæ ſuæ indicia, poſt triumphatas hæreſes, necdum volunt credere. Sanè ſi adhuc miracula à nobis requirunt, meritò audiunt illud S. Auguſtini *l.* 22. *de ciuit. c.* 8. dicentis: *Quiſquis adhuc prodigia vt credat, inquirit: magnum ipſe eſt prodigium, qui mundo credente non credit.* Quam ergò Chriſtus in iudicio exprobrabit iſtis incredulitatem & duritiam cordis? Dicet enim: Quâ ratione, vos in animum inducere potuiſtis, eam eſſe veram Chriſti religionem, quæ Deum auctorem & impulſorem omnium ſcelerum ſtatuit: quæ hominibus liberum arbitrium adimit: quæ ſtudium bonorum operum tollit, quæ portam latiſſimam omnibus ſceleribus non minùs quàm Atheiſmus aperit: quæ ſubditos legibus & obedientiæ principum ſub ſpecie libertatis Chriſtianæ, eximit: quæ antiquas & damnatas hæreſes ab Orco reuocat: cuius auctores nullâ vitæ auſteritate, nullâ morum ſanctimoniâ commendari, nullis miraculis clari; ſed homines erant voluptatibus carnis addicti, terrenarum rerum cupidi, ambitioſi, maledici, ſeditioſi, apoſtaſiâ & Sacrilegis nuptiis vel præpoſterâ libidine infames; inconſtantiâ doctrinæ incredibili.

D. III. Præmiũ incredulitatis, damnatio.

Diſcimus. TERTIÒ. Præmium incredulitatis; condemnationem: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Idem ſupplicium incredulis minatur DEVS *Pſal.* 94. (vti vertit & exponit Apoſtolus *ad Hebr.* 3.) cùm ait; *Probauerunt & viderunt opera mea 40. annis: propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi: ſemper hi errant corde: quibus iuraui in irâ meâ ſi introibunt in requiem meam!* Viderint ergo hæretici, & quicumque negotium fidei tam leue iudicant, vt pro arbitrio Dominorum vel amicorum, pro victu quotidiano, vel pro occaſione connubij fidem qualemcumque accepterent vel acceptare parati ſint, quanto in periculo verſentur, ſciantque ſe pro capite ſuo & ſupplicio æterno aleam iacere: Quid enim, quæſo, eſt, quod dicitur, *Condemnabitur?* Illud vtique quod *Pſ.* 10. dicitur: *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis & ſulphur & Spiritus procellarum pars calicis eorum*: Et quod *Pſ.* 20. *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in irâ ſuâ conturbabit eos & deuorabit eos ignis.* Et quod *Apoc.* 20. *Miſſus eſt pſeudopropheta in ſtagnũ ignis & ſulphuris.* Certiſſimum enim eſt, fore ibi ignem verum, omnibus noſtris ignibus maiorem & acriorem, quo omnes hæretici ardebunt & die ac nocte in omnem æternitatem cruciabuntur, quamdiu erit infernus, quamdiu ſtabit cœlum, quamdiu viuet Deus. Tunc maledicent deceptoribus ſuis & Magiſtris, à quibus in hanc miſeriam inducti ſunt. Maledicent diabolo, qui eos excæcauit & ſub ſpecie pietatis varijs illuſionibus faſcinauit. Maledicent & ſibijpſis quòd eis aures præbuerint, quòd doctrinam nouitiam tam ſtolidè abſque diligenti examine ſuſceperint: quod in re tantâ explorandâ tam cæci, tam ſocordes fuerint.

E. IV. Fides Chriſti toti mundo prædicanda.

Diſcimus QVARTÒ. Fidem Chriſti toti mundo prædicandam eſſe. Ait enim Dominus: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sequiturque; *illi autem profecti prædicauerunt vbique.* Vnde ſequitur ſectariorum fidem nequaquam eſſe veram; ſiquidem Lutherani Saxoniâ, Haſſiâ, & Wittenbergiâ & ciuitatibus quibuſdam imperialibus conſtringuntur; Caluiniſtæ Angliâ, Galliâ & Hollandiâ: Huſſitæ Bohemiâ: Anabaptiſtæ Morauiâ: Schwenkfeldiani Sileſiâ: Ariani Tranſiluaniâ, &c. Sola fides Romana per vniuerſum orbem prædicata eſt. Quòd ſi fides Lutherana, fides Chriſti eſſet, debebat dicere Chriſtus: Euntes in Saxoniam, Haſſiam & Wittenbergiam, prædicate Euangelium omnibus ibi degentibus. Quo pacto de nobis actum eſſet, actum de Africâ, Aſiâ, Americâ & maximâ parte Europæ in quas Euangelium Lutheri, Caluini, Huſſij & cæterorum nequaquam peregrinatur; ſed quod plus eſt, magis ac magis indies redigitur in arctum. Habet enim quod agat, vt ſeipſum defendat, nam à Caluiniſmo paſſim Lutheraniſmus deuoratur, viperarum more, quæ ab iiſdem enecari dicuntur, quibus in vtero vitam impertiuerunt. Caluiniſmus autem & ipſe ſuum hoſtem habet Atheiſmum.

F. V. Ad ſuadendam fidem requiritur miſſio & miracula.

Diſcimus QVINTÒ. Ad ſuadendam fidem requiri legitimam miſſionem & miracula. Miſſionem, quia audimus Apoſtolos à Chriſto miſſos ad prædicandum: *Euntes in mundum vniuerſum, &c.* Eam neceſſariam eſſe teſtatur Apoſtolus ad *Rom.* 10. dicens: *Quomodo*

modo prædicabunt niſi mittantur? Porrò ea miſſio vel eſt extraordinaria ſeu immediatè à Deo, & tunc debet probari miraculis, ſicut Moyſes, Prophetæ & Apoſtoli probârunt, vel ſaltem eximia vitæ ſanctitate & diuino teſtimonio ſicut miſſio Ioann. Baptiſtæ. Vel eſt ordinaria & mediata & hæc debet fieri per homines, & quos Deus ad id conſtituit.

Miracula, quia addit Dominus: *Signa eos qui crediderint, hæc ſequentur, &c.* Hæc autem requiruntur cùm noua fidei doctrina ſeu lex introducitur; quemadmodum in Indiâ plurima ſunt facta ab Euangelij præconibus, cùm illud introduxerunt, fiuntque etiamnum.

Ex quibus etiam luce clarius eſt ſectarios noſtri temporis fidem Chriſti non habere. Neque enim poſſunt probare vocationem ſuam, ſiue mediatam (quia à Catholicis Epiſcopis nequaquam miſſi ſunt, à ſæcularibus verò mitti non potuerunt) ſiue immediatam, quia carent miraculis, & diuinis teſtimonijs. Nota ſunt ridicula Caluini & Lutheri miracula, quorum ille mortuum à ſe ſubornatum non ſanè vitæ reddidit; ſed verè mortuum inuenit; hic verò ſuffocatum quendam in Albi ſuſcitare quidem conatus eſt ſed irrito conatu: aliàs dæmonem expulſurus, ab eodem ipſemet dirè exagitatus eſt: quæ quia nota ſunt, non recenſeo. Cùm ergò hoc miraculorũ ſigillo careant Lutheranorũ & Caluiniſtarum, cæterorumque noſtri temporis ſectariorum dogmata, quis eis fidem habeat? Sanè fateri cógor quod paulò antè negaui, magna eos fide præditos eſſe; ſiquidem ea credunt, quæ nos (modicæ fidei homines) minimè credere poſſumus. Credunt enim inprimis homini Apoſtatę & Monacho excucullato, tanquam Dei prophetæ, licet nullum vnquam miraculum fecerit, ſed præterea turpiſſimè vixerit in aleis, pergræcationibus, fidium luſu, & perpetuo inceſtu, cum fugitiuâ moniali. Exemplum vnum capite. Florimundus Ræmundus Regis Galliarum Conſiliarius in *lib. de Origine hæreſum l. 3. c. 6. Narrauit*, inquit, *mihi vir honeſtus in aulâ Saxonicâ tum verſatus, Lutherum die quodam Sybillam Ducis Coniugem ſalutandi causâ in gynaceum ingreſſum, cum præ cæteris eleganti formâ virginem conſpexiſſet, leuiter permulſo eius mento, velut alludentem; ad Duciſſam conuerſum dixiſſe: O pulchrum Diabolum! Equidem ſi tales in Inferno eſſent Diaboli, eò venire non recuſem. Hiſq; verbis Duciſſam vehementer fuiſſe offenſam; Ducem verò propheta ſui amore faſcinatum dixiſſe: Lutheri corpus carne & oſſibus conſtare vt cæterorũ hominum: Sed animam eius planè diuinam eſſe ac cœleſtem.* Hæc ille. Videte quanta in hoc Duce fides? Credidit enim Lutherum ſecundùm corpus hircum & Veneris prolem eſſe, ſecundùm animam verò diuinum ac cœleſtem. Quis noſtrûm iſtud crederet, cùm dicat ipſa Veritas è fructibus cognoſcendam arborem. Sed nec minor Lutheranorum fides eſt in eo, dum illius ſui Prophetæ, nouam & omnibus retrò ſæculis inauditam doctrinam eamque exoticam & ſtupendam, quâ malum dixit bonum & bonum malum, nigrum album & album nigrum, pro Euangelio arripiunt. Credunt enim ſe etiamſi inquinatiſſimè viuant, tamen amicos Dei eſſe & optimum locum in regno cœlorum habituros. Credunt Chriſtum in Euchariſtiâ non eſſe niſi vnâ cum ſubſtantiâ panis & quando reipsâ ſumitur; ante ſumptionem Chriſtum non adeſſe, ideoque non adorandum. An non hoc difficilius eo, quod nos credimus & docemus.

Diſcimus Sexto. Quàm felix & præclarus ſit virtutis exitus, tametſi eius ingreſſus aſper eſt & contemptus. Ecce enim Chriſtus, qui in hoc mundo aſperam, pauperem & laboribus plenam vitam exigit, quàm glorioſum hodie finem & laborum coronidem ſortitus eſt. Benè igitur veteres virtutem deſcripsêre typo palmæ apud Pier. *lib. 50. hierogl.* quòd ipſa infernè ſcabra & ramis deſtituta, adeoque conſcenſu difficilis; supernè verò ſpecioſa ſit, folia ſua explicans & magnâ denſitate expandens. Talis fuit Vita Chriſti; aſpera & laborioſa in terris: ſpecioſa in aſcenſione ad Cœlos, quàm bene S. Bern. *ſer. 2. de Aſcenſione, fœlicem itinerarij eius clauſulam* appellat. Iacuit in terrâ Dominus ſub pedibus Iudæorum, cùm ad terram proſtratus & cruci aptatus fuit: nunc viciſſim Iudæos ſub pedibus ſuis poſuit: Ibi cum ignominiâ in crucem eleuatus fuit: nunc cum ingenti gloriâ ad cœlos & patris dexteram eleuatur. Ibi ſocios habuit latrones: hîc verò SS. Patres gloriâ veſtitos. Ibi audiuit blaſphemias Iudæorum: hîc audit harmoniam & applauſum Angelorum. Ibi à patre derelictus fuit, hîc à patre aſſumptus & ad dexteram collocatus. Hæc igitur, Auditores, hæc eſt via cœli, virtus, inquam; hic exitus virtutis, gloria. Eò & nos vocamur. *Quò enim præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis*, inquit S. Leo. Dicamus ergò cum Salomone Cant. 7. *Aſcendam in palmam & apprehendam fructus eius.* Aſcendam primò in crucem, & hinc in Oliueti montem vnde ad cœlum aſcendit Dominus. Neque enim mons iſte longè admodum diſtat à Caluariæ monte: Sabbati tantùm itinere, vt ſcribit S. Lucas *Act.* 1. hoc eſt exiguo valdè, medio ferè milliari Italico, quod per horæ quadrantem confici poteſt. Ergo à virtute ad gloriam, à pugna & paſſione ad victoriam, à cruce ad cœlum non niſi iter Sabbati, iter breue, iter quietum, iter leue & quaſi iucundum deambulacrum eſt. Quantâ cum lætitiâ confecêre hoc iter martyres cæterique ſancti, quibus terra exilium fuit? Cum his, Auditores, imitemur Chriſtum, aſcendendo primùm in palmam virtutis; in montem crucis: vt inde breui itinere aſcendere mereamur ad montem gloriæ.

G. VI. Felix virtutis clauſula.

CONCIO XI.

Myſteria.

1. *Quæritur primò, cur Chriſtus apparuerit diſcipulis recumbentibus.*
2. *Cur exprobret eis incredulitatem.*
3. *Quomodo omni creaturæ prædicandum Euangelium.*
4. *Quomodo qui credunt (fide viuâ ſcilicet) ſalui fiant.*
5. *Quomodo ſigna illa credentes ſecuti.*
6. *Quomodo Chriſtus cooperatus ſit Apoſtolis.*
7. *Cur varijs in locis edita miracula.*

THEMA.

Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.
Marci 16.

A. Cereus paſchalis cur hodie extinguatur.

VIdiſtis hîc in templo, Auditores, & nunc percantato Euangelio extinctum eſſe cereum paſchalem. Et quamobrem exiſtimatis? Nimirum quia hodie diſceſſit à nobis Dominus noſter Chriſtus, qui de ſeipſo dixit: *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi, Ioan.* 9. Hodie ergo noſter ille Sol, cuius *à ſummo cœlo egreſſio & occurſus vſque ad ſummum eius*, curſum ſuum peregit & nobis quidem occidit: cœlo autem ortus eſt. Vnde & hodiernâ in feſtiuitate, finiunt Euangeliſtæ ſua Euangelia, in Chriſti videlicet Aſcenſione. Hodie ſimiliter finiuntur feſta Chriſti Domini, & peregrinatio ipſius fœlicem ſortitur clauſulam, dum per multos labores redijt in patriam, vnde ad nos exierat. Æquum igitur eſt vt hodierni Euangelij lectionem veluti poſtremam ſtudioſè expendamus.

B. I. Cur apparuit Chriſtus diſcipulis recſibentibus.

Q. PRIMA. Cur apparuit Chriſtus Apoſtolis recumbentibus? Reſp. Primò. Vt oſtenderet ſe non abhorrere à conuiuijs Chriſtianorum ſobrijs & modeſtis, quale erat iſtud Apoſtolorum; imò talibus delectari, quando cum moderamine & gratiarum actione percipiuntur dona Dei. Vnde probabile eſt aſſediſſe Chriſtum & ad fidem reſurrectionis ſuæ denuo confirmandam cum illis comediſſe. Sic enim S. Lucas ait: *Act.* 1. *Conueſcens præcipit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent; &c.* Quòd immediatè ante aſcenſionem videtur factum eſſe.

2. Secundò, Vt epulas Apoſtolorum ſpirituali aromate condiret, paternæ obiurgationis: vt ita iuxta legem agni comedendi, manducarent cibos cum agreſtibus lactucis, ſicque à corporalis cibi illecebrâ ad ſpiritualis cibi guſtum attraherentur.

C. II. Cur exprobrat eis incredulitaté.

Q. SECVNDA. Cur in die diſceſſus ſui exprobrat Dominus diſcipulis incredulitatem & duritiam cordis? Reſpondet: Primò S. Auguſtinus *l.* 3. *de conſenſu Euang. c.* 25. id feciſſe, quia tunc mittebat Apoſtolos ad gentes, quæ credere iubebantur & crediture erant, licet non vidiſſent. An non igitur obiurgandi erant diſcipuli qui præcones fidei futuri, priùs, quàm vidiſſent Chriſtum, credere nolebant ijs, qui narrabant ipſum reſurrexiſſe & viſum à ſe eſſe? Quomodo enim alijs perſuaderent fidem, ſi eam adhibere narrantibus ipſimet noluerunt? Audierant ab Angelis, à mulieribus, à Petro, à diſcipulis egreſſis in Emaus, ab vndecim congregatis, & aliqui tamen illorum adhuc dubitabant.

Reſpondet Secundò S. Gregorius *hom.* 29. *in Euang. Idcircò Dominus tunc diſcipulos increpauit, cùm eos corporaliter reliquit, vt verba quæ recedens diceret, in corde audientium arctiùs impreſſa remanerent.* Nimirum vti ſigillum impreſſuri Mandato, mallei ictum adhibemus; quò ſigillum fortiùs imprimatur & hæreat diutiùs: ita obiurgatio principis aut parentis, præſertim receſſuri vel morituri ſedulò obſeruatur & memoriæ commendatur. Sic Moyſes & Ioſue morituri ſeuerè admonebant ſuos, vt Domino ſeruirent, & inuocabant contra eos in teſtimonium, ille cœlum & terram, hic verò lapidem ad hoc deſtinatum. Adde ex Lirano, ideò increpatos Apoſtolos, vt nôſſent gentes aliæ, quibus erant prædicaturi, ſe quoque increpandas & damnandas, ſi credere noluerint; ſiquidem & Apoſtoli propterea increpati ſunt. Ergò ſicut Carolus M. capulo gladij ſui obſignauit decreta ſua, vt oſtenderet, hoc gladio ſe punîturum legis præuaricatores: ita ſuâ increpatione oſtendit Chriſtus quanti faceret fidem & quàm ſeuerè aliquando obiurgaturus ſit incredulos.

Reſpondet Tertiò S. Bonauentura idcircò obiurgaſſe, vt humiliores remanerent. Maximam ſanè dignitatem contulit eis Chriſtus, cùm Legatos & præcones Euangelij ſui fecit. *Fecit* ergò Dominus hic, quod ait Iob c. 28. *Ventis pondus.* Quia enim Apoſtoli vt nubes volaturi erant & orbem ſapientiâ ſuâ, linguis & miraculis rigaturi ac fœcundaturi, ne ex hoc eleuarentur in ſuperbiam euaneſcerent atque perirent, appoſuit illis Chriſtus pondus humiliationis, exprobrando eis incredulitatem & duritiam cordis eorum; quaſi illis dicens: Ne miremini aut indignemini, ſi duros & incredulos aliquos offenderitis, mementote & vos fuiſſe tales.

D. III. Quomodo omni creaturæ prædicandum Euangeliũ.

Q. TERTIA. Quomodo iubet Dominus prædicari Euangelium *omni creaturæ. Nunquid S. Euangelium*, ait S. Gregor. *hom. cit. vel inſenſatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum.* Reſpondet ergo Primò, quia *omnis creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Omni ergo creaturæ prædicatur Euangelium, cùm ſoli homini prædicatur: quia ille videlicet docetur, propter quem in terrâ cuncta creata ſunt.* Cauſam etiam inſinuat Dominus, propter quam prædicari vult hominibus, quia creaturæ Dei ſunt, & quidem nobiliſſimæ propter quas aliæ omnes creatæ ſunt.

1.

2\. Reſpondet Secundò idem ſanctus & magis ad mentem Chriſti: *Poteſt etiam*, inquit, *omnis creaturæ nomine omnis natio gentium deſignari. Ante etiam dictum fuerat: In viam gentium ne abieritis. Nunc autem dicitur: Prædicate omni creaturæ.* Vult ergo dicere, prædicate omni hominum ſtatui, conditioni, ſexui, nationi. *Quomodo deſcendit imber & nix de cælo ſic erit verbum meum*, ait Deus per Iſaiam c. 55. Vt enim imber & nix deſcendens, ſuper omnes cadit, qui ſub dio ſunt neminique parcit: ita voluit Chriſtus ſpargi verbum ſuum; vti etiam factum eſt. Primò Ieroſolymis in feſto Pentecoſtes, deinde in orbe toto.

3\. Reſpondetur Tertiò. Præcipit Dominus prędicari Euangelium ſuum, ita vt omnes etiam mutæ & ſurdæ creaturæ audiant & ſint teſtes contra eos, qui audire noluerunt. Hoc ſenſu dixit Moyſes populo Hebræorum extrema daturus monita, *Deuter. 31. Audite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Et Ioſue ſimiliter moriturus conteſtans populum ad obediendum Deo, teſtem ſtatuit lapidem, quod eos admonuerit, dicẽs: *En lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quod audierit omnia verba Domini, quæ locutus eſt vobis. Ioſ. vlt.* quoad effectum ſcilicet, quia in præſentia & conteſtatione huius lapidis vos admonui. Sic etiam poſſem dicere, hanc cathedram fore teſtem mihi in die Iudicij, quòd vos Auditores meos ſeriò admonuerim fugere peccata & venturam iram, quia ex hac ego vobis locutus ſum; & ſi Deus illi vellet tribuere loquelam, vti aſinæ Balaam, teſtimonium in vos diceret. Vel etiam, ſi nolint homines audire Dei præcones; conuerti eos iubet ad creaturas, in confuſionem illorum. Sic Propheta miſſus ad Ieroboam, omiſſo rege ſermonem conuertit ad altare 3. *Reg.* 13. S. Antonius de Paduâ, cùm eum audire nollent homines, ad fluuium Ariminenſem piſcibus prædicare cœpit, qui certatim adnatantes ad littus dicentem audierunt. Vt in eius vitâ.

E. IV. Quomodo qui credunt ſalui fiũt.

Q. QVARTA. Quomodo dicitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit; *Fortaſſe enim*, inquit S. Gregor. *ho. cit. vnuſquiſque apud ſemetipſum dicat: Ego iam credidi, ſaluus ero. Verum dicit ſi fidem operibus tenet. Vera etenim fides eſt, quæ in hoc, quod verbis dicit moribus non contradicit. Hinc enim quòd de quibuſdam falſis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Loqui autem Dominum de hac verâ, & viuâ fide, certum

Fidem viuam intelligit. 1. eſt. Primò, Quia in monte Galileæ hoc idem mandatum dans Apoſtolis, addit ad fidem, & baptiſmum, obſeruationem mandatorum: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S. docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis, Mat. vlt.*

2\. Secundò, Quia tunc temporis credere idem erat, ac fidem & religionem Chriſtianam (cuius fundamentum eſt credere) totam ſuſcipere: ſeu à Iudaiſmo, aut Ethniciſmo ad Chriſti Eccleſiam accedere. Nulla adhuc erat hæreſis, adeoque nec Lutherana aut Caluiniana, quæ fidem ſepararet ab operibus. Tertiò, Quia ſic intellexerunt & declarârunt, Apoſtolus Paulus ad Galatas c. 5. *In Chriſto Ieſu*, id eſt, Chriſtianiſmo, *neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Et S. Iacobus c. 2. fidem ſine operibus vocat *mortuam & inanem*. Nam *& Dæmones credunt & contremiſcunt*, inquit. Vnde S. Anſelmus eiuſmodi nudam fidem, vocat *Dæmonum fidem*, non Chriſtianorum. Quartò, Quia etiam baptiſmus, quem requirit Dominus, eſt opus, quod iubet abrenunciare Diabolo, promittere & ſeruare obedientiam Chriſto, &c. *Tunc autem veraciter fideles ſumus*, inquit S. Gregor. cit. ho. *ſi quod verbis promittimus, operibus complemus. In die quippe baptiſmatis omnibus nos antiqui hoſtis operibus atque omnibus pompis abrenunciare promiſimus, &c.*

Q. QVINTA. Quomodo ſigna illa, quæ recenſet Chriſtus, ſecuta ſunt credentes. *Nunquid nam fratres mei*, inquit S. Greg. *ho. dictâ, quia iſta ſigna non facitis, minimè creditis?* Reſpondet ergo Primò, *Sed hæc neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Vt enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cùm arbuſta plantamus, tam diu eis aquam infundimus, quouſque ea in terrâ iam coaluiſſe videamus, & ſi ſemel radicem fixerint irrigatio ceſſabit*, hæc ille. Promittit ergo Dominus Eccleſiæ ſuæ miracula. ſed Primò, Tempore competente, cùm opus fuerit, vt in primis erat in Eccleſiâ primitiuâ, quando fides erat noua & tenella, & quando nationes infidelium ad fidem erudiuntur, vt in Indiâ, Chinâ, Iaponiâ, Americâ, vbi in eorum conuerſione plurima ſunt patrata à S. Xauerio & alijs ſæculo ſuperiore. Modò non ampliùs neceſſaria ſunt. Adhæc *miracula iſta*, inquit S. Aug. *in lib. de vtilitate credendi* cap. 16. *modò non fiunt, quia non mouerent, niſi mira eſſent: at ſi ſolita eſſent, mira non eſſent.* Secundò, Aliquibus tantùm & certis hominibus, quibus gratiam miraculorum daturus erat, vti ferè ſanctis tantum viris. Nouimus ex Actis Apoſtolorum S. Paulum eiecisse dæmonia, *Act.* 19. Imò Exorciſtæ penè adhuc pueri in Eccleſiæ primordijs Dæmones eijciebant ex hominum corporibus. Taceo Antonium, cuius vel audito nomine, egrediebantur Dæmones; taceo Hilarionem, Danielem, Stylitam & alios innumeros. Linguis locuti ſunt nouis Apoſtoli inprimis in feſto Pentecoſtes; Deinde Epiſcopi illi & Confeſſores Africani, qui in perſecutione Wandalicâ linguis excelſis rectè nihilominus locuti ſunt, apud Greg. *l. 2. dial. cap.* 32. Baron. Anno 484. Item S. Seruatius Traiectenſis Epiſcopus, qui vno idiomate concionatus, à varijs hominibus diuerſæ nationis & linguæ intelligebatur, apud Marulum. *l. 3. cap.* 4. Idem donum habuit S. Vincentius Ferrerius. Ord. S. Dominici, S. Antonius de Paduâ, S. Xauerius, &c. Serpentem ſuſtulit & excuſſit è manu ſine læſione S. Paulus in Inſula Melite, *Act.* 27. imò ex eo tempore in gratiam S. Pauli ſerpentes illius Inſulæ veneno carent: & ter-

F. V. Quomodo ſigna illa credentes ſecuta. 1.

Promittuntur Eccleſiæ miracula. 1.

2\.

Vide ... hiſt. ... cap. 14.

& terra ipſa veneni antidorum facta eſt. Baron. anno 28. Draco interemptus à S. Hilarione, Baliliſcus à Leone Papa 4. Alij à ſerpentibus inſulas aliaque purgarunt loca. Mortiferum ſine noxa vinum bibit imprimis S. Ioannes Euangeliſta. Aquam venenatam S. Dorotheus apud Pallad. in hiſt. Lauſ. c. 1. Araneam S. Conradus Epiſcopus Conſtantienſis. Poculum venenatum ſigno crucis rupit S. Benedictus. Super ægros manus impoſuere Apoſtoli, & eos curauere, adeo vt vmbra Petri, & ſemicinctia & ſudaria Pauli hoc præſtiterint, vt teſtantur Acta Apoſtolorum. Taceo claudum erectum, ægros ſanatos, mortuam ſuſcitatam, aliaque ib. relata; & ſimilia innumera ab alijs ſanctis patrata.

Vide Dom. 6. poſt Epiphan. vbi hæc fuſius dicta.

Reſpondet ſecundò S. Gregorius hæc miracula quæ corporaliter Apoſtoli faciebant, quotidie adhuc fieri ſpiritualiter in Eccleſiâ, vt aliàs explicauimus: quæ miracula *tantò maiora ſunt*, inquit, *quantò ſpiritualia: tantò maiora ſunt, quantò per hæc non corpora, ſed animæ ſuſcitantur*.

G. VI. Quomodo Chriſtus cooperatus eſt Apoſtolis.

Q. Sextò. Quomodo Dominus cooperatus eſt Apoſtolorum prædicationi? Reſpond. Primò ſignis & miraculis. Secundò internis auxilijs & inſpirationibus corda audientium aperiendo & mouendo, vti *Act. 6.* aperuit cor Lydiæ. Nam *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, inquit, Apoſtolus 1. *Cor.* 3. Apoſtoli forinſecus; Deus operabatur intrinſecùs; vnde *Dei adiutores* ſe ſuoſque vocat ibidem Apoſtolus. Deus igitur principalis agens eſt.

Ergò ſi quis ſentit moueri ſe ad audiendum, credendum & faciendum Dei verbum, Deo, gratias agat: quia nos nihil ſumus, qui plantamus & rigamus. Si quis autem non ſentit: is ad Deum recurrat, qui habet claues cordium, *aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit*, vt ſcribit S. Ioannes *Apoc.* 3. Siquidem etiam auditores cooperari debent per liberum arbitrium & orationem, aliaque media, quibus gratia illa impetratur.

H. VII. Cur variis in locis edita miracula.

Q. Septimò. Cur ſubinde varijs in locis edere voluit Deus miracula? Reſp. Primò vt ſuam præſentiam & prouidentiam, mortalibus declararet. Si enim nihil vnquam ſupra naturæ vires eueniret, facilè ſibi perſuaderent
1. homines nullum eſſe numen, cui res humanæ
curæ ſint: ſed omnia quodam naturæ impulſu fieri. Prodit ſe quidem in rerum omnium
mirá conſeruatione, cœlorum motu, corporum fabricá, &c. Sed pauci tamen ea mirantur, pauci in illis Deum intuentur. Debent ergò homines ſubinde ad hoc excitari per rara quædam
dam opera naturæ vires excedentia. Secundò 2.
vt hominum animi etiam in alijs fidei capitibus confirmentur, omni prorſus dubitatione abſterſà; & vt illis ritè, debitaque cum reuerentia vtantur. Sic multa facta ſunt per Euchariſtiam, Baptiſmum, Extremam vnctionem, Ordinem, inuocationem ſanctorum, &c. vel horum occaſione, nimirum vt homines intelligerent quo loco iſta ſint habenda, quâ reuerentiá vſurpanda.
Tertiò, vt doctrinam eorum, 3.
per quos iſta facit, & vitam nobis commendet. Sunt enim miracula diuina quædàm teſtimonia tum veritatis doctrinæ, tum ſanctitatis vitæ, præſertim ſi vita conformis doctrinæ.
Quartò, vt ſanctos ſuos hoc modo ho- 4.
noret. Nihil enim eſt, quod ita celebres faciat viros ſanctos per orbem, & populos ad eorum amorem, cultum & imitationem excitet, vt miraculorum effectio. Sicut enim Deus vult ſe amari ab hominibus ſupra omnia, proximum autem non ſupra omnia, ſed in ſuo gradu, propter Deum: ita vult ipſe ſe coli ſupra omnia, nimirum tamquam primam omnium cauſam effectricem & vltimum finem; ſanctos autem non hoc modo, ſed in ſuo gradu, & propter reſpectum quem habent ad Deum, tanquam filios adoptiuos, participes regni, amicos chariſſimos, &c. Vnde nullá hîc vmbra idololatriæ, vt hæretici calumniantur. Nam per idololatriam ſupremus honor, quo nimirum aliquid æſtimatur & colitur tamquam numen & primum principium, impenditur: hoc autem modo non coluntur ſancti. Quintò
vt occaſione beneficiorum corporalium, quæ 5.
populus ſperat obtinere, excitetur ad pœnitentiam & vitæ emendationem. Vbi enim miracula fiunt, ſæpe multa hominum magnis ſceleribus inquinatorum millia confluunt: qui ibidem graui præteritæ vitæ concepto dolore, ſuiſque peccatis ſalutari confeſſione expiatis, ſeriam vitæ emendationem ſuſcipiunt, ſicque fit vt multa millia hac ratione ſaluentur, qui alioquin erant perituri. Denique per
miracula omnes excitantur ad reuerentiam & 6.
laudem numinis, ad gratiarum actionem & gaudium ſpiritale; omnium animi eriguntur, & bonam ſpem adfuturi auxilij in afflictione concipiunt. Ita ferè Leſſius *de prouid. diuin.*

DOMINICA SEXTA POST PASCHA.

Euangelium Ioannis 15. & 16.

IN illo tempore dixit IESVS diſcipulis ſuis: Cùm venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à patre, ſpiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.

16. Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Abſque ſynagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare DEO. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me. Sed hæc locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.

CONCIONES.

I. *Quomodo Apoſtoli Chriſto perhibuerint teſtimonium; & Chriſtianus quiſque etiam Neophytus, perhibere debeat.*
II. *Multiplex perfidia caſtigatur; fidelitas ſuadetur.*
III. *Scandalum actiuum communi omnium ſanctorum calculo vitandum.*
IV. *Motiua ne ſcandalizemur in peccatis aliorum.*
V. *Mali cur bonos oderint, & cur veritatem.*
VI. *Argumenta & teſtimonia fidei Chriſtianæ.*
VII. *Rectè & ſalubriter fieri, quòd Indulgentiæ nunc liberaliùs concedantur.*
VIII. *Adhortatio ad Milites pro Eccleſia pugnantes.*
IX. *Documenta.*
X. *Myſteria.*

CONCIO I.

Quomodo Apoſtoli Chriſto perhibuerint teſtimonium, & Chriſtianus quiſque, etiam Neophytus, perhibere debeat.

Quatuor modis potiſſimùm ſolemus aliquid teſtificari, quibus omnibus Apoſtoli Chriſto teſtimonium reddere, & nos reddere deberemus.
1. *Voce ſeu prædicatione.*
2. *Digito ſeu conuerſatione.*
3. *Sigillo ſeu miraculis.*
4. *Subſcriptione ſeu martyrio.*

THEMA.

De me & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. Ioan. 15.

A. MAgna dignitas, Auditores, collata eſt Apoſtolis, cùm ab eo deſignati ſunt teſtes vitæ & paſſionis eius; id quod hodie eis inſinuatur illis verbis: *Et vos teſtimonium perhibebitis* (de me) *quia ab initio mecum eſtis.* Quid enim aliud eſt teſtis, niſi defenſor & tutor ſeu antiſtes cauſæ alicuius? Et quid erit defenſorem & propugnatorem eſſe filij Dei? Hinc Apoſtolus Petrus eo nomine gloriatur, non quòd ſit Apoſtolus & illorum Primas totiuſque Eccleſiæ Paſtor, ſed quòd ſit teſtis Chriſti. Sic enim ait *ep. 1. c. 5. Obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum.* Sanctus etiam Paulus Protomartyrem illum Stephanum non potuit honorificentiore titulo cohoneſtare, quàm vocando eum *teſtem Chriſti, Act. 22. Cùm funderetur,* inquit, *ſanguis Stephani teſtis eius.* Denique SS. Martyres, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fuderunt, hoc appellantur nomine; *martyr* enim græcè, *teſtis* eſt latinè. Cæterùm ſi bene aduertimus, etiam nos Chriſtiani eâ voce comprehendimur & dignitate inſignimur. Si enim Apoſtolus ad *Hebr. 12.* veteres patres vocat teſtes Chriſti ſeu Martyres, quòd fidem eius conteſtati ſint: Si Ioannes *Apoc. 11.* Enoch & Eliam venturos tempore Anti-Chriſti, & ipſos appellat Chriſti teſtes; quis dubitat etiam nos eius teſtes eſſe poſſe, imò verò debere præſertim ſiqui ad veram & Catholicam fidem nuper primùm acceſſere. Id verò quâ ratione fieri debeat, nunc audiamus.

Quatuor modis ſolemus teſtificari aliquid. Primò voce; deinde duorum digitorum erectione. Tertiò. Sigilli impreſſione; denique manus ſubſcriptione. Omnibus his modis teſtimonium reddere debemus.

PRIMÒ. Voce ſeu prædicatione, vt patet ex Actis Apoſtolorum, vbi c. 4. dicunt: *Non* B. *poſſumus quæ vidimus & audiuimus, non loqui.* I. Voce. q. d. quia teſtes Chriſti deputati ſumus: debemus facere officium noſtrum. Et paulò inferiùs ait Lucas: *Virtute magnâ reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Reddebant,* inquit, quaſi depoſitum ſcilicet ſibi à Chriſto creditum. Et tantus erat feruor in eis ad prædicandum Euangelium, vt propterea ab aliquibus dicerentur ebrij & muſto pleni, vti *Act. 2.* deinde vt etiam vincti Iudices ſuos ad Chriſtum conuertere conarentur, vti Paulus *Act. 26.* quaſi non de ſua, ſed de illorum vitæ periculo agerentur.

retur. Ergò Chriſtianus quiſque non debet ſolùm mente credere in Chriſtum, ſed etiam cùm res exigit, viuâ voce fidem eius confiteri & conteſtari: vt ita ſit perfectum quaſi horologium, non indicans ſolùm horas, ſed etiam ſonans. Sanè S. Ambroſius *l. 3. de Virginibus* vult recitari à Chriſtiano ſymbolum fidei quotidie manè, & quando in aliquo timore vel periculo nos videamus conſtitutos. Sanctus verò Auguſtinus *l. 1. de ſymb. ad Catech. c. 1.* & S. Hieronymus *epiſt. 61. ad Pammach.* hortantur vt repetamus antequam incumbamus & ad externas occupationes prodeamus. Ac proptereà Apoſtoli non id ſcripto, ſed verbo tradidêre, vt docerent nos perpetuò id in corde & ore habere memoriterque recitare. Id quod ab infantia obſeruaſſe legitur S. Petrus martyr, qui ſeptennis è ſcholâ rediens, interrogatus domi, quid didiciſſet: Chriſtianæ fidei ſymbolum didiciſſe ſe aſſeruit; qui & à ſicariis dum necaretur, ſymbolum id pronuntiauit. Vt habetur in Breuiar. Præter hoc etiam cùm opus, inſtituere in fide alios debemus, & cùm interrogamur, ab eo præſertim qui poteſtatem habet, fidem profiteri: contra infideles & hæreticos defendere & propugnare, vti alibi oſtenſum.

Quod inprimis obſeruare debent, qui ad fidem Catholicam non ita pridem ſe adiunxerunt. Vt enim omnem à ſe prioris ſectæ ſuſpicionem amoliantur, & à fidelibus oues non lupi habeantur, debent ſynceritatem fidei ſuæ externis ſignis prodere, quo modo etiam S. Paulus nuper conuerſus, continuò ingreſſus eſt ſynagogam & prædicabat Chriſtum: & cùm regreſſus Ieroſolymam iungere ſe conaretur fidelibus, qui nondum eum nouerant conuerſum, ſed adhuc vt lupum metuebant, Barnabâ Ductore eis ſociatus, defendit fidem contra Græcos & Gentiles, qui & proptereà occidere illum volebant, *Act. 9.* Multò minus licet fidem vllatenùs abnegare: quis enim filius patrem, ſine graui eius iniuriâ audeat abnegare?

C. II. Digito ſeu conuerſatione.

SECVNDÒ. Duorum digitorum eleuatione, hoc eſt, Sanctâ Chriſtianæ vitæ conuerſatione, quæ duas continet partes, fugam peccatorum & ſtudium virtutum, iuxta id Pſ. *Declina à malo & fac bonum.* Quàm verò ſancta fuerit conuerſatio Apoſtolorum, diſcimus etiam ex Actibus illorum deſcriptis à S. Lucâ, vnde colligimus ex ipſorum inſtituto vixiſſe tunc Chriſtianos ſicut nunc viuunt religioſi. Erant illis omnia communia, nemo quid ſuum dicebat: erant perſeuerantes quotidie in audiendo verbo Dei, in communione & eleemoſynis. Tam bona diſcipulorum inſtitutio, Magiſtros vtique laudat: ſicut præclarum opus opificem. Hinc Apoſtolus alias litteras commendatitias non requirit à Corinthiis præter ipſorum vitam, ad quam eos inſtituit: *Epiſtola enim noſtra vos eſtis,* inquit *2. Cor. 3.* Similiter S. Petrus *epiſt. 1. cap. 4.* teſtatur Chriſtianos à ſe inſtitutos propter vitæ ſanctitatem miraculo eſſe Gentilibus. Hinc S. Blandina martyr, dum quaſi propter crimen torqueretur, ait ad tortores: *Chriſtiana ſum & nihil apud nos mali committitur.* Hoc ergò teſtimonium efficacius adhuc primo fuit & mirum in modum commouit Ethnicos ad amplectendam fidem Chriſti, prout etiam ab Iſaia c. 61. prædictum fuit; dicturos nimirum Gentiles de primis Chriſtianis visâ eorum conuerſatione: *Iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Hoc videns etiam ſuo tempore Iulianus Apoſtata Imperator ſcripſit ad Arſacem Galatiæ Pontificem, vt & ipſe iuxta ritum & mores Chriſtianorum inſtitueret ritus ſuos & mores ſuorum ſacrificulorum corrigeret, ne in theatra prodirent, ne in tabernis biberent, ſed vbique ſanctè viuerent, benignitatem in pauperes & peregrinos exhiberent: pœnitentias delinquentibus iniungerent, &c. exemplo Chriſtianorum, quo gentiles ad eorum amorem & ſequelam accendi conquerebatur, vt refert Sozomenus *l. 5. c. 15.* Verùm fruſtrà laborauit, diuinæ virtutis eſt, non humanæ, ad vitæ ſanctitatem homines inſtituere. Nos ergò Chriſtiani in hoc etiam imitari Apoſtolos debemus & morum innocentiâ teſtimonium Chriſto reddere, quòd ſit filius Dei & de cœlo venerit vt Saluator mundi; quòd eripuerit nos de poteſtate tenebrarum feceritque filios lucis & Dei; hoc, inquam, demonſtrare nos oportet abijciendo opera tenebrarum & induendo arma lucis, ſeu declinando malum & faciendo bonum. Mulier illa ſapiês *Prouerb. 13. quæſiuit lanam & linum & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Lana eſt veſtis externa, velut tunica: Linum eſt interna, vti interula. Vt ergò nemo ſine pudore, ſolo induſio prodire in publicum audet (præter infantes) ita nemo adultus ſola eâ fide, quæ in receſſu cordis latet, contentus eſſe debet: externam etiam veſtem & fidei conuerſationem bonam inducat neceſſe eſt. Et hoc eſt *operari conſilium manuum*, quando ſcilicet manus adhibetur cordi. Alioquin ſi vita noſtra doctrinæ Chriſti Euangelicæ non reſpondeat, Chriſtum potiùs probro & infamiâ aſpergimus, quaſi vel ipſe Magiſter noſter probus non fuiſſet vel improba docuiſſet; *dum dicitur:* (inquit Saluianus l. 4. de prouidentiâ) *Ecce quales ſunt qui Chriſtum colunt? falſum planè eſt, quod aiunt ſe bona diſcere. Sancta à Chriſtianis fierent, ſi Chriſtus ſancta docuiſſet. Æſtimari itaque de cultoribus ſuis poteſt ille, qui colitur. Quomodo enim bonus Magiſter eſt, cuius tam malos videmus eſſe diſcipulos?* Et ſuprà: *Fruſtra nobis de prærogatiuâ & nomine Chriſtianitatis blandimur, qui ita agimus ac viuimus, vt hoc ipſum quod Chriſti vnus populus eſſe dicimur opprobrium Chriſti eſſe videatur.* Quare S. Auguſtinus *l. 50. hom. in hom. 20. Eſtote,* inquit, *germani Chriſtiani & nolite imitari nomine Chriſtianos, opere vanos.* Scire cupitis quales ſint Chriſtiani nomine, opere vani? Sunt velut areola in horto, nomen IESV pulchrè exprimens, quam tamen accreſcentes herbæ, ita obruunt, vt dignoſci

gnoſci nomen id non poſſit. Pulchrum certè nomen Chriſti, in horto Eccleſiæ: quod ſi tamen vitia id obtuant & offuſcent, quis legat vel agnoſcat hoc nomen? quis credat te Chriſtianum?

Speciatim hoc obſeruent, qui Catholicam fidem nuper amplexi ſunt, vt ne ſatis eſſe exiſtiment, quòd fidelibus ſe aggregarint & fidei profeſſionem ediderint, ſed vt præterea contendant bonis operibus certam ſuam vocationem facere. Non ſint contenti quòd ſint arbor implantata vineæ Domini, ſed curent etiam fructum facere, ne cum ficu infructiferâ è vineâ exſcindantur. *Remanere etenim in Eccleſiâ Dei non poſſunt*, inquit S. Cyprianus, *qui Deificam & Eccleſiaſticam diſciplinam nec actus ſui conuerſatione nec pace tenuerint.* Solent enim à paſtoribus officij ſui admoneri & redargui; Vnde id non ferentes facilè de relapſu cogitant & iugum Chriſtianæ diſciplinæ excutiunt: ſicut ait Oſeas *c. 7. Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo, facti ſunt quaſi arcus doloſus.* Reuerſi, inquam, ad priorem perfidiam quomodo Iehu (qui videtur ibi notari) cùm euertiſſet Baal, videreturque DEVM verum culturus, mox rediijt ad vomitum & aureorum vitulorum cultum, quem à Ieroboam inſtitutum reſtituit. Fiunt verò arcus doloſus, quia cùm videantur collimare ad dextram religionis Catholicæ, iaculantur ad ſiniſtram ſectæ acatholicæ. Vel quia inſtar arcus curioſi paulò fortiùs tenſi, impatientiâ rumpuntur & iugum Chriſti abrumpunt.

D. III. Sigillo ſeu miraculis.

TERTIÒ, Sigilli impreſſione, hoc eſt, miraculorum editione. Vt enim ſigilla appenſa teſtamentum & alias litteras: ita miracula diuinam miſſionem comprobant. Vnde *Ioan. 6.* ait Dominus ſe à Patre *Signatum* (græcè, *ſigillatum*) eſſe ſigillis videlicet miraculorum, quibus demonſtrauit ſe à patre miſſum. Quòd hac ratione Apoſtoli teſtimonium reddiderint Chriſto, luce clarius eſt. Sanè per hoc conuicêre etiam plurimos Iudæos & obſtruxêre os Scribis & Phariſæis vt non haberent quod contrà mutirent, vti prædictum *Iſaia c. 48.* à Spiritu ſancto dicente: *Laude meâ infrenabo te.* Laude, id eſt, miraculis glorioſis; vnde 70. vertunt: *Glorioſa mea inducam ſuper te.* Sed quâ ratione cæteri Chriſtiani teſtimonium hoc de Chriſto ferent: Sanè miracula nec iam neceſſaria ſunt, nec à nobis requiruntur. Poſſumus tamen & nos mira quædam patrare, non abſimilia miraculis. Imprimis ſi qui *in medio nationis prauæ*, (vt ait Apoſtolus ad *Philip. 2.* de primis Chriſtianis) *lucent velut luminaria in mundo*, nóne magnum edunt miraculum? Atqui tales inter alias nationes verâ fide deſtitutas vult nos eſſe Apoſtolus, vt in eum locum ſcribit S. Anſelmus. *Vult*, inquit, *vt Chriſtiani ſint quaſi ſtellæ, quæ in cœlo fixæ non curant terrena, ſed tota intendant vt ſuos curſus & motus peragant, luceníq; ſpargant mundo.* Tritum eſt illud Platonis & Ariſtotelis: *Nec Heſperus nec Lucifer ita admirabilis eſt vt iuſtus.* Tale porrò lumen fuit Iob in terrâ Huſs gentili, quem ideò laudibus extollit Sanctus Gregorius *l. 1 mor. c. 1.* quòd bonus inter malos fuit. *Immenſi eſt præconij*, inquit, *bonum etiam inter malos extitiſſe.* Tale & Tobias in captiuitate Aſſyriorum Deo vero ſeruiens; quin etiam inter ſuos cæteris omnibus pergentibus ad vitulos aureos Ieroboam, ſolus ipſe tendens Ieroſolymam ad templum Domini, *Tob. 1.* Tale lumen Noë, tempore quo *omnis caro corruperat viam ſuam.* Tale Abraham inter Chaldæos: Machabæi inter Hebræos; Philippenſes & vniuerſim primi Chriſtiani inter gentiles. Miraculum naturæ eſt, quod diuerſi fluuij in eodem alueo vnà vel iuxtà fluant & non commiſceantur, qualis Rheno in Acroniano lacu, & Romæ Virgo aqua, quæ in Herculeanum riuum influens ei non commiſcetur, ſed ab eo refugit. Vnde Virgo denominata eſt, teſte Plinio *l. 31. cap. 3.* At non minus miraculum eſt bonus inter reprobos ab eorum moribus alienus; cuiuſmodi erant in Athenienſi Academiâ, lubricâ alioquin, S. Gregorius Nazianzen. & S. Baſilius. Ita enim Nazianzenus *orat. 20.* ſcribit: *Si quis fluuius per ſalſum mare dulcis fluere creditur: ſi quod in igne, quo omnia conſumuntur, animal ſaltitare; id nos inter omnes adoleſcentes, prauos ſcilicet & corruptos eramus.* Deinde poſſumus ſenſu myſtico facere ea miracula, quæ fidelibus facienda conceſſit Dominus in cœlum aſcenſurus, vti ſuo loco dictum. Denique quotquot heroicos virtutum actus præter omnium conſuetudinem aut expectationem deſignant, ſanè non exiguum præſtant miraculum: vti Senior ille apud Caſſianum, à plebe Alexandrina varijs exagitatus iniuriis rogatuſque: *Ecquæ miracula Chriſtus feciſſet?* Reſpondit enim: *Hæc quod ego conuitijs & iniuriis veſtris laceſſitus, ad indignationem non moueor.* Quotquot etiam graues ſuperant tentationes, miracula quædam patrant, quia in igne ſunt & non ardent. Talia porrò miracula, ſi qui alij, poſſent edere ij, qui nuper ad fidem conuerſi ſunt, ſimulque omnium animos & oculos in ſe conuertere, ſi vellent. Imprimis ſi inter Acatholicos non dubitent ſuam fidem conſtanter tueri, nec quidquam habere cum illis commune velint; vti fecit imprimis Naaman ille Syrus, qui ad Deum verum conuerſus tulit è terrâ Sanctâ Iſraëlitarum particulam, vt in ea conſiſtens moneretur adorandi Dei veri in templo Idolorum Regis ſui. Solus igitur in Idolorum fano Deum verum adorabat mira inuentione, *4. Reg. 5.* Commendatur etiam eo nomine à S. Epiphanio hær. 30. laudatiſſimus ille Ioſephus, à Conſtantino Magno Comes factus, quod Scythopoli *ſolus is orthodoxus eſſet*, omnes verò alij Ariani. Deinde ſi conuerſionis ſuæ luculenta teſtimonia & ſigna edere vellent, vti Zachæus, qui ejurata rapinâ & auaritiâ promiſit ſe dimidium bonorum pauperibus daturum, & ſi quem defraudaſſet, reſtituturum in quadruplum, *Luc. 19.* Cui accedunt illi, qui in Act. Apoſt. c. 19. priùs cu-

rioſa (id eſt, magicas artes) *ſectati contulerunt libros ſuos, & combuſſerunt coram omnibus.* Eò pertinent & Indi, qui à S. Xauerio & alijs ad fidem conuerſi, Idola ſua publicè comminuerunt, conſpuerunt, ad terram alliſerunt, pedibus calcarunt. Hæc eadem facere neophyti maximâ ſuâ laude, aliorum ædificatione cæterorum omnium admiratione poſſent, ſi & ipſi obfirmarent animum vt ne impoſterum cum hæreſi & hæricorum periculoſâ ſocietate quidquam commune habere vellent; ſi damna priùs data pro viribus reſarcire ſtuderent, quo modo Ericus Sueciæ Rex ad fidem ope Angarij Hamburgenſis Epiſcopi perductus, Chriſtianæ religionis fines latiſſimè propagauit, vt ſic expiaret damnum quod eidem priùs attulerat, apud Crantzium *l.* 1. *metrop. c.* 4. Si infectos hæreſi libros Vulcano deuouerent: Si Cantiones & pſalmodias hæreticorum, aliaque deliria execrarentur: Si denique vitam ſuam ita inſtituerent, vt nemo non cernere poſſet, mutatos eſſe in viros alteros, tam à priore ſuâ conuerſatione diſtantes, quàm diſtat vera religio à falsâ, fides diuina ab humana.

F. V. Subſcriptione, ſeu martyrio. QVARTÒ, ſubſcriptione, quam fecerunt proprio ſanguine, pro Chriſto ſe tradendo manibus Carnificum. Atque hoc eſt vltimum ac perfectiſſimum teſtimonij genus & aliorum complementum; Vnde Sancti Martyres id nomen ſimpliciter obtinuerunt, quòd velut locupletiſſimi teſtes ipſo ſanguine ſuo fidei ſubſcripſerint. Non eſt opus hoc oſtendere factum eſſe ab Apoſtolis, quia apertum. At verò quâ ratione dabimus nos Chriſto tale teſtimonium? Abſunt quidem Tyranni, ſed non deſunt paſſim hæretici, qui Catholicos affligant; & vt iſti deſint, adſunt aliâ ex parte propria voluntas, mundus, caro, dæmon, quibuſcum crebrò velitandum. Iſtos ſi vicerimus, ad primos illos martyres proximè accedemus. Ergò primus noſter tyrannus & perſecutor eſt propria voluntas, quam vincimus per obedientiam. Habet autem & obedientia ſuum nec vulgare martyrium, quo quis caput ſuum frangit & alteri ad nutum ſubijcit: Vti fecit B. Petrus Faber è primis S. Ignatij ſociis vnus, qui Romam euocatus in ſummis caloribus, ex obedientia paruit, diſſuadentibus licet medicis; quare ibidem hoſtia obedientiæ factus Deo ſpiritum reddidit: & poſteà apparens ſanctæ perſonæ ſæpiùs repetiit ſe obedientiæ titulo mortem oppetiiſſe & proptereà in cœlo ſummis gaudiis perfrui. Vt in eius vita Orlandinus *l.* 2. *cap.* 28. Alter tyrannus mundus eſt, qui partim ſuis blanditiis ineſcat, partim obtrectationibus nos impugnat. Quâ de re S. Auguſtinus *ſerm.* 250. *de tempore*, ait: *Contra mortifera blandimenta luctemur, ſcientes in eo etiam quotidiana martyria Chriſtianis non deeſſe.* Et S. Gregorius *hom. in Euang. Ferre contumelias, odientes diligere, martyrium eſt in occultâ cogitatione.* Ratio eſt, quam dat Chryſoſtomus *hom.* 31. *in Acta: Durius ſiquidem multò eſt opprobrium & conuitium viro ſtrenuo, quàm corporis vulnus aut plaga.* Tertius eſt caro, quæ vti perpetuò nobis adhæret, ita perpetuò aduerſatur. Vnde S. Cyprianus (vel quiſquis eſt auctor) tract. de duplici martyrio, paſſionis ſcilicet & actionis ſeu ſanctæ vitæ, ſcribit, per hanc ita glorificari Deum vt per illam. *Fidelis*, inquit, *tota vita martyrium, hoc eſt, teſtimonium reddat Deo: quod adeò negligendum non eſt, vt niſi ea præceſſerit martyrium quod ſanguine perhibetur, non ſit martyrium. Fruſtra enim ceruicem præbueris Carnifici, niſi priùs occideris membra quæ ſunt ſuper terram, hoc eſt, affectus qui militant aduerſus Spiritum, odium, inuidiam, ſuperbiam, libidinem, &c.* Nec deeſt partibus ſuis dæmon, qui ſi omnes pugnæ conquieſcant, ipſe pugnans excitat; cui nunquam non inuigilare & reſiſtere Chriſtianus debet. Denique etiam quiſque paratus eſſe debet fidem ſuam tueri ac profiteri coram hoſtibus fidei, ita vt non modò eam abnegare nolit, ſed nec tergiuerſari aut diſſimulare cùm interrogatur à Magiſtratu: velitque potiùs omnis generis pœnas ſuſtinere, quàm vel latum vnguem à ſua profeſſione recedere. Quod in primis notare etiam Neophyti debent, vt & ipſi Martyres Chriſti, ſuo modo fiant, ſuæque conuerſioni quaſi ſanguine ſubſcribant. Neque enim deerunt, quæ poſt iuratam religionem Catholicam exercebunt eorum patientiam. Imprimis vita inclyta & prauæ conſuetudines, quæ cutis inſtar adhærent nec ſine difficultate exui poſſunt. Deinde diſplicentia morum in priuatis quibuſdam Catholicis, qui non faciunt officium ſuum. Rurſum inſultatio & minæ hæreticorum; quandoque etiam inſidiæ, quibus necem eis ſtruunt. Denique variæ mundi illecebræ, quibus retrahere eos conatur. Verùm his perſecutoribus opponere ſe Tyro Chriſti debet, & cogitare, quod attinet ad primum, conſuetudinem conſuetudine pelli poſſe, & quæ initio amara videntur, vſu ipſo dulceſcere. *Non aſſuetis ferre ceruicibus iugum graue eſt*, inquit Seneca l. de prouidentia: *ad ſuſpicionem vulneris Tyro paueſcit: audacter veteranus cruorem ſuum ſuſpectat, qui ſcit ſæpe ſe viciſſe poſt ſanguinem.* Semper aduerſi aliquid patiendum illi erit, ſiue religionem veram colat, ſiue non colat. Vbique Cruces & miſeriæ. Senectus diuturnis, adoleſcentia acutis obnoxia eſt morbis: in montibus ningit, in vallibus pluit. Quantum ad ſecundum, ſcire debet Eccleſiam Catholicam profiteri quidem ſanctitatem ſed non poſſidere, in omnibus ſuis membris: ad eam aſpirare & impellere ſuos, ſed nondum perueniſſe: inter aliquos malos, multos eſſe bonos. *Vitijs nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt qui minimus vrgetur*, vt ait S. Hieronymus ep. ad Saluian. Quod attinet ad tertium, mirum id non eſt. Audiamus Epictetum Philoſophum gentilem in Enchiridio. *Sapientiæ*, inquit, *ſtudium ſuſcipere cupis? Ad hoc te ipſe ſtatim para, vt deridearis, quaſi te ſubſannaturi ſint multi & quaſi dicturi: Iſte nobis repente philoſophus aduenit, & vnde nobis*

Marginalia: Tyranni & perſecutores noſtri. — 1. Propria voluntas. — 2. Mundus. — 3. Caro. — 4. Dæmon.

nobis hoc ſupercilium? Nemo non ſanctorum, ipſe Chriſtus Dominus, inſultatores habuit; quis cum iſtis pati non velit? Denique illecebræ mundi ſpernendæ ſunt: æterna fluxis anteponenda. Tempeſtas probat Nauarchum & tentatio verum Chriſtianum. Facile eſt Chriſtianum ſe exhibere, quamdiu mundus, caro, dæmon non blandiuntur & nos auocare non conantur; vbi verò tentationes adſunt, tunc apparent veri Chriſtiani, & veri DEI amici. Cuius rei exemplum affert Gregorius Nyſſenus *ſer. de profe. Chriſt. homin.* de ſimio purpurâ amicto, quem hiſtrio quidam Alexandrinus ad inſtar mulieris veſtitum & laruâ muliebri ſecundum faciem opertum in ſcenam protulerat & ad cytharam ſcitè ſaltare docuerat, ita vt mirarentur omnes & puellam crederet:Intereà quidam re animaduerſâ, ante ſimium proiecit ſalgama, id eſt, poma & pira vel nuces, quo mirificè eum delectari ſciebat: quibus conſpectis mox accurrit ſimius, laruam detrahit & dirumpit, quo commodiùs veſci optato cibo poſſet. *Sicq́ factum,* inquit Gregor. *vt ſimius videretur ſimius.* Eodem modo plurimi Chriſtiani orant, ieiunant, confitentur, templa adeunt, &c. quamdiu tentatio non occurrit. Aſt vbi diabolus ſalgama ſeu illecebras ad ipſorum guſtum factas obijcit: ibi ſæpenumero laruam hominis Catholici quâ ſe obtegebant, detrahunt & contemptis Chriſti ac Eccleſiæ præceptis ad mores hæreticorum & priorem viuendi conſuetudinem properant, carnes cum hæreticis deuorant diebus interdictis & vlulant cum lupis. Verùm hi oſtendunt ſe religionem ſuam ædificaſſe ſuper arenam. *Deſcendit enim pluuia & venerunt flumina & flauerunt venti & irruerunt in domum illam ac ſubruerunt eam.* Ergò Auditores viderit vnuſquiſque vbi domum ſuam ædificet: & ſi ſapimus ædificemus ſuper Eccleſiæ petram inexpugnabilem: ibique Chriſto Domino demus teſtimonium; quò & ipſe aliquando in cœlis det nobis teſtimonium ſuum.

CONCIO II.

Multiplex perfidia caſtigatur: fidelitas ſuadetur.

1. *Damnatur perfidia quæ committitur in Deum, circa fidem, vt vota.*
2. *Quæ committitur in Dominos.*
3. *Quæ committitur à coniugibus.*
4. *Quæ fit in proximum contra factam promiſſionem & pacta legitima.*
5. *Quæ fit hoſti contra pacta.*
6. *Quæ committitur in amicum.*

THEMA.

Cùm venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Ioan. 15.

INter alias præclaras Theodoſij Imp. virtutes celebrantur imprimis tam certa beneficiorum promiſſio, vt iam accepta viderentur, cùm ſponderet; ſiquidem vota hominum non fallebat aut fatigabat, nec artem difficultatis muneribus adhibebat, (apud Matthæum Tymp. in ſpeculo Magiſtratus p. 1. f. 68.) Præclarum hoc encomium nulli magis debetur, quàm Chriſto Domino noſtro, qui eſt ipſa veritas; & ideò ſi Cyrillo credimus, Spiritum ſanctum appellat ſpiritum veritatis in hodierno Euangelio, quia ab ipſo tanquam à veritate procedit. Hunc ſpiritum promiſit ibidem ſuis diſcipulis, promiſit, inquam, & miſit: idemque ſpiritus veritatis teſtimonium perhibuit Chriſto. O quàm optandum eſſet, vt nobilis hæc fidelitas, Germanorum olim decus, etiamnum inter nos vigeret & floreret! Sed malum! ea nunc paſſim vocatur vetus confidentia, **dat alt vertrauwen**/ quaſi iam conſenuerit illa fides, nec facilè inueniri queat. Vnde exiſtimare aliquis poſſit, quadrare etiam in hæc tempora, quod ait Ieremias *c.* 5. de Ieruſalem: *Circuite vias Ieruſalem & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium & quærentem fidem: & propitius ero ei.* Quocirca vt hæc in nobis virtus aut conſeruetur aut plantetur, hoſtem eius abiuratum videbimus, perfidiam.

PRIMA, Et omnium deterrima eſt, quæ committitur in Deum; & Primò circa fidem, cùm quis, qui Deo nomen in baptiſmo dedit, eius nomen & characterem accepit, hoſtibus eius diabolo & pompis eius abrenuntiauit, poſteà per apoſtaſiam deficit à Chriſto & eius Eccleſiâ. Fecit hoc Iulianus, qui ſcelerato victimarum ſanguine Baptiſmum ſuum abluit. Greg. Nazianz. *orat.* 1. *in Iul.* — I. 1. Quæ cõmittitur in Deum; 1. Circa fidem.

Idem faciunt venefici & ſagæ, in manibus diaboli Chriſtum eiurantes, Deo & ſuperis maledicentes, dæmoni ſe deuouentes, ſacrificantes, obedientiam vouentes, coram eo non minùs, quàm olim Hebræi coram aureo vitulo, bibentes, canentes, ſaltantes; ipſum conſulentes, nec non filios & filias ei deuouentes, aliaque turpiſſima flagitia in eius gratiam perpetrantes.

Eodem pertinent qui à fide Catholicâ deficiũt ad hæreſin, imò hæretici omnes, qui in baptiſmo fidem Chriſto dederunt & ſeruare promiſerunt, poſteà verò contemptis fidei dogmatibus ab Eccleſia Chriſti ſibi propoſitis, fingunt ſibi chimæras & opiniones proprias, adeoque velut Ethnici colunt Idola cordis ſui; relictâ etiam antiquiſſimâ & vnicâ matre ſuâ adhærent peſſimis nouatoribus. Luthero excucullato Monacho, qui diabolum ſe fatetur ſui dogmatis habere auctorem, *l. de miſſâ angul. & ord.* vbi aſſerit à dæmone ſe conuictum argumentis contra Miſſam, iiſque ſe contra Catholicos ſemper vſum eſſe. Zvvinglio, qui aſſerit adiutorem ſe habuiſſe Angelum de nocte ſibi apparentem, ad Chriſtum à Sacramento Euchariſtiæ excludendum, qui tamen Angelus ater an albus fuerit, ſe neſcire, *l. de ſubſidio Euchariſtiæ.* Caluino

uino item ob ſodomiæ ſcelus perpetratum ſtigmate inuſto, qui blaſphemans à vermibus corroſus expirauit.

Contra iſtos omnes teſtimonium feret ſpiritus veritatis in illâ die, quàm perfidi in Deum fuerint. *Væ genti peccatrici*, ait Iſaias cap. 1. *populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemârunt Sanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum.* Et Ieremias cap. 2. *Tranſite ad inſulas Cethim & videte, & in Cedar mittite, conſiderate vehementer: & videte, ſi factum eſt huiuſcemodi. Si mutauit gens Deos ſuos & certè ipſi non ſunt Dij: populus verò meus mutauit gloriam ſuam in Idolum. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc & portæ eius deſolamini vehementer dicit Dominus.* Certè Athenienſes nouos Deos præter eos quos ab antiquo colebant, nequaquam admittebant, ideoque Socratem mori compulerunt quòd contra hoc facere videretur. At iſti noua dogmata, prioribus abiectis, inducere nil verentur.

2. Circa vota.

Secundò, Circa vota, cùm ea Deo non exſoluuntur vel non bonâ fide. Prius illud agunt Apoſtatæ à religione, & qui alia vota quæ Deo nuncupârunt, infringunt.

Poſterius, qui deterius ſoluunt pro meliore vt in apologo viator, qui vouerat ſi quid inueniſſet, eius ſe dimidium Ioui oblaturum. Inuentâ autem perâ plenâ nucum & amygdalarum; comedit omnes, putamina autem & cortices obtulit ad aram dicens: *Habes ecce Iupiter dimidium quod tibi voueram.* Hac arte qui ſoluant Deo vota ſua reperiuntur plures.

C. II. Quæ cõmittitur in Dominos.

SECVNDÒ. Quæ committitur à ſeruis & vaſallis in dominos. Etenim ex pacto tenentur ſerui dominis eſſe fideles. Vnde vocantur **die Ehehalten** quia coniugium heri & heræ conſeruare debent. Inde etiam parœmia illa: **daſs Brodt ich iſs/daſs Liedle ich ſing.** Debent igitur eorum rem tueri, damna auertere & cauere, honorem eorum defendere, arcana non effutire, nihil illis ſubtrahere aut violare quæ ad eos ſpectant, non magnas aut crebras eleemoſynas inuitis ipſis facere; hæ enim ſi quid lucri faciunt, non ipſis, ſed dominis faciunt. Maximè verò deteſtanda eſt perfidia ſeruorum occultè prodentium dominos ſuos, etiam illis ipſis, in quorum gratiam id faciunt. Exemplo eſt Comes à S. Paulo, dictus, qui ſub Ludouico II. Franciæ Rege, toti rei militari in illo regno præerat. Is occultè inclinare cœpit ad partes Caroli Burgundiæ Ducis hoſtiſque Regis. Quam perfidiam non ferens Carolus, vt erat magnanimus & generoſus, de eâ Regem admonuit, imò comprehenſum Comitem ad eum miſit, qui vix Lutetiam peruenit, cùm capite plexus eſt. Belleforet. *in Ludouic. II. hiſtor. Franc.*

D. III. Quæ cõmittitur à coniugibus.

TERTIÒ, Quæ committitur à coniugibus, cùm alijs ſe proſtituunt: vel quod deterius longè, cùm repudiatis legitimis coniugibus, contrahunt cum alijs. Damnant hanc perfidiam multa. Primò, Fides data ſolemniter, quam etiam ſignificat annuli traditio. Secundò, Ratio Sacramenti, quod vnum & inſolubilem requirit coniugem, vti Chriſtus habet Eccleſiam vnam. Tertiò, Iuſtitia, quia neuter habet poteſtatem ſui corporis, ſed alter. Denique præceptum diuinum quod ſine exceptione præcipit: *Non adulterabis, non mœchaberis*, *Exod.* 20. Vnde alia ratio eſt aliorum contractuum, de quibus nihil ſtatuit DEVS; Poſſunt enim dirimi vtriuſque partis conſenſu; ſed non ita matrimonium, cuius diremptioni obſtat lex diuina. Sed de hoc alibi. Exemplum vnum adiiciam. Legati à Dario Perſarum Rege ad Amyntam Macedonum Regem miſſi erant, & cùm ab eo magnificè ſuſcepti eſſent, cœperunt in conuiuio nobiles matronas contrectare turpiter, quæ ſimul accumbebant. Quod non ferens Alexander regis filius, rogauit vt eas parumper ſecedere paterentur: & locum dare pulchrioribus. Introducti autem ſunt elegantiſſimi iuuenes imberbes, amicti veſte muliebri habenteſque ſub eâ ſicas, quibus, vbi cœpti ſunt contrectari, petulantes Legatos illos confoderunt, prout fuerat illis ab Alexandro imperatum. Chauaſſ. *l.4. de prud. c.6.* Ecce quàm indignum viſum etiam gentilibus alienas matronas vel petulanter contrectare. Scimus etiam ex *Iudic.* 15. quanta mala damna intulerit Samſon Philiſthæis proptereà quòd audiuiſſet vxorem ſuam, quæ Philiſthæa erat, fidem ſibi fregiſſe & alterius vxorem factam eſſe.

Eodem pertinet perfidia, quæ committitur inter deſponſatos, eſt enim affinis perfidiæ coniugatorum. Quod enim ſemel illis placuit, deinceps etiam placere debet. Quanquam ſponſalia multas ob cauſas rationabiles poſſunt diſſolui.

QVARTÒ, Quæ exercetur in proximum. Primò, Contra factam promiſſionem iuſtam, liberam & ſeriam. Talis enim perfidia violat fidem, quæ eſt omnium contractuum fundamentum; violat etiam charitatem, illudendo & contriſtando promiſſarium. Habent iſti magnum os, ſed paruas aut nullas manus: adeoque ſunt monſtroſi. *Nubes & ventus*, inquit Sapiens Prouerb. 25. *& pluuiæ non ſequentes: vir glorioſus & promiſſa non complens.* Vt ergò aër cùm ſitienti terræ promittit quodammodò pluuiam expanſa deſuper nube, & non dat, fallit & angit animos agricolarum, quos falsâ ſpe lactârat: ita qui pollicitis tantùm diues eſt: cuiuſmodi erat Antigonus rex, qui idcircò dictus eſt *Doſon*, id eſt, daturus, quòd magna promittens, parua præſtaret. Tymp. in menſa Theophyl. p.2. c.59. Cæterùm quomodo, vt prouerbio dicitur: *Non qualibet nubes pluuiam effundunt*: ita nec quæuis promiſſio obligationem inducit. Etenim nubes vel ſunt inanes & ſine aquâ, vel à ſuperueniente vento diſſipantur & impediuntur, & tunc pluuiam dare nequeunt: ita ſi promiſſio ficta fuit, carens intentione ſe obligandi à ſimiliter ſi promiſſioni etiam iura-

E. IV. Quæ fit in proximum.

1. Contra factam promiſſionem.

tæ ſuperuenit res grauis & oneroſa, quæ promiſſionem impediuiſſet, ſi præſcita fuiſſet: tunc obligatione caret. Quòd ſi nubes procelloſa ſit, auerti & depelli debet pulſu Campanarum: ita ſi promiſſio illicita ſit, & vi obligationis caret & retractanda eſt. Exemplum fidelis promiſſionis exhibent nobis Romani Imperatores licet Ethnici & partim Eccleſiæ perſecutores. Cùm enim Abercius Epiſcopus Hierapolytanus, notæ ſanctitatis vir filiam M. Aurelij Imper. Lucillam L. Vero Imp. deſponſatam à dæmone arreptam liberaſſet, promiſit ei Aurelius ſe, quod petierat Epiſcopus, daturum ei in ſingulos annos ter mille modios frumenti pro mendicis Eccleſiæ Hierapolytanæ ex publico. Quod non ſolùm ipſe ſed etiam eius ſucceſſores Impp. inter tot perſecutiones licet præſtitere ſemper vſque ad tempora Iuliani Imp. vt habent Annales Baronij Anno Domini 163.

2. *Contra pacta legitima.* Secundò, Contra pacta legitima, v.g. ſolutionis talis vel talis, ad hoc vel illud tempus. Commune nunc eſt hoc vitium indeque fit vt vix quiſquam alteri commodare aliquid velit, quia non ſequitur reſtitutio pactum. Hinc fœnora, oppignorationes & literæ obligatoriæ excogitatæ ſunt: quia vetus confidentia periit.

Rurſum quando quis vades ſuos ſub onere reſtitutionis deſerit, nec indemnes ſeruare curat. Hoc enim præter iniuſtitiam magnam etiam continet ingratitudinem. Elephantes certè, quando eorum vnus in foſſam ſe demiſit, quo in eius tergo reliqui velut in ponte tranſirent, vbi foſſam tranſgreſſi ſunt, ad vltimum educunt illum, cuius beneficio tranſierunt. Non ergò hoc faciant homines?

F. V. Quæ fit hoſti contra pacta. QVINTÒ, Quæ fit hoſti contra pacta ſtatuta. Ita enim Sedecias ſe ſuamque ſtirpem ac regnum euertit, quia fidem Chaldæo datam fefellit & iuramentum ideoque victus ab eo, captus & excæcatus in captiuitatem ductus eſt, *Ierem.* 39. Sic familia Saul ſuſpenſa & extincta eſt ob Gabaonitas, quibus licet fraudulentis Ioſue ſalutem & incolumitatem promiſerat & ſeruârat, ab eo cæſos, 2. *Reg.* 21. ſic punitus Vladiſlaus Rex Vngariæ, qui cùm ſancitam cum Amurathe Turcarum Imperatore pacem fregiſſet ducto in eum exercitu & quidem in Turcarum exercitum ſtragem feciſſet, durante iam ad triduum prælio, Amurathes ſuos fugari cernens, deprompſit è ſinu Codicem initi fœderis, & oculos manuſque in cœlum leuans dixit: *Hæc ſunt* IESV CHRISTE, *fœdera quæ Chriſtiani tui mecum percuſſêre, per numen tuum ſanctè iurârunt, datamq́, ſub numine tuo fidem violarunt, perfidè Deum ſuum abnegârunt. Nunc Chriſte, ſi Deus es (vt aiunt & nos hallucinamur) tuas meaſq́, iniurias, te quæſo, vlciſcere.* Poſt hæc cœpit inclinari exercitus Chriſtianorum, cùm ad prædam Vngari conuerſi eſſent. Quare hi in fugam acti, Vladiſlaus manu & capite truncatus eſt, iis Amurathi allatis. Bonfin. *l.* 26. *de rebus Hungar. dec.* 3. & *Chron. general. Hiſpan. p.* 4. Diſcite hinc, quàm execretur Deus perfidiam etiam in Chriſtianis contra hoſtem Capitalem Chriſti & Chriſtianorum.

Celebrantur è contrà Romani, de ſeruatâ fide tam hoſtibus quàm amicis: ob quam ad ſe gentes omnes facilè pertraxerunt. Inprimis verò celebratur non ſolùm à Cic. 1. *de offic.* Plinio *l. de viris illuſtribus*, ſed etiam ab Auguſtino *l.* 1. *de ciuit. cap.* 15. Attilius Regulus Conſul, qui ab hoſte captus & Romam miſſus vt permutationem captiuorum impetraret, dato iureiurando, ſi non impetraſſet, in captiuitatem rediret. Quid ergò? in ſenatu conditionem diſſuaſit, reiectiſque à ſe Coniuge & liberis, Carthaginem regreſſus eſt ad hoſtem: vbi in arcam ligneam coniectus clauis introrſum adactis, vigiliis ac puncturis excruciatus, duram mortem ſubire maluit, quàm fidem hoſti datam fallere.

SEXTA, Quæ committitur in amicum per inſtabilitatem, cùm ſcilicet aduerſitatis tempore deſeritur. Peius hoc videtur quàm non ſeruari hoſti fidem, quia amici conditio melior eſſe debet, quàm inimici. *Fides quando promittitur*, inquit S. Auguſt. *in epiſt. ad Bonif. etiam hoſti ſeruanda eſt, contra quem bellum geritur, quantò magis amico pro quo pugnatur?* Quæ cauſa eſt cur Ludouicus II. ſupradict. cùm audiuiſſet amicos parentis ſui Lutetiæ defuncti, non interfuiſſe eius funeri, ſed mox ad eum confugiſſe quaſi Regem ſalutaturos, repulerit omnes velut perfidos & fictos tantùm amicos. Bellefor. vbi ſup. Nihilo fideliùs egit illa mulier cùm marito ſuo defuncto, quæ (vt narrat Holcot. *in l. Sap. l.* 111.) cùm iuſſa eſſet à marito morituro vendere bouem, & pretium eius dare pro animâ viri pauperibus; venum quidem duxit bouem, ſed vnà etiam catum: & catum quidem pro marchâ auri, bouem autem pro obolo licitata eſt, ita tamen vt vnum ſine altero non venderet. Vendidit ergò vtrumque, & pretium quidem bouis (obolum) pro animâ mariti dedit: pretium verò cati (aurum) ſibi retinuit. Hoc eò retuli, vt intelligeremus multas eiuſmodi fraudes & perfidias committi à viuentibus amicis in defunctos, adeoque raros eſſe qui de mortuis ſuis amicis ſeruent fidem amicitiæ & ſuccurrere adlaborent. G. VI. Quæ committitur in amicū.

Similiter delinquunt, qui in gratiam amici, præſertim in anguſtiis poſiti, teſtimonium veritati non dant, ſed muteſcunt.

Verùm ſciunt hæc omnia eludere, tegere vel palliare homines. Alij tuendæ vitæ aut famæ neceſſitatem proferunt; alij votum aut iuramentum ſuperueniens; alij acceptam ab eo iniuriam, cui fidem non ſeruant. Sed *cùm venerit Spiritus veritatis, ille teſtimonium perhibebit*, hæc omnia vana eſſe: Nec enim licet facere maius malum ad vitandum minus, adeoque peccare ad vitandum damnum corporis aut infamiam: Nec obligant vota aut iuramenta, cùm non poſſunt ſine peccato adimpleri. Nec licet homini priuato ſeipſum vlciſci, ſeu Iudicem eſſe ſuiipſius.

Denique horum omnium fides adulterinam

nam meretur mercedem : quod exemplo Caroli IV. Imper. oſtendere poſſumus, qui cum Philippo Auſtriæ Duce congredi armis metuens, tres ex hoſtilibus caſtris Duces euocauit iiſque aurum pactus eſt, ſi principi ſuo fugam ſuaderent, prælium diſſuaderent. Re obtenta Duces illos proditores auro adulterino ſoluit. Deprehensâ fraude redeuntibus & monetæ falſitatem obijcientibus Ducibus: *Abite*, inquit, *furciferi, in malam crucem. Quam aliam meretur pecuniam veſtra proditio atque perfidia? Adulterina fides, quam Domino veſtro præſtitiſtis, adulterinum meretur aurum, non purum ac putum.* Itaque confuſi Duces cum ignominiâ diſcedunt. Hieronymus Zieglerus *de viris illuſtribus German. cap.* 87. Similem mercedem expectent à Deo perfidi.

Sequamur itaque conſilium S. Ioannis, quod ſcribit in perſona Christi ad Epiſcopum Smyrnæ Apoc. 2. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

CONCIO III.

Scandalum actiuum communi omnium Sanctorum calculo vitandum.

Vitandum eſſe ſcandalum actiuum.
1. *Oſtendit Deus.*
2. *Chriſtus verbo & exemplo.*
3. *Deipara.*
4. *Oſtendunt Angeli.*
5. *Oſtendunt PP. veteris teſtamenti Booz & Eleazarus.*
6. *Oſtendunt Sancti noui teſtamenti Sanctus Paulus, S. Barlaham, &c.*

THEMA.

Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Ioan. 16.

A. NOSTIS, Auditores publicas & communes noxas, clades & pericula, communi operâ auerti & arceri. Sic incendia communi omnium vicinorum reſtinguuntur auxilio: Sic lupi & canes rabidi communi incolarum pelluntur & necantur manu: ſic viæ publicæ & regiæ communi reficiuntur & conſeruantur operâ. Proinde non vnum hominem ſed totam offendit communitatem, qui eiuſmodi noxam affert aut procurat. Huiuſmodi malum in regno Chriſti eſt ſcandalum, quod non vni aut alteri homini, ſed toti nocet communitati. Hinc omnes, qui illius regni membra ſunt, inuenio communi quaſi ope maximoperè adlaboraſſe, vt ſcandala tollerentur. Quod ego ſi oſtendero, quis impoſterum audebit rem tam noxiam in publicum afferre?

B. I. Oſtendit Deus. Oſtendit PRIMÒ, DEVS. Nam inprimis iuſtiſſimam iram ſuam cohibuit ab Hebræis, ne inde extollerentur gentes, eorum hoſtes, & pertinaciores fierent. Sic *Num.* 14. cùm propoſuiſſet murmurantem populum ferire peſtilentiâ & cõſumere in deſerto, interpoſuit ſe Moyſes orans & dicens, inde conſecuturum vt gentes blaſphement nomen eius, quaſi non potuerit eos inducere in terram promiſſam & idcircò occiderit eos. Moxque placatus Dominus dimiſit eis ſupplicium iuxta verbum Moyſis, ne videlicet infideles ex hoc ſcandalum arriperent. Et *Deut.* 32. ait: *Dixi: vbinam ſunt? ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum. Sed propter iram inimicorum diſtuli, ne fortè ſuperbirent hoſtes eorum & dicerent: manus noſtra excelſa & non Dominus fecit hæc omnia.* Similiter Exodi 32. cùm Hebræos delere ſtatueret propter vituli adorationem; Moyſes ei obiecit: *Ne quæſo dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos vt interficeret in montibus & deleret è terra; quieſcat ira tua, &c.* Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat.

Denique idcircò voluit Moyſen occultè ſepeliri, vt nemo mortalium eius noſſet ſepulchrum, ne Iudæi anſam arriperent, ſi id noſſent, Moyſen pro Deo colendi, vt communiter ſentiunt PP. Chryſoſt. Procop. Theodoret. Hunc in modum etiamnum infinita ſcandala nobis obiecta tegit & occultat Deus: quæ ſi aduerteremus, millies impingeremus.

Quando igitur Deus iuſtitiæ ſuæ vim quodammodo intulit, & dilecti ſerui ſui ſepulchrum occultauit, (cùm tamen aliorum ſanctorum ſepulchra velit eſſe glorioſa) vt ſcandalum auerteret, quid non faciendum nobis? Vbi ſunt, qui dicere ſolent: Quid ad me, ſi alij ſiniſtrè interpretentur quæ ego bonâ intentione & ſecurus in conſcientiâ facio? ſanè ſi res talis ſit, quæ ſcandalum ex naturâ ſuâ parere ſolet & ſine peccato; graui damno & difficultate tolli poteſt, tollendam iubet charitas, licet ex ſe mala non ſit, imò etiamſi bona ſit, vt punitio peccati, cùm timetur ſcandalum ſchiſmatis, ex Auguſt. l. 3. contra Parmen. cap. 2. correctio fraterna, impletio præcepti poſitiui, &c. Quæ intelligenda de ſcandalo puſillorum, id eſt, ignorantium; non de ſcandalo Phariſæorum, qui malitioſè ſcandalizantur, & quodammodo volentes & videntes impingunt.

SECVNDÒ. Oſtendit Chriſtus. Primò feriâ dehortatione & comminatione. Non enim inuenio Dominum contra aliud vitium adeò detonaſſe, ac contra ſcandalum. Ait enim *Matth.* 18. Satius eſſe molari lapide ad collum appenſo demergi in profundum maris, quàm ſcandalizare vel vnum paruulum; ait eruendos oculos, abſcindendas manus & pedes cùm nos ſcandalizant; minatur væ, id eſt, æternam damnationem ſcandaloſis. Adhæc in ſuis ſermonibus & cohortationibus ſæpè admonuit ſuos vt ne ſcandalizentur ſiue in ipſo, ſiue in futuris perſecutionibus. C. II. Oſtendit Chriſtus. 1. Verbo.

Secundò idem docuit exemplo. Primò enim ne Iudæi ſcandalizari poſſent in eius natalibus, quaſi ipſe illicito thoro natus & mater eius fornicaria eſſet, voluit matrem ſuam Virginem Ioſepho deſponſatam eſſe. *Quid enim* 2. Exemplo. 1.

enim Iudæis, inquit S. Ambroſius *l. 2. in Luc. quid Herodi poſſit adſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſecuti?* Secundò *Matth.* 17. Soluit didrachma exigentibus in Capharnao, licet priùs oſtendiſſet, liberum ſe ab hoc eſſe. *Vt autem non ſcandalizemus eos*, inquit ad Petrum, *vade ad mare & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem; illum ſumens da eis pro me & te.* Ecce quanta operum mole amollitur ſcandalum. Mittit Petrum ad mare, iubet parare hamum, & vt vult Hieronymus: creat ſtaterem in ore piſcis, illum capi iubet, interim expectat, dum hæc omnia fiant. Et hæc facit medicus, qui & huic & aliis animi morbis facilè mederi poterat. Quid non faciendum nobis, qui per ſcandalum quidem vulnerare poſſumus, ſed ſanare non poſſumus?

D. III. Oſtendit Deipara. Tertiò, Oſtendit Deipara Virgo, dum poſt partum inſtar aliarum mulierum, licet Angelos puritate vinceret, per 40. dies ab ingreſſu templi abſtinuit & legem purificationis ſeruauit, ne homines ſcandalizarentur, quaſi legem violaret, aliiſve mulieribus melior eſſe vellet. Itaque de ſuo iure, honore & prærogatiuâ ceſſit cùm non teneretur, vt ſcandalum vitaret. Ædificauerat Publicola primus poſt exactos Romanorum Reges, Conſul Rom. vir honoratiſſimus, ita appellatus quòd ab omni populo vel publicè coleretur: ædificauerat, inquam, in prælto loco ædes magnificas & inaudiuit ſe ob id in ſuſpicionem venire affectati imperij. Quid igitur fecit? funditus illas ſub primam noctem ſubrui præcepit. Quo actu ita delectatus eſt Senatus populuſque Romanus; vt non modò illum in Conſulatu confirmauerit, ſed domum etiam ei conſtruxerit longè auguſtiorem & vitâ functum in vrbe ſepeliri voluerit, cùm alij extra vrbem ſepelirentur: & per annum mortem eius luxerit. Refert Plut. in Publicolâ. Ergò vir gentilis, ne ſuo ædificio aliorum animos offenderet quaſi imperium ambiret, tantam rem effecit: quid faciat Chriſtianus ne offendat proximos? Porrò huic non abſimile eſt, quod Deipara fecit. Ipſa enim cùm Dei mater & à lege purificationis exempta eſſet, poterat haud dubiè ſuo vti priuilegio. Verùm ne aliorum offenderet animos, quaſi aliis mulieribus melior aut maior eſſe vellet, ſuo iuri ceſſit, & ſimilis aliis matribus cum filio in templum venit. Quamobrem iure merito exaltata eſt à Deo ſuper omnes cœlites.

E. IV. Oſtendũt Angeli. Quartò, Oſtendunt Angeli, qui ne hominibus, quos cuſtodiunt, ſcandala præbeantur, ſedulò laborant iuxta Pſ. 90. *Angelis ſuis mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Lapides autem in viâ poſiti potiſſimùm ſcandala ſunt, quibus mundus plenus eſt. Exemplo eſt Angelorum Princeps Michaël, qui vt ſcribit S. Iudas & ſentiunt communiter omnes interpretes, altercabatur cum diabolo, quia ipſe corpus Moyſis, quod ne à Iudæis ad Idololatriam pronis coleretur pro Deo, voluit Devs per Angelos occultè ſepeliri, conabatur manifeſtare, vt ſic Iudæos pelliceret ad Idololatriam. Ergò S. Michaël, quando vidit fore hoc Iudæis certiſſimæ offenſionis lapidem, impediuit dæmonem & à ſepulchro illo abegit. Exemplo eſt etiam Gabriel, qui, vt legimus *Dan.* 10. cum alio Angelo Perſarum præſide amicè concertabat, vt populus Hebræorum, cui ipſe præerat, in Babylone captiuus, inde in patriam reduceretur, eò quòd videlicet multi ex Hebræis ob conſuetudinem & cohabitationem cum Perſis ſeducerentur ad Idolorum cultum: quod etiam obtinuit ope S. Michaëlis ſeſe adiuuantis. Reſiſtebat Angelus Perſarum, quòd ipſorum multi per Iudæos emendarentur, ſed nihil obtinuit. Vnde patet, ſatius eſſe omitti bona quàm ſcandalum præberi. Exemplo eſt Angelus ille (itidem Michaël, vt vult Procopius) qui ſtricto gladio obſtitit Balaamo pergenti contra Hebræos, vt illis malediceret & laqueos tenderet, *Num.* 22. Sed quia fidem feſellit Balaam, & ad extremum petram ſcandali obiecit Hebræis, filias ſcilicet Moabitidas, idcircò poſteà gladium Angeli ſenſit & in prælio ab Hebræis interfectus eſt, *Num.* 31. Denique Angelos intelligere debemus eos, qui è medio tritici cupiebant eradicare zizania, ſeu reprobos, qui ſunt aliis offendiculo. Quòd ſi modò non omninò facere ſinuntur, facient tamen in fine mundi, cùm de regno Chriſti *colligent omnia ſcandala*, id eſt, ſcandalizantes & mittent eos in caminum ignis; vt legimus *Matth.* 13. Ecce quantum pro nobis adlaborent Angeli ne, ſcandala incurramus! Ergóne auderet aliquis ponere in viâ lapides, quos tollere è medio ſancti Angeli ſatagunt, & tandem in caminum ignis mittent?

Qvintò, Oſtendunt viri ſancti veteris teſtamenti. Primò, Booz, qui de nocte aduertens dormire ad pedes ſuos Ruth Moabitidem, non ſolùm eam non attigit, verùm etiam cauit, ne alij, ſi intelligerent iuxta ſe cubuiſſe mulierem, inde offenderentur, iuſſit eam manè in tenebris abſcedere, & præcepit ei inſuper: *Caue nequis nouerit, quòd huc veneris*, Ruth 3. Dixit quidam veterum: *ſi non caſtè, ſaltem cautè.* Sed hîc noſter Booz caſtè ſe & cautè geſſit. Secundò, Eleazarus ille grandæuus, vnus de primoribus ſcribarum, 2. *Mach.* 6. qui cùm ab impio Rege Antiocho cogeretur contra patrium inſtitutum carnes porcinas edere, mori potiùs elegit. Et cùm ij, qui aſtabant, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum ſecretò rogarent afferri carnes, quibus veſci ei licebat, vt ſimularet ſe ediſſe, ſicut rex imperârat, reſpondit: *præmitti ſe velle in infernum. Non enim ætati noſtræ dignum eſt*, inquit, *fingere: vt multi adoleſcentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ ſenectuti conquiram.* Itaque

F. V. Oſtendũt Patres veteris teſtament. Booz. Eleazarus.

que fuſtuario ſupplicio peremptus eſt.

G. VI. Oſtendūt ſancti nouæ legis.

1. S. Paulus. SEXTÒ, Oſtendunt Sancti nouæ legis. Primò S. Paul. qui 1. Cor. 8. ait: *ſi eſca ſcandalizat fratrem meum; non manducabo carnem in æternum.* Et *cap.* 9. ſequente, oſtendit potuiſſe iure ſe victum ab ijs, quos docebat, exigere; noluiſſe tamen & magis in penuriâ & proprio manuum labore viuere elegiſſe, ne quod offendiculum daret Euangelio Chriſti: ne videlicet homines inuidi & auari exiſtimarent eum lucri gratiâ euangelizare.

2. S. Marcellinus Papa. Secundò, Marcellinus Papa; qui cùm in immensâ illâ Diocletiani perſecutione timore correptus thus Idolis immolaſſet; mox illum huius peccati, quo velut ſupremus Paſtor oues ſuas ſcandalizauerat, adeò pœnituit, vt Sinueſſam Campaniæ vrbem ad Concilium 180. Epiſcoporum ſqualidus, puluere conſperſus & cilicio indutus venerit; vbi lachrymis profuſis ſcelus ſuum palàm confeſſus eſt. Quem tamen cùm nemo damnare auderet, ſed omnes dicerent: *Tuo te ore iudica, nam prima ſedes à nemine iudicatur, Petrum quoque Apoſtolum propter eandem animi infirmitatem deliquiſſe & à Deo ſimilibus lachrymis veniam impetraſſe;* Marcellinus Romam reuerſus Imperatorem adit, grauiter eum accuſans, quod ſe ad tantam impietatem impuliſſet. Quamobrem capite plexus, forti martyrio, datum priùs ſcandalum ſuſtulit. Vt eſt in Breuiar. Rom. 26. Ap. & Platina de vitis Pontif.

3. S. Barlaham. Tertiò, Barlaham martyr, cuius dexteræ quaſi altari prunas ignis & thus impoſuerant Gentiles vt ignis vi prunas excutiens, thus in altare quaſi ſacrificans excuteret. Sed is eam potiùs comburi paſſus eſt, quàm vt ignem excutiens videretur ſacrificaſſe, ſicque ſuo exemplo alios ſcandalizaret. refert S. Baſilius apud Baron. anno 304.

4. Sanctimonialis. Quartò, Sanctimonialis quædam apud Ioan. Moſcum *in prat. Spirit. cap.* 96. quæ cùm ob elegantem formam inſidias diu multumque pateretur à iuuene, tandem ab eo quæſiuit, quidnam illud eſſet, quo in ſui amorem adeò raperetur; reſpondit ipſe: *Oculi tui.* Quare illa effodit ſibi oculos & iuueni tranſmiſit. Territus hoc ſpectaculo iuuenis vitam in melius commutauit Monachumque induit. Fecit iſta plus quàm petierit Dominus, cùm iuſſit oculum te eruere, qui te ſcandalizat. Iſta eruit oculum ſuum, qui alium ſcandalizabat.

5. S. Bernardus. Quintò, S. Bernardus moriens dixit ad ſuos, tria ſe in omni vitâ potiſſimum obſeruaſſe. Primum. Vt plus ſemper aliorum ſenſui crederet quàm ſuo. Secundum, vt læſus non ſe vindicaret. Tertium. Vt ne ſcandalizaret quemquam. Ergò, Auditores, quando intelligimus talem belluam eſſe ſcandalum vt omnium baculis impetatur, omnium calculis damnetur, adhibeamus etiam manum noſtram & peſtiferam hanc feram exterminemus non ſolùm è domibus, verùm etiam è cordibus noſtris, nec tam noxio vitio aditum præbeamus. Sanè D. Gregor. *lib.* 2. *dialog. cap.* 8. ſcribit de Florentio presbytero, qui inuidens fælicibus Ordini S. Benedicti auſpicijs ſeptem puellas nudas manibus conſertis choreas agentes in hortum monaſterio eius vicinum immiſit, vt Monachorum mentes ad peruerſitatem libidinis inflammarent. At Benedictus non ignarus id propter ſe factum, cum paucis fratribus locum deſeruit. Quod vbi Florentius ſtans in ſolario cognouit, vehementer exultauit; ſed confeſtim ſolarium caſu ſuo hominem obtriuit. Recidit ergò ſcandalum, quod poſuit iſte coram viris religioſis, in ipſius caput: lapis offenſionis quem ſtatuit in aliorum offendiculum, auctorem ipſum contriuit. Ergo niſi à lapide molari demergi in profundum inferni velimus, lapidem offenſionis alteri ne ponamus.

CONCIO IV.

Motiua ne ſcandalizemur in peccatis quorumcunque.

Primò ſcandalizantur hæretici in mala Catholicorum vitâ, ſed immeritò.
2. *Alij in mala clericorum vita, ſed imprudenter.*
3. *Alij in peccatis proximorum immeritò.*

THEMA.

Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Ioan. 16.

A. QVi mare aut flumen ſcopulis & ſyrtibus plenum nauigare debet, ſolet ab amico, ſi quem habet, viæ gnaro, ſedulò admoneri, vt hoc vel illo loco vitet latentes illic ſcopulos. Quam fidam monitionem, ſi negligeret nauigaturus, facilè in extrema vitæ pericula deuenire. Hunc in modum Deus monuit per Moyſen Hebræorum populum, vt ingrediens in terram promiſſionis, non iniret fœdera neque matrimonia cum reſiduis gentibus, ſed deleret illas; aras quoque earum ſubuerteret & ſtatuas confringeret; lucos ſuccideret & ſculptilia combureret, nec concupiſceret argentum & aurum, de quibus facta ſunt, neque aſſumeret ex eis quidquam ne in eis grauiter offenderet, vti legimus *Deut.* 7. Ad eundem modum præmonet etiam Chriſtus in hodierno Euangelio ſuos diſcipulos mittẽdos in vniuerſum orbem, vt ne offenderentur, adeoque Deum offenderent, ſi viderent ſe odio eſſe hominibus, eijci de Synagogis & ciuitatibus, & adeò exoſos eſſe, vt qui interficit illos, obſequium ſe præſtare Deo putet. Quibus etiam verbis communis noſter Magiſter abſque dubio nos omnes monet, vt inter ſcopulos & ſyrtes ſcandalorum huius mundi, quibus ille plenus eſt, cautè nauigemus. Ipſe enim ait *Marci* 13. *Quod vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Detegamus igitur hos ſcopulos & vitemus.

B. 1. Scandalizantur hæretici in malâ. Scandalizantur PRIMÒ hæretici, vel potiùs ſeipſos ſcandalizant in mala Catholicorum vita, ſed temerè & ſtultè. Etenim cogitare.

Catholicorū vitâ immeritò tamen

tare deberent: Primò, in quouis hominum cœtu eſſe aliquos malos, proinde non valere argumentum à moribus ad fidem, niſi mores illi ex tali fide iuxta leges & dogmata eius
1. proueniant: ſicut non arguitur Reſpub: quòd in ea ſint fures, latrones, adulteri, &c. Sed quòd furta, latrocinia & adulteria eorum leges approbent vel tolerent, nec debitis pœnis plectant. Si enim improbent & puniant, laudem merentur, non vituperium. Neque ſcandalizatur quiſquam, ſi videat in aliquâ ciuitate crebrò ſuſpendi fures, & occidi reos alios: ſed potiùs emendatur. Iam verò mali Catholicorum mores, non proueniunt ex fide Catholicâ; quia iuxta eius leges & dogmata nec probantur nec tolerantur; ſed pro merito taxantur & caſtigantur. Quòd ſi in vno vel altero loco hoc fortaſſe non fit à quibuſdam Prælatis & Magiſtratibus: hoc ipſum eſt quod Catholica fides improbat & taxat, ac cùm poteſt, punit. Itaque ſicut nemo reprehendere Magiſtratum poteſt, aut in illo ſcandalizari, ſi Magiſtratus quidem iuſtam menſuram ac pondus ciuibus mercatoribus & cauponibus præſcribat: illi verò vel non vtantur vel doloſè vtantur vel etiam ſi inſpectores eorum perperam agant; ita nemo etiam offendi debet ſi quando Catholici aliqui non viuunt iuxta fidei ſuæ præſcripta; ſacri enim canones & cæteræ fidei leges iſtiuſmodi homines damnant. Quid verò illud eſt, quòd Lutherus & Lutherani paſſim mores noſtros taxant, & interim SS. Canones comburunt? An non hoc eſt conqueri de furibus, & interim tribunalia euertere & furcas exſcindere?

2. Secundò. Intueri ſuorum mores deberent, & inuenirent longè peruerſiores, quodq́ue caput eſt ex dogmatibus ſuis fluentes. Teſtatur id Lutherus ipſe in Poſtilla Domeſtic. 1. Dom. Aduent. vbi ait: *Mundus ex meâ doctrinâ de die in diem deterior euadit.* Idem teſtantur Melanchton *ad cap. 6. Matth.* Andr. Muſculus Dom. 1. Aduent. Ioan. Brentius *ad cap. 3. Matth.* Iacobus Andreæ, Gaſpar Hedio, Bucerus & alij præcones de ſuâmet ſectâ apud Adamum Tannerum *p. 2. Anatom. Confeſſ. Auguſt. demonſtr. 8. §. 3.* nempe cum & ex Lutheri doctrinâ creuiſſe in mundo ſcelera. Et quid mirum? Quid enim ex his eorum dogmatibus? præcepta Decalogi ſeruari non poſſe: Opera bona non mereri vitam æternam: ſolam fidem iuſtificare; liberum arbitrium in actionibus nullum eſſe: opera bona etiam optimè facta eſſe peccata coram Deo: neminem baptizatum, quantiſcunque peccatis perire poſſe, niſi nolit credere: quid, inquam, ex his dogmatibus fluere, niſi ſcelerum omnium colluuies poteſt? Quis enim oret potiùs quàm blaſphemet? eleemoſynam det quàm furetur? ieiunet quàm ſe inebriet? Omnia enim hæc neceſſaria ſunt, imò peccata ſecundùm illos. Et quis non liberrimè peccet, ſi nullum nos peccatum à cœlo excludere poteſt?

3. Tertiò. Intueri deberent plura quæ fiunt bona apud Catholicos, quàm apud vllam ſectam. Si enim aſpiciunt ex vna parte paucos Summos Pontifices, Epiſcopos, Monachos, &c. qui in aliquibus deliquerunt: conſiderent ex alia plurimos bonos & ſanctos ac mirabilium patratores. Si diſplicent illis clerici mali, placeant illis boni & innumeri religioſi, qui in ſtatu perfectionis viuunt innocentes. Si diſplicent illis abuſus aliquot, qui in vulgus irrepſerunt, nec ſtatim emendari poſſunt; placeant illis vſus deuotorum pij. Si diſplicent illis, quæ Romæ mala fiunt: cur non placent innumera quæ fiunt bona? tot ſacræ ædes, tot hoſpitalia, ſeminaria, monaſteria? tot opera humilitatis & mortificationis, tot eleemoſynæ, dotationes pauperum puellarum, &c. quæ fiunt à Pontifice, Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis, Ordinibus? Verùm quemadmodum porci non rimantur hortos & palatia, ſed latrinas & cloacas: ita illi Romæ non currunt ad Eccleſias & monaſteria: ſed ad ganeas & popinas, ad triclinia & proſtibula.

Cauſa eſt; quia diabolus eruit illis oculos dextros, ſiniſtros reliquit, vt ſiniſtra tantùm videant; ſicut Naas Ammonites voluit facere ciuibus Iabes Galaad. 1. Reg. 11. Et ſicut Balac Rex, cùm vidiſſet ariolum ſuum Balaam non potuiſſe Hebræorum caſtris maledicere ex eo loco, vnde tota contuebatur; duxit illum in alterum locum, vnde partem tantùm eorum videre poſſet, indeq́ue malediceret, Num. 23. Ita enim diabolus circumducit etiam hæreticos, vt non videant totum id, quod fit apud Catholicos, ſed aliquos tantùm abuſus & aliquorum lapſus, bona verò prætereant.

Secundò. Scandalizantur alij in malâ Clericorum vitâ, nec non Prælatorum. Sed hi inprimis cogitent monitos ſe eſſe à Chriſto de talibus: *Quod dicunt facite, ſecundum opera autem eorum nolite facere,* Matth. 23. Vult dicere Dominus, ſe non permiſſurum facilè; vt qui legitimè ſedent ſuper Cathedram Eccleſiæ, falſa prædicent: vel ſi id permiſerit, ſuis modis falſitatem aperturum. Vnde licet ipſi fortè Deum deſeruerint, non tamen idcirco Deus deſerit illos in officij ſui adminiſtratione, ſed nihilominus dirigit ne ſubditos ſeducant. Hinc ad Ioſuen Ducem ſuum dixerunt Iſraelitæ: *Omnia, quæ præcepiſti nobis, faciemus & quocumq; miſeris, ibimus: tantùm ſit Dominus Deus tuus tecum. Ioſ. 1.* Colligitur ex his verbis, quandoque Deum eſſe cum prælato per directionem, licet ipſe non ſit cum Deo per gratiam: & proinde nihilominùs ei per omnia obediendum. Et ſanè experientia teſtis eſt, paſtores & rectores bona prædicare & conſulere, licet ipſi mali ſint, vel ſi fortè falſa doceant, cito impoſturam detegi. Inuigilat eis Eccleſia & mox errantes corripit.

C. II. Scandalizantur alij in malâ clericorum vitâ. Imprudēter.

Secundò. Quia mala eorum vita nihil tibi nocet. Quid enim tibi obeſt, ſi à ſcabioſo tabellario accipias litteras Regis? Qui ſolùm à bonis volunt addiſcere, ſimiles ſunt illis qui in

ſcyphis

ſcyphis argenteis vel aureis tantùm volunt bibere & in purpureis ſaccis frumentum recipere, quorum profectò ſitis fameſque miſeratione digna non eſt: Quid ad te, quid agant clerici & ſuperiores? ipſi onus ſuum portent; ſuo tempore rationem reddituri. Quod ſi diu impunè peccant, redarguit ſaltem eos & damnat S. Scriptura & iudicabit aliquando Deus. Boues illi 12. qui portabant mare æneum, capitibus tantum & anterioribus partibus prominebant: poſteriora verò eorum intrinſecus latitabant, 3. *Reg.* 7: vt indicaretur, paſtorum decora & bona opera patere; fœda vero & mala tegi ac Dei iudicio reſeruari debere. Vnde Conſtantinus Magnus Imp. Sacerdotum aliquot contentioſos libellos ſibi oblatos in ſinum repoſuit & Vulcano conſecrauit, dicens: *Sacerdotum iudicium Deo reſeruo*. Egnat. l. 1. c. 1. ex Euſebio.

3. Tertiò, Quia etiam mali clerici & ſuperiores poſſunt tibi prodeſſe. Sicut vmbra Petri ſanaſſe dicitur ægrotos, *Act.* 5. Licet enim clerici & Prælati non ſint ipſe S. Petrus, quoad ſanctitatem & pietatem; ſunt tamen vmbra eius, quoad clauem & poteſtatem. Poterunt ergo ſimiliter conferre ſanitatem & procurare ſalutem alijs, licet id ſibi non faciant. Sic etiam ægroti medici curare ægros poſſunt, licet fortè ſeipſos nequeant.

4. Quartò, Cogita & ipſos eſſe homines, tibi & alijs ſimiles. Tametſi enim in ſacris ordinibus vel gradu dignitatis conſtituti ſunt, non idcirco tamen naturam exuerunt, quam habuere priùs, niſi qui in diſciplinâ regulari vel ſimili bene inſtituuntur. Vnde ſi qui malam ducant vitam, parentibus eorum potiùs imputetur, qui vel vitæ intemperantiâ malam illis indidere complexionem, vel in tenerâ ætate malè eos inſtituere. Quo in genere peccant etiam plerique parentes, qui filios ſuos tardè nimis ad ſtudia applicant & cito nimis ab eis auocant. Ex primo enim fit, vt diſciplinam non recipiant indurata iam ceruice: ex altero, vt Muſis, quas vix ſalutarunt, non delectentur, indeque ſpretis honeſtis & liberalibus ſtudiis ad profana & noxia ſe conuertant.

D. III. Scandalizantur alij in peccatis proximorum. Immeritò.

Tertiò. Scandalizantur alij cuiuſcumque generis in peccatis proximorum. Sed iſti cogitare debent Primò: Quod Christus nos promonuerit, ne in talia inpingamus ſcandala; quæ neceſſario ſint euentura, vti Matth. 18. *Væ mundo à ſcandalis?* Et in hodierno Euangelio: *Hæc locutus ſum vobis vt non ſcandalizemini.* Et alibi ſæpiùs. Iam ſi gentiles dicit Apoſt. inexcuſabiles, quod à creaturis viſibilibus ſufficienter admoniti, ne idola colerent, non cauerint, *ad Rom.* 1. quantò minùs excuſabuntur ij, qui creatorem ipſum ſe monentem non audiunt? Quare optimè S. Auguſt. *ep.* 137. monet: *Manifeſtum eſt quidem*, inquit, *quia iſta in Eccleſiâ non accidunt ſine graui triſtitia ſanctorum fidelium, veruntamen conſoletur nos, qui cuncta prædixit, atque vt abundantiâ iniquitatis non refrigeſcamus, ſed in finem perſeueremus, vt ſalui eſſe poſſimus, admonuit.*

Secundò, Cur non potiùs times ob lapſum alienum? Quis enim videns aliquem ante ſe collabi; ad eius imitationem ſeipſum terræ affligit & non potiùs cauet, ne ſimili caſu ruat? Hinc enim ſacra ſcriptura recenſet aliorum lapſus; veluti Dauidis, Iudæ, &c. non profectè vt imitemur, ſed vt fugiamus. Vnde S. Auguſt. *in Pſ.* 50. *de peccato Dauidis* ſcribit; *Sit caſus maiorum tremor minorum; ad hoc propoſitum eſt tanti viri peccatum, &c.* Hinc S. Ambroſius excipiens confeſſiones & graue aliquod peccatum audiens, illud deplorabat acrius quàm ipſe pœnitens: tantum abeſt vt inde ſcandalizaretur.

Tertiò. Scito puſillum eſſe & imperfectum valde quicunque ſcandalizatur, vt notat Origenes *ſuper Exod.* 21. & colligit ex verbis *Matth.* 18. *Quicunque ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis minimis, &c.* Quàm enim inſipiens & infans eſſe debet, qui ad alterius lapſum collabitur? Quam ruinoſa domus illa, quæ ad vicini parietis ruinam, corruit & ipſa? Itaque, *Fratres nolite pueri effici ſenſibus*, ait Apoſtolus 1. *Cor.* 14. Puſillum etiam eſſe in amore erga Deum & proximum. Erga Deum, quia propter vnius malum exemplum tam facile eum offendit & ab eo recedit: Nam *qui diligit, ſcandalum in eo non eſt.* 1. Ioan. 1. Et *Pſal.* 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Exemplum præbet S. Petrus cum cæteris diſcipulis: Cùm enim aliqui retrorſum irent à Chriſto diſcedentes *Ioan.* 6. & Chriſtus reliquis diceret: *nunquid & vos vultis abire?* Reſpondit Petrus: *Domine quò ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Erga proximum, quia qui diligit proximum, quidquid videt, in bonum interpretatur, vel minuit, vel peccatoris miſeretur; neque peccata proximi euulgat, ſed potiùs coram Deo deplorat. Vnde S. Bernard. *ſerm.* 40. *ſuper Cant.* ſcribit: *Caue*, inquit, *alienæ conuerſationis eſſe aut curioſus explorator aut temerarius iudex. Etiamſi perperàm actum quid deprehendas, nec ſic iudices proximum, magis autem excuſa. Excuſa intentionem, ſi opus non potes: puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Quòd ſi omnem omninò diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſi tibi; & dicito apud temetipſum: vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa feciſſet, ſi accepiſſet in me ſimiliter poteſtatem?* ſic ille.

CONCIO V.

Mali cur bonos oderint & cur veritatem.

Oderunt mali bonos:

1. *Quia in amoribus eis diſſimiles ſunt.*
2. *Quia à bonis reprehenduntur.*
3. *Quia boni in mundo peregrini.*
4. *Ob inuidiam.*

Veritas quoque odio habetur.

1. *Quia aduerſatur impijs.*
2. *Quia redarguit malos.*
3. *Quia veritas hic peregrina eſt.*
4. *Quia inuicta eſt.*

THEMA.

Hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me. Ioan. 16.

INter alia veſtium ornamenta, duo inſignis habuit ſummus Sacerdos in lege veteri, A.

 videlicet

videlicet laminam auream in tiarâ, cui inſcriptum erat: *Sanctum Domino*; & Rationale in pectore, cui inſcriptum erat: *Vrim & Thummim*, id eſt, *Doctrina & Veritas*; vti legimus *Exodi* 28. Quod in eâ lege geſtum eſt; ad Chriſtianorum etiam inſtructionem pertinet. Hi ergo cùm ſint gens ſancta & regale ſacerdotium, Sanctitatem in capite, Veritatem in pectore gerere debent, hoc eſt, ſanctos viros colere & ſummo loco habere, Veritatem ex corde amare. Hoc verò non feciſſe Iudæos tempore Chriſti & Apoſtolorum deprehendo ex hodierno Euangelio, vbi audimus ſpiritum veritatis miſſum ad Apoſtolos,& hos cum illo ad Iudæos, qui tamen & veritatem ab iis prædicatam audire noluerunt & ipſos è ſynagogis ſuis eiecerunt. Mirum hoc, Auditores. Quis enim non colat Sanctos & iuſtos viros? quis non amet veritatem, quam alioquin omnes quærimus? Cauſas nunc indagabimus.

Malè vt plurimum excepti ſunt iuſti in hoc mundo, Abel à Caino, Iacob ab Eſau, Ioſeph à fratribus, Hebræi ab Ægyptiis, Dauid à Saule, Apoſtoli à Iudæis & gentilibus: & vſque in hodiernum diem malè habitant inter malos boni.

B. I. Bonos oderunt mali. Quia moribus eis diſſimiles.

PRIMÒ, Quia in moribus eis diſſimiles ſunt. Vt enim aqua in ignem pugnat ob contrarias igni qualitates: ita reprobi in bonos. Hi velut ignis lucent ardentque zelo charitatis & ad cœlum tendunt maximo conatu: illi contra frigent & in terram defluunt, ibique lutum fiunt, alios commaculant & ſæpe labi faciunt. Non minor eſt interni animi vultus atque externi diſparitas: nec in illo minùs Deus mirabilis, quàm in iſto.

Quare ſicut ſimilitudo faciei amorem, diſſimilitudo odium parit: ita & diſſimilitudo amorum atque morum. Tacitus l. 16. Annal. narrat, quod cùm Nero Imp. ſceleſtus & efferatus Thaſeæ ſenatoris optimi venerabilem ferre ſpeciem non poſſet, de medio eum ſuſtulerit. Sic mali ægris oculis intuentur bonos: quemadmodum Saul Dauidem, vtpote malus bonum; *non rectis* intuebatur *oculis* 1. *Reg.* 18. Eſt enim vita bonorum tacita quædam reprehenſio vitæ malorum. *Memoria proditum eſt* inquit Hector Pintus *in Ezech. c.* 32. *pictorem quendam, qui malè pinxerat gallos gallinaceos, iuſſiſſe famulos, vt veros gallinaceos longè propellerent à tabula, ne factâ comparatione, eius deprehenderetur ignauia: ſic qui ſpecie honeſtatis flagitia cooperit virtutiſque imaginem malè depingit, viros virtutibus inſignes procul abigere conatur, ne ex illorum collatione eius ficta virtutes apertè cognoſcantur.* Hæc morum contrarietas videtur fouiſſe odium Eſau contra Iacob; erat enim ille moribus aſperis, hic vero blandis: quemadmodum is corpore hirſuto, hic leni ſeu glabro. Accedit ad hoc diuerſum vtrorumque ſtudium. Quæ enim mundani æſtimant, ea pij nihili faciunt: quæ illi ædificant, hi deſtruunt: quæ illi rapiunt, hi pauperibus elargiuntur. Prodiit ex hoc capite odium Ægyptiorum in Hebræos. Ægyptij enim Apin ſeu bouem, oues aliaque animalia colebant quaſi diuinum aliquid, quæ tamen Hebræi ridebant, mactabant, ſacrificabant, edebant. Hanc cauſam afferunt impij illud Sap. 2. dicentes: *Grauis eſt nobis* (iuſtus) *etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius: & immutatæ ſunt viæ eius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo.* Sint duo in eodem ſtudio optimi ſocij: conuertatur alter & fiat religioſus, maneat alter in ſæculo & priori vitæ licentiâ, ſtatim videbis illum ab hoc odio haberi.

C. II. Quia à bonis reprehenduntur.

SECVNDÒ, Quia à bonis reprehenduntur vel reprehendi metuunt. Cupiunt enim boni mederi mundi ſceleribus, ideò mundus odit eos. Ad hoc ſignificandum putat S. Auguſt. *ſerm.* 78. *de tempore* colliſos fuiſſe in vtero Rebeccæ geminos. *Boni enim*, inquit, *lucrari volunt malos: mali verò extinguere cupiunt bonos. Bonorum deſiderium eſt, vt qui mali ſunt, corrigantur: malorum ſtudium eſt, vt qui boni ſunt, conſumantur.* Hanc ob cauſam Ioſeph odio erat fratribus, quia accuſauit eos apud Patrem de crimine peſſimo, *Gen.* 37. Ob eandem quoque Hebræi lapidare volebant Ioſuen & Calebum, qui impijs eorum conatibus reſiſtebant, *Num.* 14. Et quam aliam ob cauſam hæretici huius temporis adeò infenſi ſunt Patribus Societatis IESV, niſi quia iſti impijs illorum conatibus & dogmatibus ſtrenuè reſiſtunt? Hinc videntur dicere id Sap. 2. *Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis & improperat nobis peccata legis & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.*

D. III. Quia boni in mundo peregrini.

TERTIÒ. Quia boni in mundo peregrini & quodammodo extra mundum ſunt. Canes non allatrant domeſticos, ſed peregrinos. Indicat hoc Dominus cùm ait: *Ego elegi vos de mundo, proptereà odit vos mundus, Ioan.* 15. Vident mali bonos ſeparaſſe ſe ab eorum conſortio illudque aſſiduè fugere. Vnde eos quaſi ſui cœtus apoſtatas oderunt. Dicunt ergo id *Sapient.* 2. *Abſtinet ſe* (iuſtus) *à vijs noſtris tanquam ab immunditijs & præfert nouiſſima iuſtorum & gloriatur patrem ſe habere Deum.*

E. IV. Ob inuidiam.

QVARTÒ, Ob inuidiam. Aduertunt enim reprobi benedixiſſe Deum bonis, vt aſſurgerent ad virtutem, ideoque eos ab omnibus ſuſpici & coli. Cùm ergo illi concupiſcentijs ſuis irretiti ad virtutem & ſanctitatem nequeant aſſurgere, ſed potiùs ad interitum & perditionem abripi ſe videant; quid mirum ſi illis inuideant? vidit Cain Abelis ſacrificia Deo placuiſſe, vtpote cœleſti igne abſumpta: ſua verò minimè *Gen.* 4. Hinc odium in fratrem. Vidit Eſau benedictionem patris fratri eſſe impenſam ſibique ſurreptam: hinc necem ei machinabatur, *Gen.* 27. Viderùnt filij Iacob, quòd frater eorum Ioſeph à patre plus cunctis filijs amaretur, idcircò eum oderant nec poterant ei quidquam pacificè loqui. *Gen.* 37. Viderùnt Ægyptij ſe ab exteris Hebræis ſobole numeroſâ, pulchrâ, robuſtâ, ſolerti, aliiſque animi & corporis dotibus inſtructâ ſuperari, ideò oderant & affligebant eos. *Exod.* 1. Viderunt Iudæi, ſcribæ & Phariſæi miracula quæ faciebant

faciebant Apoſtoli, dona Spiritus Sancti in eos infuſa, populum eis adhærentem & addictum; ideò diſſecabantur cordibus & fremebant in eos, cædebant, occidebant. Vident mundani viros pios virtuoſos, religioſos coli & amari à principibus & Epiſcopis & præferri ſibi; inde oderunt illos.

Veritas quoque ideo habetur. Nihilo meliùs accipitur ab impiis veritas; quàm ipſi iuſti. Nam & ipſa paſſim iniurias & perſecutiones patitur; quamquam non opprimitur, ſed emergit tandem ex omnibus periculis. Vnde vult Rob. Holcot. *in c. 4. Sap. lect.* 86. in Ionâ figuratam eſſe. Ionas enim filius *Amathi*, id eſt, *Veritas* fuit. Quid autem non pertulit Ionas? in nauem inſcendens tempeſtate maris iactatur, nec ibi toleratur, ſed eijci in mare debuit. Eiectum collegit cetus & in ventrem ſuum velut hoſpitium recepit; ſed nec ibi perſiſtere potuit: pòſt triduum in littus eiectus eſt. Poſtmodum cum à ſole adureretur, hederæ vmbraculo tegitur: ſed eâ breui exareſcente, iterum æſtuare cœpit. Talis ergò eſt Veritas, quam ferunt de cœlo in terram veniſſe, ſed nullibi inueniſſe hoſpitium, ideo in plateis remanere coactam penè oberitam fuiſſe. Id enim indicat Iſaias c. 19. cùm ait: *Corruit in plateâ Veritas & æquitas non potuit ingredi.* Venit ergo primo ad palatium principis, & ibi in carcerem mittitur. Expertus eſt hoc Michæas, qui Regi Achab prophetans veritatem, miſſus eſt in carcerem, vt *ſuſtentaretur pane tribulationis & aquâ anguſtiæ.* 3. *Reg. vlt.* Veriſſimum & belliſſimum eſt quod refert Michaël de Palatio (apud Delr. in Adag.) de Turcico Soldano. Cùm enim Monachus quidam martyrij amore ſucceſus ad Soldanum abiret, à Soldano rogatus *quorſum veniſſet?* reſpondit: *vt mortem inueniam, veritatem tibi prædicando.* Tunc Soldanus: *Ito ad principes tuos, prædica illis veritatem: & mortem quam apud me quæris apud illos inuenies.* Nimis profectò verè. Hinc Nathan propheta correpturus Dauid Regem, veritatem eruditâ parabolâ velut pilulas auro obtexit, vt eam ipſi inſinuaret. Ac veluti equo efferato frænum pallio tectum clanculum inſeri in os debet: ita veritas principibus. Venit deinde ad Aulicos; ſed & ibi expulſa eſt, quoniam adulatione & ſimulatione eos iam occupatos vidit. Poſteà ad Mercatores abijt; ſed penè aliud nihil præter mendacia & dolus in eorum ædibus inuenit: Vnde migrare coacta eſt. Perrexit porro ad Iuriſtas, Conſiliarios & Aduocatos: verùm & hos inuenit magnâ ex parte inimicos; vidit enim plurimos merulis incaueatis ſimiles eſſe, quæ ſuis cantant dominis, quod ab ipſis didicerunt. Vidit eos non decidendis, ſed prolongandis litibus ſtudere, ipſa iura in vtramuis partem flectere, ex vno eodemque textu verum & falſum elicere, quo modo ex eadem campanâ tonus alius pro viuis, alius pro mortuis petitur. Venit poſt hæc ad cives: Sed hi initio quidem de alijs loquentem libenter audierunt, ſed vbi etiam ipſos tangere cœpit, exulare debuit. Quid quod etiam diuertens ad quoſdam Confeſſarios & Verbi Dei præcones, locum non obtinuit? Vidit enim non paucos, *canes eſſe mutos nec valentes latrare*: mutari cum vento, ſicut nauium vexilla.

F. *Cauſa huius odij.* Quæ huius odij cauſa? Eadem ferè, quæ odij bonorum. Nam Primò, Veritas odio habetur, quia aduerſatur ſenſui impiorum. Voluntatem concupiſcentia, voluntas intellectum deprauat: vnde peruerſis videtur bonum eſſe, quod ſuggerunt eis paſſiones. At Veritas id ſolùm aſſerit bonum eſſe, quod honeſtum eſt & ſecundum rationem ac Dei legem. Hinc odium veritatis. Vt enim oculis malè affectis moleſtum & aduerſum eſt lumen: ita Veritas deprauatis ſenſu hominibus; v.g. cùm ſuperbis commendatur & ſuadetur humilitas, auaris liberalitas, ebrioſis ſobrietas. Cambyſen Perſarum Regem, vt ſcribit Seneca *l. 2. de irâ c.* 14. vinò deditum Praxaſpes vnus ex chariſſimis monebat, vt parciùs biberet; turpem eſſe dicens ebrietatem in Rege, quem oculi omnium aureſque ſequerentur. Ad hoc Rex: *Vt ſcias*, inquit, *quemadmodum numquam excidam mihi, approbabo iam & oculos poſt vinum in officio eſſe & manus.* Bibit deinde liberaliùs quàm aliàs, & iam grauis & vinolentus, obiurgatoris ſui filium procedere vltra limen iubet alleuataque ſuper caput ſiniſtrâ ſtare. Tunc intendit arcum & ipſum cor adoleſcentis figit, reſciſſoque pectore hærens in ipſo corde ſpiculum oſtendit: ac reſpiciens patrem, an ſatis certam haberet manum interrogauit. Ecce ebrioſus rex dum ſibi temperans videtur & præſens, veritatem ſibi vt inimicam apprehendit & à ſe repellit, inſaniæ inſaniam adijciens. P. Berchorus Ord. S. Benedicti *in moral. Bibl. l. 11. cap.* 19. refert huiuſmodi ſeu hiſtoriam ſeu fabellam in hæc verba: *Ferunt duo Idola in eodem templo repoſita fuiſſe, quæ reſponſa dabant ijs, qui in templo perdidiſſent aliquid rerum illuc depoſitarum. Ergo iuuenis quidam theſaurum ex illo templo furatus eſt: quæritur reus ex Idolo vno, & denunciatur:* Sed is ob veritatem proditam confringit Idolo caput. Poſteà neſcio quis alius ibidem aliquid perdidit: quæritur ergò auctor furti ab altero Idolo: ſed nullum id reſponſum dat, nec furem indicat. Tandem poſt multas oblationes hoc reſpondet: *Tempora mala ſunt & homines deteriores fiunt: ſed & ſiquis loquatur verum, caput ei frangitur.* Vt fabula hæc ſit, veritatem tamen loquitur, quàm veritas odioſa ſit.

G. II. *Quia redarguit malos.* SECVNDÒ. Veritas increpat & redarguit delinquentes, dum oſtendit eos ſibi, quales ſunt. Ferunt fabulæ, duos comites, Veridicum & Falſidicum, varias peragraſſe regiones. Cumque in vnam aliquam deueniſſent, in quâ ſimiæ dominabantur, viderunt vnam inſigniorem in throno ſedentem, ſtipatam alijs ſimiis: à quâ cùm interrogaretur Veridicus, quid de ipſarum dominatu & regimine ſentiret, reſpondit: *Videmini mihi quotquot eſtis, omnes eſſe ſimiæ.* Hoc audito ſimiæ omnes in eum irruerunt, & dentibus ac vnguibus eum miſerè lace-

lacerarunt. Interrogatus poſtea Falſidicus, quid ipſe de hoc ſentiret; reſpondit, eorum principatum ſplendidum & mirabilem eſſe. Quare à ſimijs magno in honore eſt habitus. Quoniam igitur Veritas ſimpliciter & ruſticè, vt ſic dicam, aſſerit id quod res eſt: hinc ingratus hoſpes eſt. Contrà quia falſitas nouit ſe accommodare ſenſui cuiuſque, inde grata & acceptata eſt. Scabioſus equus blandâ fricatione gaudet, ſtrigilem non admittit. Sunt porrò etiam multi, ſicut vulgus, cùm Sacerdos vult aſpergere homines aquâ benedictâ. Omnes enim accurrunt & aſpergi volunt. At verò vbi aduertunt eum aſpergillo profundius intinćto copioſam nimis ſpargere; tum auertunt vultum & diſcedunt. Ita enim ſiquem Concionatorem audiunt veritatis ſpicula contra aliquos intorquere; omnes ei applaudunt & aures dare geſtiunt. At verò vbi vident eum nimis vera & ſincera loqui, & in ſe quoque aliqua dicere: tum auertunt animũ nec aures ei ampliùs præbent. Contigit hoc Apoſtolo, qui ad Galatas c. 4. ait: *Sicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum. Vbi eſt ergò beatitudo veſtra* (græcè *beatificatio veſtra*) quâ ſcilicet me ac vos propter me beatos prædicabitis, v. g. ô nos fœlices, qui talem habemus Apoſtolum (vt ibi Theoph.) *Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi: Ergò inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?*

H. III. Quia veritas hic peregrina eſt. TERTIÒ. Veritas in hoc mundo peregrina eſt, ideò non recipitur nec curatur. Ita enim Tertullianus *in apologet. cap. 1. de veritate Euangelicâ*, ait: *Sic Veritas ſe peregrinam in terris agere; inter extraneos facilè inimicos inuenire. Cæterũ genus, ſedem, ſpem, gratiam, dignitatem in cœlis habere.* Ita veritas, quam prædicabat Chriſtus, peregrina erat in auribus Iudæorum & Phariſæorum: Veritas quam Apoſtoli, in auribus gentilium. Venit enim veritas ſimplici in habitu; falſitas verò fuco adornata. Hinc falſum exiſtimatur verum, & verum falſum: malum bonum & bonum malum. Expectabant Iudæi Chriſtum ſplendido ornatu: Venit is in formâ vili & paupere; ideò non eſt agnitus ab eis. Idem accidit veritati, quam ſecum in terram attulit.

I. IV. Quia inuicta eſt. QVARTÒ. Veritas inuicta eſt, ideò inuidiæ ſubiecta & expoſa. *Super omnia vincit veritas,* quidam in *lib. 3. Eſdr. cap. 3.* (qui non quidem Canonicus, magnæ tamen authoritatis liber eſt) ſciens igitur Mendacium potentiam Veritatis, opprimere eam conatur. Ita fratres Ioſephi, audientes eius ſomnia, quibus ſe eorum principem futurum inſinuabat ad ſe inuicem dicebant: *Ecce ſomniator venit. Venite occidamus eũ,* &c. *& tunc apparebit, quid proſint illi ſõnia ſua.* Gen. 37. Similiter Iudęi, cùm audiſſet à cuſtodibus Chriſtum reſuſcitatum, vt veritatem hanc ſibi moleſtiſſimam opprimerent, dederunt eis pecunias, vt dicerent furto ſublatum à diſcipulis, *Matth.* 28. At verò ſpiritus Veritatis per Apoſtolorum teſtimonia Mendacium hoc oppreſſit. Benè ergò quidam apud Gellium *l. 12. c. 11.* veritatem dixit eſſe temporis filiam; quia verum, quod diu latuit, procedente tempore apparet; & certè apparebit in extremo ſaltem tempore & die Iudicij.

Quare auditores ſit hoc monile & ornamentum pectoris noſtri, *veritas.* Nam vt ait S. Auguſtinus epiſt. 9. *Incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum. Pro iſta enim fortiùs martyres noſtri aduerſus hanc Sodomam, quàm pro illâ mille Heroes aduerſus Troiam dimicauerunt.*

CONCIO VI.

Argumenta fidei Chriſtianæ & teſtimonia.

Fidem Chriſtianam eſſe diuinam & cæleſtem, adeoq; veram & infallibilem probat:

1. *Auctoritas tot populorum & conſenſus Patrum.*
2. *Conſtantia martyrum.*
3. *Examinatio fidei multis modis facta.*
4. *Morum & animorum mutatio per fidei ſuſceptionem facta.*
5. *Miracula.*
6. *Impletio prophetiarum.*
7. *Teſtimonia infidelium.*
8. *Clades aliarum ſectarum.*

THEMA.

Cùm venerit paraclitus, &c. ille teſtimonium perhibebit de me. Ioan. 15.

NOn vnum ſolummodo teſtimonium, ſed complura reddit Spiritus ſanctus Chriſto eiuſque fidei, quòd ea cœleſtis & diuina, adeoque vera & infallibilis ſit. Ex illis verò nos ſeparabimus potiora & quæ maximè conuincunt, de quibus dicere poſſimus illud Pſalm. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Igitur audiamus. A.

B. I. Auctoritas tot populorũ & conſenſus Patrum. Teſtimonium Spiritus ſancti PRIMVM. Eſt Autoritas tot populorum & conſenſus Patrum ex omni natione doctiſſimorum & ſanctiſſimorum, qui poſt Apoſtolos omnibus ſæculis coluerunt hanc religionem & defenderunt contra gentiles, Iudæos & hæreticos efficaciſſimè & conſtantiſſimè. Quanti enim viri fuerunt Apoſtoli ab ipſo Spiritu ſancto edocti? Quanti viri eorum diſcipuli, Clemens, Ignatius, Polycarpus, Dionyſius Areopagyta, qui poſt Apoſtolos in ſcriptis ſuis fidem noſtram tradunt? Quanti qui ſecundo vixere ſæculo, Iuſtinus & Iræneus Martyres? quantus Tertullianus & Origenes, tametſi hi ad extremum in hæreſin exciderunt? Quanti viri tertij ſæculi: Gregorius Thaumaturgus, Cyprianus martyr, Lactantius Firmianus, &c? Quanti in quarto ſæculo? S. Antonius, Athanaſius, Cyrillus, Ephrem, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, Hieronymus? In quinto Auguſtinus, Ioannes Chryſoſtomus, Maximus, Paulinus? Quanti per ſequentia ſæcula: S. Leo, S. Gregor. M. S. Ber-

S. Bernardus, S. Thomas Aquinas, S. Bonauentura aliique innumeri? Quanti viri in Concilijs paſſim habitis, vbi flos omnium ingeniorum omnis ſanctitatis huius mundi fuit congregatus? Omnes illi Chriſtiana dogmata à ſe exactiſſimè diſcuſſa & ventilata ab hæreticis, accerrimè propugnarunt. Omnes illi myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia, ineffabile myſterium Incarnationis & paſſionis filij Dei veriſſimum eſſe comprobârunt; in quibus tantùm abeſt vt aliquid indignum ſummâ illâ inuenerint maieſtate, vt etiam confeſſi ſint hæc opera Deo eſſe glorioſiſſima. Iam ergò quis dubitare auſit de veritate fidei Chriſtianæ, quæ tantis viris ſemper probata fuit? An non ſtolidus haberetur ille cœcus, qui dicentibus ſibi plurimis hominibus nunc diem eſſe, ſolem ſupra nos lucere, de nocte cœlum ſtellis radiare, &c. qui id vel nollet credere vel in dubium reuocaret? Vnde S. Auguſtinus *l. de vtilitate credendi c. 4.* ait: *Tenet me in Eccleſia conſenſus populorum atque gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata, &c.* Quantò magis nos tenere hæc authoritas debet, qui poſt Auguſtinum tot alios habuimus Sanctos Patres? Quid verò? num tu meliùs rem intelligas quàm vel Auguſtinus vel Hieronymus & ſimiles? Quis non malit ſentire cum tot ſanctiſſimis & omni ſcientiâ eruditiſſimis patribus, quàm cum Iudæorum fabulis? cum Gentilium inani Philoſophia? cum pauculis hæreſiarchis? cum proprio ſenſu & ingenio?

C. II. Martyrum conſtantia. 1. SECVNDVM. Martyrum conſtantia omnis generis, ſexûs, ætatis, qui pro Chriſti fide indubitanter Martyrium ſubierunt, imò lætanter & cum aliquâ ambitione. Sic Agatha *glorianter ibat ad carcerem quaſi ad epulas inuitata* & in pœnis dicebat: *Ego ita delector in his: ſicut qui audit bonum nuntium vel videt amicum diu deſideratum.* S. Ignatius eſuriebat quaſi beſtias & in ſeſe concitabat vt ab iis deuoraretur. Tiburtius ſuper prunas ambulans dicebat ſibi eas videri inſtar roſarum eſſe. Vincentius in tormentis inſultabat Daciano, dicens: *Infelix has epulas ſemper optaui, & vobis omnibus expetiui.* Euſemia cùm ſororem videret verberibus cædi, dicebat ſe ignominiâ affici, quòd non ſimiliter cæderetur. Socij S. Mauritij piè inter ſe contendebant pro martyrio.
2. Nec ſolùm lætanter, ſed etiam diutiſſimè ſæpe perpeſſi ſunt tormenta, carceres, exilia & exquiſitiſſima quæque ſupplicia, nec eorum atrocitate & diuturnitate vinci potuerunt, niſi aliqui pauci qui reſpuerunt. Tertiò, tantus
3. eſt numerus Martyrum, vt vix libris comprehendi queat. S. enim Hieronymus in quadam epiſtola ſcribit non eſſe diem per annum (exceptis Calendis Ianuarij, in quibus Gentiles religione aliquâ ducti ſanguinem non effundebant) in quo non poſſet numerus quinque
4. millium & vltrà adſcribi martyrium. Quartò, martyria illorum ſæpiſſimè Deus glorificauit innumeris miraculis. Sæpe enim cicurauit feras, aliquando extinxit flammas, eorum curauit vulnera, tenebroſos illuminauit carceres, diſſoluit eorum vincula, manibus Angelorum eos pauit, à demerſione ſeruauit licet ponderibus alligatos, corpora occiſorum à beſtiis cuſtodiuit, redintegrauit, honorificè ſepeliuit, miraculis glorificauit, &c. *Vidimus,* ait Iuſtinianus Imperator in Conſtitut. à ſe edita de offic. præfect. præt. *Africa venerabiles viros qui abſciſſis radicitùs linguis, pœnas ſuas miſerabiles loquebantur.* Quintò, obtulêre ſe neci 5.
non tantùm decrepiti & viri, ſed etiam iuuones & iuuenculæ, pueri & puellæ: adhæc plurimi Pontifices, & multi de maximâ proſapiâ.
Denique à tot tyrannis vinci non potuerunt, 6.
neque vllâ ratione exterminari, licet, illi ad hoc obtinendum omnes neruos intenderint: contrà potiùs Chriſtiani, quantò magis mactabantur, tantò magis augebantur. Iam ergò ſic ratiocinemur: Primò, Quando tantus eſt Martyrum numerus, quomodo Deus permiſiſſet tot homines innocentes & ſanctos, qui ei ſeruiebant, in cultu ſuo ita miſerè errare, vt propterea mortem contemnerent? quomodo conceſſiſſet, vt tot boni tam turpiter deciperentur & tam miſerè perirent? Hoc argumento fatetur S. Iuſtinus Martyr *in Apolog. 1. ad Sen. Rom.* ſe maximè fuiſſe permotum ad fidem fortiter tenendam. Secundò, quomodo 2.
fieri potuiſſet vt tot viri præcipui, tot iuuenes & tenellæ virgines, tam atrocia tormenta & crudeliſſimam mortem non modò non metuerent, ſed cum ambitione quærerent, cum gaudio ſuſtinerent, cùm maximâ gloriâ & hominum admiratione vincerent, niſi Deus illos modis occultis corroboraſſet & conſolationibus ſuſtentaſſet? Tertiò, quomodo tot 3.
mira circa eorum martyria contigiſſent? Quartò, quomodo vinci tandem à tot Ty- 4.
rannis non potuiſſent, niſi digitus Dei fuiſſet hîc? Fuêre quidem & hæretici aliqui qui hæreſin ſuam morte obfirmârunt. Sed quàm pauci illi? quàm viles? quàm ſine miraculis? quàm ſine vitæ ſanctitate? combuſti ſunt in perfidiâ ſuâ Ioan. Huſs & Hieronymus Pragenſis. Sed numerent Huſſitæ plures: proferant aliquod eorum miraculum vel vitæ ſanctitatem. Nos autem ſcimus eos à Concilio eruditiſſimorum & Chriſtianorum Patrum vniuerſali, communi conſenſu ob hæreſeos pertinaciam condemnatos. Habuêre Gentiles Mucium Scæuolam & paucos alios, qui pro vanâ gloriâ ſe morti & tormentis expoſuerunt; ſed quid hoc?

Argumentum. 1.

D. III. Examinatio fidei multis modis facta. TERTIVM. Examinatio fidei, per tot modos facta. Cùm Apoſt. Paulus Act. vlt. diſſereret Romæ cum Iudæis de fide, reſponderunt illi: *Rogamus à te audire quæ ſentis: nam de ſectâ hac notum eſt nobis quia vbique ei contradicitur.* Contradixêre Iudæi ab initio vſque in hodiernum diem: Contradixêre Imperatores, & orbis penè totus per annos primos 300. quibus Chriſtiani propter Tyrânorum metum ſub

ſub terrâ conuenêre & vixêre velut talpæ, vti oſtendunt Romæ adhuc veſtigia & meatus ſubterranei. Contradixere plurimi hæreſiarchæ & eorum ſectæ: propter quas plurima ſunt habita Concilia, in quibus Chriſtianorum Catholicorum dogmata, cum hæreticorum dogmatibus in bilancem poſita & accuratiſſimè ſunt examinata à floribus ingeniorũ & ſanctitatis totius mundi. Et in miraculum. Periit Iudaiſmus, eiuſque ſectatores miſerrimè diſperſi ſunt, ſine ſacerdotio, ſine ſacrificio, ſine rege & Deo viuentes: Periit gentiliſmus, vt ne ſtatuam quidem aliquam Idoli alicuius inuenire poſſimus. Periêre veteres hæreſes, vt vix aliqua ſuperſit, quæ centum ſit annorum. Viuit autem & floret Chriſtiana & Catholica religio in omnibus Conciliis & habitis controuerſiis ſemper approbata, ſemper Victrix; vt meritò de eâ interpretari poſſumus id *Pſalm.* 11. *Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* Stetit enim ante Imperatores & Reges & mundi ſapientes innumeros & immota ſtetit, ſemper triumphauit. Quis autem eam cauſam iuſtam eſſe dubitet, quæ in quamplurimis diſcuſſa Academiis & innumeris oppugnata aduerſariis, ſemper triumphauit & iuſta declarata eſt? Multùm quidem creuit non multis ſæculis ſecta Mahumetana: ſed non habuit illa aduerſarios: non habuit Tyrannos qui initio eam gladio reſecarent: non hæreticos, qui eam ventilarent: blanditiis primùm vſa eſt, poſteà verò armis: quo vtroque medio paulatim incrementum ſumpſit. Non ita Chriſtiana religio, quæ nulli vnquam blandita eſt, nec ad placitum hominum ſe accommodauit: ſed potiùs arguebat infideles, caſtigabat eorum mores, doctrinas carni diſplicentes inuexit, &c. armis non indiguit: ſed mortem oppetendo occiſores ſuos occidit.

Huſſitarum ſecta ad primum examen Concilij Conſtant. ſtatim reiecta fuit. Lutherus cum ſuis dogmatibus vocatus ad Concilium Tridentinum, comparere non eſt auſus, licet ei ſaluus conductus promitteretur. Sed timuit ille, inquiunt, perfidiam Catholicorum, ne ab illis combureretur. Eſto: cur non eſt auſus ponere animam ſuam pro doctrina & religione ſua?

E. IV. Morum & animorum mutatio.

Qvartvm, Morum & animarum mutatio facta per fidei ſuſceptionem mirifica. Difficillima enim res mutare hominum intellectum, præſertim erroribus imbutum: itemque voluntatem, prauis præſertim euerſam habitibus. Vnde Iſocrates duplam petebat mercedem à diſcipulo, qui priùs alienum aliquid didiciſſet. Qualis autem vita hominum fuerit ante ſuſceptam fidem, Apoſtolus recenſet *ad Rom.* 1. & inde facilè colligi poteſt, quòd ipſi aliam hominis ſortem eſſe non putarint, quàm naſci & mori. Ex hoc enim fundamento ingentia quæque vitia progigni neceſſe eſt. Inde natura humana in beſtialem propemodum conuerſa eſt, vt vix diſcerni poſſet inter hominum & belluarum mores. Et quid effecit fides Chriſti? Ex belluis fecit homines, ex efferatis manſuetos, ex rudibus eruditos, ex peſſimis optimos: vno verbo, ex aſinis homines, ex lupis oues, ex bobus auiculas, Dei laudes decantantes, ex diabolis Angelos. Vnde per Malachiam *cap.* 3. *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die quâ ego facio, in peculium, &c. & videbitis quid ſit inter iuſtum & impium, & inter ſeruientem Deo & non ſeruientem ei.* Et Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. *Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino.* Et S. Petrus 1. *Pet.* 4. *Sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium conſummandum, his qui ambulauerunt in luxuriis, deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, ebrietatibus & illicitis Idolorum cultibus. In quo admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem.* Ecce quid effecit fides. Hanc mutationem Dei dexterâ faciendam oſtendit Dominus Petro, *Act.* 10. quando coram eo dormiente dimiſit linteum plenum quadrupedibus & ſerpentibus & ſimilibus immundis animalibus, quæ Dominus ita purificaturus erat vt grauiſſimus ipſi cibus fierent. Similiter *Iſa.* 41. prædixit hoc Dominus, cùm ait: *Ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in ſolitudine cedrum & ſpinam & myrtum & lignum oliuæ.* Quod ſanè fecit, cùm Ægyptum & alias ſolitudines repleuit monaſteriis & ſanctiſſimis Eremitis. Subdit cauſam: *Vt videantur & ſciant & recogitent & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc.* Cuius vaticinij veritas patet ad oculum ex hiſtoriis & Sanctorum Martyrologiis, vbi ingens numerus SS. Martyrum, Monachorum, Virginum: qui carnem ſuam perdomuerunt, mundum contempſerunt & deſeruerunt, contrariam carni & mundo viam ſectati ſunt & conſtanter tenuerunt: quod æquè mirum, ac ſi lapis ſurſum caderet. An non ſtupenda pietas erga pauperes S. Ludouici Regis Galliæ, S. Eliſabethæ Reginæ? continentia S. Eduardi & S. Henrici? Humilitas eiuſdem Eduardi, S. Alexij? &c.

Da mihi virum, inquit Lactantius lib. 3. inſtitut. diuin. cap. 26. *qui ſit iracundus, maledicus, effrenatus: pauciſſimis Dei verbis tam placidum, quàm ouem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem: iam tibi eum liberalem dabo & pecuniam ſuam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis: iam cruces & ignes & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinoſum adulterÿ ganeonem: iam ſobrium, caſtum, continentem videbis. Da crudelem & ſanguinis appetentem: iam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da iniuſtum, inſipientem peccatorem: continuò & æquus & prudens & innocens erit.* Et paulò infrà: *Num quis hæc Philoſophorum aut vnquam præſtitit, aut præſtare poteſt? Qui tùm ætates ſuas in ſtudio Philoſophiæ conterant, neque alium quemquam, neque ſeipſos (ſi natura paulùm obſtitit) poſſunt facere meliores. Itaque ſapientia eorum vt plurimum efficiat, non exſcindit vitia ſed abſcondit. Pauca verò Dei præcepta*

cepta ſic totum hominem immutant expolito vetere nouum reddunt vt non cognoſcas eundem eſſe. Sic ille. Quis autem non intelligit hanc mirificam mutationem nonniſi à dexterâ excelſi eſſe poſſe?

F. V. Miracula.

Qvintvm. Miracula plurima à fidelibus & quidem directè ad confirmationem fidei perpetrata. Inprimis anno Domini 471. duobus Epiſcopis concertantibus vno Ariano, altero Catholico. Catholicus Arianum prouocat ad teſtimonium per ignem, vt videlicet ambo in eum ſe iactarent: ſed recuſat Arianus, Catholicus verò ignem inſiluit & ex eo cum Ariano diſputauit, non tantùm illæſus corpore ſed & ipſis veſtibus. Refert Nicephorus *l. 15. cap. 23.* ſimillimum exemplum ſcribit Cedrenus apud Baron. anno Domini 506. Rurſum anno Domini 583. Catholicus quidam annulum ignitum de igne acceptum, in palmâ diu retinuit abſque vllâ læſione in fidei Catholicæ teſtimonium aduerſus hæreticum, refert Gregor. Turon. *de gloria Confeſſ. c. 4.* Rurſum anno Domini 949. quidam Clericus, Poppo nomine, ad iuſſionem Haraldi Regis Daniæ adhuc Gentilis, ignitum ferrum manu geſtauit in teſtimonium fidei Chriſtianæ, ſine vllâ læſione: ita vt Rex hoc miraculo conuerſus ſit. Refert Saxo *lib. 10. hiſt. Dan.* Witilkindus *lib. 3. hiſt. Dan.* Alibi etiam apud perfidam gentem tunicâ ceratâ indutus ignem ingreſſus eſt idem Poppo, & inde illæſus exiit, cùm veſtis tota in fauillam redacta & combuſta eſſet. Alb. Crantzius *l. 3. Metrop. cap. 34.* S. Ephrem veſtem ſuam iactauit in ignem ad probationem contra Styliten aliquem Seuerianæ hæreſeos, & cùm intra tres horas ligna omnia combuſta eſſent, veſtem tamen inde integram recepit. Refert Ioan. Euiratus *in prato ſpirit. c. 36.* Adhæc certabant aliquando de fide Catholici cum Albigenſibus hæreticis, ita vt pars vtraque libellum ſuæ religionis dogmatibus conſcriptum iactaret in ignem. Quo facto hæreticorum libellus mox combuſtus, Catholicorum verò non modò illæſus fuit ſed etiam ab igne reſiluit, licet iterum & tertio in eum iactatus. Refert D. Antonin. Archiep. Florent. *3. p. Chron. tit. 19. c.* §. 4. Sed quidquid tandem ſit de miraculis, ad confirmandam fidem cum S. Auguſt. *l. 22. de ciuit. cap. 5.* ſic licet ratiocinari. Aut Chriſtiana religio diuinis miraculis orbi probata eſt, aut nullis miraculis eſt confirmata. Si primum ergò diuina eſt, & digna quæ admittatur ab omnibus. Si ſecundum: multò etiam magis fide digna eſt; quod enim maius miraculum proferri poteſt, quàm vt vniuerſus orbis, nimirum tot ſapientes & literati, tot diuites & nobiles, tot potentes & principes ſine vllis miraculis, ab hominibus rudibus & obſcuris atque ignotis & qui paſſim odio haberentur, ſine vllo verborum ornatu, breuiſſimo tempore mouerentur ad amplectendam eam doctrinam quæ mentis captum excederet & inaudita prædicaret, quæ carni & ſenſui aduerſantia præciperet, nihil verò propemodum in præſenti vitâ promitteret præter calamitates & perſecutiones, omnia verò bona in futurum exſpectaret. Vnde ibid. Auguſt. c. 8. ait: *Quiſquis adhuc prodigia quærit vt credat, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit.* Itaque cum omni fiduciâ ad Dei tribunal accedere poſſumus & dicere, vt Richard. Victorin. ſentent. lib. 1. de Trinit. cap. 2. ait: *Domine ſi error eſt, à teipſo decepti ſumus; nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigiis confirmata ſunt & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt.*

G. VI. Impletio prophetiarum.

1. Sextvm, Impletio prophetiarum & prædictionum: Nam Primò quidquid vetus teſtamentum de legis illius abrogatione, de euertendo principatu & regno Iudæorum, de deſolatione Ieroſolymitanæ vrbis ac templi, de abiectione Hebræorum, de vocatione gentium & multiplicatione Chriſtianorum eorumque ſacris, de Euangelij per orbem prædicatione prædixit: id totum videmus adimpletum.

2. Deinde quæ Chriſtus dixit adimplenda vſque ad hoc tempus, videmus etiam impleta. Prædixit excidium Ieroſolymæ: videmus euerſam; prædixit conuerſionem gentium, *Ioan. 12. & 17.* videmus factam: prædixit ſynagogæ reiectionem, perfidiam hæreticorum, Euangelij prædicationem per vniuerſum orbem, Sedis Apoſtolicæ firmitatem, &c. & hæc omnia videmus impleta. Prædixit Petro martyrium crucis, Ioannem non moriturum per martyrium, Apoſtolis cæteris perſecutiones: & ita euenit. Prædixit miracula à Chriſtianis patranda de eiectione dæmonum, &c. quod paſſim factum & fit etiamnum.

3. Tertiò, quidquid etiam apud Ethnicos Sybillæ prædixerunt, id partim iam impletum eſt, partim ex fide noſtra adhuc implendum. Veluti Cumæa, quæ prædixit Virginem mundo apparituram, & nouum hominem de cœlo venturum, qui mores & vitam hominum reformaturus ſit, & in mundo auream, id eſt ſanctiſſimam gentem, ſuſcitaturus: eius tempore moritura animalia venenata, ſuperbos humiliandos, &c. Propterea ſub Antonino Imperatore dæmonis inſtinctu, pœnâ capitis interdictum fuit lectione librorum Hyſtaſpis, Sibyllarum, & Prophetarum, quod multi per eorum lectionem ad Chriſtianam Religionem inducerentur. Iuſtinus Apolog. ad Antonin. & Arnobius contra gentes affirmat non defuiſſe ex Gentilibus, qui auerſarentur lectionem librorum M. Tullij de Diuinatione, & de Naturâ Deorum, & cenſuiſſe oportere ſtatui per Senatum, vt abolerentur hæc ſcripta, quibus Chriſtiana Religio comprobetur, & vetuſtatis opprimatur auctoritas.

Quòd ſi iſta iam euenerunt, non dubium quin etiam euentura ſint quæ poſterioribus temporibus futura denuntiata, vt reſurrectio mortuorum, iudicium, &c. adeoque verà ſit ea fides, quæ talibus vaticiniis confirmata.

Digitized by Google

H. VII. Teſtimonium infidelium.

Septimvm, Teſtimonia infidelium. Inprimis Ioſephus Iudæus in excidio Ieroſolymitano captus & Romam ductus atque ob præclaram ſcientiam ibi magno in honore habitus, *l. 18. antiquit. c. 9.* de Chriſto Domino ita ſcribit: *Fuit his temporibus Ieſus ſapiens vir, ſi tamen virum eum nominare fas eſt; erat enim mirabilium operum effector & Doctor omnium eorum, qui libenter audiunt quæ vera ſunt: & multos quidem Iudæorum, multos etiam ex gentibus ſibi adiunxit. Chriſtus hic erat; hunc accuſatione primorum noſtræ gentis virorum cùm Pilatus in crucem agendum decreuiſſet, non deſeruerunt qui ab initio eum dilexerant: apparuit enim eis tertiâ die iterum viuus: Secundum quod diuinitùs inſpirati Prophetæ vel hæc vel alia innumera miracula futura prædixerant. Sed & in hodiernum diem Chriſtianorum, qui ab ipſo nuncupati ſunt, & nomen perſeuerat & genus.* Hæc Ioſephus. Extant etiam teſtimonia pro Chriſtianis Adriani, Antonini, M. Aurelij Imp. apud Iuſtinum *apolog. 2.*

Adhæc Iudæus Archiſynagogus Conſtantinopoli ob impoſitum crimen ſub Leone Imp. acriter tortus, præ dolore Deum S. Sergij inuocans, cùm non audiretur ſed igni adiudicaretur, in igne defenſus eſt à duobus equitibus candidis indutis ſtolis, apud Niceph. l. 15. c. 23. qui poſteà à populo extractus, baptizatus & Sergius vocatus eſt. ibid.

I. VIII. Clades aliarum ſectarum.

Octavvm, Clades aliarum ſectarum, quæ Chriſtianos impugnabant. Et imprimis Iudæorum clades & calamitates perpetuò verſantur ante totius mundi oculos. Quos velim audire Chryſoſtom. *orat. 3. contra Iudæos;* Ait enim: *Si Phinees vnico perempto homine, totam numinis iram aduerſus populum placauit & ceſſauit quaſſatio (Pſ. 105.) tamq; multos homines eripuit ab irâ diuinâ vnius hominis cædes: multò magis hæc vobis oportuit accidere, ſi legis tranſgreſſor erat, quem vos crucifixiſtis. Cur igitur, quæſo, Phinees viro legis tranſgreſſore perempto, iuſtus habitus eſt & Sacerdotio honoratus: vos autem cùm in crucem egeritis virum impoſtorem, vt dicitis, non modò non inde fertis laudem & honorem, verùm etiam acerbiora patimini, quàm tunc cùm filios veſtros mactaretis? an non iſtud perſpicuum eſt etiam vehementer tardis & hebetibus, quod poſteaquam aduerſus ſeruatorem ac principem orbis impiè egiſtis, talis fit de vobis ſumpta vindicta?* ſic Chryſoſtomus.

Dom. 4. poſt Epiphan.

Porrò de Ethnicorum cladibus ſcribit Tertull. l. ad Scapulam. Euſebius *l. 2. hiſt. c. 4. & 7. l. 7. c. 20. l. c. 8. & 9.* Nicephor. *l. 2. c. 10. & 11.* Et nos alibi quædam recenſuimus.

De hæreticorum cladibus & miſerando interitu, hæc ſummatim recenſet ex probatis authoribus Corn. à Lapid. in Epiſt. S. Petri. *Simon Magus arte magica volans, per preces S. Petri deiectus è Capitolio, in præceps ruens crura fregit, ac paulò pòſt ex dolore expirauit teſte S. Arnobio lib. 2. contra gentes, S. Maximo hom. 5. de natiuit. SS. Petri & Pauli, & Hegeſippo lib. 3. de Excid. Hieroſol. c. 2. Manes, qui ſe Manichæum quaſi effuſorem mannæ nuncupauit, à rege Perſarum excoriatus eſt, eò quòd eius filium, quem curaturum ſe promiſerat, occidiſſet, teſte Epiphan. hæreſi 66. Montanus cum ſuis prophetiſſis laqueo ſe præfocauit, ait Euſebius l. 5. c. 16. Donatiſtæ Euchariſtiam canibus proijcientes ab eis diſcerpti ſunt, ait Optatus lib. 2. contra Parmen. Arrius vadens ad Eccleſiam, eam occupaturus, dolore alui correptus in latrinis inteſtina cum anima effudit teſte Ruffino l. 10. Hiſtor. c. 13. Iulianus Apoſtata pugnans contra Perſas cœleſti telo ictus interijt, ait S. Gregor. Nazianz. orat. 1. in Iulianum. Priſcillianus à Maximo tyranno capite plexus eſt. Leo Armenus iconoclaſta in ipſa Eccleſia necatus eſt. Heraclius Imperator factus Monothelita ſubitam fœdamq; mortem obijt, cùm nõ niſi in vultum proprium mingere poſſet, ait Zonaras in Annal. Theodorici regis Gothorum Arriani horribilem necem & damnationem narrat S. Gregor. 4. Dialog. c. 30. Valens Arrianus à Gothis victus fugiens in caſam, in eâ ab iiſdem concrematus eſt, ait Hieron in Chron. Neſtorij linguam blaſphemam exederunt vermes, ait Euagrius l. 1. Hiſt. c. 7. Hunericus Arrianus perſecutor fidelium à vermibus conſumptus eſt, ait Victor l. 3. VVandal. Anaſtaſius Imp. Eutychianus fulmine ictus occubuit, ait Zonaras, & Paulus Diaconus in eius vita. Lutherus poſt lautam cœnam nocte ſuffocatus interijt, teſte Cochlæo in vita Lutheri. ZVinglius in bello Heluetico promittens ſe omnia Catholicorum tela excepturum, ab iiſdem interemptus eſt. Andr. Carolſtadius à dæmone abreptus non comparuit. Caluinus inſtar Herodis à vermibus conſumptus blaſphemans & deierans infelicem animam exhalauit, teſte Bolſeco in eius vita.*

Porrò hæc teſtimonia omnia perhibet de Chriſto eiuſque fide Spiritus ſanctus, quia horum ipſe auctor & director eſt. Ipſe illuminauit Patres & præfuit Conciliis, ipſe accendit & roborauit Martyres, ipſe expugnauit hæreſes & Tyrannos ſolidando petram Eccleſiæ, ipſe mutauit hominum animos & inſpirauit eis contemptum ſæculi, ipſe miracula patrauit, prophetias impleri fecit, per os infidelium teſtimonium tulit, ſectas exterminauit & afflixit.

Concludamus ergò cum pag. 92. dicente: *Mirabilis in altis Dominus: Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.*

CONCIO VII.

Rectè & ſalubriter fieri quòd Indulgentiæ nunc liberaliùs concedantur.

Primò, Quia per hoc ſuccurritur temporum noſtrorum iniquitati.
2. *Quia ſic Eccleſiæ neceſſitatibus ſubuenitur.*
3. *Quia hinc multi conuertuntur.*
4. *Quia per hoc incitamur ad ſtudium bonorum operum.*
5. *Quia per hoc ſuccurritur inopiæ pauperum.*

THEMA.

Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Ioan. 16.

Dvm paulò ante paſſionem ſuam recumberet Dominus in domo Simonis, A.
quem-

quemadmodum ſcribit S. Ioannes c. 12. Maria Magdalena *accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi & vnxit pedes Ieſu*, imò vt Matthæus & Marcus aſſerunt; *effudit* etiam *ſuper caput eius, & domus impleta eſt ex odore vnguenti.* Quod videntes aliqui diſcipulorum, Iudas inprimis, cœperunt indignè ferre, quòd tam copioſum ac pretioſum vnguentum ad Chriſti vnctionem effunderetur; ſed defendit, imò & laudauit Magdalenam Chriſtus; ſiquidem hoc ad ſepeliendum eum feciſſet; vtpotè paulò pòſt moriturum. Recumbit etiamnum in domo Simonis, id eſt, in domo Petri eiuſque ſucceſſorum Dominus; & quidem in fidelium cordibus. Et ecce mulier illa, Eccleſia venit hodie cum copioſo & pretioſo vnguento plenariæ Indulgentiæ, ſiue Iubilæi, & vngit Ieſum in membris eius, fidelibus ſcilicet Chriſtianis idéque effundit ſuper illum: non vtique ſine rationabili cauſâ, bonâ ſanè intentione, maximo etiam fructu. Inde enim fit vt impleatur Eccleſiæ domus odore bonorum operum. Sed non deſunt tamen fortaſſe etiam Catholici aliqui, qui indignè ferant, quòd tam pretioſum vnguentum Iubilæi, tam largè & tam ſæpè effundatur in membra Chriſti, vel ſaltem ſcandalizentur, quaſi per tam liberales effuſiones Indulgentiarum; vel vis aliqua iure diuino fiat, cuius propriè eſt pœnas relaxare: vel etiam Indulgentiæ riſui exponantur & contemptui fiant, quòd contra antiquum Eccleſiæ morem toties nunc iterentur. Verùm etſi hæc Eccleſiæ liberalitas nimia videri poteſt; non dubitandum tamen, eam Chriſto perplacere, ac ſicut Magdalenam defendit & laudat, ita defendere Eccleſiam eiuſque rectorem pontificem, quem ipſe ſpiritu ſuo regit. Igitur vt nemo indignè ferre, nemo ſcandalizari, ſed potiùs gratulari ſibi & Deo gratias agere poſſit, oſtendam quàm rectè & ſalubriter Eccleſia faciat, dum ea nunc Indulgentias liberaliter effundit.

B. I. Quia per hoc ſuccurritur temporũ noſtrorũ iniquitati.

PRIMÒ, Quia per hoc ſuccurritur temporum noſtrorum iniquitati & languori; nunc enim ſeneſcente ſæculo peccata mirum in modum aucta ſunt & tot ſunt in Eccleſiæ membris vulnera, vt ad interitum tendere videatur. Sic in lege veteri initio tres tantùm ciuitates refugij cis Iordanem voluit eſſe Deus, *Num.* 35. & *Deut.* 19. poſtea verò ſub Ioſue tres alias trans Iordanem, *Ioſ.* 20. adeóque ſex. Ob ſimilem cauſam vnxit Magdalena Chriſtum in domo Simonis tam copioſo & pretioſo vnguento, quia id, Domino teſte, ad ſepeliendum eum fecit, tanquam paſſioni & morti vicinum. Vnxerat etiam olim Magdalena Chriſtum recumbentem in domo Phariſæi *Luc.* 7. ſed non tam copioſè; hîc enim dicitur fracto alabaſtro effudiſſe vnguentum ſuper Chriſtum, ita vt aliqui ob tantam profuſionem indignarentur: quod ibi factum non eſt. Nempe Chriſtus cauſam attigit cùm hîc dixit: *ſinite illam in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.* Hoc igitur myſterio informare voluiſſe videtur Eccleſiam ſuam, vt ſeneſcenti & frigeſcenti mundo liberaliùs indulgeret & frequentiùs mederetur. Et ſanè in primâ Eccleſiâ penè omnes Chriſtiani robuſti & ſancti erant: peccata omnia ſupra modum horrebant, & admiſſa grauiſſimis pœnitentiis eluebant: ſeptem annos pœnitentiæ pro vno peccato lethali imponebant: vnde indulgentiis, quæ infirmorum tantùm remedium ſunt, nunquam vel parciſſimè vtebantur. Nunc verò, quia peccata magnopere aucta ſunt & augentur adhuc indies, ita vt iam vix horreantur, ſed leuia putantur & per riſum, vt ait Sapiens *Prouerb.* 10. perpetrentur: inde fit, vt etiam pœnitentiæ leues tantùm & iniungantur & agantur: ideò morbido & propemodùm exſangui Chriſti corpori, Eccleſiæ, copioſiùs nunc adhibetur vnguentum Indulgentiarum & frequentiùs: non adhibendum ſi adhuc in priſtino vigore eſſet. Non dubitamus fore maioris laudis & meriti apud Deum, ſi ad inſtar primorum Chriſtianorum ex noſtro ipſorum peculio & non è communi Eccleſiæ ærario peccata noſtra ſolueremus. Sed quoniam ad extremum penè ſpiritualis inopiæ deuenimus, Eccleſia mater noſtra, de ſuo nos iuuare debet theſauro.

Quando ciues abundant diuitiis, non eſt neceſſe vt aperiatur commune ærarium eiſque ſuccurratur: nec commune horreum, cùm affluunt frumento, ſed inopiæ & famis tempore vtrumque aperitur. Magna nunc fames meritorum, magna inopia ſpiritualium pecuniarum, pœnalium præſertim operum, quibus debita noſtra exſoluamus. Cilicia, ſaccos, flagella, cineres, humicubationes, panem arctum & aquam breuem, vigilias, &c. iam vix ex nomine agnoſcimus, & vt monſtra horremus: peccata verò minimè horremus, ſed familiariſſimè tractamus: quid ſupereſſet igitur, niſi vel interiremus, vel ingẽtia debita cõtraheremus niſi ex Eccleſiæ theſauro & communi ærario iuuaremur? Quando tandem debita noſtra ſolueremus, ſi pro ſingulis mortalibus ſeptennium pœnitere iuxta rigorem veterum canonum deberemus? docuit hanc diſcretionem Chriſtus Eccleſiam ſuam, in parabolâ illâ de oue perditâ inuentâ, *Luc.* 15. quàm dimiſſis 99. in deſerto, quæſitum iuit, & inuentam (errantem vtique ac curſu laſſatam) non verberauit, nec ad regreſſum impulit, ſed in humeros ſuos accepit & portauit. Quo loco non de communi noſtrâ redemptione, ſed de peculiari peccatorum conuerſione loquitur. Itaque reliquit Dominus 99. oues, id eſt, primos Chriſtianos, quia perditi non erant, ſuiſmet ſuſtentari pedibus, & de proprio ſatisfacere: oues verò perditas & errando fatigatas, quales ſumus nos, in humeros ſuos tollit, quando toties aperit Indulgentiarum ſuarum theſaurum & de meritis ſuis debita ſoluit. Cui parabolæ, mox ſubiicit alteram ſimilem, de filio prodigo recepto; cui pater vitulum ſaginatum occidit & conuiuium

tium inſtruxit &c. quod alteri fratri apud ſe manenti numquam fecit. His enim parabolis inſtruere Dominus Eccleſiam eiuſque paſtores ſummos voluit, (ni fallor) vt pro exigentiâ rei oues perditas vel alienis humeris meritorum Chriſti & SS. ad caulam Chriſti reducant: in cuius rei iudicium S. Pontifex & Archiepiſcopi pallium geſtant (vt docet Iſidorus Peluſiota apud Baron. to. 2. Annal. pag. 308.) de lanâ ouiculæ confectum & humeris Pontificis incumbens inſtar ouiculæ.

C. II. Quia ſic Eccleſiæ neceſſitatibus ſubuenitur.

SECVNDÒ, Quia per hoc communibus Eccleſiæ neceſſitatibus ſalubriter ſubuenitur, quæ nunc magnæ ſunt & frequentes. Magdalena olim *Luc.7.* vnxerat tantùm pedes IESV: nunc autem morti & paſſioni vicinum vngit in capite & pedibus. Pari ergo ratione, vbi non eſt vrgens cauſa vel Eccleſiæ calamitas, raræ & leuiores dantur indulgentiæ & particulares tantùm: vbi verò communis totius Eccleſiæ vel ſaltem latè patens vrget neceſſitas, generales & plenariæ indulgentiæ rectè conceduntur. Per huius enim vnguenti Indulgentiarum effuſione excitantur & exhilarantur Eccleſiæ membra, vt Deum per pœnitentiam inprimis, deinde per orationes & bona opera placent, quò imminentes Eccleſiæ calamitates clementer auertere dignetur. Vnde bene de Magdalenâ Dominus dixit ibi: *Quod habuit hæc fecit, præuenit vngere corpus meum, Marci 14.* Ad eumdem enim modum Eccleſia metuens imminentem calamitatem facit quod poteſt & quod habet, præuenit vngere membra Chriſti vnctione miſericordiæ, ne præueniatur. Ita fecit nuper quando pro rebellium Bohemorum repreſſione & Catholicorum liberatione Iubilæum conceſſit, fælici fine; paulò pòſt quando diuinâ prouidentiâ nouum Eccleſiæ paſtorem nacti ſumus, cuius gubernatio non ipſius tantùm ſed omnium noſtrûm intereſt, quique muneris ſui difficultate in Bulla ſuâ cum Dauide exclamat *Pſal. 87. Exaltatus autem humiliatus ſum & conturbatus. In me tranſierunt iræ tuæ & terrores tui conturbauerunt me. Circumdederunt me ſicut aqua totâ die, circumdederunt me ſimul.* Quare vt munus omnium quæ in mundo ſunt, difficillimum cum omnium fructu ritè obire poſſet, communia noſtra imploraturus vota & ſuffragia erga Deum ſuum viciſſim vel potiùs Eccleſiæ ærarium aperire voluit. Accommodare ſe voluiſſe videtur mihi ſummus noſter in terrâ Pontifex Pontifici noſtro cœleſti. Qui vt Apoſtolus *ad Epheſ.4.* ait: *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*; Miſit enim nobis Spiritum S. cum innumeris illius donis. Aſcendens igitur & ille ad ſummum in terrâ thronum, dedit nobis Indulgentiarum dona. Et ſi Reges & Imperatores in ſuâ coronatione ad regnorum ſuorum amplitudinem & diuitias oſtentandas aurum & argentum, pannos, taurum aſſatum, auenamque populo diſtribuunt: cur non etiam ad oſtendendas ſpirituales Eccleſiæ diuitias ſuo modo id faciat Pontifex? Infinitus & inexhauſtus eſt hic theſaurus cœleſtium bonorum, quem ſi abſconderet Pontifex audire à Chriſto poſſet, quod ſeruus ille piger, qui pecuniam Domini ſui abſcondit, cum quâ plurimum lucrari potuiſſet, ſi eam erogaſſet ad vſuram; quam Dominus poſteà veniens cum fœnore recepiſſet.

D. III. Quia hinc multi conuertuntur.

TERTIÒ, Quia per hoc ſæpè magni & inueterati peccatores, quorum multos ſcit eſſe Eccleſia hoc tempore, euigilant & pœnitentiam amplectuntur. Vt enim Magdalena præuenit vngere corpus Chriſti in ſepulturâ, quò ſeruaretur à fœtore & putredine (quod tamen de illo timendum non erat.) Ita etiam Eccleſia ſuis tam frequentibus Indulgentiarum vnctionibus præuenire vult peccatores graues & inueteratos; ne velut iumenta in ſtercore ſuo omninò computreſcât fœteantque, ſed excitentur ad pœnitentiam. Quis enim, quæſo, tam ſurdus & ſibi nequam eſt, qui cùm ſe innumeris peccatis obſtrictum videat, audiatque nunc tam facilem eſſe ſe expediendi viam, tam à pœnis quàm à culpis, qui occaſionem hanc non arripiat? ad tantum benè operantium tumultum non euigilet? Cœcus ille *Luc. 18.* cùm audiret prætereuntem turbam ſecus viam ſedens, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei quòd Ieſus Nazarenus trâſiret; clamauit ergò ſtatim: *Ieſu fili Dauid miſerere mei.* Et licet increparetur à præeuntibus, ipſe tamen multò magis clamabat: ideoque mox viſum à Chriſto recepit *& ſequebatur eum magnificans Deum.* Audiant nunc peccatores, qui fortaſſe hactenus peccata ſua occultârunt in confeſſione, ſiue quod de poteſtate abſoluentis, ſiue quod de veniâ & remiſſione dubitabant, audiant, inquam, turbam innumeram cum Chriſto in via ſalutis ambulantem & indulgentias lucrantem: ne ſedeant ampliùs ſecus vitæ viam, ſed vigilent & interrogent quid hoc ſit. Reſpondebitur enim illis, quia Ieſus tranſit, qui nûc ſalutem plenariam omnibus offert; ideoque incipiant & ipſi clamare & ſalutem quærere. Nemo iam te impedit: nemo tacere, ſed omnes potiùs clamare iubet & pœnitere. Audiuit Iacob Patriarcha, dum magnâ fame premeretur terra, quòd frumenta venderentur in Ægypto; vnde dixit Filiis ſuis: *Quare negligitis? audiui quòd triticum venundetur in Ægypto, deſcendite & emite nobis neceſſaria vt poſſimus viuere & non conſumamur inopiâ, Gen. 24.* Deſcenderunt filij, & à fratre ſuo Ioſeph frumenta gratis obtinuerunt. Euigilate ô peccatores: venundatur nunc, imò donatur, frumentum indulgentiarum, nec eſt vt abeatis in Ægyptum, venite ad Eccleſiam: *venite, emite abſque argento*, vt poſſitis viuere in futurum & non affligamini aliquando fame aliiſque pœnis huius vel alterius ſæculi. Non auditis, non videtis turbam eò abeuntem & ibi neceſſaria coëmentem? quare negligitis vos & inopiâ premi vultis? Quid dixiſſe putamus illos, qui occaſionem illam coëmendi, frumenta neglexerunt, quando quintum

tus, ſextus, ſeptimus annus annonæ & ſterilitatis aderat & iam frumenta emenda non inueniebantur? ô nos ſtultos & ignauos homines, arbitror dixiſſe, qui tam bonam negleximus occaſionem? Vereor ne ita multi clament in purgatorio: quia Indulgentias lucrari non ſtuduerunt. Tempore illius famis plurimi haud dubiè ſperârunt de anno in annum frugum vbertatem; ſed interim ſemper decepti & ſpe ſuâ deluſi ſunt, donec plurimi eorum fame perirent. Ita peccatores ſemper proponunt: poſt annum me emendabo, &c. Et interim nihil fit. Præueni ergò vngere animam vnguento pœnitentiæ, ne ſerò ſapias.

E. IV. Quia hinc ad bonorum operum ſtudium incitamur.

QVARTÒ, Quia per hoc ad bonorum operum ſtudium incitamur, qui iam ferè ad benè operandum non niſi adauctâ mercede prouocamur. Quando Magdalena effudit vnguentum ſuper Chriſtum, domus impleta eſt ex odore vnguenti: ita cùm effundit Eccleſia ſuper nos vnguentum Indulgentiarum, impletur tota Eccleſia odore bonorum operum, quibus nemo non cõtendit lucrari Iubilæũ: Ibi proceſſiones & peregrinationes, ieiunia, èleemoſynæ, confeſſiones, communiones infinitæ propemodum. Neque mirum, quis enim non expenderet pecuniam, ſi ſciret per iſtos 14. dies vnum nummum valiturum florenum? vel ſi in certis nundinis pro obolo tantum emere poſſet, quantum aliàs pro floreno? Quis operarius ſciens ſe eandem lucraturum mercedem ſi vnâ tantùm horâ laboret, quantam alij lucrantur, qui toto die, talem occaſionem negligeret? Neque in hoc imprudenter aut temerè facit Eccleſia; ſiquidem & paterfamilias ille, tantumdem dedit illis, qui vnâ & poſtremâ horâ laborârunt, quantum iis qui toto die: & quidem non ex merito, ſed ex indulgentiâ. Idcircò enim ait vni murmurantium; *An non licet mihi facere quod volo? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Matth.* 20. Itaque nos ſumus poſtremi illi ſerui, qui (hoc Iubilæi tempore) laborando per vnam horam tantùm lucri facere poſſumus, quantum alij per totum diem. Murmurent hîc quantum velint hæretici: An non licet Chriſto facere quod vult? liberalem eſſe in quos & quando vult? voluit haud dubiè etiam hac parabolâ inſtruere Eccleſiam, quod pro rei exigentiâ plus vel minùs indulgere poſſit; idque eo ipſo, quo Petrum & ſucceſſores eius patresfamilias Eccleſiæ ſuæ conſtituit & diſpenſatores bonorum ſuorum, conceſſiſſe eis cognoſcitur.

Videant verò Chriſtiani, qui tantâ odoris fragrantiâ totque piorum exemplis non excitantur, nec cùm poſſunt participes ſe Indulgentiæ huius facere curant: videant, inquam, ne ex illis ſint de quibus Dominus ait: *Nolite proiicere margaritas ante porcos.* Et de quibus *Iob c.6.* dicitur; *qui timẽt pruinam, irruet ſuper eos nix.* Pruina ſolam pedis plantam adurit, nix totum hominem obtegit. Quid opera ſatisfactoria cum Indulgentiis, reſpectu pœnæ debitæ, niſi pruina reſpectu niuis?

QVINTÒ, Quia per hoc ſuccurritur neceſſitatibus & inopiæ pauperum, qui dum nos ſpirituale, ipſi interim etiam corporale Iubilæum percipiunt, quando eleemoſynis eos recreamus. Et hoc etiam Magdalena docuit cùm vnxit pedes IESV: *Sunt* enim *Domini pedes, minimi fratres*, inquit Theophylactus, *per quos vadit Chriſtus ad vniuſcuiuſque ianuam quærens quæ vtilia ſunt, quos vnge eleemoſynæ vnguento*, &c. Sanè in veteri lege ſingulis triennis voluit Deus dari decimas pauperibus. *Deut.* 14. Et Iudæi religioſiores etiamnum, licet nec templum, nec Sacerdotes habeant, decimum tamen nummum bonorum ſuorum pauperibus erogant, habentque hoc prouerbium: *Da decimas vt diteſcas*; prout etiam promittitur *Malach.* 3. Nos ergò vincamur à Iudæis? Meritò ſanè vnguntur pauperes, quia ſunt amici Chriſti; à quo ſi gratiam obtinere vis, vnge amicos eius vnguento illo de quo ait Dominus *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos ad æterna tabernacula.*

F. V. Quia per hoc ſuccurritur inopiæ pauperũ.

CONCIO VIII.

Adhortatio ad milites pro Eccleſia pugnantes.

1. *Animare debet milites cauſæ æquitas.*
2. *Hoſtium peruerſitas.*
3. *Gloria & præmium.*
4. *Exempla aliorum.*
5. *Oratio quæ pro illis fit.*

THEMA.

Hæc locutus ſum vobis; vt cùm venerit hora eorum reminiſcamini? Ioan. 16.

A

ÆLianus *de variâ hiſt. lib* 2. ſcribit à Theone pictore militem adeò furioſum fuiſſe depictum vt cùm is monſtraretur populo, & ſimul claſſicum caneretur, populus ad arma curreret, quaſi præliaturus. Vtinam & ego poſſem depingere eiuſmodi militem, qui cæteros animaret ad hoſtes Imperij & Eccleſiæ fortiter aggrediendos. Certè in hodierno Euangelio animat Chriſtus diſcipulos ſuos ad fortiter agendum, cùm innumera mala paſſuri eſſent & vitam martyrio conſummaturi. Proximi martyribus milites illi ſunt, qui pro defenſione Eccleſiæ Catholicæ vitam ſuam in diſcrimen ponere & occumbere non dubitant. Quare cùm tam nobile & laudabile ſit horum militum ſtudium, non poſſum non eoſdem ad hoc proſequendum tubâ Euangelicâ animare & accendere ad pugnam.

B. I. Animat cauſæ æquitas.

PRIMÒ, Animare debet eos cauſæ æquitas. Pugnant enim Primò pro Imperatoris noſtri legitimâ poteſtate, quam habet in ſuos ſubditos, tametſi nunc rebelles. Deinde pro fide Catholicâ tamdiu ab hæreticis in Germaniâ oppreſsâ, ac proinde pro hæreticorum, præſertim Caluiniſtarum (qui in Rom.

Imp. precariò tantùm recepti ſunt precibus ſcilicet Lutheranorum tanquam infirmi eorum fratres vt ipſi aiebant) exterminatione. Hoc igitur bellum noſtrum eſt bellum Dei, quia pro gloriâ Dei & Eccleſiæ ſuæ, vt meritò exclamare poſſint milites noſtri cum militibus Gedeonis quando occiderunt Madionitas: *Gladius Domini & Gedeonis.* Iudic. 7. Sibi dictum exiſtiment, quod Propheta quidam dixit Regi Ioſaphat & populo eius, 2. *Part.* 20. *Nolite timere nec paueatis hanc multitudinem magnam: non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei. Non eritis vos qui dimicabitis, ſed tantùm confidenter ſtate & videbitis auxilium Domini ſuper vos.* Vos eſtis ſexaginta illi fortes, gladiis accincti, qui lectulum Salomonis, id eſt, Eccleſiam circumſtant, vt defendant, Cant. 3.

Itaque non tantùm bene ſperandum eſt militibus noſtris de proſpero belli euentu (quem & hactenus experti ſumus) ſed etiam de ſalute æternâ, licet occumbant; Domino enim pugnant; & Domino morientur. Illis *glorioſum eſt vincere, vinci ſalutare*, vt S. Bern. dixit de Chriſtianis pro terrâ ſanctâ militantibus. Si enim rectam habeant intentionem, martyribus, vt dixi, proximi fiunt, cùm moriuntur in bello; tum quia ab vxore, liberis omnique voluptate ſe abſtrahunt; tum quia ob Eccleſiæ & fidei amorem, periculo vitæ ſe exponunt. In hoc tamen à martyribus differunt, quòd prima eorum intentio non ſpectat mortem, (quam quærebant martyres) ſed victoriam ab hoſte. Nihilominus fieri poteſt vt ſine omni purgatorio ad cœlum euolent, ob vehementem ardorem, patientiam, zelum fidei, &c.

C. II. Hoſtium peruerſitas.

SECVNDÒ, Hoſtium noſtrorum peruerſitas, rebellio, perfidia, diſcordia. De his enim optimo iure dicere poſſumus quod Ioſue & Caleb de habitatoribus Chanaan ad ſuos: *Ne timeatis populum terræ huius, quia ſicut panem, ita eos poſſumus deuorare; receſſit ab eis omne præſidium: Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere*, Num. 14. In Hebr. habetur: *receſſit ab eis vmbra eorum*, id eſt, protectio. Septuaginta habent: *receſſit ab illis tempus*: quod ſcilicet datum erat impiis Chananæis ad regnandum. Simili modo dicere poſſumus receſſiſſe à Proteſtantibus hoſtibus noſtris vmbram eorum, id eſt protectionem diuinam.

Item receſſiſſe ab illis tempus, quod datum eſt illis ad hæreſin ſuam tenendam. Videntur nunc ſe habere inſtar ædificatorum turris Babel: vtpote linguis & dogmatibus inter ſe diuiſi. Taxauit aliquando Turcarum Imperator Chriſtianos principes, ob religionem inter ſe diſſidentes, cùm bellum in eos pararet. Diſſuadentibus enim bellum recenſuit fabulam de Lupis, qui audientes in ſe parari bellum à canibus, miſerunt vnum in apicem montis exploratorem; qui videns quidem canes multos ſed diſcolores, rediens conſolatus eſt ſuos dicens, multos quidem eſſe canes, ſed adeò coloribus diſtinctos, vt vix credi poſſit vnanimes futuros in prælio contra Lupos. Malel. *tom.* 3. *canis. coll.* 2. Iam verò Principes Catholici non ſolùm religione ſed per Dei gratiam & animorum vnione bene inter ſe conueniunt: Hæretici verò canes diſcolores ſunt, quia ſectis diſcrepantes, proinde nec in animis concordes diu eſſe poſſunt.

D. III. Præmiũ.

TERTIÒ, Gloria & præmium, quod obtinebunt, ſi ſtrenuè ſe geſſerint. Nam in primis glorioſum eſt coram mundo militi occumbere in prælio. Ideò Epaminondas ſtrenuus Dux aiebat: *Pulcherrima eſt mors in bello cùm pro patria pugnatur*, teſte Plut. Et Liuius l. 2. dec. 1. *pulchrior eſt miles in prælio caſus, quàm in fugâ ſaluus.* Spartanæ matres filios in militiam dimittentes, dicere eis ſolebant: *Aut cum hoc aut ſuper hoc*, id eſt, vt aut ſcutum ſuum ſalui referant, aut mortui in eo referantur. Valer. Max. l. 2. c. 8.

Maior multò eſt gloria, quam obtinebunt apud Deum. Sicut enim Leuitæ, quando zelo diuini honoris moti occiderunt etiam propinquos, laudem meruerunt & audierunt à Moyſe: *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino*, Exod. 32. ita etiam milites, qui pro gloria Dei & Eccleſiæ pugnant & hæreticos iugulant. Apoſtolus 2. *Tim.* 2. ait: *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*; ergò qui legitimè certauerit, coronabitur. Exemplum de Bohemo milite ſcribit Hieronymus Zieglerus, *lib. de viris illuſtribus German. cap.* 98. in hæc verba: *Ioannes Capiſtranus natione Italus, profeſſione Franciſcanus Minorita, cui ſumma erat dicendi facultas, incredibilis memoria, vitaq́ue Sanctitas rara, Legatus in Bohemiam à Calixto Pontifice miſſus eſt, vt præſens inſpiceret, an pacta Concilij Baſilienſis à Sacerdotibus ſeruarentur. Quod cùm ſedulò faceret, in Vngariam tandem venit, circa annum Domini* 1455. *Quo tempore Mahometes Turcarum Imperator cum infeſto intentoq́ue exercitu Vngariam ingreſſus eſt. Ladiſlaus Rex iuuenis admodum raptim ex ſuis Regnis milites conſcribens. Huniadem ſupremum Capitaneum præfecit. Capiſtranus cum numero militum cruce ſignatorum Huniadi ſe iungit. Belgradam deinde ambo præſidio firmant, ibiq́ue ſe muniunt. Mahometes tantulum oppidulum ſe expugnare, & capere non poſſe videns, dentibus frendens, admoueri ænea tormenta mœnibus, muros turresq́ue ſterni diruiq́ue iubet. Deinde omni vi, & tota ſuorum mole obſeſſos aggredi impellit. Ingens vis oppugnationis Chriſtianos angebat, nam oppugnatio illa per integrum diem atque noctem continuabatur. Sed illam Chriſtiani cum Huniade & Capiſtrano ducibus ſuis fortiter ſuſtinuerunt. Erat inter reliquos miles quidam Bohemus cui debitus gloriæ titulus merito ſuo reddendus eſt. Hic cùm videret Turcam cum ſigno, vexilloq́ue Turcico murum iam conſcendiſſe, accurrit, complexuſq́ue Turcam, rogat Capiſtranum inferiùs ſtantem. Si (inquit) ſponte mea, cum cane iſto, me de muro præcipitauero, illi commoriturus, quid de animâ meâ cenſes futurum? illo reſpondente, ſaluam ſine dubio fore. Deiecit ſe protinus, & vnà ſecùm Turcam illum ſi-*

gniferum,

gniferum, morteq́, hoſtis & ſuâ, vitam ſociis incolumem reliquit. Nam Mahometes de vrbe capienda deſperans obſidionem ſoluit, caſtris ignem ſubiecit, atque fugit. Cùm Themiſtocles aduerſus Barbaros duceret exercitum, gallos gallinaceos pugnantes ſpectauit, & ad ſuos conuerſus dixit: *Hi nec pro patriâ, nec pro Diis familiaribus, nec pro gloriâ aut libertate pugnant, ſed tantùm ne alter ab altero ſuperetur, aut alter alteri cedat.* His verbis animos Athenienſium ad fortiter agendum accendit: indeque mos obtinuit, vt quotannis certâ die galli gallinacei in theatro committerentur in certamen, vti refert Ælianus. Multò adhuc magis animari debent noſtri Catholici, ſi cogitent ſe pugnare pro patriâ, religione, cœlo.

E. IV. Exempla aliorum. QVARTÒ, Exempla aliorum: Gentilium inprimis. Scipio Africanus rogatus à quodam, quâ re fretus auderet exercitum è Sicilia in Africam contra Carthaginenſes traiicere; demonſtrauit ei trecentos viros, addens: *Nullus horum eſt, qui non ſit me iubente, conſcensâ hac turri, præcipitem ſe in mare deiecturus.* Plut. *in Apophth. Rom.* Mutius Scæuola, cùm Porſennam Hetruſcorum regem, vrbem obſidione prementem, in caſtris occidere tentaſſet; dexteraque aberraſſet, ſcribam regium pro rege occidendo præterſus, manum foco iniectam exuri paſſus eſt. Refert Valerius Max. l. 3. c. 3. Leonidas Perſæ cuidam minitanti, quòd Spartani die poſtero ex telorum imbre, ſolem non eſſent viſuri: *in vmbrâ igitur,* reſpondit, *commodè pugnabimus.* Quidam è gregariis militibus Ottonis Imp. cùm multi rogarent Cæſarem, ne depoſito imperio exercitum ac rempublicam deſereret; ſublato enſe dixit: *ſcito Cæſar, ſic pro te omnes animatos eſſe;* moxque ſeipſum iugulauit. Sueton. in Ottone. Quid de militibus Germanis dicam? veteres certè Alexandro Magno nuntiabant intrepidè, nihil aliud ſe timere, quàm ne fortè cœlum in ſe ruat. Hiero. Ziegl. *de viris illuſtribus Germ. cap.* 12. Quin & recentiores Germanos ab animi fortitudine commendari ſcimus. Nam Carolus V. Imp. dicebat in comparando exercitu ſumere ſe caput ab Italis, brachia & manus ab Hiſpanis, pectus à Germanis, ventrem & pedes à reliquâ turbâ. Ad hæc conſiderandum eſt quod multi etiam ſancti milites fuerint: Sebaſtianus, Martinus, 40. Martyres Cæſareenſes, Baſilides cùm viginti ſociis, S. Mauritius cum ſuâ legione, &c.

F. V. Oratio quæ pro illis. QVINTÒ, Oratio quæ fit pro illis. Dum præliabatur Ioſue, orabat interim Moyſes. Sic dum pugnant milites, orant pro eis plebs & Sacerdotes, nec immeritò, quia ſunt in magnis periculis, nec habent ſolita ſubſidia ab Eccleſiaſticis. Quamdiu Moyſes leuabat manus, tamdiu vincebat Ioſue: ſin autem remiſiſſet manus, vincebat Amalech: & hinc vult Origenes hom. 13. in Numeros, regem Balac comparaſſe Hebræum populum boui herbas depaſcenti, quod nimirum ore, id eſt, oratione magis quàm armis depaſceret & expugnaret gentes. Ita ergo par eſt credere victoriam reportaturos milites noſtros, quandò Eccleſia pro eis orat. Sanè Iudith cùm ad perdendum Holofernem pergeret nihil aliud petebat niſi ſuorum orationes: *Vos autem,* inquit, *nolo vt ſcrutemini actum meum, & vſque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat niſi oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum.* Iudith. 8. Hoc præſidio ſe iam tutam remque contectam eſſe ſibi perſuadebat. Nec noſtri dubitent milites adfuturum ſibi Dei auxilium, dum preces fundit Eccleſia. Forti igitur & imperterrito animo ad præliandum egrediantur contra Holofernem.

Cæterùm robur & animoſitatem ſuam coram hoſte ſolùm oſtendere debent; ſicuti Leo incedens recondit quaſi in vaginam vngues ſuos; donec pugnæ occaſio ſe offerat. Eodem modo felis parcit vnguibus ſuis, donec ſe prodant mures capiendi. Ergò milites quoque gladios ſuos recondant modò in vaginam, nec exſerant contra amicos; ſed tum primùm cùm ad hoſtem venerint. Contineant etiam rapaces digitos; donec iuſtam prædandi occaſionem hoſtili in terra nacti fuerint; ne alioquin audiant illud *Iſa.* 33. dictum in Sennacherib impium prædonem: *Væ qui prædaris: nonne & ipſe prædaberis?* Dum enim ipſi alios deprædantur, quos non debent, interim Diabolus deprædatur illorum animas; quod ab illis æquè vt à nobis auertere velit DEVS.

CONCIO IX.

Documenta.

Docetur teſtes veritatis debere eſſe.

1. *Viros bonos, bonæq́, conſcientiæ & veraces.*
2. *Non timenda eiectio à mundo: ſed à Deo & Eccleſia per excommunicationem.*
3. *Non excuſari peccatum zelo vel intentio bona, aut ignorantia vincibilis.*
4. *Hæreticos in aliquo deteriores eſſe Iudæis Gentilibus.*
5. *Cauenda humani ſanguinis effuſio.*
6. *Chriſtianis tribulatione ſemper expectandas eſſe.*

THEMA.

Reminiſcamini, quia ego dixi vobis.
Ioan. 16.

APoſtolus Paulus ad Epheſios c. 6. Verbum Dei gladio comparat: *Aſſumite gladium ſpiritus,* inquit, *quod eſt verbum Dei.* A.
Solet autem vnuſquiſque gladium ſibi comparare & opportuno tempori reſeruare ad ſui defenſionem; tametſi fortè multo tempore non ſit eo vſurus. Simili etiam modo parandum & aſſumendum eſt Dei verbum: audiendum, inquam, in concionibus & memoriæ commendandum, vt opportuno tempore id rurſum depromere ac reminiſci adeoque ad

ad ſuperandas tentationes adhibere poſſimus. Scimus & Dauidem reſumpſiſſe gladium quo Goliatho caput amputârat quemque inter ſacra tabernaculi vaſa aſſeruandum dederat, ad ſe defendendum contra hoſtes ſuos, 1. *Reg.* 21. Atque hoc eſt, meâ ſententiâ, quod in hodierno Euangelio ſuadet ſuis Apoſtolis Chriſtus. Cùm enim longo ſermone eos armâſſet & quaſi gladio accinxiſſet ad ſuperandas perſecutiones eis impendentes; præcipit vt ſermonem illum altâ mente reponerent, velut aliquando futurum eis vtilem ac neceſſarium ad ſui defenſionem. *Hæc locutus ſum vobis*, inquit, *vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini.* Horum exemplo & nos, Auditores, verbum Dei ſedulò audiamus & in memoria aſſeruemus. Tametſi enim fortè nunc hac horâ nobis neceſſarium non eſt: erit tamen ſuo tempore, cùm occurret nobis tentatio aliqua vel ſimilis neceſſitas. Ergò aduertamus animos.

B. 1. Teſtes eſſe boni debent.

Documentum PRIMVM. Teſtes veritatis in primis viri boni eſſe debent bonæque conſcientiæ; videmus enim tales adhibitos eſſe à Chriſto, Apoſtolos videlicet in hodierno Euangelio; & alibi Ioannem Baptiſtam, Simeonem, Annam: omnes tales qui ſanctitate clarerent. Impiorum teſtimonium, præſertim Dæmonum, ſanctitatem & diuinitatem eius atteſtantium, tametſi alioquin veriſſimum, noluit admittere. De[bent] deinde certi eſſe de re quam teſtantur, quemadmodum Apoſtoli conſcij erant omnium quæ geſſit & dixit Chriſtus; vnde ipſe ait: *Et vos teſtimonium perhibebitis; quia ab initio mecum eſtis.* Quæ duo niſi adſint teſtibus, nequaquam admittendi ſunt, vtpote de fallaciâ ſuſpecti. Porrò *Deut.* 19. pœna talionis conſtituitur falſo teſti, ita vt pati debeat, quam alteri inferre pœnam molitus eſt. Ius canonicum eum facit infamem, vt deinceps ad cuiuſquam accuſationem admittendus non ſit, apud Gratianum *c.3.q.5.* ex Euſebio Papa *ep.3. ad Epiſcopos Thuſciæ.* Audiamus quid Patres VIII. Synodi Oecumenicæ anno Domini 869. Conſtantinopoli habitæ, contra Leonem conſulem, & Theodorum protoſpatharium, qui impulſu Photij & Michaëlis Imp. contra B. Ignatium patriarcham falſum dixerant teſtimonium, decreuerint. *Definimus*, inquiunt, *& promulgamus hos per ſeptem annos epitimium* (ita vocatur Eccleſiaſtica pœna & cenſura) *habere: eſſe illos duobus annis extra Eccleſiam, & aliis duobus intra Eccleſiam audire diuinas ſcripturas vſque ad catechumenos, non tamen vllo modo communicare, ſed abſtinere à carnibus & vino quatuor annis, præter Dominicos dies & Dominicas feſtiuitates; & aliis tribus annis ſtare cum fidelibus, mereri diuinam communionem in ſolis Dominicis ſolemnitatibus cum eleemoſynis, orationibus, atque ieiuniis, ita vt tribus diebus hebdomadæ, ſecunda videlicet, quarta & ſexta feria abſtineant à carnibus & vino.*

Gregorius Agrigentinus Epiſcopus à Sabino & Creſcentio falsò accuſatus, coram ſynodo Romanâ centum & 50. Patrum, de ſtupro cum Eudociâ puellâ adductis CX. teſtibus pſalmum altâ voce ingeminauit; *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui; quæ ignorabam obiecerunt mihi; mala mihi pro bonis rependebant.* Statim igitur puella à dæmone correpta ad pedes eius concidit; Gregorius ſatanam è puella egredi, & verum fateri iuſſit, ac manu eam comprehenſam erexit. Illa faſſa eſt, ſe à Sabino & Creſcentio muneribus corruptam Gregorium falsò accuſaſſe. Gregorius verò coram ſynodo pro teſtibus & actoribus interceſſit, & pacem illis impetrauit. Quâ conceſſâ, ſtatim tenebræ magnæ obortæ ſunt: & actorum alij vtraque, alij altera genâ nigri apparuerunt. Sabino verò & Creſcentio labia atro colore infecta ſunt, qui nunquam poſteà elui potuit. ita habet vita S. Gregorij Agrigent, quæ extat apud Sur. 23. Nouemb. Apud Indos etiam barbaros illos, falſis teſtibus extremi digiti, quibus falſum teſtimonium ſcripto conſignaſſent, decurtabantur, teſte Strabone lib. 15. Et bene, tres extremos digitos, quibus literas exarare ſolemus, talibus Indi curtabant; quia vti inquit Iſidorus l. 3. de ſummo bono, *Teſtis falſidicus tribus perſonis eſt obnoxius: primò Deo, quem periurando contemnit: conſequenter Iudici, quem mentiendo fallit: poſtremò innocenti, quem falſo teſtimonio lædit.*

Documentum SECVNDVM. Non timendum viro ſi à mundo eiiciatur: timenda verò eiectio à Deo & Eccleſia, adeoque excommunicatio Eccleſiaſtica. Mundi eiectio non timenda, quia ſi pro Chriſto fiat, ingentem gloriam adfert: parum verò aut nihil eiectio obeſſe: temporalia tantùm auferre: Deum, gratiam & gloriam non poteſt. Quid erat magnum Apoſtolis expelli de Synagogis Iudaicis, à quibus ipſi de ſe vltro ſeparaturi erant? Pari modo iuſtus quiſque dudum odiſſe mundum cœpit; Vnde eius amicitiam vti non quærit, ita nec odium curat. Hinc Dauid calumniam proditoris ſui Doëg nouaculæ comparauit Pſal. 51. *Sicut nouacula acuta feciſti dolum.* Vt enim nouacula pilos homini abradit ſine doloris ſenſu: ita perſecutio mundi fluxa tantùm & ſuperflua bona terræque excrementa tollit homini iuſto, ſine magno eius dolore. Vnde Aug. in eum Pſal. *Ecce*, inquit, *quid faciunt ſanctis mali? capillos radunt. Nam capilli ſuperflua rerum temporalium ſignificant. Illi qui adhærent corde Deo ſic habent iſta terrena tanquam capillos, quia ſine ſenſu præciduntur*, &c. Appoſitè ad hanc ſententiam Thomas Morus ab impio Henrico Angliæ rege ad mortem condemnatus, quod contra Romanam fidem poſtulatis eius ſubſcribere nollet, vt alios eiuſdem fidei aſſertores animaret, aduerſarios verò confunderet, his verbis ludens præmonuit Carnificem: *Quandoquidem ita fert ſententia: præcide caput, ſed barbam caue; neque enim vt hanc quoque demutas, poteſtatem accepiſti; capitis ſolius*

C. II. Non timenda eiectio à mundo ſed à Deo & Eccleſia.

Digitized by Google

hus facta eſt mentio. Chau. *de not. ſid. lib. 1. c. 8.* Voluit dicere imperterritus Martyr, tam parum ſe æſtimare capitis demptionem atque ſi dematur ei barba: vel etiam minoris in tam laudabili necis causâ.

Excommunicatio timenda.

Cæterùm eiectio ab Eccleſiâ, quæ fit per excommunicationem, metuenda ac cauenda & quidem maximoperè eſt: quia cùm Eccleſia cœli claues habeat, excludere ab eo poteſt ac ſolet, præſertim cùm quis eam contemnit & abſolutionem non petit. Præter hoc alia multa damna affert excommunicato: priuat adminiſtratione & ſuſceptione ſacramentorum, communibus Eccleſiæ ſuffragiis & precibus, communione meritorum Eccleſiæ, auditione S. Miſſæ, conuerſatione cum hominibus: reddit eum infamem & inhabilem ad accuſandum, teſtandum, iudicandum: excludit à ſepulturâ ſacrâ. Memorabile eſt quod in Annalibus Ciſtercienſium, de viris illuſtribus eius Ord. narratur fuiſſe anno 1440. Abbatem in monaſterio Corbeienſi, qui cùm aureum quem amiſerat annulum recuperare non poſſet, furem excommunicauit. Habebat autem Coruum in conclaui cicurem, qui ab eo tempore viribus deſtitui & tabeſcere cœpit plumaſque amittere; Cumque cauſa ignoraretur: *Fortè*, ait quidam, *annulum furatus eſt & excommunicationem ſentit.* Itum eſt igitur ad nidum eius & repertus annulus. Mirum dictu: coruus ſibi reſtitutus, vbi fur anathemate ſolutus fuit, reualuit. Factum hoc à Deo, non quòd excommunicatio vim in bruta habeat, ſed vt inde diſcerent homines timere excommunicationem, *animæ ſupplicium*, vti vocat S. Auguſtinus *ep. 45. ad Aux.*

D. III. Non excuſat peccatum zelus vel intentio bona aut ignorantia. Non zelus & intentio.

Documentum Tertium. Non excuſat peccatum Zelus bonus, nec intentio bona, nec quæuis ignorantia. Id enim apertè cernimus in hodierno Euangelio, vbi Iudæi dicuntur Apoſtolos necaturi & hoc facto exiſtimaturi ſe obſequium præſtitiſſe Deo. Habebant ergò zelum Dei, habebant intentionem bonam, neſciebant ſe offendere Deum. Intereſt quidem plurimum quâ causâ, fine & intentione aliquid fiat, & ſumit inde actio bonitatem ſuam, ſed ſi ea ſecundùm ſe ſit bona vel ſaltem indifferens. At ſi actio ex natura ſuâ inhoneſta ſit, nullo bono fine, nullâ intentione, nullo zelo aut bonæ cauſæ obtentu cohoneſtari poteſt. Itaque tam abominabile, tam turpe eſt peccatum; vt nullis coloribus, nullis pigmentis, nullo veſtium ornatu tegi eius deformitas queat, quin diſpliceat Deo: Tam ponderoſum plumbi talentum eſt, vt nullis machinis ex abyſſo ſuâ attolli ad rationem boni queat. Quando Saul contra Dei mandatum retinuit Amalecitarum pecora, non potuit eam inobedientiam vllâ ratione excuſare, tametſi dicebat ad ſacrificandum Deo fuiſſe ſeruata, 1. *Reg.* 15. Si ſerpentem aut bufonem in aureâ thecâ vel eburneâ incluſum videas, non ideò eum diliges aut tanquam fœlix animal magni facies ob materiæ pretium: ita licet peccatum pulcherrimo veſtiatur & ornetur zelo vel intentione bonâ, nihilo plus tamen meretur diligi aut à Deo approbari.

Nec ignorantia vincibilis.

Sed neque ignorantia, quæ dicitur vincibilis, & de quâ ſubijcit Dominus: *Hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me*, excuſare peccatum poteſt. Ea enim vel eſt craſſa; de qua S. Bernardus ep. 77. ad Hugon. *Multa ſcienda neſciuntur aut ſciendi incuriâ, aut diſcendi deſidiâ aut verecundiâ inquirendi.* Vel affectata, cùm directè volumus neſcire, v. g. cùm quis fugit conciones aut doctos Confeſſarios, ne reprehendatur & emendetur, &c. Noctuæ & vlulæ lucem fugiunt, quia id à naturâ habent. At homo non ad tenebras ſed ad lucem, non vt ignoret, ſed vt intelligat, rationis lumine præditus eſt. Vnde reprehendi vtique meretur, ſi ignorantiæ tenebras amet. Certè Iudæi Chriſtum ignorarunt, vt audiuimus & teſtatur etiam Apoſtolus 1. *Cor.* 2. nihilominus tamen ob eam grauiſſimè mulctati & exterminati ſunt. Similiter gentiles Chriſtianorum perſecutores, affectatam habuere ignorantiam, quia audire noluerunt fideles Chriſtum prædicantes, ſuam fidem defendentes, Idololatriam confutantes, & tamen ipſi quoque acerrimè plexi miſerè perierunt. Nero à Senatu Rom. ad infame ſupplicium condemnatus fugit, & in fugâ cùm aduerteret quæri ſe ab equitibus, vim ſibi ipſi intulit: quem ægrè morientem vnus ex ſpadonibus eius omninò confecit. Sueton. in Neronem. Galerius Maximianus fœdo vlcere vermium multitudinem ebulliente perijt peſtifero in fœtore. Euſebius *l.* 8. *hiſt. cap.* 18. Maximus interno viſcerum ardore incenſus & exuſtus, oculis quoque excidentibus hominis tantùm ſimulachrum & ſpirans animæ ſepulchrũ effectus, proteſtatus eſt ſe Chriſto offenſo pœnas dare Euſeb. *lib.* 9. *cap.* 10. *hiſt. Eccleſ.* Valerianus à Sapore victus ſcabellum aſcenſuro in equum regis factus, in eâ ſeruitute perijt. Iulianus cœlitùs percuſſus Chriſto Galilæo palmam ſe cedere cõfeſſus eſt: ita & alij Chriſti perſecutores miſerè extincti ſunt, vt alibi vidimus.

D. IV. Hæretici deteriores in aliquo Iudæis & Gentilibus.

Documentum Qvartvm. Non paulò deteriores ſunt hæretici Iudæis & gentilibus. Primò, Quia & gentiles expulerunt quidem Apoſtolos è Synagogis & fanis, ſed è ſuis, quæ longo tempore poſſederant ac quodammodo præſcripſerant, patrios ſequendo ritus & Deos. At hæretici expulerunt nos è noſtris templis, monaſterijs, vrbibus, nationibus, quæ à primâ fidei promulgatione Catholicæ ſemper religionis fuerunt vſque ad illorum aduentum. Iudæi & paganĩ pugnabant pro religione tot iam ſæculis receptâ contra fidem nouam, ab homine crucifixo introductam. Hæretici verò fide illâ per vniuerſum orbem iam receptâ defecerunt & nouam ſibi cuderunt. Iudæi & gentiles ſua ſolùm defendere contra Apoſtolos volebant, at iſti

at iſti nos ſpoliare etiam noſtris auſi ſunt, eâ, inquam, religione iiſque bonis Eccleſiaſticis, in quorum poſſeſſione pacificâ eramus à compluribus ſæculis,imò à principio conuerſæ ad Chriſtum Germaniæ. Sunt ergò iniqui aggreſſores, qui iure meritiſſimo impugnari & cogi etiam armis ad reſtitutionem religionis & bonorum Eccleſiaſticorum poſſunt. Adhæc ipſi velut filij rebelles impugnârunt propriam matrem Eccleſiam, in quâ nati & educati ſunt, adeoque rei ſunt pœnarum, quas Eccleſia ſtatuit in rebelles & Apoſtatas. Quod idem ſentiendum de ipſorum poſteris. Vt enim Dominis non mancipia ſolùm, ſed eorum etiam liberi cenſentur eſſe ſubiecti: ita non ſolùm Hereſiarchæ, Caluinus & Lutherus, ſed etiam qui ex illis deſcendunt, per baptiſmum,Eccleſiæ ſubiecti ſunt habendi. Si colonus ſim & tu homo extraneus vtaris bobus meis ad colendum agrum Domini mei, commiſſum culturæ meæ: nec boues idcirco tui erunt, nec fructus quos fert ager; ſed mei potiùs erunt: ita in Eccleſiæ poteſtate ſunt quicunque à Prædicantibus hæreticis baptizati, quia noſtro in agro nati, noſtro baptiſmo re-
2. nati, quem vſurpârunt Prædicantes. Deinde Iudæi eieciſſe dicuntur Apoſtolos è Synagogis tantùm, non item ex vrbibus & patria. At hæretici quamplurimis in locis eijciunt Catholicos ex vrbibus & municipijs ſuis; vt patet in pleriſque vrbibus Imperialibus, & ditionibus principum Acatholicorum. Quod attinet ad Gentiles, ij non armis, ſed verbi Dei prædicatione, miraculis, virtutum exemplis conuerſi tandem ſunt ad fidem: at hæretici pertinaciores ſunt, quia nec diſputationibus & argumentis, nec miraculis, nec præclaris Catholicorum virtutibus à propoſito dimoueri poſſunt: Vnde D. Hieronymus dixit: *Facilius eſt furori gentilium occurrere raptoſque populos à beſtiali ſcientiâ ad fidei pietatem prædicando conuertere, quàm hæreticum quemlibet ſui perfidiâ dogmatis confidentem, ad fidem rectam reuocare.* Quid mirum ergò ſi Eccleſia tandem arma corripiat ad extirpandos hæreticos & recuperanda ſua?

F. V. Cauanda humani ſanguinis effuſio.

Documentum QVINTVM. Cauanda & horrenda humani ſanguinis effuſio, quia aſſuetudine paulatim vergit in crudelitatem & quodammodò in ludum. Ecce tibi Iudæi quos olim Deus voluit tam longè abeſſe à ſanguinis effuſione, vt etiam ſanguinem pecorum effundere eos iuſſerit, nequaquam comedendum. *Gen.* 9. ad extremum tamen adeò aſſueuerunt homicidiis,vt qui priùs ſanguinem pecudum comedere religioni ſibi ducebant, poſteà ſanguinem prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum ſummâ voluptate haurirent, adeò vt obſequium Deo ſe præſtare exiſtimarent. Quemadmodum enim Laniones ſuâ in membra ſemper audaciores fiunt, ita vt qui primò vix vnam ouiculam mactare audebant: poſteà ipſo vſu facti animoſiores, boues obtruncare pro ludo & delectatione habeant: ita accidit iis, qui non verentur homines vulnerare & occidere. Patuit hoc in multis etiam Imperatoribus qui initio ab omni cæde abhorruerunt, poſteà aſſuetudine crudeliſſimi facti ſunt, vti Nero qui initio imperij cum ſubſcribere deberet reorum ſupplicijs: *vellem neſcire literas*, aiebat;ne ſubſcribere deberet, poſteà tam crudelis fuit, vt Chriſtianorum carnificinâ paſceret oculos, & diceret: *Vtinam me mortuo miſceatur terra igni.* Similiter Domitianus & alii quidam, qui tandem crudeliſſimi euaſerunt. His ſubijciamus alia crudelitatis monſtra. Voleſus ſub Auguſto,Aſiæ proconſ.cùm CCL. vno die ſecuri percuſſiſſet,vt Seneca ſcribit lib. 2. de Ira, cap. 5. incedens inter cadauera, ſuperbo vultu quaſi magnificum quiddam, conſpiciendumque feciſſet, græcè proclamauit: *ὦ πρᾶγμα βασιλικόν!* O rem regiam! Talis Annibal, quem dixiſſe ferunt, cùm foſſam humano ſanguine plenam vidiſſet: *O formoſum ſpectaculum!* Talis Aul. Vitellius,qui cùm adiſſet campos,in quibus à ſuis legatis fuerat pugnatum contra Othonem; horrentes quoſdam cadauerum tabem deteſtabili voce auſus eſt confirmare, *optimè olere occiſum hoſtem, & magis ciuem*, vt ſcribit Sueton. cap. 10. Talis inter Chriſtianos fuit Ezelinus, barbaro potiùs, quam Italico ſolo dignus Carnifex, qui XII. millia ciuium Patauinorum ad vnum omnes vno compulſos loco trucidari iuſſit. Idem lib. 2. cap. 3. Wenceſlaus Imp. & Bohemiæ Rex ita ſæuus fuit vt aſſiduum penes ſe haberet carnificem, quem compatrem appellabat, quia filium eius de S. fonte leuârat, *eoq; tam familiariter vtebatur, vt aliquoties vno eodemq; equo ſecum vehi paſſus fuerit*, inquit Dubrauius lib. 23. Idem cùm gulæ dediti ſſimus eſſet, & aliquando prandium non ita vti iuſſerat, effundiſſet, iuſſit miniſtrum caponis inſtar veru affixum ad ignem torreri. Quocirca iure tandem à proceribus regni captus & ab Electoribus imperio deturbatus eſt anno Domini 1400. Refert Æmilius l. 10. Nihilò mitiùs actum cum alijs, quos recenſui Tyrannis: omnes pari monetâ, quâ alios ſoluerunt, & ipſi ſoluti ſunt, iuxta verbum Domini. *Ezech.* 27. *Interficiam interfectores.* Quare etiam Magiſtratibus publicis obſeruandum cenſeo id, quod Alexandro Magno tradidit Ariſtoteles: *Parcè effunde humanum ſanguinem,quia hoc illius eſt,qui nouit ſecreta cordium.*

G. VI. Chriſtianis ſemper expectandæ tribulationes.

Documentum SEXTVM, Chriſtianis tribulationes ſemper expectandæ ſunt, præſertim electis. Si enim hæ Apoſtolos ſtatim exceperunt, quamprimum illi Chriſtum annunciare cœperunt, nihilo meliora poſſumus expectare nos, ſi Deo ſeruierimus, *Omnes enim qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur*, ait Apoſtolus 2. *Timoth.* 3. quia cùm quis à vitâ mundanâ & licentiore ad Chriſtianam, modeſtam & religioſam ſe recipit, ſtatim inuenit deriſores, calumnia-

lumniatores, perſecutores. Vnde Chryſoſtomus in eum locum: *Impoßibile eſt*, inquit, *vt qui malis bellum indixerint; preſſuris careat.* Quia enim mundus à piis redarguitur, hinc talem eis mercedem ſolet mundus rependere, qualem dedit Apoſtolis poſtquam ab eis ſaluberrimè admonitus & ad cœleſtes nuptias inuitatus eſt. Idque primis potiſſimùm Chriſtianis, qui perſecutionis tempore viuebant, contigiſſe docent hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Romæ ad aquas Saluias in loco qui dicitur: *Gutta iugiter manans*, extra portam trigeminam, ſeptimo Idus Iulij celebratur dies triumphalis decem-millium ducentorum trium militum Chriſtianorum, qui à Maximiano Herculeo coacti & adſcripti fuerunt ad extruendas Thermas Diocletiani per integrum ſeptennium, finitoque opere, ne fortè laborum onere ſubleuati aliquid in Imperium molirentur, omnes pariter vnà cum Zenone Tribuno, qui inter eos dignitate excellere videbatur, eo loco necati ſunt. Baron. anno 298. Quodque ad horum martyrum gloriam ſpectare videtur, extat adhuc Romæ ædificium iſtud & inhabitatur à Carthuſianis, cùm aliæ thermæ imò & palatia Imperatorum omnium ita corruerint, vt vix veſtigia appareant. Qualem ergò mercedem Chriſtianis illis militibus dedére Diocletianus & Maximianus, talem vel ſaltem ſimilem expectare à mundo debent, qui piè volunt viuere & mundo contradicere. Cæterùm conſolari eos debet, quod adiecit Dominus: *Venit hora*, &c. Momentanea enim & horaria eſt Tyrannis impiorum in electos, præſertim ſi cum æternâ eorum gloriâ comparetur, quod pulchrè vno verbo *tranſitûs* notauit *Iudith cap.* 8. cùm ait: *ſic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles.* Minùs ſentiunt pueri ictus pileorum & palliorum cùm per cohortem curſim tranſire ex ludi lege debent, quia ſperant ſe citò euaſuros & aciem perrupturos. Idem cogitemus nos, cùm mundus nos calumnijs, ſannis, verberibus excipit. Cogitauit hoc S. Stephanus, qui intendens in cœlum tucurrit per imbrem lapidum: & lapides torrentis dulces illi fuerunt, quia ex torrente fuerunt, breui ſcilicet duraturâ perſecutione. Ergo & nos Auditores non timeamus per horam vnam tranſire torrentem illum; ſed intendamus in cœlum & illam æternitatem, &c.

CONCIO X.

Myſteria.

1. *Quæritur & explicatur, vnde procedat Spiritus S.*
2. *Cur Chriſtus taceat proceßionem Spiritus S. à ſe.*
3. *Quomodo Spiritus S. & Apoſtoli teſtimonium reddiderunt de Chriſto.*
4. *Quorſum Chriſto Apoſtoli teſtes.*
5. *Cur prædicat Apoſtolis perſecutiones.*
6. *Cur Iudæi deinde gentiles perſecuti ſint Apoſtolos.*
7. *Cur permittat Deus bonos affligi à malis.*

THEMA.

Hæc locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini. Ioan. 16.

DVo ſunt in hodierno Euangelio quæ promittit & prædicit Dominus diſcipulis ſuis ad ſpeciem inter ſe admodum diuerſa, Spiritum S. & perſecutiones. Quid enim Spiritui S. cum perſecutionibus? ille à Deo mittitur, hæ ab improbis hominibus plerumque immittuntur: ille conſolatur & gaudio replet animam, iſtæ deſolatione & mœrore implent: ille roborat & viuificat, hæ verò frangunt & conficiunt. Verùm ſi penitius rem inſpiciamus, nequaquam aduerſatur Spiritui S. perſecutio ſeu tribulatio, ſed veriùs in diapaſon optimè concordat. Etenim Spiritus S. homini immiſſus teſtis è cœlo, hominem eſſe filium & amicum: tribulatio immiſſa teſtis eſt è terrâ, idem prorſus aſſerens. De Spiritu ſancto ait Apoſtolus ad Rom. 8. *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei.* De tribulatione verò & perſecutione ait ad Hebr. 12. *Quem diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quòd ſi extra diſciplinam eſtis; ergo adulteri* (græcè, *Spurij*) *& non filij eſtis.* Deinde Spiritus ſanctus velut ignis purgat & illuſtrat animam, ideò in ſpecie ignis venit ſuper Apoſtolos: idem facit tribulatio, idcircò igni cœlitùs miſſo comparatur à Ieremiâ Thren. 1. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis & erudiuit me.* Denique Spiritus ſanctus ſpirituali gaudio & ſolatio replet hominem, vt diximus: idem facit tribulatio, præſertim quæ ex perſecutione oritur, teſte S. Iacobo c. 1. *Omne gaudium exiſtimate cùm in varias tentationes incideritis.* Duo ergò maxima bona promittit Chriſtus in hodierno Euangelio ſuis diſcipulis, vnum è cœlo, alterum è terrâ. Sed nunc videamus reliqua, quæ luce aliquâ indigent. A.

Q. PRIMÒ. Vnde procedit Spiritus ſanctus? Reſp. 1. à Patre ſimul & filio. Definitum eſt hoc ab Eccleſiâ Latinâ, cum quâ olim etiam conuênit Eccleſia Græca, vt patet ex Synodo Florentinâ in litteris S. Vnionis. Poſteà tamen Græci ab eâ definitione defecerunt & à ſolo Patre Spiritum S. prodire docuerunt, non tam permoti ratione, quàm odio Romanæ Eccleſiæ cui ſubeſſe noluit Patriar- B. I. Vnde procedit Spiritus Sanctus.

Patriarcha Conſtantinopolitanus, parem ſibi
vel maiorem etiam auctoritatem & dignita-
tem arrogans, quàm ſit Romanæ ſedis. Pro-
1. batur verò ſententia Catholica. Primò ex ſcri-
ptura & inprimis ex illis hodierni Euangelij
verbis: *Quem ego mittam vobis à Patre. Spiri-
tum veritatis, qui à Patre procedit.* Poſtremâ
verba apertè dicunt procedere eum à Patre:
priora verò conuincunt procedere eum à filio
quoque: Si enim à filio mittitur, à filio et-
iam procedit & accipit naturam; alioquin ab
eo mitti non poſſet. Idcirco enim Pater ne-
que à Filio neque à Spiritu ſancto mitti dici-
tur, quia à neutro procedit: nec Filius à Spi-
ritu ſancto, quia ab eo non procedit. Dici-
tur quidem Iſaiæ c. 61. Chriſtus à Spiritu S.
miſſus: ſed hoc intelligendum eſt de Chriſto
quà homo, non quà Deus eſt. Deinde proba-
tur rurſum ex c. 16. *Ioan.* vbi ait Dominus:
Ille me clarificabit quia de meo accipiet. q. d. ac-
cipiet ex me naturam & eſſentiam diuinam,
quemadmodum & ex patre: ſed non filiatio-
nem meam. Rurſum ex Apoſtolo c. 4. *ad Gal.*
vbi Spiritus ſanctus vocatur *Spiritus filij Dei*;
eodem vtique ſenſu, quo Matthæi 10. vocatur
Spiritus Patris.

2. Secundò. Ex ratione Theologicâ. Conſtat
enim Filium procedere ab intellectu Patris,
ideò ex vi proceſſionis aſſimilari Patri, vti ver-
bum mentis intelligenti: & hinc vocari geni-
tum. Supereſt ergo vt Spiritus S. procedat à vo-
luntate, quâ ſe mutuo Pater & Filius infinitè
diligunt, adeoque per modum amoris ſeu im-
pulsûs Patris & Filij ad ſe inuicem; vnde ab
vtroque ſpirari & produci debet quaſi amor re-
ciprocus.

Tertiò ex Græcorum exterminio, quo poſt
3. aliquot centenorum annorum pertinaciam tan-
dem in manus Turcarum, qui Conſtantinopo-
lim Græciæ Metropolim feriâ ſecundâ Pente-
coſtes anno 1452. 29. Maij, ceperunt: pridie
verò ipſo Feſto Pentecoſtes vltimam irruptio-
nem in vrbem fecerunt, traditi ſunt & velut vas
figuli confracti ac diſperſi. Voluit autem dubio
procul Græcis inſinuare, pertinacem illorum de
Spiritu S. errorem cauſam eſſe, cladis in ipſis fe-
rijs Pentecoſtes acceptæ.

C. II. Cur hic Chriſtus tacet proceſſionem Spiritus Sancti à ſe.

Q. Secundò. Quare ergò Chriſtus ſolùm
ait Spiritum S. procedere ex patre? cur non
ait ex patre & me? Reſp. Primò, quia ſatis
expreſſit à ſe quoque procedere Spiritum S.
cùm præmiſit: *Quem ego mittam vobis*, vt ſu-
pra dixi. Deinde patrem ſolum nominat, cùm
de proceſſione loquitur, non ideò tamen
ſe excludit. Frequens eſt hoc in ſcripturâ, vt
1. cùm *Matth.* 16. dicitur: *Caro & Sanguis non
reuelauit tibi, ſed pater meus,* &c. nunquid non
& filius & Spiritus S. Et *Ioan.* 15. *Ille* (Spiri-
tus S.) *vos docebit omnia.* Nunquid ſolus Spi-
ritus S. docuit omnia diſcipulos: non item
Pater & Filius? Rurſum hoc ipſo loco, cùm
ait Dominus: *Quem ego mittam vobis*; nun-
quid ſolus ipſe miſit Spiritum S. & non etiam
Pater?

Secundò. Quia pater eſt prima in Trinitate 2.
perſona, adeoque *principium ſine principio*, ait S.
Aug. *l.* 1. *contra Maxim. c.* 14. Pater virtutem
ſpirandi à ſeipſo habet, Filius verò non à ſeip-
ſo, ſed à Patre ſibi communicatam. Voluit ergò
Chriſtus principalem dignitatem Patri in hac
ſpiratione tribuere.

Tertiò. Ne Apoſtoli tunc in myſteriis di-
uinis, præſertim Trinitatis, adhuc rudes, exi-
ſtimarent Spiritum ſanctum minorem eſſe
Filio, ſi expreſsè diceretur ab eo procedere.
Poterat quidem hæc & alia plura docere tunc
Apoſtolos, ſed nec erat tempus, ingruente
iam paſſionis horâ, nec ipſi omnia portare po-
terant, mœſtitiam occupati. Et propterea
promiſit illis Spiritum ſanctum, qui hoc &
alia neceſſaria eos vnaque Eccleſiam docturus
eſſet.

D. III. Quomodo Spiritus S. & Apoſtoli teſtimonium reddiderunt Chriſto.

Q. Tertiò. Qua ratione Spiritus ſanctus
& Apoſtoli teſtimonium perhibuerunt de
Chriſto? Reſp. Spiritum ſanctum vt moto-
rem & impulſorem, Apoſtolos verò vt inſtru-
menta. Spiritus ſanctus fuit inſtar venti & im-
plentis organum & fiſtulas: Apoſtoli fuerunt
inſtar fiſtularum. Idem ergò teſtimonium tule-
runt Apoſtoli & Spiritus ſanctus. Fuit autem
id ferè in his ſitum. Primò, in dono linguarum 1.
& miraculorum, quæ in nomine & virtute
Chriſti perpetrarunt, obſtupeſcente mundo.
Secundò, In efficaciâ prædicationis, quâ præ- 2.
cipuas mundi regiones ad Chriſtum conuerte-
runt. Tunc apparuit quanta vis ineſſet mini-
mo ſinapis grano & modico fermento Euange-
lij, quo breuî totus mundus fermentatus fuit.
Tertiò. In vitæ Apoſtolicæ Sanctitate. Obſtu- 3.
puit enim mundus & ad Chriſti cultum atque
amorem potenter attractus fuit, quando vidit
Apoſtolorum conuerſationem à ſuâ longè di-
uerſam, vtpote, honeſtam, quietam, nemini in-
iuriam, charitate plenam alijſque virtutibus
coruſcantem. Vnde 1. *Petri* 4. dicitur: *Admiran-
tur* (gentiles) *non concurrentibus vobis in eandem
luxuriæ confuſionem.* Græcè, ξενίζονται, *peregri-
nantur* q. d. peregrini & quaſi in alio mundo ſi-
bi eſſe videntur, dum aſpiciunt vitam veſtram
tam ſanctam & innocentem, à barbarâ & bel-
luina ſuâ tam diuerſam. Quartò. In promptitu- 4.
dine ferẽdi pro Chriſto quæuis tormenta, in in-
uicta ferendorum patientiâ cum ingenti gaudio
coniunctâ. Teſtatur de ſe ipſo S. Iuſtinus Mar-
tyr *in Apol.* 4. *ad Senat.* ſe ad fidem noſtram con-
uerſum eſſe; quia impoſſibile iudicabat vt ho-
mines tam libenter & conſtanter mortem pro
Chriſto, ſine Dei amore perferre poſſent. Inui-
cta Iacobi Apoſtoli patientia in Martyrio du-
ctorem eius: Tryphonis Martyris fortitudo
Reſpicium Centurionem conuertit. Exempla
alia ſunt quamplurima.

E. IV. Quorſum Chriſto Apoſtoli teſtes.

Q. Quartò. Quorſum Chriſto Apoſto-
li teſtes, cùm Deus Pater in eius baptiſmo,
Spiritus ſanctus in Pentecoſte, Angeli, Pro-
phetæ, Ioannes Baptiſta, Simeon, Anna, cœ-
lum denique & Elementa teſtimonium ei
perhibeant? Reſp. Primò. Propter Chriſtum, 1.
non

non quòd Apoſtolorum, vel aliorum hominum teſtimonio egeret (eò enim pertinet, quod ipſe *Ioan.* 5. dixit; *Ego ab homine teſtimonium non accipio*, ſcilicet neceſſariò) ſed ob eius maieſtatem. Decet enim magnum Regem multus & magnus apparatus ac comitatus; magna gloria, multa præconia.

2. Secundò. Propter nos erudiendos, vt ab hominibus fides Chriſti nobis annuntiaretur ſicque inſtructoribus noſtris velut ſpiritualibus genitoribus grati & deuincti eſſemus.

3. Tertiò. Propter Apoſtolos & reliquos Doctores, Chriſti teſtes, vt inde magnam ſibi in cœlo gloriam compararent, dum ſuâ teſtificatione alios Chriſto lucrantur.

4. Quartò. Propter ipſius fidei arduitatem ſimulque neceſſitatem. Quàm enim ex vnâ parte neceſſaria ad ſalutem eius fides, tam ardua eſt ex alterâ, intellectus noſtri aciem ſuperans. Quàm ſtupendum & incomprehenſibile eſt, Deum mori & quidem in cruce velut Latronem: hominem reſurgere ex mortuis: aſcendere in cœlum, &c. Quòd ſi etiam auditis tot teſtibus, multi reperiuntur, qui hæc non credunt, quomodo credidiſſent, hominibus perpaucis? Poſtquam verò tot tantoſque teſtes habemus, nullo iam iure dubitare aut fidem abiicere poſſumus. Vnde Apoſtolus ad *Hebræos* 12. de veterum Patrum teſtimonio loquens ait: *Tantam habentes impoſitam nubem teſtium*, &c. *curramus ad propoſitum nobis certamen*. Nubem teſtium vocat eorum copiam, quia denſæ inſtar nubis hominem circumſtant & ſuis ſuffragijs fouent ac rigant.

5. Quintò, Propter hæreticos, vt moneamur non recipere doctrinam, niſi ſaltem ab Eccleſiâ & ſede Apoſtolicâ approbatam: ne ſub eâ dolus lateat. Ideò Paulus etſi à Deo doctus Ieroſolymam tamen abijt vt cum Petro & Apoſtolis conferret, ad Gal. 2. non quod ipſe de Euangelio ſibi credito dubitaret, ſed ne eius auditores ipſi diffiderent, quaſi aliud quid doceret, quàm Petrus & Apoſtoli alij. Rectè porrò Chriſtus ſuos Apoſtolos adhibet teſtes vtpote oculatos & auritos, *quia ab initio mecum eſtis*, inquit: vt diſcamus etiam nos in rebus fidei non credere cuiuis teſtimonio, ſed ſolius Eccleſiæ Catholicæ, vt quæ ab Apoſtolorum tempore huc uſque perſiſtit, adeoque ab initio cum Chriſto fuit, indeque ſine interruptione hucuſque ſe extendit.

F. V. Cur prædicit Apoſtolis perſecutiones.

Q. QVINTÒ. Cur prædicit Chriſtus Apoſtolis futuras eorum perſecutiones? Reſp.

1. Primò. Ne ſcandalizarentur. *Hæc locutus ſum vobis*, inquit, *vt non ſcandalizemini*. Vult dicere: Occurrent vobis in hoc mundi pelago multæ & magnæ perſecutorum ſyrtes, nolite in his impingere vt naufragium faciatis & cogitetis vos à me deluſos & per dolum in hoſtium gladios impulſos: vel etiam à me derelictos eſſe; quaſi nolim aut non poſſim vos ſeruare. Timuit ſolicitus Dominus ne diſcipuli viſis perſecutorum fluctibus trepidarent & cum Petro in mari ambulante mergerentur: ſecundò, vt iacula præuiſa minùs eos ferirent. *Minus enim iacula feriunt, quæ præuidentur: & nos tolerabilius mundi mala ſuſcipimus, ſi contra hæc per præſcientiæ clypeum munimur*, inquit S. Gregor. hom. 35. in Euang. Non poterant quidem Apoſtoli euitare iacula iſta: audierant tamen ea non niſi ob Chriſti nomen in ſe vibranda eſſe, vt cùm in hodierno Euangelio Chriſtus dixit: *ſed hæc facient vobis quia non nouerunt patrem neque me*; quod ſummum eis gaudium ferebat. Magnum quoddam ſupplicium illaturos ſe Apoſtolis Iudæi exiſtimabant, ſi è ſynagogis eos excluderent; ſed quid mali hoc erat Apoſtolis? Ibant potiùs gaudentes, quòd pro nomine IESV contumeliam paterentur & ab improbis illis ſepararentur. 2.

G. VI. Cur Iudæi, deinde gentiles perſecuti ſunt Apoſtolos.

Q. SEXTÒ; Quare Iudæi inprimis (de his enim potiſſimùm loquuntur Chriſti verba) deinde Gentiles Apoſtolos perſecuti ſunt? Reſp. Primò, Ob ignorantiam, quæ tamen in pleriſque ſaltem craſſa vel affectata fuit; cùm viderent Apoſtolorum vitam ſanctam & inculpabilem. Hanc cauſam aſſignat Dominus velut præcipuam; *Hæc facient vobis quia non nouerunt patrem neque me*. q. d. nolunt cognoſcere. 1. Secundò, Ob falſam opinionem & figmentum de Chriſtianis; quaſi ipſi omnium cladium & communium calamitatum cauſæ forent; 2. quod refutat S. Auguſt. in l. de Ciuitate Dei & Oroſius in ſuâ hiſtoriâ, qui oſtendunt, ante Chriſtum plures & grauiores in orbe calamitates fuiſſe. Tertiò, Ob faſtum & arrogantiam ſuam, quæ retinebat eos ne humili Chriſti iugo & religioni, quæ humilitatem docet, faſtum calcat, colla ſubderent. 3. Quartò, Ex odio fidei Chriſti; quæ multa carni & mundo ingrata, multa etiam ſupra captum intellectus noſtri credenda docet: præterea ſuperſtitiones Iudæorum & Gentilium damnat & deridet. 4. Quintò, Ex impulſu Diaboli, qui hoſtes Chriſti ſtimulabat ad perſequendum eius nomen & Euangelium, à cuius propagatione perditum iri ſe præſenſerat. 5.

H. VII. Cur permittit Deus bonos affligi à malis.

Q. SEPTIMÒ. Cur permittit Deus bonos affligi à malis? Reſp. Præter cauſas Deo ſoli perſpectas, vna eſt ex parte reproborum, quos Deus ſuæ libertati & libidini permittit, vt appareat vis liberi arbitrij & naturæ per Adami lapſum deprauatæ miſeria, quæ in tot flagitia homines impellat, indeque magis æſtimetur beneficium redemptionis humanæ. 1.

2. Secundò. Ex parte bonorum, vt per improbos exerceantur & virtutes ſuas exſerant dum à malis impugnantur. Parum enim illis prodeſt habere virtutum habitus niſi ex ijs bonas virtutum actiones depromant: habere bonos gladios, niſi eos euaginent & hoſtium ſanguine conſecrent. Habent etiam boni veniales ſuos defectus, qui ſanè etiam emendari & caſtigari debent. Sicut enim quædam bona opera iniquorum, cùm non mereantur vitam æternam, merentur tamen aliqua temporalia commoda, vt opes, honores, imperia, teſte S. Auguſt.

S. Auguſt. *l.5.de Ciuit.c.15.* ita quædam opera mala iuſtorum non merentur quidem pœnas æternas, temporalium tamen bonorum amiſſionem aliaſque afflictiones haud dubiè merentur. Non meruère igitur carnifices tartareos: meruêre tamen carnifices terrenos.

3. Tertiò. Ex parte Dei, qui velut ſupremus mundi gubernator ſinit res agi ſuis motibus, adeoque hominem vti ſuo libero arbitrio, daturus ſuo tempore vniquique mercedem ſuam.

Cauſa vndecim ex S. Chryſoſtomo.

Sed audiamus hac de re D. Chryſoſtomum *hom. 1. ad populum* plures adducentem cauſas. *Multos*, inquit, *audiui talia quærentes. Quid tandem ille modeſtus & manſuetus homo ab alio quodam impio, & improbo per ſingulos dies trahitur, & innumeras patitur moleſtias: & Deus permittit? Quare alter accuſatus iniuſtè mortuus eſt? Ille ſubmerſus eſt, inquit, alius præcipitatus?* &c. *Itaque prima cauſa quidem eſt, quòd cùm facilè in arrogantiam propter meritorum & miraculorum magnitudinem tollantur: ipſos ſinit affligi. Secunda: ne cæteri maiorem habeant de ipſis opinionem quàm humana patitur natura; & ipſos Deos, non autem homines eſſe arbitremur. Tertia, vt & Dei virtus appareat per ægrotantes & compeditos exuperans, & prædicationem augens. Quarta, vt ipſorum illorum patientia manifeſta fiat non propter mercedem Deo ſeruientium, ſed & tantam exhibentium gratitudinem, & vt poſt tot mala ſyncera in ipſis beneuolentia oſtendatur. Quinta, vt de reſurrectione cogitemus, cùm enim virum iuſtum, & multa plenum virtute innumera paſſum mala, & ſic hinc digreſſum videris: oportet ex hoc omnino aliquid de illo iudicio cogitare. Si enim homines per ſe laborantes ſine præmijs & retributione migrare non permittis: multò magis eos qui tantum laborauerunt nunquam incoronatos remanere Deus decerneret. Si autem ipſos laborum ſuorum retributione priuare non elegit: omnino neceſſe eſt quoddam aliud tempus eſſe poſt præſentium finem, per quod præſentis vitæ laborum retributiones reciperent. Sexta, vt omnes in grauia incidentes, ſufficientem conſolationem & mitigationem habeant in eos reſpicientes & malorum quæ ipſis accidere, recordantes. Septima, ne quando exhortamur vos ad illorum virtutem & cuiq; dicimus: imitare Petrum, imitare Paulum, propter geſtorum exceſſum alterius ipſos naturæ participes fuiſſe cogitantes ad imitationem torpeatis. Octaua, vt quoniam beatos vel miſeros cenſere oportet, diſcamus quos quidem beatos: quos autem miſeros & ærumnoſos putare debeamus. ſi verò oportet & nonam dicere cauſam: illud dicere poſſemus, quod ſpectabiliores tribulatio faciat tribulatos. Tribulatio enim patientiam operatur: patientia verò probationem: probatio autem ſpem, ſpes verò non confundit. Vides quod ex tribulatione probatio futurorum nobis ſpem adfert, & in tentationibus manerè, bonum de futuris ſperare facit. Itaque non temerè dicebam, quòd hæ tribulationes reſurrectionis ſpem nobis deſignant, & vexatos meliores efficiunt. Quemadmodum enim, inquit, in fornace aurum examinatur, ſic & homo acceptus in humiliationis camino. Poſſumus & decimam dicere cauſam. Qualem verò hanc? quam & iam ſæpius dixi ſuperius, quod ſi aliquas habeamus maculas, & eas deponimus. Et bene Patriarcha declarans, ad diuitem dicebat; quoniam Lazarus ſua mala recepit, iam conſolationem accipit. Et ad hanc aliam rurſus inueniemus. Qualem verò hanc? vt corona & præmia nobis augeant. Quantum enim tribulationes ampliabuntur, immò verò & multò plus, non enim condigna ſunt paßiones præſentis temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Tot igitur cauſas habentes de ſanctorum afflictione dicendas ne in tentationibus indignemur: neque anguſtiemur, neque tumultuemur, ſed & ipſi noſtros inſtruamus animos & alios hoc doceamus.*

IN DOMINICA PENTECOSTES.

Euangelium Ioannis 14.

IN illo tempore, dixit IESVS diſcipulis ſuis: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me, patris. Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia: & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Audiſtis quia ego dixi vobis: vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem, quia pater maior me eſt. Et nunc dixi vobis, priuſquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiſcum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.

CON-

CONCIONES.

I. Gaudium & ſolemnitas huius feſti proponitur.
II. Diſpoſitiones ad Spiritûs Sancti ſeu gratiæ receptionem.
III. Quanta bona conferat homini Spiritus Sanctus per gratiam habitualem.
IV. Signa inhabitantis Spiritus Sancti, ſeu gratiæ in homine.
V. Circumſtantiæ aduentûs Spiritûs Sancti.
VI. Varij timores pelluntur igne charitatis.
VII. Communicaturus ſit columba.
VIII. Documenta.
IX. Myſteria.

CONCIO I.

Gaudium & ſolemnitas huius feſti proponitur.

Dies Pentecoſtes gaudio plena eſt:
1. Quia hoc die nuntiatum eſt Chriſtum dominari in cælo.
2. Quia nuntiatur pax Dei cum hominibus.
3. Quia hodie lex gratiæ cœpta eſt.
4. Quia cœpit Iubileum Chriſtianorum.
5. Hoc die Sacramentum Confirmationis primò adminiſtratum.
6. Hodie maximum donum Eccleſiæ collatum.

THEMA.

Factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis. Act. 2.

A. FESTVM Pentecoſtes, quod hodie peragimus, ſummâ cum animi lætitia & veneratione ſuſcipiendum eſſe, docemur vel à Iudæis, qui, vt tradunt aliqui (apud Cornel. à Lap. *in Act. c. 2.*) in ſuis olim Synagogis à Paſchate vſque ad ſuam Pentecoſten quotidie in Synagogâ conuenire ſoliti numerabant ſingulos dies qui interiacebant, dicendo: *Hic eſt primus dies, hic ſecundus, hic tertius*, &c. donec complerētur quinquaginta dies, quos claudit Pentecoſte. Rationem dat Rabi Moyſes in reſolutione dubiorum legis *l. 3. c. 44.* quòd Deus ſtatuerit 50. diebus ſuum in Sina aduentum à Iudæis exſpectandum, vt per tot dierum moram ſui aduentûs deſiderium in eis accenderet. *Sicut*, inquit, *qui expectat viſionem amici; quem diligit ex animo, numerat dies donec videat ipſum.* Quòd ſi hoc Iudæi qui legem ab Angelo acceperunt: quid feciſſe putamus Apoſtolos cæteroſque primos fideles ab aſcenſu Chriſti vſque ad Pentecoſten, exſpectantes ipſum Spiritum Sanctum? An nō illos ſingulas horas, ne dicam dies, numeraſſe dicemus? Quantò enim præſtantius donum eſt ipſe legiſlator Spiritus ſanctus quàm ipſius lex, tantò maius fuit gaudium Apoſtolorum gaudio Iudæorum in hodierna die. Iam verò, Auditores, gaudium Apoſtolorum nobis etiam commune eſt, vel certè eſſe debet; Idem enim donum & nos è cœlo accipere, ſi voluerimus, poſſumus; ſi nimirum ad Spiritus ſancti aduentum dignè nos paremus. Nunc porrò audiamus, quam ob rem hic dies gaudio plenus ſit.

B. I. Quia hodie nuntiatū nobis Chriſtum dominari in cælo.

PRIMÒ, Quia hodie accepimus nuntium certiſſimum, quòd Chriſtûs Dominus noſter in cœlo appulerit apud Patrem tanquam Aduocatus noſter & regnum cœli tanquam victor occupârit nobis. Hoc enim nuntium attulit nobis Spiritus S. quem idcircò in terras miſit Chriſtus, vt teſtaretur nobis triumphalem eius ingreſſum in regnum cœlorum. Priùs quidem obſeratum fuiſſe cœlum noueramus & cuſtoditum à Cherubim flammeoque gladio. Has excubias nunc ſublatas eſſe nuntiat Spiritus ſanctus & cœli aditum nobis patefactum. Cur non ergo hodie lætemur & iubilum inſtituamus, quando teſtatur nobis Spiritus ſanctus cœli regiam pro nobis à Chriſto Duce noſtro occupatam? Sanè cœlum ipſum triumphum iſtum nobis annuntiauit, cùm quaſi tormenta bellica exploſit; *factus eſt enim repente de cælo ſonus*, &c.

C. II. Quia nūtiatur nobis pax Dei cum hominibus.

SECVNDÒ, Quia hodie nuntiatur nobis pax & amicitia Dei cum genere humano; ſiquidem cœlum hodie cum terra communionem habere cœpit, vt indicat ignis de cœlo in capita Chriſtianorum delapſus, ignis, inquam, placidus, innoxius, fouens, recreans: non deuorans nec conſumens. 1. Certè ad oſtendendum, quòd Abelis ſacrificium Deo acceptum eſſet, miſit Deus ignem de cœlo, qui conſumeret illud, iuxta communem ſententiam, quam confirmat verſio Theodotionis, quæ habet (*Inflammauit Dominus ſuper Abel & ſacrificium eius*) Pari modo ignis hodie de cœlo lapſus & ſedens ſupra ſingulos in cœtu fidelium congregatos, oſtendit Eccleſiam Deo reconciliatam, placitam & acceptam eſſe. Ignis in veteri lege terribiliter ſæuiit in rebelles, etiam Iudæos; & qui in monte Sinai apparuit, terribilis fuit & *accenſibilis*, vt ait Apoſtolus *ad Hebr.* 12. id eſt, incenſus, vehemens & *ardens vſque ad cælum*, vt aſſerit Moyſes *Deut.* 4. Vnde deſignabat Deum adhuc iratum & implacatum. Ignis verò iſte innoxius fuit & placidus; quia denotabat Deum placatum & mundo reconciliatum.

2. Adhæc quando Reges ſibi inuicem munera mittunt, fœderis & amicitiæ ſignum eſt. Iam autem Genus humanum miſerat Deo munus ante paucos dies, animas ſcilicet Sanctorum Patrum, quas è limbo eductas, ſecum Chriſtus in cœlum euexit. Animas, inquam, ſanctiſſimas, Dauidis, Ioannis Baptiſtæ, S. Ioſephi, boni latronis, &c. Sed inprimis Chriſtum Dominum Regem gloriæ. Miſit viciſſim hodie Deus generi humano munus reciprocum, Spiritum Sanctum. Argumentum ergò hoc eſt pacem & amicitiam factam eſſe inter Deum & humanum genus.

D. III. Quia hodie lex gratiæ cœpit.

TERTIÒ, Quia hodie lex gratiæ promulgata & incepta eſt, vetus autem Moſaica, quæ ſeruitutis & timoris erat & iugum importabile, abrogata. Hinc probabiliter exiſtimant, Pentecoſten Iudæorum anno Paſſionis Chriſti, incidiſſe in diem Sabbathi, Pente-

Pentecoſten verò Chriſtianorum in diem Dominicum ſequentem: vt ſicut Sabbathum tranſijt apud Chriſtianos in Dominicam diem: ita tranſiret Pentecoſte Chriſtianorum in diem ſequentem; quo ſciremus legem veterem tranſiſſe in nouam; ſiquidem Pentecoſte Iudæorum inſtituta eſt ob memoriam & beneficium datæ legis Decalogi ſecundum Hieron. *ep. ad Fabio. de 42. manſ.* Et Aug. *q.* 95. *in quæſtion. ex nouo teſtament.* & alios, quinquageſimo die poſt Iudæorum Paſcha. Magnum autem beneficium eſt lex, quia eſt radius quidam lucis & legis æternæ, quæ eſt Deus: ſine quâ à Deo eiuſque mente ac voluntate grauiſſimè aberraremus. Demoſthenes dicebat leges eſſe ciuitatis animam. Philo lib. de Ioſepho, ait legem eſſe ciuitati, quod medicus eſt ægro.

Conuenit promulgatio veteris legis cum promulgatione noua.

Porrò in multis conuenit promulgatio legis veteris cum hac* noſtræ legis promulgatione. Primò, quia vtrobique data & promulgata eſt à Deo lex quinquageſimo die à Paſchate: ibi in monte Sinai, hîc in monte Sion. Sed ibi lex timoris & iugum graue: hîc lex amoris & iu-
1. gum ſuaue.

2. Secundò, Ibi viſebatur ignis, turbo, terræ motus, vt habetur Pſ. 67. *Terra mota eſt, etenim cæli diſtillauerunt,* &c. Hic igneæ apparuêre linguæ, ſonitus de cœlo tanquam ſpiritûs vehementis, & contremuit Domus Apoſtolorum.

Tertiò, Ibi audiebatur ſonitus buccinæ, qui
3. paulatim creſcebat. Hic audita eſt prædicatio Apoſtolica, quâ bellum indicebatur primò homini contra ſeipſum, deinde toti mundo & præſertim Idololatriæ. Ea vox paulatim per orbem creuit, & tandem *in omnem terram exiuit ſonus eorum.*

Quartò, Ibi ſecuta eſt pluuia; *etenim,* vt ha-
4. betur Pſ. 67. *cæli diſtillauerunt.* Hic effudit Spiritus S. gratiam ſuper omnes, vt loquerentur variis linguis, implerentur ſapientiâ & robore ad quæuis ferenda.

E. IV. *Quia hodie cœpit Iubilæū Chriſtianorum.*

QVARTÒ, Quia hodie cœpit Iubilæum Chriſtianorum, & aurea porta plenariæ remiſſionis mundo aperta eſt. Promulgatum eſt hoc Iubilæum ſono de cœlo facto, qui audiebatur per Ieroſolymam; quo modo edicta regia promulgari ſolent cum tubæ ſonitu. Præco erat S. Petrus, ad cuius promulgationem primam venerunt mox ad tria millia peregrinorum, vt de Iubilæo hoc participarent. Et quia hi ex diuerſis nationibus huc venerant, nuntiauerunt idem ſuis regionibus. Atque hic eſt annus ille Domini acceptus, cuius mentionem fecit Chriſtus *Luc.* 4. in primâ ſuâ concione. Eſt autem annus miſericordiæ, remiſſionis, reconciliationis, pacis, ſalutis, liberalitatis, gaudij, in quo poſt longam Dei iram reſtituimur in Dei gratiam, & acceptionem, hæreditatem, gloriam, aliaque bona priſtina, quæ habuiſſemus in paradiſo & ſtatu innocentiæ vel his meliora. In Iubilæo legis veteris, qui erat annus quinquageſimus, reuertebatur vnuſquiſque ad poſſeſſionem ſuam, *Leuit.* 25. Deinde ibi remittebantur & obliterabantur omnia debita. Et hîc fit remiſſio peccatorum; & prætereà iubetur vnuſquiſque remittere fratri ſuo quod contra ipſum habet, vt ſit omnium credentium *cor vnum & anima vna,* vti erat olim in primis Chriſtianis, *Act.* 4. Denique ſerui omnes in Iubilæo manumittebantur & fiebant liberi. Et hîc in lege nouâ diſcimus non ampliùs ſeruili cum timore, ſed filiali, & cum amore Dei voluntatem facere & mandata eius obſeruare.

F. V. *Quia hodie Sacramentum Confirmationis primò adminiſtratum.*

QVINTÒ, Quia hodie ſacramentum Confirmationis primò adminiſtratum eſt, licet modo extraordinario: dum à Chriſto Spiritus S. miſſus eſt in Chriſtianos, qui ad id vſque tempus pauidi erant: & ita miſſus, *vt maneret cum ipſis in æternum,* iuxta promiſſionem Chriſti *Ioan.* 14. adeoque vt deinceps non modò non timerent amplius vllas minas & tormenta Tyrannorum & Magiſtratuum obloquentium, ſed gauderent etiam pro nomine Ieſu contumelias pati. Ex hoc temporis articulo Petrus qui priùs ad vocem ancillæ tremebat, ſtatim coram omnibus extollere & prædicare Ieſum cœpit eiuſque reſurrectionem & aſcenſionem conteſtari: imò arguere Iudæos quòd eū, cum eſſet ſanctus & iuſtus prodigiis glorificatus Deique filius auſi ſint interimere. Hodie Diſcipuli, qui paulò antè vaſa lutea & infirma, nondum excocta erant, in fornace ignis diuini indurati & quodammodo ænei facti ſunt atque impenetrabiles, adeoque etiam in gratiâ confirmati, vt deinceps lethaliter non delinquerent, vt habet communis Theologorum ſententia: & probari poteſt ex illo *Ioan.* 14. *vt maneat vobiſcum in æternum.*

G. VI. *Quia hodie maximum donum Eccleſiæ collatum.*

SEXTÒ, Quia hodie donum omni comparatione maius Eccleſiæ collatum eſt, Spiritus S. ſcilicet, tertia Diuinitatis perſona, reipſâ & ſecundum ſe; ita vt infidelium cordibus verè & perſonaliter inhabitaret eoſque ſanctificaret & ignitet quaſi ſuâ diuinitate ſicut ignis penetrat & ignit ferrum vt iam non tam ferrum quàm ignis eſſe videatur. Neque ſolùm Spiritus S. ſed & Pater & Filius cum eo in hominem deſcendit, per concomitantiam, quia inſeparabiles: quomodo in conſecratione hoſtiæ corpus Chriſti directè, anima verò & ſanguis per concomitantiam ibi conſtituitur. Accepimus ergò hodie de cœlo non dona tantùm Dei, gratiam, charitatem, virtutes alias, ſed ipſum donatorem, Deum: non riuulos tantùm, ſed ipſum fontem: non fructus tantùm, ſed ipſam arborem. Hinc animæ iuſtorum factæ ſunt Dei Domus, templum, thronus & quodammodò cœlum ipſum.

Supereſt nunc vt videamus quâ ratione nos huius gaudij participes reddamur; quod fiet, ſi quæ huic magno & ſancto Hoſpiti aduerſantur, è cordis noſtri medio ſuſtulerimus, peccata: & prætereà domum cordis noſtri ſanctis emendandæ vitæ propoſitis ornauerimus, &c.

CON-

CONCIO II.

Diſpoſitiones ad Spiritus ſancti ſiue gratiæ receptionem.

Vt quis Spiritum S. recipiat.
1. Mens à terrenis ad Deum & cœleſtia eleuanda.
2. Opera miſericordiæ exercenda.
3. Reconciliatio & vnio animorum neceſſaria.
4. In oratione perſeuerandum.
5. Quærendi patroni qui cauſam eius agant.
6. Requiritur tranquillitas animæ.
7. Perfecta pœnitentia.

THEMA.

Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco. Act. 2.

A. MAXIMI apud homines ſolet æſtimari gratia & fauor Principum. Hinc enim lites & contentiones, inuidiæ & æmulationes, labores & expenſæ, vt hæc gratia obtineatur. Alij eam mercantur nummis: alij ſeruitijs etiam indignis & abiectiſſimis: alij precibus: alij per fautores & amicos: alij deprecatione offenſæ: alij modis alijs quærunt. Denique ſe beatos putant, ſi Magnatum gratiam habeant. Hinc enim Iacob, fratris ſui Eſau potentiam videns, cætera omnia quæ ille offerebat, reſpuens: *hoc vno*, dicebat, *indigeo, vt inueniam gratiam in conſpectu tuo.* Gen. 33. Quòd ſi gratia hominum tanti æſtimatur & tam ſolicitè quæritur, quantò magis gratia Dei æſtimanda & quærenda eſt? De hac enim Apoſtolus ad Rom. 6. ait: *Gratia Dei vita æterna*; finaliter nimirum, quia ad vitam æternam ducit. Per hanc in nobis habitat Spiritus ſanctus, imò tota SS. Trinitas vt ex hodierno Euangelio claret. Itaque omnia habet, qui DEI gratiam habet: nihil habet, qui hanc non habet: vt multò æquius dicere Deo poſſimus: *Hoc vno tantùm indigemus, vt inueniamus gratiam in conſpectu tuo.* Sed quâ tandem arte & viâ gratiam hanc quæremus, ſi in peccatis conſtituti, adeóque Deo exoſi ſimus? Viam hanc indagare licet in hodiernâ Epiſtolâ deſumptâ ex Actis Apoſtolorum: vbi myſtico ſenſu tanguntur opera illa, quæ potiſſimùm diſponunt hominem ad receptionem Spiritus ſancti & gratiam: vt videbimus.

B. I. *Mens à terrenis ad Deum & cœleſtia eleuanda.* PRIMÒ. Apoſtoli aſcenderunt in ſuperiorem partem domus & ibi manebant donec acciperent Spiritum ſanctum, vt patet ex *Act. 1. capite:* vbi Lucas ait eos aſcendiſſe in cœnaculum, græcè ὑπερῷον, id eſt, locum ſuperiorem. Ad hunc modum habitare debemus in ſuperiore parte domus noſtræ, ſi Spiritum ſanctum expectamus. Habet enim quilibet homo inferiorem contignationem, ſenſualitatem cum beſtijs: & ſuperiorem, rationem cum angelis communem; & ſicut plerumque ſuperior contignatio domus ornatior eſt, quàm inferior, ita & ratio longè nobilior ſenſualitate. Quis es qui in inferiori habitat? qui ad terrena inclinatus eſt, qui ſemper cogitat, quærit & ambit honores, opes, voluptates & quæ oblectant ſenſus: quorũ animus ſemper eſt in patinis, vt loquitur quidam: qui appetitui ſuo fræna laxant nec retrahunt eum à noxijs: vno verbo; qui ad inſtar pecudum ſenſibus ducuntur. Ad iſtos non deſcendit Spiritus ſanctus. Nam *Iſa. 42.* dicitur DEVS *dans flatum populo qui eſt ſuper terram & ſpiritum calcantibus eã.* Quod ita exponit S. Irenæus: *Flatum quidem omni populo, qui eſt ſuper terram, dat Deus: ſpiritum verò his tantummodò, qui terrena deſideria calcant.* Ad hæc quis neſcit ſpiritum & carnem ſeu ſenſualitatem ſibi maximè aduerſari? Hinc fortaſſe Spiritus ſanctus in ſpecie ignis apparuit, non aquæ aut terræ: item in ſpecie columbæ, non terreſtris alicuius animalis, quia ſcilicet in ſublimibus tantùm habitaculis, id eſt, in hominibus qui rationis ductum ſequuntur & ſuperna conſiderant, vult habitare. Vbi ergò inceperis à ſenſualitate tuâ exire & aſcendere in ſolitudinem cordis tui, tecumque cogitare; ad quem finem ſis creatus, quam viam hucuſque tenueris, quò tibi ſit eundum, quantùm à fine tuo aberraueris, vnde excideris & vbi hæreas, compoſitiſque tandem rationibus ſtatueris ſenſualitati tuæ imperare & rationis ductum ſequi, &c. tum appropinquabit tibi paulatim Spiritus ſanctus iuxta id Iac. 4. *appropinquate Deo & appropinquabit vobis.* Docet hoc prodigus filius, qui poſtquam in longinquâ regione cœpit egere. *in ſe reuerſus* (ait Saluator *Luc. 15.*) *dixit, quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? ego autem hîc fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te*, &c. Ad quid iſte dicitur in ſe reuerſus, ſi non priùs à ſe exijt. *Qui non gubernatur ratione*, inquit Theophil. eo loco, *ſed præter rationem viuit & abſurda alia exorditur, extra ſeipſum eſt: & non manet in ſuâ ſubſtantiâ, hoc eſt, ratione. Quando autem quis cogitat in quantam venerit miſeriam, tunc redit ad ſeipſum, conſiderans & in pœnitentiam veniens à ſuâ exteriori diuagatione.* Ita Theoph. Conſideret ergò peccator ante omnia ſtatum ſuum vnde & quò ceciderit, & cum Dauide clamet: *De profundis clamaui ad te Domine.* In quem locum S. Gregor. M. ſcribit: *Attendat vnuſquiſque in quo profundo iaceat & quàm longè à Deo, peruersè agens, effectus ſit & clamet ad Deum donec de tenebris profundi erutus ſuperno illuſtretur lumine*, &c. proponat etiam efficaciter agere pœnitentiam & dicat: *Surgam & ibo ad patrem meum*, &c. Hoc enim facientes, citò habebunt obuiantem ſibi Deum Patrem cœleſti auxilio & cor ad pœnitentiam permouentem; quemadmodum & prodigus rediens ad paternam domum obuium habuit patrem, accepit ab eo oſculum, ſtolam, annulum, &c.

C. II. *Opera miſericordiæ exercenda.* SECVNDÒ. Locus in quo manebant & Spiritum ſanctum præſtolabantur, cœnaculum fuiſſe ſcribit Lucas, id nimirum in quo Chriſtus lauit pedes diſcipulis ſuis & vltimam cœnam præbuit. Quid nobis deſignat hoc cœnaculum? Puto eleemoſynam & opera miſericordiæ, quibus lauamus pedes pauperibus & cibum præbemus. Hæc enim plurimum facere ad Spiritus ſancti gratiam acquirẽdam oſtendit exemplum

plum Cornel. Centurionis gentilis, *Act.* 10. cui dixit Angelus: *Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* Qui etiam monuit, accerſeret Petrum, vt ab eo baptizaretur. Teſtatur etiam alter Angelus: *Tob.* 12. dicens: *Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata & facit inuenire miſericordiam & vitam æternam.* Et S. Auguſt. *Serm 6. ad Fratres in Eremo. Miſericordia,* inquit, *ad Deum dirigit hominem, Deumq́; deducit vt habitet in homine.* Et poſt pauca concludit: *Amate ergò fratres mei miſericordiam, quia nunquam vidi pium hominem malà morte finiri.* Imò *l.* 21. *de Ciuit. c.* 27. aſſerit quoſdam ſine eleemoſynis non poſſe ſaluari, qui nimirum peccatis aut cupiditatibus irretiti, explicare ſe nequeunt, niſi pauperum preces maiorem & efficacem gratiam illis obtineant. Si ergò cibaueris eſurientes; cibabit te Chriſtus pane gratiæ ſuæ. Si laueris eorum pedes, lauabit te Chriſtus à peccatis tuis. Si veſtieris nudos, ipſe ſuis gratijs & virtutibus te induet: ſi infirmos viſitaueris, ipſe te in tuis viſitabit infirmitatibus; ſi peregrinos hoſpitio exceperis, excipiet te ipſe in cœlo: ſi captiuos redemeris, ipſe te redimet ex inferno: ſi mœſtos fueris conſolatus, ipſe te conſolabitur in tuo mœrore, & gratiam efficacem præbebit vt veram inſtituas pœnitentiam. Nam opera miſericordiæ, licet non ſint proximum antidotum expellens prauos peccatorum humores, ſunt tamen ſyrupi inſtar, cor diſponentia ad veram contritionem, quæ illos expellit, obtinendam. Habent quoad hoc diuites magnam prærogatiuam & viam apertam deducendi ad ſe Spiritum S. quam non habent pauperes: Vnde ex hac parte maximas Deo gratias agere debent, & vti hac facultate diligenter ad ſuam ſalutem: nec talentum ſibi creditum fodere in terrâ, quo poſſunt donum Dei maximum, Spiritum S. ſibi mercari. Multum pecuniarum dediſſet Simon Magus, ſi ijs Spiritum S. emere potuiſſet, vt habetur *Act.* 8. Sed quia is Spiritum S. propriè voluit emere, audijt: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Eleemoſynæ nummis emi poteſt.

D. III. Reconciliatio & vnio animorum.

TERTIÒ. *Erant omnes pariter in eodem loco,* ait S. Luc. *Act.* 2. quia ſcilicet *erat multitudinis credentium cor vnum & anima vna.* Act. 4. Propter hanc animorum vnionem meritò deſcendit ſuper eos Spiritus S. quod prædixit David Pſal. 32. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum; ſicut vnguentum in capite* (Chriſto videlicet) *quod deſcendit in barbam barbam Aaron,* (Apoſtolus Chriſti) *quod deſcendit in oram veſtimenti eius. Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion:* (Eccleſiam totam) *quoniam illic mandauit Dominus benedictionem.* Per hoc vnguentum intelligi poteſt Spiritus S. qui *ſpiritualis vnctio* dicitur: ſimiliter per rorem, qui in montem Sion deſcendit ſuper Apoſtolos & cæteros Chriſtianos in eodem loco pariter congregatos. Qui ergo vult huius benedictionis particeps fieri, omne inprimis odium & diſcordiam deponat, cum proximis ſe reconciliet, & iniurias condonet. *Si enim dimiſeritis,* inquit Dominus Matth. 6. *hominibus peccata ſua, dimittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra.* Nimirum hæc remiſſio, tametſi non meretur remiſſionem peccatorum, obtinet tamen per modum impetrationis, ſiquidem rationem habet ſacrificij & quidem excellentiſſimi, vt vult Auguſt. *lib.* 50. *hom. ho.* 6. & Chryſoſtom. *hom. de Dauide & Saule.* Et videtur inde colligi, quòd Dominus iuſſit ſacrificium relinqui in altari, & priùs reconciliationem cum fratre fieri. Non pauca ſunt exempla, quæ oſtendunt hanc remiſſionem peccatoribus gratiam efficacem obtinuiſſe. Vnum refert Thom. Cantiprat. *l.* 2. *apum. c.* 18. *p.* 3. de nobili quodam milite ſæculo dedito, qui cùm occiſori fratris ſui necem intentaſſet, rogatus tamen indulſiſſet, nullius prætereà boni ſibi conſcius, hanc à Chriſto reportauit gratiam, vt oranti & genua flectenti ante Crucifixum Chriſtus caput inclinaret.

E. IV. Oratio perſeuerans.

QVARTÒ. *Erant ibidem perſeuerantes vnanimiter in oratione,* vt ait Luc. *Act.* 1. Oratio ergò commodiſſimum medium eſt ad gratiam Spiritus S. impetrandam, Audi Pſ. 118. *Aperui os meum, & attraxi ſpiritum,* inquit q. d. attraxi precibus Spiritum S. vt intelligit S. Aug. Audi ipſum Saluatorem *Luc.* 11. *Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe;* conſtanter videlicet & importunè, vt ibi parabola oſtendit. Quando itaque aduertis te gratiâ Dei deſtitutum, adeoque te non habere ad inſtar illius amici *Luc.* 11. deſcripti, quod animæ tuæ famelicæ apponas, perge ad magnum illum amicum tuum, Chriſtum & ſuſcita illum ac poſtula vt accommodet tibi tres panes: panem contritionis ad peccata deflenda; confeſſionis ad eadem ritè confitenda; ſatisfactionis, ad eadem exſoluenda. Et ſi perſeueraueris pulſans, propter improbitatem tamen tuam (licet amicus eius non ſis) ſurget & dabit tibi quotquot habes neceſſarios. Nónne gentilis mulier fuit Chananæa? & tamen licet primò audiret: *non eſt bonum ſumere panem filiorum & dare canibus;* vbi non deſtitit precari, obtinuit non tantùm filiæ ſanitatem, ſed & ſibi gratiam, quia *adoptata eſt in filiam, honorata ad menſam, quæ ſe ſub menſam laudabili humilitate deiecit,* ait S. Petr. Chryſoſt. *ſer.* 100. Nónne peccator publicanus? & hic tamen breui, ſed feruenti oratione obtinuit Dei gratiam. Nimirum vti in candelam extinctam adhuc fumigantem, facilè deſcendit ignis, eamque accendit, ſi deſuper illum teneas: ita gratia Spiritus S. in feruentem, humiliatam & contritam orationem, quæ inſtar incenſi dirigatur ad Deum.

F. V. Quærédi patroni.

QVINTÒ, Erant orantes *cum Maria Matre IESV & fratribus eius,* ait Luc. *cap.* 1. Quare ſi peccator timet, orationes ſuas non exaudiendas, quærat ſibi patronos qui eius cauſam agant. Petat primò à viris iuſtis, quos nouit, vt pro ipſo Deum orent. Scimus enim orationem S. Stephani impetraſſe Sauli efficacem vocationem, & S. Monicam ſuis & aliorum SS. virorum precibus impetraſſe conuerſionem

filij

filij ſui Auguſtini. Scimus etiam Dominum remiſiſſe peccata paralytico, permotum fide geſtantium illum & ſubmittentium per tectum, Luc.5. In quem locum S. Ambr. *l.5. in Luc.* ait: *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoſcit alijs, & dum alios probat, alijs relaxat errata.* Et paucis interiectis: *Si grauium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Eccleſiam quæ pro te precetur: cuius contemplatione quod tibi Dominus negare poſſet, ignoſcit.* Sic Ambroſ.

Deinde adhibe ſanctorum, qui in cœlo ſunt, preces & inprimis Deiparæ, quæ ſingularis peccatorum eſt Aduocata, nec demerita eorum aſpicit, vti Chriſtus Iudex, ſed Dei miſericordiam. Etenim ſi ad eius preces Chriſtus aquam vertit in vinum: mutabit etiam inſipidum peccatorem in gratiſſimum ſibi amicum. Quis enumeret ſtupendas conuerſiones, quas Chriſtus Dominus ad ſuæ matris preces fecit? *In te enim,* inquit S. Bern. *ſerm. 2. de Pentecoſt.* *Angeli lætitiam, iuſti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ: quia in te & per te benigna manus omnipotentis, quidquid creauerat, recreauit; hominem reparans qui perierat.* Quòd ſi ſancti adhuc in mortali vita degentes periculis pleni & aliorum precibus indigentes, gratiam alijs impetrabant: quantò magis id facient conſtituti in cœlo? Et ſi Ierem. adhuc in limbo poſitus multum orabat pro populo, 2. *Mach.* 15. quantò magis in cœlo? nec timendum ne ibi noſtri obliuiſcantur vt pincerna ille Ioſephi, quia charitatem non depoſuerunt, ſed conuerſionem noſtram lucrum ſuum reputant.

Denique SS. Angelorum qui te quemadmodum Loth ex Sodomis manu apprehensâ educant è peccatorum incendio, *Gen.* 19. qui te velut Cornelium illum Centurionem moneant vt medicum aduoces, qui poſſit animam tuam ſanare. *Act.* 10.

G. VI. Tranquillitas animæ. Sextò. Erant in domo *ſedentes*, ait S. Luc. *Act. c.* 2. Vbi eſt ergò animæ tranquillitas, illuc libenter ingreditur & habitat Spiritus ſanctus. Audi S. Bern. *tract. de interiori domo. Omnes,* inquit, *cordis diſtractiones & mentis fluctuationes in vnum collige & in ſolo Deo totum deſiderium tuum fige, & ibi ſic cor tuum, vbi eſt theſaurus tuus deſiderabilis multumq́; amabilis. Ipſe enim frequenter viſitat & libenter inhabitat tranquillitatem cordis & otium quieta mentis, quoniam pax teſt & in pace factus eſt locus eius.* Hoc deſignauit Magdalena cùm ad pedes Domini ſedit, dum Martha circa multa occuparetur. Nemo libenter ingreditur domum in quâ audit iurgia & rixas. Videat ergò homo vtrum non in domo cordis ſui audiat adhuc iurgia Syndereſeos cum voluntate; & concordet diſſidentes. Si enim Syndereſis arguat voluntatem adhuc circa aliquid deprauatam: iam rixa eſt in domo. Audi Bern. vbi ſup. c.6. *Primò ſtudeat vnuſquiſque ne deſideat à ſemetipſo: quoniam omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet, nec intrabit Chriſtus vbi parietes inclinati fuerint & materia depulſa.* Et paulò pòſt: *Dignum habitaculum parat Deo, cuius nec eſt ratio decepta, nec voluntas peruerſa, nec memoria inquinata.*

H. VII. Perfecta pœnitentia. Septimò. Expectabant completionem dierum Pentecoſtes. Pentecoſte propter quinquagenarium numerum, à quo nomen habet, tropologicè ſymbolum eſt perfectæ pœnitentiæ ac remiſſionis peccatorum, vti docet S. Hieron. *l. 8. in Iſa.* vnde & Pſal. 50. maximè eſt pœnitentialis. Quare ſiquis velit accipere Spiritum ſanctum priùs agat perfectam pœnitentiam. In die Pentecoſtes debebant Iudæi ob memoriam dati decalogi, ex ſingulis habitaculis offerre duos panes ex primitijs frugum, *Leuit.* 23. ſimili ratione à pœnitente ob fractum ab eo decalogum offerendi ſunt Deo duo panes, contritio & confeſſio; vel ſi commoditas confeſſionis non adſit: dolor de peccatis, & propoſitum emendationis. Niſi tali oblatione places Deum, non agis Pentecoſten, nec recipies Spiritum ſanctum. Clarum eſt Spiritum S. deſcendiſſe in terras duplici forma, columbæ & ignis. Vtrouis modo cum expectes, non deſcendet nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Columba enim omnem è nido eijcit immunditiem, & ignis ſimiliter impuritatem. Columba illa, quam emiſit Noë de arca, reuerſa eſt ad arcam, quia non inuenit *vbi requieſceret pes eius*, ait ſacer textus *Gen.* 8. ſed quomodò non inuenit? an non inuenit coruus iam anteà emiſſus, qui non eſt reverſus, quia ſcilicet ſedit ſuper cadauera in aquis natantia, vt vult Chryſoſt. & alij. Nimirum columba non ſolet ſedere ſuper cadauera aut loco luto adhuc infecta: atque ita non inuenit locum mundum, in quo poſſet requieſcere. Ergò & Spiritus S. non requieſcit in peccatore, qui adhuc inſtar cadaueris fœtet vel in limo profundi hæret: cor mundum ei præparandum eſt, ſed quâ ratione? per ſynceram contritionem. An neſcimus quâ ratione Elias ignem de cœlo detraxerit ſuper ſacrificium ſuum, 3. *Reg.* 18. Poſtquam erexiſſet altare & poſuiſſet ſuper id holocauſtum, diuiſum ſcilicet in membra bouem: iuſſit aquam fundi ſuper holocauſtum & ſuper ligna, tribus vicibus, & tunc cecidit ignis Domini de cœlo ſuper altare & deuorauit holocauſtum & ligna & lapides, puluerem quoque & aquam. Iſta eſt ratio eliciendi in cor peccatoris ignem Spiritus S. ſi nimirum lachrymæ fundantur in peccata membratim diuiſa & expoſita in confeſſione; ſunt enim lachrymæ velut aqua viua ſeu aduſtum vinum, quod citò concipit ignem. Similem rationem eundem concipiendi ignem docuit Publicanus, dum percutiens & conterens pectus ſuum dixit: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Nouerat nimirum ille de ſilice ignem elici forti percuſſione, idcircò percuſſit lapideum pectus ſuum & ignem Spiritus S. extorſit. Eſt enim contritio, vltima ad gratiam diſpoſitio, directè expellens peccatum & aperiens ianuam Spiritui ſancto.

Porrò compleri debent hi dies Pentecoſtes, id eſt, perfecta pœnitentia agi; ſi enim

illi deſit vel dolor de peccato; vel propoſitum emendationis, vel confeſſio cùm eſt occaſio: non eſt perfecta pœnitentia.

Habemus igitur non vnam ſed plures vias deducendi ad nos Spiritum ſanctum & acquirendi Dei gratiam. Surgat inprimis quiſque de luto fæcis & incipiat deſiderare vera & ſolida bona. Deinde ſtudeat liberaliter erogare eleemoſynam. Quòd ſi hoc non poteſt, quia egenus fortè eſt; exerceat ſpiritualem aliam eleemoſynam dimittatque iniurias. Quòd ſi non habet inimicum: inſtet orationi iugiter. Quòd ſi etiam huic diffidat, adiungat ſibi patronos. Denique pacem in conſcientiâ ſuâ faciat per veram pœnitentiam.

CONCIO III.

Quinta bona conferat homini Spiritus Sanctus per gratiam habitualem.

Gratia habitualis primò facit hominem filium Dei adoptiuum.

2. *Facit illum Dei hoſpitem.*

3. *Confert ei dignitatem ſponſæ.*

THEMA.

***Pater meus diliget eum & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. Ioan.* 14.**

A. TRia non ſpernenda præmia promiſerat Saul Rex ei qui cum Goliatho in arenam deſcendiſſet eumque ſuperaſſet: diuitias magnas, filiam ſuam & exemptionem à tributo, quibus promiſſis excitatus Dauid in medium proſiluit ſeque ad duellum obtulit, vicitque feliciſſimè. Multò maiora pręmia ſunt, qui in hodierno Euangelio proponit nobis Chriſtus pro opere non difficili. Non enim vult vt pugnemus cum forti aliquo Goliatho, ſed vt ipſum diligamus; quod nemini difficile, ab omnibus prеſtari nullo negotio poteſt. Et audiamus præmia: *Si quis diligit me; Pater meus diliget eum:* ecce primum. *Et ad eum veniemus:* ecce ſecundum. *Et manſionem apud eum faciemus:* ecce tertium. Per primum offert ſe in patrem noſtrum: per ſecundum in noſtrum hoſpitem: per tertium in ſponſum. Quanta & quàm ſublimia ſunt hæc promiſſa! Omnia iſta confert homini gratia habitualis. Quis tantorum ſpe præmiorum non excitetur ad amorem Chriſti? Ergò vt hic amor in nobis exardeſcat, examinemus primùm accuratiùs præmia propoſita.

B. 1. Facit eum filium Dei adoptiuum.

Gratia habitualis. PRIMÒ. Confert homini dignitatem filij Dei (non naturalis ſed adoptiui) quod inſinuatur in hodierno Euangelio, cùm dicitur: *Et pater meus diliget eum.* Eam autem dilectionem non qualemcunque ſed filialem eſſe teſtatur Ioan. *ep.* 1. *cap.* 3. cùm ait: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur & ſimus.* Et indicat ipſemet Dominus, cùm iubet nos ſic orare; *Pater noſter qui es in cœlis.* Idque non denominatione extrinſecâ (quo modo aliqui vocantur Comites Palatini, qui Comitatum nullum habent: vel quo Rex Hiſpaniæ ſolet Heroes aliquos appellare cognatos, qui reuerà cognati eius non ſunt) ſed reuerà: *vt Filij Dei nominemur & ſimus.* Et ratio eſt, quia gratia eſt quædam participatio diuinæ naturæ & ſimilitudo; quanta maximè in creaturâ haberi poteſt. Vnde 2. *Pet.* 1. dicitur: *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit: vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* Secundùm S. Bern. eſt radius quidam ſolis Iuſtitiæ, animam quaſi Deificans: vt autem ſolis radius in ſpeculum incidens ſolem repræſentat, ſic gratia in anima Deũ. Vt ergò pater amat filium, quia eius caro & ſanguis eſt, eius nomen, formam & mores repræſentat filius, & tantò magis amat, quantò magis is repræſentat, veluti adultum & reip. iam vtilem quàm infantem: ita Deus amat hominem iuſtum vti filium, quia eius gratiam in ſe habet eiuſque moribus ſe accommodat.

Quanta verò dignitas; diligi à Deo & diligi vt filium? Nemini eſt obſcurum, quanti æſtiment homines, ſi principibus viris familiariter quis vtatur, ſi cum illis epuletur, ludat, corrideat, eodem curru vehatur: ſi de propria eorum manu litteras accipiat, ſi amicus ab eis vocitetur, &c. & quantulum eſt hoc? Principes illi homines ſunt, & quia cor amati non vident, vix amant ſine formidine & limitatione. Longè aliter Deus, qui verè & omnimodè amat iuſtum. Et quis eſt Deus: & quis homo; vt amari à Deo debeat? Vnde Iob *cap.* 7. miratur: *Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Quanta autem ea dignitas, homuncionem pauperculum vocari à Deo filium, quemadmodum vocatus à Chriſto paralyticus ille: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua?* *Quanta hæc dignitas.*

Quantũ & hoc bonum.

Quantum etiam hoc bonum? Nam *ſi filij; & heredes,* inquit Apoſtolus ad Rom. 8. *heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti.* Gratia enim eſt ſemen gloriæ. Sicut ergò ex ſemine naſcitur arbor & fructus; ita ex gratia prouenit gloria & fælicitas æterna. 1.
Rurſum ſi filij: ergò ſingulari & paternâ beneuolentiâ ab eodem gubernantur, paſcuntur, proteguntur, etiam in hoc ſeculo. 2.
Nam ſi diligit Deus iuſtum & diligit vt filium quid non bonorum impendet & prouidebit illi? Videmus parentes pro filijs ſudare, algere & extrema pericula adire, quò eos alant, ditent, ornent; ſcientias expoliant, euehant, &c. hocque ideò tantùm, quia amant eos vt filios. Hoc totum ergò, & multò plus præſtabit (etſi abſque labore) Deus iuſto; quia vt filium amat. Quòd ſi nunc rogemus paruulum: Quæſo vnde tibi veſtis, poſtquam hanc detriueris? pecunias non habes, vt coemas; ſartor non es, vt conficias: vnde tibi erit veſtis? mox reſpondebit: Pater meus prouidebit: ego de hoc ſolicitus non ſum. Si quæramus rurſum: Ecce nunc quàm difficilia tempora! quanta annonæ caritas! Et vnde tibi victus, ſi à patre emanciperis? dicet illicò: Pater mihi prouidebit de patrimonio, vxore diuite, ſtipendio, relinquet hæreditatem, &c.

Si ei

Si ei dicamus : cur quæſo pater tuus ablegat te ad peregrinam & longinquam nationem ? cur in aula principis ſeruire cogit ? cur adigit te ad linguas perdiſcendas ? cur cogit frequentare ſcholas & negligere interim plurimas delitias & recreationes domeſticas ? reſpondebit, ſi ſapit, id in meam pater facit vtilitatem, vt ſcientijs & bonis moribus imbuar. Totum hoc dicere poteſt & cogitare debet quiſquis Dei gratiâ præditus eſt.

Pater videns filium patientem vel pericli-
3. tantem, ſtatim accurrit & fert opem ; ægro medicos aduocat. Sic & Deus iuſto. Vnde duæ illæ ſorores ægrotante fratre Lazaro, nil aliud nuntiant Chriſto, quàm : *Ecce quem amas, infirmatur.* Non dixerunt; veni : *Amanti enim tantummodò nuntiandum fuit. Sufficit vt veneris : non enim amas & deſeris*, ait S. Auguſtinus *tract.* 49. *in Ioan.*

4. Denique ſi filij per gratiam, ergò omnia Dei bona noſtra etiam ſunt ; quia *omnia mea tua ſunt*, ait pater ille filio *Luc.* 15. Qui enim habet gratiam, habet ingentem auri theſaurum, quo omnia poteſt emere, ideoque ditiſſimus eſt; vnde Apoſtolus : *Gratia Dei, vita æterna*, ad Rom. 6.

C. II. *Facit illum Dei hoſpitem. Quanta hæc dignitas.*

SECVNDÒ. Confert homini dignitatem hoſpitis & hoſpitij diuini. Propter quod in hodierno Euangelio ſubditur ? *Et ad eum veniemus.* Quanta etiam iſta dignitas, quantum bonum ! Dignitas ex eo elucet, quòd Centurio ille indignum ſe reputauit, qui reciperet Chriſtum in domum ſuam. Similiter Ioannes Baptiſta etſi omnium Sanctiſſimus, cùm dixit: *Tu venis ad me ? ego à te debeo baptizari.* Quantum ergò eſt illud : totam Sanctiſſimam Trinitatem venire ad hominem ? Venit enim ad hominem iuſtum ſingulari quadam ratione (non quâ omnibus rebus præſens eſt) ſingulari fauore, ſplendore & munificentiâ. Venit non per Legatum aliquem aut donum ſolum intermedium, ſed in propriâ naturâ & tribus perſonis totius Sanctiſſimæ Trinitatis, vt indicat Euangelium & docent omnes Doctores. Non enim per gratiam & charitatem habitat in homine, quaſi per vicarium donum : ſed realiter & perſonaliter mediante gratiâ, vinculo vnionis. Per gratiam enim fit perfecta amicitia inter Deum & hominem, quæ poſtulat præſentiam amici, vt argumentatur Suarez *l.* 12. *de Deo trino & vno. c.* 5.

Quantum & hoc bonum.

1. Quantum etiam hoc bonum ? Si enim Deus venit ad hominis animam vt in eâ habitet, ergò non venit vacuus, (iuxta id Apoſtoli 1. *Cor.* 15. *gratia eius in me vacua non fuit*) ſed quemadmodum domui Laban benedixit Deus ad introitum iuſti Iacob, vt omnia ei proſperè ſuccederent : *Gen.* 30. ita multò magis benedicit Deus homini veniens ad illum. Affert enim ſecum plurimas virtutes & fontem perennem *aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam*, iuxta id Ioan. 7. *Qui credit in me ſicut dicit ſcriptura ; flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. (Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes)* ait Ioannes. Fons ille aquæ ſalientis in vitam æternam eſt Spiritus ſanctus, vt exponit S. Ambroſ. *lib.* 1. *de Spiritu ſancto. cap.* 20. Vnde fluit aqua gratiæ & inclinat ad producenda opera cœli meritoria. Vt enim aqua tantum aſcendit, quantum priùs deſcendit : ſic opera in cœlum non aſcendunt, niſi per gratiam quæ priùs de cœlo in cor hominis deſcendit. Exinde ergò fit vt omnia iuſti opera bona ſint meritoria gloriæ & velut riuuli ſaliant ad vitam æternam. Bona opera moralia extra ſtatum gratiæ facta, aquæ decurrentes ſunt in terram; bona verò in gratiâ facta, aquæ ſalientes in cœlum. O quantum ergò adlaborandum, vt ſemper in gratiâ ſimus ! Flumina inde manantia ſunt virtutes & dona Spiritus ſancti, quæ ſecum affert gratia. Præter hæc affert etiam vitam animæ, ita vt ſit viuum & fæcundum Chriſtoque incorporatum membrum.
Vt enim aula Principis eo præſente tota quo- 2.
dammodo viuit & occupatur variis exercitijs : eo abſente languet & mortua eſt : ita etiam anima inhabitata à Spiritu ſancto tota vegetatur & vitales gratiæ operationes edit : eo
deſtituta concidit & languet. Deinde ſi Deus 3.
inhabitat in homine, nihil eſt quod metuat homo in quacumque aduerſitate. *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos ?* ad Rom. 8. Cæſar in præſentiſſimo periculo nauigans timenti nauarcho dicebat : *Confide fortunæ, ſciaſq́ te Cæſarem vehere* ; ſeu vt alij : *noli timere, Cæſarem fortunatum vehis.* Plut. *in apophţ.* Quantò magis animare iuſtum debet DEI præſentia & inhabitatio, quibuſcunque tandem in periculis ? Deum enim fortunatum vehit. Et licet etiam contra iuſtos inſurgant tempeſtates, eoſque grauiter exagitent, quamdiu tamen Dominus cum & in illis eſt, totæ ad bonum eorum cedunt ; iuxta id Eſa. *dicite iuſto, quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet.* Si enim des illi opes, fiet alter Gregorius Papa, Stephanus Vngariæ Rex, &c. eximius videlicet eleemoſynarius. Si eidem eas auferas, fiet alter Iob vel Seruolus, & vtrâque in fortunâ mirè proficiet ad ſanctitatem ; quo modo Dauid in aulâ Saulis, ſiue ab eâ amoueretur, odio regis ; ſiue ad eam reuocaretur eiuſdem placatione, vti 1. *Reg.* 18. videre eſt : vbi bene de eo dicitur: *Egrediebatur & ingrediebatur in conſpectu populi.* Tam enim egreſſus eius à facie & fauore Saulis, quàm ingreſſus ad eundem, proſper & ad virtutis progreſſum ſalutaris ei fuit. Rurſum Dauid egrediebatur & intrabat in conſpectu populi, id eſt, ſecurè agebat, licet Saul ei infenſus eſſet, quia ſcilicet erat Deus cum eo. Cùm contrà Saul etiam ſtipatus exercitu ſemper metueret. Vnde Pſalm. 22. ait Dauid : *non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et Apoſtolus Philipp. 4. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Eidem cum tentationibus conflictanti dicitur à Deo : *ſufficit tibi gratiâ meâ.* Et S. Chryſoſtomus *in Gen.* aits

ait: *Gratia Dei murus inexpugnabilis.*

4. Denique cùm intrat Spiritus ſanctus, mediante beneficio prædicto, in animam iuſtificatam, non ſedet ibi otioſus, non ſufficit illi animam ſuâ præſentiâ condecorare, ſed & virtute ſuâ ſanctificat illam, operando in illa & cum illa, quicquid ad ſalutem conueniens eſt. Sedet ibi tanquam paterfamilias in domo ſuâ, illam gubernans; ſedet ibi tanquam præceptor in ſcholâ inſtruens illam: tanquam hortulanus in horto ſuo, colens illam: tanquam Rex in regno ſuo, regens illam: tanquam ſol in mundo, illuminans illam: denique tanquam anima in corpore ſuo, dans illi vitam, ſenſum & motum, non quidem vt forma in materia, ſed vt paterfamilias in domo. Quid itaque beatius, quid optatius, quàm in ſe hoſpitem habere talem ducem, talem ſocium, talem gubernatorem, tutorem denique & adiutorem talem? qui cùm ſit omnia, omnia quoque operatur in anima, in quâ commoratur. Præcipuè verò tanquam ignis illuminat noſtrum intellectum, inflammat noſtram voluntatem, & è terris ad cœlum vſque exaltat: ipſe tanquam columba, nos ſimplices facit, manſuetos, placabiles, & omnibus amicos: ipſe tanquam nubes refrigerat nos, & defendit ab ardore carnis, temperat inſaniam furoremque paſſionum noſtrarum: ipſe denique tanquam ventus vehemens mouet atque inclinat voluntatem noſtram ad omne bonum, ſegregans illam & abſtrahens ab omni inclinatione malâ: donec tandem eò perueniant iuſtificati, vt exoſa ſint ipſis omnia vitia quæ priùs amabant, amentque virtutes, quas priùs oderant, vti Dauid idipſum apertè fatetur ſibi contigiſſe; quodam enim loco dicit: *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum:* Et alio loco: *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs.*

D. III. Facit eam ſponſam. *Quanta hæc dignitas.*

TERTIÒ. Confert homini dignitatem ſponſæ, quia deſponſat & deuincit ipſi Deum, ne vnquam eum deſerere queat, niſi priùs homo Deum ipſemet deſerat. Et hoc indicatur cùm dicitur in hodierno Euangelio: *Et manſionem apud eum faciemus.* Non enim venit ad hominem Deus, quo modo viator ad hoſpitium, qui citò iterum recedit: ſed in eo per inhabitantem Spiritûs ſui gratiam, qui eſt pignus æternæ gloriæ, manet; dummodò homo pignus id ſuaptè culpâ non prodigat. Et idcircò SS. litteræ teſtantur Deum deſponſari animæ iuſtæ, Oſ. 2. *ſponſabo te mihi in ſempiternum,* &c. Quanta autem iſta dignitas, fieri ſponſam Dei? Sanè Dauid cùm deuicto Goliatho offerret ei Saul filiam in ſponſam, ſtupens dicebat: *Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio patris mei in Iſraël vt fiam gener Regis.* 1.Reg. 18. At quantò maius eſt fieri ſponſam Dei?

Quantum bonum.

1. Quantum etiam bonum! Primò enim ſi ſponſa Dei eſt anima iuſti; ergò Deus ei deuinctus in æternum, vt ab eo diuortium facere nunquam queat, niſi ipſa fornicetur, & relicto Deo, alteri adhæreat. Sic enim Ezech. 16. ait: *Iuraui tibi & ingreſſus ſum pactum tecum, & facta es mihi.* Huius rei teſtem annulum gerit in ſeipſâ, gratiam ſcilicet, quæ eſt pignus gloriæ. Et ſeruat quidem Deus ſemper fidem ſponſæ ſuæ: viciſſim verò requirit ab eâ eandem; quia per annulum gratiæ eam ſibi deſponſauit in ſempiternum. Ac ſi quidem illa fidei ſuæ oblita fornicetur, poteſt illi obijcere DEVS, quod Thamar Iudæ Gen. 38. *Cognoſce cuius ſit annulus.*

Et hoc eſt quod ſemper adeò conſolabatur Martyres & cæteros ſanctos, quòd licet omnia ijs auferri ab hominibus poſſet, Deus tamen non poſſet: iuxta id Domini: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.*

2. Deinde ſi ſponſa Dei eſt anima: ergò ab eo ornari debet; hoc enim debet vir vxori: idemque præſtat Deus iuſto, quem gratiæ ſuæ veſte ita adornat, vt B. Catharina Senenſis, poſtquam animæ in gratia conſtitutæ pulchritudinem ſemel vidiſſet, Confeſſario diceret: *O pater ſi tibi conceſſum eſſet intueri animam hominis abſque peccato, in gratiâ Dei conſtitutam, propter amorem ac ſalutem animæ tuæ in prædam te dares cuicunque tribulationi, tormentis & cruciatibus quibuſcunque, & pati non vnam dumtaxat, ſed mille mortes eligeres.* Deut. 21. iuſſit Deus vt ſi quis Iudæus ex captiuis aliquis extraneam in vxorem adamaret, primò eam ſordidis veſtibus ſpoliaret: exin ſtatim nouis mundiſque indueret & ſic eam vxorem haberet. Decet igitur vt hoc faciat DEVS animæ peccatrici verè alienigenæ cùm aſſumere eam vult in ſponſam. Itaque non ſolùm à peccatis eam abluit, ſed præterea nouâ ſplendidaque gratiæ veſte, virtutum coloribus variegatâ induit. Ea verò pulchritudo in quibuſdam ſanctis è facie elucebat, vt in B. Virgine, teſte S. Dionyſio Areop. in S. Stephano, S. Arcadio, S. Simone Salo, S. Ignatio, &c. Hanc SS. & Angeli in anima venerantur & ſtatim incipiunt amare.

3. Adhæc ſi ſponſa, ergo à ſponſo ſubinde recreari & cum ipſo gaudere debet, *Nunquid enim poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus?* ait Dominus Matth. 9. Sic qui in gratiâ ſunt, ſemper animo pacato & hilari ſunt, & in ipſis afflictionibus reficiuntur à ſponſo ſuo internis ſolatijs.

4. Sponſa dignitatem ſortitur ſponſi, vt ſi ſponſus ſit Rex, ſponſa fiat Regina. Omnes etiam proles ſponſæ Regiam induunt dignitatem propter ſponſum Regem, tametſi ipſa priùs non fuerit regina: ita opera hominis iuſti induunt rationem meriti cœleſtis, vt ſuprà d.

5. Denique ſponſa gaudet & fruitur bonis ſponſi. Omnia enim quæ habet ſponſus, ſponſæ etiam ſunt: nec fit inter coniuges partitio bonorum: Sed quod eſt vnius, eſt & alterius. Regnum igitur ſuum, quod eſt *iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto* (ad Rom. 14.) Deus intra ſponſam ponit vt ea cum ipſo regnet: ipſius bonis fruatur.

Quando

Quando itaque tanta ſunt bona quæ præparauit Deus diligentibus ſe : tantæ dignitates, tantæ diuitiæ, tantæ prærogatiuæ; quis non incitetur ad amorem Dei & vitiorum odium ac fugam? Neque enim hîc alia pugna niſi contra vitiorum illecebras requiritur: nec alius amari præcipitur niſi is qui ex naturâ ſuâ amabiliſſimus, imò omne bonum eſt. Quando ſpecioſiſſima illa Iudith in caſtra Aſſyriorum deſcendit, Aſſyrij viſâ eius pulchritudine dicebant: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras habent mulieres, vt non pro his meritò contra eos pugnare debeamus?* Iudith. 10. Nihil ad decorem gratiæ decor ille Iudith. Quis ergò non pro eâ depugnet contra vitia? quis non amet Deum, qui amorem illum tanto amore remunerat?

CONCIO IV.

Signa inhabitantis Spiritus Sancti ſeu gratiæ in homine.

1. *Signum Spiritus S. hominem inhabitantis eſt motus in homine internus.*
2. *Mutatio hominis in virum alterum.*
3. *Fuga illecebrarum, peccati, & timor Dei.*
4. *Timoris humani expulſio.*
5. *Robur & imperterritus ad patiendum animus.*
6. *Promptitudo ad obediendum Deo.*
7. *Deſiderium maioris profectus, alacritas ad bene operandum &c.*

THEMA.

Tanquam ignis ſedit ſupra ſingulos eorum. Act. 2.

A. MAGNI momenti quæſtio eſt, quam propoſuit S. Paulus quibuſdam Diſcipulis Act. 10. *Si Spiritum ſanctum accepiſtis?* *ſi quis* enim *Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius*, inquit idem Apoſtolus ad Rom. 8. q. d. in ſtatu gratiæ non eſt, in ſtatu damnationis eſt. Sed nec minùs difficilis quæſtio iſta eſt; quia Spiritus S. non iam viſibili ſpecie, velut olim, columbæ ſuper Chriſtum, vel ignis ſuper diſcipulos eius: Sed arcano & inuiſibili modo in cor hominis deſcendit. Vnde Dominus Ioan. 3. dixit Nicodemo: *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis: ſed neſcis vnde veniat & quò vadat; ſic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu.* In quem locum D. Gregorius l. 27. *moral c.* 13. ait: *Vocem Spiritus audire eſt vi compunctionis intima in amore Conditoris aſſurgere. Sed nemo ſcit vnde veniat: quia ignoratur per ora prædicãtium, quibus ſe ad nos occaſionibus fundat. Et nemo ſcit quò vadat, quia cùm vnam prædicationẽ multi audiunt, intelligi non poteſt, quam deſerens abijciat, aut cuius ingrediens in corde requieſcat.* Quid igitur Auditores, quid reſpondebimus Apoſtolo? *ſi ſpiritum S. accepiſtis?* Reſpõdemus ex Eccleſiæ Cath. ſententia, non ſcire quidem nos certitudine fidei (vt volunt hæretici) nec certitudine infallibili ſeu euidenter, an Spiritum S. acceperimus; poſſe tamen ſcire certitudine quadam morali ſeu coniecturali, quæ excludat anxietatem ac metum & quandoque omnem oppoſiti formidinem. Poſſumus ergò audire vocem Spiritûs ſancti; hoc eſt, ex quibuſdam argumentis præſentiam eius deprehendere; tametſi illam in nobis oculo fidei aut ſcientiæ non cernimus. Et propterea in ſpecie ignis deſcendit hodie in diſcipulos, vt per analogiam & ſimilitudinem effectuum, quos parit ignis, deprehendamus in cordibus noſtris gratiam eius: id quod nunc faciemus.

Ignis PRIMÒ ſtrepitum edit, nec non bombum in bombardis, tonitru in nubibus. Ita Spiritus S. cùm incipit mouere cor ad pœnitentiam & deteſtationem peccati, totum hominem concutit & quaſi fragore quodam edito aut tonitruo percellit. Quemadmodum enim ingrediente Domino Ieroſolymam *commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic?* Matth. 21. Ita ingrediente in cor hominis Spiritu S. commouetur totus homo dicens: Quis eſt hic, quem offendi? quis ſum ego qui eum prouocare ad duellum auſus ſum? quantâ inſaniâ laboraui? quoties & quàm grauiter deliqui? quantum boni perdidi: quæ ſupplicia commerui: Hunc ſonitum ſignificare videtur ventus ille vehemens, qui miſſionem Spiritus S. præceſſit & repleuit totam domum vbi erant ſedentes: vt ſcilicet indicetur priùs vento gratiæ præuenientis & ad contritionem excitantis deijcienda obſtacula Spiritus S. peccata & pulueres peccatorum euerrendos. Quod ſi igitur eiuſmodi cõmotionem & fragorem in te ſenſeris, bono animo eſto; non longè à te abeſt Spiritus S. paulò enim pòſt aderit. Cuius rei figura erat Samſon, qui irruente in ſe ſpiritu Domini dilacerauit Leonem quaſi hœdum in fruſta diſcerpens Iud. 14. Diſcerpere igitur & tu peccata debes per contritionem & in fruſta comminuere per confeſſionem: ſi vis vt credam te à Spiritu ſancto afflatum eſſe. B. I. Motus in homine internus.

SECVNDÒ. Ignis immutat rerum naturas: cibos crudos excoquit & ſalutares homini reddit: ferrum naturâ ſuâ durum, obſcurum, ponderoſum, frigidum dum ignit, ignis conditionibus induit; reddit molle, lucidum, leue, feruens. Idem in corde hominis efficit Spiritus ſancti aduentus; immutat enim hominem, vt iam non idem, ſed alius quidam homo eſſe videatur. Qui enim paulò antè ferro durior, tenebris ipſis tetrior atque obſcurior, pondere vitiorum ad terram demerſus, glacie denique frigidior in amore cœleſtium erat rerum; poſteà adueniente gratiâ duritiem ſoluit ceditque inſpirationibus diuinis: cœleſti lumine illuſtratur; excuſsâ peccatorum ſarcinâ ac pondere terreni amoris aſſurgit ad diuina, cœleſtia deſiderat: feriò & conſtanter cauet peccata: flagrat Dei amore, &c. Hac ratione Saul poſtquam oleo inunctus fuit, à ruſtico & paſtoritio viro mutatus eſt in Regem, prophetam ac pſaltem. Vnde Samuel ad eum dixit: *Inſiliet in te Spiritus Domini & pro-* C. II. Mutatio hominis in virum alterum.

prophetabis cum eis & mutaberis in virum alterum, 1. Reg. 10. q.d. qui priùs ruſticam egiſti vitam, de aſinis tantùm ſolicitus & pecoribus, vilia & infima tractare ſolitus es, poſteà inunctus oleo & afflatus ſpiritu Dei, altiores & regias cogitationes ſuſcipies; regios mores indues; ſublimia tantùm negotia tractabis & cum prophetis diuinas laudes canes. Id quod ibidem factum eſſe magnâ populi admiratione ſcribitur; dicebant enim: *Quænam res accidit filio Cis? Num & Saül inter prophetas?* Idem contigit Apoſtolis, qui ex vnctione Spiritûs ſancti è rudibus & indoctis piſcatoribus in viros tam eloquentes, eruditos & graues ſunt mutati; vt omnes qui eos audiebant, obſtupeſcerent ac quodammodo dubitarent, vtrum ijdem an alij eſſent. *Nónne*, inquiunt, *ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt?* Act. 2. ſanè ebrios ſaltem aut inſanos putabant. Verùm ebrij erant ſpirituali muſto; quia per infuſionem Spiritus ſancti è carnalibus ſpirituales, è terrenis cœleſtes facti ſunt. Quando igitur videritis aliquem priùs mundo, delitijs & vitijs deditum mores commutaſſe in melius, mundum & delitias ſpernere, ſuperna amare, terrena faſtidire, pro ſceleratis actionibus ſanctas edere; tunc ſcitote eum Spiritu ſancto inunctum eſſe ac dicite: *Hæc mutatio dexteræ excelſi*. Pſ. 76.

D. III. Fuga illecebrarum peccati & timor Dei.

Tertiò. Ignis omnia reſpuit & neminem ad ſe propè accedentem admittit, quin in eum pugnet. Idem agit in homine Spiritus ſanctus quando per gratiam in eo habitat. Quare ſi peccatorum illecebras paſſim occurrentes reſpuas & in eos pugnes; argumentum eſt Spiritûs ſancti in te habitantis. Paradiſum muniuit Deus flammeo gladio, *Geneſ.* 3. ne quis deinceps accedere ad lignum vitæ poſſet. Spiritus ſanctus munit cor hominis, quod inhabitat, igne timoris Dei. Hic ſi fuerit cuſtos cordis tui, vt mundo, carni, diabolo aditum occludas, tunc dicam hoſpitem cordis tui eſſe Spiritum ſanctum. Quando principis palatium apertum & nullis ſatellitibus ſtipatum eſt, ita vt cuiuis de plebe licitum ſit ingredi, ſignum eſt principem domi non eſſe: contrà verò in palatio eſſe, cùm ad fores excubant ſatellites & ab ingreſſu palatij arcent eos, qui ingredi non debent. Ita dico ego, ſi cor tuum omnibus paſſim deſiderijs & cogitationibus ſit peruium, nec proptereà tibi conſcientiam facias; non eſſe domi tuæ Spiritum ſanctum. At ſi cuſtos tuus ſit ignis Spiritûs ſancti & timor Dei: ſignum eſt inhabitare te à Spiritu ſancto. Habuêre cuſtodem iſtum Apoſtoli qui poſt acceptum Spiritum ſanctum, cùm peſſimus ille mercator Simon magus pecuniam eis offerret, vt darent ei poteſtatem conferendi Spiritum ſanctum, reſpuerunt mox iniquiſſimum lucrum & dixerunt: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri.* Act. 8. Habuit & Dauid, qui à ſuis inſtigatus vt occideret Saulem inimicum ſuum deprehenſum in ſpeluncâ, abhorruit dicens: *Propitius ſit mihi Dominus ne faciam hanc rem Domino meo, Chriſto Domini.* Et cùm præcidiſſet oram chlamydis eius, ſtatim *percuſſit eum cor ſuum*; quaſi cuſtos ille, timor Dei, mox prodiderit & reprehenderit hanc etiam leuem culpam; ingreſſam in cor Dauidis. 1. *Reg.* 24. Vnde S. Baſilius interrogat. 296. in breuioribus quærit quâ ratione perſuaderi poſſit animæ cuipiam, quòd à peccatis ſit libera & conſequenter in ſtatu gratiæ? reſpondetque: *ſiquis in ſeipſo animi affectionem illam ſimilem* Dauid ineſſe animaduerterit, apud quem eſt; *iniquitatem odio habui & abominatus ſum.*

E. IV. Timoris humani expulſio.

Qvartò: Ignis ſe includi non fert, ſed foras erumpit & omnia obſtacula perrumpit; vti patet in bombardis, cuniculis ſubterraneis igne ſuccenſis, &c. quare ſiquis bene operando foras prodeat, ita vt à bono opere impediri ſe non patiatur ſiue à timore humano; ſiue à pudore aliòve obice; dicam eum Spiritus ſancti habitaculum eſſe; quia ſcriptum eſt 1. *Ioan.* 4. *perfecta charitas foras mittit timorem*; quo modo ſcilicet ignis in bombardâ expellit æneum globum vt in publicum erumpat. Vbi ergò talis eruptio & timoris expulſio videtur, ibi intus latet ignis charitatis & Spiritûs ſancti. Indicium hoc videre etiam in Apoſtolis fuit in primis hodierno die, quando vſque ad eam in cœnaculo incluſi manſerunt cum cæteris fidelibus, vtque ob metum Iudæorum; tacti verò igne Spiritûs ſancti; foras eruperunt & in laudes ac prædicationem Euangelij publicam proruperunt vrgente Spiritu ſancto. Deinde quando iuſſi à principibus tacere & abſtinere à Chriſti præconio; intrepidè reſponderunt: *ſi iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potiùs audire quàm Deum, iudicate. Non enim poſſumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui?* Act. 4. Charitate enim Chriſti ſuccenſi reſpuebant omnes pœnas & in propoſito ſuo perrexerunt. Rurſum adducti in Concilium, Principi ſacerdotum & Magiſtratui ſilentium eis præcipienti, dixerunt: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*, Act. 5. Eâdem conſtantiâ ac penè iiſdem verbis gentilis ille Socrates reſpondit olim iudicibus, à quibus ad mortem condemnatus erat ob Philoſophiæ ſynceram profeſſionem. Dicebat enim: *Equidem vos omnes ſingulari quadam beneuolentiâ complector: parendum tamen potiùs duco Deo immortali quàm vobis. Itaque quamdiu & ſpirabo, & potero, nunquam Philoſophiæ curam abyciam, nec veſtri admonendi moréque ac modo meo adhortandi ad virtutem, quemcunque fuero ex vobis nactus.* Plato in Apolog. Oſtenſum hoc eſt typicè in Samſone, qui duobus nouis funibus ligatus à ſuis contribulibus & traditus Philiſtæis, irruente in ſe ſpiritu, rupit funes & interfecit hoſtes *Iudic.* 15. Rurſum incluſus in Gaza vrbe abſtulit ambas portæ fores & exiuit, cap. 16. Quid duo iſti funes & duæ fores niſi timor & pudor? Hi enim multos ligant atque includunt quò minùs rectè operentur. Ergò qui

qui eos ruperit; necis magnum argumentum dabit, irruiſſe in eum Spiritum ſanctum eique hoc robur dediſſe. *Interroget* nunc ſeipſum quiſque, an tali robore præditus ſit, an foras mittat timorem. Quæro igitur ex te: Fratrem fortè peccantem fraternè corripuiſti aliquando? Non, inquis. Cur? ne illi diſplicerem, iſque ægrè ferret, timui. Sed *perfecta charitas foras mittit timorem*, ait Ioannes. Vidiſtine aliquando fieri alicui iniuriam, iniuſtum aut durum quid in præiudicium aliorum decerni in Senatu vel Conſilio aſſidens? ſæpius. Reclamaſtine & iniquos Conſiliarios correxiſti? Non, ne eos offenderem, ais: ergo Spiritum S. non habes, qui Dei timorem præcipit, non hominum. Offendiſtine aliquando verbis proximum tuum? ſæpiùs, inquis. Reuocaſtine calumniam & veniam ab eo poſtulaſti & honorem reſtituiſti? Non; dicis: timeo enim ne id mihi dedecori ſit apud alios. Sed *perfecta charitas foras mittit timorem*. Quoties & quantas das pauperibus eleemoſynas: numquam vel exiguas. Cur? timeo ne per hoc egere ipſe incipiam; ſed *perfecta charitas foras mittit timorem*. Quàm ſæpe pœnitentiæ & Communionis ſacramentum frequentas? ſemel in anno, ais. Cur ita? cùm corpus tuum bis in die paſcas, animum in anno tantùm ſemel? vereor ne ab alijs hypocrita videar, aut certè ſingularis dicar. Sed *perfecta charitas*, &c. Ad quid iſte tuus ſuperfluus ornatus? an non ſuperbiæ indicium? an non putas æquè te agnoſci in modeſtiori? Ne ab alijs mei ſimilibus deſpiciar & videar non habere, quo veſtiar iuxta ſtatum meum. Sed *perfecta charitas*, &c. Quoties ad choreas, conuiuia & ludos non iuiſti, cùm vel inuitaueris, vel occaſio eſſet? Numquam, ais; ne ab alijs religioſus, parùm cordatus aut inhumanus videret. Sed *perfecta charitas foras mittit timorem*. Quare ſi tibi mundus & vel ipſi parentes vincula illa timoris vel pudoris volunt inijcere, dirumpe ea fortiter, & habebis argumentum, regi te à Spiritu ſancto.

F.
V.
Robur & imperterritus ad patiendū animus.

QVINTÒ. Ignis mollia indurat, vti lateres & vaſa fictilia. Quare ſi ad ferenda aduerſa duri & infracti ſimus, ſignum eſt Spiritus S. ignem in nobis habitare, à quo effectus ille procedat. Patuit in Apoſtolis Spiritus S. roboratis: qui enim priùs timidi & imbecilles erant ad patiendum, fugiebant & abſcondebant ſe, partim etiam ad ancillæ vocem territi negabant: poſtmodùm cautè Marpeſiâ duriores ſtetêre ante Reges & Tyrannos, contempſere eorum iuſſa, ſpreuêre minas, verbera, vincula & ſupplicia pro delitijs habuêre & gloriati ſunt de illis. Hinc Petrus, Iacobus & Ioannes *videbantur* S. Paulo *columna eſſe*, vti ipſe teſtatur *ad Gal.* 2. quia ſicut columnæ tantò firmiores ſtant, quantò maiori premuntur onere, ita Apoſtoli Chriſti in perſecutionibus fortiores ſtetêre. Idemque olim Socrates præſcripſit viro iuſto. Eius enim hæc erat ſententia: *Sicut ſtatua vel columna baſi: ita vir bonus inſtituto innixus honeſto, nullatenus dimoueri debet.* Stob. *ſerm.*

1. Quæro iam ex te: vxorem habes difficilem, iracundam, moroſam? Vicinum inuidum, infenſum? pro admonitione conuitium, pro beneficio iniuriam accipis? Spoliaris bonis tuis? Moritur vxor, liberi? Quo fers animo quæſo? læto & æquo? vtinam! Sed ô quàm rara hæc auis! Quàm multi hodie, qui ſibi ipſis cruces imponunt, ieiunia, peregrinationes, Eleemoſynas, &c. & Cruces ſibi à Deo impoſitas ferre nolunt; & vnum verbum aſperum vnum contemptum deuorare & obliuiſci nequeunt! Quid hoc niſi extrema dementia? ſi enim tu ægrotes, nónne mauis præſcribi tibi pharmacum à Medico perito, quàm à teipſo, licet artem medendi calleas: ne fortè nimio tui amore nimis parum: vel nimio deſiderio conualeſcendi, nimis multum ſumas? Cur igitur non fers æquo animo, pharmaca à Deo tibi præſcripta qui optimè nouit quantum tibi conueniat?

6.
VI.
Promptitudo ad obediendum Deo.

SEXTÒ. Ignis è conuerſo dura quædam emollit, & eliquat vti metalla & ceram ad varias imaginum & ſigillorum formas recipiendas. Ita Spiritus ſancti gratia animum reddit tractabilem & idoneum ad recipiendas diuinas impreſſiones, inſpirationes, manuductiones, vt docet D. Thomas 1. 2. *qu.* 68. *art.* 1. Duri erant Apoſtoli ante miſſionem Spiritûs ſancti, ideo Dominus ante reſurrectionem exprobrauit eis incredulitatem eorum & duritiam cordis. Sed poſt eam ita tractabiles facti ſunt vt inſtar ceræ liquefactæ omnes formas reciperent, ad omnes prouincias quocumque mitterentur pergerent; diuinæ directioni in omnibus ſubiacerent. Quod ſi nos ſimiliter deponeremus cor lapideum & ſumeremus cor carneum, ſignum foret habitare in nobis ignem Spiritus ſancti. Significatum hoc myſticè *Gen.* 1. cùm dicitur: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, id eſt (vt Toſtatus exponit) tam facilè rerum omnium creandarum figuras deſignabat & Ideas, quàm facilè quis digito in aquam ſcribit. Myſticè Spiritus ſanctus fertur ſuper aquas, id eſt, ſuper mobiles & tractabiles, qui inſpirationibus eius expeditè cedunt & obediunt. Talis erat B. Virgo, cui meritò dictum eſt: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*: quia aqua & cera erat molliſſima; dixit enim: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi*, &c. q. d. (vt exponit Theophyl. ib.) *Ecce tabula ſum pictoria: pingat pictor quod voluerit.* Similiter & Dauid *Pſal.* 72. *Vt iumentum factus ſum apud te & ego ſemper tecum: Tenuiſti manum dexteram meam & in voluntate tuâ deduxiſti me.* Vt enim iumentum (velut equus) onerari ſe patitur, duci & reduci pro arbitrio, imò pedes omnes, vnum poſt alterum eleuari donec vngulis eius ferreæ ſoleæ affigantur: Ita aſſerit Dauid ſe parêre Deo, & certè mirum, quod iumenta vſu tam tractabilia fiant, nos verò vix vnquam fiamus. Vidi aſinum, qui ad nutum Domini cubabat, trahi ſe patiebatur, ad numerum ſaltabat: Simium item, qui velut mortuus eſſet, ſe tractari & flecti à Domino ſuo. Nos verò quàm multas audimus vocationes, conciones, inſpirationes;

nes, videmus exempla, & vix aliquando Spiritui ſancto acquieſcimus atque obedimus. Laudamus exempla, conciones, ſed non facimus quæ iubentur. Quoties tibi dicitur: *Diligite inimicos?* quoties oras; *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos*, &c. & cur id non facis? Vide an non tibi dicat S. Stephanus *Act.* 7. *Durâ ceruice & incircumciſis cordibus & auribus: vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.*

H. VII. Deſideriū maioris profectus.

SEPTIMÒ. Ignis ſurſum mouetur & celerrimè quidem ſecumque rapit ea quæ ignit: ita Spiritus ſanctus hominem ad ſublimia rapit vt ſemper in bono proficere & aſcendere deſideret: ea etiam quæ agit, expeditè & cum delectatione agat viamque mandatorum Dei currat. Quare ſiquis hæc in ſe experiatur, magnum habet teſtimonium inhabitantis in ſe gratiæ. D. Bernardus ſerm. de S. Andrea ait: *Nullum præſentia Dei certius teſtimonium eſt, quàm deſiderium gratiæ amplioris.* Idque probat ex Eccleſiaſtico c. 24. *Qui edunt me adhuc eſurient; & qui bibunt me adhuc ſitient.* Deus enim hanc apetentiam excitat in iuſtis. Canis venaticus lento incedit gradu, quamdiu feræ alicuius veſtigium non deprehendit; eo autem reperto, toto impetu rapitur ad ſperatam prædam: ita qui Spiritûs ſancti dulcedinem deguſtârunt, toto pectore ad Deum rapiuntur & proficiunt in deſiderio. Ignis enim Spiritus ſancti inhabitans ſurſum eos trahit: quam tractionem qui non ſentiunt ampliùs iure timent ne deferueſcant & paulatim decidant.

Alacritas ad benè operandum.

Ad hæc ſi cum delectatione facias quæ tibi præcepta & ſalutaria ſunt, ſignum eſt te agi igne Spiritûs ſancti. Quemadmodum enim oſtium oleo inunctum facilè & blandè mouetur in cardine: contrà quod inunctum non eſt, ægrè & cum ſtrepitu, aureſque ac dentes offendit: ita qui Spiritûs ſancti vnctione (ſic enim appellatur in hymno ab Eccleſia) præditi ſunt, libenter & hilariter faciunt quæ debent: qui eâ deſtituti, difficulter & cum murmure. Videre id erat in Apoſtolis, qui accepto Spiritu ſancto, *ibant gaudentes à conſpectu concilij* (ad exequendum munus ſuum Apoſtolicum) *quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*, *Act.* 5. Quare ſi cui grauia nimis videntur Eccleſiæ præcepta: ſi concio vel Miſſa paulò protenſior tædium ei parit: ſi crebriora indicta ieiunia aut feriæ ſi inſtitutæ orationes ad murmur aliquem prouocent, timeat is profectò ne ſit oſtium pigritiæ ſpiritali vnctione carens, iuxta id *Prouerb.* 26. *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo.* Quando igitur vidimus indicia Spiritûs ſancti, aduertat nunc vnuſquiſque an eâ in ſe deprehendat: mittat manum in ſinum ſuum & exploret cor ſuum, vtrum igne ardeat, an glacie potiùs rigeat. Ac ſiquidem ignem hunc non reperit, quamprimùm in ſe accendere curet. Sed quis accendendi modus?

Modus accendendi in nobis ignem Spiritus ſancti.

1\. Primò: Ignis accenditur flatu. Flatus tuus oratio eſt. Ora ergo feruenter; ita enim diſcipuli dum perſeuerant in oratione, replentur Spiritu ſancto. Adhæc Sapiens: *Inuocaui, inquit, & venit in me Spiritus ſapientiæ. Sap.* 7.

Secundò, Accenditur ſpeculo ſoli obuerſo. 2.
Speculum hoc meditatio eſt vitæ & paſſionis Domini, nec non verbum Dei, teſte D. Iacobo. Inſpice ergo vitam Chriſti, & te in ea contemplare: vide quàm diſſimilis ſis Magiſtro & Domino tuo, quàm ingratus Deo, quàm miſer & miſerabilis, quot ſuppliciorum reus, &c. De hoc locutus Dauid *Pſalm.* 38. cùm dixit: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione meâ exardeſcet ignis.* Contemplare te in verbo Dei, quia de hoc aiunt duo illi diſcipuli: *Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via & aperiret nobis ſcripturas? Luc.* 24.

Tertiò, Accenditur percuſſione, vti patet in 3.
ſilice. Tu ergo percute & caſtiga corpus tuum ieiunijs, flagellis, cilicijs, tunſionibus pectoris. Ita publicanus ille percutiens pectus ſuum gratiam inuenit.

Quartò. Affricatione corporū ſolidorum. Et 4.
tu inſinua te in bonorum ſocietatem, iunge te ſpiritualibus viris, eorum conſilia audi & mores imitare.

Denique ignis ignem accendit. Demitte 5.
igitur te per cogitationem in gehennam ignis & vide num habitare queas cum ardoribus ſempiternis: Immitte digitum in candelæ ignem, & ſi ad horam ferre ignem illum potueris, tunc delibera an velis ſeruire potiùs diabolo, an amare Deum. Quòd ſi id minimè tuleris: vide quid erit ardere in inferno. Quantum ergo malum erit peccatum, quod non niſi æternis ignibus caſtigari debet? Quanta tua veſania, qui pro exiguâ & momentaneâ voluptate, lucello vel honoris fumo te immerſiſti in horrendum illud barathrum? & cur inde non quamprimùm eluctaris? &c.

CONCIO V.

Circumſtantiæ aduentus Spiritus ſancti.

Venit in die Pentecoſtes horâ ob ortu ſolis tertiâ.
2. *Super ſedentes in eadem domo ſedens ſuper Apoſtolos.*
3. *Repente, ſeu cum impetu.*
4. *Cum ſonitu cœlitus immiſſo.*
5. *Cum vento vehementi.*
6. *Repleuit totam domum.*
7. *Venit Ieroſolymam.*

THEMA.

Factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis.
Act. 2.

QVando Rex aut Imperator in celebrem ciuitatem ſolemni pompâ ingreditur, A.
mox

by Google

mox adeſt pictor aliquis aut ſculptor, qui totam illam pompam accuratiſſimè depingit & ijs qui non interfuerunt, ſpectandam proponit. Maxima cum pompa hodie ingreſſus eſt in orbem terrarum Spiritus ſanctus, adeò vt hic dies vocetur à Ioele; *dies Domini magnus & manifeſtus*: vt exponit S. Petrus *Act.* 2. Venit enim maximo cum tonitruo, veluti bombardæ ſono; venit cum impetu & vento vehementi, velut manu forti; venit de cœlo; venit cum igne; quæ quia magna continent myſteria; idcircò S. Lucas velut pictor egregius totam illam pompam nobis, qui oculis eam non ſpectauimus, accuratè depinxit. Videamus ergo picturam.

B. I. Venit in die Pentecoſtes.

1. PRIMÒ: Spiritus S. venit in die Pentecoſtes. Primò vt ſignificaret legem veterem hoc die mutatam in nouam. Notum enim eſt veterem legem Iudæis in monte Sinai datam die quinquageſimo poſt paſcha. Quinquageſimo etiam die data lex gratiæ Chriſtianis in monte Sion (iuxta prophetiam *Iſa.* 2. *De Sion exibit lex & verbum Domini de Ieruſalem*) velut finem imponens legi veteri, ſicut res ipſa finem imponit vmbræ & figuræ; fuit enim promulgatio Legis veteris typus legis nouæ. Ibi terræmotu contremuit mons: hîc domus diſcipulorum; Ibi inter flammas ignium & micantia fulgura fragor tonitruorum perſonabat: hîc cum ignearum viſione linguarum ſonitus pariter de cœlo tanquam Spiritus vehementis aduenit. Ibi clangor buccinæ perſtrepebat: hîc tuba Euangelica Apoſtolorum ore inſonuit. Vnde Apoſtolus *ad Hebr.* 12. de hoc ait: *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem & accenſibilem ignem & turbinem & caliginem & procellam & tuba ſonum; ſed acceſſiſtis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis & Ieruſalem cæleſtem & multorum millium Angelorum frequentiam, &c. Videte ne recuſetis loquentem, &c.* Nimirum illa fuit Lex timoris, hæc amoris; illa fuit ſcripta in tabulis lapideis hæc in tabulis cordium carneis.

2. Secundò, vt ſignificaret ex hoc die incipere Iubilæum pleniſſimum remiſſionis peccatorum in toto mundo. Etenim numerus 50. quem ſignificat vox Pentecoſte numerus eſt Iubilæi, quod erat quouis 50. anno, in quo poterat quiſque redire ad priſtinam poſſeſſionem ſuam, alteri venditam, *Leuit.* 25. ſimiliter hodierno die, quo remiſſio peccatorum toti mundo prædicari cœpit, incipiebat Iubilæum Chriſtianorum, quo ad priſtinam poſſeſſionem, id eſt, gratiam & gloriam perditam redire quiſque poterat. Et hic eſt annus ille placabilis Domini quem de tempore gratiæ prædixit *Iſaiæ cap.* 61. & interpretatur ipſemet Chriſtus *Luc.* 4. In quo, omnia peccatorum debita Spiritus S. igne comburi ceperunt.

3. Tertiò ad deſignandum, quod ex hoc die inciperet meſſis Chriſti, quam vicinam eſſe dixerat Dominus *Ioan.* 4. *Videte regiones*, inquit ad diſcipulos, *quia iam albæ ſunt ad meſſem*. Et mox:

ego miſi vos metere, &c. Nam vti poſt Pentecoſtem Iudæi falcem mittebant in meſſem: ita ex hoc die metere inceperunt Apoſtoli in agro Chriſti. Vnde Chryſoſtomus *hom.* 4. *in Act. Apoſt.* ait: *Cùm falx mittenda erat in meſſem, cùm fructus erant colligendi, cum falx ſermonis erat adhibenda, cùm colligendæ fruges: tunc Spiritus aduolauit velut falx acuta.*

4. Quartò, In die Pentecoſtes primitiæ frugum offerri Deo debebant, duo videlicet panes primitiarum de duabus decimis ſimilæ fermentatæ, *Leuit.* 23. Hoc eodem die duo panes primitiarum, id eſt duo populi, Iudæi & Gentiles conuerti cœperunt & baptizati ſunt ex duabus decimis, hoc eſt, obſeruatione decem præceptorum in vtroque populo.

Venit horâ tertia.

Venit autem horâ tertiâ, (*Act.* 2.) tertiâ, inquam, ab ortu ſolis. Primò, quia tunc Apoſtoli & alij homines erant omnes excitati & vigiles 1. nec non ſobrij adhuc, adeoque magis idonei ad hoc prodigium ſuſcipiendum & conſiderandum: Secundò, quia illa hora apud Iudæos erat 2. orationi deſtinata, ait Beda. Tertiò, quia tunc 3. promulgabatur lex tertia. Prima fuit Lex naturæ. Secunda, Moyſis. Tertia, Lex Chriſti. Quartò, 4. quia Spiritus S. eſt tertia in Trinitate perſona. Quam ob cauſam etiam Eccleſia hora precum tertia Spiritum S. inuocat: Nunc ſancte nobis Spiritus, &c.

C. II. Venit ſuper ſedentes in eadē domo.

SECVNDÒ. Venit ſuper ſedentes ſeu manentes in eadem domo ad deſignandum Primò; quòd non detur Spiritus S. niſi conſtitutis in domo Eccleſiæ Chriſti. Vt enim columba à Noë emiſſa, extra arcam non inuenit vbi requieſceret pes eius, *Gen.* 8. ita nec Spiritus S. extra Eccleſiam. Fruſtra ergo inuocant & expectant Spiritum S. eiuſque gratiam; quotquot extra Eccleſiam ſunt, vti & Baalitici illi ſacerdotes, 3. *Reg.* 18. quibus fruſtrà inuocantibus Deum ſuum, vt demitteret illis ignem ad deuorandum holocauſtum; illudebat Elias dicens; *Clamate voce maiore, Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit vt excitetur.* Clamabant ergo voce maiore, ſed ſurdum habuere Deum ſuum. Elias à Deo ſuo quem petebat ignem ſtatim obtinuit. Sic quantumuis clament hæretici, quantumuis abſoluantur à ſuis paſtoribus: non accipiunt Spiritum S. quia non ſunt in domo Eccleſiæ Chriſti, extra quam non eſt ſalus nec abſolutio. Secundò quòd non detur iratis & odio æſtuantibus, ſed vnanimiter ſedentibus, id eſt, pacificis & concordibus. Hoc enim eſt quod *Pſ.* 132. dixit Dauid: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum, &c. Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion: quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, &c.* Quo loco Theodoretus per rorem interpretatur Spiritum S. miſſum in montem Sion. Porrò ros non cadit in terram ſæuiente tempeſtate, ſed tranquillâ: ſic Spiritus S. non venit ſuper iracundos & odio flagrantes: quietos vult & pacificos. Mons Hermon licet interfluo

Iordane diuidatur à monte Sion, quia tamen altiſſimus & ampliſſimus eſt, cælum deſignat vel Chriſtum, à quo deſcendit Spiritus S. in Sion: licet inter Chriſtum tunc & Apoſtolos magna eſſet diſtantia loci, Dicitur ſediſſe ſuper Apoſtolos. Primò, vt eos inauctoraret Doctores orbis & quodammodo coronaret, vt volunt Ammonius hîc: & Cyrillus Hieroſol. *Catech.* 17. Secundò, vt oſtenderet ſe in iis eorumque ſucceſſoribus permanſurum vſque ad finem mundi, iuxta promiſſum Chriſti. *Ioan.* 14. Ita Chryſoſtom.

Sedit ſuper Apoſtolos.

1.

2.

D. III. Venit repentè cū impetu.

Tertiò. Venit repentè, ſeu cum impetu. Primò, vt miraculum huius miſſionis manifeſtum eſſet. Cùm enim naturale tonitru fit, priùs aduehuntur nubes, micant à longè fulgura & ſubaudiuntur de procul bombi: non ita ibi: ſed repentè factus eſt de cœlo ſonus *vt ſubitâ conſternatione*, inquit Oecumenius, *& magis excitaret & omnes ad concurrendum impelleret: ſenſibiliter verò vt miraculum confirmaret, quod omni caret calumnia.* &c. Vnde ſubdit poſteà Lucas: *facta autem hac voce conuenit multitudo & mente confuſa eſt, quoniam audiebat vnuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes.* Fuit ergò repentinus iſte ſonitus quaſi ſonitus campanæ, quæ inſtante publicâ neceſſitate pulſatur ad conuocandum populum. Voluit enim Deus conuocare populum ad primam Apoſtolorum concionem, vt omnes intelligerent, non hominum ſed Dei promulgandum eſſe verbum.

2. Secundò. Ad ſignificandum quod Spiritus ſanctus credentibus quos replet, feruorem imprimit vt omnia celeriter & expeditè agant. Vnde Ambroſ. *ſuper Luca c.* 1. ait: *Neſcit tarda molimina Spiritûs ſancti gratia.* Sanè Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum ſtatim concionari cœperunt ad plebem, & legem Dei promulgare. Sic qui, quæ agere debet, promptè & citò agit: auditâ campanâ, citò ad Miſſam aduolat: petente eleëmoſynam paupere, citò largitur: inſtante præcepto aliquo Eccleſiæ, citò paret: qui morbo ingruente citò confeſſarium acceſſit, &c. non leui iudicio oſtendit agi ſe à Spiritu ſancto.

3. Tertiò. Vt doceret omni tempore expectandum eſſe Spiritum ſanctum, & parandos animos ad eum recipiendum, quia repentè & improuisò venit, quando ipſi placet. *Spiritus vbi vult ſpirat*, ait Dominus Ioan. 3. *& vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat.* Nemo ergo peccator dicat: expectabo Iubilæum vel paſcha vel aliam ſolennitatem aut commoditatem ad deponenda peccata: quia incertum eſt, quo tempore placeat venire Spiritui ſancto & remittere peccata homini. Idcircò Apoſtoli ſemper manebant in cœnaculo à die aſcenſionis Domini vſque ad Pentecoſten, expectantes Spiritum ſanctum. Angelus ille, qui deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam ad mouendam aquam, incerto deſcenbat tempore, vt notant Euthymius & Chryſoſtomus *Ioan.* 5. vt nimirum omni tempore expectaretur: idcircò nullo non tempore in Bethſaida iacebant ægri, expectantes motum aquæ. Similiter, quia neſcis quo tempore ſpirat Spiritus ſanctus, ſemper eſto paratus ad eum recipiendum.

Qvartò. Venit cum ſonitu cœlitùs emiſſo; ad indicandum: Primò, Quòd ſonus miraculorum, ſanctitatis & prædicationis Apoſtolorum in omnem terram eſſe exiturus, iuxta id Pſal. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Idem præfiguratus fuit per ſonitum tubarum, quo muri Iericho deiecti & ſolo æquati ſunt *Ioſ.* 6. Quo loco Origenes ait: *Iericho tubis Sacerdotum ſubruitur: robur enim mundi & munimenta Sacerdotalibus tubis videmus eſſe deſtructa; cultum ſcilicet idolorum, Philoſophorum dogmata, quibus muris ambiebatur mundus & veluti proceris & robuſtis turribus firmabatur. Sed veniens Ieſus Chriſtus, miſit Sacerdotes ſuos portantes tubas ductiles Prædicationis*, &c. Sic ille. E. IV. Venit cū ſonitu cœlitùs emiſſo.

Secundò. Ad deſignandum Euangelium Chriſti eſſe cœleſte; de cœlo enim factus eſt ſonus. Poterat ex terræ latebris per terræ motum edi ſonus: ſed non ita euenit, quia talis ſonus deſignat doctrinam hæreticorum, qui de Orco promit ſua dogmata. Ita enim Ioannes *Apoc.* 9. vidit de puteo abyſſi aſcendentem fumum (hæreſeos ſcilicet) obſcurantem ſolem. Sonus per terræ motum factus, quà erumpit, aërem inficit & peſtem affert; quemadmodum & hæreſis peſtem animabus affert. Non ita ſonus de cœlo ſeu tonitrui, qui potiùs purgat aërem; & hoc egit ſonus Apoſtolorum. 2.

Qvinto. Venit cum ſpiritu ſeu vento vehementi, ad deſignandum: Primò, mirabiles Spiritûs ſancti operationes. Nam Primò, vti ſpiratione & reſpiratione aëris vita hominis conſeruatur, ita vita animæ flatu Spiritûs ſancti. Secundò, Vti ventus aërem purgat; ſic Spiritus ſanctus animam purgat à peccatis. Tertiò, Vti ventus impellit naues; ita Spiritus S. hominum corda ad bona opera & ad viam cœli. Quartò. Vti ventus in fiſtulis & tubis ſonum edit, ſic Spiritus ſanctus cor ad docendum & loquendum cœleſtia replet. F. V. Venit cū vento vehementi.

Secundò. Quod hoc die inceperit nauis Eccleſiæ ſoluere à littore & nauigationem ſuam per orbem inchoare: Subſtitit aliquamdiu hæc nauicula in cœnaculo, ventum hunc expectans eo proſpero dato, fœliciſſimè nauigare cœpit; primo enim die tartaream inuaſit claſſem & tria millia pyratarum cepit. 2.

Tertiò. Quòd Apoſtoli inſtar ventorū peragraturi eſſent orbem, purgaturi mundum, deiecturi idola, refrigeraturi æſtuantia peccatorū corda euangelio, hoc eſt, bono nuntio, quòd poſſint fieri filij Dei. 3.

Sexto. Repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Primò. Ad deſignandum copioſam Spiritûs ſancti repletionem, Eccleſiæ conceſſam, Eliæ olim in ſibilo auræ tenuis aduenit G. VI. Repleuit totam domum. 1.

uenit, 3. *Reg.* 19. Eliphazo inſuſurro, *Iob* 4. ad inſinuandum, quòd in veteri lege parcè valde datus ſit Spiritus ſanctus. Sed in lege gratiæ, magnâ abundantiâ & plenitudine. Et hinc Apoſtoli viſi gentilibus quaſi muſto pleni, *Act.* 1. Reuerà enim pleni erant, ſed muſto Spiritus ſancti. Comparet aliquis numerum Sanctorum nouæ legis, cum ſanctis veteris legis: item miracula, vitam ac virtutes horum cum illis, & inueniet quod dico.

2. Secundò, Quòd ſicut Spiritus ſanctus repleuit omnes angulos domus; ita nullus ſit in orbe angulus, in quem ſe non effundat, quantum eſt in ſe. Id enim prædixit (vt interpretatur S. Petrus in concione hoc die habita) Ioel *c.* 2. dicens: *Et erit in nouiſſimis diebus: Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Et quidem ſuper ſeruos meos & ſuper ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo*, &c. Nullus penè in orbe locus, vbi non habeat Deus ſuos ſanctos. Quis quæreret Sanctos inter ruſticos? Et tamen nuper primùm canonizatus eſt S. Iſidorus agricola, miræ ſanctitatis & regiæ Metropolis Madriti Patronus. Quis inter paſtores? Et inuentus tamen eſt nuper talis, qui inter alia ſanctitatis indicia, confeſſionem facturus, eam baculo ſuo certis notis inſcriberet & inde confeſſario recenſeret. Ac licet modò Spiritus ſanctus quoad gratias gratis datas, in paucis ſit Chriſtianis, parum id refert quia illæ, Deo gratum ac beatum non faciunt. Sufficit nobis habere optimam partem, gratiam gratum facientem; hæc enim eſt *vita æterna*, ait Apoſtolus *ad Rom.* 6. quia pignus gloriæ.

H. VII. Venit Ieroſolymam.

1. SEPTIMÒ. Venit Ieroſolymam. Primò quia Ieroſolymis paſſus & à Iudæis reprobatus fuit: debuit ergo ibidem per Spiritum ſuum glorificari & à Iudæis, ſaltem aliquibus, acceptari. Spiritus ſanctus fuit gloria Chriſti, quia demonſtrauit eum in cœlum aſcendiſſe ibique dominari omnibus.

2. Secundò, vt indicaret ſe abolito Iudaiſmo, cuius metropolis erat Hieruſalem, inſtituere Chriſtianiſmum. In Pentecoſte enim lex noua promulgari cœpit ab Apoſtolis; debuit autem publicè proponi tali loco, vt ab omnibus Iudæis breui percipi poſſet. Ex illa itaque vrbe veluti è capite facilè in alia membra, & ciuitates Iudæorum diffundi poterat. Quæ cauſa etiam fuit, cur Romæ in mundi capite conſtituta fuerit ſedes Apoſtolica; vt docet D. Leo in ſerm. de SS. Petro & Paulo.

I. VIII. Venit in ſpecie linguæ.

1. OCTAVÒ. Venit in ſpecie linguæ. Primò quia lingua eſt inſtrumentum loquelæ & prædicationis; hic autem Spiritus S. conſtituit Apoſtolos prædicatores Euangelij: contulit eiſdem donum linguarum ſimulque Eccleſiæ.

2. Secundò, quia vt à verbo mentis procedit vox linguæ: ita Spiritus à Filio.

3. Tertiò, quia ſicut lingua diſtinguit ſapores: ita Spiritus ſanctus facit hominem diſcernere res cæleſtes à terrenis, veram doctrinam à falſa & hæretica.

Quartò, vt doceret Chriſtianos ac iuuaret refrænare linguam, *inquietum malum plenum veneno mortifero. Iac.* 3. de qua re infrà. 4.

K. IX. In forma linguæ igneæ.

NONÒ. In forma linguæ igneæ. Primò ad demonſtrandam naturam legis gratiæ, quæ eſt lex charitatis, per ignem deſignatæ, iuxta id *Deut.* 33. *In dextera eius ignea lex.* 1.

Secundò, ad ſignificandum effectum, quem in animis Apoſtolorum cæterorumque fidelium operaturus erat Spiritus ſanctus nimirum quòd in eis torporem, timorem, concupiſcentias & vitia conſumpturus eoſque feruentes, zeloſos & quaſi igneos redditurus. 2.

Tertiò, quòd per hunc ignem amoris & conſolationis Spiritus ſancti non torquentem aut comburentem, ſed potiùs refrigerantem & recreantem; ſuperaturi eſſent ignem tribulationis ac perſecutionis vrentem ac conſumentem. Ita Cyrillus *Catech.* 17. Sed hac de re alibi fuſiùs dicemus. 3.

CONCIO VI.

Varij timores pelluntur igne charitatis.

Primus eſt timor Dei ſeruilis.
2. *Timor mundanus metuens pœnam magis quàm culpam.*
3. *Humanus metuens difficultates, pericula, ignominiam &c.*
4. *Timor nocturnus ſcrupuloſorum.*
5. *Timor puerilis metuens tentationes.*
6. *Timor immoderatus plus æquo ſollicitus de temporalibus.*
7. *Inſanus timor deſperantium.*

THEMA.

Non turbetur cor veſtrum neque formidet. Ioan. 16.

NEmini dubium eſſe poteſt, Auditores, quin Apoſtoli & qui cum eis erant, fideles cæteri vſque ad Spiritus ſancti aduentum, puſillanimes & infirmi fuerint, quod attinet ad publicam fidei proteſtationem, ideoque in eadem domo taciti conſederint: quòd adhuc metuerent in publico conuerſari inter Iudæos ſibi infenſos. Idem enim colligimus ex verbis illis Domini *Luc.* 24. *Vos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute* (id eſt, fortitudine) *ex alto.* Ergo vſque ad miſſionem Spiritus ſancti, nondum confirmati, nondum omni timore liberi, nondum roborati ad proteſtandam & prædicandam fidem erant. Magnæ quidem bombardæ erant, æneo fidei globo inſtructæ & onuſtæ: ſed Spiritu S. adhuc deſtitutæ. Itaque hodierno die acceſſit ignis, Spiritus ſanctus, inquam, igneâ in ſpecie: & tunc exploſæ ſunt bombardæ: tunc prodiere A.

foras & cœperunt loqui varijs linguis Chriſtumque annunciare & promulgare Euangelium : auditus etiam hic ſonus fuit non per vrbem tantùm, ſed per orbem totum. Bene igitur & appoſitè venit ſuper eos Spiritus ſanctus cum igne & grandi ſonitu, vt indicaret nunc expulſum eſſe timorem & puſillanimitatem è cordibus fidelium, quando eos tetigit ignis Spiritus ſancti. Quod dixi de igne Spiritus ſancti, hoc idem charitati tribuit Ioannes *epiſtola 1. c. 4. Perfecta charitas*, inquit, *foras mittit timorem.* q. d. ſicut ignis applicatus bombardæ foras propellit globum : ita charitas timorem. Et quid aliud eſt charitas niſi ignis Spiritus ſancti? Hoc ergo igne impleti hodie diſcipuli Chriſti foras miſere timorem, & voce prædicationis Euangelicæ quaſi tonitruo quodam terruere ſcribas & Phariſæos : ſpreto illorum furore contemptiſque minis. Atque hoc eſt, Auditores, quod etiam nos docet in Euangelio hodierno Dominus, cùm ait : *Non turbetur cor veſtrum neque formidet.* Quare dabimus operam vt etiam nos in hodiernâ die incenſi flamma charitatis explodamus bombardas noſtras & mittamus foras omnis generis timores, inutiles & noxios. Non explicat Ioannes, qualem timorem pellat charitas, ſed indefinitè & illimitatè loquitur, vnde ſine dubio omnes timores intelligit, charitati aduerſantes.

B. I. Timor Dei ſeruilis.

Huiuſmodi autem eſt PRIMO: Timor Dei ſeruilis, quo metu pœnæ & gehennæ præcisè, non amore Dei & virtutis ſeruant aliqui mandata. Et hic timor bonus quidem eſt, imperfectus tamen, & connotat pronitatem ad peccandum, ſi pœnæ non eſſent : ideo in eo ſiſti non debet, ſed conandum vlteriùs ad timorem filialem, caſtum & reuerentialem, qui eſt filij, ſponſæ, amici; ita vt peccare non vellemus, etiamſi impunè poſſemus. Ad quem timoris gradum perfectiſſimum peruenit Deipara, S. Ioannes Baptiſta, Apoſtoli & alij quidam magni Dei amici, vti Sanctus Antonius, qui dicebat: *Ego Deum iam non timeo, ſed amo, quia perfecta charitas foras mittit timorem*, vt refertur in vitis Patrum *l.* 5. *libello 17. tract. de charitate num.* 1. Sed quia hæc timoris perfectio paucorum eſt, ideò ſaltem progrediendum ad timorem initialem, qui eſt compoſitus ex vtroque, & timet culpam ac pœnam, ſed magis culpam quàm pœnam. Dicitur autem initialis quia inchoat perfectionem charitatis & pietatis (*quo modo ſeta inducit filum Sutoris in calceum*, vt ait S. Auguſtinus) ſed nondum peruenit ad altiſſimum illum perfectionis gradum, qui foras mittit omnem timorem pœnæ. Quò verò quiſque in hoc timore magis creſcit & accedit ad filialem illum, eò fit perfectior & ſanctior.

C. II. Timor mundanus, metuens pœnam magis quàm culpam.

SECVNDO. Timor mundanus qui magis timet homines, quàm Deum : corporalia & temporalia damna quàm ſpiritualia & æterna : pœnam quàm culpam; magis timet offendere parentes, vxorem, liberos, cognatos, amicos, quàm Deum, ideoque in illorum gratiam violat præcepta Dei. De hoc S. Chryſoſtomus *hom.* 5. *ad pop. Antioch.* ſic ſcribit: *Pueri parui laruas timent, ignem non timent, ſed ſi lucernam portari contingat, manum immittunt flammæ. Sic nos timemus mortem, quæ eſt larua contemptu digna : peccatum non timemus, quod eſt verè timendum & ignis more conſcientiam corrodit.* Horum timidorum *pars* dicitur eſſe, *in ſtagno ardenti igne & ſulphure; Apoc.* 21. Tales ſunt inter alios, qui deficiunt in perſecutionibus ceduntque & conſentiunt Tyrannis. Quibus ait Dominus *Matth.* 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus,* &c. S. Petrus *ep.* 1. *cap.* 3. *Timorem eorum ne timueritis, & non conturbemini.* Timorem, id eſt, terrorem, minas, plagas eorum qui vos affligunt. *Mors enim*, inquit S. Auguſtinus *l.* 6. *de Ciuit. cap.* 15. *pœna naſcentis, ſi pro iuſtitiâ pietateq́; pendatur, fit gloria renaſcentis.* Hunc timorem pepulere primæui Chriſtiani tempore perſecutionis, vt oſtendit Tertullianus lib. ad Scapulam Carthaginis præſidem, in Chriſtianos *cap.* 1. *Cum omni*, inquit, *ſæuitiâ veſtrâ concertamus, etiam vltro erumpentes, magiſq́; damnati quàm abſoluti gaudemus.* Et in Apologetico *cap.* 50. *Licet nunc nos ſarmentitios & ſemaxios appelletis, quia ad ſtipitem dimidij axis deuincti ſarmentorum ambitu exurimur; hic eſt habitus victoriæ noſtræ, hæc palmata veſtis, tali curru triumphamus.* Huiuſmodi heroes fuere ſeptem illi Machabæi fratres veteri in lege : in noua verò innumerabiles, vti S. Ignatius Martyr, qui omnia tormenta diaboli in ſe prouocauit, Leones contra ſe concitauit. S. Laurentius, qui in craticula Tyranno inſultauit. S. Polycarpus, qui aiebat : *Ignem minaris hunc, qui ad momentum incenditur & paulò poſt extinguitur; verum ignoras ignem gehennæ, qui ad perpetuas pœnas præparatus eſt impijs.* Euſeb. *lib.* 4. *cap.* 15. S. Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus, qui preſſus à perſecutoribus dicebat : *Quid in ſectando laboratis? Caput meum, pro quo ita fatigamini, auulſum à ceruicibus ſumite & donum magnum ad Tyrannum referte.* Euſeb. *lib.* 6. *cap.* 30. Talis in perſecutione Wandalica, Victor proconſul Carthaginis ad Arianiſmum ſolicitatus à miniſtris regijs: *Dicite*, inquit, *regi veſtro, vt ſubijciat me ignibus, adigat beſtijs, excruciet omni genere tormentorum : ſi conſentio, fruſtrà ſum in Eccleſia baptizatus.* Victor. Vtic. *l.* 3. *perſec. VVandal.* Dionyſia ad ſanguinem vſque flagellata ab Hunnerico : *Miniſtri diaboli*, inquit, *quod ad opprobrium meum facitis, ipſa eſt laus mea.* Victor ibid.

D. III. Timor humanus, metuens difficultates.

TERTIO. Timor quidam humanus, qui metuit difficultates, pericula, ignominiam, deriſionem, &c. quæ occurrunt in heroicis virtutum actibus; veluti cùm quis non audet dare eleemoſynam, quia timet paupertatem, ſenium, caſus ſiniſtros : non audet ieiunare, metuens ægritudinem; non audet publica pieta-

pietatis opera peragere; quia timet hominum cenſuras vel deriſiones: De hoc Sapiens *Prouerb.* 22. ait: *Dicit piger: Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.* In quem locum ſcribit S. Beda: *Dicit ſæpe in animo ſuo is, qui ad bona opera agenda piger eſt, ad confitendam fidem quam corde tenet timidus: Non audeo fidem, quam noui, foris profiteri: ne me perſecutor impius ipſis fidelem audit, perimat. Timeo exercendas virtutum actiones, in publicum progredi, ne forte me, vel antiqui hoſtis aduerſitas grauior tentet, vel etiam homo quilibet peruerſus cum ſuorum turba derideat, conuitijs (ſic legend.) confundat, iniurijs afficiat; aut ſicut multos iuſtorum, qui ab eius vita diſcordant, tormentis & morte conſumat.* Miraculum naturæ eſt, quòd Echeneis paruus piſcis integra nauigia remoretur: Non minùs mirum eſt, ſi quis à progreſſu virtutum per inanem vulgi cenſuram aut deriſum retardari ſe patiatur. Pellendus ergo & hic timor; quia vel diffidentiam habet de Deo, vel erubeſcentiam. Pepulit ſanè illum Magdalena, quæ non erubuit intrare ad conuiuium in alienam domum: deplorare peccata ſua; rigare pedes Christi: non timuit eum ſepultum in milites requirere. Vnde de ea canit in hymno Eccleſia: *Adſtare non timet cruci, Sepulchro inhæret anxia. Truces nec horret milites, Pellit timorem Charitas.* Pepulit Abbas Apollo, qui cùm tempore famis liberalis eſſet in pauperes; monitus ne ſe & ſuos ea profuſione penuriæ periculo abijceret, reſpondit; *Nónne hæc fecerunt Apoſtoli & Prophetæ? An tunc quidem aderat Deus; nunc autem peregrè eſt profectus?* Quare tibi & fructus diuinitus ei ab ignotis ſuppeditati ſunt; etiam quos non ferebat Ægyptia tellus, velut uvæ, mala Punica, ficus, faui mellis, lac, lupini, panes, &c. Pallad. in Lauſiaca. Pepulit Theodotus Monachus, qui dicebat: *Si cælum terræ adhæreat, Theodorus non formidat.* Rogauerat enim Deum vt auferretur ab eo formido; vt habetur in vitis Patrum *l.* 5. *c.* 7.

E. IV. Timor nocturnus ſcrupuloſorum.

Qvartò. Timor, vt ita dicam, nocturnus, quo ſcrupuloſi metuunt formidoloſè ne paſſim in ſuis actionibus etiam bonis Deum offendant: & quidquid in imaginationem venit, putant in mentem & conſenſum veniſſe; vnde perpetua in illis carnificina. Quid hi ſcrupuli aliud niſi timores nocturni, de quibus monet *Pſalmus* 90. *Non timebis à timore nocturno & à negotio perambulante in tenebris?* Timidi qui noctu ambulant, vmbras tranſiliunt quaſi eſſent foueæ vel laquei: truncos pro lupis aſpiciunt: ſonitum foliorum fures interpretantur. Ita ſcrupuloſi ob metum phantaſiæ fortiter impreſſum peccata ſomniant, quæ nulla ſunt; & cogitationes ſibi iniectas menti ſtatim adhæſiſſe labemque aſperſiſſe putant; quia peccatum & peccati metum dumtaxat præ oculis habent. Similes chamæleonti, qui pro diuerſitate coloratarum rerum ſibi obiectarum mutat colorem, teſte Pierio *l.* 27. *Hierogl.* ob innatam animi timiditatem. Vnde fit vt ſæpe peccent in rebus quæ ſecundum ſe peccata non ſunt nugæ ſunt; propter erroneam conſcientiam. Timor nocturnus fuit ille Madianitarum; quando compleſione lagenarum de nocte ab Hebræis territi & in fugam acti mutuâ ſe cæde trucidârunt, *Iudic.* 7. ſimilis eſt melancholicorum, qui fictiles lagenas pro armis hoſtilibus, id eſt, leuiſſima quæque pro peccatis habent, eorumque apprehenſione cadunt quaſi vulnerati eſſent, & reuerà ſeipſos enecant. Obſeruat Diabolus talium complexionem timori obnoxiam ob internas tenebras rationi offuſas ex atra bile vel humore melancholico cerebrum occupante; (vt ſcribit Galenus de ſimpl. cauſis) ideoque laruis & vmbris eos inuadit ad eum modum, quo Salonitani caſtra Octauij cùm Salonas obſideret diſſiparunt & fugarunt. Noctu ſeſe atris veſtibus veſtierunt mulieres, capillum demiſerunt terribiles; prout quæque potuit; formas aut laruas potiùs aſciuerunt: faces ac tædas ſingulæ manibus geſtarunt: ſicque vrbem egreſſæ compoſito agmine, magno ſilentio, lento gradu rectà in hoſtis caſtra tetenderunt. Eas non longè ſubſequebantur occultè viri egregiè armati. Ergo illas conſpicati vigiles, exterriti ſunt; dæmonum cateruam ſuſpicati: Acceſſerunt illæ propiùs: fugerunt illi; flammas caſtris iniecerunt eædem illæ. Tum excitati omnes adeò conturbati & pauefacti ſunt, vt iſtarum viri ſubſequuti contrucidauerint plurimos in fugam omnes ipſumque Octauium adegerint. Refert *l.* 42. Dioc. Prorſus hunc in modum terret ſcrupuloſos dæmon peccatorum laruis; atque ita territos non difficilè vincit. Quare ſecuris ad radicem ponenda & inanis ille metus menti eximendus, cogitandumque quod Apoſtolus ſcribit *ad Rom.* 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Iniuriam faceret patri filius, ſi pro hoſte eum haberet, conſpectum eius fugeret, vultum ab eo auerteret, alioqui non auderet, &c. At hoc videntur facere ſcrupuloſi Deo. Qualis ille qui abſcondit talentum ſuum dicens hero: *ſcio quia homo durus es, &c. & timens abij & abſcondi talentum tuum, Matth.* 25. Ad hos referri poſſunt recèns conuerſi, quos memoria præteritorum peccatorum vexat & cruciat, ne fortè eis non ſint plenè condonata.

F. V. Timor puerilis, metuens tentationes.

Qvintò. Timor puerilis, qui non audet opponere ſe tentationibus, vim carni & concupiſcentijs eius inferre, ideoque manus dat. Cauſa eſt non tam pugnæ & victoriæ difficultas, quàm animi puſillanimitas, quâ qui huiuſmodi ſunt, laruas metuunt inſtar puerorum. Vnde Seneca: *Non quia difficilia ſunt, non audemus: ſed quia non audemus, difficilia ſunt.* Ferunt gubernatorem nauis, in qua Pericles Atheniensium Dux vehebatur, viſa ſolis Eclipſi, repentè quaſi exanimem

corruiſſe. Sed hunc metum ademit ei Pericles, oculos eius pallio obducens ſuo & dicens, eodem modo ſolis deliquium accidiſſe, Lunæ obductu. Hunc in modum aliqui cùm ſe grauis tentatio prodit, mox exanimantur quaſi & abiecto gubernaculo rationis manus dare volunt & ſuccumbere. Verùm ſcire debent non eſſe rem tanti periculi, nec abijciendos remos bonæ operationis, ſed fortiter reſiſtendum: nubeculam eſſe; mox redituram lucem & adfuturam Dei opem & conſolationem. Dicunt iſti: *Leo eſt in via & Leana in itineribus. Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo. Prou. 26.* In quæ verba ſcribit Venerabilis Beda: *Molli cùm verbum exhortationis audiunt, cauſantur de Diabolo dicentes, velle ſe quidem viam iuſtitiæ incipere, ſed ſe à Sathanâ impediri ne poſſint. Sicq; huiuſmodi excuſationis ſermonibus ſemper in lecto ſui torporis ſicut in cardine vertuntur: & modò exire ad operandum, modò in oſtium ad quieſcendum redire proponentes, in ſuis iacere prauitatibus numquam deſiſtunt.* Eodem pertinent, vt ſcribit S. Maximus Taurinenſis *ſerm. 39. Quibus cùm ieiunium indicitur, de intemperie ſe temporis ſemper excuſant. Dicunt enim aſtiuis menſibus, dies longa eſt, torrentior ſol eſt, ſitim ferre non poſſumus, poculis nos refrigerare debemus. Hyemis verò tempore, graue frigus eſt, rigores ſunt peſsimi, algorem tolerare nequimus, eſcis calefieri nos oportet. Ita homines, quorum animus ſemper eſt in prandio, prendendi ſibi cauſas inquirunt.* Et poſt pauca: *His autem ipſis hominibus cùm dixeris vt aliquid pauperibus largiantur, ſtatim tibi obijciunt: neceſsitates infinita ſunt, tributa ſunt grauia, fiſcalia explicare non poſſumus: & tanta tibi ingerunt vt quaſi reum te ſtatuant, cur hoc ipſum illos volueris cōmonere.* Lupis iſtos ſimiles non immeritò quis dixerit; vt enim illi ſaxorum, quæ facilè poſſent fugere, ſtrepitus timent, (teſte Pierio *l. 11.*) ita iſti tentationum, quibus facilè obuiare poſſent, incurſus.

G. VI. Timor immoderatus, plus æquo ſolicitus de temporalibus.

Sextò. Timor immoderatus, qui plus æquo ſolitus eſt v. g. de victu & veſtitu quotidiano; quem prohibet Dominus *Matth. 5. Nolite ſoliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur?* Moderata ſolicitudo de his non prohibetur, nimia & anxia vetatur. Eò etiam pertinet timor immoderatus de ſalute perdendâ, de periculo purgatorij vel damnationis incurrendæ: quando is talis eſt vt perturbare & à mentis tranquillitate ac confidentiâ deijcere hominem poſſit. Cruciat aliquos hoc dilemma: *Vel ſum prædeſtinatus vel non ſum: ſi ſum, certò ſaluabor: ſin non ſum, certò damnabor; quidquid tandem egero?* Sed reſpondeo cùm Gregorio de Valentia *1. p. q. 23. diſp. 1. part. 4.* Si es prædeſtinatus, bene tibi operandum eſt, præuiſus es enim bene operaturus: quod ſi nolis operari, ſignum eſt te non eſſe prædeſtinatum; vt ergo certam tuam prædeſtinationem facias, bene operare. Exemplum huic rei accommodatum ſcribit S. Auguſt. in l. de dono perſeuerantiæ, in hæc verba: *Fuit quidam in noſtro monaſterio, qui corripientibus fratribus, cur quadam non facienda faceret & facienda non faceret, reſpondebat: Qualeſcunque ſim, talis ero, qualem me Deus præſciuit. Qui profectò & verum dicebat & hoc vero non proficiebat in bonum: ſed vſque adeò profecit in malum, vt desertâ monaſterij ſocietate, fieret canis reuerſus ad vomitum; & tamen adhuc qualis ſit futurus incertum eſt.* Bene hunc timorem depulit à ſe mendicus ille apud Taulerum in colloquio Theologi & mendici; qui interrogatus à Theologo: *Quid faceres ſi te Deus damnare vellet?* Reſpondit: *duobus brachijs, humilitatis ſcilicet & amore Deum complecterer cogerémq; mecum deſcendere in infernum, & ſic mihi infernus fieret paradiſus.* A ſimuli timore liberatus fuit S. Saluius, qui cum defunctus & iam cœlum ingreſſurus eſſet, audiuit vocem: *Reuertatur ad corpus, Eccleſiæ mea eſt neceſſarius.* Cumque ille ingemiſcens reſponderet: *Domine ſi reuertar, exponar periculo & fortè numquam huc redibo;* audiuit: *Vade, ego ero cuſtos tuus teq; ſecure huc reducam.* Refert. Gregor. Turon. *l. 7. hiſt. c. 1.* Sed neque periculum damnationis inordinatè debet timere is qui bene viuit. *Sancti enim ſoliciti ſunt de præmio, non adeò formidantes de ſupplicio,* ait S. Proſper epiſt. ad Demetriadem. Magnus etiam Theologus P. Leon. Leſſius Societat. Ieſu narranti, quendam virum grauem optare purgatorium ſubire vſque ad diem Iudicij, vt eo ſibi aſſecuraret æternam ſalutem, reſpondit, *ſpem Chriſtianorum maiorem eſſe debere, quam vt certitudinem cœleſtis gloria tam longis purgatorij pœnis redimat.* Refert P. Corn. à Lap. *in 1. Ioan. c. 4.* Indiſcretos ergo iſtos timores foras mittit charitas; quanquam ſpes piorum ſemper eſſe mixta timori debet.

H. VII. Timor inſanus deſperantium.

Septimò. Timor inſanus deſperantium de ſalute ſuâ. Dicunt iſti cum Hebræis de illis: *Iniquitates noſtra & peccata noſtra ſuper nos ſunt & in ipſis nos tabeſcimus* (q. d. nulla iam nobis proderit medicina) *quomodo ergo viuere poſſumus? Ezech. 33.* Sed quid ad hæc Dominus? *Dic ad eos: Viuo ego dicit Dominus; nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à viâ ſuâ & viuat.* Habuit S. Abraham Eremita neptem flagitioſæ vitæ, in qua biennium conſumpſerat; ergo vt eam reuocaret, ementito militis habitu, eques ad eam profectus eſt, inuentam remotis arbitris ita allocutus eſt: *Super me ſit peccatum tuum, quo hactenus amatoribus fœdè proſtituiſti corpus tuum: ego pro eo ſatisfaciam: ego in die Iudicij pro te filia mea rationem reddam.* Cumque illa re gereret: *Nimis magna eſt iniquitas mea, non poteſt mihi eſſe ſpes ſalutis;* Reſpondit: *Super me ſit iniquitas tua filia mea; ex meis manibus Deus hoc peccatum requirat, tantùm veni mecum.* Ita venit & reliquo vitæ tempore tantam pro peccatis pœnitentiam egit, vt miraculis etiam clara exceſſerit è vitâ. Refert S. Ephrem *tom. 3.* Surius

16.

ſerit è vitâ. Refert S. Ephrem *to.* 3. Surius 16. Martij. Inſanus eſt hic timor, quia quo deſperatiores ſunt res hominis, eò præſentior eſt Deus & paratior ad iuuandum, qui non vult mortem peccatoris. Tunc ergo maximè vitanda deſperatio, cùm res eſt deſperatiſſima, maximeque excitanda certa in Deum ſpes & fiducia dicendumque cum Michæa *c.* 7. *Ego autem ad Dominum aſpiciam, exſpectabo Deum Saluatorem meum; audiet me Deus meus.* Abſcondit quidē ſe interdum Deus ab homine per ſubtractionem auxilij & ſolatij, ita vt videatur eum prorſus deſeruiſſe; verùm non propterea deſperare homo debet, ſed expectare potiùs reditum eius, qui in hodierno Euangelio ait: *Vado & venio ad vos.* Si ergo terret nos, quod ait; *Vado*; conſoletur quod ait: *venio ad vos.* Si affligit diſceſſus, erigit promiſſus eiuſdem reditus. **Wider kommen macht, daſſ ich deſſ ſcheidens nicht acht**, canit quidam. Sicut variat aër, nunc pluuius mox ſerenus eſt: ita & animus noſter, nunc iacet aridus & languet: nunc rurſum ſtat & deuotione exultat. Itaque timor iſte foras mittendus eſt, alioquin ipſe mittet hominem foras in gehennam.

Omnes iſtos timores eijcit & explodit ignis charitatis. Ergo, Auditores, ſiquis aliquo timore quaſi æneo quodam globo grauatus & oneratus eſt, impetret à Spiritu ſācto ignem charitatis, vt explodere tormentum ſuum & eijcere globum poſſit. Verè tormentum timor eſt, quia vt Apoſtolus *cit. loco* ſubdit: *timor pœnam habet* (S. Auguſt. pro pœnâ legit *tormentum*) & ſæpe magis cruciat quàm ipſum quod timetur malum. Exoneremus itaque timores iſtos, inuocato Spiritu ſancto. *Veni Sancte ſpiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.*

CONCIO VII.

Communicaturus ſit columba.

Aſſignantur conditiones volentis dignè & cum fructu ſumere corpus Chriſti.

1. *Redeat ad Deum per pœnitentiam.*
2. *Careat felle odij.*
3. *Peccata omnia expuet per pœnitentiam, etiam venialia.*
4. *Habeat oculos ſimplices, quoad fidem & intentionem.*
5. *Præmittat piam meditationem.*
6. *Occupet ſe in diuinis laudibus.*
7. *Poſt communionem cautè ſe gerat.*

THEMA.

Ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. Ioan. 14.

A. SAnctus Gregorius Papa *hom.* 30. *in Euangelia*, ſuper textum propoſitum ſcribit: *Penſate fratres chariſſimi, quanta ſit iſta dignitas; habere in cordis hoſpitio aduentum Dei. Certè ſi domum noſtram quiſquam diues aut præpotens amicus intraret, omni feſtinantiâ domus tota mundaretur, ne quid fortaſſe eſſet, quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo ſordes praui operis, qui Deo præparat domum mentis.* Hæc Gregorius: appoſitè ad hodiernum feſtum, quo multi in Euchariſtiæ ſumptione recipiunt magnum hoſpitem, cui vtinam domum cordis ſui ita omnes præpararent; vt non ſolùm ad eos venire ſed etiam apud eos manſionem facere dignaretur. Verùm timeo ne Chriſto eiuſque ſancto Spiritui eueniat interdum, quod euenit columbæ ex arca Noë emiſſæ; quæ cùm non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, aquis nimirum diluuij terram omnem ſepelientibus, reuerſa eſt ad arcam. Timeo, inquam, ne Chriſtus eiuſque gratia de cœlo ad nos veniens in multorum cordibus non inueniat paratam domum, ſeu locum vbi requieſcat; adeoque ſine fructu noſtro regredi ad cœlum debeat. Quid igitur conſilij in hac re adhibendum? Columba ad Columbam libenter aduolat & cum ea moratur. Quare ſi & nos fuerimus columbæ, veniet ad nos Chriſtus & cum eo columbæ illius, Spiritûs ſancti gratia, & manſionem apud nos faciet. Sanè venerabiles Eccleſiæ Antiſtites conſueuerunt olim ſanctiſſimam Euchariſtiæ hoſtiam recondere intra auream vel certè argenteam columbam, quæ ex alto loco altari imminebat; haſque columbas Euchariſticas vocabant, quarum meminit Baſilius ep. ad Cæſariam. Et quid aliud hoc inuento declamare voluerunt, quàm quibus conditionibus inſtructus eſſe deberet, qui Chriſti corpus ſumere dignè & cum fructu vellet? Hoc ergo nunc videamus.

B. I. Redeat ad Deum per pœnitentiam.

PRIMÒ. Columbæ vnicè amant columbare ſuum, æquè ac nidum & pullos ſuos: vnde etiam ſi aliò abducantur, mox vt liberæ euadunt, eò ſtatim reuolant, quocirca columbis vti ſolent in obſidionibus vrbium quaſi tabellariis. Ad hoc præſertim aſſuetæ ſunt columbæ Syriæ & Palæſtinæ, quæ etiam ſi ad centum milliaria à columbari abducantur, ſi è loco alto liberè auolare ſinantur, ſtatim directè mira vel odoratus vel naturæ ſagacitate ad columbare ſuum paucis horis reuolant: quibus proinde ad hoc vtuntur mercatores. Scimus etiam columbam à Noë emiſſam ad arcam rediſſe cum virente ramo, *Gen.* 8. columbare noſtrum & arca noſtra Eccleſia eſt, quam ingreſſi ſumus per baptiſmum, nidus noſter Chriſti gremium eſt, in quo ſuauiter dormijt Ioannes, gratia, inquam, & protectio eius paterna. Quare ſiquis à columbari & arca, Eccleſiâ, per hęreſin, vel à nido ſuo, Chriſto, per peccatum abductus eſt, conetur quantocyùs reuolare per pœnitentiam; tametſi centum milliaribus & longiſſimè ab eo diaboli fraude abductus eſſet. Reuertatur autem ſicut columba illa, quæ ad arcam rediens, ramum virentis oliuæ geſtauit in ore ſuo. Ramus hic pœnitentia eſt, ſignum peccati abſcedentis & gratiæ redeuntis. Viret, cùm peccata noſtra agnoſcimus & per contritionem deteſtamur: in ore eum geſtamus, cùm per

per confeſſionem peccata euomimus: oliua eſit, cùm per opera bona pro peccatis ſatisfaciemus. Ita rediit ad paternam domum filius ille prodigus, cùm in ſe reuerſus dixit: *Surgam & ibo ad patrem meum & dicam: Pater peccaui in cœlum & coram te*, &c. *Luc.* 15. Dicat etiam pœnitens: ſurgam & ibo ad domum patris mei. Et cum Dauide: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? & volabo & requieſcam*, *Pſal.* 54. Et cum S. Iob: *In nidulo meo moriar*, *cap.* 29. Reuertatur denique ſtatim, quemadmodum & columba Noë, coruus inſidendo cadaueribus moras traxit, inſonando ſuum, cras, cras: vnde factum vt numquam redierit. Idem iis contingit, qui in ſua conuerſione moras nectunt.

C. II. Careat felle odij.

SECVNDÒ. Columbæ felle carere dicuntur, quia eo non vtuntur, adeoque bile carent; vt ſcribit S. Auguſt. *tract.* 7. *in prima ep. S. Ioannis*. Ita communicaturus careat imprimis felle amaritudinis, odij & inuidiæ; ſiquidem Euchariſtia eſt Sacramentum vnionis cum Chriſto & Chriſtianorum inter ſe. Hinc olim communicaturi priùs oſculum pacis ſibi mutuò imprimebant: quemadmodum & columbæ ſe mutuò oſculantur. In geſtis Patrum Ordinis Ciſtercienſis, refertur de quodam Monacho, quod quotieſcunque ad diuinum epulum accederet, tantam illi gratiam Deus concesſerit, vt ſibi videretur fauum mellis comedere; quæ quidem dulcedo triduum ſemper integrum tenebat. Intermiſit ſanctum hunc morem Monachus vnâ vice, quâ citra ſatis idoneam cauſam, reprehenſo quodam fratre, nec priùs reconciliato, ſacræ menſæ accubuit, & ecce tibi ipſum diuinum pabulum eo die, in felle amariorem cibum vertitur, non impleto ſcilicet mandato Saluatoris: *ſi offers munus tuum ad altare, vade priùs reconciliari fratri tuo*, *Matth.* 5.

D. III. Peccata omnia expiet per pœnitentiam.

TERTIÒ. Columbæ reſident iuxta fluenta aquarum riuulos, *Cant.* 5. vt in aquis obſeruent accipitres ex eorum vmbrâ, vt ibi notat Gloſſ. ord. & S. Gregorius aliique. Sic communicaturus priùs inſpiciat conſcientiam ſuam eiuſque riuulos, actiones, intentiones; & ſibi obſeruat vmbram dæmonis, id eſt peccatum aliquod mortiferum, (quod ita comitatur dæmonem, ſicut vmbra corpus: ita denigrat conſcientiam & priuat lumine gratiæ, ſicut vmbra terram lumine ſolis) ilicò ab eo fugiat per pœnitentiâ ſacramentalem. Quin

Etiam venialia quantum fieri poteſt.

etiam ſi tantum hoſpitem, Chriſtum, pro dignitate excipere, & copioſo Sacramenti adipe impinguari volumus, vmbram etiam peccati lethiferi, hoc eſt, peccata venialia fugere & minutiores maculas abſtergere debemus. Tametſi enim veniales culpæ fructum S. Communionis adeoque augmentum gratiæ non impediant, feruorem tamen charitatis & deuotionis, qui potiſſima ad communionem præparatio eſt, valde reſtinguunt. Hanc ob cauſam Chriſtus ſuis diſcipulis ante communionem pedes abluit, vt doceret quotidianas, quas contrahimus, ſordes etiam tergendas eſſe, ſi fructuosè communicare volumus. Et propterea S. Dionyſius c. 7. de cœleſti Hierarch. ſcribit iam tunc in Eccleſiâ vſurpatam fuiſſe cæremoniam, quâ Sacerdos celebraturus manus lauat, nec illas totas, ſed extremos tantùm digitos, vt moneantur communicaturi, non grauium tantùm peccatorum ſordes, ſed minorum etiam defectuum pulueres excutere, vt poſſint dicere cum Dauide *Pſalm.* 25. & cum celebrante: *Lauabo inter innocentes* (Hebr. *in innocentiâ*) *manus meas & circumdabo altare tuum Domine*. Ecce in innocentia ſua lauit etiam Dauid manus ſuas intraturus ad tabernaculum, quid ſi ad Chriſtum ſuſcipiendum in ſacramento veniſſet? Denique ſi Nabuchodonoſor cibum de regiâ menſâ non niſi iis conſtituit pueris, in quibus nulla eſſet macula, & qui decori eſſent formâ: quanta obſecro puritas requiretur à Chriſtianis cum Chriſto accubituris.

E. IV. Habeat oculos ſimplices. 1. Quoad fidem.

QVARTÒ. Columbæ oculos habent ſimplices, non duplices & ſimulatos, quales habet vulpes, quæ cùm videtur huc reſpicere, aliò reſpicit: cùm cœlum putatur intueri, ex obliquo tamen intuetur terram aut ad prædam oculos dirigit. Commendantur eo nomine columbæ à Domino Matth. 10. *Eſtote ſimplices ſicut columbæ*. Et Cant. 1. à Salomone: *Ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum*: Simplices autem oculos habent Primò: qui fidem huius Sacramenti ſimplicem, qui non curiosè rimantur myſterii huius profunditatem, ſed cum animi demiſſione & gratiarum actione amplectuntur. Quando columba ex arcâ dimiſſâ virentem ramum attulit, ſtatim inde collegit Noë diluuium ceſſaſſe; ſciebat enim Noë non eſſe huiuſmodi columbam, vt ſoleat latentes ſub aquâ ramos tollere, quemadmodum poſſent aues aquaticæ, quæ natant & collum immergunt aquis. Columbares ergò ſint oculi communicantium: non ſe ingerant in profunda myſteriorum, quæ latere voluit Deus.

2. Quoad intentionem.

Secundò. Qui rectam intentionem habent. Columba compari ſuo fidem ſeruat, ideoque in eum ſolum oculos figit. Ita communicaturus ad Dei ſolius gloriam attendat & ſponſo ſuo Chriſto placere quærat. Non ſit inſtar vulpis, quæ dum cœlum intueri videtur, terram aſpicit aut prædam; non quærat gloriam hominum aut commodum temporale: non attendat ad ſolum Eccleſiæ præceptum, vel aliorum hominum conſuetudinem vel cenſuram. Sponſo ſuo ſe vnire & in eum transformari quærat; hic omnium optimus finis; vt poſſit dicere cum Apoſtolo: *Viuo ego iam non ego; viuit verò in me Chriſtus*, Gal. 2.

F. V. Præmittat piam meditationem.

QVINTÒ. Columbæ gemitum ex imo non tantùm gutture, ſed & pectore trahunt; vnde meditari dicuntur Iſa. 38. *Meditabor vt columba*. Et Iſa. 59. *Quaſi columbæ gementes meditabimur*. Inter optimas præparationes ad S. Euchariſtiam præuia meditatio eſt, ſi attentè conſideremus Primò: Quis ille ſit Dominus, 1.

minus, qui venit? nempe rerum omnium conditor, Monarcha cæli & terræ, Iudex viuorum
2. & mortuorum. Secundò. Ad quem venit? Ad me ſcilicet puluerem & cinerem, nec ſemel ip-
3. ſius læſæ maieſtatis reum. Tertiò. Ad quid venit? Nimirum vt me fructu paſſionis ſuæ ditet,
4. doníſque ſuæ gratiæ beet. Quartò. Cur venit? Non ſanè proprij commodi gratiâ, cùm nullius egeat, Dominus omnium; ſed mero amore mei, vt mihi bene ſit.

Imprimis verò conducit meditatio paſſionis Domini, cuius memoriale eſt S. Euchariſtia, ad hoc præcipuè inſtituta, vt mortem Domini annunciaremus. Quare ſi velimus animam noſtram in Dei amore liquefieri, communicaturi mentem in certo paſſionis myſterio defigamus; quod docet S. Bonauentura *tr. de præparatione ad Miſſam.*

G. VI. Occupet ſe in diuinis laudibus.

Sextò. Dum comedunt vel bibunt columbæ ſubinde ad cælum attollunt oculos & caput: Faciat & hoc communicans; & imprimis occupet ſeſe in diuinis laudibus & prædicandis Dei beneficijs, præſertim redemptionis & præſentis communionis; dicat cum Hebræis; *Manhu: quid eſt hoc?* Vnde mihi hoc manna? Vnde tantus mihi hoſpes? Dicat cum Daniele in lacu conſtituto, cùm cibum ſibi à Deo per Habacuc tranſmiſſum accepit: *Recordatus es mei Deus & non dereliquiſti diligentes* (græcè *quærentes*) *te. Dan.* 14. Deinde excitet in ſe actus amoris diuini, quaſi conetur amplexari & deoſculari Dominum ſuum; dicatque ei: *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus*, &c. Poſtmodum commendet ſe ſuaque omnia Chriſto hoſpiti ſuo, aperiat ei vulnera & miſerias ſuas poſtulet auxilium, nec dimittat Dominum, donec benedictionem impetret ab eo. Sic enim Eſther illam petitionem ad ſuum Regem diſtulit eouſque, donec ad conuiuium ab ea paratum veniret; & tunc non difficile impetrauit. Denique ſimus memores accepti beneficij, & ſicut Moyſes repoſuit certam menſuram de manna in Arcam vt in futuras generationes aſſeruaretur & à poſteris ſciretur, quo genere ciborum Deus in deſerto pauiſſet populum ſuum: ita memoriæ noſtræ tantò diligentiùs mandandum communionis beneficium, quantò præſtantior in ea cibus datus fuit, quàm eſſet Manna.

H. VII. Poſt communionē cautè ſe gerat.

Septimò. Columbæ non ſedent ſuper cadauera; quo modo coruus ille à Noë dimiſſus, *Gen.* 8. Hinc enim columba ad arcam redijt, quia *non inuenit vbi requieſceret pes eius*. Coruus verò minimè redijt, quia inuenit vbi ſederet, ſuper cadauera videlicet natantia in vndis; quæ horruit columba. Itaque communicans videat dimiſſus è templo poſt communionem, vbi ſedeat & quieſcat. Si enim ſtatim à communione ad fabulas, otioſa verba, inconditos riſus, compotationes, commercia ſæcularia conuertatur, ſi ad priora demum peccata redeat, coruus eſt non columba. Si verò cadauera peccatorum ſuorum per pœnitētiam demerſa fugiat & horreat, ſi mundi illecebras faſtidiat, ſi nihil in hoc mundo deſideret, ſed Chriſtum tantùm & cœleſtia quærat, ſi volatu cœleſtium meditationum ſe occupet, ſi in laudibus diuinis, ſi in exercitio amoris Dei, ſi in gratiarum actione, ſi in ſolitudine & ſilentio, ſi in mortificatione ſenſuum, &c. columba eſt, quam cœleſtis Noë Chriſtus ſuo tempore apprehendet & inferet in arcam ſuam, quietem ſcilicet æternam.

CONCIO VIII.

Documenta.

Docetur primò quàm ſublimis res ſit diligere Deum.
2. *Mandata Dei ſeruari poſſe.*
3. *Non ſoli fidei ſed dilectioni etiam promitti Dei gratiam.*
4. *Explicantur bona Pacis.*
5. *Pellendum eſſe inutilem & ſeruilem timorem à corde.*
6. *Mors piorum gaudio potiùs quàm mœrore proſequenda.*
7. *Diabolum morientibus maximè inſidiari.*

THEMA.

Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Ioan. 14.

Magnus ille Concionator, Spiritus S. Auditores, hodie de cœlo venit & per ora Apoſtolorum primam ſuam concionem ad quamplurimas nationes habuit, conuertitque ſimul tria millia hominum. Porrò ad eam concionem conuocauit homines ex vniuerſa vrbe per tonitru & fragorem de cœlo editum quaſi per campanam: vnaque eius interuentu diſpoſuit hominum animos ad excipiendum Spiritum S. docens interim & hoc, ſonum Euangelij in omnem terram exiturum. Ergo, Auditores, cùm campanæ ſonitus vocat vos ad concionem, credite vos audire ſonum illum de cœlo factum: cùm loquitur Concionator, exiſtimate vos audire loquentes Apoſtolos: cùm verbo Dei incaleſcitis ad amorem Dei & virtutis, vel ad peccatorum deteſtationem, certò perſuadete vobis ignem Spiritus S. deſcendiſſe in corda veſtra. Nunc igitur audiamus, quam ſuggeret & dictabit cœleſtis iſte Doctor, doctrinam Euangelij, quod hodiè lectum fuit. A.

B. I. Quàm ſublimis res diligere Deum.

Audimus Primò quanta & quàm ſublimis res ſit diligere Deum. Non enim ſolùm compenſat Deus homini dilectionem iſtam reciprocâ charitate & infuſa gratia, ſed præterea ſeipſum realiter ipſi communicat, in ipſo velut in templo ſedem ſibi collocat: perinde ferè ac Verbum aſſumens humanam naturam, eidem illapſum eſt perſonaliter. Et ſicut Beatis eſt realiter præſens cùm illis ſuam eſſentiam per viſionem beatificam & lumen gloriæ oſtendit, eamque eis poſſidendam communicat, ſic etiam eſt in anima ſancta: ac proinde in eam, ſuam effundit gratiam charitatem aliaque dona, Sol cùm oritur, mox

Digitized by Google

mox ſuam lucem, radios & calorem hominibus communicat, non tamen ſeipſum ſecundùm ſubſtantiam. At Deus ſtatim ac gratiam ſuam infundit animæ; etiam ipſe eam nouo modo inhabitat, non eo ſolùm, quo alia omnia: ſed peculiari. Itaque dato, quòd aliàs non eſſet reáliter præſens animæ: poſita in ea gratia; ſtatim fieret præſens, non vt Deus tantùm: ſed vt pater & amicus: vt docet Suarez *lib.* 12. *de Deo trino & vno c.* 5, & alij. Colligitur hoc ex hodierni Euangelij verbis: *Ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Ex hac Deitatis communicatione ſequitur animæ ſumma cum Deo vnio, eleuatio & quaſi Deificatio, ita vt homo fiat Dei filius & hæres regni cœleſtis; omniaque eius opera eleuentur ad ſummam dignitatem: ita vt ſint opera filij Dei & cœlo digna; denique ipſe quaſi Deus quidam fiat, vti appellatur à S. Baſilio hom. de Spiritu ſancto. Gloriabantur gentiles aliqui à Dijs ſe prognatos, quæ opinio etſi falſa, multum tamen eis profuit; hinc enim ad magna ſe natos rati, magna & fortia deſignabant facinora, ſupra vulgi conſuetudinem. Quò ergo veriùs Chriſtiani ſunt filij Dei, eo acriori ſtimulo ad heroica virtutum opera impelli debent. Audiant S. Cyprianum *l. de ſpectac.* dicentem: *Numquam humana opera mirabitur, quiſquis ſe cognouerit filium Dei: deijcit ſe de culmine generoſitatis, qui admirari aliquid poſt Deum poteſt.* Cùm ergo blanditur tibi caro, dic: Filius Dei ſum: ad maiora natus ſum, quàm vt ventris mancipium faciam. Cùm tentat mundus & oſtendit diuitias, dic: Dei Filius ſum, cœleſtibus operibus deſtinatus, &c. Cùm inuadit dæmon honores promittens: Dei ſum filius: abſit vt mancipium me efficiam diaboli: regno æterno natus ſum. Et tamen cùm tanta ſit eorum dignitas, qui diligunt Deum: tam facilis etiam & ſuauis res diligere ſummum & incommutabile bonum, paucos nihilominus eſſe qui diligunt Deum indicat Dominus in hoc Euangelio, cùm ait: *ſiquis diligit me.* q. d. magna res, ſi talis quis reperiatur; quo modo alibi dixit: *ſiquis vult venire poſt me*, &c. plerique omnes ea tantùm diligunt, quæ ſenſibus percipiunt, terrena tantùm ſectantur, cœleſtia nil curant. Quibus indignatur Dauid. *Pſalm.* 4. dicens: *Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Hebr. habetur: *Filij viri, vſquequo glorioſi mei ad ignominiam diligentes vanitatem, quæritis mendacium?* verè glorioſi, verè inclyti ſumus, filij magni Dei: vt quid ergo ad ignominiam noſtram diligimus vanitates?

C. II. Mandata Dei ſeruari poſſunt.

Audimus SECVNDÒ. Mandata Dei ſeruari poſſe; alioquin fruſtrà diceret Dominus: *Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Ergo qui mãdata non ſeruat, non diligit Deum, proinde nec diligitur à Deo & conſequenter velut reprobus abijcitur in gehennam. Damnant ergo hîc hæretici ſeipſos, dum aiunt ſe mandata Dei ſeruare non poſſe.

Neque ſolùm ſeruari; ſed facilè etiam ſeruari poſſe indicat Dominus illis verbis: quia amanti nihil eſt graue: *Quomodo enim graue eſt*, inquit S. Auguſtinus de natura & gratia *c.* 69. *cùm ſit dilectionis mandatum? Aut enim quiſque non diligit, & graue eſt: aut diligit, & graue eſſe non poteſt:* Vnde S. Ioannes *ep.* 1. *c.* 5. *Hæc eſt charitas Dei*, inquit, *vt mandata eius cuſtodiamus & mandata eius grauia non ſunt.* Charitas ergo facit ſeruare & facilè ſeruare mandata. Quis labor durus matri, impenſus filio quem diligit? Quis venatori, qui venationem? quis ſtudioſo, qui ſtudia amat? Ad hanc cauſam accedunt aliæ; veluti quòd Chriſtus legem maximopere alleuiauit; dum cæremonialia & iudicialia veteris legis præcepta ſuſtulit, moralia ſolùm legis naturæ; Decalogum ſcilicet reliquit & pauca Euangelica addidit. Rurſum quòd dat gratiam quaſi alas, quibus volemus ad præceptorum obſeruationem: quaſi rotas, quibus currum trahamus. Denique quòd exemplo ſuo præiuit: præmiſit etiam ſanctos, qui non præcepta tantùm ſed & conſilia impleuerunt, martyria ſubierunt, vitam anachoreticam duxerunt, &c. Taceo promiſſa cœleſtia.

D. III. Non ſoli fidei, ſed dilectioni etiã promittitur Dei gratia.

Audimus TERTIÒ. Non ſolùm fidei, ſed dilectioni & mandatorum obſeruationi promitti Dei gratiam ac proinde etiam gloriam: *Siquis diligit me ſermonem meum ſeruabit & Pater meus diliget eum:* Quod etiam paulò antè dixerat: *ſi diligitis me, mandata mea ſeruate.* Qui enim diligit Deum, debet ea diligere quæ Deus diligit; ea odiſſe quæ odit, ait S. Auguſtinus; ergo & amplecti, quæ præcipit: cauere quæ vetat. Quare ſi fidelis renuit operari, cùm debet; perdit gratiam quæ eſt vita animæ, ac proinde moritur ſecundum animam, & habet fidem mortuam vt docet S. Iacobus *cap.* 2. Quemadmodum verò in equo mortuo nemo iter facere poteſt: ita per fidem mortuam nemo ad gloriam ingredi. Videmus ſubinde milites ob delicta leuiora imponi machinæ ligneæ in aſini figuram efformatæ, eique inſidere totâ die interim tamen ne paſſum vnum progredi: quia ligneo inſident aſino. Tali iumento inequitant hæretici, qui ſolâ fide confiſi ſperant ſe ad cælum ituros, cùm nec paſſum vnum faciant.

E. IV. Pacis bona.

Audimus QVARTÒ. Pacem ſemel iterum, tertiò nobis inculcari: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis*; quia nimirum magna ſunt pacis bona. 1. Primò enim pax omnia in ſuo vigore conſeruat, diſcordia omnia perdit & labefactat. Vnde Empedocles Pythagoreus mundum dicebat conſtare concordiâ, diſcordiâ autem diſſipari. Linguarum vnio turrim Babel altiſſimam extruxit, diuiſio diſſipauit. Hinc Pharao vt Iſraëlitas in ſeruitute contineret; diuiſit à ſe mutuò, diſpergens per Ægyptum ad colligendas paleas, *Exod.* 5. Diuide ignem, extinguetur: diuide flumen, amittet vim. Euphrates flumen quamdiu vnitum, tamdiu inexpugnabile Babylo-

bylonis præſidium erat. Nam vt ait Xenophon l. 7. *Euphratis latitudo eſt, pluſquam ad duo ſtadia; & profunditas tanta vt nec duo viri alter ſuper alterum ſtantes ſuper aquam emineant.* Vbi tamen Cyrus in plures eum foſſas diuiſum deriuauit; nullo negotio & quaſi ſiccis pedibus cum exercitu tranſiuit & Babylonem occupauit, Balthaſarem interfecit, (Dan. 5.) vt ſcribunt Xenophon l. 7. Herodotus l. 1.

2. Secundò. Pax eſt omnium rerum tranquillitas & ſuauiſſima harmonia, vt oſtendit D. Auguſtinus *l. 19. de Ciuit. cap. 13. Pax corporis*, inquit, *eſt ordinata temperatura partium. Pax animæ rationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actioniſq; conſenſio. Pax corporis & animæ, ordinata vita & ſalus animantis. Pax hominis mortalis & Dei immortalis, ordinata in fide ſub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax ciuitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia ciuium. Pax cœleſtis ciuitatis, ordinatiſſima & concordiſſima ſocietas fruendi Deo & inuicem in Deo. Pax omnium rerum tranquillitas ordinis.* Vbi ergò pax eſt, ibi omnia ſuauiter degunt; vbi diſcordia, ibi omnia perturbantur. Vnde Dauid: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum*, ait, *habitare fratres in vnum!*

3. Tertiò. Pax eſt inchoatio vitæ cœleſtis, adeoque terrena quædam beatitudo, promouens hominem ad cœleſtem. Ideò fortè Dominus in hodierno Euangelio duplicauit nomen pacis; vt pacem tam huius, quàm alterius ſæculi nobis daret; primam huius viæ: *Pacem relinquo vobis*; alteram cœleſtis patriæ, quam notanter vocat pacem ſuam, quia perfecta eſt: *Pacem meam do vobis*.

4. Denique eſt quidam typus SS. Trinitatis, in quâ ſunt tres perſonæ: vna tamen Deitas, vna voluntas, vnus amor, vnus omnium conſenſus. Hinc igitur gratiſſima eſt Deo pax; ita vt *Deus pacis* vocetur ab Apoſtolo 2. *Corinth.* 13. Et ſi D. Cypriano credimus, propterea Deus ad munera Abelis reſpexit; ad Cain eiuſque munera non reſpexit, quia ille pacem, hic diſcordiam cum fratre habuit; vt refertur diſt. 90. c. *Nec ad Cain.* Et ſi D. Gregorio fidem damus, propterea Deus in mundum venit, vt doceret pacem, vt refertur 23. q. 1. c. *Niſi bella.* Idcircò nato Chriſto pax mundo denuntiatur: diſcedens ad mortem pacem ſuis relinquit: reſuſcitatus à morte pacem eis rurſum precatur.

F. V. Pellendus inutilis timor & ſeruilis.

Audiuimus QVINTO. Pellendum eſſe ab animo noxium & inutilem timorem; *Non turbetur cor veſtrum neque formidet.* Quia ſicut pax amica eſt dilectioni, ita timor inimicus. Vnde 1. *Ioan.* 4. dicitur: *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem.* Vult nimirum Dominus noſter magnanimos habere ſeruos, quales deſcribit Sapiens Prouerb. 12. *Non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit.* Et *Prouerb.* 28. *Iuſtus quaſi Leo confidens abſque terrore erit.* Neminem enim Leo timet, vnde in aperto dormit.

1. Ratio eſt Primò. Quia timor ſeruilis imperfectionem continet; nimirum amorem ſui & diffidentiam de Deo. Vnde ſubdit Ioannes: *Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate.*

2. Secundò. Quia, vt ait S. Ioannes ep. cit. *timor pœnam habet.* Alij *tormentum*, alij *cruciatum* vertunt. Solet dici: *peior eſt bello timor ipſe belli.* Ita ſæpe Rei ſupplicijs addicti magis affliguntur timore & apprehenſione mortis, ad quam damnati ſunt quàm ipſâ morte; ſingulis enim momentis ita anguntur, vt millies mori videantur.

3. Tertiò. Quia rationem obnubilat indeque facilè in verba & ſigna externa prorumpit ac defendit ſæpe & laudat, quæ ſunt noxia & turpia; quo modo ebrio placent incompoſiti ſui geſtus & ſuilli mores, de quibus tamen poſteà ſobrius erubeſcit.

Pellendus à corde.

Porrò rectè monet Chriſtus vt non turbetur *cor*; hoc eſt, ne timor & perturbatio ſit deliberata & voluntaria, adeoque admittatur in cor. Nam indeliberatæ perturbationes declinari nequeunt, nec ſunt peccata. Solemus nos Germani focum extra hypocauſtum habere, ne fumo moleſtemur. Eum in modum perturbatio, ſi qua aduenit, contineatur extra cor, ne rationē turbet. Ageſilaus Rex Spartæ, teſte Plut. *in Lacon.* cùm podagræ doloribus arderet, eumque inuiſiſſet Carneades, triſtis ab eo recedens: *Mane*, inquit, *Carneades: nihil enim illinc huc peruenit*; oſtenſis pedibus & pectore. Sentient pedes quidem dolere; animum verò non dolere. Hunc in modum, ſi quidam naturalis timor & perturbatio nos inuadit, demus operam, vt ſi à mente & cogitatione excludi nequeat, in cor ſaltem non aſcendat. Admittitur verò in cor perturbatio, cùm ratio ei ſuccumbit voluntariè, nec reſiſtit pro viribus. Eſſe autem in poteſtate noſtrâ victoriam perturbationum, adiuuante gratiâ, eo ipſo oſtendit Dominus, quo præcipit in hodierno Euangelio: *Non turbetur cor veſtrum.*

G. VI. Mors piorum gaudio potiùs quã mœrore proſequenda.

Audiuimus SEXTO; Mortem piorum amicorũ gaudio potiùs quàm mœrore proſequendam. Ait enim Dominus: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem*, id eſt, ad mortem, *docens & oſtendens, cùm cari, quos diligimus, de ſæculo exeunt, gaudendum potius quàm dolendum*, inquit D. Cyprian. *in l. de mortalit.* idque confirmat ex Apoſto. *ad Philipp.* 1. dicente: *Mihi mori lucrum.* Subiungitque: *Lucrum maximum computans iam ſæculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis & vitijs carnis obnoxium fieri: exemptum preſſuris angentibus & venenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam ſalutis æternæ Chriſto vocante proficiſci.* Hæc cauſa eſt, cur ſanctorũ fatales dies cum gaudio celebremus; nec dies fatales ſed *natales* appellemus, quia in iis cœlo nati ſunt. Epaminondas Thebanorum Dux in prælio vulneratus, *primum an clypeus ſuus ſaluus eſſet, deinde an fuſi hoſtes penitùs forent, interrogauit, quæ poſtquam ex animi ſententiâ cõperit: Non finis*, inquit, *commilitones, meæ vitæ, ſed melius & altius initium aduenit, Nunc enim veſter Epaminondas naſcitur, quia ſic moritur.* Ita Valer. M. l. 3. c. 2. Quantò veriùs ita loqui ſerui Dei morientes poſſunt, quî

qui non in ore hominum, ſed in cœlo perpetuò victuri hinc diſcedunt? Id tamen priùs inueſtigare & quidem ſedulò debent, an eorum conſcientia ſalua ſit, & an vitia expugnata. Idem auctor *l.5. c.10.* refert Xenophontem ſacrificantem intellectâ filij maioris natu Grylli nomine, cæde, coronam capiti detraxiſſe; aſt vbi audiuit fortiſſimè pugnantem interijſſe, capiti repoſuiſſe; quaſi maiorem ex virtute filij voluptatem, quàm ex morte amaritudinem ſentiret. Quòd ſi iſta Ethnici, quantò æquiùs Chriſtiani.

H. VII. Diabolus morientibus maximè inſidiatur.

Audimus SEPTIMÒ, Diabolum potiſſimùm morientibus inſidiari. Etenim Dominus finitâ cœnâ & ſermone ad mortem perrecturus ait: *Venit Princeps huius mundi & in mè non habet quidquam.* Vult dicere: Diabolus iam parat mihi funes, flagella, ſpinas, opprobria, crucem, per ſatellites ſuos Iudæos & carnifices, vt meam patientiam & virtutem tentet; imò ipſemet ſedulus aderit & incitabit in me canes illos, capere me volens. Quod ſi Chriſto morienti adeò inſidiatus fuit, haud dubiè etiam morientes alios ſedulò obſeruabit. Scimus eum S. Martino morienti adſtitiſſe & his ab eo verbis compellatum eſſe: *Quid hic adſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſti reperies.* Vidit eundem S. Antonius ſtatura ingenti ad nubes vſque protenſû, brachijs extenſis animas ad cœlum euolantes, quas poterat comprehendere, ad terram deijcientem, vt refert Athan. in vitâ S. Antonij. Vnde didicit Antonius dæmonem omni conatu impedire morientium ſalutem. Demus igitur operam, vt nihil in nobis, eo præſertim tempore, inueniat de ſuo. Exſoluamus hic dum poſſumus omnia debita noſtra tam quæ proximis, quàm quæ Deo debemus, & componamus rationes noſtras, ne deprehenſos ibi ex alto deijciat ſiue in purgatorium, ſiue in gehennam. Refert celeberrimus Concionator P. Georgius Scherer ſuper hanc Dom. terribilem viſionem nobili cuidam Auſtriaco ante non multos annos oſtenſam morienti, tetros ſcilicet aurigas lectum eius circumſtantes & animam expectantes, quibus ipſe iuſſerit dari priùs ientaculum, aſſerens adeſſe tempus conſcendendi currum & abeundi. De Hæreſiarchâ illo Andrea Carolſtadio ſcribit Florimundus Remundus *l.2. de Orig. hær. cap.* 7. his verbis: *Baſileam euocatus concionatoris munere aliquandiu ibi functus eſt; quumq; die quodam concionem haberet, vidit magnæ ſtaturæ hominem templum intrantem & ad latus Conſulis conſidentem. Finitâ concione Carolſtadius quærit ex Conſule quiſnam vir ille eſſet inſolitæ ſtaturæ, qui iuxta ipſum conſediſſet. Conſule verò reſpondente, neminem à ſe viſum; totus conſternatus vnà cum Conſule domum contendit. Aduenienti domeſtici narrant, magnæ ſtaturæ hominem ædes ingreſſum, filium ipſius medium arripuiſſe, & in altum eleuatum, ſine vllâ læſione in terram decidere permiſiſſe, additis his verbis; Patri ſuo multam ſalutem diceret, quem intra triduum eſſet viſurus. Accedente ad reliquas animi & corporis miſerias hac quoque conſternatione, Carolſtadius post triduum extremum vitæ diem clauſit. Hunc quidem dæmonem fuiſſe, à quo, vt Brutus olim à malo ſuo genio, tanquam vadimonio ad mortem euocatus fuerit, dubium non eſt.* Sic ille.

Deus nos cuſtodiat ab huiuſmodi hoſpitibus & aurigis; ſed & ipſi quoque cuſtodiamus nos: ſi enim in vitâ nihil cum Principe illo habuerimus commune, nihil ille nobiſcum habebit in morte. *Vnde curandum nobis eſt* (verba ſunt S. Gregorij hom. 39. in Euangelia) *& cum magnis quotidiè fletibus cogitandum, quàm rabidus, quàm terribilis ſua in nobis opera requirens, in die noſtri exitus princeps huius mundi veniat, ſi etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæſiuit; in quo ſuum inuenire nihil potuit. Quid itaque nos miſeri dicturi, quid acturi ſumus, qui innumera mala commiſimus? Quid requirenti aduerſario, & multa ſua in nobis inuenienti dicemus, niſi ſolùm, quòd nobis eſt certum refugium & ſolida ſpes, quia vnum cum illo facti ſumus, in quo princeps huius mundi & ſuum aliquid requiſiuit, & inuenire minimè potuit: quoniam ſolus eſt inter mortuos liber.* Itaque Auditores, Chriſto adhæreamus, Chriſto nos vniamus; ſic malignus ille nihil in nobis de ſuo reperiet in morte.

CONCIO IX.

Myſteria.

Elucidantur quæ nonnihil obſcurà ſunt in hod. Euangelio.

1. *Quomodo SS. Trinitas veniat ad hominem timentem Deum.*
2. *Cur Spiritus S. vocetur Paraclitus.*
3. *Quomodo Spiritus S. miſſus in Chriſti nomine.*
4. *Quid illa pax quam dat Chriſtus.*
5. *An Apoſtoli Chriſtum non dilexerint.*
6. *Quomodo Pater maior ſit Filio.*
7. *An Apoſtoli non crediderint, niſi poſt euentum prædictionis.*
8. *Cur diabolus vocetur princeps huius mundi.*
9. *Quomodo nihil habuerit in Chriſto.*
10. *Cur Spiritus S. apparuerit in ſpecie columbæ, nubis, in flatu, &c.*

THEMA.

Paraclitus autem Spiritus S. ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Ioa. 14.

NOn fruſtrà aut inconſultò fit, Auditores, vt in ſuggeſtis Concionatorum pingatur Spiritus ſanctus, capiti concionantis imminens. Id enim abſque dubio veteres Chriſtiani ex hodierno Euangelio hauſerunt, in quo Spiritus S. dicitur Apoſtolis ſuggeſturus omnia, quæ ipſis prædicanda erant: *Ille vos docebit omnia,* inquit Dominus, *& ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Non apparet autem ratio, cur dicamus ſolis Apoſtolis & non alijs quoque verbi diuini præconibus, hunc Doctorem & ſuggeſtorem promiſſum eſſe; ſiquidem non minùs indigent A.

alij

alij concionatores operâ Spiritus ſancti, quàm olim indiguerint Apoſtoli. Scimus certè ex rebus geſtis D. Gregorij Magni Petrum Diaconum teſtatum eſſe, ſe Spiritum ſanctum columbæ ſpecie ſupra ipſius caput, dum dictaret libros, ſæpiùs vidiſſe. Itaque Spiritus ſanctus Doctor & inſpirator eſt omnium concionatorum, qui legitimè ad hoc munus vocantur: ipſi inſtrumenta & quaſi linguæ eius ſunt, Ille ventus, iſti vela: Ille fluuius, iſti rotæ molendini. Ille follis, iſti fiſtulæ organi ſunt. Atque hic Doctor eſt, qui hodierno die in hunc ipſum finem de cœlo in terram miſſus eſt, quo aſpirante & ſuggerente perſpicua faciemus, quæ nonnihil obſcura ſunt in hodierno Euangelio.

B. I. Quomodo SS. Trinitas venit ad hominem diligentẽ Deum.

Q. PRIMÒ, Quomodo SS. Trinitas venit ad hominem diligentem DEVM? Reſp. non venire per motum localem (Deus enim per eſſentiam, præſentiam, & potentiam vbique eſt, adeoque in quouis etiam homine) ſed per nouam operationem ſupernaturalem, dum verè & realiter adeſt & ineſt homini velut amicus: dum ſuâ gratiâ eum exornat; ſuo lumine illuſtrat, fouet, tuetur, perficit: dum in eo ſibi complacet: dum in eo colitur veluti in templo, dum in eo reſidet velut in Regiâ aut throno ſuo Princeps, &c. Quemadmodum enim ſol dicitur ad nos aſcendere & venire, cùm Antipodas deſerens ſupra terram emergit ſuoque lumine noſtrum hemiſphærium illuſtrat, ſuo calore fouet, ſuo vigore omnia progignit; tametſi tunc nihilo nobis ſit vicinior (terra enim reſpectu cœli non niſi inſtar vnius puncti eſt) ita Deus qui priùs quidem intimè adeſt omni homini; cùm per gratiam in eo habitare incipit, mutat in eo noctem in diem, viuificat hominem priùs mortuum, fouet, illuſtrat, recreat, fœcundat, &c. vti ſol terram, quam contuetur. Adhæc quemadmodum corpus cùm informatur ab animâ, viuere incipit & vitales actiones edere: quod alioquin non niſi cadauer foret, ſi anima in eo per modum inquilini ſolùm habitaret: ita homo in quo per gratiam habitat Deus, viuit ſpiritualiter: is verò in quo per omnipræſentiam tantùm ſuam eſt, vitâ caret & cadauer eſt.

C. II. Spiritus S. cur Paracletus dicitur.

Q. SECVNDÒ, Spiritus ſanctus cur Paracletus vocatur? Reſp. paracletum ſignificare Conſolatorem, Exhortatorem, Aduocatum. Eſt ergò Conſolator in aduerſis & tribulationibus maximè in peccatis, *conſolator*, inquit ſanctus Gregorius *hom.* 30. de hodierno Feſto, *idem Spiritus vocatur, quia de peccati perpetratione mœrentibus, dum ſpem veniæ præparat, ab afflictione triſtitiæ mentem leuat.* Exhortator in aggrediendis & perficiendis rebus difficilibus: Aduocatus, quia *poſtulat pro nobis* (hoc eſt poſtulare nos facit) *gemitibus inenarrabilibus*, ad Rom. 8.

Spiritus cur. 1. Spiritus appellatur Primò, Quia per modum ſpirationis, quâ homo producit flatum ſeu anhelitum, procedit à Patre & Filio. Sicut enim cor per os producit flatum, ita Pater per Filium producit Spiritum ſanctum. Vel potiùs ſicut anima ex intellectione rei amabilis ſpirat & producit amorem eiuſdem: ita Pater per Verbum Spiritum ſanctum. Secundò, Quia ſimilis eſt ſpiritui noſtro ſeu animæ. Sicut enim hæc corpus viuificat eique vires influit ac vitales actiones gignit: ita Spiritus S. animam gratiâ viuificat & potentias eius ad bene operandum excitat ac facilitat, omniaque eius opera meritoria vitæ æternæ facit. Tertiò, Quia ſpiritui ſeu vento non abſimilis eſt. Ventus purgat aërem, affert pluuias, incendit ignem, propellit naues, agitat molas, refrigerat homines, tibias reſonare facit. Spiritus S. purgat animam à peccatis, rigat & impinguat lachrymis compunctionis & deuotionis, amorem Dei inflammat, ad cœlum euntes promouet, ad bene operandum incitat, conſolatur, ad orandum mouet, &c. 2. 3.

Sanctus cur. Sanctus denique appellatur, quia ſanctiſſimus & puriſſimus omniſque ſanctitatis fons. Secundò, Quia animam ſanctificat & quodammodò encæniat, vt ſit templum Deo conſecratum. Tertiò, Ad differentiam ſpiritûs maligni, qui malorum omnium incentor eſt. 1. 2. 3.

D. III. Quomodo Spiritus S. miſſus in Chriſti nomine.

Q. TERTIÒ, Quomodo Spiritus S. miſſus eſt in Chriſti nomine? Reſp. Primò, Quia miſſus eſt vice Chriſti, ita vt loco Chriſti præſit deinceps Eccleſiæ: quo modo Legatus Regis dicitur adeſſe ciuitati Regis nomine, id eſt, vice & auctoritate Regis. Ita exponit Euthymius. Secundò, Quia miſſus eſt per nomen & merita Chriſti, qui miſſionem Spiritûs S. ſuâ morte nobis promeruit. Hoc ſenſu iuſſit Dominus petere nos in nomine ſuo. 1. 2.

Tertiò, Quia *miſſus eſt per Chriſtum*, inquit D. Cyrillus. Eſt enim Spiritus Filij, ad *Gal.* 4. quia à Patre & Filio vti procedit ita & ab vtroque mittitur. 3.

Quartò, Quia ad nomen & gloriam Filij amplificandam miſſus eſt. Ita Theophylactus. De eo enim dixit Dominus: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Hoc ſenſu dicitur Matth. vlt. *baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritûs S.* Græcè εἰς ὄνομα, in, ſeu ad nomen Patris, &c. 4.

E. IV. Quid illa pax quam dat Chriſtus.

Q. QVARTÒ, Quid ſignificat illa pax, quam relinquit & dat ſuis Chriſtus? Reſp. Primò, Ex more ſalutandi Hebræorum ſignificat omnem proſperitatem, vti 2. Reg. 18. *Eſtne pax puero Abſolon?* Secundò, Pacem & concordiam mutuam, quæ profectò perquam neceſſaria erat Apoſtolis, ne inter eos orirentur diſſenſiones & ſchiſmata ad ſubuerſionem aliorum. Ita exponit Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus. Tertiò, Pacem internam animi ſeu conſcientiæ bonæ, quæ itidem præclariſſimum bonum eſt & iuge quaſi conuiuium. Ita Auguſtinus. 1. 2. 3.

Eam dat non vt mundus. 1. Porrò pacem iſtam dat, non quomodo mundus dat. Primò. Quia mundus eam ſolùm optare vel precari alteri poteſt: Chriſtus dare

Digitized by Google

dare poteſt; ideo ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Mundus dat pacem quam non habet: Chriſtus dat pacem quam habet.
2. Secundò, Quia mundus ſeu mundi ſectatores precantur ſibi & aliis non niſi pacem tranſitoriam, carni & commoditatibus temporalibus ſeruientem, doloribus & laboribus carentem. Chriſtus autem dat pacem hominibus, vt eâ in DEI honorem & gloriam vtantur.
3. Tertiò, Quia mundus non precatur nec curat pacem animi internam cum Deo & conſcientiâ propriâ; de quâ loquitur Apoſtolus Philipp. 4. *Pax, quæ exuperat omnem ſenſum* (id eſt, omnem intellectum) *cuſtodiat corda veſtra.* Pax mundi fuit illa Herodis & Pilati in perniciem Chriſti facta. Pax mundi eſt illorum Superiorum, qui, vt quieti viuant, patiuntur violari iura humana & diuina, lupos ingredi in ouilia ſua & diripere oues. Pax mundi eſt illorum paſtorum, qui vt humani, familiares & pacifici vocentur, non exſerunt dentes in ſcelera impiorum, canes muti non valentes, vel potiùs non volentes, latrare. Pax mundi eſt illorum qui in vnum conſpirant ad opprimendum innocentem, qualis erat fratrum Ioſephi, qui ſedentes epulabantur, ipſo in ciſternam detruſo: militum ludentium relicto in Cruce Chriſto.

F. V. Apoſtoli an Chriſtum non dilexerint. 1. Q. QVINTÒ, Nunquid Apoſtoli Chriſtum non dilexerunt; ſiquidem Dominus ait: *Si diligeretis me, gauderetis vtique?* Reſp. Primò, Dilexerunt quidem Chriſtum, ſed imperfecto quodam amore, carnali eius præſentiæ inhærente; propter quod aiebat Dominus: *Expedit vobis vt ego vadam.* Ita D. Bernard. ſerm. 20. in Cant. *Diligebant*, inquit, *Apoſtoli & non diligebant: dulciter, ſed minùs prudenter; diligebant carnaliter, ſed non rationabiliter. Dilectio eorum contra ſalutem eorum.* Quare amor concupiſcentiæ videtur in iis præualuiſſe amori amicitiæ ante Chriſti paſſionem, quia optabant eum à ſe nunquam recedere, ad ſuum potiùs bonum, quàm ad Chriſti gloriam attendentes. Verùm hunc defectum poſteà emendârunt.

2. Secundò, Intelligi poteſt Dominus de amore actuali, quo amari debebat à diſcipulis ſuis eo ipſo tempore, quo audiebant Dominum & Magiſtrum ſuum ire ad patrem & cœleſtem gloriam ſuam. Ad hoc autem ipſi tunc non attenderunt, vtpote mœrore occupati ex prædictione traditionis; paſſionis & mortis Chriſti ſcandali item ſui quod in Chriſto paſſuri eſſent, negationis Petri, &c. Diligebant ergò tunc Chriſtum non ideò tamen, quia ad patrem ibat: ſed vel ob alios titulos, vel ſolo tunc habitu, vtpote perplexi & mœrore occupati.

G. VI. Quomodo Pater maior eſt Filio. Q. SEXTÒ, Quâ ratione pater maior eſt filio? Facilis eſt reſponſio, vt mirum ſit Arianos in hoc textu impegiſſe. Maior enim eſt pater filio, quoad humanam filij naturam, ſecundum quam is ad patrem iuit; nam ſecundum naturam diuinam ad Patrem ire non poterat. Clarum ergò eſt loqui Chriſtum hîc de humanâ ſuâ naturâ. *Ad patrem vado, quia pater maior me eſt.* Audiamus Auguſtinum tract. 78. *Per quod*, inquit, *filius non eſt æqualis patri, per hoc iturus erat ad patrem: per illud autem, in quo æqualis eſt gignenti vnigenitus, nunquam recedit à patre.* Theophylactus. *Dicant*, inquit, *heretici, ſecundum quid venit ad patrem Chriſtus, ſecundum quod Deus, an ſecundum quod homo? Quia ſecundum quod Deus, ſemper in cœlis erat & inſeparatus à Patre: Secundum humanam igitur naturam maior eo dicitur eſſe Pater.* Breuiter S. Athanaſius; *Æqualis Patri ſecundum diuinitatem: minor Patre ſecundum humanitatem.*

Sunt etiam magni Patres: Baſilius, Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus, Hilarius, Chryſoſtomus, Damaſcenus, qui Patrem Filio maiorem, ſecundum diuinitatem etiam dici poſſe aſſerunt, quia eſt *principium ſine principio*, ſeu prima in Deitate perſona de quâ procedunt reliquæ duæ. *Maior eſt*, inquit Athanaſius orat. 2. contra Arianos, *non magnitudine aut ætate; ſed quia ex illo ortum habebat.* D. Hilarius in Pſal. 138. *Maior eſt vt Pater Filio, generatione, non genere.* Sed locutio hæc impropria eſt, nec ad mentem Chriſti, qui de humanitate ſua hîc loquitur.

Q. SEPTIMÒ, Quomodo Apoſtoli poſt euentum prædictionum primùm crediderunt; ſiquidem ait Dominus: *Vt cùm factum fuerit credatis?* Reſp. intelligenda Chriſti verba non de fide abſolutè: ſed de fidei augmento. Ex illis enim euentibus ſibi prædictis mirum in modum roborati ſunt in fide, non illarum rerum, quæ euenire iam cernebant, ſed aliarum quæ videri non poterant, vt Chriſtum eſſe verum Meſſiam, Dei filium, &c. item earum, quæ nondum accidiſſe viderunt. Ex priorum enim euentu certificati ſunt de euentu poſteriorum. H. VII. An Apoſtoli non crediderint niſi poſt euentum prædictionis.

Q. OCTAVÒ, Cur diabolus appellatur princeps huius mundi? Reſp. Principem vocari Primò, Quia Lucifer dæmonum ſupremus ex ſupremo ordine Angelorum fuit. Poſt hunc etiam alij vocantur ab Apoſtolo *ad Epheſ. 6.* Principes & poteſtates, quia ex ordine qui principatus & ex illo, qui poteſtates appellatur, ceciderunt, vt eo loco cenſet Cornelius à Lap. Non enim per lapſum illum perdiderunt naturales ſuas vires & præeminentias: ſed qui naturâ præſtantiores creati ſunt, imperant inferioribus. I. VIII. Cur diabolus vocatur princeps huius mundi. 1.

Secundò, Quia durante Idololatriâ mediantibus Idolis mundo dominabantur & ab eodẽ, velut Dij colebantur, iuxta id Pſal. *Omnes Dij gentium dæmonia.* Tertiò, Quia dominantur adhuc impiis in mortalis peccati ſtatu conſtitutis. Ita enim Apoſt. 2. ad Tim. 2. ait: *Reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenẽtur ad ipſius voluntatem.* Tum quia ſe ab eius laqueis & ſeruitute nullâ ſuâ vi aut virtute, ſed ſolâ Dei gratiâ explicare poſſunt: tum quia ab eo facilè in eadem & alia grauia ſcelera impelli poſſunt, deſtituti ſpeciali Dei auxilio & gratiâ: ita vt reſiſtere quidem 2. 3.

dem ei; ſed tamen difficulter queant. Horum itaque nomine intelligitur hic mundus; quo modo Apoſtolus dixit: *Principes tenebrarum harum.*

4. Quartò. Quia per lapſum Adami factus eſt Princeps ſeu Tyrannus potiùs omnium hominum, quamdiu in peccato originali degunt.

Cur mundi. Princeps verò huius mundi dicitur. Primò, Quia infra cœlum in aëre ſaltem in ſuis ſatellitibus

1. moratur & vagatur ad nocendum hominibus,

2. beſtijs, frugibus, &c. Secundò, Quia non niſi in hoc mundo tyrannidem ſuam habet; in altero non habebit: ſed carnificis tantùm inſtar in damnatos ſæuiet.

R. IX. Q. Nonò. Quomodo Princeps iſte nihil in Chriſto habuit? Reſp. Primò, Quia nihil in eo

Quomodo nihil habuit in Chriſto. habuit, quod ſuum aut ſui iuris eſſet. Solum enim peccatum diaboli eſt eique ius in hominem tribuit, quo modo furtum aut homici-

1. dium, v.g. tribuit ius lictori vt poſſit reum vincire, Magiſtratui vt plectere. Nullum autem in Chriſto peccatum fuiſſe; imò nec eſſe potuiſſe, alibi oſtendimus.

2. Secundò. Quia nihil habuit, quod in eo tolleret. Sequitur hoc ex priori reſponſo. Vbi enim peccatum inuenit mortiferum, ibi animam tollere poteſt in morte hominis: vbi non inuenit, nequaquam poteſt. Chriſtus ergò, tametſi patiebatur quaſi aliquis extremè ſceleratus; culpâ tamen omni vacabat; atque idcircò monuit hac voce diſcipulos vt in ipſo non ſcandalizarentur, ſi viderent eum condemnari & crucifigi; ſiquidem de facto quidem, non tamen de iure paſſurus eſſet à diabolo & miniſtris eius crucem ac mortem. Hoc eſt, quod ſubdit Dominus: *Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem.* occurrens tacitæ obiectioni: Cur nimirum paſſurus eſſet, ſi culpa vacaret? Reſpondet enim mortis & paſſionis ſuæ cauſam eſſe mandatum & dilectionem patris, qui per mortem filij mundum ſibi reconciliare, adeoque filij ſatisfactionem pro reorum debito acceptare decreuit.

Q. Decimò. Quot & quibus figuris apparuit Spiritus ſanctus. Reſp. Varijs pro varietate operationum & ſignificationum. Primò, Specie columbæ apparuit in Chriſti baptiſmo, ad ſignificandam innocentiam Chriſti & baptizatorum, nec non fœcunditatem bonorum operum; quæ baptizatis ſuggerit. Secundò, Specie nubis in transfiguratione ad ſignificandam protectionem ſuorum fidelium & pluuiam doctrinæ, quàm in eos effundit. Tertiò, Specie inſpirationis in cœnaculo ad ſignificandam vitam animæ ſpiritualem, quam per Sacramentum pœnitentiæ ei confert. Quartò, Specie ignis in Pentecoſte; quia inſtar ignis fideles purificauit, illuſtrauit, accendit. Rurſum ſpecie venti vehementis, ad ſignificandam efficaciam prædicationis Apoſtolis tunc collatæ. Quemadmodum enim ventus vehemens; præſertim Ecnephias ſegetes, arbuſta; domos & turres ſternit ac quandoque aliò transfert: ita Apoſtolorum prædicatio omnem mundi poteſtatem, ſapientiam, eloquentiam ſtrauit & euertit, atque è gentiliſmo tranſtulit in Eccleſiam. Quare ſonus hic Apoſtolos minimè perterruit, ſed acuit & accendit ad amorem Dei, ſimulque oſtendit quales ipſi & cæteri fideles eſſe debeant, nimirum vehementes in ſtudio virtutis & ſalutis, quia *regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud*; vti docet & exponit Cyrillus Catech. 17.

I. X. Quot & quibus formis apparuit Spiritus Sanctus.

1. *In ſpecie columbæ.*

2. *In ſpecie nubis.*

3. *In flatu.*

4. *In ſpecie ignis & venti.*

FERIA SECVNDA PENTECOSTES.

Euangelium Ioannis 3.

IN illo tempore, dixit IESVS Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim mala eorum opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo facta ſunt.

CONCIONES.

I. *Miſsio Spiritus S. quantum donum ſit.*
II. *Cur in linguis igneis apparuerit Spiritus S.*
III. *De ſeptem donis Spiritus ſancti.*
IV. *Eadem Spiritus S. dona aliter exponuntur.*
V. *Quantoperè dilexerit Deus mundum.*
VI. *Amoris erga Deum effectus.*
VII. *Peccatum tenebræ: ſeu peccati turpitudo.*
VIII. *Fidei & religionis Chriſtianæ excellentia, & oſtendens eam eſſe cœleſtem.*
IX. *Myſteria & Documenta.*

Digitized by Google

CONCIO I.

Miſſio Spiritus ſancti quantum donum ſit.

Intelligitur præſtantia huius doni:

1. *Si conſideretur is qui mittitur Spiritus S.*
2. *Si attendamus ad donantem, Patrem & Filium.*
3. *Conſiderando mundum cui datus.*
4. *Quia datus vniuerſim, largiter, conſtanter & immanenter.*
5. *Propter cauſam donationis, nempe charitatem Dei, merita Chriſti, & noſtram miſeriam.*

THEMA.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Ioan. 3.

A. CVM duo Reges mutuo fœdere ſibi reconciliantur, mutuis ſe muneribus ſolent honorare. Cœlum & terra, Deus & mundus poſt diuturnam diſſenſionem tantam interueniente Chriſti paſſione ſibi dexteras dederunt, amicitiæ fœdere inito. Quare in ſignum mutui fœderis miſit nuper mundus Deo, terra cœlo, Chriſtum Deum & hominem ad cœlos aſcendentem, munus admirandum & ipſis Angelis obſtupeſcendum; vnde Iſa. 63. admirabundi de eo loquuntur: *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtolâ ſuâ, gradiens in multitudine virtutis ſuæ?* quaſi cupiant edoceri inferiores Angeli à ſuperioribus de tam grandi munere, vt exponit S. Dionyſius *cap. 7. cœl. hier.* Quid igitur ſupererat, niſi vt Deus etiam mundo reciprocum munus mitteret? Miſit igitur & ipſe munus, priore non inferius, Spiritum ſanctum videlicet in ſpecie linguarum ignearum, vt in nobis habitet; iure ab Eccleſiâ appellatum *Donum Dei altiſſimi*; donum, inquam, incomparabile, quo nullum maius poterat donari vel ab ipſo Deo. Gaudeamus igitur, Auditores, quia munus hoc demonſtrat terram cœlo reconciliatam eſſe. Verùm vt gaudium noſtrum plenius ſit, doni huius præſtantiam exactiùs contemplabimur.

B. I. Si donum ipſum, Spiritus Sanctus conſideretur.

Immenſum eſt hoc donum PRIMÒ, ſi ipſum in ſe conſideretur ſeu is qui mittitur. Eſt enim ipſe Deus, tertia in Trinitate perſona, fons & origo omnium donorum ac bonorum, non quomodocumque, ſed verè, realiter nobis communicatus, ita vt nouo modo ſecundum diuinitatem tanquam amicus habitet in nobis, magis propriè & intimè, quàm eſt in creaturis cæteris per eſſentiam, præſentiam, potentiam; ita vt ſi per impoſſibile hoc pacto non eſſet in nobis, per gratiam inciperet reuerà eſſe in nobis: quo modo poſt conſecrationem incipit corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis, vt docet Suarez & ex eo Corn. à Lap. *in Act. ca.* 3. Duo magna & vniuerſalia bona creauit Deus primò ſtatim die 1. fontem ſeu abyſſum aquarum, quæ per varias venas irrigabant totam terram: & lucem, *Gen.* 1. Vtrumque typus Spiritus S. fuit. Fons aquarum; teſte Ruperto & Cyrillo Ieroſol. *Catech.* 16. quia vt ille totam terram, ita iſte totum hominem irrigat. Atque hic eſt fons de quo Dominus Ioan. 4. dixit: *Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Spiritus S. enim habitans in homine Primò omnes eius vires & facultates irrigat ac fæcundat. Intellectum illuminat, voluntatem accendit, ſenſitiuum appetitum ſedat. Magnum bonum, lumen intellectus: ſed ſolum id non ſufficit ad hoc vt bene operemur & viuamus; voluntas etiam allici & ſuauiter impelli per aliquid quod delectet debet, ad hoc vt ſuſcipiatur & agatur quod bonum eſſe ſcitur; ergò Spiritus S. facit in nobis præter illuminationem, etiam delectationem & dilectionem virtutis ac ſummi boni, vt ea proſequamur. Et quia concupiſcentia à proſecutione illâ valde nos retardat, motus etiam illius compeſcit & tranquillat; mutat enim delectationem ventris in delectationem mentis. Deinde interno quodam impulſu hominem progreſſu virtutum ſurſum ad cœleſtia attollit & demum vſque in vitam æternam ſalire facit. Igneo curru raptus eſt Elias in Paradiſum 4. *Reg.* 2. eodem euehit hominem fons Spiritus S. Scimus etiam Chriſtum à Spiritu S. expulſum in deſertum, teſte D. Marco *ca.* 1. è contra porcos illos Geraſenorum à ſpiritu malo expulſos & præcipitatos eſſe in mare; quia nimirum ſpiritus bonus impellit hominem ad virtutem & mandatorum obſeruantiam: ſpiritus verò malus ad præcipitium & deſperationem.

Alterum mundi bonum lux erat, eodem primo die creata, quæ & ipſa Spiritum S. non obſcurè deſignauit, vt indicat Apoſtolus 2. *Cor.* 4. dicens: *Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris.* Illuxit vtique per gratiam Spiritus S. quâ ex tenebris infidelitatis ad fidei lumen perducti ſumus. Accedit ratio ſimilitudinis non parua. Primò enim ſicut ante lucem illam mundus erat oppletus vndique tenebris adeoque deformis, horridus, indigeſtus merumque chaos, ita etiam ante aduentum Spiritus S. plenus erat tenebris ignorantiæ & Idololatriæ (exceptâ ſolâ Iudæâ, quam Chriſtus illuſtrauit.) Et quemadmodum creatâ luce, cœpit apparere opus Dei, decor & ornamentum cœli, terræ & cæterorum elementorum: ita miſſo de cœlo Spiritu S. apparuit primùm opus ſecundæ creationis ſeu reparationis humanæ, quod perfecit Chriſtus. Tunc innotuit mundo verus Deus, Dei incarnatio, mors, reſurrectio, aſcenſio, Euangelium, vera beatitudo, diaboli fraudes, quibus mundum dementârat. Propterea in formâ ignis venit: ideóque rectè ei applicari poteſt, quod de Chriſto dicitur in hodierno Euangelio: *Lux venit in mundum.* Deinde quemadmodum lux eſt qualitas

litas

litas nobiliſſima, quia aurea & quaſi cœleſtis, ſolis proles: lætiſſima & iucundiſſima, quia omnium animos exhilarat ac mœrorem pellit: commodiſſima, quia ad omnem vſum & percipiendam omnium rerum cognitionem ſeruit: pulcherrima, quia cœlos, elementa & quæcunque in mundo ſunt, ornat atque illuſtrat ſuis coloribus: efficaciſſima, fœcundiſſima & potentiſſima, quia eſt inſtrumentum vniuerſale cœleſtium cauſarum; quo vis omnis ſyderum, omniſque defluxus & effectus ad nos defertur omniaque fœcundantur: ita Spiritus ſanctus nobiliſſimus eſt à Deo Patre & Filio procedens: omnium deſolatorum animos conſolatur & lætificat: ad mandatorum Dei obſeruationem nos impellit: rerum cœleſtium cognitionem impertit: Eccleſiam vniuerſam varijs donis ſuis mirum in modum adornat: homines immutat atque è terrenis cœleſtes, è timidis fortes; inconcuſſos & Samſones facit: mundum totum renouat; iuxta id Pſal. 194. *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur & renouabis faciem terræ*; (ſiquidem mundo priùs erroribus & vitijs exiſtente pleno, poſteà repleta eſt terra ſcientiâ, virtutibus, templis, monaſterijs, Dei veri cultu, &c.) omnia denique priùs languida & mortua reſtaurat & viuificat, non ſecus ac ſpiraculum illud vitæ, quod inſpirauit Deus luteæ maſſæ, vitam Adamo dedit. Sine eo ſpiraculo Adam quid fuiſſet? terra rubra & limus fuiſſet. Et quid homo Spiritu ſancto deſtitutus? Caro eſt brutum animal; idcircò enim Ioel. 2. dicitur: *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.* Quid homo ſine Spiritu ſancto? Ceruus eſt lepore timidior, vti patet in Petro & cæteris Apoſtolis, nondum Spiritu ſancto corroboratis. *Infirma eſt omnis anima* (inquit D. Gregorius ſuper id Pſal. 50. *Spiritu principali confirma me*) *niſi S. Spiritus virtute fuerit firmata.* Quid homo ſine Spiritu ſancto? nox & chaos eſt: latibulum dæmonum: vitiorum colluuies: carcer omni ſolatio carens, qualis erat mundus ante creatam lucem. Propterea igitur Deus primo ſtatim die vnà cum cœlo, terra & abyſſo aquarum creauit lucem, ad inſtar ſapientis Architecti, cui domum ædificaturo, prima cura eſt de lumine domui quàm largiſſimè & commodiſſimè inferendo; quia ſine luce tota illa machina fruſtranea & inculta fuiſſet; vt hinc diſceremus quamprimùm adlaborare vt Spiritum ſanctum obtineamus, & ne vnum quidem diem eius præſentiâ carere velimus. Quod enim eſt mundus ſine luce, quod domus ſine lumine, hoc eſt anima ſine Spiritu ſancto. Ecce igitur quantum donum accepit hodie mundus?

C. II. Si conſideremus donantē?

SECVNDO. Immenſum eſt id donum, ſi attendamus ad donantem, qui eſt Deus Pater & Filius. Filius à ſolo Patre miſſus ad nos fuit, quia ab eo ſolo procedit: Spiritus ſanctus verò à Patre ſimul & Filio miſſus eſt, quia ab vtroque procedit. Itaque Deus Pater & Filius primum, ſummum & increatum donum, cui totam ſuam eſſentiam cum omnibus attributis communicârunt, nobis donarunt; atque ita Spiritus ſanctus eſt monile & teſtimonium amoris totius Trinitatis erga nos. Quid verò iſtud eſt: donum à Deo accipere? Neque enim Spiritus ſanctus quaſi eleemoſyna, à Deo nobis datur: ſed verè vt donum magnificum, diuinam maieſtatem decens datum vt amicis, non vt mendicis. Magnum quid accepiſſe ſe credidit Eliſæus, cùm pallium Eliæ Magiſtri ſui, igneo curru rapti, accepit, & in eo pignus ſpiritus, qui in Eliâ fuit 4. *Reg.* 2. Sed quid Elias, qui ſpiritum non ſuum, ſed diuinum diſcipulo reliquit, reſpectu Dei, qui ſpiritum ſuum nobis donat? Pluſquam regio munere affectum ſe arbitrabatur ſanctus Antonius; cùm Pauli Eremitæ tunicam è palmarum folijs manu eius contextam hæreditariò accepit; neque enim niſi in ſummis feſtiuitatibus eâ induebatur. Et quid eſt tunica Pauli reſpectu Spiritus ſancti qui manibus (vt ita dicam) Dei Patris & Filij, mutuo ſcilicet vtriuſque amore contextus eſt? Refert Valerius Maxim. *l.* 8. *cap.* 15. Strenuum quendam militem ob rem præclarè geſtam à Tito Labieno auro donatum, cùm audiſſet: *Habebis donum viri diuitis*; aurum repuliſſe & ad pedes Labieni proieciſſe. Sed cùm poſteà audiſſet: *Imperator te armillis argenteis donat*; alacrem gaudio abijſſe. Bene enim Seneca *l.* 1. *de benef. ca.* 9. dixit: *Non quanti quæque ſint, ſed quali dentur, perſpiciendum.* Iam verò donum Spiritus ſancti non ſolùm in ſe immenſum eſt, ſed etiam ab immenſo Deo datur. Boni illi Samaritani, qui Chriſtum ſuſceperunt, non exiguo ſibi honori ducebant, quòd fruerentur fonte, quem accepiſſent à Iacob Patriarchâ, vt colligitur ex diſcurſu Samaritanæ, quæ aiebat Chriſto: *Nunquid tu maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum & ipſe ex eo bibit, & filij eius & pecora eius?* Ioan. 4. Et tamen Iacob, etſi foderat puteum illum & biberat ex illo, non erat reuerà pater Samaritanorum, vtpote qui Babylone ex Aſſyriâ tranſlati erant in prouinciam Iſraëlitarum, Samariam, ob viciniam tamen aſſueuerunt ritui Iudæorum & coluerunt eorum DEVM, vnà cum Idolis ſuis, vt docet Cyrillus & alij. Iam verò, Auditores, ſi iſti fontem Iacob tanti æſtimarunt, quòd à tanto eum viro effoſſum & deguſtatum ſibique relictum haberent: quid dicemus nos de diuino illo fonte, Spiritu ſancto à DEO nobis donato? Illum enim effoderunt (ſi ita loqui fas eſt) Deus Pater & Filius: ex illo ipſi hauſerunt & hauriunt ſemper mutuum amorem, quo ſe inuicem complectuntur. Illum ergò & nobis ſeruis ſuis communicarunt, vt ex eo biberemus velut pecora eorum, & illo ipſo ſpiritu inebriaremur, eo amore frueremur, quo ipſi mutuò gaudent. Nónne ſtupendum hoc, ex nectare & Ambroſiâ DEI participare homines & vnà cum Hero ex eodem fonte bibere eius pecora? Quis non omnibus mundi bonis fontem iſtum præferat? quis eum commutare cum quali-

qualicunque voluptate audeat? Dicat vnuſquiſque diabolo, cùm fontem hunc nobis eripere vult, quod dixit Naboth Regi Achab: *Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem Patrum meorum tibi.* 3. Reg. 21. Spiritus ſanctus hæreditas mea eſt, tradita mihi à DEO Patre & Filio, vt maneat mecum in æternum: abſit ergò vt eum commutem cum auro, voluptate, honore.

D. III. Si conſideretur mundus, cui datus.

TERTIÒ. Si conſideretur is cui datus: Mundus videlicet. Quid verò eſt mundus aliud, niſi colluuies hominum vt plurimùm reproborum & DEO rebellantium? Sanè ſi de ijs loquamur, quibus ipſo die Pentecoſtes poſt Apoſtolorum prædicationem collatum eſt donum Spiritus ſancti, fuerunt illi partim Iudæi, Chriſto priùs infenſi & rei necis ipſius: partim gentiles & Idololatræ ex omni natione, ad tria millia. Et quis hoc non miretur? Nam quod ad Iudæos attinet, illi ſanè hoc dono indigniſſimi erant; vt qui paulò antè clamauerant contra Chriſtum: *Crucifige, Crucifige*, quos Petrus in oratione ſuâ habitâ in Pentecoſte tanquam præſentes pungit illâ voce: *Quem vos crucifixiſtis*; vt aduertit S. Chryſoſtomus. Imò hi ipſi erant, è quorum templo ante paucos dies, cùm mortuo Chriſto Domino ſcinderetur velum templi, viſus eſt euolare Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie, vt ſcribit S. Ephrem *ſerm. de paſſione Dom.* Ad hos ergò Spiritus ſanctus, vbi compuncti fuerunt, venire non dubitauit, vt in eorum cordibus nidum ſuum poneret. Quod verò ad gentiles ſpectat, magis mirandum videtur, quòd tam grande donum à DEO illis decretum fuerit, qui ſemper à DEO alieni & diabolico cultui addicti erant. Creſcit ergò hinc mirificè doni iſtius pondus, quòd & indignis collatum fuit, confertúrque in hodiernum grauiſſimis quibuſque peccatoribus, dummodò ad cor redeant & compungantur de peccatis ſuis. Sæculo decimo tertio tota Maſſilia admirata fuit factum amici penè inauditum, quo Zenothemis Charmoleus Maſſilienſis vir decorus & procerus, nec non locuples & honoratus opes & diuitias ſuas cum Menecrate, viro quondam diuite ſed quorundam machinatione ad paupertiem & infamiam redacto, auditis eius querelis, partitus eſt, inſuper & filiam eius naturâ admodum deformem ac miſeram, (vtpote dexterâ corporis parte mancam: altero captam oculo, nec non caduco laborantem morbo) in vxorem ſibi deſpondit, ſola amicitia & commiſeratione Menecratis permotus, vti ſcribit Petrarcha, qui ſe eos in Italiam eodem curru vectos vidiſſe cum admiratione ſcribit. *Dial.* 52. *de amico fid.* Sed quid hoc reſpectu amicitiæ quam DEVS exhibuit nobis Adæ filijs in exilium pulſis, pauperculis, cæcis, ad bene operandum mancis, ad lapſum pronis? Nónne diuiſit nobiſcum Spiritum ſuum, dum eum nobis donauit? nónne etiam in baptiſmo deſpondit ſibi animas noſtras, tam miſeras, tam deformes? nónne recepit in currum gratiæ ſuæ, euehendas ſuo tempore etiam in currum gloriæ.

E. IV. Si conſideremus modum, quo datus.

QVARTÒ, ſi conſideretur modus, quo donum id collatum eſt. Nam imprimis non vni tantùm & alteri, ſed vniuerſim quamplurimis, imò omnibus qui ſe ad id recipiendum diſponere voluerunt, collatum eſt, primò in die Pentecoſtes, deinde omnibus quotquot ſe ad Eccleſiam aggregarunt. Non fuere excluſi Iudæi, non barbari, non gentiles. Vſque in hodiernum etiam nemo ab hoc dono excluditur, niſi qui ſeipſum excludit, peccati obice poſito. 1. *Vniuerſim.*

Secundò. Largiter & effuſè; *non enim ad menſuram dat Deus Spiritum*, inquit Ioannes Bapt. *Ioan.* 3. q.d. non dat parcè & modicè, ſed quantum quiſque veſtrûm diſpoſitionem attulerit, tantum ei donat gratiarum & donorum Spiritus ſancti. Sanè in die Pentecoſtes effuſus fuit in Apoſtolos & cæteros fideles, ita vt ab ijs redundaret in alios, vti in concione ſua ex Ioele c. 2. docet S. Petrus: *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem:* Arabicè legitur: *Inundare faciam Spiritum meum.* Eò pertinet, quod ait Dominus Ioan. 7. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Flumina hæc ſeu dona Spiritus S. inundauerunt primò Ieroſolymam, poſteà orbem vniuerſum, implendo eum donis Spiritus ſancti & omnis generis virtutibus. 2. *Largiter.*

Tertiò. Conſtanter, ita vt quantum eſt in ipſo Spiritu ſancto manere apud nos velit in æternum, iuxta promiſſionem Domini *Ioa.* 14. *Alium paraclitum dabit vobis vt maneat vobiſcum in æternum.* Niſi enim nos peccatorum immunditijs eum expulerimus, nunquam ipſe nobis valedicet. Quanta verò eſt hæc gratia, obligari ſe homini Deum, quò ipſius hoſpes & indiuiduus comes perpetuò eſſe velit, niſi excludatur? Magna vtique gratia foret, ſi præſtantiſſimus aliquis Medicus ſponderet ſe tibi ſemper à tergo adfore pro conſeruanda valetudine, tametſi tu te ipſi minimè obligaueris. Et quid eſt Medicus reſpectu Spiritus ſancti. 3. *Conſtanter.*

Quartò. Immanenter ita vt in nobis maneat & habitet in cordibus noſtris. Donum Filij DEI externum, donum Spiritus ſancti internum fuit, diffuſum in cordibus. Chriſtum Dominum non omnes habere, videre & audire potuerunt, ſed qui in Iudæa ſolùm degebant; Spiritum ſanctum omnes habere eiuſque bonis frui poſſumus. Ac licet iam non viſibili ſpecie, vti in Diſcipulos Chriſti heri, & in Centurionem *Act.* 10. illabatur; in corda noſtra prodit tamen ſe pluribus argumentis & coniecturis minimè vanis; quanquam in vno magis quàm in alio. Sanè de S. Philippo Nerio ſcribit Gallonius in eius vita. Anno Domini 1544. poſt quotidianam Spiritus ſancti inuocationem eum repentè tanta Spiritus ſancti vi impetuque repletum, *vt cor ilico ſibi intra corpus ſaltitare cœperit, eoq́; ardore inflammari, vt eum natura inſitata quadam cordis palpitatione, omnino ſe ferre non poſſe* 4. *Immanenter.*

poſſe ſignificaret. Quamobrem benignus Dominus, quò illum ad plurimorum ſalutem diutiùs conſeruaret, confractis atque in pugilli, eoq́, maiorem amplitudinem, elatis duabus ſiniſtris lateris coſtulis, quarta ſcilicet, & quinta, eiuſdem cordis ſinum, quo id liberiùs ageretur, mirum in modum ampliauit. Erat iſtiuſmodi fractura in anteriore parte pectoris, vbi coſta in cartilaginem deſinunt. Quo ex tempore adeò vehementer amplius quinquaginta totos annos agitari concutiq́, cœpit aſsiduè plus minúſve vt mente rapiebatur in Deum, vt non modò toto corpore contremiſceret, verùm etiam lectulus ipſe, aliaq́, omnia, quibus ille inſidebat, quaſi terra motu acta eo orante quaterentur. Eiuſdem doni violentiâ cogebatur ſæpe mentem à diuinis auocare; quòd æſtum dulcedinis & conſolationis ferre non poſſet; quandocunque etiam in ſummo hyemis frigore feneſtras aperire, pectuſque denudare, flabellis aërem agitare ad ſe refrigerandum debebat, quaſi reuerà ardentem flammam gereret in pectore. Ea verò alia non erat niſi incendium Spiritûs ſancti, vti faſſus eſt Frederico Cardinali Borromeo.

F. V. *Si conſideretur cauſa donationis.* QVINTÒ, Si conſideretur cauſa huius donationis, quæ potiſſimùm triplex eſt. Prima, *1. Dei charitas.* Dei charitas & bonitas, quæ ſicut dedit nobis Chriſtum redemptorem, ita quoque addidit Spiritum ſanctificatorem. Quod ergò de Chriſto legimus in hodierno Euangelio: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*; hoc idem de Spiritu ſancto dicere poterat Dominus: *ſic Deus dilexit mundum*, vt Spiritum ſuum ſanctum *daret*. Nullis ergò meritis noſtris, ſed ex merâ gratiâ donum hoc accepimus. Quis autem neſcit doni præſtantiam augeri ex eo, quòd merè ſit gratuitum? Secunda, *2. Chriſti merita.* Chriſti merita quibus donum hoc nobis impetrauit; promiſerat enim: *Ego rogabo patrem & alium paraclitum dabit vobis.* Tertia, Noſtra miſeria & *3. Noſtra miſeria.* indigentia. Si enim Chriſtus poſt aſcenſum in cœlos ſolos & deſolatos nos reliquiſſet, rurſum in priores tenebras & laqueos dæmonis certo certiùs incidiſſemus. Ergò Chriſtus genuit nos ſua paſſione, Spiritus ſanctus velut nutrix educat & nutrit. Chriſtus velut Magiſter docuit nos viam ſalutis, Spiritus ſanctus velut Pædagogus ducit nos ad ſcholam & impellit ad diſcendum. Chriſtus templum extruxit, quod eſt fidelis quiſque: Spiritus ſanctus id initiat & ſanctificat. Chriſtus animas noſtras finxit & exſculpſit: Spiritus ſanctus eas viuis coloribus depingit. Chriſtus naui nos impoſuit quâ ad cœlum veheremur: Spiritus ſanctus velut ventus nauim hanc impellit vt ad ſalutis portum veniamus; quò nos per afflatum ſuum perducere dignetur.

CONCIO II.

Cur in linguis igneis apparuerit Spiritus ſanctus.

Deſcendit Spiritus S. in linguis igneis?
1. *Ad deſignandam naturam Spiritus S.*
2. *Ad indicandam mundi renouationem per linguas Apoſtolorum faciendam.*
3. *Ad denotandam Euangelij virtutem.*
4. *Ad ſignificandum quales Apoſtoli futuri eſſent.*
5. *Vt linguam hominum reformaret.*

THEMA.

Lux venit in mundum. Ioan. 3.

FINXERE Poëtæ, Gentilium Theologi, Prometheum Iapeti filium, à prouidentiâ ſic vocatum, aliquando hominem è luto feciſſe, ſed inanimatum. Cuius opus cùm Minerua eſſet contemplata, promiſit ſe de cœleſtibus donis aliquid operi eius adiuncturum. Eleuatus igitur à Minerua Prometheus ad cœlum vt ibi, quid operi ſuo commodum eſſet, deſpiceret, vidi flammatum ſolis currum omnia vegetantem, extensâque ad rotas ferulâ, ignem inde accendit, quem in terras delatum, in hominis quem finxerat, pectore condidit, atque ita viuum, loquentem ac ſpirantem reddidit. Hanc fabulam dum recenſeo, dicere poſſum de Chriſto Domino, quod de Abraham dixit S. Ambroſius l. 1. de Abraham cap. 2. *Magnus planè* (Dominus) *quem votis ſuis Philoſophia non potuit æquare! denique minus eſt, quod illa finxit, quàm quod iſte geſſit, maiorq́, ambitioſæ eloquentiæ mendacio, ſimplex veritatis fides.* Enimuerò Chriſtus veriſſimus noſter Prometheus poſtquam Eccleſiam ſuâ prædicatione & paſſione reformâſſet, nec aliud ſupereſſet, quàm vt illam viuificaret, per efficacem applicationem doctrinæ & meritorum ſuorum, idcircò à cœleſti Patre aſſumptus in cœlum inde demiſit ignem Spiritûs ſancti qui in ſinu Eccleſiæ conditus eam viuificaret & in ſortem filiorum Dei reponeret, velut opus perfectiſſimum adeoque cœlo dignum. Hoc vltimum operis ſui complementum vehementer deſiderabat Dominus, quando *Luc. 12.* dixit: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi vt accendatur? Terra enim* (inquit S. Gregorius hom. 30. in Euang.) *vocata ſunt corda terrena, quæ dum ſemper infirmas in ſe cogitationes congerunt, à malignis ſpiritibus conculcantur. Sed ignem Dominus in terram mittit, cùm afflatu ſancti Spiritûs corda carnalium incendit. Et terra ardet, cùm cor carnale in ſuis prauis voluptatibus frigidum relinquit concupiſcentias præſentis ſeculi & inceditur ad amorem Dei.* Illud nunc videndum reſtat: cur in linguis igneis deſcenderit Spiritus ſanctus. A.

PRIMÒ, Ad deſignandam naturam Spiritûs ſancti & Primò, quod ſit verus Deus, Patri B. 1. Ad deſi.

grandam naturam Spiritus S.

Patri & Filio conſubſtantialis; ſiquidem Dei inſigne eſt ignis, velut ſublimiſſimum, puriſſimum, fortiſſimum elementum, vt oſtendit S. Dionyſius *lib. de diuinis nom.* Vnde Deut. 4. *Deus noſter ignis conſumens eſt*, ait Moyſes. Rurſum *ſicut ab igne manat lux & calor: ita à Patre Filius & Spiritus ſanctus*, ait Damaſcenus l. de fide c. 9.

2. Secundò, quòd ſit tertia in Trinitate perſona. Lingua, quia verbum profert, Patrem deſignat, Verbum quod profert Filium; Ignis in linguâ Spiritum ſanctum. Primò, quia ignis typus eſt amoris in SS. litteris; Spiritus ſanctus autem eſt amor, à Patre & Filio procedens per amorem. Secundò, quia vt ignis latet in multis rebus abſconditus, velut in ſilice & oſſibus Leonum: vnde non niſi attritione vel alliſione elicitur: ſic occulto modo Spiritus S. occupat & inhabitat hominum corda: è quibus tunc maximè elucet, cùm illi perſecutionibus atteruntur.

C. II. Ad indicandam mundi renouationem per linguas Apoſtolorum faciendam.

SECVNDÒ, Ad ſignificandum, quòd Apoſtoli per linguas nouas mundum eſſent incenſuri igne dilectionis Dei, & purgaturi à vitiorum & errorum tenebris ac ſpurcitiis. S. Dominici mater grauida videbatur ſibi per quietem continere in aluo catulum, ore præferentem facem, quâ editus in lucem, ad amorem & cultum Dei orbem terrarum incenderet. Vt in eius vitâ. Et quid aliud ſignificabat fax ardentis linguæ ſupra caput Apoſtolorum? Quando aliquis belli Dux hoſtem vult ſubigere, tunc mittit in eius terram milites incendiarios, qui paſſim oppidis & pagis flammas inijciant; hinc enim territi hoſtes franguntur & tandem ſubiugantur. Simili ſed fœliciori inuento aggreſſus eſt mundum Chriſtus, vt rebellem ſibi ſubijceret; miſit enim incendiarios Apoſtolos linguis igneis inſtructos, vt orbi faces doctrinæ Chriſtianæ inijcerent: Petrum ablegauit Romam vt Italiam accenderet, Iacobum in Hiſpaniam, Andream in Scythiam & Achaiam, Bartholomæum in Armeniam, Thomam in Indiam, Matthæum in Æthiopiam, &c. de quibus intelligere poſſumus id Pſ. 103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus & miniſtros tuos* (Apoſtolos) *ignem vrentem.* Quæ legatio ita fuit efficax vt intra breue tempus totus penè mundus in pleriſque nationibus arderet. Nec ſolùm extingui hic ignis non potuit, ſed etiam illi ſæpè qui extinguere eum conabantur, eo correpti & ipſi ardere ac Chriſtum prædicare cœperunt, veluti Prætores Prouinciarum, Iudices, Carnifices. Et licet paſſim hi incendiarij ad necem quærerentur ac raperentur: multò tamen magis incendium graſſabatur. Huius ignis vehementia præfigurata fuit in ſpiritu illo, quo repleti prophetabant Samuel & Dauid cũ aliis Prophetis, 1. *Reg.* 19. Cùm enim miſiſſet Saul lictores illuc, vt caperent Dauidem, cœperunt & ipſi prophetare: quod ſecundò & tertiò factum. Imò cùm ad extremum & ipſe abiiſſet illuc, factus eſt etiam ſuper eum ſpiritus Domini, cœpitque & ipſe prophetare ita vt prouerbium exiret: *Nunquid & Saul inter Prophetas?* Hoc idem euenit Saulo noſtro (qui poſteà Paulus) dum Damaſcum pergeret, ligaturus Chriſtianos & ducturus Ieroſolymam, qui in viâ hoc igne & ſpiritu correptus, factus & ipſe Propheta & Chriſtianus eſt: quando circumfulſit eum lux de cœlo. Poſt triduum enim (quo cœcus erat) *continuò intrauit Synagogam & prædicauit Ieſum, quoniam hic eſt filius Dei*; ita vt ſtuperent omnes & dicerent: *Nónne hic eſt qui expugnabat in Ieruſalem eos qui inuocabant nomen iſtud?* Act. 9. Idipſum poſteà euenit pluribus alijs. Ignis includi nequit, ſed omnia perrumpit. Ita loquente S. Stephano, coram principibus Sacerdotum: non poterant illi reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur, *Act.* 6. Hoc nimirum eſt quod promiſerat Dominus Apoſtolis *Luc.* 21. dicens: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Hoc deſignabant igneæ linguæ, quia, vt ait Chryſoſtomus. *Ignis vehementiam gratiæ, quæ vinci non poſſit demonſtrauit.*

TERTIÒ, Ex S. Fulgentio, ad denotandum ipſum Euangelium & legem, quam promulgaturi erant Apoſtoli, plenam ſcilicet igne amoris diuini, de quâ Deut. 33. dicitur: *In dextera eius ignea lex.* Vnde S. Bern. ſerm. 1. de Pentec. ait miſſum in igneis linguis Spiritum ſanctum, *vt legem igneam, ignea lingua loquerentur.* Ignea eſt lex Chriſti ſeu Euangelium, quia ignem ſpirat amoris diuini immenſi & anteà mundo inauditi. Quis enim explicet magnitudinem amoris Dei, quem exhibuit mundo, dum eius gratiâ homo fieri, pati & occidi voluit, ſeque illi prætereà in Sacramento relinquere? Refert Holcot *in l. ſapientia l.* 124. ex Giraldo, Inſulam in Hiberniâ olim fugitiuam ſubitò in mari detectam apparuiſſe, in quam cùm nautæ vellent deſcendere, ſubitò inſula refugiens aliò ſe tranſtulit: idque ſæpiùs factum. Inſtructi ergò à quodam ſene, quòd ignis valeat contra phantaſmata, ideóque ſagitta ignita in Inſulam iacienda ſit: fecêre vti monebantur; mox inſula reſtitit & habitari cœpit. Eiuſmodi inſula fuit mundus ante miſſionem Spiritûs ſancti; fugiebat enim à Prophetis, quoties illi eam inſcendere & conuertere ad Deum volebant. Sed poſtquam ignita linguarum ſuarum iacula miſerunt in eum Apoſtoli, & immenſum charitatis diuinæ, mundo in Chriſto exhibitæ, prædicauerunt ignem: mox conſiſtere mundus & recipere Euangelium. *Factâ* enim *hac voce*, ait Lucas cap. 2. *conuenit multitudo & mente confuſa eſt*, &c. ex omnibus ſcilicet hominum nationibus, qui cùm audiſſent concionem Petri factam, *compuncti ſunt corde & dixerunt ad Apoſtolos: Quid faciemus viri fratres?* Et baptizati ſunt eo die ad tria millia. Ex eo tempore mundus accenſus eſt igne charitatis erga Deum ex ignitis illis Euangelij iaculis, & expletum quod dudum Iſaias prædixit c. 64. dicens: *Vtinam dirumperes cœlos & deſcenderes:*

III. Ad denotandam Euangelij virtutem.

deret à facie tuâ montes defluerent, ſicut exuſtiò ignis tabeſcerent, a qua arderent igni, vt notum fieret nomen tuum. Ante miſſionem huius ignis, mundus obriguerat: nullus in Deum amor, nulla in proximum charitas vigebat; at poſtquam ignea Chriſti lex prædicata eſt per Apoſtolos; tum non erat qui ſe abſconderet à calore eius: tũ incepêre dies caniculares Chriſtianorum, in quibus tantus erat ardor amoris diuini in Chriſtianis, vt plurimi deſertis ædibus & palatijs ſyluas, ſpecus & Eremos petierint, alij omnibus ſeſe fortunarum & facultatum ſuarum veſtibus ſpoliârint; nonnulli etiã ipsâ cute, vti Bartholomæus & infiniti alij Martyres. Vnde mirabile eſt valde, ſi nos adhuc frigeamus & ad tantum amoris diuini æſtum non caleſiamus.

E. IV. Ad deſignandos Apoſtolos prædicatores.

QVARTÒ. Ad deſignandum quales prædicatores futuri eſſent Apoſtoli, quales etiam eſſe debeant cæteri, qui aliis prædicare vel præcipere & conſulere debent: vt nimirum habeant linguas ignitas ſeu ardentes. Sanè niſi ignitæ & ardentes fuiſſent Apoſtolorum linguæ, hoc eſt, ignem Spiritus ſancti in ipſis æſtuantem ſpirâſſent, nequaquam ſufficiſſent ad mundum conuertendum. Vnde Eccleſia in hymno hodie: *Ignis vibrante lumine, lingua figuram detulit: verbis vt eſſent profluꝰ & charitate feruidi.* S. Greg. hom. 30. ſuper Euang. ait: *In linguis igneis apparuit Spiritus: quia omnes quos repleuerit, ardentes pariter & loquentes facit. Linguas igneas Doctores habent; quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant. Nam & otioſus eſt ſermo Doctoris, ſi præbere non valet incendium amoris.* Sic Greg. intellexit hoc Oratorum princeps, qui l. 2. de Oratore dixit: *Ardeat Orator, ſi iudicem vult incendere.* Scribit Fulgoſus l. 7. c. 3. de Euno & Barchochaba, qui, dum magni quippiam præ manibus eſſet, ad quod populum etiam ſeditione commotã vellent dictis efficacibus pertrahere, nucem ſulphure & igne repletam in ore geſtabant & inter loquendum ignita verba profundebant ad terrorem. Multo efficacius perſuadebit concionator, ſi linguam habuerit ardentem charitate & præuio bono exemplo. Cur enim Chriſtus Dominus erat *potens in opere & ſermone* (Lucæ vlt.) niſi quia *cœpit facere & docere*? Act. 1. Cur autem Concionatores parum aut nihil efficiunt, niſi quia non feruent? Vt enim fulmen aquoſum (ein Waſſerſtraɛh) nihil accēdit: ſic talium adhortatio. Quod etiam ſibi dictum velint Magiſtratus & quicunque alijs præcipiunt, patresfamilias, Domini, Ludimoderatores, &c. Cur enim putatis linguas igneas ſupra capita Apoſtolorum apparuiſſe; niſi vt oſtenderent eiuſmodi ardentibus linguis prædita eſſe debere capita reipublicæ cuiuſcunque?

F. V. Vt linguã hominũ reformaret.

QVINTÒ. Videtur Spiritus ſanctus in linguis igneis idcirco etiam demitti in terram voluiſſe, vt quoniam ipſe venit quò recreator & reformator eſſet mundi, (iuxta id Pſ. 103. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renouabis faciem terræ*, linguam inprimis hominum reformaret & quidem ob tres potiſſimùm rationes, quas poſuit S. Iacobus in ſuâ canonicâ cap. 3. Primò, Quia *ſi quis in verbo non offendit hic perfectus eſt vir: poteſt etiam fræno circumducere totum corpus*, ait Iacobus. 1. Secundò, quia *lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehennâ*, id eſt, 2. omnia opera & curſum totius vitæ deprauat. Tertiò, quia *omnis natura beſtiarum & volucrum & ſerpentium & cæterorum domantur, & domita ſunt à naturâ humanâ: linguam autem nullus hominum domare poteſt*, vt idem Apoſtolus dicto ait loco. 3. Multum igitur intererat vt reformaretur lingua humana, quæ & tantum parit bonum, ſi bona ſit, tantum malum, ſi mala; & tam difficilè domatur. Iam verò ante fidei promulgationem deprauatiſſima erat hominum lingua quemadmodum & vita. Quid enim aliud loqueretur, quàm quo homines pleni erant? *Etenim ex abundantia cordis os loquitur.* Accidit tunc hominibus quod Hebræis illis, qui poſtquam vxores duxiſſent gentiles Azotidas & ſimiles, filij eorum penè omninò obliti erant linguam Hebraicam & loquebantur magis Azoticè 2. Eſdr. vlt. Idipſum euenit generi humano, quod in idololatriâ genuit filios, qui neſciebant aliter quàm impiè & peruersè loqui. Idcircò per fidei prædicationem renouare voluit Spiritus ſanctus linguas hominum, vt Dei laudes & honeſta loquerentur: quod ſanè primi Chriſtiani accuratè faciebant, dum *loquebantur magnalia Dei*. dum dies noctesque in Dei laude & colloquijs pijs conſumebant, vt ex Actis apparet: dum piaculum apud ipſos erat, peccata grauiora vel nominare. Vnde ad Eph. 5. *Fornicatio & omnis immunditia aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet; ſed magis gratiarum actio.* O fælicia Chriſtianorum tempora! Ea prædixit Sophon. 3. Deus: *Tunc reddam populis labium electum.* Sed nunc iterum neceſſe foret demitti Spiritum ſanctum ad linguarum noſtrarum reformationem inſtituendam. Quid enim aliud quàm gentilem & Azoticam loquuntur linguam, qui Deum, ſanctos & Sacramenta blaſphemant? nónne hoc eſt Ethnicorum? Quid aliud, qui rixas & diſcordias ſeminant & detrahunt proximis? nónne Chriſtianam & fraternam violant charitatem? quid aliud, qui omnia dicta iuramentis confirmant? quis enim neſcit Dominum dixiſſe: *Ego autem dico vobis omninò non iurare: ſermo autem veſter ſit: eſt, eſt, non, non.* Matth. 5. Quid faciunt iſtæ linguæ; niſi vt turrim Babel, hoc eſt, ignominiam Chriſtiani nominis & æternæ confuſionis extruant? Quis inflammauit & accendit has linguas, niſi ipſa gehenna, quod teſtatur Iacobus? *Flamma talis de inferis eſt*, ait Gillebertus in eum Iacobi locum; *nam flamma quæ deſurſum eſt,*

eſt, pudica & pacifica eſt, bonis conſentiens & bonos faciens. Lingua hęc ignea ignitorum ſerpentum eſt, qui morſu incenderunt & necarunt Hebræos in deſerto. Verùm qui ab huiuſmodi ſerpentibus admorſus eſt; aſpiciat ſerpentem illum æneum, Chriſtum, inquam, in cruce, eiuſque exemplo diſcat rectè loqui: orare pro inimicis: conſolari mœſtos orare & commendare ſe Deo, &c.

Quòd ſi hæc non mouent homines, terreat ſaltem lingua illa ignea epulonis in inferno. *Quid* enim *eſt, quod innuitur*, inquit D. Greg. hom. 40. in Euang. *quia in tormentis poſitus diues linguam ſuam refrigerare poſtulet, niſi quòd is qui conuiuando magis de loquacitate peccauerat per retributionis iuſtitiam in linguâ atrociùs ardebat?*

Inter alia ſigna, quæ fideles patraturi eſſent, dixit Dominus paulò ante aſcenſionem ſuam: *Linguis loquentur nouis.* Verificemus, quæſo, in nobis hanc Chriſti prædictionem, & ex hodiernâ die incipiamus loqui linguâ nouâ, linguâ Spiritus ſancti. *Siquis loquitur: quaſi ſermones Dei*, inquit S. Petrus, 1. Pet. 4. *vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.*

CONCIO III.

De ſeptem donis Spiritus ſancti.

Dona Spiritus S. quæ ſunt afflatus & impulſus eius ad patranda heroica maximè virtutum opera, aſsignantur hæc:

1. *Donum ſapientiæ.*
2. *Scientiæ.*
3. *Conſilij.*
4. *Donum intellectus.*
5. *Pietatis.*
6. *Fortitudinis.*
7. *Donum timoris.*

THEMA.

Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo. Ioan. 1.

A. Spiritus ſanctus cur in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum, ſpecie ignis ſuper Apoſtolos deſcenderit.

SPIRITVS Sanctus, Auditores, non in ſpecie ignis tantùm, vti heri ſuper Diſcipulos Chriſti: verùm etiam in columbæ, vti alibi ſuper ipſum Chriſtum, à Ioanne baptizatum, deſcendere viſus eſt. Cauſam primam dat S. Aug. *ſuper Ioan.* quia in baptizatis requiritur columbæ ſimplicitas, vt abſit dolus; in adultis verò feruor fidei & charitatis. Alteram dat S. Chryſoſtomus apud D. Thom. 3. *p. q.* 39. *art.* 6. quia in baptiſmo manſuetudo requiritur co-
1. lumbæ ad delicta remittenda: ſed vbi gratiam
2. adepti ſumus, reſtat iudicij tempus. Tertiam
3. affert Ven. Beda Marci. 3. *Ideo* inquit *Spiritus ſanctus ſuper Saluatorem in ſpecie columbæ apparet, quia non veniebat vt per zelum peccata puniret, ſed vt per manſuetudinem toleraret; In igne verò ſuper ſimplices homines apparuit, vt eos ad puniendа in ſe peccata Spiritus feruor accenderet, quæ Deus per manſuetudinem vindicare parceret.* Quarta eſt quia duo ſunt primaria Spiritus S. munia, protegere & accendere. Quemadmodum ergò columna illa, quæ Hebræos duxit per deſertum, de die fuit columna nubis, protegens eos ab æſtu: de nocte columna ignis, illuminans & calefaciens, *Num.* 9. ita Spiritus S. velut nubes ſuá manſuetudine protegit & ſolatur homines; velut ignis ſuo lumine illuminat & fouet; velut columba prolifica ditat ſuis donis: velut ignis verò accendit ad amorem. Vidimus heri Spiritum S. in ſpecie ignis: videamus illum hodie in ſpecie columbæ communicantem nobis dona ſua.

Dona Spiritus ſancti nihil aliud ſunt quàm afflatus & impulſus eius ad patranda rara & heroica maximè virtutum opera: quibus exercendis ſolæ virtutes etiam infuſæ ordinariè nō ſufficiunt, requiritur præterea ſpecialis motus & excitatio Spiritus ſancti. Ea verò ſeptem primaria (ad quæ reuocanda ſunt cætera) deſcribit Iſai. c. 11. collata Chriſto Domino: *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, inquit: *Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis. Et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Omnia hæc dona per columbam edoceri aduertit S. Thomas 3. p. q. 39. art. 6. B.

I. Donum ſapientiæ.

PRIMÒ. *Columba*, inquit, *ſecus fluenta habitat, vt inde viſo accipitre mergat ſe & euadat; quod pertinet ad donum ſapientiæ; per quam ſancti ſecus ſcripturæ Dominicæ fluenta reſident, vt incurſum diaboli euadant.* Commendauit de hoc dono ſponſa dilectum ſuum, Chriſtum, Cant. 5. dicens: *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lota & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* In quem locum ita ſcribit D. Gregorius: *ſicut columbæ iuxta fluenta reſidere ſolent, vt volantium auium vmbram in aquâ videant, ſupra quam ſe proijcientes, vngues rapacium ſic effugiant; ſic ſancti viri in ſcripturâ S. fraudes dæmonum proſpiciunt & ex deſcriptione quam vident, quaſi ex vmbrâ hoſtem cognoſcunt. Denique ſe conſilijs ſcripturæ ex toto addicunt, vt videlicet nihil agant, niſi quod ex reſponſo ſcripturarum audiunt, & quaſi in aquam ſe proijcientes hoſti illudunt: quæ ſcripturæ fluenta pleniſſima dicuntur, quia de quibuſcunque ſcrupulis conſilium quæritur: ſine minoratione de omnibus ad plenum inuenitur.* Fuit hoc donum imprimis & quidem eminentiſſimè in Chriſto Domino, vti teſtatur ſponſa; ipſe enim omnes ſuas actiones ad normam ſacræ ſcripturæ inſtituit, eam crebrò in ore habuit, & ad miſſionem cæteraque geſta ſua comprobanda citauit: eâ diabolum tentatorem conuicit: eâ ſe in cruce armauit & ſolatus eſt. Quid enim ea vox: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, niſi vox pſalm. 30. Quid illa? *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* niſi vox pſalmi 21. Et forſitan tunc Dominus totum iſtum pſalmum, de paſſione ſuâ luculentiſſimè ſcriptum, in cruce recitauit tacitus. Idem verò hoc donum tribuit ſponſus ſponſæ ſuæ Cant. 1. dicens: *Oculi tui columbarum.* Sunt ergò tales & ſancti, qui cum Dauide dicunt: *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis.* Pſ. 117. Ad hanc lucernam, ad has aquas ſedent continuò & in ijs contemplantur exempla ſanctorum, doctrinam

ctrinam Spiritus S. dolos & laqueos, Dæmonum, quos eludunt & euadunt ſcripturarum præſidio; ſiquidem *omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata*, inquit Apoſt. 2. Tim. 3. *vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitiâ; vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*. Hinc S. Baſilius *ep. 1. ad Gregor. Nanzianz.* ſacrâ ſcripturam comparat officinæ apothecariæ, omni pharmacorum genere contra quoſlibet morbos inſtructæ. *Siquis*, inquit, *laborat concupiſcentiâ & caſtitatis eſt cupidus, hiſtoriam Ioſeph aſſiduè legat, ex eâ diſcet & hauriet pudicitiæ amorem & ſpiritum. Siquis impatiens patientiam deſiderat, legat geſta S. Iob. Siquis fortitudinem cupit, legat acta Dauidis. Siquis manſuetudinem appetit, Moyſen voluat & imitetur.* Ex hac officina deprompſit ſibi pharmaca S. Paula, de quâ S. Hieronym. in eius epitaph. ſcribit: *In periculis loquebatur Paula: Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuã & ſequatur me. Cùm euerſio totius patrimonij nuntiaretur, aiebat: nudus exiui de vtero matris. In crebra infirmitate: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem. In mœrore cantabat: Quare triſtis es anima mea? Spera in Deo. Cùm nimio feruore virtutum nonnullis videretur inſana: Theatrum, ait facti ſumus mũdo Angelis & hominibus; nos ſtulti propter Chriſtum &c.* Eum quoque in finem S. Cæciliæ Chriſti Euangeliũ aſſiduè geſtabat in pectore, quaſi pixidem aromatariam ad animæ præſidium. Inde perfectionem vitæ hauſére, Laurentius, Vincentius, Gregorius, Chryſoſtomus; imò omnes penè Martyres, Confeſſores, Virgines.

C. II. Donum ſcientiæ

SECVNDÒ, *Columba meliora grana eligit, quo pertinet ad donum ſcientiæ, quâ ſancti ſententias ſanas, quibus paſcantur eligunt*; inquit D. Thomas. Negligit columba deteriora grana, non ſedet ſuper cadauera (quemadmodum coruus) vti patet de columba Noë. Ita qui hoc dono præditus eſt, cognoſcit res temporales ad ſalutem conducibiles & modum illis vtendi. Cicero in Attico dixit, *non eſſe vocandum ſapientem eum qui multa ſcit, legit vel vidit: ſed eum qui bene vti poteſt iis quæ ſcit.* Hoc autem docet hæc ſcientia. Deinde è tribus illis bonis, honeſto, iucundo, vtili, eligit honeſtum, cæteris neglectis, vtpote rationi conuenientiſſimum & ſolum honore dignum. Quare ſi quis ſuadeat ei rem quidem in ſe vtilem, iniquam tamen & inhoneſtam (quale fuit conſilium Themiſtoclis, de incendendâ Græcorum navali ſtatione, quo Athenienſes toti Græciæ dominarentur: diſplicens Athenienſibus, quod vtiliſſimum licet, iniquiſſimum tamen eſſet, teſtè Plut. in Ariſtide) nequaquam acquieſcit. Non omnibus credit, nec audit vel imitatur omnes, ſed bonos. Serpens incantari ſe perſentiens, aures occludit, vnam terræ admouens, alteram caudâ obturans, vt ſcribit S. Auguſtin. in ea verba Pſalm. 57. *Sicut aſpidis ſurdæ.* Ita qui hoc donum habet, non audit incantatores illos, qui ad malum prouocant & laqueos parant; ſed caudâ, hoc eſt, conſideratione exitûs & finis ſeſe armat contra eos, iuxta id: *Quidquid agas, prudenter agas, & reſpice finem.* Serpens vt caput tueatur, membra obiicit ictibus, caput inuoluit: idem dictat hæc ſcientia, animam præferendam corpori, cœleſtia terrenis, virtutem ſcientiis, honoribus & opibus, honeſtum vtili & iucundo.

D. III. Donum conſilii.

TERTIÒ, *Columba alienos pullos nutrit, quod pertinet ad donum conſilij, quo ſancti omnes, qui fuerunt pulli, id eſt, imitatores diaboli, doctrinâ nutriunt & exemplo.* Conſilium hoc facit vt non ſolùm ſe ſuaſque actiones regere honeſtè & Chriſtianè poſſit homo, verùm etiam vt alios quoque, iiſque bene conſulere. Sunt plerique inſtar anſerum. Hi enim alienis ouis, etiam anſerum, non incubant, ſed ſuis tantùm, vnde eorum oua ſignanda ſunt auctore Pierio l. 24. hierogl. ita, inquam, plerique ſe & ſuos tantùm liberos vel propinquos curant, conſilio & inſtructione fouent: alienos negligunt, quia ſcilicet opus magni laboris eſt alios Chriſto parere & moribus efformare: quemadmodum & partus mulieri maximum adfert dolorem. Ergo donum hoc conſilii incitat & impellit nos vt etiam de alienis ſoliciti ſimus, bene eis conſulendo. Quo dono inprimis præditi fuêre Apoſtoli, qui Iudæos & gentiles diabolicâ ſervitute preſſos, Chriſti fide imbuerent, adeoque genuerunt ſudore & ſanguine ſuo. Inter quos S. Paulus Galatas priùs Chriſto à ſe genitos, poſteà ad Iudaiſmum relapſos denuò parere debuit; vt teſtatur ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Scimus quo labore S. Ioannes pepererit adoleſcentem, quoque ſeductum & in latrocinia lapſum reduxerit ad frugem, vti alibi diximus. De S. Monicâ matre ſua ſcribit S. Auguſtinus l. 9. Conf. c. 9. *Nutrierat filios toties eos parturiens, quoties abs te* (DEVS) *deuiare cernebat. Poſtremo nobis Domine omnibus, qui ãte dormitionem eius in te conſociati viuebamus ita curam geſſit, quaſi omnes genuiſſet; ita ſeruiuit, quaſi ab omnibus genita fuiſſet.* Eadem vicinas alias mulieres præclaro conſilio inſtruxit, quomodo maritorum iras mitigare & frangere manſuetudine, ſilentio, diſſimulatione, præcibus ad DEVM fuſis poſſent, vt ibid. ſcribit Auguſt. S. Vincentius Ferrarienſis Ordinis Prædicatorum religioſus, nulli hominum ordini, vel ſtatui, nulli ætati, nulli ſexui negavit fructum doctrinæ & ſanctitatis ſuæ. *Neque enim duntaxat ætate prouectos, & ſublimium rerum atque diſciplinarum capaces erudiebat; ſed etiam pueros certis ad ſe horis euocatos inſtituebat, docens eos quemadmodum cruce ſe ſignarent, orationẽ Dominicam & Angelicam ſalutationem, atque fidei ſymbolum enuntiarent, Deum colerent, amarent, parentibus & proximis quibuſq; honorem haberent, & debita officia perſoluerent. In dandis conſiliis, nec diuites pauperibus, nec ignobilibus nobiles anteponebat; ſed erat charus õnibus, vtilis omnibus, pius, benignus, amabilis denique & venerabilis omnibus.*

E. IV. Donum intellectus.

QVARTÒ, *Columba non lacerat roſtro* (grana) *quod pertinet ad donum intellectûs, quo ſãcti bonas ſententias lacerando non peruertunt hæreticorum more.*

more. Ergò qui hoc donum habent, non lacerant aut mutilant ſcripturas fideiq́ue dogmata, partem vnam credendo, alteram non credendo: nec rimantur curioſè quomodo hoc vel illud Deo poſſibile ſit; ſed omnia bonâ fide ſine multa diſcuſſione deglutiunt, quæcunque ab Eccleſiâ proponuntur eis credenda. Quod etiam myſticè inſinuatum eſt Hebræis *Exodi* 12. cùm comeſturis agnum præceptum fuit, vt oſſa illius non confringerent. Hæretici noſtri Lutherani & Caluiniani ſuis roſtris confringunt grana & oſſa verbi diuini, partim dum integros libros è ſacrorum canone amputant; vti Tobiam, Iudith, Eſtherem, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Baruch & aliquot capita Danielis: epiſtolam S. Iacobi, S. Iudæ, vnam S. Petri, duas S. Ioannis, epiſtolam S. Pauli ad Hebræos & Apocalypſim (quamuis poſteà nonnulli ex iis horum aliquos ſuis locis & authoritatibus reſtituere conati ſint) partim dum ſcripturæ ſententias peruertunt, addendo, demendo, mutando, perperam exponendo, vt alibi oſtendimus. Denique ſicut cœci non vtuntur perſpiciliis, quia fruſtrà vterentur: ita & hæretici, quia oculis fidei diuinæ carent, intellectu quoque Scripturarum carent. Ait enim Deus Iſa. 7. *Si non credideritis, non intelligetis* (vt legunt 70. Interpr. Auguſt. Chryſoſt. Cyprianus & alij.) Similiter S. Petrus Ioan. 6. *Nos credimus & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei*, Non, nos cognouimus & credimus; Sed *nos credimus & cognouimus.* Audiamus S. Chryſoſt. hom. 32. in Ioan. *Sine fide nullam magnarum rerum doctrinam percipere quiſpiam poteſt, ſed illis ſimilis eſt, qui ſine naui pelagus tranſnare aggreſſi, parum profecti, laſſatis manibus pedibuſq; fluctibus continuò obruuntur. Neque aliter qui ſuis rationibus vtuntur ante cognitam veritatem, naufragium faciunt.* Non ita boni & veri fideles, qui fidei dogmata ſibi propoſita, mox integra arripiunt.

F. V. Donum pietatis.

QVINTÒ, *Columba felle caret, quod pertinet ad donum pietatis, per quam ſancti irâ irrationabili carent.* Manſueta auis eſt columba, nullum animal lædit, ne muſcam quidem (quod tamen hirundines & paſſeres faciunt) non vnguibus terram verrit vt gallina: fel ſi habet, in vropygio ſeu vltimâ ſpinæ parte habet. Tales ergò efficit donum pietatis, *non litigioſos*, vt ait Apoſtol. ad Tim. 3. (Græcè ἀμάχους *non pugnaces*) *ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines*; ita vt neminem lædant verbo aut verbere, ne infimum quidem: nullius animum aut poſſeſſionem turbent: iram omninò non habeant, aut tardiſſimè & conſideratiſſimè exſerant; iuxta id eiuſdem Apoſtoli ad Rom. 12. *Non voſmetipſos defendentes, ſed dàte locum iræ.* Hoc dono inſtructus S. Apollonius Abbas cùm à Philemone Choraulâ multis afficeretur iniuriis: ſceleſtus ſeductor appellaretur, reſpondit: *Miſereatur tibi Dominus, fili mi; & nihil horum quæ locutus es, reputet ad peccatum.* Quo dicto Philemon ad Chriſtum ſe conuertit & vnà cum Apollonio tandem martyr occubuit; vt habet vita Appollonij in vitis Patrum. S. Spiridion Epiſcopus Trimithuntis in Cypro, vocatus ad Conſtantium Imp. venit mendici ferè habitu, baculum manu tenens, vas fictile collo appenſum gerens. Itaque in regiâ quidam ei tanquam homini abiecto & è loco tali eiiciendo alapam inflixit. Tulit id non modò non indignè vir ſanctus, ſed alteram etiam maxillam porrexit percuſſori. Quâ re inſolens ille confuſus, ſupplex veniam petiit. Dedit libens Spiridion & inſuper eum paternè inſtruxit vt ab iniuriis deinceps abſtineret, ſicque ad Imperatorem deductus eſt; vt in eius vitâ. Porrò hac pietate armati inprimis eſſe deberent Superiores dum corrigunt inferiores. His enim ait Apoſtol. ad Gal. 5. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Spiritum vocat effectum internum lenitatis, qui eſt donum Spiritus S. inquit D. Chryſoſtom. quique inſpirare dicitur verbis monitoriis ſuam lenitatem. Hanc ob cauſam, opinor, ſuper Eccleſiæ præſules potiſſimùm viſæ ſunt columbæ cœlitus delapſæ, vt in ſpiritu lenitatis & pietatis inſtruerent oues ſuas. Inprimis è ſublimi deuolare viſa eſt columba in caput S. Fabiani, deſignans eum ordinandum Papam, apud Baron. anno 238. Rurſum in caput S. Gregorij Papæ I. cùm quid de ſacris literis ſcribere vellet, vti vidit Petrus Diaconus. Baron. anno 604. In humeros Gregorij VII. celebrantis. Baron. anno 1084. Duæ viſæ ad caput Eugenij Pp. itidem celebrantis Miſſam. Baron. anno 1145. In ordinatione D. Chryſoſtomi ad presbyteratum, deuolans alba columba ſtetit ſupra caput eius. Baron. anno 386. *Quemadmodum enim inter chirurgos*, inquit Hector Pintus in Iſa. c. 42. *ille eſt laudabilior, qui leniùs tangit vulnera, quàm qui aſperè manum imponit; ſic ille præſul eſt prudentior cenſendus, qui potius lenitate & moderatione, quàm nimiâ ſeueritate animi vulneribus medetur. Et vt chirurgus, vt in eodem ſimili verſer, ſecturus membra corrupta & labefactata, non impletur irâ, quin potiùs tunc maiorem tranquillitatem oſtendit ne perturbatio impediat artem, ſic præſul in reprehenſionibus & punitionibus debet magnâ vti temperantiâ, ne irâ turbatus modum tranſeat.*

G. VI. Donum fortitudinis.

SEXTÒ, *Columba in cauernis petræ nidificat: quod pertinet ad donum fortitudinis; quia ſancti in plagis Chriſti, qui eſt petra firma, nidum ponunt, id eſt, ſuum refugium & ſpem.* Dono ergò fortitudinis præditus eſt, quiſquis præſidio vulnerum Chriſti munitus eſt, ex ſententiâ D. Thomæ. De hoc præſidio loquitur ſponſus Cant. 2. *Veni columba mea, in foraminibus petræ, in cauernâ maceriæ.* q.d. Columba mea ſi fortis & inexpugnabilis eſſe velis, veni & abſcondere in vulneribus meis, & inprimis in meo latere lanceâ perfoſſo, coſtis quaſi maceriâ cincto. Illud arx munitiſſima eſt: oſtium eius vulnus eſt, adeò anguſtum, vt ſolis columbis ingredi, hoſtibus non liceat. Eodem alluſit Iſaias

Iſaias c.2.dicens: *Ingredere in petram & abſcondere in foſſa humo, à facie timoris Domini.* Ad literam per ſarcaſmum alloquitur Hebræorum populum exterminandum à Chaldæis primò, deinde à Romanis; & monet, eis fugiendum fore in cauernas & ſpeluncas, fruſtrà tamen; ſiquidem ibi etiam deprehendendi eſſent. Teſtatur Ioſephus ſe in puteo & ſpeluncâ tempore excidij Ieroſolymitani latuiſſe, inde tamen protractum & Veſpaſiano oblatum eſſe, l.3.de bello c.14.Item Simonem & alios, l.7. c. 16. Verùm myſtico ſenſu ſeria locutio eſt, ſuadens vt imminente graui tentatione fugiamus ad deuotam vulnerum CHRISTI meditationem. Quid enim foſſa humus, niſi caro Chriſti, de quâ Pſal. 21. dicitur: *foderunt manus meas & pedes meos?* Ibi ſe habiturè, ibi latere nuntiauit coniugi ſuæ Comes Elzearius, apud Sur. to. 5. c. 30. Præter hoc habet columba & iſtud, vt non diſcedat à ſuo columbari & hero, tametſi is ſingulis menſibus, quoties illa prolificat, tollat ei pullos, cùm tamen aues aliæ ſublatis ſibi pullis nidos priores deſerant & alios ſibi quærant. Hoc pacto S. Iob tametſi concedente Deo mirum in modum afflictus fuit, & inter alias calamitates non tantùm pecora, ſed & filios ſuos omnes ſimul perdidit, non tamen à Deo diſceſſit aut aliò migrauit blaſphemando vel conſulendo diuinatores aut alienorum Deorum opem implorando: ſed perſtitit in amore & ſeruitio Dei ſui eumque inter verbera etiam benedicere non dubitauit.

H. VII. Donum timoris. Gemunt ſancti. I.

SEPTIMÒ, *Columba gemitum pro cantu habet, quod pertinet ad donum timoris, quo ſancti delectantur in gemitu pro peccatis.* Gemunt primò ob præterita peccata, timentes ne fortè pro eis nondum omninò ſatisfecerint, vti S. Petrus ad omnem galli cantum deflens peccatum ſuum. S. Auguſtinus, qui in extremâ, quâ defunctus eſt, ægritudine continuò legebat Pſalmos pœnitentiales, *iugiter & vbertim flens*, vt ait poſſidonius in eius vita. S. Paula, de quâ ſcribit S.Hieron. in eius Epitaph. *ita leuia peccata plangebat, vt illam grauiſſimorum criminum crederes ream. Cumq́; à nobis crebriùs moneretur vt parceret oculis & eos ſeruaret Euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo & ceruſsâ & ſtibio ſæpe depinxi. Affligendum eſt corpus, quod multis vacabat delitiis. Longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu. Mollia & ſerica pretioſiſſima, aſperitate cilicij compenſanda. Quæ viro & ſæculo placui, nunc Chriſto placere deſidero.* Gemunt ſecundò ob pericula incidendi in noua peccata, timentes perdere gratiam Dei & cœleſtem hæreditatem. Hunc timorem, caſtum ſcilicet & filialem, qui timet offendere Deum, appellat Iſaias theſaurum: *Diuitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia: Timor Domini, ipſe eſt theſaurus eius*, c. 33. quia in eo tanquam in arculâ diuitiæ virtutum ſeruantur. inquit Hector Pintus ib. *Et ſicut ij, qui conſulatûs officia vel theſaurum regium adepti ſunt, perpetuam gerunt curam ne quoquam pacto regem offendant: ſic & illi quibus aliquod opus ſpirituale creditum eſt, ſemper ſunt ſoliciti*, inquit Macharius ſenior S. Antonij diſcipulus, ad Monachos hom. 16. Quocirca S.Hieron. ſeriò monet Euſtochium ſupradictæ S. Paulæ ſanctam filiam, ſcribens ad eam: *Nolo tibi ſuperbiam venire de propoſito, ſed timorem: onuſta incedis auro: latro tibi vitandus eſt.* Hinc bene etiam ſenex ille Simeon dicitur *vir iuſtus & timoratus.* Non enim erat vacuus coram latrone viator. Theſaurum magnum gerebat in vaſe fictili, iuſtitiam; & quomodo non timeret? De hoc denique timore ait Sapiens Prouerb. 28. *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus: qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum.* Vult dicere: Beatus eſt qui timet offendere Deum: qui verò velut equus duri & præfracti oris eſt, nec fræno timoris retinetur à curſu, corruet in præcipitium. Adſtipulatur Sapienti Eccleſiaſt. c. 25. *Beatus homo*, inquit, *cui donatum eſt habere timorem Dei; qui tenet illum, cui aſsimilabitur?*

Ergò Auditores præparemus corda noſtra, vt cœleſtis hæc columba deuolare ſuper nos dignetur ſuiſq; nos replere donis. De S. Aredio Lemouicenſi ſcribit S. Gregor. Turonenſis *l. 10. hiſt. Franc. c. 29.* quòd cùm ex puero aulico S. Nicetium Treuirenſem Epiſcopum ſecutus & ab eo ſacris imbutus diſciplinis eſſet, Spiritus ſancti gratiâ per viſibilem columbæ ſpeciem repletus, ſanctitate & miraculis clarus effulſerit, tandemque deuicto diabolo, comitantibus Angelis glorioſus in cœlum aſcenderit, anno Dom. 595. Quod & nobis omnibus precor.

CONCIO IV.

Eadem Spiritus S. dona aliter exponuntur.

Per ſeptem alites declarantur ſeptem dona Spiritûs S.

1. *Donum ſapientiæ docet nos Aquila.*
2. *Doni ſcientiæ typus eſt Noctua.*
3. *Dono intellectus Halcyon.*
4. *Dono conſilij præditi ſimiles Cygno.*
5. *Donum fortitudinis indicat Accipiter.*
6. *Qui donum pietatis habent aſsimilantur Alaudæ.*
7. *Donum timoris docet Coturnix.*

THEMA.

Lux venit in mundum & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Ioan. 3.

A. DVæ potiſſimum facultates animæ per lapſum primi parentis vulneratæ ſunt, intellectus & voluntas. Intellectus cœcitatem, voluntas debilitatem contraxit, ita vt ſine ſpeciali Dei dono nihil magni & præclari, quod ad vitam æternam ſpectet, per ſe efficere queant. Quapropter benigniſſimus Deus poſt Chriſti miſſionem ſuccurrere his miſeriis ſtatuit per miſſionem Spiritus ſancti, quem idcircò in ſpecie ignis demiſit in Diſcipulos Chriſti totamque Eccleſiam ſuam: quia vt ignis partim illuminat, partim

etiam accendit & calore ſuo fouet: ita Spiritus ſanctus mediantibus donis ſuis partim illuſtrat intellectum: vt videre queat, quæ ad conſequendam beatitudinem homini ſunt neceſſaria & ſalutaria: partim accendit voluntatem, vt eadem illa aggrediatur & perficiat. Siquidem è donis illis quædam pertinent ad perficiendum & roborandum intellectum, vti donum ſapientiæ, ſcientiæ, intellectus, conſilij: quædam ad voluntatem, velut donum fortitudinis, pietatis, timoris. His enim ſeptem donis Spiritus ſanctus retrahit nos à malo, & iuuat ad tentationes ac vitia debellanda, nec non ad fortia & heroica opera patranda. Nam vt S. Gregorius *l. 2. moral. c. 26.* explicat, aduerſus ſtultitiam armat nos Spiritus ſanctus dono ſapientiæ: contra ruditatem dono intellectus: contra præcipitationem dono conſilij: contra ignorantiam dono ſcientiæ: contra puſillanimitatem dono fortitudinis: contra cordis duritiem dono pietatis: contra elationem dono timoris. Septem iſta dona ſpiritualia ſunt arma tam offenſiua quàm defenſiua, aduerſus præcipuas tentationum radices, quæ vitam ſpiritualem oppugnant. Ea igitur luſtremus. Cæterùm quia Spiritus ſanctus non ſolùm in ſpecie ignis fieri, ſed etiam ſpecie alitis, columbæ nimirum, alibi deſcendiſſe in terram viſus eſt, idcircò nunc miſſâ ignis ſpecie, videamus ſeptem alites, qui dona illa declarant.

B. I. Donũ ſapientiæ.

PRIMÒ, Laboramus plerique ſtultitiâ in cognoſcendo ſummo bono & vltimo fine, Deo, rebuſque ad eum ordinandis. Communiter enim de rebus noſtris iudicamus ſecundum rationes humanas, mundi opinionem, & hominum iudicia, ac ſi his conformentur actiones noſtræ, rem bene geſtam arbitramur: ad Deum, diuinam & æternam regulam non attendimus, vtrum ipſi placeant ipſiuſque voluntati ſint conformes. Atque hæc mundi ſapientia, quæ ſecundùm terrena & corporalia iudicat, *terrena & animalis ſapientia* vocatur, vt docet D. Thomas 2.2. *q. 45. art. 1.* eſtque *ſtultitia coram Deo* teſte Apoſtolo 1. *Cor.* 3. Veram ſapientiam, quæ eſt donum Spiritus ſancti, aquila nos docet, quæ ſolem contemplatur, & pullos ſuos in altum euehit, & ſuſpenſos vngue examinat ad contuitum ſolis; & ſiquidem in eum intendere irretortis oculis queant, pro genuinis habet, ſin minus, vt adulterinos abiicit. Plin. l. 10. cap. 3. Hæc itaque ſapientia contemplatur diuina & æterna, & ſecundùm illa de rebus omnibus iudicat ex fide & Scripturis ſacris, ad iuſtitiæ ſolem omnia ſua examinat. Mundi ſapientia per Philoſophos docuit, ex nihilo nihil fieri: Deum loco, tempore, corpore claudi, & mori non poſſe: accidens non poſſe eſſe ſine ſubiecto, corpus non poſſe eſſe in puncto, nec duo corpora in eodem loco. At Dei ſapientia hæc Philoſophorum axiomata ex ratione humanâ deſumpta falſa eſſe oſtendit ex fide & Scripturis en creatione mundi, in Verbi incarnatione, in S. Euchariſtia. Mundi ſapientia victorias & bellorum euentus ſecundùm vires humanas metitur, vti fecit ante aliquot annos quidam hæreticorum Dux multis victoriis clarus, cui cùm quidam Princeps Catholicus ab eo captus in bello diuinam prouidentiam commemoraret; ille ſubridens, manu capulo enſis ſui admotâ reſpondit: *Hæc prouidentia nitendum*: vt refert Leon. Leſſius *l. 1. de prouidentia.* At vera ſapientia, Dei potiùs prouidentiæ euentus iſtos adſcribit ex diuinâ reuelatione 1. Mach. 3. *Non in multitudine exercitûs victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt.* Et 2. Machab. 15. *Dominum non ſecundùm armorum potentiam, ſed prout ipſi placet, dat dignis victoriam.* Mundi ſapientia ſtultiſſimum ſequitur ſtruthiocamelum, qui cùm ſit altior èquite, totum ſe latere putat, cùm collũ inter frutices occultat. Pier. l. 23. dummodò enim quis ſcelerum ſuorum conſcios homines non videat, iam ſe totum latere cenſet, nec Deum timet nec homines. At vera ſapientia ad Dei oculos attendit etiamſi ab hominibus nequaquam videatur, iuxta id Eccleſiaſt. cap. 23. *Quis me videt? tenebræ circumdant me,* &c. *Et non intelligit quoniam omnia vidit oculus illius.* Mundi ſapientia iubet inimicos odiſſe & malũ pro malo reddere; ſed Dei ſapientia docet odio quidem habendum peccatum, ſed non peccatorem, offenſam ſed non offendentem: hunc beneficiis demulcendum & ad frugem atque amorem reducendum, iuxta id Saluatoris: *Diligite inimicos veſtros*, &c. quia hoc Dei gloriam amplificat & ſalutem parit offenſori, meritum gloriæ offenſo. Denique mundus beatos prædicat diuites, elatos, dominantes, in delitiis viuentes; At verò Spiritus S. eiuſque ſapientia beatos prædicat pauperes, humiles, obedientes, eſurientes, afflictos. Effulſit hoc ſapientiæ dono inter alios S. Antonius, qui duobus Philoſophis gentilibus ad ſe venientibus ita ferè locutus eſt: *Cur vos ſapientes tanto itinere ad hominem ſtultum veniſtis?* Illis reſpondentibus, ſe ad ſapientem non ad ſtultum veniſſe, reſpondit: *ſi ad ſtultum veniſtis, ſuperfluus eſt labor veſter. Si autem putatis me ſapientem eſſe, bonum eſt; imitemini quod probatis.* Athanaſ. in vitâ. Enituit hæc ſapientia & in ſanctâ illâ nondum decenni puellâ Catharina Senenſi, quæ audiens matrem aliquando propter ſe aliis maledixiſſe, ſeorſum eam ducens, monuit dicens: *Domina mater, ſi me quandoque videris tua iuſſa negligentẽ, cadas me virgis quantum viſum erit; id enim dignum & iuſtum eſt ſed, quæſo, ne propter meas culpas aliis maledicas; nam neque tuam id decet grauitatem, & me ſummo mœrore afficit* Raimundus in vitâ.

C. II. Donum ſcientiæ.

SECVNDÒ, Laboramus ignorantiâ, ſiue ex aliorum dolis, ſiue ex obliuione, ſiue ex inaduertentiâ, vt minus cognoſcamus etiam res temporales & creatas ad ſalutem conducibiles & media requiſita. Ac licet ea videamus, neſcimus tamen modum illis bene vtendi; deficimus iudicio circa credenda & agenda, negligimus res gerendæ bonas occaſiones, quarum prætermiſſionem riſit aliquando

in Pom-

in Pompeio ſubſiſtente Cæſar fugiens, dixitque: *Hodie penes hoſtes erat victoria, at non habet Ducem, qui victoriâ nôrit vti.* Contra has ergò tenebras ſuccurrit nobis Spiritus S. dono ſcientiæ, quæ verſatur circa res creatas, & docet nos ferre iudicium de rebus agendis & credendis, modum rectè vtendi mediis ad ſalutem; aperit fraudes & deceptiones mundi, carnis, dæmonis: ſuggerens veritatem ad vincendum illas. Scientiæ hujus typum Noctua ſuppeditat, quæ apud gentiles Mineruæ diſciplinarum Deæ ſacra habebatur propter oculos cæſios, quibus etiam in tenebris perſpicit, quæ vulgus auium non videt, vt refert Pierius l. 20. Donum ſapientiæ eſt quaſi luminare maius, quæ oſtendit nobis rés, quæ circa DEVM verſantur: Scientia luminare minus, quæ in his mundi tenebris oſtendit res creatas & modum iis vtendi. Examinat in primis media & actiones, an pro animæ ſalute ſint, an virtutis laudem contineant, an ad DEVM ducant. De S. Antonio ſcribit Palladius in hiſt. Lauſiaca, quando eum abſentem aliqui quæſiuiſſent, à Machario rogare conſueuiſſe, an ij ex Ægypto, an verò Ieroſolymis veniſſent, hoc eſt, an veniſſent tractaturi res ſeculares tantùm, an res ſpirituales & cœleſtes. Scientia iſta, de quâ loquimur, judicium fert de rebus an ex Ægypto vel Ieroſolymis veniant, & rurſum num in Ægyptum an Ieroſolymam tendant. Nouit deinde bene vti rebus etiam aduerſis, quo modo *non ex ebore tantùm*, inquit Seneca epiſt. 85. *Phidias ſciebat facere ſimulacbra: faciebat ex ære: ſi marmor illi, ſi adhuc viliorem materiam obtuliſſes, feciſſet quale ex illâ fieri optimum poſſet.* Et mox: *Leonibus magiſter manum inſerat: oſculatur Tigrim ſuum cuſtos: Elephantem minimus Æthiops iubet ſubſidere in genua, ambulare per funem: ſic Sapiens eſt artifex domandi mala: dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exilium, & cætera horrenda, cùm ad hunc perveniunt, manſueta ſunt.* Speciale ſcientiæ donum fuit illud, quo diuinitùs imbuti fuére S. Anton. S. Ambroſ. D. Thomas, S. Ephrem, Albertus M. vt videre eſt in Catechiſmo hiſt. Dauroultij c. 7. tit. 44.

Doctrice Noctuâ.

D. III. Donũ intellectus.

TERTIÒ, Laboramus ruditate & inhabilitate ad penetrandum reś obſcuras ſcitu neceſſarias, ſcripturas præſertim SS. & fidei veritates ac diuinorum myſteriorum: rurſum ad iuuandas pœnitentium conſcientias, ad diiudicandas aliorum cauſas, dirimendas lites & controuerſias tum fidei, tum aliarum rerum ad fidem & mores Chriſtianos ſpectantium. Cõtra hanc ruditatem ſuccurrit nobis Spiritus S. dono intellectûs. Qui hoc dono prædití ſunt, ſimiles ſunt Haliæetò, æquilæ marinæ, quæ, vt ſcribit Plin. l. 10. c. 3. *clariſſima oculorum acie, librans ex alto ſeſe, viſóque in mari piſce, præceps in eum ruit & diſcuſſis pectore aquis rapit.* Quod idem apud nos faciunt aues illæ, quas idcircò piſcatores vulgò appellamus. Ergò qui donum intellectûs habet, clariſſimam hanc oculorum aciem habet & eâ quaſi ex alto cernit, atque intelligentiæ dono diſcutit ſcripturarum difficultates & nodos, ſenſus litterales & myſticas figuras, tropos, indéque vberrima rapit documenta; diſcutit etiam fidei cõtrouerſias, tollit conſcientiarũ ſcrupulos & laqueos, quandoque etiam intelligit (per ſpeciale donum) cogitationes hominum: diiudicat cauſas litigantium intricatas atque inſolubiles. Claruit hoc dono S. Hieronymus, ad quem velut ad oraculum ex omnibus orbis partibus diuinæ Scripturæ quæſtiones explicandæ referebantur. S. Ignatius Loyola, qui adhuc litterarum propemodùm ignarus, repente ante templi aditum in cognitionem SS. Trinitatis raptus, tantâ ſimilium & exemplorum varietate de eâ diſputare cœpit, vt omnes obſtupeſcerent; quin & librum de Trinitate conſcribere, quoquo potuit ſtylo. Maffeius l. 1. vitæ c. 7. S. Ioannes Coloniæ in Armeniâ Epiſcopus, poſteà ſolitarius, qui duobus, vni Catholico, alteri hæretico, priùs numquam viſis, bene precari cùm rogaretur à Catholico: *Tibi quidem*, inquit, *vt pio & fideli ſalutem impertior: huic autem nequaquam, niſi à prauâ hæreſi deſiſtat.* Rader. in Virid. SS. His accedat S. Philippus Nerius, qui occultas hominum cogitationes ſæpiſſimè perſpexit, & confitentibus annuntiauit: obſcœnorum verò etiam hominum tetrum odorem naribus perſenſit, ita vt vultũ auertere, manuſq́; aut linteum naribus admouere deberet, vt in eius vitâ ſcribit Gallonius ann. Chriſti 1555. & alibi. Denique hoc donum petiit Dauid quoad ſuam perſonam. Pſ. 118. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Petiit filius eius Salomon quoad regimen populi ſui 3. Reg. 3. *Da ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum. Quis enim poterit judicare populum iſtum, populum tuum hunc multum?* q. d. ſine dono Spiritus S. Id ergò mox impetrauit eiuſque ſpecimen edidit in duarum meretricum contentione de eodem filio. Cui iudicio aliud ſimilium refert de Alphonſo I. Neap. Rege Panormitan. l. 2. de rebus Alphonſi. Nam adhuc bene puero cùm in Aragoniâ, vtriuſq; Siciliæ regna ſuſciperet, accidit, vt cuiuſdam ancilla ex domino pareret, & ad libertatem ex Hiſpanienſi lege prouocaret. Dominus, ne matre cum filio priuaretur, negabat ex ſe natum, deerant in re clam patrari ſolitâ probationes. quid ageret? bellè ſe expediuit. Iubet ſub haſtâ puerum vendi. Vincitur dominus licitatione. Ergóne (ſecum) filius meus in ſeruitutem me viuo? quin potiùs fatear, quod res eſt. Et ecce paterni animi erumpunt inuitæ lachrymæ. Subſequitur lingua confeſſionem oculorum. Sic patri filium, matri debitam rex libertatem aſſeruit. Enituit hoc donum etiam in Daniele, qui arguto conſilio ſenes illos improbos deprehendit reos. *Dan.* 13. Quare hoc donum à Deo precibus poſtulare deberent inprimis Doctores, Confeſſarij, Magiſtratus, Iudices. Eo ſanè etiam præditus fuit Carolus M. coram quo Pater & filius homicidij rei agebantur,

Docente Haliæeto.

ſed factum vterque negabat, nec tormentis vllis ad confeſſionem criminis poterant perduci. Itaque condemnat Imperator vtrumque ad ſuſpendium. Tum pater victus amore filij, ſe reum, filium verò ſceleris expertem confitetur. Andr.Barbat.*in c.præſens.de prob.*

E. IV. Donum Conſilii.

QVARTÒ, Laboramus communiter etiam præcipitantiâ in actionibus noſtris, nec maturè priùs expendimus quid fieri expediat: inde in graues ſæpe errores labimur; vti patet in Duce Ioſue, qui Gabaonitas nimium credulus, non conſulto priùs Domino in fœdus amicitiæ recepit, *Ioſ.* 9. In ſacerdotibus illis Hebræorum, qui ſine conſilio exierunt ad bellum & ceciderunt 1. *Mach.* 5. In Theodoſio ſeniore Imp. qui præcipitatâ in Theſſalonicenſes ſententiâ plurimos innocentes occidi inter nocentes fecit. Succurit ergò nobis Spiritus ſanctus dono Conſilij, quo inſtruit nos priuſquam magnum & periculoſum aliquid aggrediamur, definiamus, mandemus, loquamur. Typum hujus doni volumus? cygnus illum exhibet, qui collum habet longum & obliquum, adeoque per ambages tardè deuoluit cibum in ſtomachum; quod eſt virorum conſilio præſtantium, qui priùs quàm loquantur aut decernant aliquid, præmeditantur bis vel ter, quid loquantur & agant, quando, vbi, apud quos, quo euentu: an ſit honeſtum, verum, bonum, licitum, nemini noxium, &c. Vnde pictores virum conſideratum ac prudentem cum collo longo & obliquo pingunt. Ergò donum iſtud ſuggerit conſilium ſanum & ſalutare ad euitandos dæmonis laqueos; vti Ioſepho illi ab impurâ Dominâ tento, vt relicto in manibus ejus pallio fugeret, *Gen.* 39. Quò etiam referenda (tametſi non facilè imitanda) ſanctarum illarum mulierum exempla, quæ necem ſibiipſis intulére, ne procorum illuſionibus paterent, veluti Sophronia nobilis matrona Romana, quæ cùm à Maxentij ſatellitibus abducenda ad ſtuprum eſſet, conſentiente etiam præ metu marito præfecturam agente; exiguo temporis ſpatio poſtulato, quo ſe decenter ornaret, in cubiculum ſuum ingreſſa gladio ſibi transfixit pectus. Pelagia virgo Antiochena, quæ cum matre & ſororibus eâdem illâ perſecutione Maxentij cùm leonibus illudendæ traditæ eſſent, Pelagia è ſublimi domûs tecto præcipitem ſe dedit, mater & ſorores aquis ſe immerſerunt. Euphraſia virgo Nicomedienſis, quæ in lupanar ducta, & à iuuene attentata perſuaſit ei ſe habere pharmacum contra omnes ferri & telorum ictus, idque in ipsâ comprobandum; quare cerâ oleo liquefactâ collum ſuum inungens, iuſſit id in ſe inuicem experiri: qui nimium credulus vno ictu amputauit virgini caput. Quæ omnia refert Baron. anno 309. Quod ergò ſapientiſſimi Philoſophi tradidêre, hoc intus docet hominem juſtum Spiritûs ſancti donum. Bias dixit: *Conſidera, & poſteà rem aggredere.* Item: *Aggredere tardè, egreſſus age conſtans.* Periander dixit: *Ea facito, quorum te non pœniteat.* Rurſum: *Nihil aggredere, niſi quod vides te poſſe perficere.* Præterea ſuadet vt interrogemus alios quid agendum nobis ſit, vti S. Franciſco deliberanti num vitæ prorſus ſolitariæ, an ſaluti etiam proximi curandæ addicere ſe deberet, apud Daurоult. *Catech. hiſt. c. 7. t. 46. ex 22.* Suadet vt audiamus vel legamus Dei verbum, quemadmodum D. Auguſtino per vocem illam: *Tole, lege.* Docet parcè & conſideratè loqui: nihil in irâ ſtatuere, ſed recitare priùs alphabetum, vel quid ſimile.

Doctore Cygno.

E. V. Donum fortitudinis.

QVINTÒ, Laboramus imbecillitate in rebus arduis gerendis & aduerſis tolerandis, præſertim quando ita nos premunt, vt niſi grauiter delinquere velimus, vitam, honorem, fortunam amittere, vel graue aliud ſubire incommodum debeamus. Tunc ergò ſubuenit nobis Spiritus S. dono fortitudinis, ſuo impulſu corroborans cor noſtrum vt quoduis damnum temporale pati velimus, ne æternum incurramus. Hoc donum indicat Accipiter *auis animo plus armata quàm vnguibus; virtutem maiorem in minore corpore geſtans*, inquit Iſidorus l. 12. c. 7. Is tam magnanimus eſt, vt aues etiam grandiores ſe aggrediatur ac deiiciat; cum aquilâ ipsâ, auium Rege, bellum gerere audeat teſte Plinio l. 10. c. 8. volatûs celeritate omnes vincit, tam humipeta, quàm ſublimipeta, vt ſcribit Pierius lib. 21. Ergò hoc dono præditi animosè aggrediuntur omne periculũ etiam viribus impares, non metuunt minas Principum, tam in proſperis quàm in aduerſis, ſurſum & deorſum rectà ſine declinatione volant, quemadmodum & accipitres. Tales fuêre inprimis ſancti Martyres. Et quis non adſcribat Spiritus S. robori triumphum puerorum Iuſti & Paſtoris, qui Compluti ſub perſecutione Diocletiani & Maximiani, audito Daciani Præfecti aduentu, relictis tabellis, quibus in litteris addiſcendis detinebantur, ambo pariter mirâ alacritate ſe martyrio obtulerunt & diris cruciatibus exagitati, gladio demum perempti ſunt? Baron. anno 303. Nec minor virtus Eulaliæ, quæ 12. annos nata ſimulachra cõfregit, & quæ ad ſacrificandum appoſita erant, pedibus proculcauit, vnde comprehenſa Eremitæ in equuleũ ſuſpenſa & exungulata, faculis denique aduſta in præfecti oculos deſpuit; cuius laudes canit Prudentius hymno 3. apud Baron. ib. Vnde niſi à Spiritu S. impulſus puer ille quinquennis, matrem Chriſtianam propter fidem incẽdio traditam inſequens, cum Chriſtum balbutiendo confiteretur, retineri non potuit quin ad matrẽ in rogum inſiliret? Baron. anno 523. Sed audiamus etiam alios huiuſmodi accipitres. Cæcilia præter voluntatem Valeriano deſponſa & ita in ſponſi thalamum deducta fortiter pro ſuâ virginitate pugnauit, allatiſq; argumentis ſponſum non ſolùm à vi inferenda prohibuit, verùm etiam ad Chriſtum, atque eius fratrem Tiburtium conuertit. Sur. in vitâ. Alphonſus Aragoniæ Rex naufragos auxilium implorantes cùm

Doctore Accipitre.

vidiſſet,

vidiſſet, ſuos cohortatus, opem vt ferrent; cùm id facere timerent ob exortam tempeſtatem, ipſe nauem ſoluit, inquiens: *ſatius eſt vna cum ſociis viris fortiſſimis occumbere, quàm illos videre ante oculos extrema pati.* Panorm. l.2. de geſtis eius. Carolus V. Imp. juxta Ingolſtadium crebris jaculis ab hoſte impetitus: *Confidite,* inquit, *nullus vnquam Imperator tormenti ictu perijt.* I. Lips. *in monit. Pol. l.1. c.7.* Idem in Hiſpaniam profecturus cùm audiret peſtem in itinere graſſari: *Eundum,* ait, *nec prætermittenda tam bona tempeſtas: peſtis Auguſtum, peſtis Cæſarē, peſtis Carolum vllum nunquam attigit.* Idem ſtans in acie intra vallum, monitus vt ſe reciperet ab hoſtium crebrâ jaculatione, reſpondit: *Canes qui latrant non ſunt extimeſcendi. Neque eſt, quod timeatis, cùm præſidio Dei ſatis vallati ſimus.* Refert Franc. Robertellus *in Orat. funeb.* habitâ Bononiæ. Ludouicus Bauarus ab Alberto Marchione Brandeburgico captus & multa cum minis poſtulatus, heroicè reſpondit: *Quæ poteris ex me libero impetrare eadē modò ex capto petito. Si amplius quid vales, corpus meum in tuâ poteſtate eſt: animum verò mihi, non tibi obnoxium inuenies.* Æn. Sylvius *l.3. comment. de geſt. Alphonſ.*

G. VI. Donum Pietatis. SEXTÒ, Cordis etiam duritie ſæpe laboramus, quâ nec Deum, prout par eſt, debitâ reuerentiâ colimus, nec proximum vt fratrem diligimus & in neceſſitatibus iuuamus. Excitat igitur nos Spiritus S. dono pietatis ad religionem & amorem cultus diuini, nec non ad curam proximi: emolliens cor noſtrum vt Dei voluntati ac cultui ſe ſubmittat & ad proximum inclinet. Doctrice Alaudâ. Docemur hoc ab Alaudâ, quæ, vt referunt aliqui, ſepties in die canit, atque ita ſeptem horarias clericorum preces ſuo modulo imitatur: inter canendum etiam rectâ ſurſum aſcendit volando, cantans aſpirando & reſpirando; ideoque iure merito à laude nomen ſortita eſt. Itaque juſtorum eſt impulſu Spiritus S. quotidie ſtatis horis Deo laudes dicere, aliiſque pietatis operibus debitum exhibere cultum, ac, quemadmodum ſuadet Apoſtolus, ſine intermiſſione orare, quod fiet ſi in Dei gloriam omnes ſuas actiones retulerint; ita enim non obliquè, ſed rectâ aſſurgent in Deum, ſi non ad fluxum & creatū finem, ſed ad Deum omnia ſua direxerint. Cantabunt ſpirando & reſpirando, quando erga proximum tam dando quàm accipiendò bene ſe habuerint. Et quemadmodum alaudæ non ſemper in ſublimi aëre, ſed quandoque etiam in terrâ morantur: ita jubet Spiritus S. cum Deo quidem inprimis conuerſari, ſed quandoque etiam deuolare ad ſubleuandas proximi neceſſitates. Hujuſmodi alauda fuit S. Franciſcus, qui idcircò non immeritò auiculas appellabat ſuas ſorores. Hic, vt ſcribit S. Bonauenturâ in ejus vitâ c. 8. animas peccatorum deplorabat, quòd ſanguine Chriſti eſſent redemptæ; ajebat ſocijs: Dū pauperem vides ô frater, ſpeculum tibi proponitur Chriſti. Ipſeque in pauperibus omnibus Chriſti effigiem contemplabatur. Animalcula quælibet ex pietate fratres & ſorores appellans, ea viſceroſiùs amplexabatur, quæ Chriſti manſuetudinē referunt. Redemit interdum agnos, qui ducebantur ad mortem, illius memor agni mitiſſimi, qui ad occiſionem duci volut pro peccatoribus redimendis. Sui agniculum, in quo CHRISTVM infantem recognoſcebat, necanti crudeliter, maledixit, & mortua eſt. Nomen Ieſus cum exprimeret, vel audiret, jubilo quodam repletus interiùs, totus videbatur exteriùs alterari, ac ſi mellifluus ſapor guſtum, vel harmoniacus ſonus ipſius immutaſſet auditum. Quin & Caroli M. Imp. pietas hoc loco minimè prætereunda eſt. Hic enim vt ſcribit Nauclerus *vol. 2. Chronol. gen.* 28. Ann. Domini 811. Chriſtianam religionem, quâ ab infantiâ fuerat imbutus, ſanctiſſimè excoluit; Eccleſiam manè & veſperi, item nocturnis horis, & ſacrificij tempore, quoad valetudo corporis permiſit, impigrè frequentabat, conabaturque magnoperè, vt omnia quæ in ea gerebantur, cùm maximâ fierent honeſtate: æditiuos crebèrrimè commonens, ne quid indecens aut ſordidū inferri, vel in Eccleſiâ remanere permitterent: ſacrorum vaſorum ex auro & argento, veſtimentorumque Sacerdotalium tantam comparauit copiam, vt nemo in miniſterio habitum priuatum habere permitteretur: legendi atque pſallendi diſciplinam emendauit diligentiſſimè, erat enim in vtroque peritus, quanquam ipſe nec publicè legeret, nec niſi ſubmiſsè & in communi cantaret.

SEPTIMÒ, Laboramus denique non raro elatione & præſumptione, ambitione, vanitate. Contra quas armat nos Spiritus ſanctus dono timoris, immitens in cor varia argumenta, quæ ſuperbiam & vanitatem noſtram retundant, ac timere Dei judicia faciant. H. VII. Donum Timoris. Magiſtram hujus diſciplinæ habemus coturnicē, quæ ſummopere timet accipitrem, eoque conſpecto & in aëre circumuolante à terrâ ſurgere non audet, ſed in eâ quantum poteſt ſe quietiſſimè continet ac deprimit. Magiſtrâ Coturnice. Depinxêre veteres Deum capite accipitris, teſte Pierio l. 21. ob oculorum aciem acutiſſimam, quâ Dei omnia videntis typus foret. Monet ergò Spiritus ſanctus vt Deum ſpeculatorem, adſtantem deſuper, qui nos diebus omnibus, actuſque noſtros proſpicit à luce primâ in veſperum, ſemper ob oculos habeamus ac timeamus: proinde nos in terrâ & humilitate ſemper contineamus, ac ne minimum quidem motum alicujus vanitatis aut inobedientiæ edamus. De Antheo gigante, Neptuni & terræ filio, fabulati ſunt Poëtæ, quod terræ contactu roboraretur, quoties viribus delaſſatus eſſet. Vnde cum eo luctans Hercules, cùm in terram eum dejiceret, nouis contra eum viribus inſurgebat Antheus, itaque cùm alia ratione vincere non poſſet, in ſublime elatum ſuffocauit. Refert Gregor. Nyſſ. de Chriſto triumphante. Terræ filij nos ſumus; qui ſi in terrâ, è quâ nati & in quam reſoluendi ſumus, per humilitatem & timorem nos

Digitized by Google

nos contineamus, vincere nos non poterit Stygius ille Hercules: at ſi per elationem animi, præſumptionem, ambitionem euexerit in altum, actum erit de nobis. Vnde Apoſtolus *ad Rom. 11.* ait: *Noli altum ſapere, ſed time.* D. Anſelmi vox eſt: *Optimus virtutum & beneficiorum cuſtos eſt timor.* Ad hunc ergò Spiritus ſanctus excitat clientes ſuos: inſpirat illis vt peccandi occaſiones fugiant, nuptias, choreas, conuiuia, ludos non frequentent, domi ſe contineant, ſenſus ſuos obſerent, ne hoſtem intromittant. Sed *quomodo comparabitur iſte timor?* inquit D. Chryſoſtomus 2. ad Philipp. *ſi cogitauerimus Deum vbique præſentem eſſe, audire omnia, omnia videre, etiam quæ in corde ſunt & in profundo animi. Dic mihi ſi tibi ſemper prope principem ſtandum eſſet, non cum timore adſtares? Quando comedis, cogita præſentem eſſe Deum; adeſt enim. Quando dormiturus es, quando iraſceris, quando rapis, quando delitiaris, & quidquid tandem feceris, cogita adeſſe Deum, & nunquam in riſum incides, nunquã ad iram accenderis, ſi cogitationẽ iſtã ſemper habueris, ſemper in timore eris ac tremore, tanquam ſi prope Regem adſtes.*

Atque hi ſunt alites, Auditores, quos promiſimus; qui ſi in vita nos comitarentur, ad cœlum abſque dubio eueherent. Scripſit S. Gregor. Turon. *de glor. Confeſ. c. 34.* fuiſſe Auerni puellam religioſiſſimam nomine Georgiam, quæ ruri degens DEO quotidie ſeruiebat ieiuniis & precibus. Eâ mortuâ cùm in oppidum corpus efferretur ad ſepulturam, magnus columbarum grex feretrum proſecutus eſt. Corpore in templum delato, ſuper ædis ſacræ tectum conſedit: eo ſepulto ad cœlos euolare viſus eſt. Faxit DEVS, ut hi alites, & ipſi Spiritûs ſancti typi, pari etiam modo nos ad cœlum comitentur.

CONCIO V.

Quantopere dilexerit Deus mundum.

Dilectio Dei erga hominem maximè elucebit, ſi expendatur,

1. *Quis quem dederit.*
2. *Pro quo dederit.*
3. *Qua conditione.*
4. *Quem in finem dederit.*

THEMA.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum unigenitum daret. Ioan. 3.

A. HERI inuitauit nos DEVS ad amorem ſuum, amoris ſui mutui & conſequentis promiſſione: *Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum*, &c. Hodie maiores amoris flammas ſubiicit, demonſtrando nobis amorem ſuum præuenientem, quo prior nos dilexit eoque velut efficaciſſimo philtro in amorem ſuum trahere ſtuduit. *Sic Deus dilexit mundum*, inquit, *vt filium vnigenitum daret.* Hoc enim fecit, cùm adhuc peccatores eſſemus, Deique inimici. Quando igitur nos non mouit heſterna inuitatio ad amandum, moueat nos hodierna; & ſi, vt ait S. Auguſt. de Catech. rud. *amare Deum pigebat, ſaltē redamare non pigeat.* Porrò nunc expendamus amorem illum, quo prior nos dilexit, dum nobis filium ſuum dedit.

PRIMÒ, Quis quem dedit? DEVS filium ſuum, DEVS, inquam, non Princeps, non Angelus, ſed ſumma & infinita maieſtas filium ſuum vnicum, ſibi per omnia coæqualem, coæternum, conſubſtantialem, quem ita diligit vt ſeipſum. Quanta verò iſta res diligi à Deo? & ita quidem diligi vt filium ſuum tibi donet? Quantum in aulis regum pleríque adlaborant, vt fauorem regis aucupentur? Et quid fauor Principis terreni, reſpectu fauoris diuini? B. I. Quis quẽ dedit?

Igitur *ſic dilexit Deus mundum*, vt filiũ ſuum vnigenitum daret pro ſervo ſuo, ſicut canit Eccleſia: *O mira charitatis dilectio! vt ſeruum redimeres filium tradidiſti.* Celeberrimum eſt Abrahæ factum eiuſque in Deum amor, qui ad imperium illius filium ſuum vnicum & dilectiſſimum gladio arrepto immolare paratus fuit, immolaſſetque, niſi impeditus à Deo fuiſſet. Sed quid mirum, ſi homo pro amore DEI ſui filium ſuum tradat neci? dat enim Domino ſuo ſeruum quem illi debet. Illud admirandum, quod pro homine Deus dare voluit filium ſuum. Sanè Iacob Patriarcha vix adduci potuit vt pro redimendo filio ſuo Simeone, mitteret ad breue tempus in Ægyptum chariſſimum ſuum filium Beniaminum *Gen. 42.* quantus igitur Dei amor, qui pro ſeruo dedit vnicum & dilectiſſimum filium ſuum? Celebris eſt apud gentiles ſerui cuiuſdam amor erga Dominum Panopionem, qui, vt refert Val. Max. l. 6. c. 8. cùm intellexiſſet Dominum ſuum proſcriptum à militibus quæri ad necem iamiam aduentantibus, commutata cum eo veſte, inſertoque digitis heri annulo, illum poſtico clàm emiſit, ſe autem in cubiculum ac lectulum recepit, & velut Panopionem occidi ſe paſſus eſt. Magnus hic, fateor, in herum amor: quid enim non gratiarum reddere debuiſſet ei herus, ſi ſeruus poſt acceptum lethale vulnus ſanatus fuiſſet vixiſſetque? Sed nihil hoc comparatione amoris DEI, qui cùm DEVS & Dominus noſter eſſet, pro nobis morti ſe obtulit, atque vt pro nobis proſcriptis & ad necem quæſitis occideretur, veſtem induit noſtram, carnem ſcilicet humanam: annulum ſeu notam ſerui & peccatoris in circumciſione accepit: denique in lectum noſtrum, crucem ſcilicet nobis debitam aſcendit, ibique pro nobis ſeruis & mancipiis ſuis vulnerari & occidi non dubitauit. Quid hîc dicemus, Auditores? Poſtquam ergò Dei filius à morte reſurrexit & viuit, quid non gratiarum ei debemus pro amore iſto?

SECVNDÒ, Pro quo dedit? Pro mundo ſeu pro hominibus, qui ſi naturam ſpectes, ſunt infimi inter creaturas rationales: ſi qualitatem, peccatores, inimici, ſuperbi, ingrati, C. II. Pro quo dedit.

carna-

carnales, cœleſtium incurij, terrenis affixi, inepti ad omne bonum, proni ad omne malum. Quantum miraremur ſi potentiſſimus Monarcha Æthiopicæ aliquot mancipia, infimis ſolùm obſequiis idonea, ſæpiùs triremes & mortem commerita, amaret præ patriâ, nobilitate, adoptaret in filios & omni ſtudio conaretur euehere ad regni ſui communionem? Quantum hoc miraremur? ſupra naturam humanam tot ſunt Angelorum ordines, omnes ſublimes, ſpiritales, illuſtres, ſapientiâ & charitate repleti, omnes in DEVM ſemper intenti, ab omni contagione alieni, omnes cœli ciues naturales: & tamen his omnibus prætulit naturam humanam, rationabilis naturæ terminum, terræ ciuem, brutorum ſociam, peccatis inquinatam, ignorantiæ tenebris circumfuſam, à Deo longiſſimè diſſitam; *nuſquam enim Angelos apprehendit*, ad Hebr. 2.

Igitur *ſic Deus dilexit mundum*, vt filiũ ſuum daret pro redemptione, non Angelorum SS. non hominum innocentum, ſed mundi perditiſſimi, impij & ſibi infenſiſſimi & refractarij. *Vix pro iuſto quis moritur*, inquit Apoſtolus Rom. 5. *nam pro bono forſitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Quales autem fuerint homines ante redemptionem, graphicè deſcribit Apoſtolus *ad Rom.* 1. humanitatis enim obliti, & propémodùm eâ exuti induerunt naturas beſtiarum, facti malitioſi vt ſerpentes, crudeles vt tygrides, feroces vt leones, rapaces vt lupi, ſuperbi vt pauones, laſciui vt equi, lurcones vt porci, ignaui vt aſini, inuidi vt canes ipſique diaboli. Et pro his talibus nihilominus dedit filium ſuum in mortem. O amor admirandus! Illuſtris fuit Iudæ illius in fratrem Beniaminum dilectio, *Gen.* 44. quo vt illum, licet furti (vt putabatur) in ſacco eius inuenti reum, à ſeruitutis iugo ſeruaret & patri reſtitueret, pro ipſo in ergaſtulum ſe offerebat: *Ego propriè ſeruus tuus ſim*, inquit. Et: *Manebo ſeruus tuus pro puero in miniſterio Domini mei.* Illuſtris etiam in ciues ſuos Codri Regis Athenienſium amor, qui, vt refert Val. l. 5. c. 6. cùm ingenti hoſtium exercitu Attica regio debilitata ferro igniq́ue vaſtaretur, diffidentiâ humani auxilij ad Apollinis Delphici oraculum confugit, ſciſcitans quonam modo bellum illud tam graue diſcuti poſſet: reſpondit, oraculum ita bello finem fore, ſi ipſe hoſtili manu occidiſſet; quod cùm vbique etiam in hoſtium caſtris euulgaretur, ediceretur que, nequis Codrum vulneraret. Id poſtquam cognouit Codrus, depoſitis inſignibus imperij plebeium cultum induit, & hoſtium globo ſe obiiciens, vnum ex iis enſe percuſſum in necem ſuam compulit, atque ita Athenæ ſeruatæ ſunt. Sed quid hæc comparatione amoris Dei? Iudas voluit eſſe ſeruus, ſed pro fratre. Codrus vltrò interiit, ſed pro patriâ & ciuibus. Deus filiũ ſuum dedit pro impiis, pro inimicis. Magnum etiam amorem erga ſubditos habuit David 2. *Reg. vlt.* cùm graſſante in eos peſte exclamauit ad Deum; *vertatur obſecro manus tua contra me.* Sed id meritò fecit, quia ipſe peccauerat & peſtem illam meruerat, non ſubditi. Vnde ait: *Ego ſum qui peccaui, & ego iniquè egi: iſti qui oues ſunt quid fecerunt?* Contrà verò Dei filius agnus innocentiſſimus erat, nos præuaricatores eramus: & tamen is pro nobis cædi & occidi voluit.

Quid dixiſſet hac de re Seneca, ſi eam intellexiſſet? ſcripſit is l. 2. *de ira* c. 27. *Nemo nos ſuſpicimus, ſi digni nobis videmur, propter quos tanta moueantur.* Quòd ſi is dignum non æſtimauit mundum propter quem cœli orbes rotarentur & elementa mouerentur: quomodo dignum æſtimâſſet mundum tam perditum vt propter eum DEI filius à Patre traderetur in mortem?

D. III. Quâ conditione dedit.

TERTIÒ, Quâ conditione dedit? non ſanè vt ab hominibus triumphali currui imponeretur & per orbem ſummo cum honore circumueheretur, ab omnibus genu flexo adoraretur, omnium ſeruitiis & obſequiis coleretur, omnium bonis & diuitiis gauderet: ſed vt illorum culpas lueret, pro illis pateretur & extrema pateretur, ab omnibus reprobaretur, ſubſannaretur, & tandem foras eiiceretur.

Igitur *ſic Deus dilexit mundum* vt filiũ ſuum vnigenitum pro illo daret ad flagellandum, conſpuendum, ſpinis coronandum, crucifigendum. Si dediſſet DEVS filium vt eſſet hominum Magiſter, Rex, Alimentator vti Ioſeph, Pædagogus, exemplum & ſpeculum virtutum, ſat multum id fuiſſet: non adeò tamen mirandum, naturale enim eſt DEI bonitati creaturis ſuis ſe communicare. Sed dare hoc fuit ad maximos dolores & inauditas ignominias tradere, in iiſque illum abſque omni ſolatio derelinquere: ob ineſtimabiles fructus quos homines inde conſequerentur. Sic igitur dilexit mundum, vt durum illi non fuerit hominem ſanguine & morte acerbiſſimâ vnigeniti filij ſui copioſè redimere. Magna fuit illius Zopyri vnius è ſeptem principibus Regis Darij, in dominum dilectio, qui, vt refert Plutarchus, volens domino ſuo ciuitatem Babel à præfectis Aſſyriis captam recuperare, quam Rex iam 20. menſibus fruſtrà obſederat, flagellari ſe fecit, naſo, auribus, labiis & ſuperciliis truncari, eo fine vt ſub prætextu defectionis ad Aſſyrios fugeret, & ſe offerret ad dimicandum contra Darium, à quo tam crudeliter & iniquè tractatus eſſet. Credidêre Aſſyrij Zopyro, eumq́ue bello præfecêre (quis enim non crederet homini ſic malè affecto?) qui cùm ſemel iterumq́ue Darium conuentionis conſcium fugaſſet, tandem ei ciuitatem tradidit, inſigni erga dominum amoris exemplo, adeò vt poſteà Darius diceret, præferre ſe vnum Zopyrum centum Babylonibus. Sed parum aut nihil hoc eſt, ſi cum Dei noſtri amore comparetur: is enim vt ereptam nobis Dei gratiam & gloriam è poteſtate tenebrarum recuperaret, crudeliter ſe flagellari, conſpui, velari & crucifigi permiſit,

miſit, velut reus & malefactor, eoque ſtratagemate dæmonem, qui hoc artificium non nouerat, eumque pro mero homine habebat, ſuperauit & ereptam nobis prædam recuperauit. Zopyrus ſine ignominiâ, imò cum gloriâ vulnera illa accepit: Chriſtus verò morte turpiſſimâ condemnatus & cum ſceleratis reputatus eſt atque vt reus & eorum maximus in illorum medio crucifixus.

E. QVARTÒ, Quem in finem dedit. Primò
IV. vt perditum genus humanum & infinitis de-
Quem in finem dedit. bitis obſtrictum & propterea morti adiudicatum liberaret & abſolueret, exſoluendo de ſuo debita, quæ contraxerant homines ſibi
1. inſolubilia: quo eriperet illos ab ergaſtulo æternæ damnationis, in quod alioquin compingendi erant.

Igitur *ſic Deus dilexit mundum vt filium vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat.* Adeò enim dilexit hominem vt propriam poneret vitam, quo hominem etſi morte digniſſimum eriperet à morte & vitâ æternâ donaret. Magnum dilectionis exemplum refert Baron. ex Prato ſpirituali Sophron. c. 207. de puellâ quadam Alexandrinâ ſub Paulo Patriarcha Alexandrino, quæ pupilla à parentibus relicta magnâ cum facultate, die quadam ingreſſa pomarium, cùm vidiſſet quendam parantem ſibi laqueum, cucurrit, & dehortata eſt eum à facinore. Qui cùm diceret ſe graui ære alieno preſſum & ſuffocari à creditoribus, ideò ſemel mortem eligere potiùs velle quàm quotidie mori; mox ei omnia ſua quæ habebat, obtulit, eoque facto poſteà in extremam paupertatem deuenit, etſi inde poſt à Deo mirabiliter emerſit, vt alibi dixi. Vidit etiam Dei filius hominem tantis onuſtum debitis vt ea Deo perſoluere nullo modo poſſet, itaque laqueum gehennæ induere deberet & æternum luere; quamobrem ſuis eum ditauit meritis, ſed interim ipſe exinaniuit ſemetipſum & pauperrimus factus ab omnibus tandem derelictus fuit, vt nec vbi caput ſuum reclinaret, haberet. Jonathas adeò dilexit Dauidem vt eius à morte eripiendi causâ mortis periculum ipſe adiret & patris iram ac lanceam in ſe armaret 1. *Reg.* 20. ſed Dei filius vt hominem à morte æternâ liberaret de facto mortem ipſam crudeliſſimam pertulit.

2. Secundò, Vt non ſolùm homines à pœnis illis liberarentur, verùm etiam vt præterea ſummè exaltarentur, in Dei filios adoptarentur, hæredes cœli & conſortes regni Dei fierent, adeoque vt æternâ beatitudine perfruerentur. Atque vt hoc ipſi conſequerentur, vitam, inquam, æternam, non dubitauit filium ſuum pro ipſis dare in mortem.

Magnus fuit Agrippinæ amor in filiũ Neronem, quæ audiens ab ariolis filium quidem imperaturum, ſed matrem occiſurum, dixit: *Occidat, modò imperet.* Ælian. l. 12. Sciuit etiam Dei filius ſe à creaturis ſuis, hominibus occidendum, ſi eos Deo reconciliaret & in regiam cœleſtem eueheret: nihilominus tantoperè deſiderauit eos exaltare & cœli reges facere, vt id ſuapte nece interueniente efficere non dubitârit. Tametſi etiam præſciuit Dei filius ex illis ipſis, quos redempturus erat plurimos ſibi rebellaturos & ingratiſſimos futuros ſanguinemque ſuum conculcaturos, nihilominùs ipſe eorum gloriam & exaltationem quæſiuit & procurauit.

Iam verò, Auditores, quis hæc animo reuoluens non obſtupeſcat? quis tantæ benignitatis conſideratione lachrymas contineat? quis in amorem & obſequium Dei ſe viciſſim non libentiſſimè impendat? Repetamus Chriſti verba; ſingula enim emphaſin habent. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in illum, non pereat; ſed habeat vitam æternam.* Quomodo ergò dilexit? *Sic*; tantâ amoris vehementiâ, tanto exceſſu, tam ardenter, tantâ æſtimatione. Quis? non Rex, non Cæſar, non Angelus, ſed DEVS. Illa infinita maieſtas, nullius egens, ſibi ſufficientiſſima, quæ in momento alios infinitos multò excellentiores & gratiores ſibi ſeruos ex nihilo concedere poteſt. Quem? *Mundum*; ſibi contrarium, hoſtem & gehennæ reum: genus humanum, infimum rationalis naturæ terminum, brutis affine, terræ addictum; cœleſtium inane, immundum, ingratum, rebelle, in quo nihil dignum amore, plurima autem odio & ſupplicio digna. Quâ in re? *vt filium*; non hominem, non Angelum, non Seraphinum, non mundum alterum: *ſuum*; non adoptiuum, ſed proprium ac naturalem; *Vnigenitum*, non vnum è multis, ſed vnicum, naturalem, conſubſtantialem eiuſdem maieſtatis & excellentiæ; *Daret*, non venderet, non mutuaret, ſed donaret; nec quomodouis, ſed in Rectorem, in Doctorem, in exemplar vitæ, in redemptorem, in pretium pro peccatis, in theſaurum iuſtitiæ & reconciliationis inexhauſtum, in iuge ſacrificium, in Sacerdotem æternum, in panem vitæ æternæ, in pignus futuræ gloriæ, in Regem, in Iudicem, in Remuneratorem, in gloriam & hæreditatem vitæ æternæ. *Daret*, non ad regnum, non ad triumphos, ſed ad vnionem naturæ humanæ, ad nuditatem & paupertatem, ad labores & incommoda huius vitæ, ad contumelias & perſecutiones, ad alapas & ſputa, ad flagella & ſpinarum punctiones, ad omne genus probrorum & dolorum, ad crucem & mortem, vt totius humani generis peccata in ſe ſuſciperet & in ſuo corpore lueret. Quem in finem? non ſibi, non Chriſto fructum aliquem quærens, ſed vt ipſe nos ab exilio ſempiterno, cui addicti eramus, eriperet; vt filij ſui vinculis nos abſolueret, eius vulneribus ſanaret, eius morte viuificaret, eius humilitate exaltaret, eius exinanitione æternis opibus boniſque immenſis cumularet. Quodque rem totam amplificat, non requirit à nobis aliud, quàm vt credamus in Filium, eique obediamus. Ergò, Auditores, ſi priùs amare Deum pigebat, redamare iam non pigeat.

CON-

CONCIO VI.

Amoris erga Deum effectus.

Primus eſt, quòd hominem ſupra naturam eleuat:
2. Omnes potentias in Deum trahit.
3. Facit amplecti quæ potiùs horruit.
4. Impauidum reddit & audacem.
5. Inflammat & in amore creſcere facit.
6. Prouocat ad eundem amorem & alios.
7. Hilarem facit & imperturbabilem.
8. Parit ſpiritualem inſaniam, &c.

THEMA.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Ioan. 3.

A HERI, Auditores, dictârunt quidam Iudæi, muſto plenos eſſe Apoſtolos, dum audierunt eos variis linguis magnalia DEI loqui, magno Spiritûs feruore & animarum zelo. Neque in hoc iudicio ſuo valde aberrarunt; muſto enim pleni erant ſed muſto amoris diuini, quod ex ipſis erumpebat retineri neſcientes, quodque ipſos adeò transformabat, vt quaſi ebrij aut mente capti eſſe viderentur. Vnde S. Cyrillus *Catech.* 17. ait: *Vera dicunt Iudæi. Non enim verè erat illud vinum, noui teſtamenti gratia.* Hodie non iniuriâ dicere aliquis poſſet bibiſſe ex eodem nectare ipſam DEI Patris ſupremam maieſtatem, adeoque muſto amoris plenam fuiſſe cùm audimus eam adeò dilexiſſe mundum, vt pro eius redemptione filium ſuum vnigenitum daret. Quid enim eſt hoc, quæſo, dare filium Dei pro ſeruis ingratis, omni vitiorum genere inquinatis? Quis hoc vnquam Pater faceret, niſi fortè ebrius aut mente captus eſſet? Atque hoc, ni fallor, fuit muſtum illud, quod inebriauit & quodammodo dementauit Apoſtolos, amor inquam DEI, quo pro mundo dedit filium. Hinc enim reciproco amore & ipſi impleti fuêre Deiq; magnalia magnis vocibus loqui incepêre. Idem fatetur ſponſa ſibi euenisse, quando introducta à Rege in cellam vinariam diuinæ charitatis fuit; mox enim amore ebria viribuſque deficiens: *Fulcite me floribus*, inquit, *ſtipate me malis, quia amore langueo*, Cant. 2. Ergò videamus cuiuſmodi ebrietas ſit amor erga DEVM & quos pariat effectus.

B. I. Supra naturam hominẽ eleuat. Ebrietas PRIMÒ rationis naturalis vſum adimit homini, inducitque obliuionem omnium rerum, curarum, negotiorum: aufert penè omnem ſenſum verberum & vulnerum, ipſorum parentum notitiam, quos etiam ſæpe impugnat. Ita amor DEI facit hominem quodammodò emotæ mentis, dum à ratione naturali ad ſupernaturalem, à deſiderio rerum terrenarum ad deſiderium cœleſtium euehit, vt iam non ſapiat humana ſed diuina, cœleſtia non terreſtria: non curet minas, cædes, parentes ſeſe retrahentes ab amore DEI. Nam vt docet S. Auguſtinus *in Pſalm.* 121. *Sicut amor immundus inflammat animam ad terrena concupiſcenda & peritura ſectanda vocat, & in ima præcipitat atque in profunda demergit: ſic amor ſanctus ad ſuperna eleuat & ad æterna inflammat, & ad ea quæ non tranſeunt neque moriuntur, excitat animam, & de profundo inferni leuat ad cœlum.* Ioſeph ſtantibus coram ſe fratribus ad Beniaminum tantùm, fratrem vterinum (quem idcircò maximè diligebat) oculos coniecit, quaſi cæteros non videret; de ipſo ſolo quæſiuit: *Iſte eſt frater veſter paruulus?* Super ipſo ſolo fleuit, ipſi plura appoſuit fercula, *Gen.* 43. ipſius tantùm ſacco incluſit ſcyphum ſuum, *Gen.* 44. quia, vt ait S. Ambroſius in eum locum. *Morale eſt vt quos diligimus, eos videamus præ cæteris, & quos animi intentio habet priores, eos obtutus offendat oculorum; ſiquidem plerumque circa alia mentis occupatione diſtracti, quæ habemus ante oculos, non videmus, ita ducè animo dirigitur noſter aſpectus. Beniamin abſente fratres penè non viderat, &c.* Hunc in modum amor Dei ad ſolum ſemper attendiţ Deum, parentes & cognatos alios non curat nec agnoſcit, & cùm ſibi obſiſtunt, impugnat; de Deo tantùm cogitat, ad eum oculos & mentem conuertit, de illo ſermocinatur. Eleganter etiam hunc effectum explicat S. Chryſoſtomus *hom.* 52. *in Acta*, his verbis: *Sicut procus non ſpectat niſi amaſiam & amaſia ſit ei omnia: ſic qui igne Chriſti captus fuerit, talis ſit, qualis eſſet homo ſolus ſuper terram habitans, qui nihil curat gloriam & ignominiam. Tentationes ſic contemnit ac flagella & carceres, quaſi in alieno corpore pateretur, quemadmodum ſi adamantinum poſſideret corpus. Ea autem quæ ſuauia ſunt in hac vitâ, ita videt & non ſentit, ſicut nos vel ipſi mortui mortua corpora.* Sic Chryſoſt. Videre iſtud erat in Ioſaphato Rege, conuerſo à S. Barlaam; tanto enim æſtuabat amoris igne vt relicto regno, opibus, delitiis, honoribus, in ſolitudinem ſecedens exclamaret: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Adhæſit anima mea poſt te ò Chriſte, ſuſcipiat me dextera tua.* Damaſcen. in hiſt. Barl. c. 37. Viſum in S. Franciſco, qui vt Deo ſuo frui eique liberiùs ſeruire poſſet, non ſolùm paterna hæreditate lubens ceſſit, verum etiam Patri obſiſtenti tunicam ſuam adiecit, ac renuntiauit. Ita demum primi Chriſtiani penè omnes poſt acceptum Spiritum ſanctum *poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat,* Act. 2. quia Spiritus ſancti amore flagrabant. Vt enim æſtus Solis cogit hominem exuere & abiicere veſtes: ita amoris ardor vrſit eos vt poſſeſſionibus ſe exuerent.

C. II. Omnes potentias in Deum trahit. SECVNDÒ, Ebrietas in homine crapulam eructat, crapulam loquitur, pocula cogitat iuxta dictum illud ebrij Prouerb. 23. *Quando euigilabo & rurſus vina reperiam?* Exẽplo ſit ebrius ille, qui (vt mihi recenſitum) in publico iacens cùm exorto repentè domûs incendio, alij omnes conclamarent: *Aquam, aquam*, ipſe

hoc

hoc inaudiens clamabat: *mihi verò vinum vinum.* Ita & amor omnes potentias ſenſus, affectus, operationes, cogitationes & intentiones trahit in DEVM, vt non niſi DEVM cogitet, intendat, deſideret. Quemadmodum enim Ionathas quia Dauidem *diligebat quaſi animam ſuam*, vt dicitur 1. Reg. 18. *expoliauit ſe tunicâ ſuâ, quâ erat indutus, & dedit eam Dauid & reliqua veſtimenta ſua, vſq. ad gladiũ & arcum ſuum & vſque ad baltheum:* (balteus autem erat cingulum militare, militum inſigne, quo qui ſpoliaretur, exauctoratus cenſebatur) ita amator DEI quidquid in animâ ſuâ pretioſum habet, virtutes, ſcientias, labores, ſtudia ſermones, cogitationes, ipſum denique cor ſuum liberaliſſimè ei donat, omnia ad ipſum dirigens. Vbi enim eſt theſaurus eius, vbi eſt & cor eius: illum ſemper eructat cuius amore plenus eſt. Exemplo inprimis ſunt Apoſtoli qui inebriati ſpiritu ſancto nil aliud loquebantur quàm *magnalia Dei*, hoc eſt, magnifica DEI opera, Chriſti natiuitatem, vitam, ſermones, miracula, mortem, redemptionem, reſurrectionem, aſcenſionem, Spiritûs ſancti miſſionem; amorem erga ſe & genus humanum: *bulliebant muſto & muſto bulliente lingua gentium profluebant*, inquit S. Auguſtinus ſerm. 186. de tempore. Sic poſteà & Paulus quaſi amore DEI ebrius perpetuò eum eructabat; nomen IESV & CHRISTI ſingulis penè periodis & quãdoque etiam ſuperfluè ingeminat in ſuis epiſtolis. In iis enim nomen IESV repetit ducenties decies nouies: CHRISTI nomen quadringenties & ſemel. Idem facere nos docuit ſponſa in Canticis, quæ dilectum ſuum ſemper in ore, ſemper in corde habens, inter alia cap. 3. quærit. *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* In quæ verba S. Bern. ſerm. 79. in Cant. ait: *En omne quod cogitat illa, quod loquitur, te ſonat, te redolet & aliud nihil: ita tibi ipſum & cor vendicaſti & linguam. Num quẽ diligit anima mea vidiſtis? Quaſi verò hi ſciant, quid cogitet ipſa: Nõ explicat verbis ſponſi nomen, vt perpendas amorem hunc ſanctum non lingua æſtimandum eſſe & verbo, ſed opere & veritate.* Ita prorſus Magdalena, quæ ad ſepulchrum requirens Dominum ſuum, hortulanum (talem enim reputabat eſſe Chriſtum) ita alloquitur: *ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi.* Quem ô mulier? quem? cur non exprimis nomen dilecti ſui? Nimirum amore Chriſti ebria reputabat omnes alios vnà ſecum Chriſtum ſemper in ore, ſemper in corde habere, nec de aliâ re cogitare. Ad hunc amoris gradum aſcendere nos poſſumus, ſi omnia noſtra opera ad DEI gloriam dirigamus: ſi non comedamus vt gulam oblectemus, ſed vt ſano & vegeto corpore & animo meliùs DEO ſeruire poſſimus. Idẽ de ſomno ſtudio labore & quouis opificio dicendum.

D. III. Facit amplecti quæ prius horruit.

TERTIÒ, Ebrietas facit ebrium amare ſæpe, quæ ſobrius oderat, & pulchra reputare, quæ priùs deformia cenſuit. Hinc Anacharſis, cùm quidam in conuiuio vxorem eius videns diceret ei: *vxorem duxiſti ſatis deformem;* reſpondit: *Prorſus ita mihi videtur: ſed heus puer infunde mihi largiùs, vt reddam eam formoſam.* Indicare volens vir ſapientiæ non vulgaris, vinum immoderatiùs potatum adimere homini rectum judicium, facereque vt deformia ſæpe exiſtimet pulchra. Athenæus l. 9. Nec judicium tantùm, ſed etiam guſtum adimit homini ebrietas, ita vt inter vina diſcernere tandem nequeat, ideoque ſæpe vile & acidum pro nobili & dulci bibat; quam ob cauſam ferè hoſpites cùm conuiuæ inebriati fuerint, apponunt quod deterius eſt. Idem in animâ facit amor. Quid magis horret caro, quàm tribulationes, crucem, opprobria, paupertatem, vincula, mortem, omniſque generis iniurias? At hæc omnia tamen amor DEI amabilia, pulchra & ſuauia efficit. Patet inprimis in Apoſtolis, quibus carceres, fuſtes & flagella viſa ſunt ingens dignitas & maximum DEI donum. Cæſi enim à magiſtratu *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati*, Act. 5. quaſi dicas: maximas gratias agebant pro illâ fuſtigatione. Quid atrocius cruce? eam tamen Andreas ſalutauit & amplexus eſt velut lectum eburneum & delicatum. Quid ſæuius igne? is tamen S. Laurentio menſa quædam opipara; quemadmodum & carbones igniti S. Tiburtio roſæ videbantur. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus in vitâ S. Theclæ ſcribit eam poſt ſuperatos carceres, beſtias, ſic oraſſe: *Etiamſi in ſingulos dies mihi cum igne, beluis, vinculis, carceribus rẽ eſſe contingat: adeò mihi omne etiam mortis & diſcriminis genus pro pietate ſubeundũ, ipſiſſimis paradiſi delicijs epuliſq. inſtructiſſimus potius ducitur: tantũmodò digna quæ pro te & nomine tuo cruciatus tolerare ſemper poſſim, habear.* Audiamus Martyrem noſtri ſæculi Iaponenſem. Michaël in Iaponiâ Martyr anno Domini 1609. è carcere ad ſuos ſcribit hæc inter alia: *Nunc intelligo irriſiones, contemptus, faſtidia, quaſlibet denique iniurias pro Dei amore æquo animo toleratas, omnibus Regum & Imperatorum ſceptris ac diadematibus eſſe infinitis partibus anteponẽda. Quadriennio fui in carcere ita lætus & alacer, vt vno tantùm die mihi fuiſſe videar.* Triumph. Mart. Iapon. Audiamus & Confeſſores aliquos. Sanctus Franciſcus dicebat: *Tanta eſt gloria quam expecto, vt me omnis morbus, omnis mortificatio, omnis humiliatio, omnis pœna delectet.* Et quæ corporis afflictio ipſi amara eſſe poterat, qui toto deſiderio martyrium ambiebat? Sanctus Ignatius Loyola ob Chriſti prædicationem in carcerem coniectus, cùm rogaretur à Franciſco Mendoſio poſteà Cardinali, an id iniquè tuliſſet? reſpondit: *An tantum malum tibi videtur carcer eſſe? at verò non tam multæ Salmanticæ compedes ſunt, non tot catenæ, quin ego plures pro Chriſto cupiam.* Ribad. in vita l. 1. c. 15. Quis non videt iſtos amore Chriſti ebrios pulchra & dulcia deprehendiſſe ea, quæ mundus æſtimat abominanda & amara?

QVARTÒ, Ebrietas facit homines impauidos, animoſos & pugnaces. Hinc Koſaki & E. IV.

alij

Facit impauidum & audacem.

alij milites ad pugnam egreſſuri, priùs vino adulto ſe replent vt animi vires acuant pugnas & cædes ſpirent. Et vbi crebriores pugnæ, altercationes, rixæ, niſi poſt conuiuia nuptiarum, Dedicationem, aliaſque compotationes? Vnde Sapiens Prouerb. 23. ait: *Cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum* (id eſt, rubedo vel Chald. habetur, tumor, ex inflictis ſcilicet pugnis) *nónne his qui commorantur in vino & ſtudent calicibus epotandis?* Hinc à veteribus Bacchus cum cornibus in fronte pingi & fingi ſolitus, teſte Roſino l. 2. *Antiq. Rom.* c. 11. quòd ebrietas ſoleat homini cornua imponere, rixas & contentiones prouocare. Eodem modo amor Sanctus audaces & intrepidos reddit Dei ſeruos, ita vt nihil aduerſi metuant pro Deo ſuo pati ſed minas & pugnas ſpirent contra dæmonem & cateruas eius, imò etiam gaudeant pro eodem fortia aggredi & heroica deſignare facinora, nec vulgaria ſed magna pati, ad eum modum, quo moloſſi Alexandro M. à Rege Albaniæ donati cum vrſis, apris, damis, pugnare contempſerunt: Leones tantùm & Elephantes inuadere & ſternere geſtierunt, auctore Æliano l. 8. c. 1. Hinc à ſponſo Cant. 8. dicitur *fortis vt mors dilectio.* q. d. ſicut mors neminem timet, ſed robuſtiſſimos quoſque inuadit ac proſternit: ita amor. Vel vt alij exponunt per Hebraiſmum, fortior ipsâ morte, quia ipſam mortem, omnium victricem audet aggredi & debellat. Cui rei argumentum habemus in ipſis belluis, quæ quantumuis infirmæ ſint, obiiciunt tamen ſe non rarò venabulis & ſpiculis venatorum: inuadunt alias ſe grandiores & fortiores feras, vt fœtus ſuos defendant, amore ſuppeditante animum & robur, quod ipſis natura negauit. Huiuſmodi ebrietatem videre fuit in Apoſtolis qui principes Sacerdotum reprehendere non timuerunt ob cædem Chriſto illatam, ſibique comminantibus liberè, denuntiárunt, ſe eorum interdicto minimè ſtare poſſe aut velle: *Non poſſumus*, aiunt, *quæ vidimus & audiuimus non loqui*, Act. 4. *Vino cœleſti ebrij*, inquit S. Greg. l. 1. in l. 1. Reg. c. 1. *ſe continere non poterant & à prædicationis feruore minis victi tepeſcere nolebant.* S. Paulus ipſam mortem & omnis generis tormenta ad certamen prouocare non dubitauit; ad Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames?* &c. *Certus ſum quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate* Dei. Magdalena Chriſti corpus emortuum & iam triduo ſepultum, ſicubi inueniſſet, tollere parata erat præ amoris magnitudine, nihil verita cuſtodes ſepulchri nec ipſius mortis horrorem. S. Ignatius Martyr eodem muſto plenus crucem, ignem, oſſium confractionem & tota tormenta diaboli in ſe prouocabat. Refert Plutarchus in vitâ M. Antonij Cleopatram Ægypti Reginam tam ardenti M. Antonij amore flagraſſe, vt aſſumpto ancillæ habitu, quo regiam maieſtatem diſſimularet, in medijs noctis tenebris per plateas ciuitatis illum quæritaret. Nihil hoc ad Dei ſeruos, qui amore Dei ducti, ſuis ſe regnis, dignitatibus & opibus expoliárunt, mendicorum & ſtultorum habitum induerunt, in Eremos & monaſteria intrárunt, quandoque etiam ſtultitiam ſimulantes in mundo circuierunt vt pro amore Chriſti ab omnibus riderentur, vexarentur, ſpernerentur: in columnis diu-noctuque ſub dio per multos annos ſteterunt: denique in carceres & rogos inſiluerunt, vt Chriſto potirentur.

F. V. Inflammat & creſcere in amore facit.

QVINTÒ, Ebrietas accendit hominem eiuſque artus, & ſi crebra ſit, accendit hepar & ſumit viſcera eius vt perpetuò ſitiat & tandem vitâ potiùs quàm potu carere velit. Ita amor inflammat hominem facitque in amore creſcere continuò. Deus enim in ipſo eſt velut flamma iugiter accendens animam, donec eam totam incendat. Quemadmodum ignis ſemper agit in ligna, ea depaſcens indeque augetur: ita amor Dei in homine pugnat ſemper in amorem proprium & concupiſcentiam, quæ amorem Dei conatur tepefacere, eoque paulatim aſcendit vt homo Deum longè pluſquam ſeipſum ex toto corde diligat. Primò enim conſumit timorem pœnæ ſeruilem, qui in amore proprio fundatur: vt iam non formidine pœnæ ſed virtutis amore Deo ſeruiat. Deinde conſumit etiam paulatim mercenarium illum amorem, qui præmia ſibi à Deo expectat: ita vt etiam gratis Deum amare & colere velit. Denique ad ſummum amoris gradum, qui in terris haberi poteſt, aſcendit, vt Deum longè plus quàm ſeipſum diligat, in eoque amore creſcit ſemper, ita vt non modò peccata, ſed etiam impedimenta quæ ab actuali Dei amore retrahere illum poſſunt, amouere ſtudeat ſicque ad amorem beatorum, qui ſemper actu Deum amant, quàm proximè accedat, tandemque in amore totus liqueſcat & holocauſtum Deo fieri deſideret. Videre hoc eſt etiam ſuo modo in amore naturali: Videmus enim parentes ſeipſos ſpoliare rebus ſuis, vt ditent & extollant filios. Dauid omnem ſuum theſaurum non ſibi corrogauit vel applicuit, ſed Salomoni filio. Eidem ſolium ſublimius à ſuo optauit vt colligitur ex 3. *Reg. cap.* 1. Rebecca vt filium quem amabat, paternâ benedictione auctum videret, non timuit ſe periculo execrationis maritalis exponere, *Gen.* 27. Agrippina Neronis mater audiens ſe à filio occidendam, ſi is Imperator fieret, *occidat, modò imperet*, ait. Quin & animalia bruta videmus ori proprio pabulum ſubtrahere vt habeant quod edant pulli. Viſæ ſunt Ciconiæ in Delphio Batauorum oppido conflagrante, pullis ſuis, quos implumes incendio ſubtrahere non poterant, commori anno 1086. teſte Georg. Bruin. in Delphio. Quid mirum ergò ſi & amor ſupernaturalis ad eam tendat perfectionem vt Deum millies plus quàm ſeipſum diligat: nec quidquam faciat propter commodum proprium: nec Deum ad ſe ordinet, nec honorem aucupetur aut quid aliud quærat: ſed omnia cupiat propter illum

quem amat plus quàm ſe? Quid mirum ſi pro ipſius bono & gloriâ omnibus ſe periculis ipſiſque morti exponat? Tales Apoſtoli, Paulus, Franciſcus Xauerius; qui pro amore Chriſti impendi & ſuperimpendi adeoque amoris holocauſtum fieri optabant.

G. VI. Prouocat ad eundē amorem & alios.

Sextò, Ebrietas facit ebrium diſcurrere per plateas, obuios inuadere, alios prouocare ad bibendum & ingurgitandum. Audi prouocantes: *Venite ſumamus vinum & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie, ſic & cras & multo amplius*, Iſa. 56. Ita amor Dei quaſi obligatis oculis incurrit etiam in alios, quo inflammet eos amore, & ſi poſſet, totum mundum, nec quemquam reueretur. Viſum hoc in Apoſtolis, qui igne Spiritus S. accenſi velut ſanctæ quædam Furiæ per orbem diſcurrerunt & amoris diuini facibus eum inflammare vndique contenderunt, ita vt pro inſanis haberentur. Paulus Agrippam Regem, Feſtum Præſidem alioſque Iudices ſuos, dum pro capite ſuo reſpondere debuit, conuertere ad Chriſtum & fidem, cuius gratiâ vinctus erat, contendit: *Opto apud Deum & in modico & in magno non tantùm te ſed etiam omnes qui audiunt hodie fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his.* Vnde Feſtus ei dicebat: *Inſanis Paule, multæ te literæ ad inſaniam conuertunt.* Act. 26. in quæ verba S. Bernardus *tract. de nat. diuini amoris c.* 3. ait: *Mirúmne erat, ſi inſanire pronuntiabatur, qui in ipſo mortis periculo ipſos Iudices, à quibus pro Chriſto iudicabatur, ad Chriſtum conuertere nitebatur? non hanc inſaniam multæ literæ in eo faciebant, ſed Spiritûs S. ebrietas, in quâ & in paruo & in magno ſimiles eos ſibi facere geſtiebat, qui eum iudicabant.* Nota eſt S. Monicæ charitas, quæ non ceſſauit lachrymas fundere, donec filium cerneret ab hæreſi Manichæorum conuerſum ad veram religionem. Diximus etiam alibi, quo amoris igne accenderit S. Eliſabetha orans iuuenem ſæculo deditum: ita vt iuuenis cœleſti igne æſtuans comburi ſibi videretur, iuberetque eam ceſſare ab oratione. Scimus S. Franciſcum Xauerium deſideráſſe vt morte ſuâ Sinarum ſalutem repræſentare Deo poſſet, &c.

H. VII. Hilarem facit & imperturbabilem.

Septimò, Ebrietas lætum & hilarem facit ebrium, ita vt omnium ſuarum curarum & afflictionum oblitus, iubilet, cantet, geſtiat, ſaltet, quaſi ipſius felicitati nihil prorſus deſit. Hinc Anacharſis interrogatus, num in Scythiâ eſſent tibicines? reſpondit: *ne vites quidem.* Significans ſaltationes & ſimiles lætitiæ geſticulationes prodire à vinolentiâ. Laërt. *l.* 1. *c.* 9. Et quid facit amoris ebrietas? hominem ſtrenuum, tranquillum, imperturbabilem, lætum tam in aduerſis quàm in proſperis facit, ita vt iugiter exultet & laudes Deo canat quaſi iam beatus aut Angelus quidam terreſtris ſit. Tunc enim omnia creata conquieſcunt & bene habent cùm attigère centrum ſuum: extra id inquieta & malè, vt ita dicam, contenta ſunt. Cùm igitur homo centrum ſuum, quod eſt Devs, complectitur per amorem, quomodo ei non bene erit omniaque ex animi ſententiâ euenire poſſunt? quomodo non omnia habet, qui ſummum & infinitum bonum habet? *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam,* Cant. 8. hoc eſt, pericula, pœnæ, duri & acerbi ſucceſſus, vt exponit S. Ambroſius *l. de Iacob & vitâ beata c.* 7. Eſt enim charitas ignis non terrenus, qui extingui aquis poteſt, ſed cœleſtis, qui nullatenus reſtinguitur, imò aquis tribulationum & aduerſitatum magis accenditur. Patet in Apoſtolis, qui *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine* Iesv *contumeliam pati*; nec non in martyribus alijſque ſanctis, qui nullis ſiniſtris caſibus à ſerenitate & lætitiâ mentis deijci potuere, ſed in ijs ſibi magis placuére & gaudio inundauére.

I. VIII. Parit ſanctam inſaniam, &c.

Octavò, Ebrietas parit inſaniam & metamorphoſin in homine, ita vt ſeipſum non agnoſcat nec ab alijs agnoſcatur idem eſſe qui fuit. Vnde Chryſippus ebrietatē vocabat paruam inſaniam. Stob. *ſer.* 18. Ebrij ſe magnos & potentes credunt ac rerum dominos; in amores aliorum diffluunt, amplectuntur & oſculantur ſe mutuò quaſi intimi fratres eſſent; languent viribus corporis, vix pedibus conſiſtunt & à pueris debellari ac proſterni poſſunt. Huiuſmodi inſaniam ſed ſanam & ſanctam gignit etiam amor. Amantes enim Devm quaſi omnipotentes ſunt, dum omnia quæ deſiderant, impetrare à Deo poſſunt. Hinc non abſque arcano S. Lucas Theophilum, cui inſcribit Euangelium ſuum, vocat [illegible], id eſt, potentiſſimum; ſiquidem [illegible] ſonat, diligens Devm. Quiſquis ergò Theophilus eſt, is etiam potentiſſimus eſt. Præterea amans Devm Deo aſſimilatur in moribus & virtutibus fitque ſecretorum eius particeps; ita vt dicere cum Apoſtolo queat: *Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.* Ac quemadmodum Chamæleon colorem rei ſibi obiectæ induit: ita in amatum transformatur amans. Amor ſiquidem eſt animæ impulſus & quaſi exitus in rem amatam. Vnde Auguſtin. *Talis,* ait, *eſt quiſque, qualis eius dilectio eſt. Terram diligis; terra es.* Devm *diligis; quid dicam* Devs *eris? non audeo dicere ex me; ſcripturas audiamus: Ego dixi, Dij eſtis.* Denique qui feruenter Devm amant, ſæpe in languorem virium, quandoque in ecſtaſin, nonnunquam in mortem incidunt. Teſtatur ſponſa introducta in vinariam ſponſi cellam cùm viribus defecta clamat: *fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo,* Cant. 2. Teſtantur ſancti plurimi, ſæpiùs in exceſſum mentis rapti. Teſtatur Virgo Deipara, quæ non ex morbo aliquo, ſed amore & deſiderio fruendi filio ſuo Chriſto languens expirauit, vt docent Caniſius, Suarez & alij ante ipſos.

Quando ergò tam præclari ſunt effectus ebrietatis ſpiritualis, quàm fœdi & abſurdi ſunt effectus ebrietatis corporalis, date operam, Auditores, vt hoc amoris vino vos quoque impleamini. *Venite igitur amici, bibite & inebriamini chariſſimi.*

CON-

CONCIO VII.

Peccatum tenebræ ſeu peccati turpitudo.

Deſcribitur tota parentela peccati, eiuſ

1. *Auus(nam pater eſt praua hominis voluntas)eſt diabolus.*
2. *Mater eius nox & obſcuritas.*
3. *Sorores, occultatio, palliatio.*
4. *Fratres ſunt tenebriones, fures, mœchi, &c.*
5. *Filiæ eius, mors corporis, & mors animæ prima & ſecunda.*

THEMA.

Dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem. Ioan. 3.

A. NOn poterat Dominus aptiore vocabulo deſcribere nobis peccatum, quàm vocabulo tenebrarum; ſiquidem hac vnâ voce tota peccati parentela & natura quaſi penicillo depingitur: ſcire namque volumus, quis ſit peccati auus? Princeps eſt tenebrarum. Quænam eius mater? nox & obſcuritas. Quænam eius ſorores? Abſconſio & palliatio. Quinam eius fratres? fures, mœchi, latrones, vlulæ, lupi, veſpertiliones. Quænam eius filiæ? mors corporis & mors animæ, prima & ſecunda. Quænam eius domus? tenebroſum & tartareum chaos. Iam verò, Auditores; nónne vel pueris conſtat, nihil eſſe amabilius luce? nihil fœdius & horribilius tenebris? Nónne munda animalia amicam habent lucem? fœda verò tenebras? Quid igitur eſt in peccato quod amari queat? num auus? num mater? num ſorores? num fratres? num filiæ? num domus? Nos hæc omnia fœda, horrida & execranda eſſe, in hac concione oſtendemus.

B. I. Peccati auus diabolus teterrimus.

PRIMÒ, Quis igitur peccati auus? (pater enim eſt praua hominis voluntas.) Reſp. eſſe diabolum, ipſe enim, primus præuaricator, inuexit peccatum in mundum. Quis verò eſt diabolus? *Poteſtas tenebrarum*, teſte Domino Luc. 22. *Rector tenebrarum*, teſte Apoſtolo ad Eph. 6. quaſi dicant: Monſtrum horrendum, informe, ingens; tetro atrore & horrore ita vndique amictum & perfuſum vt nec ſcintillâ lucis reperiri in eo queat. Nullus faber ferrarius, nullus Vulcani ſocius: nullus fumariorum terſor, nullus carbonarius tanto nigrore obſitus eſſe poteſt, vt ei vel in minimo comparari queat. Hinc enim pictores omnibus ſæculis; quibus potiére modis, fœditatem eius exprimere ſolebant, ſpecie teterrimâ, draconum, bufonum, veſpertilionum. Vel monſtrum è pluribus monſtris confectum: cornibus hircorum, oculis felium, auribus aſinorum, rictu Leonum, alis & caudis Draconum, pedibus gryphium, vnguibus aquilarum aut harpyiarum, dentibus vrſorum aut leporum, vberibus lamiarum; & ſi quid iſtis tetrius inuenire potuerunt, totum id in monſtrum hoc congerendum exiſtimârunt. Nec iniuria; nam quia per peccatum Deo ſe oppoſuit, à diuinæ pulchritudinis participatione longiſſimè abiectus, eique diſſimillimus eſt effectus. Quare ſicut Deus eſt candor lucis æternæ & ſpeculum omnis pulchritudinis; ita dæmon per peccatum factus eſt tenebrarum Princeps, hoc eſt, omnium terrorum, horridorum, fœdorum, teterrimus, horridiſſimus, fœdiſſimus. Quam ob cauſam ipſe in propriâ ſuâ ſpecie non audet apparere, alienam placidam & blandam ac ſæpe formam Angeli lucis aſſumit, niſi cùm quem terrere aut ad orcum pertrahere vult, aut à Sanctis cogitur. Quemadmodum coactus apparuit S. Antonio in ſpecie horridi & nigri pueri; quo viſo dixit Antonius ſe impoſterum eum multò magis execraturum, ex quo tantam eius fœditatem agnouiſſet. Athan. in vita. Plures ſunt hiſtoriæ quæ oſtendunt dæmonum aſpectu ita homines conterritos vt quandoque præ horrore exanimati ſint. De Leopoldo Auſtriæ Duce ſcribuntur in additionibus ad Lamb. Schafnaburg. anno Domin. 1325. eum à Ludouico Bauaro captum operâ Necromantici cuiuſdam ad ſe miſſi euadere conatum. Hunc inter alia rogauit, *Si poſſet ſibi diabolum demonſtrare in propriâ perſona? At ille poſſum, inquit, ſed nullus homo ſine periculo corporis poteſt eum videre. Quo contumaciter reſpondente; volo eum vtique videre, & fideiuſſores ſtatuit Necromantico, ne in aliquo læderetur. Introductus eſt igitur in cænaculum: ibi pariter reſidentes vident hominem aſperum, nigrum & deformem introeuntem: quo viſo Dux dixit: ſatis eſt; & ſtatim ad lectum deductus mortuus eſt.* Atque vt homines increduli & carnales veritatem iſtam firmiùs ſibi imprimerent, factum eſt in celeberrimâ ciuitate Syluæducis, cùm maritus ebrioſus rem habiturus cum vxore dixiſſet ſe dæmonem gignere velle; natus eſt ex eo concubitu infans dæmonis ſpecie, teter & deformis, qui ſimul ac natus erat, laſciuire & ſaltare cœpit. Narrat Hieron. Torquemada in Horto florum. Quis igitur peccatum non æquè ac dæmonem horreat? Quid enim à tam monſtroſo patre, niſi monſtroſum gigni poteſt?

SECVNDÒ, Quænam eius mater? Reſp. Nox & obſcuritas. Ita enim teſtatur Dominus in hodierno Euangelio: *Qui malè agit, odit lucem & non venit ad lucem, ne arguantur opera eius.* Quid igitur amat? cum quo peccatum ſuum progignit peccator? Noctem amat, hanc adit & cùm eâ fœdè ludit, quando graue aut turpe aliquod peccatum gignere intendit. Audiamus S. Iob c. 24. *Oculus adulteri obſeruat caliginem dicens: Non me videbit oculus, & operiet vultum ſuum: perfodit in tenebris domos, ſicut in die condixerant ſibi & ignorauerunt lucem. Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis, & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant.* Ita adultera illa Eccli. 23. ait: *Quis me videt? tenebræ circumdant me & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me: quem verear?* Et illa Prouerb. 7. *Veni, inebriemur vberibus, fruamur cu-*

C. II. Mater eius nox & obſcuritas.

pitis amplexibus donec illuceſcat dies: non eſt enim vir in domo meâ, abijt viâ longiſſimâ. Eodem modo laſciui illi ſenes Suſannæ inſidiantes: *Ecce oſtia pomarij clauſa ſunt, & nemo nos videt, &c.* Dan. 13. Imò etiam Cain, quando adhuc præter fratrem & parentes eius nemo in orbe erat, vt necem inferret fratri, abduxit eum à paternâ domo dicens: *Egrediamur foras.* In quem locum S. Ambroſius ait: *Latro diem refugit, quaſi criminis teſtem: lucem adulter erubeſcit, quaſi adulterij conſciam.* Par ratio eſt de furto, mendacio, ſimulatione, hypocriſi, ſuperbiâ & alijs peccatis; tametſi quædam eorum propterea quòd communia ſunt; pudorem ſaltem magnum continere non putantur. Ex his igitur, quàm fœda res ſit peccatum, quod in publico committere refugiunt vel improbi. Quæ ſunt autem illa, quæ tenebris adiudicantur? nónne ſordes? nónne cloacæ? nónne ſeceſſus naturæ? nónne cadauera & catarmata? nónne abortiui fœtus?

D. III. Sorores eius. 1. Occultatio.

TERTIÒ, Quænam eius Sorores? Occultatio & palliatio. Prior illa in protoplaſtis enituit, quando perpetrato peccato, cognitóque ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficûs & fecerunt ſibi perizomata: & cùm aduerterent DEI aduentum, abſconderunt ſe inter fruteta paradiſi. Cain item teſte Ioſepho *l. 1. Antiq. c. 2.* fratre occiſo corpus eius abdidit; ne proderetur eius ſcelus. Et propterea credibile eſt ædificaſſe ciuitatem, vt quò tutior eſſet ab incurſoribus, muris ſe includeret. Imo & Moyſes Ægyptio necem machinans, prius vndique circumſpexit, ne quis adeſſet homicidij teſtis; percuſſumque ſub ſabulo abſcondit, ac cùm videret palàm factum eſſe, aufugit, *Exod. 2.* Bene ergò iniquitas à veteribus pingebatur, quaſi fœmina veſtita igne & flammis, quæ concito curſu fugeret. In emblem. Cæſaris Ripæ pag. 379. Animam enim peruerſi cruciat & depaſcit dente remorſus, ſicut ignis lignum aridum: fugit, quia malè ſibi conſcia plena eſt pauoribus atque omnia etiam tuta loca timet: quin & vmbras expaueſcit. Quis autem non videt abſurdiſſimum & deformiſſimum opus eſſe debere, quod ipſe eius auctor, nullo alio iudice damnat, & ab hominum oculis quantocyùs abſcondit? Id vel Iuuenalis Satyra 13. vidit, cùm cecinit.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori, prima eſt hæc vltio, quòd ſe
Iudice, nemo nocens abſoluitur.

Quàm horridus & monſtroſus deberet eſſe fœtus ille, quem editum in lucem pater nullo pacto aſpicere, ſed mox in cloacam aut fornacem abiicere moliretur? id quod iam machinabatur tali filio ſuo eiuſque matri Caſſanus Tartarorum Rex anno 1298. apud Ioannem Villan. l. 8. c. 35. Et quænam opera noſtra ab hominum oculis abiicimus niſi fœda & abominanda, vti fimum, ſputa, vomitum, pus, &c. Altera eſt palliatio. Tam deforme eſt enim peccatum, vt in propriâ ſpecie non audeat prodire, quia tunc à nemine amari poſſet; omnium odio & execrationi expoſitum foret; prodit igitur ſub pallio virtutis & boni alicuius, eaque ſpecie obiicit ſe voluntati. Vnde S. Greg. *l. 3. mor. Vitia*, inquit, *accepta, menti quaſi ſub quadam ratione ſe ingerunt.* Superbia vt conuerſetur cum hominibus & benignè habeatur, pallium humilitatis induit; ſimulat ſe refutare honores, exiſtimationem, laudem, & tamen eadem hæc longè ardentiùs quàm famelicus panem appetit. Vnde Hieron. *in Marc. Superbia ſub quibuſdam humilitatis ſignis latet.* Quòd maximè videre eſt in hypocritis, qui foris animi ſubmiſſionem mõſtrant, intus elatione pleni ſunt. Auaritia ſe tuetur pallio prudentiæ: corrogandum eſſe ſenectuti, futuris euentibus, periculis, morbis, liberis proſpiciendum. Inuidia charitatis ſpeciem ſibi affingit, quaſi non gaudeat de alterius malo niſi vt ipſe corrigatur, deſinat inſoleſcere, &c. Ita zelum prætendit, quaſi tantas iniurias non deceat condonare inimico, ne ſceleſtior euadat & grauiùs nocere pergat: vel quia non ſolùm te ſed DEVM etiam aut alios offenderit. Gula prætextum quærit vrbanitatis, quæ iubeat in gratiam amicorum largiùs bibere: nec non tuendæ ſanitatis, quæ craſſioribus cibis & viliore potu facilè offendatur, delicatiora quærere. Accedia pericula lædendæ valetudinis vitæque ante tempus abrumpendæ fingit: itaque pallium iuſtitiæ aſſumit, quæ iubeat conſeruare propriam vitam & valetudinem. Interrogate aliquem tali vitio alicui obnoxium, cur eo ſe polluere audeat; ſtatim ille obuertit pallium, ac dicet, nihil ſibi cum vitio, cum ſuperbiâ, auaritiâ, inuidiâ eſſe: aliò ſe collimare. Ecce quomodo peccatum prodit ſuam fœditatem dum tegit & niſi laruâ virtutis tectum prodire in medium non audet?

2. Palliatio.

E. IV. Fratres eius Tenebriones.

QVARTÒ. Quinam eius fratres? Ex hominibus nebulones, tenebriones, fures, latrones, ſicarij, clancularij inſidiatores, mœchi & omnia Veneris mancipia. Ex brutis veſpertiliones, bubones, vrſi, lupi, ſerpentes, buſones & quotquot in latibulis & antris degunt lucemque auerſantur; quæ certè animalia ad horribilem formam damnauit natura vt inde diſceremus omnia illa quæ tenebras amant, tetra & execranda eſſe. Hinc Iob cum ſe ab omnibus deriſum, conſputum, abominabilem factum oſtendere vellet, huiuſmodi belluis ſe comparat cap. 30. dicens: *Frater fui Draconum & ſocius ſtruthionum.* Hebraicè habetur: *Frater fui Draconi & ſocius filiabus vlulæ.* Vult ergò dicere omnes me execrantur & conſpuunt quaſi fœdam, horridam & peſtiferam beſtiam: Draconem & bubonem. At huiuſmodi ſunt omnes, præſertim inſignes peccatores. Quare ô peruerſa voluntas, vis ſcire qui ſint fratres tui? Cain, Iſmael, Eſau, Sodomitæ, Pharao, Core, Dathan & Abiron, Achan, Saul, Achab, Iezabel, Aman, Holofernes, Sennacherib, Antiochus, Iudas proditor, Caiphas, Herodes, Pilatus, Carnifices Chriſti,

Simon Magus, Nero, Domitianus, Decius, Diocletianus, Maximianus, Iulianus, Valens & his ſimiles. Vno verbo, quotquot execratur, exſibilat, conſpuit, abominatur & ad tartarum ablegat orbis Chriſtianus, omnes illi fratres tui, per omnia tibi ſimiles, tuâ è parentelâ ſunt, futuri etiam apud inferos ſocij, niſi reſipueris.

G. V. Filię eius. Prima: Mors corporis. QVINTÒ. Quænam eius filiæ? Tres omninò, mors corporis, mors animæ prima, mors animæ ſecunda. Prima ergò & teſte Iob cap. 18. *primogenita* eius filia eſt mors corporis, quam per primos parentes genuit & inuexit in mundum, vt teſtatur Apoſtolus ad Rom. *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit & per peccatum mors.* Quis autem non deprehendit & quotidie manibus palpat, quàm fœda, quàm abominanda & horrida res ſit mors? Morbi, vlcera, vulnera, dolores dentium, oculorum, ſtomachi, capitis, ſæpe vires ita accidunt, vt formam corrumpant & ſpeciem corpóris immutent; tametſi vnâ corporis particulâ contenti, corpus totum non attingant. At verò mors omnia membra inuadit, exugit, vaſtat, perdit, nec priùs finem peſſundandi facit, quàm nobiliſſimum animæ ædificium funditùs ſubuertitur. Aperiatur alicuius defuncti ſepulchrum poſt paucos aliquot menſes, videatur ejus ſpecies: patibula adeantur & illic inſpiciatur cadauer vnius penduli, qui ante annum ſuſpenſus fuit. Qualis heu illa ſpecies? quàm homini diſſimilis? quàm horrida, quàm triſtis imago? Quid diceret illius ſuſpenſi mater, ſi ibi filium vndique corroſum, tabe ferè conſumptum, tempeſtatibus peruſtum, defluentibus centonibus ſqualidum, oſſibus tantum hærentem aſpicere deberet? Heu me infœlicem! diceret, itáne ego partum hunc in vtero meo geſſi? itáne vberibus lactaui? itáne vlnis circumgeſtaui? toties oſculata ſum? tantâ ambitione educaui? Itáne tam horrendi monſtri mater eſſe potui? ſed quid imus longè? domi noſtræ recentes mortuos diu ferre non poſſumus, quin tolli eos quantocyùs cupiamus. Offendunt enim oculos, nares, tactum, guſtum, ſomnum. Nemo iuxta mortuos ſomnum capere poſſet, multo minùs, pernoctare in ſepulchro, ſub patibulo, vel cœmiterio ad oſſium congeriem. Denique ex Hebræorum lege nemini licebat mortuum tangere: domus ex funere polluebatur, *Num.* 19. Et quis eſt qui vel mortuorum vmbras non metuat?

Patet igitur hinc qualis ſit ipſa mors. Quid verò ſupereſt dicendum niſi eam parenti ſuo conformem eſſe, & ſicut effectum cauſæ reſpondere? Sanè iuxta leges Philoſophorum, effectus naturam cauſæ ſuæ ſequitur, ſed non omninò aſſequitur. Lumen Lunæ à Sole eſt, nequaquam tamen adeò intenſum atque lumen ſolare. Feruor aquæ ab igne eſt, non tamen ita intenſus atque eſt feruor ignis. Hinc ergò concedendum eſt, longè maiorem fœditatem, horrorem & turpitudinem eſſe in peccato, quàm ſit in morte, quia hæc effectus, illud cauſa eſt. Idcircò qui ſapuerunt, mortem & quidem acerbam millies incurrere: Septem fratres Machabæi dirè excarnificari, tres pueri in fornacem inijci, Suſanna falsò condemnari, quàm peccato ſe contaminare maluerunt.

Secunda: Mors animæ prima, ſeu macula peccati. Fœdior morte corporis. Altera filia eſt mors animæ eaque prima; quæ nihil eſt aliud quàm peccati macula animæ Dei gratiâ deſtitutæ aſperſa adhærens eamque coram Deo reddens abominabilem. Ea verò longè fœdior eſt quàm prior. Primo quia peccato, à quo generatur, vicinior, immediatè ſequens peccatum, ſicuti mors corporis ſequitur vulnus lethale. Quòd autem vnumquodque origini ſuæ vicinius eſt, eò plus de eâ participat; quo vicinior igni aqua, eo fit calidior: quo vicinior quis carbonibus & fabrorum officinis, eo fit nigrior. 1.
Secundò quia in animâ, parte hominis nobiliore, poſita. Teſtatur autem Ariſtoteles 1. *Rhet. cap.* 14. & ipſa experientia, vulnus aliquod brachio, pedi, manui aut alteri parti ignobiliori inflictum, minùs pulchritudinem imminuere, quàm ſi in facie conſpiciatur. 2.
Tertiò quia viua quædam peccati, quod eſt ipſa turpitudo, effigies eſt. Vt ergò Deus velut Sol pulcherrimam ſuam Iridem, gratiam, inprimit animæ iuſti: ſic peccatum fœdiſſimam maculam imprimit animæ peccantis. 3.
Quartò quia vt ait S. Auguſtinus, mors corporis neceſſaria, mors animæ voluntaria eſt. Turpiſſimum autem eſt ſibimet malum acceſſere cùm euitare poſſis. 4.
Quintò quia hominem vitâ longè nobiliore priuat. *Vita corporis anima eſt, vita animæ Deus*, inquit S. Auguſtinus; *& ſicut expirat corpus cùm animam emittit: ſic expirat anima, cùm Deum amittit.* 5.
Atque tunc fit anima peccatoris, quod dixit Iſaias cap. 1. *ſicut vmbraculum in vineâ & ſicut tugurium in cucumerario & ſicut ciuitas quæ vaſtatur.* Vt enim æſtiua hortorum vmbracula, per æſtatem adornata: aduentate hyeme deſeruntur, & à tempeſtatibus paſſundantur ac ſubruuntur, ligna & ſtatumina hinc inde diſijciuntur: ita per peccatum deuaſtatur etiam anima, ſpoliatur omni decore, ſordium fit habitaculum, imò & ſerpentum tartareorum: omniaque inuertuntur: famuli hero imperant paſſiones rationi, appetitus ſenſitiuus rationali: peruertitur ordo & harmonia ſuauis, quæ erat inter vires animæ & corporis.

Tertia, mors animæ ſecunda. Tertia filia, quam Ioannes Apoc. 20. & 21. appellat *mortem ſecundam*, eſt mors inferni æterna. A priori morte reſuſcitari poteſt animas ab hac verò minimè. In veteri lege. *Num.* 19. præcepit Deus vt qui cadauer hominis tetigiſſet, immundus fieret ſeptem diebus, cæterum die tertio & ſeptimo aſpergeretur aquâ luſtrationis & ſic mundaretur. Quòd ſi is diebus aſperſus non eſſet, *periret ex Iſrael & maneret ſpurcitia eius ſuper eum.* Cadauer tangit, qui peccato ſe coinquinat: contrahit ergò maculam & ſpurcitiam coram Deo, à quâ mundari

mundari debet per aſperſionem ſanguinis Chriſti, medio pœnitentiæ ſacramento, tertio & ſeptimo die, hoc eſt, in hac vitâ, quæ quaſi vna ſeptimana ſeptem diebus deſcribitur. Cæterum ſi hanc purgandi occaſionem neglexerit, mundari ampliùs non poterit, ſed à regno Dei excluſus & in profundum orci barathrum quàm longiſſimè abiectus æternæ & ſecundæ morti tradetur depabulandus *& manebit ſpurcitia eius ſuper eum* per omnem æternitatem. Quemadmodum igitur ſepulchra præparantur humandis & tegendis cadaueribus: vermes, corui, lupi, canes iiſdem depaſcendis, ne alioquin tot hominum & beluarum cadauera aërem inficiant: ita inexpiatis illis peccatoribus ne cœlum & elementa fætore & ſpurcitia ſuâ contaminent, præparauit Deus profundiſſimam & tenebricoſiſſimam inferni cloacam, vermes item immortales, omniſque generis pœnas ad eos depabulandos, ita tamen vt nunquam prorſus abſumantur, ſed inſtar graminis quod depaſcunt boues interim ſemper germinent & ſuccreſcant, quo iterum depaſcantur, & ſic deinceps. Viderunt hoc & Ethnici aliqui, vti Homerus *Odyſſ.* 11. Virgilius 6. *Æneid.* qui ita canit:

Nec non & Tytion, terra omniparentis alumnum.
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus.
Porrigitur; roſtroq́; immanis vultur adunco
Immortale iecur tondens fœcundaq́; pœnis.
Viſcera, rimaturq́; epulis habitatq́; ſub alto
Pectore: nec fibris requies datur vlla renatis.

Plutarchus in l. de ſerâ num. Vind. quendam inducit aſſerentem homines teterrimos ſcelerumque maculis notatiſſimos poſt mortem in obſcurum quendam, & qui referari nequeat, locum intrudi. Socrates apud Xenophontem ait, impij animam in occultum ſub terrâ locum migrare & regionem illam æneis catenis vndique vinciri. Sed audiamus teſtes fideles. Dauid Pſ. 48. eam mortem ſic deſcribit: *ſicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* q. d. inſtar lupi rabidi perpetuò eos laniabit S. Gregorius l. 9. mor. c. 39. ſic ſcribit: *Horrendo modo fit miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia & mors ſemper viuit & finis ſemper incipit & defectus deficere neſcit. Mors perimit & non extinguit: dolor cruciat ſed nullatenus pauorem fugat, flamma comburit, ſed nequaquam exurit.* Denique vt appareat quæ domus debeatur tenebris peccati: *Infernus latus eſt ſine menſurâ, profundus ſine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili. Ibi miſeria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali.* inquit Hugo de S. Victore Abbas l. 4. de Animâ. Ergò peccatorum tenebras amet nunc qui volet.

CONCIO VIII.

Fidei & religionis Chriſtianæ excellentia, oſtendens eam eſſe cœleſtem.

Quod ſola fides & Religio Chriſtiana vera & cœleſtis ſit probatur.

1. *Quia magnificè de Deo ſentit, non aliæ ſectæ.*
2. *Merificè Deum honorat varijs religionis actibus, v. g. Sacrificio Miſſæ, &c.*
3. *Leges habet æquiſſimas.*
4. *Fauorem & magna præmia promittit bonis: malis autem ſupplicia.*
5. *Perducit ad ſanctitatem.*
6. *Habet cõſilia cœleſtia.*
7. *Habet Sacramenta, Sacerdotiũ & ſacrificia, qualia nulla religio.*
7. *Ad veram felicitatem perducit.*

THEMA.

Lux venit in mundum & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Ioan. 3.

QVid ſit iſta lux, quæ in mundum venit, nõ difficile eſt inueſtigare. Eſt enim fides & doctrina Chriſti; quia vti lux à ſole, ita fides & doctrina Chriſtiana à Chriſto, qui eſt ſol iuſtitiæ, procedit. Debet ergò fides & per conſequens religio Chriſtiana non è terrâ, ſed è cœlo progeniem ſuam oſtendere. Cæteræ religiones & ſectæ vt ab hominibus tantùm excogitatæ fuerunt, ita cum illis quoque perierunt nihilque prorſus ſolidi ſuis cultoribus exhibuerunt nec exhibere poterant. Nos ergò vt in fide & religione Chriſti confirmemur eique gratiores efficiamur, videbimus in hac concione, religionem Chriſtianam ſolam veram ac cœleſtẽ eſſe; veram lucem è cœlo in terras lapſam: non lignum putridum aut lucentem vermiculum, quales erant ſectæ aliæ. Audiamus

PRIMÒ. Magnificè de Deo ſentit. Aliæ ſectæ parum rectè de eo ſenſerunt. Negârunt II.
eum vnum & ſolum eſſe, adeoque infinitum; I.
ideò tam multos poſuere Deos. Negârunt Magnificè de Deo
eum immenſum & vbique præſentem eſſe, ſentit.
ideò alium Deum aſſignarunt cœlo, alium aëre, alium mari, alium ruri, alium ſyluis, alium ſpecubus, &c. Negârunt alij eius prouidentiam, quâ gubernent omnia, alij eius omnipotentiam, quâ crearit omnia, &c. At verò religio Chriſtiana.

Primò aſſerit Deum abſolutè infinitum,
vti Pſal. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non eſt finis.* Baruch. 3. I.
Magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus. Conſequenter etiam aſſerit Deum omni intellectui creato eſſe *incomprehenſibilem.* Rom. 11. & *lucem inhabitare inacceſſibilem.* 1. Tim. 6. Item continere in ſe eminenter omnia, & quòd *ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia*, vt ait Apoſtolus *Rom.* 11.

Secundò.

2. Secundò. Deum eſſe immenſum & vbique per eſſentiam, quia vbique præſens eſt per potentiam, quia vbique dominatur: per inſpectionem, quia omnia videt. Ita Pſ. 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo?* &c.

3. Tertiò. Eſſe immutabilem, iuxta id *Malach.* 3. *Ego Dominus & non mutor.* Et *Pſ.* 101. *Tu autem idem ipſe es.* Et hoc quoad omnes ſuas perfectiones, conſilia, gaudia, fœlicitatem, voluntatem, &c. ita vt nihil noui ei accedere, nihil decedere vnquam poſſit, licet omnia perirent, quæ extra ipſum ſunt.

4. Quartò. Eſſe æternum, qui nunquam incepit, nunquam deſinet, quique omnia quæ in tempore fiunt, præterita, præſentia, futura ambit & habet ſibi præſentia vnoque intuitu videt.

5. Quintò. Eſſe omnipotentem, qui non modò fecit ea quæ facta ſunt, ſed prætereà infinita alia adeoque omnia facere poteſt, ſumma facilitate, in momento, è nihilo.

6. Sextò. Eſſe ſummè ſapientem, qui omnia & ſingula diſtinctiſſimè videt, penetrat, comprehendit; neque ea ſolùm, quæ reipſa ſunt, ſed & ea quæ eſſe poſſunt & ab ipſo fieri. *Ipſe numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat* Pſ. 146.

7. Septimò. Eſſe ſummè bonum, ſanctum, benignum, prouidum, miſericordem, patientem, manſuetum, clementem, &c.

8. Octauò. Eſſe ſummè iuſtum.

Denique aſſerit has omnes perfectiones eſſe in Deo eſſentialiter, imò ipſam Dei eſſentiam: eſſe illimitatas & infinitas: eſſe fontes omnium aliarum perfectionum creatarum, quæ ab illis profluant & pendeant, ac reſpectu illarum adeò nihil ſint, vt omnis alia ſapientia reſpectu diuinæ ſit ignorantia, omnis potentia infirmitas, omnis pulchritudo deformitas, omnis bonitas improbitas, &c. eſſe denique incomprehenſibiles, ita vt ſupremi etiam Angeli coram Deo velent alis faciem ſuam & cecuciant in eo.

C. II. Mirificè, Deum honorat. SECVNDÒ. Mirificè Deum honorat, varijs religionis actibus. Primò. Oratione, qua mentem eleuamus ad Deum & poſtulamus ab eo neceſſaria, eidemque pro acceptis gratias agimus. Nec verò mente ſolùm orare docet fides

1. Oratione. noſtra, ſed & ore & alijs humilitatis geſtibus, genuum curuatione, manuum extenſione, corporis proſtratione, pectoris tunſione, &c. vt ita cor & caro noſtra exultent in Deum viuum & teſtentur eum eſſe patrem miſericordiarum, largitorem bonorum omnium. Quò verò hic cultus ſit perpetuus, instituit officium 7. horarum, quo certi ad hoc deſtinati miniſtri velut abludæ & philomelæ tota die & nocte non nereant laudare nomen Domini: neque hi viri tantùm, ſed & fœminæ naturâ debiles. Qui ad nocturnas preces aptiores ſint, veſtiti & in duris culcitris dormiunt. Alij etiam fideles docentur & iubentur ſæpius in die fundere ſuas preces, vti ad pulſum orationis matutinum, meridianum, veſpertinum: manè item cum ſurgunt, veſperè cùm recumbunt, ante & poſt cibum: in periculis & calamitatibus ſupplicationes inſtituere, ob accepta beneficia gratias agere: denique omnia ſua opera ad Dei gloriam facere.

Secundò. Sacrificio omnium præſtantiſſi- 2. Sacrificio
mo & diuiniſſimo ſacrâ videlicet Miſſa in quâ Miſſæ.
Dei filius velut victima perpetua offertur patri: fideles omnes iubentur intereſſe in diebus feſtiuis vt vnà cum Sacerdote ſuo modo ſacrificium illud offerant. Cui accedunt oblationes, primitiæ & decimæ, quibus conteſtamur Deo deberi omnia noſtra tanquam fonti bonorum omnium.

Tertiò. Feſtis diebus ad Dei & ſanctorum 3.
eius honorem inſtitutis; magnificis item tem- Feſtis diebus.
plorum ſtructuris, vaſis, veſtibus, cymelijs & cæremonijs, quæ in ijs vſurpantur.

Quartò. Votis & votorum obſeruatoribus, 4.
viris religioſis qui non tantùm voce, ſed vitâ Votis.
quoque vniuersà, victu & amictu, omnique conuerſatione ſuà continuò Deum laudent velut Angeli terreſtres.

Denique exterminatione eorum omnium 5.
quæ religioni aduerſantur, qualis eſt Idololatria, Magia, ſuperſtitiones, periuria, ſacrilegia, Superſtitionũ exterminatio.
ſimonia & ſimilia in quæ omnia non ceſſat grauiſſimè animaduertere.

TERTIÒ. Leges habet æquiſſimas & ratio- D.
ni congruentiſſimas. Nam primo omnes ſuas III.
leges ordinat ad duos primarios fines, quo- Leges habet æquiſſimas.
rum primus eſt amare Deum ſuper omnia, ita 1.
videlicet vt amoris potiùs parati ſimus omniaque noſtra perdere, quàm Deum offendere & perdere. Quid hac lege æquius & laudabilius? ſummum ſcilicet bonum ſummè amare & ei alia omnia longiſſimè poſtponere? Alter eſt, proximum amare ſicut ſeipſum. Cuius præcepti gnomen aſſignat Dominus *Matth.* 7. dicens, *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quam ſententiam vt æquiſſimam imbiberat Alexander Imp. (qui anno Chriſti 224. imperium tenuit) ſiue à Iudæis ſiue à Chriſtianis edoctus ideoque ſæpe pronuntiabat & in palatio ac publicis operibus præſcribi iubebat. Baron. anno 232. Quanta autem humano generi commoda ex hac vnâ lege? Nam ſi nolo à quoquam grauari, malè tractari, ſpoliari, infamari, aut iniuriam pati; nec ego quidquam horum inferre proximo debeo. Et viciſſim ſicut cupio in meis neceſſitatibus mihi opem ferri, conſilium & monita dari, ſolatium præberi. Sic & ego debeo proximo facere. Quæ duæ regulæ ſi ab omnibus obſeruarentur, quid aliud eſſet mundus, quàm paradiſus terreſtris? Qui tamen nunc, vbi non ſeruantur, nil aliud eſt quàm ſpelunca ferarum ſe mutuò venantium ac vorantium.

Secundò. Prohibet quidquid turpe ac vi- 2.
tuperabile eſt, omnem contumeliam, omne furtum, omne mendacium, omne dolum, omnem turpitudinem, omnem denique iniuriam: nullum etiam imperfectionis næuum habet, quia nullum tolerat peccatum.

Tertiò. Ligat non ſolùm manus, ſed & 3.
linguam & cor: ita nimirum vt non ſolùm

mala opera, ſed & verba & cogitationes ac deſideria prohibeat.

E. IV. *Fauorem & magna præmia promittit bonis.*

QVARTÒ. Fauorem & magnifica præmia promittit virtutibus: iram verò & ſupplicia peccatis. Solon vnus è ſapientibus dixit, duabus rebus contineri rempublicam, præmijs & pœnis. Cic. ad Brut. Sunt ergò hæc duo quaſi duo libramenta horologij, quorum miniſterio æquabiliter & regulariter incedit. Ea verò in Chriſtianâ religione eminentiſſimè reperiuntur. Nam quod attinet ad præmia, promittit ſuis coloribus præmia inprimis cœleſtia & æterna, quæ *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis* perſpexit teſte Apoſtolo 1.*Cor*.2. Quid maius excogitari poteſt, quàm eſſe participem regni Dei? poſſidere Deum & omnia quæ ipſius ſunt? frui perpetuâ Chriſti, Angelorum & beatorum ſocietate? habere ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum? Iſthæc autem omnia promittit infallibili fide religio Chriſtiana. Deinde promittit eis etiam multos in terrâ fauores, ſingularem prouidentiam, protectionem, exauditionem, gaudium & pacem conſcientiæ, conſolationem in aduerſis, liberationem è periculis, &c. quæ omnia ſibi euenire fatebuntur omnes virtutum ſtudioſi. Nec difficilè oſtendi poteſt præmiorum diuinorum pondus; ſi enim reges non exigua, ſed pro regiâ maieſtate grandia dant, & quo ditior ac maior quiſque eſt, eo maiora ſolet dare: quid non expectabimus à diuinâ maieſtate, in cuius domo gloria & diuitiæ immenſæ, inexhauſtæ, cœleſtes? Quod verò ad ſupplicia ſpectat, minatur impijs tartarum, tenebras exteriores, ignem inextinguibilem vnà cum pœnâ damni ſeu deiectionis à cœleſti hæreditate. Multoties etiam varias pœnas infligit eis in hoc ſeculo.

Itam & ſupplicia malis.

Totam hanc promiſſionem mirè amplificat reſurrectio corporum, quam nemo philoſophorum mentis acie potuit indagare. In eâ igitur redibunt ad vitam eadem illa corpora & vnientur animabus à quibus hîc inhabitata fuerunt; vt ita tam mali quàm boni recipiant mercedem ſuam, non in animabus ſolùm ſed & in corporibus, vt quæ comites & cooperatores animarum erant, in iuſtis quidem ad ſuſtinendas afflictiones, ſubeunda mortificationis opera: in reprobis ad delibandas peccatorum illecebras. Producat iam aliquis rempub. regnum aut religionem aliam, quæ talia promittere poſſit aut dare.

F. V. *Perducit ad ſanctitatem.*

QVINTÒ. Perducit homines ad vitæ ſanctimoniam, & ſi priùs vitiorum mancipia & colluuies fuerunt, immutat eos in virtutum amæniſſima theatra. Prodit hæc excellentia ex eâ quam tertio loco attulimus. Bonarum enim & ſanarum legum eſt ſanare morbos animæ, ſicut bonæ medicinæ curare infirmitates corporum. Conſtat autem inprimis mundum priùs idololatriâ excæcatum in omnia vitiorum genera prolapſum, adeoque volutabrum porcorum ſyluam omnis generis beluis fuiſſe frementem. Per religionem verò Chriſtianam totus à ſe alius, & quaſi vnum quoddam monaſterium ſanctorum virorum factus eſt. Teſtatur id S. Cyprianus, teſtatur S. Auguſtinus, qui priùs exiſtimabant fieri non poſſe, vt quis è vitiorum cæno, in quo diu præſertim iacuit, emergat, ſed per fidei & baptiſmi ſuſceptionem adeò immutatos, vt quæ priùs impoſſibilia ſibi imaginabantur, facilia deprehenderent: quæ amara, dulcia: quæ aſpera, plana: paupertatem, contemptum, martyria ac mortem pro delitijs haberent. Porro hanc mutationem dexteræ excelſi, adeoque è cœlo eſſe, non difficilè oſtendi poteſt, ſi attendamus ad antiquos Philoſophos cæteroqui in naturæ & philoſophiæ legibus verſatiſſimos, quàm paucos illi ſuâ ſcientiâ perduxerint ad frugem & virtutis ſtudium, duobus enim digitis eos numerare queas. Oculatiſſimus ille Seneca velut eximium quiddam refert, quòd amicum ſuum Lucilium à vitijs ad virtutis tramitem pertraxerit. Religio Chriſtiana ſanctis & pijs hominibus mundum vndique repleuit. Ad hæc virtutes Ethnicorum vmbræ tantùm, verè & Chriſtianæ ſanctitatis erant: nequaquam ſupra petram, ſed ſuper arenam ædificatæ: nec à Deo profectæ, neque ad Deum ducentes: propriam, non diuinam quærentes gloriam. Teſtantur idem SS. literæ, Iob 14. *Quis mundum poteſt facere de immundo conceptum ſemine, niſi tu qui ſolus es?*

Dicat verò aliquis, effectum hunc noſtro ſeculo parum eluceſcere, cùm etiam Chriſtiani plerique peruerſi ſint. Sed reſpondeo, cauſam eſſe peruerſiſſimi huius ſeculi, quod maiori ex parte lucem veritatis odit & tenebras potiùs errorum ac vitiorum amat. Noſocomium eſt Eccleſia omni medicinarum præſtantiſſimarum apparatu inſtructiſſimum. Quare ſi in eo non curentur ægri, culpa illorum eſt; quia vel neſciunt ſe ægros vel refugiunt à pharmacis; quod inprimis faciunt hæretici.

G. VI. *Habet etiam & ſanctiſs. conſilia.*

SEXTÒ. Habet præterea conſilia cæleſtia & ſanctiſſima, quibus hominem ſupra ſeipſum, hoc eſt, ſupra naturam propriæ carnis tollit euehitque ad vitæ perfectionem & quodammodò ad ſtatum Angelorum, quibus ſimiles efficiuntur, qui perfectioni ſtudent, dum ab omni terrenarum rerum curâ liberi, & quaſi extra carnem poſiti Deo perpetuò ſeruiunt & adhærent. Talia verò ſunt inprimis tria illa Euangelica conſilia, Caſtitas, Paupertas, Obedientia, quorum obſeruationi ſtudent omnes Religioſi. Deinde alia non pauca à Chriſto tradita, velut dilectio inimicorum, ceſſio cauſæ in contentione, voluntariæ macerationes corporis, crebriores & largiores eleëmoſynæ, frequens orandi ſtudium ſtatis diei horis. Quæ cùm hominem ad ſupernaturalem vitæ rationem attollant, ſupernaturalia eſſe debent, iuxta regulam philoſophorum: *Media & finem eiuſdem eſſe ordinis.* Indeque ſequitur, Eccleſiam Chriſti ſcholam eſſe ſanctitatis & perfectionis, in quâ duæ claſſes ſunt: vna inferior, mandatorum omnium fidelis

Digitized by

fidelis obſeruatio, quæ eſt Chriſtianorum communis perfectio: altera ſublimior, obſeruatio conſiliorum, quæ eſt perfectio Religioſorum. Quemadmodum enim in veteri lege quædam erant ſacrificia, in quibus aliquæ ſolùm victimarum partes, vti viſcera & adeps cremabantur, reliquæ à Sacerdotibus & offerentibus comedebantur; quædam verò in quibus totum animal comburebatur ad honorem Dei, dicebaturque holocauſtum: ita & in Eccleſiâ duæ colendi Deum rationes ſunt, communis Chriſtianorum, quæ cor per charitatem & mandatorum obſeruantiam Deo quidem ſedulò offert, in reliquo tamen corporalibus neceſſitatibus ſubleuandis ſeruit: excellens religioſorum, quæ renuntians omnibus mundi curis, ſolicitudinibus, poſſeſſionibus, totum ſe addicit cultui diuino.

II. VII. Habet ſacramenta Sacerdotiū & ſacrificium qualia nulla religio.

SEPTIMÒ, Habet ſacramenta, quæ gratiam homini conferant; ſacerdotium item & ſacrificium, qualia nulla vnquam habuit religio. Sciendum verò hominem per lapſum primorum parentum, non ſolùm in intellectu, ſed in voluntate etiam grauiſſimè vulneratum, adeoque non ſolùm cœcum, ſed etiam debilem factum eſſe. Quare non ſufficiebat ſola lex ad reducendum hominem in priſtinam perfectionem (imò per legem poſteà peiores facti ſunt homines, culpâ ſuâ iuxta id: *Nitimur in vetitum*) quia viam tantùm oſtendebat, vires ad ambulandum non dabat. Itaque gratia Dei neceſſaria erat, ſine quâ Dei mandata (ad longum ſaltem tempus) obſeruare non poteramus, quin aliquando lethaliter delinqueremus. Hanc gratiam vt faciliùs & certo aliquo ſigno nobis pararemus; inſtituit Chriſtus Sacramenta, velut canales, per quos diuinæ gratiæ aquam ad nos deriuaremus: velut efficaciſſima pharmaca, quibus languorem & infirmitatem vulneratæ animæ curaremus: velut mare rubrum, in quo peccata noſtra mergeremus. Atque hic eſt communis omnium Sacramentorum effectus. Præter hunc cuique particularis alius eſt & diuerſus pro diuerſitate neceſſitatum humanarum. Baptiſmus enim regenerat hominem in vitam ſpiritualem & tollit originale peccatum. Confirmatio corroborat in fidei propoſito. Euchariſtia nutrit & vires ad perſeuerandum præbet. Pœnitentia ſpiritualibus medetur infirmitatibus, quæ ſunt peccata actualia. Extrema vnctio tollit reliquias peccatorum & iuuat hominem in mortis agone. Ordo & Matrimonium peculiarem præbent gratiam duobus in Eccleſia ſtatibus Clericorum & coniugatorum, vtpote magnis periculis expoſitorum. Quæ verò vnquam religio cæremoniam aliquam habuit, quæ animos expiare, cœleſtibus bonis ornare & talibus præſidiis armare poſſet?

Cognata Sacramentis ſunt alia duo pretioſiſſima monilia, Eccleſiæ à Chriſto relicta, ſacerdotium & ſacrificium. Sacerdotium continet duplicem poteſtatem prorſus diuinam: poteſtatem condonandi peccata & conſecrandi Euchariſtiam. Quanta iſta ſunt? pluſquam illuminare cœcos, erigere claudos, excitare mortuos. Ipſa Euchariſtiæ confectio non abſimilis eſt creationi. Sacrificium tam nobile eſt, vt non pretioſiſſima terræ munera, ſed ipſum Dei filium Deo patri offerat. Quid hic aurum Arabiæ? thus Sabæum? hoſtiæ Iudæorum? nihil.

I. VIII. Ad veram felicitatem perducit.

OCTAVÒ, Ad veram felicitatem & vltimum hominis finem perducit. Præcipuum quidem veræ religionis munus eſt homines probos & virtute præditos efficere; non tamen hîc conquieſcit, ſed ad beatitudinem contendit. Vt enim ſtudioſi finis non eſt ſtudium, ſed ſcientia: nec agricolæ, terram colere, ſed è culturâ fructum percipere; ita finis religionis noſtræ vltimus non eſt virtus, ſed beatitudo. Ea verò duplex eſt, inchoata in hoc ſæculo: & conſummata in altero. Priorem in his tribus bonis conſtituit Apoſtolus *Rom. 14.* cùm ait: *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto.* Iuſtitia eſt vita bona & ſancta; *hi enim ſoli tranquillè viuunt, qui nullius abſurditatis ſibi conſcij ſunt*, vt dicebat Socrates, *in Meliſſa p. 2. ſer. 77.* A iuſtitiâ oritur alterum bonum, pax nimirum conſcientiæ bonæ, *quæ exuperat omnem ſenſum*, teſte Apoſtolo, eſtque *iuge* quodammodo *conuiuium Prouerb. 15.* Ex hac oritur gaudium Spiritûs ſancti, quod in quibuſdam tantum eſt vt eos abſorbeat & à ſenſibus abripiat; vti inter alios exemplo eſt S. Clara, quæ cùm in Feſto Epiphaniæ mirificam Dei conſolationem accepiſſet ita vt abreptos ſenſus eoque gaudio ebrios haberet, per multos dies ſibi ipſi vim inferre debebat, vt quæ dicerentur percipere poſſet. S. item Bernardus, qui tempore nouitiatûs ſui præ diuinæ conſolationis dulcedine ita à ſenſibus alienatus ſæpe erat, vt neſciret quid guſtaret, & ſæpe vnum pro alio per errorem ſumeret, nec ſciret ferè vbi locorum eſſet. Idem iſte ſanctus de ſeipſo teſtatus eſt: *Nonnunquam Domine in mei cordis ore, quod ad te ſuſpirat, aliquid ponis, quod quid ſit, mihi ſcire non conuenit. Illius dulcedinem & ſuauitatem percipio, quæ tanta eſt, vt ſi in me perſeueraret, nihil eſſet amplius quod deſiderarem.* Sed nec hic conſiſtit Religio Chriſtiana: ad conſummatam & æternam illam beatitudinem, quæ hominem Deo ipſi intimè coniungit, omni bonorum abundantiâ perfundit & torrente voluptatis potat, tendit; quò & nos vt perducat Deus, demus operam vt veri Chriſtiani ſimus.

CON-

CONCIO IX.

Myſteria & documenta.

1. *Quæritur & explicatur, cur dederit Deus filium ſuum pro hominis redemptione.*
2. *Quomodo tot homines pereant ſi Chriſtus venerit vt omnes ſaluentur.*
3. *An ſufficiat ſola fides ad ſalutem? Reſp. negatiuè.*
4. *Quomodo is qui credit non iudicetur.*
5. *Quomodo qui non credit iam iudicatus ſit.*
6. *Quid lux & tenebræ in Euang.*
7. *Cur non obedientes Euangelio ſint condemnandi.*
8. *Quare plurimi diligant magis tenebras quam lucem.*

THEMA.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Ioan. 3.

A. MIrum in modum blandiuntur ſibi hæretici noſtri cum hodierno Euangelio, quaſi eorum fidem ſolidiſſimè confirmet & Catholicam religionem euertat. Ecce inquiunt, hoc Euangelium Regnum cœlorum in noſtras manus tradit: Chriſtus ipſe dixit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Quid clariùs dici poteſt? vnde in articulo mortis iubent ſibi hæc verba prælegi, & ſubinde maximam deuotionem, ſpem & conſolationem concipiunt: ea exoſculantur & amplectuntur. Sed viderint tamen ne fallantur & ab hoc ipſo Euangelio cædantur. Id quod nunc oſtendemus.

B. I. Cur dedit Deus filium ſuũ pro hominis redemptione.

Q. PRIMÒ, Quare dedit Deus filium ſuum pro redemptione generis humani? pretium ſcilicet longè excedens valorem rei emptæ? Reſp. Primò, Vt oſtenderet diuitias bonitatis & miſericordiæ ſuæ. Iuſtitiæ ſuæ rigorem oſtenderat in Lucifero & angelis eius. Miſericordiam oſtendere voluit in hominibus. Diſce hinc Primò, miſereri potiùs quàm ſeuerus eſſe; iuxta id Pſ. 100. *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Priùs miſericordiam, poſteà iudicium. Potuit Deus punire mundum, maluit redimere: ſic poterat Dauid in ſpeluncâ occidere Saulem hoſtem ſuum capitalem: ſed pepercit illi oculus eius & noluit mittere manum in Regem. Fac tu ſimiliter. 1.

2. Secundò, Quia mors filij Dei temporalis futura erat: mors verò generis humani æterna. Vnde diſce ſalutem & bona proximi ſpiritualia præferre commodis tuis temporalibus, adeòque vitam etiam, quando per hoc ſeruari poteſt anima, alioquin ſine culpâ ſuâ peritura.

3. Tertiò, Vt hoc pacto nos prouocaret ad mutuam charitatem & ſe redamandum, qui prior nos ſic dilexit, quamuis inimicos. Efficaciſſimus amoris philtrum eſt: *ſi vis amari ama.* Dedit nobis Deus hoc philtrum, væ nobis, ſi non redamemus.

C. II. Cur tot homines pereunt, ſi Chriſtus venit, vt omnes ſalui fierent.

Q. SECVNDÒ, Cur tot homines pereunt, ſi Chriſtus venit vt omnis qui credit in eum nõ pereat? Reſp. quia Primò multi non credunt fide viuâ. Hi enim ſecundum Apoſtolum *confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*, ad Tit. 1. Venit quidem Deus quantum eſt in ipſo, omnes ſaluos facere: ſed non omnes accepiant eam ſalutem. *Quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum*, inquit Auguſtinus, *ipſe ſe interimit, qui præcepta medici ſeruare non vult.* Secundò, Multi non credunt fide diuinâ, ſed humanâ tantùm, vt hæretici. Vtrique fruſtra blandiuntur ſibi prædictâ Chriſti ſententiâ. Quid enim prodeſt magno peccatori vel hæretico, recitare cum affectu ſententiam illam in articulo mortis: *ſic Deus dilexit mundum, &c.* ſi interim maneat in ſuâ pertinaciâ? Nunquid ſi fur aut latro pronuntiaret moriens eam ſententiam, non tamen pœniteret de peccatis, ſaluandum exiſtimares? Licet itaque fidem, licet & ſpem habeas, ſtudium tamen bene operandi per charitatem non adhibeas, fruſtra te conſolaris. Vnde Dauid Pſ. 36. ait: *ſpera in Domino & fac bonitatem.* Neque enim exiſtimare debemus datum nobis eſſe à Deo Chriſtum vt redemptorem tantùm, cui fidamus; & non ſimul vt Legiſlatorẽ, cui obediamus. Vnde pulchrè Auguſt. l. 15. *de Trin.* c. 18. *Fides*, inquit, *iuxta Apoſtolum, ſine charitate eſſe poteſt, prodeſſe non poteſt.* Obſeruanda igitur hic eſt Philoſophiæ regula; cauſas vniuerſales non communicare ſuas virtutes & influentias niſi medijs particularibus. Ita videmus ſolem producere & enutrire omnes plantas, ſed niſi agricola ſeminaſſet priùs granum aut frumentum, ſeges non naſceretur, ad eundem modum & paſſio Chriſti noſtri Redemptoris omnium ſpiritualium, quæ collata ſunt vnquam, aut in poſterum conferentur, cauſa eſt vniuerſalis: ſed neceſſarium eſt, vt interueniat cauſa particularis; quæ eſt diſpoſitio mea, vt per tale medium gratia & remiſſio, quam ille promeritus eſt, in me conferatur. 1. 2.

D. III. Sufficiatne ad ſalutem credere? Non. Cur ſolius fidei mentio hic fit.

Q. TERTIÒ, Itáne omnis qui credit in Chriſtum, non iudicatur nec perit ſed habet vitam æternam, adeòque ſufficítne ſola fides ad ſalutem? Reſp. non ſufficere, ſolius tamen fidei mentionem fieri. Primò, quia intelligitur fides perfecta & viua quæ operatur per charitatem, & ſperat per ſpem; ſine his enim fides mortua eſt, teſte Iacobo *c.* 2. Nam alioqui etiã *dæmones credunt & contremiſcunt*, vt ibidem dicit Iacobus. Certum autem eſt dæmones reſeruari in iudicium, nec quidquam eis proficere fidem: Non ergò de fide qualicunque ſed viuâ & perfectâ loquitur Dominus. Sicut enim artium finis non eſt nuda contemplatio, ſed induſtrium opus: ſic per fidem non intelligitur nuda apprehenſio, ſed operatio quæ per eam fit. Et ſicut quis ditatus dicitur per ſolum artificium ſuum, ſic [illegible] & pauper per ſolam fidem dicitur veniſſe ad magnam ſanctitatem & gloriam. In hunc enim ſenſum ſeipſum Dominus mox explicat, 1.

explicat, cùm ait: *Qui facit veritatem venit ad lucem*, id eſt, qui facit officium Chriſtiani: ſic enim dæmon dicitur non ſtetiſſe in veritate, id eſt, non feciſſe quod erat Angeli.

2\. Secundò, Quia fides eſt radix & baſis aliarum virtutum & totius vitæ Chriſtianæ. Qui enim feriò & ſyncerè credit, ex vi & inſtigatione fidei promouetur & incitatur ad omnem virtutem & bona opera. Perinde ac ſi cui tendenti ad ciuitatem oſtenderetur porta ciuitatis, ſufficeret procul dubio: quoniam ea ad ciuitatem ducit. Fides autem eſt ianua ad perfectionem Chriſtianam & via ad vitam æternam. Vnde Dominus in craſtino Euangelio ait: *Ego ſum oſtium per me ſi quis introierit, ſaluabitur*. Sed quid eſt per Chriſtum ingredi? vtique fide viuâ; nam ipſe dixit: *ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata*. Et Apoſt. 1. Cor. 12. *Si habuero omnem fidem itavt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.*

3\. Diſce hinc non ſufficere ſolam fidem (niſi quæ excludit legem veterem, ſcientias, artificia, labores, curas, &c.) ad ſalutem; ſed requiri fidem perfectam, quæ nimirum ſpei & charitatis opera includit. Alioquin enim fideles non ſunt, ſecundum Apoſtol. qui *confitentur quidem ſe noſſe Deum, factis autem negant.*

Tertiò, Solius fidei ſæpe mentionem fecit, quia ferè loquebatur cùm incredulis & infidelibus; quos ab infidelitate ad fidem trahere volebat. Quòd ſi cùm Turcis nos loqueremur, ſolam fidem illis ſuaderemus & inculcaremus, quia hanc nouimus eſſe ſcholam perfectionis & virtutum: de operibus fidei mentionem non faceremus, quia hæc primùm conſequuntur fidem iam ſuſceptam. Sic ſuadere ſolemus alicui ignoranti, vt tantùm adeat huius concionatoris conciones, vel huius præceptoris ſcholam. Quòd ſi cum fidelibus tantùm locutus fuiſſet Dominus, haud dubiè ſemper opera cum fide vſiſſet, vti multis in locis fecit. Sanè cum diſcipulis ſuis loquens rarò fidei meminit, virtutes tantùm eis inculcat.

4\. IV. Quomodo is qui credit, nō iudicatur.

Q. QVARTÒ, Quomodo is qui credit in Chriſtum, non iudicatur? Reſp. intelligendum hoc de iudicio damnationis, non diſcuſſionis ſeu examinis. Cùm enim duo ſint actus iudicij, examen & ſententia damnationis, hinc iudicari dicitur & qui examinatur, & ruſum qui condemnatur: Condemnationem hîc intelligit Chriſtus. Vnde colligitur errare eos, qui hinc colligunt iudicium non futurum, eò quòd fideles non ſint iudicandi, infideles iam iudicati ſint. Non aduertunt enim iudicium hîc pro condemnatione ſumi.

5\. V. Quomodo qui nō credit, iam iudicatus eſt.

Q. QVINTÒ, Quomodo is qui non credit, iam iudicatus eſt. Reſpondetur Primò, quia certam damnationis cauſam, veluti laqueum collo iam impoſitum geſtat. Sic reus grauium furtorum, poſtquam eſt conuictus, dicitur iam damnatus Es waggelt ihm der Kopff ſchon.

1\. 2\. Reſpondetur Secundò, quia à decreto diuino & ſacrâ Scripturâ iam condemnatus eſt. Sic Adamo dixit Deus: *In quacunque die comederis, morte morieris*. In quem locum ait S. Chryſoſtomus: *Sicut in humanis iudicijs, quando quis ſententiâ latâ vt capite mulctetur, iterum in carcerem conijcitur, & licet ibi multo tempore agat, nihil melius tamen habet defunctis & mortuis, vtpote iam per ſententiam mortuus, eodem modo & parentes noſtri eodem die, quo mortalitatis ſententiam acceperunt, tametſi longo tempore durauerint, nihilominus ſententia mortui erant.* Reſpondetur Tertiò, quia in diuina præſcientia iam condemnatus eſſe ſcitur. Vnde Auguſtin. 3.
tract. 12. in Ioan. ait: *Nondum apparuit iudicium & iam factum eſt iudicium. Nouit enim Dominus, qui ſunt eius: nouit qui permaneant ad coronam, qui ad flammam*, &c.

Diſce hinc nullam iniuriam facere nos hæreticis (qui verè ſunt hæretici) ſi eos condemnemus, id eſt condemnatos dicamus & à cœlo excludamus. Condemnat enim eos ſacra ſcriptura, adeoque Dei Iudicis ſententia, vel hæc ipſa quam tractamus: *Qui non credit, iam iudicatus eſt.* Vt ergò iniuriam non facit reo iam per Iudicis ſententiam condemnato, qui eundem mortis & ſupplicij reum aſſerit: ita nec is, qui hæreticum dicit reum gehennæ. Quare etiam Apoſtolus expreſsè eos condemnat 2. *ad Theſſal.* 1. cùm ait: *Qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnas dabunt in interitu æternas*. Ecce illos etiam condemnat, qui licet credant Euangelio, non tamen obediunt.

Q. SEXTÒ, Quid lux & tenebræ in hodierno Euangelio? Reſp. Lux eſt verbum Dei incarnatum. Vt enim in candela eſt ignis & cereus in cereo cera & ſtupa: ita in Chriſto eſt ignis diuinæ filij perſonæ, & natura humana: in hac eſt corpus & anima. Deinde vt lux illuminat tenebras & noctem quodammodò vertit in diem: ita Chriſtus illuminauit mundum, tenebris ignorantiæ & vitiorum vndique oppletum. Denique vt lux alios illuminando tandem conſumitur: ita Chriſtus dum errorum tenebras è Iudæorum cordibus diſpellere molitus eſt, incidit in eorum odium & per mortem ab eis conſumptus atque extinctus eſt. 6. VI. Quid lux & tenebræ.

Tenebræ ſunt inprimis ignorantia, errores, idololatria, infidelitas, hæreſes; quia hæc vitia intellectum obſcurant & decipiunt atque in lapſum & cœnum ducunt. Deinde omnis generis peccata, Primò, quia etiam reliqua peccata rationis iudicium turbant. Vnde *Prouerb.* 14. dicitur: *Errant qui operantur malum*. Semper enim peccatum oritur vel ex errore vel ex imprudentia vel ex inconſideratione & inaduertentiâ aliquâ rationis ac ruſum dum committitur ignorantiam adauget & peruertit dictamen conſcientiæ per procliuitatem ad idem peccatum repetendum. Secundò quia peccantes oderunt lucē & quærunt tenebras. Vnde Iob c. 24. dicitur: *Oculus adulteri obſeruat caliginem dicens: Non me videbit oculus & operiet vultum ſuum perfodit in tenebris domos*, &c. Tertiò, quia ad tenebras inferorum exteriores atque æternas ducunt.

Quæuis peccata, tenebræ. 1. 2. 3.

Econtrà

Bona opera lux.

Econtrà opera bona dicuntur lux & arma lucis. 1. Primò, quia amant lucem, Dei hominumq́ue conſpectum. 2. Secundò, quia manant à luce, id eſt, dictamine fidei & prudentiæ. 3. Tertiò, quia eandem lucem adaugent. 4. Quartò, quia alios illuminant & quaſi lux ſancti exempli coram alijs reſplendent. 5. Quintò, quia oriuntur à Deo, qui eſt prima increataque lux omnia tranſcendens, illuminans, calefaciens, vegetans, viuificans, continens & ad ſe quaſi ſol conuertens, vt ait S. Dionyſius *l. de diu. nom. c. 4.* & ex eo Corn. *in ep. ad Epheſ. c. 5.*

II. VII. Cur qui non obediunt Euangelio, condemnabuntur.

Q. Septimò, Quare infideles & qui non obediunt Euangelio, adeoque non viuunt iuxta fidei præſcripta, condemnabuntur in iudicio? Reſpondet Dominus: *Hoc eſt autem iudicium*, id eſt, cauſa condemnationis eorum, *quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* q. d. quia ego Deus in mundum veni & accendi illis lucem veritatis ac virtutis: illi autem magis quæſierunt & amârunt falſitatis errores, mendacium & vitia. Quis autem neſcit meritò deſeri & perire eum qui in puteum obſcurum & cœnoſum lapſus, inde educi reſpuit? Atqui longè abominabiliores ſunt tenebræ ignorantiæ & lutum vitiorum. Mulctat pater filium & eiicit è domo, qui addiſcere non vult bonos mores, nec recipere diſciplinam. Cur non & Deus id facere creaturis ſuis debeat, quibus Doctorem & Pædagogum dedit filium ſuum? Qui ſolis luci feneſtras occludit quò in tenebris domûs ſuæ ambulans vaſa frangere, ſomno tantùm vacare & alia mala patrare queat: non tu eum plagis dignum diceſ? Id faciunt, qui Euangelio non credunt vel non obediunt. Si cæcus in ſyluâ oberrans, ducem viæ nactus, illi ſe opponeret, & ducentem ſequi nollet, quid de illo diceres? Omne genus humanum poſt lapſum Adami, in ſyluam ignorantiæ & cæcitatem incidit: Vnde paſſim turpiſſimè errauit, etiam in iis quæ ſcire omnino debebat; vti in prouidentiâ diuinâ, in animæ immortalitate, in cognitione vltimi finis & mediorum ſeu viæ ad illum: ita vt M. Varro teſte D. Auguſtino *l. 19. de Ciuit.* cap. 1. numeret ducentas & octoginta opiniones ſeu potiùs deliramenta & errores hac de re. Præſumebant ſe inuenire poſſe vltimum finem & beatitudinem in hac vitâ (alterius enim vitæ cognitionem non habebant) quæ tamen nihil eſt aliud quàm immenſum infinitarum miſeriarum pelagus & mare continuis mutationibus perturbationibuſque obnoxiũ. Quærebant beatitudinem in diuitijs, voluptatibus & honoribus: & propterea in omnia vitiorum genera proruebant. Vnde inuehitur in eos Auguſt. l. 4. *Confeſſ.* c. 12. *Quò vobis adhuc & adhuc,* inquit, *ambulare vias difficiles & laborioſas? Non eſt requies, vbi quæritis eam. Quærite quod quæritis; ſed ibi non eſt, vbi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis: Non eſt illic. Quomodo enim beata vita, vbi nec vita?* ſic ille. Tanguntur & hic hæretici noſtri, quoniam à craſſiſſimis errorum ſuorum tenebris liberari nolunt, ideoque iure damnabuntur. Quid enim magis erroneum quam Deum eſſe auctorem peccatorum? hominem non eſſe liberi arbitrij? præcepta à Deo impoſita eſſe impoſſibilia ſeruatu? Bona opera nihil prodeſſe, imò obeſſe & eſſe peccata? faciliùs & ſecuriùs ſaluare nos poſſe malis operibus quàm bonis? Chriſtum non eſſe in Euchariſtia niſi in ſumptione? &c. Demum vident iacere ſe in cœno vitiorum, quæ fouet illorum ſecta. Viderint ergò qui inde erui volunt: imò oculos claudunt ne videant hanc lucem.

I. VIII. Quare plurimi diligunt magis tenebras quàm lucem.

Q. Octavò, Quare quamplurimi homines diligunt magis tenebras ignorantiæ & vitiorum, quàm lucem veritatis & virtutis? Nónne omnis homo à naturâ non degenerans, veritatem amat eamq́ue ſcire ſuper omnia deſiderat? vt ait D. Thomas *in proœmio opuſc. c. 37.* Et Lactantius l. 1. de falſa relig. c. 1. *nullus ſuauior animo cibus eſt, quàm cognitio veritatis.* Similiter nónne virtus eſt homini maximè connaturalis & amabiliſſima, vitium verò fœdum & abominabile? Ad hoc reſpondet Dominus: *Erant enim eorum opera mala. Omnis enim qui malè agit, odit lucem & non venit ad lucem vt non arguantur opera eius.* Delectabilis quidem eſt lux Solis, ſed non furi, nec veſpertilionibus, nec feris quæ prædas agunt. Suauis quidem cibus eſurienti, ſed non corrupto palato. Ita veritas & virtus non arridet reprobis, quia eorum turpitudinem, leuitatem, fraudes, dolos, ſtultitiam oſtendit.

Sic etiam hæretici noſtri temporis vident quidem ſe in tenebris verſari, vident à longè lucem fidei veræ in Eccleſiâ Catholicâ, ex plurimis argumentis palpabilibus; non tamen veniunt ad lucem; imò fugiunt conciones & conuerſationes Catholicorum, nolunt quidquam audire de fide, nec legere libros noſtros; partim quia nolunt videri erraſſe: partim quia amant vitia & voluptates quibus ſunt addicti & quibus renuntiare deberent, ſi Catholici fierent; dormiunt ſuauiter in ſuis tenebris: partim quia nimium ſuo capiti credunt, vnde certa eſſe putant, quæ contra Catholicos à ſuis ſeductoribus audiunt, putant certiſſimè eos committere multas Idololatrias, ſuperſtitiones & errores, atque hoc ex mero odio erga illos. Omnes enim hæretici ſemper Eccleſiam perſequuntur & accuſare ſolent.

Noſtrûm eſt Deum ſedulò rogare tam pro illuminatione hæreticorum, quàm pro noſtrâ in fide perſeuerantiâ.

DOMI-

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

Euangelium Ioan. 10.

IN illo tempore, dixit IESVS Phariſæis: Amen, Amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium: huic oſtiarius aperit: & oues vocem eius audiunt: & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oues emiſerit, ante eas vadit: & oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius, Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis IESVS. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum IESVS: Amen, Amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium. Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones: ſed non audierunt eos oues. Ego ſum oſtium, per me ſiquis introierit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. Fur non venit niſi vt furetur & mactet & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.

CONCIONES.

I. *Variæ Spiritûs ſancti functiones in hoc mundo.*

II. *Media ad Chriſtianam perfectionem inſpirata à Spiritu ſancto primis Chriſtianis.*

III. *Quibus ex cauſis ferè contemnatur Magiſtratus.*

IV. *Dæmones cur in mundo.*

V. *Foramina per quæ hæreſis irrepſit in Germaniã.*

VI. *Cæremoniæ Sacramenti Confirmationis exponuntur.*

VII. *Quatuor fines ſacrificij Miſſæ.*

VIII. *Probantur Indulgentiæ.*

IX. *Myſteria.*

CONCIO I.

Variæ Spiritus ſancti functiones in hoc mundo.

Inter miranda opera quæ operatur Spiritus S.

1. *Illuſtrat Eccleſiam vt radius ſolis terram.*
2. *Fœcundat & irrigat Eccleſiam, vt Fons Paradiſum.*
3. *Fruges bonorum operum promouet inſtar venti.*
4. *Auctor eſt charitatis & gratiæ inſtar cordis in homine.*
5. *Partitur dona ſua fidelibus ceu paterfamilias.*
6. *Sedet in Eccleſia docens eam, velut Magiſter in ſchola.*
7. *Dat complementum Eccleſiæ per Chriſtum extructæ inſtar Architecti.*
8. *Dirigit eam vt Nauarchus nauigium.*
9. *Excolit inſtar hortulani.*
10. *Aduigilat Eccleſiæ oſtio, vt non quoſuis paſtores in eam admittat.*

THEMA.

Huic oſtiarius aperit, Ioan. 10.

A. IN diuinis perſonis, Auditores, perſona Spiritûs ſancti minùs nobis perſpecta & cognitu difficilior videtur, quia eius operationes admodum ſubtiles & occultæ ſunt, & plerumque in intimis hominum penetralibus. Quæ cauſa eſt, cur Philoſophi gentiles veſtigium aliquod deprehenderint Patris & Filij, non item Spiritûs ſancti, vt docet Macrobius in lib. de ſomnio Scipionis, & ex eo D. Thomas *in* 1. *ad Rom. lect.* 6. Poſuerunt enim *primum principium*, Deo patri correſpondens: poſuerunt & primam mentem creatam, quam vocabant *primum intellectum*, correſpondentem Filio. Nihil poſuerunt, quod reſponderet Spiritui ſancto. Quin etiam plerique Iudæi penè nullam cognitionem Spiritûs ſancti habuere: non ſolùm quia ipſius proceſſio à Patre & Filio per mutuum vtriuſque amorem prorſus obſtupeſcenda eſt, cui nihil vel in modico comparari queat: verùm etiam quia opera eius magis ſunt recondita. Non tamen idcircò ea ſiue pauciora, ſiue minùs neceſſaria ſunt. Quemadmodum enim ventum nec tangimus, nec videmus: & tamen eius effectus magnos & miros deprehendimus; Quis eſt, qui tibijs vtricularibus & organis ſuauem dat concentum? ventus. Quis rotam molæ circumagit? ventus. Quis promouet nauigia & affert ex omni orbe diuitias? ventus. Quis fabrorum incendit carbones ad cudendum ferrum? ventus. Ergò ventus tibicen, ventus & organicen, ventus molitor, ventus nauta, ventus faber ferrarius eſt, quia horum operas perficit. Par ratio eſt de Spiritu ſancto qui propterea appellatur Spiritus; & per modum aſpirationis collatus à Chriſto eſt Apoſtolis, & his diebus in ſpecie ſpiritûs vehementis ſeu venti demiſſus eſt in fideles; quia inſtar venti magna & miranda efficit in mundo, tametſi modus efficiendi nobis occultus ſit. Quare ingrediamur aliquantulum officinam Spiritûs ſancti, & per ſymbola contemplemur mira eius opera. Rogemus tamen priùs, vt nos in muſæum ſuum introducere dignetur.

B. I. Spiritus ſanctus eſt radius ſolis.

PRIMÒ, Quid eſt in mundo Spiritus ſanctus? Quod eſt in orbe radius ſolis. Hic enim à ſole prodiens: Primò vniuerſam illuſtrat terram facitque omnia conſpicua & manifeſta, non modò vt cernantur, ſed vt etiam cum
1. voluptate cernantur; per eam enim varietas, color, decor & pulchritudo rerum omnium apparet: ita Spiritus S. à Patre & Filio procedens per os Apoſtolorum & Prædicatorum, per Concilia Sanctorum Patrum, per libros Doctorum, per oraculum ſedis Apoſtolicæ totam illuminauit Eccleſiam, vt non modò omnia, quæ ad fidem & bonos mores vitamque Chriſtianam bene & beatè docendam ſpectant, ſint perſpicua, verùm etiam conſiderantibus, audientibus, legentibus ſummam voluptatem pariant. Quemadmodum ergò ſi lucem pellas de mundo, vel *de nocte lucernam è domo, ſupereſt vt nihil videant oculi, nihil operentur viuentes, nec agnoſcatur rerum dignitas, ſed per ignorantiam aurum perinde conculcetur ac ſi ferrum eſſet: ita in intelligibili gubernatione impoſſibile eſt illam inſtitutam manere vitam abſque Spiritu*, inquit D. Baſilius lib. *de Spiritu S.* Si enim Spiritu S. deſtituta foret Eccleſia nil niſi obſcuriſſima nox foret, qualis cernitur apud hæreticos, qui perpetuò inter ſe contendunt de fidei dogmatibus, ſcripturæ intellectu: nulla ipſis vera pietas aut virtutum ſtudium. S. Euchariſtiam, Sanctos eorumque reliquias, S. Miſſam, Sacramenta & Sacramentalia pedibus calcant, quaſi lutum forent: quia lumine Spiritûs S. carent. Deinde *lux eſt menſura & numerus ho-*
2. *rarum, dierum totiusq; labentis temporis*, inquit S. Dionyſius l. 4. *de diuinis nom.* c. 1. Ita Spiritus S. docet nos numerum ſacrorum librorum, numerum Sacramentorum, decurſum Eccleſiæ Catholicæ ab Apoſtolorum tempore vſque ad noſtrum, ſeriem Pontificum, annos & dies regiminis eorum & quæcunque ad decorem ac regimen Eccleſiæ ſpectant; ita vt ſciamus nos Catholici, quæ hora diei ſit, vbi & quo in ouili & quàm ſecurè ſimus. Reddit etiam Spiritus S. iuſtis teſtimonium, moraliter ſaltem certum, ipſos eſſe filios Dei.

C. II. Fons Paradiſi.

SECVNDÒ, Quid in mundo Spiritus S.? Quod in paradiſo fuit fons ſeu abyſſus aquarum, quæ per varios terræ meatus ſe effundens irrigauit totam terram, Gen. 1. & 2. Audiamus Cyrillum Ieroſolymitanum: *Paradiſum totum*, inquit Catecheſi 16. *fons viuus irrigauit & vna pluuia in vniuerſum deſcendit mundum, quæ alba quidem fit in ſpinis, rubea in roſis, purpurea in hyacinthis, ac in diuerſis ſpeciebus diuerſa, & in omnibus fit omnia, cùm nihilominùs eadem ſit, eiuſdemq; ſpeciei. Sic & Spiritus S. cùm ſit vnus & idem & non diuiſibilis, vnicuique diuidit gratiam prout vult, &c.* Ergò ſicut ille irrigauit paradiſum & modò fontes ac fluuij rigant ac fœcundant vniuerſam terram omniſque generis frugum fertilem efficiunt eademque aqua in alijs & alijs floribus & frugibus, alium & alium progignit colorem, odorem, ſaporem, &c. ita Spiritus S. donorum & gratiarum ſuarum influxibus lætificauit & fœcundauit totam Eccleſiam, vt varios vndique virtutum flores & bonorum operum fruges produceret in virginibus lilium caſtitatis, in martyribus roſam patientiæ, in monachis & Eremitis hyacinthum vitæ cœleſtis, &c. Quamobrem de Spiritu S. intelligunt S. Baſilius, Auguſtinus & alij illud pſalmi 45. *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: ſanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus.* Porrò per ciuitatem & Dei tabernaculum intelligunt Eccleſiam. Quidquid igitur in Eccleſiâ admirandi ſplendoris, quidquid virtutum in ſanctis cernimus, irrigationi Spiritûs S. tanquam fonti tribuendum, qui merita Chriſti Domini velut aquas in Eccleſiam effudit & fidelibus applicauit.

D. III. Ventus in aëre.

TERTIÒ, Quid in mundo Spiritus S.? Quod eſt ventus in aëre. Nam Primò *ſicut non eſt poſſibile*, inquit D. Chryſoſtomus hom. 20. op. im-
perf. *vt ex ſolâ pluuiâ fructificet terra, niſi ſuper* 1.
eam flauerit ventus: ſic non eſt poſſibile vt ſola doctrina corrigat hominem, niſi cooperatus fuerit Spiritus S. in corde ipſius. Ergò inſtar venti fruges bonorum operum promouet, homines conſolidat in virtute. Secundò ſicut ventus præſer-
tim vehemens, vti turbo, turres deijcit, arbo- 2.
res euellit, rupes ſcindit: ita Spiritus S. per Apoſtolorum prædicationem mundum Idololatricum euertit, potentiam, ſapientiam, eloquentiam Tyrannorum & Philoſophorum ſtrauit. Idemque adhuc cùm opus eſt, facit in Eccleſiâ; nam & ſuperbos deiicit iuxta id Pſ. 47. *In Spiritu vehementi conteres naues Tharſis*; hoc eſt, ſuperbos, obſcœnos, auaros: qui in aquis & delitijs mundi volutantur: arbores etiam ſteriles, fideles inquam, malè & impiè viuentes, ſæpenumerò euellit radicitùs & eijcit extra Eccleſiam: econtrà multos obſtinatos, ſaxo duriores ſcindit ad pœnitentiam.

Tertiò, Quemadmodum ventus aërem
perpurgat & ſalubrem ac ſerenum reddit, fœ- 3.
tores tollit, telas aranearum diſſipat & lacerat: ita Spiritus ſanctus Eccleſiam Chriſti purgat modò perſecutionibus, modò hæreſum permiſſione. Hinc enim ſerenitas redit Eccleſiæ; fœtores vitiorum, è quibus hæretici velut pediculi è pedore corporum & veſtium prodire ſolent, tolluntur; denique ipſæ etiam hæreſes velut aranearum telæ vento iſto diſſlantur & in ſchiſmata lacerantur tandemque euaneſcunt.

E. IV. Cor in homine.

QVARTÒ, Quid in mundo Spiritus S.? Quod eſt cor in homine. Vnum quoddam corpus myſticum eſſe Eccleſiam conſtat. Caput eius Chriſtus eſt ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Collum Deipara, quia capiti viciniſſima, de quâ natus eſt IESVS, caput noſtrum; quo modo à collo prodit caput. Oculi ſunt Antiſtites: Lingua Concionatores & Doctores: Dentes Religioſi: Aures Confeſſarij: Manus & pedes cæteri fideles operibus bonis intenti. Cor eſt Spiritus S. vti docet S. Gregorius Nyſſenus & D.
Thomas. Primò, quia ſicut cor eſt ſedes amo- 1.
ris, ita

ris ita & Spiritus ſanctus, quia in eo terminatur amor Patris & Filij, vnde vocatur etiam amor vtriuſque, quia per modum amoris ab vtroque procedit Quando ergò Pater & Filius dedit nobis Spiritum ſanctum, dedit quodammodò cor ſuum.

2. Secundò, quia ſicut cor eſt fons caloris & ſpirituum vitalium, quos toti corpori ſubminiſtrat: ita Spiritus ſanctus auctor & origo eſt charitatis & gratiæ, cæterarumque virtutum & bonarum actionum inde prodeuntium; quidquid enim per charitatem homo operatur, id vitale, hoc eſt, ſupernaturale eſt, vitæ æternæ meritorium. Quare ſicut per cor viuit totum corpus: ita per Spiritum ſanctum viuunt vitâ ſupernaturali, quæ eſt gratia omnium iuſtorum animæ, quorum etiam actiones omnes ſunt vitales, beneficio illius gratiæ.

3. Tertiò, quia ſicut hominis cor vigilat perpetuò, dormientibus etiam cæteris membris, cùm in perpetuo motu ſit, (vnde à curâ dictum docet Iſidorus l. 11. Etym. c. 1.) ita Spiritus ſanctus pro omnibus Eccleſiæ membris vigilat continuò. Nam quando ipſi etiam minimè de ſalute ſuâ cogitant, procurat interim Spiritus S. ſalutem eorum, excitando ad pœnitentiam, promouendo in bono, animando, conſolando, inſtruendo, arguendo, puniendo. Vnde Sponſæ vox illa: *Ego dormio & cor meum vigilat*, Cant. 5. q. d. me dormiente & aliis rebus occupatâ, Spiritus ſanctus vigilat & res meas curat ac moderatur.

F. V. Paterfamilias in domo.

QVINTÒ, Quid in mundo Spiritus ſanctus? Quod in domo paterfamilias. Quemadmodum enim paterfamilias diſtribuit familiæ ſuæ neceſſaria ad vitam, victum, amictum, mercedem, maiorem vel minorem pro cuiuſque exigentiâ: ita Spiritus ſanctus partitur in Eccleſiâ dona ſua fidelibus, vni gratiam docendi & explicandi ſcripturam, alteri concionandi, alij morbos ſanandi, miracula patrandi, &c. Et propterea effundi à Deo dicitur inſtar pluuiæ, *Ioëlis* 2. & à Petro Act. 2. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*, &c. Quemadmodum enim aqua pluuialis è nube effuſa, dum per aëris regionem decidit, in minutiſſimas guttas diuiditur, vt in omnes terræ partes, ad minimas etiam herbulas & gramina placidè ſe inſinuet, omnibuſque viuentibus ſuam portionem diſpertiat, vt habeant vnde viuere & creſcere queant: ita Spiritus ſanctus neminem adeò negligit, vt non ei ſufficientem gratiam impertiat, ad hoc vt poſſit conuerti, viuere Deo & creſcere in virtutibus. D. Bernardus *ſerm.* 2. *in Pent.* aſſerit eum tria potiſſimùm dona hominibus impertire.

Tria maximè dona impertit homini.

Primò, pignus ſalutis, ſeu teſtimonium quòd ſint filij Dei, quo ingenti ſolatio animantur iuſti. Secundò, robur vitæ vt in laboribus, vigiliis & in omnibus mandatorum obſeruantiis delectabiliter incedant. Tertiò, ſcientiæ lumen, vt cùm omnia bene fecerint, ſeruos ſe inutiles putent & quidquid boni in ſe inuenerint, illi tribuant, vnde omne bonum eſt.

O. VI. Magiſter in ſcholâ.

SEXTÒ, Quid in mundo Spiritus S.? Quod in ſcholâ Magiſter. Quemadmodum enim in formâ ignearum linguarum ſedit ſupra Apoſtolos: ita velut Doctor ſedet in Eccleſiâ; & 1.
Primò docet & illuminat Eccleſiam eiuſque Paſtores, præſertim ſummum Pontificem interno lumine, vt ne in rebus fidei definiendis ac docendis errent, inſtruitque eos contra hæreſes. Deinde fidelibus omnibus tantum infundit lumen fidei & ſapientiæ, vt eo præſtent omnibus Gentilium Philoſophis, idque à pueritiâ facillimè arripiant. Addit etiam externum lumen, conciones, libros pios, Præceptores, Confeſſarios, Paſtores à quibus iuuari poſſunt & diſcere neceſſaria.

Secundò, Creat multos è ſuis diſcipulis Magiſtros & Doctores, conferendo illis non 2.
ſolùm excellens lumen, ſed etiam gratiam docendi alios & zelum animarum multoties magno cum impetu & mirâ animi immutatione, vti videre erat in Saulo; qui quamprimùm credidit & baptizatus eſt, continuò intrauit ſynagogam & prædicauit Chriſtum, confuditque Iudæos. Videre erat in alijs quoque. *Implet namque cytharœdum* (inquit D. Greg. *hom.* 30. *in Euang.*) *puerum & pſalmiſtam facit. Implet paſtorem armentarium ſycomoros vellicantem, & prophetam facit. Implet abſtinentem puerum, & iudicem ſenum facit. Implet piſcatorem, & prædicatorem facit. Implet perſecutorem, & doctorem gentium facit. Implet publicanum, & Euangeliſtam facit. O qualis eſt artifex iſte Spiritus, nullâ ad diſcendum morâ agitur in omne quod voluerit: Mox enim vt tetigerit mentem, docet, ſolumque tetigiſſe, docuiſſe eſt.*

Tertiò, imbuit etiam bonis moribus fideles; dirigens Primò ſuperiores vt condant ſalutares leges. Inde orti SS. Canones qui nihil 3.
aliud ſunt, niſi iuſtiſſimæ & ſaluberrimæ leges ac regulæ ſummorum Pontificum, Conciliorum, Epiſcoporum: ſecundùm quas Chriſtiani vitam ſuam conformare iubentur. Secundò emolliens ſubditorum voluntatem, vt ſuaui Chriſti iugo colla ſua ſubiiciant.

H. VII. Architectus in ſtructurâ.

SEPTIMÒ, Quid in mundo Spiritus S.? Quod in ſtructurâ Architectus. Scimus Deo Patri tribui mundi creationem: ſcimus eiuſdem reparationem à Filio Dei factam, adeoque etiam Eccleſiam ab ipſo fundatam & ædificatam. Verùm vltimam manum magnificam huic ædificio impoſuit Spiritus S. Non quòd Pater & Filius ſuam manum non adhibuerint ad conſummationem huius operis: ſed quòd hæc perfectio propriè attribuatur Spiritui, qui cùm ſit complementum totius SS. Trinitatis, rectè etiam tribuitur ei complementum mundi tam reparati quàm creati. Nam quod attinet ad creationem mundi, ſatis apertè docet ſcriptura, mundi perfectionem tribuendam Spiritui ſancto, Gen. 1. cùm ait: *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Ferebatur*, hoc eſt (vt ex Hebræâ voce, *merachephet* exponunt Baſilius & Hiero-

Hieronymus) *incubabat aquis* quaſi auis nido & pullis, cùm fouere eos volens, ſe demittit in nidum, vt etiam indicat Eccleſia in benedictione fontium Spiritui ſancto accinens: *Tu ſuper aquas foturus eas ferebaris.* Quod ergò adhuc rudis & indigeſta moles erat, Spiritus ſanctus fouere & perficere ac quodammodò ex aquis velut ex ouis excludere reliquas mundi creaturas cœpit. Idem confirmatur ex Pſal. 32. vbi legimus: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, Hieronymus Hebræam vocem *zebaam* vertit: *ornatus eorum.* Ergò per verbum Dei mundus quidem creatus: per ſpiritum verò oris diuini perfectus & ornatus eſt. Ergò etiam ornatum & complementum Eccleſiæ Chriſti iure attribuimus Spiritui ſancto; Negari enim non poteſt, Chriſti paſſi & reſuſcitati tempore mundum adhuc fuiſſe tenebris Idololatriæ & ſcelerum aliorum vndique refertum, pleroſque etiam Iudæos in ſuâ obſtinatione perſtitiſſe. Ergò poſt aſcenſionem Chriſti cœpit Spiritus incubare mundo & fouere pullos Chriſti, aggregando eos Eccleſiæ & virtutibus expoliendo: cœpit viuis coloribus domum à Chriſto iam ante erectam, vndique depingere & aulæis exornare: cœpit Eccleſiæ templum à Chriſto extructum, velut Epiſcopus, ſanctificare & ſacris ritibus inaugurare, adeoque Chriſti ſponſam facere ſanctam, impollutam, non habentem maculam aut rugam.

I. VIII. Nauarchus in nauigio & ductor in viâ.

Octavò, Quid in mundo Spiritus ſanctus? Quod in viâ ductor, in nauigio nauarchus. Vt enim ductor viæ gnatus & peritiſſimus nauarchus maximo ſunt ſolatio, & præſidio iis, qui iter terrâ marique faciunt: ita etiam Spiritus ſanctus cùm ſit Dux & nauarchus
1. Eccleſiæ, omnibus fidelibus ſummam afferre confidentiam debet. Monſtrat enim nobis primò viam vitæ æternæ adinſtar columnæ illius, quæ Hebræos duxit per deſertum ad terram promiſſionis, Num. 9. quia *ſancti per Spiritûs S. ſeptiformem gratiam aditum vitæ cœleſtis inueniunt*, inquit Ven. Beda. Monſtrat autem per ſuperiores, per conciones, per libros pios, per internas inſpirationes, &c.

2. Deinde ſicut columna illa monuit quando proficiſcendum, quando ſiſtendum eſſet: ita Spiritus S. per Epiſcopos monet fideles ac inſtruit, quando ieiunandum, feriandum, confitendum, communicandum: quando preces publicæ & ſupplicationes inſtituendæ aliaque ad
3. Dei cultum ritè peragendum pertinentia. Tertiò, Quemadmodum columna illa defendit Hebræos, cùm Ægyptii eos inſequerentur, vti legimus *Exod.* 14. ita Spiritus S. protegit Eccleſiam contra eius aduerſarios, Turcas, Hæreticos, Cacodæmones. Quod etiam prædictum Zach. 2. *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.* Quis hic murus igneus, niſi Spiritus S. ſpecie ignis delapſus ſuper nouellam Chriſti Eccleſiã? Columna illa de die protexit Hebræos ab æſtu, de nocte à frigore: ita Spiritus S. protegit & conſolatur Eccleſiam in omni aduerſitate, ſi oppugnent hæreſes, ignea illi veritatis columna eſt; ſi oppugnent tentationes & plagæ, erit ei columna nubis ſeu conſolationis.

K. IX. Hortulanus in horto.

Nonò, Quid in mundo Spiritus S.? Quod in horto hortulanus. Vt enim is hortum ſuum perpetuò perambulat, ac luſtrat quid eius culturæ deſit: modò euellit noxias herbas, modò plantat bonas: modò terram vertit, modò eandem impinguat: modò areolas efformat in varias figuras: ita Spiritus S. excolit Eccleſiam inprimis, deinde in ſpecie, vniuſcuiuſque animam, quæ ſe eius culturæ permittit, vti teſtatur S. Chryſoſtomus hom. 31. in Ioan. *Tanquam hortum virentem*, inquit, *& ſemper florentibus arboribus comantem, ita promptam animam diſponit* (Spiritus S.) *vt nullâ anxietate, nullis Satanæ inſidiis, diſtrahi ſinat, ſed omnia ardentia militia tela extinguat.* Itaque ab Eccleſia & cuiuſque animâ extirpare inprimis vitia conatur per frequentem vſum Sacramentorum, per cenſuras & adhortationes: deinde implantare virtutes nititur & primorum Chriſtianorum auitam pietatem reuocare vel ſaltem nobis inculcare vt intelligamus quàm longè receſſerimus à maiorum noſtrorum fide, zelo & feruore. Rurſum conceſſis crebrò indulgentiis plenariis hortulum impinguat prouocando fideles ad pœnitentiam & bona opera. Adhæc certis temporibus inſtituit viſitationes & reformationes abuſuum introductorum; excitat & inſtituit nouos religioſorum cœtus quaſi pulcherrimas florum areolas, vt eos incitet ad nouum virtutis amorem etiam ſæculares. His ergò & ſimilibus modis Eccleſiam communit & diſponit, vt nullis Satanæ inſidiis cedat, ſed ſit hortus concluſus, vti canit ſponſus Cant. 4.

L. X. Oſtiarius in ouili.

Decimò, Quid in mundo Spiritus S.? Quod in ouili eſt oſtiarius, vti legimus in hodierno Euangelio, & de Spiritu ſancto exponit Theophylactus nec non D. Auguſtinus. Ergò ſicut oſtiarius non obuios quoſque intromittit in ouile, ſiue homines ſiue pecora: ſed paſtorem legitimum & oues tantùm ad ouile ſpectantes; ita Spiritus ſanctus aduigilat Eccleſiæ oſtio vt non quoſuis paſtores in eam admittat; ſed ab Eccleſiâ approbatos & idoneos, poſt acceptam à Magiſtratu Eccleſiaſtico iuriſdictionem, quod nequaquam obſeruari poteſt apud hæreticos, cùm non habeant Epiſcopos ſeu Magiſtratum Eccleſiaſticum. Adhæc attendit etiam Catholicis & idoneis alioqui ſacerdotibus, vt cum Simone illo ſancto in ſpiritu veniant in templum; non per fraudem, vim, vel ſimoniam inuadant paſtoralia munera aliaſque Eccleſiaſticas dignitates. Tales enim acerrimè plectit, & cùm poteſt, ſtatim exturbat atque à fidelium communione ſegregat per anathema.

Nihilominùs obſeruat etiam Spiritus ſanctus cæteros, quando Eccleſiam ingrediuntur per baptiſmum vt ne, ſi adulti ſint, rudes & ignari, ſed priùs in fide bene inſtructi ſuſcipiant

Digitized by Google

piant baptiſmum : vt abſit fictio & dolus : vt habeant ſuſceptores qui pro eis eorũque in fide cõſtantiâ atque obedientiâ ſpondeant, &c. Denique ad fidelium quorumuis oſtium, quod eſt cor illorum, excubare ſolet, eoſque ſuauiter monere vt ne pulſanti ad oſtium Chriſto (velut cùm eos ad pœnitentiam, ad religionem, vel præclarum aliquod virtutis opus vocat) fores oppeſſulare velint, ſed diabolo tantùm occludant ad malum prouocanti. Chriſtus ſanè per os Ioannis Apoc. 3. ait: *Ego ſto ad oſtium & pulſo; ſiquis audierit vocem meam & aperuerit ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo & ille mecum.* Ex quibus verbis patet, in poteſtate hominis eſſe aperire Chriſto & non aperire. Ergò Spiritus S. ſedulò adlaborat vt perſuadeat fidelibus ne excludant ſponſum ſuum, ſed cum ſponsâ dicant : *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo*, Cant. 5. memor illius cœnæ, quam vnà cum ſponſo percipiet partim hîc per gratiam, partim ibi per gloriam; quam nobis impertiat oſtiarius cœli, Spiritus S. cum Patre & Filio.

CONCIO II.

Media ad Chriſtianam perfectionẽ inſpirata à Spiritu S. primis Chriſtianis.

Aſſignantur ea ex Actorum 2. cap.

1. *Verbi Dei ſincerus auditus.*
2. *S. Communio digna & frequens.*
3. *Aſſidua oratio.*
4. *Abdicatio bonorum.*
5. *Solitudo & mentis receſſus.*
6. *Eleemoſyna.*
7. *Gaudium ſpirituale.*

THEMA.

Ego veni vt vitam habeant & abundantiùs habeant. Ioan. 10.

A. QVàm diuerſi, quàm contrarij ſibi, Auditores, ſunt Spiritus S. & ſpiritus malus? Spiritus malus impulit filios Noë, primos poſt diluuium homines, vt turrim vanitatis ſibi ædificarent, cuius culmen vſque ad cœlum pertingeret, non quò in cœlum aſcenderent, ſed quò nomẽ ſibi in terrâ facerent adeoque per ſuperbiam rectà in Orcum deſcenderent, *Gen.* 11. Spiritus verò ſanctus filios Chriſti, primos poſt Dominicæ paſſionis diluuium Chriſtianos : vt turrim perfectionis Chriſtianæ ſibi ædificarent, cuius culmen ad cœlum, hoc eſt, ad angelicam ſanctitatem proximè accederet, non quò ſibi nomen in terrâ facerent, ſed quò per humilitatem vſque ad cœlum & cœleſtem beatitudinem ſcanderent. Quantum igitur turris illa Babel, turris vanitatis diſplicuit Domino Deo, tantum hæc Chriſtianorum turris ſanctitatis placuit eidem. Quare in ſtructurâ illâ confudit Deus linguas hominum & vnam omnium diſſecuit in diuerſas, vt nemo alterum intelligeret : in hac verò econtrà omnium penè nationum linguas inter ſe diuerſiſſimas adeò vniuit & in vnum quodammodò os congeſſit, vt omnes ſe mutuò intelligerent. Ibi ciuis ciuem, propinquus propinquum minimè intellexit, hîc peregrinus peregrinum quaſi conciuem ſuum optimè intellexit. Ibi qui in vnum congregati erant, diſperſi ſunt per orbem in varias nationes : hîc qui priùs diſperſi erant, congregati in vnum Eccleſiæ ouile & fidei communionem. Ibi vanitas & ſuperbia hominum turrim quam inceperant, reliquit imperfectam : hîc fides & humilitas credentium turrim ſanctitatis cœptam perduxit vſque ad altiſſimæ perfectionis culmen. Vnde S. Gregorius *hom. 30. ſuper Euangelium, quæ eſt in Feſt. Pentec.* ait: *Qui contra Deum turrim ædificare conati ſunt, communionem vnius linguæ perdiderunt. In his autem qui Deum humiliter metuebant* (primis Chriſtianis ſcilicet) *linguæ omnes vnitæ ſunt. Hîc ergò humilitas virtutem meruit, illic ſuperbia confuſionem.* Atque hæc eſt contrarietas, hoc diſcrimen Spiritûs S. & ſpiritûs mali, quod depingit Dominus in hodierno Euangelio, cùm de ſe quidem & ſpiritu ſuo ait: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*; abundantiùs, hoc eſt, non ſolùm vt per gratiam viuant, ſed vt vitam viuant, perfectam omni virtutum genere & Spiritûs ſancti donis exornatam. De ſpiritu verò malo ait: *Fur non venit niſi vt furetur & mactet & perdat.* Sed nos relicto iam fure eiuſque aſſeclis, contemplemur Spiritûs ſancti ſtructuram in primis Chriſtianis eorumque perfectionem.

Quid in primis illis Chriſtianis operatus ſit Spiritus ſanctus recèns illis datus, legimus Actorum cap. 2.

PRIMÒ, *Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum*, ſed quâ ratione? eam audiendo ruminando & meditando, in opus redigendo ſibique applicando. Hæc enim tria inculcat Deus Hebræis inprimis Deut. 6. cùm per Moyſen ait : *Erunt verba mea in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tuâ & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tuâ, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos.* Ergò qui perfectionis Chriſtianæ turrim vult extruere, fundamentum in animâ ſuâ ponat, Dei verbum; idque primò ſedulò audiat non aure corporis tantùm, ſed & cordis. Propterea enim tabulæ legis Moſaicæ in arca fœderis aſſeruabantur, 3. *Reg.* 8. quia Dei verba maximo ſtudio aſſeruanda velut verba vitæ æternæ ſunt. Deinde ſæpè ea ruminet ac repetat, partim ſecum, partim cum aliis, liberis præſertim ac ſubditis, ſi quos habeat; *Narrabis ea filijs tuis*, inquit Moyſes : Hebraicè : habetur: *acues ea.* q. d. iterabis & ſæpiùs repetes, quomodo culter acuendus crebrò affricatur coti. Vnde ſubdit : *& meditaberis in eis ſedens, ambulans, dormiens atque conſurgens.* Neque hic ſiſtendum, ſed opere etiam implenda ſunt Dei verba, vnde ſubiicit Moyſes : *Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tuâ, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos.* Quid verò eſt manui alligare

B. I. Verbi Dei ſincerus auditus.

alligare Dei verba niſi opere ea implere? quid ponere inter oculos, niſi ad ea velut ad regulam & exemplar conformare greſſus & actus ſuos? ſicut enim qui in alto mari nauigat, ſi nolit à viâ aberrare, ad acum nauticam recurrit eamque ſemper quaſi præ oculis habet: ita voluit Deus proponi nobis verbum ſuum, ne à ſalutis itinere deflectamus. Vnde Dauid ait: *Lucerna pedibus meis Verbum tuum*, Pſal. 118. Bonorum itaque Chriſtianorum eſt Verbum Dei eſurire & cũ guſtu capere: libenter de rebus ſalutis loqui: promptè obedire Spiritui S. & velle dirigi, moneri, corrigi à viro ſpirituali. Quæ ſiquis in ſe experiatur, næ is ſignum habet inhabitantis in ſe Spiritûs S. Nam *vti eſurire*, inquit D. Chryſoſtomus hom. 14. in Gen. *ſignum eſt valetudinis in corpore: ſic amare diuina eloquia, indicium maximum ſanitatis in animâ*. Rurſum ſicut ignis ceram emollit & tractabilem facit atque ad omnium rerum ac ſigillorum formas recipiendas diſponit: ita Spiritus S. habitans in homine diſponit eum ad recipiendum Dei Verbum eique obediendum.

C. II. S. Communio digna & frequens.

SECVNDÒ, *Erant perſeuerantes in communicatione fractionis panis*, hoc eſt, in ſacræ Euchariſtiæ communione, quæ etiam ab Apoſtolo & SS. Patribus vocatur *fractio panis* & *communio*; tum quia eſt communis menſa omnium fidelium, tum quia in eâ vnum & eundem panem in indiuiduo omnes comedimus, quod in alijs cibis non fit; tum quia per eam inter nos & cum Chriſto vnimur. Alterum ergò animæ noſtræ pabulum, quo mirum in modum creſcere & proficere ad ſanctitatem poſſumus, eſt frequens & perſeuerans vſus S. Euchariſtiæ. Quemadmodum enim panis corporalis reſtaurat & roborat vires corporis: & quomodo lignum vitæ in paradiſo vitam hominibus perpetuò conſeruaſſet, ſi tamen ſæpiùs de eo guſtaſſent: & quemadmodum Hebræos in deſerto cœleſte manna ſemper refecit & perduxit tandem ad terram promiſſam: ita & Euchariſtiæ frequens ac dignus vſus vitam hominibus conſeruat ſpiritualem, & prætereà eoſdem roborat & ſaniores ac ſanctiores ſemper facit, tandemque ad perfectionis apicem & vitam lacte & melle manantem promouet. Pulchrè de hoc profectu vaticinatus eſt Oſeas c. 14. *Ero quaſi ros Iſraël* (ita per ipſum loquitur Deus) *& germinabit ſicut lilium & erumpet radix eius vt Libani. Ibunt rami eius & erit quaſi oliua gloria eius & odor eius vt Libani*: *viuent frumento*. Quæ omnia de Euchariſtiâ intelligit Cyrillus Alexandrinus in Comment. ſuper Oſeam. Ros ergò Euchariſtiam denotat; ſiquidem manna (Euchariſtiæ typus) ad inſtar roris concreti, imò vt Hebræi tradunt, vnà cum manna de cœlo deſcendit.

S. Communionis fructus.

Sed quid boni ex illo rore percipiet Iſraël ſeu Eccleſia?
1. Primò, *germinabit ſicut lilium*, id eſt, mirificè creſcet puritate & candore vitæ, cauendo ab omni peccati inquinamento.
2. Secundò, *Erumpet radix eius vt Libani*, id eſt, iaciet profundas virtutum radices, vt non facilè euelli vento tentationum queat.
3. Tertiò, *Ibunt rami eius*, id eſt, proficiet augmento gratiæ, vti docet Concilium Florentinum & Tridentinum *ſeſſ.* 13. *c.* 2.
4. Quartò, *Erit quaſi oliua gloria eius*, id eſt, replebitur donis & pinguedine Spiritûs S.
5. Quintò, *Erit odor eius vt Libani*, quia fragrantiam odoris & ſanctitatis emittet etiam ad alios.
6. Denique *viuent frumento*. Septuaginta vertunt: *bibent & confortabuntur tritico*, vel vt S. Hieronymus eos exponit, *bibent & inebriabuntur tritico*. Quis verò eſt ille panis qui inebriare poteſt? vtique myſticus tantùm, adeoque Euchariſtia. Hæc non vitam tantùm, ſed & robur ac profectum, tandemque ipſam perfectionis ebrietatem confert homini, dignè eam frequentanti. *Videbitur iſta ebrietas* (inquit D. Auguſtinus ſuper id: *Vinum lætificat cor hominis*. Pſ. 103.) *in operibus veſtris, videbitur in ſancto amore iuſtitiæ, videbitur poſtremò in alienatione mentis veſtræ, ſed à terrenis ad cœleſtia*. Inde ad extremum fit, vt homo totus quaſi alius à ſe fiat & in Chriſtum transformetur iuxta id Aug. *Non me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me*.

D. III. Aſſidua oratio.

TERTIÒ, Perſeuerabant etiam *in orationibus*. Præclarum etiam hoc medium eſt proficiendi ad perfectionem. Cùm enim ſanctitas & perfectio magnum ac rarum Dei donum ſit, vnà cum conatu virtutum oratio adhibenda eſt, ſeria & frequens, quâ à Deo impetretur. Ipſa enim eſt quaſi corona Olympica in certamen propoſita, quæ (vt ſcribit Petrus Faber l. 2. *Agoniſtici* c. 27.) in alto ſuſpenſa, incitato quàm ocyſſimè curſu manibus corripiebatur. Manibus ergò è cœlo detrahimus hanc coronam, cùm frequenti & feruenti oratione manus ad Deum tendimus & mendicorum inſtar clamamus, obſecramus, pulſamus. Scimus ex Luca cap. 11. non ſtatim exauditum fuiſſe qui ab amico ſuo petiit tres panes: ſed diu foris ſteriſſe, diu multumque fores pulſaſſe donec impetrârit. Quid verò tres illi panes, niſi trium ſtatuum tres profectus? Primus eſt incipientium, ſecundus proficientium, tertius perfectorum. Ergò qui tam grandia bona, tertium præſertim, quærit, profectò in orationibus cum primis illis Chriſtianis perſeuerare debebit. Et propereà Dominus ad finem illius parabolæ hortatur: *Et ego dico vobis: Petite & dabitur vobis: quærite & inuenietis; pulſate & aperietur vobis*: Petimus orando: quærimus meditando & diuina myſteria inueſtigando: pulſamus lachrymando & ſuſpirando; vnde Tobias quando cœpit orare cum lachrymis exauditus eſt à Deo, *Tob.* 12. & 13. Vbi Gloſſa interlin. ait: *Oratio Deum lenit, lachryma cogit: hæc vngit, illa pungit*. Ergò qui in ſtatu incipientium vult excellere, oret: qui in ſtatu proficientium, quærat meditando: qui in ſtatu perfectorum, pulſet lachrymis & ſuſpirijs.

E. IV. Abdicatio bonorum.

QVARTÒ, Omnes qui credebant, *erant pariter & habebant omnia communia, poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant & diuidebant illa omnibus prout cuique opus erat*. Pariter quidem erant, tum quia ſtatis horis ad concionem, communionem, orationem conueniebant & animo con-

coniuncti erant. Communia verò omnia (fortunæ bona non vxores) habebant admodum cœnobitarum: (Hinc enim vox cœnobij à κοινὸς, id eſt, communis.) Nemo quidquam ſuum eſſe dicebat. Tales etiam ſub S. Marco erant Chriſtiani Alexandrini, vt teſtatur S. Hieronymus de viris illuſtribus in Philone cùm ait: *Talis primò credentium fuit Eccleſia, quales nunc monachi eſſe nituntur & cupiunt vt nihil vſquam proprium ſit, nullus inter eos diues, nullus pauper: patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur & Pſalmis, doctrinæq́; & continentiæ, quales & Lucas refert primum Hieroſolymis fuiſſe credentes.* Atque hinc orta eſt vita religioſa eorum qui primæuam fidelium vitam æmulari conabantur; quam poſt 300 annos inſtaurauit in Ægypto Antonius, in Græciâ Baſilius, in Africâ S. Auguſtinus, in Syria S. Hieronymus, poſteà S. Benedictus in Italiâ, &c. Porrò hæc paupertas magnum affert ſubſidium ad conſequendam perfectionem, tum quia euertit cupiditatem, quæ eſt cauſa omnium malorum: euertit *meum & tuum, frigidum illud verbum*, quod eſt cauſa omnis diſcordiæ, vt ait S. Chryſoſtomus; tum quia auocat animum à terrenis opibus & delitiis liberatque à mille curis & diſtractionibus adeoque facit hominem liberum & expeditum ad amandum & colendum Deum; ſiquidem *amor rerum terrenarum viſcus eſt ſpiritualium pennarum*, inquit D. Aug. *ſer. 33. de verb. Apoſt.* tum quia hominem Chriſto pauperi aſſimilat, ſimilitudo autem cauſat amorem.

Cæterùm non eſt omnium hanc perfectionem imitari; decet tamen Chriſtianum eam æmulari & inprimis dolere, quòd primæuos Chriſtianos aſſequi non poſſit; deinde in quocunque ſtatu degat, ſuperflua reſecare, nec plus è mundi bonis ſumere quàm quæ ſunt neceſſaria, adeoque ea delibare tantùm, quemadmodum canes è Nilo bibunt, modicè & raptim, ob venenata animalia, quæ ſub aquis eius latitant; ne cor terrenarum rerum cupiditate & inordinato amore capiatur.

F. V. Solitudo & mentis receſſus.

QVINTÒ. Erant *quotidie perdurantes vnanimiter in templo.* Præclarum etiam hoc perfectionis medium eſt, abſtrahere ſe à mundi negotiis & conferre ſe ad templum vel ſaltem in cordis ſolitudinem & cum ſolo Deo loqui. Quod inprimis ad primorum Chriſtianorum imitationem faciunt cœnobitæ & pij ſæculares, qui omne tempus quod à negotijs liberum habent, in templo orationi, lectioni & concioni impendunt; vel certè domi in oratorio ſuo aut alio receſſu mentem ad Deum colligunt; vbi ad Dei amicitiam & ſingularem quandam familiaritatem, ex quâ non ſolùm magnas accipiunt conſolationes, verùm etiam multa arcana edocentur, paulatim perueniunt, vti promittit eis Dominus Oſeæ 2. *Ecce ego lactabo eam* (animam) *& ducam eam in ſolitudinem & loquar ad cor eius.* q. d. Sicut ſponſus cum ſponſâ remotis arbitris, ſynceriſſimè & blandiſſimè cum eâ agam, conſolationibus demulcebo, mentem illuſtrabo, voluntatem ad mei amorem inclinabo, ita vt non ſolùm intellectus videat me, ſed voluntas etiam deguſtet, indeque terrena omnia ſpernat. Atque hæc eſt ſchola, in quâ diuinus ille Magiſter inſtruit animas noſtras, & in quâ breui tempore plurimum facere profectum poſſumus; templum, inquam, & mentis ſolitudo. Hic nidus in quo adoleſcunt & plumis veſtiuntur pulli Chriſti quouſque ad amorem Dei ſuper omnia & contemptum rerum terrenarum euolent, vti docet S. Gregorius *l. 19. mor. c. 24.* ſuper id Iob 29. *In nidulo meo moriar.* Non ſolent ciconiæ vel aues aliæ nidificare ſupra molendina, propter continuum ſtrepitum: ſolitaria & pacata loca quærunt. Pari modo qui profectum ſpiritûs quærunt, ſubducere ſe debent à tumultibus & negotiis ſæcularibus, iuxta monitum Eccleſiaſt 11. *Fili ne in multis ſint actus tui.* Quieta loca ament vel ſubinde ſaltem ad quietem mentis ſe recipiant. Id quod etiam Seneca vidit, qui dixit: *Nemo vnquam perueniet ad bonam conſcientiam, qui præter modum occupatus eſt.* Ideo S. Franciſcus in regula præcipit fratribus ſuis, vt laborent quidem, ſed ita, vt ne tantæ ſint occupationes & exercitia, quibus ſpiritus orationis opprimatur.

SEXTÒ, *Frangentes circa domos panem.* q. d. diſtribuebant egentibus per domos victum neceſſarium, vt exponunt Liranus, Caietanus & Dionyſius Carthuſ. Multum etiam promouet eleemoſyna ad perfectionem, nam & terrenarum opum contemptum parit & Dei amorem ſibi conciliat. Audiamus Iſaiam c. 58. loquentem: *Frange eſurienti panem tuum & egenos vagoſq; induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum & carnem tuam ne deſpexeris.* Quis verò huius miſericordiæ fructus? *Tunc erumpet*, inquit, *quaſi mane lumen tuum;* (Hebr. *ſicut aurora*) q. d. miro modo illuſtrabitur & recreabitur anima cœleſti quodam lumine, *Et ſanitas tua citiùs orietur.* Sanitas, inquam, animæ & voluntatis, quæ abſtergit omnes affectus prauos & cupiditates, facitque hominem perfectum. *Et anteibit faciem tuam iuſtitia tua*, q. d. iuſtitia & perfectio illa perducet te ad vitam æternam; vnde ſubdit: *Et gloria colliget te.* Hoc eſt, proteget & ab hoſtibus animæ tuæ, ſicut olim mediâ nube protexit Moyſen fugientem ad tabernaculum, cùm lapidare eum Iudæi vellent. Audiamus S. Chryſoſtomum hom. 32. in epiſt. ad Hebr. *Eleemoſyna*, inquit, *vincula peccatorum diſſoluit, fugat tenebras, extingit ignem, mortificat vermem, expellit ſtridorem dentium. Huic cum multâ fiduciâ, cœli aperiuntur & veluti reginâ intrante, nullus cuſtodum, qui portis aſſiſtunt, audet dicere. Quæ tu es? vel vnde? ſed omnes eam è regione ſuſcipiunt, ſic etiam miſericordia: Regina namque eſt, verè regina ſimiles faciens homines Deo*, ſicut ergò aurora ſolem: ita eleemoſyna præcedit miſericordes, parans eis iter ad perfectionem, deinde ad gloriam.

G. VI. Eleemoſyna.

Neque dubium eſſe poteſt, quin primi illi Chriſtiani ad eleemoſynam adiunxerint corporis

poris caſtigationes veluti ieiunium, quo proprio ori detrahebant, quæ indigentioribus erogarent.

H. VII. Gaudium ſpirituale.

Septimò, *Sumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis collaudantes Deum.* Non metuebant iam Iudæos ſibi inſultantes, ſed confiſi in Deo & bonâ conſcientiâ ſuâ; peractâ ſacrâ communione, celebrabant agapes ſeu commune epulum, ad quod inuitabant egentes & lætabantur in Domino, tum ob perceptam fidei gratiam, tum ob ſuſceptam Euchariſtiam, tum denique ob internum cõſcientiæ gaudium, quo teſtabatur eis Spiritus S. ſe eſſe filios Dei, *nullum enim maius ſignum inhabitantis Spiritûs eſt, quàm lætitia ſpiritualis*, inquit D. Bernardus. Rurſum, *ſecura mens quaſi iuge conuiuium*, ait Sapiens Prouerb. 15. Hinc *vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum*, Pſal. 117. Quiſquis igitur perfectioni ſtudet, gaudium hoc cordis in omni opere bono velut clauum nauigij ſemper ad manum habeat: cogitans nauarchum ſuum eſſe Deum: ab illo pendeat, illi ſe committat: quemadmodum S. Raimundus cappæ ſuæ velut naui inſiſtens, ſcapulari tanquam velo, baculo tanquã remo vſus mare traiecit, ſecurus de diuino præſidio. Gaudium hoc olim commendauit Deus etiam Hebræis, Deut. 12. cùm per Moyſem eis præcepit: *Comedetis ibi* (in atrio coram tabernaculo) *in conſpectu Domini Dei veſtri, ac lætabimini*: non vtique profano, ſed ſpiritali gaudio, quod oritur ex fiduciâ in Deum, & deſinit in gratiarum actionem pro beneficijs à Deo perceptis, quæ eſt opus Angelorum & Beatorum omnium, quod inchoant hîc perfecti viri. *Nihil enim ita propriè*, inquit S. Bernardus ſer. 11. in Cant. *quendam in terris repræſentat cæleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum.* Deinde ſcriptura: *Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Quam laudem vtinam hîc inchoëmus, & ibi in perpetuum canamus.

CONCIO III.

Quibus ex cauſſis ſæpe contemnatur Magiſtratus.

1. *Contemnitur Magiſtratus, quando ipſe contemnit Deum & ſuperiores ſuos.*
2. *Dum contemnit ſubditos.*
3. *Cùm non præit bono exemplo.*
4. *Cùm non audet punire delinquentes.*
5. *Cùm nimis familiarem ſe præbet ſubditis.*
6. *Cùm obligatus eſt ſubditis.*
7. *Cùm Reipub. eſt inutilis, rudis, negligens, publica &c.*
8. *Cùm ſuam auctoritatem non tuetur.*

THEMA.

Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo. Ioan. 10.

A. Auctoritaté Magiſtratus conſeruandam vult Deus.

Saluam atque inuiolatam debere eſſe Principum, Prælatorum ac quorumuis Magiſtratuum auctoritatem ſacræ monent literæ, Auditores. Scimus veteri in lege Saulem diuino ſuffragio in regem fuiſſe electum. Verùm cùm rebelles aliquot ſubditi eum deſpexiſſent quaſi indignum ſceptro, nec de more attuliſſent ei munera, dicerentque: *Num ſaluare nos poterit iſte?* 1. Reg. 10. Videte quid egerit Deus vt electo Regi conciliaret auctoritatem. Factum eſt poſt menſem vt Naas Ammonites premeret Hebræos habitantes in Iabes Galaad, nec aliter in fœdus recipere vellet, niſi erueret omnium dextros oculos. Quo audito Saul ſequens boues de agro, repente correptus à ſpiritu Domini & iratus concîdit vtrumque bouem in fruſta, miſitque in omnes terminos Iſraël, nuntians: quicunque non exierit ad prælium cum Saule contra Ammonitas, ſic futurum bobus eius. Venerunt ergò Hebræi ad Saulem, qui inuaſit hoſtem & concidit atque diſperſit, ita vt ne duo quidem ſimul remanerent. Partâ igitur hac tam inſigni victoriâ tantam ei auctoritatem conciliauit Deus, vt diceret populus: *Quis eſt iſte, qui dixit: Saul num regnabit ſuper nos? Date viros & interficiemus eos*, 1. Reg. 11. Videmus igitur Dei ſuffragio conſeruandam eſſe Magiſtratibus debitam auctoritatem quaſi Dei miniſtris: & periculosè eos contemni, qui à Deo conſtituti ſunt Rectores. Cæterùm quia ſæpenumero rectores ipſi in cauſsâ ſunt, cur à ſubditis ſpernantur, idcircò ipſis aduigilandum eſt, ne auctoritatem ſuam culpâ ſuâ perdant. Id quod indicat Dominus in Euangelio hodierno, cùm ait de paſtore improbo & illegitimo: *Alienum autem non ſequuntur* (oues) *ſed fugiunt ab eo.* Et propterea Apoſtolus cùm inſtituiſſet duos Epiſcopos, Timotheum Epheſi, & Titum Cretæ: vtrique ſeriò mandauit, vt ſuam auctoritatem ſartam tectam ſeruarent, nec vitio ſuo contaminarent: Timothæo ſcribit: *nemo adoleſcentiam tuam contemnat*, 1. Tim. 4. Tito verò: *Nemo te contemnat*, ad Tit. 2. q. d. vobis hoc mando, non ouibus veſtris, quia in vobis ſita eſt conſeruatio auctoritatis & contemptus veſter. Ergò videamus cauſas, quæ multoties faciunt contemni Magiſtratum.

B. I. Quando ipſe contemnit Deum & ſuos ſuperiores.

Contemptui eſt Primò, Quando ipſe contemnit Deum & ſuperiores à Deo ſibi datos. Quemadmodum enim Adam quamdiu in paradiſo ſubiectum ſe exhibuit Deo; tamdiu omnibus animalibus ſummâ auctoritate imperabat; aſt vbi Deo ſe rebellem præbuit, ilicò rebelles etiam ſenſit beſtias: ita Magiſtratus dum obedit Dei mandatis & ſuorum ſuperiorum, habebit abſque dubio obedientes & addictos ſibi ſubditos. At cùm incipit ipſe ſe ſubtrahere ab obedientiâ, tum ſubtrahunt ſe ſubditi eius eique inſultant atque illudunt. Patet in Saule, de quo diximus initio. Is enim dum mandatis Dei paruit, ſaluam habuit auctoritatem ſuam; ſed poſtquam præuaricatus eſt, omiſit auctoritatem non modò coram Samuele, ſed etiam coram populo. Tunc enim receſſit ab eo ſpiritus bonus & inua-

inuaſit eum ſpiritus malus & crebrò eum vexauit: Mulieres etiam egreſſæ cum choro Dauidem Sauli præferunt; *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia*. E quà cantilenâ ſpretum ſe agnouit Saul, ſuumque regnum in periculo eſſe, 1.*Reg*.18. Quare ad extremum non ſine myſterio ſuopte gladio incubuit deſperans & interijt, quia ſicut ipſe abiecit Deum & ſermonem eius, ita abiectus eſt à Deo, vti dixerat ei Samuel, 1.*Reg*.15. Vnde bene S. Ambroſius *l*.5.*ep*.33. ſcripſit Valentiniano Imperatori: *ſi vis diutiùs imperare, eſto Deo ſubditus*.

C. II. Quando ipſe contemnit ſubditos.

SECVNDÒ, Quando ipſe contemnit ſubditos. *Scitum eſt iſtud Domitij*, inquit S. Hieronymus epiſt. ad Nepotian. *Cur ego habeam te vt principem, cùm tu non habeas me vt ſenatorem?* Et illud Craſſi apud Ciceronem l. 3. de Oratore dicentis; *non eſſe ſibi Conſulem, cui ipſe non eſſet Senator*. Edoctus hoc eſt malo & interitu ſuo Iulius Cæſar, qui cùm nimiùm inſoleſceret arrogantiâ, adeò vt vniuerſos patres conſcriptos cum plurimis honorificentiſſimiſque decretis ad ſe venientes, ſedens pro æde Veneris exciperet: conflatâ in eum inuidiâ & coniuratione factâ à ſexaginta ampliùs ſenatoribus equitibuſque Romanis in Pompeij curiâ 23. vulneribus confoſſus occubuit, teſte Sueton. Hinc non immeritò laudata eſt Agaſiclis Lacedæmoniorum Regis ſapientiſſima vox, *poſſe quemuis ſine ſatellitio regnare, qui ſic ſubditis imperaret, vt filijs pater*. Plut. in Apophtheg. Id quod etiam S. Hieronymus deſiderauit in Ioanne Hieroſolymitano Epiſcopo ad Theophilum contra eius errores ſcribens: *Aut quaſi Pontifex cunctis æqualiter imperet: aut quaſi imitator Apoſtoli vniuerſorum ſaluti ex æquo ſeruiat: ſi talem ſe præbuerit, vltrò præbemus manus*. Et rurſum: *patres ſe ſciant eſſe, non Dominos*. Multos metuat oportet, quem metuunt multi. Vnicus plebeij hominis contemptus Scipionem ab ædilitiâ dignitate repulit, quando manus eius calloſas ſentiens interrogauit, *vtrùm manibus an pedibus ambulaſſet*. Inde enim plebeius, veluti contemptui habitus, omnium odium in Scipionem concitauit, aſſerens plebem à ſeo ludibrio haberi. Tymp. in ſpec. mag. ſigno 82.

D. III. Cùm non præit bono exemplo.

TERTIÒ, Cùm non præit bono exemplo ſubditis, ſed malè inſuper viuit. Nam vt S. Aug. l.4. *de doctrinâ Chriſt*. c.27. ait: *Habet vt obedienter audiatur quantacunque granitate dictionis maius pondus vita loquentis*. Et contrà: *Cùm vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur*, inquit S. Gregorius hom. 12. in Euang. Propterea Apoſtolus cùm Timotheo ſcripſiſſet: *nemo adoleſcentiam tuam contemnat*; ſtatim ſubijcit medium: *Sed exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate*. q.d. Si tale exemplum ouibus tuis præbueris, nemo te contemnet; alioquin certo certius fabula ſubditorum eris. Sanè in hodierno Euangelio Dominus de bono paſtore ait: *Cùm proprias oues emiſerit, ante eas vadit*; bono ſcilicet exemplo; ſtatimque ſubdit: *Et oues illum ſequuntur*. Hærent contrà & ſibi imponi à paſtore exiſtimant, cùm viam quidem monſtrantem, ſed non præeuntem vident. *Plus enim*, inquit Seneca, *homines oculis quàm auribus credunt*. Ac ſiquidem Magiſtratus tales corripere delinquentes velit, mox audiet ab illis: *Medice cura teipſum*. Et; vel iuſtum eſt quod ſanciuit tua Dominatio & à me prætermiſſum, vel iniuſtum: ſi iniuſtum, cur me punire cogitat eo nomine, quaſi iniuſtè egerim? ſi iuſtum, cur non id ipſamet agit? Num aliter eam viuere, quàm iuſtè & ſecundum leges decet? Atque hinc confuſi turpiter Scribæ & Phariſæi, cùm à Chriſto audierunt: *Qui ſine peccato eſt veſtrùm, primus in illam* (adulteram) *lapidem mittat*; ſubduxerunt ſe è templo, *vnus poſt vnum*; quaſi recentem alapam accepiſſent; quia ſe ipſos reos eſſe à Chriſto didicerunt, Ioan.8. Moyſes etiam cùm percuſſorem proximi redargueret; vbi ab eo audiuit: *Quis te conſtituit principem & Iudicem ſuper nos? num occidere me vis ſicut heri occidiſti Ægyptium?* nihil ampliùs moliri vel contradicere auſus eſt, ſed timuit ac fugit, *Exod*. 2. Vidit hoc etiam Antonius Imp. Ethnicus, qui legem tulit; ne maritus adulterij accuſare poſſet vxorem, ſi ipſe impudicè viueret, quam vt æquiſſimam laudat S. Auguſt. 2. *de adulterin. coniug*. c. 8. apud Baron. anno 161. Per iniquum enim eſt eo nomine aliquem accuſare vel punire, quo quis ipſemet deliquit.

E. IV. Cùm non audet punire delinquentes.

QVARTÒ, Cùm non audet punire delinquentes. Hinc enim Magiſtratus ſeu Iudex habetur pro Idolo & ſtramineo terriculamento, quod arcendis auibus ſtatuitur in agro & tandem ſine pauore ab iiſdem inſidentibus conſpurcatur. Cuiuſmodi Magiſtratum in vindictam promittit Deus Hebræis *Zach*. 11. paſtorem, inquam, ſtultum; ſubditque: *ô paſtor & Idolum, derelinquens gregem! gladium ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius*. Vult dicere, vt opinor: brachio quidem gladium geſtat & in eius aſpectu ſibi placet; verùm euaginare eum & in ſontes exſerere non audet; quo modo de Cretenſium Duce Theutide dixit Themiſtocles, minimè eum timendum Athenienſibus; *ſiquidem haberet quidem gladium ad iugulandum, ſed non cor ad euaginandum*. Spernitur vel à pueris frigidus Magiſter, qui præclara quidem dat latinitatis præcepta, ſed non vrget vt ea diſcipuli ſcribendo loquendoque teneant. Leges inſtar mœniorum ſunt, continentes populum intra fines rationis; quis autem neſcit piaculum eſſe mœnia perfodere, euertere aut tranſilire? Multò ergo minùs tolerari debet vt leges impunè violentur: *quia abſque legibus nullo pacto poteſt ciuitas eſſe incolumis, abſque mœnibus poteſt*, vt dixit Heraclytus Epheſius. Quocirca Carolus M. gladij ſui capulo, cui inſignia eius inſculpta erant, edicta ſua ſignabat; quod *eiuſdem eſſe* diceret, *& confirmare & defendere leges*. Refert Ægid. Corozetus *de dictis memor*.

F. V. Cùm ſe...

QVINTÒ, Cùm ſe nimis familiarem præbet

nimis familiarem præbet ſubditis.

bet ſuis ſubditis. Notum enim id Apuleij de Deo Socr. *Parit conuerſatio contemptum: raritas conciliat ipſa rebus admirationem.* Idem docuere veteres fabula illâ vulpis, quæ primò conſpicata Leonem, ita extimuit vt penè exanimaretur. Prodiit ſecundò in eius aſpectum Leo, & minus iam trepidare vulpes. Prodiit & tertiò; tum nihil iam ampliùs metuens acceſſit vulpes & ſalutauit eum. Ita nimirum Principum & aliorum Rectorum auctoritas nimiâ familiaritate vileſcit. Quare Pericles ille Athenienſis; priùs maximè comis ac familiaris, vbi reipublicæ adminiſtrationem ſuſcepit, ab omni cœtu amicorum & conuiuiis ſe abiunxit. Rationem addit Plutarchus: *Comitas enim facilè faſtum omnem atterit, & in familiari conſuetudine ægrè cuſtodias illud opinionis de te auguratum.* Hinc etiam Perſarum reges à conſpectu vulgi ſeſe remouebant & rariſſimè ſui videndi aut alloquendi copiam faciebant, ne frequentiâ & familiaritate vileſceret regia maieſtas; Neque enim niſi regis iuſſu & niſi per internuntium alloqui eos licebat, teſte Herodoto l. 1. & patet ex libro *Eſther*. cap. 4. Cæterùm hic ſeceſſus moderatus eſſe debet & faſtu carere. *Miſcenda ſunt iſta*, inquit Seneca l. de tranq. *& alternanda ſolitudo & frequentia.* Quod non erat in Perſarum regibus, qui penè ſemper ab hominum conſpectu remoti hortis tantùm & nemoribus excolendis ac delitijs vacabant; vti narrat ex Xenophonte Cicero de ſenect.

G.
VI.
Cùm eſt obligatus ſubditis.

SEXTÒ, Cùm eſt obligatus ſubditis, ſiue propinquitate ſanguinis, ſiue ære alieno, ſiue aliâ quadam ſeruitute. Hæc cauſa eſt cur vt plurimùm potentes eligantur in Magiſtratum, Conſules, Iudices, &c. quia hi cæteris ſuperiores minùs obligantur ſubditis. Ita ſuaſit Iethro ille genero ſuo Moyſi, Exodi 18. *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum*, &c. *Potentes*, inquit; qui videlicet non metuant ſed compeſcere poſſint ſubditos, nullâ ratione iis ſubiecti vel addicti. *Timentes Deum*, qui neminem plusquàm Deum timeant. Decet enim Iudicem ac rectorem vſquequaque liberum & nullis compedibus conſtrictum eſſe, vt ſine obſtaculo vias iuris omnes percurrere queat; vti etiam monet Eccleſiaſticus c. 7. dicens: *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimeſcas faciem potentis & ponas ſcandalum in æquitate tuâ.* Quis metueret Iudicem, ſiquis eum domi ſuæ incluſum & in ſuâ poteſtate haberet? quomodo non Iudex metueret potiùs illum, à quo coërcetur? Huiuſmodi Iudices habuit Cambyſes Perſarum rex, qui cùm inſano ſororis teneretur deſiderio, percontatus eſt regios Iudices (ſibi ſubiectos) num qua lex concedat ſororem ducere in vxorem? Iudices reſponderunt, nullam quidem ſe inuenire legem, quæ hoc concedat fratri: quandam tamen ſe inuenire, quâ liceat Regi Perſarum facere, quidquid ei libet. Herod. lib. 3. Non ita Traianus Imperator qui cùm Tribunum militum vel præfectum vrbis & prætorij renuntiaſſet, ſtrictum enſem, in conſpectu omnium, in manus eius dedit, dicens: *Cape ferrum hoc, & ſiquidem rectè imperium geſſero, pro me, ſin aliter, contra me vtere.* Tymp. in ſpec. Mag. fig. 93. Non ita Antigonus; qui à Marſya fratre litem habente rogatus vt cauſa clam cognoſceretur, negauit dicens: *ſi iniuſtam cauſam habere te ſcis, cur litigas? ſi iuſtam, cur fugis hominum conſcientiam & ad domeſticos lares cauſam fori pertrahis?* Plut. in Apoph. Super omnia verò memorabile & ſtupendum eſt, quod egit Otho tertius Imp. in hoc genere, qui propriam vxorem, Aragonum Regis filiam, quòd rea eſſet necis Comitis cuiuſdam innocentiſſimi, publicè cremandam iudicauit. *Cùm enim fœmina procax oculos in dictum Comitem coniecisset, atque à viro caſtiſſimo paſſa eſſet repulſam, illum de attentatâ pudicitiâ calumnioſè accuſauit apud Imp. qui temerè vxori credens, Comitem morte damnauit. Quem cùm capite truncatum audiuiſſet ipſius vxor, magnâ audaciâ, quam dolor, neſcius pudoris, expreſſit, Othonem conuenit pro tribunali ſedentem, clamans de nece iuſtiſſimi viri vindictam, proiectoq́; capite viri in medium, ipſum Imperatorem reum innocentiſſimi ſanguinis apud ipſum iura reddentem accuſat. Probationem per contactum ferri candentis, veritatis indicem, offert. Conſentit ille, paratur ignis, ferrum candens exhibetur. Mulier conſcia innocentiæ viri ſui, arripit illud illæſa, contrectat illuſtra, quin ſtringit, vt flores, ignitum metallum. Quâ ex re excutiuntur præcordia ipſius Imperatoris, cui tunc inſultans victrix fœmina, vindictam Imp. à gladio exigit imperantis. Fatetur ille culpam, nec refugit pœnam, ſpondens iugulum, ſed poſcit inducias. Interim proceres accurrunt, pro vita Imperatoris fœminam exorant: ſed fruſtra diu laboratum: tandem ea conditione tranſactum eſt, vt auctrix ſceleris Auguſta, flammis comburenda daretur. Quod è veſtigio factum.* Cranz 4. *Saxon. cap.* 26. & ex eo Gior. Biſciola in Epit. Baron. Anno 998.

SEPTIMÒ, Cùm reipublicæ eſt inutilis; id quod multis ex cauſis accidere poteſt. Primò cùm eſt rudis & illiteratus. Tametſi enim prudentia politica ſufficere videtur ad multa Magiſtratûs munia, niſi tamen iuncta ſit eruditioni literarum, ab eruditis ſaltem ſpernitur & multoties eluditur regiminis poteſtas. Hinc enim Franciſcus I. Galliæ rex, nec non Alphonſus Aragoniæ (ſeuerâ ſatis cenſurâ) dicere ſolebant, *Regem illiteratum eſſe aſinum coronatum*; apud Tymp. in ſpec. fig. 52. Laudandus fuit L. Torquatus, qui iam tertiùm Conſul Romanorum omnium conſenſu renuntiatus, valetudinem oculorum excuſauit, indignum eſſe inquiens, rempublicam & fortunas ciuium ei committi, qui alienis oculis vti cogeretur. Liu. l. 26. Quid autem aliud facere coguntur Rectores ineruditi? nónne aliorum conſilijs ſtare adeoq́ue alienis oculis vti neceſſe habent?

H.
VII.
Cùm reipublicæ eſt inutilis.
1.
Cùm rudis.

2.
Cùm iners negligit publica.

Secundò, Cùm iners & otioſus publica negligit, qualis Domitianus qui nihil magis quàm muſcas domi capere, certo horarum

penſo,

penſo, & ſtilo peracuto configere ſolebat; factus proinde fabula & ludibrium ſubditorum dicentium, neminem cum Imperatore eſſe, *ne muſcam quidem*, vti alibi dictum.

3. Cùm ebrioſus.

Tertiò, Cùm addictus vino & vix vnquam ſobrius; quo nomine inter alios populo exoſus ab eoque exploſus fuit Phocas Imperator, vt cùm ebrium cerneret, dicere ei non dubitaret: *Rurſus è canno* (poculi genus eſt, à ſono quem edit effluente vino ſimul & aëre) *bibiſti: rurſus mentem amiſiſti.* Ob id etiam ad extremum miſerè interfectus eſt. Glycas *4. p. annalium Bizant.*

4. Cùm nimis auarus.

Quartò, Cùm nimis auarus & ſordidus, premens exactionibus ſubditos. Hinc enim exaſperantur eiuſque tyrannidem execrantur ſubditi, ac maledicunt ei. Quâ de re Henricus III. Caſtellæ Rex dicebat: *Diras & execrationes populorum magis reformido quàm arma hoſtium.* Pulchrè hoc oſtendit Franciſcus Marcio Iureconſultus egregius, qui (vt ſcribit Iuſtinianus Genuenſis hiſtoriographus l. 6.) miſſus à Republica Genuenſi orator ad Ducem Mediolanenſem, cùm is nollet eum dimittere, nec pactis conuentis cum Genuenſibus ſtare, captatâ occaſione obtulit eidem Duci manipulum herbæ ocymi: qui admirabundus, quid hoc donum ſibi vellet, quæſiuit quid rei eſſet. Reſpondit ille, talem eſſe huiuſmodi plantæ naturam, vt leniter ac ſuauiter contrectata gratum odorem ſpiraret: nimis autem duriter compreſſa, & attrita non ſolùm omnem ſuauitatem deperderet, ſed etiam procedente tempore ſcorpios generaret: habere autem ſe ingenia Genuenſium eodem planè modo. Dux hoc ingenioſo admodum reſponſo delectatus & ſententiam priorem mutauit, & Legatum honorificè dimiſit. *Pontan. 3. p. Att. bell.*

I. VIII. Cùm ſuâ auctoritatem non tuetur.

Octavò, Cùm ſuam ipſe auctoritatem & dignitatem non tuetur aduerſus obtrectatores. Nam vt S. Auguſtinus ait: *Dum nimia ſeruatur humilitas, regendi frangitur auctoritas.* Refertur in *cap. quando d. 86.* Et Callicrates cap. 19. de off. præf. *Ex conuerſatione æquali naſcitur contemptio dignitatis!* Rectè & laudabiliter obſeruauit hoc Leontius Tripolis in Lydia Epiſcopus, qui aduertens Euſebij Conſtantij Imp. vxorem ab Epiſcopis quibuſdam plus æquo honorari ac tantùm non adorari, ſolus eam irrationabilem demiſſionem aſpernatus, ad eam accedere renuit. Vocatus à reginâ ſuperbiâ inflatâ non ſine factis pollicitationibus, hoc reſponſi dedit: *Si me ad te venire volueris, debitâ Epiſcopis reuerentiâ conſeruatâ, vt ego quidem ingrediar, tu autem ſtatim de ſublimi iſto ſolio deſcendens, reuerenter mihi obuiam procedens, & caput meis manibus ſupponas, benedictionem accepturа ac deinde ego ſedeam, tu verecundè adſtes: cùm iuſſero ſigno dato ſeſſura. Si hæ, inquam, tibi conditiones placuerint, veniam ad te: ſin alio modo, non tam multa dabis, tam magna non poteris, vt nos honore Epiſcopis conuenientе neglecto, diuinum Sacerdotij inſtitutum violemus.* Quo reſponſo exarſit inſana mulier, cum multâ quoque bile marito rem expoſuit; qui tamen ingenuum Leontij animum laudans, vxorem faceſſere & in Gynecæum abire iuſſit. Refert Suidas *in hiſt. p. 516.* in Leontio. Iure merito etiam hic memoramus quod ad conſeruandam auctoritatem ſuam fecit Gabius Grimanus præfecturam Reip. Venetorum nomine adminiſtrans Patauij. Ergò *ſtudioſi aliqui* (loco ab Academiâ celebri) *hominem pannoſum & famelicum, decem ſcutatis conductum, ſubornârunt, vt dicto præfecto è templo exeunti occurreret, eum oſculo manibus impreſſo ſalutaret, ac tandem fratrem appellaret. Hac ſalutatione & verbis nihil omninò commotus Grimanus, comiter tandem reſalutat, & ſecum in prætorium ducit: vbi intellecta totius rei ſerie, portas vrbis ſtatim obſerari iubet, & ſtudioſos omnes, quorum conſenſus ad hanc rem interuenerat, ad ſe vocat. Cùm illi comparuiſſent, ſereno vultu ait, ipſorum comitate & diligentia ſibi hodie fratrem repertum, ſed adeò egenum & nudum; vt ad eum, vti fratre dignum ſit, ornandum non paucis nummis opus habeat. Velle igitur, vt quandoquidem ipſi in fratre reperiendo non leuem adhibuerint diligentiam, iam quoque in eo exornando, pari vtantur liberalitate, ac ſinguli certam pecuniæ ſummam ſtatim dependant. Excuſare illi ſe, deprecari, obſecrare denique, vt quod ioco & iuuenili laſciuiа commiſſum eſſet, indulgeret. At ille prætendere opus eſſe fratri veſte & ſumptu. Nec priùs abeundi illis copia facta eſt quàm centenos ſcutatos nudo illi ſinguli numeraſſent.* Refert Tymp. in ſpec. Magiſtr. ſig. 52. p. 2. Ad extremum igitur viderit quiſquis ad gubernacula ſedet, ne culpâ ſuâ in contemptum & ludibrium ſubditorum incidat. Exhibeat ſe paſtorem verum, non alienum, ſi vult oues ſuos non videre à ſe alienas.

C O N C I O IV.

Dæmones cur in mundo.

Relicti ſunt dæmones in mundo.
1. *Ad Dei gloriam & dæmonis confuſionem.*
2. *Ad profectum noſtrum.*
3. *Ad meritum & coronam iuſtorum.*
4. *Ad correptionem malorum.*

THEMA.

Fur non venit niſi vt furetur & mactet & perdat. Ioan. 10.

QVàm cordatus paſtor fuerit Dauid, dum paſceret oues patris ſui, ipſemet coram Saule effatus eſt, cùm ad Saul regem dixit, 1. Reg. 17. *Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel vrſus & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos & percutiebam eruebamque de ore eorum & illi conſurgebant aduerſum me & apprehendebam mentum eorum & ſuffocabam interficiebamque eos. Nam & leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus.* Huiuſmodi paſtor & Chriſtus fuit, qui ex ore dæmonis velut leonis, & ex ore mortis velut vrſi (qui in proſtratum ſæuit) eruit oues ſuas, animas noſtras. Sed quamobrem, Auditores, non omninò interfecit leonem illum A.

& vrſum

& vrſum? Cur dæmones magnâ ſaltem ex parte ſuper terram reliquit & graſſari in homines permittit? mortem cur non ſuſtulerit, alibi intelleximus. Nunc videndùm ſupereſt, Cur reliquerit dæmones.

B. I. Ad Dei gloriam & dæmonis confuſionem.

Reliquit PRIMÒ, Ad Dei gloriam, vt in hominis infirmitate potentia Dei oſtenderetur; & ad dæmonis confuſionem vt ab inferiore ſe, homine, vinceretur. Dicebat ſuperbiſſimus ille Spiritus: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum*, Iſa. 14. idcircò meritò ita depreſſus eſt, vt homines ipſo longè inferiores de eo triumphare eique illudere poſſent. Hoc ſenſu exponit S. Auguſtinus 11. *de Ciuit. cap.* 15. Chryſoſtomus, Theodoretus & alij id pſalmi 103. *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei*, ſcilicet ab hominibus. *Ab ijs enim illuditur*, ait S. Hieronymus in ſimilem locum Iob 40. *quoniam per gratiam S. Spiritûs & meritum ſanctitatis ei ſubditur & inuocato nomine Chriſti effugatur.* Sic illuſit ei inter alios S. Hilarion, qui enormis magnitudinis Camelo à dæmone agitato planeque furioſo, ad ſe adducto pluſquam à triginta viris, dimiſſoque omnibus fugientibus dixit Syro ſermone: *Non me terres diabole tantâ mole corporis: & in vulpeculâ & in Camelo vnus atque idem es.* Moxque pulſo dæmone beſtiam reddidit manſuetam. Eidem dæmoni virginem obſidenti acclamanti coram eo: *ô cruces, ô tormenta, quæ patior? Exire me cogis & ligatus ſubter limen teneor*; illuſit dicens: *Grandis fortitudo tua, qui, litio & laminâ ſtrictus teneris*, refert S. Hieronymus in vita Hilarion. Quemadmodum ergò Deus ſuperbo & iactabundo giganti Goliatho non oppoſuit Gigantem maiorem, ſed Dauidem ſtaturâ paruum & iuuenem paſtoritiæ potiùs artis, quàm militiæ expertum, qui cùm à Goliatho deſpiceretur & rideretur, dicente, num ſe canem exiſtimaret? eumdem vice verſâ deriſit, dicens: *Imò cane viliorem*; vt ſcribit Ioſephus & habent 70. Interp. Quare ſicuti Goliath mirè confuſus fuit, cùm in terram deiectus, vidit ſtare ſupra ſe iuuenem imbellem ſibique amputare caput: ita miro modo confunditur dæmon, cùm ab hominibus deſpicitur, deijcitur & quodammodò iugulatur. Hoc enim in pœnam eius decreuit Deus, cùm dixit Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* Vergit hoc è contra ad maximam Dei gloriam, ſi tam ſuperbum, potentem & verſutum hoſtem ſternat per infirmum militem ſuum. Hinc cùm Satan à Deo interrogatus in libro Iob cap. 1. *Vnde venis?* ſuperbè reſpondiſſet: *Circuiui terram & perambulaui eam*; mox Deus retundere volens eius ſuperbiam, dixit: *numquid conſideraſti ſeruum meum Iob?* quaſi eum prouocans ad duellum cum hoc milite committendum, vt ab eo ſuperatus ludibrium fieret Angelis & hominibus; quemadmodum & factus eſt; ideoque ei poſteà rurſum dixit Deus; *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis, &c. & adhuc retinens innocentiam ſuam?* Iob 2. *Exultat enim Deus*, inquit S. Hieronymus in eum locum, *in victoriâ famuli ſui, & illius patientiam ſuum dicit triumphum.* Nec dubium, quin in cœlo feſtiua gaudia fiant, omniſque cœli curia exultet, cùm homo diabolum, ob ſuperbiam toti cœlo exoſum, ſuperat; quod indicat dicto 1. *c. Iob* paraphraſtes Chaldæus, qui ita legit: *Venit dies magni iudicij & aſtiterunt angeli &c.* Dies hic non erat alius, quàm quo Iob vlceribus plenus de dæmone triumphauit. Idem fecit Deus per ſeruum ſuum Antonium, vt in eius vitâ docet S. Athanaſius; ſiquidem integras dæmonum acies per hunc vnum iuuenem fudit & confudit. Ex quibus intelligimus Deum quodammodò poſuiſſe honorem ſuum in manibus noſtris, ſicuti gloriam populi ſui poſuerat in manu Dauidis. Quis ergò non ſtrenuè & alacriter pugnet in hunc hoſtem, vt eius deiectione Dei gloriam amplificet & curiam lætificet? maxima Principum recreatio eſt videre ab exiguo falcone deijci ex aëre grandes aues, ciconias, ardeas, &c. Multo maior Deo & angelis lætitia eſt, cùm ab homine mortali, humili, exiguo deiici & proſterni vident dæmonem ſuperbum, qui omne ſublime videt, omnes artes & dolos callet, omnia penetrat, omnia alioquin frangit &c.

C. II. Ad profectum noſtrum.

SECVNDÒ, Ad profectum noſtrum. Primò, Vt compellamur perpetuò ad Deum recurrere, & nunquam ab eius latere diſcedamus: quod ſequenti ſimilitudine explicat S. Chryſoſtomus lib. 1. de prouid. & orat. 1. *Videbis matres, vt paruulos ſecum adhærentes retineant, laruas agere aut phantaſmata quadam repræſentare; & tempore quo ciuitates laruis replentur, pueri à matrum lateribus non diſcedunt, ſemper attendentes, neceſſarium ſibi eſſe matris præſidium, ſi hac vel illac laruæ occurrant. Propter eà Deus mundum dæmonibus quaſi laruis repleuit, qui phantaſmata agant, vt nunquam ab eius latere ſeparemur: & timentes, eos vbique poſſe nobis occurrere, vbique nobis eſſe neceſſarium diuinum patrocinium intelligamus.*

2. Secundò, Vt cautiùs ambulemus, attendentes vndique nòs circumſeptos eſſe hoſtibus. Certè ſiquis ſciret ciuitatem in quâ habitat, repletam hoſtibus crudeliſſimis ſibique infenſiſſimis, qui omnes vias occupent & plateas, omniaque loca ingredi poſſint; nonne ſummâ vigilantiâ ſibi proſpiceret, pedem niſi armatus non efferret, imò domi etiam hoſtem ſemper expectaret eiuſque incurſus præueniret? Hinc 1. *Petri* 5. monemur: *Sobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Sobrietas, noſter gladius eſt, nunquam ſeponendus.

3. Tertiò, Vt fortiùs progrediamur in virtutum ſtadio; quando enim infeſtamur à dæmone, excitamus noſmetipſos ad reſiſtendum per contrarios virtutum actus & reſumimus vires ac feruorem. Vnde Apoſtolus 2. *Cor.* 12. *Angelum Satanæ* vocauit *ſtimulum carnis* ſuæ.

ſuæ. Vt enim ſtimulus citra noxam & vulnus pecus propellit: ita aduerſarius noſter Diabolus abſque nocumento progredi in virtutis viâ facit. Canis eſt lanionis, qui continuis latratibus pecudem inſequitur & vrget ad progreſſum; tametſi hoc Diabolus minimè intendit. Similis eſt Pharaoni, qui dum filios Iſrael occidere parauit, impulit ad ingrediendum maris rubri tranſitum, & ita ad terram promiſſam pergere compulit. Impellit peccatores in peccata grauiſſima; ſed illi ex hoc ipſo grauiore ſuo lapſu ſæpe emendantur & impelluntur ad pœnitentiam, ſicque eius laqueos omninò euadunt, alioquin non euaſuri. Iuſtos verò dum infeſtat & tentat, hirudinis inſtar noxium ab illis ſanguinem extrahit. Intendit quidem dæmon totum illis, ſi poſſet, ſanguinem exugere; ſed cœleſtis medicus ita eius ingluuiem temperat, vt non niſi noxium humorem detrahat.

D. III. Ad meritum & coronam iuſtorum.

Tertiò. Ad meritum & coronam bonorum. Nam, vt ait S. Leo Papa ep. 36. *Dæmoni ob hoc aliquid audere permittitur, vt à fidelibus Chriſti gloriâ maiore vincatur.* Multorum probabilis valde ſententia eſt, vnicuique homini deſtinatum eſſe à Lucifero angelum malum, qui ſedulò ei adhæreat eumque impugnet, quo modo vnicuique Deus attribuit angelum bonum in cuſtodiam. Quæ fuit ſententia Origenis & nonnullorum veterum, S. Thomæ *in 2. diſt.* 11. *q. vn. artic.* 5. Caſſiani *coll.* 8. *cap.* 17. Gregor. Nyſſen. *lib. de vitâ Moyſis.* Et confirmatur, quia Dæmon eſt ſimia Dei; & quia hic eſt modus & ordo competens nocendi hominibus, quod ille maximè quærit. Colligitur ex Zach. cap. 3. vbi dicitur Satan ſtetiſſe à dextris Ieſu Sacerdotis vt aduerſaretur ei. Quin & Plutarchus gentilis ſcribit de Bruto, quòd cùm noctu legeret ad lucernam, conſpexerit quendam & dixerit ei: *Tu quis es?* Cui ille: *Tuus malus Genius: in Philippis me videbis.* Permittit verò hoc Deus ad maius meritum & gloriam noſtram, ſi ſuum quiſque Antagoniſtam ſtrenuè oppugnarit ac vicerit; longè enim honorificentius eſt obtinere ſpolia ab hoſte deuicto, quàm ex mera Ducis liberalitate. Cenſet verò Origenes *hom.* 1. *in lib. Ioſue*, quemuis hominem victorem obtinere vel obtenturum illam coronam & ſedem in cœlo, quæ Dæmoni eius impugnatori parata erat in cœlo. Fuerunt enim illi angeli aliquando in cœlo empyreo & in eo magnifici, tametſi nondum beati; quorum vni dixit Iſaias cap. 14. *Quo modo cecidiſti de cælo Lucifer? ſine dubio, qui de cælo cecidit, ſedem*, inquit Origenes, *in cælo habebat. Poſtquam verò factus eſt angelus refuga, ſi eum vincere potuero & ſubijcere pedibus meis; ſi meruero vt Dominus meus Ieſus conterat Satanam ſub pedibus meis, conſequenter locum Luciferi habere merebor in cælis.* Figuratum hoc videtur in eo quod dicitur à Deo ad Hebræos Ioſ. 1. *Omnem locum quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam.* Vt ergo Iſraelitis cedebant terræ illæ & nationes Chananæorum, Pherezæorum Iebuſæorum & aliorum in terra promiſſionis conſtitutorum, quas armorum vi ſubegiſſent; ita vnicuique fideli cedet locus & ſedes illius angeli in cœlo, quem is occupaturus erat, niſi cecidiſſet. Vnde quo fortiores, altiores, & excellentioris naturæ dæmones quis ſuperauit, eo altiorem ſibi in cœlo ſedem parabit. Conſonat huic doctrinæ, quod in vita S. Franciſci ſcribit S. Bonauentura cap. 6. quendam ex eius fratribus in templo orantem vidiſſe per ecſtaſin ſedes in cœlo ſanctorum plurimas, inter alias verò vnam altiorem & præſtantiorem pretioſiſſimis adornatam gemmis. Qui cùm per orationem indagaret, cuiuſnam illa eſſet, reſponſum eſt, fuiſſe vnius ex præcipuis angelis de cœlo lapſis, nunc verò eam paratam eſſe humili Franciſco, qui profundiſſimâ humilitate ingentem illius ſuperbiam vincebat. Non igitur ad perniciem, ſed potiùs ad honorem noſtrum dimiſſi in mundo Dæmones, qui quò magis nos oppugnant; eò maiorem gloriæ parandæ occaſionem præbent, & fœlix eſt, de quo dici poteſt id *Sap.* 10. *Certamen forte dedit illi vt vinceret.* Hinc bene *Iſa.* 54. Dæmon vocatur *faber*; *Ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas.* Tametſi enim ſuis ſuggeſtionibus ſufflat & excitat in nobis ignem concupiſcentiæ, tamen interim ſi ei reſiſtatur, coronas nobis fabricat in cælis. Sic lapides, quos manibus Iudæorum proiecit in S. Stephanum, fabrefacti & mutati ſunt Martyri in gemmas & coronas.

E. IV. Ad correptionem malorũ.

QVARTÒ. Ad correptionem malorum. Quemadmodum enim in omni Rep. debent eſſe miniſtri iuſtitiæ, lictores & carnifices: illi, vt in carcere; hi, vt in loco ſupplicij reos torqueant & coërceant; & ita in republica mundi; vbi alios quidem Dæmones reliquit Deus in aëre caliginoſo ſuper terram, veluti lictores; alios detruſit in infernum veluti carnifices, vt torquerent ibi damnatos. Vnde *Matth.* 18. legimus ſeruum nequam traditum eſſe *tortoribus.* Et *Apoc.* 2. ſcribit Ioannes: *Ecce miſſurus eſt Diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt tentemini.* Scimus è libro Tobiæ *cap.* 3. ſeptem impudicos Saræ maritos occiſos ab Aſmodæo. A quo eodem occiſum eſſe nequam Her ob peccatum mollitiei, *Gen.* 38. ſentiunt communiter. Et 1. *Reg.* 16. Dæmon qui exagitabat Saulem, vocatur *Spiritus Domini malus.* Quomodo ſpiritus Domini, ſi malus? Quia ſcilicet Dei miniſter & lictor erat, torquens impium Saulem. Vtiles igitur & neceſſarij ſunt mundo dæmones. Nam primò ſicut lictores & carnifices incarcerant & torquent ſontes: ita etiam Dæmones. Nemo innocens curat aut metuit miniſtros illos, quia noxios tantùm apprehendunt: ita etiam non eſt, cur metuamus Dæmones, ſi conſcientia nos defendat. Audi Iobum c. 40. dicentem: *Ecce Behemoth quem feci, tecum fœnum ſicut bos comedit.* Nomine *Behemoth* dæmon intelligitur. Sed quos iſte comedit? qui carnales ſunt & fœnum, iuxta id *Iſa.* 40. *Omnis caro fœnum.* Fecit eum nobiſcum Deus, id eſt, conceſſit vt nobiſcum in mundo maneret, ſed non niſi vt fœnum & terrenos ac carna-

carnales ederet; & ſi iuſtos etiam aliquâ ratione læſurus eſt, non niſi in rebus fluxis & temporalibus læderet ad maius ipſorum bonum. Corui ſunt dæmones ad hoc deſtinati vt cadauera tantummodò foras proiecta deuorent. Serpentes ſunt, quibus dicitur: *ſerpenti panis puluis eius. Iſa.65.*& *Gen.3. Terram comedes*, id eſt, terrenos, *cunctis diebus vitæ tuæ.*

2. Secundò. Sicut lictores neminem apprehendunt, in carcerem abducunt, vel torquent, niſi ex imperio Magiſtratus: ita etiam Dæmones nemini nocere poſſunt niſi ex imperio & conceſſione Dei, cum eo limite, quem Deus eis præſcribit. Quemadmodum patuit, cùm facultatem Dæmon petijt aggrediendi S. Iob oſtendens ſe habere ligatas manus: *Extende*, inquit, *paululum manum tuam*. q.d. manu tuâ meã comprimis, laxa manum tuam, vt mea illum aggredi queat. Conceſſit illi hoc Deus, ſed limitatè, vt animæ eius parceret. Ex quo colligit S. Auguſtinus *præf. enarrat. 2. in Pſalm. 29.* Dæmonis voluntatem ſemper eſſe malam, poteſtatem verò ſemper eſſe bonam, quia à Deo conceſſa. Et S. Gregorius *l. 2. mor. c. 6.* ait Diabolum ſemper quidem appetere iuſtos, ſed hoc non poſſe, niſi quos & quouſque permittit Deus. *Quare*, addit idem Sanctus, *formidari non debet, qui nihil niſi permiſſus valet: ille autem eſt timendus & honorandus eidemq́; ſeruiendũ, cuius eſt poteſtas & cui Dæmon ipſe paret, &c.* Si eſſet prope te ingens aliquis ac ferox Gigas cum gladio vaginæ incluſo; & ex altera parte magnus aliquis tuus amicus Gigante illo fortior & potentior, qui brachium eius contineret, ne gladium euaginare & ſe mouere loco poſſet, non eſſet certè cur Gigantem timeres, ſed operam dares vt potentis adeò amici gratiam conſeruares. Talis eſt igitur ferocis illius Behemoth poteſtas, de quo *c. 40. Iob* dicitur, quod ſit *principium viarum Dei & qui fecit eum, applicabit gladium eius.* q.d. non niſi per Creatoris licentiam euaginare gladium poteſt. Canis inſtar eſt Dæmon, præ macello ſtantis, & inutiles carnis bolos à lanione ſibi proiectos expectantis. Rogandus ergo ſolùm Deus: *ne proiicias me à facie tua.* Et; *ne tradas beſtijs animas confitentes tibi.*

3. Tertiò. Sicut lictores neminem faciunt, ſed oſtendunt tantùm reum eſſe vel non reum, dum quæſtionibus exagitant & ponderibus appenſis diſtrahunt ſeu librant, vt vulgò vocamus. Sic etiam Dæmones, licet homines tentent, non tamen hoc ipſo malos faciunt, ſed malos eſſe oſtendunt, ſi illi ſuccubuerint: vel bonos, ſi non ſuccubuerint. *Tentatio*, inquit Thomas de Kempis, *non efficit hominem improbum, ſed qualis ſit oſtendit.* Certè S. Hieronymus *in Pſal. 109.* Diabolum vocat Quæſtionarium; idque deducit ex verbis Apoſtoli *1. Timoth. 1.* dicentis: *Quos tradidi ſatanæ vt diſcant non blaſphemare. Ergo Diabolus*, inquit, *quaſi quæſtionarius Domini eſt, qui enim non rectè ambulant, traduntur Diabolo, vt ab ipſo cruciati ad Deum conuertantur.* Exagitando eos ſuis tentationibus oſtendit, num ſupra petram ædificati ſint, an verò ſuper arenam. Scimus ex Euangelio *Matth. 7.* domum ſupra petram extructam tempeſtati minimè ceſſiſſe; ceſſiſſe verò eam quæ ſuper arenam ſtructa erat. Ex quò, vt Caſſianus Coll. 18. c. 13. ait ſatis apparet, domum aut conſcientiam ſtulti non corruiſſe, quòd tentationum tempeſtate eſſet concuſſa (ſiquidem domus ſapientis eiſdem concuſſa non corruit) ſed quod fundamenta illius domus non eſſent firma, nimirum arena. Sapiens ergo non ſuccumbit tentationibus, quia in virtutibus bene fundatus eſt: ſtultus ſuccumbit, quia malè fundatus, adeoq́ue domum cordis ſui ruinoſam & vitioſam habet. Verbi gratiâ, domus Cain corruit ab inuidia oppugnata, quia eius fundamentum erat inane quoddam deſiderium honoris, quo cupiebat à Deó affici, ſi oſtenderet Deus gratum ſibi fuiſſe eius ſacrificium: Abelis tamen domus firma permanſit, quia eius fundamentum erat pura & ſimplex intentio Deo placendi, eiq́ue offerendi optimum & pretioſiſſimum quod habebat. Eſau domus cecidit, quia innitebatur fundamento carneo & amori proprio; cui vt indulgeret, vendidit primogenituram. Iacob autem fratris eius domus firma permanſit, eò quòd inniteretur fiduciæ in Deum, ad quem in omnibus ſuis calamitatibus per orationem confugiebat. Perijt domus & regnum Saulis, eò quòd proprio iudicio & voluntati tota inniteretur, contemnens & quaſi conculcans obedientiam Deo debitam, prætextu & pallio quodam offerendi, ex proprio iudicio, eidem ſacrificium: domus verò & regnum Dauidis firmum permanſit: quia eius fundamentum erat cor, ipſius Dei cordi eiuſque voluntati valdè conforme: quam certò ſtatuerat in ſuis omnibus rebus adimplere. Phariſæi ædificium à ventis fuit diſſipatum, eò quòd vanitatis vento inniteretur, Publicani verò domus ſtetit firma: quia eius fundamentum fuit vera humilitas & cognitio ſui. Fluctus dolorum & tribulationum non potuerunt deiicere domum boni latronis in cruce: quia illam fundauit in cognitione ſuorum peccatorum, & quòd eſſet dignus tali ſupplicio, at alteram impij latronis domum funditus ſubuerterunt: eò quòd in obſtinatâ ſuâ voluntate pertinax conſtiterit. Itaque faciunt Dæmones ſuis tentationibus vt ſeipſos noſcant homines, indeq́ue fit vt ſæpe improbiſſimi pudore confuſi reſipiſcant & pœnitentiã agant, quam numquam egiſſent, niſi tentati fuiſſent, quemadmodum & rei poſt quæſtiones & torturas redeunt ad cor & per publicam pœnitentiam euadunt plerumque gehennam. Laudandus itaque Deus, quòd huiuſmodi miniſtros reip. ſuæ prouiderit, &c.

CONCIO V.

Foramina per quæ hæreſis irrepſit in Germaniam.

Primum foramen fuit diſſoluta Clericorum vita.
1. Ruditas, & inſcitia Paſtorum.
3. Prælatorum oſcitantia & ſomnolentia.
4. Principum conniuentia.
5. Morum corruptio.

THEMA.

Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.
Ioan. 10.

A. FVres & latrones eſſe hæreſiarchas noſtri temporis ex hodierno Euangelio manifeſtè intelligimus. Si enim Apoſtoli Chriſti ſunt, oſtendant per quod oſtium intrauerint in Eccleſiam. Non aperuit illis ſummus ille & generalis oſtiarius, Spiritus ſanctus; quia per miracula & vitæ ſanctimoniam demonſtrare debent ſe immediatè ab eo miſſos eſſe. Non aperuit illis Summus Pontifex Chriſti in terris Vicarius, quia potiùs damnauit eos & ferijt anathemate. Non aperuêre Epiſcopi Orthodoxi quia contra lupos iſtos ſtrenuè proteſtati ſunt & magnis vocibus reclamarunt. Cæteri fideles aperire non potuerunt, quia non ſunt oſtiarij, nec illorum eſt admittere in Eccleſiam Doctores & Paſtores. Vnde ergo tandem irrepſerunt in Eccleſiam? vtique per foramina, per quæ intrare fures ſolent, vt in hodierno Euangelio audiuimus. Porrò indagemus hæc foramina, quo mirari deſinamus.

B. I. Diſſoluta Clericorũ vita. Foramen PRIMVM fuit diſſoluta Clericorum vita in priore illo ſæculo, quo hæreſes exortæ ſunt. Negari enim non poteſt fuiſſe tunc in Clero grauia & intolerabilia vitia, auaritiam & quæſtum turpem ac ſacrilegum, libidinem & gulam: diſciplinam etiam regularem magna ex parte collapſam & à priſtino feruore relaxatam. Quemadmodum enim ſenectus homini deformitatem affert, nec vllum tam bene compoſitum eſt corpus, aut ædificium tam coagmentatum, quod non vetuſtate corrumpatur, ita nulla eſt diſciplina etiam in domo Dei, quæ temporis progreſſu non contrahat labem aliquam & à priſtinâ degeneret integritate. Ita enim natura comparati ſumus, vt quò leges ſunt antiquiores, eò frigidiùs eas ſeruemus, & in tranſgreſſionem proniores ſimus. Differt in hoc natura ab Alchimiſtarum arte. Hi enim pulueris cuiuſdam, quem fermentum appellant philoſophicum iniectione, ferrum in cuprum, cuprum in argentum, argentum in aurum, adeóque ſemper deterius in melius & nobilius metallum tranſmutare norunt: contrarium experimur in natura & religione, quæ paulatim remittit vigorem & ex auro in argentum, ex hoc in cuprum, è cupro in ferrum degenerat; vti canit etiam Horatius:

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores: mox datura
Progeniem vitioſiorem.

Imprimis verò monaſtica vita, aut optimos generat viros, ſi conſtiterit in vigore: aut peſſimos, ſi fuerit diſſoluta. Vnde quod de Athenienſibus dixit Plutarchus in vita Dionis, eos aut eſſe optimos, aut peſſimos: & de Attica, eam gignere ſicut præſtantiſſimum mel, ita & exitiale venenum: idem de monaſticæ vitæ cultoribus dicendum eſſe videtur. Et ſicut Ieremias in duobus calathis ſibi à Deo oſtenſis deprehendit duplices ficus admodum diuerſas, in vno valde bonas: (populum qui in captiuitatem Babylonicam abductus fuerat) in altero valde malas: (populum qui manſerat Hieroſolymis) ita in monaſterijs aut deprehenduntur valde boni, qui regulam obſeruant: aut valde mali, qui non obſeruant, ſed tepeſcunt. Teſtatur hoc grauis auctor S. Auguſtinus epiſt. 137. tom. 2. *Sicut non inueni*, inquit, *meliores qui in monaſterio profecerunt, ſic nec deteriores, qui in monaſterio defecerunt.* Ex his fuêre Pelagius, Eutyches, Neſtorius, Iouinianus; & ſuperiore ſæculo Lutherus ex Ordine S. Auguſtini, Bucerus ex Ordine S. Dominici, Conradus Pelicanus ex Ordine S. Franciſci, Bernardus Ochinus ex Ordine Capucinorum, Viretus & Petrus Richerus ex Ordine Carmelitarum, Oecolampadius ex Ordine S. Brigitæ, Thomas de Thielt ex Ordine Sancti Bernardi, Petrus martyr ex Ordine Cathuſianorum, &c. Quando ergo tot monſtra è monaſterijs infælici illo ſæculo prodierunt, magnum ſanè præiudicium eſt, non fuiſſe eo tempore adhibitam vbique debitam diligentiam in obſeruanda vita monaſtica & regulari diſciplina. Quod ideo etiam commemoro, vt poſteri Religioſi, illorum lapſu edocti, meliùs ſibi attendant, quia quantum boni expectat Eccleſia à bonis, tantum viciſſim mali metuit à malis.

C. II. Ruditas & inſcitia paſtorum. SECVNDVM. Defectus virorum eruditorum, ſeu ruditas & inſcitia paſtorum. Conſtat enim proximè elapſa ſæcula perquàm rudia fuiſſe: Academias non floruiſſe: ſacra fidei dogmata parum aut nihil ventilata fuiſſe: plebem in iiſdem malè inſtructam hæreticis oblatrantibus reſpondere non potuiſſe, priſco tantùm ritu Deum coluiſſe & in primitiua ſua ſimplicitate vixiſſe. In ſcholis quæſtiones ferè ſpinoſæ ſolum agitabantur, ad impoſturas hæreticorum parum attendebatur. *Quin plerique etiam opibus* (ita lamentatur illorum temporum miſeriam Florimundus Remundus lib. 2. de progreſſ. hæreſ. cap. vlt.) *quas longa pax Eccleſiæ attulerat, quaſi indormite-*

dormiebant, ſuiſq; officijs ſegniter fungebantur. Tum vaticinium illud Prophetæ Amos impletum fuit, Tamen non panis & vini, ſed diuini verbi mundo manantis. Imò tempus illud erat, de quo Eſaias dicit Sacerdotes æquè & ſimplicem populum rudes fore atque ignorantes. Eadem tum, quæ antiquæ illi Sion apud Ieremiam Prophetam, ruina Eccleſiæ impendebat. Plerique in Germaniâ Chriſtiani & Catholici erant tantùm imitatione quadam, non ſcientiâ aut humilitate. Et quemadmodum ij, qui ducentis aut trecentis annis ſine titulorum à maioribus acceptorum tranquilla poſſeſſione vſi ſunt, tam longi temporis præſcriptionem ad ius ſuum probandum ſatis eſſe putant, nec priſca & rubiginoſa monumenta excutere quidquam penſi habent: ſic magna pars Prælatorum & Eccleſiæ præſulum, antiquâ ſua poſſeſſione contenti ſuauem vitam ducebant, parum interim de legendis ſacris libris ſolliciti. O infortunati Archimedes! qui intereà dum ciuitas veſtra diripitur, figuris in puluere deſcribendis occupamini. O canes culinæ potiùs quam cuſtodiendo gregi intenti! qui dum muti eſtis, ac mille & quadringentorum annorum poſſeſſioni ac præſcriptioni nimiùm fidetis, & oues lupo & veſtram ipſorum cauſam hoſtibus fermè prodidiſtis. Quid enim de ignorantia, luxu & vitijs temporum illorum dicam? quibus plerique immerſi nihil aliud quàm ocium ſpectabant, & cuticulam ſuam tantùm curabant? Nam quemadmodum corpora pulueri ac ſoli expoſita multiſq; laboribus exercitata omnes aëris iniurias faciliùs ferunt; delicatè verò habita & molliter educata etiam leuibus rebus quum facilè tum grauiter offenduntur: ſic longa illa quies & felicitas in Eccleſiæ corpore multos prauos ac vitioſos humores peperit, è quibus deinde grauiſſimi morbi, ſymptomata & conuulſiones exſtiterunt, à quibus etiamnum Eccleſia nondum conualuit, quamuis à cœleſti illo medico diuerſis remedijs aliqua ex parte ſubleuata ſit, & paulatim priſtinæ ſanitati reſtituta.

Porrò ſingulari Dæmonis verſutiâ factum, vt eo tempore pauci docti viri eſſent, qui pro Eccleſiâ Dei pugnarent, quando ipſe eam tot armis inuadere deſtinauit. Quemadmodum Naas Ammonites eo ſolùm pacto recipere in fœdus Hebræos de Iabes Galaad voluit, vt erueret omnium dextros oculos (*1.Reg.11.*) quò nimirum eos bello redderet ineptos (nam ſiniſtros oculos ſcuto tegebant, & conſequenter dextro rem agere & dirigere iacula debebant) ita egit Diabolus calamitoſo illo tempore, ſiniſtros oculos reliquit Eccleſiæ paſtoribus, vt iuriſprudentiæ vel iuri etiam canonico, politicis quoque rebus ſtuderent: verùm dextros illos, quibus fidei dogmata perſpicere & propugnare deberent, eruit. Ac quemadmodum Philiſthæi, hoſtes Iudæorum, cauerunt vt non eſſet faber in Iſrael, qui arma eis cuderet, (*1. Reg.13.*) quò nimirum ſecurè eos premere & ſubiugare poſſent armis deſtitutos: ita ferè euenit Germaniæ, vt eo potiſſimùm tempore, quo cum hæreticis pugnare debebat, paſtoribus eruditis penè deſtituta eſſet. Quare vel nunc ſerò ſapiant Germani, & diſcant iuuentutem ſtudijs addicere & de paſtoribus oculatis ſibi prouidere, niſi malint cæci à cæcis duci & ambo in foueam cadere.

D. III. Prælatorum oſcitantia.

TERTIVM. Prælatorum oſcitantia & ſomnolentia. Quemadmodum enim in parabolâ Euangelicâ. Dum dormirent homines, venit inimicus homo & ſuperſeminauit tritico zizania. *Matth.* 13. ita contigit Eccleſiæ, *cuius ager Prælatorum negligentiâ & pigritiâ totus quaſi ſentibus & ſpinis obductus ſquallebat: totus ob morum diſſolutionem & vitia degenerârat*; inquit Florimund. ſuprà *lib. 1. de progreſſu hær. cap.*8. Scimus quid euenerit Isboſeth filio Saul, quando non ipſe ſolus in domo ſuâ, ſed & oſtiaria domus purgans triticum obdormiuit: eâ enim dormiente ingreſſi ſunt domum latenter duo latrones & occiderunt Isboſethum, *2. Regum* 4. Quid hæc oſtiaria dormiens niſi prælati ad oſtia Eccleſiæ cuſtodienda deſtinati? Hi verò dum frugibus & reditibus ſolùm colligendis ſtudent & in cura paſtorali interim obdormiunt, viam aperiunt Luthero & Caluino, peſſimis duobus latronibus, qui latenter Eccleſiam ingreſſi interficiant animas perfidiæ pugione. Nec myſterio caret, quòd oſtiaria, non oſtiarius, ſuâ ſomnolentiâ damnum iſtud dederit: quia Prælati illi non vt viri, ſed vt fœminæ potiùs paſtorali præerant muneri; dum qui ſe muros opponere contra nouatores debebant, nimis facilè territi hoſti manus dederunt, ac viſo lupo veniente, fugerunt. Sed ne cui iniuriam facere videamur, audiamus iterum Florimundum *lib. 1. cap.* 9. ſic perorantem: *Quid ergo fuit, quod tanto malo graſſandi licentiam dedit? Illud nimirum, quod obſcurum hominem* (Lutherum) *Imperator contempſit, Cardinalis verò dulcibus ipſius verbis, & ſuis ipſius, quas Lutherus frequenter in ore habebat laudibus conſopitus fuit. Nullum enim Caietani humanitatem ac benignitatem deprædicandi finem Lutherus initio faciebat. Illud ſanè imprudenter vel negligenter potiùs à Caietano factum videtur quòd hominem nullo ſaluo conductu ab Imperatore munitum, quem Auguſtæ tum alibi tamdiu oberrare permiſit, cui ſine vlla perfidiæ exprobratione, quod in mandatis habebat, manus inijcere potuiſſet, ſed & optimo iure ſecuritatis litteras Imperator Luthero denegare poterat, vt qui imprudenter in plagas ipſe ſe coniecisset. Sed vterque lenitate vtendum ſibi exiſtimauit: quod remedium inualeſcentibus malis admodum eſt periculoſum. Teſtatur enim experientia, morbos pecudum magis magiſq; ingraueſcere & diſpalari.*

Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, & meliora Deos ſedet omnia poſcēs.

Et quemadmodum vrtica leui & ſuſpenſa manu contacta vrit, at rudi manu compreſſa obtunditur ac vim ſuam perdit: ſic naſcens quæcumque hæreſis facile opprimi poteſt, ſi auctoris os claudatur, & irriſa eius ſtultitiâ & temeritate, vox planè adimatur. Hoc modo multorum fatuitas ſanata fuit. Contra obſtinatos verò non verbis ſed factis, non lenibus ſed aſperis reme-

Digitized by Google

remedijs vtendum, primiſq; prin ipſis obſtandum eſt. Dilatio enim ſeu mora nouas malo vires addit: tantoq; illud fit incurabilius, quantò magis inueteraſcit. Hinc Syneſius ad Imperatorem Arcadium ſic ſcribit: Malum naſcens facilè auertitur & ſanatur: at vbi inueterauerit, omnem medicinam reſpuit. Nimirum

— ſerò medicina paratur

Quum mala per longas inualuère moras.

Et ſapienter monet Ariſtoteles, ad præcauendas imperiorum ruinas, turbarum quamuis tenuiſſimis initijs eſſe occurrendum. Nam quemadmodum in fluminibus videmus, ſi quid inciderit aut aquarum impetu eò delatum ſit quod curſum remoretur, paulatim molem accreſcere, ac ſæpe integras inſulas exundare: ſic in mundi huius, ac præcipuè religionis negotijs ex paruis initijs magna rerum mutationes ſequuntur. An non exigua Arianiſmi Alexandria accenſa ſcintilla totum ferè terrarum Orbem fœdo incendio inuoluit, eò quòd primo ſui ortu non fuerat extincta? Sic Lutherana quoque hæreſis ex obſcuro Germaniæ angulo progreſſa, magnam Chriſtianæ Reipublicæ partem ſua contagione infecit, eam ob cauſam quod initia eius eſſent neglecta. Sed hæc diuina voluntate erant decreta: hanc pœnam, adeoque multò maiorem peccata noſtra merebantur. Sic ille.

IV. Principũ conniuentia. QVARTVM. Principum conniuentia, quia hæreticos, cùm potuiſſent, non extinxerunt, *Num.* 33. præcepit Deus Moyſi & Iſraelitis, vt ingreſſuri terram promiſſam, diſperderent omnes habitatores terræ illius, Chananæos ſcilicet, vtpote gentiles; ac niſi omnes interfeciſſent, *qui remanſerint, erunt vobis*, inquit, *quaſi claui in oculis, & lancea in lateribus, & aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ; & quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam.* q. d. Vexabunt & dilacerabunt vos bellis, &c. id quod experti ſunt poſteà. Cùm enim aliquibus pepercissent & inito fœdere permiſiſſent inter ſe eos habitare, non potuerunt eos poſtea delere, ſed ab eis direpti, capti & venditi ſunt, vt patet *Iud.* 2. Expertus id etiam eſt Achab Rex Iſrael, qui cùm Regem Syriæ Benadad hoſtem Iſraelitarum viciſſet (quem occidere debebat) & Benadad lateret, eius ſerui dixerunt: *Ecce audiuimus, quòd reges domus Iſrael clementes ſunt; ponamus itaque ſaccos in lumbis noſtris & funiculos in capitibus noſtris, & egrediamur ad regem Iſrael, forſitan ſaluabit animas noſtras.* Egreſſi ergo ad Achab, dixerunt: *Seruus tuus Benadad dicit: Viuat, oro te, anima mea.* Et Achab: *Si adhuc viuit*, inquit, *frater meus eſt.* Quod verbum mox rapuerunt ſerui ex ore eius & ad regem ſuum attulerunt. Itaque receptum in fœdus dimiſit Benadadum Achab. Sed quam mercedem ex hac clementia retulit? Occurrit ei mox Propheta & ait: *Quia dimiſiſti virum dignum morte, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* 3. *Reg.* 20. Quod & factum; nam poſt tres annos iterum mouit prælium contra Achab Rex Syriæ, in quo Achab occiſus eſt iuſſu Regis Syriæ, 3. *Reg. vlt.* Simili de cauſa Græci perijt, quia non multùm ſolliciti erant Græci de religione, permittebant hæreſes creſcere, vt lubitum cuique erat, quod S. Baſilius in quadam epiſtola ad Occidentales, & S. Hieronymus ad Damaſum queruntur & deplorant. Habuerunt etiam Principes noſtri hæreticorum Anteſignanum Saxonem & pleroſque hæreticos in ſua poteſtate: ſed quia nimium clementes eos dimiſerunt, vti & Lutherum; propterea iam ab illis patimur, quæ illi à nobis debebant. Recepti à nobis Lutherani Auguſtanæ Confeſſionis. Poſteà tolerati & Caluiniſtæ. Toleratæ eorum nouitates & rapinæ. Experimur iam quid nobis ipſi creauerimus. Accedit ſanè nobis, quod hoſpiti illi Ægyptio, qui cùm in domum ſuam recepiſſet & toleraſſet Aſpidem, licet ipſa nemini noceret, catulos tamen peperit, qui hoſpitis puerum veneno peremerunt, teſte Alberto Magno *de animal. lib.* 25. *in Aſpide.* Etſi enim aliquamdiu conquieuere hæretici illi recepti in fœdus, proles tamen ipſorum nos iam expellere conantur ex noſtris ditionibus. Canticorum 2. dicitur: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Quænam illæ vulpes? Nimirum illæ Samſonis 300. ſecundùm Origenem ho. 4. in Cantic. hæreticorum typus, quæ caudis mendaciorum colligatæ, ſegetes vaſtant Eccleſiæ. Eæ verò capiendæ ſunt antequam ſuccreuerint.

Quâ in re non ſolùm Principes aliqui dormierunt, ſed & noſtrùm multi adhuc delinquunt, dum cum Iudæis & hæreticis amicitias contrahunt maiores ſæpe quàm cum Catholicis. Laudant eorum facta, noſtra vituperant: quid hoc aliud quàm dicere: *Frater meus eſt.* Et quid mirum, ſi proinde nobis facit Deus, quæ facturus erat hæreticis.

QVINTVM. Morum corruptio. Quid mirum ſi hæretici nos exturbent aut hæreſis in nos deriuetur, quibus vel ſimiles vel peiores ſumus? In huius rei figuram minatur Deus *Ierem.* 10. ſe poſiturum domos Iuda in habitaculum Draconum; quia mauult regnare infideles vel hæreticos, quàm perditos Chriſtianos; quidem illi contemnunt Deum, quem non agnoſcunt: nos verò contemnimus, quem agnoſcimus. Vndè fit vt propter nos blaſphemetur nomen Domini, multò magis quàm propter gentes. Hinc factum, vt Hieroſolyma ob perditos ſuos Ciues traderetur gentibus: hinc Græcia tota in manus Turcarum venit: hinc hæreſes in Germania exortæ: hinc tumultus in imperio. Erant Græci dediti maximè ebrietati, conuiuijs & tripudijs, vt deplorant in epiſtolis ſuis Baſilius & Chryſoſtomus; Religionem non magni faciebant, ſuas ſequebantur ſententias contra Eccleſiam Romanam, Pontificem non venerabantur, ſed proſcindebant, repellebant; Patriarcham ſuum Conſtantinopolitanum, qui Patriarcharum vltimus erat, primum omnium eſſe voluerunt. Sed quid factum? Quia vino dediti erant, Turcis traditi ſunt, qui vinũ reſpuunt, & vites, cùm poſſunt, ſuccidunt. Quia

V. Morum corruptio.

Quia tripudijs, aſſueti erant iam compedibus vincti & ſeruituti traditi ſunt, vt gemere magis eis placeat quàm ſaltare aut canere. Quia religionem non curabant, iam vix in angulis quibuſdam eam retinere poſſunt. Quia contra Eccleſiam de Spiritus S. proceſſione ſentiebant, in ferijs Pentecoſtes Conſtantinopolis à Turcis capta eſt. Quia denique Sedi Romanæ ſubeſſe noluerunt, ſubeſſe iam coguntur Tyranno immaniſſimo. Non multum diſpares fuêre mores Germanorum, cùm in hæreſim Lutheranam cadebant. Nulla tunc ferè in SS. literis eruditio: Canones ſacri non obſeruabantur: nulla Sacramentorum frequentatio: nulla erga Clerum reuerentia, contumelioſæ & ſcurriles ſacrarum cæremoniarum & myſteriorum irriſiones, vt patet ex illius temporis ſcriptoribus, Munſtero, Eraſmo, Bebelio, Sleidano, &c. Quid hi aliud erant, quàm ligna arida ad concipiendam hæreſis flammam? Iam verò an non & noſtri mores ad illos propè accedunt? Certè noſtram Germaniam ſororem eſſe Græciæ, quantum ad ebrietatem, quis non videt? Nihil inchoatur, aut finitur, niſi cum potu. Non ſcimus honorare amicos niſi cum potu, niſi vocentur ad prandium, niſi ebrij dimittantur. Nónne hoc genus quoddam ſtultitiæ, reputare ſibi pro honore, cùm amicus deſtruit vinum tuum & ſimul ſanitatem ſuam? Deinde exiguus Cleri reſpectus. Nullâ immunitatis Eccleſiæ, Canonum, præceptorum obſeruantia. S. Hieronymus *ep.* 13. ait: *Noſtris peccatis Barbari fortes ſiunt: noſtris vitijs Romanus fugatur exercitus.* Nos hoc de hæreticis dicamus, & rem acu tangemus. Noſtris enim peccatis fortes fiunt hæretici: noſtris vitijs fugatur noſter exercitus. Quid igitur miramur? Ergo, ô Germani, ſi à finibus noſtris extorres volumus hæreticos, ſi ab illorum incurſu deinceps liberi eſſe, obſtruamus illa foramina, per quæ irrepſerunt. Reformetur Clerus, inſtaurentur ſtudia, vigilent Prælati, gladium exſerant Principes, ceſſent mores populi corrupti: conuertatur vnuſquiſque à viâ ſuâ peſſimâ: reſumamus priſtinum Fidei vigorem quem habuêre maiores noſtri, &c.

CONCIO VI.

Cæremoniæ Sacramenti Confirmationis exponuntur.

1. *Sacramentum Confirmationis ſolùm confertur ab Epiſcopo.*
2. *Confertur per vnctionem S. Chriſmatis.*
3. *Frons perungitur in modum Crucis.*
4. *Manus confirmando imponitur.*
5. *Ictu leui admonetur.*
6. *Obligatur frons faſciolâ.*
7. *Datur ei patrinus.*

THEMA.

Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. Ioan. 10.

LÆtatur ſanè parens, cùm naſcitur ei filius; ſed tamen multò magis gaudio repletur, cùm videt iam adultum & robore præſtantem, ad militiam vel alia Reipublicæ munia idoneum, hic enim ipſius finis eſt, quem à filio expectat. Genuit nos, Auditores, per fidem & baptiſmum Chriſtus Dominus; ſed non eſt ipſi ſatis, ſi per gratiam viuamus; vult prætereà vt in ea confirmemur & creſcamus, adeoque idonei fiamus ad militandam Chriſtianam militiam plurimaque in Eccleſia bona patranda. Hoc eſt quod nos docet in hodierno Euangelio, cùm ait; *Ego veni vt vitam habeant & abundantiùs habeant.* Vitam animæ, gratiam, accepimus in Baptiſmo: abundantiùs verò accipimus eam in Confirmatione, ibi adoleſcimus, ibi cœleſti robore induimur, ibi milites efficimur; quemadmodum & Apoſtoli die Pentecoſtes confirmati fuêre & milites effecti, vt iam non dubitarent in publicum prodire & contemptis Principum minis, Chriſtum palàm annunciare. Porrò, quemadmodum Apoſtolorum militaris inauguratio non ſine externis ſignis contigit (ſonus enim repentè de cœlo venit cum turbine ſeditque Spiritus ſanctus in ſpecie ignearum linguarum ſuper Apoſtolorum capita;) ita & Confirmatio noſtra non fit ſine cæremonijs; quæ cùm ſalutari conſilio excogitatæ & documentis plenæ ſint, à nobis examinari debent. A.

PRIMÒ. Non confertur niſi ab Epiſcopo, quia eſt Sacramentum perfectionis, ſeu conſtituens hominem perfectè Chriſtianum & idoneum ad militiam Chriſtianam; vnde à Græcis vocatur τελείωσις id eſt, perfectio vti à S. Dionyſio *de Eccleſ. hierar.* & Ambroſ. *lib.* 3. *de Sacram. c.* 2. Quemadmodum ergo in extruendis ædificijs, (vt argumentatur D. Tho. 3. *p. qu.* 72. *art.* 11.) fabri inferiores, calcem, cæmenta, ligna & reliquam materiam parant B. 1. Confertur ſolùm ab Epiſcopo.

atque

atque componunt; abſolutio tamen operis & vltimæ manûs impoſitio ad Architectum ſpectat: ita & Baptiſmus & alia Sacramenta per inferiores ſacerdotes conferri homini poſſunt, verùm Confirmatio, quæ ſpirituale hominis ædificium perficit, manum Epiſcopi requirit. Et rurſum ſicut epiſtolam exarat quidem ſcriba, ſed eam ad finem Dominus manu propriâ ſubſcribit: ita baptizat quidem ſacerdos, ſed manus Epiſcopi ſigno crucis conſignat hominem in fronte quaſi epiſtolam cœleſtibus characteribus conſcriptam. (Hinc Apoſtolus Corinthios à ſe conuerſos vocat epiſtolam ſuam ſimulque epiſtolam Chriſti, ſcriptam non atramento, ſed Spiritu Dei viui. 2. *Cor.* 3.) Vnde etiam rectè Confirmatio vocatur manûs impoſitio à S. Aug. *l. 3. contra Donat. cap.* 16. & *l. 6. cap.* 14. quaſi vltima manûs impoſitio ſeu perfectio. Non quòd hominem actu perfectum & omni virtutum genere inſtructum reddat, ſed quòd abundantem ei & ſpecialem gratiam conferat ad hanc perfectionem conſequendam. Quemadmodum enim trium votorum editio religioſum in ſtatu perfectionis conſtituit, non quòd is ſtatim perfectus ſit; ſed quòd illa profeſſio eum addicat ſtudio & ſtatui perfectionis, in quo perfectus eſſe contendat & quòd peculiaria ad id adiumenta habeat. Propterea D. Thomas *quæſt. cit. ar.* 8. ait, ſicut de intentione naturæ eſt, vt homo creſcat ſtaturâ; ita de intentione Dei eſſe, vt idem creſcat vigore perfectione. Quare ſicut pumilio non eſt perfectus homo: ita *abſque huius Sacramenti vnctione perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poterit, neque ſedem habere inter perfectos*, inquit S. Clemens Papa *epiſt.* 4. *ad Iulium & Iulian. n.* 3. aſſerens ſe hoc audiſſe à Magiſtro ſuo Petro. Conſiſtit autem hæc perfectio in eo, vt ſtudeamus vitare omnia peccata, animam exornare bonis operibus, ſeruare omnia præcepta, & quantum fieri poteſt, etiam conſilia. Qui enim conſilia & profectum non curat, tepidum ſe Chriſtianum prodit & periculo defectionis obnoxium, iuxta id *Apoc.* 3. *Quia tepidus es, incipiam te euomere.* Quam ob cauſam Hugo de S. Victore apud D. Tho. *loco cit.* ait, periculoſum eſſe homini ſi abſque Sacramento Confirmationis decedat, quòd detrimentum perfectionis patiatur.

C. II. Confertur per vnctioné S. Chriſmatis.

SECVNDÒ. Confertur per vnctionem S. Chriſmatis, quod eſt confectum ex oleo & balſamo. Oleum nitorem conſcientiæ, balſamum odorem bonæ famæ ſignificat, vti docet Concilium Florentinum. Ergo hoc fit, 1. Primò, vt habeamus bonum teſtimonium, tam intus erga nos, in conſcientiâ noſtrâ; quàm foris erga proximum, in vitæ conuerſatione. Duo hæc teſtimonia ſæpe vrget & requirit Apoſtolus; teſtimonium, inquam, bonæ conſcientiæ, & teſtimonium bonum apud eos qui foris ſunt. Nobis enim debemus vitam bonam, proximis verò famam bonam, iuxta id 2. *Cor.* 2. *Chriſti bonus odor ſumus in iis, qui ſalui fiunt.* Gratus quidem eſt flos qui pulcherrimo ſuo colore & decore viſum oblectat: at multò gratior eſt, ſi prætereà etiam odorem gratiſſimum aſpiret.

2. Secundò. Vt dum pugnam Chriſtianam contra vitia ingredimur moneamur hac vnctione athletas nos præſtare & reges, qui ſibi & ſuis paſſionibus imperare queant. Scimus enim in veteri lege reges oleo fuiſſe inunctos, idque adhuc fieri in nouâ. Eius rei nos admonet nomen *Chriſtiani*, quod ab vnctione & Chriſto rege noſtro acceptum gerimus, qui *fecit nos regnum*, teſte Ioanne *Apoc.* 1. id eſt, reges, *qui prælati cunctis motibus carnis, modò luxuriæ appetitum frænant, modò æſtum auaritiæ temperant, modò gloriam elationis inclinant, modò ſuggeſtionem liuoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt. Reges ergo ſunt, quia tentationum ſuarum motibus non conſentiendo ſuccumbere, ſed regendo præeſſe nouerunt*, inquit S. Greg. *l.* 6. *mor. c.* 21.

3. Tertiò. Vt inter mundi laqueos & ſordes ſtudeamus animam ſeruare illæſam ab omni labe peccati. Oleum enim à rubigine; balſamum à corruptione res conſeruant. Ac proptereà rectè & conſultò ſuſcipitur & confertur hoc Sacramentum, cùm incipiunt homines ſapere & ingredi biuium literæ Pythagoricæ, bonum à malo, virtutem à vitio dignoſcere.

D. III. Frons perungitur in modum crucis.

TERTIÒ. Frons perungitur in modum crucis; 1. Primò. Vt Chriſtianus confirmetur ad palàm confitendum Chriſtum contra omnes aduerſarios, tanquam miles ad pugnandum, vt ait ſanctus Chryſoſtomus *homil.* 5. *op. imperf.* & S. Auguſtin. *ſerm* 47. *de verb. Dom.* Eodem recidit quod Concilium Florentinum ait: *Ideo in fronte, vbi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè crucem eius, quæ Iudæis ſcandalum, gentibus autem ſtultitia fuit.* Quod ſi improbi interdum eò impudentiæ deueniunt, vt nullo afficiantur pudore dum peccata ſua perpetrant, imò quandoque *peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt nec abſconderunt. Iſa.* 3. puderéne debet ingenuos Chriſti milites fidem ſuam apertè fateri & bona opera facere? Ad hoc verò roborat eos Deus in hoc Sacramento, iuxta id *Ezech.* 3. *Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum*, apud quos habitas.

2. Secundò. Vt cum alacritate currat viam mandatorum, ob gratiæ abundantiam, vt ait S. Auguſtin. De catech. rud. cap. 23. Solebant enim olim & ſolent adhuc Romæ curſores ad curſum deſtinati, ſignari ſigillo in fronte. Vita autem Chriſtiani, curſus quidam eſt, teſte Apoſtolo dicente: *Sic currite vt comprehendatis*, 1. *Cor.* 9.

3. Tertiò. Vt hoc quaſi *ſignaculo dominico* (ita appellat S. Cyprianus epiſt. 73. ad Iubaianum) ſciamus nos eſſe milites Chriſti, nec poſſe ſine maximâ Dei iniuriâ ab ipſo tranſfugere ad partes diaboli; aut arma eius de fronte

fronte deijcere ac dæmonis arma ſubſtituere; id quod impium Iulianum Apoſtatam facere conatum legimus, abluendo & abradendo ſacram Vnctionem, quâ Chriſto conſignatus olim fuerat. Hinc in ordine Romano die Iouis ſancto forma crucis vocatur *ſignum frontis & ſacri titulus bellatoris, vt ſignati Chriſmate ſancto ſigniferi eſſe mereantur cæleſtes*. De eodem Conſtantinus Magnus in edict. ſui ipſius confirmationem referens; *Leuatoq;*, inquit, *me de fonte induto veſtibus candidis, ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti conſignationem adhibuit beati Chriſmatis vnctione, & vexillum crucis in mea fronte liniuit.*

E. IV. Manus confirmãdo imponitur.

QVARTÒ. Epiſcopus manum capiti confirmandi imponit; vnde ab antiquo Sacramentum hoc manus impoſitio vocata, vt patet Actorum 8. *Imponebant illis manus, &c.* quod fit eo ipſo, quo conſignatur frons. Deſignat ergo hæc impoſitio manus. 1. Primò, diuinam beneuolentiam, quâ confirmatus nouo & ſingulari modo à Deo tangitur, ſanctificatur & benedicitur. Ita legitur *Marci* 10. Chriſtus impoſuiſſe manus paruulis, & benedixiſſe, ac complexatus eos eſſe, demonſtrans eis ſingularem amorem & fauorem ſuum.

2. Secundò, Peculiarem protectionem & tutelam Spiritus ſancti, qui in eo Sacramento fit quaſi tutor confirmati, vti docet Melchiades Papa in ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſcribens: *Numquid prodeſt ſi quiſquam parentum magnam pupillo conferat facultatem, niſi prouidere ſtudeat & tutorem? Itaque Paracletus regeneratis in Chriſto cuſtos & conſolator & tutor eſt.* Committitur confirmandus alto quaſi mari, vt contra occurrentes tentationum fluctus dimicet; hinc illum Spiritus ſanctus manu ſuâ peculiaris aſſiſtentiæ comitari vult. Vnde videtur ei quodammodo dicere Epiſcopus: Ne dubita fili profiteri Chriſtum & pro eius fide omnia aduerſa tolerare; quia manus Domini tecum eſt. Quamobrem Spiritus ſanctus ſæpe eſt inuocandus à confirmato, velut Ductor eius, dicat cum Eccleſia: *Ductore ſic te prænio vitemus omne noxium.* Et cum Dauide Pſalm. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

F. V. Ictu leui admonetur.

QVINTÒ. Ferit Epiſcopus confirmatum leui ictu, quaſi alapâ; 1. Primò, non tam vt confirmatus memor ſit acceptæ Confirmationis, quàm vt paratus ſit pro Chriſto quæuis aduerſa ferre; imò percuſſus in maxillâ vnâ, porrigere & alteram, ſi ita res ferat. Talis enim inſtituitur ibi miles Chriſti, cuius pugna non in cædendo, ſed in ſuſtinendo conſiſtit: quemadmodum & Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum cæſi à Magiſtratu, *ibant gaudentes à conſpectu Concilij; quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*, Act. 5. Sæculares Domini, cùm fortè famulis ſuis ius gladij ferendi dare volunt, alapam eis impingunt, cum hoc monito; ne tale quid impoſterum ab aliis ferant, ſed gladio ſe defendant. Hæc eſt mundi confirmatio, ſtulta & inſana. Non ita confirmat Chriſtus: ad patientiam, ad iniuriarum tolerantiam & liberalem remiſſionem, ad porrectionem alterius maxillæ hortatur. Viderint ergo qui quamuis etiam minimam iniuriam ferre nequeunt, ſed mox ſe vindicare parant, quàm voto ſuo contraueniant.

Secundo. Non vt commoditates ſæculi huius quærat & ſectetur, ſed potiùs vt tolerare omnis generis incommoditates & aduerſitates norit; ſicut decet milites non degere in delicijs, ſed humi cubare, aquam bibere, duro pane victitare, parum dormire, grauia arma ferre, &c. quaſi dicat Epiſcopus illud Domini: *Cùm audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri: oportet primùm hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis. Luc.* 21. Sic ingreſſuri Academiam Studioſi priùs diuexantur verberibus & ludibrijs quo admoneantur patienter ferre labores ſtudiorum, correptiones Magiſtrorum, iniurias, ſociorum deriſiones, &c. Addit Epiſcopus duo verba: *Pax tecum*; quia in patientia pax & tranquillitas noſtra ſita eſt, iuxta illud Domini: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Luc.* 21. 2.

G. VI. Obligatur frons faſciolâ.

SEXTÒ. Obligatur frons confirmati lineâ faſciolâ. Primò, ob reuerentiam S. Chriſmatis, ne temerè tangatur & abſtergatur, adeoque immundè habeatur à confirmato. Eſt enim Chriſma ſacris precibus & manibus Epiſcopi conſecratum.

Secundò. Vt intelligat confirmatus gratiam Confirmationis ſedulò ſibi conſeruandam, quo modo S. Chriſma, vt fronti inſideat, atque inhæreat firmiter, faſciâ aſtringitur. Sanè Apoſtoli in ſuâ confirmatione confirmati fuere, vt deinceps lethaliter, non delinquere poſſent ampliùs; ſed hoc ſpeciale eorum priuilegium fuit, quemadmodum & confirmatio illorum fuit extraordinaria per illapſum Spiritus S. in ſpecie ignis. Nos ergo, vt huius gratiæ participes efficiamur, perpetuò remigare bene operando, vigilare & orare debemus, quo in bono perſeueremus.

Tertiò. Vt quemadmodum Chriſti facies velata, percuſſa & ſubſannata fuit à militibus: ſic non dubitemus ſimile quid pro Chriſto ferre, ſi occaſio requirat. *Flagella pati, Chriſtianorum eſt; inferre, Caiphæ & Pilati*; dicebat S. Athanaſius epiſt. ad Orthodoxos in perſecut. Nec mirum: quia Chriſtianus Chriſti paſſi imitator eſſe debet, teſte S. Petro *Ep.* 1. *c.* 4. *Chriſto igitur paſſo in carne & vos eâdem cogitatione armamini.* Socrates à quodam colaphio percuſſus, nihil ampliùs dixiſſe fertur, quàm moleſtum eſſe, quòd neſcirent homines quando cum galeâ prodire deberent. Refert Seneca *l.* 3. *de ira c.* 11. Verùm, Chriſtianus galeam hanc in capite ſuo numquam non geſtare debet, vt ſemper armatus ſit contra occurrentes paſſim iniurias. Huius galeæ te admonet faſcia illa Confirmationis.

H. VII. Datur ei patrinus.

SEPTIMÒ. Datur ei patrinus, vt ne confirmatus ſibi nimis fidat, ſed ſpirituali adhuc ductore ſe indigere ſciat. Sic Tyroni

&

Digitized by Google

& imperio militi adiungitur veteranus à latere eius vt per illum inſtruatur. Vnde S. Dionyſius *lib. de cæl. hierarch. c. vlt.* ait, viſum eſſe Apoſtolis vt eiuſmodi pueri tradantur per manus ſacerdotis talibus patrinis, vt reliquum ſub ipſis velut ſub pædagogis agerent ſicut ſub diuino patre. Tametſi verò ipſe Spiritus S. confirmati ductor & pædagogus eſt, munere tamen ſuo per cauſas ſecundas fungitur. Et ſicut populus Iſraeliticus non ſolùm Angelum præeuntem, ſed etiam Ducem Moyſen habuit per deſertum: ita nobis etiam neceſſarij ſunt plures pædagogi. Officium autem talium patrinorum eſt procurare ſalutem clientum ſuorum, eos inſtruere, arguere, confirmare in aduerſitatibus & periculis: id quod certè antiquitùs ſedulò præſtabant. Parentes naturales vt plurimum nimis indulgent liberis ſuis: ideo alieni inſtructores adiungendi eis erant, qui etiam ſpiritualem cognationem contrahunt cum confirmato, vt ſic ius acquirant in educandos & corrigendos clientes ſuos. Dolendum verò eſt, quòd hoc noſtro æuo tam parum ad hoc attendatur, & patrinus confirmati mera ſit cæremonia. Sanè ſi patrini parentum ſpiritualium officium aſſumerent, non videremus paſſim tam perditos & præfractos, tamque immorigeros liberos.

Ad extremum colligamus hinc Auditores, quanta res ſit Chriſtianum eſſe; ſi quidem videmus Chriſtianos tot ſacris initiari & toties nomen Domini ſuper eos inuocari; vt meritò exclamare debeamus cum Ieremia *cap. 14. Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos ne derelinquas nos.*

CONCIO VII.

Quatuor fines Sacrificij Miſſæ.

Inter Paſcua quæ in Eccleſia Catholica inueniuntur non infimum locum tenet Miſſæ ſacrificium, quod collatum cum Sacrificijs veteris legis.

1. *Eſt Sacrificium laudis reſpondens holocauſto.*
2. *Eſt Sacrificium gratiarum actionis reſpondens hoſtiæ pacificæ quà gratiarum actio.*
3. *Eſt propitiatorium reſpondens hoſtiæ pro peccato.*
4. *Eſt impetratorium reſpondens hoſtiæ pacificæ quà impetratorium.*

THEMA.

Ingredietur & egredietur & paſcua inueniet. Ioan. 10.

A. BEati ac fœlices illi, quotquot in Eccleſiam Chriſti per fidem eius ingreſſi ſunt: Miſeri contrà & infortunati, quotquot hinc abducti in alienum ouile dolo hæreſiarcharum abrepti ſunt. Nam, vt cætera taceam, qui in verá & Catholicâ Chriſti Eccleſiâ ſunt, illi paſcua inueniunt eaque varia & vberrima, Sacramentorum, ſacrificij Miſſæ, SS. cæremoniarum, concionum, librorum, exemplorum, &c. iuxta Prophetiam Ezechielis *c. 34. Paſcam eas in montibus Iſrael, in riuis, & in cunctis ſedibus terræ: in paſcuis vberrimis paſcam eas.* Qui verò in hoc ouili non ſunt, paſcuis his deſtituti ſunt. Pauca illis eaque inania Sacramenta, non Miſſæ ſacrificium, niſi fortè pauculæ eius cæremoniæ, non purum Dei verbum, non libri incorrupti, nulla virtutum exempla publica, &c. Vt meritò de eis dictum credamus quod ſcribit Ioel *cap. 1. Mugierunt greges armenti, quia non eſt paſcua eis, ſed & greges pecorum diſperierunt.* Porrò inter ea paſcua, quibus gaudet Eccleſia Catholica non tenet infimum locum Miſſæ ſacrificium, in quo velut vberrimo paſcuo Sacerdos non ſolùm ſe, ſed omnem inſuper gregem paſcit. Id verò cuiuſmodi paſcuum ſit, nunc inueſtigabimus.

Quemadmodum ſole oriente ſtellæ ſe abſcondunt, quoniam earum lumen à ſole mutuatum & in ipſo eminenter contentum eſt: ita Sacrificio nouæ Legis incipiente deſierunt ſacrificia veteris Legis, quia hoc vnicum eminenter in ſe continet omnes illas vires & excellentias, quæ in antiquis illis diuiſim erant, & ab hoc noſtro mutuatæ: vt teſtatur Conc. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 1.* Erant autem Sacrificia veteris Legis, vel holocauſtum, vel hoſtia pro peccato, vel hoſtia pacifica, & hæc duplex. Vna in gratiarum actionem pro beneficio accepto, altera ad impetrandum aliquod beneficium. Omnia hæc in Miſſa habemus.

PRIMÒ. Miſſa eſt Sacrificium laudis, quo Deum ſummum & abſolutum Dominum noſtrum eſſe proteſtamur, atque vt talem veneramur. Sic enim ſubditi pendunt regi ſuo tributum in ſignum ſubiectionis ſuæ. Et ideo nulla erat gens, quæ non putaret Deum ſuum munere aliquo colendum, vtpote à quo haberet omnia, & cui omnimodè ſubiecta eſſet. Ita Dauid Pſal. 115. faciebat: *& Domine quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ.* Seruus videlicet ratione creationis, ratione redemptionis. Subdit ergo: *Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Quo autem meliore modo Deum noſtrum laudare, colere & venerari poſſumus, quàm ſi ei offeramus, quod ipſi eſt omnium acceptiſſimum, filium eius? Ipſe enim Primò ita eſt Dei filius, vt ſit etiam noſter. Certè ſi qua Reſpublica filium Regis ad ſe diuertentem honorificentiſſimè tractaret & cum ſummo honore, iubilo & pompâ deduceret ad patrem, nonne hoc ipſo ſummopere honoraret eius patrem? Hoc nos in Miſſâ facimus, in qua totum quod agitur & dicitur, tendit ad honorem & gloriam maieſtatis diuinæ amplificandam. Oues, boues, & alia munera non ſunt condigna pretia noſtrorum peccatorum: ſolus Chriſtus eſt, qui pro nobis oblatus tollit peccata noſtra. Deinde per hanc hoſtiam abolita ſunt Idola & Idolothytha, profa-

B.
I.
Eſt Sacrificium laudis.

1.

2.

profana gentium ſacrificia, quibus cultus Deo debitus, Diabolo impendebatur: non poteſt igitur non Deo eſſe grata, cuius honorem vindicauit & reſtituit.
3. Tertiò per hanc Chriſti victimam profitemur opus redemptionis noſtræ, in quo eluxit mira Dei bonitas, ſapientia, iuſtitia, potentia; quomodo igitur non erit accepta? Quartò per hanc exercemus, fidem,
4. ſpem, charitatem, religionem & alias virtutes.

Reſpondens hac ex parte holocauſto.

Hac ratione Miſſa reſpondet holocauſto veteris legis, quod erat ſacrificium Deo oblatum, purè ad laudem Dei & honorem ſupremæ maieſtatis atque amorem ſummæ bonitatis eius, tametſi ab eâ nihil expectaremus gratiæ, vt ait Philo. Vnde in eo tota victima cremabatur ad indicandum Primò, ſummum Dei dominium in res omnes. Secundò, omnia ad ea referenda tanquam ad vltimum finem. Tertiò, nos totos eſſe Dei Deoque offerendos. Eiuſmodi verò holocauſtum eſt Christus, qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis *Epheſ.* 5.

C. II. Eſt ſacrificium gratiarũ actionis.

SECVNDÒ. Eſt ſacrificium gratiarum actionis. Non obligamur Deo ſolùm ratione ſubiectionis, quâ ratione Iudæi pendebant tributum Cæſari; verùm etiam ratione plurimorum beneficiorum, creationis, conſeruationis, gubernationis, redemptionis, &c. quæ tot & tanta ſunt, vt ſi Deo omnia noſtra rependamus, perinde ac nihil ſit. Vt ergo haberemus, quò dignas Deo gratias perpetuò ageremus pro ingentibus & perpetuis eius in nos beneficijs, ſacrificium hoc inſtituit; in hunc finem congruentiſſimum. Tria enim ſunt officia gratitudinis, agnoſcere beneficium, laudare idipſum, commemorare, prædicare: denique compenſare alio munere vel obſequio. Atqui hæc in oblatione ſacrificij Miſſæ exactiſſimè fiunt. Teſtamur enim ipſum eſſe auctorem redemptionis & ſalutis noſtræ, ipſum miſiſſe filium in carnem ad nos ſaluandos & bonis omnibus cumulandos. Deinde mortem filij in eo ſacrificio commemoramus & veluti ob oculos ponimus, dum corpus & ſanguis ſeorſim ſub ſpecie panis & vini tanquam hoſtiæ occiſæ & immolatæ, vi verborum conſecrationis (quæ verba inſtar gladij ſunt hoſtiam mactantis & diuidentis) conſtituitur. Atqui ita ſatisfit Chriſti voluntati: *Hoc facite in meam commemorationem* (mortis videlicet & crucis) vt explicat Apoſtolus 1. *Cor.* 11. Denique in eo præſtantiſſimum, quod offerri Deo poteſt, offertur pro omnibus eius beneficijs, filius nimirum. Huc alluſiſſe videtur David *Pſalm.* 115. dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini inuocabo.* Et infrà: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Apertiùs S. Auguſtinus *lib.* 1. *contra aduerſarios legis & Prophet. cap.* 18. *Vnde Deo*, inquit, *maiores gratiæ ſunt agendæ quàm per Chriſtum Dominum noſtrum, quod faciunt fideles in Eccleſia ſacrificio?* Similiter S. Irenæus *lib.* 4. *contra hæreſ. cap.* 32. dicit: *Diuinum hoc ſacrificium à Chriſto inſtitutum ideo, ne nos ingrati ſimus erga Deum.*

Hac ex parte reſpondet hoc ſacrificium hoſtiæ pacificæ veteris teſtamenti, quatenùs ea offerebatur in gratiarum actionem pro beneficio aut proſperitate obtentâ. Hoſtia pacifica in 3. partes diuidebatur: vna Deo adolebatur, altera cedebat Sacerdoti ſacrificanti, tertia cedebat laicis eam offerentibus. Similiter S. hoſtia in Miſſâ tres in partes diuiditur, vna immittitur in calicem & quaſi Deo adoletur, duas pro ſe & populo retinet in manibus & conſumit.

Reſpondens ex hac parte hoſtiæ pacificæ, quâ erat gratiarum actio.

D. III. Eſt ſacrificium propitiatorium.

TERTIÒ. Eſt ſacrificium propitiatorium ad veniam peccatorum impetrandam tum viuis, tum defunctis, & ad iram diuinam placandam, flagellaque mundo impendentia amolienda. Et quidem quod ad culpam attinet, delet eam non immediatè & ſine peccatoris immutatione, ſed mediante contritione, quam impetrare poteſt: vt docet Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. *Huius*, inquit, *oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit: vna enim eademque eſt hoſtia; &c.* Pœnam verò delet immediatè, licet nulla in eo, pro quo offertur fiat mutatio; applicat enim ſatisfactionem Chriſti, quâ debitum illud ſoluatur & compenſetur. Flagella denique temporalia auertit; ſi enim id precibus ſanctorum & pijs operibus obtineri poteſt, quantò magis hoc ſacrificio? ſi incruentâ iſtius hoſtiæ oblatione Deus mundo reconciliatus eſt, & pœnam æternam dimiſit: cur non ob eandem ſæpius oblatam mundo iam reconciliato condonabit pœnas temporales? *Gen.* 22. *&* 33. legimus quâ arte placârit Iacob fratrem ſibi infenſum: *Placabo illum muneribus*, inquit. Quare inſtituit proceſſionem ſat longam, præmittendo greges ipſi donandos, deinde vxores & filios ſuos, eorumque vltimum Ioſeph: hacque arte deuinxit ſibi fratrem vt mutuo amplexu in lachrymas ſoluerentur. Non eſt dubitandum, quin etiam nos placare poſſimus Deum licet nobis iratum, per Miſſæ ſacrificium. In eo enim præmittuntur orationes, lectiones, profeſſiones, gratiarum actiones, ſuffragia & memoriæ ſanctorum, quos ſequitur Chriſtus Dei filius, nobis natus, nobis datus, *Iſa.* 9. Solent ij, qui de capite periclitantur, captiui obijcere principibus liberos ſuos cum vxore, ad mitigandam eorum iram & iuſtitiæ ſeueritatem. Nos in ſacrâ miſſâ obijcimus Dei conſpectui, ipſum eius filium. Veteris legis ſacrificia (vti & ſacrificium Abelis & Abrahæ) oſtendit Deus accepta ſibi fuiſſe igne de cœlo miſſo ſuper altare ad deuorandam victimam, vti *Leuit.* 9. 3. *Reg.* 18. 2. *Par.* 7. ſacrificium autem Miſſæ gratum ſibi eſſe oſtendit pluribus miraculis. S. Euthymio Abbati & S. Chryſoſtomo celebranti Angeli aſſiſtere viſi ſunt. De illo teſtatur

ſtatur Cyrillus, de hoc S. Nilus in vita. S. Baſilius candidiſſimo lumine & Angelis circumdatus & ipſe ſacrificare viſus eſt. Teſtis Amphilochius in vitâ. Capiti S. Martini Epiſcopi celebrantis globus igneus de cœlo lapſus emicuit, teſte Seuero in eius vitâ. S. Plegiſus presbyter ſacrificans vidit Chriſtum ſpecie pueri in hoſtiâ conſecratâ, offerentem ſe illi ad amplexum & oſcula, teſte Paſchaſio Corbeienſi lib. de corp. & ſang. Dom. cap. 16. Idem de S. Altone Abbate S. Benedicti habet traditio Monaſterij Altonis & vita manuſcripta ibidẽ aſſeruata. Præterea alia plurima, veluti columbas, quæ cælitùs demiſſæ aliquot Pontificibus adfuere celebrantibus, earumque typus Spiritus S. vti feriâ heſternâ diximus.

Reſpondens hac ex parte hoſtiæ pro peccato.

Ex hac parte reſpondet Miſſæ hoſtia pro peccato, *Leuit.* 3. quia imponebant manus offerentes, & hoſtiæ mactatæ ſanguine tangebant cornua altaris, reliquum fundebant ad baſim eius. Ita enim Chriſto impoſuit Deus iniquitates omnium noſtrûm, quemadmodum & in Miſſa ante conſecrationem ponit Sacerdos manus ſuper oblata. Chriſtus etiam in cruce ſanguine ſuo tinxit vtrumque cornu crucis, vulneribus manuum: reliquum ſanguinem effudit ad pedem crucis.

E. IV. Eſt ſacrificium Impetratorium.

QVARTÒ. Eſt ſacrificium impetratorium gratiæ diuinæ, velut auxilium protectionis, excitationis, directionis ad perſeuerandum, & aliorum tum corporalium tum ſpiritualium beneficiorum ad ſalutem opportunorum, vti ad pacem, victoriam, frugum abundantiam, ſanitatem & negotiorum fœlicem exitum & ſimilia. Quemadmodum enim Chriſtus in cælo orando pro nobis & vulnera ſua patri oſtendendo impetrat nobis gratiam ad omnia: ita cùm eiuſdem paſſio repræſentatur patri in Miſſæ ſacrificio, impetrat nobis gratiam & alia beneficia. Si enim Hebræi orando per Abraham, Iſaac & Iacob, patres ſuos, Dei amicos, efficaciſſimè orabant: cur non magis nos cùm reipsâ proponimus ei filium eius dilectiſſimum? Audiamus exemplum. *Vir tribunitius* (ita ſcribit D. Auguſtinus *l.* 22. *de ciuit. cap.* 8.) *Heſperius, qui apud nos eſt, habet in territorio Fuſſalenſi fundum Zubedi appellatum; vbi cùm afflictione animalium & ſeruorum ſuorum, domum ſuam ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet; rogauit noſtros me abſente presbyteros, vt aliquis illorum eo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi ſacrificium Corporis Chriſti, orans quantum potuit vt ceſſaret illa vexatio: Deo protinùs miſerante ceſſauit.* Recentius eſt quod ſcribit Tho. Bozius *lib.* 5. *de ſignis Eccleſ. c.* 2. de triginta agris Iaponenſibus, qui anno Domini 1583. in eadem domo Prouinciæ Funai decumbebant & ſacrificium Miſſæ celebrari in eo quo morabantur loco, ſupplices petiuerunt. Conceſſum illis eſt ſacrificio peracto repentè omnes è lecto ſani ſurrexerunt. Mirum, dicet aliquis, cur inter nos talia non experiamur. Sed reſpondeo, cauſam eſſe defectum partim fidei, partim feruoris & venerationis erga S. Miſſam. Prout autem cibus ſapit, ita & nutrit.

Quare cùm Miſſam audis, cogita primò, cuius ſis, mancipium ſcilicet & ſeruus Dei, ſummè obligatus ad eum laudandum, colendum, venerandum. Secundò, qualis tibi Deus tuus fuerit, quàm in te profuſus, liberalis, benignus, &c. Tertiò, qualis tu Deo fueris, quàm ingratus, inobediens, hoſtis, &c. Denique quid ſis ſine Deo: terra nimirum arida & ſterilis, ſicut vter in pruina, omnibus donis deſtitutus, & ea de proinde ſummè indigens diuinorum auxiliorum.

Ex hac parte reſpondet Miſſæ hoſtia pacifica, quatenus ea adhibebatur ad impetrandam aliquam proſperitatem vel gratiam. Habemus igitur vnam quidem reapſe in Eccleſiâ victimam, virtute tamen & efficaciâ multiplicem, quæ omnes veteris legis, imò & gentilium omnium hoſtias eminenter in ſe continet, adeoque pinguia paſcua; quibus impinguari & dilatari ſpiritu, ſi velimus, poſſumus, quod nobis donet Deus. — Reſpondens quoad hoc hoſtiæ pacificæ, quà impetratoriæ.

CONCIO VIII.

Probantur Indulgentiæ Tempore Iubilæi.

1. *Ex auctoritate Eccleſiâ.*
2. *Ex Scriptura S.*
3. *Ex ratione & congruentiâ.*

THEMA.

Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant, Ioan. 10.

NOn vnam ob cauſam Pentecoſtes Feſtum Iubilæo aſſimilari, eiuſque typus eſſe videtur. Imprimis enim Pentecoſte, Feſtũ Remiſſionis eſt ob numerum quinquagenarium, qui teſte S. Hieronymo ſub *initium l.* 2. *in Iſaiam*, numerus remiſſionis eſt; (vnde Iubilæum Iudæorum etiam quinquageſimo quoque annò celebrari à Deo præceptum, vti Pentecoſte noſtrum quinquageſimo die poſt Paſchâ celebratur) ſimiliter Iubilæum noſtrum tempus remiſſionis eſt. Deinde in Pentecoſtes feſto, Euangelium orbi promulgari cæptum in remiſſionem peccatorum ab Apoſtolis, adeoque bonum nuntium: ſimiliter in Iubilæo promulgatur & prædicatur omnibus fidelibus optatiſſimum nuntium Indulgentiarum in remiſſionem peccatorum. In Fe- A.

ſto

ſto Pentecoſtes abrogata eſt lex vetus & iugum importabile ablatum: fundata eſt lex noua: In Iubilæo noſtro abrogantur veteres pœnæ *die oude ſchulden*, contracta olim debita, quæ vt onus graue multorum humeros grauabant. In feſto Pentecoſtes Spiritus ſanctus in Chriſtianos delapſus eſt,& innumera gratiarum dona ſuper eos effudit: In Iubilæo noſtro illabitur idem ſpiritus in plurimorum fidelium animos,quos peractâ pœnitentiâ maximis replet donis. Vtinam igitur hodie in noſtrum omnium animos illabatur idem ſpiritus, qui deletâ in nobis omni culpâ & pœnâ, omnimodam nobis afferat & infantilem innocentiam. Sed vereor, ne ſint aliqui adinſtar illorum diſcipulorum *Actor*.19. qui interrogati à Paulo: *Si Spiritum ſanctum accepiſtis?* reſponderunt: *ſed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, ſcimus.* Vereor,inquam,ne ſint aliqui, qui *neque ſi indulgentia eſt*, ſciant. Probemus igitur.

B.
I.
Ex auctoritate Eccleſiæ.

PRIMÒ. Ex auctoritate Eccleſiæ eiuſque conſenſu vniuerſali. Imprimis Alexander Papa tertius,ante annos 450. ſcribit ad Archiepiſcopum Cantuar.de remiſſionibus,quæ fieri ſolent in Dedicationibus Eccleſiarum & conferentibus ad ædificationem pontium c. *quod autem*, de pœnit. & remiſſion. Ante annos 410. circiter, Innocentius tertius in Concilio Lateranenſi vniuerſali formam concedendi indulgentias præſcribit, & indiſcretas prohibet. c. *cum ex eo*. eod.tit.cap.62.dicti Concil. Lateranenſ. Innocentius quartus ante annos 390. circiter in concilio etiam vniuerſali Lugdunenſi idem ſtatutum prædicti Concilij confirmat & renouat. Vbi vides Indulgentiarum vſum ab vniuerſali Eccleſia receptum,& non de nouo inuectum (quia de ijs non quaſi de re nouâ loquuntur, ſed de conſuetâ,certâ & antiquâ) imò etiam cum priùs nimiæ darentur, caueri ne ſuperfluæ & ſine causâ dentur. Et quidem ab hoc tempore,quadringentis ſcilicet annis & vltrà conſtat in vſu fuiſſe Indulgentias.Sed requirunt hæretici,vt ab Apoſtolorum tempore ad nos vſque probemus vſum indulgentiarum.Quibus reſpondeo Primò: Mirandum non eſſe, ſi antiquis temporibus non eſt facta ſpecialior mentio Indulgentiarum, tum quia nulla circa eas incidit controuerſia.Primus enim qui indulgentijs cõtradixit legitur fuiſſe Ioannes.Wiclef in Bohemiâ ante annos 230. cuius error paulò pòſt in Concilio Conſtant. generali damnatus eſt. Quem ſecutus eſt Lutherus, damnatum Wicleſi errorem reſuſcitans, quod ſuperbus & ambitioſus homo ad Indulgentiarum promulgationem aſſumptus non eſſet, qui deinde in infinitos alios errores lapſus & ob hunc errorem à Leone X. damnatus eſt. Tùm quia antiquis temporibus maximus erat pœnitentiarum rigor, quo vigente vtile non fuiſſet indulgentias cumulatim & facilè diſtribuere, ne rigor ille deficeret quamquam & illæ laxari vel remitti conſueuerunt, teſte Baronio anno 57. nunc autem creſcente hominum imbecillitate & relaxatâ ſeueritate, multo ampliores ſunt. Reſpondeo Secundò, ſatis etiam oſtendi poſſe homini non proteruo, viguiſſe ſemper vſum Indulgentiarum in Eccleſia. Imprimis enim Apoſtolum Paulum indulgentiam dediſſe ſeu impoſitam pœnam remiſiſſe inceſtuoſo cuidam patet ex 2. *Corinth.* 2. vt infrà videbimus. Sanct. Syluestrum Papam ante annos 1300. indulgentias conceſſiſſe viſitantibus ſacellum S. Crucis in Hieruſalem Romæ à S. Helena extructum. Sanctum Gregorium M. ante annos 1000. Stationes Romanas additis Indulgentijs inſtituiſſe refert S. Thomas & alij in 4. *d.*20. vel certè in ordinem redegiſſe, vt confirmat Onuphrius Pannuinus in tract. ſuo de ſtationibus. Paſchalem primum qui ante annos 800.ſedit,Indulgentiam conceſſiſſe templo S. Praxedis ad Columnam Chriſti, liberationem vnius animæ è purgatorio: vbi etiam ipſe poſt SS. Miſſas animam ſui nepotis liberauit & in cælum ferri vidit: quam Indulgentiam confirmaſſe vndecim ſequentes Pontifices probant antiqua monumenta illius templi. Leo Papa tertius, ad inſtantiam Caroli. M. dedit Indulgentias multis templis ante annos 800. Poſt hunc Sergius iunior, Vrbanus 2. & 4. & alij varias conceſſiſſe indulgentias referuntur in Catechiſmo *hiſt. cap.*5.*tit.*43. & apud Baron. Reſpondeo Tertiò: non eſſe neceſſarium ad probandum aliquod fidei dogma vt oſtendatur ſemper in Eccleſia creditum fuiſſe ab Apoſtolis vſque ad nos: ſed ſufficere, vt aliquando tota Eccleſia id firma fide decreuerit & tenuerit, nec vnquam contradixerit: Sicuti oſtenſum eſt, antiquam Eccleſiam non modò non contradixiſſe, ſed potiùs conceſſiſſe, licet non tam frequenter vteretur indulgentijs ob prædictas cauſas. Ratio eſt, quia recens & hodierna Eccleſia eandem promiſſionem habet, quam prima illa: *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Hinc enim ſequitur, Eccleſiam vniuerſalem nec vno quidem die errare aut falſum aliquid credere poſſe. Atqui ante trecentos & 40. annos Eccleſiam vniuerſalem in Concilijs vniuerſalibus credidiſſe & recepiſſe & contra hæreticos decreuiſſe indulgentias, probatum eſt: Igitur aut tunc Eccleſia tota errauit & perijt; quod eſt contra promiſſionem Chriſti: aut rectè credidit.

Quid reſpondendũ hæreticis petentibus Indulgentias ab Apoſtolorũ tempore.

SECVNDÒ. Ex ſcriptura *Matth.* 16. ait Chriſtus Petro: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Clauis cœlorum aliud non eſt quàm poteſtas ſumma & perfecta gubernandi, abſoluendi, ligandi, & tollendi omne impedimentum ingreſsûs in cœlum. Duplex autem id impedimentum, culpa & pœna. Vt enim aliquis ſine omni culpâ moriatur,

C.
II.
Ex ſcriptura.
I.

tur: ſi tamen pro dimiſſis nondum ſatisfecit, retinebitur in purgatorio, donec ſatisfaciat. Iam verò Chriſtus Petro dedit perfectam poteſtatem, id eſt, ſoluendi ab omni eo quod impedit ingreſſum regni cœlorum: igitur tam à pœna, quàm à culpâ. Vnde *claues*, inquit Dominus, non clauem. Et mox: *quodcumque ligaueris*; (ligat autem non ſolùm culpa ſed etiam pœna) nulla verò prorſus ratio mouet, cur tam generalem poteſtatis conceſſionem reſtringamus ad ſolam culpam. Et quomodo poteſtas illa perfecta eſſet, quomodò omnibus Chriſti ſufficienter prouiſum, ſi poteſtas Petro data non ſe extenderet ad pœnam? Huius rei figura erat, quod (vti *Ruth.* 4. & *Deut.* 25. habetur) viro ſine liberis defuncto, iubebatur frater defuncti accipere vxorem eius & filios generare defuncto fratri, cuius nomen acciperent, non verò generantis: viciſſim verò frater defuncti, omnia eius bona caperet, quibus filios ſuſceptos aleret, quæque inter eos diuideret. Chriſtus hic vir & ſponſus Eccleſiæ eſt, defunctus ſine liberis, id eſt, paucis adhuc conuerſis. Apoſtoli verò fratres Chriſti erant, quemadmodum eos vocat poſt reſurrectionem ſuam: *Vade ad fratres meos, & dic eis; Aſcendo ad patrem meum*, &c. *Ioan.* 20. quaſi per hoc volens eos commonere officij ſui & legis illius Deuteronom. 25. ſancitæ. Fecerunt hoc Apoſtoli: vnde Paulus 1. Corinth. 4. ait: *In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Cæterùm nomen Chriſtiani accipiebant fideles vti & modò, non eorum à quibus in Chriſto geniti ſunt; Chriſtiani enim dicimur, non Petrini aut Paulini. Vnde idem Apoſtolus carpit eos, qui dicebant: *Ego ſum Pauli, ego Apollo*, &c. Oportuit verò vt bona defuncti, Chriſti ſcilicet, caperent eius fratres, Petrus & Apoſtoli, quibus prouidere ſuſceptis à ſe filijs poſſent, eaque illis diſtribuere. Et hæc ſunt Chriſti infinita merita, quæ nobis per indulgentias concedere, & ita nos tam à pœnâ quàm à culpâ expedire poſſunt. Nec enim abſolutio ſacramentalis totum hoc efficere poteſt; quæ culpam quidem & reatum pœnæ æternæ tollit, non tamen pœnam temporalem (ſaltem omnem) quæ pro iniuriâ Deo illatâ ſeu ob ius diuinum violatum ſolui debet ſiue in hac vitâ, ſiue in purgatorio.

2. Idem probatur ex 2. *Corinth.* 2. vbi Paulus alicui, quem ob inceſtum excommunicauerat, videns eum incipientem agere impoſitam ſibi pœnitentiam donauit reliquum pœnitentiæ, dicens: *Cui autem aliquid donaſtis, & ego, nam & ego quod donaui, ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti.* Iam ſi Apoſt. Paulus diſpenſauit tanquã in perſonâ Chriſti, in iure diuino & pœnâ relaxandâ: cur non eadem poteſtas ſit adhuc in Eccleſia penes ſummos eius rectores? niſi velis dicere claues cum Apoſtolis interijſſe, quod eſt abſurdiſſimum & hæreticum: Et ſi Chriſtus ratum habuit, quod fecit Paulus in perſona Chriſti, cur non ratum habeat, quod facit modò Pontifex? Neque enim dicas Apoſtolum pœnam tantùm quoad iudicium humanum relaxare voluiſſe, Deo autem reſeruaſſe; hoc enim non donare, ſed potiùs condemnare eſſet. Quid enim iuuaret non puniri ab homine, ſi à Deo puniendus ſis? Et deinde non in perſona ſua & quantum erat in ſe, ſed in perſona Chriſti ſe condonaſſe ait.

D. III. Ex ratione & congruentia. 1. Tertiò. Ex ratione & congruentiâ. Imprimis enim, Chriſtus *dilexit Eccleſiam*, vt inquit Apoſtolus ad Epheſ. 5. *& tradidit ſemetipſum pro eâ, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam.* Lauacrum hoc imprimis eſt baptiſmus, qui pœnam vnà cum culpâ abluit. Sed quia hic iterari non poteſt, prouidit pœnitentiæ Sacramentum: Et quia hoc vt plurimum relinquit poſt ſe maculam ſeu rugam pœnæ, propter quam adhuc diſplicemus aliquo modo Deo & impediremur ab eius conſpectu, ſi in ea moreremur: ideò aptiſſimè prouidit etiam tertium, Indulgentiam ſcilicet quâ mediante etiam à pœna mundari poſſemus. Videntur hæc tria lauacra expreſſa in tribus materialibus lauacris veteris legis. Primum fuit piſcina probatica, quæ erat extra templum, & vim habebat ſanandi omnẽ infirmitatẽ: eratque figura baptiſmi, quo vtuntur & abluuntur, qui extra Eccleſiam, iuxta tamen ſunt, quia per eum ingrediuntur in Eccleſiam. Alterum mare æneum; intra templum quod fecit Salomon 3. *Reg.* 7. & ſignificat pœnitentiam, in qua velut in amaro mari peccatores abluuntur à grauioribus maculis, culpis ſcilicet. Tertium labrum æneum de ſpeculis mulierum, *Exod.* 38. in quo abluebantur Sacerdotes à minoribus maculis. Vbi Gloſſa interlin. ait ſignificari per ſpecula mulierum, ſuperabundantem ſatisfactionem ſanctorum, ex quibus theſaurus Indulgentiarum conficitur, quo abluuntur fideles à maculis pœnarum: quæ longè leuiores ſunt quàm maculæ culparum.

2. Secundò. Quia haud dubiè in Eccleſia eſt communio ſanctorum & vt fides docet, participatio meritorum, ad eum modum videlicet quo cibus ab ore ſumptus & dentibus maſticatus à ſtomacho exceptus & coctus, toti corpori & omnibus eius membris, non mortificatis, communicatur. Iam verò ſatisfactio Chriſti Capitis noſtri infinita & inexhauſta eſt: ſimiliter etiam plurima Eccleſiæ membra plus multò ſatisfecerunt, quàm ipſi indigerent, pro peccatis ſuis; quorum alij nullum, alij exigua tantùm habuêre. Et hi ſine dubio exemplo Chriſti ſe conformare volebant, vt quẽadmodum ipſe pro omnibus ſatisfacere voluit, ita & ipſi ſuperfluam ſibi ſatisfactionem, egentibus Eccleſiæ membris communicare vellent. (Tametſi enim ſanctorum merita præmiantur vltra condignum, quia tamen duplicem rationem habent, meriti & ſatisfactionis: meritò ſibi manente, poſſunt nihilominus ſatisfactionem pro altero offerre: vt cùm quis pro alio ieiunat, ipſe ſibi meritum acquirit, pro altero ſatisfacit: quod etiam

haud dubiè fecêre ſancti) ſic enim & Apoſtolus ad *Coloſſ.* 1. ait : *Adimpleo ea, quæ dêſunt paſſionum Chriſti in carne meâ pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Non deeſt autem niſi applicatio earum, quæ fit per baptiſmum, pœnitentiam, indulgentiam, &c. Et quis dubitet, gratam, & acceptam eſſe Deo hanc ſanctorum mentem & eximiam charitatem, quâ ſatisfactionem ſuam in bonum egentium cedere cupiunt? Sanè hoc eodem modo acceptauit Deus à Chriſto ſatisfactionem eius pro nobis oblatam, licet abſolutè loquendo non teneretur acceptare, quia Chriſtus non peccauerat, ſed tantùm ſe obtulerat ad ſatisfaciendum pro nobis. Acceptauit tamen Deus; & quidem eâ contentiſſimus fuit ob eximiam charitatem, quâ innocens pro nocentibus ſatisfacere voluit. Igitur ſi etiam ſancti ſimiliter ſatisfactiones ſuas quibus non egebant, pro egentibus obtulerunt, quod feciſſe non eſt dubium ob vinculum charitatis; cur non etiam Deo accepta ſit pro alijs talis ſatisfactio? Et hinc igitur conficitur Indulgentiarum theſaurus, qui meritò ſummo Eccleſiæ capiti prudenter diſpenſandus committitur. Atque huc reſpexiſſe videtur Dauid cùm ait : *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum : ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius.* Vt enim vnguentum effuſum in capite deſcendit per viciniora capiti membra etiam diſtantia & oram veſtimenti, ita ſatisfactio Chriſti (quæ vel ſola theſaurum indulgentiarum inexhauſtum conſtituit) & Sanctorum defluit in cætera Eccleſiæ membra, cùm eiuſmodi vnguentum ſuper nos effundit ſummus Eccleſiaſticorum bonorum diſpenſator. Quare ſi adeò prompta ad communicandum nobis hunc theſaurum eſt Eccleſia & imprimis ipſemet Chriſtus eiuſque Sancti, ne ſimus nos tardiores ad accipiendum, ne fortè nobis contingat, quod mulieri illi, cui meritis Eliſei oleum fluebat, quamdiu vaſa vacua offerebantur à filijs; ſtabat, cùm vaſa deficiebant, 4. *Reg.* 4. ſic enim niſi iam, dum fluit nobis oleum Indulgentiæ, afferamus corda noſtra præparata ad recipiendum illud, ſtabit oleum : & cùm aliquando in articulo mortis optabimus nobis indulgentias & mendicare volemus ad inſtar fatuarum virginum dicentium : *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur*, non poterimus habere.

CONCIO IX.

Myſteria.

1. *Quæritur quinam illi qui non intrant per oſtium.*
2. *Chriſtus eſt oſtium paſtoralis officij & Eccleſiæ, Gratiæ & gloriæ.*
3. *Oſtiarius eſt Spiritus S. cuſtodiens primam ſedem.*
4. *Quinam illi fures & latrones.*
5. *Quid ingredi & egredi.*
6. *Quænam ouium Chriſti paſcua.*
7. *Quid vitam habere, & abundantiùs habere.*

THEMA.

Illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis. Ioan. 10.

SOdomitarum ſoboles, hoc eſt; malorum coruorum mala oua, iure merito dixerit aliquis Phariſæos. Quemadmodum enim illi inſidiantes domui Loth, oſtium domûs inuenire nequiuerunt, tametſi domum vndique ambirent & fores præ manibus haberent : *Geneſ.* 19. Ita Phariſæi in hodierno Euangelio oſtium fidei, Chriſtum, præ oculis & manibus habentes, audienteſque dicentem Dominum: *Ego ſum oſtium*; minimè tamen inuenerunt, vt Chriſtum agnoſcentes, per eum ingrederentur ad fidem. Sic enim ſcribit Ioannes : *Illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis.* Quis non dicat iſtos cæcitate fuiſſe percuſſos quemadmodum olim ab Angelis percuſſi fuerant Sodomitæ? Nos ergo, Auditores, aperiamus oculos mentis noſtræ, vt quæramus intelligere oſtium hoc, aliaque, quæ in hoc Euangelio obſcura ſunt, deprehendere & intelligere. A.

Q. PRIMÒ. Qui ſunt illi fures & latrones, qui per oſtium non intrant in ouile, ſed aſcendunt aliunde? Reſpon. eſſe eos qui ad officium paſtorale non ingrediuntur per legitimam vocationem & auctoritatem, ſed per vim, fraudem, fauorem principum, &c. Oſtium enim ouilis Chriſtus eſt, vt ipſe hic ait; per quod ingreditur, qui per legitimam poteſtatem, à Chriſto, mediantibus Epiſcopis, deſcendentem, paſtorale munus accipit. Fures ergo fuerunt omnes Antipapæ, quotquot fuerunt, quia legitimâ electione caruerunt : ac proinde ab Eccleſia pro veris paſtoribus numquam habiti vel recepti ſunt. Ac licet etiam aliqui pauci legitimi Pontifices per media illicita, vi, fraude vel fauore principum ad Cathedram aſcenderint, vbi tamen illi ab Eccleſia recepti ſunt, hoc ipſo legitimi eſſe cœperunt. Tales deinde ſunt hæreticorum paſtores omnes, quia neque à Chriſto immediatè, neque à Chriſti Eccleſiâ ſeu Vicario, Pontifice, ad munus id ingreſſi ſunt. Monſtrent enim miſſionem ſuam. Hanc autem B. 1. Qui ſunt illi qui non intrant per oſtiũ.

tem vel habent à Magiſtratu ſæculari; & hic dare non poteſt, quod à Chriſto non accepit. Vel à Caluino aut Luthero, eorumque ſucceſſoribus; at hi ab Eccleſia Chriſti eiuſque Epiſcopis nullam omninò poteſtatem accepêre, talia docendi & diſpenſandi, qualia ipſi propriâ auctoritate docuerunt & adminiſtrârunt. Sed nec Academiæ, à quibus Doctoratûs lauream acceperunt, talem ipſis poteſtatem conferre voluerunt vel potuerunt, vt alibi fuſiùs oſtendimus. Sequitur ergo iſtos eſſe fures & latrones; fures, quia furantur & abſtrahunt Eccleſiæ oues, imò ſemetipſos, dum ſe Eccleſiæ ſubtrahunt, cui fidem in baptiſmo dederunt. Latrones, quia ſuis peruerſis dogmatibus & prauis exemplis mactant & perdunt animas. Quod ergo Dæmon nunc efficere nequit per Tyrannos, Idololatriæ deditos, id efficit per hæreticos. Mactabant illi Chriſtianorum corpora: mactant iſti animas. Videmus ſanè hoc tempore per lupos iſtos ouile Chriſti miſerè direptum, & oues vndique in plures ſectas diſperſas.

Cæterùm vt quis non ſolùm legitimus, ſed etiam bonus ac perfectus paſtor ſit, oportet præterea vt fide & charitate præditus Chriſtum imitetur. De hoc intelligendus eſt D. Gregorius *epiſt. 41. lib. 9.* cùm ait: *Ille ad ouile ouium intrat per oſtium, qui intrat per Chriſtum: intrat ipſe per Chriſtum, qui de eodem vera ſentit & prædicat, prædicata cuſtodit, culmen regiminis ad officium portandi oneris ſuſcipit, non ad appetitum gloriæ tranſitorij honoris; curæ quoque ouilis inuigilans, ne oues aut peruerſi homines lanient, aut maligni ſpiritus deuaſtent.*

C. 41. Quis oſtium? Chriſtus. Q. SECVNDÒ. Quis oſtium? Reſpondet Chriſtus: *Ego ſum oſtium.* Oſtium verò eſt Primò ouilis, hoc eſt, paſtoralis officij: quia per legitimam poteſtatem ab ipſo vel vicarijs eius acceptam ingredi ad id oportet, vt ſuprà dictum.

1. *Eſt oſtium paſtoralis officij.*

2. *Oſtium Eccleſiæ.* Secundò. Ouilis, id eſt, Eccleſiæ, in quam nemo niſi per Chriſti fidem ingreditur & baptiſmum. Per vnum oſtium ingredi in arcam Noë debuerunt quotquot ſalutem obtinuerunt. Idem de oſtio Eccleſiæ ſentiendum. Nam imprimis *ſine fide impoſsibile eſt placere Deo*, ait Apoſtolus *Hebr. 11.* Et Chriſtus: *Qui non crediderit condemnabitur, Marc. 16.* Quia, vt ait Euſebius Emiſſenus hom. 2. de ſymb. *Fides eſt origo iuſtitiæ, initium ſanctitatis, principium deuotionis & fundamentum ſalutis æternæ. Quicunque deſerit, vt proprij cerebri malè ſanum ductum ſequatur; qui, abſque hac diuina myſteria ſuâ ſolummodò ſapientiâ penetraturum præſumit, ſimilis eſt illi, qui omiſſo fundamento, ædificare; aut præterito oſtio, per tectum intrare nititur; aut qui in tenebris ambulans in præcipitium ſe agit occluſis voluntariè oculis, qui ei ducatum præſtare potuiſſent. Chriſtus autem veniens in hunc mundum, vt errantes viam ſalutis doceret, fidem nobis dedit, quâ Deum incognitum hactenus cognoſcentes inquireremus & inuento fidem haberemus, fidem autem habentes ipſum tandem obtineremus.* Baptiſmus porrò Chriſti & ipſe Eccleſiæ oſtium eſt, ſimiliſque Iordani, vt ſcribit Origenes *hom. 4. & 5. in Ioſ.* quem Duce Ioſue tranſire debuit, quiſquis terram promiſſionis voluit intrare. Aquæ Iordanis non ſuaptè naturâ, ſed diuinâ vi conſtiterunt ſeque diuiſerunt: ſic baptiſmus non naturali ſed ſupernaturali virtute abluit peccata. Diuiſi Iordanis aquæ inferiores defluxerunt in mare mortuum: ſuperiores minimè, ſed ſteterunt. Illæ baptiſmum Ioannis, qui gratiam & ſalutem non conferebat: hæ baptiſmum Chriſti gratiam conferentem denotant. Per tranſitum Iordanis in terram quidem optatam, lacte & melle manantem deuentum eſt; ſed in qua tamen adhuc contra varios hoſtes depugnandum erat. Ita per baptiſmum ingredimur quidem in Eccleſiam Chriſti, ſed militantem cum Carne Mundo, Diabolo: nondum triumphantem.

Tertiò. Oſtium eſt gratiæ. Nemo enim ad Dei gratiam venit, niſi per Chriſti merita, quemadmodum ad Aſſuerum nemo venire poterat, niſi priùs oſcularetur eius ſceptrum, *Eſth. 4.* ſceptrum Chriſti crux eſt, huic acceptam feramus gratiam, quam adepti ſumus; non oſculemur manum noſtram, quaſi nos eam nobis parauerimus, iuxta id *Iob 31. Si oſculatus ſum manum meam ore meo!* hoc eſt, ſi laudaui opera mea: vel tribui illis, quod Deo tribuendum. 3. *Oſtium gratiæ.*

Quartò. Oſtium eſt gloriæ cœleſtis, quicumque ad eam ingreditur, per Chriſti merita ingreditur. Vnicus ipſe Mediator noſter eſt, quia vnicus ipſe redemit nos & cœlum nobis promeruit. Vnde ſubdit Dominus: *per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur & paſcua inueniet.* 4. *Oſtium gloriæ.*

Dices: ergo fruſtra inuocamus ſanctos; ſiquidem per ſolum Chriſtum veluti per oſtium ingredi cœlum oportet. Reſpondeo Chriſtum ſolum eſſe oſtium: ſanctos verò eſſe quaſi malleolos oſtio illi appenſos. Vt ergo pulſu malleoli obtinemus vt oſtium nobis pateſiat: ita ſanctorum, quos inuocamus, interuentu Chriſtus excitatur vt cæli viam nobis pandat. Sola Chriſti merita cœlum nobis pandunt, ſed vt nobis pandant, ſancti intercedunt.

Q. TERTIÒ. Quis oſtiarius? Reſpondet Theophylactus eſſe Spiritum ſanctum qui cuſtodit Eccleſiam eiuſque fores obſidet dirigens Pontificem cæteroſque Epiſcopos, vt legitimè eligantur & eligant paſtores. Hic eſt qui paſtores in Eccleſiam admittere debet; Ancilla verò oſtiaria, quæ Petrum admiſit, caro eſt, ambitio vel auaritia, quæ admiſſos adigit vt Chriſtum negent ac pernegent. D. III. Quis oſtiarius? Spiritus ſanctus.

Porrò quomodo Spiritus ſanctus velut oſtiarius cuſtodiat primam ſedem, ex plurimis apparet. Fecit enim vt hactenus inuicta ſemper ſtaret contra omnes tyrannorum & hæreſum incurſus. Fecit vt in rebus fidei nullo vnquam tempore erraret. Fecit vt nemo Pontificum in hæreſin laberetur. Fecit vt ſedes illa diu non vacaret ſed continuâ Pontificum ſerie cohoneſtaretur. Fecit, vt etiam præ- Cuſtodit primam ſedem.

præſidentibus interdum malis Pontificibus non euerteretur aut à fidelibus reſpiceretur. Fecit vt à Regibus & principibus Chriſtianis ſummâ coleretur reuerentiâ. Fecit vt opibus & potentia ſtabiliretur ad ſui defenſionem & dignitatem conſeruandam. Fecit vt multi ſancti in ea præſiderent; & aliàs communiter viri omni ſapientiâ, doctrinâ & virtute excultiſſimi.

E. IV. Quinam illi fures & latrones. Q. QVARTÒ. Quinam illi fures & latrones, de quibus Dominus: Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones? Reſp. Reſtringendam Domini ſententiam ad duplicem paſtorum ſortem, de quibus ſuprà.

1. Primò ad eos, qui per oſtium non intrant ſeu legitimè vocati non ſunt. De his enim paulò antè dixerat Dominus: *Qui non intrat per oſtium, &c. ille fur eſt & latro.* Manet ergo in his terminis Chriſtus & ait: *omnes quotquot venerunt* (tali ſcilicet modo, per foramen, non per oſtium) *fures ſunt & latrones,* vti Iaſon, Menelaus, Lyſimachus, Alcimus; quibus iunge Herodem, qui ad regnum non per oſtium, ſed aliunde per Cæſaris gratiam intrauit; item Annam, Caypham & Romanos præſides.

2. Secundò ad eos, qui licet eſſent legitimi paſtores, improbi tamen erant & Chriſtum non tantùm non imitabantur aut recipiebant, ſed potiùs oues ſuas ab eo auertebant & conſpirabant in eos, qui Chriſtum confiterentur vt extra ſynagogam fierent: prætereà quæſtum tantùm & gloriam ſuam quærebant; quales erant tunc phariſæi, quos hîc taxare videtur Dominus. Quamquam verò alibi hos dicebat audiendos eſſe, intellexit tamen, cùm rectè docerent & Deo non contrairent. Quoad hoc enim ſubdit Dominus hîc: *Et non audierunt eos oues*; vti cæcus ille à natiuitate, aliјque quotquot Chriſto crediderunt.

F. V. Quid ingredi & egredi. Q. QVINTÒ. Quid illud: *Ingredietur & egredietur?* Reſpon.

1. Primò iuxta phraſin Hebræam idem eſt, quod regere & agere cum libertate & ſecuritate, nec non felici ſucceſſu; quemadmodum 1. *Reg.* 18. dicitur de Dauide: *Egrediebatur, & intrabat in conſpectu populi.* Significat ergo dandam legitimo paſtori gratiam, vt poſſit rectè operari & ſuos ritè paſcere, iuxta id *Pſalm.* 10. *Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum*, id eſt, totam vitam tuam omneſque actiones tuas. Et hoc eſt quod à Deo petijt Salomon, 2. *Par.* 1. *Da mihi ſapientiam & intelligentiam, vt ingrediar coram populo tuo. Quis enim poteſt hunc populum tuum dignè iudicare?*

2. Secundo. Alij myſticè exponunt D. Auguſtinus. *Ingrediatur per oſtium in Eccleſiam & egrediatur inde in vitam æternam.* D. Greg. *ho. mil.* 13. *in Ezech. Ingredietur ad fidem, egredietur ad ſpeciem.* Rurſum Auguſtinus: *Ingredietur ad internam meditationem, egredietur ad externam operationem.* Auctor Imperfecti: *Ingredietur, dum curam habebit interioris hominis: egredietur dum mortificabit membra externa.* D. Thomas: *Ingredietur intra Eccleſiam ad fideles & egredietur extra Eccleſiam ad infideles.* Auctor l. de ſpiritu & anima. *Ingredietur ad diuinitatem meam, egredietur ad humanitatem meam.* Rurſum Gregor. 1. *Reg. cap.* 16. *Intùs habebit paſcua contemplationis, foris paſcua boni operis.*

G. VI. Quænam ouium Chriſti paſcua. Q. SEXTÒ. Quænam ouium Chriſti paſcua? Reſp.

1. Primò eſſe doctrinam Euangelicam, aliosque SS. libros à Patribus & Eccleſiæ Doctoribus conſcriptos, quorum lectione paſcimur, recreamur & adoleſcimus.

2. Secundò eſſe ſacramenta, perſertim S. Euchariſtiam, in qua propria carne & ſanguine Chriſtus oues ſuas paſcit; ſacrum item Miſſæ ſacrificium.

3. Tertiò. Eſſe virtutes & virtutum exempla, quæ cernuntur in Eccleſiâ, optimum odorem redolentia, vti in ſanctis innumerabilibus patet.

Porrò paſcua iſta inficere & peruertere ſolent Hæreſiarchæ, vt alibi oſtendimus, à quibus nos abſtineamus; quemadmodum pecora abſtinent ab infectis paſcuis.

H. VII. Quid vitam habere & abũdantiùs habere. Q. SEPTIMÒ. Quid illud, *vt vitam habeant & abundantiùs habeant?* Reſpon. multiplicem huius loci interpretationem afferri hic à Barradio.

1. Prima eſt Auguſtini & aliorum: Veni vt oues meæ vitam habeant in hoc ſæculo per fidem viuam, & abundantiùs copioſiuſque habeant vitam in cœlo æternam.

2. Secunda. Veni vt vitam habeant gratiæque iuſtificationem, & abundantiùs eandem habeant per quotidianos virtutum gratiæque progreſſus.

3. Tertia, Veni vt vitam habeant gratiæ & abundantiùs habeant, quàm habuerunt veteris teſtamenti oues, quoniam abundantiùs gratiam largitur nunc Deus in nouo, quàm in veteri teſtamento.

4. Quarta cæteris veriſimilior: Veni vt vitam habeant meæ oues, & abundantiùs habeant, hoc eſt, non ſolùm vitam habeant à morte peccati in vitam reuocatæ, ſed vt vitam habeant omnibus virtutibus & Spiritûs S. donis abundantem. Hæc ferè Barrad.

Nos ergo, Auditores, velut oues Chriſti ad veram contendamus vitam, omni bonorum genere redundantem: quæramus hîc virtutum, doctrinæ & ſacramentorum paſcua, vt perueniamus ad illa æterna: hîc quæramus vitam gratiæ, vt ibi fruamur vitâ gloriæ.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA TRINITATIS.

Euangelium Matthæi 28.

IN illo tempore dixit IESVS diſcipulis ſuis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis: & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.

CONCIONES.

I. Myſterium SS. Trinitatis oſtenditur.
II. Profeſſio SS. Trinitatis Chriſtianis commendatur.
III. Deum eſſe oſtenditur, eumque vnum.
IV. De attributis Dei ſecundùm ſe, perfectione, incomprehenſibilitate, immenſitate, æternitate.
V. Quatuor attributa Dei quæ reſpiciunt creaturas, Potentia, Sapientia, Miſericordia, Iuſtitia.
VI. Probatur exiſtentia Chriſti realis in Euchariſtia.
VII. Cauſa cur in ſolemnitate Corporis Chriſti ſolemni proceſſione circumferatur Euchariſtia.
VIII. Qua ratione Chriſtus ſit ſemper cum Eccleſia ſua.
IX. Qua ratione Chriſtus ſit cum ſeruis ſuis Iuſtis.
X. Myſteria.

CONCIO I.

Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis oſtenditur.

1. *Ex veteri teſtamento.*
2. *Ex nouo teſtamento.*
3. *Probatur ratione.*
4. *Ex miraculis.*

THEMA.

Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. *Rom.* 11.

A. FInxerunt olim Poëtæ Gigantes ab iratâ Tellure procreatos in Deorum perniciem, vt nimirum bellum Dijs inferrent Iouemque cœli poſſeſſione deijcerent. Sed temerè & fruſtrà, nam à Ioue contriti & fulmine extincti ſunt. Fuêre eiuſmodi Gigantes in Eccleſia hæretici, qui ipſam ſanctiſſimam Trinitatem cœlo deijcere machinati ſunt. Imprimis Ariani & Macedoniani, qui trium perſonarum conſubſtantialitatem impugnabant, adeoque tres ponebant Deos. Deinde Sabelliani & Samoſateniani, qui pluralitatem perſonarum diuinarum negabant. His noſtro ſæculo accedunt, quos vocamus Trinitarios, paſſim per Poloniam, Hungariam, Tranſyluaniam ſparſos, quorum alij, duce Michaële Serueto Geneuæ combuſto, Sabellium: alij, duce Valentino Gentile Bernæ capite plexo, Arium ſequuntur. Quibus adnumerari poteſt Lutherus qui Trinitatis vocem exoſus è Litanijs Germanicis ſubmouit, expunctâ illâ precandi formulâ, *Sancta Trinitas miſerere nobis.* Contra hos ergò oſtendemus hoc myſterium.

Oſtenditur Primò ex veteri teſtamento, B. I. Ex veteri teſtamento.
Quamquam obſcurè & in ænigmate, nec niſi ſanctioribus & illuminatioribus reuelatum erat hoc myſterium, vti prophetis & patriarchis, ne videlicet Iudæi ad Idola propenſi plures eſſe Deos ſuſpicarentur. Primò initium
libri Geneſis inſinuat hoc myſterium, cùm dicitur: *In principio creauit Deus cœlum & terram: Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* 1.
Per principium enim Sanctus Auguſtinus, Ambroſius & Baſilius intelligunt filium, qui ſe vocauit *principium*, *Ioan.* 8. & per prophetam, *in capite libri* ſcriptum eſſe de ſe, dixit *Pſ.* 39.

Secundò. Cùm ibidem ſubditur: *Creauit Deus*; Hebraicè: *Bara Elohim*, *creauit Dij*. In ſingulari enim Deus dicitur *Eloah*. Indicatur ergo ibi pluralitas perſonarum in verbo, *Elohim*: & vnitas eſſentiæ in verbo, *creauit*. 2.

Tertiò. Cùm eodem capite dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Alloquitur enim his verbis Deus Pater Filium ſuum & Spiritum ſanctum quaſi collegas ſuos eiuſdem ſecum naturæ, potentiæ & operationis. Pluralitas ergo perſonarum colligitur ex verbo *faciamus*, vnitas verò eſſentiæ, cùm dicitur *ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, non ad imagines. 3.

4. Quartò. Innuitur in primis tribus iuſtis hominibus, Adamo, Euâ, Abele. Adam enim à nullo prognatus eſt homine: Eua ex Adamo facta eſt: Abel ab vtroque genitus. Sic Deus Pater à nullo procedit: Filius à Patre, Spiritus S. ab vtroquè.

5. Quintò. *Gen.* 18. apparuerunt Abrahæ tres Angeli: quos tamen ille velut vnum tantùm, numero ſingulari allocutus eſt & adorauit; vnde Eccleſia canit: *Tres vidit & vnum adorauit.* Oſtenſa igitur ibi Trinitas perſonarum ſub eſſentiæ vnitate.

6. Sextò. *Exod.* 3. & deinceps vocauit ſe Deus, *Deum Abraham, Deum Iſaac, & Deum Iacob.* Vbi non obſcurè ſignificatur *Trias in Monade*, vt inquit S. Baſilius. Nomen enim Deus ter repetitum ſignificat vnitatem eſſentiæ in tribus perſonis, Abraham repræſentat Deum Patrem, Iſaac Filium, Iacob Spiritum ſanctum, qui ex patre & filio procedit.

7. Septimò. *Exod.* 6. Prodidit Deus Moyſi nomen ſuum, Iehoua quadriliterum: in quo myſterium Trinitatis pulchrè continetur. Prima enim litera *Iod*, quæ eſt index & principium numeri denarij, ſignificat primam perſonam ſeu Patrem. Secunda *He* ſignificat eſſentiam ſeu ſubſtantiam, & repræſentat Filium, qui eſt Patri conſubſtantiális, & pèr quem ſunt omnia. Tertia *Vau* ſignificat copulam ſeu nexum, & denotat Spiritum S. qui eſt nexus, vnio & amor Patris & Filij. Vltima rurſum *He*, vt indicetur filij, cuius ipſa index eſt, duplex natura, diuina & humana.

8. Octauò. *Deut.* 6. iuxta Hebr. textum dicit Moyſes: *Audi Iſrael, Deus, Deus noſter, Deus vnus eſt.* Et ſimiliter Dauid *Pſ.* 66. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus.* Vbi trinitas perſonarum diuinarum haud dubiè innuitur, & pulchrè media perſona, ſeu Filius, vocatur Deus noſter, eò quòd noſtram aſſumpſerit carnem, nobiſque natus & datus ſit Emmanuel.

9. Nonò. *Iſa.* 6. Clamant Seraphim: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*; quod veteres Rabbini ſic exponunt: *Sanctus hic eſt Pater, Sanctus hic eſt Filius, Sanctus hic eſt Spiritus ſanctus*, teſte Galatino *lib.* 2. *c.* 1.

C. II. Ex nouo teſtamento. Secundò. Oſtenditur & probatur clariùs ex nouo teſtamento. Primò *Ioan.* 15. ait Dominus, *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, &c.* Vbi manifeſtè oſtenditur trinitas perſonarum in Deo; pater, filius & Spiritus S. ab vtroque procedens. Item Ioan. 14. *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis.*

1.

2. Secundò. Clariùs adhuc in hodierno Euangelio, *Euntes*, inquit Dominus, *docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Habemus hîc trinitatem perſonarum; & vnitatem eſſentiæ, cum ait; *in nomine*, & non *in nominibus*.

3. Tertiò. In hodierna etiam epiſtolâ, quando Apoſtolus ad Rom. 11. ait: *Ex ipſo, & per ipſū, & in ipſo ſunt omnia. Ipſi gloria & honor in ſæcula*: myſterium trinitatis declaratur, vti vel ipſe dæmon agnouit, quemadmodum aliàs dixi. Præpoſitio *Ex*, ſignificat patrem, quia ex ipſo velut primo principio omnia. *Per*, denotat filium, per quem facta ſunt omnia. *In*, Spiritum ſanctum, in quem pater & filius quaſi terminantur & in quo conquieſcunt. Vnitas eſſentiæ indicatur, cùm dicitur: *Ipſi gloria, &c.*

Quartò. 1. *Ioan.* 5. dicitur: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres vnum ſunt.* 4.

Quintò. In baptiſmo Chriſti oſtenſum eſt hoc myſterium. Ibi enim patris vox de cœlo intonuit: ibi filius baptizatus eſt; ibi Spiritus S. in columbæ ſpecie ſuper ipſum apparuit. Similiter in transfiguratione Chriſti, vox patris audiebatur: filius transfigurabatur: Spiritus S. (vt aliqui volunt) in nube adfuit. 5.

Tertiò. Oſtenditur (ſuppoſitâ fide) ex ipſa ratione. Nam certum eſt Deum continere in ſe omnes creaturarum perfectiones multò eminentiori modo quàm ſint in ipſis. Duplices autem ſunt creaturæ: corruptibiles & incorruptibiles. Hæ quidem non intereunt, ſed idcircò non generant, nec enim indigent hac perfectione fœcunditatis nimirum. Illæ verò intereunt, ſed habent perfectionem fœcunditatis vt poſſint ſeipſas communicare & generare ſibi ſimile, quia illâ indigent ad ſpeciei conſeruationem. Duplex ergo eſt perfectio in creaturis, incorruptibilitas in ſpiritualibus, fæcunditas in corruptibilibus. Vtraque ergo in Deo inueniri debet. Hinc enim Iſa. vlt. dicit Dominus. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam? Et qui generationem ceteris tribuo, ſterilis ero?* Eſt autem hæc generatio in Deo, non corporea, quo modo aliquis intelligere illud poſſet; *Ex vtero ante Luciferum genui te*; nec fit per operationem tranſeuntem (ſic enim productus, idem cum producente Deus non eſſet, ſed ab eo diſtinctus) ſed fit per immanentem, quales ſunt operationes, intellectus & voluntatis, quorum termini producti in ipſis manent, verbum mentis in intellectu: amor in voluntate. Cùm ergo duæ tantùm exiſtant tales proceſſiones, totidem etiam exiſtunt productiones perſonarum, vna per intellectum, nempe generatio per quam pater producit Verbum ſeu Filium: altera per voluntatem, nempe ſpiratio communis patri & filio, per quam ſimul producunt Spiritum ſanctum. Ad eum ſcilicet modum, quo intellectus noſter, cùm quid actu intelligit, imaginem rei intellectæ concipit & in ſe efformat, quæ à Theologis *verbum mentis* appellatur; vti cùm de amico abſente cogito, idæam illius, in mente meâ effingo, &c. Similiter voluntas noſtra cùm quid amat, producit in ſe amorem rei amatæ & inclinationem erga illam. Hæc tamen eſt differentia inter has noſtras & illas Dei operationes, quòd verbum mentis in nobis ſit tantùm accidens, neque idem ſit cum intellectu, neque intelligentis filius, cùm ſit alterius

D. III. Ex ratione.

rius naturæ. Similiter & amor ſit ſolùm accidens, nec idem cum voluntate; quod inde fit, quia vis generatiua harum potentiarum in nobis creata & limitata eſt. In Deo autem, in quo vis generatiua infinita & illimitata eſt, nec vllum accidens eſſe poteſt, termini producti, ſubſtantiæ ſunt, non accidentia: & eiuſdem cum producente eſſentiæ & naturæ. Cæterùm Dei verbum, quia ex vi ſuæ proceſſionis, quatenus talis eſt, nimirum per intellectum, procedit, vt ſimile in naturâ ſuo principio; idcircò ſolum ipſum dici debet genitum ſeu Filius; Spiritus S. autem licet ex vi proceſſionis ſuæ, quà diuinâ eſt, procedat ſimilis ſuo principio (quidquid enim in Deo eſt, & ad intra à Deo, Deus eſſe debet) quia tamen ex vi proceſſionis ſuæ, quà talis eſt, nimirum per voluntatem, non procedit vt ſimilis ſuo principio, idcircò non appellatur nec appellari debet genitus aut Filius, ſed procedens tantùm, vti docet ſymbolum Athanaſij. Hæc enim eſt differentia operationis quæ fit per intellectum, & eius quæ per voluntatem, quòd intellectus intendit rei intellectæ formare idæam ſeu imaginem: voluntas autem non gignit in ſe rei amatæ ſimilitudinem, ſed tantùm elicit inclinationem ad rem amatam & rapitur quodammodò extrà ad illam. Sicut v.g. Eua licet ex Adam ſit formata, non tamen dicitur eius filia, quia non eſt ex eo facta, per viam generationis. Hinc etiam filius ſolus dicitur imago patris, non item Spiritus ſanctus: quia ad rationem imaginis non ſufficit, quòd ſit alteri rei ſimilis: ſed quòd fiat vel facta ſit ad alterius rei ſimilitudinem. Quare ouum licet ouo ſimile ſit, non tamen eſt eius imago: quia ad illius expreſſionem non eſt factum: contrà homo eſt imago Dei, licet imperfecta: & icon, imago prototypi: quia ad eius ſimilitudinem facta ſunt. Licet ergo Spiritus ſanctus Patri & Filio per omnia ſimilis ſit in natura, eorum tamen imago non eſt, quia ex vi ſuæ proceſſionis, qua talis eſt, per voluntatem ſcilicet, vt dixi, non procedit vt ſimilis ſuo principio. Dum igitur Deus Pater ab æterno ſeipſum intuetur & contemplatur atque comprehendit, hoc ipſo gignit ab æterno coæquale & coæternum ſibi verbum ſeu Filium. Et dum Pater & Filius mutuò ſe intuentur, ilicò etiam ab æterno mutuò ſe amant infinito modo, & ita ſimul ſpirant ſeu producunt Spiritum ſanctum ſibi ſimiliter coæternum. Tametſi verò inter perſonas iſtas prioritas aliqua poni debet, ea tamen non eſt durationis, aut dignitatis, aut perfectionis, aut cauſalitatis, quo modo cauſa ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam prior eſt ſuo effectu: ſed tantùm originis, ſecundùm quam vna perſona eſt ab alia.

P. IV. Ex miraculis.

QVARTÒ. Oſtenditur ex miraculis. Primum refert Gregorius Turonenſis *lib. 1. de mira. cap.* 13. & Sigebertus in Chron. ad annum Domini 453. Quo tempore Ariana hæreſis, quæ tres perſonas negabat vnum eſſe Deum, orbem diuexabat, & Genſericus Hunnorum Rex Arianus ciuitatem Vaſatenſem, Gallicè *Gazas*, obſidebat: Sacerdos quidam dum in templo, præſente populo Miſſarum ſolemnia pro liberatione populi ſui celebraret, aſpiciens ſurſum vidit ſuper altare, quaſi de Camera templi cadere tres guttas, æquales magnitudine, claritate, candore cryſtallum vincentes. Cumque omnes cum admiratione & ſtupore vehementi intenderent eaſque nullus auderet attingere. Petrus quidam presbyter exhibitâ argenteâ patenâ guttas colligere nititur: quæ dum per altare vago curſu rotantur, defluentes in ipſam patenam ſtatim in ſe coniunctæ, quaſi vnam gemmam pulcherrimam effecerunt, atque ita oſtenderunt S. Trinitatem in vna eſſentia eſſe coniunctam. Quæ gemma cùm poſteà in crucem affabrè factam & gemmis alijs adornatam ſtatueretur, renuit harum conſortium, velut ijs longè excellentior: cæteræ enim gemmæ de cruce protinus ceciderunt.

Alterum refert Boëtius Eugubinus lib. 15. & Chronicon S. Franciſci *libr. 4. cap.* 42. de virgine, nomine Clara de Monte Falcone, quæ in culina miniſtrarat. In eius enim mortuæ corde tres oblongæ glandes ſeu carneæ pilulæ inuentæ ſunt, magnitudinis oliuarum, quæ & ſingulæ diuiſim, & omnes ſimul eiuſdem erant ponderis, quas ibidem extra vrbem in quodam Auguſtinianorum monaſterio adhuc aſſeruari & ſibi oſtenſas eſſe ſcribit Franciſcus Coſterus in Concione huius Feſti. Quo miraculo quid potuit accommodatius inueniri ad tanti myſterij veritatem oſtendendam? Ibi enim earum in omnibus & eadem in ſingulis perſonis natura diuina cum omnibus perfectionibus. Nec minus eſt in vna, quàm in duabus, ſed eadem omnino, iuxta id Athanaſ. *In hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus, &c.*

Ad eiuſdem myſterij confirmationem cùm in Nicæno Concilio contra Arianos diſputaretur, Sanctus Nicolaus, qui ibidem inter alios Epiſcopos aderat, cùm peruicaciam & proteruiam Arij Trinitatis myſterium negantis aduerteret, ſic eum coram omnibus allocutus eſt: *Quare tibi videtur in creatore difficile, quod in creatura reperitur? Ecce laterem vnum, inuenies in illo tria diſtincta, ignem, aquam, & terram.* Quibus prolatis verbis, protinus à latere ſurſum aſcendere ignis, fluere deorſum aquam, & terra inter digitos comminui viſa eſt, cunctis ad tantum rei miraculum obſtupeſcentibus. Refert Ioann. Carthag. in hom. de myſt. Chriſti. lib. 1. homil. 9.

Maneat igitur certa & inconcuſſa Trinitatis fides. Non audiamus eos, qui contra hanc latrare audent. Sanè Patres Concilij Nicæni lectis Arij blaſphemijs (contra per-

ſonam filij) aures obſtruxerunt, teſte Athanaſio orat. 1. in Arian. Ergo & nos, Auditores, obſtruamus hîc aures hæreticis, vt in cœlo aperiamus oculos ad intuendam facie ad faciem SS. Trinitatem.

CONCIO II.

Profeſſio Sanctiſſimæ Trinitatis Chriſtianis commendatur.

Ad commendationem eius faciunt

1. *Quid ſit teſſera noſtra militaris.*
2. *Torques autem mundi & cuiuſlibet.*
3. *Regula noſtrarum actionum.*
4. *Clypeus contra dæmonem.*
5. *Funiculus charitatis.*
6. *Cythara laudis diuinæ.*

THEMA.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Matth. 28.

A. REconditiſſimum myſterium reſerauit nobis Dominus in hodierno Euangelio ſanctiſſimæ Trinitatis; quod in veteri lege Iudæis non niſi in ænigmate & abſtruſè propoſuerat, tum quia nondum erat cauſa propalandi, Filio & Spiritu ſancto nondum in orbem miſſo: tum quia cauſa erat occultandi, ne Iudæi ſcilicet ad Idololatriam proni, plures Deos colerent. Nobis ergo Chriſtianis myſterium hoc reſeruatum, & ita reſeratum eſt, vt pueri & infantes id nôrint & loquantur. Olim Ieremias de hoc myſterio dicebat (vt vult Blaſius Viegas *in Apocal. 9. ſect. 5.*) admirans & balbutiens, quaſi: *A, a, a, Domine Deus; ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum,* Ierem. 1. At nunc in huius myſterij enuntiatione nec pueri balbutiunt, ſed expreſſis verbis dicunt: *In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, nôrunt Patrem, nôrunt Filium, nôrunt Spiritum ſanctum. Nec quidquam eſt vſitatius omnibus Chriſtianis, quàm hoc ipſum ſymbolum; quod vt maiore fructu vſurpetur, videbimus quæ ad eius commendationem faciunt.

B. I. Eſt teſſera & ſymbolū Chriſtianorū. PRIMÒ. Eſt teſſera noſtræ militaris contra gentiles, Iudæos & hæreticos. In nomine enim SS. Trinitatis baptizati ſumus, & Chriſtiani facti: in eodem confirmati & militiæ Chriſti adſcripti: eodem nos conſignare à puero edocti ſumus; vt per hoc diſcernitur à gentilibus & Turcis, qui Trinitatem vel neſciunt, vel auerſantur, quemadmodum Turcæ, quorum illud ſolemne eſt in Alcorano, *Deus vnus eſt: Deus participem non habet, nec filium.* Cuius propoſitionis rationem aſſerunt inſulſam: quia Deus vxore caret, & quia cælum eſſet obnoxium diſſidijs, inſurgente in patrem filio, ſcilicet vt in Saturnum Ioue. Stulti! quaſi ad generandum, fœminæ concurſu indigeret omnipotens: & quaſi non ſit diuina mens ab omni perturbatione libera, & vnitas eiuſdem voluntatis communis tribus perſonis non excludat omne diſſidium. Deinde à Iudæis, qui & ipſi, vt Chriſtum Filium Dei negent, Trinitatem explodunt, tametſi in eorum lege varijs modis, ſi non expreſſam, ſaltem indicatam. Sanè veteres Rabbini illud Iſaiæ 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*; ſic exponebant, teſte Galatino *lib. 2. cap. 1. Sanctus hic eſt Pater, Sanctus hic eſt Filius, Sanctus hic eſt Spiritus ſanctus.* Denique ab hæreticis penè omnibus, qui Trinitatem impugnârunt, partim aperto Marte, vt Ariani, Montaniſtæ, Sabelliani, Donatiſtæ, Manichæi, Priſcillianiſtæ, Tritheitæ, Michaël Seruetus, &c. partim clancularie, vt Lutherus & Caluinus cum multis Anabaptiſtis. Lutherus Trinitatis nomen & inuocationem è ſuis Litanijs ſuſtulit anno 1543. & in lib. contra Latomum expunxit vocem ὁμοούσιος, quâ SS. Patres ſemper & appoſitiſſimè exprimebant contra Arianos filij conſubſtantialitatem. Suſtulit item ex Epiſt. 1. Ioannis cap. 5. ſententiam hanc Trinitati imprimis patrocinantem: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, Spiritus S. & hi tres vnum ſunt.* Caluinus optat vt Trinitatis, perſonæ, hypoſtaſis & alia eiuſmodi vocabula, ſine quibus nec intelligi, nec explicari poteſt, altè defoſſa lateant, nec vnquam audiantur. *Vtinam*, inquit, *ſepulta eſſent*, lib. 1. inſtitut. cap. 13. §. 5. Horum ſectatores refugiunt & erubeſcunt hanc fidei noſtræ teſſeram fronti ſuæ inſcribere. Contra hos igitur errones armatura nos Eccleſia, inſtituit filios ſuos quotidie & ad omnem penè actionem conſignare ſe in nomine SS. Trinitatis; vt hoc myſterium à puero firmiter apprehendamus. Vt enim Aquila pullos ſuos euehit ad ſolem & obſeruat eos qua ratione eum intueantur, fixis an nutantibus oculis: & illos quidem educat, iſtos verò abijcit quaſi degeneres: ita nos à puero imbuit Eccleſia in fide & cognitione altiſſimi huius myſterij, quod fidei Chriſtianæ fundamentum eſt: & qui in huius fide deficit, eum velut hæreticum abijcit. Certè etiam miles qui compellatus, teſſeram ſuam reddere nequit, pro hoſte habetur & occiditur. Nos ergo milites Chriſti, de fide noſtrâ interrogati teſſeram hanc reddamus: *In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Dum dicimus, *In nomine*, confitemur vnum Deum; dum tres perſonas nominamus, Trinitatem in vnitate profitemur. Dum patris nomen fronti damus, confitemur eum principium & ingenitum: dum filij nomen ori, confitemur eum Patris verbum: dum Spiritus S. nomen cordi, confitemur eum eſſe amorem patris & filij.

Se-

Digitized by Google

C. II. Eſt torques aurea mundi, & cuiuslibet.

SECVNDÒ. Eſt torques aurea, quam Deus Primò iniecit quodammodò collo totius mundi, cùm Pater ei dedit filium & vterque Spiritum ſanctum. Deinde collo cuiuſque noſtrûm, cùm abluit nos baptiſmo, ſimulque nobiles & familiares ſuos fecit, dum inſignia & ſimilitudinem ſui ſupernaturalem nobis impreſſit, gratiam ſcilicet, per quam in nobis veluti in templo ſuo inhabitare cœpit. Magna & mira hæc dignatio. Creauerat nos priùs ad imaginem ſuam, quando intellectu, memoriâ, & voluntate inſtruxit. Verùm vbi ea per peccatum deſtructa fuit ſubſtituit ei per Chriſti merita longè elegantiorem eamque ſupernaturalem. Cùm ergo in nomine Trinitatis nos ſignamus, primò palàm facimus, quantoperè nos amarit Deus, qui ſecundùm omnes perſonalitates ſuas ſe totum nobis tradidit; Pater, dum nobis dedit filium: filius, dum ſe in pretium redemptionis & parandæ gratiæ: Spiritus S., dum ſe in diſtributorem gratiarum, quas promeruit nobis Chriſtus. Hoc eſt quod ait Apoſtolus 2. *Cor.* 13. *gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei* (Patris ſcilicet, cui nomen Dei appropriatur, quia eſt primum in Deitate principium & origo cæterarum perſonarum) *& communicatio S. Spiritus ſit cum omnibus vobis.* Deinde rememoramur particulare cuiuſque beneficium; quo in baptiſmo regenerati & per pœnitentiam reconciliati ſumus Deo; vbi tota SS. Trinitas ad nos, imò in nos deſcendit & impreſſit nobis ſimilitudinem ſui, quanta homini obtingere poteſt, exactiſſimam gratiam, per quam ſanctificamur & exornamur, vt ſimus Dei templa, Dei amici, imò filij adoptiui. Quare ſicut vir nobilis, cùm in collo ſuo torquem auream videt, meminit, vel certè meminiſſe debet, ſe quantò cæteros præcellit genere, & honore, tantò etiam antecellere debere moribus, factis & virtutibus: ita Chriſtianus, cùm in nomine Trinitatis ſe conſignat, meminerit ſe Dei templum, nobilem, amicum, filium eſſe. *Conuerſemur, quaſi Dei templa,* inquit S. Cyprianus tract. de orat. Dom. *vt Deum in nobis conſtet habitare: vt qui cæleſtes & ſpirituales eſſe cœpimus, nonniſi cæleſtia & ſpiritualia cogitemus & agamus.* Et in lib. de ſpectaculis. *Numquam,* inquit, *humana opera mirabitur, quiſquis ſe cognouerit filium Dei. Deiicit ſe de culmine generoſitatis ſuæ, qui admirari aliquid poſt Deũ poteſt.* Multa mirantur, ſuſpiciunt & extollunt ruſtici ac plebei homines, quæ nobiles contemnunt, rident & pro nihilo habent, quia hi animum illis excelſiorem gerunt. Ita quæ mundus magni æſtimat contemnat Chriſtianus, quia animum & dignitatem ijs longè generoſiorem habet. Deinde nobilis vir cùm inſpicit torquem ſuam, memor eſt progenitorum ſuorum, quorum virtute nobilitatem & torquem illam obtinet: ita par eſt, vt Chriſtianus commemorato SS. Trinitatis nomine Deum redamet, cuius ſimilitudinem in ſe gerit, & à quo inſignia filij Dei accepit.

D. III. Eſt regula noſtrarum actionum.

TERTIÒ. Eſt Scopus & regula noſtrarum actionum, quas in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis inchoare decet, vt eius adiutorium & directionem, quâ quid agendum ſit, perſpiciamus & vt poſſimus ac velimus quod agendum eſt, perficere, impetremus. Eaſdem in eodem nomine ad gloriam & honorem eius terminare oportet. Quemadmodum ergo filius à patre procedit, & in eumdem ſe reflectit per amorem, qui eſt Spiritus S. (quod vel Mercurius ille Triſmegiſtus agnouit, cuius eſt decantata illa ſententia: *Monas genuit monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem*) ita actiones noſtræ à SS. Trinitatis inuocatione inchoari, & in eiuſdem gloriam reflecti ſeu terminari debent. Ipſa enim eſt pelagus omnium bonorum, quo vt omnia flumina exeunt, ita in id redeunt. Hinc Eccleſia ſacrificium Miſſæ & officium diurnum incipit à SS. Trinitatis inuocatione, & in eadem terminat.

Deinde in actionibus noſtris indigemus Primò viribus & potentiâ, vt poſſimus. Secundò intellectu, vt ſciamus agere, quod agendum eſt. Tertiò voluntatis aſſenſu, vt velimus. Iure igitur initio operis inuocamus Patrem; cui tribuitur potentia: & filium, cui ſapientia: & Spiritum ſanctum, cui bonitas & velle. Hinc mos vetus inuocandi Trinitatem, apud Germanos: **Dat wil Godt den Vader, vnde den Sone, vnde den H. Geeſt.**

E. IV. Eſt clypeus contra Dæmonem.

QVARTÒ. Eſt clypeus contra Dæmonem & ad difficilia quæque ſuperanda atque excipienda. Ligari Luciferum ſymbolo Sanctiſſimæ Trinitatis, teſtatus eſt aliquando vnus miniſtrorum eius apud Cæſarium lib. 5. c. 13. *Retulit,* ait, *mihi Gerardus Pleiſenſis, mulierem obſeſſam, multis bene notam, Sygeberg veniſſe gratiâ curationis: quæ cùm in oratorio S. Michaelis Archangeli de diuerſis interrogaretur, & incideret mentio de Lucifero apud inferos ligato reſpondit per os illius Diabolus: ſtulti quibus catenis putatis ligatum magiſtrum meum in inferno? ferreis? nequaquam. Tria verba poſita ſunt in ſilentio Miſſæ, quibus ligatus eſt. Requirentibus quibuſdam ex fratribus: Quæ ſunt illa verba? dicere noluit, vel potiùs auſa non fuit; ſed ait: Afferte mihi librum, & ego vobis oſtendam illa. Allatus eſt ei liber Miſſalis & clauſus porrectus; quem illa aperiens, primo ictu canonem inuenit, & digitum ponens ſuper illum locum: Per ipſum & cum ipſo, & in ipſo; in quibus memoria ſit Trinitatis, ait: Ecce iſta ſunt tria illa verba, quibus ligatus eſt Magiſter meus.* S. Athanaſius ſcribit de S. Antonio in eius vitâ: *Cùm vitale ſignum* (crucis) *in ſacro numero Trinitatis preſſiſſet in frontibus vnà cum expulſis dæmonibus vana præſentium Philoſophorum confutata eſt ſapientia.*

Ad Martyrium fortiter ſubeundum ac ſuperandum animauit filium S. Dionyſia in perſecutione Wandalicâ apud Victorem Vticenſem l. 3. cùm eum formidoloſum, inter crudelia videret verbera conſtitutum, dicebat enim ei: *memento fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre Catholicâ baptizati ſumus: non perdamus indumentum noſtræ ſalutis,* &c. Dicat ſibi idem

idem quiuis Chriſtianus, quoties in tentatione eſt, & vrgetur à Dæmone, carne, mundo vt Chriſtum eiuſque legem deſerat; dicat inquam: memento te baptizatum in nomine Trinitatis, ibique Chriſto nomen dediſſe, teſtis ibi Pater, teſtis Filius, teſtis Spiritus ſanctus qui vt in baptiſmo Chriſti, ita & in tuo adſtiterunt.

F. V. Eſt funiculus charitatis.

Qvintò. Eſt funiculus charitatis & vinculum pacis inter Chriſtianos. In Deo enim cùm ſint tres perſonæ, vna tamen natura, & voluntas eſt, vnus amor, vnus omnium ſenſus & conſenſus, operaque ad extra indiuiſa, vt quod vna perſona operatur, operentur & reliquæ. Cùm ergo hoc myſterium profitemur, ſimul commonemur ad eandem pacem inter nos mutuò ſeruandam. Erat ſanè ea inter primos Chriſtianos tempore Apoſtolorum, de quibus *Actor.* 4. dicitur: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna*, id eſt, tanta concordia & pax, ac ſi vnum cor & vnam haberent animam. Rurſum tempore Tertulliani, qui vixit ſub annum Chriſti 200. Is enim in Apolog. 39. ſcribit tantam Chriſtianorum inter ſe fuiſſe charitatem tempore ſuo, vt de illis communis eſſet gentilium vox: *Vide vt ſe diligant; vt alter pro altero mori ſint parati?* Rurſum tempore S. Gregorij Nazianzeni, qui vixit ſub annum Domini 370. ſcribit is *orat.* 2. *de pace*: *Non minùs quàm ipſa ſecum diuinitas (niſi hoc nimis magnificè dictum videatur) inter nos conſentimus concordeſq; ſumus, labiumq; vnum & vox vna exiſtimaret, &c.* Quare ſicut Pater & filius in Trinitate, vniuntur per Spiritum ſanctum, qui eſt vinculum & amor vtriuſque: ita & nos Chriſtiani per Spiritum ſanctum, imò per totam SS. Trinitatem in nobis habitantem vniamur & colligemur vinculo pacis. Eccleſiaſtes *cap.* 4. ait: *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Sit ergo nobis myſterium Trinitatis, in quo omnes baptizati ſumus, triplex huiuſmodi funiculus, quem nemo rumpere audeat. Quid enim in mundo quærimus, aut qua de re contendimus? Deus Pater noſtra hæreditas eſt: Filius eiuſdem pretium: Spiritus ſanctus pignus.

G. VI. Eſt cythara laudis diuinæ.

Sextò. Eſt cythara laudis diuinæ. Hac enim quaſi cytharâ laudatam à Seraphinis Trinitatem audiuit & ſcripſit Iſaias *cap.* 6. cùm ait: *clamabant alter ad alterum & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*, vbi voce, Sanctus, ter repetitâ prædicant Trinitatem, vt exponunt Sancti Patres, ſynodus V. generalis totaque Eccleſia. Idem canticum accinuiſſe Deo quatuor animalia ſcribit S. Ioannes, *Apoc.* 4. Idem hymnus miraculo & ipſius Dei calculo approbatus fuit tempore Theodoſij iunioris Imp. anno Chriſti 446. cùm graſſante per ſemeſtre terræmotu per orbem, maximè verò Conſtantinopoli, puer quidam inter publicas Litanias in aërem raptus, audiuit ab angelis decantari hymnum illum *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miſerere nobis.* Qui puer eundem ab angelis acceptum Proclo Archiepiſcopo enarrauit, vt eum canendo implorarent omnes Dei opem & miſericordiam. Ita fecerunt & mox terræ motus ceſſauit; vti refert Damaſcenus *Tract. de Triſagio*, & Niceph. *li.* 14. *c.* 46. Quem eundem hymnum Leo 6. Imp. in Commentario, quo res bellicas pertractauit, militibus commendauit, monens vt exercitus quotidie eum dicat manè & veſperè, apud Baron. anno 611. Multò igitur magis cæteri Chriſtiani carmen hoc triſagium quotidie Deo dicent, vel aliud ei æquiualens. Sanè etiam Iudæos ſcribit Galatinus lib. 2. cap. 1. ſuprac. ad ſua vſque tempora, ex veterum Rabbinorum inſtituto minimum bis in die, ſcilicet oriente & occidente ſole recitaſſe hymnum illum ſeraphicum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Idem facit Eccleſia in officio diuino, dum ſingulos pſalmos claudit eo verſu: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Et dum in omnibus Feſtis & omnibus pæne Dominicis diebus decantat verſum illũ: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Omnes enim Dominicæ ab hoc feſto vſque ad Aduentum, non videntur eſſe aliud, quàm octauæ ſeu repetitiones huius feſti Trinitatis. Idem enim capitulum & hymnus, qui hac die canitur, repetitur in Dominicis: & reſponſorium vltimum ſemper eſt de Trinitate, &c.

Eſt ergo hæc breuis doxologia, laus Dei præſtantiſſima, qualem ei concinunt in cœlis Angeli & Beati omnes, quorum æmuli nos hîc in terris eſſe eorumque officium vſurpare & inchoare debemus, quod breuî cum illis ipſis in cœlo conſummabimus per omnem æternitatem. Hac ratione beatorum ſocij efficimur & inchoamus in terra vitam cœleſtem & angelicam, ad quam &c.

CONCIO III.

Deum eſſe, oſtenditur; eumque vnum.

Primò ex lumine naturali.
2. *Ex mundi ſtructurâ, harmoniâ, ordine, &c.*
3. *Ex gubernatione mundi.*
4. *Ex rationibus Philoſophorum.*
5. *Ex miraculis.*

THEMA.

Ipſi gloria in ſecula, Amen. Rom. 11.

NEmo eſt, Auditores, non modò Chriſtianorum ſed etiam infidelium, qui ſi interrogetur, vtrum aliquis Deus ſit; non aſſerat pro certo. Multi nihilominus ſunt etiam inter Chriſtianos, qui ſi mores & vitam eorum inſpiciamus, id abnuere videntur. Videmus enim A.

[illegible] homines aliquos [illegible] extra ſe poſitos & à ratione deſtitutos, vt cum impijs illis dicere videantur in corde ſuo: *Non eſt Deus. Pſalm.* 13. Peccant enim tam liberè, ac ſi nemo prorſus eſſet, qui acta ipſorum conſideret & vindicare queat, cuique obedire & ſubiecti eſſe debeant. Quibus proinde principium ſeu Alphabeticum fidei videtur inculcandum: eſſe nimirum Deum, idque non ex fide tantùm, ſed ex ipſa ratione demonſtrandum. Primò, vt non ſolùm credant, ſed vt ſciant etiam. Qui ſcit & videt adeſſe Regem ſuum, magis eum metuit, colit & reueretur, quàm qui credit tantùm alijs narrantibus. Secundò, vt ſciant practicè, ſimul & ſpeculatiuè. Multi optimè ſciunt, Deum eſſe vbique, omnia audire, videre, iudicare; ſed ita interim viuunt, quaſi id falſiſſimum ſit. Tertiò, vt hoc ipſum pluribus argumentis comprobatum, firmiùs ſibi imprimant & ſæpius animo reuoluant. Denique vt exinde non ſolùm eius exiſtentiam, ſed etiam ſapientiam, potentiam, bonitatem, prouidentiam & dominium diſcant intelligere.

B. I. Deum eſſe oſtenditur: Ex lumine naturali. Oſtenditur PRIMÒ. Ex lumine naturali & dictamine rationis, communique omnium iudicio. *Nulla enim gens eſt*, inquit Cicero lib. 1. de legibus, *neque tam immanſueta, neque tam ferrea, quæ non, etiamſi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat.* Prothagoras, quia dicebat non habere ſe de Dijs, an ſint necne ab Athenienſibus vrbe eiectus eſt, & libri eius combuſti. Cicer. 1. *de natura Deorum.* Omnes etiam gentes habuêre ſuos Deos, ſuas ſacras cæremonias, templa, &c. Adhæc omnibus hominibus à naturâ inditus eſt quidam inſtinctus ad Deum colendum, timendum & in neceſſitatibus ac periculis inuocandum. Hinc ſæpè pro Dei ſui cultu & honore inter ſe digladiantur & pugnant, omniumque bonorum iacturam faciunt; quomodo filij Iſrael reliquerunt vxores ſuas gentiles vnà cùm liberis in Babylone; & reuerſi ſunt in patriam, vt ibi Deum ſuum verum colerent. Hinc qui malè ſibi conſcij ſunt, ſolent timere ſibi ab ira & vindicta Dei, quærunt latebras, anguntur animo, terrentur ſpectris, & cùm incidunt in miſerias, agnoſcunt ſe à Deo plecti. Hinc in repentinis periculis & magnis calamitatibus abſque deliberatione recurrimus ad Deum eiuſque imploramus opem aut vindictam; ô Deus ſuccurre! ô Deus vindex eſto! Agnoſcunt etiam homines, Deum omnia ſcire, omnia poſſe: eius fauorem imprecantur amicis, vindictam inimicis. Ergo qui filijs indidit reuerentiam & amorem erga parentes: qui agno vt ex voce noſceret matrem: qui magneti, vt vertat ſe ad Helicen: idem etiam indidit mentibus humanis naturalem Dei cognitionem. Id quod etiam Cicero *lib. de natura Deorum* dixit: *hoc omnibus eſt innatum & inſculptum.* Ergo falſum eſſe non poteſt, ſiquidem natura non inſeuit menti aſſenſum falſi; alioquin praua eſſet & rationem peruerteret.

C. II. Ex mundi ſtructura. SECVNDÒ. Ex mundi ſtructurâ, ordine, harmonia, pulchritudine & magnitudine, quæ in cælo, ſtellis, elementis, meteoris, animalibus, plantis, &c. conſpiciuntur. Quis enim ingreſſus domum aliquam, & omnia ibi exculta, ornata, atque diſpoſita videns, non intelligat præeſſe ei Dominum aliquem? ſanè ſi in itinere caſu incideres in domum aliquam, pro principe perſona omnibus rebus inſtructam & mirè adornatam, petereſque qua ratione domus ea effecta eſſet; & tibi reſponderetur, partem vicini montis caſu decidiſſe: & ipſo lapſu ac partium diſiectione domum hanc effeciſſe: nónne velut dementem illum irrideres? vel ſi videres tabulam variis figuris & præſtantibus coloribus affabrè depictam, & diceret tibi aliquis caſu eueniſſe vt ſpongia coloribus tincta incideret in tabulam & inde picturam hanc exiſtere, nec alium eſſe artificem, qui opus hoc elaborárit: quid tibi videretur?

Idipſum colligitur ex ſingularum creaturarum ſtructurâ, opificio, proprietatibus, quibus finem ſuum conſequi poſſunt. Vnde Galenus Medicorum Sydus ex ſola humani corporis ſtructurâ mirabili Deum eſſe agnouit, qui infinitâ ſapientiâ hominem condiderit. Omnes enim corporis partes habent ſuos peculiares fines ad quos aptiſſimè & mirando modo ac ſymmetriâ ſunt comparatæ & diſpoſitæ. Neceſſe eſt ergo eſſe mentem aliquam ſapientiſſimam, quæ omnes illos fines conceperit & media ad ſingulos opportuna ordinauerit.

D. III. Ex gubernatione mundi. TERTIÒ. Ex gubernatione mundi, quæ cernitur. Primò in conſeruatione eius. Cùm enim conſtet rebus tam diſparibus, contrarijs & inter ſe pugnantibus; nequaquam tamdiu potuiſſet conſiſtere, ſi rectore deſtitutus fuiſſet: quemadmodum & nauis, ſi gubernatore careat, in ſalo fluctuans diu ſalua eſſe nequit, ſed breui ad ſcopulos alliſa mergitur: nec currus diu & ordinatè ferri, ſi aurigâ careat. 1.

2. Secundò. In motu cælorum regulariſſimo & vtiliſſimo; ſiquidem efficit 4. anni tempeſtates ad generationem frugum, viuentium conſeruationem & annuam quodammodo mundi renouationem. Hic autem motus non poteſt habere originem ab impetu aliquo naturæ cœlis inſito ſeu inclinatione naturali, quia non tendit ad terminum, ſed eſt perpetuus. Nihil autem appetit ſemper eſſe in via, ſed omnia cupiunt venire ad terminum & in eo conquieſcere. Adhæc motus ille non eſt propter ipſos cœlos, ſed propter homines. Denique, quia eſt diuerſiſſimus. Præter motum enim raptûs, quo omnes feruntur ab oriente in occidentem, habet vnumquodque cœlum ſuum motum proprium ex occidente in orientẽ; & imprimis orbis Saturni periodum ſuam conficit annis ferè 30 Iouis 12. Martis circiter duobus, Solis vno, Veneris vno, Mercurij eodem ferè ſpatio, Lunæ 27. diebus & horis octo. Firmamentum

mentum. Intra centum annos putatur confi-
cere vnum gradum. Debet ergò hic motus tam varius, tam regularis & ordinatus prouenire à cauſâ externâ eaque intellectuali & ſummâ ſapientiâ præditâ.

3. Tertiò. In malorum ſupplicijs & bonorum proſperitate. Tametſi enim in hoc ſæculo tempus proprium non eſt retribuendi vnicuique ſecundùm opera, ſed in ſæculo futuro: ne tamen exiſtimarent homines Deum prorſus dormire aut omninò in rerum natura non eſſe, ſæpiùs impij etiam in hoc ſæculo meritas dedêre pœnas, vti in diluuio generali, in excidio Sodomæ, in plagis Ægyptiacis, in peregrinatione ad terram promiſſionis per deſertum. Exemplo item ſunt Tyranni & Hæreſiarchæ penè omnes grauiter mulctati, Antiochus, Herodes, Nero, Arius alijque innumeri, & imprimis blaſphemi qui ipſum Numen impugnare auſi. Viciſſim boni & Dei cultores plurimum proſperati ſunt, vt Dauid, Conſtantinus Magnus, Carolus Magnus & V. Vterque Theodoſius, &c.

E. IV. Ex rationib. Philoſophorum. QVARTÒ. Ex rationibus Philoſophorum. Eorum Prima ducitur ex rerum ordine.
1. Cùm enim in natura diuerſi cernantur rerum gradus, in quorum Primo ſunt corpora ſimplicia, vt elementa: In Secundo mixta imperfecta, vt nix, grando, pluuia, &c. In Tertio mixta perfecta, vt lapides, metalla. In Quarto viuentia, vt plantæ, arbores: In Quinto ſentientia, vt animalia: In Sexto intelligentia corporea vt homines: In Septimo intelligentia incorporea vt angeli: & inter angelos ſint alij alijs præſtantiores; ergo vel dabitur proceſſus in infinitum (quod in natura fieri nequit) vel deueniendum eſt ad vnam aliquam perfectiſſimam omnium, quam dicimus eſſe Deum.

2. Secunda. Ex motu. Omne enim quod mouetur, aut in ſe, aut extra ſe, habet vim motricem à qua moueatur, vti corpus animam: cœlum angelum. Cùm ergo omne quod mouetur dependeat ab aliquo motore, quæritur de hoc motore, vtrum in eſſentia & virtute ſua dependeat ab alio, necne. Si ab alio, de hoc idem quærimus, & dabitur progreſſus in infinitum, quod fieri nequit. Si à ſe, hunc dicimus eſſe Deum, qui ſit primus motor omnium quæ mouentur.

3. Tertia. Quia debet eſſe cauſa aliqua, à qua cætera omnia dependent. Nam res corporeæ vel ſunt à ſeipſis, vel à caſu fortuito, vel ab aliqua cauſa incorporea, mente prædita. Non à ſeipſis, quia videmus omnia ſublunaria ab alijs progigni. Non à caſu, quia omnia in mundo ſumma ratione conſtant, & artium omnium ingenia ſuperant. Ergò à cauſa aliqua prima, quæ ſumma potentia, & ſapientia ſit prædita, & hanc vocamus Deum.

F. V. Ex miraculis. QVINTÒ. Ex miraculis, quæ cùm vim omnem creatam ſuperent, facta tamen eſſe noſcuntur, neceſſariò procedere debuerunt à maiore quadam & inuiſibili vi, quam vocamus Deum. Talia ſunt mundi creatio & mirabilis conſeruatio per viciſſitudines generationum, cœlorum mira & perpetua rotatio. Miracula item veteris & noui teſtamenti.

Iam verò vnum tantùm Deum eſſe facilè oſtenditur. Primò. Ex ſententia ſapientum omnium, vti Platonis, qui vt refert Euſeb. Cæſarienſis *lib. 5. de præparat. Euang.* ad Dionyſium Tyrannum ſcripſit: *In hoc cognoſces epiſtolas meas, quòd in illis initium erat hoc nomen, Deus: in reliquis verò epiſtolis iocosè Deos nominem, vulgi condeſcendens errori.* Ariſtotelis, qui inter intelligentias vnam ſummam conſtituit, quæ eſſet principium & origo cæterarum omnium, idemque quod palàm dixiſſet: *Non eſt Deus, niſi vnus*: accuſatus fuga ſibi conſuluit. Socratis qui Deorum turbas inſectatus cicutam bibere compulſus eſt, teſte Seneca lib. de vita beata cap. 31. Item Ciceronis & aliorum, vt patet in lib. de natura Deorum & de Diuinatione: quos libros propterea abolendos non minùs quàm Chriſtianorum libros cenſuerunt quidam gentiles, in perſecutione Diocletiani & Maximiani, propterea quod Chriſtianorum religio de vno Deo inde ſtabiliretur, apud Arnob. l. 3. — *Deum vnum eſſe oſtenditur.* 1.

Secundò. Rationibus. Primò. Quia Deus eſt ens abſolutiſſimum & perfectiſſimum, ergo vnum. Nam ſi eſſent duo Dij, vnus haberet aliquid perfectionis, quod non habet alter, ac conſequenter non haberet omnem perfectionem, ergo neuter eſſet perfectiſſimus. Rurſum ſi ſunt duo Dij, vel idem poteſt vnus, quod alter, vel vnus hoc, alter illud: ſi primum, alteruter ſuperfluus eſt: ſi ſecundum, ergo neuter ſupremus eſt, adeoque nec Deus; quia non poteſt vel habet omnia. Item ſi eſſent duo Dij, haberent duas & diuerſas voluntates, ergo poſſent velle contraria; ex quo bellum inter ipſos & vniuerſi perturbatio ſequeretur. Item ſi non eſt vnus ſolus Deus, non poteſt terminari numerus Deorum; quia non eſt maior ratio, cur ſint duo vel tres, quàm plures.

Secundò. Quia regimen vniuerſi debet eſſe optimum, tale autem eſt monarchicum. Vnde Homerus non vult plures regere, ſed *εἷς κοίρανος ἔστω*, inquit, *rex vnicus eſto.* Similiter Ariſtoteles in Metaphyſ. *Non eſt bonum*, inquit, *pluralitas principantium. Vnus ergo princeps.* Accedit conſenſus omnium populorum, qui vnicum habuêre & conſtituêre ſibi principem. Taceo ſcripturam S. *Deut. 6. Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt.* Et *c. 32. Videte quòd ego ſim ſolus & non ſit alius Deus extra me, &c.* 2.

Ex quibus omnibus conſtat nihil eſſe certius, quàm quòd Deus ſit, & conſequenter Dei prouidentia, qua res omnes gubernat & ad finem ſuum dirigit. Hinc porrò ſequitur, Deum eſſe ens perfectiſſimum, ſummè potens, ſummè ſapiens, ſummè diues, ſummè pulchrum, ſummè amabile & laudabile, &c. Videant igitur Athei & Machiauelliſtæ & quicumque ita viuunt ac ſi non

eſſet

eſſet Deus. Solemus dicere iis, qui impudenter & enormiter peccant: Gedenckt dat er eenen Godt inden Hemel is / memento eſſe Deum in cœlo. Hoc vtinam nos omnes ſemper meminiſſemus. Si enim Deus eſt, ergo noſtra omnia videt, & ſuo tempore puniet vel præmiabit, prout meriti fuerimus.

Rurſum hinc conſequenter magnoperè nobis adlaborandum, vt Deo placeamus. Si enim hunc irritamus, non eſt alius Deus, ad quem confugiamus. Si rex Hiſpaniæ tibi iraſcitur, diuertere potes ad regem Galliæ, ab hoc ad regem Angliæ, &c. Sed ſi Deus tibi iratus eſt, non eſt alius ad quem te recipias. Hoc indicat Deut. 32. cùm ait: *Videte, quòd ego ſim ſolus & non ſit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciam & non eſt qui de manu meâ poſſit eruere.* Adhæc ſi Deum noſtrum amittimus, omnia amittimus, nec ſupereſt nobis alius Deus. Qui plures habet filios, ſi per mortem perdat vnum, leuamen habet mœroris, quòd alij ei ſuperſint. Sed qui Deum perdit, quomodo ſe conſolabitur, ſiquidem alius ei non reſtat? Denique ſi Deo placeamus, iam beati quaſi ſumus, quia non eſt ampliùs timendum, ne alteri diſpliceamus. Durum & difficile eſt pluribus Dominis ſeruire ac placere: vni verò non item. Ergo *iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia.*

CONCIO IV.

De attributis eſſentiæ Diuinæ ſecundum ſe; perfectione, incomprehenſibilitate, immenſitate, æternitate.

Primum Dei attributum eſt eius perfectio, cùm ſit natura ſublimiſſima, perfectiſſima omnium cauſa & eminenter continens omnia.

2. Incomprehenſibilitas; quia nequit omnino cognoſci, quia iudicia eius inſcrutabilia, & modus operandi ſecretiſſimus.

3. Immenſitas, cùm ſit vbique per præſentiam, ſapientiam & potentiam.

4. Æternitas, eſt enim & in æternum erit immutabilis, ſemper idem, nec ei accedere vel decedere aliquid poteſt.

THEMA.

O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius! Rom. 11.

A. TAnta tamque ſalutaris res eſt veri Dei cognitio, vt Dominus noſter dicere ad Patrem ſuum non dubitarit Ioann. 17. *Hæc eſt autem vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum verum.* q.d. hanc eſſe viam ad vitam æternam, ſi bene cognoſcamus Deum: non quidem cognitione ſolùm theoricâ, ſed practicâ, ſi nimirum ſedulò perpendatur crebrò in animo verſetur, menti imprimatur & memoriæ commendetur qualis & quantus Deus ſit. Hocque eſſe videtur, quod Apoſtolus Epheſijs ſuis, omnibuſque Chriſtianis precatur flexis genibus ad Epheſ. 3. cùm ait: *Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo & ſublimitas & profundum.* Quem locum S. Bernardus de conſideratione ad Eugen. Papam de Dei attributis intellexit. Orat autem Apoſtolus vt non ſpeculatiuè tantùm intelligere, ſed vt comprehendere poſſimus, hoc eſt, vt attentiſſimè cogitantes omninò perſuadeamur rem ita ſe habere. Hac ratione nos comprehendere Deum poſſumus, non quantum infundere Deus poteſt, ſed quantum capere corda noſtra poſſunt. *Numquid quia totum fluuium ebibere nequeo,* inquit Cyrillus Hieroſolym. Catech. 6. *id quod mihi commodum eſt ſub menſura non hauriam? Numquid cùm ſolem oculis comprehendere nequeam etiam lucis illius vſum quantum ſufficit, non aſpiciam? & ſi in hortum magnum ingreſſus fuero & omne genus fructuum comedere non potuero, viſne vt inde exeam?* Conemur igitur comprehendere hic, quantum poſſumus, Deum noſtrum.

B. I. Perfectio Dei. PRIMÒ. Quid Dei ſublimitas, niſi ſumma illius perfectio? Ea verò Primò conſiſtit in naturæ eius nobilitate & ſublimitate, omnes res creatas & creabiles in infinitum excedente: propter quod meritò ei dicitur *Pſal.* 82. *Tu ſolus altiſſimus in omni terrâ.* Res enim tantò ſunt nobiliores, & altiores, quantò ſunt puriores, & à naturâ magis abſtractæ: vt patet in corporalibus. Aqua terrâ altior eſt & nobilior, quia purior; aër aqua, ignis aëre, cœlum igne ob eandem rationem. *1. Quia natura ſublimiſſima.* Deinde in ſpiritualibus, intellectus humanus ſenſu eſt nobilior, quia non eget organo corporeo, quo tamen eget ſenſus: Intellectus angelicus humano præſtat, quia non pendet à phantaſia, à qua pendet humanus. Quoniam ergo Deus puriſſimus eſt actus & independens ab omnibus, quoniam ipſe ſibi omnia eſt & in ſe habet omnia: ſequitur etiam nobiliſſimum eſſe & nobilitate omnes creaturas in infinitum excedere: ac propterea Lucifer, licet alioquin angelorum nobiliſſimus, quando ſimilitudinem Dei affectauit, in profundiſſimum barathrum eſt detruſus meritoque expugnatus à Michaële qui ſonat: *Quis vt Deus?* Quare ſi mittamus cum Sancto Auguſtino oculos noſtros velut legatos ad creaturas, & quæramus, vtrum ipſarum aliqua ſit noſter Deus; omnes vno ore reſpondebunt, quomodo Ioannes Legatis Iudæorum: *non ſum, non ſum:* ſed Deus nobis longè altior, purior, nobilior, pulchrior, fortior, maior, ſapientior, &c.

&c. Audi S. Auguſtinum *lib.* 10. *confeſſ. cap.* 6. *Interrogaui terram & dixit: non ſum, & quæcumque in eadem ſunt, idem confeſſa ſunt. Interrogaui mare & abyſſos & reptilia animarum viuarum, & reſponderunt: Non ſumus Deus tuus, quære ſuper nos. Interrogaui auras flabiles, & inquit vniuerſus aër cum incolis ſuis: Fallitur Anaximenes, non ſum Deus tuus. Interrogaui cœlum, ſolem, lunam, ſtellas: neque nos ſumus Deus, quem quæritis, inquiunt. Et dixi omnibus his, quæ circumſtant fores carnis meæ: Dixiſtis mihi de Deo meo, quòd vos non eſtis, dicite mihi de illo aliquid. Et exclamauerunt voce magnâ: Ipſe fecit nos,* &c. Hinc etiam *Iob* 1. dicitur: *Cœli non ſunt mundi in conſpectu eius.*

2. *Quia eſt perfectiſſima omniũ cauſa.* Secundò in eo quòd ipſe perfectiſſima cauſa eſt rerum omnium; eſt enim prima & altiſſima cauſa rerum efficiens, exemplaris & finalis: quòd videtur indicaſſe Apoſtolus in hodierna Epiſtolâ, cùm ait: *Ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia. Ex ipſo* vt à causâ exemplari, quæ rerum omnium formas & Idæas in ſe continet, eaſque ex mente ſuâ quodammodò depromit, quo modo artifex domum artificialem ex mente ſua. Solus autem Deus, qui ſolus omnia poteſt facere, rerum omnium deſignationes, formas & Idæas in ſe gerit. *Per ipſum* vt per cauſam efficientem omnium perfectiſſimam, quia vim efficiendi habet à ſeipſo, reliquæ creaturæ à Deo; rurſus, quia ipſe à nullo mouetur ad efficiendum aliquid, reliquæ creaturæ vt vim exerant ſuam, à Deo moueri debent. Denique licet aliquæ creaturæ ſint cauſæ vniuerſales, à quibus dependent particulares, vt cœlum & angeli qui cœlos mouent: ipſæ tamen à Deo factæ ſunt & ſolus ipſe vniuerſaliſſima eſt. *In ipſo*, tanquam in cauſa finali, quia propter ſe, ad patefaciendam ſcilicet gloriam ſuam omnia creauit.

3. *Quia eminenter omnia continet.* Tertiò in eo, quòd Deus omnium rerum perfectiones in ſe eminenter continet, non tantùm earum quæ creatæ ſunt, ſed etiam creabilium, quæ infinitæ ſunt & infinitam intenſionem pati ntur; eſt namque Deus omnium rerum cauſa effectiua, ac proinde in ſe omnes eminenter continet, quia omnes cùm vult creare poteſt & ſemper in infinitum nobiliores. Vnde in hodiernâ Epiſtolâ ait Apoſtolus: *In ipſo ſunt omnia*, velut in penu inexhauſtâ & omnibus rebus deſiderabilibus inſtructâ, vnde omnia mox depromi poſſunt, quantacunque deſiderentur in infinitum. Propterea teſte domino *Matth.* 19. dicitur: *nemo bonus niſi ſolus Deus*, propriè ſcilicet, quia in eo ſolo omne bonum. Atque ita Moyſi petenti videre gloriam Dei, reſpondit Deus: *Ego oſtendam omne bonum tibi, Exod.* 33. Vnde S. Franciſcus dicere Deo ſolebat: *Deus meus & omnia.* Si quis ergo nunc haberet vnam rem, quæ ei vno intuitu & momento repræſentaret omnia oblectamenta ſenſuum, quæ ad viſum, auditum, olfactum, guſtum & tactum pertinent: repræſentaret omnis generis lapides, gemmas, metalla, flores, fructus, herbas, arbores, aues, piſces, quadrupedia, omnes homines, nationes, vrbes &c. ita vt opus non eſſet vnquam egredi domo ad videndum iſta: qualis obſecro res iſta foret? Et ſi præterea conferret tibi poſſeſſionem omnium illarum rerum quas repræſentat & vſum ac copiam: qualis ea foret? Et ſi tibi inſuper afferret omnis generis ſcientias, artes, arcana, quæcumque deſiderari poſſunt: quàm pretioſa ea foret; Et ſi ea non hominis tantùm, ſed angeli etiam deſiderium explere poſſet: quid diceres? Et tamen ea adhuc minimè reſpondet Dei perfectioni. O igitur *altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Iam verò hæ omnes perfectiones & infinitæ quæ excogitari poſſunt in vna eademque ſimpliciſſima Dei eſſentia continentur, ſicut in vna aurea moneta magni ponderis multæ minutæ pecuniæ. Sed quod maximum eſt, ea omnia in Deo continentur eminenter, id eſt, longè præſtantiori modo, quàm in ſeipſis ſunt, iuxta id *Ioan.* 1. *quod factum eſt, in ipſo vita erat*; quaſi externa Dei opera ſint velut picta tantùm & mortua, prout verò in mente Dei ſunt, viua, quemadmodum uva v.g. picta, plurimum exceditur ab uva vera, ſiquidem illa oculos tantùm recreat, ſitim non extinguit, ſaporem & odorem non habet, quod tamen facit uva naturalis. Sic res in Deo ſunt modo longè præſtantiori, quàm in ſeipſis; quia mentem reficiunt, æternæ ſunt, appetitum ſatiant, nec extinguunt, infinitæ intenſionis ſunt, &c.

Quàm ergo ſtultè agunt, qui relicto tam perfecto & vero bono, quærunt tam exigua & picta bona? nimirum vt aues ad uvas illas pictas à Zeuxe aduolabant, quaſi eas capturæ, vnde tamen ſitim aut famem non leuabant, ſed grauiter impingebant: ita contingit hominibus. Cùm enim tam affabrè pictas à Deo videant creaturas, ad eas aduolant & adhærent illis: ſed famelici tandem concidunt & nihil inuenient in manibus ſuis; vmbras enim ſectantur, quæ in ſolo Deo res & vita ſunt.

C. II. *Incõprehenſibilitas Dei.* Secvndò. Quid quæſo Dei profunditas, niſi eius incomprehenſibilitas? ſic enim in hodierna Epiſtola pro voce *Altitudo* habetur græcè βάθος, id eſt *profunditas*. Incomprehenſibilis verò Deus eſt Primò non modò quia oculis corporeis videri nequit, ſed etiam quia ab intellectu licet eleuato per lumen gloriæ nequit comprehendi, ſeu cognoſci quantum cognoſcibilis eſt. Sunt enim in Deo infinitæ perfectiones & ſingulæ in infinitum magis & magis cerni poſſunt, non tamen comprehendi niſi ab ipſomet Deo. Eſt enim velut vorago ingens, vel aurifodina ſine fundo, quæ quò magis foditur, tantò magis abundat. Ac licet omnes Sancti Dei per omnem æternitatem ſemper noua & noua in Deo videant, numquam tamen ad fundum venient; atque inde fiet vt ſine vllo faſtidio ſemper in eis perſeueret Dei viſio & videndi deſiderium, iuxta id *Eccli.* 24. *qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.*

1. *Quia nequit [illegible] cognoſci.*

Iam

Iam ſi regina Eſther conturbata corruit, cũ intueretur maieſtatem & vultum regis Aſſueri dicens. *Vidi te Domine quaſi angelum Dei & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es Domine & facies tua plena eſt gratiarum*: iterumque corruit & penè exanimata eſt, Eſth. 15. Quid erit cernere faciem Dei plenam infinitarum perfectionum & gratiarum.

2. *Quia iudicia eius inſcrutabilia.*

Secundò, quia Dei iudicia inſcrutabilia ſunt, & quemadmodum *Pſ.* 15. dicitur: *iudicia Dei abyſſus multa.* Quis enim intelligat, cur Deus multos reprobos hîc fortunet & impunes relinquat: bonos contrà ſæpe affligi, premi & occidi patiatur? *Exiſtimabam vt cognoſcerem hoc*, ait Dauid *Pſ.* 72. *labor eſt ante me.* Et cur Deus Iacob dilexit, Eſau autem odio habuit, antequam quidquam boni vel mali egiſſent; Id quod miratur Apoſtolus ad *Rom.* 9. & ne quis dicat, id factum ob præuiſionem meritorum vtriuſque, addit hoc factum eſſe *non ex operibus* (Iacob & Eſau) ſed *ex vocante*, id eſt, gratuitâ Dei electione. Quis non obſtupeſcat, quòd latronem totâ vitâ malum, in morte conuertit: Iudam contrà tamdiu bonum, ad extremum cadere permiſerit? Tametſi enim ille Chriſtum confeſſus eſt, hic verò prodidit: cur non reſpexit Iudam, ſicuti Petrum, vt in lacrymas reſolueretur & pœniteret? Cur non etiam vtrique latroni gratiam impendit & paradiſum aperuit: vel neutri? Eccur aliquos Deus rapit in iuuentute, ne malitia mutet intellectum eorum: alios non rapit, ſed peruerti ſinit? Quid de integris nationibus? cur aliæ citiùs, aliæ tardiùs vocatæ ſunt ad fidem? cur ab vno regno fidem auſert, ſine qua ſaluari impoſſibile: alteri eam conſeruat diutiſſimè? Ad hæc, inquam, omnia nihil aliud reſponderi poteſt quàm illud: *ô altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei? quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius &c.*

3. *Quia modus operandi ſecretiſſimus.*

Tertiò. Quia modus operandi abditiſſimus eſt, & nemo inueſtigare poteſt qua ratione hoc vel illud faciat. Sedet enim in officina ſecretiſſima & nemini oſtendit, quo modo operetur; ſiquidem *lucem habitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*, vt ait Apoſtolus, 1. *Timot.* 6. Quomodo ergo totam orbis molem tam elegantem è nihilo creauit? quomodo in loco poſuit, cùm nullus adhuc locus eſſet? quomodo firmauit in medio orbis terram ſine fundamento? quomodo ſuſpendit in aëre nubes? quomodo tam regulariter gyrat cœlum? Adhæc, quomodo mutat panem in corpus Chriſti? quomodo quinque panes multiplicauit? quomodo exiſtit in ſacra hoſtia? nimirum id vnum dicendum reſtat: *ô altitudo diuitiarum*, &c. *quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit.*

Quàm ergo ſtultè agunt hæretici & ſimiles, qui Dei opera & fidei myſteria ſenſibus metiri & nil penè volunt credere quàm quæ ſunt oculis ſubiecta? Quàm temerè & illi qui diuina rimari iudicia & ad ſuum examinare iudicium, ſuam interponere ſententiam non erubeſcunt? Deus bone! Seraphini illi, qui volatu ſuperant omnes angelos, duabus alis velabant facies ſuas & duabus pedes ſuos coram throno Dei, *Eſa.* 6. quo nimirum indicarent ſe non modò diuinitatis eius, ſed etiam operum illius arcana inueſtigare minimè poſſe: & nos talpæ in denſiſſimis tenebris oberrantes, Dei iudicia metiri & vias inueſtigare audebimus?

D. III. *Immenſitas Dei.* 1. *Eſt vbique per præſentiã.*

Tertiò. Quid Dei latitudo niſi eius immenſitas? Eſt verò Deus vbique. Primò per intimam præſentiam, iuxta id *Ierem.* 23. *cælum & terram ego impleo, dicit Dominus.* Et Dauid quaſi quærens fugere Deum, ait *Pſal.* 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo & quò à facie tuâ fugiam? ſi aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me & tenebit me dextera tua.* Nec enim eſſe poſſumus niſi in ipſo, nec aliquò ferri niſi per ipſum: iuxta id *Act.* 17. *In ipſo viuimus, mouemur & ſumus.* Sicut enim aues in aëre, piſces in aqua, ſic nos in Deo ſumus: imò ſicut ſpongia in mari, ferrum in igne, ſic nos in ipſo, & ipſe in nobis. Vnde Greg. *ho.* 8. *ſuper Ezech.* ait: *Deus manet intra omnia, ipſe extra omnia, ipſe ſupra omnia, ipſe infra omnia. Superior eſt per potentiam, inferior per ſuſtentationem, exterior per magnitudinem, interior per ſubtilitatem: ſurſum regens, deorſum continens, extrà circumdans, interiùs penetrans.* ſic Greg.

2. *Per ſapientiam.*

Secundò, eſt vbique per ſapientiam, quia omnia vno intuitu videt, audit, cognoſcit, etiam quæ in tenebris & hominum cordibus fiunt. Vnde Dauid vbi ſup. *Et dixi: forſitan tenebræ conculcabunt me*, id eſt, operient & abſcondent me; *Et nox illuminatio mea in delitijs meis*, q.d. ipſa etiam nox lux eſt circa me, vt vertit Hieronymus, quia nimirum oculi Dei fugant tenebras & de tenebris lucem faciunt, vti lux ſolis: vnde & deprehendent me in delitijs meis. *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur. Quia tu poſſediſti renes meos.* Ecce etiam arcana cordis rimatur, eaque in manu ſuâ habet. Atque hinc aliqui volunt Deum dictum à θεάομαι, id eſt, video. Et ratio eſt manifeſta, qualis enim Deus foret, ſi non omnia cerneret? quomodo omnia gubernare poſſet? quomodo etiam audiret preces noſtras, niſi ad corda noſtra aures ſuas haberet? quomodo etiam loqueretur cordibus hominum, ſi ad aures cordium os ſuum (vt ſic loquar) non admoueret? Adhæc, *qui finxit oculum, non conſiderat!* ait Dauid *Pſalm.* 93. Et mirabile, quòd non dubitemus audiri orationes noſtras à Deo; non verò aduertamus audiri noſtras blaſphemias, videri furta, fornicationes, &c. *O inſenſati, quis vos faſcinauit non obedire veritati?* Gal. 3.

3. *Per potentiam.*

Tertiò, per potentiam, quia omnia in ſuo eſſe conſeruat & cum omnibus operatur, nec non in omnibus & ab omnibus glorificatur,

catur, dum omnia eius nutui obediunt, eius bonitatem, ſapientiam & potentiam in ſeipſis prædicant, iuxta id Seraphinorum Eſa. 6. *plena eſt omnis terra gloriâ eius*; & Eccli. 42. *gloria domini plenum eſt opus eius.* Etenim ſine Dei nutu & cooperatione capillus de capite, folium de arbore cadere non poteſt. Ipſæ viciſſim creaturæ cum Deo operantur, cùm vires ſuas ad nutum eius exſerunt: atque ita Dei gloriam prædicant: Vnde Dauid in pſalmis & tres pueri in fornace hortantur omnes creaturas ad benedicendum Deum. Quare ſiquis oculos interiores haberet, videret, omnia opera Domini eſſe quaſi thuribula, ſurſum emittentia odorem ſuauitatis gloriæ Dei: & ſi aures interiores haberet, audiret quaſi concentum varium omnis generis inſtrumentorum laudantium Deum & dicentium: *Ipſe fecit nos & non ipſi nos.* Quamuis enim non deſint impij, qui Deo maledicant & nomen eius blaſphement: tamen ipſi quoque vel inuiti coguntur eo modo, quo opus laudat opificem, laudare Dominum; nam in ipſis etiam mirabiliter lucet potentia Dei, quâ eos fecit, & ſapientia quâ eos gubernat, & bonitas quâ ipſis, licet ingratis & malis, vitam conſeruat, & miſericordia ac Iuſtitia quâ eos vel ordinat iuſtè ad pœnâ vel expectat miſericorditer ad pœnitentiam. Et licet illi ad has voces ſurdi ſint: ipſæ tamen nihilominus clamant & audiuntur ab angelis ſanctis & iuſtis.

Quàm ergo cæci ſunt, qui hæc minimè obſeruant? & quàm temerè agunt, qui quaſi nequaquam viderentur à Deo peccant liberrimè & grauiſſimè, quaſi ſaxeum aut plumbeum reputarent eſſe Deum? Hi dicunt apud Iob cap. 22. *nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat & circa cardines cœli perambulat.* Nimirum ſicut pueri dum manu tegunt faciem, latere ſe exiſtimant: ſic illi, modò Deum non videant, nec ſe videri putant, dicentes id Pſ. 93. *Non videbit dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Sed reſpondet: *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?* Quàm temerè etiam agunt, qui in tribulationibus deijciuntur & deſperant, quaſi Deus ab ipſis longè ſit, nec videat afflictiones eorum? Quàm denique perperam agunt ij, qui dum omnes creaturæ Deum perpetuò laudant eiuſque voluntati ſe accommodant, ab eaque regi ſe & quaquauerſum moueri patiuntur, ipſi ſoli Deo repugnant, cum prauis operibus & blaſphemijs etiam maledicunt? quàm enim meritò in tales inſurgere omnes creaturæ deberent, & verò inſurgerent ſi Deus ſineret?

E. IV. Æternitas Dei. QVARTÒ. Quid denique longitudo niſi æternitas? Per quam Primò ab æterno eſt, eritque in æternum neceſſariò, quòd nulli competit creaturæ: licet verò rationales creaturæ ſint æternùm duraturæ, poſſunt tamen annihilari & ceſſare. Vnde nemo hominum, æternitatis titulum arrogare ſibi auſus eſt; licet aliqui diuinos ſibi honores arrogarint præter Conſtantium Imp. qui *Imperator æternus* dicebatur quia non ad tempus certum, ſed ad vitam Imperator erat. Sed ô quàm vana hæc æternitas, quæ reſpectu æternitatis Dei non niſi punctum eſt, ſiquidem *mille anni ante oculos Dei tanquam dies heſterna quæ præterijt. Et cuſtodia in nocte* (quæ eſt trium tantùm horarum) *quæ pro nihilo reputantur, eorum anni erunt.* Qualis enim & quàm longa ſit vita noſtra mox declarat: *Manè ſicut herba tranſeat, manè floreat & tranſeat: veſperè decidat, induret & areſcat.* Siquidem manè, id eſt, in pueritiâ ſicut herba viret corpus humanum, ſed mox tranſit ad iuuentutem; in meridie iuuentutis floret & ſtatim tranſit ad ſenectutem. In veſpere ſenectutis decidit, in morte duratur, in ſepulchro areſcit. Sed quoniam æuum nobis ſupereſt, ſiue in gloriâ, ſiue in confuſione, tantò magis prouidendum nobis, vt ne à gloriâ excidamus.

1. Ab æterno eſt & in æternũ erit.

Quàm ergo execranda res eſt propria voluntas, de qua S. Bernard. ait, quòd quantum in ſe eſt, vellet occidere & deſtruere Deum, vt Deus deſineret eſſe & vt non eſſet qualis eſt?

Secundò. Immutabilis ſemper & idem ipſe eſt, iuxta id Pſalm. 101. *Tu autem ipſe es & anni tui non deficient.* Qualis enim ab æterno fuit; talis nunc eſt & erit ſemper non ſenior, non expertior, non maior, non minor, non ditior, non pauperior, non fortior, &c. Vnde Malach. 3. ait: *Ego Dominus & non mutor.* Nulla creatura talis, nec ipſi quidem beati, qui in multis ſunt mutabiles. *2. Immutabilis ſemper idem.*

Quàm ergo inſaniunt, qui fluxis & tam variabilibus adhærent rebus, bonum verò ſemper idem & immutabile non quærunt? Quàm ſtulti qui carnis pulchritudinem amant, quæ vt flos decidit? pœnas verò æternas euitare nihil curant?

Tertiò. Nihil ei noui accedere, nihil deperire poteſt. Vnde ſicut mundi creatio nihil ei attulit gaudij aut felicitatis: ita eiuſdem interitus & annihilatio nihil afferet damni aut mœroris, quia ſibi ſoli eſt pleniſſimè ſufficiens, Sicut Monarcha totius orbis nihili faceret ſi periret ei villa: ita Deo nihil decederet, ſi totus mundus periret; quia *tanquam momentum ſtateræ ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani*, ait Salomon Sapient. 1. Adhæc licet omnia pereant, manent tamen in ipſo contenta eminenter. Quare nemo ſibi blandiri debet, quaſi multum pro Deo fecerit, aut ſuis laboribus aliquod ei beneficium præſtiterit. Nam præterquam quòd ea à nobis iure exigere poteſt, omnia iſta nihil ei proſunt, ſed nobis tantùm & proximis noſtris. Vnde Apoſtolus in hodiernâ Epiſtolâ: *Quis prior dedit illi & retribuetur ei?* Rurſum fruſtrà inſaniunt qui ſuis maledictis & blaſphemijs Deo nocere, mœrorem inferre, & de illo ſe vlciſci putant. Capùt enim rupi illidunt, neque illam lædunt *3. Nihil ei accedere vel decedere poteſt.*

Digitized by Google

dunt, ſed ſeipſos perimunt. Quidquid in illam impingit, confringi debet. Hinc Iob 35. dicitur: *ſi peccaueris, quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò ſi iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tuâ accipiet?* Igitur ô *altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, &c.*

CONCIO V.

Quatuor attributa Dei, quæ reſpiciunt creaturas: potentia, ſapientia, miſericordia, iuſtitia.

1. *Ex Dei potentiâ illimitatâ quâ operatur mirâ celeritate, quiete & poteſtate, diſcimus affectum ſubmiſſionis, timoris & Fiduciæ in Deũ.*
2. *Ex Dei ſapientia infinita & perſpicaciſſima diſcimus non altè ſapere, Deum colere cum eoq; ſincerè agere.*
3. *Ex Dei miſericordia ad miſerendum proniſſima, etiam vltra condignum omnibus oblata diſcimus agere Deo gratias, in eum confidere &c.*
4. *Ex Dei iuſtitia exactiſſima, ineuitabili, ſeueriſſima & grauiſſima diſcimus tribulationes amplecti, honores ſæculi contemnere, &c.*

THEMA.

O altitudo diuitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Rom. 11.

A. EZechiel Propheta in celebri illa viſione *Cap.* 1. mirabilem Dei currum vidit, tractum à quatuor animalibus, Leone, Aquila Homine, Boue. Porrò currus ille deſignabat Dei prouidentiam, quâ gubernat vniuerſum mundum. Quatuor animalia oſtendunt quatuor primaria Dei inſignia ſeu attributa, quibus reſpicit & regit creaturas: Leo, Dei potentiam & fortitudinem; quid enim Leone fortius? Aquila, Dei Sapientiam: quid enim aquilinis oculis acutius? Homo, Dei miſericordiam & clementiam; quid enim homine humanius & manſuetius? Bos, Dei iuſtitiam, ſiue ob inceſſum grauem & moderatum: ſiue quia vtiliſſimo ſuo labore meretur quaſi ex iuſtitia populum ſuum, iuxta id: *non alligabis os boui trituranti,* 1. *Cor.* 9. His quatuor animalibus perambulat quodammodo Deus vniuerſum orbem, omniaque adminiſtrat. Ergo eamus & videamus currum iſtum atque animalia: expendamus quanta & qualis ſit Dei potentia, ſapientia miſericordia, iuſtitia.

B. 1. Dei potentia. 1. *Eſt illimitata.*

PRIMÒ. Quanta & qualis eſt Dei potentia? Primò eſt illimitata & incircumſcripta, *quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum, Luc.* 1. Et *Matth.* 19. *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt.* Poteſt ergo non ſolùm omnia etiam ex nihilo facere, quæ de facto fecit, ſed etiam quæ excogitari à mente non modò humana & angelica ſed etiam diuinâ poſſunt; quia poteſt facere quidquid non inuoluit contradictionem ſeu non eſſe ſimul cum eſſe. Quanta autem & quàm mira ſunt, quæ homo, quæ Angelus, quæ Deus excogitare poteſt? Poteſt ergo recreare alios & alios mundos maiores iſto, deinde alios & alios ſpecie diſtinctos, iſto longè præſtantiores. Deinde poteſt omnia rurſum perdere & annihilare, adeoque in momento exſufflare longè faciliùs quàm ego puluerem de his Cãcellis. Poteſt Camelum introducere per foramen acûs *Matth.* 19. Poteſt quouis facere, vti luto illuminare oculos, Ioann. 9. poteſt corporibus dare modum exiſtendi incorporeum & inuiſibilem, vt in Euchariſtia patet.

2. *Mira celeritate.*

Secundò. Operatur mira celeritate, & ſi vult in momento quidquid facit, facere poteſt. Opera ſex dierum ſingula vno verbo, *fiat*, in momento effecit, vti ſentit D. Auguſtinus & indicat Eccleſiaſticus c. 18. dicens: *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Et ſi voluiſſet, potuiſſet omnia quæ in ſex diebus fecit, ſimul vno & eodem inſtanti creare; myſterij ſolùm gratia in ſex dies opus diſtinguere voluit.

3. *Summâ cum quiete.*

TERTIÒ. Facit omnia ſumma cùm quiete & animi tranquilitate. Neque enim laborat aut fatigatur operando, neque indiget ope & ſubſidio cauſarum ſecundarum; ſed quidquid per creaturas efficere poteſt ac ſolet, id etiam per ſeipſum poteſt. Neque etiam laborat in executione voluntatis ſuæ, ſed quidquid eius voluntas poteſt velle, id omnipotentia eius ſtatim exequi: nec eſt qui obſiſtere poſſit. Hoc indicatum *Gen.* 1. cùm in creatione mundi dictum: *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Non enim loco aut motu, ſed omnia ſuperante ac præcellente potentia aquis, vnde alias creaturas educturus erat, incubabat velut artifex, quaſi tam facili negotio omnia creaturus, quàm facilè quis digito in aquam ſcribit.

4. *Summâ cum poteſtate.*

Quartò. Habet in omnia ſummam poteſtatem & auctoritatem faciendi quidquid vult; quia omnium Iudex & abſolutus Dòminus eſt, nemini quidquam debet: vnum vocare ad ſe poteſt, vt obediat: poteſt alium non ita vocare; nec eſt vt quis ei dicere poſſit. *Cur ita facis? Amice non facio tibi iniuriam*, ait in parabola operariorum: *an non licet mihi facere quod volo?* Hinc ad *Hebr.* 1. dicitur *portans omnia verbo virtutis ſuæ*, id eſt, potentiſſimo iuſſu ſuo omnia gerens, ita vt ſi ipſe tantùm os aperiat, omnia ſtatim ad vnguem fieri debeant. Quæ omnia diſcimus partim ex ſcriptura ſacra, partim ex creatione mundi, quem è nihilo, ſolo iuſſu tam omnibus rebus inſtructum fecit, partim ex infinita eius eſſentia, quam ſequitur & potentia, velut proprietas, vt tanta ſit quanta eſt ipſa eſſentia.

Inde diſcit. 1. Porrò hæc conſideratio tres potiſſimùm affectus excitare in nobis debet. Primò affectum reuerentiæ & ſubmiſſionis. Quis enim cogitans ſe tam potenti Domino viquequaque ſubiectum eſſe, non ſummè eum reuereatur, non diligentiſſimè ei obediat? Vnde *Sap.* 11. dicitur: *Virtuti brachij tui quis reſiſtet? quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum & tanquam gutta roris antelucani quæ deſcendit in terram.* Momentum ſtateræ, græcè ῥοπή, eſt inclinatio ſtateræ in hanc vel illam partem. Vult ergo dicere Sapiens: ſicut libritenens minimo motu vel digito poteſt, quam in partem vult, ſtateram inclinare: ita in ſua manu habet corda noſtra Deus. Et ſicut gutta roris à gramine dependet & à radio ſolis ſtatim abſorbetur: ita nos, à Deo pendemus, qui etiam poteſt nos, ſi vult, illicò abſorbere & perdere. Poſſunt fortè ciues aliqui ſcabiosè loqui de Rege, cuius ſubditi non ſunt: ſed de Rege ſuo quomodo hoc audeant? Deo omnes ſubiecti ſumus.

2. Secundò. Affectum timoris: quando tam potenter homines affligere & graſſari in animam & corpus poteſt, quod non poſſunt homines. Poteſt enim in æternum continuare pœnam, eamque adeò intendere vt omnis mũdi pœna, blanda & mitis, imò ludus paruulorum, ad illam habeatur. Pharaonem non per Leones, Elephantes & Tygrides, ſed per ranas, muſcas, cyniphes vexauit & edomuit. Herodem itidem faſtuoſum vermiculis abſumpſit, *Actor.* 12. Popielum Poloniæ Principem muribus deuorandum dedit. Quis non timeat ergo tam potentem Deum, qui etiam minimis ſuis animalculis deprimere ſummos poteſt?

3. Tertiò. Affectum fiduciæ ſi enim omnium potentum manus ſuo fræno ligatas continet: ſi minimis quibuſque rebus maxima efficere poteſt, quid timemus creaturas? Sine ipſius nutu & permiſſione nemo capiti noſtro capillum euellere poteſt: cum ipſius viciſſim adiutorio plura efficiemus, quàm omnes terræ Gigantes. Sanè cum Hebræi *Num.* 14. deſperarent de ingreſſu terræ ſanctæ, quòd ipſi reſpectu Palæſtinorum eſſent veluti locuſtæ, Dominus hanc illorum diffidentiam puniturus, ſe illorum paruulos dixit in Palæſtinam introducturum, maturos autem in deſerto occiſurum; cùm ipſi econtrà dixiſſent paruulos eorum futuram prædam hoſtibus. Itaque ad ignominiam parentum, paruulos eorum introduxit, quò ipſi ſe intrare poſſe deſperauerant.

C. II. Dei ſapientia. 1. *Eſt infinita.* SECVNDÒ. Qualis & quanta eſt Dei ſapientia? Primò eſt infinita, extendens ſe non ſolùm ad omnia quæ in mundo & de facto ſunt, eorumque ſecretiſſimas & minutiſſimas partes, figuras, colores, qualitates, conditiones, ſitus, motiones, momenta: ad omnes vermiculos, muſcas, gramina, folia arborum, pilos animalium, arenas littoris & deſerti, guttas maris, ſtillas pluuiarum, criſpationes vndarum, foliorum motus, Angelorum & hominum cogitationes, &c. Sed etiam ad omnia alia quæ ipſius omnipotentia facere poteſt, ad infinitos mundos & modos agendi rerum poſſibiles, adeoque ad hypotheſes, quid poſitâ tali re fieret vel fieri poſſet; ita vt veriſſimè dixerit Propheta: *Sapientiæ eius non eſt numerus, Pſ.* 146.

Secundò, Hæc omnia nouit & quidem accuratiſſimè ac perſpicaciſſimè, imò tam perfectè & diſtinctè, ac ſi tota vis mentis illius in vnum dumtaxat illorum eſſet intenta. Vnde S. Gregorius *lib.* 25. *Moral. cap.* 19. ait: *ſic intendit Dominus ſingulis ac ſi vacaret à cunctis: & ſic ſimul intendit omnibus ac ſi vacaret à ſingulis.* Nos quidem quæ oculo contemplamur, non pari perſpicacitate omnia videmus, ſed propinquiora & clariora perſpicaciùs, remotiora & obſcuriora obſcuriùs. Par ratio eſt in intellectu, qui clariùs intuetur ea, quæ primis principijs cognatoria ſunt & immediatè ex ijs fluunt: imperfectiùs verò ea, quæ ab illis longiùs diſtant. At Deo omnia omninò æquè propinqua, æquè clara & perfecta ſunt, ita vt nihil prorſus ei occultum aut minùs perfectè cognitum poſſit eſſe: ſicut impij homines ſolent exiſtimare, qui dicunt apud Iob cap. 22. *Quid nouit Deus? & quaſi per caliginem iudicat: nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.* 2. *Perſpicaciſſime.*

Tertiò, Vno omnia intuitu & ſimul, non ſucceſſiuè videt; quia radius oculi diuini extendit ſe per totum tempus totamque æternitatem, incurrens in omnia quæ aliquando exiſtunt. Sicunt igitur oculus corporeus maximæ perſpicaciæ in altiſſimâ ſpeculâ conſtitutus ſimul videret omnes vias earumque principia, media & fines, & qui in ijs conſtituti ambulant: ita oculus diuinus ſuper omnia temporalia & mutabilia fertur in totum temporis decurſum & in omnia quæ in tempore fiunt: nec aliter videt cùm iam ſunt, quàm antequam eſſent, aut cùm eſſe deſierint; ſed eodem modo ſemper, ſecundum totum ſtatum quem toto temporis ſucceſſu habebunt, quia ſua infinita vi omnia hæc tranſcendit. 3. *Simul omnia videt.*

Quartò, Omnia non per ſpeciem, nec per ſpeculum aut perſpicilia, non per experientiam aut affectus, non per cauſas propinquas & creatas, nec per actum elicitum, ſed in eſſentia ſua cognoſcit, quæ eſt omnium ſuprema cauſa, efficiens, finalis & exemplaris. Comprehendendo enim eſſentiam ſuam, hoc ipſo comprehendit omnia quæ fecit & quæ facere poteſt ſecundùm omnes modos eorum & circumſtantias etiam poſſibiles. Colligimus hæc omnia partim ex Scriptura ſacra, quæ infinitam Dei ſapientiam miris modis prædicat, vti ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei?* &c. partim ex ratione, quæ oſtendit tantam eſſe debere Dei ſapientiam, quanta eſt potentia, quia per ſapientiam omnia operatur. Vnde S. Auguſtinus *lib.* 11. *de ciuit. cap.* 10. ait: *Mundus iſte niſi Deo notus eſſet, eſſe non poſſet.* Partim ex ſtructura corporum viuen-

viuentium, præſertim in animalibus, inexplicabilem ſapientiam & ſapientiſſimum ac potentiſſimum opificem deprehendit. Galenus præſtantiſſimus Medicus; inde tamen miſer quòd eum non agnouit. De eo enim in libr. de format. fœtus ait: *Quis verò hic ſit, pronuntiare non audeo, per conſilij inopiam obmuteſcens.* Partim ex vultuum humanorum diuerſitate; nuſpiam enim reperiuntur duo per omnia ſimiles. Partim ex cælorum motu regulariſſimo: partim ex mirabili rerum creatarum varietate.

Diſce hinc. Iam verò ex hac conſideratione diſcimus: Primò, non altè ſapere, ſed humiliter de nobis

1. ipſis ſentire. Si enim nos ne vnius quidem formicæ naturam, formationem, indolem, vitam, ætates cognoſcere poſſumus: quomodo perſpiciemus alia à ſenſibus remotiora? Omnis omnium angelorum & hominum perſpicacia & intelligentia, reſpectu diuinæ illius, non eſt tanta, quanta vna gutta reſpectu totius Oceani: quid ergo mea ſcientia erit? Sanè M. Aurelius Imp. ob doctrinæ laudem Philoſophus cognominatus ad vxorem ita ſcribit: *Sapientum ſapientiſſimus eſt, qui ſe minimum ſcire arbitratur: & rudium rudiſſimus, qui ſe plurimum ſcire autumat. Siquis enim eſt, qui multa norit, ſemper inuenit alium qui plura norit. Maxima pars eorum, quæ ſcimus; eſt minima eorum quæ neſcimus.*

Secundò. Summâ reuerentiâ Deum omnia

2. noſtra acta, dicta, cogitata perpetuò inſpicientem & perfectiſſimè notantem colere & timere. Si enim qui verſantur in oculis Principum, magnâ diligentiâ cauent, nequid admittant, quod eorum oculos offendat: quantò magis nobis attendendum, qui in Dei Iudicis noſtri conſpectu omnia agimus, nequid committamus quod diſpliceat oculis eius? Certè Samaritana illa cùm dicentem audiſſet Chriſtum: *Ego ſum*, (Meſſias ſcilicet) *qui loquor tecum*; hoc verbo conſternata, reliquit ad fontem hydriam ſuam & abijt in ciuitatem, quaſi præſentiam Meſſiæ, qui omnia eius acta nôſſet & ex parte indicaſſet, ferre non ſuſtinens, *Ioan.* 4. Quo igitur animo, & quâ fronte magni peccatores audent coram Dei oculis vel vno die ſtare? qua fronte noua ſcelera ſceleribus adiungere?

Tertiò. Candidè & ſincerè agere cum Do-

3. mino Deo v.g. cùm reddimus illi vota noſtra, cùm confitemur peccata noſtra, cùm commercia tractamus, &c. Siquidem nulla humana aſtutia, nulla celeritas, nulla tergiuerſatio Dei oculos decipere aut ſubterfugere poteſt. Videt ipſe pugionem etiam quem ſub pallio geris, videt omnes machinationes tuas, *omnia nuda & aperta ſunt oculis eius.* Facillimum eſt Deo omnes hominum aſtutias eludere, ipſius ſapientiam nemo eludere poteſt. Conati id quidem ſunt non pauci, veluti fratres Ioſephi dicentes: *venite occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem, & tunc apparebit quid proſint illi ſomnia ſua*, *Gen.* 3. Verùm fruſtra laborarunt: Dominus illorum factus eſt. Conatus idipſum erat Achab, omne pondus prælij declinando in belli ſocium Ioſaphatum, & vulgarem induendo veſtitum, quò vaticinium Michææ cædem ſibi vaticinati eluderet: ſed fruſtrà; ſagitta enim in incertum iacta (non ſanè reſpectu DEI, qui eam direxit) inter iuncturas loricæ (vt habet Chaldæa verſio) aditũ inuenit ad vulnerandũ ſternendũque regem, 3. *Reg. vlt.*

D. III. Dei miſericordia. Tertiò. Quanta & qualis eſt Dei miſericordia? Tanta Primò: vt pronior ſit ad miſerendum quàm ad puniendum; ſiquidem ad miſericordiam motu proprio ſe inflectit, ad iuſtitiam motu alieno exigentibus hominum

1. Proniſſimus ad miſerendum. delictis. Vnde *Pſ.* 144. dicitur: *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Et proptereà etiam vocatur *Pater miſericordiarum.* 2. Cor. 1. *Rectè*, inquit S. Bern. ſer. 5. de natali Dom. *non pater iudiciorum vel vltionum dicitur, ſed pater miſericordiarum: non modò quòd pater videatur miſereri potiùs quam indignari: ſed eò magis quòd miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprijs; iudicandi vel vlciſcendi, magis ex noſtro (ex noſtris ſcilicet peccatis)* Quare priùs ordinariè adhibet media miſericordiæ, quàm exſerat iuſtitiam. Huiuſmodi autem ſunt imprimis minæ, quas in SS. literis intentat nocentibus, non tam vt eos feriat, quàm vt reſipiſcere faciat, ne feriat, iuxta id Pſal. 7. *Arcum ſuum tetendit & parauit illum*: In quem locum S. Gregorius *l.* 19. *mor. c.* 22. ait: *Arcum ſuum Dominus tetendit, quia cunctis peccatoribus per ſcripturam ſacram minas exhibuit.* Deinde præmonitione & præſagia cladium imminentium: qualia præmiſit excidio Ieroſolymæ primò ſub Tito per hominem ruſticanum clamantem: *væ, væ Ieroſolymis.* Secundò ſub Hadriano per ruinam ſepulchri Dauidici auctore Dione Caſſio in Hadriano; & nuper oppido Plure (ſeu Plurs) in valle Telinâ, ſubiecta Griſonibus, montis ruinâ oppreſſo omnibus cum incolis (cenſebantur ad tria millia) quinque tantùm exceptis. Huius enim cladis præceſſit indicium, fluminis, quod oppidum interluebat, ſiccatio, ac duo examina apum ita furiosè inter ſe depugnantia, vt vtrimque omnes mortuæ conciderint, vt ſcribit Cornel. à Lap. *in cap.* 6. *Apoc.* Denique tales ſunt ipſæ pœnæ temporales, quas ad correctionem hominum immittit Deus, quo emendati reſipiſcant, ne æternùm eos punire cogatur. Vnde Auguſt. ſerm. 37. de verb. Dom. *magna miſericordia eſt*, inquit, *nequitiæ impunitatem non relinquere & ne cogatur in extremo gehenna damnare, modò flagello dignatur caſtigare.*

Secundò. Miſeretur & præmiat ſemper vl- 2.

tra condignum, punit verò citra condignum, Miſeretur vltra condignum.

etiam in inferno vti docent Doctores, & oſtendi poteſt ex cap. 20. Exodi, vbi ait: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me; &, faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me.* Punire igitur vult in tertiam & quartam genera-

 tionem;

tionem; & hoc ſi nepotes & pronepotes imitati fuerint auos in malitiâ, vt aduertit S. Chryſoſtomus *in cap. 23. Matth.* Vnde ibidem additur, *Eorum qui oderunt me*; imò vt ſanctus Hieronymus in cap. 18. Ezech. ſcribit, dicat ſe differre velle pœnam in tertiam & quartam generationem. At miſericordiæ ſuæ terminum non præfigit, paratus miſereri in mille generationes & ampliùs. Ratio eſt, quia peccata cùm infinitam contineant malitiam, infinitam requirerent pœnam. At opera noſtra bona finitam bonitatem habent, & tamen æterna gloriâ præmiantur.

3. *Nemini miſericordiam denegat.* Tertiò. Nemini miſericordiam ſuam denegat, ſed omnibus eam offert, iuxta id Pſ. 32. *Miſericordiâ Domini plena eſt terra.* Cæterùm maximè eam impendit tempore tribulationis, & quò afflictior quiſque eſt, eò propior ipſi eſt & paratior ad opitulandum, iuxta id Pſ. 90. *cum ipſo ſum in tribulatione.* Colligere id poſſumus ex languido iacente ad piſcinam per annos 38. Hunc enim *cùm vidiſſet Ieſus iacentem & cognouiſſet quia iam multum tempus haberet*, nec non quia omnium miſerrimus non haberet quemquam qui eum mitteret in piſcinam, adeoque deſperatus eſſet, præ reliquis ſanauit, Ioan. 5. indicans ibi diuinum ſuccurrere auxilium, vbi deficit humanum.

4. *Noſtras miſerias in ſe ſuſcepit.* Quartò. Non contentus noſtras miſerias ſubleuare, voluit eaſdem quoque in ſe ſentire, imò etiam à nobis in ſe transferre, quod vt facere poſſet, naturam humanam aſſumpſit, in qua non ſolùm miſerias noſtras ſenſit, nobis compatiendo & nobiſcum lachrymando, ſed etiam in ſe tranſtulit, pro nobis patiendo; qui profectò ſummus miſericordiæ gradus eſt. Hoc indicauit Dominus in parabola de oue perdita, quam inuentam herus impoſuit in humeros ſuos & detulit ad ouile, ſuos pedes ac vires concedens ouiculæ delaſſatæ, ſuo labore quietem ei parans. *Luc.* 15.

Diſce hinc. 1. Viſâ hac tantâ miſericordiâ, noſtrarum partium eſt, Primò Deo pro tantis miſerationibus immortales agere gratias, eaſque cordi noſtro firmiter inſculpere ac dicere cum Dauide, Pſ. 102. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius: qui propitiatur omnibus iniquitatibus, qui ſanat omnes infirmitates tuas qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Hæmorrhoiſſa illa in gratiarum actionem, quòd à Chriſto ſanata eſſet, ſtatuam eius effingi & præ foribus ſuis ſtatui curauit cum effigie ſuâ proſtratâ ad Chriſti pedes, Sozom. l. 5. c. 2. Niceph. l. 10. Carolus M. Imp. cùm poſt diuturna bella victoriam de Saxone & Saxonia adhuc gentili reportaſſet cœleſti auxilio, locum obtentæ victoriæ in perpetuam beneficij memoriam appellauit *montem adiutorij*, teſte Cranzio lib. 2. c. 4. ad exemplum ſcilicet Samuelis, qui & ipſe ob victoriam cœleſti ope partam erexit lapidem ad rei memoriam, vocans eum *lapidem adiutorij*, 1. Reg. 7. Quando igitur & nos per Dei miſericordiam & ſanati ſumus à peccatis noſtris & victoriam reportauimus de diabolo; nónne æquum eſt vt hoc beneficium inſculpamus cordi noſtro, & ſtatuamus ibi Deo noſtro æternum monumentum?

Deinde noſtrum eſt confidere in Deo, & tantò quidem magis, quantò res noſtræ afflictiores & deſperatiores ſunt. Quanta in anguſtia erant res Dauidis, cùm à copijs cinctus vndique in modum coronæ deſperauerat ſe poſſe euadere? repente tamen ſenſit mirum Dei præſidium, quando inſperatus Sauli nuncius aduenit, infudiſſe ſe Philiſthæos in ipſius terras; vnde coactus Saul deſerere Dauidem maiorique neceſſitati conſulere, ſalutem Dauidi reliquit, qui in ea anguſtia Deum inuocarat pſalmo illo 53. *Deus in nomine tuo ſaluum me fac*; vt oſtendit titulus. Quàm in arcto erant res Iudæorum, cùm Amanis factione omnes ad necem deſtinati eſſent, dieſque internecioni iam decreta? At inde tamen mirabiliter & repentè erepti ſunt operâ Eſtheris & Mardochæi, dante Deo illis gratiam in conſpectu regis & vertente iram eius in Amanem. 2.

Denique noſtrûm eſt miſericordiam rependere: quod facere poterimus, ſi miſereamur pauperum, in quibus eſurit Deus, habiturus quaſi ſibi datum, quidquid ipſis dederimus. Alioquin iure merito poterit increpare nos voce illa: *ſerue nequam, nónne oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Matth.* 18. 3.

E. IV. *Dei iuſtitia.* 1. *Exactiſſima.* QVARTÒ. Qualis Dei iuſtitia? Primò, tam exacta eſt, vt in omnia omninò etiam leuiſſima peccata animaduertat, niſi per pœnitentiam hominis deleta fuerint. Sic enim legimus in Euangelio *Matth. 12. De omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Et ſicut hauſtus aquæ frigidæ datus ſitienti non perdet mercedem ſuam, Matth. 10. ita viciſſim minima iniuria Deo vel proximo illata reperiet mulctam ſuam.

2. *Ineuitabilis.* Secundò, tam certa eſt, vt ſit ineuitabilis. Vigilat enim ſuper peccatores, eoſque ſemper obſeruat quocumque eant; vnde *Ierem.* 1. vocatur *Virga vigilans.* Eam inter cæteros expertus fuit Ionas, qui primò quidem tentabat effugere Dei manum ac virgam, cùm à facie eius fugit, nauim inſcendens & pergens in Tharſis; ſed ibi mox deprehenſus & immiſſa tempeſtate proditus ac demum retractus eſt ad munus ſibi iniunctum exequendum. Idem ſenſit Anaſtaſius Imp. Eutychianæ hæreſis fautor, qui vt refert Zonaras tom. 3. *deterritus eſt ſomnio. Vidit enim virum terribilem; qui librum manu geſtans didicerat; ecce ob peruerſitatem fidei tuæ annos 14. vita tua deleo: & quid fatale ſibi eſſe ex oraculo didicerat, vt fulmine interiret, Tholotum ædificiũ conſtruxit, in eoque degit, ſed fruſtra. Nam cùm aliquando tonitrua horrendũ in modum reſonarent & fulgura multa eliderentur atque ipſe perterritus è cœnaculo deſcenderet, & alios atque alios thalamos ſubiret, in quodam regio cubiculo mortuus eſt inuentus.* Hæc ille.

Sanè

Sanè fulmine, quod ſe putabat effugere, ictus eſt, vt Cedrenus explicat. Ac licet ſubinde Deus differat vltionem, minimè tamen fallit; vt ſensêre impij in diluuio quod centenis annis prius, quàm immiſſum foret, ipſis prædictum fuerat, nullâ tamen ratione creditum, ſed deriſum, (vt ſcribit Beroſus Chaldæus lib. 1.) tandem verò elapſis centum annis, manibus palpatum. Senſere Amalecitæ, qui quoniam Hebræis tranſitum denegârent in terram promiſſionis, poſt trecentos primùm annos iuſſu Dei à Saule deleti ſunt, 1. Reg. 15.

3. *Seueriſſima.* Tertiò, tam ſeuera eſt vt nemini prorſus parcat etiam amiciſſimis alioquin, ſi deliquerint. Non pepercit nobiliſſimo Angelo, non primis noſtris parentibus, imò nec filio ſuo, qui ex charitate alienas in ſe ſuſcepit culpas: non parcit in purgatorio iuſtis & delectis ſibi animabus, vt vel vnum quadrantem remittat, niſi interueniant preces Eccleſiæ.

4. *Grauiſſima.* Quartò, tam grauis & horrenda, vt nullis ſæculi huius ſeueritatibus comparari queat. Hinc enim Apoſtolus *ad Hebr.* 10. ſcribit. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Et ſi teſte eodem Apoſtolo 1. *Cor.* 2. *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum*, ſequitur viciſſim reproborum pœnas ineſtimabiles etiam eſſe. Colligi id poteſt ex compluribus diuinæ iuſtitiæ operibus, exterminio malorum Angelorum, exilio protoplaſtorum, cataclyſmo, incendio Sodomæ, plagis Ægyptiacis, excidio Ieroſolymæ, pœnis gehennæ æternis & igne inextinguibili. Atque vt hanc iuſtitiæ ſeueritatem firmiter animo imprimeremus, voluit quandoque Deus ſtatuere poſteris monumentum aliquod ſupplicij de nocentibus ſumpti; veluti cùm mortem aliaſque calamitates primis noſtris parentibus & poſteris eorum decretas guſtare in dies cogimur: rurſum cùm vxorem Loth in ſtatuam ſalis conuertit: cùm terram Sodomorum in fœtidiſſimum lacum quaſi in Orcum mutauit, &c. Vnde iure exclamamus cum Propheta Pſ. 89. *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ aut præ timore tuo iram tuam dinumerare*? Et rurſum cum Ier. cap. 10. *Quis non timebit te ô rex gentium*? Et cum Ioanne Apoc. 15. *Quis non timebit te Domine?* Quis non omnis generis tribulationes alacriter amplecti, quis non ſpontaneas pœnas & carnis caſtigationes malit ſuſcipere, quàm incidere in manus Dei viuentis? Quis non libenter, vt has manus euadat & in ſecuro portu ſe conſtituat, voluptates, honores & diuitias huius ſæculi contemnat & arctam ſalutis viam capeſſat? &c.

CONCIO VI.

Probatur exiſtentia realis Chriſti in Euchariſtia.

Primò ex ſcriptura varijs in locis.
2. Ex Concilijs.
3. Ex praxi Eccleſiæ.
4. Ex miraculis.
5. Ex Lutheri teſtimonio.

THEMA.

Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.
Matth. vlt.

LEgimus 4. *Reg.* 2. Eliam cùm iamiam à Deo tollendus eſſet, & Eliſeus eius diſcipulus deſerere eum nollet, dum in turbine tolleretur pallium ei ſuum dereliquiſſe: quo quidem Eliſeus mirabilia patrauit. Nobis etiam, Auditores, diſcedens in cœlum Chriſtus reliquit in ſolatium pallium humanitatis ſuæ in Euchariſtiâ. Ita enim S. Chryſoſtomus *hom.* 2. *ad pop. Antioch.* ait: *Helias melotem diſcipulo reliquit: filius autem Dei aſcendens nobis ſuam carnem dimiſit, ſed Helias quidem exutus, Chriſtus autem & eam nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit.* Hoc indicauit Dominus cùm aſcenſurus dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum*, &c. Sed occurrunt nobis Caluinus & Zwinglius quaſi prædones duo, conantes nos ſpoliaro melote iſtâ, dum realem Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam euertere eiuſque loco figuram tantùm & vmbram illius ſubſtituere conantur. Verùm abſit vt ſinamus nobis eripi hoc pallium & veritatem corporis Chriſti. Itaque pro eius defenſione pugnemus Auditores. A.

PRIMÒ. Scriptura id apertè aſſerit & vnanimi conſenſu. Matth. c. 26. Lucas c. 22. Marcus c. 14. aiunt Dominum dixiſſe: *Hoc eſt corpus meum.* Et Ioannes cap. 6. *caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus.* Ibidem Dominus quinquies ſe eſſe panem aſſerit. Accedit S. Paulus 1. Cor. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panem quem frangimus nónne communicatio corporis Chriſti eſt?* Et c. 11. *Quicumque manducauerit panem hunc vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis*, &c Iam verò verba ſcripturæ propriè accipienda eſſe clamant indeſinenter ipſimet expreſſi verbi Dei præcones. Cur igitur hîc ab expreſſo verbo Dei ad figuras & metaphoras deſcendunt? Sed figuram hîc nullam eſſe probatur. B. 1. Ex ſcriptura.

Primò. Quia verba illa inſtitutionis Euchariſtiæ legem continent: *Hoc facite in meam commemorationem.* Verba autem legis niſi clara, expreſſa & propria ſint legiſlatoris inſipientiam arguunt & facilè excuſant eos qui contra legem agunt. Poſſunt enim dicere ſubditi Verba Christi Hoc eſt corpus meum, propriè intelligenda.

ſi

ſi legiſlator noſter obſeruari vult legem ſuam, apertè nobis loquatur.

2. Secundò. Quia verba illa teſtamentum ſeu voluntatem vltimam teſtatoris continent: eam verò proprijs & claris verbis exprimendam eſſe quis dubitat? Nam ſiquis moriens legaſſet tibi equos ſuos: num tu contentus fores aut eſſe poſſes, ſi hæredes pictos tibi obtrudere vellent equos? An non teſtator ideo teſtamentum condit, vt pacem inter hæredes ſuos firmet, ne qua occaſio ſit inter eos diſſentiendi? Quomodo igitur hoc efficeret, ſi metaphoris & improprijs vel amphibologicis intricatíſve vteretur verbis? An non magis tricas excitaret? Atqui Christus Dominus hic teſtamentum condit, vnde ait; *Hic eſt calix noui teſtamenti.* Idem etiam dixit: *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Ioan.* 14. Et præterea hoc ipſum ſacramentum inſtituit ad vnionem Chriſtianorum conciliandam. Quomodo ergo ſibi ipſe contrarius erit?

3. Tertiò. Quia verba illa continent inſtructionem; ſiquidem ijs inſtruere voluit Apoſtolos, quomodo & ipſi Euchariſtiam conficere & populo porrigere deberent: *Hoc facite,* &c. Iam quâ ratione Apoſtoli nos docerent aut communicarent, ſi ipſimet ambiguis verbis perplexi facti fuiſſent? An non artium Magiſtri captui diſcipulorum ſe accommodant & relicto ſuo loquendi modo more diſcipulorum loquuntur, vt diſciplinæ capaces faciant?

4. Quartò. Quia verba illa continent donum eximium iuxta id Ioan. 6. *Panis quem ego dabo vobis, caro mea eſt pro mundi vitâ.* Iam ſi princeps aliquis arcem tibi promittat: poſteà arcem tibi in tabella depictam mittat; quæro num hæc liberalitas homine ingenuo, nedum principe, digna eſſet? At ſi conquerente te, Princeps reſponderet: Ne indigneris, arx enim depicta modo quodam, per metonymiam vera dici arx poteſt. An non magis rideri te exiſtimares, & de Principis infidelitate conquerereris? Abſit ergo, vt dicamus Dominum noſtrum tam munificum & prædiuitem illudere nobis voluiſſe, & pro corpore ſuo glorioſiſſimo, quod promiſit, figurâ eius tantummodo dare voluiſſe. Accedit, quòd hac ratione Manna Patrum præſtantius donum fuiſſet, quàm noſtra Euchariſtia, (cuius tamen figura ſolùm fuit manna) erat enim cælitus & miraculosè datum, erat confectum angelorum manibus, ſapidiſſimum, &c. Nihil horum eſt in Euchariſtia. Vnde ſic figura præſtantior foret re figuratâ quod eſt abſurdiſſimum.

Denique ſæpius quidem vſus eſt Dominus figuris & tropis, ſed vel non in ſimilibus caſibus: vel ſi vſus eſt, eas mox declarauit quo ſenſu locutus ſit. Id quod in hac inſtitutione non fecit. Ita cùm dixit, *Ego ſum vitis vera;* ſtatim ſe explicuit, cùm addidit: *Et vos palmites.* Vera enim vitis tantùm erat reſpectu vitis infœcundæ, quæ facit labruſcas, &c. ſicut nos ſumus palmites, ita ipſe vitis.

Secvndò. Idem docet conſenſus Conciliorum & Patrum, tam veterum quàm nouorum: & hæreticorum debellatio. Definita eſt hæc veritas in 7. ſynod. *act.* 6. *t.* 3. Concil. Conſtant. *ſ.* 8. *&* 15. Florentin. *in literis vnionis & inſtruct. Armen.* Trid. ſ. 57. Plura eaque 22. Concilia recenſet Thomas Bozius *de ſignis Eccleſiæ l.* 15. *c.* 4. Patres antiquiſſimos 39. ca. 3. conſenſum expreſſum omnium orbis nationum c. 5. Vaticinia 12. veteris teſtamenti *c.* 6. Figuras 13. ca. 7. Teſtimonia veterum Rabbinorum 12. l. 14. c. 1. Oracula Sybillarum 4 *cap.* 2. Hæretici denique qui contrà ſentiebant, omnes confutati, damnati & extincti ſunt. Talis imprimis Ioannes Scotus, qui in Conc. Vercellenſi damnatus eſt, obijt anno 883. graphijs puerorum, quos erudiebat, confoſſus, teſte Malmesburienſi l. 2. c. 4. Ducentis pòſt annis Berengarius, ſecutus libellum & hæreſin Scoti, idem aſſeruit, qui pluribus Concilijs damnatus, tandem reuocauit errorem & in fide Catholica obijt. Controuerſiâ iterum ſopitâ, anno 1380. à Wiclepho eiuſque ſectatore Huſſio iterum excitata eſt, qui in Concilio Conſtantienſi damnati ſunt. Denique noſtris temporibus Caluinus, eandem reſumpſit & adhuc tenet. Iam ſic argumentor

C. II. Ex Concilijs.

Primò. Vſque ad tempora Scoti illius per 800. annos nihil de hac hæreſi cuiquam innotuit, aut in mentem venit: Ab obitu Scoti vſque ad Berengarium per 200. annos, ſepulta fuit. Iterumque ab obitu Berengarij vſque ab Wiclephum per 300. annos, denique ab obitu illius vſque ad Caluinum per annos 100. & ampliùs. Vel ergo per id tempus Eccleſia alicubi fuit, vel nuſquam. Non poſterius, vt fatentur. Si prius; ergo vel manifeſta fuit, vel occulta & in Cimmerijs tenebris, ita vt qui vellet Eccleſiam intrare, priùs lucernam accendere debuerit ad eam inueſtigandam. Hoc abſurdum tum ratione Eccleſiæ, quæ non patitur ſe abſcondi, tum quia nequeunt oſtendere, vbi & in quibus delituerit. Oſtendant enim per quos ſecta illa continuata & propagata ſit. Sequitur ergo manifeſtam fuiſſe, & hæc nulla alia fuit, niſi Catholica: quæ contra iſtos ſenſit: ergo rectè etiam ſenſit. Argumentum primum.

Secundò. Alterutrum concedi debet, vel Concilia illa & innumeros illos veteres & nouos, eoſque oculatiſſimos patres, in re tantâ dormitaſſe & deliràſſe per tot ſecula; & plus intellexiſſe illos nouatores, Scotum, Berengarium, Wiclephum, Caluinum, quàm omnes illos: vel contrarium aſſerendum. Illud nemo niſi inſanus dicat. Quis enim tantis Eccleſiæ luminibus, viris ſanctitate, gloriâ miraculorum, & partim martyrio illuſtribus homines nouos, ſceleratos, à Concilijs damnatos præferat? Secundum.

Tertiò. Pertinax ille prorſus & reprobus ſit, qui ventilatâ & decisâ eâdem ſententiâ, à pluribus Academijs diuerſis & florentiſſimis, Tertium.

Digitized by Google

ſinis, diuerſis item temporibus; & repudiata vnanimi conſenſu contraria, nolit aquieſcere. Sed ſententia hæc Catholica à tot diuerſis Concilijs SS. Patrum varijs temporibus ſemper definita fuit; contraria verò damnata: reprobi igitur Caluiniſtæ & refractarij.

Quartò. Denique. Vel recentiores Sancti, quos fatentur aduerſarij nobiſcum ſenſiſſe, quique in Catholica Eccleſia vixerunt & in Euchariſtia Deum coluerunt & crediderunt, fidem hanc tenuerunt, defenderunt, Euchariſtiam adorarunt, &c. idololatræ fuerunt: vel Caluiniſtæ mentiuntur. Ex illis fuere S. Anſelmus, S. Malachias, S. Bonauentura, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Thomas Aquinas, S. Franciſcus, alijque quamplurimi, qui mira patrarunt quæ Dæmonum ope fieri nequeunt; etiam cùm de fide non agebatur. Iſti igitur Idololatræ ſint, quorum ſanctitatem Deus miraculis comprobauit? & hæretici noſtri Euangeliſtæ ſint, qui ne vnam quidem muſcam reuocare in vitam potuerunt? cùm viciſſim illorum aliqui mortuos ſuſcitarint, vti Malachias & Franciſcus.

D. III. Ex praxi Eccleſiæ.

TERTIÒ. Idem etiam praxis Eccleſiæ probat. Primò enim fideles Euchariſtiam non modò adorabant, ſed etiam non adorare piaculum habebant. Vnde S. Auguſtinus *in Pſal. 98.* ait, *Non ſolùm non peccamus adorando; ſed peccamus non adorando.* Quod adeò verum eſt, vt Ethnici propter adorationem illam Euchariſtiæ Chriſtianos Cererem & Bacchum adorare dictitarent, teſte B. Auguſtin. *l. 20. contra Fauſtum.*

Secundò. Summam adhibebant diligentiam, ne de Euchariſtia quid in terram caderet. Vnde communicaturi manus ſupponebant, ne quid fortè in terram caderet; & ita quidem, vt ſiniſtra dextræ ſupponeretur tanquam ſedes dexteræ concauæ, vt refert Dionyſius Alexand. *ep. 5. ad Sixtum Papam.* Cyrillus Hieroſolymitanus *catecheſi myſtag. 5.* Sacerdotes verò ſiquid in terram cadere vel in altare ſtillare patiantur aut effundant, grauibus caſtigantur pœnis in canonibus, de Conſecrat. diſt. 2. Inter alios Pius I. Papa ait: *Pœnitentiam agant 40. diebus, ſi in terram aliquid deciderit, &c. Vbicumque ceciderit, ſi recipi poteſt, lambatur: ſin aliter, aut lauetur aut radatur quidquid lotum aut raſum eſt, comburatur & cinis in ſacrarium reponatur.* Similiter & Laici reos ſe credebant & rectè, teſte Origene hom. 13. in Exod. ſi quid elabi ſinerent.

3. Tertiò. Non niſi ieiunis communicare licebat. Vnde B. Auguſt. *ep. ad Ianuarium* ait: *Placuit Spiritui ſancto vt in honorem tanti ſacramenti in os Chriſtiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi.* Et S. Chryſoſtomus *ep. 3. ad Cyriac.* accuſatus quòd non ieiunos ad communionem admitteret: *ſi hoc feci,* inquit, *expungatur nomen meum ex albo Epiſcoporum & ex libro Orthodoxæ fidei & abijciat etiam me Chriſtus à regno ſuo.*

4. Quartò. Locis & vaſis ornatiſſimis aſſeruabatur: aureis & argenteis vaſculis: vt ex 6. ſynodo patet. Multis in locis olim aurea vel argentea columba, vt ex geſtis S. Baſilij habetur.

Quintò. Catechumenis Euchariſtiam ne videre quidem concedebatur: *Non initiatis,* ait Baſilius l. de Spiritu ſancto. *nec intueri fas eſt.* 5.

Sextò. Quod omnem ſuperat admirationem, ſancti Patres tanta veneratione hoc Sacramentum proſecuti ſunt, vt quemadmodum olim Iudæis nomen Dei Tetragrammaton pronuntiare non licebat, de eo vix apertiùs loqui auderent. Hinc enim S. Auguſtinus de Euchariſtia loquens frequenter illis verbis vtitur: *Nôrunt fideles,* &c. Et S. Chryſoſtomus: *Nôuiſtis vos qui eſtis initiati.* Quæro iam, ſi Euchariſtia nil aliud eſt & cenſebatur olim à Chriſtianis, quàm panis & vinum vulgare, ſolaque figura Chriſti, quo fine tantus ei honor habitus adeoque diuinus? Quid? nonne aqua baptiſmatis, Spiritus ſancti gratiam & vnctionem ſignificat? & vbi ei ſimilis honor habitus? vbi ea adorata, in terram fundi prohibita, vbi aureis vaſis incluſa, cui aſpici interdicta? vbi de ea aut ſimili re ſacra ſcriptum legimus, quod Paulus de Euchariſtia ſcribit 1. *Cor. 11.* quòd *qui manducat indignè, reus ſit corporis & ſanguinis Domini?* vbi hoc de paſchali agno vel manna dictum, quæ figuræ erant Euchariſtiæ? nónne tam mali quàm boni ijs veſcebantur impunè? quomodo ergo, ſi Euchariſtia item figura tantùm eſt, reum conſtituit qui indignè eam ſumit? 6.

E. IV. Ex Miraculis.

QVARTÒ. Idem docent miracula in confirmationem huius veritatis facta. Primò. De quodam hæretico refert Paulus Diaconus in vita S. Gregorij, cùm conaretur ſacram hoſtiam per contumeliam deglutire, verſam eſſe in lapidem in eius gutture. Dignum patella operculum, vt is qui credere noluit, verti poſſe panem in corpus Chriſti, experientia diſcere debuerit, verti poſſe in lapidem.

Secundò. Beatus Optatus Mileuitanus *l. 2. contra Parmen.* refert Epiſcopos Donatiſtarum cùm ſacram hoſtiam ſuis canibus obijcerent, ab iiſdem morſibus eſſe dilaceratos. 2.

Tertiò. In vita S. Antonij de Padua legitur Bonoillum Hæreſiarcham de eadem veritate contendiſſe cum S. Antonio & conditionem hanc obtuliſſe, vt ſi mulus eius famelicus ad Euchariſtiam honorandam priùs accurreret quàm ad pabulum propoſitum, ſe crediturum. Acceptauit conditionem vir Sanctus & Miſſâ factâ, protulit in publicum Euchariſtiam, & adiurauit mulum triduanâ inediâ confectũ, vt in virtute creatoris ſui quem reuerà manibus geſtaret, accederet & reuerentiam ei præſtaret, quò circumſtans hæreticorum turba crederet. Mirum! animal relicto pabulo, accurrit ad Euchariſtiam & curuatis genibus demiſſoque capite eam ſe venerari indicauit: magno Catholicorum plauſu, hæreticorum confuſione. Quartò. S. Bernardus in virtute S. Euchariſtiæ dæmones eiecit (vt refert Wilhelmus Abbas in eius vita) cum his verbis: *Adeſt, inique Spiritus, Iudex tuus, adeſt ſumma pote-* 3.

Digitized by Google

geritam producere in lucem, ne porcorum (gentilium) pedibus conculcaretur: atque ita Chriſtus ibi velut in Ægypto delituit, donec adoleſceret, & mortuo Herode prodiret. Vbi verò pax Eccleſiæ reddita eſt, tum ipſa magis magiſque extulit vexillum huius Sacramenti; & tandem anno 1264. Vrbanus Papa IV. ſolemnitatem hanc inſtituit poſtquam Chriſtus B. Iulianæ alijſque quibuſdam famulabus ſuis inſinuaſſet feſti huius inſtitutionem inchoandam & promouendam: apud Car. Sigon. de rebus Ital. anno 1264. Æquiſſimum igitur eſt, vt omnes Chriſtiani in hac ſolennitate veritatem huius ſacramenti publicè profiteantur. Quòd ſi Ioannes Euangeliſta de quibuſdam Principibus, qui crediderunt quidem in Chriſtum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, ne ejcerentur de ſynagogâ, dixit: *dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* Ioan. 12. quid, quæſo, diceret de nobis, ſi modò cùm omnis timor pœnæ abeſt, ob ſolam obtrectationem paucorum hæreticorum, veritatem hanc publicè confiteri non auderemus? Nouimus quid Chriſtus dixerit Luc. 12. *Quicunque confeſſus fuerit me coram hominibus: & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.* Meritò igitur hanc ſolemnitatem publicè & quàm poſſumus celeberrimè peragimus cum pompa & ornatu, cum muſicâ & organis, cum floribus & ramis, campanarum & tubarum ſonitu, &c. vt his quaſi concordibus & intrepidis vocibus fidem hanc adeoque Chriſtum ipſum confiteamur.

Deinde eo ipſo quo nunc Caluiniſtæ & Lutherani aduerſantur huic veritati (dum illi omnino, hi verò negant extra ſumptionem eſſe Chriſtum in Sacramento) deferendum à nobis eſt alacrius & cordatius, vt eorum errorem & novationem confundamus, *ipſique in conſpectu tanti ſplendoris debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti aliquando reſipiſcant*, ait Conc. Trid. *ſeſſ.* 13, *cap.* 5. De Ciſca hæreticorum in Bohemia Duce & Anteſignano refert Æneas Syluius *lib. 3. comment. de rebus geſtis Alphonſi Regis*, quòd cùm varijs tumultibus Catholicos vexaſſet, moriturus præceperit, vt mortuo ſibi pellis detraheretur & tympanum inde fieret, quo in prælijs pulſato ſuorum accenderet animos & Catholicos vel mortuus terreret. Sed licet peccator iſte dentibus ſuis fremeret & tabeſceret, deſiderium tamen eius perijt. Nos longè efficacius medium opponimus hæreticis ad retundendam eorum perfidiam; dum V. Euchariſtiam à tempore Apoſtolorum ſemper venerationi habitam & iam vltra 350. annos tali ſolennitate cultam, etiamnum totis conatibus colimus & palam circumgeſtamus; hoc tympano humanitatis Chriſti nobis relictæ auribus eorum obſtrepimus, vt vel errorem agnoſcant ſuum vel ſaltem confundantur. Sic confuſi ſunt Principes Sacerdotum & ſcribæ, cùm audierunt infantes Chriſto acclamantes in templo: *Oſanna filio Dauid.* Indignati enim dixerunt Domino *Audis quid iſti dicunt?* Quibus ipſe: *vtique nunquam legiſtis: quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.* Matth. 21. non potuerunt illi coërcere infantes, ne clamarent, nec coërcebunt nos hæretici, ne in hac ſolennitate Chriſto acclamemus: *Oſanna filio Dauid.* Conuincit enim vel vnica hæc ſolennitas omnes Nouatores, quæ iam vltra 350. vt dixi, annos viget, cùm ipſorum ſectæ vix centum ſint annorum. Et verò iure meritoque ſolennitas hæc inſtituta eſt: quia ſententia hæc Catholica, de exiſtentia reali CHRISTI permanente in ſacramento, iam olim tot prælijs vicerat. Vicit enim Ioannem Scotum, qui primus huic veritati contradixerat circa annum Domini 870. in Synodo Vercellenſi condemnatum omnium ſententiâ, poſteà anno 883. graphiis puerorum, quos erudiebat, confoſſum teſte Malmesburienſi libr. 2. cap. 4. forſan in pœnam erroris, quem inuexit. Vicit & Berengarium circa annum 1050. qui tandem errorem quem ex Scoto hauſerat, condemnauit & editâ pœnitentiâ mortuus eſt. Vicit obſtinatum quendam clericum in Leſmor, oppido Hiberniæ, qui poſtquam ſuæ contumaciæ pœnas dediſſet, graui infirmitate diuinitus correptus, reſipuit; apud Bern. in vita Malach. circa annum 1107. Vicit Albigenſes qui blaſphemabant hoc Sacramentum, circa annum 1200. quorum aliqui imprimis ſuper flumen ambulantes, pixide hoſtiæ Sacræ in flumen iactâ demerſi ſunt, apud Cæſar. *lib. 9. de mirac. cap.* 12. deinde ad centum millia diuino miraculo deuicta ſunt ab 800. equitibus & mille peditibus anno 1213. apud Gordonum, Catholicorum Duce Simone Comite Montis Fortis apud Æmilium libr. 6. Hiſtoriar. Francorum. Item Chron. Montfort. Meritò itaque poſt tot victorias triumphum agere cœpit Catholica ſententia, ſolennitatem corporis Chriſti paulò pòſt inſtituendo, nimirum anno 1264. Et hæc ipſa eſt, quæ modernorum etiam hæreticorum oculos affligit, quo modo victoria Dauidis de Goliatho, Saulis oculos contriſtauit. Si enim ipſi rectè ſentiunt, quomodo hæc ſententia toties triumphauit & ſemper ab Eccleſia retenta eſt? quomodo contrariæ opiniones extinctæ ſunt?

SECVNDO. Vt Chriſto per hoc debitum deferamus honorem tanquam Regi noſtro & Dei filio in hoc Sacramento exiſtenti. Si enim verè credimus eius realem in ſacramento præſentiam, cur non veneremur? Quis enim ſubditus videt Principem ſuum & non veneratur? Tametſi verò Chriſtus *non venit miniſtrari, ſed miniſtrare*, vt ait ipſemet. *Matth.* 20. decet nihilominus vt nos cum debito modo honoremus; quemadmodum & Princeps, licet non ideò in publicū prodeat vt honoretur, honorari tamen debet. Sanè de apū rege ſcribit Plinius lib. 11. cap. 17. *Mira plebis* C. II. Vt Chriſto debitum honorem deferamus.

* Conc. Fabri Part. Æſtiuali.

circa

circa eum obedientia. Cùm procedit, vnà eſt totum examen, circaq́ eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Item: *Circa eum ſatellites quidam lictoreſque, aſſidui cuſtodes authoritatis.* Hoc igitur non decet facere Chriſtianos regi ſuo? Nónne hoc eſt, quod iuſſit cœleſtis pater; Pſal. 2. per os Dauidis loquens: *Filius meus es tu, ego hodie genui te: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: ſeruite Domino in timore & exultate ei cum tremore: apprehendite diſciplinam*: (ex Hebræo vertunt: *Oſculamini filium*, alij *adorate filium*.) At Apoſtolus ad Hebr. 1. *Cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ* (videlicet in die iudicij.) *dicit: & adorent eum omnes angeli eius.* Sanè Magi illi gentiles Chriſtum infantem *procidentes adorauerunt.* Ita Apoſtoli & mulieres ſanctæ, Matth. vlt. Imò etiam cæcus ille natus, poſtquam à Chriſto illuminatus eſt & filium Dei eſſe Medicum ſuum audiuit, illicò procidens adorauit eum, Ioan. 9. cuius factum luculenter commendauit Dominus, cùm ſubiunxit: *In iudicium ego in hunc mundum veni vt qui non vident, videant: & qui vident cæci fiant.* Vbi non ſolùm taxat Phariſæos, ſed etiam Lutheranos tangit, qui cùm aſſerant Chriſtum eſſe in Euchariſtiâ ſaltem in ſumptione, tamen non venerantur. Quanta hæc videntium cæcitas? An igitur nos Phariſæos imitabimur, & gentiles, qui *cùm cognouiſſent Deum, non glorificauerunt*? Rom. 1. An Diabolum ipſum, qui cùm ſciat Chriſtum eſſe in ſacramento, non tamen adorat ſed fugit? Habeant ſibi hæretici Duces iſtos: nos ductum ſequemur Apoſtolorum, & ſanctarum mulierum, Magorum, cæci, &c. qui ob idipſum in Euangelio commendantur. Sanè Auguſtinus *in Pſ. 38. de Euchariſtiæ adoratione*, grauibus verbis dixit: *Non ſolùm non peccamus adorando: ſed peccamus non adorando.* Placere etiam Deo hunc honorem, diſplicere eius ſubtractionem, apertè colligitur ex 2. *Reg.* 6. Vbi cùm Dauid ſaltâſſet toto corde ante arcam, Michol verò illum ſubſannaſſet dixit Dauid; *viuit Dominus quia ludam ante Dominum, qui elegit me potiùs quàm patrem tuum &c.* tandemque *glorioſior*, inquit, *apparebo.* Quod & factum: quia in omnibus proſperatus eſt. Micholi verò quod Dauidis factum irriſiſſet *non eſt natus filius, vſque in diem mortis ſuæ*, vt dicitur ibidem. Similem à Deo proſperitatem conſecuta eſt inuictiſſima Domus Auſtriaca, ob ſingularem, quam exhibuit ſemper Euchariſtiæ, reuerentiam. Notum enim ex Ioan. Alb. Widmanſt. I. D. *in præfat. ad Epiſt. D. Pauli* & alijs, Rudolphum Comitem ab Habſpurg ad Romani Imperij culmen euectum ſuamque euexiſſe familiam, propterea (vti religioſa anus ei prædixerat) quod aliquando Sacerdotem, qui ſacrum ægro cuidam viaticum afferebat, equo ſuo impoſuiſſet, ipſe pedibus conſecutus eſſet, nec non equo illo donaſſet, quòd indignum ſe iudicaret ſeſſione eius iumenti, in quo Saluator mundi vectus eſſet. Notum etiam ex Surio in Chronic. Anno 1580. Carolum V. Imperat. in comitijs Auguſtæ habitis ipſo die corporis Chriſti, hanc ſolemnitatem ſuâ præſentiâ mirificè condecoraſſe: cum Saxo & pauci Lutherani Principes inde ſe ſubtraherent. nam inprimis multum egit per ſuos cum Saxone & adhærentibus ei principibus vt publicæ illi proceſſioni intereſſent: tametſi fruſtrà. Deinde geſtante Euchariſtiam Archiepiſcopo Moguntino, qui tum etiam Cardinalis erat: deducentibus à dextrâ Rege Ferdinando, à ſiniſtrâ Ioachimo Brandenburgico: præcedentibus ante Euchariſtiam principibus ſæcularibus: geſtantibus vmbellam ſex principibus, quibus ſubinde alij ſex ſuccedebant: ſubſecutus eſt Imperator, nudo ſemper capite, tametſi ſol eſſet ardentiſſimus in manu quadrifidam gerens facem: Hunc ſecuti Archiepiſcopi & Epiſcopi. Tandem omnibus ritè & cum ingenti gloriâ peractis, Cæſar adeò acerbè tulit Lutheranorum Principum detrectationem, vt iuſſerit eos alterâ ſtatim die Auguſtâ excedere: tametſi Principum Catholicorum precibus ab ea ſententia ſe deduci paſſus eſt. Hanc ergo pietatem Deus Imperatori ita remuneratus eſt, vt omnibus perſpicuum eſſet, eum inſtar Dauidis in omnibus proſperatum eſſe & præpotentis Dei auxilijs potiùs quàm proprijs in omnibus vſum, adeò vt ipſi etiam Turcarum potentiſſimo Tyranno eius proſperitas formidoloſa fuiſſe diceretur; vt ſcribit Surius ibid. Non enim debent pii Chriſtianorum animi proſperos hos ſucceſſus fato aut fortunæ adſcribere ſed gubernatori omnium Deo, qui 1. *Reg.* 2. per Prophetam quendam dixit: *Quicunque glorificauerit me: honorabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

D. III. Vt gratos nos exhibeamus Chriſto.

Tertia. Vt *Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum & redemptorem pro tam ineffabili & planè diuino beneficio, quo mortis eius victori & triumphus repræſentatur*, inquit Concilium Triden. *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. Vbi duo potiſſimùm beneficia Chriſti tangit, maximam à nobis gratitudinem poſtulantia, inſtitutionis Euchariſtiæ ſcilicet & redemptionis. Quoniàm ergo Euchariſtia mortem Chriſti & quidem ſub ſpecie ſolius panis, in quâ circumgeſtatur, corpus Chriſti exſangue ſignificat; adeoque beneficium glorioſæ redemptionis; cur id non per modum triumphi ſolemniter recolamus & celebremus; ſi enim Aſſuerus Mardochæum equo regio impoſitum glorioſè per vrbem circumduci iuſſit quòd eius operâ ſeruatus eſſet à morte, quam illi machinabantur duo Eunuchi. *Eſth.* 6. Et ſi ſenatus populuſque Romanus triumphum, ſummum illud & magnificentiſſimum præmium, decernebant ſuis Ducibus qui præclaram aliquam victoriam de hoſtibus obtinuiſſent, vt videre eſt apud Aut. *Antiquit. l.* 10. *cap.* 29. Nos Victori & Liberatori noſtro Chriſto, qui omnes nos deuictis tenebrarum principibus in liberta-

tem

tem aſſeruit, triumphum non adornabimus. Moris apud eoſdem Romanos fuit, eodem auctore lib. 4. cap. 17. vt quotannis certo die, ſolenni pompâ geſtaretur per vrbem anſer ſplendidè admodum in lecticâ & veſte ſtragulâ pretioſa ſedens: ob eam cauſam, quòd anſeres in obſidione Capitolij, Gallis irruptionem in arcem tentantibus, Romanos clangore & ſtrepitu excitaſſent ad hoſtes reprimendos. Et nos (liceat mihi vti hoc argumento ad confuſionem hæreticorum) maiorem non dabimus honorem Chriſto, qui non tantùm ſuis doctrinis excitauit nos è ſomno vitiorum, ſed etiam defendit nos ab ira Patris ſui & furore omnium Dæmonum. Quid verò de beneficio Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutæ & nobis pro memoriali relictæ dicemus? Quid habuit tota lex antiqua, cæteroqui à Deo mirificè dotata, quod cum hoc beneficio nobis reſeruato comparari queat? Quid ſunt oues & boues omniaque illius ſacrificia, quid manna de cœlo, quid arca, quid aqua de petra, quid columna nubis, quid ſerpens in haſtili, reſpectu corporis & ſanguinis Domini? vmbræ illæ fuerunt, hoc corpus. Ille paleæ, hoc triticum. Vnde ſi Iudæi in illis gloriabantur, quanto æquiùs nos in iſto? Neque ſolùm veteris legis myſterijs, ſed etiam nouæ legis ſacramentis alijs longiſſimè antecellit Euchariſtia, quia ipſum gratiæ fontem & ſacramentorum inſtitutorem continet. Vnde id per excellentiam appellamus daſſ hochwürdigh Sacrament. Quod ergo eſt ordo Seraphicus in angelis, quod in ſyderibus Sol, quod homo in animalibus, quod aurum in metallis, hoc eſt Euchariſtia in Sacramentis; cui proinde meritò
1. ſolennem inſtituit Eccleſia pompam. Primò quidem, vt ſic Chriſto ob maius beneficium maiorem exhiberemus gratitudinem: quod niſi faceremus, rurſum ipſi gentiles Romani nos arguerent, qui Lupæ, quòd Romulum & Remum fratres infantes expoſitos, vrbis conditores, lactaſſet, ſtatuam gratitudinis ergo in vrbe poſuerunt apud Liuium dec. 1. Quid agit verò in Euchariſtia Chriſtus? nónne omnes nos corpore & ſanguine ſuo paſcit? *Quis paſtor*, inquit Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. *oues proprio paſcit cruore? Et quid dico, Paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipſe non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit.* ſic ille. Secundò, vt hac ratione plebs quaſi manuduceretur ad præſtantiam huius Sacramenti cognoſcendam: quo modo ex triumphali Chriſti ingreſſu, cum turba, ramis, &c. *commota eſt vniuerſa ciuitas dicens: Quis eſt hic.* Matth. 21. Iam ſi multi ad Euchariſtiam illoti currunt, cauſa non eſt alia, quia huius Sacramenti dignitatem & excellentiam non agnoſcunt vel conſiderant: ſaluberrimè igitur inſtituta eſt hæc ſolennitas per quam vulgus manuducitur ad huius Sacramenti præſtantiam cognoſcendam.

E. IV. Vt ſic cõpenſemus Chriſto iniurias pro nobis acceptas.

Qvartò. Vt hac honoris exhibitione compenſemus Chriſto partim contumelias & iniurias, quas pertulit à Iudæis & adhuc ſuffert ab hæreticis & malis Catholicis: partim humilitatem, quam in terris exercet vſque hodie in hoc Sacramento. Nam inprimis vt nos ſalutaribus doctrinis imbueret & viam cœli doceret, quoties in terris circumibat? circuibat totam Galilæam, docens in ſynagogis, Matth. 4. Circuibat omnes ciuitates & caſtella docens in ſynagogis eorum & *prædicans Euangelium regni & curans omnem languorem & omnem infirmitatem.* Matth. 9. circuibat caſtella in circuitu docens, Marci. 6. Circuibat in paſſione, vt ouem perditam quæreret per triſtiſſima itinera, de cœnaculo in oliuetũ, de oliueto raptabatur ad Annam, de Annâ ad Caypham, de Cayphâ ad Pilatum, hinc ad Herodem, hinc rurſum ad Pilatum, inde ad montem Caluariæ. Et quàm triſtis hæc vltima fuerit proceſſio, quam lugubris pompa, vbi innumera multitudo ex pluribus nationibus, ſpectaculi causâ comitabantur afflictiſſimum Dominum, quis explicare queat? Ibi ſpectatores, inuidi Iudæi: ibi ductores, carnifices, famuli, lictores: ſocij duo nequam: muſica, contumelia Iudæorum & fletus matris ac mulierum propinquarum: ibi corollæ roſeæ, ſpinea corona: ibi cymbalorum ſonitus, tintinnabula reis appenſa ex more Romanorum: ibi vexillum, crux in dorſo: ibi Euangeliorum cantatio, frequentes in terram lapſus. Heu quàm lugubris pompa! cogitate hæc Auditores ac ſi vos interfuiſſetis. Et quid dicam de iniurijs quas etiamnum ſuffert Chriſtus in Euchariſtiâ ab hæreticis, præſertim Caluiniſtis? An non ipſi denuò ſæpe Chriſtum crucifigunt, dum pedibus conculcant & mille iniurijs afficiunt? Has igitur iniurias, nos amici & ſerui Chriſti iuſtè compenſamus ſolemni & glorioſa pompâ publici circuitus; vnde ſi aliquando raptatus fuit per plateas: nunc per vrbium compita honorificè circumgeritur: ſi aliquando habuit ſpectatores inuidos & irriſores, nunc habet venerabundos: ſi aliquando ductores carnifices, nunc principes & viros primarios: ſi aliquando famulos lictores, nunc honeſtos & armatos ciues: ſi aliquando contumelias audijt, nunc audit ſymphoniam & tubicines: ſi aliquando geſſit ſpineam coronam, nunc roſeam & gemmeam gerit: ſi aliquando in ſuis humeris crucem ponderoſam, nunc aliorum humeris præuiam habet glorioſam: ſi aliquando ſocios fures, nunc viros religioſos: ſi aliquando tintinnabulum maleficorum, nuc cymbala, &c. Quemadmodum enim Ioſeph licet innocentiſſimus priùs à fratribus ſomniator & impoſtor habitus, deinde in ciſternam demiſſus, mox Iſmaëlitis venditus, poſt hæc in cophinis manuum labore occupatus, paulò pòſt carceri mancipatus, ad extremùm tamen adeò exaltatus fuit à Pharaone, vt iam non impoſtor aut ſomniator, ſed ſaluator mundi dictus ſit:

non iam demiſſus in ciſternam, ſed ad ſecundum à rege ſolium euectus: non iam ipſe venditus, ſed venditor eſſet regij frumenti: non iam in manibus ſuis ſportulas, ſed ſceptrum ferret & regis annulum: non iam in carcerem compactus, ſed in currum regium euectus per vrbem deduceretur, & ab omnibus flexis adoraretur genibus velut præpoſitus totius Ægypti. Ita iure meritiſſimo compenſat Eccleſia Chriſto priores contumelias, quas ipſe pertulit à reprobis. Quanquam ſi conſideres, quàm etiam nos Catholici ſæpe Chriſtum negligamus, vel inciuiliter aut etiam indignè tractemus? abſque dubio fatebimur, nos omnem iſtum honorem, quantumcunque exhibere poſſumus, iure illi debere. Toto pæne anno negligimus humillimum dominum in Sacrario repoſitum & pro nobis peruigilantem: quoties eo indigemus ægri, ad ædes noſtras euocamus: multi debitam ei reuerentiam non exhibent: aliqui etiam indignè ſumunt. Penſate an non defectus iſti reſarciri debeant? Itaque pro eo quòd à multis negligitur, ſpernitur & offenditur innocentiſſimus agnus, nos viciſſim monet Eccleſia, vt ſemel in anno ſaltem publicè reddamus ei honorem, vt cum Magis honoremus modeſtiſſimum Regem ſub tam infantili panis ſpecie latentem, quem cum Iudæis negligunt hæretici: cum latrone confiteamur in abiectâ præſentem formâ, quem eius hoſtes, velut ſcribæ & carnifices ſubſannant. Placuit Chriſto confeſſio Latronis: placebit etiam proceſſio hæc ſolennis.

F. V. Vt hoc præſidio vrbem noſtram muniamus.

QVINTA. Vt hoc munimento vrbes & oppida noſtra muniamus contra hoſtium incurſus, ideo circum vrbes & in plateis eius Euchariſtiam circumgerimus, non quaſi ab hac circumgeſtatione pendere exiſtimemus noſtram ſalutem; ſed vt hâc cæremoniâ partim Chriſtum admoneamus, ſupplicando, vt fines & domos noſtras tueatur: partim ipſam plebem, vt hoc ipſum à Chriſto inſtanter petat. Conſtat ex 2. *Reg.* 6. quòd benedixerit Deus Obededon & omnia quæ eius erant propter arcam fœderis receptam in ædes ſuas; quo re auditâ, Dauid ſtatim reduxit eam in ciuitatem ſuam. Quis ergo nobis ſuccenſeat, ſi hoc ſperemus ab ipſo Chriſto in Euchariſtiâ, quod accepit Obededon & ſperauit ab arcâ Dauid? Experta eſt hoc præſidium SS. Euchariſtiæ S. Clara, apud Sur. 12. Auguſt. quæ, dum Saraceni irruerent in Aſſiſium ciuitatem, adeoque in monaſterium, SS. Euchariſtiâ prælatâ ad fores deſcendit & dum Chriſtum precaretur, ne traderet ancillas ſuas paganis, audiuit quaſi vocem pueruli: *Ego vos ſemper cuſtodiam.* Apprecante illâ: *Mi Domine, & hanc ſi places protege ciuitatem, quia nos pro amore tuo ſuſtentat*; rurſum audiit: *Grauamina ſuſtinebit, ſed meo munere defendetur.* Nec mora, ſtatim enim canum illorum repreſſa pauleſcit audacia, & per muros, quos iam aſcenderant, celeriter exeuntes Sacramenti & orantis virtute deturbati ſunt: Experti ſi Chriſtiani in regno Valentiæ, apud Luc. Marinæum *lib.* 5. *de rebus Hiſpan. cap. de ſacris ædibus*, quando anno Domini 1239. iidem Saraceni conſecratarum aliquot particularum veluti vexilli cuiuſdam oſtentatione perterrefacti, ipſi pæne innumeri paucis noſtris terga verterunt. Denique ſi tantum præſtitit imago faciei Chriſti Abagaro Edeſſæ regi tranſmiſſa ab ipſo Chriſto, vt Coſrhoe Perſarum Rege Edeſſam obſidente cùm imago ab Eulalio Epiſcopo ſuper muros vrbis circumferretur, machinas hoſtiles combuſſerit & ignem in pyra contra incolas à Perſis excitatum, in ipſos hoſtes verterit, eoſque excuſſerit, vt olim Chaldæos Dan. 3. apud Niceph. lib. 17. c. 16. quid non ſperare poſſumus ab ipſamet Chriſti reali præſentiâ in Euchariſtiâ.

CONCIO VIII.

Qua ratione Chriſtus ſit ſemper cum Eccleſia ſua.

1. *Semper cum eâ eſt per conſeruationem.*
2. *Per ſingularem directionem.*
3. *Per protectionem ſpecialem.*
4. *Per amorem & beneuolentiam.*
5. *Per paternam correctionem.*
6. *Per realem præſentiam in Euchariſtia.*

THEMA.

Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. **Matth. 28.**

EZechiel Propheta cùm cap. vltimo deſcripſiſſet diuiſionem Ieroſolymæ in 12. portas ſeu egreſſus ad omnes tribus, concludit librum ſuum his verbis. *Et nomen ciuitatis ex illâ die: Dominus ibidem.* Quod quidem imperfectè competit Ieroſolymæ, in quâ Deus habitauit modico tempore, ſcilicet ab Eſdrâ vſque ad Titum & Veſpaſianum: perfectè verò competit Eccleſiæ, imò de eâ ſolâ intelligit S. Hieronymus & cum eo multi, quoniam ſola Eccleſia eſt, cum qua Dominus conſtanter ſe permanſurum promiſit in hodierno Euangelio. Et hinc appoſitè, poſtquam ſuis Apoſtolis demonſtraſſet exitum in vniuerſum orbem: *Euntes docete omnes gentes*, &c. ita concludit ſermonem ſuum: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Atque ita claudit Euangelium ſuum Matthæus, vti Prophetiam ſuam Ezechiel. Eccleſia ergo ciuitas illa eſt, cuius nomen, *Dominus ibidem.* Sed quâ ratione? Audite. A.

PRIMÒ. Semper eſt cum Eccleſia per conſeruationem, quâ eam ita ſemper illibatam conſeruat, vt nunquam deficere poſſit. Hoc enim conuincunt verba thematis propoſiti. Nam ſi aliquando Eccleſia defeciſſet vel deficere poſſet, quomodo Chriſtus omnibus diebus cum illa foret vſque ad conſummationem ſæculi? Quis enim eſſe poteſt cum eo, qui non eſt? Neque dicas de Apoſtolis tantùm

B. I. Per conſeruationem.

tantùm locutum; quia Apoſtoli non erant victuri vſque ad conſummationem ſæculi. In illis igitur velut primitijs Chriſtianorum, totam intelligit Eccleſiam. Vnde patet Primo Eccleſiam Catholicam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, quia ea ſola ab Apoſtolis ſerie nunquam interruptâ deducitur, ac proinde cum eâ Chriſtus ſemper fuit. Sectæ hæreticorum antiquæ vti non à Chriſto cœperunt, ita nec cum illo ſemper fuerunt, ſed interierunt. Patet ſecundò Hæreticos noſtri temporis non eſſe in Chriſti Eccleſia, quia cum illis non fuit ſemper Chriſtus, ſiquidem ante Lutherum ipſi non fuerunt. Oſtendant enim fidei ſuæ continuationem & deriuationem per ſingula ſæcula: oſtendant quibus annorum centurijs quinam Patres docuerint in Euchariſtia non eſſe verum Chriſtum aut non niſi in ſumptione, Miſſam eſſe Idololatriam, Papam eſſe Antichriſtum, ſanctos non eſſe inuocandos, non eſſe liberum arbitrium, non operum merita, Deum eſſe auctorem peccatorum, &c. Hoc ergo cum facere nequeant, in hanc anguſtiam compelluntur, vt dicant Eccleſiam Chriſti deficere poſſe & defeciſſe à tempore Gregorij Magni vſque ad tempora ipſorum. Itaque per illos Chriſtus deſeruit Eccleſiam ſponſam ſuam annis 900. circiter: Portæ inferi præualuerunt contra eam: corruit columna & firmamentum veritatis, 1. *Tim.* 3. Delituit Magiſtra fidei & Doctrix veritatis, quam Chriſtus adiri in dubijs & difficultatibus, audirique iuſſit Matth. 18. Quæ omnia, expreſsè contra ſacram ſcripturam pugnant & mendacem faciunt Deum.

C. II. Per ſingularem directionem. SECVNDÒ. Per ſingularem directionem, quâ ita eam dirigit vt errare & ſeduci in rebus fidei non poſſit. Vnde inprimis & ſpecialiter adeſt Summo Pontifici, vt is non niſi ſalutaria & fidei conformia decreta facere ac publicare, adeoque Eccleſiæ nauem ne euertere poſſit. Abrahamo patri fidei promiſit olim Deus *Gen.* 15. *Noli timere Abram ego protector tuus ſum*; iuxta tranſlationem 70. interpretum *Ego hyporaſpiſtes tuus*, qui ſcilicet te præcedo vti capitaneus ſuum agmen. Petro tanquam alteri fidei ac petræ eiuſque ſucceſſoribus promiſit Chriſtus. Idem Luc. 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Quæ oratio Chriſti efficax profectò fuit; nunquam enim permiſit vt quiſpiam Pontifex Romanus hæreticum quid decerneret aut credi præciperet. Fuit aliquando Eccleſia in magno timore, cùm Vigilium hominem ambitioſum & malum Theodoræ Auguſtæ hæreticæ fautorem cæteroqui Catholicum; coacta eſt recipere & eligere in Papam, ſed is magno omnium ſtupore repentè mutatus in alterum virum hæreticos Theodoræ ſtudioſos, demumque ipſam etiam Theodoram condemnauit, nihil veritus eius inſidias. Baron. An 540. Nouimus S. Gregorio Papæ ſcribenti & dictanti adfuiſſe per Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ ſedentis ad eius aurem (non vtique qualem Mahometes inſtruxit vt ipſi concionanti in humerum inuolaret roſtroque aurem peteret, ex quâ eam paſcere conſueuerat. Nec qualem vidit Maximilianus I. Imp. Anno 1518. Auguſtæ in comitijs prandens Lutheri humeris inſidentem, erat enim Diabolus vti teſtatus eſt Baron. de Erpach, vt alibi dixi) Eiuſdem columbæ ſpecie adfuiſſe Fabiano, Eugenio & Gregorio 7 Pontificibus alibi vidimus. Alios alijs modis direxit, duxitque tanquam Hyperaſpiſtes eorum, vt diſcernere inter Concilia & Conciliabula, ea approbare, hæc damnare, & reprobare, aliaque fidei dogmata definire poſſent. Niſi enim hoc deſuper eis datum eſſet, quomodo Eccleſia non euerteretur, cùm concilia errare poſſint & errauerint?

Quin etiam in communi alijs Eccleſiæ miniſtris adeſt peculiariter, ducendo eis manus vt ne facilè errent in adminiſtratione ſacramentorum, in docendo, in ſeruando confeſſionis ſigillo, &c. Tametſi enim interdum accidit, vt errores aliqui per eos committantur, negari tamen non poteſt, rariſſimè contingere: & quantumlibet alioqui flagitioſi ſint ſacerdotes, vera tamen & ſalutaria prædicare, ſacramenta ritè adminiſtrare, confeſſiones non reuelare &c. Sanè aliquando S. Vdalrico ſacris operante viſa Dei manus ſimul cum illo operari, vtique ad confirmandos fideles, ne in ſacerdotum miniſterio diffidentiam aliquam ponant.

TERTIÒ, Per protectionem ſpecialem. D. III. Per protectionem ſpecialem. Hanc ſignificat illa ſeps (*Iſa.* 5. Matth. 21.) quam circumdedit vineæ ſuæ, angelorum videlicet & Sanctorum cuſtodia, quorum interuentu Eccleſiæ ſuæ adeſt in afflictionibus & periculis præſertim bellicis non minùs quàm olim in veteri lege per columnam ignis & nubis. Sic adfuit Conſtantino M. prælianti contra Maxentium Eccleſiæ hoſtem. Viſi enim exercitus qui ſe diuinitùs miſſos præſeferebant dicentes: *Conſtantinum petimus, Conſtantino imus auxilio*, &c. vt narrat Nazarius in Panegyr. apud Baron. anno 312. Sic Nolanis obſeſſis à barbaris adfuit S. Fælix martyr, & patronus eorum, & ſuppetias viſibiliter tulit, vt ſcribit ad Paulinum Auguſt. l. de curâ pro mort. c. 6. Sic S. Ambroſius flagello inſecutus eſt hoſtes Mediolanum, cuius ipſe Patronus & Epiſcopus erat, obſidentes. Sic adfuit Edeſſanis contra Coſrhoen regem Perſarum, quando beneficio imaginis ſuæ omnes hoſtium aggeres accendit & in cinerem redegit, apud Baron. An. 545. Sic Theodoſio contra Eugenium Tyrannum, cùm ei duos viros candido amictu & in equis albis miſit Duces & anteſignanos exercitus: erant autem Ioan. Euangeliſta & Philippus Apoſtolus, Theod. l. 5. c. 4. Sic Theodoſio iuniori per angelos contra Perſas, apud Nicephorum lib. 14. Sergiopoli contra Saporem Perſarum Regem interuentu S. Ser-

S. Sergij martyris. Sic Ramiro regi Galliciæ ductore S. Iacobo in equo albo & cum vexillo albo viſo præliari in aëre contra Mauros, quorum vno prælio cecidit 70000. apud Baron. anno 844. Item Ramiro alteri regi Legionenſi, qui præuijs angelis ſub formâ equitum victoriam etiam ingentem obtinuit de Mauris barbaris cæſis 80000. capto rege eorum Abenain. Baron. anno 938. Alia plura vide in Thoma Bozio de ſign. Eccleſiæ to. 2. lib. 17. c. 7. ſigno 79. Noſtris temporibus adfuit obſeſſis in Sabariæ oppido contra Turcas, miſſo in aëre equite, qui ſtricto gladio hoſtes ab obſidione depulit & in fugam vertit: creditur is fuiſſe S. Martinus, Sabariâ oriundus. Rhodienſibus item & Melitenſibus per S. Ioannem Baptiſtam (vti creditur) militum illorum Patronum, vt ibidem refert Bozius. Quæ omnia oſtendunt Chriſtum cum Eccleſiâ noſtrâ eſſe & à partibus eius ſtare, cui Sanctos ſuos miſit in ſubſidium. Oſtendant horum aliquid hæretici, & credemus Chriſtum eſſe cum ipſis. Certè tot hiſtorijs probatis fidem abnegare temerarium eſt. Neque dicent Dæmones illos fuiſſe qui ſanctorum imagines repræſentarint; qui enim fieri poteſt vt Dæmon ſtet pro Chriſto contra ſuos? Certiſſimum enim eſt, victorijs illis amplificatum eſſe regnum & cultum Chriſti, Dæmonis verò imminutum. Nunquid contra ſeipſum erit Dæmon, vel Dæmones contra Dæmones? quomodo namque hoc pacto ſtaret regnum eius? Et licet ipſos inter ſe etiam diſcordes eſſe demus, omnes tamen aduerſus Chriſtum conſpirant.

E. IV. Per amorem & beneuolentiam.

QVARTÒ, Per amorem & beneuolentiam, quâ eam ſuper alia regna & imperia alienarum ſectarum complectitur. Imprimis eam locupletauit innumeris prædijs & poſſeſſionibus, quando opulentiſſimos quoſque excitauit, qui
1. fundarent Epiſcopatus & monaſteria maximis redditibus, priuilegijs, iuribus; nec non in communi Miniſtris Eccleſiæ de abundanti ſuſtentatione prouidit.

2. SECVNDÒ, Principes Catholicæ religionis maximè ſtudioſos & defenſores valde protexit & exaltauit, ita inprimis Conſtantinum & Carolum, ambos cognomento Magnos, qui cùm Eccleſiæ acerrimi defenſores eſſent, Dei adiutorio maxima præſtiterunt & mirâ fælicitate dominati ſunt. De Conſtantino ſcribit S. Auguſtinus lib. 5. de ciuit. cap. 25. *Conſtantinum Imperatorem non ſupplicantem Dæmonibus, ſed ipſum Deum verum colentem, tantis terrenis impleuit Deus muneribus quanta optare nullus auderet. Vniuerſum orbem Romanum vnus Auguſtus tenuit & defendit, in adminiſtrandis & gerendis bellis victorioſiſſimus fuit, in Tyrannis opprimendis per omnia proſperatus eſt: grandæuus ægritudine & ſenectute defunctus eſt, filios imperantes reliquit.* Ita Theodoſium vtrumque, quorum ſeniori ita fauit Deus, vt hoſtium tela durante prælio in ipſoſmet auctores retorquerentur, vt ibid. cap. 26. ſcribit S. Auguſtinus. Iuniori verò ita: vt ipſo domi orante exercitus eius fortis vinceret & circiter centum millia Saracenorum ab Angelis in Euphratem agerentur, teſte Socrate *l. 7. hiſt.* 18. Ita Honorium Imp. qui Dei ope vno prælio pluſquam centum millia Gothorum ſtrauit, nemine ex ſuis cæſo, auctore Aug. loco cit. c. 23. Ita Iuſtinianum & Heraclium, quamdiu catholici fuere; at vbi in hæreſim lapſi ſunt, infæliciter regnârunt, teſte Euagrio & Zonara.

Tertiò. In nuperis tumultibus bellicis tam apertè oſtendit Deus fauorem ſuum erga Eccleſiam Catholicam, vt ipſi etiam aduerſarij noſtri dicere coacti ſint, Deum his temporibus fuiſſe Papiſtam. Nam victoriæ omnes (ab anno 1620. vſque ad 1628.) à nobis obtentæ ſunt contra diuerſos exercitus & Duces, qui extrema ſua tentârunt, & tamen ita fracti ſunt vt vires ſuas colligere & redintegrare exercitum minimè potuerint, hodieque delitescant velut aues deplumatæ. Goliathum proprio iugulare gladio poſſemus. Gratias hæreticis quòd fateantur, Deum ſaltem aliquando fuiſſe Papiſtam; nam ſi aliquando fuit, ſemper fuit & erit. *Ego enim Deus & non mutor*, inquit. 3.

F. V. Per paternam correctionem.

QVINTÒ. Per paternam correctionem. Nam, vti pater magna quidem amoris ſigna exhibet filio, nihilominus tamen ſubinde quem amat caſtigat vt à vitijs ad virtutem retrahat: ita agit cum Eccleſiâ ſuâ Chriſtus, cui dudum prædixit omnis generis aduerſitates & perſecutiones. Ipſe enim eſt, de quo S. Ioannes Baptiſta ait, Luc. 3. *Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream ſuam.* Cùm enim in Eccleſia etiam per diuturnam pacem & quietem ſuccreſcere ſoleant vitia, ſubinde ventilabrum adhibuit Chriſtus, ad purgandam illam imprimis quando ſub Philippo Primo, Chriſtiano Imperatore, virtus & vigor fidelium in pace elanguerat. Deus immiſit Decium & Valerianum, qui graui perſecutione eos ſuſcitarent & cote tyrannidis acuerent, vt docet S. Cyprian. *ſer. de lapſis*, quod & reuelatione didiciſſe ſe narrat lib. 4. ep. 4. Oſtenſum videlicet ſibi patremfamilias cum ſedente ſibi ad dextram iuuene anxio & cum quadam indignatione ſubtriſti, maxillam tenente manu. *A ſiniſtris alius conſiſtens rete portabat, quod ſe mittere, vt circumſtantem populum caperet, minabatur. Et cùm miraretur quid hoc eſſet, dictum eſt ei. Iuuenem qui ad dextram ſic ſederet, contriſtari & dolere, quod præcepta ſua non obſeruarentur: illum verò in ſiniſtra exultare, quod ſibi daretur occaſio, vt à patrefamilias poteſtatem ſumeret ſæuiendi.* Euſebius *lib. 8. hiſt.* 1. cauſam perſecutionis Diocletiani aſſignat vitiatos Eccleſiaſticorum & Laicorum mores ex longâ pace & libertate profectos: *Dum alter alteri*, inquit, *inuidemus, dum Principes cum principibus, populi cum populis ſeditiones & certamina concitamus*, &c. Itaque pacis & proſperitatis tempore multum paleæ creſcit in Eccleſia. Idcircò tribulationis ventilabrum adhibetur, vt paleam à tritico-

tritico ſeparet, illam abijciat, hoc perpurget. Ac ſicut tempore Decij Imp. *ad primum ſtatim verbum minantis inimici maximus fratrum numerus fidem ſuam perdidit, nec proſtratus eſt perſecutionis impetu, ſed voluntario lapſu ſeipſe proſtrauit,* &c. *quaſi hoc olim cuperent, quaſi amplecterentur occaſionem datam quam ſemper optaſſent*, vt notat Cyprianus ſermone prædicto: ita euênit tempore Lutheri, Caluini, Zwinglij. Defluxerant fideles ad luxum, ambitionem, auaritiam, contemptum rerum ſacrarum, neglectum Sacramentorum, &c. idcircò aream ſuam purgare voluit Deus; vt palea quidem, id eſt, homines leues & parati circumferri omni doctrinâ, parati iam ad volandum, modò ventus adeſſet, ab Eccleſia auolarent: reliqui in fide confirmarentur & proficerent. Ita omninò ante paucos annos purgauit rurſum Eccleſiam ſuam, cùm eam affligere & opprimere cœpit per hæreticos inquilinos qui Catholicos de feneſtrâ deijcerent, in exilium pellerent, iugularent, regnum Bohemiæ occuparent, Eccleſias profanarent, &c. Sed fuit hæc paterna caſtigatio: nam moto in Germaniâ bello, triticum Catholicorum purgauit, & paleam hæreticorum excuſſit ex Auſtriâ, Bohemiâ, Palatinatu, &c. fuit quidem hæc purgatio, nobis virga & caſtigatio aliqua, ſed ſalutaris & paterna, vt nunc agnoſcimus.

G. VI. Per realē ſuā præſentiam in Euchariſtia. Voluit in Euchariſtia manere nobiſcum.

Sextò, Per realem & corporalem præſentiam in S. Euchariſtia. Voluit enim hac mirâ & ſpeciali ratione manere ſemper cum Eccleſiâ ſuâ.

1. Primò, vt quemadmodum in cœlis adoratur & colitur à beatis ſpiritibus, ita etiam à nobis coleretur in terris impenſius; tametſi ab illis clarè à nobis obſcurè & per fidem tantùm cernitur. Multum enim facit præſentia Ducis aut Regis ad milites vel ſubditos coërcendos in obedientiâ, timore, & diſciplinâ, quando hîc & nunc ſcitur eſſe præſens; Decet autem vt quoniam eadem eſt Eccleſia, militans & triumphans, eundem regem ſuum vtrobique colat & veneretur enixiſſimè. Alioqui multi dicerent aut cogitarent illud Iob, 22. *Nubes latibulum eius nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.* Nunc verò etiam in terris habemus Deum noſtrum; & vt cum S. Chryſoſtomo *homil. 24. in 1. ad Corinth.* loquar, *dum in hâc vitâ ſumus, vt terra nobis cœlum ſit, facit hoc myſterium.*

2. Secundò, Vt afflicti & anguſtiati, maiori confidentiâ ad ipſum confugeremus & auxilium ſperaremus. Hanc etiam ob cauſam fabricari Deus arcam voluit in lege veteri, tanquam currum triumphalem, in quo ſuam præſentiam, opem & triumphum glorioſum exhibebat. Vnde Deut. 4. ait Moyſes: *non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Sed multò magis hoc dicere nos Chriſtiani poſſumus, quibuſcum in Sacramento verè & corporaliter habitat CHRISTVS, (non angelus) Deus & homo. Quare vti Dauid, in ſpeluncâ Odollam, latens factus eſt Princeps afflictorum (conuenerunt enim ad eum omnes qui erant in anguſtiâ conſtituti, & oppreſſi ære alieno & amaro animo) 1. Reg. 22. ita Chriſtus in Euchariſtiâ, quæ eſt memoriale mortis eius (ſicut Odollam ſignificat teſtimonium ſeu ornamentum miſeriæ ſuæ) deliteſcens, tanquam rex omnium miſerorum expectat querelas & ſupplices libellos. Quare ſibi dictum putent fideles id Pſ. 61. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adiutor noſter in æternum.* Apagite vos Lutherani, qui hanc Chriſti familiaritatem nobis inuidetis. Vel enim non potuit permanenter eſſe in Euchariſtia, vel non voluit. Non potuit? quomodo ergò eſt omnipotens? quomodo poteſt ibi eſſe, dum ſumitur? Non voluit? atqui ſummè bonus eſt: & quid eius bonitati conformius, quàm hoc tam ſalutare & glorioſum inſtitutum?

Tertiò, Vt hac ſuâ præſentiâ nos animaret ad pugnandum contra acies Diaboli & fortiter patienda quæuis aduerſa. Trogus Valer. l. 7. narrat Argeum Regem Macedonum reliquiſſe filium paruulum; & cum deinde Macedones contra Illyricos pugnarent & vincerentur mox ſe collegiſſe; & regium infantem in cunis coram acie conſtituiſſe & ita mox viciſſe, inſinuantes ſibi Regem, non virtutem defuiſſe. Hunc in modum nos niſi Chriſti præſentiâ in Euchariſtiâ animaremur, quoties in aduerſis heu ſuccumberemus. Quare voluit Chriſtus tametſi inſtar infantis in Euchariſtiâ inter nos verſari, vt ne deficeremus, ſed fortiter ageremus, ſcientes coram eſſe Agonothetam noſtrum, qui ad militiam noſtram attendit & coronas nobis parat. S. Petrus videns ad mortem duci vxorem ſuam hac voce eam animauit: *Heus tu memento Domini,* teſte Clemente Alexandr. *lib. 7. ſtrom.* Tu quoque memento Chriſti præſentis in Euchariſtiâ. 3.

Quartò, Vt in eius memoriâ continuò verſaremur, ſolet diſcedens ab amico relinquere ei mnemoſynon ſeu memoriale aliquod, quo ſemper ipſius memor eſſet. Chriſtus in cœlum à nobis recedens reliquit nobis corpus ſuum miro amoris annulo mirificè incluſum. 4.

Quintò, Vt probaret ſeu exerceret potiùs fidem, deuotionem & religionem noſtram erga ipſum: idque non tam ob gloriam ſuam, quàm vtilitatem noſtram. Quemadmodum enim benedixit domui Obededom, quod Arcam fœderis in domum ſuam recepiſſet ibique reuerenter habuiſſet: ita benedicere etiam diſpoſuit nobis, ſi ipſum hîc velut Regem noſtrum decenter & obſequiosè colamus eiuſque menſæ quaſi aulici aſſiſtamus. Experiri igitur vult verum Dei filio aſſerenti ſe contineri in Euchariſtiâ credere velimus, qui in primis noſtris parentibus credidimus ſerpenti aſſerenti ligno vetito ineſſe vim deificandi. Experiri vult, quantâ reuerentiâ eius Miſſæ quaſi menſæ aſſiſtamus; quàm auidè, 5.

 & quàm

& quàm frequenter ad hanc eius menſam accedamus; quâ deuotione & præparatione de eâ participemus: quàm ornatum & honorificum ei locum in templis aſſignemus & qualem domum ei ædificemus; quàm reuerenter eum ibi viſitemus & ſalutemus: quâ pompâ eum in proceſſione ſolenni circumgeſtemus & comitemur: quâ humilitate & deuotione eum adoremus, cùm per plateas ad ægros deportatur: Hæc & his ſimilia omnia nunc obſeruat, ſuo tempore remuneraturus. Dicet enim ad fideles ſeruos: Hoſpes in terrâ veſtrâ fui, nudus fui, captiuus fui; & vos collegiſtis, operuiſtis & viſitaſtis me: *Venite benedicti.* Contrà ad reprobos: Hoſpes veſter fui, nudus & captiuus; & vos non recepiſtis, nec operuiſtis, nec viſitaſtis me. *Diſcedite maledicti.*

CONCIO IX.

Qua ratione Chriſtus ſit cum ſeruis ſuis iuſtis.

Sicuti Chriſtus in terris degens fuit cum diſcipulis, ita adhuc credendus eſt eſſe cum Iuſtis.

1. *Per ſingularem directionem.*
2. *Per ſingularem protectionem.*
3. *Per conſolationem in tribulationibus.*
4. *Per amorem & beneuolentiam.*
5. *Per paternam correctionem.*
6. *Per ſufficientem ſuſtentationem.*

THEMA.

Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Matth. vlt.

A. HOdiernum Euangelium docet nos, Auditores, non erràſſe Iſaiam Prophetam, quando cap. 7. ſcripſit, Chriſtum vocandum eſſe *Emmanuelem.* Voluit enim dicere (per Hebraiſmum) fore *Emmanuelem,* id eſt, *Deum nobiſcum:* ſicuti & cap. 8. dixit vocandum ei nomen: *Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari.* Et cap. 9. vocandum eſſe *admirabilem, conſiliarium, Deum, fortem, principem pacis, patrem futuri ſeculi.* Ex hodierno verò Euangelio diſcimus Chriſtum eſſe illum Emmanuelem, quia ad cœlum aſcendens dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Porrò multis modis Chriſtus eſt nobiſcum: per realem præſentiam in Euchariſtiâ, per ſuum Euangelium, per ſuos vicarios & miniſtros, per ſuam prouidentiam & paternam ſolicitudinem cum iuſtis præſertim, de quâ poſtremâ præſentiâ aliquid nunc dicamus.

Quibus modis Chriſtus fuit cum diſcipulis cùm adhuc in terris degeret, eiſdem etiam credendus eſt eſſe adhuc cum iuſtis.

B. I. Per ſingularem directionem.

Fuit autem PRIMÒ cum diſcipulis per ſingularem directionem, dum omnia quæ audiuit à patre ſuo, nota illis fecit, dum inſtruxit eos in officio Apoſtolico, dum docuit orare, dum gladium Petri inhibuit, & iram filiorum Zebedæi refrænauit, per omnes denique vias præeundo duxit &c.

Hoc pacto fuit cum Magis, quando eos ſtellâ duce duxit ad præſepe ſuum, & reduxit angelo monitore per aliam viam, ne redirent ad Herodem, qui ipſis poſiturus erat inſidias. Sic fuit cum S. Petro quando eum Romam duxit ad Martyrium; & volentem inde diſcedere ac differre adhuc paſſionem ſuam, apparuit ei extra vrbem dicens: *Vado Romam iterum crucifigi;* indicans eo verbo, tempus iam adeſſe vt ſequeretur eum Petrus in Martyrio, ſeque nunc in illo velle crucifigi. Egeſipp. de excidio Ieroſol. Sic direxit S. Ignatium Societ. IESV fundatorem, cùm is aliquando Maurum in Deiparam blaſphemum inſequi & gladio mulctare cogitaret; abductus enim eſt in viam alteram præter opinionem & conſilium ſuum vt ab oculis Maurum perderet, ne quid grauis peccati committeret in eum. Maff. in vitâ lib. 1. c. 3. Quis neget à Chriſto ductam fuiſſe Mariam Magdalenam cum Marthâ, Lazaro & Maximino quando naui impoſita ſine gubernatore & gubernaculo fæliciter Maſſiliam deducta eſt? apud Baron. anno 35. Audiamus S. Paulinum in Epiſt. ad Macarium ſcribentem de quodam ſene Catechumeno, qui in baptiſmo poſteà vocatus eſt Victor. Hic enim in naui ſolus, vi tempeſtatis abreptus, ſine temone, ſine cibo, ſine vllâ hominum ope totis 23. diebus in mari iactatus, à Deo & angelis protectus, paſtus & deductus eſt. *Ipſe enim Chriſtus,* ait Paulinus, *nunc ſuo vultu coruſcus, nunc S. Felicis ore venerabilis ſedebat in puppi, ſenemq́ue allectabat, qui inter eius genua caput reclinabat, vidit & ſæpius angelos excubare nauigio; & cuncta nautici muneris adminiſtrare: nec ſanè nauim illam niſi angeli nauta ducebant, cui gubernaculum erat mundi gubernator. Viginti tres dies homo non modò à terris, ſed ab hominibus excluſus, omnium ventorum ludibrium, omnis terræ exul, diuerſi maris hoſpes, & exſors generis humani, inter fluctus, & belluas maris, in vago erratica nauis hoſpitio, ieiunijs, ſenio, timore confectus, quæſo te, nunquid naturâ ſuâ perdurauit? cui ergo obſcurum ſit, Deum in illo fuiſſe? Nauis primò ad vrbem acta, Romani portus pharum vidit: deinde Campaniam longis tractibus legit, mutatiſq́ue turbinibus in Africa littora tranſuolauit: atque ab ipſis rurſus abrepta: Siciliam tranſcurrit, ita freta ſulcans, vt quaſi diuina nauis, & immiſſo diuinitus ſpiritu ſapiens, ſua ſponte cauenda vitaret, ſequenda peteret. Tandem finem errorum atque diſcriminum in Lucanis poſuit littoribus. Ibi enim piſcatorum opem inclamans ſenex, ab ijs naui in littus protractâ, portum vidit. Quocirca Deo gratias agens baptiſmo ſuſcepto, vitam Chriſtianam & ſanctam inſtituit.* Fusè hæc & eleganter narrat Paulinus. Ita fideles ſuos regit Deus, qui *deducit velut ouem Ioſeph.*

SECVNDÒ. Per ſingularem protectionem: cùm in mari periclitantibus opem tulit, cùm protexit C. II. Per ſingu-

[...]tum protectionem.

protexit eos in monte Oliueti imperans cohorti: *ſinite hos abire*; quod & factum eſt: cùm à Iudæorum furore tutatus, cùm eripuit ſæpe è carceribus, &c. Ita fuit Deus olim cum Abrahamo, cui dixit Gen. 15. *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum.* Hebr. *ego ſum clypeus tuus.* 70. habent, *Ego hyperaſpiſtes tuus*, ſeu *præambulo*. Sic protexit Deus Iacob Patriarcham ab irâ Laban ſoceri perſequentis illum. Præmonuit enim Laban in ſomnis, ne ei quidquam mali faceret, nec aſperè ei loqueretur, *Gen.* 31. Sic Dauidem ab irâ & perſecutione Saulis, 1. *Reg.* 23. quandò Saul in modum coronæ eum cinxerat: interim Deus immiſit Philiſthæos in terram Saulis, & nuntium qui id Sauli nunciaret; ex quo coactus eſt Saul recedere ab obſidione Dauidis. Sic protexit Eliſæum à Syris ad necem eum quærentibus: percutiendò eos cæcitate, 4. *Reg.* 6. Simili modo Loth à Sodomitis, *Gen.* 19. Sed iam ad nouam legem. Sic protexit Chriſtus Gregorium Thaumaturgum Neocæſareæ Ponti Epiſcopum. Cùm enim is comite ſuo Diacono perſecutores fugiens, in montem aſcendiſſet & oraſſet, proditus eſt à quodam perſecutoribus, & in monte vndique cinctus. Sed cùm eum quærerent, duas tantùm arbores iuxta ſe poſitas viderunt. proditor contrà Gregorium cum Diacono ibi eſſe teſtabatur; ſed cùm perſecutores dicerent ſe homines non videre arbores tantùm videre: proditor miraculum & diuinam virorum protectionem agnoſcens rediit ad illos, & ad pedes eorum aduolutus Chriſtianus factus eſt. Greg. Nyſſ. in vitâ. Miro etiam modo Wenceſlaum Bohemorum Ducem tutatus eſt. Cùm enim Vradiſlaus Dux Gurimenſis terram illius infeſtaſſet, ideoque bello abigendus eſſet, mouit contra eum Wenceſlaus: verùm ſolò cum Vradiſlao congredi voluit Wenceſlaus, ne tot millium ſanguis funderetur. Itaque ſupra cilicium loricâ indutus & breui gladio inſtructus proceſſit contra Vradiſlaum thorace ferreâ, haſtaque longa & præacuta armatum. Diceres Dauidem congredi cum Goliatho. Wenceſlaus ſigno crucis frontem munit; alter haſtam in illum vibrat, iam iam occiſurus. Sed eo angelus Domini ferientem corripit hac voce: *Ne feri.* Circumſpiciens Vradiſlaus cùm neminem vidiſſet, Dei vocem & vim agnoſcens procidit ad pedes Wenceſlai, veniamque ab ipſo precatur. Io. Dubrau. in hiſt. Bohem. & Sur. to. 7. Theophila virgo in perſecutione Diocletiani & Maximiani protracta ad proſtibulum, cùm Deum inuocaſſet in ſuæ caſtitatis cuſtodem, ſacræ lectioni incumbens, angelum iuxta ſe cuſtodem accepit. Qui primus ad eam violandam ingreſſus erat, mortuus corruit. Secundus nimio angeli ſplendore excæcatus fores, quibus exiret, quærebat. Similiter & alij. Vnde cæteri rem videntes, ſe proripuerunt fuga. Angelus Virginem eductam Chriſtianorum cœtui reſtituit, Baron. annò 301. Scimus ex Breuiario, S. Felicem presbyterum Nolanum inter duos parietes, præ textu telæ aranearum defenſum à lictoribus. Vnde is dixit, *præſente Chriſto aranea fit murus; abſente Chriſto murus fit aranea.* His addamus Chriſtianos, qui ad annum Domini 1098. in bello ſacro à Papa pro recuperandâ Ieroſolymâ indicto cum eſſent Antiochiæ in ſummâ deſperatione, eò quòd propè adeſſet infinitus pæne Turcarum exercitus, ipſi verò pauci eſſent ac fame propè enecti, ita vt fortiſſimi etiam viri baculis nixi incederent; & pauciſſimos equos haberent, ipſeque copiarum Dux Godefridus Bullionius commodato vteretur equo & multi principes aſinis inſidere cogerentur, tandem manifeſtam ſensêre Dei opem, quandò eis reuelauit Deus vbi eſſet lancea, quâ Chriſti latus in cruce perforatum fuit eaque in bello prælatâ miram dedit victoriam, ita vt occiderint centum millia Turcarum. Cecidit etiam ros diuinitus in illos, qui animis & corporibus vires addidit, apparuerunt etiam tres viri ſancti de cœlo pro illis pugnantes. Ita refert Paulus Æmilius l. 4. hiſt. Franc. Guil. Tyrius l. 6. Dodechinus & alij.

Tertiò. Per conſolationem in tribulationibus & anguſtijs: cùm in vltimâ cœnâ contriſtatos de ſuo diſceſſu iam imminente, longo & dulciſſimo ſermone ſolatus eſt, rurſum poſt reſurrectionem ſuam & aliàs quoties opus erat. Sic etiam adeſt iuſtis alijs in tribulatione poſitis, iuxta id Pſ. 90. *cum ipſo ſum in tribulatione.* Addit enim afflictis talem conſolationem, quâ malunt crucem ferre, quàm ſine cruce eſſe. Intellexit hoc S. Andreas, cum gaudio ad crucem properans, velut ad conuiuium, & ſummo animi ſolatio biduo in eâ pendens, nec refigi volens. Experti hoc in veteri lege tres pueri in fornace, cuius medium fecit Deus, quaſi ventum roris flantem, *Dan.* 2. In nouâ expertus eſt S. Theodorus iuuenis, qui ſub Iuliano Imp. ab hora prima vſque ad decimam in equuleo tortus & acutis teſtis ſuffoſſus, pſalmum decantabat quaſi nihil ſentiret. E torturâ depoſitus dixit, ſe non quidem omni doloris ſenſu caruiſſe; aſtitiſſe tamen ſibi adoleſcentem, qui tenuiſſimo linteo ſudores abſtergebat, & aquâ frigidiſſimâ corpus perfundens, ardores reſtinguebat, & ærumnas ſubleuabat, quod ab eo ſe audiuiſſe Ruffinus lib. 2. cap. 30. teſtatur, cùm Antiochiæ eſſet. Huic addamus alterum Theodorum Ducem exercitûs (apud Surium 7. Febr.) qui cùm in nomine Trinitatis Draconem infenſiſſimum interemiſſet, Imperatoris Licinij Deos aureos & argenteos confregiſſet ac pauperibus diſtribuiſſet (quâ ratione plurimi Chriſto nomina dabant) Imperator eum acceſitum omnibus inimicorum phalangibus ridendum expoſuit. Beatus autem Theodorus dixit ei: *Fremis ô Imperator, ſed ego rugio: Tu ſtertis, at ego exilio: Tu cum Deo pugnas, ego de Deo diſſero: Tu blaſphemas, ego verò Deum hymnis lau-*

D. III. Per conſolationem in tribulationibus.

nis laudo: Tu colis Deos mortuos, ego verum Deum viuum: Tu Serapim, ego verò Deum ſemper viuentem: Tu es carbo Thracius, ego verò princeps Romanus: Tu Licinius ventilator, ego verò Theodorus donum Dei. Quamobrem ne ægrè feras, ô Imperator, neque calcitres: hæc enim faciens, tuos oſtendis cruciatus. Aſini enim & muli tenes figuram. Tunc multâ irâ plenus Licinius iuſſit boum neruis eum cædi, & pluſquam mille plagas ei inferri. Deinde ferreis vngulis lacerari eius carnes, & lampadibus ignis vſtulari eius vlcera, & acutis teſtis radi concretum ſanguinem. Poſt hæc Martyrem ligno affixerunt per manus & pedes. Arbitratus autem impius Licinius eum eſſe mortuum, reliquit in ligno pendentem. Circa primam verò vigiliam noctis adſtans angelus Domini ſoluit eum & reddidit eum ſanum corpore, ſicut prius, eumque ſalutauit & dixit: *gaudeas & corroboreris in ſapientia & gratia Domini noſtri* IESV *Chriſti, ecce enim tecum eſt Dominus Deus: & cur dixiſti: Receſsiſti à me? Conſumma ergo curſum tuæ decertationis, & venies ad Dominum noſtrum,* IESVM *Chriſtum accipiens coronam immortalitatis.* Hæc cùm Martyri dixiſſet angelus, ab eo receſſit. Sanctus autem Martyr Domino ſuo agebat gratias, & cœpit pſallere: *Exaltabo te Deus meus, rex meus & benedicam nomen tuum in ſæculum & in ſæculum ſæculi.*

Victor natione Maurus, primæuâ ætate Chriſtianus, cùm eſſet in caſtris Imperialibus miles compellente Maximiano vt Idolis ſacrificaret, fortiſſimè reſtitit; vnde primò grauiter fuſtibus cæſus, ſed Deo protegente, doloris expers: deinde liquente plumbo perfuſus orabat: *Domine* IESV *Chriſte, propter cuius nomen hæc patior, adiuua me & libera me ſicut liberaſti pueros immaculatos de camino ignis, & confudiſti Tyrannum: ita & me quoque nunc libera, vt erubeſcat Maximianus cum ſatellitibus ſuis.* Mox adfuit Angelus Domini, plumbumque ita refrigerauit, vt eſſet inſtar aquæ è fonte manantis, nec vllâ ex parte martyrem læſit. Ita narrat oculatus teſtis Maximianus notarius in eius vitâ 8. Maij apud Sur. Hoc nimirum eſt, quod prædixit Deus iuſto per Iſaiam cap. 43. *Cùm tranſieris per aquas tecum ero & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris,* &c. Et Ezech. 34. *Ero Paſtor ipſorum, & ero prope ipſos, ſicut tunica prope corpus ipſorum* (ſic enim legit Clemens Alex. *lib.* 1 *pædag.* 9.) Quemadmodum ergo tunica, præſertim craſſa, primò excipit ictus, eoſque lenit ac mitigat vt minùs doleant: ſic mitigat Chriſtus dolores ſeruorum ſuorum.

E. IV. Per amorem & beneuolentiam.

QVARTÒ. Per amorem & beneuolentiam ſpecialem. Cùm enim *dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*; inquit S. Ioannes deſcripturus amorem Chriſti, quo diſcipulis ſuis lauit pedes. Eundem illis exhibuit in ſacræ Euchariſtiæ porrectione, nec non aliàs innumeris modis. Sic adfuit etiam in veteri lege Abrahamo contra Pharaonem, quando ob vxorem ei ablatam flagellauit Pharaonem & domum eius plagis maximis, donec is redderet vxorem Abrahæ inuiolatam, *Gen.* 12. Propter vnum itaque iuſtum flagellauit Regem & regiam. Vnus Abraham iuſtus plus Deo curæ fuit, quàm Pharao cum tota ſua regia. vnde eidem ait: *Ego protector tuus ſum*, Gen. 15. Sed inſpiciamus exempla nouæ legis. In hac occurrit inter alios rurſum S. Wenceſlaus Bohemiæ princeps, de quo hoc narrat Card. Bellarminus lib. 3. de princip. Chriſt. *Otto Imper. deliberandi cauſâ diem ad conueniendum principibus VVormaciam edixerat, quo vbi VVenceſlaus quoque vocatus, ſine vllâ dilatione veniſſet, dicitur poſtridie, dum ſolemne ſacrificium cunctantiùs Sacerdos facit, ipſe ſimiliter cunctantiùs curiam introiſſe, eamque moram, quaſi ex ambitione nata fuiſſet, principes adeò ægrè tuliſſe, vt conſpirarent, ne quis ipſorum venienti aſſurgere, nec ſupra ſe locum conſidendi dare vellet. Perſuaſum denique Cæſari fuiſſe, vt ſine vllo honore Boëmum velut arrogantem tranſmitteret. At Cæſar ex conſpectu duorum Angelorum, qui VVenceſlaum in curiam deducebant, ſubitoq; ibidem diſparuerant, obſtupefactus, throno exilit, aduerſum vadit, ipſumque VVenceſlaum tantùm non adorat, ac manu mox ſua ad ſubſellia perductum, aſſidere ſibi proximum iubet. Cæteris vehementer factum admirantibus, Cæſar facti cauſam aperit, vicißimq; miratur, quòd nemo præter ſe quiſpiam Angelos, tam clarum manifeſtumq; ſui ſpectaculum exhibentes, oculis ſuis adſpexerit. Hic Moguntinus Pontifex, ſe quidem nihil planè vidiſſe inquit, cæterùm horrore quodam ſe perfuſum fuiſſe confitetur, ac tunc demum famæ quoque nuper diuulgatæ, quemadmodum videlicet interuentu numinis, ab hoſtis impetu ſeruatus fuerit VVenceſlaus, fidem ſe habere, quando in præſens paria numina eundem à calumnia vindicauerint: quare inde ſimul vniuerſi errati veniam deprecantur.*

F. V. Per paternam correctionem.

QVINTÒ. Per paternam correctionem; vt cùm Petro dixit: *vade retrò poſt me Sathana.* Et cum euntibus in Emaus dixit: *ô ſtulti & tardi corde*, &c. Et filijs tonitrui: *Neſcitis quid petatis*; & alibi: *neſcitis cuius ſpiritûs eſtis*, &c. Hac ratione adfuit inter alios Dominus S. Martino Epiſcopo, qui aliquando compulſus quadam vrgente causâ, vt nimirum innocentes aliquos liberaret à gladio Maximi Imp. conceſſit aliquantulum in partes Ithacij à Concilio damnati, communicando cum Epiſcopis Ithacianis in ordinatione Fælicis Epiſcopi Treuirenſis (tametſi vt illi ordinationi ſubſcriberet, adduci non potuit) ſatius putans ad horam cedere quàm innocentibus non ſuccurrere, quorum ceruicibus gladius imminebat. Verùm poſtero die inde ſe proripiens, cùm in viâ mœſtus ingemiſceret ſe vel ad horam noxiæ communioni fuiſſe permixtum, angelus ei repente aſſiſtens: *Meritò*, inquit, *Martine compungeris, ſed aliter exire nequiſti. Repara virtutem, reſume conſtantiam, ne iam non periculum gloriæ, ſed ſalutis incurreris.* Itaque ab eo tempore ſatis ſibi cauit ab Ithacianis

Digitized by Google

cianis. Seuerus in vita lib. 3. dial.

G. VI. Per ſufficientem ſuſtentationem.

Sexto. Per ſufficientem ſuſtentationem, vti patet. Sic prouidit Danieli in lacu leonum poſito. Sic Eliæ per coruum tempore famis. Sic & Paulo Eremitæ, procurando ei quotidie dimidium panem coruo latore. Sed recentius exemplum audiamus. Petrus Caniſius vir doctrinâ & religione celeberrimus, vitæque integritate clarus, *cum è ſtomacho cibos auerſante cœpiſſet laborare, ſæpius à miniſtro cubiculi fatigatus, vt ſignificaret quo cibi deſiderio teneretur auiculam tandem nominauit. Prodijt in forum œconomus, nullaq; reperta triſtis domum rediјt; cùm ecce ad veſperam apertâ feneſtrâ cubiculi, auis quaſi diuinitus immiſſa, ſe nullo negotio capiendam, tantum non vltrò offert. Quâ in cœnam appoſitâ, & paruâ & vnicâ contentus, nihil præterea guſtauit, ille tamen lautè ſe opipareq; eo veſpere epulatum affirmabat.* Ita refert in eius vita Matth. Raderus. Quis dubitat hanc cœnulam à Deo ipſi paratam fuiſſe? Alijs Dei ſeruis neceſſaria re deſtitutis ſeruierunt quæuis creaturæ pæne ad quiduis. Fuêre enim Anachoretæ, qui deſtituta ænea ſupellectile, coxerunt obſonia in ligneis vaſis. Inter hos duo, vt ſcribit Gregorius Turonenſis *in Glor. Confeſſ. cap.* 98. conuenerant, deque rebus diuinis verba miſcuerant. Hoſpitem alter conuiuio excepturus olera ex propinquo horto collegerat ad vtriuſque epulas, cumque æneum vas non ſuppeteret in illa tanta rerum inopia, accenſo foco ligneum lebetem aquâ plenum igni ſuperpoſuit, quem etiam maiorem in modum incendit. Feruente lebete, obſonia perinde excocta ſunt abſque æneo vaſe, nulla lignei vaſis aduſtione. Admiratus autem eſt rei miraculum hoſpes; at alter reſpondit: iam ſe plures annos eremum ibi colere, neque alio vaſe, quàm illo ipſo ligneo obſonia concoxiſſe. Neque verò illud inſigne miraculum ſolis ipſis patuit Anachoretis, verùm etiam, qui Auguſtodunenſem agrum inhabitarunt plerique id ſpectarunt. Alius in defectu olei aquam affudit lampadibus, vti Conſtantius Manſionarius Eccleſiæ Anconitanæ S. Stephani, & arſit aqua perinde ac ſi oleum eſſet, vt teſtatur S. Greg. M. *lib. 1. dial. cap.* 5. Alius deficiente clauo vel funiculo, eorum vice vſus eſt radio ſolari, vti S. Goar presbyter, qui cùm delatus fuiſſet ad Epiſcopum Treuirenſem, velut vir ſceleſtus, ad illum mox eſt profectus calumnias paruipendens, magni autem faciens obedientiæ virtutem. Ingreſſus igitur Epiſcopi ædes, defeſſus, cum nuſquam poſſet tunicam ſeu cucculam ſuam deponere ſolis radium intra cibiculum deſcendentem aſpiciens, tunicam ab eo radio ſuſpendit, omnibus id conſpicientibus, diu etenim illum in modum ſuſpenſa veſtis manſit, donec ipſe quoque conſpexit Epiſcopus Waldebertus Diaconus in vita S. Goaris, cap. 9. 10. apud Surium tomo 4. Iulio. Pari ratione S. Vtho ad Meteram flumen primum Eremita ſecurim ſuam ad radium ſolis ſuſpendit: quod in venatione ibidem deprehendit Carolus Magnus, indeque viri ſanctitatem, cui ibi cœnobium extruxit nomine Meten ad Danubium in Bauaria. Rader. in Bauaria S. p. 2. S. Simeon Salus oculorum dolorem alteri, ſinapio & allio depulit necnon aceto adhibito, quibus alioqui rebus deſtrui ſolent oculi. Leont. in vita apud Sur. tom. 4.

Hæc dixiſſe ſufficiat, vt ex paucis argumentis colligamus amorem & fauorem, quem ſeruis ſuis Chriſtus Dominus exhibuit. Quiſquis ergo Chriſtum Dominum ſibi aſſiſtentem habere deſiderat, curet vt ſit ſeruus & amicus eius. Iuſtis enim ea promiſſio facta eſt.

CONCIO X.

Myſteria.

1. *Quæritur primò vbi Chriſtus hæc verba locutus fuerit? Reſp. in Galilæa ſupra montem.*
2. *Quando & cur data ſit Chriſto omnis poteſtas.*
3. *Cur Baptiſmus aqua inſtitutus.*
4. *Cur in nomine Trinitatis miniſtrandus.*
5. *Cur non explicauerit nobis Chriſtus myſterium Trinitatis.*
6. *Quænam illa Chriſti mandata ſeruanda.*
7. *Quâ ratione Chriſtus ſit ſemper cum Eccleſiâ.*

THEMA.

Euntes ergo docete omnes gentes.
Matth. 20.

A. Diuus Bernardus in ſermone de ſanctiſſima Trinitate ita ſcribit: *Eſt Trinitas à quâ homo cecidit, Pater, & Filius & Spiritus ſanctus, & eſt Trinitas quæ cecidit, intellectus, memoria & voluntas: & eſt Trinitas in quam iſta cecidit, impotentia, ignorantia & concupiſcentia: & eſt trinitas per quam Trinitas cadens reſurgit ad Trinitatem de quâ cecidit, ſcilicet fides, ſpes & charitas.* Ita S. Bern. Cui nos aliam aliamque Trinitatem poſſumus adiungere in hodierno Euangelio: tria, inquam, officia Chriſti Domini, quibus orbem adminiſtrat; deinde tria media quibus fideles ſuos ad æternam felicitatem perducit. Igitur in hodierno Euangelio tria præſtat Chriſtus, quæ ſunt boni principis officia. Primò aſſerit ſe legitimam habere poteſtatem à Deo Patre acceptam ad Eccleſiam gubernandam, ſiue militantem, ſiue triumphantem. Deinde poteſtatem illam incipit exercere, ablegando in orbem Apoſtolos ſuos quibus tria mandat ad ſalutem neceſſaria: Catechiſmum ſeu inſtructionem fidelium, baptiſmum & mandatorum obſeruationem. Primum vt doceant omnes gentes per vniuerſum orbem. Secundum, vt baptizent in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Tertium, vt iubeant eos ſeruare mandata ſua. Denique promittit eis opem & aſſiſtentiam ſuam ad exequendum munus Apoſtolicum.

Digitized by Google

ſtolicum. Quæ omnia ſummo conſilio à ſummâ ſapientiâ geſta ſunt, ideoque penitiùs inſpicienda.

B. I. Vbi Chriſtus hæc verba locutus. Apparitio in monte Galilææ omnium celeberrima.

Q. Primò, vbi Chriſtus verba hodierni Euangelij locutus eſt? Reſp. in Galilæa ſupra montem, quem conſtituerat Dominus; (cæteris enim apparitionibus locum non aſſignauit.) Vnde apparet hanc apparitionem fuiſſe celeberrimam. Primò ratione multitudinis, quæ eò confluxit. Credibile enim eſt ibi adfuiſſe omnes Chriſti fideles, qui tunc ei adhæſerant, atque, vt multi putant, pluſquam quingentos fratres, quibus apparuiſſe
1. Chriſtum ſcribit Apoſtolus 1. Cor. 15. Siquidem in Galilæa abſque metu conuenire poterant, quòd non licebat eis in Iudæa ob fu-
2. rorem Iudæorum. Secundò, Ratione loci, qui fuit mons ſpatioſus, atque, vt putatur, Thabor; quò nimirum ibi monſtraret palam gloriam ſuam, ſtabilem & inamiſſibilem, vbi priùs paucis monſtrârat eam obiter ad breue tempus, in paſſione obſcurandam. Tertiò ratio-
3. ne rerum, quæ ibi tractatæ ſunt maximi momenti. Declarat enim ibi Dominus ſe Regem cœli & terræ conſtitutum: ablegat Apoſtolos ad vniuerſum orbem ſibi ſubiugandum; promittit illis continuam & perpetuam aſſiſtentiam.

C. II. Quando & cur data eſt Chriſto omnis poteſtas.

Q. Secundò, Quando & quo titulo data eſt Chriſto omnis poteſtas? Reſp. triplici ratione æternæ generationis, ratione incarnationis, ratione paſſionis ac mortis eius. Primò ergo quà Deus accepit poteſtatem cœ-
1. li & terræ à Patre per ſuam generationem ab
2. æterno. Secundò, quà homo accepit eam ob vnionem hypoſtaticam in inſtanti incarnationis ſuæ, ſed per modum habitûs vel hæreditarij iuris, nondum plenè vſurpati. Tertiò, item
3. quà homo ob meritum paſſionis & mortis ſuæ quoad vſum & plenarium exercitium. Triplici ergò titulo ipſe noſter Dominus eſt & nos ſerui ſumus, diuinitatis, hæreditatis, meriti. Vnde bene Dauid ſemel, iterum, tertiò ſeruum eius ſe appellat? *ô Domine quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ* pſal. 115.

D. III. Cur baptiſmus aquæ inſtitutus.

Q. Tertiò. Cur baptiſmus aquæ à Chriſto inſtitutus & præceptus ad ſalutem conſequendam? Reſp. ob plures cauſas ſiue congruentias. Primò, vt ſpiritualis hominum regeneratio reſponderet primæ animantium generationi, quæ ex aquis facta eſt, Gen. 1. *producant aquæ reptile animæ viuentis & volatile ſuper terram.* Reptilia ſignificant Chriſtianos, terræ & terrenis cupiditatibus addictos, quaſi humi repentes, & proinde immundos. Volatilia Chriſtianos cœlo & cœleſtibus bonis intentos Deoque addictos. Rurſum reptilia ſæculares: Volatilia religioſos notant; & ſicut reptilia longè plura ſunt quàm volatilia, ita longè plures reprobi quàm probi: ſæculares quàm religioſi. Præterea, vt docet Ariſtoteles, humiditas requiritur ad generationem corpoream; ad eius igitur imitationem accomodauit Deus ſpiritualem.

Secundò, Quia aptè repræſentat cauſam efficientem gratiæ baptiſmalis mortem Chriſti 2. videlicet. Nam vti Chriſtus morte ſuperatâ terræ commendatus & tertiâ die ſine carnis corruptione reſuſcitatus eſt: ita qui baptizatur aquæ immergitur, indeque rurſum mox emergitur ſine læſione? vt ſciat ſe Chriſto conſepultum eiuſque temporali morte ab æterna morte ereptum eſſe.

Tertiò, Quia repræſentat principalem baptiſmi effectum, qui eſt ablutio à peccatis. Vt 3. ergò per aquæ merſionem vel lotionem purgatur homo à ſordibus corporis: ita per baptiſmum abluitur à ſordibus animæ; iuxta id Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam & mundabimini, ab omnibus inquinamentis veſtris.* Accedunt alij effectus minus principales; vt enim aqua temperat æſtum, radios ſolares excipit & repræſentat ipſum ſolem, &c. ita baptiſmus concupiſcentiæ & vitiorum ardorem refrigerat, characterem & præterea gratiam, ſplendidiſſimam Dei imaginem homini imprimit. Vt ergò internas baptiſmi operationes intelligeremus, externam aquæ ablutionem ſtatuit adhibendam Dominus.

Quartò, Quia aqua paſſim reperitur omnibus communiſſima. Tali autem materiâ in- 4. diguit ſacramentum omnibus neceſſarium ad ſalutem. Sufficit autem in neceſſitate, quæuis aqua elementaris. Nihilominus Eccleſia ſolet ab antiquiſſimis temporibus (vt habetur apud Clementem & Dionyſium Apoſtolorum diſcipulos, Baſilium, Ambroſium, Auguſtinum & alios) benedicere ſeu conſecrare aquam baptiſmalem & adhibere ad baptiſmum, tum ad excitandam hominum deuotionem, tum ad pellendas Diaboli inſidias, tum ad ſacramenti reuerentiam. Refert Greg. Turonenſis *de gloria Martyrum cap.* 23. in Luſitaniâ ſingulis annis quodam loco pridie paſchæ Baptiſterium aquis miraculosè repleri conſueuiſſe.

E. IV. Cur in nomine Trinitatis adminiſtrandus.

Q. Quartò. Cur in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis adminiſtrari mandatus? Reſp. Primò: quia ſanctiſſima Trinitas ſalutis noſtræ origo, cauſa & fundamentum eſt; proinde baptizando expreſsè proponi debet, vt eam confiteri & profiteri queat. Secundò, 1.
Per baptiſmum præparatur in homine habi- 2.
tatio toti Trinitati; ergo eidem expreſsè aſſignanda eſt; quo modo habitaculo Cæſari decreto inſcribi ſolet: *Cæſareæ Maieſtatis manſio.* Eò facit Græcus textus, qui habet εἰς ὄνομα in ſeu ad nomen Patris, &c. Tertiò, 3.
Quia baptiſmus à totâ Trinitate vim iuſtificandi habet. Propter has, vt arbitror, cauſas, in baptiſmo Chriſti totâ Trinitas ſe præſentem ſenſibiliter exhibuit, Pater, in voce: *Hic eſt filius meus dilectus:* Filius, in humanâ naturâ: Spiritus S. in columbæ ſpecie, ſuper eum ſe demittens. Diſcant hinc, qui baptizant, neceſſariò & eſſentialiter exprimendam eſſe ſanctiſſimam Trinitatem, nec valere baptiſmum in nomine Chriſti. Quod enim in

Actis

Digitized by Google

Actis Apoſtolorum *c.* 2. & 8. ſcribitur baptizatos eſſe aliquos in nomine Chriſti, intelligendum eſt, in fide, profeſſione, meritis, virtute & baptiſmo Chriſti baptizatos eſſe, eo tamen ritu quem inſtituit Chriſtus.

F. V. Q. QVINTÒ, Quamobrem Chriſtus Dominus non explicauit nobis myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis? Reſp. Primò: quia noſter
Cur non explicauit Chriſtus myſterium Trinitatis. intellectus tanti myſterij capax non eſt, cùm ſit incomparabile, vt oſtenſum eſſe à Deo S. Auguſtino refert Thomas Cantipratanus, *l.* 2. *Apum c.* 48. Cùm enim ſanctus ille librum de Trinitate componeret & ad littus maris pro-
1. pe Hipponem (cuius vrbis Epiſcopus erat) deambularet, meditabundus & *ſolus incederet, puerulum miræ pulchritudinis ibi ſedentem inuenit, qui factâ in terrâ foſſâ paruulâ (ſicut pueri in plateis ludentes ſolent) cochleari argenteo aquam de mari hauriebat, & in illam paruam foſſam effundebat. Quem vt B. Auguſtinus ita serioſe ſedentem vidit, pedem mox preſſit, & ſtetit: procedenſq; inde, puerum ſalutat, & inquirit quid agat: & puer cum magno ſerio reſpondens: Volo, inquit, totum iſtud exhaurire mare, & iſti foſſæ, ſi poſſim, infundere. Quo reſponſo, quaſi puerili, vir ſanctus in riſum decentiſſimum concitatus, reſpondit: Et quomodo, inquit, ô bone puer, hoc poteris? Ingens eſt mare, & paruum cochlear quo hauris, foſſa etiam parua, in qua fundis. Et mox puer: Poſsibilius, inquit, mihi hoc eſt facere, quod intendo, quam te implere quod cogitas. Ad hoc B. Auguſtinus mirabiliter ſtupefactus, quid hoc eſſet interrogat. Et puer: cogitatu, ait, voluis & æſtimas volumine breui concludere, quid ſit illud indiuidua Trinitatis inexplicabile ſacramentum. Et hoc quidem antequam poßis, iſti foſſa paruulæ potius totum maris vndas infundam. Hæc dicens puer repentè diſparuit: B. verò Auguſtinus Chriſtum in facto glorificans, quam verum puer dixerat, mox aduertit.*

Ergò intellectus noſter non niſi foſſula quædam & ſcrobiculus eſt reſpectu diuinorum myſteriorum, quæ immenſum pelagus ſunt. Et ſi quæ in terra ſunt, indagare penitus nequimus, cœleſtia quomodo capiemus? Hanc ob cauſam deriſus ab ancilla fuit Thales ſeptem ſapientum vnus, cùm cœlum conſiderans, in foueam cecidiſſet, dicente illa: *Et tu quæ ſupra te ſunt, indagabis, ſi quæ ante erant, videre non poteras?* Anton. in Meliſſa part. 2. ſerm. 77.

2. Secundò, Quia non decet diuinitatem, vt arcana eius penetremus. Qui Arcam fœderis curioſiùs inſpexerant, morte ſubitâ plexi ſunt, 1. Reg. 6. Apud Perſas qui Reginam curioſè intuiti eſſent, morte mulctabantur. Gloriemur nos talem ac tantum habere Deum, quem capere non poſſumus. Epictetus Gentilis Philoſophus dixit: *Si omninò ego Deum declararem, vel ego Deus eſſem, vel ille Deus non foret.* Myſterium Trinitatis baſis eſt fidei noſtræ. Ergò vt baſis ædificiorum abdita eſt in terrâ? ſic decuit, vt eſſet baſis fidei occulta.

3. Tertiò, Ne euacuaretur meritum fidei, ſi quantum etiam nos capere poſſumus, myſterium id explicuiſſet. Quâ de re S. Auguſtinus *ſer.* 18. *ſuper Ioan.* ait: *Vnde & quomodo capitur Trinitas? Rectè ô homo interrogas: ideò bene creditur quia citò non capitur: nam ſi citò caperetur, non eſſet opus vt crederetur, quia videretur.* Et ſer. 191. de temp. *Requiris à me,* inquit, *quomodo vno nomine tres appellentur? neſcio, & libenter me neſcire profiteor: quod Chriſtus voluit indicare hoc ſolum ſcio, & quia in hoc Chriſtianus ſum &c.* S. Bernardi dictum eſt: *Magna fides de Deo meretur magna*, ſerm. 33. in Cant. Talis autem eſt fides Trinitatis, credere tres eſſe vnum: vnum eſſe ab alio & non poſt alium: vnum dare alteri totum & idipſum totum ſibi retinere, &c.

Quartò, Vt haberent quod inquirerent Theologi, ſaltem eouſque vt appareat non eſſe contra rationem, imò rationi conforme myſterium Trinitatis: itaque in hoc ſtudio non honeſtè ſolùm, ſed & meritoriè occuparentur. Quare Theologi ad inſtar Seraphinorum illorum, qui ſpeculantes ſanctiſſimam Trinitatem Iſa. 6. velabant alis facies ſuas, adeoque ex parte non videbant, intenderunt aciem ſuam in altiſſimum hoc myſterium & viderunt quidem aliquas eius delineationes, ſed rudes & imperfectas, vti S. Auguſtinus in lib. de Trinitate, vbi duas affert ſimilitudines, primam ſolis, qui vnus cùm ſit, triplicem habet lucem, vnam in ſe, alteram in aëre à ſe illuminato, tertiam, in obiecto quod cernitur, ab vtroque exeuntem. Alteram ſcientiæ, quam quis diſcit à ſeipſo: eam tamen alteri communicat, & mox vterque alij ſimiliter. Richardus Victorinus lib. 6. de Trinitate cap. 25. *Ecce,* inquit, *ſunt tres aliqui, quorum vnus ſcientiam aliquam inuenit & docuit, alter ab eodem inuento: e didicit & ſcripſit: tertius legit & intellexit. Primus habet à ſeipſo, ſecundus à ſolo primo, tertius tam à primo quàm à ſecundo. Nam ex eo quòd primus eam inuenit & alter ſcripſit, ad tertij notitiam peruenit.* Euſebius *lib.* 5. *de ſymbolo* trium facularum affert ſimilitudinem, quæ ſi iungantur accenſæ, non tres flammas ſed vnam referunt, non tamen vna fax, ſed tres ſunt faces. Andreas Cretenſis myſterium hoc comparat puellæ ſe in ſpeculo contuenti, quæ viſam in ſpeculo imaginem ſuam amat, quemadmodum Poëtæ fabulantur de Narciſſo, qui ſe in fonte aſpiciens, ſui amore deperiit. Ita enim cœleſtis Pater ſeipſum ab æterno inſpiciens, pulcherrimam ſui imaginem expreſſit, Filium, quem Apoſtolus *ad Hebr.* 1. *figuram ſubſtantiæ eius* appellat. In hoc ergò ſe agnoſcens, ſuam æqualem ſibi pulchritudinem ſummo dilexit amore, qui eſt Spiritus ſanctus ab vtroque procedens. S. Anſelmus in Epiſt. de Incarnat. Verbi, & S. Cyprianus in ſymb. Apoſtolorum, Trinitatis arcanum aiunt eſſe ſimile aquæ perenni, quæ à fonte deriuatur in fluuium & mox inde in vnum confluens alueum, efficit lacum. Fons Pater, fluuius Filius, lacus Spiritus ſanctus, in quo omnes diuinæ naturæ communicationes terminantur. Et ſicut floſculus cadens in fontem

tem rapitur in fluuium & ab hoc in lacum: ita omnes diuinæ perfectiones à Patre in Filium, ab vtroque in Spiritum ſanctum deriuantur. His conſentiunt, quæ S. Auguſtinus lib. *de fide & ſymbolo c.6.* ſcribit: *De fonte interrogati*, inquit, *non poſſumus dicere quod ſit fluuius, nec de fluuio interrogati poſſumus dicere quòd ſit fons, & rurſus potionem aqua quæ de fonte vel fluuio eſt, nec fluuium nec fontem poſſumus appellare; tamen in hac trinitate aquam nominamus. Nam ſi quæro vtrùm in fonte aqua ſit? reſpondetur, aqua: & ſi quæramus vtrùm aqua in fluuio? Nihil aliud reſpondetur. Et in illa potione non poteſt eſſe alia reſponſio; nec tamen eas tres aquas, ſed vnam dicimus. Sicut in arbore radix non niſi radix, nec robur niſi robur, nec ramos niſi ramos poſſumus dicere; non enim id quod dicitur radix, poteſt dici robur, & rami, nec lignum quod pertinet ad radicem poteſt alio etiam tranſitu nunc in radice eſſe nunc in arbore, nunc in ramis, ſed tantummodò in radice, cùm illa regula nominis moneat, vt radix lignum ſit, & robur lignum, & rami lignum, nec tamen tria ligna dicantur, ſed vnum.* Quòd ſi iſtæ ſimilitudines alicui non ſatisfaciunt, quia reuerà claudicant, non mirum; quæ enim creatura conferri poteſt creatori? Sed ad alia pergamus.

G. VI. Quæ illa Chriſti mandata ſeruanda.

Q. SEXTÒ, Quænam illa Chriſti mandata, quæ ſeruari præcepit? Reſp. reuocari poſſe ad 4. capita. Primum eſt de dilectione mutuâ, toties nobis inculcatâ: *Mandatum nouum do vobis. Hoc eſt mandatum meum, vt diligatis inuicem* nouo ſcilicet modo, vt non amicos

1\. tantùm ſed & inimicos diligamus: non verbo tantùm, ſed & opere: non ob commodum noſtrum, ſed proximi: non in vitam temporalem, ſed æternam, &c.

2\. Secundum, Eſt de ſeruando Decalogo, de quo adoleſcenti dixit: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, Matth. 17. verùm iuxta Chriſti & Eccleſiæ expoſitionem, non iuxta Gloſſas Phariſæorum, vel ritum Iudaicum.

3\. Tertium, Eccleſiæ regimen & rectores concernit, partim ab ipſo Chriſto, partim à Spiritu ſancto traditum, de Sacramentis, ſacrificio, cæremoniis, cenſuris, &c.

4\. Quartum, Ad mores & viuendi rationem Chriſtianam ſpectat, toti Eccleſiæ communem, velut de ratione & tempore ieiunandi, confitendi, communicandi aliaque ſacramenta ſuſcipiendi, de Eccleſiæ præceptis obſeruandis, & vniuerſim de audiendâ Eccleſiâ velut matre; *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

H. VII. Quâ ratione Chriſtus ſemper eſt cum Eccleſia.

Q. SEPTIMÒ, Quâ ratione Chriſtus cum Eccleſiâ ſuâ ſemper eſt vſque ad conſummationem ſæculi? (Toti enim Eccleſiæ, non Apoſtolis tantùm facta promiſſio cenſenda eſt) Reſp. eam aſſiſtentiam non ſolùm intelligendam de Chriſti diuinitate, ſed etiam de humanitate. Secundùm diuinitatem adeſt illi non ſolùm per ſuam immenſitatem, ſed præstereà etiam per gratiam & paternam prouidentiam, tutelam ac gubernationem. Secundùm humanitatem adeſt ei inſpiciendo & conſiderando omnes omnium mortalium actiones, deinde in Sacramento Euchariſtiæ realiter & in propriâ perſonâ. Rem difficilem profectò commendarat Chriſtus Apoſtolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritûs ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Quâ enim ratione tam pauci Apoſtoli opus tam grande perficere, mundum vitijs & ignorantiis tam vndique obſeſſum expugnare & ad Chriſtum adducere poſſent? verùm totam hanc difficultatem eneruat Dominus illo additamento: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus.* Cùm enim ipſi data eſſet omnis poteſtas in cœlo & in terrâ, erat ergò hæc poteſtas etiam cum Apoſtolis. Quare de ſucceſſu Euangelij nihil iam dubitare poterant. Ita dicebat Dauid Pſ. 17. *In te eripiar à tentatione* (Hebr. *in te percurram exercitum*) *& in Deo meo tranſgrediar murum.* Chriſti ergò præſidio nixi Apoſtoli percurrerunt totius Paganiſmi exercitum & tranſgreſſi ſunt omnes ciuitatum muros, nec non alta mœnia Romæ, iiſque inuexerunt Euangelium. Itaque, Auditores, nihil quod à Chriſto imperatum nobis eſt, difficile reputetur; quia qui dedit præceptum, promiſit etiam & dat vires. In ipſo percurremus omnes mundi, carnis & diaboli exercitus: in ipſo tranſgredicmur murum, omnia, inquam, ſalutis obſtacula, tandemque altiſſima illa cœleſtis Romæ mœnia; ad quæ nos perducat, qui dat vires, Amen.

DOMI-

DOMINICA SECVNDA PENTECOSTES.

Euangelium Luc. 14.

IN illo tempore, dixit Iesvs Phariſæis parabolam hanc: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos: & miſit ſeruũ ſuum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata ſunt omnia. Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam. Rogo te, habe me excuſatum Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non poſſum venire. Et reuerſus ſeruus, nuntiauit hæc Domino ſuo. Tunc iratus paterfamilias, dixit ſeruo ſuo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cœcos & claudos introduc huc. Et ait ſeruus: Domine, factum eſt, vt imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſeruo: Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.

CONCIONES.

I. S. Euchariſtia cœna magna.
II. Facilia credita oſtenduntur circa Euchariſtiam, quæ hæreticis incredibilia videntur.
III. Sa rificium Miſſæ aſſeritur.
IV. De dignitate ſacrificij Miſſæ.
V. Triplices excuſatores in quadruplici cœnâ, pœnitentiariâ, Euangelicâ, Euchariſticâ, beatificâ.
VI. Varij modi compellendi homines ad ſalutem.
VII. Tria tempora & tres modi, quibus tria hominum genera vocata ſunt ad fidem.
VIII. Quid retineat hæreticos, ne conuertantur.
IX. Documenta.
X. Myſteria.

CONCIO I.

S. Euchariſtia cœna magna.

Hæc cœna vocatur magna ob varias rationes.
1. *Quia magnus eſt eius inſtitutor.*
2. *Ex magno inuitatorum numero.*
3. *Ex epulis ſolectiſſimis.*
4. *Ex ſumma eius neceſſitate.*
5. *Ex maxima vtilitate, qualis eſt roborare ad martyrium, armare contra hoſtes &c.*
6. *Ex maximo periculo quod ſubeunt indignè ad eam accedentes.*

THEMA.

Homo quidam fecit cœnam magnã. Luc. 14.

A. Aſſueri conuiuiũ, typus Euchariſtiæ.

NOn fruſtra ſanè Spiritus ſanctus voluit deſcribi, totque coloribus depingi magnum illud Aſſueri conuiuium; de quo legimus in *lib. Eſther. cap.* 1. Præfigurabat enim Euchariſtiam, quam inſtituit Chriſtus ante paſſionem ſuam, de quâ canit Eccleſiâ: *ô ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur.* Rectè enim per Aſſuerum, quem interpretantur *principem* vel *caput*, Chriſtum intelligimus, qui *princeps eſt regum terræ* & caput omnium hominum. Suſan verò ciuitas, in quâ conuiuium exhibitum eſt, Eccleſiam deſignat. Suſan enim *lilium* ſignificat: de Eccleſia autem ſponſus ait in Canticis, cap. 2. *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Tabernacula porrò; ſub quibus plurimæ menſæ ad conuiuium inſtructæ, varios Epiſcopatus, in quibus multæ parochiæ ſunt, denotant. Quod verò in veſtibulo horti regij conuiuium apparatum fuit, ſignificat militantis Eccleſiæ conuiuium, in veſtibulo triumphantis dari: ab illâ enim ad hanc, gradum faciunt fideles.

Porrò hoc conuiuium rectè vocamus cœnam magnam, quia maior longè & præſtantior eſt conuiuio Aſſueri, quod nunc oſtendemus.

Primò; Quia magnus eſt, qui inuitat & cœnam exhibet, Chriſtus Deus. Aſſuerus regum ſui temporis maximus fuit, *Eſth.* 11. & 13. ſed Chriſtus multò veriùs & abſolutè maximus omnium Regum eſt. Primò, quia fuit rex ab æterno, adeoque etiam rex natus, vti dicunt Magi: *vbi eſt, qui natus eſt rex?* Matth. 2. Secundò, quia ipſe omnes alios reges inſtituit. Prouerb. 8. *per me reges regnant.* Tertiò, quia regnum eius non caducum, vt aliorum regum, ſed æternum eſt. Pſ. 144. *regnum tuum omnium ſæculorum.* Quartò, quia vniuerſale eſt. Omnes enim alij reges ſunt eius ſerui & tributarij. Pſ. 71. *Omnes reges ſeruient ei.* B. 1. Ex inſtitutore Chriſto.

Iam ſi pro magno habetur, & iure quidem, inuitari à rege ad Conuiuium: quantò plus eſt inuitari nos à rege regum? Certè Aman primus inter Aſſueri principes pro maximâ accepit gratiâ inuitatum ſe eſſe à reginâ ad conuiuium cum rege. Vnde iactabundus ait: *Regina quoque Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege præter me: apud quam etiam cras cum rege pranſurus ſum. Eſth.* 5. Nos igitur con potiori iure poterimus gloriari, inuitatos eſſe nos ab ipſo Dei filio?

Porrò Aſſuerus conuiuium illud inſtituit duas ob cauſas. Primò vt oſtenderet potentiam & diuitias gloriæ regni ſui. Secundò ob primordia regni ſui Suſani, ſeu ſedis collocatæ in Suſan, vt colligitur ex Hebræo textu. Chriſtus ſimiliter inſtituit cœnam ſuam, Primò ob initium regni ſui, quod perfectè cœpit in paſſione; quando ſedem ſuam poſuit in Cruce. Ergò immediatè ante paſſionem inſtituit memoriale paſſionis ſuæ, in quâ ſe ita pro nobis morti in eſcam, vt ſic dicam, tradidit, ſicut ſe nobis in Euchariſtiâ tradit.

Secundò, Vt oſtenderet in Euchariſtiâ diuitias potentiæ, ſapientiæ & bonitatis ſuæ. Potentiæ, quia vnico verbo & momento plurima edidit miracula, tam in pane quàm in ſuo corpore, cùm panem mutauit iu corpus ſuum: cùm accidentia ſuſtentauit ſine ſubiecto: cùm ſe in pluribus locis, totum in exigua quantitate conſtituit, &c. Bonitatis & charitatis, quia ſeipſum nobis in alimentum tradidit & ſecum omnia ſua: virtutes, merita, gloriam. Sapientiæ verò, quia modum ineffabilem adinuenit communicandi ſe hominibus & intimè vniendi, ita vt ex ipſo & in ipſo viuamus, ſicut palmites ex vite.

C. II. Ex magno inuitatorum numero.

SECVNDÒ, Quia plurimi ſunt inuitati. Aſſuerus ad conuiuium ſuum inuitauit omnes principes & pueros ſuos, nec non omnem populum, qui inuentus eſt in Suſan, à maximo vſque ad minimum: Multò maius eſt conuiuium Chriſti. Id enim exhibuit Primò Apoſtolis ſuis, & per eos poſtea vniuerſum orbem ad illud inuitauit, & exhibet hodieque omnibus, quotquot ſunt fideles, nullo prorſus diſcrimine. Admittuntur ſummi, admittuntur infimi: nihilo plus, nihilo minus iſtis apponitur ſumendum. Et cùm iam tot ſæculis tot millia hominum ſaturata ſint hac mensâ; nihil tamen ei demptum eſt, ſed manet adhuc plena & cibis inſtructiſſima. Conuiuium Aſſueri durauit annum medium, centum videlicet octoginta diebus. At conuiuium Chriſti durat iam annis 1600. & durabit ad finem mundi. Conuiuio Aſſueri ſemel tantùm frui licebat: at conuiuio Chriſti frui licet, quoties placet.

Deinde vt in conuiuio Aſſueri multi erant miniſtri (quos Ioſephus vocat Diacopos) menſis præpoſiti: ita in Eccleſiâ longè plures ſunt miniſtri SS. Euchariſtiæ, ſacerdotes & Diaconi, ad hoc ſanctificati & cœleſti charactere inſigniti, qui menſæ Domini præſunt & attendunt ad eorum mores, quomodo quiſque communicet, &c.

D. III. Ex epulis ſelectiſſimis.

TERTIÒ, Quia epulæ ſelectiſſimæ. In Conuiuio Aſſueri cibi erant varij alijs atque alijs vaſis illati, & ſine dubio lautiſſimi; ſiquidem *Perſici apparatus* prouerbio celebrantur. Vinum dicitur fuiſſe *abundans & præcipuum*. In conuiuio Chriſti cibus & potus tam ſelectus eſt, vt præſtantior eſſe non poſſit. Eſt enim Chriſtus Primò cum ſuâ diuinitate, quæ eſt fons omnis boni. Secundò cum ſuâ animâ, omnis ſapientiæ, gratiæ & virtutum pleniſſimâ, creaturas omnes ſuâ perfectione longè ſuperante. Tertiò cum carne ſuâ benedictâ, à Spiritu S. ex virgineâ matris carne formatâ, ipſi diuinitati hypoſtaticè vnitâ. Quartò cum ſanguine ſuo pretioſo pro nobis effuſo, cuius vnica gutta infinitum habet valorem, & pretioſior eſt omnibus omnium ſanctorum meritis. Quid vltrà cupediarum deſiderare poſſumus? *Magna miſeria*, dicebat S. Franciſcus, (vt habetur in eius ep. ad ſacerdotes ſui Ordinis: quæ habetur tom. 5. Bibliot. SS. PP.) *& miſeranda infirmitas, quando ipſum* (Chriſtum) *ſic præſentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paueat, totus mundus contremiſcat & cœlum exultet, quando ſuper altare in manibus ſacerdotis eſt Chriſtus filius Dei viui*, ſic ille.

Deinde cibus Euchariſticus mirâ arte confectus eſt. Nam Primò per conſecrationem vno verbo in momento mutatur panis in corpus Chriſti. Secundò, Accidentia panis remanent ſine ſubiecto. Tertiò, Chriſtus cum totâ ſuâ naturali quantitate eſt in paruâ hoſtiâ & in quauis eius parte, ſi frangatur. Quartò, Eſt ſimul in pluribus locis, vbicunque videlicet ſunt hoſtiæ conſecratæ. Quintò, Nihil in hoſtiâ patitur, licet ea frangatur, pungatur, comburatur, &c. Sextò, Semper durat hic cibus, & permanet tam recens, quàm in ipſo inſtitutionis die fuit.

E. IV. Ex ſummâ eius neceſſitate.

QVARTÒ, Quia cœna hæc omnibus maximè neceſſaria eſt. In conuiuio Aſſueri quia regina ad iuſſionem regis comparere noluit, iram regis incurrit & repudiata eſt ab eo. Idem à Chriſto expectent qui cœnam eius ſpernunt. Quare in hunc ſenſum poſſumus intelligere, quod legimus in hodierno Euangelio, iratum patremfamilias iis, qui venire ad cœnam noluerunt, dixiſſeque: *Nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam*. Hoc enim & illis eueniet, qui, cùm opus eſt, (v.g. tempore paſchali, in lethali ægritudine vel alio mortis periculo) Euchariſtiam ſumere contemnunt. De eâ enim Dominus ait: *niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, Ioan. 6. Conſtituta eſt enim Euchariſtia à Chriſto tanquam viaticum neceſſarium noſtræ peregrinationis, ita vt ſine eo (ſaltem in voto ſuſcepto) peruenire ad patriam non poſſumus. Quo videtur alluſiſſe Chriſtus, cùm dixit Marci. 8. *Miſereor ſuper turbam, quia non habent quod manducent, & ſi dimiſero eos ieiunos, deficient in viâ.* Vt enim ſine cibo corporali diu viuere aut progredi non poteſt corpus, ſed citò debilitatur & corruit tandem: ita ſuo modo anima ſine cibo ſpirituali. Quâ in re figurata eſt Euchariſtia in pane illo ſubcinericeo, quo refectus ab Angelo Elias ambulauit in fortitudine cibi illius vſque ad montem Dei Oreb, 3. *Reg* 19.

F. V. Ex maximâ vtilitate.

QVINTÒ. Quia maximæ vtilitatis. In conuiuio ſuo, Aſſuerus voluit conuiuas exhilarare, ſibi deuincire & reginæ ſuæ pulchritudine oſtenſa oblectare. Sed longè maior fru-

ctus

ctus cœnæ Chriſti Domini. Præter enim effectus eius ordinarios, quos alibi recenſuimus, ſæpenumero parit extraordinarios, miros & magnos. Nam Primò olim Martyres roborauit & animauit ad martyria & quæuis acerba fortiter perferenda, vt patet ex Cypr. *l.1.ep.2.ad Cornel.* eaque de cauſa Euchariſtiam tempore perſecutionis domum deferebant, vt illam inſtante martyriò ſumerent; quod etiam Pontifex conceſſit Mariæ Scotiæ reginæ (quæ ab impiâ Eliſabethâ Anglâ perfidè necata eſt) cùm Sacerdote deſtitueretur. Florimund. Remund. de orig. hæreſ. parte 2. Ob eandem cauſam ſtatuit Anacletus vt omnes Chriſtiani Miſſæ præſentes, ſub eâ communicarent, ob incrudeſcentem Traiani perſecutionem.

1. *Roborat ad martyrium.*

Secundò, Armauit contra hoſtes ad victoriam parandam. Quâ de re hæc ſummatim narrat Corn. à Lapide in c.9. Zach. Otto Imp. prælium commiſſurus cum Hungaris, priùs cum ſuis Euchariſtiam ſumpſit, ac deinde dimicans ingentem hoſtium numerum trucidauit & illuſtrem victoriam obtinuit anno Domini 955. vti ſcribit author vitæ S. Vdalrici, & ex eo Cardin. Baronius. Qui & anno Dom. 1040. ex Curopalata & Cedreno narrat, Catalacum Præfectum Michaëlis Imp. magnas Saracenorum copias Meſſinam inuadentes profligaſſe, militibus ante aciem ſacro viatico communitis. Idem ſolitum facere ante prælia Henricum Imp. maritum S. Cunegundis, ex Petro Damiano & Bonifacio narrat anno Domini 1022. Scribit Theodor. *l.3. hiſt.c.3.* Conſtantium, Magni Conſtantini filium, milites ſuos hortatum ad percipiendam Euchariſtiam ante certamen cum Magnentio. Idem feciſſe Chriſtianos, in bello ſacro cùm Hieroſolymæ obſiderentur, ſcribit Guilielm. Tyrius, & ex eo Molanus *in Natal. Belgij*, 15. *Iulij*, *Appendice* 2. Memorabilis fuit victoria, quam virtute Euchariſtiæ & S. Crucis de Saracenis retulit Alphonſus VIII. rex Caſtellæ, ſub Innocentio III. Pontif. anno Domini 1212. die 16. Iulij. Cùm enim rex cum omnibus militibus ſuis ante prælium ſacrâ confeſſione & communione ſeſe communiiſſent, ac Rodericus Archiepiſcopus Toletanus crucis vexillum in barbaros intuliſſet, cæſa ſunt ad ducenta Saracenorum millia, 25. duntaxat è Chriſtianis deſideratis. Quocirca annuam tanti miraculi memoriam celebrant Hiſpani feſto, quod nuncupant Triumphum S. Crucis, die 16. Iulij. Rem geſtam ſcripſit rex ad Innocentium III. Pontif. & Rodericus Archiepiſc. Toler. *lib. 8. Hiſtor. cap.* 1. atque ex ijs P. Ribadeneira in vitis Sanctorum die 16. Iulij. Non minùs illuſtris fuit victoria, quam de ijſdem eâdem armaturâ obtinuit Ramirus rex anno Domini 834. Cùm enim Ramirus ab ijs cæſus ſeſe cum ſuis recepiſſet ad montes, afflictuſque Deum obſecraret; apparuit ei S. Iacobus mandans, vt milites omnes ſacra confeſſione expiaret, & ſancta communione reficeret, itaque hoſtes inuaderet inclamans nomen Dei & S. Iacobi, ſe enim equo candido caſtra præiturum, & hoſtes diſperſurum: Ita factum: quocircà in eo prælio ceciderunt ſeptuaginta Maurorum millia. Atque exinde Hiſpani in prælijs inclamare conſueuerunt S. Iacobum. Ita Ribadeneira in vita S. Iacobi. Hoc imitentur duces & milites Chriſtiani, ac ſimiles de inimicis fidei triumphos reportabunt.

2. *Armat contra hoſtes.*

Tertiò, Roborauit infirmos. Scribit S. Bonauentura in lib. de perfectione ad ſororem, ſæpe perſonas debiles in S. Synaxi tantum ſentire roboris, conſolationis & lætitiæ, vt ab ea robuſtæ diſcedant, perinde ac ſi nulli infirmitati eſſent obnoxiæ. Scribit S. Gregorius Nazianz. *orat. 19. in funere patris*, patrem ſuum ardentiſſimâ & diuturnâ febri exhauſtum, ſumptâ S. Euchariſtiâ co. ualuiſſe; ſubditque idem aliquando matri ſuæ contigiſſe.

3. *Roborat infirmos.*

Quartò, Aliquos ſuſtentauit ſine omni corporali cibo, vti Ioannem Monachum *in Hiſt. Lauſiacâ Palladij*, cap. 15. Ludouicum Pium Imp. in ſupremo morbo, quo obiit, per dies 40. apud Tho. Boz. *de ſig. Eccl tom. 2. lib. 15. cap. 2.* Puellam in ditione Tullenſi per triennium, apud Sigebertum, in Chron. anno Domini 823. S. Mariam Oigniacenſem durante infirmitate, apud Card. Vitriac. *in vita lib. 2. cap. 12.*

4. *Suſtentat aliquos ſine cibo.*

SEXTÒ, Quia cœna eſt maximi periculi, ſi nimirum ad eam indigni accedere præſumant. In conuiuio Aſſueri apponebatur vinum *abundans & præcipuum* (Hebr. *vinum regni*, hoc eſt, optimum & generoſiſſimum) & propterea quia perículoſiſſimum erat, ne multi eo abuterentur in ſuam perniciem, exiſtimo regem præcepiſſe, ne alter alterum cogeret ad bibendum. Immediatè enim ſubditur: *Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut rex ſtatuerat, &c. Eſth. 1.* Similiter in cœnâ Chriſti non apponitur communis panis & vinum, ſed panis & vinum regni, id eſt, cœleſte, angelicum, diuinum. De quo vino intelligo id Chriſti: *Nemo vinum nouum mittit in vtres veteres, alioquin dirumpet vinum vtres*, Marci 2. Vinum nouum eſt Euchariſtia: quam quia Iudas indignè ſumpſit, (probabile enim eſt accepiſſe, ex S. Lucâ, & ſententia Auguſt. *tr. 62. in Ioan.*) *ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Quare Apoſtolus præcipit corpus Domini diiudicandum, id eſt, non pro communi pane ſumendum. Ait enim 1. Cor. 11. *Qui manducat & bibit indignè iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Idque confirmat ipſo rei euentu, ſubdens: *Ideò inter vos multi infirmi & dormiunt multi*, id eſt, infirmantur & moriuntur, quia ſcilicet indignè communicarunt. Sanè olim ob hoc peccatum aliqui vexati ſunt à dæmone, vt teſtatur S. Chryſoſt. *in 1. ad Tim. hom. 5.* Et Cyprianus *ſerm. de lapſis*, ſcribit plures qui poſt guſtata dolothyta indignè communicarunt, variè punitos fuiſſe; vel enim Euchariſtiam eos reuomere debuiſſe;

G. VI. *Ex maximo periculo.*

buiſſe; vel attingere, non auſos, vel cinerem pro eâ in manu inueniſſe, vel à ſpiritus immundis agitatos, vel obmutuiſſe, vel linguam propriam diſcerpſiſſe. Memorabile etiam eſt, quod contigit Lothario Francorum regi & complicibus eius, anno Domini 868. quando Romæ ab Hadriano Papa ſimulatâ cum pœnitentiâ & abſque retractatione ſceleris, Euchariſtiam acceperunt. Omnes enim illi diuino iudicio percuſſi, ab hac luce ſubtracti ſunt antequam ſubſequentis anni rediret principium. Perpauci, qui ſe à communione ſubtraxerunt, vix mortis periculum euaſerunt. Porrò Lotharius Româ egreſſus morbo corripitur & Placentiam ciuitatem perueniens, diem clauſit extremum; vt deſcribit Regino apud Baron. anno 868.

Hinc canit Eccleſia: *Mors eſt malis, vita bonis, vide paris ſumptionis quàm ſit diſpar exitus.* Sic mel nocet cholericis, prodeſt phlegmaticis. Sic eadem columna illuminauit Hebræos, excæcauit Ægyptios, Exod. 14. vt habetur ex Chaldæo. Sic ex eodem fonte Hebræi hauriebant aquam claram, Ægyptij verò ſanguinem, vt ſcribit Ioſephus. Sic ex eodem flore apis ſugit mel, aranea venenum. Quare ne de de ſalutis fonte hauriamus nobis mortem & damnationem, *probet ſeipſum* quiſque *& ſic de pane illo edat. Neceſſe eſt*, inquit S. Greg. dial. cap. 56. *vt cùm hæc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus; quia qui paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quæ agimus. Tunc enim verè pro nobis hoſtia erit Deo, cùm noſipſos hoſtiam fecerimus.*

Sed & ij qui modis alijs S. Euchariſtiæ irreuerentiam intulerunt, vltricem ſæpe Dei manum experti ſunt. Anno namque Domini 1278. in Traiecto ſuperiori cùm in ponte multi choreas ducerent, interimque ad ægrotum Euchariſtia in viaticum deferretur, nec illi choreas intermitterent, ducenti in Moſam fluuium demerſi ſunt, ponte tum diuino miraculo cadente, cùm iam Sacerdos cum Euchariſtia præteriiſſet, vnus tantùm ex ijs ſaluus fuit: haud dubiè futuri ſalui omnes, ſi Euchariſtiam venerabundi fuiſſent ſecuti. Hæc Nauclerus *Gener. 43. in fin.* Cranzius *in metrop. lib.* 8. *cap.* 39. Sed & anno 1218. ob vnius pugilis habitam Euchariſtiæ irreuerentiam, tota Friſia æſtu maris demerſa eſt, periiſſeque memorantur centum & eo ampliùs hominum millia. Naucler. *Gener.* 41. ſub finem. Trithem. Chron. Hirſang.

Quando igitur, Auditores, tam magna eſt hæc cœna, ſit magna etiam noſtra erga eam reuerentia: magna pietas & deuotio ad eam adorandam: magna humilitas & abiectio ad eam venerandam: magna præparatio ad eam ſuſcipiendam.

CONCIO II.

Facilia creditu oſtenduntur circa Euchariſtiam, quæ hæreticis incredibilia videntur.

Refutatâ hæreticorum opinione quâ putant Chriſtum nec potuiſſe, nec voluiſſe mutare panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum.

1. *Probatur idipſum ex conuerſione aquæ in vinum in Cana Galilea.*
2. *Poteſt Chriſti corpus eſſe in pluribus locis ſimul.*
3. *Poteſt totus Chriſtus ſub exigua panis ſpecie exiſtere.*
4. *Poteſt latere ſub ſpeciebus panis & vini.*
5. *Poſſunt accidentia exiſtere ſine ſuo ſubiecto. Reſpondetur obiectionibus.*

THEMA.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 14.

IVRE merito cœnam magnam interpretari poſſumus ſacram Euchariſtiam, vbi præſtantiſſimum illud epulum glorioſi corporis Chriſti cum pretioſo eius ſanguine beatiſſimâ animâ, infinitis meritis, ipſaque diuinitate ſumendum Chriſtianis apponitur. Sed enim cœnæ illi, quantumuis omnium maximè, detrahunt ſectarij, maximè Caluiniſtæ, qui pro illâ fictam cœnam apponunt; dum aſſerunt ad figuratam tantùm cœnam nos à Chriſto inuitari; ſiquidem præſentiam Chriſti realem ab eâ tollunt, & figuram ei ſubſtituunt. Similes Heliogabalo Imp. Orbis portento, qui cùm aliquando populum Romanum ad conuiuium inuitaſſet, apparatu ſplendidiſſimum, & plurima turba confluxiſſet, conuiuium expectans, tum nonniſi cibos pictos & fictitios afferri curauit fucataque fercula; ita vt conuiuæ deluſi maiori cum fame receſſerint quàm aduenerint, vt ſcribit Ælius Lamprid. in Heliogab. Ad eundem modum Caluiniſtæ, tametſi nos Chriſtus ad veram corporis ſui communionem inuitauit, fictitiam ſubſtituunt & figuras tantùm apponunt, vnde nemo reficitur, nemo confortatur. Sed abſit vt à pingui Chriſti conuiuio, ad vmbraticum & ludicrum hoc conuiuium abduci nos patiamur: Monet enim Sapiens, Prouerb. 23. *Ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mendacij.* Veritatem inſtituit Dominus: *Caro mea verè eſt cibus: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Iſti mendacium obtrudunt, figuras ſubſtituunt, non minori ſtultitiâ quàm temeritate. Sed quid tandem cauſæ eſt, quòd veram Catholicorum cœnam auerſentur & fictitiam commiſcantur? Quid tandem illos retinet, quòd cœnam noſtram auerſentur? Audiamus. A.

B. Scopuli Sacramentariorum.

Quandoquidem habemus expreſſi Chriſti verba: *Caro mea verè eſt cibus: Hoc eſt corpus meum,*

Digitized by Google

meum, &c. Habemus conſenſum Conciliorum & ſanctorum Patrum, praxin Eccleſiæ perpetuam, miracula innumera; quid eſt, ô hæretici, quod vos ad hanc cœnam venire nolitis? quid tandem vos retinet? Duo ſunt quæ vos retinent: Primò putant Christum facere id non potuiſſe, Secundò non voluiſſe.

1. Quòd id non potuerit Christus.

Igitur reſpondent. Primò: intelligi non poſſe, quomodo fieri queat, vt panis & vinum mutetur in corpus & ſanguinem Chriſti: vt idem corpus Chriſti ſimul ſit in pluribus locis: vt ipſe exiſtat totus ſub tam exiguâ ſpecie: vt dum vident oculi noſtri panem & vinum, nos dicamus & credamus eſſe corpus & ſanguinem Chriſti: & ſi hoc ſit; vt accidentia panis & vini maneant ibi ſine ſubiecto. Hæc, inquiunt, mirabilia, incredilia videntur, ideoque ad cœnam veſtram non venimus: habete nos excuſatos. Sed nunquid non legiſtis: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: Eſcam dedit timentibus ſe?* Pſal. 100. manna videlicet in deſerto. Quod cùm figura tantùm eſſet Euchariſtiæ, tanta tamen miracula continebat: quid mirum ſi plura & maiora contineat Euchariſtia? Manna angelorum manibus conficiebatur; mutatione alterius corporis, vt aëris in panem: & quanta in eo mirabilia? Licet alij minus, alij plus colligerent, nemo tamen domi plus inueniebat, quàm eandem menſuram, *gomor* ſcilicet: quia angelus id, quod minus erat, rarefaciebat, id quod plus, condenſabat, vt ſinguli haberent vnum gomor, vt Abulenſis cenſet & alij: habebat ſapores omnium ciborum, quos quiſque appetebat, ſaporem carnis, herbarum, pultis, &c. ad Solem liquefiebat, ad ignem verò nequaquam: in craſtinum ſeruatum mox vermibus ſcatebat, præterquam in ſabbatho: feriâ ſextâ duplum ſemper depluebat, ſabbatho nullum: aſſeruatum iuxta præceptum Dei, multis ſæculis incorruptum manſit: denique per annos 40. depluebat continuò, tam hyeme & autumno, quàm vere & æſtate. Quæ omnia angelorum miniſterio peracta fuêre, vt proptereà panis angelorum vocaretur à Dauide manna Pſal. 77. Non debeat igitur, vel non poſſit Chriſtus maiora mirabilia oſtendere in Euchariſtiâ, cuius figura tantùm erat manna? Sanè vt huius ſuæ potentiæ fidem aſtrueret in diſcipulis ſuis omnibuſque fidelibus, non multò ante inſtitutionem Euchariſtiæ omnium maxima patrauit miracula, vt cùm quinque panibus multiplicatis pauit hominum quinque millia: cùm cœcum natum illuminauit, quod à ſæculo non fuit auditum: cùm Lazarum è ſepulchro quatriduanum excitauit.

C. 1. Poteſt Chriſtus mutare panem & vinum in corpus ſuum.

Primò igitur non potuit Chriſtus mutare panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum, qui in Canâ Galilææ potuit mutare aquam in vinum? Audi Cyrillum Hieroſolym. in catech. Myſtagog. 4. *Aquam Chriſtus aliquando mutauit in vinum*, inquit, *quod eſt ſanguini propinquum in Cana Galilææ ſola voluntate: & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in ſanguinem tranſmutârit?* Quid; quòd ipſemet diabolus crediderit Dei filium vnico verbo poſſe lapides conuertere in mollem panem; *ſi filius Dei es*, inquit, *dic vt lapides iſti panes fiant.* Peiores igitur & magis increduli hæretici ipſomet diabolo. Aduertit verò Beda, rectè dixiſſe dæmonem, *dic*: non *fac*; quia ſcriptum nouerat: *Dixit Deus, fiat lux & facta eſt lux*; hoc eſt, filium Dei verbo condidiſſe omnia & è nihilo feciſſe, proinde vno item verbo ac faciliùs poſſe mutare lapidem in panem. Quod argumentum expendit Ambroſius *lib. 4. de ſacram. c. 4.* cùm ait: *ſermo Chriſti conficit hoc ſacramentum. Quis ſermo Chriſti? nempe is quo facta ſunt omnia. Iuſſit Dominus, & factum eſt cælum. Iuſſit Dominus & facta eſt terra. Iuſſit Dominus & facta ſunt maria. Iuſſit Dominus & omnis creatura generata eſt. Vides ergò quàm operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergò tanta vis eſt in ſermone Domini IESV, vt inciperent eſſe, quæ non erant: quantò magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant & in aliud commutentur? cælum non erat, terra non erat, ſed audi dicentem: Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Ergò tibi reſpondeam: non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi, quod iam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit & factum eſt*, &c. idem ſanctus alio loco (de iis qui initiantur myſterijs cap. 9.) *Fortè dicas*, inquit, *aliud video quomodo tu mihi aſſeris quòd Chriſti corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc ſupereſt vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maioremq; vim eſſe benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur? Virgam tenebat Moyſes, proiecit eam & facta eſt ſerpens. Rurſus apprehendit caudam ſerpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur propheticâ gratiâ bis mutatam eſſe naturam & ſerpentis & virgæ.* Ac tandem poſt multa alia exempla veteris legis ſubdit: *Quòd ſi tantum valuit humana benedictio vt naturam conuerteret: quid dicimus de ipſa conſecratione diuinâ, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operantur? Nam Sacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. Quod ſi tantum valuit ſermo Eliæ, vt ignem de cælo deponeret; non valebit Chriſti ſermo, vt ſpecies mutet elementorum?* Hæc ille. Qui poſtremis verbis rectè oſtendit conſecrationem fieri ex vi verborum Chriſti tanquam principaliter operantis, poſtquam ſemel & primò dixit: *hoc eſt corpus meum*, idque facere præcepit ſacerdotibus, idem etiam deinceps ſemper conſecrat cum illis. Nam vt ait S. Chryſoſtomus hom. de prodit. Iudæ, quemadmodum verbum illud, quod in principio mundi dixit Deus; *Creſcite & multiplicamini & replete terram*; ſemel tantùm ab ipſo prolatum, ſuum hucuſque retinet effectum concurrente naturâ ad rerum omnium generationem: Ita etiam verbum illud Chriſti Domini: *Hoc eſt corpus meum*, quamuis ſemel tantùm ab ipſo prolatum, retinet ſemper vim ſuam & replet Eccleſiam

hoc Sacrificio & Sacramento, accedente tamen ſacerdotis conſecratione, quâ verbum illud Chriſti in eius virtute repetit. Cæterùm hanc veram & realem conuerſionem plurima comprobauére miracula, quibus modò in elegantem puerulum mutata viſibiliter apparuére ſacra myſteria: cuiuſmodi multa recenſet Titelm. Bredenb. *l.* 1. *collat.* 33. vbi ex Sozomeni lib. 8. recenſet mulierem hæreticam, quæ in ſumptione Euchariſtiæ maritum fallere volens, panem vulgarem loco Euchariſtiæ ex compoſito ſumens, eundem dentibus admotum & admorſum, in lapidem conuerſum eſſe perſenſit: qui deinceps Conſtantinopoli aſſeruabatur. Nimirum vt ſic crederent, panem mutari poſſe in lapidem, qui credere nolunt mutari poſſe in corpus Chriſti.

D. II. Poteſt Chriſti corpus ſimul eſſe in pluribus locis.

Secundò, Quid impedit, cur Chriſti Domini corpus non poſſit eſſe ſimul in pluribus locis? Nonne Chriſtus in cœlo ſedet ſemper à die Aſcenſionis, donec ponantur inimici eius *ſcabellum pedum* eius, id eſt; vſque ad diem iudicij Pſal. 109. ſeu *vſque in tempore reſtitutionis omnium*, vt habetur *Act.* 3.? Atqui interim in terris ſæpiùs viſus eſt, vti Paulo tanquam teſti reſurrectionis, 1. *Cor.* 15. Si enim non vidiſſet Dominum in propriâ perſonâ, non potuiſſet ſe æquare Petro & alijs teſtibus reſurrectionis, vt ibi facit: Et ſi in cœlis tantùm, non item in terris exiſtentem vidiſſet, quo modo S. Stephanus, non fuiſſet idoneus teſtis reſurrectionis. Et certè Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. definit non repugnare Chriſtum ſedere ſemper ad dexteram patris in cœlo iuxta modum exiſtendi naturalem, & interim ſacramentaliter aliis in locis præſentem eſſe: quemadmodum S. Chryſoſtomus *lib.* 3. *de Sacerdot.* dixit: *Qui cum patre ſurſum ſedet*, inquit, *in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Accedit ſimilitudo verbi vocalis, quod ſimul in meis & plurimorum auribus idem ipſum recipitur & percipitur. Poteſt ergò hoc natura in verbo corporali: cur verbum Dei caro factum non poſſit ſimul multis in locis corporaliter adeſſe? Vna & eadem facies tua in pluribus ſpeculis oppoſitis ſimul & ſemel tota videtur; cur non poſſit Chriſtus realem ſui præſentiam pluribus in locis conſtituere? legitur certè apud Gregorium Nyſſenum, S. Gregorium Thaumaturgum abſentem licet aliquando adſtitiſſe Thaedio cuidam pro fide pugnanti. Et S. Auguſt. lib. *de curâ pro mort.* *cap.* 11. ſcribit ſe abſentem aliquando noctu adfuiſſe Eulogio & quiddam ei expoſuiſſe. Idem de alijs etiam ſanctis non ſemel factum legitur. Denique nulla adhuc inuenta implicantia ſeu contradictio circa hoc: Deo igitur poſſibile eſt. Et ſi duo & plura corpora poſſunt ſimul eſſe in eodem loco, vti mox dicemus: ergò, à pari, idem corpus poteſt eſſe in duobus & pluribus locis. Vtrumque enim eſt paris difficultatis, & paris potentiæ.

E. III. Poteſt totus Chriſtus ſub exiguâ panis ſpecie exiſtere.

Tertiò, Non repugnat totum Chriſtum exiſtere ſub exiguâ panis vel vini ſpecie. Sciendum enim: licet ordo partium in totò remaneat in corpore Chriſti, (ita ſcilicet vt pes non ſit in capite, &c. ſed collum infra caput, pectus infra collum, &c.) non remanet tamen ordo partium in loco ſeu commenſuratio ad locum, quæ non eſt de eſſentiâ corporis. Etenim Chriſtus intrauit ad diſcipulos ianuis clauſis poſt reſurrectionem: clauſo exiuit ſepulchro cùm reſurgeret: aſcendens penetrauit cœlos; non vtique eos ſcindendo, cùm ex communiori ſententiâ, ſint corpora ſolida: idem Dominus dixit, apud Deum poſſibile eſſe vt camelus tranſeat per foramen acûs. Si ergò facere Deus poteſt, vt camelus in ipſo acûs foramine integer maneat, cur non poſſit Chriſti corpus ſeruare integrum ſub exiguâ hoſtiâ? Si duo corpora poſſunt eſſe ſimul in eodem loco, v.g. Chriſtus & lapis, ergò etiam duæ partes eiuſdem corporis. Et ſi duæ, ergò etiam plures. Nec tamen omninò extenſione caret Chriſti corpus in Euchariſtiâ, ſed coëxtendit ſe toti hoſtiæ, quanta quanta eſt; poteſt enim pro libitu maiorem vel minorem vel omninò nullum occupare locum: ſicut & Angelus maiorem & minorem prout voluerit. Similiter & anima in corpore creſcente non creſcit propriè, coëxtenſo tamen corpori, ſe quoque coëxtendit quatenus eſt in toto corpore, ſiue maiori ſiue minori. Et licet inde pars aliqua dematur, nihil tamen demitur animæ. Similiter licet hoſtia frangatur, corpus Chriſti non frangitur, ſed ſpecies tantùm Sacramenti: ipſum verò Chriſti corpus ſub qualibet fracturæ parte integrum manet; ſicut cùm frangitur ſpeculum in minutas partes, qualibet pars repræſentat totam hominis faciem, quam priùs totum referebat ſpeculum. Licet verò eæ imagines tantùm ſint: multò fortior naturâ Deus; vt poſſit rem ipſam in multis locis ponere. Figuratum hoc in manna, quod ſemini coriandri ſimile fuiſſe dicitur *Exod.* 16. De quo ſemine ſcribit Philo *lib.* 2. *allegoriar. ſacræ legis*, quòd licet in plures diuidatur partes, quælibet tamen eius pars, ſi ſeratur non minorem fructum afferat, quàm totum ſemen affert. Rurſum poteſt angelus ita ſe contrahere vt in puncto exiſtat, & rurſum ita expandere & dilatare vt totum cubiculum occupet: ergò poteſt etiam Deus corpus per ſpatium expanſum contrahere in punctum. Corpus igitur Chriſti eſt in hoſtia adinſtar angeli. Imò cernimus etiam in naturâ poſſe rarefieri & extenuari v.g. aquam ab igne, vt ebulliat ſupra ollam: rurſum à frigore conſtringi & condenſari ad quantitatem decuplo minorem. Cur igitur hoc non poſſit Deus facere?

F. IV. Poteſt latere ſub ſpeciebus panis & vini.

Quartò, Non eſt difficile intelligere, quomodo Chriſtus in Euchariſtia ſit licet oculi noſtri non ipſum, ſed panis tantùm ſpeciem, colorem ſcilicet & magnitudinem ſpecierum, lingua guſtum percipiat; quis enim dubitat

dubitat facere Deum poſſe vt præſens adſit corpus, non tamen videatur, nec audiatur vel tangatur &c. quando etiam arte magicâ hoc factum ſæpe legimus? Quid enim facilius Deo, quàm immutare medium vel aliter impedire ſpecies, ne ad organum ſensûs transmittantur? ſic Chriſtus euanuit ſubitò ex oculis diſcipulorum euntium in Emaus, *Luc.* 24. Iam verò *Dominus dixit*, ait Salomon, *vt habitaret in nebulâ*. 3. Reg. 8. Et ſponſa ſponſum Chriſtum ait *proſpicere per cancellos*: per quos ſcilicet videat homines, non videatur tamen ab hominibus, Cant. 2. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, proſpiciens per cancellos.* Quid ſpecies panis & vini niſi paries & cancelli, medij inter Chriſtum & oculos noſtros? Dicamus ergò ſenſibus noſtris cùm aliud intuentur, aliud nos credimus, quod Iſaac filio Iacob dixit: *vox quidem vox Iacob, manus autem manus ſunt Eſau*, Gen. 17. Vox Chriſti, qui dixit: *Hoc eſt corpus meum.* Manus autem Eſau, id eſt, accidentia, & ſpecies repræſentant quidem panem, non tamen ſunt panis. Tametſi verò corpus Chriſti refert & conſeruat accidentia panis non intereſt. Referebat etiam manna & dabat omnium ciborum ſapores, carnis, lactis, herbarum, &c. idem manens quoad ſubſtantiam: appetentibus ouum; guſtum oui habebat, licet in ouum non verteretur, ſed manna permaneret. Cur ergò nequeat fieri, vt corpus Chriſti referat colorem & ſaporem cæteraque accidentia panis, licet panis non ſit?

G. V. Poſſunt accidentia exiſtere ſine ſuo ſubiecto.

QVINTA. Facere Deus poteſt, vt accidentia exiſtant ſine ſuo ſubiecto, & aliunde ſuſtententur; ſiquidem actualis inhæſio non eſt de eſſentiâ accidentis, (cùm accidens habeat diſtinctam eſſentiam à ſubſtantia) ſed aptitudinalis tantùm. Et ſi ſubſtantia poteſt ſuſtentare accidentia, cur non poſſit idipſum facere Deus? nónne totum id poteſt prima cauſa ſe ſolâ, quod poteſt mediante causâ ſecundâ? nónne poteſt calefacere ſine igne, illuminare ſine luce, &c. qui omnia & omnium cauſarum virtutes in ſe eminenter continet? Ad hæc ſi natura humana priuari in Chriſto potuit ſuâ perſonalitate, quæ eſt modus ſubſtantialis: & ſubſiſtere in aliena, perſonalitate ſcilicet diuina: quantò magis poterunt accidentia priuari ſuo ſubiecto à Deo & ſuſtentari ab illo alio modo? Hinc S. Baſilius *hom.* 2. & 6. *hexam.* & S. Greg. Nazianz. *in orat. de nouo die Dominico*, & Theodoret. *qu.* 14. & 16. *in Gen.* volunt à Deo creatam primo die lucem ſubiecto caruiſſe, adeoque per ſe extitiſſe, donec quarto die creatus fuit Sol. Per conſecrationem ergò perit ſubſtantia panis, remanent accidentia panis: veluti ſi ictu fulminis gladius in vaginâ conteratur, vaginâ manente illæſa. Facit ad hoc credendum miraculum illuſtre, quod Fauerni ad Sequanum anno 1608. Pontificatus Pauli V. quarto contigit in nocte Pentecoſtes, ſacrâ monſtrantiâ cum conſecratâ hoſtiâ, ad venerationem expoſitâ, dum fortè ignis in ſuppoſitam menſam decidens omnia inflammauit & circumquaque depauit, quæcunque in altari erant, præter monſtrantiam illam, quæ ſuapte vi illæſa in medio aëre pendula prodigioſè ſtetit in oculis innumeræ multitudinis ad ſpectaculum confluentis vſque ad feriam tertiam, in quâ Sacerdote propè celebrante ſub eleuatione corporis Chriſti, ſeipſam paulatim nouo prodigio, in ſubſtratam menſam ſuper librum Miſſalem corporali tectum demiſit. Cuius rei nuntius & teſtis Romam, me ibid. degente, ad Pontificem miſſus erat: eaque ſcribitur à Carthag. in hom. Cathol. relig. Chriſt. lib. 9. cap. vlt. Voluit, vt opinor, Deus Opt. Max. oſtendere ſe ſpecies etiam ſacramentales ſuſtentare ſine ſubiecto poſſe, qui potuit Euchariſtiam ſine fulcro.

Tandem quid facere poſſit Deus, non ipſi nos docere vel examinare, ſed diſcere ab ipſo debemus & à filio eius Chriſto, de quo dixit: *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* Et ſi Pythagoræ diſcipulis ſatis fuit referre ſe ad Magiſtri ſui dictum, dicendo: *Ipſe dixit*: non ſit nobis ſatis, quòd ipſe Chriſtus Dei filius dixit: *Caro mea verè eſt cibus*: &, *Hoc eſt corpus meum*? Propterea Apoſtolus in hodiernâ Epiſtolâ nullatenus examinat hoc myſterium, ſed ad traditionem Magiſtri ſe refert, atque ita etiam alijs dixit: *Ego enim accepi à Domino*, ait, *quod & tradidi vobis quoniam Dominus IESVS, in quâ nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Propterea & Apoſtoli in ſymbolo præfantur: *Credo in Deum patrem omnipotentem*; vt ſic accedentes ad fidem credamus, Deo omnia poſſibilia eſſe: non examinant illi articulos fidei, ſed fundant ſe in Dei omnipotentia. Quis non facilè credat Chriſtum qui in omnibus ſuis operibus fuit admirandus, in incarnatione, miraculis, reſurrectione, aſcenſione, etiam iſtud mirabile facere potuiſſe, ac voluiſſe?

H. Secundus ſcopulus, quaſi non voluerit Chriſtus.

I. Obiectio.

Secundò, Nolunt hæretici ſibi perſuadere quòd Deus voluerit (vt detur potuiſſe) operari mirabilem hanc mutationem. Nam primò inhumanum, adeoque indignum Chriſto, ſapientiâ Dei, putant humanas carnes apponere edendas. Quâ re oſtendunt ſe incredulis illis ſimiles eſſe, qui ſcandalizabantur ob id quòd Chriſtus dicebat: *niſi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. Ioan. 6. Dicebant enim: *durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum capere?* Et propterea à Chriſto diſcedebant. Qualis erat & Auerroës ille Philoſophus, qui dicebat, licet ſibi plurima in Chriſtianâ religione arriderent: ob id tamen ſe ab eâ deterreri eamque fatuam eſſe quòd Deum ſe ſuum manducare aſtrueret: vt refert Beſſæus conc. 2. infra oct. Corporis Chriſti. Sed reſpondetur Chriſti corpus incorruptibile eſſe, nec quidquam pati aut immutari per ſumptionem: nec magis impium eſſe, Chriſtum in Euchariſtia ſumere, quàm eundem infantem in vlnas ſumere, deoſculari & ample-

Reſpondetur obiectioni.

amplecti, quo modo ſuſcepit Simeon. Vel, Origenes reſpondet *cap. 15. in Matth.* ſicuti radius nihil patitur, quocunque ſe infuderit. Et hoc eſt quod reſpondit Dominus incredulis illis diſcipulis: *Hoc vos ſcandalizat? ſi ergò videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius? Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quidquam.* q. d. iuxta interpret. Auguſtini ibi *ſerm. 2. de verbis Apoſtoli*, putatiſne me propoſiturum carnes meas quaſi laniandas & dentibus ſcindendas, quo modo communes carnes laſciantur & eduntur? minimè verò: dabo enim vobis me comedendum, & poſtcà videbitis adhuc integrum & ad cœlos aſcendentem; nec quidquam deperire mihi ex hac comeſtione. *Caro*, id eſt, carnalis tantùm ſumptio & corpus meum quatenus caro tantùm ſumpta. *Non prodeſt quidquam*, ſed ſpiritualiter & ſub ſpecie panis ad nutriendum ſpiritum, non ad nutriendam carnem ſumpta prodeſt. Et ſic perinde erit me manducari, atque intrare in domum tuam & tecum aliquamdiu morari; poſtcà rurſum ad cœlos euehi. Hac autem ratione nihil inhumani eſt, Chriſtum edere & bibere. Quis enim dicat inhumanum eſſe, quòd infantes ſugant lac de vbere matris? Similiter ergò, imò longè magis ſine omni Chriſti detrimento & ſine omni horrore ſumitur Chriſti corpus ſub ſpecie panis & vini: quia nihil inde deperit Chriſto, nec ſumitur per modum carnalis cibi, ſed ſpiritualis, nec ad nutriendam carnem, ſed ad nutriendum ſpiritum.

C. II. Obiectio. Secundò, indignum putant Chriſti maieſtate, vt ipſe in Euchariſtiâ apponatur hominibus non tantùm bonis, ſed etiam malis edendus & bibendus: magiſque adhuc indignum, quòd aliquando euenire queat vt à vermibus vel muribus arrodatur. Respondetur. Sed quid hoc miramur, cùm ſciamus Dei filium ſe demiſiſſe ad terram, factum eſſe infantem & induiſſe formam ſerui, lauiſſe pedes ſuis diſcipulis, permiſiſſe ſe geſtandum diabolo in deſerto, ac tandem crudeliſſimis inimicis ſuis, Iudæis & gentilibus, flagellandum, illudendum & crucifigendum? Nimirum ſciebat Chriſtus, propter hanc ſuam nimiam deiectionem aliquos ſcandalizandos, ſeque lapidem offenſionis futurum, propterea fideliter monuit: *beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me*; & ne quis ob tantam eius humiliationem nimiùm miraretur & offenderet, voluit eam præ nuntiare varijs figuris: vti crucifixionem ſuam per ſerpentem æneum erectum in perticâ: venditionem per innocentem Ioſeph: Sepulturam per Ionam. Sic & Euchariſtiæ inſtitutionem per manna, per eſum agni paſchalis, &c. vt præmoniti de his nouis & ſtupendis Dei operibus non dubitaremus aut ſcandalizaremur. Ac licet res indigniſſima ſit Chriſtum manducari ab indignis & peccatoribus, non ideò intermittere debuit præſtantiſſimum hoc beneficium, quod in alijs plurimis ingentes fructus pariturum erat: quemadmodum nec intermiſit opus incarnationis & Redemptionis, licet præuidiſſet, ſe à Iudæis ingenti eorum ſcelere ad ipſorum damnationem crucifigendum & plurimos ſibi ingratos futuros ac propterea grauiùs damnandos.

D. III. Obiectio. Tertiò, Putant non decere euſque progredi Chriſti bonitatem & charitatem vt ſeipſum in Euchariſtiâ corporaliter communicet & vniat hominibus: ſatis eſſe quòd per naturæ noſtræ aſſumptionem ſe nobis vniuerit, & poſteà ſpiritualiter vniat: nec plus vltrà Chriſtum progredi debuiſſe. Respondetur. Sed quid magis conueniens infinitæ bonitati, quàm communicare ſe creaturis, modo quo poterat maximo? Quid magis glorioſum Deo, quàm inſtituere voluiſſe rem ad ſanctificandos homines efficaciſſimam? quid magis ab infinitâ charitate eius ſperari poterat, quàm voluiſſe in eâ naturâ, quam aſſumpſit à nobis, perpetuò nobiſcum manere, nec horrere hominum vterum cùm iam eſt impaſſibilis, qui non horruit virginis vterum cùm eſſet paſſibilis? Etenim, vt exemplo rem declaremus: quid veriſimilius aut credibilius dici poteſt de Hippocrate, quàm ſcripſiſſe illum librum egregium in arte medicâ? De Cicerone, quàm diſertam habuiſſe in ſenatu orationem? De celeberrimo illo ſculptore & pictore Michaële Angelo, quàm inſignem feciſſe imaginem? Et quid credibilius Deoque dignius, quàm inſtituiſſe tam præclarum amoris trophęum, quod tam efficax ſit ad animas ſanctificandas? Quid credibilius, quàm voluiſſe priùs tradere corpus ſuum deoſculandum amicis diſcipulis ſuis, quàm traderet id crucifigendum inimicis iuxta id hymni: *In mortem à diſcipulo ſuis tradendus æmulis, priùs in vita ferculo ſe tradidit diſcipulis?* Et propterea ſapientiſſimè egit Chriſtus, quando ante inſtitutionem Euchariſtiæ demiſit ſe in terram & lauit pedes diſcipulorum inauditâ humilitate: vt hinc facilè credemus, non fore indignum, ſi etiam in cœlo exiſtens demittat ſe ad nos in Euchariſtiæ ſacramento. Quis non libenter credat, tantum humilitatis magiſtrum exercere adhuc humilitatem iſtam?

Contrà potiùs nónne indignum Chriſto foret, & bonitati ac charitati eius contrarium, loqui nobis obſcurè & per figuras in re tanti momenti, nobiſque occaſionem errandi præbere, quando tam claris verbis dixit: *Caro mea vere eſt cibus: Hoc eſt corpus meum &c.* præſertim cùm is venerit vt non iam per figuras, quemadmodum in veteri lege, ſed apertè nobis loqueretur, & viam Dei in veritate doceret? nónne is lucem mundi ſe eſſe dixit, & qui ipſum ſequitur, non offendere, eò quòd in die ambulet? Et vt fieri poſſet, ipſum aliud docere voluiſſe, noſque aberrare: decuiſtne vt per tot centenos annos Eccleſiam ſuam in tenebris oberrare pateretur, & nulli ex tot Sanctis viris intimaret ſuam mentem, Eccleſiam de errore non moneret? Quid hoc aliud eſſet, quàm malignum

illum Deum inducere, qui ad deſtructionem tantùm operatur, non ad ædificationem? Quando ergò audiuimus potuiſſe Deum operari mirabilem hanc mutationem, & verò etiam meritò voluiſſe, ſtet maneatque diuina illa & immota veritas: & dicamus cum Dauide: *Credidi, & dixi in exceſſu mentis meæ: Omnis homo mendax*, qui contrarium aſſerit; *Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini inuocabo.*

CONCIO III.

Sacrificium Miſſæ aſſeritur.

Primò ex lege veteri.
2. Ex lege noua.
3. Ex conſenſu Eccleſiæ & Patrum.
4. Ex diaboli obluctatione.
5. Ex miraculis.
6. Ex aduerſariorum inanibus terriculamentis.

THEMA.

Exi in vias & ſepes & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Luc. 14.

A. Miſſa cœna magna.

COEnam magnam iure optimo vocare poſſumus Miſſæ ſacrificium. Cœnam quidem, quia repræſentat nobis Chriſti vltimam, in quâ inſtituit & obtulit Euchariſtiam, adeoque ſacram Miſſam, quam ad exemplum ſuum celebrare iuſſit Apoſtolos, magnam verò quia victima ibi maxima eſt, Chriſtus ſcilicet: Offerens item maximus, idem Chriſtus vnà cum miniſtro ſacerdote, qui Chriſtum ibi repræſentat: myſterium, quod ibi peragitur in conſecratione, maximum eſt & ſtupendum: Res, quæ ibi poſtulantur, magnæ ſunt: Fructus qui ibi præcipitur, magnus eſt: Inuitatorum numerus magnus: Tempus quo durabit, magnum quoque, quia vſque ad finem mundi. Porrò ad hanc cœnam vocantur non ſolùm Catholici, ſed etiam Iudæi, pagani, hæretici: qui tamen poſtremi exierunt in vias & ſepes, id eſt, in ſectas varias & hæreſes: dum vel fidem prorſus, vel Miſſam ſaltem ſpernunt & abominantur. Quando igitur Dominus in hodierno Euangelio miſit etiam ſeruum qui de ſepibus & viis compelleret homines intrare ad cœnam: exibimus & nos ad compellendos rationibus efficacibus hæreticos, vt veniant ad Miſſam.

B. I. Ex lege veteri. 1.

Aſſeritur PRIMÒ ex lege veteri duplici teſtimonio. Primò prædicitur Chriſtus à Dauide *Pſ.* 109. futurus ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* De Melchiſedech autem legimus *Gen.* 14. iſta: *Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi) benedixit ei & ait: Benedictus Abraham Deo excelſo &c.* Vbi primò audimus Melchiſedech fuiſſe ſacerdotem. Deinde protuliſſe panem & vinum; ſed in quem finem? In corporalem refectionem, inquiunt nouantes. Sed errant; primò, quia iam paulò antè ex prædâ refecti erant Abraham & milites eius, vt eodem cap. verſu 24. legimus. Deinde, quia inepta foret adiectio illa: *Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi*; velut ſi dixiſſet: Ædificauit turrim, erat enim ſutor. Protulit ergò panem & vinum, tanquam ſacerdos, in oblationem & ſacrificium; hoc enim eſt actio ſacerdotalis. Denique non decuiſſet regem (erat enim Melchiſedech etiam Rex) offerre Abrahamo profanam mercedem, panem & vinum, propriis manibus. Obtulit ergò primò Deo panem & vinum, deinde oblationis & ſacrificij participem fecit Abrahamum quod etiam fit in Euchariſtiâ, quæ primò in Miſſâ offertur Deo, deinde communicatur fidelibus. Iam ergò ſi Chriſtus eſt ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, ergò in cœnâ vltimâ, quando panem & vinum conuertit in corpus & ſanguinem ſuum, ſacerdotio hoc perfunctus eſt, eoque Apoſtolos ſuos inaugurauit, cùm dixit: *Hoc facite.* In cruce enim cruentum obtulit ſacrificium, non ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſed potiùs ſecundùm ordinem Aaron. Quod autem dicitur, *ſacerdos in æternum* ſignificat eum per miniſtros & Vicarios ſuos ſacrificium id peracturum vſque ad mundi finem: ergò Miſſa, quam faciunt ſacerdotes, verum eſt Sacrificium.

Secundò, Malachias c. 1. prædicit fore vt in nouo teſtamento offeratur Deo mundum ſacrificium in omni loco, quod præferendum ſit ſacrificiis Moſaicis, quæ ſæpe erant immunda: *Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum* (per Prophetam illum) *& munus non ſuſcipiam de manu veſtrâ. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Loquitur de futuro in tempore præſenti, more Prophetarum, ob prædictionis certitudinem. Porrò huiuſmodi oblatio munda & noua, quæ veteribus ſacrificijs ſucceſſura & in gentibus vbique terrarum facienda erat, non eſt niſi Euchariſtia, ſeu corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini. Huius enim oblatio nihil dubium, quin Deo ſit gratiſſima. Cætera quæ Deo offerri poſſunt, preces & bona opera, ſacrificij rationem non habent; & propterea ſæpe ſunt imperfecta & vitioſa. 2.

C. II. Ex lege noua. 1.

SECVNDÒ, Ex lege noua. Primò ex colloquio Chriſti cum Samaritanâ, *Ioan.* 4. in quo oſtendit Chriſtus fore tempus (nouæ legis ſcilicet) quando vbique terrarum ſacrificabitur Deo, non ſecundùm ritum Iudæorum vel Samaritanorum, ſed ſecundùm ritum Chriſtianorum. Ait enim ad mulierem: *Venit hora quando neque in monte hoc neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem. Sed venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Quo loco adorare ſignificat ſacrificare; quia Samaritani in monte Garizim, & Iudæi in Hieroſolymis tantùm ſacrificabant; preces autem vbique locorum Deo offerre poterant. Cùm ergò Sama-

Samaritana quæreret, vtri rectiùs facerent, Iudæi, qui in Garizim ſacrificabant: reſpondit Chriſtus deinceps Chriſtianorum ſacrificium nulli certo loco alligandum, ſed vbique terrarum peragendum fore: rurſum Chriſtianos ſacrificaturos cum ſpiritu & veritate, id eſt, cum internâ mentis deuotione (quæ deerant ſacrificijs Iudæorum) & deinde vero Deo (quod non faciebant Samaritani, qui Idolo immolabant.)

2. Secundò, Ex inſtitutione Chriſti, in quâ ait: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem*, *Luc.* 22. Vbi audimus Primò corpus Chriſti non ſolùm dari diſcipulis ſumendum, ſed offerri etiam pro illis, & vt Matthæus cap. 26. ait *pro multis*. Ergò non ſolùm datum eſt à Chriſto diſcipulis, ſed etiam pro diſcipulis alijſque plurimis. Quod ſi Apoſtolus 1. *Cor.* 11. pro verbo *datur*, vtitur verbo, *tradetur*. q. d. in cruce, nihil obeſt noſtro argumento. Vtrumque enim verbum ſtare debet: Datur, id eſt, immolabitur nunc à me modo incruento: Et tradetur, id eſt, paulò poſt in cruce immolabitur modo cruento. Audimus deinde præceptum Chriſti: *Hoc facite in meam commemorationem.* In quo colligimus eam cœnæ actionem perfectiſſimam fuiſſe repræſentationem ſacrificij crucis, ac proinde etiam ſacrificium. Alioquin quomodo ſacrificium crucis perfectè repræſentaret, ſi ipſa ſacrificium nullo modo eſſet? ſanè vetera illa, vt Chriſtum cruce immolatum ſuo modo repræſentarent, ſacrificia fuerunt & eſſe debuerunt: cur non ergò & nouum iſtud? Si quæras, quomodo Euchariſtia ſub vtraque ſpecie confecta à Sacerdote repræſentet ſacrificium crucis; dico per verba conſecrationis veluti per gladium ſeparari corpus Chriſti ab eius ſanguine, & rurſum ſanguinem à corpore, non realiter quidem (quia iam non moritur) ſed repræſentatiuè, quatenus ex vi verborum conſtituitur ſub ſpecie panis ſolùm corpus, ſanguis autem tantùm ex conſequenti ſeu comitanter; & rurſum ſub ſpecie vini ſolus ſanguis, corpus autem ex conſequenti: ita vt conſtitutio corporis Domini ſit primarius effectus conſecrationis panis, acceſſio verò ſanguinis quaſi accidentalis; & rurſum conſtitutio ſanguinis ſit primarius effectus conſecrationis vini, acceſſio autem corporis Domini, ſit velut accidentalis. Hoc autem ſufficit ad exactam repræſentationem cruenti illius ſacrificij. Confirmatur argumentum ex verbo *Facite*: quod non ſolùm apud profanos ſcriptores ſignificat ſacrificare, ſed etiam in SS. literis, vti *Leuit.* 9. & 15. *Num.* 6. 3 *Reg.* 18.

3. Accedit & Apoſtolus, qui in lege Euangelica agnoſcit altare diſtinctum ab altari Iudæorum, ad Hebr. 11. *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt.* Vbi in Græco pro altari eſt vox *θυσιαστήριον*, q. d. ſacrificatorium. Vbi autem eſt altare, ibi & Sacerdos & ſacrificium; hæc enim tria correlatiua ſunt. Rurſum ad *Hebr.* 7. agnoſcit nouum nouæ legis Sacerdotium cùm ait: *Tranſlato Sacerdotio neceſſe eſt vt legis tranſlatio fiat.* Vbi verò eſt peculiaris lex & religio, ibi peculiare Sacerdotium: Chriſtianorum lex peculiaris eſt & diſtincta à Iudaicâ & alijs; ergò peculiare Sacerdotium habet. Denique 1. *Cor.* 10. agnoſcit in lege noua ſacrificium à ſacrificio Gentilium & Iudæorum diſtinctum, quod conſiſtat in oblatione corporis & ſanguinis Chriſti, ſub ſpecie panis & vini, cùm ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt?*

D. III. Ex conſenſu Eccleſiæ & Patrum.

Tertio, Ex conſenſu Eccleſiæ & patrũ, qui ita clarè aſſerunt ſacrificium Euchariſtiæ, vt nemo qui eos viderit, dubitare de hoc poſſit. 1. Primò, quia id vocant ſacrificium, oblationem, immolationem, hoſtiam, victimam. 2. Secundò quia requirunt altaria ad conficiendam Euchariſtiam; altaria autem ſunt propter ſacrificium. Hinc S. Monica moriens ad ſacerdotes aiebat: *Tantum illud vos rogo, vt ad altare Domini memineritis mei vbicunque fueritis.* Auguſt. *lib. 9. confeſſ. cap.* 11. 3. Tertiò, quia miniſtros, qui Euchariſtiam offerunt, vocant Sacerdotes; & eorum miniſterium, Sacerdotium; proprium autem munus ſacerdotum eſt offerre ſacrificium. 4. Quartò, quia docent Euchariſtiam celebrare & offerri poſſe pro viuis & defunctis, pro pace & incolumitate; & generatim pro omnibus neceſſitatibus tam corporis quàm animi; quod ſanè non dicerent, niſi putarent eſſe verum ſacrificium. 5. Denique quia docent Melchiſedechum fuiſſe verum ſacerdotem & Chriſti figuram; eiuſque ſacrificium in pane & vino fuiſſe typum ſacrificij Chriſti incruenti ſub ſpecie panis & vini. Hæc omnia ex SS. Patribus oſtendit Bellarminus *lib. 1. de miſſa cap.* 15. Sed quid ad hæc Lutherus & Caluinus? non diffitentur iſta, ſed ſuam authoritatem omnibus præponunt Patribus. Lutherus in lib. de abroganda miſsâ ſcribit: *Profiteor inprimis aduerſus eos, qui clamaturi ſunt, quòd contra ſtatuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum.* Et in lib. de miſsâ: *Hic non moramur, ſi clamitant Papiſtæ: Eccleſia, Eccleſia, Patres, Patres: quia, vt dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis cauſis curamus, ſcimus ipſos etiam Prophetas lapſos eſſe, adeoq́; Apoſtolos*, non tamen Lutherum, ſi Dijs placet, qui Prophetis & Apoſtolis maior eſt. Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 18. §. 1. ait; *Peſtilentiſſimo errore Satan totum pane orbem excæcauit, vt crederet miſſam eſſe ſacrificiũ.* Et infrà §. 12. *Non eſt, cur vllâ hominum authoritate vel annorum præſcriptione patiamur nos moueri.* Mira res! Lutherus & Caluinus non volunt vllâ hominum authoritate moueri, ne quidem Prophetarum & Apoſtolorum; & tamen ipſi ſuâ authoritate volunt alios moueri, quaſi ipſi non homines eſſent, ſed Dij. Sed miſsâ horum Deorum temeritate & arrogantiâ, non credimus tot SS. Patres docere vo-

re vo-

re voluiſſe quod neſcierunt, & Eccleſiam cum ijs per tot ſæcula derelictam à Deo, vt in re tam graui erraret: non credimus Eccleſiam Chriſti relapſam eſſe in Idololatriam (ſi talis Miſſa eſt; vt clamant nouatores) adeoque periiſſe: Non credimus falſam fuiſſe Chriſti promiſſionem de non extinguendà Eccleſia: non credimus tot Sanctos viros miraculis illuſtres ſacrilegos fuiſſe: Non credimus hoc dogma nulli Sanctorum, ſed ſoli Luthero demum & Caluino reuelatum eſſe. Quæ omnia tamen ſequuntur ex ſententiâ hæreticorum. Sanè Lutherus in principio libri de abrogandâ Miſsâ, ſibi metuens ſcribit: *magnum eſt certe tot ſæculorum conſuetudini, tantæ multitudinis ſenſui tantorumq; authoritati reluctari.* Et paulo infrà ſibi obiicit: *Tu ſolus ſapis? totne errant vniuerſi? tanta ſæcula ignorauerunt? Quid ſi tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter?* Hæc ille, perurgente conſcientiâ ſuâ malè ſibi conſciâ.

E.
IV.
Ex diaboli obluctatione.

QVARTÒ, Ex diaboli conatu, qui nequaquam, vt vult Caluinus, orbem excæcauit, vt crederet Miſſam ſacrificium; ſed potiùs omni conatu niſus eſt è medio tollere Miſſam, quando cum Luthero diſputans, ipſum conuicit (ſicut ipſe teſtatur in lib. de Miſsâ angulari) Miſſam eſſe puram idololatriam & Lutheri Sacerdotium ac conſecrationem nullam. Ex quâ diſputatione Lutherus edoctus Miſſam impugnauit. Iam verò quid fidei tribuendum eſt eiuſmodi dogmati, quod diabolus inuexit & Lutherum docuit? Rectè quidam è Religioſorum D. Bernardi familia ad Lutherum tunc ſcripſit: *ſi Miſſa abominatio eſſet, vti tu blaſphemas, an putas diabolum contra eam diſputaturum & ad eam abolendam argumenta ſubminiſtraturum, ac non potius modis omnibus eam ſtabiliturum magiſq; confirmaturum fuiſſe?* Apud Florim. Remund. *lib. 1. de orig. hær. cap.* 15. Sed nimirum verſutus ille ſerpens bene nouerat in S. Miſſa omnium penè eorum, quæ pro ſalute noſtra Chriſtus geſſit, Incarnationis, S. Euchariſtiæ inſtitutionis, paſſionis, mortis, reſurrectionis & aſcenſionis Chriſti, memoriam contineri, indeque viuis & defunctis bona plurima prouenire; ideò Luthero & Caluino velut paredris vſus eſt ad Miſſam euertendam. Verùm hoc tantum opus non repentè, ſed paulatim & pedetentim aggreſſus eſt. Primò enim impugnans abuſum indulgentiarum; quæſiuit per foramen ingredi in Eccleſiam. Mox deletis omnino indulgentijs, per feneſtram quodammodò irrupit. Ingreſſus primò vidit obſtare ſibi bapiſterium; hoc ſi amoliretur, ſe omnia lucraturum. Suaſit ergò hominibus, aquam baptiſmalem nequaquam benedicendam; vt ſi poſteà fœteret & vermibus ſcateret, è templo eliminaretur & aqua fluminis introduceretur. Succeſſit ei hoc negotium. Poſteà ad chorum procedens, vidit ſibi obſtare ſacrarium Euchariſtiæ. Perſuaſit ergò ſuis, hanc non adorandam, quia vel figura tantùm eſſet Chriſti, iuxta Caluinum, vel Chriſtum in vſu tantùm & ſumptione contineret, iuxta Lutherum. Hoc obtento propiùs accedens ad altare, vidit ſibi obſtare Miſſam, quo minùs in altari ſederet. Perſuaſit ergò Luthero & poſteà Caluino vt abrogarent Miſſam. Hoc facto ſedit ſuper altare & priuauit homines omni ſolatio; defunctos ſubſidio, Deum ſuo debito, Angelos gaudio, ſanctos honore ſuo.

F.
V.
Ex miraculis.

QVINTÒ, Ex miraculis, quibus Miſſam Deus velut calculo & ſigillo ſuo approbauit. Sed quis hæc omnia enarrabit? Sanè fuerunt Sacerdotes, quibuſcum manus diuina de cœlo protenſa viſa eſt operari ſacris, vti S. Vdalricus Epiſcopus Auguſtanus, apud Sur. to. 4. S. Euortius Epiſcopus Aurelianenſis, apud Sur. tom. 5. die 7. Septemb. Alijs conſecrantibus viſa eſt S. hoſtia immutata in carbonis micantis ſpeciem, vt contigit S. Ignatio Patriarchæ Conſtantinopolitano, apud Nicetam & Baron. anno 878. Vel in ſpeciem elegantis pueruli; vti viſum in palatio S. Ludouici Regis Franc. apud Ioan. Viguer. in inſtit. ad Chriſt. Theol. Et in calice S. Altonis; cùm ab eo in Miſſa eleuaretur, vt habet eius vita manuſcripta in Monaſterio eiuſdem. Et in S. hoſtia quam conſecrauit S. Plegilus preſbyter, apud Paſchaſium Corbeienſem lib. de corp. & ſang. Domini cap. 40. Alijs celebrantibus aſtiterunt & miniſtrarunt angeli, vt S. Gregorio Magno Pont. S. Proculo Epiſcopo & Martyri, S. Oſwaldo Epiſcopo Vigornienſi, S. Chryſoſtomo, &c. Alij mediante hoc ſacrificio magna à Deo obtinuere beneficia; vti expulſionem malignorum ſpirituum ab ædibus, apud S. Auguſtinum *de Ciuit. Dei lib.* 12 *cap.* 8. vinculorum ſolutionem in captiuitate, apud Gregorium Mag. *hom.* 37. *in Euang.* & *lib.* 4. *dial. cap.* 57. Et Ven. Bedam *lib.* 4. *hiſt. Angl.* anno Domini 679. Et Leont *in vita Ioan. Eleemoſynarij*. Morborum, maleficiorum dæmonum, locuſtarum depulſionem, &c. Exempla vide in Catech. hiſtor. Dauroultij c. 5. tit. 25.

G.
VI.
Ex aduerſariorum inanibus terriculamentis.

SIXTÒ, Ex aduerſariorum inanibus terriculamentis, quibus à Miſsâ auertuntur. Primò, Diſplicet illis nomen miſſæ quod nullibi reperiatur in ſcripturâ. Sed hac ratione etiam Incarnationis & Trinitatis myſterium negare debent, cùm nec iſta vocabula nominet ſcriptura. Quòd ergò S. Athanaſius in Ep. ſententiâ Dionyſij ait de voce ὁμοούσιος: *Tametſi non inuenerim hanc vocem conſubſtantialitatis in SS. literis, rem tamen ipſam inibi deprehendi, &c.* idem nos dicere de Miſsâ, Trinitate & ſimilibus poſſumus. Vocatur autem Miſſa, ab Hebraico & Chaldaico, Miſſah, quod eſt ſpontanea oblatio. Chriſtus enim oblatus eſt, quia voluit, Iſa. 53. Iure autem creditur id nomen à Petro & Paulo traditum Romanis. Eo enim nomine ſacrificium id appellauit Pius Papa proximus Apoſtolorum in Epiſt. ad Iuſtin. Vien. in Bibl. PP. Et Cornelius Papa in Ep. Lupicin. Vien. Epiſcopum. Concilium Romanum ſub Syluc-

1.

ſtro & alia. Item Alexander Papa I. qui fuit ſextus à B. Petro, in prima Epiſtola, quæ eſt ad omnes fideles. Taceo Auguſtinum *ſerm.* 91. *&* 251 *de Temp.* Ambroſium, &c.

2. Secundò, Diſplicent illis cæremoniæ, geſtus & preces, quæ in Miſsâ adhibentur. Sed immeritò: Primò, quia nec ipſorum cœnæ omni huiuſmodi ritu carent: imitantur enim nos velut Simiæ. Deinde ritus hi ſubſtantiæ Miſſæ non modò nihil derogant, ſed decorem etiam addunt; ſancti enim ſunt & tanto myſterio debiti à ſanctis viris additi. Saluator noſter excellentem aliquem pictorem imitatus videtur, qui prima lineamenta ſua ipſe manu, qua par eſt vbique arte deſcribit & adumbrat, pueris deinde ac diſcipulis ipſam tabulam coloribus exornandam ac perficiendam tradit; qui interim vnicè operam dant, ne à Magiſtri manu exorbitent. Idem factum in præſenti. Eſto Apoſtoli celebrarint Miſſam ſolâ adhibitâ oratione Dominicâ, num ideò Miſſa noſtra quoad ſubſtantiam alia eſt ab illorum Miſſa? Idem homo à teneris puer eſt & imberbis, octogenarius poſteà & canus, idem omnino ac non minùs homo eſt, quàm fuit in pueritiâ, tametſi valde diſſimilis.

3. Tertiò, Volunt nos contentos eſſe ſolo crucis ſacrificio cruento, quia habet vim infinitam & æternam. Sed hinc inferre poſſum, fruſtra etiam eſſe baptiſmum & Euchariſtiam, fruſtra fuiſſe ſacrificia veteris legis. Ad quid enim hæc, ſi ſacrificium crucis ſufficit? Reſpondetur ergò, ſacrificium crucis ſufficere & habere vim infinitam, quia non eſt opus vt Chriſtus iterum moriatur, vel eius meritis aliquid addatur; duo tamen neceſſaria erant, vnum vt illius beneficij eſſemus memores: alterum vt fructum illius in particulari nobis applicaremus. Hæc duo præſtat Miſſa, non minùs quàm fides & ſacramenta ad hoc à Chriſto inſtituta.

4. Quartò, Obijciunt Chriſtum eſſe ſacerdotem in æternum ergò non habere ſucceſſores ſeu ſacerdotes alios. Sed reſpondetur, non habere quidem ſucceſſores, habere tamen miniſtros & vicarios ſacerdotes. Magna inter hos diſparitas. Succeſſor enim cum pari poteſtate mortuo anteceſſori ſuccedit. At Chriſtus iam nec moritur nec paris poteſtatis habet ſacerdotes, ſed miniſtros qui ei ſubſeruiant in officio ſacerdotali. Quâ in re typus Chriſti Aaron habuit inferiores ſacerdotes & Leuitas ſibi miniſtrantes.

5. Quintò, Dicunt aliud eſſe ſacramentum, aliud ſacrificium: in illo enim accipimus aliquid à Deo, in hoc verò damus aliquid Deo. Rurſum ſacrificium offerendum eſſe Deo, non comedendum ab hominibus. Sed reſpondeo vtrumque falſum eſſe, vt patet in agno paſchali, qui erat ſacramentum ſimul & ſacrificium: totus offerebatur Deo & totus comedebatur à populo. Idem fit in Euchariſtia: eam à Deo accipimus & eandem illi offerimus. Si id quod accipimus à Deo, non liceret ei offerre, nihil offerre poſſemus: quid enim habemus, quod ab illo non habemus? Vos ergò, Auditores, ſinite cœcos illos & perſiſtite in luce, in quâ hactenus ambulaſtis. Quantum illi impugnant & oderunt Miſſam, tantùm vos eandem propugnate & amate; ad cœnam hanc vocati ſedulò conuenite, de eâ quantum poteſtis & vultis participate, vt tandem aliquando cum Chriſto cœnetis in regno cœlorum.

CONCIO IV.

De dignitate ſacrificij Miſſæ.

Deſumitur huius ſacrificij dignitas.
1. *Ex re oblata.*
2. *Ex inſtitutore Chriſto.*
3. *Ex eius cæremonijs.*
4. *Ex miniſtris & circumſtantijs.*
5. *Ex punitione contemptorum.*

THEMA.

Homo quidam fecit cœnã magnam. Luc. 14.

CElebratiſſimum eſt Aſſueri grande Conuiuium, quod inſtituit primoribus regni ſui, & deinde ciuibus Suſan regiæ ciuitatis, vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui ex *lib. Eſth. cap.* 1. Inprimis enim in grandi illo conuiuio, cibi regij apponebantur alijs atque alijs vaſis: vinum abundans & præcipuum. Secundò, qui inſtituit conuiuium Rex fuit potentiſſimus ſuper 177. prouincias. Tertiò apparatus fuit ingens; habitum enim conuiuium in horto regio, pendebant ex omni parte tentoria aërei coloris & carbaſini & hyacinthini, ſuſtentata funibus byſſinis atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant & columnis marmoreis fulciebantur: Lectuli quoque aurei atque argentei ſuper pauimentum ſmaragdino & pario ſtratum lapide diſpoſiti erant, quod mirâ varietate pictura decorabat. Quartò ſingulis menſis præerant ſinguli principes, vt ſumeret vnuſquiſque quantum vellet. Quintò, Regina Vaſthi, quia in conuiuio hoc comparere iuſſa renuit, grauiſſimas pœnas dedit: repudiata enim à Rege eſt, & regnum eius alteri traditum. Omnia iſta oſtendunt, grande fuiſſe conuiuium, quod inſtituit Aſſuerus. Sed multò grandius fuit, quod in vltima cœnâ inſtituit Chriſtus; & primò quidem exhibuit primoribus ſuis Apoſtolis, deinde toti Eccleſiæ, ſacrificium Miſſæ videlicet. Omnia enim illa, quæ in Aſſueri conuiuio magna fuerunt, multo maiora ſunt in Miſſæ ſacrificio: vt apparebit per ſingula.

A. Aſſueri conuiuiũ typus S. Miſſæ.

PRIMÒ, Deſumitur huius ſacrificij dignitas ex re oblatâ, quæ excellit omnia munera quæcunque Deo vel olim oblata fuerunt, vel adhuc offerri poſſunt. Eſt enim ipſemet Dei filius, qui vti in cruce obtulit ſe patri in odorem ſuauitatis ſeu gratiſſimum beneficium,

B. I. Deſumitur ex re oblatâ.

ita vt

ita vt per hoc reconciliaret ei etiam inimicos: ita etiamnum offertur illi in ſacrificio Miſſæ, ad reconciliandum nobis cœleſtem patrem, vti nobis partim peccata, partim debitas eis remittat pœnas. Quemadmodum natura, ita & naturæ author conſueuit ab imperfectioribus progredi ad perfectiora. Patet in creatione mundi, vbi ab elementis & inanimatatis gradum fecit ad plantas, à plantis ad animalia bruta, ab his ad hominem, tanquam anacephalæoſim & epitomen omnium creaturarum. Patet etiam in ſacrificiorum progreſſu. In lege naturæ contentus erat Deus oblatione frugum & ouicularum ſine ſolemnitate. In lege ſcriptâ oues & boues magnique pretij victimas requiſiuit magnâ cum ſolemnitate & plurimis ritibus offerendas. Tandem in lege nouâ inſtituit victimam victimarum; Chriſtum, in ſacrificio Miſſæ, qui cùm per priores victimas adumbratus fuerit, & omnia creata munera in infinitum ſuperet, meritò finem impoſuit veteribus ſacrificijs. Vt enim ſtellæ omnes reconduntur aduenien te ſole, quòd ab eius lumine nimiùm excedantur: ita ſacrificia alia ceſsàrunt, cùm hoc magnum inſtituit Dominus. Vnde meritò dicere Chriſto poſſumus: *Tu autem ſeruâſti bonum vinum vſque adhuc.* Sic enim *Zach.* 9. de illo prædictum fuit: *Quid eſt bonum eius & quid pulchrum eius* (Chriſti) *niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* q. d. nihil habuiſſe Chriſtum melius quod offerret patri & nobis offerendum relinqueret, quàm ſeipſum ſub ſpeciebus panis & vini. Et hinc eſt, quòd huius ſacrificij contemplatione, nauſeam quodammodò cœpit veterum ſacrificiorum Deus, ſic namque dixit Malachias cap. 10. *Non eſt mihi voluntas in vobis* (videlicet ſacerdotibus antiquæ legis) *dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtrâ. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Quem locum, de Euchariſtiâ interpretantur SS. Patres, Irenæus, Cyprianus, Auguſtinus, Iuſtinus. Quemadmodum ergo ſi cui inprimis dentur aliqui nummi cuprei, poſteà monetæ argenteæ, & tandem aureus ducatus: tum is hoc accepto ſpernet reliquas monetas & libenter pro ducato dabit, quia hic illas continet & multò adhuc plures. Ita quia ſacrificium nouæ legis vetera omnia continet & multò adhuc plus: ideò Deus illa faſtidire cœpit, & ſolo hoc delectatur. Vnde Pſ. 109. Dauid de noſtro ſacrificio longè aliter loquitur: *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Quem locum de Chriſti Sacerdotio & ſacrificio interpretatur Apoſtolus ad *Hebr.* 7. Cùm enim præſtantius & Deo acceptius munus excogitari & eſſe nequeat in æternum, quàm ipſemet Dei filius: quomodo poteſt Deum pœnitere vel tædere huius ſacrificij?

SECVNDÒ, Ex Inſtitutore Chriſto, qui primus in vltimâ cœnâ ſacrificium hoc obtulit & offerendum inſtituit, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* In quâ re typus Chriſti fuit Melchiſedech Rex Salem, qui victori Abrahæ, proferens panem & vinum obtulit Deo in gratiarum actionem pro victoriâ obtentâ eò quòd eſſet Sacerdos Dei altiſſimi; quod de Chriſto prædixit Dauid *Pſ.* 109. & exponit Apoſtolus *Hebr.* 7. Hanc ergò figuram impleuit in vltimâ cœnâ Chriſtus. Repræſentauit autem Melchiſedech Chriſtum aptiſſimè quoad multa. Primò, Melchiſedech fuit Rex Salem, id eſt, pacis: Et Chriſtus Iſaiæ 9. vocatur *Princeps pacis.* Secundò, Melchiſedech fuit Rex & Sacerdos (non ita Aaron) ſic etiam Chriſtus. Tertiò, Melchiſedech fuit Sacerdos quidam vniuerſalis, non vnius gentis tantùm (non ita Aaron) ita Chriſtus vniuerſalis Sacerdos, Hebræorum & gentium. Quartò, Melchiſedech fuit Sacerdos quaſi æternus, ſine patre & matre, ſineque ſucceſſore, ad *Hebr.* 7. quia ſcilicet eius parentela non deſcribitur; (non ita Aaron:) ita Chriſtus ſine patre vt homo, ſine matre vt Deus; item ſine ſucceſſore eſt Sacerdos in æternum, quia vt principalis offerens ſolus eſt, nec habet ſucceſſorem aut anteceſſorem. Quamuis enim elegerit Sacerdotes, voluit tamen eos eſſe ſua inſtrumenta: ſeipſum verò facere officium præcipui Sacerdotis. *Vnde & ſaluâre in perpetuum poteſt*, ait Apoſtolus ad *Hebr.* 7. *accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis ad Deum.* Quoties ergo Sacerdos celebrat, toties Chriſtus de cœlo manum ſuam ad eum protendit, ipſius quaſi manum ducens & cum ipſo vt præcipuus Sacerdos offerens; (quoniam ipſe eſt offerens & oblatum.) Quis enim rem tantam facere ſine tali manuductore poſſet? Ita ſacrificanti S. Vdalrico in die Paſchæ, dextera Dei ſuperna apparuit cum illo ſacrificans, apud Sur. tom. 4. Vnde S. Chryſoſt. hom. 60. ad pop. ait: *Verùm & tu Laice cum Sacerdotem videris offerentem, ne vt Sacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam.* In cuius rei, ſignum cùm Sacerdos conſecrat, non ſuo ſed Chriſti nomine loquitur: & ipſe Chriſtus per os Sacerdotis dixit: *Hoc eſt corpus meum.* Nec ſatis eſſet ſi diceret: Hoc eſt corpus Chriſti? quia tunc loqueretur nomine ſuo & non ſupremi Sacerdotis, qui rem adeòglorioſam per creaturam adeò vilem perficit. Et propterea non habet opus alijs Sacerdotibus, vt Aaron ſucceſſoribus, ſed tantùm miniſtris, qui viſibiles eſſe debebant (Chriſtus enim in cœlo exiſtens nobis inuiſibilis eſt) cùm ſacrificium etiam ſit viſibile. Vnde apparet ſacrificium ipſum quoad ſubſtantiam nihil amittere de ſuâ dignitate & puritate, licet miniſter ſit improbus: ſicut ſcriptura quam facit Ludi-magiſter ducens manum rudi puerulo, non eſt deterior eâ quam facit ducens manum alteri ſcriben-

C. II. Ex inſtitutore Chriſto.

ſcribendi gnaro. Vel ſicut eleemoſyna quam ſanctus aliquis Dominus largitur nihil propterea amittit, quòd famulus eius, per quem eam pauperi largitur, improbus ſit. Quare Miſſa mali Sacerdotis non eſt deterior Miſsâ boni Sacerdotis: nec ea quæ modò fit, illâ, quam Chriſtus in vltimâ cœnâ fecit; quia, vt S. Chryſoſt. *hom. 2. in 2. Tim. & hom. 17. ad Hebr.* ait: *idem Dominus vtramque facit.* Solùm hoc intereſt, quòd oblatum à Chriſto ſolo tunc fuit meritorium & ſatisfactorium, quia adhuc erat in ſtatu viatoris: nunc autem non ampliùs meretur nobis, ſed applicat tantùm nobis ſua merita per Miſſam.

D. III. Ex eius cæremoniis.

TERTIÒ, Ex varijs ritibus & cæremonijs, quæ ad Miſſæ celebrationem ex præcepto vel conſuetudine Eccleſiæ adhibentur. Nam primò celebratur tantùm in linguâ Latinâ (extra Græciam) non modò ad deſignandam vnitatem Eccleſiæ, ſed etiam ob maieſtatem & dignitatem linguæ Latinæ: & ne res tanta vilipendatur.

1. Ea verò compoſita eſt à ſanctiſſimis viris ex verbis prægnantiſſimis & pijſſimis. Ordinem & formam celebrandi tradidiſſe dicitur S. Iacobus Minor, Epiſcopus Ieroſolymitanus, cui ſeruiebat S. Stephanus, de conſecrat. d. 1. cap. *Iacobus.* Poſteà Baſilius Epiſcopus Cæſarienſis exactiorem tradidiſſe. Dominum à ſanctis Pontificibus addita paulatim augmenta. Pſalmum, *Iudica me Deus*, in principio Miſſæ recitari ſolitum, à Pontiano Papa inſtitutum ſcribit Berno *lib. de officio Miſſæ c.* 25. Introitum à Cæleſtino Papâ, vult Alcuinus. Kyrie eleiſon in Liturgiâ Iacobi habetur; nonies vt repeteretur, inſtituit S. Gregorius Magnus Papa. Gloria in excelſis Deo cantari cœpit in Miſſa Teleſphori Papæ, vt refert Damaſus in Pontificali cap. 9. Mos dicendi, Dominus vobiſcum, ab ipſis Apoſtolis fluxit, teſte Concilio Bracharenſi 2. cap. 21. Alij eum Soteri vel Anacleto adſcribunt, alij alia addiderunt fragmenta, pæne omnes ſancti Pontifices.

2. Secundò, non niſi congruo tempore, ab aurorâ ſcilicet vſque ad meridiem. Auroræ autem tempus cenſetur hora circiter & media ante ſolis ortum. Ita docet D. Thomas p. 3. qu. 83. art. 2.

3. Tertiò, non celebratur niſi in loco ſacro & ad celebrandum peculiariter deſtinato, vt in Eccleſiâ. In capellis verò & oratoriis non conſecratis, vel etiam domibus priuatis non niſi licentiâ Epiſcopi. Debet vero Eccleſia eſſe non violata homicidio, ſanguinis vel ſeminis humani effuſione, ſepulturâ hominis excommunicati vel incendio aut ruinâ notabili.

4. Quartò, non niſi ſuper lapideo altari ab Epiſcopo conſecrato & Sanctorum reliquiis munito; nec niſi ſuper duabus ſaltem mappis lineis additoque inſuper corporali ab Epiſcopo benedicto, cap. *ſi per negligentiam*, de conſecr. d. 2.

Quintò, non niſi in veſtibus & vaſis ſacris, ijſque mundiſſimis. Eæ autem veſtes debent itidem benedictæ eſſe. Calix non niſi aureus vel argenteus, vel ad minimum ex ſtanno eſſe debet, ab Epiſcopo ſacris ritibus conſecratus, cap. *vaſa*, cap. *vt calix*, de conſecrat. diſt. 1. 5.

Sextò, non ſine imagine crucis; de quo quidem non extat canon; (vnde nec mortale peccatum foret ſine eâ celebrare) conſtitutum tamen eſt in cæremonijs & regulis Miſſalis. 6.

Septimò, non ſine luminaribus duobus cap. vlt. de celebrat. Miſſæ. Candelæ autem cereæ eſſe debent. 7.

Octauò, non ſine miniſtro, vt præcipit Concilium Moguntinum 1. cap. 43. Iſque vir ſit, non fœmina, vt præcipitur cap. 1. *de cohabit. cler. & mulier.* 8.

Quibus omnibus Eccleſia non tantùm inſinuat myſteria certa, ſed inprimis dignitatem huius ſacrificij. Vt enim Rex in ſuo palatio vult omnia ſe digna; palatium nitidum, famulos formâ & veſtitu nitidos, veſtes nitidas, menſas & lectos nitidos &c. ſic Chriſtus in ſacrificio.

Nonò, Non celebratur præſentibus pœnitentibus publicis & excommunicatis. Nam *quemadmodum ad menſam accumbente hero*, inquit S. Chryſoſtomus hom. 3. in cap. Epheſ. 1. *non licet iis, qui illum offenderunt inter miniſtros adeſſe, ſed è medio abiguntur; ita & hoc loco, dum offertur oblatio, dum Chriſtus atque agnus ille immolatur, ſcilicet qui in peccatis ſunt, primùm eijciuntur.* Sanè mortui ſæpe, non abſoluti ab excommunicatione, ſurgere ad vocem eijcientis excommunicatos & exire de Eccleſiâ viſi ſunt, vt in vitâ S. Gothardi Epiſcopi Hildesheim. Cùm enim eo iubente abſcedere excommunicatos de Miſsâ, illi remanerent, mortui aliqui ſurgentes exierunt: vnde pudore ſuffuſi etiam viuentes exierunt. Tunc reuocatos mortuos abſoluit, & ad tumulos ſuos reuocauit. Quod aliàs ſæpiùs contigiſſe ſcribit Raderus p. 1. *Viridarij à fol. 54. vſque 62.* 9.

QVARTÒ, Ex miniſtrorum & circumſtantium præſtantiâ. Nam inprimis de S. Chryſoſtomo ſcribit diſcipulus eius, S. Nilus, ad Anaſtaſ. Epiſcopum: *ſæpe vidit in Eccleſia angelos, ſed maximè tempore ſacrificij Miſſæ. Itaque admiratione & lætitiâ plenus amicis multum ſpiritualibus ſeorſum narrabat quemadmodum cùm Sacerdos oblationem ſanctam facere inciperet, plurimi angeli è cœlo delapſi ſplendidiſſimis ſtolis induti, nudo pede, aſpectu intento, vultu demiſſo circumſtantes altare magnâ reuerentiâ & quiete ac ſilentio vſque ad myſterij conſummationem aſſiſtunt. Deinde diſcurrentes huc atque illuc per totam Eccleſiam Epiſcopos & Presbyteros; qui corpus & ſanguinem diſtribuunt adiuuant & corroborant.* Tunc addit: *Hæc ſcribo vt intelligentes quanti tremoris ſit diuina Miſſa, nec ipſi remiſſè timorem Dei negligatis, nec vllos alios loqui aut muſſitare tempore oblationis, neque innuere*

E. IV. Ex miniſtris & circumſtantibus.

nuere audacter, aut à ſtatu grauitatis dimoueri: neque huc atque illuc circumſpicere aut ignauè & diſperſè vagari permittatis. Sic ille. Ipſemet S. Chryſoſtomus teſtis oculatus lib. 6. de ſacerdotio ſcribit: *Per id tempus angeli ſacerdoti aſſident, & cæleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus eſt: Vidit enim ſenex quidam admirabilis eo tempore angelorum multitudinem fulgentibus veſtibus indutorum, altare ipſum circumdantium atque ſic capite inclinatorum, vt ſiquis milites præſente rege ſtantes videat.* Cyrillus etiam in vitâ S. Euthymij Abbatis ſcribit eum ſæpe vidiſſe ſacrificantem angelos ſecum Deo miniſtrantes & ſacra contrectantes. S. Baſilius ſacrificium non peragebat, niſi diuina viſio ei oſtenderetur, vt teſtatur Amphilochius in eius vitâ. Item S. Gudwalus Archiepiſcopus & alij. Sanctus Ambroſius *ſuper cap. 1. Lucæ* ait: *Non dubites aſſiſtere angelum, quando Chriſtus immolatur.* Et V. Beda ſuper Lucam ait: *ſicut poſito in ſepulchro corpori Chriſti angeli adſtitiſſe leguntur, ita etiam tempore conſecrationis Dominici corporis aſſiſtere ſunt credendi.* Et cur hoc non facerent angeli? num ſatis ſibi eſſe exiſtimabunt, quod ſciant ipſum in terrâ habere miniſtros qui ei aſſiſtent? an non & ipſi quoque deſcendent vt ſocios ſe eis præbeant? Quando Chriſtus in carne mortali venit in hunc mundum vt cruci affigeretur, deſcendit certè multitudo militiæ cœleſtis laudantium cum magnaque cum lætitia dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, &c. quid igitur nunc facient, eodem ſuo rege veniente glorioſo in carne immortali, vt nouo quodam & ſtupendo modo in altari ſacrificetur? *Omni dubio procul* (ait S. Gregorius lib. 4. dial. cap. 36.) *in ipſa huius ſacrificij horâ & ad verbum Sacerdotis cæli aperiuntur & angeli deſcendunt, vt tanto huic myſterio IESV Chriſti Dei & Domini noſtri aſſiſtant.* Quinetiam angeli ad Miſſam miniſtraſſe quandoque leguntur. Cùm enim aliquando S. Gregorius Magnus die Paſchæ in templo S. Mariæ Maioris celebraret, &, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, dixiſſet: Angelus Domini altâ voce reſpondit: *Et cum ſpiritu tuo.* Propter quod Papæ ipſa die ibidem celebranti & *pax Domini*; &c. dicenti nihil reſpondetur, inquit Ioan. Diaconus in vitâ S. Gregorij. S. Oſwaldo Epiſcopo Vigornienſi legitur angelus ſacrificanti miniſtraſſe officioſè & ad ſingula reſpondiſſe in eius vitâ. Similiter F. Ioanni de Parmâ Generali Franciſcanorum, in eorum Chron. *to. 2. lib. 1. c. 57.* Hinc multi magnates honori ſibi ducebant miniſtrare ſacrificantibus, vti Thomas Morus Angliæ Cancellarius. S. Winceſlaus Bohemiæ Rex non contentus ſacrificio Miſſæ quotidie intereſſe, etiam meſſis & vindemiæ tempore, oblitus quaſi dignitatis ſuæ, metebat & vindemiabat, quæ pro ſacrificio Sacerdotum manibus offerret. Refert Tymp. *in ſpeculo Magiſt. p. 2. ſig. 23.* Denique etiam ouicula S. Coletæ & S. Franciſci ingreſſa Eccleſiam Miſſæ aſſiſtebat magnâ cum modeſtiâ, & eleuationis tempore in genua nixa non ante finem ſurgebat: Surius in eorum vitâ. Olim Chriſtianos ſub Miſsâ manibus in crucis formam expanſis oraſſe, teſtatur S. Chryſoſtomus hom. 69. ad pop. Antiochen. Et quid mirum? ſi enim tempore ſacrificij veteris, teſte Eccleſiaſtico cap. 50. *omnis populus ſimul ceciderunt in faciem adorare Dominum*; quanto magis hoc debet facere nos ſub Miſsâ?

Qvintò, Ex punitione reproborum, qui Miſſam contempſerunt; non enim ſine cauſa vocatur Miſſa à S. Chryſoſt. hom. 69. ad pop. Antioch. *tremendum ſacrificium.* Item, *horrore & reuerentiâ pleniſſimum*, l. 6. de dignit. Sacerd. c. 4. Exemplo ſunt inprimis pueri quidam paſtoritij in Gonago Apamiæ agro, qui per iocum erigentes altare, ſacrificij ritus imitantes, panem & vinum conſecrare conabantur: vbi mox ignis de cœlo lapſus, altare & omnia ſuperpoſita conſumpſit, & pueros omnes ita exanimauit vt velut mortui corruerint & verbum nullũ ante diem ſequentem loquerentur. Ad quem locum poſtea accedens Epiſcopus, eo quo ſaxum fuerat loco, in æternam rei memoriam Eccleſiam ædificari curauit & pueros in monaſterium intruſit. Refert Ioan. Euiratus *in prato ſpirit. ad Sophr. cap. 196.* In oppido Hardewicenſi non procul ab vrbe Campanſi, cùm hæreticus quidam, Miſſæ illuſor, panis fruſtulum ſuper verticem erigeret, repente totus obrigeſcens vitam miſerè finijt. Refert Coſterus *3. p. Conc. 3.* Alia plura recenſet Tit. Brodenbachius *lib. 1. collat. ſacr.* Inter alia *cap. 64.* narrat in ciuitate Hollandiæ Gouda nomine, anno 1574. contigiſſe, vt dum Catholicus quidam ciuis grauiter decumberet, irriderent eum Caluiniſtæ quidam dictitantes per ludibrium, ſe Miſſam illi dicturos, quò ſuauiùs defungi poſſet. Nec mora, quidam ex illis Hermannus Aklareich profert habitum & cætera Miſſæ paramenta, adornatur Diaconus & Subdiaconus canitur introitus & cætera. Vbi peruentum ad Agnus Dei, nuntium affertur ſacrificanti, vxorem eius coarctari doloribus partus. Ille protinùs excuſſo habitu, feſtinus domum ſe proripiens, inter eundum audit vxorem enixam eſſe gemellos. Sed domum ingreſſus reperit extinctos, & vxorem cum morte conflictantem, ac paulò pòſt defungi videt: ipſe quoque poſtridie peſte corripitur, cum omnibus qui Miſſæ ludicræ cooperabantur & adſtabant: Catholicus conualuit.

F. V. Ex punitione contemptorum.

Digitized by Google

CONCIO V.

Triplices excuſatores in quadruplici cœna, pœnitentiaria, Euangelica, Euchariſtica, beatifica.

Quadruplex cœna reperitur in SS. Litteris.

1. *Pœnitentiaria*, Apoc. 3. *ad quam venire renuunt peccatores obſtinati.*
2. *Euangelica, à qua excuſant ſe multi ob iacturam honoris, ob diſpendium bonorum temporalium, propinquos & Prædicantium terriculamenta.*
3. *Euchariſtica, à qua ſe excuſant ob negotiationes, lites & contentiones, coniugium.*
4. *Cœna beatifica, quam reſpuunt ſuperbi, auari &c.*

THEMA.

Rogo te, habe me excuſatum. Luc. 14.

A. ANte octiduum, Auditores, vidimus in cœlo ternarium omni veneratione colendum & amandum, Deum ſcilicet Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, ſanctiſſimam Trinitatem. Hodie occurrit nobis ternarius in mundo, ſed omni execratione dignus, fugâ & odio proſequendus: tres nimirum inuitati ad cœleſtem cœnam, ſed mundo addicti, & quo minùs venirent, vaniſſimè ſe excuſantes, Primus ait: *Villam emi:* Secundus, *iuga boum emi quinque, rogo te habe me excuſatum:* Tertius, *vxorem duxi & ideò non poſſum venire.* Omnes à cœlo excluſi & ad orcum relegati, quia bona terrena, cæteroqui non illicita, cœlo præpoſuerunt. Atque hic eſt ternarius ille diabolicus, quem deſcribit S. Ioannes ep. 1. cap. 2. dicens: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum* (hoc eſt auaritia) *& ſuperbia vitæ.* Quid enim emptor villæ, niſi ſuperbiam: quid emptor boum, niſi auaritiam: quid vxoris amator, niſi concupiſcentiam carnis in ſinu ſuo geſtauit verbiſque ſuis prodidit? Hæ ſunt tres vniuerſales naſſæ, quibus dæmon infinitos homines velut piſces capit & à cœleſti cœnâ retrahit. Hæ ſunt tres illæ lanceæ Ioab, quibus pendulum transfixit Abſalonem, 2. Reg. 18. His confixit diabolus primos noſtros parentes in paradiſo: concupiſcentiâ carnis cùm perſuaſit eis comedere de ligno vetito; concupiſcentiâ oculorum, cùm eis falsò promiſit: *Aperientur oculi veſtri*; ſuperbiâ vitæ cùm eis falſa item pollicitus eſt: *Eritis ſicut Dij.* His denique configere in deſerto ipſum Chriſtum niſus eſt: concupiſcentiâ carnis cùm ait: *Dic vt lapides iſti panes fiant*; ſuperbiâ vitæ, cùm ait: *Mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim: Quoniam angelis ſuis mandauit de te*; concupiſcentiâ oculorum, cùm oſtendit ei omnia regna mundi dicens: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Peſſimus hic ternarius totus quantus eſt contrarius eſt ternario ſanctiſſimæ Trinitatis. Concupiſcentia oculorum ſeu auaritia, Deo patri, qui totam ſuam diuinitatem communicat Filio & Spiritui ſancto eſſentialiter, creaturis verò participatiuè. Superbia vitæ Dei filio, qui pro nobis formam ſerui induit, omnium infimus factus, & crucifigi non abhorruit. Concupiſcentia carnis Spiritui S. qui eſt amor caſtiſſimus, ſanctiſſimus, omniſque obſcœnitatis hoſtis acerrimus. His tamen omnibus inſuper habitis plurimi ſunt, qui relicto ſanctiſſimo & diuino hoc ternario ad execrandum & diabolicum illum ternarium concedunt & cum vaniſſimis illis excuſatoribus vaniſſimè ſe excuſant à pluribus Dei cœnis videamus.

PRIMÒ. Cœna, quam reperio in SS. literis, eſt cœna pœnitentiaria. De hac ſcribit S. Ioannes in perſonâ Chriſti ad Epiſcopum Laodiciæ, Apoc. 3. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſiquis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo & ipſe mecum.* Pulſat Deus per gratiam excitantem cor peccatoris, quærens intrare ad illum per gratiam habitualem, cumque reficere ſuâ viſitatione & amicitiâ; cuiuſmodi conuiuium habuit cum Matthæo & publicanis recèns conuerſis, & pater ille cum filio ſuo prodigo. Fercula huius deſcribuntur ab Apoſtolo ad Rom. 14. *iuſtitia, & pax* (conſcientiæ) *& gaudium in Spiritu ſancto.* Verùm quid agunt multi homines? Aliqui audiunt pulſantem Deum, ſed non aperiunt; alij etiam fortiùs obſerant fores, & profundiùs indormire peccatis ſuis incipiunt, ne vocem pulſantis audiant. Alij denique contemnunt & irrident pulſum, fiuntque prorſus ſurdi ad diuinas vocationes, adeoque ferè deſperati. Qui tres peccantium gradus non obſcurè inſinuantur in tribus illis excuſatoribus; Primus in eo, qui villam emit & it videre illam. Villa ipſius peccatum ſemel admiſſum eſt. Secundus in eo qui iuga boum quinque emit, & it probare illa. Hæc ſunt peccata conſuetudinis ſæpiùs repetita, graui iugo hominem deprimentia, nec iam viſa ſolummodò, ſed per delectationem probata & comprobata. Tertius in eo qui vxorem duxit, & ideò non poteſt venire. Hæc eſt omnimoda pertinacia fortiſſimè adhærens peccato (qualis in libidinoſis) adeoque contemptus & deriſio vocationis diuinæ, quomodo hic contemptum reſpondit: *Et ideò non poſſum venire.* De quo dicitur Prouerb. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Iidem gradus myſticè deſignati ſunt in tribus prolibus Oſeæ (de quibus cap. 1. Oſe.) quarum primam (filium) vocari iuſſit Deus *Iezrahel*, id eſt, *ſemen Dei perditum vel occiſum*, ſecundam (filiam) *lo rachama*, hoc eſt, *abſque miſericordiâ*. Tertiam itidem filiam, *lo ammi*, id eſt, *non populus meus.* Prima proles denotat peccatorem ſuis illecebris intentum, ideoque Dei gratiâ deſtitutum. Secunda verò eundem in peccatis ſuis obſti-

B. I. Cœna pœnitentiaria.

Excuſatores.

natè

natè progredientem, ac Dei irâ, non miſericordia, dignum. Tertia eundem, à Deo iam abiectum & reprobatum, quia ipſe abiecit & contempſit eius monitiones. Hæc igitur eſt ſcala rectiſſima ad infernum, iure metuenda vel in primo gradu, ne de primo deuoluamur ad ſecundum & de ſecundo ad tertium. Hanc à ſe orando amolitur David *Pſ.* 68. dicens: ***Non me demergat tempeſtas aquæ*** (vide primum gradum) ***neque abſorbeat me profundum*** (vide ſecundum gradum) ***neque vrgeat***, id eſt, non claudat, ***ſuper me puteus os ſuum***(vide tertium.) Idem Propheta Pſal. 1. beatum prædicat illum, qui ab hac ſcalâ longè abeſt. ***Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum***; En primum. ***Et in viâ peccatorum non ſtetit***; En ſecundum. ***Et in cathedrâ peſtilentiæ non ſedit***; Hebr. ***in cathedrâ deriſorum non ſedit***; En tertium. In primo gradu peccatores ambulant, ſeu per modum tranſeuntis hærent, facilè reducendi, ſi à Deo reſpiciantur & vocentur. In ſecundo ſtant per diuturnam conſuetudinem & peccatorum delectationem. In tertio ſedent per obſtinationem, ſine omni metu & remorſu conſcientiæ quieſcentes in peccatis peſtiferis. Primus nonnihil ciuiliter reſpondet in hodierno Euangelio: ***Villam emi, & neceſſe habeo exire.*** Neceſſitatem enim obtendit impedimenti quaſi iuſtam vel vrgentem ſaltem cauſam abſentiæ. Alter impudentiùs: ***Iuga boum emi quinque, & eo probare illa.*** Eo, inquit, quaſi dicat: ſic iam placuit mihi: nihil cauſæ adfert cur iam debeat ire. Tertius omnium impudentiſſimè & obſtinatiſſimè: ***vxorem duxi, & ideò non poſſum venire.*** Rectè, ***non poſſum***, inquit, quia vbi quis peccatis pertinaciter adhæret, iam non poteſt venire, hoc eſt, difficillimè. Exemplum refert Septemcaſtrenſis c. 21. de quodam apud Turcas Chriſtianæ fidei deſertore. ***Illum in familiari colloquio interrogans***, inquit, ***quare hoc feciſti? aut quid te mouit? nihil aliud reſpondère potuit, quam: Maledicta dies ſit, in quâ hoc feci. Et ego: quare ergò non reuerteris ad fidem Chriſti? Tum ille retorto collo & auerſo vultu: non poſſum, non poſſum, inquit.***

C.
II.
Cœna Euangelicæ fidei.

Secvnda, Eſt cœna Euangelica fidei & religionis Catholicæ, ad quam per Apoſtolos vocauit totum mundum. Lex vetus fuit quaſi prandium diei ſalutis & Eccleſiæ Chriſti: lex noua verò, cœna & nouiſſima hora eſt. Ac ſicuti cœnam nòn ſequitur alia refectio: ita poſt Apoſtolicam & Catholicam religionem alia expectanda non eſt. Serò nimis igitur venit Machomet cum ſuo Alcorano, Lutherus cum ſuo quinto Euangelio, aliique nouatores, quorum Euangelia non niſi nocturnæ comeſſationes ſunt, ebrietate & inſaniâ cerebrum obtundentes. Porrò videamus cur ad cœnam iſtam detrectent venire hæretici.

Excuſationes.
1.
Ob iacturam honoris ſui.

Primò aliqui excuſant ſe propter villæ neglectum, id eſt honoris & famæ iacturam; ſiquidem leues, inconſtantes & perfidi, qui fidem violauerint, audituri ſint, ſi ad Catholicos tranſeant. Verùm ſciant non eſſe turpe reſcindere in malè promiſſis fidem, nec obligare iuramentum contra bonos mores præſtitum. Sanè ſi dedecoroſum iudicant redire ad Eccleſiâ, ergò infamis etiam Lutherus fuit, qui ab Eccleſiâ defecit, cui fidem dedit: & quotquot eum ſecuti ſunt. Et ſicut laudem ſibi peperiſſent, ſi poſt lapſum reſipuiſſent & ad Eccleſiam ſuam rediiſſent: ita laudandum eſt: cùm quis desertâ hæreſi reddit ſe Eccleſiæ. Et licet tu in vel ab Eccleſia Romana baptizatus non ſis, nihilominus tamen per baptiſmum à quocunque tandem collatum, Chriſti & Eccleſiæ eius membrum factus es.

2.
Ob diſpendium bonorum temporalium.

Secundò, alij prætendunt boum, id eſt, bonorum temporalium diſpendium; ſiquidem non ſine magno rerum damno mutari fides & domicilium queat, periculumque inopiæ præ foribus expectet; accedit iactura ſucceſſionis hæreditariæ, quæ aliàs ſperari poſſit: Profugiendum erit à patriâ, reſignandi honores & dignitates, incurretur odium principis & proximorum. Verùm hoc ipſo nomine beatum te exiſtimare debes, qui bonorum tuorum iacturam pro Chriſto cum gaudio ſuſtineas. Deinde etſi iacturam aliquam feceris; ſcias quod dixit quidam vir ſanctus Amaſiæ regi Iuda, qui centum talentis conduxerat milites Deo exoſos. Iuſſit enim eos dimitti; & cùm rex obiiceret iacturam argenti factam: ***Quid ergò fiet de centum talentis quæ dedi militibus Iſraël?*** Reſpondit homo Dei: ***Habet Dominus, vnde tibi dare poſſit multo his plura***, 1. *Paral.* 25. Themiſtocles pulſus primùm Athenis, deinde totâ Græciâ, cùm ad regem Perſarum veniſſet, repentè ditiſſimus ab eo factus eſt; vnde magnifica eius dona intuens: ***Amici***, inquit, ***perieramus, ni periiſſemus.*** Plut. in apopht. Notum quoque illud Anaxandridæ reſponſum ad quendam qui exilium ægrè ferebat: ***ne exhorreſcas exulare à ciuitate, ſed à Iuſtitia.*** Idem cogitandum in præſenti.

3.
Ob propinquos.

Tertiò; Alij vxorem, id eſt, propinquos ſuos obiiciunt, quorum odium incurrere debeant. Addunt ſe religionem ſuam à parentibus accepiſſe: non recedendum à parentum fide, nec eos condemnandos quaſi perperam credidiſſent. Verùm cogitent iſti quid dixerit Deus Adamo, Gen. 3. ***Quia audiuiſti vocem vxoris tuæ***, inquit, ***maledictus eris.*** Cogitandum quod ait S. Bernardus: ***Magna abuſio, domus ardet, ignis inſtat à tergo & fugienti prohibetur egredi, & hoc ab iis qui in incendio ſunt.*** Quare ſicut ex incendio illicò te proriperes, non attentis propinquis qui te retinere vellent, ita fac in propoſito.

Ob prædicantium terriculamenta.

Sed obſiſtunt Miniſtri verbi, quaſi altera quædam vxor. Verùm ***ſine illos: cæci ſunt & cæcorum duces.*** Conantur illi ſuis terriculamentis exoſam reddere fidem Catholicam ad absterrendos ſuos, ſed non niſi per mendacia; ſimiles illis Palæſtinæ exploratoribus, qui mendaciter ſibi & populo perſuaſerunt quaſi terram Chanaan nequaquam obtinere poſſent,

1. poſſent, *Num.* 13. Primò, eò quòd terra illa deuoraret habitatores ſuos, ob aërem ſcilicet noxium & peſtilentem. Secundò, quòd
2. vrbes haberet grandes & muratas munitaſque vſque ad cœlum, vt dicitur *Deut.* 1.
3. Tertiò, quòd grandia hominum monſtra & Gigantes aleret, quibus comparati quaſi locuſtæ viderentur. Hunc in modum Prædicantes arcent per mendacia ſuos à conuerſione. Primò dicunt: Terra, quam in Eccleſiâ Papiſticâ luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos, eorum opes & pecunias exhauriendo oblationibus, eleemoſynis, miſſis, templorum ſtructurâ & ornatu: ipſa hominum corpora enecando precibus, ieiunijs aliiſque præduris pœnitentiæ operibus: ipſas denique animas varijs ſuperſtitionibus & Idololatrijs in Orcum demergendo. Deinde vidimus ibi vrbes grandes & muratas, præceptorum Decalogi & Eccleſiæ obſeruationem mandatam grauem & impoſſibilem: carnis edomationem, crebra ieiunia, ſupplicationes, confeſſiones auriculares, conſcientiarum carnificinas, cenſuras Eccleſiaſticas. Ad extremum, ibi cernuntur monſtra horrifica, Papa ſeu Antichriſtus, Cardinales eius aſſeclæ, cornua illius beſtiæ Epiſcopi, & Monachi aſpero veſtitu, adoratores beſtiæ. Ibi Gigantes Franciſcus, Dominicus loricatus, Capucini, Carthuſiani, Ieſuitæ &c. quibus comparati quaſi locuſtæ ſumus, quia carnis noſtræ infirmitas rigorem illorum ne videre quidem, nedum imitari poteſt. Verùm vti improbi illi exploratores partim finxerunt, quæ dicebant; partim enormiter amplificârunt & de muſcâ elephantem cuderunt: ita faciunt præcones hæreticorum ſuis auditoribus in his & harum ſimilibus calumnijs: quanquam in vltimo ſaltem verum dicunt.

D. III. Cœna Euchariſtica.

Tertiò, Eſt cœna Euchariſtica, quæ conficitur in ſacrificio Miſſæ & exhibetur in S. communione. Iure verò cœna vocatur & quia veſperi & poſt cœnam agni facta; & quia ad finem vitæ Chriſti inſtituta; & quia eſt vltima eſca ſeu viaticum morientium; & quia cœnam illam cœleſtem, in quâ beati fruuntur Deo, apertè repræſentat & quaſi in pignore donat, exhibens nobis ipſum Dei filium. Vnde Eccleſia canit: *ô Sacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Ad hoc conuiuium omnes vocati ſunt quotquot Chriſtum profitentur: ſoli canes, id eſt, infideles & qui à peccatis nondum mundati ſunt, excluduntur, iuxta id Domini: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus*, Matth. 15. Et illud: *nolite ſanctum dare canibus*, Matth. 7. In hoc omnia parata ſunt: Locus, Eccleſia: Cibus, à ſacerdotibus confectus & conditus ſub accidentibus vt edi poſſit: Miniſtri, ſacerdotes: Aqua ad præuiam manuum lotionem, pœnitentia: menſa, altare. Sola hominis cœnaturi præparatio requiritur, vt lotâ conſcientiâ & cum eſurie ſpirituali. Sed quid contingit? vti in hodierna cœnâ, ita & illâ Euchariſticâ ſe excuſant multi. Primò dicunt aliqui non vacare ſibi vt vel in paſchate ſemel, vel in anno crebriùs ad hanc menſam veniant, quia villam emerunt: hoc eſt, quia negotiationi & mercaturæ vel agriculturæ vacare, vel artificijs ſuis incumbere, vel præfecturis ſuis intendere, vel magnam familiam alere tenentur. Sed hi inprimis conſiderare deberent, vtrum primi Chriſtiani, qui à tempore Apoſtolorum vſque ad tempora S. Auguſtini, vel quotidie, vel ſaltem in hebdomade ſæpiùs, aut ad ſummum ſemel, cœnæ huius participes ſe fecerunt, non vel iiſdem ſimilibus ſtudijs & occupationibus fuerint diſtenti. Vtrum non & ipſi vel opifices vel mercatores vel agricolæ fuerint. Deinde vtrum dum his temporalibus commodis ſtudet, interim non ſpiritualia commoda, eaque longè maioris lucri negligant. Et quid ſi interim cœlum perdant; dum lucrari terram ſatagunt? Nónne audiunt Dominum: *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucratur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Itaque licet valida ſit eorum excuſatio tamen ſine damno non eſt; quia dum quærunt minus bonum, perdunt maius bonum.

Excuſatores.

1. Ob negotiationem.

Secundò reſpondent alij, ſe emiſſe quinque iuga boum, hoc eſt, implicatos ſe eſſe inimicitijs, litibus & contentionibus, nec non graui peccatorum iugo premi, quod non poſſint tam facilè excutere: vel impediri ſe propter ſordes & paupertatem ſuam: cum bobus & ſtabulis, cum ſtipe & mendicis ſibi rem eſſe, non habere quò honeſtè veſtiantur, &c. Verùm hæ excuſationes friuolæ ſunt; propterea enim vel maximè feſtinandum ad confeſſionis & communionis Sacramentum, vt onus peccatorum & inimicitiæ deponantur. Lites & cauſæ forenſes ſuum progreſſum habere poſſunt, & iuſtitiæ committi debent, communionem non impediunt, modò odium & rancor eas non comitetur. Ad veſtium cultum vel neglectum non attendit Deus: animam vult mundam; ſordes corporis non horret.

2. Ob lites & contentiones.

Tertiò reſpondent alij: *vxorem duxi*, hoc eſt, coniugio & liberis opera danda. Vel: vxorem habeo faſtidioſam, carnem morbo obnoxiam. Quibus reſpondendum, coniugium Chriſtianorum ſanctum eſſe debere, ideòque ſic moderandum, vt ne coniugati in ſolemnioribus ſaltem feſtiuitatibus impediantur ab animæ curâ & refectione inſtituendâ, ſed iuxta conſilium Apoſtoli 1. *Cor.* 7. ad tempus conſuetudine abſtineant propter orationem & cultum diuinum. Non audienda vxor & Eua, quando inuitat ad lignum mortis: Deus præferendus qui ad lignum vitæ inuitat. Ægritudo corporis vel ipſamet hominem vrget, præſertim periculoſa, vt medelam à Deo quærat per S. communionem.

3. Ob coniugium.

Qvar-

E. IV. Cœna beatifica. QVARTA. Eſt cœna beatifica, de quâ loquitur hodierna parabola, nec non Ioannes, Apoc. 19 *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.* Ad hanc vocati inprimis Iudæi, deinde etiam gentiles. Verùm non omnes vocati comparent. Alius enim reſpondet *Villam emi*, &c. Alter: *Iuga boum emi quinque.* Excuſatores. Tertius: *vxorem duxi.* Horum excuſationes non quidem continent res in ſe malas aut illicitas, ſed tres tamen peccatorum radices notant, quas deſcribit S. Ioannes *epiſt. 1. cap. 2.* dicens: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ.* 1. Superbi. Prima igitur excuſatio de villâ deſignat ſuperbiam vitæ, ad quam ſpectat ambitio, faſtus, appetitus excellentiæ, laudis & gloriæ; eius verò obiecta ſunt ſuperbæ veſtes, palatia, pompa, famuli, rhedæ, dignitates, magiſtratus, dominia, prædia, eorum tituli, &c. Et hæc multos illaqueat, atque à cœlo abducit. Audiamus Eccleſiaſticum cap. 11. *Sicut perdix inducitur in caueam, ſic & cor ſuperborum.* De perdice ſcribit S. Auguſt. *lib. 13. contra Fauſtum cap. 12. Perdix nimis contentioſum animal, notum eſt, quantâ auiditate contentionis currat in laqueum.* Scimus etiam perdices obiectu picti bouis aut equi propelli in retia. Sic igitur & ſuperbi, quia neminem facilè audiunt ſed ſibi ſolis ſapiunt, cum impetu quaſi peccant & in præcipitium currunt, vti Lucifer qui dicebat in corde ſuo: *In cœlum conſcendam ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum*, &c. *Veruntamen ad infernum detractus eſt in profundum laci*, Iſa. 14. Hinc excuſator iſte ait: *Villam emi & neceſſe habeo exire*, &c. Neceſſe, inquam, habuit; quia faſtus noui prædij contemplandi eum vi abripuit in laqueum diaboli. Adhæc ſuperbi dum contemplantur res pictas; honorum, laudum, gloriæ, dignitatum fumos; rati eas eſſe ſolidas, impelluntur in laqueum, quemadmodum perdices. Hinc iſte inuitatus dixit: *Neceſſe habeo exire & videre illam.* Videt enim & contemplatur tantùm ſuperbus ſuam gloriam vel excellentiam, nihil aliud inde percipit. Hoc laqueo comprehenſus & à cœleſti cœnâ retractus fuit Heron Eremita, qui ſuis meritis ſtultè præfidens & illuſus à diabolo iniecit ſe in profundiſſimum puteum, quaſi ob merita virtutum ſuarum nihil aduerſi paſſurus. Vnde ſemimortuus à fratribus extractus, perſtitit adhuc & obiit in ſtultâ ſuâ præſumptione, apud Caſſian. *coll. 2. cap. 5.* Idem pæne contigiſſet Secundello, Diacono, cui in Inſulâ vitam Eremiticam agenti apparuit tentator in ſpecie Domini dicens: *Ego ſum Chriſtus, quem continuò deprecaris: iam enim ſanctus es & nomen tuum in libro vitæ cum reliquis ſanctis meis adſcripſi: egredere nunc ab hac Inſula, & vadens fac ſanitates in populis.* His & ille illectus deceptionibus diſceſſit ab Inſula, nec ſocio nuntiauit: tamen, cùm infirmis in nomine Chriſti manus imponeret, ſanabantur. Reuerſus autem poſt multum tempus ad Inſulam, venit ad ſocium cum vanâ gloriâ dicens: *Abij extra inſulam, & virtutes multas in populis feci.* Cumque conterritus ille interrogaret, quid hoc ſibi vellet; cuncta, quæ geſſerat, ſimpliciter pandit. At ſenex obſtupeſcens, ſuſpiranſque ac lachrymans ait: *væ nobis, in quantum audio, à tentatore deluſus es: vade age pœnitentiam, ne vltra tibi præualeant eius doli.* Reſipuit ergo iſte hortatu & precibus S. Friardi, cum quo habitârat, vt ſcribit Gregor. Turonenſ. *lib de vita Patrum cap. 10.* Sur. 1. Aug.

2. Auari. Secunda excuſatio de quinque bobus denotat concupiſcentiam oculorum, ad quam ſpectat auaritia. Eius verò obiecta ſunt, aurum, argentum, gemmæ, opes, boues & oues, agri, &c. quæ dum oculos irritant, mentem illaqueant & à cœlo abſtrahunt. Vnde bene concupiſcentia oculorum vocatur; vti etiam propterea, quia vix amplius concedit auaro, quàm vt opes ſuas oculis vſurpet. Sanè iſte ait ſe probare velle boues, indicans auaros ſolùm delibare ſupremis labris opes ſuas, quia reconditas eas malunt quàm à ſe abſumptas. Addit etiam ſe iuga boum quinque emiſſe; quia auaritia reuerà graue iugum eſt, imperans auaro vt vigilet alijs dormientibus, vt ieiunet aliis edentibus, vt per maria nauiget & quieti domeſticæ renuntiet, vt neglectis alijs honeſtis & ſalutaribus ſtudijs, ſordibus auaritiæ vacet, cuiuſmodi auariſſimum Epiſcopum Pragenſem, nomine Albicum, deſcribit Cochlæus lib. 1. & Æneas Syluius graphicè admodum depingit dicens, claues cellæ cingulo alligatas geſtare, & carnem ferinam aliunde dono ſibi miſſam, per famulos in foro vendere; atque etiam ne edacioribus miniſtris vteretur, anus edentulæ operâ in culina vti ſolitum. Idem rogatus aliquando, eodem teſtante Syluio, quis ſonus omnium maximè eſſet moleſtus? Eum, aiebat, quem maxillæ os rodentes, ederent. Et hoc quidem modo, neglecto commiſſarum ſuæ fidei ouium paſtu, bonus ille viuebat Archiepiſcopus. Timendum ſanè ne paſtor iſte bobus tantùm intentus cœnam illam Dei neglexerit.

3. Gula & luxuria deduit. Tertia excuſatio de vxore ducta notat concupiſcentiam carnis; ad quam pertinet gula & luxuria. Eius obiecta ſunt vinum, epulæ, Venus. Hæc hominem quodammodo abſorbent & in beſtiam commutant vt de Deo & cœleſti cœnâ vix vnquam cogitare queat, ſed in patinis ſemper & cubiculis hæreat affixus. Vnde ait iſte: *vxorem duxi*, quam videlicet dimittere non licet. Priores duo emerunt villam & boues; & vnde eas iterum alienare & deſerere poterant: ſed vxor ducta alienari aut deſeri nequit. Rurſum priores illi adhuc rationis & humanitatis aliquid habuére, dum dicunt: *rogo te, habe me excuſatum.* Sed iſte nihil rogat & culpam non agnoſcit. Denique priores, ſi inſtantiùs rogati fuiſſent, poterant flecti, ſed hic minimè; vnde ait iſte: *Ideò non poſſum venire*, prorſus inhumaniter, quaſi libero arbitrio & ratione deſti-

deſtitutus; quia Oſeæ 4. dicitur: *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor*; id eſt, mentem & iudicium; vti Theotimo illi apud Ambroſ. *lib. 4. in Luc.* 4. qui ſpreto medici conſilio maluit oculorum lumine, quàm vxoris conſuetudine deſtitui, dicens: *Vale amicum lumen.* Eadem libido Salomonem, vti timendum, à cœnâ illa abſtraxit; ſiquidem dubia eſt eius pœnitentia & ſalus. Abſtraxit Henricum VIII. Angliæ regem ob inductam legitimæ coniugi Annam Bolenam vti ab Eccleſia, ita & ab eius cœnâ. Quare moriens iure dixit: *Amici omnia perdidimus.* Quod à nobis auertat DEVS.

CONCIO VI.

Varij modi compellendi homines ad ſalutem.

1. *Compelluntur Gentiles, Hæretici & Catholici plurimi efficacibus & inſolubilibus argumentis.*
2. *Per inſtantem prædicationem & vitiorum reprehenſionem.*
3. *Per miracula.*
4. *Per flagella & terrores.*

THEMA.

Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Luc. 14.

A. IN magnâ iſtâ cœnâ proponit Chriſtus ferculum, quod multis non tantùm non ſapit, ſed nauſeam etiam & horrorem creat; eſtque verbum illud: *Compelle intrare.* Hoc enim ferculum, quantum procaces pueri timent virgam, quantum fures carcerem & patibulum, quantum ſcabioſa capita pectinem, tantum horrent inprimis Hæretici, qui fidem ſponte ſuſcipiendam, non coactè, volunt. Deinde peruicaces Catholici, qui Eccleſiæ non obtemperant, cùm gladio excommunicationis ad obedientiam compelluntur. Denique omnes reprobi, cùm à Deo varijs modis vrgentur & compelluntur deſerere mores peruerſos & reuerti ad pœnitentiam. Sed reuerà iſti omnes immeritò conqueruntur de hoc tam ſalutari ferculo. Nam etſi nonnihil amaritudinis continet, ſalutem tamen animæ parit. Sed qui modi compellendi? Audiamus.

B. I. Efficacibus argumentis Gentiles. Modus PRIMVS: Efficacibus & inſolubilibus argumentis. Sic conuicti ſunt Gentiles de Deorum ſuorum vanitate, cùm ad oculum eis oſtendebatur, Idola eorum non Deos, ſed lapides & ligna, aurum vel æs, adeoque opera manuum hominum eſſe. Sic conuinci
Hæretici. poſſunt Hæretici inſolubilibus argumentis quaſi nucibus, quas nequeunt frangere dentibus. Veluti Primò ſi quæramus ex illis, in quo
1. orbis angulo fides Lutherana ante Lutherum, Caluiniana ante Caluinum fuerit, ante annum nimirum 1518.?

Secundò, Cur nouæ adhæreant doctrinæ, 2.
quæ nec vllo miraculo comprobata eſt, nec aliquo indicio confirmata, neque vllum adnuc proferre poteſt, qui in ipſorum ſectâ exiſtens gehennam euaſerit, & cuius explorata ſit beatitudo: nullum denique habuit vnquam Imperatorem ſuæ religionis?

Tertiò, Vbi & quando & à quibus fides 3.
Apoſtolica ſit adulterata? Quis primus celebrarit Miſſam, confeſſiones audierit, ſanctos & reliquias coluerit &c.?

Quartò, Vbi ſcriptum ſit, nihil eſſe cre- 4.
dendum, niſi quod in SS. literis expreſſum eſt?

Quintò, Vnde conſtet ipſis, Scripturæ ex- 5.
poſitionem, quam ipſi pro ſuo capite afferunt, præſtantiorem & congruentiorem eſſe illâ, quam ſancti patres à tot ſæculis tradiderunt?

Sextò, *Reſponde*, inquit S. Auguſtinus lib. 6.
2. contra Gaudentium, *vtrum Eccleſia* (oriente Donato) *perierit, an non perierit. Elige quod putaueris. Si tum perierat, Donatum quæ peperit? ſi autem tot in eam ſine baptiſmo aggregatis perire non potuit, reſponde quæſo, vt ab eâ ſe, tanquam malorum, communionem deuitans, pars Donati ſepararet, quæ dementia perſuaſit?* Pari modo, ſic concludo: Oriente Luthero, vel Caluino, Eccleſia & vera fides vel perijt, vel non perijt (hæc enim duo, Eccleſia & vera fides, neceſſariò coniuncta ſunt; nam ſi vno in articulo erret, Eccleſia Dei non eſt) ſi perijt: ergò non ſolùm Eccleſia Chriſti per tot annos extincta fuit, ſed ipſe Lutherus & Caluinus extra Eccleſiam, adeoque vel hæreticus vel paganus fuit, ideoque audiri non debuit. Si non perijt, ſed in verâ Eccleſiâ nati ſunt, ergò ab eâ recedere non debuerunt, & cùm receſſerunt, à vera fide receſſerunt.

Itaque ſi veritatem dicimus vobis, ô hæ-
retici, quare non creditis nobis? Compelli
etiam & conuinci poſſunt argumentis Catho-
lici quamplurimi in peccatis degentes. Pri- Catholici.
mò: Si verum eſt, Deum videre omnes no- 1.
ſtros actus, quomodo in oculis eius peccare
audemus? Secundò, ſi credimus, vni pec- 2.
cato mortali infernum eſſe decretum, quo-
modo committere vel vnum poſſumus? Ter- 3.
tiò, Quomodo audemus viuere in tali ſta-
tu, in quo diffidimus mori? Quartò, Quo- 4.
modo audemus differre tamdiu pœniten-
tiam, qui craſtinum nobis polliceri non poſ-
ſumus?

SECVNDVS. Per inſtantem & ſeriam prædicationem, vitiorumque reprehenſionem: C. II. Per inſtantem prædicationem.
præſertim quando in docente vita inculpata eſt & doctrinæ correſpondens. De Primo Apoſtolus 2. *Tim.* 4. ait: *prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, in omni patientiâ & doctrinâ.* De Secundo ad Gal. 2. *ſi tu cùm Iudæus ſis, gentiliter viuis & non iudaicè: quomodo gentes cogis iudaizare?* His accedere inprimis debet doctrina ſana & ſyncera, quæ nihil habet turpe aut repugnans

gnans rationi. De quo ait Apoſtolus ad Titum 1. *Potens ſit exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos, qui contradicunt, arguere.* Et ſic triplicem nectemus funiculum, qui facilè trahet homines & difficile rumpetur. Per primum oſten-
1. Cū doct. ditur, quàm neceſſaria & quanti momenti ſit doctrina, quæ traditur, vtpote quam Doctores tantâ contentione animis hominum inſerere conantur. Qui funis traxit inprimis non ſolùm in admirationem, ſed etiam in ſuſceptionem fidei Iapones, ipſoſque eorum ſacrificulos, Bonzios. Admirabantur enim in Xauerio ſtupendam animi magnitudinem, quâ religionis duntaxat propagandæ causâ, è Luſitaniâ in Iaponiam tot tantiſque Oceani tractibus tantiſque cum periculis contendiſſet, vt habet Hiſtoria Societatis p. 1. lib. 9. num. 210. Igitur boni conſulite, Auditores, ſiquid ex cancellis ſæpiùs & vehementiùs inculco. Video enim periclitari ſalutem veſtram. Quis neget angelos illos maximum præſtitiſſe beneficium Lotho & vxori ac filiabus eius, quando eos coëgerunt exire de Sodomis, vbi incendio periiſſent? *Gen.* 19.
2. Cum exempl. Idem omninò ego facere adnitor. Per ſecundum oſtenditur eſſe poſſibile, quod docetur; ſiquidem reipsâ præſtatur à docente, quod alioqui multi impoſſibile exiſtimant. Multum etiam valuit hic ſecundus funis ad conuertendos Iapones, apud quos cùm doceret in triuio pro concione Ioannes Fernandius comes ſociuſque Xauerij, præteriens fortè Iapon collectam in ore ſaliuam concionantis in faciem ſordidus excreauit. Quâ ille maculâ ignominiaque notatus ſine vllâ animi perturbatione motuque ac ne verbo quidem reddito, linteolo ora deterſit; eodemque tenore ſermonem ab ſe inſtitutum, eodemque prorſus vultu pertexuit. Id contemplatus ex Auditoribus quidam haud iniquus rerum æſtimator cogitare apud ſe cœpit diuinum profectò Philoſophiæ genus id eſſe, quod homines ad tantam æquitatem conſtantiamque perduceret: dimiſſaque concione domum ad Fernandium venit, cognitiſque probè legibus inſtitutiſque Chriſtianis Amangucianorum omnium primus Chriſtianus efficitur. Hiſt. Societ. p. 1. l. 11. num. 104. Narrat etiam Maffeius in vitâ B. Ignatij lib. 2. cap. 13. adoleſcentem quendam Lutheranum, qui diſputando conuerti non poterat, traditum Ignatio atque ab eo in domum acceptum fuiſſe conuerſum. Qui rogatus, quomodo ita mentem anteà inexpugnabilem mutaſſet? reſpondit, ſe Ignatij & ſociorum non tam argumentis (licet & ijs valerent plurimum) quàm ſpectatæ ſanctitati virtutique ceſſiſſe, quod ita apud ſe propè neceſſariò ſtatuiſſet, à tā incorruptis moribus, à tantâ pace & concordiâ, à tam bonis operibus rectam in Deum fidem abeſſe nullo modo poſſe. Per tertium
3. Cum doctrinâ ſanâ. oſtenditur doctrinæ ſanitas & ſecuritas carens omni erroris periculo. Vt autem ſtomachus appetit cibum & reſpuit venenum, ita intellectus appetit veritatem & reſpuit falſitatem. Traxit etiam hic funis Iapones aliaſque barbaras gentes ad fidem Chriſtianam, cùm ſcilicet viderent ea quæ docentur, ipſi rationi & lumini naturæ eſſe tam conformia, ſua verò dogmata eſſe tam turpia & à ratione alienâ: vti ſeipſum occidere, &c.

Tertivs, Per miracula. Hac etiam ratione, vt alibi oſtendimus, compulſi ſunt in pri- D. III. Per miracula.
mis Eccleſiæ temporibus ad fidem Gentiles. Quibus hoc iam addamus. *Anno* 386. *euenit* (inquit Paulinus apud Baron. anno cit.) *vt Arianus quidam acerrimus diſputator & inconuertibilis ad fidem Catholicam, tractante Epiſcopo apud populum videret, (vt ipſe poſtmodum loquebatur) Angelum ad aures Epiſcopi tractantis loquentem, vt verba Angeli populo Epiſcopus renuntiare videretur. Quo viſo conuerſus, fidem quam expugnabat, cœpit ipſe defendere* Compelluntur etiam in nouo orbe crebris adhuc miraculis, quæ fiunt in adminiſtratione Sacramentorum, per orationes præconum fidei, &c. Sæpiùs etiam legimus conuerſos per miracula hæreticos. Et niſi cœci ſint hæretici huius temporis, poſſunt & ipſi videre mira, quæ his prælijs contra ipſos geſtis contigerunt. Vti ſunt prodigia in pugnâ Pragenſi aliquot: equorum horror, conſpectus peregrini exercitûs, angelorum ſcilicet. In pugna ad arcem Lutheranam, conſpectus gladij in aëre minantis hoſtili exercitui, &c. Item vindictæ diuinæ in eos qui Catholica ſacra profanârunt. Vti in Fridericum Palatinum eiuſque coniugem, poſtquam reliquias SS. & templum Pragæ contaminârunt. In Chriſtianum Brunouicenſem, Mansfeldium, &c. qui malè perierunt. In alios hæreticos, vti milites duos, quorum vnus cùm imagini Deiparæ naſum abſcidiſſet, citò & ipſe naſo eſt truncatus; alter cum ſimilem ſuſpendiſſet imaginem, breuî & ipſe ſuſpenſus eſt. Rurſum in filium Prædicantis, qui cùm in nocte Natiuitatis Domini anno 1626. Catholicis in templo agentibus, foris imaginem Crucifixi vulneraſſet, ſanguis inde ad terram vſque profluxit, quem nec ipſe pater eius cohibere potuit, viſuſque eſt à Catholicis templo egredientibus: Ex literis P. Knor ſcriptis è caſtris Tillianis anno 1627.

Qvartò, Per flagella & terrores. Sic inprimis compulſus eſt Saulus vt fieret Paulus, E. IV. Per flagella & terrores.
quando voce de cœlo miſsâ percuſſus & in terram proſtratus fuit, Act. 9. Sic Natalius Confeſſor anno 107. in Theodoti Coriarij hæreſin, pecuniæ largitione inductus & eorum creatus Epiſcopus, per diuinas viſiones ſæpiùs admonitus, tandem per integram noctem à ſanctis Angelis cæſus, reſipuit, & primò manè ſurgens cilicio indutus, cineribus conſperſus, magno cum mœrore & lachrymis ad pedes Zepherini Pontificis ſe ſupplicem abiiciens, & non modò ad Cleri; ſed Laicorum etiam genua aduoluens, poſt multas preces & oſtenſiones vibicum plagarum quas acceperat, vix tandem in Eccleſiæ vnionem

nem receptus eſt. Euſebius lib.5.cap.27. apud Baron.anno cit.Sic Arnobius Rhetor in Africâ, gentilis, ad fidem per ſomnia compulſus eſt, vt ſcribit S.Hieron. in addit. ad Chron. Euſeb.apud Baron. an.302. Sic Mutius primò gentilis,poſteà Abbas, naturâ ferox & latrocinijs deditus, ita vt etiam Sanctorum delubra expoliando profanaret, vidit tandem in quiete virum formâ habituque auguſtiore quàm humano, comminantem ſibi necem, niſi protinus à flagitiis ſacrilegioque ſe ſubmoueret. Cumque pauore perculſus repente euigilaſſet, nihil moratus ad Eccleſiam confugit & baptiſmate ſuſcepto eremum petijt, & vir ſanctus euaſit. Ex vitis PP. Marulus lib. 2.cap.8.

1. Hæretici. Hac viâ compellit hac ætate vel compellere ſaltem nititur Primò hæreticos ad abiurandam hæreſin, dum tot tantiſque Catholicorum victorijs eos attriuit & confudit, vt niſi cœci ſint, manifeſtè cernere poſſint, ſtare Deum à parte Catholicorum, velleque vt ipſi ad Eccleſiæ caulam reuertantur. Videtur de illis prophetaſſe Oſeas *cap.7.* cùm ait: *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor: Ægyptum inuocabant, ad Aſſyrios abierunt. Et cùm profecti fuerint, expandam ſuper eos rete meum: quaſi volucrem cœli detraham eos.* Vt enim columba domeſtica à columbis alterius columbarij ſibiloque aucupis allecta, in illud ſponte ſe infert capique ſinit: ita vrbes & nationes aliquot Germanorum ad exemplum aliorum & ſibilum Lutheri, ab Eccleſiæ columbario ad alienum hæreſeos auolârunt & ſe capi permiſerunt, non habentes cor ſeu mentem, ſiquidem ad ſectam tam nouam & ſpurcam abierunt. Inſuper in nuperis tumultibus inuocârunt in auxilium Turcam, eiuſque vaſallum. Idcircò miſit Deus venatorem, qui veluti reti eos caperet & ad obedientiam Eccleſiæ & Imperatoris reduceret: quemadmodum olim de Timotheo Athenienſi dicebatur Prouerbio, retibus vrbes capit; teſte Vlpiano in 2. Demoſth. Olynth. Hac eâdem viâ compellere etiam poteſt & ſolet Eccleſia hæreticos pœnis & ſupplicijs: vti non ſolùm Eccleſiaſtica ſed etiam Cæſarea iura ſanxerunt. De quo immeritò conqueruntur hæretici. Primò, quia cùm ſemel Eccleſiæ fidem dederint, velut perduelles puniri poſſunt ac debent: vti miles qui poſt datam Duci fidem fit transfuga. Secundò, quia hæreſis crimen graue admodum & noxium reipublicæ eſt, vti experti ſumus. Denique quia ad bonum compelluntur, ad ouile Chriſti. Vnde vt S. Auguſtinus ep. 50. ſcribit ad Bonifac. *non tam oportet conſiderare eos, quòd compellantur, quàm ad quod compellantur.* Et rurſum: *Melius quidem eſſe quis dubitauerit ad Deum colendum homines doctrinâ duci, quàm timore pœnæ vel dolore compelli. Sed non quia iſti meliores ſunt, ideò illi, qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Multis enim profuit timore vel dolore cogi, vt poßint poſteà doceri, aut quod iam verbis didicerunt, opere ſectari.* Et verò felices illos, ſi agnoſcerent, quorſum id Deus faciat. Quemadmodum enim tempore diluuij optimè actum fuiſſet cum reprobis ſi ad arcam compulſi fuiſſent, ne perirent in diluuio: ita fœlix eſt calamitas, quæ compellit hæreticos vt intrent in Eccleſiam: quod aliquando experientur.

Secundò etiam Catholicos, vt mores ſuos componant, vitia deponant; dum tot cladibus modò bello, modò peſte, modò annonæ caritate & fame eos affligit, quemadmodum his temporibus experti ſumus. Quid enim aliud ſibi vult Deus his plagis, quàm quod ſibi voluit Abſalon, cùm vocatum ad ſe Ioabum & venire nolentem, compulit venire, dum miſit ſeruos ſuos vt incenderent & vaſtarent agrum eius, 2.*Reg.*14. Quia enim venire ad Deum toties vocati nolumus, immittit Deus ſeruos ſuos, pruinam, inundationem imbrium, ſiccitatem, grandinem, milites, morbos, in agros, fines & domos noſtras, vt vaſtent omnia noſtra, donec veniamus. Vnde S. Gregorius ait: *Mala quæ nos hic in mundo premunt, ad Deum ire compellunt.* Hac arte compulſus eſt prodigus filius redire ad patrem ſuum, fame ſcilicet & ſeruitute cogente. Sic compulſi ad pœnitentiam & agnitionem peccati ſui fratres Ioſephi, quod in ipſum commiſerunt, fame perurgente, quam immiſit Deus, vt occaſione eius deſcenderent in Ægyptum ad fratrem, & ibi deflerent peccatum ſuum. Vnde *Pſ.*104. eâ de re dicitur: *Et vocauit famem ſuper terram* (quaſi lictorem ſcilicet ad caſtigandos præuaricatores) *& omne firmamentum panis contriuit. Miſit ante eos virum*, (Ioſephum) &c. — 2. Catholici.

Rogemus itaque Deum, vt non modò vocet nos ad cœnam, ſed etiam vt ſi excuſare & refugere velimus, compellat.

CONCIO VII.

Tria tempora & tres modi, quibus tria hominum genera vocata ſunt ad fidem.

Primum tempus fuit à Chriſti morte vſque ad excidium imperij Rom. in Occidente, quo, eò quòd nudâ vocatione inuitarentur valde pauci ſunt conuerſi.

2. Ab illo excidio vſque ad Carolum M. quo tempore inuitati per beneficia & promiſſa multæ nationes ad Chriſtum adductæ ſunt.

3. A Carolo M. vſque ad finem mundi, quo compellendi ſunt hæretici, criminoſi, &c.

THEMA.

Domine factum eſt, vt imperaſti: & adhuc locus eſt. Luc.14.

EVangelium hodiernum, Auditores, non meram complectitur parabolam, ſed etiam — A. Euangeliū hod.

propheti-cum eſt. iam prophetiam, de gentium vocatione ad fidem, tribus diſtinctis legationibus inſtituendâ: prophetiam, inquam, quando Chriſtus eam propoſuit, nunc autem verè hiſtoriam & rem factam. Tres porrò legationes in illa proponuntur: primâ vocantur homines, ſecundâ adducuntur, tertiâ compelluntur intrare: primâ diuites, ſecundâ pauperes, tertiâ agreſtes: primi in ædibus: ſecundi in vicis & plateis: tertij in vijs extra vrbem & ſepibus habitantes: illi propè, iſti non ita procul, hi longiùs remoti: è primis nulli accedunt, è ſecundis multi, è tertijs qui impleant domum. Omnia hæc cernuntur in gentium vocatione ad Chriſti fidem: Prima enim legatio durauit ab aſcenſu Chriſti vſque ad interitum regni Rom. occidentalis circiter, quâ vocati diuites ſed pauci venerunt. Secunda ab occaſu regni Rom. vſque ad tempora Caroli M. quâ adducti ſunt multi populi in finibus Romanorum poſiti, ſed pauperes & rudes. Tertia inde ad Iudicij diem, quâ compulſi plurimi in vijs poſiti ad fidem amplectendam. Nunc iſta clariùs intuebimur.

B. I. Tempus à Chriſti morte vſque ad occaſum regni Ro. occidentalis.

PRIMVM, Tempus legationis fuit, quod interceſſit ab obitu Chriſti vſque ad Imperium Romanum in occidente exciſum, & ad orientem omninò tranſlatum, (æſtimamus autem hæc tempora iuxta potiſſimam partem.) Dicimus autem Romanos diuites & qui in vrbibus morabantur, quique primò ex gentibus vocati ſunt ad fidem. Nam certum eſt Romanos primis Eccleſiæ temporibus fuiſſe opulentiſſimos præ omnibus alijs nationibus. Quidquid enim excultæ regionis & opulentæ fuit, tunc ſub ditione Romanorum fuit. Abundabant tunc Romani villis magnificentiſſimis; vnde vnus ait: *villam emi.* Agros item habebant excultiſſimos & ampliſſimos, vnde alius dixit; *Iuga boum emi quinque.* Connubia inſtituebant & conuiuia nuptialia ingenti apparatu, voluptatique ac delitijs ſupra modum indulgebant; vnde alius inquit: *vxorem duxi.*

Modus vocandi. Modus, quo iſti inuitati ſunt, nuda vocatio fuit. Vocati enim ſunt per nuntiorum Chriſti prædicationem & miracula innumera, ita vt excuſationem non haberent. Cæterùm adducti non ſunt, quia tunc Chriſti nuntij, ſacerdotes & prædicatores, apud gentiles nullo pene in honore erant nec præditi poteſtate vel auctoritate, qua compellere homines vel adducere ad Chriſti cultum poſſent. Neque Deus tunc ſolebat magnis & extraordinarijs beneficijs delinire principes ſæculi & Imperatores, adeoque tam ſuauiter ad ſe adducere vt poſterioribus temporibus: ſed plerumque increpabat eos per ſuos Martyres & Confeſſores.

Eo conuerſi ſunt pauci valde. Numerus illorum, qui huic vocationi acquieuerunt, tam exiguus erat reſpectu eorum qui non acquieuerunt, vt rectè dicatur in Euangelio: *Cœperunt ſimul omnes excuſare.* Erant enim tunc Chriſtiani omnibus exoſi, & ideo ſunt occulti, & nemo audebat ſe Chriſtianis iungere, niſi præſentiſſimo vitæ periculo ſe vellet committere: quiſquis ſe prodebat ſtatim ad tribunal rapiebatur & exterminabatur. Vnde Maximiano Herculeo Imp. ſpectante in circo maximo ludos Circenſes clamauit populus duodecies: *Chriſtiani tollantur.* Et iterum decies; *Auguſte Chriſtiani non ſint.* Vnde permotus Maximianus Edictum edidit, vbicumque Chriſtiani inuenti fuiſſent aut ſacrificare cogerentur Dijs, aut certè pœnis interirent, facultatibuſque nudarentur. Baron. anno D. 301. Accedit, quòd diuitijs abundabant & voluptatibus addicti erant tunc Romani ſupra modum: cuiuſmodi homines difficile eſt conuertere, teſtante Domino. In his ergo velut in ſpinis, ſemen verbi Dei ſuffocatum eſt. Addicti quoque erant ſuis Imperatoribus & hæreditarijs erroribus. Denique ad primam hanc legationem pertinere videtur, quod Dominus apud Matth. cap. 22. in ſimili parabola propoſuit. Cùm enim inuitatos ad nuptias, duplici legatione vocaſſet, & primi quidem nollent venire, de ſecundis ſubdit: *Illi autem neglexerunt & abierunt alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam; reliqui verò tenuerunt ſeruos eius & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audiſſet, iratus eſt & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos & ciuitatem illorum ſuccendit.* Prima legatio in hac parabola videtur eſſe illa quæ ad Iudæos facta eſt, ſecunda quæ ad Gentiles. Iudæi venire nolebant & licet tenuerint & occiderint aliquos Chriſti ſeruos, pauciſſimos tamen in comparatione eorum, quos afflixerunt & occiderunt Romani, à quibus aliquando conceſſum erat publico edicto, vt cuilibet volenti liceret impunè Chriſtianum occidere, vt ex actis S. Anyſiæ colligitur apud Sur. 30. Decembr. Legat qui vult apologias Athenagoræ, Iuſtini, Tertulliani, Cypriani, Arnobij & aliorum, ex quibus intelliget, quanta tunc Chriſtianorum carnificina exhibita fuerit, quantaque maledicta Gentiles congeſſerint in Chriſtianos. Vnde iuſto Dei iudicio etiam illud contigit, quod hac parabola prædicitur, vt Romanum Imperium immiſſis Barbarorum exercitibus perderetur & Roma ab iiſdem occuparetur, ipſumque Occidentale Imperium funditus tandem exſcinderetur. Sed obijciet aliquis, vaſtationem & exterminium Occidentalis Imperij contigiſſe diu poſt immanes illas perſecutiones in ſeruos Dei excitatas: & quidem tunc, quando in Imperio Romano Chriſtus iam agnoſcebatur & colebatur, & iam nemo ampliùs in ſeruos Dei iniurius erat. Sed qui hiſtorias perluſtrat, aliter rem ſe habere intelliget. Nam imprimis licet Conſtantini Magni tempore fides Chriſtiana exaltata ſit & longè propagata, non tamen ilicò exterminata Idololatria, quæ adhuc paſſim & per vnum alterumque ſæculum vigebat, non in ædibus magnatum ſolùm, ſed & multò maximè extra vrbes in foris & pagis, vnde Ethnici tunc pagani dicti, teſte Baron. Ann. 35. Deinde

tametſi Conſtantinus Magnus *Primus pietate ornauit imperium & Dæmonibus quidem ſacrificare omnibus interdixit; non tamen eorum templa deſtruxit ſed in acceßibilia eſſe præcepit. Cuius filij paterna veſtigia ſunt ſecuti. Iulianus autem renouauit impietatem, & flammam veteris ſeductionis accendit. Porrò Iouinianus imperio ſumpto, rurſum immolationes prohibuit Idolorum. Valentinianus autem maior, huiuſmodi legibus vſus gubernauit orbem. Porrò Valens omnibus quidem alijs conceßit vt religiones ſuas colerent, ſicut vellent, illos ſolos impugnans qui pro Apoſtolicis dogmatibus decertabant. Omni ſiquidem tempore eius imperij & ad aras ignis accendebatur & libamina atque ſacrificia Idolis offerebantur. Sed & publicas feſtiuitates per plateas agebant & Ogia Dionyſii celebrabant & cum ſacris currebant, canes euiſcerantes, furentes atque bacchantes*; ait Hiſt. Tripart. lib. 9. cap. 33. Rurſum, teſte Zoſimo in hiſt. ſua, quo tempore Barbari inuaſerunt Occidentale Imperium, ſenatus Romanus maximâ ex parte priſcis adhuc ſuperſtitionibus addictus fuit. Nobiliores item Magiſtratus in vrbe adhuc penes gentiles erant. Denique qui ſecuti ſunt Imperatores, ſæpe in Pontifices & Epiſcopos iniquè egerunt, vti imprimis Iuſtinianus, qui extremis temporibus ſuis Syluerium Pontificem coniecit in vincula. Hinc per iſta tempora ingentes calamitates preſſerunt Occidentale Imperium. Sub Valente Gothi Rom. exercitum fuderunt, cuius Dux Traianus Valenti exprobrans: *Non ego*, inquit, *Imperator victus, ſed tu ipſe prodidiſti victoriam, qui contra Deum aciem inſtruere non deſinis, & ita eius auxilium Barbaris concilias: nam abs te oppugnatus ſe illis adiungit*. Item: *Non noſti quos viros Eccleſijs expuleris & quibus eas tradideris?* &c. Baron. anno Domini 378. Sub Honorio & Theodoſio, Wandali, Alani & Sueui Hiſpanias inuaſerunt. Sub ijſdem Alaricus Gothorum Rex Romam obſidione premit, capit & expoliat, & partem incendio vaſtat. Sub Theodoſio & Valentiniano Wandali in Africam tranſierunt nullo obſiſtente & omnia vaſtationibus, incendijs & cædibus complentes occuparunt. Sub Marciano & Auito Franci & ipſi gentiles Galliæ dominari cœperunt, Pariſijs expugnatis. Denique ſub Zenone Imp. Orientis, Imperium Occidentale quod in Auguſto inceperat, in Auguſtulo relegato in exilium omninò defecit, & Gothos habere reges Arianos cœpit. Totilas ſub Iuſtiniano Romam pæne excidit.

C. II. Tempus ab interitu Occidentalis imperij vſque ad Carolum Magnum.

SECVNDA. Legatio ſeu ſecundum legationis tempus fuit ab interitu Occidentalis Imperij circiter vſque ad tempora Caroli Magni, qui id reſtituit. Eo tempore vocatos dicimus pauperes, debiles, cæcos & claudos, qui habitabant in vicis & plateis, id eſt, qui terras extra Romanorum fines incultas & agreſtes colebant erantque homines omninò rudes in moribus & ſcientijs, adhæc exiguis facultatibus, & ferè pecuinam vitam agentes: Vnde à Romanis omnes Barbari dicebantur. Quibus addimus paganos, id eſt, eos qui intra fines Romanorum, ſed in pagis tantùm Idola colebant.

Modus vocationis.

Modus vocationis erat, adductio per beneficia & promiſſa. Imprimis enim Conſtantinus M. dum innumera Chriſtianis priuilegia conceſſit, multas exteras nationes ad fidem Chriſti adduxit. Alij finitimi populi videntes Chriſtianos ab Imp. Rom. pluris fieri, vt amicitiam & pacem cum ijſdem obtinerent, fidem eorum ſuſcepêre. Eorumdem exemplo adducti populi trans Danubium & vltra Rhenum & qui ad Oceanum Germanicum habitant. Alij diuinis adducti ſunt beneficijs, vti Rex Francorum Clodoueus cum ſuis ob partam de Saxonibus victoriam, quam voto religionis Chriſtianæ obtinuit. Similiter Burgundionum gens vltra Rhenum poſita, quæ vitam à republica gerenda remotam ducebat & ex arte lignariâ viuebat, cùm ab incurſionibus Hunnorum ſæpe vehementer affligeretur, rebus deſperatis ſtatuit quærere ſibi Deum à quo defendi poſſet, talemque eſſe Deum Chriſtianorum audiens, Epiſcopo Galliæ ſe erudiendam in fide tradidit: poſt audaciores facti gentem Hunnorum numero longè ſuperiorem inuaſerunt & fuderunt. Nicephor. lib. 14. cap. 40. Quibus adnumerari ipſe Conſtantinus M. poteſt, qui crucis beneficio victoriam obtinens & baptiſmo lepram expians, Chriſtianus factus eſt. Alij item pauperes & ignari, beneficijs, quæ à ſanctis viris acceperunt, ad fidem ducti ſunt: vti Iberes beneficio fœminæ Chriſtianæ, quæ regis filium infirmum miraculosè ſanauit. Niceph. lib. 8. cap. 34. Et Armeni cùm in ſues degeneraſſent & ſe mutuò deuorare incepiſſent, conſilio Gregorij, ſancti viri, moniti ſunt fidem recipere, ſi reſtitui ſibi vellent, ib. ca. 35. Item Indi interiores operâ & induſtriâ S. Frumentij: ib. Maruthas Epiſcopus ab Imperatore Rom. ad Perſarum regem miſſus, capitis dolore diuturno afflictum, quem magi curare non poterant, orationibus ſanauit; eidemque poſteà dolos & impoſturas magorum, qui ex occultis terræ cuniculis regi malum præſagiebant quaſi ex oraculo, aliaſque ſimiles fraudes à ſe deprehenſas detexit; vnde factum vt fides in Perſia propagaretur, licet rex defunctus ſit antequam Chriſtianus fieret, Hiſt. Trip. lib. 11. cap. 8. ſimiliter aliæ nationes Barbaræ cùm varijs irruptionibus in terras Romanorum factis, inter alias prædas, Chriſtianorum quoque ſacerdotes abducerent, à quibus poſteà infirmitates curabantur, & ſolo Chriſti nomine Dæmones fugabantur, videntes hæc & vnà vitam eorum inculpatam, ſuaui iſto modo ad fidem peruenerunt. Nicep. lib. 8. cap. 33. Saraceni imperante Valente nomen dedêre Chriſto, Moyſis monachi ſanctimoniâ & miraculis permoti: ad numerum inopum & illiteratorum & ipſi pertinentes. Sarmatæ cùm audiſſent Conſtantinum M. victoriam à Deo mira-

mirabiliter obtinuiſſe, quòd Chriſtum coleret, conſtituerunt & ipſi Chriſto ſe deuouere. Socr.l.1.ca.14. Germani permoti miraculis & ſanctitate S. Bonifacij, Ruperti, Wilibaldi, Burchardi, &c. nec non beneficijs ab eis receptis.

Iogo Dux Venetorum, qui ad fontes Diani & Saui habitant (nunc Carinthij) ſatrapas ſuos adhuc gentiles hac arte conuertit. Conuiuium inſtituit lautum & vilem plebeculam ſimul cum equeſtris ordinis proceribus inuitauit, & nobiles quidem præ foribus recumbere iuſſit & pane tantùm cibario & caruncula rancidâ pauit, vinumque in vaſis fictilibus auſterum illis appoſuit, ſed agricolas ſuæ menſæ adhibitos lautiſſimè tractauit, & vinum poculis aureis atque argenteis propoſuit. Cùm ergo nobiles id indignè ferrent, atque in ſui contumeliam hoc fieri dicerent, reſpondit, ſe ideo ruſticos ad menſam ſuam adhibuiſſe, quia eſſent baptiſmo abluti: illos verò nobiles foris reliquiſſe, quòd ſordibus Ethnicis ſqualentes, hircum impietatis olerent. Illi ergo hoc ſermone confuſi, certatim ad S. fontem properarunt, refert Tymp. in ſpec. magiſtr. ſigno 75.

D. III. Tempus à Carolo Magno vſque ad finem mundi. Modus vocationis.

TERTIVM. Tempus eſt à Carolo M. vſque ad Iudicij diem. In hac vltimâ legatione vocati ſunt qui in vijs & ſepibus morabantur, id eſt, hæretici, qui in vias diuerſarum opinionum abierunt, vt exponit S. Auguſtinus *ep. 48. ad Vincentium*: & criminoſi alij, qui grauiter deliquerunt, & ideo quodammodò inter ſepes latitant. Et iſti compelli poſſunt: Hæretici, quia viam ſemel cœptam deſeruerunt, & fidem datam Eccleſiæ fraudarunt: ſcelerum verò aliorum rei compelli poſſunt vt vel pœnas luant, quas meruerunt; vel vt Chriſto nomen dent, ſi abſolui velint. Nemo quidem abſolutè compelli ad fidem poteſt; niſi in caſibus prædictis.

1. Hæretici.

Et quidem Hæretici, non aliter ac miles qui ſemel Sacramentum fecit, ad militiam adſtringitur: & qui matrimonio iunctus eſt, vt in eo perſiſtat. Ita Saxones à Carolo Magno vndecim prælijs per annos 30. ferè durantibus, cùm nullis fœderibus ſtarent, nec fide quam profeſſi erant, tandem armis domiti & redire ad Eccleſiam compulſi ſunt, Rhegione auctore. Sic Bohemi quoque poſtquam cum Boriuorio Duce ſuo nomen Chriſto dediſſent, eundemque ob id poſteà regno expuliſſent, rege armis reſtituto, compulſi ſunt ab eodem ad fidem ſeruandam & impij ferro necati, iidem poſteà ſæpiùs fidem fallentes, vi reducti ſunt ad illam. Dubrau. lib. 5. Rugiani Ludouico imperante, Chriſto nomen dare cœperunt, mox ab eodem defecerunt, donec Waldemarus Danorum Rex exercitu ducto illos deuicit, ſecumque abductis obſidum loco filijs nobilium, reliquos ad Chriſti doctrinam reduxit anno 1168. Ipſe Rex Rugianorum poſtmodum Apoſtolus gentem feram & rudem partim prædicatione aſſiduâ, partim minis ad religionem Chriſtianam conuertit. Helmold. l. 2. c. 12. & 13.

3. Criminoſi.

Secundi generis ſunt Pruſſi, qui cùm ob plurimas Chriſtianorum cædes eſſent pœnæ capitali obnoxij, à Boleſlao Polonorum Rege ferro domiti, pacem eâ conditione, ſi Chriſtũ ſequerentur, impetrârunt: (vnde & hodie Rex Pruſſiæ vaſallus eſt Regis Poloniæ.) Fecere imperata & demoliti ſunt fana & ſimulachra falſæ ſuperſtitionis. Paulò pòſt à veritate defecerunt; poſt annum verò 1250. à Cruciferis Teutonici Ordinis rurſus deuicti, religioni Chriſtianæ ſe reddiderunt. Qui etſi nunc in poteſtate Principis hæretici ſint, ſpes tamen eſt eoſdem ſuo tempore rurſum ad Catholicam Eccleſiam reducendos & compellendos. Cromerus lib. 6. Slaui vitam patriamque, quâ mulctandi erant, ob latrocinia, incurſiones, cædeſque in Chriſtianorum confinibus factas, Chriſtiani cultûs amplexu redemerunt, victi ab Otthone Magno: poſteà iterum deficientes, cùm innumerabiles Chriſtianos occidiſſent, vt eorum numerus libro comprehendi non poſſet, vt ait Helmoldus, ab Henrico I. Imp. prælijs ſuperati, ad fidem redire coacti ſunt. Helmold. l. 1.

Iaziges item ſub annum 1263. à Boleſlao Pudico victi, ad religionem Chriſtianam, vt ſibi vitam propter ſcelera patrata morti addictam conſeruarent, conuolârunt. Tho. Bozius *de ſign. Eccle. l. 4. c. 9.*

His addicti non ita pridem populi noui orbis, qui ob violata iura naturæ, compulſi ſunt à Luſitanis ad fidem, vel reducti poſtquã defeciſſent. Spes etiam eſt adijciendos iſtis indies Hæreticos, qui partim ob iniurias Eccleſiæ illatas, meritò compelli poſſunt ad Eccleſiam Catholicam: partim quia ab Eccleſia iam ſemel diſceſſerunt. Et quàm fœlix eſt hæc neceſſitas, quæ compellit ad meliora? ô ſi intelligerent, quanta Dei gratia foret, compelli ad ouile Chriſti! quàm ipſi vltrò aduolarent! ſperemus igitur bene de eorumdem reductione: quia adhuc locus eſt in cœnâ illâ cœleſti & multi adhuc populi Eccleſiæ adijciendi ſunt: quod faxit vtinam citò Deus.

CONCIO VIII.

Quid retineat hæreticos, ne conuertantur.

1. *Retinet eos Villa, id eſt, bona temporalia ac parentum & Maiorum fides.*
2. *Iuga boum, quæ denotant quinque ſenſus ſecundum S. Aug.*
3. *Vxor, ſignificans libertatem carnis.*
4. *Pauperes, cæci, claudi in Eccleſia, hoc eſt, peruerſi, quos indignantur ſequi.*

THEMA.

Cœperunt ſimul omnes excuſare. Luc. 14.

A. INter illos, qui ad cœnam Eccleſiæ Chriſti vocantur, poſtremos eſſe hæreticos, qui in vijs variarum opinionum & ſepibus diuiſionum ſedent, vult D. Auguſtinus. Primò

enim Iudæi, primò inuitati, venire recuſarunt. Secundi ſunt gentiles, qui introducti venerunt. Tertij hæretici, qui compelli ad intrandum debent. Et ſanè multi ſunt Legati, qui hæreticos ad Eccleſiam vocant, imò compellere deberent. Talia ſunt, imprimis miracula, quæ ſemper in Catholicâ fuere Eccleſiâ, numquam apud hæreticos. Talis eſt Eccleſiæ Catholicæ vniuerſalitas, quæ ſola per totum orbem diffuſa eſt. Talis eius vnanimitas & conſenſus in omnibus fidei articulis; quæ apud hæreticos minimè reperitur. Talis eius antiquitas, ab Apoſtolorum tempore ad nos vſque perſeuerans, vt teſtantur antiqua templa, monaſteria, Epiſcopatus, maiorum noſtrorum monumenta, libri, ritus, ipſa lingua noſtra vernacula. Talis eius perpetua gubernatio ſub Romanis Pontificibus à Petro ad hodiernum vſque. Talis eſt ſanctorum catalogus, qui non niſi Catholicos & Romanæ Eccleſiæ membra continet. Hæc omnia ſi perpendere vel paululùm vellent hæretici, mirum foret, ni venire ad Eccleſiam compellerentur, ſed fit nimirum, quod Dominns prædixit: *Cæperunt ſimul omnes excuſare.* Retinentur enim à varijs impedimentis, quæ tamen nullius ſunt momenti. Audiamus ergo excuſationes illorum.

B. Triplices adhibuêre excuſationes qui ad cœnam non venerunt. Alius dixit: *Villam emi, & neceſſe habeo exire & videre illam.* Alius *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa.* Alius: *Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire.* His eiſdem vel etiam pluribus modis excuſant ſe hæretici, ne ad Eccleſiam veniant.

I. Villa quæ ſignificat. 1. Bona tẽporalia. Alius dicit: *Villam emi.* Ita illi Primò qui ob bona temporalia, prædia, mercantias & ſimiles commoditates temporales manent in hæreſi; ad inſtar illius iuuenis, qui vocatus à Chriſto abijt triſtis, quia diues erat, ſed audiant hi ſcripturam (ſiquidem per ſcripturam tantùm conuinci volunt.) Igitur *in lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Matth.6.* dicit Dominus: *Quærite ergo primùm regnum Dei & iuſtitiam eius*, id eſt, ante temporalia. Et *Matth.16. Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro animâ ſuâ?* Nónne hîc apertè dicitur regnum Dei poſtponendum aut relinquendum non eſſe propter temporalia commoda? Quid enim ſunt, quæſo, temporalia omnia? villa ſunt, domus ruſtica & rudis, pecudum ſtabula, iuga boum ſunt. Et hæc non aliter poſſident homines niſi ferè per aſpectum. Ambitioſi enim honores, diuites opes ſuas ſolùm cernunt, nec aliter poſſidere poſſunt. *Neceſſe habeo exire & videre illam*, inquit ille. Et iſti vel exeunt de Eccleſia vel extra illam manent, quia neceſſe habent videre bona ſua paucula & inania. Et quid interim negligitis? quid perditis? regnum cælorum: & fit vt vtroque ſpoliemini, villâ mundi & regno Dei. Quis ergo non videt horum amentiam? *quam enim dabit homo commutationem pro animâ ſuâ.* Quid faciunt periclitantes in mari? An non abijciũt merces, vt ipſi ſalui ſint, licet etiam retentis mercibus ſperare ſalutem poſſint & incolumitatem? Quid faciunt ij, quorum domus ardet? nónne vt ſeipſos ſaluent, omnia dimittunt? Tu verò ſi propter bona temporalia fidem deſeris, ſperare ſalutem nequis. Huc pertinent illi iuuenes & iuuenculæ, qui adhuc ad religionem indifferentes, nolunt ſe reſoluere de eâ amplectendâ, donec ſciant, vbi locorum aliquando connubium vel domicilium adepturi ſint. Si enim offeratur eis conditio in loco Catholico, volunt fieri Catholici: ſi in hæretico, hæretici. Hi imprimis de facto ſunt hæretici, & timendum ne etiam in locis Catholicorum habitantes, ſemper tales maneant; quia fiunt Catholici non propter animæ ſuæ ſalutem, ſed propter temporale commodum; ſicut illi quibus dicebat Chriſtus, Ioan.6. *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus & ſaturati eſtis,* (quando videlicet paulò antè eos pauerat quinque panibus) *operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Ita multi fiunt Catholici non quia viderunt ſigna & alia fidei motiua, ſed quia apud illos commoda ſua temporalia inueniunt. Deinde ſalutem ſuam aleæ ſubijciunt, dum temporali commodo eam poſtponunt; ad eum modum quo quidem peruerſi homines pro ſuâ libertate aleam iaciunt, allecti exiguo pretio vt ſi amittant ſortem, ipſi in triremibus ſeruiant; ſi lucrentur, pecuniam accipiant. Denique ſtulti cum inuitato iſto, priùs emunt villam, poſteà primùm volunt videre eam: priùs namque procurant ſibi domum, quàm religionem annexam conſiderent: & ita emunt villam non viſam, poſteà videndam cùm reuerti nequeunt. Quid legis? nónne ſcriptum eſt? *Quærite primùm regnum cælorum & hæc omnia adijcientur vobis?*

Deinde ita reſpondent, qui propter parentum ſuorum fidem, quam ab ipſis acceperunt, ad Eccleſiam non veniunt. Sed *in lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis?* Reſpondit legis peritus ita à Domino interrogatus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totis viribus tuis, & ex totâ mente tuâ. Luc.* 10. id eſt, præ omnibus rebus & ſuper omnia. Item *Matth.10. qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Et qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.* Neque hoc mirum aut durum tibi videatur: *Veni enim,* inquit paulò antè, *ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem,* &c. Ita enim omnes primi Chriſtiani ſeparari debuerunt, etſi multas obtrectationes pertulerunt, vt Magdalena, Matthæus, Zachæus, Paulus, omnes denique tam nobiles quàm ignobiles, qui à parentum ſuorum infidelitate deflectentes ad fidem conuerſi ſunt. Et niſi hoc feciſſent, Chriſti fides nullibi eſſet. 2. Parentũ & maiorum fidẽ.

Quis

Quis enim neſcit plus obligari nos Deo quam parentibus? Et quid proderunt tibi parentes in die iudicij ſi infidelis vel hæreticus conuincaris? num fortè ab ira Dei te defendent? vel quid oberunt tibi tunc, ſi illos inſenſos habeas, Deum autem propitium? Quòd ſi S. Hieronymus vult vt liberi volentes ingredi religionem, quæ eſt ad melius eſſe tantùm ſalutis, percalcato pergant patre &c. quantò magis hoc neceſſarium in electione fidei, quæ eſt ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria?

Adhuc contra teipſum loqueris. Computa enim, quæſo, parentes tuos hæreticos; cum Catholicis. Nónne per 700. vel 800. annos ſemper habuiſti maiores Catholicos, cùm fortè per 100. quidem habeas hæreticos? Vtram ergo tu ſequeris partem? An non plures illos & antiquiores? Si enim vnius, duorum, vel trium ad ſummum, auorum fidem tam pertinaciter retines, cur non potiùs viginti vel triginta maiorum? Sed, num parentes meos ego damnem? inquiunt. Reſpondeo: num tu mauis condemnare triginta auos tuos antiquiſſimos & optimos, quàm duos vel tres modernos? An non vides te condemnare plurimos parentes, dum vis vnum alterumve beare? Quare hæretici noſtri dum nos calumniantur, hoc ipſum ſuis parentibus faciunt. Vnde cùm quidam nobilis Lutheranus dixiſſet, verum eſſe quod Lutherus ſcripſit, nimirum Catholicos omnes eſſe nebulones; reſpondit ei Catholicus quidam, ſi ita eſſet, tunc non poſſe ipſum probare ſtemma ſuum, niſi ex nebulonibus; ſiquidem maiores eius Catholici fuiſſent. Atqui dedecus eſt, inquis, deſerere parentum fidem, & indignum ab ea fide diſcedere, quam hæreditariò acceperis. Sed ſi hoc indignum iudicas: non erit indignius, quòd auus vel proauus tuus, adeoque Lutherus ipſe à parentum ſuorum fide diſceſſerit? Quid enim, quæſo, magis turpe, errare, an errorem corrigere? nónne errares? Socrates cum Athenis adoleſcentem quendam è proſtibulo prodeuntem & præ conſpectu illius egredi metuentem vidiſſet: *O adoleſcens*, inquit, *non te pudeat egredi ex hoc loco, pudeat intraſſe.* Non pudeat nos deſerere perfidiam, & redire ad Eccleſiam; pudeat credidiſſe Apoſtatis & vſtulatis hominibus. Denique ſi hoc argumentum eâdem conſtantiâ oppoſuiſſent veſtri maiores Luthero & eius aſſeclis, Catholici manſiſſent. Audite ſurdi Gentilem hominem. Seneca *lib. 4. de benef cap. 38.* ſcribit: *Non eſt leuitas à cognito & damnato errore diſcedere.* Atqui error veſter cognitus & damnatus eſt iam dudum à Leone Papa & reliquis, nec non à Concilio Tridentino 255. Epiſcoporum & Prælatorum; non ergo leuitas, ſed prudentia erit diſcedere ab illo.

C. II. Iuga boū quæ denotant quinque ſenſus.

SECVNDÒ. Alius dixit: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa.* Per hæc intelligit S. Auguſt. quinque ſenſus. Tales ergo ſunt, qui nil credunt niſi quod ſenſibus aut intellectu ſuo capiunt. Nos, inquiunt, quinque iuga boum emimus; quinque enim ſenſus, quibus rimamur abdita terræ: illis plus credimus, quàm vobis. Illi clamant in Euchariſtia non eſſe niſi panem & vinum: illis ergo credimus. Alij dicunt; Sunt & nobis noſtri ſenſus, oculi, aures. Nos legimus Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie, idem audiuimus prædicari &c. quare ergo nos decipere vultis Catholici, & vnam tantùm nobis obtrudere? ſed *in lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis? Fides veſtra*, inquit Apoſtolus 1. *Cor. 2. non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Senſus nos decipiunt, vt cùm ſolem aſpicientes putamus eum ſtare, cùm velociſſimè currat: non decipit fides & Chriſtus. An neſcimus illud Domini: *ſi oculus tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te: bonum eſt tibi cum vno oculo intrare in regnum cælorum &c.* Oculus vnus eſt ſcientia, alter fides: ſi ergo ſcientia & ſenſus tuus ſcandalizat te in Euchariſtiâ, cùm iudicat ibi eſſe panem, non Chriſtum, abſcinde eum, &c. melius eſt tibi cum vno fidei oculo, intrare in regnum cœlorum, quàm cum vtroque perdi. Deinde qualis, quæſo, eſſet noſter Deus, ſi eum mens humana comprehendere poſſet, quæ nec formicæ naturam adhuc ſatis inueſtigare potuit? Vnde cùm hæreſiarcha Eunomius ſe Deum comprehendere iactaret, D. Baſilius ad eum literas dedit, in quibus de formicæ naturâ, viginti & ampliùs quæſtiones proponebat: quarum cùm ne vnam quidem diſſoluere poſſet ille, tum ait: *Si minutiſſimæ formicæ naturam nondum cognitione apprehendiſti, quomodo incomprehenſibilis Dei naturam te intelligere gloriaris?*

Deinde mirum eſt, quòd vnus vel alter articulus tibi diſpliceat, cùm videas fidem illam, quæ ita docuit, à Deo tam mirificè exaltatam, miraculis confirmatam & hucuſque conſeruatam, à tot viris ſanctis mordicus retentam & defenſam fuiſſe. Num credere potes Deum permiſiſſe errare per tot ſæcula tot ſanctos? noluiſſe reuelare veritatem cuiquam niſi his poſtremis temporibus pauculis quibuſdam homuncionibus? Sanctos illos Patres toties congregatos ex toto pæne orbe, non vidiſſe, quod vnus Lutherus, Caluinus?

D. III. Vxor quæ deſignat libertatem carnis.

TERTIÒ, Alius dixit: *Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire.* Hic deſignat eos qui ob vitæ libertatem, impunitatem & diſſolutionem in hæreſi perſiſtunt: non quòd putem malum eſſe vxorem ducere, ſed quòd plurimi in matrimonio voluptatem tantùm quærant. Quot Monachi & Clerici abiecto habitu in hæreſi perſiſtunt tantùm ob eam cauſam? qui proinde aiunt: *Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire?* Talis fuit Bernardus Ochinus, qui noſtrò tempore, quòd Epiſcopatu Florentino & Cardinalatu fruſtratus eſſet, defecit ad Caluiniſtas & Geneuæ vxorem duxit, ex qua proles aliquot ſuſcepit. Hic poſtmodum à Catholicis, quos animæ miſerebat, admonitus, reſpondit: *Quid me vultis facere? Vxorem abiicere non poſſum & liberos quò natura mea tantoperè propendet. Hæc cauſa erunt æternæ meæ damnationis.* Teſtis Coſter. in Dom. Sexag. Quàm

multi propterea, quòd libri ſint à neceſſitate confitendi, ieiunandi, decreta Pontificia obſeruandi, opera bona & pœnitentialia perpetrandi, in hæreſi detinentur? Sed *in lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis? Matth.7.* ait Dominus: *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam:* Nonne lata porta eſt, quam aperuit Lutherus, qui nulla curat præcepta, nulla requirit bona opera: ieiunia, caſtitatem, opera pœnitentialia tanquam noxia execratur? Imò per eam etiam peccatores, modò fidem habeant, adeoque ebrij, qui ſuarum ædium portas ſæpe inuenire nequeunt, ingredi queunt? Nonne lata porta Caluini, qui præter illa etiam fidem de Euchariſtia abrogauit? Contrà verò quis neſcit Catholicam Eccleſiam docere & tenere arctam viam, quæ nobis ſeriò inculcat timorem iudicij, & incertitudinem ſalutis, opera pœnitentiæ, præceptorum obſeruationem, confeſſionem &c. quis neſcit aſperas eſſe virtutes & ſacramentorum vſus præſertim confeſſionis: & tamen non niſi per hæc ingredi nos cælum poſſe putamus. Iam verò ſicut arctæ viæ terminus eſt ſalus æterna, ita latæ viæ gehenna. Sapiens Prouerb. 20. ait: *Suauis eſt homini panis mendacij, & poſteà implebitur os eius calculo.* Panis mendacij hæreticorum doctrina eſt, quæ liberat ab omni eo quod difficile eſt, & ſecuritatem ſalutis promittit. Suauis eſt illis panis
1 iſte: vorare carnes, nubere etiam poſt vota &c. Sed in morte panis iſte vertetur eis in lapidem, quem non poterunt deuorare. *Cùm dixerint, pax & ſecuritas,* inquit Apoſt. 1. *Theſſal.* 5. *tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Quid enim, quæſo, ſolatij, imò quid non mœroris & deſperationis habebit homo hæreticus in morte ſuâ, cùm ibi recordatus fuerit ſe nihil vnquam boni feciſſe, ſed liberrimè & diſſolutè vixiſſe? Quid is ſperare à Deo mercedis poſſit, qui nihil vnquam durum aut difficile fecerit, ſed ſuaui ſemper & latâ inceſſerit viâ? imò quid non metuet, ſi recordetur illius: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur?* Contrà verò Catholicus qui præcepta ſeruauit, quantam habebit conſolationem? Qui enim hic non habuit nec quæſiuit conſolationem ſuam, ſed in afflictione patienter vixit, quomodo non ſperabit ibi refrigerium? Atque vt daretur, quod non eſſet bonorum operum merces, ſaltem non habebit, quod timeat: quod tamen habebit hæreticus.

E. IV. Pauperes, cæci, claudi in Eccleſia. QVARTÒ. Accedunt domum alij, qui ideo ſe excuſant, quòd nunc videant in Eccleſia multos pauperes, debiles, cæcos & claudos, id eſt, multos peruerſos quaſi indignentur eos ſequi, & inter illos eſſe. Nulli quidem tales leguntur fuiſſe in hodierno Euangelio: neque hoc prætenderunt, qui tertiò vocati & venire compulſi ſunt, licet pauperes & debiles iam in cœna ſederent; ſed non deſunt tales inter hæreticos. Objiciunt enim nobis vitia noſtra & Præſulum noſtrorum integris libris, & per hoc ſatis probatam putant ſectam ſuam, noſtramque confutatam. Sed quæſo te hæretice, *in lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?* Matthæi 23. ſcriptum eſt: *Super Cathedram Moyſis ſederunt ſcribæ & Phariſæi; Omnia ergo quæcunque dixerint vobis facite; ſecundum opera autem eorum nolite facere.* Quo loco non vituperat Chriſtus Cathedram Moyſis, vt notat S. Aug. *contra literas Petil. l.* 2. *c.* 51. nec vocat Cathedram peſtilentiæ, quemadmodum hæretici Romanam vocant, licet multi in ea ſediſſent mali. Itaque ſecurum te fecit Chriſtus; non enim examinaberis in iudicio, quid Pontifex Romanus fecerit, quid hic vel ille Epiſcopus &c. ſed quid tu. Deinde miniſtri eorum mirum in modum mentiuntur in Catholicos: vt, nos Euangelium abieciſſe, merita Chriſti annihilare, proprijs meritis inniti, lapides adorare & ligna, Pontificem eſſe Antichriſtum &c. Item nos multa introduxiſſe veteribus incognita, vti exequias, crucem, benedictionem aquæ & olei, ſanctorum inuocationem, &c. Quæ tam altè eorum animis infixa ſunt, vt licet nos fortiſſimis argumentis pugnemus, non credant nobis, ſed ſatis ſe reſpondiſſe putant, ſi dicant: Tu es Papiſta: Papiſta eſt aſinus, ergo nihil ſcis. Tertiò conſiderant tantùm defectus noſtros, non item virtutes & perfectiones, inſtar vpuparum quæ faciunt ſibi nidum non è plumis vt aues aliæ, ſed de ſtercore. Non ſciunt illi noſtram doctrinam, noſtra argumenta, noſtros ritus, leges, bona opera, &c. longè aliter eis depingimur quàm ſimus; vel certè ſcire id nolunt. Denique nonne ante octiduum audiuimus: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo non vides? Hypocrita: ejice primùm trabem de oculo tuo,* &c. Corrigant ipſi primùm vitia ſua, habebunt quod agant, longè magis quàm nos.

Reſpondetur. 1. 2. 3.

Quid igitur, Auditores, putatis ad has excuſationes reſponſurum Dominum? nonne id, quod inuitatis in hodierno Euangelio: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Sed quoniam hæretici indignè ferunt, ſi eos condemnemus, ſiquidem objiciunt nobis ſcripturam: *nolite condemnare,* &c. non erimus tam auſteri. Quid igitur dicemus reſponſurum illis Dominum? Putamus aulicè reſponſurum, ſicut illi ſe excuſarant. Dicebant illi: *rogo te, habe me excuſatum.* Ad eundem modum Dominus hæreticis, cùm aliquando pulſabunt fores eius, dicentque: *Domine, Domine, aperi nobis,* dicet: *rogo te habe me excuſatum.* Sic enim Prouerb. 1. ait: *Vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, cùm vobis id quod timebatis, euenerit.* Econtrà inuitantur pauperes, claudi, cæci & debiles. Pauperes qui non amant bona temporalia præ Deo eiuſque iuſtitia. Claudi, qui non quærunt libertatem carnis, ſed malunt viam arctam ambulare. Cæci, qui non pro-

propriis ſenſibus aut ſcientiæ innituntur, ſed fide duci malunt. Debiles, qui non horrent Catholicam fidem, licet interdum in ea debiles videant rectores & ſubditos; ſed propriam conſiderant debilitatem potiùs quàm alienam. His nos aggregemus ſi ad magnam illam cœnam intrare, & cum Chriſto Domino æternùm cœnare volumus.

CONCIO IX.

Documenta.

Ex hoc Euangelio diſcunt.

1. *Superiores non aſpernari pauperes, frenare iram &c.*
2. *Serui obedire ſedulò dominis, eos admonere dãni ſui eiſque rationem reddere ſui muneris.*
3. *Diuites non amare mundi bona, quorum multiplex ſtultitia aßignatur.*
4. *Pauperes bene ſperare.*
5. *Diſcunt coniugati ſe verſari in periculo ob abuſum matrimonij &c.*
6. *Acatholici & infideles.*
7. *Chriſtiani acquieſcere Dei vocationibus & mandatis.*

THEMA.

Homo quidam fecit cœnam magnã. Luc. 14.

A. Cœna magna, Euangelium Christi. INter alias cœnas, quas deſignat hodierna parabola, non minima eſt Euangelium Chriſti. Cœna namque eſt, quia vltimis temporibus mundo exhibita: cœna, quia variis doctrinarum & virtutum quaſi epulis inſtructa: cœna, quia hîc in terris ſatiat appetitum, vt nihil aliud quærat quàm requieſcere in Chriſto. Præterea cœna magna eſt, quia omnibus propoſita quotquot eam adire volunt: magna, quia à magno Deo magnis impenſis parata: magna, quia deguſtata ad maximam eamque æternam felicitatem ducit, repudiata verò ad maximam & æternam calamitatẽ. Viderint ergo illi qui cœnam hanc deſpiciunt & ob leuiculas quaſque cauſas ab acceſſu eius ſe excuſant; villam, boues, coniugem verbo Dei præferunt & interim cælum, & animas ſuas negligunt; viderint, inquam, quid aliquando à cœnæ huius inſtructore audituri ſint. Vos verò, Auditores, qui ad cœnam iſtam hodie conueniſtis & per anni curſum ſedulò conuenitis, gratulari nobis poteſtis. Ego porrò è cœnâ hodierni Euangelij ſelectiora eligam fercula, & nobis ſi non depaſcenda, ſaltem delibanda proponam.

B. I. Diſcunt Superiores. 1. Non aſpernari pauperes. Ferculum PRIMVM ex hac cœnâ iure merito debetur ſuperioribus. Et quid iſti diſcunt ex hodierno Euangelio? Primò non aſpernari pauperes, infimos & debiles. Vident enim Patrem hunc familias non horruiſſe pauperes, debiles, cæcos & claudos aliosque defœdatis è ſepibus abſtractos, numquam à ſe viſos cœnæ ſuæ adhibere & cum illis cœnare. Hinc forſitan olim ſceptra Regum formam aratri referebant, teſte Pierio lib. 48. ad inſinuandam eis humilitatem, vt agricolas & infimos quoſque non ſpernendos ſcirent. Qua in re inter gentiles laude excelluit Veſpaſianus Imperator, qui non ſenatores ſolùm ſed priuatos etiam homines publicè ſalutabat; accipiebat hoſpitio atque interdum etiam apud eoſdem cœnabat. Tymp. *in ſpec. Magiſt. fig.* 77. Adrianus Imperator bis ac ter in die ægros inuiſebat & conſiliis aliiſque ſubſidiis ſubleuabat, teſte Cuſpiniano apud eundem Tymp. Quod idem inter Chriſtianos fecit Gratianus Imp. eodem auctore. S. Eduardus Angliæ Rex, qui pauperem claudum rogatus humeris ſuis ad templum geſtare non erubuit, teſte Ealredo in vita. Si hæc reges, quid faciant Domini inferiores? Deinde iram frænare & ita moderari vt ne in deſtructionem ſed in ædificationem ſubditorum cedat. Vident enim Patremfamilias (Deum) etſi deluſum ab inuitatis, iratum quidem fuiſſe: ſententiam tamen excluſionis diſtuliſſe vſque dum alij vocarentur; deinde iram ſuam non vertiſſe in perniciem, ſed in bonum ſubditorum, dum loco inuitatorum iuſſit mox vocari pauperes, non ſuſtulit cœnam, non deiecit fercula per feneſtram, nec canibus aut hiſtrionibus & paraſitis abligurienda ex furore dedit, quemadmodum alij quidam faciunt. Hinc bene Nahum 1. vocatur Deus *habens furorem*. Hebr. *Vir iræ* vel *Dominus furoris*; quia regit iram ſeu vindictam: non regitur ab ira, vti communiter homines. 2. Iram frænare. Itaque ſuperiores ſint etiam Domini iræ ſuæ, & nihil imprimis graue ſtatuant & decernant irâ adhuc durante, *Cum irâ enim nihil rectè, nihil conſideratè fieri poteſt*, inquit Cicero 1. de offic. optimè Seneca lib. 1. de irâ cap. 6. *Non iraſcar latroni? non iraſcar venefico? non neque enim mihi iraſcor cum ſanguinem mitto. Omne pœna genus remedij loco admoneo.* Alterius exemplo diſcant. Alboinus Longobardorum rex cùm poſt triennalem obſidionem Papienſes ſeu Ticinenſes certis & honeſtis conditionibus à rege ſubſignatis ſeſe dedidiſſent, vrbẽque is, prodeuntibus obuiam ciuibus, nihilominus intrare hoſtili animo toruoque vultu immitem animum apertè prodente, cum exercitu conſtituiſſet: tum repente in ipſius portæ limine Alboini equus, rege ornatu regio inſidente concidit: quem erigere conati aſtantes fato deiectum, vtcumque immotum ſenſère, caſumque admirari regem monuère, vt iram quam in Papienſes delendos occultè fouebat animo, dimitteret orbemque ſeruare conſtitueret. Inuaſit ilicò perpetrandi ſceleris pœnitentia regis animum, mutataque ſententiâ, ſenſit ſimul fata commutari, huiuſcemodi voce emiſſa: *Salua ſint ciuitatis iura, & quæ ſpopondi, fiant eodem actu.* Quam vocem poſtquam emiſit rex, mox ſurrexit ſine impulſore equus. Verè igitur Sapiens Prouerb. 27. dixit: *Graue eſt ſaxum & onerosa arena, ſed ira ſtulti vtroque grauior*; quod expertus hîc Alboinus.

C. II. Diſcunt ſerui. SECVNDVM Ferculum ſeruorum eſt. Diſcũt iſti

Digitized by Google

1. Obedire ſedulò Dominis.

iſti Primò: Dominorum imperata ſedulò & accuratè facere. Sic enim ſeruus patrisfamilias in hodierno Euangelio, ad nutum Domini præſtitit, quæ in mandatis habuit. Iuſſus primos vocare, vocauit: Secundos adducere, adduxit: tertios vi adhibitâ compellere, compulit; vnde ait: *Domine factum eſt vt imperaſti.* Quod ſi hoc exemplo non mouentur, canes obſeruent, qui iuſſa dominorum, vbi ad hoc edocti fuerint, faciunt ad vnguem. Quendam habuit vir prædiues in Delphinatûs vrbe Sancti Valeriani, qui proiectum ſibi panem vel carnem tamdiu inter pedes tenuit, donec audiret: *rape*. Quin & carnem ori iam ingeſtam, ſi audiſſet: *ferma*; deuorare non eſt auſus donec audiret, *rape*, vel eleuatâ manu concederetur; Refert Richeomus in valed. an. col. 39. Si hoc canis: quid homo?

2. Admonere herus damni ſui.

Deinde ſeruus iſte admonet herum rei, quã ſciri ab hero oportebat, nimirum adhuc locum eſſe, nec impletum numerum cœnantium, tametſi hæc monitio nouum ipſi laborem paritura erat in adducendis pluribus alijs. Itaque ſerui boni eſt, admonere Dominum cùm de eius honore, damno vel emolumento agitur inſcio hero, eiuſque rem domeſticam promouere quantum poteſt: licet id ſine ſuo labore & faſtidio fieri non poſſit.

3. Reddere rationem muneris ſui.

Denique peracto munere ſuo ad herum redit & rationem executionis ſuæ reddit, ſine faſtu tamen vel ſuiipſius dilaudatione; neque enim ait: feci ſicut imperaſti; ſed *factum eſt vt imperaſti.* Hunc in modum ſerui cùm ſibi quid iniunctum eſt, eo peracto reuertantur ad heros & rationem officij adminiſtrati reddant, non ſeipſos dilaudando, ſed cum debitâ humilitate ſuam obligationem monſtrando. Ordinariè parum præſtant, qui ſuamet obſequia deprædicant.

D. III. Diſcunt diuites non amare mundi bona, Multiplex amatorum mundi ſtulta.

Tertium. Eſt diuitum & mundi amatorum. Vident illi in hoc Euangelio, quanto ſuo periculo tractent opes & mundi bona, vt quæ duos inuitatos abſtraxerint à cœnâ. Magna porrò & multiplex horum ſtultitia fuit.

1. Prima, dum emerunt villam & boues antequam viderent & probarent. Eadem eſt mundi ſectatorum, qui maximo labore comparant ſibi opes, honores & delitias, antequam eas examinent. Vnde fit, vt res viliſſimas & aurâ mutabiliores ingenti pretio emant, vix teruncio æſtimabiles. Similes incautis potatoribus qui cauponas ingrediuntur & lautè epulantur antequam licitentur vinum & epulas; ad extremum igitur cùm rationes exigit hoſpes, grandi ſe ære obſtrictos & vident & mirantur quomodo fieri potuerit vt tam carò cænarint. Non ſic mulier illa prudens quæ, vt ait Salomon, Prouerb. 31. *Conſiderauit agrum & emit illum.* Priùs conſiderauit, deinde emit. Sed nimirum inſanus mundi amor cultores ſuos abripit ſine præuiâ deliberatione ad ſtultiſſimum contractum.

2. Secunda, dum aſpectum & guſtatum rerum ſibi emptarum præponunt fruitioni cœleſtis conuiuij. Vnus illorum ait: *Eo probare* boues. Et quid eſt probare? ſemel iungere aratro & tentare an idonei ſint: non arare, non triturare. Quod igitur eſt hamus piſcibus, hoc ſunt mundi bona mundanis. Vermiculus aut locuſta piſcatoris hamo affigitur: & quid inde capiunt? piſces deguſtant & arrodunt eſcam & interim capiuntur, non abſumptâ illecebrâ; vna eademque eſca ſæpe multos capit priuſquam capiatur. Vna eademque villa, imò vnus idemque bos quàm multos habuit dominos? Alter ait: *neceſſe habeo exire & videre* villam. Miſerior adhuc iſte, qui non niſi videre quærit villam ſuam. Et quis hic niſi auarus, qui ſolos oculos paſcit auro & argento, corpus paſcere non audet?

Tertia, dum non niſi curarum ſarcinas & labores emunt. Vnus enim illorum ait: Iuga boum emi quinque, alter: Neceſſe habeo exire. Ergo iuga, ergo labores & onera, ergo aureas compedes, quibus ad labores cogantur, ſibi emerunt nummis ſuis. Quanta hæc ſtultitia? Tyranno igitur qui totum eorum laborem ſibi vendicat, ſeruire malunt quàm Deo. Pro vno Dei iugo excuſſo, quinque ſibi imponunt: iugum in acquirendis bonis, iugum in conſeruandis, iugum in augendis, iugum in perdendis, iugum in defendendis, coram Dei tribunali. 3.

Quarta, dum exeunt ad illa hoc eſt excedunt à mente ſuâ & abripiuntur ad opes & delitias mente pertractandas, vt iam non domi ſuæ, ſed toti extra ſe in arca, in patinis, poculis & delitijs ſint. Nam *ſicut ij*, inquit ſanctus Ambroſius ſerm. 81. tom. 3. *qui per inſaniam mente tranſlati ſunt, non iam res ipſas, ſed paßionis ſuæ phantaſias vident: ita etiam mens auari ſemel vinculis cupiditatis adſtricta; ſemper aurum, argentum videt, ſemper reditus computat: gratiùs intuetur aurum quàm ſolem videt &c.* 4.

E. IV. Diſcunt pauperes bene ſperare.

Quartum. Pro pauperibus facit, & ſuauiſſimum quidem ferculum. Vident enim in hac parabola ſe non modò à cœleſtis cœnæ delitijs non excludi, ſed inter magnates accumbentes numerari & verò plurimis potentiſſimis præponi. Mundus non admittit pauperes ad conuiuia principum: foris ſtare debent & cum ollulis ſuis reliquias expectare; verùm in altero ſæculo recumbent inter principes & ſæpe honeſtiori ac priori loco, quàm illi. Certè ſecuriorem viam perueniendi ad cœlum habent; quia nullis retinentur mundi laqueis. Hinc ad cœnam vocati, expeditè paruerunt, ac vnus quidem ſe excuſaſſe auditur: præ gaudio exſiliiſſe, & ad cœnam cucurriſſe, minimè dubitandum. Pauperes enim inſtar columbæ illius ſunt, ex arca Noë dimiſſæ; quæ *cùm non inueniſſet vbi requieſceret pes eius; reuerſa eſt ad eum in arcam; extendit(que) (Noë) manum ſuam & apprehenſam intulit in arcam*: Coruus verò ex eadem emiſſus, nequaquam eſt reuerſus, quia natantibus in diluuio cadaueribus inſidens pabula ſectabatur, *Gen.* 8. Typus opulentorum cor-

nus,

uus, qui amore villæ, boum & huiuſmodi cadauerum illecti & retenti non auolant ad arcam conuiuij cœleſtis. Typus pauperum columba, qui cùm ſpes ſuas ponere in rebus fluxis nequeant, non habentes vbi requieſcant, ad Chriſtum & arcam eius contendunt, ab eoque adiuti inferuntur cœlo. Intellexère hoc ex parte etiam gentiles. Eucritus cuidam quærenti, vter eſſe mallet, Crœſus an Socrates (pauper philoſophus) reſpondit: *viuens mallem eſſe Crœſus, moriens autem Socrates*; indicans diuites hìc quidem eſſe beatos, ſed in morte infælices: pauperes contrà fælices in morte adeoque abſolutè præferendos. Stob. Rectiùs adhuc Alexander M. qui etiam in hac vita Diogenis conditionem omnium pauperrimam ſuæ fælicitati æquiparare, vel etiam præferre non dubitauit. Fertur enim dixiſſe: *ſi Alexander non eſſem, Diogenes eſſe vellem.* Plut. orat. 1. de Fortunâ Alexandri.

F. V. *Diſcunt coniugati, verſari ſe in periculo.* QVINTVM. Coniugatis quadrat. Vident illi ſe quoque verſari in periculo perdendæ ſalutis, quando etiam is, qui vxorẽ duxit, (non pellicem) ab vxore præpeditus cœnam contempſit. Dixit quidam (apud Franc. Alumnum de myſt. numer.) tria in mundo pericula eſſe; *currere ſuper equum, nauigare, viuere ſub Tyranno.* 1. *Ob abuſum matrimonij.* Qui villam emit ſeu honores ſectatur, ſuper equum currit magno & continuo lapſûs periculo. Qui boues emit & opibus inhiat, nauigat in mari, non minore etiam diſcrimine; quia parum à ſubmerſione abeſt; *qui enim volunt diuites fieri, incidunt in deſideria nociua, quæ mergunt homines in interitum*, ait Apoſtolus 1. Timoth. 6. ſed qui vxorem duxit, viuit ſub Tyranno; proinde, ni fallor, cæteris non parum infælicior & periculo vicinior. Certum enim imprimis eſt etiam legitimo matrimonio poſſe coniuges abuti, vt grauiſſimè in eo peccent. Ideo S. Hieronymus & ante eum Xyſtus Philoſophus dixit: *Adulter eſt in ſuam vxorem omnis impudicus amator ardentior.* Et poteſt quis non minùs è proprio vini dolio inebriari, quàm ex alieno, vti dixit S. Ægidius ſocius S. Franciſci cuidam coniugato ſibi blandienti. Certum etiam eſt facilius eſſe ab alienis abſtinere, quàm ſuis parcè & moderatè vti, illud faciliùs agnoſcitur eſſe malum quàm iſtud. Sanè Euſebius *l. 4. hiſt. c. 16.* ſcribit pudicam quandam mulierem thori ſeparationem à viro impudico & beſtiali poſtulaſſe & impetraſſe, quia is conſuetudine vxoris fœdè abutebatur.

2. *Ob diſtractionẽ à cultu diuino.* Deinde quia neuter coniunx ſui corporis poteſtatem habet, ſed alter alterius: hinc ab oratione & cultu diuino facilè & communiter impediuntur, dum alterius incontinentia alterum impedit. Nihil autem difficilius quàm Deo ſimul & carni vacare. Proptereà Deus daturus Hebræis legem, mandauit eis antequam accederent ad montem Sinai: *Ne appropinquetis vxoribus veſtris. Exod. 19.* Quia nimirum ad ſanctificationem acquirendam non ſolùm immunitas requiritur à peccato, ſed abſtinentia etiam à licitis, quæ cum ſanctificatione parum rectè conueniunt, vt explicat Rupertus. *Nam qui abſtinet ſolùm ab illicitis, inquit, pœnam quidem euaſit peccati; ſed gloriam ſanctitatis non eſt aſſecutus. Quod ſi hoc dictum eſt acceſſuris ad illum ignem viſibilem & turbinem & caliginem & procellam & tubæ ſonitum, quantò magis accedentibus nobis ad Iudice omnium Deum & teſtamenti noui mediatorem Ieſum?* Quod idem de oratione concludit S. Hieronymus ſuper Ezec. c. 46. *Et ſi acceſſuri ad audienda & ſuſcipienda verba Dei ſanctiſ. ari iubentur ab vxoribus, manifeſtum eſt in lege illud Apoſtolicum contineri 1. Cor. 7. Nolite fraudare inuicem niſi fortè ex conſenſu ad tempus & ex conſenſu abſtinendum ab vxoribus, vt vacemus orationi.* Vnde primis Chriſtianis conſueta fuit ea continentia omnibus diebus Dominicis, & in ſolemnitatibus, nec non per quadrageſimam, vt anno Domini 800. ſcribit Nicolaus lib. *ad conſultat. Bulgar. c. 9.*

Denique quia grauia ſunt coniugij onera & quaſi lateritij labores Hebræorum in Ægypto, à quibus impediebantur, quò minus Deo vacarent. Maritus in alendis, vxor in comendis, tergendis, veſtiendis liberis occupatur. Sæpe alter coniugum aut vterque difficilis & intolerabilis certo quodam vitio eſt: maritus potator vel aleator, vxor viro moleſta, querula & altera Xantippe. Hinc Phoroneus à theſauris rex nominatiſſimus die, quâ deceſſit, Leontio fratri ſuo dixit: *Nihil mihi defuiſſet ad plenam fælicitatem, ſi defuiſſet vxor.* Leontio cauſam, quærenti: *ſciunt hoc omnes mariti*, inquit. Thomas Morus quoque per iocum quidem, ſeriò tamen dicebat quærenti cur vxorem ſtaturâ tam humilem accepiſſet: *quia è duobus malis minus eligendum putaui.* Staplet. *in vita, cap. 13.* Experti ſuo malo ſunt ſuauem hanc tyrannidem, Adam ab Eua illectus & in extremam calamitatem redactus; Salomon ab vxoribus ſuis in ſenio dementatus; Achab à Iezabele ſua ad necem innocentis Naboth machinandam permotus: Herodes ob amorem pellicis ſuæ in cædem Ioannis impulſus. 3. *Ob grauia coniugij onera.*

SEXTVM. Ferculum ex hac cœnâ debetur ijs, qui extra Eccleſiam Catholicam ſunt. Scire illi debent, non eſſe aliam viam veniendi ad cœnam æternæ fælicitatis niſi per fidem, eamque Catholicam. Serui enim quos miſit Dominus ad vocandos hoſpites, non ſunt alij niſi Apoſtoli & qui ab iiſdem legitimâ ſucceſſione deſcendunt. Hi verò omnes ad Euangelium, fidem & Eccleſiam eamque Catholicam, fundatam ſupra petram Apoſtolicam vocarunt & traxerunt homines, quaſi ad cœnaculum, in quo ſolo expectanda ſit cœleſtis cœna. Quiſquis ergo Euangelio eique ſincerè non obedierit, ſciat ſe à cœnâ excludendum. *Dico vobis*, ait Dominus, *quia nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Hoc idem eſt quod Iſaias c. 60. dixit: Gens & regnum, quod non ſeruierit tibi (Deus;) *peribit*; interitu tam temporali, quàm æterno, intelligit. Experta hoc eſt Perſica G. VI. *Diſcunt Acatholici & infideles.*

ſica quædam ciuitas, cuius Epiſcopus, Miles nomine, cùm multa ab ea paſſus verbera & tractus, nulli perſuadere poſſet vt Chriſtianus fieret, moleſtè tulit ciuitatique maledixit & abijt. Paulò pòſt cùm primores illic in regem pèccaſſent, miſſus eſt exercitus cum 300. elephantibus ciuitatemque illam ſubuertit & inſtar arui aratro ſubegit. *Sozom. lib. 2. hiſt. Eccleſiaſt. c. 14.* Dani cùm reſtitiſſent Euangelio, tantà cæde mactati ſunt, vt vulgus omne caderet, de ſtirpe autem regia nemo remaneret præter vnum puerum, Ericum. Adamus in Chron. Baron. anno 858. Superiore ſæculo Indi Molucenſes, dum à fide Chriſti ad Machumetem defecerunt, procellis, fulminibus, turbinibus & cinere, qui totam regionem fertiliſſimam oppleuit & ſimilem terræ Sodomorum effecit, puniti ſunt, vt ſcripſit ex ea regione P. Beyra Societatis Ieſu teſtis oculatus. Et propterea iuſſit Dominus, vt prædicatores ab ædibus repulſi, pedum puluerem in eas excuterent, ad conteſtandam Dei vindictam, quæ imminebat eis, Luc. 9. Ita S. Franciſcus Xauerius Malacenſi Præfecto, quòd per eum ab itinere ſuo in Sinas impediretur, excommunicato, ilicò Malacâ diſcedit. *In vrbis porta puluere de calceis (vti Chriſtus Apoſtolis præceperat) excuſſo, ciuitati cœleſtem iram multaſq; & graues denunciat clades. Et denuntiationi reſpondit euentus. Nam breui fame, bellis, morbis vrbs exhauſta eſt, vt ferè ad ſolitudinem redigeretur,* ait Turſellinus libr. 5. vitæ, cap. 7. *Reuelatur enim ira Dei,* inquit Apoſtolus ad Rom. 1. *de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei* (Euangelium ſcilicet) *in iniuſtitiâ detinent.* Eandem Dei iram expertæ ſunt ſecta & regna Arianorum, vti Gothorum & Wandalorum: regna Neſtorianorum, Eutychianorum, Iconoclaſtarum, Monothelitarum &c. Ex quibus omnibus patet, fidem & Euangelium omnibus ad ſalutem eſſe neceſſarium.

H. VII. Diſcunt Chriſtiani acquieſcere Dei vocationibus & mádatis.

SEPTIMVM. Debetur Chriſtianis omnibus, qui diuinis vocationibus non reſpondent aut acquieſcunt, ſed magis temporalibus rebus ſtudent, quàm ijs quæ ad ſalutem dirigunt. Eò pertinent qui leui nimis de cauſa violant præcepta Dei & Eccleſiæ, qui ob vilia quæque minuſque neceſſaria negotia negligunt S. Miſſam feſtiuis diebus, violant feriales dies, differunt confeſſionem & communionem in paſchate vel morbis periculoſis: qui ad nundinas & agros ſuos currunt cùm præceptum Eccleſiæ implendum: qui vxoribus nimis facilè omnia indulgent, quæ cum virtute & Dei timore non ſatis ſtare queunt, toti ſunt in agris & gregibus ſuis & vix ſemel in die cogitant de Deo &c. Hos enim & his ſimiles accuſabunt aliquando coram Deo Paſtores, Concionatores & Confeſſarij, qui ad eos Miſſi vocationem ad cœnam Dei fideliter eis inſinuarunt, non tamen auditi ſunt. Eorum enim contumaciam nunciant Deo, cùm vel illos rebelles increpant, vel coram Deo accuſant in ſuis precibus, vel cùm deſinere à correctione aut deſerere eos coguntur. Quemadmodum verò Paterfamilias ad hoc nuntium ſerui ſui iratus eſt: ita iraſcitur Deus improbis, qui morem gerere ſeruis eius ad ſe miſſis nolunt, vti diximus de infidelibus. Et ſi iraſcitur infidelibus, quantò magis fidelibus? ſi alienis, quantò magis peculiari ſibi iure adſcriptis? ſæpius legimus vltionem diuinâ in refractarios homines à monitoribus prouocatam ilicò adfuiſſe, vti ſenſerunt Core, Dathan & Abiron reſiſtentes Moyſi; qui cùm hoc, Deo conqueſtus ſimulque precatus eſſet: *Ne reſpicias ſacrificia eorum, à terrâ abſorpti ſunt. Num. 16.* Huic addamus è nouæ legis tempore hiſtoriam alioqui notiſſimam *de contumaci quorundam irreuerentiâ erga S. Miſſam,* quam ſcribit Crantzius *in Saxonia lib. 4. cap. 3.* Nauclerus & alij, Choreas aliqui ducebant in Colbeke villa Halberſtadenſi nimis inſolenter ipſa Dominicæ Natiuitatis nocte, & quod culpas valde auget, etiam in ipſius Eccleſiæ cœmiterio Sancti Mauri. Erant autem, qui id agerent, ebrij omnes; tum viri, tum fœminæ, quamobrem inconcinnis clamoribus diuinum officium interturbabant. Rogati à Sacerdote, vt abſtinerent: cùm non parerent, ille velut quadam pia indignatione commotus dixit: *Quando mecum diuina religio contemnitur, ſit vobis circuitio, choreaq; illa annalis.* Adeò illa ſententia Deo probari viſa eſt, vt ij in chorea ſemper perſeuerarint abſque cibo dies ac noctes ſine vlla quiete, adeò vt quidam ſancti viri etiam pro illis diu rogarint, at illi nihilominus annum integrum perſeuerauerunt. Ac cùm quidam ſororem ſuam ex eo circulo ablaturus acceſſiſſet, potiùs brachium euulſit. Durauit autem adeò is motus, vt alta terræ veſtigia impreſſerint. Anno demum euoluto quieuere, maior pars ſpiritum exhalauit; pauci qui ſuperfuerunt, recreati inſigni ſe pœnitentia macerarunt, accidéreque hæc Imperatore Henrico. Refert Maiol. tom. 1. Canic.

CONCIO X.

Myſteria.

1. *Aſsignatur ſcopus huius parabolæ.*
2. *Cœna magna eſt vita æterna, quæ comparatur conuiuio ob varias rationes.*
3. *Quæritur quis cœnæ inſtructor, quis ſeruus.*
4. *Quænam hora cœnæ.*
5. *Quinam inuitati & cur venire noluerint.*
6. *Quando reuerſus ſeruus nuntiauerit hæc domino ſuo.*
7. *Qui ſint pauperes debiles &c.*
8. *Quinam venire compulſi.*

THEMA.

Homo quidam fecit cœnam magnam.
Luc. 14.

COena, Auditores, nocturnum eſt conuiuium, quod proinde eget lumine ad menſam poſito; quo deficiente non cernentur epulæ nec ſine errore & læſione à conuiuis abſumentur. Talis autem eſt parabola A.
iſta propoſita de cœnâ: conuiuium quodam

dam ſpirituale, inquam, ſed nonnihil obſcurum, ideoque lumine indiget, de quo *Pſ.* 118. dicitur: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis.* Ergo vt huius cœnæ epulas, huius parabolæ intellectum cernamus ac cum fructu deguſtemus, accendemus illi, præſtante Domino, aliquantum luminis.

B. 1. Quis parabolæ ſcopus.

Q. Primò. Quis parabolæ ſcopus? Reſp. ex præcedentibus colligendum. Accumbens Dominus menſæ principis Phariſæorum præclarum illi documentum dederat: *Cùm facis conuiuium voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum, &c.* Quæ cùm audiſſet quidam ex diſcumbentibus, diuinæ retributionis deſiderio accenſus, ait: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Hinc ergo occaſione arrepta proponit illi Dominus parabolam ex ipſo conuiuio, in quo erat, depromptam, oſtenditque Gentiles prærepturos Iudæis cœnam illam cœleſtem, & quidē culpâ ipſorummet, vt qui primò inuitati & ſæpiùs vocati comparere noluerunt, præferentes terrena ſupernis bonis; in ipſorum igitur locum vocandos & trahendos eſſe primò contemptos quoſque ex Iudæis; deinde cæcos, claudos & debiles, extra ciuitatem Eccleſiæ poſitos, promiſcuam ſcilicet Gentilium multitudinem, Dei veri cognitione deſtitutam, in peccatis ambulantem & promiſſionis ſpe carentem. Id quod iam cernimus factum, vocatos ſcilicet Gentiles, reprobatos verò Iudæos. Vnde parabola iſta, cùm à Chriſto proponeretur, prophetia erat: nunc verè eſt hiſtoria.

C. II. Quænam cœna magna? Vita æterna conuiuium.

Q. Secvndò. Quænam illa cœna magna? Reſp. eſſe cœleſtis beatitudinis delitias. Comparatur autem vita æterna imprimis conuiuio.

1. Primò, quia vt in conuiuio ſunt omnis generis delitiæ, epulæ & vina ad guſtum; ſymphonia ad auditum; odores ad odoratum; flores & factitia fercula ad delectandos oculos parata: ita in cœlo omnis generis delitiæ ſunt ad recreandas omnes vires corporis & animæ: Sed audiamus Card. Bellarminum *in lib. de æter. fælic. l.5. c.5.* accuratiùs hæc expendentem. *In cœna magna oblectantur oculi in apparatu ſumptuoſo totius aulæ, in ordine miniſtrorum, veſtibus decoris & pretioſis indutorum, in vaſis aureis atque argenteis quibus inferuntur cibi: oblectantur aures variis muſicis inſtrumentis & vocibus cantorum & cantatricum audiendis: oblectatur ſenſus olfaciendi in odoribus florum & roſarum, in vnguentis pretioſis & aquis odoratis, aliisq; rebus odorem ſuauiſſimum ſpirantibus: oblectatur ſenſus guſtandi in condimentis ciborum omnis generis & vinis pretioſis vndique allatis: oblectatur denique ſenſus tangendi in recubitu ſiue accubitu, in lectis molliſſimis atque gratiſſimis. Itaque in cœna Regia ac nuptiali conueniunt ſimul omnia ferè corporalia bona, quæ hîc in terris inueniri poſſunt: vt non ſine cauſa Dominus repræſentare volens felicitatem, quæ in ſe bona omnia comprehendit, cœnæ magnæ illam comparare voluerit: de qua etiam legitur in Apocalypſi: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt. Deinde quam ſit magna illa cœna Domini, ex eo cognoſci poteſt, quòd omnis gloria corporum glorioſorum erit quaſi poſtrema menſa, in qua bellaria apponuntur. Tanta autem eſt bellariorum iſtorum ſuauitas vt ſanctus Petrus videns aliquando corpus Domini ſplendere inſtar ſolis; dixerit: Bonum eſt nos hic eſſe. Et ſi talia ſunt bellaria, quid erit ſubſtantia cœnæ, quæ in fruitione diuinitatis poſita eſt?*

Secundò, quia vt in conuiuio abundantia & ſatietas eſt: ita in cœlo beati omnes ſaturantur & ſupereſt infinita voluptatum copia etiam infinitis aliis, ſi forent, hominibus. Vnde Dauid Pſalm 61. ait: *Inebriabuntur ab vbertate domûs tuæ*: Et alibi: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Hanc cauſam ſimilitudinis notat Tertullianus *lib. 4. contra Marcion. cap. 31.* cùm ait: *Cœnæ paratura vitæ æternæ ſaturitatem figurat.* 2.

Deinde comparatur cœnæ. Primò, quia vt cœna poſt labores diei datur: ita beatitudo ſuperna poſt huius vitæ labores, miſerias & ſtrenuas operationes exhibetur. Atque hîc veriſſimum eſt quod ſcribit Apoſtolus 2. Theſſal. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.* Secundò, quia vt cœna in fine diei, ita beatitudo animæ in fine vitæ: corporis verò & animæ ſimul in fine mundi exhibebitur hominibus. Tertiò, quia vt cœnæ non ſuccedit alia refectio, ſed quies tantùm & ſomnus: ita beatitudo cœleſtis, æterna & interminabilis eſt, hominem componens ad quietem ſempiternam, vt nihil prætereà deſiderare queat. Hanc cauſam tangit Sanctus Gregorius *homil.* 36. quæ eſt de hodierno Euangelio. *Idcircò, inquit, hoc conuiuium Dei, non prandium ſed cœna vocatur; quia poſt prandium cœna reſtat, poſt cœnam verò conuiuium nullum reſtat: Et quia æternum Dei conuiuium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit vt hoc non prandium, ſed cœna vocaretur.* Quartò, quia ſicut cœna non peragitur ſine lumine; ita viſio beatifica indiget lumine gloriæ, quo eleuetur & confortetur intellectus beatorum ad videndum Deum; quo modo beneficio tubi perſpectiui adiuuatur oculus corporis ad contuendas res remotas vel ſubtiles. Eo lumine deficiente humanus intellectus nequaquam cernere Deum poſſet. Denique magna cœna appellatur plures item ob cauſas, nimirum quia magnus & laudabilis Dominus qui cœnam hanc exhibet; magnus & immenſus eſt locus cœli empyrei, in quo exhibet magna & ineffabilis dulcedo ferculorum quam exhibet; magna quoque turba quam dinumerare nemo poteſt, cui exhibet; magni ſunt omnes conuiuæ: magna duratio conuiuii, æternitas. Manna & cætera bona legis veteris quaſi ientaculum fuerant Eccleſiæ militantis ſumptum ante Chriſtum: Incarnationis œconomia quaſi prandium perceptum ſub Chriſto; Sacramentum Euchariſtiæ

(Margin: Cœna eſt. 1. 2. 3. 4. — Cœna magna eſt.)

chariſtiæ quaſi merenda poſt Chriſtum percipienda: cœleſtis beatitudo quaſi cœna in altero ſæculo cum Chriſto ſumenda.

D. III. Quis inſtructor cœnæ.

Q. Tertiò. Quis homo qui parauit cœnam & quis ſeruus ab eo miſſus? Reſp. hominem, qui fecit cœnam, eſſe imprimis Deum, ſeu totam SS. Trinitatem, quæ quia mundo parum aut nihil cognita fuit, vocatur *Homo quidam*; qui æterna cœli bona præparauit diligentibus ſe, deinde ſpeciali ratione eſſe Chriſtum Dominum, qui meritis ſuis parauit & comparauit nobis cœnam illam, & proinde in propria perſona (vt volunt aliqui) concludit parabolam illis verbis: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.*

Quis ſeruus.

Porrò ſeruus ab eo miſſus, in priore ſenſu erit Chriſtus Dominus à patre in mundum miſſus & ſerui formam accipiens, qui vocauit primò Iudæos in propria perſona, deinde Gentiles per Apoſtolos ſuos. In poſteriore & commodiore ſenſu (numquam enim ſe conſueuit Chriſtus ſeruum appellare) ſunt Apoſtoli & quicumque prædicatores, primò ad Iudæos, deinde ad Gentiles miſſi, qui propter vnionem cordium & concordiam fidei vnus ſeruus non incongruè appellantur.

E. IV. Quænam hora cœnæ.

Q. Quartò. Quænam horâ Cœnæ? Reſp. Eſſe tempus aduentus Chriſti ſeu legis gratiæ, durans vſque ad finem mundi, poſt quem incipiet cœna illa, vt dixi, vniuerſalis, omnium electorum quoad animam & corpus. De hoc enim toto tempore ait S. Ioannes. 1. Ioan. 2. *Filioli, nouiſſima hora eſt.* Vel ſi de partiali cœnâ, quæ animæ tantùm & ſingulorum beatitudinem inuoluit, loqui velimus, eſt idem tempus gratiæ vſque ad id tempus, quo anima cuiuſque electi in conſpectum Dei admittitur. Ante Chriſti aduentum nondum erat hora cœnæ, tum quia cœnaculum cœleſte nondum erat reſeratum: tum quia nondum erant omnia parata, merita videlicet paſſionis Chriſti, quibus emi & parari cœna illa debuit. Primus ad hanc cœnam aſſedit Chriſtus, velut illius auctor; ſecum deinde aſſidere fecit Patres è limbo ereptos, poſteaque fideles alios, quotquot in gratiâ moriuntur.

F. V. Quinam inuitati.

Q. Quintò, Quinam inuitati? & cur venire noluerunt? Reſp. inuitatos eſſe Iudæos, qui præ cæteris & ante Ethnicos vocati ſunt maximè à tempore Abrahæ, tot beneficijs, fauoribus, plagis, miraculis, illuſtrationibus, prophetijs, quot nulli alij populi. Et hi tamen omnes, hoc eſt, plerique (maximè qui tempore legis gratiæ viuebant) ſeſe ſubduxerunt propter fluxa & temporalia bona, quæ quidem poſſeſſa non faciunt peccatorem, niſi accedente illicitâ cupiditate: facilè tamen ad peccatum trahunt & à Deo abſtrahunt, quod in præſenti parabolâ factum. Villam emere, boues probare & vxorem ducere, peccata non ſunt, ſed illa regno Cœlorum præponere, ſtultitia & peccatum eſt.

Cur venire 6. ductum.

Noluerunt igitur venire, primus quia villam emit: ſecundus, quia boum iuga quinque emit: tertius, quia vxorem duxit. Quæ ad literam ſignificant, inordinatum amorem rerum temporalium, impedimentum eſſe ſalutis. Primus denotat eos, qui honoribus & dignitatibus, ſiue potentiæ & dominatui inhiant atque inhærent, adeoque toti ſunt in emendis villis, propaganda ditione ſuâ, cumulandis honorum titulis. v.g. vt vocentur & ſcribantur Comites in N. Barones in N. Domini in his vel illis pagis, arcibus &c. Vel ſignificat eos, qui villam, id eſt, mundum ſectantur & colunt, eique placere ſtudent. Et hi rogant ſe excuſari ſi diuina negligant, ſi ieiunia violent, iurent, execrentur, pergræcentur, numquam orent &c. quia aulici, nobiles, officiales ſunt, Principibus obligati, ſæculo non religioni adſcripti. Hinc iſte ait: *Neceſſe habeo exire*; quaſi dicat: non poſſum Deo ſeruire & mundo. Secundus eos, qui lucra & vtilitatem, quæ notatur in agricultura & exercitio boum, conſectantur. Vel iuxta expoſitionem D. Auguſtini & D. Gregorij, qui ſenſibus ac ſenſibilibus bonis inhærent, adeoque quinque ſenſibus quaſi totidem bobus terram verſant: ratione verò & fide ad ſuperna bona non ducuntur. Iuga enim ſenſus ſunt ſeu paria, quia duo cuiuſlibet ſenſûs inſtrumenta: duo oculi; duæ aures: geminæ nares: lingua & palatum organa guſtatûs: tactus foris & intus. Tertius eos, qui voluptatem & delectationem, quæ ex nuptijs capitur, quærunt & ſectantur. Item qui matrimonio abutuntur, velut equus & mulus. Et quia voluptas carnis præ cæteris longiùs & violentiùs à Deo abducit: idcircò iſte voluptarius omnium impudentiſſimè reſpondet: *Vxorem duxi & ideo non poſſum venire.* Cæterùm matrimonium nequaquam cauſa eſt excuſans à ſeruitio diuino; primi enim Chriſtiani in coniugijs ſuis ſanctiſſimè vixerunt, ita vt quotidie ad S. Synaxin ſumendam eſſent diſpoſiti, eamque diebus ſaltem Dominicis perciperent. Vitio tantum coniugum fit ſtatus hic tam difficilis & periculoſus.

G. VI. Quando reuerſus ſeruus nuntiauit hæc Domino ſuo.

Q. Sextò. Quando reuerſus ſeruus nuntiauit hæc Domino ſuo? Reſp. in priore ſenſu Chriſtum id feciſſe, quando aſcendens in cœlum oſtendit patri plagas quinque à Iudæis ſibi inflictas. Tametſi enim vulnera illa miſericordiam potiùs clamant atque implorant, quàm vindictam: rebelles tamen ac refractarios neceſſariò accuſant, quo modo angeli illi Babylonem, Ierem. 51. *Curauimus Babylonem & non eſt ſanata.* Quemadmodum enim vulnera hominis per iniuriam occiſi produnt & accuſant homicidam, dum ad eius præſentiam recentem ſanguinem ſtillant, quaſi dicant, ecce iſte eſt qui ſanguinem iſtum effudit & vulnera hæc fecit; ſicque Magiſtratum ad plectendum reum acriter ſtimulant; ita vulnera Chriſti Domini accuſant impios Iudæos (imò & peccatores alios) qui ea quidem fecerunt nec tamen pœni-

Digitized by Google

[illegible]oenituerunt, & medelam ab ijſdem profluentem acceptare noluerunt; indeque cœleſtem Patrem ad iracundiam prouocant, vti patrem hunc familias relatio ſeruorum. In poſteriore ſenſu ſunt Apoſtoli & quicunque animarum paſtores, qui cùm fruſtra laborarint in conuerſione animarum, Deo id conqueruntur in oratione, dolentes de tantâ duritie & cœcitate peccatorum. Quæ profectò paſtorum oratio plurimùm etiam Deum mouet excitatque ad perdendos rebelles; præſertim ſi & illi monſtrare queant plagas, quas acceperunt ab immorigeris, quibus prædicârunt. Iraſcitur enim Deus, quòd non tam ſerui, quàm ipſe ſpretus ſit.

II. VII. Qui ſunt pauperes, debiles, cœci, claudi.

Q. SEPTIMÒ, Qui ſunt pauperes, debiles, cœci & claudi è plateis & vicis ciuitatis vocati? Reſp. 1. Primò eſſe gentiles in plateis & vicis terræ oberrantes, ad quos miſſi ſunt Apoſtoli. Atque hi pauperes erant, quia deſtituti lege, prophetis, ſacramentis, bonis operibus, ſpe gloriæ, ideo debiles, quia deſtituti gratiâ, ſolis naturæ corruptæ viribus inſiſtentes. Cœci, quia Dei veri cognitione aliarumque rerum ad ſalutem ſpectantium, vti immortalitatis animæ, reſurrectionis corporis, laqueorum & illuſionum diabolicarum deſtituti. Claudi, quia multi eorum perſpiciebant quidem veritatem, virtutis pulchritudinem, vitiorum turpitudinem, Deorum & Idolorum vanitatem & impoſturam, altero tamen pede claudi non viuebant ſecundum ſcientiam ſuam, nec auſi ſunt improbare, quæ alij pene omnes probabant.

2. Secundò deſignant eos, qui ad receptionem Euangelij, adeoque ad capeſſendam ſalutem magis habiles & idonei ſunt, vti exponit Bellarm. loco ſupra c. *Quia enim diuites occupati in villis & bobus emendis, & in vxoribus ducendis, ad cœnam magni Patris familias ire recuſarunt, aduocat pauperes, qui neque pecunias habent ad villas & boues emendos, nec facilè vxores inueniunt, cùm non habeant vnde illas alant. Aduocat debiles, qui nec ad villam proficiſci, nec boues exercendo probare, neque vxores ducere poſſunt. Aduocat cæcos, qui nec villam videre neque boues dirigere, nec facilè vxorem inuenire queunt. Aduocat claudos, qui ad villam pergere, & boues exercere, & in nuptijs tripudiare non niſi difficillimè queunt. Iſti igitur tanquam liberi ab impedimentis omnibus, quibus priores tenebantur, ad cœnam magnam admiſſi, meritò ſibi ipſi gratulari poſſunt, quòd eos Deus, pauperes, debiles, cæcos & claudos eſſe voluerit. Multi queruntur in hac vita, quòd nati ſint pauperes, vel ſæpiùs ægrotent, atque capti oculis, vel pedibus impediti infelicißimi eſſe videantur; & neſciunt quid boni præparet illis Deus in ſæculo futuro, ob hanc ipſam quam homines vocant infelicitatem: quod ſi ſcirent gauderent vtique & exultarent.*

3. Tertiò, Secundum eundem Bellarminum ibidem, *pauperes intelliguntur, qui ſunt pauperes ſpiritu, non opibus; & debiles non viribus, ſed fiducia in ſeipſis; & cæci non oculis, ſed aſtutiâ; & claudi non pedibus, ſed affectibus. Dicam hoc planiùs, pauperes qui ad cœnam Domini admittuntur illi ſunt, qui Apoſtolum audientes non volunt diuites fieri; & ſi pecunias habent, non habent ad coaceruandas vel in vanitatibus conſumendas, ſed ad faciendum quod Spiritus S. dicit per os Dauid: Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Et debiles intelliguntur illi, qui non confidunt in virtute ſua, nec in viribus ſuis gloriantur. Cæci verò ſunt illi, qui verè credunt quod non vident, præſertim de præmijs iuſtorum, & ſupplicijs impiorum. Qui enim certò ſibi perſuadent, præmia iuſtorum, verè eſſe maxima & ſempiterna, & pœnas ſimiliter iniquorum acerbiſſimas, & nullum vnquam finem habituras; profectò non manent terrâ affixi nec magni faciunt ea quæ ſunt infra lunam, ſed ibi eorum fixa ſunt corda, vbi verà ſunt gaudia. Denique bene ac feliciter claudi illi ſunt, & ad cœnam Domini meritò aſpirare poſſunt, quorum pes dexter multò longior eſt ſiniſtro, id eſt, affectus in Deum, & in bona ſempiterna, longè maior eſt pede ſiniſtro, id eſt, amore in carnem ſuam, & in bona terrena ac temporalia.*

I. VIII. Quinam venire compulſi.

Q. OCTAVÒ, Quinam poſtremi è vijs & ſepibus vocati atque intrare compulſi? Reſp. 1. Primò eſſe gentiles longè à Iudæâ diſſitos & in vltimis terræ angulis hærentes: qui ferè poſtremis temporibus conuerſi primùm ſunt, vti Septemtrionales populi, ad Oceanum Germanicum præſertim ſiti: & ſæculo elapſo, qui in Indiâ, China, Iaponia, & in nouo orbe ſeu Americâ degunt. Degebant hi in vijs publicis & ſepibus, quia populi erant maximè barbari à cultorum hominum conſuetudine remoti, omnique culturâ deſtituti, quaſi feræ in agris & ſyluis degentes.

Secundò, Ex mente S. Auguſtini *epiſt.* 50. *tom.* 2. & *ſer.* 53. *de verb. Dom.* ſignificant hæreticos, qui ferè poſt gentilium conuerſionem exorti ſunt & ſepes ſeu diuiſiones quæſierunt ac ſchiſmata. Atque hos cogendos monet parabola: quod fit Primò præclaris virtutum exemplis. Verba enim vocant: exempla ſuauiter cogunt. Secundò terroris incuſſione, comminatione iudicij & gehennæ. Tertiò Eccleſiæ cenſuris & gladio Imperatoris, quando præſertim infeſtant Catholicos & turbant Eccleſiæ pacem. *Mala enim, quæ nos in hoc mundo premunt, ad Deum ire compellunt*, inquit D. Gregorius *hom.* 36. *in Euang.* Ea verò compulſio intelligenda, quæ vim libero arbitrio non inferat; ſed quæ ſeriò, ardenter & inſtanter hominem excitet ac promoueat, vt tandem liberè aſſentiatur. *Foris inueniatur neceſſitas, naſcatur intus voluntas*, inquit S. Auguſt. *ſerm.* 53. cit. 2.

Porrò qui huic triplici vocationi obedire renuunt, audient aliquando terribilem parabolæ concluſionem: *Dico autem vobis quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Tunc *conuertentur ad veſperam.* (finito ſcilicet præſentis vitæ die, vel in agone) *& famem patientur vt canes & circuibunt ciuitatem.* Pſal. 58. Ciuitatem, inquam, Dei, ſi fortè micas illius cœnæ obtinere poſſint, clamantes cum fatuis virginibus, *Domine, Domine aperi nobis*; ſed fruſtra; *non guſtabunt cœnam*, non

micam, non guttam conſolationis inde obtinebunt. Et quid erit excludi à cœleſti conuiuio? & quid pati famem æternam? Itaque conuertamur nunc dum dies eſt, ne aliquando serò nimis cum canibus circumire debeamus ciuitatem; ſed per patentem portam ingrediamur admiſſi ad cœnam Domini, quâ æternùm ſatiemur.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Luc. 15.

IN illo tempore: Erant appropinquantes ad IESVM publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos, parabolam iſtam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: & ſi perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros ſuos, gaudens. Et veniens domum conuocat amicos & vicinos dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentiâ. Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & euerrit domum; & quærit diligenter donec inueniat eam? Et cùm inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni darchmam, quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis DEI ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

CONCIONES.

I. *Quare Chriſtus tanto labore quæſierit ouem perditam, hominem videlicet.*
II. *Vis & efficacia pœnitentiæ.*
III. *Murmurationes diſſuadentur.*
IV. *Quàm deteſtandi ſint detractores.*
V. *Quid faciendum inter detrahentes.*
VI. *Remedia contra detractionem actiuam & paſſiuam.*
VII. *Efficacia & natura verbi* DEI *varijs ſimilitudinibus exponitur.*
VIII. *Multiplex lucerna accenſa à* DEO *noſtris hæreticis.*
IX. *Documenta ex Euangelio.*
X. *Myſteria.*

CONCIO I.

Quare Chriſtus tanto labore quæſierit ouem perditam, hominem videlicet.

Triplici ex parte ad hoc videtur motus Chriſtus.
1 *Ex parte Dei mouit eum voluntas Patris & gloria Dei.*
2. *Ex parte ipſius Chriſti, bonus creatura eius & vinculum amoris quo ſibi obligatum erat hominem.*
3. *Ex parte noſtra, infirmitas & periculum damnationis.*

THEMA.

Nónne dimittis 99. in deſerto, & vadis ad illam quæ perierat donec inuenias eam? Luc. 15.

QVanquam cum Phariſæis murmurare non debemus, quòd Chriſtus peccatores recipiat & quærat: dubitare tamen poſſumus, quamobrem iſtud faciat. Tametſi enim verum eſt, quod ait in hodierno Euangelio Dominus: *Qui habet centum oues, ſi perdiderit vnam, relinquit 99. & quærit eam* quam amiſit: hoc tamen idcirò fit, quia Dominus ouium vtilitatem ex illis quærit; lanâ earum & lacte indiget. Hæc ſi ab illis non ſperarentur, nemo eas requireret. Iam verò DEI filius, quando è deſerto gloriæ ſuæ deſcendit in hunc mundum vt quæreret ouem perdi- A.

Digitized by Google

perditam, genus ſcilicet humanum, nulla o-ulum vtilitate ductus ad hoc videtur. Quis enim dare aliquid Deo poſſit? *Quis prior dedit illi*, inquit Apoſtolus, *& retribuetur ei.* Rurſum: *Quid prodeſt Deo*, inquit Eliphaz, Iob 22. *ſi iuſtus fueris?* Denique Deus vocatur *Sabadai*, id eſt, ſufficiens, quia ſolus ſibi ſufficit, nec vllo alio indiget. Quid igitur cauſæ fuit, cur tantâ ſollicitudine, labore & induſtriâ, ipſiſque adeò mortis doloribus requireret ouem illam, à quâ nihil ſperabat, nec ſperare aliquid poterat? ſex potiſſimum cauſæ mouiſſe Chriſtum videntur, duæ ex parte Dei, duæ ex parte ſui, duæ ex parte noſtri.

B.
1. Ex parte Dei mouit eum.
1. *Voluntas Patris.*

PRIMÒ, Ex parte Dei mouit Chriſtum Primò, Voluntas Patris, ſicut teſtatur ipſe. *Ioan. 6. Quia deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. Hæc eſt autem voluntas eius, qui miſit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Similiter Apoſt. 1. *ad Timoth.* 2. ait Deum velle omnes homines ſaluos fieri; voluntate ſcilicet antecedente & incompletâ, quæ antecedit præuiſionem bonorum vel malorum operum hominis, non autem conſequente, quæ noſtram cooperationem vel ſub conditione vel abſolutè præuiſam ſupponit. Hanc ergò voluntatem patris ſui totis viribus adimplere ſtuduit Chriſtus, & adimpleuit exactiſſimè: ideò tantis conatibus animas quæſiuit. Quemadmodum enim Eliezer Abrahæ procurator, miſſus ad quærendam filio ſponſam, noluit comedere, donec loqueretur ſermones ſuos & procuraret ſponſam Iſaaco, *Gen.* 24. ita etiam Chriſtus Dominus miſſus ad accipiendam ſponſam (non alteri, ſed ſibi) cùm inueniſſet vnam, Samaritanam ſcilicet ad puteum, famis ſuæ oblitus, noluit comedere; dicebat enim diſcipulis panem offerentibus: *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius*, Ioann. 4. Quod verò ad Eccleſiam totam ſpectat, noluit aſſumere dotes corporis glorioſi, niſi poſt acquiſitam ſibi ſanguine ſuo ſponſam.

2. *Gloria Dei.*

Secundò, Gloria Dei, quam Chriſtus omni modo promouere ſtuduit. Maior autem gloria in Deum redundatura erat ex oue reductâ quàm neglectâ. Primò, quia maius quiddam & mirabilius eſt, reo parcere & gratiam impertiri, quàm pœnas debitas irrogare: ſicuti plus admirationis habet, quòd Leo parcat proſtratis, quàm quòd Vrſus ſæuiat in eoſdem. Secundò, Quia gratior eſt gloria, quam capit Deus ex hominum ſalute, eâ quam capit ex eorumdem perditione. Tum quia beati verbo & facto Deum laudant, damnati verò facto tantùm, dum ſcilicet pœnas contempti Dei luunt; tum quia illi voluntariè & cum delectatione, hi verò inuiti & coacti, (quis autem non præferat laudem, ſponte, quàm coactè datam?) tum denique quia damnati ipſi damnationis ſuæ cauſa primaria ſunt: beatitudinis verò bonorum cauſa primaria eſt Deus.

C.

SECVNDÒ, Ex parte ipſius Chriſti, mouit eum Primò homo, quia non ſolùm patris, ſed ipſius etiam factura eſt. *Vocabis me*, ait Iob c. 14. *& ego reſpondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram.* Arbuſta, quæ Dominus manu ſua plantauit, animalia, quæ quis operâ ſuâ educauit: picturam aut ſtructuram, quam quis magno ſtudio & ingenio fecit, magnâ curâ fouet, nec libenter perdit. At verò Dei filius hominem manu ſua fecit & maximo artificio: adhæc multâ curâ & paternâ prouidentiâ educauit & ſeruauit. Quis perdita ipſius propria erat; idcircò noluit eam deſerere, quod tamen fecit mercenarius, cuius non ſunt oues propriæ. Cùm pepercisset Deus Niniuitis, doluit hac de re Ionas. Sed erudiuit eum Deus, excitando ſuper eum hederam, ſub cuius vmbrâ quieſceret. Areſcente porrò hederâ, doluit & triſtatus eſt Ionas. Tum Deus: *Tu doles ſuper hederam, in quâ non laboraſti, neque feciſti vt creſceret, quæ ſub vnâ nocte nata eſt & ſub vnâ nocte perijt. Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in quâ ſunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram?* Vult dicere: tu non feciſti hederam, nec labore tuo fouiſti: & doles eius interitum; Eccur ego velim perire tot animas, quas manu meâ feci, & tot beneficijs enutriui & exultaui: & pro quibus adhuc plurimùm laboraturus ſum & moriturus? Hedera ſub vnâ nocte creuit; homines ego per multos annos ad perfectam ætatem prouexi: multis etiam annis ad virtutem erudiui, vel adhuc eruditurus ſum. Hedera illa, inanis frutex fuit: homo, creatura eſt, propter quam feci omnes alias. Hedera illa Ionæ exiguam vmbræ voluptatem fecit: homo verò ſeruatus magnam mihi gloriam & beatis in cœlo gaudium parit.

II. Ex parte Chriſti.
1. *Homo creatura eius.*

2. *Vinculum amoris.*

Secundò vinculum, quò ſibi obligaturus erat hominem. Ouem illam perditam, donauit ei pater, ita vt eam laboribus ſuis compararet, errantem reduceret & ſauciam ſanaret; quod indicat Chriſtus loco citato: *Vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Et Dauid Pſ. 2. *poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Dedit ergò Deus Pater filio genus humanum, veluti pecuniam perditam, vt eam recuperaret & faceret ſuam; quam ob cauſam vocatur drachma perdita. Dedit tanquam Æthiopiſſam ſponſam, nigram & deformem, vt eam mundaret & faceret ſibi acceptabilem. Dedit velut ægrum innumeris morbis & vulneribus affectum, vt oſtenderet in eo artem & induſtriam ſuam; hoc enim ſi faceret, fore pecuniam illam ſuam; fore vt à ſponſa ſua intimè ametur; fore vt ab ægro ſummis laudibus extollatur in omnem æternitatem. Sciens ergò Chriſtus, quod ſibi comparaturus eſſet peculium tam charum: acquiſiturus ſponſam ſui tam amantem; deuincturus ſibi ægrum: magno & alacri animo *dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum*, ait Apoſt. ad Tit. Nihil laborum detrectauit, nullam non induſtriam adhibuit, nec ipſam mortem fugit:

fugit: hinc datum & donatum illi eſt totum genus humanum, vt ſit Dominus & Iudex omnium: data illi in matrimonium Eccleſia: adhæc obtinuit ſibi laudem & gloriam æternam apud omnes Sanctos, quorum vulnera ſanauit, ita vt in omnem æternitatem ei accinant canticum illud: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem & ſapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem & omnem creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram & ſub terrâ, & quæ ſunt in mari,* &c. Apocal. 5. Et hoc eſt illud gaudium, quod excitauit in cœlo Chriſtus inter omnes cœlites, de quo in hodierno Euangelio.

D. III. *Ex parte noſtra.* 1. *Infirmitas noſtra.*

Tertiò, Ex parte noſtra. Primò, mouit illum infirmitas noſtra, quia nouit homines plerumque ex paſſione & ignorantiâ delinquere, quo modo etiam facilè ſolent errare oues. Vnde *Iſa.* 53. dicitur: *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit.* Stultiſſimæ ſunt oues: inprimis enim paſcua ſequentes, facillimè exerrant ſi paſtore careant: deinde vnâ earum præſiliente in aquas vel præcipitium, cæteræ mox ſequuntur; rurſum à lupo agitatæ neſciunt fugere, neſciunt etiam ſolæ regredi ad caulam; denique ſequuntur paſtorem ſuum etiam ad macellum. Simili modo homines, ſi inſpectore & rectore careant, facillimè delinquunt: deinde aliorum exemplo citò ſeducuntur: neſciunt redire in domum ſuam cœleſtem, nec redire ad viam ſalutis, cùm ab eâ aberrarunt, niſi reducantur: neſciunt fugere lupum tartareum ſed vltrò ſæpe in eius dentes incurrunt & ſequuntur ſuum carnificem ad inferos: Quid enim promittit ſeruis ſuis dæmon niſi mortem & lanienam ſempiternam? Audi Pſal. 48. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos.* Et tamen eum ſequuntur. Noluit ergò Chriſtus rem tam indignam & miſerandam pati, vt lupus & tyrannus iſte tam iniquè graſſaretur in ouiculas imprudentes & imbelles; ſed quemadmodum Dauid paſcens oues patris ſui, cùm vidit à leone vel vrſo rapi vnam de ouibus ſuis, perſequebatur eos & percutiebat ac ſuffocabat eos, eruebatque ouem ex ore eorum, 1. *Reg.* 17. ita fecit Chriſtus cùm vidit animam aliquam peruerti à ſeductoribus. Sic eruit in hodierno Euangelio peccatores ad ſe appropinquantes partim ex ore diaboli, partim ex ore obtrectatorum. Sic alibi Magdalenam, adulteram, Matthæum, Zachæum, & quoſcunque ſanauit, alioſque. Rurſum vniuerſim eruit genus humanum ex ore leonis & vrſi, quando eripuit à morte & inferno. Leo mortis typus eſt, quia non ſæuit in proſtratum: Vrſus verò gehennæ, quia ſæuit in iacentem, vti & infernus. Hinc per Prophetam dixit: *Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne.*

2. *Periculū noſtra damnationis.*

Secundò, Periculum damnationis noſtræ; vidit enim ſtatum, in quo ouis illa verſabatur, & imminens ei exitium. Vidit leonem infernalem ei inſidiantem, vidit eius dentes, vidit truculentiam: vidit ignem illum, vidit eius ardorem, vidit æternitatem. Quòd ſi nos, qui ſumus mali & duri corde, non poſſumus aſpicere luctantem cum vndis hominem, quin in aquas inſiliamus, & cum periculo etiam noſtro, periclitanti ſuccurramus; nec ſiccis intueri oculis homines incendio conflagrantes: multò magis credendum eſt motum Dei filium, vt de cœlo ad nos excurreret & veniret opitulatum nobis, qui ad inferos abripiebamur, æternis exurendi flammis. Maximum illud incendium eſſe iudicamus, ad quod extinguendum homines accurrunt & aduehunt inſtrumenta per ſex & plura milliaria. Sed ecce tibi Dei filium de cœlo accurrentem, vt incendium nobis paratum extingueret; proh quantus ille ignis erit? Huius rei typum exhibet hiſtoria de reſuſcitato viduæ filio. Cùm enim videret Dominus adoleſcentem illum efferri ad ſepulchrum, miſericordiâ motus, tetigit loculum, fecitque ſtare baiulos, quoad reſuſcitatum filium redderet matri ſuæ. Vidit Dei filius hominem efferri ad ſepulchrum inferni ab eorum ſceleribus; itaque miſericordiâ motus fecit ſtare baiulos, fecit ceſſare ſcelera, ſicque reſuſcitatum hominem reddidit patri ſuo.

Quando intellexit Ionathas, quòd definitum eſſet à Patre ſuo vt interficeretur Dauid, contriſtatus vehementer omnem mouit lapidem, vt hoc Dauidi indicaret, ſicque eum è patris ſui manibus liberaret, quia diligebat eum, 1. *Reg.* 20. Eundem in modum, quia intellexit Dei filius definitum fuiſſe à Patre vt omnes peccatores æternâ plecterentur morte: idcircò noſtri miſertus animum adiecit vt nos liberaret ab irâ patris in nos decretâ. Hinc ait per Ierem. cap. 31. *Dilexi te, ideò attraxi te miſerans.*

Cæterùm ſi hæ cauſæ ſunt, quæ mouerunt Chriſtum Dominum, vt quæreret nos perditos, eædem nos & multò magis mouere debent, vt quærenti occurramus; ſiquidem hæ cauſæ æquè vel magis vrgent ex parte noſtra. Nam primò, ſi Deus nos vult ſaluos fieri, multò magis debemus velle nos. Secundò, ſi in gloriam Dei cedit ſalus noſtra potiùs, quàm damnatio, vtique cedit etiam ad gloriam noſtram. Tertiò, ſi nos Chriſtus quærit, quia nos ipſe fecit; hoc ipſo nos ad Chriſtum accurrere debemus, quia ipſius figmentum ſumus. Quartò, ſi gaudium capit è noſtrâ reductione Chriſtus, multò magis nos, qui reducti ſumus. Quintò, ſi ſtultæ oues ſumus, cur non ſequimur ductorem? Denique, ſi in periculo damnationis verſamur, cur non fugimus à gehenna? Dicamus ergò cum Dauide, *Errauí ſicut ouis quæ periit: quære ſeruum tuum.*

CON-

CONCIO II.

Vis & efficacia pœnitentiæ.

Oſtenditur hæc ex parabola de filio prodigo.
1. *Quia delet peccata.*
2. *Reſtituit homini primam gratiam.*
3. *Reſtituit opera mortificata.*
4. *Conſcientiam parit tranquillam.*
5. *Reſtituit famam per peccatum ablatam.*
6. *Mutat Dei decretum.*
7. *Mutat hominem in virum alterum.*
8. *Proximum ædificat.*
9. *Cœlo infert vim.*

THEMA.

Erant appropinquantes ei Publicani & peccatores. Luc. 15.

A. FÆlices publicani, fœlices peccatores, qui Chriſto appropinquant. Merentur enim hoc pacto: vti etiam ipſis Chriſtus appropinquet, quemadmodum teſtatur S. Iacobus c. 4. cùm ait: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Sed quâ ratione, dicet aliquis, appropinquare Deo poſſumus? ſubdit hoc immediatè Iacobus: *Emundate manus peccatores,* inquit, *& purificate corda, duplices animo. Miſeri eſtote* (Græcè *affligite vos*) *& lugete & plorate: riſus veſter in luctum conuertatur & gaudium in mœrorem.* Quod quid aliud eſt, quàm ſi dixiſſet: Pœnitentiam agite, & excutite peccata è manibus & cordibus veſtris? Hac ratione acceſſit ad Chriſtum Magdalena: & proculdubio etiam publicani & peccatores, de quibus in hodierno Euangelio. Nos ergò horum exemplo vt Chriſto appropinquemus per pœnitentiam, videamus quanta pœnitentiæ ſit vis & efficacia.

B. Efficacia pœnitentiæ. Quantæ efficaciæ ſit pœnitentia, diſcimus ex parabolâ de filio prodigo, quam duabus illis de paſtore & muliere mox ſubiecit Dominus. Ait enim filium illum in ſe & ad patrem denique reuerſum, oſculo paterno exceptum eſſe, quod indicat peccatorem per pœnitentiam Deo reconciliari, dimiſſis omnibus peccatis. Ait filium ſtolâ primâ indutum: & hæc eſt prima gratia iuſtificans & exornans animam peccatoris. Ait annulum in manu eius datum: & hîc indicat principium actionum bonarum, quibus cœlum promereri iuſtificatus poteſt, nec non reſuſcitationem meritorum priùs mortificatorum per peccatum. Ait conuiuium ei inſtructum fuiſſe; & hoc indicauit pacem & tranquillitatem conſcientiæ, quia *ſecura mens quaſi iuge conuiuium.* Prouerb. 15. Ait calceamenta pedibus eius inducta: & hæc notant famam bonam. Calceati enim liberi & ingenui, nudipedes olim ſerui erant. Ait patrem cecidiſſe ſuper collum eius: & hoc ſignificat Deum mutare decretum ſuum in iuſtificato. Ait occiſum illi eſſe vitulum; quia per pœnitentiâ occiditur quodammodò peccator, & gignitur inde iuſtus. Ait inſtitutam illi fuiſſe ſymphoniam, quia pœnitens recreat & ædificat etiam proximos.

C. I. Peccata delet. PRIMÒ ergo peccata delet & diſſoluit, iuxta verbum Chriſti: *Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Eſtque tantæ efficacitatis, vt peccata prorſus extinguat nec ea reuiuiſcere vel redire ſinat, etiam ſi quis rurſum ea perpetret; (tametſi grauiùs peccat.) *Dona enim Dei ſine pœnitentiâ ſunt,* inquit Apoſtolus *ad Rom.* 11. Vnde *Mich.* 7. dicitur: *Proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Lapis in profundum maris iactus, non emergit ampliùs: ita nec peccata ſemel in Chriſti ſanguine merſa, per pœnitentiam. Et quemadmodum Moyſes populo Iſraël dixit de Pharaonis exercitu iamiam mergendo in mari rubro: *Ægyptios quos nunc videtis, nequaquam vltrà videbitis vſque in ſempiternum;* Exod. 14. quia ſcilicet omnes ſuffocandi erant: ita etiam peccata in ſanguine Chriſti penitus ſuffocantur, vt nunquam redeant ampliùs. Quin etiam è memoriâ Dei deleri ea per pœnitentiam aſſerit ipſe per Ezechielem c. 18. *Si impius egerit pœnitentiam,* inquit, *omnium iniquitatum eius non recordabor ampliùs;* quaſi infenſus videlicet & hoſtis. In cuius rei confirmationem non legimus Chriſtum poſt reſurrectionem ſuam obieciſſe Petro, quòd ab eo negatus; nec Apoſtolis, quòd ab eis derelictus eſſet; ſed hæc illorum peccata, vtpote per pœnitentiam iam deleta, altiſſimo ſilentio ſepeliuit, quia, vt ait Euthymius eâ de re Matthæi 28. in fine; *non meminit Dominus malorum, eorum qui reſipiſcunt.* Denique non vnum tantum aut alterum, ſed omnia ſimul peccata delet pœnitentia. Et quemadmodum omnes Ægyptij ſubmerſi fuerunt, ita vt *nec vnus quidem ſuperfuerit ex eis.* Ita omnia peccata lethalia delentur per pœnitentiam, nec ſolùm ea, quæ quis confitetur, ſed etiam ea, quæ vel ex ignorantiâ, vel obliuione aliâve causâ inculpabili omittit. Dei enim dona & iudicia perfecta ſunt & integra.

D. II. Reſtituit primam gratiam. SECVNDÒ, Reſtituit homini primam gratiam & vitâ animæ ſpiritualem, priſtinamque ſanitatem & pulchritudinem, dona ac virtutes ſupernaturales in baptiſmo acceptas. Vt enim in Iordane lauanti Naamani omnis lepra abſterſa eſt, & caro eius reſtituta, *ſicut caro pueri paruuli* (4. Reg. 5.) ita pœnitenti reſtituitur anima eâ puritate, quæ ſimilis vel æquiualens ſit innocentiæ, ſcimus Magdalenã poſt pœnitentiam præ cæteris à Chriſto dilectam, Petrum ad ſummam Eccleſiæ dignitatem euectũ eſſe, & plus alijs Chriſtum dilexiſſe, adeoque multò plus pœnitendo acquiſiuiſſe, quam peccando amiſerant. Narrat Palladius *in hiſt. Lauſiacâ* c. 40. Virginem quandam lapſam, poſt pœnitentiam; quâ per 30. annos mancipauit ſe obſequio ægrorum, plus Deo placuiſſe, quàm placuerit in Virginitate, ſanè Nabuchodonoſor poſt pœnitentiam de peccatis actam, ſibi reſtitutus eſt, & agnouit ac glorificauit Deum verum, quem priùs non agnouerat: & probabile eſt eum ita obiiſſe & ſaluatum eſſe.

Multi laborauerunt vt inuenirent lapidem Philoſophicum, cuius contactu omnia mutarentur in aurum: ſed nondum is lapis inuentus eſt. Pœnitentia talis eſt, per quam anima priùs mortua fit viua, horrida fit pulcherrima, opera eius moralia priùs ærea, poſtea fiunt aurea & meritoria vitæ æternæ, ita vt aquæ frigidæ potus porrectus ſitienti mercedem in cœlo habeat.

E. III. Reſtituit bona opera mortificata.

Tertiò, Reſtituit etiam bona opera per peccatum mortificata, eorumque merita, & iura ad coronas gloriæ priùs promeritas. Renouat enim ſpirituale coniugium Spiritûs S. cum animâ, ac proinde reſtituit animæ velut ſponſæ monilia, quæ priùs ei donauerat Deus. Nouit bene Pater noſter cœleſtis ſe deponere gratiæ ſuæ theſauros in vaſis fictilibus, quæ facillimè franguntur, foreque ſeruis ſuis magnam afflictionem, ſi omnis eorum labor præteritus, inanis foret: itaque vaſe per pœnitentiam reparato, illicò infundit eis rurſum theſaurum, priùs habitum. Hoc promiſit eis (ſenſu myſtico) per Ioëlem, c.2. cùm ait: *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus & rubigo & eruca.* Quis neſcit, quanta damna inferant locuſtæ, bruchi, rubigo & eruca frugibus & hortis? Sanè à locuſtis Ægyptiacis, *deuorata eſt herba terræ & quicquid pomorum in arboribus fuit, nihilq; omninò virens relictum eſt in lignis & herbis in cunctâ Ægypto.* Exod. 10. Eodem modo peccatum mortale in momento depaſcit animam, quantumuis omni virtutum ſplendore decoratam. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitiâ ſuâ,* inquit Deus Ezech 18. *& fecerit iniquitatem; omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* At verò pœnitentia reparat totum id, quod peccatum deuorauit.

F. IV. Conſcientiam parit tranquillam.

Qvartò, Conſcientiam parit tranquillam & ſerenam, omni conuiuio iucundiorem. Quemadmodum enim aër nubibus denſus & obſcuratus, poſtquam eas per imbrem exonerauit, ſerenatur: ita animus noſter peccatorum tenebris obductus, vbi per pœnitentiam ea abiecit & in aures Confeſſarij effudit, fit tranquillus, lætus & amœnus. Teſtatur hoc Iob c.11. dicens: *ſi iniquitatem quæ eſt in manu tuâ, abſtuleris à te & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia, tunc leuare poteris faciem tuam abſque maculâ* (hoc eſt, hilaris & ſerenus abſque confuſione apparebis coram Deo) *& eris ſtabilis & non timebis: miſeriæ quoque obliuiſceris & quaſi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis: & quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam, & cùm te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer.* Quibus omnibus deſcribit lætitiam hominis, qui per pœnitentiam expediuit ſe à peccatorum laqueis. Quando arca è captiuitate Philiſthæâ recepta & reducta fuit in Cariathiarim, *requieuit omnis domus Iſraël poſt Dominum*, 1. Reg. 7. hoc eſt, magnâ in quiete & tranquillitate vixit. Ita cùm quis ereptus de captiuitate dæmonis recuperauit Dei gratiam; quomodo non ſereno & pacato eſſe animo poteſt? ſanè vbi bonus latro audiit: *Hodie mecum eris in paradiſo*; huic verbo acquieuit, nec quidquam aliud petiit, non dolorum relaxationem, non mortis accelerationem, non vindictam in Iudæos. Et quis explicare queat, quanto cum animi gaudio, quantâ cum æquanimitate reliquum vitæ in cruce exegerit? quantum gaudiorum flumen obruerit cor eius, cùm audiit vocem illam Chriſti? Clodoueus Francorum Rex de graui peccato, quod confiteri erubuerat, à B. Eleutherio redargutus, profuſis lachrymis id faſſus, Eleutherium obſecrauit vt ſacrificium pro ſe offerret. Inter ſacra tota Eccleſiâ collucente adfuit Angelus qui preces exauditas & peccatum remiſſum nuntiauit: Vnde Rex Eccleſiam & Eleutherium multis affecit muneribus, lætuſque ad interiora regni ſe recepit: vt habetur in Archiuis & officio Eccleſiæ Cathedr. Tornacenſis. Hunc in modum is, qui priùs conſcientiam ſuam præ horrore peccatorum vix inſpicere potuit, poſteà abſolutus cum omni iucunditate deſcendit in receſſum cordis ſui.

G. V. Reſtituit exiſtimationem.

Qvintò, Reſtituit exiſtimationem & famam, quam peccata abſtulerant. Quemadmodum enim arbor ex aliquâ ſtipitis parte læſa, medelâ adhibitâ, iterum callum & corticem vulneri obducit, vt nihil læſionis appareat: ita pœnitentia ſeria & correctio morum corrigit priorem infamiam & reſtituit honorem lapſo. Patet in Dauide, Magdalena, Matthæo, Zachæo, Petro, Paulo, aliiſque, quorum pœnitentiam & ſanctitatem ſolummodò loquimur, non peccata, quæ vitâ poſteriore deleuerunt. In huius rei indicium nuditatem primorum parentum texit & correxit Deus tunicis pelliceis, poſtquam ipſi in ſignum pœnitentiæ tegere ſe ſtuduerunt folijs ficuum aſperis & carnem ſtimulantibus (quod ſentit Irenæus l. 3.c.37. eò quòd relictis alijs folijs, quæ minùs carnem vexare poterant, ficulnea elegerint) quaſi facto cilicio. Quare ſi peccator ſtudeat per pœnitentiam punire ſua ſcelera, aderit mox Deus, & veſtiet illum honore & bonâ exiſtimatione, vt ita inter homines rurſum apparere poſſit. Atque hæc ſunt calceamenta filij illius prodigi, quibus iam velut ſeruus, ſed vt liber & ingenuus ingreditur.

H. VI. Mutat Dei decretum.

Sextò, Mutat decretum Dei, teſte Ierem. c.18. dicentis in perſona Dei: *ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem, &c.* Patuit hoc in Niniuitis, qui cùm ad Ionæ prædicationem confugerent ad pœnitentiam & punirent ſemetipſos ieiunio, *miſertus eſt Deus ſuper malitiâ, quam locutus fuerat, vt faceret eis; & non fecit*, Ionæ 3. Hebr. *pœnituit eum ſuper malo, quod illis inferre decreuerat.* Ecce pœnitentiam Niniuitarum flagellum Deo extorſit, & decretum eius mutauit. Hinc Tertullianus lib. de pœnitentiâ, dixit: *In quantum non pepercerit tibi, in tantum, crede, Deus tibi parcet.* Quare pœnitentia rectè vocatur ciuitas refugij à S. Gregorio l. 10. *moral.* c. 5. ſiquidem peccator ad eam confugiens, à morte & vindictâ Dei immunis eſt.

Adhæc

Adhæc Deum ſibi rurſum beneuolum reddit, vti expertus eſt Henricus II. Angliæ Rex, qui necis S. Thomæ Cantuarienſis reus, cùm publicam egiſſet pœnitentiam, plura inſperatò mox à Deo beneficia recepit. *In primis enim ſequente die* (poſt pœnitentiam nudis pedibus peractam) *cum Rex*, inquit Heribertus apud Baron. anno 1174. *maculatis ſic pedibus vt venerat, necdum refocillatus, audiret ante ſepulchrum Martyris Miſſam de Martyre, eâdem ipsâ horâ Rex Scotorum vehementiſſimus ipſius impugnator, fortuito quadam caſu ab exercitu ſuo parum deflexus, à militibus quibuſdũ paucis & mediæ manûs hominibus, qui inter paucos prædicto Regi Angliæ fauebant, interceptus eſt, & ſine pugnâ & plagâ captus. Deinde non longa mora, & ciſmarini & tranſmarini rebelles, in retiaculum quod Domino ſuo tetenderant, ceciderunt. Videnteſq; alij tam ſubitò cum eo manum Dei validam, ſiluerunt vniuerſi, & factum eſt in pace regnum eius; qui hæc tanta, eò plus miraculoſa; quò tam cita, cuncta adſcripſit Domino, & glorioſo Martyri Thomæ cui certiſſimè erant adſcribenda.*

I. VII. Mutat hominem in virum alterum. SEPTIMÒ, Mutat hominem in virum alterum, ex carnali in ſpiritualem, ex beſtiâ in hominem. Cuius rei typus & exemplum fuit Nabuchodonoſor, qui ob peccata ſua ab hominibus eiectus eſt, & in ſyluis inter beſtias degens reptabat, herbas comedebat & mugiebat; poſteà ſibi reſtitutus & in ſe rediens ac pœnitens, priſtinam etiam hominis ſpeciem & Regis dignitatem eſt conſecutus, *Dan.* 4. Ita pœnitentia vera & ſeria exuit hominem beſtialibus moribus, & induit humanis. Iſæus Sophiſta Aſſyrius cùm primam ætatem dicaſſet voluptatibus, ſimul vt ad virilem peruenit, veluti alius ſubitò factus miram induit morum ſeueritatem. Percontanti enim cuidam, num illa (fœminâ oſtendens) videretur ei formoſa? reſpondit ille: *Deſii laborare ab oculis.* Ab altero interrogatus, quis piſcis aut quæ auis eſſet ad veſcendum ſuauiſſima? reſpondit: *Iſta curare deſii.* Philoſtratus in Sophiſtis. Hunc in modum qui à peccatis verè reſipuit, reſpondet omnibus mundi illecebris: *Deſii hæc curare*, deſij hæc amare, &c.

K. VIII. Proximũ ædificat. OCTAVÒ, Proximum etiam ædificat. In lege veteri, quidquid tangebat carnes hoſtiæ pro peccato, ſanctificabatur, *Leuit.* 6. ad indicandum, *quia pœnitentium gemitus imitantem emundant*, inquit Radulphus. S. Macharius Theopemptum verecundantem confiteri ſua peccata, ei confitendo, ad confeſſionem impulit atque à blaſphemiæ tentatione & diabolo liberauit. Idem fecit S. Ignatius Loyola. Nam Pariſiis confitendo peccata iuuentutis ſuæ cuidam Sacerdoti impuro, magnâ contritione multiſque lachrymis, eum pariter ad lachrymas & confeſſionem impulit. De Mariâ Magdalenâ concionem inchoans S. Gregor. *hom.* 33. *in Euang.* ait: *Cogitanti mihi de Maria Magdalena pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere. Cuius enim vel ſaxeum pectus illæ huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant?*

Denique pœnitentia regno cœlorum vim infert, idque cum violentiâ rapit, quod etiam in lege veteri adumbratum eſt, dum ſemel quotannis in die expiationis, quo populus ſe ieiunio & pœnitentiâ macerabat, S. Pontifex ingrediebatur in ſancta ſanctorum, *ad Hebr.* 9. & *Leuit.* 16. Quâ re indicatum per pœnitentiam aperiri viam ad ingreſſum cœli. Quando ergò pœnitentia, Auditores, tam fortis aries eſt vt perfringere portas cœli, quantumuis obſeratas, queat, apprehendamus hunc arietem eoque effringamus cœlum. Grata eſt hæc vis Deo, nobiſque ſalutaris. L. IX. Cœlo infert vim.

CONCIO III.

Murmurationes diſſuadentur.

Probato quòd murmuratio tanquam muſca omnis penè generis hominum domos innolet, diſſuadetur.

1. *Illa quæ fit contra proximos ob reprehenſionem vel offenſionem ex phylautia, inuidia & odio.*
2. *Contra Magiſtratum, propter eorum promotionem, leges, exactiones &c.*
3. *Contra Deum, propter tempeſtates, clementiam, & iuſtitiam eius.*

THEMA.

Murmurabant Phariſæi & Scribæ. Luc. 15.

INter alias plagas, quibus Deus caſtigauit Ægyptum, non minima fuit plaga muſcarum, quæ vel *cœnomya*, id eſt, muſcæ communes ſeu omnis generis; vel, vt legit Origenes, Auguſtinus, Philo & communiter Græci Cod. *cynomya*, id eſt, muſcæ caninæ erant. Et ſiquidem *grauiſſimæ*, id eſt, moleſtiſſimæ erant, & peruaſerant domos Pharaonis & ſeruorum eius, omnemque terram Ægypti, corruptaque eſt terra ab huiuſmodi muſcis, vt habetur *Exod.* 8. Similiter inter alias vitiorum plagas, quas mundi Princeps diabolus immittit in hunc mundum, non minima eſt murmuratio, quæ, inſtar muſcæ muſſitantis & ſuſurrantis, homines infeſtat & canis inſtar allatrat: eaque non priuatas ſolùm proximorum ædes, ſed etiam Prælatorum & Magiſtratuum, Dei ſeruorum: imò ipſiuſmet cœleſtis Regis domum peruadit: omnibus obſtrepit, acriter pungit, omnes inquietat, & tam communis eſt omni pæne hominum generi, vt pæne dici queat, vniuerſam terram ab hac peſte, ſi nón corruptam, ſaltem infectam eſſe. Certè in hodierno Euangelio Scribæ, Phariſæi pleni & prægnantes erant eiuſmodi muſcarum, iiſque Chriſtum ipſum moleſtare non timuerunt, vti & alibi ſæpiùs quos dehortatur ab hoc vitio Dominus partim in hodierno Euangelio per parabolas: partim Ioan. 6. *Nolite murmurare inuicem.* Et Apoſtolus ad Philippenſes c. 2. *Omnia facite ſine murmurationibus.* Adeamus igitur Chriſtum, verum vtique Moſen, vt has muſcas à nobis auferre dignetur, noſque A. Murmuratio muſca canina.

noſque ab hoc vitio liberare. Sed videamus, quomodo ex omniũ ædibus expellendæ ſint.

B. I. Murmur contra proximos. 1. *Ex philautia.*

PRIMÒ. Penetrant hæ muſcæ domos priuatorum & proximorum. Ac primò murmurant aliqui ob reprehenſionem vel offenſionem ex philautiâ. Quotusquiſque enim eſt, qui vel leui verbo reprehenſus vel iniuriâ aliquâ affectus non ilicò remurmuret & viciſſim quærat, quod in reprehendentem vel offendentem regerat. Quàm multi canum inſtar, cum lapide alicuius correptionis impetuntur, ſtatim concitantur, & vel iacentem vel iactam in ſe reprehenſionem viciſſim morſibus appetunt? Imò plurimos inuenias ſimiles lacui Lucernenſi, qui cùm vel vnicus in eum lapis iniectus fuerit, ilicò fremere & intumeſcere, nec non exundatione ſuâ ſatis & aruis perniciem afferre incipit: quod teſtatur Ioachimus Vadianus & Petr.Hiſp.Sylu.p.2.c.8. Sic fecerunt Phariſæi, cùm à cœco nato partim docerentur, partim arguerentur: mox enim in conuitia prorumpebant dicentes: *In peccatis natus es totus & tu doces nos?* eiecerunt que eum foras, *Ioan.9.* ſimili modo excipit mundus correctiones & iniurias: ad vnum reprehenſionis lapidem ilicò fremit & exardeſcit contra iacientem.

Diſſuadetur.

Sed inprimis murmuratores iſti fatuos ſe oſtendunt & virtutibus vacuos: Fatuos quidem, quia ſi quis in eorum veſte oſtenderet eis ſordes aut maculam: haud dubiè non murmurarent, nec viciſſim quærerent in eius veſte maculam; ſed mox eluerent propriam; vitium verò ſibi obiectum adeoque etiam oſtenſum eſſe ægrè ferunt, nec eluere curant, ſed ſimili aſpergunt argumento. Vacuos verò virtutibus, maximè patientiâ, quia produnt ſuam impatientiam. Vt ergò dolium, quod pulſatum remurmurat, vacuum eſſe dignoſcitur: plenum verò, quod non reſonat: ſic in propoſito. Vnde S.Bernard. *in l. de modo bene viuendi ſer.47.* qui eſt de murmuratione, ait: *Hoſpitium cordis noſtri per gratiam Dei ſanctificatur & per inhabitationem Spiritus S. quando intus eſt charitas, pax, bonitas, humilitas, concordia, manſuetudo, & alia huiuſmodi: hæ ſunt noſtræ diuitiæ, ſcilicet boni mores & virtutes. Sed ſi incipimus inter nos litigare & murmurare, contendere, ſtatim ab his ſpiritualibus bonis vacui remanemus & nudi. Quare? quia virtutes non poſſunt manere cum vitijs. Nam & modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Hæc ille. Contrà verò de prudente & diſciplinato ait Eccleſiaſt.c.10. *Vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus.*

2. *Ex inuidia.*

Secundò, murmurant alij contra proximos ex inuidiâ, cùm vident illos ſibi æquiparari vel præferri creſcere, exaltari, diteſcere, lautè viuere, licet alioqui malos. Ad inſtar catellorum, quæ cùm vident aliquid cibi dari canibus alijs mox oblatrant quaſi indignè ferant, ſic murmurabant operarij illi quod paterfamilias parem dediſſet mercedem ijs, qui vnâ tantùm horâ laborauerant. Hinc ad compeſcẽdum murmur Phariſæorum in hod. Euang. ſubiungit Chriſtus tertiam parabolam, de filio prodigo: cuius frater cùm vidiſſet illum à patre tam humaniter eſſe receptum, mactatum ei vitulum, inſtitutum conuiuium, adhibitam ſymphoniam, indignatus noluit intrare in domum gaudij, vt cum patre & fratre lætaretur: ſed murmurando dicebat: *Ecce tot annis ſeruio tibi & nunquam mandatum tuum præteriui & nunquam dediſti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer: ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Ecce ſchema murmurantium de fortunâ proximi. Dicunt enim illi: Ecce hi tam peruerſi immiſericordes guloſi adeò augentur bonis tam repentè, epulantur & veſtiuntur ſplendidè, emunt fundos & prædia, qui priùs vix teruncium habebant: ego continuis meis laboribus victum tantùm quærens, opificio meo vacans, nemini ſum moleſtus & omnia facio, quæ debeo, nihil tamen eiuſmodi fortunæ experior: & vix hœdum, quem comedam habeo: cùm illi ſaginatis reficiantur vitulis. Sed quid reſpondit pater? *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & reuixit; perierat & inuentus eſt.* Hoc idem reſpondet nobis Deus, quod ſi bene expendamus, murmurare deſinemus. Quid ergò ait? *Fili, tu ſemper mecum es,* *Diſſuadetur.* ſcilicet in domo meâ ſemper meis ſumptibus vixiſti & nihil tibi defuit, licet non ita ſplendidè ſis tractatus. Quare tu qui murmuras, cogita Primò te à Deo in eius domo, mundo & Eccleſia vt filium ſuſtentatum & neceſſaria ſaltem habuiſſe, nunquam eguiſſe: illum verò, qui nunc abundat, fortè olim eguiſſe: compenſari ergò illi prioré egeſtatem. Deinde cogita omnia quæ Dei tui ſunt, tua eſſe, tibi promiſſa & parata. Prudens autem filius non attendit, quomodo à patre tractetur, dum ſub illo & in eius domo nutritur: ſed qualem ab eo hæreditatem ſperet; quantò enim tenuiùs ſuſtentatur & veſtitur, tantò ampliorem ſperat hæreditatem: cùm contrà ſi nimis ſplendidè ab eo haberetur, parum ſperare poſſet. Quare ſi à Deo durè hic tracteris: ſecurus eſto, quòd Deus reſeruet tibi hæreditatem in futurum. Quid verò temporalia omnia, cum hæreditate cœleſti comparata, niſi vnum quoddam conuiuium de vitulo ſaginato? niſi breuis ſymphonia, quæ mox euaneſcit audita? num tu verò malles hîc conuiuium tam fluxum præ æterno illo? Denique conſidera nos omnes fratres eſſe, & congratulari nobis debere noſtrâ de fortunâ & proſperitate. *Epulari,* inquit, *& gaudere oportebat, quia frater tuus perierat, & inuentus eſt.* Ditiſſimum habemus patrem, cuius bona inexhauſta ſunt & in cœlo ab omnibus integrè poſſidebuntur: vnde nemo murmurare poterit.

Tertiò, Alij propter odium, quod habent in proximũ; quemadmodum etiam canes aliqui faciunt, qui vbi ſemel homini infenſi facti ſunt, poſteà vix reconciliari poſſunt, ſiue durè, ſiue blandè ab eis tractentur. Vidi catellum, qui alicui tam infenſus erat, vt ſi quis 3. *Ex odio.*

nomen

by Google

nomen hominis tantùm exprimeret, ſtatim in rabiem ſolueretur, feneſtellam aſpiceret, vndique circumſpiciens latraret, ſicubi inimicum ſuum cernere poſſet. Tales Phariſæi erant; ſiue enim Chriſtus cum publicanis & peccatoribus manducaret, dicebant: *Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis.* Et: *Ecce homo vorax, & potator vini, amicus publicanorum.* Siue ad ipſos diuertebat; *& ipſi obſeruabant* & carpebant eum. Eique oblocuturi erant, ſiue aſſereret dandum Cæſari tributum, ſiue negaret. Tales etiam erant fratres Ioſephi, qui oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. *Gen.* 37. quidquid enim diceret vel faceret, id omne cum murmure accipiebant & indignatione. Vnde optimè dixit Iacob de eo: *Fera peſſima comedit eum: beſtia agri deuorauit eum*; odium videlicet. Talibus feris circundatus erat S. Ignatius martyr, qui in ep. ad Rom. ſcribit: *de Syriâ vſque ad Romam pugno ad beſtias in mari & in terra, nocte dieq́; ligatus cum decem leopardis, hoc eſt, militibus qui me cuſtodiunt; quibus & cùm benefeceris peiores ſiunt.*

Diſſuadetur. Sed ne dubita, eâdem voce aliquando reſpondebit tibi Deus, quâ modò tu respondes proximo; quo modo reſpondet Echo obiurganti ſyluam. Sic enim etiam Ioſeph, poſteaquam princeps Ægypti factus eſt, & ipſe duriùs locutus eſt ad fratres, quaſi ad alienos, ſæpiùs ingeminando: *Exploratores eſtis*; quidquid ipſi ad ſui excuſationem afferrent, totum enim indignè & pro falſo accipiebat, & ſtudio eis culpas aliquas, quarum minimè reos ſciebat, impingebat, *Gen.* 42. Ad eundem modum iudicaturus aliquando Dominus loquetur illis duriùs, qui duriùs locuti fuerint proximo. Cuius vocem prævidit Ioannes fore *vocem quaſi aquarum multarum*, Apoc. 1. Quàm enim graue illud murmur contra pulſantes ad cœli fores: *Amen dico vobis, neſcio vos*? tametſi pulſantes valde humaniter & blandè loquebantur: Domine, Domine aperi nobis. Sic nimirum vbi tu clauſeris proximo ianuam beneuolentiæ, claudet eandem tibi Deus.

C. II. Murmur contra Magiſtratum. SECVNDÒ, Peruadunt hæ muſcæ domos ſeruorum Dei, id eſt, præpoſitorum & Magiſtratuum, quos etiam & quidem vehementer infeſtant. Inprimis nil frequentius quàm murmurare, cur hic vel ille in Magiſtratum electus ſit, quòd ſit homo inhabilis, rudis, &c.

1. Contra eorũ promotionem. Subditi queruntur de principe, ſerui de dominis: Ciues de Senatu. Ita Core, Dathan & Abiron murmurabant contra Moyſen, quaſi Aaron frater eius illegitimè & immeritò Sacerdotium conſecutus eſſet, *Num.* 16. Sic mortuo Salomone murmurant coram Roboam, ſuccedente ei filio, de iugi aggrauatione, 3. *Reg.* 12. Sed quid effecerunt ſuo murmure hi omnes? primi à terrâ abſorpti ſunt.

Diſſuadetur. Iſraëlitis dat pro Salomone Regem peiorem, qui ſubditis dicebat: *Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei. Et nunc pater meus poſuit ſuper vos iugum graue, ego autem addam ſuper iugum veſtrum: Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.* Ita nimirum puniuntur eiuſmodi murmuratores, quomodo in fabulâ impatiens ille aſinus, qui de hortulani ſæuitiâ quærens, Ioui ſupplicabat, alium ſibi dari herum. Exaudit Iupiter aſinum & dat illi tegularium, apud quem tegulas grauioraque vectaret onera; acceſſit rurſus Iouem & petijt mitiorem herum. Itaque exoratus Iupiter, dat ei coriarium: quem vbi pernouit aſellus: *Me miſerum*, inquit, *qui dum nullo ſum contentus Domino, in eum inciderim, qui nec corio quidem meo, quantum auguror, parcet & pelli meæ inſidiabitur.* Prudentiùs anus illa Syracuſana, cùm pro Dionyſij Tyranni diuturnâ vitâ preces funderet aſſiduas, interrogata ab eo, cur ſola hoc faceret, reſpondit: *Quia metuo ne te extincto deterior Tyrannus ſuccedat.* Lipſ. *cent.* 1. *miſcellan. ep.* 4. Orando itaq; non murmurando bonus Magiſtratus à Deo eſt impetrandus. Et ſciendum præterea, quòd omnis poteſtas eſt à Deo: & quòd tale murmur vergat in ipſum Deum. Sic enim murmurantibus illis Core, &c. reſpondit Moyſes Deum audiſſe murmur eorum, hoc eſt, quaſi contra Deum factum. *Nos enim quid ſumus?* inquit, *nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum*: Vnde & Dominus illud quaſi contra ſe fuiſſet, puniuit: quemadmodum & in Mariâ, murmurante contra Moſen fratrem.

Secundò murmurant ſubditi contra ſuperiorum actiones, leges, ſtatuta, decreta, quaſi ea inconſulta & minùs prouida, vel etiam Reipub. pernicioſa eſſent. Sic murmurauit Iudas, quòd Chriſtus non prohibuerit vnguentum effundi à Magdalenâ ſuper caput eius; quo modo multi ſubditorum loquuntur: potuiſſent hæ expenſæ à noſtro magiſtratu meliùs collocari, hoc vel illud prouidere. Ecce huic conniuetur, alijs non item, &c. *2. Contra eorum ordinationem.* Sed & hæc murmuratio contra Deum eſt: quia *qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, & ſibi damnationem acquirit*, ait Apoſt. *ad Rom.* 13. Et credendum quòd cùm Deus mundum regat ijs interpoſitis, afficit eos ſingulari quadam gratiâ, vt intelligant quid Reip. magis expediat; *Diſſuadetur.* dareque eis, vti Salomoni cor docile ad iudicandum populum. Vt taceam, quòd cuilibet in arte ſuâ credendum ſit, & Magiſtratus alioquin plebe ſit oculatior, ideoque ſemper in meliorem partem interpretandum & pro æquo habendum, quod ipſe ſtatuit. Id enim tametſi initio non appareat, apparebit tamen in fine. Sicut cùm multi fabri lignarij laborant ad extruendum ædificium: vnus iubetur à Magiſtro ſecare, alius dolare, alius terebrare, alius acuere, alius ſulcare, &c. Fortè nullus ſcit, nec interrogat quorſum hoc vel illud imperetur: nouit verò Magiſter, qui ad extremum omnia ligna pulcherrimè connectit & ædificium erigit. Sic Dominus Petro noluit dicere, cur ante cœnam lauaret eis pedes; *ſciens autem poſtea*, inquit decere videlicet ad Euchariſtiam lotâ conſcientiâ accedere.

Tertiò, Murmurant ſubditi contra ſuperiores ob impoſita ſibi ab eis onera præceptá vel exactiones. Sic *Num.* 11. ortum eſt mur- *3. Contra exactiones.*

mur populi Hebræi contra Moyſen, quòd eduxiſſet eos in deſertum: murmur, inquam, *quaſi dolentium præ labore*, id eſt, fatigatione ex itinere. *Quod cùm audiſſet Dominus iratus eſt. Et accenſus in eos ignis Domini deuorauit extremam caſtrorum partem.* Eiuſmodi autem murmur moleſtiam parit primò ipſi murmuranti, quia onus ei conduplicat. Vnde Seneca *l. 2. ep. 28.* ait: *Vadis huc & illuc, vt excutias inſidens pondus, quod ipſa iactatione incommodius fit. Sicut in naui onera immota minus vrgent, inæqualiter conuoluta citiùs eam partem, in quam incubuere, demergunt.* Et rurſum: *Optimum eſt pati quod emendare non poteſt.* Deinde moleſtum eſt ſuperioribus ſicut ſeſſori, equus progrediens quidem ſed coactus & aſſiduis indigens calcaribus? Aurigæ item rotæ currûs ſtridentes. Quin etiam aures Domini Sabaoth offendit eiuſmodi ſtridor; *quoniam auris zeli audit omnia*, ait Sapiens, Sap. 1. *& tumultus murmurationum non abſcondetur. Cuſtodite ergò vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt.* Sed modò non etiam obeſſet; obeſt autem, quia murmurantem merito obedientiæ priuat, & inducit ei maledictionem pro benedictione. *Malus enim miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur* ait Seneca ep. 14.

Diſſuadetur.

D. III. Murmur contra Deum.

1. Contra tempeſtates.

TERTIÒ, Aſcendunt & euolant hæ muſcæ ad ipſam vſque cœleſtis regis domum, eique impudenter obſtrepunt. Et inprimis murmurant alij maximè agricolæ & viatores contra Dei prouidentiam, quòd non pro ipſorum placito ordinet tempeſtates; modò conqueruntur de nimiâ ſiccitate, modò de nimiis pluuijs, modò de hyemis productione, niuiũ copiâ & importunitate, modò de harum vel illarum frugum pernicie, pluuiarum exuberantia, frugum defectu: iuxta id Pſalm. 58. *ſi non fuerint ſaturati & murmurabunt.* Contra hanc prouidentiam murmurabant in deſerto Iudæi; quòd aqua deficeret; quòd manna deſiperet, quòd caro non eſſet. *Nunquid & panem poterit dare? quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* &c. Quorum murmur auditum quidem à Deo, ſed in perniciem eorum; datis enim carnibus *adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Nimirum periti & ſubtiles artifices indignè ferunt & meritò, ſi in artificio ſuo culpentur aut doceantur ab ignaris: vel ſi ruſticus Doctori velit iura explicare vel explicanti obloqui. Subtilis artifex Deus & expertus Paterfamilias, qui ſolus & exactè nouit, quid cui debeatur & conueniat. De quodam Eremitâ in vitis PP. legitur, quòd cùm olera ſeminaſſet, & pluuiam eius neceſſariam iudicaſſet, petijt eam à Deo, qui non modò illam, ſed in poſterum qualem optaſſet, tempeſtatem conceſſit. Et tamen olera eius omnia periêre. Quâ de re poſtea à ſocio reprehenſus fuit, quòd meritò id paſſus eſſet, qui prudentiorem ſe ipſo Deo exiſtimaſſet. Rectiùs ille agricola, referente Peraldo *in ſum. virt. & vit.* qui ſemper in agris ſuis fructus habuit vberiores, eò quòd ſe omnes tempeſtates iuxta placitum habere aſſereret: quia videlicet omne id vellet, quod vult Deus. Intellexit hanc Dei prouidentiam Ouidius, qui finxit *l. 2. Metamorph.* Phœbi filium Phaëthontem, cùm aliquando precibus impetraſſet à patre, vt equos & currum Solis regere poſſet, inexpertus auriga modò Solem nimis procul à terrâ abduxit & terram frigore perdidit: modò nimis propè adduxit, eamque combuſſit: vnde à patre fulmine deiectus eſt. Similes rectores nos foremus, ſi pro libitu noſtro Deus daret nobis tempeſtatem, dum enim agros noſtros rigaremus pluuiâ, aliorum interim agros mergeremus: dum noſtros calore foueremus, alienos æſtu cremaremus. Milites Caij Cæſaris ſub dio conuiuantis & indignantis quòd interim pluuiæ, tonitrua & fulmina incidiſſent, iuſſu Cæſaris contra Iouem (vt putabant) ſagittas in altum eiaculabantur. Sed eædem in ipſorum capita recidentes multos vulnerabant. Refert Seneca *l. 1. de irâ.* Sueton. *in vita 12. Cæſar.* Hoc lucratur & nil aliud qui contra tempeſtates murmurat, ſeipſum lædit, non Deum. Cæſar iſte ſub dio prandens ſerenitatem voluit, alius forſan agricola conſito tunc agro pluuiam deſiderabat, alius forſan nauta eodem temporis articulo nauigans ventum optauit. Quid tunc ageret Numen, cui potiùs quàm alijs concederet poſtulata? Imò ſint tres molitores, paris opificij, quorum vnus habeat molendinum ſuum ad exiguum riuulum, alter ad perennem fluuium, tertius in edito loco ventorum vi agitandum. Primus deſiderat crebras pluuias, alioquin deficiente & ſiccato riuulo, molere nil poterit: alter verò deprecatur inſtantes pluuias, ne fluuij inundatione ſiſtatur molendinum: tertius ventos optat, pluuias & tranquillum tempus odit. Ecquis ergo his tribus ſimul mittat tempeſtatem omnibus placituram? videmus ergo fieri non poſſe vt tempeſtas ſemper eueniat ad nutum noſtrum: quia perdet alios.

Diſſuadetur.

Secundò, obloquuntur alij Dei clementiæ, quòd perditos aliquos homines & nocentiſſimos Eccleſiæ, ipſorum hoſtes ac perſecutores tamdiu toleret, eorum noxia conſilia & attentata non impediat, ipſos non exterminet. Item quòd minùs dignis magna beneficia præſtet, &c. Sic in hodierno Euangelio Phariſæi murmurabant, quòd Chriſtus peccatores reciperet, & cum illis manducaret. Sic Phariſæus ille, quòd Chriſtus Magdalenam vngentem pedes eius tolerârit. Sed quid ſi & tu peccator ſis, fueris vel futurus ſis, num ſimiliter dices, te à Deo exterminandum eſſe? Nónne omnes quotidie oramus: *Et dimitte nobis debita noſtra?* Certè operarij illi murmurantes in patrem familias, ab eodem mox repercuſſi ſunt, dicente vni ex illis: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum.*

2. Contra eius clementiam.

Diſſuadetur.

Tertiò, murmurant alij contra Dei Iuſtitiam, quòd videlicet ipſi duriùs & diutiùs à Deo flagellentur morbis, paupertate, annonæ caritate &c. Sic Iſraëlitæ murmurabant, quòd eduxiſſet eos ad accipiendam terram promiſſionis, quam tamen audiebant eſſe munitiſſimam,

3. Contra eius iuſtitiam.

mam,

mam, à fortiſſimis habitatoribus cultam, adeoque, vt putabant, inuincibilem; volebantque regredi in Ægyptum, *Num.* 14. Quamobrem dixit ad eos Dominus: *Vſquequò multitudo peſſima murmurat contra me?* Et idcircò licet tunc iam vicini eſſent terræ promiſſæ & ſoli montes Idumeæ intereſſent; in pœnam murmurationis iuſſit eos reuerti in ſolitudinem per viam maris rubri, in eaque morari & vagari per annos 38. donec omnes illi murmuratores in ſolitudine morerentur. Experimur etiam nos his temporibus diuturna & grauia Dei flagella in dorſo noſtro, vnde fortè quamplurimi contra Deum murmurant, quaſi immeriti hæc patiantur, ſed deponant, quæſo, murmur. Nam Primò quid ſi *rem nobis neceſſariam cupimus abijcere?* quemadmodum dicebat quidam in vitis Patrum ægroto alicui cupienti conualeſcere. *Ille ſolus de flagello murmurat*, inquit S. Greg. *qui cauſam percuſſoris ignorat. Scit autem cæleſtis medicus*, ait S. Auguſt. *quid nobis daturus ſit ad conſolationem & quid ſubtracturus ad exercitationem.* Profectò ſi cum aſinâ Balaam contra cædentem nos Deum murmurantes interrogare vellemus: *Cur percutis nos? ecce iam tertiò?* Reſponderet ilicò: *Quia commeruiſti*, Num. 22.

Diſſuadetur.

Deinde quid mirum ſi non ceſſet Deus flagellare, cùm non ceſſemus nos peccare? Ad medelam noſtram infliguntur nobis verbera: vnde quamdiu non emendamur, tamdiu flagellamur. Inſpiciamus, quæſo, vitam noſtram, & videbimus nos in amore Dei & proximi, in re diuinâ & orandi ſtudio prorſus ignauos: contrà in augendâ re domeſticâ vigilantiſſimos. Interim in medijs ſalutis periculis conſtituti ſecuri in vtramque aurem dormimus & dicimus: *pax, pax, & non eſt pax.* Vereor ne de nobis verificetur illud Ierem. 5. *percuſſiſti eos & non doluerunt, attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: indurauerunt facies ſuas ſupra petram & noluerunt reuerti.*

Quòd ſi igitur auferri à nobis flagellum volumus; non murmuremus contra Deum: hac enim ratione aggrauabimus potiùs manum Dei ſuper nos, & cum Iſraëlitis murmurantibus diutiùs affligemur: Quam ob cauſam dixit Moyſes illis Exod. 17. *Cur tentatis Dominum?* q. d. non eſt hic modus propitiandi Deum, qui murmure exacerbatur, oratione potiùs placatur. Oremus igitur potiùs Deum & agnoſcamus nos hæc commeruiſſe; deinde mores emendemus & quod peccauimus, bonis operibus eluamus. Sic enim Iſa. 1. ait Dominus: *Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite & arguite me dicit Dominus. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd ſi nolueritis & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Quod à nobis auertat Deus.

CONCIO IV.

Quàm deteſtandi ſint detractores.

Detractores, quos diabolus ſubornat & mittit vt pijs inſultent, comparantur varijs auibus,

1. *Sunt aues dæmonis cantatrices.*
2. *Garrulæ.*
3. *Prædatoriæ.*
4. *Venatoriæ.*
5. *Sunt aues eius illices.*
6. *Furcifera & patibula amantes.*
7. *Altiles quaſi in gehenna depaſcet.*

THEMA.

Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis. Luc. 15.

PRouerbio vernaculo dicimus: Quò diabolus non penetrat eò mittit ſeruos ſuos. Quod quàm verum ſit, vel ex vnâ illâ Dauidis hiſtoriâ patet, 2. Reg. 6. vbi Dauid maximè cum ſolemnitate, lætitia, & deuotione introducebat arcam fœderis in ciuitatem ſuam, immolabat victimas, ludebat in organis & ſaltabat totis viribus ante Dominum; quod tantum abeſt vt reprehendi mereretur; vt etiam vehementer laudari. Nihilominus tamen dæmon, ſciens nihil ibi reprehendi poſſe, inſtigauit eius vxorem Michol, vti marito inſultaret & detraheret propter opus illud laudabiliſſimum: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſraël,* inquit, *diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.* Iam quod Dauidi factum, hoc ipſum hodie contigit Chriſto. Appropinquabant peccatores ad eum, Chriſtus eos humaniter excipiebat. Quis hac de re indignetur? quis hoc carpat? ſi ægri ad Medicum; ſi cæci ad lumen accedant? Non potuit hoc carpere dæmon. Mittit igitur ſeruos ſuos, Phariſæos, qui operi huic honeſtiſſimo detrahant: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* q. d. vtique & hic peccator eſt vt illi, quia ſimilis ſimili gaudet. Videre mihi hîc videor Aquilam cum auiculis manſuetè conſidentem, & prædam eis diuidentem, alterâ ex parte corniculam ei inſultantem; quæ cum appropinquare ei non audeat nec officere poſſit, detrahere ei & inſultare partim ſuâ loquacitate, partim volatu eam laceſſere ſolet, vt teſtatur Pierius *lib.* 19. *hierogl.* Aquila Chriſtus, qui auiculas comites facilè ſecum patitur, & prædam eis ſuam partitur: Corniculæ Phariſæi & omnes detractores à diabolo ſubornati & miſſi vt pijs inſultent. Iam verò quales ſint hæ diaboli aues, audiamus. A.

PRIMÒ, ſunt aues diaboli cantatrices, ſeine ſingvogel, quia cùm ipſi in caueâ diaboli incluſi ſint, cantant ei placebo, & quod diabolus libentiſſimè audit, hominum peccata & lapſus. Hinc enim diabolus & detractor idem nomen ſortiuntur in SS. litteris. Diabolus enim calumniator dicitur. Et 1. Tim. 3. detrahentes

B. I. *Sunt aues dæmonis cantatrices.*

tes dicuntur *diaboli.* Vbi Apoſt. ait oportere mulieres eſſe, *non detrahentes*: Græcè *non diabolicas*, Et meritò quidem; nam diabolus primus detractorum fuit, ſiquidem ipſi Deo detraxit: *Nequaquam moriemini*, &c. Geneſ. 3. Deum mendacem venditans. Adhæc ob odium & inuidiam erga homines ipſe nil magis agit, quàm vt homines calumniari & aliquando coram Deo accuſare poſſit. Ad hoc enim circuit orbem vniuerſum, quemadmodum ipſe ait ad Deum, Iob 1. *Circuiui terram & perambulaui eam*. Quamobrem? Mox inſinuat Deus dicens: *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra?* Quid ad hæc dæmon? *Nunquid Iob fruſtrà timet Deum? nónne tu vallaſti eum ac domum eius*, &c.? q. d. Nequaquam laude dignus eſt, quia amicus tantùm menſæ tuæ eſt. Ecce detractorem. Quemadmodum ergò Sacerdos in Eccleſia circuit cum aquâ benedictâ & aſpergit eâ fideles; ita diabolus circuit in mundo cum aquâ detractionis ſordidâ & maledictâ, vt eâ aſpergat & collutulet homines. Vnde bene Guilielmus Peraldus os detractoris vocat aquiminarium (ein Weichkeſſel) diaboli, iuxta id Pſal. 13. *quoniam os maledictione plenum eſt*. Verùm Sacerdos in facie, diabolus à tergo & clàm homines aſpergit. Quid igitur aliud detractores niſi Canonici diaboli, qui ipſo intonante, cantum ſtrenuè proſequuntur? quid niſi filij patris, cuius & nomen habent & opificium? Quare meritò Chriſtus iſtis dicit, quod Iudæis ſibi detrahentibus & oggannientibus dixit Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo eſtis & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio.* Quod autem eſt deſiderium diaboli, niſi vt omnes homines ſibi ſimiles imò peiores faciat, calumnietur, mactet, deuoret? Nihilominus agunt detractores. Fama enim quam tollunt proximo, *eſt vita quædam ciuilis*, inquit Gerſon. in propoſit. an liceat grauato debit. Et D. Gregor. l. 14. moral. c. 25. *Hi etiam*, inquit, *qui aliena vita detractione paſcuntur, alienis procul dubio carnibus ſaturantur.*

C. II. Sunt aues eius garrulæ.

SECVNDÒ, Sunt aues illius garrulæ, Schwätzvogl. Vt enim aues aliquæ ſemper garriunt, maximè quarum ſolutæ ſunt linguæ, vt picæ: produnt etiam quæcunque vident, audiunt, imitantur garritu voces humanas & aliorum animalium; ita detractores viuere ex garritu & detractione videntur, adeò ſemper aliquid habent quod carpant, ita feſtinant ad detrahendum, ita ſolerter aliorum mores taxant & delectantur hoc ſtudio. Sedet quis otioſus domi, velut pica in caueâ, & tamen intuetur & audit aliorum facta, moxque garrit eadem. Huius rei ſimilitudinem affert Sapiens, Eccli. 19. *Sagitta infixa femori carnis, ſic verbum in ore ſtulti.* Vt enim ſagitta infixa pedi nullam homini quietem concedit, donec extrahatur, quia ſemper pungit; ita & in detrahente latens ſcientia alienorum delictorum. Adeò enim vexatur, vt verbum id retinere vix ad horam poſſit; ſed auditores inquirat, quibus id effundat: quemadmodum etiam ſagittâ confixus feſtinat ad Chirurgum qui ſagittam extrahat. Hinc Iſychius presbyter Hieroſolymitanus detractores comparat ſcabioſis, qui præ prurigine requiem non habent ſed ſemper ſcabunt & carnem exulcerant: Sic enim exponit legem *Leuit.* 21. quæ ſcabioſos ab omni ſacro miniſterio arcet. Scabioſus namque nec in ipſo ſacro miniſterio ſe contineret quin ſcaberet: ita & detractores coram quibuſuis perſonis, locis, temporibus linguam à detractione cohibere nequeunt, adeò procliues ad detrahendum ſunt: ac veluti mus ſemper aliquid rodit & inquinat, teſte Pierio lib. 13. ita & ipſi. Adhæc nemini parcunt: *Venit enim Ioannes, non manducans panem neque bibens vinum, & dicitis: dæmonium habet: venit filius hominis manducans & bibens, dicitis: Ecce homo deuorator & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum*, ait Dominus Luc. 7.

D. III. Sunt aues eius prædatoriæ.

TERTIÒ, Sunt aues illius prædatoriæ, Raubvogl; deprædantur enim, & roſtro linguæ proximum famâ bonâ deplumant, quæ *melior eſt quàm diuitiæ multæ*, vt dicitur Prouerb. 22. Cuius rei figura habetur 2. *Reg.* 10. vbi Dauid volens conſolari Hanonem Regem Ammonitarum ſuper morte patris, miſit legatos ſuos: ſed Hanon leuiter nimis perſuaſus, quaſi exploratores eſſent, raſit dimidiam partem barbæ eorum & præſcidit veſtes eorum medias vſque ad nates & dimiſit eos confuſos turpiter valdè. Quam rem adeò durè accepit Dauid vt propterea ingentem ſtragem in eis fecerit 40000. equitum & 700. curruum. Non edidit tantam ſtragem Dauid etiam cùm regnum ei ademptum eſſet; vt intelligatur detractionem omni rapinâ grauiorem eſſe. Hanon iſte detractorum typus eſt. Quid enim faciunt iſti? nouaculâ linguæ acutiſſimâ barbam bonæ famæ radunt & indumentum honeſtatis alijs præſcindunt vſque ad nates, quò videlicet turpitudo & confuſio eorum appareat. Vnde *Pſal.* 51. ait Dauid: *Totâ die iniuſtitiam cogitauit lingua tua, ſicut nouacula acuta feciſti dolum.* Alloquitur calumniatorem illum Doëgum, qui pauciſſimis verbis citiſſimè perſuaſit Sauli, quaſi Achimelech Sacerdos cum Dauide coniuraſſet. Ad hunc modum lingua citiſſimè & paucis verbis velut nouacula famam alteri abſcindit: ſed ne id facilè aduertatur, cogitat priùs detractor quomodo id cum dolo faciat, ſicut fur antequàm furetur: Ita enim verba detractionis *componit & concinnat*, vt loquitur Iob c. 5. vt omni inuidiâ & odio carere videatur & potiùs commiſerationem vel laudem ſpiret; v.g. dicendo; hic cæteroqui optimus vir eſt, hoc tantùm mali habet; vel, miſeret me boni viri; qui adeò lapſus ſit, &c. Sed nouerit tamen iſte, vix tranſuaſari vinum de dolio in dolium, quin etiam ſimul fluant fæces; & ſimiliter vix fieri poſſe vt aliorum praua facta deferantur ad alios ſine fæce detractionis. Præterea fures vt plurimum furantur ob egeſtatem; non ita detractor, ſed ob meram malitiã. Vnde acutior eſt & acerbior linguæ noua-

nouacula, quàm furti. Furtum denique facilis eſt reſtitutionis, fama verò ablata difficillima: Vt enim nouacula barbâ citiſſimè radit, ſed ea tardè repullulat: ita citiſſimè auſertur fama, difficillimè reſtituitur. Adhæret auribus audientium, etiamſi reuocaueris; quam ob cauſam etiam in SS. litteris lingua maledica ſagittæ vulneranti comparatur, quæ ſagitta facilè infigitur carni ſed non abſque inciſione & maiori vulnere ac dolore, ob reluctantes vncos, extrahitur. Experientiam in teſtem voco; quis enim in tam frequenti & communi vitio audit aliquando, famam alteri ablatam reſtitui, veniam exorari, &c? Et tamen id omnino neceſſarium.

E. IV. Sunt aues eius venatoriæ.

QVARTÒ. ſunt aues illius venatoriæ, **Walck iſt Jacht-vogel** / quæ diſcordias, gratiſſimum dæmoni ſpectaculum ſeminant, amant & deſiderant, vti Falcones, qui ad delectationem à principe aluntur vt in alias aues pugnent & illis ſpectaculum iucundum exhibeant. Hoc idem faciunt detractores: quos ideo dæmon alit vt diſcordias per illos ſeminet, atque ita regnum noſtrum adinſtar ſui diuidat. An non ſeminant diſcordias detractores, qui non modò te apud multos odioſum conantur reddere, verùm etiam te apud me, & me apud te? Ita enim Phariſæi modò Chriſto detrahunt apud Diſcipulos: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter? Matth.* 15. Modò diſcipulis apud Magiſtrum: *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?* Quemadmodum enim Agaſones ſal afferunt in vrbem & frumentum inde exportant, ita faciunt Phariſæi & detractores reliqui; tua peccata ad me, mea ad te ferunt. Vnde rectè S. Chryſoſtomus hom. in Pſalm. 100. ait: *Qui detractioni ſtudet, diabolo ſeruit, vtpote qui calumniæ opera exequatur.* Eiuſmodi Agaſones & nugigerulos mittit & alit per totum orbem dæmon, vt nullibi tuti ſimus. Quorum figura videntur fuiſſe ranæ illæ Ægyptiæ, Exod. 8. quæ vbique homines infeſtabant ac diſpergebant huc illuc fugientes pacemque familiarum turbabant: ſiue enim in forum prodiſſes, ranæ aderant; ſiue in palatium regis iuiſſes, ranas inueniebas: ſiue ad menſam conſediſſes, ranæ aſſidebant, ſiue in cubiculo te clauſiſſes, ranæ per rimas penetrabant: ſiue in lecto iaceres, ranæ circumſiliebant: ſiue in furno lateres, ranas reperiebas. Ita & detractores in mundo omnia perrepunt, etiam aulas principum: ad Chriſtum hodie & alibi in eius collegium veniunt: pacem Eccleſiæ, domûs, collegij vel ciuium vndique turbant clandeſtinis ſuis coaxationibus, ſicuti ranæ ſuis nocturnis clamoribus dormire volentes.

F. V. Sunt aues eius illices.

QVINTÒ ſunt aues illius illices, **Lock-vogels**, quibus vtitur ad decipiendos plures alios: ſicut auceps vna aue, quæ cantu ſuo alias ſiſtit & adducit ad arborem viſco vel decipulâ inſtructam, plurimas alias capit. Quis neſcit quâ illectorius ſit detractorum cantus? dura enim aliis detrahunt, audientes ſe laudari putant, vel ſibi placent quòd meliores ſint: interim verò ipſo capiuntur auditu; quo modo aliqui ſolo Baſiliſci ſibilo necantur. Pier. lib. 14. hierogl. *Detrahere an detrahentem audire*, inquit D. Bernardus lib. 2. de conſiderat. *quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim.* Iam verò quò fidelius diabolo ſeruiant & plures perdant, inſtar mercatorum, merces ſuas peſtiferas ad nundinas portant, ad conuiuia, ad conuenticula, &c. vt plures detractionum ſuarum auditores habeant & capiant: quâ ex cauſâ S. Gregorius hom. 40. in Euang. Epulonem illum maximè in linguâ tortum fuiſſe putat, quòd maledicentia ferè in conuiuijs, quibus deditus erat, vigere ſoleat. Vnde Prouerb. 23. dicitur: *noli eſſe in conuiuijs potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt*, id eſt, *qui derogationis verba viciſſim in proximorum vitam dicunt*, vt ait Gregor. *l.* 14. *moral.* Detractor itaque peſtis quædam Reipub. eſt ac veluti canis rabidus in ciuitate, qui paſſim omnibus nocere ſtudet, ideoque communi ſuffragio plectendus. Eamque beſtiam eſſe putat gloſſa quæ deſcribitur Dan. 7. *terribilis, mirabilis & fortis nimis, dentes habens ferreos & cornua decem, comedens & comminuens & reliqua pedibus ſuis conculcans.* Gloſſæ adſtipulatur Sapiens qui Eccli. 9. ait. *Terribilis eſt in ciuitate ſuâ vir linguoſus.* Linguoſus hîc detractor eſt, quia lingua nocet, ſicut aper dentibus, accipiter vnguibus. Quòd ſi igitur canes rabidi, lupi & ſimiles beſtiæ nocentes communi auxilio & publicâ poteſtate capiuntur & obtruncantur, fas etiam eſt vti Magiſtratus in eiuſmodi beſtias ſeueriſſimè adanimaduertat. Id quod S. Baſilius *Reg.* 16. *ex breuioribus* conuincit argumentis ex Pſalm. 100. vbi dicitur: *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar:* ſcilicet detractores à reliquorum ſocietate & conſuetudine exterminando.

G. VI. Sunt aues eius furciferæ.

SEXTÒ ſunt aues furciferæ **Crayen en Rauen**, quæ cadaueribus veſcuntur & patibula amant, vti vultures & corui, qui fœtidis tantùm delectantur, eaque à longè olfaciunt. Ita enim Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum cap. 20. detractorem coruo illi comparat, qui non eſt reuerſus ad arcam, ſed cadaueribus natantibus in diluuio adhæſit, de vno in aliud volando, eaque lacerando. Virum verò bonum columbæ, quæ affert ramum viridem, id eſt, honeſtam proximi commendationem & laudem. Cæterùm corui mortuos tantùm, eoſque expoſitos dumtaxat: detractores autem viuos etiam roſtro ſuo laniant & quandoque ſepultos eruunt; adhæc eorum defectus tantùm notant: ſi quid verò boni in aliquo cernunt, id prætereunt & tacent, gallinæ inſtar, quæ eruens è terrâ auream monetam vel vnionem, non æſtimat; ſed vbi vermem reperit, ilicò glocitare incipit & conuocare ſocias, prædamque eis oſtentat. Viri boni ſi quid laudabile in aliquo cernunt, aſpiciunt, extollunt, prædicant. An non audiuimus hodie mulierem, quæ inuentâ drachmâ conuocauit amicas & vicinas ad congratulandum? ſed detra-

ſtores virtutes conſultò prætereunt, imò ſupprimunt: vermes verò vitiorum, ſi quos inueniunt, traducunt, monſtrant. In cuius rei figuram Achab toto corpore bene tectus & lorica indutus erat, præterquam vno in loco, fortè miniſtri alicuius induentis negligentiâ: & percuſſus eſt ſagitta in eâ parte, quæ tecta non erat, 3. *Reg. vlt.* Ita licet quis omnibus ſit inſtructus virtutibus ſi vel in vnico deficiat, iam ſagittis detrahentium patet. Quòd idem ſignificat lapis ille, Dan. 2. qui cadendo ſupra ſtatuam, non aureum illius caput, non argenteum eius pectus, non æreum eius ventrem, ſed pedes eius ferreos & luteos percuſſit. Nimirum volunt maleuoli iſti turpitudinem ſuam tegere, vel etiam ſe ornare aliorum fæditate.

H. VII. Sunt aues eius altiles.

Septimò. Sunt aues illius altiles **Een Mest-ſupper oft roof-vogel**/ quas in gehennâ depaſcet. Nam ſicut auceps auiculas, quas diu in caueis retinuit & ad capturam aliarum adhibuit, tandem, finito aucupij tempore iugulat & deplumat aſſataſque deuorat. Ita & diabolus faciet detractoribus, quos tandem deplumabit & igne æterno aſſabit. Audite pſalmum 110. *Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?* loquitur de blaſphemiâ Sennacherib, qui detrahebat Deo quaſi non poſſet liberare Iſraël de manibus eius, ſecundum Liranum. Reſpondet: *ſagitta potentis acuta, cum carbonibus deſolatorijs.* Sagittæ, vt feriatur iſtiuſmodi auis: Carbones, vt aſſetur. Huiuſmodi auis fuit quidam vir Noddo nomine, qui in S. Arnulphum Epiſcopum Metenſem (cùm is in proceſſione publicâ dæmonem ex obſeſſa pepuliſſet) multa garrire cœpit, quaſi & ipſe homo eſſet eiuſque domus malæ famæ hominibus peruia. Verùm nocte inſequente incendium domum eius corripuit ipſumque cum ſocio ſceleris inflammauit vt totus ardere videretur, & *aquas, aquas* clamans in lecto ſe volutaret & vix tandem ſeruatus ſit. Scribit Ionas Abbas in vita S. Arnulphi. Ecce vobis duas diaboli auiculas iam mediâ ex parte aſſatas. Bene ergo pſaltes dixit: *ſagitta potentis acuta*; quia ſicut auis ex improuiſo iaculo configitur: ita & detractor. Sic enim *Prou.* 24. dicitur: *Cum detractoribus non commiſcearis, quoniam repente conſurget perditio eorum.* Et Pſal. 139. *Vir linguoſus non dirigetur in terra*, id eſt, non proſperabitur: *Virum iniuſtum mala capient in interitu.* In græco & Hebræo eſt *venabuntur*; nimirum improuisò. Paraphraſis Chaldaica: *venabitur angelus mortis & detrudet in gehennam.* Prætereà torrebuntur in *carbonibus deſolatorijs.* Hieronymus transfert, *carbonibus Iuniperorum*, qui diutiſſimè conſeruant ignem, & indicant ignem æternum. Videtis igitur mercedem veſtram Detractores, quam ſoluet vobis Dominus & Auceps veſter diabolus? ſi non ſufficiant iſta, non auditis illud Eſai. 33. *Væ qui prædaris: Nonne & ipſe prædaberis?* Deprædamini aliorum famam, nónne & ipſi deprædabimini? Deplumatis alios, nonne & ipſi deplumabimini? Non auditis Dominum, *Matth.* 23. *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Qui ſunt ij ſerpentes? audi Eccleſiaſten c. 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Igitur ſi vos alios taxatis, carpitis, pungitis virulentâ veſtrâ linguâ deplumatis & aſſatis, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Nónne & ipſa vos mordebit, deplumabit, aſſabit? Quod à vobis auertat Deus.

CONCIO V.

Quid faciendum inter detrahentes.

Proponuntur varia conſilia exiſtentibus inter detractores.

1. *Modeſtè reprehendere detrahentem.*
2. *Alio diuertere ſermonem.*
3. *Frontem corrugare & indignanti ſimilem exhibere.*
4. *Fugere, ſi ſit poſſibile.*
5. *Obturare aures.*
6. *Claudere aures cordis per diſplicentiam.*

THEMA.

Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis Luc. 15.

Refert Petrus Martyr in ſummario rerum Indicarum, arbores eſſe in nouo orbe, Coppeas nomine, quarum folia papyri vicem præbeant; itaque cùm incolis papyri & ſcriptionis nulla prorſus notitia eſſet, Hiſpanos qui eò venerant, in folijs illis literas exarare & ſibi mutuò epiſtolas ſcribere conſueuiſſe. Quæ cùm ſubinde furta & fraudes incolarum & quidem latorum Hiſpanis, dum legerentur, aperirent ac loquerentur, territi Inſulares exiſtimarunt ea folia ſpiritu & loquendi facultate prædita, ideo circumſpectabant vndique metuentes, nec auſi ſunt deinceps iuxta eas arbores colloqui quòd occulta panderent & aliorum furta proderent alijſque enarrarent. Arbores hæ, Auditores detractorum typi videntur mihi eſſe. Quid enim illorum linguæ niſi huiuſmodi folia loquacia, quæ produnt & rodunt aliena ſcelera? Itaque iuxta eas nemo facilè ſtare, nemo eas audire, ſed tremere potiùs & circumſpectare fugam quiſque deberet, ne vel ſua vel proximorum ſcelera audiret, adeoque detractionis ac proditionis, modo aliquo, particeps fieret. Nunc ergo videamus quid expediat facere, cùm incidimus fortè in huiuſmodi arbores. A.

B. I. Modeſtè corrige detractorem.

Primum Conſilium: Modeſtè reprehende detrahentem. S. Auguſtinus in loco refectionis ſcribi curauit maiuſculis:

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Et cùm aliquando quidem inuitati adeò in menſâ de alio malè loquerentur, ait: illis: *Vel hos*

hoc verſum delete, vel detrahere abſtinete, aut ego hinc faceſſam ad cubiculum meum. Poſſidius in eius vitâ c.21.

Bene etiam faceret quilibet paterfamilias ſi hunc verſum menſæ ſuæ inſcriberet vel ſaltem obſeruari mandaret in domo ſuâ. Sanè tenetur paterfamilias cohibere & obiurgare canem ſuum, quandò in peregrinum prouolat, petitque eum dentibus. Cur ergo non obligetur reprehendere domeſticos ſuos cùm detractionis dentes alijs infigunt? S. Chryſoſt. hom. 3. ad popul. Antiochen. ait: *Dic proximo detrahenti: Habes quod laudes? aures aperio, vt vnguenta ſuſcipiant. Si verò malum velis dicere, obturo aures: Non enim ſtercus & cœnum accipere ſuſtineo.* S. Ioannes Alexandrinus Patriarcha, ſi quis in eius domo alteri detraheret, eum vel admonuit vel in alios ſermones deduxit. Si his nihilominus pergeret, finito colloquio mandauit famulis vt ne illum deinceps intromitterent. Argutè etiam Xenocrates cùm maledico quorumdam ſermoni intereſſet, taxauit obtrectatores. Cùm enim illi quærerent, cur ſolus nihil diceret: reſpondit: *Quia me aliquando locutum eſſe pœnitet, tacuiſſe numquam.* Val. l. 7. cap. 2. Denique dicere poteris detrahenti quod Chriſtus Scribis & Phariſæis dixit *Ioan.* 8. accuſantibus mulierem adulteram: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem tollat.* Certè ſibi vnus poſt vnum exibat. Nec dubium quin & detractor, quicunque ſit, os clauſurus ſit, ſi hoc audiat. Cæterùm non arguit ibi Chriſtus Iudæos peccatorum ſuorum in particulari, ſed ſcripſit tantùm peccata eorum in terra, vt quiuis ſeorſum ſua legere poſſet, non aliena (vt vult S. Hieronymus) & ita quiſque inſpectione ſuorum peccatorum moneretur ad ſeipſum inſpiciendum & corrigendum, non ad alium. Modeſtè ſimul & acutè correxit de hoc vitio quidam Eremita religioſos aliquos è cœnobio ad ſe venientes apud Ruffinum Aquil. num. 5. Cùm enim eos lautâ ſatis cœnulâ pro ſuâ tenuitate excepiſſet, poſteà cubitum ducti colloquuntur ante ſomnum, & inter alia: *Videte,* aiunt, *iſti Eremitæ lautiùs cœnant quàm nos in monaſterijs.* Inaudijt hoc Eremita non procul inde quieſcens, itaque manè ad alium Eremitam dimiſſis hoc vnum commendauit: *Salutate mihi amiciſſimum Eremitam & dicite illi hoc: Attende & olus ne irriga.* Faciunt hi vt iuſſi erant fideliter. Intellexit verò ſtatim Eremita hoc monitum, & hoſpites ſuos, vt meruerant; parciſſimè tractauit pane arido & ſale, modico oleo & aceto, interim crebris precibus eos fatigauit & vſque in tertium diem detinuit, necdum dimiſſurus. Illi verò tam rigidâ hoſpitalitate ſaturi clam profugerunt. Dignum patella operculum fuit iſtud.

C. II. Aliò diuertere ſermonem.

SECVNDÒ. Viri induſtrij & timorati ſolent ſermonem detractorium artificiosè auertere & aliò transferre, inſtituendo aliâ de re narrationem, vt ſic detrahentibus & audientibus parcatur. Fieri enim interdum poteſt, vt magis errant correctores, quam ij qui corriguntur. Ita enim Socrates conuiuam aliquando ſuum corrigebat: præſente Platone paulò acrius. Cui Plato: *An non ſatius erat,* inquit, *de his illum priuatim admonere.* Cui Socrates: *Nonne & tu rectius feciſſes, hoc etiam mihi ſeorſim dicendo?* Plut. de diſcer. adulat. Quare conſultius ſæpe eſt, præſertim inter ignotos ſermonem aliò transferre, id quod artificiosè poterat & facere ſolebat Thomas Morus, Martyr Anglus, dicendo v. g. dicat quiſque quod volet, ego dico domum illam artificiosè extructam eſſe & ab inſigni architecto: vt refert Thom. Staplet. in ejus vita. Cùm taurus ferociens hominem inſequitur, pallium oculis eius inijcitur, vt dum ipſe cum pallio luctatur, homo interim effugiat. Pari modo, ſi detractori diuerſus ſermo obijciatur, detrahere deſinet ſubtractâ detrahendi materiâ. Alij æquè prudenter excuſant ſaltem abſentes, dicendo fieri poſſe vt fallatur is qui contraria narrauit; quemadmodum id ſibi & multis alijs in re ſimili vſu venerit. *De religioſis,* inquit Guilielm. Baldeſanus in Stimulis Virtut. l. 5. c. 23. *quidam vir nobilis malè loquebatur; atque ecce commodum inter ſermonem aſpicit procùl tranſeuntes duos. Iſti, inquit, planè ſunt tales, quales depinxi. Cùm propius ijdem accedentes caput aperuiſſent, agnouit alterum eorum eſſe eum ipſum, quo ipſe olim nullum familiariorem & chariorem habuerat: atque adeò tunc ita charum habebat vt ſeipſum: ſed ignorauerat ſcilicet eum vitæ genus mutaſſe. Re igitur nec opinatâ ſic repente perculſus eſt vt omnibus qui aderant, non ſibi ſatis præſens eſſe videretur.*

D. III. Frontem corruga.

TERTIVM. Vultus ſeuerus & indignanti ſimilis diſcutit detractionem. Ita enim Salomon Prou. 25. ait. *Ventus aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Aquilo ſiquidem propter ſuam auſteritatem & frigiditatem conſtringit nubes, ne in pluuiam reſoluantur: ſimiliter ergo vultus audientis ſeuerior & indignans continet ſermonem in ore detractoris ne effundere ſe audeat. Vbi eiuſmodi vultus non eſt, effundet ſeſe pluuia & labe detractionis aſperget audientes. Audiamus quid in eum locum ſcribat S. Hieronymus: *ſi hilari,* inquit, *vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi; ſi verò triſtis hæc audias, diſcit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri.* Idem in ep. ad Nepotianum ait: *Sagitta in lapidem numquam figitur, interdum deſiliens percutit dirigentem: ita ſanè detractori continget ſi obſirmatas ad ſua verba reppererit aurium fores.* Nam ſi non eſſent, qui libenter audirent, non eſſet qui detraheret. Fidicines in tabernis non facilè incipiunt accinere lugentibus aut ſeuerioris aſpectûs perſonis; ſed ijs ſolùm quos vident leuiores & ad lætitiam effuſiores. Pari modo detractor non audebit facilè enarrare cantilenam, quam ab altero aduertit non libenter audiendam. Scribit auctor quidam nobilis (Guazo de conuerſ. ciuili) tum maledicos pruritum linguæ ſentire, cùm nos ſentimus aurium.

rium. Quare ſapienter monet S. Hieronymus ep. ad Nepotianum: *Caue ne aut linguam aut aures habeas prurientes, id eſt, ne aut ipſe alijs detrahas, aut alios audias detrahentes.*

E. IV. Fuge ſi potes.

Qvarto. Fuge ſi potes. Quis enim non fugeret, ſi latrones vel Aſſaſini in ſuam ſocietatem rapere quem vellent? S. Bernard. *ſerm. 24. in Cant.* ait: *Non veniat anima mea in conſilio detrahentium, quoniam Deus odit eos, dicente Apoſtolo: Detractores Deo odibiles.* Generoſa eſt hæc fuga. Sic Elephas, generoſum animal, murem fugit & caprum, iiſque conſpectis abit, Pierio teſte l. 2. hierogl. Cur non igitur vir generoſus declinare audeat detractores qui murium inſtar ſemper aliquid rodunt aut inquinant: capri inſtar fætent ac fruticum folia depaſcunt, bonam ſcilicet aliorum famam? Sed mundus pro dedecore habet, inquit, ſi quis fugeret hoc caſu. Quid ad te? Si Deus id glorioſum reputat & præmiat quid tu curas mundum? Si Iudex cauſam tibi adiudicet, quid tu curas hominum opiniones, licet illi aliter ſentiant? An non malles relinquere pallium, quàm pellem? Certè Ioſeph & Adoleſcens ille Euangelicus, vt ſe ſaluaret, veſtem reliquêre, ipſi fugêre. Detractores trahere te in ſocietatem peccati & gehennæ volunt; præſtat igitur renuntiare iudicio hominum, quàm Dei. Illud tollit ſolùm pallium tuum, hoc verò pellem. Conſultiſſimum porrò eſt, fugere conſuetudinem eorum, quorum linguæ effrænatio comperta eſt; vt monet Sapiens, Prouerb. 4. *Remoue à te os prauum & detrahentia labia ſint procul à te.* Et Prou. 24. *Cùm detractoribus ne miſcearis.* Grauis enim eſt cenſura S. Bernardi l. 2. de conſiderat. *Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim.*

F. V. Obtura aures.

Qvintvm. Si euaſioni locus non eſt, nec impedire potes, obtura aures tuas ne audiant ſanguinem, vt ſuadetur Iſai. 33. Quod vt facere queas, attende ad alia, vel cogita quid aliud: diſſimula, quaſi in alia cogitatione verſeris. Sic Vlyſſes Sirenes prætèrnauigans, ne earum cantu illectus abriperetur ad ſuam perniciem (cantu enim ſopire & poſteà mergere conſueuerunt homines) malo ſe alligari curauit & ſociorum aures cerâ obturauit. Homer. *l. 12. Odyſſ.* Pernicioſus & illectorius valdè cantus eſt detractio: ſiquidem laudari nos putamus cùm alij vituperantur, vel certè defectus noſtros vilipendimus: ſed interim noxius valdè, quia mergunt hæ Sirenes animam. Alliga te igitur ad arborem Crucis, & propone tibi firmiter, te non deſcenſurum per conſenſum ad detractorum cantum, ſicuti nec Chriſtus deſcendere de cruce voluit, etſi Iudæorum vocibus ad deſcenſum prouocaretur. Præterea obtura aures tuas cerâ timoris Domini. Hoc enim ſuadet Eccleſiaſticus c. 28. *Sepi aures tuas ſpinis & linguam nequam noli audire.* Quemadmodum enim horti ſepiuntur ſpinis ne pateat ingreſſus feri vel alijs direptoribus: ita & tu contra detractores ſepi aures ſpinis, ſiue ſpineâ Chriſti coronâ, recolendo paſſionem eius & opprobria quæ propter nos audiuit: ſiue ſpinis timoris Domini, quaſi cum S. Hieronymo aures iam occupatas habeas & audias ſemper tubam illam terribilem: *Surgite mortui: venite ad iudicium.* Quâ in re S. Machetes Abbas diuturnis precibus hanc à Deo gratiam impetrauit, vt in colloquijs & collationibus ſpiritualibus ſiue diurnis ſiue nocturnis numquam obdormiſceret, ſenex licèt: vbi verò quid detractorium veniret in ſermonem, illicò dormitare inciperet, teſte Ioann. Caſſiano *lib. 5. cap. 29.* Quaſi ſomnus quidam iſque præclarus eſſet, ſi per piam aliam cogitationem auerteremus à detractione animum.

G. VI. Claude aures cordis per diſplicentiam.

Sextvm. Denique ſi detractio aures tuas verberet & audiri debet etiam à nolente, habes tamen adhuc aures alias, cordis, nimirum, quas occludere potes ac debes, per diſplicentiam, ſicut aquila contemnit corniculæ inſultationem & obtrectationem: teſte Pier. *l. 19. hierogl.* Audi Eccleſiaſticum cap. 9. *Audiſti verbum aduerſus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quod non te dirumpet*, q. d. ſepeli illud æternâ obliuione: non eſt enim veluti vinum nouum, quod dirumpit dolium niſi meatus habeat, per quos expiret. Nec eſt inſtar partus mulieris, qui neceſſariò emitti debet: propterea ſubiungit mox: *à facie verbi parturit fatuus*, id eſt, ſtulti ſunt illi, qui putant ſe retinere non poſſe tale verbum; putant enim ſe parturire. Huius rei figura habetur Exod. 38. vbi conſtituit Deus vt eſſent in templo certi lebetes, in quos candelarum emunctiones proijcerentur, ne tetro ſuo odore aſtantium nares offenderent: ſed in aqua merſæ protinus extinguerentur. Voluit igitur inſinuare, detractionum fætores mox ab audientibus obruendos & extinguendos, ne ad alios deferantur eoſque offendant. In vita SS. Patrum dicitur; *Tege peccatum fratris tui, & Deus teget tuum.*

Exemplum recenſet Osbertus *in vitâ S. Dunſtani Epiſcopi cap. 13. 14.* apud Sur. 19. Maij de Edmundo Angliæ rege, qui vocauerat ad aulam ſuam Dunſtanum, eiuſque operâ fideliſſimâ vtebatur. Sed interim detraxêre viro ſancto apud regem inuidi aliqui, quaſi non ſyncerè, ſed ad oculū tantùm ſeruiret & in pectore odium regis foueret. Perſuaſus facilè nimis à detractoribus rex Dunſtanum dignitate priuat, & è curiâ pellit. Triduo poſt abit rex venatum: vbi cùm ceruum fugientem equo inſidens inſequeretur, & ceruus per præcipitium ruens interiiſſet, canes etiam & equus regis ſimiliter ruptis habenis curſim ad præcipitium tendunt, ita vt deſperaret rex: ibi tum incipit meminiſſe Dunſtani & detractionis auditæ, & recolere iniuriam viro factam. Spondet igitur ipſo in curſu præſentiſſimo periculo, ſatisfactionem & erroris emendationem: tantùm vitam rogat. Mirum ſubſiſtit equus in ipſo curſu, & rex ſaluatur. Mox igitur Dunſtanum reuocat rex & veniam ab eo petit, ſpondetque ſe impoſterum nullis amplius

pliùs obtrectatorum linguis aures præbituyrum. Videtis hîc quàm appoſitè rex iſte à Deo caſtigatus ſit. Quod fecere ei obtrectatores, hoc fecerunt ei canes. Obtrectatores illi B. Dunſtanum veluti canes ceruum innocentem maledicis inſequebantur linguis, adeoque in præcipitium depulére vti de faſtigio honoris deponeretur; interim etiam regem furoris equo ductum ad præcipitium peccati abduxêre. Quid mirum ergo ſi ſimili modo quo peccauit, punitus & ad præcipitium montis adductus, de vitâ periclitatus eſt? Caueamus igitur ab his, ne & nos in præcipitium ab illis deducamur.

CONCIO VI.

Remedia contra detractionē actiuam & paſſiuam.

Primum remedium detractionis actiuæ aſſignatur, conſiderare vilitatem huius vitij.

2. Attendere ſibiipſi.

3. Conſiderare iniurias & noxas detractionis, quod vulneret audientem & abſentem; imò & detrahentem tam ſpiritualiter quàm corporaliter.

4. Conſiderare detractorum pœnas.

Paſſiua ſunt hæc: Contemnere detractionem; benè ſe gerere.

Nolle audire; imo gaudere potius.

THEMA.

Murmurabant Phariſæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit. Luc. 15.

A. SEcunda Pharaonis & Ægypti plaga, quam intulit ei Dominus per Moyſen, fuit ranarum multiplicatio, eaque tanta vt operirent terram Ægypti. Ingrediebantur enim *domum* Pharaonis *& cubiculum lecti* eius, *ſuper ſtratum* eius, *& in domos ſeruorum* eius, *& in populum* eius, *& in furnos* eius, *& in reliquias ciborum* eius; denique tanta erat hæc plaga, vt Pharaonem compelleret orare Moyſen pro liberatione, quod non fecerat in priori plagâ, quâ aquæ Ægypti conuerſæ erant in ſanguinem. Morali ſenſu per has ranas non immeritò intelligimus detractores. Vt enim ranæ, *quamuis ſint ſub aquâ* (vt cecinit quidam) *maledicere tentant*: Ita detractores, licet ipſi vitijs ad aures vſque immerſi ſint, aliorum tamen vitia carpunt & diffamant. Rurſum vti ranæ ſub noctem ſolùm inamœnam ſuam & moleſtam adoriuntur & concinnant muſicam, die verò aduentante vel face accensâ conticeſcunt; ita detractores in tenebris tantùm canunt, quia abſentes ſolùm rodunt: quibus præſentibus vel caſu aduentantibus nihil oblatrare audent. Denique vti ranæ illæ Ægyptiæ omnia peruadebant: Regem & ſubditos infeſtabant, & nihil non fœdabant: ita & detractores nemini parcunt. Eiuſmodi ranas coërcuit in hodierno Euangelio Dominus, Scribas & Phariſæos.

Atque vtinam hæ non eſſent in noſtra communitate. Sed quia Hieronymo teſte epiſt. ad Celantiam, pauci admodum ſunt, qui huic vitio renuntient; *rarò inuenies qui ita vitam ſuam irreprehenſibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam.* Et alibi: *nihil tam facilè quàm alios viles facere, quia alterius vituperio laudari nos arbitramur*; idcircò vereor ne & quidem multi ſint de nobis vitio huic obnoxij. Imò experientia quotidiana comprobat, nihil eſſe communius & quod minùs reputetur malum adeoque caueatur. Et tamen interim reuerà grande malum eſt, non tantùm communitati pernicioſiſſimum & infeſtiſſimum, ſed etiam ipſis detrahentibus turpiſſimum & exitioſum. Quare ſi ſapimus, cum Pharaone oremus, vt à nobis hæ ranæ auferantur: & quantum in nobis eſt, cum Moyſe, remedium adhibebimus tam ijs, qui ad detrahendum proni ſunt, quàm ijs quibus detrahitur.

PRIMVM. Conſidera vilitatem & turpitudinem huius vitij, viro indignam. Quis enim non vilem iudicaret homuncionem, qui ſurdo malediceret? Sanè id expreſsè vetuit Deus Leuit. 19. *non maledices ſurdo.* Surdus enim cùm ſe defendere verbis nequeat, quia detrahentem non audit, tantò maiori iniuriâ afficitur à maledico, & maledicus interim vilem ſe & mendacem eſſe oſtendit, qui aurito dicere non auſit, quod dicit. Idem agit, qui abſenti detrahit; abſentis enim famam rodit. *Surdo maledicere*, inquit S. Gregor. 3. p. paſtor. admon. 36. *eſt abſenti & non audienti derogare.* Rurſum apud homines turpiſſimum eſt, retro & inaduertenter aliquem percutere. Talis enim prodit ſuam impotentiam, timiditatem & nequitiam. Idcircò id etiam prohibuit Deus, *Deut.* 27. per Moyſen cùm inter alias maledictiones etiam iſtam populo propoſuit: *Maledictus qui clam percuſſerit proximum ſuum: & dicet omnis populus: Amen.* Et quid aliud facit detractor? Audi Eccleſiaſten cap. 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Quemadmodum ergo ſerpentes & clancularij percuſſores meritò omnibus odioſi ſunt: ita & detractores habendi ab omnibus. Vnde Apoſt. ad Rom. 1. vocat detractores *Deo odibiles.* Similiter Dauid eos auerſabatur: *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar*, inquit Pſal. 100. *Et Prou.* 24. ait Sapiens: *Abominatio hominum detractor.* S. Auguſtinus cum talibus cibum comedere nolebat, vt alibi diximus. Ipſi etiam gentiles Imperatores detractores vehementer auerſabantur, quia nimirum eſt vitium naturæ contrarium, quod amicitiam diſſoluit. Veſpaſianus & Titus tanto eos odio proſecuti ſunt vt flagellis cæſos, veluti publico exitio deſtinatos per Amphiteatri arenam ſpectandos traducerent. Alexand. ab Alexand. *l.* 21. *Gen. c.* 22. Domitianus cæteroqui perditiſſimus, hac vnâ re ſapere viſus eſt, quòd detractores vrbe expulerit, hanc vocem crebrò vſurpans: *Obtrectatores & calumniatores, qui non caſtigat irritat.*

Remedia actiua. B. I. *Conſidera vilitatem huius vitij.*

rat. Tymp. *in ſpec. Magiſtr. p.* 1. *ſig.* 47. Quando igitur corā Deo & hominibus tam vile & turpe vitium eſt detractio, quis non ſibi ab eâ ſedulò caueat? Si dicerem nunc alicui Germano: **Ghy en ſyt niet redelijck / en ſchandelijcker ſcheyndt ghy andere:** nequam es & nequiter alios cædis; quantum hoc putaretur eſſe conuitium? Itaque ſi Germani ſumus & verè eſſe volumus, deteſtemur detractiones, quæ minimè ſunt Germanæ, ſed neque Chriſtianæ, quia à Chriſto nequaquam edoctæ. Chriſtus præſentes obiurgabat, abſentes commendabat; vti Iudæos quos in faciem ſæpe âcriter reprehendit, *generationem adulteram, ſepulchra dealbata, filios diaboli* nominauit; abſentes verò oues & filios ſuos appellauit, vti Matth. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael.* Et rurſum: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus.* Hoc ergo laude dignum, hoc virtutis opus eſt.

C. II. Attende tibi ipſi.

Secvndvm: Attende tibi ipſi. Sicut enim qui domi multis negotijs diſtinetur, non habet otium curandi aliena: qui autem alienis occupatur, apertè declarat vel ſe non curare ſua, vel non habere domi quod curet: ita qui diligens eſt inſpector ſuæ conſcientiæ, tam multa in ea reformanda inueniet, vt otium non habiturus ſit ad curanda aliena: qui verò aliorum vitia carpere ſolet, indicat ſe cæcum aut negligentem eſſe in proprijs moribus emendandis, adeoque viciosum. Nullus enim detractor, niſi conſcientiæ propriæ negligens curator. Qui hortulum ſuum diligenter excoleret, non haberet otium excolendi alienum. Vnde Ageſilaus Rex Lacedæmonum, apud Plut. non minùs inquirendum iudicabat in eos, qui alios vituperabant, quàm in eos qui vituperabantur; quin detractores magis detegunt morbos ſuos, quàm alienos: atque ita iuxta Domini verbum *Matth.* 7. vident feſtucam in oculo fratris, trabem autem in proprio non vident. Contrà verò boni, *cùm alienas culpas audiunt, mox ad cor proprias reducunt,* ait S. Gregor. *libr.* 3. *moral cap.* 18. qui enim ſunt, quæſo, qui alienas ferè domos peruagantur & raro domi manent, niſi, qui ſua non curant, & fortè iam abligurierunt; Qui ſunt qui in foro toties conſidentes colloquuntur, & de alijs perperam loquuntur, niſi qui malè ipſimet audiunt & vitijs pleni ſunt?

D. III. Conſidera iniurias & noxas detractionis.

Tertivm. Conſidera multiplex nocumentum & iniurias quas detractio affert: Vno enim ictu triplex vulnus infert. Vnde Bernardus in ſerm. vocat eam lanceam, quæ tres vno ictu penetrat, auctorem, auditorem, abſentem. Imprimis enim vulnerat audientem, dum etiam ipſum detractionis participem facit, & dum eum per alienorum vitiorum manifeſtationem ſæpe à bono retrahit & in malo confirmat. Si enim audiens peccator ſit; ſegnior fiet, peccati ſocium nactus. Si iuſtus; in arrogantiam tolletur, quòd non ſicut cæteri hominum, raptores, &c. Secundò abſentem, cui detrahit, confundit & honore ſuo ſpoliat, vnde ſæpe magna illi proueniunt detrimenta; & ſimul iniuriam ei facit, (licet vera narret) ſi occulta eius peccata pandat: quia habet proximus ille adhuc ius ad conſeruandam ſibi famam bonam. Adhæc forte Deus iam remiſit illi, quod tu carpis. Vnde S. Ioannes Eleemoſynarius Epiſcopus, etiam publicè peccantes taxari vetabat: *Fieri quippe poteſt,* aiebat, *vt peccatum pœnitendo deleuerint. Iniquum eſt enim id ab homine petulanter exprobrari quod clementer à Deo eſſet condonatum.*

1. *Vulnerat audientē.*

2. *Abſentē.*

Tertiò multò magis percutit ſeipſum. Primò ſpiritualiter, quia aliena, quæ carpis, vitia in te deriuas: vti flumen exundans ſordes terræ in ſe transfert. Priuſquam enim alterius famam denigres, tuam ipſius animam fœdiſſimo peccato commaculas. In cuius rei ſignum Maria ſoror Moyſis cùm fratri detraxiſſet, *iratus contra eam Dominus abijt, nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum & ecce Maria apparuit candens leprâ quaſi nix.* Num. 12. Quia, vt ait Origenes homil. 7. in Numeros, *ſi eſt in aliquo gratia Spiritus ſancti & obtrectat & detrahit, recedit ab eo poſt obtrectationem, & leprâ repletur anima eius.* Deinde reus fit omnium peccatorum, quæ ex eius detractione ſequuntur & committuntur ab alijs: fierique poteſt vt ad finem vſque mundi detractio aliqua operetur: ſicuti illa Martini Poloni, quâ ſedis Apoſtolicæ gloriam, falſiſſimè confictâ fabulâ de Ioanne Papiſſâ (quæ hodieque à multis creditur) denigrauit. Adhæc reſtitutioni ſe obnoxium facit famæ & damni emergentis. Talis enim ictus linguæ non ſanatur niſi eâdem linguâ reuocante id quod dixit: Sicut ictus Scorpionis: & vulnus quod inflictum ab Achillis haſtâ, non ſanabatur niſi impoſitione eiuſdem haſtæ; quia *ſine reſtitutione pœnitentia non agitur, ſed fingitur,* ait S. Auguſt. *ep.* 54. Narrat S. Vincentius Ferrerius ſerm. 1. Dom. 1. in Albis, ſe à quodam fuiſſe diffamatum, qui poſt mortem propterea in purgatorio aliquamdiu detentus poſteà ſibi apparuit & veniam petijt. Atqui facilè patet, quàm difficulter fama reſtituatur: quis enim libenter ſeipſum accuſat & confundit, dicendo ſe mentitum vel iniuriam alijs feciſſe? Facilè dimittitur ex caueâ auis, ſed non ita facilè in eandem retrahitur. Ita verbum detractionis facilè depromitur & alijs inſinuatur, ſed non ita facilè reuocatur; volat irreuocabile verbum.

3. *Detrahens in ſeipſum.*

1. *Spiritualiter.*

Secundò corporaliter, quia ſæpe tales detractiones, ad illos perferuntur, quos impetiuêre, maximè magnates & Reges qui vt longas manus, ita longas quoque habent aures: qui ſæpe graues ſumunt vltiones. Vnde Eccleſ. c. 10. *In cogitatione tuâ regi ne detrahas & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam.* Hinc Pythagoræ monitum; In aſtrum numquam digitum intende, id eſt, de magnatibus nihil temere loquere.

2. *Corporaliter.*

Denique iram Dei & ſupplicium in ſe prouocat

nocat. Idcircò iratus Dominus contra detractores, abijt vt ſuprà; quia nimirum *ira furoris Domini efficitur ſuper eos qui malè loquuntur & detrahunt*, inquit Orig. vbi ſup. Audi Sapientem Prou. 24. *Cum detractoribus non commiſcearis: quoniam repentè conſurget perditio eorum, & ruinam vtriuſque quis nouit?* Narrat exemplum Tho. Cantipr. l. 2. Apum c. 37. p. 3. *Noui*, inquit, *ordine, non actibus ſacerdotem, qui in tantum vitio linguæ deditus erat, vt potiùs de ſe peſſima mentiretur, quàm non ſocios vel cohabitantes ſibi criminibus infamaret. Hic ante mortem raptus in furiam, tantà in ſe debacchatus eſt cæde, vt proprijs dentibus linguam maliloquam laniaret & palam cunctis oſtenderet, quòd quia linguâ ſuâ doloſe egerat, & venenum ſub labijs eius, quaſi ſepulchrum patens guttur illius fœtorem teterrimum anhelaret: & per quæ peccauerat, per eadem torqueretur.* Godefridus Bullionius Dux Lotharingiæ Hieroſolymorum Vrbem obſidens cùm in turrim Dauidicam telum ciaculatus eſſet, tres ſimul alites eo confixit (vnde ea familia tres auos ſagittâ transfixas gerit in inſignibus, vt ſcribit Claudius Paradinus in ſymb. heroum pag. 39. quod, vt par eſt credere, omen ei fuit conſequendæ regiæ dignitatis Hieroſolymis. At longè diſpar omen eſt linguæ eiaculantis telum detractionis; quia & longè diſpar telum quod ſimul tres configit homines, dicentem, audientem, abſentem; & quandoque etiam triplicem eodem iaculo cædem committit, vitam animæ, gratiam extinguens in audiente & ſeipſo, vitam ciuilem in abſente, vitam corporis in ſe cùm detractionis pœnas luit. Triſulcum igitur hoc fulmen ſeu telum quid aliud detractori protendit niſi pœnam triplicem ſuo tempore luendam?

E. IV. Conſidera detractorum pœnas. Denique conſidera quàm grauiter detractores aliqui à Deo puniti ſint in exemplum aliorum, P. Ieremias Drexelius in ſuo Phaëthonte refert ex Ioanne Maiore S. I. de viro religioſo, *ſed veſte ſolùm non moribus, qui rabido detractionis dente quoſuis lacerare ſolitus eſt. Hic cùm iam in extremis ageret, monitus & rogatus eſt, ſollicitè cogitaret, quodnam iter inſiſteret, quo tenderet, de totâ nunc æternitate agi: Omittite hæc, inquit, monetis fruſtrà. Illi verò diuinam clementiam opponere, fiduciam in Deum ſuadere, & omni modo animum ad alta erigere conati ſunt. Sed moribundus linguam exerens & digito eam percutiens: Hæc, inquit, lingua peſſima me damnauit. Dixit & lingua repente ſic intumuit, vt in fauces retrahi nequiuerit. Ita infelix expirans, grande documentum dedit detractoribus, vt alienis ſaltem detrimentis ſapere diſcant & emendatiùs loqui.* Itaque nolite detrahere alterutrum, fratres mei, inquit S. Iacobus c. 4. ep.

Remedia paſſiua. F. I. Contemne. Nunc remedia paſſiuæ detractionis videamus. PRIMVM; Contemne, niſi tua infamia alijs ſit noxia. Primò, quia quantuſcunque & quantumcunque ſanctus ſis, patieris tamen obtrectatores. Si enim Chriſtus ipſe, Dæmoniacus, Samaritanus, homo vorax & potator vini vocatus eſt, & ſæpe contrariæ de eo opiniones ortæ ſunt, dicentibus alijs, *quia bonus eſt*: alijs *non: ſed ſeducit turbas*; &c. cur tu immunis eſſe velis? Idcircò Pius II. Papa malè de ſe opinantes & loquentes nunquam coërcuit: & cùm quidam apud ipſum quereretur, quòd malè audiret: *De me quoque*, reſpondit, *qui malè ſentiant, ſi in campum Floræ proficiſcaris, multos audies.* Platina in eius vitâ. Alcibiades Athenienſium Dux ob eandem cauſam, quia nouerat virtute & dignitate præſtantes viros non ita compeſcere linguas hominum poſſe, vt malè quandoque non audiant; cani miræ magnitudinis & formæ, quem magno pretio emerat, caudam penitus abſcidit; atque ita per ciuitatem eum dimiſit. Quòd cùm multis ſtultum videretur, referentibus id amicis, & quòd paſſim proptereà circumferretur; monentibus ridens ait, rem vt volebat eueniſſe; voluiſſe enim ſe paruo illo errore materiam ſui colpandi præbere vt à grauioribus criminationibus hoc pacto abducerentur: quandoquidem ſciret eos omninò abſtinere à maledicentiâ non poſſe. Plut. in Alcibiade. Et qui, quæſo, magis obnoxij ſunt obtrectationibus, quàm ſumma capita & ſanctiſſimi viri? Quid calumniarum & obtrectationum paſſa eſt etiam à religioſis ſancta Tereſia nuper ob eximiam ſanctitatem in ſanctorum album relata? A quammultis putabatur & dicebatur ſimulatrix, Saga, Venefica, &c. Et de quo crebriùs malè loquuntur homines, quàm de Imperatore & Pontifice, regibus, & principibus ſuperioribus?

Secundò, quia non eſt curandum, quid vulgus dicat imperitum de aliorum vitâ. Pictor non curat, quòd aliquis ruſticus imaginem eius vituperet, quia ſcit artis imperitum. Vulgus verò & plebei, dum malè de bonis loquuntur, produnt ſe artem bene operandi neſcire. Demetrius dicebat ſe maledictum non plus curare quàm flatum vtrum, qui parum refert, ſurſum an deorſum feratur. Melius Apoſt. 1. Cor. 4. *Mihi autem pro minimo eſt*, inquit, *vt à vobis iudicer*, &c. *Qui enim iudicat me Deus eſt.* Sufficit ergo Deo probari; qui ſolus eſt noſtri curſûs agonotheta, Iudex & præmiator. 2.

Tertiò, quia ſi innocens ſis, nihil tibi nocebit obtrectatio. Ideò Antiſtenes dicebat potiùs tolerandos maledicos, quàm qui nos lapidibus impetunt? verba enim non lædere, ſi quis contemnat. Laërt. l. 6. cap. 4. 3.

SECVNDVM. Bene te gere, vel errorem emenda, & obturabis os detractori. Vnde Hieron. ep. ad Furiam, *ſi anno præterito*, inquit, *fama mentita eſt, aut certe ſi verum dixit, ceſſet vitium & ceſſabit rumor.* Sigiſmundus Imperator cùm apud illum accuſaſſent purpurati maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ de ſuo principe paſſim obloqueretur, ſubridens Imperator: *An nobis*, inquit, *graue videtur illos malè loqui, cùm nos malè agamus?* Æn. Syluius l. 2. comm. de reb. geſt. Alph. Indicauit Imperator in nobis ipſis ſitum eſſe, quòd be- G. II. Bene te gere.

ne vel malè audiamus. Cùm quidam Platoni diceret; eſſe nonnullos qui ipſum maledictis inſectarentur; *Aſt ego*, inquit, *ſic viuam, vt illis non habeatur fides.* Anton. p. 2. *Meliſſ. ſer.* 99. Sic loquendum, ſic viuendum.

II. III. Noli audire. TERTIVM. Noli audire, nec velle vt ad te perferantur, Quò videntur pertinere verba illa Eccli. 28. *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire.* q. d. obduc ſepem auribus tuis, ne poſſeſſio & virtus tua lædatur, vt indicat Græca verſio. Quod monitum quàm ſalutare ſit, declarauit S. Bernardinus ſerm. 30. art. 2. illuſtri exemplo. *Fuit*, inquit, *iunior quidam Concionator, qui in magno hominum cœtu famam ſenioris cuiuſdam Eccleſiaſtæ arroſerat, ſed fidem non meruerat apud plebem. Senior ille, vbi rem per certos homines cognouit, pro concione omnes auditores obteſtatus eſt, ne quis in poſterum viuâ voce aut ſcripto ſe ſodaleſve ſuos de ijs, quæ iunior ille in nomen ſuum effutiſſet, certiores redderet. Quâ obteſtatione effecit, vt populus ſenioris virtutem ſuſpiceret, iuniorisq́; leuitatem ita deinceps inſectaretur, vt coactus fuerit, (quod illi primarij viri pro recuperanda ſama ſuaſerant) in publicâ proceſſione genibus flexis à ſeniore noxam deprecari.*

I. IV. Gaude potiùs. QVARTVM. Gaude potiùs, primò quia per hoc clarior redderis, ſicut lumen cùm emungitur: quando interim qui emungit, digitos ſuos denigrat.

1\. Secundò, quia ſic vnus de domeſticis Chriſti eris, qui dixit: *Si Patremfamilias Belzebub*

2\. *vocauerunt: quanto magis domeſticos eius? ne ergo timueritis eos, Matth.* 10.

3\. Tertiò, quia Deus honorem tuum tempore debito defendet, multoque melius quàm tu poſſis. Audi Origenem ho. 7. in l. Num. *Audite*, inquit, *quantùm beneficij conferunt obtrectantes. Nunquam enim inuenimus Dominum tantum laudaſſe Moyſen, quantum tunc, cùm detrahitur. Vide quid ſibi pene obtrectantes contulerunt, quid illi laudis; ſibi turpitudinem, illi ſplendorem; ſibi lepram, illi gloriam.* Sic ille. Idem patet de Magdalenâ, cùm eam Phariſæus ſpreuit.

Denique, *beati eſtis*, inquit Dominus Matt. 5. *cùm maledixerint vobis homines & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*; quam nobis tribuat Deus.

CONCIO VII.

Efficacia & natura verbi Dei varijs ſimilitudinibus exprimitur.

1. *Apud Iſaiam cap.* 55. *comparatur verbum Dei aquæ, vino, lacti, pani & imbri.*
2. *Apud Ieremiam c.* 23. *igni & malleo.*
3. *Dauid pſal.* 118. *comparat lucernæ & ſagittæ.*
4. *Chriſtus Dominus, ſemini & grano ſinapis,* Luc. 8.
5. *D. Paulus gladio*, Heb. 4. Epheſ. 6.
6. *D. Iacobus ſpeculo, c.* 1.
7. *Sapiens Medicinæ.* Sap. 16.

THEMA.

Accendit lucernam, & quærit diligenter, Luc. 15.

SOlent artificioſæ picturæ cortinulis obuelari, & ita velatæ in ædibus locari, non vt ingredientibus negetur illarum intuitus, ſed ad præſtantiam earum deſignandam, quàm qui vult cognoſcere, facilè remoto velo poterit: qui verò artis amans non eſt, hoc pacto occaſionem non habebit, picturam cauillandi aut ridendi. Ad hunc modum proponit Chriſtus doctrinam vitæ, ſapientiâ diuinâ plenam, ſed ferè ſub parabolis, quaſi cortinulis velatam: non quòd eas vlli hominum inuideat (quomodo enim hac ratione vellet omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire? 1. *Tim.* 2.) ſed ad maieſtatem doctrinæ inſinuandam, quam qui vult cognoſcere, facilè id poterit, remoto nimirum velo per explicationem à SS. Patribus deſumptam & per Concionatores propoſitam. Quod ſi quis doctrinæ cœleſtis oſor eſt & contemptor, tùm meritò ei velatur, vt *videntes non videant & audientes non intelligant* ait Dominus *Luc.* 8. idemque dixit alibi, cùm vetuit margaritas proijci ante porcos. Quoniam itaque hodie eiuſmodi picturam aliquam, Verbi Dei, ſub typo lucernæ accenſæ proponit: eiuſdemque verbi plures alios typos reperio in ſcripturis, idcircò eos proponemus remoto obſcuritatis velo. Conuenerunt hodie ad Chriſtum Publicani & peccatores vt audirent verbum eius, nos igitur verbi huius efficaciam, pulchritudinem & præſtantiam oſtendemus. A.

PRIMÒ. Apud Iſaiam cap. 55. comparatur varijs rebus, aquæ, vino, lacti, pani, imbri. *Omnes ſitientes venite ad aquas*, inquit: aquas nimirum Sapientiæ ſalutaris, vti vocantur *Eccli.* 15. Primò, quia conſolatur & refrigerat, ſicut hauſtus aquæ ſitientem: Quàm multi enim ex concionibus domum abeunt magno cum ſolatio, quia deſolati aduenerunt? Secundò, quia purgat à ſordibus peccatorum: Vnde *Ioann.* 15. ait Dominus: *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* Proinde quaſi ex balneo egrediuntur, qui de concione cum fructu auditâ diſcedunt. Ac licet auditam citò obliuiſci quis ſoleat, ſi tamen crebrò nihilominus audire pergat, paulatim interim emundabitur; ſicuti vas, quod ſæpius aquâ reples, licet mox eam effundas, mundatur tamen interim magis. *Qui hodie quod audiuit, repulit* (inquit S. Chryſoſtom. homil. 1. de Lazaro) *cras fortaſſe audiet & recipiet.* Vt enim *lana crebrâ tincturâ tandem colorem accipit*, ait idem Chryſoſt. de diuerſis: *ita anima noſtra in verbum Dei ſæpe intincta.* Hinc S. Catharina Senenſis Concinatorum veſtigia ſolebat deoſculari, quòd miniſterio Verbi Dei animas à peccati deformitate ereptas honeſtare & pulchras efficere contenderent.

II. I. Secundùm Iſaiam. 1. Comparatur aquæ.

rent. Lud. Granat. in *Sylvâ loc. commun. claſſe* 3. Tertiò, quia *mollis admodum natura eſt aqua*, inquit Abbas Pimenion, *lapidum autem duritia eſt ingens: attamen dum guttatim in durum decidit ſilicem, tandem eum perforat: ita & verbum Dei molle & dulce eſt. Corda autem noſtra dura ſunt, minimè eius capacia, eius autem cor qui frequenter & ſedulò verbum Dei audit, tandem emollit, ſic vt ſuauitatem & fructum plenè percipiat.*

II. Vini. Vino comparatur ibidem cùm dicitur: *Emite abſque argento & abſque vllâ commutatione vinum & lac.* Quia nimirum *ſicut vinum*, ait S. Chryſoſt. hom. 22. to. 4. *dum bibitur, triſtitiam ſedat, & cor mutatur in lætitiam: ſic & ſpirituale vinum ſcripturarum dum bibitur, in lætitiam conuertit animam.* Imò ebrios facit, id eſt, curarum mundi obliuiſcentes. Hoc enim inebriatus Matthæus telonium reliquit; Samaritana hydriam; alij opes, honores, &c. Deinde quia ijs, qui bonæ ſunt voluntatis, prodeſt, obſtinatis verò ad maiorem perditionem cedit. Vnde Origenes *ho.* 5. *in l. Iudicum* ait: *Vinum ſanos & commodè degentes iuuat & ſicut ſcriptura dicit; Cor hominis dumtaxat lætificat; febricitantibus verò, ſi ſumpſerint, perniciem continuò & interitum parit. Ita fit vt eadem res (cuiuſmodi eſt verbum Dei) vni quidem vitam, alij autem conferat mortem.* Sic Puariſæi audito verbo Chriſti ſcandalizati ſunt, quo diſcipuli eius ædificati, *Matth.* 15. Vnde *Prouerb.* 25. dicitur: *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo.* Nam vt nitrum in aceto crepat & ebullit: ſic peruerſa mens per increpationem fit ſæpe deterior.

III. Lacti. Lacti verò aſſimilatur Primò ob dulcedinem eius. Vnde Dauid, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo!* Et bene *dulcia*, inquit in eum locum S. Ambroſius *quibus prædicatur remiſſio peccatorum, vita perennitas, reſurrectio etiam defunctorum, quæ perpetua mortis & acerba amaritudinem temperarunt.* Sic ille. Vnde Petrus exclamat ad Chriſtum: *Verba vitæ æternæ habes*, Ioan. 6. Quòd ſi eadem verba aliquibus, vti ibi Iudæis, dura videntur, ex ipſorum deprauato guſtu venit. Secundò ob nutritionem & augmentum, quod inſtar lactis præſtat paruulis. Vnde Apoſt. 1. *Cor.* 3. ait: *Lac vobis potum dedi, non eſcam.* Qui lacte hoc non vtuntur crebrò, non creſcunt, ſed ſemper in ſcholâ Eccleſiæ pueri manent. Qui verò ſedulò vtuntur, ita creſcunt & proficiunt, vt tandem per ſeipſos ambulare queant, ſeipſos in anguſtijs, morbis, aduerſitatibus conſolari, imò & alios, ita vt & ipſi præceptores & ductores aliorum fiant. Vetus & nouum teſtamentum duo quaſi vbera ſunt, è quibus lac illud hauritur. Quare ſicut ceruа ſalutares tantùm herbas quærit & comedit quò ſalubriùs lac gignere & fœtui propinare poſſit: ſic etiam Concionator quærere & ſeligere debet optimas & ſaluberrimas quaſque doctrinas, quas Auditoribus ſuis proponat.

IV. Pani. Ibidem pani comparatur, cùm ſubditur: *quare appenditis argentum non in panibus?* Ratio, quia inſtar panis, cor hominis confirmat & ſuſtentat, vt teſtatur Dominus Matth. 4. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Vti etiam panis & quicunque cibus pro diuerſitate membrorum in diuerſa conuertitur; Sic etiam Verbum Dei. *Nutrimentum, quod ſuſcipit iecur*, inquit Chryſoſtom. hom. 58. *totum fit ſanguis; quod autem ſuſcipit fel, bilis efficitur totum; quod vero in pulmone phlegmata ſunt; quod autem in mammillas totum efficitur lac, ſic ſacerdotibus in Eccleſia loquentibus verbum omnes recipiunt, vnuſquiſque autem conuertit illud ſecundum ſuum cor, ita vt vnum idipſum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem peruerſis ſuſcipiat iracundiam quaſi bilis: in alijs autem operatur dilectionem dulciſſimam, quaſi lac; in alijs autem odium quaſi phlegma nociuum & expuendum.* Sic ille. Pari modo ſi quis ſcurra vel ſacrorum irriſor, aut fabulator id audiat, mox in riſum & fabulam trahet. Hæc eadem verbi Dei proprietas indicata fuit per manna, quod vnicuique ſaporem reddidit, qualem quiſque optauit. Rurſum ſicut patriſfamilias eſt, filijs panem frangere vel ſcindere, & non ipſorum paruulorum, ne fortè ſeipſos vulnerent: ſic non eſt laicorum, ſcripturas exponere & ſibi ipſis concionari: ſed paſtorum Eccleſiæ: Non enim minùs periculoſa eſt vulgo S. Scripturæ tractatio, quàm panis inciſio.

V. Imbri. Vocatur ibidem imber. *Quomodo deſcendit imber & nix de cœlo & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram & infundit eam & germinare eam facit & dat ſemen ſerenti & panem comedenti: ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum ſed faciet quæcunque volui & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.* Ita ibi Dominus. Itaque primò ob fœcunditatem, quam affert orbi verbum Dei, imbri comparatur, vti etiam teſtatur Chryſoſt. in c. 7. Matth. *Sicut pluuia irrigat terram*, inquit, *vt fructum proferat: ſic doctrina hominem irrigat vt inſtitiam operetur.* Et certè ſicuti terra languet & areſcit, cùm pluuiâ deſtituitur (vti Eliæ tempore) ſic anima ſine verbo Dei. Rurſum ſicut imber vermes è terrâ proſerpere facit: ita verbum Dei peccata è cordibus extrahit per pœnitentiam. A Zachæo extraxit vermem auaritiæ, à Magdalenâ & Samaritanâ vermem impudicitiæ, à Thomâ vermem infidelitatis, &c. Item *Sicut imber*, ait Chryſoſtom. de diuerſis, *in ignem cadens facilè flammas deprimit: ita concupiſcentias facilè euaneſcere facit ſermo Dei in animam admiſſus.* Adhæc, vti imber in omnes homines ſub dio morantes decidit ſine vllo diſcrimine, & tam nobiles perfundit quàm ignobiles: ſic verbum Dei omnibus ſine perſonarum acceptione prædicandum eſt. Vnde *Deut.* 32. ait Moyſes: *Concreſcat* (70. habent, *exſpectetur*) *vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtilla ſuper gramina.* Viden' & ſuper herbas cadere pluuiam verbi Dei debere, & ſuper gramina, id eſt, ſuper magnos & paruos?

Sa-

C. II. Secundũ Ieremiã. I. Igni. SECVNDÒ. Apud Ieremiam, igni compara-
tur & malleo cap. 23. *Numquid non verba mea*
ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi mal-
leus conterens petram? Igni primò, quia vt ignis
non patitur ſe includi aut retineri vel abſcon-
1. di, ſed erumpit & omnia obſtacula perrum-
pens emicat; ſic *verbum Dei non eſt alligatum,*
vt ait Apoſt. 2. *Tim.* 2. ſed in ipſis etiam vincu-
lis & tormentis ſe manifeſtat. Vnde Apoſtoli
ad principes Iudæorum (*Actor.* 4. reſponde-
runt: *Non poſſumus, quæ vidimus, & audiuimus,*
non loqui. Ieremias etiam cùm propoſuiſſet,
non prædicare ampliùs, nec recordari nomi-
nis Dei: ſubdit ſe tacere non potuiſſe, quòd
vis ignis exæſtuantis & clauſi in oſſibus eius
vi erumperet, *Ierem.* 20. Quid non attentarunt
Imperatores terræ vt cohiberent Apoſtolos,
Martyres & Confeſſores à verbi Dei annun-
tiatione? ſed nihil effecerunt; proſcriptiones
exilia, bonorum direptiones, exauctorationes,
vincula, ſupplicia, mortes non tantùm potue-
runt, vt vim ignis huius continerent aut ſo-
pirent. Imò in ipſis tormentis ſæpe martyres,
quemadmodum S. Andreas, prædicare non de-
ſiſtebat. Secundò, quia vt ignis penetrat fer-
2. rum, ita vt non iam ferrum, ſed totum ignis
videatur: ſic etiam verbum Dei quem occu-
pauit, totum alium à ſe facit, ita vt dicere cum
Apoſtolo poſſit: *Viuo ego iam non ego; viuit*
verò in me Chriſtus. Simile de tinctura præbet
S. Chryſoſtom. de diuerſis: *ſicut enim lana,* in-
quit, *per tincturam perdit nomen prius: & voca-*
tur purpura vel praſinum vel coccinum, &c. *ſic*
vocatur homo ſpiritualis ex carnali; per verbum
Dei.

II. *Malleo.* Malleus verò vocatur (putà grandior &
qui petram conterere poſſit) quia omnia domat
& vincit: prout etiam Iere. 1. dixit Deus: *Ecce*
ego dedi verba mea in ore tuo, vt euellas & de-
ſtruas & diſperdas & diſsipes, &c. Quot duriſſi-
ma corda domuit hic malleus? Saulum, Cy-
prianum Philoſophum vnum, & alterum ma-
gum, Auguſtinum, Victorinum, &c.

Alios tamen indurat, vt malleus incudem.
Et hoc exigentibus eorum peccatis: ideo oran-
dum, ne incus fias. Idem contriuit ſtatuam
Nabuchodonoſoris, hoc eſt omnia regna
mundi, Idololatriæ dedita & ſubiecit Chri-
ſto.

TERTIÒ, Apud Dauidem comparatur
D. III. Secundũ Dauidẽ. I. *Lucerna.* Primò Lucernæ. Pſalm. 118. *Lucerna pedibus*
meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. (Simi-
liter à Chriſto in hod. Euangelio) *Quia ſi mem-*
bra corporis noſtri, ait ibi S. Ambroſius, *ſine lu-*
ce operari rectè non queunt (nam pedes vacillant
ſine lumine & manus errant) quantò magis ad ver-
bi lumen dirigenda ſunt animæ noſtræ veſtigia?
Quia ergo hæc Lucerna maximè neceſſaria eſt
in huius vitæ caliginosâ nocte ad iter no-
ſtrum verſus Cœlum dirigendum: idcircò vo-
luit Deus *Exod.* 27. vt lucerna ſemper arderet
in tabernaculo teſtimonij, quam quidem Sa-
cerdotes componerent, populus verò oleo
nutriret: *vt figuratè doceamur,* inquit Vene-
rab. Beda in eum locum, *quòd fideles & re-*
ligioſi Auditores prompta ad obediendum fidei cor-
da afferant, doctores verò eis ignem verbi cæleſtis,
quo illuminentur ad agnoſcendum, & inflammen-
tur ad diligendum Deum, prædicando miniſtrent;
Ad hanc lucernam examinanda ſunt opera no-
ſtra priuſquam ea patremus: ſicut cùm quid
in tenebris dignoſcere, volumus, ad lucer-
nam id deferimus & examinamus. Hinc et-
iam opus accuratum & elucubratum, *lucer-*
nam olere dicimus; cuiuſmodi forent opera
noſtra, ſi lucernam Verbi Dei illis præferre-
mus.

Secundò, Sagittæ. Pſal. 44. *ſagittæ tuæ acutæ* 2.
(populi ſub te cadent) in corda inimicorum regis. *Sagitta.*
Quibus verbis explicat Dauid modum, quo
Chriſtus amplificaturus erat imperium ſuum,
nimirum iaculis ſagittarum verbi Dei acutiſ-
ſimarum, quibus penetraturus erat corda ini-
micorum ſuorum, hoc pacto ſalubriter pro-
ſternendorum & ditioni ſuæ ſubijciendorum.
Vocantur autem verba Dei Sagittæ, quia ſe-
mel in cor ictæ, tenaciter infiguntur & diffi-
culter extrahuntur; vti experiuntur peccato-
res, quorum cor aliquando huiuſmodi ſagittâ
tactum eſt, quòd videlicet ab increpatione
verbi Dei perceptâ perpetuò infeſtentur &
requiem non habeant. Expertus fuit id Dauid
ipſemet, quando increpatus à Nathan fuit in
perſonâ Dei dicentis: *Ego vnxi te in Regem ſu-*
per Iſraël & ego erui te de manu Saul, & dedi
tibi domum domini tui & vxores domini in ſinu
tuo, dediq; tibi domum Iſraël & Iuda. Quare
ergo contempſiſti verbum Domini vt faceres ma-
lum in conſpectu meo? Vriam Hethæum percuſsiſti
gladio & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi.
Quamobrem non recedet gladius de domo tuâ in
ſempiternum &c. Hæ fuerunt illæ ſagittæ, de
quarum mordaci aculeo queritur *Pſ.* 37. di-
cens: *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, &*
confirmaſti ſuper me manum tuam.

QVARTÒ. A Chriſto domino Primò ſe- E.
men vocatur Luc. 8. plures ob cauſas vt vidi- IV.
mus aliàs. Potiſſimùm verò, quia vti in ſemine Secundũ
virtualiter continetur radix & fructus, ſic in Chriſtum Dominũ.
verbo Dei fides & opera. Ex auditu prodit fi- 1.
des, ex fide opera. Vnde bene dixit Chriſtus:
Regnum Dei intra vos eſt, Luc. 17. quia Verbum
Dei ſemen eſt & mater regni Cœlorum. Item 2.
quia ſicut abſque iacto ſemine, non gignitur
frumentum: ſic neque bona opera cœli me-
ritoria, niſi verbo Dei priùs audito. Rurſum 3.
quia vti ſemen terram requirit diſpoſitam,
non ſentibus aſperam, non lapidibus duram
&c. ſic verbum Dei auditorem quoque ido-
neum.

Item grano ſinapis. Matth. 13. Primò, quia II.
licet id acrimoniam habeat & linguam mor- *Grano ſi-*
deat, magnæ tamen ſalubritatis eſt, vt alibi *napis.*
dictum. Deinde, quia licet paruum & contem- 1.
ptibile ſit, maximam tamen vim & efficaciam 2.
habet. Denique, ſicut granum ſinapis contri-
tum & maſticatum maiorem vim exſerit, ita 3.
verbum Dei ſedulâ conſideratione ruminatum.

QVINTÒ. Apoſtolus ad Hebr. cap. 4. gla- F.
dio V.

Secundũ D.Paulũ Gladio.

dio comparat Verbum Dei. *Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti &c.* Et ad Eph. 6. *aſſumite gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei.* Ratio, quia *ſicut gladius*, ait Chryſoſt. ho. 8. c. 4. Matth. *carnes præcidit: ſic & ſermo Dei concupiſcentias carnales.* Vnde qui hoc verbi Dei gladio illicita ſibi præcidunt & propriam carnem mactant, deſignati ſunt per ſexaginta fortes illos lectulum Salomonis ambientes & tenentes gladium ſuper fœmur ſuum, *Cant. 3. vt in eum locum notat Philo Epiſcopus Carpathius, *Quicunque* inquiens, *verbum Dei corde & opere complent, fortiſsimi pugnatores ſunt: hi manibus ſuis, hoc eſt, rectis operibus gladium ſuum, conſcientia propria non alienum tenent. Non enim alienis precibus ſolummodò præſidunt, ſed ipſi quoque diligenti obſeruatione mandatorum ſeſe ab impietatis operibus abducunt, carnemq́; ſuam cum vitijs omnibus & concupiſcentijs mactant, ob idq́; enſem ſuper fœmur ſuum tenere dicuntur: nam fœmur carnis illecebras & voluptates deſignat.* Sic ille. Quoties igitur tentatio ſe prodit, toties verbi Dei gladius, id eſt, ſententia aliqua S. Scripturæ contra eam producatur, iuxta exemplum Chriſti profligantis dæmonem in deſerto ſe tentantem.

G.
VI.
Secundũ D.Iacobum, Speculo.

Sextò. S. Iacobus in ſua Canonica c. 1. comparat ſpeculo: quia nimirum Primò in eo intuetur ſeipſũ homo, & videt qualis ſit. Hinc
1\. ſicut Camelus & Elephas priùs, quàm bibant, turbant aquam, ne in limpida videlicet ſuam videant deformitatem: ſic malè ſibi conſcij fugiunt conciones. Cæterùm, qui in concione ſeipſum vidit, & inde egreſſus mox obliuiſcitur ſuæ deformitatis nec curat eã emendare, *ſimilis eſt viro conſideranti ſe in ſpeculo: conſiderauit enim ſe & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis*
2\. *fuerit*, inquit Iacobus. Secundò ſicut ſpeculum res oppoſitas, quas videre deſideramus, nobis repræſentat: ita verbum diuinum oſtendit no-
3\. bis Dei voluntatem. Tertiò ſpecula plana rem, vt in ſe eſt, referunt: concaua verò minorem quàm reuerà ſit: ita verbum Dei planè & ſynceré prædicatum & auditum, Dei voluntatem perfectè inſinuat: non ita, ſi verborum phaleris & humanæ eloquentiæ fuco exornatum proponatur. Quartò ſpecula concaua Soli op-
4\. poſita ignem concipiunt & accendunt: ita verbum Dei humili in corde inflammat voluntatem.

H.
VII.
Secundũ Sapientem, Medicinæ.

Septimò. *Sap.* 16. Medicinæ comparatur, quod omnia ſanet; modò homo ipſe non obſtet. Nam *ſicut qui corporali morbo laborant*, ait Chryſoſt. homil. 2. in Gen. *quamuis ſexcenties remedia afferat medicus, ſi valetudinarius medicinæ curam reſpuit; & medicus imponat pharmacum, infirmus autem impatiens doloris illud reijciat, nullã inde vtilitate ſuſceptã: ita nihil eſſe erit Eccleſiaſtes, niſi obtemperent Auditores.* Sic ille.

CONCIO VIII.

Multiplex lucerna à Deo accenſa noſtris hæreticis.

Prima, ſunt varia omnia futuræ in Eccleſia perturbationis.
2. Viri ſancti & Ordines Religioſi nouis Hæreſiarchis oppoſiti.
3. Grauiſsima grauiſsimorum virorum, Academiarum & conciliorum cenſura.
4. Confuſio & diuiſio Lutheraniſmi in alias hæreſes.
5. Turpis vita & mors Hæreſiarcharum.
6. Victoria de ijs obtenta, ſcilicet Ruſticis in Germania, Heluetijs, Saxone &c.

THEMA.

Accendit lucernam & euerrit domũ & quærit diligenter, donec inueniat eam. Luc. 15.

QVando aliquid perdimus in obſcuro loco, duo illa facimus, quæ notauit Domi- A.
nus in hodierno Euangelio. Primò enim accẽdimus lucernã, & quærimus diligenter. Quod ſi accenſo lumine nondum inuenimus, quod amiſimus, ſcopas adhibemus & locum ſedulò verrimus. Nihil ergo mirandum, ſi hoc idem faciat Deus, poſteaquam animas ſuas perdidit. At quis noſtrûm eſt, qui neſciat hæreticos noſtri temporis quaſi drachmas, è manu Chriſti lapſos in tenebras & ſordes hæreſeos decidiſſe, adeoque verè perditos eſſe? Hos igitur num dereliquit Chriſtus? Non ſanè: ſed imprimis lucernam illis accendit, eamque non vnam ſed multiplicem, vt facilè, ſi vellent, poſſent deprehendere ſe à verâ fide & regno Dei excidiſſe. Deinde quia hac ratione nondum inuenti ſunt, adhibuit etiam ſcopas & cœpit eos gladio cõpellere, vt redirent ad Eccleſiæ gremiũ. Quia verò fœlicem hanc neceſſitatem minimè intelligere volunt, ſed iniuriam ſibi fieri exiſtimant, oſtendemus hîc iure eos ſcopis quæri, qui ad accenſum lumen inueniri noluerunt.

Lucerna Prima ſunt varia omnia futuræ in B.
Eccleſia perturbationis, quibus vtiq; Deus cõ- I.
mõnere voluit homines vt cauerent ſibi. Quẽ-
admodum enim priuſquam terra incluſos ſpiritus emittat, & quæ in dorſo ſuo gerit, deglutiendo dehiſcat, ſolent audiri mugitus & tremor ſentiri, aliaque inſtantis mali ſigna præcedere, vt quod aues circumuolitantes clamoribus & frequenti alarum concuſſu accolas ad fugam hortantur, atque ipſi etiam ſerpentes è cauernis prorepentes ad tutiora loca ſe recipiunt: ita voluit Deus per varia prodigia commonere homines infelici illo ſæculo decimo ſexto, vt ſalutis ſuæ conſulerent. Imprimis enim nullo vnquam ſæculo tot tamque prodigioſæ eclipſes viſæ ſunt, atque illo, ita vt alicubi ſtellæ interdiu viſæ ſint. Eiuſmodi horrẽda ſolis eclipſis accidit anno 1518. quo Lutherus venenum ſuum euomere cœpit, & propterea à Maximiliano Imperatore ad comitia Au-

Varia omina futuræ in Eccleſia perturbationis.

Auguſtana euocatus fuit. Anno verò 1541. tres in cœlo ſoles viſi, ſeu duo circuli lucidi iuxta ſolem, quo anno Ratisbonæ habita concertatio inter Catholicos & Lutheranos. Anno 1544. bienno ante Lutheri mortem, ſolis defectio totum diem 24. Ianuarij tenuit & ſequentibus menſibus ter Luna defecit, quod poſt Caroli M. ætatem numquam accidiſſe memorant. Marianus apud Spondanū in Auctar. ad Baro. Quis verò non exiſtimet indicatum per hæc fuiſſe, defecturam in magna Europæ parte fidem & religionem, principes item hæreticos, veluti panoplia, Imperatori velut Soli aduerſaturos & lumen maieſtatis adempturos? Ruſſum noua in Cœlo ſtella viſa fuit anno 1572. menſe Nouembri in Caſſiopeiæ ſigno & durauit vltra annum, paulatimque minui cœpit, donec euaneſceret. Deſignaſſe putarit aliquis, Lutheraniſmum breuî extinguendum.

Anno 1529. circa initium Octobris nouum morbi genus, quod ſudorem Anglicum dixêre, in Germania inualuit, quo plurimi extincti: *prænuntium*, inquit Genebrardus, *hæreticæ peſtis, qua populum Anglicum erat paulò pòſt infectura*. Et quid ſi Auguſtanam confuſionem (confeſſionem vocant alij) prænotarit annò mox ſequenti cauſam & imperatori oblatam in comitijs Auguſtanis? Spondanus in Auctar. Præceſſit hunc morbum fames ſeptennis acerbiſſima: ſecuta verò eſt peſtis contagio.

Anno 1531. Mare ruptis aggeribus exundauit in Belgium: vnde in Zelandia multa oppida merſa, vbi templorum turres adhuc viſuntur. Spondanus ibidem. Deſignatum per hoc arbitror, luem hæreticam in Belgium quoque erupturam & plurimos ibi merſuram.

Anno 1542. In Germaniâ tanta locuſtarum vis fuit, vt cœli conſpectum volatu auferrent. Deſignabant, ni fallor, hæreticos vti ex Apoc. 9. intelligimus, omnia vaſtaturos. Sāguis prodigioſus pluribus locis viſus. Alibi enim ſanguinis riuus è terrâ profluxit, ad Bockelheym Hildeſiæ oppidum; alibi palus integra in cruorem verſa, non procul à Mersburgo alibi Ariſiæ ſanguinem ſtillarunt: alibi cœlum ſanguine pluit. Florimund. Remund. de Orig. hæreſ. l. 3. c. 12. Quid verò hæc nunciabant niſi ſanguinis effuſionem operâ hæreticorum patrandam in Germania.

Fœtus prodigioſus natus in Saxonia eo tempore, quo Lutherus primò à Papa excommunicatus fuit, Monachi cucullo contecti ſpecie, quem Saxones Minotaurum appellarunt: quo ſine dubio Lutherus excucullatus, fœdiſſimorum monſtrorum parens, fuit portentum. Florimund. l. 1. c. 15.

C.
II.
Viri ſancti & Ordines electi.

SECVNDA. Sunt viri ſancti & religioſi Ordines à fundamentis erecti, quos oppoſuit Deus nouis hæreſiarchis. Quemadmodū enim natura ſerpentes è cauernis ſuis antè prorepere nō patitur, quàm Fraxinus ei inimiciſſima florere incipiat vt contra venenatos morſus antidotum inde nobis parare queamus; nec priùs eiuſdem arboris florem decutit, quàm illi iam in latibula ſua ſe abſconderint: ſic Deus numquam finit prodire ab inferis hæreſin, quin eodem tempore inſignem aliquem ſanctum quaſi plantam producat, cuius vitæ ſucco contra peſtiferum eius venenum præſeruare nos poſſimus. Talis fuit S. Ignatius Loyola Societatis Ieſu fundator, qui octo annis poſt Lutherum natus, annis decem poſt eundem obijt, arbor fertiliſſima præſentiſſimorum remediorum contra toxicum Lutheri; quam etiam ſperandum eſt, non priùs defecturam, quàm omnes hæreſes extinctæ ſint. Sanè Philippus Melancthon morti vicinus, audiens Ieſuitas per vniuerſum orbem ſeſe effundere & Eccleſiam inſtaurare, ductis ex intimo corde ſuſpiriis exclamauit: *Ah, quid hoc eſſe dicam? Video ſanè totum mundum breui Ieſuitis repletum iri.* Florimundus *de Orig. hæreſ. lib. 5. c. 3.* Quid nunc dicturus erat, vbi ſupra 300. Collegia eorumdem numerantur?

1. *Societas Ieſu.*

2. *Capucini.*

Secundò. Ordo Patrum Capucinorum, ſub regula S. Franciſci inchoatus circa annum 1525. qui pietate ſuâ ac bonis operibus vitæque auſteritate reuocaret homines à ſpurcitijs & Epicurea hæreticorum vitâ ac corruptis moribus, ſicut Societas Ieſu à corruptis dogmatibus.

3. *Theatini.*

Tertiò. Ordo Clericorum Regularium, quos Theatinos vocant, inſtitutus anno 1524. à Papa Paulo IV.

4. *Viri ſancti.*

Quartò. Ad hos acceſſêre alij viri ſancti circa id tempus Eccleſiæ donati, vti S. Philippus Nerius, S. Thereſia, S. Carolus Borromęus, Pius V. & alij, vt quo tempore peſtis hæretica ex vna parte vaſtabat Eccleſiam, eo aliâ ex parte piorum ſanctitas eandem erigeret & illuſtraret.

5. *Conuerſio exterarum nationū.*

Quintò. Acceſſêre ad Eccleſiæ Romanæ gremium exteræ nationes, India, Iaponia, America, Æthiopia ſeu Abyſſinorum regio. Et quo anno ruſticorum bellum graſſabatur in Germania, ſcilicet anno 1524. legatio à Dauide Æthiopiæ Imperatore & Helenâ eius auiâ ad Clementem Papam venit, obedientiam ab illis promittens Sedi Apoſtolicæ ac benedictionem poſtulans; Iouio & Genebr. auctoribus. Anno 1545. trium Iaponiæ regum qui operâ Patrum Societatis fidem Chriſti amplexi erant, Legati Romam miſſi ad obedientiam Summo Pontifici præſtandam, in Vrbem venerunt, poſtquam triennio in itinere fuiſſent. Spond. ibidem.

D.
III.
Grauiſſimæ grauiſſimorum virorum cenſuræ.

TERTIA Sunt grauiſſimæ cenſuræ grauiſſimorum & doctiſſimorum virorum, in hæreticos illos latæ. Primò, Leonis X. Papæ, qui anno 1540. Lutherum excommunicauit eiuſque libros publicè cremari iuſſit. Quo facto Lutherus ad deſperationem redactus inſanire in Pontificem & exitium illi minari; Bullam eius vnaque ius Canonicum publicè cremari iuſſit Witebergæ, addens: *Quoniam tu conturbaſti ſanctum Domini, ideo te conturbet ignis æternus.* Florimund. *de Orig. hæreſ. l. 1. c. 11.*

1. *Leonis X. Papa.*

2. *Academiarum.*

Secundò. Plurium Academiarum & Vniuerſitatum, vti Colonienſis, Louanienſis, & inprimis Sorbonæ Pariſienſis: quorum ſententiâ doctrina

doctrina Lutherana, execrandis erroribus ſcatens, ſimplicis populi ſeductiua, omnibus Doctoribus iniuria, poteſtati Eccleſiæ & Ordini Hierarchico impiè derogatiua, atque in Spiritum S. blaſphema eſt iudicata, ideoque vltricibus flammis committenda.

3.
Romanorum Principum.

Tertiò, Maximorum Principum. Maximiliani I. Imperatoris qui anno 1518. in Comitiis Auguſtanis diabolum humeris Lutheri inſidentem vidit, ac prædixit in aurem Baronis de Erpach, Monachum illum ingentes in Imperio turbas concitaturum, & calamitates inuecturum. Tilm. Bredenbach. in Collat. Caroli V. Imperatoris, qui in conuentu Wormatienſi euocatum ad ſe è Saxonia Lutherum & pertinacem repertum, hæreticum declarauit, & vt talem punire ſtatuit, eumque proſcripſit & capi deprehenſum iuſſit, an. 1521. Florim. l. 1. c. 13. & 14. Henrici VIII. Anglorum regis, qui egregium librum edidit aduerſus eius peſtiferam doctrinam, eo tempore quo adhuc Eccleſiæ Romanæ obediens, *defenſor fidei* dictus eſt.

4.
Patriarchæ Conſtantinopolitani.

Quartò, Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui librum concordiæ ad ſe miſſum à Lutheranis, vt eum approbaret, reprobauit & confutauit triplici ſcripto, cenſuris appoſitis, rogauitque auctores, vt ne poſthac eiuſmodi ineptiis moleſtus ſibi eſſe vellet. Florimund. l. 5. c. 21. Spondan. anno 1575.

5.
Concilij Tridentini.

Quintò, Concilij Tridentini, ad cuius deciſiones omnia remiſſa fuerunt, imò Lutherus ipſe à Papâ prouocauit permiſſâ interim libertate ab Imperatore. Spondan. an. 1520. Ibi iudicio & ſententia 255. Patrum Lutheraniſmus condemnatus. Ceterùm Lutherus præſentiens ſuam condemnationem, omnem mouit lapidem, vt concilium impediret. Neque vllus Lutheranorum ei adeſſe viſus, quamuis non tantùm ſub fide publicâ vocati, ſed etiam obſides eis oblati eſſent. Denique vix incepto Concilio per menſem vnum aut alterum, Lutherus viuere deſiit, quaſi ſolo Concilij initio territus & exanimatus. Sanè morti iam vicinus circumſtantes amicos his verbis monuiſſe ſcribitur à Iuſto Iona eius diſcipulo; *Orate pro Deo noſtro, vt ei cum Eccleſia ſua causâ bene ſuccedat: quia ei Pontifex & Concilium Tridentinum vehementer aduerſantur.* Florim. l. 3. c. 11.

E.
IV.
Confuſio & diuiſio Lutheraniſmi.

Quartò, Confuſio & diuiſio Lutheraniſmi in plurimas alias hæreſes, quarum tres præcipui rami, Anabaptiſtarum, Sacramentariorum, Confeſſioniſtarum, plurimos alios ſurculos ſeu ſtolones protulerunt. Quod ſuo iam tempore videns Lutherus, ita fuit attonitus, vt facti pœnitere & remedium quærere velle videretur. Sed facilè intelligebat, operam ſe perditurum. Dicebat enim: *Quid hoc eſſe dicam? vix vnum os diaboli obturo: & ecce, decem ille alia aperit.* Ipſi eius quaſi manus dextra & ſiniſtra, Melanchton & Carlſtadius ab ipſo defecerunt; imò Lutherus Carlſtadium ſibi aduerſantem dato aureo nummo quaſi conduxit & prouocauit ad duellum fidei, alter ne alteri parceret. Quin & ipſe Lutherus à ſeipſo longiſſimè diſceſſit, Protheo mutabilior. Facetum eſt quod narrat Staphylus (apud Florim. l. 5. c. 8.) *quemdam Melanchtonis diſcipulum omnes ſectarum portas pulſaſſe & apud omnium religionum, quæ in ſeptentrionalibus vigent regionibus, ſocios, Miniſterij munus quæſiſſe, ſed poſt editam Fidei confeſſionem æquè ab omnibus repudiatum. Nam è Saxonia ab Illyrico, è Pruſsia ab Oſiandro eiectum; in Polonia ab Antitrinitariis & Deiſtis, aliiſque nouis Euangelicis, quorum ſecta ibi prævalebant, locum ei denegatum; in Bohemiâ ab Hußitis & Picardis, in Sileſia à Schuenckfeldianis, in Morauiâ ab Anabaptiſtis ſuas ſibi res habere iuſſum. Poſt longam diſcurſationem, miſerum hominem qui nullis aliis armis quàm S. Scripturæ textibus & Lutheri ac Melanchtonis auctoritate ſuam religionem defenderet, nec tamen qui pro Chriſtiana & Euangelica agnoſcere eum vellent, reperiret; tandem Viennam delatum, & tam de aliis ſuis miſeriis quàm de tam longâ & laborioſâ peregrinatione apud viros quoſdam eruditos Catholicos conqueſtum: ſe nimirum omnes ferè regiones obiiſſe vt gentem aliquam ſeu nationem inueniret quæ in omnibus Lutheri & Melanchtonis doctrinam ſequeretur, ſed vnum tantùm Prædicantem reperiſſe, qui ſuggeſtum conſcendendi, & eandem veritatem ſecum prædicandi poteſtatem ipſi facere voluerit. Idem deinde melius inſtructus relictâ hæreſi ad Catholicam Eccleſiam fuit reuerſus.*

Quemadmodum ergò ſtructores turris Babel inter ſe confuſi ſunt, vt ſe mutuò non intelligerent, ideoque à cœpto deſiſtere cogerentur: ita euenit Lutheranis.

F.
V.
Turpis vita & ignobilis mors hæreſiarcharum.

Quinta, Turpis vita & ignobilis mors hæreſiarcharum, quæ vtique magnum lumen accenderunt omnibus cernere volentibus; ſiquidem ex fructibus ſuis arborem cognoſcimus. Quis autem neſcit, quàm votifragus fuerit Lutherus? quantus ieiuniorum oſor, quantus hoſtis & irriſor Principum? quàm familiaris dæmoni? quàm ſcurrilis in ſermone? quàm inflatus contra Summum Pontificem, Concilia, SS. Patres & Doctores omnes. Quis neſcit Caluini ſtigmata, fraudes, arrogantiam? Quis Carlſtadij & Melanchtonis ſtultitiam, qui ſtudiis abdicatis, ſeruilibus operibus operam dare cœperunt; ille agriculturæ, hic piſtoriæ arti? Quis inceſtas nuptias Lutheri, Carlſtadij, aliorumque?

Sed forſitan præclaro fine vitam ſuam clauſerunt? non ſanè aliter quàm ſicuti vixerunt. Lutherus poſtquam bene cœnaſſet & facetiis de more indulſiſſet, in lecto cùm paululùm quieuiſſet, repentinis doloribus priuſquam adueniſſent Medici extinctus eſt, ſiue à ſeipſo, ſiue à dæmone ſtrangulatus, vt multi volunt.

Carlſtadius poſtquam magnæ ſtaturæ virum quem viderat ſub concione ſuâ Conſuli aſſidentem, quique eius domum ingreſſus filium in ſublime rapuerat, ſed ſine noxâ depoſuerat, addens his verbis: *patri ſuo multam ſalutem diceret, quem intra triduum eſſet viſurus*, poſt triduum vitam clauſit. Florim. l. 2. c. 7.

Oecolampadium noctu à diabolo in lecto ſtrangulatum, ait Lutherus. In lib. 2. cap. 8. Alij aliter. Illud fertur paulò ante mortem dixiſſe; *Ego totus incertus in fide & fluctuans Dei tribunali rationem redditurus ac q[illegible] ...*

experturus, vtrum vera an falſa fuerit. Ibid.

Melanchtô & ipſe in morte perplexus, Matri ſibi adſtanti & percunctanti, vtrum in fide Catholicâ quam à cunabilis hauſerat: an verò in eâ, quàm ab ipſo didicerat, perſiſtere deberet, reſpondiſſe fertur: *Hæc plauſibilior, illa ſecurior.* Florim. l. 2. c. 9.

Zuinglius, cùm ſuos Tigurinos in aciem eduxiſſet contra Catholicos, in acie mox occubuit. Proſtratus cùm rogaretur an ſacerdotem Confeſſarium vellet, nihil reſpondit, ſed terram Leonis inſtar momordit, ſicque haſtâ transfixus eſt. Florim. l. 3. c. 4.

Caluinum pediculari morbo extinctum eſſe blaſphemantem nemini pæne ignotum eſt.

G. VI. Victoriæ de iis obtentæ. SEXTA, Victoriæ Catholicis contra Hæreticos conceſſæ, veluti Primò cùm rebelles ruſtici ex Lutheri doctrinâ ad arma vocati ad internecionem cæſi ſunt, pluſquam centies mille, à Germanicâ nobilitate: quorum Dux Munzerus captus & capite punitus eſt. Spondan. in auctar. anno 1525. (1. De ruſticis.)

Secundò, Cùm quinque pagi Catholici Heluetiorum, numero & apparatu bellico inferiores, Tigurinos eorumque ſocios inſigni prælio vicerunt, anno 1531. 11. Octob. quo inter primos occubuit ipſe Zuinglius auctor diuiſionis. Spond. anno 1531. (2. De Heluetiis.)

Tertiò, Cùm Carolus V. Imperator exercitum Proteſtantium, licet loco & militum numero ſuperiorem, prope Ingolſtadium deſerere & ſe ad ſua recipere coëgit, poſteaque ipſum exercitûs Ducem Saxonem cepit, reliquos Imperij Principes ſibi aduerſatos in deditionem accepit, & pleraſque Ciuitates Imperiales in gratiam recepit, adeoque hoſtes ſuos omnes ſibi ſubiecit vt veniam precari & gratiam Cæſaris implorare ſupplices debuerint. Florim. l. 3. c. 14. & 15. Diſſipauit ibi Deus conſilium Landgrauij Haſſiæ, qui ſuaſerat Imperatoris caſtra aggredienda, cùm adhuc immunita eſſent & infirma. Quare qui olim diſſipauit conſilium Achitophel contra Dauid, diſſipauit etiam hoc Landgrauij contra Cæſarem, qui ſanè hôc ad extrema redactus fuiſſet. (3. De Saxone.)

Quibus accedunt nuperæ victoriæ ab Inuictiſſimo noſtro Imperatore Ferdinando II. de hæreticis reportatæ: de Frederico Palatino, Marchione Badenſi, Duce Brunſwicenſi, Mansfeldio, Dano, &c. omnes ab anno 1620. vſque ad 1628. obtentæ.

His omnibus attentè conſideratis, quis non videt Deum paternâ ſuâ prouidentiâ maximam lucernam accendiſſe noſtri temporis hæreticis, ita vt palpare, nedum videre queant, ſe ab ouili Christi longè aberrâſſe, adeòque perditos eſſe & in tenebris latere. Quia verò hoc ipſum necdum videre voluit & ad tantum lumen nondum prodire, quid mirum ſi tandè incipiat Deus adhibere ſcopas & euerrere domû ſuam? ſanè hoc iam cœpit magno fructu, cùm per Imperatorem noſtrum iam olim expurgauit ab hæreſi, Stiriâ, Carinthiam, & Carniolam: & nuper expurgare cœpit Auſtriam vtramque, Bohemiam, item Morauiam & Sileſiam; faxit idem Deus Opt. Max. vt Imperium Romanum & Germaniam totam ad ouile Chriſti reductam videamus.

CONCIO IX.

Documenta ex Euangelio.

Diſcimus primò, nullum eſſe ſtatum, quantumuis honorabilem, qui malitiâ hominũ non peruertatur.
2. *Secundò audire verbum Dei.*
3. *Videre peruerſum mundi ingenium.*
4. *Fugere detractionem, & quibus modis ea fiat.*
5. *Quouſque & quibus cum peccatoribus conuerſari liceat.*
6. *Non omittere bona opera propter obtrectationem aliorum.*
7. *Mirari Dei benignitatem erga hominem.*
8. *Perpendere, quantum ſit vnius animæ pretium.*

THEMA.

Erant appropinquantes Ieſu Publicani & peccatores, vt audirent illum. Luc. 15.

A. SÆpius aſpicimus in ſolenni Miſſæ officio, quantâ reuerentiâ tractetur liber Euangeliorum. Nam flexis genibus accipit eum Diaconus de manu celebrantis & benedictionem ab eo petit, offerentiſque manum oſculatur. Tùm cantans Euangelium ſignat êum cruce, incenſat thure, & quoties nominat IESVM, caput ei inclinat; denique Subdiaconus eundem defert ad celebrantem, qui Euangelium oſculatur. Omnia hæc fiunt ſacroſancto Euangeliorum libro, quia Chriſtum ipſum repræſentat non minus ac ſi Chriſtum per eum loqui audiremus. Sed quorſum hæc, Auditores? vt intelligatis quâ reuerentiâ, quo feruore audiendum ſit Dei verbum. Nam in hodierno Euangelio peccatores & publicani ad IESVM appropinquabant, vt audirent illum. Et vos etiam dicitis: ſi nunc audiremus loquentem IESVM, vellemus vtique ei ſimili feruore, ſimili reuerentiâ, ſimili attentione appropinquare. Quare nunc ſciatis, Chriſtum vos audire, cùm auditis Euangelium. Ergò animum aduertite, &c.

B. 1. Nullus ſtatus, quem malitia hominum non peruertere poſſit. Diſce PRIMÒ, nullum eſſe munus vel ſtatum, quantumuis honorabilem, qui malitiâ hominum non reddatur vilis, contemptus & infamis. Ecce enim Publicanorum munus olim erat honoratiſſimum, teſte M. Tullio, qui in orat. pro Plancio ait: *Flos equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum Reip. Publicanorum ordine continetur.* Et tamen hic ordo per auaritiã & rapacitatem officialium adeò vilis & infamis eſt factus, vt apud Iudæos pro publicis peccatoribus haberentur, omnibus expoſi. Vnde Iudæi peccatoribus ſemper iūxêre publicanos; & Dominus ipſe dixit: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Sic etiamnum Prælati, Monachi, aut Clerici mali, ſuo prauo exemplo infamãt ſtatum ſuum, digniſſimum alioquin. Vnde vulgus per contemptum eos vocare cœpit *die Pfaffen* nomine olim honorifico, nunc autem

autem vili. Sic Iudices quia ſæpe per auaritiam ſubditos exſugunt & decorticant, vocat vulgus, *die Brawenſchindter, die Berwalter, Berhalter.* Sic vxores militum, meretrices, quia rarò maritis fideles. Quis ſtatus Chriſtianiſmo dignior? hic tamen ob malos Chriſtianorum mores ſpernitur ab Ethnicis, Iudæis. Nam, vt ait S. Chryſoſt. hom. 10. oper. imperf. *videntes mala opera Chriſtianorum infideles, blaſphemantes dicunt: Qualis eſt Deus Chriſtianorum? nunquam ſuſtineret eos, qui talia agunt, niſi conſentiret malis actibus eorum.* Vnde & Apoſtol. ad Rom. 2. ait: *Nomen Dei blaſphematur per vos inter gentes.* Et Nehemias c. 5. ait ad ſuos: *Quare non in timore Dei ambulatis, ne exprobretur vobis agentibus inimicis noſtris?* Viciſſim qui bene in officio vel ſtatu ſuo viuunt, maximam illi dignitatem conciliant. Quocirca curet quiſque ita viuere in ſtatu ſuo ne ignominiam illi & fœtorem aſpergat, vti grauiter hortatur Apoſt. 2. Cor. 6. *Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum.*

C. II. Sedulò audiendum Dei verbum.

Diſce SECVNDÒ, ſedulò audire Dei verbum & tantò magis, quantò magis indiges. Etenim Publicani & peccatores Chriſto appropinquabant vt audirent illum. In Græco legitur: *Erant autem appropinquantes ei omnes publicani & peccatores.* Nimirum quia omnes ægros ſe videbant, ideò medicum eum omnes quærebant. Horum ergò exemplo Chriſtiani omnes verbum Dei ſedulò audire debent; quia nemo eſt qui eo non indigeat. Vt enim nihil aliud præſtet concio, ſaltem commouet peccatores, ne in peccatis coagulentur & obſordeſcant: quo modo ſanguis porcorum mactatorum recens commoueri debet, ne mox coagulum fiat. Hinc Apoſtoli & Concionatores ſal terræ nuncupantur, quia vti caro ſine ſale citò putreſcit ac fœtet, ita hominum animi ad interitum proni. Quod ſi aliqui exiſtimant ſe non egere verbo Dei, ij periculoſiùs laborant, dum medicinam reſpuunt, vti etiam ij qui ſe ægros agnoſcere nolunt; quales multi ſunt.

Similiter periculoſiùs laborant peccatores occulti, quàm publici. Nam peccatores publici ſeu publicani *appropinquabant Chriſto vt audirent illum.* Sed non ita Phariſæi & Scribæ; qui vel audire contempſerunt; vel appropinquârunt tantùm vt materiam accuſandi & carpendi caperent. Vnde illi plerumque emendati ſunt, hi nunquam, imò ſæpe deteriores facti. S. Auguſt. in tract. de conflictu vitior. ait peccatum publicum, tametſi grauius eſt, quàm occultum, faciliùs tamen curari. Occultum enim peccatorem nemo admonet, nemo reprehendit aut caſtigat; pudet etiam confiteri peccata ſua occulta. Publicus verò vndique reprehenditur, & punitur nec difficilè confitetur quod iam paſſim ſcitur. Vnde miſericors Deus ſinit aliquandò publicè confundi eos, qui clam mali erant, vt faciliùs emendentur. Quàm multi in carceribus emendantur & in vltimis ſuppliciis ſanctè moriuntur, qui, ſi latuiſſent, nunquam pœnituiſſent? ſic manifeſtauit peccatum Dauidis per exprobrationem Nathan: ex quo ille confuſus pœnituit; quod alioquin fortè nunquam feciſſet.

D. III. Viſe peruerſum Mundi ingenium.

Diſce TERTIÒ peruerſum Mundi ingenium, vituperat enim ea, quæ maximè laude digna ſunt, vt Chriſtum, quòd peccatores recipiat ad veniam. Quid enim magis peccatoribus neceſſarium, quàm recipi ad gratiam à Deo: Et quid magis Deo honorificum, quàm recipere peccatores? Itaque ſolem vituperant, quòd radios ſuos ad nos tranſmittat: medicum, quòd ægrorum curam ſuſcipiat: paſtorem, quòd ouem ſuam perditam requirat. Ita etiam Mundus ſuperbiam veſtium vocat honeſtatem, *ein ſauberkeit*: auaritiam prouidentiam, *ein tinegkeit*: libidinem & amorem fœdum, familiaritatem vel amicitiam *ein freundtligkeit:* Iram, ſtrenuitatem *ein frebdigkeit:* ebrietatem, *ein froligkeit:* hilaritatẽ &c. Vituperat verò veſtium humilitatem, victûs parcitatem, frequentem confeſſionem & communionem, fugam mundanæ pompæ. *Tales ſunt*, ait B. Maximus ſer. de malis, *adulatores qui ſcurram vocant gratioſum; obſcœna loquentem, ciuilem; iracundum, ſtrenuum; parcum, prouidũ; prodigũ, liberalem.* Sic cùm liberi ſciunt fallere, mentiri, iurare, irridere, dicunt parentes eos eſſe argutos ingenioſos. Quibus omnibus Iſaias c. 5. dicit: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Nimirum Pater mendacij diabolus hoc perſuadet mundo, & quaſi in pharmacopolio huius mundi titulos pharmacorum, oleorum, aquarum, ſaporum, vnguentorum &c. peruertit, & pyxidi fellis inſcribit nomen mellis, vaſculo acetario nomen ſyrupi: toxico nomen ſaccari &c. inde fit vt homines miſerè decipiantur, amarum pro dulci, venenum pro theriacâ, noxium pro ſalubri arripiant & ſeipſos perimant. Vnde Gregor. hom. 8. ſuper Pſal. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ,* ait: *Hoſtis noſter tantâ ſe arte palliat, vt culpas noſtras virtutes fingat; vt inde quiſque exſpectet præmia, vnde dignus eſt æterna ſubire tormenta. Plerumque enim in vlciſcendis vitijs crudelitas agitur, & iuſtitia putatur, atque immoderati iuſti zeli ira, meritum creditur, ſimiliter effuſio miſericordia, tenacitas, parcitas, pertinacia, conſtantia reputatur.* Sic ille.

E. IV. Fuge detractionem.

Diſce QVARTÒ, Fugere detractionis vitium. Quis enim non auerſatur clancularios illos inſidiatores, Phariſæos & Scribas, qui, dum Chriſtus ſalutem peccatorum quærit, quærunt ipſi quomodo eius famam denigrent: bona eius opera vertunt in mala: miracula & virtutes eius reticent ac diſſimulant, conuerſationem cum peccatoribus taxant?

Ex ſit. I.

Fit autem detractio: Primò cùm occultum alicuius peccatum reuelatur. Multi hoc licere exiſtimant, dummodò verum dicant: non attendentes, quòd violent ius quod habet peccator ad famam ſuam conſeruandam apud eos quibus eius peccatum occultum eſt.

Secundò, Cùm peccatum alterius exaggeratur, quod plerumque fit, cùm alterius vitia peccata referunt.

3. Tertiò, Cùm falſum crimen alicui imponitur, quod præter detractionem includit etiam mendacium damnoſum.

4. Quartò, Cùm alterius facta bona negantur vel imminuuntur. Qui hoc faciunt, *ſepulchrum patens eſt guttur eorum*: quoniam vti ſepulchrum excellentium virorum nomen obſcurat & ſepelit: ita faciunt illi.

5. Quintò, Cùm alterius bona opera malè quis interpretatur, intentionem eius perperam iudicans.

6. Sextò, Cùm detrahentes audiuntur: De quo, *Prou.* 24. dicitur: *cum detractoribus ne commiſcearis, quoniam repentè conſurget perditio eorum, & ruinam vtriuſque quis nouit?* detrahentis videlicet & auſcultantis. Et S. Bern. in ſer. *Detractor & libens auditor, vterque diabolum in lingua portat.* Præclarè & veriſſimè S. Hier. in epiſt. ad Celantiam ſcribit: *Quòd ſi hæc in nobis eſſet diligentia, ut paſſim obtrectatoribus credere mus, iam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quàm ſeipſos viles detrahendo facerent. Sed hoc ideò malum celebre eſt, idcircò in multis feruet hoc vitium, quia penè ab omnibus libenter auditur.* Sic ille. Nimirum vti cùm canis vnus ab alio laceratur & proſternitur, alij etiam accurrunt, & in proſtratum dentes exſerunt: ita fit plerumque inter homines.

Omnia hæc mortalia peccata ſunt, ſi ex intentione nocendi alterius famæ fiant. Secus ſi ex leuitate animi aut inconſideratione; quo caſu ſunt venialia. Si cauſâ correctionis iuſtæ, &c. nullum omninò.

F. V. Quouſque & quibus conuerſari cum peccatoribus liceat.

Diſce QVINTÒ, Quouſque & quibus conuerſari cum peccatoribus liceat. Nam ſi ij ſint hæretici, non debet is qui rudis & laicus eſt, diutiùs & familiariùs agere cum illis, niſi quantum poſtulat neceſſitas & decorum. Alioquin enim vitia ab illis facilè in Catholicos deriuantur, & procliue eſt ſeduci. Doctis verò qui aduerſarios præcellunt, non facilè id prohibitum, præſertim cùm laborant ad eorum reductionem. Ita enim incantatores ſecurè tractant ſerpentes: alij non item. Malè igitur agunt parentes, qui ad loca hæreticorum mittunt liberos, vt ibi ſeruiant vel opificia addiſcant vel exerceant; perinde enim agunt, ac ſi eos proiicerent in flumen, vnde difficilè enatare poſſent. Si ſint peccatores alij licitum quoque eſt perfectis & animarum medicis agere cum illis, exemplo Chriſti recipientis peccatores, cùm nimirum aliqua ſpes vtilitatis affulget, vt eorum exemplo diſcant manſueſcere, virtutem amare, vitia ſua deponere, ſic enim erunt illis *odor vitæ in vitam*, & *ſalis* inſtar, quo ſaliantur ne putreſcant, vel potiùs *Petra ſalis*, vt vult S. Gregor. Secus ſi inde ſcandalum generaretur, vel peccator in peccato foueretur, &c. Qui verò imperfectus eſt, vitare conſortia peccatorum debet, ne vitia eorum in ipſum transfundantur. Nam *qui tangit picem inquinabitur ab eâ* Eccleſ. 13. In cuius rei documentum Chriſtus cùm adhuc infans eſſet, fugit Herodem: non item quando factus eſt vir. Si tamen contingat aut neceſſitas compellat viuere cum malis, mores eorum tolerandi, non imitandi ſunt; & cum apibus legendum id quod bonum eſt, etiam è malis floribus.

G. VI. Non omittenda bona opera propter aliorum obtrectationem.

Diſce SEXTÒ, Non omittere bona opera propter obtrectationem malorum: quemadmodum & Chriſtus propter Phariſæorum murmur, non intermiſit peccatoribus benefacere, ſed defendit ſuam erga peccatores miſericordiam tribus parabolis, vt ſic etiam Phariſæos liberaret ab errore. Qui Deum ſuper omnia diligit, non deſinit ei ſeruire propter hominum ludibria vel obtrectationes. Nemo certè regem, quem inuitauit ad conuiuium, ponet vltimo loco, ſed primo: ita *ſi iuſtum eſt homines audire potiùs quàm Deum, iudicate.* Et ſi eodem tempore diuerteret ad te ruſticus & princeps, vtique ruſticum eiiceres, & principem reciperes: illum negligeres, huic inſeruires. Ita *perfecta charitas foras mittit timorem.* 1. Ioan. 4. Nemo ergò omittat crebrò confiteri & communicare, quotidie audire Miſſam &c. propter obtrectantes. Diſce etiam obtrectatoribus placidè reſpondere iuxta exemplum Chriſti. Quod egregiè etiam præſtitit Dauid, qui adeò nil auſteri reſpondit obtrectatori Semei, vt videretur potiùs paſci & obiectari eius calumniis (iuxta id Thren. 3. *Saturabitur opprobriis.* q. d. videbitur ſibi lautè cœnaſſe, cum opprobriis impetitus fuerit) & potiùs increpauit ſeruum ſuum qui vltionem de obtrectatore ſumere volebat, quàm obtrectatorem. 2. *Reg.* 16. Vnde exclamat S. Bernard. ſerm. 34. in Cant. *ô verè hominem ſecundùm cor Dei, qui ſe vlciſcenti potiùs quàm exprobranti ſuccenſendum putauit.*

H. VII. Vide Dei benignitatem.

Diſce SEPTIMÒ, Et mirare immenſam Dei benignitatem erga humanum genus, vt perditum reduceret in caulam ſuam. Ea verò tanta eſt, vt vel ipſi peccatores inde ſcandalizati ſint, & obmurmurârint Scribæ & Phariſæi. Inprimis enim dimiſit angelos *in deſerto* cœli, & deſcendit in terram quæſiturus ouem, quæ culpâ ſuâ & ſibi tantùm perierat. Secundò, accendit lucernam doctrinæ Euangelicæ, quâ cæcum illuminauit mundum, & hoc ipſo euerrit à ſordibus vitiorum, quibus ſcatebat. Tertiò, quæſiuit nos continuò, quamdiu in mundo vixit ſequendo noſtra veſtigia, hoc eſt, incedendo per miſerias noſtras. Quartò, Allexit nos ad ſe vitæ ſuæ exemplo, quo præiuit nobis in omni virtutum genere. Quintò, ſuſtulit in humeros, cùm totius mundi peccata & onus ſatisfactionis in ſe transtulit. Denique ob inuentam ouem feſtum in cœlo perpetuum agit, quaſi ſibi ſoli & non ouibus laboráſſet: & quaſi eam *inueniſſet*, hoc eſt, nullo labore acquiſiuiſſet, quam tanto comparauit pretio ſanguinis ſui. Iam verò hoc quod ſemel toti humano generi fecit, non omiſit deinceps facere quibuſcunque peccatoribus. Dimittit enim iuſtos in tribulationibus vel in ſolitâ gratiâ in quâ viuunt, & quærit peccatorem. Secundò, Accendit illi lumen intelligentiæ, quâ cognoſcat ſtatum ſuum, peccatorum ſuorum grauitatem, multitudinem, repetitionem;

titionem;per verbum prædicationis,inſpirationis,&c. Tertiò quærit & euerrit domum, cum vndique occaſiones conuerſionis obiicit peccatori,trahendo per beneficia,terrendo per ſupplicia, incutiendo timorem, Quartò, allicit bonis exemplis. Quintò,tollit in humeros,mitigando tentationes,ſubleuando conſolationibus,&c.

I. VIII. Vide quãtum ſit vnius animæ pretium. Diſce OCTAVÒ, Quantum ſit vel vnius animæ pretium; ſiquidem vnam peccatricem animã,tanto ſtudio & labore Chriſtus requiſiuit & requirit in dies,& pro recuperatã feſtum in cœlo agit. Quid hîc cogitamus, Auditores? ſi Deus optimus rerum æſtimator tanti æſtimat vnam animam, quid ita ſæpe nos proximum contemnimus, negligimus, premimus, & opprimimus, ſeducimus,perdimus,quaſi mus aut muſca eſſet? Audent aliqui dicere: quid tum, ſi vnus homo pereat? *VVat iſt ofter een menſch verloren gaet?* Quid? nónne Deus vnicam quærit ouem; mulier vnam,quam perdidit, drachmam: nos animam proximi negligemus,eam præſertim, quæ culpâ noſtrâ periit? Vis ſcire quàm pretioſa res ſit anima? æſtima ex pretio ſanguinis Chriſti pro eâ dato. Vnde exclamat S. Bernardus ep. 54. *magna res eſt anima quæ Chriſti ſanguine redempta eſt.*

Quid verò illud,quòd animam propriam ſæpè viliſſimo pendimus & pro re nihili diabolo tradimus? Et ſi fortè eam peccando perdimus, quàm negligenter quærimus? Vbi ſunt,qui accendunt lucernam ad inueſtigandam conſcientiam ſuam, & vndique euerrunt ſcopis diuini timoris ad ſynceram confeſſionem & pœnitentiam? Quod ſi igitur hoc non fecimus hucuſque incipiamus ab hoc die meliùs attendere animæ, eamque ſcopis accurati ſcrutinij ita vndique purgare, vt Chriſtus Dominus etiam nobis appropinquet,imò in nobis habitet.

CONCIO X.

Myſteria.

1. *Aſſignatur duplex ſenſus parabolæ de oue centeſima perdita & 99. dimiſſis.*
2. *Explicatur gaudium Angelorum ſuper vno pœnitente.*
3. *Quomodo maius gaudium ſuper vno peccatore &c.*
4. *Exponitur dupliciter parabola de drachmâ perditâ.*

THEMA.

Gaudium erit in cœlo coram angelis Dei, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

A. PEr Oſeam c.11. prædixit Dominus: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Hoc tentauit in hodierno Euangelio Dominus, Vt enim ad ſe traheret Phariſæos murmurantes, adhibuit vincula non ſeueritatis (vti iure poterat) ſed charitatis, & funiculos hominum, non beſtiarum; eoſque tres vt notat S. Ambroſ. hoc loco,triplicem videlicet parabolam ad conuincendos Phariſæos, vnam de paſtore ouem perditam quærente,alteram de muliere quærente drachmam, tertiam de filio prodigo. Mirum igitur eſt,ſi Phariſæi ad tam præclaram admonitionem non ſunt emendati: ſiquidem *funiculus triplex difficilè rumpitur*, Eccleſiaſt. 4. Nos iam duos priores;qui in hodierno ponuntur Euangelio, expendamus.

B. I. Quænam illæ 99. oues & quæ centeſima. QVÆSTIO PRIMA. Quæ ſunt illæ 99. oues, & quæ centeſima? Reſpondeo dupliciter exponi poſſe hanc parabolam. Primò, de vniuerſali generis humani redemptione: Secũdò de peculiari cuiuſque peccatoris conuerſione,& hic ſenſus videtur principaliter à Chriſto intentus, quia ſermonem hic facit de publicanorum & peccatorum conuerſione. Iuxta primum, nonaginta Oues ſunt angeli,quorum nouem ſunt Chori,& ſpecies innumeræ, cùm hominum vna tantùm ſit, ſicque centeſima Ouis, homo ſeu humanum genus. Angeli ſunt Oues propter innocentiam, ſemper cum paſtore ſuo in altis cœli receſſibus commorantes. Homines verò Oues ſunt, quia naſcuntur inermes vt illæ:quia facilè aberrant nec per ſe redire poſſunt: quia lupus infernalis eis ſemper inſidiatur,&c. Periit hæc Ouis,quando peccauit in Paradiſo, ideoque inde emiſſa eſt. Vnde Iſaias c.53. ait: *Omnes nos quaſi Oues errauimus.* Reliquit Deus 99. in deſerto,quando naturam angelicam non aſſumpſit,ſed humanam: vel quando ſecundùm naturam humanam viuere extra cœlum in terris voluit: vel quando facta incarnatione magis ſe dedit hominibus iuuandis, quàm angelis; velut ſi mater, quæ filium ſuum primum tenerè quidem dilexit,alterum tamen minorem nacta magis adhuc diligat,& maioribus beneficiis proſequatur.

Cœlum vocatur deſertum,quia nobis abditum,& remotum, & quia paſcuis vberrimis refertum &c. Ad hanc ouem quærendam iuit Dominus,quando ad paſſionem & montem Caluariæ, vbi Adam ſepultus erat, poſtea eam in humeros ſuſtulit,quando ipſe *peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum,* vt loquitur S. Petrus, 1. *Pet.* 2. Seu quando pro nobis in cruce paſſus eſt: & quidem *gaudens*, vt ait Euangelium, ſecundum animæ portionem ſuperiorem, videlicet ſecundum quam conſiderauit glorioſum paſſionis ſuæ effectum, Dei gloriam, ſalutem animarum, exaltationem ſui nominis,&c. Venit domum & conuocauit amicos & vicinos ad congratulandum ſibi, quando aſcendit in cœlum, ducens ſecum Patres è limbo liberatos; & quando communicauit gaudium de inuentâ Oue cum angelis ſuis, qui amici eius ſunt; quia in eius gratia ſunt, & idem cum eo velle ac nolle habent; vicini verò, quia naturæ nobilitate præ aliis creaturis maximè accedunt ad Deum.

Iuxta ſecundum ſenſum 99. oues, homines iuſti ſunt: centeſima verò quilibet peccator, qui perditur quando in peccatum labitur. Perditur, inquam, non ex culpâ Paſtoris,ſed propriâ, cùm à paſtore ſe ſegregat, & iuxta concupiſcentiam ſuam ambulat. Ita errabat aliquan-

Digitized by Google

aliquando Dauid, qui propterea ait: *Erraui ſicut ouis, quæ perijt: quære ſeruum tuum.* Pſal. 118. Relinquit paſtor 99. oues in deſerto & quærit amiſſam: dum maiorem huic impendit laborem, ſollicitudinem & auxilia ad reſurgendum, quàm illis ad perſeuerandum. Sic mater ſanos domi relinquit liberos & accurrit ad infirmum foris degentem, vel lapſum in puteum. Quærit autem ouem afflictionibus, beneficiis & blanditiis, prædicationibus &c. Inuenit eandem, quando ipſa ad cor redit, adeoque ſeipſam inuenit. Imponit in humeros cùm ei laborem pœnitentiæ ſuauem reddit, cùm tentationes mitigat, cùm attollit eam conſolationibus. Item cùm peccati pœnam ferè totam in ſe ſuſcipit; & peccatori exiguam iniungit. (debet enim & ouis aliquantulum pati, cùm portatur à paſtore.) Veniens domum, conuocat amicos & vicinos &c. quando ouem reducit ad caulam Eccleſiæ; & hinc gaudium creat viris perfectis & paſtoribus Eccleſiæ omnibuſque piis, nec non angelis Dei. Quantum gaudium excitauit in Eccleſia conuerſio S. Pauli, S. Auguſtini, Conſtantini M.? Quàm lætantur Catholici, cùm aliqua natio vel ciuitas, vel etiam vnicus homo conuertitur ab hæreſi? Quàm lætantur Confeſſarij & prædicatores; cùm vident aliquem redire ad cor?

C. II. Quare gaudium eſt angelis ſuper vno pœnitẽte.

Quæſtio SECVNDA, Quare gaudium eſt angelis ſuper peccatore pœnitentiam agente? Reſpondetur Primò, quia per conuerſionem peccatorum reparatur eorum numerus, per lapſum Luciferi imminutus. Sic gaudet exercitus, cùm videt partem aciei ſuæ vel alam, ab hoſte fugatam vel cæſam, ab aliis aduentantibus redintegrari. Vel ſi alieni ſe illis adiungant, ad hoſtes eorum profligandos. Sic grauiſſ 40. Martyres ſub Licinio cùm in locum vnius deficientis, mox alius à Deo excitatus ſe ſubſtituit. Sic gaudemus cùm vir magnæ eruditionis ab hæreſi ad nos conuertitur, poſtquam vnus talis à nobis diſceſſit.

2. Secundò, Quia angeli cuſtodes vident fructum induſtriæ ſuæ. Sic gaudet Prædicator, cùm videt fructum ſe feciſſe & lucratum eſſe Auditores ſuos. Vnde Apoſtolus tales vocat *gaudium & coronam ſuam*, Phil. 5. Sic lætatur Ludimagiſter, cùm videt diſcipulum aliquem proficere, ſeque in eo excolendo fructuosè laborare. Contrà parens qui filium immorigerum habet, in quo operam perdit, deteſtatur omnem ſuam induſtriam, quam pro eo ſuſcepit, vti Salomon ait, *Eccleſ.* 2.

3. Tertiò, Quia congratulantur Chriſto, qui omnium maximè lætatur & gloriatur de ouis reductione: vnde dixit: *Congratulamini mihi.* Hinc enim gloria & honor Chriſti mirificè illuſtratur. Miles in bello cùm perit, magis Duci perit, quàm ſibi: & cùm acquiritur, magis Duci acquiritur; quàm ſibi. Itaque angeli cuſtodes mittunt tales animas, veluti coronas ſuas, vt dixi, ante pedes Chriſti, ei fructum hunc adſcribentes, vti *Apoc.* 4. fecère ſeniores.

D. III. Quomodo maius gaudium ſuper vno pœnitente quàm ſuper 99. iuſtis.

Quæſtio TERTIA, Quomodo maius gaudium eſt in cœlo ſuper vnò peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper 99. iuſtis? Reſpondetur Primò, Maius eſſe gaudium in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper 99. iuſtis, qui non reuerà iuſti ſunt, ſed tales ſeſe fingunt, quales erant Phariſæi, quibus hanc parabolam propoſuit Dominus, quique ex ſua opinione non indigebant pœnitentiâ. De talibus enim ait Eccleſiaſtes: *Melior eſt canis viuus leone mortuo*, c. 9. Canis viuus eſt peccator, qui dum culpam ſuam retractat, viuit coram Deo: Leo mortuus, Phariſæus, qui dum de ſuâ iuſtitiâ præſumit & ſuperbit, velut leo mortuus eſt coram Deo. 1.

Secundò, maius eſt gaudium ſuper vno peccatore, qui poſt peccatum fortior reſurgit & fit heros: quàm ſuper 99. iuſtis, qui in ſuâ iuſtitia ſimpliciter perſiſtunt. Nõ rarò enim peccatores conuerſi feruentiores fiunt in obſequio diuino, quàm qui nunquam ceciderunt, vt patet in Magdalena, Petro, Paulo, Mariâ Ægyptiacâ, & aliis. Tales enim peccatorum ſuorum ſemper memores nullis pœnitentiæ operibus ſibi ſatisfaciunt. Sic *& Dux in prælio*, ait S. Gregorius hom. prædicta, *plus eum militem diligit, qui poſt fugam reuerſus hoſtem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter geſſit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas vberes fruges profert, quàm eam, quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilẽ meſſem producit.* Sic Gregorius. 2.

Tertiò; maius eſt gaudium ſuper vno peccatore conuerſo, quàm ſuper 99. iuſtis veris, propter nouam & inſperatam quodammodò gaudij acceſſionem, qualis eſt inprimis, cùm magna mala tranſeunt in magna bona. Sic enim magis gaudemus, cùm rem charam perditam recuperamus, quàm ſi eam nunquam amiſiſſemus. Vnde in parabolâ ſequente de filio prodigo, ait pater filio ſeniori: *Fili tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt; Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & reuixit; perierat, & inuentus eſt.* Idcircò conuiuium præparauit propter illum, non item propter ſeniorem. Sic etiam magis gauiſi ſunt diſcipuli de reſurrectione Chriſti, quàm priùs de eius præſentiâ. Plura ſimilia adduxit S. Auguſt. l. 8. confeſſ. cap. 3. *Triumphat Victor Imperator*, inquit, *& non viciſſet niſi pugnauiſſet, & quantò maius periculum fuit in prælio, tantò maius eſt gaudium in triumpho: tempeſtas iactat nauigantes, minaturq́; naufragium, omnes futurâ morte palleſcunt. Tranquillatur cœlum & mare: & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger eſt charus & vena eius malum renuntiat, omnes qui eum ſaluum cupiunt, ægrotant ſimul animo. Fit ei rectè, & nondum ambulat priſtinis viribus, & fit iam tale gaudium, quale non fuit antea cum ſaluus & fortis ambularet.* Sic ille. Non dubium quin vidua illa de Naim maiori gaudio perfuſa ſit, cùm rediuiuum recepit filium, quàm priùs perfundéretur, cùm præſentem ſecum haberet. 3.

E. IV. Quid parabola de drachmâ perdita.

Quæſtio QVARTA, Quid ſibi vult parabola ſequens de muliere quæ drachmam perdidit? Reſpondetur idem velle, quod prior parabola, eiuſque duplicem eſſe ſenſum, ſicut & prioris,

prioris. Mulier enim illa (quia mulieres maius adhibent ſtudium ad quærendam aliquam monetam quàm viri) ſignificat iuxta primum ſenſum æternam Dei ſapientiam; Drachmæ verò 9. nouem angelorum choros, drachma perdita humanum genus vniuerſum ad Dei imaginem formatum, iuxta id *Pſal. 4. ſignatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine.* Perdidit Dei ſapientia hanc drachmam cùm homo perdidit ſeipſum, & per peccatum lapſus eſt in tenebras. Accendit mulier lucernam, cùm Dei filius incarnatus eſt, & mundo viſibilis apparuit. Poſita eſt hæc lucerna ſuper candelabrum, in cruce: & quia illic inuenit Adamum ibi ſepultum: ideò tunc extincta eſt. Euerrit domum, partim prædicationis munere: partim conuerſationis exemplo, dum omne id quod mundus magni æſtimabat, opes, honores, voluptates &c. velut ſordes abiecit, ſicque exemplo ſuo mundum ab his ſordibus purgauit, & ad paupertatis, humilitatis & aſperæ vitæ ſtudium vocauit. Conuocat amicos & vicinos, cùm naturis angelicis repræſentat animarum luctum & communicat illis gaudium ſuum.

Iuxta poſteriorem ſenſum primariò hîc intentum. Mulier hæc eſt Chriſtus ob tenerum amorem, quo cum hominibus etiam peccatoribus conuerſatus eſt: ob ingentem dolorem, quē in ſpirituali noſtro partu ſuſtinuit. Drachmæ nouem, iuſti ſunt: decima quæ periit, quilibet peccator, qui è gremio Dei excidit in poteſtatem Principis tenebrarum: in quo ſtatu ſeipſum quoque perdit, quia ſeipſum neſcit. Accendit lucernam Chriſtus, cùm peccatorem vel admonuit per ſeipſum, vel admonet per Concionatores, libros pios, inſpirationes internas, exempla &c. Euerrit domum, cùm timore ſeruili, gehennæ vel ſimili conſcientiam peccatoris commouit: vel, cùm morbo vel afflictione aliâ eum velut ſcopis cædit; hinc enim ſordes colliguntur, & peccator incipit agnoſcere, vnde ſibi hæc calamitas proueniat, ex peccato ſcilicet ſicuti fratres Ioſephi, poſtquam in anguſtias redigerentur: *Meritò hæc patimur*, inquiunt, *quia peccauimus in fratrem noſtrum.* Et vnus ex illis: *Nónne dixi vobis nolite peccare in puerum &c.*? Inuentâ drachmâ conuocat amicas & vicinas, id eſt, animas iuſtas fidelium, qui gratulantur Chriſto, & ſibi etiam gaudent ob fratrem recuperatum. Etenim in conuerſione peccatoris, angeli & beati in cœlo, & pij ac iuſti in terrâ celebrant multa feſta. Primò, Feſtum natiuitatis, quia per contritionem naſcitur Chriſtus in corde peccatoris, & ipſe renaſcitur ad vitam ſpiritualem, quæ eſt gratia. Secundò, Feſtum Circumciſionis, quia reſecat priſtina vitia, bona aliena, odium & inimicitiam, amorem inordinatum erga creaturas, & circumcidit veterem hominem, vt deponat priſtinam conuerſationem. Feſtum Purificationis, quia per iuſtificationem homo purgatur à peccatis, & offertur ac præſentatur Deo, veluti reconciliatus. Feſtum Transfigurationis, quia tunc incipit mutari in virum alterum & indui veſtibus virtutum & bonæ conuerſationis externæ. Feſtum Paſchatis, id eſt, tranſitûs, quia tranſit de peccato ad gratiam. Item quia in eo ſpiritualiter reſurgit ad vitam immortalem, cum firmo animi propoſito, non peccandi ampliùs. Feſtum Aſcenſionis, quia aſcendit de inferno quodammodò ad cœlum. Feſtum Pentecoſtes, quia recipit Spiritum ſanctum.

Ergò intueatur quiſque conſcientiam ſuam, & videat, quiſne perditus ſit, necne. Et ſi perditum ſe agnoſcit, curet vt redeat ad paſtorem, quo feſtum angelis inſtituat: ne alioqui feſtum in gehennâ debeat inſtituere dæmonibus quidem acceptabile, ſibi verò lamentabile.

DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Lucæ 5.

IN illo tempore: Cùm turbæ irruerent in IESVM, vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth; & vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum. Piſcatores autem deſcenderant & lauabant retia. Aſcendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum: & ſedens, docebat de nauicula turbas: vt ceſſauit autem loqui dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctē laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt ſociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerũt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pæne mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Stupor enim circũdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piſcium, quam ceperant. Similiter autem Iacobũ & Ioannem filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonem Ieſus: Noli timere, ex hoc iã ho-

mines eris capiens. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.

CONCIONES.

I. *Hiſtoria nauiculæ Petrinæ, typus Eccleſiæ Catholicæ.*
II. *Piſcatio Euangelica quomodo fieri debeat.*
III. *Quàm fruſtà laborent ſectatores Mundi.*
IV. *Cauſæ cur tam pauci conuertantur per verbi Dei prædicationem.*
V. *Quomodo ſæcularis quiſque perfectus eſſe queat ac debeat.*
VI. *Examinis conſcientiæ quotidie faciendi incitamenta & ratio.*
VII. *Sacerdotes ſanctos eſſe debere.*
VIII. *Quæ ſuſpectam faciant ſectam noſtrorum hæreticorum & falſam oſtendant.*
IX. *Documenta.*
X. *Myſteria.*

CONCIO I.

Hiſtoria nauiculæ Petrinæ, typus Eccleſiæ Catholicæ.

1. *Conſtituitur conuenientia in vtriuſque gubernatore Petro eiuſq; ſucceſſoribus.*
2. *In puro Dei verbo ex vtraque procedente.*
3. *In confirmatione prædicationis per miracula quæ in Eccleſia ſunt vera; neque dæmoniaca.*
4. *In vno & viſibili vtriuſque capite.*
5. *Sicut nauis Petri; ita Eccleſia ducitur in altis Romam mundi caput: aut in vitæ perfectionem: vel in remotas regiones.*
6. *In laxatione retium Euangelicæ prædicationis.*
7. *In ruptura retium.*
8. *In vocatione & ſubordinatione miniſtrorum.*
9. *In fluctibus quibus agitantur ſed non merguntur.*

THEMA.

Aſcendens in vnam nauem, quæ erat Simonis, &c. Lucæ 5.

A. QVando Deus Moyſen mittere volebat in Ægyptum (*Exod.* 3.) vt eſſet Dux populi Hebræi in egreſſu eius de Ægypto ad terram promiſſionis, priùs per figuram oſtendit illi typum populi quem recturus erat, nec non regiminis eius. Primò enim oſtendit illi rubum, qui ardebat, ſed non comburebatur, & hic ſignificabat populum Hebræum, qui ſub Pharaone ab Egyptiis quidem vrebatur flagellis & oneribus, non tamen delendus erat; ſed ita potiùs roborandus vt per multas & varias plagas puncturus & vulneraturus eſſet Ægyptios, à quibus tunc vexabatur. Rurſum cum hoc munus Moyſes detractaret aliud ei ſignum oſtenſum eſt, *Exodi* 4. Virga enim quam gerebat abiecta, mutata eſt in ſerpentem; reſumpta rurſum virga fuit. Quæ res ſignificabat, ad litteram quidem, eundem illum populum; qui ſub Pharaone velut ſerpens erat exoſus & abiectus, ſub manu verò & imperio Moyſis, recuperaturus priſtinam libertatem & dominationem. Symbolicè notabat Ducatum & poteſtatem Moyſis, quà Ægyptios percuſſurus & puniturus, Hebræos verò ducturus & gubernaturus erat, ita vt virga illis Ægyptiis eſſet ſerpens, Iudæis verò baculus paſtoralis. Haud abſimili ratione Chriſtus in hodierno Euangelio Petrum deſignaturus pro ſupremo populi ſui Duce & paſtore, ſignum ei exhibet miræ piſcationis, & per illud ſimul non obſcurè ei proponit typum futuri eius regiminis & Eccleſiæ quam capturus ad vitam æternam ac recturus erat. Etenim ſi, quæ in hoc miraculo facta ſunt, accuratè expendantur, præſignaſſe futurum Eccleſiæ ſtatum, manifeſtè deprehendentur, vti nunc patebit.

B. I. *In Eccleſia gubernator, Petrus eiuſque ſucceſſores.*

PRIMÒ. Chriſtus aſcendit in vnam nauem, quæ erat Simonis, non in alteram, quæ iuxta illam erat. Non fruſtrà aut fortuitò id feciſſe credas Dominum. Nimirum indicare voluit, in ſolà eâ Eccleſiâ, quæ Petri eiuſque Succeſſorum gubernio eſt concredita, ſeſe inueniendum. Ita enim S. Ambroſius ſer. 11. ait: *Hanc ſolam Eccleſiæ nauem aſcendit Dominus, in quâ Petrus Magiſter eſt conſtitutus.* Vnde Pontifex Rom. in annulo & ſigillo ſuo gerit nauiculam cum nauarcho Petro. Nauis altera, falſam religionem ſignificat, quæ non nominatur, nec cuius fuerit dicitur, quia nullo apud Deum loco ſunt, qui extra Eccleſiam ſunt. Multæ eiuſmodi naues circumſtant huius mundi ſtagnum, hîc nauis Lutherana, ibi Caluiniſtica, alibi Huſſitica, alibi Arriana, &c. quæ omnes vocant ad ſe populum & promittunt ſe in cœlo ſecurè appulſuras, ſed tu ſi ſecurus eſſe velis, in eam ſcande nauem, in quam aſcendit Chriſtus, quæ nimirum regitur à Petro eiuſque ſucceſſoribus Romanis.

Nec fruſtrà dicitur vna; quia opportet Eccleſiam Chriſti vnam eſſe, tùm quia eſt vnica ſponſa Chriſti, qui non eſt bigamus; (Matth. 9. & Cant. 6.) tùm quia *vnus Dominus, vnum baptiſma, vnus Deus & Pater*, (1. *Cor.* 12. & *Eph.* 4.) tùm quia maximo conſenſu & concordiâ doctrinæ & fidei omnia illius membra quantumuis multa longè lateque per orbem diſperſa inter ſe & cum Capite ſuo Chriſto in vnum corpus arctiſſimè ſunt connexa; id quod orando petiit Chriſtus Ioan. 17. *Pater ſerua eos, vt ſint vnum ſicut & nos.* Vnde grauiſſimè errant, qui credunt ſe in quauis fide ſaluos fore. Errant & Caluiniſtæ, è quibus modò Puritani cum Formaliſtis in Angliâ, modò Gommariſtæ cum Armenianis in Hollandiâ velut infenſiſſimi hoſtes diris modis digladiantur. Errant & Lutherani: ſiquidem & ipſi de grauibus fidei fundamentis inter ſe, ab exordio ſuæ ſectæ vſque in hodiernum dimicant. Nec vnquam coire in pacem poſſunt, quamdiu viſibili capite & ſupremo controuerſiarum Iudice, qui Concilia cogere & litibus finem imponere queat, carent; quamdiu ex proprio cerebro ſcripturam interpretantur.

SECVN-

C. II. *In Eccleſia purum Dei verbum.*

Secundò, Ex hac naue Chriſtus docet populum; & quidem *ſedens*, id eſt, perpetuò, ſine intermiſſione, per ſuos prædicatores. Quia in ſolâ naue Petri ſeu Eccleſiæ Romanæ purum Dei verbum omnibus ſæculis prædicatum eſt; ſiquidem nos oſtendere poſſumus Doctores fidei noſtræ per omnia ſæcula à tempore Apoſtolorum ad nos vſque. Nulla verò in ſecta poteſt.

In eâ etiam ſolâ lota & munda ſunt retia ſacrarum Scripturarum & SS. dogmatum. Cæteræ enim ſectæ ſcripturas corruperunt, & dogmata impuritatum ſordibus referta habent; vti alibi diximus.

D. III. *In Eccleſia ſunt miracula.*

Tertiò, In Petri nauicula confirmat Dominus ſermonem ſuum miraculo capturæ piſcium. Ita in Eccleſiâ prædicatio Euangelica ſemper & omnibus ſæculis confirmata fuit miraculis; eiectione dæmonum, ſuſcitatione mortuorum, Spiritu prophetiæ &c. Idque neceſſariò fieri debet, cùm noua aliqua doctrina affertur ad nouam religionem introducendam. Si enim literis teſtimonialibus fides non habetur, niſi appenſum ſit ſigillum: multò minus habenda fides eſt Euangelio nouo, nullo confirmato miraculo; quia cùm pleraque fidei myſteria ſuperent intellectum noſtrum, naturalia argumenta non ſufficiunt nobis ad ea confirmanda: ſupernaturalia requiruntur. Hinc de Apoſtolis, *Marci* 16. dicitur: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et Paulus de ſe, 2. Cor. 12. ait: *ſigna Apoſtolatûs mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis & prodigiis & virtutibus.* Igitur Apoſtoli vbique ſigillum hoc oſtendere, eoque doctrinam & miſſionem ſuam probare debuerunt, alioquin & temerè fidem exegiſſent, & nemo prudens eam dediſſet. Modò in Eccleſiâ Catholicâ miracula quamplurima ſingulis contingere ſæculis, vti paſſim in ſanctorum hiſtoriis & regnorum Annalibus patet, quæ ſi conficta aut ope dæmonum facta eſſe quis velit dicere, totus mundus reclamabit, qui ea ſemper pro miraculis veris & ope Dei patratis agnouit, multis & efficacibus argumentis ad hoc motus.

1. *Miracula Eccleſiæ ſunt vera.*

Nam Primò, plurima eorum à SS. viris ſcripta. S. Gregorij Thaumaturgi à S. Gregorio Nyſſeno & S. Baſilio Magno *de Spiritu S. c.* 29. S. Antonij à S. Athanaſio. S. Benedicti à S. Gregorio Magno. S. Hilarionis à S. Hieronymo. S. Malachiæ à S. Bernardo. S. Franciſci à S. Bonauentura. De quo dixit S. Thomas: *Sinamus ſanctum pro ſancto laborare.* Recentiorum miracula accuratiſſimè comprobata ſunt & publicis inſtrumentis confirmata. Num tanti viri in re tantâ fumos vendiderint in rebus fidei? Secundò, à nullo aduerſariorum ſunt ſcriptis refutata vel reprobata. Tertiò, aliàs omnes hiſtoriæ reiiciendæ ſunt.

2.

3. *Non ſunt dæmoniaca.*

Secundò, non fuiſſe dæmoniaca patet. Primò, quia à SS. viris patrata. Secundò, quia multa ſuperant dæmonum poteſtatem, vt mortuos ſuſcitare. Tertiò, quia perſeuerarunt: dæmoniaca autem non durant. Quartò, ſi hæc facit dæmon ad retinendos in perfidia Catholicos, cur non eadem facit aliis hæreticis, ſi & Catholici ſunt hæretici? Contra verò Nouatores ne vnicum proferre miraculum poſſunt, quo fides eorum confirmari queat. Niſi miraculum ſit, viuum enecare, ab obſeſſo in anguſtias redigi, vel populos ventri deditos peruertere breui temporis ſpatio ad eam religionem, quæ libertatem carnis & fomentum vitiorum alit, vitæ ſanctitatem & auſteritatem excludit.

E. IV. *In Eccleſia vnum viſibile caput.*

Quartò, In hac vnus eſt Nauarchus Petrus, cui ſoli dicitur: *Duc in altum*; ſolus rogatur vt nauem à terrâ reducat. Ita in Eccleſia vnum ſupremum & viſibile caput eſt & eſſe debet, Petrus ſeu ſucceſſor eius. Quemadmodum enim in naui vnus ſupremus gubernator eſſe debet, alioquin meræ diſcordiæ forent & certus immineret interitus: ita & in Eccleſia, vbi non eſt ſupremus aliquis gubernator, neceſſariò oriuntur innumera ſchiſmata, nec conſiſtere eiuſmodi regnum in ſe diuiſum poteſt. Sed quemadmodum vulpes Samſonis caudis colligatæ & capitibus diuiſæ ſegetem Philiſthinorum vaſtârunt: ita & regio illa, quæ non vnum tantùm, ſed ſingula habet capita vel nullum, omnia peſſundat; dum vnus ita alter aliter ſcripturam exponit & contendit exponendam, adeoque ſibi quiſque Iudex eſt in fidei controuerſiis. Hoc itaque præuidens Chriſtus, vnum Eccleſiæ caput & ſupremum paſtorem ac Iudicem controuerſiarum conſtituit Petrum, cui ſpeciatim claues regni cœlorum & oues ſuas paſcendas tradidit & aſſiſtentiam promiſit, idemque in hoc Euangelio typo quodam præſignauit, cùm dixit: *Duc in altum.* Et poſt: *Ex hoc iam eris homines capiens: Capiens*, inquam, & non perdens.

F. V. *Eccleſia ducitur in altum.* 1. *In caput mundi.*

Quintò, Hæc nauis duci iubetur & ducitur à Petro in altum. Primò, In caput mundi Romam, vt inde ſe Eccleſia & fides Chriſti in omnia orbis membra (ex omni enim natione reperti ibi homines) faciliùs inſinuaret, ſeu vti S. Leo *ſerm.* 1. *in Natali SS. Petri & Pauli*, ait: *Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur imperij, vt lux veritatis quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet.* Nimirum vti turris Pharos prope Alexandriam nauigantibus & appulſuris portum monſtrabat: ita Roma Eccleſiam. Et quis non adſcribat ſingulari Dei prouidentiæ, quòd Roma Caput Orbis, Pontificis tandem facta eſt, nulla vi aut armis?

2. *In vitæ perfectionem.*

Secundò, in Altum, id eſt, vitæ perfectionem, ad quam ducit Eccleſia iuxta verbum Chriſti. Hinc in eâ ſemper innumeri fuêre qui per voluntariam paupertatem, caſtitatem, obedientiam conſilia Euangelica ſecuti ſunt, ad quæ inuitauit Dominus iuuenem illum. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia* &c. vt oſtendunt tot ordines & religiones, in quibus Deo ſoli ſeruitur die ac nocte. Contrà ſectæ aliæ maximè noſtri temporis nunquam in altum [illegible]

Digitized by Google

ducunt, quia non modò conſilia Euangelica non ſectantur aut ſectanda ſuadent, ſed etiam horrent & diſſuadent. Nemo vnus apud illos reperitur, qui poſſeſſionibus ſuis & honoribus renunciet & paupertatem atque humilitatem amore Christi ſectetur: qui carnis voluptatibus abiuratis virginitatem voueat aut ſeruet virtutis causâ, vel alterius ſe voluntati ſubiiciat. Imò hæc omnia illi ſubſannant & condemnant, & ſi quis eorum paſtor non ſit vxoratus, ſuſpectus habetur apud ipſos de fide Catholicâ.

3. *In remotas regiones.* Tertiò in altum, id eſt, remotiſſimas mundi regiones ad fidem propagandam & gentiles conuertendos. Hoc enim Eccleſia Catholica fecit omnibus ſæculis, dum paſſim emiſit prædicatores in omnes terræ angulos, & noſtris temporibus in orbem nouum, ob longinquitatem, priùs incognitum. Cùm contrà miniſtri hæreſeon domi ſuæ reſideant quaſi ad littus, nec vnquam egredi videantur in remotas nationes vltra maria ad docendas gentes, ſuas enim commoditates tantùm pro hoc ſæculo, non aliorum ſalutem quærunt.

G. VI. Ab Eccleſia fides vndique propagata. Sexto, In hac laxantur retia ad capturam & capiuntur innumeri piſces omnis generis: ita in Eccleſia Catholicâ laxata ſunt retia Euangelicæ prædicationis per orbem vniuerſum. Siquidem *in omnem terram exiuit ſonus eorum*, & fides vndique propagata eſt, captique ex omni natione plurimi gentiles; imò quotquot ad fidem conuerſi ſunt, ab Eccleſia Romanâ conuerſi ſunt. Elapſo XIV. ſæculo conuerſi ſunt & conuertuntur adhuc innumerabiles. Indi Orientales, Iapones, Chinenſes & qui nouum incolunt orbem. Nec non Archiepiſcopus Ruſſiæ & Patriarcha Alexandrinus, Schiſmatici, beneficio Clementis VIII. Sæculo XV. conuerſi ſunt à S. Vincentio Ferrerio ad 25. millia Iudæorum & Saracenorum, teſte D. Antonino in hiſt. Sæculo XIII. Tartari quamplurimi pèr duos Patres Dominicanos à Summo Pontifice miſſos, teſte Paulo Veneto, Sæculo XII. Noruegi ab Eugenio III. & Hadriano IV. teſte Ranulpho l. 7. cap. 22. & Platina in vitâ Hadriani IV. Sæculo XI. Vngari plerique ad inſtantiam S. Stephani Regis ſui, teſtibus ipſis Centuriatoribus Cent. 11. c. 2. Sæculo X. multa regna conuerſa ſunt operâ S. Henrici Imp. nec non Adalberti Bohemorum, & Methodij Morauorum, Epiſcoporum: Centuriat. teſtibus Cent. 10. cap. 2. Sæculo IX. Daniæ regnum operâ Agapiti II. teſte Saxo. *l. 9. hiſt. Dan.* Item Vulgaria operâ, literis & admonitionibus Nicolai I. teſte Platinâ in vitâ eius. Sæculo VIII. Germani plerique à S. Bonifacio, miſſo à Gregorio II. & III. teſte Baronio. Sæculo VII. Franci Orientales, modò Francones operâ S. Kiliani eò miſſi à Romano Pontifice. Sæculo VI. Angli per Auguſtinum & ſocios Monachos, quos eò miſerat S. Gregorius Papa I. ideò Anglorum Apoſtolus vocatur à Beda. Sæculo V. Britannia & Scotia Beneficio Cœleſtini, qui eò miſerat Palladium. Sabell. Ennead. 8. lib. 7. Baron. anno 429. Quis recenſeat alias quamplurimas nationes: Brabantiam, Flandriam,

Hollandiam, Friſiam, Weſtphaliam, Fran-
ciam, &c. quæ omnes per Romanæ Eccleſia
filios prædicatores, Seruatium, Eligium, Ru-
moldum, Amandum, Vedaſtum, Liuinum, Re-
migium, Willebrordum, Suitbertum, Vultra-
mum, Lugderum & alios conuerſæ ſunt ab infi-
delitate ad fidem, à vitâ barbaricâ ad ciuilem
Contrà ab hæreticis, præſertim noſtris, null
infidelium regna vnquam ſunt conuerſa, ne-
que etiam illi ſtuduerunt aliquando gentiur
conuerſioni, ſed vel propriis commoditatibu
vxoribus & liberis ac ventri: vel fidelium tan
tùm peruerſioni. At hoc non eſt capere piſces
ſed captos rapere & libertati reſtituere. Vnd
veriſſimè dicere poſſumus, piſces omnes ab Ec-
cleſia tantùm Romanâ captos eſſe, nullos om-
nino à ſectis hæreticorum. Neque ab Eccleſi
duntaxat, ſed & à Petro, eiuſque ſucceſſor
Summo Pontifice, tanquam principali piſcato-
re, qui per Cooperatores ſuos totum cep
mundum.

Septimò, In hac rumpitur rete ob piſcium
multitudinem. Ita cùm in Eccleſia Catholic
creuit numerus, fidelium neceſſe fuit in tant
multitudine rumpi interdum rete, & fieri ſciſ
ſuras ac ſciſmata, iuxta id Apoſtoli 1. *Cor.* 1
Oportet hæreſes eſſe; conſideratâ nimirum ho-
minum inconſtantiâ, diſſimilitudine, curioſi-
tate, &c. maximè in tantâ multitudine. Si
enim in magnâ aliquâ familiâ oportet eſſe odi
ſimultates & lites inter tot diuerſa famulan
tium ingenia. Itaque quotquot hæreſum aucto
res fuere, ab Eccleſia diſceſſere, ſcindendo eiu
rete. Nimirum ob impatientiam diſciplinæ, re-
ligionis, præceptorum, &c. Anguſtiari ſe ſentie-
bant; quas anguſtias vt euaderent, rete diſcide-
runt. Anguſtæ nimirum erant regulæ ordinum
canones Conciliorum & Pontificum, præ-
cepta Chriſti Domini, &c. ideò exitum quæ
ſierunt, & quo modo exiſtimas? perroſerun
rete S. Scripturæ, partim delendo quæ no
placebant, partim apponendo quæ placebant
partim ſenſum deprauando & iuxta libitum
eum exponendo. Hinc foramen fecerunt,
quod eos ſecuti ſunt, quotquot viciniſſimi fue-
runt, hoc eſt, inclinati ad eandem liberta-
tem, quæ eſt huius mundi mare periculoſum
Neque mirum eſſe debet oriri ſubinde in tam
multitudine ſciſmata & hæreſes. Illud verò mi
rum, oriri etiam inter hæreticos illos, qu
pauciſſimi ſunt in vno orbis angulo. Qui a
Eccleſiâ diſceſſerunt, perierunt ipſa perſiſten-
te: ſed hæretici dum inter ſe diuiduntur in ſe-
ctas, parem omnes interitum ſortiuntur, null
triumphante.

Octavò, Hæc annuit ſociis vt veniant &
adiuuent eam in capturâ. Ita Eccleſia Roma-
na legitimam habet vocationem miniſtrorum
& debitam ſubordinationem: nec non ſubie-
ctarum Eccleſiarum communionem. Quem-
admodum Ieroſolyma princeps erat vrbium
Hebræorum; ſic Roma Chriſtianarum. Quiſ-
quis ergò Catholicus eſt, Romæ, id eſt, Ro-
mano Pontifici conſociari debet: Vnde S. Hie-
ronymus ad Damaſum epiſt. 58. ait: *Si quis Ca-*
thedr

thedra Petri mergitur, non est. Inde etiam antiquis Patribus Romanum id erat, quod Catholicum, Hieronymo in apolo. aduerſus Ruffinum, Ambroſio in orat. de obitu fratris, Theodoſio Imp. in epiſt. ad Acacium Beroënſem viii ait: *Debet vos probatos Sacerdotes eſſe Romana religione*; imò & veteribus Arianis apud Victorem Vticenſ. *in perſec. VVandal.* Similiter quiſquis in Eccleſia Chriſti vult piſcari, à Petro & eius ſociis ad hoc vocari debet, non à Magiſtratu ſeculari vel populo, qui nullam ad hoc authoritatem accepit: Petrus ad piſcandum vocatus eſt à Chriſto, ſocij Petri à Petro, qui in aliâ naui procul exiſtebant, vocati ſunt à ſociis Petri: ita in Eccleſia Epiſcopi vocantur à Pontifice, Prælati & Parochi ab Epiſcopis.

K. IX. Eccleſia fluctuat ſed non mergitur. Nonò, Hæc nauis pæne mergitur, id eſt, periclitatur, nequaquam tamen ſubmergitur. Ita & Eccleſia Romana fluctibus agitari poteſt, mergi omninò non poteſt: quemadmodum ſcripſit ad Imperatorem Turcarum Pius II. Papa: *Niteris in caſſum Petri ſubmergere nauem: Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.* Apparuit hoc primis tribus ſeculis, quibus in tot Tyrannorum perſecutionibus non modò non ſubmerſa, verùm etiam exaltata magis eſt Eccleſiæ nauis, velut illa Noëtica in mediis aquis diluuij. Apparuit circa annum 500. vbi Anaſtaſio Imp. Eutychiano, Regibus Italiæ, Hiſpaniæ & Africæ Arianis; Regibus Francorum, Anglorum, Germanorum paganis, viguit & peribitur. Apparuit circa annum milleſimum, quo tempore nulli ſcriptores illuſtres, nulla Concilia, Pontifices parum de rep. ſolicitæ fuere, nec tamen peſſum iit Eccleſia; ſiquidem tunc diuina prouidentia egit, vt nullæ ſurgerent hæreſes nouæ, & vt Principes ſæculi ſanctitate florerent, veluti S. Henricus Imp. cum vxore Cunigunde, Romanus Imp. Græcus, Canutus Rex Daniæ & Angliæ, Stephanus Rex Vngariæ cum filio S. Emerico, Robertus ſanctus Rex Francorum, Magnus Ferdinandus Rex Caſtellæ & Legionis cum vxore ſanctâ. Taceo incurſus hæreſum innumeros & acerrimos, quibus oppugnata quidem, non tamen expugnata eſt Eccleſia. Quod aduertens Lutherus in hoc textu Euangelij hodierni præ inuidia, voculam *pæne*, omiſit, quòd in Græco textu, qui nunc habetur, non extat: extat tamen in Latino & Græcis veteribus. Et neceſſariò eò pertinet; quis enim dicat naticulas illas omninò ſubmerſas eſſe? An non hoc pacto Chriſtus iterum deſtruxiſſet, quod miraculo edito priùs ædificárat?

His ita conſtitutis indicet vnuſquiſque, an non meritò in primis mirari & obſtupeſcere nos oporteat cum Petro, ob tam miram piſcium capturam, ſeu Eccleſiæ incrementum, firmitatem, ordinem &c.? Secundò, an non meritò flectere oporteat genua Chriſto eiuſque Eccleſiæ Romanæ? Tertiò. An non meritò exiſtimare debeamus, dictum eſſe Cathedræ Petri: Noli timere, &c.? Denique an non iure meritoque ſuſpectam habere nauim ſectariorum, de quâ nihil ſimile ſcribitur in Euangelio?

CONCIO II.

Piſcatio Euangelica quomódo fieri debeat.

1. *Animarum piſcatores mittant rete in dexteram, id eſt, habeant rectam intentionem.*
2. *Ducant in altum, parati ire ad remotos populos.*
3. *Non piſcentur noctu, hoc eſt, in ſtatu peccati.*
4. *Laxent retia in capturam adhibendo diſcretionem.*
5. *Non fidant ſuis tantùm viribus, ſed piſcentur cum Chriſto.*

THEMA.

Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens. *Luc.* 5.

NOta eſt, Auditores, hiſtoria Tobiæ illius iunioris, qui ad fluuium Tigrim territus à piſce ſe adoriente, confirmatus eſt ab angelo comite, vt apprehenderet branchiam eius & traheret eum ad ſe, *Tob.* 6. Meritò deberet perterreſieri Sacerdos nouus & totus cohorreſcere, ſi accuratè intueretur animas ſibi committendas, capiendas & paſcendas. Hæc enim animarum cura & ſacerdotale munus terruit multos ſanctos viros, vt partim fugerent ſacerdotalem ordinem, partim munus paſtorale. Verùm adeſt in hodierno Euangelio angelus magni Conſilij Chriſtus, qui trepidantem erigit & confirmat dicens: *Noli timere; ex hoc iam eris homines capiens*; docens inſuper rationem apprehendendi piſcem & piſcandi. Huius ego indigniſſimus ſeruus mitti videor hodie ad confirmandum hodiernum Neomyſtam, & pro modulo noſtro docendum, quâ ratione piſcem illum apprehendere, & ita cum S. Petro magnam piſcium multitudinem queat concludere. Poterunt interim & alij diſcere, quid tibi in ſimili faciendum ſit. A.

B. I. Mittant rete in dexterâ. Piſcatores ergò animarum Primò, mittant rete ad dexteram nauigij partem, vti monuit Dominus *Ioan.* 21. hoc eſt, habeant rectam intentionem cùm fieri piſcatores hominum volunt. Recta autem intentio eſt collimare ad Dei gloriam & animarum ſalutem. Siniſtra, collimare ad opes, honores, gloriam vanam, quietem aliaque commoda: quæ ducit ad ſiniſtram iudicis futuri, ſeu ad ſortem reproborum. Et ſicut diſcipuli nihil ceperunt, quoad miſerunt rete in dexteram: ita fruſtrà laborant, qui ob temporalia tantùm commoda fiunt ſacerdotes & concionatores. *Piſcatores hominum*, ait Dominus *faciam vos*: non auri, vel honoris, vel quietis. Et in hodierno Euangelio: *Eris homines capiens.* Modò autem multi in hoc errant, vt præuidit Apoſtolus ad Philipp. 2. *Omnes* (id eſt, plurimi) *quæ ſua ſunt quærunt, non quæ* IESV Chriſti. Non ſic faciebat ipſe: ait enim 2. Cor. 12. *Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.* Non ita antiquâ

tiqui illi & Apoſtolici piſcatores, quales adhuc optat S. Bern. *ep. 227. ad Eugen.* Vſurarij ſunt iſti, qui pro ſpirituali obſequio lucrum temporale quærunt, & ſic amittunt æternum. Videant etiam hic plebeij, vt in ſuis actionibus ad dexteram colliment, quærant primò regnum Dei & iuſtitiam eius: deinde gloriam Dei, non ſuam, in omnibus actionibus.

C. II. Ducant in altum. 1. SECVNDÒ, Ducant in altum. Primò, Parati ſint ad imperium Superioris, etiam ad remotos ire populos, vti fecerunt primi noſtri Germaniæ Apoſtoli, qui fortè in ſuâ patriâ tales non euaſiſſent. Non hæreant tantùm circa littus patriæ, in quâ *nemo Propheta acceptus*, teſte Domino. Sic in altum duxit S. Xauerius & ſocij eius, qui non acquieuere donec gentilium terras, quę detectæ erant, omnes peragrarent & imbuerent Euangelio.

2. Secundò, Feruorem & zelum animarum habeant, quærendo etiam animas, adeundo pericula & compellendo intrare, ſi ipſæ nolint venire: Sic enim Chriſtus iuſſit Petrum eò ducere nauim, vbi erant piſces: non adduxit piſces. Talis piſcator fuit S. Syluerius Papa, qui in Inſulâ Pontiâ exul conſtitutus ſcripſit ad Amatorem Epiſcopum: *Suſtentor pane tribulationis & aquâ anguſtiæ: nec tamen dimiſi aut dimitto officium meum.* Quod reipsâ probauit, cogendo ibi Concilium multorum Epiſcoporum & decernendo quæ ad religionem & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinebant. Vt in Breuiar. Talis S. Carolus Borromæus, qui ob valetudinis curam aut mortis etiam periculum, non dimittebat officium ſuum. Et quid non faciunt ac tolerant piſcatores pro paucorum piſcium lucro?

3. Tertiò, Perficiant ſe in ſtudiis ſemper, nec contenti ſint è literis aliquid hauſiſſe, Vt enim piſcator nouos ſemper piſcandi modos excogitat & diſcit, & nunc retia texit, nunc reficit nunc ſiccat: nunc naſſas plectit, &c. ita faciat animarum piſcator. Hac enim ratione & vtiliter ſe occupabit & iucundè. S. Antonio aliquando tædio in Eremo affecto & deſideranti noſſe quomodo ſaluus fieri poſſet: apparuit angelus, qui modò ſurgens plectebat corbes & laborabat, modò procidens orabat; tum dixit: *ſic fac & ſaluus eris.* Idem ſuadeo ſacerdotibus, vt modò precibus & ſacrificiis ſuis vacent, modò ad oues ſuas excurrant, modò ad libros recurrant.

4. Quartò, Denique vitam ducant perfectiorem, quàm ſit vita Laicorum: uſque præeant bono exemplo & ad omnia pericula imperterriti ſint; ad exemplum eorum ſacerdotum, qui arcam geſtantes ſuis humeris, primi ingreſſi ſunt Iordanem & in medio eius alueo conſtiterunt, licet minaciſſimæ eis impenderent vndæ, donec vniuerſus populus tranſiit, atque ita primi & vltimi fuerunt in tranſitu Iordanis, Ioſ. 4. Sic & ipſi ferant arcam legis Euangelicæ, non ore tantùm, ſed humeris etiam, exemplo præeuntes: nec paulùm à terrâ, ſed in medium alueum gerant, ſublimiorem ſectando vitam.

Videant etiam hîc plebeij, vt erga Deum liberales ſint, & plus faciant quàm tenentur, ſi volent Deum erga ſe eſſe liberalem & dare non ſufficientem ſolùm & communem gratiam, ſed ſpecialem & abundantem, quæ nos moueat.

TERTIÒ, Non piſcentur noctu, id eſt, in ſtatu peccati: ſed videant vt ſemper ſint in gratiâ: ne alioquin fruſtrà laborent & prædam ſuam mittant in vas pertuſum, aut piſces capiendos abigant malo ſuo exemplo. Quid prodeſt araneæ de nocte telam texere, quæ manè mox cum ipſa deiicitur & conteritur? ſic continget malis paſtoribus, qui licet multum laborarint pro ſalute aliorum, neglexerunt interim propriam. Veniet aliquando ancilla, mors, cum ſcopis & deiiciet hanc araneam vnà cum texturâ ſuâ. D. III. Non piſcentur noctu.

Adhæc graui ſe ſcelere obſtringent, ſi in peccatis ſacramenta adminiſtrent. Ergò ſicut olim veteris legis Sacerdotes ignem in tabernaculo ſemper fouebant, & nunquam extingui patiebantur, *Leuit.* 6. (quod & Veſtales Rom. faciebant) ita Sacerdotes foueant ignem gratiæ diuinæ ſemper in corde ſuo: ac ſiquidem is aliquando peccato extingueretur, confeſtim reaccendere curent. Imitentur hodiernos piſcatores, qui de naui deſcenderunt & lauerunt retia ſua. Deſcendant illi quotidie in fundum cordis ſui, & lauent rete cordis ſui per examen conſcientiæ.

Denique neque in nocte ignorantiæ piſcandum eſt, nec præſumant aliis ducatum præbere, qui cæci ſunt, ne illos ſecum præcipitent. Et ſi quidem in vno aut altero dubij ſint aut perplexi, conſulant ſuperiores & doctiores.

Videant etiam plebeij vt ne bona quæ agunt, in ſtatu peccati agant: ſicque merito operum deſtituantur.

QVARTÒ, Laxent retia ſua in capturam. Primò adhibendo ſuauitatem & diſcretionem; Hamus vulnerat piſces, non rete. Sic qui vult capere animas, non agat minis aut verberibus: ſed obſecret, increpet, &c. Hinc Apoſtolus vult Epiſcopum eſſe *non percuſſorem*, ad Tit. 1. E. IV. Laxent retia in capturam. 1.

2. Secundò, Laxent retia & diſtendant pro viribus, per charitatem omnes omni modo adiuuando & quærendo etiam ſibi infenſos & inimicos: communicando etiam temporalia. *Cùm enim incomparabiliter*, inquit S. Gregorius *homil.* 14. *in Euang. longè ſit melior anima quâ viuimus, quàm terrena ſubſtantia quam exterius poſſidemus: qui non dat pro ouibus ſuis ſubſtantiam ſuam, quando pro his daturus eſt animam ſuam?*

3. Tertiò, Patientes ſint, tametſi fructus non ſtatim reſpondeat. Sufficit ſi vel vnus capiatur piſcis. Verificatur ſæpè fabula illa de piſcatoribus in quorum cymbam, cùm diu fruſtrà laboraſſent, & iam recedere vellent, caſu inſiluit piſcis. Exemplo eſt Abraham ille ſan-

ogle

ſanctus apud Surium 16. Martij qui cùm gentilium quorundam pagum conuertere deberet, ab illis malè mulctatus baculis & è pago extractus, ac ſemiuiuus relictus, rurſum rediit & poſt triennium eos ſuâ patientiâ vicit tandem ac ſuos effecit, magiſque ab eis poſteà cultus & amatus eſt, quàm priùs odio habitus. Videant etiam laici, vt dilatent erga proximum ſuum viſcera miſericordiæ ſuæ.

F. V. Non piſcentur ſine Chriſto.

QVINTÒ. Non piſcentur ſine Chriſto, id eſt, non fidant ſuis tantùm viribus. Vt enim quàdiu abſente Chriſto piſcati ſunt, nihil ceperunt: ita ſpiritualis piſcatio non fructificat, licet omnia facias, ſine Chriſti adiutorio, qui adducere piſces debet. Quàm diu expectare debuiſſet Petrus piſcem illum, qui habebat ſtaterem in ore, ſi Chriſti manus mirâ & inuiſibili potentiâ eum non adduxiſſet? Chriſti tamen ope mox eum cepit. Itaque non niſi inſtrumentum Dei ſe eſſe ſibi perſuadeat, in piſcatura iſta. Vnde Iſai. dicit: *poſui te quaſi gladium acutum, & ſicut ſagittam electam.* Hæc autem ex ſe non ſcindunt, niſi eleuata & impulſa.

Accedente auxilio, & fiduciâ in Deo multum efficient, etiamſi humilia & ſimplicia prędicent. Nam etiam prope littus, non in alto, legimus Ioan. 21. ad imperium Chriſti captos multos ac magnos piſces. Non erant vtique omnes buccinatores, milites Gedeonis, qui contra Madianitas tubas inflabant, Ioſ. 8. ſed alter altero deteriùs canebat: nihilominus omnes illi hoſtes terruére ac fugauêre. Sed vbi Chriſtus dat gratiam, ibi capiuntur piſces, licet non omnes docta & erudita prædicent, vti videre eſt in Spiridione Epiſcopo, qui recitato tantùm Symbolo Philoſophum ſuperbum & contumacem cepit: apud Euſeb. Non omnes poſſunt eſſe Doctores, poſſunt tamen omnes implorare Dei gratiam: vt det eis os & ſapientiam, Auditoribus verò gratiam & cor carneum ad doctrinam acceptandam. Hoc igitur vt agant ſupereſt; quòd haud dubiè maiores noſtri intendebant, dum in more receptum habebant, vt Neomyſtæ 30. Miſſas triginta diebus continuis legerent.

Videant porrò & laici, vt omnia ſua opera Deo adiutore inchoent, & peragant, dicendo: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina.*

Denique dicant cum S. Petro: *Domine in nomine tuo laxabo rete. In nomine tuo*, hoc eſt ad gloriam nominis tui: non ad proprium commodum; iuxta id Apoſtoli, 1. Corinth. 10. *Omnia in gloriam Dei facite. In nomine tuo*, id eſt, in voluntate & præcepto tuo (hoc ſenſu locutus Petrus in hodierno Euangelio,) quocunque enim me miſeris vel vocaris, illuc ibo etiamſi in altum ducere iubeas peregrinarum nationum. *In nomine tuo*, id eſt, in gratia tua, iuxta id Apoſtoli. 1. Corinth. 16. *Omnia veſtra in charitate fiant. In nomine tuo*, id eſt, in perſona tua, & ſicut piſcatus es maxima ſuauitate, charitate, patientia, &c. ita volo piſcari & ego. Denique *in nomine tuo*, id eſt, tuo nixus adiutorio, non meo. Rogemus ergo Deum, Chariſſimi, pro Neomyſta noſtro, vt Deus det illi gratiam ad piſcandum fæliciter. Roget ille pro nobis, vt velut boni piſces intremus in Chriſti rete, inque eoque maneamus, donec colligamur in vas æternæ fælicitatis.

CONCIO III.

Quàm fruſtra laborent ſectatores mundi, imò quàm ſibi perniciosè.

1. *Huiuſmodi aſſignantur Ambitioſi & dignitatum cupidi.*
2. *Gloriæ cupidi.*
3. *Auari & opibus inſidiantes.*
4. *Voluptuarij & libidinem ſectantes.*
5. *Gulæ & ebrietati dediti.*
6. *Fauorum ſectatores.*

THEMA.

Per totam noctem laborantes nihil cepimus. Luc. 5.

A. Mundus olla ſortilega.

VIdiſtis forſitan, Auditores, in nundinis aliquando ſortilegam ollam, in qua innumeræ ſunt ſchedulæ, quæ dato certo pretio extrahuntur ſorte, ad lucrum præmiorum & donariorum mirè fulgidorum, quæ illic oſtentantur. Ibi vaſa aurea, argentea, equi & rhedæ, ſclopeta, gladij, thoraces ferrei, veſtes holoſericæ, &c. quæ neminem non accendunt vt pecuniam ſortibus credat. Interim verò ſi pro quinque vel decem florenis manum ſchedulis plenam extrahas, nihil ferè aliud inuenies, quàm nihil, nihil, nihil. Vix tandem aliquando ſpeculum, fiſtulam, cochlear, aut cultrum viliſſimum acquires, quem indignabundus abiicies aut pedibus conculcabis, ac iurabis te nec obulum ampliùs in hunc fortunæ ludum inſumpturum. Videntur mihi Petrus eiuſque ſocij hodierno in Euangelio ſimilem luſiſſe ludum; tota ſiquidem nocte iactabant retia in mare, ſub ſpe capturæ piſcium: extracta iterum laxabant; interim verò per totam noctem laborantes nihil ceperunt, nec vnum quidem gobium: ita vt pertæſi operi naues ad littus reducerent, & animum piſcandi abiicerent. Hinc enim rurſum piſcari iuſſi, aiunt: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Sed non ipſi ſoli ſortem iſtam ſubeunt, omnes quotquot ſequuntur mundum & eius bona, hoc idem experiuntur. Mundus iſte mare eſt, tumens, fluctuans, ſcopulis & piſcibus plenum. In hoc plerique hominum magno ſuo periculo, vix digito à gehenna diſtantes piſcantur, & alius quidem purpuras honorum & dignitatum, alius vniones laudis & exiſtimationis, alius aurum diuitiarum, alius oſtreas gulæ, alius Sirenes libidinis; alius ſpumas fauoris humani, alius alia piſcatur. Retia ſunt curæ & labores, quos impendunt piſcationi illi: ſtudia, artificia, inuentiones, fraudes, technæ, varij lucrandi modi, &c. Mundus hic etiam

etiam olla eſt ſortilega, vbi ſplendidiſſima proponuntur bona. Interim verò ſi accuratè expendas, quid homines inde extrahant magnis laboribus & impenſis, nil aliud videbis, quàm nihil, nihil, nihil. Miſeri igitur ſunt qui huic ludo operam dant: id quod demonſtrabimus.

B. I. Ambitioſi dignitatum cupidi.

Huiuſmodi piſcatores ſunt PRIMÒ: Ambitioſi; qui honores & dignitates venantur; quid enim non laborum, obſequiorum, pecuniarum impendunt, vt deſideratâ fruantur dignitate? Aliqui propterea bella gerunt, omnia ſua expendunt, plurimos ſibi amicos faciunt, ſeſe ſubmittendo, adulando, inſeruiendo: & interim tamen ſæpiſſime nihil capiunt, dum ſpe ſuâ fraudantur.

Quare ſimiles ſunt hi venatoribus onagrorum, onagri enim homine conſpecto in iiſdem ſtant veſtigiis, etiam accedente illo: mox rudentes, immotis anterioribus pedibus, poſterioribus calcitrant. Vbi tamen propriùs acceſſerit venator vt ferè manu poſſit eos tangere fugâ ſe ſubtrahunt, nec capi ſe patiuntur. Ad eundem modum honores & dignitates monſtrant ſe ambitioſis, quaſi facilè acquiri poſſint: ſed vbi proximè acceſſeris, quaſi iam capturus prædam, ea ſæpe elabitur è manibus. Vnde Prouerb. 12. dicitur: *Non inuenit fraudulentus lucrum ſuum.* Per quem intelligit Beda ambitioſum. Ibi 70. habent: *Non aſſequitur doloſus venationem ſuam.* In Hebræo: *Non aduret fraudulentus feram ſuam.* Putant quidem ambitioſi & ominantur rem eſſe factam, nec aliud ſupereſſe niſi vt aſſent feram; ſed *non adurent feram ſuam,* Deinde licet aliquando aſſequantur petitam dignitatem, adhuc nihil ibi reperiunt, niſi maiores curas & labores. Contingit eis id quod pueris, qui aſpicientes montis alicuius verticem, putant cœlum non plus vno digito ab eo diſtare: aut etiam Solem cùm in vertice oritur, manibus ſe contingere poſſe, ſi in illo eſſent, vt cùm fortè aliquando rependo & ſudando ad verticem illum venerint, tum primùm vident, quàm decepti fuerint; quodque nunc æquè longè à cælo vel ſole abſint, ac priùs. Dignitates & officia procerum eiuſmodi montium vertices ſunt, quos in valle aſpicientes homines putant beatitudini proximos; vident enim eorum comitatus, pompam, veſtes, dapes, palatia, reſpectus, titulos, &c. ô qualis monſtrò ſi ſemel ad hunc peruenirem? nónne, cœlum digito tangerem & beatus vſquequaque forem? Age igitur repamus, conſcendamus vt illuc perueniamus. Et fit aliquando, vt quis eò deueniat rependo, algendo, ſudando. Vbi illic fuerit, tum primùm videt, quanto in errore verſatus ſit. Ægrotat vt priùs, moritur, vt priùs, eget vt priùs, inſidias & inimicitias patitur vt priùs, prætereà videt ſe negotiis & curis obrui, omnia eſſe plena periculis & ſuſpicionibus. Nunc hæc ciuitas deficit, nunc alia defectionem meditatur. Vndique querelæ & libelli ſupplices. Tum demum dicit: Regem, Ducem, Epiſcopum, Abbatem eſſe, nil aliud eſt quàm hoc? Hæccine eſt beatitudo? Agnouit hoc Alexander Papa, qui primò Franciſcanus monachus, ſecundò Archiepiſcopus Mediolanenſis, tertiò pontifex erat. Dicebat enim: *Quando eram frater & Theologus, cælo eram ditiſſimus: quando factus ſum Epiſcopus, factus ſum pauper: quando Papa, factus ſum mendicus.* Simillimum eſt, quod Henricus I. Archiepiſcopus Moguntinus de ſe dicebat: *Fui diues Canonicus, pauper Præpoſitus, mendicus iam ſum Epiſcopus.* MS. apud Serar. *libr.* 5. *rerum Mogunt.*

C. II. Gloriæ cupidi.

SECVNDÒ. Gloriæ cupidi, qui hominum laudem, exiſtimationem, & nominis celebritatem quærunt. Alij ſe adornant ſplendidiſſimis veſtibus vt magni videantur: alij ſordidis, vt ſancti. Alij omnia ſua verba cum pondere proferunt, greſſus ad maieſtatem, & vultum componunt: alius diuitias oſtentat; alius paupertatem vt magni fiat & laudetur. Similes hi ſunt Hanoni illi Carthaginenſium Duci, qui multo labore docuit aues caueâ incluſas pronunciare nomen ſuum, & dicere: *Hanon eſt Deus*, vt poſtmodum dimiſſæ hoc idem garrirent vndique. Verùm illæ libertati reſtitutæ omnes ad ſuum naturalem rediere cantum, Hanonis non meminere ampliùs. Ælian. l. 12. Simili modo dum homines ſe componunt ad laudem & gloriam aucupandam, quid aliud ſibi volunt, quàm homines docere vt paſſim loquantur ipſos eſſe Deos, nobiles, doctos, diuites, ſanctos &c. ſed ò quàm decipiuntur! Licet enim hoc aliqui in præſentiâ illorum dicant: vbi diſceſſerint & ad alios venerint, loquuntur quod ſentiunt, cachinantur, derident, reprehendunt, infamant; adeoque nihil illi miſeri capiunt ſuis retibus. Vnde ſuperbis ait Ieremias cap. 4. *Cùm veſtieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos fruſtrà componeris; contempſerunt te amatores tui, animam tuam quærent.* Exemplo ſit Iezabel illa (ad quam alludit ibi Ieremias) quæ ad introitum Iehu regis Iſraël proſpiciens de feneſtrâ, pinxit oculos ſuos ſtibio & ornauit caput ſuum, vt nimirum gratioſa eſſet in conſpectu Iehu, adeoque ſi non vxor, ſaltem concubina ei fieret, ſecundùm Abulenſem ibi. Sed nónne fruſtrà compoſita eſt, quæ mox à Iehu deiici per feneſtram iuſſa, & paulò pòſt ab equis conculcata, & à canibus deuorata eſt vſque ad oſſa, ita vt prætereuntes dicerent: *Hæccine eſt illa Iezabel?* 4. Reg. 9. Sic nimirum gloriæ ſectatores incidunt in dentes hominum mordacium & fiunt vulgi fabulæ. Quid non exantlauit Cicero ille, quas non moleſtias tolerauit gloriæ conſequendæ gratiâ? Et tamen ſpe ſua fruſtratus exclamauit: *O me nunquam ſapientem?* Cùm aliquando ille claros aliquot adoleſcentes accuſatos ſtrenuè defendiſſet, & ob id maximam gloriæ acceſſionem ſibi apud Romanos factam putaret, è Sicilia Romam veniens quæſiuit ex obuio amico Romano, quis de ipſo ſermo & rumor inter Ciues eſſet? Et ille: *Tu verò Cicero*, inquit, *vbi hoc ſpatio fuiſti?* Igitur animo planè conci-

concidit & deceptionem ſuam agnouit, Maiol. *to. 2. coll. 7.*

Deinde etſi gloriam fortè acquirant iſti, quid illa niſi fumus? niſi vana tantùm & volubilis hominum opinio & aura? An non Lappi iſti, qui fumos & ventos vendunt emuntque, quod de Lappiæ incolis ſcribitur? Deinde quàm anguſta eſt hæc fama & laus? Certè de Alexandri Magni ſummâ potentiâ & Ariſtotelis ſummâ ſcientiâ teſtatur Cicero, quòd eorum fama nec Caucaſum montem tranſcendere, nec Gangem fluuium tranſnatare potuerit. Prætereà num hi, licet aliquid ſint inter homines, apud angelos vel dæmones aliquid reputabuntur? Minimè. Denique quid prodeſt eis, ſi hîc celebrentur & in inferno torqueantur? Nónne igitur inſania eſt, omne ſtudium ſuum ponere in ea gloriâ acquirendâ, quæ proprij tecti apicem non tranſcendit?

D. III. Auari.

TERTIÒ. Auari, qui opibus inſidiantur. Quis enim recenſeat labores eorum in acquirendo, conſeruando, amittendo, quos habent? De primo ait Eſaias cap. 59. *Telas aranearum texuerunt. Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis.* Quanto cum labore texit aranea ſuam telam? quoties circuit? quàm artificiosè eam ſuſpendit; totam denique ſe euiſcerat in texendo: Et quid, quæſo, capit? muſcas, eaſque minores ſolùm. Ita res habet cum diuitibus. Quoties illi circumeunt terram & perambulant eam? quoties traiiciunt maria? quot retia tendunt pro lucro pecuniarum? ſeipſos euiſcerant, emaciant, currunt, ſudant, eſuriunt, ſomnum non capiunt, propriis dorſis merces circumferunt, technas etiam & fraudes excogitant, quibus merces ſuas diſtrahant, iuxta id Ieremiæ cap. 9. *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium, laborauerunt vt iniquè agerent.* Quære ex mercatore: quanti valet hæc res? dicet mox tanti, & iurabit ac peierabit ſe carius emiſſe. Huic ſuccedit alter labor, conſeruationis: vt enim tela araneæ ex captu muſcarum laceratur paulatim & tandem omninò diſſoluitur: ita ex maiori lucro magis laceratur anima & vulneratur curis. Hinc enim Dominus comparauit diuitias ſpinis, quæ ſine vulneratione tractari nequeunt, ſed vbicunque attigeris, pungunt. Et quid muſcæ illæ, quas capiunt araneæ, niſi eædem curæ, quæ lacerant conſcientiam? Muſcæ aliquæ etſi multoties abigantur, ſemper tamen redeunt & quietem dormientis impediunt: ita curæ illæ infeſtæ ſunt diuitibus. Denique vbi diu texuit aranea prædamque cepit, tum denique venit ancilla cum ſcopis, eamque deturbat & pedibus proterit: ita mors etiam diuites vnà cum telis euerrit & in terram proſternit vbi omnium pedibus calcantur. Similes ſunt auari pueris qui in alienum hortum per ſpineta non ſine vulneribus irrepentes non ſine difficultate arbores conſcendunt, pomis ſpoliant, eiſque ſinus ſuos replent. Tandem venit Olitor & non modò aufert eis prædam, ſed etiam probè mulctat eos verberibus. Ita ſanè mors auaros tractat, qui magno ſuo labore diuitias compararunt. Rota molendini tota die circumagitur, & tamen veſperi eodem loco conſiſtit quo erat manè, nec vnum quidem paſſum progreſſa eſt. Sic res habet cum diuitibus. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ*, ait diues Iob cap. 1. *Nudus reuertar illuc.* Sic *impij in circuitu ambulant.* Non legiſtis aliquando teſtamenta? Et quid ibi legiſtis? Nónne hæc aut ſimilia verba: Hæc vxori meæ relinquo: hæc liberis meis relinquo: hæc amicis relinquo, &c. Vbi aliquando legiſtis, hæc mihi reſeruo? hæc mecum feram, &c. nihil horum. Ecce ergo quàm verum illud Pſalm. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis?*

E. IV. Voluptuarij.

QVARTÒ. Voluptuarij, qui libidinem ſectantur. Et hæc ô quàm carè emitur? quantis laboribus, impenſis, fraudibus! Dicit impurus id Oſeæ 2. *Vadam poſt amatores meos*; ſed Deus ſubiungit: *Propter hoc ecce ego ſepiam vias tuas ſpinis.* At hoc nihil curat ipſe, ſepem tranſilit, veſtes extra relinquit, manus vulnerat, pomum licet vnicum quod fortè conſpexerit, quærit: idque cum magno timore velut fur obſeruans & circumſpiciens, ne fortè deprehendatur. Scribit Cardanus l. 14. de rerum variet. n. 56. Fenellam Reginam Kennetho Regi Scotorum porrexiſſe pomum aureum ita fabrefactum, vt quicunque illud tetigiſſet, ſtatim multis telis è pomo proſilientibus tranſfigeretur: eoque Regem nihil ſuſpicantem inuitatum in Feſticarij oppido occidiſſe. Profectò huiuſmodi pomum meretrix & libido eſt, quæ contactu ſuo plurimis ac venenatis telis configit amatorem. Quis recenſeat obſcœnorum labores donec optato fruantur amore? In ipſa verò fruitione pauidi ſunt inſtar furum, ideo latibula quærunt, ac quemadmodum Saul ſub vmbrâ hoſtibus circumdatus, magno ſuo periculo dormiunt. 1. Reg. 26.

Ad extremum vexat eos conſcientiæ remorſus & delicti pœnitentia. Vt enim qui ſcabie vexantur, ipſa fricatione quandam ſentiunt voluptatem, ſed protinus acer dolor ſequitur, vt eos fricuiſſe pœniteat: ita fit in hoc flagitio. Quid non excogitauit Amnon vt ſororem comprimeret? & tamen mox poſteà maiore eam proſequebatur odio, quàm priùs amarit, 2. Reg. 13. Denique licet ſciat talis ſe propterea grauem ignominiam & damnum incurſurum: non ideò tamen abſtinet. Adhæc ægritudines, morbi abominabiles, mors accelerata ſequuntur. Quòd ſi igitur Demoſthenes inuitatus magno pretio ad ſcortum dixit: *Non emo tanti pœnitere?* quomodo non id ipſum dicere deberent omnes, ſi hæc omnia conſiderarent?

F. V. Gulæ & ebrietati dediti.

QVINTÒ. Gulæ & ebrietati dediti. Hi imprimis magnis expenſis & laboribus comparant, quæ abſumant ad ſui perniciem. Eliſæi puer 4. Reg. 4. in agrum profectus magno ſtudio collegit herbas vt coqueret eas & pararet cibos; ſed comedentibus illis, mox exclamarunt omnes

omnes conuiuæ. *Mors in ollâ, vir Dei.* Ita euenit Lucronibus, quæ multo labore per hebdomadam lucrati ſunt, feſtis diebus abliguriunt;& inde quid lucrantur? Primò ad pauperiem rediguntur; multos enim crapula ex dominis ſeruos,ex nobilibus ignobiles, ex diuitibus pauperes fecit. Deinde ſanitatem lædunt; ſiquidem ebrietas non tam conciliat, quàm arcet voluptatem. Vt enim nimius fulgor viſum, nimius ſonitus auditum perſtringit & lædit; ita nimius potus ſanitatem. Rurſum ſicut Phænix comportat ligna, quibus comburatur; ſic guloſi epulas congerunt in ventrem, quibus omnis generis morbos ſibi concilient ac tandem in inferno ardeant. Sequitur eoſdem immatura mors. Et quod maximũ eſt,priuantur ac ſpoliantur à potu velut à prędone, vſu rationis,quâ ſe dirigere & defendere poterant. Nemo facilè patitur ſe diſcingi gladio aut armis; quin etiam ad templum ea ferunt multi, vbi nullum inſidiarum periculum. Ratio, noſter gladius eſt,quem aufert nobis ebrietas, indeque nos conſtituit in hoſtium poteſtate, dæmonis, inquam, & multorum ſcelerum, quæ facilè dominantur ebrio. Væ illi ſi mors repentina gladio hoc diſcinctum repererit. Sepultum enim vino ſepeliet in inferno. Quod adeò credibile eſt, vt Alexander Papa tertius in Capitulo *Audiuimus, de reliq. & ven. Sanct.* dicat: *Vix pro talibus in ebrietatibus peremptis Eccleſia permittit orare.*

G. VI. Fauorum ſectatores.

Sextò. Fauorum ſectatores,qui etiam plurimum laborant, quò Principibus viris placeant,abiectiſſima quæque faciunt,tolerant,diſſimulant;ad inſtar Chamæleontis eorum ſe moribus accommodant,& in omnem fortunæ ludum vertunt. Et quid inde conſequuntur? Imprimis conſcientiam peccatis grauiter ſauciant, dum fauore Principum liberiùs peccant,quiduis ſibi licere rati, alios contemnunt, vt Aman Mardochæum & Iudæos cæteros, inſoleſcunt denique. Inſectantur pueri multo curſu papiliones, donec eos capiant: quos vbi vix tandem ceperint, nil aliud acquirunt ex inutili vermiculo, quàm quod manus inquinent: ita res habet cum iſtis, qui fauores conſectantur; quid enim aura inanis & fauor quàm debilis ille vermiculus; qui difficulter acquiſitus non ſine animæ periculo & inquinatione retinetur?

Deinde fauor iſte ſæpe ducit hominem in præcipitium, vt eum grauiore caſu deiiciat; vti expertus fuit Aman qui in malum ſuum exaltatus fuit ab Aſſuero; vnde quidem is Primò, mirè ſibi gratulabatur & applaudebat. Verùm breui ſe deluſum vidit, nec ad tantum honorum culmen fuit exaltatus, quin poſteà ad altius patibulum fuerit ſuſpenſus. Eſth. 3. Rectè verò in propria cruce, quam erexerat Mardochæo, ſuſpenſus fuit, quia fauore Principis abuſus & in inſolentiam elatus, malum id ſibi creauit. Ita Euthymius hæreticus hæreticæ Imperatricis fauorem aucupans currum parauerat,quo S. Ambroſium in exilium abriperet, gratiſſimam rem facturus Imperatrici magnaque expectans munera. Verùm poſt annum ipſemet fauore in odium verſo, eodem carpento ſuo impoſitus abductus eſt in exilium. Refert S. Paulinus in vita eius. Denique licet demus fauorem illum ſtabilem eſſe, non durat tamen vltra vitam & fælicitatem Dominorum, ſed cadit illis cadentibus. Quemadmodum enim ſpuma piſcis in ſpuma maris naſcitur & nutritur, ſimulque cum illa interit, nec prolem gignit, nec vltra annum durat, teſte Ariſtotele *l. 6. animal. cap.* 5. ita qui Principum fauore gaudent, ab illis quidem nutriuntur, ſed quamdiu? per annum fortè: nec tranſit communiter fauor iſte ad eorum proles: tandem vnà cum dominis cadunt. Et quanta eſt principum vita? quanta ferè ſpumæ; *Omnis* enim *potentatus breuis vita,* ait Eccleſiaſticus cap. 10. Et Oſe. 10. de rege Samariæ dicitur: *Tranſire fecit Samaria regem ſuum, quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ.* Vult dicere: dum Samaria ad Idololatriam prona regis ſui fauorem ſectaretur, eumque ſuæ Idololatriæ complicem fecit, impulit eum in interitum, factumque vt rex cum regno celerrimè extingueretur. Hedera adhæret arbori aridæ & carioſæ, putredini iam obnoxiæ, breui interitura: ita qui fauore Principum viuit. Paulò poſt ruet arbor & ipſe vnà cum arbore.

Quid mirum ergo, ſi tandem iſti omnes ſubductis ad terram nauibus omnem ſuam induſtriam & laborem deteſtentur? Certè Iſaias c. 19. de iis dicit: *Mærebunt omnes piſcatores & mærebunt omnes mittentes in flumen hamum & expandentes rete ſuper faciem aquarum emarceſcent,* quia ſcilicet nihil capient. Audiamus mœrentes, Sapientiæ 5. ita loquuntur damnati: *Nos inſenſati, laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus.* Quid aliud dicerent omnes mundi piſcatores, qui ante nos fuerunt, ſi nunc à mortuis reſurgerent? Quid Alexander Magnus, quid Cæſar, quid Pompeius aliique qui in hiſtoriis celebrantur? quid aliud, quæſo, dicerent niſi id: *per totam noctem laborantes nihil cepimus?* Ambulauimus vt cæci: laſſati ſumus in via iniquitatis. Nos ergo, Auditores, non piſcemur in mundi nocte, nec piſcemur ſine Chriſto. Sine Chriſto maximis laboribus nihil captum eſt: cum Chriſto minimo labore plurimum captum eſt. Quantum igitur ſapiunt, qui retia ſua non in mundum ſed in cœlum iaciunt & ſolida bona captant!

Digitized by Google

CONCIO IV.

Cauſæ cur tam pauci conuertantur per verbi Dei prædicationem.

Comparantur plerique verbi Dei auditores varijs piſcibus quorum alieni ſunt:

1. *Ignaui, qui ad eſcam in antris deliteſcentes non egrediuntur.*
2. *Alij vani & leues, qui eſcam hamo circumpoſitam ambedunt quidem, hamum tamen non arripiunt.*
3. *Alij inconſtantes, qui hamo ineſcati nihilominus ſe extricant.*
4. *Obſtinati, qui omnem reſpuunt capturam.*
5. *Peruerſi, qui captos ſocios etiam liberant.*

THEMA.

Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Luc. 5.

A Veriſſimè dixit Dominus per Ieremiam c. 16. *Ecce ego mittam piſcatores multos & piſcabuntur eos. Et poſt hæc mittam eis multos venatores & venabuntur eos*; quia verè nunc videmus, Deum in primitiua Eccleſia miſiſſe piſcatores: nunc verò Venatores. Piſcatores vnico tractu & facili negotio plurimos capiunt piſces; Venatores verò multis & crebris excurſionibus, varijſque machinamentis vix vnum vel alterum capiunt lepuſculum. Itaque in primitiua Eccleſia prædicatores fuère piſcatores, quia exiguo labore plurimos ceperunt & conuerterunt homines. Sic enim hodie turbæ irruunt in Iesvm eis prædicantem. Petrus in prima ſua concione feſto Pentecoſtes habitâ, hominum tria millia cepit, *Actor.* 2. Andreas eius frater in Scytiâ & Epiro innumerabiles homines ad Chriſtum conuertit, vt dicitur in eius officio *lect.* 4. Apoſtoli item reliqui velut exiguum fermentum totam mundi maſſam ſuo ſermone fermentarunt & conuerterunt. Atque in huius rei ſignificationem rumpitur hodie rete præ multitudine piſcium. Et *Ioan.* 21. capiuntur ſimul 153. magni piſces. At verò noſtro tempore, iam non piſcatores, ſed venatores tantùm inuenire eſt, qui tot clamoribus, tot figuris & tropis, vix tandem capiunt leporem, vti iure nunc dicere poſſint: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Sed quid cauſæ, inquies; Audi Apoſtolum 2. Timoth. 4. *Erit tempus*, inquit, *cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Quis non videt, noſtris hoc euenire temporibus, vbi tot vndique prædicatorum clamores, & interim pæne nullus eſt fructus? Videamus igitur id acutiùs.

Meritò ad Deum dixit Abacuc cap. 1. *Facies homines quaſi piſces maris.* Soli enim piſces inter animalia, vt aduertit S. Ambroſius verba illa declarans; adeò efferi ſunt & intractabiles, vt cicurari nullâ ratione poſſint; & tales ferè ſunt modò homines. Nam, vt varijs piſcibus variæ ſunt aſtutiæ; quibus piſcatorum effugere manus ſciunt: ita hominibus noſtri præſertim ſæculi, varij modi, quibus concionatorum retia & hamos eludere ac vitare ſciunt.

B. 1. Ignaui. Primò ignaui quidam piſces, qui ad eſcam ſibi parandam parum egrediuntur, ſed vel in luto vel antris ſuis immerſi perpetuò deliteſcunt, quò fit vt rarò capiantur: Inter hos Phocas ſeu vitulus marinus piſcis eſt, qui Pierio teſte *l.* 29. *hierogl.* quouis in littore dormit: quin etiam (vt Albertus *de animal. lib.* 24. *in Vacca* ſcribit) tantâ eſt humiditate, vt ſi dextra eius pinna, quâ ad natandum vtitur, ſupponatur temporibus hominis, ſomnum ei inducat. Huiuſmodi ignauorum piſcium heu nimis refertum eſt hoc ſæculum, qui nimia proſperitatis humiditate oppreſſi perpetuò in ſpecubus & ſæcularibus ſuis negotijs deliteſcunt. Ac ſi quando ad littus accedunt, concionem audituri, ilicò obdormiſcunt: & habet iſtorum ſomnolentia neſcio quid ſympathiæ, quâ vno in cubitum indormiente, dormiunt & reliqui, non aliter quàm cùm vno oſcitante oſcitat alter. Quòd ſi aliqui vigilant alia tamen agunt, fabulantur, rident. Vnde hoc, niſi quia erga Verbum Dei nihil afficiuntur? Quis enim neſcit, rem quæ in deſiderio eſt, ſomnum arcere & excutere? Verè equidem S. Chryſoſt. *hom.* 31. *operis imperfect.* ait: *Ecce ſi oſtendis leoni viridem herbam aut campum bene florentem, non excitas eum in concupiſcentia, quia non habet hoc in natura vt herbas manducet. E contrà ſi oſtendat, quis boui carnes, non concupiſcit, quia bouis natura non eſt, vt manducet carnem. Sic & homini mundiali, ſi de bono cæleſti loquaris, non excitatur in concupiſcentiam boni.* Hæc ille. At ſi delitias & terrena loquaris, mox audiunt cum guſtu. Quare eo nunc inſaniæ delapſi videntur homines, quò erant Iſraëlitæ, cùm cœleſti manna abundarent, & interim tamen dicebant: *Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*; cæpe tantum & allia carneſque eructabant. Quamobrem miſit Dominus in populum igniros ſerpentes, &c. Num. 21. Appoſitè ſanè, vt ij, qui manna ſalutiferum de manu Dei ſuſcipere noluerunt, exciperent, à ſerpentibus ignita & venenata iacula. Nec aliud eſt, quod nobis prædixit Apoſtolus 2. *Timoth.* 4. qui enim à veritate auditum auertunt, neceſſe eſt ad fabulas, id eſt, falſas opiniones & venenata dogmata conuertantur, quibus imbuti, pereant.

Meritò nos pudebit, ſi antiquorum Chriſtianorum feruorem hac in re perpendamus. Hodierno in Euangelio turbæ irruunt in Ieſum vt audiant illum. Lucæ 4. turbæ *requirebant eum & detinebant illum ne diſcederet ab eis.* Marci 3. *conuenit turba ad eum ita vt non poſſent neque panem manducare.* Alibi ſæpe relictis ædibus in deſertum eum ſequebantur. *Act.* 17.

17. Beroënſes *ſuſceperunt verbum, cum omni auiditate.* S. Gregorius Nazianzenus dum ſolebat concionari, tanta erat populi aduertentia, vt nullum murmur, nullus ſcreatus, non ſuſurrus, nullus quaſi anhelitus audiretur, vt teſtatur *orat. 12. q. 1. de ſeipſo.* S. Ioanne Chryſoſtomo prædicante: populus theatra & ſpectacula dimittebat, ſecumque mutuò certabat vter in templo prior eſſet & diutius permaneret. Vt eſt in eius vita apud Sur. menſe Ianuar. S. Vincentio Ferrier. verba ſacra faciente, populus ad 80000. concurrebat, ita vt in campis ſæpe illi prædicandum eſſet. S. Bernardinum vulgus præueniebat in templo ſub auroram vt occuparent ſedes. S. Antonium de Padua populus etiam ardente ſole & ſtillante pluuia ſub dio auidus audiebat: quin & piſces ad audiendum illum Arimini confluxiſſe & littoris fluminis Marocchiæ adnataſſe traditur: ſine dubio ad confuſionem noſtram, qui tam ſegniter ad Dei verbum accedimus. Refert Bernardinus à Buſto, *par. 1. roſar. ſerm. 3.* quendam è Saracenorum finibus cùm Florentiæ concionem aliquando audiſſet, in lachrymas ſolutum abiiſſe. Rogatus quidnam fleret: *Saracenorum*, inquit, *calamitatem & Chriſtianorum oſcitantiam atque ingratitudinem. Si namque*, aiebat, *hæc prædicatio facta fuiſſet Damaſci in centum millium corona, auſim ſpondere, plures octoginta ſex millibus ab errore conuertendos fuiſſe.* Vereor ergo ne aliquando illi in iudicio nos condemnaturi ſint.

C. II. Vani & leues.

SECVNDÒ. Alij vani & leues ſunt, qui eſcam hamo circumpoſitam ambedunt quidem & arrodunt, hamum tamen ipſum numquam arripiunt. Vnde fit vt piſcatorem decipiant, dum ſpongiam & hamum nonnihil attrahunt, non tamen illaqueantur. Tales quamplurimi noſtro hoc ſæculo, qui conciones quidem audiunt, non vt inde emendentur & conuertantur, ſed vt vel aures paſcant, vel vt ſciant tantum, quandoque vt cenſeant & reprehendant vel ſubſannent. Atque vt ferè piſces qui hamum non deglutiunt ſed arrodunt, puſilli ſunt, qui hamum vtpote craſſiorem ori ingerere nequeunt: ita qui nugas ſectantur & aures in concionibus paſcunt, quamquam ſibimet magni & ſapientes videntur, puſilli tamen & abiecti ſunt, vt qui puerilia & abiecta amant, inſtar puerorum, qui literarum picturis tantùm delectantur eaſque mirantur, ſenſum non curant nec inquirunt; ac proinde ad percipienda diuina myſteria os nimis anguſtum habent. Vt enim gladius rectus non intrat in vaginam curuam: ita nec Verbum Dei in os hominis ſiniſtrâ intentione deprauatum, quia vt *Sapient.* 1. dicitur, *in maleuolam animam non introibit ſapientia.* Atqui verbum Dei gladius Spiritus dicitur ad Eph. 6. qui inutilia & carnalia reſecare debet. Qui ergo cor habet ad nugas dumtaxat & prauos fines intentum, curuam habet vaginam, recipiendo verbi gladio prorſus inidoneam. Horum typus erant Iſraëlitæ illi qui contempto manna, porros, cæpe & allia Ægypti deſiderabant, Num. 11. cùm tamen iſta condimenta potiùs ciborum quàm cibi ſint. Et nos quid aliud agimus, cum ſeria & ſalutaria Chriſti & Apoſtolorum verba faſtidimus, ornatum verò & eloquentiam quærimus, quàm quòd manna contemnimus, cæpe & allia quærimus? Quare vt loca illa, quibus petita Iſraëlitis eſca ad internecionem eorum data eſt, *ſepulchra concupiſcentiæ* vocata ſunt: ita qui inutilia, præter purum Dei Manna requirunt, rectè & ipſi *ſepulchra concupiſcentiæ* vocari poſſunt; quia nimirùm ea tantùm deſiderant, quæ fætida ſunt, putrida & emortua. Atque ita ſicuti in cribro non manent niſi paleæ: ſic inutilia in corde talium. Quocirca bene iſtis Sapiens occinit: *Vſquequo paruuli diligitis infantiam? Et ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient & odibunt ſcientiam?* Prouerb. 1.

Quæſo vos ſi iam ex Cathedra proijcerem aurum in multis marſupijs affabrè acu pictis: num vos ita amentes eſſetis, vt mirando & luſtrando marſupia, aurum elabi ſineretis & ſola marſupia retineretis? Non puto ſanè. Atqui hoc quamplurimi faciunt in auditu verbi diuini, ſimiles Athenienſibus, qui *non vacabant niſi audire aliquid noui*, Act. 17.

D. III. Inconſtantes.

TERTIÒ. Alij inconſtantes ſunt, qui intra rete concluſi, vel hamo ineſcati, nihilominùs ſe extricant. Eiuſmodi eſt Mugil, qui, teſte Iſidoro lib. 12. mirâ agilitate rete tranſilit. Sed & ſcolopendra piſcis eſt, qui, vt refert Pierius *l. 30. hierogl.* hamo glutito; filum hami morſu abſcindit, tum ilia cum hamo expuit, eademque abiecto hamo in ventrem retrahit. Quibus ſimillimi ſunt complures noſtri ſæculi homines, qui etſi Verbo Dei non nihil ineſcantur, nequaquam tamen capiuntur, eò quòd auditum non retinent, ſed deuoratum euomunt & reſiliunt. Proponunt reſtituere ablata; mox viſâ rei difficultate deponunt ſententiam, & reglutiunt ſcelera: proponunt confiteri & emendari, ſed pudore abſterriti, abijciunt animum, & reglutiunt peccata: Vnde Sapiens *Eccleſ.* 12. dicit: *Cor fatui quaſi vas confractum, omnem ſapientiam non retinebit.* Quomodo vas confractum? quia partim cupiunt adhærere Deo, partim volunt adhærere mundo, carni & ſanguini. Vnde huiuſmodi corda quia rimas agunt & in vtramque partem claudicant, ſapientiam Dei non retinent. De his etiam *Ezech.* 33. dicitur: *Audiunt ſermones tuos & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui verterunt illos, & es eis quaſi carmen Muſicum, quod ſuaui dulciq; ſono canitur.* Vt enim iuuenes & puellæ, cùm noctu Muſicam audiunt tranſeuntem, lecto ſurgunt, ad feneſtras currunt: eâ finitâ ad lectos recurrunt; ſic aliqui dum audiunt concionem videntur vitia deſerere velle, ſed mox ad ea redeunt. Denique hi ſunt de quibus Dominus *Luc.* 8. parabolam propoſuit. Alij enim ſecus viam ſedent, qui proponunt quidem verbo obedire, reſtituere & viam Dei ingredi; ſed dum ſedent & moram trahunt, Diabolus aufert ab eis verbum & pro-

poſitum

paſitum ſimul bonum; obliuiſcuntur enim tandem omninò verbi auditi. Alij cor petroſum & durum habent, qui terrentur operum difficultate, vel moleſtiâ vincendi malam conſuetudinem. In alijs ſuffocant verbum ſpinæ voluptatum, &c.

E. IV. Obſtinati. QVARTÒ. Alij ſunt obſtinati, qui omnem reſpuunt capturam: & fugiunt etiam oblatas ſibi eſcas, atque adeò ipſum hominem aſpectum. Eiuſmodi piſces ſunt, qui teſte Olao *lib.* 1. *cap.* 6. ſemper in imo mari degunt, numquam emergunt. Tales ij, qui in profundum peccati deuenêre, adeoque numquam ad ſapientiam percipiendam caput attollunt, iuxta id Prouerb. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Et Pſalm. 106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, appropinquauerunt vſque ad portas mortis.* Quos quidem ſimiles ait S. Chryſoſtomus ſerm. 3. de Lazaro, artificibus illis, qui eò inſaniæ & prodigalitatis deueniunt, vt inſtrumenta artis ſuæ vendant, quò fit vt ars vniuerſa ipſis ſit inutilis, totumque quæſtûs fundamentum ſublatum, nec aliud, niſi vt aut furentur aut ſtipem colligant, ſuperſit. Quare vti prudens artifex mauult æs alienum contrahere, quàm artis inſtrumenta vendere: (vtpote quibus lucrum facere & debitum diſſoluere poteſt) ita præſtat magis (ſi alterutrum faciendum eſſet) alia, ad quæ tenearis negligere, adeoque debita alia contrahere, quàm verbum Dei abijcere. *Quemadmodum enim*, inquit Chryſoſtomus, *illis artis inſtrumenta ſunt; malleus, incus, forceps; ſic & nobis artis inſtrumenta ſunt Apoſtolorum ac Prophetarum libri, omniſq; ſcriptura diuinitus inſpirata & vtilis. Et quemadmodum illi per inſtrumenta quidquid faciendum ſuſceperint, perficiunt: ita ſanè & nos per has fabricamur animam noſtram, deprauatamq; corrigimus & inueteratam renouamus.* Hæc ille. Quare vt fatui illi artifices famen tandem meritò patiuntur: ita & verbi Dei contemptoribus iure minatur Deus per Amos, cap. 8. dicens: *Emittam famem in terram, non famem panis neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini. Illa fames*, ait Chryſoſtomus homil. 54. in Geneſ. *corpus emaciat: hæc autem animam attenuat.* Atque hinc conſequitur & illud alterum, à Dauide & Iob additum, vt tales appropinquent corruptioni & portis mortis, id eſt, peccato, tandemque inferno; quia vti fames non tantùm maciem & deformitatem inducit, ſed prætereà vel ſeruire facit, vel furari & tandem ſuſpendi: ita verbi Dei contemptus peccatum generat & damnationem, non tantùm gratiâ & virtutibus ſpoliat. Vnde S. Bernardus in paruis ſermonibus ſerm. 34. ait, multos compelli intrare in Ægyptum & tenebras, ſeruireque Pharaoni Diabolo, ob famem verbi Dei, ſicut fames panis coëgit Iſraëlem intrare Ægyptum & ſeruire Pharaoni.

Quòd ſi furi panes & neceſſaria offerrentur, & ille mallet furari, quàm ea acceptare, inſanum diceremus & ſuſpendio altiori dignum. Modò ſunt nonnulli, quibus panis Verbi Dei affatim exhibetur: illi tamen malunt eſſe famelici & defectu huius panis omnia ſcelera perpetrare & pericula ſubire. Proptereà *Pſal.* 57. contemptus iſte vocatus *furor: furor illis ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas.* Numquid non eſt furor, quando cæcus reſpuit lumen, æger medicinam, famelicus panem, ſitibundus vinum, frigidus ignem, impugnatus clypeum, deſolatus conſolationem? *Maledictus furor* hic *quia pertinax.* Geneſ. 4.

QVINTÒ. Alij peruerſi ſunt, qui captos etiam piſces ſocios liberant. Talis imprimis torpedo, quæ torporem inducit captoribus, ne rete queant attrahere, atque ita ſe & alios liberat; auctore Ariſtotele *lib.* 9. *animal. cap.* 37. Tales & Monachi marini, humanâ facie cucullati, in Noruegiæ Oceano, qui teſte Olao *lib.* 21. *cap.* 1. ſi quem ſuorum captum & nauigio aſportari vident, furunt & ſtrepunt omnes circa nauem, quaſi eam euerſuri, nec ante conquieſcunt, quàm captiuus dimittatur. Non deſunt etiam huic ſæculo eiuſmodi ſocij. Multi profectò ſunt, qui libenter & aures darent & obedirent monitis ſalutaribus, ni à certis torpedinibus & Monachis infernalibus impedirentur ea, quæ ſtatuerant, perficere. At verò vbi vnus eſt prædicator, ibi decem in mundo deceptores, qui homines peruertunt. Tales ſunt hæretici, lenones, meretrices. Vbi vnus Michæas diſſuadet Achabo bellum iniquum, ibi 400. pſeudoprophetæ ſuadent, 3. *Reg. vlt.* Dico ego: noli inebriari; poſteà oſtendit tibi aliquis vitrum de feneſtrâ, & ſtatim tibi contrarium perſuadet. Atque his væ illud intolerandum minatur Dominus Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ*, ait, *qui clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis nec introeuntes ſinitis intrare.* F. V. Peruerſi.

Sextò denique, quia alij plerique rebelles ſunt, qui perticarum ictibus & terroris incuſſione cogi in rete prædicatoris debent. Neceſſarium foret vt oſtendere poſſent Concionatores infernum talibus, ſicut fecit S. Patritius, vt refert Marulus *lib.* 3. *cap.* 4. ex Beda *tom.* 3. qui cùm per Hiberniam iter faceret & videret ſe nihil proficere prædicando, impetrauit à Deo vt intra deſcriptum à ſe circulum aperiret ſe vorago & hiatus terræ profundiſſimus quaſi ad infernum penetrans, qui magnum omnibus incuſſit timorem, ne in profundum acti pœnas incredulitatis darent. Eius indicia adhuc extare referunt. Denique ſicut legis promulgatio cum tonitruis & fulgurum coruſcationibus facta eſt in monte Sina: ita his temporibus maior hominum pars compelli ad Deum debet; per magiſtratum ſæcularem & cenſuras; quibus remotis concionator ludus fit: quo modo Loth viſus eſt generis ſuis *quaſi ludens loqui*, cùm ſuaſit fugere imminens exitium, *Geneſ.* 19. Nôrint tamen iſti ſe niſi ingrediantur in rete Chriſti, cogendos ali-

 quando

quando in rete Diaboli.

Sed fortaſſe dicent aliqui; non tam in cauſâ eſſe piſces, quàm piſcatores; ſi enim iſti miracula facerent vt olim prædicatores, ſi ſanctitate excellerent, ſi doctrinâ, plures conuerterentur. Non abnuo magnam eſſe ex parte illorum cauſam: ſed non video quàm meritò hæc cauſari poſſint piſces. Nam dudum præceſſerunt miracula: modò non ſunt ampliùs neceſſaria. Et Ioannes nullum ſignum fecit, quem tamen ſecuti ſunt auditores, neque eſt requirenda ſanctitas; quia ſcriptum eſt: *quod dicunt facite*. Et vmbra etiam Petri ſanauit ægros. Doctrinam ſummam ineſſe Concionatori non opus; quia etiam per os aſinæ locutus eſt Dominus, & mediante eo aperuit oculos Prophetæ Balaami. Quare attendat vnuſquiſque quid in ſe deſideretur, & ſi vult aliquando in cœleſtis beatitudinis piſcinam intromitti, curet priùs ingredi in rete Piſcatorum Chriſti.

CONCIO V.

Quomodo ſæcularis quiſque perfectus eſſe queat ac debeat.

1. *Si Dei præcepta obſeruet.*
2. *Si errores admiſſos mox in ſe puniat.*
3. *Si pugnet ſemper contradictori.*
4. *Si ſemper proficere conetur in virtutibus.*
5. *Si præter ea quæ præcepta ſunt ſtudeat adimplere etiam quæ ſunt conſilij.*
6. *Si conetur vitare etiam venialia.*

THEMA.

Duc in altum & laxate retia veſtra in capturam. Luc. 5.

A. MVltorum opinio laicorum eſt, ſe nequaquam ad perfectionem vitæ obligari. Dicunt enim: Nos in mundo ſumus & ſæcularibus negotijs implicamur, ideò perfecti aut ſancti eſſe non poſſumus nec debemus. Ad religioſos pertinet vita ſpiritualis & ſancta, qui de mundo ad ſeruiendum Deo vocati ſunt. Hi quidem in aliquo ſenſu verum dicunt. Debent enim Clerici & regulares maiores vitæ perfectione præditi eſſe quàm Laici, qui coniugum, filiorum & Reip. curam ſuſcipiunt. Sed tamen ipſi quoque ſæculares & laici perfecti & ſancti eſſe debent, ſi partem velint habere in regno Chriſti & Dei. Hoc enim teſtatur Apoſtolus ad Eph. 1. *Elegit nos*, inquit, *in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati*. Loquitur autem de omnibus fidelibus. Et S. Petrus 1. Pet. 1. *Et ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis, quoniam ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum*. Præterea ad Abrahamum Deus dixit, Geneſ. 17. *Ambula coram me & eſto perfectus*. Et Deut. 18. *Perfectus eris & abſque macula cum Domino Deo tuo*. Et Dominus, poſtquam Chriſtianæ perfectionis compendium propoſuiſſet in aureo illo ſermone, habito in monte; ſubdit: *Eſtote igitur perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt*. Matth. 5. Itaque etiam Laici ad perfectionem obligantur, etſi non tantam, quanta requiritur in Clericis. Huius vtriuſque perfectionis diſcrimen & præceptum eruere poſſumus ex illis Domini verbis in hod. Euangelio lectis: *Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Duc in altum*, Petro & Clero dicitur: ad indicandum, clericos in perfectionis altitudinem nauim ſuam ducere debere. *Laxate retia*, dicitur cæteris piſcatoribus & Chriſtianis laicis ad indicandum, debere eos laxare & extendere vires ſuas ad perfectionem Chriſtianam, & capiendam magnam piſcium, ſeu meritorum copiam. Sed quâ ratione ſæcularis quiſque perfectus & ſanctus eſſe poteſt ac debet? Audiamus

PRIMÒ. Si Dei præcepta obſeruet, ſeu (quod eôdem reincidit) ſi Deum ſuper omnia diligat. Sic enim dicitur 1. Ioann. 2. *Qui ſeruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt*. Ratio, quia qui Deum ſuper omnia diligit, ipſi & præceptis eius nihil anteponit, ſed paratus eſt in caſu, quò oporteret aut præceptum Dei transgredi, aut perdere temporalia, quæ habet bona, potiùs horum omnium iacturam facere, quàm Deum offendere; ſicque is propoſito ſaltem & in præparatione animi omnia temporalia relinquit & odio habet (quod eſt perfectorum) licet non re ipſa quod faciunt religioſi. Et quidem hæc perfectio omnibus præcepta eſt eo ipſo, quòd præceptum eſt diligere Deum ſuper omnia & ſeruare eius mandata. Hoc ſenſu omnibus dixit Dominus, Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem & vxorem & filios & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Vult enim dicere, hæc non eſſe diligenda æquè ac Deum, multò minùs ſupra Deum: & ſi à Deo quem abſtrahere niterentur tanta alacritate relinquenda, ac ſi odio haberentur: id quod perfectæ charitatis eſt. Parentes hoc pacto relinques, cùm te à Dei ſeruitio retinere volent. Vxorem & filios, cùm in ipſorum gratiam, vt eos ornes & dites, non pateris te impediri à reſtitutione bonorum iniuſtorum: Domum cùm propter aliquod opulentum coniugium tibi oblatum in loco hæretico, non diſcedis à fide, ſed potiùs à coniugio tibi oblato: Agrum, cùm videns eſſe alienum, hæreditate tibi relictum, Domino reſtituis potiùs quàm vt conſcientiam tuam graues. Denique ſi omnia quæ habes, ita poſſideas quaſi commodata eſſent, ſuo Domino breui reſtituenda: id quod vult Apoſtolus cùm ad Corinthios ſcribens 1. Cor. 7. *reliquum eſt*, inquit, *vt qui habent tanquam non habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non poſſidentes; & qui vtuntur hoc mundo*, tan-

§. I. Si Dei præcepta obſeruet.

Digitized by Google

tanquam non vtantur; præterit enim figura huius mundi.

Itaque religioſi in altum perfectionis ducunt nauim, dum re ipsâ omnibus illis ſeſe abdicant, quæ impedire eos vel abſtrahere poſſunt à dilectione Dei & mandatorum obſeruatione: vt ita à periculo remotiores ſint & ſecuriùs atque perfectiùs Deo adhæreant. Sæculares verò perfecti non quidem in hanc altitudinem ducunt nauim: ſed retia ſua laxant, dilatando cor in tantum, vt parati ſint parentes, commoditates, fortunam, ſenſum & voluntatem propriam, ipſam denique vitam exponere propter Deum. Illi inſtar militum cælibum ſunt qui nulla ſecum ferunt belli impedimenta, ideoque animoſiores ſunt & expeditiores. Hi velut coniugati, qui ſecum ducunt Vxores, liberos, ſupellectilem, & ſimilia impedimenta: quæ tamen cùm pugnandum eſt, non difficilè relinquunt.

C. II. Si errores admiſſos mox in ſe puniat.

Secundò, Si errores fortè admiſſos mox deflere & in ſeipſo punire, ſibique iraſci ſoleat, & firmiter renouet propoſitum, ſibi imposterum attendendi & ſeriò cauendi etiam errores paruos. In hunc modum, quando Magiſtratus alicuius ciuitatis, ciuium delicta ſtatim & pro merito punit, tunc ſalua eſt & bene morata Ciuitas: Sin verò vitia conniueat, & nec ſtatim nec pro merito mulctet, tunc malè gubernatur & vitioſa eſt. Hiſpani & Itali integerrimi & ſaniſſimi ſunt in fide, ſupra omnes nationes: non quòd nulli vnquam hæretici eorum terras peragrent vel in iis aliquamdiu demorentur, ſed quòd deprehenſos ſtatim ad inquiſitionem rapiant & conuictos exterminent aut necent. Sic integer & perfectus erit non tantùm is, qui nullos vnquam admittit errores (quales in mundo pauciſſimi fuerunt) ſed etiam is, qui mox deprehendit in ſe errores, & deprehenſos ſtatim ad examen rapit, conuictos deflet ac punit, moxque confiteri proponit & ſeriò ſtatuit ſibi imposterum cauere Deoque adhærere, etiam reclamante carne: quo modo Sanctus Bernardus epiſt. 252. ad Abbatem de Præmonſtrato ſcribit; *Adhærebo vobis etſi nolitis: adhærebo etſi noluero ipſe.* Hoc eſt quod Pſalm. 136. commendatur à Dauide dicente: *Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.* In quem locum D. Hilarius: *Beatus*, inquit, *eſt quiſquis in exordio inhoneſtas quaſque omnium cupiditatum appetitiones, quæ ex voluntate carnis oriuntur, primùm intra ius patientiæ ſuæ virtutiſque cohibebit: denique eas ad fidem & ad metum Dei alliſas enecabit.* Si igitur ſtatim capias & teneas, adeoque ad iudicium trahas tuos errores puniaſque, ſat perfectus eris. Sicut & domus illa mundiſſima, quæ quamprimum aliquis ſordidis ingreſſus eſt pedibus, ſtatim eluitur & mundatur. Nemo ergo concidat animo, ſi fortè labatur aut non tantum proficiat, quantum optat, ſed hoc ipſum pro ſigno habeat, quòd tendat ad perfectionem, ſi defectus & tarditatem ſuam in ſe notet, ideoque ſibi diſpliceat. Sic Apoſtolus *ad Philipp.* 3. confitetur ſuam imperfectionem, & poſteà fatetur ſe perfectum. *Quare?* inquit S. Auguſtinus ſerm. 49. de temp. *niſi quia ipſa eſt perfectio hominis: inueniſſe ſe non eſſe perfectum.* Et ſerm. 15. de verbis Apoſtoli; *ſemper tibi diſpliceat, quod es*, inquit, *ſi vis peruenire ad id quod non es. Nam vbi tibi placuiſti, ibi remanſiſti: ſi autem dixeris: ſufficit; & periſti.* Sic ille. Et Hieronymus ep. ad Cteſiphont. *Hæc vna*, inquit, *præſentis vitæ perfectio eſt, vt te imperfectum agnoſcas.*

D. III. Si pugnet ſemper contra vitia.

Tertiò, Si pugnet ſemper contra vitia & prauas affectiones: eas in ſe vincere ſicque concupiſcentiam rationi ſubdere conetur. Hunc enim conatum & indefeſſum pugnandi laborem reputabit Deus pro victoriâ. Quemadmodum enim Dux exercitûs, qui mittitur à Rege ad reprimendum & debellandum aliquem hoſtem patriæ, ſi faciat quod poteſt, nunquam non infeſtet, impugnet & perſequatur hoſtem, licet non omnino expugnet & ad internecionem deleat, imò licet quandoque minus fœliciter pugnet; nihilominùs tamen egregius miles reputabitur ac præmiabitur. Sic Chriſtianus, qui per confirmationis Sacramentum accingitur & mittitur ad bellum contra hoſtes animæ, & maximè contra concupiſcentiam carnis, patriæ hoſtem perpetuum, ſi agat quod agit, nec deſinat impugnare hoſtem & deiicere in terram, licet is ſubinde reſurgat & rurſum bellum moueat; non ideo non cenſebitur egregius miles Chriſti. Vnde Apoſtolus 2. *ad Timoth.* 2. non ait; Vince; ſed: *labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu.* Licet ergo ſentias æſtus choleræ aut libidinis: modò non conſentias, ſed in corde tuo dicas, nolo conſentire his illecebris: diſplicent mihi motus iſti, &c. eris coram Deo, non cholericus aut impurus, ſed choleræ & libidinis domitor. Sicut ſi adultero vxorem alicuius ſolicitante ad peccatum, ipſa cùm vi expellere eum nequit, (vtpote debilior) conſtanter reclamet & reſiſtat; tantùm abeſt vt diſpliceat marito, id fortè audienti; vt potiùs vehementer placeat & fidelis reputetur. Quandiu viuimus, non poſſumus omninò extinguere in nobis ignem concupiſcentiæ, (niſi Deus ſpeciali beneficio id quibuſdam concedat) ſed poſſumus ac debemus coërcere, ne nobis noceat; ſicut ferocem canem poſſumus alligare ad catenam, ne nos vel noſtros mordeat; licet non poſſimus reddere manſuetum. Nónne angelus ſanctiſſimo illi Abbati & libidinis domitori Paphnutio, cùm is à ſcintillà læderetur, dixit: *Paphnuti, ab igne te offendi potuiſſe miraris cùm necdum ignem, qui in te eſt, ſic penitus, vt putas, extinctum geras?* apud Caſſian. *col.* 15. *cap.* 10. An non Vrſinus Nurſiæ poſtquam presbyter factus vxorem dimiſiſſet, & ne propè quidem ad ſe accedere permiſiſſet per annos quadraginta, tandem animam agens (cùm vxor aurem admoueret exploratura num maritus adhuc ſpiraret) exclamauit: *Recede mulier, adhuc penitus extinctus eſt igniculus: tolle paleam.* apud Gregor. *libr.* 4. *dial.*

etiam olla eſt ſortilega, vbi ſplendidiſſima proponuntur bona. Interim verò ſi accuratè expendas, quid homines inde extrahant magnis laboribus & impenſis, nil aliud videbis, quàm nihil, nihil, nihil. Miſeri igitur ſunt qui huic ludo operam dant: id quod demonſtrabimus.

B. I. Ambitioſi dignitatum cupidi.

Huiuſmodi piſcatores ſunt PRIMÒ: Ambitioſi, qui honores & dignitates venantur; quid enim non laborum, obſequiorum, pecuniarum impendunt, vt deſideratâ fruantur dignitate? Aliqui propterea bella gerunt, omnia ſua expendunt, plurimos ſibi amicos faciunt, ſeſe ſubmittendo, adulando, inſeruiendo: & interim tamen ſæpiſſime nihil capiunt, dum ſpe ſuâ fraudantur.

Quare ſimiles ſunt hi venatoribus onagrorum, onagri enim homine conſpecto in iiſdem ſtant veſtigiis, etiam accedente illo: mox rudentes, immotis anterioribus pedibus, poſterioribus calcitrant. Vbi tamen propriùs acceſſerit venator vt ferè manu poſſit eos tangere fugâ ſe ſubtrahunt, nec capi ſe patiuntur. Ad eundem modum honores & dignitates monſtrant ſe ambitioſis, quaſi facilè acquiri poſſint: ſed vbi proximè acceſſeris, quaſi iam capturus prædam, ea ſæpe elabitur è manibus. Vnde Prouerb. 12. dicitur: *Non inuenit fraudulentus lucrum ſuum.* Per quem intelligit Beda ambitioſum. Ibi 70. habent: *Non aſſequitur doloſus venationem ſuam.* In Hebræo: *Non aduret fraudulentus feram ſuam.* Putant quidem ambitioſi & ominantur rem eſſe factam, nec aliud ſupereſſe niſi vt aſſent feram; ſed *non adurent feram ſuam,* Deinde licet aliquando aſſequantur petitam dignitatem, adhuc nihil illi reperiunt, niſi maiores curas & labores. Contingit eis id quod pueris, qui aſpicientes montis alicuius verticem, putant cœlum non plus vno digito ab eo diſtare: aut etiam Solem cùm in vertice oritur, manibus ſe contingere poſſe, ſi in illo eſſent, vt cùm fortè aliquando rependo & ſudando ad verticem illum venerint, tum primùm vident, quàm decepti fuerint; quodque nunc æquè longè à cælo vel ſole abſint, ac priùs. Dignitates & officia procerum eiuſmodi montium vertices ſunt, quos in valle aſpicientes homines putant beatitudini proximos; vident enim eorum comitatus, pompam, veſtes, dapes, palatia, reſpectus, titulos, &c. ô qualis monſtó ſi ſemel ad hunc peruenirem? nónne, cœlum digito tangerem & beatus vſquequaque forem? Age igitur repamus, conſcendamus vt illuc perueniamus. Et fit aliquando, vt quis eò deueniat rependo, algendo, ſudando. Vbi illic fuerit, tum primùm videt, quanto in errore verſatus ſit. Ægrotat vt priùs, moritur, vt priùs, eget vt priùs, inſidias & inimicitias patitur vt priùs, præterea videt ſe negotiis & curis obrui, omnia eſſe plena periculis & ſuſpicionibus. Nunc hæc ciuitas deficit, nunc alia defectionem meditatur. Vndique querelæ & libelli ſupplices. Tum demum dicit: Regem, Ducem, Epiſcopum, Abbatem eſſe, nil aliud eſt quàm hoc? Hæccine eſt beatitudo? Agnouit hoc Alexander Papa, qui primò Franciſcanus monachus, ſecundò Archiepiſcopus Mediolanenſis, tertiò pontifex erat. Dicebat enim: *Quando eram frater & Theologus, cælo eram ditiſſimus: quando factus ſum Epiſcopus, factus ſum pauper: quando Papa, factus ſum mendicus.* Simillimum eſt, quod Henricus I. Archiepiſcopus Moguntinus de ſe dicebat: *Fui diues Canonicus, pauper Præpoſitus, mendicus iam ſum Epiſcopus.* MS. apud Serar. *libr. 5. rerum Mogunt.*

C. II. Gloriæ cupidi.

SECVNDÒ. Gloriæ cupidi, qui hominum laudem, exiſtimationem, & nominis celebritatem quærunt. Alij ſe adornant ſplendidiſſimis veſtibus vt magni videantur: alij ſordidis, vt ſancti. Alij omnia ſua verba cum pondere proferunt, greſſus ad maieſtatem, & vultum componunt: alius diuitias oſtentat; alius paupertatem vt magni fiat & laudetur. Similes hi ſunt Hanoni illi Carthaginenſium Duci, qui multo labore docuit aues caueâ incluſas pronunciare nomen ſuum, & dicere: *Hanon eſt Deus*, vt poſtmodum dimiſſæ hoc idem garrirent vndique. Verùm illæ libertati reſtitutæ omnes ad ſuum naturalem rediere cantum, Hanonis non meminere ampliùs. Ælian. l. 12. Simili modo dum homines ſe componunt ad laudem & gloriam aucupandam, quid aliud ſibi volunt, quàm homines docere vt paſſim loquantur ipſos eſſe Deos, nobiles, doctos, diuites, ſanctos &c. ſed ò quàm decipiuntur! Licet enim hoc aliqui in præſentiâ illorum dicant: vbi diſceſſerint & ad alios venerint, loquuntur quod ſentiunt; cachinantur, derident, reprehendunt, infamant; adeoque nihil illi miſeri capiunt ſuis retibus. Vnde ſuperbis ait Ieremias cap. 4. *Cùm veſtieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos fruſtrà componeris; contempſerunt te amatores tui, animam tuam quærent.* Exemplo ſit Iezabel illa (ad quam alludit ibi Ieremias) quæ ad introitum Iehu regis Iſraël proſpiciens de feneſtrâ, pinxit oculos ſuos ſtibio & ornauit caput ſuum, vt nimirum gratioſa eſſet in conſpectu Iehu, adeoque ſi non vxor, ſaltem concubina ei fieret, ſecundùm Abulenſem ibi. Sed nónne fruſtrà compoſita eſt, quæ mox à Iehu deiici per feneſtram iuſſa, & paulò pòſt ab equis conculcata & à canibus deuorata eſt vſque ad oſſa, ita vt prætereuntes dicerent: *Hæccíne eſt illa Iezabel*? 4. Reg. 9. Sic nimirum gloriæ ſectatores incidunt in dentes hominum mordacium & fiunt vulgi fabula. Quid non exantlauit Cicero ille, quas non moleſtias tolerauit gloriæ conſequendæ gratiâ? Et tamen ſpe ſua fruſtratus exclamauit: *O me nunquam ſapientem*? Cùm aliquando ille claros aliquot adoleſcentes accuſatos ſtrenuè defendiſſet, & ob id maximam gloriæ acceſſionem ſibi apud Romanos factam putaret, è Sicilia Romam veniens quæſiuit ex obuio amico Romano, quis de ipſo ſermo & rumor inter Ciues eſſet? Et ille: *Tu verò Cicero,* inquit, *vbi hoc ſpatio fuiſti*? Igitur animo planè conci-

concidit & deceptionem ſuam agnouit, Maiol. *to. 2. coll. 7.*

Deinde etſi gloriam fortè acquirant iſti, quid illa niſi fumus? niſi vana tantùm & volubilis hominum opinio & aura? An non Lappi iſti, qui fumos & ventos vendunt emuntque, quod de Lappiæ incolis ſcribitur? Deinde quàm anguſta eſt hæc fama & laus? Certè de Alexandri Magni ſummâ potentiâ & Ariſtotelis ſummâ ſcientiâ teſtatur Cicero, quòd eorum fama nec Caucaſum montem tranſcendere, nec Gangem fluuium tranſnatare potuerit. Prætereà num hi, licet aliquid ſint inter homines, apud angelos vel dæmones aliquid reputabuntur? Minimè. Denique quid prodeſt eis, ſi hîc celebrentur & in inferno torqueantur? Nónne igitur inſania eſt, omne ſtudium ſuum ponere in ea gloriâ acquirendâ, quæ proprij tecti apicem non tranſcendit?

D. III. Auari.

TERTIÒ. Auari, qui opibus inſidiantur. Quis enim recenſeat labores eorum in acquirendo, conſeruando, amittendo, quos habent? De primo ait Eſaias cap. 59. *Telas aranearum texuerunt. Tela eorum non erit in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis.* Quanto cum labore texit aranea ſuam telam? quoties circumit? quàm artificiosè eam ſuſpendit; totam denique ſe euiſcerat in texendo: Et quid, quæſo, capit? muſcas, eaſque minores ſolùm. Ita res habet cum diuitibus. Quoties illi circumeunt terram & perambulant eam? quoties traiiciunt maria? quot retia tendunt pro lucro pecuniarum? ſeipſos euiſcerant, emaciant, currunt, ſudant, eſuriunt, ſomnum non capiunt, propriis dorſis merces circumferunt, technas etiam & fraudes excogitant, quibus merces ſuas diſtrahant, iuxta id Ieremiæ cap. 9. *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium, laborauerunt vt iniquè agerent.* Quære ex mercatore; quanti valet hæc res? dicet mox tanti, & iurabit ac peierabit ſe cariùs emiſſe. Hinc ſuccedit alter labor, conſeruationis: vt enim tela araneæ ex captu muſcarum laceratur paulatim & tandem omninò diſſoluitur: ita ex maiori lucro magis laceratur anima & vulneratur curis. Hinc enim Dominus comparauit diuitias ſpinis, quæ ſine vulneratione tractari nequeunt, ſed vbicunque attigeris, pungunt. Et quid muſcæ illæ, quas capiunt araneæ, niſi eædem curæ, quæ lacerant conſcientiam? Muſcæ aliquæ etſi multoties abigantur, ſemper tamen redeunt & quietem dormientis impediunt: ita curæ illæ infeſtæ ſunt diuitibus. Denique vbi diu texuit aranea prædamque cepit, tum denique venit ancilla cum ſcopis, eamque deturbat & pedibus proterit: ita mors etiam diuites vnà cum telis euerrit & in terram proſternit vbi omnium pedibus calcantur. Similes ſunt auari pueris qui in alienum hortum per ſpineta non ſine vulneribus irrepentes non ſine difficultate arbores conſcendunt, pomis ſpoliant, eiſque ſinus ſuos replent. Tandem venit Olitor & non modò aufert eis prædam, ſed etiam probè mulctat eos verberibus. Ita ſanè mors auaros tractat, qui magno ſuo labore diuitias comparârunt. Rota molendini tota die circumagitur, & tamen veſperi eodem loco conſiſtit quo erat manè, nec vnum quidem paſſum progreſſa eſt. Sic res habet cum diuitibus: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ*, ait diues Iob cap. 1. *Nudus reuertar illuc.* Sic *impij in circuitu ambulant.* Non legiſtis aliquando teſtamenta? Et quid ibi legiſtis? Nónne hæc aut ſimilia verba: Hæc vxori meæ relinquo: hæc liberis meis relinquo: hæc amicis relinquo, &c. Vbi aliquando legiſtis, hæc mihi reſeruo? hæc mecum feram, &c. nihil horum. Ecce ergo quàm verum illud Pſalm. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis?*

QVARTÒ. Voluptuarij, qui libidinem ſectantur. Et hæc ô quàm carè emitur? quantis laboribus, impenſis, fraudibus! Dicit impurus id Oſeæ 2. *Vadam poſt amatores meos*; ſed Deus ſubiungit: *Propter hoc ecce ego ſepiam vias tuas ſpinis.* At hoc nihil curat ipſe, ſepem tranſilit, veſtes extra relinquit, manus vulnerat, pomum licet vnicum quod fortè conſpexerit, quærit: idque cum magno timore velut fur obſeruans & circumſpiciens, ne fortè deprehendatur. Scribit Cardanus l. 12. de rerum variet. n. 56. Fenellam Reginam Kenetho Regi Scotorum porrexiſſe pomum aureum ita fabrefactum, vt quicunque illud tetigiſſet, ſtatim multis telis è pomo proſilientibus transfigeretur: eoque Regem nihil ſuſpicantem inuitatum in Feſticarij oppido occidiſſe. Profectò huiuſmodi pomum meretrix & libido eſt, quæ contactu ſuo plurimis ac venenatis telis configit amatorem. Quis recenſeat obſcænorum labores donec optato fruantur amore? In ipſa verò fruitione pauidi ſunt inſtar furum, ideo latibula quærunt, ac quemadmodum Saul ſub vmbrâ hoſtibus circumdatus, magno ſuo periculo dormiunt. 1. Reg. 26. E. IV. Voluptuarij.

Ad extremum vexat eos conſcientiæ remorſus & delicti pœnitentia. Vt enim qui ſcabie vexantur, ipſa fricatione quandam ſentiunt voluptatem, ſed protinus acer dolor ſequitur, vt eos fricuiſſe pœniteat: ita ſit in hoc flagitio. Quid non excogitauit Amnon vt ſororem comprimeret? & tamen mox poſteà maiore eam proſequebatur odio, quàm priùs amarit, 2. Reg. 13. Denique licet ſciat talis ſe propterea grauem ignominiam & damnum incurſurum: non ideo tamen abſtinet. Adhæc ægritudines, morbi abominabiles, mors accelerata ſequuntur. Quòd ſi igitur Demoſthenes inuitatus magno pretio ad ſcortum dixit: *Non emo tanti pœnitere?* quomodo non id ipſum dicere deberent omnes, ſi hæc omnia conſiderarent?

QVINTÒ. Gulæ & ebrietati dediti. Hi imprimis magnis expenſis & laboribus comparant, quæ abſumant ad ſui perniciem. Eliſæi puer 4. *Reg.* 4. in agrum profectus magno ſtudio collegit herbas vt coqueret eas & pararet cibos: ſed comedentibus illis, mox exclamarunt F. V. Gulæ & ebrietati dediti.

CONCIO IV.

Cauſæ cur tam pauci conuertantur per verbi Dei prædicationem.

Comparantur plerique verbi Dei auditores varijs piſcibus quorum alieni ſunt:

1. *Ignaui, qui ad eſcam in antris deliteſcentes non egrediuntur.*
2. *Alij vani & leues, qui eſcam hamo circumpoſitam ambedunt quidem, hamum tamen non arripiunt.*
3. *Alij inconſtantes, qui hamo ineſcati nihilominus ſe extricant.*
4. *Obſtinati, qui omnem reſpuunt capturam.*
5. *Peruerſi, qui captos ſocios etiam liberant.*

THEMA.

Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Luc. 5.

A VEriſſimè dixit Dominus per Ieremiam c. 16. *Ecce ego mittam piſcatores multos & piſcabuntur eos. Et poſt hæc mittam eis multos venatores & venabuntur eos*; quia verè nunc videmus, Deum in primitiua Eccleſia miſiſſe piſcatores: nunc verò Venatores. Piſcatores vnico tractu & facili negotio plurimos capiunt piſces; Venatores verò multis & crebris excurſionibus, varijſque machinamentis vix vnum vel alterum capiunt lepuſculum. Itaque in primitiua Eccleſia prædicatores fuêre piſcatores, quia exiguò labore plurimos ceperant & conuerterunt homines. Sic enim hodie turbæ irruunt in IESVM eis prædicantem. Petrus in prima ſua concione feſto Pentecoſtes habitâ, hominum tria millia cepit, *Actor.* 2. Andreas eius frater in Scytiâ & Epiro innumerabiles homines ad Chriſtum conuertit, vt dicitur in eius officio *lect.* 4. Apoſtoli item reliqui velut exiguum fermentum totam mundi maſſam ſuo ſermone fermentarunt & conuerterunt. Atque in huius rei ſignificationem rumpitur hodie rete præ multitudine piſcium. Et *Ioan.* 21. capiuntur ſimul 153. magni piſces. At verò noſtro tempore, iam non piſcatores, ſed venatores tantùm inuenire eſt, qui tot clamoribus, tot figuris & tropis, vix tandem capiunt leporem, vti iure nunc dicere poſſint: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Sed quid cauſæ, inquies; Audi Apoſtolum 2. Timoth. 4. *Erit tempus*, inquit, *cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Quis non videt, noſtris hoc euenire temporibus, vbi tot vndique prædicatorum clamores, & interim pæne nullus eſt fructus? Videamus igitur id acutiùs.

Meritò ad Deum dixit Abacuc cap. 1. *Facies homines quaſi piſces maris.* Soli enim piſces inter animalia, vt aduertit S. Ambroſius verba illa declarans; adeò efferi ſunt & intractabiles, vt cicurari nullâ ratione poſſint; & tales ferè ſunt modò homines. Nam, vt varijs piſcibus variæ ſunt aſtutiæ, quibus piſcatorum effugere manus ſciunt: ita hominibus noſtri præſertim ſæculi, varij modi, quibus concionatorum retia & hamos eludere ac vitare ſciunt.

Primò ignaui quidam piſces, qui ad eſcam ſibi parandam parum egrediuntur, ſed vel in luto vel antris ſuis immerſi perpetuò deliteſcunt, quò fit vt rarò capiantur: Inter hos Phocas ſeu vitulus marinus piſcis eſt, qui Pierio teſte *l.* 29. *hierogl.* quouis in littore dormit: quin etiam (vt Albertus *de animal. lib.* 24. *in Vacca* ſcribit) tantâ eſt humiditate, vt ſi dextra eius pinna, quâ ad natandum vtitur, ſupponatur temporibus hominis, ſomnum ei inducat. Huiuſmodi ignauorum piſcium heu nimis refertùm eſt hoc ſæculum, qui nimia proſperitatis humiditate oppreſſi perpetuò in ſpecubus & ſæcularibus ſuis negotijs deliteſcunt. Ac ſi quando ad littus accedunt, concionem audituri, ilicò obdormiſcunt: & habet iſtorum ſomnolentia neſcio quid ſympathiæ, quâ vno in cubitum indormiente, dormiunt & reliqui, non aliter quàm cùm vno oſcitante oſcitat alter. Quòd ſi aliqui vigilant alia tamen agunt, fabulantur, rident. Vnde hoc, niſi quia erga Verbum Dei nihil afficiuntur? Quis enim neſcit, rem quæ in deſiderio eſt, ſomnum arcere & excutere? Verè equidem S. Chryſoſt. *hom.* 31. *operis imperfect.* ait: *Ecce ſi oſtendis leoni viridem herbam aut campum bene florentem, non excitas eum in concupiſcentia, quia non habet hoc in natura vt herbas manducet. E contra ſi oſtendat, quis boui carnes, non concupiſcit, quia bouis natura non eſt, vt manducet carnem. Sic & homini mundiali, ſi de bono cœleſti loquaris, non excitatur in concupiſcentiam boni.* Hæc ille. At ſi delitias & terrena loquaris, mox audiunt cum guſtu. Quare eo nunc inſaniæ delapſi videntur homines, quò erant Iſraëlitæ, cùm cœleſti manna abundarent, & interim tamen dicebant: *Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*; cæpe tantum & allia carneſque eructabant. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, &c. Num. 21. Appoſitè ſanè, vt ij, qui manna ſalutiferum de manu Dei ſuſcipere noluerunt, exciperent, à ſerpentibus ignita & venenata iacula. Nec aliud eſt, quod nobis prædixit Apoſtolus 2. *Timoth.* 4. qui enim à veritate auditum auertunt, neceſſe eſt ad fabulas, id eſt, falſas opiniones & venenata dogmata conuertantur, quibus imbuti, pereant.

8. I. Ignaui

Meritò nos pudebit, ſi antiquorum Chriſtianorum feruorem hac in re perpendamus. Hodierno in Euangelio turbæ irruunt in Ieſum vt audiant illum. Lucæ 4. turbæ *requirebant eum & detinebant illum ne diſcederet ab eis.* Marci 3. *conuenit turba ad eum ita vt non poſſent neque panem manducare.* Alibi ſæpe relictis ædibus in deſertum eum ſequebantur. *Act.*

17. Beroëales *ſuſceperunt verbum, cum omni auiditate.* S. Gregorius Nazianzenus dum ſolebat concionari, tanta erat populi aduertentia, vt nullum murmur, nullus ſcreatus, non ſuſurrus, nullus quaſi anhelitus audiretur, vt teſtatur *orat. 12. q. 2. de ſeipſo.* S. Ioanne Chryſoſtomo prædicante: populus theatra & ſpectacula dimittebat, ſecumque mutuò certabat vter in templo prior eſſet & diutius permaneret. Vt eſt in eius vita apud Sur. menſe Ianuar. S. Vincentio Ferrier. verba ſacra faciente, populus ad 80000. concurrebat, ita vt in campis ſæpe illi prædicandum eſſet. S. Bernardinum vulgus præueniebat in templo ſub auroram vt occuparent ſedes. S. Antonium de Padua populus etiam ardente ſole & ſtillante pluuia ſub dio auidus audiebat: quin & piſces ad audiendum illum Arimini confluxiſſe & littoris fluminis Marocchiæ adnataſſe traditur: ſine dubio ad confuſionem noſtram, qui tam ſegniter ad Dei verbum accedimus. Refert Bernardinus à Buſto, *par. 1. roſar. ſerm. 5.* quendam è Saracenorum finibus cùm Florentiæ concionem aliquando audiſſet, in lacrymas ſolutum abijſſe. Rogatus quidnam fleret: *Saracenorum*, inquit, *calamitatem & Chriſtianorum oſcitantiam atque ingratitudinem. Si namque*, aiebat, *hæc prædicatio facta fuiſſet Damaſci in centum millium corona, auſim ſpondere, plures octoginta ſex millibus ab errore conuertendos fuiſſe.* Vereor ergo ne aliquando illi in iudicio nos condemnaturi ſint.

C. II. Vani & leues.

Secvndò. Alij vani & leues ſunt, qui eſcam hamo circumpoſitam ambedunt quidem & arrodunt, hamum tamen ipſum numquam arripiunt. Vnde fit vt piſcatorem decipiant, dum ſpongiam & hamum nonnihil attrahunt, non tamen illaqueantur. Tales quamplurimi noſtro hoc ſæculo, qui conciones quidem audiunt, non vt inde emendentur & conuertantur, ſed vt vel aures paſcant, vel vt ſciant tantum, quandoque vt cenſeant & reprehendant vel ſubſannent. Atque vt ferè piſces qui hamum non deglutiunt ſed arrodunt, puſilli ſunt, qui hamum vtpote craſſiorem ori ingerere nequeunt: ita qui nugas ſectantur & aures in concionibus paſcunt, quamquam ſibimet magni & ſapientes videntur, puſilli tamen & abiecti ſunt, vt qui puerilia & abiecta amant, inſtar puerorum, qui literarum picturis tantum delectantur eaſque mirantur, ſenſum non curant nec inquirunt; ac proinde ad percipienda diuina myſteria os nimis anguſtum habent. Vt enim gladius rectus non intrat in vaginam curuam: ita nec Verbum Dei in os hominis ſiniſtrà intentione deprauatum, quia vt *Sapien.* 1. dicitur, *in maleuolam animam non introibit ſapientia.* Atqui verbum Dei gladius Spiritus dicitur ad Eph. 6. qui inutilia & carnalia reſecare debet. Qui ergo cor habet ad nugas dumtaxat & prauos fines intentum, curuam habet vaginam, recipiendo verbi gladio prorſus inidoneam. Horum typus erant Iſraëlitæ illi qui contempto manna, porros, cæpe & allia Ægypti deſiderabant, Num. 11. cùm tamen iſta condimenta potiùs ciborum quàm cibi ſint. Et nos quid aliud agimus, cum ſeria & ſalutaria Chriſti & Apoſtolorum verba faſtidimus, ornatum verò & eloquentiam quærimus, quàm quod manna contemnimus, cæpe & allia quærimus? Quare vt loca illa, quibus petita Iſraëlitis eſca ad internecionem eorum data eſt, *ſepulchra concupiſcentiæ* vocata ſunt: ita qui inutilia, præter purum Dei Manna requirunt, rectè & ipſi *ſepulchra concupiſcentiæ* vocari poſſunt; quia nimirum ea tantùm deſiderant, quæ fætida ſunt, putrida & emortua. Atque ita ſicuti in cribro non manent niſi paleæ: ſic inutilia in corde talium. Quocirca benè iſtis Sapiens occinit: *Vſquequo paruuli diligitis infantiam? Et ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia cupient & odibunt ſcientiam?* Prouerb. 1.

Quæſo vos ſi iam ex Cathedra proijcerem aurum in multis marſupijs affabrè acu pictis: num vos ita amentes eſſetis, vt mirando & luſtrando marſupia, aurum elabi fineretis & ſola marſupia retineretis? Non puto ſanè. Atqui hoc quamplurimi faciunt in auditu verbi diuini, ſimiles Athenienſibus, qui *non vacabant niſi audire aliquid noui*, Act. 17.

D. III. Inconſtantes.

Tertiò. Alij inconſtantes ſunt, qui intra rete concluſi, vel hamo ineſcati, nihilominùs ſe extricant. Eiuſmodi eſt Mugil, qui, teſte Iſidoro lib. 12. miſſa agilitate rete tranſilit. Sed & ſcolopendra piſcis eſt, qui, vt refert Pierius *l. 30. hierogl.* hamo glutito; filum hami morſu abſcindit, tum ilia cum hamo expuit, eademque abiecto hamo in ventrem retrahit. Quibus ſimillimi ſunt complures noſtri ſæculi homines, qui etſi Verbo Dei non nihil ineſcantur, nequaquam tamen capiuntur, eò quòd auditum non retinent, ſed deuoratum euomunt & reſiliunt. Proponunt reſtituere ablata; mox viſà rei difficultate deponunt ſententiam, & reglutiunt ſcelera: proponunt confiteri & emendari, ſed pudore abſterriti, abijciunt animum, & reglutiunt peccata. Vnde Sapiens *Eccleſ.* 12. dicit: *Cor fatui quaſi vas confractum, omnem ſapientiam non retinebit.* Quomodo vas confractum? quia partim cupiunt adhærere Deo, partim volunt adhærere mundo, carni & ſanguini. Vnde huiuſmodi corda quia rimas agunt & in vtramque partem claudicant, ſapientiam Dei non retinent. De his etiam *Ezech.* 33. dicitur: *Audiunt ſermones tuos & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui verterunt illos, & es eis quaſi carmen Muſicum, quod ſuaui dulcíq; ſono canitur.* Vt enim iuuenes & puellæ, cùm noctu Muſicam audiunt tranſeuntem, lecto ſurgunt, ad feneſtras currunt: eâ finitâ ad lectos recurrunt; ſic aliqui dum audiunt concionem videntur vitia deſerere velle, ſed mox ad ea redeunt. Denique hi ſunt de quibus Dominus *Luc.* 8. parabolam propoſuit. Alij enim ſecus viam ſedent, qui proponunt quidem verbo obedire, reſtituere & viam Dei ingredi; ſed dum ſedent & moram trahunt, Diabolus aufert ab eis verbum & propoſitum

poſitum ſimul bonum; obliuiſcuntur enim tandem omninò verbi auditi. Alij cor petroſum & durum habent, qui terrentur operum difficultate, vel moleſtiâ vincendi malam conſuetudinem. In alijs ſuffocant verbum ſpinæ voluptatum, &c.

E. IV. Obſtinati.

QVARTÒ. Alij ſunt obſtinati, qui omnem reſpuunt capturam: & fugiunt etiam oblatas ſibi eſcas, atque adeò ipſum hominem aſpectum. Eiuſmodi piſces ſunt, qui teſte Olao *lib. 1. cap. 6.* ſemper in imo mari degunt, numquam emergunt. Tales ij, qui in profundum peccati deuenére, adeoque numquam ad ſapientiam percipiendam caput attollunt, iuxta id Prouerb. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Et Pſalm. 106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, appropinquauerunt vſque ad portas mortis.* Quos quidem ſimiles ait S. Chryſoſtomus ſerm. 3. de Lazaro, artificibus illis, qui eò inſaniæ & prodigalitatis deueniunt, vt inſtrumenta artis ſuæ vendant, quò fit vt ars vniuerſa ipſis ſit inutilis, totumque quæſtûs fundamentum ſublatum, nec aliud, niſi vt aut furentur aut ſtipem colligant, ſuperſit. Quare vti prudens artifex mauult æs alienum contrahere, quàm artis inſtrumenta vendere: (vtpote quibus lucrum facere & debitum diſſoluere poteſt) ita præſtat magis (ſi alterutrum faciendum eſſet) alia, ad quæ tenearis negligere, adeoque debita alia contrahere, quàm verbum Dei abijcere. *Quemadmodum enim*, inquit Chryſoſtomus, *illis artis inſtrumenta ſunt; malleus, incus, forceps; ſic & nobis artis inſtrumenta ſunt Apoſtolorum ac Prophetarum libri, omniſq; ſcriptura diuinitus inſpirata & vtilis. Et quemadmodum illi per inſtrumenta quidquid faciendum ſuſceperint, perficiunt: ita ſanè & nos per has fabricamur animam noſtram, deprauatamq; corrigimus & inueteratam renouamus.* Hæc ille. Quare vt fatui illi artifices famem tandem meritò patiuntur: ita & verbi Dei contemptoribus iure minatur Deus per Amos, cap. 8. dicens: *Emittam famem in terram, non famem panis neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini. Illa fames,* ait Chryſoſtomus homil. 54. in Geneſ. *corpus emaciat: hæc autem animam attenuat.* Atque hinc conſequitur & illud alterum, à Dauide & Iob additum, vt tales appropinquent corruptioni & portis mortis, id eſt, peccato, tandemque inferno; quia vti fames non tantùm maciem & deformitatem inducit, ſed præterea vel ſeruire facit, vel furari & tandem ſuſpendi: ita verbi Dei contemptus peccatum generat & damnationem, non tantùm gratiâ & virtutibus ſpoliat. Vnde S. Bernardus in paruis ſermonibus ſerm. 34. ait, multos compelli intrare in Ægyptum & tenebras, ſeruireque Pharaoni Diabolo, ob famem verbi Dei, ſicut fames panis coëgit Iſraëlem intrare Ægyptum & ſeruire Pharaoni.

Quòd ſi furi panes & neceſſaria offerrentur, & ille mallet furari, quàm ea acceptare, inſanum diceremus & ſuſpendio altiori dignum. Modò ſunt nònnulli, quibus panis Verbi Dei affatim exhibetur: illi tamen malunt eſſe famelici & defectu huius panis omnia ſcelera perpetrare & pericula ſubire. Propterea *Pſal. 57.* contemptus iſte vocatus *furor: furor illis ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas.* Numquid non eſt furor, quando cæcus reſpuit lumen, æger medicinam, famelicus panem, ſitibundus vinum, frigidus ignem, impugnatus clypeum, deſolatus conſolationem? *Maledictus furor* hic *quia pertinax.* Geneſ. 4.

F. V. Peruerſi.

QVINTÒ. Alij peruerſi ſunt, qui captos etiam piſces ſocios liberant. Talis imprimis torpedo, quæ torporem inducit captoribus, ne rete queant attrahere, atque ita ſe & alios liberat; auctore Ariſtotele *lib. 9. animal. cap. 37.* Tales & Monachi marini, humanâ facie cucullati, in Noruegiæ Oceano; qui teſte Olao *lib. 21. cap. 1.* ſi quem ſuorum captum & nauigio aſportari vident, furunt & ſtrepunt omnes circa nauem, quaſi eam euerſuri, nec ante conquieſcunt, quàm captiuus dimittatur. Non deſunt etiam huic ſæculo eiuſmodi ſocij. Multi profectò ſunt, qui libenter & aures darent & obedirent monitis ſalutaribus, ni à certis torpedinibus & Monachis infernalibus impedirentur ea, quæ ſtatuerant, perficere. At verò vbi vnus eſt prædicator, ibi decem in mundo deceptores, qui homines peruertunt. Tales ſunt hæretici, lenones, meretrices. Vbi vnus Michæas diſſuadet Achabo bellum iniquum, ibi 400. pſeudoprophetæ ſuadent, 3. *Reg. vlt.* Dico ego: noli inebriari; poſteà oſtendit tibi aliquis vitrum de feneſtrâ, & ſtatim tibi contrarium perſuadet. Atque his væ illud intolerandum minatur Dominus Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ,* ait, *qui clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis nec introeuntes ſinitis intrare.*

Sextò denique, quia alij plerique rebelles ſunt, qui perticarum ictibus & terroris incuſſione cogi in rete prædicatoris debent. Neceſſarium foret vt oſtendere poſſent Concionatores infernum talibus, ſicut fecit S. Patritius, vt refert Marulus *lib. 3. cap. 4.* ex Beda *tom. 3.* qui cùm per Hiberniam iter faceret & videret ſe nihil proficere prædicando, impetrauit à Deo vt intra deſcriptum à ſe circulum; aperiret ſe vorago & hiatus terræ profundiſſimus quaſi ad infernum penetrans, qui magnum omnibus incuſſit timorem, ne in profundum acti pœnas incredulitatis darent. Eius indicia adhuc extare referunt. Denique ſicut legis promulgatio cum tonitruis & fulgurum coruſcationibus facta eſt in monte Sina: ita his temporibus maior hominum pars compelli ad Deum debet; per magiſtratum ſæcularem & cenſuras; quibus remotis concionator ludus fit: quo modo Loth viſus eſt generis ſuis *quaſi ludens loqui*, cùm ſuaſit fugere imminens exitium, *Geneſ.* 19. Nórint tamen iſti ſe niſi ingrediantur in rete Chriſti, cogendos ali-

quando in rete Diaboli.

Sed fortaſſe dicent aliqui, non tam in cauſâ eſſe piſces, quàm piſcatores; ſi enim iſti miracula facerent vt olim prædicatores, ſi ſanctitate excellerent, ſi doctrinâ, plures conuerterentur. Non abnuo magnam eſſe ex parte illorum cauſam: ſed non video quàm meritò hæc cauſari poſſint piſces. Nam dudum præceſſerunt miracula: modò non ſunt ampliùs neceſſaria. Et Ioannes nullum ſignum fecit, quem tamen ſecuti ſunt auditores, neque eſt requirenda ſanctitas; quia ſcriptum eſt: *quod dicunt facite.* Et vmbra etiam Petri ſanauit ægros. Doctrinam ſummam ineſſe Concionatori non opus; quia etiam per os aſinæ locutus eſt Dominus, & mediante eo aperuit oculos Prophetæ Balaami. Quare attendat vnuſquiſque quid in ſe deſideretur, & ſi vult aliquando in cœleſtis beatitudinis piſcinam intromitti, curet priùs ingredi in rete Piſcatorum Chriſti.

CONCIO V.

Quomodo ſæcularis quiſque perfectus eſſe queat ac debeat.

1. *Si Dei præcepta obſeruet.*
2. *Si errores admiſſos mox in ſe puniat.*
3. *Si pugnet ſemper contradictori.*
4. *Si ſemper proficere conetur in virtutibus.*
5. *Si præter ea quæ præcepta ſunt ſtudeat adimplere etiam quæ ſunt conſilij.*
6. *Si conetur vitare etiam venialia.*

THEMA.

Duc in altum & laxate retia veſtra in capturam. Luc. 5.

A. MVltorum opinio laicorum eſt, ſe nequaquam ad perfectionem vitæ obligari. Dicunt enim: Nos in mundo ſumus & ſæcularibus negotijs implicamur, ideò perfecti aut ſancti eſſe non poſſumus nec debemus. Ad religioſos pertinet vita ſpiritualis & ſancta, qui de mundo ad ſeruiendum Deo vocati ſunt. Hi quidem in aliquo ſenſu verum dicunt. Debent enim Clerici & regulares maiores vitæ perfectione præditi eſſe quàm Laici, qui coniugum, filiorum & Reip. curam ſuſcipiunt. Sed tamen ipſi quoque ſæculares & laici perfecti & ſancti eſſe debent, ſi partem velint habere in regno Chriſti & Dei. Hoc enim teſtatur Apoſtolus ad Eph. 1. *Elegit nos*, inquit, *in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati.* Loquitur autem de omnibus fidelibus. Et S. Petrus 1. Pet. 1. *Et ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis, quoniam ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* Præterea ad Abrahamum Deus dixit, Geneſ. 17. *Ambula coram me & eſto perfectus.* Et Deut. 18. *Perfectus eris & abſque macula cum Domino Deo tuo.* Et Dominus, poſtquam Chriſtianæ perfectionis compendium propoſuiſſet in aureo illo ſermone, habito in monte; ſubdit: *Eſtote igitur perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Matth. 5. Itaque etiam Laici ad perfectionem obligantur, etſi non tantam, quanta requiritur in Clericis. Huius vtriuſque perfectionis diſcrimen & præceptum eruere poſſumus ex illis Domini verbis in hod. Euangelio lectis: *Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Duc in altum*, Petro & Clero dicitur: ad indicandum, clericos in perfectionis altitudinem nauim ſuam ducere debere. *Laxate retia*, dicitur cæteris piſcatoribus & Chriſtianis laicis ad indicandum, debere eos laxare & extendere vires ſuas ad perfectionem Chriſtianam, & capiendam magnam piſcium, ſeu meritorum copiam. Sed quâ ratione ſæcularis quiſque perfectus & ſanctus eſſe poteſt ac debet? Audiamus

PRIMÒ. Si Dei præcepta obſeruet, ſeu (quod eòdem reincidit) ſi Deum ſuper omnia diligat. Sic enim dicitur 1. Ioann. 2. *Qui ſeruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt.* Ratio, quia qui Deum ſuper omnia diligit, ipſi & præceptis eius nihil anteponit, ſed paratus eſt in caſu, quò oporteret aut præceptum Dei tranſgredi, aut perdere temporalia, quæ habet bona, potiùs horum omnium iacturam facere, quàm Deum offendere; ſicque is propoſito ſaltem & in præparatione animi omnia temporalia relinquit & odio habet (quod eſt perfectorum) licet non re ipſa quod faciunt religioſi. Et quidem hæc perfectio omnibus præcepta eſt eo ipſo, quòd præceptum eſt diligere Deum ſuper omnia & ſeruare eius mandata. Hoc ſenſu omnibus dixit Dominus, Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem & vxorem & filios & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Vult enim dicere, hæc non eſſe diligenda æquè ac Deum, multò minùs ſupra Deum: & ſi à Deo quem abſtrahere niterentur tanta alacritate relinquenda, ac ſi odio haberentur: id quod perfectæ charitatis eſt. Parentes hoc pacto relinques, cùm te à Dei ſeruitio retinere volent. Vxorem & filios, cùm in ipſorum gratiam, vt eos ornes & dites, non pateris te impediri à reſtitutione bonorum iniuſtorum: Domum cùm propter aliquod opulentum coniugium tibi oblatum in loco hæretico, non diſcedis à fide, ſed potiùs à coniugio tibi oblato: Agrum, cùm videns eſſe alienum, hæreditate tibi relictum, Domino reſtituis potiùs quàm vt conſcientiam tuam graues. Denique ſi omnia quæ habes, ita poſſideas quaſi commodata eſſent, ſuo Domino breui reſtituenda: id quod vult Apoſtolus cùm ad Corinthios ſcribens 1. Cor. 7. *reliquum eſt*, inquit, *vt qui habent tanquam non habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non poſſidentes; & qui vtuntur hoc mundo,* tan-

§. I. Si Dei præcepta obſeruet.

tanquam non vtantur; præterit enim figura huius mundi.

Itaque religioſi in altum perfectionis ducunt nauim, dum re ipsâ omnibus illis ſeſe abdicant, quæ impedire eos vel abſtrahere poſſunt à dilectione Dei & mandatorum obſeruatione: vt ita à periculo remotiores ſint & ſecuriùs atque perfectiùs Deo adhæreant. Sæculares verò perfecti non quidem in hanc altitudinem ducunt nauim: ſed retia ſua laxant, dilatando cor in tantum, vt parati ſint parentes, commoditates, fortunam, ſenſum & voluntatem propriam, ipſam denique vitam exponere propter Deum. Illi inſtar militum cælibum ſunt qui nulla ſecum ferunt belli impedimenta, ideoque animoſiores ſunt & expeditiores. Hi velut coniugati, qui ſecum ducunt Vxores, liberos, ſupellectilem, & ſimilia impedimenta: quæ tamen cùm pugnandum eſt, non difficilè relinquunt.

C. II. Si errores admiſſos mox in puniat.

SECVNDÒ, Si errores fortè admiſſos mox deflere & in ſeipſo punire, ſibique iraſci ſoleat, & firmiter renouet propoſitum, ſibi impoſterum attendendi & ſeriò cauendi etiam errores paruos. In hunc modum, quando Magiſtratus alicuius ciuitatis, ciuium delicta ſtatim & pro merito punit, tunc ſalua eſt & bene morata Ciuitas: Sin verò vitia conniueat, & nec ſtatim nec pro merito mulctet, tunc malè gubernatur & vitioſa eſt. Hiſpani & Itali integerrimi & ſaniſſimi ſunt in fide, ſupra omnes nationes: non quòd nulli vnquam hæretici eorum terras peragrent vel in iis aliquamdiu demorentur, ſed quòd deprehenſos ſtatim ad inquiſitionem rapiant & conuictos exterminent aut necent. Sic integer & perfectus erit non tantùm is, qui nullos vnquam admittit errores (quales in mundo pauciſſimi fuerunt) ſed etiam is, qui mox deprehendit in ſe errores, & deprehenſos ſtatim ad examen rapit, conuictos deflet ac punit, moxque confiteri proponit & ſeriò ſtatuit ſibi impoſterum cauere Deoque adhærere, etiam reclamante carne: quo modo Sanctus Bernardus epiſt. 252. ad Abbatem de Præmonſtrato ſcribit; *Adhærebo vobis etſi nolitis: adhærebo etſi nolim ipſe.* Hoc eſt quod Pſalm. 136. commendatur à Dauide dicente: *Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.* In quem locum D. Hilarius: *Beatus*, inquit, *eſt quiſquis in exordiis inhoneſtas quaſque omnium cupiditatum appetitiones, quæ ex voluntate carnis oriuntur, primùm intra ius patientiæ ſuæ virtutiſq; cohibebit: denique eas ad fidem & ad metum Dei alliſas enecabit.* Si igitur ſtatim capias & teneas, adeoque ad iudicium trahas tuos errores puniaſque, ſat perfectus eris. Sicut & domus illa mundiſſima, quæ quamprimum aliquis ſordidis ingreſſus eſt pedibus, ſtatim eluitur & mundatur. Nemo ergo concidat animo, ſi fortè labatur aut non tantum proficiat, quantum optat, ſed hoc ipſum pro ſigno habeat, quòd tendat ad perfectionem, ſi defectus & tarditatem ſuam in ſe notet, ideoque ſibi diſpliceat. Sic Apoſtolus *ad Philipp.* 3. confitetur ſuam imperfectionem, & poſteà fatetur ſe perfectum. *Quare?* inquit S. Auguſtinus ſerm. 49. de temp. *niſi quia ipſa eſt perfectio hominis: inueniſſe ſe non eſſe perfectum.?* Et ſerm. 15. de verbis Apoſtoli; *ſemper tibi diſpliceat, quod es*, inquit, *ſi vis peruenire ad id quod non es. Nam vbi tibi placuiſti, ibi remanſiſti: ſi autem dixeris: ſufficit; & periſti.* Sic ille. Et Hieronymus ep. ad Creſiphont. *Hæc vna*, inquit, *præſentis vitæ perfectio eſt, vt te imperfectum agnoſcas.*

D. III. Si pugnet ſemper contra vitia.

TERTIÒ, Si pugnet ſemper contra vitia & prauas affectiones: eas in ſe vincere ſicque concupiſcentiam rationi ſubdere conetur. Hunc enim conatum & indefeſſum pugnandi laborem reputabit Deus pro victoria. Quemadmodum enim Dux exercitûs, qui mittitur à Rege ad reprimendum & debellandum aliquem hoſtem patriæ, ſi faciat quod poteſt, numquam non infeſtet, impugnet & perſequatur hoſtem, licet non omninò expugnet & ad internecionem deleat, imò licet quandoque minus fœliciter pugnet; nihilominùs tamen egregius miles reputabitur ac præmiabitur. Sic Chriſtianus, qui per confirmationis Sacramentum accingitur & mittitur ad bellum contra hoſtes animæ, & maximè contra concupiſcentiam carnis, patriæ hoſtem perpetuum, ſi agat quod agit, nec deſinat impugnare hoſtem & deiicere in terram, licet is ſubinde reſurgat & rurſum bellum moueat; non ideo non cenſebitur egregius miles Chriſti. Vnde Apoſtolus 2. *ad Timoth.* 2. non ait; Vince; ſed: *labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu.* Licet ergo ſentias æſtus choleræ aut libidinis: modò non conſentias, ſed in corde tuo dicas, nolo conſentire his illecebris: diſplicent mihi motus iſti, &c. eris coram Deo, non cholericus aut impurus, ſed choleræ & libidinis domitor. Sicut ſi adultero vxorem alicuius ſolicitante ad peccatum, ipſa cùm vi expellere eum nequit, (vtpote debilior) conſtanter reclamet & reſiſtat; tantùm abeſt vt diſpliceat marito, id fortè audienti; vt potiùs vehementer placeat & fidelis reputetur. Quamdiu viuimus, non poſſumus omninò extinguori in nobis ignem concupiſcentiæ, (niſi Deus ſpeciali beneficio id quibuſdam concedat) ſed poſſumus ac debemus coërcere, ne nobis noceat; ſicut ferocem canem poſſumus alligare ad catenam, ne nos vel noſtros mordeat; licet non poſſimus reddere manſuetum. Nónne angelus ſanctiſſimo illi Abbati & libidinis domitori Paphnutio, cùm is à ſcintillâ læderetur, dixit: *Paphnuti, ab igne te offendi potuiſſe miraris tunc necdum ignem, qui in te eſt, ſic penitus, vt putas, extinctum geras?* apud Caſſian. *col.* 15. *cap.* 10. An non Vrſinus Nurſiæ poſtquam presbyter factus vxorem dimiſiſſet, & ne propè quidem ad ſe accedere permiſiſſet per annos quadraginta, tandem animam agens (cùm vxor aurem admoueret exploratura num maritus adhuc ſpiraret) exclamauit: *Recede mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle.* Recede mulier, nondum penitus extinctus eſt igniculus: *tolle paleam.* apud Gregor. *libr.* 4. *dial.*

dial. cap. 11. Tametſi igitur non omnino extinguamus ignem concupiſcentię, poſſumus tamen ac debemus ita eum ſopire, vt nobis non noceat : quod nobis pro victoria reputabitur. Id præcepit Deus, cùm dixit ad Cain : *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius,* Geneſ. 4.

E. IV. Si ſemper proficere conetur.

QVARTÒ. Si ſemper proficere in virtutibus conetur & quas in aliis cernit, imitari. Rurſum ſi ingemiſcat, quoties aliquid præclaræ virtutis in aliis videt, quod ipſi deeſt, idque ſaltem deſideret & dicat : ô quàm vellem eſſe huic ſimilis ? ô ſi & ego tali præditus eſſem virtute ? doleo & confundor, quòd adhuc in ſalo hæream, iſti verò tantos in virtute progreſſus fecerint. De primo ait Sanctus Bernardus in epiſt. 253. ad Guarinum Abbat. *Indefeſſum proficiendi ſtudium & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.* Sanè Apoſt. Paulus *ad Philipp.* cap. 3. ait : *Non quòd iam acceperim aut iam perfectus ſim : Sequor autem ſi quo modo, comprehendam.* Hoc eſt, nondum aſſecutus ſum omnem virtutem, vt exponunt Chryſoſtomus & Theophylactus. Et tamen Paulus perfectus erat. Nam mox ſubdit: *Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Itaque perfectus erat, quia ſemper perfectioni ſtudebat, licet faſtigium virtutum omnium non attigerit. Ad eundem modum, non deſinamus ſtudere temperantiæ, & erimus temperantes; ſtudere caſtitati, & erimus caſti;&c. adeoque perfecti, ſi ed anteriora ſemper nos extendamus. Non cogitemus *quæ retro ſunt,* id eſt, bona quæ egimus, ſed quæ adhuc agenda ſuperſunt. Hoc eſt, quod Apoſtolus ſubdit : *Quæ quidem retrò ſunt obliniſcens, ad ea verò quæ ſunt priora, extendens meipſum.* Perfectio ergo huius vitæ non conſiſtit in eo, quòd quis planè perfectus ſit, nihil habens vitij aut defectus : ſed in continuâ tendentiâ, curſu & conatu ad perfectionem. Hæc enim eſt perfectio viatorum; vt continuò & celeriter in viâ ſuâ progrediantur. Vnde Auguſt. *l. de perfect.* Iuſtitiæ cap. 9. ait. *Perfectus eſt, qui ad perfectionem irreprehenſibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipſa etiam peccata venialia non negligens mundare eleemoſynis.* Sic vocantur Philoſophi & Theologi, qui ſtudent Philoſophiæ & Theologiæ, licet adhuc multa neſciant.

De ſecundo ſanctus quidem Doctor, vt refert Cornel. in cap. 4. Gén. ait : *Quidquid toto corde, totâ intentione, toto deſiderio vis, id es certiſſimè.* Suadetque ſi magna dare aut facere non potes, magnam ſaltem habeto voluntatem, eamque ad immenſa extende. Et Sanctus Auguſtinus tract. 4. in ep. 1. Ioan. *Tota vita,* inquit, *boni Chriſtiani ſanctum eſt deſiderium proficiendi. Hic ſinus noſter eſt, hic ſa cus, & quia anguſtus eſt, extendendo facis capaciorem.*

F. V. Si ſtudeat præter præcepta implere.

QVINTÒ. Si non ea præcisè quæ præcepta ſunt, ſtudeat adimplere, ſed aliqua etiam quæ conſilij ſunt; vel ſi præcepta in maiori rigore, quàm præcepta ſunt, conetur implere. Optimus ille ſeruus eſt & perfectus, qui non tantùm mandata exequitur Domini, ſed qui nutibus etiam Domini paret & propenſioni eius ſe accommodat, quales tres illi fortes milites Dauidis, qui dicente Dauid : *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſternâ, quæ eſt in Bethlehem!* ſtatim irruerunt per media Philiſtinorum caſtra & attulerunt aquam, 2. Reg. 23. Et licet non obligemur vt omnia media poſſibilia ad ei ſeruiendum adhibeamus; obligamur tamen omnes, ne terminum ſtatuamus, vel obicem ponamus Chriſtianæ perfectioni; velut ſi diceremus : Satis mihi eſt ipſa præcepta ſeruare, nolo vllum ex conſiliis amplecti. Talis enim ſermo vel cogitatio occluderet portam Spiritui ſancto ad conſiliorum obſeruantiam impellenti. Deinde qui tam parcè cum Deo agit, vt non det, niſi quod debet, oſtendere videtur, ſe etiam illud ægrè dare, quod debet. E contrà ſi plus quàm præceptum eſt facere conemur, fiet inde Primò, vt ſimus remotiores à maculis culparum & tranſgreſſione mandatorum. Non enim furabitur aliena, qui propria libenter largitur. Procul erit ab vlciſcendâ iniuriâ, qui percutienti præbuerit alteram quoque maxillam. Non facilè negliget audire miſſam diebus feſtiuis, qui ſtudet audire quotidie. Non negliget confiteri & communicare in Paſchate, qui ſæpius id agit per annum. Vt enim antemuralia defendunt muros : ſic conſiliorum obſeruatio, ſecuriorem reddit præceptorum obſeruantiam. Secundò vt faciliùs obſeruentur præcepta. Vt enim volucris, cùm vtramque habet alam, facilè per aerem librat corpus : quæ tamen ſi vnam tantùm habeat, difficulter vel in ipſâ terrâ ambulat : cùm ſola ſit onus, vtraque verò leuamen. Ita qui ſtatuit ſola ea ſeruare quæ præcepta ſunt, cum magnâ moleſtiâ ambulabit & verſabitur in periculo cum ipſo onere in terram decidendi : qui autem præter præcepta conatur, etiam pro viribus aliqua ſaltem ſeruare conſilia, facilè ſeruat præcepta. Audiamus porrò quid hac de re prædicet Dominus in præclaro illo ſermone, in quo ſummam perfectionis Chriſtianæ comprehendit. *Audiſtis,* inquit, *quia dictum eſt: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non reſiſtere malo : Sed ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram : & ei qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; & quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo alia duo. Qui petit à te, da ei, & volenti mutuare à te, ne auertaris. Audiſtis quia dictum eſt : Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, bene fa ite his qui oderunt vos & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuũ oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedẽ habebitis? nónne & publicani hoc faciũt? Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tãtùm:*

etiam aliqua non præcepta.

quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. O fidelem ſermonem & omni acceptione dignum! ſed prôh dolor, quàm alienum à moribus Chriſtianorum hodiernorum!

G. VI. Si conetur vitare etiam venialia.

SEXTÒ. Si conetur pro viribus etiam venialia peccata vitare & leuiores defectus. Licet enim haſce leues culpas euitare omnes non poſſimus (nam etiam perfectiſſimi tales habent) omnes tamen tenemur omnem adhibere operam vt eas euitemus, & conari, vt *ſimus integri, in nullo deficientes*, vt ait Iacobus cap. 1. Bonus enim ſeruus ſtudet nec in paruis quidem offendere herum. Et qui nollet eſſe ſolicitus de venialibus vitandis, eo ipſo mereretur tandem à Deo deſeri vt in mortalia laberetur, iuxta id Eccli. 19. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Non eſt verus amicus, qui deliberatè vellet amico infligere vulnus leue, etſi non lethale: imò omninò amicus non eſſet. Sic qui non vellet adhibere curam, ne offendat Deum venialiter, hoc ipſo conuinceretur, non eſſe amicus Dei. Similiter non eſt bonus famulus, qui non obſequitur Domino, niſi quando is gladium in eum ſtringit. Talis eſt, qui venialiter peccare non timet (licet ſciat ſe propterea mittendum in purgatorium) ſed tantùm mortaliter, quod meretur infernum.

Defectus in hac perfectione.

At Deus bone? quàm rari inueniuntur, qui hæc obſeruant? quàm pauci ſæculares qui huic perfectioni ſtudent? Nam imprimis, quàm facilè committuntur grauia peccata pro modico lucro parando, vel damno auertendo? In lege veteri dictum erat: *Non erit meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator de filijs Iſraël.* Deut. 23. Et quàm multi inter Chriſtianos tales? Secundò. Quàm parùm curantur venialia: mendacia, turpiloquia, execrationes &c. Apoſtolus ad Eph. 5. dicit: *Fornicatio & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent.* Et hæc tamen quàm ſunt communia? Tertiò. Quàm pauci aduertunt in ſe peccata ſua, vt ſtudeant emendare & punire? Quàm multi, qui ea ſæpe etiam defendant? Quartò. Quàm pauci impugnant vitia ſua? imò quàm multi neſciunt ſe idcircò militiæ Chriſtianæ adſcriptos, vt concupiſcentiam ſuam domeat? Plerique omne id ſectantur, quod placet appetitui, & ſenſibus ducuntur. Quintò. Quàm exiguus conatus proficiendi? Sextò. Quàm nùllum conſiliorum ſtudium? Et hinc tam pauci ſciuntur ſancti Laici. Scimus aliquot reges, Ludouicum in Gallia, Eduardum in Anglia, Caſimirum in Polonia, Wenceſlaum in Bohemia, Stephanum in Vngaria, Henricum Imp. Sed quam pauci reſpectu malorum? Fuit inter ciues Cremonæ homo Bonus nomine, tam bonus, tam integer cum vxore ſuâ viuens, vt Innocentius Papa tertius ſtatim à morte declarauerit eum beatum. Sed vbi plures tales ciues? Fuit inter ruſticos, S. Iſidorus, vir tam innocens, vt Ciuitas illa celeberrima & regia Madritum, eum ſibi patronum elegerit, & Greg. 15. nuper eum Sanctorum catalogo adſcripſerit. Sed vbi alij tales agricolæ? Quòd ſi tantam attingere ſanctitatem, quantam iſti, non poſſumus: conemur ſaltem ad communem illam omnibus præceptam. Et imprimis ſciamus nos non eſſe perfectos, adeoque dicamus cum Petro: *Domine per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Et cum Apoſtolo: *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe.* Secundò. *Duc in altum*: exerce te ad heroica virtutum opera, refrænando appetitus & paſſiones, ſuperando difficultates, quæ in virtutibus ſe obijciunt. Tertiò. Aſpice ingentem capturam, id eſt, brauium ſupernæ vocationis, maius & maius pro qualitate pugnantium. Tum ſcrutare fundum animæ tuæ ſeu radicale vitium tuum, è quo cætera pullulant, & ſtatue firmiter id extirpare, ad hoc conare quotidie, & hodie incipe, quia vita breuis ars longa, æternitas interminabilis; Vt poſſis dicere. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.*

CONCIO VI.

Examinis conſcientiæ quotidie faciendi incitamenta & ratio.

Ad conſcientiam quotidie examinandam incitat,

1. *Exemplum præclarorum virorum, vti Iſaaci, Dauidis &c.*
2. *Periculum mortis.*
3. *Anceps noſtra negociatio.*
4. *Nocturna dæmonis inſidiæ.*
5. *Vtilitas inde reſultans.*
6. *Facilitas huius exercitij: cuius modus deinde proponitur.*

THEMA.

Piſcatores autem deſcenderant & lauabant retia. Luc. 5.

TAm nobile & ſublime ſtudium docent nos hodierni piſcatores vti meritò dubitem, num id meis Auditoribus proponere ad imitandum, & de eo verba facere debeam. Vereor enim ne mihi eueniat, quod hodie euenit piſcatoribus dum totâ nocte laborantes nihil ceperunt: ne, inquam, totâ horâ de hoc ſtudio loquendo, nihil omnino capiam. Sed quod tandem hoc eſt ſtudium? Examen conſcientiæ quotidie faciendum: quod in hodierno Euangelio per myſterium docent piſcatores dum peractâ piſcatione deſcendunt & lauant retia ſua. Quid enim hoc monet aliud, quàm vt peractis diei negotiis, deſcendamus ex ſæculi negotiis & turbâ in cor noſtrum, & rete conſcientiæ noſtræ perpurgemus, fæces & ſentes peccatorum excutiendo? Sed videor mihi iam videre, qui naſum corrugent & fugiant antequam rete laxent in capturam; pa- A

turæ

tant enim hoc exercitium religioſorum eſſe, non ſecularium. Qui tamen, vt verum fatear, neſcio quàm Chriſtiani ſint, ſi id amplecti nolint. Iuuat igitur de hoc aliquid dicere, & in nomine Domini laxare retia. Proderit ſaltem hoc omnibus ad bonam præparationem ante confeſſionem faciendam.

B. I. Incitat exemplũ præclarorum virorum.

Primò. Incitare ad hoc debet exemplum præclarorum virorum, imprimis *Geneſ.* 24. Iſaac, eo ipſo tempore quo expectabat ſponſam ſibi adducendam, deambulabat per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen eſt *viuentis & videntis, & egreſſus fuerat ad meditandum in agro, inclinatâ iam die.* Quo loco non

1. *Iſaaci.*

tantùm exemplum ſed etiam figura exprimitur huius examinis. Meditatio enim illa fuiſſe videtur eiuſmodi examen aliquod; ſiquidem Septuaginta vertunt, *ad exercendum.* Inſtituitur autem rectè hoc exercitium ad puteum *viuentis & videntis*, id eſt, ad meditationem putei tartarei & Iudicis Dei viuentis omniaque videntis: & *inclinatâ die*, vt rationes colligantur præteritarum actionum. Habemus Secundò, Magiſtrum huius examinis Dauidem, qui *Pſalm.* 76. ait: *Meditatus ſum nocte cum corde meo & exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum*, id eſt, ſcopis verrebam & agitabam, ſeu ſcrutabar: ad inſtar nimirum illius mulieris parabolicæ in Euangelio, quæ perditam drachmam vt inueniret, accendit lucernam & euerrit totam domum. Sic Dauid perditam ſuam quærebat animam; factumque vt inueniret. Idem non contentus erat indagare ſua peccata, eadem mox in ſe puniebat. Ait enim Pſalm. 6. *Laboraui in gemitũ meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Accedit tertius Magiſter Chryſoſtomus *homil.* 21. *Pſalm.* 50. ait: *Quando accubueris ſuper ſtratum tuum & neminem infeſtum pateris, antequam veniat tibi ſomnus, profer in medium codicem conſcientiam tuam & reminiſcere peccata tua, ſi quid in verbo ſeu in facto vel in cogitatione peccaſti.* Sic ille. Idem ſuadet veſperè & manè faciendum S. Ephrem tom. 3. ſerm. aſcet. Idem omninò ex more maiorum, S. Dorothæus doctrin. 11. Idipſum monet S. Bernardus lib. de vitâ ſolit. S. Baſilius ſerm. common. ad Mon. Imò Magiſtrum & auctorem habemus ipſum Deum, qui cùm conſummaſſet omne opus ſuum, *vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, Gen. 1. Recognoſce ergo & tu opera tua quiſquis es Chriſtiane, poſt exactum diem, vide quî tibi placeant. Neque deſunt Ethnicorum etiam exempla. Nam Cicero de ſenectute ſcribit, Catonem Cenſorinum more Pythagoreorum quotidie rationes vitæ peractæ à ſe exegiſſe. Seneca etiam *lib.* 3. *de irâ cap.* 36. ſcribit: *Animus quotidie ad rationem reddendam eſt vocandus. Faciebat hoc Sextius vt conſummato die cum ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum: quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? quâ parte melior es?* ſubiungit deinde de ſe: *Vtor hac poteſtate & quotidie apud me cauſam dico. Cum*

2. *Dauidis.*

3. *S. Chryſoſtomi & aliorum.*

4. *Ethnicorum.*

ſublatum è conſpectu lumen eſt & conticuit vxor, moris iam mei conſcia, totum diem mecum ſcrutor facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo. Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum poſſim dicere: Vide ne iſtud ampliùs facias, nunc tibi ignoſco. In illâ diſputatione pugnaciùs locutus es noli poſteà congredi cum imperitis? &c. Idem ep. 28. ait: *Quantum poteſt, teipſum coargue, inquire in te, accuſatoris primùm partibus fungere, deinde Iudicis, nouiſſimè deprecatoris; aliquando te offende.* Sic ille. Phocylides Stobæo ſerm. 6. teſtante, primus omnium docuit mortales ſeipſum quotidie ter ad tribunal conſcientiæ per examen eius citare. Pythagoras quoque duorum maximè temporum rationem habendam precepit veſperi & manè, ſcilicet quid geſſeris & quid acturus ſis: Vnde illud Pythagoreum: *Quid quoque die dixeris, audiueris, egeris, veſperè commemorare.* Laërt. in Pythagora. S. Hieronym. *lib.* 3. *apol. contra Ruffin. cap.* 10. Non miramur horum Ethnicorum ſtudium? Et hoc illi faciebant vel ſolius virtutis amore, vel humanæ laudis gratiâ. Nihil ſciebant de diſtricto Dei iudicio, in quo omnia noſtra opera ad trutinam reuocanda eſſent: nihil nouerant de inferno, peccatorum ſupplicio: nihil de benefactorum æterno præmio. Quid feciſſent, ſi hæc talia ſciuiſſent? Quod ergo fecerunt Idololatræ, non faciant Chriſtiani?

C. II. Periculũ.

Secvndò, periculum; multi enim ſubitâ morte ſine pœnitentiâ moriuntur & æternùm pereunt: non perituri ſi priùs verâ cum contritione conſcientiam examinaſſent & peccata ſua planxiſſent. *Momentum vita eſt, ſed pendet ab hoc momento, ſiue perenne bonum, ſiue perenne malum*; vt canit quidam. Quod ſi intra decem annos vni tantum ex hac ciuitate contingeret, vt repente hinc decederet ſine pœnitentia, nónne omnes meritò timere deberemus? Atqui hoc intra vnum annum pluribus euenire ſolet. Quanta ergo negligentia eſt, ſine præuia contritione ſomnum, qui frater & imago mortis eſt, capere, quando tam facili medio prouidere nobis poſſumus; Dicite, quæſo, cur ſolent in munitionibus perpetuæ agi excubiæ? nónne quia periculum eſt ne vnâ horâ perdatur munitio, quæ plurimis annis recuperari nequeat? Atqui vnâ noctis horâ perdere vitam & ſalutem potes, ſi ſine contritione eas cubitum, quam in æternum reparare nequeas. Nónne igitur ſingulis noctibus vel diebus ad excubias ducere milites tuos, intellectum, voluntatem, memoriam debes, eoſque in aciem diſponere vt mortem aduentantem ſine metu excipere queant? Ad quid, quæſo, Apoſtolus dixit ad Eph. 4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram?* Nónne quia incertum eſt, oriturum tibi altero die ſolem? Intellexit hoc ſenex ille Meſſodanus, qui cùm ab amico in craſtinum inuitaretur, reſpondit: *quid me vocas in craſtinum, qui à multis annis craſtinum non habui, ſed mortis aduentum in dies expectaui, quæ nunquam nobis non inſidiatur*

tur, donec tandem incautos opprimat? Refert Guido Bituric. ex Hiſtor. Eccl. Ideò Dominus monuit Luc. 12. *Et vos eſtote parati quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.* Teſte etiam Apoſt. 1. *Theſſal.* 5. dies Domini *tanquam fur* veniet. Quis autem neſcit fures vt plurimum de nocte eoque tempore furari, quò minimè expectant homines?

D. III. Anceps noſtra negotiatio. Tertiò, Anceps noſtra negotiatio, maximum habens momentum. Mercator certè, veſperi computat acceptum cum dato, quid perdiderit vel lucratus ſit. Similiter & luſor qui toto die luſit: veſperi numerat pecuniam: quantò magis id facturi, ſi ſcirent, quâ ratione perditam pecuniam recuperare poſſent? Nos totâ die mercamur & ludimus cum diabolo & quidem de rebus ad ſalutem pertinentibus: & modò lucramur, modò perdimus. Cur ergò veſperi nos ſedemus & computamus lucrum vel diſpendium? In examine conſcientiæ inſpicimus chartas diaboli luſorias, quibuſcum nos vult & ſolet vincere: ibi detegimus fraudes quibus nos in mercimoniis ſuis decipit. Quare *diebus ſingulis*, inquit S. Ephrem Syrus to. 3. in ſerm. aſcet. *veſperi & mane diligenter conſidera quo pacto ſeſe habeat negotiatio tua ac mercimonij ratio: & veſpere quidem ingreſſus cubiculum cordis tui examina teipſum ac dicito: Putâſne hodie Deum in aliquo exacerbaui? nunquid verba otioſa protuli? num per contemptum negligentiamve peccaui? num fratrem irritaui? num cui detraxi? &c.* Deinde deprehenſis peccatis iubet ea defleri; moxque ſubdit de matutino examine: *Et facto iam diluculo rurſus eadem tecum meditare & dicito; Quomodo, putas iſta nox præteriit? nunquid improbæ & ſordidæ cogitationes inuaſerunt me atque illis libenter immoratus ſum?* Deinde ipſa opera noſtra bona multos ſæpe habent næuos imperfectionum: vnde ad incudem reuocari debent; quia Dominus ait Pſal. 74. *Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.* Accipe ergò & præripe tu tempus ad hoc faciendum: quia *ſi nos ipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur*, ait Apoſt. 1. Cor. 11.

E. IV. Nocturnæ dæmonis inſidiæ. Quartò, Nocturnæ dæmonis inſidiæ; nocturno enim tempore principes tenebrarum magis inſurgunt & qui tenebras diligunt; in tenebris maximè inſidiantur, cùm ſemiſopiti ſenſus & à laboribus ad quietem auocata membra ſunt. Scimus dæmonem noctu ſeptem maritos Saræ ſuffocaſſe, ſuffocaturum etiam Tobiam niſi Angelus eum cuſtodiſſet, *Tob.* 8. Scimus Angelum (quem Hieron. in c. 24. Iſa. credit fuiſſe malum) media nocte primogenita Ægypti interfeciſſe, *Exod.* 12. S. Antonium à dæmonibus nocte diris variiſque tentationibus exagitatum ſcribit S. Athanaſius. S. Hilarionem ſub mulierum ſpecie ab iiſdem nocte vexatum ſcribit S. Hieronym. Plura huiuſmodi nocturna dæmonis machinamenta narrat Sulpitius, Palladius, Sozomenus, Euagrius. Quid igitur opus eſt? Muniendus contra hunc hoſtem lectulus noſter præuio examine. De Salomonis lectulo dicitur Cant. 3. *Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos.* Ergò ſuum quiſque lectulum muniat cum Salomone, conſcientiæ diſcuſſione, dolore de peccatis, propoſito emendationis, veniæ precatione, addita aliquâ ſatisfactione, & diuinæ opis imploratione. Qui ſex milites ſatis nos cuſtodient contra timores nocturnos.

F. V. Vtilitas inde proueniens. Quintò, Vtilitas inde reſultans. Primò, per hoc enim exercitium redditur homo cautior, dum reflectit ſe in quibus fuerit periculis, quàm facilè potuiſſet effugere hoc vel illud peccatum, quàm temerè egerit, &c. ſicut cum vxor viro edormita crapulâ in memoriam reuocat, quid fecerit in ebrietate, vti faciebat Abigail viro ſuo Nabal, & S. Monica marito ſuo. Vnde Seneca *lib.* 3. *de irâ cap.* 36. ſubdit: *Deſinet ira vel moderatior erit, qui ſciet ſibi quotidie ad iudicium veniendum.* Sic maritus redditur cautior, poſt concionem vxoris in ebrietatem eius detonantis. 1.

Secundò, Peccata in memoriam reuocamus. *Peccamus multum* inquit S. Dorotheus ſerm. 11. *& obliuiſcimur citò*; quare neceſſe eſt, frequentiſſimè ac ſingulis horis nos ipſos exquirere, rimari ac perſcrutari diligentiſſimè. Hinc poſteà facilè & accuratè poſſumus inſtituere confeſſionem: dolorem etiam concipimus de peccatis, & ita redimus in gratiam Dei per contritionem. Scimus ex Domini parabola diabolum deuorare ſemen verbi Dei, quod patimur ſecus viam cadere, ſeu è mente noſtrâ excidere. Pari modo ille deuorabit peccata noſtra, id eſt, memoriâ retinebit ſedulò, quæ nos ex incuriâ obliuiſcimur, & exprobrabit in die Iudicij. Huic igitur iacturæ occurrit examen conſcientiæ. 2.

Tertiò, Securitatem quandam & lætitiam acquirimus. Vidit hoc ipſum Seneca, qui loco indicato, mox ſubiungit: *Quid ergò pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem? qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur? quàm tranquillus, quàm altus ac liber?* Hinc Pſalmiſta dixit: *Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*, Pſal. 29. Sic Crocodilus veſpere aquis ſe immergit, manè emergit, apud Pier. lib. 28. Suauiſſimum puluinar eſt bona conſcientia in quâ Chriſtus ſuauiter dormiuit ſub ipſâ tempeſtate maris, dum Apoſtoli interim trepidarent. Sano lectus eſt dulce fomentum: ægro verò eſt tormentum: ſic & conſcientia animo à vitiis libero & ſano ſuauiſſimus eſt thalamus: iacenti verò in peccatis cataſta & equuleus. Vti Dauid: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum*, inquit Pſal. 6. 3.

Quartò, Per hoc ſpiritum recolligimus & debilitatem fortificamus, dum renouamus propoſitum rectè viuendi. Horologij director veſperi vel etiam manè quotidie aſcendit turrim, & pondus horologij attollit, quod paulatim delapſum erat. Ita, quia inter homines & quotidie animæ prælia ſubinde decidimus ac debilitamur: ideò quotidie ſemel ſaltem, ſi non manè ſaltem veſpere attollendum pondus 4.

pondus carnis noſtræ & ſpiritui ſubiiciendum. *Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam*, inquit Sapiens cap. 9. *& terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* In naugij ſentinan. ſemper aliquid aquarum influit per latentes rimulas; quare niſi crebrò exhauriatur, tandem demergat nauem neceſſe eſt. Pari ratione quia ſemper aliquid praui operis nobis ſubrepit, neceſſe vt animum crebrò euacuemus.

5. Quintò, Hinc fiet vt quotidiana erratorum noſtrorum pœnitudine vitia & praui habitus ſeu conſuetudines, altiores in nobis radices agere nequeant; quemadmodum nec in horto herbæ inutiles, cùm hortulanus quotidie inſpicit hortum ſuum & euellere eas ſatagit. E-contrà euenit cùm examen id negligitur, teſte Sapiente, Prouerb. 24. *Tranſiui per agrum hominis pigri & per vineam ſtulti, & ecce totum repleuerant vrtica & operuerunt ſuperficiem eius ſpina & maceries lapidum deſtructa erat.* Sic enim conſcientia illius, qui nunquam eam diſcutit, euadit quaſi deſertum & oppletur vitiis, fitque habitaculum ſerpentum & buſonum. Ligo igitur examinis ſemper ad manum habendus.

6. VI. Facilitas Modus examinandi ſe. SEXTÒ, Accedit huius exercitij facilitas, quæ in quinque punctis conſiſtit.

1. Primò, gratias Deo agito, pro beneficiis generalibus, ſpecialibus, ſingularibus, maximè illius diei.

2. Secundò, pete lumen à Deo ad cognoſcenda peccata. Sic mulier illa accendit lucernam vt drachmam perditam inueniret, *Luc.* 15. Cœci in nos vt plurimùm ſumus aliena potius quàm noſtra peccata cernimus. Vnde Dauid dixit: *Multiplicatæ ſunt infirmitates meæ, & non potui vt viderem*, Pſal. 15. Cœleſte igitur lumen ad noſipſos cognoſcendos à Deo impetrandum.

3. Tertiò, Conſcientiam diſquire. Conuoca debitores, dicens ſingulis actibus tuis: *quantum tu debes Domino meo?* percurre cogitationes, verba & opera, quinque ſenſus, ſeptem vitia capitalia, decem præcepta, vel actiones ſingulas de horâ in horam.

4. Quartò, excita in te contritionem & pete veniam, ac confitere Deo. Dic cum debitore illo: *Patientiam habe in me, omnia reddam tibi.*

5. Quintò, propone emendationem, & pœnitentiam tibi impone, media emendationis diſquire & amplectere. Hanc doctrinam tradere nobis videtur Ieremias cap. 31. cùm ait: *ſtatue tibi ſpeculam: pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in quâ ambulaſti.* Statuit ſibi ſpeculam, qui parat ſibi cœleſte lumen, quo videat ſtatum conſcientiæ ſuæ. Inde ſpeculatur, qui omnes vias & angulos cordis ſui circumſpicit & fures animæ ſuæ inſidiantes peruestigat, ponit ſibi amaritudines, qui de peccatis ſuis conteritur, eaque amarè deflet. Dirigit cor ſuum in viam rectam; qui proponit emendare vitam ſuam.

Quod ſi hoc iudicium graue tibi videtur, compara id cum iudicio Dei tecum aliquando inſtituendo: & inuenies, quòd ſi rem grandem tibi dixiſſem, certè facere debebas quantò magis cùm dixi, vt lauares te ſemel per diem in Iordane huius examinis: quo modo ſuaſerunt ſerui Naamano, 4. *Reg.* 4.

Quare, Auditores, non deſimus nobis in tam vtili ſtudio quod ad vitam bene ac beatè inſtituendam vtiliſſimum eſt compendium. Imitemur Moabitidem illam Ruth, *quæ collegit in agro* (ſpicas) *vſque ad veſperam & quæ collegerat virgâ cædens & excutiens, inuenit hordei modios tres*, Ruth. 1. Occupationes & negotia noſtra ſpicilegium quoddam ſunt. Spicas quidem bonorum operum & cœleſtium meritorum forſitan quærere per diem intendimus: ſed interim multas etiam paleas vnà cum illis colligimus, actus, inquam, ſteriles & vitioſos purgatorio vel etiam tartareo igne dignos.

Quare ad veſperam diei excutiendus eſt faſciculus noſtrarum operationum & paleæ à ſpicis ſeligendæ. Cædat vnuſquiſque & excutiat ſemetipſum ac remoueat paleam, quæ maculat conſcientiam & igni purgandam tradit animam. Sic fiet vt breui tempore magnum virtutum aceruum ſibi comparet, habeatque vnde æternùm viuat.

CONCIO VII.

Sacerdotes Sanctos eſſe debere.

Ob quinque potiſſimùm rationes.

1. *Quia Deum in terris repræſentant.*
2. *Quia Deo dicati.*
3. *Quia mediatores inter Deum & homines.*
4. *Quia tractant ſancta.*
5. *Quia ipſi debent alios ſanctificare.*

THEMA.

Piſcatores autem deſcenderant & lauabant retia. Luc. 5.

Libro 4. *Reg. cap.* 22. legimus Ioſiam Regem bonum ac pium, cùm allatus ei eſſet liber legis, inuentus in templo & lectus coram eo, conturbatum eſſe, & ſcidiſſe veſtimenta ſua ac dixiſſe Helciæ Sacerdoti & aliis: *Ite & conſulite Dominum ſuper me & ſuper populo & ſuper omni Iuda de verbis voluminis iſtius, quod inuentū eſt. Magna enim ira Dei ſuccenſa eſt contra nos, quia non audierunt Patres noſtri verba libri huius, vt facerent omne, quod ſcriptum eſt nobis.* Hoc ego, Auditores, Sacerdotibus dictum volo. Inueni enim in libro legis tremens ipſe ac ſtupens, verba Domini Dei omnibus Sacerdotibus adeò pertimeſcenda, vt ſi ea audierint, iure etiam ipſi ſcindere veſtes ſuas poſſint vel certè conturbari debeant. Quid enim inquit liber ille? *Loquere ad Sacerdotes* ait Leuit. 21. *Ne contaminetur Sacerdos*, &c. Et iterum: *Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius.* Et rurſum: *Ego Dominus, qui ſanctifico eos*, id eſt, iubeo eſſe ſanctos. Similiter Exod. 19. A.

Sacer-

Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos. Et *Leuit.* 10. *Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi*, id eſt, puniam Sacerdotes, qui ſancti eſſe deberent, & non ſunt. Quem, quæſo, hæc tonitrua non terreant? Addo hodiernum Euangelium; ex quo diſcimus piſcatores animarum munda habere corda debere, quod docent piſcatores, dum lauerunt retia ſua. Itaque vos Sacerdotes, ite & conſulite mecum Dominum ſuper nobis & ſtatu noſtro. Magna enim Dei ira ſuccenſa eſt contra nos, qui fortè hucuſque ignorauimus, quales eſſe debeamus: ſi non ſimus tales, quales nos eſſe iubet DEVS.

B. I. Quia Deum in terris repræſentant.

Sancti ſint Sacerdotes. PRIMÒ, Quia Dei perſonam in terris repræſentant, vti patet in S. Miſſâ, in quâ conſecrant in perſonâ Chriſti, ipſiuſmet verbis: *Hoc eſt corpus meum.* Et quemadmodum Chriſtus ſacrificio ſuo cruento ſemel nobis placauit patrem: ita ipſi (ſuo modo) ſacrificio incruento eundem quotidie placant. Nouimus autem eos, qui perſonam alicuius Regis aut Principis repræſentant, grauiter & circumſpectè ſeſe gerere, ac quantum eſt, Principis ſui maieſtatem & mores exprimere, caueréque ne quid agant, quod eius authoritatem poſſit imminuere. Atqui nos *pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*, ait Apoſtolus 2. *Cor.* 5. Ergò ad laborandum nobis vt Chriſtum ipſum in moribus noſtris, quantum fieri poteſt, exprimamus, nihilque committamus, quod in eius contemptum poſſit redundare. Ideò enim *Leuit.* 21. dicitur: *Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius*, Dei ſcilicet, in quem redit eorum leuitas. Hinc Conſtantinus M. *Sacerdotium iudicium* aiebat, *ita haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens iudicet: nihil enim licet his aliud ſentire, niſi quod Chriſti magiſterio ſunt edocti.* Refert Optatus Mileuit. *lib.* 1. *contra Parmen.* Et S. Auguſt. *epiſt.* 68. Idem de iiſdem dixit: *Vos nobis à Deo dati eſtis Dij, & conueniens non eſt vt homo iudicet Deos.* Ruffinus apud Baron. Anno 325. Hinc viri boni & religioſi non facilè adduci poſſunt, vt de grauiori delicto ſuſpectos habeant Sacerdotes. Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, cùm Sacerdos apud eum impudicitiæ accuſaretur, iſque ſe immunem ab hoc ſcelere teſtaretur, dicenti acquieuit, eò quòd diceret, *Sacerdotis in ore mendacium exiſtere non poſſe.* Refert. Marcellus Ceruinus *in eius vitâ cap.* 29.

Hæc conditio etiam veteri in lege (vti & aliæ ſequentes in aliis Symbolis) Sacerdotibus inſinuata fuit in zonâ Summi Sacerdotis, quâ præcingebatur, & in quâ repræſentabat Chriſtum, qui *Apoc.* 1. zonâ præcinctus aureâ apparuit Ioanni.

C. II. Quia Deo dicati.

SECVNDÒ, Quia Deo dicati, donati & ſanctificati ſunt, vt indicat nomen eorum, *ſacerdos.* Hoc idem in veſtibus ſummi Sacerdotis olim ſignificabat tiara eius, in quâ ad frontem inſculptum erat aureæ laminæ: *Sanctum Domino.* q. d. ſanctus erit Deo ſuo, vti Leuit. 21. habetur, id eſt, dicatus & ſacratus. Quod autem Deo offerebatur, immaculatum eſſe debebat. *Si cæcum fuerit, ſi fractum, cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem aut impetiginem: non offeretis eam Domino*, Leuit. 22. Quare cap. 21. præcedente hoc ipſum ſanxit Deus de ſacerdotibus. *Qui habuerit maculam*, inquit, *non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius: ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi paruo vel grandi vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, ſi hernioſus. Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo.* Iam cæcus eſt, ait S. Gregorius 1. p. paſtor. c. vlt. *qui ſupernæ contemplationis lumen ignorat: qui præſentis vitæ tenebris preſſus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conſpicit, quo greſſus operis porrigat, neſcit. Claudus verò eſt, qui quidem quò pergere debeat, aſpicit, ſed per infirmitatem mentis vitæ viam perfectè non valet tenere, quam videt: quia ad virtutis ſtatum dum fluxâ conſuetudine non erigitur, quò per deſiderium innititur, illuc greſſus operis efficaciter non ſequuntur. Paruo autem naſo eſt, qui ad tenendam menſuram diſcretionis idoneus non eſt: naſo quippe odores fœtoreſque diſcernimus. Naſus grandis & tortus eſt diſcretionis ſubtilitas immoderata, quæ dum plus quàm decet excreuerit, actionis ſuæ rectitudinem ipſa confundit. Fracto autem pede vel manu eſt, qui viam Dei pergere omnino non valet atque à bonis actibus funditùs exors vacat: quatenus hæc non vt claudus ſaltem cum infirmitate teneat, ſed ab his omnimodo alienus exiſtat* (vel vt S. Cyrillus l. 11. de adoratione ait: *qui non integrè ad probas actiones graditur, ſed opus Dei facit imperfectè & negligenter.*)

Gibbus verò eſt, quem terrenæ ſolicitudinis pondus deprimit, ne vnquam ad ſuperna reſpiciat, ſed ſolis in his, quæ in infimis calcantur, intendat. Lippus verò eſt, cuius quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat, ſed tamen hoc carnalia opera obſcurant. Albuginem verò habet in oculo, qui veritatis lucem videre non ſinitur: quia arrogantiâ ſapientiæ ſeu iuſtitiæ cæcatur. Si enim candorem ſibi iuſtitiæ ſiue ſapientiæ tribuit, à luce ſe ſupernæ cognitionis excludit. Iugem verò habet ſcabiem, cui carnalis petulantia ſine ceſſatione dominatur. Impetiginem quoque habet in corpore, quiſquis auaritiâ vaſtatur in mente, quæ ſi in paruis non compeſcitur, nimirum ſine menſurâ dilatatur. Ponderoſus (ſic legit S. Gregorius: alij, hernioſus) *eſt; qui turpitudinem non exercet opere, ſed tamen ab hac cogitatione continuâ ſine moderatione grauatur in mente, qui nequaquam quidem vſque ad opus nefarium rapitur, ſed eius animus voluptate luxuriæ ſine vllo repugnationis obſtaculo delectatur &c.* hæc Gregor. Vel planiùs dicamus. Cæcus eſt, qui ignorat ea quæ ad officium Sacerdotis pertinent, eique ſcienda ſunt. Quomodo autem cæcus cæcum ducet? Claudus, qui videt & quidem quæ recta ſunt, non audet tamen docere, propter affectum vel timorem humanum. Fracto pede & manu eſt, qui docet recta, ea tamen non facit. Gibboſus, qui terrenis negotiis implicatur, opes, honorem vel fauorem quærit, non

non animas & quæ IESV Chriſti ſunt. Lippus, cuius ſcientia deprauatur affectibus ſuperbiæ, inuidiæ, auaritiæ: gula, ebrietate, &c. Magno & torto naſo, qui ſæcularibus ſe negotiis nihil ad ſe pertinentibus immiſcet. Paruo nimis, qui quæ ad ſe & ſuos ſpectant, non curat, &c.

D. III. Quia mediatores inter Deum & homines.

TERTIÒ, Quia mediatores ſunt inter Deum & homines; ferunt enim ad Deum preces noſtras, cumque nobis placant ſacrificiis ſuis, vti teſtatur Apoſt. ad Hebr. 5. dicens: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* (Per Pontificem autem intelligit Apoſtolus ibi omnem Sacerdotem: ſeu Pontificem quà Sacerdotem.) Quia enim non quiuis ex plebe apti ſunt Deo debitum Latriæ cultum deferre; ideò vnus ex omnibus magis idoneus & dignus eligitur, qui pro cæteris id præſtet; vnde debet illis eſſe eminentior virtute & prudentiâ, adeoque Deo familiarior, vt poſſit ei reconciliare alios: *Qui rationis vſu*, ait S. Gregor. 1. p. paſtor. cap. 10. *& experimento iam didicit, quòd obtinere à Domino, quæ popoſcerit, poſſit.* Et mox cap. ſequente: *Si enim fortaſſe quis veniat vt pro ſe ad intercedendum nos ad potentem quempiam virum, qui ſibi iratus, nobis verò incognitus eſt, ducat: protinùs reſpondemus: Ad intercedendum venire non poſſumus, quia familiaritatis eius notitiam non habemus. Si ergò homo apud hominem, de quo minimè præſumit, fieri interceſſor erubeſcit; quâ mente apud Deum interceſſionis locum pro populo arripit, qui familiarem ſe eius gratiæ eſſe per vitæ merita neſcit? Aut ab eo quomodo aliis veniam poſtulabit, qui vtrùm ſit ſibi placatus, ignorat? Qua in re eſt adhuc ſolicitius formidandum, ne qui placare iram poſſe creditur, hanc ipſe ex proprio reatu mereatur.* Hæc Gregor. Idipſum docet nomen Pontificis, quia Sacerdos & Pontifex eſt pons inter Deum & hominem, vt docet S. Bern. *ep. 42. ad Archiepiſcopum Senonenſem.* Hanc ob cauſam Pontifex olim geſtabat tunicam ſeu poderem hyacinthinam, quæ cœli colorem repræſentabat, *Exod.* 28. Vnde ſequitur eorum vitam & conuerſationem vulgari & plebeiâ longè ſubliniorem ac quodammodò cœleſtem eſſe debere; ſicuti & cœli mediant inter huius mundi exilium & patriam cœleſtem. Vnde ſanctus Græcè dicitur ἅγιος, quaſi ἀγῆ, id eſt, ſine terra, q. d. terrâ ſuperior ſecundum Origenem hom. 11. in Leuit. Ergò quanto nobilius eſt cœlum terrâ, tantò ſublimior deberet eſſe vita Sacerdotum vitâ Laicorum. Quò videtur alluſiſſe Apoſtolus ad Philipp. 3. *Multi ambulant, quorum Deus venter eſt & gloria in confuſione ipſorum: qui terrena ſapiunt. Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* Et certè quando Sacerdos in Miſsâ ſumit Corpus Chriſti, cœli typum gerit. Vt enim immiſſio partis hoſtiæ S. in calicem ſignificat reſurrectionem Chriſti: ita ſumptio Corporis Domini ſignificat aſcenſionem eius in cœlum; quia vt in aſcenſione Chriſtus à conſpectu & præſentiâ noſtrâ ſublatus fuit: ita in ſumptione tollitur ab oculis noſtris. Cœlum ergò ibi Sacerdos repræſentat: curet proinde vt cœleſtis ſit ſuâ in conuerſatione.

QVARTÒ, Quia tractant ſancta: Sacramenta, ſacrificia, S. olea, & vaſa, &c. Et quid ſanctius carne Chriſti. Audi Chryſoſt. hom. 60. ad pop. E. IV. Quia tractant ſancta.
Quo nō oportet eſſe puriorem inquit, *tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc diuidentem! os quod igne ſpiritali repletur? linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit?* Hanc cauſam reddit ipſe Deus Leuit. 21. dicens: *Sancti erunt Deo ſuo & non polluent nomen eius; incenſum enim Domini & panes Dei ſui offerunt; & ideò ſancti* (Hebr. *ſanctitas*, id eſt, ſanctiſſimi) *erunt.* Quòd ſi Deus voluit illos eſſe ſanctos, imò ipſam ſanctitatem, qui panes tantùm propoſitionis Deo offerrent: quantò magis eos, qui panem illum qui de cœlo deſcendit, Chriſtum, patri ſuo offerunt? Et ſi ſanctos voluit eſſe eos, qui carnes boum & hircorum, lanionum inſtar, mactabant & immolabant: quantò magis, qui carnem illam Chriſti ſanctiſſimam manibus ſuis conficiunt, tractant, offerunt?

Hanc fortè ob cauſam geſtabat Summus Pontifex veſtem aliam, quæ erat tunica linea ex byſſo ſeu lino ſubtiliſſimo ac mundiſſimo. Deſignabat enim munditiam Sacerdotis, quâ ſemper eſſe veſtitus debet, quia ad ſacra miniſteria ſemper eſſe paratus. Hunc ergò præcipuè alloqui videtur Eccleſiaſtes cap. 9. dicens: *Comede in lætitiâ panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua. Omni tempore ſint veſtimenta tua candida. Quis hic panis & quodnam vinum*, ait S. Cyrillus Catech. 4. *niſi corpus & ſanguis* IESV *Chriſti Domini noſtri?* Qui cùm omnibus ſit communis, proprius tamen Sacerdotum dici poteſt, quia ipſi quotidie aut frequenter eum ſumunt ſub vtraque ſpecie. Sed ob idipſum videre debent, vt omni tempore candida gerant veſtimenta, id eſt, vt eorum animæ & conſcientiæ puræ ſint & ſanctis virtutibus adornatæ. Mos antiquus erat in conuiuiis, vti candidis veſtibus. Quia ergò Sacerdotes, perpetui, aut certè frequentes, Dei conuiuæ ſunt, ſemperque ad hoc parati eſſe debent, omni tempore debent geſtare veſtem candidam. Sunt quidam & laici, dum communicant, domus & templum Chriſti, non tamen ita ſtabilis & ordinaria, vti Sacerdotes, in quibus ſemper hoſpitatur. Vnde quemadmodum Imperator palatium, in quo fixam habet ſedem, ſplendidiſſimè exornatum habet: quando autem aliò proficiſcitur, præmittit ad hoſpitium, vbi aliquantiſlum diuerſurus eſt, aliquem ornatum, ſed non ita ſplendidum atque in aulâ ſuâ habet: ita abſque dubio vult Chriſtus Sacerdotes eſſe ſibi aulam ſplendidiſſimè adornatā, & longè mundiorem, quàm velit eſſe laicos, in quibus rarò hoſpitatur. Vnde S. Auguſt. *ſer.* 32. & 36. *ad fratres in Eremo*, ait: *Si anima iuſti, ſedes Dei eſt, multò magis vos Sacerdotes eſſe debetis ſedes & thronus eius, mundus & ſine maculâ. Si ſepulchrum, vbi corpus eius mortuum poſitum fuit,*

debuit

debuit eſſe glorioſum ac nouum, in quo nullum aliud prius poſitum fuiſſe: magis glorioſa & renouata debent eſſe corpora veſtra & animæ veſtræ, in quibus eiuſdem Domini corpus viuum & glorificatum eſſe debet. Si beatus fuit venter, qui per nouem menſes illum portauit: æquum eſt, vt corda veſtra beata ſint, quæ filius Dei elegit in ſuam quotidianam habitationem. Et ſi beata ſunt vbera, quæ infans ſuxit, etiam os debet eſſe beatum quod comedit eius carnem, eiuſq; ſanguinem ſugit tanquam lac. Hæc ille.

F. V. Quia ipſi docent alios ſanctificare.

QUINTÒ, Quia ipſi debent alios ſanctificare, verbo & exemplo. Ipſis enim dixit Chriſtus: *vos eſtis ſal terræ & lux mundi.* Quomodo autem ſalient alios, ſi ipſi inſipidi ſunt? quomodo illuminabunt, ſi ipſi non luceant? S. Dionyſius docet Sacerdotes debere eſſe inſtar cryſtalli pellucidi & radiantis, in quod radij ſolis incidentes diffunduntur in vicina corpora. Et S. Chryſoſtomus vult ſacerdotem eſſe talem, vt ſit *quaſi homo inter bruta quaſi vir inter pueros, imò quaſi Angelus inter homines.* Apud Cornel. à Lapide *in Leuit. c.* 22. Deſignauit hoc veſtis illa Pontificis; quæ dicta fuit Ephod, cui annexum erat rationale velut pars eius ſacratiſſima, ad pectus ſacerdotis. In vtroque ſcripta erant nomina duodecim tribuum, gemmis inſculpta: & præterea rationali inſcriptum vel intextum erat, *Vrim, & Tummin*, id eſt, *doctrina & veritas*, ſeu potiùs (vt alij ex Hebræo rectiùs exponunt) *illuminationes & perfectiones ſeu integritates.* Quid autem hoc aliud ſibi voluit, niſi vt moneretur Pontifex populum ſibi commiſſum geſtare in humeris per orationem & ſolicitudinem paſtoralem? rurſum etiam in pectore per amorem, vt eoſdem illuminaret doctrinâ, & perficeret exemplo ſuo vitæque integritate? Ac quemadmodum è gemmis illis ſplendor egrediebatur & aſpicientes reuerberabat: ita ipſe quoque verbis & factis illuminare debebat populum. Sunt ergò Sacerdotes vel certè eſſe debent quaſi gemma quædam vel ſpeculum, in quibus ſe contemplari, quales eſſe debeant, ſæculares ſolent. Quare ſi ſpeculum vitiatum ſit, quomodo emendabit vitia intuentium? *Ab immundo* enim *quid mundabitur?* inquit Eccleſiaſticus cap. 24.

Has ob cauſas multi viri, quia tantam puritatem in ſe non agnoſcebant, à Sacerdotio refugerunt; vti S. Hilarion, & multa Monachorum millia, adeoque vt in multis Ægypti Cœnobiis ne vnus quidem Monachus Sacerdos inueniretur, vt patet ex Vitis Patrum. Vbi etiam legimus Abbatem Mutuen, qui inuitus in presbyterum, fuerat ordinatus ab Epiſcopo, abſtinuiſſe ſemper à ſacrificando. Dicebat enim: *Ordinatio hæc illorum eſt, qui ſine culpâ ſunt, iniuſti & immaculati; ego autem bene me cognoſco.* Qui Mutues cùm etiam rogaretur ab Epiſcopo, vtrum ſocius eius frater dignus eſſet Sacerdotio; reſpondit: *Neſcio; hic autem ſcio, quòd melior ſit me.* S. Marcus Anachoreta (non Euangeliſta) pollicem ſibi abſcidit; ne fieret ſacerdos. Franciſcus nunquam adigi potuit, vt fieret ſacerdos; ſed Diaconus tantum remanſit. Quæ ſi exactiùs perpendamus ſacerdotes, iuſtiſſimum nobis incutient timorem.

Quare Domini voce monetur inprimis ſacerdos: *Vide ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint;* ne alioquin totum corpus, id eſt, plebs tibi ſubiecta, tenebroſum fiat. Hinc veteres ſacerdotes ingreſſuri tabernaculum ad rem ſacram faciendam, priùs contemplari & lauare ſe debebāt in labro ſeu lauatorio æneo, quod in eum finem præ foribus erat poſitum & factum ex meris ſpeculis mulierum terſiſſimis, vt in eo primò aſpicere, deinde tergere maculas ſuas poſſent. Et quid faciendum ſacerdotibus nouæ legis, qui rem longè diuiniorem, imò Deum ipſum tractant? Imitentur itaque ſpirituali ſui examine Sacerdotes illos. Imitentur hodiernos piſcatores, qui de naui ſuá deſcendentes lauerunt retia ſua: antequam ad rem ſacram pergant, examinent lauentque per pœnitentiam ſemetipſos. Deſcendant quotidie è negotiis externis in receſſum cordis ſui, & lauent ibi lachrymis ac pœnitentiâ rete cordis ſui.

CONCIO VIII.

Quæ ſuſpectam faciant ſectam noſtrorum hæreticorum & falſam oſtendant.

Secta noſtrorum hæreticorum ſuſpecta eſt.

1. *Quia noua, non antiquior centum annis, caret ſucceſſione & miſſione.*
2. *Caret diſciplina, excludens opera bona, ſtatum perfectionis, & conſequenter carens viris ſanctis.*
3. *Quia caret certâ fidei regulâ.*
4. *Quia caret bonis nauarchis, habens impios, inconſtantes, doloſos & inter ſe diſcordes.*
5. *Quia eorum nauis ex putridis aſſeribus compacta eſt.*
6. *Quia nimis anguſta eſt.*

THEMA.

Aſcendens in vnam nauem, quæ erat Simonis. Luc. 5.

SIquis Ieroſolymam nauigaturus videret in littore duas naues eò ſoluturus, quarum tamen vnam certò perituram ſciret; abſque dubio priùs naues vndique inſpiceret, & ſeriò deliberaret, vtram ingredi deberet. Videmus in hodierno Euangelio ad ſtagnum Genezareth duas naues: quæ ſpirituali ſenſu duas deſignant Eccleſias Chriſtianorum, vnam Catholicorum: alteram hæreticorum, quæ ambæ quidem contendunt verſus cœleſtem Ieroſolymam, ſed vna earum neceſſariò peribit: quia vnica eſt arca Noë Eccleſia, extra quam nulla eſt ſalus. Vnde S. Cyprianus *c.* 5. *de vnitate Eccleſiæ*, ait: *Si potuit euadere quiſquam qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Eccleſiam fuerit, euadit.* Viderit ergò vnuſquiſque, ne perituram ingrediatur nauem. Porrò non obſcurè indicauit nobis Dominus, quam intrare debe- A.

debeamus, dum ipſe aſcendat in eam quæ erat Simonis Petri, id eſt, Catholicam & Romanam Eccleſiam; in eâ enim Petrus eiuſque ſucceſſores gubernaculum tenuere vſque ad hanc diem. Vnde S. Ambroſius *ſer.* 11. ait: *Hanc ſolam Eccleſia nauem inſcendit, in quâ Petrus Magiſter eſt conſtitutus.* Alteram porrò nauim quæ hæreticorum eſt, ſi bene inſpiciamus, deprehendemus multis modis ſuſpectam & certò interituram: vti nunc videbimus.

B. I. *Quia noua.* PRIMÒ, Quia noua (naues autem recentes maius periculum habent quàm probatæ.) Regnum Chriſti ſeu Eccleſia & fides illius indelebilis & inexpugnabilis eſſe debet, iuxta id: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationẽ ſaculi.* Matth. vlt. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* Matth. 16. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua,* Luc. 22. *Et regni eius non erit finis,* Luc. 1. Secta autem Lutheranorum & Caluiniſtarum noua eſt. 1. *Non antiquior centum annis.* Primò, quia non antiquior quàm centum & pauculorum annorum, adeoque caret ætate debitâ. Ante ipſam non erant in orbe ſectæ aliæ, niſi Gentilis, Machometica, Iudaica, Græca, Schiſmaticorum, & Huſſitarum; quarum nulla placuiſſe Luthero, vel etiamnum placere Lutheranis certum eſt. Deinde ſcimus originem Lutheranorum & Caluiniſtarum, authorem, locum tempus, occaſionem, impugnatores, tumultus quos excitârunt. Author Lutherus anno 1517. qui Wittenbergæ occaſione indulgentiarum à Leone X. conceſſarum contra indulgentias primò debacchari, deinde plures addere errores incepit. Ante illum nemo vnquam alius, nec ipſe quidem Lutherus fuit Lutheranus, nec auditum vel per ſomnium, nomen Lutheranorum. Quem enim, quæſo, inuenit ſuæ ſectæ addictum? Vbi, quando, in quibus hominibus fuit illa ſecta?

Reſpondent aliqui in ſuâ ſectâ fuiſſe infantes baptizatos, deinde ſimplices idiotas, pontificiorum errorum ignaros, deinde moribundos aliquos, qui in ſolo Chriſto confidebant, denique omnes qui Papæ contradicebant. Sed nihil dicunt: Infantes ante Lutherum non Lutherani, ſed eius religionis erant, in quâ nati & baptizati. Simplices nulli adeò rudes fuére, qui nil ſcirent de aliis noſtris dogmatibus. Moribundi non deficiebant à fide, licet in Chriſti tantùm meritis confiderent, principaliter ſcilicet & abſtrahendo à propriis meritis. Aduerſarios Papæ libenter eis concedimus, omnes videlicet hæreticos & impios.

Dicent, ſectam ſuam aliquandiu latuiſſe, ſed contrà: Primò, quia cùm vbique paſſim ſemper fuerint inquiſitores hæreticæ prauitatis, qui alias hæreſes deprehenderunt, cur non deprehenderunt iſtam aliquando? Secundò, quia cùm eorum ſecta incepit, nullus prodiit vnquam, qui diceret ſe eandem ſectam priùs coluiſſe; ſed omnes quotquot eam amplexi ſunt, priùs Catholici fuerunt, vti & ipſi hæreſiarchæ, ac proinde omnes apoſtatârunt: iactantque ipſi ſe demum cœco mundo lucem muexiſſe, prædeceſſores omnes in tenebris ambulaſſe. Aliqua quidem horum hæreticorum dogmata iam olim dudum damnata ſunt: ſed integra eorum hæreſis ante ipſos nuſquam fuit. Tertiò, quia ſi antiqua eſt eorum ſecta, probari debet ex antiquis patribus & ſcriptoribus, aliàs fruſtra aſſeritur. Atqui nominent vnum: Nónne omnes Patres Catholici fuerunt & ſcripſerunt? Quartò, quia id contrarium eſt ſacræ Scripturæ, quæ docet, Eccleſiam eſſe ciuitatem ſupra montem poſitam, Matth. 5. Iſa. 2. Pſal. 71. Dan. 1. Rationi item, quia ſi latet, quomodo inuenietur à quærentibus illam & fidem exoptantibus? & quid prodeſſet mundo ſi lateret? quomodo prouiſum fuiſſet hominibus ſi Eccleſia latuiſſet? Chryſoſt. hom. 4. in cap. 6. Iſa. ait: *Facilius eſt ſolem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari.* Certè nec in maximis perſecutionibus latuit vera religio, vt patet in martyribus & confeſſoribus tempore perſecutionis. Et qualis eſt illa Eccleſia, quæ ob metum perſecutorum vel aduerſariorum latet retro fornacem, nec audet proſpicere? Quintò, ſic miſerior fuiſſet Eccleſia Chriſti omnibus Synagogis & aliis ſectis, quæ prodire audebant.

Si dicas: nouam eſſe, vel Apoſtolorum tempore fuiſſe & duraſſe aliquantum, ſed pòſt deſiiſſe, vt fatentur Centuriat. in 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. cent. tertio & quarto ſæculo, ſequitur Eccleſiam Dei illo intermedio tempore omnino periiſſe. Illud autem dicunt & fatentur Lutherani in eo, quòd nuper primum Iubilæum ſuæ religionis ſolemniter celebrârunt, & in foribus ſuis ſcribere ſolent: *Anno tali illuxit huic vrbi lumen verum Euangelij, ſuperſtitione depulsâ.* O inſani, ſcrutamini Scripturas: an non legitis, quia Eccleſia Chriſti ſuper Petram fundata eſt & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam? Igitur ſoluant hoc dilemma. Vel ipſorum religio fuit ante Lutherum & Caluinum, vel non; ſi non, ergò non eſt religio Chriſti, quæ tam vetus eſſe debet, quàm ipſe eſt. Si fuit, tunc vel manifeſta, & hoc nequeunt oſtendere vt ſup. Vel occulta, & hoc etiam non poteſt eſſe vt ſuprad. Quare rectè monet S. Hieronymus in dial. contra Luciferianos in fine, in eâ Eccleſiâ manendum eſſe, quæ ab Apoſtolis fundata eſt & durat in hodiernum diem.

Ridere igitur meritò illos poſſumus & cum Tertulliano lib. de præſcript. dicere: *Qui eſtis vos? vnde & quando veniſtis? vnde modò proditis? Vbi latuiſtis tamdiu? nunquam hactenus de vobis audiuimus.* Et cum S. Hilario: *Serò veniſtis, nimis tardè ſurrexiſtis. Iam olim didicimus quid de Chriſto & Eccleſia & Sacramentis credere debeamus. Non bona ſuſpicio eſt, quod nunc primùm apparetis; ſiquidem bonum frumentum, non poſt, ſed ante zizania ſeminatum, & natum eſt.* Hæc ille. Et cum S. Hieronymo ad Pamach. & Occan. *Quiſquis es, aſſertor nouorum dogmatum, quæſo te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei quæ Apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt annos 400. docere nos niteris,*

mitteris, quod antea neſciuimus? Cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt.

2. Caret ſucceſſione. Secundò, Quia caret ſucceſſione, Lutherus & caluinus, ipſe primus, nulli ſuccedens *& à ſeipſo incipiens* (vt B. Cyprianus de Nouatiano loquitur) nouum hominum cœtum congregare cœpit. Atqui niſi per hanc ſucceſſionem continuam legitimorum paſtorum coniungatur cum illa Eccleſia, quam Chriſtus fundauit & Apoſtoli propagarunt, nequaquam poteſt conſtare, ſicut nec palmes qui trunco non eſt inſertus, nec alteri ramo eiuſdem trunci. Habemus nos ſucceſſionem Pontificum & omnium Epiſcoporum: non illi. Quis enim ante Lutherum fuit Patriarcha Lutheranorum? quis Caluiniſtarum ante Caluinum? Ita? S. Optatus Mileuitanus contra Parmen. ſcribit: *Vos veſtra Cathedra originem oſtendite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.* Vnde ipſis poteſtas ordinis & iuriſdictionis, vt ipſi eam ſibi vſurpent & aliis conferant? ſi dicant non eſſe neceſſarium vt ab alio acceperint; contradicunt toti Eccleſiæ, quæ nullum vnquam Epiſcopum ſine ordinatione recepit aut Epiſcopum eſſe credidit. Hinc Patres contra hæreſes ſemper vrgebant hanc ſucceſſionem: vti Tertullianus *l. de præſcript. adu. hæret.* Hieronymus *contra Luciferianos.* Auguſtinus *contra epiſtolam fundamenti.* Irenæus *l. 3. c. 3.* Epiphanius *hæreſi 27.*

3. Caret miſſione. Tertiò, quia caret miſſione: Hæc autem neceſſaria, ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* ad Hebr. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Ratio, quia alioquin ingens fieret confuſio, ſi cuiuis pro libitu liceret prædicare, ſacra adminiſtrare, gubernare, reformare, &c. Non poſſunt autem oſtendere ſuam miſſionem, vt alibi demonſtrauimus. Et certè ſi nihil aliud credendum, niſi quod in SS. literis ſcriptum eſt, vt ibi aſſerunt: vbi in iis oſtendunt ſe à Chriſto miſſos? Nouorum dogmatum aſſertores miraculis demonſtrare ſuam miſſionem debent, vti Moſes, Chriſtus. Oſtendant hæc & ipſi. Baptiſtam ſcimus miraculum non feciſſe, ſpiritu tamen prophetiæ claruiſſe à Chriſto commendatum; vitæ ſanctitate clarum: denique morum tantùm correctorem fuiſſe, non fidei Doctorem.

C. II. Quia caret diſciplinâ. SECVNDÒ, Quia caret bonâ diſciplinâ & ſocietate nauigantium, hoc eſt, caret vitæ probitate & perfectione morumque honeſtate. Atqui Chriſtus dixit, ex fructibus cognoſcendam arborem, *Matth. 7.* Conſidera ergò mores hæreticorum (ſi vis in veræ fidei cognitionem deuenire) non ſpeciatim, (quia in omni fide aliqui ſunt mali) ſed generatim.

1. Excludit opera bona. Primò eorum dogmata excludunt bona opera & vitiis ianuam aperiunt. Bona opera excludunt, dum ea peccata eſſe dicunt ex naturâ quidem ſuâ mortalia, ex miſericordiâ verò Dei venialia. Et tamen Chriſtus ad ea nos tantoperè hortatus eſt. Quòd ſi peccata ſunt, an non præſtat ea intermittere, quàm facere? Itaque dicendum, licet dicatur requiri bona opera tantùm, vt fructus vel ſigna fidei; ad quid enim neceſſaria hæc ſigna, ſi peccata ſunt? Et qualia hæc ſigna fidei, quæ peccata ſunt; quales fructus? nunquid poteſt bona arbor (fides) malos fructus facere?

Vitiis verò ianuam aperiunt, quia Deum authorem peccati faciunt, negant libertatem arbitrij, negant præcepta decalogi ſeruari poſſe ac debere, docent ſolâ fide hominem ſaluari: quam qui non perdit, damnari nequeat. Caluinus item infernum fingit imaginarium tantùm eſſe terrorem &c. Quis ergò non liberè peccet? quis non potiùs furetur, quàm ſtipem elargiatur? inebriet ſe quàm ieiunet? quis oret potiùs quàm blaſphemet?

Secundò, Excludit ſtatum perfectionis: quem tamen Chriſtus adeò commendauit: vti paupertatem & obedientiam Matth. 9. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus & veni ſequere me.* Caſtitatem & virginitatem ibid. *ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Dei*, &c. Nec dubitandum eos veram fidem habere, qui in vita & moribus quàm maximè imitantur Chriſtum: Chriſtus autem cælebs, obediens vſque ad mortem, pauper, ipſe ieiunauit, in orationibus pernoctauit. Hæc omnia non reperiuntur apud Lutheranos & Caluiniſtas, quinimo irridentur ab illis, monaſteria profanantur, religioſi nubere iubentur, &c. 2. Excludit ſtatũ perfectionis.

Tertiò, Conſequenter etiam caret viris ſanctis. Non eſt autem vllo pacto credibile eam ſectam eſſe veram, quæ neminem ad perfectionem duxit; nullum verò ipſi nominare poſſunt: imò ipſimet eorum fundatores, Lutherus & Caluinus, homines ſpurciſſimi fuére & innumeris vitiis addicti. Quis igitur cum iſtis viuere & mori audeat: *Moriatur anima mea morte iuſtorum*, aiebat Balaam, *& fiant nouiſſima mea horum ſimilia.* Sed nemo adhuc prudens mortem Lutheri aut Caluini ſibi optauit. Multi etiam ex illorum ſectatoribus, licet eorum ſcripta commendant, mores tamen & viuendi rationem abominantur. Omnes ſancti quotquot in faſtis & hiſtoriis reperiuntur, noſtri ſunt. 3. Caret viris ſanctis.

TERTIÒ, Quia caret acu nauticâ & temone ad dirigendam nauem, id eſt, caret certâ fidei regulâ. Reiiciunt ei traditiones, Concilia, Patres, Solam ſcripturam dicunt eſſe regulam, quæ tamen ſola non ſufficit. Primò, quia vnde conſtat hunc librum eſſe veram S. Scripturam, alium non eſſe? Secundò, quia ſcriptura variis modis exponi poteſt; vnus ſic exponit, alius aliter. Tertiò, quia omnes ſectæ vtuntur ſcripturâ & ex illâ confirmant ſua dogmata: non eſt autem ſufficiens competens Iudex, cuius iudicium putatur vtrique parti rem adiudicaſſe. Sicut etiam inepirent litigantes qui nullum alium Iudicem admittere vellent, quàm Codicem Iuſtiniani, cui in vtramque partem exponi poſſit. Quartò, quia experientiâ conſtat controuerſias illorum in hodierno nunquam finiri, ſed magis augeri, ipſos contra ſe mutuò inſurgere & diuidi D. III. Quia caret certâ fidei regulâ.

nam ſectam in plures. Lutherana hodie in 13. ſectas ſciſſa eſt. Caluiniſtæ alij proteſtantes, qui ſupremum Caput agnoſcunt Magiſtratum ſæcularem, etiamſi mulier ſit. Puritani, qui hoc reiiciunt. Anabaptiſtarum 14. ſectæ nominari poſſunt. Imò quot priuatæ interpretationes Scripturæ, tot ſectæ inter ipſos. Nos ſequimur interpretationem SS. Patrum & Eccleſiæ: & in dubio conſulimus ſupremum eius Paſtorem, qui promiſſum à Chriſto, quòd non deficiet fides eius. *Loquimini ad petram & illa dabit aquas.* Num. 20. ait Deus. Petra autem à Chriſto vocatur petrus.

P. IV. Quia caret bonis nauarchis. QVARTÒ, Quia caret bonis nauarchis. Lutherus & Caluinus nauarchi Lutheranorum & Caluiniſtarum, auctores ſectarum, malæ vitæ & notæ peruerſitatis fuerunt. Lutherus Monachus & per 15. annos ſacerdos, deſertor

1. *Habet impios.* religionis deſertrici adhæſit ſacrilegè & matrimonij actum tam neceſſarium eſſe dixit, ac edere, bibere, dormire, lib. de vitâ coniugali: Item ſi vxor nolit, vocandam ancillam, ſerm. de matrim. Sacrilegium illius nónne maius eſt adulterio? & nónne plus eſt frangere fidem data Deo, quàm marito aut vxori? Secundò, ſuperbia eius patet ex eo quòd cùm ſperaret indulgentiarum promulgationem per Germaniam Auguſtinianis (quibus antea ſæpè committebatur) adeoque ſibi etiam committendam: contrà verò Prædicatorum Ordini commiſſa ſit, incepit mox contra Indulgentias furere è cancellis & plures indies errores contra Papam addere, vt teſtatur oculatus teſtis Ioan. Cochlæus in actis Lutheri anno 1517. Hoc initium doctrinæ & religionis illius. Idem in ep. ad Argentoratenſes ſcribit, quòd libentiſſimè negaſſet præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia, tantùm vt maius damnum Papatui dare poſſet, niſi Scriptura tam clarè contradiceret. In l. de formulâ miſſandi ſcribit, quòd ſi Concilium aliquod permitteret aut perciperet communionem ſub vtrâque, ipſe in odium & dedecus illius, vellet vti tantum vnâ aut nullâ. In lib. contra Regem Angliæ ſcribit, Reges, Principes & Papas indignos eſſe qui ſibi corrigiam ſoluant, ſe velle ſanctum haberi, nolint velint homines: Ib. ait ſe non magni æſtimare mille Cyprianos, mille Auguſtinos. Item Chriſtianos Reges, Principes, & Imperatorem nominat Tyrannos, ſtultos, Meriones, beſtias, carnifices &c.

Caluini vitam plenam grauiſſimis ſceleribus deſcribit Hieronymus Bolſecus & Iulius Brigerius. Inter alia ille cap. 5. & iſte p. 59. ſcribunt eum propter Sodomiam igni fuiſſe adiudicatum Nouioduni, adeoque comburendum, niſi Epiſcopi illius loci precibus; vitâ donatus, & pœnâ commutatâ, cauterio in dorſo ferro ignito deformatus, virgâ ex vrbe pulſus fuiſſet. Eiuſdem ſuperbia deprehenditur paſſim in eius Inſtit. qui & ſæpiùs pro concione dicebat ſe prophetam eſſe ſpiritum Dei habere, & ſi erret à Deo falli & decipi, &c. Quis credat Deum per tales nequam voluiſſe promulgare ſuum Euangelium, reformare Eccleſiam? Quis non meritò iſtos pro lupis & ſeductoribus habeat? Aliter ſanè fecerunt & locuti ſunt Apoſtoli & Patres. Caluinus adhuc cœlebs ſcribit epiſt. 171. ſe ſi vxorem ducat (vt poſteà duxit) non aliâ mente ducturum quàm vt Deo expeditiùs ſeruire rebuſque diuinis commodiùs vacare poſſit. Contrarium fecêre Apoſtoli, & ſcripſit Paulus 1. Cor. 7. Sed forte hoc voluit: melius eſſe nubere, quàm Sodomiam exercere. Iam verò nónne dixit Dominus: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos?* An non Apoſtolus dixit ad Gal. 1. *Licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis: anathema ſit?* Si nec Angelo vult credi aliquid nouanti, quantò minus tam ſpurcis nebulonibus?

Secundò, Quia in doctrinâ inconſtantes. 2. *In doctrinâ inconſtantes.* Lutherus ſacramenta Eccleſiaſtica modò ſeptem, modò tria; modò duo, modò vnum tantùm eſſe aſſeruit. Aliquando in Romani Pontificis primatum nihil veri dici poſſe affirmauit; aliquando tam multa ipſe contumelioſa dixit, quanta piorum aures ferre nequeunt. Ioannem Huſs, aliquando vt ſeductorem & hæreticum publicè exhorruit: aliquando S. Martyrem & omnes eius articulos Catholicos & Apoſtolicos appellauit. Tandem in libro de viſitatione Saxonicâ omnem ſuam doctrinam euertit: aſſerit libertatem arbitrij ad facienda vel omittenda opera, non ſufficere ſine operibus ſolam fidem ad ſalutem, approbat bellum contra Turcam, quadrageſimam, confeſſionem peccatorum, ieiunia, Miſſas, pſalmodias, feſta, excommunicationes, campanas, &c. quibus omnibus anteà contraria docuerat & ſcripſerat. Plures illius antilogias collegit Cochlæus & alij. Caluini antilogias refert Coccius. Quis autem credat eos non meliùs à Deo illuminandos fuiſſe, ſi veri eius Apoſtoli fuiſſent? Quis crederet Paulo ſi vel ſemel mentitus fuiſſet, aut ſibi contradixiſſet.

Tertiò, Quia pleni dolis & mendaciis, 3. *Pleni dolis & mendaciis.* quibus ſectam ſuam perſuadere & firmare conati ſunt; cùm tamen vera religione nec vtatur nec indigeat. Ad ſeducendum ergò populum, Primò confingunt falſa & erronea nos docere, velut, Primò, nos adorare lapides & ligna inſtar gentilium, adorare ſanctos pro diis. Secundò, nos adorare panem, cùm tamen ſciant nos firmiter credere in Euchariſtiâ non eſſe panem, ſed Corpus Chriſti. Tertiò mentiuntur nos confidentiam & ſpem noſtram non habere in meritis Chriſti, ſed in noſtris tantùm operibus. Quartò nos docere, quòd non per fidem ſed per propria merita iuſtificemur. Secundò, Impingunt nobis ficta ſcelera, vti cædes Regum & principum proditiones, &c. viris præſertim religioſis quos oderunt: quæ tamen citò deteguntur & refelluntur. Tertiò, Peruertunt ſacram Scripturam ad ſua dogmata confirmanda; ſic ad locum illum ad Rom. 3. *Arbitramur enim iuſtificari hominem*

minem per fidem ſine operibus legis. Lutherus appoſuit *ſolum.* Cumque de hoc interrogaretur, reſpondit, dicendum eſſe Papiſtis, ſi propter hoc murmurent, Papiſtam & aſinum idem eſſe: *Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas: quia nolumus eſſe Papiſtarum diſcipuli, ſed Magiſtri,*&c. & iterum: *Lutherus ſic vult, ille Doctor eſt omnium Doctorum in papatu.* Abſtulit id Apoſtoli Lutherus: *vt abſtineatis vos à fornicatione*: quia ſcilicet malè cohærebat cum ſuo dogmate: *ſi nolit vxor, veniat ancilla.*

Idem ad locum 2. Petri 1. *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*; omittit illud: *Per bona opera.* Idem Pſal. 75. ad illud: *Venite & reddite Domino Deo veſtro*; Gloſſa: *habete Dominum pro Deo veſtro.* Ad locum Prouerb. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?* apponit hanc Gloſſam: **nichts beſſers iſt auff Erden/als Weiber lieb/ dem es kan werden.** Ad locum 1. Cor. 9. *nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi?* apponit: **zu einer Eheſrawen.** Zwinglius pro illo Matth. 26. *Hoc eſt corpus meum,* repoſuit: *hoc ſignificat corpus meum.* Caluinus vult Dominum ioco tantùm & illuſiuè dixiſſe iuueni illi cupienti ſaluari Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Idem locum ad Hebr. 5. *exauditus eſt pro ſuâ reuerentiâ*, vertit, *pro ſuo metu & dubitatione*; dicens Apoſtolum indicare per hoc, quaſi Chriſtus ob mortis metum in quandam deſperationem ſalutis inciderit. Secuti in hoc plures diſcipuli Magiſtros ſuos. Quartò, loca obſcura Scripturarum & Patrum, vt plurimùm adducunt, & in copiâ quidem, quibus obiter Patres locuti, &c. & variis modis capi & ſenſibus pluribus intelligi poſſunt: clara verò loca relinquunt, nec afferunt, quia ab iis feriuntur: quæ ſi contra eos adducantur, dicunt, Patres erraſſe, ſe verò id clarè ex verbo Dei videre: ſiquidem ipſi ſpiritum habeant, &c.

4. *Inter ſe diſcordes.* Quartò, Quia inter ſe diſcordes, non ſecus ac ſtructores turris Babylonicæ. Quemadmodum enim Chamæleon, vt aiunt, omnium rum colores aſſumit, præterquam album: ita rehæreſis omnes amplectitur opiniones, præterquam veram. Paucas, è plurimis, illorum diſcordias videamus è Florimundo *lib. 2. de orig. hær. cap. 10. Lutherus, ait, aquam baptiſmi neceſſariam eſſe ad ſalutem: Bucerus in Commentariis ſuper Matthæum negat. Lutherus ſcribit exorciſmos & abrenuntiationes in baptiſmo meras eſſe ſuperſtitiones: Brentius econtrà in ſtatutis Eccleſiaſticis Ducatus VVittembergici eoſdem ſuper creaturis vſurpandos tradit. Lutherus in Aſſertionibus ſuis & libro de Captiuitate liberum omnino tollit arbitrium: Melanchton verò in locis communibus Anno M.D LII. editis docet, horribilis mendacij & Manichæorum inſaniæ illos ſe participes facere, qui aiunt hominem omnip lanè liberâ voluntate deſtitutum, Lutherus in ſuis declarationibus affirmat bona opera mereri præmium tam in hac quàm in futurâ vitâ: at Apologia Auguſtana Confeßionis & Bucerus ſcripto ad Concilium Tridentinum, contrarium docent. Lutherus matrimonium Virginitati, Melanchton Virginitatem matrimonio præfert. Lutherus Papam Antichriſtum eſſe aſſerit; Bucerus econtrà in locum illum D. Pauli ad Philippenſes ſcribit, eas notas quæ Antichriſto tribuuntur, Papæ non conuenire.*

F. V. *Quia eorum nauis ex putridis aſſeribus.* Quintò, Quia nauis eorum ex veteribus & putridis aſſeribus compacta eſt; renouant enim vetera dogmata iam olim damnata, nec aliud eſt quàm cento ex obſoletis aſſumentis confectus. Primò, enim libertatem arbitrij quam negant Lutherus & Caluinus, negauit etiam Simon Magus, vt eſt apud Clem. l. 3. recognit. Valentinus, teſte S. Auguſtino *hæreſ.* 31. Manichæi, teſte eodem *hær.* 46. Secundò, Docet etiam vterque Deum eſſe authorem peccati & cogere homines ad peccata, &c. Hoc idem docuit Simon Magus, teſte Vincent. Lirenenſi, & Florin. apud Euſeb. *tom.* 5. *cap.* 20. Tertiò, ambo docent bona opera nil prodeſſe, fidem ſufficere, hoc idem docuit Simon Magus, teſte Irenæo l. 1. cap. 20. Eunomiani circa annum Dom. 360. apud Auguſt. *hæreſ.* 14. Quartò, peccatum non nocere fideli, ambo docent: hoc ipſum etiam Eunomiani apud Auguſt. *hær.* 54. Baſilides & Carpocrates apud Irenæum l. 1. c. 23. Quintò, Caluinus negat præſentiam Chriſti in Euchariſtia: hoc docuit etiam Berengarius circa annum Domini 1051. quod tamen reuocauit poſt 200. annos ipſum ſecuti Lollardi, apud Trithem. in Chron. Hirſang. ad annum 1312. poſteà Wicleffus, poſteà Zwinglius, cum quo ſenſit Caluinus. Sextò, ambo reiiciunt traditiones, ſolam Scripturam recipiunt: hoc etiam docuère Ariani apud Auguſt. *l.* 1. *contra Max. c.* 2. *& vltim.* Neſtorius, Dioſcorus, Eutyches, vt eſt in 7. Synodo act. 1. Septimò, ambo negant Sacramentum pœnitentiæ & confirmationis: hoc etiam docuère Nouatiani, apud Cyprian. *l.* 4. *epiſt.* 2. Theodoret. *l.* 3. *hæret. fabul.* Octauò, ambo docent Eccleſiam continere tantùm probos homines, & priùs viſibilem fuiſſe, poſteà verò vſque ad ipſorum tempora latuiſſe: hoc etiam docuerunt Donatiſtæ apud Auguſt. *l. de vnit. Eccl. c.* 2. Nonò, ambo docent non eſſe orandum pro defunctis, quadrageſimam non ſeruandam: hoc etiam docuerunt Aëriani, teſte Epiphanio *hær.* 75. Auguſt. *l. de hæreſ. c.* 33. Decimò, ambo negant venerationem reliquiarum, imaginum, Sanctorum, & vocant Idololatriam: hoc etiam fecerunt Vigilantius, teſte S. Hieronymo *contra Vigilant.* Iconomachi apud Zonaram, Cedr. Nicep.

Iam vera quid ait Scriptura? *Maledictus vir coram Domino qui ſuſcitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho,* Ioſ. 6. Ciuitatem videlicet illam ſolo æquatam & anathemati ſubiectam. At quid aliud ſunt hæreſes, niſi ſtructuræ dæmonis, anathemate percuſſæ & iam dudum damnatæ atque in Orcum miſſæ? Maledictus ergò, qui eas eruderat ac rurſum in lucem producit.

G. VI. *Quia ob...* Sextò, Quia nimis parua & anguſta, ideo-que à fluctibus facilè abſorbetur, ab hoſtibus quoque ...

nis angusta. quoque expugnatur. Huiuſmodi eſt ſecta Lutheri & Caluini; nimis, inquam, anguſta & in vno tantùm alterove hærens angulo. Vera autem Eccleſia debet eſſe Catholica, vt vocatur in Nicæno ſymbolo, Catholica verò dicitur, quòd per totum terrarum orbem diffuſa ſit ſecundùm Auguſtinum *epiſt*. 163. Quare videns Lutherus Eccleſiam ſuam non eſſe Catholicam, Symbolo Apoſtolico vim intulit, & pro *Catholicam*, ſubſtituit, Chriſtianam. Siquidem Euangelij Lutherani & Caluiniani ſonus nequaquam exiit in vniuerſam terram, quemadmodum Catholici. Lutheraniſmus nullum adhuc mare tranſiit, in vno Septentrionis angulo hæret, neo totum peruaſit. Anno 1530. Confeſſioni Auguſtæ non plures ſubſcripſére Germaniæ principes quàm ſeptem, videlicet Ioannes Elector Saxoniæ, Ioan. Fridericus Dux Saxoniæ, Georgius Marchio Brandeburgenſis, Erneſtus Dux Luceburgenſis, Franciſcus Dux Luneburgenſis, Philippus Lantgrauius Hæſſorum, Wolfgangus Princeps ab Anhalt. Cùm tamen vniuerſim plures quàm 70. Ex ciuitatibus imperialibus quæ itidem plures quàm 70. ſunt, non plures quàm duæ: Norimberga & Reutlinga. Non hodie multò latiùs ſe explicauit, quæ vix ſe conſeruare poteſt, & paulatim à Caluiniſmo deuoratur, vti vipera à partu proprio enecatur.

Vera Eccleſia debet eſſe vt arca Noë capaciſſima & omnis generis animalia continens. Vocauit quidem Chriſtus ſuos puſillum gregem; ſed Apoſtolos tantùm & prima Chriſtianorum germina, poſtea autem grex ille creſcere debuit ſuper omnes alios, iuxta parabolam illam de grano Sinapis (quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: ſatum verò creſcit & fit maius omnibus oleribus) & extendere ramos ſuos per totam terram (non quidem quòd Eccleſiæ arbor totum orbem implere debeat: ſed quòd ramos ſuos, in totum orbem extendere: licet inter ipſos ramos ſint quædam vacua ſpatia, vti hæreſes, Iudæi, Gentiles aliqui) vt venientes vndique volucres, id eſt, nationes habitent in eis. Hæreticis autem in vno Septentrionis nidulo ſedentibus & in plurimas ſectas diuiſis dicere poſſumus id Auguſtini L. de vtilit. credend: cap. 14. *Vos autem & tam pauci & tam turbulenti & tam noui, nemini dubium eſt quin nihil dignum auctoritate præferatis.* Aduertit hoc Luth. ſax, & idcircò in Orientem propagare volens hæreſin ſuam, miſit articulos ſuos ad Patriarcham Conſtantinopolitanum approbandos: ſed ab eodem condemnati & ſolidis rationibus confutati ſunt. Denique nullum vſque in hanc diem habuere Imperatorem ſuæ ſectæ per annos 1300. quibus imperio præfuére Chriſtiani Imperatores. Quod euidens argumentum eſt ipſos eſſe Nouatores ab Eccleſia Chriſti excluſos.

Tandem ſi ipſorum nauis veræ Eccleſiæ nauis eſt, ſequuntur innumera abſurda: Primò, damnatos eſſe omnes, quotquot fuerunt; Catholicos, SS. Martyres, Confeſſores, Virgines, quia ſenſerunt cum Catholica Eccleſia, nec habuerunt ſpecialem illam fidem, quæ certificat de ſalute, ſed cum timore & tremore operati ſunt ſalutem ſuam. Neque hoc negat Lutherus, ſed gloriatur ſe inueniſſe veram rationem ſalutem conſequendi. Ergò tot annis fruſtrà prædicatum eſt, fruſtrà tot baptizati, tot bona opera facta, fruſtrà Martyres paſſi; tot Sacerdotes & Epiſcopi ordinati & operati ſunt, fruſtrà tot concilia habita, fruſtrà tot gentibus prædicatum, tot præcones in orbem miſſi à Sede Romanâ, fruſtrà tot ordines inſtituti, tot monaſteria fundata. Denique Eccleſiam nullum adhuc habuiſſe fidelem Imperatorem, quia nullus adhuc fuit Lutheranus aut Caluiniſta. Quantæ hæ inſaniæ? Quid ergò vos hæretici, quid reſpondebitis Chriſto Iudici in iudicij die? quomodo viſis tot argumentis non potuit vobis non ſuſpecta eſſe religio veſtra, &c.

CONCIO IX.

Documenta.

Ex hoc Euangelio diſcimus,

1. A turba feruorem in audiendo Dei verbo.

2. A diſcipulis æquanimitatem in aduerſis: ſine Chriſto nihil rectè fieri: confidere in Deo, ei obedire & proximo ſubuenire.

3. A Chriſto manſuetudinem, potentiam eius in creaturis & liberalitatem.

THEMA

Sedens docebat de nauicula turbas. Luc. 5.

A. Mirabilem ſuggeſtum elegit ſibi Dominus ad dicendum in hodierno Euangelio, nauiculam, inquam, in mari fluctuantem. Et quamquam ad hoc compulſus eſt, populi multitudine in ſe irruentis, nihilominus tamen fateri debemus, facilè potuiſſe Dominum, ſi voluiſſet, locum pro concione in terrâ ſibi deligere. Non caret igitur myſterio hæc noſtri Magni Concionatoris Cathedra. Ac meo quidem iudicio videtur mihi Dominus per hoc inſtruere & quodammodò inueſtire voluiſſe verbi Dei præconem. Quid enim mare deſignat, niſi ſacram Scripturam, cui velut baſi inſiſtere concionator debet? quid nauicula in mari, niſi eiuſdem Scripturæ explanationem & intellectum ab Eccleſia Catholica & SS. eiuſdem Patribus receptum, intra quem conſtrictus ſeſe continere debet Eccleſiaſtes; ne alioquin cum hæreticis pro ſuopte libitu Scripturam explanantibus, mergatur & ſuffocetur in SS. literarum mari? Nauicula à terra abducta quid aliud deſignat, quàm doctrinam Concionatoris, non terrenam ſed cœleſtem eſſe? Eadem in mari libera & ſoluta indicat verbum Dei omnibus liberè prædicandum, quia vt ait Apoſtolus 2. Tim. 2. *Verbum Dei non eſt alligatum.* Eadem ſemper fluctuans motum verbi diuini & viuacitatem notat,

quæ

quâ primò concionator ipſe motus auditores ſuos mouet. Denique Petrus retrò Chriſtum tenens gubernaculum eoque nauim firmans, ne à fluctibus abripiatur, an non rectè Spiritum ſanctum repræſentat, qui Concionatorem regere debet, vt congruè loquatur? Hoc itaque perſpecto, animum aduertamus quid ex Chriſti concione & piſcatione diſcere & piſcari poſſumus.

B. I. A turba diſcitur feruor in audiendo Dei verbo.

PRIMÒ, Diſcimus à turbâ feruorem in audiendo verbo Dei. Primò enim ad hoc audiendum exeunt à ſuis ædibus vſque ad littora maris. Deinde irruunt in Chriſtum, deſiderio audiendi. Denique in magnâ compreſſione ſtantes perſeuerant audiendo. Timeo ſanè ne hæc turba ſurgat cum Niniuitis & accuſet nos in iudicio, vtpote quibus moleſtum eſt adire templum causâ verbi diuini, & ſedere per horam ad concionem. Timeo ne paulatim ſimiles efficiamur Hebræis, qui ex manna tandem nauſeam capientes, deſiderârunt carnes: non quòd manna deterius eſſet carnibus, (habebat enim omnem ſaporem deſideratum, vt habetur *Sap.* 16.) ſed quòd ſemper idem cibus appareret quoad colorem, figuram, formam, &c. Ob quam nauſeam à Deo grauiſſimè puniti ſunt, *Num.* 11. Habuit manna colorem bdelli, (*Num.* 11.) qui eſt color vnguis, teſte Plin. *lib.* 12. *c.* 9. & Dioſc. *l.* 1. *c.* 69. Hic ipſus color verbi Dei eſt, qui offendit multos & nauſeam illis mouet: color, inquam, vnguis, quando vngue correptionis vitia fricantur.

Si idcircò tantùm in Dominum irruiſſent, vt miracula viderent, vel à languoribus ſuis ſanarentur, minùs premeremur exemplo huius turbæ. Verùm, vt Euangeliſta teſtatur, propterea irruebant in eum, vt audirent verbum Dei. Intelligebant enim medicinam animæ eſſe verbum Dei, ideoque non minori ſed maiori potiùs ſollicitudine quærendam, quàm corporis medicinam. Nos ſanè ad nugas & nouitates huius ſæculi audiendas & cernendas certatim accurrere ſolemus, ſed non ita ad Dei verbum & pias exhortationes.

C. II. A Diſcipulis. 1. Æquanimitas in aduerſis.

SECVNDÒ, Diſcimus à diſcipulis Chriſti, Primò, patientiam & æquanimitatem in aduerſis rebus. Tametſi enim totâ nocte fruſtrà impendiſſent piſcationis ſuæ laborem, nihil tamen ex hoc indignationis aut impatientiæ conceperunt aut effuderunt, nulla execrationis verba protulerunt; ſed placidè reſponderunt ex ore Petri: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Nimirum diſcipuli iſti iam fundati erant ſupra Petram, Chriſtum, vtpote iam antea ab eo vocati. De talibus autem dicit S. Cyprian. l. 4. ep. 2. *Decet graues viros ſemel ſuper petram robuſtam ſolidâ ſtabilitate fundatos, non dico aurâ leui, ſed nec vento nec turbine commoueri.* Non ſic impij non ſic, qui ad leuiſſimum quemque impulſum aduerſitatis prorumpunt in furias & execrationes: ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Paleæ ſunt, quæ iactatæ ventilabro, auolant: iuſti contrà triticum, quod perſiſtit.

Secundò, Sine Chriſto nihil fieri rectè vel vtiliter. Ipſe enim eſt lux mundi, ſine ipſo nox eſt, adeoque nihil capimus, & Primò noſtris laboribus, quos victui noſtro impendimus; niſi enim ad eos accedat Dei benedictio, parum aut nihil efficiemus; quia vt dicitur Prouerb. 10. *Benedictio Domini diuites facit*; non labor aut induſtria noſtra. Multi diu noctuque laborant, diebus feſtis & non feſtis, interim non ditantur: cùm alij contrà feſtiuis diebus parcentes, commodè ſe ſuſtentent; quia ſcilicet hos benedictio comitatur, non illos. Secundò, noſtris operibus alioqui bonis, ſi extra ſtatum gratiæ fiant, tunc enim merito vitæ æternæ carent. Qui in ſtatu peccati mortalis eſt, quaſi in denſis Ægypti tenebris eſt, vbi nemo poterat loco ſe mouere aut quidquam operari, *Exod.* 10. — 2. Sine Chriſto nihil rectè fieri.

3. Confidere in Deo.

Tertiò, Confidere in Deo & promiſſis eius. Sic enim Petrus tametſi tota nocte fruſtrà laboraſſet, confidit in Chriſti nomine ſe vel nunc capturum aliquid; vnde & obtinuit ſuâ confidentiâ, id quod ſperauit, ſed & multò plùs quàm ſperare poterat. Fiducia in Deum inſtar ſagenæ eſt, quam quò magis extendimus, eò plus capimus. Vnde monet Dominus: *laxate retia veſtra in capturam.* Hac fiduciâ ſuffulti Apoſtoli orbem inuaſerunt & in rete ſuum traxerunt. Eâdem ratione S. Xauerius Indiam & Iaponiam piſcatus eſt, quia maximâ fretus fiduciâ ad eas capiendas abiit, adeò vt in rebus difficillimis nihil timeret niſi diffidentiam de ope Dei. Nec aliam ob cauſam plerique mortalium humi repunt & nunquam ad magna aſſurgunt, niſi quia hac fiduciâ carent nec ſeriò apprehendunt & credunt Deum eſſe omnipotentem; Deum eſſe fideliſſimum noſtri protectorem; Deum nobis adeſſe, nec ſinere, vt tentemur ſupra id quod poſſumus, &c. Ac licet aliquoties differat id, quod ab eo expectamus, adeoque tractus aliquos cum Petro fruſtraneos faciamus: non tamen omninò aufert.

4. Obedire Deo.

Quartò, Obedire Deo eiuſque directioni per omnia acquieſcere. Ecce enim Petrus, licet artis piſcatoriæ peritus ſciret diem piſcationi minus idoneum eſſe, iamque expertus eſſet etiam de nocte ſe nihil effeciſſe, & ipſe inſuper cum ſociis iam laſſatus eſſet; nihilominùs ad verbum Chriſti, iterum ſe accingit ad laborem & retia expandit. Hunc in modum Dei potiùs & ſuperiorum voluntati, quàm noſtro ſenſui aut ſcientiæ parêre decet, ſi rem proſperè agere & decipi non volumus. Rectè S. Iuſtinus martyr *libro de rectâ confeſſ.* dixit: *Cedendum eſt voluntati Dei, ſicut lutum obſequitur ſuo figulo.* Quo pertinet id Iſai. 45. *Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de Samiis terræ. Nunquid dicet lutum figulo ſuo: Quid facis? & opus tuum abſque manibus eſt?* id eſt, irrationabile & impolitum eſt, quod facis aut imperas. Iuſſu Chriſti multum ceperunt, qui iniuſſu eius nihil ceperunt. Sic Iſraëlitæ in deſerto, dum ſine

ſine iuſſu Dei aſcendere volunt in Chanaan & cum hoſtibus pugnare, cæduntur & funduntur: quos alioquin priùs, ſi Deo paruiſſent, facilè deleuiſſent, Numer. 14.

5. *Proximo ſubuenire.* Quintò, Proximo ſubuenire. Ita enim illi, qui erant in ſociâ naui, ad ſolum nutum ſociorum venerunt & opem illis tulerunt in trahendo reti, licet remotiores eſſent (ob quam cauſam, non clamore ſed nutu brachiorum eos vocabant) cauſa autem annuendi ſociis erat ruptura retis, cui obuiare & ſimul rete trahere non poterant ſine ope ſociorum. Hunc in modum nemo ſibi ſolus ſufficit; qui enim ex vnâ parte abundat, ex aliâ interim eget. Et propterè Deus ſicut ſingulis nationibus diſtribuit peculiaria dona, aliis abundantiam vini, aliis copiam frumenti, aliis lanæ, aliis mellis, aliis ſalis, aliis aquarum medicarum & acidularum, &c. ita & hominibus ſingulis ſua talenta; quò concordia fraterna & vnio animorum inter eos foueretur, dum alter altero indiget. Docent ergò diſcipuli & proximorum opem implorare, cùm nobis non ſufficimus, & eandem aliis citò & facilè impertiri.

III. *A Chriſto.* TERTIÒ, Diſcimus à Chriſto. Primò eius

1. *Manſuetudo.* manſuetudinem in pluribus actionibus. Primò enim non indignè tulit, quòd turbæ in eum irruerent, ſeu (vt aliqui vertunt) *incumberent ei.* Ecce tibi paſtorem illum, imponentem in humeros ſuos oues, quas quærebat. Secundò, non

1. eſt dedignatus ingredi nauem pauperis piſcato-

2. ris, monens hoc facto nos, vt ne diffidamus dè ingreſſu eius in ædes noſtras, cùm ægrotamus. Tam libenter enim ingreditur tugurium paſtoris, quàm palatium Principis. Tertiò, rogauit

3. Petrum vt nauiculam à terrâ paululum abduceret; rogauit, inquam, qui imperare poterat, & ipſemet nutu ſuo facere abſque morâ, quod rogabat Petrum. Nimirum volebat vehi à Petro, & quia hoc ipſum cum aliquo quali quali labore faciendum erat, ideò non imperare, ſed rogare voluit, in exemplum omnium præpoſitorum, vt potiùs manſuetudine, quàm violentiâ regere ſubditos diſcerent. Hoc enim taxat in rectoribus *Ezech.* 34. Deus, dicens: *Cum auſteritate imperabatis eis & cum potentia.*

Quartò, Conſolatus eſt & erexit Petrum

4. metu ob diuinam ſuam præſentiam conſternatum, cùm ait: *Noli timere: ex hoc iam eris homines capiens.* Cùm enim nos humiliamus & indignos Dei præſentiâ iudicamus, tunc erigit nos Dominus & exaltat. Vnde S. Ambroſius in hunc locum ait: *Dic tu exi à me Domine, quia homo peccator ſum; vt reſpondeat tibi Dominus: noli timere.* Contrà cùm nos erigimus, ipſe nos deprimit & auerſatur.

2. *Potentia.* Secundò, Potentiam & imperium eiuſdem ſuper creaturas; ſiquidem tam repente piſces ferè innumerabiles vndique ex viciniâ maris mirabili modo coëgit & in rete egit. Quis explicet hanc potentiam? An non hîc cum Apoſtolo iure exclamare poſſumus: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini?* &c. Sciuit enim & vidit Dominus piſces in profundo mari & inde eos expellens in rete congregauit, dum ipſe interim in naui exiſtens aliud ageret. Quanta hæc ſapientia? quanta potentia? quantæ & diuitiæ? Si enim in momento, cùm voluit & quos voluit capere piſces potuit; quidnon opû huius mundi habere potuiſſet, ſi voluiſſet? an non eâdem facilitate, omne aurum, omnes gemmas, omnes opes, quæ in mari latebant, eruere & piſcari potuiſſet? Non ergò mirum ſi diſcipuli relictis omnibus Chriſtum ſecuti ſunt; quem enim ditiorem & potentiorem Dominum ac Magiſtrum ſortiri potuiſſent? Quanquam video in hoc non tam commendari diuitias, quàm paupertatem à Domino, qui cùm poſſet omnia ſibi mundi bona comparare, maluit pauper viuere & omnibus carere.

Tertiò, Liberalitatem & magnificentiam eiuſdem, dum præſtitum ſibi à Petro obſe- 3. *Liberalitas.* quium & obedientiam tam citò tamque largiter remuneratus eſt, maximâ videlicet piſcium capturâ. Ita nimirum Deus exiguo ſeruitio, quod ipſi exhibemus, largiſſimam dat mercedem; cùm econtrà mundus pro diutinis obſequiis nihil ferè rependat. Qui enim mundo ſeruiunt, cum diſcipulis totâ nocte laborant & interim nihil capiunt, niſi linteum, quo ſepeliantur. Audi Saladinum Principem Ægypti, qui morti proximus iuſſit in haſtâ circumferri. Camiſiam ſeu linteum induſium, clamante præcone: *Hanc ſecum fert mercedem Saladinus Aſiæ domitor, gentium victor.* Crantzius *lib. 7. metrop. c.* 26.

Item agnoſcent alij, cum à mundo expellentur, & nihil inuenient in manibus ſuis. Inprimis verò ſperandum eſt, negotia noſtra ſæcularia feliciter ceſſura, ſi priùs rei diuinæ operam dederimus. Scimus enim poſt auditam concionem, non ante, captam & concluſam eſſe piſcium multitudinem. Quando currum equis trahere volumus, priùs eum inungimus, vt expeditior ſequatur: quando falce metere, priùs falcem acuimus, vt faciliùs ſcindat. Cur non idem facimus in negotiis noſtris ſpiritualibus, vt magis proſperè ſuccedant? cur, inquam, ea non vngimus & acuimus præuiis orationibus aliiſque piis operibus? Quam ob cauſam Dauid tam dextrè iaculatus eſt, vt vno lapidis ictu perfringeret Goliathi frontem? Quâ ratione potuit prægraui eius gladio caput ipſi amputare, niſi quia præuiâ nominis diuini inuocatione & lapidem roborauit, & gladium illum acuit? Procedens enim in certamen, ita loquebatur: *Ego venio ad te in nomine Domini Dei exercituum Iſraël* 1. Reg. 17. Quam ob cauſam Iudas Machabæus tam feliciter pugnauit niſi quia ante prælium orare ſemper conſueuit: Et quoniam ante vltimum non legitur oraſſe, idcircò fortaſſe in illo cecidit. 1. *Mach.* 9.

CON-

CONCIO X.

Myſteria.

1. *Exponitur, ſignificatio duarum nauium quas vidit Chriſtus ſtantes.*
2. *Ob varias rationes Chriſtum concionaturum aſcendiſſe in nauim.*
3. *Sediſſe ad indicandam auctoritatem ſuam &c.*
4. *Patraſſe illud miraculum in captura piſcium, vt Petro compenſaret vſum nauiculæ conceſſæ, Diſcipulorum animos confirmaret &c.*
5. *Captura piſcium ſignificat mundi conuerſionem, ruptura retium hæreſes &c.*
6. *Petrum dixiſſe:* Exi à me Domine *ex humilitate.*
7. *Aſsignatur differentia inter hanc & aliam* Ioannis 21. *piſcationem.*

THEMA.

Sedens docebat de nauicula turbas. Luc. 5.

A. DVplicem piſcaturam cernimus in hoc Euangelio, Spiritualem Chriſti, materialem Petri: ſed magna vtriuſque diſparitas. In hac enim piſces capti ſunt ad mortem, in illa verò ad vitam. Quocirca Dominus ad Petrum dixit: *Ex hoc nunc eris homines capiens* (græcè, *viuificans.*) Itaque, Auditores, non eſt, cur timeamus rete Chriſti, quia non mortem ſed vitam affert. Ad hoc igitur adnatemus totis viribus & audiamus verbum eius.

B.
I.
Quid ſignificant duæ naues.
1.
Q. PRIMA. Quid ſignificant duæ naues, quas vidit Chriſtus ſtantes? Reſp. Primò, ſecundùm Venerabilem Bedam, ſignificant duos populos, Iudæos & gentiles, ſeu circumciſionem & præputium. Prima deſignans Iudæos dicitur fuiſſe Simonis Petri, altera ſignans gentiles non nominatur, quia gentiles nullo erant apud Deum loco. Hinc & Lazarus nomine ſuo deſcribitur, Epulo verò minimè. Reprobi enim audiunt: *Non noui vos.* Boni contrà: *Noui te ex nomine*, Exod. 31. & 33. quia ſcilicet bonos habet Deus in ſua memoriâ, curâ, dilectione; malos non item. Vtraque nauis ſtabat ad huius mundi ſtagnum, deſtituta gubernatore, vnde non poterat curſum ſuum verſus patriam cœleſtem promouere. Itaque Chriſtus in vnam harum, quæ erat Petri, ingreſſus eſt, quando ex Iudæis ſecundum carnem natus eſt, illiſque prædicauit per ſeipſum primò, deinde per Petrum, cui Iudæos commendauit. Porrò tanta piſcium captura ſecuta, vt etiam alteri naui annuendum eſſet & vtraque impleretur piſcibus, ſicque in vnam coiret Eccleſiam, vt iam non ſit *diſtinctio Iudæi & gentilis.*

2. Reſpond. Secundò: Secundùm S. Ambroſium ſerm. 11. ſignificant Eccleſiam & Synagogam illam Petri, hanc Moyſis. Chriſtus *ſpreuit Synagogam perfidam aſſumit Eccleſiam. Vacua Synagoga relinquitur in littore*, quia *Chriſtum cum prophetarum amiſit oraculis*: i*ſta autem Eccleſia in altum aſſumitur, quia Dominum cum Apoſtolorum doctrinâ ſuſcipit. Synagoga remanet ad terram quaſi terrenis inhærens operationibus: Eccleſia autem in altitudinem reuocatur, tanquam cœlorum profunda ſacramenta diſcutiens.* Hæc ferè S. Ambroſ. Rurſum ſynagoga ſemper ſuo loco ſtetit intra Euphratem & mare mediterraneum ſeu in Palæſtinâ, nec in exteras ſe nationes effudit. Sed Eccleſia à terra Palæſtinæ reducta primùm proximis regionibus ſe inſinuauit, poſteà in altum ducta eſt, & ad remotiores gentes peragrauit. Denique ſynagoga ad terram affixa hæſit, quia terreno tantùm ſcripturæ intellectui inhæſit. Eccleſia in altum ducta eſt, quia cœleſtem & ſpiritualem eius intelligentiam aſſecuta eſt. Iudæi terrenam proſperitatem quærebant & exſpectabant à Meſſiâ; ſed Eccleſiam duxit in altum Chriſtus, quia docuit eam quærere & expectare cœlum, vbi veræ ſunt diuitiæ, honores & voluptates.

Q. SECVNDA, Cur Chriſtus concionaturus aſcendit in nauim? Reſpond. Primò, vt quietior à compreſſione eſſet, dicitur enim: *cùm turba irruerent in eum vt audirent verbum Dei.* Vnde colligas quantus tunc fuerit feruor populi ad audiendum verbum Dei. Modò non eſt neceſſe, vt Concionatores nauim aſcendant, quia non obruuntur facilè ab Auditoribus. Dices: Chriſtus Deus fuit qui tunc concionabatur; Concionatores noſtri homines ſunt. Reſpondeo, paucos aut fortè nullos ex eâ turbâ ſciuiſſe Chriſtum eſſe Deum. Vnde ait Lucas, irruiſſe in eum turbas vt audirent verbum Dei; non ait verbum eius. C.
II.
Cur Chriſtus aſcendit in nauim.
1.

Secundò, Vt non ſolùm audiri, ſed etiam videri poſſet ab Auditoribus eoſque videre, quò gratior & efficacior eſſet ſermo. Nam quæ cum debitâ actione & geſtu docentur, videri potiùs quàm audiri videntur. Vnde Æſchines ille apud Rhodios exulans, cùm lecta eſſet Demoſthenis oratio, quam aduerſus eum habuerat, illique admirarentur & laudarent: *Quid ſi*, inquit, *audiſſetis ipſam beſtiam ſua verba reſonantem?* Quanta cum ſuauitate & gratiâ, quantâ cum maieſtate & emphaſi peroraſſe putamus nos filium Dei? 2.

Tertiò, Vt oſtenderet ſe verum animarum piſcatorem eſſe, non piſcium. Cæteri enim piſcatores rete ex terrâ in mare iactant: Chriſtus ex mari rete iactat verſus terram. Rete eſt verbum Dei ſeu concio, quoniam ex multis filis, id eſt, ſententiis ſcripturarum & Patrum contextum, nodos ſuos habet & ſtimulos carni diſplicentes; plumbum deprimens rete ad fundum ſunt comminationes gehennæ: lignum ſpongioſum enatans & rete erigens ad ſummum ſunt promiſſiones vitæ æternæ. Quare S. Ambroſ. hîc ait: *Bene Apoſtolorũ inſtrumenta piſcandi retia ſunt, quæ non captos perimunt, ſed reſeruant, & de profundo ad lumen extrahunt & fluctuantes de infernis ad ſuperna perducunt.* Vnde retia quaſi *retinentia* dicta ſunt, ait gloſſa. Piſces ſunt homines, fri- 3.

gidi ad Dei amorem, & percipienda cæleſtia tardi: delectantur limo terrenarum cupiditatum: deuorant ſe mutuò, fortior debiliorem, ditior pauperem. Mare eſt mundus, amaritudinibus, perturbationibus, periculis plenus.

D. Q. Tertia. Cur Chriſtus ſedens docet?
III. Reſpon. Primò ad indicandam auctoritatem
Cur ſedés ſuam. Prædicabat enim verbum ſuum & lo-
doces. quebatur tanquam poteſtatem habens, ſicut
1. Rex cùm perorat aut promulgat mandatum ſuum. Hinc etiam Epiſcopi, qui Chriſtum propriè repræſentant, ſedentes concionantur. Cæteri Concionatores, quia *pro Chriſto legatione funguntur*, vt ait Apoſtolus 2. *Cor.* 5. & ſerui ipſius ſunt, ſtantes ſolent loqui.

Secundò. Vt oſtenderet ſe in naui Petri ſeu
2. Eccleſiâ Romanâ ſeſſurum, id eſt, ſemper manſurum, ibi docturum, ibi miracula patraturum, ibi ſacramenta exhibiturum, ibi in altum perfectionis & demum vitæ æternæ ducturum. Quidquid moliantur hæretici, non eximent hinc Chriſtum, nec ad ſuas ſcaphas trahent. Sedet enim in vicariis ſuis, Rom. Pontificibus, vſque in hodiernum, qui proinde rectè dicũtur *ſediſſe* tot vel tot annis, &c. quia locum Chriſti obtinent, gubernaculum Eccleſiæ tenentes & docentes.

Tertiò. Vt doceret rationem prædicandi
3. & audiendi verbum Dei, pacato ſcilicet & tranquillo animo, ab omni perturbatione ſemoto. Vt ergo ſerpentum quoddam genus, (vt ſcribit S. Auguſtinus ad Iulianum Comitem de perfectâ iuſtitiâ) cùm it ad bibendum, venenum omne deponit: ita cùm ad verbum Dei hauriendum imus, deponere debemus venenum malorum affectuum, ſuperbiæ, inuidiæ, curioſitatis, odij, &c. Sedendum denique, id eſt, finis concionis patienter expectandus. Solent enim qui ad concionem ſtant, citiùs ſe ſubducere, nec finem expectare.

E. Q. Quarta. Cur hoc miraculum in cap-
IV. turâ piſcium edidit? Reſpondeo primò, ad
Cur hoc confirmationem doctrinæ ſuæ & concionis
miraculũ habitæ. Vt enim litteras ſigillo appenſo con-
in captura firmamus: ita Chriſtus ſermones ſuos mira-
piſcium culis confirmauit & confirmat etiamnum in
edidit. Eccleſia. Quare vbi nouum Euangelium aut
1. dogma proponitur, non eſt recipiendum, niſi miraculis confirmetur. Hæc quia nulla ſunt apud hæreticos noſtros, non ſunt audiendi.

Secundò. Vt Petro compenſaret vſum na-
2. uiculæ conceſſæ, nec non eius obedientiam præmiaret, quâ rogatus nauem reducere à terrâ, & iuſſus in altum ducere, paruit. Nihil ergo irremuneratum relinquit Dominus, præſertim quando verbi Dei præcones domo & hoſpitio recipiuntur; vti expertæ ſunt fœminæ illæ, quæ receperunt Eliam & Eliſæum.

Tertiò. Vt diſcipulorum animos confir-
3. maret ad ſe ſequendum & prædicandum cum fiduciâ Dei verbum. Cùm enim viderent tantam tamque mirabilem piſcium capturam, poterant intelligere ſe etiam in ſummâ paupertate à Chriſto ſuſtentari, imò & ditari poſſe. Rurſum ſe quoque cum Chriſti auxilio innumeros homines capere & perducere ad fidem poſſe; ſiquidem hoc miraculum fecit ad ſignificandam Eccleſiæ acceſſionem, quæ facienda erat per Apoſtolorum prædicationem.

Q. Quinta. Quid ſignificat mira tot pi- F.
ſcium captura, quid ruptura retium? quid na- V.
uis periclitatio? Reſpondetur, ſtupendam illam Quid ſi-
piſcium multitudinem ſignificare mirabilem gnificat ea
mundi conuerſionem factam in breui tempo- piſcium
re. Qui eum conuerterunt, erant rudes, ſim- captura.
plices, pauperes, atque duodecim tantùm Apoſtoli. Qui conuerſi ſunt, erant vel Philoſophi eloquentiſſimi & verſutiſſimi, vel homines deprauatiſſimi & grauiſſimis erroribus à multis ætatibus imbuti. Doctrina quam afferebant, erat carni & mundo contraria, noua, ſtupenda: Crucifixum adorandum & pro Deo agnoſcendum: cæteros Deos tot retrò ſæculis cultos & adoratos nihil: niſi Dæmones, lapides & ligna eſſe. Impugnatores illorum erant potentes huius ſæculi, qui omnibus machinis euertere eos moliebantur, & hoc ipſo interim augebant.

Retium ruptura ſignificat hæreſes. Sic enim S. Petrus Alexandrinus Patriarcha vidit Chriſtum veſte diſciſſa ſibi apparentem, quam dilaceráſſe Arium Chriſtus dicebat Sur. 25. Nouemb. in vitâ.

Cæterùm ruptura hæc ſuo tempore iterum ſarcietur. *E Magdeburgenſibus vnus quidam dixit*, inquit, Florimundus lib. 1. de orig. hæreſ. cap. 12. *malas artes & fraudes quæ contra veram religionem adhibentur, ſimiles eſſe cuneo: cuius acies tenuis admodum eſt, lignoq; infixus, haud ita magnam fiſſuram facturus videtur: at vbi in rimam adigitur, paullatim hiatum ampliorem facit, donec tandem vel maximam trabem omnino diffindat. Primam cunei huius Lutherani fiſſuram ait Cardinalis Hoſius fuiſſe de indulgentijs diſputationem. Secunda latior multò fuit & profundior. Communicatio ſcilicet laicorum ſub vtraque ſpecie & clericorum matrimonia. At Auguſtana Confeſſio, quæq; poſtea ſecuta ſunt, tantam dederunt fiſſuram ac hiatum, vt niſi Deus propitius nos reſpexiſſet, nunquam tam grandis hæc sciſſura rurſus coaleſcere & ad priſtinam integritatem redire poſſe videatur. Sed quemadmodum Milo athleta, quum nimiâ virium fiduciâ arborem in media parte hiantem diducere vellet, brachiis redeunte ad ſe arbore, hinc inde conſtrictis & deficiente conatu retentus, lupis eſca fuit: ſic quamuis hæreticus hic gladiator aliiq; non minùs validam quàm antiquam Eccleſiæ arborem diſcindere annixi ſint, nunquam tamen totam eam conuellent. Sed ſpes eſt potiùs, eam priſtinâ vnitate rurſus coalituram, cum perpetua ignominia & ruina eorum qui diducere eam ac diuidere ſunt conati.*

Quòd verò nauis penè mergebatur, ſignificat prauos Chriſtianorum mores ſecundùm S. Auguſtinum, *lib. 2. queſtion. Euangel. qu. 2.* Illis enim quandoque adeò premitur & affligitur

gitur Eccleſia, vt videatur iamiam ſubmergenda.

Q. VI. Cur ait Petrus: Exi à me Domine.

Q. Sexta. Quare Petrus ait: *Exi à me Domine?* Reſpondetur, id dixiſſe ex humilitate, conſiderata Chriſti Domini potentiâ & magnitudine, ſui ipſius verò vilitate & indignitate? ſe enim, vtpote peccatorem & vilem homuncionem, indignum reputabat, qui Chriſtum in naui ſuâ haberet, tam ſibi præſentem. Fortè etiam timuit, ne à Deo puniretur, quòd coram tam ſancto ageret, ac ne in præſentiâ illius Deus peccata eius rememoraret, vti Sareptana illa dixit Eliæ: *Quid mihi & tibi, vir Dei? Ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ & interficeres filium meum?* 3. *Reg.* 17. putabat enim ideò mortuum eſſe filium ſuum, quod virum tam ſanctum ipſa peccatrix recepiſſet, ſicque iniquitas eius magis eluceret, vtpote contraria iuxta ſe poſita. Quid mirum ſi lepuſculus timeat coram leone? ruſticus coram Rege? ſolent enim minima à maximis abſorberi & conſumi: aquæ gutta ab igne copioſo. Nolo tamen, vt hoc prætextu ſubtrahas te à frequenti communione. Nam hoc ipſo, quo te humilias & indignum iudicas tantâ Chriſti familiaritate, dignus eâ efficeris, & Chriſtus ſe ad te libentiùs demittet qui non modò non exiit à Petro, id poſtulante, ſed potiùs eum bono animo eſſe iuſſit, & ſocium ſibi indiuiduum aſſumpſit. B. Virgo nominabat ſe ancillam Domini, & Dominus eam elegit in matrem. Ioannes Baptiſta indignum ſe dicebat, qui ſolueret ei corrigiam calceamentorum; & Dominus elegit eum in ſuum Baptiſtam. Indignum ſe reputabat publicanus, qui in penitiora templi intraret & oculos ad cœlum attolleret; & Dominus prætulit eum Phariſæo.

Q. VII. Quid ſignificat hæc piſcatio.

Q. Septima. Quid ſignificat hæc piſcatio, & quid differt ab illa *Ioan.* 21. Reſpondetur, primum hoc miraculum, quod contigit ante reſurrectionem Chriſti, ſignificare Eccleſiam militantem: alterum quod contigit poſt eius reſurrectionem, ſignificare Eccleſiam triumphantem, quæ colligetur in regnum cœlorum, poſt communem reſurrectionem. In Primo laxatur rete indifferenter in capturam, quia ad Eccleſiam colliguntur & boni & mali; in ſecundo mittitur in dexteram, quia tunc ſolùm colligentur boni ad vitam æternam. In primo rumpitur & nauis penè mergitur, quod ſignificat ſchiſmata, hæreſes & ſcandala, quæ Eccleſiam premunt & fluctuare faciunt, in ſecundo non rumpitur, vt expreſsè ſcripſit Ioannes, quaſi reſpiciens ad hoc primum miraculum, in quo ſciſſum fuit rete. In primo ſine numero comprehenduntur piſces, quia iuxta pſalmum 39. fideles *multiplicati ſunt ſuper numerum*, in ſecundo fuit certus piſcium numerus, quia certus & definitus eſt electorum numerus ita vt nulli præter eos in cœlum penetraturi ſint. In primo mittuntur piſces in nauem adhuc fluctuantem; in ſecundo trahuntur ad littus: quia in Eccleſiâ militante excidere poſſunt piſces à beatitudine, non item in triumphante.

DOMINICA QVINTA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Matthæi 5.

IN illo tempore dixit Iesvs diſcipulis ſuis: Amen dico vobis: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorũ, non intrabitis in regnum cœlorum. Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo rhaca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergò offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

CONCIONES.

I. *Quomodo noſtra iuſtitia ſuperare debeat Phariſaicam.*
II. *Veteris & nouæ legis differentia.*
III. *Peccata etiam venialia pro viribus vitanda.*
IV. *Ars iraſcendi ſine peccato; ſeu cur, cui, quomodo, quouſque, quando iraſcendum.*
V. *Iræ propriæ ſedandæ remedia.*
VI. *Remedia iræ alienæ.*
VII. *De malis effectibus iræ.*
VIII. *Cauſa & fines oblationum.*
IX. *Documenta ex Euangelio.*
X. *Myſteria.*

CONCIO I.

Quomodo noſtra iuſtitia ſuperare debeat Phariſaicam.

Ex ijs in quibus iuſtitia Phariſaica defecit ſtabilitur Chriſtiana.

1. *Carebat illa fide & charitate.*
2. *Innitebatur propriis meritis.*
3. *Externa, non interna peccata vitabat.*
4. *Ad oculum & hominum placita faciebat.*
5. *Parua peccata vitabat, non item grauiora.*
6. *Dicebat & non faciebat.*
7. *Grauiora aliqua vitabat, minora negligebat.*
8. *Malum pro malo reddebat.*

THEMA.

Amen dico vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra, pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum, Matth. 5.

A. *Phariſaica vita auſteritas.*

TErrifica eſt hæc ſententia, Auditores: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Scribæ enim & Phariſæi præ cæteris Iudæis ſanctiores habebantur, erantque inter Iudæos eo loco & honore quo ſunt inter nos Religioſi. In cibo & veſtitu parci erant, vitabant luxum ac voluptatem, ieiunabant ſecundis & quintis feriis, diligenter ſoluebant decimas, dabant eleemoſynas, aſſidui erant in orationibus, durè cubabant & ne ſomnio nimiùm indulgerent, ſpinas aut lapillos capiti ſubſternebant, vel in anguſto aſſere ſe locabant, vt ſi quis dormiſſet profundiùs, in pauimentum decideret & rurſum excitaretur ad orationem; vt ſcribunt Epiphanius *hæreſ.* 16. Ioſephus & Hieronymus. Et his omnibus tamen contentus non eſt Chriſtus, ſed maiorem adhuc iuſtitiam requirit à Chriſtianis. Quid igitur faciendum? Audiamus quibus in rebus defecerit iuſtitia Phariſaica, vt inde Chriſtianam perdiſcere & ſtabilire poſſimus.

B. I. Carebat fide & charitate.

PRIMÒ. Iuſtitia Scribarum & phariſæorum non habebat fundamentum fidei & charitatis; quia in Chriſtum non credebant, proinde nec Deum amabant. Itaque ſimiles erant illi, qui omiſſo fundamento ædificare, aut prætèrito oſtio per tectum intrare, domum nitiitur: nam *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ad Hebr. 11. Et Auguſtinus ſerm. 38. de temp. *Fides* inquit, *eſt bonorum omnium fundamentum, fides eſt humanæ ſalutis initium, ſine hac nemo ad filiorum Dei conſortium poteſt peruenire, quia ſine ipſâ nec in hoc ſæculo quiſquam exequitur iuſtificationis gratiam, nec in futuro vitam poſſidebit æternam.* Sic etiam hæretici, quales præſertim Anabaptiſtæ, dum eleemoſinas faciunt, calumnias ſufferunt, fugiunt luxum in victu & amictu, iuramenta item & periuria: in vanum ædificant, quia carent fundamento fidei, vti & gentiles. Quin etiam Catholici, dum extra charitatem poſiti bene operantur, fruſtrà operantur. Scimus enim Apoſtolum dicere: *ſi diſtribuero in cibos pauperum omnem meam ſubſtantiam: ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

C. II. Innitebatur propriis meritis.

SECVNDÒ. Iuſtitia Phariſæorum non innitebatur Chriſti meritis, ſed propriis. Vnde ille orabat: *Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores &c. ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo.* Similes hi ſunt *viro* illi *ſtulto* (quâ parabolâ concludit Dominus hodiernum ſermonem in monte habitum) *qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam: & deſcendit pluuia & venerunt flumina & flauerunt venti & irruerunt in domum illam, & cecidit & fuit ruina illius magna.* Matth. 7. Veniet enim aliquando turbo iudicij, qui omnia illorum machinamenta, velut puerorum domunculas deiiciet.

Iuſtitia ergò Chriſtiana fundari debet ſuper Chriſti merita. Inde enim nobis gratia, quæ non ſolùm exornat animam noſtram, ſed etiam dignificat opera noſtra & quodammodo inaurat, vt ſint meritoria vitæ æternæ. Sine eâ caprea ſunt, nec merentur cœlum.

D. III. Externa, non interna peccata vitabat.

TERTIÒ. Iuſtitia Phariſæorum erat, externa tantùm peccata vitare, non interna, vti concupiſcentias, malas cogitationes, intentiones, affectus, &c. Vnde Dominus: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: non occides; &c. ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo* (in corde ſcilicet) *reus erit iudicio.* Et infrà: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo.* Putabant ergò illi ea, quæ cogitationibus ſolis peraguntur, peccata non eſſe. Hinc vocauit eos Dominus *ſepulchra dealbata, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitiâ.* Matth. 23. Ibidem etiam ait illis ob eandem cauſam: *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis: intùs autem pleni eſtis rapinâ & immunditiâ.* Nemo neſcit plus referre, vt vas è quo bibimus vel edimus intùs ſit mundum, quàm vt extrà: ſiquidem niſi intùs forent ſordes, nihil ſordidum biberetur vel ederetur. Sic etiam plus eſt in corde ſitum, quàm in externo opere; è corde

enim

enim procedit omnis malitia in opus externum. Cor radix eſt & officina, in quâ cuditur omnis malitia. Qui ergo externa tantùm peccata vitant, non interna: atrium domus ſuæ cuſtodiunt, ipſum verò domus ſuæ cubile & penetrale peruium eſſe ſinunt lenonibus, ſcurris, furibus, meretricibus. Cuiuſmodi ſunt illi, qui cogitationes, & quæ illis perficiuntur peccata, non curant, nec confitentur.

Iuſtitia ergo noſtra ſeu Chriſtiana requirit, vt non modò externa, ſed interna etiam, & quæ in ſolo corde coquuntur peccata; pari ſtudio vitemus. Ad hoc indicandum Arcam fœderis veſtiit Beſeleel auro puriſſimo intus ac foris, *Exod.* 37. Sic veſtire etiam ſuam quiſque animam debet. Rurſum in hunc finem ſecundùm Gregorium *hom.* 13. *in Ezech.* vidit Ezechiel cap. 40. virum habentem funiculum lineum ad dimetiendum templum. Vir ille Chriſtum, templum ſignificabat Eccleſiam, funiculus lineus cenſura legis nouæ eſt, quæ etiam cogitationes & internos actus iudicat. *Cenſura legis veteris*, inquit Gregorius, *funiculus fuit, ſed lineus non fuit, quia rudem populum non ſubtili prædicatione coërcuit, in quo per pœna ſententiam non peccata cogitationis, ſed operis reſecuit.*

E. IV. Ad oculũ & hominum placita omnia faciebat.

QVARTÒ. Iuſtitia Phariſæorum erat, ad oculum tantùm omnia facere, ad hominum placitum; nihil de Dei offenſione ſolicitum eſſe. Vnde Dominus *Matth.* 23. de illis ait: *Omnia opera ſua faciunt vt videantur ab hominibus; dilatant enim phylacteria ſua & magnificant fimbrias*; id eſt, explicant chartas vel membranas in fronte & brachio, decalogo conſcriptas: & magnas faciunt in veſte fimbrias hyacinthinas, in quarum oris ſpinas ligant, teſte Hieron. in Matth. 23. quo nimirum per eas ſemper admoneantur legis diuinæ arctè obſeruandæ. Hoc autem nihilo minùs Deo diſplicet, quàm diſpliceret viro, ſi ſe eius vxor comeret & ornaret ad placendum alteri.

Huc referri poſſunt, qui in publico tantum peccare metuunt: occultè verò cùm poſſunt, liberrimè delinquunt; metuunt enim hominum oculos non Dei: ſimiles noctuæ, quæ de die nec ſtrepit nec rapit, ſed de nocte tantùm. Timent agere turpia coram hominibus: non timent, coram Deo. Quanta hæc peruerſitas!

Iuſtitia ergo noſtra vult, vt non tam oculos hominum, quàm Dei metuamus, adeóque tam occulta quàm aperta crimina vitemus, iuxta id Apoſtoli 2. *Cor.* 4. *Abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutiâ* (vt ſcilicet aliud palàm oſtendamus, aliud occultè faciamus) *ſed coram Deo.* Audiatur & Greg. Nazianz. orat. 3. *Nos* (Chriſtiani) *externam ſpeciem ac velut picturam parum admodum curamus, in interno autem homine multo plus operæ ſtudiíq́; ponimus, idq́; potiſſimum ſtudemus vt ſpectatorem ad ea quæ animo cernuntur, retrahamus.*

F. V. Parua peccata ſedulò vitabat, maiora non item.

QVINTÒ. Iuſtitia Phariſæorum erat, parua peccata magni æſtimare & diligentiſſimè vitare, maiora verò & grauiora nullo metu perpetrare. Vnde ait illis Dominus Matth. 23. *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum & cyminum: & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudicium & miſericordiam & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem camelum autem glutientes.* Tales erant etiam Phariſæi, qui pro peccato habebant, manducare illotis manibus, non illoto corde; Item Sabbatho ſpicas manu carpere & terere; non item pauperes conterere & vſuris depaſcere. Tales & illi, qui nolebant intrare prætorium, ne contaminarentur: interim verò non metuebant Chriſtum neci tradere, Ioan. 18.

Huc pertinent, qui paruula peccata vitant, vel pro peccatis reputant ea, quæ nulla ſunt, cùm interim vera & grauiora committere nihil penſi habeant. Habent enim conſcientias ſimiles aranearum telis, in quibus paruæ capiuntur muſcæ, maiores perrumpunt & euadunt.

Iuſtitia Chriſtiana eſt, non contemnere quidem aut pro nihilo habere veniales lapſus, verùm multò magis cauere grauiores & lethales. Illorum auctores aſſerit reos eſſe concilio & iudicio: iſtorum verò reos gehennæ ignis. Si enim reatus eſt iraſci, indignari, conuitiari, quantò magis ſanguinem fundere?

G. VI. Dicebat & non faciebat.

SEXTÒ. Iuſtitia Phariſæorum erat dicere & non facere. *Dicunt & non faciunt*, ait Dominus, Matth. 23. *alligant enim onera grauia & importabilia: digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Sic multi ſpecioſè de virtutibus & pietate loquuntur, de iuſtitia & fide &c. interim ipſi nihil faciunt. Multa parentes liberis præcipiunt, & ſuis domeſticis patresfamilias, ipſimet negligunt. Similes Campanæ, quæ ad templum vocat homines, ipſa verò non ingreditur: & fabricatoribus arcæ Noë, qui arcam quam in ſalutem Noë faciebant, ipſi non intrarunt.

Iuſtitia Chriſtianorum ſimilis eſſe palmæ debet, quæ fructus fert pari cum foliis æquilibrio. Pier. *lib.* 50. *hierogl.* Vnde Pſal. 91. *Iuſtus vt palma florebit.* Quòd fit, cùm verba conſonant factis.

Apoc. 4. legimus Ioannem vidiſſe procedere de throno Dei fulgura & voces & tonitrua. Thronus Dei, ſecundùm Alcazar. ibid. ſunt Chriſtiani, à quibus partim fulgura exemplorum, virtute coruſcantium: partim voces & tonitrua, ſermonum piorum ac diuinorum, corda permouentium prodeunt. Hæc fulgura & tonitrua, ſicut Eccleſiæ glorioſa & feſtiua, ita gentibus & hæreticis ſunt formidanda. His enim primi Chriſtiani in gentiliſmi tenebris demonſtrarunt Chriſti veri thronum reperiri in Eccleſia.

H. VII. Grauiora aliqua vitabat minora non religioſè.

SEPTIMÒ. Iuſtitia Phariſæorum erat grauiora aliqua peccata vitare, vti periuria: minora verò, vti iuramentum ſimplex, non curare, *Matth.* 5. Sic enim ait: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non peierabis: reddes autem Domino*

Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino; id eſt, nec veritatem quidem iuramento confirmabitis, citra neceſſitatem videlicet. Putabant enim Iudæi licitum eſſe iurare verum, item per creaturas ſaltem. Sed Chriſtus vtrumque reprobat, cùm dicit omninò non iurandum. Et hoc primò ne ex aſſuetudine iurandi labamur in periurium. Vnde Auguſtinus *ſerm.* 28. *de verb. Apoſtoli*, ait: *Falſa iuratio exitioſa eſt, vera iuratio periculoſa eſt, nulla iuratio ſecura eſt.* Secundò, quia hoc poſtulat reuerentia nominis diuini. Tertiò, quia ea deberet eſſe fides & veritas Chriſtianorum, vt iniuratis credi poſſet.

Iuſtitia Chriſtiana eſt, vitare etiam pro viribus venialia errata. Chriſtiani enim ab Apoſtolo, *ad Rom.* 9. vocantur filij Dei; idque nos teſtamur, quoties orâmus: *Pater noſter qui es in cœlis.* Atqui filius non degener, non modò adduci nequit, vt occidat patrem, ſed neque, vt leuiter quidem verberet. Item Apoſtolus 1. *Cor.* 14. ait nobis: *Malitiâ paruuli eſtote* (græcè, *infantes eſtote.*) Ergo ſicut infans neſcit de peccato loqui & cogitare, nedum id perpetrare: ita Chriſtiani cauere etiam debent, vt ne cogitent aut loquantur ea, quæ ſunt mala.

I. VIII. Malum pro malo reddebat. OCTAVÒ. Iuſtitia Phariſæorum erat reſiſtere malo, & par pari referre: Oculum pro oculo, dentem pro dente eruere, Matth. 5.

Iuſtitia Chriſtiana requirit, vt non reddamus malum pro malo: vlteriùs prætereà aſcendendo ſuadet & hortatur vt parati ſimus plura perferre, quàm irrogantur; imò etiam reddere bonum pro malo. In arcâ Noë legimus triplices manſiones fuiſſe, infimam, mediam, ſupremam, vti habent Hebræa, pro quibus noſtra verſio legit: *deorſum cænacula & triſtega*, *Gen.* 6. Infima quadrupedum, media alitum, ſuprema hominum fuiſſe iure exiſtimatur. Sic in Eccleſia videntur fuiſſe tres ſtatus, primus naturæ, in quâ homines nullâ adhuc lege poſitiuâ regebantur, ideoque communiter ſuos affectus ſequebantur & offendentes offendebant, cædentes cædebant. Secundus legis ſcriptæ, in quâ vltio ſolum fuit prohibita, Leuit. 19. *Non eris vltor, nec memor eris iniuria ciuium tuorum.* Idque communiter credebant ſibi ſufficere. Tertius legis Euangelicæ, quæ monet iniurias æquo animo ferre, præterea etiam ſuadet reddere bonum pro malo. Quia enim Chriſtianus eſt in ſupremo & perfectiſſimo Eccleſiæ ſtatu, debet perfectiora agere. Hoc eſt, quod ait Dominus: *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & Publicani hoc faciunt?* &c. q. d. vos in loco eminentiori & cœlo propinquiores eſtis; maior igitur perfectio requiritur à vobis, quàm à veteribus, qui in infimo & medio ſtatu fuerunt.

Quid verò ad hæc, quæſo, reſpondere poterunt, qui ne ad primum quidem peruenerunt, dum neque eos diligunt, à quibus ipſi diliguntur, quique omni prorſus iuſtitiâ carent? ſi non intrabunt in regnum cœlorum qui iuſtitiâ ſuâ non ſuperant Phariſæos, quomodo intrabunt, qui illos nec adæquant?

K. Opera alia Phariſæorum bona Chriſtianos confundunt. Audiamus bona Phariſæorum opera. Primò legem Dei maximi faciebant, in fronte & manibus geſtabant. Quid ergò dicimus de Chriſtianis, qui legem Dei & Eccleſiæ pro triobolo tranſgrediuntur? qui erubeſcunt crucem in fronte pingere, roſarium in manu geſtare? Secundò, Phariſæi blaſphemias execrabantur; vnde de Chriſto dicunt cum horrore: *Hic blaſphemat.* Quid reſpondebunt Chriſtiani, qui perpetuò execrantur & blaſphemant Dei nomen, vulnera & ſacramenta? Tertiò, Phariſæi hoſtes erant impudicitiæ, & ne propè quidem cum meretricibus conſiſtere volebant; vnde quidam de Chriſto ait: *Si eſſet hic Propheta, ſciret vtique quæ & qualis eſt hæc mulier, quia peccatrix eſt.* q. d. ego eam ad me non admitterem. Quid ergo dicent Chriſtiani, qui multis ſæpe annis pellices domi alunt aut ſecum circumducunt, vel meretricibus adhærent? Quartò, Phariſæi magno ſtudio Sabbatum cuſtodiebant, vnde contra Chriſtum toties queruntur, quod, etſi rebus leuiſſimis, Sabbatum violare videretur. Quid ergo Chriſtiani, qui dies feſtos violant grauiſſimis peccatis & diuina negligunt leuiſſimâ de cauſâ? Quintò Phariſæi frequenter in templo erant, noctu, manè, veſperè. Quid ergo Chriſtiani qui vix ſemel in hebdomade ſacram ædem ſalutant, & vbi ſalutârunt, ſtatim inde ſe proripiunt? Sextò, Phariſæi publicè etiam orare in angulis platearum minimè erubeſcebant. Quid ergo Chriſtiani, qui dum pulſatur ad orationem publicam v. g. Salutationis angelicæ: vel dum geſtatur per plateas S. Euchariſtia, genu flectere & orare in patulo ſibi ducunt ignominiæ & vel ſe ſubducunt, vel in ſuis negotiis pergunt nec caput quidem aperiunt? Septimò, Phariſæi victu erant modico, crebrò ieiunabant, vti ille bis in hebdomade, *Luc.* 18. Quid ergo Chriſtiani, qui die Veneris & Sabbatis abſtinere vel à carnibus nolunt? Octauò, Phariſæi fideliter dabant decimas vti fatetur idem ille. Quid ergo Chriſtiani, qui decimas ad ſe rapiunt & in iis dandis innumeras fraudes committunt? Nonò, Phariſæi magnas dabant eleemoſynas & publicas; vnde, præeunte tubâ eas proclamabant. Quid ergo Chriſtiani, qui in luxum quidem & pompam diuites ac liberales ſunt, in Deum verò & egenos pauperrimi ac parciſſimi? Decimò, Phariſæi munifici erant in donis templo & gazophylacio conferendis. Quid verò Chriſtiani, qui pro perdito habent, quod altari & gazophylacio offertur? Iudicate igitur an non Phariſæi quamplurimos Chriſtianos magnâ ex parte ſuperent, eoſque in iudicio condemnaturi ſint. Peccârunt Phariſæi in ſolâ intentione dum faciebant opera illa, quò viderentur ab hominibus: finis dumtaxat malus erat, & tamen his omnibus tam operoſis ſuis actionibus Deo diſplicuere; quâ ratione igitur placebunt

cebunt Chriſtiani, qui nec opera illa faciunt quæ fecere Phariſæi? Itaque colligamus vires, Auditores, & ea quæ retrò ſunt obliuiſcentes, ad ea, quæ priora ſunt, extendamus noſmetipſos, cum Apoſtolo ad Philipp. 3. Parum adhuc præſtitimus & vix iuſtitiam Phariſæorum attigimus. Plus vltrà nobis tendendum eſt. Senior quidam in vitis Patrum rogatus, quid perfectionis ſtudioſo agendum eſſet? reſpondit, eum imitari debere canes venaticos. Sicut enim illi leporem velociſſimè totoque conatu perſequuntur, non reſpectant, quæ in via ſunt aut offeruntur non attendunt, ſed omnibus oculis, ſenſibus & viribus etiam per ſaxa, ſentes & vepres in leporem feruntur, nec quieſcunt donec eum ceperint: ita & virtutis ſtudioſum circa virtutem facere debere. Atque ita fecit S. Marcianus anachoreta, vti narrat Theodoretus in Philotheo. Cùm enim in venatorem incidiſſet, rogatuſque eſſet quid rerum in eremo ſolus & otioſus ageret, vice verſâ quæſiuit. *Quid verò tu agis?* Cui ille. *Ego ceruos & lepores venor, vt vides.* Tum Marcianus: *Et ego,* inquit, *Deum meum hic venor, nec ab hac pulchrâ venatione ceſſabo, donec eum apprehendero.*

CONCIO II.

Veteris & nouæ legis differentiæ:

Prima eſt, quòd lex vetus ſcripta in tabulis fuit lapideis: Noua in tabulis cordis carneis.
2. *Vetus fuit obſcura; noua clara.*
3. *Vetus anguſtis terminis concluſa. Noua per totum orbem diffuſa.*
4. *Vetus temporaria erat: Noua æterna.*
5. *Vetus erat iugum graue: Noua leue.*
6. *Vetus erat ſeruorum: Noua filiorum lex.*
7. *Lex noua iuſtificandi vim habet: Vetus non item.*
8. *Hæc erat adultorum: illa puerorum.*
9. *Vetus temporalia ſolùm: Noua æterna bona promittit.*
10. *Iſta habuit cælum clauſum: Hæc apertum.*

THEMA

Audiſtis, quia dictum eſt antiquis. Matth. 5.

A. *Typus veteris legis reformatæ.* IOſuen præclariſſimum illum Ducem, typum Chriſti Domini fuiſſe non ſolùm ob nominis ſimilitudinem, (Ioſue enim idem ſignificat, quod ſacratiſſimum nomen Ieſu) ſed ob alias etiam analogias ſatis compertum eſt. Miſſis nunc aliis, legimus Ioſuen accepiſſe à filiis Iſraël in hæreditatem, vrbem Thamnathſaraa, Hebr. Thimnathſerach, *Ioſ.* 19. vilem maleque ædificatam imò dirutam, vt quaſi aceruus lapidum & vrbis cadauer eſſet; quam proinde Ioſue denuo ædificauit, commodioremque ad habitandum reddidit, ex quo celebris facta eſt S. Hieronymi tempore (vt teſtatur ipſe lib. de locis Hebr.) adhuc ſuperſtes fuit. Ideoque vt nonnulli volunt mutatum eius nomen, & appellata eſt Timnathcheres, vti in Hebraico textu vocatur, *Iudic.* 2. Quid verò vrbs illa diruta niſi ſynagoga ſiue lex Moſaica prauis Iudæorum moribus lacerata & vaſtata? Hanc igitur ædificare, perficere & expolire cœpit Chriſtus Dominus, vt in eâ commodè habitare quicunque vellent, poſſent, non iam quaſi in veteri ſed quaſi in nouâ vrbe. Congruit huic propoſito vtrumque vrbis vocabulum. Prius illud veteris vrbis, Thamnathſaraah imaginem luxuriantem ſeu ſuperfluam, vel exoleſcentem ac fœtentem ſignificat; Poſterius verò vrbis nouæ! Thamnathcheres imaginem ſolis, vt aduertit Serarius *Ioſ.* 19. Quid autem fuit in ſynagogâ niſi ſuperfluitas traditionum humanarum, carnaliumque ſacrificiorum graueolentia & nidor? quid ipſa niſi deficiens in virtutibus & paulatim exoleſcens imago? At verò Eccleſia imago ſolis eſt, longè lateque ſplendens, Chriſtumque, iuſtitiæ ſolem, vitæ ſanctitate, fide, cultu & amore repræſentans. Atque hanc ædificare in hod. Euangelio incipit noſter Ioſue: abiectis partim, partim inſtauratis veteris legis ruinis. Nos igitur in hoc ſermone veteris & nouæ illius vrbis Ioſuanæ ſeu Synagogæ, & Eccleſiæ diſcrimen videamus.

B. I. *Lex vetus ſcripta fuit in tabulis lapideis.* PRIMÒ, Lex vetus ſcripta & præſcripta fuit Iudæis in tabulis lapideis; ad ſignificandam duritiam cordis eorum, quod legem non erant impleturi, inquit S. Auguſtinus *de Cathechiz. Rudibus cap.* 20. *& ſerm.* 6. *de verb. Apoſtoli.* Vnde ad legis literam Iudæi ſolùm attendebant, ideoque in membranis & fimbriis eam ſcribebant, vt ſemper ante oculos haberent, eamque externè adimplerent, non curantes, quo affectu, quâ mente & quâ intentione.

Noua in tabulis cordis carneis. Lex noua ſcripta & inſcripta eſt Chriſtianis, non in tabulis lapideis, ſed *in tabulis cordis carnalibus*, id eſt, ſentientibus & flexibilibus, 2. *Cor.* 3. *Ierem.* 31. vbi dicitur: *Dabo legem meam in viſceribus eorum & in corde eorum ſcribam eam; & ero eis in Deum & ipſi erunt mihi in populum.* Voce enim viuâ prædicata eſt lex fidelibus in Sion & per Spiritum S. impreſſa eorum cordibus multò ſolidiùs, quàm vetus in tabulis lapideis. Ideò enim Tyranni nullâ ratione, nullis minis vel tormentis, nullis dolis aut promiſſis eximere potuerunt legem è cordibus tot millium fidelium, qui pro eâ aſſerendâ ſanguinem fuderunt. Imprimitur autem lex cordibus fidelium, cùm ea illuſtrantur per fidem, & alias illuſtrationes, quibus legis præſtantia, diuinitas, ſuauitas, & vtilitas eis inſinuatur; rurſum cùm ea roborantur ad legem non ſolùm memoriâ retinendam, ſed etiam ſanguine & vitâ conteſtandam.

C. II. *Vetus fuit obſcura.* SECVNDÒ. Lex vetus fuit obſcura multis figurarum vmbris inuoluta; ideoque ſigni-

ſicata per velamen, quo tecta erat facies Moyſis, cum populo loquentis, *Exod.* 34. exponit Apoſtolus 2. *Cor.* 3. item per velum templi, quod per Chriſti mortem ſciſſum eſt. Exinde enim arcana legis veteris patere inceperunt. Idem ſignificabat nebula & fumus circa montem Sinai cùm legem Deus Moyſi dedit *Exod.* 19. dixit enim: *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis*, hoc eſt, *obſcurâ legis ſcientiâ*, vt ait Interlineatis gl. ſumma enim fidei myſteria, vti SS. Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, reſurrectionis: iudicij, cœleſtis beatitudinis non niſi per figuras, & quidem obſcuriſſimè, nec niſi illis qui Deo familiariter adhærebant, oſtenſa ſunt.

Noua eſt clara.

Lex noua clara & lucidiſſima eſt, vt vel ex Euangeliis patet, quæ reſpectu ſcripturarum veteris legis: præſertim prophetiarum ita ſe habent, vti dies reſpectu noctis. Inde enim quilibet quæ ad fidem & ſalutem conſequendam vitamque rectè inſtituendam pertinent, facilè perdiſcere poteſt. Hinc Arnobius *in Pſal.* 135. ſcribit: *Fecit luminaria duo magna, vnum in die noui teſtamenti, quod ſicut ſol radiat in lumine agentibus: aliud in nocte Iudaicâ conuerſantibus. In nouo enim apertè quod legitur, ſicut in die in ipſâ literâ perluſtratus à Chriſto, qui eſt ſol verus iuſtitiæ. In veteri autem ſub litera tegmine, quaſi in nocte poſitum à Lunâ, id eſt, ab Eccleſia manifeſtatur.* Sanè quæ olim doctiſſimi Rabbini intelligere non poterant, nunc à rudibus mulierculis, pueris & ruſticolis ſine hæſitatione creduntur, & quantum ſatis eſt, explicatè intelliguntur.

D. III. Vetus anguſtis terminis cõcluſa. Noua per orbem totũ diffuſa eſt.

Tertiò. Lex vetus arctis terræ limitibus circumſcripta fuit, non vlteriùs ſe extendens, quàm à flumine Euphrate vſque ad mare mediterraneum, ſolam quoque Hebræorum nationem, vni Palæſtinæ incluſam, complexa erat. Lex noua ſe effudit per vniuerſum orbem iuxta Pſal. 71. *Dominabitur à mari vſque ad mare & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.* Deſignatum hoc fuit Iudic. 6. in vellere Gedeonis, quod primò quidem rore perfuſum fuit areâ circumiacente ſpatioſiſſimâ ſiccâ remanente: poſteà ſolum vellus aridum remanſit, tota verò tellus in circuitu rore maduit. In quem locum S. Auguſt. lib. de Vnit. Eccleſ. cap. 5. *Non video*, inquit, *quid hic aliud figuratum & prænuntiatum ſit, niſi vt aream intelligamus orbem terrarum, locum velleris populum Iſrael. Nouimus enim illam quondam gentem diuini Sacramenti gratiâ tanquam cœleſti rore perfuſam, cuius muneris per omnes in circuitu gentes quia eo carebant, tanquam ſiccitas erat. Erat autem apud illum populum hoc munus in vellere, id eſt, in velamine & quaſi in nube ſecreti, quia nondum fuerat reuelatum. Nunc autem videmus orbem terrarum iam reuelato rore ſaginari per Euangelium* &c. Et S. Hieronymus ad Paulinum: *Poſtquam*, ait: *ſiccato Iudæa vellere vniuerſus orbis cœleſti rore perfuſus eſt, & multi de oriente & occidente venientes recubuerunt in ſinu Abrahæ, deſiit eſſe notus tantùm in Iudæâ Deus & in Iſrael magnum nomen eius, ſed in omnem terram exiuit ſonus eorum.*

E. IV. Vetus tẽporaria erat.

Qvartò. Lex vetus temporaria tantùm erat, durans vſque ad Chriſtum, quemadmodum pædagogus adiungitur pueris donec adoleſcant; tunc enim Magiſtris & doctoribus traduntur erudiendi: ideò Hebræorum *pædagogus* vocatur ab Apoſtolo *ad Gal.* 3. Lege Chriſti aduentante amotus eſt pædagogus. Lex igitur noua æterna eſt duratura ad finem mundi. Veteris legis typus erant primæ legis tabulæ, quæ à Moyſe contractæ deſignabant legem illam aliquando abolendam. Nouæ legis typus erant tabulæ poſteriores, quæ non ſunt confractæ, ſed in arcâ fœderis, id eſt, Eccleſiâ Chriſti ſemper aſſeruatæ, vt exponit S. Auguſt. *lib.* 15. *contra Fauſtum* cap. 4. Ad hoc etiam indicandum lex vetus cum terræ motu, ſaltem montis Sinai, data eſt, iuxta pſal. 67. *Terra mota eſt*; nec non *Exod.* 19. vbi dicitur: *erat mons terribilis*, Hebr. *tremens & ſaliens*; quia nimirum lex illa mobilis & amouenda erat, vti docet etiam ex Aggæo Apoſtolus ad Roman. 12. At verò noua lex ſine huiuſmodi motu data, quia permanſura erat vſque ad mundi finem.

Noua æterna.

F. V. Vetus erat graue iugum.

Qvintò. Lex vetus erat iugum graue, atque vt cenſuit S. Petrus *Act.* 15. propemodum importabile; id quod denotabant graues Moyſis manus, *Exod.* 17. Secundùm D. Bernardum *ſerm.* 30. *in Cant.* quas niſi adiuuante vtrinque Aaron & Hur eleuare diutiùs ad orandum non poterat: ſic enim nec legis illius pondus ſine ſpeciali gratia diu portari, ſed vt Rupertus *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 20. exponit, *lex vt impleretur, ſuſtentatore indigebat Chriſto, Hure Spiritu ſancto.* Fuit autem graue valde. Primò propter multitudinem præceptorum, quæ vt numerat Abulenſis, Liranus, Paulus Ricius Rabinus, erant ſexcenta & tredecim, ſi tam negatiua, quàm affirmatiue computarentur. Secundò propter difficultatem ipſorum in cibo, tactu, ſacrificiis, cæremoniis, iudiciis. Tertiò, quod eius ſacrificia & ſacramenta non conferebant gratiam ex opere operato, quæ difficultatem temperaret: neque lex ſine fide Chriſti vim habebat iuſtificandi. Denique, quia graues pœnæ delinquentibus impoſitæ ob culpas ſæpe non grauiſſimas; vti lapidationis, ſi quis blaſphemaſſet, aut ſabbatum violâſſet; interdicti à templo, ſi quis mortuum tetigiſſet; aquæ zelotypiæ bibendæ; ſi mulier ſuſpectæ fidei eſſet, combuſtionis; ſi filia Sacerdoti fornicata eſſet, &c. At verò noua lex iugum ſuaue eſt & appellatur ab ipſo Chriſto, tum quia lex amoris charitatem Dei & proximi ſolùm præcipit; tum quia Chriſti exemplum habet, tum quia abundantem gratiam, onus alleuiantem.

Noua leue.

G. VI. Vetus erat timoris & ſeruorum.

Sextò. Lex vetus erat lex timoris & ſeruorum, vt teſtatur Apoſtolus ad Rom. 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei.* Et ad *Galat.* 4. vbi id iugum ſeruitutis appellat

&

& comparat Agar: ſicut econtrà legem gratiæ Saræ, Agar ancilla erat Abrahæ ſeu vxor ſecundaria, quæ cum filio ſuo Iſmaële, perſecutore Iſaaci, filij Saræ, expulſa eſt è domo Abrahæ, denotans Synagogam; quæ, quia eius filij vexarunt Eccleſiæ filios, Chriſtianos, repudiata & abiecta eſt à Deo. Sara vxor Abrahæ primaria & Domina, Eccleſiam deſignans, ſemper Deo adhæſit: Contrà lex noua lex amoris & filiorum eſt, nec non libertatis; quia per amorem & gratiam ſuauiter nos ducit ad ſui obſeruationem: deinde libertatem confert quadruplicem, Primò à ſeruitute cupiditatum & vitiorum, quibus ſubiecti peccatores. Secundò à coactione & metu, vt legem impleamus non ex timore vindictæ, ſed Dei & virtutis amore; impleturi etiam ſi nulla præuaricatoribus pœna ſtatuta eſſet. Tertiò à lege veteri, quà continebat præcepta iudicialia & cæremonialia: non autem quà moralia ſeu Decalogum. Quartam conferet in reſurrectione, à morte & omni miſeria. Hinc igitur lex noua in monte Sion data & inſcripta eſt cordibus fidelium ſine omni timore, imò maximo cum gaudio & ſolatio eorum, per ignem non vrentem aut conſumentem, ſed blandientem & fauentem. At verò lex vetus in Monte Sinai data fuit cum terrore, ſæuiente procellâ, tonante & fulgurante cœlo, monte fumante, terribili promulgatoris Angeli voce.

Noua amoris & filiorum.

H. VII. Vetus ex ſe neminem iuſtificabat.

Septimò. Lex vetus ex ſe (ſine fide ſcilicet Chriſti) neminem iuſtificabat aut iuſtificare poterat, ſeu abſoluere à peccatis & gratis donare, vti teſtatur Apoſtolus *ad Galat.* 2. & 3. *ad Hebr.* 10. & alibi ſæpe. Vnde illius legalia ſacra & ſacrificia erant *infirma & egena elementa*, ad Galat. 3. In cuius rei typum habebat altare holocauſti *non ſolidum, ſed inane & cauum intrinſecus*, vt præcipitur *Exod.* 27. At verò noua lex vim iuſtificandi habet ex ſe. Vnde & altaria illius non caua & inania, ſed ſolida ſunt & lapidea. Typum etiam huius diſcriminis exhibuit Hebræis Eliſæus, cùm primò miſit ſeruum cum baculo ſuo ad ſuſcitandum puerum, ſed irrito euentu: deinde ipſemet deſcendens ad puerum, eique incumbens ſuſcitauit eum. 4. *Reg.* 4. ſeruus Eliſæi cum baculo eius denotat legem veterem, quâ ſolâ nequaquam poterant prophetæ vitam gratiæ afferre peccatoribus. Deſcenſus Eliſæi ipſius, legem Chriſti & nouam indicat, quæ ſuſcitat peccatores. Eòdem ſpectat parabola Domini de Samaritano, qui ſolus vulneratum hominem ſuſtulit in equum & in diuerſorium ſanari fecit, quod non fecerant ſacerdos & Leuita. Hi enim legis veteris impotentiam, Samaritanus virtute legis nouæ ad iuſtificandum repræſentat. Luc. 10.

Noua vim iuſtificandi habet.

I. VIII. Vetus puerorum erat.

Octavò, Lex vetus puerorum erat & rudium; *nihil enim ad perfectum adduxit*, ait Apoſt. *ad Hebr.* 7. hoc eſt, neminem potuit perficere, quia in externis tantùm occupabatur circa iuſtitiam carnis, & munditiem exteriorem, quæ coram hominibus, non autem coram Deo puros & ſanctos efficiebat. Si quis mortuum tetigiſſet aut immundum, iubebat eum lex lauari; ſi quis homicidium & verum crimen admiſiſſet, iubebat eum lex occidi: ipſum verò peccatum ipſamque animam non expiabat lex, vt explicat Cornelius. Rurſum ad externa potiſſimùm & grauia peccata attendebat, vt colligimus ex hodierno Euangelio; quia pueris, hoc eſt, rudibus hominibus præſcripta. Vnde S. Cyrillus Alexandrinus lib. de Spiritu S. de illis ſcribit: *Quæritur quo pacto congruum fuerit olim, & ab initio priſcis nouam & Euangelicam legem non eſſe datam? Dicimus quod liberati ab Ægypto opus habebant inſtructione & educatione, quaſi puerili. Erant enim adhuc craſſi, & ad abſurda quæque facilè seductibiles. Quare ferè impoßibile erat, & minimè integrum, vt ſtatim arduam quandam ciuilitatem, & vitæ rationem arriperent, quæ tam præclara ſit ac admirabilis, vt ambuletur quidem ſuper terram, conuerſatio autem habeatur in cælis. Vnde Apoſtolus: Perfectorum quidem eſt ſolidus cibus, paruulis verò lac conducibilius eſt. Pueris igitur opus erat eruditione quæ per figuras, & vt ſic dicam, victu delicatiore non ſermone ad conſummatam perfectionem ducente. Iſraelitæ enim leues erant parumque ſapientes, & in quamlibet affectionem facilè rapiebantur: & ſi quis mores eorum diligenter ſpectarit, opinor quod neque vmbra digni erant, id quod Moyſes oſtendit, tabulas legis confrangendo, nec vmbra, nec figuris, nec vlla doctrina cæleſti dignos arbitratus.* Et proptereà etiam Apoſtolus iure legem illam dixit fuiſſe pædagogum ad Chriſtum, vti diximus, quia ſcilicet pueros adhuc rudes erudiebat. Pædagogus enim Græcis dicebatur ſeruus, qui puerum ducebat & regebat, primamque eius ætatem ad vitia procliuem virgis coercebat, formabat, diſciplinis puerilibus imbuebat, & ad altiora præparabat tandemque ad præceptorem & Magiſtrum deducebat ab eo erudiendum in artibus liberalibus & altioribus ſtudiis. Itaque lex noua ſchola adultorum eſt, ad ſublimiora ſtudia idoneorum. Vnde illius præcepta accuratiora & ſubtiliora, vti oſtendit Dominus in hodierno Euangelio, & ad longum toto capite *Matth.* 5. Non conuenit pueris præſcribi lectiones adultorum, nec decet vt hi contenti ſint lectionibus puerorum. Iam ergò quia Iudæi ferè ſenſibus tantùm & propriis cupiditatibus ducebantur, præſcripſit eis infimos gradus v. g. *Oculum pro oculo, dentem pro dente*; quò, videlicet, ſi omninò vindictam vellent, ſaltem non excederent in modo, quòd communiter fit vt pro vnâ contumeliâ decem caſque grauiores rependamus; ſicque eos diſponeret ad recipiendam altiorem illam doctrinam, quam hic tradit: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit vnâ in maxillâ, præbe ei & alteram.* Rurſum: *Dictum eſt antiquis: Diliges amicum tuum*; en aliam puerorum lectionem. Sed ad altiorem euehit Dominus: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*, &c. *Dictum eſt*

Noua adultorum.

antiquis

antiquis, non peierabis. Iterum puerorum lectio; altiorem audite: *Ego autem dico vobis, non iurare omninò.* Itaque lex vetus nequaquam contraria eſt nouæ, ſed velut pædagogus pueros ad præceptorem, ſic tranſmittit ad Chriſtum Iudæos, à rudioribus præceptis ad perfectiora. Lex noua eſt homo ille lineis indutus, quem vidit Ezechiel cap. 40. metiri templum myſticum lineo funiculo, vt explicat D. Gregorius hom. 13. in Ezechiel. *Funiculus,* inquit *lineus in manu eius. Cenſura legis veteris funiculus fuit, ſed lineus non fuit, quia rudem populum non ſubtili prædicatione coërcuit, in quo per pœnæ ſententiam non peccata cogitationis, ſed operis reſecauit.* At Chriſtus Dominus funiculum lineum in manu tenuit cùm dixit Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Iam ergo examinet ſe vnuſquiſque in quâ ſcholâ hæreat, verum non adhuc in Hebræorum claſſe ſedeat, vel etiam in inferiori, dum nec amicos diligit, nec vindictæ æquitatem obſeruat, nec periuria cauet, nec ab externis peccatis abſtinet.

X. IX. Vetus temporalia ſolùm promiſit.

Nonò. Lex vetus temporalia ſolùm bona promiſit & terrena ſui cultoribus, vti terram promiſſionis manantem lacte & melle, id eſt, omni frugum vbertate & pinguedine redundantem, *Exod.* 3. *Deut.* 6. alias etiam proſperitates & benedictiones in liberis, pecoribus, agris, ædibus, &c. Deut. 28. Denique Iſaiæ 1. *Si volueritis & audieritis me,* inquit, *bona terræ comedetis.* De æternis bonis & regno cœlorum non fit expreſſa mentio. Primus qui regnum cœlorum nominauit & promiſit pœnitentibus, fuit Ioannes Baptiſta, qui inde cæpit concionem ſuam, quemadmodum & Chriſtus: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum;* tum quia vſque ad Chriſti aſcenſionem clauſum erat, tum quia carnalis ille & terrenis tantùm commoditatibus addictus populus parui æſtimaſſet futurorum bonorum promiſſionem, maximè eo tempore, quo cælum adhuc occluſum nemini patuiſſet. Vnde S. Hieron. epiſt. 126. ait: *Et mihi in Euangelio promittuntur regna cælorum quæ inſtrumentum vetus omninò non nominat.* In lege igitur nouâ primum eſt quod promittitur, regnum cœlorum. Et propterea Dominus ſermonem ſuum in monte ita inchoat: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Quodque magis mirum, temporalium promiſſionem nullam ferè commemorat lex noua, quaſi indignæ ſint quæ ſui cultoribus promittantur; ait illis adiiciendas veluti auctarium.

Noua verò bona æterna.

L. X. Vetus clauſum habuit cœlum.

Decimò. Lex vetus, vti primùm meminimus, clauſum ſibi cœlum habuit, adeoque ſuos alumnos ad limbum tranſmiſit vniuerſos, etiam ſanctiſſimos. Bonus ille Iacob optatum ſuum Ioſephum non quæſiuit in cælo, ſed in limbo. *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum,* *Gen.* 37. Ezechias bonus item & Deo charus rex, morti appropinquans: *Vadam ad portas inferi,* inquit *Iſaiæ* 38. Portas cæli nemo aperire niſi rex gloriæ potuit, vti diſcimus *Pſal.* 23. Lex noua poſt aſcenſionem Chriſti cœlum ſibi apertum habet, ita vt animæ iuſtorum ob omni labe expiatæ illicò rapiantur ad cœleſtem beatitudinem ad videndum Deum facie ad faciem. Inde S. Stephanus pro cœlo pugnans & quaſi iam iam victor ingreſſurus: *Ecce video cælos apertos,* inquit, *Act.* 7. Sanctus etiam Ioan. *Apoc.* 21. ſcribit 12. portas patere cœleſti in ciuitate, tres ad Orientem, tres ad Occidentem, tres ad Meridiem, tres ad Septentrionem, hoc eſt, cælum vndique apertum ad recipiendos iam electos ex quacunque orbis plagâ venerint.

Noua apertum.

Ex dictis apparet non admodum difficile eſſe diſcernere legem veterem à nouâ, vt mirandum & horrendum ſit quod ſcribit Aurifaber in ſympoſ. ſerm. Lutheri cap. de lege & Euangelio, idipſum dixiſſe, *ſi diſcrimen vtriuſque noſſet, ſe Diabolo* (veniam date) *nates oſtenſurum: neminem id nouiſſe neque ipſum Chriſtum vt qui in horto oliueti primum edoceri Euangelium ab Angelo debuerit.* In quibus execrandis verbis neſcio maiorne inſania, an turpior impudentia, an grauior blaſphemia ſit? Quis ex vno illo vngue non agnoſcat, quæſo, diabolicam auiculam? Quid enim eſt hoc, Chriſtum æternam ſapientiam, creatorem Angelorum, ab Angelo edoceri debuiſſe? Sed ad finem obiiciet fortè aliquis legem quidem veterem, in his quæ diximus, à nouâ longè ſuperari; aliâ tamen ex parte videri præcellentiorem eâ fuiſſe ob diuinos fauores & ſtupenda miracula, quæ Deus in illâ operatus eſt. Sed reſpondeo inprimis hoc magis arguere imperfectionem Hebræorum, quos Deus per eiuſmodi ſigna & oſtenta ſuæ prouidentiæ continere in officio & cultu ſuo debuit. Secundò, non pauciora cerni miracula in Eccleſia, imò longè plura, partim in fauorem ſanctorum, partim per ſanctos ipſos edita. Denique ſi non eadem prorſus quæ in veteri contigerunt lege, edita ſunt in noua, non abſimilia tamen.

Miracula veteris legis ferè omnia in noua etiã exhibita.

Primò. Scalam à terrâ ad cœlum protenſam vidit Iacob: vidit eiuſmodi ſcalam etiam S. Romualdus in eaque aſcendentes ad cælum fratres ordinis ſui. Secundò. Impij Sodomitæ à Deo excæcati videre oſtia domus Loth non poterant, ne iuſto viro nocerent: pari modo S. Gregorius Thaumaturgus cum Diacono orans in monte, quæſitus à perſecutoribus agnitus non eſt, exiſtimantibus illis ſe videre non duos homines, ſed duas arbores propè conſiſtentes. Tertiò. Angelus Hebræos duxit per deſertum: idem fecit exercitui Chriſtianorum ad terram ſanctam recuperandam pergenti anno 1144. Angelus albo equo inſidens & rubrum vexillum gerens, ducenſque eos per viarum compendia in deſerto ad aquas & ſtationes commodas donec hoſtium inſidias euaderent & Ieroſolymam deuenirent, apud Guil. Tyrium l. 16.

belli

belli ſacri cap. 12. Quartò manna de cœlo Hebræis pluit, idem accidit anno Domini 418. Honorio & Theodoſio Imperatoribus, dum in Balearibus Inſulis plurimi Iudæi ad Chriſti fidem accederent, vt ſcribit Seuerus Minoricenſis Epiſcopus epiſtola ad Euodium. Item decem millibus martyrum in hiſtor. eorum manuſcriptâ apud Serar. *in cap.* 5. *Ioſ.* Quintò. Aqua illis de petrâ fluxit: Abbas etiam Theodoſius aquam de petra eduxit, poſtquam virgâ eam percuſſit: inde fons perennis ad vicinum monaſterium deductus aquam illis præbuit, teſte Theodoreto *in Philotheo cap.* 10. Idem legitur feciſſe S. Benedictus. Sextò. Diuiſum illis mare rubrum & Iordanes: ſtagnum etiam ſuis precibus exſiccauit Gregorius Thaumaturgus, ſic vt ibi ſiluæ, prata & agri deinceps fuerint, apud Gregor. Nyſſen. in vita. S. Catharina filia S. Brigittæ inundantem Romæ Tiberim intra alueum ſuum ſe recipere coegit, vt habetur in vita S. Brigittæ abbreuiatâ. Septimò. Hebræorum veſtes in deſerto nō obſoleſcebant. Similiter nec veſtes S. Apollonij Abbatis, qui fuit pater 500. Monachorum apud Pallad. in Lauſiac. cap. 52. Octauò. In Ioſue gratiam ſol ſtetit: idem feciſſe, legitur in gratiam Mutij Abbatis in vitis PP. & Marulo. Nonò. Ros præter vnum vellus totam aream texit & madefecit: idem renouatum in S. Bernardi epiſtola, cùm ſub dio ſcriberetur, ſubituſque circum circa imber decideret, neque tamen charta complueretur, apud Baron. anno 1125. Decimò. Dauid araneæ telâ (vt volunt Rabini) defenſus in ſpelunca à Saule: Similiter S. Fælix Nolanus inter duos parietes defenſus à perſecutoribus. Vndecimò. Nubes impleuit tabernaculum Moyſis, vt nemo ingredi poſſet: idem factum in templo Romæ dedicato, ea vrbis regione, quæ Suburra dicitur, ſcribit S. Greg. 3. *dial. cap.* 30. Duodecimò. Ignis ſacer diuinitus Hebræis accenſus: ſimiliter in prædicti templi lampadibus apud Greg. ibid. Decimotertiò. Per coruum paſtus Elias. Paulus item Eremita, per annos 60. Decimoquartò. Eliſæus abſenti & mentienti ſeruo præſens erat: & S. Martinus diſcipulo ſuo Briccio ſibi maledicenti: *Nónne aures mea tibi aderant cùm hæc loquereris* ? inquit. Decimoquintò. Eliſæus ſecurim ad manubrium enatare fecit: idem prorſus in ſimili negotio feciſſe legitur S. Benedictus. Præter hæc infinita alia contigêre in lege nouâ veteribus illis & maiora & crebriora. E quibus omnibus diſcimus quanta ſit eminentia Chriſtianæ religionis, quantumque beneficium, eſſe Chriſtianum ſeu membrum Eccleſiæ in nouâ lege. S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 3. ſcribit explicante Billio num. 96. *Sicut iuxta Pythium oraculum equa Theſſala reliquis omnibus antecellit, & mulier Spartana omnibus aliis mulieribus, & viri Siculi omnibus viris, ita etiam Chriſtiani in religioſis ritibus atque ſanctionibus mortales omnes antecellunt ac principem honoris locum merentur.* Tribunus ille, qui flagellari Paulum iuſſerat, maximi honoris loco ducebat eſſe ciuem Romanum, eamque dignitatem multâ pecuniæ ſummâ ſe comparaſſe ait; cumque audiiſſet Paulum eſſe ciuem Romanum, ſtatim ſolui eſſeque à flagris immunem voluit, *Act.* 22. ſi tanti olim erat eſſe ciuem Romanum, quantò pluris erit eſſe Chriſtianum & Eccleſiæ Chriſti ciuem? Hoc enim quid aliud eſt, quàm eſſe ciuem cœli? Nam vt ait Apoſtolus ad Hebræos fide Chriſti imbutos, cap. 12. adeoque ad omnes Chriſtianos: *Acceſſiſtis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cœleſtem & multorum millium Angelorum frequentiam & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cælis.*

Quare agamus inprimis, dilectiſſimi, immortales Deo gratias, qui non terreſtris Romæ, ſed cœleſtis Ieroſolymæ, nec veteris Synagogæ, ſed nouæ Chriſti Eccleſiæ ciues & membra ſumus. Quam quidem dignitatem non ære noſtro comparauimus, ſed alieno obtinemus, incomparabili ſanguinis Chriſti pretio. Deinde demus operam vt hoc nomine dignos nos exhibeamus, quò tandem è ſuburbio, quod eſt Eccleſia militans, gradum faciamus ad ipſam ciuitatem noſtram, quę eſt Eccleſia triumphans.

CONCIO III.

Peccata etiam venialia pro viribus vitanda.

Primò, quia licet animam omninò non obſcurent maculâ tamen aliquâ aſpergunt.
2. *Priuant hominem multis bonis gratiis conceſſis & concedendis &c.*
3. *Diſponunt ad grauiora peccata.*
4. *Obligant ad pœnam vel hic, vel*
5. *In purgatorio luendam.*
6. *Quia per ea offenditur Deus.*
7. *Quia ſi non magna, ſaltem multa ſunt.*

THEMA

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, Matth. 5.

SCribit P. Dauid in veridico Chriſtiano c. 93. quendam, qui in vitâ mente captus fuerat, poſt mortem Domino ſuo apparuiſſe & de ſtatu ſuo interrogatum reſpondiſſe: *Rigidè computatur & nihil remittitur.* Si nos hæc ſtulti, ſed iam tum ſapientis & experti vox non terret, Auditores, terreat nos vox Chriſti ſapientiſſimi, qui in hodierno Euangelio profectò illius fatui vocem voce ſua confirmat. Quàm enim putatis, rigidè ibi cōputabitur, quàm nihil remittetur, ſi quis iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio? ſi quis dicit *racha*, reus erit concilio? qui dicit *fatue*, reus erit gehennæ? Certè nos hæc peccata vel nulla vel exigua & venialia reputamus: & interim tamen audi- A. Rigidum Dei iudicium.

mus, quàm grauia ſupplicia illis ſint decreta. Et verò qui hoc dicit, ipſa Dei ſapientia eſt, imò Iudex ipſe. Ergò, Auditores, redeamus ad libellum cordis noſtri & nobiſcum computemus ipſi, num quid grauioris errati ibi comiſerimus. Nunc verò audiamus quantoperè vitanda ſint venialia etiam peccata.

B. I. Quia animam maculâ aſpergunt. Vitanda venialia PRIMÒ. Quia animam maculâ aliquâ aſpergunt; quamuis non omninò obſcurent conſpurcentque, vti faciunt mortalia. Mortale peccatum lepræ comparatur, veniale pſoræ ſeu ſcabiei. Illud inſtar lepræ hominem omninò abominabilem facit; & à communitate excludit iuſtorum; hoc verò inſtar ſcabiei non excludit quidem hominem à congregatione iuſtorum, nec omninò abominandum facit; Primò tamen vti

1. ſcabies horrorem aliquem parit ſanis, vt ægrè cum ſcabioſo edant, bibant & cubent: ita peccata venialia ſi crebra & grauiora ſint, horrorem pariunt bonis & conſcientioſis, vt non ſine moleſtiâ & onere cum illis conuerſentur. Inprimis verò principes viri vti in aulâ ſuâ non libenter habent aut vident coram ſe ſcabioſos: ſic enim & Nabuchodonoſor præcepit ſeligi ſibi pueros decoros, in quibus nulla eſſet macula, ita eiuſmodi ſcabies inprimis offendit oculos Dei, vt ægrè tales aſpiciat.

2. Secundò. Vti ſcabeis homini pruritum & moleſtiam affert, nec non pudorem & pædorem aliquem: ita peccata venialia ſi ſtudioſè & deditâ patrentur operâ, non ſtrangulant quidem mentem, relinquunt tamen in homine amaritudinem aliquam & pudorem; vt minùs quietus & tranquillus in animo ſuo eſſe poſſit, velletque ea occulta & tecta eſſe. Illa verò errata, quæ ex infirmitate tantùm vel inaduertentiâ aut etiam contractis habitibus prodeunt, generant in homine ſaltem confuſionem & ſui deſpicientiam, adeoque pædorem aliquem.

3. Tertiò, Vti ſcabies lepræ aliquatenus eſt ſimilis; vnde *Leuit.* 13. debuit Sacerdotum iudicio diſcerni à leprâ: ita peccata venialia ſæpe dubia ſunt, & ſunt interdum mortalia, quæ putantur venialia. Idcircò S. Gregorius 3. *Paſtor. admon.* 34. ait, certâ quadam conſideratione maius periculum eſſe culparum minorum, quàm maiorum: *Maior enim quò citiùs, quia ſit culpa, agnoſcitur, eò etiam celeriùs emendatur, minor verò, dum quaſi nulla creditur, eò peius quò & ſecuriùs in vſu retinetur.* Iam verò ſicut pſora frequens ſaltem aut continua iure timetur ne ſit ſpecies lepræ: ita multò magis timenda ſunt venialia ne fortè mortalia ſint, quæ eiiciunt nos à nuptiis cœleſtibus in tenebras exteriores.

C. II. Priuant hominem multis bonis. SECVNDÒ. Priuant hominem multis bonis. Primò conceſſis interdum gratiis, vti feſſus eſt S. Martinus Epiſcopus imminutam

1. Conceſſis interdum gratijs. ſibi fuiſſe virtutem in expellendis dæmonibus, propterea quòd aliquando cum Ithacianis ad horam licet & coactus, vt aliorum ſaluti conſuleret, communicauerit, in ordinatione Fælicis Epiſcopi Treuerenſis. Sulp. Seuerus *lib.* 3. *dial.* Minuit etiam & reſtinguit feruorem charitatis; & eneruat vires animi. Ob quam cauſam potiſſimùm timenda venialia peccata ſeruo Dei dicebat S. Laurentius Iuſtinianus. Lethale peccatum eſt veluti mors: veniale velut morbus. Lethale velut ſecuris ad radicem admota: veniale velut ſi arbori corticem detraheres; quæ inde quidem non emoritur, detrementum tamen patitur.

Secundò, priuant concedendis, vti guſtu in oratione aliiſque Dei ſeruitiis: auxilio & influxu ſpirituali ad vincendas tentationes & comparandas virtutes. Tametſi enim Deus dat omnibus gratiam ſufficientem ad ſuperandas tentationes &c. cum quâ poſſunt, ſi velint, vincere; non dat tamen omnibus ſuperabundantem & efficacem, cum quâ infallibiliter vincent. Hac verò ſpeciali gratiâ indignos ſeſe faciunt qui non curant Deum venialibus offendere. Quales enim nos Deo exhibemus, talem ſe nobis exhibet & remetitur nobis. Ergò ſi vitemus graues tantùm offenſas, cùm vitare poſſimus etiam leues: dabit etiam Deus leuiorem tantùm gratiam non ſuperabundantem. 2. Concedendis.

Tertiò, Profectu ſpirituali, ſicut onus retardat equum. Diſtrahunt enim mentem ad extranea & à Deo auocant. Calor natiuus ad membra externa diffuſus, ſtomachum deſtituit, vnde cruditates, indigeſtiones & morbi: ita ſi cor humanum per effectus inordinatos effundat ſe ad res creatas, mentem à Deo amoremque auocat, adeoque profectum impedit. 3. Profectu ſpirituali.

D. III. Diſponunt ad grauiora peccata. TERTIÒ. Diſponunt & trahunt hominem paulatim ad grauiora peccata; & denique ad mortalia. *Qui enim ſpernit modica, paulatim decidet*, ait Eccleſ. cap. 19. Primò, quia qui ſine horrore ac metu perpetrat minora mala, paulatim creſcit audaciâ vt nec maiorâ timeat deſignare. Sic fur incipit à rebus leuiculis, tùm progreditur ſenſim ad pretioſa, tandem omni metu poſito, vim etiam adhibet & ex furto viuit. *Sic in Iudâ*, inquit S. Chryſoſtomus hom. 87. in Matthæum, *maximum proditionis malum concreuit; niſi enim putaſſet, paruum eſſe pecuniam inopum ſurripere, in tantam proteruitatem non deueniſſet. Iudæi quoque niſi putaſſent inanis gloriæ delictum, minimum eſſe, vſque ad cædem Chriſti lapſi non fuiſſent. Hac viâ omnia ſcelera fieri videbis. Nemo enim repentè ad extremam impietatem inſilijt. Habet quippe inſitum quendam anima pudorem atque innatum, quem ſubitò calcare atque proijcere non poteſt, ſed ſenſim atque paulatim ex negligentiâ perit.* Quàm modicus circa Hercyniam ſyluam Danubius? & quàm magnus circa Helleſpontum? Quantum ſæpè ex ſcintillâ neglectâ incendium? 1.

2. Secundò. Quia dum negligentiâ noſtrâ volumus vitare leuiora mala, Deus ſubtrahit nobis gratiam, quâ præſeruaremur à grauioribus

ribus, & iuſtè quidem. Iuxta quem ſenſum interpretantur id Apoc. 3. *Quia tepidus es, incipiam te euomere. Incipiam*, ait: quia per hanc oſcitantiam, quâ homo ſciens ac prudens errat, Deo nauſeam quodammodò creat, ne imposterum illum adiuuet, & ita demeretur gratiam efficacem, ſine quâ labetur grauiùs & demum ex ore Dei euometur.

Tertiò. Quia per hoc dæmoni aditum præbemus, grauiùs nos tentandi & de lapſu in lapſum impellendi. Pharao petiuit, vt vel pecora tantùm, aut paruuli Hebræorum remanerent in Ægypto, vt hac illecebrâ illecti retraherentur & ipſi: ita dæmon quærit vt vel leuiora præcepta, quæ ſub mortali niminem obligant, tranſgrediamur, quò videlicet totos aliquando illaqueet. Bene igitur monet Sapiens Cant. 2. *Capite nobis vulpes paruulas*, id eſt, leuiores culpas, *quæ demoliuntur vineas*. Vulpeculæ annoſæ difficulter capiuntur, ob nimiam ſuam aſtutiam: paruulæ non item.

E. IV. Quia obligant ad pœnam.

Qvartò. Quia obligant hominem ad pœnam ſiue in hoc ſæculo, ſiue in purgatorio luendam; vbi imprimis homini ad tempus ianuam cœli præcludent. Parua res eſt vectis, fores tamen ita tibi præcludit, vt intrare nequeas. Hoc faciunt venialia errata. Si quis Rex deſponſaſſet ſibi puellam, & cùm dies nuptiarum adeſſet, præciperet ſponſam detrudi in tetrum carcerem & catenis alligari ferreis: haud dubiè diceremus, magnum quid deliquiſſe ſponſam. Hoc facit animæ ſibi deſponſatæ Chriſtus: quam, ſi vel vnico veniali peccato maculata ſit, poſt mortem non introducit ad ſperatas nuptias, ſed in carcerem purgatorij priùs detrudit. Deinde ad pœnam ſenſûs rapiunt. Ideo enim Apoſtolus 1. Corinth. 3. vocat ea *lignum, fœnum, ſtipulam*, quia ardebunt in purgatorio, & temporario illius igni debentur. Et quemadmodum in viſione dixit Angelus Furſeo, apud Bedam lib. 3. hiſtor. 19. *Sicut quis ardet in corpore per illicitam cupiditatem: ita ſolutus à corpore ardebit per debitam pœnam.* Ne verò eam leuem exiſtimes, audi S. Auguſtinum in Pſalm. 37. *Ignis ille grauior erit*, inquit, *quàm quidquid homo pati poteſt in hac vitâ.* Audi S. Bernardum de obitu Humberti: *Quod hic neglexinus*, ait, *illic centuplicites reddemus.* Aduerte etiam quàm grauiter puniuerit Deus venialia errata in hoc ſæculo. Nónne dubietatem Zachariæ de Angeli prædictione puniuit vocis ademptione Luc. 1. *An non audiſti*, ait S. Chryſoſt. in ep. ad Galat. cap. 1. *quòd is, qui in veteri quoque teſtamento Sabbatho ligna collegerat, vnicùm mandatum, nec id maximum, tranſgreſſus extremo affectus eſt ſupplicio?* Numer. 15. *quodque Oza, quoniam Arcam aliquis ſubuertendam fulcit, è veſtigio mortuus eſt?* Nónne Nadab & Abiu filij Aaron deuorati ſunt ab igne, præcisè quòd *ignem alienum*, id eſt, profanum obtulerint. *Leuit.* 10. Nónne vir Dei & propheta occiſus eſt à leone, iuſſu Dei, eò quòd deceptus ab alio propheta in eius domo cibum ſumpſerit contra Dei mandatum, 3. Reg. 13. Nónne Moyſes & Aaron ob leuiſſimam culpam mori à Deo iuſſi ſunt in deſerto? *Deuter.* 34. & *Num.* 33. Nónne vxor Loth, ob leuem reſpectionis culpam, in ſalis ſtatuam verſa eſt? *Gen.* 19. Nónne ob vnam S. Hilarionis in oratione diſtractionem permiſit Deus dæmonem in eius dorſum inſilire & latera calcibus, ceruicem flagello verberare? vt ſcribit S. Hieronymus in vitâ cap. 3. Quòd ſi hæc in viridi gratiæ ſæculo facta ſunt: in arido illo iuſtitiæ ſæculo quid fiet?

F. V. Quia magnus eſt Deus qui iis offenditur.

Qvintò. Quia licet ea parua ſint, magnus tamen eſt Deus, qui per ea offenditur. Vnde S. Hieronymus in epiſt. ad Celantiam ſcribit: *Sanè neſcio, an poſſimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Eſtq; ille prudentiſſimus, qui non tam conſiderat, quid iuſſum ſit, quàm illum qui iuſſerit; nec quantitatem imperij, ſed imperantis cogitat dignitatem.* Hoc vtique conſiderabat S. Paula, quæ, vt ſcribit idem Hieronymus in eius Epitaphio, ita leuia peccata plangebat, vt eam grauiſſimi criminis crederes ream. Euagrius Sacerdos ob vnum detractionis verbum perdius & pernox dies quadraginta ſub dio exigit. S. Maurilius Epiſcopus quòd pueri mortem baptiſmo non præueniſſet, ſeipſum Epiſcopatu amouit & ad perpetuam peregrinationem condemnauit. S. Euſebius vnam mentis inter orandum euagationem perpetuâ oculorum continentiâ, quâ non niſi prorſum aſpicere poſſet, damnauit. Vnde diſcimus non licere vel vno veniali peccato quærere ſalutem multorum, imò, totius mundi. Eſt enim culpa etiam venialis, maius malum, quàm ſint omnia mala pœnæ in vnum collecta; quia malum ſuperioris ordinis eſt, quod grauitatem ſumit à perſonâ offenſâ, quæ eſt infinitæ dignitatis. Hinc qui ingenui ſunt animi, metuunt Deum offendere etiam in minimis, quia non reſpiciunt ad peccatum, quod paruum reputatur, ſed ad ipſum Deum, qui magnus eſt & de minimis etiam rationem exigit: ſicut contrà qui hoc non curant, abiectos & ignobiles ſe produnt ſeruos, qui nolunt parere Domino, niſi grandia imperet, aut ſtricto gladio miniſue eos terreat. Lamentatur valde Iſaias cap. 6. quòd cùm vidiſſet Seraphinos Deum laudantes, non potuerit ſe iungere ipſis, vnaque Deum laudare, propterea quòd vir eſſet labiis pollutus, adeoque indignus qui cum tali præſertim cœtu Deum laudaret. *Væ mihi quia tacui*, inquit, *quia vir pollutus labijs ego ſum.* Pollutio hæc, ſecundùm Hieron. Cyrillum & Haymonem fuit peccatum taciturnitatis, quo omiſit, ex tædio vel metu, inſectari vitia populi & procerum, imprimis Regis Oziæ, præſumentis adolere incenſum. Cæterùm non mortale, ſed veniale tantùm fuiſſe hoc peccatum colligitur ex eo, quòd eum Deus tam ſublimi viſione ſui & Seraphinorum dignatus ſit. Eccur igitur, inquies, ita lamentatur & deplorat hoc peccatum? Ratio eſt, quia cum pollutione ſuâ vidit Deum oculis ſuis; vti ſtatim ſubdit: *Et Regem Dominum exercituum vidi oculis meis*, q. d. Antea parui feci peccatum meum: nunc

videas Dei ſanctitatem puritatem & maieſtatem, ac Seraphim clamantes; Sanctus, Sanctus, Sanctus; video quàm impurum & horridum ſit meum peccatum. Perinde ac ſi ſimul videas tenebras & lucem, ſolem & cloacam, Regem & ſcurram, magis tunc perſpicies, quantum vnum ab alio diſtet. Sentiunt magni Domini, non tantùm cùm verberibus, ſed cùm verbo etiam offenduntur. Et ſcimus ex *Luc.* 8. Chriſtum non ſolùm ſenſiſſe cùm à turbâ premeretur & affligeretur, verùm etiam cùm tangeretur. Ideo enim quæſiuit: *Quis me tetigit?* Et quaſi hæc aliqua iniuria eſſet, omnes negauerunt; mulier verò quæ tetigerat eum, tremens id confeſſa eſt. Tangit Deum, qui venialiter; premit, qui mortaliter peccat.

G. VI. Quia ſi non magna ſaltē multa ſunt.

Sexto. Quia ſi non magna, ſaltem multa ſunt: vnde ſi non nocent *vt fulmine*, nocent ſaltem *vt grandine*, vt de ſimili dixit Quintilianus lib. 6. cap. 12. *Et ſi ea non times, quando ponderas, time ſaltem, quando annumeras*, ait S. Auguſtinus. *Quid intereſt* (ait idem epiſt. 108. ad Seleucianum) *ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam & per negligentiam derelicta atque contempta impleat nauim atque ſubmergat?* Idcircò ſicut nauis ſubinde ſemper exhauriri debet, ne mergatur: ita nos crebrâ oratione, tunſione pectoris, aquæ luſtralis aſperſione, recitatione orationis Dominicæ, noſtrâ diſcuſſione, confeſſione, ieiunio & eleemoſynâ eiicere defectus & imperfectiones noſtras debemus, quæ ſenſim in animam illabuntur vt eam aliquando ſubmergant: non quod multa venialia vnum efficiant mortale vel ſufficiant ad inferendam mortem animæ, ſed quòd diſponant ad mortale, vt diximus. At verò qui venialia contemnunt vel etiam defendunt, profectò non euacuant nauem ſuam; numquam enim dolent de admiſſis: numquam proponunt ea vitare: & ita in hoc ſæculo ab iis numquam abſoluuntur. Quantum ergo iſti cumulum culparum & pœnarum efferent ſecum è vita in purgatorio luendarum? Quantum lignorum aceruum congerunt; vt in eo ardeant?

Quare, Auditores, ne ſimus in hac re ſimiles Phœnici, quæ ad ſui combuſtionem ligna comportare dicitur. Imitemur potiùs Pelicanum, qui excitatum circa nidum à venatoribus ignem, alis ſuis extinguere ſatagit: (Pier. *lib.* 20. *hierogl.*) exuramus hìc omnem vſtilem materiam, lignum, fœnum, ſtipulam, hoc eſt, opera culpabilia, ne in purgatorio inflammata pœnam nobis afferant omni terrenâ grauiorem.

CONCIO IV.

Ars iraſcendi ſine peccato, ſeu cur, cui, quando, quouſque.

Vt ira non ſit rea iudicij, ornetur his circumſtantijs. Prima eſt Cur, *ſiue ob quas res iraſci deceat vel non deceat: non ob bonas, paruas, & inexploratas.*

2. Quibus *iraſcendum: non Principibus, parentibus, amentibus, &c.*

3. Quando *iraſcendum: dum ſcilicet honor Dei offenditur.*

4. Quomodo: *nimirum vt ira regatur à ratione, non regat.*

5. Quouſque: *vt non retineatur in corde, nec erumpat in verba aut procedat ad verbera.*

THEMA.

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio. Matth. 5.

Terribilis apparet illa Domini ſententia: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio.* Quid enim inter homines communius & frequentius quàm iraſci? Et ſi rei ſunt iudicij diuini quicunque iraſcuntur fratribus ſuis, quid fiet, quæſo, de nobis, qui toties & tam facilè iraſcimur? An non cum diſcipulis Chriſti dicere debemus: *Quis ergo poterit ſaluus eſſe?* Matth. 19. Sed mitigat hunc terrorem S. Aug. *lib.* 1. *de ſerm. Domini in monte c.* 18. Et D. Greg. *lib.* 21. *Moral. cap.* 4. qui volunt per iudicium hoc loco, non deſignari gehennam ſeu condemnationem, ſed locum diſcuſſionis & examinis, vbi cauſa diſcutitur & defenſioni locus datur. Quòd ſi igitur rationabilis & iuſta fuerit ira tua, nihil eſt quod metuas: in iudicio enim Dei abſolueris: magis eſt quod ſperes illius iræ præmium. Si verò irrationabilis fuerit, in iudicio condemnabere. Vnde S. Chryſoſt. *hom.* 11. *ſuper Matth.* hunc locum ſic legit: *Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa reus erit iudicio.* Ex quo ille ſic colligit: *Ergo qui cum cauſa iraſcitur, non erit reus: nam ſi ira non fuerit, nec doctrina proficit, neque iudicata ſtant, neque crimina compeſcuntur; iuſta ergo ira mater eſt diſciplinæ: atque ita non ſolùm non peccant, qui cum causâ iraſcuntur, ſed econtra niſi irati fuerint, peccant.* Hæc ille. Quare *Pſal.* 4. ait Dauid *Iraſcimini & nolite peccare.* Sed hinc quæſtio mox exoritur, quomodo conſtituta eſſe debeat ira, quibuſque ornata circumſtantiis, vt rea non ſit iudicij, ſed potiùs laudabilis. Audiamus ergo. A.

B. I. Ob quæ iraſci deceat vel non deceat.

Ariſtoteles 4. Ethicor. cap. 5. ait: *Qui ob quæ oportet & quibus oportet, iraſcitur,* (adde etiam quomodo, quando, & quouſque) *laudatur.* Primò igitur Cur, ſeu ob quæ iraſci nō decet? Reſpondeo, ob res bonas, paruas, inexploratas, ſi enim bonæ ſunt, laudem potiùs merentur & gratulationem, non indignationem. Propterea

pótereà Dominus Magdalenæ defenſionem ſuſcipit cótra eos qui ei indignabantur ob factam vnctionem, Matth. 26. *Quid moleſti eſtis huic mulieri? bonum opus operata eſt in me.* Et Iudeis frendentibus quod curaſſet hominem in Sabbatho, dixit: *Mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbatho?* Grauiter in hoc deliquit Cayphas, qui ob ſuauiſſimam & omni acceptione dignam Domini vocem, irâ excanduit & veſtem ſuam ſcidit, quaſi blaſphemiam audiſſet. Et hi ex patre diabolo ſunt, qui ſeruis ſuis iraſcuntur, quoties aliquid boni agunt, orant, confitentur; vti ſagis facere conſueuit. Hinc Iudæis indignantibus quòd veritatem ſibi à Chriſto dici audirent, ait Dominus: *Vos ex patre diabolo eſtis.*

Si paruæ, indignæ ſunt, vt propter eas animus cum corpore turbetur & quaſi exercitus conſcribatur armeturque ex omnibus pænè hominis potentiis. Certè in forenſibus *de minimis non curat prætor.* Et prodit ſuam infirmitatem, qui ob rem leuiculam ad iracundiam exardeſcit. Vt enim exulcerata & ægra ſunt corpora, quæ ad tactus leviſſimos gemunt; ita ira ex leuicula re accenſa puerilis & infirmi animi eſt indicium, teſte Senec. lib. 1. de ira. Pueris ſi vnum chartæ luſoriæ folium auferas, totum ludum abiiciunt; itaque qui ob rem leuem excandeſcunt, pueros ſe oſtendunt. Adhæc qui erga leuia errata vehementiùs quàm par eſt, iraſcitur, is delinquentem non ſinit inter culpam extremam & mediocrem, quid interſit, agnoſcere. Stobæus ſerm. de ira.

Si exploratæ, magis adhuc cauendum iræ præcipitium: ne fortè confundaris & parum te prudentem demonſtres, ſi innocentes facias reos. Quemadmodum Phocion Athenienſis nuntiata Alexandri morte, non ſtatim credidit; ſed, *ſi hodie*, inquit, *mortuus eſt, & cras & perendie mortuus erit*, apud Plut. Ita non ſtatim fidendum dicentibus nos ab hoc vel illo affectos eſſe iniuria; ſed veritas exploranda. Aliquæ ciuitates turpiter ſunt confuſæ & riſui expoſitæ, quòd à longè aduentantes aliquos pro hoſtibus habuêre, iiſque armati occurrêre; cùm illi fortè ſupplicationem peragerent. Pari ratione confuſionis periculo non caret, armare ſe per iracundiam contra rem nondum exploratam ac certam.

C. II. Quibus non iraſcendum? Principibus.

SECVNDÒ. Quibus non iraſcendum? Reſpondeo, principibus, amentibus, aut quos ætas tenera vel conditio docet eſſe contemnendos. Nam principibus iraſci periculoſum eſt, ſicut ſuſcitare leonem dormientem. Vnde Geneſ. 49. de tribu Iuda, ſceptri dignitate & potentia cæteris præcellente, ait Iacob: *Catulus leonis Iuda: quis ſuſcitabit eum*; hoc eſt, quis eum bello laceſſere audeat? quiſquis id faxit, non feret impunè, vt explicat ibi Cornelius. Hinc ergo Dauid ſemper ceſſit furori Saulis; dicebat enim in corde ſuo: *Aliquando incidam vnâ die in manus Saul, nónne melius eſt vt fugiam & ſaluer in terra Philiſtinorum? fugiam ergo manus eius*, 1. Reg. 27. Cumque eum iteratò deprehenſum occidere potuiſſet, non conuiciabatur, aut probris laceſſebat; ſed orabat & verbis placabat: linguam item premebat ſilentio, ne aliquando in vocem erumperet pœnitendam; vnde Pſ. 38. ait: *Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me: obmutui & humiliatus ſum & ſilui à bonis*, id eſt, à iuſta defenſione.

Parentibus.

Parentibus iraſci natura vetat & honor illis debitus. (Niſi fortè filij vel alij à parentibus iniquè valdè tractarentur, quo caſu poſſent filij voce vel vultu inſinuare, id ſibi diſplicere vt Ionathas, cùm vidiſſet patrem vibraſſe lanceam contra Dauidem, *ſurrexit à menſâ in irâ furoris*, 1. Reg. 21.) Cui rei ſufficiat exemplum Abſalonis, qui ob impugnatũ patrem, è quercu pendulus tribus lanceis eſt perfoſſus, & quidem *in corde*, vt ait textus, quia ſcilicet corde non odiſſe, ſed diligere patrem debebat, 2. Reg. 18. Tantum ergo ſcelus ipſi arboris rami vlti ſunt, quia nimirum rami firmiter adhærent arbori, velut eius filij: Abſalon verò à patre ſuo turpiter diſceſſit. Certè in hodierno etiam Euangelio tres acutiſſimas lanceas in eiuſmodi filium vibrat Dominus: *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio: qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Si enim horum reus eſt, qui talia facit fratri: quantò magis reus erit, qui facit patri vel matri?

Amentibus.

Amentibus iraſci, amentia eſt, ſiquidem ipſi nec culpæ nec reprehenſionis capaces ſunt, ſed magis inde efferantur, tantum abeſt vt cautiores fiant. Quamquam voce terreri poſſunt, quod non eſt iraſci propriè. Idem ferè dicendum de ebriis; tametſi enim illi culpâ non vacant, conniuendum tamen eis, quia tunc belluæ potiùs quàm homines ſunt. Pyrrho regi cùm ebrius quidam maledixiſſet, ab eo interrogatus, num ita dixiſſet, reſpondit: *Dixi, dicturus etiam plura ſi plus vini appoſitum mihi fuiſſet.* Igitur ridens Pyrrhus hominem mox dimiſit. Similiter cùm conuiua bene potus Piſiſtrato maledixiſſet: monitus Piſiſtratus vt hominem puniret, reſpondit ſe nihilo pluris ob id indignari, quàm ſi quis obligatis oculis in eum incurriſſet, Ælian. Eadem ferè ratio de pueris & imbecillibus: vti fœminis, quarum iniurias ſufficit contemnere, quemadmodum moloſſi contemnunt latratus catellorum. Sic Iob vxori ſibi infeſtæ dicebat: *Tanquam vna de ſtultis mulieribus locuta es.* Lutetiæ Pariſiorum cùm in area quadam concluſus iaceret leo, proiecta ad ipſum vulpes eſt, quæ ſtatim lethalem hoſtem ſentiens ac terribilem, gannire ſtupendum in modum cœpit, quaſi deplorans ſortem ſuam. Non ſe loco mouebat leo: illa autem circumiens irruit toto impetu in os eius, à quo ſe deuoratum iri ſentiebat, ſtrinxitque illud dentibus vt potuit, vt ex hac vltione & vulpinâ audaciâ aliquod haberet in morte ſolatium. Nec hoc quidem auſu temerario ad iram concitatum eſt animal generoſum, ſed tantum excuſſit caput & hærentem naribus infirmum aduerſarium

Pueris & fœminis.

ſarium tantâ vi impegit in vicinum parietem vt etiã alliſerit. Refert Chaſſaſſius *de prudent. l. 3. cap. 7.* Eadem quoque nebulonum & infamium ratio perſonarum, quandoquidem à brutis non procul abſunt. Contemnantur igitur velut indigni propter quos vel manum moueas. Vſus eſt hac induſtriâ Socrates, qui in viâ per laſciuiam calce impetitus à quodam, mirantibus quòd non iraſceretur: *Quid facerem*, inquit? Illis hortantibus vt hominem vocaret in ius. *Ridiculum*, inquit, *nam ſi quis aſinus me calce percuſſiſſet, num diceretis mihi: voca illum in ius?* Rurſum cuidam admiranti, quòd nihil in eum commoueretur, à quo conuitiis laceſſebatur: *Mihi*, inquit, *non maledicit, quandoquidem ea quæ dixit, mihi non adſunt.* Quemadmodum ergo ſi quis lippus oculorum errore deceptus Platonem appellet Socratem & in Socratem congerat maledicta, is non maledicit Platoni, ſed Socrati: ſic, &c.

Infamibus.

Rebus ratione carentibus.

Pari modo non ſæuiendum in res ratione carentes, inſtar puerorum cædentium lapides in quos irruerunt: luſorum lacerantium chartas, quibus ſua perdiderunt: canum mordentium proiectos in ſe lapides, &c. ſic enim inſanum & ridiculum te præberes & brutis rebus ſimilem.

D. III. Quando conuenit iraſci.

Tertiò. Quando conuenit iraſci? Reſpondeo; quando Dei honor offenditur & peccata committuntur. Quâ de re S. Chryſoſtomus ait: *In iniuriis propriis patientem eſſe laudabile eſt; iniurias autem Dei patienter ſuſtinere, nimis eſt impium.* Sic iratus Moyſes alioqui mitiſſimus; occidit Idololatrarum multa millia *Exod.* 32. Phinees ſcortatores. *Num.* 25. Elias 400. pſeudo-prophetas, 3. *Reg.* 18. Quamquam omnia hæc fecerunt non authoritate propriâ, ſed diuinâ, zelo honoris Dei inflammati. Dominus ipſe cum flagello eiecit vendentes & ementes, *Luc.* 19. Adhæc: *Tum demum iraſci potes*, dicebat Paſtor Abbas, *ſi à Deo timeas ſeparari*; in vitis PP.

E. IV. Quomodo.

Quarto. Quomodo? Reſp. eo modo, quem obſeruabat Chriſtus, exemplar rectitudinis omnis & perfectionis. Is verò irâ non vt paſſione ſed vt propaſſione vſus eſt. Ira paſſio eſt, cùm hominem regit & impellit: propaſſio, cùm ab homine regitur & rationem ſequitur, velut canis paſtorem, qui cùm à ratione emittitur, excurrat: cùm ab eadem reuocatur, redeat & conquieſcat. Licet verò aliquando præueniat rationem & voluntatem, poteſt tamen ac debet ab eadem frænari & cohiberi. Vnde Chryſoſtom. *hom.* 30. *ad pop. Antioch.* ait: *Canis eſt impudens ira: ſed legem audire diſcat. Si furit canis in grege tam ferox, vt non obediat iubenti paſtori, nec eius vocem audiat, omnia perdita ſunt: cum ouibus paſcitur, ſed ſi oues guſtauerit, inutilis eſt; ſed ſi te audire diſcit, ale canem, vtilis erit contra lupos & piratas.* Hæc ille. Secundùm Ariſtotelem ira debet eſſe ſicut miles, non ſicut Dux, in caſtigando: Nimirum vt regatur à ratione, non regat. Itaque Primò, vitiis iraſci oportet, non hominibus. Sic Dominus Marci 3. *circumſpiciens eos cum irâ, contriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis* Iudæorum: quaſi ipſo vultu declarans iram hanc à ſe ſummâ ratione ſuſceptam. Condolebat enim hominibus, iraſcebatur vitiis; inſtar medici, qui non indignatur ægroto, ſed morbo, eumque variis antipharmacis impugnat. *Medici*, inquit D. Chryſoſtomus homil. 18. in Matth. *quando iniuriis & calcibus caduntur furentium, tunc illorum magis miſerentur, ſcientes magnitudinem morbi hac iniuriâ ſignificari. Hoc nos & in ira percitis ſeruemus, &c.*

Vitiis, non hominibus.

2. *Amore iuſtitiæ, non propria vindicta.*

Secundò, amore iuſtitiæ & honoris Dei, non amore propriæ vindictæ; alioquin ſi propriæ vindictæ appetitus iram exſuſcitet, iam tuipſius Iudex & Vindex es; quòd nullo iure permiſſum. Quando diſcipuli Chriſti, rati ſe in perſona Magiſtri ſui contemni, optarunt ignem de cœlo deſcendere in Samaritanos, eoſque conſumere, repreſſi ſunt à Domino dicente: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*, Luc. 12. Poſteà verò ad ſolum Dei honorem reſpicientes, iuſtè ac cum laude puniuerunt ſubita morte Ananiam & Saphiram, *Actor.* 5. Elyman magum cæcitate, *Actor.* 13.

3. *Cum mentis tranquillitate.*

Tertiò, vt ſeueritas correctionis externæ, mentis tranquillitatem non perturbet. Ad quod obtinendum: collige te priùs antequam iram præ te feras, ſicuti ingruente tempeſtate anchora eiecta priùs firmatur nauis ne iactetur tempeſtate. Suprema aëris regio ſemper eſt tranquilla & ſerena, licet inferior tonet, nubes cogat & fulminet. Sic animus irati licet extra præſeferat iram, ſemper tamen pacatus eſſe debet interiùs. Et ſic iraſcitur Deus, qui in ſe ſemper tranquilliſſimus, extra ſolùm tonat, fulminat & punit: ideoque eius ira à Ieremia cap. 25. *ira columba* vocatur, vt exponit S. Greg. ſuper c. 40. Iob & Maldonatus. Ratio, quia alioquin is qui corrigitur, pœnam ſibi irrogatam non poterit boni conſulere, quam credet & videbit ex perturbatione potiùs quàm ex ratione deſcendere.

F. V. Quouſque.

F. *Non retineatur in corde.*

Quintò. Quouſque? Reſpondeo ſicut Deus mari poſuit terminum: *Vſque huc venies & non procedes ampliùs*, Iob 38. ſic ponendum iræ quoque terminum. Ergo Primò, non procedat in corde, ſeu non diu retineatur, alioquin *ira inueterata fit odium* vt ait Auguſt. in Pſalm. 149. Idem Auguſtinus in regula ait: *Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira creſcat in odium & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam.* Nemo neſcit ſclopeta ſeu bombardas à multo tempore oneratas non explodi ſine periculo: ita res habet cum ira inueterata. Proptereà Apoſtolus *ad Epheſ.* 4. non vltra diem iubet retinere hoc onus in ſclopeto cordis noſtri: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Quod & moraliter intelligi poteſt, ne charitas proximi in ira extinguatur, ſi diutius retineatur. In hodierno Euangelio Dominus iubet huic negotio, reconciliationi videlicet cum fratre, poſtponi ſacrificium & ipſummet Dei cultum: *Relinque ibi munus tuum ad altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo.* Velut igitur canis mordax in

catena

externâ ſemper retinenda eſt ira & mox retrahenda: dicendamque quod mari ferueſcenti & fluctuanti Deus dixit: *Vſque huc venies & hic confringes tumentes fluctus tuos. Iraſcimini igitur & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini*, id eſt, veſperi mox dolete & punite atque excutite iram veſtrám, ad exemplum Dauidis, qui poſtquam ex aliqualis vindictæ affectu abſcidiſſet Sauli partem chlamydis, mox facti pœnituit & *percuſſit eum cor ſuum*. 1. Reg. 24.

2. *Non erumpat in verba.* Secundò, non prorumpat in verba iniurioſa & contemptibilia; de his enim dicit Dominus: *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ: qui dixerit racha reus erit concilio.* Sic Dauid Pſalm. 142. *In me turbatum eſt cor meum*, id eſt, *non foris perturbationem oſtendi, ſed veluti quandam abruptam vndam intra littus retinui*, vt exponit Baſilius *hom. de irâ*. Ratio, quia alioquin ad vindictam procedores potiùs, quàm ad emendationem eius, in quem frendis; cùm ſatis futurum præuideas vt ille inde grauiter exacerbetur; tantum abeſt vt vtilitatem accipiat. Quemadmodum enim is qui nudato gladio ab alio percutitur, non poteſt id bono animo, quaſi correctionem, accipere; quod tamen faceret, ſi gladio in vagina recondito percuteretur. Sic qui conuitiis & contumeliis appetitur conuitiantem pro hoſte habet & carnifice, non pro correctore aut amico. *Lingua* enim *eorum gladius acutus.*, & ſæpè vehementiùs ferit, quàm enſis. Quâ in re infinities pænè delinquunt patres & matres-familias, dum filios & filias, ſeruos & ancillas innumeris probris nulla veritate ſubnixis onerant: & nunc quidem fures, nunc ſigas & meretrices vocant, ſicque eorum infirmos animos grauiter exulcerant. Tametſi leuiorum conuitiorum, quæ ætatis penè omnibus accommodari poſſunt & vtcumque veritate nituntur, alia eſt ratio, vt cum ſtulti, ſtupidi, refractarii, improbi per modum correctionis appellantur, ſic enim diſcipulos aliquos vocauit Chriſtus *ſtultos*, Luc. 24. Ioannes Baptiſta Iudæos, *genimina viperarum*, Luc. 3. Paulus Galatas *inſenſatos*, ad Gal. 3.

3. *Non procedat ad verbera.* Tertiò, non procedat in verbera, ne ſcilicet vindictam opere exerceat, quia cùm duo in omni opere obſeruari debeant, iuſtitia & miſericordia, ira neutrum obſeruat. Non miſericordiam vt patet & confirmatur Prou. 27. *Ira non habet miſericordiam.* Non iuſtitiam, quia non attendit nec attendere poteſt ad culpæ quantitatem, præ turbatione mentis: & vt plurimum grauiter excedit. Vt enim per nebulam corpora, ſic per iracundiam res maiores videntur. Sic Plato caſtigaturus puerum iratus interueniente Xenocrate: *Flagella tu*, inquit, *hunc puerum, nam ipſe ſum iratus*, Laërt. lib. 3. Sic Architas Tarentinus vir primarius quodam die ad ſeruum delinquentem dixiſſe fertur: *Iam te verberibus enecarem, niſi iratus eſſem.* Confirmatur Iac. 1. *Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur*, inquit, Eadem de cauſa propoſita mala quæ in ira conceperis, nequaquam executioni danda. Cuius rei exemplum præbet egregium Aurelianus Imperator, cuius ſymbolum erat. *Quò maior, eò placabilior.* Is cùm Thyanam Bithyniæ vrbem obſidens, fortè per iracundiam dixiſſet, ſe ne canem quidem in ea relicturum incolumem, eaque voce milites in ſpem prædæ erexiſſet, captâ demum per deditionem ciuitate Aurelianus vnum proditorem Heraclemonem occidi paſſus eſt, reliquis omnibus parcens ciuibus: quorum cædem & direptionem cùm vrgerent milites iuxta promiſſum Cæſaris: *Agite*, inquit, *canem negaui me relicturum, canes omnes occidite.* Refert Symp. in ſpec. Magiſt. ſigno 89. Quare ſapientiſſimè S. Hiero. in ep. ad Saluinam ait: *Iraſci hominis eſt: & iram non perficere, Chriſtiani. Iraſcimini igitur, & nolite peccare*, &c.

CONCIO V.

Iræ propriæ ſedandæ remedia.

Pro primo remedio aſſignatur; Obſtare principiis & ſuffocare iram gliſcentem.

2. *Non præcipitare.*
3. *Remouere materiam iræ.*
4. *Salutaris cogitationibus ſe munire, conſiderando effectus & damna iræ.*

THEMA

Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit Iudicio. Matt. 5.

IEremiæ cap. 1. libri eius legimus oſtenſam à Deo mirabilem viſionem: ollam nimirum ſuccenſam & ebullientem; & priùs immediatè virgam vigilantem, ſeu paratam ad feriendum, reſpondiſſeque Deum: *Bene vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbo meo vt faciam illud.* A Non abſimile quid video in hodierno Euangelio. Ollam enim ſuccenſam video imprimis in eo deſcribi ac proponi, quæ primò in corde æſtuet iracundiâ, deinde ebulliat in verba indignationis & contemptum, dicens fratri ſuo *racha*, & *fatue*. Sed video prætereà imminere huic ollæ virgam, *virgam*, inquam, *vigilantem* & minantem flagra. Quænam verò illa? *Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio*, &c. hoc eſt, reus erit mortis æternæ. Videòr inſuper mihi audire verbum illud: *Vigilabo ego ſuper verbo meo vt faciam illud*: ait enim: *Ego autem dico vobis.* Itaque ſi nihil aliud eſſet, quod ab ira nos coërcere deberet, verbum hoc deberet, & virga iudicium comminãs. De mari loquitur Deus, Iob c. 38. *Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia, & dixi: vſque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Et ecce mare obedit voci creatoris ſui vſque in hodiernum diem. Quid igitur eſt, quòd non obediat eidem homo æſtuans iracundiam, cùm tamen audiat in hod. Euangel. præfixum ſibi limitem: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui dixerit racha, reus erit concilio, qui dixerit fatue, reus*

Digitized by Google

rem erit gehenna ignis? Itáne mare obedit Deo ſuo: & homo non obediet? An non iure hîc vſurpemus id Iſaiæ cap. 23. *Erubeſce Sidon, ait mare*? Erubeſce homo, inquit mare, quod Dei ſui voci paret, quam tu audire renuis. Cæterùm, quia mare non ſolùm audiit: vſque huc venies, ſed præterea terminis ſuis & ripis eſt concluſum: adhibeamus etiam nos iræ compeſcendæ aliquot remedia, quaſi littora, quibus eam includamus.

B. I. Suffoca gliſcentem iram.

PRIMÒ. Principiis obſta, & ſuffoca in te ignem iræ, cohibe te, nec quicquam loquaris, ſic enim & ignis intra fornicem, ſi vndique obſtruantur foramina, ne erumpere queat, in ſeipſo ſuffocatur, nec valet incendere domum. Hoc voluit Apoſtolus, *ad Epheſ.* 4. cùm poſt ea verba: *ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Mox ſubiungit: *Nolite locum dare diabolo*; ira enim recepta in animo locum parat diabolo, & aditum præbet pluribus peccatis.

Cogita iram eſſe feram, quam ſi manſueſceris, heroicum actum præſtiteris, non minùs quàm Dauid, cùm leonem & vrſum ſuffocauit apprehendens mentum eorum, 1. *Reg.* 17. quod ſignificat initium iræ. Vnde S. Chryſoſt. *hom.* 5. *in Matth.* ait: *Ponamus iram beſtiam quandam eſſe: quantum igitur ab alijs erga mitigandum leonem ſtudium commodatur, tantam tu erga iracundiam impende curam, & effice huiuſmodi cogitationem mitem atque manſuetam, ſiquidem hæc fera & vnguibus ſæuiſſimis armatur & dentibus: & niſi illam ſollicitè manſueſeceris, cuncta ſimul diſperdet atque lacerabit.* Sic ille. Sed nimis difficile eſt hoc, inquis. Atqui *ſub te erit appetitus eius* (peccati) *& tu dominaberis illius*, ait Deus *Gen.* 4. Deinde qui fit, vt celebrentur ob hanc virtutem multi Ethnici? Antigonus Rex gentilis duos cubicularios excubantes ſibi maledicere audiens, inſperatò allocutus eſt: *Longiùs diſcedite, ne vos rex audiat*, apud Senecam *l.* 3. *de irâ c.* 22. Piſiſtratus Athenienſium Tyrannus, cùm ebrius conuiua in eius crudelitatem diceret, nec deeſſent qui vellent manus obtrectatori iniicere, prohibuit dicens, ſe non magis illi ſuccenſere, quàm ſi quis obligatis oculis in ſe incurriſſet. ib. cap. 11. Philippus Rex, cùm legatis Athenienſium reſponderet: *Dicite mihi: facere quid poſſum, quod ſit Athenienſibus gratum.* Excepit Demochares Legatorum vnus: *Te*, inquit, *ſuſpendere.* Quod reſponſum cùm omnes ad indignationem prouocaret, Rex manſuetè tulit & ad cæteros Legatos conuerſus: *At vos*, inquit, *nuntiate Athenienſibus multò ſuperbiores eſſe qui iſta dicunt, quàm qui impunè dicta audiunt*, ib. c. 23. Socrates pugno percuſſus nihil ampliùs dixit, quàm moleſtum eſſe quod neſcirent homines, quando cum galeâ prodire deberent. ib. cap. 11. potuerunt igitur hoc Ethnici: & non poterunt Chriſtiani? nónne lex Chriſtiana ferocem gentilium vitam, transfudit in mitiorem?

C. II. Ne præcipita.

SECVNDÒ. Ne præcipita. Docuit hoc ipſe Deus *Exod.* 32. cùm puniturus delinquentes, teneri à Moyſe voluit, hoc ipſo quòd ait: *Dimitte me vt iraſcatur furor meus.* q. d. prohibe me vel retarda tuis precibus. Sic Athenodorus valedicens Auguſto Imp. hoc ei monitum reliquit: *Cùm iraſceris Auguſte, nihil ante vel dixeris vel feceris, quàm tecum* 24. *literarum elementa repetieris.* Mox Auguſtus manum eius apprehendens: *Etiamnum*, inquit, *tuâ opus mihi eſt præſentiâ.* Plut. *in apoth. Rom.* De eodem Auguſto refert Claudius Paradinus, geſtaſſe eum in manu annulum, in quo ſculptus erat cancer marinus, qui vtraque forfice tenebat papilionem, vermem præcipitantiæ typum; quo ſeipſum admoneret, ne in ira præceps eſſet. Confirmat hoc Democritus, qui interrogatus quid in conſiliis principum eſſet peſſimum, reſpondit: *præcipitantia.* Seneca lib. 3. de irâ ait: *Multos abſolueremus, ſi cœperimus ante iudicare quàm iraſci.* Cogita ergo prius non eſſe tantam, quæ tibi infertur, iniuriam, quantam putas. Ratio, quia vt Plut. de cohib. irâ ſcribit, *quemadmodum per nebulam corpora: ita per iram maiora videntur, quæ commiſſa ſunt.* Nautæ ad nauigandum expectant tranquillum mare; iidem præſentientes tempeſtatem, anchoris firmant naues: ita priuſquam ingruat tempeſtas iracundiæ, ratione firmandus animus & in diuerſum nitendum, vt ait Plut. in mora. lib.

D. III. Remoue materiam iræ.

TERTIÒ. Remoue materiam iræ, ſicut ligna procul ab igne. Cotys Thracum Rex, cùm eſſet naturâ ſæuior in corripiendis ſeruis delinquentibus & quidam dono ei obtuliſſet vaſcula fragilia tenuiaque ſed affabrè elaborata: offerenti quidem dedit munera: cæterùm vaſa omnia mox confregit. Demirantibus cur id faceret: *Ne*, inquit, *ſæuirem in eos qui fracturi erant.* Plut. in apophtheg. Seneca *l.* 3. *de irâ c.* 11. ait; *Non vis eſſe iracundus? ne ſis curioſus. Qui inquirit, quid in ſe dictum ſit, qui malignos ſermones, etiamſi ſecretò habiti ſint, eruit, ſe ipſe inquietat.* Sic ille.

Adhæc paucis contentus eſto: & non moleſtè feres iniurias, ſiquidem meum & tuum eſt radix omnium diſcordiarum. Faciebat hoc ille Monachus qui dicebat ſe propterea ablegaſſe à ſe ſæculi delitias, ne occaſionem iraſcendi haberet; ſiquidem pleræque contentiones & iracundiæ propter illas oriantur, mentem perturbent & à cognitione meliorum abſtrahant. Refert Euagrius Monachus apud Nicephorum lib. 11. cap. 43. Propterea etiam S. Ephrem, cùm primò iracundiæ valde ſubiectus eſſet, ſeculo renuntiauit & monaſticam paupertatem amplexus eſt, vt vitium id extirparet. Cùm igitur ei, vbi plures dies more ſuo ieiunaſſet, cibum miniſter afferens ollam fregiſſet & hunc pudore ac metu teneri cerneret: *Bono ſis animo*, inquit, *ad cibum nos eamus, quandoquidem ille ad nos non venit.* Et fragmentis ollæ aſſidens pranſus eſt. Ita Sozomenus *lib.* 3. *hiſt. Eccl. cap.* 16. Vel abſcedere ab eo, qui iraſceris: occupa te aliis & lætioribus cogitationibus vel ſtudiis, donec ira deferueſcat. Sic Aſſuerus, cùm contra Aman ſibi aſſidentem

Digitized by Google

dentem excanduiſſet, ſurrexit de loco conuiuij & intrauit in hortum arboribus conſitum, (*Eſth.*7.) ne præſente Aman ſeuerius quid in eum ſtatueret ex ira, contra regiam ſuam dignitatem.

E. IV. *Salutaribus cogitationibus te muni.*

QVARTÒ. Salutaribus cogitationibus mentem præmunito, & æſtuantem aliò diuertito.

1. *Mortem cogita.*

Primò. Mortem cogita. Petrus Damianus in reg. de vitâ eremit. ait, non eſſe melius remedium extinguendæ iræ, quàm adire ſepulchra mortuorum. Sed quâ ratione? Eam mihi exponit Seneca l. 3. de irâ cap. vlt. *Quid ſeruo*, inquit, *quid Domino, quid Regi, quid clienti tuo iraſceris? ſuſtine paulùm. Venit ecce mors, quæ nos pares faciat. Ridere ſolemus inter matutina arenæ ſpectacula, tauri & vrſi pugnam inter ſe colligatorum; quos cùm alter alterum vexarit, ſuus confector expectat. Idem faciamus. Aliquem nobiſcum alligatum laceſſimus, cùm victo, victoriq́, finis æquè maturus immineat.* Et mox: *Sæpe rixa conclamatum in vicino incendium ſoluit: & interuentus feræ latronem viatoremq́, diducit. Colluctari cum minoribus malis non vacat, vbi metus maior apparuit.* Sic ille. Cogitemus ergo mortem inſtar vrſi vel tauri nobis alligatam: cogitemus incendium gehennæ in vicino ſæuiens: & non vacabit rixari de nugis. Prouerbio dicimus: **Beym Kürſchner in der Bayſ werden wir alle zuſamb kommen.** In lixiuio pellionis omnes conueniemus, dicebat agnus lupo. Contigit hoc raro mundi ſpectaculo duobus Imperatoribus æmulis, Adolpho Comiti à Naſſau & Alberto Auſtriaco; quorum ille cùm omnibus ingratus, abdicatus eſſet imperio ab Electoribus & in eius locum ſuffectus Albertus, commiſſum eſt inter eos prælium acre, quo Albertus manu ſua Adolphum occidit, ſicque imperium obtinuit. Verùm qui in vita non poterant conuenire, in morte conuenerunt, dum poſt mortem ambo Baſileæ in idem ſepulchrum conditi ſunt, vix vno palmo à ſe mutuo disiuncti. Refert Gerardus de Rho *in hiſt. Auſtriacâ lib.* 2. Itaque ſuſtineamus iram aliquantulum, in lixiuio Pellionis omnes conueniemus. Pellio iſte Deus eſt, qui primos noſtros parentes pellibus veſtiuit: lixiuium eſt ſepulchrum, in quo omnes eandem in vrnam coniecti macerabimur & mites euademus. Ibi habitabit lupus cum agno & pardus cum hœdo accubabit. *Apes cùm inter ſe contendunt & motu aliquo vehementi concitantur, iactu pulueris componuntur*, inquit Hector Pintus in Ezechielis cap. 6. Itaque & nos cùm rixamur & contendimus, iaciamus ſuper nos puluerem in quem conuertendi ſumus: & ni fallor conueniemus.

2. *Quàm ſæpè tu alios offenderis.*

Secundò. Quàm ſæpe & quàm grauiter tu Deum & homines offenderis, qui tamen tibi ignouerunt. Deus vult te ſibi eſſe ſimilem, & diabolus ex altera quoque parte ſibi. Vide nunc quid agas, ſpectante Deo certamen tuum. Huc reſpexit Carolus. V. piiſſimus Imperator, qui cùm omnibus ignoſceret veniam petentibus & indignos etiam toleraret ac beneficiis ſibi deuinciret; eâ de re quaſi indigni admonitus, reſpondit: *Et quâ charitate nos habeum tulit Pater noſter cœleſtis?* Mutius l. 8.

3. *Hominem ad pacem natum.*

Tertiò. Cogita hominem præ cæteris animantibus ad pacem & concordiam natum, cùm ſolus inermis, ſine cornibus, vnguibus, calcibus, aculeis, dentibus porrectis natus ſit: quibus alia animantia prædita ſunt. Itaque iracundus in beſtiam degenerat. Hinc S. Baſilius hom. 21. *Scriptura*, inquit, *tibi dicit: Vir iracundus turpis eſt. Quomodò turpis eſt? quia humanam quaſi figuram amittit feræ ſpeciem indutus. Conſidera parumper iratum. Furit, debacchatur, immutantur oculi, turbidi ſanguineiq́, fiunt. Cor accenditur, ſanguis commouetur. Hunc videas vt aprum dentes acuentem, loqui ſæpe incipientem ac verba imperfecta relinquentem.* Nónne turpis fores ſi haberes cornua tauri, dentes apri, vngues accipitris, vngulas equi? At hæc induis dum immodicè iraſceris?

4. *Te irato ſimilem fieri.*

Quartò, te irato ſimilem fieri, ſi iraſcenti iraſcaris, adeoque cum inſano inſanire: quidquid enim ille facit abſurdi, tu etiam facis. Clamat ille: & tu; fremit ille: & tu; ardet ille oculis: & tu. Vnde Democritus ad quendam, qui ſeruum flagris cædebat, dixit? *Deſine te ſeruo tuo ſimilem oſtendere. Seruus enim eſt qui ſuis cupiditatibus imperare non poteſt.* Laërt. Aliud dicebat: *Si mihi aſinus calcem impegiſſet, num tu velles vt in eundem recalcitrarem?*

5. *Cæcam eſſe vlciſcendi rationem.*

Quintò. Cogita, cæcam & inefficacem eſſe vlciſcendi rationem, quæ ab ira dependent: vt quæ ferè in ſtultas minas & cæcas criminationes deſinit, & vltrò tandem ridiculè concidit. Vnde Democritus dixit, iram cæcas parere criminationes, quemadmodum canes pariunt cæcos catulos. Maxim. *ſerm. de irâ*. Sicut igitur aquâ fluminis, aut pluuiarum non vtimur ad potum, antequam ſubſidat; nec cereuiſiâ, donec à fæcibus purgetur; ſic durante irâ non eſt ſumenda vltio, ne animum lædamus, & modum excedamus. *Cum irâ* enim *nihil rectè, nihil conſideratè fieri poteſt*, inquit Cicero L. 1. offic.

F. V. *Cogita iræ damna.*

QVINTÒ, Cogita quanta ſint iræ damna & incommoda. Nam ira Primò, animum & cor intus corrodit ſicut vermis in pomo proprium habitaculum. Dicitur ſerpentis partus necare matrem: idipſum facit ira. Vnde Philo ait: *Cogitationes irati, partus ſunt viperarum.* Et Pſalm. 57. *furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis.* Ira in prægnante fœmina quandoque occidit fœtum, ſemper in effœminato iraſcentis occidit animam. Vnde multò plus ſibi nocet, quàm illi, in quem ſæuit. Velut enim apes poſtquam infixêre alteri aculeum, ipſæ moriuntur; plaga verò modico luto ſanatur: ita iracundi poſtquam effuderunt iram & vindictam ſuam, cum mœrore animi & conſcientiæ remorſu exagitantur ac pene conficiuntur. Expertus id inter alios Ludouicus Seuerus Bauariæ Dux, qui cùm falsâ ſuſpicione deluſus occidiſſet coniugem ſuam Mariam Brabantinam, Danuwerde commorantem, poſteà facti pœnitens, tanto mœrore correptus eſt, vt vnâ nocte ex iuuene 27. an-

1. *Cor intus rodit.*

norum totus incanuerit, quaſi iam ſeptuagenarius eſſet. Raderus *in Bau. S. & piâ tom.* 2. Quos aculeos putatis ſenſiſſe iſtum Principem vna illá nocte?

2. *In beſtiã mutat.* Secundò, in beſtiam & inſanum mutat. Vnde furor breuis dicitur ab Horatio epiſt. 1. & Catone ſeniore. Nihil enim non audet: vti Deum prouocare, cum diabolo congredi, amicos inuadere, nec non in res inanimatas ſæuire. Nec fruſtrà in SS. literis irati vocari ſolent ſtulti: *Ira in ſinu ſtulti requieſcit*, Eccli. 7. *Ira interficit ſtultum*, Iob 5. *Ira ſtulti grauior ſaxo.* Prouerb. 17. quia ſi vehementius inflammetur, hominem de ſtatu mentis deturbat. Oſtenditur hoc in Saule, qui dum cogitaret nece Dauidis ſtabilire regnum filio, interim nitebatur eundem filium lanceâ configere; quaſi hoc eſſet ſtabilire regnum filio, cum occidere, 1. *Reg.* 20. Oſtenditur in Cyro Rege Perſarum, qui Gynden. notiſſimi nominis flumen, vt equum candidum ſibique charum in eo ſubmerſum vleiſceretur, in 380. riuulos diuiſit, ita vt tranſiri calcarique à fœminis ne genua quidem tingentibus (vt addit Herodotus) poſſet: & tamdiu aſſedit operi, donec ad finem perduceretur. Vt refert Seneca *l. 3. de ira cap.* 21. Oſtenditur in C. Cæſare, qui villam in ora Campaniæ pulcherrimam, diruit, quia mater eius aliquando in illa cuſtodita fuerat; apud eundem ibid. c. 22. Oſtenditur in Xerxe, qui Helleſponto trecenta verbera infligi, ſtigmata inuri, colaphos incuti iuſſit, & in pelagus par compedum inijci, his verbis: *Hac te Dominus pœnâ afficit, qui eum læſiſti, à quo nullâ vnquam iniuriâ affectus es.* Idem Athoni monti epiſtolam miſit in hæc verba. *Atho infelix, ad cœlum vſque porrecte, nec meis operibus facies lapides magnos & ad erudendum difficiles, alioqui exciſum te proijciam in mare.* Plut. de cohib. irâ & alij. Denique in vecorde illo C. Caligula Imp. qui iratus cælo, quòd turbidinis ſuis pantomimis ſuis ſpectaculis officeret, Iouem ad pugnam prouocaret, nec non ad duellum, illud Homeri exclamans: *Aut tolle me, aut ego te.* Stultitiam irati oſtendit facies, lingua, geſtus, &c. Vnde Plut. ait iratos debere ſeipſos in ſpeculo contemplari, quo ſedare iram diſcant; deprehenderent enim ſe non tam homines, quàm beſtias. Hinc natum etiam Germanorum prouerbium: Einen zu dem Eſel ſchlen/ hoc eſt, commouere aliquem ad iram, adeoque aſino ſimilem reddere.

3. *Reddet puſillum & muliebrem.* Tertiò, reddit hominem puſillum, abiectum & muliebrem. Videmus enim quod mulieres magis iracundæ ſint quàm viri, & ægroti quàm ſani, & ſenes quàm iuuenes, & qui rebus aduerſis quàm qui ſecundis vtuntur, paruuli quàm adulti. Quemadmodum enim ſuprema regio aëris ſemper quieta eſt, vt patuit in Olympo monte, in cuius vertice literæ ſabulo inſcriptæ, poſt annum repertæ ſunt integræ, inferior ſemper inquieta & tempeſtatibus agitata: ſic animi generoſi non facilè commouentur ad iram: puſilli verò facillimè. Audiamus Senecam l. 3. de irâ cap. 6. *Pars ſuperior mundi & ordinatior, ac propinqua ſyderibus, nec in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur, nec verſatur in turbine: omni tumultu caret, inferiora fulminant. Eodem modo ſublimis animus, quietus ſemper, & in ſtatione tranquillâ collocatus, intra ſe premens, quibus ira contrahitur, modeſtus & venerabilis eſt & compoſitus; quorum nihil inuenies in irato.* Idem Seneca l. 2. de irâ c. 34. ait: *Puſilli hominis & miſeri eſt, repetere mordentem vt mures & formicas: ad quas ſi manum admoueris, ora conuertunt. Imbecilla ſe lædi putant, ſi tanguntur.* Et c. 32. *Ille magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus exaudit.* Solinus lib. 1. cap. 20. *Legimus, ait, petente Indiam Alexandro, à Rege Albaniæ duos moloſſos fuiſſe miſſos: quorum alter ſues & vrſos oblatos vſque adeò ſpreuit, vt offenſus degeneri prædâ, ignauo ſimilis diu accubaret, quem per ignorantiam velut inertem Alexander extingui imperauit. Alter verò monitu eorum, qui donum profecti erant, leonem immiſſum necauit. Mox viſo Elephanto notabiliter exultans, belluam primùm aſtu fatigauit, deinde cum ſummo ſpectantium horrore terræ afflixit.* Sic Solinus. Diſcamus igitur vel ab his canibus generoſitatem animi, iramque non in homines, vtpote imbecilles, ſed in dæmones, velut robuſtiſſimos & ſæuiſſimos exſerere. Hinc Ariſtotel. teſte Æliano, Alexandro M. naturâ iracundo conſuluit, vt omnibus ſe ſuperiorem æſtimans, maledicta contemneret, Chriſtianus verò maledicta contemnat, non quaſi conuitiatore ſit melior, ſed quaſi maledictis fortior.

4. *Perturbat & cæcat hominem.* Quartò, reddit hominem perturbatum & cæcum, vti ſuprà adnotauimus. Eâ de re Plutarchus *l. de cohibendâ irâ* ait: *Qui ſe vnà cum ædibus incendit, omnia tumultibus replet intùs vt videre nequeat quod ſit vtile: ſic irâ commotus animus.*

5. *Subdit imperio dæmonis.* Quintò, ſubdit hominem dæmonis imperio, quo modo equus, cùm obligantur ei oculi, quaquauerſum ducitur. Samſon excæcatus ductus eſt ad molendinum; irati enim *in circuitu ambulant*, id eſt, quaſi vertiginoſi in multa vitia pertrahuntur à diabolo. Vnde Dauid Pſal. 6. *Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.* In aqua perturbata faciliùs capiuntur piſces: ſic in ira homines.

Denique iraſcere tibi ipſi, quòd iram tuam domare nequeas, quam tamen in ſe domabant plurimi Ethnici, Plato, Socrates, Pericles, Diogenes, &c. Deuorabit hæc ſancta ira peſtiferam illam, vti virga Moyſis deuorauit virgas Magorum, *Exod.* 7.

Moueat te poſtremò terribilis Domini ſententia in hodierno Euangelio: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* Aſpice virgam vigilantem ſuper ollam ſuccenſam. Scito etiam eiuſmodi ſuccenſis ollis paratam eſſe aliam ollam ſuccenſam, infernalem ſcilicet, qualis illa fuit, in quam demergi Theodoricum Roman. Regem vidit quidam ſanctus Eremita apud S. Gregor.

gor. lib. 4. dialog. c.30. in inſula Laparitana; à quâ cuſtodiat nos benignus & miſericors Deus.

CONCIO VI.

Remedia iræ alienæ.

Ad placandum hominem iratum optimum erit,
1. *Ipſi credere.*
2. *Non obloqui illi.*
3. *Dare ei verba placida.*
4. *Humiliare ſe coram illo.*
5. *Beneficijs eum demulcere.*
6. *Impudentem coërcere, ſi aliud medium non ſuppetat.*

THEMA.

Vade priùs reconciliari fratri tuo. Matth. 5.

A. PRæclaram quidem doctrinam tradit Dominus in hodierno Euangelio, cùm iubet fratrem irato ſibi fratri ſtatim reconciliari. Difficile tamen apparet, quomodo id fieri poſſit. Nemo enim neſcit quàm difficile ſit hominem ſibi iratum & infenſum vel alloqui, nedum recónciliare. Sapiens certè dixit Prouerb. 17. *Expedit magis vrſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo,* (id eſt, irato) *confidenti ſibi in ſtultitia ſua.* Et Chryſoſt. *hom. 29. ad pop. Antioc.* ait: *Feræ potiùs quàm homini iracundo cohabitandum eſt, nam illa cùm ſemel manſuefacta fuerit, ſuam ſeruat legem: hunc autem quotieſcumque mitigaueris, rurſus efferatur.* Sic ille. Et ſanè multoties feram mitigare facilius eſt, quàm hominem iratum. Quid ergo remedij ad placandum eiuſmodi hominem? Eamus & quæramus.

B. I. Cede irato. PRIMÒ. Cede, ſeu fuge cum Ioſepho, ne perdas pallium iuſtitiæ, Chryſoſt. hom. 12. operis imperfect. ait: *Sicut Ioſeph dimiſit pallium in manu meretricis & fugit cum meliore pallio caſtitatis: ita & tu proijce pallium in manu calumniatoris & fuge cum meliore velamento iuſtitiæ, ne fortè dum vis vindicare veſtem corporis, pretioſiſſimum animæ veſtimentum perdas.* Hoc nimirum eſt, quod ſuaſit Dominus Matth. 5. *Et qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque angariauerit te mille paſſus, vade cum illo alia duo.* Vt enim prudentes nautæ vento vehementi non reſiſtunt, ſed cedunt, carbaſa demittendo, vela complicando, malum deponendo, in ſentinam deſcendendo, &c. atque hoc ſolo medio vincunt tempeſtatem: ita faciendum ſuadet Dominus. Et ſic ipſe ceſſit furori Samaritanorum nolentium eum admittere in ciuitatem, & abiit in aliud caſtellum, cùm poſſent eos perdere igne vel ipſi eius diſcipuli, *Luc. 9.* Sic Abraham ceſſit Loth eiuſque paſtoribus rixantibus, dando ei optionem terræ quam vellet, *Gen. 13.* Sic Iacob ceſſit furori fratris ſui Eſau, diſcedendo à domo paterna in Meſopotamiam; donec mitigatum crederet; *Gen. 27.* tantũ abeſt vt hoc ſit ignominioſum. Quis pro dedecore habeat cedere in plateis occurrenti tygridi aut vrſo vel tauro furioſo? Suaſit hoc Apoſtolus ad Rom. 12. *Date locum iræ, ſicut torrenti,* ait D. Baſilius ſuper illum locum, *qui obuia quæque impetu ſuo rapidiſſimo demolitur.* Globi bombardarum cur multò faciliùs mœnia ex lapidibus, quàm aggeres è terrâ factos deiiciunt? nónne quia illa reſiſtunt, hi verò cedunt? vnde contra bombardarum ictus, turres ſaccis lanâ refertis operiuntur. Glorioſa eſt hæc ceſſio; nemo enim te reprehẽdet, ſi cedas occurrẽti tygridi, tauro vel vrſo.

C. II. Noli obloqui irato. SECVNDÒ. Noli obloqui irato. Sic ignis in paleis & pilis leporinis ſponte extinguitur, modò nil apponas. Sic Dion Academicus conuitianti per plateam, nihil omnino reſpondens & domum intrans, interroganti: *nihil verò reſpondes? ne gry quidem,* inquit: apud Plut. Sic Tobias exprobrante ſibi vxore cæcitatem, ei non reſpondit, ſed ingemuit & ad Deum ſe conuertit orando, Tob. 2. S. Chryſoſt. hom. 47. in Ioan. *Huiuſmodi eſt,* inquit, *irati animus, qui ſi in te proſilit, tace, & opportunam ei plagam infliges.* Et hom. 21. ad Hebr. *ſicut ferrum cùm in aqua intingitur, amittit ignem: ſic iracundus in longanimem incurrens, nihil eum lædit, ſed etiam iuuat, ſed etiam retinetur ampliùs.* Et homil. 6. in Matth. *Si in excelſum flamma conſurgat, non iam ligna ſed & ſaxa & omnem prorſus materiam ſibi vendicat, & per quæ extingui ſolet, per ea ipſa potiùs accenditur. Ita accidere etiam in ira ſolet. Quidquid aliquis dixerit, continuò pabulum huius efficitur.* Sic ille. Hoc ipſum eſt, quod præcepit Eccleſiaſticus c. 8. dicens: *Non litiges cum homine linguato & non ſtrues in ignem illius ligna.* Refert Ioan. Dauid *in Verid. Chriſt. cap. 56.* fœminæ cuidam à prudenti quodam viro datum fuiſſe conſilium, contra mariti eius importunas voces, quas illa anteà patienter & cum ſilentio ferre nequibat. Is ſatis in confeſſo eſſe exiſtimans impotentem mulieris linguam in culpâ eſſe, vt vir ebrius domum rediens omnia ſurſum deorſumque verteret, atque in mulieris taciturnitate remedium omne conſiſtere; dedit illi aquam dicens? ſtatim atque maritum percipis domum remeantem, cochleare vnum huius aquæ in os ſumito, eamque ibi tantiſper teneto, donec illum ſuper lectum ſuum modeſtè poſueris; & parum admodum aut etiam nihil moleſtiarum deinceps habebis. Fecit quod iuſſa fuerat, & ita accidit vt ille prædixerat. Exiſtimabat illa in aqua vim illam conſtitutam eſſe, & non in ſuâ ſic procurata taciturnitate. Quòd ſi cæteri quoque ſeu viri ſeu mulieres hoc remedio vterentur dum alter lites mouet, facilè controuerſia omnis ſopiretur: at dum quiſque vltimum ſibi verbum vendicat, non modò contentiones non finiuntur, ſed potiùs inſtaurantur. Hoc vellem notarent omnes loquaculi, & præſertim mulieres, quæ marito vnum promente contentionis verbum, ipſæ ſeptem reddunt, ad inſtar illius porticûs in Olympia, quam ſeptiuocam appellarunt,

lant, quòd pro vnâ voce ſeptenas reddat. Plut. teſte. Idipſum pulchrá ſimilitudine commendat S. Chryſoſtomus (ſuper id 1. Theſſ. 5. *Spiritum nolite extinguere.*) *Conuitiatus eſt quiſquã? vituperauit. Tu claude os tuum: ſi enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in ædibus, quando è regione duæ ianuæ oppoſitæ ſunt, & flatus vehemens irruerit; ſi alterum clauſeris, nihil valeat efficere flatus? Ita & hic duæ ſunt ianuæ: os tuum & os illius, qui te vituperat; ſi tuum occluſeris, omnem iſtum flatum extingues, &c.*

D. III. De irato verba placida.

TERTIÒ. Da irato verba placida, iuxta id Prou. 15: *Reſponſio mollis frangit iram: ſermo autem durus ſuſcitat furorem.* Sic mare incidens in rupes, fragorem ciet: non item in arenam: Ita euenit, cùm Gedeon compeſcuit indignantes ſibi Ephraitas, demulcendo eos laude, *Iud.* 8. Placuit etiam hac arte Ionathas iratum Dauidi patrem: *Ne pecces Rex in Dauid ſeruum tuum, quia non peccauit tibi, & opera eius bona ſunt tibi valdè.* Sequitur autem: *Quod cùm audiſſet Saul; placatus voce Ionathæ iurauit: Viuit Dominus, quia non occidetur.* 1. Reg. 19. *Ferocem caprum*, ait Plut. li. de iracundiâ, *non mulier ſolùm, ſed etiam puellus tenerâ ſcalpitans manu flectit faciliùs quàm Palæſtes quilibet.* Sic equi efferati blandis edomantur verbis: vti Bucephalus ab Alexandro M. placidè demulſus. Sic placauit Abigail Dauidē, 1. *Reg.* 25. cùm contrà eius maritus Nabal, duris verbis exacerbaſſet illum. Hoc enim aliud non eſt, quàm quod Pythagoras vetuit, *ignem gladio diſſecare*, id eſt, irâ percitum animum verborum aſperitate exacerbare, vt refert Pier. *l.* 42. *hierog. cap.* 62. Contentioſa quædam mulier (refert Pontanus *in Att. bell. p.* 1.) cui maritus iracundo ingenio cùm merulas ab ſe coëmptas daret aſſandas, dicens: Aſſa nobis hoſce turdos; replicauit: Merulas appellas turdos? Reſpondit ille, turdos eſſe. Negauit rurſum illa, & merulas eſſe contendit. Tum maritus eam pugnis oppetit. Anno vertente, cùm rediret dies ille, memor verberum mulier. En, ait, hic eſt dies anniuerſarius, quo me ob maledictas merulas pugnis obſeuiſti. Tum vir: Et adhuc negare audes fuiſſe turdos? nondum ergo cedentem, iterùm pulſauit. Ita quotannis eodem die, cùm ſimiliter loqueretur, ſimiliter vapulabat. Videant hîc vxores, quòd ſæpe poſſent habere bonos viros, ſi poſſent eis dare bona verba, vel tacere. Tentauit aliquando Creſiphon Pancratiaſtes calcitranti mulæ recalcitrare, ſed non mitigauit eam, imò ad impingendum calces denuò irritauit. Plut. *in l. de irac. cohib.* Sic iracundis verbis iracundi non mitigantur. Probatum eſt. Contrà Rudolphus Habſpurgicus adhuc Comes, Abbatem S. Galli, cum quo lites & inde inimicitias gerebat, vltrò accedens, poſt conuiuium placidis verbis ita ſibi reconciliauit, vt poſteà auxiliantem in bellis habuerit. Lipſ. *ep.* 38. *cent.* 3. *miſcell.* Abſtine prætereà ab odioſis geſtibus, qui contemptum præſeferunt, veluti motione capitis, ſuſpenſione naſi, protenſione linguæ, &c. Hæc enim quaſi ligna igni appoſita eundem inflammant.

E. IV. Humilia te.

QVARTÒ. Humilia te, &, ſi offendiſti, deprecare culpam. Ita iubet hodie Dominus: ſi *frater tuus habet aliquid aduerſum te, vade priùs reconciliari fratri tuo.* Sic Agar monita ab Angelo vt reuerteretur ad dominam ſuam & humiliaret ſe ſub manu illius placauit dominam, *Gen.* 26. Vnde Philoſophus 2. *Rhet. cap.* 3. ait: *Serui negantes atque contradicentes, multò magis puniuntur: cùm verò iure ſe puniri fatentur, ceſſat ira. Quòd autem humilitate ira ſedetur, canes oſtendunt, qui ſedentes non mordent.* Hæc Philoſophus. Sic leo proſtratis parcit & iram deponit. Refert Ouiedus *l.* 16. *hiſtor. Ind. cap.* 11. Didaco Salazari Hiſpano canem moloſſum fuiſſe, acrem & Barbaris inprimis infeſtum, quem Bezerillum vocabant. Hunc Salazar aliquando in anum Indicam, cui priùs epiſtolam ad Gubernatorem ferendam tradiderat, immiſit: qui ferociſſimo impetu facilè eam aſſequitur. Miſera anus, vbi moloſſum furibundum ad ſe rectà tendere videt, humi reſidet, canemque hiſce verbis ſui idiomatis alloquitur: Domine canis, Domine canis, ego fero iſtas litteras ad Gubernatorem (obſignatam ei epiſtolam oſtendens) ne ſæuias in me, Domine canis. Hic canis velut ſupplices illas & obiectas preces ſenſiſſet, protinus mitigato impetu ſubſtitit, & intactam reliquit. Ea res Hiſpanis, qui ferociam & ſæuitiam animalis nouerant, miraculo fuit: puduitque ipſos fœminam interficere, cui canis pepercſſet. Similiter ergo pudebit generoſum animum ſæuire in eum, qui ſe humiliat, culpam fatetur & deprecatur. Sic enim & Dauid mitigauit Saulē, quando ad eum dixit: *Quem perſequeris Rex Iſraël? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum.* 1. Reg. 24. Sic homicida quidam fune circa collum ſuſpenſo, die Veneris ſancto procidit ad pedes nobilis cuiuſdam, fratris eius, quem occiderat, & ob amorem Chriſti veniam rogauit: ſtatimque obtinuit. Nobilem verò Deus copioſè remuneratus eſt; nam animam occiſi, & parentis nobilis ſimul è purgatorio exemit, ipſumque nobilem ad octiduum in cœlum inuitauit, adeoque accepit. Vt refert Seraphim Razius in hortulo exempl.

Sane dum neuter alteri cedit, ſignum eſt vtrimque deeſſe humilitatem, iuxta Salomonis ſententiam: *Inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia*, Prouerb. 13. Prouerbium etiam Italicum *Duro con duro non fa buon muro.* Patet in maceriis, quæ citò diſſoluuntur. Vt bonus ergo murus fiat, calx mollis adhiberi debet quæ duris cedat lapidibus. Eiuſmodi calx fuit Iſaac, cùm foderet puteos ad greges ſuos adaquandos. Vbi enim inuenit aquam viuam, rixati ſunt paſtores Geraræ cum paſtoribus Iſaac, dicentes: *noſtra eſt aqua.* Fodit ergo alium puteum, & cum de illo quoque contenderent, profectus inde fodit alium: pro quo amplius non côtenderunt: itaque vocauit nomen eius, *latitudo*; dicens: *Nunc dilatauit nos Dominus & fecit creſcere ſuper terram*, Gen. 26. Ecce

nihil

Digitized by Google

nihil hic contendit iuſtus, inquit Chryſoſt. hom. 52. *neque obluctatur ; ſed etiam paſtoribus cedit.* Maior minoribus; iure ergo dilatatus eſt.

F. V. Beneficio eum demulce.

QVINTÒ. Beneficio aliquo vel amoris exhibitione eum demulce. Sic canes demulcentur obiecto pane : ſic Cerberus offâ ſedatus, ſecundum poëtas. Hoc eſt quod mouet Apoſtolus ad Rom. 12. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum : ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius*, q.d. illũ à ſe totum mutabis & tui amantem facies : ſicut aggeſtione carbonum ignitorum copulatur argentum argento. Sic Pilatus Herodem Regem ſibi agglutinauit, remittendo Chriſtum ad tribunal eius, quaſi ius eius tueri volens. Sic reconciliauit ſibi Saulem Dauid, quando oſtendit ei partem chlamydis abſciſſe, demonſtrans quòd traditum ſibi à Deo in manus ſuas, potuiſſet velut hoſtem occidere, non tamen id fecerit, ſed pepercerit ei & vicerit in ſe conceptam iam vindictæ cogitationem. *Ecce*, inquit, *hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu meâ in ſpeluncâ ; & cogitaui vt occiderem te ; ſed pepercit tibi oculus meus : dixi enim : Non extendam manum in Dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt.* Quibus auditis, leuauit Saul vocem ſuam & fleuit, dixitque ad Dauid: *Iuſtior tu es, quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. 1. Reg. 24.* Eodem modo Ethnicus Imp. Auguſtus deuinxit ſibi L. Cinnam, qui vitæ eius inſidiabatur. Poſtquam enim multa fruſtrà tentarat ſeueritatis media, tandem quid ageret, conſilij inops, ab vxore conſilium accipit, vt medicos imitaretur, qui vbi vſitata remedia non procedunt, contraria tentant : ideoque quia ſeueritate nihil profeciſſet, nunc clementiâ vteretur erga Cinnam, obſecutus Imp. Cinnam ad ſe vocat ; & poſtquam eius ingratitudinem & machinamenta ei exprobrauit, ſubiicit: *Vitam tibi, Cinna, iterum do, priùs hoſti, nunc inſidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus, vtrùm ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas?* Poſt hæc vltrò detulit ei conſulatum. Atque deinceps amiciſſimum fideliſſimumque habuit & ſolum hæredem ; nec vllis ampliùs inſidiis ab eo petitus eſt, Sueton. *cap.* 51. Simili euentu Carolus Quartus Imp. Rom. hominem qui ſibi necem pararat, ad ſe accerſiri iuſſit, eique poſt varios ſui in illum affectus ſignificatione, mille aureos dedit, quibus nubilem filiam nuptui collocaret, illius ſe miſereri dicens, cuius filia natu grandior domi clauſa eſſet. Imperatori inſidiator gratias egit & ad conſpiratores regreſſus : *Neſciebam*, inquit, *qualis Carolus eſſet : nunc liberalem & clementem Principem ferire nullo modo poſſum.* Æn. Sylu. *lib. 3. de rebus Alphon.*

G. VI. Impudentes coerce.

SEXTÒ. Impudentes coërce, cùm aliud medium non ſuppetit, præſertim ſi ſuperior ſis. Sic Quintilianus lib. 6. cap. 21. ait: *Contra turbantes audendum & impudentiæ fortiter reſiſtendum. Sunt enim quidam præduri in hoc oris, vt obſtrepant ingenti clamore & medios ſermones intercipiant, & omnia tumultu confundant, quos vt non imitari, ita acriter propulſare oportebit, & ipſorũ improbitas, retundenda eſt & Iudices appellandi.* Videtur etiam hoc voluiſſe Sapiens Prouerb. 26. cùm ait: *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur* : q. d. retunde ſtultitiam eius. Henricus Comes Holſatiæ, qui à fortitudine cognominabatur ferreus, cum in aulâ Eduardi tertij Regis Angliæ verſaretur, Saxo natione, leoni cum rugitu & ferociâ ſibi obuianti interritus dixit : *Quieſce, quieſce, canis ferox.* Quâ voce conſternatus leo proſternitur ad pedes eius, & manu apprehenſus ducitur in caueam, vt refert Crantzius in ſua hiſtoria. Quando igitur huiuſmodi leo tibi, poteſtatem in eum habenti, impudenter obrugiens occurrit, potes ac quandoque debes verbis aſperioribus nec non pœnis illum coërcere ac confundere. Obiurgatus ille tam feriò videnſque ſe habere tam potentem antagoniſtam, deponet ſuum furorem & ſapere incipiet.

His mediis vtamur dilectiſſimi, & licet forte nihil proficiant in irato, habebimus tamẽ mercedem in cœlo de laudabili & heroico deſignato opere. Quam nobis largiatur Deus.

CONCIO VII.

De malis effectibus iræ.

Primus iræ partus eſt præcipitantia.
2. *Corporis commotio.*
3. *Vindictæ appetitus.*
4. *Rixa & contentio.*

THEMA.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit Iudicio. Matth. 5

TErribilem profectò legem Cn. Pompeij Conſ. Romani recenſet, adeoque repetit & confirmat Iuſtinianus Imp. lib. 4. Inſtit. de Iudiciis publicis : quâ iubetur parricida inſui in culeo cum cane, gallo gallinaceo, ſimiâ & viperâ, & inter eas ferales anguſtias comprehenſus in vicinum mare vel amnem proijci ac ſubmergi. Cuius ſupplicij cauſam exiſtimo eſſe, quia animalia illa præ cæteris ad iram proña & in proprios etiam parentes crudelia ſunt ; vt ſic meritò cum ſociis illis feris incluſus intereat, quarum iram & ſæuitiam ante geſtauit & fouit in pectore. Sed non ſolus parricida feras has in corde gerit ; auſim enim dicere : quòd omnis, qui præter fas & æquum iraſcitur fratri ſuo, tam peſtiferam in corde familiam gerat. Quid enim iratus homo, niſi homo culeo inſutus, mentis inops, cæcitate percuſſus, captiuus ? quid alit in corde, quid parit voce & opere, niſi ſimiam præcipitantiæ? niſi canem excandeſcentiæ ? niſi viperam vindictæ : niſi gallum rixæ & contentionis ? vt proinde mirum non ſit, ſi irato homini tam dirum ſupplicium minetur Dominus in hodierno

A. Supplicium parricidæ.

dierno Euangelio, Iudicium videlicet, concilium & gehennam. Videndum igitur, quales ſint iratis partus.

B. I. Præcipitantia. PRIMVS. Præcipitantia, quam cernere etiam in Simiâ eſt; ea enim citiſſimè ad iram commouetur, & cui paulò ante amica fuit, leui offensâ contra illum armatur, ringitur, mordet, immemor priorum beneficiorum. Ad eundem modum iratus plerumque præcipitanter agit, quidquid agit: (ſiquidem ira ſuâ efferueſcentiâ rationem turbat & præcurrit rei cognitionem) vnde fit vt talia committat, quorum poſtea eum pœnitebit. Refert Ælianus *in hiſt. anim. lib.* 7. *cap.* 18. exemplum memorabile de Simiâ, quæ videns aliquando ex eminenti loco nutricem lauare in peluì infantem: eâ digreſsâ idem attentare volens, infantem in feruidam aquam iniecit & interfecit. Non diſſimiliter agunt, qui præcipitantes ſunt in ira; quid enim aliud faciunt, quàm quòd ſanguine adhuc feruente, plurima tam in ſuam quàm aliorum perniciem agunt, ſe & alios perdunt?

Præcipitantia hæc iracundi, ſicuti nomine, ita & re ſimillima eſt illi quâ quis in altiori loco conſtitutus, indignum quid infra ſe cernit, quod ferre & cernere non ſuſtinens, ex alto ſe præcipitet, non expectatis ſcalis, quibus commodè deſcendat. Euehitur in altum homo cùm in iram exardeſcit; præcurrit enim & reſpuit rationem & leges omnes, mente confuſus, & quaſi vertigine laborans: Et cùm perturbationem paulatim ſe dare ac per ſcalas pedetentim deſcendere de perturbatione illâ deberet, ille præcipitem ſe dat & omnia feſtinanter atque inconſideratè agit, in ſui & aliorum perniciem. Non docuit ita Dominus, qui cùm iure meritiſſimo in ira & furore ſuo caſtigare & perdere potuiſſet Sodomam, noluit præcipitare ſupplicium & fulmina è cœlo deiicere, ſed cunctanter deſcendere & priùs videre: *Deſcendam & videbo*, inquit ad Abraham, *vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam*, Gen. 18. Ecce non vult Dominus eſſe contentus clamore & prouocatione reorum, atque adeò auditu, ſed vult videre inſuper: non vult (vt ſic dicam) credere, vult ſcire; ac proinde non præcipitare ſententiam, ſed priùs ponderare & deſcendere: non quòd ipſi hoc neceſſarium fuerit; ſed *vt nos doceamur, ne quis homo de abſentibus & futuris & incertis putet ſe poſſe coniecturam facere: ſed priùs maximè proſpicere debet: viſus enim certus potiùs quàm fallax auditus, teſtis adhibendus eſt*, vt inquit Philo Iudæus de cõfuſione linguarum. Qui per foſſam aliquam ſaltare debet, non credit alteri narranti, foſſam non eſſe latam vel profundam: ſed priùs ipſe eam conſiderat, & quò pedem ponere velit quærit, foſſæque latitudinem explorat: alioquin facilè continget, vt in medium foſſæ incidat. Iracundi meros & continuos ſaltus facere ſolent, omnes leges tranſilire, omnes dehortationes ſpernere, vſque propria omnia cogere & ad ſuum ſenſum redigere: ſed caueant, ne inconſideratè ſaltent, ne in foſſam cadant. *Deſcendam & videbo*, ait Dominus; Videant priùs, quid acturi ſint, quem exitum habituri: videant num res ita ſe habeat ſicut narrata fuit. Sed rara eſt hæc auis inter iracundos, plurimi narrationibus aut etiam ſuſpicionibus ſolis innixi, iram mox effundunt: quaſi vidiſſent. Idcircò nequaquam fruſtrà dixit Dominus Matth. 13. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Habent enim aliqui, præſertim iracundi, aures ad videndum potiùs quàm ad audiendum. Cùm enim audiunt ab vno quantumuis abiecto & fide indigno, ſe cõtemptum vel vilipenſum eſſe ab aliquo: ilicò rem pro certo & comperto habent, quaſi eam vidiſſent, non audiſſent; vnde mox præcipitantur ad vindictam, & plerumque decipiuntur. Ita errauit ex præcipitantia Dauid, auferendo poſſeſſiones innocenti Miphiboſetho & dando eius famulo Sibæ, ob falſam huius narrationem, 2. *Reg.* 16. Ita errauit Theodoſius Imperator in cæde Theſſalonicenſium qui ob paucos reos, præfecti ſui interemptores, occidit ſepties millenos innocentes: ob quem errorem à S. Ambroſio excõmmunicatus & Eccleſia excluſus fuit, donec publicam ageret pœnitentiam, & ſanciret legem ne ſententiæ de cæde & bonorũ publicatione ante 30. dies executioni impoſterum mandarentur. Baron. anno Dom. 390. Proptereà S. Iacobus in epiſt. ſua c. 1. admonet vt *ſit omnis homo tardus ad iram. Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur*, inquit. Sanè non operatur, ſed per fas & nefas in iuſtitiam potiùs, quod etiam exemplo Mahumetis Ottomanni Turcarum Regis diſcere poſſumus. *Hic enim noſtrâ ætate*, inquit Campo fulgoſus lib. 9. cap. 2. *cùm in hortis, quos Conſtantinopoli in delitiis habebat, deeſſe pomum in arbore cedro, quod paulò antè inſpexerat, animaduertiſſet, arbitratus procul dubio vnum è tribus pueris, quos ſecum habebat, pomum decerpſiſſe, quòd in horto præter eos alius nullus fuerat; quia quilibet illorum ſe pomum decerpſiſſe negabat, iuſſit vt ferro eorum corpora aperirentur, & niſi in primo, cuius apertum fuit pectus, ſtomacho fuiſſet inuentum, dubium non erat, quin ad omnes ipſos ea pœna tranſiret.* Quis hîc non videt præcipitantis iræ ſæuitiam pariter & iniuſtitiam?

SECVNDVS. Corporis commotio & membrorum concitatio; quam in canibus videmus, C. II. Corporis commotio. quorum oculi igneſcunt, dentes prominent, iubæ eriguntur, lingua latrat, cauda ventilatur, os ringitur &c. cùm exaſperantur. Ad eumdem modum homo irâ percitus totus quaſi igneſcit & ignem vndique ſpirat: ferè ad modum dolij puluere tormentario pleni: cuius vnicum granum ſi ignem concipiat, totum ilicò inflammatur, inflammat & quatit omnia cum fragore ingenti. Audi Senecam lib. 1. de Irâ, c. 1. *Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, æſtuante ab imis præcordijs ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſeipſos torquentium ſonus, gemitus mugitusque, & parum explanatis vocibus ſermo præru-*

Digitized by Google

præruptus & complosa sæpiùs manus & pulsata humus pedibus & totum concitum corpus, magnasq́; ira minas agens, fœda visu & horrenda facies deprauantium se atque intumescentium. hæc ille. An non dicere possemus de his, quod Eliſæo dixerunt 4. *Reg.* 4. conuescentes: *Mors in olla?* Vt enim olla ebulliens vndique effundit feruidam, nec facilè tangi se patitur: ita facit cor iracundiâ æstuans; neminem admittit monitorem, correctorem, &c. quia *os fatuorum ebullit stultitiam,* ait Sapiens *Prou.* 15. Huc accedit S. Chryſoſt. hom. 25. in Ioan. dicens: *Ira vehemens ignis est, omnia consumit, animam coinquinat, tristitiam affert, turpis visu. Quòd si iratus seipsum intueri posset, nullâ alterius indigeret admonitione: nihil enim irato turpius.* Quare plutarchus lib. de cohib. ira, ait iratos adducendos esse ad speculum, vt sese inspiciant quàm deformes ſint. Seneca item lib. 2. de irâ, c. 36. ait: *Quibusdam, vt ait Sextius, iratis profuit, aspexisse speculum: perturbauit illos tanta mutatio sui.* Narrat S. Gregor. Nazianz. *orat.* 4. fabulam de puellâ quâdam formoſâ ſiue Deâ fiſtulæ cantu delectari ſolitâ, quòd cùm calamos inflaſſet & oris ſui deformitatem ex inflatione reſultantem fortè in fonte conſpexiſſet, calamos confeſtim confregerit & fiſtulæ vſum perpetuò deteſtata ſit. O ſi hoc modo intuerentur ſe iracundi; viderent ſanè faciem ſuam humanam, Deiq́ue imaginem, in beſtialem formam transformari & intumeſcere, ſeque turpiſſimos eſſe, ab omnibus irrideri, vitari inſtar inſani; ac proinde haud dubiè fiſtulam iracundiæ deteſtarentur & confringerent, ſuamq́ue ob ſtultitiam erubeſcerent: ſicut ſanè erubeſcunt & dolent qui eum diligunt. Nónne ſi vir honoratus ebrietate fortè contractâ ſpectaculum in foro ridiculum ederet, cum pueris luderet, clamaret, ſaltaret, equitaret in arundine ac velut hiſtrio in theatro iocularetur, vbi poſteà crapulâ edormiſſet & audiret iſta: nónne, inquam, vehementer confunderetur & ſe abſconderet? Auget hanc fœditatem, quòd leuiſſimâ ſæpe de cauſâ commouentur iracundi, quo modo vnica ſcintilla ignis accedens ad orificium bombardæ, totam eam inflammat & cum ingenti fragore exonerat; quod etiam vidi in quadam ſimiâ, quæ in alteris ſui faciem, cùm is eſcam paululùm ſubtrahere vellet, illicò inuolauit & morſu penè naſum ei amputauit. Sic Nazareni vno Chriſti verbo: *Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum*: repleti ſunt irâ, & eiecerunt eum extra ciuitatem, duxeruntq́ue ad ſupercilium montis, vt eum præcipitarent, *Luc.* 4. Sic Herodes ex eo quòd Magi ad ipſum non reuerterint, ſumpſit cauſam inſaniendi in infantes. Sic ille ſuperbiſſimus Rex Perſarum Xerxes cùm aliquando ficus græcas admodum ſapidas comederet, iurauit ſe nolle impoſterum alias præterquam Athenienſes ficus comedere: atque ita mox Græciam bello aggreſſus eſt, turpiter tamen cæſus.

D. III. TERTIVS. Vindictæ appetitus, quem in

ſerpentibus maximè reperire legimus. Vipera inprimis non modo callida eſt ad vlciſcendum, ſed etiam in propriam matrem, quæ in amplexu maris caput ei amputat, vltionem exercet, vterum eius perrumpendo cùm naſcitur. Pier. lib. 14. Peior adhuc aſpis, eius enim furor implacabilis eſt, & offenſa quærit offenſorem ad vltionem, vel ſi vlciſci non poteſt, præ rabie moritur, vt Pier. *lib.* 14. Barthol. Angl. & alij. Ad eundem modum iracundi plerique fortè offenſi, diutiſſimè virus & vindictæ appetitum ſecum in corde gerunt & vltionis occaſionem quærunt: ſed magno ſuo periculo; nam vti partùs quò diutiùs retinetur, eò fit maior & difficiliùs ac periculoſiùs emittitur, ſæpe cum interitu matris: ita vindictæ appetitus diu retentus. Creſcit enim in dies, & ira quæ feſtuca erat, inueterata fit odium & trabs. S. Chryſoſt. *ho.* 14. *in ep. ad Eph.* ait: *Quemadmodum si quando, quod aëri nebulosum ac densum per noctem accesſit, diurno calore sol nec dissoluere poterit nec dissipare, causam ac materiam tempestatis exhibet quod residuum est apprehendente nocte; illudq́; rursus alijs vaporibus augmentante: ita habet iræ conditio.* Caueant ergo iſti, quia ex iræ nubecula, tempeſtatem ſibi parient, tonitrua & fulmina, rixas, mutilationes & fortè cædes, niſi eam mox diſſipauerint calore charitatis. Accedit S. Auguſt. ep. 88. inquiens: *Sicut acetum corrumpit vas si diutius ibi fuerit; sic ira corrumpit cor, si in alium diem durauerit.* Propterea Apoſtolus *ad Eph.* 4. non concedit alteram diem iracundo: *Sol non occidat,* inquit, *super iracundiâ vestrâ.* Et Dominus immediatè poſt hodiernum Euangelium ſubiungit: *Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in viâ cum eo, ne fortè tradat te aduersarius Iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.* Nemo enim neſcit quod ſi reus cum actore poſtulatus de mutilatione v.g. priùs amicè tranſigat, quin multò conſultiùs agat, quàm ſi rem iudicio committit; ibi enim non tantùm ad expenſas & damnum condemnabitur actori, ſed etiam iudici mulctam luet. Scribit Polybius Antiochũ cognomento Epiphanem ſeu Illuſtrem, cùm Alexandriam obſideret ſub Romanorum tutela conſtitutam, & interim Senat. Rom. Popilionem Senatorem, ad eum mitteret, qui diceret, vt ab obſidione ceſſaret; ſin minùs, Romanorum inimicus haberetur; reſpondiſſe, ſe hanc rem maturiùs deliberaturum ac reſponſurum. Tunc Senat. Rom. lineam fecit vitreâ virgâ in circuitu Antiochi, dixitq́ue: *Hoc ne in dubium tibi reuocandum est, an hostis Romanorum sis? non præteribis hanc lineam, donec id definias & decernas.* Tunc Antiochus annuit, & obſidionem ſoluit. Tibi hoc dicitur iracunde, Apoſtolus enim circulum ſolis tibi circumſcribit, vt ne diem hanc excedas, quin dimittas irâ, & vltionis appetitum: *Sol non occidat super iracundiâ vestrâ.* Dominus ipſe breuiſſimam tibi viam aſſignat, dum vadis cum aduerſario è domo tuâ ad domum Iudicis, vti ne expectes vſque ad ingreſſum illius: alioquin hoſtis non Romanorum ſed ipſius Dei futurus. Quid igitur

Vindictæ appetitus.

igitur tu? adhucne deliberabis ? excedéſne ex hoc ſpatio ?

Deinde nónne Dominus vult in hodierno Euangelio dimitti munus in altari & priùs deponi iram fieriqúe reconciliationem cum fratre ? quæ verò eſt hæc tanta neceſſitas & cauſa feſtinationis ? Nimirum *te quærit Deus magis quàm munus tuum*, ait S. Auguſt. *ſerm.* 16. *de verbis Domini.* Timet enim ne te perdat, ne tu præueniaris ab irâ Dei. Si ſcires tibi ſoluendum eſſe creditorem dum ſol lucet, alioquin iri vincula eundum perpetua: quis tibi non ſuaderet, quis non hortaretur vt omnia creditori ſatisfaceres ?

E. IV. Rixa & contentio. QVARTVS. Rixa & contentio, quam & gallus gallinaceus mirificè amat, præſertim vbi vinum aduſtum priùs bibit; quærit enim ex inſtituto, cum quo rixari poſſit in certamine calcaribus, pennis, roſtro pro armis vtitur, pennas ſubrigit, ſaltat, cedere contemnit: audiens alterum cantantem, mox eum prouocat ad certamen. Cæterùm victor, interdum dum canit trophæum, arripitur ab aquilâ: vt eſt in fabula illâ. Hic etiam partus hominis iracundi eſt, nam Prou. 29. dicitur: *Vir iracundus prouocat rixas.* Tales enim ſtudio quærunt quibuſcum rixari poſſint, præſertim vbi vino incaluerint, & nihil non audent. Primò inquirunt, quod in altero carpant, vel aliunde occaſionem arripiunt altercandi. Deinde verbis contendunt, & ſe mutuò prouocant: vti Goliath Dauidem. Poſtmodùm lapides conuitiorum linguâ quaſi fundâ emittunt, vti Semei contra Dauidem. Denique vbi eminùs quaſi pugnatum eſt, tandem ad manus & gladium veniunt, ad vulnera, ad cædes: poſthæc ad mulctam, bonorum confiſcationem, ad infamiam & ſupplicia publica. Ita miſeri poſt tot labores metunt ſibi dolorem, inopiam, ignominiam, necem. Hinc bene Iere. c. 1. duabus illis viſionibus, primò videt ollam ſuccenſam, deinde virgam vigilantem, ſiquidem Deus velut oculatiſſima aquila vigilat ſuper huiuſmodi gallis cum virgâ ſuâ, & ſæpiſſime ſtatuit vt tales Goliathi ab exiguo Dauide turpiter occidantur, & ita victus quidem intereat, victor verò publico ſupplicio exterminetur. Sic minatur Sobnæ præpoſito Eſa. 22. *Quid tu hic, quia excidiſti hic in petrâ tabernaculum tibi? Ecce aſportari te faciet Dominus, ſicut aſportatur gallus gallinaceus.* Et non ſufficiat hoc ad rixas & duella compeſcenda? Certè, duces aliqui ſolent hoc pacto militibus ſuis duella prohibere: concedunt eis duellum, ſed eâ lege vt qui alterum occiderit, mox ſuſpendatur. Conniuet etiam Deus eiuſmodi laniſtis: ſed tandem victorem grauiùs punit. Non audimus in hodierno Euangelio: *Qui iraſcitur fratri ſuo, qui dixerit racha, qui dixerit fatue; reus erit iudicio, concilio, gehennæ ignis?* Quid ſeuerius dici poterat? ſi talium reus eſt, qui iraſcitur & conuitiatur; qui cogitatione tantùm & lingua vulnerat vel occidit: qualium reus non erit, qui reipsâ vulnerat, mutilat, occidit?

Accedit quòd *puerilis animoſitas eſt contendere*, inquit S. Auguſt. *epiſt.* 174. & ſtudere vt alter alterum vincat, cùm apud Chriſtianos vincere ſolùm debeat veritas, pax & humilitas. Audiatur vel Ethnicus Seneca lib. 2. de irâ cap. 34. *Cum pari contendere anceps eſt*, inquit: *cum ſuperiore furioſum: cum inferiore ſordidum.* Audiatur & Sapiens Prouerb. 20. *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumelijs*, id eſt, contentionibus, quæ gignunt & iactant contumelias.

Quando igitur videmus, Auditores, quàm fœdi & abominandi ſint partus iracundiæ, fugiamus eorum matrem; ſcientes quoniam iracundi ſaltem in gehennâ, ſociabuntur tartareis beſtiis, canibus, ſimiis, ſerpentibus, quorum bilem & ſæuitiam imitari in terris voluerunt. Quod à nobis auertat DEVS.

CONCIO VIII.

Cauſæ & fines oblationum.

Oſtenditur oblationes Deo gratas eſſe, quia

1. *Fiunt in ſignum recognitionis.*
2. *Ad venerationem Chriſti in altari.*
3. *Ad miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem.*
4. *Ad impetranda bona corporalia & ſpiritualia.*

THEMA.

Tunc veniens offer munus tuum. Matth. 5.

NOTANDVM eſt, Auditores, quòd iubet Dominus in hodierno Euangelo relinquere munus ad altare & priùs quàm offeratur, ire ad reconciliandum fratrem. Hinc enim manifeſtè ſequitur, munera quæ homines offerunt ad altare, Deo grata eſſe. Alioquin enim Dominus iuſſiſſet abſque dubio tolli ab altari munus & à conſpectu ſuo abiici quaſi execrandum aut ſuperſtitioſum. Verùm tantùm abeſt vt abiici id iuſſerit, vt ad altare relinqui, poſteà offerendum & à Deo acceptandum. Non præcipit nobis vt ſublato de altari munere, cum eo diſcederemus & reuerteremur; ne fortè pœnitentiâ oblationis ducti, munus detraheremus, Deoque ſubtraheremus; ſed mandauit munus relinquendum in altari, vtpote ei decretum & cæteroqui gratum. Quid hic oggannient hæretici, qui calumniantur oblationes quæ fiunt ad altare, à Sacerdotum auaritiâ excogitatas, inſuper ſuperſtitioſas eſſe? Contemptis igitur his canum latratibus, oſtendamus oblationes actum religionis Deo gratum eſſe ex earumdem cauſis & finibus. A.

PRIMÒ. Fiunt in ſignum recognitionis, quòd omnia noſtra à Deo habeamus illiq́ue accepta feramus. Sic enim ſolent Domini feudorum vel prædiorum requirere à vaſallis ſuis in recognitionem certum munus annuum, vel cùm feudum ſit caducum: vel ab Emphyteutis certam partem fructuum. Atqui nos à Deo omnia habemus, eiq́ue omnia debemus; hoc ergo munere aliquo licet impari & exiguo B. I. Fiunt in ſignum recognitionis.

Digitized by Google

guo recognoſcere & profiteri debemus: idque adeò naturæ conſonum eſt, vt nulla penè natio fuerit tam barbara, quæ non certa munera Diis ſuis offerre, vti crocum, thus, pecora, ſoleret. In vitâ S. Athenogenis legimus ceruam ei fuiſſe, quæ Euangelicæ lectionis tempore hinnulum ſuum in diuinis officiis Eccleſiæ offerre conſueuerat. Metaphr. & Lipom. in eius vitâ. Quâ re oſtendere voluit Deus gratam imò debitam ſibi eſſe oblationem noſtram. Duo magna bona nos à Deo habemus, Corpus & animam, & quæ ea conſequuntur. Inſpice bene vtraque & videbis in iis Dei imaginem; Deo ergo debentur. Vnde S. Bern. *ſerm. 3. de purific.* ait: *Vt vidua Euangelica duo æra minuta miſit in ærarium templi: ita nos duo minuta, puta corpus & animam Deo offeramus.* Hinc fortaſſe bis in officio diuino ad altare offerri ſolet. Vnde cùm quis offert donum ſuum ad altare, cogitet ſe hoc externo dono velle ſeipſum Deo offerre. Non enim vult Deus donum noſtrum ſine nobis. Oſtendimus etiam his munuſculis noſtram gratitudinem, quam debemus Deo largitori bonorum omnium; audituri alioquin illud Domini: *Non eſt inuentus qui rediret & daret gloriã Deo*, Luc. 17. Nec refert quòd quæ offerimus Deo, ſemper ipſius Dei ſint & maneant, mentem enim gratam non diuitias ei dare volumus ſimulque oſtendere nos debere ei omnia, quia ab eo accepimus omnia. Ita David 1. Par. vlt. orabat.: *Quis ego & populus meus vt poſſimus hæc tibi vniuerſa promittere? tua ſunt omnia & quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi.*

C. II. Ad venerationem Christi in Altari.

SECVNDÒ. Ad venerationem Chriſti in Euchariſtia ad nos venientis ſub officio Miſſæ. Sic enim accedenti ad tabernaculum vel templum præcipit Deus Exod. 23. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*, id eſt, ſine oblatione ſeu munere. Hebraica verba ſonant: *Non videbuntur facies meæ vanè.* Videmus autem faciem Dei quodam modo in ſacrificio Miſſæ. Hinc Gregor. Septimus an. 1078. præcipit: *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre & reducere ad memoriam, quod Deus per Moyſen dixit: Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Certè principes terrenos ad ciuitates noſtras diuertentes, non ſine munere ſalutare conſueuimus. Et olim Reges Perſarum ſine munere adire non licebat. Vnde Seneca ille apud Ælianum, Artaxerxi Perſarum Regi fortè ſibi obuianti, aquam è vicino amne (cùm aliud in promptu non haberet) manibus hauſtam obtulit; gratiſſimum Regi munus, vtpote qui non donum ſed animum penſabat donantis. Itaque & nos iure meritò venientem ad nos Regem noſtrum in re diuinâ ſalutamus, quantumuis exiguo munere. Ipſe enim donantem intuetur, non donum; vti patet ex duobus minutis, quæ vidua miſit in gazophylacium. Ingredienti in mundum Chriſto, obtulerunt ei Magi dona pretioſa, ſimulque nos docuerunt, vt idem faceremus; quando in S. Miſsâ venit ad nos Chriſtus. Abraham obuianti ſibi Melchiſedech Sacerdoti cum oblatione panis & vini, decimas ex omnibus bonis ſuis dedit, *Geneſ.* 14. Atqui in Miſſa occurrit nobis verus noſter Melchiſedech cum oblatione panis & vini. Cur non ergo viciſſim offeramus ei munus aliquod? Porrò ad honorem ſacrificij Miſſæ antiquitùs, diebus præſertim Dominicis, fideles panem & vinum offerre ſoliti ſunt, tanquam materiam ſacrificij & S. Communionis, vt patet ex decreto Fabiani Papæ *ep.* 3. *ad Hilar.* Cantores verò olim aquam fontis puram ad ſacrificium afferebant. Alcuin. de diuinis offic. c. quid ſignif. veſtim. Amalarius Fortun. lib. 3. de Eccl. offic. c. 19. Et pro dedecore habebatur, ſi quis diues præſertim nihil ad ſacrificium attuliſſet teſte Cypr. *in L. de operibus & eleëmoſ.* cùm ait: *Locuples & diues es matrona & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omninò non reſpicis; quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quam pauper obtulit, ſumis?* Et S. Aug. qui ſer. 215. de temp. ait: *oblationes quæ in altari conſecrantur, offerte. Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de alienâ oblatione communicauerit.* Quare S. Wenceſlaus Bohemorum Rex meſſis & vindemiæ tempore, ipſemet manibus ſuis metebat & vindemiabat ea, quæ pro ſacrificio Sacerdotum manibus offerret. Tym. *in ſpec. Magiſtr. ſigno* 23. *p.* 2. Adeò ſibi ducebat honori, ad menſam Domini miniſtrare neceſſaria.

D. III. Ad miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem.

TERTIÒ. Ad miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem, templi conſeruationem, ornatum & inſtaurationem. Ideò enim in veteri lege voluit Deus, vt ex oblationibus hoſtiarum ſua pars cederet Leuitis & ſacerdotibus, *Exodi* 29. *Deut.* 18. Id ipſum ſenſu typico præcepiſſe Deum *Deut.* 25. cùm mandauit ne alligaretur os boui trituranti, teſtatur Apoſtolus 1. Cor. 9. *Quis*, inquit, *militat ſuis ſtipendiis vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? nunquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hoc dicit? ſcriptum eſt enim in lege Moyſi non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? Aut propter nos vtique hoc dicit? Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus: magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* hæc Apoſtol. Si non liceret pro ſpiritualibus donis, temporalia (abſque contractu) recipere, non petiiſſet Iſaac venationem ab Eſau filio pro benedictione illi impertiendâ, *Gen.* 27.

Cæterùm eâ populi oblatione admonentur Sacerdotes vt ne officio ſuo deſint. Videntur enim Laici Sacerdoti dicere: nos tibi prouidebimus de temporalibus, tu interim age tanquam Legatus noſter cauſam noſtram coram Deo fideliter. Speciatim verò in Miſsâ pro defunctis offertur panis & vinum, vt dum hæc percipiunt Sacerdotes, meminerint ipſi offerre Deo pro defunctis panem & vinum Euchariſticum, ad illorum ſpiritualem refectionem, refrigerium & liberationem.

Ne verò aliquis exiſtimet non offerri Deo, quod offertur ſacerdotibus: noſſe debet oblationes illas Deo fieri, eſſeque actû religionis

à Deo verò dari Sacerdotibus. Sic enim ipſe ad Aaronem dixit, Num. 18. *Omnis oblatio & ſacrificium, & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi & cedit in ſancta ſanctorum, tuum erit & filiorum tuorum.* Et mox; *Primitias quas vouerunt & obtulerunt filij Iſraël, tibi dedi & filijs tuis & filiabus tuis iure perpetuo.* Nec repertus eſt aliquando de filiis Iſraël, qui expoſtularet contra hanc legem quaſi ex auaritiâ Sacerdotum protectam. Offers cœnam ſeruo amici tui: nónne hic eſt actus amicitiæ, reſpiciens amicum tuum?

E. IV. Ad impetranda viciſſim alia bona.

Qvartò, Ad impetranda bona corporalia & ſpiritualia. Solent enim pauperes perituri à potente gratiam aliquam offerre illi munuſculum aliquod; hoc ipſo, quod diues à paupere tale munus accipit, obligari ſe aduertit ad rependendum aliquid maius. Certè Artaxerxes, de quo ſuprà, Sinetæ illi pro pugillo aquæ dedit ſtolam Perſicam cum phialâ aureâ & mille denariis, aquam præterea oblatam excipi phialâ aureâ iuſſit. Similem munificentiam Greg. XIII. Pontif. qui ante Pontificatum Hugo Bon-cumpagnus vocabatur, expertus eſt pauperculus quidam ruſticulus, qui cùm Hugonem Bononiæ Iuris profeſſioni operam dantem & fortè ad villulam ſuam ſubinde diuertentem familiariter nouiſſet, inaudiſſetque ipſum Romæ factum eſſe ſummum omnium Sacerdotem, ſtatuit eum adire pro veteri notitiâ, ſalutare & gratulari. Accepit ergo ſecum, vnà cum vxore ſuâ (ſi bene memini) ruſtica, quædam munuſcula, butyrum, caſeum, ſimilia, venitque Romam, & vndique diſquirens; vbinam habitaret Meſſier Hugo (hoc enim nomine ſibi noto eum appellabat) cumque interrogati Romani non poſſent diuinare quiſnam eſſet iſte Meſſier Hugo: addidit ille, ſe inaudiſſe, quòd Romæ eſſet maximus omnium Sacerdos factus. Vix tandem ciues deprehenderunt quæri ab iſto Pontificem, qui priùs Hugo vocabatur. Itaque ad Papam ablegant. Quo conſpecto ſimpliculus ille ſalutat notum ſibi Hugonem, admonet veteris amicitiæ, gratulatur dignitatem, offert munuſcula ſua, non ſine humaniſſimo riſu & complacentiâ Pontificis. Eum itaque Gregorius velut veterem amicum benigniſſimè accepit & per dies aliquot lautiſſimè tractari fecit, tandemque melioribus donatum muneribus ad propria dimiſit. Bonus iſte ruricola Pontificis humanitatem miris vndique laudibus prædicabat. Ita audiui Romæ à viro fide digniſſimo magnæque autoritatis, qui nouerat Pontificem. Longè magnificentior & liberalior eſt Deus noſter, cui vinci muneribus non poteſt. Vnde Apoſtolus exclamat: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* ad Rom. 11. Non ergo patietur donum noſtrum quantumuis exiguum, ſi bonâ mente offeratur, irremuneratum. Vt enim Regina Saba, poſtquam multa obtulit Salomoni, longè plura recepit: (2. *Par.* 9.) ita nos à Deo plura ſemper recipimus quàm demus aut poſſimus dare.

Inprimis poſſumus per oblationem redimere pœnas peccatis noſtris debitas, vnde oblatio à S. Hieronymo in Ier. c. 11. vocatur *redemptio peccatorum.* Et ad quid putamus Dominum hodierno in Euangelio dixiſſe: *Relinque munus tuum ſuper altare: Vt ibi oret pro te*, inquit in eum locum Palacius, *& clamet ad Dominum, impetretque veniam tui delicti & pacem proximi tui.* Si enim Eccleſiaſt. c. 29. dixit: *Conclude eleëmoſynam in corde pauperis & hæc exorabit pro te*; quantò magis hoc faciet oblatio quæ fit Deo, cùm ſit actus latriæ & religionis? Vis exemplum? Rarum & pulchrum refert Petrus Cluniacenſis Abbas in l. de miraculis ſui temporis. *Eſt in Gratianopolitano Epiſcopatu locus in venis ſubterraneis plurimum ferri habens, quod multo incolarum & ruſticorum ſudore aſſiduè eruitur; ac fornacibus coctum & expurgatum per circumiacentes terras fabris ferrariis vel quibuſlibet pro lucro venditur. Inde & villa, quam iidem homines iuxtà incolunt, Ferraria nuncupatur. Solent autem huiuſmodi homines, dum terræ abdita fodiendo perſcrutantur, ſpe maioris lucri longiùs procedere, & per ſubterraneos ſpecus pertinaciter maiorem ferri materiam perſcrutari. Huic operi dum quodam tempore quidam ruſticus indefeſſus inſtaret, & intima terræ fodiendo acriter rimaretur, repentè maxima moles terræ delapſa aditum, per quem ingreſſus fuerat, obturauit: quia tamen fodiendo longiùs proceſſerat, ac multum poſt ſe ſpatij exhauſta terra inane reliquerat, mortem euaſit: & velut in domo clauſa, ac validis munitionibus vndique circumſepta, egredi quidem non potuit, incolumis tamen permanſit: ſed tenebris tam tenebroſi carceris circumſeptus, ſpe omni euadendi ſublata, ac velut in amplo ſepulchro ſepultus, mortem ipſam adhuc viuens iam ſe cernere exiſtimabat. Quem iam per aliquot dies non apparentem vxor ſua mortuum credens, ad animam eius ſpiritualibus beneficijs adiuuandam conuerſa eſt: vnde per annum integrum omni hebdomada vnam ei Miſſam à Sacerdotibus celebrari faciens, & pro eo panem & candelam offerens, ſalutari Sacramento, vt mos eſt Eccleſiæ, animæ defuncti mariti ſubuenire ſatagebat. Vna tamen in anno hebdomada extitit, quâ mulier alijs intenta negotiis, Miſſam, vt propoſuerat, marito prouidere neglexit. Exacto totius anni penè emenſo ſpatio, rurſus foſſores metalli officio aſſueti, irrequieti inſtantes ad locum, in quo iam dictus ruſticus adhuc viuens latebat, paulatim fodiendo perueniunt. Quorum dum voces, & malleorum ſonitus iam appropinquantium ruſticus incluſus audiſſet, quantum potuit niſibus vociferari cœpit. Cuius ille vocem audientes, & (vtpote artis illius periti) hominem ſubterraneis eſſe cognoſcentes, ſeſe inuicem cohortati ſunt, & ad eum tandem poſt multum foſſionis laborem peruenerunt: quem accenſis luminibus curioſè circumſpicientes, illum eſſe, quem anno iam præterito ibidem obrutum eſſe ſciebant, agnouerunt. Admirati, & vt par erat, tanta rei nouitate ſtupefacti quomodo illic viuere potuiſſet, inſtantiſſime inquirebant: at ille reſpondit, iſto, quem modò remouiſtis, terræ obice foraminis, per quod intraueram, obiecto, cum hoc carcere, quem videtis, re-*

tentus

rentus fuiſſem, atque aliquantis diebus ſine cibo & lumine permanſiſſem, ſubitò mihi iam pane deficienti cum pane ſimul & lumine quidam adſtitit, qui me confortans, & ad cibum capiendum admonens, terras tenebras illâ candelâ, quam ferebat, clariſſimè illuſtrabat, eo pane per ſpatium ſeptem aut octo dierum (vt mihi videbatur) refectus; totidem diebus illâ candelâ illuſtratus, & famis periculum euadebam, & vnius foſſæ tenebras euitabam. Poſt ſeptem verò vel octo dies rurſus ille qui priùs cum recenti pane & renouato lumine adueniebat, eaque mihi dimittens recedebat. Hoc per vnius (vt mihi videbatur) anni excurſum æquo pene temporis interuallo nunquam facere deſtitit, excepto vnius hebdomadæ ſpatio; quo mihi præſentiam ſuam, munuſq́; ſolitum, neſcio quâ de cauſâ ſubtraxit. Hoc illi ab eo audientes, & quod pro illo vxor eius per totum illum annum fecerat; ad mentem reuocantes, cuncta ei protinus expoſuerunt: deinde hominem de cauernis illis ſubterraneis educentes, vxori propriæ, vicinis omnibus, & populo ad tantum ſpectaculum concurrenti, mirum dictu, poſt annuam ſepulturam, incolumem reddiderunt, qui ſimul congregati, & quod pro eo mulier fecerat, & quod ille de ſeſe narrabat examinantes; eiſdem diebus panem, quo reficiebatur; candelam, quâ illuſtrabatur, & in illo ſpecu oblata fuiſſe inuenerunt, quibus mulier pro eius requie & Miſſam celebrari faciebat, & Sacerdoti Miſſam celebranti panem ſimul & candelam offerebat. Huc vſque Petrus Cluniacenſis.

Sed audiamus etiam quâ ratione Deus puniuerit deriſores oblationum. Balth. Chauaſſius *de notis fidei lib. 2. cap.* 15. ſcribit factum, vt ait, ſibi notiſſimum. *Quidam ſectâ Caluinianus ante aliquot annos Metis in Lotharingiâ vbi cùm eſſem, curioſè ingreſſus templum quoddam Catholicorum, hominem vidit ad altare humiliter ſupplicantem, factaq́; oratione, oua duo offerentem, quo recedente ſocio ſuo dixit: ô Papiſtam ſuperſtitioſum? vadam & mihi auferam oblationem, quam ſtolida hæc gallina edidit. Mox à ſocio paulò moderatiore audit: Si mihi credis, abſtinebis, ſinamus illos ritu ſuo viuere, ſicut ipſi noſtro volumus: quid alienum ſeruum iudicas? Domino quiſque ſuo ſtat aut cadit. Gratulemur nobis lumen illud ſingulare, quod à Spiritu ſancto accepimus, & quo ſi hîc aliqui deſtituuntur eſt cur nos illorum miſereat, ſat ſeuerus vindex erit Deus in omnes, à quibus in religionem committitur. Non ſapuit his monitis: ſed ait: Verba feminæ; tu ſi vis tibi tempera, oblationem, vt dixi, mihi auferam, eam in ientaculum craſtinum cum ſocijs meis inducturus; non ſine riſu. Dictum factum, extendit ad oblationem impias manus, domum repetit, ientaculum parat, ſocios accerſit, quid acciderit narrat, in riſum effunditur, blaſphemat, oua vnius vitellum ſorbendum in os mittit. Adhuc erat eſca in ore eius, & ira Dei aſcendit ſuper eum, impiam mox exhalauit animam, ſtupeſcentibus qui aderant, & diſcentibus quàm non irrideatur Catholicorum Deus.*

Intelligitis hinc Auditores, nequaquam perire, quod Eccleſiæ & Deo offertur, ſed largiſſimè remunerari, ſi non in hoc, ſaltem in altero ſæculo. Verùm mundus parum allicitur mercede futuri ſæculi; vt quæ ipſi incerta videatur vel diu ſaltem expectanda ſit. Hinc omnes pene hominum oblationes hominibus & ferè opulentis fiunt, à quibus viciſſim munus aliud præſtantius expectant in hac vitâ exhibendum, curuæ in terris animæ. Sed quæ ſunt mundi dona? quæ remunerationes? quæ gratiæ & fauores? nónne fumus? nónne fœnum? Miſit aliquando S. Baſilius Iuliano Imperatori Apoſtatæ optimâ ſanè mẽte tres panes hordeaceos pro benedictione. Sed quid ei muneris remiſit impius Apoſtata? fœnum remiſit, dicens: *Dat nobis hordeum pabulum iumentorum, accipiat viciſſim fœnum.* Sed reſpondit ingrato Imperatori Baſilius: *Nos quidem, Imperator, ea tibi obtulimus, quibus ipſi veſcimur: tu verò ea nobis reſtituis, vnde bruta victitant, vltrò quidem nos irridens.* Refert Chauaſ. *de notis Eccl. l. 1. cap.* 15. Profectò hic Iulianus typum mundi expreſſit. Quid enim mundus ſolet pro exhibitis ſibi muneribus, obſequiis, amicitiis, rependere? iumentorum pabulum, res flexas & inanes, quibus nutriuntur homines carnales; vno verbo fœnum, quia *omnis caro fœnum*, clamat Iſaias. Itaque ſi ſapitis Chriſtiani, dona & obſequia veſtra ſalubriùs impendite & Deo deſtinate, qui eſt omnium fidelium remunerator.

CONCIO IX.

Documenta ex Euangelio.

1. *Docetur qualis iuſtitia à Chriſtianis requiratur.*
2. *Plebeios debere potiùs audire, quàm legere Dei verbum.*
3. *Abhorrendum eſſe ab homicidio.*
4. *Reprimendos eſſe iracundiæ motus.*
5. *In Eccleſia eſſe altaria, & proinde ſacrificia.*
6. *Docetur fratrum reconciliatio.*
7. *Chriſtianam libertatem non excludere legem.*

THEMA.

Ego autem dico vobis. Matth. 5.

QVando Deus in monte Sinai promulgauit legem cum terrore & maieſtate, *Exod.* 20. conſternati inde Iudæi dixerunt Moyſi: *Loquere tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Itaque promiſit eis Dominus Prophetam de gente ipſorum, quem audire deberent, quòd ſi non audiſſent, ſe vltorem fore, *Deut.* 18. Propheta iſte Chriſtus eſt, vti teſtatur Sanctus Petrus *Actor.* 3. qui veterem Dei legem cum omni manſuetudine clariùs nobis propoſuit, vti fecit inprimis in ſermone habito in monte, vnde hodiernum Euangelium deſumptum eſt. Itaque nemo vnus ſit, qui non audiat hunc Prophetam, niſi malit Deum habere vindicem. Audiamus igitur Legiſlatorem & Doctorem noſtrum, quæ potiſſimum documenta tradat nobis in hodierno Euangelio. A.

Docet PRIMÒ, qualis iuſtitia & vitæ inte-

B.
I.
Qualis iuſtitia à Chriſtianis requiratur.

gritas à Chriſtianis requiratur; maior nimirum quàm fuit olim Scribarum & Phariſæorum; ſiquidem hunc ſermonem habuit Chriſtus non ad diſcipulos tantùm ſuos, ſed ad omnis generis homines; vti ad finem ſermonis indicat Matthæus cap. 7. dicens: *Et factum eſt, cùm conſummaſſet Ieſus verba hæc, admiratæ ſunt turbæ.* Porrò Phariſæorum vita præſertim in tyrocinio rigida erat & in ſpeciem ſancta. Multos annos colebant caſtitatem & virginitatem: victus eorum ſimplex & frugalis erat: vigiliis & orationibus vacabant, vnde aliqui in aſſere admodum anguſto veſperi quieſcebant, vt ſi quis largiùs dormiſſet, in pauimentum decideret & rurſùs excitaretur ad orationem. Alij lapillos, alij ſpinas ſibi ſubſternebant, ne in profundum ſomnum deferrentur, ieiunabant bis in Sabbatho: dabant decimas ex omnibus, quæ poſſidebant: ſpinas gerebant in fimbriis veſtium, vt earum puncturis admonerentur legis obſeruandæ; ita vt Phariſæi eſſent apud Iudæos quod apud nos religioſi; vti ſcribunt partim Ioſephus *lib.* 18. *antiq. cap.* 2. & alibi: partim Epiphanius *hæreſ* 16. partim Hieronymus *in c.* 23. *Matth.* His tamen omnibus contentus non erat Chriſtus, ſed voluit nos meliores eſſe, quia nimirum hæc opera illorum defectuoſa erant. Quid ergo reſpondebunt, qui non modò non talia, ſed nec minora præſtant. Quid reſpondebunt illi qui nunquam ieiunant, nunquam aut rariſſimè orant? Quid qui perpetui in popinis ſunt & legis diuinæ nunquam recordantur? Si enim reiiciuntur illi, qui bona opera non rectè faciunt, quomodo probabuntur ij, qui hæc omninò non faciunt? *Non intrabitis in regnum cælorum*, ait Dominus iis, qui bona opera faciebant, etſi non bene: quid dicet illis, qui nulla faciunt, ſed viuunt in Chriſtianiſmo, non vt Chriſtiani, ſed potiùs vt pagani: nimirum id: *Nunquam noui vos, diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.* Et quàm multi tales, qui ſalutem ſibi pollicentur, licet boni nihil faciant? Anguſtiam portæ cœleſtis vident, & nunquam ſe probant, an per anguſtum id foramen intrare queant? Dauid certè cum Goliath pugnaturus, poſtquam armis Saulis indutus erat, tentauit *ſi armatus incedere poſſet.* Sed videns ſe grauari & retardari, ea depoſuit. Ad hunc modum probare ſe quiſque debet, num cum hac ſuâ viuendi ratione ſaluari queat? Quid hæretici, qui hæc opera bona non modò non faciunt, ſed etiam irrident, & nullam omninò iuſtitiam habent aut admittunt? Quid enim illi facient, cùm aliquando Deus requiret iuſtitiam illorum? Num ſola interna fides, ſine operibus bonis ſaluare eos poterit? Atqui præter eam Chriſtus plus aliquid requirit, opera nimirum bona, quæ meliùs & abundantiùs fiant, quàm opera Phariſæorum. Non enim excludit omninò opera Phariſæorum, ſed vult ea perfici & à defectibus perpurgari, ex fide & charitate fieri. Num ſufficiet illis iuſtitia Chriſti imputatiua? Atqui Chriſtus requirit iuſtitiam, quæ ſit noſtra, id eſt, in nobis & non extra nos: quam nos facimus, & non alius, iuxta id 1. Ioan. 3. *Filioli, nemo vos ſeducat: qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt.*

C.
II.
Plebeiis audiendum potiùs Dei verbum quã legendũ.

Docet SECVNDÒ plebeiis verbum Dei audiendum potiùs eſſe, quam legendum; ſiquidem Dominus non ait: Legiſtis quia ſcriptum eſt: *Non occides*; ſed *audiſtis, quia dictum eſt.* Ad turbas enim hìc loquebatur. Ita de fratribus Epulonis ait in perſonâ Abrahæ: *Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos*, Luc. 16. Doctos tantùm ad ſcripturam remiſit & Legiſperitos, vti illum, cui dicebat: *In lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis.* Itaque plebs audire potiùs Dei verbum debet, quàm legere, quia illud minus habet periculi quam hoc. Nam primò non facilè permittat Chriſtus & mater noſtra Eccleſia vt falſa & adulterina dogmata in Eccleſia prædicentur. Non enim minus ſolicitus eſt Chriſtus & Eccleſia, vt Doctores & paſtores vera & ſalutaria prædicent, quam Magiſtratus ciuilis, ne Medici, Pharmacopolæ, mercatores & opifices, medicinis, mercibus & operibus ſuis fraudem miſceant. Et ſicut non metuimus, ne Medicus aut Pharmacopola venenum nobis propinet, cùm pharmacis illorum vtimur: ita non timendum, ne paſtores & doctores Eccleſiæ legitimi erronea nobis prædicent.

Contrà verò facilè decipi poteſt, qui ex lectione tantùm verbum Dei vult percipere; ſi nimirum non iuxta SS. Patrum & Eccleſiæ ſententiam, ſed iuxta proprium iudicium ſcripturam interpretari velit. Deinde ſi contingeret decipi Auditores à ſuo Doctore, ſi deceptionem illam deprehendere & vincere nequirent, excuſarentur apud Deum; vti qui conſilio Medici vtitur, & iuxta præſcriptum eius viuit, bene facit, & nihil damnationis habet, licet noxium quid ab eo recipiat, vnde moriatur. Non ita excuſantur, qui ex lectione ſcripturæ venenum errorũ hauriunt. Ad auditũ legis remiſit Dñs plebem, non ad lectionem.

D.
III.
Abhorrẽdum ab homicidio.

Docet TERTIÒ. Abhorrere ab homicidio, quod in lege etiam veteri pœnâ talionis & mortis plectebatur; vti Exod. 21. vbi Deus præcipit: *Qui percuſſerit hominem, volens occidere, morte moriatur.* Et Gen. 9. *Quicumque effuderit ſanguinem humanum, fundetur ſanguis illius.* Imò inidem etiam à beſtiis requiſiturum ſe ait Deus ſanguinem humanum, ab eis effuſum: *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum & de manu hominis &c.* vti patet *Exodi* 21. vbi iubet bouem (& à pari omnem aliam beſtiam) homicidam lapidari; ad terrorem videlicet & exemplum hominum, vt eo magis abſterreantur à tam immani facinore, quod etiam bobus luendum ſit. Vnde hodieque in multis locis porci aliæque beſtiæ ſi pueros alióſve homines necârint, ſuſpenduntur aut iugulantur. Quin etiam ob hoc ipſum iuſſit Deus, *Deut.* 21. vt ſi cadauer hominis occiſi inuentum fuerit, egrederentur è ciuitate viciniſſimâ Seniores & cæderent vitulam, lauarentq; manus ſuas ſuper eam in proteſtationem,

Digitized by Google

nem, quòd ipſi à ſanguine occiſi innocentes eſſent: & quòd homicidam, ſi eum deprehenderent, ſimili modo plectere vellent; vel etiam, vt ſi is inter præſentes adeſſet, proderetur. Solet enim naturali quaſi miraculo cadauer occiſi, ſi occiſor præſens ſit, ſanguinem ſudare. Quæ omnia oſtendunt quàm ſeuerè Deus punire ſtatuerit homicidas, quâ re nihil manifeſtius. Solet enim eos vltio diuina in omni loco perſequi, ita vt requiem non habeant & ordinariè malâ & violentâ morte pereant; iuxta id Ezech. 35. *Cùm ſanguinem oderis ſanguis perſequetur te.* Vin' exempla? Macareus Mytilenenſis Bacchi ſacerdos, hoſpitem in templum ſeducens occidit: paulò pòſt filij eius volentes patris ſacrificia imitari, vnus alterum quaſi victimam iugulauit. Mater id reſciens filium qui reliquus erat, quique alterum iugulauerat, furibunda torre occidit. Pater Sacerdos id cognoſcens, ipſam matrem coniugem ſuam mactauit, ideoque captus & confeſſus crimen ante publicum ſupplicium, in tormentis animam exhalauit. Ælian. l. 13. Ibycus Poëta cùm in latrones incidiſſet, iam occidendus grues ſuperuolantes obteſtatus eſt in vltionem cædis ſuæ. Aliquanto pòſt latrones illi in foro conſedentes cùm iterum viderant grues ſuperuolantes, per riſum ſibi in aurem ſuſurrabant: *Ecce Grues Ibyci.* Audierunt fortè hoc alij & in ſuſpicionem rapuerunt, præſertim deſiderato iam pridem Ibyco. Itaque latrones comprehenſi & interrogati, cùm hæſitanter & inconſtanter reſponderent, ſubiecti ſunt tormentis & confeſſi crimen pœnas dederunt. *Plut. lib. de loquacitate.* Pyrrhi occiſoris, canis eius prodidit. Albertus Rex Romanorum Rudolphi Habſpurg. filius cùm Adolphum Cæſarem occidiſſet, & ipſe tandem à coniuratoribus occiſus eſt. Sed & occiſores eius fugati & diſperſi miſerè perierunt. Dux enim Ioannes, nepos eius exul factus & ab Henrico Imper. captus & aliquando in vinculis detentus, tandem in habitu Eremitarum obiit. Vdalricus de Palm. Baſileæ in domo Conuerſarum diu vixit & obiit tandem. Walterus de Eſchenbach in comitatu Wirtenbergenſi paſtor pecorum factus latuit & poſt annos 25. moriens, quis eſſet, dixit: Rudolphus de Wart ligatus ad equi caudam tractuſque ad locum ſupplicij, fractis membris & dorſo, rotæ eſt impoſitus. Atque ita quatuor hi occiſores iuſto Dei iudicio mulctati perierunt. Hieron. Ziegl. *de viris illuſtribus Germa. c.* 57. Et quid mirum? Atrociſſimum enim hoc crimen eſt, quia tollit homini ſummum, quod eſt in naturalibus, bonum, vitam ſcilicet, quæ nequaquam reparari poteſt ſemel ablata; non enim vti arbores, ita cæſi renaſcuntur homines. Deinde, quia terra inſontium cruore maculatur: nec aliter expiari poteſt, niſi per eius ſanguinem qui alterius ſanguinem fuderit, vt dicitur Num. 35.

Quæ cùm ita ſint, videant & conſiderent quàm grauiter delinquant, qui hominem neci dant, nullo iure & authoritate nixi: Viderint item, qui alterum ad duellum prouocant, vel prouocati temerè comparent. Quid enim hoc aliud, quàm propriâ authoritate iudicare & condemnare, imò occidere velle proximum: vel occidi velle ab alio? Et parúmne tibi videtur peccari in rempublicam, ſi vnum eius membrum abſtuleris, quod ei conſeruare vt manus manum debueras; quodque pretio vinci mundum vniuerſum? Certè Turcæ monomachias auerſantur, quòd dicant ſe imperatori ſuo viuere, non ſibi. Auger. Busbeq. *epiſt.* 38. *Legat. Turc.* At gladio hoc, inquis, habeo probare cauſam meam. Deciperis mi homo. Vel enim occideris; & tunc conuinceris ex teipſo criminis, qui ad iniquum certamen deſcenderis vel proximum prouocaris, in quo te innocentem probare contendebas. Vel occides; & nihilo magis iudicio ſapientum abſolueris: Dicent enim non ob maiorem innocentiam, ſed armorum vſum & experientiam aut corporis robur vel dolum victorem te euaſiſſe. Vel vterque, aut neuter cædetur; & quid tunc effeciſti? Sed de honore meo agitur, inquis, niſi eam hoc gladio vindicem, vel prouocatus non deſcendam in arenam, perpetuâ notabor infamiâ. Reſpond. hanc reputari infamiam à ſtultis tantùm, de quibus ait Dominus: *ſinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Nemo prudens reputabit pro infamia, cedere homini vel tauro furioſo, aut approbabit barbaram illam vocem: Veni, iugulemus nos mutuò. Tandem ſatius eſt multò, committere ſe infamiæ periculo, quàm æternæ damnationis. Sed vir & miles ſum, ais. Tantò magis imperare paſſionibus tuis & manſuetudinem colere debes; nam iuxta Ariſtot. 3. *Polit. cap.* 3. longè maior virtus à viro quàm à fœminâ requiritur. Nónne ſtrenuus miles erat Dauid? Et tamen quoties furori Saülis ceſſit? quoties ei pepercit, cùm necem inferre potuiſſet? neque tamen inde minùs, ſed magis effectus eſt glorioſus. Quid igitur faciendum, inquis? Ad Iudicem prouocandum qui ad hoc conſtitutus eſt, vt ius cuiq; dicat. Sed quid ſi Capitaneus v. g. iubeat aut concedat ambos confligere? Reſp. primò cum hoc facere ſaluâ conſcientiâ non poſſe. *Digni* enim ſunt *morte*, ait Apoſt. ad Rom. 1. *non ſolùm qui mala faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Vnde prudentes Capitanei hoc non concedunt, & occiſoribus minantur laqueum. Reſp. ſecundò: ſi id faciat Capitaneus, non tamen inde ius acquires ad duellum: ſed defendere tantùm te tuoſque aduerſus aggreſſionem iniquam potes; non enim iuſtum eſt hominem potiùs audire quàm Deum & Eccleſiam, quæ eiuſmodi Monomachos, ſi occidantur, priuat ſepulturâ ſacrâ, licet pœniteant & ſacris muniti obeant. De torneam. c. 1. Sed nemo eſt, qui hoc faciat, inquis, *Propterea infernus dilatauit animam ſuam & aperuit os ſuum abſque vllo termino.* Non poſſum, addis, ſuſtinere hanc iniuriam aut infamiam nomini & generi meo inferendâ. Reſp. die Schwürey ab vnd der Höll zu.

Digitized by Google

tu Charontis cymbam inſcende & ad inferos perge; quia qui ſeipſũ & ſuos amat plus quàm Deum, non eſt Deo dignus.

E. IV. Reprimendi iracundiæ motus.

Docet QVARTÒ reprimere iracundiæ motus & præſertim compeſcere iniurioſa verba. Quid enim horribilius dicere poterat Dominus, quàm, *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, &c. qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis?* Ira ex ſe præciſè, cùm ſit paſſio animi, mala non eſt, ſed bona potiùs, data homini ad plectenda & coërcenda peccata. Vnde ſæpe peccatur iræ defectu, quando quis ſcilicet de datâ iniuriâ non quærit aut ſumit vltionem, cùm ſumenda eſt; vel non corripit peccatores; præſertim ſubditos, aut obiurgat; vti peccauit Heli non corripiens iniquitatem filiorum ſuorum. Similiter qui causâ correctionis conuitiis impetunt ſubditos & proximos ex bonâ intentione, peccare non cenſentur, modò citra perturbationem animi ac iuſtâ de causâ fiat, vt aliàs diximus. Debet ergo coërceri tantùm ira velut equus, vt ne contra rationem excurrat pro libitu in quemuis, dentibus verborum mordeat, aut calcibus verberum noceat. Hæc enim ſi ex odio fierent, & cum notabili damno aut contemptu proximi, gehennam mererentur; ſiquidem non modò odium proximi continent, ſed etiam in illo odium accendunt, & velut gladius acutus charitatem Chriſtianam ſcindunt. Nam vt amor amorem, ita odium parit odium. Porrò ſi gehennam merentur verba iniurioſa iacta in proximum: quid merebitur blaſphemia!

F. V. In Eccleſia ſunt altaria & ſacrificia.

Docet QVINTÒ in Eccleſia eſſe altaria, ac proinde ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod in illis offertur. Hoc oſtendunt Chriſti verba: *Si offers munus tuum ad altare.* Hoc idem teſtatur Apoſt. *ad Hebr.* 13. dicens: *Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt;* id eſt, Iudæorum Sacerdotes. Vbi autem eſt altare ibi Sacerdos & ſacrificium eſſe debet, quia hæc tria correlatiua ſunt. Conuincuntur ergò hæretici noſtri, qui altaria vel demoliti ſunt, vel negligunt & ſpoliant, non habere Sacerdotes & ſacrificium: maiores autem noſtros Euchariſtiam habuiſſe pro ſacrificio & Miſſam nec non veros Sacerdotes. Conuincuntur nouitatis & hæreſeos, teſtantur enim altaria quæ in templis eorum vel exciſa ſunt vel adhuc extant neglecta, maiores noſtros non habuiſſe ſpiritum Lutheri & Caluini.

G. VI. Reconciliandi fratres.

Docet SIXTÒ quamprimùm reconciliari fratri tuo, ſiquidem iubet Dominus recedere ab altari eum cui fratrem habet infenſum, & priùs reconciliari illi. Et quidem, ſi tu geras odium ſeu auerſionem & vindictæ cupiditatem ex iniuria ſeu verâ ſeu præſumptâ ortam, omninò & mox deponere debes, ſi ignoſci tibi velis à Chriſto, dicente: *Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Matth. 18. Quòd ſi proximus à te auerſus eſt, & tu cauſam odij ei ſubminiſtraſti: & tunc, ſi ſuperior vel æqualis tibi ſit, mox per te vel interpoſitum aliquem, apud illum veniam deprecare, iuxta Chriſti monitum. Nec pudere te huius facti debet; *eſt enim confuſio adducens gloriam,* (Eccl. 4.) ſi tamen eſt confuſio. Certè ſi ab alio læſus eſſes, ſupplicari tibi velles: cur ergo non viciſſim læſo ſupplicaueris? Si inferior vel ſubditus ſit quem offendiſti, alia ratio eſt, de quâ ſic Aug. in lib. de vitâ cleric. ſtatuit: *Quando ſeueritas diſciplinæ in moribus coërcendis dicere vos dura verba compellet, non exigitur à vobis, cùm vos modum exceſſiſſe ſentietis, vt à ſubditis veniam poſtuletis, ne apud eos quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimia ſeruatur humilitas, regendi frangatur authoritas.* Vbi tamen eiuſmodi periculum non eſt, laudabiliter aget etiam qui à ſubdito læſo veniam petit. Vt fecit S. Ioannes Eleemoſynarius Epiſcopus qui cum ſubditum, quem acriùs ob crimen aliquod corripuerat, indignari ſibi intelligeret, ab altari diſceſſit & veniam ab eo precari cœpit. Quod videns ſubditus, idem & ipſe fecit, ac culpam ſuam agnouit. Leontius in eius vita. Quòd ſi feceris quantum in te eſt, inflexibilem tamen aduerſarium videris; nihil hinc angaris, quia per te non ſtetit, quo minùs componeretur diſſidium, redundabit in caput illius, qui reconciliari noluit. Quòd ſi tu cauſam odij non dediſti, non eſt cur veniam petas. Laudabiliter tamen feceris, ſi etiam prior occaſiones quæſieris reconciliandi tibi fratrem. Fecit id gentilis Ariſtippus, qui prior adiit Æſchinem à ſe non nihil alienatũ, & dixit: *Num quamprimùm redibimus? an potiùs expectabimus, vt ſcurris inter pocula fabula fiamus?* Cui mox annuit Æſchines ſe libenter in gratiam rediturum. Tum Ariſtippus: *Memento igitur, quòd cùm eſſem natu maior, prior te acceſſerim.* Cui Æſchines: *Næ tu vir me longè es melior? ſiquidem à me ſimultatis à te ſarciendæ factum eſt initium.* Plutarchus de cohib. ira & Laërt. l. 2.

Docet SEPTIMÒ Chriſtianam libertatem non excludere legem, ſed potiùs arctiori vinculo obligare ad virtutem, quàm legem veterem. Audimus enim Chriſtum in hodierno Euangelio, non eximentem nos à legibus, ſed arctiùs ligantem, vt ſine impedimento liberiùs vacemus virtutibus & contineamus nos à vitiis. Quis enim neſcit liberiùs agere & viuere homines in eâ ciuitate, quæ fortiſſimis mœnibus, vallis, foſſis & propugnaculis munita eſt? Atqui leges eiuſmodi propugnacula ſunt, quæ nos prohibent exire ad hoſtium caſtra, & ingredi ad nos hoſtem. Hinc religioſi maximâ in libertate viuunt, qui tribus ſe votis adſtrinxerunt: neque enim eos impedit aut infeſtat mundus opibus, nec caro voluptatibus, nec dæmon propriis deſideriis. Hinc nulla maior libertas, quàm in Cœlo, vbi nemo quidquam malum velle aut operari poteſt. Errant autem qui Chriſtianam libertatem exiſtimant liberare ab omni lege, & concedere quidquid lubet. Noxia eſt hæc libertas & ad captiuitatem diabolicam ducit. Et tamen hanc adſtruunt H. VII. Chriſtiana libertas non excludit legem.

Luthe-

Lutherus & Caluinus, quorum ille in lib. de libertate Chriſtianâ ſcribit: *Chriſtiano neque opera, neque lex neceſſaria eſt, quia per fidem liber eſt ab omni lege*, Et to. 1. Wittreberg. edit. f. 189. & 190. *Oportet*, inquit, *cor humanum legem Dei, atque adeò Deum ipſum ſupra modum odiſſe*(ô Satanæ vocem!) Hic verò l. 3. Inſtit. cap. 19. *Nihil mihi cum lege*, inquit: *quare? quia libertatem habeo.* Et hoccine eſt purum putum Euangelium? Quid enim ait Apoſtolus ad Rom. 3. *Legem*, inquit, *deſtruimus per fidem? Abſit, ſed legem ſtatuimus.* Quid S. Aug. l. 3. contra epiſt. Pelag. c. 4. *Quis ita impius eſt*, inquit, *vt dicat ſe propterea præcepta non ſeruare, quòd Chriſtianus ſit, non ſub lege, ſed ſub gratia?* Et quomodo ſine legibus ſtare poſſunt reſpublicæ? Sed miſſis pſeudoprophetis iſtis, audiamus verum & magnum prophetam noſtrum Chriſtum, &c.

CONCIO X.

Myſteria.

1. *An lex vetus prohibuerit motus peccati internos.*
2. *Ob tres cauſas concupiſcentiam eſſe prohibitam.*
3. *Aſſignantur modi quibus Chriſtus legem veterem perfecerit.*
4. *Explicantur tres illi Rei, iudicij, concilij & gehennæ.*
5. *An omnis ira vel contumelia ſit lethalis.*
6. *Proponitur diſcrimen inter iræ & carnis motibus deditos, quoad pudorem.*
7. *Duplex genus iratorum.*
8. *Rationes cur adeò accelerari iubeatur reconciliatio.*

THEMA.

Ego autem dico vobis. Matth. 5.

A. S. Euangelij virtus.

SAnctus Auguſt. *tr. 7. in Ioan.* ſacro Euangelij Codici tantam tribuit virtutem, vt non animi tantùm, ſed & corporis morbos ab eo depelli poſſe autumet, ſi cum fide adhibeatur. *Cùm caput*, inquit, *tibi dolet, laudamus, ſi Euangelium ad caput tibi appoſueris, & non ad ligaturam cucurreris.* Rationem huius rei dat Angelicus Doctor D. Thom. 2. 2. *q. 96. art. 4.* cùm ait: *Verbum Dei non eſt minoris efficaciæ, quàm reliquiæ ſanctorum: ſed reliquijs vtimur ad ſalutem: ergo pari modo, imò maiori, ad eandem licet vti verbo Dei ſcripto, ſiue Euangelio.* Atque hinc fortaſſe multi olim Chriſtiani ſecum ferre Euangelium ſolebant, vt nimirum eius præſidio depellerent etiam mala, quæ corpora afficiebant, venena & veneficia aliaſque corporum miſerias. Cæterùm longè efficacior & certior eſt virtus S. Euangelij contra morbos animi; & quia in hod. Euang. plures eoſque eius generis morbos deprehendimus, iracundiæ motum in corde, contumeliam & contemptum in ore, homicidium in manibus & opere, applicemus Euangelium cordi, ori, manibus, & inprimis auribus noſtris, vt tam graues animi morbos vel ſanare vel euitare poſſimus.

Q. PRIMA, Prohibuítne lex vetus motus peccati internos? Reſp. prohibuiſſe quidem, ſed implicitè, non expreſſis verbis, concupiſcentiâ exceptâ, de quâ expreſsè dictum: *Non concupiſces.* Eo ipſo enim quòd prohibuit actus externos, prohibuit etiam internos, à quibus externi velut à fonte promanant, ſuntque eiuſdem cum illis ſpeciei. Quia verò diſertis verbis actus illos non prohibuit lex, id nunc facit Chriſtus: & quia Scribæ & Phariſæi leges illas perperam exponebant, & peccata interna non curabant ideò illorum corruptelas hîc omninò euertit. Defuit legi perſpicuitas aliqua: defuit Scribis verus legis intellectus: quare legem non declarat, Phariſæos autem corrigit & refellit. Proinde quod ait Gloſſa interlin. ad Philipp. 3. *Lex vetus manum prohibebat, non animum*; intelligendum eſt iuxta ea, quæ diximus.

B. I. An prohibuerit lex vetus motus internos.

Q. SECVNDA. Quamobrem concupiſcentia etiam prohibita eſt? Reſp. ad hoc D. Thom. *opuſc. 7.* ſex ob cauſas. *Concupiſcentia*, inquit, *vetita eſt, primò propter concupiſcentiæ infinitatem, concupiſcentia enim quid infinitum eſt. Quilibet autem Sapiens debet intendere finem aliquem: imò nullus debet ire per viam infinitam. Eccl. 5. Auarus non implebitur pecuniâ. Iſaiæ 5. Væ qui coniungitis domum ad domum: & agrum agro copulatis. Et quod concupiſcentia nunquam ſatietur, ratio eſt, quia cor hominis factum eſt ad recipiendum Deum. Vnde Aug. in 1. confeſſ. Feciſti nos Domine ad te: & inquietum eſt cor noſtrũ, donec requieſcat in te. Id ergo quod minus eſt Deo, ipſum implere non poteſt. Pſal. 102. Qui replet in bonis deſiderium tuũ.*

C. II. Cur etiã concupiſcentia prohibita. 1.

2. *Secundò quia aufert quietem, quæ multum eſt delectabilis. Semper enim cupidi ſolliciti ſunt acquirere non habita, & habita cuſtodire. Eccleſ. 5. Saturitas diuitis non ſinit eum dormire. Matth. 6. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Et ideò Chriſtus Luc. 8. Diuitias ſpinis aſſimilauit: vt Dicit Greg.*

3. *Tertiò, quia cauſat in diuitiis inutilitatem. Facit enim diuitias eſſe non vtiles, nec ſibi, nec aliis. Non enim vtuntur eis niſi conſeruando. Eccl. 24. Viro cupido & tenaci ſine ratione eſt ſubſtantia.*

4. *Quartò, quia tollit in iuſtitia æquitatem. Exod. 23. Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum. Eccl. 31. Qui aurum diligit non iuſtificabitur.*

5. *Quintò, quia necat charitatem Dei & proximi: quia ſecundum Auguſt. quantò magis habet quis de charitate, tantò minus de cupiditate; & è conuerſo. Eccl. 7. Neque fratrem chariſſimum auro ſpreueris, necat etiam charitatem Dei, quia ſicut nemo poteſt duobus dominis ſeruire, ita neque Deo & mammonæ, vt dicitur Matth. 6.*

6. *Sextò, quia producit omnem iniquitatem, eſt enim radix omnium malorum: & ideò ſi in corde radicata eſt, & homicidium, & furtum, & omnia mala operatur, & ideò dicit Apoſtolus 1. Timoth. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.*

Q. TERTIA. Quâ ratione Chriſtus legem veterem in hodierno Euangelio perfecit ſeu impleuit? Reſpondeo primò, non perfeciſſe

D. III.

igitur tu? adhucne deliberabis ? excedéſne ex hoc ſpatio ?

Deinde nónne Dominus vult in hodierno Euangelio dimitti munus in altari & priùs deponi iram fierique reconciliationem cum fratre ? quæ verò eſt hæc tanta neceſſitas & cauſa feſtinationis ? Nimirum *te quærit Deus magis quàm munus tuum*, ait S. Auguſt. *ſerm.* 16. *de verbis Domini.* Timet enim ne te perdat, ne tu præueniaris ab irâ Dei. Si ſcires tibi ſoluendum eſſe creditorem dum ſol lucet, alioquin in vincula eundum perpetua: quis tibi non ſuaderet, quis non hortaretur vt omnia creditori ſatisfaceres ?

E. IV. Rixa & contentio. QVARTVS. Rixa & contentio, quam & gallus gallinaceus mirificè amat, præſertim vbi vinum aduſtum priùs bibit; quærit enim ex inſtituto, cum quo rixari poſſit in certamine calcaribus, pennis, roſtro pro armis vtitur, pennas ſubrigit, ſaltat, cedere contemnit: audiens alterum cantantem, mox eum prouocat ad certamen. Cæterùm victor, interdum dum canit trophæum, arripitur ab aquilâ: vt eſt in fabula illâ. Hic etiam partus hominis iracundi eſt, nam Prou. 29. dicitur: *Vir iracundus prouocat rixas.* Tales enim ſtudio quærunt quibuſcum rixari poſſint, præſertim vbi vino incaluerint, & nihil non audent. Primò inquirunt, quod in altero carpant, vel aliunde occaſionem arripiunt altercandi. Deinde verbis contendunt, & ſe mutuò prouocant: vti Goliath Dauidem. Poſtmodùm lapides conuitiorum linguâ quaſi fundâ emittunt, vti Semei contra Dauidem. Denique vbi eminùs quaſi pugnatum eſt, tandem ad manus & gladium veniunt, ad vulnera, ad cædes: poſthæc ad mulctam, bonorum confiſcationem, ad infamiam & ſupplicia publica. Ita miſeri poſt tot labores metunt ſibi dolorem, inopiam, ignominiam, necem. Hinc bene Iere. c. 1. duabus illis viſionibus, primò videt ollam ſuccenſam, deinde virgam vigilantem, ſiquidem Deus veluti oculatiſſima aquila vigilat ſuper huiuſmodi gallis cum virgâ ſuâ, & ſæpiſſime ſtatuit vt tales Goliathi ab exiguo Dauide turpiter occidantur, & ita victus quidem intereat, victor verò publico ſupplicio exterminetur. Sic minatur Sobnæ præpoſito Eſa. 22. *Quid tu hic, quia excidiſti hic in petrâ tabernaculum tibi ? Ecce aſportari te faciet Dominus, ſicut aſportatur gallus gallinaceus.* Et non ſufficiat hoc ad rixas & duella compeſcenda ? Certè, duces aliqui ſolent hoc pacto militibus ſuis duella prohibere: concedunt eis duellum, ſed eâ lege vt qui alterum occiderit, mox ſuſpendatur. Conniuet etiam Deus eiuſmodi laniſtis: ſed tandem victorem grauiùs punit. Non audimus in hodierno Euangelio: *Qui iraſcitur fratri ſuo, qui dixerit racha, qui dixerit fatue; reus erit iudicio, concilio, gehennæ ignis?* Quid ſeuerius dici poterat? ſi talium reus eſt, qui iraſcitur & conuitiatur; qui cogitatione tantùm & lingua vulnerat vel occidit: qualium reus non erit, qui reipsâ vulnerat, mutilat, occidit ?

Accedit quòd *puerilis animoſitas eſt contendere*, inquit S. Auguſt. *epiſt.* 174. & ſtudere vt alter alterum vincat, cùm apud Chriſtianos vincere ſolùm debeat veritas, pax & humilitas. Audiatur vel Ethnicus Seneca lib. 2. de irâ cap. 34. *Cum pari contendere anceps eſt*, inquit: *cum ſuperiore furioſum: cum inferiore ſordidum.* Audiatur & Sapiens Prouerb. 20. *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumelijs*, id eſt, contentionibus, quæ gignunt & iactant contumelias.

Quando igitur videmus, Auditores, quàm fœdi & abominandi ſint partus iracundiæ, fugiamus eorum matrem; ſcientes quoniam iracundi ſaltem in gehennâ, ſociabuntur tartareis beſtiis, canibus, ſimiis, ſerpentibus, quorum bilem & ſæuitiam imitari in terris voluerunt. Quod à nobis auertat DEVS.

CONCIO VIII.

Cauſæ & fines oblationum.

Oſtenditur oblationes Deo gratas eſſe, quia
1. *Fiunt in ſignum recognitionis.*
2. *Ad venerationem Chriſti in altari.*
3. *Ad miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem.*
4. *Ad impetranda bona corporalia & ſpiritualia.*

THEMA.

Tunc veniens offer munus tuum. Matth. 5.

NOTANDVM eſt, Auditores, quòd iubet Dominus in hodierno Euangelo relinquere munus ad altare & priùs quàm offeratur, ire ad reconciliandum fratrem. Hinc enim manifeſtè ſequitur, munera quæ homines offerunt ad altare, Deo grata eſſe. Alioquin enim Dominus iuſſiſſet abſque dubio tolli ab altari munus & à conſpectu ſuo abiici quaſi execrandum aut ſuperſtitioſum. Verùm tantùm abeſt vt abiici id iuſſerit, vt ad altare relinqui, poſteà offerendum & à Deo acceptandum. Non præcipit nobis vt ſublato de altari munere, cum eo diſcederemus & reuerteremur; ne fortè pœnitentiâ oblationis ducti, munus detraheremus, Deoque ſubtraheremus; ſed mandauit munus relinquendum in altari, vtpote ei decretum & cæteroqui gratum. Quid hic oggannient hæretici, qui calumniantur oblationes quæ fiunt ad altare, à Sacerdotum auaritiâ excogitatas, inſuper ſuperſtitioſas eſſe? Contemptis igitur his canum latratibus, oſtendamus oblationes actum religionis Deo gratum eſſe ex earumdem cauſis & finibus. A.

PRIMÒ. Fiunt in ſignum recognitionis, quòd omnia noſtra à Deo habeamus illique accepta feramus. Sic enim ſolent Domini feudorum vel prædiorum requirere à vaſallis ſuis in recognitionem certum munus annuum, vel cùm feudum ſit caducum: vel ab Emphyteutis certam partem fructuum. Atqui nos à Deo omnia habemus, eique omnia debemus; hoc ergo munere aliquo licet impari & exiguo B. I. Fiunt in ſignum recognitionis.

guo

Digitized by Google

guo recognoſcere & profiteri debemus: idque adeò naturæ conſonum eſt, vt nulla penè natio fuerit tam barbara, quæ non certa munera Diis ſuis offerre, vti crocum, thus, pecora, ſoleret. In vitâ S. Athenogenis legimus ceruam ei fuiſſe, quæ Euangelicæ lectionis tempore hinnulum ſuum in diuinis officiis Eccleſiæ offerre conſueuerat. Metaphr. & Lipom. in eius vitâ. Quâ re oſtendere voluit Deus gratam imò debitam ſibi eſſe oblationem noſtram. Duo magna bona nos à Deo habemus, Corpus & animam, & quæ ea conſequuntur. Inſpice bene vtraque & videbis in iis Dei imaginem; Deo ergo debentur. Vnde S. Bern. *ſerm. 3. de purific.* ait: *Vt vidua Euangelica duo æra minuta miſit in ærarium templi: ita nos duo minuta, puta corpus & animam Deo offeramus.* Hinc fortaſſe bis in officio diuino ad altare offerri ſolet. Vnde cùm quis offert donum ſuum ad altare, cogitet ſe hoc externo dono velle ſeipſum Deo offerre. Non enim vult Deus donum noſtrum ſine nobis. Oſtendimus etiam his munuſculis noſtram gratitudinem, quam debemus Deo largitori bonorum omnium; audituri alioquin illud Domini: *Non eſt inuentus qui rediret & daret gloriã Deo.* Luc. 17. Nec refert quòd quæ offerimus Deo, ſemper ipſius Dei ſint & maneant, mentem enim gratam non diuitias ei dare volumus ſimulque oſtendere nos debere ei omnia, quia ab eo accepimus omnia. Ita David 1. Par. vlt. orabat.: *Quis ego & populus meus vt poßimus hæc tibi vniuerſa promittere? tua ſunt omnia & quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi.*

C.
II.
Ad venerationem Chriſti in Altari.

SECVNDÒ. Ad venerationem Chriſti in Euchariſtia ad nos venientis ſub officio Miſſæ. Sic enim accedenti ad tabernaculum vel templum præcipit Deus Exod. 23. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*, id eſt, ſine oblatione ſeu munere. Hebraica verba ſonant: *Non videbuntur facies meæ vanè.* Videmus autem faciem Dei quodam modo in ſacrificio Miſſæ. Hinc Gregor. Septimus an. 1078. præcipit: *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre & reducere ad memoriam, quod Deus per Moyſen dixit: Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Certè principes terrenos ad ciuitates noſtras diuertentes, non ſine munere ſalutare conſueuimus. Et olim Reges Perſarum ſine munere adire non licebat. Vnde Seneca ille apud Ælianum, Artaxerxi Perſarum Regi fortè ſibi obuianti, aquam è viuino amne (cùm aliud in promptu non haberet) manibus hauſtam obtulit; gratiſſimum Regi munus, vtpote qui non donum ſed animum penſabat donantis. Itaque & nos iure meritò venientem ad nos Regem noſtrum in re diuinâ ſalutamus, quantumuis exiguo munere. Ipſe enim donantem intuetur, non donum; vti patet ex duobus minutis, quæ vidua miſit in gazophylacium. Ingredienti in mundum Chriſto, obtulerunt ei Magi dona pretioſa, ſimulque nos docuerunt, vt idem faceremus; quando in S. Miſsâ venit ad nos Chriſtus. Abraham obuianti ſibi Melchiſedech Sacerdoti cum oblatione panis & vini, decimas ex omnibus bonis ſuis dedit, *Geneſ.* 14. Atqui in Miſſa occurrit nobis verus noſter Melchiſedech cum oblatione panis & vini. Cur non ergo viciſſim offeramus ei munus aliquod? Porrò ad honorem ſacrificij Miſſæ antiquitùs, diebus præſertim Dominicis, fideles panem & vinum offerre ſoliti ſunt, tanquam materiam ſacrificij & S. Communionis, vt patet ex decreto Fabiani Papæ *ep. 3. ad Hilar.* Cantores verò olim aquam fontis puram ad ſacrificium afferebant. Alcuin. de diuinis offic. c. quid ſignif. veſtim. Amalarius Fortun. lib. 3. de Eccl. offic. c. 19. Et pro dedecore habebatur, ſi quis diues præſertim nihil ad ſacrificium attuliſſet teſte Cypr. *in l. de operibus & eleëmoſ.* cùm ait: *Locuples & diues es matrona & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omninò non reſpicis; quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quam pauper obtulit, ſumis?* Et S. Aug. qui ſer. 215. de temp. ait: *oblationes quæ in altari conſecrantur, offerte. Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de alienâ oblatione communicauerit.* Quare S. Wenceſlaus Bohemorum Rex meſſis & vindemiæ tempore, ipſemet manibus ſuis metebat & vindemiabat ea, quæ pro ſacrificio Sacerdotum manibus offerret. Tym. *in ſpec. Magiſtr. ſigno* 23. *p.* 2. Adeò ſibi ducebat honori, ad menſam Domini miniſtrare neceſſaria.

TERTIÒ. Ad miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem, templi conſeruationem, ornatum & inſtaurationem. Ideò enim in veteri lege voluit Deus, vt ex oblationibus hoſtiarum ſua pars cederet Leuitis & ſacerdotibus, *Exodi* 29. *Deut.* 18. Id ipſum ſenſu typico præcepiſſe Deum *Deut.* 25. cùm mandauit ne alligaretur os boui trituranti, teſtatur Apoſtolus 1. Cor. 9. *Quis*, inquit, *militat ſuis ſtipendiis vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? nunquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hoc dicit? ſcriptum eſt enim in lege Moyſi non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? Aut propter nos vtique hoc dicit? Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus: magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* hæc Apoſtol. Si non liceret pro ſpiritualibus donis, temporalia (abſque contractu) recipere, non petiiſſet Iſaac venationem ab Eſau filio pro benedictione illi impertiendâ, *Gen.* 27.

D.
III.
Ad miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem.

Cæterùm eâ populi oblatione admonentur Sacerdotes vt ne officio ſuo deſint. Videntur enim Laici Sacerdoti dicere: nos tibi prouidebimus de temporalibus, tu interim age tanquam Legatus noſter cauſam noſtram coram Deo fideliter. Speciatim verò in Miſsâ pro defunctis offertur panis & vinum, vt dum hæc percipiunt Sacerdotes, meminerint ipſi offerre Deo pro defunctis panem & vinum Euchariſticum, ad illorum ſpiritualem refectionem, refrigerium & liberationem.

Ne verò aliquis exiſtimet non offerri Deo, quod offertur ſacerdotibus: noſſe debet oblationes illas Deo fieri, eſſeque actû religionis

à Deo verò dari Sacerdotibus. Sic enim ipſe ad Aaronem dixit, Num. 18. *Omnis oblatio & ſacrificium, & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi & cedit in ſancta ſanctorum, tuum erit & filiorum tuorum.* Et mox: *Primitias quas vouerunt & obtulerunt filij Iſraël, tibi dedi & filijs tuis & filiabus tuis iure perpetuo.* Nec repertus eſt aliquando de filiis Iſraël, qui expoſtularet contra hanc legem quaſi ex auaritiâ Sacerdotum protectam. Offers cœnam ſeruo amici tui: nónne hic eſt actus amicitiæ, reſpiciens amicum tuum?

E. IV. Ad impetranda viciſſim alia bona.

QVARTÒ, Ad impetranda bona corporalia & ſpiritualia. Solent enim pauperes petituri à potente gratiam aliquam offerre illi munuſculum aliquod; hoc ipſo, quod diues à paupere tale munus accipit, obligari ſe aduertit ad rependendum aliquid maius. Certè Artaxerxes, de quo ſuprà, Sinetæ illi pro pugillo aquæ dedit ſtolam Perſicam cum phialâ aureâ & mille denariis, aquam prætereà oblatam excipi phialâ aureâ iuſſit. Similem munificentiam Greg. XIII. Pontif. qui ante Pontificatum Hugo Bon-cumpagnus vocabatur, expertus eſt pauperculus quidam ruſticulus, qui cùm Hugonem Bononiæ Iuris profeſſioni operam dantem & fortè ad villulam ſuam ſubinde diuertentem familiariter nouiſſet, inaudiſſetque ipſum Romæ factum eſſe ſummum omnium Sacerdotem, ſtatuit eum adire pro veteri notitiâ, ſalutare & gratulari. Accepit ergo ſecum, vnà cum vxore ſuâ (ſi bene memini) ruſtica, quædam munuſcula, butyrum, caſeum, ſimilia, venitque Romam, & vndique diſquirens; vbinam habitaret Meſſier Hugo (hoc enim nomine ſibi noto eum appellabat) cumque interrogati Romani non poſſent diuinare quiſnam eſſet iſte Meſſier Hugo: addidit ille, ſe inaudiſſe, quòd Romæ eſſet maximus omnium Sacerdos factus. Vix tandem ciues deprehenderunt quæri ab iſto Pontificem, qui priùs Hugo vocabatur. Itaque ad Papam ablegant. Quo conſpecto ſimpliculus ille ſalutat notum ſibi Hugonem, admonet veteris amicitiæ, gratulatur dignitatem, offert munuſcula ſua, non ſine humaniſſimo riſu & complacentiâ Pontificis. Eum itaque Gregorius velut veterem amicum benigniſſimè accepit & per dies aliquot lautiſſimè tractari fecit, tandemque melioribus donatum muneribus ad propria dimiſit. Bonus ille ruricola Pontificis humanitatem miris vndique laudibus prædicabat. Ita audiui Romæ à viro fide digniſſimo magnæque autoritatis, qui nouerat Pontificem. Longè magnificentior & liberalior eſt Deus noſter, qui vinci muneribus non poteſt. Vnde Apoſtolus exclamat: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* ad Rom. 11. Non ergo patietur donum noſtrum quantumuis exiguum, ſi bonâ mente offeratur, irremuneratum. Vt enim Regina Saba, poſtquam multa obtulit Salomoni, longè plura recepit: (2. *Par.* 9.) ita nos à Deo plura ſemper recipimus quàm demus aut poſſimus dare.

Inprimis poſſumus per oblationem redimere pœnas peccatis noſtris debitas, vnde oblatio à S. Hieronymo in Ier. c. 11. vocatur *redemptio peccatorum.* Et ad quid putamus Dominum hodierno in Euangelio dixiſſe: *Relinque munus tuum ſuper altare: Vt ibi oret pro te*, inquit in eum locum Palacius, *& clamet ad Dominum, impetretque veniam tui delicti & pacem proximi tui.* Si enim Eccleſiaſt. c. 29. dixit: *Conclude eleemoſynam in corde pauperis & hæc exorabit pro te;* quantò magis hoc faciet oblatio quæ fit Deo, cùm ſit actus latriæ & religionis? Vis exemplum? Rarum & pulchrum refert Petrus Cluniacenſis Abbas in l. de miraculis ſui temporis. *Eſt in Gratianopolitano Epiſcopatu locus in venis ſubterraneis plurimum ferri habens, quod multo incolarum & ruſticorum ſudore aſſiduè eruitur; ac fornacibus coctum & expurgatum per circumiacentes terras fabris ferrariis vel quibuſlibet pro lucro venditur. Inde & villa, quam iidem homines iuxtà incolunt, Ferraria nuncupatur. Solent autem huiuſmodi homines, dum terræ abdita fodiendo perſcrutantur, ſpe maioris lucri longiùs procedere, & per ſubterraneos ſpecus pertinaciter maiorem ferri materiam perſcrutari. Huic operi dum quodam tempore quidam ruſticus indefeſſus inſtaret, & intima terræ fodiendo acriter rimaretur, repentè maxima moles terræ delapſa aditum, per quem ingreſſus fuerat, obturauit: quia tamen fodiendo longiùs proceſſerat, ac multum poſt ſe ſpatij exhauſta terra inane reliquerat, mortem euaſit: & velut in domo clauſa, ac validis munitionibus vndique circumſepta, egredi quidem non potuit, incolumis tamen permanſit: ſed tenebris tam tenebroſi carceris circumſeptus, ſpe omni euadendi ſublata, ac velut in amplo ſepulchro ſepultus, mortem ipſam adhuc viuens iam ſe cernere exiſtimabat. Quem iam per aliquot dies non apparentem vxor ſua mortuum credens, ad animam eius ſpiritualibus beneficijs adiuuandam conuerſa eſt: vnde per annum integrum omni hebdomada vnam ei Miſſam à Sacerdotibus celebrari faciens, & pro eo panem & candelam offerens, ſalutari Sacramento, vt mos eſt Eccleſiæ, animæ defuncti mariti ſubuenire ſatagebat. Vna tamen in anno hebdomada extitit, quâ mulier alijs intenta negotiis, Miſſam, vt propoſuerat, marito prouidere neglexit. Ecce totius anni penè emenſo ſpatio, rurſus foſſores metalli officio aſſueti, frequentes inſtantes ad locum, in quo iam dictus ruſticus adhuc viuens latebat, paulatim fodiendo perueniunt. Quorum dum voces, & malleorum ſonitum iam appropinquantium ruſticus incluſus audiſſet, quantum potuit niſibus vociferari cœpit. Cuius illi vocem audientes, & (vtpote artis illius periti) hominis ſubterranei eſſe cognoſcentes, ſeſe inuicem cohortati ſunt, & ad eum tandem poſt multum foſſionis laborem peruenerunt: quem accenſis luminibus curioſè circumſpicientes, illum eſſe, quem anno iam præterito ibidem obrutum eſſe ſciebant, agnouerunt. Admirati, & vt par erat, tanta rei nouitate ſtupefacti quomodo illic viuere potuiſſet, inſtantiſſimè inquirebant: at ille reſpondit, iſto, quem modò remouiſtis, terræ obice foraminis, per quot intraueram, obiecto, cum hoc carcere, quem videtis, retentus*

tentus fuiſſem, atque aliquantis diebus ſine cibo & lumine permanſiſſem, ſubitò mihi iam penè deficienti cum pane ſimul & lumine quidam adſtitit, qui me confortans, & ad cibum capiendum admonens, terras tenebras illà candelà, quam ferebat, clariſſimè illuſtrabat; eo pane per ſpatium ſeptem aut octo dierum (vt mihi videbatur) refectus; totidem diebus illà candelà illuſtratus, & famis periculum euadebam, & tumis foſſæ tenebras euitabam. Poſt ſeptem verò vel octo dies rurſus ille qui priùs cum recenti pane & renouato lumine adueniebat, eaque mihi dimittens recedebat. Hoc per vnius (vt mihi videbatur) anni excurſum æquo penè temporis interuallo nunquam facere deſtitit, excepto vnius hebdomadæ ſpatio; quo mihi præſentiam ſuam, munuſq; ſolitum, neſcio quâ de cauſâ ſubtraxit. Hoc illi ab eo audientes, & quod pro illo vxor eius per totum illum annum fecerat; ad mentem reuocantes, cuncta ei protinus expoſuerunt: deinde hominem de cauernis illis ſubterraneis educentes, vxori propriæ, vicinis omnibus, & populo ad tantum ſpectaculum concurrenti, mirum dictu, poſt annuam ſepulturam, incolumem reddiderunt, qui ſimul congregati, & quod pro eo mulier fecerat, & quod ille de ſeſe narrabat examinantes; eiſdem diebus panem, quo reficiebatur; candelam, quâ illuſtrabatur, & in illo ſpecu oblata fuiſſe inuenerunt, quibus mulier pro eius requie & Miſſam celebrari faciebat, & Sacerdoti Miſſam celebranti panem ſimul & candelam offerebat. Hæc vſque Petrus Cluniacenſis.

Sed audiamus etiam quâ ratione Deus puniuerit deriſores oblationum. Balth. Chauaſſius *de notis fidei lib. 2. cap.* 15. ſcribit factum, vt ait, ſibi notiſſimum. *Quidam ſectâ Caluinianus ante aliquot annos Metis in Lotharingiâ tibi cùm eſſem, curioſè ingreſſus templum quoddam Catholicorum, hominem vidit ad altare humiliter ſupplicantem, factaq; oratione, oua duo offerentem, quo recedente ſocio ſuo dixit: ò Papiſtam ſuperſtitioſum? vadam & mihi auferam oblationem, quam ſtolida hæc gallina edidit. Mox à ſocio paulò moderatiore audit: Si mihi credis, abſtinebis, ſinamus illos ritu ſuo viuere, ſicut ipſi noſtro volumus: quid alienum ſeruum iudicas? Domino quiſque ſuo ſtat aut cadit. Gratulemur nobis lumen illud ſingulare, quod à Spiritu ſancto accepimus, & quo ſi hic aliqui deſtituuntur eſt cur nos illorum miſereat, ſat ſeuerus vindex erit Deus in omnes, à quibus in religionem committitur. Non ſapuit his monitis: ſed ait: Verba ſeminas; tu ſi vis tibi tempera, oblationem, vt dixi, mihi auferam, eam in ientaculum craſtinum cum ſocijs meis inducturus; non ſine riſu. Dictum factum, extendit ad oblationem impias manus, domum repetit, ientaculum parat, ſocios acceſſit, quid acciderit narrat, in riſum effunditur, blaſphemat, ouũ vnius vitellum ſorbendum in os mittit. Adhuc erat eſca in ore eius, & ira Dei aſcendit ſuper eum, impiam mox exhalauit animam, ſtupeſcentibus qui aderant, & dicentibus quàm non irrideatur Catholicorum Deus.*

Intelligitis hinc Auditores, nequaquam perire, quod Eccleſiæ & Deo offertur, ſed largiſſimè remunerari, ſi non in hoc, ſaltem in altero ſæculo. Verùm mundus parum allicitur mercede futuri ſæculi; vt quæ ipſi incerta videatur vel diu ſaltem expectanda ſit. Hinc omnes penè hominum oblationes hominibus & ferè opulentis fiunt, à quibus viciſſim munus aliud præſtantius expectant in hac vitâ exhibendum, curuæ in terris animæ. Sed quæ ſunt mundi dona? quæ remunerationes? quæ gratiæ & fauores? nónne fumus? nónne fœnum? Miſit aliquando S. Baſilius Iuliano Imperatori Apoſtatæ optimâ ſanè mẽte tres panes hordeaceos pro benedictione. Sed quid ei muneris remiſit impius Apoſtata? fœnum remiſit, dicens: *Dat nobis hordeum pabulum iumentorum, accipiat viciſſim fœnum.* Sed reſpondit ingrato Imperatori Baſilius: *Nos quidem, Imperator, ea tibi obtulimus, quibus ipſi veſcimur: tu verò ea nobis reſtituis, vnde bruta victitant, vltrò quidem nos irridens.* Refert Chauaſ. *de notis Eccl. l. 1. cap.* 15. Profectò hic Iulianus typum mundi expreſſit. Quid enim mundus ſolet pro exhibitis ſibi muneribus, obſequiis, amicitiis, rependere? iumentorum pabulum, res ſiccas & inanes, quibus nutriuntur homines carnales; vno verbo fœnum, quia *omnis caro fœnum*, clamat Iſaias. Itaque ſi ſapitis Chriſtiani, dona & obſequia veſtra ſaluberiùs impendite & Deo deſtinate, qui eſt omnium fidelium remunerator.

CONCIO IX.

Documenta ex Euangelio.

1. *Docetur qualis iuſtitia à Chriſtianis requiratur.*
2. *Plebeios debere potius audire, quàm legere Dei verbum.*
3. *Abhorrendum eſſe ab homicidio.*
4. *Reprimendos eſſe iracundiæ motus.*
5. *In Eccleſia eſſe altaria, & proinde ſacrificia.*
6. *Docetur fratrum reconciliatio.*
7. *Chriſtianam libertatem non excludere legem.*

THEMA.

Ego autem dico vobis. Matth. 5.

QVando Deus in monte Sinai promulgauit legem cum terrore & maieſtate, *Exod.* 20. conſternati inde Iudæi dixerunt Moyſi: *Loquere tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Itaque promiſit eis Dominus Prophetam de gente ipſorum, quem audire deberent, quòd ſi non audiſſent, ſe vltorem fore, *Deut.* 18. Propheta iſte Chriſtus eſt, vti teſtatur Sanctus Petrus *Act.* 3. qui veterem Dei legem cum omni manſuetudine clariùs nobis propoſuit, vti fecit inprimis in ſermone habito in monte, vnde hodiernum Euangelium deſumptum eſt. Itaque nemo vnus ſit, qui non audiat hunc Prophetam, niſi malit Deum habere vindicem. Audiamus igitur Legiſlatorem & Doctorem noſtrum, quæ potiſſimum documenta tradat nobis in hodierno Euangelio. A.

Docet PRIMÒ, qualis iuſtitia & vitæ integritas

B. I. Qualis iuſtitia à Chriſtianis requiratur.

gritas à Chriſtiànis requiratur; maior nimirum quàm fuit olim Scribarum & Phariſæorum; ſiquidem hunc ſermonem habuit Chriſtus non ad diſcipulos tantùm ſuos, ſed ad omnis generis homines; vti ad finem ſermonis indicat Matthæus cap. 7. dicens: *Et factum eſt, cùm conſummaſſet Ieſus verba hæc, admiratæ ſunt turbæ.* Porrò Phariſæorum vita præſertim in tyrocinio rigida erat & in ſpeciem ſancta. Multos annos colebant caſtitatem & virginitatem: victus eorum ſimplex & frugalis erat: vigiliis & orationibus vacabant, vnde aliqui in aſſere admodum anguſto veſperi quieſcebant, vt ſi quis largiùs dormiſſet, in pauimentum decideret & rursùs excitaretur ad orationem. Alij lapillos, alij ſpinas ſibi ſubſternebant, ne in profundum ſomnum deferrentur, ieiunabant bis in Sabbatho: dabant decimas ex omnibus, quæ poſſidebant: ſpinas gerebant in fimbriis veſtium, vt earum puncturis admonerentur legis obſeruandæ; ita vt Phariſæi eſſent apud Iudæos quod apud nos religioſi; vti ſcribunt partim Ioſephus *lib.* 18. *antiq. cap.* 2. & alibi: partim Epiphanius *hæreſ* 16. partim Hieronymus *in c.* 23. *Matth.* His tamen omnibus contentus non erat Chriſtus, ſed voluit nos meliores eſſe, quia nimirum hæc opera illorum defectuoſa erant. Quid ergo reſpondebunt, qui non modò non talia, ſed nec minora præſtant. Quid reſpondebunt illi qui nunquam ieiunant, nunquam aut rariſſimè orant? Quid qui perpetui in popinis ſunt & legis diuinæ nunquam recordantur? Si enim reiiciuntur illi, qui bona opera non rectè faciunt, quomodo probabuntur ij, qui hæc omninò non faciunt? *Non intrabitis in regnum cælorum*, ait Dominus iis, qui bona opera faciebant, etſi non bene: quid dicet illis, qui nulla faciunt, ſed viuunt in Chriſtianiſmo, non vt Chriſtiani, ſed potiùs vt pagani: nimirum id: *Nunquam noui vos, diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.* Et quàm multi tales, qui ſalutem ſibi pollicentur, licet boni nihil faciant? Anguſtiam portæ cœleſtis vident, & nunquam ſe probant, an per anguſtum id foramen intrare queant? Dauid certè cum Goliath pugnaturus, poſtquam armis Saulis indutus erat, tentauit *ſi armatus incedere poſſet.* Sed videns ſe grauari & retardari, ea depoſuit. Ad hunc modum probare ſe quiſque debet, num cum hac ſuà viuendi ratione ſaluari queat? Quid hæretici, qui hæc opera bona non modò non faciunt, ſed etiam irrident, & nullam omninò iuſtitiam habent aut admittunt? Quid enim illi facient, cùm aliquando Deus requiret iuſtitiam illorum? Num ſola interna fides, ſine operibus bonis ſaluare eos poterit? Atqui præter eam Chriſtus plus aliquid requirit, opera nimirum bona, quæ meliùs & abundantiùs fiant, quàm opera Phariſæorum. Non enim excludit omninò opera Phariſæorum, ſed vult ea perfici & à defectibus perpurgari, ex fide & charitate fieri. Num ſufficiet illis iuſtitia Chriſti imputatiua? Atqui Chriſtus requirit iuſtitiam, quæ ſit noſtra, id eſt, in nobis & non extra nos: quam nos facimus, & non alius, iuxta id 1. Ioan. 3. *Filioli, nemo vos ſeducat: qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt.*

C. II. Plebeis audiendũ potiùs Dei verbum quã legendũ.

Docet SECVNDÒ plebeiis verbum Dei audiendum potiùs eſſe, quam legendum; ſiquidem Dominus non ait: Legiſtis quia ſcriptum eſt: *Non occides*; ſed *audiſtis, quia dictum eſt.* Ad turbas enim hîc loquebatur. Ita de fratribus Epulonis ait in perſonâ Abrahæ: *Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos*, Luc. 16. Doctos tantùm ad ſcripturam remiſit & Legiſperitos, vti illum, cui dicebat: *In lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis.* Itaque plebs audire potiùs Dei verbum debet, quàm legere, quia illud minus habet periculi quam hoc. Nam primò non facilè permittat Chriſtus & mater noſtra Eccleſia vt falſa & adulterina dogmata in Eccleſia prædicentur. Non enim minus ſolicitus eſt Chriſtus & Eccleſia, vt Doctores & paſtores vera & ſalutaria prædicent, quam Magiſtratus ciuilis, ne Medici, Pharmacopolæ, mercatores & opifices, medicinis, mercibus & operibus ſuis fraudem miſceant. Et ſicut non metuimus, ne Medicus aut Pharmacopola venenum nobis propinet, cùm pharmacis illorum vtimur: ita non timendum, ne paſtores & doctores Eccleſiæ legitimi erronea nobis prædicent.

Contrà verò facilè decipi poteſt, qui ex lectione tantùm verbum Dei vult percipere; ſi nimirum non iuxta SS. Patrum & Eccleſiæ ſententiam, ſed iuxta proprium iudicium ſcripturam interpretari velit. Deinde ſi contingeret decipi Auditores à ſuo Doctore, ſi deceptionem illam deprehendere & vincere nequirent, excuſarentur apud Deum; vti qui conſilio Medici vtitur, & iuxta præſcriptum eius viuit, bene facit, & nihil damnationis habet, licet noxium quid ab eo recipiat, vnde moriatur. Non ita excuſantur, qui ex lectione ſcripturæ venenum errorũ hauriunt. Ad audiendũ legẽ remiſit Dñs plebem, non ad lectionem.

D. III. Abhorrẽdum ab homicidio.

Docet TERTIÒ, Abhorrere ab homicidio, quod in lege etiam veteri pœnâ talionis & mortis plectebatur; vti Exod. 21. vbi Deus præcipit: *Qui percuſſerit hominem, volens occidere, morte moriatur.* Et Gen. 9. *Quicumque effuderit ſanguinem humanum, fundetur ſanguis illius.* Imò ibidem etiam à beſtiis requiſiturum ſe ait Deus ſanguinem humanum, ab eis effuſum: *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum & de manu hominis &c.* vti patet *Exodi* 21. vbi iubet bouem (& à pari omnem aliam beſtiam) homicidam lapidari; ad terrorem videlicet & exemplum hominum, vt eo magis abſterreantur à tam immani facinore, quod etiam bobus luendum ſit. Vnde hodieque in multis locis porci aliæque beſtiæ ſi pueros alióſve homines necârint, ſuſpenduntur aut iugulantur. Quin etiam ob hoc ipſum iuſſit Deus, *Deut.* 21. vt ſi cadauer hominis occiſi inuentum fuerit, egrederentur è ciuitate viciniſſimâ Seniores & cæderent vitulam, lauarentq; manus ſuas ſuper eam in proteſtationem,

nem, quòd ipſi à ſanguine occiſi innocentes eſſent: & quòd homicidam, ſi eum deprehenderent, ſimili modo plectere vellent; vel etiam, vt ſi is inter præſentes adeſſet, proderetur. Solet enim naturali quaſi miraculo cadauer occiſi, ſi occiſor præſens ſit, ſanguinem ſudare. Quæ omnia oſtendunt quàm ſeuerè Deus punire ſtatuerit homicidas, quâ re nihil manifeſtius. Solet enim eos vltio diuina in omni loco perſequi, ita vt requiem non habeant & ordinariè malâ & violentâ morte pereant; iuxta id Ezech. 35. *Cùm ſanguinem oderis ſanguis perſequetur te.* Vin' exempla? Macareus Mytilenenſis Bacchi Sacerdos, hoſpitem in templum ſeducens occidit: paulò pòſt filij eius volentes patris ſacrificia imitari, vnus alterum quaſi victimam iugulauit. Mater id reſciens filium qui reliquus erat, quique alterum iugulauerat, furibunda torre occidit. Pater Sacerdos id cognoſcens, ipſam matrem coniugem ſuam mactauit, ideoque captus & confeſſus crimen ante publicum ſupplicium, in tormentis animam exhalauit. Ælian. l. 13. Ibycus Poëta cùm in latrones incidiſſet, iam occidendus grues superuolantes obteſtatus eſt in vltionem cædis ſuæ. Aliquanto pòſt latrones illi in foro conſedentes cùm iterum viderant grues ſuperuolantes, per riſum ſibi in aurem ſuſurrabant: *Ecce Grues Ibyci.* Audierunt fortè hoc alij & in ſuſpicionem rapuerunt, præſertim deſiderato iam pridem Ibyco. Itaque latrones comprehenſi & interrogati, cùm hæſitanter & inconſtanter reſponderent, ſubiecti ſunt tormentis & confeſſi crimen pœnas dederunt. *Plut. lib. de loquacitate.* Pyrrhi occiſoris, canis eius prodidit. Albertus Rex Romanorum Rudolphi Habſpurg. filius cùm Adolphum Cæſarem occidiſſet, & ipſe tandem à coniuratoribus occiſus eſt. Sed & occiſores eius fugati & diſperſi miſerè perierunt. Dux enim Ioannes, nepos eius exul factus & ab Henrico Imper. captus & aliquando in vinculis detentus, tandem in habitu Eremitarum obiit. Vdalricus de Palm. Baſileæ in domo Conuerſarum diu vixit & obiit tandem. Walterus de Eſchenbach in comitatu Wirtenbergenſi paſtor pecorum factus latuit & poſt annos 25. moriens, quis eſſet, dixit: Rudolphus de Wart ligatus ad equi caudam tractuſque ad locum ſupplicij, fractis membris & dorſo, rotæ eſt impoſitus. Atque ita quatuor hi occiſores iuſto Dei iudicio mulctati perierunt. Hieron. Ziegl. *de viris illuſtribus Germa. c.* 57. Et quid mirum? Atrociſſimum enim hoc crimen eſt, quia tollit homini ſummum, quod eſt in naturalibus, bonum, vitam ſcilicet, quæ nequaquam reparari poteſt ſemel ablata; non enim vti arbores, ita cæſi renaſcuntur homines. Deinde, quia terra inſontium cruore maculatur: nec aliter expiari poteſt, niſi per eius ſanguinem qui alterius ſanguinem fuderit, vt dicitur Num. 35.

Quæ cùm ita ſint, videant & conſiderent quàm grauiter delinquant, qui hominem neci dant, nullo iure & authoritate nixi: Viderint item, qui alterum ad duellum prouocant, vel prouocati temerè comparent. Quid enim hoc aliud, quàm propriâ authoritate iudicare & condemnare, imò occidere velle proximum: vel occidi velle ab alio? Et parúmne tibi videtur peccari in rempublicam, ſi vnum eius membrum abſtuleris, quod ei conſeruare vt manus manum debueras; quodque pretio vinci mundum vniuerſum? Certè Turcæ monomachias auerſantur, quòd dicant ſe imperatori ſuo viuere, non ſibi. Auger. Busbeq. *epiſt.* 38. *Legat. Turc.* At gladio hoc, inquis, habeo probare cauſam meam. Deciperis mi homo. Vel enim occideris; & tunc conuinceris ex teipſo criminis, qui ad iniquum certamen deſcenderis vel proximum prouocaris, in quo te innocentem probare contendebas. Vel occides; & nihilo magis iudicio ſapientum abſolueris: Dicent enim non ob maiorem innocentiam, ſed armorum vſum & experientiam aut corporis robur vel dolum victorem te euaſiſſe. Vel vterque, aut neuter cædetur; & quid tunc effeciſti? Sed de honore meo agitur, inquis, niſi eam hoc gladio vindicem, vel prouocatus non deſcendam in arenam, perpetuâ notabor infamiâ. Reſpond. hanc reputari infamiam à ſtultis tantùm, de quibus ait Dominus: *ſinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Nemo prudens reputabit pro infamia, cedere homini vel tauro furioſo, aut approbabit barbaram illam vocem: Veni, iugulemus nos mutuò. Tandem ſatius eſt multò, committere ſe infamiæ periculo, quàm æternæ damnationis. Sed vir & miles ſum, ais. Tantò magis imperare paſſionibus tuis & manſuetudinem colere debes; nam iuxta Ariſtot. 3. *Polit. cap.* 3. longè maior virtus à viro quàm à fœminâ requiritur. Nónne ſtrenuus miles erat Dauid? Et tamen quoties furori Saülis ceſſit? quoties ei pepercit, cùm necem inferre potuiſſet? neque tamen inde minùs, ſed magis effectus eſt glorioſus. Quid igitur faciendum, inquis? Ad Iudicem prouocandum qui ad hoc conſtitutus eſt, vt ius cuiq; dicat. Sed quid ſi Capitaneus v. g. iubeat aut concedat ambos confligere? Reſp. primò eum hoc facere ſaluâ conſcientiâ non poſſe. *Digni enim ſunt morte,* ait Apoſt. ad Rom. 1. *non ſolùm qui mala faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Vnde prudentes Capitanei hoc non concedunt, & occiſoribus minantur laqueum. Reſp. ſecundò: ſi id faciat Capitaneus, non tamen inde ius acquires ad duellum: ſed defendere tantùm te tuoſque aduerſus aggreſſionem iniquam potes; non enim iuſtum eſt hominem potiùs audire quàm Deum & Eccleſiam, quæ eiuſmodi Monomachos, ſi occidantur, priuat ſepulturâ ſacrâ, licet pœniteant & ſacris muniti obeant. De torneam. c. 1. Sed nemo eſt, qui hoc faciat, inquis, *Propterea infernus dilatauit animam ſuam & aperuit os ſuum abſque vllo termino.* Non poſſum, addis, ſuſtinere hanc iniuriam aut infamiam nomini & generi meo inferendã. Reſp. die Schmach ab und der Kyll

ſol.

ſu/ Charontis cymbam inſcende & ad inferos perge; quia qui ſeipsũ & ſuos amat plus quàm Deum, non eſt Deo dignus.

E. IV. Reprimendi iracundiæ motus.

Docet QVARTÒ reprimere iracundiæ motus & præſertim compeſcere iniurioſa verba. Quid enim horribilius dicere poterat Dominus, quàm, *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, &c. qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis?* Ira ex ſe præcisè, cùm ſit paſſio animi, mala non eſt, ſed bona potiùs, data homini ad plectenda & coërcenda peccata. Vnde ſæpe peccatur iræ defectu, quando quis ſcilicet de datâ iniuriâ non quærit aut ſumit vltionem, cùm ſumenda eſt; vel non corripit peccatores; præſertim ſubditos, aut obiurgat; vti peccauit Heli non corripiens iniquitatem filiorum ſuorum. Similiter qui cauſâ correctionis conuitiis impetunt ſubditos & proximos ex bonâ intentione, peccare non cenſentur, modò citra perturbationem animi ac iuſtâ de cauſâ fiat, vt aliàs diximus. Debet ergo coërceri tantùm ira velut equus, vt ne contra rationem excurrat pro libitu in quemuis, dentibus verborum mordeat, aut calcibus verberum noceat. Hæc enim ſi ex odio fierent, & cum notabili damno aut contemptu proximi, gehennam mererentur; ſiquidem non modò odium proximi continent, ſed etiam in illo odium accendunt, & velut gladius acutus charitatem Chriſtianam ſcindunt. Nam vt amor amorem, ita odium parit odium. Porrò ſi gehennam merentur verba iniurioſa iacta in proximum: quid merebitur blaſphemia!

F. V. In Eccleſia ſunt altaria & ſacrificia.

Docet QVINTÒ in Eccleſia eſſe altaria, ac proinde ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod in illis offertur. Hoc oſtendunt Chriſti verba: *Si offers munus tuum ad altare.* Hoc idem teſtatur Apoſt. *ad Hebr.* 13. dicens: *Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt*; id eſt, Iudæorum Sacerdotes. Vbi autem eſt altare ibi Sacerdos & ſacrificium eſſe debet, quia hæc tria correlatiua ſunt. Conuincuntur ergò hæretici noſtri, qui altaria vel demoliti ſunt, vel negligunt & ſpoliant, non habere Sacerdotes & ſacrificium: maiores autem noſtros Euchariſtiam habuiſſe pro ſacrificio & Miſſam nec non veros Sacerdotes. Conuincuntur nouitatis & hæreſeos, teſtantur enim altaria quæ in templis eorum vel exciſa ſunt vel adhuc extant neglecta, maiores noſtros non habuiſſe ſpiritum Lutheri & Caluini.

G. VI. Reconciliandi fratres.

Docet SEXTÒ quamprimùm reconciliari fratri tuo, ſiquidem iubet Dominus recedere ab altari eum cui fratrem habet infenſum, & priùs reconciliari illi. Et quidem, ſi tu geras odium ſeu auerſionem & vindictæ cupiditatem ex iniuriâ ſeu verâ ſeu præſumptâ ortam, omninò & mox deponere debes, ſi ignoſci tibi velis à Chriſto, dicente: *Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Matth. 18. Quòd ſi proximus à te auerſus eſt, & tu cauſam odij ei ſubminiſtraſti: & tunc, ſi ſuperior vel æqualis tibi ſit, mox per te vel interpoſitum aliquem, apud illum veniam deprecare, iuxta Chriſti monitum. Nec pudere te huius facti debet; *eſt enim confuſio adducens gloriam,* (Eccl. 4.) ſi tamen eſt confuſio. Certè ſi ab alio læſus eſſes, ſupplicari tibi velles: cur ergo non viciſſim læſo ſupplicaueris? Si inferior vel ſubditus ſit quem offendiſti, alia ratio eſt, de quâ ſic Aug. in lib. de vitâ cleric. ſtatuit: *Quando ſeueritas diſciplinæ in moribus coërcendis dicere vos dura verba compellet, non exigitur à vobis, cùm vos modum exceſſiſſe ſentietis, vt à ſubditis veniam poſtuletis, ne apud eos quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimia ſeruatur humilitas, regendi frangatur authoritas.* Vbi tamen eiuſmodi periculum non eſt, laudabiliter aget etiam qui à ſubdito læſo veniam petit. Vt fecit S. Ioannes Eleemoſynarius Epiſcopus qui cum ſubditum, quem acriùs ob crimen aliquod corripuerat, indignari ſibi intelligeret, ab altari diſceſſit & veniam ab eo precari cœpit. Quod videns ſubditus, idem & ipſe fecit, ac culpam ſuam agnouit. Leontius in eius vita. Quòd ſi feceris quantum in te eſt, inflexibilem tamen aduerſarium videris; nihil hinc angaris, quia per te non ſtetit, quo minùs componeretur diſſidium, redundabit in caput illius, qui reconciliari noluit. Quòd ſi tu cauſam odij non dediſti, non eſt cur veniam petas. Laudabiliter tamen feceris, ſi etiam prior occaſiones quæſieris reconciliandi tibi fratrem. Fecit id gentilis Ariſtippus, qui prior adiit Æſchinem à ſe non nihil alienatũ, & dixit: *Num quamprimùm redibimus? an potiùs expectabimus, vt ſcurris inter pocula fabula fiamus?* Cui mox annuit Æſchines ſe libenter in gratiam rediturum. Tum Ariſtippus: *Memento igitur, quòd cùm eſſem natu maior, prior te acceſſerim.* Cui Æſchines: *Næ tu vir me longè es melior? ſiquidem à me ſimultatis à te ſarcienda factum eſt initium.* Plutarchus de cohib. ira & Laërt. l. 2.

H. VII. Chriſtiana libertas non excludit legem.

Docet SEPTIMÒ Chriſtianam libertatem non excludere legem, ſed potiùs arctiori vinculo obligare ad virtutem, quàm legem veterem. Audimus enim Chriſtum in hodierno Euangelio, non eximentem nos à legibus, ſed arctiùs ligantem, vt ſine impedimento liberiùs vacemus virtutibus & contineamus nos à vitiis. Quis enim neſcit liberiùs agere & viuere homines in eâ ciuitate, quæ fortiſſimis mœnibus, vallis, foſſis & propugnaculis munita eſt? Atqui leges eiuſmodi propugnacula ſunt, quæ nos prohibent exire ad hoſtium caſtra, & ingredi ad nos hoſtem. Hinc religioſi maximâ in libertate viuunt, qui tribus ſe votis adſtrinxerunt: neque enim eos impedit aut infeſtat mundus opibus, nec caro voluptatibus, nec dæmon propriis deſideriis. Hinc nulla maior libertas, quàm in Cœlo, vbi nemo quidquam malum velle aut operari poteſt. Errant autem qui Chriſtianam libertatem exiſtimant liberare ab omni lege, & concedere quidquid lubet. Noxia eſt hæc libertas & ad captiuitatem diabolicam ducit. Et tamen hanc adſtruunt

Luthe-

Lutherus & Caluinus, quorum ille in lib. de libertate Christianâ ſcribit: *Chriſtiano neque opera, neque lex neceſſaria eſt, quia per fidem liber eſt ab omni lege*. Et to. 1. Witteberg. edit. f. 189. & 190. *Oportet*, inquit, *cor humanum legem Dei, atque adeò Deum ipſum ſupra modum odiſſe*. (ô Satanæ vocem!) Hic verò l. 3. Inſtit. cap. 19. *Nihil mihi cum lege*, inquit: *quare? quia libertatem habeo*. Et hoccine eſt purum putum Euangelium? Quid enim ait Apoſtolus ad Rom. 3. *Legem*, inquit, *deſtruimus per fidem? Abſit, ſed legem ſtatuimus*. Quid S. Aug. l. 3. contra epiſt. Pelag. c. 4. *Quis ita impius eſt*, inquit, *vt dicat ſe propterea præcepta non ſeruare, quòd Chriſtianus ſit, non ſub lege, ſed ſub gratia?* Et quomodo ſine legibus ſtare poſſunt reſpublicæ? Sed miſſis pſeudoprophetis iſtis, audiamus verum & magnum prophetam noſtrum Chriſtum, &c.

CONCIO X.

Myſteria.

1. *An lex vetus prohibuerit motus peccati internos.*
2. *Ob tres cauſas concupiſcentiam eſſe prohibitam.*
3. *Aſſignantur modi quibus Chriſtus legem veterem perfecerit.*
4. *Explicantur tres illi Rei, iudicij, concilij & gehennæ.*
5. *An omnis ira vel contumelia ſit lethalis.*
6. *Proponitur diſcrimen inter ira & carnis motibus deditos, quoad pudorem.*
7. *Duplex genus iratorum.*
8. *Rationes cur adeò accelerari iubeatur reconciliatio.*

THEMA.

Ego autem dico vobis. Matth. 5.

A. *S. Euangelij virtus.*

SAnctus Auguſt. *tr. 7. in Ioan.* ſacro Euangelij Codici tantam tribuit virtutem, vt non animi tantùm, ſed & corporis morbos ab eo depelli poſſe autumet, ſi cum fide adhibeatur. *Cùm caput*, inquit, *tibi dolet, laudamus, ſi Euangelium ad caput tibi appoſueris, & non ad ligaturam cucurreris*. Rationem huius rei dat Angelicus Doctor D. Thom. 2. 2. *q. 96. art. 4.* cum ait: *Verbum Dei non eſt minoris efficaciæ, quàm reliquiæ ſanctorum: ſed reliquijs vtimur ad ſalutem: ergo pari modo, imò maiore, ad eandem licet vti verbo Dei ſcripto, ſiue Euangelio*. Atque hinc fortaſſe multi olim Chriſtiani ſecum ferre Euangelium ſolebant, vt nimirum eius præſidio depellerent etiam mala, quæ corpora afficiebant, venena & veneficia aliaſque corporum miſerias. Cæterùm longè efficacior & certior eſt virtus S. Euangelij contra morbos animi; & quia in hod. Euang. plures eoſque eius generis morbos deprehendimus, iracundiæ motum in corde, contumeliam & contemptum in ore, homicidium in manibus & opere, applicemus Euangelium cordi, ori, manibus, & inprimis auribus noſtris, vt tam graues animi morbos vel ſanare vel euitare poſſimus.

B. I. *An prohibuerit lex vetus motus peccati internos.*

Q. PRIMA, Prohibuitne lex vetus motus peccati internos? Reſp. prohibuiſſe quidem, ſed implicitè, non expreſſis verbis, concupiſcentiâ exceptâ, de quâ expreſsè dictum: *Non concupiſces*. Eo ipſo enim quòd prohibuit actus externos, prohibuit etiam internos, à quibus externi velut à fonte promanant, ſuntque eiuſdem cum illis ſpeciei. Quia verò diſertis verbis actus illos non prohibuit lex, id nunc facit Chriſtus: & quia Scribæ & Phariſæi leges illas perperam exponebant, & peccata interna non curabant ideò illorum corruptelas hîc omninò euertit. Defuit legi perſpicuitas aliqua: defuit Scribis verus legis intellectus: quare legem non declarat, Phariſæos autem corrigit & refellit. Proinde quod ait Gloſſa interlin. ad Philipp. 3. *Lex vetus manum prohibebat, non animum*; intelligendum eſt iuxta ea, quæ diximus.

C. II. *Cur etiā concupiſcentia prohibita.*

Q. SECVNDA. Quamobrem concupiſcentia etiam prohibita eſt? Reſp. ad hoc D. Thom. *opuſc. 7.* ſex ob cauſas. *Concupiſcentia*, inquit, *vetita eſt, primò propter concupiſcentiæ infinitatem, concupiſcentia enim quid infinitum eſt. Quilibet autem Sapiens debet intendere finem aliquem: imò nullus debet ire per viam infinitam. Eccl. 5. Auarus non implebitur pecunia. Iſaiæ 5. Væ qui coniungitis domum ad domum: & agrum agro copulatis. Et quod concupiſcentia nunquam ſatietur, ratio eſt, quia cor hominis factum eſt ad recipiendum Deum. Vnde Aug. in 1. confeſſ. Feciſti nos Domine ad te: & inquietum eſt cor noſtrũ, donec requieſcat in te. Id ergo quod minus eſt Deo, ipſum implere non poteſt. Pſal. 102. Qui replet in bonis deſiderium tuũ.* 1.

2. *Secundò quia aufert quietem, quæ multum eſt delectabilis. Semper enim cupidi ſolliciti ſunt acquirere non habita, & habita cuſtodire. Eccleſ. 5. Saturitas diuitis non ſinit eum dormire. Matth. 6. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Et ideò Chriſtus Luc. 8. Diuitias ſpinis aſſimilauit: vt Dicit Greg.*

3. *Tertiò, quia cauſat in diuitiis inutilitatem. Facit enim diuitias eſſe non vtiles, nec ſibi nec aliis. Non enim vtuntur eis niſi conſeruando. Eccl. 14. Viro cupido & tenaci ſine ratione eſt ſubſtantia.*

4. *Quartò, quia tollit iuſtitiæ æquitatem. Exod. 23. Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum. Eccl. 31. Qui aurum diligit non iuſtificabitur.*

5. *Quintò, quia necat charitatem Dei & proximi: quia ſecundum Auguſt. quantò magis habet quis de charitate, tantò minus de cupiditate; & è conuerſo. Eccl. 7. Neque fratrem chariſſimum auro ſpreueris, necat etiam charitatem Dei, quia ſicut nemo poteſt duobus dominis ſeruire, ita neque Deo & mammonæ, vt dicitur Matth. 6.*

6. *Sextò, quia producit omnem iniquitatem, eſt enim radix omnium malorum: & ideò ſi in corde radicata eſt, & homicidium, & furtum, & omnia mala operatur, & ideò dicit Apoſtolus 1. Timoth. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.*

D. III.

Q. TERTIA. Quâ ratione Chriſtus legem veterem in hodierno Euangelio perfecit ſeu impleuit? Reſpondeo primò, non perfeciſſe

Digitized by Google

Quomodo Chriſtus legẽ veterem perfecit.

eo ſenſu, quaſi eam emendare aut corrigere vellet, quia pro illo tempore mala non erat, ſed bona & ſapientiſſimè à Deo lata, pro illius populi captu. Ideò Chriſtus nunquam dixit vlla legis præcepta mala eſſe, aut ſeruanda non
1. eſſe.

2. Reſpondeo ſecundò, perfeciſſe & impleuiſ-
1. ſe aliis modis. Primò, quia legem declarauit & explanauit atque à corruptelis & peruerſis Phariſæorum interpretationibus purgauit.

2. Secundò, quia ei perfectionem addidit, vetando etiam peccatorum actus internos, & quidem perſpicuis verbis, quod non fecerat lex vetus, vti ſuprad. ſic pictor inchoatæ & adumbratæ imagini ſupremam manum imponit, apponendo colores viuaciores; quibus priores non tam tollit, quàm illuſtrat & perficit.

3. Tertiò, quia aliis ad eam ſeruandam gratiam & virtutem dedit; quam non poterat dare lex ante Chriſtum.

4. Quartò, quia impleuit illa, quæ lex vetus ſiue promittebat, ſiue præfigurabat; quâ ratione cæremonialia præcepta perfecit potiùs quàm deſtruxit, tum quia reipsâ exhibuit, quæ per illas cæremonias adumbrabantur; vti Euchariſtiam pro agno, baptiſmum pro circumciſione, paſſionem & reſurrectionem ſuam pro cæremoniis, quibus illæ figurabantur; tum quia docuit quomodo tam ſecundum ſpiritum intellecta perfectiùs impleri debeant, quàm ſecundum literam; vti cùm pro circumciſione carnis docuit circumciſionem cordis, tum denique quia oſtendit cæremonialia iam impleta eſſe, nec amplius obligandi vim habere, quoniam hoc ipſum iam à lege fuerat prædictum.

5. Quintò, quia pro temporalibus præmiis & ſupliciis, quæ conſtituta erant legis obſeruatoribus vel tranſgreſſoribus, æterna promiſit vel comminatus eſt.

E. IV. Quid illi tres rei, iudicij, concilij, gehennæ.

Q. QVARTA. Quid ſibi volunt tres illi rei, iudicij, concilij, gehennæ? Reſpondeo. Deſignare tres iracundiæ & quidem mortiferæ, non venialis tantùm (vti probabilius eſt) gradus & pœnas æterni ſupplicij eis correſpondentes pro cuiuſque grauitate. Alludit enim Dominus ad iudicia Hebræorum, eorumque tribunalia. Card. Baron. to. 1. Annal. An. Domini 32. obſeruat apud Hebr. duplex fuiſſe iudicium, pecuniarum & capitale; illud *Mammonot*, hoc *Nephaſot* ſeu vitæ iudicium appellatum. Iudicium verò tria tribunalia: primum dicebatur domus iudicij trium virorum; qui minores iudicabant cauſas. Secundum domus iudicij 23. virorum, ſeu Synedrion paruum, in quo maiores cauſæ cognoſcebantur. Tertium ſeptuaginta duorum virorum, Synedrium magnum dictum, in quo de grauiſſimis, quæ ad ſummam reipublicæ pertinebant, de tribu, lege, Rege, Sacerdote ſummo cognoſcebatur. Iam ergo primus iracundiæ gradus eſt cùm ira mortifera occupat ſolum cor. Secundus cùm prorumpit in contumeliam. Tertius cùm in grauiorem adhuc proximi contemptum. Itaque vult Dominus his omnibus deberi ſupplicia æterna, grauiora & grauiora pro cuiuſque exceſſu maiore & maiore. S. Chryſoſt. exiſtimat duos priores gradus intelligendos de veniali irâ, ſiquidem vltimo tantum gradui gehenna deputatur. Probabile eſt hoc. Sed videtur veriſimilius, quod diximus, de lethali irâ omnes capiendos, ſiquidem Dominus iræ internæ idem aſſignat ſupplicium, quod lex vetus homicidio: *Audiſtis, quia dictum eſt: Qui occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio*. q. d. pari ſupplicio dignus eſt cum homicida. Ergo iram non venialem, ſed mortalem intelligere videtur.

E. V. Omniſne ira vel contumelia letha lis eſt.

Q. QVINTA. Itane omnis ira vel contumelia infernum promeretur? Reſp. intelligendam eſſe iram, quæ ſine ratione eſt, & appetitum grauis alicuius vindictæ, velut homicidij, mutilationis, vel alterius grauis læſionis, aut infamationis coniunctum habet. Similiter contumelia & contemptus, in voce *racha & fatue*, grauis intelligendus eſt, qui charitatem proximi grauiter offendat. Quare non omnis ira & obiurgatio cum voce *racha*, (id eſt, inanis & vacuus) vel voce *fatue*, peccatum etiam veniale eſt. Quando enim ex bono zelo & cum ratione prodit ira & increpatio, bona potiùs eſt; Zelus verò ille tribus ornari conditionibus debet. Prima eſt, vt non ex amore propriæ vindictæ, ſed honoris diuini, iuſtitiæ, ſalutis & inſtructionis proximi promanet. Secunda, vt in ipſa vitia, non in homines tendat, vitia enim odiſſe, homines diligere debemus. Tertia, vt ſeruetur modus debitus, qui tranquilitatem mentis internam non perturbet, & dilectionis dulcedinem erga correptos non imminuat. Hoc modo iuſtè & cum laude corripuit Chriſtus diſcipulos, appellando eos ſtultos, *Luc.* 24. Iudæos mendaces, filios diaboli, cæcos. Iob vxorem ſuam, ſtultam: *quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es*, &c. Et ſic ob cauſam iuſtam poteſt quis increpando fratrem, appellare fatuum, vt docet S. Auguſt. *lib.* 1. *de ſerm. Dom. cap.* 19.

Q. VI. Cur non pudeat hominem iræ.

Q. SEXTA. Cur non pudet hominem iræ, cùm fœdè immutet hominem, pudeat verò prauorum carnis motuum? Reſpon. Primò quia motus iræ etſi vitioſi, ferè tamen pendent ex imperio voluntatis: non ita carnis motus licet vitio careant; quia hi frænum voluntatis 1.
reſpuunt; vnde hominis infirmitatem & pœnam peccati generi humano inprimis parentibus inflictam produnt.

Secundò, quia ira non ſemper mala, ſed
quodoque bona eſt, & nemo flagrante præ- 2.
ſertim irâ putat ſe temerè & ſine causá iraſci. Bona eſt ira rationabilis & iuſta duplici ex cauſa: Primò, quia excitat hominem ad punienda ſcelera & corrigendos errantes, vti Phineem & Mathathiam ad vindicandum ſcelus fornicantis & Idololatrantis. *Si ira non fuerit*, inquit, D. Chryſoſt. in Matth. hoc loco, *nec doctrina proficit, neque iudicata ſtant, neque crimina compeſcuntur*. Secundò, quia iuuat ad puni-
tionem

tionem, ſicut virga ad corrigendos pueros. Sic Moyſes aſſumpſit iram quaſi virgam ad caſtigandos vituli adoratores, *Exod.* 32. & ſcortatores cum Madianitis, *Num.* 25. Sic Elias ad occidendos pſeudoprophetas, 3. *Reg.* 18. & duos quinquagenarios cum ſuis 50. 4. *Reg.* 1. Sic Eliſæus ad caſtigandos obtrectatores pueros, 4. *Reg.* 2. ſic Paulus ad corripiendum Elymam magum, *Actor.* 13.

H. VII. Quænam ira grauiſſima.

Q. SEPTIMA. Ira quæ grauiſſima? Reſp. Ariſtot. *lib.* 4. *Ethic.* duplex conſtituere genus Iratorum, Primum eorum, qui repentè & facilè nimis exardeſcunt, quos vocat ἀκροχόλων, id eſt, ſummè bilioſos, qui ſcilicet iram non comprimunt, ſed ſtatim prouolant ad referendam iniuriam. Alterum eorum, qui diu retinent iram & ſunt penè implacabiles, quos vocat πικροχόλων, qui tunc demum quieſcunt, cum iniuriam vlti fuerint: *ſed ſi non poſſint vlciſci quaſi graui quodam onere premuntur, intra ſe iram coquentes*, inquit Ariſtotel. Talis ira fuit in Caino erga Abel, in Eſau erga Iacob, in Antiocho erga Iudæos, &c. Leuiſſima igitur eſt ira eorum, qui tardè iraſcuntur & citò placantur: grauior eorum, qui citò iraſcuntur & citò placantur: vti & illorum, qui tardè iraſcuntur quidem, ſed & tardè placantur. Grauiſſima & diabolica eſt illorum, qui repente iraſcuntur & iram diutiſſimè retinent, nec ſedari poſſunt; hoc enim cacodæmonum eſt, repente eligere & pertinaciter electioni inhærere.

I. VIII. Cur adeò accelerari iubetur reconciliatio.

Q. OCTAVA. Cur adeò accelerari & quidem importuno tempore (oblationis) iubet Dominus reconciliationem? Reſpon. Primò quia ſine charitate nihil Deo placet. Vnde Apoſtolus 1. *Cor.* 16. *Omnia veſtra in charitate fiant.* Quemadmodum enim Deus olim cum omni oblatione vel ſacrificio præcepit offerri ſibi ſal, *Leuit.* 2. ita nullam recipit oblationem ſine charitate. Sine ſale nullus homini cibus ſapit: ſine charitate nullum Deo ſacrificium.

1.

2. Secundò, quia ſi diutiùs paulò differatur reconciliatio, timendum ne poſteà diſſimuletur & magis differendo, omninò intermittatur, vt docet S. Chryſoſt. hom. 16. in Matth. *Nihil eſt quod ita vitam noſtram valeat euertere*, inquit, *vt operum bonorum actionem diſſimulare; ſemperq́; differre: ſemper enim iſtud omnibus nos bonis fecit excidere.*

3. Tertiò, quia plus ſitum eſt in reconciliatione quàm in oblatione; priùs enim debent mala opera tolli, quàm bona opera fiant. Ergo iracundiæ mactatio magis neceſſaria hoſtia erat, quàm illa quæ ad altare poſita, quia priùs reconciliandus per pœnitentiam Deus, poſteà muneribus honorandus: ſicut etiam priùs ſoluenda ſunt debita, quàm dentur largæ donationes.

Quartò, quia quò diutiùs differtur reconciliatio, eò diutiùs patitur offenſus, angitur, perturbatur, & fortè cogitat de vindictâ, atque ita creſcit interim culpa eius, qui offendit, & reconciliare fratrem differt, veniamq́ue ab eo poſtulare. Eadem ratione læſus ſi veniam precanti læſori, veniam dare nolit, petentem quodammodò ſuffocat, vt in parabola illius ſerui nequam, & interim multò periculoſiùs iugulat ſemetipſum. 4.

Quintò, quia qui in hoc reconciliationis negotio præuenit proximum ſuum, palmam ei præripit, in cœlo accipiendam. Sic Ethnicus ille Æſchines fatebatur ſe eſſe victum ab Ariſtippo, quòd cum illo ſimultatem habens, non prior illum adierit veniam rogando, ſed ab eo præuentus ſit. Mundus probrum eſſe putat, cùm quis ab altero veniam petit; ſed mentiri eum vel iſti gentiles docent; docet & ipſe Deus, qui peccatores præuenit excitando ad pœnitentiam. 5.

Sextò, vt appareat, quàm bonus & fidus ſit nobis Deus, qui non vult eſſe amicus inimico noſtro, nec munus eius recipere, donec nobis ſatisfecerit & in gratiam redierit. Nos verò infidi & ſtulti filij Adam cum inimicis Dei ſocietatem inimus: colludimus, conuerſamur, munera ab illis accipimus, ſolatia & præſidia requirimus, tametſi vana, inania, fallacia. 6.

K. IX. Infernum cur gehenna appellatur.

Q. NONA. Infernus cur gehenna vocatur? Reſp. Gehennam ſecundùm D. Hier. in trad. Hebr. in I. Paral. & comment. in Ierem. deduci à *Gehennon*, quod eſt vallis filiorum Ennon, propè Ieruſalem ſita, nemoroſa, profunda (ſic enim Iſa. 30. pro *Tophet*, Chald. habetur *Gehenna*, apud ſeptuaginta Interpret. *vallis profunda*) vbi Iudæi Idolo Moloch cremandos immolabant filios ſuos, ac ne pereuntium eiulatus audirentur à parentibus, pulſabatur interim tympanum ideoque *Tophet* dicta, à *Toph*, quod eſt tympanum, vt aduertit Cornel. à Lapid. *Iſa.* 30. ergo Saluator noſter infernum comparat gehennæ. Primò, quia eſt quaſi lucus obſcuriſſimus, omni luce deſtitutus, adeoque nox perpetua. Secundò, quia vallis profundiſſima, iuxta centrum terræ ſita. Tertiò, quia ergaſtulum ſæuiſſimum, vbi incendio inextinguibili cremantur inferi. Vnde id deſcribens Iſaias loco cit. ait: *Præparata eſt ab heri Tophet: nutrimenta eius ignis & ligna multa.* Ab heri, id eſt, ab initio mundi. Ligna, id eſt, ſulphur & alia vſtilia. Quartò, quia locus tumultûs, tympani & belli, fletûs & eiulatus, cædis & internecionis. Quintò, quia carcer denſiſſimus, vnde nulla exaudiuntur lamenta, nulli clamores, nullæ appellationes. Hunc carcerem, Auditores, hoc *Tophet*, hanc gehennam ſæpe cogitemus, ne gehennæ rei fiamus.

1. 2. 3. 4. 5.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Marci 8.

IN illo tempore cùm turba multa eſſet cum Iesv, nec haberent quod manducarent, conuocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via. Quidam enim ex eis de longè venerunt. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: Vnde iſtos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes: gratias agens, fregit, & dabat diſcipulis ſuis, vt apponerent, & appoſuerunt turbæ. Et habebant piſciculos paucos: & ipſos benedixit, et iuſſit apponi. Et manducauerunt, & ſaturati ſunt: & ſuſtulerunt, quod ſuperauerat de fragmentis, ſeptem ſportas. Erant autem qui manducauerant, quaſi quatuor millia: & dimiſit eos.

CONCIONES.

I. *Gula & luxus reprehenditur, temperantia & ſobrietas commendatur.*
II. *Quinque exceſſus gulæ.*
III. *De damno ebrietatis.*
IV. *Cur Germani ad ebrietatem procliuiores ſint, cauſa.*
V. *Mundi amatores nunquã ſatiari oſtenditur.*
VI. *Pauperes inſtruuntur.*
VII. *Quàm conuenienter inſtituta ſint. 7. Sacramenta.*
VIII. *Quâ ratione paranda & acquirenda ſint virtutes morales in voluntate ſita.*
IX. *Documenta.*
X. *Myſteria.*

CONCIO I.

Gula et luxus reprehenditur, temperantia et ſobrietas commendatur.

Commendatur abſtinentia ab his.

1. *Seruat animam contra dæmonem, acuit intellectum, prolongat vitam, conſeruat opes, & magni eſt meriti apud Deum.*
2. *Reprehenditur gula, quòd animum prodat hoſti, mentem hebetet, morbos gignat, paupertatem adferat & multas poſt ſe culpas trahat: cuius rei aliquot adferuntur exempla.*

THEMA.

Manducauerunt & ſaturati ſunt. Marci 8.

A. DVas in paradiſo arbores peculiari notâ inſigniuit Deus, arborem vitæ & arborem ſcientiæ boni & mali: illa guſtanti vitam, hæc verò afferebat mortem: illam hominibus conceſſit, hanc autem vetuit Deus. Verùm ſerpens ille doloſus ſuaſit arborem mortis, & verò etiam perſuaſit. In hoc etiam mundi exilio duas reperimus arbores, prædictis non abſimiles, tẽperantiam & gulam, quarum illa vitam, hæc dat mortem: illa nobis ſuadetur, iſta prohibetur, ad hanc vocat nos diabolus, caro & mundus: ad illam vocat nos Deus & hodiernum Euangeliũ, in quo audimus quàm frugali conuiuio contenti & ſaturi fuerint ſectatores Chriſti. Nam primò panem & piſces tantùm legimus appoſitos; deinde non omnia, quæ appoſita fuêre, conuiuas abligurìſſe, quemadmodum facere ſolent lurcones & heluones; denique conuiuium hoc ſiccum prorſus fuiſſe, nullo inſtructum potu. Vnde factum, vt conuiuæ omnes modeſtè, pacatè & ſobriè conſiderent ac diſcederent. Quare vt noxiam gulæ arborem magis fugiamus, ſalubrem verò temperantiæ magis diligamus, illius noxas, huius commoda videamus.

Abſtinentia Primò animam ſeruat & qua- B.
ſi quibuſdam excubiis munit, ne dæmon eam I.
tentare & occupare queat. Vnde S. Petrus epiſt. Abſtinen-
1. c. 5. monet: *Fratres ſobrij eſtote & vigilate*, &c. tia.
Perſæ nunquam non ad latus gladium ſuum
habent etiam in altâ pace, teſte Ammiano Mar- 1.
cell. *l.* 23. Sit noſter gladius ſobrietas, nunquam *Animam*
deponendus; hoc enim tuemur animam & cor- *ſeruat.*
pus: hoc attendere ad ſalutem noſtrã poſſumus
in omni conflictu. Eo verò deſtituti, ſi morte
præoccupentur, citiùs inferni flammas ſentiunt,
quàm mortem aduentantem ſenſerint.

Secundò. Acuit intellectum, quia caput 2.
ſerenat & ſpiritus naturales facit liberos ad *Acuit in-*
ſpeculandum. Vnde Heracliti adagium: *Ani- tellectum.*
ma ſicca ſapientiſſima. Quam ob cauſam Chri-
ſtus volens nos intentos facere meditatione
mortis

Digitized by Google

mortis & iudicij, ait: *Attendite ne fortè grauentur corpora veſtra crapulâ & ebrietate & curis huius vitæ & ſuperueniat in vos repentina dies illa*: Luc. 21. Huius verò diei cogitatio ſobrios requirit.

3. *Vitam prolongat.* Tertiò. Vitam prolongat & conſeruat in ſanitate. Hinc Galenus Medicus decimo quoque die ieiunium ſibi indicebat, ſanitatis conſeruandæ gratiâ. Hippocrates Medicorum Princeps ad annos 140. vixit. Cauſam rogatus ait: *Quia nunquam ſatur à menſâ ſurrexi.* Cælius Rho. l. 30. c. 12. Socrates pane & lacte veſcens minimoque ſumptu viuens, valetudine ſemper integrâ fuit. Idem teſtatur experientia. Eccur raræ in pecudibus ægritudines, frequentes verò in hominibus, niſi quia illæ ſe non onerant cibo & potu ſuperfluo: hi verò multo maximè? Idem patet in agricolis, qui parcè viuunt & vilibus alimentis.

4. *Opes conſeruat.* Quartò. Opes conſeruat. Vnde dicebat quidam comeſſatori ſuo vicino, qui ſe ſemper aiebat indigere: *Conquereris, quod tibi bona & pecunia non ſuppetant; at indicabo tibi præſentem amicum, à quo mutuò accipias. Accipe à te ſuperflua tibi ſubtrahendo, & citò videbis quàm verum ſit, quod dici ſolet: magnum vectigal eſt parſimonia.* Chauſſ. *de prudent.* l. 3. c. 2.

5. *Magni apud Deũ eſt meriti.* Quintò. Magni eſt apud Deum meriti. *Parcus cibus & venter eſuriens*, inquit S. Hieron. in reg. monach. *triduanis ieiunijs præfertur.* Pluuia illa optima cenſetur, quæ ſenſim deſcendit in terras, præceps autem arua ſubuertit. Norent porrò lurcones, qui nullum abſtinentiæ meritum eſſe volunt, id quod ait S. Ambroſius in epiſt. ad Epiſcopum Vercell. *Audio*, inquit, *homines, qui dicunt nullum eſſe abſtinentiæ meritum; delirare eos, qui caſtigant carnem ſuam, vt menti ſubditam faciant; quod nunquam feciſſet neq; ſcripſiſſet Paulus, ſi deliramentum putaſſet. Gloriatur autem dicens: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, &c.* Sanè viri prudentes in vitis Sãctorum ſolerter obſeruarunt nullos pæne ſanctos miraculis claruiſſe, niſi illos qui ieiuniis & vitæ auſteritate excelluerunt, aut ſaltem perſecutionibus à Deo exercitati fuerunt.

C. II. *Gula.* 1. *Animam prodit.* Contrà Gula & luxus PRIMÒ animam prodit hoſti, quia deſtruit virtutum merita. In cuius rei figuram Nabuzardan princeps coquorum (vt vertunt 70.) regis Babylonis, miſſus à rege deſtruxit muros Ieruſalem in circuitu, vrbem verò ſuccendit & vaſtauit, 4. Reg. 25. *Muros Ieruſalem*, ait S. Greg. *lib. 30. mor. c. 26. coquorum princeps deſtruit, quia virtutes animæ, dum non reſtringitur venter, perdit.* Adhæc, *ſicut fumus fugat apes; ſic indigeſta ructatio auertit ſpiritus ſancti chariſmata*, ait quidam vir eximius apud S. Hieronymum in regul. monach. Virtutum ergo præſidiis & Spiritus ſancti chariſmatibus deſtitutus homo, quomodo non in prædam cedit dæmonibus? Deſtruit etiam muros vrbis, dum rationem opprimit & intellectus vigorem, quo velut muro ſe tuetur homo & continet intra limites honeſtatis. Deinde vaſtat vrbem, quia hominem facit belluinum (nam gulæ dediti *aliud non faciunt, quàm ingerere, digerere, & egerere*, vt ait S. Bernard. Et vt Seneca conſol. ad Heluiam: *Vomunt vt edant: edunt vt vomant.* Quis hominem ebrioſum à belluis diſcernat, ſi figuram corporis excipias; Iure ergo S. Chryſoſtomus *ho. 54. ad pop.* ait: *Numquid mactandi ſumus, quoniam nos ipſos ſaginamus?* Et quid opus vermibus dicandum corpus tam curioſè ſaginare?

Denique incendit vrbem, dum libidini fomentum ſubminiſtrat; quia ſuperfluum cibi & potus vertitur in ſperma. Audi exemplum *Exod. 32.* vbi dicitur: *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Quali putas ludo, niſi eo, de quo dictum fuit Vdoni Epiſcopo Magdeburgenſi: *Vdo ceſſa ludo?* Ita enim illud ludere exponunt Hebræi, ſcilicet fornicari; & Tertullianus lib. de ieiunio, tametſi iam hæreticus Montaniſta ex ſcripturæ verecundiâ S. Ephrem tract. de timore Dei, ait: *Qui corporis ſui carnes delicatè nutrit, concupiſcentias malas paſcit.*

Secundò. Mentem hebetat & obtundit eius aciem, quia nebulas perpetuò ei offundit. Vnde facit homines ineptos ad vigilandum, laborandum, orandum, ſtudendum, incapaces denique omnis diſciplinæ & correctionis. Similes aſino piſtri, quem ſolum ait Ariſtoteles cor in ventre habere. Hinc nequeunt mente in Deum & diuinorum contemplationem aſſurgere, vt qui mentem & cogitationes omnes in patinis & popinis habent. Hinc Moyſes de monte Sinai deſcendens ad populum epulis laſciuientem, frangit audacter tabulas legis. *Sciebat enim Dei ſermonem audire non poſſe temulentos*, ait S. Hieronymus. Similiter Abigail noluit ebrio marito ſapientiæ verba inſonare, quia fruſtrà ſe laboraturam vidit (1. *Reg.* 25.) ſed exſpectauit ſobrium. Is porrò poſt decem dies extinctus eſt, quia talium hominum ſalus pæne deſperata eſt. Etenim ex illa correctione nihil emendatus eſt Nabal, ſed *factus eſt ſicut lapis*, vt ait S. textus. 2. *Mentem hebetat.*

Tertiò. Morbos gignit & vitam abrumpit. Hinc enim quotidianæ corporis moleſtiæ, capitis defluxiones, mucus, ſaliua, ſternutationes, ſingultus, teſte Hippocrate lib. 6. *Aphor.* 13. Denique veriſſimum illud tritum: *Plures occidit crapula, quàm gladius*, iuxta id Eccli. 17. *Propter crapulam multi perierunt; qui autem abſtinens eſt, adiiciet vitam.* 3. *Morbos gignit.*

Quartò. Paupertatem adfert. Prouerb. 23. *Vacantes potibus & dantes ſymbola conſumentur.* Heliogabalus, poſteà imperator, reprehenſus à quodam dicente: *An non times, ne poſt delitias pauper fias?* reſpondit: *Quid melius, quàm vt ipſe mihi hæres ſim & vxori meæ?* Lamprid. Diogenes diuitem quendam, qui ſua abligurierat, oliuis veſcentem in diuerſorio videns: *Si ſic prandiſſes*, inquit, *non ita cænares*, Laërt. *lib.* 6. 4. *Paupertatem affert.*

Quintò. Multas poſt ſe culpas trahit & pœnas varias. Lædit enim ſanitatem, prodigit bona ſuſtentationi propria, vxorum & liberorum neceſſaria, incendit libidinem: frangit ſæpe 5. *Multas poſt ſe culpas trahit.*

Digitized by Google

ſæpe ieiunia: occupat gaſtrimargos, ne rebus diuinis vacent, &c.

Gula punita exempla. Prouocat iram Dei, vt videre eſt per multa exempla. Primum *Exod.* 32. vbi poſt gulam expletam & ſecutam Idololatriam Hebræorum 23. millia iuſſu Moyſis occiſa ſunt.

1\.

2\. Secundum *Nu.* 11. Vbi cupedinarij, illi qui carnes deſiderabant in deſerto, eas quidem obtinuerunt, ſed ad ſuam perniciem; *Adhuc* enim *eſca eorum erant in ore ipſorum & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Immiſit quippe in eos Deus ignem, qui deuorare deuoratores cœpit. In cuius rei memoriam locus ille vocatus eſt, *Sepulchra concupiſcentiæ.*

3\. Tertium Iudicum 16. Vbi Philiſthæi conuiuio gulæ dediti, ruinâ domus oppreſſi ſunt.

4\. Quartum Daniel. 5. Vbi Balthaſar & Babylonij quaſi ſecuriſſimi feſta & conuiuia agitantes, & è vaſis templi edentes & bibentes ſomno vinoque ſepulti, trucidati ſunt à Cyro, poſtquam is Euphratem (cuius præſidio nitebantur Babylonij) in varias foſſas aliò abduxiſſet, ita vt ſicco pede ad vrbem penetrare poſſet; vt ibi tradunt interpretes.

5\. His adde recentiora Anno 1281. inquit ex Æmilij lib. 7. Genebrardus lib. 4. Chron. Siculi impatientes libidinis & inſolentiæ militaris Gallorum, die paſchæ ad pulſum campanarum conuocantium ad veſperas, omnes Gallos ad vnum ſupra 8. millia, cum vxoribus etiam grauidis, intra duarum horarum ſpatium contrucidarunt. Vnde prouerbium: *Veſpera Siciliana* ſeu *veſper ſiculus*; de ſubitâ cæde. Ita nimirum verificatum fuit illud Iob: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

6\. *Anno 1544. Muleaſſes Tuneti Rex, cùm Neapoli degeret, Anno Dom. 1544. à Prorege lautiſſimè habitus, Neapolitanis nouo cultu, veſcendi more, & exquiſitiſſimis odoramentis, admirationi fuit. Dapibus eius ex Regia culinæ diſciplina prodigioſi ſumptus vnguenta infarciebantur, adeò vt pauonem cum duobus phaſianis conditum obſeruatum ſit centum aureorum impenſam exceſſiſſe.* Id memorat Surius com. an. Dom. 1544. *Luxum hunc breui ſecutus eſt exitus: nam poſt paucos menſes à filio Amida occupato regno, ipſe Muleaſſes pater fugiens ac latens, nulla re magis, quàm vnguentorum odore ab hoſtibus agnitus, etiā captus eſt. Eum ad ſe adductum Amida filius vtroque orbatum lumine crudeliter excæcauit, candenti ſcalpello proſciſſa vtriuſque oculi pupilla*; eodem loco Surius. Sunt hi profuſioris luxus fructus. Vitellij ingluuies, opiparæque dapes, vt Suetonius ait, profuſiores fuére & verſæ in illius perniciem: nam cùm ab amicis ſibi conuiuia parari ipſe ſæpe poſtularet, nemo in huiuſmodi epulis minus pecuniarum abſumpſit, quàm noſtro ſæculo pecunia numerata decies mille aureorum, & quæ ſuo ſumptu agebat conuiuia, longè erant profuſiora: nam Platina teſte, præter id, quod ſæpius in die ederet, vnâ cœnâ ſuo iuſſu duo piſcium millia, & auium ſeptem millia appoſita ſunt. Cuius imitatione Albinus, & ipſe Imperator infauſtus, tantæ voracitatis fuiſſe memoratur à Codro, vt vnâ cœnâ comederit centum perſica Campana, decem pepones Oſtienſes, quingentas ficus paſſarias, ac quadraginta oſtrea, recenſuit Platina in Pontiano I. Exitus hæc probauit, quâ inſaniâ fierent, præter id quòd Albinus breuiſſimo interuallo à militibus obtruncatus eſt. Vitellius quoque cœno fimoque iactatus, ac furcâ ſub mentum poſitâ, diu per vrbem tractus in ſcalis Gemoniis omnium ludibrio iacuit, ac tandem excarnificatus in Tiberim proiectus eſt. Platina *in Lino* I. Maiol. *tom.* 1. *coll.* 19.

Halberſtadij, vt ſcribit Fincelius lib. 2. quidam diuitiis affluens ſplendidè quotidie victitabat, genioque & voluptatibus indulgens Chriſtianæ pietatis, æternæque ſalutis negligens adeò factus eſt, vt dicere non dubitarit, ſi talem in terris vitam perpetem ſibi liceat agere, ſe Deo cælum ſuum numquam inuidere velle. Breui poſt præter ſuam expectationem mortuus eſt. Poſt mortem talia in ædibus eius magnificè extructis quotidie circa veſperam apparuere ſpectra, vt ab omnibus desererentur: nemine eas incolere auſo. Apparuit vir ille diues cum ſuis conuiuis in cænaculo, quod delitiis & conuiuiis deſtinarat: aſtabant famuli faces manibus tenentes, aureaque pocula & crateras menſis imponentes opiparèque inſtructis ferculis menſas onerantes: fidicines præterea, tibicineſque aſtabant, nec quicquam deerat ſplendoris eius, quo dum in viuis erat, vir iſte opulentus vſus fuerat, Deo permittente, ex Satanæ operatione, ſpectra hæc oculis hominum obuerſata fuére, vt ab Epicureorum impietate reliqui deterrerentur. Benè ergo & ſeriò monuit Dominus Luc. 21. *Attendite ne fortè grauentur corda veſtra crapulâ & ebrietate & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa*: Mirum non eſt, ſi tales diu viuere non ſinantur; ad nihil enim vtiles ſunt, niſi ad fruges abſumendas. Denique tremendum eſt, quod minatur iis Dominus, Lucæ 6. *Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis, &c.* 7.

CONCIO II.

Quinque exceſſus gulæ.

Quinque modis potiſſimùm peccatur contra temperantiam.

1\. *Ante tempus comedendo.*
2\. *Lautiores cibos quærendo.*
3\. *Exactiorem præparationem ciborum deſiderando.*
4\. *In quantitate excedendo.*
5\. *Nimio deſiderio cibos appetendo.*

T H E M A.

Miſereor ſuper turbam, quia non habent quod manducent, Marci 8.

DVbitari poteſt, Auditores, an conueniat miſereri quam plurimorum hominum, qui non habent, quod manducent. Et vna A.

enim

enim parte commiſerationem exigunt, quia penuriam patiuntur rei ſummè neceſſariæ, quam Deus omnibus prouidit; qua de cauſa etiam Dominus in hodierno Euangelio miſertus eſt ſuper turbam eſcis deſtitutam. Ex alterâ verò plurimi commiſerationem non merentur, quia quòd eſuriant, ipſi in cauſa ſunt, nimiâ ingluuie, luxu, & intemperantiâ. Sanè in parco & temperanti conuiuio ſemper eſt, quod ſuperſit, vti in hodierno ſeptem ſportæ, & alibi in ſimili duodecim fragmentorum cophini: in prodigo nihil ſupereſt, imò ſemper aliquid deeſt. Quare ſi noſcent homines temperanter viuere, non dubito quin omnes haberent quod manducarent, imò & quod de menſâ colligerent. Hoc verò quia non fit, hinc miſeria illa, vt non habeant, quod manducent. Quare omnibus conſideratis reuerà eſt quod miſereamur huiuſmodi mortalium, non tam quia egent, quàm quia culpâ ſuâ egent & ipſâ egeſtate ſuâ Deum grauiter offendunt, dum ſine ratione velut pecudes viuunt; ſiquidem homo cùm irrationabiliter viuit, tunc reuerà miſer eſt. Ita enim Ariſtoteles dixit 1. Polit. *Sicut optimum animalium eſt homo fruens lege & iuſtitiâ, ſic peſſimum animalium eſt à lege & iuſtitiâ ſeparatum.* Quare videamus, quibus modis homines peccent in temperantiam, vt ita deprehenſis ſcopulis, vitare eos poſſint.

D. Gregor. *l.* 30. *mor. c.* 26. quinque modos indicat, quibus delinquitur per gulam, his verbis: *Quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora præuenit: aliquando verò tempus non præueniens, ſed cibos lautiores quærit: aliquando qualibet ſumenda ſint, præparari accuratiùs expetit: aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit, ſed in ipſa quantitate ſumendi menſuram moderatæ refectionis excedit: nonnunquam verò & abiectius eſt quod deſiderat, & tamen ipſo æſtu immenſi deſiderij deterius peccat.*

B. I. Ante tempus comedere.

PRIMÒ. Itaque delinquunt, qui ante vel extra tempus debitum & conſuetum inuolant in cibum & potum; cuiuſmodi exemplum ponit D. Gregor. loco cit. de Ionatha: *qui mortis ſententiam patris ore meruit, quia in guſtu mellis conſtitutum edendi tempus anteceſſit.* 1. Reg. 14. Verùm in eo Ionathas excuſandus erat, quia edictum Patris neſcierat; abſtenturus & ipſe alioquin cum vniuerſo exercitu vſque ad præfinitum tempus. Peccant igitur hîc, qui ſummo manè vix è lecto egreſſi, mox cibo ſe & potu ingurgitare incipiunt, paruulorum inſtar, nullâ præuiâ benedictione, imò fortè nondum inſcriptâ fronti cruce. Paruulis quidem id probroſum non eſt, quia aguntur inſtinctu naturali & crebro indigent alimento, quo creſcant; at verò in adultis turpe hoc & fœdum eſt, præſertim cùm ſe vino aduſto aut potu alio nimio replent, quo ad laborem inutiles fiant & incurrant ebrietatem. Taxauit hoc in principibus viris Eccleſiaſt. cap. 10. *Væ tibi terra,* inquit, *cuius principes manè comedunt. Beata terra cuius principes veſcuntur in tempore ſuo.* Si intemperantia illa Principes non decet, num decebit plebeios? *Væ*, ait illis Iſaias cap. 5. *qui conſurgitis manè ad ſectandam ebrietatem.*

Eodem pertinent, qui licet non antè, extra tamen conſuetum tempus eſitant aut potitant. Et iſti enim gulæ ſe mancipia eſſe demonſtrant & valetudinem ſuam non parum affligunt. Dic enim mihi, quæſo, ſi carni in ollâ iam ſemicoctæ, rurſum cruda apponeretur caro, & huic ad medium elixatæ rurſum alia elixanda adijceretur, qualis iſta coctura foret? vel ſi ollæ bullienti ſubinde frigida affunderetur, quando tandem aqua excoqueretur? Par ratio eſt cum ſtomacho, qui dum recenti cibo & potu ſubinde oneratur, quomodo facere concoctionem poteſt? Hinc igitur exiſtunt podagræ, hinc membrorum tremor & articulorum contracturæ. Vnde S. Chryſoſtomus *hom.* 1. *ad pop.* ait: *Non ita terra natura vexata aquarum ſuperabundantiâ continuò diſſoluitur, vt corporis vis moleſcit, diffluit & exilis redditur vino potu continuo ingurgitata.* Auget hanc intemperantiam quod ferè ſine oratione aut benedictione præuiâ in cibum inuolatur. Paruuli quidem iubentur menſæ benedictionem facere, interim verò parentes eorum cæterique adulti nihil minùs quàm de oratione cogitant, ſed nugantur ſæpe, garriunt aut rident. Quid? nónne cernimus boues priuſquam carpant herbas, halitu explorare vtrum ſalutares ſint? Hæc illorum benedictio eſt, quia aliam non didicerunt. Et nónne fieri poteſt, vt vna vel plures eſcæ in menſam apponantur; quæ valetudini tuæ obeſſe imò mortem afferre poſſunt, vel ipſum etiam Dæmonem, quemadmodum Moniali illi apud S. Gregorium? Sed difficile mihi eſt, inquit, ſtatam menſæ horam exſpectare. Fac igitur quod aliquis in vitâ PP. part. 1. cap. 3. feciſſe legitur; qui cum impoſturâ Diaboli fame vrgeretur horâ primâ diei, imperauit ſibi vt expectaret vſque ad tertiam: & cùm tertia eſſet vſque ad ſextam: & cùm ſexta, porrò vſque ad nonam, quæ erat ſtata prandij hora. Quâ exercitatione ſecundò tertiòue repetitâ ſic dæmonem fameméque vicit, vt nec poſt biduum eſuriret.

C. II. Cibos lautiores quærere.

SECVNDÒ. Qui cibos lautiores quærunt. Hanc ob cauſam *ex Ægypto populus eductus in eremo occubuit, quia deſpecto manna cibos carnium potiùs, quos lautiores putauit*, inquit D. Gregorius loco indicato. Præſtabat ſanè Manna Hebræis ſaporem omnium ciborum, quoſcunque appetebant, vt habetur *Sap.* 16. adeoque etiam carnium; nihilominus tamen quia color, odor, forma & figura mannæ ſemper eadem erat, nauſeam eius ceperunt; quod faciunt & gulones, pueri præſertim, qui ſæpe non tam os & ventrem, quàm oculos & phantaſiam cupiunt exſatiare. Adhæc ſua pecora habuerunt ſecum Hebræi, quæ poterant occidere; ſed quaſi his non contenti, alias eaſque lautiores deſiderabant carnes, vtpote coturnicum, vt vult S. Auguſtinus (tametſi hoc

hoc ſcriptura non exprimit: Hunc in modum Epicurei noſtri tritas & communes epulas paulò ſæpiùs repetitas illicò aſpernantur, lautiores & delicatiores volunt, quodque magis culpandum, exteras & peregrinas, magno pretio conſtantes, tametſi noſtratibus cibis nihilo ſint meliores. Solùm hoc delectat eos, quòd peregrinæ ſint & caræ. Quæ ſanè non parua eſt ſtultitia. Nam imprimis natura commodiſſimè nutritur cibis propriæ terræ, vtpote à Deo ita contemperatis, vt prodeſſent ſuis maximè incolis. Hinc creaturæ aliæ cibis illis contentæ ſunt, quæ in earum terris reperiuntur & naſcuntur. Vnde Seneca: *Vna ſylua pluribus Elephantis ſufficit; homo verò vix paſcitur terrâ mariq́ꝫ.* Deinde lautiores epulas non requirit fames. Culinæ noſtræ ſchedula ſeu præſcripta ſunt, quæ recenſet Seneca epiſt. 4. *Non eſurire, non ſitire, non algere.* Ipſe *Epicurus voluptatis aſſertor*, inquit S. Hieronymus ad Iouinian. *omnes ſuos libros repleuit oleribus & pomis, & vilibus cibis dicit eſſe viuendum, quia carnes & exquiſitæ epulæ ingenti curâ ac miſeriâ præparentur.* Adhæc delicati & peregrini cibi magno pretio conſtant & tandem hominem ad pauperiem redigunt, dum quandoque *vnâ comedunt patrimonia menſâ*, vt ait Iuuenalis. Quòd ſanè non rarò fit in nuptiis aliiſque conuiuiis, tanto luxu ac pompâ inſtructis, vt quandoque lucrum vnius anni vix ſufficiat ad reparandos illos ſumptus. Hinc Hieronymus epiſt 9. ad Saluinam ait: *Procul ſint à conuiuiis tuis Phaſides aues, craſſi turtures attagen Ionicus, & omnes aues, quibus ampliſſima patrimonia auolant.* Denique luxus ille nimius in detrimentum cedit pauperum quibus ſuperfluitas illa debetur. Audiamus S. Baſilium, *Nónne ſpoliator es*, inquit, *quæ diſpenſanda accepiſti, reputando propria? Eſt enim famelici panis, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclaui ſeruas: diſcalceati calcei, qui penes te mareſcunt; indigentis aurum, quod poſſides humatum.*

D. III. Ciborum exactioné præparationem requirere.

TERTIÒ. Qui ciborum exactam præparationem quærunt accuratiùs. Et hinc *prima filiorum Heli culpa ſuborta eſt*, inquit Gregorius loc. cit. *quòd ex eorum voto Sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de ſacrificio carnes accipere, ſed crudas quæreret, quas accuratius exhiberet.* 1. Reg. 2. Coquebantur ſimplici aquâ carnes ſacrificij ex recepto more. Verùm huius elixationis pertæſi filii Heli, aſſaturam deſiderabant, ideo tolli præcipiebant carnes, vt ſibi aſſarentur, quemadmodum indicat vox Hebræa, *luſeloth*, hoc eſt, *vt aſſem.* Hæc ergo vel ſola cupiditas deteſtabilis fuit coram Deo; quemadmodum & illa Hebræorum, quibus manna non ſapiebat, quia non erat ad ipſorum guſtum excoctum, ac propterea *circuibat populus*, inquit textus, *& colligens manna frangebat molâ ſiue terebat in mortario, coquens in ollâ & faciens ex eo tortulas saporis, quaſi panis oleati.* Num. 11. Cum enim naturali mannæ ſuauitate contenti non eſſent, nouas eius conditura excogitabant. Verùm ſcio quid defuerit Hebræis, quò minùs eis ſaperet ſimplex illud manna, labor ſcil. Ægyptius coquendorum laterum, qui ſi adfuiſſet vnà cum flagello, quo ad labores vrgebantur, ô quàm illis ſapidum manna id fuiſſet? Vnde enim tædium ſimplicium ciborum niſi ex perpetuâ ingluuie & vacatione à laboribus? Cùm Dionyſius Tyrannus in Phiditiis Lacedæmoniorum (publicis & frugalibus conuiuiis) cœnaſſet, negauit ſe iure quodam nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum; tum is qui cœnam coxerat: *minime mirum*; inquit, *condimenta enim defuerunt. Quæ tandem?* inquit ille. *Labor in venatu, ſudor, curſus ab Eurota*, (fluuio in quo Spartana iuuentus natando ſe exercebat & ſudorem abluebat) *fames, ſitis; his enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur.* Cic. 5. Tuſcul. Non difficile quidam noſtro tempore ſapiens ioculator Principis catellum, qui gallinarum carnes faſtidiebat, docuit per inediam intra paucos dies deuorare non dico gallinas, ſed pyra & panem atrum. Verùm hæc medicina parum ſapit hoc tempore delicatis ſtomachis. Nimirum venter ipſis Deus eſt, cui omnem cultum deferunt cum omni ſuâ familiâ, quæ ferè in culina tota occupari debet etiam feſtiuis diebus cum diſpendio rei ſacræ. Quis in horum album non referat Wenceſlaum Bohemiæ regem, qui cùm aliquando prandium non ita, vti iuſſerat, præparatum oſtendiſſet, iuſſit miniſtrum caponis inſtar veru affixum, ad ignem torreri? Quis non Henricum VII. Angliæ regem qui Apitium quendam, obſcurum cæteroqui hominem, ad magnam dignitatem euexerit, eò quòd caponem (quem ille cibum pro exquiſitiſſimis habebat delitiis) optimè ſuâ curâ aſſatum ipſi appoſuiſſet? Refert Florimundus *lib. 4. de orig. hær. cap. 3.* Sanderus *l. de ſchiſ. Angl.* Quis non illos, de quibus Hugo Victorinus ait: *Superſtitioſum quidam nimis in ſuis cibis præparandis adhibent ſtudium: infinita decoctionum, frixuratum & condimentorum genera excogitantes, modò mollia, modò dura, modò frigida, modò calida, modò cocta, modo aſſa, modò pipere, modò allio, modò cumino, modò ſale condita ſecundùm conſuetudinem prægnatium mulierum deſignantes.* Cui accedit D. Bernardus in apol. ad Guilielm. *Quis*, inquit, *dicere ſufficit, quot modis, vt cætera taceam, ſola oua verſantur & vexantur, quanto ſtudio euertuntur, ſubuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur: & nunc quidem frixa, nunc aſſa, nunc farta, nunc mixtim, nunc ſigillatim apponuntur? vt quid autem hæc omnia niſi vt ſoli faſtidio conſulatur? &c.* Pugnat ſanè hæc cupiditas cum Dei inſtitutione, tam redemptoris, quàm creatoris. Hic enim in mundi creatione duo tantùm alimenta viuentibus præſcripſit, herbas & plantarum fruges; *Germinet*, inquit, *terra herbam virentem & lignum pomiferum.* Gen. 1. Vtraque ſimplicia nullius artis lenocinio adulterata. Ille verò ſic nos orare docuit: *Panem noſtrum quotidianum da nobis* Matth. 6. Quid eſt, *quotidianum*, niſi ſimplicem, vulgarem, facilè parabilem, minimè exquiſitum? Pugnat denique, cùm regula S.

Baſi-

Digitized by Google

Baſilij, qui lib. de vera Virgin. ait: *Omnibus in locis cibus, qui ſit ad victum neceſſarius ſolerti ratione inquirendus, condimentorumq́; elaboratæ blanditiæ vt voluptatis illecebra repudiandæ.* Pugnat cum oratore dicente: *Venter quidem poſcit & appellat, ſed tamen moleſtus creditor non eſt, ſi illi das quod debes, non quod potes.*

F. IV. In quantitate excedens.

QVARTÒ. Qui in quantitate menſuram moderatæ refectionis excedunt. Quâ de re ad Ieruſalem dicitur: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ Sororis tuæ, ſuperbia; ſaturitas panis & abundantia. Apertè oſtenditur, quòd idcircò ſalutem perdidit, quia cum ſuperbia vitio menſuram moderatæ refectionis exceſſit*, inquit Gregorius vti ſuprà. Qui exceſſus ſaturitatis niſi foret culpabilis, nequaquam Ieroſolyma propterea ſoror Sodomæ vocaretur ab Ezechiele c. 16. Quare D. Hieronymus in Iouinianum ita ſcribit: *Sed & ex viliſſimis cibis vitanda ſatietas eſt. Nihil enim ita obruit animum vt plenus venter & exæſtuans, & huc illucq́; ſe vertens, & in ructus reſpirans.* Et rurſum ex Galeno docet: *Athletas, quorum vita & ars ſagina eſt, nec viuere poſſe diu nec ſanos eſſe; animaſq́; eorum nimio ſanguine & adipibus quaſi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cæleſte, ſed ſemper de carnibus & ructu & ventris ingluuie cogitare.* Tanquam peſtis ergo vitanda eſt nimia ciborum ac potûs ingurgitatio. *Caro ſic nutrienda eſt vt ſeruiat, ſic domanda vt non ſuperbiat*, inquit Hugo de S. Victore. Qui ſanus eſſe corpore & animo vult, det operam vt ſemper è menſâ cum aliquâ adhuc eſurie vel appetitu ſurgat, vel certe vltra appetitum nihil admittat. Præſcribat ſibi cibi & potûs certam quantitatem, quemadmodum S. Auguſtinus ſibi & conuiuis ſuis certum præfigebat numerum poculorum: apud Poſſid. in vita. Audiatur regula Caſſiani coll. 2. c. 23. *Generalis hic continentiæ modus eſt, vt ſecundum capacitatem virium vel corporis vel ætatis, tantum ſibimet cibi vnuſquiſque concedat, quantum ſuſtentatio carnis, non quantum deſiderium ſaturitatis expoſcit.* Denique *conſiderent ebrioſi*, inquit S. Auguſtinus, *ſi non peiores animalibus iudicandi ſint. Cùm enim animalia ampliùs quàm eis opus eſt, bibere nolint: illi & duplum & triplum quàm expedit eis, potum accipiunt.* Qui etiam tales heluones comparat paludibus ſordidis, in quibus fœda animalcula, ſerpentes, ranæ, vermes & bufones naſcuntur ſer. 231. de temp.

F. V. Nimio deſiderio in cibos ferri.

QVINTÒ. Qui nimio deſiderij æſtu feruntur in cibos, etiam viliores. Ex hoc capite *primogenitorum gloriam Eſau amiſit, quia magno æſtu deſiderij vilem cibum, ſcil. lenticulam concupiuit, quam dum vendendis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicauit; neque enim cibus, ſed appetitus in vitio eſt*, inquit Gregorius dicto loco. Idem confirmat Augu. *l. 3. de doctr. Chriſt. cap.* 12. his verbis: *Fieri poteſt, vt ſapiens pretioſiſſimo vtatur cibo ſine vitio cupiditatis; incipiens autem fœdiſſimâ gulæ flammâ in viliſſimum ardeſcat.* Adam & Eua pomum, non phaſidem aut perdicem, deguſtarunt, & tamen eo facto & ſe & nos perdiderunt. Dæmon etiam non caponem ſed lapidem Chriſto exhibuit, quo eum in gula tentaret, vti aduertit S. Gregorius *l. 30. mor. cap. 25. Antiquus hoſtis*, inquit, *quia non cibum ſed cibi concupiſcentiam eſſe cauſam damnationis intelligit, & primum ſibi hominem non carne ſed pomo ſubdidit, & ſecundum non carne ſed pane tentauit. Hinc eſt quòd plerumque culpa committitur etiam cùm abiecta & vilia ſumuntur.* Non prohibetur quidem omnis in cibo & potu delectatio, ſed id deſideratur, vt oblectatio illa non quæratur tanquam ſcopus & finis, ſolùmq́; admittatur, quà ſeruit neceſſitati. Obſeruauit hoc S. Auguſtinus, qui lib. 10. Confeſſ. ait: *Hoc me docuiſti* (Deus) *vt quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* Ideoque vt inter edendum ac bibendum mentem à delectatione auocaret, menſæ lectionem vel diſputationem adhibuit teſte Poſſidio in eius vita. Proderit etiam ante cibi ſumptionem ſtatuere, ſe rationem vtilitatis ſolùm tanquam magiſtram & ducem in ſumendo cibo ſecuturum, vt habet S. Baſilius *in reg. breuior. q.* 126. Mira ad hoc induſtria fuit B. Iacoponi, qui initio vt gulam domaret, abſynthio quaſi ſale ad cibos vtebatur, eoſque inficiebat, donec eò perueniret vt ſaporem cibi in vnum Deum referret, adeoque ad extremum nihil ipſi præter Deum ſaperet. Qui etiam aliquando cupiditate bubulæ carnis tentatus, bubulam comparauit, & tamdiu in cubiculo ſeruauit, donec putredinem contraheret, & per totum ambulacrum horrendum in modum fœteret, quam is deinde velut rem ſuaueolentem naribus applicabat atque olfaciebat, puniens orexin hoc miro antipharmaco. Corn. *in Num. cap.* 11. Nec miremini, Auditores, ſapientiſſimi viri miram hanc ſtultitiam. Verſabat ille animo grauiſſimam illam pœnam, quâ olim Deus in Hebræis puniuit præpoſterum carnis appetitum, (Num. 11.) quando impetrarunt quidem ab irato Deo coturnices, ſed quia nimio deſiderio in eas rapiebantur, & gulosè veſcebantur, *Ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plagâ magnâ nimis*; ignis videlicet, qui deuorauit extremam caſtrorum partem, nomenque loco dedit, *Incenſio, & ſepulchra concupiſcentiæ.* Æſtus igitur praui deſiderij æſtuis igni mulctatus fuit: & qui in ſuis ventribus ſepelierunt carnes, ſepulchra concupiſcentiæ ſubire debuerunt: carnium deuoratores; vermium eſca facti ſunt.

CONCIO III.

De damnis ebrietatis.

Chriſtus non appoſuit in hoc conuiuio vinum ne populo occaſionem daret ebrietatis.

1. *Incantator eſt.*
2. *Detractor.*
3. *Proditor.*
4. *Fur eſt.*
5. *Homicida.*

THEMA.

Ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Marci. 8.

A. *Vinũ cur non appoſitum in hoc conuiuio.*

DVo præclara & omnibus ſeculis celebranda pluſquam Aſſuerina conuiuia, exhibuit ſectatoribus ſuis Chriſtus; vnum in hodierno Euangelio: alterum huic ſimile, Ioan. 6. Sed cùm præcipua pars conuiuiorum ſit potus, quid eſt, quòd Dominus in his conuiuiis non legitur appoſuiſſe potum? Potus enim nulla prorſus mentio. An fortè non potuit procurare potum, qui potuit cibum? Exiſtimo ego vicinos fuiſſe fontes vel riuulos è quibus haberi potus facilè poterat. Sed non fuiſſemus contenti, nos præſertim Germani, hoc potu: vinum deſideraſſemus. Nónne potuit ergo fontes illos in vinum vertere, qui tam pridem aquam in vinum mutarat, vt tam mirabile conuiuiũ vino phalerno cohoneſtaret? Fateor: non video, cur non æquè facilè id potuiſſet, ſi voluiſſet; adhæc populus haud dubiè etiam ſiti æſtuabat; prætereà magnificentius fuiſſet hoc conuiuium, ſi vini quoque miraculo ſplenduiſſet. Quid ergo cauſæ, quòd vinum non appoſuit. Nimirum noluit Dominus ſuis ſuſpectum quid apponere. Vinum autem ſuſpectum eſt, de ebrietate, in tanta præſertim ſiccitate ſiti laborante. Ebrietas autem talis eſt hoſpes, qui hoſpitem ſuum omnibus bonis expilat. Voluit igitur Dominus pane & piſcibus ſatiare populi non ſolùm famem, ſed & ſitim: ne occaſionem ebrietatis ei præberet, adeoque in ipſum, qui dediſſet, culpa reiiceretur. Si enim Adam tam citò cauſam peccati ſui Deo adſcripſit, quòd ab eo mulierem deceptricem accepiſſet: quis neget, aliquos de populo ebrios dicturos fuiſſe Chriſto. Vinum, quod dediſti nobis, decepit nos? Videndum igitur quàm ſit malus conuiua, Ebrietas.

B. I. Ebrietas incantator eſt.

PRIMO. Ebrietas incantator & veneficus eſt. Quemadmodum enim venefica illa Circe ſocios Vlyſſis in porcos philtro ſuo transformauit: ita ferè & ebrietas, quæ rationis vſu priuat & beſtiarum habitu hominem induit. Proinde ebrioſus maximâ iniuriâ ſe & Deum afficit; Se, dum ſeipſum deformat, & ad inſaniam quandam redigit. Collocauit Deus hominem in gradu ſummo Entis, qui eſt intellectiuus, adeoque iuxta ſe an igitur culpâ careat, qui ſeipſum inde deiicit & ad beſtias detrudit? Certè qui alterum philtro aliquo vel veneficio inſanum redderet, etiamſi id ad diem tantùm ageret, grauiſſimè delinqueret, & graues pœnas daret. Non peccabit igitur, qui ſeipſum ſciens & volens inebriat, adeoque fatuum & mente captum efficit? Hac de cauſa SS. Patres, Chryſoſt. *hom. 1. & 57. ad populum Antioch.* S. Baſilius *hom. in ebrietatem*, & alii, ebrietatem *dæmonem voluntarium* appellant. Et Seneca *epiſt. 74. ad Lucilium*, *voluntariam inſaniam.* Vt enim dæmon culpa ſua per ſuperbiam ex angelo lucis ſe in angelum Sathanæ transformauit: ita per ebrietatem homo. Imò per hanc grauiùs quodammodò cadit, quàm ceciderit Lucifer; quia is non perdidit naturalia: ebrius autem non tantùm gratiam perdit, ſed & naturalem ſibi rationis adimit vſum. Dæmon deinde cùm obſidet hominem, vtitur ad ſuam loquelam eius lingua, vt cùm loquitur græcè, latinè, &c. Similiter aliis eius membris pro libitu ſuo, ita vt homo ille magis videatur dæmon, quàm homo; inſtrumentum enim diaboli eſt. Ita ebrietas facit hominem organum diaboli. Vinum enim ex illo loquitur: non ille ex vino; agit quæ non vellet, ſi intelligeret: vinũ agitur potiùs. Et obſeſſi quidem, vti & inſani, commiſeratione digni ſunt & habentur ab omnibus; ſi quidem præter ſuam culpam eò deuenere: ebriorum autem nemo miſeretur, quia culpa ſua ſcientes, volentes eam ſibi peperere inſaniam.

Deum verò offendit, quia imaginem eius, donum ſcilicet omnium maximum, amittit & vendit pro modiciſſimâ voluptate. Quis neſcit quanta ſollicitudine ſeruent nobiles inſignia ſua, quæ fortè ab Imperatore aut principibus viris dono accepere? Vnicam alam ex Aquila Imperiali ab Imperatore ſuis inſignibus donatam tanti æſtimant, vt malint prædia ſua perdere quàm ea inſignia. Iam verò Deus ex ſuis ipſius perfectionibus dedit nobis primarium & præſtantiſſimum donum rationis. Quod ſi igitur illud tam facilè quis delet & exterminat: quomodo non is maxima in Deum ingratitudine peccat? *Quid fœdius* (inquit Muſonius de victu) *quàm vt homo bruti animalis imago ſit?* Dico apertiùs: Quid fœdius, quàm vt imago Dei bruti animalis imago ſit? *Spectaculum triſte Chriſtianorum oculis*, inquit S. Ambroſ. lib. de Elia c. 13. *& miſerabilis ſpecies. Cernas iuuenes tertiis diebus viſu laterlbus de conuiuio portari foras, & inde ad conuiuium reportari: repleri vt exhauriant & exhaurire vt bibant. Si quis verecundior fuerit, vt erubeſcat ſurgere, cum iam immoderatos potus tenere non poſſit anhelare vehementius, ſudare, gemere, ſigna prodere, quod pudet conſteri. Ibi vnuſquiſque pugnas enarrat ſuas, ibi fortia facta prædicat, narrat tropæa. Vino maduit & ſomnolenti neſciunt mente, quid lingua proferat. Vnuſquiſque ſternit & potat, dormit & dimicat: & ſi quando conſurrectum fuerit, viri prœliatores ſtare non poſſunt, egreſſu vacillant. Rident ſeruuli dominorum opprobria, manibus ſuis portant militem bellatorem, imponunt equo. Itaque huc atque illuc, tanquam nauigia ſine gubernatore fluctuant & tanquam vulnere icti, in terram defluunt, niſi excipiuntur à ſeruulis. Alii referuntur in ſcutis, ſit pompa ludibrii. Quos mane inſignes armis ſpectaueras, vultu minaces, eoſdem veſperi cernas etiam à pueruliis rideri: ſine ferro vulneratos, ſine pugna inte ſectos, ſine hoſte turbatos, ſine ſenectute tremulos, in ipſo iuuentutis flore arentes.* Hæc Ambroſ.

SECVNDÒ. Detractor eſt; quia viris honeſto multum detrahat de bono nomine & exiſtimatione. Vnde *Eccleſiaſt.* 19. dicitur: *Vinum* C. II. Detractor eſt.

&

& mulieres arguent ſenſatos. Vt enim ebrietas digeſta crapula oris halitum fœtore quodam grauiter olente afficit: ita & famam. Vel enim homo virtutis laude claret; & mox dici ſolet, ipſum quoque hominem eſſe, non Angelum. Vel homo robuſtus & militaris eſt; & quid huic turpius, quàm vinci à vino, qui ab hoſte non vult? Vel homo ſcientiâ præditus;& quid indignius docto, quàm regi & duci ab iis, quos ipſe regere conſiliis deberet? Quoties audimus dicentes: Hic vel ille eſſe vir bonus, ſed potui deditus, & tunc mirabilis eſt &c. Hinc Phariſæi & Scribæ videntes Chriſtum comedere & bibere, mox arripiunt occaſionem eum inde calumniandi: *Ecce homo vorax & potator vini.* Matth. 11. Hinc Ninum Aſſyriorum Regem Græci Iones deſpiciebant ob crebras eius potationes, & ad nihil aliud natū dicebant quàm ad comedendum & bibendū, adeoq́ue abdomini tantùm, teſte Athenæo *lib. 2. dipnoſoph.* Philippus Macedonum Rex cùm à legatis Athenienſibus ad ſe miſſis iactaretur poſtmodum, quòd eſſet famoſus vini potator & vir effusè lætus: *Id verò non magni refert*, ſubiungebat Demoſthenes, *prιorem virtutem cum ſpongiis communem habet, leuitatem cum ſcurris.* Bruſon. lib. 1. cap. 19. Alexander Magnus filius illius ingentia animi bona & heroicas virtutes ſuas haud tolerabili vini cupiditate fœdauit, vt ſcribit Q. Curtius lib. 5. Claudius Tiberius Nero ob vini auiditatem, *Caldus Biberius Mero*, appellatus fuit, apud Tymp. in ſpec. princip. fig. 54. Porrò Romani eos qui ſe vino ingurgitabant, adeò exoſos habuêre, vt è ſenatu & publicis munijs velut indignos remouerent, teſte Alexandro ab Alexand. *lib. 3. gen. dier. cap.* 11. Hiſpani nec in teſtem quidem admittunt eum, qui ſemel ebrius extiterit. Refert Tympius ibid. Apud Italos quoque tam probroſa eſt ebrietas, vt conſpecto fortè ebrio, pueri glomeratim accurrant, eum exſibilent, cachinnentur, luto & lapidibus petant, & quocumque ierit, clamoribus inſequantur: quod non ſemel vidi. Quâ in re pene toti mundo celebres ſumus Germani: vt dicere debeamus de nobis, quod olim de Græcis ſuis dixit S. Chryſoſt. *hom. 57. ad pop.* videlicet, hoc eſſe *commune generis opprobrium.* Vnde Sinan Baſſa ſuperioribus hiſce annis dicitur non paucos è milite Germano captos Sultano ſuo per ludibrium Conſtantinopoli cum vitris, aleis & chartis obtuliſſe in opprobrationem ebrietatis Germanorum, teſte Nic. Serario in Iudith. *cap.* 15. Deleuit eam maculam in Græcia Deus, cùm tradidit eam Turcis, qui vinum abominantur & exſcindunt vites. Timendum idipſum nobis, ne Germanorum ebrietatem ſimili modo aliquando exterminet; communia enim vitia, communem portendunt plagam & exterminium, vt ex SS. literis patet.

D. III. Eſt proditor. Tertiò. Eſt proditor, quia prodit hominis ſecreta, adeoq́ue eum per hoc alteri ſubiectum reddit, cui ſecreta eius aperuit. Vnde dicitur Prouerb. 20. *Ebrietas ſecretum manifeſtat.* Et c. 31. *Nullum ſecretum eſt, vbi eſt ebrietas.* Prouerbio etiam dicimus: *Ex oculis, loculis & poculis elucere hominum ingenia.* Vnde nonnemo ebrietatem torturæ comparauit, ſiquidem per quam animi ſenſa, propria & aliena delicta faciliè extorquentur. Sunt plerumque glorioſi ruſtici, dum ebrij ſunt: marſupium & pecuniam ſuam depromunt coram aliis, interim à cleptis obſeruantur & nummis ſæpè deſpoliantur. Pari facilitate & ineptia depromunt eorum alij mentis ſuæ arcana, quæ non paruo ipſorum damno ab aliis obſeruantur: Prodit deinde vitia hominis occulta, beſtialitatem, paſſiones & inclinationes malas: Sopita enim ratione, prodit ſe ſenſualitas, & aſinus proſpicit de manica. Tunc prodeunt impudentia, leuitas, ſcurrilitas, turpis ſermo, iactantia & porcini mores.

Qvartò. Fur eſt, quia aufert opes & ſubſtantiam. Vnde Eccli. 19. dicitur: *Operarius ebrioſus non locupletabitur.* Et Prou. 21. *Qui diliget vinum & pinguia, non ditabitur.* Hinc Diogenes, quondam prætериens domum vinolenti proſtitutam: *Sciebam*, inquit, *domum iſtam vino ebriam Dominum euomituram: en iam ructat.* Bruſon. l. 3. c. 13. *Venter enim*, inquit S. Baſilius, *depoſitum non ſeruat: imò verò nihil eſt in commercijs & contractibus ventre infidelius.* Quod ſi venter inſtar marſupij vel ciſtæ eſſet, non ineptè ageret, qui multa in eum congereret. Sed digerit is depoſitum, & licet hodie eum infercias, cras iterum egebit & appetet. Prouidi parentes non ſolent filiis alicubi ſtudiis operam dantibus, mittere ſimul magnam pecuniæ ſummam, ſi aduertant ipſos eſſe prodigos: ſed minutatim, ſingulis menſibus, vel ſeptimanis aliquid, quia vident tam citò egere filios, ſi multa habeant: quàm ſi pauca. Venter, eiuſmodi Studioſus eſt, quem alere cogimur omnes, prodigus & inexplebilis: iam ſi ſimul ei multa tradas pocula; multa citò dilapidabit, imò citiùs rurſum egebit & rurſum pocula expetet; quia ebrioſi digeſta crapula mox iterum ſitiri ſolent, tandemq́ue adeò inflammant hepar, vt ſemper ſitiant. Quare non mirum ſi tandem ad incitas redigantur, qui tam improuidè alunt ventrem ſuum; ſi enim alimoniam illam iuſtè partirentur nunquam egerent. Nunc autem tam pauperes quàm nobiles malunt vno die affluere & epulari, ſex reliquis egere & eſurire, quàm tota hebdomade commodè ſuſtentari: quis non videt horum inſaniam? *Quam trium aut quatuor dierum*, inquit S. Auguſtinus ſerm. de ebrietate vitanda, *potuerunt rationabilem refectionem habere, vno die cum grandi peccato contendunt perdere potiùs quàm expendere.* Quæ operarij per hebdomadem lucrantur, ferè in tabernis vno die expendunt: &, vt ait S. Ambroſius lib. de Elia & ieiunio, *vno die bibunt multorum dierum labores.* Quot hinc nobiles & opulenti è dominis; ſerui, è diuitibus pauperes; ex nobilibus ignobiles facti ſunt & fiunt; adeoq́ue dedecus parentum ſuorum? Vnde non immeritò Græci ſanxerunt aliquando,

vt qui patrimonium potationibus dilapidaſſent, non ſepelirentur in maiorum ſuorum monumentis: ſed inglorij in locum quiſquiliarum proiicerentur, teſte Alexandro ab Alexandr. *libr. 6. gen. dier. cap.* 14. Callias quidam Athenienſis, cùm ſubſtantiam ſuam vino ſorbuiſſet, ideoque mediis frigoribus nudus incedere cogeretur, hoc dicterio paſſim notabatur: *Hic à vino deplumatus eſt.* Similiter ferè Iſaias cap. 28. ait de ebrioſis; *Abſorpti ſunt à vino*; dum enim ipſi vinum abſorbent, interim à vino abſorbentur eorum veſtes, peculiolæ, ſupellex; vt non mireris ſi quem heluonem lacerum & centunculatum videas incedere; vinum enim & cereuiſia hos ei morſus infixere. Denique interdum regna euertit & vrbes hoſtibus patefacit, partim ſacræ literæ, partim profanæ hiſtoriæ tradunt.

F. V. Tortor eſt & lictor.

QVINTÒ. Tortor eſt & lictor, quia deſtruit ſanitatem. Vnde *Prou.* 23. dicitur: *Ingreditur blandè* (vinum) *ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber.* Anacharſis Philoſophus dixiſſe fertur, vitem gignere tres uvas, vnam ſanitatis, alteram voluptatis, tertiam mœroris. Singulari enim Dei prouidentiâ videtur euenire, vt ferè ſemper ebrietatem ſequatur dolor capitis, ſtomachi, aut membrorum aliorum: vt ſic vel hoc medio coërceantur ebrioſi. Euenit enim quod Deus Cain prædixit: *Nónne ſi malè egeris, ſtatim præ foribus aderit peccatum tuum*, id eſt, peccati vindicta? S. Baſilius hom. 1. de ieiunio ait: *Sicut viſum, id quod ſummè ſplendet, hebetat atque vaſtat, & magni ſonitus ac ſtrepitus ob exceſſum, auditum: ſic & iſti ob aſſiduam & immodicam voluptatem ſeſe vaſtant atque corrumpunt, & delectationis vitâ omninò euertuntur.* Et ibidem; *Famulus*, inquit, *profugit ab hero verberante; tu verò non recedis à vino, quod quotidie contundit caput tuum.* Quare profectò in magno errore verſantur ebrioſi, qui voluptatem in ebrietate quærunt; ſiquidem ebrietas non conciliat, ſed arcet voluptatem; ianuam enim voluptati claudit & ſenſum ſopit: & prætereà dolores varioſque gignit morbos. Non dubito, ſi quis dolium vini afferret in forum & cum baculo aſſiſtens, vinum gratis offerret omnibus, eâ tamen lege, vt ſingulos hauſtus ſingulis ictibus compenſaret: non dubito, inquam, paucos fore aut nullos, ſaltem ſenſatos, qui vinum hoc guſtarent. Atqui hoc facit ebrietas, quæ tot ictibus pulſat caput tuum, quot vicibus te ingurgitas & tuis quidem expenſis: cur igitur non ſapis?

G. VI. Homicida eſt.

SEXTÒ. Homicida eſt, quia Eccleſ. 17. dicitur: *propter crapulam multi perierunt: qui autèm abſtinens eſt, adijciet vitam.* Vnde non video quomodo ebrioſus coram Deo ſe excuſaturus ſit, qui immodico potu mortem ſibi accelerauit, vitamque, donum Dei maximum, leui voluptate perdidit. Mundani homines queruntur de aſperioris vitæ religioſis, vti Capucinis & Carthuſianis quaſi inediâ, frigore, aliiſque carnis caſtigationibus ſeipſos enecent & mactent: ſed longè alia res eſt, macerare corpus vt ſpiritus foueatur: & fouere corpus vt ſpiritus opprimatur. Quòd ſi culpa aliqua ſit, nimio pœnitentiæ rigore vitam abbreuiare; quantò maior erit, delitiis ſeſe occidere? Quiſquis ad Aſſuerum non vocatus acceſſerat, certiſſimam eius indignationem & vitæ periculum incurrebat. At qui ebrietate vitam ſibi accidunt, ſeipſos Iudici Deo non vocati ſiſtunt importuno tempore. Meritò igitur timere eius indignationem & periculum damnationis debent; præſertim quia ebrietas non tantùm corporis, ſed & animæ vitam petit. Hoc enim peculiare habet ex omnibus vitiis, quòd hominem incapacem reddit pœnitentiæ & Sacramentorum: alia vitia quandocunque expelli poſſunt vel per vnum contritionis actum, ac proinde hominem in periculo damnationis tam manifeſto non conſtituunt. Et quoties fit, ac quam facilè fieri poteſt, vt ebrij ſuffocentur, occidantur, in flumen cadant, ceruicem frangant, &c. Ergo ſicuti Sedecias Rex offuſſis oculis, cæcus in captiuitatem Babylonicam eſt abductus (4. *Reg. vlt.*) ſic ebrij rapiuntur ad infernum. Quomodo enim ſe defendent, quomodo effugient, cùm mente capti ſint? *Genimina viperarum, quomodo fugietis à Iudicio gehennæ?* ait Dominus *Matth.* 23. Viperæ (ſi Ariſtoteli *lib.* 8. *animal. cap.* 4. credimus) vino capiuntur ebriæ, diſpoſitis eis ad bibendum vaſis: & facillimè quidem, vtpote tunc inertes & inermes. Pari modo ebrij capiuntur à diabolo; parique facilitate. Et quid ſi durante ebrietate è vitâ abripiantur? quorſum ibunt miſeri; ſanè capitulum *Audiuimus*, de reliq. & Vener. ſanct. ait: *Vix pro talibus in ebrietatibus peremptis, Eccleſia permittit orare.* Nemo facilè militi perſuadeat, qui hoſtem aliquem, ſibi inſidiantem metuit, vt gladium ſuum deponat. Gladius, quo contra diabolum nos defendere debemus, ratio eſt, cuius vſu & beneficio conteri de peccatis noſtris & pœnitentiam agere poſſumus: Hoſtis verò noſter ſemper nobis à tergo eſt. Vnde monet S. Petrus in ſua can. epiſt. 1. cap. 5. *Fratres, ſobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Neque verò quis dicat, ſe hoc gladio diſcingi non poſſe, neque inebriari licet fortiter bibat: ſcire ſe ferre vinum, &c. Non enim maior eſt Patriachis illis Noë & Loth, qui à vino ſuperati & decepti fuêre. Iam verò, quæſo te, ſi furibus in domum tuam ingreſſis filius tuus monſtraret & offerret claues omnium ciſtarum vnde tibi maxima damna à furibus inferrentur, quam puero haberes gratiam? Ebrietas hoc facit. Dat enim claues vitiis, quæ miſerè te expolient.

Poſtremò his minatur Deus Ierem. 51. dicens: *In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos vt ſopiantur & dormiant ſomnum ſempiternum & non conſurgant, dicit Dominus.* Ad literam quidem Balthaſari & Chaldæis, quos inter pocula iam ebrios & ſemiſopitos Cyri gladio repentè oppreſſit, vt habetur *Daniel.* 5.

In-

Digitized by Google

Interim tamen alios quoque ebrietati deditos tangit hæc cominatio. Et ipſos enim ſuo tempore, cùm minimè expectant, ſæpe deprehendit inopinata mors & à ſomno ebrietatis ad perpetuum inferni ſomnum abripit. Balthaſari tunc ſcriptum fuit: *mane tekel phares.* Idem iudicium expectat ebrioſum. *Mane*, numerati & ſucciſi ſunt dies vitæ tuæ. *Tekel*, inuentus es minus habens virtutum, quia grauis vino. *Phares*, diuiſum eſt corpus tuum, quod ita ſaginaſti, ab animâ, & datum eſt vermibus in epulum, anima dabitur dæmonibus in ludibrium & tormentum. Quod à nobis auertat Deus.

CONCIO IV.

Cur Germani ad ebrietatem procliuiores ſint, cauſæ.

Prima huius mali cauſa eſt ſocietas compotantium in tabernis.
2. *Mutua prouocatio & propinatio.*
3. *Superiorum conniuentia.*
4. *Illorum & Clericorum malum exemplum.*
5. *Communitas & frequentia huius vitij.*

THEMA.

Manducauerunt & ſaturati ſunt, Matth. 8.

A. FAcilè mihi perſuadeo nullum huic conuiuio Dominico Germanum interfuiſſe, quia audio in Euangelio conuiuas manducaſſe tantùm, non bibiſſe, & tamen ſaturatos eſſe. Quòd ſi Germanus quiſpiam interfuiſſet, non crederetur ſaturatus, niſi etiam alacriter bibiſſet, adeò amicus eſt Germanis potus liberalior: id quod ego mallem tacere, ſi non toti propemodum orbi compertum eſſet. Celebratur paſſim (apud Pontan. & Beyrl. *in apophthegm.*) Germanus quidam, qui cùm ludis publicis, quos inſtituerat Ferdinandus Imperator in nuptiis Hyppolitæ & Alphonſi filij ſui, inter omnis generis homines intereſſet, & ſiccos ludos cerneret, repente vocem efferens clamabat: *Valeant ludi, quibus nemo bibit.* Nimirum ex cantu ſtatim auis cognita fuit, quæ hac voce teſtatum fecit, Germanos eſſe bibaces. Non ergo vos Germani interfuiſtis huic Euangelico conuiuio: alioqui fortè ſimiliter inde diſceſſiſſetis. Seriò, ô conterranei, erubeſcere debemus, quòd penè in toto mundo traducimur vt bibaces, imò vt ebrioſi. Et licet magna pars Germanorum ab hac labe ſit immunis, reliqua tamen, vitio huic obſtricta toti nationi maculam adſpergit. Vnde ſi rectè ſapimus, meritò nobis iraſci debemus, omnemque adhibere curam vt hac notâ nos liberemus. Quod ſi facere velimus, ante omnia radices morbi noſtri cognoſcere debemus: quas ego ex parte oſtendam, &, ni fallor, rem acu tangam.

B. I. *Societas compotantium in tabernis.*

Cauſa huius mali PRIMA eſt ſocietas compotantium in tabernis, vbi alter alterum exemplo & hortatu incitat ad bibendum: qui ſi domi ſuæ biberent, nequaquam eò intemperantiæ procederent. Sunt enim tabernæ Germanorum velut area quædam aucupis, in qua dæmon, velut auceps plurimos congregat & capeat animas vt pæne nulla euadat. Et quemadmodum Circe triuenefica ſuos amatores pellexit in ſuas ædes, poſteaque philtro potatos in varias mutauit beſtias, prout cecinere Poëtæ: ita & dæmon in tabernis transformat homines in beſtias. Ibi enim amicitiæ ſanciuntur & firmantur, ibi fraternitates contrahuntur; quo fit vt ægrè ab inuicem ſeparentur. Vnde dixit Nahum cap. 1. *Sicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur: ſic conuiuium eorum pariter potantium.* Caupones etiam huiuſmodi ſocietates alunt, & quò diutiùs in cauponis deſident compotores, eò ipſis gratiores ſunt. Quòd ſi in priuatis ædibus tales comeſſationes fierent, vt plurimum citiùs abrumperentur; nemo enim paterfamilias libenter è domo ſuâ facit tabernam, nec libenter patitur in ea potatores diutiùs conſidentes, & domum clamoribus inquietantes. Iam verò in Germaniâ tabernæ longè plures ſunt, & frequentantur longè magis à ciuibus & indigenis, quàm in aliis nationibus, vbi hoſpitia non ſunt niſi pro peregrinis. Hanc ob cauſam Claudius Imperator cauponum tabernas, in quas ciues coëuntes potabant, demolitus eſt, Dione lib. 60. teſte. Carolus IX. & Henricus III. Galliæ Reges edicto cauerunt, ne qui cauponariam exercent, aliquem incolarum vel ciuium cuiuſcumque conditionis ſit ad ſe potandi cauſâ reciperent, niſi extraneo vel eo, qui ibi domicilium non habet comitatum, pœnâ arbitrariâ in tranſgreſſores legis ſtatutâ; Cod. Henr. 3. Quod idem obſeruatum memini Auguſtæ Vindelicorum: idque æquiſſimum eſt. Nam in tabernis ciues multò plus abſumunt, vxoribus & liberis ſua abliguriunt, iurgiis, & litibus ſe exponunt, de ſymbolo ſoluendo parum cogitant, liberales vel potiùs profuſi ſunt erga alios, &c.

C. II. *Mutua prouocatio & propinatio.*

SECVNDA. Mutua prouocatio, quæ fit per propinationem. Hanc enim conſuetudinem propinandi & reſpondendi tam religioſè obſeruant Germani, quaſi ſancta quædam lex foret. Imò cùm quis bibit poculum, quod alteri priùs non propinauit, ridetur & dicitur bibiſſe more Heluetico: **Er hat ein Schweitzertrunck gethan**: quaſi verò aliæ nationes præter Heluetiam, nullæ eſſent, quæ propinationibus abſtinerent; cùm veriùs nullis ferè id conſuetum ſit extra Germaniam. Sanè Itali vocem illam **vn brindes** (**Ich bring dirs**) à Germanis mutuati ſunt; & per iocum vſurpant ad confuſionem Germanorum. Fuit quidem hic mos olim, vt opinor, apud Germanos bonus & laudabilis, vt priuſquam biberent, alteri offerrent poculum benedicendum. Quid enim aliud eſt: **Ich bring euch** [illegible] quàm: offero vobis ſcilicet benedicendum? vnde

vnde alter reſpondet: *Deus benedicat.* Nequaquam verò ſignificat; aſſero tibi vt reſpondeas, ſed vt benedicas. Modò autem hic ritus factus eſt irritamentum ebrietatis. Laudandus itaque mos Gallorum, Italorum, aliorumque, qui vel non propinant, vel non tranſmittunt pocula, nec petunt reſponſionem. Sic enim præterquàm quòd vitatur ebrietas, vitatur etiam cura ſuperflua ſe exonerandi nimietate poculorum: vitatur etiam periculum contagij & horroris, quæ interuenire quandoque poſſunt.

Huc accedit mos propinandi in magnatum ſanitatem, & quidem grandiora ac pleniora pocula, quæ nemo audet reſpuere, niſi aliorum odium velit incurrere. Huc ergo omnes nerui intenduntur & quandoque bibitur non ad ebrietatem, ſed etiam ad certam ægritudinem. Quæ autem hæc inſania eſt, bibere ad aliorum ſanitatem, & interim ad propriam animæ & corporis perniciem? Inimicus homo hoc ex-

Stulta eſt. 1. cogitauit. Imprimis enim nónne rideretur, qui tibi in ſalutem Rom. Imp. propinaret ollam plenam pulmento exedendam? Atqui eadem ratio eſt de potu immoderato; cur enim in aliorum honorem & ſanitatem potiùs bibere conuenit quàm edere? Vnde quidam ſollicitatus ad eiuſmodi grande poculum, promiſit ſatisfactionem, ſi viciſſim ei alter reſponderet in deuoratione integri caſei; quod cum is deprecaretur velut ſibi noxium & impoſſibile, tum eodem modo ſe excuſauit alter à po-

2. culo. Altera inſania, quòd tales ob aliorum honorem vltrò ſibi noceant. Refert Illuſtriſſimus Princeps Radziuilus in ſuâ peregrinatione Ieroſolymitanâ, occurriſſe ſibi in Cypro inſulâ, hominem Turcicum velut dementatum, nudum, cultello armatum, & plurimas in corpore cicatrices habentem, qui ſe vltrò obtulit ad lancinandum corpus ſuum cultro, in honorem Imperatoris ſui, ſi nummus Turcicus (**Ein Mandin**) ei porrigeretur. Princeps hanc crudelitatem deteſtatus, rogauit, vt ne ſibi noceret, dans nihilominus pecuniam. Quo facto, inſanus ille ſibi duas ſciſſuras in pectore inflixit, & proprio cruore ſe reſperſit, ita vt horreret Princeps. Et quis, quæſo, non horreat? Iam verò nihilominus, imò longè crudelius quid agunt, qui in gratiam aliorum ſe inebriant, aut grandia pocula cum periculo ebrietatis exhauriunt, quia & corpori & animæ nocent, adeoque proprio pectori duo grauia vulnera infligunt. Tertia eſt, quòd per hoc

3. alteri nihil proſint, æquè ac inſanus ille ſuo Imperatori; nihil enim honoris aut emolumenti propterea aduenit illi, in cuius gratiam bibitur, niſi quòd multoties in cuius gratiam potatum eſt, in eiuſdem gratiam poſteà vomatur. Non eſt honor Principi peccare in illius gratiam, & porcum agere; vnde dubium non eſt prudentibus Principibus id diſplicere. Laudarem etiam talem Principem, qui abuſum eiuſmodi eliminaret, & pias potiùs pro ſe preces Deo offerendas aut ſuperflua pocula

4. pauperibus danda decerneret. Quarta eſt, quòd ei, cui potum tam immoderatum propinamus in ſignum amicitiæ, interim venenum miſcemus, ſeu graue animæ vulnus infligimus. Audiamus S. Auguſtinum *ſerm. 231. de temp. Cùm ebrietatis*, ait, *malum ſit graue vitium & Deo odibile, ita per vniuerſum mundum à pluribus in conſuetudinem miſſum eſt, vt ab illis, qui Dei præcepta cognoſcere volunt, iam nec putetur, nec credatur eſſe peccatum: in tantum vt in conuiuijs ſuis irrideant eos qui minus bibere poſſunt, & per nimiam amicitiam, adiurare homines non erubeſcunt, vt potum amplius accipiant quàm oportet. Qui enim alterum cogit, vt ſe plùs quàm opus eſt, bibendo inebriet, minus malum ei erat, ſi carnē eius vulneraret gladio, quā animam eius per ebrietatem necaret. Certâ bibendi lege contenditur: qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine.* Et ſer. 232. *Excuſatio falſa obijcitur; perſona potens me coëgit, vt amplius bibam.* Sed hortatur, ne obtemperent: martyres potiùs fiant: neque ob hominum viuorum, Angelorum, aut reliquorum ſanctorum nomina bibendum monet.

Quinta ad extremum etiam S. Ioannis benedictio adhibetur, vt ita nullum omninò vacuum relinquatur in corpore, ſed omnia ſint plena veluti cùm dolium cereuiſiâ impletum pulſatur tudite, vt ſubſidente cereuiſiâ, quod ſupereſt vacui, vndique impleatur. Vetus quidem & laudabilis mos eſt bibendi ad amorem S. Ioannis, vel in honorem Angelorum & Sanctorum, cuius moris meminit S. Aug. *ſerm. 232. de temp.* ſed is tandem in abuſum migrauit, dum multi hac quaſi illecebrâ ſe & alios potu ſepeliunt: *ignorantes*, inquit Auguſtinus loc. cit. *quòd nullus tam grauem iniuriam ſanctis Angelis vel ſanctis hominibus agnoſcitur irrogare, quam illi qui in eorum nominibus bibendo per ebrietatem ſuas animas probantur occidere.* Sic ille. Non eſt iſta benedictio S. Angeli aut S. Ioannis, ſed diaboli, qui ſua mancipia ante ſomnum ita benedicit. Et ita mortui ſepeliunt mortuos ſuos. 5.

Tertia. Superiorum conniuentia, qui vitium hoc non puniunt; quo modo alijs locis & olim punitum fuit ac nunc punitur. Sanè *Eſther* 1. de prægrandi illo conuiuio ſcribitur: *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut rex conſtituerat, præponens menſis ſingulos de principibus ſuis vt ſumeret vnuſquiſque quod vellet.* Vnde dubium non eſt, impunem non futurum fuiſſe, qui vel ad ebrietatem biberet, vel ad eandem alios incitaret. Similiter Athenienſes conſtituerunt Oenoptas, qui in conuiuijs obſeruarent, quid quiſque biberet, apud Athen. *l. 10. cap. 7.* Carolus Magnus lege olim vetuit, ne quis alium ad bibendum prouocaret, ebriumque in exercitu aquam impoſterum potare compulit, ipſe temperantiæ pulcherrimum exemplum exiſtens, apud Tymp. in ſpec. Magiſtr. ſigno 54. Pittacus Mitylenēſis, ſeptem ſapientum vnus, ebrios ſi peccauiſſent, duplici pœnâ afficiendos eſſe cenſuit; quia peccant primùm ebrietate, deinde varijs alijs modis, in naturam, in rempub. in ſeipſos. Tertiò, quia ebrietatem ſequuntur varia incommoda D. III. Superiorū conniuentia.

Digitized by Google

commoda & peccata. Quartò, quia reddit homines ineptos ad omnes actiones honeſtas. Dionyſius Syracuſanus, cæteroqui Tyrannus & acerrimus ſcelerum vindex, in odium ebrioſorum, & vt Syracuſanos ab ebrietate infames coërceret, poteſtatem fecit furibus, conuiuantium veſtes clàm auferre. Plut in Apolog. ad Traian. Germaniæ Princeps quidam (ſi Maiolo *in diebus canic. fol.* 753. *vlt. edit.* credimus) gloriantem quòd vno die ceruiſiæ ohmam integram exhaurire poſſet, fidemque dicti ſpectante Principe eiuſque miniſtris facientem, fractâ gulâ laqueo è patibulo iuſſit ſuſpendi, indignum viuere aſſerens eum, qui (tantundem exhauriendo, quantum vix alij viginti) potuum penuriæ auctor facilè foret: Ad hæc Machometi lex eſt, vt ébrius 80. verberibus mulctetur. Tymp. loc. cit. Vnde in hodiernum apud Turcas vel non ſunt, vel comparere non audent ebrij. Illorum Baſſa vnus cùm temulentiam exprobrare nobis vellet, Germanos quos ceperat magno numero milites ita Conſtantinopolim ad Sultani ſui conſpectum introduxit vt publicè per plateas in omnium oculis cachinnis & ludibriis ſpumantia vino vitra manibus geſtarent, vt ſuperiore Conc. vidimus ex Serario in Iudith c. 4. Apud Hiſpanos ebrietas tanto habetur odio, vt ne teſtimonij quidem dictio ei, qui huic vitio vel ſemel obnoxius fuit, permittatur, Ibid. In Italiâ ſi quis fortè ebrius (quod rarò euenit) in publico deprehendatur, exſibilatur à pueris cateruatim accurrentibus, eumque luto impetentibus. Denique SS. Canones iubent tales excommunicari & ab Eccleſia expelli. Quòd ſi igitur gladius hîc produceretur, & ebrietas puniretur, non dubium quin hac infamiâ tandem liberaremur.

Sanè in Auguſtanis Comitiis Anno Domini 1548. titulo, vom iutrincken fol. 57. præcipitur ſeriò Principibus, Patribusfamilias, vt domi popinatione omni abſtineant ipſi, alioſque abſtinere faciant; Parochis item vt eâ de re populum creberrimè in concionibus doceant.

E. IV. Superiorum & clericorum exemplum malum.

QVARTÒ. Superiorum & maximè clericorum malum exemplum, quod quàm efficax ſit ad ſeducendam plebem, nemo eſt qui neſciat. Nam imprimis tales non audent in ebrioſos inuehi, quia confunderent ſeipſos & meritò audirent: *Medice cura teipſum.* Idcircò de hoc vitio altum ſilentium apud ipſos: quibus tamen meritò id exprobrat Dominus per Iſaiam *c.* 56. *Canes muti non valentes latrare.* Secundò, licet illi ebrioſos allatrarent, parùm efficerent; quia exempla multò efficaciora ſunt quàm verba. Si enim quiſpiam in tabernâ potitans & per feneſtram proſpiciens alios dehortaretur ab ingreſſu tabernæ, eò quòd vinum hoſpes aquâ miſcuiſſet & duplici cretâ ſcriberet, &c. putas hunc aliquid ſuâ concione effecturum? An non ſtatim audiret: Quid ergo tu facis inibi? Sic etiam ebrioſus riſu dignus eſſet, ſi alios à tabernis exigeret & ipſe non exiret. Tertiò, quia per eorum exemplum ebrioſi fouent & defendunt ſuam intemperantiam, magnos ſe habere patronos rati, ſi idem in Clericis & Rectoribus ſuis videant: quamquam nihil minus damnationis habebunt ij, ſi cum clericis & ſuperioribus ſuis damnentur. Quare ſi nil aliud deterrere clericos & ſuperiores ab hoc vitio deberet, ſcandalum deberet. Taceo, quòd indigniſſimum ſit Sacerdotibus ore adhuc fœtente aſcendere ad altare Domini. Taceo, quòd temerarium ſit, vino ſepeliri eos, qui cuſtodes ouium Chriſti ſunt & perpetuas pro iis agere excubias debent. Taceo quòd SS. Canones iubent ebrioſos Sacerdotes deponi ab officio & beneficio. c. *à crapula,* de vita & hon. cler. & ex Conc. Laodicenſi, olim non licebat Sacerdoti, niſi ter poculum contingere. *Can. quando 44. diſt.* Taceo alia incommoda & peccata cum clericali ſtatu maximè pugnantia, in quæ præcipitat ebrietas. Id vel vnum ſufficere deberet ad cohibendos clericos, quòd per hoc laqueus fiant ſubditis in ſuam & illorum perditionem. Vtinam attenderent ad id quod *Oſeæ* 5. dicitur: *Audite hoc Sacerdotes & attendite domus Iſraël & domus regis auſcultate: quia vobis iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi & ſicut rete expanſum ſuper Thabor, & victimas declinaſtis in profundum.* Et paulò infrà ſubdit: *In gregibus & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient; ablatus eſt ab eis.* Quia videlicet & ipſi gregem abſtulerunt à Domino, prauo ſuo exemplo.

F. V. Communitas & frequentia huius vitij.

QVINTA. Communitas huius vitij & frequentia. Hinc enim minùs graue videtur vulgo inebriari: ſicut prædari militibus, quia id ipſi communiter ſolent, licet ſciant deprehenſos paſſim ſuſpendi. Multi ſat ſuperque purgatos ſe exiſtimant, ſi dicant ſe non eſſe ſolos, qui huic vitio ſunt obnoxij. Sed iſti vehementer errant, non enim inde ſequitur, minùs graue hoc peccatum eſſe: ſed ipſos cum plurimis (non ſolos) ituros ad infernum; & propterea inferni os dilatandum eſſe, vt plures ſimul deuoret. Hoc omninò eſt, quod dixit Deus per Iſaiam cap. 5. *Væ, qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis.* Et paulò pòſt ſubiungit: *Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino, & deſcendent fortes eius & populus eius & ſublimes glorioſiq; eius ad eum.* Si vnus fur multos prodat complices, non ideo ipſe liberatur; ſed plura patibula eriguntur, vt ſuſpendantur omnes. Quid verò? num leue peccatum eſt ebrietas? Quid ergo ſibi volunt tot *Væ*, ebrioſis interminata à Spiritu ſancto? Præter id ab Eſaia ſcriptum & iam auditum, ibidem rurſum legimus: *Væ; qui potentes eſtis ad bibendum vinum & viri fortes ad miſcendam ebrietatem!* Iterum Prou. 20. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſâ vulnera? cui ſuffoſſio oculorum? nónne his qui commorantur in vino, & ſtudet calicibus epotandis?* Scimus autem in SS. litteris; *Væ*, gehennam ſignificare. Et quid illud Apoſtoli 1. Cor. 6. *Neque ebrioſi regnum Dei poſſi-*

Digitized by Google

poſſidebunt? Num porrò tam inſipientes erimus, vt credamus Deum, ob leue tantùm peccatum homines cœlo excludere & mittere in ignem æternum? Audi, quid Venerand. Beda ſcribat l. 4. hiſt. Angl. c. 15. *Noui ipſe fratrem,* inquit, *quem vtinam non noſcerem, cuius etiam nomen, ſi hoc aliquid prodeſſet, dicere poſſem, poſitum in monaſterio nobili, ſed ignobiliter viuentem. Seruiebat enim multum ebrietati, & cæteris vitæ remiſſioris illecebris. Percuſſus itaque languore, atque ad extrema perductus vocauit fratres & multùm mærens, ac damnato ſimilis cœpit narrare, quia videret inferos apertos, & Satanam immerſum in profundum tartari, Caipham quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum, iuxta eum flammis vltricibus contraditum. In quorum vicinia, inquit, heu miſero mihi locum aſpicio æternæ perditionis eſſe præparatum. Audientes hæc fratres cœperunt exhortari diligenter, vt vel tunc poſitus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Reſpondebat ille deſperans: Non eſt mihi modò tempus vitam emendandi, cùm ipſe viderim iudicium meum iam eſſe completum. Talia dicens ſine viatico ſalutis obijt: & corpus eius in vltimis monaſterij locis humatum: neque aliquis pro eo miſſas facere, vel pſalmos cantare, vel ſaltem orare præſumebat. Factum eſt hoc nuper in prouincia Berniciorum, ac longe lateq; diffamatum multoſq; ad agendam, non differendam ſcelerum ſuorum pœnitudinem prouocauit.* Quæ cùm ita ſint, conemur ô Germani, & pro viribus conemur, vt infamiam nobis aſperſam & toti orbi notam aliquando deleamus. Cur enim hoc non poſſimus, quod aliæ nationes poſſunt & obſeruant, licet vino longè magis abundent quàm Germani? Romani certè gentiles, vt ebrietatem à ſe arcerent, apertis oſtiis cœnabant & bibebant, vt ita pudoris & modeſtiæ perpetuò memores eſſent. Adhæc laneis & lineis cingulis tempora & frontem cingebant, dum biberent; ne vapores caput obruerent & perturbarent. Item caluariam hominis verſatilem inter epulas apponebant, vt morituros ſe cogitarent, apud Aut. antiquit. Rom. lib. 5. c. 28. Faciamus hæc etiam nos Chriſtiani, ne ab Ethnicis ſuperemur. Bibamus ita imprimis, vt Deum nouerimus inſpectorem, nec non honeſtos viros, quibus vitium hoc valde diſplicet. Deinde cingamus tempora vinculo temperantiæ: aſſueſcamus ſobrietati. Denique memores ſimus mortis, quòd videlicet non ſolùm improuiſa adueniat ebrioſis & potatoribus, ſed plerumque etiam immatura. Per vulgatus ille potator, qui propter *Eſt*, *Eſt*, *Eſt*, in Italia mortuus eſt, (vtinam non dicendum damnatus eſt) multos habet ſocios. Plures occidit crapula quàm gladius. Mortem igitur cogitemus & inferni puteum, qui paratus eſt ebrioſis. *Quicumque ebrioſus*, inquit S. Auguſt. ſerm. 231. de temp. *pœnitentiam de ipſâ* (ebrietate) *non egerit, ſed vſque ad mortem ſuam in ipſa ebrietate permanſerit, in æternum profectò peribit.*

CONCIO X.

Mundi amatores nunquam ſatiari, oſtenditur.

Proponitur primò inſatiabilis fames ſuperborum.
2. *Auarorum.*
3. *Luxurioſorum.*
4. *Iracundorum.*
5. *Inuidorum.*
6. *Guloſorum.*

THEMA.

Vnde iſtos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine? Marci 8.

SAnctus Bernardus in declamatione ſuper id: *Ecce nos relinquimus omnia*; declaraturus quàm inſatiabilis ſit fames mundi amatorum, ita ſcribit: *Vidi ego aliquando quinque viros, quid ni phreneticos arbitrer? Primus ſiquidem bucca marinam maſticabat arenam. Secundus ſulphureo aſtans lacus exhalantem teterrimum fœtidiſſimumq; geſtiebat haurire vaporem. Porrò tertius fornaci incubans vehementer accenſa, micantes ſcintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur. Quartus ſupra pinnaculum templi reſidens leuioris auræ ſpiritum aperto attrahebat ore: & ſi quo minus influere videretur, flabello ſibi ventum ipſe ciebat, ac ſi totum ſperaret aërem deglutire. Quintus ſeorſim poſitus ridebat cæteros, ipſe quoque ridendus & maximè; proprias enim carnes incredibili quodam ſtudio ſugere laborabat: nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miſeratus homines cauſamq; miſeriæ ſciſcitatus à ſingulis, vnam omnibus eſſe reperio, validiſſimam vtique famem. Tunc verò macilentiſſimas eorum facies contemplatus recordabar prophetæ gementis miſerabiliter & dicentis: Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meũ. Quid hæc vobis, inquio, proſunt? non ſunt naturales cibi, magis famẽ hæc prouocant quàm extinguant. Panis namque animæ Iuſtitia eſt; & ſoli beati, qui eſuriunt illam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt: capacem Dei, quidquid minus eſt; non implebit.* A. *Fames amatorum mundi.* Hæc Bernard. qui hac deſcriptione quid velit, non eſt difficile inueſtigare. Mundum enim, qui hoſtis Chriſti eſt, vult eſſe eſurientium hominum congregationem inſatiabili fame temporalia & peritura bona appetentium & ſimul virorum bonorum ſpiritualium & æternorum nauſeâ laborantium. Nihil enim comedunt quod ſatiare eos poſſit, ac proinde omnes fame cruciantur & pereunt. Quos enim putas marinam maſticare arenam, niſi auaros? Quos ſulphureum haurire vaporem, niſi luxurioſos? quoſnam ſcintillas ex ardenti fornace excipere, niſi iracundos? quos in alto collocatos auram attrahere, niſi ſuperbos & ambitioſos? quos denique proprias carnes ſugere, niſi inuidos, nec non etiam gulæ deditos? Atque hæc eſt infœlix illa regio, in quam incidit filius prodigus, cùm è paterna domo diſceſſit,

Digitized by Google

diſceſſit, de quá Dominus Luc. 15. ait: *Facta eſt autem fames valida in regione illâ, & ipſe cœpit egere. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* De quá eadem regione intelligere poſſumus myſtico ſenſu, quod in hodierno Euangelio diſcipuli dixerunt Chriſto: *Vnde iſtos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?* q.d. tam famelicos, qui iam triduo tolerant famem, quis hos in loco tam ſolitario & ſterili queat ſaturare panibus? Similiter quis mundi amatores inſatiabiles poterit ſaturare in mundi ſolitudine tam ſterili? ſat ſcio tamen hanc doctrinam plurimos non capere, nec credere, quippe qui ſibi perſuadeant, nihil ſibi defore ad ſatietatem, ſi quæ deſiderant mundi bona, habere poſſent. Quorum errorem hic oſtendam.

B. I. Non ſatiantur ſuperbi.

Superbi, PRIMÒ auram attrahunt & flabello in os impellunt ſupra templi pinnaculum. Pinnaculum enim templi, in quo etiam ipſum Dominum ſtatuit Sathanas, dignitatum excelſas deſignat ſedes in quibus conſtitutus ambitioſus & ſuperbus auram vani honoris attrahit & ſibimet violenter ingerit, dum varios modos quærit, quibus ampliores honores acquirat, hominibus placeat, famam ſuam & nomen celebret, &c. Honor verò iſte, quid, quæſo, niſi leuis aura & tenuiſſimus quidam fumus, qui honoratum afflat? ſi quid enim in honore boni ac ſolidi eſt, in honorante eſt, non in honorato. Vnde de ſuperbo dici poteſt id Oſe. 12. *Ephraim paſcit ventum*, id eſt, paſcitur vento. Valdè ergò ſpiritualis ſit neceſſe eſt, qui hoc paſtu ſatiari poteſt: quemadmodum ſuperbiſſimus ille Medicus Menecrates, qui ſe Deum appellare & diuinitatem affectare non erubuit; cui proinde Philippus Macedoniæ Rex ſoli ad menſam editiorem ſeparatam adhibito acerram & ſuffitum appoſuit, velut Deo ſcilicet, qui ſolo thure paſceretur; reliquis cum rege ſplendidè epulantibus & Iouem famelicum ridentibus. Vnde is poſteà indignabundus ſe proripuit. Ælian. l. 12. c. 51. Sic meritò ſunt ridendi, qui diu noctuque cogitant & laborant, quomodo ad altiores gradus aſcendant, quomodo hominibus placeant & mundo celebres fiant; cùm inanis aura ſit eiuſmodi gloria & fama, quæ inſtar venti ſolùm diſtendit & inflat, nequaquam verò implet. Hinc fit vt nullo gradu contentus ſit ambitioſus, nullo honore & ſplendore ſuperbus. Qui ſignifer eſt, conatur fieri Dux; qui Dux, ambit ſupremum belli Ducatum, &c. Sic & ſuperbi in veſtitu nullis veſtium formis acquieſcunt, ſed nouas indies quærunt & excogitant. Maximo loco apud Aſſuerum erat Aman, ſecundus ſcilicet à Rege. Conuocauit hic ad ſe amicos ſuos & Zares vxorem ſuam, & expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum filiorumque turbam & quantâ eum gloriâ ſuper omnes principes & ſeruos ſuos Rex eleuaſſet. Interim tamen: *Et cùm hæc omnia habeam*, inquit, *nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum ſedentẽ ante fores regias*, (qui ſcilicet ſolus honorem ei non exhibebat) *Eſth.* 5. Ecce ſuperbia non ſatiatur, quamdiu vel vnus homo ei honorem non defert. Alexander M. cùm totum penè orbem ſubegiſſet, vbi audiuit à Philoſophis plures adhuc ſupereſſe mundos, illachrymaſſe dicitur, quòd needum vno eſſet potitus. Maxim. l. 8. Cuius ambitionem ſecutus Iulius Cæſar cùm vidiſſet imaginem Alexandri iuuenis, qui intra 33. annos, quibus vixit, tanta feciſſet, ingemuit, quòd ipſe ea ætate, quá Alexander Aſiam pæne totam ſubegerat, nihil adhuc præclari agere cœpiſſet. Fulgoſ. l. 8. Qui ipſe nullâ dignitate contentus fuit: poſtquam enim Cenſuram adeptus eſt, cognomen Patris patriæ (quod primus ante eum Cicero meruit) affectauit. Quo obtento ſtatuam ſuam inter reges locare contendit. Et hoc obtento ſellam auream in curia poſuit. Vlteriùs progreſſus Dictatoris perpetui nomen (quod ante eum nullus) obtinuit. Nec his contentus, eò arrogantiæ proceſſit, vt ſingula verba ſua pro ſingulis legibus haberi voluerit: tandemque cùm omnia humanarum dignitatum faſtigia ſuperaſſet, etiam diuinos ſibi honores fieri voluit. Sed ad extremum ob hanc inſolentiam à conſpirantibus in eum plusquam 60. Senatoribus confoſſus eſt tribus & viginti vulneribus. Atque ita verum eſt quod ait Pſal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*, id eſt, nullo gradu contenta eſt, ſed ſemper aſcenſum quærit, inſtar ignis videlicet. Sic enim Prou. 30 *Ignis nunquam dicit: ſufficit*; quia ſemper ſurſum petit. Ad extremum tamen grauiter impingit & cadit.

Deniquè licet quæſitum & optatum aſſequaris honoris gradum adhuc tamen plurima tibi deerunt alia; veluti iuuentus, ſanitas, opes, amici, quies, forma corporis, vxor, filij &c. ſicut cùm quis de hyemis rigore conquerens optat æſtatem, in quâ tamen inuenit Solis æſtum. Quin etiam deceptos ſe animaduertunt, & proſperatis delitiis curas, pericula, timores, inſidias, labores & mille moleſtias in ſummis honoribus deprehendunt. Sunt enim imperia & dignitatum culmina inſtar illius aurei pomi, quod Fenella Kennetho regi Scotorum porrexit ita fabrefactum, vt quicunque id tetigiſſet, ſtatim multis telis è pomo proſilientibus transfigeretur: quo & regem occidit, teſte Cardano l. 12. de rer. var. c. 58. Quid nì huiuſmodi pomum dixerit aliquis pomum Imperiale aureum, mille curarum telis armatum? Quàm multi enim Imperatores eo confecti & enecti ſunt? Vnde illi duo Imperatoris aulici apud S. Auguſt. *in confeſſ. lib.* 8. *cap.* 6. cùm legere & ſuſpicere cœpiſſent vitam S. Antonij, prudenter ſibi conſuluerunt, dicente vno: *Dic, quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus peruenire? Quid quærimus? cuius rei causâ militamus? Maiórne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm vt amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile plenumq́; periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu iſtud erit? Amicus autem Dei, ſi voluero, ecce nunc fio.* Sicque ſtatuit mox ſeruire Deo.

C. II. Non auari.

Secvndò, Auari maſticant arenam maris, id eſt,aurum,ambabus buccis; nec tamen inde ſatiantur magis quàm ſi arenam ederent. Rectè comparatur aurum arenæ; nam multis in locis arena maris fert aurum, vt & Tagi fluuij, &c. Auaritia verò facit vt aurum auaris non magis proſit & ſitim extinguat quàm arena, quia non id audent expendere ad vſus neceſſarios & laudabiles. Quod exemplo Petrarcha illuſtrat l. 2. de remed. vtriuſque fort. c. 14. Pater quidam filio, cui familiam tradiderat,tenaciſſimo,Romam abeunti arcas nummorum cuſtodes (quas filius diligentiſſimè obſerauerat) aperuit & pro nummis arenam ſubſtituit, indeque ſe & filios egregiè veſtiuit, adhæc in famulos fuit munificus & quæcunque ad honeſtum vſum familiæ erant neceſſaria comparauit, & multa denique in pauperes contulit. Rediens filius mirari cœpit in domeſticis veſtium elegantiam, nihilque priùs habuit quàm explorare, eſſetne de theſauro aliquid delibatum. Multò magis obſtupuit & vociferari cœpit, cùm loculis arenam ſenſit ſuppoſitam. Accurrit pater rem geſtam diſſimulans & ait: Heu quid tibi eſt,fili mi?quæ tantæ cauſa perturbationis: O pater, reſpondit ille, in domo tuâ amiſi omnia. Et pater: Quomodo omnia? nónne inflata cernis marſupia? Tum filius: Eſt tantùm arena. Quàm rectè, ſubintulit pater,ſi ita res habet, non eſt vnde queriteris, quia non plus tibi otioſa & putreſcens pecunia proderat, quàm arena. Diſce miſer honeſtè vti rebus tuis, nec ita deſipere, quod experti ſumus omnes, vt quò locupletior, eò fias ſordidior. Iuſto Dei iudicio factum noueris quod experiris, & factum gaudeo vt damno tuo ſapias & hæredem te habeam liberalitatis potiùs cæterarumque virtutum, quàm pecuniæ. Quando ergò auari non aliter poſſident aurum, quàm arenam, conſtat eos auro non plus ſaturari poſſe, quàm arenâ: quia opibus ſuis non vtuntur, ieiunant vt parcant pecuniæ, &c. quomodo enim quis ſaturetur cibo, quem non comedit? re, quâ non fruitur?

Deinde appetitus auaritiæ eſt inſatiabilis, & augmento pecuniæ augetur, quia *creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit*; veluti ſi oleum igni adiiciatur, non modò eum non extinguet, ſed magis accendet. Vnde S. Chryſoſt. *hom.* 21. *in Matth.* ait: *Quemadmodum ignis, additâ materiâ magis effertur: ſic pecuniarum cupiditas adiectione auri magis extollitur.* Et *hom.* 77. *in Matth.* de hac eâdem re loquens, ait: *Cur perforato aquam dolio ingeris?* Conformiter S. Gregor. Nyſſen. in orat. funeb. de Placillâ, dicens: *Quid eſt pecuniæ ſtudium? an non verè dolium perforatum toto fundo profluens, cui ſi vel totum mare affundas, ea natura eſt, vt expleri non poſſit? Quam rem ſignificare mihi videtur diues ille, qui in medijs flammis ſiti æſtuabat, ita vt vel guttam aquæ petiiſſe narretur.* Hæc Nyſſen. Exemplum aliud in Dario, qui licet eſſet ditiſſimus, cùm tamen in ſepulchro Semiramidis legiſſet, theſaurum ibi reconditum, ſub hac inſcriptione: *Quicunque rex pecunijs indiguerit, patefacto hoc monumento, quod voluerit accipito*; tumulum aperuit, auro inhians: ſed nihil aliud reperit quàm ſcripturam eiuſmodi: *Niſi malus vir eſſes & nummis inſatiabilis, cadauerum loculos non moueres.* Patet res exemplo plurimorum, qui licet opulenti ſint, nihilominus ad extremum vſque ſenium pecunijs inhiant, mercimonia exercent, nihil de morte eiuſque præparatione inſtituendâ ſoliciti. Imò in ipſo mortis articulo perſuaderi nequeunt, vt aliquid elargiantur pro ſalute ſuâ. Signum ergò eſt, eos nequaquam ſaturatos eſſe diuitiis, ſed adhuc eſurire. Quod etiam Dauid dixit Pſ. 33. *Diuites eguerunt & eſurierunt; inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* In Hebr. habetur, *leones eguerunt*, &c. q. d. licet vt leones etiam aliena rapiant, non tamen ſatiabuntur, ſed eſurient. Ratio, quia hominum appetitus eſt appetitus leonum & quodammodo inſatiabilis, quia infinitus. Soli ergò, qui Dominum quærunt, vtpote infinitum bonum, ſatiari poſſunt. Vnde auari quantumuis abundant & lucrentur, ſemper conqueruntur & dolent de expenſis, quemadmodum Florentinus quidam nobilis totâ vitâ auariſſimus; qui moriens dixit: *O me miſerum! quantas pecunias conſumpſi in hac meâ ægritudine!* An non meritò huic dici potuiſſet: *Stulte*, iam *repetent à te animam: & quæ paraſti cuius erunt?* Adhæc pecuniæ non ingrediuntur locum famis nec applicantur appetitui; vnde ſaturare eum nequeunt: ſicut cùm ſitienti affunditur aqua in manus, non inde ſitis extinguitur. M. Craſſo auariſſimo & Parthorum opibus inhianti, capto & occiſo Parthi aurum liquefactum infuderunt, dicentes; *Aurum ſitiſti, aurum bibe:* apud Maiol. *to.* 4. *Canic. coll.* 4. Tunc ergò ſatiabuntur demum auari, cùm aurum liquefactum bibent in inferno.

Denique licet opibus affluat & contentus ſit auarus, aliis tamen plurimis rebus eget, earumque ſiti premitur, quas opibus comparare ſibi nequit. Nequit enim vitam ſibi prorogare, ſanitatem emere, bonum nomen comparare, ſed potiùs malè audit, tanquam ſeruus opum ſuarum: multò minùs iis cœlum ſibi emet, niſi eroget in pauperes. Sic Clothario Regi Franciæ, decumbenti ad mortem prolatus in conſpectum theſaurus non potuit vitam vel ad horam prorogare, vt alibi diximus.

D. III. Non luxurioſi.

Tertiò, Luxurioſi, fœtidiſſimum vaporem hauriunt è ſulphureo lacu? quid enim illud, quo aluntur & delectantur, niſi fœtor & turpitudo, quæ ab omnium oculis ipſaque ſolis luce abſconditur & ab ore pudico nec nominari fas eſt? Hic nimirum cibus deſignatur, ſecundum Euthymium, per ſiliquas illas porcis proiectas, quibus ſaturari cupiebat prodigus, *Luc.* 15. voluptates ſcilicet; eiuſmodi enim decebat illum cibus, quali priùs fruebatur voluptate. Diſſipauit autem ſubſtantiam ſuam cum meretricibus; meritò igitur poſtea eſurit porcorum cibum. *Siliquæ*, inquit Euthymius, *ad breue ſpatium guſtui dulceſcunt, dein-*

de

Digitized by Google

de vt plurimum conſtringant. Secundum Ambroſium ſuper Luc. folliculi ſunt leguminum, intùs inanes, foris molles, quibus venter non ſatiatur, ſed impletur & grauatur. Et tales omnino ſunt ſpurcæ voluptates, foris quidem blandæ, intùs verò vacuæ & quæ appetitum non ſatiant, ſed accendunt: & licet ad breue ſpatium delectent, poſteà tamen cruciant. Hinc Cicero *lib. 6. de rep.* ait: *Graues dominæ, cogitationum libidines, infinita quadam cogunt atque imperant, quæ expleri atque exſaturari nullo modo poſſunt.* Patet exemplo Sardanapoli Aſſyriorum regis, qui inter pellices & ſcorta fœminam mentitus, purpuram colo neuit & penſa puellis partitus fuit, vt ſcribit Fulgoſ. lib. 9. cap. 1. Ita nimirum inexplebili æſtuabat ſiti, vt ſe ad tam indigna abiecerit. Vnde vſu & exercitio turpium actuum, aſpectuum, verborum & cogitationum, non modò non ſatiatur, verùm accenditur magis ignis concupiſcentiæ. Impletur quidem venter ſiliquis, non tamen ſatiatur: ſic libidinoſus eneruatur quidem & viribus fornicandi tandem deſtituitur, non tamen deſiderio & ſiti. Vnde Hieron. in Oſeæ cap. 4. ait: *Vires in fornicatione deficiunt, & fornicandi deſiderium non quieſcit.* Salomon certè cùm haberet initio vnam vel paucas vxores, poſteà quaſi reginas 700. concubinas 300. habuit. Similiter multi alij reges, vt Dagobertus Franciæ Rex, qui plurimas habuit concubinas; quia nullis ſatiabatur.

2. Denique ſicut prodigus cupiebat implere ventrem ſuum ſiliquis, quantumuis inanibus, nemo tamen dabat: ſic etiam voluptuarius rarò aſſequitur, quod deſiderat & mille modis & artibus quærit. Non enim obtinet, quas concupiſcit mulierculas, nec earum colloquium, aſpectum, voluntatem ſemper; quamuis iſta perpetuò meditetur & quærat. Quare de illis optimè dici poteſt id Pſal. 58. *Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Vt enim canes famelici in ciuitate & extrà vndique circumeunt & oſſa ac cadauera quærunt, ea tamen rarò nec ſine verberibus aſſequuntur: ita & libidinoſi vndique oculos circumferunt & pedes, quæruntque ſordes famí ſuæ: interim ſæpe in vanum diſcurrunt & plerumque repulſam patiuntur; vix tandem abiectiſſimo quopiam ſcorto potiuntur. Atque ita Tantali plagam experiuntur, cuius os fugiebant aquæ & poma, cùm ea apprehendere conabatur.

E. IV. Non iracundi. 1. QVARTÒ, Iracundi ſcintillas ex ardenti hauriunt fornace, cùm irâ æſtuant & vindictæ appetitu. Ipſi enim ex inflammato corde velut igneâ fornace flammas quodammodò emittunt, iracundiæ, blaſphemiæ, contumeliæ, verberum, cædis, &c. iiſdemque quaſi pabulo ſitim extinguere ſuam conantur, ſed fruſtrà; quomodo enim tu curabis vulnus tuum, quod ab inimico accepiſti, infligendo ei aliud vulnus? quomodo contumeliam acceptam, obiiciendo ei viciſſim contumeliam? quomodo damnum agri tui reſarcies, vaſtando alterius agrum? Certè ſi fueris ab aliquo mutilatus, ſemper mutilus eris, ſiue eumdem tu quoque mutiles, ſiue non.

Deinde vel vulnerabis vel vulneraberis, damnum dabis vel accipies, occides vel occideris. Si primum, iam te reum conſtituiſti & gladium vindictæ capiti tuo imminentem perpetuò cernes. Si ſecundum, quomodo ſitim tuam extinxiſti, qui occidere vel vulnerare parabas, & ipſe occiſus vel vulneratus es? 2.

Denique vindictæ cupidi, perpetuò ſanguinem ſitiunt & inimicos ad vltionem quærunt, inſtar Baſiliſci, qui læſus vel venenum alicui immittit, vel præ rabie exanimatur; teſte Pierio l. 14. Vnde non niſi vel hoſtili, vel proprio ſanguine ſatiari poteſt aut vult. Quare Scytharum Regina Tomyris deuicto Cyro, qui regni Scythici cupiditate contra eam mouerat exercitum & magnam cladem fecerat, caput auferri & in vtrem ſanguine plenum immitti mandauit, dicens: *ſatiare ſanguine quem ſitiſti.* Guido exempl. lib.

QVINTÒ, Inuidi propria depaſcunt membra, quia cùm aſpiciunt aliorum bona & proſperitates, inde tabeſcunt & ſeipſos conficiunt. *Sicut ærugo ferrum,* ait Auguſt. ſer. 83. de temp. *ita inuidia ipſam animam in quâ eſt, interimit & conſumit.* Et vt Sapiens ait Eccleſiaſt. 4. *ſtultus comedit carnes ſuas.* Inuidus videlicet, vt exponit Thaumaturgus, qui, vt idem ait, nihil aliud habet quàm quòd animam ſuam exedit & diſſecat, ſimulque cum corpore abſumit. Ratio eſt, quia inuidus tantùm eget, quantùm alius abundat; & licet alter egeat, non ideò tamen abundat ipſe, atque ita perpetuò famelicus manet. Porrò inuidus ſemper exiſtimat alios abundare, ſe verò egere, iuxta verſum illum tritum: *Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris, Vicinumq́; pecus grandius vber habet.* Vnde ſequitur, inuidum ſemper egere & fameſcere F. V. Non inuidi. 1.

Rurſum: Inuidus, ſi quando optata fruitur delectatione & ſaturatur, non aliter ſaturatur, aut delectatur, niſi quia alius eget, vel patitur. Qualis autem iſta ſatietas, quæ ex alienâ egeſtate paratur? qualis illa delectatio, quæ ex alienâ triſtitiâ? num cæcus inuidens videnti viſum accipiet, vel oculos videntis, ſi ei eruantur. 2.

Cæterùm carnes etiam ſuas deuorant guloſi & ebrioſi. Cibi enim & potus nimia & frequenti ingurgitatione, ſtomachum cruditatibus replent, vnde morbi generantur; hepar incendunt, vnde perpetuâ ſiti æſtuant & quaſi languente phtiſi conſumuntur. Et quemadmodum Polypus flagellum ſuum, teſte Pierio l. 27. hierogl. ſic hi vires & vitam propriam truncant. Vnde M. Tullius, pro Cælio, ait: *Vitium ventris & gutturis non ſolùm minuit ætatem hominibus, ſed etiam aufert.* Quis verò dicat iſtos ſatiari? Comedunt vt vomant, vomunt vt comedant, atque ita in circuitu ambulant, ſicut heluo animal voraciſſimũ, quod vbi infercit ventrem inter anguſtias duarum arborum ſubintrans conſtringit ventrem vt G. VI. Non guloſi.

ruſum comedere poſſit, teſte Pererio in Geneſin. Ventris ergò capacitas eos deficit, non cupiditas. Vt enim rota quæ ex vnâ parte aquam vehit, ex altera ruſum mox effundit, nunquam conſiſtit, ſed mox iterum aquam haurit: ſic venter illorum, quia quod accepit, mox digerit & eiicit. Vel vt terra non ſatiatur aquâ: (quod ait Sapiens Prou. 30.) Sic etiam guloſus, quia mox iterum areſcit. Tametſi enim ſæpiùs inebrietur, non tamen id aſſequitur, quod intendit, delectationem ſcilicet & ſatietatem: pro delectatione moleſtiam & dolorem corpori adducit; pro ſaturitate, nouam & ardentiorem ſitim. Vnde Medicus quidam de ebrioſo nobili mortuo dicebat: cum nimiâ fame & ſiti enectum eſſe, eò quòd numquam viſus ſit adeò eſitaſſe ac potaſſe, quin plus eſuriret ac ſitiret. Igitur ſicut aqua marina potata, non extinguit ſitim, ſed accendit: ſic ebrietatis ſtudium. Vnde *Prou.* 23. dicit ebrius: *Quando euigilabo, & rurſus vina reperiam?* Audi & Senecam epiſt. 73. *Vidiſti aliquando canem immiſſa à Domino fruſta panis aut carnis aperto ore captantem? quidquid excipit, protinus integrum deuorat & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idē euenit nobis, quid expectantibus fortuna proiicit, id ſine vlla voluptate demittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti.* Sic ille. Inde optârat ſibi Philoxenus illi collum inſtar gruis longum, quo diutiùs cibi & potus ſuauitatem poſſet perſentiſcere. Textor in offic. Et Georgius Clarentiæ Comes ab Eduardo IV, Angliæ rege ob ſuſpicionem affectati regni mortem eligere iuſſus, in vini maluatici dolio margi voluit. Ex critice
2. Chriſtiana de ritu bib. ſuper ſan. princ. lib. 1. Anguntur etiam iſti & dolent, dum cogitant interim tempus elabi inter conuiuandum, moxque finem deliciarum fore. Quo aduentante inuiti ſurgunt ægrè ſeparantur: & quid inde referunt? ſomnium putant fuiſſe ſuum conuiuium & lætitiam. Tandem diues ille E-
3. pulo, ſitim quam viuens habebat, ad infernum vſque ſecum detulit, vt ibidem etiam ſitiret in flammâ, & ob id vel aquæ guttulam peteret, qui in hac vitâ epulabatur quotidie ſplendidè. Quæ cùm ita ſint, quis non deteſtetur mundi menſam & conuiuia, quæ famem non pellunt, ſed afferunt & augent? Verè? *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu*, ait Eccleſ. 1. ſic nec animus hominis pictis & vmbraticis mundi epulis. Et Dominus Ioan. 4. *Omnis qui biberit ex hac aquâ, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aquâ quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Quare* ergò *appenditis argentum non in panibus? & laborem veſtrū non in ſaturitate?* ait Iſa. 55. Quis vos ita faſcinauit, vt tam dura ſeruitia mundo exhibeatis, qui tamen inediâ vos affligit & nunquam ſatiat? Quare non pro mundi panibus quæritis panem cœleſtem? Et miramur adhuc, ſi Deus flagellare nos non ceſſet, cùm nos perpetuâ & inſatiabili ſiti appetamus noxia & illicita? Quæramus ergò panem cœleſtem, quæramus iuſtitiam & virtutes, quæramus Deum, qui ſolus nos ſatiare poteſt: iuxta id Pſal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Ibi duntaxat eſt aqua illa, quæ extinguit ſitim: ibi inuenitur *Bethſabee*, id eſt, puteus ſaturitatis, *Geneſ.* 26.

CONCIO VI.

Pauperes inſtruuntur.

1. *Hortatur eos Auctor ad patientiam eiſq́ præbet ſolatia.*
2. *Vt ſint cùm Ieſu, eiuſq́ verbum libenter audiant.*
3. *Sint laborioſi, non dediti otio.*
4. *Confidant in Deo.*
5. *Sint humiles.*
6. *Sint contenti iis quæ dantur.*
7. *Sint grati Deo & benefactoribus.*

THEMA.

Ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. *Marci* 8.

Cogitanti mihi pauperum calamitatem & penuriam, tria in mentem veniunt. De primo nullus dubito, de ſecundo bene ſpero, de tertio valdè dubito. A. Primò, nullus dubito, quin Deus & Dominus noſter de cœlo intueatur eorum calamitatem & tantam vndique eſurientium turbam cum commiſeratione, dicatque rurſum: *Miſereor ſuper turbam.* Secundò, bene ſpero, tandem aperturum eum manum ſuam, & impleturum omne animal ſuâ benedictione, vt dicere poſſimus: *Comederunt & ſaturati ſunt.* De tertio verè dubito, vtrum tales ſeſe exhibeant, vt digni ſint diuinâ beneficentiâ. In hodierno Euangelio porrexerunt aliqui Chriſto ſeptem panes, & ille pro iis reddidit aliquot millia. Ergò ſi etiam pauperes alij offerrent Deo ſeptem panes, ſpirituales ſaltem, centuplum vtique reciperent: Quinam verò ſint iſti pauperes, audiemus.

Primò, Sint patientes. Hebræi in Euangelio triduo ſuſtinuerunt Dominum concio- B.
nantem, cùm interim tamen ſcirent ſe non 1. Sint patientes.
habere quod manducarent. Nimirum *non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* Vultin' ô pauperes, eiuſmodi verba audire, quæ famem ſedare queant? Audite pauca. Primum: *Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis* (perſecutionis) *meæ, abſynthij & fellis*, Ierem. 3. Habetis magnum Ducem ve- V. *Solatia pauperis.*
ſtræ paupertatis, Chriſtum Dei filium, qui pauper eſſe voluit, & ideò diſcipulo cuidam ſequi ſe volēti, dixit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Sed neque domum propriā habuit, qui in alienâ comedit agnum paſchalem. Non es Chriſto pauperior, cui pro lecto crux, pro cibo fel, pro potu acetum, pro cupediis probra, pro amictu nuditas, pro domo communis aër fuit. Æneas Princeps, vbi audiuit Alcidem pro Deo habitum, non horruiſſe ingredi miſerum Euandri hoſpitium, mox eò ipſe quoque pedem intulit; (Virgil.

l.8. Æneid.) quantò magis te decet Chriſti veri Dei viam ſequi; & cum eo paupertatem libenter pati? ingredi poſt eum in ſtabulum & crucem, quò præiſſe eum vides? Deinde multos ac magnos habetis ſocios & veſtræ congregationis fratres, Petrum alioſque Chriſti Apoſtolos. Audi claudo dicentem: *Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula*, Act. 3. Audi Paulum: *Vſque enim in hanc horam & eſurimus & ſitimus & nudi ſumus*, 1. Cor. 4. Horum tempore paupertatem coluerunt primi Chriſtiani, qui bonis ſe abdicarunt, & de communi vixerunt. Poſt hos alij Chriſtiani ſub Conſtantino M. quorum incentor erat S. Antonius. Tùm S. Hieronymi tempore multi alij & inprimis nobiles Romani, qui pauperē Chriſtum ſecuti ad præſepe eius ſe contulerunt.

2. Secundum, *Beati pauperes, quoniam veſtrum eſt regnum Dei*, Luc. 6. Beati primò, quia cùm in hac vitâ non fruantur bonis, expectare ea poſſunt in futurâ. Vnde dicit Dominus Lazarum habere ibi ſolatium, quia hic recepit mala. Secundò, quia certiore & ſecuriore via ambulant ad cœleſte illud regnum. Tertiò, quia magnum eſt paupertatis meritum, ſi æquanimiter toleretur. Ideò enim Dauid ait Pſal. 9. *Patientia pauperum non peribit in finem.* Vnde promittitur illis eadem merces, quæ martyribus, regnum ſcilicet cœlorum; quia, vt ait S. Bernardus, *paupertas eſt quoddam martyrij genus.*

3. Tertium, *Omnem palmitem in me ferentem fructum, purgauit eum, vt fructum plus afferat.* Palmites eſtis per fidem & charitatem, vt benè ſpero, Chriſto viti inhærentes. Sed quoniam tempore proſperitatis & abundantiæ, multi ob humoris & pinguedinis copiam luxuriabant, erumpendo in ſurculos vitiorum, & non in fructus bonos; ideò Dominus venit ad eos cum falce paupertatis & putauit ramos, præſcindendo luxum cibo, potu, veſtitu. Audi Iſa. c. 18. *Ante meſſem totus effloruit* (id eſt, in flore luxuriauit) *& immatura perfectio germinabit* (id eſt, immaturi ſurculi germinabunt, ſed non dabunt fructus) *& præcidentur ramuſculi eius falcibus.* Longè maius eſt diuitiarum periculum, quàm inopiæ. Ideò diuitias vocat Dominus *ſpinas*, quia difficulter ſine læſione tractantur.

Adhæc purgantur pauperes per egeſtatem ſuam non à vitiis ſolùm, ſed etiam à pœnis, quas aliàs Deo debent. Vnde habent hîc ſuum purgatorium, quàm breue ac leue, ſi cum illo altero comparetur!

4. Quartum, *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo*, ait Dominus *Luc.* 12. Quia ergò pauperem parum acceperunt ſibi diſpenſandum, parum exigetur ab illis. Hinc magnates in articulo mortis optant ſe fuiſſe pauperes. Exemplo ſunt Carolus Rex Siciliæ, qui moriens dixit; *O vanas hominum cogitationes! quid mihi iam regnum prodeſt? quàm præſtaret iam pauperem fuiſſe, non regem?* Corn. à Lapide in vlt. cap. Gen. Et Ioannes Aragonum Rex, qui moriens exclamauit: *O felicem pauperem conditionem, & illorum ſecuram vitam atque beatam, qui panem comedunt cum ſudore ſui vultûs, qui viuunt labore manuum ſuarum! Nam mihi miſero, quid regnum, quid honores, quid obſequia plurimorum contulerunt? Quid? labores ſcilicet magnos, & multa corporis & animæ pericula nec vnquam ætate tam longâ potui mihi dies aliquot videre bonos: O me miſerum & infelicem, qui tam ſerò fallacem mundū cognoſco! qui vitam certè vixiſſem multo meliorem ſi no Rex ſed pauperis agri cultor fuiſſē.* Marinæus l. 18. *rerum Hiſpan.* Similibus votis ac lamentis ex hac vita migraſſe fratrem eius Alphonſum regem Neapolitanum tradunt hiſtoriæ. Philippus III. Hiſpaniarum Rex, licet piè & innocenter vixerit, moriens tamen dicebat: *Vtinam nunquam fuiſſem Rex: vtinam annos, quos in regno egi, exegiſſem priuatus in eremo. Vtinam vitam ſolitariā ſoli Deo duxiſſem in Thebaide! Quàm nūc ſecurus morerer? quàm fidenter ad Dei tribunal pergerem!* vt in eius vita typis vulgatâ. Corn. in c. 2. Dle.

Cogitent ergò pauperes vicinam mortem, miſeriarum ſuarum finem & felicem terminum. *Factum eſt, vt moreretur mendicus*, ait Dominus Luc. 16. *& portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ.* Seruulum mendicum, morientem Angeli demulcent ſuaui melodiâ & proſequuntur in cœlum, apud S. Gregor. in hom.

SECVNDÒ, Sint cum Ieſu, & audiant libenter verbum eius: quemadmodum fecit turba iſta; videant vt diuina non negligant; quod tamen commune eſt pauperibus, præſertim mendicis: vnde quia ipſi negligunt ſpiritualia & æterna, Deus negat eis corporalia & temporalia. Ita fit, quod Oſe. 4. dicit Deus: *Oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum & ego.* Sanè diuites ſolent libentiùs & largiùs effundere eleemoſynas in pauperes probos, quàm in improbos. Quilibet paterfamilias prouidet in primis domeſticis ſuis, ita & Deus iis qui per gratiā ipſi adhærent. Itaque quia pauperes vident negata ſibi eſſe terrena bona; tantò magis quærant & arripiant cœleſtia, vt ita ſint in Deo diuites. In hodiernâ hiſtoriâ mariti adduxerunt ad Chriſtum etiam vxores & paruulos ſuos, vt colligitur ex Matthæo; itaque curent pauperes, vt in timore Domini inſtituant liberos ſuos, quemadmodum fecit & Tobias, Tob. 4. C. II. Sint cum Ieſu, ſeu probi.

TERTIÒ, Sint laborioſi, otio non dediti. Sic enim & iſti pauperes quæſierunt panem ſuum longâ itineris moleſtiâ. Vnde S. Ambr. l. 6. c. 9. *in Lucam ſuper hoc Euang.* ait: *Quibus impartiatur* (alimentum) *aduerte: non otioſis, non in ciuitate quaſi in Synagogâ, vel ſæculi dignitate reſidentibus, ſed inter deſerta quærentibus Chriſtum.* Furantur panem aliis pauperibus, qui cùm viribus valeant, eleemoſynam illis præripiunt, & tenentur eam illis reſtituere. Vnde legimus S. Antoninum, Florentinum Archiepiſcopum, duobus cæcis, qui erant in ciuitate, & quorum alter 200. alter 300. coronatos collegerat, pecuniam illis abſtuliſſe, & magis egentibus diſtribuiſſe, relictâ illis ſufficientiâ. Sur. 2. Maij. Denique Apoſtolus ait: *Qui non laborat, non manducet*, 2. Theſſ. 3. D. III. Sint laborioſi.

E. IV. Confidant in Deo.

QVARTÒ, Confidentiam in Deo habeant: quomodo & iſti, qui ad iter tridui nihil ſecum ciborum tulerunt, in ſolâ Chriſti prouidentia confiſi. Iactent ergò pauperes cogitatum ſuum in Dominum, quia magnum habent & diuitem prouiſorem, Deum videlicet, qui ipſorum curam gerit. Vnde Dauid *Pſal.* 9. ait: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor.* Et Pſal. 39. ait pauper quidam: *Ego verò egenus ſum & pauper, Dominus ſolicitus eſt mei.* Certè in hodierno Euangelio recordatur Chriſtus pauperum, & pro eis ſolicitus ait: *Miſereor ſuper turbam.* Olim manná cœleſti æqualiter omnes refecti ſunt, *& qui multum* (collegerat) *non abundauit* (præ eo ſcilicet, qui plus collegit) *& qui modicum non minorauit.* 2. Cor. 8. Ita *cùm omnes*, ait S. Chryſoſtomus in eum locum, *vnum ventrem impleamus, & vno tempore viuamus, & vnum corpus tegamus, nihil magis habet diues ex abundantiâ, neque ex paupertate minus habet pauper, ſed vterque victum & amictum, & in hoc ſunt æquales.* Sic in hac refectione, vt Matthæus, *comederunt omnes & ſaturati ſunt*, etſi alter altero plus comedit.

F. V. Sint humiles.

QVINTÒ, Sint humiles. Ita in hodierno Euangelio diſcubuerunt ſuper terram. Ergò ſi victum ſibi parare nequeunt, non erubeſcant humiliter à ditioribus petere propter amorem Dei. Si repulſam patiantur, non obmurmurent aut obtrectent negantibus eleemoſynam quaſi auaris; ſed humi in patientiâ ſuâ cum Lazaro conſideant, qui & ipſe non oblocutus eſt contra diuitem negantem ſibi micas, licet videret abundare eius ſeruos & canes. Turpe valde eſt, cùm ſe effert pauper, ſiue cultu corporis, ſiue arrogantiâ animi. Vnde Eccleſiaſticus cap. 25. ait: *Tres ſpecies odiuit anima mea, & aggrauor valdè animæ illorum: pauperem ſuperbum, & diuitem mendacem, & ſenem fatuum & inſenſatum.*

G. VI. Sint contenti iis quæ dantur.

SEXTÒ, Sint contenti iis, quæ offeruntur & dantur. Sic enim & iſti pauperes comederunt & ſaturati ſunt, licet panem tantùm & piſcem Chriſtus appoſuerit; nec fit mentio de potu. Comederunt, inquam, non deuorârunt omnia, quæ aderant, nec diripuerunt, quæ ſupererant, ſed reliquerunt ſuperflua fragmenta: neque illi in ſaccos ſuos conſarcinârunt reliquias, quod multis eſt in vſu. Hunc in modum *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus*, ait Apoſtolus 1. *Tim.* 6. Alioquin incidemus primùm in veram paupertatem, quæ eſt, plus cupere. *Non enim qui non habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt*, ait Seneca. Et Bias: *Quis diues? qui nihil cupit. Quis pauper? auarus.*

Deinde incidunt in Dei iudicium, ſi non contenti murmurent, furentur aut peierent. Vnde ad Hebræos è Babylone reuerſos, quia ob paupertatem furtis & fraudi in dandis decimis ac proinde etiam periuriis aſſueſcere cœperunt, loquitur Deus per Zachar. cap. 5. *Quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur, & omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur.*

H. VII. Sint grati Deo.

SEPTIMÒ, Sint grati Deo inprimis, qui hoc donum eis conceſſit. Gratos fuiſſe illos, qui refecti ſunt à Chriſto, nullum eſſe dubium poteſt, licet hoc in Euangelio non exprimatur. Colligitur enim ex aliâ ſimili hiſtoriâ, vbi poſt refectionem voluerunt Chriſtum rapere, & regem facere. Nemo non ageret gratias Regi, ſi in aulam eius aſſumeretur. Atqui pauperes aulici ſunt Dei.

Deinde benefactoribus ſuis, orando pro ipſis. Quia enim ditiores dant pauperibus id, quo abundant, temporalem videlicet ſuſtentationem: tenentur viciſſim pauperes dare ditioribus id quo abundant ipſi, quod eſt virtus orationis, quâ plurimum valent apud Deum. Et *ita fiet æqualitas*, vt ait Apoſtolus, 2. *Cor.* 8. Si nimirum diuitum abundantia corporalis pauperum inopiam corporalem ſuppleat: & viciſſim pauperum abundantia ſpiritualis diuitum inopiam ſpiritualem. Benefactoribus.

CONCIO VII.

Quam conuenienter inſtituta ſint ſeptem Sacramenta in Eccleſia.

Aſſignatur ſimilitudo, quoad multa, ſaturationis quatuor millium per 7. panes cum inſtitutione 7. Sacramentorum.

1. *Ratione cauſæ ob quam inſtituta ſunt.*
2. *Quia ſub ſignis viſibilibus inſtituta.*
3. *Ratione adhibitionis certorum verborum.*
4. *Ratione numeri ſeptenarij valde conuenientis.*
5. *Ratione miniſtrorum.*
6. *Ratione duplicis virtutis Sacramentis & panibus illis collatæ.*

THEMA.

Quot panes habetis? Qui dixerunt: ſeptem. Marci 8.

ITa ſapienter omnia ſua miracula Chriſtus edidit, vt interim per ipſa præclaram etiam doctrinam ad nos pertinentem nobis inſinuaret. A. Idcircò ſponſi ſui miracula ſponſa prædicans *Cant.* 5. ait: *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis*, id eſt, omnia eius opera & miracula tam rotunda & tam ſapienter patrata ſunt, quaſi eſſent tornata: continentque non ſolum aurum charitatis, ſed etiã hyacinthos cœleſtis doctrinæ. Id verò in hodierno etiam miraculo patet, in quo pulchrè nobis depinxit rationem, quâ vniuerſam Eccleſiam ſaturaturus & refecturus erat. *Diſtributus enim turbæ panis*, inquit Gagnæus in Marci cap. 8. *ordo eſt militantis Eccleſiæ, cui diſtribuuntur à diſcipulis Chriſti, qui ſunt Prælati & Sacerdotes, ſeptem diuina Sacramenta.* Porrò ſicut ſeptem panibus refecta eſt omnis multitudo: ita ſeptem Sacramentis paſcitur omnis Eccleſia. Septem panes typus 7. Sacramentorum. Rurſum ſicut panes illi nequaquam erant abſumpti, ſed abundè ſuperflui: ita etiam inexhauſta eſt virtus Sacramentorum. Denique ſaturatio hæc quatuor millium hominum quoad multa ſimilis videtur eſſe Sacramentorum inſtitutioni, quibus totus Chriſtianorum ſatiatur orbis, vti nunc videbimus.

Digitized by

B. 1. Cauſa inſtitutionis.

PRIMÒ, Cauſa, cur Chriſtus prouiderit ſuis ſectatoribus panes, erat eorum imbecillitas & fames, ait enim: *Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos, deficient in viâ.* Sic etiam cauſa inſtitutionis Sacramentorum in Eccleſia, erat hominum neceſſitas, virium defectus & imbecillitas, in quam inciderunt per lapſum primi hominis, quaſi in ægritudinem quandam, de quâ ſine Dei gratiâ reſurgere non poterant, & in quo nihil boni præſtare, ne dum in bono proficere, aut in tentationibus perſiſtere & ſuperare. Vnde neceſſaria fuit ægris medicina, famelicis refectio. Huc denotat homo ille, qui incidit in latrones, à quibus non ſolùm vulneratus, ſed & ſpoliatus fuit. Niſi enim Samaritanus ille Chriſtus, miſericordiâ motus ſuper eum, vinum & oleum, id eſt, ſalutaria Sacramenta (nam ea continent in ſe duo illa, oleum, id eſt, gratiam Spiritus ſancti, & vinum, id eſt, ſanguinem & merita Chriſti; ex quibus Sacramenta omnia velut malagmata quædam confecta ſunt) vulneribus noſtris præparaſſet, nullâ ratione viuere poſſemus; ſed cum turbâ hodiernâ deficeremus in viâ. Itaque egebamus bapciſmo, per quem ab originali peccato ablueremur, & Eccleſiæ Dei incorporaremur. Egebamus confirmatione, per quam in fide firmaremur & ita roboraremur, vt ab eâ ne duelli nos pateremur. Egebamus pœnitentiâ, per quam in culpas aliquas lapſi reſurgere poſſemus, & gratiam amiſſam recuperare. Egebamus Euchariſtiâ, per quam ſuſtentaremur, & in cœpto virtutum itinere confirmati perſeueraremus & creſceremus. Egebamus extrema Vnctione, quâ Athletæ Chriſtiani in vltimo & difficillimo illo agone munirentur contra inſultus hoſtium inuiſibilium. Egebamus gratiâ aliâ, quæ coniuges indiſſolubiliter vniret, & in ſtatu illo periculoſo adiutaret ad ſobolem legitimè propagandam. Egebamus gratiâ aliâ, quæ habilitaret aliquot homines ad hæc Sacramenta aliis impertienda, adeoque Sacramento ordinis. Iam verò Sacramenta vaſcula quædam ſunt, in quibus oleum & vinum Samaritani noſtri continentur; canales ſunt per quos ad nos deriuari debuerunt; ſeptem columnæ ſunt, quibus innititur ædificium Eccleſiæ, Prouerb. 9.

C. II. Sub ſignis viſibilibus inſtituta.

SECVNDÒ, Chriſtus voluit cibo corporali, panis & piſcium, mutuato ab ipſiſmet diſcipulis, turbam illam paſcere, cùm potuiſſet inuiſibili & ſpirituali cibo. Sic Sacramenta inſtituit ſub ſignis viſibilibus & materialibus, aquæ, olei, chriſmatis, panis & vini, &c. è terra depromptis, cùm potuiſſet inuiſibili modo gratiam inuiſibilem conferre, idque fecit. Primò, quia non animâ tantùm, ſed & corpore conſtamus, & per ſenſibilia ſolemus deuenire in cognitionem ſpiritualium rerum. Vnde S. Chryſoſt. *hom.* 83. *in Matth.* & *hom.* 60. *ad pop. Antioch.* ait: *Si incorporeus eſſet, nuda & incorporea tibi dediſſet dona: ſed quoniam anima corpori inſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet.* Vnde quod in Sacramentis externè peragitur circa corpus, hoc intellige fieri intus in animâ. *Caro*, ait Tertull. l. de reſurrect. carn. *abluitur, vt mundetur anima, caro chriſmatur, vt anima roboretur; caro inungitur, vt maneat anima conſecrata; caro alitur ſpeciebus panis & vini, vt anima ſatietur alimento, quod Chriſti corpus & ſanguis ei impertitur.*

2. Secundò, Quia ægritudo noſtra à ſenſibilibus rebus ortum habuit, & adhuc peccata incipiunt à carne & carnalibus rebus, quibus illa paſcitur & fouetur; ideo rationi conſentaneum fuit, vt etiam antidota ſenſibilia eſſent & à carne inciperent: quo nimirum intelligeremus morbi noſtri radicem & originem. Itaque quia lepra noſtra carni adhæſit, & ab illâ in animum pertranſiit, decuit vt cum Naaman intraremus aquas Iordanis & lauaremur ſepties in Iordane. Scorpionis ictus ſcorpionis oleo ſanandus fuit.

3. Tertiò, Quia peccando rebus corporalibus nos ſubiecimus, decet vt iiſdem nos, cùm ſanari volumus, ſubiiciamus & quodammodò medelam ab illis expoſcamus: ſubiiciamus intellectum ad credendum Deum & Dominum noſtrum in rebus adeò vilibus, quales ſunt aqua & oleum, poſuiſſe rerum tam ſublimium, gratiarum ſuarum videlicet, communicationem: credamus item verba formæ ſacramentalis à miniſtro prolata habere vim ſupernaturalem, efficiendi in animâ interiùs, quod illa ſignificant exteriùs.

4. Quartò, Vt per hæc quaſi militaria ſigna ſeu teſſeras dignoſceremur & ab aliis diſtinguéremur. Nam vt S. Auguſtin. lib. 19. contr. Fauſt. cap. 11. ait: *In nullum nomen religionis ſiue verum, ſiue falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Sic milites ex coloribus penularum & vexillorum dignoſcuntur & congregantur. Baptiſmus nos diſcernit à gentibus & Iudæis; reliqua Sacramenta ab hæreticis. Dum etiam ex iiſdem Sacramentis participamus, quomodo fieri poteſt, vt non mutuò nos amare & charitatis vinculo colligari incipiamus?

5. Quintò. Vt per eorum ſignorum vſum Chriſtianam fidem publicè proteſtaremur. Dum enim ea ſuſcipimus, fidem, quam in corde gerimus, exteriùs opere profitemur.

6. Sextò, Vt haberemus aliquod ſignum externum dimiſſorum nobis peccatorum & gratiæ nobis collatæ, priſtinæque valetudinis reſtitutæ (quantum eſt ex parte Sacramenti, debito modo adhibiti) vt ſic nos conſolari (quando ex parte noſtrâ nihil neglexìmus) & de cætero in quiete & tranquillitate ſpiritûs viuere poſſemus. Huiuſmodi ſignum, ſed reſtituendæ ſibi valetudinis, petiit Ezechias. Nos etiam à potiori, quia ægritudo noſtra ſpiritualis & inuiſibilis eſt, indigebamus ſigno aliquo redditæ nobis ſanitatis. Quando ergo videmus nobis applicitum eſſe ſignum ſenſibile, illicò acquieſcimus, niſi noſtra nos conſcientia fictionis ali-

ius aut indiſpoſitionis arguat.

D. III. Adhibentur & verba certa.

TERTIO, Chriſtus adhibuit etiam verba. Accipiens enim ſeptem panes, *gratias egit*; & alibi in ſimili miraculo, *benedixit* etiam panes, hoc eſt, multiplicationem eis imprecatus eſt & imperauit. Sic in Sacramentorum inſtitutione præter materialia ſigna, inſtituit etiam certam verborum formam; v.g. *Ego te baptizo, vngo, abſoluo*, &c.

1. Primò, Vt eſſent corporibus & animis accommodata. Vt enim homo corpore & animâ conſtat, velut materiâ & formâ: ſic etiam Sacramentum materiam habeat & formam; illa reſpondeat corpori, hæc animæ, ſiquidem aquâ abluitur corpus, oleo inungitur; &c. verbum autem percipit & credit anima, & credendo munda fit; atque ita menti & corpori congrua medicina parata eſt.

2. Secundò, Vt Sacramenta Chriſtum ipſum auctorem & inſtauratorem ſalutis noſtræ repræſentarent. Vt enim in Chriſto eſt verbum diuinum cum carne aſpectabili coniunctum; ita in Sacramentis ſunt verba, cum materia aſpectabili copulata; iuxta illud Auguſt. *tract.* 80. *in Ioan. Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum etiam ipſum, tanquam viſibile verbum*, &c.

3. Tertiò, Vt ſic ad nouum & meliorem vitæ ſtatum & conſortium diuinitatis à Chriſto recrearemur eo modo, quo priùs à Deo creati eramus. Tunc enim Deus *dixit, & facta ſunt.* Quia ergò per Chriſtum reſtauramur, verbum etiam in hac reſtauratione adhibendum erat, vt intelligeremus nos de nouo eſſe creatos ſpiritualiter.

4. Quartò, Vt clariùs ſignificetur, quod efficitur per vnumquodque Sacramentum.

5. Quintò, Vt honoraret etiam homines, quorum verbis in adminiſtratione Sacramentorum diuinam tribuit virtutem, inſtrumentalem ad peccata diluenda & gratiam efficiendam atque conferendam. Quæ res maximam affert homini dignitatem, vt poſſit dicere peccatoris animæ cum Chriſto: *Volo, mundare: Lazare, veni foras*; *Fili remittuntur tibi peccata tua*, &c. imò, ego tibi remitto peccata tua, ego te ab inferis libero & in hæredem cœli conſtituo, &c. Quando dixit Dominus paralytico, Matth. 9. *Surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam*: isque ſurrexit & abiit in domum ſuam; videntes turbæ, *timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit talem poteſtatem hominibus.* Sed in rei veritate plus eſt dimittere peccata, quàm dicere, *ſurge & ambula*; quia gratia eſt quid præſtantius quàm ſanitas corporis.

F. IV. Numero ſeptem inſtituta.

QVARTÒ, Chriſtus adhibuit panes ſeptem, quibus pauit multitudinem. Sic inſtituit etiam ſeptem & non plura nec pauciora Sacramenta, vti omnes Catholici ſemper tenuerunt, & tenent vſque hodie. Quemadmodum ergò Chriſto interrogante: *Quot panes habetis?* diſcipuli vnanimiter reſponderunt, *ſeptem.* Ita ſi Catholici interrogentur de numero Sacramentorum, quocunque terrarum angulo, reſpondebunt omnes, *ſeptem.* Et ſic reſpondit Zacharias Patriarcha Conſtantinopolitanus Theologis Wittenberg. *ad art.* 7. *Conf. Auguſtan.* Imò etiam mos execrandi Germanorum idipſum confirmat, & oſtendit ab antiquo, ex quo Germania fidem accepit, ſeptem credidiſſe Sacramenta. Cùm contrà in hoc hæretici, etiam qui vnius ſectæ ſunt, inter ſe maximè diſſideant, & alij duo, alij tria; alij vnum; alij hæc, alij illa dicant eſſe Sacramenta. Conuenienter autem hoc numero Sacramenta inſtituit Chriſtus. Et quidem congruenter.

1. Primò, quia per ea prouidetur vitæ ſpirituali, quo modo prouideri ſolet vitæ corporali. Homini autem ad viuendum vitamque conſeruandam & ex ſua reique publicæ vtilitate traducendam hæc ſeptem neceſſaria videntur, vt ſcilicet naſcatur, creſcat ſeu adoleſcat, alatur; ſi in morbum incidat, ſanetur; ſi pugnandum ſit; armetur contra inimicos: adhæc vt magiſtratum habeat, cuius auctoritate & imperio regatur. Denique vt legitimam ſobolis propagationem, ſeipſum & humanum genus conſeruet. Eadem hæc neceſſaria erant vitæ noſtræ ſpirituali, quæ eſt gratia: & præſtantur à Sacramentis. Per baptiſmum primò renaſcimus (naſcente gratiâ in nobis) & in nouam vitam ingredimur. Per confirmationem adoleſcimus & creſcimus in gratiâ & fide, ſic enim Apoſtolis dixit Chriſtus aſcenſurus: *Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto*, Luc. 24. per Euchariſtiam alimur & ſuſtentamur in virtutibus & gratiâ, iuxta id: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. non habebitis vitam in vobis*, Ioan. 6. Quartò, ſi per peccatum in animæ ægritudinem inciderimus, per pœnitentiam ſanamur, & gratiam perditam recuperamus. Quintò, per extremam Vnctionem contra hoſtes animæ in agone communimur. Sextò, per ordinis Sacramentum in Eccleſiâ gubernamur à paſtoribus, & multiplicamur ſpiritualiter. Denique per matrimonium genus humanum legitimâ ſobole conſeruatur & propagatur corporaliter.

2. Secundò, Quia ſeptem hæc Sacramenta accommodata ſunt ad ſeptem hominum ſtatus, qui cernuntur in militiâ. Baptiſmus eſt intrantium in vitam: confirmatio pugnantium; Euchariſtia vires poſt pugnam reſumentium: pœnitentia de lapſu & vulneribus reſurgentium; extrema Vnctio ex hac vitâ exeuntium: ordo, gubernantium & annonam miniſtrantium: matrimonium, nouos milites introducentium.

3. Tertiò, Quia præparant animum ad ſeptem virtutes principales, tres Theologicas & quatuor Cardinales. Baptiſmus ad fidem, Confirmatio ad ſpem, Euchariſtia ad charitatem, Pœnitentia ad iuſtitiam, Extrema vnctio ad fortitudinem & perſeuerantiam, Ordo ad prudentiam, Matrimonium ad temperantiam.

F. V. Hominũ miniſterio adhibitum.

QVINTÒ, Chriſtus adhibuit operam diſcipulorum ſuorum, qui panes diſtribuerent & apponerent, vt in eorum etiam manibus panis multiplicaretur. Sic etiam inſtituit Sacramenta.

Digitized by Google

menta Dominus, vt hominum miniſterio vteretur in diſpenſatione eorum velut inſtrumentali cauſâ, & quidem ita vt quis alteri, non ſibi
1. ea adminiſtret. Primò; vt bonitatis ſuæ propenſionem erga homines oſtenderet, quibus altiſſimam hanc poteſtatem ſuam communicauit, vt vnà cum ipſo, velut inſtrumentum cum principali cauſâ ſeu artifice, velut penna cum ſcriptore, penicillus cum pictore in cordibus humanis poſſint pingere gratiam, quæ eſt communicatio quædam diuinitatis.

2. Secundò, vt ſimul homines haberent per hoc occaſionem nouam, bene de aliis merendi; quòd indicatum cùm in altero illo conuiuio, Matth. 14. diſcipulis petentibus, vt dimitterent turbam ad coëmendos panes, reſpondit: *Non habent neceſſe ire, date illis vos manducare.* Ad eundem modum potuiſſet Deus ſingulis hominibus conferre opes ſufficientes: ſed voluit aliis dare parum, aliis multum, vt diuites haberent occaſionem bene merendi de pauperibus, & pauperes orandi pro diuitibus.

3. Tertiò, vt iniretur ratio, quâ mutuo amore inter ſe arctiſſimè colligarentur homines, cùm intelligunt tantum bonum, qualis eſt gratia diuina, ſibi poſſe communicari per homines, Sacramentorum miniſtros gratiam confirmationis & ordinis per Epiſcopos: gratiam pœnitentiæ, Euchariſtiæ, extremæ Vnctionis per presbyteros: gratiam baptiſmi per quemcunque in neceſſitate. Hinc enim debitores illorum ſe agnoſcunt, reuerentur & amant illos, timentque offendere; quia pro patribus ſuis agnoſcere eos debent non minùs quàm carnales parentes. Vnde Apoſtolus ait: *Si decem millia pædagogorum habeatis, ſed non multos patres; nam in Chriſto Ieſu ego vos genui,* 1. Corinth. 4.

Quartò, Vt hinc colligerimus virtutem &
4. efficaciam Sacramentorum tantam eſſe, vt etiam à malis miniſtris impediri nequeat, modò debitè ea adminiſtrent. Cùm enim ſciuerit Dominus multos fore improbos diſpenſatores myſteriorum, nequaquam illis contuliſſet poteſtatem iſtam, ſi ab eorum vitâ penderet Sacramentorum virtus. Quòd ſi per Angelos aut viros tantùm ſanctos diſpenſarentur, illorum potiùs ſanctitati, quàm efficaciæ Sacramentorum adſcriberetur ſanctificatio. Vt ergò peritus ſcriptor quamcumque arripit pennam, & benè nihilominùs ſcribit, vt ipſius ars, non calamus commendetur: ita voluit hîc agere Deus. Vocantur Sacramenta, ſigilla & ſignacula, iam verò *duo annuli*, inquit S. Gregor. Nazianz. orat. in S. Baptiſm. *alter aureus, alter ferreus, ſi vterque inciſam habeat eandem imaginem & regia inſignia; aequè vnus atque alter ea exprimet impreſſus*: ſic eadem ſanctificatio confertur per Sacramentum ab aureo Sacerdote, qui inſigni ſplendet ſanctitate, adminiſtratum: & à ferreo ſeu reprobo.

5. Quintò, Vt hinc moneremur nos ſacerdotes, & quicumque adminiſtrant aliquod Sacramentum, maiori ſtudio quàm alij, puritatem conſcientiæ tueri & ſeruare, præſertim in ipsâ adminiſtratione; ſancta enim ſanctè ſunt tractanda & impollutis manibus. Vnde S. Dionyſius de Eccl. Hierarch. c. 1. ait, *malis ſymbola* (Sacramenta intelligit) *ne contingere quidem permiſſum eſſe.* Et S. Gregor. 2. p. paſtor. c. 2. *neceſſe eſt*, vt inquit, *vt eſſe munda ſtudeat manus, quæ diluere aliorum ſordes curat, ne tacta quæque deteriùs inquinet, ſi ſordida in ſemet lutum tenet. Hinc namque per Prophetam Iſaiam c. 52. dicitur: Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Sic Greg. Magna igitur nobis, ô Sacerdotes, impoſita eſt neceſſitas viuendi religiosè, ſobriè & purè, ne temerè Deo appropinquantes, ab eo percutiamur.

SEXTÒ, Chriſtus ſeptem illis panibus duplicem contulit virtutem; ſcilicet vt famem eſurientibus pellerent, & vt vires fatigatis & O. VI.
exhauſtis reſtaurarent (vtroque enim indigebat turba illa:) ſic quoque Sacramentis duplicem contulit virtutem. Duplex Sacramentis virtus collata.
Primò, pellendi peccata & ex parte reliquias eorum ſeu pœnas illis debitas: Secundò, inſerendi gratiam in animam, nec non conſeruandi & augendi ad certos & determinatos actus. (Quod vt ſuauius crederetur, initio naſcentis Eccleſiæ, in vſu aut inſtitutione Sacramentorum euenerunt aliqua ſigna prodigioſa, ad oſtendendos hos effectus in cordibus fidelium.) Vnde ſicut Eliſæus prodigiosè multiplicauit viduæ oleum, quod in vaſe quodam habebat, vt tamdiu flueret, quoad vaſa vacua ſupereſſent: quò nimirum ipſa ex eo debita creditoribus ſolueret, de reliquo cum filiis ſuis viueret: (4. Reg. 4.) ita etiam Chriſtus Sacramenta nobis multiplicauit, vt ex eis primò peccatorum noſtrorum debita dilueremus: deinde vitam gratiæ in nobis foueremus. Itaque nobis videndum reſtat: Primò, vt ne vaſa deſint huic oleo recipiendo, ne alioquin ſiſtat. Non deſinet manare in Eccleſiâ gratiæ illius oleum, quod tribuunt Sacramenta; quamdiu fuerint homines, qui ad eam recipiendam, vt par eſt, ſe diſponant. Sed heu quàm pauca nunc vaſa vacua à terrenis curis & ſæcularibus negotiis? quàm exiguus Sacramentorum vſus? quid mirum foret, ſi oleum hoc ſtaret? Stetit ſanè, quando ante annos cẽtùm hæreſis oriebatur: nullus enim ferè tunc Sacramentorum vſus erat, ſed contemptus: vnde Sacramenta pleraque ſuſtulit hæreſis.

Deinde quoniam tam ſanctæ & pretioſæ res ſunt Sacramenta, diſcamus ea ſummâ cum reuerentiâ & honore pertractare, non in manibus tantùm, ſed in ore quoque. Quæ verò illa inſania eſt, execrari Sacramenta, per quæ ſalutem conſequi oportet? An non hoc eſt incidere canalem, per quem aqua hauriri & ſitis extingui debet? An non hoc eſt deſtruere ſibimet pontem, per quem quis ambulare & fugere hoſtes debet? An non hoc laqueum collo ſuo iniicere, ne poſſit reſpirare? an non hoc eſt claudere ſibimet ianuam cœli? Sanè quoties nomen Sacramenti audimus, cadere in genua deberemus, & Deo immortales gratias agere pro hoc cœleſti dono. Vnde & nos iure, ca-

pue

put aperimus, cùm hoc nomen audimus.

Ad extremum igitur Deo gratias agamus pro his panibus nobis in Eccleſiâ relictis, & rogemus eum, vt ſpiritualem famem & deſiderium illorum dare nobis velit, quo feruentiùs & digniùs, quàm hucuſque fecimus, eos percipiamus.

CONCIO VIII.

Qua ratione parādæ & acquirēdæ ſint virtutes morales in voluntate ſitæ.

1. *Mendicando, ſiue inſtanter orando.*
2. *Emptione, ſeu carnis depreſſione.*
3. *Labore, id eſt, conatu voluntatis ad bene operandum.*
4. *Furto & rapina, hoc eſt, imitatione aliorum.*

THEMA.

Vnde iſtos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine? Marci 8.

A. POſtquam primâ vice Chriſtus pauit turbas quinque panibus & propterea turbæ eum ſequebantur ac quærebant (Ioan. 6.) dicebat illis: *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus & ſaturati eſtis. Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Occupatur nunc ferè totus mundus & cum illo nos in quærēdo pane corporali ſeu colligendâ meſſe; de pane verò ſpirituali pauci ſunt ſoliciti. Quare Chriſtus meritò etiam dicit nobis: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Cibus & panis iſte virtutes ſunt, quibus anima noſtra paſcitur & viuit vitâ gratiæ: de hoc enim cibo dixit Dominus: *Beati qui eſuriunt iuſtitiam*, id eſt, qui virtutem & ſanctitatem auidiſſimè concupiſcunt, vt ait Chromatius: ſine pane iſto deficimus in viâ, quia non eſt alia via veniendi ad gloriam, niſi per virtutem. Niſi verò virtutum habitibus inſtructi ſimus, citò deſinemus bene operari, ob earum difficultatem. Sed vnde nobis iſte panis hîc in ſolitudine & exilio? In paradiſo certè facilè paraſſemus iſtum panem, quia tunc virtutes homini fuiſſent maximè connaturales: ſed hic in ſolitudine, in exilio, difficulter comparatur; quia naturæ corruptæ non ſapit virtus. Quàm multo tempore laborant aliqui, vt caſti ſint? alij vt ebrietatem euitent & ſobrij fiant? alij vt iracundiam ſuâ mactent, & patientes ac manſueti fiant? alij vt blaſphemias, mendacia, detractiones caueant & linguæ frænum imponant? Vnde igitur ememus panes? Vnde nobis parabimus virtutum habitus, quibus promptè, expeditè & cum voluptate operemur bona? Videamus.

Paratur panis PRIMÒ, mendicando. Mendica etiam tu panem virtutum à Deo & dic:
B.
I.
Mendicando per orationem.
Panem noſtrum quotidianum (ſpiritualem) *da nobis hodie*; quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum*, inquit Iacobus cap. 1. Hac ratione etiam turbæ hodiernæ pararunt ſibi panem; per triduum enim ſequebantur & ſuſtinebant Chriſtum famelici, ſeu, vt Matthæus ait *perſeuerabant cum eo*, donec nimirum Chriſtus eorum miſereretur & cibaret illos, ſequere igitur & tu, ſed inſtanter & perſeueranter orando, ſicut mulier illa Chananæa velut catellus ſequens Chriſtum, donec panis bolum ab eo acciperet. Hoc enim eſt quod ipſe Dominus nos facere docuit *Luc.* 11. in parabolâ amici, qui perſeuerauit pulſans petere panes ab amico: *Si vos cùm ſitis mali*, inquit, *noſtis bona data dare filijs veſtris; quantò magis pater veſter cœleſtis dabit Spiritum bonum petentibus ſe?* Spiritum bonum intelligit omne donum cœleſte, quod hominem facit bonum. Lacedæmoniorum filij, panem à parentibus non accipiebant, niſi quem ſagittis deieciſſent. Cupis etiam tu panem caſtitatis, ſobrietatis, patientiæ, &c? pete illum ſagittâ orationis feruentis & perſeuerantis, & deiice de cœlo, vbi penus eſt inexhauſta omnium bonorum; ſine hac enim dona illa difficulter obtinebis, vt agnouit Salomon Sap. 8. *Vt ſciui*, inquit, *quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, adij Dominum & deprecatus ſum illum.* Si ergò continentia oratione obtinenda eſt, cur non & aliæ virtutes? Dices fortè, ſi per orationem virtutes acquiruntur, non ergò exercitatione & noſtrâ cooperatione opus eſt. Non ſequitur, quia ſicut fruſtrà orabis Deum vt fias Doctor, niſi manum libris admoueas, & in eis diligenter ſtudeas: ita fruſtrà orabis Deum pro virtute, ſi non coneris eam exercere: Deus enim dicitur virtutem dare, vel cùm minuit tibi tentationes concupiſcentiæ, ne tantam creent difficultatem voluntati operaturæ; vel cùm adiuuat & confortat voluntatem vt difficultates ſuperare poſſit. Propterea idem Salomon *Sap.* 9. dixit: *Mitte illam* (Sapientiam) *de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ vt mecum ſit & mecum laboret, vt ſciā quid acceptum ſit apud te.* Hinc veteres dixerunt: *Cùm Mineruâ quoque manum moue.* Prouerbium ortum à mulieribus lanificium exercentibus, fauente atque inuocatâ Mineruâ, quæ tamen nihilo ſegnius interim operi inſiſtunt. Alij ab agaſone natum volunt, cuius aſinus cum luto infixus hæreret, otioſus Herculem implorabat; ei proinde dictum, vt & ipſe manum admoueret. Ergò qui virtutum pulchra artificia texere, qui aſinum deprauatæ carnis è luto extrahere vult; Dei quidem opem imploret, ſed & ipſe ſuam conferat.

SECVNDÒ, Emptione; hoc enim modo comparari poſſe virtutem indicat Dominus in priore panum miraculo, cùm ad Philippum dixit: *Vnde ememus panes vt manducent hi?* Ioan. 6. Sed quo pretio comparabimus virtutem? Mihi videtur id indicaſſe Sathanas de Iob ad Deum loquens: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro animâ ſuâ*, Iob 2. c. 4. Si vult homo acquirere & induere pellē gratiæ & C. II. Emptione ſeu carnis depreſſione.
virtu-

Digitized by Google

virtutum, non grauatè patietur ſibi eripi temporalia, etiam ipſam pellem: quod ſanè fecit Iob, qui abſtracta ſibi pelle carnis, induit pellem patientiæ & gratiæ longè præſtantiorem, ad inſtar ſerpentis, qui veterem exuit & nouam induit. Igitur ſi virtutis alicuius pellem, imò veſtem ornatiſſimam induere volumus, exuamus pellem veterem, pellem carnis, pellem concupiſcentiæ, iuxta id Apoſtoli *ad Coloſſ.* 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum.* Hoc facies primò; ſi humilies & deprimas in te concupiſcentiam, hoſtem omnis virtutis. Vt enim thus per inciſionem corticis illius arbuſti obtinetur & colligitur; ita etiam virtutes per mortificationem carnis acquiruntur. Sic pueri dum vapulant, emendantur & virtutes addiſcunt. Sic canes ouium inuaſores, ſi alligati ad arietem, ab eodem acriter feriantur, dediſcunt nocere ouibus. Hoc ergò & caro faceret, ſi ſpiritus ei alligatus ſæpè in eam ſæuiret & animaduerteret verberibus. Hinc ſancti viri virtutes tantas aſſecuti ſunt, quia in hoſtem earum, carnem ſuam, tam rigidi & ſeueri fuerunt. S. Benedictus tentatus à libidine, corpus nudum in ſpinis volutauit, vt hoſtilem carnem vinceret & continentiam ſeruaret. S. Franciſcus *fratrem ſuum aſinum*, vt vocabat, corpus, ſi fortè lautiori pabulo refectum erat, flagellis atterebat, vt ſobrietatem retineret, dicendo: *Bene comediſti, bene ſalta.* Sed fruſtrà hæc ego hic recenſere videor. Vtinam ſaltem concupiſcentiæ noſtræ aliquid ſubtraheremus, veluti ſomnum longiorem, vt manè ſurgentes ad templum debito tempore veniremus, ieiunaremus ſaltem cùm præceptum eſt, aut cibi ſuperfluitatem potuſque caueremus. Vt enim accipitres cicurantur & ad prædam erudiuntur ſomni prohibitione; equi ad ſaltum & curſum pabuli ſubtractione: ita fieret vt caro nobis non obſiſteret, ſed facilè obediret ad opera virtutum, ſi vigiliis & ieiuniis attereremus. Deinde hoc etiam facies, ſi quinque ſenſus tuos mortifices & frænes, ne paſſim poſt deſideria ſua abeant, teque à virtute abducant. In cuius rei figuram Ioſue *cap.* 10. quinque reges infideles ſuſpendit in ſtipitibus; quia prohibuerant ei ingreſſum ad terram ſanctam. Reges iſti, ſenſus noſtri ſunt, qui nos à viâ virtutis, adeoque cœli abducunt. Crucifigamus igitur illos; oculos, contemplando non vanam pulchritudinem, ſed potiùs inferni horrorem; aures, nont attendendo ad ſonitum fiſtulæ, ſed ad tubam illam terribilem: *Surgite mortui, venite ad iudicium*, nares, non applicando ad flores & veſtium odores, ſed ad inferni & mortuorum hominum fœtorem; linguam, deguſtando, non pretioſa vina & cupedias, ſed fel & acetum Chriſti, aut fel draconum, vinum damnatorum; tactum non applicando ad amatorios amplexus, ſed ad ignem inferni inextinguibilem. Si hanc praxin ſedulò conſeruaremus, facilem nobis breuì poſſemus parare viam ad virtutem. Denique hoc ipſum facies, ſi peccandi occaſiones deuitaueris: harum enim conſectatione fies inclinatus ad vitia, & auerſus à virtutibus, nec oratio tua facilè audietur, licet virtutem à Deo petas. Deſideras ergò humilitatem? ne ſocies te ſuperbis, quia *qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam*, Eccleſ. 13. Deſideras caſtitatem? fuge conuerſationem libidinoſorum, aut fœminarum formâ præſtantium, loca in quibus tibi occurrere poſſunt impudica ſpectacula, libros obſcœnos; exemplo Antiochi regis Aſiæ huius nominis tertij, qui Epheſi formâ Deo dicatæ fœminæ illectus, & ex alterà parte aduertens, quantum ſibi dedecus allaturus eſſet inceſtuoſus congreſſus, Epheſo diſceſſit, nec vnquam eò redire voluit, ne tandem libidinis occaſione caperetur & fœdaretur. Chau. l. 1. cap. 4. *de perſ. prud.* Deſideras ſobrietatem? ne frequenta ſympoſia, compotationes, otioſorum conſortia, & quidam tantò cautiùs, quantò ſæpiùs expertus es te eiuſmodi occaſionibus fuiſſe deceptum & irretitum.

Tertiò, Labore & induſtriâ, id eſt, conatu voluntatis ad bene operandum & exercendas virtutes. Inferenda tibi vis aliqua, admouenda ad aratrum manus, vt virtutem tibi acquiras. Ita populus in hodierno Euangelio, triduano itinere ſuſtinens Chriſtum, cumque comitans, meruit panem. Adhæc panes efferebat pauculos Chriſto, vt plures & meliores acciperet, quemadmodum & accepit. Similiter ergò offer & affer tu conatum tuum, extende vires tuas ad virtutem amplectendam: & Deus quod deeſt tibi, implebit, addetque. Poterat ſanè è nihilo vel ex aliis corporibus panes omnes facere Dominus, ſed voluit ex præiacentibus & oblatis aliquot panibus; vt diſceres faciendum tibi eſſe quod in te eſt & conatum operis adhibendum ad virtutem acquirendam. Agricola paucula ſemina in terram iacit, & multam frugem colligit: diſcipuli paucas panes in manus Chriſti afferunt, & plurimos inde accipiunt. Semen vbi non iacitur, nil metitur: ita niſi incipias virtuosè agere, vitia deſerere, virtutem non metes. Audi Anſelmum lib. de beatitud. cap. 153. *Vt ſi is, qui cytharista eſſe debuerit, ſi cytharam tangere noluerit, qualis cytharœdus erit? Taliter licet quis habeat ſcientiam bene viuendi & voluntatem, nequaquam bonus erit, niſi etiam boni operis vſum tenuerit.* Similiter Ambroſius lib. 1. de officiis ait: *Qui diſciplinam bellicam vult aſſequi, quotidie exercetur armis & tanquam in procinctu poſitus præludit prælium.* Quid? Etiam Elephas hoc aduertit Romæ, qui, vt refert Pierius lib. 2. ad ſaltandum inſtructus, cùm ingenio tardior eſſet, noctu ad lunam ſe exercuit ſaltando. Et vnde multis robur corporis? nónne ex aſſiduo & duro labore? Hercules ad laborum patientiam quotidianis exercitationibus ſe confirmabat, ſentes omnes qui pullularent eo in loco vellere ac eradere ſolitus. Pauſan. l. 6. Igitur ſi cupis humilitatem, exerce te in operibus humilitatis. *Exerce teipſum ad pietatem*, ait Apoſt. 1. Tim. 4.

D. III. Labore, ſeu conatu voluntatis.

Multi

Multi concipiunt virtutum propoſita, mox tamen in primo actu, difficultate terrentur, aut impoſſibile ſibi exiſtimant virtutem aſſequi, vitium contrarium deſerere, vti ebrietatem, conſuetudinem iurandi & execrandi; qui ſi modò conarentur ſemel, iterum, tertiò, ſemper faciliorem experirentur virtutis tramitem. Vellent inſtar cati libenter veſci piſcibus, ſed immittere in aquam pedes nolunt ad eos extrahendos. Certè de his dici poteſt, quod de ſe ſuiſque lamentatur Rex Ezechias obſeſſus ab Aſſyriis: *Dies tribulationis & correptionis & blaſphemiæ dies hæc; quia venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.* Iſa. 37. Plurimi enim concipiunt deſideria virtutum, ſed parere nunquam volunt, difficultate virtutis territi, dum ſibi quaſi impoſſibilem imaginantur. Quàm multi dicunt: non poſſum remittere hanc iniuriam: non poſſum mihi temperare ne inebrier: non poſſum coërcere linguam, ne blaſphemem! *O inſenſati quis vos faſcinauit non obedire veritati!* exclamat contra Galatas Apoſtolus. Phantaſia & faſcinatio eſt iſta: non poſſum hoc vitium ſuperare, hanc virtutem exercere. Conare, vires adhibe, vim infer tibi ipſi; quia Dominus dixit: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quid tu non facis corporis vel rei familiaris causâ? Vt ſanitatem recuperes & corpus humoribus malis euacues, ſeruas diætam rigidiſſimam tibi præſcriptam, pecuniis nullis parcis. Vt idem recrees delitiis, quid non excogitas? Vt rem familiarem amplifices, nulli labori parcis, nullum periculum fugis. At non eſt opus tanto conatu ad virtutes tibi parandas, præclariſſima animi ornamenta; & tamen ad hæc paranda vix pedem vis mouere.

E. IV. Furto ſeu imitatione aliorũ. QVARTÒ: Furto & rapina. Potes enim adipiſci virtutem, inſpiciendo aliorum virtutes; ſic eas quodammodò ſuffuraberis ac tuas facies. Non eſt culpandum ſed laudabile: nec vlli noxium hoc furtum, ſed ſalutare, (verbi gratiâ) furari ex piis libris, concionibus bonis, aliorum exemplis, velut apes de floribus mel virtutum & inferre alueolo cordis tui. Quemadmodum enim panes illi ſeptem, haud dubiè vni vel pluribus ablati ſunt, cùm Chriſto exhibiti; nullo tamen eorum quibus auferebantur damno, ſed potiùs commodo, cùm plura receperint: ita & virtutem alter alteri auferre vtriuſque commodo poteſt, inſpiciendo & imitando alterius exemplum. Exemplum bonum tacita quædam adhortatio eſt & exſtimulatio, quid agi omittíve debeat: ita vt qui non imitatur, vim quandam ſuſtineat, tandemque longo vſu & conſuetudine ſuccumbat, qui anteà repugnabat. Admodum proteruus & vitioſus erat adoleſcens ille, qui Lycurgo Principi ſuo, Laconum Legiſlatori ſapientiſſimo, oculum eruebat. Et tamen poſtquam Lycurgus, nobiliſſimo vtens vindictæ genere, illum ſibi dari committique poſtulaſſet ad bonam reuocandum frugem, tantùm valuit verbis & moribus domeſticis, vt paulò pòſt nobiliſſimas virtutes ſuas in eum tranſtulerit abactis vitiis, & in optimum ciuem conuerterit peſtem ciuitatis. Nimirum vti ruta alioquin amara iuxta ficum poſita, dulcior fit & mitior (teſte Pierio *lib.* 53. *hierogl.*) ita etiam is qui amarus eſt moribus miteſcit in ſocietate bonorum.

Et vnde putamus latronem dextrum didiciſſe in cruce patientiam, quâ fatetur ſe iuſtè pati & digna factis ſuis recipere: charitatem, quâ erudit & conuertere conatur ſocium malum; niſi quia vidit vtramque virtutem adeò emicuiſſe in Chriſto? patientiam, dum innocens vt agnus obmutuit in tantis pœnis; charitatem, dum pro crucifixoribus ſuis orauit. Ruta igitur iuxta ficum erat latro iuxta Chriſtum. Primus in Iapone Chriſtianus eâ occaſione factus eſt, quòd ob homicidium iuſtitiam fugiens in B. Xauerium inciderit; cuius exemplari vitâ ad frugem reuocatus, conuerſioni ſuæ nationis initium dedit. Inſpice igitur & tu virtutum ſtudioſe ſanctorum exempla tam ea quæ in libris expreſſa quàm ea quæ paſſim oculis cernis in viris religioſis. Si ebrietati addictus es, vide quàm hanc alij fugiant peſtem & tetrâ vitâ caueant. Si mancipatus auaritiæ, aſpice liberales. Si incontinentiæ ſtimulis vrgeris, inſpice continentes, qui crucifixerunt carnem ſuam. Inſpice religioſorum cœtus carnis domitores & triumphatores. *Ibi tot pueri & puellæ* (inquit S. Auguſtin. lib. 8. confeſſ. cap. 11. de continentiæ virtute loquens, quam ſibi impoſſibilem perſuadere conabatur inueterata conſuetudo:) *ibi iuuentus multa & omnis ætas & graues viduæ & virgines anus & in omnibus ipſa continentia nequaquam ſterilis. Et irridebat me irriſione exhortatoriâ quaſi diceret: Tu non poteris quod iſti & iſtæ? An vero iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac nõ in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum dedit me eis. Quid in te ſtas & non ſtas? proiice te in eum, noli metuere, non ſe ſubtrahet vt cadas.* Hæc ille.

CONCIO IX.

Documenta.

Ex hoc Euangelio diſcimus,

1. *A Chriſto miſericordiam corde & opere populo ſequenti exhibitam, conuocando diſcipulos, &c.*
2. *A diſcipulis liberalitatem, qui offerunt panes, apponunt & diſtribuunt, &c.*
3. *A populo confidentiam, patientiam & perſeuerantiam, &c.*
4. *Diſcimus vnâ Euchariſtiæ ſpecie contenti eſſe, quod & pluribus alijs probatur.*

THE-

Digitized by Google

THEMA.

Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Marci 8.

A. *Verbum Dei etiam minimũ non negligendum.*

PYthagoræ monitum fuit: *Minuta panis pedibus non calca.* Quo Symbolo non tam volebat, vt micæ panis corporalis ſub pedibus non iacerent, quàm vt doctrinæ ſalutares etiam minutiores non ſpernerentur aut negligerentur, ſed velut animæ cibus debitâ cum reuerentiâ à nobis ſuſciperentur. Idem, Auditores, docemur in hodierno Euangelio, vbi panum reliquias nequaquam neglectas legimus poſt exhibitum conuiuium, ſed in ſeptem ſportas diligenter aſſeruatas. Nobis hoc factum eſt, vti S. Euangelij doctrinas etiam minuſculas non pedibus calcaremus, ſed cum honore ſuſciperemus. Ergò colligamus reliquias hodierni Euangelij.

B. I. A Chriſto diſce Miſericordiam.

A Chriſto diſcimus miſericordiam cordis & operis. Nam primò. *Miſereor ſuper turbam,* ait Græcè, Σπλαγχνίζομαι, *ex intimis viſceribus miſereor*; en miſericordiam animi. Deinde; *facite homines diſcumbere*, inquit; en miſericordiam operis. Itaque corde imprimis commiſereri oportet pauperibus; deinde qui habent vires, miſericordiam præſtare factis debent; alioquin ſe oſtendunt *cor* habere *durum*, quod *malè habebit in nouiſſimo*, Eccli. 3. Deinde videmus in Chriſto eſſe ſimul miſericordiam & potentiam, adeoque eum velle ac poſſe miſeris ſuccurrere. Multi homines vellent iuuare, ſed non poſſunt, quia ipſi miſeri ſunt. Multi poſſunt, ſed nolunt, quia auari ſunt. Chriſtus ſummè miſericors vult iuuare ex intimis viſceribus: ſummè etiam potens iuuat mirabiliter. Quis ergo in illum non ſperet?

1. *Corde & opere miſeretur.*

2. *Conuocat diſcipulos.*

Secundò. Conuocat diſcipulos ſuos, & quodammodo conſulit, quomodo eſurienti turbæ prouidendum ſit; vt doceret Primò Principes & magiſtratus ſolicitos eſſe, & conſultare cum ſuis debere, quomodo famis præſertim tempore populo de annonâ proſpiciendum ſit. Agnouère id Valentinianus & Marcianus Imperatores, qui, vt habetur in Cod. Iuſtin. C. *de ſacroſ. Eccl.* dixerunt: *Humanitatis noſtra eſt, egenis proſpicere ac dare operam, vt pauperibus neceſſaria non deſint.* Eam ob cauſam quidam apud Iſa. c. 3. recuſat eſſe Princeps; quia *non ſum medicus*, inquit, (vt videlicet poſſim mederi reipubl. calamitatibus) *& in domo meâ non eſt panis* (ad pauperes alendos) Alciatus *embl.* 143. Principem reipubl. ſaluti ſtudentem depingit ſpecie anchoræ circumuoluto Delphino. Hic enim cùm tempeſtatem præſagiat, docet principem quando, quomodo & vbi figere anchoram & ſaluare nauim reipubl. debeat tempore calamitatis publicæ. Secundò non eſſe ſpernenda ſemper inferiorum & rudiorum conſilia; quemadmodum & Moyſes bonum & ſanum conſilium accepit à Iethro, homine gentili & alienigenâ. Exod. 18. *Sæpe etenim eſt olitor verba opportuna locutus.* Plato cuidam ſibi obiicienti: *Túne es Doctor ſimul & Diſcipulus? & quamdiu diſces?* reſpondit: *Tamdiu, donec me ſapientiorem fieri non pœnitebit.* Plut. in Platone.

3. *Obſeruat dies populi ſequentis.*

Tertiò. Obſeruat dies, quibus audiebatur & ſuſtinebatur à populo; quia *ecce iam triduo ſuſtinent me*, inquit. Imò & greſſus: *quidam enim ex eis*, ſubdit, *de longè venerunt*; ideoque ſolicitus eſt, ne ieiuni reuertentes deficiant in via. Itaque bono animo eſtote, quicunque Dei verbum patienter & crebrò auditis, qui cum Chriſto aduerſa multa, famem, deſolationem, morbos, &c. ſuſtinetis, quia ipſe numerat dies, quibus ea toleratis: numerat greſſus, iuxta id Iob 14. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti.* Reſpicit lachrymas, quas in miſeriis veſtris effunditis, iuxta id Pſ. 55. *poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo ſicut & in promiſſione tuâ.* Hebr. *nonne in libro tuo?* Denique liberaliter remunerat præſtitum ſibi obſequium, vt in hodierno Euangelio. Non ita mundus, cui ſeruitur. Similis eſt ille Idolo Baal, quod clamantibus ad ſe ſeruis ſuis, licet ij cultris ſe cruentarent, ne verbum quidem reſpondit. 3. *Reg.* 18. Vel enim non reſpondet precibus tuis; vel ſi reſpondet, nihil aliud ait, quàm quod illi Iudæ deſperanti: *Quid ad nos tu videris.* Quàm ergo bonum eſt ſeruire Deo & cum ipſo aliquid ſuſtinere! Tametſi enim differt mercedem ſuam, tarditatem tamen benignitate compenſat. Deinde diſcimus remunerari obſequia nobis præſtita, & imprimis operarios non fraudare mercede ſuâ, nec differre diu à ſolutione.

4. *Benedicit cibum.*

Quartò. Benedicit cibum apponendum, gratias agens, eaque benedictione multiplicat panem & ſaturat omnes. Ita etiam poteſt Deus modica noſtra benedictione ſuâ multiplicare; vbi enim eſt benedictio Dei, ibi modicum etiam ſufficit & ſaturare poteſt; quia *Benedictio Domini diuites facit*, ait Sapiens, *Prou.* 10. Contrà vbi deeſt Dei benedictio, etiam abundantia fit inopia. Itaque de manu Dei accipienda ſunt bona noſtra, non de iniquo mammonâ; ait enim Sapiens Prou. 11. *Alij diuidunt propria & ditiores fiunt; alij rapiunt non ſua & ſemper in egeſtate ſunt.* Narrat Leontius in vita S. Ioannis Eleemoſynarij de mercatore quodam opulento, fruges & merces eius naufragio periiſſe. Quod infortunium cùm lamentabundus narraret S. Ioanni; audiuit ab eo: *Scias hoc tibi nulla alia de cauſa accidiſſe, niſi quòd hæc nauis non iuſtè, non honeſtè à te eſſet acquiſita.* Iuſſit ergo ei dari vnam ex nauibus Eccleſiæ, onuſtam viginti millibus modiorum frumenti, cum quâ fœliciſſimè nauigans mercator, appulit in Britanniam fame tunc laborantem, vbi moderato pretio vendens frumentum, Britannorum indigentiæ dum conſulit, ipſe ditatus eſt. Itaque vbi iuſta ſunt lucra, Dei benedictio adeſt: vbi iniuſta, maledictio.

C. II. A Diſcipulis liberalitatem.

A diſcipulis diſcimus liberalitatem. Nam Primò, licet in tanta inopia rerum neceſſariarum locoque deſerto non plus haberent quàm ſeptem panes & paucos piſces, eos tamen poſtulati ſtatim & ſyncerè promunt pro communi vſu, nihil ſibi reſeruant: memores fortè doctrinæ S. Tobiæ cap. 4. dicens: *Quomodo potueris, ita*

1. *Offerunt panes.*

ita eſto miſericers. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Ideo pro ſeptem panibus tollunt ſeptem corbes plenos; quia *qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* 2. Cor. 9. Septem panes ſemen fuerunt, ſeptem corbes meſſis. Adeò fœcundus ager ſunt manus Domini & ſinus pauperum. Viderint verò hic Monopolæ, quia famis tempore annonā augent nec frugibus à ſe coëmptis, eſurientibus ſuccurrere volunt. Certè eos grauiter inſectatur S. Ambr. l. 3. offic. cap. 6. *Cur,* ait, *ad fraudem conuertis naturæ indulgentiam, quæ copioſas dat fruges? Cur inuides vſibus hominum publicos partus? cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis à pauperibus ſterilitatem? cùm enim non ſentiant beneficia fœcunditatis, te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potius nihil naſci, quam te de fame publicâ negotiari.* Et mox: *Latrocinium hoc, an fœnus appellem? captantur tanquam latrocinij tempora, quibus in viſcera hominum durus inſidiator obrepas. Lucrum tuum, damnum publicum eſt. Ioſeph ſanctus omnibus aperuit horrea, non clauſit. Rectè Salomon* (Prou. 11.) *Qui continet,* inquit, *frumentum, relinquet illud nationibus, non heredibus: quoniam auaritia emolumentum ad ſucceſſorum iura non peruenit. Quod non legitimè acquiritur, quaſi ventis quibuſdam, ita extraneis diripientibus diſſipatur.* Dicunt iſti, vt teſtatur Amos c. 8. *Quando tranſibit menſis & venundabimus merces, & ſabbatum, & aperiemus frumentum, vt imminuamus menſuram & augeamus ſiclum.*

2. *Apponunt & diſtribuunt.*

Secundò. Apponunt & diſtribuunt panes ac piſces, magna vtique ſolicitudine & labore, nunc ad hoc, nunc ad aliud conturbernium diſcurrentes, quò nimirum omnes habeant quod manducent, nemo egeat. Neque dubium, propriæ famis oblitos, alienam tantùm curaſſe. Sic nimirum tempore famis boni Chriſtiani velut Chriſti diſcipuli ſoliciti ſunt de pauperibus. Sic extincto Saule & Ionathâ, dicebat Dauid: *Putáſne eſt aliquis qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionathan;* 2. Reg. 9. Eodem modo nunc interrogent ditiores, quinam ſint ex hac vrbe egentes, vt faciant cum illis miſericordiam. Ac ſicuti Apoſtoli non neglexere longè poſitos, ſed ad omnes excurrere: ita non excludendi ab vrbibus peregrini & alienigenæ, qui aliàs labore & ſudore ſuo ſeruire communitati ſolent. Id enim S. Ambroſius *l. 3. offic. c. 7.* feriò monet inter alia: *Feræ non expellunt feras,* inquit, *& homo hominem excludit?* Acceperunt Apoſtoli à Chriſto panes, vnde non difficulter eos diſpenſarunt. Igitur & nos reddamus quod accepimus.

3. *Colligunt reliquias.*

Tertiò. Tollunt & colligunt reliquias, in alium vtique bonum & pium vſum, vt habeant quod dent aliis pauperibus. Ita etiam decet eſſe liberalem, vt prodigalitas vitetur, & quæ ſuperſunt victui noſtro, reſeruentur vſo; ad virtutis occaſionem. Hoc ſi feciſſent multi, ſi inquam, parciùs vixiſſent, & quæ illis ſupererant fragmenta, ſuſtuliſſent ac repoſuiſſent in futuram neceſſitatem, non iam colligere ſtipem cogerentur. Diogenes ab aliquo profuſiſſimo homine minam petebat pro ſtipe, cumque alter miraretur impudentem poſtulationem, dicens: *Cur tu à me minam, qui ab aliis obolum tantùm petis? Quia,* inquit, *ab aliis iterum me accepturum ſpero, à te verò an vnquam poſthac accepturus ſim, incertum eſt;* ſignificans eum breui ad incitas redigendam ob immodicam opum profuſionem. Laërt. *lib. 6.*

D. III. A populo patientiã & confidentiam.

A populo patientiam diſcimus & confidentiam. Nam Primò, cum Chriſto perſeuerant patienter vſque ad diem tertium audiendo eius ſermonem, ſequendo eum ad deſertum vſque. Itaque qui in obſequio Dei perſeuerat, ne dubitet de prouidentiâ diuinâ, non enim obliuiſcitur Deus ſeruorum ſuorum. Nónne ſufferentiam Iob remuneratus eſt, dando ei pro amiſſis duplicia, Iob 42. Vnde Iacobus c. 5 ait: *Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* Similiter Tobias *non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei, ſed immobilis in Dei timore permanſit,* Tob. 2. Ideoque viſum recepit per angelum.

1. *Cũ Chriſto perſeuerans.*

2. *Iuſſus diſcumbit.*

Secundò. Iuſſus diſcumbere, diſcubuit, licet non intelligeret, vnde paſcendus eſſet, & vnde cibus haberi poſſet in iſta ſolitudine. Ita nimirum confidendum Deo & expectanda ab eo refectio. Sic in vita S. Dominici legimus, eum cum decem fratribus Romæ aliquando diſcubuiſſe, cùm ſcirent nihil cibi eſſe præ manibus (ſiquidem vnicum panem duo fratres eo die mendicatò obtinuerant, quem pauperi exigenti dederant) cumque ad menſam legi cœptum eſſet, duo ſpecioſiſſimi iuuenes ingreſſi ſingulis panem candidiſſimum appoſuére & diſparuere; dolium inſuper euacuatum, vino optimo repleuere. Sur. 6. Auguſti.

3. *Expectat refectionem.*

Tertiò. Patienter expectauit refectionem: non petiit paſci per miraculum, licet etiam anteà id à Chriſto factum ſciret: non murmurauit ob dilationem vel detentionem: non abiuit in caſtella ad comparandum cibum, ſed totus à Chriſti voluptate pependit. Denique licet valde eſuriret, non inuolauit tamen in manus Apoſtolorum panem apponentium, non rapuit vi, non extorſit. Ad eundem modum non petamus à Deo, vt nouo & miraculoſo modo ſuſtentet, ſed contenti ſimus communi & ordinariâ eius prouidentiâ, ac ſi quis in annona & frugibus eſt defectus, peccatis noſtris adſcribamus, vel peculiari Dei diſpoſitioni, &c. Rurſum non debemus murmurare, ſi tardiùs opituletur. Scriptum eſt: *Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore. In tẽpore,* inquit. Multò minùs abeundum eſt ad illicita media, fraudes, furta, mẽdacia: nec vi extorquendus panis.

4. *Contentus eſt refectiuncula.*

Quartò. Solo pane & paucis piſcibus ſaturatus & contentus fuit. Ita mediocri menſa, adeoque ſolo pane, ſi aliud non ſuppetat, contentos nos eſſe oportet. Vnde & ſolum panem quotidianum petimus in oratione Dominica. Cyrum Regem intueamur, qui cùm ad hoſpitem diuertiſſet & ab eo rogaretur, quid ad prandium apparari iuberet, reſpondit: *Nihil aliud quàm panem, quia ſpero me prope riuum*

cænaturum. Ammianus l. 23. Cæſarem Auguſtum legimus cænaſſe ternis vt plurimùm ferculis, aut cùm abundantiſſimè, ſenis præbuiſſe conuiuium. Antiquos etiam Romanos duobus tantùm ferculis epulari ſolitos ſcribit Seruius; vixiſſe item ex hortis ſuis damnatis pulmentariis, ſcribit Plinius *l.* 19.*c.*4. Didiciſſe videntur hoc à Romulo ſuo Conditore, qui vini imprimis parciſſimus fuit. Vnde cùm aliquando ad cœnam vocatus, minimum ibi bibiſſet, dixerunt eius familiares: *ſi ad iſtum modum bibant omnes homines, vinum fore vilius.* Tymp. *in ſpec. magiſtr. ſigno* 72. Iulius Cæſar coquos omnes eiecit à Palatio dicens: *Non opus eſt mihi coquis, cùm ſimpliciſſimis cibis contentus eſſe poſſim.* Idem ibid. Similiter Lacedæmone coquos eſſe non licebat alios, quàm carnis dumtaxat. Qui verò quamuis cupedinariam aliam artem nouiſſet, eiiciebatur Spartâ. Ælian. lib. 14. de var. hiſt.

E. IV. Vnâ Euchariſtiæ ſpecie contenti ſimus.

Diſcimus etiam hinc vnâ Euchariſtiæ ſpecie in S. communione contenti eſſe. Quod plura alia perſuadent argumenta.

1. Primum; quia primi Chriſtiani tempore Apoſtolorum ſub ſpecie panis tantùm communicabant, vt colligitur ex Act. Apoſtol. *c.* 2. & 20. vbi non calicis ſed communionis, fractionis panis (Euchariſtici vtique) ſolùm mentio fit; imò non pauci ſentiunt, ipſum Chriſtum in Emmaus binis diſcipulis Euchariſtiam porrexiſſe, quod in panis tantùm ſpecie factum eſſe oportuit. Adhæc tempore Leonis & Gelaſij PP. prohibitũ Catholicis ſub vna ſpecie communicare, propter Manichæos, qui tunc ſpeciem vini reiiciebant, quòd dicerent, Chriſtum non verè mortuum, nec ſanguinem fudiſſe, ideòque inter Catholicos latentes ſub ſpecie panis tantùm communicabant. Denique aliquibus olim domum deportanda dabatur Euchariſtia, vt ex Cypriano, Tertulliano & S. Baſilio diſcimus. Ergo hinc ſequitur multos ſaltem Chriſtianos ante eam inhibitionem ſub vna ſpecie communicaſſe, idque approbatum fuiſſe ab Eccleſia donec Manichæi orirentur & Eccleſiam mouerent ad vtriuſque ſpeciei vſum præcipiendum.

2. Secundum. Quia ſub vna ſpecie æquè continetur ac ſumitur totus Chriſtus, cum carne & ſanguine (ſiquidem Chriſtus, iam non moritur ampliùs, adeòque nec diuidi poteſt) atque ſub vtraque. Ac licet conſecratio panis tendet per ſe ad corpus Chriſti ſolùm, vnà tamen cum corpore per naturalem concomitantiam adeſt etiam ſanguis, adeòque totus Chriſtus. Sic oculi in ſe non vident niſi colorem pomi, quia tamen cum colore pomi coniunctus eſt ſapor, odor, ſubſtantia pomi, dicuntur videre totum pomum, non colorem tantùm. Quando ergo in vna ſpecie non habemus minus quàm in duabus, quid querimur vnam nobis ſubtrahi? Qui collegerat duo gomor ſeu modios mannæ, non habebat plus quàm qui vnum, *Exod.* 16. Ita qui ſub vtraque ſpecie communicat, non accipit plus, quàm qui ſub vna.

3. Tertium. Quia non minor fructus percipitur ex vna, quàm ex duabus ſpeciebus. Quâ in re differt ſpiritualis refectio à corporali; illa fit

cibo & potu diſtinctis: hæc autem vna quæ habeat vim cibi & potûs, eſtque Chriſtus.

Quartum. Quia non deſunt cauſæ vrgentes quæ ſuadent vnam potiùs quàm vtramque ſpeciem. 4

Prima eſt, quòd multi ſint abſtemij à vino, quibus vinum omninò contrarium nauſeam parere ſolet: cuiuſmodi homines etiam ab ipſis aduerſariis ſpecie panis ſola communicari ſolent. Secunda, quòd vinum multis in locis haberi nequeat, præſertim in tanta copia vt tot millium communioni ſufficiat, vti Ruthenos & quædam nationes in India non ita pridem deprehenſæ. Tertia. Quòd in tanta multitudine periculum ſit effuſionis aut irreuerentiæ, infectionis (præſertim tempore peſtis) nauſeæ ex priorum ſordibus bibentium de eodem cratere, &c. Propter has ergo cauſas prudenter Eccleſia ſtatuit vt (quando Manichæorum hæreſis iam extincta eſt) laici ſub vnâ ſpecie deinceps communicarent. Neque ſine exemplo. Olim enim baptiſmus cum trina merſione conferebatur, ad confutandos eos qui negabant Trinitatem: poſteà contra alios hæreticos qui baptiſmum iterandum contendebant, cum vna tantùm; quia nimirum etiam hac in re nihil iure diuino Eccleſiæ perſcriptum, ſed totum eius diſpoſitioni relictum fuit. Maneat igitur Eccleſiam in his rebus velut Magiſtram per omnia ſequendam & habendam tanquam matrem, ſi velimus Deum habere velut Patrem.

CONCIO X.

Myſteria.

1. *Explicatur Chriſtum communicaſſe conſilia ſua diſcipulis vt eorum fidem probaret, vt magis conſtaret ciborum defectus, & doceret in rebus magnis nil eſſe agendum ſine deliberatione.*
2. *Diſtuliſſe refectionem in tertium diem, vt exerceret auditores in patientia & ſobrietate.*
3. *Septem panes præfigurare 7. Sacramenta.*
4. *Iuſſi ſunt diſcumbere vt exercerentur in fide, & ad commendandam humilitatem præſertim in ſuſceptione Sacramentorum.*
5. *Iuſſit Chriſtus diſcipulos panem iis apponere, vt qui futuri erant diſpenſatores myſteriorum Dei &c.*
6. *Aſſignatur allegorica ſignificatio huius hiſtoriæ.*

THEMA.

Præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram,
Marci 8.

QVod Apoſtolus Petrus epiſt. 1. c. 2. docuit, Auditores, cùm dixit: *Sicut modò geniti infantes, rationabile ſine dolo, lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem;* hoc docemur etiam in hodierno Euangelio, dum à Chriſto turbæ A.

ſaturandæ panibus, iubentur diſcumbere ſuper terram. Quid enim lac, de quo S. Petrus, niſi doctrina Euagelica, dulcis, pura & ſincera, reddens animam nitidam & fortem, abſcondita per fidem in vberibus matris? Hanc appetere nos iubet Petrus veluti infantes ſimplices & humiles; idem facit Dominus, cùm diſcumbere iubet conuiuas ſuper terram. Hoc enim verbo inſinuat, humilem eſſe debere, & cum magdalena ad pedes Prædicatorum ſedere, qui vult percipere Dei ſapientiam: in valles enim, non in montes defluit humor pluuiæ. Deindè vult S. Petrus, vt in ea doctrina creſcamus ſeu proficiamus, quoad virtutem & perfectionem Chriſtianam. Idem inſinuat Dominus, vt obſeruat S. Beda hoc loco, dum iubet Auditores ſuos diſcumbere ſuper terram. In priore enim, huic ſimili conuiuio, de quo Marci 6. agitur, iuſſit homines diſcumbere ſuper viride fœnum: at hic ſuper terram, nudam videlicet & non inſtratam; quia decet Chriſtianum creſcere in contemptu mundi & virtutum perfectione; ac ſi primò quidem paulò molliùs ſedit, ac vixit, poſteà paulatim duriori aſſueſcat vitæ; & gaudeat ſeruire Deo, etiam ſine culcitrâ temporalium commoditatum. Quare, Auditores, ſedete imprimis humi cum conuiuis hodiernis & veluti infantes excipite lac Euangelij, humili ac ſimplici animo vt creſcatis in profectu vitæ; ad ſalutem veſtram.

B. I. Cur Dominus diſcipulis communicat ſuū conſiliū.

Q. PRIMÒ. Cur conuocatis diſcipulis communicauit conſilia ſua? Reſp. primò, vt Apoſtolorum fidem probaret. Iam enim aliquando viderant ſimile miraculum ab ipſo patratum. Et tamen eius quaſi obliti, ſuam tantùm impotentiam, (vnde illos quis poterit ſaturare, &c.). non Chriſti allegant potentiam. Ita nimirum & nos, licet Dei ſubuentionem ſæpiùs in neceſſitatibus experti ſimus, tamen adhuc diffidimus, cùm noua premit calamitas.

1.

2. Secundò. Vt magis conſtaret ciborum defectus & ſubuentionis neceſſitas, adeoque clarius fieret miraculum. Noluit enim Chriſtus miraculum facere, niſi eius faciendi magna ſe offerret opportunitas, ne videretur inanem velle captare gloriam.

3. Tertiò. Vt doceret nihil in rebus magnis agendum ſine deliberatione & conſilio prudentum, adeoque Magiſtris etiam non ſpernenda conſilia diſcipulorum. Ita monet Sapiens Eccli. 32. *Fili ſine conſilio nihil facias*. Moyſes etiam à Iethro ſocero ſuo bonum accepit conſilium, (*Exod.* 18.) homine alienigenâ & gentili.

Neque tamen cum quibuſuis conſultandum tibi, ſed cum peritis, & ſincerè te amantibus. Olim petebatur conſilium à *Videntibus*, id eſt, propheris, quos videntes appellabant, vti 1. *Reg.* 9. diſcimus, vbi dicitur: *Olim in Iſrael ſic loquebatur vnuſquiſque vadēs conſulere Deum: Venite & eamus ad videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns*. Sed hodie petitur ſæpenumerò conſilium à cœcis, ſeu ab iis, qui vel ad temporalia tantùm attendunt, non ad conſcientiam & ſpiritualia: vel amore cæcati loquuntur placentia.

C. II. Cur diſtulit refectionem ad tertiū vſque diem.

Q. SECVNDÒ. Cur expectauit tertium diem ad populum reficiendum? Reſpondeo primò, ne ſi primo ſtatim die populum refeciſſet, crederetur populus panis tantùm gratiâ eum ſequi & audire. Itaque expectare voluit tempus neceſſitatis, vt non cupiditas, ſed neceſſitas miraculo occaſionem præberet.

1.

2. Secundò. Vt Auditores ſuos in patientia bene exerceret & doceret ante omnia ſatiandū animum pane ſpirituali. Ex quadam Domini parabola *Luc.* 17. diſcimus conſuetum & iuſtū eſſe, vt Dominus priùs cænet, ſeruus verò cænanti miniſtret, poſteà primùm & ipſe comedat: *Para, quod cænem*, inquit, *& præcinge te, & miniſtra mihi donec manducem & bibā, tu poſthac manducabis, & bibes*. Anima noſtra Dominus eſt, corpus verò ſeruus eius. Priùs ergo cænâ ſuam ſumere anima debet, & ad hanc cum patientiâ miniſtrare ei corpus; poſteà & ipſum accipiet cænam ſuam. Cæna animæ verbum Dei eſt.

3. Tertiò. Vt doceret verbum Dei ſalubriùs audiri à ſobriis & ieiunis, quàm à ſaturis & bene paſtis. Saturitas enim cibi ad ſomnum inclinat, mentis euagationem cauſat & obdurat cor. Hinc Balthaſar ille poſtquam in conuiuio iam temulentus eſſet, vidit quidem manum ſcribentem ad parietem, petiitque ſcripturæ interpretationem; ſed eâ tamen à Daniele datâ, nihil emendatus eſt. Audierat eâ nocte ſeſe interficiendum, & honorauit Danielem velut vatem veridicum; interim tamen ſibi non conſuluit vt imminentem cladem euaderet, *Dan.* 5. Temulentia nimirum obſtitit, quæ cerebro & intelligentiæ nebulas offudit. Sanctus etiam Baſilius Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopus in quadam ſolemnitate cathedram conſcendens, ſermonem habiturus, ſciens interim populum delitiis implicatum & diſſolutum, ſtatim in præfatione deſperare ſe dicebat de fructu concionis, quòd auditores eſſent indiſpoſiti. Vt habetur *hom.* 14. *pag.* 185. *edit.* Pariſ. Bene ergo Iſaias c. 28. ait: *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus*; id eſt, auocatos à delitiis & intemperentiâ, ad ſobrietatem.

D. III. Quid ſignificant ſeptem panes. Septenarius Sacramentorum præfiguratus.

Q. TERTIÒ. Quid ſignificant ſeptem panes? Reſp. Septem Eccleſiæ Sacramenta, quibus turba fidelium reficitur. Pluribus autem in locis S. Scripturæ deſignatus videtur ſeptenarius Sacramentorum. Primò Gen. 45. vbi *Pharao vidit in ſomno ſeptem ſpicas pullulare in culmo vno, plenas & formoſas*; quæ ad literam ſignificabant panis abundantiam futuram in Ægypto per annos ſeptem. Myſticè deſignant ſeptem Sacramenta, quæ ab eodem culmo, Chriſto, producta, non vacua & egena elementa, (vt in veteri lege) ſed plena gratiarum & virtutum ſunt, 1.
paſcuntque vniuerſum orbem Chriſtianum affluentiſſimè toto ſeptennio, hoc eſt, toto reliquo tempore, vſque ad mundi ſabbatum & finem: Formoſa quoque ſunt, quia dum tangunt corpus, animum gratiâ exornant. *Caro*, ait Tertull. l. de reſurrect. carn. *abluitur, vt mundetur anima; caro chriſmatur, vt anima roboretur; caro inungitur, vt maneat anima conſecrata;*

creata, caro alitur ſpeciebus panis & vini, vt anima ſatiatur, &c.

2. Secundò. 4. *Reg.* 5. In ſeptenâ lotione Naaman Syri præcepta ab Eliſæo ad emundandam eius lepram fluuio Iordanis. Aquæ Iordanis ſanguinem Chriſti notant, in quo lauamur ſepties, dum ſeptem Sacramentorum vſu abluimur à peccati leprâ, & recuperamus gratiam quaſi carnem infantilem, quæ eſt animæ munditiæs.

3. Tertiò. *Prou.* 9. In columnis ſeptem, quibus inædificata eſt Eccleſia. Ita enim legimus ibi: *Sapientia ædificauit ſibi domum: excidit columnas ſeptem.* Septem, inquam, Sacramenta, quibus inſiſtit, conſeruatur, dilatatur & perficitur Eccleſia in omnibus ſuis membris; vti docet Lud. à Ponte de perfect. tom. 1. tract. 1. c. 7. *Prima columna eſt Sacramentum Baptiſmi, per quod regenerantur filij, & habitatores Eccleſiæ, recipientes ſpirituale eſſe gratiæ, propriumq; ſignum eorum, qui ſunt partes Eccleſiæ. Secunda columna eſt Confirmationis Sacramentum, quod tam regeneratos confirmat; & in ſpirituali eſſe, quod acceperunt, corroborat, forteſq; reddit ac firmos tanquam columnas, aduerſus tyrannos & perſecutores. Tertia columna eſt Pœnitentia, quæ reficit reparatq; omnia eorum damna, reſuſcitans eos ad gratiam, quam peccato poſt Baptiſmum admiſſo perdiderunt. Quarta eſt SS. Euchariſtia, in qua latet Dominus totius domus, & columnarum omnium firmamentum, vt in ea habitantes ſuſtentet, conſeruet, eorumq; virtutes adaugeat. Quinta eſt Extrema vnctio, quæ nos fortificat, redditq; conſtantes in vltimo mortis conflictu, vt in eo ſuperiores euadamus. Sexta eſt Ordo ſacer, qui domus huius miniſtros nutrit, vt proprijs eius muneribus fungantur in vtilitatem omnium habitantium. Vltima columna eſt Matrimonij Sacramentum, quod gratiam confert coniugatis, ad filios dignè educandos, qui ipſam Eccleſiam condant. Quæ ſeptem columnæ, licet externæ ſint & ſpectabiles, eleganterq; multis ſanctiſſimis myſticiſq; cæremonijs elaboratæ: multo tamen magis pretioſum eſt, quod intus continent, & in animabus tanquam Dei inſtrumenta efficiunt; ad eas iuſtificandas, & omni virtutum genere ſanctificandas.*

4. Quartò *Zach.* 4. In ſeptem infuſoriis candelabri aurei. Vidit enim ibi Zacharias in ſpiritu *candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ eius ſuper illud: & ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput eius: & duæ oliuæ ſuper illud: vna à dextris lāpadis, & vna à ſiniſtris eius.* Candelabrum hoc Eccleſia eſt; lampas Pontificem & Romanam deſignat Eccleſiam, quæ, velut matrix, oleum, hoc eſt, poteſtatem ordinis & iuriſdictionis, vigorē, doctrinam, gratiam inſtillat, per ſeptem infuſoria, id eſt, ſeptem Sacramenta, ſeptem lucernis, quæ ſunt vel Eccleſiæ omnes particulares, vel ſeptem Eccleſiæ ſtatus, Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum, qui ſanguine ſuo Eccleſiam fundarunt: Epiſcoporum & Prælatorum, qui eam gubernant: Doctorum, qui eam erudiunt & docent: Sacerdotum, qui eam Sacramentis paſcunt: Religioſorum, qui ſeipſos cultui diuino deuouent: Continentium, ac denique Coniugatorum.

Quintò. *Apoc.* 1. In ſeptem ſtellis, quas in manu ſuâ habere viſus eſt Chriſtus. 5.
Per eas Ioachimus Abbas intelligit ſeptem Planetas, qui ſenſu myſtico deſignant nobis Sacramenta ſeptem, quæ Eccleſiam ita ornant atque illuſtrant, vti Planetæ cœlum. Inter ea SS. Euchariſtia, quaſi ſol inter Planetas cæteros eſt, omnibus lumen ſuum communicans, & omnes virtute & ſplendore eminentiſſimè ſuperans.

E. IV. Cur iuſſit populum diſcumbere ſuper terram.

Q. QVARTÒ. Cur populum iuſſit Dominus diſcumbere ſuper terram? Reſpond. Primò, vt exerceret eum in fide, nondum enim panes in promptu erant, niſi ſeptem illi; credere ergo voluit populum, panem ſibi miraculo mox ſuppeditandum, vt meritum fidei haberet. Nec id ſuaſit aut rogauit, ſed præcepit, quia 1. non niſi per fidem voluit nos ſaluare, & pane cæleſti reficere, tam in S. communione, quàm in cæleſti beatitudine. Fides neceſſaria, adeoque præcepta eſt.

2. Secundò. Vt commodiùs diſtribui ſingulis ſuæ partes poſſent, dum eodem loco omnes quieti conſiderent; (nam alioquin ſtantes, certo loco non hæſiſſent) monens interim nos, vt in ſacramentorum ſuſceptione, ad id quod agimus, attenti ſimus: extraneas cogitationes & occupationes interim ſeponamus. Hinc enim & corporalem cibum ſedendo, non eundo vel ſtando ſumimus, vt ſumptus cum quiete corporis magis proſit & nutriat.

3. Tertiò. Ad commendandam nobis humilitatem in ſuſceptione præſertim ſacramētorum; Ibi enim humiliatur homo coram Deo & Sacerdote, dum ſe denudare debet in baptiſmo; dum genuflectere, percuti & faſciâ obligari in confirmatione; dum ſe accuſare humiliter in pœnitentiâ; dum ad S. Euchariſtiam erectis manibus, depreſſis oculis, cum tunſione pectoris accedere; dum in S. Vnctione ſpiritualem armaturam ſuſcipere in membris ſuis. Hoc eſt in terra ſedere, terram ſe & puluerem agnoſcere.

4. Quartò. Ad docendum, debere nos in vocatione noſtrâ conquieſcere, ſi velimus ſaturi & contenti eſſe rebus noſtris. Propterea enim multi non ſatiantur, quia ſemper altiùs ſupra ſtatum & conditionem ſuam conantur euolare. Miles quærit eſſe Capitaneus, Capitaneus vult eſſe Dux, hic tandem Imperator. Ciuis nobilitatem affectat, nobilis vult audire illuſtris & generoſus, &c. Hinc nulla animi ceſſio & quies, nulla collectio, nulla pax, nullum gaudium. Quod etiam experiuntur qui ſuâ mediocritate contenti non ſunt, ſed pluribus ſemper opibus inhiant. Numquam enim hi ſuauiter comedunt & dormiunt, quia numquam ſibi perſuadent diuites ſe eſſe.

F. V. Cur per diſcipulos iuſſit apponi panes.

Q. QVINTÒ. Cur per apoſtolos iuſſit apponi panes? Reſp. Primò, vt ſcirent diſcipuli ſe futuros eſſe diſpenſatores myſteriorum Dei, adeoque ſibi vigilandum aliis dormientibus, ſibi diſcurrendum & laborandum aliis ſeden- 1.

tibus; & hoc ipſum ſummæ dignationis opus eſſe, quòd eorum operâ velit vti Chriſtus ad parandam hominum ſalutem. Scirent etiam non eſſe cur propterea extollerentur. Licet enim in eorum etiam manibus & ſinubus multiplicarentur panes, id tamen non ſuæ, ſed Chriſti ſolius virtuti adſcribere poterant. Scirent denique ſe non alia, præter ea quæ ſibi à Chriſto & Eccleſia tradita eſſent, myſteria, debere diſpenſare, nec alienum adhibere ignem ad ſacrificium, ſed ſacrum; quâ de causâ morte puniti ſunt filij Aaron, *Leuit.* 10. Ignis ſacer è cœlo lapſus, quo vti ad ſacrificia debebant, legitimam poteſtatem è cœlo acceptam denotat: ignis profanus ſeu alienus poteſtatem illegitimam, à profanis hominibus acceptam, qualem habent præcones Acatholici.

2. Secundò. Vt eos exerceret in operibus charitatis & miſericordiæ; quo & parentes diſcerent idem facere cum filiis ſuis, quos ad hoc inſtituere debent, vt miſericordiæ operibus à teneris aſſueſcant, quemadmodum fecit Tobias; qui feſtiuis diebus miſit filium ſuum vt adduceret ad menſam patris pauperes (vt monet Hebræus & Græcus textus) timentes Deum. *Tob.* 2

3. Tertiò. Vt nos doceret quòd Apoſtoli eorumque ſucceſſores, Epiſcopi & Sacerdotes mediatores quidam ſint inter Deum & homines, adeoque Cooperatores Dei, qui cum illis velut cum inſtrumentis operatur virtutem & efficaciam ſacramentorũ, quo modo etiam inter manus diſcipulorum panes mirabiliter multiplicati ſunt ex vi benedictionis Chriſti.

Q. Sextò. Quid allegoricè notat hæc hiſtoria? Reſpond. turbam Chriſti ſectatricem denotare peccatores, qui per pœnitentiam Chriſto appropinquant, & pane ſacramentorum, præſertim ſacræ Euchariſtiæ, ſatiari cupiũt. Ex illa qui de longè venerunt, grauiores notant peccatores, qui cum filio prodigo abierant in regionem longinquam, & per immania ſcelera longiſſimè à Deo receſſerant. Triduo ſuſtinent Dominum, cùm per tres pœnitentiæ partes, contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem, expiant peccata; qui niſi reficiantur pane ſpirituali, deficient in via, nec perſeuerabunt. Prouidet igitur eis Chriſtus ſeptem ſacramentorum panes per manus Sacerdotum: verùm vt cum guſtu & fructu percipiant panes illos, diſcumbere iubentur ſuper terram, hoc eſt, diſponere ſe ad dignam ſacramentorum perceptionem. Satiantur verò cùm depulsâ vitiorum & terrenarum rerum fame, gratiam adepti ſunt, cœleſtis gloriæ pignus. Quæ ſuperfuére fragmenta, quid niſi inexhauſta Chriſti merita ſunt, quæ infinitis aliis hominibus, imò mundis, ſi qui eſſent, reficiendis & beandis ſufficere poſſent? Numerus quatuor millium diſcumbentium ſignificat electorum cuneum, qui ex quatuor mundi plagis veniet & recumbet cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cœlorum; quò & nos omnes perducere dignetur Chriſtus Dominus, cœleſti pane æternùm ſatiandos.

Q. VI. Quid allegoricè notat hæc hiſtoria.

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Matth. 7.

IN illo tempore, dixit IESVS diſcipulis ſuis: Attẽdite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autẽ ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non poteſt arbor bona, malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignẽ mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.

CONCIONES.

I. *Triplex arbor mala, Peccatum, Concupiſcentia, Voluptas; earumdem fructus.*
II. *Exponitur ſententia Chriſti in arbores ſteriles.*
III. *Cur requirat à nobis Deus bona opera.*
IV. *Quinã fruſtra dicant Deo, Domine, Domine.*
V. *Mendacium quàm ſit fugiendum.*
VI. *Quinque pſeudoprophetæ cauendi, Mundus, Caro, Dæmon, Hæretici, Diuinatores.*
VII. *Hypocritarum indicia.*
VIII. *Fructus hæreſeos.*
IX. *Hæretici depinguntur.*
X. *Documenta & Myſteria.*

CONCIO I.

Triplex arbor mala, peccatum, concupiſcentia, voluptas: earumdem fructus.

Prima arbor eſt peccatum, pro fructibus proferens apertionem oculorũ, nuditatem, pudorem, remorſum conſcientiæ, metum Iudicij diuini.

2. Con-

2. *Concupiſcentia gignit pugnam inter ſpiritum & carnem, impedit à bonis operibus, cauſat inquietudinem, ad peccandum trahit, & mentem obſcurat.*

3. *Voluptas reddit hominem inſanum & effœminatum, damnis temporalibus afficit & in amaritudinem deſinit.*

THEMA.

Non poteſt arbor mala bonos fructus facere. Matth. 7.

A. MAlæ arboris, Auditores, mali etiam ſurculi ſunt. Mala vtique arbor fuit lignum ſcientiæ boni & mali, quia primos noſtros parentes & nos cum illis perdidit miſitque in exilium; ſed nec meliores ſurculi, qui ex illa prodierunt. Sublata eſt quidem arbor ſcientiæ mali & boni; genuit tamen ex ſe & poſt ſe reliquit alias tres arbores, quæ peſtifero ſuo veneno ingentem in mundo ſtragem edunt perduntque innumeros homines. Sunt autem Peccatum, Concupiſcentia, Voluptas. Concupiſcentia eſt mater, (cuius maritus quaſi adeoque peccati pater, eſt voluntas propria) peccatum eſt proles, voluptas eſt ſemen. Ergo vt noſſe & cauere has arbores poſſimus, videamus earum fructus.

B. 1. Peccatū. Eius fructus. PRIMA eſt peccatum, cuius typus erat arbor ſcientiæ boni & mali, quæ primis noſtris parentibus quinque peſtilentes & amaros fructus attulit; quorum Primus erat apertio oculorum. *Aperti ſunt oculi amborum*, ait S. textus.

1. *Apertio oculorum.* Ante peccatum enim, vel etiam in peccando, planè cæcus eſt homo, dum nequaquam videt, quantum mali in peccato ſit: at continuò poſt peccatum aperiuntur ei oculi; clariſſimè enim videt ſe, pro exiguâ & breui peccati voluptate maxima damna incurriſſe, & ſempiternum malum incurſurum. Ita poſt peccatum primorum parentum aperti ſunt oculi eorum; quia tunc aduertere cœperunt, quàm malè egerint, quàm miſerum in ſtatum ſeſe ex optimo deuoluerint, quàm verax ſit Deus, qui hoc eis prædixit: quàm mendax contrà dæmon in promiſſis ſibi ab eo factis; quàm graue ſit Dei voluntati non obedire, &c. Ita ægrotantes incipiunt æſtimare bonum ſanitatis. *Expertâ enim morbi moleſtiâ, euidentior fit etiam iucunditas ſanitatis*, inquit S. Auguſtinus *l. 14. de ciuit. c. 17.* Denique, *fit quotidie in nobis*, ait Serapion ſcriptor Græcus, *quod in primis illis hominibus factum eſt: quando peccamus, tunc cæci ſumus; vbi peccauimus, tunc demum agnoſcimus, quantum mali admiſimus, noſtrique facti nos pudet, tædet ac pœnitet.* In articulo mortis reos & captiuos nos videmus, quod non vidimus priùs; vti Milites regis Syriæ, qui percuſſi cæcitate, abducti in Samariam, viderunt ſe in medio hoſtium. *4. Reg. 6.*

2. *Nuditas.* Secundus erat nuditas; quia *cognouerunt ſe eſſe nudos.* Propter peccatum enim ſpoliamur plurimis & maximis Dei ornamentis & pretioſiſſimis virtutum cœleſtium veſtibus. Ita legimus *Exodi 32.* per peccatum Idololatriæ ſpoliatum fuiſſe populum Iſraeliticum inauribus & præſidio diuino, adeoque inter hoſtes nudum & imbellem conſtitutum. Fructus hic peccati eſt, quòd hominem Dei gratiâ ſpoliat, inſuper ſpeciali eius præſidio deſtitutum deſerat & diaboli inſidiis atque iniuriis exponit.

Tertius erat pudor & confuſio animi. Cùm enim viderent primi parentes ſe eſſe nudos ſentirentque in ſe motus concupiſcentiæ rebelles rationi; inde erubuerunt & ſuam nuditatem texerunt folijs ficuum. Ita nimirum peccatum pudorem & ignominiam generat, quam vt tegat peccator, ad inanes excuſationes & peccati palliationes confugit. Hinc Apoſtolus *ad Rom. 6.* ait: *Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* 3. *Pudor.*

Quartus, Iudicium ac teſtimonium conſcientiæ accuſantis & condemnantis: id quod apparuit in Adam & Eua, qui cùm audiſſent vocem Dei, abſconderunt ſe à facie eius. Ipſum ergo peccatum fit peccatori tinea, perpetuò eum rodens iuxta id Iſaiæ 50. *Tinea comedet eos.* Vnde bene dixit Muſonius apud Gellium: *cùm quis per voluptatem aliquid turpe geſſit; quod ſuaue eſt, abit: quod turpe & triſte eſt, manet.* 4. *Remorſus conſcientiæ.*

Quintus, metus diuini iudicij & vindictæ, quod teſtatur Adam dicens: *Vocem tuam Domine audiui & timui.* Magis adhuc id expertus eſt eius filius Cain, qui, ob necem fratris, totam vitam pauidus ac profugus egit; nec non Oreſtes ille matricida, qui ob ſcelus admiſſum nullam requiem inuenire poterat, nulloque loco conſiſtere: ſed cruentæ matris ſpecies & flammineomi oculi per magnam orbis partem vagum & profugum ac velut exulem agebant. 5. *Metus iudicij diuini.*

Porrò peccati pater non eſt niſi propria & deprauata voluntas. Quemadmodum ergo Euæ comeſtio nihil Adæ & poſteris eius nocuiſſet, niſi comediſſet ipſe: ita concupiſcentia ſolùm noſtra colludat cum peccato, abſque voluntatis conſenſu, nullum admittemus peccatum. At vbi voluntas conſentit, tum committimus. Itaque voluntas illa, peſtifera etiam arbor eſt; quia tam malam filiam (peccatum) & ex ea neptem, infernum gignit. Hinc enim S. Bern. ſerm. 3. de reſurrect. ait: *Tolle propriam voluntatem; & infernus non erit.* Nec videtur poſſe Deus hominem grauiùs punire, quàm ſi eum relinquat propriæ voluntati; quomodo olim gentiles propter immania eorum ſcelera *tradidit in deſideria cordis eorum*, ad Rom. 1. Eſt igitur & voluntas iſta, peſtifera quædam arbor; ſed de hac alibi dictum.

SECVNDA, eſt Concupiſcentia, mater peccati, vt docet S. Iacob c. 1. epiſtolæ. *Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum.* De eadem 1. *Tim.* 6. dicit Apoſtolus: *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Primò enim gignit in homine bellum inteſtinum carnis in ſpiritum, & ſpiritus in carnem. *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur*, inquit Apoſtolus ad Gal. C. II. Concupiſcentia. 1. *Gignit pugnam inter ſpiritum & carnem.*

5. Bellum porrò hoc deſcribit Caſſianus coll. 4. c. 11. *Caro*, inquit, *luxurijs ac libidine delectatur; ſpiritus ne ipſis quidem naturalibus deſiderijs acquieſcit. Illa concupiſcit ſatiari ſomno, repleri cibo: hic vigilijs & ieiunijs ita ſaginatur, vt ne ad ipſum quidem neceſſarium vitæ vſum, ſomnum, cibumq́; velit admittere. Illa cupit exuberare copijs vniuerſis, hic ne ipſam quidem exigui panis quotidianam ſubſtantiam habere contentus eſt. Lauacris illa niteſcere & quotidianis adulantium cuneis appetit conſtipari: hic ſqualore ſordium & inacceſſibilis eremi vaſtitate congaudet. Honoribus illa & laudibus confouetur: hic irrogatis ſibi perſecutionibus iniurijſq; lætatur.* Ob hanc luctam Apoſt. exclamat ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Hinc aliqui, iuuenes præſertim, pœnè ad inſaniam rediguntur, turpiſſimarum voluptatum incendio æſtuantes; alij inauditas libidinum rationes adinueniunt, quibus belluarum cupiditates longè ſuperant. Denique vt hanc feram virtutis ſtudioſi edomarent, mira excogitarunt & acerba pharmaca, vigilias, humicubationes, cilicia, flagella, catenas, ſpinarum aculeos, ieiunia, loricas, &c. ſiquidem ea Samſonem robuſtiſſimum, Salomonem ſapientiſſimum, Dauidem ſanctiſſimum, ſibi ſubiugârat.

2. Impedit à bonis operibus. Secundò. Impedit animum à virtutum operibus, quomodo lapis alligatus auiculæ impedit eã, quò minùs euolare in ſublime queat. Hinc Apoſt. loco cit. ſubdit: *Hæc ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis.* Eſt enim homo conflatus quaſi ex angelo & beſtiâ: animus velut angelus ad cœlum & virtutem tendit, corpus velut beſtia ad terram & ſenſualitatem inclinat. Clementi Alexandr. *l. 4. ſtromatum* eſt quaſi centaurus, partim rationis perticeps (ſecundùm animam) partim rationis expers (ſecundùm corpus.) Atque hinc illæ difficultates in orando, ieiunando, vigilando, caſtitate, ſobrietate, manſuetudine, &c. ob pondus concupiſcentiæ, quod ad ſomnum, cibum, libidinem, ebrietatem, iram inclinat & violenter animum trahit. Quare auctor operis imperf. *ho.* 8. zizaniis eam comparat, quæ triticum in terram trahunt. *Sicut herbæ ſuffocant triticum*, inquit, *ſic & concupiſcentiæ carnales ſuffocant diſciplinam.* Quare zizania cupiditatum malarum euellenda & præcidenda ſunt, ſi creſcere animo velimus. Scorpius viuens necat, occiſus ſanat: ita concupiſcentia, dum in nobis viget ac viret, perdit nos, at ſubacta & mortificata, mirum in modum prodeſt nobis.

3. Cauſat inquietudinem. Tertiò. Cauſat inquietudinem. *Semper enim cupidi*, inquit D. Tho. opuſc. 7. *ſoliciti ſunt acquirere non habita, & habita cuſtodire.* Ibidem aſſerit concupiſcentiam hominis numquam ſatiari, quia cor hominis factum eſt ad recipiendum Deum; quo dum caret, ſemper inquietum eſt, quocumque tandem alio perfruatur bono. Quodque amplius eſt, concupiſcentia dum paſcitur re deſideratâ, magis eius ſitis accenditur; vti de carnis vitio teſtatur Oſeas cap. 7. *Omnes adulterantes*, inquit, *quaſi clibanus ſuccenſus à coquente.* Hebr. *incaleſcunt vti fornax ſuccenſa à piſtore*; quia vt S. Ambr. tract. 13. ad Neophytos ait: *Stupri aſſiduitas luxuriam carnis non cohibet, ſed accendit, dicente prophetâ: Omnes fornicantes velut ardens clibanus corda eorum. Prædatoris quoque rapacitas non comprimit auaritiam, ſed irritat; ſcriptum eſt enim: Qui amat pecuniam, non ſatiabitur pecunijs, Eccl.* 5. Similiter S. Aug. *l. de continentia, & ſer. 45. de temp.* docet, concupiſcentiam cedendo augeri, reſiſtendo minui. *Pugna*, inquit, *repugna: noli eam cedendo ſatiare, ſed reſiſtendo necare.* Ita egit Dauid, qui cùm aquæ deſiderio teneretur, allatam ſibi aquam non bibit ſed effudit, ne videretur bibere ſanguinem virorum, qui præſentiſſimo vitæ periculo aquam illam attulerant, 2. *Reg.* 23. Sic coruus etiam ſitiens abſtinet aquâ pluuiâ, quam noxiam ſibi nouit ob profluuium ventris. Pier. *l.* 23. *hierogl.*

Quartò, Fortiter ad peccandum trahit, &, niſi ei reſiſtatur, peccatum in homine gignit. *4. Ad peccandum trahit.* Ita enim teſtatur S. Iacobus in ep. c. 1. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus; deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum.* Allicit ergo ad peccatum & tentat hominem, ſicut Eua Adamum monſtrando illi pomum: ſicut febris tentat febricitantem & allicit ad bibendum aquam, ſibi licet noxiam & ſubinde mortiferam: ſicut lena virum tentat abſtrahitque ab vxore, ad fornicandum ſecum: ſicut ſcabies ad fricandum prouocat. Huic porrò concupiſcentiæ noſtræ ſæpe etiam inſinuat ſe diabolus, ſolertiſſimus cupiditatum noſtrarum indagator, eaſque in nobis acuit atque incendit vt in ruinam nos impellat. Atque hinc Abbas Achilles dixit, concupiſcentiam eſſe *manubrium dæmonis*; quo nimirum ille ſecurim tentationis arripit ad nos excidendos.

Quintò. Mentem & rationem obſcurat, ac quandoque extra ſe rapit. *5. Mentem obſcurat.* Primum illud teſtatur Clemens Alexand. l. 2. ſtrom. *Quemadmodum exhalationes*, inquit, *quæ ex terra & lacunis & voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem & nimboſam vertiginem: ita etiam carnalium cupiditatum vapores malam animæ inurunt habitudinem, voluptatis ſpectra animæ repræſentantes, & ante eam effundentes, intelligenti itaque luci tenebras offundũt, attrahente animâ vapores, qui oriuntur ex cupiditate, &c.* Alterum Orig. ho. 8. in Num. *Sicut*, inquit, *hi, qui dæmone repleti vel qui mente ſuâ alienati ſunt, non ſentiunt ſi vulnerentur, quia naturalibus ſenſibus carent: ita & nos vel cupiditatibus ſæculi amentes effecti; vel vitijs inebriati ſentire non poſſumus, quanta vulnera, quantas contritiones animæ peccando conquirimus.*

TERTIA eſt voluptas (ſiue ea in carnis illecebris, ſiue in honore & opibus quæratur.) Hæc enim eſt illecebra, & ſemen concupiſcentiæ. *D. III. Voluptas.* Vnde Plato, teſte Tullio & Plautus in Mercatore, voluptatem appellauit *malorum eſcam quòd eâ non minùs homines, quàm hamo capiantur piſces.* Cato verò apud Cicer. lib de ſenect. nullam eſſe capitaliorem peſtem corporis voluptate dicebat, quòd inde omnia ſcelera naſcerentur. Antiſthenes etiam quodam prædicante

contra voluptatem: *Hoſtium*, inquit, *filijs contingat in delicijs viuere.* Laërt. l. 6. *de vitis Philoſophorum c.* 1.

1. *Eripit homini mentem.* Primò, igitur eripit homini ſanam mentem & reddit quaſi inſanum, teſte eodem Antiſthene, qui dicebat (vbi ſuprà) ſe malle inſanire quàm affici voluptate. *Inſaniam enim aufert Medicus: voluptas cum mentem eripiat homini, vix ſanabile malum eſt.* Obtundit mentis aciem, offuſcat iudicium, conſilij celeritatem impedit, memoriam debilitat facitque vt homo nihil altum, nihil magnificum & diuinum agere queat. Circe illa Homerica eſt, quæ blando ſuo veneno homines dementat & in beſtias commutat. Patuit in Salomone, quem voluptas carnis ex ſapientiſſimo reddidit ſtolidiſſimum, vt ſuarum concubinarum Idola adoraret, earum mancipium fieret, totque beneficiorum Dei ſui obliuiſceretur. Patuit in Claudio Cæſare, qui ventri & voluptatibus deditus in tantam mentis ſtupiditatem & obliuionem deuenit, vt occiſâ Meſſalinâ coniuge, paulò pòſt menſæ aſſidens quæreret, cur Domina non veniret; atque multos ex his quos capite damnauerat, poſtero die in Concilium & ad aleæ luſum inuitaret, teſte Suetonio in eius vita.

2. *Effeminatum reddit.* Secundò, Mollem & effeminatum reddit, adeò vt Democritus voluptatem morbo comitiali, qui repentè omnibus viribus hominem deſtituit & in terram proſternit, comparârit. Expertus id eſt fortiſſimus Hercules, cui voluptas clauam, quam nec Cerberus potuit eripere, extorſit, ac pro eo penſum ac fuſum digitis eius aptauit, cùm illius Iolis impuros amores ſequeretur. Eadem dum vires & virtutẽ Romanorum eneruauit, Hannibalem victorẽ affecit, inquit Liuius *dec.* 3. *l.* 3. Eadem Sybaritas Italiæ populos perdidit. Tam hi luxui & voluptati addicti erant, vt conuiuia celebraturi, anno priùs per fœminas ſumptuoſiſſimè veſtitas inuitarent; artes quæ ſono conſtabant, è ciuitate eiicerent, ne quâ ratione interpellaretur quies. Athen. *l.* 12. *c.* 6. Iſti igitur cùm docuiſſent equos ſuos ad tibiam ſaltare tempore conuiuij, hoc intelligentes Crotoniatæ bellum ipſis intulerunt & tubam quidem canentem claſſicum non ſumpſerunt, ſed tibias, & tibicines, qui commiſſo prælio cantilenam canerent ſaltatoriam. Hanc audientes equi Sybaritarum, memores domeſticæ diſciplinæ excuſſerunt equites, & exultantes ac ſaltantes perturbarunt ordinem, itaque victoriam hoſtibus dederunt. Diod. *l.* 12. Ælian. *l.* 16. *c.* 23. Plin. *l.* 8. *c.* 42. Quis in equis iſtis non videt voluptatis typum, quæ & ipſa hominem è ſellâ rationis & imperij excutit, hoſtibuſque animæ in prædam dat? Cùm enim in tentatione aut mortis agone pugnandum foret cum Dæmone, tum voluptas hominem abripiens ad ſolitas voluptatum delitias, mente ſaltem & cogitatione, impediet à pugnâ ſpirituali & hoſti tartareo tradet.

3. *Damnis temporalibus afficit.* Tertiò. Damnis etiam temporalibus afficit; nam & dolores parit & corrumpit valetudinem & crumenam exhaurit, famam quoque denigrat, & affligit animum conſcientia malè factorum, & mortem affert immaturam. Nimis hæc omnia manifeſta ſunt: nec negare potuit Heliogabalus Imp. fœdum voluptatis mãcipium, ideoque Sardanapalus dictus; cui cùm familiaris quidam, immanem eius deteſtatus luxum ac luxuriam fortè obiiceret: an non metuat ne ad egeſtatem aliquando redigeretur? reſpondit: *Quid melius quam vt ipſe mihi ſim heres ſim & vxor mea?* Plato cum videret Agrigentinos magnis ædificare impenſis, ſimiliique modo cænare, dixit: *Agrigentini ædificant quaſi ſemper victuri; & comedunt quaſi ſemper morituri.* Ælian. l. 12.

Quartò. Tandem deſinit in amaritudinem, ac poſtremò quidem in æternam. Pythagoras ille vetuit guſtare ea, quæ nigram habent caudam. Huiuſmodi autem eſca eſt voluptas, quæ initio quidem blanditur, in funeſtum tamen pœnitentiæ finem deſinit. Siren eſt, quæ muliebri quidem arridet facie, caudam tamen habet venenoſam ac ſerpentinam. Hypanis eſt fons, qui teſte Herodoto l. 4. quinque dierum viâ dulces, ſed exiles fundit aquas: deinde poſt quatuor dierum iter fundit amariſſimas. Pardalis eſt, quæ ſuaui odore ſuo allicit ad ſe capras, mox tamen corripit & dilaniat. Plut. *lib. contra volupt.* Ita enim videmus honores mille afferre curas & moleſtias: gulam deſinere in nauſeam, capitis dolores, febres, colicas, catarrhos: libidinem in vomicas, luem veneream, carcinomata, infamiam, damnationem; vt verè dixerit *Prou.* 5. Salomon: *Fauus diſtillans labia meretricis, nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthium.* Idque ipſe proculdubio nimium quantum expertus eſt, dum ad finem vitæ ſenſit aculeum conſcientiæ, vitæ tædium, (vti ſcribit Eccleſ. 2.) *Idcircò tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuerſa eſſe ſub ſole & cuncta vanitatem & afflictionem ſpiritus*, corporis morbos & dolores, regni dilacerationem, nominis ignominiam, hæredem ſtolidum, Roboamum filium. Experto, igitur crede Ruperto. Deſcribit Dio *orat.* 4. *de regno.* Perſarum feſtum, quod Saccorum dies appellabatur: quo ex captiuorum numero aliquis collocatur in regio throno regio veſtitu; delitiatur & concubinis vtitur illis regni diebus pro libitu, quidquid vult, impunè agit: finitis autem illis diebus exuitur, virgis cæditur, & ſuſpenditur. Eccur verò hoc Perſæ faciunt? *Nónne ideo*, inquit Dio, *quòd ſæpenumerò ſtulti homines & praui talem poteſtatem & nomen adipiſcuntur: deinde aliquanto tempore ſuperbè viuentes, turpiſſimè atque ocyſſimè perduntur?* Cogitet iam quiſque num talem ſubire ſortem, talique frui voluptate vellet. Nemo, credo, ita deſipiet. Quare Auditores, aperiamus oculos, non iam cum Adamo & Eua poſt deguſtatum pomum: cùm viderunt ſe deceptos eſſe & Deum grauiſſimè offendiſſe, ſed antequam guſtemus. Fugiamus arbores iſtas peſſimas, ne tandem amaros earum fructus cogamur deuorare, & in hoc & in altero ſæculo. 4. *Deſinit in amaritudinem.*

CON-

CONCIO II.

Exponitur ſententia Chriſti in arbores ſteriles.

1. *Per* omnem arborem *intelligitur homo adultus ac ratione vtens cuiuſcumq; conditionis.*
2. *Dicit* Non facit *in præſenti, vt indicet non ſatis eſſe fuiſſe aliquando bonum.*
3. *Dicit*, fructum, *non folia: vt indicetur Deum non verbis per folia, ſed operibus, per fructum intellectis, contentum eſſe.*
4. Bonum *id eſt, non agreſtem, non inutilem &c.*
5. Excidetur, *ſeu non matura adhuc ætate, morte violentâ amiſſurus omnia bona radicitus extirpabitur.*
6. Et in ignem mittetur, *id eſt tradetur in ſupplicium omnium ſuppliciorum ſæuiſſimũ &c.*

THEMA.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Matt. 7.

A. PYthagoræ ſymbolum, Auditores, inter alia fuit: *Cùm tonat, terram tange*, hoc eſt, cùm Dei iram ſæuire animaduertis, humilia te, memor originis & conditionis tuæ, & manum ad laborem beneque operandum admoue. Horrendum in modum tonat Chriſtus in hodierno Euangelio cùm ait: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Quis non contremiſcat? quis non terram tangat, & coram Deo Iudice ad terram vſque ſe humiliet, ac bene operari ſtudeat? Sanè cùm præcurſor Chriſti, Ioannes, his eiſdem verbis detonaret in Iudæos, perterriti dicebant: *Quid ergo faciemus?* Quibus reſpondet Ioannes: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Nos ergò dum ipſum Chriſtum Iudicem hac voce tonantem audimus, quid, quæſo, faciemus nos? Nónne terram tangere? nónne humiliari & bonorum operum fructum polliceri Deo nos oportet? Hoc ergo vt præſtemus, audiamus & expendamus fulminantem illam Chriſti ſententiam.

B. I. Omnis arbor. PRIMÒ inquit: *Omnis arbor.* Non vtique propriè dicta & lignea, ſed metaphorica ſeu homo, qui etiam ex gentilium Philoſophorum ſententiâ eſt *arbor inuerſa*, radicem, hoc eſt, caput & rationem, ſurſum verſus cælum, vnde nutritur, habens: ramos verò, hoc eſt, pedes in terra deorſum. Vnde à Clemente Alexandrino vocatur *planta cæleſtis.*

Arbor, ait: non planta, non arbuſtum aut frutex, quia adultos intelligit & ratione vtentes: ab his bonorum operum fructus exigit: non ab infantibus, puerulis aut rationis vſu deſtitutis; quemadmodum nec à tenellis plantis ſperatur aut exigitur fructus, donec adoleſcant. Ab adulto filio requirunt parentes ſtudium, laborem, amorem & obſeruantiam: non item ab infante.

Omnis, quia nemo excipitur: non reges: non diuites, non agricolæ, non milites, non mendici, non iuuenes, non infirmi, & ſimiles, qui dicere ſolent, ſibi non eſſe otium, aut vires ad orandum, ieiunandum, confidendum, communicandum, &c. Quid enim ait ſcriptura de Principibus terræ, qui viam ſapientiæ ignorarunt & ſpreuerunt? *Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt*; Baruch. 3. Quid de Iechonia octodecim annorum adoleſcente? *Viuo ego*, dicit Dominus, *quia ſi fuerit Iechonias filius Ioakim regis Iuda, annulus in manu dexteræ meæ, inde euellam eum*, Iere. 22. q.d. Si fuerit mihi coniunctiſſimus & chariſſimus, propter floridam adhuc ætatem, quâ ad regnum euectus eſt, aliaſq; præſtantiſſimas dotes: vbi arbor mala & ſterilis eſſe cœperit, exſcindam eum & euellam velut annulum è manu meâ, abiiciamque in captiuitatem, vti factum eſt. Nam poſt tres imperij vix deguſtati menſes ſtatim & ipſe abductus eſt in Babylonem à Nabuchodonoſore, fuitque captiuus 37. annis; quia ſcelera patris ſui cœperat imitari. Quid ait de Capharnao, quæ dicta eſt Chriſti ciuitas, quòd eam ſuâ commoratione, miraculis & doctrinâ præ cæteris condecorarit; *Et tu Capharnaum vſque ad cœlum exaltata: vſque ad infernum demergeris*, Luc. 10. Quid de propinquis & commenſalibus Chriſti dicentibus: *Manducauimus coram te, & bibimus & in plateis noſtris docuiſti*; quid reſpondet? *Neſcio vos vnde ſitis, diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.* Nemo igitur, nemo excipitur ab hac lege. Cùm cæduntur ad rogum ligna, parci ſolet quibuſdam ſylueſtribus arboribus, v.g. betulis aut quercubus, quia videlicet proceræ vel elegantes & ſpecioſæ ſunt. Non ita fiet cum hominibus; quiſquis fructu caret, excidetur, & in ignem mittetur, qualiſcumque fuerit, aut quocunque loco ſteterit. Exciſus è cœlo eſt Lucifer, ſupremus & ſpecioſiſſimus Angelus: exciſus è paradiſo terreſtri Adam, vir omnium ſapientiſſimus & ornatiſſimus, orbis Imperator: exciſus è regno Saul, vir ad regnum natus: exciſus ex Apoſtolorum collegio Iudas; quia bonorum operum fructibus deſtituti inuenti ſunt.

SECVNDÒ. *Quæ non facit.* Non ait, fecit. Licet enim olim multa bona feceris, ſi facere deſiiſti, periiſti, & omnia perdidiſti. Bona & præclara arbor fuerat Rex Saul in ætate teneriore, multaque bona præſtiterat. *Erat enim electus & bonus: & non erat vir de filijs Iſrael melior illo, ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum*, vt dicitur. 1. *Reg.* 9. Et propterea cùm Samuel eum vngeret in regem, deoſculatus eſt, in amoris & beneuolentiæ ſignum, 1. *Reg.* 10. Et tamen arbor hæc tam bona & electa, vbi ſterilis eſſe cœpit, & malos fructus protulit, à Deo reprobata, exciſa & abiecta eſt, vti è regno, ita è cœlo. Quanta bona fecit quondam Origenes? ipſe patrem in vinculis poſitum ad martyrium corroborauit: ipſe quamplurimos ad fidem cõuertit, in fide erudiuit, ad martyria accendit: ipſe ad vincula & mortem pro Chriſto ſubeundam vltrò excurrere voluit, & de facto excurriſſet niſi præpeditus fuiſſet. Et hic tamen talis ac tantus ad extremũ exciſus, vbi in hæreſin prolapſus eſt. Non ergo ſatis eſt fuiſſe aliquando bonũ, bonus eſſe & deprehendi debes. Viciſſim nihil oberit tibi malum aliquando fuiſſe, ſi iam — C. II. Quæ non facit.

bonus

Digitized by Google

bonus ſis, vti in Saulo patet. Neque ait; faciet; quia non attendit Deus, quid aliquando facturus eſſes, vel quid facere conſtitueris, ſi cùm poſſes, non feciſti; quid nunc facias conſiderat. Nemò ferè tam malus eſt, vt non proponat aliquando vitam emendare, & pœnitentiæ fructus facere;ſed hoc non curat Deus, nec quidquam prodeſt homini. Quod non facturum ſe ſpopondit rex Antiochus, ſi conualeſceret ab infirmitate, *l. 2. Mach. c. 9.* promiſit Hebræis libertatem, qualis erat Athenienſium: templo pretioſa dona & vota ſacra plurima, nec non reditus ad ſacrificia, *Super hoc Iudæum ſe futurum, & omnem locum terræ perambulaturum & prædicaturum Dei poteſtatem.* Id quod Gorionides l. 3. c. 12. graphicè deſcribit his verbis: *Faciens votum ait: Domine, ſi ſanaueris me ab iſta infirmitate, veniam in Hieruſalem, & implebo eam auro & argento, atque veſtes purpureas ſternam per omnes plateas eius, tradamque omnes theſauros meos in ſanctuarium magni Dei: circumcidam præputium carnis meæ, & vadam per vniuerſam terram apertâ voce conteſtando, alium non eſſe in vniuerſo mũdo ſimilem Domino Deo Iſrael. Sed non exaudiuit Dominus orationem eius, nec aurem præbuit ei, quin magis in omni terra, vbi verſabatur crudelis ille Antiochus quãdiu inhærebat ei morbus, lacerabatur caro eius de oſſibus eius atque tandem inteſtina eius quoque in terram ceciderunt, & mortuus eſt ignominioſè in terra aliena.* Impio Antiocho non abſimilis Henricus VIII. Angliæ rex in agone receptui carens conſulit Epiſcopos, qua ratione ad Eccleſiæ vnionem, quam crudeliter ruperat, redire poſſet. *In his anguſtijs conſtitutus,* ait Florimundus de Orig. hær. l. 6. c. 5. *ſingulis horis in memoriam ſibi reuocabat, exiguo illo, quod exegerat, vitæ ſpatio, quantis malis populum ſuum affeciſſet. Ita tactâ diuinitùs conſcientiâ, quam penitus intimos eius receſſus excuſſiſſet, iam incipiens meditari ſalutem ſuam Princeps miſerrimus, ſtatuit reuerti ad Eccleſiam, &c.* Sed irritum & inane fuit eius votum: periitque deſperatus edita hac voce: *Omnia perdidimus.*

Facit, inquit Dominus, hoc eſt, pergit ſemper facere, iuxta id Sapientis: *Quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare,* Eccli. 9. Scimus enim à Domino areſactam eſſe ficum, quæ fructus non habebat, cùm eos Chriſtus quæreret, tametſi tunc non eſſet tempus ficuum, *Matt.* 21. quia nimirum ficus illa deſignabat hominem, qui tota vita ſua frugifer eſſe debet; quia non per ſolis ardorem, vti ficus: ſed per voluntatem ſuam & diuinam gratiam fœcundatur. Vnde Auguſtinus *tract. 44. in Ioan.* ait: *Illorum eſt culpa ſterilitas, quorum fœcunditas eſt voluntas.*

D. III. Fructum.

TERTIO. *Fructum.* Non ait, folia. Hæc enim verba, non opera; eruditionem, non virtutẽ denotant. Atqui verbis Deus nequaquam eſt contentus; ſicut indicat Dominus verbis mox ſequentibus: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei.* Ad fructus, non ad folia inuitat ſponſa dilectum ſuum Cant. 5. *Deſcendat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorum.* Non delectatur Deus verborũ foliis, niſi fructum habeant comitem. Dæmon eſt qui *dormit in ſalicibus torrentis,* Iob 40. à quibus vmbra tantùm, non fructus ſperari poteſt. *Filioli, non diligamus verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate,* ait Ioan. ep. 1. c. 3. Folia etiam ſunt eloquentia & ſcientia, conſilia & adhortationes, quæ niſi adſint opera bona, nequaquam ſeruare ab exciſione arborem poſſunt. *Bene loqui & malè viuere, nihil aliud eſt, quam ſe ſuâ voce damnare,* inquit S. Auguſtinus *in ſent. n. 6.*

Fructum, ait, non flores. Flores ſunt fides mortua, ſeu titulus Chriſtianiſmi, externus ſolùm & publicus Dei ac Religionis cultus, habitus Religioſi, &c. de quibus dicitur Ier. 7. *Bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto. Nolite confidere in verbis mendacij dicentes. Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt.* Non ergo ſatis eſt in vera Chriſti Eccleſia eſſe, niſi etiam bene viuamus in eadem. *Non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe, laudabile eſt. Eſſe Chriſtianum grande eſt, non videri,* inquit S. Hieron. ad Paulinum. Flores ſunt vota ac promiſſa pia, quæ fiunt Deo & Confeſſariis, ſunt tamen inefficacia, vti illud Balaami Num. 23. *Moriatur anima mea morte iuſtorum.* Flores etiam ſunt gratiæ gratis datæ, quæ mirè quidem adornant hominem nõ tamen Deo gratũ reddunt, nec ſaluare queunt. Vnde Dominus Matth. 7. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia numquam noui vos.*

QVARTÒ. *Bonum:* non malum. Si enim excidetur arbor, quæ non fert fructum bonum: E. IV. Bonum.
quantò magis excidetur, quæ fert fructum malum? Quid fiet de adulteris, furibus, homicidis & ſimilibus; ſi damnantur illi, qui carent bonis operibus?

Bonum, ait, non agreſtem; cuiuſmodi fructus ſunt opera moraliter tantùm bona, vt qui ex naturali commiſeratione dant eleemoſynam, duros ſubeunt labores, educant ſuos liberos, magnas alunt familias, ædificant, dilatant imperia, &c. quæ omnia ſunt agreſtes duntaxat fructus, quibus nutriuntur beſtiæ, nihil ad cœli lucrum præſtant; cuiuſmodi arbor erat Nabuchodonoſor, vti diſcribitur *Dan. 4. v. 9.*

Bonum, non inutile; cuiuſmodi ſunt fructus, qui in arborum vertice vel in altis rupibus hærent, loco hominibus inacceſſo, ideoque coruorum præda fiunt, qualiter ſunt opera bona ad inanem gloriam patrata; quæ diripiuntur à Dæmonibus, à menſâ Dei exulant.

Bonum, non magnum aut multum, quia non qui multum, ſed qui bene orant: non qui ſæpe, ſed qui bene confitentur & communicant: non qui larga manu, ſed qui bona intentione dant eleemoſynam, Deo placebunt.

Bonum, non ſpecioſum; cuiuſmodi ſunt poma iuxta mare mortuum, forinſecùs quidem pulchra, intrinſecùs autem plena cineribus & fauillâ. Talia ſunt, quæ mundo placent, & magna iudicantur, vti decorè loqui, ſplendidè ſe ornare, gratiam hominum venari,

ſcitè,

ſcitè ſaltare, bene ludere, doctè canere, digladiari, eſcas diuidere, pecunias comparare, &c. Non ſunt iſti fructus, quos hîc requirit Chriſtus. Hi enim apud ipſum nullo loco ſunt, poma inania & ſordida ſunt; quemadmodum & opera illa Phariſaica, quæ foris quidem parent egregia, intùs autē plena ſunt hypocriſi & immunditiâ.

F. V. Excidetur.

1. QUINTÒ. *Excidetur* primò, immatura adhuc ætate: non expectabitur donec arbor ſenio confecta, ipſamet areſcat; ſed dum adhuc viret, exterminabitur: quod pleriſque contingit peccatoribus, qui terram fruſtrà occupant, nihil bonæ frugis faciunt, ſed fruges tantùm abſumunt, & aliis moleſti ſunt, vti colligimus ex ficu illa ſterili, quæ cùm per triennium fructum nullum tuliſſet, exſcindi è vinea iuſſa eſt, quòd terram fruſtrà occuparet, *Luc.* 13.

2. Secundò. *Excidetur* morte non naturali, placida & ſuaui, ſed violenta, amara & anxia, in qua miſer homo remorſu cōſcientiæ quaſi ictu ſecuris identidem pulſabitur, & tandem cum ingenti fragore & clamore, pauore & horrore vitam abrumpet. Quod inter quotidiana ferè exempla docuit Thomas Crammerus primùm Archiepiſcopus Cantuarienſis, deinde Apoſtata, auctor Schiſmatis Henrici VIII. Angli, qui primus in Anglia vxorem publicè duxit, & demùm hæreſeos conuictus, & igni adiudicatus, deſperabundus terribiles vlulatus vnà cum blaſphemiis in Deum & Sanctos edidiſſe ſcribitur à Florim. *l.* 6. *de orig. hær. c.* 8.

3. Tertiò. *Excidetur* ſimul & ſemel omnia amiſſurus bona, ſpiritualia & corporalia, temporalia & æterna. Cùm ramis truncatur arbor, non hoc ipſo ſtatim interit; vno enim alteroque reſecto alter & plures ſucceſcunt. *Quod intelligens inclytus Dux Florentiæ*, inquit Hector Pintus in Dan. c. 4. *pro inſigni accepit magnam ac proceram arborem, multis ramis opacam, quodam tamen exciſo cum hac litera: Vno auulſo non deficit alter. Vnde vir ſapiens & iuſtus irridet mundi ſæuitiam & calamitatem; nam ſi abſtulerit ei diuitias, manebit illi virtus: ſi ei eripuerit dignitates, manet illi animi excelſitas & magnitudo: ſi ei præciderit vitam, manet ei nominis amplitudo & fama immortalis: ſi ei falſis teſtimonijs famam ademerit in hac vita, manet ei in altera gloria ſempiterna. Et ita auulſo vno ramo non deerit illi alter.* At non ita erit cum peccatore: totus ſuccidetur cum omnibus ramis & bonis ſuis cadet conciderque: ſimul omnia perdet, vti morientem dixiſſe Henricum VIII. ſuprà vidimus.

4. Quartò. *Excidetur* non ſuccidetur; quia radicitùs extirpabitur, vt numquam reuireſcere per omnem æternitatem queat. Arbores quidē dicuntur cædi vel ſuccidi, quia earum radix & ſtipes in terra relinquitur, vnde reuiuiſcere & rurſum germinare poſſunt. Hinc Nabuchodonoſori dictum: *Succidite arborem, &c. veruntamen germen radicum eius in terra ſinite*; quia nimirum regreſſum ad regnum & ſpem ad ſalutē habuit per pœnitentiam, adeoque etiam obtinuit ac reuixit. At non ita peccator, cùm excidetur ex hac vita, vt teſtatur Malachias c. 4. dicens: *Ecce dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, quæ non derelinquet eis radicem & germen.*

Quintò. *Excidetur* ex huius amœniſſimi mūdi habitaculo; è propinquorum, amicorum & chariſſimorum pignorum comercio: ex dulciſſima ſua familia; è conſortio & ſocietate Sanctorum & Beatorum omnium: ex ipſa cœli regia, & beatifico Dei aſpectu. O tremendam exciſionem! Quàm dolebat mater Tobiæ, quòd, ad breue tempus licet, ablegaſſet a ſe filium? *Lumen oculorum noſtrorū*, aiebat, *baculum ſenectutis noſtræ ſolatium vitæ noſtræ, ſpes poſteritatis noſtræ. Omnia ſimul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Tob. 10. Quantò veriùs hoc dicere poterūt inferi, qui pro exiguo lucro, pro fluxá inani voluptate ablegarunt à ſe Deum, lumen oculorum ſuorum, ſolatium vitæ ſuæ, ſpem æternitatis ſuæ. Eheu! dicent, non debuimus ita inſanire, vt à tanto bono ſeparari nos pateremur. *Quid profuit nobis ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* 5.

G. VI. Et in ignem mittetur.

SEXTÒ. *Et in ignem mittetur.* Quid verò, Auditores? Quid eſt, mitti in ignem? Primò. Tradi in ſupplicium omnium ſuppliciorum ſæuiſſimum, horribiliſſimum: in ignem reſpectu cuius ignis noſter non eſt niſi ignis pictus, in ignē caliginoſum, vbi nil videre erit niſi ſuas & ſuorum pœnas: in ignem inextinguibilem, in fornacem pluſquam Chaldaicam. 1.

Secundò. Mitti ſeu deiici cum ingenti impetu in voraginem profundiſſimam vſque ad centrum terræ, eâ pernicitate, quâ Sathanas inſtar fulminis cecidit de cœlo. 2.

Tertiò. Deiici in locum, vbi nemo ſe mouere poterit, ſed iacebit vnuſquiſque velut truncus per omnem æternitatem. Et quid erit tot truncorum millia in vno iacere cumulo, & ſe mutuò premere? ſe mutuò inflammare? perpetuò ignem alere? Vt enim picea & oleaginoſa corpora tamdiu ardent, quamdiu aliquid picis vel oleaginis in ſe retinent: ita damnatorū corpora tamdiu fouebunt ignem illum, quamdiu fouent peccatum. Hoc autem ſemper in ſe gerunt: ſemper ergo ardent. Atque hic eſt rogus ille, quem typicè monſtrauit fornax illa Nabuchodonoſoris accenſa nimis, cuius flamma 49. cubitis effundebatur. *Dan.* 3. Non attingebat quinquageſimum cubitum: quia numerus quinquagenarius, numerus remiſſionis eſt: in inferno autem nulla eſt redemptio, adeoq; nulla remiſſio. Quare Auditores, audito & intellecto hoc tonitruo, terram contingamus: humiliemur ſub potenti manu Dei: ſed manum noſtrā admoueamus ad laborem beneque operandum. 3.

CONCIO III.

Cur requirat à nobis Deus bona opera.

Licet Deus bonorum operum non egeat, exigit tamen ea à nobis,

1. *Vt per ea, vitia eradicemus.*
2. *Vt retineamus acceptam gratiam.*
3. *Vt Deum glorificemus.*

4. Vt

Digitized by Google

4. *Vt per ea fidem noſtram profiteamur.*
5. *Vt gaudium noſtrum ſit plenum.*
6. *Vt varietas ſit meritorum & coronarum.*
7. *Quia lex naturæ id poſtulat.*

THEMA.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matt. 7.

A. FAteri certè debemus id quod dixit Dominus: Omnem arborem infructiferam ſolere exſcindi & comburi. Sed num idem euenire debeat hominibus carentibus bonorum operũ fructibus, non ita intelligimus. Nos enim ſi arborem infructiferam exſcindimus, propterea id agimus, quia fructu illius egemus, quo tunc deſtituimur. Atqui Deus, etſi creauit nos, fructu tamen non indiget noſtro. Ideo enim ad eum Dauid *Pſal* 15. inquit, *Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; quaſi diceret: Nos, quia homines ſumus, egemus fructu arborum noſtrarum, & ideo iraſcimur, ac ſecurim admouemus infœcundis arboribus. Tu, quia Deus, non ita. Conſerua igitur nos Domine etiam infœcundos, abſtine ab exciſione. Atqui ſemel ſcriptum eſt: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Et quod ſcriptum, ſcriptum eſt. Quæramus ergo, cur hæc ſententia contra hominem infœcundum ſcripta ſit? & cur exigat ab homine Deus bona opera, quorum non eget?

B. I. Vt vitia eradicemus.

Exigit PRIMÒ, Vt per bona opera vitia in nobis extirpemus & eradicemus. Tametſi enim per pœnitentiã peccata noſtra extinguere poſſumus, non tamen ideircò ſtatim habitum peccandi extinguimus: ſed is remanet & nos protinus ad noua inclinat peccata. Vt igitur morbi certis medicamentis & præſeruatiuis arcentur in eo, qui ad illos diſpoſitus eſt: ita *cœleſtis Medicus*, ait S. Greg. hom. 32. in Euang. *ſingulis quibuſque vitiis obuiantia adhibet medicamenta. Nam ſicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis præciperet humilitatem.* Iam verò homo vetus & carnalis ſemper ad malum inclinatus, pronus & diſpoſitus eſt. *Quid enim vetus, quid carnalis homo nouerat*, ait idem Gregorius immediatè antè, *niſi ſua retinere, aliena rapere ſi poſſet; concupiſcere, ſi non poſſet?* Hortulus etſi initio bellè adornatus pulcherrimus floribus optimiſque herbis conſitus eſt, in varias quoque figuras & characteres diuiſus, niſi cultor ſemper ei inuigilet, ſtatim inutiles herbas proferet & bonas ſuffocabit, figuraſque obliterabit. Carnalis homo hic hortulus eſt, mens veluti cultor illius, à Deo ipſi conſtitutus. Per baptiſmum homo renouatus eſt, & pulcherrimis figuris ac floribus, gratiâ & virtutibus infuſis adornatus: ſed interim ob carnis concupiſcentiam & paſſiones perpetuò æſtuantes, ſubinde innaſcuntur ei herbæ malæ, quæ ſuffocant bonas, niſi cultor eas ſedulò extirpet, & bonas implantet. Abſcinduntur quaſi per pœnitentiam eiuſmodi zizania, ſed non exterminantur omnino, quia radix & habitus peccandi per illam non euellitur. Vnde talis hortus placebit quidem Deo, quia purgatus eſt, non tamen diu talis manebit, niſi per ſedulam bonorum operum exercitationem peccatorum radices tollantur & virtutes implantentur. Quis autem dubitat tolli auaritiam per crebras eleemoſynas, gulam per ieiunium, ſuperbiam per opera humilitatis, quibus inſeruit aliquis pauperibus? Propterea Apoſtolus cultrum mortificationis, quo radices illas penitus exſcinderet, ſemper in manibus gerebat, 2. Cor. 4. *Semper mortificationem IESV in corpore noſtro circumferentes*, id eſt, ſemper ſumus mortificantes membra noſtra cum vitiis & concupiſcentiis, vt exponit S. Remigius eo loco & alij. Bene autẽ dicit, *mortificationem* IESV: quia Chriſtus docuit mortificare membra per actus virtutum & bona opera vitiis contraria, vt ſuprà ex Gregorio audiuimus. Quare vbi cultor & culter iſte non eſt, vbi nulla Sacramentorum frequentatio, vbi nullum bonorum operum exercitium eſt: ibi vitia & concupiſcentiæ regnent, neceſſe eſt.

C. II. Vt retineamus gratiam.

SECVNDÒ, Vt retineamus acceptam gratiam. Retinetur enim gratia per bona opera: ſicut ignis per ligna: ſicut vita per cibum: ſicut lumen lucernæ per oleum. Ignis, niſi fomentum habeat, conſeruari nequit; Prou. 26. *Cum defecerit oleum, extinguetur lucerna.* Gratia autem, ignis ille eſt, de quo *Deut.* 6. præcipitur: *Ignis in altari ſemper ardebit.* Sed quomodo is conſeruabitur? ſequitur mox: *quem nutriet Sacerdos, ſubijciens ligna mane per ſingulos dies.* Cor noſtrum, altare hoc eſt: ligna, bona opera: Sacerdos, quilibet iuſtus. Gratiam igitur conſeruare vis? crebrò ſubiice ligna bonorum operum. Rurſum vti calor naturalis in homine humorem continuò abſumit, qui niſi per cibum & potum reſtauretur, vita conſeruari nequit in homine: ita caro ac concupiſcentia pugnat ſemper in ſpiritum, qui niſi foueatur bonis operibus tandem obruetur, & vita gratiæ fugiet. Vt ergo cibus defenſor vitæ eſt contra calorem; quia humidum ei nouum ſemper ſuppeditat: ita bona opera defenſores & altores gratiæ ſunt contra carnem. Denique *ſicut lucernæ lumen*, ait S. Chryſoſt. homil. de verbis Apoſtoli: habentes eundem ſpiritum, &c. *oleo retinetur, & conſumpto oleo, ipſum quoq; conſumptum lumen euaneſcit: ita & ſpiritus gratia, quantiſper habemus opera bona & crebris eleemoſynis animum rigamus, manet, non aliter quam flamma oleo retenta; quaſi non adſint; recedit à nobis & abit.* Ita receſſit à fatuis virginibus dicentibus: *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.* Matth. 25. Et quàm multi hoc cogitabunt in morte: ô vtinam frequentaſſem Sacramenta, conciones, opera miſericordiæ, &c. Eheu lampades noſtræ extinguuntur! Iudæi inſtituerunt feſtiuitatem Xylophoriam, id eſt, lignorum comportationem, pro igne ſacro perpetuò fouendo, teſte Ioſepho *lib.* 2. *de bello cap.* 17. Vtinam nos hanc feſtiuitatem totâ vitâ celebraremus, comportando bona

do bona opera ad conſeruandam gratiam!

D. III. Vt Deum glorificemus.

TERTIÒ. Vt Deus glorificetur & laudetur à nobis. Nam per bona opera à nobis colitur, & hunc cultum à nobis exigit. Negant hoc hæretici pertinaciter; ſed euntes diſcite quid eſt, quod Corinth. 7. ait Apoſtolus: *Quis plantat vineam* (arborem) *& de fructu eius non edit?* Quis enim villam aut prædium & à villico non requirit cenſum & emolumentum? ſicut ergò hortulanus ab arbore ſua fructus, & ſicut à villico ſuo exigit Dominus prædij cenſum ſuum, v.g. certum numerum caſeorum, butyri, anſerum, pullorum, pecuniæ, piſcium, frumenti, &c. Sic Deus qui creauit nos, quique dedit nobis dona ſua plurima, tam ſpiritualia quàm corporalia, gratiam & virtutes infuſas: intellectum, ingenium, voluntatem, memoriam, virtutes acquiſitas, ſcientiam: diuitias, honores, nobilitatem: corporis robur, formam, ſanitatem, integritatem, &c. de his omnibus cenſum aliquem petit, non quidem ſicut Dominus terrenus, vt his ditetur, ſed vt cultum ſibi debitum ex his à nobis recipiat, & hoc ad vtilitatem noſtram. Non vetat Deus, quin hæc bona applices etiam ad tuam neceſſitatem, ſuſtentationem ac recreationem decentem. Vult tantùm vt pro occaſione loci & temporis ipſi quoque ex his cenſum ſuum perſoluas. Intellectum, voluntatem, memoriam, ingenium, &c. certis horis in contemplatione rerum diuinarum occupes: eleemoſynam, vbi pauperem videris, largiaris: corpori in diebus ieiuniorum cibi aliquid detrahas: ſex diebus opereris, ſeptimum ſaltem Deo & bonis operibus tribuas. Quis dubitat hunc cultum gratiorem eſſe Deo & præſtantiorem quàm fuerint ſacrificia veteris legis? Vnde ait Pſalm. 49. *Non in ſacrificiis tuis arguam te*, ſcilicet in die Iudicij. Primò, *quoniam mea ſunt omnes feræ ſyluarum.* Secundò, *Nunquid manducabo carnes taurorum & ſanguinem hircorum potabo?* Quid igitur? *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua:* Hæc enim ſunt modo aliquo noſtra, quia ſunt bona ſpiritualia & diuinæ naturæ proportionata. Quare malè & inconſideratè loquuntur, qui optant oppetiiſſe mortem in cunis. Non enim creati ſumus vt infantes moriamur, ſed vt Deo ſeruiamus, quod fit maximè bonis operibus. Sic enim Apoſtolus ait 2. Corinth. 6. *Exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate*, &c. Quod ſi igitur Deum prout debemus, ritè & optimè colere volumus, per bona opera poſſumus; per ieiunium ſacrificamus ei corpus, per orationem animum, per eleemoſynam opes. Vnde Origenes *lib.* 9. *in epiſt. ad Rom.* ait: *Qui membra ſua mortificant, hoſtiam viuentem rationabiliter offerunt, & legem ſacrificiorum, quæ in Leuitico eſt, ſecundum ſpiritualem intelligentiam complent: ſi ſuperbiam vincunt, immolant vitulum: ſi iracundiã ſuperant, arietem: ſi libidinem, hircum: ſi vagos & lubricos cogitationum reſecant volatus, columbas & turtures.* Hæc Origines.

E. IV. Vt fidem per ea profiteamur.

QVARTÒ, Vt per ea fidem noſtram profiteamur & monſtremus. Hoc enim eſt quod ait Dominus Matt. 5. *Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Operibus probare te Chriſtianum debes. Sic enim & Dominus, non verbis, ſed operibus Meſſiam ſe probauit diſcipulis Ioannis: *Renuntiate*, inquit, *Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis, cæci vident*, &c. *Matt.* 11. Accidit fortè vt tranſiens quis circa vineam diligenter cultam, bene foſſam & putatam dicat, profectò huius vineæ cultor & dominus, vir ſedulus ſit neceſſe eſt; ſiquidem vineã ſuam tam ſedulò excoluit. Hoc idem dicunt externi de bonis Chriſtianis, ſi bona eorum opera videant; non enim ipſos tantùm bonos, ſed bonum etiam Chriſtianorum Deum, bonam religionẽ dicunt. Sic tempore Maximini Imp. cùm Chriſtiani iuſſu Imperatoris vndique ciuitatibus pellerentur, graſſante ingente peſte & fame in gentiles, cùm paſſim cadauera inſepulta iacerent & homines præ fame ſimulachra apparerent & ineciâ conficerentur: tum Gentiles Chriſtianos vtpote beneficos & miſericordes inuocare cœperunt, (quos paulò antè expulerant) vt eleemoſynis eis ſuccurrerent & mortuos eorum ſepelirent; dicebant enim apud ipſos tantummodò miſerationes valere, quæque humanitatis & pietatis ſunt ſeruari: nec tam veram ſanctamque religionem, tamque in omnibus perfectam vllam eſſe, quæ vniuerſis hominibus tanquam propinquis & proximis conſulere ſoleat. Chriſtiani igitur opibus ſuis plurimorum inediam conſolati, & cadauera ſepelierunt & ad ægros intrantes, nihil contagioſi patiebantur. Vnde factum, vt Idololatræ non modò Chriſtianos ab omni ſcelere vindicarent, ſed ipſos ſolos bonos & pios, magnumque Chriſtianorum Deum prædicarent. Euſebius *in hiſtor. Eccleſ. lib.* 9. *c.* 7. Vnde bene S. Petrus 1. ep. cap. 2. monet Chriſtianos vt conuerſationem inter gentes habeant bonam; *vt qui detrectant de vobis*, inquit, *tanquam de malefactoribus, videant opera veſtra bona.* Quòd ſi in hoc obediremus Apoſtolo, religionem noſtram facili negotio infidelibus perſuaderemus, vel certè eos confunderemus, vti nec os contra nos aperire auderent; ſed quia vident multos perditè viuere, ideò putant legem & religionem noſtram id vel iubere vel permittere.

F. V. Vt gaudium noſtrum in cœlo ſit cumulatius.

QVINTÒ, Vt gaudium noſtrum ſit plenum. Ita *Ioan.* 16. ſpecialiter de oratione dixit: *Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Id quod de omnibus aliis operibus bonis dici poteſt. Quomodo, inquis, per orationem vel alia bona opera gaudium noſtrum fit plenum? Reſpondeo, quia bona opera noſtra efficiunt vt gloria & bona alia à Deo nobis dentur velut merces & præmium, non vt donum præciſè: hic autem reſpectus præmij facit gaudium

Digitized by Google

gaudium perfectum. Idcircò cùm nobis donum offertur immeritis, ſtatim dicimus: ſi commeruiſſem vel in minimo, libenter acceptarem. Ita enim ſumus aliqua cauſa ſaltem ſecundaria meriti noſtri idque habemus per noſipſos, vti D. Thom. 3. *p. q.* 29. *a.* 3. docet. Patet in ſtudioſis, qui cùm præmia aliqua accipiunt, quæ ſuâ induſtriâ promeriti ſunt, aliud ex ſcriptione, aliud ex Græcis, aliud ex poëſi &c. gaudio pleni ſunt. At ſi alicui præmium offerretur cum hoc addito, quòd ei merè gratuitò detur, non ex merito, tunc id vel non accipiet, vel certè exiguo cum gaudio. Similiter Principis filius, qui ceruum inſignem ſuâ manu peremit aut arcu ſuo proſtrauit, multò plus lætatur, quàm ſi centum ei cerui offerantur capti à venatoribus. Ita S. Martino maior gloria fuit audire à Chriſto: *Martinus hac me veſte contexit*: quàm ſi cœlum ei donatum fuiſſet. Propterea Iacob cùm haberet plures & potiores poſſeſſiones, nullâ magis delectabatur, quàm agro illo Sichemenſi, quem ademptum ſibi ab Amorrhæis, vi & armis iterum eis abſtulerat: vnde cum velut rem chariſſimam legat filio chariſſimo, Ioſepho, Gen. 48. *Do tibi partem vnam*, inquit, *extra fratres tuos, quam de manu tuli Amorrhæi in gladio meo & arcu.* Quare vt gaudere plenè poſſemus, voluit Deus vt per bona opera cœlum mereremur: quia verò propriis viribus promereri id non poſſumus, eleuat nos per gratiam, vt poſſimus. Sic princeps dat filio falconem, quo aues supernè volantes capere poſſint. Falco noſter gratia eſt: aues præmia operum cœleſtia. Vnde fit vt maior gratia ſit, quòd Deus velit nos promereri cœlum, quàm ſi omninò gratis daret.

G. VI. Vt varietas ſit meritorũ & coronarum.

SEXTÒ, Vt inter ſanctos in Eccleſiâ tam militante quàm triumphante pulchra & ſuauis quædam varietas ſit meritorum & præmiorum. Vt enim in mundi bonis non minimum eſt, tanta creaturarum, in repub. tanta ſtatuum, ciuium, munerum, officiorum diuerſitas: ita & in cœlo & Eccleſia. Quid enim pulchri foret, ſi omnes eſſent æquales in doctrinâ, dignitate, opibus, &c.? Hæc autem varietas meliùs haberi non poteſt, quàm per bona opera, quæ ſibi quiſque parit. Nam ſi prorſus gratuita eſſet præmiorum diuerſitas, tunc vnus alteri inuidere & contra Deum murmurare poſſet, quòd vni plus dederit quàm alteri, qui nihilo plus ſit meritus. Vt ergò nullus conqueri poſſit, voluit Deus præmia ſingulorum dependere ab eorum meritis: atque ita liberum cuique fecit ædificare ſibi in cœlo domum, qualem ipſe vellet, ſiue auream ſiue argenteam, ſiue lapideã. Nam per bona opera ædificare ſibi quemque in cœlo domum, patet ex lib. 4. dial. S. Greg. c. 36. vbi Sancto Deuſdedit viſa ædificari in cœlo pulcherrima domus ſingulis ſabbathis, quibus ille pecuniam, quam ſutoriâ arte parârat, pauperibus ad fores S. Petri attuliſſet. Et ex vitâ S. Ioannis Eleemoſynarij, qui 30. libris pulcherrimam ſibi in cœlo domũ comparauit. Itaque qualem ſibi quiſque habitationem parat, talem inhabitabit: Betteſt dir wol/ ſo ligſt du wol. Hinc iã omnes beati ſuis præmiis contenti eſſe debent & ſunt; quia ſi alium vident etiam plus accepiſſe, vident etiam plus laboraſſe. Vnde fit, vt poſito tanto præmio, non poſſint maiorem beatitudinem appetere. Propterea Dominus *Matth.* 20. in parabola operariorum vni illorum ait: *Amice non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum eſt*; quaſi dicat, tantum meruiſti, & non amplius: ſi plus mereri voluiſſes plus accepiſſes.

H. VII. Quia lex naturæ id poſtulat.

SEPTIMÒ, Quia eſt generalis lex naturæ, & commune decretum, vt non coronetur, niſi qui legitimè certauerit, 1. Tim. 2. & ad præmia non perueniatur, niſi per labores. Hoc intellexere Romani etiam gentiles, qui, teſte S. Auguſt. de ciuit. l. 5. c. 12. templum honoris & virtutis ita contigua extruxerant, vt ad honoris templum perueniri non poſſet, niſi per templum virtutis. Lacedæmonij liberis ſuis non dabant eſcam, niſi quam ſagittâ deieciſſent. Terra promiſſionis donata eſt à Deo Iſraëlitis: debuerunt tamen eam multis prælijs lucrari, & eijcere inde Reges. In eiuſdem rei figuram Iacob priùs vocatur *Iacob*, id eſt, luctator, quàm *Iſraël*, id eſt, videns Deum. Beniamin, id eſt, filius dexteræ, priùs Benoni, id eſt, filius doloris. Ieruſalem, priùs Iebus, id eſt, conculcatio, quàm Salem, id eſt, pax. Sabbathum præcedebat ſemper paraſceue, id eſt, præparatio, ſcilicet ciborum pro ſequenti ſabbatho: ſic præparatio bonorum operum in hac vitâ præcedit ſabbathum alterius vitæ, vbi non licet operari. Quod adeò ratione conſentaneum eſt, vt nemo prudens magnum aliquod beneficium petere à Rege facilè audeat, qui nihil eius gratiâ præſtiterit. Seruum etiam otiantem, etſi nil mali committat, nemo facilè in domo patitur, nedum remunerat. Igitur & Deus ab hoc communi decreto neminem exemit: non angelus, non matrem filij ſui, non filium. Et communiter omnibus cœli honores petentibus ait, quod Iacobo & Ioanni dixit, Matth. 20. *Poteſtis bibere calicem*? Si diſpenſationem pateretur hoc decretum, certè aliquo illorum diſpenſaſſet. Cuius decreti generalis ratio mihi videtur eſſe: vt ita omnes intelligant, gratuita illa dona ſibi nequaquam deberi. Si enim ſine omni conditione onerosâ darentur, facilè homines poſſent opinari, ſibi iſta naturaliter debita eſſe: & authori Deo nihil adſcriberent. Ita, exempli gratiâ, ſæpe diutiſſimè ſubtrahit nobis ſolis radios, aut pluuias, vel ſegetes perire ſinit: ne cogitemus ea nobis deberi, ſed moneamur promerenda & impetranda eſſe. Et ſi hæc dona naturalia; quantò magis ſupernaturalia; quæ nullo titulo nobis debentur? Errant igitur toto cœlo, qui ſine bonorum operum alis ad cœlum volare contendunt. Marius cum Cymbris præliaturus, cùm exercitus eius ſiti laborans, vtpote loco arido caſtra metatus indignaretur & aquam peteret, ſublato digito eminùs fluuium caſtra hoſtium præterlabentem oſtendit: *Qui ſitit*, inquit, *ſitimq́; leuare cupit illuc eat adaquatum*, Maiol. *to.* 3. *canicul. coll.* 2. Sic &

Deus tibi præmia in cœlo monſtrat, ſed ea deiice priùs arcu tuo: pugna priùs & vince, ſi bibere vis de torrente voluptatis eius.

CONCIO IV.

Quinam fruſtra dicant Deo: Domine, Domine.

1. *Tales ſunt heretici.*
2. *Mali Chriſtiani, qui voce Chriſtum confitentur, factis negant.*
3. *Qui bona deſideria non perficiunt.*
4. *Quorum omnis deuotio in externis eſt operibus, de internis parum ſolliciti.*

THEMA.

Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine intrabit in regnum cælorum. Matth. 7.

A. IN more receptum eſt apud nos & plurimas alias nationes, vt aduentanti hoſpiti non tantùm ore ſalutem precemur, amicitiam noſtram inſinuantes, ſed præterea manum demus. Hoc idem obſeruatum legimus *lib. 4. Reg. c.* 10. à Rege Iſraël Iehu, qui cùm ad deſtruendum Baal eiuſque ſacerdotes pergeret, obuium habuit Ionadab, eique dixit: *Nunquid eſt cor tuum rectum cum corde meo, ſicut cor meum cum corde tuo?* Cui reſpondit Ionadab: *Eſt. Si eſt*, inquit Iehu, *da manum tuam.* Dedit Ionadab manum, & rex leuauit eum ad ſe in currum ſuum, ac dixit: *Veni mecum & vide zelum meum pro Domino.* Myſticè Iehu ſignificat Chriſtum Dei filium, qui de cœlo ad iudicium veniet, vt deſtruat peccatum eiuſque cultores. Vbi nos omnes obuiam ei ibimus; ipſe verò vnumquemque interrogabit de dilectione, vtrum diligamus eum, quemadmodum & ipſe dilexit nos. Sed nequaquam contentus erit ſolà vocis aſſertione: quia, vt primùm audiuimus, *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Manum præterea poſtulabit, id eſt, veram & ſinceram operationem, quâ amorem noſtrum erga ipſum ſeriò & reipsà demonſtremus. Vnde ſubdit: *ſed qui facit voluntatem patris mei, &c.* Et tunc leuabit nos in currum gloriæ ſuæ; alioquin verò minimè. Meritò igitur antequam Chriſto obuiemus, nos ipſos interrogemus, quomodo eum excepturi ſimus. Sic enim monet Eccl. cap. 18. *Ante iudicium interroga teipſum, & in conſpectu Dei inuenies propitiationem.* Quinam igitur ſunt, qui non rectè excipiunt Dominum, adeoque fruſtrà dicunt: *Domine, Domine?* Audiamus.

B. I. Tales ſunt hæretici. PRIMÒ, Tales ſunt hæretici Lutherani & Caluiniſtæ, qui nituntur fiduciâ quadam, vt vocant, ſpeciali, quâ certò ſe ſaluandos credunt ſine omnibus operibus: credunt enim ſe diuinarum promiſſionum de iuſtificatione & remiſſione peccatorum certò participes factos. Sed hæc eorum fiducia merum eſt figmentum, & conuellitur ab hoc vno loco: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, &c.* Iſti namq; fidem in Chriſtum Dominum habere ponuntur, neque aliunde reprehenduntur; niſi quòd voluntatem patris non faciant: & tamen illis regnum cœlorum negatur. Similiter illi, qui in iudicio dicturi ſunt: (vt poſt hodiernum Euangelium ſequitur) *Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, &c.* fidem habuere, non enim hinc reiiciuntur, (quomodo alioquî in nomine eius prophetaſſent?) ſed quòd *operarij* fuerint *iniquitatis.* Et tamen audient, *quia non noui eos.* Dicunt ergò hæretici: *Domine, Domine,* nónne tu pro nobis paſſus es, & pro nobis ſatisfeciſti? nunquid imperfecta ſunt merita & paſſio tua? ſed audiãt iſti; nónne etiam Chriſtus pro nobis baptizatus eſt? & tamen baptizari debet, qui vult fieri particeps meritorum Chriſti. Dicere etiam poſſem: nónne etiã Chriſtus pro nobis reſurrexit, & in cœlum aſcendit? ergò neceſſarium non eſt, vt nos reſurgamus & aſcendamus? Aliter certè Apoſtolus ad Rom. 8. *Hæredes quidem Dei,* (ſumus) *cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Et 2. Tim. 2 *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* Item: *Si commortui fuerimus & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus & conregnabimus. Si negauerimus, & ille negabit nos.* Negatur autem Chriſtus non verbis tantùm, ſed & factis, ad Tit. 1. Ratio verò eſt, quia ſi ſola fides ſolaque Chriſti merita abſque cooperatione noſtra ſufficerent ad ſalutem, nónne Chriſtus otium hominum foueret, imò ad quæuis mala patranda licentiam & ſecuritatem præſtaret? Audi vel ipſum Lutherum *in l. de viſit. Saxon.* ſaniùs (quàm aliàs) ſcribentem: *Multi*, inquit, *dum audierunt, vt ſolummodò credant omnia ipſis peccata remitti, fingunt ſibi fidem, & putant ſe mũdos eſſe, per quod fiunt temerarij ac ſecuri: cuiuſmodi autem carnalis ſecuritas peior eſt omni errore, qui ante hoc tempus vnquam fuit.* Hæc Lutherus. Et tamen ille ſuper hoc figmentum totum ſuum Euangelium & omnem ſuam doctrinam ædificauit. Quid ergò nos aliud contra eum dicere poſſemus? Deinde licet Chriſtus promiſerit nobis iuſtitiam, remiſſionem peccatorum, gloriam: num ideò nos cooperari non debemus? Loquatur aſina, ipſo Balaamo ſapientior, loquatur caro animo prudentior, loquatur agricola doctoribus doctior. Promiſit nobis Chriſtus ſubſidia temporalia, victum & amictum, dicens: *Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nónne vos magis pluris eſtis illis?* Matth. 6. An propterea agricolæ non ſærunt, neque metunt, neque congregant in horrea, quia ſciunt Deum ſibi victum promiſiſſe. Profectò lepidi ſunt homines, & ſimiles Euchitis, antiquis illis hæreticis, qui damnabant laborem, & cibum à Deo expectandum eſſe dicebant, quod etiam noſtro tempore, anno 1534. Anabaptiſtarum quidam, vt Ioannes Leidanus & Dauid Georgius, in Epiſcopatu Vltraiectino multis ſimplicioribus perſuaſerunt.

SECVNDÒ, Tales ſunt mali Chriſtiani, qui voce confitentur ſe noſſe Chriſtum; adeoque etiam neceſſaria eſſe bona opera ad ſalutem conſe- C. II. Chriſtiani, qui voce.

conſequendam, factis autem negant. Dicunt iſti: *Domine, Domine*; quia ſatis ſuis eſſe putant, quòd ſint baptizati, confirmati, & Catholici: de præceptorum verò obſeruatione nihil ſoliciti ſunt, nec quidquam boni operis curant afferre Deo. Quibus rectè dicit Dominus: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine*. Et Luc. 6. *Quid vocatis me Domine, Domine, & nõ facitis quæ dico?* An neſcimus, quid euenerit illi ficui, quæ folia tantùm habuit, & quærenti in ea fructum Chriſto, nullum præbuit? An non Domini voce areſacta eſt? *Matth.* 21. Nónne ficus illa plantata in vineâ patrisfamilias, cùm triennio eſſet ſterilis, juſſa eſt exſcindi? *Luc.* 13. Chriſtianus operibus bonis carens, per ficum illam deſignatus eſt, qui inſtar ficus frequenter inceſſanter bonorum operum fructus debet proferre: negatiua quidem præcepta obſeruando ſemper; poſitiua verò, pro exigentiâ loci & temporis. Foliis enim verborum, quibus dicit: *Domine, Domine*, nónne Chriſtianus & Catholicus ſum? minimè contentus erit Dominus. Romani Cenſores, ſi fortè offendiſſent in vrbe quempiam otioſum, interrogabant eum, quâ arte vteretur intuebanturque eius manus, an callo obduruiſſent, & inde diiudicabant, eſſétne artifex, an potiùs vagus & inutilis reip. & ſi talis apparebat, relegabatur. Refert Oſor. to. 5. conc. in Dom. Septuag. Faciet hoc in iudicio Deus maximè Chriſtianis: examinabit enim manus, id eſt, opera eorum: *eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, &c.* nec contentus erit nudâ fidei profeſſione, quam quaſi inſtrumentum artis gerimus nobiſcum.

Habuere abſque dubio operarij illi ſtantes in foro inſtrumenta ſua, ligones & ſecures ſuper humeros; nihilominus tamen audiere: *Quid ſtatis hic totâ die otioſi?* Matth. 20. Et cum ad mercedem vocandi eſſent, *voca operarios*, dixit paterfamilias non ſtationarios; nec mercedem reddidiſſet illis, ſi ligonem tantùm ſuper humeros tenentes in vineâ deambulaſſent. Addo etiam ſi ſibi, non Domino laboraſſent, v.g. ſi vnus numeraſſet ſuam pecuniam, alius caligas ſuas reſarſiſſet, mercedem non accepiſſent; ſic niſi Deo laboremus & quæramus, quæ Ieſu Chriſti ſunt, non quæ noſtra; nequaquam operarij Dei erimus. Certè operarij, quos ad agros veſtros colendos conducitis, totam diem laborant vobis, ita vt vix per horam vacent ſibi; alioqui mercedem à vobis non accipiunt. Et quomodo nos operarij Dei dici volumus, qui pænè totam hebdomadem propriis negotiis impendimus; & vix vnam alterámve horam Deo & diuinis rebus? Media hora per diem Miſſæ audiendæ non impenditur: concio paulò longior in hebdomade ſemel difficulter auditur: confeſſio & cõmunio vix ſemel iterumve in anno peragitur: vna hora oratione feſtiuis diebus in tantâ orandi neceſſitate non impenditur. Et putamus nos mercedem à Deo accepturos, ſi dixerimus; *Domine, Domine*, nónne ſemper laborauimus, liberos cum labore educauimus, victum & veſtitum in ſudore vultus noſtri parauimus, &c.? Sanè de ſeipſo ſcribit S. Hieronymus in regula monachor. c. 15. quòd cùm Ieroſolymis militaret Deo in ieiuniis, vigiliis & lachrymis, interim tamen valdè afficeretur lectione librorum profanorum, Ciceronis & Platonis, raptus aliquando ſit in ſpiritu ad tribunal Chriſti: vbi conditionem interrogatus, reſpondit ſe Chriſtianum eſſe: ſed ille qui præſidebat *Mentiris*, dicebat, *Ciceronianus es, non Chriſtianus: Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuũ.* Ad quæ verba illicò obmutuit Hieronymus, & dirè flagellatus eſt; adſtantium tamen precibus obtinuit veniam adoleſcentiæ & errori locum pœnitentiæ. Cuius rei non vanæ, teſtes fuiſſe ait oculos plenos lachrymis & ſcapulas plenas vulneribus, doloremque adhuc remanentem. Quod ſi ergò vir hic alioqui Deo vacans, tantùm ob auidius ſtudium librorum profanorum adeò malè exceptus eſt coram Dei tribunali: quid fiet illis, qui omnia ſua ſtudia vertunt ad ſæcularia negotia & lucra tranſitoria? quâ fronte petere à Deo mercedem poterunt? *Qui non laborat, nec manducet*, ait Apoſtolus.

TERTIÒ, Tales ſunt, qui multoties pia deſideria habent, peccata deſerendi, pœnitentiam agendi, bene operandi, & bene afficiuntur erga Deum, & virtutem: nunquam tamen effectui dant quæ proponunt, nec colunt reipsâ Deum & pietatem. Multi concipiunt ſæpe optima propoſita in concionibus, lectione piorum librorum, ægritudine, v.g. cauendi hoc vel illud vitium, patrandi hoc vel illud bonum opus, confitendi hoc vel illud graue peccatum diu occultatum, intrandi religionem, reſtituendi ablata, ceſſandi à lucro iniuſto, fornicatione, &c. Dicunt hi omnes: *Domine, Domine*: parati ſumus obedire tibi, faciemus quæ à nobis requiris, tantùm patientiam habe in nos & omnia reddemus tibi. Sed interim non exequuntur, quæ concipiunt animo, ſuntque inſtar picti curſoris; qui ſemper videtur currere, nunquam tamen paſſum facit; quia pedem alterum, id eſt, executionis nunquam eleuant. De his dicitur *Iob c.* 39. *penna ſtruthionis ſimilis eſt pennæ Herodij & accipitris.* Struthio enim pennas quidem habet, ſimiles pennis earum auium, quæ altiſſimè volant, & conantur quaſi volare, ſed ob corporis vaſtitatem & grauitatem nequit ſe de terrâ leuare, ſolùm in terrâ currit. Eiuſmodi ſunt, qui deſiderant & vellent Deo ſeruire, pietatem ſectari, vitia deſerere; ſed ob curas, voluptates & diuitias retinentur. Fuit talis ſtruthio Balaam, qui primò bene quidem precabatur Iſraëlitico populo: occaſione tamen lucri ſibi oblati, quod priùs contempſerat, victus, in obſtinatione & malitiâ ſuâ perſtitit. Dicebat is: *moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum* (Iſraëliticorum) *ſimilia.* Num. 23. Sed interim bene viuere cum Iſraëlitis non curauit, imò quos ore laudarat, malo conſilio perditum ibat. Nuper etiam quidam princeps hæreticus aut potiùs politicus, bonæ tamen indolis & ingenij, rogatus quid de Catholicis & Caluiniſtis ſentiret, vtrorum fides eſſet verior? reſpondit argu-

D. III. Qui bona deſideria non perficiunt.

Digitized by Google

argutè, *ſe malle viuere cum Caluiniſtis, ſed mori cum Catholicis; quod horum mors ſit letior & ſecurior, illorum vita ſit licentior & voluptuoſior*: vt refert Cornel. à Lapide *in c. 23. Num.* Verùm ſaniùs & ſuæ ſaluti congruentiùs dixiſſet: Quádoquidem malo mori cum Catholicis, malo & cum iis viuere; bona enim mors à bonâ vitâ pendet, & impoſſibile eſt eum qui hæreticè aut malè viuit, bene & feliciter mori. Prudentiùs etiam Balaam dixiſſet: Viuat anima mea vitâ iuſtorum vt moriatur morte iuſtorum. Qui enim viuit vitâ piorum, certò morietur morte piorum: & qui viuit vitâ impiorum, certò morietur morte impiorum. Non deſunt etiam inter Catholicos, qui deſiderant mori cum Catholicis, & iuſtis, ſed interim nolunt viuere cum Catholicis, ieiunare, Sacramenta frequentare, &c. Qui tandem aliquando ſerò nimis deſideria fruſtrà concipient, quæ priùs effectui dare noluerunt. *Tum incipient foris ſtare*, vt teſtatur Dominus Luc. 13. *& pulſare oſtiũ dicentes: Domine aperi nobis. Et reſpondens dicet* illis: *neſcio vos, vnde ſitis.* Cuius exemplum patet in Chryſaorio illo apud S. Greg. *l. 4. dial. cap.* 38. qui *inducias vel vſque manè* petens, non eſt auditus. Væ igitur prægnantibus in illis diebus, id eſt, qui bona ſua vota & deſideria in effectum non deduxerunt, Matth. 24.

E. IV. Quorum omnis deuotio in externis eſt operibus.

QVARTÒ, Tales ſunt, quibus omnis deuotio in externis operibus bonis, vt in orationibus, audiendis miſſis & concionibus, dandâ eleemoſynâ, ieiuniis, peregrinationibus, aſpero veſtitu, ciliciis, habitu religioſo conſiſtit; de internis verò, quomodo vitia ſua expugnent, ſeipſos vincant & prauas animi ſui affectiones mortificent, nulla ſolicitudo eſt, cùm tamen hæc vti magis difficilia, ita magis etiam neceſſaria ſint. Tales erant Phariſæi, quos redarguit Dominus *Luc. 11.* dicens: *Væ vobis Phariſæi, qui decimatis mentam & rutam & omne olus & præteritis iudicium & charitatem Dei: hæc autẽ oportuit facere & illa non omittere*, q. d. hæc vti magis neceſſaria ante omnia debebatis facere, & illa vt minora non omittere. Parum profuit Phariſæo illi, qui dicebat: *Ieiuno bis in ſabbatho, decimas do, &c.* interim verò ſuperbiam ſuam non expugnauit. Quemadmodum enim multò plus refert, vt calix & catinus intus ſit mundus, quàm vt extrà ſit ornatus: ita multò magis requirit Deus, vt cor à vitiis purgemus & nos ipſos vincamus, quàm vt opera bona externa patremus, peccatis interim ſubditi. Ratio, quia charitas eſt fundamentum, in quo extrui muri bonorum operum debent. Qui ergò prioris generis opera tantùm præſtat, orat, ieiunat, dat eleemoſynam, frequentat ſacrum, peregrinationes ſuſcipit, nec ſtudet extirpare vitia ſua: ſimilis eſt ædificanti ſuper arenam: (quam parabolam ſubiungit Dominus hodierno Euangelio) *deſcendit autem pluuia & venerunt flumina & flauerunt venti & irruerunt in domum illam & cecidit, & fuit ruina eius magna.* Talis Guilielmus Dux Iuliacenſis, qui vt ſcribit Cæſarius *l. 12. c. 5.* in feſto Natiuitatis Domini ſub tribus miſſis tanquam audiuit cantus ſuauitatem, vt paratum ſe diceret omnia relinquere ſi vel ſemel adhuc eum audire poſſet. Et tamen interim malus erat, nec peccata ſua emendare ſtuduit. Omnes iſti malæ & inutiles arbores ſunt. Primi prorſus ſteriles. Secundi ferunt folia tantùm. Qui tertio loco, flores proferunt non fructum. Qui quarto, fructum ferunt, ſed parum vtilem. Omnibus his dicitur: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*; quod à nobis auertat DEVS.

CONCIO V.

Mendacium quàm ſit fugiendum.

Fugiendum eſt mendacium,

1. *Quia eſt intrinſecè malum, adeoq; peccatum.*
2. *Obeſt Reipublicæ maximè ſacrilegium, periurium &c.*
3. *Fidem adimit dicenti.*
4. *infames facit & odibiles.*
5. *Difficilè emendatur.*
6. *Pœnâ digniſſimum.*

THEMA.

Attendite à falſis Prophetis. Matth. 7.

A. LIbro 3. Reg. c. vlt. legimus Achab geſtientem exire ad præliandum ſine causâ, congregaſſe pſeudoprophetas 400. circiter, & interrogaſſe eos, num exire deberet ad præliandum. Qui omnes ad placitum regis locuti, ſuaſerunt bellum & prædixerunt ei victoriam. Sed Michęas, qui ſolus tunc Propheta Domini remanſerat, ad extremum etiam conſultus, contrarium vaticinabatur; dicebat enim: *Vidi Dominum ſedentẽ ſuper ſolium ſuum & omnem exercitum cœli aſſiſtentẽ ei à dextris & à ſiniſtris. Et ait Dominus: quis decipiet Achab regem Iſraël, vt aſcendat & cadat in Ramoth Galaad; Et dixit vnus verba huiuſcemodi & alius aliter. Egreſſus eſt autem Spiritus & ſtetit corã Domino & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies & præualebis, egredere & fac ita.* Porrò res vt prędicta erat à Michæa, euenit; vulneratus enim in prælio Achab occubuit. Videtur mihi Achab iſte deſignare mundum, qui & ipſe vult decipi, & mendacium audire, non veritatem. Egreditur ergò ſpiritus in mundum vt decipiat ipſum in ore hominum mendacium. Et ſanè videtur his temporibus ſpiritus mendaciorum prorſus liberatus & in mundum egreſſus prophetare in ore infinitorũ pſeudoprophetarum. A talibus ergò nobis attendere debemus, non ſolùm vt ne ab iis decipiamur, ſed etiam multò maximè vt ne tales ipſi ſimus. Priſci Ægyptiorum ſacerdotes, quo principem ſuum monerent, in omnibus ſemper veritatis habendam eſſe rationem, ſaphyrum, qui cœlo ſereno ſimillimus & veritatis typus eſt, collo eius appendebant: vt eius intuitu, nihil niſi verum diceret; apud Ælian. l. 14. c. 34. Volo ego eâdem gemmâ collum veſtrum ornare. Quæſo igitur, patiamini hoc facientem.

Men-

Digitized by Google

B. I. Quia intrinſecè malum. Mendacium fugiendum PRIMÒ, Quia intrinſecè malum, nec vllo bono fine cohoneſtari poteſt, quoniam per ſe tendit ad deceptionem proximi, adeoque eſt contra ius ſocietatis humanæ & contra legem naturæ, dictantibus non eſſe fallendum & contra mentem loquendum. Cùm enim verba, ſcriptura, nutus & eiuſmodi introducta ſint partim à natura, partim ab hominibus vt ſigna & interpretationes quædam ſententiarum noſtrarum & conceptuum; manifeſtum eſt peccare eum qui illis abutitur, nec conformat ea conceptui ſuo, & aliud per ea proximo ſignificat quàm mente gerat. Sic enim illum in errorem inducit: velut horologium in ſe quidem rectè ambulans, foris autem perperam horas oſtendens. Vidit hoc etiam Ariſtoteles 4. *Eth.* c. 7. cùm dixit: *per ſe autem mendacium improbum eſt & vituperabile: verum autem probum ac laudabile.*

Vnde ſequitur 1. Vnde imprimis ſequitur impoſſibile eſſe mentiri Deum, vt ait Apoſtolus ad Hebr. 6. Et idcircò Prou. 12. dicitur: *Abominatio eſt Domino labia mendacia.*

2. Sequitur Secundò, omne mendacium eſſe peccatum: iuxta id Eccl. 7. *noli velle mentiri omne mendacium.* Iocoſum porrò mendacium deterius eſt officioſo: pernicioſum verò vtroque.

3. Sequitur Tertiò, mendacium etiam bonâ intentione factum, eſſe peccatum. Vnde non licet mentiri etiam pro laude Dei, vt docet Auguſt. *ep.* 8. & 9. Quod enim bonum eſt, ex omni parte bonum eſſe debet: mendacium autem eſt ſecundum ſe actus malus, naturæ & Dei legi contrarius. Vnde nec humilitatis cauſa mentiri licet. Nam Auguſt. de verbis Apoſt. ait: *Cùm humilitatis causâ mentiris, ſi non eras peccator antequàm mentireris, mentiendo effiiceris, quod euitaueras.*

4. Sequitur Quartò, Non licere mentiri etiam ad vitam tuendam. Dicit enim Apoſt. *ad Rom.* 3. non eſſe facienda mala vt eueniant bona. Refert Metaphr. apud Sur. 27. April. de Anthimo Nicomedienſium Epiſcopo & martyre: qui cùm ſæuiente Maximiani Cæſaris perſecutione à 20. ſatellitibus ad cædem quæreretur: ipſos ſatellites hoſpitio excepit, menſamque prælautam eis appoſuit ac ſimul addixit ſe breui Anthimum in eorum conſpectũ adducturum. In medio verò ciborum apparatu exurgens palàm prodidit ſe eſſe, quem tam ſtudioſè quærerent. Hîc illi ſtupore attoniti ob beneuolentiam quâ illos exceperat, vnà ſpoponderunt ſe Imperatori renuntiaturos, Anthimum diu quæſitum, non eſſe inuentum. Ille verò contrà oſtendit ſe id non permiſſurum: fas non eſſe Chriſtiano pro vitâ cuiuſquam mentiri. Itaque vltro ſe capiturum illis adiunxit & ad martyrium perrexit. Illuſtre etiam huius rei exemplum extat apud B. Hieron. de muliere ſepties ictâ, quæ falsò accuſata de adulterio *ſexu fortior ſuo, cùm eculeus corpus extenderet, & ſordidas fœtore carceris manus poſt tergum vincula cohiberent, oculis quos tantùm tortor alligare non poterat, ſuſpexit ad cœlum, & volutis per ora lacrymis. Tu, inquit, teſtis es Domine Ieſu cui occultum nihil eſt, qui es ſcrutator renis & cordis, non ideò me negare velle, ne peream, ſed ideò mentiri nolle ne peccem. At tu Miſer homo (alloquitur adoleſcentem, de eodem ſcelere falsò accuſatum, qui mentitus erat ſe reum & illam, vt tormenta effugeret) ſi interire feſtinas, cur duos interimis innocentes? Equidem & ipſa cupio mori, ſed non quaſi adultera: præſto iugulum, micantem intrepide excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram. Cùm autem Conſularis duplicari tormenta iuberet. Vna inter hæc eius vox erat. Cæde, vre, lacera, non feci. Si dictis tollitur fides, veniet dies, quæ hoc crimen diligenter diſcutiat: poſtea miſerrimi iuuenis caput vno ictu amputatum eſt. Mulieris verò tangi quidè, ſed truncari non potuit, ne ſepties quidem repetito à diuerſis carnificibus ictu. Ita clàm erepta manibus carnificum ſanitati reſtituta eſt, & libertate à Cæſare tandem donata;* vt fuſe proſequitur Hieronymus. Licet tamen interdũ veritatẽ occultare, quando audientes indigni ſunt: vel loquens abſque magnum aliquod periculũ incurſurus eſt: aliàs non, quia Anſelmus in ep. ad Corinth. ait; *Qui veritatem occultat & qui mendacium profert, vterque reus eſt: ille quia prodeſſe non vult; iſte quia nocere deſiderat.*

Sequitur Quintò, Non licere regulariter vti amphibologiis, quia hoc lædit etiam communiter humanam conuerſationem. Licet tamen, cùm graue aliquod damnum tibi vel alteri inſtare videris. Sic Chriſtus dixit ſe non aſcenſurum ad diem feſtum, videlicet publicè: aſcendit enim, ſed occultè. Item: *ſoluite templum hoc, &c.* Sic Athanaſius, quærentibus ſe ad necem obuians in naui, dixit non longè abeſſe Athanaſium. Abraham dixit Saram, ſororem: quæ erat eius neptis ex parte patris, non matris. Iacob ſe dixit primogenitum: quia ſcilicet ius primogenituræ emerat à fratre, &c. Hoc tamen ius tergiuerſandi non habes in iudicio, quando reus es per teſtium depoſitionem comprobatus. 5.

SECVNDÒ, Quia obeſt Reip. Primò, enim plurimos in errorem inducit & ita humanam conuerſationem & ſocietatem impedit ac diſſoluit, facitque confuſionem, qualis fuit in ædificatione turris Babel, vbi vno petente lapidem, alter loquentem aliter intelligens porrexit lignum, &c. Velut ſi vnus interroget Italicè, alter reſpondeat Græcè. Vnde Apoſtolus ad Eph. 4. ait: *Deponentes omne mendacium loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo: quoniã ſumus inuicem membra.* Si enim os petat potum, & manus præbeat cibum, quomodo viuet homo? Secundò, quia multos inficit: ideò fortè diabolus ſub formâ ſerpentis mendacium inuexit in mundum; quia mendacium virus eſt, quod reip. corpus peruadit. Vt enim moneta praua multos decipit, & ab vno ad alterum tranſit: ita & mendacium. Vnde ſi iraſcimur, quando falſam monetam deprehendimus in marſupio, multò magis iraſci deberemus mendaciorum ſatoribus. Sanè *Eccli.* 20. dicitur: *Potior eſt fur, quàm aſſiduitas viri mendacis*; quia hic veritatem, ille nummos ſurripit. Tertiò, C. II. Quia obeſt rei publicæ.

quia ordinem in loquendo ita peruertit, vt aliis etiam vera dicentibus ſæpe non credamus, vel cum formidine ſaltem; propterea quòd aliquando à mendacibus quibuſdam ſeducti ſumus.

Mendacia cæteris nocentiora.

Præcipuè verò obſunt, Primò ſacrilegium, circa fidem, vel Deum. Quale erat illud Cyrolæ Epiſcopi Ariani, ſubornantis hominem, vt fingeret cæcitatem velut ab ipſo illuminandus: quam tamen veram contraxit. Caluini ſimili fraude ſubornantis ciuem Geneuenſem, vt fingeret mortem, quam itidem ſubiit iuſto Dei iudicio. Tales ſunt hiſtoriæ confictæ in odium religionis veræ: mendacium item, quod dicitur in confeſſione. Refert Gregor. Túron. *l.* 1. *c.* 3. adoleſcentem ægrum in confeſſione ſcelus aliquód ſuum pernegantem S. ſynaxin traiicere per guttur non potuiſſe, ſed rurſum eieciſſe (cùm tamen alios cibos ſumeret ſine obſtaculo) donec reuocato ſacerdoti, peccatum quod perperam negárat, confiteretur.

Secundò, Periurium, per quod diuino adducto teſtimonio falſum confirmatur: in quo maxima Deo irrogatur iniuria, quaſi ratum haberet mendacium, eoque delectaretur.

Tertiò, Calumniæ & alia perniciosa mendacia, quibus innocenti magnum creatur damnum aut moleſtia: quæ ſecundum leges recidere debet in caput calumniatoris, & retorqueri in ipſum ſolet.

D. III. Quia fidem adimit dicenti.

TERTIÒ, Quia fidem adimit dicenti, ita vt deinceps etiam vera narranti non credatur, veluti plano illi, qui fingens fractum ſibi crus, alienum implorabat auxilium; poſteà cùm verè fregiſſet, auxiliarem manum implorauit; ſed neglexerunt iam decepti credere dicentes: *Tollat te qui non nouit te.* Nec vanè dixit Sapiens *Eccleſ.* 34. *A mendace quid verum dicitur?* Et *Pſal.* 5. Dauid: *Quoniam non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt.* Id verò propriè conuenit illis, qui ſcientes & volentes, mentiuntur, (non ita qui per obreptionem vel præcipitationem loquuntur mendacium) nec non quandoque excogitant mendacia, iuxta id ſerm. 9. *Extenderunt linguam ſuam, quaſi arcum mendacij: docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium.* Hi enim depuduiſſe videntur & quiduis dicere audere. Inde etiam ipſi difficulter aliis credunt, quia omnes mentiuntur ſuo pede. Ariſtoteles interrogatus, quid lucri haberent mendaces? *Vt vera,* inquit, *loquentibus non credatur,* Laërt. *lib.* 5. *cap.* 1. Ab eodem enim ore vera falſaque cùm proficiſcantur, eandem cenſuram merentur. Hanc ob cauſam noluit Dominus teſtimonium dæmonum accipere, qui clamabant ipſum eſſe *ſanctum Dei, filium Dei & Chriſtum,* tametſi veriſſimum dicebant, *Luc.* 4. quia cùm dæmones plerumque mentiantur, fidem non merebantur: & facilè erat Iudæis dicere: Dæmonum teſtimonium habet; & quid illi niſi mentiri ſciunt?

E. IV. Quia infames facit.

QVARTÒ, Quia infames facit & odibiles: (vnde cùm de mendacio loqui volumus, veniam petimus verbo: **Mit gunſt zumelden**) ſiquidem nemo honoratus probrum mendacij ſibi obiectum patitur, quia ſcilicet vile & abiectum peccatum eſt, & vt S. Dorotheus ſerm. 9. ait: *proles diaboli*, qui mendacij pater eſt (*Ioan.* 8.) & mendacium inuexit in orbem; quodque mirum, ſub larua ſerpentis. Modò autem in faciem dicere mendacia, multi non erubeſcunt. Et mirum eſt, quòd nemo audire velit ſibi dici: tu mentiris; interim proni ſumus ad mentiendum, idque parui æſtimemus; perinde ac ſi peius nos habeat, ſi quis dicat: cadis; quàm cùm verè cadimus. Certè Perſæ tam infame hoc vitium reputabant, vt per omnes ætatis gradus id præcipuè ſuis inculcarent filiis: fugerent mendacium; duo etiam pro grandibus habebant peccatis: debere & mentiri; debere verò ideò, quia qui debent, ſæpiùs mentiuntur. Alex. *lib.* 2. *cap.* 25. Herodot. *lib.* 1. Hinc viri honeſti curam veracitatis etiam in rebus minimis habent, vti Ioannes *cap.* 4. cùm dixit; *Erat hora quaſi ſexta*, vt aduertit ibi Cyrillus. Maximè verò dedecet hoc Chriſtianos, idcircò enim præcipit Dominus, vt ſine iuramento, quidque aſſerimus aſſeramus; eò quod deceat Chriſtianis vel nudè aſſerentibus fidem præbere. Ideo ſermonem noſtrum voluit eſſe, *Eſt, eſt, non, non,* Matth. 5. Accedit, quod mendaces à prudentibus facilè deprehendantur. Nam vt *fauces ferinam guſtu deprehendunt*, *ita ſagax animus verba mendacia*, ait Eccleſiaſticus cap. 36. **Es bleibet ober ſtinckt.**

Ac licet aliquamdiu latere poſſint mendaces, non tamen diu. Nam, *quemadmodum qui putres & ruinam minantes parietes*, inquit Chryſoſt. hom. 67. in Ioan. *albo tectorio liniunt, non tamen eos poſſunt dirigere: ita & mendaces facilè deprehenduntur.* Vnde vetus illud; *Mendacium nullum ſeneſcit.* Et Hebræorum eſt Prouerbium; *veritatem ſtabiles, mendacium debiles habere pedes,* quia illa ſemper, hoc paruo tempore durat. Vnde licet mendax delectetur & in ſinu rideat dum alterum mendaciis circumuenit; breui tamen confundetur, & vanitas eius apparebit, cùm non poterit verificare, quod dixit. Vnde *Prouerb.* 20. dicitur; *Suauis eſt homini panis mendacij, & poſteà implebitur os eius calculo.* q.d. non poterit deglutire hunc panem.

F. V. Quia difficile emendatur.

QVINTÒ, Quia difficilè emendatur. Alia vitia moriuntur in ſenectute, non mendacium: & ob id quidam voluit potius eſſe vinolentum aut luxurioſum filium ſuum, quàm mendacem, vt ait Gerſon. Vnde veteres mendacium depinxere typo ſerpentis venenum eructantis & ſphæræ incubantis, ferreumque diadema in capite geſtantis. Sphæra, eius inconſtantiam notat; diadema ferreum, eius tyrannidem in ſubditos ſuos, quos vinculis mancipatos tenet. Patuit in duobus illis ſenibus, qui perniciosam ſtropham confinxerunt in Suſannam; & cùm ad iudicium rapti eſſent, noua addunt mendacia ad confirmandum primum, dum alter ſub prino, alter ſub ſchino ſe vidiſſe Suſannam mentitur, *Dan.* 13. Patuit etiam in Cretenſibus, quos Apoſtolus ad Titum 1. vocat, *ſemper mendaces.*

Sex-

G. VI. Quia pœnâ digniſſimum. I.

Sextò, Quia pœnâ digniſſimum. Primò, punitum eſt ab hominibus. Demoſthenes cenſebat haud minori ſupplicio dignum, qui peruertit verba, quàm qui nummos falſificat. Claudius Imp. (ſi credimus Spartiano) Pamphili cuiuſdam Romæ mortui (quia nunquam totâ vitâ ſuâ verum dixerat, ſed falſum ſemper vel mendacium) cadauer iuſſit inſepultum canibus obiici & volucribus: eiuſdem bona fiſco addici, ædes illius dirui, vxorem & liberos procul extra vrbem deportari. Artaxerxes Perſarum Rex veritatem in ſuis militibus magnopere exquirebat & mendacium perſequebatur. Cùm enim vnum deprehendiſſet mendacem; tribus clauis eius linguam perfodi iuſſit. Traianus Imp. filio regis Thraciæ iam reddere decreuerat regnum iure patri ablatum, quòd toties Rom. Reip. rebellâſſet. Cæterum cùm aliquando eum in mendacio deprehendiſſet, dicentem ſe à ſcholâ reuerſum, cùm in horto exiſtens fructus decerpſiſſet, indignatus Imperator ſententiam mutauit, ſic eum obiurgans: *Tanquam mendax indignus es regno: nec decet Romam, matrem veritatis, habere filium mendacem*; ſicque ad alios ius regni tranſtulit.

Denique vulgò omnes mendacium condemnamus & colapho penſandum aſſerimus: **auff ein lug gehoͤrt ein Maulbaſchen.** Prorſus eo, imò meliore iure, quo Alexander Macedo Chærilo Poëtæ peſſimo tot infligi colaphos iuſſit, quot malos verſus feciſſet. Quæ lex ſi obſeruaretur, vtique mentiri homines dediſcerent.

Deinde punitum eſt à Deo; vti leprâ in Eliſæi famulo, Giezi, qui fœdo mendacio impoſuerat Naamani & hero ſuo, 4. *Reg*. 5. in Elymâ Mago, cæcitate, actor. 13. *ô plene omni dolo & fallacia fili diaboli*, ait Paulus ad eum; *inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, &c.* In exploratoribus terræ promiſſæ, ſubitâ morte, *Nu*. 14. Rabbi Salomon ait, quòd linguæ eorum, quibus detraxerant terræ, inflatę venenum ſtillarint, ipſoſque ita necârint. Ananias item & Sapphira mentientes S. Petro, ſubitâ morte plexi ſunt, *Act*. 5. Meretricula, quæ mentiebatur S. Gregorium Thaumaturgum rem ſecum habuiſſe & pretium meretricij repetebat, à dæmone correpta eſt, à quo non niſi illius precibus potuit liberari. Simile exemplum alterius meretriculæ mentientis in Danielem Stylitam & à malo ſpiritu obſeſſæ donec veritatem ediceret, ſcribit Nicephorus *lib*. 12. *c*. 46. Palladius Monachus, vt narrat Theodoretus *l*. 4. *c*. 26. falsò inſimulatus homicidij & per reuelationem ſciens, verum homicidam eſſe vnum ex accuſatoribus, ad cadauer acceſſit ſpectante populo & dixit ei: *In nomine Chriſti libera me & vindica quis verè ſcelus ſit operatus.* Tunc mortuus erexit ſe & circumſpectis omnibus indigitauit authorem verum criminis; & certè ſub eius veſte deprehenſus eſt cruentus gladius vnà cum occiſi pecuniâ. Cogitate quãta fuerit hæc confuſio. Quàm ergò confundentur mendaces in iudicio, vbi coram toto mundo indigitabuntur & mendaces deprehendentur? Tunc enim Deus reuelabit pudenda illorum, qui ad inſtar protoplaſtorum, foliis mendaciorum yelarunt turpitudinem ſuam. Loquamur itaque non cum pſeudoprophetis, ſed cum Michæâ dicamuſque: *Viuit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus* (conſcientia) *hoc loquar*. Et ſanè, tales regno Dei digni ſunt, cùm enim quæſiſſet Dauid: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* reſpondet inter alia: *qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolũ in linguâ ſuâ.*

CONCIO VI.

Quinque pſeudoprophetæ cauendi: mundus, caro, dæmon, hæretici, diuinatores.

1. *Aſſignatur mundus, qui pro vita quam promittit dat mortem, pro gaudio mærorem, turbationem & vanam ſpem.*
2. *Caro prophetat homini vitam ſi voluptatem ſequatur, ſed dat mortem: Vaticinatur mortem immaturam, ſi durius tractetur &c.*
3. *Dæmon, qui oſtenditur pater eſſe omnis mendacij.*
4. *Hæretici, falſis dogmatibus populum dementantes & certitudinem ſalutis promittentes.*
5. *Diuinatores ex aſtris aliiſq; rebus vaniſſima coniectantes.*

THEMA.

Attendite à falſis prophetis. Matth. 7.

Nautæ, Auditores, in vaſto mari poſiti non omni vento credunt atque obſecundant, ſed diſcernunt ventos, quinam ſibi commodi, quique ſint incommodi, alioquin certo certius aberrarent à deſtinato portu, & ſæpe agerentur in ſcopulos & ſyrtes, adeoque in certum exitium. Non minori ſtudio, ſed maiori longè attendendum eſt, ne cuiuſlibet doctrinæ, ſuaſioni & illecebræ aures atque fidem demus in hoc mundo; vti monet S. Ioannes ep. cap. 4. *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* Primò noſtri parentes audierunt vocem ſerpentis & ſeducti ſunt, *Gen*. 3. Bonus & ſimplex quidam propheta audiit vocem mali prophetæ vt præuaricaretur Dei mandatum, & in pœnam à leone occiſus eſt, 3. *Reg*. 13. Audiit Achab Rex vocem pſeudoprophetarum ſuadentium ſibi bellum ac promittentium victoriam, & in prælio occiſus eſt, 3. *Reg*. *vlt*. Quare cùm pſeudoprophetæ in mundo varij & multi ſint, attendite chariſſimi à prophetis falſis, quorum quinque genera hac concione detegemus. A.

B. I. Mundus.

Primus, eſt mundus, qui quàm vana prædicat ac promittat, exponit S. Auguſtinus *ſer*. 31. *ad fratres in Eremo*, cùm ait: *ô munde proditor, cuncta bona promittis, ſed cuncta mala profers: promittis vitam, ſed donas mortem; promittis gaudium ſed largiris mœrorẽ; promittis quietem, ſed ecce turbatio;*

batio ; promittis florem, ſed citò vaneſcit, promittis ſtare, ſed citò recedis.

1. *Promittit vitam, dat mortem.*

Ergo Primò promittit vitam & donat mortem. Pollicetur enim homini multos annos, & in morbis quantumcunque periculoſis conualeſcentiam & vitam, ad inſtar illius diuitis qui ad ſe dicebat : *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos; requieſce, comede, epulare, bibe.* Sed audiit vocem Dei: *ſtulte hac nocte animam tuam repetunt à te, & quæ paraſti, cuius erunt?* Quin & beatitudinem liberaliſſimè promittit mundus etiam malè viuentibus, præſertim in articulo mortis, mortuoſque beatos prædicat, ſimilis vxori Siſaræ, de quo abſente in prælio talia ominabatur: *Forſitan nunc diuidit ſpolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei: veſtes diuerſorum colorum Siſaræ traduntur in prædam & ſupellex varia ad ornanda colla congeritur.* At miſer ille tunc voluebatur ante pedes Iahelis ; terræ affixus & iacebat exanimis ac miſerabilis, *Iudic.* 5.

2. *Promittit gaudium, dat mœrorem.*

Secundò, promittit gaudium, ſed dat mœrorem. Sic in die nuptiarum promittit ſponſis aureos montes ; & dat ferreos. Mundi figura in hoc fuerunt 400. pſeudoprophetæ Achab Regis, qui prædicebant illi victoriam, è quibus vnus vt perſuaderet regi, quæ dicebant, commentus eſt cornua ferrea in ſimilitudinem tauri, quibus huc illuc diſcurrens ſic loquebatur; *Hæc dicit Dominus : His ventilabis Syriam donec deleas eam.* Sed rex victus & in prælio occiſus eſt, & linxerunt canes ſanguinem eius. Id quod Michæas Propheta Domini ei prædixerat, ſed à rege non auditus. 3. *Reg.* 22. Hunc in modum mundus pollicetur ſanitatem, honores, diuitias, dignitates, victorias, &c. ac ſi hæc omnia in poteſtate ſuâ haberet, &, cui vult, largiri poſſet : ſed mentitur furcifer, obtrudens ſcoriam pro auro ; mœrorem pro gaudio.

3. *Promittit quietem, dat turbationem.*

Tertiò, promittit quietem, dat turbationem, dum per adulatores loquitur homini placentia, vitia eius palpat & excuſat, interim verò animam eius internis doloribus replet ; ſimilis malo chirurgo, qui vulnus repentè curaturus, carnem ei ſuperinducit, quaſi iam ſanatum ſit, cùm tamen adhuc intra cutem maneat & ſaniem ducat, quâ membrum cruciatur & caro integra corrumpitur. Tales erant pſeudoprophetiſſæ illæ apud *Ezech. c.* 13. quibus minatur : *Væ, quæ conſuunt puluillos ſub omni cubito manus : & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis.* Ita nimirum blandientibus ſermonibus molliter cubare facit mundus conſcientias, quæ alioquin abſque puluillo illo durè & inquietè iacerent, velut ſi quis cubito incumbat ſuper menſam aut petram innixo. Vnde S. Gregorius 18. Moral. cap. 4. ait : *Quiſquis malè agentibus adulatur, puluillum ſub capite vel cubito iacentis ponit; vt qui corripi ex culpâ debuerat, in eâ fultus laudibus molliter quieſcat.* Sed parum proficiunt hi puluilli : citò reclamat & redarguit eos conſcientia ; vnde ſequitur perturbatio.

4. *Promittit florem: ſed dat fugacem.*

Quartò, promittit florem, qui tamen citò euaneſcit, dum cultores ſuos lactat vanâ ſpe. Promittit eis liberos, qui baſes & columnæ familiæ ſint futuri; ſed mox hunc rapit bellum, illum peſtis, tertium carnifex, quartum hoſpitale, quintum peruerſi mores in tranſuerſum agunt, ſextus euadit ſtupidus & inutile terræ pondus ; vel moriuntur parentes, priuſquam eos videant puberes. Exemplo eſt Rachel *Gen* 35. quæ cùm partûs doloribus periclitaretur, conſolata eſt eam obſtetrix his verbis: *Noli timere, quia & hunc habebis filium.* Sed interim vnà filium & animam effudit, quem proinde *Benoni*, id eſt, filium doloris ſui vocauit. Sic mundus promittit liberos, ſed ij ſæpe citò moriuntur, vel peruertuntur & fiunt parentibus *Benoni*, filij dolorum. Lactat alios ſpe hæreditatis, & poſteà alios inſtituit hæredes, vti fecit Q. Cæcilius Lucullo, apud Val. Max. *lib.* 7. *cap.* 8. Cùm enim præ ſe tuliſſet ſemper Lucullum ſibi hæredem fore, velut optimè de ſe meritum : præter omnium expectationem inſtituit Pomponium Atticum ; ideoque eius cadauer à pop. Rom. fune tractum eſt per viam.

5. *Promittit ſtabilitatem, & fugit.*

Quintò, promittit ſtare, ſed citò recedit; ſimilis Onagro, qui homine conſpecto in iiſdem ſtat veſtigiis, ſed vbi tam propè acceſſit venator vt eum manu tangere poſſit, fugâ ſe ſubtrahit beſtia ; vt refert Pererius in Gen. de animalibus in arcam ingreſſis. Idem mundi eſt ingenium : multa tibi promittit, ſed vbi ea apprehendere volueris, ſubducit.

C. II. Caro.

1. *Promittit vitam, dat mortem.*

Secvndvs, Eſt caro, quæ prophetat & promittit homini, Primò vitam & felicitatem ſi ſequatur voluptatem ; ſed dat mortem animæ; & non rarò etiam corporis ; ſiquidem delitiæ, varietas ciborum, ebrietas, ſomnus longior, Venus immoderata, omnis generis morbos & moleſtias mortemque acceleratam afferre conſueuerunt. Quâ in re depinxit egregiè carnem Iahel illa, *Iudic.* 4. quæ fugienti Siſaræ occurrit blandis verbis; *Intra ad me Domine mi, intra, ne timeas.* Cùm autem ille ingreſſus in tentorium eius potum aquæ ab eâ poſtulaſſet, aperuit illi vtrem lactis eique bibendum porrexit, quo hauſto operuit illum pallio, vel pellibus (vt habent 70.) & ſomno ſopitum, clauo in tempora eius adacto interfecit. Hunc in modum blanditur caro & obiectas delitias ac voluptates veluti dulce lac propinat homini, ita vt graui quaſi veterno correptus, rerum cœleſtium, mortis ac iudicij obliuiſcatur; poſteà clauo conſuetudinis non facilè extrahendo terræ affigit atque ita demum perimit. Facit hic quod Socrates apud Platonem in Phœdone ait: *Voluptas quaſi clauum tenens animum corpori coniungit atque affigit, efficitque, vt infectus corporeâ ſpecie, ea putet eſſe vera quæ ſuadet corpus.*

2. *Promittit gaudium, dat triſtitiam.*

Secundò, promittit gaudium & delitias, ſed pro iis dat triſtitiam & remorſum conſcientiæ. Propinat enim vinum voluptatis in aureo calice, quod quidem blandè ingreditur, ſed in fine mordet vt coluber ; id quod docuit Salomon *Proverb.* 23. *Ne intuearis vinum,* inquit, *quando flaueſcit, dum ſplenduerit in vitro*

color

Digitized by Google

color eius: ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber. Vinum hoc carnis voluptas eſt, quæ ſuâ dulcedine & ſplendore inuitat ad bibendum, ſed dulcedinem compenſat ſequente amaritudine. Denique caro delicatè nutrita, in morte magis fœtet, vti docet S. Petrus Damianus *l. 7. ep.* 19. ad Blancam, confirmatque exemplis Sophiæ Marchioniſſæ & Duciſſæ Venetiarum, quæ tunc recenter mortuæ fœtorem intolerabilem exhalabant, eò quòd delicatè nimis carnem nutriuiſſent.

3. *Prædicit morbos & mortem immaturam.* Tertiò, Vaticinatur tibi morbos & præproperam mortem ſi paulò duriùs tractetur, abſtinentiâ aut verberibus, cilicio vel vigiliâ. Dicit tibi, quod piger ille Prou. 22. *leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.* Pereundum mihi erit, ſi per quadrageſimam, vel tempore phlebotomiæ aut ſumendæ potionis abſtinendum ſit à carnibus: ſi hyemali frigore durandum in Eccleſiâ, quamdiu res diuina durat, &c. Verùm non audiendus eſt hic Vates, quia plerumque decipit, & longè plus ſuſtinere poſſunt vires naturæ quàm mentiatur caro. Audiamus quid hac de re ſcribat Cardin. Bellarminus, vir ſummæ auctoritatis. *Audiui aliquando hominem* (inquit conc. 23.) *quendam extitiſſe, qui cùm eſſet domi ſuæ in delitijs enutritus fere ſemper ægrotabat & vel ipſum aërem metuebat, & niſi cibos tenerrimos, & optimos habuiſſet, ſe ſtatim moriturum arbitrabatur. Is quodam tempore per mare iter faciens incidit in piratas, & ab ijs ad triremes alligatus diu, noctuq́ſine vlla intermiſſione laborabat: eius cibus erat panis iſq́; bis coctus, potus aqua, obſonium verbera. Quis non diceret, poſt paucos dies, iſte morietur? Et tamen poſt pauciſſimos menſes ſaniſſimus, robuſtiſſimus, & pinguiſſimus effectus eſt.* Itaque ſimilis eſt caro noſtra animantibus brutis, quæ nec bonis verbis nec blanditiis, nec perſuaſionibus, ſed ſolis verberibus obtemperare didicerunt. Alas equum hordeo, & non laboret per aliquot dies, videbis, ſi non ſtatim fiat indomitus, & ſi nō calcitrabit, & mordebit cùm equitare volueris: ſic eſt caro noſtra; quantò lautiùs nutritur, tantò fit petulantior.

D. III. Dæmon. Tertivs, Eſt dæmon, qui teterrimus pſeudopropheta eſt, vtpote mendax & pater omnis mendacij. Promittit ille ſeu vaticinatus eſt primis noſtris parentibus vitæ æternitatem vel ſaltem ſecuritatem in quamplurimos annos, *Nequaquam moriemini.* Promiſit honores diuinos: *Eritis ſicut Dij.* Promiſit ſcientiam omnium rerum: *ſcientes bonum & malum.* Nihil tamen horum præſtitit, contrarium parentes noſtri experti ſunt. Et quamuis ab initio ſtatim vaniſſimus propheta fuerit, nihilominus tamen adhuc iiſdem ſuis mendaciis plurimos adhuc circumuenit. Diuitibus promittit vitæ longæuitatem; vti illi qui dicebat: *Anima habes multa bona, poſita in annos plurimos.* Ambitioſis promittit honores: Curioſis occultarum rerum ſcientias, vti maleficis, &c. Omnibus demum ſpondet pro ſeruitio ſuo æternam felicitatem. Sed decipit & mentitur miſer, qui cùm ipſe nihil niſi pœnas habeat; quid aliis præſtare niſi tormenta queat? S. Gregorius *l. 4. dial. c.* 49. dat exemplum de quodam, *qui dum ſomnia*, inquit, *vehementer attenderet, ei per ſomnium longa ſpatia huius vitæ promiſſa ſunt. Cumq́; multas pecunias pro longioris vitæ ſtipendijs collegiſſet, ita repente defunctus eſt vt intactas omnes relinqueret & ipſe ſecum nihil ex bono opere portaret.* Scimus etiam qua ratione deceperit Rathbodum Friſonum regem, dum cuidam eius Legato & ſocio Diacono monſtrauit domum miræ pulchritudinis quaſi auream, auro & gemmis ſtratam: in eaque thronum incomparabilem, addens: *Hæc eſt manſio præparata Rathbodo Duci.* Verùm cum Diaconus fraudem dæmonis aduerteret & ſignum crucis effingeret, è veſtigio diſparuit tota illa imaginaria machina; remanſitque Diaconus cum Legato Friſone in medio loci paluſtris, pleni virgultis & carectis, vixque tridui itinere reuerſus eſt ad ſuos. Vincent. *in ſpec. hiſtor. lib.* 23. *cap.* 146. Promittit ergò dæmon regiam, & dat paludem, promittit vitam & dat mortem; quia *ſtipendia peccati mors*, ad Rom. 6. Græcè, *opſonium peccati mors.* Opſonium autem eſt vilis cibus, militibus deſtinatus, velut panis rancidus aut arborum fructus. Hoc ſtipendium dæmon dat militibus ſuis. Laban ille quam mercedem dedit ſeruo ſuo Iacob pro labore quatuordecim annorum, promiſit illi quidem Rachelem, pulchram filiam ſuam, ſed de nocte ſubſtituit illi Liam, filiam alteram, deformem & lippam, *Gen.* 29. Idem quoque dæmon facit: promittit ſeruis ſuis delitias & dat pœnas, promittit felicitatem & dat gehennam. Quare ſicut Iacob cùm manè euigilauit, deceptum ſe à Laban cum dolore vidit; ita cùm in luce alterius ſæculi euigilabunt reprobi, ibi demum ſentient, quanto ſuo malo decepti ſint à dæmone.

Qvartò loco occurrunt hæretici vel potiùs hæreſiarchæ & præcones hæreticorum; qui in hoc inprimis pſeudoprophetas ſe oſtendunt, dum falſis ſuis dogmatibus & commentis populos dementant, fauorem Dei, certitudinem ſalutis & fauſta omnia eis promittentes, modò in Chriſtum credant: neminem fidelem à ſalute excidere poſſe, Chriſtum ita pro nobis ſatisfeciſſe, vt nihil iam ſatisfactionis, nihil boni operis à nobis ampliùs requiratur: licitum eſſe templa ſpoliare, vota violare, matrimonij legem rumpere, &c. Cuiuſmodi Prophetis minatur Deus *Ezech.* 13. dicens: *Et erit manus mea ſuper prophetas qui vident vana & diuinãt mendacium, &c. eò quòd deceperint populum meum dicentes: pax, & non eſt pax. Et ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis.* E. IV. Hæretici. Nónne lutum abſque paleis ſunt fœda illa & falſa ſimul commenta hæreticorum, carnis voluptates neceſſarias eſſe, & perſonis etiam ſacris conceſſas? cum peccatis æquè ac cum bonis operibus cœlum obtineri, &c.? Itaque cadet paries iſte, quia luto mendaciorum incruſtatus eſt.

Verùm neque hîc ſiſtunt hæretici; volunt etiam veri & diuini Prophetæ haberi, ſed infelici & ridiculo euentu; quæcunque enim vaticinati ſunt, ea ferè in contrarium ſemper acci-

Digitized by Google

accidére. Montanus Hæreſiarcha ſub annum Dom. 182. prophetam ſe, imò paracletum aſſeruit, prædixitque ſub Imp. Commodo immanem in Chriſtianos perſecutionem fore. Verùm contrarium euenit; Commodus enim pacem Chriſtianis dedit & in eos potiùs ſæuiit, qui afflixerant Chriſtianos. Montanus laqueo ſibi vitam abrupit, quod etiam fecerunt duæ eius propheteſſæ, nobiles meretrices, Priſca & Maximilla. Teſtis Euſebius *l.5. hiſt. c.* 15. Curbicus, qui ſe Manichæum, hoc eſt, mannæ effuſorem ſeu datorem appellabat, & ipſe ſe Prophetam atque Apoſtolum Chriſti iactans promiſit ſe ſuis precibus filium regis Perſarum ægrotantem exhibiturum ſanum, ſed exhibuit mortuum; vnde viuus à rege excoriatus eſt. Teſtis Cyrillus Hieroſolym. *catech.* 6. Noſtro ſæculo Lutherus nónne pſeudopropheta fuit, qui inter alia vaniſſima præſagia & hoc cecinit: *Peſtis eram viuens, moriens ero mors tua Papa,* Et quantus Propheta eius diſcipulus Michaël Stifelius, qui anno 1533. conſtanter prædixit certo die, quem nominauit, finem mundi adfuturum, ſicque ruſticam plebem miſerè dementauit, dum alij pergræcando ſua abligurierunt, alij otiando agros non coluerunt, alij gemendo triſte fatum expectârunt. Teſtis Laur. Surius in Chron. *Sed & ex Hollandiâ,* inquit Nicolaus Serarius præf. in lib. Iudith. *duo ſummi Prophetæ, Enoch & Elias venerunt, Ioannes, inquã, Bokelſon Leidanus, ſartor anteà, poſteà noui tẽpli in Sion Rex, & Ioannes Mathiſſõ Harlemius. Hic, ipſo Paſchatis die, à cœleſti Patre ſibi nuntiatum dixit, exiret in obſidentis epiſcopi caſtra, futurum vt ipſe ſolus, nouus nimirũ Samſon, hoſtes omnes funderet, cæderetq́. Approbarũt Prophetæ omnes, & ille bipẽni ſolâ inſtructus egreditur, ſtatimq́, haſtâ trãſuerberatus concidit. Nihilominus tamẽ mulier vna fuit, Hilla nomine, Friſia, è quodam ad Leuardiã oppido, quæ quòd Holophernem, in Bethulienſi obſidione, à Iudith occiſum cognouiſſet, alteram ſe iamiam Iudith appellandam ſibi ipſi perſuaſit. Adit Prophetarũ reſiduum, Leidanum illum, & indigenam Prophetã alium Kniperdollingium. Iis conſilium ſuum aperit, è tenuiſſimo lino internulam, lethifero veneno imbutam, quam Epiſcopo donare velit, oſtentat: formã, blanditias, doloſq́, ad miſerum irretiendum, abundè ſibi docet ſuppetere. Laudatſt eam illi magnoperè, & cùm omni ſeſe tã lenocinio & fuco illa venuſtaſſet, eam in curiam, vbi muliebris mundus omnis congeſtus erat, deducit Kniperdollinſius: iubet accipiat annulos, monilia, calantícas, aurum, denique quidquid velit. Die Iunij XVI vrbem ſola prorſus & incomitata exit: ſe obſidentibus militibus vltrò capiendam dat. Ad Volbeccanum illicò ſatrapam deducitur: ab eo examinatur, & de variis interrogatur. Illa ſe, cũ marito, Euangelij causâ, Monaſterium è Friſiâ veniſſe ait: ſed ſubitò pœnitere, extremam in vrbe famẽ eſſe: huic exitium iam impẽdere: & verò ſe, quæ Bibliorum lectionem aſſiduam optaſſet nunc in aggerculo pro mœnibus terrã, perpetuâ detineri, miſereq́, vexari: ſed & habere, quæ ipſi Epiſcopo, partim de vrbe à marito, quẽ nullum habebat, prodenda, dicere, partim quæ donare velit: extuliſſe quod, quidquid erat, auri & gemmarũ, vt dum caperetur vrbs, eſſet hæc ſaltẽ iam conſeruata. Pene perſuaſiſſet, niſi conſceleratam Simoniam veneficamq́, Deuentram transfuga ciuis Hermannus Ramers detexiſſet, ipſaq́, tandem abſciſſo, licet à cœleſti Patre ſe omnino protegendam aſſeueraret, capite, redactoq́, in cineres cadauere, pœnas dediſſet.* Hæc ille.

Quare ſicut prophetia vera eſt Eccleſiæ Chriſti nota, ita pſeudoprophetia nota eſt hæreſeos & Synagogæ Satanæ (qui pater eſt mendacij) iuxta Deut. 18. *Si reſponderis: Quomodo poſſũ intelligere verbũ quod Dominus non eſt locutus? Hoc habebis ſignum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta cõfinxit.*

Agmen claudant diuinatores, qui & ipſi dũ ex aſtris aliiſq; rebus vaniſſima coniectant, non immeritò referri in pſeudoprophetarum album poſſunt; de quibus dicitur Zach. 10. *Diuini viderunt mendacium, & ſomniatores locuti ſunt fruſtrà: vanè conſolabantur.* Vnde ſuadet Propheta: *Petite à Domino pluuiã in tempore ſerotino, & Dominus dabit niues & pluuiã imbris dabit eis, ſingulis herbam in agro.* Longum foret diuinatorũ infelicia præſagia ſeu mendacia referre, Ludouicus Sfortia, verſutus Princeps impendioſum quendam Aſtrologum, ſed mendaciſſimum aluit, in quem plus quàm centum auri talenta profudit. *Aſtrologus pro tantâ mercede tempus vnicuique negotio inchoando præſcribebat, adeò ridiculè, vt Princeps cogeretur tempeſtatibus maximis equũ conſcendere, & cum aulico comitatu ac ſtipatoribus aliò migrare per medios imbres, per cœnũ ac lutũ, non ſecus ac ſi hoſtiũ manus fugeret. Tã felici euentu, vt regno tandẽ à Gallorũ rege ſpoliatus, captus, in carcerẽ compactus, colapho caſus in clathratã ferrea mortuus fuerit, verum fortunæ viuiuſq́, ludibrium,* inquit Cardanus in Ptolom. de aſtr. iud. l. 1. tex. 14. *Ioannes XXI. Pont. Max. (qui antè Petrus Hiſpanus auctor ſummularũ) Medicus, Philoſophus, Aſtrologus, ex ſtellarum ſitu, & poſiturâ longã ſibi vitã in Pontificatu pollicitus corã familiaribus ſuis: quarto pòſt meſe, pontificatûs octauo, ſubitò corruente teſtudine recẽtis ædificij Viterbij oppreſſus interiit, auctoribus Valerio & Stellâ in vitis Pontif.* inquit Martinus Delrio *l. 4. diſquiſit. c. 3. q.* 2. De Ferrãdi Flandri fortuna mater eius ariolos conſuluerat, hocq; ab eis reſponſum accepit: *Rex in prælio cadet, pedibus hominũ atq; equorũ calcabitur, nec ſepelietur; Ferrandus verò à Pariſienſibus iucũdiſſimè excipietur.* Verùm ſecus euenit. Nam in bello contra Philippum Francorũ regem captus Ferrandus Pariſios ducitur, & carceri includitur, anno Chriſti 1211. Ita Rob. Gaguinus *l. 6. hiſtor. Franc.* Ac licet interdum euentus reſpõdeat horũ prædictionibus, non ideò tamen audiendi ſunt; quia id permittitur ob nimiã quærentiũ curioſitatẽ, teſte D. Auguſt. *l. 2. de doctr. Chriſt. c.* 22. & 23. qui rectè addit: *Non quia vera ſit prædictio, idcircò minùs eſſe ſuperſtitionem, vel ſacrilegam, vel ideò magis licere prædictionibus talibus fidem dare; ſed ſemper retinendum illud Dei præceptum. Etiamſi dixerint nobis, & ita euenerit, ne credamus eis.* Deut 13. *Denique quod de ſomnijs dixit Ariſtoteles; hic quoq; veriſſimũ; huiuſmodi diuinationem non niſi ex accidenti fore verã, ſicut omnia* qu

V. Diuinatores.

Digitized by Google

qui aſſiduè iacit aleam, vel talos figit, is aliquando Seniones, aliquando Venerem iacit inuenitq́; : ſic cùm iſti centies mentiantur, quid mirandum, ſi ter verum dicant? Quis non credat Deo? ipſe autem clamat Iſaiæ 44. Ego ſum Dominus, irrita faciens ſigna diuinorum, & ariolos in furorem vertens, conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens. Idem quoque facere Principes aliqui voluerunt. Ioan. Galeatius Dux Mediolanenſis, cùm ei Aſtrologus quidam mortem immaturam planè prædiceret: ſibi ipſi verò longam vitam polliceretur: hominis ridens ſtoliditatem, ſtatim ſtrangulari eum iuſſit. Coronet. lib. dict. & fact. mem. *Henricus Angliæ rex, eius nominis VII. diuinatorem, ſeu vatem quendam Aſtrologicum deridere maluit, quàm aut diris punire ſupplicijs, aut etiam è medio tollere. Ex aſtrorum igitur rationibus regem eo anno moriturum ille prædixerat. Id vbi rex reſciuit, hominem accerſit, tum honorificis verbis diſſimulans, inter cætera ſciſcitatur, num ex aſtris certa prænuntiari poſſent? Aiebat. Num ipſe eius artis peritus eſſet? Annuebat, ſperans tanto pluris ſe apud regem fore. Dic ergo mihi, inquit rex vbi tu futurus es his feſtis, quæ imminent, Domini natalitijs? Hærebat. Quum vrgente rege negaret ſe poſſe certum prædicere; itaque, ſubiecit rex, ego ſum artis quàm tu peritior: nam ſcio te futurum in turri (ſic enim vocant locum munitum Londino imminentem, in quo ſeruantur, quos volunt eſſe in tuto) ſimulq́; innuit, vt duceretur. Illic vbi ſatis refrixerat diuinandi calor, cũ riſu dimiſſus eſt.* Ita refert Pontanus *in Att. bell. p. 2.* ex Eraſmo in linguâ. Quare, Auditores, cùm tot falſos Prophetas in mundo eſſe videamus, attendite à falſis Prophetis, & nolite omni ſpiritui credere, nolite omni vento obſecundare: ſed probate ſpiritus, examinate ventos, ſi ex Deo ſint.

CONCIO VII.

Hypocritarum indicia.

Agnoſcuntur hypocritæ primò ex eo quod diu in humilitate ſe continere nequeant.
2. Leues ſunt & inconſtantes.
3. Pulſati aduerſitate impatientes.
4. Obiurgati obmurmurantes.
5. In humilitate conſtituti muti videntur & mortui: ad honores elati ſunt intolerabiles.
6. & 7. Aſſimilantur ſtruthioni & lupo.

THEMA.

Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium. Matth. 7.

A. INter falſos Prophetas, qui hypocritas numerabit, nullam iis iniuriam faciet; ſiquidem & iſti veniunt in veſtimentis ouium, intrinſecus autem lupi ſunt; ipſi etiam arbores ſunt foliis veſtitæ, fructibus verò deſtitutæ. Quare ſicut intereſt nôſſe pſeudoprophetas: ita etiam refert hypocritas nouiſſe. Idem enim Dominus, qui monuit in hodierno Euangelio: *Attendite, à falſis Prophetis*; monuit etiam *Luc. 12. Attendite à fermento Phariſæorum quod eſt hypocriſis.* Arborem ſanam ab affecta dignoſcere inter alia poſſumus ab integritate: ſi enim intus caua ſit (quod ſecuri explorant lignarij) læſam ſe demonſtrat & corruptioni proximam, adeoque infrugiferam; ſin minùs, ſanam atque vtilem. Eadem ratione deprehendi poſſunt hypocritæ, ex internâ ſcilicet ſuâ inanitate. Sic enim Ioannes *Apoc. 3.* ſcribit ad Epiſcopum quendam hypocritam: *Nomen habes, quòd viuas, & mortuus es. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.* Erant namque ſpecioſa exteriùs, & vento gloriæ tumida, ſed intus vacua pietate, ſpiritu, & merito inquit ibi Cornelius à Lap. Cùm ergo vacua & inania ſint hypocritarum opera, non difficilè dignoſci à plenis aliorum operibus poterunt; deinde, quia etiam lupi ſunt, ab ouibus diſcerni: & quia, teſte Iob, ſtruthioni ſimiles ſunt inde etiam agnoſci poſſunt; id quod nunc faciemus.

PRIMÒ. Vaſa vacua aquis ſupernatant, fundum non petunt. Sic etiam hypocritæ diu in humilitate detineri aut ſeipſos continere non poſſunt, ſed mox in altum aſſurgunt, ſe ſuaque opera perdunt ac magnificant, aliena verò deprimunt, vbi Phariſæus ille orans: *Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri*, &c. Audiamus D. Gregorium *lib. 8. cap. 36. Hypocritæ,* inquit, *factis ſuis arbitros inquirunt, ſi verò eorum operi teſtes deeſſe contingat, narrant ipſi quæ geſſerunt. Cumq́; efferri fauoribus cœperint, ſæpe eiſdem ſuis operibus, quæ egiſſe ſe referunt, mentiendo aliquid adiungunt.* Claruit hoc in Saul rege, qui cùm filius eius Ionathas percuſſit ſtationem Philiſthinorum, ſtatim cecinit buccinâ in omni terrâ, dicens, *Audiant Hebræi.* Sed quænam illa fama? *Percuſſit Saul ſtationem Philiſthinorum.* Non ipſe, ſed filius victoriam illam obtinuerat, & tamen eam ſibi Saul attribuit, moxque in regno ſuo euulgat, vt populi applauſum captet; qui etiam *clamauit poſt Saul*, vtique voce illâ: *Viuat Rex, 1. Reg. 13.* Hunc in modum igitur ſuas canunt laudes hypocritæ & in vulgus ſpargunt, tametſi ſæpe falsò. Vnde monet Dominus, Matth. 6. *Cùm facis eleemoſynam, noli tubâ canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus.* Sed quid inde obtinent? *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*; inanem videlicet pro inani opere. In *lib. 4. Reg. cap. 14.* ſcribitur apologus, quo carduus petiit filio ſuo filiam Cedri, quæ eſt in Libano, vxorem. Sed *tranſierunt beſtiæ ſaltus, quæ ſunt in Libano, & conculcauerunt carduum.* Quis iſte carduus niſi hypocrita, floribus quidem coronatus, ſed aculeis interim horridus? poſtulat is coniugem filiam Cedri Libani, hoc eſt, odorem bonæ famæ, gloriæ & honoris. Sed interim conculcatur à beſtiis, hoc eſt, à Dæmonibus, qui pro gloria reddunt ei confuſionem & ignominiam, ac gehennam denique; hæc illorum merces atque vxor eſt.

B. 1. Humiliare ſe nequeunt.

C. II. Sunt leues & inconſtantes.

Secvndò. Res vacuæ facilè ſunt mobiles de loco ad locum, ſic hypocritæ leues & inconſtantes ſunt, facileque mobiles de contrario in contrarium, quia in verâ virtute non ſolidantur. Dum honoris gradus ſe non offert, eum ſpernunt: cùm apparet, primi eum expetunt. Huc pertinet, quod S. Baſilius *in Hexam. hom.* 7. ſcribit: *Non ſilebo*, inquit, *Polypi dolos ac ſuracitatem. Is cuicunque ſaxo adhæſerit, illius colorem ſubit, atque adeò vt piſcium complures ad ipſum de improuiſo nantes tanquam ad ſaxum appellant, paratamq́; ſe illi prædam offerant*; *Tales ſunt* (hypocritæ) *qui ſobrietatem cum ſobrijs laudant, intemperantes ſunt cum intemperantibus, atque ad id quod cuiq́; placet, ſuam omninò ſententiam vertunt.* Ita Abſalon, vt patris regnum inuaderet, omnium ſubditorum ſe moribus accommodabat, illorum querelas audiebat, adorantes ſe manu prehenſos erigebat & deoſculabatur, quo illorum fauorem ſibi conciliaret, 2. Reg. 15.

D. III. Tacti aduerſitate impatientes ſunt.

Tertiò. Vaſa vacua reſonant, ac quodammodo remurmurant, cùm pulſantur, non item vaſa repleta, ad eundem modum hypocritæ pulſati aduerſitate aliquâ produnt impatientiam ſuam, execrantur & inſaniunt: qui verò boni & ſinceri ſunt, ſilent patienter. Vnde S. Gregorius ait: *Qualis vnuſquiſque apud ſe lateat, illata contumelia probat.* Atque hinc ſperabat Dæmon ſe in S. Iob hypocriſin deprehenſurum, ſi calamitate tactus foret: *Tange os eius & carnem*, inquit ad Deum, *& videbis, quòd in faciem benedicat* (id eſt, maledicat) *tibi*. Iob 2. Verum deceptus eſt in hoc viro, qui nequaquam vacuum vas, ſed plenum fuit virtute, ideoque non maledixit, ſed benedixit Deo. Thus & pix aſſinia videntur: ſed vtrumque in ignem proiice; illud ſuauè, hoc malè olebit. Thus virum rectum, pix hypocritam repræſentat, qui in tribulatione poſitus fœtorem ſuum depromit; quia vera virtute caret, mundo, non Deo, placere quærit, temporalia non æterna cogitat. Erinaceus, dum in terrâ eſt, patiens & promptus ad quæuis ſuſtinenda videtur, cùm in globum ſe conuoluit: At vbi in aquam proiicitur, ſtatim ſeſe explicat, vt enatet, laborat. Dum bene eſt hypocritæ, paratus eſſe videtur ad quæuis exantlanda. Verùm ſi in aquam tribulationis cadat, mox eluctari totis viribus contendet, ſuamque impatientiam prodet.

E. IV. Obiurgati murmurant.

Qvartò. Res vacuæ reddunt echonem, cùm in eas vocem emiſeris; vti dolia vacua, ſpecus & montes caui: ita hypocritæ cùm obiurgantur, obmurmurant, & quaſi echonem impatientiæ reddunt, atque increpantem increpant. Ita teſtatur S. Gregorius in moral. *Hypocrita*, inquit, *in laude poſitus, ſi hunc quiſquam corripere audeat aſperitate ſuâ protinus vitam corripientis cæcat, reprehenſum ſe in prauitate iraſcitur.* Exemplum protulit Abbas Caſſianus (vt refertur in ſpec. exempl.) de quodam Monacho, qui venit ad Serapionem Abbatem, à quo iuſſus ſecundum morem orationem facere, renuit, dicens, ſe peccatorem & Monachi habitu indignum; idemque repetebat, cùm ei bonus Abbas pedes abluere vellet. Poſt refectiunculam cœpit eum monere Abbas, ne multùm euagaretur, ſed contineret ſe intra cellam, & attenderet ſibi ipſi. Quo audito frater illicò excanduit, faciemque commutauit, indignationem ſuam monſtrans. Tum Serapion: Itáne, mi frater, teipſum humiliare nôlli; dicens te peccatorem, vitâ etiam indignum, & paternam admonitionem ferre non potuiſti? Corrigas te, opus eſtſi velis eſſe humilis. Similem hiſtoriolam refert Diſcipulus, notus ille & antiquus Concionator ſerm. 100. de moniali, quæ quidem coram ſuo Confeſſario ream ſe multorum aſſerebat ſcelerum, ob quæ etiam alij à Deo plectentur. Cæterùm Confeſſarius hypocriſin ſuboderatus in hæc verba ei reſpondit: Sanè credo, quod ais; nam hoc idem ab aliis de te narrari audiui. Tum illa in iram verſa: mentiris, inquit, in collum tuum, & qui tibi iſta narrarunt, æquè mentiuntur. Deprehendit ergo Confeſſarius huius fœminæ hypocriſin. Vnde S. Gregorius in Moral. ait: *Superbiæ vitium eſt, vt quod de ſe fateri quiſque ſponte dignatur, ſibi hoc dici ab alijs dedignatur.* Ita res vacuæ & leues, vti plumæ, ſponte quidem auolant, proiici verò ſe non ferunt.

F. V. In humili mites, in alto efferatiſſimi.

Qvintò. Res vacuæ, cùm terræ adhærent, nullum vel modicum edunt ſonum; at in altum eleuatæ & ſibi relictæ edunt maximum, vti campanæ, pelues & cacabi ænei. Pari modo hypocritæ in humilitate conſtituti, muti videntur & mortui: verùm elati ad honores neminem non clamore ſuo terrent, & nihil non facere audent, fiuntque intolerabiles. Cinis quem in altum ſparſit Moyſes, Exodi 9. priuſquam ſpargeretur, cinis vulgaris & innoxius fuit: at vbi in altum ſparſus eſt, acquiſiuit aduſtiuam & igneam virtutem, effecitque vlcera in hominibus & iumentis. Sic etiam hypocritæ dum in terrâ iacent, ſeu humili & contempto loco, mites & innoxii ſunt. Verùm vbi in altum efferuntur, tum induunt naturam aſperam & vſtiuam, grauia quoque damna inferunt ſubiectis. Nero initio Imperij manſuetiſſimum ac clementiſſimum ſe exhibuit, ita vt ſupplicio quorundam latronum ſubſcripturus diceret: *Quàm vellem neſcire literas!* at breui adeò efferus eſt factus, vt ſatiari ſanguine non poſſet.

G. VI. Struthioni ſimiles.

Apud S. Iob cap. 39. depingitur hypocrita ſub typo Struthionis, vti docet S. Gregorius *lib. 31. moral. c. 5.* Primò enim *penna Struthionis ſimilis eſt pennæ Herodij & accipitris*, inquit Deus ad Iob, quia ſcilicet alas & pennas habet inſtar aliarum auium, eaſque agitat dum fugit, vt volare videatur, reuerà tamen non volat, ſed currit potiùs in terrâ, à quâ non eleuatur, nec in aërem libratur. Vnde Gregorius in eum locum ait: *Struthio volandi ſpeciē habet, ſed vſū volandi non habet: ita hypocriſis cunctis intuentibus imaginem de ſe ſanctitatis inſinuat, ſed tenere vitam ſanctitatis ignorat.* Conficiunt ſe hypocritæ ieiuniis, vigiliis, orationibus, vt aliqua

Digitized by Google

aliqui viri iuſti, interim tamen his operibus cœlum aut Deum non attingunt, ſed in terrâ repunt, quia Deo per hæc placere non quærunt, ſed hominibus, qui in terrâ morantur. Videntur aliqui ſuis operibus rapi velle vſque ad tertium cœlum: ſed corporis mole prægrauati à terrâ non eleuantur, quia Struthionis inſtar pennas deuotionis habent breues, carnis verò pondus magnum.

2. Secundò. Struthio *derelinquit oua ſua in terrâ. Obliuiſcitur, quòd pes conculcet ea aut beſtia agri conterat: duratur ad filios ſuos; quaſi non ſint ſui*, ſubdit ibidem Dominus. Ita hypocrita oua quidem bonorum operum, & cum dolore parit, ea tamen ſibi ab inani gloriâ eripi ſinit, imò etiam gaudet contra naturam omnium animalium. Deinde vti Struthio oua parit, ſed non fouet: ita & hypocrita verbá quidem profert, ſed opere non complet.

3. Tertiò. *Priuauit eam Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam*, vt ib. dicitur. Stoliditas hæc Struthionis in eo ſita eſt, quòd cùm equite ſit altior, latere tamen ſe exiſtimet, cùm collum frutice occultauerit, teſte Plinio *lib.* 10. *cap.* 1. Ita quoque hypocrita modò ſe humiliet coram hominibus, iam ſe ſuamque hypocriſin latere prorsùs exiſtimat; cùm tamen ab oculatis, tandemque etiam ab hominum plebe plerunque deprehendatur ac cernatur.

4. Quartò. *Cùm tempus fuerit, in altum alas erigit.* Tigurina legit: *poſtquam adultus eſt, alas attollit.* Celeriter enim adoleſcit, & ex minimâ fit maxima. *Tria*, inquit Ælianus lib. 14. c. 20. *ex minimis euadunt maxima, animalia: ex aquatilibus crocodilus: ex volucribus magna Struthio: ex quadrupedibus elephantus.* Ita hypocrita primo quidem per fictam humilitatem minimum ſe præ ſe fert: at cùm tempus & occaſio fuerit, tum alas attollit & dilatat phylacteria ſua, tum explicat ſuperbiam ſuam, & deſpicit inferiores, ſicque ex minimo repente fit maximus. Attollit etiam alas; quia vt Struthiones ſuis pennis obtinent & adornant Ducum galeas: ita hypocritæ ſuis figmentis nôrunt obtinere ſummas dignitatum tiaras, Epiſcopatus, Præpoſituras, &c.

5. Quintò. *Deridet equum & aſcenſorem eius*; ſubiicit ad extremum Dominus cit. loco Iobi. Hoc autem facit ſtruthio primò, quia curſùs ſui celeritate equos ſuperat. *Struthio camelum*, inquit Xenophon lib. 1. de Cyri expedit. in Arabiâ, *nemo omninò capere potuit; tam longè enim modò pedum pernicitate, modò verò alarum quaſi velificatione promouebant, vt ſtatim equites deſperata prædâ inſequi deſinerent.* Vnde & natura dedit ei ceruinos pedes. Ergò vt Struthio equum fugit pedibus ceruinis: ita hypocrita laborem animo ſuo timido, eſtque tempore tribulationis pauidus & fugax; & tamen interim deridet equum & venatorem, hoc eſt, tribulationem & tribulatorem; quia fingit ſe cordatum. Secundò deridet venatorem; quia, vt Plinius lib. 10. c. 1. & Ælianus lib. 14. cap. 21. ſcribunt: *Cùm propior facta eſt, vt à venatore capiatur, obuios lapides ſic pedibus retrò ad hoſtes verſus tanquam fundâ iaculatur.* Ita & hypocritæ increpantes & calumniantes ſe, lapidibus impetunt contumeliarum, execrationum, murmuris, &c. ſubitoque excandeſcunt, ſi nonnihil eos laceſſas.

Denique in hodierno Euangelio deſcribuntur nobis hypocritæ ſpecie luporum, qui ſub ouinâ pelle incedunt; quos proinde à fructibus cognoſci, monet Dominus. Iam verò non eſt difficile diſcernere ab oue lupum, etiam ouillâ tectum. Primò enim noſcitur ex voce; quia ouis verſus terram balans emittit vocem: lupus verò vlulans in cœlum intendit. Ita vir verè probus humiliter de ſe loquitur, & crebrò ſecum expendit, quòd ſit terra, & in terram reuerſurus: at verò hypocrita ſublimia de ſe prædicat, ſeque ipſum extollit, nec de terrâ & morte ſua cogitat. Pomum ſæpe foris eximiæ pulchritudinis & integrum illæſumque apparet: ſed exiguum foramen, vnde irrepſit vermis, prodit eſſe læſum ac putridum. Hypocritatem prodit os, exiguum foramen, quo ſeipſum laudat & alios vituperat.

II. VII. Sunt lupi. 1.

Secundò. Noſcitur ex cibo; quia carnibus tantùm paſcitur, ſed ferè occultè & longè ab hominum conſpectu: herbas non admittit; quibus tamen ſolis contenta eſt & paſcitur ouis. In hunc modum hypocritæ ſuas commoditates & carnis delitias quærunt; iis tamen in publico non facilè vtuntur, ſed clam & remotis arbitris, ne carnales & improbi iudicentur. Spernunt igitur eſuriales cibos, & quæcunque carni moleſta ſunt; ſpernunt etiam paſcua cœleſtium contemplationum, quibus tamen nutriuntur, qui verè boni ſunt. 2.

Tertiò. Noſcitur ex dentibus, quos ad rapinam & lanienam factos, mordaces atque acutos habet: ouis verò nequaquam. Ita & hypocritæ proximorum famam admordere, iuſtorum facta laudabilia carpere & obſcurare, contra Dei & Superiorum placita murmurare ſolent. Cùm enim terrenis rebus affixi ſint, iniquè ferunt ea ſibi, tanquam iuſtis non affatim diſtribui, alios ſibi præferri, ſecumque malè agi conqueruntur, iuxta id Iſaiæ 58. *Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt*, (hoc eſt, vt exponit Cyrillus, me in ius vocant, ſuam allegantes iuſtitiam meorumque conſiliorum iniquitatem) *quaſi gens, quæ iuſtitiã fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit: rogant me iudicia iuſtitiæ: appropinquare Deo volũt*, vt cum Deo ſcilicet diſputent, quare ſinat eos ſine causâ premi calamitatibus; vnde ſubdunt: *Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti, &c.*? At verò iuſti de æternâ tantùm felicitate ſolliciti, ſemper ſe accuſare & demiſsè orare ſolent 3.

Quartò. Ex conuerſatione. Ouis enim gregatim viuit, & ſocietate gaudet, lupus verò ſolitudine; vnde vel ſolus ſemper, vel cum paucis aliis lupis graditur. Pari modo hypocrita fugit ſæpe hominum conſuetudinem, fingens ſe illorum prauis moribus offendi: cum paucis ſui ſimilibus in angulis verſatur, & conſilia ſua communicat. Contrà iuſtorum eſt ne- 4.

minem auerſari, ſed omnes ſe meliores reputare, ideoque ex illorum ſocietate ſemper aliquid ſolatij aut doctrinæ quærere, vel occaſionem ipſos inſtruendi.

5. Quintò. Ex ipſa etiam pelle. Tametſi enim lupus ouinâ ſe pelle tegat, vt ſupponimus, adhuc tamen haud difficilè dignoſci ab oue poteſt. Nam ouis licet tondeatur, ſemper tamen gerit lanam, quæ mox iterum ſuccreſcit; at ſi tondeatur lupus pellem ouinam gerens, non ſuccreſcet ipſi lana. Sic vera iuſti virtus tribulatione roboratur: ſimulata verò ſeu hypocriſis detegitur, & nuda atque inanis eſſe oſtenditur. Vnde S. Auguſtinus in id Matth. 7. *qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium*, ait: *Cum cæperint aliquibus ea ipſa ſubtrahi vel negari, quæ iſto velamine conſecuti ſunt, vel conſequi cupierunt, tunc neceſſe eſt, vt appareat, verùm lupus ſit in pelle ouinâ, an ouis in ſua.* Denique talis lupus duplicem gerit pellem, ouinam foris, intus verò lupinam: at ouis vnam tantum & vniformem gerit; ita iuſtus ſimplicitate gaudet, quia ſimulare neſcit: hypocrita duplex eſt, foris bonus, intùs malus. Sanè hoc colligimus à Deo prohibitum fuiſſe, cùm *Deut.* 22. ita decernit Moyſes: *Non indueris veſtimento quod ex lana linoq́, contextum eſt.* Huiuſmodi pannus eſt, qui vocatur Italicè Mezolana, quòd partim ex lana, partim ex lino confectus ſit. Sed quid attinebat hanc veſtem prohibere, niſi quia hypocriſin repræſentat? Quare videat vnuſquiſque, ne in animo ſaltem veſtem de Mezolana gerat. Quid enim legimus apud Sophoniam cap. 1. *Et erit in die hoſtiæ Domini* (qua ſcil. impios mactabit velut hoſtias) *viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrinâ.* Peregrina veſtis eſt hypocriſis. *Quid enim*, inquit Rupertus, *magis eſt peregrinum, quàm ſunt lupis rapacibus veſtimenta ouium? quid magis peregrinum, quàm eum, qui intùs plenus eſt iniquitate, foris hominibus iuſtum apparere?* Quiſquis ergò in die illâ trucidari non vult cum lupis, ſtudeat eſſe ouis.

CONCIO VIII.

Fructus hæreſeos.

Primus eſt cæcitas & errores in fide.

2. *Impietas & Religionis exterminatio, ſacrorum profanatio &c.*

3. *Morum corruptio & peruerſitas, bonorum operum extirpatio &c.*

THEMA.

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Matth. 7.

A. Lata eſt ſententia à Chriſto Iudice in hæreſes noſtri temporis, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Si arbor, quæ non facit fructum bonum; quantò magis arbor, quæ fert fructus malos? Talis autem eſt hæreſis noſtri temporis Caluiniana & Lutherana; itaque tandem (quia iam ſat diu expectata eſt) tempus eſt ponenda ſecurim ad radicem, eamque excidendi. Verum quoniam reis ſupplicio mulctandis priùs proponuntur eorum malefacta coram vniuerſo populo, vt appareat eorum iuſta condemnatio; idcircò etiam nos proponemus hac concione peſſimos & morte dignos illarum hæreſum fructus, vt ex illis arborem agnoſcamus, eamque vltimo excidio digniſſimam videamus.

Primvs. Cæcitas & errores. Nam Primo parit miram rerum diuinarum & quæ ad fidem ſpectant, ignorantiam. Conſtat hæreticos noſtros inter alia nihil penè ſcire de Sanctis Eccleſiæ approbatiſſimis eorumque vita, cùm tamen apud Catholicos vel paruuli eos nôrint. Ratio, quia illi Sanctorum geſta, vtpote moribus & dogmatibus eorum prorſus contraria, exterminant & legi prohibent. Quid facilius & vulgarius quàm formare ſignum crucis? id tamen non potuit vel ipſe Lutherus, quo modo faciunt in Miſsâ ſacerdotes. Cùm enim inciperet aliquando huiuſmodi cruces mira digitorum geſticulatione formare, nec tamen veteri more & inſtituto poſſet, dicebat: **Marge Gottes Mutter / wir waren wir mit der Meſz geplagt / und ſonderlich mit den Creutzen. Herz Friderich** Mecum **hat mir offt geſagt / er hab ſie ſein lebtag nit kønnen machen. Ach wir waren arme Leuth / etc.** in colloq. menſal. tit. de Sacram. Alt. At longè verſatior fuit Lutherus in ludo illo chartarum, qui Germanicis **Triumpffen** dicitur, quàm in Eccleſiæ ritibus; & in eo vtique fælicior. B. 1. Cæcitas & errores. 1.

Secundò. Errores craſſos & inauditos coſque innumeros. Quales ſunt noſtrorum hæreticorum, inter alios hi: ſacerdotalem ordinem nullum eſſe, clauium poteſtatem omnibus communem eſſe, liberum arbitrium in homine non eſſe, ſed omnia abſolutâ neceſſitate fieri, Deum peccati auctorem eſſe; miſſam non modò non prodeſſe viuis & defunctis, ſed eſſe inſuper idololatriam; purgatorium nullum eſſe, præcepta decalogi ſeruari non poſſe; opera bona meritoria non eſſe, imò ex ſe peccata eſſe; ſolam fidem iuſtificare ac ſaluare, ita vt nemo baptizatus damnari poſſit, niſi nolit credere; ſanctorum in cœlo interceſſionem nullam eſſe; cælibatum & vota monaſtica impia & ſtulta eſſe, &c. Hæ ſunt proles, hæc monſtra, partim Caluini, partim Lutheri; quæ vbi vidit anno 1521. in Wormatienſi Conuentu Carolus V. Imp. publico edicto ea proſcripſit, velut inaudita in Eccleſiâ decreuitque regna ſua omnia, Imperium, ditiones, amicos, corpus, ſanguinem, vitam denique ipſam, & animam impendere, ne impia illa dogmata longiùs proſerperent; In reſcripto ad Ordines Imperij apud Melch. Goldaſt. *tom. 2. Conſt. Im. fol.* 142. 2.

Secvndvs. Impietas & religionis exterminatio, ſimiliaque mala ex hæreſi profluentia. Huiuſmodi eſt Primò Sacramentorum plerumque & rerum ſacramentalium, vti aquæ benedictæ, &c. extirpatio; vt ita in Eccleſia nulla ſit medicina læſis & infirmis ſecundum C. II. Impietas. 1.

dum animam. Ea verò quæ retinuerunt, abiectè tractant ac ſine reuerentiâ ſuſcipiunt. Denique omni ſacrificio carent.

2. Secundò. Sacrorum profanatio, SS. imaginum combuſtio & deſtructio, templorum euerſio & exuſtio, monaſteriorum expilatio. Quorum rudera adhuc exiſtentia euerſores ſuos accuſare videntur, iuxta id Habac. 2. *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* Par ratio eſt de feſtis diebus, quos vel magnâ ex parte exterminarunt, vti inprimis Caluiniſtæ, qui ſolum Dominicum diem retinuerunt: vel impunè violant, cùm ſine aliorum ſcandalo poſſunt.

3. Tertiò. Sacræ ſcripturæ deprauatio. Suſtulerunt enim è ſacro & recepto Canone integros libros, ſententias, voces; eaſque deprauarunt. Deinde ſcripturam perperam exponunt, iuxta ſuum placitum, non iuxta Eccleſiæ & SS. Patrum receptam & vſitatam ſemper conſuetudinem.

4. Quartò. Traditionum Apoſtolicarum exploſio, ſine quibus tamen ne ſacræ quidem ſcripturæ conſiſtere poſſunt. Nimirum hæ illorum commentis contrariæ ſunt.

5. Quintò. Sanctorum Patrum contemptus, nec non ſacrorum Canonum, quos Lutherus publicè comburere non timuit.

6. Sextò. Odium & contumeliæ in Papam; quia ſciunt ſe ab eo mox erroris damnandos, ſi eum confiteantur Summum Eccleſiæ Paſtorem & Chriſti Vicarium. Ergò Antichriſtum eum clamant & omni contumeliarum genere proſcindunt. Nihil tamen fere aliud agunt, quàm vt Primò quæcunque vnquam ab aliquo Pontifice malè geſta ſunt, toti ordini imputent & exaggerent, vt ſi quis Achabi vel Manaſſis ſcelera cunctis regibus attribuat, ideoque ſceptrorum vim tollat; vel ſiquis omnes Monachos vituperet, quia Lutherus nequam Monachus fuit. Secundò vt quæcunque contra Pontifices vnquam ab eorum inimicis ficta ſunt, tanquam oracula cum auctario proponant: quæ autem pro Pontifice dicuntur feruentiùs, illa in contumeliam rapiant. Vt cùm dicitur Pontifici datam in terrâ poteſtatem ſoluendi peccata, ſicut Deus in cœlo ſoluit; mox clamant nos Pontificem æquare Deo; quaſi particula, ſicut, æqualitatem tantùm, non etiam ſimilitudinem ſignificet. Cellarius æquè ac Dominus aperire & intrare cellam poteſt (quia clauem ab eo accepit) non tamen pari auctoritate. Ad conuitia etiam picturas addidit Lutherus, Leonis enim Papæ imaginem iam ad inſtar cornuti diaboli, iam ſub formâ aſini Midæ habentis auriculas, iam ſpecie ſerpentis faucibus hiantibus minantis depingi eum fecit ſuiſque apponi libris, vti ſcribit Sleidanus. Ac licet propter huiuſmodi conuitia & opprobria à multis reprehenderetur, & inprimis ab ipſo Philippo Melanchthone monente vt maiori vteretur modeſtiâ ac ratione, reſpondit: *Velle ſe pro tali haberi, velle maledicentiâ, conuicijs, & opprobrijs contra Papiſtas refertum videri? imò pulchrum ſibi & glorioſum ducere, ſi vſque ad vitæ finem execrationibus & iniurijs contra furciferos iſtos ſeſe exercere poſſit & citiùs eos aquam è pumice quam vel vnum bonum verbum ex ore ipſius expreſſuros.* Florim. Ræm. *lib.* 1. *de Orig. hæreſ. cap.* 11.

Septimò. Rebellio ſubditorum contra Magiſtratus, quemadmodum & ſeditiones, bella, diſſenſiones non tantùm in integra natione, ſed etiam in eâdem ciuitate, familiâ, domo. Scripſit Lutherus in Bulla contra Ord. Eccleſ. *Euangelium, quocunque venit, oportet vt tumultuetur; niſi id faciat, non eſt verum.* Hinc Saxonem Electorem incitauit contra Imperatorem, ruſticos contra ſuos principes, &c. 7.

Octauò. Perſecutio Eccleſiæ & Catholicorum. Senſêre hanc Catholici Primò ſub Imperatoribus Arianis, Conſtantio, Valente, &c. 8. Deinde ſub Imperatoribus Græcis Iconomachis, Leone Iſaurico, Conſtantino Copronymo, &c. Gotthi Ariani afflixêre Italiam, Wandali Africam. Albigenſes Galliam, noſtro verò ſæculo Huſſitæ Bohemiam, Lutherani Germaniam, Hugonottæ Galliam, Puritani Angliam, Geuſij Belgium; vti ex parte ſentiunt etiamnum Catholici. Vultis audire hæreticæ tyrannidis aliquot ſpecimina? Circa annum Domini 770. ſub Conſtantino Copronymo Iconomacho Monachi quadraginta duo truncatis naribus, barbiſque illitis pice combuſtis, in balnei fornice clauſi, ibique fame conſumpti martyrio coronati ſunt, vt habet Chronic. Sigeberti anno Domini 770. & Martyrol. Romanum 12. Ianuarij. Macedonius hæreſiarcha ſub Conſtantio Imp. Catholicos inaudito tormentorum genere cruciatos occidit. Inter cætera, fidelium mulierum vbera inter labra arcarum compreſſa diſſecuit, & candenti ferro combuſſit, ita Martyrol. Rom. 30. Martij. Eutychiſtæ Alexandrini ſtatim poſt mortem Marciani Imp. Catholici, Proterium Epiſcopum & Patriarcham ſuum Catholicum cum aliis Clericis tanta crudelitate occiderunt, vt viſcera eius guſtarent, & crudas carnes comederent, reliquum corpus per plateas vrbis trahentes. Ita Euang. *lib.* 2. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 9. Hæc veteres, quibus non ceſſere noſtri hoc æuo vel in crudelitate carnifices, vel in conſtantia Martyres Angliæ, Galliæ & Belgij, vt patet ex Theatro hæreticæ crudelitatis. Audi vnum illuſtre è multis.

Delphis Bataviæ vrbe Cornelius Muſius captus eſt, & iuſſu Guilielmi Principis Auriaci ſic variè eſt cruciatus: altiſſimæ ſcalæ manibus vinctis eſt appenſus, & ad pedes intolerabile pondus alligatum, vt compages omnes laxarentur, inde ardentibus tedis ambuſtæ axillæ. Mox reſupinus conſtringitur, aqua feruens ori infunditur, eaque totus venter oppletur, quem ſic fuſtibus denique tundunt, vt ex omnibus corporis foraminibus illa tota efflueret. Poſtea capite deorſum

verſo ex duobus pedum maioribus digitis ap-penditur: inde truncatis manuum pedumque digitis, per niuem ſanguine proprio cruentatam in vrbem Lugdunum Batauorum raptatur, atque ita demum poſt tot ſupplicia laqueo ſuſpenditur. Ita annales Belgici, & ex iis, Thomas Bozius *tom. 1. de ſignis Eccleſ. lib. 11.* cap. 1. & Corn. à Lap. *in Dan.*

Deinde qualem perſecutionem hoc Anno 1633. & præcedente pertulerit ab hæreticis Eccleſia, vix magnis libris comprehendi poteſt: leget & ſtupebit poſteritas.

9. Nonò libertas carnis, quam ferè omnes quæſierunt, qui ab Eccleſia defecerunt. Benè S. Hilarius comparat eos porcis illis, in quos migrauit dæmonum legio, Matth. 8. *Videntes*, inquit, *dæmones non ſibi iam locum in gentibus derelinqui, vt patiatur eos habitare in hæreticis deprecantur: quibus occupatus totidem mare impetu rapido per præceps grex coactus eſt, in cupiditatem ſcilicet ſæcularium,* &c. in cap. 8. Matth. Nulla apud eos abſtinentia, nulla ieiunia, nulla penè ſacrorum temporum ratio, nulla vigiliarum & quadrageſimæ obſeruantia, ſed perpetua bacchanalia, inaudita turpitudo, impudicitia & libido, ita vt fœminæ ſe paſſim apud eos denudare ſe non erubeſcerent. Audiuimus horrendam Lutheranæ fœminæ Lipſienſis libidinem, quam Manlius in locis communibus & Reſcius 34. miſcell. refert. Hæc in Lutheri ſchola ac doctrina educata, clàm cum filio inceſtùs conſuetudinem habuit, adeoque filiam ex ipſo concepit, & clam ipſo educari curauit: quam grandiſculam, filius amore eius perditus, vxorem accepit, atque ita eiuſdem pater, frater & maritus factus eſt. Mater, quæ ſola id ſciebat, iam morti vicina Luthero rem omnem aperit; Lutherus ad Theologos ſuos Witebergenſes refert: à quibus concluſum fuit, matrimonium hoc diſturbandum non eſſe, nec vllam peccatrici illi pœnam imponendam, ſed fidem tantùm, cuius alis in cœlum euolare poſſit, inculcandam eſſe.

10. Decimo. Atheiſmus, huc enim fere deſinunt hæretici. Vnde Cardinalis Hoſius Atheiſmum vocat Lutheranæ & Zvvinglianæ perfidiæ *perfectionem, centrum, ſcalæ ſummitatem*. Oecolampadius totus fluctuans & dubius in fide obiit, Bucerus in obitu de Aduentu Chriſti dubitare viſus eſt vt ſcribunt, apud quos obiit, ideoque Iudæus potiùs quàm Chriſtianus. Carolſtadium ſcribit Lutherus *lib. contra cæleſtes prophetas*, adeò impium fuiſſe, vt neque in terris neque in cœlis vllum Deum exiſtere crederet.

D. III. Morum corruptio. TERTIVS. Morum corruptio & peruerſitas. Teſtatus hoc eſt & vidit ipſemet Lutherus, ita vt obſtupeſcens dixerit, homines deteriores eſſe in Lutheraniſmo, quàm in Papatu. Aurifaber enim in Conuiualibus Lutheri ſermonibus ſcribit, ſæpe dixiſſe Lutherum cum ſuſpiriis: *Poſt reuelatum Euangelium (per Lutherum ſcilicet) virtus eſt occiſa, iuſtitia oppreſſa, temperantia ligata, veritas à canibus lacerata, fides claudicat, nequitia quotidiana, deuotio pulſa, hæreſis relicta.* Idem tom. 3. Lat. Witenb. in Pſ. 5. fatetur per ipſius Euangelium omnis generis ſcelera ſummamque vitæ licentiam in mundum irrepſiſſe, ita vt veluti equus effrænis quiuis quod vult agat. Et *in Domin. 1. Aduent. ſerm.* 2. poſſideri homines, ſub Euangelio (ipſius) à ſeptem dæmonibus, qui priùs ſub Papatu ab vno dæmone poſſidebantur. Idem ei per literas exprobrauit inclytus Saxoniæ Dux Georgius, cùm ait: *Per tuam tuorumq́; diſcipulatum doctrinam omnes antiquæ tamq́; aliàs damnatæ hæreſes renouantur; omnis verus Dei cultus conuellitur, quantum à temporibus Sergij* (impij Apoſtatæ) *nunquam factum eſt. Quando enim plures rebelliones contra Magiſtratum legitimos excitatæ, quàm ex tuo Euangelio? Quando plures factæ ſunt direptiones ſacrarum & diuini. quando plura adulteria, quàm ex quo tu ſcripſiſti, ſiqua mulier a ſuo marito fœcundari nequeat, vt ad alium accedat?* ſic ille. Legatur ipſemet Lutherus in ſerm. de vſura tom. 7. lat. Witteb. vbi queritur, omnia plena eſſe furtis & rapinis; & nihilo ſeciùs patibula omnia vacua reperiri. Queritur de auaritiâ & crudelitate ruſticorum, ciuium, nobilium, principum; putetque omnes verè pios ruſticos, qui ſunt in vno ducatu vel ditione, in vno eoque non magno pago ſat loci habituros; omnes pios ſenatores & ciues vnius ducatus in vnâ non maximâ ciuitate, omnes pios nobiles & præfectos in vnâ non maximâ arce: Principes porrò bonos carnem eſſe ferinam, hoc eſt, rariſſimum animal in cœlo. Quis hîc quæſo, non accinat Lutheranum illud Odarium:

Das Landt bringt frucht und beſſert ſich/
Das Korn iſt wol gerathen/
Das unter frett man uberſich/
Am Freytag friſſt man Braten.

Ad hunc fructum pertinet Primò bonorum operum extirpatio. Cùm enim doceant bona opera omnia ex ſe peccata eſſe, nulla peccata homini ad ſalutem obeſſe poſſe niſi nolit credere, &c. quis ex ipſis bona opera patrare, mala fugere nitatur? Hinc apud eos rarus & exiguus orationis vſus; quod ante paucos annos quidam Lutheranus teſtatus eſt, cùm feriâ ſextâ maioris hebdomadæ templum Catholicorum ingreſſus, deuotione eorum ſpectatâ dixit: *Plus hic oratur in vno die, quàm apud nos integro anno.* Hinc raræ & exiguæ apud eos eleemoſynæ, quod vel ipſe Lutherus teſtatur in Poſtillâ ſuper Euang. de Epulone & Lazaro, cùm ait: Under dem Papſtumb waren die Leuth milt und gaben gern; aberiſt under dem Euangelio gibt niemandt gern / ſonder einer ſchindet den andern / und ein jeglicher will alles allein haben/etc. Et in *Dom. 26. poſt. Trinit.* exagitat ad longum ſuorum auaritiam & duritiam erga pauperes, ſcholares inprimis & prædicantes, vbi inter alia ait: Zu vor wo man ſolt under deſs Papſtumbs. Verführung und falſchen Gottsdienſten / gitte Werck thun / da war jederman bereit unde willig/

Eò referendo. 1.

ligt / vnd / kundt etwan ein *Fürſt* oder ein Statt groſſer vnd reicher Stifftung vnd Allmoſen geben / weder jetzt alle König vnd Kayſer vermöchten. Jetzt hat dargegen alle Welt nichts anders gelernet / dann mit Schinden / Schaben / vnd offentlich Rauben vnd Stelen / durch Liegen / Triegen / Wuchern / Vberſetzen / Vberſeken / etc. Sentiunt multò magis hanc eorum auaritiam noſtri pauperes, qui à monaſteriis per eos occupatis nihil ampliùs eleemoſynæ capiunt.

2. Secundò. Veteris confidentiæ & ſinceritatis exilium. Nam vt bene S. Hieronymus *in cap.* 10. *Matth.* ait: *Nullus eſt inter eos affectus fidus, quorum diuerſa eſt fides.* Nec mirum; nam quis illis fidat, qui Deo & Eccleſiæ datam fidem non ſeruârunt? Hinc fidem in religionis negotio, ſeu Deo, ſeu homini obſtrictam fallere nihil ducunt; mentiri etiam in bonum proximi licitum exiſtimans, vt docuit nuper Thummius Tubingenſis Doctor, publico ſcripto.

3. Tertiò. Odium Eccleſiaſticorum, præſertim eorum qui illorum libertatem (ad credendum quidquid volunt) impugnant, vti inprimis Patrum Societatis, quos vndique traducere mendacibus & famoſis libellis, omnibuſque exoſos reddere conantur.

4. Quartò. Oppreſſio Catholicorum in eorum ditionibus & ciuitatibus. Laborant enim, vt adſcitis tantùm ſuis conſortibus Catholici è magiſtratu excludantur, ac cùm viribus præualent etiam è ciuitatibus; vel ſaltem prohibent eis exercitium religionis Catholicæ, vel compellunt eos eorumûe liberos ad conciones vel Catecheſin hæreticorum; tametſi ipſi initio ſemper libertatem fidei & conſcientiæ clamarent ac poſtularent; quodque amplius eſt, neque ſuis permittunt aliter credere atque ipſi credunt.

5. Quintò. Inſidiæ & machinationes contra Principes ſuos legitimos, à quibus niſi fidei libertatem impetrent, deficiunt & tumultuantur, leges præſcribunt, eoſdemque exauthorare ſatagunt; quemadmodum nuper elapſis annis fecêre Bohemi rebelles & hæretici legitimo ſuo Regi Ferdinando, nunc Imperatori piiſſimo; quod idem machinantur iam Lutherani & Caluiniani.

6. Sextò. Perditio denique temporalis & æterna. Quid enim inprimis perdidit reges & regnum Græcorum, niſi hæreſis? Cur in feriis Pentecoſtes capta à Turcis Conſtantinopolis, niſi quia Spiritum ſanctum hæreticè ſenſerunt non procedere niſi à patre tantùm? Quid Ioannem Fredericum Saxoniæ Ducem ab Electorali dignitate cum ſuis poſteris deiecit, niſi hæreſis, & inde nata rebellio contra Imperatorem? Quid Fridericum Palatinum nuper pari dignitate & principatu exuit, & in exilium pepulit, niſi ſimilis culpa?

7. Denique in huius temporis hæreſes, quadrat, quod S. Bernardus *ep.* 240. *ad Hildephonſum Comitem* ſcribit de ſui temporis hæreſeon fructibus: *Verſatur,* inquit, *in terrâ veſtrâ ſub veſtimentis ouium lupus rapax. Sed ad Domini deſignationem, à fructibus eum cognoſcamus illum.* Poſteà eos enumerans ſubdit: *Baſilicæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus, ſacerdotes ſine debitâ reuerentiâ ſunt, & ſine Chriſto deinde Chriſtiani; Eccleſia ſynagoga reputatur, ſanctuarium Dei ſanctum eſſe negatur, ſacramenta non ſacra cenſentur, dies feſti feſtiuis fruſtrantur ſolemniis, moriuntur homines in peccatis ſuis, rapiuntur animæ paſſim ad tribunal terrificum, heu nec pœnitentia reconciliatæ, nec S. communione munitæ, &c.*

Vidimus hæreſium, maximè quæ nunc vigent, vidimus arborum malarum peſſimos fructus. Vos nunc iudicate, Auditores, an hæ tales arbores excidium non mereantur.

CONCIO IX.

Hæretici depinguntur.

Falſi Prophetæ ſunt, inter quos hæretici,

1. Qui veniunt, *ſcili et vltrò, non legitimè miſſi.*
2. Ad vos, *nempe Catholicos, non ad paganos Braſilides, Iapones &c.*
3. In veſtimentis *externæ virtutis & pietatis quibus tegunt ſuam nequitiam.*
4. Intrinſecus ſunt lupi, *ob varias rationes ex D. Ambroſio adductas.*
5. *Spinæ ſunt & tribuli vndique vulnerantes.*

THEMA.

Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium. Matth. 7.

Grauiſſimum fuiſſe oportet ſcelus Hebræorum, quo recedentes à veri Dei cultu vitulum excitârunt, & pro Deo coluerunt. A. Huius enim flagitij immanitas & ex eo inprimis enituit, quod Moyſes, vir cæteroqui manſuetiſſimus, irâ inflammatus vnà cum Leuitis ſuis gladio id vlciſci vſque ad internecionem 23. millium minimè dubitauerit, *Exod.* 32. Scelus id Iudæorum, hæreſeos typum fuiſſe, nemo, arbitror, non videt. Quid enim eſt derelictâ verâ Chriſti Eccleſiâ eiuſque ſacris dogmatibus, aliam ſibi eamque vitulinam, hoc eſt, carni & libertati addictam, erigere Eccleſiam cum aliis inauditis & ſtolidis dogmatibus; quàm relicto vero Deo vitulum ſimulque miſerandum ſchiſma in electo Dei populo excitare? Quantum verò hoc ſcelus ſit, vel ex eo nobis innoteſcet, quòd Saluator noſter, mitiſſimus alioquin, vnà cum ſeruis ſuis, Eccleſiæ paſtoribus & Doctoribus, gladio verbi ſui ſeuerè id mulctârit, dum peſſimis epithetis, quaſi totidem ictibus vulnerauit ac notauit. Etenim ipſe in hodierno Euangelio hæreticos vocat *falſos Prophetas, lupos rapaces, arbores malas, ſpinas, tribulos*; alibi *Pſeudo-Chriſtos, fures & latrones.* Nec aliter eius

 Apo-

Apoſtoli. S. Petrus (1. Pet. 2.) appellat eos *Pſeudo-prophetas, Magiſtros mendaces, ſeruos corruptionis, indoctos & inſtabiles*. S. Paulus *Pſeudo-Apoſtolos, operarios ſubdolos, proprio iudicio condemnatos*, 2. Cor. 11. Tim. 3. Tit. 3. S. Ioannes *Anti-Chriſtos & ſeductores*, 1. Ioan. 2. 2. Ioan. ep. S. Iudas *nubes ſine aquâ, arbores autumnales infructuoſas, bis mortuas, fluctus feri maris deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia*. Quibus accedunt SS. Patres, S. Ignatius comparat eos canibus rabidis, ſerpentibus, Baſiliſcis & ſquamoſis draconibus, *in ep. ad Smyrnaeos*, S. Cyprianus lupis & canibus, *ep.* 52. Ambroſius noctuis & vulpibus, *ſerm.* 43. S. Hieronymus Scarabæis, *in cap.* 2. *Abac.* Et *lib. contra Luciferianos*, appellat eos Idololatras iiſque deteriores. S. Auguſtinus cimices, *lib.* 4. *in Iulian. cap.* 9. Vincentius Lyrinenſis ranas & muſcas, *in commonit.* Scimus etiam S. Polycarpum Marcioni hæreſiarchæ reſpondiſſe: *cognoſco te primogenitum Satanæ*, apud Irenæum *lib.* 3. *cap.* 3. Scimus S. Hilarium *lib. contra Auxentium* ſcripſiſſe: *Mihi non erit aliud quàm Diabolus, quia Arianus eſt*. Videtis, Auditores, quantos ictus, quanta vulnera inflixerit noſter Moyſes vnà cum Leuitis ſuis, peſſimi illius vituli, hæreſes, ſectatoribus. Neque hoc tantùm; ſed præterea in hodierno Euangelio, dum inuehitur in hæreticos, depingit, eoſdem ſuis coloribus, quò agnoſcere illos & fugere poſſimus. Picturam hîc aſpicite.

B. I. Veniunt. 1. Quinam igitur ſunt falſi illi Prophetæ, à quibus attendendum? PRIMÒ illi ſunt qui *veniunt*. Quâ voce indicatur primò eos nequaquam mitti legitimâ poteſtate, ſed vltrò venire ſeu illegitimè; quod profectò indicium eſt falſorum Prophetarum, vt habetur Ier. 23. *Non mittebam Prophetas* (inquit Dominus) *& ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant*. Et ad Heb. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. Porrò tres ſunt viæ ſeu tria foramina, quibus irrepunt Pſeudo-prophetæ. Vel enim ſeipſos intrudunt, non miſſi à quoquam; vti Simon Magus, Montanus, Manes, & noſtro ſæculo Caluinus, Dauid Georgius, Io. Leidanus & ſimiles, qui ex ſuo cerebro confinxerunt nouum Idolum, & populo propoſuerunt, ſine alicuius inſtructione aut commiſſione. Vel mittuntur quidem, ſed ab iis, qui poteſtatem mittendi non habent, vti ſunt Magiſtratus ſeculares. Nulla eſt hæc miſſio, quemadmodum & illa foret, quâ ruſtici, v. g. mitterent quem Viennam, vt eſſet præfectus aulæ imperatoriæ. Chriſtus miſit ſuos Apoſtolos, Apoſtoli ſuos diſcipulos, creantes eos Epiſcopos & Presbyteros per impoſitionem manuum; vti S. Petrus Marcum Alexandriam, Apollinarem Rauennam, Creſcentem Moguntiam, &c. S. Paulus Timotheum ad Epheſios, Titum ad Cretenſes. Nullos reperiemus miſſos & ordinatos à ſæculari Magiſtratu. Vel mittuntur quidem à legitimâ poteſtate, ſed alia concionantur & aſtruunt, quàm acceperint in mandatis: propria nimirum commenta, commiſſioni ſuæ contraria, cuiuſmodi erat Arius, Lutherus, Zvvinglius, & alij, qui ordinati in Eccleſiâ ſunt Presbyteri, & creati Doctores, ſed non ad docendum, niſi fidem Catholicam. Nota autem eſt regula illa generalis, facultatem, quæ alicui datur tunc facto ipſo reuocari, cùm quis eâ aduerſus datorem vtitur; *quia actus non operantur vltra intentionem agentium*, inquiunt Iura. Cùm ergò miſſi non ſint, Diaboli Apoſtoli ſunt.

Secundò indicatur eos blandè & modeſtè venire. Non enim irruunt vi, neque euocant ad ſe illos, quos peruertere volunt, ſed ipſi ad eos veniunt. Quod ſanè præſtant omnem mouendo lapidem & adhibendo induſtriam. Nam & paruulos ad Catecheſin cogunt, imò & adultos ac maturos: neminem Catholicum ad dignitatem aliquam promouent: blanditiis & promiſſis, fauoribus & munuſculis ad ſectam ſuam alliciunt. Exempla duo refert Balt. Chauaſſius de Notis fidei lib. 4. cap. 2. 2.
Vix effluxerant anni decem, inquit ex quo, *prope Trecas in Campania in catum coibatis, & nummariis munuſculis ad vos pertrahebatis multas miſerabiles perſonas, quas bellica vaſtitas bonis ſuis ſpoliauerat. Idemq; paulò antè accidit Metis in Lotharingiâ inopi cuidam Mercario, qui ex oppido S. Michaëlis eò profectus præſtolabatur artis ſuæ opificiâ, ſiqua occurrerent. Cumq; Caluiniſta cuidam, in quem inciderat, viſus fuiſſet ſatis induſtrius, ab eoq; florenum vnum accepiſſet, cum onere ſiſtendi ſe bis terue concioni, mox ſe iterum eo ſimulauit, ſed ſe proripiens lætus, quamq; Muſſipontum cum floreno ſuo contendit, vbi propoſita nobis quæſtio eſt, vtrùm ille ad reſtitutionem teneretur. In eâdem vrbe* (pergit auctor) *circa id tempus nobili cuidam Catholico cum ciue hæretico lis erat, cuius deciſio ad quoſdam eius farinæ Iudices pertinebat; quos cùm nobiliſ ille ad dicendum ſibi ius nullâ poſſet ratione inducere, finxit velle ſe ad illorum partes tranſire. Ergò terq; quaterq; illorum templum adit, admittitur fronte latiſſimâ, aſſurgitur à plurimis, percommodè ſedet, aures dat Prædicanti, quem etiam abiens, eruditum ſibi videri pronuntiat. Quid plura? Inclinantur animis in illum Iudices, & quò magis demereantur, ferunt pro eo ſententiam. Quâ impetratâ: Iam habeo, quod volo, inquit: abite in malam crucem cum abortiua religione veſtra. Nónne ſuperioribus menſibus, quanta nunc eſt, tanta erat cauſa mea æquitas?* Huc reuocari poſſunt, quam plures aliæ illecebræ, vti mollis ac libertina vitæ ratio, certa æternæ ſalutis promiſſio, plauſibilium ſcripturæ ſententiarum inculcatio, terribilium verò remotio, compta & elegans dictio, librorum nitor, cantus mollis & varius, &c.

SECVNDÒ. *Ad vos.* Hoc verbo indicat Dominus, hæreticos non contendere, vt Paganos ad fidem perducant, nec tendere ad Mauros, Braſilios, Iapones, Chinenſes; ſed ad Catholicos duntaxat, vt euertant eos. Quod etiam S. Paulus *Act.* 20. dixit ad ſuos: *Ego ſcio, quòd poſt diſceſſionem meam intrabunt lupi rapaces in vos*. In vos, inquit, non in Ethnicos. Audiamus Tertullianum lib. de præſcr. hær. *Hoc eſt*, in- C. II. Ad vos.

quam

quit, *hereticis negotium non Ethnicos conuertendi, ſed noſtros euertendi.* Quamobrem S. Auguſtinus *lib.* 3. *contra Fauſtum c.* 12. comparat eos perdicibus, quæ fouent oua aliena. *Haretici,* ait, *inſtar perdicum congregant, quæ non pepererunt. Chriſtianos enim, quos maximè Chriſti nomine ſeducunt, iam per ipſius Chriſti Euangelium natos inueniunt, & faciunt illos diuitias ſuas, non ſanè cum iudicio, ſed cum temeritate inconſiderata.* Alludens ad locum *Ier.* 17. Ratio eſt triplex vna ex parte Dei, qui non vult ſponſas ſuas habere tales paranymphos, qui deprauent eas, nec vult, vt Diabolus Diabolum pellat. Altera ex parte Dæmonis, *qui,* vt ait S. Greg. in moral. *eos negligit, quos iure perpetuo ſe poſſidere ſentit.* Parum recrearet Dæmonem, feciſſe ex gentili hæreticum, pro cognato accepiſſe affinem. Tertia ex parte hæreticorum; qui velut putridi vermes malunt caſeo ſuo immori, quàm ad harbas & arbores rodendas magno ſuo labore & periculo exire. Quanquam mollis & effæminata vita, quam in caſeo ſuo ducunt, parum etiam valitura eſſet ad conuertendas gentes, quæ magis vitæ ſanctæ exemplis mouentur quàm doctrinis. Quare ſicut vulpes illæ Samſonis, caudis colligatæ ignem ſibi appenſum non in ſiluas ſteriles, ſed in ſegetes extulerunt eaſque vaſtauerunt: ſicut crucæ non in plateis, ſed in hortis frugiferis inueniuntur: & ſicut lupi caulas ouium ſiluis propinquas potiùs adeunt quam opida & ciuitates: ita hæretici Catholicos ſibi propinquos euertere potiùs malunt quàm conuertere gentiles longè poſitos.

D.
III.
In veſtimentis.
1.

TERTIÒ. *In veſtimentis ouium.* Sunt hæc primò ſcripturarum ſententiæ, quibus paſſim ornant & tegunt ſuam nequitiam & mendacia. *Quid eſt veſtitus ouium?* inquit Vinc. Lyrinenſis lib. aduerſus hæreſes; *niſi Prophetarum & Apoſtolorum proloquia, quæ ijdem ouili quadam ſinceritate, agno illi immaculato, qui tollit peccata mundi, tanquam vellera quadam detexuerunt? Qui ſunt lupi rapaces, niſi ſenſus hareticorum feri & rabidi, qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti, quantum poſſunt, dilacerant? Sed vt fallaciùs incautis ouibus obrepant, lupinam deponunt ſpeciem, & ſeſe diuina legis ſententijs velut quibuſdam velleribus obuoluunt, vt cùm quiſque lanarum mollitiem præſenſerit, nequaquam aculeos dentium pertimeſcat.* Neque hoc mirum, aut nouum. Induit ſe hoc tegumento malus ille Propheta, qui decepit Prophetam bonum, dicens locutum ſibi eſſe Dominum, 3. *Reg.* 15. Induérunt ſe quadringenti illi pſeudoprophetæ ad decipiendum Achab, 3. *Reg.* 28. Induit ſe ipſe Dæmon, *Matth.* 4. quò circumueniret Chriſtum. Denique S. Hilarius lib. 2. ad Conſt. Aug. ſcribit: *Memento neminem hareticorum eſſe, qui ſe nunc non ſecundum ſcripturas prædicare ea, quibus blaſphemat, mentiatur.* Certè hæretici noſtri ſæculi nihil magis clamant, quàm Scripturam, Scripturam: Verbum Domini manet in æternum; nihil ferè loquuntur, quod non Scripturæ ſententiis pingant; hinc vocari volunt Euangelici: quaſi ſoli ipſi Euangelium vel intelligant, vel obſeruent.

Secundò. Sunt externa virtutis & pietatis ſpecies, quam præ ſe ferunt, aliqui ſaltem, vti 2.
Donatiſtæ olim qui omnium peccatorum fugiebant ſocietatem; noſtro ſæculo Anabaptiſtæ, qui velut cœlo lapſi miram quandam modeſtiam in ſermone, veſtitu, victu, inceſſu oſtendunt; patientes ſunt iniuriarum; linguam moderantur; interim lupum in ſinu gerunt. Alij, vt Lutherani, crebri ſunt in laudandâ bonâ conſcientia, in ſuſpiriis ob proſtratam religionem & regnantem Idololatriam, in moribus ad grauitatem compoſitis, &c. pleni interim ſunt dolo & iniquitate.

Tertiò. Sunt inanes quidam prætextus ad 3.
venenum inſtillandum incautis. Prætexunt inprimis ſanctum quoddam Eccleſiæ reformandæ ſtudium ob neſcio quos abuſus in eam introductos; cùm tamen ab Eccleſiâ prorſus ſe ſubduxerint, & religionem Catholicæ Eccleſiæ penitus ſuſtulerint; quod profectò non eſt reformare. Deinde prætexunt cultum Deo debitum, & crucis ſacrificium ad eliminandum cultum Sanctorum & miſſæ ſacrificium, quaſi hæc ſimul ſtare nequeant. Prætexunt libertatem Chriſtianam, ad tollendas leges, & introducendam carnis libertatem.

E.
IV.
Intrinſecus ſunt lupi rapaces.

QVARTÒ. *Intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Ecce tibi geminam hæreticorum deſcriptionem ſub imagine luporum; quam explicat D. Ambroſius lib. 7. in cap. 10. Luc. *Lupi,* inquit, *beſtia ſunt, qui inſidiantur ouilibus, circa paſtorales verſantur caſas; habitacula domorum intrare non audent: ſomnium canum, abſentiam aut deſidiam paſtoris explorant: ouium guttur inuadunt, vt citò ſtrangulent: feri rapaces, ijdemq; natura corporis rigidiores, vt ſe facilè non poſſint inflectere: impetu quodam ſuo feruntur, & ideò ſæpè luduntur: ſi quem priores hominem viderint, vocem ei quadam natura feruntur vi eripiunt: ſi autem homo priùs eos viderit, exagitari memorantur.* Tum hæc applicans, ait primò: *Nónne* 1.
lupis iſtis heretici comparandi ſunt, qui inſidiantur ouibus Chriſti, fremunt circa caulas nocturno magis tempore quàm diurno? Sanè ita eſt. Patuit in Caluiniſtis, qui in Galliâ; Lutheranis, qui in Germaniâ & vicinis terris, primùm angulos quæſierunt, vti horrea, cellas vinarias, ſuperas ædium contignationes ac ferè noctu, ad diſſeminandum Euangelium ſuum, vocante fratres non campanâ, ſed ſclopeto licet, incerto. Narrat Genebrardus anno 1556. Pariſijs in priuatâ domo ſummo manè deprehenſos aliquando 120. Caluinianos vtriuſque ſexûs, qui eò conuenerant ad communicanda dogmata ſua. Dicunt iſti: *Venite, deſiſite fidem veram nuper reuelatam, ſed diſcite furtim atque ſecretim: delectabit enim vos, & cùm a didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, neque Eccleſia ſciat; paucis namque conceſſum eſt tanti myſterij capere ſecreta,* vt ſcribit Vinc. Lyrin. Rectè igitur dixerit aliquis eos lupos eſſe veſpertinos, quales deſcribit Abacuc cap. 1. Non ita Chriſtus, qui palàm docuit. Non ita S. Paulus, qui 2. *Tim.* 2. ſcribit; *Quæ audiſti à me*

per

Digitized by Google

per multos teſtes, hac commenda fidelibus.

2 Secundò. *Verſantur circa caulas, ſtabula tamen Chriſti intrare non audent*, inquit Ambroſ. Vel enim metuunt pelli ſuæ, ne in carceres vel inquiſitiones trahantur, ſi in alienas vrbes vel nationes inuehere velint dogmata ſua; vel ob vnionem & concordiam Catholicorum deſperant de fructu. Extra caulam vagantes & diuiſos præſtolantur, vt dilanient. Ieroboam Rex cùm Religionem in Iſraël ſubitò mutare non auderet adeoque totum populum ſimul euertere, metu ſeditionis & rebellionis, occultè quoſdam ſubmiſit, qui populum excitârent vt à rege peteret Deum domeſticum, vitulum ſcilicet quem coluerant in Ægypto, idque factum libentibus illis, vt notat S. Hieronymus ex Hebræorum traditione. Cyrillus *ad cap. 7. Oſea.* Simili aſtu Eliſabetha, hæretica Angliæ regina, ſuccedens Mariæ ſorori in regno, fidem Catholicam in Angliâ à Mariâ reſtitutam, primo anno ſubuertit, conſtituens Magiſtratus hæreticos, qui in parlamento hæreſin reſtitui peterent, imò decernerent; teſte Sandero de Schiſm. Angl.

3 Tertiò. *Explorant paſtoris abſentiam & ideò paſtores Eccleſiarum vel necare vel in exilium agere contendunt: quia præſentibus paſtoribus oues Chriſti incurſare non poſſunt.* Nimirum ſicut olim Philippus Macedonum Rex obſidens Athenas petiit ſibi tradi decem Oratores, qui illorum Remp. perturbarent; receſſurus eo facto ab obſidione. Cui tamen reſpondit Demoſthenes ſimili aſtu lupos aliquando petiiſſe à paſtoribus vt ſibi traderentur canes eorum, quòd hi eſſent cauſa totius inimicitiæ inter oues & lupos; fore ſe tum amicos; traditis autem canibus lupos impunè & pro libitu in gregem eſſe graſſatos dormientibus paſtoribus. Idem machinantur hæretici, idcircò illorum exiſtimationi & auctoritati derogant, crimina in eos confingunt, accuſant eos & è medio tollere conantur. Sic olim Amaſias Pontifex Idolorum detulit Amos Prophetam (qui ab Idolis & Amaſiâ populum abſtrahebat) velut ſeditioſum & regni perturbatorem ad Ieroboamum, dicens: *Rebellauit contra te Amos in medio domûs Iſraël;* Amos cap. 7.

4 Quartò. *Mentis intentione duri ac rigidi nequaquam ſolent à ſuo errore deflectere.* Habent hoc ſibi proprium hæretici, quòd ſint contumaces; quo vel ſolo dempto hæretici non forent. Neſciunt ergò flectere caput ſub obedientiam Eccleſiæ; ſimiles Dathan & Abiron, qui vocati à Moyſe principe ſuo, reſponderunt ſuperbiſſimè: *Non venimus*, illuſerunt inſuper ei ironicè: *Reuerà induxiſti nos in terram, quæ fluit riuis lactis & mellis*, &c. Num. 16. Nihil aliud retinet hæreticos ne veniant ad Eccleſiam ſe vocantem, niſi propria voluntas. Conuinci de errore & ad ſilentium compelli poſſunt inuictis ratiocinationibus, perſuaderi non poſſunt. Vnde S. Auguſtinus ait: *Cùm verum dicitur, cui reſiſtere non poſſunt, reddunt murmura ſalebroſa: ſic volumus.* Vox hæc trita Luthero fuit. Cùm enim conuictus eſſet de impoſturâ in SS. literas commiſsâ, reſpondit: *Sic volo, ſic iubeo.* Rectè in eos quadrat quod dicitur cap. 11. Iob. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.* Onager libertate gaudet, capi & ſubiugari detrectat. Quis ergò non dicat hæreticos eſſe aſinos ſilueſtres?

Quintò. *Si quem verſutâ mentis ſuæ circumſcriptione præuenerint, faciunt obmuteſcere: ſi autem commenta impietatis eius agnoueris, iacturam piæ vocis timere non poteris.* Quare rudi inprimis plebeculæ, quæ illorum fraudes neſcit, facilè imponunt, ſuiſque verborum lenociniis & ſcripturarum agglomerationibus ſilentium imponunt; at non eruditis, qui figmenta ipſorum agnoſcunt. Sirenes ſunt; quæ iuxta Poëtarum fictionem dulci ſuo tibiæ & lyræ cantu nauigantes ad ſuas inſulas, in quibus habitabant, alliciebant, atque in naufragia deducebant; iuxta rei veritatem verò meretrices erant, quæ formæ & vocis blandimento prætereuntes ad ſui amorem illiciebant eoque illaqueatos bonis ſuis exuebant & quandoque vita ſpoliabant. Teſtem adduco S. Hieronymum in Michæam cap. 1. qui cantum Sirenum ibi adductum (iuxta ſeptuag. Interpr. vbi noſter habet, luctum ſtruthionum) exponit hæreticorum lenocinia. *Dulcia enim ſunt*, inquit, *hæreticorum carmina, & dulci voce populum decipientia: nec poteſt eorum cantica præterire, niſi qui obdurauerit aurem ſuam, & quaſi ſurdus euaſerit;* alludens ad Vlyſſem, qui Sirenes prænauigans, aures cerâ obturauit, ne illarum cantu illicerentur. Maximè verò occupant mutumque reddunt hominem hæretici, quando eum primi ſuâ hæreſi imbuerunt ac deprauarunt. Docet enim experientia eos qui à puero in hæreſi inſtituti ſunt; vix vnquam ſeriò conuerti ad Catholicam fidem, tametſi à Catholicis Doctoribus audiant videantque innumera fidei veræ argumenta. Nimirum priùs à lupo viſi ſunt. 5

Sextò. *Animam petunt, guttur inuadunt, vitalibus vulnus affigunt. Graues ſunt morſus hæreticorum, qui ipſis grauiores & rapaciores beſtijs, nullum auaritiæ finem impietatiſque nouerunt;* inquit Ambroſius. Quod quàm verum ſit, demonſtrarunt olim Ariani, de quibus S. Athanaſius in ep. ad ſolit. vit. agentes, ait: *Noua iſta & execrabilis hæreſis, quos non potuit verbis inducere, eos vi plagis carceribuſque ad ſe pertrahere annititur, atque ita vel ſeipſam quàm non ſit pia Dei cultrix, manifeſtat.* Demonſtrârunt elapſo ſæculo Lutherani, in Heluetiâ Zvvingliani, inſanè iugulum Catholicorum petierunt, quando tot ſtrages ac cædes ediderunt in eos qui in ipſorum religionem iurare noluerunt. Anno 1562. Lutetiæ Pariſiorum turmatim per vicos curſitabant bacchantes, & vnâ quidem manu Biblia, ſed alterâ diſtrictum gladium vibrantes clamanteſque: *Viuat Euangelium.* Sed quid longè abeo? Quis explicare queat, quibus cædibus & tormentis debacchentur hodie hæretici in Catholicos Germanos? 6

nos?

noſ? Sanè *æſtimati ſumus oues occiſionis*; vndique mactamur & in exilia pellimur.

7. Septimò. *Veſtitum ouis habent, facta prædonis: foris ouis, intus lupus eſt. Nónne vobis videtur lupus, qui humana necis inſaturabili crudelitate, fidelium morte populorum rabiem ſuam explere deſiderat?* Vidimus iam ſuprà pellem ouinam in hæreticis, ſed & lupinam crudelitatem.

8. Octauò. *Vlulat iſte, non tractat, qui negat vocis auctorem & ſacrilego ſermone beſtiale murmur interſtrepit, &c.* hucuſque Ambroſius. Quis porrò hæreticorum vlulatus, niſi inſana vaniloquia, quæ vitanda monet Apoſtolus 2. *Tim.* 2. niſi figmenta eorundem *dum vnuſquiſque fingit*, (inquit S. Hieronymus in Amos cap. 3.) *quod voluerit & adorat figmentum ſuum, Marcion bonum Deum & otioſum: vt Valentinus æones triginta & extremum Chriſtum, quem appellat ἔκτρωμα, id eſt, abortiuum: vt Baſilides qui omnipotentem Deum portentoſo nomine appellat ἀβραξας & eundem ſecundum græcas litteras & anni curſûs numerum dicit in ſolis circulo contineri?* Addere his poſſumus, ſpecialem illam & nouam Lutheranorum fiduciam, aliaque abſurda & inaudita illorum figmenta. Quibus rectè poſſumus dicere, quod Auguſtinus *lib.* 3. *contra Iulianum cap.* 3. dixit Pelagianis: *Mira ſunt, quæ dicitis, ô Pelagiani! noua ſunt quæ dicitis; falſa ſunt quæ dicitis. Mira ſtupemus, noua cauemus, falſa conuincimus.* Denique vlulatus hæreticorum, mendacia eorundem, execrationes & blaſphemiæ ſunt. *Siquis lupum cooperiat pelle ouinâ*, inquit Auctor op. imperfect. hom. 9. *quomodo cognoſces illum niſi aut per vocem aut per actum? ouis inclinatâ deorſum balat, lupus in aëra conuerſus caput ſuum contra cœlum & ſic vlulat. Qui ergo ſecundum Deum vocem confeſſionis & humilitatis emittit, ouis eſt: qui verò aduerſus veritatem blaſphemijs vlulat contra Deum, lupus eſt.* Nimis manifeſtè deprehendimus hunc vlulatum in hæreticorum libris.

F.
V.
Sunt ſpinæ & tribuli.

Quintò. *Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?* Ergo hæretici prætereà ſpinæ ſunt & tribuli. Primò, quia vndique vulnerant, ſiue audiantur eorum conciones, ſiue legantur eorum libri, ſiue admittantur ad familiarem conuerſationem; maximè verò ſi quis vel in minimo puncto conſentiat eorum hæreſi. Notanda in hoc caſu & imitanda vox heroica S. Martini Papæ, qui Conſtanti Imp. nepoti Heraclij, Monothelitæ, petenti vt nouæ ſuæ credendi formulæ Pontifex ſubſcriberet, captus ab eodem, reſpondit: *Potiùs ſinam me diſcerpi in mille partes, quàm vt tuæ hæreſi vel in puncto ſubſcribam.* Dixit & fecit; nam in Chreſonam relegatus, frigore, fame & pædore conſumptus glorioſum obiit martyrium. Ita acta eius apud Baron. Anno 649.

2. Secundò. Quia voluptatibus dediti; ſcimus enim ſpinas, in quibus ſuffocatum eſt ſemen, à Chriſto exponi diuitias & voluptates. Quàm verò his ſpinis immerſi ſint hæretici, teſtatur imprimis S. Petrus, qui *ep.* 2. *cap.* 2. de iis ſcribit: *Voluptatem exiſtimantes diei delicias, &c. oculos habentes plenos adulterij & inceſſabilis delicti.* Deinde S. Iudas in ep. ſuâ: *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ conuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes.* Iam, vt antiquos hæreticos prætereamus, conſtat Lutherum Epicuri vitam duxiſſe, & totos dies in compotationibus & conuiuiis exegiſſe. Anabaptiſtæ & Adamitæ, Lutheri ſoboles, quàm proiecti in luxuriam fuére? Lutherus ipſe (vti refert Aurifaber, eius diſcipulus, in Coll. menſ. pag. 244.) aſſeruit ſcholæ ſuæ diſcipulos magna ex parte Epicureos eſſe, metiri conciones ex ſuo cerebro, & hoc ſolùm quærere, vt bonos dies habeant: in Papatu talia nebulonum portenta non inueniri, &c. De libidine quid dicam? Scribit is tom. 5. Wittenberg. fol. 119. *Quàm non eſt in meis viribus ſitum, vt vir ſim, tam non eſt mei iuris, vt abſque muliere ſim: & fœmina ſociari tam eſt neceſſarium quàm edere & bibere.* Aliorum eius ſimilium aſotias & libidines alij depingunt. Adhæc mulieres ferè adiutrices in propagandâ hæreſi aſſumpſerè ſibi hæretici, vt notat D. Hieronymus ep. ad ad Cteſiphontem tom. 2. *Simon magus*, inquit, *hæreſin condidit adiutus auxilio Helenæ meretricis. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum conditor, choros duxit fœmineos. Marcion quoque Romam præmiſit mulierem ad maiorem laſciuiam. Apelles Philomenum comitem habuit. Montanus Priſcam & Maximillam primùm auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Arrius, vt orbem deciperet, ſororem Principis antè decepit. Donatus Lucillæ opibus adiutus eſt. Elpidium cæcum Agape cæca duxit. Priſcilliano iuncta fuit Galla, non gente, ſed nomine.*

Tertiò. Quia ferè Dæmones habent aſſeſſores & paredros, quemadmodum ſub ſpinis ferè habitant ſerpentes. 3. Teſtatur Apoſtolus 1. *Tim.* 4. nouiſſimis temporibus diſceſſuros quoſdam à fide & attenturos ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum. Quo loco S. Chryſoſtomus *hom.* 12. aſſerit, omnem hæreſin eſſe ex diabolo. Audiamus teſtimonia. Caſſianus collat. 7. cap. 32. *Audiuimus*, inquit, *apertiſſimè confitentem ſe inſpiraſſe hæreſin Arrij & Eunomij.* S. Irenæus lib. 1. c. 9. & lib. 2. c. 57. ſcribit, Simonem Magum, & alios hæreſiarchas habuiſſe dæmones ſibi familiares. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus prope Berengarium hæreticum vidiſſe ſe adſtantem dæmonem, multoſque ad eum ſequendum manu & anhelitu corrumpentem, teſtatus eſt, apud Baron. anno 1028. Maximilianus I. Imp. Auguſtæ prandens, vidiſſe ſe dæmonem humeris Lutheri inſidentem, aſſeruit Baroni de Erbach, anno 1518. Nec diffitetur ipſe Lutherus, dæmonis colloquio ſe familiariter vſum, pluſque ſalis modio cum eo comediſſe. Zvvinglius quoque intempeſtâ nocte ſpiritum monitorem ſibi adfuiſſe ait, ad euertenda verba conſecrationis, neſcire tamen ſe ater an albus fuerit.

Quartò. Quia ipſorum doctrina carnalibus tantùm & ſtolidis hominibus, non piis & prudentibus, accepta eſt, quemadmodum tribuli non hominum, ſed aſinorum eſca ſunt. 4. Nota eſt hiſtoria Craſſi, qui nunquam riſiſſe fertur

Digitized by Google

ſertur, niſi cùm aliquando vidit aſinum tribulos edentém, dicens: *Similes habent labra lactucas.* Igitur qui capiuntur & paſcuntur dogmatibus hæreticorum, aſini ferè ſunt, ſtupidi & carnales. Sanè D. Auguſtinus *l. de verâ relig. c.* 4. ait: *Ex his omnibus hæretici fiunt, qui etiam ſi eſſent in Eccleſia, nihilominus errarent.* Similes igitur habent labra lactucas, cùm ſtulti & Epicurei ſtultam & Epicuream amplectuntur religionem. Pulchrè etiam S. Hieronymus in ep. ad Cyprian. ait, hæreticos telam araneæ texere, *quæ parua poteſt capere animalia; vt muſcas, culices, & cætera huiuſmodi; à fortioribus autem rumpitur, inſtar leuium in Eccleſia ſimpliciumq; qui eorum decipiuntur erroribus, cùm viros in fidei veritate robuſtos non valent obtinere.*

5. Quintò. Quia illorum perſuaſiones ſemel imbibitæ pertinaciter inhærent homini, non ſecus ac tribuli fortiter adhærent veſtibus. Quare ſicut nonnullius laboris eſt tribulos è barbâ vellere, ita magni laboris hæreſin eximere ex animis illorum, qui eam ſemel hauſerunt. Videre id heu nimium eſt, afflictiſſimo iſto tempore, quo plerique nuper ad Eccleſiam reducti, vbi rurſum præcones hæreticos nacti ſunt, proni ruunt in antiquam hæreſin, quaſi nihil magis deſiderârint.

6. Sextò. Quia ſuperbiſſimi ſunt. Scimus autem in SS. literis rhamnum atque cardum ambitionis ac ſuperbiæ typos eſſe. Rhamnus ille, *Iudic.* 9. honorem regium acceptauit (in apologo) quem nulla arbor acceptare voluit. Carduus ille, 4. *Reg.* 14. (itidem in apologo) miſit ad Cedrum Libani, & petiuit eius filiam filio ſuo vxorem. Quid ergo ſpinæ & tribuli ſeu rhamnus & carduus in hæreticis, niſi eorum arrogantiam & ambitionem notat? Et quid mirum, cùm ſuperbia ferè eorum mater ſit? Quanta porrò in Luthero arrogantia fuit? In epiſt. ad Ducem Brunſvvicenſem ſcribit: *Nomen meum tum celebrari cœpit, adeò vt nullus opponere ſe auderet. Quæ, licet exigua gloria, valde mihi placebat.* Non quibuſuis etiam magnis viris ſe videndi & alloquendi poteſtatem dedit, vti Carolo Miltitio nuntio Papæ, non niſi Ducis interceſſione. Apoſtolus & Euãgeliſta audire voluit. *Oculos tuos*, aiebat, *ô Germania ad me conuerte, ad quam ſaluandam ego miſſus ſum. Accede ad me, chariſſima mea patria, & aperi aures Euangelio, quod hactenus nunquam audiuiſti.* Dauid Georgius prædicauit, ſe eſſe illum cœleſtem Chriſtum de Spiritu ſancto natum, qui peccata condonet & reſeruet, quique in extremo die iudicaturus ſit viuos & mortuos. Eodem ſpiritu agitati veteres hæretici. Simon Magus ſummam ſe virtutem dicebat, id eſt, ſummum Deum, vt interpretatur Tertullianus. Menander eum ſecutus idem aſſerebat, nec poſſe aliquem ſaluari, niſi in ipſius nomine baptizaretur. Manichæus Chriſti ſe Apoſtolum, imò & Spiritum ſanctum à Chriſto promiſſum iactitabat; quemadmodum & Montanus. Noëtus, à quo Noëtiani, dicebat, ſe eſſe Moyſen & fratrem ſuum Aaronem, vt refert D. Epiphanius. Sed hæc ſufficiant. Rogemus Deum, Auditores, vt nos ab his pſeudoprophetis dignetur cuſtodire.

CONCIO X.

Documenta & myſteria.

1. *Docetur hæreſin eſſe cauendam, quia malum grauiſſimum, contagioſum, ſubtile & clandeſtinum.*
2. *Triplices eſſe fructus hæreticorum ex quibus cognoſci queant.*
3. *Explicatur illud:* Non poteſt arbor bona &c.
4. *Deum à nobis requirere fructus bonorum operum refelluntur obiectiones hæreticorum contra bona opera.*

THEMA.

Attendite à falſis prophetis, &c.
Matth. 7.

Rectè legitur hoc Euangelium iſto tempore. Nunc enim vel occupamur in colligendis frugibus, vel certè cogitamus quomodo & quando colligere eas velimus; interim ſæpe non attendimus ad eos fructus, quos à nobis colligere vult Deus, fructus, inquam, bonorum operum. Totum penè tempus, totam operam impendimus noſtræ meſſi: nihil aut parùm admodum meſſi Domini noſtri. Vnde ipſe queritur per Michæam *cap.* 7. (iuxta tranſlationem 70. interpret.) *Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui congregat ſtipulam in meſſe.* Propterea igitur admonet nos Chriſtus & Eccleſia in hodierno Euangelio, vt dum fructus à Dei benignitate percipimus, eidem etiam fructus bonorum operum debitos reddamus. Hoc enim ſibi volunt illa verba: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Non vtique arbor lignea, ceraſus aut pyrus, ſed homo ſterilis & inutilis. Hoc illa: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnũ cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, &c.* Non enim vult contentus eſſe foliis verborum, aut ſolius fidei; opera requirit. Quare indagemus doctrinam huius Euangelij. A.

Q. PRIMA. Cur hæreſis maximè cauenda? B.
Reſpondetur; quia Primò eſt ex grauiſſimis I.
peccatis vnum, trahens poſt ſe innumera alia, Cur hæreſis maximè cauenda.
pertinaciam imprimis in proprio ſenſu, contemptum Eccleſiæ, SS. Patrum, traditionum, ſacramentorum; eripit etiam ſpem & charitatem, & priuat mediis reſurgendi à peccatis, &c. Vnde Apoſtolus eam antonomaſticè vocat, *peccatum*, 2. *Tim.* 2. cùm deſcriptâ hæreſi ait: *Diſcedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini.* Et ad Tit. 3. *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt & delinquit, cùm ſit proprio iudicio condemnatus*; quia ſcilicet ſponte & pertinaciter ſe ab Eccleſia ſeperat, extra quam non eſt ſalus, ſed certa damnatio. Vnde S. Maximus ſerm. 50. rectè comparat hæreticum Iudæ, qui non à Chriſto eie-

Digitized by Google

ſto eiectus eſt; ſed ſponte ſe ab Apoſtolorum collegio ſeparauit, & exiuit è cœnaculo, cùm vellet prodere Chriſtum, Ioan. 13. *Tali*, inquit, *hæreticus, quali & Iudas pœnâ damnatur, vt idem ſui & reus ſit ſceleris & iudex ſit vitionis, quia Dominum, quem Iudas vendidit, hæreticus blaſphemat.* In opprobrium Iudæ & ſceleris eius, nemo vult vocari Iudas: ita nemo debet pati conuitium hæreſeos. S. Agatho omnia alia conuitia ferebat ex humilitate & reum ſe illorum tatebatur. Sed cùm quidam ei obijcerent: *Intelleximus quòd hæreticus ſis: Abſit à me*, inquit, *vt vnquam ſim hæreticus*; cauſamque ſubdens, ait: *Crimina alia infirmitatis & fragilitatis ſunt, hominemq; Deo adhuc per fidem vnitum relinquunt: hæreſis verò pertinacia eſt & nota malitia, quæ omni modo nos à Deo diuellit, quia & fidem tollit.* Euagrius *lib. 2. de vitis Patrum.*

2. Secundò, quia eſt malum contagioſum. *Multum enim proficiunt ad impietatem*, ait Apoſtolus 2. Tim. 2. *& ſermo eorum vt cancer ſerpit.* Vt enim gangrena vicina membra & totum denique hominem inficit: ita & hæreſis Sic *Arrius*, inquit S. Hieron. *vna ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt; totum orbem eius flamma populata eſt.* Et quid mirum? *De mundo ſunt*, ait Ioan. *ep. 1. c. 4. & de mundo loquuntur & mundus eos audit.* Affert noua, curioſa, carni placentia dogmata; vt mirum non ſit, ſi repentè propagetur.

3. Tertiò, quia eſt ſubtile & clandeſtinum malum, vtpote ſpirituale, quod non ita facilè cognoſcitur & horretur, ac peſtis, furtum, homicidium & alia, quæ externa damna vel iniurias continet. vnde & à Magiſtratibus, qui ferè ad externa tantùm & corporalia damna vel crimina attendunt, negligitur & facilè toleratur.

Diſce. Diſce itaque imprimis aueſari hæreſim; & ſi omnia alia perdas, fidem conſeruare. *Nam quemadmodum ſerpens*, inquit S. Chryſoſtom. hom. 24. in Matt. *totum ſeipſum tradit, nec minimum curat, ſi ipſum quoque corpus incidi neceſſe ſit, dummodò caput ſuum integrum ſeruet: eodem tu quoque modo præter fidem cætera perdere non cures, ſiue pecunias, ſiue corpus, ſiue etiam vitam ipſam profundere neceſſe ſit.*

C. II. Quomodo à fructibus cognoſcendi pſeudoprophetæ.

Q. SECVNDA. Quomodo à fructibus ſuis cognoſci pſeudoprophetæ ſeu hæreſum Doctores poſſunt, cùm eoſdem ſæpe fructus videamus in hæreticis & Catholicis? Reſpondetur triplices eſſe hæreticorum fructus. Primò Doctrinam & dogmata eorum; quæ hoc ipſo quòd noua ſunt, ſuſpecta ſunt & arguunt illos hæreſeos. Talia etiam ſunt, quæ qui ſequuntur, ſcelerati & improbi fiunt. Veluti illud Caluiniſtarum: Deum eſſe auctorem peccati. Et illa Lutheranorum: Præcepta Decalogi ſeruari non poſſe: opera bona non mereri vitam æternam: liberum arbitrium non eſſe: opera bona eſſe peccata; neminem baptizatum quantiſcumque peccatis perire poſſe, niſi credere nolit, &c. Hæc enim dogmata quorſum niſi ad impietatem ducunt? ergo hæreticos oſtendunt eſſe eos qui hæc tradunt. Secundò opera mala, quæ ex doctrinâ eorum profluunt; vt contemptus Eccleſiæ & odium Papæ, ſcripturæ praua expoſitio, traditionum reiectio; carnis libertas, votorum violatio, bella, &c. Et quos recenſet S. Bern. 240. ad Hildefonſum: Baſilicæ ſine plebibus; plebes ſine Sacerdotibus, Sacerdotes ſine debitâ reuerentia ſunt; & ſine Chriſto: deinde Chriſtiani, Eccleſiæ Synagogæ reputantur, ſanctuarium Dei ſanctum eſſe negatur, ſacramenta non ſacra cenſentur; dies feſti feſtiuis fruſtrantur ſolemniis; &c. Quæ quia ex hæreticorum dogmatibus naſcuntur, hæreſim eorum oſtendunt. Non ſunt talia vitia Catholicorum: quia non ſunt vitia religionis, ſed hominum; velut ſi quis monachus reperiatur malus, vitium eſt hominis non ordinis. Tertiò vita eorum mala & virtutibus contraria, cùm tamen interim ſancti & Spiritu ſancto afflati velint æſtimari. Etenim hæretici ferè ab ambitione, libidine, auaritiâ ad noua dogmata pertracti ſunt, in iiſque perditè vixerunt: & tamen ſpirituales & cœleſtes videri volunt. Quàm fuerit ſpurcus, bibulus, ſcurrilis, faſtidioſus & iactabundus Lutherus, ipſius libri teſtantur, ab ipſiſmet Lutheranis editi. Caluinum conſtat in Galliâ ob Sodomiam rogo adiudicatum, ſed ex gratiâ virgis cæſum & ſtigmate inuſtum. At hi tam fœdi fructus in primis præſertim fidei præconibus, fœdam & malam oſtendunt arborem. Quis enim talibus crederet, noua dogmata ferentibus? Non fuere tales primi noſtri præcones, Bonifacius, Rupertus, Kilianus, &c. quorum vitæ ſanctitas libris conteſtata & toti orbi nota eſt.

Diſce igitur, qui ſint falſi Prophetæ & vbi ſit falſa fides: vbi nimirum eiuſmodi fructus: vbi peruerſa & noua doctrina: vbi vitia ex eâ conſequentia: vbi vita turpis in iis, qui reformatores à Deo miſſi volunt videri. Diſce.

D. III. Quomodo in hominibus, non poteſt arbor bona malos fructus facere.

Q. TERTIA. Quomodo verum eſt in hominibus id: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*; cùm tamen certum ſit, bonos malè, & malos bene poſſe operari? Reſpondetur non eſſe neceſſarium, vt hoc etiam applicetur hominibus: poſſe tamen applicari primò, ſi intelligatur de primo & ſecundo genere fructuum, & de potentiâ moꝛali. Hac ratione non poteſt probus orthodoxus malos doctrinæ fructus facere: nec hæreticus ſanam fidem docere & prædicare, quia hoc eorum profeſſioni repugnat, eſtque inauditum. Hoc ſenſu S. Hieronymus epiſt. 2. ad Damaſum ait: *Errare poſſum, hæreticus eſſe non poſſum.* Similiter non poteſt ex Catholicâ doctrinâ oriri niſi bonum, humilitas, obedientiâ, pax, concordia, conuerſatio & mores boni: ex hæreticâ verò non niſi ſectæ, diſſenſiones, ſtrages, ordinis perturbatio; &c. quæ ex illa prodeunt. At ſi de tertio fructuum genere loquamur, intelligi poteſt ſententia, de eo quod communiter fit vt & plurimùm. Sic arbor bona ferè bonos,

tantùm, mala ferè malos tantùm fructus facit, licet interdum euenire queat, vt illa malos, hęc bonos aliquandò ferat. Sic dicebat Ioſeph arbor bona: *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Gen. 29. Et de malâ arbore ait Ieremias cap. 13. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Non quòd hoc ſit impoſſibile, ſed quòd valde difficile. Ita dicitur Eccleſ. 34. *Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur?*

E. IV. Cur requirit Deus bona opera, &c.

Q. QVARTA. Cur requirit à nobis Deus fructus bonorum operum? & cur in ignem mittet eum, qui illo caret? Reſpondi ad hoc alibi. Sed obiiciunt primò. *Obiectio prima.* Vita æterna donatur nobis ex gratiâ & miſericordiâ, iuxta id Rom. 6. *Gratia Dei, vita æterna.* Et Rom. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus*; ergo non datur ex merito bonorum operum. Reſpondetur, vitam æternam dari ex gratiâ, quia non datur propter opera viribus propriis patrata, ſed propter opera ex gratiæ adiutorio profecta. Certè ſi quis piſtor pauperi det nummum ex miſericordia, quo panem ſibi pauper ab eodem piſtore emat: rectè dicitur pauper panem habere ex miſericordiâ, reſpectu piſtoris donantis nummum: & tamen nihilominus panem habet ex iuſtitiâ, ſeu debito, reſpectu eiuſdem vendentis panem, quia pretium dedit pro pane. Ita præmium cœleſte noſtris meritis repenſum, etiam Dei donum eſt, quia ipſa merita à Deo donantur. Vnde S. Auguſtinus ad Sixtum ait: *Omne meritum noſtrum in nobis non parit, niſi gratia; & cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat, niſi munera ſua.*

Secunda. Secundò obijciunt. Electio certa eſt & infallibilis, ergo ſi electus ſum, ſaluabor etiam ſine operibus. Vel ſi non ſum electus, nec cum illis potero ſaluari. Hoc argumento nixus Ludouicus Lantgrauius Thuringiæ, vt ſcribit Cæſarius *lib. 1. hiſt. cap.* 27. cùm corriperetur à bonis, dicebat: ſi prædeſtinatus ſum, nulla mihi peccata poterunt regnum cœlorum auferre: ſi verò præſcitus, nulla bona opera mihi id valebunt conferre. Sed docuit illum Medicus, quantum in hoc erraret. Cùm enim in morbum incidiſſet Ludouicus & Medicum vocaſſet, reſpondit Medicus: Domine, ſi moriturus es, nil iuuabit medicina: ſin autem victurus, fruſtrà adhibebitur. Quod reſponſum, cùm ille miraretur, & diceret ſe operâ medicinæ viuere, defectu eius mori poſſe; ſubintulit Medicus: Ita nimirum & tu ſaluabere, ſi adhibeas opera pœnitentiæ; ſine his, damnabere. Ita emendatus Comes, depoſuit errorem. *Act.* 7. legimus S. Paulum ex Angeli reuelatione didiciſſe, neminem ex ſuâ naui periturum naufragio ſed omnes ipſi donatos eſſe: & tamen cùm tempeſtas adueniſſet, omnem adhibebant operam, & totis viribus laborabant, modò bolidem ſubmittentes, modò ancoram mittentes, modò nauem exonerantes, modò vaſa ſubmittentes, modò enatantes, donec omnes euaderent. Sic factitandum nobis.

Sed quid ad hæc Lutherus? *Ego dico tibi* (ait in quodam ſermone ſuper illa verba: *Sic Deus dilexit mundum*) *quia anguſta eſt via, oportet fieri tenuem, ſi vis per eam venire, ac per petram penetrare. Cæterùm qui operibus onerati ſunt, ſicut conchylibus multos videmus Iacobi peregrinos, ij non poterunt penetrare: ideo oportet te tenuem atque anguſtum fieri. Hoc fit autem, quando in te deſperas; ſi autem adueneris cum magnis ſaccis operum plenis, deponere oportebit, alioqui penetrare non poteris.* Hæc Lutherus, ſacrarum literarum deriſor, ex cuius ſententia Cain quidem, Sodomitæ & omnes improbi in cœlum penetrarunt: Abel autem, & Abraham, & alij Sancti excluſi ſunt; quaſi verò opera bona grauent & impediant: ſcelera verò leuem, & ad cæli iter, expeditum faciant. Certè bona opera non magis grauant, aut impediunt hominem ab ingreſſu cœli, quàm alæ grauent volucrem, aut rotæ currum: quæ non modò non grauant aut impediunt, ſed alleuant & promouent.

Sed quid ad hæc ſcriptura? *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Mentitur ergo Lutherus; & ſuis miſerè imponit: hinc diſce non modò mala non agere, ſed inſuper etiam bonis operibus vacare. *Diſce bonum agere.*
Nam primò *omnis arbor*, inquit Dominus: nemo prorſus excipitur, aut otiari permittitur, 1.
ſiue diues, ſiue pauper, ſiue ſanus, ſiue æger.
Deinde fructum requirit, non folia: non eruditionem, non propoſita nuda & vota. 2.
Fructum etiam bonum, non ſpecioſum, qui foris 3.
tantùm appareat, vel à mundo reputetur, ſed qui reuerà bonus ſit. *Excidetur*; ecce pœnam 4.
damni, quâ tollentur impii, ne videant gloriam Dei. *Et in ignem mittetur*; ecce pœnam ſenſûs, quâ in æternum cruciabuntur. Horrendum profectò verbum. Si enim hoc diceretur impiis, qui innumeris flagitijs ſeſe vendidiſſent, ſat tremendum eſſet. At dicitur hoc ijs, qui operibus bonis carent, qui hîc otioſi ſedent, licet neminem offendant. Et quid putatis, Auditores? quid erit mitti in ignem & in ignem ſæuiſſimum, & in ignem æternum? ſcribit Cæſarius *l. 12. c. 5.* Diabolum aliquando apparuiſſe nobili cuidam Waltero decumbenti prope Bonnam, & dixiſſe: *Noſti arces illas in vicino Septemontio, dictas VValckenberg & Drackenfelds?* Illo annuente, ſubdidit dæmon: *Etiamſi hæ arces & montes eſſent ferrei, proiecti tamen in infernum, liqueſierent in momento.* Et vt ita ſit, tolerabile tamen foret crudele hoc incendium, ſi non æternum foret, multi per vnam horam non poſſunt flexis genibus orare ante Euchariſtiam: & quis habitabit cum igne deuorante? cum ardoribus ſempiternis.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Lucæ 16.

IN illo tempore: dixit IESVS, diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona illius. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra ſe: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubeſco: Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos ſuas. Conuocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & ſede citò, ſcribe quinquaginta. Deinde alij dixit? Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & ſcribe octoginta. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt. Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

CONCIONES.

I. *Auarus maximus diſſipator.*
II. *Prodigi taxantur.*
III. *Bona Dei quanam diſſipent.*
IV. *Quâ ratione oporteat vti donis Dei.*
V. *Furtum & omne lucrum iniquum quantopere auerſandum.*
VI. *Circa mendacium peccata multiplicia.*
VII. *Mira filiorum huius ſæculi prudentia, ſed caſtigata.*
VIII. *Incitamenta ad faciendam eleemoſynam & quamcunque miſericordiam.*
IX. *Incitamenta ad ornatum templorum promouendum.*
X. *Documenta.*
XI. *Myſteria.*

CONCIO I.

Auarus maximus diſſipator.

1. *Diſſipat bona fortunæ.*
2. *Bona corporis.*
3. *Bona animi tam naturalia quàm moralia, v.g. quietem, libertatem, famam, amicitiam.*
4. *Bona ſupernaturalia gratiam & merita ſalutis.*

THEMA.

Hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Lucæ 16.

A. POſſet aliquis inquirere, quâ ratione & quâ viâ diſſiparit iſte villicus bona Domini ſui, quandoquidem repentè ſine cognitione cauſæ à villicatione amouetur. Num fortè diſſipauit bona Domini per ſuperbiam & pompam? num fortè per laſciuiam, dando meretricibus? num per gulam epulando ſplendidè & conuiuia inſtituendo? num per lites & iurgia? an verò per otium & pigritiam? num per aliam prodigalitatem? Ego, Auditores nullum horum arbitror, ſed per meram auaritiam diſſipaſſe bona reor. Hoc enim colligi ex eo poteſt, quòd donando debita debitoribus Domini ſui, non reprehenſus eſt, ſed laudem potiùs promeruit: deinde quia Dominus monet, vt liberaliter expendamus bona ſua: *Facite vobis amicos*, &c. Itaque à contrario, per auaritiam, nimis auarè retinendo bona Domini ſui, ea diſſipauit. Sed quod iſtud paradoxum? Itáne verò auaritia diſſipat, prodigalitas verò bene diſpenſat? Ita omnino: nullum enim arbitror vitium, quod magis prodigat bona Dei, quàm auaritiam, vt videbimus.

B. I. Diſſipat bona fortunæ. Diſſipat PRIMÒ, bona fortunæ ſeu diuitias, eo vel maximè quo abſcondit & conſeruat. Et Primò quidem, quia ſteriles facit & otioſas, quas fœcundas & lucroſas habere poſſet. An non tibi hoc eſt diſſipare, qui filium præclaro ingenio non applicat ad ſtudia, ſed otio vacare ſinit? Qui equum robuſtum & egregium in ſtabulo ſemper retinet? nónne tibi iſti perdere illos videntur? Atqui hoc auarus agit, qui opes recondit, nec ad laudabiles vſus impendit, nec communicat egentibus; ſteriles enim & inutiles ſibi & aliis reddit opes ſuas. Ioannes Moſchus in prato ſpirituali cap. 85. refert, in monaſterio S. Theodoſij, moris

fuiſſe

fuiſſe, vt in die Dominicæ cœnæ annuatim pauperibus certa tritici, olei, mellis, ac vini menſura diſtribueretur. Cùm autem quodam tempore magna eſſet frumenti caritas, rogauêre Abbatem monachi, vt ſolitam differret, vel ſaltem imminueret tritici menſuram, ne fortè ipſi ob frumenti inopiam, fame periclitarentur. Ille etſi ægrè, tamen ad ipſorum inſtantiam, id fieri permiſit. Verùm poſt Paſcha, is qui horreis præerat, reperit triticum omne germinaſſe, adeò vt Abbas fratribus diceret: *Ecce exiguo frumento potuiſſemus inopum ſuccurrere inopiæ, nunc verò quinque ferè millia modiorum tritici, tenacitate noſtrâ perdidimus. Quid lucrati ſumus filij? Quantum nobis ipſis nocuimus?* Audi Eccleſiaſticum cap. 20. *ſapientia abſconſa, & theſaurus inuiſus*, inquit, *quæ vtilitas in vtriſque.*

Dionyſius ſenior cùm quendam è ciuibus accepiſſet aurum domi defoſſum habere, ad ſe deferri iuſſit: ſed cum is exiguâ parte detractâ in alienam migraſſet vrbem, agrumque emiſſet, illum acceſſiuit, totumque accipere iuſſit, vtpote qui diuitiis vti didiciſſet, neque vtile inutile redderet. Plutar. in Regum apophthem. Quare ſicut perdit inſtrumentum, qui eo non vtitur, miles gladio, ſcriba calamo, pictor penicillo: ſic qui opibus non vtitur, & quidem ad ſola virtutis opera: quidquid enim præter iſta opibus tibi pepereris, nihil aut exiguum erit. Indulgebis fortè delitiis, pompis, voluptatibus; ſed hæc bona ſunt fluxa, illuſoria, caduca, in quibus plus fellis, quàm mellis. Honores tibi comparabis: ſed apud ſtultos credo, qui virtutibus mercedem pretio diſtribuunt, vitam fouebis cibo, potu, veſtibus, ſed vitam communem cum pecoribus.

2\. Secundò, quia alijs inuidet, quibus vtiles forent, & ita quodammodò rapit. An non diſſipat cornua ſua ceruus, qui cùm ea abijcere cogatur, hominibus tamen inuidet & abſcondit, dextrum præſertim, ne medicamenti vis alijs proſit: quod ſcribit Ariſtoteles *l. 9. de natura animal. cap. 5.* & Plin. *lib. 8. cap. 3.* Hinc Thomas Morus auaros vocabat *canes in præſepio*: qui & ipſi non comedunt de fœno, & equum comedere non ſinunt. Ipſi enim opibus ſuis parciſſimè vtuntur & alijs vſum negant. An non diſſipat ille panem & vinum, quæ cùm nequeat ſumere, ſinit perire in penu? Vel qui veſtes aut frumentum, quia aliis ea inuidet, tineis potiùs & vermibus depabulanda relinquit?

3\. Tertiò, quia illis reponit, qui eas aliquando diripient, nec quidquam gratiarum repoſitori agent. Eo itaque loco reponit, vbi tinea demolietur, vbi ærugo depaſcet, & denique mors ipſa cuncta tollet. Taceo quòd ſæpenumero à iudicibus, aduocatis & lictoribus, quandoque etiam à carnificibus diripiantur, Deo ſic eos iuſtiſſimè puniente. Quemadmodum enim arbores in præruptis & inuijs locis fructum ferentes non hominibus ſed coruis ferunt: ſic auarus ſæpe lictoribus & cauſidicis theſaurizat. Auguſtus Imper. vocabat ſuos officiales *ſpongias*, quas, cum impletæ eſſent opibus, ipſe exprimeret. Sic ferè agit cum auaris Deus; per manus enim terrenorum principum & magiſtratuum exprimit ab illis, quod nequiter ſuxerunt. Vnde bene auaro illi volenti ædificare horrea & frui bonis ſuis, dixit Deus: *ſtulte, hac nocte repetunt à te animam tuam; & quæ paraſti, cuius erunt? Luc. 12.* Dicit quidem auarus: Mea erunt, vel meorum. Sed ſæpiſſimè decipitur: quod vno exemplo docebimus, ex Stobæo ſerm. 17. Fama eſt, quod cùm vidiſſet quidam alterum argenti multum ferre, rogauerit eum vt ſibi mutuo daret, cum fœnore reddendum. Ille verò noluit, vt qui diffideret omnibus, ſed argentum recondidit; & cùm animaduertiſſet quidam quid egiſſet, ſuffuratus eſt. Reuerſus igitur ille poſteà, qui pecuniam abſconderat, nihil inuenit, vnde magno dolore motus eſt ob calamitatem, tum aliàs, tum quia non mutuò dederat pecuniam, quæ & ſalua manſiſſet & inſuper attuliſſet fœnus, cumque incidiſſet in virum cui mutuare noluerat, infortunium ſuum deplorauit. Ille autem bono animo ipſum eſſe iuſſit atque exiſtimare, lapidem in eodem loco à ſe depoſitum fuiſſe, *nimirò enim*, dicebat, *ne cùm habebas quidem argentum, eo vtebaris; quamobrem etiam nunc, ne putaueris te vlla re priuari.* Ad hunc modum digni ſunt auari, qui pecunijs ſpolientur, quandoquidem eas quaſi non habent: iuxta id Domini apud Matth. 13. *Qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Sic enim habet, quaſi non habeat; quia tam ipſi deeſt, ſi habeat, quàm ſi non habeat.

SECVNDÒ. Diſſipat bona corporis, ſanitatem, robur, ſpeciem & quandoque vitam; ſiquidem auarus ob pecuniæ amorem, ſibi cibum potumque detrahit aut minuit vitæ congruentem aut etiam neceſſarium. Sic Chius ille apud Plutar. deteriora vina tantùm bibebat. Auarus quando æger eſt, nihil aut exiguum impendit in Medicos, vult potiùs mori, quàm pro conſilio aut medicamentis aliquid expendere. Vnde Eccleſiaſt. cap. 10. ait: *nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam; hic enim & animam ſuam venalem habet: quoniam in vitâ ſuâ proiecit intima ſua.* Vult dicere: Tam iniquus eſt auarus vt pluris faciat pecuniam quàm propria viſcera: & ne eam expendat, ſinat hæc fame torqueri, aut morbo perire. Hoc igitur non eſt diſſipare, negligere, imò abijcere corpus & vitam propter pecuniam? Nemo abnuerit peccare in corpus ſuum moriones, qui verbera accepiant pro pactâ ſibi peculiolâ; quis autem non videt, hoc idem facere auaros? Refert P. Pontanus *p. 2. Att. bell. Syntag.* 1. de auaro, qui cùm ex hæreditatibus ædes, villas, facultateſque multis millibus æſtimatas acquiſiſſet, eſſetque ære alieno planè liber, nihilominus domi ſuæ tam parcè ac duriter viuebat, vt nunquam ad ſatietatem comederet: verumtamen in menſâ alienâ dentes exercere & ambabus

C. II. Diſſipat bona corporis.

malis

ed by Google

malis expletis vorare egregiè nouerat. Idem equum ſui emerat, qui cùm noctu ederet, ille dum cubat in cubiculo exaudiens, quid ſit hoc ab vxore quærit. Reſpondet equum eſſe qui pro natura nocte appetentiùs & largiùs edere conſueuerit, ſciſcitatur num id omnes equi, & ſemper ſoleant. Illa, omnes, & ſemper. Tum vir: Valeat equus; nam ſi & noctu, vt interdiu paſci vult, vnde mihi tanta pabuli copia? Vendam, etſi dimidio minoris, quàm ſtetit. Vnde patet auarum, non ſolùm proprium, ſed brutorum etiam ventres Deo ſuo immolare. Experiuntur id etiam multoties domeſtici, quorum ſtomachi ſæpe murmurant ob dominorum ac dominatum auaritiam, atque ita vendit auarus etiam ventres alienos pro pecunia. Verùm omnium maximè dolendum eſt, quod aliquando auaritia eò propellat hominem vt animam ſuam diabolo immolet, ſeque ipſum occidat: quòd ſæpiùs euenit, & in Iudâ proditore cernere eſt, qui ſanè triginta argenteis vendidit animam ſuam diabolo, & *proiecit intima ſua*, quando *ſuſpenſus crepuit medius & effuſa ſunt omnia viſcera eius*. Huius exemplum multi ſecuti ſunt auari, qui licet adhuc opibus abundarent, perſuaſi tamen ab auaritiâ quaſi omnibus bonis exuti eſſent, ſeipſos peremerunt, ò ſacrificium diabolicum! An non clamat Chriſtus, *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro animâ ſuâ?*

D. III. Diſſipat bona animi.

TERTIÒ. Diſſipat bona animi, tam naturâlia quàm moralia. Naturalia quidem intellectum, voluntatem, memoriam, ſenſus exteriores ac vires alias, quas in ſtudio auaritiæ nunquam non occupat & exercet; cùm tamen eas homini Deus idcircò dederit, vt cœleſtia indaget, & in illis acquirendis ſeſe occupet.

1. Naturalia.

Quod de Elephante ſcribit Pierius *lib. 2. hierogl.* præſtantiſſimis & eburneis ſuis dentibus rimari eum ſordes & fodere radices: hoc idem facit auarus, qui nobiliſſimis animi facultatibus ſordes diuitiarum rimatur & fodit terræ glebas, veluti porcus ſemper ad terram inclinatum gerens caput ad ſordes perſcrutandas, qui ſi fortè aliquando ſurſum oculos eleuet, illicò obſtupeſcit attonitus. Nónne hoc eſt diſſipare bona animi: intellectum & memoriam ſemper occupare in artibus lucrandis, in pecuniis numerandis, in computo faciendo? voluntatem in iiſdem adamandis? linguam, oculos, aures, manus in iis tractandis? Araneæ opus eſt telam texere ad muſcarum capturam: hominem autem ſeſe euiſcerare & diu noctuque cogitare, quomodo vaniſſimum aucupetur lucrum, quàm hoc indignum eſt? Poſſunt dicere auari: *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur*, *Pſ.* 89. De iiſdem Iſaias cap. 59. ait: *Telas araneæ texuerunt*; ſubditque *Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis, opera eorum, opera inutilia*. Hoc igitur non erit diſſipare bona animi, applicare ea ad conſectanda vilia & inutilia? Alere præſtantes falcones, ad capiendos paſſeres?

2. Moralia.

Moralia verò, qualia ſunt, animi tranquillitas, fama, amicitia, &c. Quietem animi diſſipat, quia cruciatur curis aſſiduis augendi opes, acquirendi & conſeruandi: ob quam rem Dominus ſpinis comparauit diuitias *Luc.* 8. & princeps quidam (Vt refert Cnauaſt. *lib. 3. de prud. cap. 3.*) cùm improbis ſubditis ſuis magnam & longam creare vellet moleſtiam, diuites eos fecit, idque oſtendit fabula Æſopi de mure vrbano & ruſtico. Vrbanus enim in rus deambulans, à ruſtico mure exceptus eſt conuiuio: ſed cùm groſſiora apponerentur, faſtidire vrbanus & ruſticum ſecum ducere conuiuioque adhibere, vtique lautiori. Sed cùm interim in ſera audiretur murmur clauis, trepidare illi & fugere: ruſticus loci ignarus ægrè ſe tueri. Qui vix iterum prorepens cùm intelligeret quotidianum eſſe hoc periculum: mehercule, inquit, iſtæ dapes plus fellis quàm mellis habent: equidem malo cum ſecuritate meam inopiam, quàm cum tali anxietate iſtam copiam. Hinc auari ferè ſemper tetrici ſunt & triſtes. Quemadmodum ſutor ille (vt refert Maiolus *tom. 2. canic. coll.* 7.) quem diues poſtico habitantem & animo curis vacuo dulces cantilenas quotidie modulantem magnâ pecuniæ ſummâ ditârat; acceptâ enim pecuniâ omnis lætitiæ oblitus eſt & cantus.

1. Quietem.

5. Libertatem.

Libertatem diſſipat, quia non eſt illi liberum vacare ſuæ quieti, comedere & veſtire honeſtè, recreare egentem eleemoſynâ: cogitur vigilare, laborare, nauigare, eſurire, &c. Vnde ab Apoſtolo auaritia vocatur *idolorum ſeruitus*. Quòd ſi liberum ſe putat auarus, tentet, probet: det aliquando largam pauperibus eleemoſynam, adornet templum aliquo cultu, leget aliquid hoſpitali, edat & bibat lautiùs, inuitet quandoque vicinos, vel Chriſti pauperes.

3. Famam.

Famam, quia paſſim malè audit, & ſi fortè occurrant oculis prædia illius, ædificia, horti &c. dicitur: Hæc omnia diues iſte ex pauperum ſudore acquiſiuit & extruxit. Item, **diſer ſchundt ein Lauſʒ vmb den Balg**/&c. Ratio, quia ſordida & vilis res eſt ſectari auaritiam, hominem ad ſolida bona natum.

4. Amicitiam.

Amicitiam, quia homines penè omnes ſibi infenſos reddit, quòd non expendat, ſed potiùs expilet & ſua abſcondat. Vnde *Prou.* 11. dicitur: *Qui abſcondit frumentum, maledicetur in populis.*

E. IV. Diſſipat bona ſupernaturalia.

QVARTÒ. Diſſipat bona ſupernaturalia: gratiam & merita ſalutis, ſalutem ipſam, ac ſi ita loqui fas eſt, Deum. Nam imprimis labores ſuos alijs mancipat, ſibi nihil laborat. Velut ſiquis per errorem aliorum agros coluiſſet, ſuos neglexiſſet.

1. Sic parentes ferè ſoliciti ſunt, quomodo theſaurizent filijs: ſibi interim de bonis operibus non prouident.

2. Secundò talentum diuitiarum ſibi à Deo creditum fodit in terram, quo centuplam ſibi parere vſuram potuiſſet, ſi ad menſam pauperum ponere voluiſſet. Diſſipat itaque centuplum, quod culpâ ſuâ negligit. Diſſipat

æterna tabernacula, quæ in cœlo ſibi acquirere facili pretio potuiſſet, vti hod. Euangelium docet. An non perdit ſuam ſalutem, qui paratum habens remedium, eo non vtitur? Orygem perpetuò ſitientem habet Africa & poſt curſum præ ſiti facilè morientem; quod tamen animal liquorem habet in veſicâ magni contra ſitim remedij. Apud Plin. *lib.* 10. *cap.* 73. & alios. Oryges ſunt auari, qui cùm intra ſe habeant medium conſequendæ ſalutis, à ſalute tamen excidunt, quia medio illo non vtuntur ad ſalutem comparandam; ô auari! ecce *regnum Dei intra vos eſt*; quod dixerat Phariſæis Dominus *Luc.* 17. & quî illud perditis? Denique Deum ipſum, ſummum & incomparabile bonum, quodammodo diſſipat, quia prò modico lucro & mammonâ commutat, dum peierat, fraudes & dolos adhibet, vel etiam vim; atque ita Deum vendit, quo modo Iudas Chriſtum 30. vendidit argenteis, Iudæi verò occiderunt, ne venirent Romani & tollerent eorum locum & gentem. Sed quemadmodum Iudæi temporalia perdere timuerunt, non Deum, ac ſic vtrumque amiſerunt: ſic eueniet etiam auaris. Quid igitur tandem ſibi acquirit auarus? num omnia omninò diſſipat? Imò non omnia: ſed theſaurizat ſibi iram in die iræ; texit enim ſibi laqueos, quibus illaqueetur; quia, Apoſtolo teſte, *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli*: comportant ſibi ligna ad inſtar Phœnicis, quibus vrantur in inferno. Refert Plut. M. Craſſo pecuniarum cupidiſſimo (qui dicere ſolebat: neminem diuitem exiſtimari debere, qui proprijs facultatibus exercitum alere non poſſet) à Parthis, qui eum bello vicerant, liquefactum aurum in os infuſum fuiſſe cum hac exprobratione: *Aurum ſitiſti: aurum bibe.* Florus *hiſt. lib.* 3. *cap.* 11. Hoc fiet auaris in inferno: hic fructus erit laborum. Audi Iacobum cap. 5. *Agite nunc diuites*, inquit, *plorate vlulantes in miſerijs veſtris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus.* Hoc ergo non eſt diſſipare ſubſtantiam ſuam, parare ſibi extremam tot laboribus miſeriam?

CONCIO II.

Prodigi taxantur.

1. *Quòd prodigant bona ſua.*
2. *Bona aliena.*
3. *Famam ſuam.*
4. *Animam & ſalutem.*

THEMA.

Hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Lucæ 16.

A. DVos aliquando ſceleroſos ſeſe inuicem accuſaſſe, cognoſcente cauſam Philippo Macedonum rege, ſcribit Plut. in apophth. Rex auditâ cauſâ pronuntiauit, vt alter exularet Macedonia, alter illum inſequeretur. Neutrum ergo abſoluit, ſed vtrumque pari pœna mulctauit. Huiuſmodi duo ſocij, ſunt prodigus & auarus, ſecum contendentes, vter altero ſit melior, cùm neuter bonus ſit. Audiamus contentionem: Genuenſis quidam egregius decoctor & prodigus erat; cui cùm fœnerator auariſſimus diceret: *Quando totidem facultates tuas profundere & abligurire deſines?* Occurrit ille: *Quando tu furari deſines aliena?* Pont. in *Att. bell. p.* 3. *ſym.* 3. Rursùm quiſpiam Profuſus nepos, cùm fœnatores, per ſarcaſmũ, diceret beatos, qui dormiendo rem ſuam augerent; audijt viciſſim: *Et tu miſer, qui rem tuam vigilando minuis.* ibid. Audiuimus contentionem. Quid hic pronuntiaturum aliquando putamus Iudicem Deum? nónne quod Philippus dixit, vt alter exulet ad inferos, alter illum inſequatur? Ita ſentio; nihilo enim melior videtur prodigus, qui ſua perdit, quàm auarus, qui aliena rapit; pari ergo exilio mulctandi. Auarum aliàs mulctauimus, mulctemus nunc & prodigum.

Diſſipator prodigit PRIMÒ bona ſua, & incidit in paupertatem, ita vt tandem cogatur vel fodere vel mendicare. Quid enim mirum, cum aliquando egere, qui abiecit ſua? Hinc priuatur villicatione & muneribus ſuis; hinc ſerò ſapere & dicere incipit: *Quid faciam?* — B. I. Prodigit bona ſua. Exemplo eſt prodigus filius, qui cùm diſſipaſſet ſubſtantiam ſuam viuendo luxuriosè, poſteà cœpit egere & porcorum paſtor factus, ſiliquas eſuriebat, *Luc.* 15. Bene verò de ſiliquis cupiebat implere ventrem; ſiliquæ enim ſignificant folliculos leguminum, veluti fabarum, cicerum, lentium. Has olim prodigus abijciebat, nucleum tantùm ſeligens: poſteà colligebat, & auidè comedebat. Ita nimirum prodigi, cùm ſua dilapidârunt, poſteà requirunt, quæ priùs aſpernabantur: cereuiſiam dilaudant, qui priùs vinum expuebant: in ſtramine molliter cubant, qui priùs ægrè in plumis cubabant, iuxta id Iob 6. *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtiâ cibi mei ſunt.* Idem vrbano ioco præſagijt Diogenes prodigò cuidam, à quo petebat minam. Ille miratus impudentem petitionem, quæſiuit: Cur tu, cùm ab aliis obolum petere ſoleas, à me minam petis? Quia, inquit ille, ab aliis iterum me accepturum ſpero, à te an impoſterum aliquid accepturus ſim, Dij nôrunt. Laërt. *lib.* 6. Significauit enim imminere ei periculum, ne breuî eò redigatur, vt ne obolum dare queat. Idem diuitem prodigũ, contemplatus oliuas edentem, & aquam bibentem: Si ſic prandiſſes, inquit, non ſic cœnares. Anton. Mel. & Max. *ſerm. de prodigal.* C. Caligula Imp. ob ſumptus citra modum factos non habuit, vnde filiam dotaret, cùm antè ſuper immenſos aureorum aceruos patentiſſimo loco diffuſos, nudis pedibus ſpatiari, totoque corpore ſe volutare ſolitus fuiſſet. Sueton. Denique fruſtrà impenditur, quidquid prodigis

Digitized by Google

digis impenditur. Hinc dicebat Seneca lib. de conſol. cap. 11. *neceſſarijs rebus exilia ſufficiunt, ſuperuacaneis ne regna quidem.* Salsè & vrbanè rex Alphonſus equiti cuidam prodigo & importunè crebroque poſcenti munera reſpondit: *Si pergam tibi dare, quæ petis, citius me pauperem effecero, quàm te diuitem.* Panorm. *lib. 2. de reb. geſt. Alphonſ.* Quare profuſos homines ciſternæ ruinoſæ comparabat Diogenes; quam vt nullus implet imber; ſic eos nulli quantumuis magni prouentus exſatiant. Plut. in Vitâ.

Igitur qui ditari cupit, fœnus à ſeipſo (quod ſuaſit Æſchini Socrates) ſumat per parſimoniam. Nam vt Mecænas monuit Auguſtum, *Magnæ opes non tam capiendo; quàm non multa perdendo quæruntur*, apud Dion. lib. 52.

C. II. Prodigit aliena. 1. SECVNDÒ, prodigit bona aliena. Primò, Quia quæ pauperibus dare deberet, profundit in improbos, ſcurras, mimos, moriones, ludos & ludiones, luxum & luxuriam, &c. Quare Diogenes tales, qui per luxum in coquos, nepotes, ſcorta & adulatores facultates ſuas profunderent; ſimiles dicebat arboribus, per præcipitia naſcentibus, quarum fructus non guſtaret homo & tranſiens viator, ſed corui & vultures, Laërt. *lib. 6. de vitis Philoſoph.* Tales illi Optimates, de quibus dicitur Amos 6. *Bibentes vinum in phialis & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Inde Sodomitæ in pauperes facti ſunt crudeles, teſte Ezechiele cap. 16. *Hæc*, inquit, *fuit iniquitas Sodomæ: ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia, & otium ipſius & filiarum eius: & manum* (en effectum luxus) *egeno & pauperi non porrigebant.* Putabant enim ſuo ventri & luxui deceſſurum id, quod in pauperes expendiſſent. Ita videmus etiamnum Optimates & Magiſtratus, qui ſua quærunt, ſuo genio indulgent, ſuis commodis ſtudent, ærarium in conuiuia expendunt, dies in epulis tranſigunt, rem pauperum & populi negligere, iura habere venalia, muneribus iuſtitiam vendere, pauperes opprimere, atque vt verbo dicam, remp. perdere, imò hoſti, ſi is eam emere velit, prodere. Ita olim de Româ luxu diffluente dixit Iugurtha, ait Bruſon. lib. 1. cap. 1. *O vrbem venalem & citò perituram, ſi emptorem inuenerit!* Quæ, vt veriſſimè ſcripſit P. Corn. à Lap. in dictum locum Amos, ita ipſius verbis recenſere volui.

2. Secundò. Quia à multis multa mutuatur, quæ nunquam reſtituit, nec ſi vellet, reſtituere poteſt; rurſum dum ſua abligurit, reip. prodeſſe tempore neceſſitatis non poteſt. Hinc egregius ille Doctor, Thomas Bricotus, facultatis Theolog. Pariſienſis quondam Decanus, Franciſcum I. Galliæ regem admodum liberalem, in eius inauguratione, monebat, nequaquam expedire; ipſum manus ſemper vſquequaque habere perfoſſas (ad inſtar S. Franciſci) & patulas; ſed interdum opus eſſe, cauas manus obſtruere ſuiſque donationibus, ſumptibus & expenſis modum adhibere; fore alioquin, vt in ſuo regno multò plures in paupertatem adduceret, quàm fecerat olim D. Franciſcus in orbe Chriſtiano: non quidem ſpontaneam, vt ille; ſed inuoluntariam & exoſam. Ioan. Mich. in Anat. corp. Pol.

Tertiò. Quia ſæpe aleam rapit, vt habeat, quod profundat; vt ferè ſolent nobiles, qui cùm grandi ære alieno premantur; plurimaque in ſuos liberos, ſeruos, veſtes, ludos, canes, equos, &c. profundant, ſubditos ſuos oneribus & exactionibus premunt, ac propemodum excoriant. Ita Diſſipator noſter, de quo in hodierno Euangelio, cùm videret Domino ſuo ſe factum obæratum ex ſuâ profuſione, conuertit ſe ad fraudes; & res Domini ſui donat eius debitoribus. Ita Nero Imp. effuſis opibus conuerſus eſt ad rapinas; & veriſſimum eſſe docuit, quod olim Timotheus exprobrauit Ariſtophonti: *Cui nihil ſatis eſt, ei nihil turpe eſt.* Templis enim compluribus dona detraxit, & ſimulachra ex auro vel argento fabricata conflauit; itaque nec Dijs ſuis pepercit. Hinc hoſtis à ſenatu declaratus & tandem ab omnibus deſtitutus eſt. Sueton. cap. 30. 3.

D. III. Prodigit famam ſuam. 1. TERTIÒ. Prodigit famam ſuam. Audimus enim in hodierno Euangelio, diſſipatorem illum diffamatum eſſe apud Dominum ſuum. Sed quâ in re prodigi diffamantur? Primò, vocantur rerum decoctores, gurgites & charybdes, quibus proinde nihil tutò credi, & à quibus nil recuperari poſſit. Si enim talibus mutuum quid des aut beneficium aliud conferas, dicimus: **Du haſt's in ſtock gelegt.** Vel: **Du haſt dem Hirſchen auff die hörner ghebunden.** Et quemadmodum nautæ ſummo ſtudio vitant gurgites & charybdes: ita vitant homines vendere, mutuare & benefacere prodigis. Taceo ſcommata, quæ in tales paſſim iactantur.

Secundò. Vocantur reipublicæ noxæ & peſtes, quemadmodum Heliogabalus Imp. orbis monſtrum, de quo hæc Lampridius: *Hic ſolido argento factos habuit lectos, & tricliniares & cubiculares. Comedit ſæpius ad imitationem Apicij calcanea camelorum & criſtas viuis gallinaceis demptas, linguas pauonum & luſciniarum: quod qui ederet, ab epilepſia tutus diceretur* &c. *Canes iecinoribus anſerum pauit.* Perſimile monſtrum Cl. Nero Imp. fuit, de quo Sueton. cap. 30. inquit: *Nullam veſtem bis induit. Quadringentis in punctum ſeſtertijs aleam luſit. Piſcatus eſt reti aurato, purpurâ coccoq; funibus nexis. Nunquam carrucis minùs mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus, armillatâ & phaleratâ cum Mazacum turbâ atque curſorum.* Non minùs culpandus Aurelianus Imp. quàm eius, quem alebat, Gurges, orco demandandus, de quo hæc Victor: *Miro modo nimis delectabatur: vehementiſſimè autem delectatus eſt Phagone, qui vſque eò multum comedit, vt vno die ante menſam eius aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum comederet; biberet autem infundibulo appoſito plus orcâ.* Nero tàm ſpatioſum & magnifi- 2.

gnificum palatium ſibi Romæ (dirutis plurimorum ædibus) exorſus eſt, vt de illo quidam cecinerit : *Roma domus fiet, Veios migrate Quirites; Si non & Veios occupet iſta domus.* Quid his monſtris facias, quibus tantum nocitura, immò tot mala placuere ?

3\. Tertiò. Vocantur ſtulti & inſani ; nec immeritò. Nam imprimis id, quod ſuper omnia amant facere, ita volunt facere vt diu facere non poſſint. Dum enim omnia ſimul expendunt & à ſe proijciunt, poſteà non habent ampliùs, quod expendant. *Quid autem ſtultius* inquit Philoſophus, *quàm quod libenter facias, curare vt diu facere non poſſis?* Quantò ſapientiores his Elephantes, quibus, vt ſcribit Solinus, alter dentium ſemper in miniſterio eſt & alteri parcitur, ne aſſiduo repercuſſu hebetetur ? Deinde dum alijs prodeſſe volunt, ſibi ipſis nocent, & veluti canales ex aquâ quam ad alios deferunt, non niſi fæces peccatorum & inopiæ limum ſibi reſeruant. *Qui* autem *ſibi nequam, cui bonus ?* Eccleſiaſt. 14. Denique præter morem filiorum huius ſæculi, alijs ſapiunt, ſibi verò minimè; contra id Prou. 9. *ſi ſapiens fueris, tibimetipſi eris.*

E. IV. Prodigit animam & ſaluté. Qvartò. Prodigit animam & ſalutem ſuam. Incidit enim in iudicium Dei, cuius bona diſſipauit, & cui rationem reddere villicationis ſuæ debet, & pœnas dare. 1. Primò, quòd abſque moderamine vſus ſit bonis Dei, qui omnia in menſurâ & numero & pondere diſpoſuit, *Sap.* 11. Ad nos ipſos prouoco. Nónne beſtijs & pecoribus noſtris certâ menſurâ pabulum præſcribimus, & porrigi iubemus ? Nónne ſi ſerui vel ancillæ equis vel bobus fœnum vel auenam vltrà menſuram dent, protinus eis iraſcimur ? Et hæc tamen pecora & iumenta nobis ſeruiunt omnemque commoditatem præbent. Cur igitur non indignetur Deus prodigis, à quibus ipſe nihil expectat commodi, qui ipſius bona adeò abligurriunt ?

2\. Secundò. Quòd abſque iudicio & diſcretione dederit ijs, quibus dandum non erat; non dederit, quibus dandum erat. Pauperibus dandum erat, quod ſupererat : non ſcurris, mimis, &c. ab illis ergo accuſabitur. Audi S. Chryſoſtomum hom. 49. in Matth. *Si orphanorum tutelas*, inquit, *procurandas haberes illiſq́, mediâ periclitantibus, tu illorum rebus lautiſſimè viueres, mille profectò homines accuſatores haberes & à legibus ſtatuta ſupplicia non euaderes; cùm autem diuitias Chriſti receperis, non putas fruſtrà eas conſumendo, pœnas te aliquando daturum ?* Quid euenit epuloni, qui menſæ ſuæ reliquias canibus potiùs adijcere, quàm egenti Lazaro maluit ? *Quid ad hoc reſpondebunt*, inquit Hector Pintus in Ezech. cap. 18. *qui diuitias ſuas in res inanes profundunt & magnificis apparatibus inaniter delectantur ? Canes & accipitres alunt, pauperes & inopes nec in extremâ inopiâ curant; induunt parietes pretioſis aulæis, & Chriſti pauperes nuditate deficiunt; cooperiunt lapides, qui nihil ſentiunt, & carnes proximorum nuditatem ſuam ſentientium cooperire nolunt. In phaleris conſumunt aurum, in collo ferunt torques, & in auribus inaures pendentes & pretioſa monilia, quibus poſſent captiuos redimere, viduas indigentes alere, virgines pupillas dotare & miſeris inopibus ſubuenire. Sunt qui conferant aliquando in aliquos opes ſuas, illis non indigentes, non charitate & miſericordiâ; ſed vanitate & inani gloriâ ducti & repentino quodam, quaſi vento, impetu animi concitati. Sunt ſimiles fluminibus aquas ſuas in mare mittentibus, terras autem ſitientes minimè rigantibus.* Huc uſque Pintus.

Tertiò. Quòd multa, quæ in aliorum vel ſuum vſum cedere poterant, malitioſè perdat, comminuat, abijciat, effundat : ſimilis beſtiæ illi apud Dan. *cap.* 7. cuius dentes erant ferrei, quæ aliqua quidem comedebat & comminuebat, at reliqua (ne quos haberet prandij ſui ſocios) pedibus ſuis conculcabat. 3. Qualem fuiſſe non immeritò dixerit aliquis Dynaſtam Romanum Trapeziten, qui tale conuiuium Romæ exhibuit, in quo non ſolùm omnis generis exquiſitiſſima fercula & ad extremum linguæ pſittacorum varijs in patinis apponebantur, verùm etiam vaſa omnia eſcaria, ex argento affabrè facta, quoties eſcarum mutatio fieret, in præterfluentem Tiberim iactabantur. Hadrian. Iun. *Animaduerſ. lib.* 4. *cap.* 8. Quis huiuſmodi homines non peiores dicat ipſis Baſiliſcis ? Hi enim, vt ſcribit Ælianus *lib.* 2. *cap.* 7. dum in Africâ paſti ſunt è mulorum cadaueribus, ſibilo dato recedunt & indicant ſerpentibus alijs, ſe iam pranſos eſſe & quod ſupereſt cibi, ipſis relinquere. At iſti quantumcunque bene pranſi ſunt, nunquam ſibilant pauperibus, vt & ipſi ad prandendum veniant; ſed potiùs, ne prandere poſſint, mergunt & comminuunt ipſi, quod ſuperfuit.

Cogitate igitur, Auditores, an non aliquando cœleſtis paterfamilias dicturus ſit huiuſmodi villico ſuo : *Quid hoc audio de te ?* Quare faciat ſibi vnuſquiſque amicum Iudicem ſuum, qui poſt hanc vitam redditurus eſt rationem, ne vnà cum auaro amandetur in infernum.

CONCIO III.

Bona Dei quinam diſſipent.

1. *Qui peccando à ſe repellunt bona animi ſupernaturalia, item ſcientiam & ingenium, honorem & exiſtimationem diſſipantes.*
2. *Qui abutuntur ad laſciuiam bonis corporis formâ & pulchritudine, robore, valetudine, & vitâ.*
3. *Qui diſſipant bona fortunæ; dignitatem & imperium, nobilitatem, diuitias, fruges terræ.*

THEMA.

Hic diffamatus eſt apud eum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Luc. 16.

A. Non dubito, Auditores, ſi quis Angelus Domini ad nos deſcendens diceret, vnum

vnum aliquem è nobis eſſe diſſipatorem bonorum Dei, qui proinde breui citandus ſit ad iudicium; quin omnes trepidaremus. Ita enim Apoſtoli, cùm diceret illis Chriſtus: *vnus veſtrûm tradet me*, (Matth. 26.) omnes conſternati ſunt & ſe mutuò intuebantur, quaſi vnuſquiſque ſeipſum haberet ſuſpectum, dicentes: *Nunquid ego?* Portò in hodierno Euangelio non obſcurè indicat Dominus, reperiri tales homines, qui bona Dei diſſipent. Meritò ergo timemus omnes. Quid enim ſi ego & tu & iſte, & ille tales inueniamur? Quid faciemus, cùm audierimus intonantem Dominum; *redde rationem villicationis tuæ?* Quare inſpiciat in tempore vnuſquiſque rationes ſuas & examinet ſeipſum, an ſit ipſe talis, qualem videmus in Euangelio citatum ad tribunal & depoſitum ab officio, ne idem aliquando contingat etiam ipſi.

B. I. Bona animi. 1. Supernaturalia.

Tria bonorum genera ſunt, quæ accepit homo à Deo: animi, corporis & fortunæ. Ad bona animi pertinent Primò ſupernaturalia; vti gratia. Hanc profectò diſſipant, qui peccando à ſe expellunt. Inſana prodigalitas fuit illius Cleopatræ, Ægypti reginæ; quæ ex faſtu & inſolentia ingentem & pretioſiſſimum vnionem (pretio centum ſeſtertium) ab aure detractum & aceto maceratum, vno bolo abſorpſit, vt ſcribit Plinius lib. 9. cap. 35. Sed nihil hoc ad prodigalitatem peccatoris, qui vno peccati guſtu gratiam, ornamentum animæ ſuæ & pretium regni cœleſtis diſſipat & abſorbet. Quis tanto diſſipatori non maximè iraſcatur? Sanè cùm Cleopatra alteri etiam vnioni manum inieciſſet, vt eum ſimili modo abſumeret, impedita eſt à L. Planco, tanto luxui irato. Et nos ergo non ſatagemus, vt vel nos ipſos vel proximos noſtros à peccato retrahamus, & tantum bonum non perdamus?

2. Scientia & ingenium.

Secundò, Scientia & ingenium. Diſſipant hoc bonum: Primò qui eo non vtuntur ad ſuam & aliorum vtilitatem. Vt enim perdit aurum is, qui in terram id defodit: ita & ſcientiam, qui eam nemini communicat. Vnde Eccleſiaſt. 20. dicitur: *ſapientia abſconſa & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* Quanti ſudoris eſt, theſaurum cumulare? & quanti laboris, ſcientias comparare? Quanta igitur malitia, peſſundare vtrumque? Similes hi ſunt ceruis Epiroticis, quos ſcribit Ariſtoteles *de admir. auditis*, cornu dextrum vt medicâ præditum præ inuidia defodere, cornu medicum eſt ſcientia, quam qui ex ignauia vel inuidiâ aliis abſcondit, reddet Deo rationem, velut eius diſſipator: quemadmodum & illi, qui ſcientiam & ingenium obruunt ebrietatis conſuetudine, quâ inutiles ſibi & aliis fiunt. Quid prodeſt fabricare nauim onerariam, ſi cùm nauigandum eſt, eam mox ſubmergas? Et quid prodeſt maximis ſumptibus ſcientias comparaſſe, ſi cùm eas proximis impendere debes, ignauiâ & ebrioſitate ſepelias?

2. Secundò. Qui eo vtuntur in malum, ad fraudes & vanitates, ad propriam laudem & inanem gloriam vel in perniciem aliorum. Rectè dixit quidam: *Scientia ſine timore Dei eſt gladius in manu furioſi.*

Tertiò. Honor & exiſtimatio, cuius diſſipatores ſunt: Primò, qui ſuo placito viuunt, nec curant; quid alij de ipſis ſentiant, cùm tamen dicat Eccleſiaſticus cap. 41. *Curam habe de bono nomine.* Indignatum fuiſſe nouimus Iudam, quòd Maria Magdalena pretioſiſſimum vnguentum effuderit in Chriſtum; quod quidem iure feciſſet Iudas, ſi Magdalena non in Chriſtum, ſed in terram fudiſſet vnguentum. At res multò eſt indignior, ſi prodigatur bonum nomen. Ait enim Eccle. c. 7. *Melius eſt bonum nomen quàm vnguenta pretioſa.* Cant. 2. Legimus Chriſtum animarum noſtrarum ſponſum paſci inter lilia: Lilia autem non candore tantùm, ſed etiam odore excellunt, vt explicat S. Bern. *ſerm.* 71. *in Cant.* Talis ergo Chriſtianus ſit; pollens videlicet candore conſcientiæ & odore famæ. *Debemus enim Deo*, vt ait S. Bernardus, *conſcientiam, proximo famam.* Ita non malè Iudas dicebat, vnguentum deberi pauperibus: quia famæ bonus odor debetur maximè iis, qui pauperes ſunt virtutibus. 3. Honor & exiſtimatio. 1.

Secundò. Qui ſordidè & impudenter viuunt, adeoque nomen ſuum publicis ſcandalis fœtere faciunt. Hi enim quodammodo produnt animam ſuam diabolo & omnis generis ſceleribus. Qui ſepem vel maceriam horti ſui, vel muros & portas vrbis ſuæ euerteret aut venderet, cenſeretur diſſipare hortum ipſum ac ciuitatem ſuam. Idem agit, qui famam ſuam prodigit. Fama enim bona cuſtos eſt virtutum & honeſtatis: quo remoto patet aditus in animam vitiis quibuſcunque. Sanè qui veſtes aut epulas ſuas ſordibus inficeret, nónne eas perderet? Tale monſtrum naturæ fuit Conſtantinus Copronymus Imp. qui, vt ſcribit Theoſteriſtus in Nicetâ, *tantoperè ſordium & impuriſſimæ cuiuſq; rei malo odore delectabatur, vt animalium brutorum ſtercoribus ſe illineret, & eos, qui cum illo erant, id facere iuberet; quos amabat, ob idq; benigne accipiebat quòd rebus malè olentibus ſemper delectaretur.* Fœdauit igitur turpiſſimè hic Imperator ſordibus nomen ſuum; vt inde Copronymus & Caballinus diceretur. Baron. anno 775. Quem imitantur illi, qui ſordibus infamiæ ſeipſos improbè contaminant. 2.

C. II. Bona corporis. 1. Forma & pulchritudo.

Ad bona corporis ſpectat primò forma & pulchritudo. Hanc diſſipare conuincuntur, qui eâ abutuntur ad laſciuiam, & venantur turpes voluptates, vel etiam inanem gloriam: non minus, quàm qui ingenioſam & elegantem imaginem proiiceret in cœnum. Hinc Salomon *Prouerb.* 11. dixit: *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua.* Vt enim ſus roſtro ſuo terram & cœnum fodit, aurumque illi inſertum fœdat: ſic mulier inſipiens cum formæ pulchritudinem à Deo acceptam, quâ gratiam & honorem poſſet conſequi, (forma enim virginis ſupplet dotem)

tem) ſordibus vitiorum & libidini indulgens conſpurcat.

2. *Robur & valetudo.* 1. Secundò. Robur & valetudo. Bonum hoc peſſundant primò, qui eo non vtuntur ſapienter, in res videlicet Deo gratas, & ſibi aliiſque ſalutares, ſed ad ſectandas vanitates, oſtentationem, &c. Hinc enim merentur eo priuari à Deo, adimente paſſim dona ſua non vtentibus, iuxta illud *Luc.* 19. *Auferte ab illo mnam, & date ei, qui habet decem mnas.*

2. Secundò. Qui id deſtruunt vitæ inordinatæ licentiâ, veluti otio, deliciis, laſciuiâ, ingluuie & ebrietate. His enim quaſi pugionibus ſemetipſos vulnerant quamplurimi.

3. *Vita.* 1. Tertiò. Vita. Prodigunt hanc primò, qui in manifeſta vitæ pericula, ſine cauſa ſe coniiciunt, vt pugiles, inſani potatores, &c. Et à potiori, qui vitam ſibi ipſis quouis modo eripiunt.

Rurſum qui vitam ſuam conſeruare non laborant, vti qui in ægritudine periculosâ poſiti, medicos non conſulunt, metu ſumptuum fruſtrà faciendorum. Inſana & crudelis auaritia eſt, quæ vitam potiùs perdere vult quàm pecuniam, nec ſinit poſſeſſorem vti rebus ſuis indigentem, de quâ *Eccle. cap.* 6. ait: *eſt & aliud malum, quod vidi ſub ſole & quidem frequens apud homines: Vir cui dedit Deus diuitias & honorem: nec tribuit ei poteſtatem Deus, vt comedat ex eo.*

2. Secundò. Qui vitam ſuam mundo impendunt, tempus malè terunt, & toto vitæ decurſu in peccatis degunt, nihilque operis ad promerendam vitam æternam faciunt. Omne enim tempus, quod æternitati non impendimus perditum cenſeri debet. Vnde viri boni non computabant annos vitæ ſuæ, niſi quos bene impendiſſent; vti Barlaam apud Damaſcenum in hiſt. qui roganti Ioſaphat, quot annorum eſſet? reſpondit, 45. licet eſſet ſeptuagenarius: quia videlicet 45. tantùm Deo vixiſſet. Et Hadrianus Similius cuius Epitaphium erat tale: *Hic iacet Hadrianus Similius, qui longæuam vitam duxit, ſed tantùm ſeptem annos vixit.* Hos enim ſolos bene collocauerat. Quantum ergo diſſipant, qui totum vitæ tempus in vanitatibus ſectandis collocant? *Titus Veſpaſiani filius,* inquit S. Hieron. in ep. ad Gal. 6. *cùm quadam nocte ſerò recordaretur in cœnâ ſe nihil boni in illâ die feciſſe, dixit amicis. Hodie diem perdidi; Nos non putamus perire nobis horam, diem, momentum, tempus, ætates, cùm otioſum verbum loquimur, &c.* Mercatores, qui durantibus nundinis, luſui vacarent, & luxui, nec ſuæ adeſſent officinæ, nónne maxima lucra perderent? Hoc agunt, qui hoc breue vitæ curriculum non impendunt Deo, nullaque ſibi merita congregant, de præteritis delictis pœnitentiam non agunt.

D. III. *Bona fortunæ.* 1. *Dignitas & imperium.* 1. In bonis fortunæ numeratur primò dignitas & imperium, quod bonum inprimis diſſipant, qui eo, cùm opus eſt, non vtuntur. Gladium accepêre Magiſtratus, ſed dum eum nunquam euaginant, rubigine conſumi faciunt, de quibus dicitur Ier. 48. *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine;* Iacobum Carrarienſem Principem Patauinum, cùm moriturus quoſlibet admiſiſſet, qui queri de ſe vellent, adiit quidam repetens ab eo mulctam pecuniariam, quam ipſi Principi ob remiſſam capitis pœnam ſoluerat. Sed reſpondit Princeps, ſe nullius admiſſæ iniuſtitiæ hac in re eſſe conſcium, niſi quòd minùs quàm debuerat, reum illum mulctaſſet. Refert Cornel. à Lap. *in Ier. c.* 48. Ita nimirum magiſtratus, qui non puniunt pro merito delinquentes faciunt eos deteriores, & in ſe deriuant crimina eorum, à quibus etiam aliquando accuſabuntur coram Deo, quòd in eorum ſcelera non animaduerterint, ſicut debebant.

Secundò. Qui eo bono, abutuntur ad luxum, faſtum, rapinam, contemptum & oppreſſionem pauperum. Coronam enim & ſceptrum, quod acceperunt ad tuendam dignitatem ſuam & ſubditorum vitam regendam, turpi labe aſpergunt & vertunt in ignominiam ac tyrannidem. Datus eſt illis gladius, non vt ipſi prorsùs liberi ſint, ſed vt alios liberent: non vt ſubditos vulnerent, ſed potiùs defendant. S. Bernardus ait: *Solicitudo, officium prælati eſt, non celſitudo.* Quare magiſtratus & rectores, qui omnia, quæ libent, ſibi licere putant, maximum Dei bonum diſſipant. Illis dicitur Zach. 11. *O paſtor & idolum, derelinquens gregem: gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius.* Tales enim volunt adorari vt Idolum & numen; & cùm deberent eſſe paſtores, ſunt potiùs *laniones* (vt habet ibi Chald.) *qui habent gladium in manu ſuâ & oculus eorum reſpicit ad pinguia vt iugulent ea.* Sic Dauid reſpexit ad Bethſabeam; & quia placuit ei, ſtatim miniſtris miſſis tulit eam, & abſtulit marito coniugem 2. *Reg.* 11. Sic Principes & Iudices gladio ſuo vtuntur ad excoriandos ſubditos, & quidquid vident, ſuum eſſe volunt, ſibique per fas & nefas arrogant. Speculari debent ſubditorum vitam, vt ſeruent; at ipſi ſpeculantur, vt abſorbeant. Vnde illis dicitur Oſeæ 5. *Vobis iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi,* id eſt, vos ô Principes qui debebatis ſpeculari & cuſtodire populum in cultu Dei, eidem facti eſtis laqueus & direptores. Vt exponit ibi S. Hieronymus.

Secundò. Nobilitas, quam cenſentur diſſipare, Primò, qui eam virtutibus non illuſtrant. 2. *Nobilitas.* Hi enim præclaris maiorum ſuorum armis induti quidem ſunt, in bello interim ignaui ſunt 1. & imbecilles. Præclaram quidem indolem à maioribus ſuis acceperunt, ſed ignauiâ eam perdunt: velut ſi generoſum equum pabulo tantùm nutriant, & refractarium efficiant atque inutilem.

Secundò. Qui eâdem abutuntur ad vitæ licentiam, quaſi prætextu generis omnia eis licerent, vti ſubditos vexare, creditores fraudare, 2. ex rapto viuere, omniaque ſursùm deorsùm vertere; id quod multi ſibi perſuadent. Vnde Diogenes dicebat nobilitatem aliud non eſſe, niſi velamen malitiæ, quo tecti nobiles peccant licentiùs. Laërt. *l.* 6. *c.* 2.

Tertiò,

3. Diuitiis. 1. Tertiò. Diuitiæ, quæ variè diſſipantur. Primò, cùm quis lautiùs viuit, veſtitur & elargitur, quàm ſtatus & facultas eius patiatur. Et à potiori, cùm pecuniæ in luxum & libidinem expenduntur.

2. Secundò. Cùm non quibus oportet vel decet, communicantur; veluti cùm quis liberalis eſt in mimos potiùs & ſcurras, quàm honeſtas perſonas: in reprobos quàm bonos: in alienos quàm amicos & propinquos indigentes: in ſaturos quàm eſurientes: in diuites quàm pauperes: in canes vel equos, quàm homines. Democritus, cùm cerneret quendam quibuſlibet promptè ac inconſideratè largientem: *Malè*, inquit, *ſit tibi, qui gratas virgines effeciſti meretrices* (Maxim. *ſerm.* 8. q.d. nimis communes.

3. Tertiò. Cùm datur aliquid, quod non debet dari, v.g. noxium quid aut alienum, vel iniquum: tametſi fortè promiſſum eſt. Rectè enim dixit Ageſilaus: *ſi iuſtum eſt, quod petis, promiſi: ſin minùs, non promiſi.*

4. Quartò. Cùm non erogantur diſcretè, v.g. cùm ſimul totum effunditur in aliquem, vel totum in vnum, nihil in alios, abſque conſilio & vrgente causâ.

5. Quintò. Cùm peruersâ intentione, ſcilicet humanæ laudis aucupandæ gratiâ vel ſtudio æquale vel plus recipiendi, vel libidinandi, vel altiorem gradum acquirendi, &c. His enim & ſimilibus modis ſeminatur in aquâ, quidquid ſpargitur adeoque diſſipatur. *Amen dico* tibi *recepiſti mercedem tuam.*

6. Sextò. Cùm nemini communicantur, ſiue in donum, ſiue in mutuum, ſed reconduntur ad ſatiandam fruſtrà auaritiam.

4. Fruges terræ. 1. Quartò. Fruges terræ, quas diſſipant. Primò qui iis immoderatè vtuntur ad luxum & intemperantiam. Hi ſunt inſtar anatum, qui propoſito aquæ vaſculo, non ſunt contenti inde bibere; ſed inſuper in id inſiliunt, inſidentque, totumque eluendo vacuant.

2. Secundò. Qui eas abſcondunt pauperibus cùm elargiendi eſt neceſſitas: ob quam cauſam ſæpe puniuntur, & fruges ipſæ peſſundantur ſiue à vermibus, ſiue incendio, ſiue diuinâ punitione. Cùm Lambertus Stratenſis frater Bertolfi Præpoſiti S. Donatiani, decimas in multos annos redemiſſet, plenaque horrea haberet, atque ingruente annonæ caritate, ea egenis communicare nollet, iuſſit B. Carolus eius horrea effringi, triticique vim ingentem egentibus gratis admetiri. Quâ de causâ à monopolis ei in templo oranti ſacrilegè mors violenta illata eſt, ipſeque iuſtitiæ æquè ac annonæ publicæ tutor pro muneris ſui fortiter obiti meritò martyrij palmam tulit. Ita habet eius vita nuper à Belgis edita, & Æmil. *lib.* 5.

His omnibus dicit Deus per Oſeam cap. 2. *Ego dedi ei frumentum & vinum & oleum & argentum multiplicaui ei & aurum, quæ fecerunt Baal*, id eſt, obtulerunt; & ſacrificârunt Idolo Baal. Arabicus vertit: *Conflauit ea Baal.* Hoc faciunt, quicunque bona Dei diſſipant; offerunt enim, ſacrificant & conflant ea dæmoni, ventri, mammonæ, veneri; qui proinde omnes citabuntur ad iudicis tribunal, audientque vocem illam: *Redde rationem villicationis tuæ, quia non poteris amplius villicare.*

CONCIO IV.

Qua ratione oporteat vti donis Dei.

1. *Explicatur quomodo vtendum bonis animi gratiâ, virtutibus, ſcientiâ & ingenio, & ſui iſdictione.*
2. *Bonis corporis, formâ & pulchritudine, robore, ſanitate, & quinque corporis ſenſibus. Item quomodo diſpenſanda ætas.*
3. *Bonis fortunæ, diuitijs, nobilitate, dignitate, honore, & fauore principum.*
4. *Vitæ neceſſitatibus, tempore, cibo & potu, ſocietate.*

THEMA.

Hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Luc. 16.

CVm tonitru audimus terrificum & inuſitatum, cruce nos ſignamus & Deum imploramus, vti nos à fulmine, quod eiuſmodi tonitrua ferè ſequi ſolet, dignetur præſeruare. A.
Audimus in hodierno Euangelio horriſonum quoddam tonitru: *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* Quid enim illud (*redde rationem villicationis tuæ*) ſonat, aliud niſi, Veni ad iudicium rigidiſſimum, exactiſſimum, grauiſſimum, vltimum, in quo non de agris, non de ſtillicidiis, non de opibus, ſed de ſummâ rerum omnium maximarum, de æternitate ſeu fœliciſſimâ ſeu infæliciſſimâ, adeoque de fortunis omnibus decernetur? Quid illud, *Iã nõ poteris villicaer*; niſi: x Eulabis in perpetuum à bonis, quæ poſſediſti: mundo & huic luci æternum vale dices: non ſequentur te dignitates, honores, opes, obſequia amicorum: ceſſabit imperium, adminiſtratio, opificium, negotiatio tua: nudus hinc abibis ad domum æternitatis, ſola opera te ſequentur: non erit ibi locus meriti aut ſatisfactionis; quia neque tempus? Quis hoc audito tonitru, non ſibi metuat & proſpiciat? Et quis alius proſpiciendi modus, niſi vt donis Dei bene & rectè vtamur? Hoc ergo nunc diſcamus.

Animi bona ſunt. PRIMÒ. Gratia; & hæc vtendum eſt, ſicut vtimur puteo, qui ſemper exerceri & hauriri debet, alioquin eius aqua putreſcit: ad eundem modum gratia aſſiduè exercenda eſt. *Nunquam eſt amor Dei otioſus*, inquit Gregorius, *operatur enim & quidem magna, ſi eſt: ſi verò operari renuat, amor non eſt.* Quid enim amor, niſi vnctio Spiritus ſancti ad bene & meritoriè operandum? Quis autem neſcit reges & Athletas non fruſtrà vngi, ſed vt ſtrenuè pugnent & vincant? Talis Athleta Paulus, qui dicebat. *Gratia Dei in me vacua nõ fuit, ſed abũdãtiùs illis omnibus laboraui,* B. I. Animi bonis. 1. Gratia.

1. Co-

1. Corinth. 15. In vacuum ergo accipiunt gratiam qui ea non vtuntur, ſicut qui puteum in domo habet, quem non haurit. Qui verò eam exercent bene operando in omni virtutum palæſtra, ſingulis actibus gratiam ſibi adaugent, ſicut aqua putei cùm magis hauritur, eò purior, & ſanior efficitur. Diſſipatur verò gratia, cùm non exercetur & multò maximè cùm per peccatum perditur.

2. *Virtutibus.* Secundò, virtutes, & his vtendum ſicut viri nobiles & magnates vtuntur palliis; illi enim ſæpenumerò pallia gerunt de panno vel ſimili materiâ non admodum pretioſâ, ſuffulta verò holoſerico, ita vt ſuffultura, quæ non apparet, pretioſior ſit panno qui apparet: atque ita veſtiuntur quidem illi pretioſè pro ſtatus ſui dignitate, nolunt tamen videri ornati, quia non quærunt gloriam apud homines rudes & plebeios. Iam præcipit nobis Chriſtus vt exerceamus virtutes, in exemplum aliorum: interim verò etiam præcipit eaſdem occultare, ne per eas vanam quæramus laudem. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona* (Ecce primum) *& glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt* (ecce ſecundum.) Quid ergo faciendum? Induamus & geramus virtutem ſicut pallium nobilium, ſeu ſtudeamus extrà latere; viles haberi ab omnibus, & quaſi rudi panno veſtiti: intùs verò per intentionem ſoli Deo placere cupiamus. Pulchrè hoc docuit S. Gregorius *hom. 11. ſuper Euang.* cùm ait: *Sic autem ſit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, vt & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ ſoli Deo placere quærimus, ſemper optemus ſecretum.* Hæc ille.

Diſſipant hæc bona (virtutes) qui ea vento vanæ gloriæ exponunt.

3. *Scientia, ingenio, iuriſdictione.* Tertiò, ſcientia, ingenio & iuriſdictione ac poteſtate vtendum, vti nummis vel talentis acceptis à Domino; quæ ad vſuram danda ſunt, vt cum fœnore recipiantur. Non enim hæc dona dat Deus, vt accipiens ea ſibi reſeruet, ſed vt aliis communicet. Atque idcircò reprehenditur ſeruus qui vnum, quod acceperat talentum, abſcondit & ſine vſurâ reſtituit, *Matth. 25.* Eo autem talento, ingenium & ſcientiam intelligi, communis eſt ſententia. Nouit ergo quiſpiam alteri bene conſulere, &c. ne omittat; quia de hoc ab ipſo rationem exiget Deus.

Diſſipat ergo hæc bona, qui ea proximo non communicat: cùm præcipuè data ſint ad communicandum.

C. II. Corporis bonis. 1. *Formâ & pulchritudine.* Corporis bona ſunt. PRIMÒ. Forma & pulchritudo; & hæc vel propria vel aliena. Alienâ non aliter vtendum ac perſpicilliis, quæ ſunt medium, per quod videtur obiectum. Quare cùm ſpecioſam aſpicis creaturam, non debes ibi ſiſtere, ſed per eam velut per perſpicillia Creatorem contemplari, mirari & laudare. Vnde enim corporis forma & decor? nónne ab animâ? ſi enim animâ deſtituatur, deforme cadauer erit. Ergo ſi corpus amas, quia pulchrum; multò magis amare debes animam, à quâ ſortitur corpus eam pulchritudinem. Sed nec hîc ſiſtendum, vlteriùs aſcende, & dic: quantò pulchrior ergo Deus, qui & animæ & corpori tantam dedit pulchritudinem? Pueri contemplando pictas literas, ibi ſiſtunt; nec vlteriùs procedunt ad intelligentiam earum. Huiuſmodi pueri ſunt, qui creaturas ſecundum ſe aſpiciunt.

Propriâ verò pulchritudine vtendum, vti tabulâ marmoreâ aptiſſimis lineamentis ab ipsâ natura condecoratâ; quam qui nactus eſt pictor, perpolit, addendo naturæ artem, & quæ deſunt, lineamenta, vt ſic repræſentet pulcherrimam imaginem, maximo pretio & principe viro dignam. Quòd ſi igitur eiuſmodi lineamenta naturalis pulchritudinis in te comperias, age Deo gratias, pro tam bonâ ad virtutem compoſitione & quamprimùm adlabora, vt hanc tabulam induſtriâ & virtute perficias; ſiquidem eam ad hunc finem accepiſti. Vnde Plut. ait: *In ſpeculo te contemplare: & ſi pulcher appareas, ea fac, quæ decent pulchrum: ſin deformis, id quod faciei deeſt, honeſtate morum ſupple,* apud Maxim. in ſerm. de pulchritud. Atque ita gaude potiùs de virtutis, quàm de naturæ pulchritudine, ſicuti pictor ille, non de naturalibus tabulæ lineamentis, ſed de artis ſuæ complemento gloriam ſibi quærit.

Diſſipat hoc bonum, qui in pulchritudine ſolâ perſiſtit, ſibi & hominibus placere gaudet, & inſuper ſibi & aliis ſit laqueus.

Secundò. Robur & fortitudo: hac vtendum ſicut decet vti gladio ſacrato, quem inſignis eques accepit à Pontifice exerendum contra hoſtes Eccleſiæ. Talis enim gladius non ad oſtentationem, ſed ad deſtinatum vſum & præclara facinora adhiberi debet; non ad ludum pugilum, nec ad feriendos lapides vel decollandos anſeres, multò minus contra Chriſtianos. Eiuſmodi verò gladius eſt robur corporis, ad labores ſiue corporis ſiue animi datus. 2. *Robur.*

Diſſipant ergo hunc gladium, qui eum vaginæ incluſum geſtant, nihilque laboris ſubeunt: & multò magis qui ad vana, turpia & noxia applicant. Tales ſunt, de quibus Eſa. 5. *Væ, qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Tales & pugiles, qui robur ſuum ad vanam tantùm & noxiam oſtentationem adhibent.

Tertiò. Sanitas & ætas, hac vtendum, ſicut vtimur æſtate; dum enim ſanus & iuuenis es, parandâ tibi ſunt neceſſaria, non corpori tantùm, ſed & multò magis animæ, bona videlicet opera & virtutes, vitia verò necanda. Docet id formica, quæ, vt dicitur Prou. 6. *Parat in æſtate cibum, & congregat in meſſe, quod comedat.* Et c. 10. *Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt: qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis.* Vnde Apologus ille de cicadis, quæ poſtquam totam ætatem cantillando exegerant, formicis interim laborantibus & congregantibus: venit hiems, illæque famelicæ à formicis commeatum 3. *Sanitas.*

Google

meatum petière, ſed irriſæ & ſaltare iuſſæ diſceſſerunt. Cùm enim rogatæ; quid æſtate feciſſent, reſponderent ſe nequaquam otioſas fuiſſe, ſed aſſiduò cantaſſe, quo laborem viatoribus temperarent, ſubridentes formicæ; aiunt; ſi æſtate cecinistis, vt viantes delectaretis; nunc ſaltate, ne frigore conficiamini. Tale reſponſum accipient aliquando, qui nunc ſano & vegeto corpore, nihil boni agunt; ſed vitam cantando, ludendo, ſaltando, bibendo tranſigunt. Veniet aliquando hyems ægritudinis; vbi egebunt, & ad pœnitentiam agendam difficiles ac pænè impotentes erunt. Pari ratione ægroti dum adhuc valentes ſunt, prouidere ſibi de Sacramento pœnitentiæ & ſalutari viatico debent; & quidem iuxta decretum Innocentij à Pio V. Pontif. inſtauratum ad inſtantiam S. Ignatij Loiolæ, antequam medicus vocetur ad ægrotum. Quomodo enim in extremis poſiti ſibi rectè prouidebunt, cùm iam ratio & ſenſus deficiunt.

3. *Ætas.* Porrò ætas diſpenſanda, ad normam quatuor temporum, adoleſcentia inſtar veris eſt; in quo putantur arbores & vites, ſepiunturque agri: ſic adoleſcentia limitibus diſciplinæ circumſcribenda, putandaque à vitiorum ſurculis paulatim ſuccreſcentibus; adeoque flectenda ætas, dum adhuc eſt tenera. Iuuentus inſtar æſtatis, ad vitia proniſſima & vitiorum æſtu calens, laboribus atterenda, ad meſſem ablegenda, & ab otio procul remouenda, quod fomes eſt vitiorum. Virilis ætas inſtar autumni fructus afferat bonorum operum, reip. inſeruiat, alios doceat, gubernet, & bono exemplo omnibus prælucerat, velut optimo frugum odore, quo & autumnus redolet. Hyems ſenectutis ad quietem conſcientiæ ſe componat, ad focum deuotionis & orationis aſſiduò ſedeat, comedatque fructus laborum præteritorum: ante omnia ſe ad mortem paret, maximè cùm aduertit niuem adhærere crinibus ſuis.

4. *Quinque ſenſus.* Quartò, Corporis quinque ſenſus: quibus velut equis currui iunctis vtendum: Vt enim equi niſi plurimis loris & vinculis alligentur & circumligentur, frænis compeſcantur, & moderato pabulo alantur, inſuper etiam flagellis coërceantur & calcaribus inſtigentur, nullâ ratione currum aptè trahent, ſed potiùs ſibi mutuò & aurigæ iiſque qui in curru ſedent, perniciem afferent. Corpus noſtrum fallax equus ad ſalutem eſt. Quinque ſenſus, quaſi quinque equi, qui plurimis alligati vinculis debent, mediocri tantùm pabulo recreari, ſæpe etiam inediâ & verberibus affligi, ad hoc vt inſeruiant currui virtutis promouendo. Et ſic demum placebit anima ſponſo ſuo Chriſto, qui propterea laudat eiuſmodi animam, *Cant.* 1. dicens: *Equitatui meo in curribus Pharaonis, aſſimilaui te amica mea.* Quam ob cauſam natura multis vallis, mœniis ac portis quodammodò muniit quinque ſenſus, maximè viſum, guſtum, auditum: vt tu poneres cuſtodiam ori tuo, & ſepires aures tuas ſpinis & fœdus pangeres cum oculis tuis. Qui hæc non ſe-

dulò obſeruat; ab equis ſuis extrema patietur & ad interitum rapietur.

Fortunæ bona ſunt. Primò, Diuitiæ; & hæ vel nimis profusè diſpenſantur, & hoc eſt prodigalitas; vel nimis parcè, & hoc eſt auaritia. Medium ergo tenendum & diſponendæ opes ſicut ſemen iacitur in terram nec denſiùs nec rariùs; **nicht zu dick und nit zu dünn**. Semen enim nimis copioſè iactum, multum quidem paleæ affert; parum verò fructus; & ſeges in terram corruens putreſcet. Semen nimis parcè iactum, parum afferet paleæ & fructûs. Sic prodigalitas conciliat quidem ſibi multorum; quibus largiter dat fauorem, ſed interim parum colligit fructus; imò multò plus damni: Auaritia verò nec poſſeſſori prodeſt nec aliis, vel certè admodum parum. Quare Thomas Morus eleganter canit: *Vtere diuitiis tanquam moriturus, & idem tanquam victurus parcito diuitiis. Parcere diuitiis qui tempore nouit, & vti; ille modum ſeruans inter vtrumque ſapit.* Semen diſſipat tam is, qui in terram ſterilem proiicit, velut in viam, ſaxa aut ſpinas; quàm qui in horreo concluſum egentibus non communicat, ſed vermibus deuorandum relinquit. Sic diſſipator eſt opum & is, qui in ſcurras, hiſtriones, ſcorta, luxum, &c. eas profundit; & is qui nemini eas communicat. Contrà qui ad honeſtos & laudabiles vſus depromit; & maximè qui in fertiliſſimos pauperum ſinus quaſi in agellos abſcondit & ſeminat, ille fructum metet centeſimum: & omnium optimus diſpenſator erit. S. Auguſtinus *tract.* 40. *in Ioan.* ait: *Vtere nummo, quemadmodum viator ſtabulo;* (id eſt, hoſpitio) *vtitur menſâ, calice, vrceo, dimiſſurus, non permanſurus.*

D. III. *Fortunæ bona.* 1. *Diuitiæ.*

Secundò, Nobilitas: hac ſi vtaris, quo modo Crucigerorum ordines vtuntur ſigno crucis in ſuis palliis; vel ſicut religioſi vtuntur voto & habitu ſuo, rectè vteris. Crucigeri non ideò crucem ferunt, quòd cæteris meliores videantur: quemadmodum nec monachi ſuum habitum; ſed vt hoc ſigno recordentur obligationis & voti ſui, ad maiorem conſectandam perfectionem & virtutem exercendam, illi in militiâ corporali, hi in ſpirituali. Nihil enim aliud videntur eſſe nobiles, quàm mundi religioſi, qui ex ipſo matris vtero quaſi votum & iuramentum præſtant ad maiora virtutis opera deſignanda, & plebeios in heroicis actibus ſuperandos; eo ipſo quòd nobiles naſcuntur; ſiquidem ab ipsâ natiuitate communiter accipiunt meliùs temperamentum naturæ, adeoque maiorem diſpoſitionem & inclinationem ad virtutem, nec non calcar & incitamentum ab exemplis maiorum ſuorum. Interrogent ergo ſeipſos cum S. Bernardo, Monachum inchoante: *Bernarde, ad quid veniſti?* nobilis, ad quid hoc donum accepiſti: à quibus maioribus deſcendis? *ſi filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.*

2. *Nobilitas.*

Diſſipant hoc donum, qui nobilitate vtuntur ad inſolentiam, otium, luxum, &c. qui non curant nobilia facta patrare, ſed terunt tempus comendis crinibus, luſu, venatione, pota-

tione. Item qui nobilitate vtuntur velut tegumento vitiorum ſuorum, quemadmodum dicebat Diogenes.

3. *Dignitas.* Tertiò, Dignitas: in quâ ita ambulandum atque ſuper alto tramite, in quo qui ſecurè vult verſari, non debet demittere oculos ad homines infrà ſtantes & ſe aſpicientes, ſed attendere ad greſſus ſuos: quemadmodum & qui rapidum fluuium in altiori & anguſto ponte tranſit, ad veſtigia, non ad amnem deſpicit. Igitur qui in ſublimi dignitate eſt, non demittat oculos ad hominum exiſtimationem, ne in vertiginem ſuperbiæ rotatus turpiter cadat. Attendat potiùs ad veſtigia ſua, quomodo in tam edito, patulo & periculoſo loco gradiatur, vt ne offendat homines & imprimis Deum. Facilè fortaſſis euitabit inſidias hominum, ſed non ita facilè iram Dei ſibi imminentem ſi ob dignitatem ſuam inſoleſcat; quod Dionyſius Syracuſanus Rex Damocli aſſentatori monſtrauit, cùm eum regali in ſede ad menſam regiam locauit, interim verò gladium ancipitem tenui filo ſuper caput eius appendit. Qui igitur ad veſtigia ſua & gladium Dei attenderit, is nequaquam diſſipabit acceptam à Deo dignitatem.

4. *Honor.* Quartò, Honor & laus: quæ ſi tibi tribuantur, eo modo diſpenſare debes, quo modo fidelis Oeconomus redditus Domini ſui; accipit enim eos à debitoribus vt per manus ſuas transferat ad manus & ærarium Domini ſui: nihil prorſus ex illis ſibi retinens. Soli Deo debetur honor & gloria, *ad Rom.* 16. Vnde Dominus: *gloriam meam alteri non dabo.* Iſa. 42. quia quidquid laude dignum, ab ipſo velut mari profluit, ac proinde in ipſum refluere debet. Et ſicut Putiphar omnia ſua conceſſit diſpoſitioni Ioſephi, præterquam vxorem: ſic vult Deus ſibi ſeruari laudem & gloriam ex præclaris factis noſtris reſultantem, quia ipſe eorum author principalis, nos quaſi inſtrumenta ſumus. Hoc faciebat Ioſeph, hoc & ſerui illi boni, qui quot acceperant talenta, totidem retulerunt Domino & nihil ſibi retinuerunt: *Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque talenta ſuperlucratus ſum.*

Quiſquis ergo honorem ſibi vſurpat, ille diſſipat bonum Domini Dei ſui, imò rapit & furatur.

5. *Fauor principū.* Quintò, Fauor principum & magnatum: quibus vtendum dicebat Alexander Magnus tanquam igne, vt neque propiùs quis accedat, ne comburatur: neque longiùs abſcedat, ne planè frigeat & rigeat. Ratio, quia Magnatum fauorem reſpuere vel negligere, eſt eos ſibi infenſos reddere & ianuam ſibi ad gratiam præcludere: viciſſim eum nimiùm ſectari valde periculoſum eſt; nam vel cum bono principe tibi eſt negotium; & tātā eſt opus circumſpectione ad conſeruandam ſaluâ pietate eius beneuolentiam, vt nihil ſuprà: Vel cum malo; & ſi loqueris ei placentia, incidis in laqueum mortis æternæ: ſi verò diſplicentia, laqueum indignationis eius non effugies. Quare Eccleſiaſt. *cap.* 9. de principum familiaritate loquens ait: *In medio laqueorum ingrederis.* Quemadmodum enim periculoſum eſt dæmones euocare, eò quòd magno in diſcrimine verſetur, ſiquid erret euocans: (Vnde aiunt, Tullum Hoſtilium ictum fulmine, quòd ex Numæ libris Iouem deuocare conatus, quædam parum ritè fecerit Plin. *l.* 2. *c.* 55.) Sic & principum familiaritas difficilè acquiritur, periculosè conſeruatur.

E. IV. *Vitæ neceſſitatibus.* Denique quæ ad vitæ conſeruationem pertinent, de quibus itidem Deo ratio reddenda. Sunt Primò, Tempus: & hoc diſpenſandum ſicut aurum, ſiquidem Theophraſto authore, 1. *Tempus.* *non eſt ſumptus pretioſior tempore*; ſolum enim hoc recuperari nequit. Quemadmodum igitur diu cogitamus antequam aureorum expenſas faciamus, quas tamen recuperare poſſumus: ſic multò rigidiùs faciendum eſt cum tempore, quo rectè expenſo bona nobis æterna comparare poſſumus.

2. *Cibo & potu.* Secundò, Cibus & potus; & hic corpori ſubminiſtrandus, ſicut ſolet aqua pratis: neceſſitas videlicet, non ſuperfluitas. Vel ſecundum Xenophontem apud Athen. *l.* 11. *c.* 11. quantum pluuiæ deſideramus frugibus noſtris, modicum ſcilicet & quantum ebibere poſſunt; nam ob nimiam irrigationem prata confrigeſcunt, & ſeges in agro deprimitur in terram; ob nimiam verò auiditatem exareſcit. S. Auguſtinus *ep. ad Sacr. Virg.* ait: *Vinum potatum moderatè, eſt medicamentum; plus iuſto ſumptum, venenum eſſe dignoſcitur.* Idem l. 10. confeſſ. c. 31. ait: *Hoc me docuiſti* (Domine) *vt quomodo medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* Æger vtitur medicinâ, & claudus ſcipione; ſed mallet non vti. Sic vtendum cibo S. Bernardus in Formul. honeſt. vitæ: *ſicut ad crucem, ſic accedas ad cibum; id eſt, nunquam voluptate ſed neceſſitate paſcaris, & fames, non ſapor, prouocet appetitum.*

3. *Societas.* Tertiò, Societas, ſupremis tantùm labris deguſtanda, vt mel, iuxta id Prou. 25. *Mel inueniſti? comede, quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus euomas illud.* Quid autem ſit hoc mel, mox indicat: *Subtrahe pedem tuum,* inquit, *de domo proximi tui, ne quando ſatiatus oderit te.*

Quare, Auditores, attendat ſibi quiſque & diſpiciat maturè quâ ratione vtatur rebus Domini ſui, cui diſtrictam de ſingulis rationem certo certiùs redditurus eſt, vt cùm diuinum illud tonitru (*redde rationem villicationis tuæ*) inſonuerit, dicere poſſit cum Dauide; *Paratus ſum & non ſum turbatus.*

CON-

Digitized by Google

CONCIO V.

Furtum & omne lucrũ iniquum quantopere auerſandum.

Vt peccatum furti quàm diligentiſſimè auerſemur, ſuadet

1. *Eius grauitas, quæ patet ex lege naturæ, lege veteri & noua.*
2. *Eius turpitudo & infamia.*
3. *Inquietudo conſcientiæ.*
4. *Difficultas ſatisfaciendi.*
5. *Inutilitas bonorum furto ſurreptorum.*
6. *Multiplex periculum quod hinc imminet.*

THEMA.

Quid hoc audio de te. Luc. 16.

A. VIdetur hodiernum Euangelium fauere nonnihil furibus & qui alienas res vſurpant. Quis enim neget magnum fuiſſe furem, Villicum iniquitatis, qui diſſipauit bona domini ſui? Et tamen dicitur dominus laudaſſe villicum illum, quòd prudenter feciſſet. Itáne iniquum diſpenſatorem laudat Euangelium? Sed ſciendum eſt primò contra Eraſmum Roterod. nõ eſſe Chriſtum, qui laudauit villicum, ſed dominum eius. Huius ſententiam Chriſtus retulit, non ipſe protulit. Deinde non laudari villicum, quòd benè feciſſet: (quis enim laudaret furem ſuum?) ſed quòd aſtutè & prudenter ſibi conſuluiſſet. Alioqui quàm diſplicuerit domino furtum eius, ſatis ex illâ eius increpatione patet: *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ; iam enim non poteris villicare.* Itaque hodiernum Euangelium abſterret nos potiùs ab omni iniuſtitiâ, & minatur iniquis rigorem iudicij diuini, ac deiectionem de villâ ad gehennam. Cæterùm plura alia ſunt, quæ mouent, vt ab omni furti ſpecie, quàm diligentiſſimè caueamus, vti nunc intelligemus.

B. I. Suadet peccati huius grauitas. I. Ex lege naturæ. • Mouet PRIMÒ, Peccati huius grauitas, quæ patet Primò ex lege naturæ, cui maximè contrarium eſt furtum, rapina & his ſimilia. Præcipit enim lex naturæ: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quam ſententiam Alexander Imperator Ethnicus, per præconem, cùm aliquem emendaret, pronuntiari iubebat, adeoque diligebat vt & in palatio & publicis operibus perſcribi eam iuberet, Lamprid. apud Baron. anno Dom. 224. Quin & beſtiæ legem illam agnoſcunt. Canum imprimis fides in ſeruandis rebus dominorum ſuorum, in cuſtodiâ domus: & quemadmodum fures prodant, eos allatrando, quantoque in eos odio ferantur, id notius eſt, quàm vt probatione indigeat. Canis furem ornamentorum è templo Æſculapij ſublatorum perpetuo inſequens latratu prodidit. Ælian. *hiſt. animal. lib. 7. cap. 13.* Alius Eupolidi donatus Ephialtem eius ſeruum, res domini furantem occidit. Idem *lib. 9. cap. 42.* Alius adulterum prodidit, fores, quibus ingreſſus ille erat, ſemper allatrando. Idem *lib. 7. cap. 21.* Viſi item Elephantes furta deteſtari. Horum vnus in Syria, cùm à curatore ſuo dimidiâ hordei menſurâ fraudaretur, quam tamen aliquando præſente domino totam accipiebat: toruè intuitus curatorem velut furem, pabulum ſibi oblatum proboſcide diuiſit & ita quo potuit modo ſerui iniuriam domino ſuo prodidit. Plut. de induſtriâ animalium. Alius cùm curator lapides & terram ad explendam menſuram pabulo miſcuiſſet, ipſe ex foco correptum cinerem in ollam Magiſtri elixis iam carnibus iniecit. Ariſtotel. *de hiſtor. animal. lib. 9. cap. 4.* Quin & apes ſolent fucos, quos vocamus fures, alienorum fauorum direptores, primò modicè verberare aliſque expellere: iterum verò redeuntes aculeis interficere, adeoque extremo plectere ſupplicio. Ælian. *lib. 1. cap. 9.* Denique Ciceronem hac de re loquentem audiamus lib. 3. offic. *Detrahere aliquid,* inquit, *& hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit conuictum humanum & ſocietatem, ſi enim ſic erimus affecti, vt propter ſuum quiſque emolumentum ſpoliet aut violet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maximè eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem. Vt ſi vnumquodque membrum ſenſum hunc haberet, vt poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari totum corpus neceſſe eſt.* Sic ille.

Secundò, Ex lege veteri, quæ iubet pro vno boue furtim ablato reddi quinque boues: pro vna oue quatuor oues. Et ſi fur non habeat vnde reſtituat, eum venundari, *Exod. 22.* Rationem dat D. Thom. 1. 2. quæſt. 49. art. 6. *Cùm aliquis ex ſuâ iniuſtâ voluntate ſibi attribuit plus quàm ſibi debetur, iuſtum eſt, vt diminuatur etiam, quantum ad id quod ſibi debebatur, ſicut cùm furatur quis vnam ouem, reddat quatuor: per hoc enim punitur eius iniqua voluntas,* &c. Quin etiam pauperum defraudatio homicidio æquiparatur Eccleſ. 34. *Panis egentium, vita pauperum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt.* Et mox: *Qui effundit ſanguinem & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* 2. *Ex lege veteri.*

Tertiò, Ex lege nouâ & Chriſtianorum, inter quos ſocietatis & charitatis vinculum longè arctius eſſe debet. Si enim illis præcipitur: *Omni petenti te tribue;* (Luc. 6.) quantò magis, ne furentur & rapiant aliena? Et ſi Epulo, quia non largitus eſt eleemoſynam Lazaro egenti, ſepultus eſt in inferno: quorſum ſepelientur fures & raptores? Et ſi impij, qui non pauerunt, potàrunt, veſtierunt, &c. Chriſtum in pauperibus; audient: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum;* quid audient illi, qui Chriſtum in membris ſuis ſpoliàrunt? Itaque non iniuſtè fit, quod apud Chriſtianos furta acriùs plectantur, quàm in lege veteri, vel aliis nationibus, morte nimirum & ſuſpendio. Meritò Chriſtianis furibus inculcari poteſt illud: *Quid* 3. *Ex lege nouâ.*

hoc audio de te? De te, inquam, villico Dei, poſito ſuper eius bona tanquam ſeruo fideli?

C. II. Peccati huius turpitudo.

Mouet SECVNDÒ, Peccati huius turpitudo & infamia: quod & infami ſupplicio patibuli plectitur, vbi fures in patibulo debent putreſcere, & tantiſper fœtore ſui nominis & corporis prætereuntium aures & nares implere. Vulgò certè nihil ita fœtet, minuſque toleratur, quàm vocari aliquem furem; quia hoc peccandi genus vti contemptiſſimum, ita ferè viliſſimorum hominum eſt. Vnde non iniuriâ villicus iniquitatis diffamatus fuiſſe dicitur: quia vitium ſcilicet hoc maximè infame eſt, vt patet præſertim, cùm furtum reſtitui debeat, teſte Cicerone in Verrem act. 4. *Nihil eſt turpius ingenuo, nihil minùs libero dignum, quàm in conuentu maximo cogi à Magiſtratu furtum reddere.* Infamiam & fœtorem huius vitij oſtendit aliquando Deus in faſce ciceris à monacho quodam furtim contra regulam aſſeruato, cuius fœtorem S. Hilarion Abbas perceperat & ferre non poterat; qui & in eius rei confirmationem miſit eum ante beſtias, quæ & ipſæ horruerunt cicera illa, teſte S. Hieronymo *in vitâ S. Hilarionis.* Hinc viri ingenui & iuſtitiæ amantes etiam ſuſpiciones furti horrent, & ne contingere quidem furtum volunt, vti Tobias ille cœcus, qui audiens balatum hœdi in domo ſuâ: *Videte,* inquit, *ne fortè furtiuus ſit, quia non licet nobis aut edere ex furto, aut aliquid contingere,* Tob. 2. Ita D. Sanctulus in ſummâ rerum inopiâ & fame oblatum diuinitùs panem, timens ne fortè alterius eſſet, apponere mercenariis formidabat, teſte S. Gregorio *lib. 3. Dial. cap.* 37. Quis itaque ferat domi ſuæ tam infame & fœtens malum? Sed illud eſt dolendum, quòd nemo fur appellari, multi tamen eſſe velint. Certè furtum definitur à Theologis, ablatio iniuſta rei alienæ inuito domino. Itaque qui rapit, fur eſt; qui vſuras exigit & accipit, fur eſt; qui fraudat in contractibus, vlnâ, modia, pondere, menſura, fur eſt; qui ſeruis & mercenariis mercedem iuſtam detinet, fur eſt; qui domino ſuo per negligentiam ſuam nocet, fur eſt; qui cùm validus eſt, ſtipem egentibus præripit, fur eſt; Omnia denique lucra iniqua, furta ſunt. Item, qui furta aliorum retinent, vti & res alienas &c. fures eſſe cenſentur. Pythagoræ monitum ſymbolicum eſt: *ſiniſtrâ manu cibum ne ſumito,* hoc eſt, ex iniquo lucro ne viuito. Siniſtrâ manu cibum ſumere, turpe eſt inter commenſales: at quantò turpius iniquum lucrum?

D. III. Inquietudo conſcientiæ.

Mouet TERTIÒ. Inquietudo conſcientiæ; quæ perpetuò murmurat contra bona iniuſtè parta. Ferunt eſſe auem quandam paradiſi dictam, quæ capta & incluſa, nunquam non gemit, donec dimittatur. Rob. Holcot. *in lib. Sapient. cap.* 144. Talis eſt res iniuſtè parta: ſemper enim conſcientiam pungit & euolare cupit ad dominum ſuum. Hinc hodiernus diſſipator angitur in conſcientiâ, cùm ait: *quid faciam?* Prodigorum quidem pecuniam vulgò dicimus clamare: *Laß mich auß*: ſed verius ita clamat pecunia furum & raptorum, & quidem meliore iure. Fortunatus presbyter apud Surium tom. 3. in vitâ S. Medardi, ſcribit quendam furem D. Medardo ſurripuiſſe taurum, cuius collo tintinnabulum appenſum erat: vbi domi in tuto erat taurus; fur tintinnabulum abdidit, ne illius ſonitu furtum proderetur. Sed ecce, in cubiculo, in ſcrinio, in arcâ, vbique ſemper tintinnabulum reſonabat, audientibus & admirantibus etiam vicinis. Cùm igitur nemo furem ſuſpicaretur, ipſe conſcientiæ ſtimulo & nolæ ſonitu exagitatus rem amicis aperit: quorum hortatu ad S. Medardum accedens, taurum reddidit & veniam impetrauit. Talis eſt ad amuſſim remorſus conſcientiæ, qui ex furto vel rapinâ gignitur; ſemper enim obſtrepit illud: *redde quod debes*; quocunque te abdis loco, donec reddas. Teſtis eſt experientia, fures ſemper eſſe pauidos & ablata mox diſtrahere vel immutare, ne agnoſcantur.

Ratio eſt, quia bona illa in loco ſibi debito non ſunt. Vt enim auis ſupradicta extra patriam ſuam non quieſcit, vti brachium luxatum ſemper dolet, & elementa extra locum ſuum naturalem ſemper grauidant: (vti pondera in horologio, vel ſupra trabem poſita quam ad extremum frangunt) ita etiam bona aliena, quamdiu extra Domini ſui poteſtatem ſunt. Quis itaque ferat in domo ſuâ tam inquietum malum?

E. IV. Difficultas ſatisfaciendi.

Mouet QVARTÒ, Difficultas ſatisfaciendi pro hoc peccato. *Non enim dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum,* ait S. Auguſt. *in epiſt. ad Macedonium.* De aliis peccatis facilis eſt pœnitentia, cùm nimirum ceſſat paſſio, & accedit contritio vel confeſſio: ſed non ita de iniuſtitiâ, quæ præterea requirit reſtitutionem, vt æqualitas iuſtitiæ fiat: reſtitutionem, inquam, non rei ſolùm ablatæ, ſed & damnorum ex ablatione profectorum. Ratio, quia non dimittitur peccatum, niſi diſpoſito: diſpoſitus autem non eſt, qui victus auaritiâ, non reddit vero Domino, quod ipſius eſt. Hoc autem quàm difficulter & quàm raro fit, præſertim ſicut decet? obſtat amor rei ablatæ: pudor reſtituentis: timor pœnæ vel exiſtimationis imminuendæ, &c. Nec abſoluitur quis, ſi, cùm noſcit rei dominum, alteri reſtituat, v. g. pauperibus vel Eccleſiæ: quia hoc eſt curare pedem, quando dolet caput, *den Flech neben den Loch ſetzen.* Hinc itaque Propheta Abacuc, c. 2. vocat talia bona *denſum lutum. Væ, qui multiplicat non ſua,* inquit: *vſquequò & aggrauat contra ſe denſum lutum?* Quia nimirum à talibus bonis difficile eſt ſe expedire; ſicut è denſo luto. Et heu quàm multi infixi in hoc limo profundi perierunt? Sanè hodiernus diſſipator difficultatem ſatisfaciendi domino ſuo agnoſcit, cùm ait: *fodere non valeo, mendicare erubeſco.*

Iam ſi ſedulò cauemus, ne veſtem aut rem charam imbuamus ſordibus, quæ difficulter eluuntur, vt eſt oleum, &c. quantò magis cauendum, ne animas noſtras polluamus iniuſtis bonis, quæ tam ægrè reſtituuntur.

Mouet

Digitized by Google

F. V. Inutilitas talium bonorum.

Mouet QVINTÒ, Inutilitas talium bonorum & pernicies quam adferunt. Non enim mentitur Sapiens, cùm ait, Prou. 10. *Nihil proderunt theſauri impietatis.* Non enim proſunt ſpiritualiter ad eleemoſynas & ſacrificia. Nam Eccli. 34. dicitur: *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantiâ pauperum; quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui.* Neque aduerſatur huic, quod dicitur in hodierno Euangelio: *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis*: iuſta enim bona intelligit Dominus. Neque proſunt, ſaltem diu, corporaliter, quia de malè partis non gaudet tertius hæres. Vnde idem Eccleſ. c. 2. ait: *Subſtantia iniuſtorum ſicut fluuius ſiccabuntur, & ſicut tonitruum magnum in pluuiâ perſonabunt.* Vt enim torrens & tonitrua citò deficiunt, ita iniquorum opes. Quid, quòd ipſi etiam plerumque egent, qui ex rapto viuunt? Sic enim Sapiens *Prou.* 11. ait: *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt nõ ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Ita videmus beſtias prædatrices, lupos, vulpes, accipitres & miluos ſemper eſſe macilentiores aliis, quæ non prædantur. Ratio eſt, quia iuſto Dei iudicio bona iniuſtè acquiſita deuorant etiam illa, quæ iuſtè ſunt acquiſita: ſicut pennæ aquilarum mixtæ pennis aliarum auium deuorare eas dicuntur. S. Auguſt. *in tract. de conuenient. 10. plag.* ait, decem Ægypti plagas à Deo immiſſas reſpondere tranſgreſſoribus decem mandatorum. Hîc igitur in ſeptimâ plagâ ait: *Septimum præceptum eſt: Non furaberis; & plaga ſeptima fuit grando in fructibus. Quod per furtum contra Dei præceptum ſubducis, de cælo perdis; nemo enim habet iniuſtum lucrum ſine iuſto damno, &c.* Cures Pieżenigorum Princeps Suatilao Ruthenorum Principe ex inſidiis interfecto, cranium eius in poculum efformari fecit auro circumdato, cum hac inſcriptione: *Quærendo aliena, propria amiſit*, Liuius lib. 23. Strabo lib. 7.

G. VI. Multiplex periculum.

Mouet SEXTÒ, Multiplex periculum, quod hinc imminet. Primò, damnationis propriæ & hæredum, qui talibus bonis fruentur. Certum enim cùm tu rapis alteri pecuniam, rapere interim diabolum animam tuam, & ſibi oppignorare; à quo difficulter redimes. Sed & hæredes tui, ſi conſcij ſint iniuſtitiæ, & ex raptis tuis viuant, eodem in periculo ſunt, quod docet te illa fabula de lupi catulis à ruſtico necatis, quòd de ouibus ipſius à genitore raptis victitârint. Docet mater S. Mariæ de Oignies, quæ proptereà ſe damnatam eſſe filiæ indicauit.

2. Secundò, Periculum temporalis punitionis, quæ à tergo fures ſequitur & ſæpe mirabiliter apprehendit. Euiratus Auctor *prati ſpirit. cap. 77.* ita ſe cœcum de cœcitatis ſuæ causâ narrantem audiſſe ſcribit: *Alexandriæ iuuenis eram non labore, ſed furtis victitans. Atque ita vidi aliquando diuitis viri funus ſplendidè veſtitum efferri: quod ſepultum celebratis de more ſacris, refodi, exui, nihilq́; reliqui præter lodicem. Abituriens verò cogitaui & hanc mecum ſumere. Quòd cùm facerem, & cadauer vellem relinquere denudatum, ſurrexit mortuus, & digitis ſuis oculos meos eruit. Ac ita profugi inde cæcus, & victum mendicitate quæro.* Quin & ipſum aliquando furtum perniciem furi attuliſſe legimus. Refert enim Plinius *l. 8. c. 51.* ſues aliquando furto abactos & naui impoſitos, cùm vocem agnouiſſent ſubulci, inclinatione lateris vnius, nauigium euertiſſe, & vectorem demerſiſſe.

Tertiò, Periculum deuolutionis ad grauiora ſcelera; cuius rei exemplum vix auditum ſcribit P. Anton. de Balinghem in Zoopædiâ ſub titul. hoſpitalitas. *Cùm Polonus quidam Pultouienſis annos multos paternâ domo abfuiſſet, atque in caſtris commoratus ibi rem familiarem auxiſſet, tandem in patriam ſe recipit bene nummatus, caſuq́; in ſororem tam ſibi ignotam, quàm ipſe illi eſſet, incidit, ex quâ percunctatur, quid tali actum eſſet (parentem autem vtriuſque nominabat) viuere valereq́; ſeq́; filiam eius eſſe reſpondit illa. Pergit ille porrò ſciſcitari, quid filio eius factum (ſe autem indicabat) in remotas regiones iamdiu profectum, inquit illa, ibiq́; iam pridem mortuum vulgò credi. Tum alter, quid ſi quis fauſtus de illo tibi parentiq́; nuntius afferretur, quo tandem animo eſſes: Id, inquit illa, fieri non poteſt, cùm ſit vitâ functus: cumq́; hac eiuſq́; ſimilibus interrogationibus illam aliquamdiu ſuſpenſo tenuiſſet animo: ego, inquit, ſum is, quem tu defunctum credis: Frater, inquam, tuus ſum, qui in iſtum diem Deo laus, viuo & valeo. Cumq́; illa præ gaudio minus ei fidem adhiberet, nudato brachio oſtendit ei certum ſignum in carne, quo agnito illico ruit illa in eius amplexus, neque dubitat amplius fratrem ſuum eſſe illum, quem ante mortuum exiſtimârat. At vtinam tam fuiſſet notus parenti ſuo quà filius, quàm fuit idem ſorori notus quà frater, non ea eueniſſent luctuoſa atque tragœdiis hactenus inaudita, quæ horret ſtylus proſequi. Vbi igitur agnitus eſſet à ſorore, eiq́; ſeuerè mandaſſet, ne quidquam iſto die cuiquam, ne parenti quidem indicaret de ſuo reditu, ſed vt die ſequenti ad ſe accederet: confert ſe hoſpitandi causâ ad paternas ædes (erat autem parens eius exercitio hoſpes publicus) petit, num ſibi ſit locus futurus, admittiturq́; tanquam ignotus: poſt cœnam autem, cùm ei decumbendum eſſet, hoſpiti ad ſe vocato, tradit in manus nocte iſtâ cuſtodiendam penulam ſuam ſeu loculos, quos vbi is recepiſſet ex pondere ſuſpicatus, quod erat, eſſe illos auri argentiq́; plenos; iam ſi vnquam (inquit ille ad vxorem) emergere nobis licebit ex noſtrâ iſtâ paupertie: en tibi loculos nummorum plenos, noſtri ſunt, ſi militem iſtum è medio tollamus. Igitur cùm probaſſet vxor conſilium, nocte intempeſtâ ſtrangulatur & iugulatur ab vtroq́; parente innocens ignotuſq́; filius. Sequenti die accedit ſoror ad paternas ædes, petit conuenire militem illum qui pridie ſub veſperam eò diuerterat. Negat conſtanter parens, quemquam ad ſe diuertiſſe: Quomodo, inſtat illa, id fieri poſſit, cùm heſternâ die ad te miſerim certum hominem (erat autem filius tuus, meuſq́; frater, quem & eum quem dico eſſe certiſſimis argumentis deprehendi) cumq́; pergeret illa patri eius rei fidem facere, vt ſe ille in filium, eumq́; poſt tot annos atque meliore fortunâ reducem manus impias inieciſſe perſpexit ſe publicè in patibulo, ſuſpendit, mater autem eiuſdem doloris impatiens, eodem ſe ferro, quo filium iugulârat, ipſa confecit.* Contigit hoc anno 1618. die 14. Maij. Quid

hſc dicamus, Auditores? Nônne exclamabimus cum Poëtarum Principe:

— quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Nônne iuſta Dei iudicia admirabimur, quibus hoc permiſit, vt qui in alterum ſæuierant, in ſe ſæuirent ipſi? & qui alienum fuderunt ſanguinem, funderent & proprium?

Quæ cùm ita ſint, rogo vos, Auditores, per amorem ſalutis veſtræ, vt ſeruetis manus veſtras immaculatas ab omni iniuſto bono! & ſi quis aliquando eas commaculauit, quamprimùm perpurgare ſtudeat. Nemo ſibi perſuadeat ſe laudandum in die rationum reddendarum à domino ſuo, ſi de alieno ſibi amicos fecerit: non hoc aſſerit hodiernum Euangelium: ſed contrà per Iſaiam cap. 61. ait: *Ego Dominus diligens iudicium, odio habens rapinam.* Audiet potiùs illud: *Quid hoc audio de te?* Accuſat te ſanguis pauperum, qui in manibus tuis eſt. Nouimus ex libro Geneſ. quantum conſternati fuerint fratres Ioſeph, cùm in eorum ſaccis ſcyphus argenteus Ioſephi inuentus fuit. *Quid reſpondebimus*, inquit Iudas, *Domino meo? vel quid loquemur, aut iuſtè poterimus obtendere? Deus inuenit iniquitatem ſeruorum ſuorum*, Geneſ. 44. Aperiat igitur nunc quiſque ſaccum poſſeſſionis ſuæ, & videat, num quid alieni in eo lateat, ac maturè abiiciat ad Dominum ſuum, ſi non vult abiici à Domino Deo ſuo.

CONCIO VI.

Circa mendacium peccata multiplicia.

Comparatur mendacium vitro, & mendaces vitrarii: quo in genere primi ſunt,

1. *Qui mendacia confingunt.*
2. *Qui mendacia augent.*
3. *Qui ea diuulgant.*
4. *Qui alios mendacij arguunt.*

THEMA.

Quid hoc audio de te. Lucæ 5.

A FAcilè coniicio grauiter fuiſſe offenſum Dominum illo rumore & diffamatione villici ſui. Id enim indicant eius verba: *Quid hoc audio de te?* q. d. debeóne hoc de te audire? quanta hæc auribus meis afflictio eſt? Exiſtimo tamen magis fuiſſe offendendum, ſi diffamatio falſa fuiſſet: ſiquidem intellectus humanus naturâ ſuâ, veritatem amat, falſitate ſolâ offenditur. Quid dixiſſet igitur paterfamilias, ſi falſus ad eum rumor delatus fuiſſet; ſi villicus eius iniquè diffamatus? Et tamen heu! tales rumores & diffamationes quotidie audire debemus his temporibus. Tam proni enim tamque effuſi ſunt ad mentiendum & fingendum homines, tot vndique circumuolant mendacia, vbi prudens quiſque ſerpentis inſtar aures ſuas obſtruere deberet, ne talibus hominum figmentis incantetur & decipiatur. Quid igitur hoc audio de te ô munde! ô ciuitas! ô page! ſed videamus illos qui mendacij currum per orbem trahunt.

Perſimile mihi videtur mendacium eſſe vitro; & qui circa mendacium peccant, iis qui cum vitreis vaſis negotiantur. Nam vitrum imprimis pellucidum eſt & cryſtallo ſimillimum, cryſtallus tamen non eſt, ſed figmentum tantùm; & vt vitrum quandoque pro gemmâ venditur: ita mendacium veritatem imitatur & pro veritate hominibus venditur atque obtruditur, veritas tamen non eſt, ſed fictio tantùm. Deinde, vitrum fragile eſt, nec diu eſt vſui quin frangatur, fractum ad nihil vtile eſt, ſed abiicitur in cloacam, ne quis eius fragminibus vulneretur: ita mendacium diu non durat, ſed citò diſſipatur ac mendacium deprehenditur, quod pro veritate iactabatur, deprehenſum verò fœtet, ab omnibus proſcribitur, & alter alterum monet ne eo decipiatur. Tertiò, quia vti vitrum ex cineribus arborum combuſtarum conficitur: ita mendacia vt plurimùm ex falſis ſuſpicionibus, quæ viridium ſæpe arborum, id eſt, proborum famam, exſcindunt & denigrant, oriuntur, ac ſicut vitriarij ſæpe integras ſyluas exſcindunt vnde vitra conficiant: ita mendaces ſæpe integræ alicuius ciuitatis, nationis, domûs vel ſocietatis famam commaculant vt habeant quod mentiantur. Quartò, ſicut vitra flatu fiunt, ita & mendacia inani flatu depromuntur. Denique ſicut Officinæ, in quibus vitra fiunt: plurimis ignitis fornacibus æſtuant & inferni ſpeciem repræſentant: ita & mendacia in inferno primùm cauſa ſunt, & inde ad paradiſum per mendacij patrem & primum artificem, diabolum, allata: quin etiam cor hominum mendacium eiuſmodi infernalis officina eſt, teſte Pſal. 5. *Non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt; ſepulchrum patens eſt guttur eorum.* Vnde ſi mendacium tam bene vitro aſſimilatur, ſequitur eos qui mendacio cooperantur, ſimiles etiam eſſe iis qui circa vitra negotiantur.

B. Mendacium ſimile vitro.

1. 2. 3. 4.

Quo in genere primi ſunt qui vitra ipſa fingunt ſeu conficiunt, & ſunt qui mendacia excogitant & primi ex ore ſuo depromunt, quos S. Iob cap. 13. *fabricatores mendacij* nominat, nec immeritò: quia illi ſedulos ſe oſtendunt Magiſtri ſui diſcipulos. Vultis ſcire vos mendacifiguli Architectum & Magiſtrum veſtrum? Quærite in 3. capite Geneſis, ibi inuenietis ſerpentem, diabolum, primum omnium excogitâſſe & produxiſſe mendacium, & quidem fœcundiſſimum. *Nequaquam moriemini*, en primum; *aperientur oculi veſtri*, en ſecundum; *eritis ſicut dij*, en tertium; *ſcietis bonum & malum*, en quartum; *ſcit Deus* hæc omnia vera eſſe & me non mentiri, en quintum. Hem quàm egregius Magiſter? Et habet is diſcipulos tam ſibi ſimiles & ingenioſos vt ſæpe vno flatu plurima effutire poſſint mendacia, nec non ad hoc ſedulò ſe exerceant, quo alios decipiant, vel ſaltem irrideant, rem verò ſuam

C. I. Qui mẽdacia confingunt.

augeant

lugeant aut inde animum paſcant & alios ſubſannent. Vnde *Ier.* 9. de iis dicitur: *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium.* Nimirum quemadmodum vitrarij ſemper noua & noua excogitant & faciunt vaſa vitri; ita iſti mendacia. Neque linguam ſolùm ſuam, ſed etiam liberos ſuos maturè hanc artem docent, dum eos ad hoc vel inſtruunt, vel non corrigunt mentientes. Huc pertinent excuſationes ſui confictæ, quæ infami illo verbo, *Putabam*, defendere conantur: v. g. Deprehenditur quis die Veneris carnibus veſcens; & arguitur, cur id agat? reſpondet illicò, putabam eſſe primùm diem Iouis. Aufert alius pileum proximi, multò meliorem ſuo: Et reſpondet, putabam eſſe meum. Percutit puer pædagogum ſuum ſub menſâ quid tollentem; & dicit: putabam eſſe canem. Perdit filius nummos luſu, quos ad ſuam vtilitatem erogare debebat; & ait: putabam me lucraturum, non perditurum.

Lügen-färber.
D.
II.
Qui mendacia augent.

SECVNDÒ, Alij ea pingunt & variis figuris ac coloribus illuſtrant, & ſunt qui mendacia ab aliis conficta augent, adiiciendo eis aliquam veritatem vel veriſimilitudinem, quo faciliùs credantur: vel maiorem falſitatem & mendacij auctarium, vt mendacium mendacio confirment. Vnde fit vt ex leui ſuſpicione ingens tandem oriatur mendacium quod integram ciuitatem vel etiam prouinciam turbet; ſicuti in alpibus dum vnica auicula niuem pede mouet, globus exurgit ingens, qui deuolutione augetur, vt ſæpe domos integras ſternat obruatque. Vnde poſtea homines nimiùm creduli turpiter confunduntur. Exemplum, vel (vt reor) fabulam Geſta Romanor. Symbolica referunt de marito, qui volens experimentum capere de vxoris fide narrauit ei ſub ſigillo, ne cui diceret, ſibi poſt diuturnos ventris dolores, nocte præteritâ coruum nigerrimum de ventre euolaſſe. Quod illa, oblita fidei datæ, mox vicinæ narrat, & duos fuiſſe coruos aſſerit. Et hæc iterum alteri, & tres fuiſſe dicit: Et hæc iterum alteri cum additamento, donec vulgò iam in ciuitate diceretur, virum illum integrum nidum coruorum in ventre gerere, & iam decem euolaſſe. Tum ille conuocans populum expoſuit rem, magnâ omnium, qui id crediderant, confuſione. Ita ferè illi qui Dauidi nuntiabant omnes eius filios eſſe occiſos in conuiuio Abſalonis, cùm vnicus tantùm Amnon eſſet occiſus. Quæ res afferebat Dauidi ingentem triſtitiam & turbationem, ita vt caderet ſuper terram cum omnibus ſeruis ſuis & ſcinderet veſtimenta ſua, 2. *Reg.* 13. Quis hos falſarios non deteſtetur, qui vanitati vanitatem addunt? Nónne Iudæos abominamur, quòd etiam leuiores ponderis monetas præcidant & leuiores faciant? Et quid aliud faciunt ij qui mendacia adaugent? nónne vanitatem adhuc vaniorem faciunt? Qui & tantò grauiùs peccant, quantò veritas præſtantior eſt auro vel argento.

Lügen-träger.

TERTIÒ. Alij coëmpta vitra circumferunt & paſſim venalia proponunt inſtar circumforaneorum: & ſunt dæmonis nugigeruli, mendaciis onuſti; qui dum ea ſpargunt, non ſolùm turbant communitatem & decipiunt, ſed etiam alia plurima gignunt peccata. Hinc enim oriuntur iudicia temeraria, graues detractiones, murmurationes, diſcordiæ, blaſphemiæ & execrationes. Vnde meritò diabolus ridet, cùm tam vanis & falſis rumoribus tam grauia peccata in nobis venatur. Quid dicemus iſtis? *ſerpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Matth. 23. Vnde vobis hoc venenum, niſi à ſerpente diabolo? Propterea enim diabolus, non humanâ ſed ſerpentis ſub formâ mendacium inuexit; quia ſcilicet mendacium virus eſt, quod paulatim ſerpit & totum aliquod reip. corpus inficit, à multis bonis auertit & ad mala facienda impellit. Ita inſtigauit & miſit nugigerulos ſuos dæmon, *Num.* 13. quando exploratores detraxerunt terræ promiſſæ, eam inexpugnabilem mentientes, ita vt omnis populus animo concideret & progredi renueret. Ita multi vicini noſtri, necdum ad fidem conuerſi, falſis rumoribus retinentur ne conuertantur. Ita diabolus inuiſam vult facere confeſſionem, dum aliqui mentiuntur eius afflatu de confeſſariis: Vel concionem, dum de concionatoribus. Vtinam verò etiam Magiſtratus in iſtos animaduerteret exemplo Athenienſium, qui iſtiuſmodi nugigerulos comprehenſos torquebant, donec alius certum nuntium attuliſſet: nominatim verò tonſorem quendam, quòd Sicilienſem cladem temerè Magiſtratibus nuntiare & totâ vrbe diuulgare auſus eſſet, à peregrino in tonſtrinâ acceptum, ad rotam alligatum tenebant, vt ſcribit Plut. in Nicia. Thurinus Vetronius à Seuero Imp. fumo perire iuſſus eſt, quòd fumum, id eſt, principis beneuolentiam ſimulato commendationis beneficio vendere ſolitus eſſet. Spartian. Lamprid. Quòd ſi vnus aut alter eiuſmodi venditorum ita tractaretur, non dubito quin ciuitas noſtra à tot fumis citò purgaretur.

E.
III.
Qui ea diuulgāt.

QVARTÒ, Alij ea emunt & in menſis apponunt: & ſunt qui libenter audiunt & poſteà in ſymphoſiis enarrant, adeoque conuiuiis etiam apponunt: qui & ipſi leuitatem ſuam eo ipſo produnt, quia ſcriptum eſt Eccleſ. 19. *Qui citò credit, leuis eſt corde & minorabitur.* Minorantur verò in famâ & exiſtimatione, quia decipiunt & decipiuntur; & ita fidem perdunt, & leuitatem aut ſaltem imprudentiam ſuam produnt. De Lappis refertur quòd ventos in magnis doliis venales habeant & nauigaturis vendant. Verè Lappi & ſtulti. Sed ſi vani ſtulti ſunt qui ventum vendunt, multò magis qui emunt. Dic verò ſodes, nummum falſum nunquid accipis? minimè; & ſi acciperes, ridereris inſuper à dante tanquam ſtolidus aut cæcus: ita ridetur is qui paſſim mendacia audire geſtit & credit. Suſpectam ergo monetam ter vel quater verſas & examinas, antequam accipias: cur non etiam rumores? Vnde rectè monet Dominus Exod. 23. *Non*

Lügen-kauffer.
F.
IV.
Qui ea libenter audiunt.

 ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipias vocem mendacij. Vatablus vertit: *ne aſſumas rumorem vanum aut falſum.* Quare Diogenes audiens aliquem immodicè extollentem laudes Alexandri, obturauit aures ſuas, dicens quòd non poſſet audire illa mendacia; in vitâ Philoſophorum. Sed heu nimiùm patent aures noſtræ ad ſuſcipienda mendacia. Speciatim verò obſeruandum eſt ſuperioribus, quando aliqui ad eos deferuntur & accuſantur, ne ſtatim delatoribus credant, ſed & alteram partem audiant, exemplo patrisfamilias in hodierno Euangelio, qui auditâ infamatione diſpenſatoris non ſtatim eum condemnauit & abegit, ſed ad ſe priùs vocauit & audiuit dicens: *Quid hoc audio de te?* Alioquin enim alteri parti facilè iniuriam facient, vt Putiphar Ioſepho, nimis credulus vxori, *Gen.* 39. & Dauid Miphiboſetho, 2. *Reg.* 16. nimis credulus eius ſeruo, qui mentiebatur herum inſidiari regno Dauidis.

Eugens ſchandeter. G. V. Qui alios mendacij arguunt.

QVINTÒ, Alij in hoc peccant, quòd venditoribus vitrorum, vitra in faciem proiiciant, & ſunt ij qui dum audiunt falſitatem aliquam aut mendacium dici; mendacij dicentem non ſine probro arguunt. Hi non minùs peccant quàm mendaces, quia errorem grauiori errore corrigere conantur, quemadmodum is, qui vt aliquem de ſegete expelleret, equo infectatus eſt, & duplum ſegeti ſuæ damnum intulit; imprimis enim ſæpe iniuriam dicenti facis, cùm mendacij eum arguis, quia neſcis an mentiatur, ſi enim ita ſentiat vt loquitur, falſum quidem dicere poteſt, ſed non mentiri; quia non it contra mentem quod eſt mentiri. Atqui tu nullius mentem intueris. Secundò, licet eum mentiri ſcires, non tamen deberes eum confundere, ſed diſſimulare, aut rem in iocum trahere, vel modeſtè eum commonefacere: niſi eſſet mendacium contra Dei honorem, vel contra fidem, vel in notabile damnum proximi, & dicens manifeſtè conuinci poſſet: quo modo Daniel dixit falſis accuſatoribus Suſannæ: *Rectè mentitus es in caput tuum*, Dan. 13. Et Carolus V. Imperator audiens legi mendacem & hæreticum ſcriptorem Sleidanum, ſubinde dixiſſe fertur: *Mentitur nebulo.* Denique, quia ſæpe non malitioſè, ſed ex inconſideratione profertur mendacium; quod leuis culpæ eſt & tam grauem caſtigationem non meretur. Vellem igitur faceremus, quòd Imperator Gallienus iunior, qui conquerenti ſibi vxori quòd ab impoſtore decepta eſſet, obtrudente ſibi gemmas vitreas pro veris; ac proinde vltionem petenti, ſpopondit ſe ſumpturum. Impoſtorem in theatrum produci iuſſit, quaſi leonibus obiiciendum. Sed dum miſer expectat leonem, illic caper proſiliit, & omnibus riſum mouit. Mirante hoc populo, Imperator proclamari fecit: *Impoſturam fecit & paſſus eſt*. Trebell. Poll. Igitur ſiquis tibi mendacium pro veritate venderet, adeoque vitrum pro gemmis; ne tu ſequare vxoris conſilium, id eſt, concupiſcentiam iraſcibilem, neve leonem probri & contumeliæ in dicentem immittas: malus enim & ſæuus leo eſt lingua, niſi caueat ſuæ incluſus contineatur dentium muro. Trahe potiùs rem in iocum & honeſto modo rem diſſimula, vel dicentem inſtrue, atque ita caprum in eum immittes, nihilque ei nocebis.

Ergo, Auditores, attendamus nobis ne in turbam iſtam mendacigerulorum, infamem & periculoſam incidamus. Audiamus votum S. Ioannis, veritatis amantiſſimi, qui *epiſt.* 3. ſcribit: *Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.* Aberrabit enim à cœli tramite, qui non ambulat in veritate.

CONCIO VII.

Mira filiorum huius ſæculi prudentia, ſed caſtigata.

1. *Ad fingendam ſanctitatem.*
2. *Ad aſtruendas hæreſes.*
3. *Ad defendendam quamuis cauſam.*
4. *Ad ſe excuſandos eximendoſque.*
5. *Ad captandam aliorum gratiam.*
6. *Ad parandas opes.*
7. *Ad paranda imperia & honores.*
8. *Ad circumueniendum proximum.*

THEMA.

Filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. Luc. 16.

NOn mirandum quidem, miſerandum tamen eſt, quod in Euangelio hodierno audimus à Chriſto Domino, filios huius ſæculi prudentiores eſſe filiis lucis. Non mirandum eſt; tum quia bona, quæ illi perſequuntur, vel quæ fugiunt mala, ſenſibus ſubiecta ſunt, quæ appetitum & ingenium ad excogitanda media, quibus ea comparentur vel vitentur, valde mouent atque excitant; cùm econtrà bona, quæ boni perſequuntur, vel mala, quæ fugiunt, ſolo intellectu apprehendantur, ſicque tenuiter appetitum moueant: Tum quia illi præſentibus, hi verò futuris intendunt. Interim hoc ipſum verò miſerandum eſt, quòd nimirum reprobi magis attenti ſint ad inania & fugacia comparanda bona, quàm boni ad ſolida & æterna: magiſque eos moueat terra, quam pedibus calcamus, quàm cœlum quod longè poſitum oculis ſpectamus. Quis enim hoc non doleat, quòd homines ratione prædíti ad cœlum & æterna nati, Chriſtique Euangelio imbuti magis inhient luto quàm auro, terræ quàm cœlo, ſintque oculatiores ad captandos mures, quàm ad comparandas æternæ felicitatis delicias! Et tamen hoc fieri paſſim cernimus innumeris ab hominibus quamplurimis in rebus, vti nunc docebimus. A.

Prudentes ſiue edocti ſunt PRIMÒ ad fingendam ſanctitatem. Cuius rei exemplum præbuit apud Ethnicos Q. Sertorius in Iberiâ, qui hinnulum candidæ ceruæ aluit, cicuremque B. I. Ad fingendam ſanctitatem.

remque reddidit, adeò vt præeuntem ſequeretur, & cum aſcendente in tribunal aſcenderet, eoque loquente os diduceret. Perſuaſit igitur Barbaris animal hoc ſacrum eſſe Dianæ, Deamque per illud omnia prædicere, ſociamque in bellis præſto eſſe. Itaque ſtuporem Barbaris iniecit, ita vt eum adorarent, & confugerent ad eum, quaſi diuinis viribus ſeptum. Refert Gellius *lib.* 15. *cap.* 22. Apud Turcas Mahumetas ſceleratæ eorundem ſectæ auctor, qui vt diuinitatis opinionem apud barbaras nationes captaret, columbam ita aſſuefecit, vt ipſi ad rudes populos concionem habenti in humeros inuolaret, roſtroque aurem peteret, ex quâ ille eam paſcere inſerto pabulo conſueuerat. Hinc populi credidére, ipſo ita affirmante, Spiritum ſanctum in columbæ ſpecie cœlitùs deſcendere, vt ei, quæ dicenda eſſent, ſuggereret. Fulgoſ. *lib.* 7. *cap.* 3. Apud Chriſtianos repertus eſt quidam ex ordine Eremitarum, Antonius Piceus, qui 40. dies & noctes perpetuò ieiunare ferebatur ſub Alphonſo Aragonum Rege, ideoque Italiam, Siciliam atque Hiſpanias ſanctitatis ſuæ famâ complebat. Pluribus enim locis incluſus, & à cuſtodibus obſeruatus, nihil edere aut bibere viſus eſt; quare putabantur Angeli victum ei ſubminiſtrare. Verùm ipſe intùs in cellâ habebat candelas craſſiores ad nocturnum lumen, externè quidem cerâ obductas, ſed quæ fiſtulas cannarum continerent, farinâ infartas, factâ ex contritis phaſianorum & caponum pectoribus ac carnibus, mixto ſaccaro & aromatibus. Aiunt & cingulum geſtaſſe fiſtulatum, plenum nectare, quod Hypocraticum vocant. Hinc ille vir opinione tam ſanctus clam victitabat. Sed ad extremum caſtigata eſt à Deo ſtulta eius prudentia, cùm à vermiculis abſumptus, inter cruciatus Chriſtum & Deiparam blaſphemans, miſeram fudit animam, ſuamque prodidit hypocriſin. Panorm. lib. 2. de geſtis Alphonſi cap. 9.

C. II. Ad aſtruendas hæreſes.

Secundò, Ad aſtruendas hæreſes fidemque impugnandam. Nota eſt Caluini ſtropha, quâ ad confirmandam ſectam ſuam ſubornauit quendam Oſtunenſem ciuem, nomine Brulæum, vt ſe mortuum ſimularet, quò cum reuocare ad vitam videretur; qui tamen fœdè deluſus, verè mortuum reperit, quem viuentem ſuſcitare voluit, de quâ re Bolſecus & alij. Simillima fuit ea Cyrolæ Epiſcopi Ariani, qui & ipſe vt firmaret hæreſin ſuam, conuenit cum nequam homine, datis 50. aureis, vt is ſe mortuum ſimularet, ſuſcitandum Cyrolæ precibus. Qui etiam cùm reſurgere ab Ariano iuberetur, verè mortuus deprehenſus fuit; apud Gregor. Turon. lib. 2. hiſt. Franc. cap. 3. Baron. anno 484. Eodem pertinet peſtifera noſtrorum hæreticorum prudentia, quâ ſuos tueri errores noſtraque euertere dogmata conantur. Vt enim nobis apud populum detrahant, obtendunt nullo apud nos eſſe loco SS. literas, quandoquidem ſuperaddimus eis humanas traditiones velut inſufficientibus. Vt iudicium peremptorium & cenſuram ſummi Pontificis effugiant, dicunt Pontificem errare poſſe, vt hominem, ſæpius quoque erraſſe, imò eſſe Antichriſtum. Vt clerum populo faciant exoſum, luto maledicentiæ aſpergunt, & vitia eorum paſſim in libris & concionibus traducunt, nec non comminiſcuntur. Vt incautos decipiant bella & ſeditiones concitant; quo modo piſcatores perturbant aquam, vt timore perculſi piſces in ſagenas incurrant; quas non vident. Quò plures ad ſe trahant, ſeligunt è diuinis literis promiſſiones, & quæcunque miſericordiam ſpirant: contraria verò ſilent: carni fræna laxant, quæ aſpera eique aduerſa ſunt, exterminant. Vt pœnitentiam, ſatiſtactionem, aliaque pia opera eneruent, Chriſti merita extollunt, quaſi ſola ſufficiant, quo modo Ariani, vt æternum Dei filium deprimerent, in quem nullo pænè amore ac ſtudio ferebantur, impensè laudabant Patrem. Hæc illorum prudentia, ſtulta & carnalis eſt, ſuo tempore caſtiganda.

D. III. Ad defendendam quamuis cauſam.

Tertiò, Ad defendendam quamuis cauſam, etiam iniuſtam. In quo genere Iuriſconſulti aliqui excellunt, qui nullius quantumuis deploratæ cauſæ patrocinium ſuſcipere dubitant; quaſi è tenebris lucem nullo facere negotio queant. Galeacius Dux Mediolanenſium, cùm aliquoties audiſſet vafro ingenio cauſidicum eſſe, qui lites ſerere, & ſatas producere atque alere, etiam in liquido iure poſſet; hominem ad ſe accitum affatur: *Debeo, inquit, piſtori meo centum aureos. Non lubet ſoluere, tu ecquid tueri me in iure, & rem protelare potes?* Annuit largiter & Principi promptè ſe dedit: ſed in malum ſuum. Nam fraudis ſic confeſſum, Princeps, verbis priùs obiurgatum laqueo publicè necari iuſſit. Refert I. Lipſius *in monitis Polit.* Et quid ad hæc diuina vox? Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, inquit *Iſa.* 5. ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.

E. IV. Ad ſe excuſandos eximendoſque.

Quartò, Ad ſe excuſandos atque exonerandos. *Puer quidem haud malæ indolis*, (ita ſcribitur in Poſtcolloq. Maioli coll. 4.) *à patre mittebatur in ludum litterarium. Is quò patri appareret literis deditior ſenſimq́, patrē diuerteret ab incepto, & literis valediceret, è fabæ polline tenuiſſimum in modum contrita cæpit, manè ſibi vultum afflatim inſpergere, magnâ arte adhibita. Quod dum aliquot a filio cōtinuatur diebus, animaduertit pater os eius ſubflaueſcere, atque illi metuens, an bene ſe haberet, ſciſcitatur. Reſpondet ille, & bene & validè, ac tum vehementius multò quàm antè literis incumbit, multum noctu vigilat, matutinus è lecto ſurgit, totumq́, ſeſe ad libros conuertit, ac nihilominus ſingulis diebus pluſculum è polline in faciem ſufflat, atque non ita multo poſt languere ſe ſimulat. Quo cognito pater vetuit illum ad Grammaticam proficiſci; malle enim filium ſibi illiteratum viuere, quàm ob cauſam literarum in tenerâ ætate mori.* En tibi aſtutiam pueri auerſantis literas! Huic non abſimilis eſt illa cuiuſdam agricolæ, qui audiens BB. Iulium & Iulianum Imperatoriâ poteſtate omnes

tranſeuntes compellere ad operas Eccleſiæ extruendæ impendendas, tranſiturus illic cum quadriga, ad ſuos fatur: *Quam excuſationem prætendere poterimus, vt liberi tranſeamus, & in illo opere ne occupemur?* Vnum igitur è ſuis plauſtrum ſupinum poſuit, & pannis velut mortuum operuit; qui ſe mortuum fingebat, & oculis clauſis reſupinus iacebat. Cùm ergo ad Iulianum & Iulium perueniſſent, dixerunt eis ſerui Dei? *Filioli, parumper ſubſiſtite, & nos in hoc opere iuuate.* Qui ſe ibi ſtare non poſſe dixerunt, quòd hominem mortuum ad ſepulchrum efferrent. Quibus illi: *Quid ita mentimini, filioli?* Et illi: *Non mentimur Domini; ſed ita eſt, vt loquimur.* Tunc S. Iulianus dixit: *Secundùm veritatem dicti veſtri ita vobis contingat.* Illi ergo longiùs progreſſi cùm collegam excitarent, mortuum deprehenderunt; ſicque caſtigatus fuit illorum dolus, qui ſanctis viris imponere, ſeque pio oneri ſubducere per dolum non timuerunt. Refert Petrus de Natal. *lib.3. Natal.SS. cap.36.* Similem muli cuiuſdam aſtutiam aſtutè correxit Thales Mileſius. Etenim mulus ille ſale onuſtus, cùm aliquando in fluuij tranſitu corruiſſet, & ſale in aquâ liquefacto, liberatum ſe ab onere deprehendiſſet, poſteà quoties vadum illud tranſiit ſponte cadens, vel ſubſidens, ſale ſe exonerauit. Quo animaduerſo Thales ſpongiis & lanâ mulum onerauit. Qui cùm priorem aſtum repetere in fluuio vellet, ſenſit multis partibus onus aggrauatum; ſicque deinceps ſibi ſatis à lapſu cauit. *Ælian. lib.7. cap.37.* Hunc in modum aliqui nôrunt variis aſtibus ſeſe extricare è communibus oneribus, nec non ab omni culpâ excuſare, quantumuis alioquin rei ſint. Quos tamen ſuo tempore emendabit Deus. Scribit ſanè Petrus Damianus Cardin. *epiſt.14. cap.4.* de quodam verſuto viro, qui in Lombardia per ſuam nequitiam vbique locorum ſe ab omni periculo nouerat ſubtrahere, quacunque etiam tempeſtate occurrente. Tandem moritur, & poſt mortem viſus eſt religioſo viro in lacu quodam ignito huc illucque natare, vt emergeret. Verùm lacus ille vndique obſeſſus erat ſerpentibus & draconibus, qui eluctanti occurrebant, quaſi eum deuoraturi; vnde miſer iſte nuſquam egreſſum reperit: quò doceret eos, qui ſe hîc ab omni labore eximere, omnique afflictioni ſubducere norunt, illic æternis pœnis vndique cingendos, nec egreſſum reperturos.

F. V. Ad captãdam aliorum gratiam.

QVINTÒ, Ad captandam aliorum, præſertim Magnatum, gratiam, fauorem & beneuolentiam. Doctus in hac re fuit noſter villicus, qui domini ſui debita remiſit obæratis, quò eos ſibi faceret amicos, & haberet, ad quos confugeret tempore inopiæ. Inſigniter etiam in hoc ludo eruditi fuerunt Gabaonitæ, qui ad Ioſuen miſſi legati, attritis veſtibus, pertuſis calceis, panibus pænè in lapides duratis, venerunt. Periculoſum enim rati ſunt, ſi ſe Chananæos dicerent, & propè habitantes. Aiunt igitur ſe famâ Hebræorum excitos, multorum dierum iter feciſſe, idque ex habitu comprobabant. Veſtes enim longo itinere detritas, calceos ſolutos, panes induratos eſſe; cùm tamen datâ operâ veſtes tam attritas ſumpſerant, & callidè omnia confinxerint, vt verisimilia dicere viderentur. Hoc aſtu pacem & impunitatem, fœdus & amicitiam ab Hebræis emendicarunt. Verùm dolus iſte non omninò impunis manſit; ſiquidem Gabaonitas addixit Ioſue perpetuæ ſeruituti, vt in vſus vniuerſæ multitudinis ligna cæderẽt, & aquas comportarent, *Ioſ.9.* Aſſentatores Alexandri quid non excogitarunt, vt eius gratiam captarent? Quidam, Niceſias nomine, cùm Alexander à muſcâ ſe compunctum quereretur, dicebat: Aliis profectò muſcis hæ, quæ tuum ſanguinem deguſtarunt, præſtantiores multò futuræ ſunt ac ſtrenuiores. Alexander cum rege iter faciens, vt ſtupendo inopinatoque fragore cœlum intonuit omnibus conſternatis: Hoccine, inquit, feciſti Alexander Iouis fili? Athen.l.6.

G. VI. Ad parãdas opes.

SEXTÒ, Ad parandas opes. Inſpiciamus mercatorem diſſerentem Mediolani de religione, deque hominum moribus Bernardinum adibat ſæpius, hortabaturque Mercator quidam, vt multus eſſet in abominando fœnore; laborare enim vrbem illam nimiùm quantùm eo morbo. Itaque Bernardinus inquirere in mores & vitam mercatoris; comperit autem ipſum perditiſſimum eſſe fœneratorum omnium, illudque agere, vt cæteris deterritis liberior ipſi vbi fœnerandi relinqueretur facultas. Poſt colloq. Maiol. *coll. 4.* Quanta hæc aſtutia, ſiue huius ſæculi prudentia? Inſpiciamus & Notarium. Notarius quidam, inquit Poggius Florentinus, qui parum quæſtûs arte ſuâ faciebat, excogitata aliquid lucrandi verſutia adoleſcentem quemdam adiit, petens nunquid ei ſatisfactum eſſet de quingentis florenis, qui olim patri per quendam iam defunctum mutui causâ debebantur. Inſcius ille negauit id debitum in nominibus patris eſſe. Notarius id inſtrumento conſtare à ſe facto aſſerens, iuuenem perpulit, vt nummis redempto inſtrumento apud Prætorem debitum peteret. Citatus filius eius, qui debitor dicebatur, negauit parentem vnquam mutuo quidquam ab alio ſumpſiſſe, cùm nihil de eâ re (vt mos eſt mercatoribus) libris ſuis conſtaret; ſtatimque ad Notarium profectus, vt falſum hominem arguere cœpit, qui quod nunquam eſſet actum, ſcripſiſſet. Tum Notarius: Neſcis fili temporis illius acta, inquit; cùm nondum natus eſſes, pater quondam tuus eam ſummam mutuò ſumpſit, ſed poſt paucos reſtituit menſes: eius rei ego contractum finis feci: quo liberatus eſt pater. Ille pecuniâ datâ inſtrumentum redemit & ea moleſtia producto fine liberatus eſt. Ita ergo Notarius ab vtroque nummos bella fraude emunxit. Inſpiciamus & Mendicos. *Acceſſerunt aliquando ad Iſaac Eremitam peregrini quidam miſericordiam poſtulantes, ſciſſis pannis obſiti, vt pæne nudi viderentur. Cumq; ab eo veſtimenta peterent, eorum verba vir Domini tacitus audiuit: qui vnum ex diſcipulis*

diſcipulis protinus ſilenter vocauit, eiq́, præcipit dicens: Vade atque in illâ ſyluâ in tali loco cauam arborem require & veſtimenta, quæ in eâ inueneris, defer. Cumq́, diſcipulus abyſſet, arborem ſicut iuſſus fuerat, requiſiuit: veſtimenta reperit & latenter detulit Magiſtro. Quæ vir Dei ſuſcipiens, peregrinis nudis atque petentibus oſtendit & præbuit dicens: Venite, quia nudi eſtis: ecce tollite & veſtite vos. Hæc illi intuentes recognouerũt quæ poſuerant, magnoq́, pudore conſternati ſunt: & quia fraudulenter veſtimenta quærebant aliena, confuſi receperũt ſua. Refert S. Gregor. *lib.* 3. *Dial. cap.* 14. Inſpiciamus cœcum ad rem ſuam recuperandam ſolertiſſimum. Alphonſi Aragonij temporibus Agrigenti (quæ Siciliæ ciuitas eſt) vir cœcus fuit aſtutiſſimus, qui cùm 500. haberet aureos nummos, veritus ne ſibi furto adimerentur, in agro eos defodit. Quod cùm fortè quidam non longè ab eo loco habitans vidiſſet, ſequenti die effoſſam inde pecuniam abſtulit. Cœcus poſt aliquot dies ad locum rediit, vt pecuniam quæreret; quam cùm non inueniſſet, coniecturâ aſſecutus eſt, nullum alium quàm dictum vicinum abſtuliſſe. Itaque rem diſſimulat, iſque poſt aliquot dies vicinum conueniens, ſub iuriſiurandi fide, (vt meliùs tegeretur aſtus) ceu amico communicat ſe aliàs pecuniam defodiſſe & cùm tantundem etiam nunc haberet, petere ſe ab amico conſilium, deberétne ſimul cum alia defodere, aut ſeorſim eam apud ſe retinere? Amicus qui hanc quoque cœci pecuniam vt aliam auferre cuperet, ſuaſit vt cum alia defoderet, &, ne cœcus ſi primam abeſſe pecuniam inueniſſet, hanc quoque, quam ſe habere nunc dicebat, illic deponere abſtineret, primam illic, vt antè erat, repoſuit. Cœcus illuc profectus cùm pecuniam inueniſſet arbitrareturque id quod erat, amicum haud longè ab eo loco abeſſe, exclamauit: *Hac in re amice, oculatior videnter cæcus fuit.* Fulgoſ. *lib.* 7. *cap.* 3. Panorm. *lib.* 3. *de dict. Alph.* Videte & ſtupete filiorum huius ſæculi prudentiam.

H. VII. Ad parãda imperia & honores.

SEPTIMÒ, Ad paranda imperia & honores. Scimus aſtum Abſalonis, quo imperium patri adimere ſibique arrogare ſtuduit. In publico enim ſedit ad portam ciuitatis, accedentes comiter allocutus eſt & queſtus de iniuſtitiâ patris regiminis & neglectu oppreſſorum: ſe iudicem æquum futurum. Addebat ad hæc oſculum & complexum, quo populum ad nouarum rerum ſtudium inſtigaret, 2. *Reg.* 15. Idem patri regnum iam erepturus dixit votum ſibi eſſe in Hebron; quò vbi peruenit, magnum ex ſequacibus ſuis conflauit exercitum, duxitque in patrem. Verùm comâ implicatus ramis quernis ſuſpenditur & à Ioab tribus telis configitur, 2. *Reg* 18. Scimus Abimelechum cogitaſſe vendicare ſibi principatum patre defuncto & præripere ſeptuaginta ſuis fratribus, quibus debebatur velut natis ex vxoribus præcipuis, non ex concubinis, vt erat ipſe. Id vt aſſequeretur, callidè ſe inſinuauit in amicitiam Sichimitarum, impetrauitque vt Rex ab iis haberetur. Tum aſſumptis aliquot nebulonibus fratres ſuos omnes ſuper vno trucidauit lapide; dempto minimo, Ioathan; abſcondito ab amicis. Verùm nihil profecit eius aſtutia: Breui enim ipſi eius ciues, Sichimitæ, exhorruerunt eius barbariem & ab eo receſſerunt; ipſeque à muliere deiecto è turri fragmine molæ occiſus eſt, *Iudic.* 9. Audiamus quid de Leſco Polonorum Rege ſcribat Cromerus l. 2. Mortuo Poloniæ Rege eiuſdem nominis, ſtatuerunt proceres regni vt ille ei ſuccederet, qui primus ex toto nobilium equitum numero ad metam in plano poſitam perueniret. Fit igitur meta apud Prandicinum amnem, ad ſeptentrionalem plagam Cracouiæ, apertâ in planitie. Leſcus igitur vaferrimus in ſtadij ſabulo ſtrauit clanculum & occultauit multa hexagona ferrea ſeu ſtylos cœcos, quibus currentium equorum pedes læderentur, atque ita vel ceſpitarent vel omninò à curſu præpedirentur; ipſe autem obliquo cucurrit tramite, quem eiuſmodi remoris ſciebat non impeditum, atque ita metam primus nullo negotio attigit. Munierat etiam ſoleis ferreis equi ſui calces, ne offenderet ſi fortè in ſtylum aliquem incidiſſet, quod cæteri non fecere. Attonitis vniuerſis & iam Regem acclamantibus, detegitur eius techna venitque in ſuſpicionem, conuincitur, damnatur & in fruſta diſcerpitur. Ita carnis prudentia ambitioſa caſtigata eſt in Leſco.

I. VIII. Ad circũueniendum proximum.

OCTAVÒ, Ad circumueniendum proximum. Huius peſſimæ prudentiæ exempla aliquot exhibent ſacræ literæ. Primò in Ieroboam Rege, qui vt ſtabiliret ſibi regnum, erexit vitulos duos aureos intra fines ditionis ſuę, vnum in Bethel, alterum in Dan, ſimulque erexit altaria & inſtituit Sacerdotes vt ſubiectum ſibi populum, nolentem deſtitui religionis exercitiis, apud ſe retineret: metuens ne ſi Ieroſolymam (vbi regnabat Roboam, eratque auguſtiſſimum Salomonis templum) ſe conferret adorationis & ſacrificij causâ, erga Roboam ſenſim afficeretur, à ſe verò deficeret. Itaque vt regnum ſibi conſtabiliret, dolum malum excogitauit, quo plebem ſuam perderet ac regno cœlorum priuaret. Sed quis huius doli fructus? Contabuit imprimis manus eius ſuperbè & minaciter erecta contra Prophetam, qui ei tantum ſcelus exprobrabat. Deinde periit familia eius funditus. *Propter hanc cauſam peccauit domus Ieroboam & euerſa eſt & deleta de ſuperficie terræ,* 3. Reg. 13. Secundò in Sacerdotibus Bel, qui vt perſuaderent Regi Balthaſar, Belum Deum viuere, adeoque verum Deum eſſe, iuſſi ſunt poni coram eo vinum & eſcas, claudique & obſignari oſtium Phani, vſque in craſtinum. Ipſi interim ſub noctem per occultos meatus ingrediebantur in templum & ebiberunt vinum ac deuorarunt eſcas; manè autem facto perſuaſerunt regi Belum comediſſe ac bibiſſe. Verùm deprehenſi à Daniele, veſtigiis cineri impreſſis, à Rege occiſi ſunt, *Dan.* 14. His addamus è prophanis literis vnicum exemplum. Dercyllidas homo vafer, è doſis compoſitus cum Cleomenes

mene Spartano bellum gerens, ſeptem dierum inducias pactus eſt. Tertia abhinc nocte Cleomenis caſtra nihil hoſtile præſagientia inuaſit, alios peremit, alios abduxit; ſicque pactam conuentionem turpiter violauit. Perfidiæ igitur accuſatus, impio cauillo flagitium eluſit dicens, in faciendo fœdore nullam noctium, ſed dierum dumtaxat factam eſſe mentionem. Verùm ob hanc fraudem Argos ei redire vetitum eſt; quæ ignominiæ nota ad inſaniam eum redegit. Itaque fraudes nec apud Græcos eoſque Gentiles impunè abierunt; & tamen apud Chriſtianos ſubinde honori ducuntur & præmia ferunt, qui fraudes docent. Verùm apud Deum exoſa & execrabilis eſt hæc ſæculi prudentia ſeu aſtutia. *Scriptum eſt enim,* inquit Apoſtolus 1. Cor. 1. *Perdam ſapientiam ſapientum & prudentiam prudentum reprobabo.* Quare, Auditores, relictâ hac ſtultâ & noxiâ prudentiâ filiorum huius ſæculi, conquiramus potiùs nobis prudentiam veram & ſalutarem filiorum lucis, quæ innititur veritati, quæ æterna conſiderat, quæ vera ac ſolida bona quærit in cœlo, vbi veri filij lucis in æternâ luce degunt.

CONCIO VIII.

Incitamenta ad faciẽdam eleemoſynã, & quamcunque miſericordiam.

Incitamur ad eleemoſynam.

1. *Quòd ſit res præſtantiſſima.*
2. *Quia, vt indigentibus ſubueniant obligantur diuites.*
3. *Quia maximus eius fructus; plus enim dat quàm auferat, ad Deum adducit, nec ſinit hominem perire.*
4. *Quia nos Chriſtiani ſpeciatim ad hoc obligantur.*
5. *Quia præclariſſima Sanctorum exempla habemus, in paſcendis eſurientibus, veſtiendis nudis, viſitandis ægrotis, liberandis captiuis, defendendis viduis & pupillis, ſepeliendis mortuis.*

THEMA.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis Luc. 16.

A MOnitum hoc, Auditores: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula;* in mentem mihi refricat monitum illud diuinum, quo Noë iuſſus fuit fabricare ſibi arcam de lignis læuigatis & in eâ manſiunculas, ne cum ſuis ipſe & cum ipſis beſtiæ omnes perirent in diluuio. *Fac tibi arcam de lignis læuigatis,* inquit Dominus; manſiunculas in arca facies. Quid enim arca illa niſi pauperum amicitiam ſeu meritum eleemoſynæ? quid arcæ manſiunculæ niſi varias in cœlo manſiones & tabernacula deſignat? quid ligna læuigata, niſi mammona ſunt iniquitatis, quæ tamen inſtar trabis priùs læuigari, dedolari ac purgari ab omni iniquitatis ſcabritie per eleemoſynæ dolabram debent, quo idónea fiant ad extruenda in cœlo tabernacula; Quod igitur olim Deus ad Noën dixit. Fac tibi arcam de lignis læuigatis; hoc in hodierno Euangelio (morali ſenſu) explicans ait Dei filius: *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis; vt cùm,* in mortis agone, tremendo illo diluuio, *defeceritis,* recipiat vos arca, pauperum ac Dei amicitia vobis conciliata, in æterna tabernacula. Quare, Auditores, ſi in diluuio illo ſecuritatem de ſalute veſtra, adeoque arcam inuenire vultis, neceſſe eſt vt eam nunc vobis fabricetis. Quod etſi alicuius difficultatis, nec vnius diei opus eſt, faciendum tamen eſſe, multa ſunt, quæ perſuadent: vti nunc audiemus.

PRIMÒ, Quia miſericordia & eleemoſyna, res eſt præſtantiſſima, regia videlicet ac diuina. Quare S. Chryſoſt. vocat miſericordiam, *torquem filiorum Dei & nobilium ſanctorum.* Ita enim ait Dominus: *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt,* Luc. 6. Viderunt idem Ethnici quoque; Cicero enim pro Ligario ait: *Nulla de virtutibus plurimis admirabilior nec gratior miſericordiâ; homines enim ad Deos nullâ re propiùs accedunt, quàm ſalutem hominibus dando.* Et Pelignus Poëta: *Regia, crede mihi, res eſt ſuccurrere lapſis.* Laudatur hinc Antoninus Pius Imperat. qui dicere ſolebat, *malle ſe ſeruare vnum ciuem, quàm mile hoſtes perdere.* Id verò diues facere poteſt, plurimos, inquam, ciues ſuâ eleemoſynâ ſeruare. Quid autem melius, quæſo, efficere tuis opibus potes, quàm ſi eſurientes & afflictas animas reficias & lætifices? Nónne â morte eos ſeruas & quodammodo de puteo extrahis? Quare S. Gregorius Nazianz. *orat. de curâ pauperum* dicere non dubitauit: *Fiat infortunato Deus, miſericordiam Dei imitando. Nihil enim adeò diuinũ habet homo, quàm benefacere.* Et S. Chryſoſt. hom. 36. ad pop. *Magna res eſt homo,* inquit, *& pretioſa vir miſericors. Hæc maior eſt gratia, quàm mortuos reſuſcitare, nam hîc tu de Chriſto bene mereris: illic autem ipſe de te; miracula enim Deo debes.* B. I. Quia res præſtantiſſima.

Idem ſanctus *hom. 33. ad pop.* artem hanc ita extollit: *Melius eſt,* inquit, *hanc artem dandi eleemoſynam ſcire, quàm eſſe Regem.* Et *hom. 5. in Matth* docet hoc melius eſſe, quam templa ædificare; ſiquidem animata pauperum templa multò præſtantiora ſunt lapideis. Et hom. 53. *Hæc nobis manſionem in cœlis ædificat & æterna tabernacula præparat.* Idcircò S. Auguſt. etiam vaſa templi frangi iuſſit & in captiuos atque egentes diſpenſari. Poſſidius *in vitâ c. 24.* Et Acacius Amidæ Epiſcopus, vt pauperes Perſas (ad ſeptem millia) captiuos redimeret, vaſa templi vendidit, dicens ſuis Clericis: *Deus noſter neque lancibus neque poculis eget; quare conuenit hæc in eius milites afflictos diſpertiri.* Socrat. lib. 7. cap. 21.

SECVNDÒ, Quia ad hoc obligantur diuites, vt ſubueniant indigentibus & miſeris. Cùm pater mittit plures filios ad Academiam, ſeniori dat pecunias, non tanquam chariori, vt eas ſibi tantùm applicet; ſed tanquam pruden- C. II. Quia ad hoc obligantur diuites.

Digitized by Google

prudentiori, vt eas in aliorum etiam bonum diſpenſet. Idem facit Deus: diuitibus dat opes vt eas prudenter diſpenſent & communicent egentibus. Solent reges & principes primogenitos ſolùm filios inſtituere hæredes totius regni vel Ducatûs; illis tamen commendare cæteros fratres ſuos, vt eis pro dignitate ſuppeditent neceſſaria, v. g. comitatum, ciuitatem, &c. idque in teſtamento ſuo ſæpiùs inculcant filijs ſuis primogenitis. Iam verò opulenti, quaſi primogeniti habiti ſunt à Deo, dum hæredes omnium penè mundi bonorum inſtituti; ſed nequaquam ita, vt negligant fratres ſuos minores; imò eâ lege & obligatione, vt hos ſuſtentent. Audimus Deum dicentem per Aggæum cap. 2. *Meum eſt argentum & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum.* Hinc S. Auguſtinus *hom. 30. inter 50.* telum in auaros torquet pro eleemoſyna. *Meum eſt*, inquit Deus, *argentum, meum eſt aurum. Non eſt veſtrum, ô diuites terræ. Quid ergo dubitatis pauperi dare de meo? Aut quid extollimini, cùm datis de meo?* Si ergo iubet dari pauperi, iubet de ſuo dari. Hinc S. Ioannes Eleemoſynarius dicebat: *ſi noſtra eſſent, quæ dantur & ea nobis illata eſſent in mundum, fortè aliqua venia danda eſſet ei, qui parcè vteretur. Si autem Dei ſunt omnia, quæ ſunt, eius omninò iuſſum in iis quæ ſunt eius, ſeruare oportet:* Leontius in vita. Hinc etiam eleemoſyna appellatur *iuſtitia*, Pſalm. 11. *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Similiter eleemoſynæ Cornelij Centurionis vocantur à S. Petro *iuſtitia*, Act. 10. v. 35. Ratio eſt, quia per eleemoſynam reddis ius proximo, tibi, Deo. Proximo, quia homo homini debet humanitatem. Tibi, quia tuum conſanguineum quodammodo & fratrem adiuuas, Deo, quia reddis ei, quæ ipſius ſunt in imagine eius & membris Chriſti. Intellexit hoc Flacilla Theodoſij Imp. vxor, quæ ſuâ manu fouebat pauperes & infirmos, cumque eam aliqui ab hoc auocare vellent, reſpondit: *Aurum diſtribuere decet Imperatorem: ego autem pro ipſo imperio, ei qui idipſum dedit, operam hanc offerre debeo.* Theodor. *lib. 5. hiſt. cap. 18.* Fraudem ergo cõmittit, qui eleemoſynam pauperi negat, ſicut teſtatur Eccleſiaſt. c. 4. cùm ait: *Fili eleemoſynam pauperis ne defraudes.* q. d. iniuriam & fraudem illi facis, ſi eleemoſynam deneges. Iniuriam faceret hepar cæteris membris, ſi omnem ſanguinem ſibi retineret & in membra non diuideret; ad hoc enim ſanguine abundat, vt toti eum corpori impertiat. Similiter & auarus, qui, vt ait S. Ioannes ep. 1. cap. 3. *claudit viſcera ſua* ab inope.

D. III. Quia maximus eius fructus.

TERTIÒ. Quia maximus eius fructus. Primò, cùm das pauperi, tibi conſulis, plus enim accipis, quàm dediſti. Audi S. Ambroſium, de obitu Theodoſij: *Bonum*, inquit, *eſt miſericors homo, qui dum alijs ſubuenit, ſibi conſulit & in alieno remedio vulnera ſua curat.* Et S. Baſilium hom. 6. in diteſcentes: *Benefactorum gratia*, inquit, *ad dantes reuertuntur, dediſti eſurienti, tibi conſuluiſti: quod enim dediſti, cum au-*

1. Plus das quàm auferas.

cta reuertetur. Quare Clemens Alexandrinus lib. 1. pædag. eleemoſynam comparat ludo pilæ, in quo pila proiecta per reuerberationem redit ad eum, à quo proiecta erat. Hinc S. Franciſcus dicebat fratribus ſuis, ne timerent vel erubeſcerent mendicare etiam apud mediocres, eò quòd maiora largirentur dantibus, quàm acciperent ab illis. S. Ioannes Eleemoſynarius pauperes vocabat *Dominos ſuos*, eò quòd ab eis opem potiùs acciperet, quàm eis afferret. S. Ludouicus Galliæ rex vocabat eos, *milites ſuos*, quòd defenderent regnum: proinde etiam ſe perſoluere illis ſtipendia dicebat. Coſmas Medices magnorum Hetruriæ Ducum primus, erga pauperes admodum liberalis, cùm hoc nomine prædicaretur, dicebat ſe in libro initarum cum Deo rationum dati & accepti, nunquam potuiſſe eò peruenire, vt quæ deberet Deo perſolueret; nam quò plura dabat, eò plura recipiebat, ſemperque inueniebat ſe debitorem; Deum verò creditorem. Memorabile eſt quod in vitâ S. Paulini legimus; cum Chriſti imitatione & amore opes ampliſſimas in pauperes erogaſſe, & ex ditiſſimo factum pauperrimum. Cùm quadam die pauper ab eo ſtipem peteret, dixit B. Teraſiæ olim coniugi, tunc ſorori ſuæ (cum eâ enim viuebat in continentia) vt eam illi daret. Reſpondit Teraſia, ſe non habere niſi vnicum panem. Iuſſit tamen Paulinus illum dari. Teraſia timens ne in prandio non haberet quod apponeret Paulino, panem non dedit, ſed ſeruauit. *Interea*, inquit Gregor. Turon. lib. de Gloria Confeſſ. cap. 107. *aduenerunt quidam dicentes ſe miſſos à dominis ſuis, vt illi annonæ ac vini deferrent ſpeciem; ſed pro hoc ſe moratos, quòd orta tempeſtas vnam eis cum tritico abſtulerit nauim. Tunc vir Dei conuerſus ad mulierem ait: Intellige, te illi pauperi vnum panem fuiſſe furatam, & ideò hanc nauim eſſe merſam.* Ex aduerſo dum idem Paulinus iam Nolæ Epiſcopus, adeò liberalis eſſet, vt cùm fruges omnes erogaſſet in pauperes, tandem ſeipſum pro filio viduæ redimendo ſeruituti mancipatet, paulò pòſt Dei nutu à rege Wandalorum agnitus, cum ſuis ciuibus omnibus, atque onuſtis frumento nauibus Nolam eſt remiſſus: *ſicq; factum eſt, vt qui ſe in ſeruitium ſolum tradiderat, cum multis à ſeruitio ad libertatem rediret, illum videlicet imitatus, qui formam ſerui aſſumpſit, ne nos eſſemus ſerui peccati. Cuius ſequens veſtigia Paulinus, ad tempus voluntariè ſeruus factus eſt ſolus, vt eſſet poſtmodum liber cum multis*, ait, S. Gregor. 3. *Dialog. 1.*

Secundò. Miſericordia ad Deum ducit. Refert Leontius in vita S. Ioannis Eleemoſynarij, quod ipſi noctu in ſomnis apparuerit Miſericordia, ſpecie puellæ ornatiſſimæ & ſole ſplendidioris, quæ coronam de ramis oliuarum in capite geſtabat, dixitque ei: *Ego ſum prima filiarum regis: ſi me poſſederis amicam, ego te ducam in conſpectu Imperatoris. Etenim nemo habet poteſtatem apud eum, ſicut ego. Ego quippe feci eum in terris hominem fieri, & ſaluare* 2. ***Ad Deum ducit.***

 homines.

hominis. Adhæc refert vidiſſe Sabinum, monachum, quòd eadem puella ita ſplendens, & oleâ coronata morientem Ioannem exceperit, & ad Deum deduxerit, indeque cognouerit, Ioannem eâdem horâ eſſe defunctum, & propter eleemoſynas ad cælites euectum.

3. *Non ſinit hominem perire.*

Tertiò. Non ſinit hominem perire quemadmodum nec arca permiſit mergi Noën. Fuit olim apud Romanos Aſylum, Miſericordiæ templum, ſic dictum, quòd nemo ad id confugiens, inde poſſet extrahi. Huiuſmodi templum & ara apud nos eſt miſericordia & eleemoſyna. Audi S. Auguſt. hom. 39. inter 50. *Ante fores gehennæ,* inquit, *ſtat miſericordia, & neminem permittit in carcerem mitti.* Et S. Chryſoſt. hom. 33. ad pop. *Eleemoſyna*, inquit, *adſtat tribunali non tantùm patrocinans, ſed & ipſi Iudici perſuadens, vt reo patrocinium præſtat, & pro eo ſententiam ferat.* Confirmatur hoc ex S. Iacobi epiſtola c. 2. vbi ait; *Superexaltat miſericordia iudicium,* id eſt, ſuperat & vincit iuſtitiam, & Deum Iudicem, vt pro miſericorde ſententiam ferat. Ita exponit S. Aug. in Pſal. 143 dicens: *Superponitur miſericordia iudicio, in quo inuentum fuerit opus miſericordiæ; etſi habuerit fortè aliquid in iudicio, quo puniatur, tanquam vnda miſericordiæ, peccati ignis extinguitur.* Clarè etiam Tobias cap. 4. dixit: *Eleemoſyna à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Non memini me legere,* inquit S. Hieronymus ad Nepotianum, *malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit: habet enim multos interceſſores, & impoßibile eſt multorum preces non exaudiri.* Hinc etiam S. Paulus 1. Timoth. 6. iubet moneri diuites, vt non ſperent in incerto diuitiarum, ſed theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam. Vidit enim Apoſtolus difficillimum fore in illo die ſtare ante Iudicem; quod teſtat inprimis Nahum cap. 1. dicens: *Ante faciem indignationis eius quis ſtabit?* Et Malachias cap. 3. *Quis ſtabit*, inquit, *ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, &c.* Quare vt ante Iudicem ſtare queant diuites, fundamentum eis bonum & ſolidum proponit & ſuadet Apoſtolus 1. *Tim.* 6. miſericordiam & eleemoſynam; ſeu (vt ipſe ait) *facilè tribuere & communicare.* Non conſtituent ſibi fundamentum bonum, ſi prudenter ſciant loqui, ingenioſè diſcurrere, aulicos mores componere, ſcitè ſaltare, pugnare, equitare, eſcas diuidere, linguis externis loqui, &c. Sed ſi paſcant eſurientes, veſtiant nudos.

E. IV. Quia nos Chriſtiani ſpecialem ad hæc obligamur.

Qvartò. Quia nos Chriſtiani ſpecialem habemus cauſam, vt qui ſcimus dare nos Chriſto, quod pauperibus damus. Cuius rei, præter expreſſum Chriſti teſtimonium, non vnum habemus exemplum. S. Martinus chlamydem ſe pauperi dum dare exiſtimauit; Chriſto ipſi dedit; qui ſequente nocte in eâ ipſi apparuit, dicens: *Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit*, Sulpit. *in vitâ cap. 2.* S. Martyrius pallio ſuo leproſum inuoluens, ſenſit ſe Chriſtum inuoluiſſe, à quo poſteà vocem hanc audiuit: *Martyri tu non erubuiſti me ſuper terram, ergo te non erubeſcam ſuper cælos,* refert S. Gregor. *hom. 39. in Euang.* S. Catharina Senenſis, cùm tunicâ ſe ſpoliaſſet, eamque pauperi dediſſet tempore prærigido, nocte proximâ vidit Chriſtum eam tunicam margaritis coruſcantem manu tenentem audiuitque: *Dabo tibi veſtem inuiſibilem, quæ à te arceat omne noxium vtriuſq; hominis frigus.* Atque ex eo tempore nullum ampliùs frigus ſenſit: vnde hyberno & æſtiuo tempore ſemper iiſdem vtebatur veſtibus. Vt in eius vita.

F. V. Quia præclara Sanctorum exempla habemus in paſcendis eſurientibus.

Qvintò. Quia præclariſſima habemus Sanctorum exempla, quibus ſtimulant nos ad ſe imitandum. Panis & potus dandus indigentibus? Exemplo eſt S. Exuperius Toloſæ Epiſcopus, qui (vt ait S. Hieronymus *epiſt. ad Ruſticum Mon.*) *Viduæ Sareptenſis imitator, eſuriens paſcit alios & ore pallente ieiunijs, fame torquetur alienâ, omnemq; ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogauit.* S. Dominicus, qui adhuc iuuenis in communi Hiſpaniæ fame vendidit libros ſuos, pretiumque & alia ſua omnia in pauperes diſtribuit: quod idem in Burgundiæ fame fecit Ecdicius ſenator, qui ad quatuor millia pauperum aſſiduè ſuſtentauit. Vnde vocem de cœlo audire meruit: *Ecdici quia feciſti hanc rem, tibi & ſemini tuo panis non deerit in ſempiternum.* Gregor. Turon. *l. 2. hiſt. Franc. c. 24.* Iudocus Britonum Regis filius, panem vnicum, cùm haberet ad victum quotidianum, petentibus eum pauperibus dedit, dicens: *Deus nos prouidebit.* Et ecce per feneſtram viſæ ſunt in alueo fluminis quatuor nauiculæ victualibus onuſtæ; quæ à quo illuc delatæ ſint, nunquam indagari potuit. Florentius Abbas in eius vitâ. Leo I. nondum Imperator, cùm cœco ſitienti aquam quæreret, doctrice Deiparâ eam in luco reperit, quâ non ſolùm cœcum refocillauit, ſed & illuminauit, fierique tandem Imperator meruit, vti ei promiſerat Virgo. Baron. an. 457.

In veſtiendis nudis.

Veſtiendi nudi? Præter SS. Martinum & Martyrium, de quibus paulò antè, alioſque, ecce tibi S. Franciſcum, qui cùm adhuc ſæcularis eſſet, veſtiuit militem pauperem, viditque nocte ſequente palatium auguſtum & amplum; cumque rogaret, cuius eſſent illa omnia, audiuit: *Tua erunt tuorumq; militum.* S. Bonauent. in eius vitâ. S. Eliſabetha pauperi cuidam donauerat ſuum pallium, cumque maritus Thuringiæ Princeps id ab eâ repeteret, ipſa in perticâ pendulum ſibi miraculo reſtitutum oſtendit. Refert Iac. Spirenſis in eius vitâ.

In viſitandis ægrotis.

Viſitandi ſunt ægroti? Stimulum præbet S. Bernardinus, qui cùm anno 1400. Senis ingens lues graſſaretur cum horribili fœtore & morte plurimorum, ipſe duodecim adoleſcentibus ignitâ oratione perſuaſit, vt ægris ſe duce totos impenderent; præiuitque obſequentibus ipſe officioſiſſimè. Surius 20. *Maij in vitâ.* Gallicanus, vir conſularis, triumphalibus coronis inſignitus ad oſtia Tiberina ſeceſſit, & hoſpitalitati atque infirmorum ſeruitio totum ſe addixit; hocque pio miniſterio

meruit

meruit fieri martyr ſub Iuliano, Baron. in *Martyrol.* 25. *Iunij.* Exercuerunt ſe ſtrenuè in eodem obſequio Placilla Theodoſij Imperatoris vxor, S. Radegundis Franciæ regina, S. Eliſabetha regis Hungariæ filia. Quis detrectet, imò quis non ambiat agere, quod tanti viri ac fœminæ cum ſummá delectatione fecerunt?

In liberandis captiuis. Liberandi ſunt captiui? Fecit id S. Paulinus Epiſcopus Nolanus, tradens ſemetipſũ in captiuitatem pro redimendo viduæ filio à Wandalicâ ſeruitute; quá re effecit, vt à Wandalo rege agnitus cum honore & munere omnium captiuorum ſuæ ciuitatis, domum ſit dimiſſus. Fecit S. Sanctulus, qui pro Diacono captiuo ſe vadem & captiuum Longobardis obtulit; ſed cùm plectendus eſſet, carnifici manus gladio armata obriguit. Quam vbi Sanctulus ei reſtituit, liber dimiſſus eſt, donatique ei omnes captiui, S. Gregor. 3. *dialog.* 37. Aliqui etiam ſacra vaſa diſtraxerunt, quibus redimerent captiuos, vti Acacius Amidæ Epiſcopus ad redimendos Perſas, hoſtes licet, fame tabeſcentes, à Romanis captos apud Socrat. *lib.* 7. *cap.* 21. Deo gratias Epiſcopus Carthag. ad liberandos Chriſtianos è Wandalicà captiuitate, apud Victor. Vtic. l. 1. Wandal. Cæſarius Epiſcopus Arelat. apud Cyprian. eius diſcipulum in vitâ.

In defendendis viduis & pupillis. Defendendæ viduæ & pupilli? Enituit in hoc opere S. Iuo, quem anno 1347. Clemens VI. Pap. retulit in Sanctorum numerum. De quo inter alia ſcribit auctor vitæ eius apud Surium 29. Maij. *Pupillos & orphanos egregiè tuebatur & eorum causà diuerſis in locis adibat iudicia, patronum ſe illis exhibens, neque tamen id ſpe alicuius muneris aut præmij, ſed pietate & iuſtitia permotus, imò verò ſuis impendijs illorum cauſas defendebat apud Iudices, vt poſſet à Domino audire: Quod vni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti. Inde factum eſt, vt in illa regione meritò appellatus ſit, Aduocatus pauperum.* Et anteriùs. *Orphani, afflicti, calamitoſi homines eius fouebantur humanitate & patrocinijs: inter diſcordes conciliabat pacem, & amicitiam: eos qui carceribus detinebantur hortabatur ad patientiam: & cùm proferenda ab ipſo eſſet in iudicio ſententia, ſine lachrymis id non faciebat. In miſericordiæ opera totum ſe impendebat, toto pectore quæ ſunt huius mundi deſpiciens, & cæleſtibus ſemperq; manſuris bonis inhians.* Et inferiùs: *Alienigenas, pauperes; item egenos, malâ affectos valetudine, deformes, haud ſecùs ac fratres ſuos humaniter excepit, ad menſam ſibi aſſiſtere voluit, de cibis ſuis illis appoſuit, lectos apparauit, proprijs manibus illorum pedes abluit.* Vnde & per miraculum panes in pauperes erogando ſibi multiplicari, ac Chriſtum ipſum, aut certè Angelum Chriſti vicarium, ſpecie pauperis, menſæ ſocium habere meruit.

In ſepeliendis mortuis. Sepeliendi mortui? Celeberrimi in hoc actu Ioſeph & Nicodemus, immortale pietatis exemplum nobis reliquerunt, cùm Chriſtum Dominum ſepelierunt. Secundum hoc Aſterius Senator Cæſareæ, qui cùm S. Martini martyris corpus capite truncatum, ſubiectis humeris & ſubſtrata, quá induebatur, veſte exciperet, & deferret ad ſepulturam, honorem, quem martyri detulit, continuò & ipſe martyr accepit, Baron. *in martyrol.* 3. *Martij.*

Quare, Auditores, apprehendamus quæſo ſecurim, incipiamus, ſi nondum cœpimus, pergamus fabricare nobis arcam; læuigemus ac purgemus ponderoſas opum trabes ab omni iniquitate & ſuperfluitate: mittamus ligna ſuper ligna, eleemoſynam ſuper eleemoſynam, quò perficiatur & ſolidetur arca, meritum vitæ æternæ, vt in tempore diluuij, mortis, inquam articulo, ſecuri nauigare, imbres æquè ac fluctus contemnere poſſimus. Quid putatis dixiſſe in ſeipſos, miſeros illos homines, qui vaticinio illius Noë credere noluerunt, tandem verò experti ſunt diluuij incrementum! ô quàm doluerunt, quod exemplo Noë non fabricarint ſibi nauim! ô Noë, credo, dixerunt: ô Noë, quàm tu ſapuiſti, & quàm nos deſipuimus! ô ſi iam liceret, vel nauiculam nobis parare, quo pretio eam non emeremus! Quid prodeſt nobis iam pecunias corrogaſſe, quas vno tractu fluctus hauriunt! Quid proſunt pecuniarum trabes, quibus innatamus ad vnam fortè horam, breuì demergendi? *Quid profuit nobis ſuperbia? aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis?* tranſierunt omnia illa, nullo noſtro fructu. Ne ergò cum Phrygibus illis ſerò ſapiamus, nunc, nunc, Auditores, faciamus nobis arcam de lignis læuigatis: faciamus nobis amicos, inquam, de mammonâ iniquitatis; vt cùm defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula.

CONCIO IX.

Incitamenta ad ornatum templorum promouendum.

1. *Quia templa ſunt domus Dei & patronorum.*
2. *Templum eſt index religionis noſtræ.*
3. *Quia munificentia erga templa nobilior videtur eleemoſyna.*
4. *Quia hâc ratione diuitiæ purgari poſſunt, & peccata redimi.*
5. *Quia magna eſt huius munificentiæ merces.*

THEMA.

Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Lucæ 16.

DEbemus certè manibus palpare, quòd Deus noſter non velit mortem noſtram ſed vt magis conuertamur & viuamus. Ecce enim iterum in hodierno Euangelio erudit nos fideliter, quâ ratione iram Dei effugere & pericula imminentis iudicij cauere poſſimus, dum docet amicos nobis quærendos qui in noſtrâ defectione recipiant nos in æterna tabernacula. Si plures eâdem naui veheremur, & peritus quiſpiam moneret, nauem certò in ponte proximo colliſ- A.

dendam & frangendam eſſe: non eſt mihi dubium, quin omnes nos ſedulò circumſpiceremus, ſiquam in fluuio trabem aut ſtipitem cui adhæreſcere liceret, cerneremus, vel certè alicui perito & forti natatori nos adiungeremus, eumque blandiſſimis verbis demulceremus vt nos natandi imperitos, ſecum eueheret. Hoc facit hodie Chriſtus; videt enim certiſſimò nauem corporis noſtri paulò pòſt ad pontem mortis allidendam, propterea monet nos vt nobis prouideamus de opitulatore: *Facite vobis amicos*, &c. Sed qui ſunt iſti amici? pauperes Primò, natatores optimi, quia leues & expediti, graues opibus diuites facilè ſecum euehent. Deinde Sancti, Eccleſiarum patroni; hi enim propriè ſunt amici illi qui ad æterna tabernacula, in quibus iam ſecuri habitant, recipere nos poſſunt. Poſſumus verò eos facere amicos noſtros, ſi eorum ædes ſacras, quas in terris habent, ditemus & ornemus noſtrâ munificentiâ; ad quam inuitant nos non pauca, nec leuia argumenta.

B. 1. Quia tẽpla domus Dei & patronorum.

PRIMÒ. Quia templa ſunt domus Dei, & Patroni communis noſtri patris patriæ. Decet autem omni modo vt regnum vel gens aliqua, ſi velit regem ſuum habitare ſecum, extruat ei palatium pro regis dignitate. Itaque decet etiam vt Deo præparetur habitatio digna quantum fieri poteſt ſi velimus eum habitare nobiſcum. Tametſi enim totus orbis templum quoddam eſt, in cuius angulis omnibus neceſſariò ſemper adeſt, id tamen nobis nequaquam ſufficere debet, qui volumus prætereà vt ſingulari ſuo adiutorio & beneuolentiæ oculo, imò etiam reali humanitatis ſuæ præſentiâ in Euchariſtia nobis adſit & inuigilet adeoque ſicut cum beatis habitat per gloriam in cœlo, ita nobiſcum ſit in terrâ per gratiarum effuſionem. Quod cùm maximum ſit beneficium, decet proinde talem conſtituere illi ædem, quæ cæteras habitationes noſtras ſuperet. Propterea Dominus habitaturus inter Iſraëlitas petijt pro domo ſuâ aurum, argentum, gemmas, ligna Sethim, pretioſiſſima quæque, &c. *Exod.* 25. Poſteà Dauid etiam præparauit templi fabricæ impenſas totis viribus centum millia talentorum auri, & millies millia talentorum argenti, præter alia neceſſaria: & tamen quaſi hoc parùm eſſet, addit ſe hæc præparaſſe in paupertate ſua, 1. *Par.* 21. Cauſam verò tantæ præparationis aſſignat ibid. cap. vlt. dicens: *Neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.* Quid feciſſet, ſi Deum in Euchariſtia præſentem corporaliter habuiſſet in templo, vti nos? Porrò templum id extructum eſt à centum quinquaginta millibus artificum & ſexcentis. Quæ omnia declarant, non poſſe ſatis exornari domum illam, in quâ Deus habitaturus ſit. Hinc ſecuti Chriſtiani tot magnifica templa extruxère, tot fundis & redditibus dotauère vt etiamnum miretur totus orbis: & meritò quidem, quia Deum ſuum peculiari modo ſecum in templis habent, perſonaliter videlicet S. Euchariſtiâ. Quòd ſi gentiles quoque magnificentiſſima Dijs ſuis extruxere templa vti Pantheon & templum Pacis Romæ; templum Dianæ, quod Plinio teſte *lib.* 36. *cap.* 14. in Epheſo, annis ducentis & viginti extructum fuit, quid non decet facere Chriſtianos ad ornandam domum Domini? Quid? Apes nos hoc edocent. Ipſæ enim communi labore, regias Imperatoribus ſuis futuris in vnâ parte aluei extruunt, amplas, magnificas, ſeparatas, vt ſcribit idem Plinius *lib.* 11. *cap.* 11. Hoc verò cùm naturali induſtriâ faciant, miraculo idipſum facere SS. Euchariſtiæ viſæ ſunt aliquando cùm Sacerdos in terram cadens, ſacram amiſiſſet pyxidem; apud Ioan. Garet. *cent.* 15. Iterum cùm mulier Euchariſtiam in alueare poneret; apud Cæſar. *lib.* 9. *cap.* 8. Apes enim è cerâ perpulchram ei ædificauère capellulam. Pudeat ergò nos à brutis vinci animalculis.

Sed ferè vnuſquiſque de domo tantùm ſuâ ſolicitus eſt, eam adornat, implet, accommodat, vt omnia niteant, lecti molles, argentea pocula, veſtes ſericæ præparantur; de domo autem Domini, eius altaribus, vaſis, veſtibus non curatur, niteantnè an ſordeant. Aduerterat hoc in ſe quoque Dauid Rex, qui ait 1. *Par.* 17. *Ecce ego habito in domo cedrinâ, arca autem fœderis Domini ſub pellibus eſt.* Vnde & animum mox adiecit ædificandi templum Domino. De hac negligentia conqueritur Aggæus cap. 1. *Numquid tempus vobis eſt vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?* Et quid ad hoc Deus? *Reſpexiſtis ad amplius & ecce factum eſt minus: & intuliſtis in domum & exufflaui illud: quam ob cauſam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deſerta eſt & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam. Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem*, &c. Quia enim homines de domibus tantùm ſuis ſoliciti erant, vt eas opibus & horrea ſua frumentis replerent: domum autem Dei nudam & ſpoliatam reliquerant: aptè puniti ſunt, vt & ipſi domos atque horrea nuda & inania reperirent. Hoc igitur intellecto Zorobabel cum populo animum adiecit ad reſtaurandum templum. Nemo ferè eſt, qui hoc tempore non adlaboret vt quamplurimam meſſem in horreum ſuum conuehat: pauciſſimi verò cogitant, quid pro gratiarum actione in domum Dei afferant.

C. II. Quia eſt index religionis noſtræ.

SECVNDÒ. Quia templum eſt index religionis & pietatis noſtræ: ſicut gloria alicuius ciuitatis vel oppidi eſt, ſi publica ædificia ſarta tecta conſeruet, pontes incolumes, vias nitidas & ſtratas, &c. Hinc enim Carolus V. Imp. vrbem aliquam ingrediens ad tria primis attendebat: ad templum an ornatum eſſet: ad horologium, an æquum: ad plateas, an mundæ eſſent; indeque coniectabat ciuium pietatem, induſtriam & honeſtatem. Corn. in Iſai. Ea enim ſolent homines ornare, quæ amant. Certè videmus in tabernis multorum inſignia heluonum, quia tabernas amant.

Digitized by Google

amat. Dicerem & ego te amare decorem domûs Dei, adeoque Deum ipſum, ſi in templi parietibus, vaſis, veſtibus inuenirem nomen aut inſignia tua. Cùm quis hortulum ſedulò excolit, ſignum eſt eum delectari horto: vbi verò vrticas eum obruere permittit, cenſetur eum non amare. Sic etiam videmus multos quantumuis ære alieno obſtrictos, profuſos tamen eſſe ad ea quibus delectantur, veſtes, ludos, conuiuia, equos, canes, venationes, &c. in quæ maximas expenſas faciunt: vbi tamen pauperi quid dandum vel etiam mutuandum eſt, ſtatim prætendunt paupertatem, debita, prolem multam, &c. Quæ cauſa eſt, cur Dominus nuſquam iubeat afferri aliquid templis: ſed in liberâ cuiuſque poteſtate relinquat: de quâ re proteſtatur 1. *Par.* 17. dicens ad Dauidem per Nathan: *Numquid locutus ſum ſaltem vni Iudicum Iſraël, quibus præceperam vt paſcerent populum meum, & dixi: Quare non ædificaſtis mihi domum cedrinam?* q.d. præcepi quidem vt paſcerent populum meum; nunquam tamen præcepi vt domum mihi extruerent vel ornarent. Propterea *Exod.* 25. iuſſit quidem pro tabernaculo ſuo collectam fieri: ſed ab ijs tantùm, qui ſponte quid offerrent. Voluit enim ſpectare Dominus, quâ religione homines præditi eſſent, & quid ad ſui gloriam & decorem liberè facturi. Hoc inſinuauit cùm Marci 12. *ſedens contra gazophylacium, aſpiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylacium.* Sic ergò etiamnum ad cœli valuas ſedet & intuetur eos qui ad decorem domûs ſuæ munus aliquod afferunt. Quare ſicut *Exod.* 35. Omnis multitudo filiorum Iſraël mente promptiſſimâ obtulit quidquid habebat pretioſi, inaures, armillas, annulos, dextrariola, &c. Mulieres doctæ acupicturas, &c. ita vt Moyſes per præconem prohibere debuerit, nequis vltrà quid offerret: quia plus quàm neceſſe erat obtulerant, *Exod.* 36. Sic multò magis decet facere Chriſtianos; ſiquidem ipſi longè maiora beneficia à Deo acceperunt. Sed heu ſæcula! quæ olim maiores noſtri Deo dedicauêre, nunc eidem aliqui eripere conantur. Non eſt iam neceſſarius eiuſmodi præco qui munera inhibeat; neceſſarius eſſet, qui rapinas & deſpoliationes ſacrarum ædium vetaret. Id quod non obſcurè monſtrat, qualem iſti zelum erga Dei cultum & religionem habeant.

D. III. Quia hæc munificentia melior videtur eleemoſynâ.

TERTIÒ. Quia munificentia erga templa nobilior eſſe videtur & melior eleemoſynâ quæ fit erga pauperes. Ita enim S. Chryſoſt. *hom.* 18. *in Acta Apoſt.* docet: *ſiquid habes inſumendum in pauperes,* inquit, *illuc inſume;* (in Eccleſiam ſcilicet) *melius eſt illuc quàm ibi.* Et ratio eſt, quia quod datur egenti Eccleſiæ, datur ipſi Chriſto propriè & directè, non interpretatiuè tantùm, vt fit cùm datur quid egentibus. Cùm enim videmus SS. Euchariſtiam locis & vaſis incultis aſſeruari, in templis & altaribus omni decore deſtitutis offerri, quis dubitat Chriſto Domino magnopere placitura quæ offeruntur ad hoc vt dignius veſtiatur, reponatur, offeratur? Pauperes non ita apertè repræſentant Chriſtum, vti S. Euchariſtia; multi etiam illorum mali & eleemoſynâ indigni ſunt: at cùm Chriſtum in templo videmus malè habitare, quid excuſationis prætendemus? Certè *Matth.* 25. objiciunt damnandi: *Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum,* &c. quia in pauperibus Chriſtum nequaquam agnoſcebant. At quomodo nos excuſabimus, ſi Chriſtum ipſum egere videamus in Eccleſijs pauperculis & non veſtiamus? Nónne ſolemus dicere: **Diſs iſt ein armes Gotts-hauſs / das iſt ein armer heylig?** Quare inſaniunt hæretici & quicunque ornatum Eccleſiæ impugnant, cum Iudâ, qui indignabatur quod Magdalena effudiſſet vnguentum pretioſum ſuper caput Chriſti, dicentes cum ipſo: *Vt quid perditio hæc?* poſſunt enim dari pauperibus? Rectè enim in eum locum Theophylactus ait: *Confundantur qui pauperes Chriſto præferunt. Qui abſtulerit diſcum pretioſum & cogit vt corpus Chriſti in viliori ponatur, prætexens, ſcilicet pauperes, ſciat cuius partis ſit,* hæc Theoph. Non dubito, multos noſtrûm ſæpe cogitare: ô ſi vixiſſem tempore Chriſti, vel nunc Chriſtus apud nos degeret, quàm vellem ei ſeruire, quàm officioſè venientem excipere, tractare, venerari? Vellem ego ei Martha eſſe & Magdalena, &c. At hoc, ô Chriſtiani, poſſumus ſi velimus: nam vt hoc poſſemus inter alias etiam cauſas puto vnam eſſe, cur in Euchariſtiâ nobiſcum manere voluerit. Excelluêre in hoc genere deuotionis fœminæ imprimis: vt eæ quæ vnxêre Dominum; Hæmorrhoiſſa, quæ erexit Chriſto ſtatuam; S. Helena Conſtantini Imperatoris mater, quæ extruxit ei templa ſplendida & magnifica. S. Pulcheria Auguſta, &c. Atque hinc, vt arbitror, appellantur ab Eccleſiâ *deuotus fœmineus ſexus.*

E. IV. Quia hac ratione diuitiæ purgari poſſunt.

QVARTÒ. Quia cùm diuitiæ rarò ab iniuſtitiæ notâ puræ ſint, non poſſunt commodiori modo purgari, (cùm non patet, quid cui reſtitui debeat) quàm ſi vel in pauperes vel in Eccleſiæ ornatum aliquid conferant. Quæro enim quare Dominus hodie diuitias vocarit *Mammonam iniquitatis?* S. Hieronymus in epiſt. ad Hedibiam ait: *Quia omnes diuitiæ ab iniquitate deſcendunt;* iuxta id, quod veriſſimum putat: *Omnis diues aut iniquus, aut iniqui hæres.* Hic ergo eſt gibbus ille cameli, qui impedit ingreſſum per foramen acus. Inſpiciant opulenti opes ſuas & videant verùm hoc gibbo careant & aliquâ ſaltem ex parte non ſint dubiæ conſcientiæ. Dicant igitur cum villico: Quid faciemus? & ſi dominos ignorant, ſequantur eius conſilium, vocent pauperes, adeant Eccleſias & donent eis bona, quæ periculoſè poſſident. Multi aduertunt ſe viribus paulatim deficere, ſpiritum difficilè trahere, barbam incaneſcere, ſcalas difficulter ſcandere. Cur non dicunt iſti: *quid faciam? Dominus aufert à me villicationem?*

nem? faciam ergo mihi amicos pauperes & ſanctos. Hæc foret expedita ratio componendi cum Deo de incertis debitis. Solent qui obnoxij ſunt debitis incertis, quorum ſumma ſcilicet & creditores ignorantur, cum ſummo Pontifice compoſitionem facere, & incertum quid pro certo dare, quod pontifex ad pias cauſas applicat, ſicque illi liberantur à debito. Hanc facere cum Deo diuites deberent de mammonâ iniquitatis; (nam ſi certa habeant debita, ea reſtituenda ſunt dominis ſuis) facient autem ſi huic vel illi pauperi Eccleſiæ quid applicent.

Et peccata redimi.

Eſt præterea hæc facilis & expedita ratio peccata redimendi. Audiamus teſtamentum illuſtris viri, Petri Soræ & Arpini Domini, eiuſque coniugis Dodæ, quo monaſterium erexerunt ad honorem D. Virginis in agro Sorano, anno 1030. ex Baronio: *Capimus cogitare*, inquiunt, *intra noſmetipſos qualiter in peccatis concepti & nati ſumus, & qualiter ab infantia noſtra, die noctuq́, horis & momentis innumerabilia peccata commiſimus, & qualiter in illo terribili iudicio de omnibus factis noſtris & cogitationibus Deo rationem reddituri ſumus; & qualiter ab illo æquiſſimo iudice vnuſquiſque recipiet ſecundum opera ſua: & rurſus dum cogitare cœpimus, qualiter impij & peccatores, qui hic peccata redimere negligunt, in illam pauendam pœnam perpetuò cum diabolo damnabuntur, & qualiter iuſti & electi Dei in illa æterna beatitudine cum Domino gloriabuntur: ſubitò reſpexit nos diuina pietas, & compunctum eſt cor noſtrum cum tremore & æſtuatione cordis: & cœpimus cogitare & quærere conſilium à Sacerdotibus, & religioſis viris, qualiter innumerabilia peccata noſtra redimere potuiſſemus, & ab ira æterni iudicis & à pœna æterna euadere. Accepimus conſilium ab eis: præterquam renuntiare ſæculo, nihil eſſe melius, quàm eleemoſynarum virtutem, & de proprijs rebus & ſubſtantijs monaſterium conſtruere, & ibidem cœtus monachorum Deo famulantium coadunare, & ibi ſecundùm regulam & normam beati Benedicti laudem Deo reſonare, & vota perſoluere, & omni tempore pro animabus noſtris inceſſanter orare, hoc conſilium ab eis lubenter & ardentiſſimo amore accepimus: Igitur conſtruximus Eccleſiam in honorem Domini noſtri* IESV *Chriſti, & ſanctæ Dei genitricis & Virginis Mariæ, & tradidimus eam in manus viri venerabilis Domini Dominici Sacerdotis, & Abbatis, & ibi eum Abbatem conſtituimus, vbi monaſterium conſtruxiſſet, & cœtus monachorum Deo famulantium eò aduocaſſet*, &c.

F. V. Quia magna huius munificentiæ merces.

QVINTÒ. Quia magna eſt merces eiuſmodi munificentiæ. Cupidi & auari ſolum & totum id perire putant, quod egentibus & Eccleſijs datur. Vnde prouerbium, cùm quid perditum videtur, **Du haſt es ſchon in Stock gelegt** / id eſt, nihil recuperabis de tua; perdita eſt, quia miſſa in gazophylacium. Sed falſum hoc eſſe oſtendit multorum liberaliſſimorum Principum conteſtatio; vti & S. Ottonis Epiſcopi Bambergenſis, qui fundatis à ſe 15. cœnobijs, & 5. monachorum ſeminarijs veriſſimè dicebat, ſe quo plura Deo largiretur, eo ditiorem fieri. Non enim perit, quod templo datur, licet id non ſtatim recuperare queas; *retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum*, ait Dominus *Luc.* 14. quin imò nullibi ſecuriùs tibi aſſeruatur. Quid enim Gazophylacium aliud, quàm cuſtodia diuitiarum? Neque ſolùm cuſtodia, ſed præterea menſa cambij eſt ſecura & maximi fœnoris. Solent Indi aurum & gemmas commutare cum crepundijs noſtris, crepitaculis, cultris, ſpeculis, ollis, &c. quia nimirum ipſi talia non habent. Et quis cum his mercatoribus non libenter negotiaretur? At poſſumus hoc pacto cum Deo & Sanctis eius non difficilè negotiari. Ipſi enim hìc in tem- 1.
plis ſuis indigent opellâ tuâ: parati dare tibi, quibus ipſi abundant, dona multò præſtantiora: vti ſubſidia temporalia & victorias; vnde Chriſtiani Imperatores antiqui ad bella profecturi, priùs muneribus placabant Baſilicas; & illuſtres obtinuère victorias. Quin etiam de Alexandro M. ſcribit Plinius lib. 12. cap. 14. cum aliquando à pædagogo Leonide correctum, quòd in ſacrificando nimium thuris adhiberet; ſiquidem thus non prodigere deberet, quàm nationes illas, quæ thus gignunt, adeptus eſſet. Poſtmodum vbi Alexander regnum Sabæ obtinuit, miſit Leonidi nauim thure plenam, nuncians ei, vel ideo ſe regnum id adeptum eſſe, quia priùs erga Deo in adhibendo thure tam liberalis fuiſſet. Otto II. Imp. in diplom. dato monaſterio S. Vincentij, ait: *Si Eccleſiarum Dei curam habere ſtuduerimus, procul dubio imperium noſtrum ſtabile erit; inſuper & vitam æternam promereri credimus.* Exemplum de S. Theodolinda, Boiorum principe, Reginâ Longobardorum religioſiſſimâ, quæ templum D. Ioanni Baptiſtæ magnificum extruxit, refert Raderus in Bauaria S. & pia, p. 1. *Memoria proditum*, inquit, *Conſtantinus Imp poſt hos annos 60. Longobardis bellum illaturum, cum Tarentum traieciſſet, deq́, euentu ſolicitus hominem ſolitariam vitam agentem vaticinij laude clarum conſuleret, vnius noctis petitâ morâ, numine ſalutato reſponſum tuliſſe: Nunc quidem vinci neutiquam poſſe, reginæ exteræ factum obſtare, collocaſſe eam in Longobardorum finibus Baptiſtæ Baſilicam, qui Deum perpetuis precibus appellet, ſed futurum aliquando vt templi neglectu gentis exitium conſequeretur. Cuius prædictionis fidem res temporum ſucceſſu firmauit.* Baſilius & Eudocia coniuges pro erecto ad honorem Deiparæ templo filium impetrârunt Eudocimum; alij alias gratias. Deinde quæ ad Eccleſiam offeruntur, compenſantur etiam precibus & ſacrificijs Eccleſiæ, vtpote quorum miniſterio hæc peraguntur. Audi Chryſoſt. *hom.* 18. *in acta Apoſtolorum: Preces illis perpetuæ propter te*, inquit, *laudes & ſynaxes propter te, oblatio per ſingulos dies Dominicos.*

Deinde in articulo mortis & iudicio; vbi 2.
inuenies Sanctos illos, quorum Eccleſias fundaſti, dotaſti: ornaſti, patronos & interceſſores apud

tua apud Deum. Si enim Iudæi commendabant Centurionem illum apud Chriſtum, eò quòd Synagogam eis ædificaſſet, dicentes: *Quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes; diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ædificauit nobis*, Luc. 7. Cur non & Sancti commendarent te ibi apud Deum, ſi Eccleſias eorum ſtruxiſti, adornaſti? *Si commendatur Domino*, ait Ambroſ. ſer. 89. *qui ædificauit Synagogam, quanto eſt commendatior, qui ædificauit Eccleſiam?* Vt enim Chriſtus Dominus S. Martini veſtem produxit, dicens: *Martinus hac me veſte contexit*: Ita facient ibi Chriſtus & Sancti, vaſa templi & veſtes ſibi donatas proferendo, & toti mundo oſtendendo.

3. Denique in æternâ beatitudine, quatenùs accidentale eorum præmium ſemper augebitur, quorum ope & ſubſidio Dei laus propagatur in Eccleſia. Vnde S.Chryſoſt. *hom.* 18. *in act. Apoſt.* ait: *Cogita, quòd vſque ad Chriſti aduentum mercedem habiturus ſis, qui altare Dei excitaturus es.*

Quare, Auditores, qui talenta ſibi credita hanc menſam dederit (citra damnum tamen propinquorum ſuorum) profectò ille ſapiet, & cum vſurâ recipiet, Moyſes, cùm populum adhortaretur, ad contributionem pro tabernaculo faciendam: *Quiſquis veſtrum ſapiens eſt*, inquit, *faciat, quod Dominus imperauit*, Exod. 35. Quiſquis igitur ſaluberrimum & vtiliſſimum facere cambium vult, næ ille ſapiet, qui hoc fecerit.

CONCIO X.

Documenta.

Ex hoc Euangelio diſcunt.

1. *Diuites ſe eſſe villicos, bene locare ſuas opes, modum dandi eleemoſynam.*
2. *Pauperes, fodere potiùs quàm mendicare, mendicare quàm furari; benè viuere & orare pro benefactoribus.*
3. *Domini & Superiores, lentè procedere ad condemnationem; abſtinere verbis amaris.*
4. *Subditi & ſerui, non fraudare Dominos, nec participes ſe facere furti.*
5. *Diſſipatores bonorum ſuorum, reddendam ſibi rationem; videntq́; quorſum deſinat eorum prodigalitas.*
6. *Diſcunt omnes prouidere, omnia agere, & rationes ſuas cum Deo componere.*

THEMA.

Quid faciam? Luc. 16.

A. VErbum ſanum & irreprehẽſibile eſt hoc, *Quid faciam?* Dirigit enim hominem ad viam ſalutis æternæ. Sed non omnes amant quærere: *Quid faciam?* Aliqui enim malunt quærere: quid ſciam? vti ſunt ſtudioſi aliqui & mundi ſapientes, qui ſcire tantùm volunt. Alij: quid dicam? vti aliqui Doctores, Concionatores & Paſtores, qui dicunt & non faciunt. Alij: quid fingam, vt hunc decipiam, hoc aut illud factum prauum palliem aut excuſem? Alij: quid credam? vti Lutherani & Caluiniſtæ, qui fidẽ ſolam extollũt, & vnicum ad ſalutem medium eſſe dicunt: opera bona excludunt. Quorum omnium quæſtiones mutilæ & inſufficientes ſunt. Optima & ſaniſſima illa eſt, quam hodie ſibi propoſuit villicus, *Quid faciam?* ſic quæſierunt à Ioanne Baptiſta turbæ, publicani & milites: *Quid faciemus nos?* Luc. 3. Sic à S. Petro & Apoſtolis compuncti illi: *Quid faciemus viri fratres?* Actor. 2. Sic à Chriſto Domino Saulus: *Domine, quid me vis facere?* Actor. 9. Cum iſtis ergò potiùs quàm cum illis primis, accedamus nos ad Chriſtum, & quæramus ex illo: *Quid faciemus?* Diuites & pauperes, Dominos & ſeruos, diſſipatores bonorum, & denique omnes docebit in hoc Euangelio Dominus.

Diſcunt PRIMÒ diuites, inprimis villicos potiùs ſe eſſe ſuarum poſſeſſionum, quàm Dominos. Patet ex iſto Euangelio. Primò, quia villici vocantur ſeu diſpenſatores: Secundò, quia rationem Domino ſuo reddere tenentur. Tertiò, quia priuantur bonis illis ad nutum Domini; *iam non poteris villicare.* Et certè in mortis articulo omnia relinquenda ſunt; quod argumentum eſt, ea noſtra non fuiſſe; ſiquidem Dominum ſuum non ſequuntur. Hoc voluit etiam in lege veteri hominibus inculcatum Deus, quando *Leuit.* 25. vetuit terram vendi in perpetuum, ſeu in proprietatem, vt vertit Chaldæus: permiſit tantùm vendi ſub conditione redemptionis; *quia mea eſt*, inquit (terra) *& vos aduenæ & coloni mei eſtis.* Hinc liquet, vt ait Philo lib. de Cherubin, nos alienis vti poſſeſſionibus nec quidquam habere proprium, ſed vſum fructum tantùm, dum hic viuimus. B. I. *Diſcunt diuites.* 1. *Villicos ſe eſſe.*

Vnde debent primò diuitias non amare, aut quærere ſolicitè. Nemo enim Oeconomus valdè amat opes Domini ſui, (quid enim iuuat aſpectus rei alienæ?) neque etiam deſiderat, vt magnas pecuniarum ſummas diſpenſet, quia tunc de multis debet reddere rationem. Omnes ſolent fugere onus tutelæ, quia ſciunt, ſe bonorum pupilli diſpenſatores tantùm eſſe, & aliquando inſperatò rationem reddere debere. Opes tuæ magnâ ex parte ſubſtantia ſunt pauperum; Cur ergò ambis hanc tutelam? Deinde largè, prudenter & hilariter diſpenſare debent, quia nórunt hanc eſſe Domini ſui voluntatem; neque plus ſibi è bonis illis arrogare, niſi quantum ad ſtatum eorum honeſtè conſeruandum neceſſe eſt: ſicut Oeconomus non niſi ſalarium ſuum è bonis Domini ſibi accipere poteſt. Denique rationes ſuas accuratè componant, & ſæpiùs examinent vt omni tempore parati ſint reddere rationem, nec valde perturbentur, ſi à villicatione remoueantur.

Secundò. Diſcant conſequenter bene collocare opes ſuas. Poſſunt enim ijs, ſi velint, ædificare ſibi turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & ita non modò in futuro iudicij diluuio ſecuri eſſe, ſed præterea etiam cele- 2. *Bene collocare opes.*

brare nomen ſuum in omnem æternitatem, veriùs multò quàm ædificatores Babylonicæ illius turris. Sic enim teſtatur Pſalmus: *Iucundus homo, qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio, quia in æternum non commouebitur: In memoriâ æternâ erit*, &c. Et iterum Pſal. *Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus.* Poſſunt diuites, ſi volunt, redimere ſe à purgatorio, vel ignem illum omninò extinguere. Magnas itaque gratias Chriſto debent, qui docuit eos hoc refugium ſibi parare. Gentiles olim Saturnum regem, quòd docuerit homines fimo animalium fæcundare agros, ideoque Stercutium aliquibus dictum, diuinis honoribus colendum iudicârunt, adeoque in Deorum numerum retulerunt. Lud. Viues in ſchol. ad S. Auguſtin. *lib.* 18. *de ciuit. cap.* 15. Quantò magis extollendus Chriſtus, qui docuit opulentos ſtercore diuitiarum (ſic enim eas vocat Apoſt. ad Philip. 3.) fœcundare agros, id eſt, ſinus pauperum, vt centuplum & amplius fructuum colligere ex ijs queant?

3. *Modum dādi eleemoſynam.* Quin & modum atque regulam dandi eleemoſynam hic docet. Primò ait, villicum conuocatis debitoribus Domini ſui, remiſiſſe eis
1. partem. Sponte ergò & libenter dandum, vocandi pauperes, vt accipiant, noli expectare, donec rogeris, vel voceris tu, vt des. Secundò ait,
2. cum citò dediſſe, dixiſſeque: *Sede citò, & ſcribe*, &c. Celeriter ergò da; quia qui citò dat, bis
3. dat. Tertiò ait, non vni, ſed multis, ſingulis ſcilicet Domini ſui debitoribus, conuocatis aliquid donaſſe. Non ergò vni tantùm, vel alteri, v. g. conſanguineis, vel ciuibus, vel amicis, ſed, vt ait Dominus: *Omni petenti te tribue.*
4. Quartò ait, largiter donaſſe, vni dimidiam, al-
5. teri quintam debiti partem. Quintò ait, de melioribus dediſſe, de oleo ſcilicet & tritico. Non ergo deteriora, non corruptos cibos, non acidum & fœculentum vinum vel cereuiſiam, ſed
6. bona da & integra. Sextò, cum diſcretione ait, dediſſe ſeu remiſiſſe, vni plus, alteri minus, prout ſine dubio vnus altero plus egebat. Ergo diſcernendum inter pauperes, vt magis egentibus priùs & largiùs detur. Septimò. Non quæ-
7. ſiuit vanam gloriam eâ diſpenſatione; quia nec conuocauit ſpectatores ſuæ donationis, ſed pauperes dumtaxat debitores, eoſque non ſimul omnes, ſed *ſingulos*, vt ait Dominus, priuatim & remotis arbitris vnicuique aliquid remittens. Suſtentationem tantùm ſuum & refugium quæſiuit. Ergo & tu non ad vanam gloriam, ſed Dei ſolius intuitu, in bonum animæ tuę dabis eleemoſynam. Deſignatæ ſunt hæ ipſæ conditiones in panibus propoſitionis; qui primò ſemper expoſiti erant in menſâ. Secundò ſeni erant à ſiniſtris, ſeni à dextris; quia largiendum amicis & inimicis. Tertiò erant duodecim, quia largiter dandum. Quartò erant de ſimila, quia de melioribus dandum. Quintò imponebatur eis ſal, quia cum diſcretione dandum. Sextò imponebatur eis & thus, quia ad Dei gloriam.

Diſcunt Secundò. Pauperes. Primò fodere & laborare potiùs, quàm mendicare: rurſùm mendicare potiùs quàm furari. Primum enim quod ponitur in Euangelio, & quod incidit in mentem villico, eſt fodere: ſecundum mendicare: tertium fraudare & furari. Sed quia primum non valuit, ſecundum erubuit, ideo tertium elegit, licet perperam. Ergo primum quod egentes facere debent, eſt fodere ſeu labore & induſtriâ victum ſibi parare hoc enim honeſtum eſt; mendicitas non caret probro. Ideò enim hic mendicare erubuit. Et propterea Deus *Deut.* 15. præcepit: *Mendicus non erit inter vos.* Quod etiam obſeruant ciuitates & reſpublicæ bene ordinatæ; ſunt enim mendici & alijs moleſti & ſibi ferè ipſis mali ac reprobi. Non decet vt alijs interentibus panem in iuſculum, alij interim exedant; quod tamen faciunt mendici. Tales apes fuci; ſic appellati, quòd furtim mella comedant, ait Plin. *l.* 11. *c.* 17. Vnde & fures vocantur & ab apibus occiduntur. (Excipio hîc religioſos mendicantes, quia non otiantur.) Ergò deberet quilibet fodere potiùs ad ſanguinem, quàm mendicare. Verùm ſi vires aut occaſio deſint, quærendi victum labore, mendicare potiùs debes, quàm aut furari aut fame perire: **vnd ſolte dir der Karnier den hals abſchneiden.** Longè maior tibi honor eſt, ſi funiculus peræ pendeat tibi de collo, quàm ſi tibi collum pendeat de funiculo.

C. II. *Diſcunt pauperes.* 1. *Fodere potiùs quàm mendicare, mendicare quàm furari.*

Secundò. Viuere bene & orare pro ſuis benefactoribus, quò nimirum eos poſſint recipere in æterna ſua tabernacula. Si enim ipſi reprobi ſint, ſi blaſphement plus quàm orent, ſi Eccleſiam non frequentent, &c. quomodo ſuis precibus promouere alios ad cœlum poſſunt? quomodo eos recipere in æterna tabernacula? Tametſi verò non obeſt largientibus vita improba capientium eleemoſynam, horum tamen preces multum valent apud Deum, ſi pro illis fundantur.

2. *Bene viuere & orare pro benefactoribus.*

Diſcunt Tertiò Domini & ſuperiores. Primò lentè & conſideratè procedere ad condemnationem & punitionem ſubditorum: ita nimirum vt reo defenſionis locus detur. Tametſi enim Deus (qui per diuitem hunc intelligitur) optimè nôrit iniquitatem villici, adeoque contra eum etiam inauditum procedere mox potuiſſet, noluit tamen, ſed vocauit eum priùs ad ſe & dixit ei: *Quid hoc audio de te?* Noluit igitur credere delatoribus, voluit audire ipſummet reum; quo nimirum doceret ſic procedendum ſuperioribus cum ſubiectis. Idem docuit Deus, *Gen.* 11. quando filijs Noë ædificantibus turrim Babel, deſcendit vt videret ciuitatem & turrim. Similiter *Gen.* 18. cùm clamor Sodomorum ad eum aſcendiſſet dixit: *Deſcendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint.* Loquitur enim humano more propter Iudices, ne facilè accuſationibus credant, ſed eas lentè & maturè examinent. *Viſus enim certus, potiùs quàm fallax auditus teſtis adhibendus eſt*, ait Philo de Confu-

D. III. *Diſcunt Domini & ſuperiores.* 1. *Lentè procedere ad condemnationem.*

Confuſione linguarum. Rectè Seneca *lib. 2. de Irâ* ait: *Veritatem dies aperit, poteſtq́ pœna dilata exigi, exacta reuocari non poteſt.* Notus eſt Theodoſij imp. lapſus & pœnitentia præcipitatæ ſententiæ & executionis contra Theſſalonicenſes. Nec non Dauidis contra Miphiboſeph 2. *Reg.* 16. & 19. Ptolomæus etiam rex cùm aleâ ludens audiret interim puerum recitantem nomina & crimina condemnatorum, Berenice eius vxor erepto libello è pueri manibus, dixit, non obiter aut inter ludum aduertendum eſſe animum, cum de hominis ſalute agitur. Quo dicto rex delectatus cauit impoſterum capitales cauſas audire inter ludum. Eborens, *tom. 2. tit. de Prudentiâ.*

2. *Abſtinere verbis amaris.*

Secundò. Abſtinere verbis amaris & truculentis, etiam erga reos. Etenim Dominus iſte non inuehitur in furem, licet ſuorum bonorum: non probris eum onerat, non minas intentat, ſed pacatè: *Quid hoc audio de te?* inquit. Ita etiam fecit Ioſue cum Achan, fure anathematum, (*Ioſ.* 17.) quem deprehenſum paternè allocutus eſt. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël & confitere atque indica mihi, quid feceris; ne abſcondas.* Quem enim reipsâ conſolari non poterat, verbo conſolabatur. Vnde & reus mox confiteri crimen cœpit. Habent etiam Rei aliquid commiſeratione & manſuetudine dignum: quia ſcilicet naturæ imbecillitate peccârunt; quia pretium ſanguinis Chriſti ſunt, &c. Quare ſicut Medicus dum ſcindere vel vrere debet partem affectam, lenitate interim ægrum demulcet: ita facere debet Magiſtratus. Quid, quod damnatum illum Epulonem ſimili voce affatus eſt Abraham: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vitâ tuâ?*

E. IV. Diſcunt ſubditi & ſerui.

1. *Nō fraudare Dominos.*

Diſcunt QVARTÒ. Subditi & ſerui. Primò non fraudare Dominos ſuos, ſed diſpenſare eorum bona fideliter. Nam inprimis iniquitas eorum breui detegetur, quemadmodum & iſte citò diffamatus eſt apud Dominum. Poteſt quidem ad tempus occultari infidelitas, & ferè paterfamilias poſtremus eſt, qui eam percipit; ſed ad extremum tamen patefit, & ſuo ſe fœtore prodit malum, quemadmodum furtiuus ille ciceris faſcis à monacho clanculùm reſeruatus in vitâ S. Hilarionis apud S. Hieron. cuius fœtorem non Hilarion ſolùm, ſed & beſtiæ ſenſerunt, dum oblatum comedere noluerunt. Fœtent res furtiuæ; eorumque fœtor citò deprehenditur. Deinde in grauiora mala ex vno deuoluentur, quemadmodum iſte Villicus, qui infidelitati ſuæ adiecit furta ampliora, dum res domini ſuis alijs donauit. Ita nimirum qui ſemel auſus eſt furari, audet & peierare, & ſuam iniquitatem grauioribus ſceleribus occultare. Denique ad extremum debitam reportant mercedem, ignominiam videlicet. Nam licet villicus ille laudari videatur, reuerà tamen non tam laudatur, quàm vituperatur. Tacitè enim vocatur tenebrio & filius tenebrarum. Et mirum ſanè eſt, cur hic villicus è bonis Domini ſui tam malè diſpenſatis, non ſit factus diues, ſed potiùs tam pauper, vt amotus à villâ ſtipem ſibi colligendam prædiceret. Sed nimirum talia furtiua bona, vt non ditent facilè, ſed potiùs ſpolient & ad ſtipem redigant.

2. *Nec participes ſe facere furti.*

Secundò. Neque participes ſe facere furti alieni, quod fecerunt in hoc Euangelio debitores domini cùm pro centum ſcripſerunt 50. & 80. Si dixiſſent iſti: non licet nobis fraudare Dominum noſtrum, forſitan œconomus à propoſito reſiluiſſet. Sed quia illis grata fuit hæc fraus, ideo furem fecerunt, aut certè confirmârunt. **Waer der Heler nit / ſo ware der ſteuler nit.**

F. V. Diſcunt diſſipatores bonorum ſuorum.

1. *Reddendā ſibi rationem.*

Diſcunt QVINTÒ. Diſſipatores bonorum ſuorum primo, reddendam ſibi aliquando ſtrictam rationem, ſi non hîc parentibus, tutoribus, magiſtratui: certè ibi Deo, quòd opes ſibi creditas tam perditè abligurierint, in præiudicium parentum, vxoris, liberorum, creditorum, pauperum. Tunc dicent cum diſſipatore: *Quid faciam?* Si enim S. Iob, cui Deo teſte, non erat ſimilis in terrâ, vir, inquam; tam bonus ac perfectus, timuit iudicium illud dicens: *Quid faciam, cùm ſurrexerit ad iudicandum Deus?* quantò magis timere debent iniqui diſpenſatores? Idem enim Iob, de talibus ait: *Diuitias, quas deuorauit, euomet & de ventre eius extrahet eas Deus.*

2. *Quorſum deſinat eorum prodigalitas.*

Secundò. Quorſum deſinat tandem ipſorum prodigalitas & bonorum diſſipatio, nimirum in triſte illud canticum: *Quid faciam?* Cùm enim in iuuentute nullam artem didicerint, nihil ſuo comparârunt labore, ſed fruges tantùm conſumpſerunt, ſuperbè incedere & veſtire, per plateas deambulare & popinas frequentare didicerunt; tùm demùm videntes parum aut nihil ſupereſſe ſibi, capillos vellicare ſerò incipiunt, dicentes: Quid nunc faciam? Fodere non valent, quia vel nolunt, vel non poſſunt, nullum edocti artificium: mendicare erubeſcunt. Vnde ſæpenumerò vrgente neceſſitate, eligunt furari, aut fugâ ſibi conſulere; atque ita tandem ſerò redeunt ad ſe cum villico dicente intra ſe: *Quid faciam?* qui diu vagabantur extra ſe.

G. VI. Diſcunt omnes.

1. *Prouidè omnia agere.*

Diſcunt denique omnes PRIMÒ. In omnibus actionibus ſuis, præſertim grauibus, cogitare ſecum priùs: *Quid faciam?* Vt enim cochleæ lentè ingrediuntur nec quidquam attingunt, aut vſquam ſe mouent, niſi cornibus prætentarint (*quia* enim *oculis carent, corniculis prætentant iter*, ait Plinius lib. 9. cap. 32.) ita in rebus ſerijs hominem oportet eſſe cunctabundum, minimeque præcipitem & pedetentim aggredi agenda. Quia enim in pleriſque rebus cæcutimus, idcircò duobus illis corniculis prouidentiâ & conſilio, prætentare & dirigere vias noſtras debemus; vti fecit villicus iſte. Audi eius prouidentiam: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem?* Audi conſilium: *fodere non valeo, mendicare erubeſco: faciam ergo mihi amicos.* Hunc in modum, *quidquid agas prudenter agas, & reſpice finem.*

Secun-

2. *Modum componendi cū Deo rationes.* Secundò. Modum ac rationem componendi cum Deo rationes noſtras in iudicio, licet mali Oeconomi fuerimus. Sunt autem hi tres modi ſatisfaciendi pro peccatis admiſſis, & promerendi vitam æternam nimirum *fodere* per opera mortificationum, & corporis caſtigationem: *mendicare* per orationis ſtudium: *facere* nobis *amicos* in cœlo per eleemoſynam. Et quidem decet Chriſtianum in omnibus his ſtudijs ſeſe exercere, tum quia omnia noſtra Deo debemus, per ieiunium autem offerimus Deo corpus,per orationem animam, per eleemoſynam facultates externas: tùm quia peccando offendimus nos ipſos,Deum & proximum:per ieiunium ſatisfacimus nobis, per orationem Deo,per eleemoſynam proximo.Sed quia multi nimis delicati ſunt, qui hæc omnia præſtare nequeunt,idcircò eligant ſaltem aliquid. Et ſi infirmi fodere nequeunt, orent. Si pauperes dare eleemoſynam nequeunt, fodiant. Et ſi diuites fodere non ſunt aſſueti, nec orare crebrò per negotia ſua poſſunt, non omittant ſaltem dare crebras eleemoſynas.

Diſcamus porrò hæc bona maturè nobis parare,antequam nobis dicatur: *Iam non poteris villicare. Vita hac mercatus eſt.* vt ait S. Greg. Nazianzenus *in Iamb.* in quo omnis generis opes, id eſt virtutes comparare poſſumus. Eo exacto nullus emendi locus eſt. Nulla ibi foſſio, nulla mendicatio, nulla amicorum conciliatio locum habet. *Ergò dum tempus habemus, operemur bonum*, ait Apoſtolus *ad Galat.* 6. vt velut boni diſpenſatores laudemur & præmiemur à Deo,&c.

CONCIO XI.

Myſteria.

1. *Exponitur ſenſus & ſcopus parabolæ.*
2. *Quòd ij qui peccatorem apud Deum diffamant, ſint Angeli tam boni quàm mali; item homines, propria conſcientia,& peccata ipſa.*
3. *Quomodo laudet Dominus villicum iniquitatis.*
4. *Cur diuitiæ appellentur mammona iniquitatis.*
5. *Qui amici faciendi ex mammona.*
6. *Quomodo filij huius ſæculi prudentiores ſint filijs lucis.*
7. *Quinam illi & hi ſint.*
8. *Quænam ſit prudentia carnis,quæ ſpiritûs.*

THEMA.

Filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt. Luc. 16.

A. VEreor, Auditores, ne illa Domini ſententia: *Filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis, in generatione ſuâ ſunt*, redarguit nos & fortè condemnet aliquando. Videmus enim filios tenebrarum, hæreticos, magis induſtrios eſſe in tuendâ ſuâ perfidiâ, quàm ſimus nos plerique in conſeruandâ verâ fide. Atque vt alia taceam, perquam ſeduli ſunt in docendis & diſcendis fidei rudimentis, in cogendâ ad concionem plebe, in ſcripturis reuoluendis. Vix eſt de triuio aliquis, qui non habeat domi Biblia ſua, qui non crebrò in ijs legat, qui non celebriores aliquot ſententias,ad ſua confirmanda dogmata, memoriæ commendet eaſque crebrò ruminet atque in ore habeat. Non laudo quidem per omnia hanc illorum ſedulitatem, in quibuſdam minimè neceſſariam, in alijs etiam culpabilem; ſed doleo tamen & miror quòd Catholici, filijs lucis ſeu veræ Chriſti Eccleſiæ, ſuperari ſe patiantur à filijs tenebrarum. Lectionem Bibliorum condonat vobis Eccleſia, vt quæ nouit, SS. literarum intellectum penetrare, non eſſe omnium ſed Doctorum; cæterùm hoc requirit vt qui oculis deficiunt ad ſcripturas perſpiciendas, earum interpretibus ſeu verbi diuini concionatoribus tanto diligentiùs aures ſuas præbeant; quodque ab ijs audierint, memoriâ conſeruent, domi ſæpe ruminent ac denique ſecundum id mores & vitam ſuam componant. Hoc ergo nunc agamus.

Q. PRIMA. Quis parabolæ huius ſcopus & ſenſus? Reſp. ſcopus eſt, docere eleemoſynam faciendam pauperibus, quâ cœlum nobis paremus. Senſus eſt iſte: Homo diues Deus eſt, villicus eius quilibet homo, poſitus à Deo tanquam diſpenſator bonorum ſibi creditorum. Diffamatur hic apud Deum, cùm malus & iniquus diſpenſator eſſe denunciatur. Vocatur autem à Deo, cùm per internam inſpirationem, vel per beneficia aut flagella diuinitus commouetur, vt cogitet quomodo ſuo tempore rationem Deo reddere poſſit. Diſſipat verò bona eius, quando ijs nec ad ipſius Dei honorem nec ad propriam ſalutem & bonum proximorum: ſed potius ad Dei offenſam, vel proximorum iniuriam aut propriam abutitur perniciem. Ait Dominus villico: *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ*; cùm ſic loquitur in corde peccatoris: Homo cogita quis ſtatus tuus ſit: Chriſtianum te vocas, ſed viuis vt gentilis: vita tua non reſpondet tuæ vocationi. Verbis Deum confiteris,operibus blaſphemas. Vocas eum Dominum tuum, nec tamen facis eius voluntatem. Quare bonis meis ita abuſus es? cur ea non dediſti ad vſuram? cur non fæneratus es pauperibus? *Quid hoc audio de te?* Ait prætereà: *Iam non poteris villicare*; cùm homini inculcat memoriam mortis & iudicij aduentantis & quaſi iam præſentis, vbi deponetur ab adminiſtratione bonorum & ceſſabit facultas bene merendi. Porrò villicus aſſerit ſe fodere non poſſe, mendicitatem erubeſcere; quia qui delitijs aſſueti ſunt, hæc talia ſibi impoſſibilia reputant, itaque eleemoſynam potiùs eligunt vel à Confeſſarijs ſibi iniungi optant. B. I. *Quis parabolæ ſcopus & ſenſus.*

Q. SECVNDA. Qui ſunt qui diffamant ſeu accuſant peccatorem apud Deum? Reſpond. Primò: Angeli ſancti,præſertim cuſtodes. Hi enim C. II. *Qui diffamant.*

peccatorem apud Deum. enim Dei & ſuorum clientum iniurias cùm æquis oculis aſpicere nequeant, inde in vindictam ſumendam quodammodò accenduntur, Deoque iniurias illas repræſentant. 1. *Angeli boni.* Scimus Angelum Dei impio illi Balaamo gladium intentaſſe, quando is pergebat ad maledicendum Iſraëli, *Num.* 22. Scimus Angelum Domini paratum fuiſſe ad ſcindendos per medium impios illos ſenes, Suſannæ inſidiatores, *Dan.* 13. Intentio iſta gladij quædam accuſatio & ſceleris ad Deum delatio eſt.

2. *Dæmones.* Secundò. Angeli mali, qui idcircò Diaboli, id eſt, accuſatores & calumniatores appellantur, à verbo græco διαβάλλω, quo etiam vtitur Dominus hoc loco; quod interpres noſter vertit, *diffamatus*. Confirmatur ex *Apoc. c.* 12. vbi dicitur Diabolus *accuſator fratrum* & accuſare eos ante conſpectum Dei die ac nocte. Scimus eum calumniatum fuiſſe ſanctum illum Iob, quando dixit: *Nunquid Iob fruſtra timet Deum*; Iob 1. quaſi opera eius mercenaria tantùm eſſent. Ergo idem ipſe, qui inuitat & inſtigat nos ad peccandum, vbi peccauerimus accuſabit & calumniabitur nos. Quare non dubitandum illum ipſum ſerpentem, qui ſeduxit protoplaſtos, patrato peccato cucurriſſe poſt eos; quò peccatum eorum proderet & ad Deum quaſi deferret. Cùm enim in latebris ad quæſtionem vocaretur Adam, præſens ibi ſerpens fuit, vt ex contextu patet. Ergo Adamum inſecutus eſt, vtique ad prodendum eum.

3. *Homines.* Tertiò. Homines, & inprimis ij, quos offenderis, & oppreſſeris. Ita enim dicitur, *Exod.* 22. *Aduenam non contriſtabis, viduæ & pupillo non nocebis. Si læſeris eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum.* Deinde etiam alij, tum quòd videant fratres ſuos iniquè tractari ab impijs; tum quòd horum malefactis offendantur & ſcandalizentur; tum quòd ignominiam Deo illatam æquò ferre animo nequeant; quemadmodum Elias, qui 3. *Reg.* 19. ait: *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum; quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſraël.*

4. *Propria conſcientia.* Quartò. Propria conſcientia, vt inſinuat Apoſtolus *ad Rom.* 2. aſſerens conſcientiam eſſe teſtem & cogitationes illius accuſare hominem. Typum illius expreſſit nuncius ille qui ſancto Iob nunciabat omnes clades dicens: *Ego euaſi ſolus vt nunciarem tibi*, Iob 1. Licet enim omnes alios teſtes fugere poſſemus, conſcientiam tamen fugere non poſſumus. Illa ergo omnia noſtra peccata nobis annunciat, noſque redarguit atque ita coram Deo accuſat; quemadmodum fecit illi Cain cùm dixit: *Omnis qui viderit me, occidet me*, *Gen.* 4. Atque hic eſt vermis ille ſemper rodens putreſcentem animam, qui ſe maximè prodet in inferno.

5. *Peccata ipſa.* Quintò. Peccata ipſa, quæ ob ſuam turpitudinem & abominationem clamant quaſi ad Deum & vindictam petunt, vti ſanguis Abel iniquiſſimè fuſus, *Gen.* 4. & ſcelus Sodomitarum, *Gen.* 18. Hinc dicitur Num. 32. *Scitote quoniam peccatum veſtrum apprehendet vos.* Tanquam lictor ſcilicet qui furem inſecutus comprehendit & ad Iudicem trahit.

Q. Tertia. Quomodo laudat Dominus villicum iniquum? Itáne ex bonis malè partis vult Dominus fieri eleemoſynas? Reſp. per Dominum, qui laudauit villicum; intelligendum eſſe Dominum villici; non Chriſtum. Diues ergo; non Chriſtus, laudauit villicum ſuum, non quòd bene; ſed quòd prouidè & prudenter in rem ſuam egiſſet. Chriſtus ſuadet hîc eleemoſynam faciendam; ſed non ex alieno; quia ſcriptum eſt: *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata*; Eccleſiaſt. 34. Et, *qui offert ſacrificium ex ſubſtantiâ pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui.* Quod ergo Dominus villici laudat villicum; perinde eſt ac ſi Concionator dicat ſuis Auditoribus: Ecce fures totâ nocte vigilant & graſſantur vt prædas agant cum periculo vitæ ſuæ: & vos non poteſtis vna nocte vigilare in oratione? Ecce quàm mulieres impudicæ ornant corpus ſuum, vt ſeducant adoleſcentes! & vos non curatis pari ſtudio adornare animas veſtras vt Deo placeatis? Hic non laudat fures & meretrices, ſed ſtudium duntaxat & ſolertiam. Quòd ergo Chriſtus hanc parabolam proponit, non hoc facit, vt villicum in omnibus imitemur, ſed in eo ſolùm, quòd durante adhuc officio ſuo & tempore blandientis fortunæ futuram inopiam conſiderauit & anteuertit proſpiciens ſibi in futurum. Imò non obſcurè vituperat eum Dominus, quoad furtum eius, dum eum vocat implicitè filium huius ſeculi & tenebrarum. D. III. Quomodo laudat Dominus villicum iniquum.

Cæterùm ſi rerum iniuſtè poſſeſſarum Dominus neſcitur nec inueniri poteſt, tum reſtitutio fieri debet pauperibus. Et de hoc intelligendus eſt D. Chryſoſtomus *hom.* 5. *Matth.* cùm ait: *Acquiſiſti malè, impende iam bene: collegiſti hactenùs iniquè, diſperge iam iuſtè.* Similiter D. Auguſtinus ſerm. 35. de verb. Dom. *Qui habetis de malo, facite inde bonum.*

E. IV. Cur diuitiæ appellantur mammona iniquitatis. Q. Quarta. Cur ergo diuitiæ appellantur à Chriſto mammona iniquitatis? Reſpondeo primò, quia perſæpe ex iniquitate, nimirum ex fraudibus, rapinis, furtis, vſuris & iniquis contractibus congregari ſolent. Hanc cauſam reddit S. Hieron. epiſt. 150. ad Hedibiam: *Omnes enim diuitiæ*, inquit, *de iniquitate deſcendunt: & niſi alter perdiderit, alter non poteſt inuenire.* 1. *Vnde & illa vulgata ſententia mihi videtur eſſe veriſſima: Diues aut iniquus, aut iniqui hæres.* Vnde diuitias quaſi de vitijs vult dictas eſſe Pierius lib. 12. ad finem.

2. Secundò. Quia facilè iniquos faciunt ſuos poſſeſſores, niſi magnâ cautelâ tractentur, quam ob cauſam etiam Dominus ſpinis eas comparauit, quæ niſi admodum cautè tangantur, ſtatim vulnerant & cruentant manus. D. Ambroſius *l.* 2. *de interpellat. in Iob c.* 5. ait: *Magna illecebra delinquendi eſt rerum affluentia ſecundarum: ſupinat, extollit, obliuionem auctoris infundit.* Quare ſicut concupiſcentia ab Apoſtolo

ad Rom.

ad Rom. 7. *Peccatum* appellatur, quia eſt fomes peccati: ita & diuitiæ rectè appellantur *mammona iniquitatis*, quia ſunt fomes iniquitatis. Ob eandem cauſam cœleſti voce venenum dictæ ſunt. Nam, vt refert Henricus Gandauenſis in quodlib. apud Lyran. *Deut. 32.* quo tempore Conſtantinus Imp. Eccleſiam ampliſſimis muneribus ac redditibus dotauit, hæc è cœlo vox audita fuit: *Hodie cecidit venenum in Eccleſiam Dei.* Venenum ergo dictæ ſunt, quia facilè inficiunt animum, niſi magnâ cautelâ diſpenſentur.

3. Tertiò. Quia communiter ijs abutimur, atque ita ex cupiditate noſtrâ malæ & iniquæ fiunt; quo modo vinum alioquin bonum deſtruitur, cùm infunditur in vas ſordidum aut fætens; fætorem enim ex vaſe contrahit. Sic Apoſtolus ad Ep. 5. dies vocauit *malos* (*quoniam dies mali ſunt*;) eò quòd noſtro vitio tales plerunque fiant. Ergò diuitiæ fiunt mammona iniquitatis, cùm non rectè diſpenſantur, cùm pauperibus negantur, cùm in luxum aliósve malos fines prodiguntur.

4. Quartò. Quia inæqualiter ſunt diſtributæ & quodammodo iniquè, ſi præmia temporalia ſolùm ſpectemus. Multi enim ſunt optimi viri, qui longè melius diſpenſarent diuitias & meliori iure poſſiderent quàm diuites aliqui; ijs tamen deſtituti ſunt; cùm è contra improbi & ſcelerati multi diuitijs abundent. Rectè ergo iniquitatis, id eſt, inæqualitatis appellantur, vt poſt Auguſt. *con. 1. in Pſ. 48.* cenſet D. Thomas 2.2. *q. 32. ar. 7.*

5. Quintò. Quia non ſunt veræ diuitiæ ex ſententiâ ſapientum & piorum hominum; ſolùm ab iniquis tales reputantur. Qui terrena ſpernunt, nullas agnoſcunt diuitias, niſi cæleſtes, terrenæ illis ſtercora ſunt; quæ idcircò non abſolutè, ſed cum certâ appendice diuitiæ dicuntur, vti *fallaces diuitiæ*, Matth. 13. ipſi verò diuites ab Apoſtolo 1. Tim. 6. *diuites huius ſæculi.*

P. V. Qui amici faciendi ex mammona.

Q. QVINTA. Quinam ſunt amici faciendi ex mammona? Reſpondeo primò, eſſe pauperes. Licet enim iſti verſentur in terris, & quandoque improbi ſint, recipiunt tamen eleemoſynarios in æterna tabernacula, quatenus
1. Chriſtus pauperum loco eleemoſynam acceptat, & pro eâ cœlum donat tribuentibus. Quemadmodum ergò Chriſtus accipere dicitur, quod nomine Chriſti accipiunt pauperes: ita quod dat Chriſtus nomine & loco pauperum, pauperes dare cenſentur. Recipiunt ergò illi, ſeu pro illis, Chriſtus diuites in cœlum per meritum eleemoſynæ. Vnde S. Gaudentius Epiſcopus Brixianus in expoſ. huius loci ait: *Recipient vos non ipſi pauperes per ſemetipſos, ſed per eum, qui in illis obedientiam fidei noſtræ fructu reficitur.*

2. Secundò. Speciali titulo eſſe iuſtos ex ſententiâ D. Auguſtini *lib. 2. quæſt. Euang. cap. 34.* & gloſſæ interlinearis, quæ ſic habet: *Facite amicos, non quoſlibet pauperes, ſed eos, qui poſſunt vos recipere in æterna tabernacula.* Ratio eſt, quia hi cùm iuſti ſunt, habent in cœlo deſtinata ſibi tabernacula, & præterea precibus ſuis poſſunt largitoribus cœlum impetrare; quod non poſſunt impij. Cæteris ergò paribus, præſtat dare bonis quàm improbis: quanquam nec id perit, quod iniuſtis datur.

Tertiò. Specialiſſimè eſſe ſanctos, ex ſententiâ D. Ambroſij, quia *largiendo pauperibus, Angelorum nobis, cæterorumque Sanctorum gratiam comparamus*; inquit. Quod inprimis fiet, cùm ad honorem Sanctorum templa ædificamus, ornamus, dotamus, &c. Sancti enim, qui diuites ſunt in cœlis, pauperes ſæpe ſunt in terris, dum vel obſcuro loco quieſcunt, vel vili ſub tecto habitant, vel eorum reliquiæ minùs decorè aſſeruantur, vel alijs modis negliguntur. Ergo qui in pauperes iſtos confert ſuam mammonam, ſanè in eos conferet, qui poſſunt ipſum recipere in æterna tabernacula, in quibus ipſi iam ſecuri habitant. Verùm ex mente Chriſti rectiùs intelligimus pauperes homines, quoſcunque tandem illos. 3.

G. VI. Quomodo filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis.

Q. SEXTA. Quâ ratione filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis? Reſp. Id intelligendum non abſolutè, ſed *in generatione ſuâ*, hoc eſt, in negotijs ſæcularibus & rebus temporalibus, inter ſuos, ſibi ſimiles; plerunque, non ſemper; prudentiâ carnis, non prudentiâ ſpiritûs. Hac ratione noctuæ & veſpertiliones oculatiores ſunt homine, ſed de nocte, non de die. Fæles acutiùs vident homine, ſed ad capiendos mures, non ad legendas literas. Ergo primò filij huius ſæculi magis ſeduli, & induſtrij ſunt ad ornandum & ſaginandum corpus, quàm filij lucis ad ornandam & impinguandam animam. Hoc aliquando defleuit S. Nonnus Epiſcopus, videns Margaritam famoſiſſimam meretricem ſummo ſtudio & ingenti luxu corpus adornantem; dicens, ſe animæ ſuæ cultui tantam curam & diligentiam nunquam impendiſſe, quantam illa impenderet corpori. Quo facto eam conuertit ad pœnitentiam, & Pelagiam appellauit. Iacob. Diac. Heliopolis in vitâ. Niceph. Vxores Aſſueri, vt ſemel in conſpectu regis apparerent, priùs anno integro ſeſe adornabant. Quis ita adornat animam ſuam ante S. communionem? 1.

Secundò. Magis attenti ſunt ad comparanda bona temporalia, quàm iuſti (communiter) ad paranda æterna. Ita videmus ſæculares longè magis attendere ad rem domeſticam, quàm ad ſuam conſcientiam. Nôrunt ſuos creditores: ſciunt, quantum quiſque ipſis debet: Sciunt modos & rationes ſua recuperandi. At verò quæ ipſi Deo debent, parum aut nihil curant: non ſciunt ſtatum conſcientiæ ſuæ: non nôrunt in confeſſione enumerare peccata ſua, etiam grauiora: non ſciunt, neque quærunt modum ſe liberandi ab illis debitis. Cuius ratio eſt, quia corporalia ſenſibus percipiuntur, itaque fortiùs mouent appetitum quàm ſpiritualia, quæ intellectu tantùm percipiuntur, atque ita tenuiter nos mouent. Illa etiam in præſenti exhibentur, hæc verò ad futurum & alterum illud ſæculum ſpectant. 2.

Tertiò.

3. Tertiò. Magis vigilant ad nocendum ſibi & alijs quàm iuſti ad opitulandum; magis ad opprimendos & fallendos pauperes, quàm iuſti ad iuuandos. De filio huius ſæculi dicitur Pſ. 9. *Inſidiatur quaſi leo in ſpeluncâ ſuâ, inſidiatur, vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.* Sic Iudas ſolertiùs vigilabat cum Iudæis, vt eis Chriſtum traderet, quàm alij diſcipuli cum Chriſto, vt cum eo orarent, vel eum defenderent.

4. Quartò. Plura ſæpe faciunt, atque excogitant, vt tueantur ſua ſcelera, vt defendant & propagent hæreſin, &c. quàm iuſti, vt tueantur virtutes, Catholici vt propugnent & dilatent veram Chriſti religionem. Videre enim eſt hæreticos magis inquietos eſſe, minùs ſumptibus parcere, plùs laborum ſuſcipere, vt euertant fidem Catholicam, quàm nos vt euertamus hæreſin.

5. Quintò. Diligentiùs ſibi proſpiciunt de rebus neceſſarijs in futurum tempus, quàm boni in futuram æternitatem. Villicus hodiernus de futuro tempore ſollicitus fuit quò ſe reciperet amotus à villicatione, quid in ſenectâ biberet, comederet & indueret deberet; atque hucuſque extendit ſe prudentia huius ſæculi. Pauci admodum ſunt, qui non colligunt ſibi opes, prouidentque alijs commoditatibus pro aduentante ſenectutis hyeme; pro altero autem ſæculo nihil ſibi parare curant.

II. VII. Quinam filij huius ſæculi, & qui filij lucis.

Q. Septima. Quinam filij huius ſæculi, & qui filij lucis? Reſp. Duplex hic inſinuari inter vtroſque diſcrimen. Mali vocantur filij huius ſæculi, conſequenter boni ſunt filij alterius ſæculi. Ratio, quia illi præſens ſæculum eiuſque commoditates eligunt pro parte ſuâ, & hunc mundum pro patriâ ſuâ; iſti verò ſæculum futurum & cœlum. Illi *de mundo ſunt, & de mundo loquuntur, & mundus audit illos*, 1. Ioan. 4. Iſti verò de hoc mundo non ſunt, ſed dicunt: *Quid mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Deinde boni vocantur filij lucis, conſequenter mali ſunt filij tenebrarum. Quemadmodum ergo in Ægypto duæ diſtinctæ regiones erant; vna lucida & clara, in terrâ Geſſen, vbi habitabant filij Iſraël: altera tenebris obducta denſiſſimis, in reliquâ Ægypto, vbi habitabant Ægyptij, *Exod.* 10. ita in hoc mundo alij lucem inhabitant fidei, virtutis & veræ ſapientiæ, vt iuſti: alij tenebras errorum, vitiorum & ſapientiæ carnalis, vt iniuſti. De illis dicitur: *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit ac creſcit vſque ad perfectum diem*; de his verò: *Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruunt*, Prouerb. 4. Illi ſpiritualia ſectantur, probant, eligunt, ambiunt; hi verò carnalia & terrena.

Q. Octava. Quæ eſt prudentia carnis; & quæ ſpiritus? Reſp. Id explicari ab Anſelmo, apud Corn. *in ep. ad Hebr. c.* 8. *Prudentia carnis*, inquit Anſelmus, *eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt fallacia demonſtrare, bonorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab alijs mala multipliciùs reddere; cùm vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere, cùm virtutis poſſibilitas deeſt quidquid explere per malitiam non valet hoc impacifica bonitate ſimulare. Prudentia verò ſpiritus, id eſt, iuſtorum ſapientia eſt, nihil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera vt ſunt diligere, falſa euitare, bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere; pro veritate contumelias pati, lucrum putare.* I. VIII. Quæ prudentia carnis & ſpiritûs.

Prudentia filiorum huius ſæculi ſiue carnis eſt terrena, & carnalia quærere, mirari & amare: Sapientia filiorum lucis, eſt terrena illa ſpernere, cœleſtia ſola quærere. *Sapienti nihil poteſt videri magnum rebus humanis, cui æternitas omnis totiuſq; mundi nota ſit magnitudo*, ait Cicero 3. Tuſc.

Prudentia carnis eſt, mala pœnæ vitare, mala culpæ nihil æſtimare, & hæc potiùs quàm illa admittere. Sapientia ſpiritus eſt, omnium potiùs bonorum iacturam facere, omniaque ſupplicia tolerare, quàm vel vnum peccatum admittere.

Prudentia carnis eſt, iniuriam inferre potiùs quàm pati. Contrà *hæc cœleſtis planè & diuina ſapientia eſt*, inquit Conſtantinus Imp. orat. ad SS. cœtum cap. 25. *vt pati malimus iniuriam, quàm facere; & damnum potiùs accipere, quàm inferre parati ſimus.*

Prudentia carnis eſt iniurias vlciſci. Contrà verè *prudentium eſt, amicis inimicitias condonare, ſtultorum & barbarorum eſt, amicos cum inimicis fallere*, inquit Dion. Halicarn. l. 5.

Prudentia carnis eſt priuata commoda publicis anteponere. Contrà *prudentes*, inquit idem l. 11. *publica commoda priuatis ſimultatibus potiora ducunt.*

Prudentia carnis eſt noſſe, & conſiderare alios, & quæ circa ipſos ſunt. Prudentia ſpiritus, noſſe ſeipſum.

Prudentia carnis eſt alios reprehendere. Prudentia ſpiritus, ſeipſum priùs reprehendere, & quæ in alijs reprehendit, ea non facere, vti dicebat Thales apud Laërt. l. 1.

Prudentia carnis eſt ſecundis rebus extolli, aduerſis verò deijci. At verè *ſapiens*, inquit Apuleius, *nec ſecundis rebus effertur, nec contrahitur in aduerſis.* Et quemadmodum grando illiſa tectis diſſultat magno quidem fragore, ſed nullo damno: ſic inſultus fortunæ nihil poteſt in Sapientem.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Lucæ 19.

IN illo tempore: Cùm appropinquaret IESVS Ieruſalem, videns ciuitatem fleuit ſuper illam dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt: Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Et ingreſſus in templum, cœpit eijcere ementes & vendentes in illo, dicens illis: Scriptum eſt: quia domus mea, domus orationis eſt. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo.

CONCIONES.

I. *De morte hominis in peccato exiſtentis.*
II. *Quæ potiſsimùm deploranda videantur in aliqua communitate.*
III. *Quid doceant nos Chriſti lachrymæ.*
IV. *Deflendam fuiſſe Ieroſolymam & eſſe peccatorem? Cauſa plures.*
V. *Diuina vindicta in excidio Ieroſolymitano oſtenditur.*
VI. *Quamobrem erepta nobis ſit terra ſancta.*
VII. *Variæ iniuriæ Eccleſiis illatæ, vt punitæ ſint.*
VIII. *Documenta.*
IX. *Myſteria.*

CONCIO I.

De morte hominis in peccato exiſtẽtis.

Applicantur ea quæ ad litteram euenerunt Ieroſolymæ, ſpiritualiter euentura homini in peccato morienti, Ac

1. Circumdabunt eum inimici, *terrendo ſpectris, oppugnando tentationibus, & obijciendo peccata commiſſa.*
2. Coanguſtabunt eum vndique.
3. Ad terram proſternent; *quia cum violentia tollitur, & ſpiritualium oblitus in deſperationem impellitur.*
4. Nec relinquent lapidem, *&c. quia ſpoliabitur bonis, fructus operum extra gratiam factorum; & in nihilum concident eius vota.*

THEMA.

Venient dies in te. Luc. 19.

A. MVltis, Auditores, hodiernum Euangelium non magis pertimeſcendum videtur, quàm tormentum iam exploſum, vel hoſtis qui ſclopetum quidem gerit, verùm puluere & globo caret. Putant enim Chriſti prædictionem & comminationem iam in Iudæis completam, ad alios non pertinere. Vnde dicere videntur: non venient hi dies in nos. Sed me, vt verum fatear, ſi quod terret Euangelium, terret hodiernum. Video enim manifeſtè, quæ in hoc Euangelio prædicuntur Iudæis impœnitentibus, prædici etiam peccatoribus in peccato morientibus, adeoque hoc Euangelium eſſe duplicem prophetiam, vnam quæ Iudæos, alteram quæ peccatores omnes tangat. Vt enim deſtructio Ieroſolymæ typus eſt perditionis peccatorum: ita exiſtimandum eſt, ea quæ ad litteram euenerunt Ieroſolymæ, ſpiritualiter euentura homini in peccato morienti. Quod vt clariùs videamus, perſtringemus ſingula.

PRIMÒ. *Circumdabunt te inimici tui vallo & circumdabunt te.* Contigit hoc Ieroſolymitanis; quia ab exercitu Romanorum circundati, & incluſi muro ac vallo fuerunt. Faciunt & hoc dæmones morienti peccatori. Primò terrendo ſpectris immanibus & horribilibus, quemadmodum ſæpe legimus apparuiſſe morientibus in formâ draconum, leonum, ſerpentum, Æthiopum, canum atrorum, &c. qui eos expectare, circumplecti, vel deuorare iam videbantur, ita vt morituri iam de ſalute ſuâ actum eſſe clamarent. Exempla complura videre eſt in Dialogis S. Gregorij. Inter alia *l. 4. dial. cap. 38.* de Monacho Iconiæ, ex monaſterio Tongalathon, ſcribit, eum ſimulatâ ſanctitate magnam ſibi apud omnes exiſtimationem comparaſſe. Sed cùm ægrotans ad diem vitæ ſupremum acceſſiſſet, fratres expauefactus conuocauit, & hypocriſin quam diu celauerat, prodidit. *Et nunc,* inquit, *videte quò me perduxit diu mentita ſanctitas. Ieiunijs me identidem affligi fingebam, ſed occultè comedens nunquam ieiunabam, nunc inimico traditus ſum. Ecce me terribilis ſerpens tortuoſi corporis voluminibus implicatum tenet, ecce in os meum, quod clandeſtinis dapibus replebatur, caput indidit ſuum, & lethifero morſu ſanguinem ſuctans adimit ſpiritum.* Sub quæ verba miſer defecit. Idem cap. 7. ſcribit adoleſcentem monachum malæ vitæ, ſimili modo à dracone inuolutum & iam deuorari

B. I. Circũdabunt eum inimici.

1. *Terrendo ſpectris.*

deuorari cœptum. Nimirum quia peccatores in vita beſtialiter viuebant, adeoque vitia beſtiarum induebant, idcircò meritò atrocium & horribilium beſtiarum formis terrentur à dæmonibus, vt ita videant oculis ſuis, quales fuerint & quid coluerint.

2. *Oppugnando tentationibus.* Secundò. Oppugnando tentationibus & curarum ſæcularium exagitando flagellis, vt ne otium habeat cogitandi de ſalute ſuâ. Quemadmodum enim Hebræi à Pharaone laboribus & flagellis tunc maximè atterebantur, quando ab ipſo diſcedere & ſacrificare Deo volebant; & quemadmodum curſores equi cùm iam ad metam tendunt, tunc maximè flagellis & clamoribus incitantur ad curſum: ita peccatores cùm ad vitæ metam properant, tunc omnium acerrimè exagitantur à Diabolo, qui tunc deſcendere ad eos ſolet *habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet*, vt ſcribit S. Ioannes *Apocal.* 12. Et hoc eſt quod illâ repetitione exaggerat Chriſtus: *Circumdabunt te inimici tui, & circumdabunt te.*

3. *Obijciendo peccata commiſſa.* Tertiò. Obijciendo peccata commiſſa, eaque exaggerando ex multitudine, fœditate, ingratitudine, frequentatione, &c. Peccata enim dæmon quæ initio cùm ſuadet, alleuiat, ad extremum cùm moriendum eſt, aggrauat, vt in deſperationem inducat. Quia enim hominis calcaneo, id eſt, vitæ fini maximè inſidiatur ſerpens, idcircò proponit illi vndique peccata commiſſa, vt eorum aſpectum conſternatus homo effugere deſperet. Hoc eſt quod vir ſanctus Dauid timuit, cùm ait Pſ. 48. *Cur timebo in die malâ? iniquitas calcanei mei circumdabit me.* q. d. ſi in mortis articulo inuenero circa me peccata mea, circumdabunt illa me inſtar aggeris aut muri, vt nullo modo euadere poſſim. Hunc aggerem comportabit dæmon ex multitudine peccatorum, quæ quis fecit. Vnde de eo figuratè, ad literam de Nabuchodonoſore, dicitur Abac. 1. *ſuper omnem munitionem ridebit, comportabit aggerem & capiet eam*, (Tyrum.) Denique quot vitia quis commiſit, tot vallis dæmones miſerum circundabunt, & quaſi de iam victo & capto triumphabunt, fietque quod *Thren.* 2. dicitur: *Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui: ſibilauerunt & fremuerunt dentibus ſuis & dixerunt: Deuorabimus. En iſta eſt dies, quam expectabamus, inuenimus, vidimus.* Hoc peccatorum aggere circundedit Henricum VIII. Angliæ Regem peſſimum Tyrannum, qui poſt patratas plurimas ſanctorum cædes aliaque ſcelera in agone ſingulis horis reuocabat ſibi in memoriam quantis malis populum ſuum affeciſſet, & cùm ſtatuiſſet reuerti ad Eccleſiam à quâ perfidè deſciuerat, conſuluit Epiſcopos de modo ſe reconciliandi; ſed illi quibus nota erat Henrici tyrannis, conſilium dare non ſunt auſi, ne fortè pœnas ſimulanti darent. Vnus ex ijs improbâ voce firmauit in perfidiâ dicens: *Regem omnibus viris ſapientiorem eſſe, & diuino conſilio Eccleſiæ Romanæ primatum abdicaſſe.* Fertur quidem Vintonienſis Epiſcopus ſalutare conſilium ei dediſſe, vt cum regni Ordinibus rem hanc communicaret: ſed parum effecit monitio ob paraſitorum ſuperuenientium voces, quibus retinebatur in perfidiâ Rex. Atque ita miſer ille ſibi ipſi ianuam cœli præcluſit. Refert Florim. Rem. *lib. 6. de orig. hæreſ. c.* 5.

SECVNDO. *Coanguſtabunt te vndique.* Contigit hoc Ieroſolymæ, quia foris à Romanis, intùs à fame, peſte, rapinis, ſeditionibus anguſtiata fuit, vt nullum eſſet effugium. Continget & morienti reprobo. Porrò anguſtias morientis peccatoris optimè deſcripſit Iob *cap.* 21. cùm ait: *Lucerna impiorum extinguetur, & ſuperueniet eis inundatio.* Quemadmodum enim ante diluuium aquæ omnes colligatæ tenebantur in nubibus, in abyſſo maris, in fontibus, ne homines opprimerent, qui idcircò liberè diſcurrerunt per omnes peccatorum vias; repentè tamen exortum eſt diluuium & omni ex parte profluxerunt aquæ copioſiſſimæ, è cœlo, terrâ, mari, fontibus & nubibus & vndique oppreſſerunt homines: ita dum peccator viuit, liberè diſcurrit, proſperatur & lætatur in bonis ſuis: *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi; promptuaria eorum plena,* &c. at verò cùm ad portas mortis appropinquat, tunc ſuper eum irruunt vndequaque copioſiſſimæ dolorum & anxietatum aquæ. Quocunque aſpiciat, exitum non videt, defenſorem non reperit. Si ſurſum aſpiciat, videt Deum ſibi iratum & millies offenſum. Si deorſùm oculos demittat, videt infernum dilatantem animam ſuam abſque vllo termino. Si intra ſe aſpiciat, videt vermem conſcientiæ, accuſantem & rodentem. Si extra ſe mittat oculos, videt à ſiniſtris amicos & propinquos triſtes iamiam deſerendos; quandoque ſibi moleſtos & importunos ob bonorum diſtributionem: multoties etiam ſibi in viâ ſalutis obſiſtentes. A ſiniſtris bona plurima mox relinquenda. Circa ſe vndique dæmones quamplurimos ſibi inſidiantes & exitum animæ præſtolantes, ſicut feles excubant ad murium antra, vt corripiant prodeuntes. Ante ſe videt mortem nimiùm repentè & inopinatò accelerantem. Ibi conijciet oculos ad ſepulchrum, quod ingredi cogetur. Retrò ſe iudicium ſeuerum & incertum, in quo Deo velut hoſpiti ſoluet omnia debita, quæ contraxit in hoc mundi hoſpitio, heluando, ludendo, luxuriando. Quòd ſi Baltaſar videns ſcribi de ſe in pariete iudicium diuinum, licèt nondum intellectum adeò tremefactus eſt, vt facies eius immutaretur, genua colliderentur. &c. quid ſentiet is, qui aduertit iamiam ſibi ſcribendam vltimam ſententiam, iamiam ſe appendendum eſſe in ſtateram, imò iam in vna lance poſita eſſe contra ſe tot pondera peccatorum? Atque hoc eſt triſte & tenebroſum illud tempus, de quo cœleſtis concionator Eccleſiaſt. c. 11. loquitur: *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus* C. II. *Coanguſtabunt vndique.*

lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum multorum; qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. q. d. Dato ſed non conceſſo, quòd homo multis annis vixerit & in his omnibus lætatus fuerit; quod tamen fieri nequit. Nemo enim certus eſt, ſe multis annis victurum: deinde nec in illis ſemper viuere lætus poteſt, qui nullam de craſtino habet ſecuritatem. Quomodo enim damnatus ad ſuſpendium, dum ſcalam furcæ aſcendit neſciens ex quo gradu ſit deijciendus, lætari in aliquo poſſit? an non potiùs in omnibus ſemper timet anxius? Ita res nobiſcum habet. Sed demus hominem de longâ vitâ ſecurum & in ea ſemper lætum eſſe, debet tamen meminiſſe *tenebroſi temporis & dierum multorum*, id eſt, mortis (cuius tempus licet exiguum ſit, longiſſimum tamen videtur propter eius anguſtias, vt etiam in hodierno Euangelio audimus) & quæ conſequitur, æternitatis. Tenebroſum porrò erit tempus illud, tùm quia triſtitia plenum, ſiue ſenſus & dolores corporis, ſiue amicos & propinquos, ſiue adhortantes Sacerdotes, ſiue alia ſupradicta conſideres; tum quia dubij exitûs. Videt enim conſtitutum & pulſantem ſe ad portas ſiue æternæ gloriæ, ſiue æterni ignis. Quæ tenebræ? quæ anguſtiæ? De quodam conſiliario impiæ illius Eliſabethæ Angliæ Reginæ ſcribit Cornelius à Lapide *in Ezech. c.* 32. quòd moriens viderit ſuam in gehenna ſedem profundam, igneam, aliaſque ſimiles iuxta eam ſuis collegis paratas, vti à viris omni fide dignis accepit.

D. III. Ad terram proſternent.

Tertiò. *Ad terram proſternent te, & filios tuos.* Contigit hoc Ieroſolymæ, quia in eâ proſtrata non ſolùm ædificia, ſed & ciues plerique vel peſte abſumpti vel occiſi vel in captiuitatem ducti. Contingit idem ſpiritualiter peccatori morienti.

1. *Quia cum violentiâ tollitur.*

Primò, quia cum magnâ violentiâ & impetu inuitus & coactus exſcinditur è vitâ & proſternitur in ſepulchrum; tum quia fortiter mundo affixus fuit; quo modo etiam arbor procera quæ fortes & altas in terrâ fixit radices, non niſi magnâ cum violentiâ & reſiſtentiâ frangitur à turbine. Vnde Eccleſiaſt. *cap.* 4. ait: *ò mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis!* Tum quia de ſuâ morte nihil anteà cogitauit: vnde tunc præ oculis eam videns obſtupeſcit, conſternatur & concidit; ſicut v. g. porci quando proſternuntur vt iugulentur, dirè vociferantur & gemunt, quia mortem, non niſi cùm adeſt, ſentiunt. Sic turbatus fuit pinguiſſimus ille Agag Rex, cùm à Samuele præter ſpem occidi iuſſus, tremens dixit: *Siccine ſeparat amara mors?* 1. Reg. 15. Atque ita proſternitur in terram vnà cum filijs, id eſt, cogitationibus ſuis, vt exponit S. Gregorius *hom.* 39. *in Euang.* dum qui vitam tantùm cogitauit, repentè in ſepulchrum deijcitur. Sed quo impetu putamus proſternendum eſſe in infernum? nimirum vti Sathan; ipſe fulguris inſtar, de cœlo cecidit, ita eius ſectatores cadunt in infernum.

2. *Quia ſpiritualium oblitus.*

Secundò. Quia ferè ad terrenas tantùm cogitationes conuertitur, ad morbi vehementiam, coniugem, liberos, teſtamentum, medicos & medicinam, conualeſcentiam &c. ſpiritualiũ rerum obliuiſcitur. *Tali enim animaduerſione*, ait S. Auguſt. ſerm. 3. de Innocen. *percutitur peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui cùm viueret, oblitus eſt Dei.* Sæpe etiam vſuuenit, vt eas tantùm tractet peccatorum illecebras, quibus dum ſanus eſſet, implicatus & delectatus erat. Refert Robertus à Licio in ſuo Quadrageſimali, puellam Spoletanam veſtium ornatu delectari ſolitam, paulò ante mortem voluiſſe indui pretioſiſſimis ſuis veſtibus, quaſi ad nuptias ituram: deinde ſic ornatam diabolum vocaſſe: *Veni ô diabole, ſuſcipe animam meam*; atque his dictis mortuam eſſe. Franc. Coſterus Dom. Sexag. ſcribit quendam diuitem anno 1533. moribundum, cùm pœnitentiæ admoneretur, vultum auertiſſe & de pecunijs tantùm audire voluiſſe, ideoque præcepiſſe vt ſcutella aureis plena ſibi afferretur. Quam dum ſic affatur: *Tu pecunia mea, in te auxilium meum, dicant quod volunt Sacerdotes*: caput eius impactum eſt ſcutellæ & miſer expirauit. Ibidem ſcribit ex Cæſario, Guilielmum Comitem Iuliacenſem, poſtquam in adulterio vixiſſet, in gremio concubinæ ſine ſacramentis expiraſſe. Ianſenius apud Martin. Delrium. 2. *p. Adagiorum adag.* 444. narrat quendam cuius ſtudium in vitâ fuerat, ventrem ſaginare cupedijs, morbo correptum tali vt nec quidquam alimenti admitteret, nec fauces poſſent tranſmittere: quare ſic affectum iuſſiſſe delicatiſſimum cibum vinumque ſibi afferri; quæ in menſâ aut in lecto cum maximis deſiderijs ſuſpirijſque moleſtiſſimis intuebatur, atque ita contabeſcens mortuus eſt. *Noui quendam*, ſubdit Delrius, *virum nobilem & dignitate conſpicuum, luſorem totâ vitâ, ad extremum vſque ſpiritum iuſſiſſe chartas luſorias adferri, vt cùm ipſe iam nequiret, alios ludentes adſpiceret.* Hoccine non eſt proſterni ad terram?

3. *Quia in deſperationẽ impellitur.*

Tertiò. Quia à malignis ſpiritibus vel etiam proprijs ſceleribus ad deſperationem impellitur, cum filijs, id eſt, cogitationibus ſuis animam exagitantibus & grauãtibus, vti multa exempla docent, apud Bedam, Tho. Cantiprat. S. Gregor. & alios. Deſperatio ſecuris eſt, quæ arborẽ omninò exſcindit & vno ictu proſternit, conterit & comminuit; vti fecit Iuliano Apoſtatæ, quando is ſanguinem è vulnere ſuſceptum in cœlum eiaculatus clamauit: *Viciſti Galilæe, viciſti*; & impio Caluino, quando moriens pediculari morbo, dæmones inuocauit, Deum execrans & blaſphemans. Hier. Bolſec. in eius vitâ.

E. IV. Nec relinquent lapidem ſuper lapidem.

Quartò. *Nec relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Contigit hoc Ieroſolymæ quia à Tito vaſtata, & ab Adriano poſt penitùs exciſa & loco mota fuit. Fit hoc ipſum in morte reprobi.

1. *Quia ſpoliabitur bonis.*

Primò, dum bonis corporis & fortunæ, quæ tantoperè amabat & quibuſcum bene illi erat: exuitur & ſpoliatur, vt præter linteum vnum; nihil ei relinquatur. Narrat S. Marcus

cap. 13.

cap. 13. egreſſo aliquando IESV è templo, diſcipulum vnum templum illud magnificum, quod Chriſtus prædixerat deſtruendum, ei oſtendiſſe ac dixiſſe: *Magiſter, aſpice quales lapides & quales ſtructuræ?* S. Lucas *cap. 21.* addit reuocaſſe etiam ei in memoriam dona templi, quaſi non deberet tam præclara diſſolui machina. Sed quid ad hæc CHRISTVS? *Vides,* inquit, *has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Contigit hoc templo non hyperbolicè, ſed verè, primò ſub Hadriano, deinde quando ſub Iuliano Iudæi templum reparare volentes effoderunt veteris templi fundamentum, tuncque ignis inde proſiliens eiecit lapides & multos occidit, vt ſcribit S. Chryſoſt. *orat. 2. & 3. contra Iudæos.* Greg. Nazianz. *orat. 1. & 3. contra Iulian.* & alij. Iam hoc idem quotidie accidit morientibus peccatoribus. Vide principem, comitem, nobilem, diuitijs, potentiâ, veſtitu, famulatu, maieſtate, gloriâ, decore ſplendidum. Quales lapides, quales ſtructuræ? Amen dico tibi, non relinquetur lapis ſuper lapidem: omnia ſubuertentur, opes, famuli, veſtes, pompa, gloria, forma; ipſa corporis oſſa ita deſtruentur, vt non relinquatur os ſuper os. Vide ornatam mulierem, vides eius capillos, genas, os, oculos, veſtes, gemmas, calamiſtra, &c. Vides hæc omnia? non manebit lapis ſuper lapidem. Omnia mors conuellet, diſſoluet, diſſipabit. Denique quò impenſiùs peccator hæc dilexit, eò acerbiùs ſentiet iacturam eorundem: & quæ priùs chariſſima illi fuerunt, pòſt maxima crux erunt. Corpus quod delicatè nutriuit & veſtiuit, tunc relinquendum terræ erit, ſenſus delectabiles claudendi & ad ſomnum perpetuum componendi. Chara vxor & liberi alijs commendandi. Domus & fundi abdicandi in perpetuum, ô quanta amaritudo rerum olim tam dulcium!

2. *Priuabitur fructu operũ extra gratiam factorum.* Secundò. Dum priuatur fructu operum ſuorum, ſeu bonorum, ſeu malorum (ſiquidem nec bona opera, facta extra gratiam proſunt ad ſalutem) laboris & induſtriæ. Vnde S. Gregor. in hunc locum, citatâ homil. ait: *Peruerſa mens cùm peruerſæ cogitationi adhuc peruerſiorem adijcit, quid aliud quàm lapidem ſuper lapidem ponit? ſed in deſtructâ ciuitate ſuper lapidem lapis non relinquitur: quia cùm ad vltionem ſuam anima ducitur, omnis ab illa cogitationum ſuarum conſtructio diſſipatur.* Itaque dum peccator congregat non ſua, lapidem ſuper lapidem ponit: dum vſuram vſuræ, ebrietatem ebrietati, voluptatem voluptati, peccatum peccato adijcit, lapidem ſuper lapidem ponit. Rursùm cùm fundum fundo, palatium palatio, aurum auro, imò cùm etiam opera bona moralia, eleemoſynam eleemoſynæ, orationi orationem, iuſtitiæ iuſtitiam addit, lapidem ponit ſuper lapidem, & magnam ſtructuram excitat. Sed in mortis articulo non relinquetur lapis ſuper lapidem, quia hæc omnia machinamenta corruent, labores & ſudores nihil ei proderunt. Quare ſicut lapis abſciſſus ſine manibus contriuit ſtatuam, quam ædificauit Nabuchodonoſor ex auro, argento, ære, ferro, luto, & in puluerem comminuit, *Dan. 2.* ita mors clanculùm immiſſa conterit, & euertit totam peccatoris ſtructuram, quam erexit ex malis indifferentibus & bonis operibus.

Tertiò. Dum in nihilum etiam concidunt eius vota & propoſita Velut de nouis ædificijs extruendis; quale fuit illius diuitis dicentis: *Deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona,* &c. Luc. 12. Ædificauit hic in aëre: nocte enim ſequente mortuus eſt, & totum eius ædificium euanuit. Vel de pœnitentiâ agendâ, de vſuris reſtituendis, de vino abiurando, de peccatis per eleemoſynas aliaque opera redimendis. Cuiuſmodi propoſita haud dubiè ſæpius habuit peccator, vel ſaltem concipiet grauiter ægrotans, ô ſi ex hac ægritudine liberarer! quàm vellem me emendare! ô ſi vel craſtinum mihi daretur! cras vellem confiteri, reſtituere, &c. ô quàm vellet tunc pœnitentiam potiùs coluiſſe quàm voluptatem? cum Lazaro fuiſſe eſuriens, & mundo deſpicabilis, quàm cum epulone ſplendidus & delicatus? ſed heu in morte peccatoris omnia hæc corruunt, & in nihilum recidunt, quia migrandum eſt, quod ſæpe ipſi præuident, & fatentur hac vel ſimili voce: **Ich muſʒ fort**; vti non ſemel ipſe audiui. 3. *In nihilũ concidunt eius vota.*

Quando igitur intelligimus, Auditores, Euangelij hodierni minas, non Iudæos tantùm petere, ſed vnumquemque etiam noſtrûm, conuertamus oculos non iam in exciſam Ieroſolymam, ſed in proprias ædes corporum noſtrorum, paulò pòſt excidendas. Et ſi Chriſtus deplorandos cenſuit Iudæos, qui in tanto conſtituti periculo ſibi non conſulebant: non deplorandi erimus nos, qui poſt tot monitiones necdum cernere volumus imminens exitium, idque æternum? Quare iam, ſi ſapimus, deploremus noſtram vrſaniam & patrata ſcelera, ne aliquando æternùm flere & fruſtrà quidem cogamur ibi, vbi eſt fletus & ſtridor dentium.

CONCIO II.

Quæ potiſſimùm deploranda videantur in aliqua communitate.

1. *Quòd poſt 70. aut 80. annos nemo noſtrûm ſuperſtes futurus ſit.*
2. *Quòd Deus tam parum colatur.*
3. *Quòd Deus ſemper offendatur.*
4. *Quòd à maiorum pietate longè receſſerimus.*
5. *Quòd tam multi pauperes vndiq; occurrant.*
6. *Quòd neſciamus quid vnicuique noſtrûm euenturum.*
7. *Quòd aliqui è nobis damnandi ſint.*

THEMA.

Videns ciuitatem fleuit ſuper eam. Luc. 19.

INter anni tempora lætiſſimum videtur eſſe tempus meſſis; vt vel ex Iſa. 9. colligi poteſt A.

poteſt, vbi iucunditas & lætitia meſſis comparatur futuræ ſanctorum lætitiæ in cœlo: *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe.* Et patet experientia, ſeruos agricolarum hoc potiſſimùm tempore egredi ad metendum, cum iubilo & cantu, cum tibiis & ſaltu. Ipſi porro agricolæ quo modo non lætos dies agant, cùm hoc tempore horrea ſua implent? Quid igitur eſt, Auditores, quòd Eccleſia lætitiam hanc perturbat hodierno Euangelio, in quo Dominus inducitur flens ſupra Ieroſolymam? Nimirum hâc lachrymarum Chriſti aquâ temperare nobis voluit vinum ſæcularis lætitiæ: ne in eam nos nimiùm effundamus, ſed inter hæc hilaria memores ſimus triſtium: quemadmodum & Chriſtus proprium triumphum honoreſque ſibi oblatos fletu interrupit in hodierno Euangelio, monens interim nos, nullam eſſe tam beatam ciuitatem, quæ non habeat aliqua multis lachrymis deploranda. Et ſanè ſi illuminatiores haberemus oculos, non dubitò quin etiam ſuper noſtram ciuitatem cum Chriſto ploraremus: quo modo ipſe fleuit ſuper Ieroſolymam. Id verò nunc expendemus.

B. I. Quòd intra 80. annos nemo noſtrûm ſuperſtes futurus.

Deplorandum PRIMÒ, quòd poſt 70. aut 80. annos nemo noſtrûm, qui hîc ſumus, ampliùs in viuis ſit futurus, ſed ſimul omnes in cæmiteriò altùm dormituri ſimus, & vix memoriam noſtri apud poſteros habituri. *Xerxes ille Rex potentiſſimus*, (inquit S. Hieronymus in ep. ad Heliodorum de Epitaph. Nepotiani) *qui ſubuertit montes; maria conſtrauit: cùm de ſublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidiſſet exercitum, fleſſe dicitur: quòd poſt centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat ſuperfuturus eſſet.* Subditque: *ô ſi poſſemus in talem aſcendere ſpeculam, de quâ vniuerſam terram ſub noſtris pedibus cerneremus! iam tibi oſtenderemus totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna colliſa: alios torqueri, alios necari: alios abſorberi fluctibus, alios ad ſeruitutem trahi: hic nuptias, ibi planctum: illos naſci, iſtos mori: alios affluere delitijs, alios mendicare; & non Xerxis tantùm exercitum, ſed totius mundi homines, qui nunc viuunt, in breui ſpatio defuturos.* Hæc Hieronymus. Sed nos tantùm non exſpatiabimur: ea ſolùm, quæ ad nos ſpectant, conſiderabimus. Itaque intra 80. annos nemo noſtrûm ſuperfuturus eſt, & fortè nec memoriâ noſtri. Ex huius ciuitatis caueâ velut anſeres aut gallinæ, omnes ad mortem educendi ſumus. Lilia campi & ariſtæ agri ſumus; breuî metendi omnes, quod nuper contigit pratis & agris: folia arboris ſumus, breui omnes à vento rapiemur, & in terram defluemus, quod arboribus continget ingruente hyeme. Qui poſt dictum tempus nos quæſierit, non inueniet niſi oſſa. Contra iſtud non iuuabit Medicum medicina, non nobilem nobilitas, non diuitem diuitiæ, non decorum forma decor, non eruditum eruditio, non robuſtum robur. Et nónne hoc dignum lachrymis? Quanto labore alij parient, aut pepererunt ſibi ſcientias & prudentiam? alij opes & prædia? alij honores & dignitates? alij delitias & voluptates? & hæc omnia tamen vnà cum illis corruent. Vita ipſa, præſertim humana quàm pretioſa, quàm iucunda eſt? mors verò quàm fœda & quàm horrida? Hanc certè licet non apprehendant beſtiæ, totis tamen conatibus fugiunt & præſentem maximo cum lamento atque horrore excipiunt. Sed vt hoc dolendum ſit: illud certè multò magis, quòd pleriquę homines ſuæ tam vicinę mortis tam parum aut nunquam recordentur, adeoque de futurâ vitâ, quæ æterna erit vel requies, vel afflictio, tam parum ſint ſoliciti. Si enim ſciret aliquis ſe à creditoribus, vel domino ſuo bonis omnibus ſpoliandum, & vnà cum vxore & liberis nudum & inopem domo eiiciendum; interim verò nihil hac de re curaret, nec ſibi prouideret de receptaculo aliquo: nónne is vehementer deplorandus eſſet? Certè ante octiduum audiuimus in Euangelio villicum eiuſmodi ſibi ſedulò conſuluiſſe, poſtquam intellexit auferendam ſibi eſſe villicationem. Nemo noſtrûm dubitat, ſibi etiam aliquando dicendum eſſe: *Redde rationem villicationis tuæ; iam non poteris amplius villicare*; nemo quidquam certius ſibi quàm mortem eſſe nouit; & poſt hanc iudicium. Et tamen quàm pauci imitantur ſeruum illum? Quàm multi etiam, cùm iam opes vnà cum vitâ relinquendæ ſunt, ſibi amicos in cœlo nullos faciunt, licet facilè poſſent? Si quis foſſam paulò latiorem aut profundiorem tranſilire debet, priùs accedens eam conſiderat, & quò pedem figere velit, attendit, ramós item, vel lapides, aut terræ glebas inijcit, ſaltum præterea ſibi præripit, nè in foſſam incidat, & totum ſe commaculet. Quàm igitur deplorandus eſt, qui ſaltum facturus ad æternitatem tam periculoſum, de illo non præcogitat, nec ea ſibi adiumenta parat, quibus ſecurè ſaliat.

C. II. Quòd Deus tam parum colatur.

SECVNDÒ. Quòd diuinum numen tam parum colatur & ametur; & terrena potiùs quàm cœleſtia quærantur. Scimus certè primum & maximum præceptum eſſe, à Chriſto nobis ſeriò inculcatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ*, &c. Scimus etiam, quanto amore dignus ac quàm amabilis ſit Deus, creator, redemptor & pater noſter. Nihilominùs tamen quàm pauci reperiuntur, qui hoc amore caleant? Quando Deus voluit extra ſe effundere bonitatem ſuam, an non par eſt, vt omnes eum colant, & toti in laudes eius conuertantur? Et quidem res inanimes ſemper id præſtant: *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. Angeli perpetuò Deum laudant: *Sanctus, ſanctus, ſanctus*, &c. Soli homines reſtant, quorum alij Deum ſuum non agnoſcunt: alij agnoſcunt, ſed non glorificant: alij confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Hinc ergo Iacoponus ex nobili Tudertino, voluntariè pauperrimus & Franciſcanus ſæpiùs hoc deplorabat, & rogatus aliquando à fratre, quid adeò lachrymaretur: reſpondit, id propterea ſe facere, *quòd amor* (DEVS) *non amaretur*, Matth. Rader. 2. *p. Virid. SS. c.* 3. Iam ſi Deum ſuper omnia diligeremus,

remus, certè ante omnia cultum & honorem eius attenderemus, & ad cœleſtia toto corde aſpiraremus. Nunc autem de honore Dei parum ſoliciti ſumus: *Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt: non quæ Ieſu Chriſti*, ait Apoſtolus. Deinde cœleſtia à paucis deſiderantur; ad præſentia omnes ſpectant, & quomodo vitam ſuam valleent commodis terrenis, & in terrà theſaurizent: ita vt quoad hoc parem aut nihil diſtare ab hæreticis & gentilibus videamur; qui temporalia tantùm curant & quærunt. Quantum laboris, curæ, temporis & ſumptuum alij impendunt corpori? alij honoribus & fauoribus aucupandis? alij ſcientijs & artibus parandis? Et hæc omnia tamen fluxa & inania ſunt. Solida interim bona, virtutes & Dei gratia, charitas, humilitas, caſtitas, temperantia negliguntur: & veluti à pueris pluris æſtimantur nuces & poma, quàm aurum & gemmæ. Quæ hominum cæcitas an non deploranda eſt? Cæcus ille à Chriſto illuminatus apud Marcum cap. 8. interrogatus, an aliquid videret, reſpondit: *Video homines ſicut arbores ambulantes*. Quid ſibi vult hæc vox? Homo *arbor inuerſa* dictus eſt à Philoſophis, quia caput arboris, quo alimentum ſumit, in terrâ eſt & infimum: in hominibus verò in aëre ſupremum: pedes verò hominis terram ſpectant. Iam ergo qui eiuſmodi illuminatos haberet oculos, quemadmodum iſte cæcus à Chriſto illuminatus; & vrbem hanc inſpiceret, id ipſum credo diceret. Plerique enim homines pedes ad cœlum conuertunt, & caput in terram defixum gerunt, quia cœleſtium bonorum obliti, ſolùm de poſſeſſionibus amplificandis, de pecunijs cumulandis, de commoditatibus parandis, de agris ad agros, de dignitatibus ad dignitates, de conuiuijs ad conuiuia cogitant. *O curua in terris animæ & cœleſtium inanes!*

D. III. Quòd Deus ſemper offendatur.

TERTIÒ. Quòd diuinum numen perpetuò offendatur, & contumelijs afficiatur à peccatoribus, qui interim ſibi-ipſis multò grauiùs nocent; cùm tamen omnes quotidie oremus; *Sanctificetur nomen tuum*. Hoc deplorat Oſeas c. 4. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit*. Hoc Dauid Pſ. 118. *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam*. Hoc Apoſtolus Paulus ad Philip. 3. *Multi ambulant*, inquit, *quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti quorum finis interitus: quorum Deus venter eſt*, &c. Circumferamus oculos, & videbimus paſſim, & palàm homines ebrios oberrare per compita & in tabernis: paſſim homines lucri causâ mentiri & peierare, blaſphemare & execrari, & quidem ita liberè & abſque verecundiâ, quaſi hæc pulchra forent. Quemadmodum enim apud Myconios non eſt indecorum caluitium, quòd illic omnes calui naſcantur, teſte Plinio *l. 11. c. 37.* Et apud Binſgoios ſtruma, quòd illic omnis ſint ſtrumoſi, (imò indecorum putatur, ſi quis ſtrumâ careat) ita apud multos indecorum non reputatur, iurare & blaſphemare, inebriari & decipere, &c. & potiùs ridetur, qui hæc talia vitat, & pro peccatis habet. Quid dicam de intolerandis abuſibus, & ſacrorum profanationibus, qui paſſim irrepſerunt? Quid ſunt nunc Dedicationes templorum, niſi ludorum & ebrietatum illecebræ & pleniſſima libertas? Quid patrocinia ſanctorum, niſi emporia & nundinæ? Quid nuptialia conuiuia, niſi comeſſationes multarum horarum & ingurgitationes beſtiales, mixtæ inſanis clamoribus & rixis? Qualia noſtra ieiunia?

Quid dicam de præceptis Eccleſiæ reliquis? Quàm facilè aliqui negligunt ſacrum? frangunt ieiunium? Et interim tamen grauiter vulnerant animas ſuas. Quis, quæſo, non lamentaretur; ſi videret aliquos homines in eodem circo ſibi varias tormentorũ & ſuppliciorum clades inferentes, ſi alius cultro ſcinderet corpus ſuum, alter ſe iugularet; alius ſe præcipitaret, alius ſubmergeret, &c. (cuiuſmodi clades nuper viſa eſt Magdeburgi, vbi ciues deſperati vnà ſecũ liberos in incendium rapuerunt, in Albim flumen & puteos inſiluerunt, ex alto ſe præcipitarunt, &c.) nónne eorum cæcitatem deploraremus? At hoc faciunt peccatores, dum varijs criminibus animas ſuas miſerè conficiunt.

E. IV. Quòd à maiorum pietate longè receſſerimus.

QVARTÒ. Quòd à maiorum noſtrorum pietate & religione tam longè diſceſſerimus. Mathatias eiuſque filij cùm viderunt, quomodo gentes profanaſſent templum Domini, *ſciderunt veſtimenta ſua & operuerunt ſe cilicijs & planxerunt valde*, 1. Mach. 2. Videmus etiam nos paſſim per Germaniam templa ab Hæreticis vel deſtructa vel profanata, ſancta omnia conculcata, auitam maiorum noſtrorum religionem, fidem, ſynceritatem proſtratam. Ac licet aliquibus locis priſtina fides & Catholica religio refloreſcere incipiat, omnia tamen illic ſapiunt Lutheraniſmum & Caluiniſmum: omnia languent & priori Eccleſiæ ſtatui minimè reſpondent. Libro 1. Eſdræ *cap.* 3. narratur filios Iſraël quando poſt reuerſionem ex captiuitate Babylonicâ templum reædificarant, maximoperè lætatos eſſe; ſeniores verò & principes patrum, qui ſcilicet viderant templum prius, fleuiſſe voce magnâ. Cauſam ait Liranus fuiſſe, quòd hi dum recordarentur magnificentiæ & ſplendoris, qui in primo templo fuerat; ſecundum illud quaſi nihil eſſe reſpectu illius cenſebant ac propterea flebant. Hunc in modum prorſus lætamur etiam nos; dum cernimus & audimus paſſim reparari in patriâ noſtrâ antiquam fidem & religionem in ijs locis, quos Hæreticorum perfidia vaſtauit. Sed ſi adeſſent antiqui illi Germani, qui vixerunt tempore illo aureo, quo ſub primis Germaniæ Epiſcopis floruit virtus & religio vndique Catholica: illi potiùs flerent; ſiquidem reformatio religionis, quæ paſſim fit & facta eſt, nequaquam pertingit ad ſplendorem illum Eccleſiæ, quem in antiquis habuit ſeculis. Omnia adhuc frigent, omnia coactè & pœnarum metu fiunt. Nullus feruor in Sacramentorum vſu,

in frequentando templo, in publicis proceſſionibus, in mortis armaturâ & ſuffragijs defunctorum procurandis. Diſcedunt multi inermes ad terrificum DEI tribunal: deferuntur in altera vita detenti purgatorio, &c. Denique vniuerſim charitas ita obriguit in hæreſi, vt iam nullis artibus reſolui poſſe videatur.

M. Aurelius Imp. dicebat ſe muros Romæ in triennio reædificaſſe collapſos, nunquam autem potuiſſe ſe reformare vel vnicam plateam ad vitam virtuoſam. Hoc vel ſimillimum quid dicere nunc cogimur. Primi enim Germaniæ Apoſtoli intra paucos annos totam Germaniam à paganiſmo ad fidem perduxerunt: nos intra multos annos vix vnam alterámve vrbem, quæ aliquando in hæreſin lapſa fuit, ad Catholicam fidem reformare poſſumus.

F. V. Quòd tã multi vndique pauperes.

QVINTÒ. Quòd tam multi pauperes; languidi & miſeri ab omnibus deſerti vndique occurrant: Si enim eleuaremus oculos ſuper iſtorum turbam: diceremus cum Chriſto: *Miſereor ſuper turbam, quia non habent quod manducent.* Vnde videtur mihi ciuitas noſtra ſimilis eſſe piſcinæ probaticæ, in cuius porticibus iacet multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum, *Ioan.* 5. Quid enim aliud expectare poteſt tam magna pauperum & afflictorũ multitudo niſi motum lachrymarum ex fraternâ compaſſione? Ipſi enim proximi noſtri ſunt, ex Domini ſententia, *Luc.* 10. imò caro & fratres noſtri; omnes enim oramus: *Pater noſter qui es in cœlis.* Duram eſſe mendicitatem, nec facilè optandam, docet Salomon Prou. 30. cùm ait: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo neceſſaria: ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum & dicam: Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer & periurem nomen Dei mei.* Grauis eſt, inquam, mendicitas tum mendicis, tum communitati. Iam verò deploranda eſt partim diuitum duritia, qui pauperibus non ſuccurrunt; partim pauperum ipſorum culpa, qui ſæpe ipſimet cauſa paupertatis ſuæ ſunt, dum vel furtis & mendacijs victum quærunt, vel dum lucrum hebdomadarium interdum feſtis diebus totum conſumunt ludendo vel potando.

G. VI. Quòd neſciamus quid vnicuique noſtrûm euenturũ.

SEXTÒ. Quòd neſciamus quid vnicuique noſtrûm in reliquo vitæ curriculo euenturum ſit. Alius fortè è nobis ad extremam paupertatem redigetur: alius fortaſſe turpiter vitam finiet: alius ante mortem immenſos ſuſtinebit dolores; & nos omnes dolores mortis: alius repentè & improuisò extinguetur: alius ſine pœnitentiâ: alius fortè ſibi ipſi manus inferet & deſperabit; alij morte violentâ peribunt. Hæc enim fieri videmus crebrò, & quod crebrò fit, meritò metuimus. Itaque *in die bonorum, memor eſto malorum.* Vnde Dominus: *in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi: venient dies in te*, &c. Vultis exemplum? Vgolinus factionis Guelphorum Princeps, cùm aduerſarijs Gibellinis vel pulſis vel perculſis omnia regeret, die ſuo natali omnes ſuos ad conuiuium inuitauit, vbi ſe ſuamque fortunam prædicans, vnum ex ſuis interrogauit, num quid ſibi deeſſet? Ille quaſi præſagus reſpondit: *Sola Numinis ira procul diuq́; abeſſe à rebus tam ſecundis non poteſt.* Itaque Guelphorum viribus conſeneſcentibus, Gibellini armis correptis ædes eius circumſiſtunt, oppugnant, vnum ex filijs, vnumque nepotem vim arcere conatos occidunt; ipſum & duos filios & tres nepotes in turrim includunt, obſeratis foribus, clauibuſque in Arnum flumen deiectis. Ibi fame in oculis ſuis, in gremio ſuo chariſſima pignora parens moriens morientia vidit. Vociferanti expoſcentique vt humanis ſupplicijs eſſent contenti, ſacræ confeſſionis & ſancti viatici poteſtas facta non eſt, vti refert Paulus Æmilius *l.* 8. *hiſt. Francor.*

H. VII. Quòd aliqui è nobis dãnandi.

SEPTIMÒ. Quòd aliqui è nobis meritò præſumi poſſunt, eſſe de numero damnandorum. Si enim S. Chryſoſtomus in publicâ concione dixit, è totâ Antiochiâ (vbi is concionabatur Epiſcopus) quæ maxima tamen ciuitas erat, vix 100. ſaluandos: quid videtur nobis? Ita enim *homil.* 40. *ad pop. Antioch.* ait: *Quot eſſe putatis in ciuitate noſtrâ qui ſalui fiant? Infeſtum quidem eſt quod dicturus ſum, dicam tamen: non poſſunt in tot millibus centum inueniri qui ſaluentur, quin & de his dubito.* Sic ille. Dominum teſtem habemus, plures ambulare per latam perditionis viam: & paucos per arctam ſalutis. Non ergo timeamus, ne etiam è nobis maior pars damnanda ſit? Et ſi vnum tantùm aliquem cumque incertum è nobis damnandum ſciremus, nónne iure merito omnes timeremus? Dixerat aliquando Dominus ſuis Diſcipulis duodecim: *Vnus veſtrûm me traditurus eſt*, & omnes fuere turbati ac dixere: *Nunquid ego?* Et tamen poterat traditor agere pœnitentiam. Quid ergo ſi audiremus vnum è nobis damnandum? Quàm rectè igitur monet Apoſtolus ad Philip. 2. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini?*

Et tamen inter hæc omnia lætantur adhuc homines, ſaltant, iubilant, viuuntque ſecuriſſimè non aduertentes, quale interim iudicium illis conſcribebat Deus.

Hæc igitur cogitemus & caueamus, Auditores, ne fortè nobis eueniat quòd Ieroſolymę, quod Sodomæ, quòd nuper oppido Plurs, & nuperrimè Magdeburgo, quod incendio vaſtatum ab ipſis incolis audiuimus; cùm in poteſtatem Catholicorum veniſſet. Ploremus in nos ipſos; ne aliquando veniant ſuper nos dies illæ quibus dicturi ſimus montibus; *cadite ſuper nos; & collibus cooperite nos.*

CON-

Google

CONCIO III.

Quid doceant nos Chriſti lachrymæ.

1. *Docent quantum malum ſit peccatum, quod Deum lachrymari fecit.*
2. *Docet modum eluendi peccata.*
3. *Tempore proſperitatis meminiſſe aduerſitatis.*
4. *Chriſtum miſericordem ſimul eſſe & iuſtum.*
5. *Miſerijs proximi eſſe condolendum.*

THEMA.

Videns ciuitatem fleuit ſuper eam. Luc. 19.

A PRetioſum vini genus eſt, quod vocatur ab Italis *lachryma Chriſti*, ob vini illius præſtantiam. Sed nullum eſt in terrâ vinum quod lachrymis Chriſti comparari queat quantumuis ſit pretioſum. Vinum enim potantem decipit & intellectum alioqui illuminatum cæcat: hominem de ſtatu ſuo deijcit: & ex homine brutum facit. Lachrymæ verò Chriſti contrà intellectum alioqui cæcum illuminant & præclaris doctrinis imbuunt, hominem ex vili ad nobilem ſtatum euehunt adeoque è bruto hominem faciunt. Hoc igitur vinum, Auditores, vtinam nos bibamus. Bibemus autem, ſi mente ſedulâ expenderimus quid nobis documenti lachrymæ propinent.

B. I. Docent quantum malum ſit peccatum.

PRIMÒ. Docent quantum malum ſit peccatum, quòd Deum lachrymari facit. Nemo neſcit viros graues & ſapientes vix aut non niſi grauiſſimâ ex cauſâ lachrymari; deinde tempore lætitiæ exulant lachrymæ, denique in aliena cauſâ rariùs plora tur, quàm in propriâ. Flet hodierno in Euangelio, non homo, ſed Deus: flet in medio ſuo triumpho, dum ipſi Ieroſolymam ingredienti acclamatur: *O ſanna benedictus qui venit.* Flet ob alienam miſeriam. Quis hic non obſtupeſcat? Quæ tanta eſſe miſeria poteſt, vt Dei cor liquefacere & in lachrymas reſoluere queat? Num fortè quia præuidit turrium & mœnium fortiſſimorum ruinam? palatiorum pulcherrimorum excidium? num deplorat hominum internecionem eis imminentem & ſtragem? Non ſanè, quia cùm hæc omnia temporalia & corporalia damna ſint, Deum ad fletum permouere non potuiſſent: alioqui ſuammet potiùs paſſionem & mortem iam iam accelerantem deflere debuiſſet. Flet igitur ob cæcitatem & obſtinationem Iudæorum, ob quam Iudæos vaſtandos, & in quâ eos morituros præuidebat: vt indicant illa eius verba: *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ.* q. d. non doleo præcisè quia vaſtanda es, ſed quia vaſtanda ob tuam cæcitatem & obſtinationem. Simili exemplo Dauid vehementer quidem defleuit mortem & cædem Abſalonis filij, ſed non tam corporalem, quàm ſpiritualem, quia in peccato mortuum eſſe meritò timebat, 2. *Reg.* 18. Alioquin enim ob infantis filij mortem, nihil fleuit, 2. *Reg.* 12. Igitur vti Dauid pro Abſalone mori optabat, dicens: *Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi, quis mihi tribuat vt ego moriar pro te?* Ita Chriſtus hodie expetit mori pro Ieroſolyma, & reuerà poſt paucos dies mortuus eſt, licet non idcircò Iudæi illi conuerſi ſint. Concludamus igitur iam, ſi Deus lachrymatur ob peccatum hominum quòd mortem æternam illis affert: ſi lachrymatur in ipſo lætitiæ ſuæ feſto: ſi optat pro ijs mori & reuerà mortuus eſt: ô quantum malum eſſe peccatum debet, & quàm grauis pæna peccati: ac proinde quàm audax ille, qui peccatum perpetrare audet! Quid enim ſentire deberet filius diſſolutus, qui vitam in ſceleribus tranſigit, ſi quando audiret, patrem ſuum lachrymari & vellere ſibi canos, ipſamque mortem optare ob filij diſſolutam vitam? Nónne ei diceremus: Vide quid feceris, in quantas animi anguſtias patrem tuum redegeris. Ipſe propter te ſeipſum conficit & tantùm non mactat: num adhuc perges in iſto viuendi modo? & patris tui afflictionem augebis? Hoc certè tunc Ieroſolymæ dicere potuiſſemus, idque etiamnum dicere cuiuis peccatori poſſumus; etſi enim in hodierno Euangelio Dominus non defleuit peccata omnium, ſed Ieroſolymitanorum tantùm; defleuit tamen omnium peccata in cruce, vbi & pro ijs luit, *cum clamore valido & lachrymis*, vt ait Apoſtolus *ad Hebr.* 5. O perditum igitur & abominandum peccatorem, qui Deum contriſtare & lachrymis affligere audet? *Lætabitur Dominus in operibus ſuis*, ait Dauid Pſalm. 103. Solus homo eum contriſtat. Colligimus etiam hinc quanta futura ſit pœna, quæ peccatorem manet. Si enim videres Iudicem aliquem priùs abundè flere ſuper aliquem reum, quam ſententiam condemnationis in eum iuxta præſcriptum iuris proferat, nónne coniectares grauiſſimum fore rei ſupplicium? Deplorat Chriſtus Ieroſolymam, antequam condemnet: quia nimirum viderat in libro Decretorum Dei, ſupplicium eius æternum, omnia mundi ſupplicia longiſſimè excedens. Igitur Chriſtus Iudex ſuper te, ô peccator, plorat: & tu rides? *O ſi cognouiſſes & tu*, ſupplicium videlicet tuum: fleres vtique & quidem ſanguineas lachrymas.

C. II. Docent modum eluendi peccata.

SECVNDÒ. Docent (ô ſalutares & pretioſæ lachrymæ) modum eluendi peccata & iram Dei imminentem euadendi: per fletum videlicet & compunctionas lachrymas. Flendo itaque ſuper Ieroſolymam, docet eius ciues ſibi tum adſtantes, quòd ſi & ipſi flere ſuper ſe vellent, iudicium ſibi paratum facilè euitare poſſent. Hoc enim indicat in hodierno Euangelio, dicens: *Quia ſi cognouiſſes & tu* (ſupple) fleres, vt exponit S. Gregor. *homil.* 36. Idque paulò pòſt in paſſione, expreſsè eis dixit: *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete & ſuper filios veſtros:* Quoniam

Digitized by Google

Quoniam ecce dies venient, in quibus dicent montibus; cadite ſuper nos, & collibus: operite nos, Luc. 23. Non egebat Chriſtus lachrymis, quia peccator non erat; egebant autem Ieroſolymitani. Igitur ſi iſti flere ſuper ſe voluiſſent, prout docebantur à Chriſto, peccata ſua deleuiſſent, & ſententiam damnationis in ſe latam, reuocaſſent, omniaque Romanorum caſtra, machinas & arrietes ſimul diſſoluiſſent. Hoc enim pulchrè inſinuatum videtur *Ezech.* 4. vbi Deus hanc ipſam Ieroſolymæ obſidionem, vt vult Rupertus Tuitienſis, præfigurans & prædicens ait: *Fili hominis, ſume tibi laterem & pones eum coram te, & deſcribes in eo ciuitatem, Ieruſalem, & ordinabis aduerſus eam obſidionem, & adijcabis munitiones & comportabis aggerem & dabis contra eam caſtra & pones arietes in gyro.* Quo loco docet Liranus, laterem crudum & incoctum, intelligi, in quo ſcribi poſſet. Ex quo ſequitur, figuras illas obſidionis in latere crudo depictas, modica aquâ facilè deleri potuiſſe, ſi ea effuſa fuiſſet, atque ita rem habituram fuiſſe cum Ieroſolymitanâ obſidione: omnes videlicet Romanorum machinas in nihilum redigendas, ſi vel modicum flere peccata ſua Iudæi voluiſſent. Neque hoc figmentum eſt: res ipſa loquitur. Primò Scriptura, Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Secundò Exempla: Ezechiæ Regi dicitur à Deo ſententia mortis 4. *Reg.* 20. fleuit Ezechias, & ſtatim mutatur decretum, & dicitur à Deo: *Vidi lachrymas tuas; ecce ego adijciam ſuper dies tuos* 15. *annos*, Eſa. 38. Niniuitis dicitur dies exitij Ion. 3. *Adhuc* 40. *dies & Niniue ſubuertetur.* Currunt illi ad pœnitentiam, cilicium, cinerem & ieiunium, (quantus ibi fletus ſine dubio audiebatur) & mutatur ſententia. Vnde S. Chryſoſt. hom. 6. in Matth. ait: *In ſecularibus iudicijs quantumlibet poſt acceptam ſententiam lamenteris, non tamen effugies flendo ſupplicium. Hic verò ſi toto corde ingemueris ad Deum, ſoluiſti repentè ſententiam, veniamque meruiſti*, &c. idem *homil.* 5. *de pœnitentia* tantam eſſe ait lachrymarum vim, vt extinguat ignem gehennæ. *Rogum*, inquit, *peccatorum extinguimus, non iam aquis multis, ſed paruis cum lachrymis.* S. Bernard. ait: *Neque mundus diluuio periſſet, ſi ad lachrymas confugiſſet.*

Porrò ſicuti pœnam peccati, ita etiam ipſa peccata delent lachrymæ; propterea vocantur à Chryſoſt. in Pſ. 50. homil. 1. *ſpongia: peccata tua*, inquit, *in libro ſcripta ſunt: ſpongiæ autem inſtar ſunt lachrymæ tuæ. Lachrymas mitte & obliterantur*, &c. Exemplum refert Cæſar. *l.* 2. *c.* 10. de iuuene adeò contrito, vt præ lachrymis peccata ſua in confeſſione recenſere non poſſet: itaque in ſcripto ea tradere iuſſus, obtulit, quæ prorſus deleta diuinitùs apparuere; certumque indicium fecere, dimiſſa ei peccata eſſe. Quæro iam ex te, ſi filium tuum, vel teipſum de ſententia capitis & acerbo mortis ſupplicio liberare per lachrymas poſſes: ſi debita tua omnia lachrymis eluere: quantum, quæſo, lachrymarum & quàm libenter funderes? potes hoc cum animâ & peccatis tuis. Quis ſcit, vtrum non etiam nobis immineat virga Dei & grauis aliqua punitio? Habemus certè quod vndique timeamus. De peccatorum noſtrorum debitis, dubitare non poſſumus: cur non igitur fugimus ad lachrymas & præuenimus Deum? *Currat pænitentia*, inquit D. Chryſologus, ſerm. 167. *ne præcurrat ſententia: ne iudicemur, iudices noſtri ſimus, demus nobis pœnitentiam, vt poſſimus auferre ſententiam*, hæc ille.

D. III. Docent tempore proſperitatis meminiſſe aduerſitatis.

Tertiò. Docent, tempore proſperitatis & lætitiæ meminiſſe aduerſitatis & triſtitiæ; ſiquidem in mediâ triumphi ſui pompâ, cùm audit ſibi accini: *O ſanna, Benedictus qui venit* &c. lachrymas fundit, quod & olim inſinuatum Romanis triumphantibus. Triumphatori enim ſequens currum aliquis acclamabat: *Reſpice poſt te, hominem memento te*; vt ſcribit Tertullian. in Apologet. Quod ipſum Chriſtus verbis etiam docet Ieroſolymam, cùm ait: *Et quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi.* q. d. ô ſi tu ſimiliter in die pacis tuæ, meminiſſes belli! Hæc enim differentia eſt inter ſapientes & inſipientes, quæ inter prudentes, & fatuas virgines. Illæ de die prouiderunt ſibi oleum pro futura etiam nocte & tulerunt in vaſis ſuis; cogitabant enim fieri poſſe, vt oleum aliquando deficeret: non ita fatuæ, ſed pro die tantùm acceperunt oleum, de nocte nil cogitantes. Ita ſapientes in die proſperitatis prouident ſibi de nocte aduerſitatis, nec toti ſe effundunt in lætitiam: fatui verò minimè, vnde poſtea deficiente fortunâ turpiter egent. In cuius rei figuram, quando prior natus eſt Eſau, Iacob tenuit eum per plantam pedis. *Gen.* 25. Mali enim per caput, id eſt, per principium apprehēdunt peccatum, quod arridet quidem, ſed poſteà triſtem ſortitur finem. Boni contrà & prudentes per plantam, id eſt, per finem; cogitant enim quid mali ſequatur poſt peccatum. Hoc certè Chriſtus fecit, quia cogitauit, quàm cito habiturus eſſet hoſtes Iudæos, à quibus iam velut amiciſſimis honorabatur: illud verò Iudæi, qui proſperitate ſua elati, nihil ſomniabant de ſuo exterminio, ideoque incauti perierunt. Vnde Ieremias propter hoc lamentatur ſuper Ieruſalem, Thren. 1. *Sordes eius, in pedibus eius, nec eſt recordans finis ſui*, (in Hebr. idem verbum ſignificat plantam pedis & finem) Accidit his, quod viatori, qui æſtiuo tempore fatigatus ſubter vmbram arboris ſe recipit & in eâ dormire incipit. Interim recedit ab eò vmbra, & ipſe ſolis radijs expoſitus manet, euigilanſque æſtuat, capitis cum dolore vel etiam febre aliquâ. Ita qui fidunt ſecundis rebus, voluptatibus ſe dedunt, genioque indulgent, & in vmbrâ proſperitatis releuandos ſe & manſuros putant: poſtmodum decepti vident ſe deluſos, grauatos in conſcientia & æſtui infernali expoſitos. Vultîn exempla? Iſraëlitæ *ſederunt manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*; interim paratur eis vindicta

à Deo

à Deo, vt occidantur ex ipſis viginti tria millia, *Exod.* 32. Baltaſar ſedet in conuiuio iucundus, interim ſcribitur ei ſententia mortis & exterminij, *mane, tekel, phares*, Dan. 5. Quare qui decipi non vult, non extollatur in rebus proſperis, ſed meminerit aduerſitatis: ſequatur exemplum Italorum, qui vinum aquâ miſcent, & ideò non facilè inebriantur, aut noxam corpori adducunt: non ſequatur exemplum Germanorum, qui purum bibere volunt. Sanus recordetur, ſe aliquando ægrotaturum: diues, aliquando egere poſſe: qui in dignitate conſtitutus, ſe aliquando ſeruire poſſe: qui ridet, ſe aliquando ploraturum: qui viuit, ſe aliquando moriturum, &c. Temperet vinum hilaritatis cum lachrymis mœſtitiæ, & non facilè ei nocebit.

E. IV. Docent miſericordem ſimul & iuſtum eſſe.

QVARTÒ. Docent miſericordem ſimul eſſe & iuſtum; (quod non exiguæ artis eſt in Principe præſertim, qui inſtar cytharœdi cordas accordare debet, nec nimium laxare, nec tendere, ex Plut.) quia deflet calamitatem ciuitatis, non tamen remittit pœnam incorrigibili, ſed eandem poſt annos 40. vaſtauit diriſſimè per Romanos. Duplici igitur facie ſeu oculo aſpiciebat ciuitatem: oculo miſericordiæ primùm, dum ſuper eam fleuit; ita ei ſignificationem dedit, vt fugeret à facie arcûs, ne videretur eſſe immiſericors & crudelis, ac delectari flagellis, vnde per hunc fletum præmouet, antequam puniat: prætereà etiam medium adhibet, quoad frugem errantes reducat dum mox templum ingreſſus eijcit vendentes & ementes, inſtar boni patris, qui flagellat omnem filium, quem recipit, vel recipere cupit. Flagellum hoc erat miſericordiæ, quo auerteret ab eis ſcorpiones gehennæ, igitur conabatur omni modo impedite eorum punitionem, reuocando eos ad pœnitentiam, & tardando vſque ad 40. annos. Quâ in re docet eos, qui aliquâ poteſtate præditi ſunt, primò, vt iuſtitiæ ſeueritatem anteuertant, quantum fieri poteſt, & miſeris compatiantur: quia, vt Seneca in lib. de clement. ait: *Tam turpe eſt Principi, multa ſupplicia, quàm medico multa funera.* Ne dicant: **Wart / er wird mir einſitzen / laſs ihn gehen/** *&c.* Sed potiùs moneant & terreant malos verberibus, vt ſibi attendant, ne in ſeueritatem iuſtitiæ incidant, dicit fornicaria quædam apud Oſeam c. 2. *Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi,* &c. Sed quid ad hæc Deus, dixitne: ſine eam vadere, cadere & perire? Non ſanè, ſed: *Propter hoc,* inquit, *ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceriâ: & ſemitas ſuas non inueniet.* Hoc ergo fecit etiam Iudæis Dominus, eijciendo eos è templo, & deplorando eorum ſcelera. Quòd ſi miſericordia nihil proficit, iuſtitiam arripit, & alteram faciem oſtendit, ne iniuſtus videatur; iuxta id Pſ. 33. *Oculi Domini ſuper iuſtos & aures eius ad preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terrâ memoriam eorum.* Et per hoc etiam docet, animaduertere in delinquentes, præſertim refractarios & incorrigibiles: vt & iuſtitiæ ſuus ſit locus. Cuius exemplum præbent Annales Franciæ de S. Ludouico Rege, quòd cùm ipſe preces ex pſalmis recitaret, & aliquis, qui pro eo capitalis criminis gratiam petebat, interueniſſet, Rexque quaſi aliud agens annuiſſet, mox verò incidiſſet in eum verſiculum. Pſal. 105. *Beati, qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore*, protinùs reuocari eum iuſſit; cui gratiam conceſſerat, eamque irritari fecit addens: *Principem, qui poteſt punire crimen, nec punit, non minus coram Deo reum eſſe, quàm ſi ipſe perpetraſſet; ac pietatis opus eſſe, non ſæuitia, iuſtitiam facere.* Nam vt Seneca ait, *nec pinguior mactari victima Deo poteſt, quàm homo ſceleratus.* Et rectè dicitur: *Qui parcit malis, nocet bonis.* Hac de causâ ferunt Maximilianum I. Imp. loca ſuppliciorum, fontibus deſtinata, venerabundum cum hoc dicto: *Salue iuſtitia,* præterire ſolitum. Refert hęc Cornel. à Lapide *in Pentateuch. c. 25. Num.*

F. V. Docent miſeriis proximi condolendum.

QVINTÒ. Docent miſerijs proximi condolendum eſſe, nec non peccatis eiuſdem: Sic enim Chriſtus videns ciuitatem, ciuitatem inquam, tam refractariam; & peccandi aſſuetam, ideoque macello deſtinatam, fleuit ſuper eam. Et quod multò plus, ſuper ſeipſum non fleuit, quem ſciebat, toties à Iudæis tam ignominiosè tractatum, & poſt paucos dies crucifigendum & occidendum: ſed ſuper Ieruſalem. Et quod amplius eſt, fleuit is, qui offenſus erat, & meritò gaudere de hoſtium ſuorum interitu poterat, ſuper inimicos ſuos. Item, quod omnium maximum eſt, Deus ſuper homines. Nos certè vermiculo afflicto non compatimur; quia naturâ eum longè excedimus; Deus nos infinitè excedit, & tamen compatitur nobis. De M. Marcello refert S. Auguſtinus *l. 1. de ciuit. Dei*, quòd cùm Syracuſas expugnaret, conſcendeſit in excelſam turrim, pugnæ exitum contemplaturus. Qui cùm vidiſſet armorum ſæuitiam, & ingentes cædes, audiſſet clamores, & mugitus horribiles, ſtrepitum corruentium ædificiorum, non potuit à lachrymis ſe continere, licet ſe de hoſtibus ſumere ſupplicium ſciret. Sed mirum non eſt, ſi homo homini compatiatur? hoc enim natura poſtulat. At hodie ipſe Deus, licet hoſtes ſibi infenſiſſimos iure puniendos ſciret, non potuit tamen non ijs condolere & collachrymari. Quo exemplo quid efficacius nobis exhibere poterat, ad commiſerationem docendam? Homo igitur non fit, qui afflicto non condolet; non dico amico tantùm, ſed & inimico. Hoc enim & Dauid fecit, qui mortem Saulis, inimici maximi, acerbè deplorauit. Hoc ipſe Deus fecit. Quid ergo dicemus de illis, qui de malis, miſeriis, & peccatis proximi ſui, ſiue amici, ſiue inimici gaudent, rident, ea paſſim alijs cum applauſu narrant & dilatant? Quid diceremus alicui, qui in littore ſtans, videns aliquos naufragium facere & perire, non modò non iuuat, ſed inſuper ridet, alios ad ſpectandum aduocat? lætatur? Id nimirum, quod Daniel dixit falſis Suſannæ accuſatoribus.

(Daniel.

(Daniel. 13.) *Semen Chanaan & non Iuda*; quia Chanaan ob patris ſui denudationem lætabatur & ridebat, eamque alijs oſtendebat, Iudas contrà compatiebatur fratri ſuo Ioſeph, & procurauit, vt extraheretur de ciſterna & ſaltem venditus viueret, *Gen.* 37. S. Iob talibus dicebat c. 19. *Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini?* Videbit enim ipſe, quòd ſolus Deus perſequi hominem peccatorem ſine commiſeratione poſſet; ſiquidem ipſe ſolus eſt ſine peccato, & prorſum impeccabilis: ac proinde ſine compaſſione peccatorem perſequi, & in eius exitio lætari poteſt. Sed, pace tuâ, Iob, erras vir ſancte: nam Deus hodie pereuntibus compatitur & collachrymatur; non itaque hoſtes tui perſequuntur te ſicut Deus. Quomodo ergo dicemus? *Quare perſequimini me, ſicut diabolus?* ille enim eſt, qui in perditione malorum lætatur, applaudit, cos in æternum ridet & confundit. Illi in peccatoris interitu & damnatione dicunt: *Euge, euge* Pſal. 69. Igitur *Semen Chanaan*, ſemen diaboli ſunt, qui de malis proximi lætantur: non ſemen Iuda, id eſt, Chriſti, & Dauidis, qui inimicorum miſerijs collachrymabantur. Vidimus hactenus pretioſum eſſe vinum, Chriſti lachrymas. *Venite*, igitur *amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.*

CONCIO IV.

Deflendam fuiſſe Ieruſalem & eſſe peccatorem, cauſæ plures.

1. *Prima cauſa eſt: quia Chriſtus in ſecreto Dei iudicio vidit condemnatam Ieroſolymam.*
2. *Quia Ieroſolymitani nihil ſimile videbant.*
3. *Quia curationem reſpuebant.*
4. *Quia inſuper gaudebant.*
5. *Quia videbat gaudium illorum fore breuiſſimum.*
6. *Quia hæc omnia dilectæ olim ciuitati euentura preuidebat.*

THEMA.

Videns ciuitatem, fleuit ſuper illam. Luc. 19.

A. NEminem noſtrûm latet, viros dignitate & eruditione claros non ita facilè ad riſum & fletum permoueri, publicè præſertim. Vnde Plato *de rep. dial.* 3. ait lachrymas à viris claris auferendas eſſe, & mulieribus tantùm tribuendas. Quid igitur eſt, quòd in hodierno Euangelio Dei filius, ſapientia diuina, flere ſuper Ieruſalem in magnâ hominum frequentiâ incipit, & adeò quidem, vt fletus & ſingultus vocem intercludant, & ſententiam abrumpant, vt verba illa indicant: *Quia ſi cognouiſſes & tu! Et quidem in hac die tua*, &c. Si homo dumtaxat fuiſſet Chriſtus, facilè daremus fieri potuiſſe, vt humani aliquid paſſus in lachrymis ſolueretur, cùm eæ nobis inuitis ſæpe ſuboriantur. Nunc autem & Deus erat, qui humanas paſſiones in manu ſuâ tenebat, vt, niſi, eo volente, prodere ſe non poſſent. Quibus igitur machinis expugnari tandem potuit Chriſti cor, vt poſthabita dignitate ſuâ in oculis multorum lachrymis laxaret habenas? An putatis, Auditores, lapides hoc potuiſſe, muros & parietes vrbis Ieroſolymæ, eò quòd ipſe dicat: *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem?* Num templum Salomonis? num palatia? num hortos? quorum deſtructionem præuidebat & prædicebat? Non ſanè, numquid enim de lapidibus cura eſt Deo, ſi teſte Apoſtolo, nec de bobus eſt? Hominum igitur, non lapidum plangebat ruinam. Atque vt S. Gregorij verbis vtar, hom. 39. in Euang. *Hoc ſemel egit, cùm perituram ciuitatem eſſe nunciauit. Hoc quotidie redemptor noſter per electos ſuos agere nullatenus ceſſat, cum quoſdam ex bona vita ad mores reprobos perueniſſe conſiderat. Plangit enim eos, qui neſciunt, cur plangantur, qui iuxta Salomonis verba: Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Qui ſi damnationem ſuam, quæ eis imminet, agnouiſſent, ſemetipſos cum lachrymis electorum plangerent.* Hæc Gregorius. Sed ne aliquis fortè cogitet, cauſam hanc ſufficientem non fuiſſe, cur Dominus Ieroſolymæ & peccatorum omnium ruinam deploraret, oſtendemus fuiſſe pluſquam ſufficientem.

PRIMÒ. Quia Chriſtus vidit in ſecreto Dei iudicio dictatam & ſcriptam eſſe ſententiam exterminationis & damnationis ſuper Ieroſolymam, adeoque paulò pòſt aduocandos eſſe carnifices eius, Titum & Veſpaſianum, & tandem infernales quoque dæmones. Deſcendebat Dominus de monte Oliueti Ieroſolymam, cùm videns ciuitatem, fleret ſuper eam, vnde mirum non eſt, ſi in alto conſtitutus viderit aliquid, quod Ieroſolyma in valle non videbat. Sic enim, qui in monte eſt, videt aliquando tempeſtatem aduenientem à longè horribilem, quam non videt is, qui in valle eſt. Chriſtus eo tempore verſabatur in conſilio Deitatis altiſſimo, & videbat tempeſtatem proceIloſam, venturam ſuper Ieruſalem, infallibilis prognoſticus: proinde non mirum, ſi tam flebilibus eam deſcribat verbis, dicens: *Si cognouiſſes & tu!* Accidit aliquando vt Rex quiſpiam à ſeruo offenſus ſtatuat & iuret ſe illum igni exuſturum: Filius Regis, qui fortè hoc audiuit, valde contriſtatur, præſertim ſi ſeruum illum dilexit; nec poteſt præ dolore, vel certè non ſine lachrymis id ſeruo denuntiare; ſed flens ſuadet illi fugam, adeoque cum lachrymis rogat vt fugâ ſibi conſulat. Ita factum legimus: 1. *Reg.* 20. vbi Saul Dauidem morti adiudicauerat & iamiam occidendum adduci præceperat. Audiuit hoc Ionathas, qui diligebat Dauidem, quòd videlicet definitum eſſet à patre ſuo vt interficeretur Dauid. Contriſtatus ergo, cum lachrymis id Dauidi ſignificauit & fugam ſuaſit. Ad eundem modum Chriſtus videns à patre ſuo definitum eſſe vt vaſtaretur & gehennæ traderetur Ieroſolyma, cuius amore illectus de cœlo ad eam deſcenderat: quomodo non contriſtari, quomodo ſine lachrymis hoc

8. I. Quia vidit condemnatam Ieroſolymam.

mis hoc Ieroſolymæ denuntiare poterit? Vidit Dominus duos illos vrſos, Titum & Veſpaſianum de longè accurrentes è ſaltu, ad nequam illos pueros Eliſæo (ſibi ſcilicet) illudentes & dicentes: *Crucifigatur*; dilacerandos; 4. *Reg.* 2. Vidit eo ipſo in loco, quo ciuitatem deplorabat, Veſpaſianum caſtra ſua poſiturum, ad exterminandam vrbem. Vidit iam tunc cruces præparari innumeras perfidis Iudæis, quorum quingenti ſingulis diebus circa ciuitatem in oculis Titi crucifigendi eſſent, ita vt ſpatium crucibus, & corporibus cruces defuturæ eſſent. Vidit iam tunc ingraueſcentem in vrbe famem, quâ vrgente alij vltrò excurrentes Romanis ſe dedituri eſſent: alij proprios filios cocturi & comeſturi: alij viſo cibo præ gaudio morituri. Vidit alios innumeros, qui aurum deglutiſſent fugâ abſportandum, à Romanis capiendos & auri obtinendi gratiâ ſecandos atque exenterandos. Vidit vallo & muro vrbem vndique claudendam, vt nemini prorſus exitus pateret. Vidit eam & filios eius ad terram proſternendos & proiectorum mortuorum cadaueribus omnia fore plena. Vidit comprehendendorum numerum fore nonaginta ſeptem millia: mortuorum verò vndecies centena millia. Vidit & captiuos è nobilium numero quidem decem, ex ignobilium verò triginta vno venditum iri denario. Vidit templum ſpecioſiſſimum incendendum & in cinerem redigendum: vrbem totam diruendam. Vidit denique poſt hæc omnia ſupplicia, ſupplicium æternum, omnium horribiliſſimum; pleroſque eorum æternis ignibus tradendos eſſe. Vidit parari iam & accendi ipſis fornacem pluſquam Babylonicam. Hæc igitur tot & tanta non deploranda ſunt? Audite plorantem hæc ipſa Ieremiam cap. 14. *Deducant oculi mei lachrymam per noctem & diem, & non taceant, quoniam contritione magnâ contrita eſt virgo filia populi mei, plagâ peſſimâ vehementer.* Iam verò qui noſti, ô peccator, qui modò ſecurus degis, Chriſtum non videre de te ſimilia? Non vereris, ne & tu aliquando in agone circumderis vallo peccatorum tuorum, & hoſtibus tartareis? Non metuis futurum, ne & in te lapis à lapide & compago membrorum diſſoluatur? ne in terram proſternaris? ne viſcera tua in lucem protrahantur? ne captiuus ducaris ad gehennam? Quid ſi & hoc iam hac horâ de te videat Chriſtus? certè videt niſi reſipiſcas.

C. II. Quia Ieroſolymitani nihil ſimile videbant.

Secvndò, Quia incolæ Ieroſolymitani nihil ſimile videbant aut metuebant. Vnde ait: *Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis* ac proptereà magis erant miſerandi: ſicut qui ardente domo dormit pertinaciter, aut in medijs hoſtibus. Dum Ionas veheretur in naui, *facta eſt tempeſtas magna & nauis periclitabatur conteri.* Vnde omnes *timuerunt & clamauerunt ad Deum ſuum & miſerunt vaſa quæ erant in naui, in mare vt alleuiaretur ab eis:* & quid inter hæc Ionas? *deſcendit ad interiora nauis*, ait textus Ion. 1. *& dormiebat ſopore graui.* Vnde gubernator ad eum ait: *Quid tu ſopore deprimeris? ſurge & inuoca Deum tuum.* En miſeriam peccatorum. Dum alij omnes de ſalute ſuâ metuunt, ipſi ſe ad ſomnum componunt, cùm maximè omnium vigilare deberent; atque vt ſecurius dormiant & minùs excitentur, deſcendunt ad interiora nauis, id eſt, lucem & ſtrepitum fugiunt; ſomni illecebras vti tenebras & quietem quærunt; hoc eſt, nolunt audire diſciplinam & correctionem, nec videre iram Dei ſupra ſe tonantem; ſed ea tantùm quærunt, quæ vitijs ſuis blandiuntur. Ita ad amuſſim euenit Regi Iſraël Achab. 3. *Reg. vlt.* qui volens inire prælium temerè, quæſiuit pſeudoprophetas loquentes ſibi placentia nolens audire prophetam Dei Michæam ſuis cupiditatibus aduerſantem & dira præſagientem: qui cùm plura vellet loqui ad Regem auertendum à propoſito, iuſſit eum Rex abduci & recludi in carcerem. Sed exitus tandem probauit, quem ſtultè egerit; quia cecidit in prælio. Simili modo peccator obſtinatus ea ſolùm audire geſtit, quæ ipſi bladiuntur ſanam autem doctrinam, ſynderesin & increpationes ſalutares ab oculis remouet & incarcerat: donec tandem malo ſuo experiatur & deploret inſaniam ſuam. Quis non deploret eiuſmodi hominem ſibi ipſi inſenſiſſimum? Dormiebat aliquando Saul in tentorio, perſequi volens Dauidem, dormiebat, inquam, & haſtam in terrâ fixam ad caput ſuum reliquerat. 1. *Reg.* 26. dormientibus cum ipſo, omnibus etiam ſeruis ſuis interim aduenit Dauit, &, ſi voluiſſet: propriâ eum haſtâ iugulare potuiſſet. Dormit hoc pacto peccator cum omnibus ſenſibus & potentijs ſuis, & haſtam peccati ſui, quo ſtatim iugulari poſſit relinquit ad caput ſuum neſciens quod omni ex parte inſidientur illi hoſtes animæ. Videtur mihi incedere peccator, quemadmodum illi qui inaduertenter ſupplicio tollendi ſunt. Ducitur enim quibuſdam in locis reus à duobus ſocijs quaſi deambulatum in aulam: & tandem in aſſerem vnum, quem nôrunt eius comites ceſſurum & reum in mille gladios acutiſſimos deiecturum, vt in mille fruſta ſecetur. Aſſer iſte fatalis quid niſi incerta mortis hora? Duo peccatoris comites ſunt conſuetudo peccandi & ſpes longioris vitæ: qui dum in mortis horam improuidum ducunt, in exitium ducunt.

D. III. Quia curationem reſpuebãt.

Tertiò, Quia Ieroſolymitæ curationem, quam eis offerebat, inſani reſpuebant. Vnde ait: *Eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ.* Peccare humanæ fragilitatis eſt, nolle reſipiſcere & ſanari, diabolicæ peruerſitatis. Iam verò ciuitas hæc ægra medicum ſe viſitantem repulit & ſanari noluit. Hinc ergò Chriſti lachrymæ. Quæramus ex matre aliquâ, & Primò ponamus eius filium periculoſiſſimè ægrotare chariſſimum, & matrem omnia tentaſſe, adeoque ſubſtantiam ſuam profudiſſe, quâ filio ſelectiſſima remedia prouideret & medicum è longinquo peritiſſi-

mum aduocaret: ſi adueniente medico cum pretioſiſſimis illis pharmacis, videat rebellem filium medicamenta perdere, medicum non admittere, ſed repellere, conuitiari & eijcere; quomodo non duriſſimè hoc accipiat mater & amarè fleat? Hoc attentauit Deus cum Ieroſolyma, & attentat cum peccatore etiamnum. Miſit ei de cœlo medicum, Filium ſuum, è cuius ſanguine pharmaca ei parauit præſtantiſſima, ſacramenta videlicet. Quid igitur dicat vel ſentiat, videns hæc omnia eum prodigere & in ventum ſpargere. Idem in parente cernimus, ſi videat filium ſuum peruersè & flagitioſè degere, ſociiſque peſſimis adiungi. Poſtquam enim correctione ſuâ nihil profecit, videtque filium ad interitum tendere & patibulum, incipit ante ipſum plorare & lamentari, Deum & Sanctos teſtari vt reſipiſcat. Tandem cùm aduertit filium publicæ poteſtati traditum & educendum ad ſupplicium, præ dolore loqui neſcit ſed lachrymis ei parentat. Hoc eſt quod populo ſuo facit Chriſtus in hodierno Euangelio. Legimus *Gen.* 21. cùm Agar deficiente aquâ in ſolitudine aberraret & videret ſe iam filium ſuum infantem ſuſtentare ampliùs non poſſe, proiecit eum ſubter vnam arborem; & diſcedens ad iactum ſagittæ, ſedensque è regione eleuauit vocem & fleuit, dicens: *Non videbo morientem puerum.* Videre hic mihi videor Chriſtum ſtantem è regione Ieroſolymæ & flentem ſuper eam. Cùm enim videret eam abiectam eſſe & deſperatam, dolorem ſuum teſtari volens fleuit ſuper illam, ac ne videret eius interitum, priùs è terra diſceſſit, & primum poſt annos 38. eius permiſit excidium.

E. IV. Quia inſuper gaudebant.

QVARTÒ, Quia videbat eos inſuper gaudere & cum iubilo ſibi obuiare. Vnde ait: *Et quidem in hac die, qua ad pacem tibi.* Vt enim phreneticus eò magis morti vicinus & miſerandus eſt, quò magis ridet & inſanit: ita & peccator, cùm *exultat in rebus peſſimis.* Ieremias c.8. comparauit illos equis ad prælium exeuntibus; qui exeundo quidem ſaltant & hinniunt geſtiuntque, vſque dum incurrant in ipſas haſtas & gladios, vbi paulò pòſt vulnerantur & corruunt. *Nullus eſt, qui agat pœnitentiam,* inquit, *ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens in prælium.* Ita aues colludunt in areâ ſuper eſcam, piſces ſuper hamum, donec capiantur. Ita bibens Holofernes cum Iudith iucundus erat: interim verò gladium quo iugulandus erat non aduertebat. Dicite, quæſo, ſi quis capillo ſuſpenſus teneretur ſuper altiſſimo puteo, pleno draconibus & ſerpentibus, videretque ſupra ſe cultrum in manu tenentis minantem abſciſſionem capilli; ſi is nihilominùs geſtiret, iubilaret, gauderet; quis eum non omnium infeliciſſimum & ſanguineis lachrymis deplorandum diceret? Atqui hoc faciunt peccatores: ipſi enim à Deo per tenuiſſimum vitæ fragiliſſimæ capillum tenentur ſuper infernum, minante deſuper cultro diuinæ iuſtitiæ; nihilominus tamen adhuc lætantur, &, vt S. Iob ait, cap. 21. *tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi; ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

F. V. Quia gaudium illorum breuiſſimum erat.

QVINTÒ, Quia videbat gaudium illorum breuiſſimum, quo æternos ſibi cruciatus emerent. Vnde ait: *Et quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi.* Poſtea verò ſubiungit: *Quia venient dies in te.* Ecce gaudium illorum, vocat diem, de qua etiam Ieremias *cap.* 17. dixit: *Diem hominis non deſideraui, tu ſcis*: punitionem verò ſecuturam, *dies.* Sed nunquid quadraginta ferè anni adhuc ſupererant vſque ad excidium Ieroſolymæ? Eſto ſanè; dies tamen, ac vix quidem dies vnus erant, ſi cum ſecutâ calamitate & ſupplicio æterno comparentur. Si enim Dauide teſte Pſal. 89. *mille anni* reſpectu æternitatis & ante oculos Dei *tamquam dies heſterna quæ præteriit, & cuſtodia in nocte,* quæ trium tantùm horarum, quid erunt 40. anni? Vultis videre quàm breue ſit hoc ſpatium? Dicite, nónne parui nos æſtimamus horam vnam, aut alteram? nónne diem integrum ſæpe contemnimus & breuiſſimum ſpatium putamus eſſe? Et tamen, autore Ariſtotele, apud Hyparum fluuium animalcula ſunt, quæ vnum tantùm diem viuunt: manè naſcuntur, horâ tertiâ diei adoleſcunt, ſextâ viri fiunt, hora nonâ caneſcunt, veſpere moriuntur. Nónne igitur horum animalculorum ætatem vnam, imò totam vitam parum eſſe aut nihil dicimus? Et tamen id ipſis multum eſt. Pari ratione, nihil eſt vita noſtra, æternitati comparata, licet eam nos aliquid eſſe putemus. Igitur quod nobis ſunt 40. anni, hoc illis eſt media dies: vt ſic tota noſtra vita vix vnus dies ſit. Ponamus igitur modò aliquem totam vitam ſuam ducere in bonis, gaudere & epulari, ſi poſteà mille annis eſuriem & ſitim tolerandam ſibi ſciret. Nónne hic deplorandus eſſet? Solebant Gentiles aliqui certum hominem per tempus aliquod alere lautiſſimè, & porci inſtar ſaginare; elapſo verò anno vel ſimili tempore, coronatum eum cum tibijs & tympanis ducere ad Deorum templum, mactare & ſacrificare. Quis non exhorreſcat ad eiuſmodi ſpectaculum? quis non deploret eiuſmodi infœlicem hominem, qui ſibi mortem emat tam breui voluptate? Et heu! infiniti reperiuntur homines, qui id ipſum factitant, & dummodò hîc modicum gaudere & frui voluptate ſuâ poſſint, mortem æternam incurrere non dubitant.

[…] VI. Qu[…] hæc dilect[…] ventura […]

SEXTÒ, Quia hæc omnia ſuper Ieruſalem, dilectiſſimam olim ciuitatem, ventura præuidebat. Plures erant ciuitates Galilææ, quarum excidium futurum à Tito & Veſpaſiano prænouerat Dominus, (quemadmodum recenſet Ioſephus *l.* 3. *&* 4. *de bello Iud.*) ſolam tamen deflet Ieroſolymam; quia eam præ ceteris ſupra omnes nationes exaltauerat, &

innume-

innumeris beneficijs affecerat, cupiebatque gloriam ſuam per illam maximè toti orbi patefacere. Poterant hoc ſaltem ex Chriſti lachrymis colligere; ſi enim videntes eum lachrymari ſuper mortem Lazari, dicebant: *Ecce quomodo amabat eum!* Ioan. 11. Cur non idem nunc colligunt de ſe, & dicunt: Ecce, quomodo amat nos! Si enim non amaret, quomodo defleret? Nimirum vti brachium putridum, & infectum tandem abſcindit aliquis non ſine maximo doloris ſenſu, non tam corporis, quàm animi, quia membrum coniunctiſſimum abijcere debet: ita doluit Chriſtus excidium Ieroſolymæ olim ſibi coniunctiſſimæ. Vouerat Iephte, Iudex Iſraël, ſi è prælio rediiſſet domum in pace, primum quemque, qui ſibi occurreret, ſe ſacrificaturum. *Iud.* 11. Occurritque ei vnigenita filia cum tympanis & choris. Contriſtatus igitur vehementer ſcidit veſtimenta ſua: quòd videlicet vnicam filiam ſuam immolare ex voto deberet. Filia hæc Ieroſolymæ typus eſt, quæ Chriſto venienti in propria ſua, prima occurrit, contrarium ei tenens iter. Videns igitur Dominus eam ideò deſtruendam & exterminandam eſſe, meritò ſanè contriſtatur & plorat. Si quis in loco amœniſſimo plantaſſet vineam maximis impenſis, circumdediſſet eam ſepe, ædificaſſet in eâ turrim & torcular, ſperans ibi ingentes fructus, & animi relaxationem ſeſe habiturum: poſtmodum verò inueniret vineam prorſus ſterilem & inutilem, ita vt aliud non ſupereſſet, quàm vt ſeps dirueretur, turris & torcular deſtrueretur, vites abſcinderentur & concremarentur: quo doloris ſenſu id faceret? Atqui hanc vineam fuiſſe Ieroſolymam, docet in parabolâ Chriſtus *Matth.* 21. & Iſaias c. 5. Verùm non Ieroſolymam tantùm, ſed quemuis etiam Chriſtianum hæc vinea deſignat. Plantauit eum Dominus, cùm abluit in baptiſmo: ſepem cuſtodiæ angelicæ ei circumdedit: ædificauit ſibi in eo turrim fidei torcular meritorum Chriſti: vitem alligauit, cùm in confirmatione Chriſtianum ſacro chriſmate vnxit: fodit, quoties per pœnitentiam & confeſſionem eum reparauit: impinguauit in ſuſceptione S. Euchariſtiæ: & per hæc omnia amœnam ſibi habitationem præparare conabatur. Nunc autem cùm hæc omnia fruſtra, ideoque diruenda eſſe, vites quoque in ignem proijciendas videt, quomodo non ploret?

Et ſi plorat Chriſtus, quomodo non magis ipſi peccatores? ô ſi intelligerent, quot beneficia diuina in ipſis pereant, quot diuinæ vocationes ab eis ſpretæ ſint; & quòd iam ſecuris ad radicem ponenda ſit, arborque exſcindenda: non dubito, quin hac horâ animum mutarent, & vel ſerò ſuam miſeriam deploraturi eſſent; quod ipſis donet Deus.

CONCIO V.

Diuina vindicta in excidio Ieroſolymitano oſtenditur.

Primò in eo, quod vti prædictum à Chriſto fuit, ita ad vnguem euenerit.

2. *Quia iuxta delictum ſuum puniti ſunt.*

3. *Quia ante hanc cladem Eccleſia fidelium Dei monitu inde profugit.*

4. *Quod fruſtra Iudæi vrbem reſtaurare conati ſint.*

5. *Quod hanc eorum cladem Titus Dei vindictæ adſcripſerit.*

6. *Quia hæc clades à multis accuratè deſcripta.*

Ex quibus omnibus datur intelligi, quàm potens, bonus & iuſtus ſit Deus.

THEMA.

Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Luc. 19.

A. Libro 2. Comment. Pij II. de rebus memorabilibus refertur, vrbis Fulginei (in Vmbria Italiæ) regulum olim è viro ſancto quæſiiſſe, an regno ſuo poſteritas aliquando priuanda eſſet: illumque reſpondiſſe, priuandam, *cùm boues circum mœnia ciuitatis volarent.* Quod cùm impoſſibile videretur, æternum ſibi familiæque ſuæ imperium Tyrannus promittebat. Verum nepotibus regnum tenentibus Ioannes Vitellenſis Alexandrinus Patriarcha eò cum copijs profectus, vbi obſidere vrbem aggreſſus eſt, explicatis vexillis, in quibus inſigne ſiue ſymbolum, par boum, qui vento flante & vexillo agitante volare quodammodò videbantur, magnum oppidanis incuſſit metum, & refricauit memoriam, hos ſcilicet fore boues, iuxta vaticinium, circum mœnia volitaturos. Simili quodam ſchemate præfigurauit Deus Iudæis, vrbis & reip. ſuæ excidium, 4. *Reg.* 2. cum Eliſæo Prophetâ aſcendente in Bethel, pueri parui egreſſi de ciuitate illuderent ei, dicentes: *Aſcende calue, aſcende calue*, mox enim egreſſi de ſaltu duo vrſi lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Quæ figura quid Iudæis præmonſtrârit, non difficilè intelligere potuerunt, cùm viderunt Titum & Veſpaſianum è Romanorum ſaltu excurrentes Ieroſolymam obſidere, & in fruſta lacerare. Niſi enim omninò ſtupidi fuiſſent, cogitare tunc debebant: Hi nimirum ſunt duo illi vrſi de ſaltu egredientes, ad nos lacerandos. Sed licet hoc fortè non pauci agnouerint; illud tamen agnoſcere vſque in hodiernum nolunt: ideò ſcilicet in ſe immiſſos hoſce vrſos, quia Chriſto illuſerunt, dicentes: *Crucifige, crucifige*; ſeu (quod idem eſt) *aſcende caluariam*, quæ à caluitie nomen habet. Quare operæ pretium videtur oſtendere hanc cladem Iudæi obtigiſſe ex vindictâ diuinâ, quia in Chriſtum peccauerunt.

B. 1. Quia vt prædictũ à Chriſto, ita euenit.

Oſtenditur PRIMO. Quia vt prædictum eſt à Chriſto, ſic ad vnguem euenit. Primò dixit: *Circumdabunt te inimici tui vallo*; quòd factum, cùm Titus circum vrbem quinque ædificauit propugnacula, quibus vrbem in-
1. cluſit. Quæ cùm Iudæi ſubuertiſſent; ædificauit triduano labore circumcirca murum cum tredecim arcibus; quo eos tam arctè incluſit, vt velut aues in auiario clauſi, nullatenùs effu-
2. gere poſſent, iuxta prædictionem Chriſti repetitam: *Et circumdabunt te*, id eſt, multò arctiùs ſeu omninò. Tertiò, *Et coangustabunt te vndi-*
3. *que*; quod factum, cum fames, mortes, rapinæ ſeditioſorum, qui nunquam non domos perfringebant, perluſtrabant, ſpoliabant, eos intùs affligebant: ita vt fugere non liceret; manere
4. intolerabile eſſet. Quartò, *Ad terram proſternent te*; quod factum, cùm templum incenſum, vrbs verò diruta, & à fundamentis auulſa, ita vt poſtea prætereuns quis nequiret cognoſcere, an ibi habitaſſent aliquando homines; teſte Ioſepho *l. 7. de bell. c. 18.* ſolæ tres turres relictæ in monumentum: Phaſelos, Hippicos & Ma-
5. riamnes. Ioſeph *ibid.* Quintò, *Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem*; hoc factum quia nihil omninò prioris vrbis indicij remanſit, præſertim quando poſtmodùm rurſus ab Adriano penitùs ſubuerſa eſt; & in nouam excitata formam. Quoniam igitur veriſſimè euenerunt, quæ prædixit huic vrbi Chriſtus, ſequitur etiam cauſam excidij ſimiliter à Chriſto prædictam veriſſimam fuiſſe: quia videlicet *non cognouerit tempus viſitationis ſuæ*, quã à filio Dei & Meſſiâ ad ſalutem quærebatur: & quòd vineæ cultores filium patrisfamilias ad ſe miſſum occiderint, *matth. 21.*

Accedit etiam prophetia Ezechielis c. 5. ſeu potiùs Dei præmonitio per illum facta, quando ei præcepit, vt raſos ſibi capillos in foro ponderaret, & in tres partes diuideret: quarum vnam igne combureret, alteram gladio diſſecaret, tertiam in ventum ſpargeret. Significabat enim hoc, partem Ieroſolymæ igne abſumendam, partem gladio necandam; partem in varias regiones quaſi in ventum diſpergendam. Quæ omnia euenerunt.

Denique alijs etiam præſagijs paulò ante cladem præmonuit eoſdem Ieroſolymitanos, quemadmodum ſcribit Ioſephus *l. 7. c. 12.* Cometes per annum ſtetit ſupra ciuitatem ſimilis gladio. Die azymorum circa templum nox in diem verſa, & bos ad hoſtiam ductus in medio fani agnum peperit. Templi porta ærea & grauiſſima, quæ vix à 20. viris clauderetur, nocte vltrò aperta eſt. Poſt dies feſtos, viſi per inane ferri currus totis regionibus & armatæ acies tranantes nubila & ciuitati circumfuſæ. Feſto Pentecoſtes audita (angelorum haud dubiè) vox: *Migremus hinc.* Ieſus quidam plebeius ac ruſticus homo per annos ſeptem & menſes 5. in vrbe circumcurſans perpetuò clamabat: *Væ, væ Ieroſolymis:* idque etiam cùm à magiſtratu acriter cæderetur: qui vſque ad diem, quo vrbs obſideri cœpit, ſupra murum circumiens, cùm tandem clamaſſet: *Væ etiam mihi*; lapis tormento miſſus eum peremit. Hic Ieſus quoniam idem cum Chriſto nomen habuit, non obſcurè Iudæos admonuit, ſe ideò puniendos, quia in Ieſum deliquiſſent. Angelorum vox reſpondet voci Chriſti: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.*

SECVNDO. Quia ſicut in Chriſtum deliquerunt; ita & puniti ſunt. Primò in eo ipſo monte Oliueti, vbi Dominus excidium Ieroſolymæ prædixit & deplorauit: vbi & poſteà paſſionem ſuam inchoauit, & à Iudæis captus eſt; ibi, inquam, Titus caſtra poſuit, & initium obſidioni fecit; vt ſic crudelem viſitatorem inde accipere cogerentur, vnde mitem & manſuetum ſedentem ſuper aſinam acceptare noluerunt. C. II. Quia ita deliqui ſunt puniti. I.
Secundò, in diebus azymorum, ſeu ferijs paſchalibus Chriſtum neci dederunt, quando ex varijs nationibus ad feſtum plurima confluxit turba: in iiſdem ferijs ſimili populi confluxu (tunc enim Ioſepho teſte in vrbe erant tricies centena millia hominum) celebratis, obſidio cœpta, 14. Aprilis ſcilicet, quanquam diutius durauit eorum paſſio: 5. menſibus ſcilicet vſque ad 8. Septembris, quo vrbs capta. 2.
Tertiò, Chriſtum triginta argenteis venditum ſibi à Iuda emerunt. Viciſſim Veſpaſianus quo tempore bellum contra Iudæam adminiſtrauit vendidit triginta millia Iudæorum & quadringentos. Ioſeph. 3. *de bello c. vlt.* Egeſippo referente *l. 5. de excidio Ieroſ. c. 47.* & *l. 7. c. 15.* vulgus cum coniugibus & liberis paruo pretio vendebatur; nec deſunt, qui affirment ex nobilioribus decem: ex ignobilibus 30. pro vno denario venditos, iuxta prædictionem Ioannis Apoc. 6. *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario:* vt exponit ibi Blaſ. Vegas. Rurſum quia Chriſtum ceperunt, capti ſunt ad 97000. Ioſeph. *l. 7. c. 17.* 3.
Quartò. Exuerunt & ſpoliarunt Chriſtum veſtibus, & lanceâ latus eius aperuerunt. Viciſſim durante obſidione, qui ad Romanos fugerant, deprehenſi quòd aurum deglutiſſent, medio ventre ſciſſi ſunt, & vnâ quidem nocte duo millia, vt auro deuorato ſpoliarentur; licet apud paucos inueniretur. Ioſeph. *l. 6. c. 15.* 4.
Quintò. In crucem egerunt Chriſtum, & clamârunt: *Crucifige, crucifige.* Similiter qui ex vrbe egredi cogebantur, iubente & ſpectante Tito crucifigebantur, per diem quingenti ſæpe & plures, ita vt ſpatium crucibus deeſſet, & corporibus cruces. Ioſeph *ib. c. 11.* 5.
Sextò. Sitientem Dominum felle & aceto potârunt: ipſi viciſſim fame extremâ ſunt afflicti, ita vt omnia loca & foſſæ mœnium & domus & plateæ mortuorum inediâ plenæ eſſent. Comedebant coria, cortices arborum, ſtercora, cingula, calceos, boum veterum fimum, cloacas rimabantur: iuuenes turgidi velut vmbræ mortuorum per fora verſabantur. Id. *l. 7. c. 7.* & *l. 6. c. 14.* Multi viſo pane præ gaudio vitam finierunt, vt refert Egeſippus. Maria nobilis & diues fœmina filium infantem in fruſta ſecaſſe, par- 6.

temque eius coctam iam comediſſe reperta eſt, Egeſip. *l. 5. excidij c. 4.* Ioſ. *l. 7. de bello c. 8.* Denique quia Chriſtum occiderunt, & ipſi fame, ferro & igne occiſi ſunt; ad vndecies centena millia, vt recenſet Ioſeph. *l. 17. c. 17.* Addit S. Hieronymus *in Sophon. c. 1.* ſcribens, Iudæos quotannis conueniſſe eo die, quo diruta eſt Ieroſolyma ad deflendum eius funus, idque pretio impetrare debuiſſe: *Vt ruinam,* inquit, *ſuæ ciuitatis eis flere liceat, Iudæi pretio redimunt: vt qui quondam emerant ſanguinem Chriſti, emant lachrymas ſuas, & ne fletus quidem eis gratuitus ſit.* Sic ille.

Adhæc vt obſederunt Chriſtum, ita ſunt obſeſſi: circundederunt Chriſtum ſicut apes, circumdederunt ſicut vituli, obſederunt ſicut tauri, ſecundum Pſalm. ita eis euenit. Vnde Dominus; *Circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te.* Quodque notandum, eâ ex parte, quâ erat mons Caluariæ, obſederunt ciuitatem. Hic enim penè erat ex aduerſo Pſephinæ; vbi Iudæi crucifixerunt Chriſtum, vt notat Adrichom. in deſcriptione Ieruſalem, & alij, vt Iudæi cognoſcerent Titum aduenîſſe ad hoc, vt eſſet necis Chriſti vltor, ibique eos plecteret, vbi ipſi Chriſti parricidium, imò Deicidium commiſerât. Tandem verò Titus, vt celeriùs vrbem occuparet eam circumcirca cinxit muro, idque opus perfecit ſpatio tridui, itaque Iudæos ad famem & extrema adegit.

D. III. Quia fideles, Dei monitu, prius inde profugerent.

TERTIÒ. Quia antequam clades hæc inciperet, Eccleſia fidelium, quæ erat Ieroſolymis congregata, oraculi cuiuſdam monitu, quod probatioribus per reuelationem traditum fuerat, ex Ieroſolymis migrauit & oppidum trans Iordanem, quod Pellam nominant, incoluit, atque ita obſidionis procellam declinauit, vt refert Euſeb. *l. 3. hiſt. Eccl. c. 5.* & Epiphanius *hæreſ. 29.* & *l. de menſur.* qui ait ab Angelo monitos. Ita & Niceph. l. 3. *c.* 3. (eſt autem Pella, vrbs Decapoleos) Id quod etiam prædixit Ioannes *c. 6. Apoc.* Vbi in tertio ſigillo ſedenti ſuper equum nigrum (Tito luctuoſum imperium tenenti in Iudæos) præcipit vox è cælo: *Vinum & oleum ne læſeris,* id eſt, fideles, qui ex gentibus & Iudæis crediderant. Atque hos monuerat Chriſtus *Luc. 21.* cùm dicebat: *Cùm videritis ab exercitu circundari Ieruſalem, tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* Nimirum Deus non ſolet perdere iuſtum cum impio. Igitur à Domino factum eſt iſtud & quidem in pœnam infidelitatis Iudæorum, quia in Chriſtum credere nolebant, in quem qui credebant, ſaluati ſunt. Permittit Dominus bonos malis immixtos eſſe, niſi cùm punire vult; tūc enim ſeparat eos ab inuicem, vt Noë cum ſuis à reprobis, Loth cum ſuis à Sodomitis, Moyſen cum ſuis à Core, Dathan, Abiron; Iſraëlem à Pharaone ſubmergendo: vt Aug. *q. 27. ſuper Num.* aduertit.

E. IV. Quia fruſtra Iudæi vrbem reſtaurare conati.

QVARTÒ. Quia licet poſteà conati ſint Iudæi reparare Ieruſalem & templum, diuinitùs tamen impediti fuêre. Sub Ælio Adriano conſtituere ſibi principem, Barchocebam & coniunctis viribus collectoque exercitu remp. ſuam reſtaurare conabantur, nec non innumeros Chriſtianos miris modis cruciabant: ſed ab Ælio Adriano Imp. crudeliter cæſi & ſubacti ſunt, qui & pro veteri Ieroſolyma, nouam extruxit, vocans eam Æliam ex ſuo nomine, prohibuitque Iudæis, vt ne quidem à longè aſpicere eam auderent, ſtatuitque ſupra portam, quæ ducebat Bethlehem, caput porci in abominationem Iudaicæ religionis, teſte Euſebio *l. 4. hiſt. c. 6.* Baronius refert anno 128. tunc à Rufo Iudææ præfecto plurima Iudæorum millia fuiſſe cæſa. Poſt hæc ciuitas nonnihil reædificata ab Adriano, rurſum vſque ad ſolum incenſa & deleta eſt, teſte Hieronymo in Ezech. *c. 5. & 14.* Poſteà Iulianus Imp. rurſum Iudæos Ieroſolymam reducere volens, in contumeliam Chriſti, vt prædictionem eius mendacem faceret, poteſtatem eis dedit, nec non artifices plurimos ad templi reædificationem: ſed, cùm iam gypſi & calcis modiorum multa millia conuexiſſent, repentè procella ventorum ea omnia diſſipauit: Adhæc ignis è fundamentis, quæ fodiebant, erumpens, laborantes combuſſit: & cruces in veſtibus Iudæorum diuinitùs apparebant, quas eluere non poterant: nec non terræ motus fundamentum iactum diſſoluit, & porticus corruēs multos eorum oppreſſit. Atque ita pergere in ſtructura prohibiti ſunt. Theodoret. *l. 6. hiſt. trip. c.* 43. S. Chryſoſt. *orat. 2. aduerſus Iudæos, &c.*

F. V. Quia hāc eorū cladem Titus Dei vindictæ adſcripſit.

QVINTÒ. Quia hanc miſerabilem & extremam vaſtationem Titus Imp. ipſe diuinæ manui, non ſuæ adſcripſit. Etenim muros vrbis circumiens, videnſque omnia proiectorum mortuorum cadaueribus referta, ingemuit & extenſis manibus Deum teſtatus eſt, factum illud non ſuum eſſe, ſed Dei. Ioſeph. *l. 7 belli c. 14.* Et cùm finitimæ gentes ob victoriam coronare ipſum voluerunt, ille ſe tali honore indignum eſſe reſpondit. Non enim ſe talium operum auctorem, ſed Deo iracundiam contra Iudæos demonſtranti manus ſuas præbuiſſe, &c. Philoſtrat. l. 6. Quam Titi ſententiam approbat inprimis, quòd incredibili & pluſquam humana celeritate ingens murus 5000. ferè paſſuum cum 13. arcibus ſeu propugnaculis tridui ſpatio circum vrbem erectus eſt, quo vti feræ retibus, omnes ſunt incluſi. Ioſeph. *l. 6. c.* 13. Deinde quòd templum Tito inuito & prohibente à militibus incenſum, nullâ ratione ſeruari potuerit, quia ſcilicet, ipſo Ioſepho teſte, Deus id dudum ad flammas condemnaſſet. Ioſeph. *l. 7. c. 9.* Ita vt (Hieronymo teſte *in Iſa. 64.*) templum poſteà in ſterquilinium vrbis nouæ & in habitaculum tranſierit noctuarum: & (*in Zach. 8.*) in ignominiam gentis aratum fuerit à Tito Annio Ruffo. Rurſum, quia ipſimet Iudæi pre ſeditiones & odia mutua diſſidentes ſeipſos in vrbe premebant, & crudeliſſimam famem inter alia ſibiipſis comparabant iuſto

iuſto Dei iudicio, dum ædes frumenti, quod non paucis annis poterat ſufficere, omniumque vtenſilium, plenas incendebant. Ioſep. l.
4. 6. c. 1. Quartò quia templi ſpolia & victoriæ trophæa ſacra, vti candelabrum aureum, menſa aurea, tabulæ legis & alia clenodia, Romam (vti etiamnum demonſtrat ibi arcus Titi triumphalis) pompâ triumphali illata ſunt, eam videlicet in vrbem, vbi iam ſedes ſuprema Chriſtianorum collocata erat; vt ſic nemo non intelligeret, Deum Iudæorum legem in Chriſtianorum legem mutaro & ad
5. horum Eccleſiam migrare voluiſſe. Denique, quia videtur Deus Veſpaſiano, & poſteà filio pro expugnatis Iudæis, imperium velut præmium contuliſſe, vt ſentit Galatin. l. 4. c. 21. Siquidem Veſpaſianus Imperator à legionibus ſuis acclamatus eſt, dum adhuc Iudæos obſideret: ſicut olim Deus Nabuchodonoſori dedit Ægyptum pro eo, quòd laboraſſet illi in expugnandâ Tyro, *Ezech*, 24. Patre Romam profecto obſidionem proſecutus eſt filius, qui & patri in imperio ſucceſſit. Rectè autem per patrem & filium puniti & exterminati ſunt, quia in patrem & filium Deum peccauerunt, quòd filium à patre miſſum occiderint. Sic enim & Veſpaſianus diſcedens ab obſidione, reliquit eis filium, qui eos occideret. Per filium omninò euerſi ſunt, quia in filium maximè peccauerunt. Vnde cùm Titus è grandioribus tormentis grandiora ſaxa iacularetur in Iudæos, dicebant Iudæi; *Filius venit*. Ioſeph. l.6. c.7. Vt ſic eorum punitio toti orbi pateficeret, quorum ſcelus in Chriſtum toti etiam orbi patuit, & coram plurimis nationibus in ſolenniſſimo populi conuentu patratum fuit.

G. VI. Quia hæc clades à multis accuratè deſcripta.

SEXTÒ. Quia hanc cladem, ad æternam eius memoriam accuratè deſcribi voluit Deus à multis ſcriptoribus; Ethnicis, Iudæis, Chriſtianis: quemadmodum & tres Euangeliſtæ, Matthæus, Marcus, Lucas, Chriſti vaticinium de eâ diligenter conſcripſerunt. Gentiles ſunt, Tacitus, Suetonius, Plutarchus, Dio, Phlegon: Ioſephus, Iudæus, teſtis oculatus, Egeſippus diſcipulus Apoſtolorum, &c. Tametſi Ioſephus, vt ex ipſo refert Euſeb. *l.* 2. *hiſt. c.* 22. cauſam eius cladis reijcit in necem S. Iacobi. friuolè admodum; ſiquidem & aliàs ſæpe Prophetas ſanctiſſimos occiderunt, nihil tamen ſimile paſſi ſunt. Et à potiori ſi propter necem innocentis Iacobi diſcipuli Chriſti, hanc cladem Iudæis obueniſſe exiſtimat, quantò magis dicere debuit, obueniſſe propter necem Chriſti innocentiſſimi, autoris vitæ & Magiſtri Iacobi? Et vt Orig. *l.* 1. *contra Celſum*: ſi ob Iacobi gratiam Ieroſolymorum obſidionem contigiſſe Iudæis ille affirmet; cur non æquiùs fuerit fateri, ob Chriſtum id factum fuiſſe, cuius diuinitatem tam multi hominum conuentus teſtantur? Nec etiam dici poteſt, ob Idololatriam vel corruptos mores hoc eis eueniſſe; ſiquidem Idololatriâ ſæpiùs laborabant, nec adeò ſæua paſſi ſunt: & tunc minimè laborabant; quia nec profanas imagines legionum per ſuas regiones deferri patiebantur. Ioſeph. 7. *antiq. c.* 18. &c. Nec etiam ob mores tantùm corruptos talia paſſi eſſent; niſi maximum illud & inauditum ſcelus in Chriſtum patraſſent.

H. VII. Hinc collige. 1. Quàm potens ſit Deus.

Quâ ex re colligimus primò, Quàm ſit potens Deus: qui tam forte propugnaculum, qualis erat Ieroſolyma, tam breui tempore diſſipauit, tantamque multitudinem in tantas redegit anguſtias, intra quinque menſes ſcilicet, eamque triduo ædificato muro mirabiliter incluſit! Erat Ieroſolyma, vt refert Ioſephus l. 6. c. 6. trino muro circumdata, niſi quâ vallibus inuijs cingebatur, vbi vnus tantùm erat murus. Muri omnes excellentis altitudinis & latitudinis plurimis muniti turribus è grandibus extructi lapidibus. Hæc tamen omnia tam facilè deiecit Deus: nec deinceps eam vrbem reparari paſſus eſt, quia non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum; vt iam verum eſſe Iudæi intelligerent, quod dixerat illis Dauid de hac vrbe: *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam: niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam.* Dicebant ipſi Chriſto in cruce pendenti: *Vah, qui deſtruis templum Dei!* ſed vah, quomodo id deſtruxit? Itaque ne confidamus in propugnaculis & exercitibus noſtris; ſed in Deo potius.

2. Quàm bonus ſit Deus.

Secundò. Quàm ſit bonus Deus; ſiquidem Iudæos antequam ſic puniret, tam fideliter & paternè ſæpe ſepiùs commonuit. Et quidem vel ſolus Chriſti fletus; mouere illos ſuper omnia debebat. Sed addidit Dominus plurimas parabolas, quibus apertiſſimè hanc cladem eis prædixit, vti *Matth.* 21. de argricolis, qui filium patrisfamilias occiderunt: quos ipſimet Iudæi condemnabant, dicentes: *Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis*, Matth. 22. de inuitatis ad nuptias, qui ſeruos ad ſe miſſos occiderunt, quos ipſe miſſis exercitibus perdidit & ciuitatem illorum ſuccendit, Matth. 23. cùm ſine parabolâ apertè eis dixit: *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas*, &c. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Item Matth 24. cùm de templo loquitur: *Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Et Luc. 21. *Cùm videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem, tūc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* Et Luc. 23. *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies*, &c. Accedunt prodigia ſuprà recenſita, quibus velut prodromis Iudæos ad reſipiſcentiã inuitauit. Accedit, quòd ferè per 40. annos expectauit eos ad pœnitentiam; ſiquidem trigeſimo octauo anno à morte Chriſti capta eſt Ieroſolyma. Et hinc apparet, quis ſit ille cultor vineæ, qui apud Lucam. c. 13. iubente vineæ domino vt ficum triennio ſterilè exſcinderet, pro eâ rogauit: *Domine, dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſiquidem fecerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides illam.* Eſt enim Chriſtus

3. ſtus Dominus, qui haud dubiè hoc tempus pœnitentiæ impetrauit à patre Iudæis, quo ipſe iam foderat Eccleſiæ fundamentum, eamque impinguauerat. Accedit, quòd fideles inde prius eripuit, quod etiam terrorem reliquis incolis incute debebat. Apparet igitur, Deum non gaudere plagis, ſed omnibus modis conari parcere.

3. *Quàm ſit iuſtus Deus.* Tertiò. Quàm iuſtus ſit Deus, qui tandem in pœnitentes & obſtinatos tam ſeuerè caſtigat, nec parcit, licet conſanguineis & olim dilectiſſimæ genti, cui olim tanta promiſit & exhibuit beneficia; non parcit, inquam, vrbi regali tam ſpecioſæ, tam celebratæ, vbi tot ſepulchra regum & prophetarum: imò eam cõuertit in ſentinam & quiſquiliarum locum, in nocturum habitationem. Non parcit plurimis etiam innocentibus, qui ob parentum peccata tam crudeliter ſunt necati. Hîc vitulus cum vaccâ, ſenex cum iuuene, viro cum nuptâ ad macellum ducta: nobilis cum ignobili, diues cum paupere. Nullæ hîc iuuabant lachrymæ, nullæ opes, nulla proſapia, non robur, non ſcientiæ. Vnde ipſemet Ioſeph. *l.* 7. *c.* 18. ait: *Ex quo primùm condita eſt* (Ieroſolyma) *vſq; ad excidium anni, duo millia centum ſeptuaginta ſeptem. Sed enim neque antiquitas, neque ingentes diuitiæ, neque per totũ orbem terræ diffuſa fama, nec magna religionis gloria quidquã iuuit, quò minùs perrret.* Hæc ille. Benè ergò Propheta: *Quis nouit poteſtatem iræ, tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Pſal. 89. Quòd ſi verò Deus in hac vita ita punijt prævaricatores, quid non timendum illis in alterâ vita? Et ſi ſuæ genti hæc fecit, num parcet alienis?

CONCIO VI.

Quamorbem erepta nobis ſit terra Sancta.

Narratâ hiſtoriâ recuperatæ & perditæ Ieroſolymæ & terræ ſanctæ, aſſignantur variæ cauſæ iſtius perditionis quæ contigit.

1. *Ob Ducum partim defectum, partim pluralitatem & diſſedia.*
2. *Ob perfidiam & proditionem, maxime Græcorum.*
3. *Ob flagitia Chriſtianorum terram S. incolentium.*
4. *Ne in ſolâ terra S. ſpem noſtram poneremus.*
5. *Ad confirmationem fidei Chriſtianæ.*
6. *Vt excitaremur ad eam recuperandam.*

THEMA.

Videns ciuitatem, fleuit ſuper illam. *Luc.* 19.

A. NEſcio penè, vti magis lachrymari debeant: Iudæi, an nos Chriſtiani, dum in hodierno Euangelio ciuitatem illam ſanctam, Ieruſalem, contemplamur. Iudæi quidem quomodo non lachrymentur, quando terram & ciuitatem illam olim ſuam & à Deo ipſo ſibi donatam, innumeriſque Dei beneficijs exornatam, nunc à longè aſpiciunt per annos 1500. & ampliùs? Chriſtiani veró quomodo non & ipſi copiam lachrymarum fundant quando etiam ipſi terram illam hæreditario iure acquiſitam, & poſtmodum tot laboribus, periculis & impenſis recuperatam, in manibus nõ ſuis ſed hoſtium ſuorum & ipſi Deo infenſiſſimorum detentam, ibidem ſacra omnia vel profanata vel contempta vident? ô terra admiranda? ô regio terribilis? Nunc demum videmus, verum de te dixiſſe exploratores illos Iſraëlitarum; quòd nimirum *terra iſta deuoret habitatores ſuos.* Quot enim millia deuorauit in circumciſorum? Quot millia Iudæorum? quot millia Chriſtianorum? ſed cur iam per annos 400. & amplius patitur immanes Chriſtianorũ hoſtes Turcas, nec ſimiliter deuorat illos? Et quid cauſæ eſſe poteſt, cur populo Dei electo, genti Chriſtianorum ſanctæ, ſancta hæc terra erepta ſit? Diuinemus & audiamus.

Hiſtoria recuperatæ & perditæ Ieroſolymæ. Noſtra Primum facta eſt Ieroſolyma (poſtquam in poteſtatem Romanorum ſub Tito redacta eſt) ſub imperio Conſtantini, poſt annum Domini 312. Et manſit noſtra vſque ad tempora Heraclij Imp. vbi à Coſrhoë Perſarum rege, anno 614. nobis erepta cum ligno S. Crucis vbi & captiui Chriſtiani Iudæis vili pretio venditi (qui nonaginta millia fuiſſe dicuntur) & ab ipſis varijs cruciati tormentis, immaniter necati ſunt. Baron. anno 614. Anno tamen 627. à Syroë Coſrhoës filio Ieroſolyma cum cruce Romano imperio reſtituta eſt. Quam tamen paulò poſt, anno ſcilicet 636. Saraceni occupârunt & retinuerunt per annos 463. vſque dum anno 1099. à Chriſtianis principibus maximâ expeditione cruce ſignatâ recepta eſt, vbi Godefridus Bullionius Dux Lotharingiæ, qui in oppugnatione primus euaſit in muros, Rex Ieroſolymitanorum renunciatus eſt. Sed quamdiu durauit hoc regnum Ieroſolymitanum? non niſi per annos 88. mox enim circa annum 1145. inclinari & res noſtræ ſenſim decidere cæperunt. Vnde Eugenius Papa vrſit principes ad ſuccurrendum; ſed parum effectum. Conradus Imp. eò duxit, ſed redijt anno 1147. amiſſo exercitu. Similiter & Ludouicus Ludouici Craſſi reg. Franc. filius. Tandem anno 1187. à Saladino Ægipti rege, ſub Guidone Luſignano Ieroſolymorum rege rurſum nobis erepta Ieroſolyma eſt, nec quidquam remãſit in Syriâ & Aſiâ Chriſtianis, præter Tyrum, Tripolim & Antiochiam. Quibus etiam cedere tandem debuerunt. Ab eo tempore multi reges & principes Chriſtiani varijs licet expeditionibus in terram ſanctam ſuſceptis, re infecta radiêre. Fridericus I. Barbaroſſa Imp. eò mouens & fæliciter exorſus, dum in Armeniâ Serram amnem refrigerandi gratia intrat, vi aquarum abſorptus eſt, anno 1190. Sequenti anno eodem expediunt, & ducunt duos exercitus Richardus Angliæ & Philippus Franciæ reges & Ptolemiadem recipiunt, ſed ob diſſidium à ſe mutuò alienati diſcedunt. Poſtmodum ex Germania, Franciâ, Italiâ

liâ aliiſque nationibus varij exercitus eò ducti non magno fructu; donec anno 1229. Fridericus II. Imp. cogente Papa, illuc inuitus profectus, Ieroſolymam quidem recuperauit pactis in decem annos inducijs, non tamen ſine ſuſpicione ſimultatis cum Saracenis. Poſtquam ita 15. annis in noſtra poteſtate fuit, tum anno 1244. rurſum nobis erepta eſt à Choraſmianis, qui ex Perſide venerant. Igitur S. Ludouicus Galliæ rex, ſacri belli conſtitutus Dux, anno 1248. cum amplo exercitu ſoluit & iam in conſpectum hoſtium venit: ſed peſtis in exercitum graſſatur, rex ab hoſtibus capitur pactâ & ſolutâ pecuniâ dimittitur: qui cum poſtea rediret ſecundâ vice, ipſe peſte ſublatus eſt, anno 1270. Tandem Elpis Suitanus Ægypti anno 1289. quidquid in Paleſthinâ Chriſtianorum erat, præter Ptolemaidē, occupat; cuius filius Melec, anno 1291. etiam Ptolemaidem capit. Atque hic finis fuit belli ſacri, cœpti anno 1096. Quæ igitur cauſæ tam infelicis ſucceſsûs, & perditæ Ieroſolymæ?

B. I. Ob Ducum defectum & diſſidia.

Erepta eſt nobis PRIMÒ: ob Ducum partim defectum, partim pluralitatem & diſſidia. Quod anima corpori, quod caput membris, hoc eſt Dux militibus. Quid enim copias quas Petrus Eremita ductabat: & reliquas, quæ Godefridum Bullionium anteceſſerant, peſſundedit, niſi quia carebant Duce: vel Ducem habebant ſolo nomine? Vnde & Heraclius Patriarcha Hieroſolymitanus, antequam Hieroſolyma à Saladino caperetur, *ad Henricum Angliæ regem profectus eidem obtulit claues vrbis ſacræ* (inquit Giraldus Cambrenſis lib. de Hibern. expugnatâ) *ſacriq́; ſepulchri Dominici cum regio vexillo martioq́; ſigno ex parte Primorum terræ Palæſtinæ, tam fratrum ſcilicet Militiæ templi, quàm Hoſpitalis nec non & totius tam cleri, quam populi vnanimi voto & acclamatione; ſupplicans in lachrymis & ad regia genua prouolutus humiliter deplorans, quatenus ad terræ ſanctæ ab hoſtibus fidei iam deſperanter afflictæ ſpecialemque patrimonij Chriſti Ieſu ſubuentionem miſericorditer moueretur.* Cui cùm rex pecuniam copioſam promitteret, ſeipſum autem in Palæſtinam proficiſci poſſe negaret: reſpondit Patriarcha: *Nil agis ò rex, huic ſtare conſilio ſi perſtiteris: quoniam in hunc modum nec te ſaluabis, nec Chriſti patrimonium conſeruabis: principem enim quærere venimus, non pecuniam; Qualibet ferè mūdi pars nobis pecuniam mittit; nulla principem. Virum igitur appetimus, qui pecuniâ indigeat; non pecuniam, quæ Viro.* Cumque rex non flecteretur, rogauit vt vel vnum filiorum ſuorum mitteret. Quod cùm itidem facere nollet, licet minimus eius filius, Ioannes, id omnibus votis optaret; comminatorio ſimul & prophetico ſpiritu prædixit ei regni & gloriæ ſuæ imminutionem: quæ & conſecuta eſt. Ab eo enim tempore res Henrici collabi retroque referri cœperunt vſque ad ſupremum vitæ diem, vt oſtendit Giraldus dicto loco.

Quantum item profecturi exercitûs obſit diuerſitas Ducum, patuit in obſidione & expugnatione Acconis ſeu Ptolemaidis. Obſidebant vrbem illam tum alij, tum duo potentiſſimi Francorum & Anglorum reges, Philippus & Richardus: ſed quia neuter alterius vel tertij alicuius imperio ſubijci volebat, non ſemel natis diſſentionibus, res in apertum diſcrimen deuenit: & captâ ciuitate, vix amplius operæ pretium aliquod factum: alienatis à ſe mutuò regum animis.

Denique diſſidia noſtrorum, dum alius alteri regnum Ieroſolymitanum inuidit & coronæ impedimenta poſuit, viam aperuerunt Saladino & reliquis Saracenis ad noſtrorum internecionem. Nimirum vti Tyrrheus lapis quamuis grandis innatat, comminutus ſubſidit, Plinio teſte *l. 36. cap. 17.* Ita concordiâ retenta fuit terra ſancta, diſcordiâ peſſum ijt. Vnde verificata tunc eſt fabula de leone & vrſo pro hinnulo certantibus. Dum enim eos in litigio viribus defectos cerneret vulpes, prædam ipſa diripuit ſpectantibus prædonibus, ſed iam impedire non valentibus.

C. II. Ob perfidiam & proditionem, Græcorum maximè.

SECVNDÒ, ob perfidiam & proditionem, Græcorum præſertim eorumque Imperatorum, Alexij Comneni Manuelis & aliorum; qui in noſtros trans Boſphorum iam progreſſos; ſæpiùs Turcas & literis & promiſſis & præmijs inflammârunt atque extimulârunt, de itinere & aduentu noſtrorum ſolicitè admonuerunt, noſtriſque eos viæ Duces attribuerunt, qui non tam ducerent quàm ſeducerent, & copias cruce ſignatas per inuia, arida & æſtuoſa loca conſultò deducerent atque in extrema pericula conijcerent, conicctaſque ſub cultro relinquerent, à fame, ſiti, Turcarumque acinacibus conſumendos, niſi ſi quos fuga ſeruaſſet. Adhæc Imperatores Græciæ ſæpè noſtris commeatum vel negârunt vel interuerterunt vel adulterârunt, auxilia interceperunt, hoſtes adiuuerunt, noſtrorum partim potentiam timentes, partim gloriæ inuidentes. Id perſpicuè cernere licet in expeditione Longobardorum & aliorum Italorum. Et in eâ quæ hanc inſecuta eſt. Guelfi Ducis Bauariæ & Thiemonis Archiepiſcopi Salisburgenſis: & in aliâ eaque celeberrima Conradi Imp. & Ludouici regis Francorum. In quâ expeditione Emmanuel Imp. Græcus Conrado Imp. Roman. commeatum pollicitus, gypſum admiſcuit, vnde innumeri mortui, & ipſe obſidionem Iconij ſoluere coactus fuit. Vt in ſupplem. Chron. ſcribit Philippus Bergomas. Hac tamen ſuâ perfidiâ nil aliud effecerunt Græci, quàm quòd ſerpentem in ſinu fouerent, & proprio lacte lupum educarent, qui robur adeptus, nutricem ſuam deuoraret. Capta ſiquidem tandem Conſtantinopolis & Græcia à Mahometanis eſt: ipſi verò ſubiugati & deleti ſunt. Sic 1. *Reg.* 15. præcepit Deus Saûli vt deleret Amalecitas vſque àd internecionem omnes; quia olim reſtiterant filijs Iſraël & ipſis ad terram ſanctam

Digitized by Google

etiam peregrinantibus; & primi eos oppugnârunt, *Exod.* 17.

Acceſſere etiam proditores inteſtini. Scribunt enim plerique, cladem illam fatalem, quâ crux Chriſti cum Guidone rege à Saladino capta eſt, in acceptis ferendam proditioni Comitis Tripolitani. Sunt etiam qui affirment, S. Ludouicum Franciæ regem in Ægypto, proditione Templariorum à Saracenis fuiſſe captum? quare meritò & ipſi Templarij non multò pòſt extincti ſunt.

Sed cur hæc talia Deus non impediuit? Nouit ipſe, qui ſolus omnia nouit. Sed quantum poſſumus etiam huius permiſſionis cauſas indagemus.

D. III. Ob flagitia Chriſtianorum terram S. incolentium.

Tertiò. Itaque contigit hæc clades Chriſtianis ob flagitia & ſcelera, quæ committebantur ab incolis terræ ſanctæ. *Erant iam in Hieruſalem, & regno eius*, inquit Neubrigenſis lib. 3. *non vt olim viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt, ſed ex omni gente Chriſtianâ facinoroſi, luxurioſi, ebrioſi, mimi, hiſtriones, hoc genus omne in terram ſanctam tanquam in ſentinam quandam confluxerat, eamq; obſcænis moribus & actibus inquinabat. Teſtatur inter alios Vitriacus in hiſtoriâ ſuâ Orientali, tanquam teſtis oculatus, apud Chriſtianos transmarinos ſupra modum inualuiſſe peccata & publicè & priuatim: quorum fœditate Deus irritatus deleuit indigenas illos à facie terræ, ita vt impletum fuerit*, (ait Neubrigenſis) *illud Ieremiæ. Imò Dominicum per os eius: Eijce illos à facie meâ & egrediantur; qui ad mortem, ad mortem; qui ad gladium, ad gladium; qui ad captiuitatem, ad captiuitatem.* Nuſquam enim Deus minùs tolerat peccata, quàm in terrâ ſanctâ: vnde eam terram *ſuam* vocat *Deut.* 29. à quâ inter alias maledictiones, eiecturum ſe minatur per Moyſen incolas in terram alienam, niſi ſedulo cuſtodierint pactum & mandata eius. Idque contigit ſæpiùs Iudæis, vt ob ſua ſcelera nunc in manus Madianitarum, nunc Moabitarum, nunc Philiſthinorum, nunc Syrorum, nunc Ægyptiorum, nunc Chaldæorum, nunc Græcorum, nunc Romanorum ſimul cum terrâ ſanctâ traditi ſint. Et hinc etiam leones immiſſi erant inhabitatores terræ ſanctæ indignos & Deum non timentes, eò collocatos, 4. *Reg.* 17.

Tametſi verò etiam gentiles in terra ſancta plurima perpetrant flagitia, facilius tamen ea tolerat Deus, quàm Chriſtianorum ibi delinquentium: ſicut olim Chaldæos induxit in Palæſtinam, Iudæos verò inde eiecit & tranſtulit in Babylonem; quia vt olim erant Iudæi, ita nunc Chriſtiani, populus Dei peculiares ſunt, fidei dono & innumeris gratiæ muneribus exornatus, imò in filij & peculij locum adoptatus, qui Deum cùm cognouiſſent, ibi tamen non glorificabant, ſed potiùs irritabant. Gentiles verò nec agnoſcunt Chriſtum, nec tot beneficijs à Deo cumulati ſunt. Minùs verò indecens eſſe, ſi ſceleribus offendatur Deus ab ijs, à quibus nec agnoſcitur, nec colitur, quàm ab ijs quos ſibi ex cunctis nationibus in peculiarem populum elegit: quis non videt? De Iudæis ait Apoſtolus 1. Cor. 2. *Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* At Chriſtiani offendunt quem agnoſcunt pro Deo ſuo. Vnde ſicut magis fœtent excrementa hominum, quàm pecorum: ſic peccata Chriſtianorum, quàm infidelium coram Deo. Quòd ſi Iudæos nondum peracto in terris beneficio redemptionis, delinquentes; & rurſum admiſsâ in Chriſtum cæde, quem non cognouêrunt; irreuocabiliter inde exturbauit: quanto minùs tolerare debebat Chriſtianos, qui conſummatis iam omnibus in terrâ illâ myſterijs, flagitioſè vixerunt? Meritò enim Chriſtus dicere Chriſtianis illis potuiſſet, quod Scipio Africanus patriæ ſuæ, Romæ. Hic enim cùm hoſtes Romanorum repreſſiſſet & occidiſſet innumeros, Romamque Carthaginis dominam feciſſet; poſteà ab Actæo tribuno iniquè accuſatus conniuente populo, & beneficia iniurijs penſante, in voluntarium conceſſit exilium, ibique moriens mandauit vxori, ne Romam transferri oſſa ſua pateretur, dicens: *Ingrata patria, non habebis oſſa mea.* Valer. Max. lib. 5. c. 3. ait voluiſſe vt ſepulchro eius inſcriberetur: *Ingrata patria, ne oſſa quidem mea habes.* Potuiſſet inquam, hoc vel ſimile quid Chriſtus dicere ſuo populo: nimirum, ingrate popule ne patriam quidem aut ſepulchrum meum habebis. Sanè ſi beſtiæ ingreſſæ hortum principis, eum vaſtent & peſſundent, minùs illis iraſcitur princeps, quàm ſi famuli id facerent; hi enim ratione vtuntur, illæ verò minimè. Pari modo Deus maluit tolerare in horto terræ ſanctæ gentiles, quàm Chriſtianos eum devaſtantes; hi enim agnoſcunt Chriſtum, illi non agnoſcunt.

E. IV. Non in ſola terra ſancta ſpē noſtram poneremus.

Qvartò. Ne præcisè in loco ſancto ſpem noſtram poneremus. Sic enim etiam ad Iudæos locutus eſt Deus per Ieremiam c. 17. dicens: *Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra: & habitabo vobiſcum in loco iſto. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt*; quaſi dicant: ideò nihil mali accidet nobis. Sed quemadmodum templum illud non ſaluauit improbos Iudæos, imò euerſum eſt ita & Ieroſolyma. Ac licet ea in manibus noſtris eſſet, ſi tamen ipſi mali eſſemus, quid nobis illa prodeſſet? nunc autem potiùs ad cæleſtem Ieruſalem, vbi Chriſtus eſt, ſuſpirare monemur. Quanquam etiam vbiuis terrarum Chriſtum inuenire poſſumus, in Euchariſtiâ videlicet. Vnde nobis Chriſtianis, omnis terra Ieroſolyma eſſe debet. Prædixit hoc Dominus, quando Ioan. 4. Samaritanæ reſpondit: *Mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc* (Garizim) *neque in Ieroſolymis adorabitis patrem, ſed in omni loco*, &c. Quibus verbis *dilatat Dominus*, inquit S. Baſilius lib. 2. de Baptiſm. cap. 8. *& deducit adorationem Dei ab arcto Ieroſolymæ ambitu in omnem totius orbis locum.* Terra illa ſancta dicta fuit, quòd ſanctus ſanctorum in illâ corporaliter præſens futurus erat. Modò autem in toto Chriſtianorum

norum orbe Chriſtus corporaliter adeſt, & adorari poteſt; non eſt igitur neceſſe Ieroſolymam adire vel poſſidere: omnis Chriſtianorum terra, ſancta eſt.

G. VI. Ad confirmationem fidei Christianæ. QVINTÒ. Ad fidei Chriſtianæ confirmationem. Maius enim miraculum, conſeruari loca ſancta, in quibus Chriſtus aliquid egit vel paſſus eſt, adhuc ſarta tecta inter Barbaros & Chriſtianorum truculentiſſimos hoſtes; quàm ſi inter Chriſtianos ſeruarentur. Quis enim non miretur & in fide ædificetur. Quando audit adhuc omnia loca illa ſalua extare & peregrinis monſtrari ab ipſis Mahometanis, per annos 400. & vltra? Videmus certè adimpletam Eſaiæ prophetiam cap. 11. dicentis: *Erit ſepulchrum eius glorioſum.* Eſt enim glorioſum à primo ſepulti Domini, vſque in hodiernum diem, etiam inter ipſos Chriſti hoſtes. Quod ipſum quoque ſpem nobis facit, redditurum aliquando Deum Chriſtianis terram illam, quam tam ſedulò cuſtodit.

H. VII. Vt excitaremur ad eam recuperandam. SEXTÒ. Vt excitaremur ad terram illam recuperandam. Res enim ablatæ magis appetuntur, quàm amentur habitæ. Typus eſt ſancta illa vrbs Ieroſolymæ cœleſtis, quæ vim patitur & non niſi à violentis rapitur. Quamdiu pugnare & quoties debuerunt Iudæi pro terrâ illâ? quoties & quamdiu poſteà Chriſtiani? quid ni ergò pugnemus & nos? Nec verò irrecuperabilis eſt, ſi modò vires coniungere & domeſticam quietem huic ſacro bello poſtponere vellemus. Enituit ſanè in hoc virtus Crucigerorum, & omnium, qui pro recuperandâ terrâ ſanctâ, relictâ patriâ, liberis, vxoribus & poſthabitis alijs commoditatibus ſacræ militiæ nomen dederunt: qui omnes, ſi non terreſtrem occupârunt Ieroſolymam, cœleſtem adepti ſunt: vt taceam præclara patientiæ aliarumque heroicarum virtutum exempla in expeditionibus illis deſignata. Quemadmodum ergò Lacedemonij ſemper hoſtem aliquem ſupereſſe voluerunt, vt in eo virtutem exercere poſſent: ita & credibile eſt, Deum voluiſſe ad tempus detineri Ieroſolymam in manibus Turcarum, vt ad eius recuperationem animemur, & per hoc ſi non ipſam, martyrij cuiuſdam coronam ſaltem conſequamur. *Suo tempore proculdubio*, inquit Guil. Neubrigenſis, *iuxta morem priſcum terra ſancta ſpurciſſimos euomet incolas & fortè per parciorem manum Chriſtianam, vt virtus diuina in negotio clariùs eluceſcat.* Hoc fine eiecit Deus Adam è paradiſo, & (vt Septuaginta addunt) *habitare fecit contra paradiſum voluptatis*, vt eius aſpectu incitaretur ad deſiderium recuperandi illum. *Gen.* 3. Habent etiam Chriſtiani occaſionem exercendi virtutem & Zelum amoris Chriſti ac religionis, qui contemptis in hoſtili terrâ periculis non dubitant peregrinari ad ſepulchrum Domini; qui ſanè actus heroicus eſt & à multis ſanctis deſignatus.

Ad extremum tota hæc res conſilio Dei altiſſimo & voluntati adſcribenda eſt, vti monuit angelus Eſdram mirantem & interrogantem, quamobrem Deus terram promiſſionis Babylonijs tradidiſſet, *lib.* 4. *Eſdra* (tametſi non canonico) *cap.* 3. *&* 4. Dicamus ergò, quod Heli dixit: *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* Deinde placeamus Deum lachrymis & precibus, vt eandem aliquando terram nobis reſtituere dignetur. Denique præ omnibus illud cogitemus, ne cœleſtem Ieroſolymam culpâ noſtrâ perdamus; & ſi fortè perdidimus, quomodo recuperemus per ſeriam pœnitentiam.

CONCIO VII.

Variæ iniuriæ Eccleſijs illatæ vt punitæ ſint.

Prima iniuria eſt Eccleſiarum euerſio, ob quam regno exutus eſt Nabuchodonoſor. Dan. 4.
2. *Earum ſpoliatio, propter quam Heliodorus flagellis cæſus*, 2. Machab. 3.
3. *Sacrorum abuſio, quæ in varijs punita.*
4. *Eccleſiarum pollutio & fœdatio punita in Heli* 1. Reg. 2.
5. *Reorum abſtractio.*
6. *Iuriſdictionis occupatio.*
7. *Eccleſiarum per tributa, &c. grauatio.*
8. *His adduntur aliæ iniuriæ, nempè neglectus diuini cultus, fuga templorum, aditus ſine fructu, & peccata in ijs patrata.*

THEMA.

Ingreſſus in templum cœpit eijcere vendentes in illo, Luc. 19.

MIrum quid videre eſt in hodierno Euangelio, iram Chriſti inſolitam mitiſſimi alioquin agni; ſiquidem in perſonâ propriâ caſtigauit peccatores in templo deprehenſos. Certè ſi videremus Principem per ſemetipſum caſtigare aliquem reum, omnes miraremur, & vehementiſſimè iratum diceremus, peccatum quoque delinquentis grauiſſimum. Nónne igitur mirandum, quòd ipſe Chriſtus Dominus fecerit flagellum, & eiecerit è templo mercatores? Nimirum grauiſſimum ſcelus eſt ſacrilegium & iniuria quæcunque, quæ infertur ſacris ædibus; ita vt eius punitio vix vnquam differatur, ſed vt plurimùm repentè & miraculoſè à Deo peragatur. Itaque quod ibi cœpit facere Deus, id poſteà continuauit innumeris editis exemplis: vt videbimus. A.

B. I. Eccleſiarũ euerſio. PRIMA. Iniuria eſt Eccleſiarum euerſio. Quâ in re deliquit grauiter Nabuchodonoſor, qui templum Ieroſolymitanum tot impenſis ædificatum vaſtauit, ideoque regno exutus beſtiæ ſimilis factus eſt, Daniel. 4. Refert Card. Baron. anno Domini 951. cùm Amalaphus Tyrannus in Anglia, Eccleſiam S. Waltheri aggrederetur incendio tradere, mox

Numine vindice, repentinâ morte percuſſum. De quodam Britanno narrat Surius, eum S. Macloui Eccleſiam demoliri aggreſſum, oculis captum eſſe, nec priùs lucem oculis aſpexiſſe, quàm anno ſceleris ſui improbitatem vidiſſet. Chaianus Auarum rex, quòd S. Alexandri martyris Eccleſiam incenderat, peſte inguinaria magnam exercitûs partem amiſit, vnoque die ſeptem filijs ſuis eâdem luce abſumptis priuatus eſt. *Baron. Anno Chriſti.600.*

C. II. Eccleſiarum ſpoliatio.

SECVNDA, Eccleſiarum ſpoliatio. Exemplo eſt Heliodorus 2. *Machab.* 3. qui dum ſpoliaret Eccleſiam, apparuit ei Eques terribilis, cuius equus calces ei priores illiſit, & duo iuuenes ſpecioſi flagellis eum continuò cædentes; itaque è templo eiectus eſt nullo ſibi auxilium ferente. Qui cùm poſtea à rege ſuo interrogaretur, quis eſſet aptus adhuc Ieroſolymam mitti, reſpondit: *Si quem habes hoſtem aut regni tui inſidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, ſi tamen euaſerit; eo quod in loco illo ſit verè Dei quædam virtus: nam ipſe qui habet in cœlis habitationem, viſitator & adiutor eſt loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit & perdit.* Clotharius (apud Baron. anno Dom. 527.) cùm res Eccleſiæ Veromandenſis prædatus eſſet, eâ diuinâ vltione admonitus eſt, cum toto triduo equi, vehicula, plauſtra & alia quibus præda illa vehebatur, inde moueri non potuerunt: quo miraculo conterriti, accurrunt ad S. Medardum, omnia vſurpata reſtituunt, & abſoluuntur. Rurſum anno Dom. 843. cùm Carolus Caluus, Franc. Rex, bona Eccleſiæ & villas S. Remigij occupans inter ſuos diuideret; & vxor eius Berta in villâ Iuliacâ, quam è bonis illis Richino Comiti dederat, & noctu cubaret, viſus eſt vxori S. Remigius noctu, dicens: *Non eſt iſte locus tuus ad iacendum, alterius meriti & officij eſſe debet, qui hanc villam habere & in hoc cubiculo iacere debet: ſurge quantocyus, & hinc abſcede.* Quod illa parui pendens, putans ſe viſum inanem vidiſſe, admonita eſt iterum, & tertiò à Sancto virgâ percuſſa fuit, vt toto corpore intumeſceret; vnde per aliquot dies ſeueriſſimè cruciata obijt. Addit ibid. Hincmarus, cùm quidam de bonis Eccleſiæ Rhemenſis locum emiſſet, indeque famulos S. Remigij cum flagellis eieciſſet; inclamantibus verò eis S. Remigium, & emptore eos irridente, inter verba cum maximo clamore ingemuit, & incredibiliter inflando intumuit, ſicque medius crepuit & mortuus eſt. Idem anno Dom. 760. refert de Pipino Franc. Rege, cùm villam Eccleſiæ Laudunenſis à perſoluendo annuo cenſu vindicare vellet, & ibidem dormiret; veniſſe ad eum S. Remigium dicentem: *Tu quid hic facis? quare intraſti in hanc villam, quam mihi te deuotior homo dedit: quamq́; ego Eccleſiæ Dominæ meæ S. Dei Genitrici donaui?* & flagellauit eum ſatis duriter, vt liuores poſteà in corpore eius apparerent. Quo diſparente Pipinus validâ correptus febre quantocyus à villa receſſit, *nec deinceps Princeps Regni vſque ad moderna tempora ibi manſit;* ait Hincmarus Rhemenſis ibid. Et Pipinus nedũ talia impoſterum attentauit, ſed etiam attentantes perſecutus eſt, ſicuti Vaifarium Ducem Aquitaniæ propterea occidit, vt ibid. refertur apud Baron. ex Aimonio. Ditmarus apud Baron. anno 1011. de ſacrilego quodam milite ſcribit; quòd cùm bona S. Clemẽtis vi ſuſtuliſſet, & inde tectum facere voluiſſet, quâdam die à muribus ineffabilibus intra cubiculum impugnatus fuerit. Qui primò fuſte arrepto eos prohibere tentans, poſteaque euaginato eos aggreſſus gladio; & ſic nihil proficiens, arcâ quadam (vt ipſe rogauit) includitur, ac in medium fune ſuſpenditur: & cùm exteriùs hæc plaga ceſſaret, ab alijs vſque ad mortem corroſus inuenitur. Tunc cunctis præſentibus, & poſteà venientibus manifeſtum fit, quòd hunc ira Domini, vindex prædicti facinoris, ſola conſumpſit. Hæc totidem verbis Ditmarus. In vita S. Vdalrici narratur, ſpoliatores rerum D. Virgini Auguſtanæ ſacrarum, alium proprias manus lacerãtem perdito ſenſu expiraſſe; alium ab equo percuſſum, extinctum; Arnolphum Comitem in obſidione Ratisbonenſi occiſum. De quinque militibus Chramni filij Frãcorum regis Lotharij ſcribit Greg. Turon. *de gloria Martyr. cap 66.* cùm oratorium Iciacenſe expilaſſent, quatuor ex eis mox in ſeditione obtruncatos eſſe, quintum autem; qui totam prædam domum attulerat, excæcatum, vouiſſe ſe omnia reſtituturum, ſi videret; vidiſſe, & reſtituiſſe. Vraca Alphonſi Septimi Caſtiliæ Regis mater, poſtquam contra filium bellaſſet nec haberet quo milites ſolueret, iuſſit à monaſterio monialiũ aliquo auferri pretioſa donaria, quæ ipſius Anteceſſores illi donauerant. Quæ cùm nemo auderet attrectare, ipſamet ingreſſa, ea abſtulit, ſed ad fores monaſterij diuinitus icta interijt. Anno. 1527. Dux Borbonius obſidens Romam, inhianſque prædæ ſacræ ſupellectilis ad mœnia vrbis, cùm admotis ſcalis aſcenderet, globo traiectus occubuit, & ex 40. millibus qui ei adhęſerãt, non ſuperfuerunt centum intra biennium ſed omnes violentâ morte extincti ſunt. Teſte Belleforetio, *In Franciſco I.* Sanius barbarus ille, Alaricus Gothorum Rex, quem Oroſius *l. 7. cap. 39.* refert, cùm Romam occupaſſet, quantumuis irâ percitum iuſſiſſe, vt incolumes relinquerentur omnes qui ad Eccleſias confugiſſent: nec non vt vaſa ſacra apud Virginem Deo ſacram reperta, reportarentur ad Eccleſiam, cuius erant. Quare optime Philippus Galliæ Rex dicebat, *magis decere Principes, augere bona Eccleſiarum, quam auferre.* Ferdinandus ſanctus & alter Catholicus Hiſpaniæ Reges dicebant, *malle ſe Eccleſiarum orationibus, quam bonis adiuuari.* Certè in ſextâ Synodo Roman. ſub Simmacho Papa decretum fuit vt occupantes bona Eccleſiæ, ſeu mobilia ſeu immobilia, niſi ea reſtituerint, velut hæretici manifeſti anathematizentur, nec niſi per ſatisfactionem ad communionem recipiantur, Baron. Anno 504.

D. III. Sacrorum abuſio.

TERTIA. Sacrorum abuſio. In literis Iaponenſibus narratur apud Ioan. Hayo. de rebus Iapon. Ethnicum quendam cui Rex Bungenſis aſſignarat aream, in qua prius Eccleſia fuerat, cùm vellet ibi ædificare, monitum eſſe à quibuſdam, videret quid ageret, ſtetiſſe ibi Eccleſiam. Sed ille nihilominus ſpreto conſilio domum ſibi excitauit. At vbi eam incolere cœpit, breuiſſimo tempore quinque homines in eâ deceſſerunt. Quo euentu perterrefactus aliò commigrauit; ſed paulò poſt ne à Gentilibus ab omni deiectionem ludibrio haberetur, iterum in eam repedauit: & paucis pòſt diebus ortâ quadam contentione filius eius iugulatus eſt. Sic malo ſuo ſapientior factus domum prorſus deſeruit. Cui alius gentilis, volens experiri fortunam, ſuccedens intra paucos dies leprâ percuſſus eſt. Quare deinceps vacua omninò remanſit. Nullumque inuenit amplius habitatorem. Refert Gregorius Turonenſis Archiepiſcopus, cuidam Comiti in Britannia è pedibus laboranti à quodam conſultum fuiſſe, vt ſi ſanari vellet, in vaſe quod in Miſsâ vſurpari ſolet, pedes lauaret. Ergò allatâ patinâ argenteâ pedes in ea lauit, & tanto pedum dolore correptus eſt, vt exinde ſemper claudicare cogeretur. Pinellus de miſſa refert lib. 2. c. 2. Leo Imperator Græcorum Copronymi filius, cùm inſaniret circa lapides pretioſos, nimis adamauit coronam magnæ Eccleſiæ, & accipiens portauit eam. Tunc exierunt carbunculi in capite eius & correptus valida febre mortuus eſt: Refert Card. Baron. anno D. 780. Baltaſar Rex dum abutitur ſacris vaſis ad conuiuium, videt ſibi in pariete ſcribi. *Mane, tecel, phares*, & colliduntur præ timore genua eius, *Dan.* 5. Iuliani Apoſtatæ Ærarij præfectus, nomine Fælix, qui complura vaſa ſacra, quæ Conſtantius Imp. Eccleſiæ Antiochenæ donauerat, rapuit & in fiſcum redegit, inſultanſque exclamauit: *En quibus vaſis miniſtratur filio Mariæ!* ſubitò correptus ſibi-ipſi linguam dentibus abſcidit, & medius crepuit. Eiuſdem Iuliani auunculus nomine Iulianus cùm Antiochiæ ſacra vaſa auferret & profanaret tetro vlcere percuſſus, ſeu, vt alij volunt, alapâ à S. Terentio qui ibidem Archiepiſcopus fuerat, percuſſus & internis mox afflictus doloribus inteſtina per os expuit. Hæc & his ſimilia referunt S. Chryſoſtomus *orat. contra gentes*, Sozom. *l.* 5. *c.* 7. Theodoret. l. 2. c. 11. & 12. Nicephor. *l.* 10. *c.* 20.

E. IV. Eccleſiarum pollutio & fœdatio.

QVARTA, Eccleſiarum pollutio & fœdatio, Heli, eò quòd filij eius iacerent cum mulieribus, quæ habitabant ad templi portam, punitus eſt filiorum & arcæ & vitæ & ſacerdotij amiſſione, 1. Reg. 2. *Honoraſti filios tuos pluſquàm me*, ait Dominus: id eſt pluſquam locum mihi ſacratum, Legimus in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ apud Theodoret. l. 3. c. 11. & 12. Caſſiodor. l. 6. tripart. cap. 32. Iulianum præfectum impudenter contra altare minxiſſe, ſtatimque ſæuo morbo correptum, viſceribus putrefactis interiiſſe. Simile quid aut peius euenit Antiocho, 1. Machab. 9. qui templis vtebatur ad ſtabulandos equos; in morte enim ſuo ſe ore condemnans & vermibus ſcaturiens toto corpore percuſſus perijt, 2. *Mach.* 9. Sub Clemente VII. cùm Ducis Borbonij miles Romam hoſtiliter ingrederetur, & loca ſacra profanaret, nec perſonis ſacris parceret, Borbonius & tres alij eius præcipuè duces Dorbinius, Moncata & Aurantius, quemadmodum Iouius refert Eulog. 84. globis traiecti perierunt. Surius anno D. 1527. Princeps quidam Saracenorum cùm ſuper altare reluctantem opprimere virginem conaretur, repentè trabs è tecto delapſa diuinitus (quòd perpendiculo longè ab eo diſtaret) hominem obtriuit; virgini nihil nocuit: Herempertus in rebus geſtis Longobard. apud Baron. anno 874.

F. V. Reorum abſtractio.

QVINTA, Reorum abſtractio. De Chramno Filio Lotharij Franc. Regis perditiſſimo ſcribit Greg. Turon. *l.* 4. *c.* 18. apud Baron. anno D. 556. cùm is Auſtrapium Ducem ad Eccleſiam S. Martini dilapſum obſideret vt ne illi quidquam ac ne aqua quidem præberetur, quò neceſſitate compelleretur egredi; eidem ſemiuiuo quendam attuliſſe aquæ vaſculum: quem intercipiens cuſtos quidam aquam in terram effudit. Sed is eâ ipsâ die correptus à febre, nocte media expirauit. Poſt quod miraculum omnes ei opulentiſſimè neceſſaria ſuppeditârunt. Vide hominis perditiſſimi reuerentiam erga Eccleſiam. Maſcezil cùm quoſdam ad Eccleſiam confugientes inde extraheret, iis ſuperſtitibus & inſultantibus quos ab Eccleſia extraxerat, poſt aliquod tempus ſolus ipſe punitus & occiſus eſt, qui ſanctorum precibus adiutus victor fuit Baron. anno D. 398. Sanè Honorius Imp. ſanciuit: *Fideli ac deuota præceptione ſancimus, nemini licere ad ſacras Eccleſias confugientes abducere, ſub hac videlicet definitione, vt ſi quiſquam contra hanc legem venire tentauerit, ſciat ſe maieſtatis crimine retinendum*; apud Greg. *l. epiſt.* 54. apud Baron. anno D. 407.

S. Ambroſius defendit Creſconium, ne in Eccleſia comprehenderetur à lictoribus: quod cùm non obtinuiſſet, abſtractores feræ in theatro laniârunt, quæ in abſtractum immiſſæ fuerant. Eutropius Arcadij Eunuchus omnium colluuie facinorum infamis cùm ab Imperatore legem extorſiſſet, quâ immunitas omnis abrogaretur liceretque etiam ad aras confugientes abſtrahere, ipſe Imperatoris poſteà declinans iram, ab arâ ad quam confugerat abſtractus, tametſi à S. Chryſoſtomo defenſus, vitâ vix donatus, relegatus eſt: poſtmodum, procurante Chryſoſtomo, iniqua lex obrogata eſt. Baron. Anno 399. Aſpar & Ardaburius repoſcentes Ioannem quendam qui fugerat ad monaſterium S. Marcelli, miſerunt milites qui per vim eum extraherent; ſed orante S. Marcello fulgura in milites miſſa eos repreſſerunt vt Crudelis Ardaburius Ioanni pepercerit

cerit & mores mutarit: Vt in vitâ S. Marcelli.

G. VI. Iuriſdictionis occupatio. SEXTA, Iuriſdictionis occupatio. De hac Ambroſ. ſerm. ad populum, apud Baron. anno Dom. 387. ait de ſe: *Mandatur denique: Trade Baſilicam. Reſpondeo, non mihi fas eſt tradere, nec tibi accipere Imperator expedit. Domũ priuati nullo potes iure temerare: domum Dei exiſtimas auferẽdam? Allegatur: Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa. Reſpondeo. Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt; quæ Dei, Deo: quæ Cæſaris, Cæſari; ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ, publicorum tibi mœnium ius conceſſum eſt, non ſacrorum.* Hęc Ambr. Sanè tunc vniuerſus populus Mediolanenſis Ambroſio potiùs, quàm Imperatori, cum ſuorũ capitum ingenti periculo, pro Eccleſiæ libertate ſtudebant ardentiſſimè, & ipſi mercatores lucri cupidiſſimi alioqui, pro Ambroſio aduerſus Imperatorem omnia contempſerant. Quin etiam milites ipſi qui ad expugnandam Baſilicam acceſſerant, momento temporis conuerſi in defenſores fuerunt: *& qui venerant fundere in Eccleſia ſanguinem, mutati vnà fuderunt cum Catholicis ad Deum preces.* Hæc ibi apud Baron.

H. VII. Eccleſiarum per tributa, &c. grauatio. SEPTIMA, Eccleſiarum per tributa & alia onera grauatio. Huic inter alios S. Ambroſius ſtrenuè ſemper reſtitit apud Card. Baron. anno D. 387. *Si enim ex Domini ſententiâ, Matt. 17. à filiis Reges tributum non exigunt, quos ſubditos habent, multò minus ab iis quos ſibi ſuperiores agnoſcunt, abſque notâ criminis inuaſæ tyrannidis, ſub quorum curâ Principes omnes intelligant ſe ſub paſtoribus eſſe oues, longeq́; impar eſſe à paſtoribus oues lac & lanam exigere, cum potiùs iſta illa teneantur paſtoribus exhibere. Si præteritarum rerum memoriam repetas in his quæ ad tributorum exactionem pertinent, id primùm à Gentilibus Imperatoribus Eccleſia paſſa eſt: deinde ab Imperatore Apoſtata, poſteà ab Ariano principe Valente in Oriente. De aliis non legimus, ſub Valentiniano puero Iuſtina Ariana tentauit. Catholici principes in ditandis Eccleſiis munificentiſſimi fuerunt, qui ſi aliquando neceſſitate ingruentium bellorum preſſi, indiguerunt accipere ab Eccleſiis; id perquam ſubmiſſo animo à totius Chriſtianæ religionis Antiſtite Romano Pontifice expetere conſueuerunt, & ab illo paternæ charitatis affectu pro facultate præſtantur. Obiicientibus quòd per eleemoſynas in pauperes eorum defenſionem requirerent, non negat, ſed & ambire confitetur: habeo defenſorem, ſed in orationibus pauperum,* &c. Ita ferè Baron. anno cit.

Sed cur tolerat interdum eiuſmodi vaſtatores Deus? Hoc ſanè queritur Dauid Pſ. 73. *Incenderunt igni ſanctuarium tuum, polluerunt tabernaculum nominis tui &c. Vſquequò Deus improperabit inimicus?* &c. Tædebat Eliam vitæ ſuæ, quod videret aras Dei dirutas 3. Reg. 19. ſed nimirum propter peccata populi aliquando Eccleſijs non parcit Deus. Sic ob peccata filiorum Heli & patris indulgentiam capta fuit arca, 1. *Reg.* 2. & 4. Similiter de templo Salomonis dicit Deus 3. Reg. 9. *Si auerſione auerſi fueritis, templum abiiciam à conſpectu meo*, &c.

Item cùm pſeudoprophetæ dicerent nunquam venturum in poteſtatem Chaldæorum templum, iubet Dominus Ieremiæ cap. 7. monere populum, ne templo ſanctiſſimo fidat, etſi ſæpe dixerit, *templum Domini*, &c. niſi enim reſipuerit, neque templo parcendum. Ita 2. *Mach.* 5. templi deſpicientia peccatis hominum tribuitur.

OCTAVÒ, Hoc referri poſſunt iniuriæ aliæ: I. VIII. Iniuriæ aliæ templis illatæ.
Vti Primò neglectio cultus Eccleſiarum; de qua audi Aggæum c. 1. *Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: & intuliſtis in domum, & exſufflaui illud: quã ob cauſam, dicit Dominus exercituum: quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam. Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum,* &c. 1. Neglectus diuini cultus.

Secundò, Fuga templorum, quaſi illa non pro hominibus ſed pro hirundinum nidis ædificata eſſent. Quanquàm hæc iniuria frequenter ex priori naſcitur. Quis enim afficiatur erga templa illa, quæ ſtabulis, quàm templis ſimiliora ſunt? Refert Bredenbachius de muliere hæreticâ, quæ Noueſij multis annis ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinuerat, impio loco obtendens, vereri ſe, ne aliquando collapſo templo opprimatur. Ea demum templum aliquod, cùm ob certas dirueretur cauſas, gratulabunda eſt ingreſſa, quòd in patria videret Eccleſię demolitionem. Verùm ſacrilegam hanc gratulationem vltio diuina mox interrupit. Columna enim ſubito lapſu miſeram mox obtriuit. 2. Fuga templorum.

Tertiò, Aditus templorum nullo fructu: cùm videlicet ibi non oratur, ſed dormitur: non attenditur ad concionem, ſed ad alia externa: cùm non participantur ſacramenta. Qui ſic frequentant templa, ſimiles ſunt iis, qui balneum ingrediuntur, ſed ibi ſe non lauant. 3. Aditus inutilis.

Quartò, Peccata in templis perpetrata. De quo queritur Deus, Ierem. 11. *Quid eſt, quòd dilectus meus in domo meâ facit ſcelera multa? Nũquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas?* ſi alienus hæc faceret, ſi toris, ſi leuia peccata, vel vnum tantùm ſcelus: tolerari vtcunque poſſet. Sed quid eſt, quòd Chriſtianus *in domo* Dei *facit ſcelera multa?* nunquid ſacrificium Miſſæ, aut preces ſacerdotum, tollent ea ſcelera? Et certè ſi eiecit è templo Chriſtus eos, qui emebant & vendebant in templo, quæ ad ſacrificium ſpectabant: quid facturum fuiſſe putamus, ſi inueniſſet ibi oculos impudicos, cultum meretricium, linguas garrulas, ora cachinantia, &c? Audi Clementem Alexand. lib. 3. pædagog. c. 11. *In Eccleſiam venire oportet*, inquit, *viros & mulieres honeſtè indutos, non ſimulato inceſſu, ſilentium amplectentes, charitatem non fictam habentes, caſtos corpore, caſtos corde, ad Deum rogandum aptos. Hoc amplius habeat mulier: ſemper tecta ſit*, &c. Sic ille. 4. Peccata in iis patrata.

Quare, Auditores, ne iram & flagellum Chriſti incurramus, caueamus inferre templis quas diximus iniurias. Tametſi enim eas quandoque Deus non puniit in hoc ſæculo, puniet certè in altero. Nemo igitur dicat: *Peccaui* (in

templũ) *& quid mihi accidit triſte?* Eccleſ. 5. ſequitur enim mox: *Altiſſimus eſt patiens redditor*; qui ſupplicij tarditatem grauitate cõpenſabit; quo modo etiam lapis quò altiore loco decidit, eò quidem ſeriùs, ſed grauiùs tamen ferit.

CONCIO VIII.

Documenta.

1. *Diſce pracogitare imminentia mala & finem vita.*
2. *Dei miſericordiam & longanimitatem.*
3. *Seueriſſimam Dei iuſtitiam.*
4. *Ante catera negotia Deum adorare.*
5. *Templa veneratione & cultu proſequi.*
6. *Diſcant ſaculares ſe non immiſcere rebus ſpiritualibus.*
7. *Diſce diuinam Chriſti potentiam.*
8. *Vanitatem gloria mundana ex vrbis & templi deſtructione.*

THEMA.

Erat docens quotidie in templo. Luc. 19.

A. FAteri debemus, Auditores, nos à Iudæis illis, qui Chriſtum audiebant, multis partibus vinci in feruore audiendi Verbum Dei. Ecce enim Chriſtus *erat docens quotidie in templo:* & niſi quotidie habuiſſet Auditores, quotidie non docuiſſet. S. Lucam audiamus, qui ad prædicta verba, ſubiicit: *Omnis enim populus ſuſpenſus erat audiens illum.* Nos ſi in hebdomade vel ſemel concionem audiamus, iam ſat ſuperque habemus, & contingit ſæpe vt audire nos magis tædeat, quàm Concionatorem dicere. Modò ſomnus obrepit, modò aliæ cogitationes abſtrahunt, modò tædio tam diutinæ quietis & ſilentij afficimur. Quare adhortor vos, Auditores, ne vincamini à Iudęis, excutite lethargum, & ſi rariùs auditis Dei verbum, tantò tamen auidiùs audite.

B. I. Præcogitanda imminentia mala & finis vitæ. PRIMÒ, Diſce præcogitare imminentia tibi mala & finem vitæ tuæ. Hoc enim quia non faciebant Iudæi, idcircò fleuit Chriſtus: *quia ſi cognouiſſes & tu &c.* præuidit Chriſtus imminẽs eis excidium; ipſi autem velut cæci exultabant & ridebant, quia id non videbant. Sic etiam Ieremias Thren. 1. deplorauit Ieroſolymam ob malum ei impendens: *ſordes eius in pedibus eius*, inquit, *nec recordata eſt finis ſui.* Plorabant iſti inſtar medici, quòd ægra ciuitas nollet recipere, pharmacum, quod erat recordatio finis. Efficaciſſimum enim peccatorũ remediũ eſt meditatio nouiſſimorum. Coruus, vt ſcribit Albertus M. *de vegetab.* non redit ad nidum, ſi in eo ponatur cinis vitri: ſic etiam dæmon à nido cordis noſtri fugit, ſi in eo poſitam viderit memoriam mortis. Quid enim vita noſtra niſi fragile vitrum? Viri boni apprehendunt mundi voluptates & peccati illecebras per plantam pedis ſeu finem, ſicut Iacob apprehendit fratrem *Gen.* 25. Mali contrà per caput: quia illi exitum, hi principium conſiderant. Nos ergò ſimiles ſimus Iacobo. Qui ſanitate gaudet, cogitet ſe aliquando ægrotaturum: qui diuitiis fruitur, cogitet ſe aliquando iis ſpoliandum: qui viuit, ſe moriturum: qui ridet & voluptatibus indulget, ſibi aliquando plorandum eſſe & rationem Deo reddendam. Non pigeat nos ad breue tempus præuidere pœnas gehennæ, ne in æternum eas videre coràm cogamur. Deſcendamus in infernum viuentes ad paucas aliquot horas: ne deſcendamus mortui in æternum. Sic Chriſtus hodie inter triumphum ſuum lachrymatur & lætitiæ vinum aquâ mœroris temperat, ad exemplum noſtrum.

C. II. Dei miſericordia & longanimitas. SECVNDÒ, Diſce Dei miſericordiam & longanimitatem. Inprimis enim lachrymatur Chriſtus, quod punire debeat noxios. Sic & Iſa. 1. Deus quaſi gemens loquitur: *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Deinde differt eorum punitionem per 38. annos. Vnde per eundem Iſaiam c. 42. ait: *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui: vt parturiens loquar.* Parturiens enim mulier partum nouem menſibus in vtero gerit, & tandem cum dolore parit: Sic Deus cum dolore quodammodò punit, quia inuitus; & differt vindictam quoad fieri poteſt. Ecce tibi Iudæos quamdiu expectauit ad pœnitentiam? Ficui illi per triennium ſterili impetratus eſt annus quartus, Iudæis datus eſt pænè quadrageſimus. At verò tarditatem vindictæ Deus grauitate compenſat. Hodierno in Euangelio cæcidit Iudæos flagello (vt arbitror, quemadmodum & *Ioan.* 2.) poſteà autem cæcidit eos ſcorpionibus, vſque ad internecionem.

D. III. Dei ſeueritas iuſtitiæ. Diſce TERTIÒ. Dei ſeueriſſimam iuſtitiam graſſantem tandem in impœnitentes. Nam inprimis populum ſuum electum, ex quo carnem aſſumpſit, excidio puniuit. Vnde Apoſtolus *ad Rom.* 11. ait: *Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit; ne fortè nec tibi parcat. Vide ergò bonitatem & ſeueritatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt* (Iudæos) *ſeueritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Non gloriemur ergò aut præſumamus de Dei miſericordiâ, quòd filij Abraham, id eſt, Chriſtiani ſimus. *Ex oleaſtro* enim gẽtiliſſimi *in bonã oliuã* inſerti ſumus; bonos igitur fructus faciamus, ne ſimiliter excidamur, vti rami naturales, Iudæi.

Deinde ciuitatem omnium pulcherrimam, fortiſſimam, celeberrimam, templum ædificiaque ſplendidiſſima vaſtauit, deiecit, perdidit, vt nec lapis remaneret ſuper lapidem. Vnde ſibi meritò metuere debent ciuitates nimiâ opulentiâ, fœcunditate & affluentiâ dotatæ. Tales enim plerumque licentiùs & abſque Dei timore, viuunt, atque idcircò maiori reſeruantur ſupplicio, præſertim cùm in iis crimina relinquuntur impunita, vt factum Ieroſolymæ; quod iam olim ei comminatus fuerat Deus, Ezech. 16. *Auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar ampliùs.* Sic Pentapolis periit, quæ *erat ſicut paradiſus terra.* Gen. 13. Sic ante paucos annos ruinâ montis periit oppidum

dum Plurs: ſic ante annum Hiſpalis ſeu Seuilia, vrbs Hiſpaniæ opulentiſſima, fertiliſſima, amœniſſima, (de quâ olim prouerbio dicebatur, ſi quis Deo dilectus ſit, dari ei, vt viuat Hiſpali. Et Itali: *Qui non hà viſto Seuillia, non hà viſto marauillia*) ante paucos annos trimeſtri inundatione afflicta eſt, vt perierint in eâ ad 10000. hominum. Quare ciuitates illæ, quæ diuitiis & delitijs omniquе proſperitate affluunt, maximè deplorandæ ſunt: quia Dei ſupplicio reſeruantur. Felices è contrà illæ, quæ plagis hîc atteruntur. Teſtem huius rei grauiſſimum audiemus D. Gregorium lib. 7. mor. c. 7. *Quia ſancti viri, inquit, corruptionis ſuæ vulnus ſine putredine non eſſe conſiderant, libenter ſe ſub manu medici ad ſectiones parant, vt aperto vulnere virus peccati exeat. Id quod idem Iob luculentiùs ſignificauit, ſubiungens: Et hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcat. Electi quippe cùm perpetraſſe ſe illicita nouerunt, & tamen perſcrutantes inueniunt, quòd nulla pro illis aduerſa perpeſſi ſunt, in immenſa formidinis terrore tabeſcunt, ne in æternum ſe gratia deſeruerit, quos in præſenti vita mali ſui retributio nulla caſtigat; & propterea feriri paterna correptione deſiderant, & dolorem vulneris medicamen ſalutis putant. Rectè igitur ait Iob: Hæc mihi conſolatio ſit vt affligens me dolore non parcat: ac ſi apertiùs diceret: Qui ideo hîc quibuſdam parcit, vt eos in perpetuum feriat, ideò me hîc feriat, vt non parcendo in perpetuum parcat.*

Denique etſi ſeuera fuit hæc iuſtitia, æqua tamen fuit. Ipſi enim Iudæi plexêre ſibi virgas, quibus cæderentur: quemadmodum *Ioan.* 2. & fortaſſe etiam in hodierno Euangelio, ipſi mercatores attulere in templum funiculos, quibus Dominus in flagellum compoſitis eiecit eos è templo. Peccata Iudæorum funiculi fuerunt, & de eis flagellum confecit iuſtitia diuina. Vnde benè dixit Sapiens, Prou. 5. *Impius funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.*

E. IV. Ante alia negotia Deus orandus.

QVARTÒ, Diſce ante negotia cætera Deum adorare, & ſi fieri poteſt, templum intrare, vti fecit Chriſtus Ieroſolymam ingreſſus. Vnde auctor imperfecti: *Hoc*, inquit, *erat proprium boni filij, vt & veniens ad domum curreret patris, & illi honorem redderet, qui genuit; vt tu imitator Chriſti factus, cùm in aliquam ingreſſus fueris ciuitatem, primum antè omnem actum ad Eccleſiam curras, &c.* Filij, qui parentes amant, quando patriam reuiſunt, primùm omnium feſtinant ad paternam domum, vt parentes amplectantur. Pater noſter Deus eſt, eius domus Eccleſia eſt. Hanc ergò ſi prætereamus, & ad alia negotia priùs diuertamus, quomodo demonſtramus nos eſſe Dei filios? Tobias è peregrinatione rediens, ante omnia diuertit ſtatim ad parentes; quin & canis eius, itineris comes, Tobiam præcurrens, rectà ad heri ſui domum cucurrit, gaudens & blandiens, quaſi nuntians ei aduentum filij, *Tob.* 11. Primam igitur ſalutationem Domino Deo debemus, vti ibidem Angelus docuit Tobiam, dicens: *Vbi introieris domum tuam* (paternam ſcilicet) *ſtatim adora Dominum Deum tuum, & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & oſculare eum.* q.d. primum oſculum Deo, alterum da parenti.

F. V. Templa veneratione & cultu proſequenda.

QVINTÒ, Diſce venerari templa, & cultum ac decorem eorum magno zelo promouere; ſiquidem Chriſtus è templo Salomonis eiecit eos, qui vendebant & emebant, quamuis non alia quàm quæ ad ſacrificium & oblationem pertinebant. Adhæc ſecundum Marcum cap. 11. *Non ſinebat, vt quiſquam transferret vas per templum.* Quantò minùs tuliſſet leuitates, ebrietates, oculos impudicos, os garrulum, &c. Rationem addit: *Quia ſcriptum eſt* (Iſa. 56.) *domus mea domus orationis eſt*; in quâ nimirum non alia tractare oportet, quàm cauſam & negotia animæ cum Deo: qualia ſunt, petere à Deo veniam & fugam peccatorum, vitiorum victoriam, virtutum incrementa, conſtantiam in tentationibus profectum gratiæ & virtutum, perſeuerantiam in bono, felicem mortem, & ſalutem. *Hîc nihil niſi ſancta ſonare decet*, inquit S. Chryſoſt. *hom.* 36. *ad Corinth.* Et certè templa noſtra non ſunt tantùm domus orationis, quemadmodum templum Salomonis, ſed præterea officina & fons ſalutis, vnde haurimus aquam ſapientiæ, baptiſmi, Euchariſtiæ & aliorum Sacramentorum, iuxta id Iſa. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Quòd ſi fontes publici in ciuitatibus mundi conſeruari debent, & ſeuerè caſtigatur, qui eos polluere attentârit: quantò magis templa? In templo Salomonis non erat niſi arca fœderis lignea: in noſtro eſt Chriſtus in Euchariſtiâ. Ad fontem publicum fodiendum, conſeruandum, mundandum ſuam omnes conferre operam debent? ſimiliter ad templa erigenda, conſeruanda, purganda, ornanda & ab omni iniuriâ defendenda cooperari omnes decet.

G. VI. Ne ſæculares immiſceant ſe in res ſpirituales.

SEXTÒ, Diſce, ſi ſæcularis ſis, non immiſcere te in res ſpirituales, Audimus enim mercatores, qui cum ſuis mercibus ſe in templum intrudebant, & in eo negotiabantur, à Chriſto eiectos eſſe; quia nihil ibi quod agerent, habebant, loco non profanis rebus ſed Dei miniſterio addicto. Ob ſimillimam cauſam Iuſtinianus Imp. cæteroquî ſapientiſſimus quia nimiùm ſe immiſcuit in res & iura Eccleſiæ, ſanciendo decreta Eccleſiaſtica, præiudicando Pontifici, &c. excidere ab Eccleſiâ, & in hæreſin incorruptibilium labi permiſſus, imperium peſſundedit, & mediâ nocte repentè extinctus eſt, Baron. anno 563. & 565. Benè & cordatè magnus ille Hoſius Cordubêſis Antiſtes Conſtantinum Imp. ſic affatus eſt: *Deſine, quæſo, Imperator, ne te miſceas rebus Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit: nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit.* Refert S. Athanaſius *in ep. ad ſolit. vitam agentes.* Similiter S. Ambroſ. dicens Valentiniano Imp. *Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſia.* Refert ipſe ep. 33. ad Marcellinam ſororem.

H. VII. Diuina Chriſti potentia.

Diſce SEPTIMÒ, Chriſti Domini diuinam potentiam, ſiquidem tam facilè eiecit è templo omnes vendentes & ementes & menſas nummula-

Google

mulariorum & cathedras vendentium columbas euertit, nec vllus potuit ei reſiſtere. Nec video in eius manu gladium aut haſtam ſed forſitan flagellum tantum de funiculis ibi repertis. Nimirum oſtendit Iudæis, quàm eos aliquando affligere & flagellare in obſidione Titi vellet, quamque facilè è terrâ ſanctâ eiicere poſſet, qui modò eos è templo tam facilè eiecit. Quid faciet Dominus, cùm aliquando venturus eſt in gloriâ & maieſtate cum multis millibus ad iudicium? Si hoc leui flagello fecit, quid faciet, cùm accipiet gladium furoris ſui contra impios? Certè cùm non ita pridem nos cœpiſſet caſtigare belli calamitatibus, nos ſub his flagellis omnes gemebamus, ipſaque extrema metuebamus. Quid hoc erat, niſi flagellum de funiculis? Quid niſi velitationes quædam? Cogitate, quid futurum ſit, cùm aliquando prælium inchoabit, & elementa omnia concutiet, atque inter ſe committet? Speciatim verò aduertant auari, quàm facilè diſſipare poſſit Deus pecunias, quas corraſerunt; eo ſcil. modo, quo Chriſtus hîc menſas nummulariorum euertit, ac proinde æs eorum effudit. Sic enim auari opes ſæpè diſſipantur in momento, quæ totius vitæ laboribus comparatæ erant: vnus fur, vnus fiſcus, vnus creditor, vnum incendium, vna ægritudo ſæpe illas perdit. Certè extrema mors omnes eas diripit. vnde dictum eſt illi, Luc. 12. *Stulte hac nocte repetunt à te animam tuam: & quæ paraſti, cuius erunt?* qui repentino caſu veluti per rapinam perdit ſuum theſaurum, vehementer dolet, quòd non ſecuriore loco eum collocauerit, quòd non emerit hortum, arcem, agrum, &c. Iam verò prædatrix mors omnia tua diripiet; cogita ergo, ſi ſapis, quam benè hîc collocare opes tuas velis ad ſalutem animæ tuæ.

I. VIII. Vanitas gloriæ mundanæ. OCTAVÒ, Diſce vanitatem gloriæ mundanæ ex vrbis & templi tam ſpecioſi deſtructione. Templi certè fabricam, diuitias & ſplendorem mirabantur, & monſtrabant Chriſto diſcipuli, Luc. 21. Matth. 24. Marci 13. *Magiſter, aſpice, quales lapides, & quales ſtructuræ?* Quia enim paulò antè audierant à Chriſto vrbem funditùs euertendam, *Luc.* 19. ideò nunc inſinuare volunt parcendum ſaltem templo propter eius elegantiam & maieſtatem. Sed reſpondit Chriſtus repetens priorem ſuam ſententiam, quam de vrbe pronuntiârat: *Videtis has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Idem fit quotidie. Vides principem cum pompa ſua? *Non relinquetur lapis ſuper lapidem.* Vides florentem iuuenem? *Non relinquetur lapis ſuper lapidem.* Vides robuſtum virum, militem & heroëm? *Non relinquetur lapis ſuper lapidem.* Vides mulierem ſpecioſam, comptam, ornatam? *Non relinquetur lapis ſuper lapidem*: non os ſuper os, non coſta ſuper coſtam. Audi Ezechiam regem ægrotantem: *Quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea*, Iſa. 38. Contererentur pulchræ genæ, cincinnati capilli, rubicundum os, oculi gratioſi, &c. Mementote illius ſtatuæ, quam erexit Nabuchodonoſor, factæ ex auro, argento, ære, ferro, luto. Hæc enim cùm pedes haberet luteos, à lapide præciſo de monte ſine manibus tacta eſt in pedibus: *tunc contrita ſunt pariter teſta, æs, argentum, aurum & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento, nulluſq́ locus inuentus eſt eis.* Statua hæc deſignabat quatuor Monarchiarum, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum potentiam, gloriam, opes, decorem, maieſtatem. Quid verò lapis ille conterens ſtatuam, niſi mors? Ea præciſa eſt de monte; quia prodiit ex Adamo. Sine manibus; quia inaduertenter inuaſit genus humanum, quemadmodum & nunc ferè latenter aggreditur & extinguit homines; nemo ferè ingreſſum & machinationes eius aduertit. Hæc itaque conterit omnia, ſiue ſumma, ſiue infima, ſiue aurea, ſiue lutea, ſiue fortia, ſiue debilia: aurum ſicut æs, ferrum ſicut lutum, principem ſicut mancipium; quia omnia eodem nituntur fundamento, luto videlicet. Et quid ſupereſt ex his omnibus? *fauilla æſtiuæ areæ.* (Chald. legit, *ſicut palea æſtiuæ areæ*) q. d. ſicut palea, ſtipula & fauilla, quæ remanet in areâ, cùm ventilatur frumentum trituratum, à vento auferuntur: ſic illi è mundo. *Et nullus locus relictus eſt eis*: non ciuitas, non domus, non lectus, non ager, non vinea. Quare, Auditores, contemplemur & nos cum Nabuchodonoſore crebrò ſtatuam iſtam. Attendamus ad illum lapidem, qui omnia comminuit: ne ex improuiſo & nos percuſſi ſerò nimis ſapere incipiamus.

CONCIO IX.

Myſteria.

1. *Quæritur cur Chriſtus videns ciuitatem fleuerit.*
2. *Cur Tempus pacis, diem; tempus verò excidij dies vocet.*
3. *Cur vocet diem Ieroſolymæ.*
4. *Quando Deus viſitauerit Ieroſolymam.*
5. *Quare è templo eiecerit ementes & vendentes.*
6. *Cur in templo docuerit.*
7. *Quorſum Iudæi per orbem diſperſi.*

THEMA.

Si cognouiſſes & tu! Luc. 19.

GRande malum eſt, Auditores, cæcitas animi. Grande viciſſim bonum, mentis intelligentia, quod vtrumque diſcere poſſumus ex Balaamo & aſinâ eius, cui inſidens Balaam pergebat contra fas & æquum ad maledicendum populo Dei, *Num.* 22. A. Aſina enim Angelum cernens diſtricto ſtantem gladio, ab itinere diuertit & concidit, atque ita ſe ſeruauit: Balaam verò, quia gladio armatum Angelum minimè videbat, vlteriùs progredi nitebatur & ad hoc verberibus obiurgabat animal: qui proinde, niſi Dominus aperuiſſet repentè oculos eius, incurriſſet gladium Angeli. Ita enim ad ipſum

Digitized by Google

ſum Angelus; *Niſi aſina declinaſſet de viâ dans locum reſiſtenti, te occidiſſem & illa viueret.* Quid aſina hæc videns, niſi hominem mentis intelligentiâ præditum: quid Balaam excæcatus, niſi hominem eâdem deſtitutum ſignificat? Qui ergò lumine illo gaudet & diuinæ iuſtitiæ diſtrictum gladium animo intuetur, ab itinere diuertit vitiorum, caditque ante Deum, agens pœnitentiam: qui verò mente cæcus eſt fulgurantemque Dei gladium non aſpicit, in viâ ſcelerum perſiſtit ac progredi conatur, donec tandem in Dei gladium incidat & in ardentes orci flammas ſeſe immittat. Huiuſmodi erat Ieroſolyma, quæ, quia videre noluit cœco ſeſe impetu in præcipitium impulit. Vnde ad eam Dominus: *Quia ſi cognouiſſes & tu!* Quare, Auditores, ne cum Balaamo incurramus periculum diſtricti gladij, ſed vt potiùs cum aſinâ viuamus; amemus Dei verbum, quod illuminat oculos mentis: vbi tamen explicatum eſt, teſte Pſal. 118. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis.* Declaremus igitur Euangelium vt nos illuminare poſſit.

B. I. Cur fleuit Chriſtus videns ciuitatem.

Q. PRIMÒ, Quare fleuit Chriſtus, videns ciuitatem? Reſp. Primò, Ob peccata vrbis & ob pœnas, quas propterea datura eſſet. Fleuit enim non ſuper ſe ſed ſuper ciuitatem, vt Lucas habet. Vidit Chriſtus quantis flagitiis Hieroſolyma repleta eſſet & magis adhuc replenda cùm ipſum occiſura. Vidit etiam excidium illi imminens, gehennam denique impœnitentibus paratam. Miſericors ergò Dominus doluit, quòd vindictam de ipsâ ſumere deberet, quemadmodum & olim Deus tactus dolore cordis intrinſecus, diluuium peruerſis decreuit, *Gen.* 6. expectauitque centum annis priuſquam id exequeretur. Idem fecit cum Hieroſolymâ; hodie enim prædicit & deplorat eius excidium, & tamen expectauit 38. annis eius executionem.

2. Secundò, Ob peccata totius mundi, quæ ſimul tunc aſpexit in eius typo, Ieroſolymâ. In terrenâ enim Ieruſalem tametſi multi boni ſunt, plurimi tamen mali ſunt, quibus nihil prodeſt Chriſti paſſio, quia repellunt illam. Horum ergò peccata & excidium æternum deplorauit Chriſtus, adeoque mea etiam & tua peccata; docens interim nos, quâ ratione poſſimus peccata noſtra delere, & pœnas illas decretas auertere, ſcil. per lachrymas. Non poſſumus temporalia damna lachrymis impedire aut extinguere, poſſumus ſpiritualia, & ipſam adeò gehennam. Vnde ait Dominus: *Quia ſi cognouiſſes & tu?* ſubaudi, *fleres*, inquit S. Greg. hom. 35. in Euang. *quæ modò quia neſcis, quod imminet, exultas.*

3. Tertiò, Vt triumphi ſui gloriam & pompam lachrymis temperaret, & quodammodò dilueret, oſtendens mundi gloriam nihili ſe facere, docenſque nos, ne in die bonorum obliuiſcamur malorum. Vidit Chriſtus gloriam hanc ſuam, quam accipiebat à Iudæis, non fore diuturnam, ſed poſt quinque dies mutandam in contemptum & ignominiam. Habeat ergò vnuſquiſque ſuſpectam mundi proſperitatem, nec confidat illi. Heliogabalus. Imp. *Ixionios amicos per ludibrium ad rotam aquarum alligatos, ſub aquas mittebat, rurſuſq́; in ſummum reuoluebat,* ait Lampridius. Hunc ludum mundus ludit cum ſuis amatoribus; quos euehit, hos repentè mergit.

C. II. Cur tempus pacis diem tēpus excidij dies vocat.

Q. SECVNDÒ, Quare tempus pacis Ieroſolymæ vocat diem, tempus verò excidij vocat dies? Reſp. Primò, Quia pax & proſperitas incolarum Ieroſolymæ breuis fuit; excidium verò & exilium eorundem diuturnum valdè eſt, duraturum vſque ad mundi finem, vti prædictum per Ieremiam *Thren.* 1. dicentem: *Dedit me Dominus in manu, de quâ non potero ſurgere.* Et Pſal. 2. vbi de iis dicitur: *Tanquam vas figuli confringes eos.* Vas ex metallo factum ſi caſu aliquo frangatur, reparari poteſt: vas fictile confractum nequit reparari. Tentârunt quidem Iudæi operâ Iuliani Apoſtatæ reparare templum & ſtatum ſuum: ſed diuinitùs repulſi ſunt ab incepto opere, vti alibi diximus. 1.

Secundò, Quia tempus præſentis vitæ, dies quaſi vnus tantùm eſt, tum quia velociſſimè tranſit, vt qui multum vixit; in fine vitæ vix diem ſe vixiſſe putet; tum quia plerique maximam vitæ partem malè aut inutiliter abſumimus, ita vt vix dies nobis remaneat, quem Deo & ſaluti noſtræ benè impenderimus. Nam, vt ait Seneca ep. 118. *Tempus aliud valetudo ſua cuiq; abſtulit aliud ſuorum, aliud neceſſaria negotia, aliud publica occupauerunt. Vitam nobiſcum diuidit ſomnus.* Totum verò id, quod ſaluti noſtræ non damus, pro perdito habendum. Multis annis regnaſſe Saulem admodum credibile facit eius hiſtoria, & res geſtæ, & tamen Scriptura 1. *Reg.* 13. aſſerit eum duobus tantùm annis regnaſſe; qui nimirum illos tantùm bene & innocenter vixerat, reliquos impiè & tyrannicè à Deo reprobatus. Denique, quia mundi proſperitas & vita hominis tota reſpectu æternitatis & ſecuturæ in eâ calamitatis dies ſolùm & momentum eſt. Longa etiam videtur vna nox febricitanti, ſed quid eſt reſpectu æterni incendij? nónne dies vna? nónne momentum vnum? Mundi ſectatores diem vnum eligunt lætitiæ, & æternos dies miſeriæ. Quanta hæc inſania? Non ita Ieremias, qui c. 17. ait: *Diem hominis non deſideraui, tu ſcis* (Domine.) Dies hominis eſt, quo ad modicum proſperatur homo, laudatur, & delitiis perfruitur. 2.

D. III. Cur diem Ieroſolymæ vocat?

Q. TERTIÒ. Quare diem illam vocat diem Ieroſolymæ: *In hac die tua.* Reſp. Primò, quia ad conuerſionem & bene operandum data fuit Iudæis: & ſimiliter datur nobis, vt eo ad ſalutem noſtram bene vtamur; nobis enim ſerimus, nobis & metimus. Qua re tempus mortis & alterius ſæculi, non eſt tempus noſtrum, ſed Dei. Vnde *Eccleſiaſt.* 7. dicitur: *Noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Diem hunc noſtrum ſequitur dies Domini. Habuerunt Iudæi diem ſuum, vſque dum eos Titus muro Ieroſolymis vndique includeret. Sed vbi incluſi fuerunt, non iam habuerunt diem ſuum, ſed Titus habuit ſuum ad eos 1.

enecandos. Idem euenit ægrotis, cùm iam pœnitere nequeunt; tunc enim incipit dies Domini.

2\. Secundò, Quia non ad Dei honorem, ſed ad ſuas commoditates & delitias Iudæi dies ſuos impendebant. Dies tua eſt peccator quam libidini tuæ das: dormit hac die Deus; & ſinit te bacchari. Veniet dies Domini, quâ rationes tecum ſubducet, & exiget quod debes. Sic caupo ſuos hoſpites ſinit viuere ad lubitum, epulari, inebriari, cantare, clamare, ſaltare, ridere, ludere: ſed poſteà incipit dies ipſius, cùm loculos illorum mulctat. Vnde Eccleſiaſtes c. 11. *Lætare iuuenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & intuitu oculorum tuorum: & ſcito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.*

3\. Tertiò, Quia diem illam fœdârunt ſuis ſceleribus, ita vt licet Deus diem illam fecerit, pro ſuâ tamen non agnouerit. Hoc ſenſu noluit agnoſcere Deus populum Hebræum pro populo ſuo, ſed vocat populum Moyſis, vel populum iſtum, *Exod* 32. quia à Deo receſſerat. Eadem ratione tempore Dauid, *Pſal.* 101. confitetur dies ſuos declinaſſe ſicut vmbram; tales ſunt dies peccatorum, obſcuri & tenebroſi ſicut vmbra, lumine gratiæ deſtituti.

E. IV. Quando viſitauit Deus Ieroſolymã. Q. QVARTÒ, Quando viſitauit Deus Ieroſolymam? Reſp. Primò, Quando miſit illi de cœlo filium ſuum carne veſtitum. Cuius figura fuit Ioſeph, miſſus à patre ad fratres viſitandos illis verbis: *vade & vide ſi cuncta proſpera ſunt erga fratres tuos.* Gen. 32. Verùm ſicut illum fratres veſte nudatum miſerunt in ciſternam: ita Iudæi Chriſtum veſtibus ſpoliatum & crucifixum in ſepulchrum.

2\. Secundò, Quando per eundem filium ſuum eos docuit & duxit vitæ eius exemplo, miracula fecit, omnis generis morbos curauit. Viſitari enim dicuntur ægroti: & ſic viſitauit cœleſtis medicus ægrotum genus humanum. Hinc quando Chriſtus filium Viduæ ſuſcitauit, exclamauit turba: *Quia Deus viſitauit plebem ſuam,* Luc. 7.

3\. Tertiò, Quando per eundem eos caſtigauit & templo eiecit, vti in hodierno Euangelio, & poſteà cùm eoſdem in horto proſtrauit: ſignis in morte Chriſti factis terruit: cùm obſidione Romanorum eos preſſit. Eſt enim viſitatio tam iuſtitiæ, quàm miſericordiæ actus. Sic dicitur Iſai. 13. *Viſitabo ſuper orbis mala.* Et Iſai. 10. *Quid facietis in die viſitationis?* Et Soph. 1. *In tempore illo ſcrutabor Ieruſalem in lucernis & viſitabo ſuper viros defixos in fecibus.* Sicut enim in viſitatione prælatorum vel paſtorum, omnia accuratè perquiruntur & corriguntur: ſic faciet in Iudicio Deus, vbi pluribus lucernis, ſuâ perſpicaciâ, reorum conſcientiâ, angelorum teſtimoniis, &c. omnia indagabit. Nemo ad hanc vltimam viſitationem differat ſuam emendationem, quia ſerò ſapiet.

F. VI. Q. QVINTÒ, Cur è templo eiecit ementes & vendentes? Reſp. Primò, Vt templum materiale purgaret à mercimoniis templum dedecentibus; docens interim nos, non ea tantùm remouere à templis; quæ peccatum continent, ſed etiam ſæcularia & indecora negotia, vti fabulari, obambulare, ridere, oculis circumuagari, &c. ſic admonet Paulus Timotheum ep. 1. c. 3. *Hac tibi ſcribo,* inquit, *vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari.* Hanc mutant in ſpeluncam latronum, qui impudicè in eâ conuerſantur. Cur è templo eiecit ementes & vendentes. 1.

Secundò, Vt à templo, id eſt, Eccleſiâ totâ ablegaret omnem labem Simoniacam. Per hanc fit templum ſpelunca latronum & officina Iudæ, cum auaritia in eo habitat & rapinæ committuntur. 2.

Tertiò, Vt doceret, templum ſpirituale, quod ſumus nos, cum omni puritate & ſanctitate cuſtodiendum. De hoc enim ait Apoſtolus, 1. Cor. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis? ſi quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus.* Violat autem, qui noxias cupiditates admittit in corſuum. 3.

Quartò, Vt demonſtraret Iudæis, quomodo eos plectere poſſet, ſi vellet: item quâ ratione eos per Titum Imp. poſt 38. annos velut per flagellum ſuum eiecturus ſit è terrâ ſuâ, ac demum in iudicio à facie ſuâ. Pugnauit hîc cum illis manu ſiniſtrâ tantùm, demonſtrans interim, quomodo eos proſternere poſſet, ſi dexterâ vti vellet, qui ſiniſtrâ omnes eiecit. Verùm dexteram ſuam reſeruauit diei Iudicij. 4.

Q. SEXTÒ, Cur docuit in templo? Reſp. Primò, Ne accuſare illum poſſent Iudæi, quòd occultè & impia doceret. Hoc enim obiecit illis poſteà coram Pontifice: *Ego palàm locutus ſum mundo, ego ſemper docui in ſynagogâ, in templo, quò omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus ſum nihil,* Ioan. 18. G. VI. Cur docuit in templo. 1.

Secundò, Quia templum, locus maximè idoneus eſt prædicando & audiendo Dei verbo; tum quia ſanctum Dei verbum ſanctus decet locus: tum quia maior ibi populi collectio & deuotio. 2.

Q. SEPTIMÒ, Quorſum Deus Iudæos ad terram proſtrauit, & per vniuerſum orbem diſperſit, hodieque tolerat? Reſpondetur Primò, Vt Chriſti fidem confirment, partim dum hac ratione pœnas occiſi Chriſti dant, quemadmodum latronis cadauer in plures partes diſſectum & in variis locis ſuſpenſum teſtatur eius ſcelus: partim dum libris ſuis, in quibus prænuntiatus eſt Chriſtus, alios illuminant, ſeipſos verò redarguunt. Vnde S. Auguſtinus *in orat. contra Iudæos & paganos c.* 18. confert illos cum ligneis candelabris lucernas ſuſtinentibus & lumen aliis præbentibus; ſibi verò interitum afferentibus. Sunt enim ipſi Biblia velut literæ Vriæ, quas ſecum ipſi gerunt ad propriam damnationem. H. VII. Quorſum Iudæi per orbem diſperſi. 1.

Secundò, In pœnam occiſi Chriſti. Quemadmodum enim Cain quòd fratrem innocentiſſimum ex inuidiâ occiderit, in pœnam parricidij vagus & profugus factus eſt ſuper terram: 2.

terram: ſic Iudæi, quia fratrem ſuum Chriſtum innocentiſſimum ex merâ inuidia necarunt, iure meritò diſperſi, vagi & profugi ſuper terram facti ſunt, vt hac ratione ſcelus ſuum & Chriſti innocentiam toti orbi denunciarent. Id prædictum Pſalm. 2. *Tanquam vas figuli confringes eos.* Vt enim vas figuli in terram proiectum diſſilit in plurima fruſta: ita proiecti in terram Iudæi, vt eorum fragmenta in totum orbem diſſilierint, atque ita regnum ſuum diuulſum & extinctum Chriſtianorum verò auctum & exaltatum videant.

Tertiò. Vt reliquiæ Iſrael ſaluæ fiant & conuertantur, cùm vident omnem ſuam gloriam & regnum cœlorum à ſe ablatum & Chriſtianis datum eſſe. Meliùs enim clamat ſanguis Chriſti quàm Abelis, *ad Hebr.* 11. Hic clamauit *vindictam*: ille clamat *miſericordiam & veniam*, ſi eam acceptare velint.

Ergo, Auditores, aperiamus oculos mentis noſtræ, ne cum cæco illo Balaam & cæcis his Iudæis incurramus in Dei gladium. Vel ſi noſtram cæcitatem vincere non poſſemus, rogemus Dominum Deum, vt aperiat oculos noſtros, qui aperuit os & oculos aſinæ, &c.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Lucæ 18.

IN illo tempore: Dixit IESVS ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam: Duo homines aſcenderunt in templum, vt orarent: vnus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in ſabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo. Et Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſtò mihi peccatori. Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo. Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

CONCIONES.

I. *Ratio ingrediendi templum.*
II. *Ratio conuerſandi in templis.*
III. *Defectus orationis Phariſæi.*
IV. *De varijs orandi ritibus.*
V. *Gratiarum actio pro beneficijs diuinis.*
VI. *Quòd nemo ſe cuiquam præferre debeat.*
VII. *Quæ ſint partes viri humilis.*
VIII. *Argumenta, cur reddendæ Decimæ.*
IX. *Documenta.*
X. *Myſteria.*

CONCIO I.

Ratio ingrediendi Templum.

Vt quis cùm fructu velit viſitare templum, debet illud ingredi.
1. *Cùm timore & reuerentia.*
2. *Corde contrito.*
3. *Cum excluſione ſæcularium curarum.*
4. *Cum humilitate.*
5. *Veniendum tempeſtiuè.*
6. *Cum eleemoſyna erogatione.*
7. *Cum bona intentione.*

THEMA.

Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent. Luc. 18.

INter alia præcepta, quæ præſcripſit Eccleſiaſtes, etiam iſtud tradit cap. 4. *Cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Dei*; indicans haud dubiè non parum referre, quâ ratione quis ingrediatur templum; vt cum fructu in eo moretur, & inde regrediatur. Certam ergo diſpoſitionem & virtutum comitatem requirere videtur. In cuius rei figuram templum Ioroſolymitanum in edito erat loco; vt intelligeremus, aſcendendum nobis eſſe cum conatu & labore aliquo, tam corporis quàm animi, cùm ingredi templum volumus. Sed fortè videbitur aliquibus ſuperuacanea & puerilis quæſtio, quomodo intrandum ſit in templum? Nam ſurgo, ait aliquis, manè horâ ſeptimâ, dein capillos pecto & plumas inde excutio, tum contemplo me in ſpeculo, poſt ſumo vi- A.

Digitized by Google

num aduſtum, aut ientaculum pro confortamine, deinde ad forum abeo, & cum ſociis confabulor, donec inchoëtur concio, tum audio concionem, & peractâ concione miſſam, ſi non integram, ſaltem dimidiatam. Sed heus tu, bone vir: non eſt iſte modus ingrediendi templum: Longè aliâ ratione diſpoſitus eſſe debes, ſi cum fructu viſitare templum velis: & quidem hac quam dicam.

B. I. Ingrediẽdum cum timore.

Primò. Ingrediendum cum timore & reuerentiâ; quia eſt domus Dei & aula cæleſti Regis. Vnde in Leuitico vocatur *Sanctuarium*, cap.9. *Sanctuarium meum metuite, ego Dominus.* Et cap.26. *Pauete ad ſanctuarium meum.* Hebr. vocatur *Hechal*, id eſt, *Baſilica*, vel *palatium auguſtum.* Item *Habbazarach*, id eſt, *auxilium*, vel *aula*, vt interpretantur 70. Iam verò quis magni alicuius Regis palatium & aulam non intrat cum modeſtiâ & reuerentiâ? quis cum riſu aut clamore? Vnde S. Chryſoſt. *homil.* 15. *in epiſt. ad Hebr.* ait: *Aulam regiam intraturus, & habitu & oculis, & inceſſu, cunctiſq́; aliis te componis & adornas: in Eccleſiam verò ingreſſurus vbi verè eſt aula regia, & talis, qualis caleſtis eſt, rides.* S. Bernard. *in ſerm. de 4. mod. orandi*, ait: *Ad templum accedendum, velut ſi ranuncula vilis proſerperet de palude*, &c. Et Dauid Pſalm. 5. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Hinc templum Ieroſolymitanum in formam leonis extructum fuiſſe vult Arias Montanus; vnde & Rabini aiunt, ei nomen *Ariel* inditum fuiſſe, id eſt, *leo Dei*, ſeu *leo fortis.* At multò magis noſtra templa ſunt *Ariel*, quia ſemper ibi adeſt, & dormit apertis oculis in Euchariſtia Leo de tribu Iuda. Legimus 4. Reg. 17. Deum in Aſſyrios, qui habitabant in terrâ ſancta Iudæorum, & non timebant Dominum, immiſiſſe leones, qui interficiebant eos. Atqui multò ſanctior eſt terra Eccleſiæ benedicta terrâ Palæſtinæ, time igitur, ne tuâ irreuerentiâ excites leonem illum. Nónne leonem ſe exhibuit ante octiduum Dominus in eos, qui in templo irreuerenter vendebant & emebant? *Si ergo Dominus*, inquit Venerab. Beda homil. 7. in Quadrag. *nec ea volebat venundari in templo, quæ in templo volebat offerri: quantâ putas animaduerſione puniret, ſi inueniſſet ibi aliquos riſui vel vaniloquio vacantes, aut alij cuilibet vitio mancipatos?* hæc Beda.

C. II. Corde contrito.

Secvndò. Corde contrito: quia ſi inimicus Dei es, quomodò in domum illius intrare audes? ſi cui multum debeas, nec animum aut vires ad ſoluendum habeas, eius domum vitas, nec tranſire vis. Quomodo tu ergo domum Dei, cui tanta debes, ingredi audes? Propterea S. Hieronymus aduerſus Vigilantium ait: *Quando iratus fuero, & aliquid mali meo animo cogitauero & me nocturnum phantaſma deluſerit: Baſilicas martyrum intrare non audeo; ita totus & corpore & animo contremiſco.* Tentauit quidem ingredi Maria Ægyptiaca, dum adhuc ſcateret vitiis & turpitudine, nec adhuc de pœnitentiâ cogitaret, templum Ieroſolymis; ſed ter occultâ vi ab ingreſſu, repulſa eſt, nec antè potuit ingredi, quàm in ſe rediens, & ad B. Mariæ Virginis imaginem præ foribus orans, id impetrarit: vt eſt in eius vita. Quid igitur? inquies. Non ergo liceat ingredi peccatori? licet ſanè, ſi Publicanum imitetur, ſi corde contrito, &, vt peccata ſua ibi defleat, intrare velit. *Etſi enim peccator, non prohibetur ab ingreſſu templi*, vt inquit Saluian. lib. 3 de prouident. *debet tamen is aliter non intrare, niſi vt mala antiqua defleat.* Et ſimiliter S. Chryſoſtom. de non contemnendâ Eccleſiâ Dei ait: *At enim peccator ſum, inquis, neque poſſum ad memoriam martyrum accurrere. Quandoquidem peccator es, accurre, vt iuſtus fias.* Licebit ergo peccatori intrare, ſi inſtar publicani illius veniat: ſi ſtet retrò, ſi percutiat pectus ſuum: ſi oculos demittat: ſi agnoſcat peccata ſua, & veniam petat. *Quemadmodum ſerpentis quoddam genus*, inquit Auguſt. ad Iulian. Com. de perfectâ iuſtitiâ, *cùm it ad bibendum, priuſquam ad fontem venit, omne venenum euomit: ita Chriſtianus, cùm ad orandum accedit, omnem iracundiam & odium proximi deponat.* Hæc ille. Eccleſia enim fons eſt gratiarum, è quo per orationem & verbi Dei audîtionem bibimus: Depone ergo peccatum, ad eum ingreſſurus. Sic licet tibi ſecurè intrare domum creditoris tui, ſi vel pecuniam ſoluturus afferas, vel fidem facere de ſolutione velis, &c. Intellexêre hoc antiqui Chriſtiani: vt enim huius regulæ commonerentur, præ foribus Eccleſiæ in vaſe ad hoc deſtinato manus lauabant; cuius loco poſteà remanſit vas aquæ benedictæ in Eccleſiæ ingreſſu poni ſolitum: vt oſtendit Cornel. à Lapide *in* 1. *ad Timoth. c.* 2. Hac enim cæremoniâ non tam requirebant puritatem manuum & lotionem corporalem, quàm ſpiritualem cordis à ſordibus peccatorum: iuxta id 1. Timoth. 2. *Leuantes puras manus ſine irâ & diſceptatione.* Alioquin enim audirent id Eſa. 1. *Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plena ſunt*, id eſt, peccatis. Igitur cùm ingrederis templum, aſperge te aquâ benedictâ, & per hoc recordare contritionis, dicq́ue cum Dauide: *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor.*

D. III. Cum excluſione ſæcularium curarum.

Tertiò, Cum abiectione ſæcularium & inanium curarum; quia maximum ibi negotium tibi peragendum eſt, maximaq́ue cura & attentio habenda vt cum Deo decenter & ſalubriter loquaris, quæ petis impetres, in templo accumbendo decenter inter angelos miniſtres: quæ omnia, ſi ſæcularibus tuis curis intentus ſis, peragere non poteris. Vnde S. Nilus in diuerſis capitibus: *Eccleſiam*, inquit, *vt cælum adi: & nihil in eâ aut loquere, aut age, quod terram ſapiat.* Igitur ingredientes Eccleſiam, in limine eius curis noſtris dicere cum S. Bernardo deberemus: *Expectate hîc foras, donec exeam*; vt refert Oſor. *tom.* 4. *Conc.* Laurentius Beyerlinck *in apophtheg. Chriſt.* refert eum dixiſſe limini: *Cæteras meas curas tibi committo, donec hac me curâ liberauerim.* Quod videtur

detur didiciſſe vir ſanctus ab Abrahamo (*Gen.* 22.) qui immolaturus iuxta præceptum Domini filium, in monte Moria, vbi poſteà Salomon ædificauit templum Ieroſolymis (vt refert Cornel. à Lapide ibi) dixit ſeruis: *Expectate hîc cum aſino, ego & puer illuc vſque properantes poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Relinquamus igitur foris aſinum curarum ſæcularium, in templo oraturi; quia nec aſinus nec illæ curæ pertinent ad templum. Hoc etiam ſenſu dictum intelligere poſſumus Moyſi ingreſſuro ad locum ſanctum: *ſolue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt,* Exod. 3. Calceamentum ſordidas & mundanas curas ac cogitationes notat. Inde id Pythagoræ: *Nudis pedibus ſacrifica.* Idque faciebant ſacerdotes veteris legis, vti colligit Caietanus, Lipomanus, Ribera ex eo, quòd lauare pedes iubentur ante ingreſſum *Exod.* 30. Mauri etiam & Saraceni templum non ingrediuntur niſi depoſitis calceis ob reuerentiam erga templum. Sed nos hanc cæremoniam rectiùs adhibemus ſenſu ſpirituali, ſi, quas dixi, deponamus curas, & vt ait S. Bernard. ſerm. 15. in Apocal. *inuolucra carnalium cogitationum.* Æthiopiæ Legatus Zabazago apud Goënſem Damianum ait: *Nobis* (*Æthiopibus Chriſtianis*) *non datur poteſtas adeundi templum niſi nudis pedibus, neque nobis licet in ipſo ridere, loqui, obambulare; quia templa ſimilia ſunt monti Sinai, vbi Dominus Moyſi dixit, ſolue calceamentum,* &c. Notent hoc Chriſtiani cæteri.

E. IV. Cum humilitate.

QVARTÒ. Cum humilitate; quia ſi viri principes non facilè tolerant coram ſe & in domibus ſuis ſuperbos: multò minùs Deus, qui *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* 1. Petri 5. Vnde Prouerbior. 16. *abominatio Domini eſt omnis arrogans.* Quod angelus ille oſtendit cum Eremita per Eremum ambulans, vt refert ex vitis Patrum S. Antoninus 4. *p. ſumma tit.* 14. *cap.* 6. §. 1. qui tranſiens iuxta cadauer hominis fœtidum, non clauſit nares, clauſit verò tranſiens elegantem & ſuperbè veſtitum iuuenem: cùm Eremita contrarium feciſſet. Colligere idem poſſumus ex hodierno Euangelio; ſuperbus enim Phariſæus Deo diſplicuit, humilis Publicanus placuit. Maximè verò offendit hic fœtor ſuperbiæ Deum & angelos in templo: quia ibi tanquam mendici conuenimus & oramus: *panem noſtrum quotidianum da nobis.* Quis autem ferat vel audiat mendicum ſuperbè veſtitum & vnguentis redolentem? Certè minatur his grauiter Deus, Amos 6. *Væ vobis optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſrael.* Et Soph. 1. *Viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illâ, qui complent domum Domini iniquitate.* Proptereà S. Eliſabetha regis filia ſi templum intraſſet, de capite coronam deponere ſolebat; eam facti ſui cauſam afferens, quod non deceat ibi humanum caput aureâ coronâ radiare, vbi Deus ſpinis coronatus repræſentatur. Surius *tom.* 6. *in vitâ eius cap.* 3. Similiter Theodoſius iunior Imperator, in Concilio Epheſino, *tom.* 5. *cap.* 21. de ſeipſo loquitur: *Nos qui legitimis imperij armis numquam non circumdamur, quoſque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non conuenit, Dei templum ingreſſuri foris arma relinquimus & ipſum etiam diadema, regiæ maieſtatis inſigne, humiliter deponimus; & ſacra altaria munerum tantum offerendorum cauſâ accedimus: quibus quoque oblatis ad extimum communeq́ atrium mox nos recipimus, nec quidquam ex propinquâ diuinitate nobis arrogamus.* Hæc Theodoſius. Nemo in Eccleſiâ magnus eſt, omnes parui ſumus: licet alij principes, alij ſubditi: quia coram Deo ſumus: cum quo comparati, omnes æquè nulli ſumus: ſicut montes & colles reſpectu cœli, vt aduertunt Mathematici; non enim eſt notabilis in altiſſimo monte minor cœli diſtantia, vel maior ſtellarum apparentia, quàm in colle, plano, aut valle. Vnde meritò ſuperbis illis, qui velut ſupercilioſi montes in templo ſtant & quandoque imperioſè agunt, dicitur id Zach. 4. *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum.* Zorobabel reparator templi erat, & per hoc figura Chriſti, de nocte differentia quidem inter ſtellas eſt, quoad magnitudinem & claritatem: adueniente tamen & præſente ſole, omnes æquè obſcuræ fiunt & pariter ſe abſcondunt, ita vt nulla tunc inter eas ſit differentia: ita dum ante faciem Dei in templo ſumus; omnes obſcuri ſumus: nemo altero maior vel clarior eſt: tametſi alioquin in mundo vnus altero maiorem obtinet dignitatem & locum.

F. V. Tempeſtiuè.

QVINTÒ. Tempeſtiuè veniendum; & quidem ad initium Miſſæ & aſperſionem aquæ luſtralis. Cur enim putatis Sacerdotes cum aquâ illâ in templo circuire? num vt canes aſpergillo eiiciant? num vt ſedilia luſtrent? Non ſanè; ſed vt homines eâ aſperſione ad deuotionem præparent. Verùm putant aliqui vilium & abiectorum eſſe, ad initium Miſſæ venire, nobilium verò & opulentorum ſeriùs venire. O inſaniam! Quid enim iſti? nónne videri volunt, dum coram totâ multitudine ingredi templum volunt? nónne alios perturbant? Placent ſanè hi Diabolo, qui aliquando à S. Dominico in chorum ductus & interrogatus, quâ in re ibi maximè fratres tentaret? Reſpondit: *vt tardiùs veniant & citiùs exeant.* Antonin. 3. *p. hiſt. tit.* 23. *c.* 4. §. 6. Sed quantum iſti diabolo placent, tantum Deo & angelis diſplicent. Legimus de ciconiis, quòd abituræ ad certum diem cætum & conuentum cogant & poſtremò venientem dilanient. Pier. *l.* 17. *hierogl.* Caſtigant ergo tarditatem & pigritiam ciconiæ, & non caſtigent homines? ſanè metuendum, ne iſtiuſmodi limaces aliquando portam cœli negligant & clauſam ſibi inueniant cum fatuis virginibus.

G. VI. Cum eleemoſynæ erogatione.

SEXTÒ. Cum eleemoſynæ erogatione; ſiquidem Deus *Exod.* 15. & 34. ait: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus,* hoc eſt, non venies ſine aliquo munere. Ratio; quia ſi miſericordiam in templo conſequi vis à Deo, priùs eum tibi propitia in perſona pauperis. *Idcircò pauperes,* in-

inquit S. Chryſoſtom. hom. 1. in ep. ad Tim. *ante fores templi adſtant, vt nemo vacuus ingrediatur: vt miſericordiâ comite ſecurus introëat. Intras templum vt miſericordiam conſequaris: priùs ipſe miſerere.* Apoſtolus *ad Rom.* 11. dixit: *Quis prior dedit illi? & retribuetur ei.* Tu hîc prior Deo dare potes, & retribuetur tibi proculdubio. Sedet in templo noſtro Chriſtus, quemadmodum olim in templo Ieroſolymitano ſedit reſpiciens ad Gazophylacium & obſeruans eos, qui mittebant æs in ærarium, Marci 10. *Et multi diuites iactabant,* inquit Euangeliſta. Tacitè ergo obſeruat Chriſtus noſtram liberalitatem vt ſuo tempore retribuat. Sed his temporibus bonus Dominus diu ſedere deberet, donec vnum videret liberalem erga pauperes vel in Eccleſiæ fabricam.

H. VII. Cum bonâ intentione. SEPTIMÒ. Cum bonâ intentione, & imprimis caſtâ mente. Multum in intentione ſitum, quia rectificat totum opus. Igitur vt ambulatio & motus ſecundum Ariſtotelem naturaliter incipit à dextro: ita tu ingreſſurus templum, pedem dextrum priùs offer, hoc eſt, bonâ & ſanctâ intentione ad templum accede. Plutarchus de templo Apollinis ait ingredientes templum admoneri ſolitos eâ voce: *Hoc age, hoc age.* q. d. quod in templo agere decet. Tu idem tecum ſtatue ingredere vt Deum adores & venereris; vt doctrinâ & gratiâ implearis. Sed quàm multi non conſiderant, cur templum ingrediantur? quàm multi vanâ, imo malâ intentione veniunt? Quidam ex conſuetudine tantùm quia vident etiam alios ingredi, nec habent domi ſocios, quibuſcum interim fabulentur. Veniunt hi non aliter ac canes cum ſuis dominis; quales intrant, tales exeunt. Alij vt oſtentent veſtium aut formæ decorem, quaſi Eccleſia ſit forum, vbi hominum inanis gloria & fauor ematur & vendatur. S. Chryſoſtomus in 1. ad Timoth. 2. ad mulierem nimio veſtium ornatu templum adeuntem ait: *An ſaltatura ad Eccleſiam pergis? numquid hîc nuptias & laſciuia oblectamenta conquiris? num vt tui ſpectaculum prabeas, aduenisti? num tibi nunc inſtruendus eſt thalamus? non iſte ſupplicis eſt habitus. Acceßiſti vt Deum pro peccatis tuis depreceris, vt cum gemitu & lachrymis veniam petas, &c.* Alij vt videant alios, quaſi Eccleſia ſit theatrum ſpectatorum vel proſtibulum fœminarum. Certè vel ipſis gentilibus eiuſmodi legem poſitam fuiſſe ſcribit Cicero lib. 1. de legibus. *Ad Diuos adeunto caſtè, pietatem tenento, opes amouento; ſi quis ſecùs faxit, Deus ipſe vindex eſto.* Clemens etiam Alexandrinus refert ſupra portam templi Epidauri ſcriptum fuiſſe:

Eſſe decet caſtum, ſancti qui limina templi
Ingreditur.

Viderint impuri Chriſtiani, quàm ab Ethnicis confundantur. Sed quid de his Deus ad Ieremiam? *Tu ergo noli orare,* inquit Ierem. 7. *pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, nec obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Sed quamobrem? ob quod delictum? *Quia fecerunt malum in oculis meis, dicit Dominus, poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum.* Et quid mirum non audiri in templo eum, qui in ipſo templo peccat?

Videmus igitur Auditores, non fruſtrà monuiſſe Eccleſiaſten: *Cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Dei.* Multi enim, vt vidimus, in ipſo templi limine impingunt & grauiter offendunt, &c.

CONCIO II.

Ratio conuerſandi in templis.

1. *Silentium in templo ſeruandum.*
2. *Senſuum & mentis euagatio cohibenda.*
3. *Vigilandum, non dormiendum.*
4. *Corpus debitè componendum.*
5. *Finis rei diuinæ expectandus.*

THEMA.

Duo homines aſcendebant in templum, vt orarent. Luc. 18.

PRO ægrorum curâ & ſolatio præparauit natura variis in locis fontes ſalutiferos, thermas, acidulas, quibus recreati vires priſtinas recuperarent. Non minor Dei prouidentia fuit pro ægrotis animis, quàm fuerit pro corporibus. Pro illis enim paſſim exædificari templa voluit, in quibus velut thermis ablueréntur peccatores, reficerentur onerati & ſolatium caperent miſeri. Teſtem adduco S. Chryſoſtomum, qui *homil.* 1. *in Geneſ.* ſcribit: *Eccleſia, locus quidam eſt medicinæ ſpiritalis; & eos qui huc veniunt, decet, ne domum redeant niſi congrua remedia acceperint illaq́, ſuis vulneribus adhibuerint.* Verùm vti non omnes ſani redeunt è thermis, ſed alij cum priore morbo, alij cum peiore etiam: ita qui ad templum conueniunt, non omnes abluuntur, non omnes Dei gratiam animiq́ue ſolatium ac remedium inde reportant; ſed multi cum priſtinis ſordibus vel etiam adiectis nouis inde diſcedunt. Ecce enim in hodierno Euangelio duo homines aſcenderunt in templum vt orarent, Phariſæus vnus, Publicanus alter. Sed num ambo ſani domum redierunt? minimè gentium; *deſcendit* enim *hic iuſtificatus ab illo*: Phariſæus peior rediit. Cauſa in promptu eſt; quia ſicuti qui thermis vtuntur aut acidulis, non ſeruant omnes diætam & viuendi rationem ſibi præſcriptam: ita qui in templo ſunt, non agunt omnes quæ agere debent, inde languor hæret. Quare ſicut Medici præſcribere ſolent diætam iis, qui ad thermas eunt: ita audiemus nos, quâ ratione deceat in templo conuerſari, vt cum Publicano ſani inde diſcedamus. A

PRIMÒ.

B. I. Silentium ſeruandũ.

1\. PRIMÒ. Silentium in templo ſeruandum. Docet hoc Primò, figura, 3. *Reg.*6. vbi legimus malleum, ſecurim & omne ferramentum non eſſe audita in domo Domini, cùm ædificaretur. Nimirum lapides ad ædificium noluit aptari ſeu exſculpi Salomon in loco ædificandi templi, ſed alibi, in monte forſan, vbi effodiebantur: meo iudicio, vt ei loco, quem Deo iam dicarat (tametſi nondum initiarat) parceret à tumultu & ſtrepitu. Huius igitur ſapientiſſimi regis cõſilio tacendum eſt in templo, & ſi quid loqui oportet, loquendum extra templum; cùm illud cultui diuino dicatum & conſecratum ſit.

2\. Docent Secundò, ſacerdotes veteris legis. De horum enim miniſterio ſcribit Ariſtæus *in l. de 70. Interpret.* hunc in modum: *Silentium verò tantum ineſt, vt cùm 700. ferè miniſtrorum continuò adſint, & offerentium libamina multitudo ingens, nec vnum quidem hominem in loco verſari putes.*

3\. Docent Tertiò, Ethnici. Scribit enim Seneca *in l. de vitâ beatâ,* tempore ſacrificij imperari & clamari ſolitum: *fauete linguis.* Quâ quidem voce ſilentium indicebatur populo, vt ritè peragi ſacrificium poſſet. Turcæ non ſolùm orationes ſuas maximo ſilentio perficiunt, verùm etiam coram Imperatore ſuo, quotquot in eius aulâ ſunt, tam compoſiti & quieti ſtant, vt ſtatuæ videantur, teſte Cuſpiniano *lib. de Turcarum origi. & religi.* & Busbequio *in Legat. Turc.*

Eò pertinet quod ſcribit S. Ambroſius lib. 3. de Virgin. *An quidquam,* inquit, *indignius eſt, quàm oracula diuina circumſtrepi, ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur: circumſonari ſacramenta confuſis vocibus vt impediatur oratio deprompta pro ſalute omnium, cùm Gentiles Idolis ſuis reuerentiam tacendo deferant? Vnde illud exemplum proditur: Alexandro ſacrificante Macedonum Rege, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepiſſe ignem brachio, atque aduſto corpore manſiſſe immobilem, nec dolorem prodidiſſe gemitu. Tanta in puero barbaro fuit diſciplina reuerentia, vt naturam vinceret.* Subditque: *Et tu in miniſterio Dei gemitus, tuſſes, ſcreatus, riſus abſtine.*

4\. Docent Quartò, bruta animalia. De quâ re idem S. Ambroſius loco citat. ait: *Frequens ſermo eſt, cùm plurima ranarum murmura auribus religioſæ plebis obſtreperent, ſacerdotem Dei præcipiſſe vt conticeſcerent ac reuerentiam ſacræ deferrent orationi; tunc ſubitò circumfuſos ſtrepitus quieuiſſe. Silent igitur paludes, homines non ſilebunt? Et irrationale animal per reuerentiam recognoſcit, quod per naturam ignorat: hominum tantam eſſe immodeſtiam, vt pleriq; deferre neſciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati?* Idem ſilentium tempore rei ſacræ obtinuiſſe à ranis, per imperium, S. Bennonem Epiſcopum Miſnienſem ſcribit Hieronymus Emſerus in eius vitâ apud Surium menſe Iunio; & Audoënum Epiſcopum Rotomagenſem Fridegodus Diaconus in eius vitâ c. 22. apud eundem Surium menſe Auguſto.

Docent Quintò, Veteres ritus. Antiquitùs enim *quidam ex Diaconis,* ait S. Clemens libr. 8. Conſtit. Apoſtol. cap. 11. *in templo inambulabant contemplantes viros & mulieres, ne quis fieret ſtrepitus, ne quis nutus faceret, aut muſſitaret, aut dormitaret.* Ad eundem finem, attentionem videlicet in templo excitandam, canit in Miſſâ ſacerdos: *ſurſum corda.* Pro quo, Liturgia S. Baſilij ex arabico conuerſa habet; *Vbi mentes veſtræ?* Liturgia S. Gregorij Nazianzeni: *Vbi corda veſtra?* Et populus reſpondet: *Habemus ad Dominum.* 5.

Docent denique SS. Patres. S. Baſilius homil. 6. in Pſalm. 28. ait: *Pſalmiſta canit in templo tuo omnes dicent gloriam; & tu non dicis, ſed dicentes impedis?* Sanctus Chryſoſtomus hom. 38. in cap. 10. Matth. ait: *Domus priſcis temporibus Eccleſiæ erant, nunc ipſa etiam Eccleſia in domum redacta eſt.* Videlicet ob garrulitatem, quæ veluti in domo profanâ fiebat. Et tom. 3. ſerm. de Euchariſtia: *Quid facis homo? non promiſiſti ſacerdoti, qui dixit: ſurſum mentem & corda; & dixiſti: Habemus ad Dominum? Non revereris & erubeſcis? Et i'la ipſâ horâ mendax inueneris?* Et infrà; *Centum ſexaginta horas habente hebdomadâ, vnam & ſolam horam ſibi ipſi ſegregauit Deus; & hanc in opera ſecularia & in ridicula & in conuenticula inſumis?* Et in homil. 36. in Epiſt. 1. ad Corinth. *An domos non habetis ad nugandum? an Dei Eccleſiam deſpicitis? Et eos etiam deſpicitis, qui volunt eſſe modeſti & quieti?* Rectè talibus dixeris, quod Dominus Phariſæis: *Væ vobis, qui clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introëuntes ſinitis intrare.* Matth. 23. 6.

SECVNDÒ. Senſuum & mentis euagatio cohibenda, omniſque leuitas arcenda. Docet hoc primò Chriſtus, qui non *ſinebat vt quiſpiam trãſferret vas per templum,* Marci 11. Et quomodo toleraſſet, ſi catelli, ſi gladij, ſi faſtus, ſi oculi impuri illati fuiſſent? Idem Dominus eodem tempore eiecit è templo vendentes & ementes. De quâ re S. Auguſt. *tract.* 10. *in Ioan.* ait: *non magnum peccatum, ſi hoc vendebant in templo, quod emebatur vt offerretur in templo: & tamen eiecit inde illos. Quid ſi ebrioſos inueniret, quid faceret Dominus.* C. II. Senſuum & mentis euagatio cohibenda. 1.

Docent Secundò, Angeli, qui coram Deo alis ſuis ſe tegebant, quaſi non auderent rectâ figere obtutum in Dei Maieſtatem. *Ezech.* 1. Sanctus etiam Chryſoſtomus *cùm cœpiſſet ſacrificium,* inquit S. Nilus Abbas ep. ad Anaſtaſium Epiſcopum, *plurima ſtatim ex illis virtutibus è cælo deſcendentes, ſtolis indutæ ſplendidiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari magno cum ſilentio & reuerentiâ quoad venerandum illud myſterium expletum fuit, circumſteterunt.* Teſtaturque vidiſſe hæc ipſummmet Chryſoſtomum dum ſacris operaretur. 2.

Docet tertiò, viſio Ezechielis cap. 8. vbi ad ipſum Deus: *Fili hominis, putáſne, vides tu, quid iſti faciunt, abominationes peſſimas, vt procul recedam à Sanctuario meo?* Iubetur igitur Ezechiel fodere templi parietem, & vidit ibi reptilia, & animalia, & Idola, & ſeniores ea incenſantes, 3.

cenſentes. Sed iubetur iterum introſpicere, & videre abominationes maiores, videtque mulieres plangentes Adonidem. Iubetur tertiò, videre abominationes maiores. Et vidit ibi viros, dorſa habentes contra templum Domini, & applicantes ramum ad nares. Vnde Dominus: *Numquid leue eſt hoc domui Iuda, vt facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hic? Ergo & ego faciam in furore. Non parcet oculus meus, nec miſerebor. Et cùm clamauerunt ad aures meas voce magnâ, non exaudiam eos.* At quàm multos iſtis ſimiles inueniremus, ſi parietem cordis perfodere poſſemus, & hominum cogitationes ac deſideria, quæ in templis agitant, inſpicere? De quibus S. Chryſoſtomus homil. 40. ad populum loquens, miratur, quòd fulmine de cœlo iacto non pereant ij, qui in templo inter Miſſarum ſolemnia colludunt, vel corrident. Et hom. 74. in cap. 23. Matth. *Non miraris, non vides fulmina deferri, non omnia funditùs euerti? Proſtibulum tibi videtur Eccleſia, & foro ignobilior? nam & hic etiam erubeſcis, & times, ne quis te videat mulierem ſequi. Oportebat interno vos pariete à mulieribus ſeparari: quod quia non vultis animo, patres noſtri ligneis ſaltem parietibus ſecreuerunt.* Et hom. 15. in ep. ad Hebr. *Stat ſacerdos Dei orationem offerens cunctorum: tu autem rides, nihil timens? non contremiſcis? non colligis teipſum?*

4. Docet quartò, hiſtoria S. Chutberti apud Surium menſe Martio, vbi legimus Dæmonem ſub eius concione excitaſſe ignem phantaſticum extra Eccleſiam, quaſi totus pagus arderet; & populum contra viri ſancti admonitionem excurriſſe, & aquam igni copioſam affudiſſe; qui tamen oratione viri mox euanuit, & phantaſticus fuiſſe, declaratus fuit, populo cum confuſione ad concionem redeunte. Sanctus etiam Chryſoſtomus vult Eutychium illum iuuenem, *Act.* 20. diſputante Paulo dormientem, deiectum à dæmone per feneſtram, vt hac excitatâ tragœdiâ concionem Pauli interturbaret. Refertur etiam in vitâ S. Antonij de Padua apud Surium 13. *Iunij c.* 29. ſimile factum. Cùm aliquando D. Antonius à Padua concionaretur, tum præſens nobilis domina auidè verbum Dei audiebat. Quod cùm non ferret impurus Sathan, vt fructum concionis ab ea excluderet, curſoris ſpeciem præ ſe ferens, ad eam cum literis venit, aitque filium eius ab hoſtibus captum & interfectum. Eas maligni hoſtis verſutias ſpiritu cognoſcens vir Dei (nam corporeis auribus de eius filio perceperat) coram omnibus dixit: *Nihil timeas, Domina, filius tuus & viuit, & rectè valet. Curſor autem ille diabolus eſt.* Ad quas voces inſtar fumi ille egregius curſor euanuit. Ex quo patet dæmonem mirè ad hoc conniti, vt homines in templo à deuotione diſtrahantur.

D. III. Vigilandum, non dormiendum.

TERTIÒ. Vigilandum, non dormiendum. 1. Docet hoc primò Iacob, qui cùm eo loco, vbi apparuit ei Dominus, dormiuiſſet, euigilans de ſomno, ait: *Verè locus iſte ſanctus eſt, & ego neſciebam,* pauenſque: *Quàm terribilis eſt,* inquit, *locus iſte.* Geneſ. 28. quaſi dicere velit: Neſciebam hunc locum Deo ſacrum eſſe; alioquin enim in eo dormire non præſumpſiſſem. Quare locum illum appellauit *Bethel*, id eſt, *Domum Dei.* At verò templa noſtra longè ſacratiora ſunt loco illo: maior proinde irreuerentia eſt, dormire in templis noſtris, in quibus filius Dei corporaliter etiam præſens eſt.

Docet ſecundò, ſtudium diaboli, qui, vt 2. homines à verbi & ſacrificij diuini attentione reuocet, ſolet iis, cùm poteſt, conciliare ſomnum, vti legimus in vitâ SS. Patrum de S. Machario, qui, cùm veniſſet ad fratres ſuos orantes, vidit dæmones quaſi paruulos Æthiopes huc illuc diſcurrentes; qui, ſi cui digitum ſuper oculos poſuiſſent, ſtatim is dormitabat; ſi cui in os miſiſſent digitum, oſcitabat. Coram aliis muliebri ſpecie apparebant; coram aliis ædificabant, aut alia agebant. Sanctus igitur Macharius poſteà ſingulos examinans deprehendit eos in cogitationibus ſuis ita à dæmone deluſos fuiſſe, quemadmodum ipſe viderat. Nimirum callidus ſerpens ſtudet obturare aures peccatorum, ne vocem incantatorum audiant, Concionatorum videl. iuxta id Pſal. 57. *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas.* Fertur enim vulgò facere hoc ſerpens, vt eludat incantatorem; quem profectò imitantur, qui ad ſomnum ſe componunt, cùm ad concionem componit ſe prædicator.

Docet tertiò, exemplum illius Eutychij, 3. quem diximus ſub concione S. Pauli, *Cùm mergeretur ſomno graui ſuper feneſtram; ductum ſomno* (græcè habetur, *victum ſomno*) *cecidiſſe de tertio cœnaculo deorſum, & ſublatum eſſe mortuum,* Act. 20. Quod ſine dubio à Deo permiſſum in pœnam ſomnolentiæ illius, & in cautelam aliorum; nec non in doctrinam noſtram, vt ſciremus eos, qui concionibus indormire, & aures occludere ſolent, cadere deorſum, hoc eſt, ruere velut cæcos in peccata, quia lapſus ſuos præuidere nequeunt, cùm doceri nolint. Neque mirum, ſi à Deo ruere permittantur; faciunt enim è domo orationis domum dormitionis; dum horam concionis ſomno ſuo deſtinant quaſi ex inſtituto, domi ſuæ tunc nequaquam dormituri.

E. IV. Corpus debitè componendum.

QVARTÒ. Corporis compoſitio decenter obſeruanda & ordo in ſtando, ſedendo, flectendo, eſt enim Eccleſia vt *caſtrorum acies ordinata.* Scimus autem exerceri milites, vt in omnem ſitum ſeſe mox componere, & ſimul omnes quaquauerſùm velut vno corpore inflectere, varijſque modis arma tractare queant, iucundo aliorum ſpectaculo. Ergo ad introitum Miſſæ decet flectere genua; quia ibi repræſentatur Chriſti incarnatio & natiuitas, ab Angelis, Paſtoribus & Magis adorari. Ad epiſtolam ſedere mos eſt, teſte Ruperto *lib.* 1. *cap.* 32. quia repræſentat prædicationem Ioannis; ſub quâ expectabatur prædicatio Chriſti; ſedere autem expectantium eſt. Ad Euan-

Euangelium ſtatur, quaſi ad defendendum illud: *Can. Apoſtolicâ de conſecrat. diſt.* 1. Inde Polonorum mos erat euaginatos gladios manu interim tenere. Alij conſueuerant tunicas exuere, quaſi parati ob Euangelium omnia deſerere. Ad initium Euangelij ſignatur frons, os, pectus; vti Euangelium ne erubeſcamus, ſed ore profiteamur, & corde credamus. Ad eleuationem genua flectuntur vt debitè adoretur Chriſtus: pectus quoque tunditur, vt cum Iudæis ad ſe redeuntibus & pectora ſua tundentibus agnoſcamus, nos peccatis noſtris cauſam paſſionis Chriſti dediſſe. Poſt communionem iterum ſtatur, quia illa repræſentat Chriſti aſcenſionem, quâ factâ audierunt Apoſtoli: *Viri Galilai, quid ſtatis*, &c. Ad benedictionem rurſum flectitur, quia ſignificat Spiritus S. miſſionem ſuper diſcipulos in oratione perſeuerantes factam.

F. V. Finis rei diuinæ expectandus.

QVINTÒ. Finis rei diuinæ expectandus. Docet hoc primò Eccleſiaſticus c. 50. cùm ait tempore ſacrificij Hebræorum permanſiſſe populum in prece, *vſque dum perficeretur honor Domini*, ſeu ſacrificium. At quantò dignius eſt ſacrificium Chriſtianorum ſacrificio Iudæorum?

2. Docet ſecundò ratio & ciuilitas, vt à Chriſto, quem viſuri venimus, non diſcedamus inſalutato, ſeu ante dimiſſionem. Atqui in fine miſſæ primum miſſio plebis fit; cùm dicitur: *Ite miſſa eſt*, id eſt, plebs dimiſſa, vel miſſa peracta eſt. Et tum primùm abituris datur benedictio. Vnde S. Chryſoſt. hom. de non contemnendâ Eccleſiâ Dei ait: *Ingreſſus es in Eccleſiam, ô homo, dignatus es Chriſti conſortio; ne exeas, niſi dimittare. Nam ſi ante miſſionem exieris perinde ac fugitiuus repoſceris. Totum diem in his rebus quæ ad corpus ſpectant inſumis, ad duas horas ſpiritualibus non vacas. Ad theatrum ſape ades, neque inde diſcedis, donec dimittaris; & in Eccleſiam ingreſſus priuſquam diuina myſteria peragantur, abis.*

Docent tertiò SS. Canones. Imprimis ante mille & centum annos in Concilio Agathenſi c. 28. ſtatutum fuit, ne ante benedictionem ſacerdotis populus egrederetur de ſacrificio. Deinde in Concilio Aurelianenſi idem repetitum, vt habetur de Conſecrat. diſt. 1. Can. *Cùm ad celebrandas*. Contrà facientes iubentur ab Epiſcopo publicè confundi. Can. *Miſſas*, de conſecr. d. 1. item communione priuari. Can. *Omnes fideles*, ibid. imò & excommunicari, Can. *Sacerdote, ibid.*

Docent quartò Sanctorum exempla. Præclarum eſt illud S. Æthelredi Anglorum Regis, qui cùm in tentorio miſſam audiret, ſæpius à ſuis monebatur & inuitabatur ad certamen aggrediendum, vtpote ingruentibus iam hoſtibus, Danis; ille tamen conſtanter affirmabat ſe non receſſurum, priuſquam presbyter miſſam abſoluiſſet. Quod ei plurimum eâ die profuit, victo ſcilicet aduerſario, hoſte potentiſſimo. Baron. anno 871. Iucundũ verò eſt illud, quod exhibuit S. Ioannes Eleemoſynarius Patriarcha Alexandrinus; videns enim populum ſuum audito Euangelio mox egredi ab Eccleſiâ, ipſe ſacris operans, interruptâ celebratione ſequi egredientes cœpit, & in medio illorum conſedit; mirantibuſque ipſis: *Filij*, inquit, *Vbi oues, ibi & paſtor. Aut igitur intrate mecum denuo in Eccleſiam, aut vobiſcum hîc manebo.* Hac ergo ratione pudorem populo iniecit, vt impoſterum niſi peracto ſacrificio non egrederetur, Leontius in vitâ eius. Ergo Auditores, *ſi hac ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea.* Ioan. 13.

CONCIO III.

Defectus orationis Phariſæi.

Aſſignantur tria orationis illius membra in quibus peccauit:

1. *In primo peccauit recenſendo opera ſua bona, malo fine, adſcribendo ea ſibi, iactantiam ſuam palliando, & magni æſtimãdo quæ non erãt magna.*
2. *In ſecundo peccauit amouendo à ſe peccata, ea quæ grauia tantum quibus proximus offenditur, non agnoſcendo occulta ſua.*
3. *In tertio, comparando ſe cum Publicano, proximum temerè iudicando, accuſando, & contemnendo item extollendo ſe ſuper alios.*
4. *Explicatur in quo bona fuerit oratio Publicani.*

THEMA.

Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat. Luc. 18.

MIrabile Dei iudicium cernimus, Auditores, in hodierno Euangelio. Nam (vt ait S. Chryſoſtomus hom. 4. de verbis Iſaiæ, Vidi Dominum;) *Peccator iuſtum ſuperauit, Publicanus Phariſæum, & verba factis fuere ſuperiora. Quomodo verba? Publicanus dicit: Deus propitius eſto mihi peccatori. Phariſæus dicit: Non ſum ſicut cæteri homines: rapax, auarus; ſed quid: Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do de facultatibus meis. Phariſæus opera iuſtitiæ præſtabat: Publicanus verba dicebat modeſtiæ; & verba plus potuerunt, quam facta: tantuſq; theſaurus cũ contumelia reijcitur, & tanta inopia in diuitias cõmutata eſt. Venerũt duæ naues habentes onus, ambæ portũ ingreſſæ ſunt, ſed Publicanus pulchrè in portum appulit: Phariſæus autẽ naufragium perpeſſus eſt.* Hæc Chryſ. qui in memoriam mihi reducit, quod contigit S. Ignatio Loyolæ, è terrâ ſanctâ in Italiam redituro, *in hiſtor. Societatis l. 1. n. 41.* Nauigaturus enim duo Chriſtianorum nauigia (præter vnũ Turcicum, quod in itinere perijt) in portu offendit, vnũ Venetum, firmum ac magnum prædiuitis mercatoris; alterum puſillum vetuſtate carieq; fatiſcens: Porrò in magnum ac robuſtum illud admiſſus non eſt Ignatius, quod diceret ei nauarchus, ſanctis nauigio opus non eſſe. Aſcendit ergo in paruum. Mirum dictu: Veneta nauis propè Cyprum alliſa in ſcopulos naufragium fecit; paruula & malè cohærens, in quâ Ignatius fuit, curſum incolumis tenuit. Idem omninò euenit in hodierno Euãgelio. Nauis Phariſæi magna & inſtructa bonorum operum apparatu, ecce tibi, naufragium fecit. Nauicula Publicani peſſimè cohæ-

cohærens, ſaluâ in portum ſalutis venit. *Deſcendit enim hic iuſtificatus in domũ ſuam ab illo*: Sed videamus nunc, quid defuerit Phariſæo.

Tria orationis illius membra ſunt, in quibus variè peccauit; In primo opera ſua bona recenſet, in ſecundo amolitur à ſe peccata, in tertio comparat ſe Publicano.

B. I. *Peccat recenſendo opera ſua bona.* In PRIMO membro peccauit. Primò; quia in oratione recenſet opera ſua bona malo fine, ſcilicet ad ſe iuſtificandum. Non eſt quidem ſemper malum enarrare opera ſua bona; ſed licitum & bonum, quando id fit ad Dei gloriam vel proximi vtilitatem, quemadmodum fecit Iob, Ezechiel, Paulus. *Malo fine.* Sed nihil horum vrgebat Phariſæum ad prædicanda opera ſua. Merâ ergo vanitate agitatus placuit ſibi in operibus ſuis, velut pauo in caudæ pennis, cùm eam expandens ſemetipſum in eâ contuetur. Hanc ob cauſam Phariſæus ſtetit prope altare quaſi Dei amicus & iuſtus: quod inde colligitur, quia ſolus Publicanus retro ſtetiſſe dicitur.

Adſcribendo ea ſibi. Secundò. Quia opera illa ſibi adſcribit & propriæ induſtriæ, vti docet S. Gregor. *l.* 23. *Moral. cap.* 4. Non enim ait: non ſum dono tuo & gratiâ tuâ, ſicut cæteri homines; quemadmodum Paulus dicebat: *Gratiâ Dei ſum id quod ſum*; ſed: *nõ ſum ſicut cæteri*, naturam ſuam & ſemetipſum extollens. Gratuita ergo dona pro ſibi debitis reputat, quæ magna ingratitudo eſt, velut ſiquis pro vaſe aureo accepto, gratias ageret quaſi pro argenteo. Hoc eſt *oſculari manum ſuam*, quod vitabat Iob c. 31. velut iniquitatem maximam: *ſi oſculatus ſum manum meam*, inquit, *ore; quæ eſt iniquitas maxima.*

Iactantiā ſuam palliando. Tertiò. Quia ſuam iactantiam & elationem palliat veſte religioſâ, gratiarum actionis: cùm interim ſibi potiùs quàm Deo gratias agat. Quare hypocritam agit & Deo falſam monetā pro validâ obtrudere tentat; ſimilis Spathario illi Totilæ Regis, qui regio Domini ſui cultu adornatus venit ad S. Benedictum, decepturus virum ſanctum vt pro rege ipſo haberetur. Sed deprehenſus à Benedicto rex fictitius audiuit: *Depone, fili, quod geris, quia tuum non eſt.* Simili ſe ſchemate adornant omnes hypocritæ & alienis tecti laruis Deum fallere conantur; ſed audient & ipſi aliquando: Deponite quod geritis, quia non eſt veſtrum. Certè Phariſæum detexit in hodierno Euangelio & fraudem eius oſtendit. Imitantur Phariſæum, qui ſua prædicant opera, mentientes interim ſe non ſuam, ſed Dei gloriam quærere.

Magni æſtimando, quæ non erant magna. Quartò. Quia opera ſua nimis amplificat & maiora æſtimat, quàm ſint. Enarrat enim opera tantùm externa; quæ ſæpe fucum continent; nec ſemper ad ſalutem neceſſaria ſunt; non meminit internorum, fidei, ſpei, charitatis, humilitatis, miſericordiæ, &c. quæ præcipua & neceſſaria ſunt. Facilè tolerat Diabolus opera externa, vt ijs vanam gloriam veneris & ſecurus in peccatis lateas, &c. Deinde credendum ex malâ officinâ, vanæ ſcilicet gloriæ, prodijſſe illa opera, quare laudem non merebantur, ſed potiùs confuſionem. Denique duo tantùm recenſet opera; *Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ poſſideo*; quaſi in his ſolis perfectio conſiſtat. Vbi manet eleemoſyna, orationis ala altera? vbi opera reliqua? Ita nimirum multi ad ſola externa opera attendunt; interna verò negligunt; nec curant, bonâ an malâ intentione ea fecerint; denique modò vnum aut alterum opus faciant, vnum aut alterum præceptum impleant; iam ſe iuſtos reputant, non audientes dicentem Dominum: *Hoc oportet facere, & illud non omittere.* Vnde S. Gregorius l. 19. *Moral.* cap. 17. ait: *Phariſæus ciuitatẽ cordis ſui inſidiantibus per elationem aperuit, quam fruſtra per ieiunium & eleemoſynas clauſit. Incaſſum munita ſunt cætera, cùm locus vnus, de quo hoſti patet aditus, munitus non eſt.* Sic ille.

In SECVNDO membro peccauit. Primò; quia in nullo ſe accuſat, quaſi prorſus innocẽs ſit; cùm tamen Salomon dicat Prouerb. 18. *Iuſtus prior eſt accuſator ſui.* Vnde idem Salomon orationis formulam hanc præſcripſit, in templo vſurpandam: *Peccauimus, iniquè egimus, impiè geſſimus.* 3. Reg. 8. Eademque formula vſi ſunt viri ſancti, vti Daniel c. 9. ſic inchoans orationem: *Peccauimus, iniquitatẽ fecimus, impiè egimus.* Azarias item, *Dan.* 3. *Baruch* c. 1. Certè mendicantes laceris prodeunt veſtibus, & vulnera ac mutila membra ſua oſtendunt, vt prætereuntes ad commiſerationem excitent. Stultus foret, qui petiturus eleemoſyuam annulis & torque aureo ſeſe adornaret. Hoc autem fecit Phariſæus, qui cùm ad Dei beneficia impetranda miſerias ſuas recenſere deberet, recenſet opera bona. C. II. *Amoliendo à ſe peccata.* 2. *In nullo ſe accuſando.*

Secundò. Quia amolitur à ſe tantùm grauia peccata, rapinam, iniuſtitiam, adulterium: non curat leuiora, nec quærit ſe perficere exemplo meliorum; ſufficit ei, qualitercunque ſe purgare intuitu ſordidiorum; adeoque lauat ſe aquâ ſordidâ, & contuetur in ſpeculo polluto, vnde parum admodum ſeſe purgat. Apoſtolus ad Galat. 6. ait: *Opus ſuum probet vnuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & nõ in altero. Senſus iſte eſt*, inquit S. Hieronymus ibi: *tu, qui te æſtimas ſpiritualem, & de alterius infirmitate robuſtior es, nõ debes imbecillitatem iacentis, ſed tuam fortitudinẽ conſiderare. Athleta non ideo fortis, quia vicit infirmũ, & languida aduerſarij mẽbra ſuperauit: ſed ſi robuſtus eſt; & in ſuâ foritudine, non in infirmitate alterius gloriatur.* Non ero ſtatim ſanctus, & placens Deo Phariſæus, quia nec raptor, nec iniuſtus, nec adulter. Alij enim curſim, alij pedetentim pergunt ad infernum. Sufficit aucupi, ſi falconem vno pede ligatum teneat, licet cætera liberum: ita & dæmoni, ſi vel vnâ, leuiore licet, culpâ mortali illigatum te ſciat. Quare vt Apoſtolus monet *ad Philip.* 3. non, *quæ retrò ſunt, ſed quæ ante nos*, conſideranda: meliores imitandi ſunt, nõ deteriores ſuperandi. Phariſæum imitantur, qui de leuioribus peccatis increpati obijciunt: non ſum fur, non homicida, non adulter. Quaſi verò minoribus etiam peccatis, quàm ſint hæc, non pateat atri ianua Ditis. *Amoliendo à ſe grauia tantùm.*

Tertiò.

3. *Ea ſolum, quibus proximus offenditur.* Tertiò. Ab ijs tantùm peccatis ſe purgat, quibus proximus offenditur; cæterorum quibus Deus offenditur, non meminit, quaſi ea nihili æſtimet. Sic enim ij, qui non Deum, ſed homines dumtaxat, & magiſtratum timent, ſoli ea peccata æſtimant & cauent, quæ in proximi iniuriam cedunt; Metuunt enim, ne ab illis eandem menſuram recipiant, vel deferantur ad magiſtratum. Dei verò iniurias, (quem longiùs à ſe diſtare putant, nec ſtatim ſe vlciſci, nec ab alijs vindicari vident) non curant. Hanc, arbitror, ob cauſam arguit Dominus Phariſæos, *Matth.* 23. dicentes: *Quicunque iurauerit per templum, nihil eſt, qui autem iurauerit per aurum templi, debitor eſt.* Mos enim erat apud Iudæos, vt tam inopes quàm opulenti res ſuas deponerent in templum, velut locum tutiſſimum vt patet *l.* 2. *Machab. c.* 3. vt docet ibi Serarius. Ergo per hoc aurum proximorum iurare graue erat Iudæis; per templum autem Dei iurare, nihil erat. Sed quid Dominus ad hæc? *Stulti & cæci*, inquit, *quid enim maius eſt: aurum an templum, quod ſanctificat aurum?* Quid maius, offendere ſeruum an regem? hominem an Deum?

5. *Nõ agnoſcendo occulta ſua.* Quartò. Non orat vt cætera peccata, quæ in ſeipſo non cernebat, Deus remittat. Sanctiſſimi autem viri, licet non viderent in ſe peccata, nihilominus metuebant, ne occultis eſſent obnoxij. Ita S. Dauid, cùm dixiſſet Deo, ſe cuſtodire mandata eius, cum timore, ſubdit *Pſ.* 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Corrigit enim ſeipſum. q.d. dixi me cuſtodire mandata tua; ſed addo nunc; quantum patitur humana fragilitas. Ita S. Paulus 1. Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum*, ait, *ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Vnde S. Baſilius conſtit. monaſt. cap. 1. ait; *Cùm in multis rebus offendamus omnes, maiorem tamen offenſarum partem ne intelligimus quidem. Idcircò Apoſtolus dicebat: nihil mihi conſcius ſum, &c. Concludit demum: Quare nihil mentitus ſis, ſi te peccatorem appellaueris.* Hoc eſt, quod aduertere debebat Phariſæus.

D. III. Comparando ſe cum Publicano. 1. *Proximũ temerè iudicando.* In TERTIÒ, membro peccauit. Primò. Quia proximum ſuum temerè iudicat. Arguit enim Publicanum & cæteros homines, rapinæ, iniuſtitiæ, adulterij; quod tamen ſcire illius tantùm eſt, qui rimatur corda. Quare raptorem ſeipſum conſtituit duplici de cauſa. Primò, quia arrogat ſibi id quod Dei eſt, ſcire vias hominum. Secundò, quia abſque cauſa rapit exiſtimationem proximo in corde ſuo. Tametſi enim in Publicano nihil boni vidiſſet, non debebat tamen de eo ſiniſtrè ſentire, quantò magis, cùm vidit eum in templum veniſſe? Debebat enim cogitare, ideò acceſſiſſe, vt veniam peccatorum ſuorum à Deo poſtularet. Quanta hæc peruerſitas, ex bonis indicijs malum ominari? Audi Phariſæe Apoſtolum ad Rom. 2. *Propter quod*, inquit, *inexcuſabilis es ô homo, omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas; eadem enim agis, quæ iudicas.* Raptorem dicis Publicanum, & tuipſe in duplo raptor euadis.

Secundò. Quia proximum accuſat apud Deum, Diabolum imitans, qui *accuſator fratrum noſtrorum* dicitur Apocal. 12. quod in conſpectu Dei accuſet homines. Imò peior dæmone eſt; Dæmon enim non fratres ſuos, ſed noſtros tantùm, quibus infenſus eſt, accuſat. Licet Deus ſummè oderit peccata; vult tamen à nobis aliorum peccata potiùs excuſari quàm accuſari, quemadmodum Chriſtus fecit in cruce orans pro crucifixoribus ſuis: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Ita Sara filia Raguelis, cuius ſeptem viros, quibus fuit tradita, dæmon occiderat, in ſua oratione non accuſauit viros illos; ſed ſub dubio: *Aut ego*, inquit, *indigna fui illis, aut illi forſitan me non fuerunt digni: non eſt enim in hominis poteſtate conſilium eius.* Et mox; *non enim delectaris in perditionibus noſtris.* Quia ergo Deus non delectatur in perditionibus noſtris, pari ratione non delectatur in accuſationibus noſtris. 2. *Eundem accuſãdo.*

Tertiò. Quia proximum contemnit, cùm dicit: *Velut hic etiam publicanus.* Commune eſt hoc ſuperbis. Vnde Dauid *Pſ.* 9. dixit: *Cùm ſuperbit impius, incenditur pauper*: quaſi tam duris verbis ſuperbus in pauperes incurrat, vt non tam conuitia quàm incendia in eos iacere videatur. Quamobrem ſuperbia ab eodem Dauide *Pſal.* 73. *fumus* appellatur. Vbi enim nos legimus: *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper*, ibi alij legunt. *Fumus eorum, qui te oderũt.* Vt ergo fumus homines ex ædibus pellit: ita ſuperbia proximos vexat, pellit & affligit, vt difficile ſit ſub eodem tecto commorari cũ ſuperbo. Non eſt contentus ſuperbus vt fumi inſtar aſcendat ſupra alios, inſuper & vexare ac deſpicere alios debet. Ita Phariſæus iſte nõ ſat habuit ſe iactaſſe; debuit præterea contemnere Publicanum. Ita etiam Agar non potuit de ſua fœcunditate gloriari, quin etiam aduerſus dominam ſuam ſuperbiret; ſiquidem concepiſſe ſe videns, *deſpexit dominam ſuam.* Gen. 16. Pari modo Phenenna fœcunditate tumens, ſterilitatem Annæ contempſit, 1. *Reg.* 1. Quam ob rem putatis Goliathum non eduxiſſe gladium ſuum contra Dauidem in duello? Ait enim ſcriptura Dauidem eduxiſſe gladium è vagina Goliathi iam proſtrati. Nimirum ſuperbus Goliath de viribus ſuis præſumens, contempſerat Dauidem, adeò vt indignum ſua virtute putaret, ferrum contra eum ſtringere. 1. *Reg.* 17. Ita nimirum ſuperbi dedignantur aſpicere inferiores, & cum eis loqui aut incedere. 3. *Eundem contemnendo.*

Quartò. Extollit ſe ſuper alios; quaſi omnibus melior eſſet: *Non ſum ſicut cæteri hominum raptores, iniuſti, adulteri*; hoc ipſo per arrogãtiam ſimilem ſe iis faciens. Vnde de ſuperbis dixit *Iſa. c.* 34 *Deſcendent vnicornes cum eis.* Cum vilibus ſcilicet & abiectis in infernum; vt ibi Liranus & Cornelius. Vnicornes autem vocantur ſuperbi, quia ſicut illi ſolitarij vagantur, capita ſublimia ferentes & aliorum conſortia declinantes: ita ſuperbi nolunt eſſe inter homines, ſed ſupra homines: omnia infra ſe, vix aliquid iuxta ſe habere volunt. Hinc precatur idem Dauid *Pſal.* 21. *ſalua me ex ore leonis,* 4. *Extollendo ſe ſuper alios.*

& à cornibus vnicornium humilitatem meam. Quem enim aliàs vincere nequit dæmon, ſæpe elatione vincit & cornibus vnicornium ferit. Hercules Antheum terræ filium (vt fingebant Poëtæ) vincere non poterat, cùm ad terram proſterneret, inde enim vires Antheus velut à matre terrâ ſumpſit. At in ſublime elatum non difficilè ſtrangulauit. Sic Phariſæus iſte, qui vinci non poterat à dæmone in luxuria & rapinâ, victus eſt in ſuperbia. Hinc Dominus *Luc.* 12. monet: *nolite in ſublime tolli.*

F. IV. Publicani oratio bona. Vidimus, quid merſerit nauim Phariſæi; videamus etiam breuiter quid ſeruarit nauim Publicani. Publicanus igitur primò nulla ſua recenſet merita, non humilitatem, non verecundiam, non pœnitentiam ſuam; nec alia opera priùs facta. Vnde retrò ſtat. Deinde peccatorem ſe fatetur, peccata ſua non alteri, ſed ſibi tantùm adſcribit, & propterea percutit cor ſuum & præ pudore non audet oculos leuare. Tertiò Phariſæo ſe non comparat, multò minùs præponit; imò retrò ipſum ſtat, non ſiniſtrè de ipſo ſentit. Et deſcendit hic præ illo iuſtificatus in domum ſuam. Phariſæus cum Simone illo Mago in altum euolauit, & ad terram deiectus eſt: Publicanus humi repens, in altum euectus eſt. Ille naufragium fecit, hic ſaluus & incolumis appulit. Ergo, Auditores, caueamus nauim Phariſæi, publicani nauim inſcendamus, vt non in alto periclitemur, ſed in humili ſaluemur.

CONCIO IV.

De varijs orandi ritibus.

1. *Quæritur, Cur clarâ voce oremus, ſaltem in oratione communi.*
2. *Cur viri denudent caput.*
3. *Cur iungamus manus.*
4. *Cur flectamus genua.*
5. 6. & 7. *Cur proſtrato corpore oremus inclinando caput, & ſubinde ſtantes.*

THEMA.

Publicanus à longè ſtans nolebat nec oculos ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum. Luc. 18.

A MAgnus ille orator & obſecrator, Dauid, Auditores, nequaquam ſatis habuit, quomodocunque & ſimpliciter orare; ſed adhibuit cantum & muſicum inſtrumentum. Ita enim ipſe ait Pſal. 70. *Pſallam tibi in cithara.* Et Pſal. 143. *In pſalterio decachordo pſallam tibi.* Itaque & ore precatus eſt, & voce cecinit, & manu citharam percuſſit, atque vt ea bene ſonaret, priùs attemperauit. Quâ re, niſi fallor, voluit nos docere vt ne ſatis eſſe putemus, ſolâ mente aut voce orare; ſed vt vocali orationi decentem quoque adhibeamus corporis compoſitionem, quaſi citharam quandam bene attemperatam & ſcitè pulſatam; quo & mente & corpore orare videamur. Idipſum in hodierno Euangelio docuit nos Publicanus, qui non ſolùm voce orabat, ſed prætereà à longè ſtabat quaſi indignus Dei conſpectu; deinde oculos demittebat quaſi indignus qui cœlum aſpiceret; denique percutiebat pectus ſuum, quaſi citharam, videlicet vt bene Deo ſonaret. Hos & his ſimiles ritus adhibebant orationi alij quoque viri deuoti. Præter enim vocalem orationem, alij genua ſubmittebant, alij manus iungebant & in cœlum tollebant; alij ſe in terram proſternebant, alij pectus tundebant, plerique omnes caput nudabant; atque ita mẽbra corporis ſui ad orationem componebant, vt voce ſimul & citharâ, ſeu mente ſimul & corpore Deum exorarent. Quoniam igitur hi ritus nequaquam vani aut pueriles ſunt, ſed magnâ ratione nituntur, à nobis explicandi ſunt.

PRIMÒ, Clarâ voce oramus, ſaltem quando communis eſt oratio, quæ per miniſtros Eccleſiæ in perſonâ totius populi offertur. Cuius rei triplicem rationem affert S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *art.* 12. Primò fit ad excitandam interiorem deuotionem, quâ mens orantis eleuetur in Deum; ſiquidem per exteriora ſigna ſiue vocum ſiue aliarum rerum mouetur animus ſecundùm apprehenſionem & per conſequens ſecundùm affectionem; vti docet S. Aug. *ep.* 121. *ad Probam.* Ipſa enim vox dum in auribus reſonat, animum ad attentionem excitat, & ad deuotionem ſtimulat. B. I. Cur clarâ voce oremus. 1.

Secundò. Ad reddendum Deo debitum, vt homo ei ſeruiat tam corpore quàm mẽte; quia vtrumque ab eo poſſidet. Atque hoc eſt ſacrificium, quod requiſiuit Deus, *Oſe.* 14. ab Hebræis ad iram ſuam placandam: *Tollite vobiſcum verba,* inquit, *& conuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Qui ſunt vituli labiorum, niſi verba deprecatoria, humilia & lachrymoſa, quæ afferri iubet Deus ad ſedandam iram ſuam? Ita enim eum textum exponit S. Thomas loco citato. Si ſola hominis mens eget Dei auxilio, ſola ipſa oret; at ſi Dei ſubſidio eget etiam corpus, ipſum quoque oret: quod facit oratione vocali. Anima hominis indiget remiſſione peccatorum, gratiâ, perſeuerantiâ, illuſtratione, directione, gloriâ. Corpus eget cibo, veſtitu, ſanitate, protectione, &c. Vtrique ergo mendicandi neceſſitas incumbit. 2.

Tertiò. Ob quandam redundantiam ab anima in corpus ex vehementi affectione, ſecundum illud Pſal. 15. *Lætatum eſt cor meum & exultauit lingua mea.* Si enim Domino aſſerente, *ex abundantiâ cordis os loquitur:* quid mirum, ſi deuotio cordis ſupereffluat in os? 3.

SECVNDÒ. Caput denudamus viri dum oramus, velant verò mulieres, vti præcipit Apoſtolus 1. *Cor.* 11. Primò ob virorum præcellentiam, quia ſunt *imago & gloria Dei,* ait Paulus, hoc eſt, glorioſa Dei imago, in quâ maximè elucet Dei maieſtas & imperium. Eſt enim vir non ſolùm ſecundum intrinſecam rationem imaginis, quæ conſiſtit in intelligentia & libero arbi- C. II. Cur caput nudemus viri.

Google

arbitrio, Dei ſimilis: ſed etiam ſecundum intrinſecam, quæ eſt independentia à creaturis ſeu abſolutum ſuper illas omnes dominium, ratione cuius eſt quaſi Deus quidam terreſtris, dominans omnibus, etiam mulieri. Mulier verò etſi in ratione illa intrinſecâ Dei imago eſt, non tamen in hac extrinſecâ. Itaque vir propriè *imago & gloria Dei eſt*, mulier autem gloria viri. Cùm ergo Dei gloria reuelanda, hominis verò gloria occultanda ſit, decet virum orare detecto, mulierem verò cooperto capite. Ita ratiocinatur Apoſtolus. Adhæc quia pileus, ſeu velamen quoddam capitis ligamen eſt, non decet virum omnibus creaturis præpoſitum, ligatum eſſe dum orat & cum Deo agit: decet verò mulierem; quia viro ſubiecta eſt.

2. Secundò. Ob diuinæ maieſtatis reuerentiã. Ab antiquis enim temporibus ferè apud omnes gentes vſus obtinuit, vt quem honorare volumus, ei caput aperiamus; hoc ergo multò maximè decet facere Deo. Sanè Albertus Crantzius in ſua Wandalia aſſerit Oratorem Italum, eò quòd caput ſuum coram Principe Moſcouitarum non nudaſſet, crudeliter fuiſſe interemptum. *Cùm enim Orator patriæ ſuæ conſuetudinem (quâ nullius dignitas vel maieſtas tecto capite orantis offendi putaretur) allegaret efferus Princeps ferreo clauo tegumentum cerebro affigi iuſſit, irriſoriè aſſerens ſe ritum huiuſmodi tali memoriâ non violaturum, ſed confirmaturum.* Ita refert Olaus M. l. 11. Seuerior quidem æquo hæc mulcta fuit; ſi tamen ſimili irreuerentiâ cum Deo ageremus nec dignaremur coram eo aperire caput, non video quomodo tali mulcta non plectendi videremur. Si enim iſtud facimus viro paulò honoratiori Deo non facimus? Et ſi cæleſtis aulæ Præpoſiti, Cherubini & Seraphini cum timore & tremore, toti ad reuerentiam compoſiti aſſiſtunt coram Deo (vt aliàs oſtendimus) non id faciemus nos huius mundi ſtabularij?

3. Tertiò. Ob orationis conditionem, quæ tam aperta, candida & æqua eſſe debet, vt non refugiat audiri & videri ab vniuerſo mundo. Decet noſtra oratione proximum ædificari, vt ex ipſa corporis compoſitione animaduertat nos cum Deo ac ſicut fas eſt, loqui de rebus ſeriis & magnis: decet etiam vt nil aliud petamus, quam quod æquum & ſalutare eſt; proinde etiam decet vt oratio externum candorem in orante præſeferat: hinc non tecto aut velato, ſed aperto capite oramus. Gentilis ille Seneca epiſt. 10. ſcripſit: *Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat: ſic loquere cum Deo tanquam homines audiant.* Vult dicere, tam æqua & ſeria, tanta cum diſcretione, cautelâ & reuerentia à Deo petenda eſſe, vt totus mundus inſpector orationis eſſe poſſit. Non ergo tecto capite & animo, ſed aperto vult orandum eſſe.

D. III. Cur iungamus manus. Tertiò. Iunctis manus attollimus. Ita oraſſe Dauidem diſcimus ex pſalmis. Etenim Pſal. 87. ait: Et *Clamaui ad te totâ die; expandi ad te manus meas.* Et Pſ. 140. *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Et Pſal. 142. *Expandi manus meas ad te.* Ita Moyſes, *Exod.* 17. orauit in vertice collis & quamdiu leuauit manus, tamdiu vincebat Iſrael: cùm remittebat manus ſuperabat Amalec. Ita etiam Salomon 3. *Reg.* 8. & 2. *Par.* 6. Denique eo ritu omnes ferè gentes orare conſueuerunt. Sic enim Ariſtoteles lib. de mundo c. 7. ait. *Omnes homines ad cœlum manus tollimus, preces facturi.* Apuleius etiam lib. de mundo: *Habitus*, inquit, *orantium hic eſt, vt manibus extenſis ad cœlum precemur.* Idem præcipit Apoſtolus 1. Tim. 2. dicens, *Volo viros orare in omni loco, leuãtes puras manus.* Euſebius quoque *l. 4. de vita Conſtantini c. 28.* recitat legem Conſtantini, quâ iuſſit etiam gentiles feriari die Dominico & vota ſua Deo nuncupare manibus æquè ac animis in cælum eleuatis. Porrò in hunc modum oramus variis de cauſis. Primò; quia hic habitus eſt ſupplicis & petentis veniam atque auxilium, quo modo naufragi manus extendunt, ſubſidium quærentes. Ipſa verò manuum conſertio indicat nos aliquid admiſiſſe, propter quod manus noſtræ velut malorum operum inſtrumenta ligari debeant, vti docuit Nicolaus Papa ad Conſultationes Bulgarorum. *Quia in Euangelio*, inquit, *reproborum ligari manus & pedes reperiuntur, quid aliud iſti aguit, qui manus ſuas quodammodo ligant, niſi Domino quodammodo dicant: Domine, ne manus meas ligari præcipias vt mittas in tenebras exteriores: quoniam ecce ego iam eas ligaui, & ecce in flagella paratus ſum.* Similiter Tertullianus Apol. 30. *Paratus eſt*, inquit, *ad omne ſupplicium ipſe habitus orantis Chriſtiani; quaſi dicat: Necte & plecte, ſi vis; aut certè miſerere.* 1.

2. Secundò. Vt indicemus nos de cœlo expectare opem, dum verſus cœlum manus tollimus, quaſi inde eleëmoſynam capturi; quâ ratione ſcribunt Cynocephalum ſtatis temporibus anteriores pedes velut manus ad orandum erigere verſus Lunam, à cuius incremento & decremento ipſius valetudo pendet, teſte Pierio *l. 6. Hierogl.* Propterea Salomon 3. *Reg.* 8. dum oraret, dicitur in cœlum expandiſſe manus ſuas; quia videlicet à cœlo vidit dependere ſuam fœlicitatem; illuc igitur extendit manus, vnde opem expectabat; mendicorum inſtar, qui ad tranſeuntes diuites manus ſuas tendunt.

3. Tertiò. Vt eâ eleuatione demonſtremus, nos ita Deo offerre orationem & cor noſtrũ, quo modo eleuamus & offerimus noſtras manus; vt docet Clemens Alexand. *lib. 7. Strom.* Vidit hoc vel ipſe Xenophon l. 9. Cyropædiæ: *Manus, ait, ſuſtollimus in cœlum; quo habitu teſtamur nos vel orationem tanquam munus iucundiſſimum Deo offerre: vel cor quaſi donum eximium, attollere ad Deum.* Ita ſuadet Ieremias Thren. 2. *Cõſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarũ: effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini: leua ad eum manus tuas.*

4. Quartò. Vt affectum noſtrum exprimamus & deſiderium rerum cæleſtium, quas petimus & deſideramus, quaſi eas manibus iam iam comprehenſuri, & vim facturi. Ita feciſſe Bebianum Conſulem moriturum, cùm ei ſe videre

dendum Deus exhiberet, habet carmen de ipſo conſcriptum, in Bibliotheca SS. Patrum tom. 8.

5. Quintò: Vt teſtemur, nos velle ac debere orationi iungere manus, hoc eſt, bona opera. Rectè Bias, Græcorum Sapientum vnus, (apud Stobæum) dixit eos, qui ſibi mentem à Deo bonam dari precarentur, nec tamen diſciplinam capeſſerent, parum cordatos eſſe. *Quando neque vt pictor quiſque bonus euadat, dari ſibi à Deo bonos colores, & lineam optat; quin magis artē perdiſcit. Sicut nec votis proficit, qui Muſicus eſſe cupit, niſi artem cōſectetur. Adeò nihil prodeſt circa preces occupari, niſi rectè viuendi ſtudio tenearis.* Sic ille. *Eleuat* ergo *manus*, inquit Origenes hom. 11. in Exod. *qui theſaurizat in cœlum; vbi enim theſaurus eius, ibi & oculus eius, ibi manus eius.* Et S. Auguſtinus ſer. 39. de temp. *In manibus*, inquit, *opera debemus accipere. Si ergo talia ſunt opera tua, vt illa poſſis in altum in conſpectu Domini leuare, potes etiam & tu in teipſo aduerſarios tuos extinguere. Quis bene manus leuat, niſi qui per eleemoſynam in cœlo iugiter theſaurizat? Quis ergo bene manus leuat, niſi qui aſſiduè victum ac veſtitum pauperibus ſubminiſtrat? Quis bene manus leuat? Ille vtique, qui implet illud Apoſtoli: Eleuantes, inquit, puras manus ſine ira & diſceptatione.* Econtra ſi ad peccata & iniurias proximi manus eleuemus, iure de nobis conqueri Chriſtus poteſt, dicereque id, quod ſcribit B. Hippolytus lib. de conſum. ſæculi: *Ego*, inquit, *manus veſtras feci, vt ad preces & orationes extenderetis eas; at vos ad rapinas & cædes & mutuas occiſiones extendiſtis.*

Eadem ferè ratio eſt expanſionis manuum in formam crucis, niſi quòd hæc præterea ad imitationem Chriſti crucifixi nos conformat, eiuſque merita Patri velut efficaciſſimum ad impetrandum medium ante oculos ponit. *Extenſio manuum*, inquit S. Ephrem tom. 2. paræneſi 1. *eſt crucis figura.*

E. IV. Cur flectamus genua.

QVARTÒ. Flectimus genua. Id feciſſe legimus Salomonem in templo orantem, 3. *Reg.* 8. Danielem, *Dan.* 6. ipſum Chriſtum, qui in monte Oliueti poſitis orauit genibus; deinde S. Iacobum, fratrem Domini, qui ex crebra genu flexione cōtraxit genua calloſa inſtar Cameli: S. Bartholomæum, qui centies per diem, & centies per noctem flexis orabat genibus; quemadmodum & S. Martham. Idem apud gentiles in more poſitum fuiſſe oſtendunt milites, qui genu flexo Chriſto illudebant: Amazonum Regina, quæ ante Victorem Herculem flexis procubuit genibus, apud Senecam in Hercule furente: Actæon apud Ouid. *l.* 3. *Metamorph.*

Id verò facimus primò in ſignum humilitatis, quâ nos Deo ſubiicimus, & ſubiectos exhibemus. Hac enim flexione aliquid de corporis proceritate nobis demimus, & tantò breuiores ac quodammodo deſpicatiores euadimus, quantò altiores ſumus, dum ſtamus. Ac quoniam Deo omnibus titulis ſubiectiſſimi ſumus, iure meritò non vnum dumtaxat, ſed vtrumque genu curuamus ante ipſum; id quod etiā Salomon expreſsè feciſſe ſcribitur, 3. Reg. 8. *Vtrumque enim genu in terram fixerat*, inquit ſacer textus. Quare S. Chryſoſtomus ſub ſacro officio luſtrans populum, ſi quem inueniſſet, in vnum tantùm genu procidiſſe, baculo percutiebat. Chauaſſ. *de prud. l.* 1. *c.* 9. Vox Dei imperantis eſt; *Mihi curuabitur omne genu*, Iſa. 45.

Secundò. In ſignum feruentis orationis. Cùm enim rem grandem petere, vel ſæpiùs repulſi ſeriò, & feruenter, ac cum lachrymis orare volumus, in genua procumbimus. Ita Daniel, quando magno affectu Dei implorabat opem, flectebat genua ſua, & adorabat, *Dan.* 6. Stephanus feruenti oratione pro inimicis ſupplicare cōtendens (vt obſeruat Aug. *ſer.* 237. *de tēp.*) poſitis genibus orabat, *Act.* 7. Paulus valedicturus optimis amicis in littore poſitis genibus orabat, *Act* 21. & cùm rem grandem vellet impetrare: *Huius rei gratiâ*, inquit, *flecto genua mea ad Deum patrē Domini noſtri Ieſu Chriſti*, ad Eph. 3. Petrus, cùm voluit Tabithæ extinctæ vitam impetrare, ponens genua orauit, *Act.* 9. ſimiliter cùm Simonem Magum, volare præſumentem, ex aere deiicere. Scribit Euagrius *l.* 6. *hiſt. c.* 11. circa annum Dom. 588. milites quoſdam contra Ducem Philippicum, quem iurauerant, nunquam ſe recepturos in Ducem Syriæ, ſeditionem mouiſſe. Quod audiens S. Gregorius Patriarcha Antiochenus, profectus eſt ad eos, & habito ſermone ad pacem & quietem eos cohortatus eſt, ſoluitque à iuramento. Cùm verò illi nondum acquieſcerent, proſtratus in genua ſua pacem ab eis petiit. Ergo hac demiſſione victi obtemperauerunt eius voluntati in omnibus. Credendum itaque Dei quoque iram huiuſmodi precatione expugnari poſſe.

Tertiò. In ſignum miſeriæ humanæ, quam incurrimus per lapſum primorum parentum. Tunc enim à culmine ſummi imperij deiecti ſumus in exilium & ſeruitutem, factique ſimiles brutis; & qui cum Deo & Angelis conuerſari debebamus, humi inter beſtias repere, & beſtialem vitam agere cœpimus. Deiicimus ergo nos in terram, orantes, vt miſerum noſtrum ſtatum & cōfiteamur, & Deo repræſentemus; idque facimus per ſex hebdomadæ dies Dominica die ad orandum ſurgimus, vt reſurrectionem noſtram à lapſu exprimamus.

Quartò. In ſignum obedientiæ, quâ parati ſimus ad excipiendas plagas, quas meruimus, nec non ad crucem & iugum Chriſti ferendū. Ferunt Camelum, cùm onerandus eſt, in genua ſubſidere, ideoque dictum Camelum à græco χαμαὶ, hoc eſt, humile, vel à camor, quod eſt, curuum, ait Iſidorus *l.* 12. *Etymol. c.* 1. Ita ſe proſtrauit Dominus in Olíueto, cùm in ſe decretum crucis ac paſſionis à patre ſibi impoſitum ſuſciperet: cuius etiam onere depreſſus procidit in faciem. Huius ergo exemplo & nos procumbimus in genua, vt paratos nos exhibeamus ad faciendum & ferendum, quidquid nobis impoſuerit Deus.

F. V. Cur proſtrato

QVINTÒ. Proſtrato corpore oramus, vti miniſtri altaris in die Veneris ſancto & ſabbato S. Paſchatis. Sic oraſſe Dauidem pro ſalute filij

corpore externus. filij colligimus ex 2. *Reg.* 12. idemque alibi ſcribit: *Adhæſit pauimento anima mea*, Pſ. 118. & pſ. 43. *Adhæſit in terra venter noſter.* Hunc porrò

1. in modum oramus: Primò, vt nos cinerem & puluerem adeoque coram Deo præſertim; nihil eſſe profiteamur, dicendo quaſi cum Abrahamo: *Loquar ad Dominum, cùm ſim puluis & cinis.* Gen. 18. Et cum Iob c. 42. dicente: *Idcirco me reprehendo in fauilla & cinere.* Sic 24. ſeniores, *Apocal.* 4. procidebant ante thronum Dei in facies ſuas, mittentes coronas ſuas ante thronũ; eâ cæremoniâ Dei maieſtatem ſuamque prauitatem proteſtantes omniaque Deo accepta ferentes ſi faciût ſummi ſancti, Dauid, Abraham, Iob: quid nos terræ vermiculi & peccatores?

2. Secundò. Vt Dei iram mitigemus, dum nos ad pedes eius abijcimus. Si enim Leo generoſum animal, proſtratis parcit, ſperamus etiam Deum nobis reconciliandum, cùm proſtrati ipſum oramus, vt qui iam non pugnare volumus, ſed gratiam imploramus. Sic Theodoſius Imp. pœnitentiam in Eccleſia egit de imperata Theſſalonicenſium cæde, ante altare proſtratus, ſuffuſus lachrymis, teſte Baron. anno 390.

3. Tertiò. Vt gratiam & quæ poſtulamus; efficaciùs impetremus. Solent ipſi canes, cùm à certo loco vel domino ſuo abigi nolunt, humi ſe proſternere, vt vel ab inuitis tolerari debeant. Ita S. Antonius ante cellam S. Pauli Eremitæ; cùm non admitteretur, iacuit ſex horis dicens, ſe nequaquam receſſurum, ſed ibi moriturum potiùs, ſi excluderetur, apud D. Hieron. in vita Pauli. Ecebolius ille, Eccleſiæ deſertor, pro foribus templi ſe proſtrauit, clamans ad tranſeuntes: *Quaſi ſal infatuatum pedibus me conculcate, dummodo in Eccleſiam recipiatur:* Baron. anno 362. Legio illa Chriſtiana, dicta fulminatrix in caſtris M. Aurelij Imp. ſummis in anguſtijs, rogata ab imperatore, vt deſperatis in rebus (incluſus enim Imp. erat ab innumerabili Barbarorum exercitu) inuocaret Deum ſuum, proſtrauit ſe in facies, & impetrauit exercitui Rom. frigidiſſimum imbrem, in hoſtes verò mixtam fulminibus grandinem, peperitque Imperatori victoriam, teſte S. Iuſtino *in Apologia.*

G. VI. Cur inclinemus caput. Sextò. Inclinamus caput, & incuruamus corpus, oculoſque in terram demittimus, vti Publicanus in hodierno Euangelio aliique.

1. Primò, vt miſeriam conditionis noſtræ coram Deo agnoſcamus. Etenim infans in vtero matris ita incuruus iacet, vt naſum inter genua, & oculos ſupra genua ponat. Hunc in modum orabat Elias 3. *Reg.* 18. capite inter genua poſito. Erubeſcimus ergo coram Deo ob miſeriam & paupertatem noſtram.

2. Secundò. Vt indicemus nos plagis dignos adeoque nos aptemus quaſi ad eas excipiendas. Sic enim ſerui componebantur ad plagarum inflictionem. Hanc ob cauſam Achab graui addictus pœnæ ex decreto Dei, demiſſo incedebat capite, quaſi plagis dignus; ſicque Deum placauit, & pœnam à ſe amolitus eſt, 3. *Reg.* 21.

Tertiò. Vt gratiam & benedictionem à Deo accipiamus. Eam ob cauſam in fine inclinamus nos ad benedictionem accipiendam. Ita Ezechias Rex, cùm finita eſſet oblatio, incuruatus eſt & omnes qui erant cum eo; 2. *Par.* 29. Rectè & appoſitè; in valles enim & depreſſa loca decurrunt cæleſtes aquæ; & ibidem colliguntur. Vt nummum è terra tollamus, inclinamus nos; cur non inclinemur, vt ſuſcipiamus Dei benedictionem. 3.

Quartò. Vt diuinæ maieſtati reuerentiam exhibeamus, noſque humiliemus, quaſi indigni ſimus, qui ad eam oculos leuemus ob peccata noſtra. Sanè etiam beſtiæ ob errorem aliquem increpatæ caput inclinant; & oculos demittunt, quaſi aſpicere nos non audeant, vti canes, nec non Leones coram viris ſanctis. Denique *vellem ſcire,* inquit Cæſarius Epiſcopus Arelat. hom. 30. *qui nec genua flectunt, nec inclinare capita volunt, ſi aliquid ſibi ſatis neceſſarium aut à Iudice, aut ab aliqua potenti perſona expeterent: vtrum ſtantes & recto capite negligenter & tepidè ſupplicarent. Rem terrenam ab homine terreno quærimus, & propè vſque ad terram nos humiliter inclinamus: & à Deo remiſſionem peccatorum & æternam requiem inquirentes, nec capita noſtra inclinare dignamur.* Sic ille. 4.

Septimò. Stamus etiam ſubinde, vti Publicanus & Phariſæus hodierni Euangelij, & hoc etiam varijs de cauſis. Primò, vt nos moueamus erigendam eſſe mentem in Deum, cùm oramus; ſiquidem oratio nihil aliud eſt, niſi eleuatio ſeu aſcenſio mentis ad Deum, ex Damaſceni *l.* 3. *c.* 24. & Theologorum ſententia. Sic orabat Iudith ſtans ante lectum Holofernis; cap. 13. velut fiduciam habens in Deo. H. VII. Cur ſtemus ſubinde. 1.

Secundò. Vt promptos nos ad Dei voluntatem perficiendam exhibeamus. Stare enim ſeruientium eſt, vnde Angeli coram Deo ſtare *Apoc.* 7. & aſſiſtere ac miniſtrare. *Dan.* 7. dicuntur. Atque hæc eſt cauſa, cur ad Euangelium, & cùm quid ex Euangelio legitur, vel canitur, vti Magnificat, Benedictus, Nunc dimittis ſtemus in Eccleſia, quaſi parati ad exequendum, quod in Euangelio nobis præſcribitur. 2.

Tertiò. Ob victoriam reſurrectionis, quâ vnà cum Chriſto ſurreximus, è peccatorum ſepulchro. Idque Eccleſia conſueuit diebus maximè Dominicis, qui in memoriam reſurrectionis inſtituti ſunt, & tempore paſchali. Primò, ob reſurrectionis Chriſti memoriam & gaudium, vti ſtatutum in Concilio Nicæno 1. num. 20. Secundò, ob reſurrectionem noſtram; communiter enim olim Chriſtiani in Dominicis diebus ad S. communionem accedebant. Tertiò, ne rurſum poſt victoriam cadamus ſed in omnibus perfecti ſtemus. 3.

Google

CONCIO V.

Gratiarum actio pro beneficiis diuinis.

Agendæ ſunt Deo gratiæ.
1. & 2. Pro beneficio creationis & conſeruationis.
3. & 4. Pro beneficio Redemptionis & vocationis.
5. Pro beneficijs particularibus.

THEMA.

Deus, gratias ago tibi. Luc. 18.

A. BEnè dixit Eccl. c. 7. *Melior eſt finis orationis, quàm principium.* Id enim ex hodierno Euangelio manifeſtè patet, vbi Phariſæus optimè orare cœpit, peſſimè autem deſijt, & ita totam orationem ſuam perdidit. Optimè incepit, quia à gratiarum actione. *Quid autem melius & animo geramus*, inquit Auguſt. epiſt. 5. ad Marcellin. *& ore promamus & calamo explanemus quàm Deo gratias?* ſed quid profuit bene cœpiſſe, ſi in vanam iactantiam & proximi contemptum orationem terminauit? Nos igitur velut apes ex hoc malo flore, quod bonum eſt ſeligemus, gratiarum ſcilicet actionem pro Dei beneficiis; quod prauum eſt, relinquemus.

B. I. Pro beneficio creationis. PRIMÒ. Deo gratias agamus ob beneficium creationis. Primò, quod ex abyſſo nihilitatis nos eduxerit & aliquid fecerit, cùm nihil referret nos eſſe aut non eſſe.

1. Secundò, quòd homines fecerit, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vt poſſimus ipſum

2. ſummum bonum agnoſcere, laudare, colere, eiq; ſeruire. Quid enim ſi feciſſet nos beſtias, bufones, ſerpentes, lapides, muſcas &c. Iam ſi plurimum debemus noſtris parentibus: quantò plus Deo, qui animas noſtras creauit, & corpora etiam noſtra velut cauſa prima efformauit?

3. Tertiò, quòd homines integros, ſanos, nulli defectui obnoxios. Vnde Bernard. *ſerm. 14. in pſal. Qui habitat*, inquit: *Si quis oculorum lumen, ſiquis vſum aurium, ſiquis nariũ, ſiquis manuum, ſiquis pedem tibi præpeditũ aliquo modo reparaſſe videretur: ſiquis ſopitam quauis occaſione excitaſſet in te rationem: quis non alius tibi vehementiſſimè ſucceuſeret, ſiquando fortè huius beneficij immemorem aut benefactori deprehendiſſet ingratum? Enimuerò Dominus Deus tuus, ipſa etiam tibi inſtrumenta largitus ex nihilo fecit hæc omnia. Nec modo fecit, ſed & compegit etiam & formauit ac ſuo quoque illuſtrauit officio. Quomodo non is omni iure ſibi gratias exigit ampliores?* ſic ille.

4. Quartò, quòd ad beatitudinem ſupernaturalem & vitam æternam; vt Deum amemus & in æternum eum videamus, eiuſque bonis omnibus perfruamur in æternum.

5. Quintò, quòd propter nos omnia alia, vt nobis ſeruirent & auxilio eſſent ad conſequendum finem noſtrum; vt eis dominari poſſemus, & mortem viuentibus inferre abſque iniuria, quo nos ſuſtentaremur.

C. II. Pro beneficio conſeruationis. SECVNDÒ. Gratias agamus ob beneficium conſeruationis. Primò, quod nos in eſſe conſeruet & ſuſtentet, quaſi pendulos in aëre, ne in nihilum noſtrum relabamur. Non enim poſſumus per nos ſubſiſtere, vti pictura vel domus; ſed egemus perpetuò ſuſtentante Creatoris manu, vti lumen vel radij ſolares ſolis influxu. Vnde ſicut omni momento, omni reſpiratione vitam à Deo accipimus: ita ſemper ei grati eſſe debemus.

Secundò, quia nos alit & veſtit quotidie. 2.
Si contingeret nos in itinere fatigatos ad pedem alicuius turris quieſcere fameque & ſiti plurimum affligi; eſſet autem in turri quiſpiã, qui cibum & potum affatim nobis demitteret poſſemúſne nos continere, quin oculos nonnunquam eleuaremus quis ille ſit, qui tam bene de nobis mereretur? Id autem facit Deus. Vnicam refectionem miſit aliquando Danieli in lacu leonum: & quam eam grato ſuſcepit animo Daniel? *Recordatus es mei Deus*, inquit, *& non dereliquiſti diligentes te*, Daniel. vlt. Nos quotidie à Deo paſcimur: quantas ei gratias debemus?

Tertiò, quòd omnes alias creaturas deſtinauit in ſeruitium, obſequium & conſeruationem noſtram. 3.
Angelos inprimis in cuſtodiam & præſidium noſtrum, licèt multò nobis præſtantiores. Deinde mundum totum aſſiduè nobis laborare fecit, nobis enim gyrantur cœli, ſplendet ſol & luna, lucent ſydera, ſpirant venti, coguntur nubes, deſcendunt imbres, aſſurgunt montes, currunt flumina, mouentur maria, germinat terra, fœcundatur aqua & parturit omnis rerum natura. Ille *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Quidquid ſub cœlo reperitur, aut eſt in vſum hominis, aut in vſum eius rei, quæ homini famulatur. Licèt enim homo non veſcatur muſcis, quæ in aëre volitant: veſcitur tamen auibus, quæ muſcis illis aluntur. Et licèt non manducet herbas agreſtes, manducat tamen pecudes & beſtias variarum ſpecierum, quæ herbis illis aluntur. &c. Omnia quæ ſub cœlo ſunt, noſtræ conſeruationi ſeruiunt. Quædam enim ſunt ad nos nutriendos, quædam ad veſtiendos, quædam ad docẽdos, quædam ad recreandos, quædam ad caſtigandos, quædam ad ſanandos. Quot genera ciborum, ad nos alendos? quot pellium & tegumentorum, ad veſtiendos? quot herbarum, ad curandos? quot rerum diuerſarum formæ & ſpecies, ad recreandos? Aliæ oblectant oculos vt flores & colorum varietates: aliæ aures vt harmoniæ muſicæ & auium cantus: aliæ nares, vt odores & aromatum ſpecies: aliæ os & palatum afficiunt, vt infinita fructuum, piſcium, volucrum & quadrupedum genera.

Quartò, Quòd ab innumeris malis nos præſeruarit, tam fortunæ quàm naturæ, in quæ iure incidere poteramus. 4.
Alios enim videmus cæcos, alios claudos, alios mancos: hunc podagrâ, illum heruiâ, alium calculo affligi; alios repẽtinis caſibus opprimi & mori; quoſdam in carceribus computreſcere, nonnullos ſeruitute premi intolerabili, alios ad triremes, alios ad furcas, rotas, ignes condemnari. In quæ omnia incidere poteramus, quia eiuſdem cum illis naturæ ſumus, nec multum diſſimiles culpâ.

pa. Et ſi in hæc incidiſſemus, forſitan patientiam perdidiſſemus, & mori deſideraſſemus: nec non omnia noſtra libenter dediſſemus, vt ab ijs liberaremur. Quas gratias ei egiſſemus, qui nos ab eiuſmodi malis liberaſſet? Eas igitur Deo agamus.

D. III. Pro beneficio redemptionis. Tertiò. Gratias agimus ob beneficium redemptionis. Primò: quod ipſe in propria perſona noſtram carnem induerit, & in terras ad nos deſcenderit, noſque redemerit, cùm nemo alius id præſtare potuiſſet: vitam etiam ipſam dederit.

1\.

2\. Secundò. Quòd modo tam difficili, tot laboribus, cruciatibus, ignominijs, &c. cùm ſufficeret vnica ſanguinis gutta.

3\. Tertiò, quòd à tantis malis nos redemerit, à ſeruitute nimirum peccati, mortis æternæ & diaboli. Peccatum certè tantum eſt pondus, vt nos in momento detraxiſſet in infernum, non minus quàm Luciferum, niſi eius pondus Chriſtus inhibuiſſet. Hinc peccata vocantur *rudentes 2. Petr. 2.* quia vti funis nauticus, quo trahitur nauis oneraria; ſi fortè aliquo lapſu tangat nautam, ilico è naui excutit maxima vi in aquas, aut medium findit: ita & peccatum mortale. Sic enim excuſſit Luciferum cum ſuis è cœlo in abyſſum.

4\. Quartò. Quòd tanta bona per eam redemptionem nobis parauerit. Doctrinam, exempla virtutum, adoptionem diuinam, theſaurum meritorum inexhauſtum & perpetuum, ſacramenta, quibus à peccatis ablui, & gratiam comparare atque augere poſſumus; vitam æternam denique.

E. IV. Pro beneficio vocationis. Qvartò. Gratias agimus ob beneficium vocationis. Primò ad baptiſmum & fidem ſine vllis præcedentibus meritis noſtris; quòd in eo nos abluerit & veſtierit pretioſo gratiæ ornamento. Nemo enim poteſt venire ad Deum, niſi ab eo tractus fuerit. Quot animæ nobiſcum concreatæ ſunt; quarum tamen aliæ in Turciam, aliæ in Indiam, aliæ in Barbariam, aliæ in Iudaiſmum, aliæ in hæreſum terras miſſæ ſunt? Nos verò voluit eſſe Chriſtianos Catholico loco natos. Quid verò, ſi nos in aliquam illarum terrarum infidelium ablegaſſet? An non ijdem eſſemus, qui ſunt ipſi?

1\.

2\. Secundò. Quòd in vera fide nos conſeruauit. Quot enim millia Chriſtianorum ſunt, qui poſt agnitam veritatem relabuntur in hæreſin?

3\. Tertiò. Quòd lapſos & errantes reuocauerit ad gratiam & iuſtificauerit. Quàm multi enim in grauia peccata inciderunt, è quibus nõ emerſerunt? Nos verò quoties ad pœnitentiam voce magna vocauit & euocauit velut Lazarum è ſepulchro? quot tabulas nobis adiecit, quibus enataremus naufragi? quàm patienter nos expectauit? quamdiu tolerauit? quoties & quamdiu oues errantes & à ſe fugientes, imò ſibi reſiſtentes quæſiuit? quàm paternè reduxit? quàm benignè vulnera noſtra curauit? Quàm multos alios vocauit ſed inefficaciter? quàm liberaliter bona per peccatum perdita pœnitentibus reſtituit? Denique hæc omnia nullis noſtris meritis, ſed ſolà ſuà miſericordià nobis impertiuit. Quot millia animarum ardent nunc in inferno, iuſto Dei iudicio, quibus hæc non præſtitit, quæque ſaluatæ fuiſſent, ſi eandem gratiam, quam in nos largiter effudit, illis quoque donaſſet? Et quid amplius nos fecimus, quàm illi? quà re meruimus, vt fæliciores illis eſſemus? cur nos vaſa honoris ad menſam Dei, illi verò vaſa ignominiæ ad menſam dæmonum facti ſunt? *ô altitudo diuitiarum ſapientia & ſcientia Dei!*

F. V. Pro beneficijs particularibus. Qvintò, Gratias agimus ob beneficia particularia. Primò: Ob ea quæ ſunt aliquo modo naturæ: vt quòd infantes non extincti; quòd non ex parentibus infamibus, illegitimis, hæreditario morbo infectis, magis & veneficis, mendicis, nebulonibus nati, quòd à parentibus pijs piè educati, quòd ſub diſciplinâ bene eruditi & à peccatis abſtracti, quòd bono ingenio, patriâ, familiâ, robore, ſanitate præditi, &c. 1.

Secundò. Ob bona fortunæ, quòd honores, opes, dignitates, officia, ſtatum nobis competentem conſecuti. Item quòd aureo ſæculo viuamus; ſi enim tempore perſecutionis ſub Tyrannis vixiſſemus, fortè defeciſſemus à fide tormentis abſterriti: ſi tempore Lutheri, fortè ſeducti, ſi victuri eſſemus tempore Antichriſti, fortè rurſum in errorem ducendi. 2.

Tertiò. Ob ea quæ ſunt gratiæ propriè, quòd plurimæ peccandi occaſiones nobis ſubſtractæ, tentationes mitigatæ, vires ad pugnandum auctæ: quod à plurimis malis & damnationis periculis præſeruati: quòd innumeris bonis inſpirationibus Spiritus S. quaſi à latere nobis adhærentis ad omne bonum excitari & inſtigati; quòd non pauca indicia habeamus nos eſſe in gratia Dei, nec non è prædeſtinatis. 3.

Pro his alijſque innumeris beneficijs, Deus, gratias tibi agimus, non quomodo Phariſæus egit. Non enim cenſemus nos obtinere hæc bona ex noſtris meritis, ſed ex tuâ gratiâ & miſericordia: nob extollimus nos ipſos ſed indignos iudicamus, quibus hæc obtigerint: non aſpernamur proximos noſtros, qui hæc beneficia non acceperunt, ſed ijs condolemus, ideoque nos cum S. Franciſco maximos omnium peccatorum exiſtimamus, quia ſi illi tantam accepiſſent gratiam, fortè meliores nobis eſſent. Non præſumimus, ſed timemus, ne quod gratis datum eſt, rurſum à nobis auferatur: nec tantummodò gratias pro acceptis agimus, ſed prætereà humiliter precamur, vt hæc bona tua in nobis conſeruare & augere vſque ad finem vitæ noſtræ digneris.

Sed ad finem audiamus, quales agere gratias ſoleant Deo improbi: quò eorum ingratitudinem toto pectore horreamus. Hiſtoriam refert Mart. Delrius *l. 3. diſquiſit. mag. p. 1. q. 7. ſ. 2.* in hæc verba: *exemplum dabo, quod etſi recenti ferè memoria multis notiſſimum, ſine horrore tamen nequit memorari. Loci nomen taceo In Flandria Comitatu Prioratus eſt. Tres ibi nomine tenus monachi degebant,*

degebant, re ganeones & cõcubinarij. Sua cuiq; erat; nec pudor vllus aderat, ſimul bellnari & libidinari. Quadam die in ſeram noctem compotatione protracta vnus qui minus ſceleroſus, ſat (ait) Baccho, Veneriq; datum: Deo gratias ſaltem. Ego verò, ſubinfert alius procacior, cacodæmoni gratias ago & agendas cenſeo, cui operamur. Et cum riſu menſa relicta, ruitur in cubilia. Singuli cum ſcorto vix decubuerant, ecce tibi in triclinium vi ianua reſerata dæmon magni, atri, & trucis viri ſpecie, habitu venatorio, & cum eo coci duo paruuli, obambulat, & lectos circumſpicit toruo vultu, deinde horrendâ voce: vbi, qui mihi gratias egit? adſum, referam, lecto abſtrahit pænitantem, fermè præ metu animam efflantem traditum cocis iubet infigi veru & luculento igne probè aſſari, parent promptè, aſſatur infelix, emoritur planiſſimè, cæteri ferè præ formidine; aſſi corporis nidore cubiculum impletur. Demum venator ad ſuperſtites ſub ſtragulis trepidantes vix viuos: digni vos etiam (ait) pari ſupplicio, nec deeſt voluntas mihi. Vetor vi maiore, inuitus ab eo, & moneo, reſipiſcite, aut manent terribiliora. Diſparent laruæ: nec tamen his alijs animus rediјt vel vox, niſi clarâ iam luce. Vbi ſurrexêre, collegam inueniunt mortuum, & (ne viſum inane putes) plenè aſſum. Haud ſcio, an ab aliquot ſeculis quidquam ad exemplum vtilius acciderit: ſcio locum & Ordinem; ſed vtrumq; ſilentio inuoluo.

CONCIO VI.

Quod nemo cuiquam ſe præferre debeat.

1. *Qui alteri ſe præponit, viliori ſe loco collocat.*
2. *Inuidiæ ſe exponit & odio.*
3. *Temerè agit.*
4. *Quia bona propter quæ ſe meliorem exiſtimat, aliena ſunt.*
5. *Quia qui ſe exaltat humiliabitur.*

THEMA.

DEVS, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum. Luc. 18.

A. REgius Propheta *Pſ.* 79. lamentatur inter alia, quòd vinea populi Iudaici deuaſtanda ſit à ſilueſtri apro & ſingulari fero, hoc eſt, à ſuperbiſſimo Nabuchodonoſore, qui poſteà captiuum duxit populum in Babylonem. *Exterminauit eam aper de ſyluâ*, inquit, *& ſingularis ferus depaſtus eſt eam* (loquitur de futuro, iuxta morem Prophetarum: quia tam certò res euentura erat, ac ſi iam eueniſſet) Porrò D. Auguſtinus myſtico ſenſu per aprum illum ſeu ſingularem ferum, ſuperbiam denotari ait, quia, vti aper ſolitarius eſſe ſolet, ita & ſuperbia conſortem reſpuit: *ſolus enim ſuperbus ait: ego ſum, ego ſum, &c.* inquit Auguſt. Suffragatur eidem S. Patri *Innocentius*, de vilit. condit. hum. vbi ait: *Omnis ferè vitioſus diligit ſibi ſimilem, ſolus ſuperbus odit elatũ; vnde inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia.* Suffragatur & hodiernum Euangelium, in quo ſuperbus Phariſæus velut aper ſolitarius & ſingularis omnibus ſe præfert, æqualem nullum recipit. Ait enim: *Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum. Quid eſt cæteri hominum*, inquit S. Auguſtinus *hom. 36. de verb. Dom.* ſuper hoc Euang. *niſi omnes præter ipſum? Ego, inquit, iuſtus ſum: cæteri peccatores.* O aper de ſyluâ! ò ſingularis ferus! Atque vtinam hic aper non vaſtaret etiam modò Eccleſiam Chriſti. Sed heu! nihil ferè communius quàm alijs ſe præponere: vnde magna ſæpe odia, peſſimæ æmulationes, & diuturnæ inimicitiæ naſcuntur in Eccleſia. Ingreditur hic aper ad forum, ad menſas, ad altare ipſum; ſiquidem & in templis contenditur de præeminentiâ. Quoniam igitur huic vitio obuiare voluit Dominus in hodierno Euangelio, obuiabimus & nos pro modulo noſtro, argumenta proponendo, quæ vitium hoc diſſuadeant.

Noli cuiquam te præponere. PRIMÒ. Quia qui alteri ſe præponit, viliori ſe loco collocat, vilioremque ſe facit eo, cui ſe præponit, contra intentionem ſuam; ſiquidem inferiorem locum ipſamet Dei ſapientia elegit & tenuit, adeoque honoratiorem fecit. Apud homines quidem nondum omnino conſtat, quis ſit locus honoratior, ambulare in dextrâ, vel in ſiniſtrâ: vel quis locus honoratior ſit in menſâ. Quod ſi tamen videremus morem incedendi, vel ſedendi Principibus conſuetum; ſine dubio illum ſequeremur, & tunc eum locum pro honoratiore haberemus, quem ipſi vel cenſerent, vel inter ſubditos ſuos occuparent. Iam verò multò magis ſtandum eſt iudicio Dei; vti in alijs omnibus, ita & in hac re. Quem verò locum putatis occupaſſe Deum inter homines? nónne in Bethlehem naſciturus, infimum elegit, extra ciuitatem in ſpeluncâ, relinquens alijs diuerſoria? nónne à Ioanne baptizari voluit, quem ipſe potiùs baptizare debebat: nónne Petro & diſcipulis ſuis lauit pedes, qui ab ipſis potiùs lauari debuiſſet: nónne inter latrones pendens abiectiſſimum & maximè infamem eligit ſibi locum, medium ſcilicet velut Dux latronum? adhæc nónne *Luc.* 14. expreſsè docuit ambiendum & occupandum præ omnibus infimum locum eſſe? Nemo igitur dubitare debet locum inferiorem eſſe reuerà & coram Deo digniorẽ ſuperiore, quem mundus quidem digniorem putat, ſed fallitur; quia potiùs credendũ Principibus quàm vulgo, Deo quàm hominibus. Ac licet conſtaret locum aliquem eſſe viliorem, in menſâ v.g. vel in templo: eo ipſo tamen, quòd Rex vel Princeps illum occuparet, honoratiorem redderet ſuâ præſentiâ. Si enim aliquis Princeps nunc templũ ingrederetur, & nouiſſimo loco ſederet; eò etiam ſe conferrent omnes eius nobiles, & quò quis vicinior Principi ſederet, eò honorabilior reputaretur: licet omnia illa loca nos alioquin infima putaremus. Cùm ergo nunc ſciamus Deũ in mundo nouiſſimum locum ſemper prætuliſſe & occupaſſe; illuc etiã nobis neceſſariò concedendum erit, ſi reuerà & corã Deo magni & glorioſi eſſe volumus. Vnde maximi quique ſancti & Deo amiciſſimi, ad illum ſe contulerunt, & pro eo contenderunt,

B. 1. Quia qui alteri ſe præponit, deijcit.

ruit; quem vicerunt occupaſſe Dominũ ſuum.

Non quærit quidem humilis locum inferiorem, tanquam digniorem, ſed tanquam viliorem. Fit tamen nihilominus mirâ Dei diſpoſitione locus ille dignior, quia cedit illi in gloriam coram Deo & ſapientibus; atque ita acquirit humilis honorem, dum videtur eum perdere & reſpuere; ad eum ferê modum, quo pictor ille Nealces dum equi imaginem ex indignatione voluit deſtruere, quod oris ſpumam exprimere non poſſet, proiectâ in tabulâ ſpongiâ, hoc ipſo ſpumam illam affaberrimè expreſſit: autore Valer. M. Plinio & Plut. Sic enim vir humilis, dum honorem à ſe amoliri, ſuamque excellentiam vult deprimere & obſcurare, eligendo obſcuriorem locum, hoc ipſo magis extollit & conſequitur honorem.

C. II. Quia inuidiæ ſe exponit & odio.

Secundò. Quia qui alteri cuicunque tandem ſe præponit, inuidiæ ſe exponit & odio, adeoque pro tranquillo loco turbulentum ſibi eligit: nemo enim neſcit, quot inuidiæ & oblocutionum telis appetatur, qui alijs ſe præponit. Scimus alta ędificia editiſque in locis poſita, à tempeſtatibus maximè infeſtari, non item humilia, & quæ in vallibus ſunt: ſic locus eminentior, detractionibus & ludibrijs, nec non omnis generis inſidijs obnoxius eſt: non item humilis. Rurſum vt elementorum tranquilliſſimum eſt terra; quæ infimum orbis locum tenet: ſupremum verò, ignis, inquietiſſimum: ita & vir humilis omnibus ſe inferiorem reputans, quietiſſimo eſt loco: ſuperbus verò ſe extollens, omnium inquietiſſimo. Videre id erat in Lucifero, qui cùm diceret: *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum; aſcendam ſuper altitudinem nubium*, &c. Iſa. 14. mox à Michaële & cęteris Angelis vnanimiter impugnatus, & in abyſſum eſt deiectus: dicente nimirum Michaële: *Quis vt Deus* (vti ſonat eius nomen *Mi, quis: cha, vt: El. Deus.*) expertus idipſum eſt Ioſeph, licet abſque ſua culpa: qui cùm fratribus narraſſet ſomnia ſua, quibus indicabatur fore ipſum Dominũ illorum: mox ſibi infenſos habuit & vitæ inſidiatores. Quamobrem Cato de republ. Rom. licet optimè meritus, nullam ſibi in foro ſtatuam erigi voluit, ne inuidorum obtrectationibus pateret. Vnde rogatus, cur inter tam multos nobiles ſtatuam non haberet: *Malo*, aiebat *bonos ambigere, quamobrem id non meruerim, quàm quod eſt grauius, cur impetrárim, muſſitare*. Refert Maiol. to. 2. canic. col. 1. Rectiſſimè igitur monet S. Bern. ſerm. 37. in Cant. vt ne vlli quidem nos comparemus, nedũ præponamus. *Cõparare*, inquit, *te noli maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni; recũbe in nouiſſimo loco, vt ſolus videlicet omnium nouiſſimus ſedeas, teq́; nemini, nõ dico, præponas: ſed nec cõparare præſumas*. Item ib. *Non eſt periculum*, inquit, *quãtumcumque te humilies, quantumcumq́; reputes minorem quàm ſis. Eſt grãde malum, horrendumq́; periculum, ſi vel modicè plus verò te extollas, ſi vel vni videlicet in tuâ cognatione te præferas, quẽ fortè parem tibi veritas indicat, aut etiã ſuperiorem. Quemadmodum enim ſi per oſtiũ tranſeas, cuius ſuperliminare nimium baſſum ſit: non nocet, quantumcumq́; te inclinaueris; nocet autẽ ſi vel tranſuerſi digiti ſpatio, pluſquã oſtij patitur menſura, erexeris, ita vt impingas, & capite quaſſato collidaris. Sic in anima nõ eſt timenda quantalibet humilitas; horrenda autem nimiumq́; pauenda vel minima temerè præſumpta erectio.* Sic Bern. Refertur *in lib. ſent. Patrũ*, §. 121. vocem aliquando ad S. Antoniũ in cellâ orantem eſſe delapſam: *Antoni, nec dum ad menſuram coriarij iſtius, qui in Alexandriâ eſt, perueniſti.* Quo audito ſenex conſurgens manè, arrepto baculo feſtinus aduenit Alexandriam. Cumque ad deſignatum hominẽ perueniſſet, & ingreſſus fuiſſet, ille viſo tanto viro obſtupuit. Cui ſenex dixit: *Refer mihi opera tua, quia propterea de deſerto veni.* Qui reſpondit: *neſcio, me aliquando boni aliquid perpetraſſe, vnde & ex cubili proprio manè cõſurgens, antequam in opere meo reſideam, dico, quòd omnis hæc ciuitas à minore vſque ad maiorẽ ingrediatur in regnũ Dei, propter iuſtitias ſuas; ego autẽ ſolus propter peccata mea, pœnã ingrediar ſempiternã; quod verbũ antequã quieſcam ſerò ex cordis mei recenſeo veritate.* Hoc audiens B. Antonius, dixit ei. *In veritate fili, ſicut bonus artifex, ſedens in domo tuâ cũ requie, regnũ Dei adeptus es: ego autẽ velut ſine diſcretione omne tempus meũ in ſolitudine conuerſatus, necdum verbi tui aſſumpſi menſuram.*

D. III. Quia temerè agit.

Tertiò. Quia temerè agit, qui alteri ſe præponit: de re ignotâ & apparente iudicat, ideoque facilè errat. *Homo videt ea quæ parent; Dominus autem intuetur cor*: ait Deus ad Samuelem, quando iuſſit, vt de filijs Iſai vngeret vnum in regem, 1. *Reg.* 16. noluit enim, vt ſtaturam aut externam formam conſideraret: factumque vt minimus omnium, Dauid, eligeretur. Libro clauſo ſimile eſt cor hominis, quod à ſolo Dei oculo penetratur. Apparet quidem externè alter liber altero præſtantior, quia ſcilicet elegantiori operculo tectus & compactus eſt. Si tamen aperirentur ambo, ſæpenumerò vilior foret, qui pretioſior parebat. Ita quamdiu libri mentium humanarum clauſi erunt, tamdiu impoſſibile nobis erit, iudicium de illis ferre, aut comparationem inſtituere. Quod ſi vnus liber elegantiùs compactus eſt: alter fortè intus elegantiori calamo conſcriptus eſt. Quod ſi elegantiori quidem litteraturâ exaratus eſt, alius forſitan rudi quidem ſtylo ſcriptus, nobiliores tamen tradit artes. Ita res habet inter homines. Si enim alterum viceris dote vnâ, facilè fit, vt viciſſim ab eo vincaris alterâ & maiore quidem, non ſecus ac pauo cantu ſuperatus à luſciniâ, plumis longè antecellit. Elegantiùs veſtitus es: ſed alter eſt formoſior. Formâ præſtantiori es: ſed alter ſanior ac robuſtior. Ditior es; ſed ſtupidus fortè & ſine cerebro ſicut pulchræ laruæ: ille autem doctior & ingenio fælicior: vel tu doctior, ille probior: tu nobilior, ille docilior & reip. vtilior. Sæpe enim, quæ imperfectiora ſunt, plus habẽt vtilitatis, vel magis ſunt neceſſaria, vti panis quàm caro, aer quàm ignis. Mente citò complecteris, quod ille ſegniter; ſed fortè labore tarditatem compenſat, ſicut tardigradi dum ſemper ambulant, ſæpe ad metam citiùs veniunt, quàm celeriores paſſim ſubſiſtentes. Piſcium aliqui tardiſſimi, vti Rhombus,

bus, Scatina, Rhaia, &c. ſæpe reperiuntur in ventre habere mugilem omniũ velociſſimum. Virtutem nunc colis: ille vitia; verùm fortè non perſeuerabis; ille autem reſipiſcet explebitque in breui tempora multa. Atque ita patet iudicium hominum, quoad præcellentiam, non eſſe aliud quàm cœcorum de coloribus; vel puerorum de libris iudicium. Pueri enim libros illos eligerent, & reponerent digniori loco Bibliothecæ, qui extrà pulchriores parẽt; ſi tamen doctus aliquis ſuperueniret, illos deijceret, & alios reponeret, qui præſtantiorem tradunt doctrinam. Sic fit in Bibliothecâ Dei.

E. IV. Quia bona eius aliena ſunt.

QVARTÒ. Quia bona, propter quæ meliorem ſe exiſtimat, aliena ſunt, & Deo debita. *Omni enim, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo,* inquit Dominus. Luc. 12. Patet enim in parabola talentorum, vbi quantum quis accepit, tantundem ſuperlucratus fuit, & Domino ſuo attulit; *Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Domine, duo talenta tradidiſti mihi; ecce alia duo.* Matth. 25. Hic enim non obſcurè indicatur, tantundem lucri à quouis repetendum eſſe, quantum accepit talentorum; ac licet libero arbitrio faciamus lucrum, hoc ipſum tamẽ lucrum, Dei gratiæ potiſſimum adſcribendum eſt. Vnde *Luc.* 10. ita loquuntur ſerui illi: *Domine, mna tua acquiſiuit decem mnas,* &c. q. d. gratiæ tuæ debeo hoc lucrum. Siue ergo talenta ſint, ſiue talentorum lucra, propter quæ alteri te præponis, omnia debes Deo. Et ſi tibi non inſunt mala, quæ in altero vides; hæc ipſa etiam tua quodammodò reputare debes, vtpote in quæ prolapſurus fueras, niſi te præueniſſet diuina gratia. *Domine,* ait S. Auguſt. l. 2. confeſſ. c. 7. *gratiæ tuæ deputo, quæcunque non feci mala.* Quod ſi igitur omnia tua bona Deo debes, rationem de illis redditurus, quid eſt, quòd alteri te præponas? Quis enim vnquam alijs ſe præpoſuit propterea, quòd plus debeat quàm ipſi? Hoc ſi attendiſſet Phariſæus, nequaquam extuliſſet ſe ſupra Publicanum.

F. V. Quia qui ſe exaltat humiliabitur.

QVINTÒ, Quia *qui ſe exaltat, humiliabitur,* inquit Dominus in hodierno Euangelio. Experimur quotidie hoc, quod dixit Dominus, idque quatuor modis fieri indicat Eccleſiaſticus c. 10. cùm ait: *Odibilis corã Deo & hominibus eſt ſuperbia, & initiũ omnis peccati eſt ſuperbia; qui tenuerit illã, adimplebitur maledictione, & ſubuertet eum in finem.* Humiliantur ergo, qui ſe exaltãt. Primò, quia contemnuntur à Deo, qui expuit quodammodò in omnem ſuperbiam, ſicuti Duciſſa v. g. aliqua, cùm videt eiuiũ vxores & filias ſuperbè adornatas. Dixit regius Propheta Pſ. 72. *Deiecisti eos, dum eleuarentur.* Ita Iehu rex Iſraël, cùm videret Iezabalem caput adornantem & oculos ſtibio depingentem iuſſit eam præcipitari, 4. *Reg.* 9. Vt enim luna, quando verſus terram ſplendida eſt, tunc verſus cœlum obſcura eſt, & è contrà; ita qui mundi fulgorem captat, & magnus in eo eſſe contendit, coram Deo obſcurus eſt & nihil: qui verò in mundo fulgere renuunt, Deo glorioſi ſunt. Quòd ſi igitur Deo ſunt odibiles quicunque ſe extollunt, hoc ipſo humiliantur quia fauorem eius perdunt. *Quantus* enim *es in oculis Dei, tantus es & non amplius,* ait humilis Franciſcus.

Secundò, quia contemnuntur etiam ab hominibus, nec quod optant, conſequuntur? volunt enim videri, honorari, laudari: ideo primus locus ambitur, ideo nouus veſtium ornatus quæritur, ideo comunt ſe mulieres, alij multa & dicunt & faciunt: ſic tamen vt plurimùm, Deo diſponente, vt nemo eos videat, miretur, laudet vel honoret, ſed quiuis potiùs contemnat & in faſtum eorum expuat; ſiquidem honor, vt Chryſoſtomus ait, *vmbra eſt, quæ ſequentem fugit, fugientem ſequitur.* Ludibrio habitus eſt Imp. Commodus, quãdo leonis pellẽ induens & clauã manu gerens, Hercules haberi voluit: nam riſum alijs mouebat, tametſi capitalem. (Vnde Dio docuit ſocios artem celandi riſum, comeſtione & motu ſtomachi.) Quâ occaſione plures Chriſtiani paſſi ſunt. Sur. 25. Auguſti.

Tertiò, quia labuntur in peccata multa & ferè turpia, vt ex hoc eorum contemptus creſcat. Patuit hoc in primis noſtris parentibus, qui cùm Dei ſimilitudinem & omniſciẽtiam appeterent, in fœdam nuditatẽ prolapſi ſunt, de quâ priùs veluti infantes nihil erubuerant, poſteà verò ſentientes in ſe motus concupiſcentiæ, turpiter confuſi ſunt, maximè accedente Dei ironiâ: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.* Narrat Euagrius *in vitis PP. l. 1. c. 1.* Ioannem Eremitam miraculis clarum & Theodoſio Imperatori charum, ſibi recenſuiſſe de quodam Eremita admodum celebri, qui de ſuâ ſanctitate cœpit ſuperbire. Quod cùm aduertit diabolus, venit in formâ virginis ad ipſius cellã, ſerò admodum, rogans vt in domũ admitteretur ne feris præda fieret. Admiſit ille, & cum eâ fabulari cœpit: miſcuit autem dæmon ſermones amatorios, quibus ille ad libidinem accendebatur ita vt in facinus tandem conſentiret adeoque ſe pararet. Tunc cachinnari diabolus, & dicere: *vbi iam es ô monache? cælum putabas te conſcendiſſe; ſed ad infernũ vſque deſcendiſti, diſce quia qui ſe exaltat humiliabitur.* Ille his auditis deſperauit & ad ſæculum rediens impudicè vixit: fugiens præ pudore conſpectum ſanctorum virorum. Ita nimirum ſuperbia rectè confuſione punitur. Nõ ſine myſterio præcepit Deus Moyſi Exodi. 20. *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.* Monet enim hoc præcepto, *vt in altari cordis tui non facias gradus, id eſt, non extollaris de tuis profectibus; alioquin reuelabitur turpitudo tua, quia ſuperbiam mentis comitatur contumelia carnis.* Rupertus ibi.

Quartò, quia tãdem ſiue in hac vitâ, ſiue in futurâ, *adimplebuntur maledictione & ſubuertentur.* Plenæ ſunt tam ſacræ quàm profanæ hiſtoriæ eiuſmodi exemplis, quæ apertè hoc demonſtrant. Sed ſatis ſint ea verba hodierni Euangelij, *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.* Refert Petrus Damianus Epiſcopus & Cardinalis

li ad Deſiderium Abb. *ep. 16. c. 6.* fuiſſe in Burgundiâ duos nobiles, quibus inter ſe bellum erat ob quædam prædia Eccleſiæ S. Mauritij. Ante congreſſionem alter eorum audiebat ſacrum, in quo ad extremum Euangelij eadẽ hæc ſententia recitabatur: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur,* &c. Qua audita ille ſuperbè ſimul ac blaſphemè negat eam veram: *Etenim,* addebat, *ſi ego me humiliaſſem; non fuiſſem ita exaltatus, neque adeo potens factus.* Sed quid accidit? Equum habuit iſte eximiæ fortitudinis & celeritatis, qui cum præcedente nocte fuiſſet ſolutus, acceſſerat ad aceruum ſalis, atque ex eo multum comederat. In prælio igitur, cum prope aquas eſſet, & ſiti æſtuaret, frænum Domini ſui manibus excuſſit & ad aquas accurrit, caputque immerſit pertinaciter. Accurrunt igitur inimici eius & eorum vnus gladio blaſphemum eius os percuſſit, eumque occidit. Atque ita tandem expertus eſt, verum fuiſſe illam Domini ſententiam. Sane Publicanus *præ* Phariſæo *iuſtificatus deſcendit in domum ſuam.* Mira profectò res: damnari Phariſæum cum ſua iuſtitia, ſaluari Publicanum cum ſuis peccatis. Sed illud fecit ſuperbia: iſtud præſtitit humilitas. Refert S. Auguſtinus l. 21. de ciuit. cap. 5. fontem eſſe in Epiro, qui candelas ardentes extinguat, extinctas accendat. Similis fons eſt Deus, accede cum candela propriæ iuſtitiæ, ardente per ſuperbiam: & ſtatim ea extinguetur. Accede cum candela peccatorum extincta, per humilitatem: & continuo accendetur. Candela accenſa Phariſæus, extincta Publicanus: ille in tẽplo extinctus; hic Dei gratiâ accenſus eſt. Nos ergo, Auditores, Publicanum hunc imitemur, Phariſæũ deteſtemur. Nemo noſtrum ponit vinũ nobile in vas confractum: ita nec Deus gratiam & dona ſua in ſuperbum & iactabundum, qualis erat hic Phariſæus. Vt ergo impleamur Dei gratiâ ſimus vaſa integra & humilia, &c.

CONCIO VII.

Quæ ſint partes viri humilis.

1. *Ad exemplum Publicani ſubijce te Deo, adhibendo fidem eius arcanis, amplectendo præcepta, exoſculando virgam, non extollẽdo te ob merita tua.*
2. *Subijce te proximo; nemini te aut iudicium tuum iudicio alterius præferendo.*
3. *Senti de te humiliter; conſiderando lapſus tuos, non attendendo ad laudes tuas.*
4. *Humiliter de te loquere, deprome miſerias tuas, reprehenſionem lubens accepta &c.*
5. *Extra, in conuerſatione præ te fer modeſtiam, puni errata tua, ne quære applauſum hominum, aut titulos tibi indebitos.*

THEMA.

Publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, &c. Luc. 18.

A. EVenit quandoque vt Ludimagiſter aliquis nobiles habeat pueros, ſed inertes & qui plures annos in inferiori claſſe deſideant. Illos igitur, vt ad diſcendum ſtimulet, confundere inſtituit & ex infima claſſe puerum forte nuper ruri abſtractum vocat, qui cum his ignauis diſputet, eoſque vincat & cõfundat. Ad eundẽ modum venit è cœlo Ludimagiſter noſter Chriſtus vt nos in omni virtutum genere erudiret, inprimis verò in humilitate, quam *primam Chriſtianorum virtutem* vocat Hieron. in Epitaph. Paulæ: quamque non tribus tantum annis, vt cæteras, ſed 33. docuit. Sed reperit diſcipulos quidem capaces, vti Phariſæos, & alios Iudæos, qui tamen in eadem claſſe diutiſſimè morabantur. Igitur in confuſionem eorum aduocat in hodierno Euangelio Publicanum de telonio abſtractum, & opponit Phariſæo, qui necdum prima virtutum elementa, humilitatem ſcilicet, nouerat. Et certe Publicanus confudit ac vicit multis partibus Phariſæum; *deſcendit* enim *iuſtificatus in domum ſuam ab illo,* inquit Dominus. Quoniam vero inter Chriſtianos etiam multi, imò plurimi ſunt, qui virtutem hanc non callent, nec vnquam in ea proficiunt: inſpiciamus concertationem Publicani cum Phariſæo & quouis alio ſuperbo, vt inde nos eruditi diſcamus humilitatem.

Publicanus PRIMÒ à longe ſtetit, ſeu remotiſſimus ab altari & apud ianuam, vt ſolemus dicere, vbi pauperes & abiecti locum ſortiuntur. Ad hujus exemplum, ſubijce te Deo. Ac Primò eius arcana ne timeris, aut curioſè diſquiras, ſed ſufficiat tibi à longe ea aſpicere, & noſſe quod reuelata ſint: vt articuli fidei, & quod Deo omnia ſint poſſibilia. Cur enim tot millia Bethſamitarum punita ſunt à Deo morte ſubita, niſi quia de propè & curioſe inſpexerunt arcam Dei? 1. *Reg.* 6. Et cur tot viri docti lapſi ſunt & labuntur etiamnum ſæpe in hæreſin & pereunt, niſi quia cum Bethſamitis ſcrutari arcana & ſcripturam plus æquo machinantur, adeoque cum Phariſæo nimis appropiant altari? Plinius ſenior rerum naturalium acerrimus indagator, cum, vt ſcribit Plinius iunior ad Cornel. Tacitum Hiſtoricum, mirabile incendium montis Veſuuij conaretur explorare, appropians fumo, ſulphure & cinere à monte eiecto, ſuffocatus & enectus eſt. Idem euenit ſuperbis arcanorum Dei ſcrutatoribus; quia ſcriptum eſt: *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria,* Prou. 25. Vnde Dominus ad montem Sinai fumantem vetuit accedere, eumque tangere ſub pœna lapidationis: Solus Moyſes admittebatur in caliginem, Exod. 19. Qua re indicare voluit Deus, vt intellectum ei noſtrum ſubijceremus, in rebus præſertim fidei, eiuſque arcanorum: & contenti eſſemus, quod Deus Eccleſiæ ea reuelarit, quæ nobis credenda proponit.

B. I. Subijce te Deo. 1. *Fidem adhibe.*

Secundò eius præcepta, prompto facilique animo amplectere, & totum id bonum exiſtima ac ſanctum, quod præcipit ſiue per ſe & ſcripturam, ſiue per vicarios ſuos & Eccle-

2. *Præcepta amplectere.*

ſiam ; & ita ſubijcies Deo voluntatem tuam. Non enim qui inclinat Deo caput aut genua tantum, humilis cenſendus eſt, ſed qui inclinat ei voluntatem ſuam. Et talis quodammodo longe ſtat à Deo, cum eius præceptum audit; quia ſufficit ei intellexiſſe Dei mentem: non curat enucleare eius verba, rimari cauſas, vtrum iuſta vel iniuſta, facilia an difficilia præcipiat. Hoc egit populus Iſraëliticus, iuxta præceptum Domini, cum Domino promulgante legem decalogi in monte Sinai, *de longè* ſtetit, vt dicitur Exo. 20. quaſi contentus ſcire Dei mandata, non cupiens examinare. Qui hoc non facit, ſuperbus eſt, voluntatem ſuam Deo non ſubijcit: Phariſæus eſt. Tales verò imprimis hæretici, qui tametſi plebeij & indocti, ipſimet legere & exponere Sacram ſcripturam volunt, non contenti Eccleſiæ & SS. Patrum expoſitione: nec dubitant aſſerere, à Pontificibus & Epiſcopis ideo prohibita eſſe plebeijs Biblia, ne ipſorum fraudes, quibus vulgo illudant & pecunias emungant, deprehendantur.

3. *Virgam exoſculare.* Tertiò eius virgam exoſculare, & reum te fatere, cum te afflixerit vel affligi permiſerit, dicendo cum Dauide; *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Pſal. 118. Tametſi enim is ſæpe iniuſtè vexaretur à Saule, Semei, Abſalone proprio filio: nihilominus ſemper iuſtitiam Dei in ſe agnouit, quia memor erat primorum peccatorum, quæ in Deum commiſerat, tametſi in perſecutores ſuos non peccarat. Eadem illa verba repetebat Mauritius Imp. quoties aſpiciebat ante oculos ſuos necari à Phoca vnum ex quinque liberis ſuis, apud Baron. anno 602. quia tametſi Phocam non offendiſſet, ſciebat tamen Deum ſe offendiſſe, & hanc cladem promeruiſſe.

Atque vt innocentem te ſcires, adhuc tamen de manu Dei ſuſcipere diſciplinam deberes; ſiquidem is tuus abſolutus Dominus eſt, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam, vti figulus vas, quod facit. Sta igitur à longè in templo & noli appropinquare Deo, iuſtum te reputando coram ipſo.

4. *Noli extolli ob merita tua.* Quartò. Noli extolli vanis ſpebus, rebuſque proſperis, ob fortunam vel merita tua, quomodo Phariſæus prædicans opera ſua. De quibus Eſaias c. 58. ait: *Quaſi gens, quæ iuſtitiam fecerit & quæ iudicium Dei ſui non dereliquerit, rogãt me iudicia iuſtitiæ, appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti?* Non, ita inquã, ſed memor eſto inprimis, quidquid boni habes, id à Deo te habere; proinde cũ 24. ſenioribus illis mittere te debere coronam tuam ad pedes Dei, *Apoc.* 4. Deinde te à Deo rurſum facillime ſpoliari poſſe, & criſtam tibi deponi: quomodo Sobnæ præpoſito templi dixit: *Ecce aſportari te faciet Dominus, ſicut aſportatur gallus gallinaceus*, Eſa. 22. *Quo die Seianum ſenatus deduxerat*, ait Seneca de tranquill. c. 11. *populus in fruſta diuiſit. In quem quidquid congeri poterat, Dij hominesq; contulerant, ex eo nihil ſuperfuit, quod carnifex traheret.*

C. II. SECVNDÒ. Stetit retro Phariſæum, eo ipſo quod à longe; Phariſæus verò prope altare. Ad eundem modum Primò nemini te facile præponas, quia vel putas tibi ineſſe ampliora bona: & tunc cogitare debes, tibi non eſſe omnia. Sicut enim Africa leones habet, leopardos & lynces; non autem apros, ceruos, capras ſylueſtres: ſic non omnia in re congeſta ſunt ornamenta, ſed in alios plura, nec facilè eſt definire, vtra ſint maiora. Vel putas alijs grauiora ineſſe mala, & vide ne fallaris, quia oculati eſſe ſolemus in alios; cæci in noſipſos; & tua deberes aliena reputare, vtpote in quæ lapſurus eras, ni à gratia preuentus fuiſſes, vel etiamnum labi potes. *Domine*, ait S. Auguſt. l. 2. confeſſ. c. 7. *gratiæ tuæ deputo, quæcũque non feci mala.* Et infra: *omnia mihi dimiſſa fateor, & quæ mea ſpõte feci, & quæ te duce non feci.* Multo minus proximum contemnas inſtar Phariſæi hodierni, publicanum contemnentis. Potius conare te omnibus poſtponere præſertim æqualibus, & iuxta Domini præceptum nouiſſimum ambi locum, comparans defectus tuos cum aliorum virtutibus: piè etiam credens, conſtãtiores fore alios, ſi occaſio daretur martyrij, vt monet S. Aug. de Sancta virg. c. 43. Docuit etiam hoc Apoſtolus ad Phil. 2. his verbis: *In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes.* Et ad Rom. 12. *Honore inuicem præuenientes.* Cuius rei illuſtre exemplum in duobus habemus Epiſcopis, & quidem iam ſepultis. Cum enim S. Ioannes Eleemoſynarius Epiſcopus Alexãdrinus defunctus inferendus eſſet in loculum, in quo duo iacebant Epiſcopi, illi duo plurimis inſpectantibus viſi ſunt ſeceſſiſſe, & mediũ illum recepiſſe. Baron. anno 620. Similiter S. Germanus in templo ſuo honorem detulit S. Martino hoſpiti ad ſe delato. Cũ enim S. Martini corpus à Turonenſi ciuitate Antiſiodorum in templum S. Germani delatum eſſet, ceſſauit S. Germanus (qui alioquin tanti erat meriti, vt mortuos ſuſcitaret) in domo ſua edere miracula eumque honorem conceſſit hoſpiti ſuo Martino. Orta ſiquidem inter Clericos contentione vter ſanctus miracula, quæ fiebant, patrarêt, in medio vtriuſque ſepulchri ſtatuerunt leproſum: qui mane facto ſanatus fuit in ea parte, quæ S. Martino vicina erat, non ex altera. Rurſum ſequenti nocte pars altera verſus Martinum vertitur, & mane facto ſana in omnium oculis & ipſa reperitur, vt ſcribit Oddo Cluniacenſis Abbas, qui ad hoc exclamat: *ò admiranda vrbanitatis Germanum Pontificem, qui cum tanti meriti eſſet vt mortuos ſuſcitaret, in domo ſua hoſpiti ſuo tantum detulit honorem, vt inſignorum exhibitione eo ſe videri vellet inferiorem!* apud Baron. anno 853.

Subijce te proximo. *1. Nemini te præpone.*

2. *Iudicium tuum ne alterj facile præfer.* Secundò. Iudicium quoque tuum ne facile præponas iudicio aliorum, non dico, præpoſitorum tuorum, ſed nec æqualium. Inprimis Eccleſiæ & communi Doctorum ac PP. definitioni non acquieſcere, olet immanem ſuperbiam. Eccleſia enim 1. Tim. 3. *columna & firmamentum veritatis* vocatur ab Apoſtolo. Et S. Aug. epiſt. 118. ait: *De eo quod tota per orbem fre-*

Io. S. Aug. epiſt. 118. ait: *De eo quod tota per orbem frequentat Eccleſia, diſputare, an ita faciendum ſit, inſolentiſſima inſania eſt.* Hoc quia non obſeruarunt ſectarij, in hæreticos euaſerunt, dum vanæ gloriæ cupidi contra Patrum ſententiam noua dogmata excogitarunt & impudenter propugnarunt. Plurium etiam æqualium ſententiæ ſuam præponere, ſapit ſimiliter ſuperbiam; plus enim vident oculi quam oculus, & plus illuminant candelæ quam candela; & vt ſcribit Seneca ep. 118. *magnum eſt apud nos veritatis argumentum, aliquid omnibus videri.* Quin & in rebus agendis proprio tantum iudicio ſtare & alios nolle conſulere, ſuperbia non caret: cuius ſuſpicionem vt effugeret Chriſtus, ipſe in conſilium diſcipulos interdum adhibuit, non ex neceſſitate, ſed ad inſtructionem noſtram; vt cum ait: *Vnde ememus panes, vt manducent hi.* Ioan. 6. *Et fit ſæpenumero,* inquit S. Chryſoſt. in c. 12. ad Rom. *vt prudens quod oportebat, non videat; & ſtultior aliquis eorũ, quæ conueniunt, inueniat. Id quod in Moyſe & ſocero ſuo factum eſt, in Saul & puero ſuo, in Iſaac & Rebecca.* Quin etiam Ariſtoteles: *ad res magnas,* inquit, *conſultores adhibe...us nobis ipſis diffiſi, quaſi minus ad ſtatuendum idonei,* l. 3. Eth. c. 4. Hoc eſt quod Apoſtolus etiam docuit ad Rom. 12. *nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos.*

D. III. Senti de te humiliter. 1. *Conſidera lapſus tuos.*

Tertiò. deiecit in terram oculos, nolens ad cœlum eos leuare. Sic tu Primo, conſidera diligenter lapſus & relapſus tuos quotidianos, ineptias, inconſtantiam, vanitatem, imbecillitatem; ſic enim pudebit te tui, ſicut Iunoniam auem pudet deformitatis pedum ſuorum cum eam intuetur; & deprimit, quas prius ambitioſè explicabat, plumas ſuperbiæ. Inprimis pone tibi ante oculos ſtupendam oſcitantiam tuam circa vitiorum extirpationem, virtutumque ſtudium: qua factum eſt, vt poſt tot annos ne vnam quidem virtutem inter tot bene agendi occaſiones & incitamenta perfectè addidiceris, nec vnum quidem vitium perfectè extirpaueris, v.g. iurandi vel mentiendi vel inebriandi, vel iraſcendi conſuetudinem: imò contra poſt tot increpationes, pœnitentiæ remedia & concepta propoſita in ſacramento pœnitentiæ, non deſinas more canum redire ad turpem vomitum, more ſuum ad luti volutabrum & delictis nouis vetera cumulare. Ex quo capite merito te mortalium infimum & inutiliſſimum reputare potes, quòd nemo alius cum tanta gratiâ & tot occaſionibus bonis, tam pauca feciſſet bona, tam multa perpetraſſet mala; quod faciebat. S. Franciſcus, cum ſe furibus & latronibus peiorem dicebat. Quibus ſi iungas veteres culpas etiam condonatas, Apoſtoli exemplo, dicentis etiam poſtquam miſericordiam conſecutus eſſet: *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei,* 1. Cor. 15. habebis affatim, cur oculos demittas.

2. *Noli attendere laudes tuas.*

Secundò, noli attendere laudes tuas, ſi forſan à quopiam lauderis: noli cum Phariſæo ad cœlum oculos leuare: cum pauone ad pennas; ſed demitte potius ad vitia & miſerias tuas expendendas. Sicut puella nobilis & diues, pede tamen claudicans, non tam attendit ad genus & dotem ſuam, quam ad defectum, nec facilè ſuperbit. Impensè igitur laudatus cogita & reſponde, Primò plus eſſe in te vituperio, quam laude dignum. Secundò aliud eſſe Dei iudicium, aliud hominum, perſæpe laudantium, quod ille reprobat. Quam multi cum Doctore illo Pariſienſi ad iudicium ex inferno venient, qui in mundo probatiſſimi videbantur? Multa concurrere debent ad hoc vt bonum ſit verè bonum & meritorium apud Deum; quia bonum eſt ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu: ſicut longè citius aberratur à ſcopo, quam is tangitur. Ad hæc ſi compares opus tuum, propter quod laudaris, cum operibus ſanctorum, & cum obligatione tua, exiguum eſſe reperies. Vnde cum S. Ioannis Eleemoſynarij effuſam in pauperes liberalitatem laudaret quiſpiam pauperum ac ſuſpiceret, in more habebat dicere: *Frater, nondum pro te ſanguinem fudi, ſicut mandauit mihi Dominus.*

E. IV. Humiliter de te loquere. 1. *Deprome miſerias tuas.*

Qvarto. Confeſſus eſt ſuam miſeriam, peccatorem ſe vocando. Dei gratia indignum: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Sic tu in ſermone Primò deprome infirmitates tuas, non virtutes. Inprimis vero in confeſſione peccata tua fideliter enuncia, vt iuſtificeris & ſaneris; ſiquidem id præcepit Chriſtus, cui in hac præſertim re non obedire, immanis eſt ſuperbia. Dic enim mihi, ſi Reus aliquis incarceratus ſciret, facinora ſua conſtare Iudici: & Iudex aliud ab eo non peteret, quam vt Reus facinora ſua recenſeret eius famulo: moxque dimiſſionem promitteret; an non inſana foret Rei ſuperbia, ſi ſcelera ſua, Iudici prius nota, dicere ſeruo nollet? Non minor eſt ſuperbia nolentis confiteri. Cum enim ſciamus Deo perfectiſſimè conſtare omnia noſtra crimina, ipſumque pro condonatione eorum aliud non petere, quam vt eius ſeruo, ſacerdoti, eadem enuntiemus: quomodo non intoleranda erit noſtra ſuperbia, ſi confiteri renuamus?

2. *Reprehenſionem Lubens accepta.*

Deinde deprehenſus in delicto, caue id propugnes: ſed magis fatere, & age gratias, licet ſuperior non ſit, qui corrigit; non ſecus ac ſi de faciei macula admonitus eſſes. Quare Ludouicus IX. Franciæ Rex morti proximus filio ſuo dixit: *Ita te geras, vt confeſſarij & neceſſarij tui libere te admonere poſſint mali.* S. Chryſoſt. admonitus à vetula de moderanda concionum ſubtilitate, gratiam ei habuit, & ſtylum mutauit. Philippus Macedo à ſeruo de indecora ſeſſione in aurem monitus, ſeruum in amicitiam accepit. Antigonus à priuato Athenienſi de barbara locutione reprehenſus, non excanduit ob cenſuram, nec tuendum ſuſcepit barbariſmum, ſed maxima frumenti copia cenſorem remunerauit. Nimirum agnouerunt iſti, ſtultum eſſe, tueri vel inficiari errorem ſuum.

3. *De te modeſte, de alijs*

Tertiò. De teipſo modeſtè, de alijs honorificè loquitor: non vti Phariſæus, qui de ſe magnificè,

honorifice loquere. nifice, de Publicano loquebatur deſpectè. Excelluit in hoc humilitatis actu Dauid, qui Saulem licet inimicum, honorificè ſemper nominabat *Dominum ſuum,* & *Chriſtum Domini, imo* & *Patrem ſuum;* ſe ipſum vero *canem mortuum*, & *pulicem vnum*, 1. Reg. 24. Caue tamen affingas tibi falſa crimina. Etenim Auguſtinus ſerm. 59. de verbis Apoſtoli, ait: *Cum humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator, antequam mentireris mentiendo efficeris, quod euitaueras. Veritas in te non eſt niſi ita te dixeris peccatorem, vt etiam eſſe agnoſcas.* hæc ille. Caue etiam vera narres quibus alios ſcandalizes: multo minus teipſum inquines peccato, quo vileſcas apud homines.

Porro ignobilitatem tuam liberè confitere. Sic Agathocles Rex Siciliæ, figulo patre natus, cum factus eſſet Rex, abacum ſuum fictilibus vaſis inſtruebat, teſte Auſonio, vel ſaltem inter aurea etiam fictilia ponebat. Auguſtus Cæſar nihil amplius, quam equeſtri familia vetere ſe ortum ſcribit, apud Sueton. Leſcus ex aurifabro Rex Poloniæ factus, aſſiduè ſibi produci craſſos pannos in aſpectum iuſſit, quibus prius induebatur, apud Cromerum. Viligiſus Archiepiſcopus Mogunt. ex filio Rhedarij Epiſcopus factus, rotam pro inſignibus aſſumpſit, quo priſtinæ conditionis memor eſſet; quæ etiamnum Archiepiſcoporum illorum inſigne eſt.

4. *Teipſum ne commenda.* Quartò. Teipſum ne commendes aut iactes, gallinæ inſtar, quæ dum ouum ſuum, quod poſuit, glocitando prodit, perdit. Sic Phariſæus merita ſua dum deprædicat, amittit. Publicanus contra, dum nullius meminit, abſque dubio tamen aliquid habuit, meritum adauxit. Phariſæum imitantur nouatores, qui ridicule & intempeſtiuè ſuas ſententias aſpergunt græcis voculis, ſicque vaniſſimo aranearum reti vanas venantur muſcas. Hoc eſt, ἀδύνατον, inquiunt. Hoc ex aduerſariorum ὑποθέσει dicimus, quaſi hæc ipſa latinis verbis enunciari non poſſent.

Minus adhuc te commendaueris meritis ad te non pertinentibus. *Quid* enim, *quæſo, ad nos maiorũ virtutes, ſi ignaui fuerimus?* inquit S. Greg. Nazianz. *in Monodia.* Nec denique ex abrupto & ſine propoſito te verbis vllis deprimas, ſed occaſionem expecta; vt cum deferuntur tibi munera publica, quibus imparem te ſentis & indignum. Tunc enim dicere poſſes cum Hieremia, c. 1. *A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Adhæc modum quoque obſerua, vt non nimium te deprimas cum Socrate qui dicebat: *Hoc vnum ſcio, quod nihil ſcio.* Patet ſiquidem mendax ſui deiectio. *Sapientia eſt,* inquit Lactantius, l. 3. de falſa Sap. c. 6. *vt neque te omnia ſcire putes, quod Dei eſt, neque omnia neſcire quod pecudis Eſt aliquid medium, quod ſit hominis, ſcientia videlicet cũ ignorantia temperata.* Hæc niſi obſeruaueris in ſuſpicionẽ affectatæ laudis incides, & potius te commendare vel vituperare velle iudicaberis; quemadmodum Laertius, cum aliquando adoleſcentes Rhodios elegantiori cultu incedere conſpexiſſet: *Hic factus eſt*, dicebat. Quod animaduertentes iuuenes, ſubſtricta tunica parcè ſordideq; ue amicti incedebant. Quibus viſis Laertius; *Et hic factus eſt,* aiebat. Maiol. tom. 2. canic. coll. 7.

Qvintò. Percutiebat pectus ſuum. Sic tu externè quoque prætefer humilitatem; & inprimis puni errata tua cum Publicano tunſionibus pectoris & oculorum deiectione, cum Magdalena lachrymis, humicubationibus, cum Achab ſacco & cilicio. Demonſtra in veſtitu, inceſſu, obſequio, oratione, &c. humilitatem: & hoc ſerio. *Eſt* enim, *qui nequiter ſe humiliat,* Eccl. 9. Poteſt quidem in ornatiore veſtitu latere humilitas: vbi tamen is ſuperfluus eſt, & non neceſſarius ad ſtatus dignitatem conſeruandam, ſuperbiam intus latentem prodit. Quomodo enim humilem dicam, qui criſtatus, gladiatus, ocreatus accedit in templum, ad confeſſionem, Euchariſtiam, ſupplicationem, &c. qui ante S. Euchariſtiam genua non flectit, manus non erigit, ad S. hoſtiæ eleuationem pectus non tundit: in confeſſione & communione oculos non deprimit, ſed vndique circumfert? F. V. *Extra in conuerſatione prætefer modeſtiam,* 1. *Puni errata tua,*

Secundò. Ne quæras humanum applauſum ob ea, quæ in te cernis merita vel excellentias. Sic ait S. Iob c. 31. *Si oſculatus ſum manum meam,* id eſt, ſi meipſum honoraui, aut gloriam meam procuraui! Conſtantinus M. Imperator, cum tam multa & inſignia templa ad honorem Dei & Sanctorum tum Romæ, tum in alijs plurimis orbis Romani locis, maximis impenſis erexiſſet, in nullo tamen ipſorum nomen aut inſignia ſua adſcripſit, aut affixit. Traianum Imp. quod ſingulis operibus ſuis nomen affixiſſet ſuum, *herbam parietinam* vocabat, quod paſſim reperiretur muris adhærens. Baron. anno Chriſti 324. 2. *Ne quære applauſum hominum.*

Rurſum titulos tibi indebitos ne admittas. Alexander M. ab adulatoribus Iouis filius dictus, ſagitta percuſſus oſtendit eis ſe mortalem. Canutus Anglorum Rex, adulatoribus ſuis dicentibus, quod omnia eius imperio ad nutum parerent, ſedem ſuam ad littus maris poſuit, ibique mari præcepit, ne contra ſe excurreret, & regiam veſtem contaminaret. Sed mari iuſſa ſpernente: *En,* inquit, *quam ego omnibus imperio? Quin ſciant omnes, qui terram incolunt, vanam & falſam eſſe Regum potentiam: atque vnum eo nomine dignum, qui vere imperium inhibet cælo, terræ, mari;* apud Tymp. in ſpec. Magiſtr. ſig. 78. 3. *Titulos tibi indebitos ne admitte.*

CONCIO VIII.

Argumenta cur reddendæ decimæ.

1. *Ad hoc monet lex naturæ.*
2. *Lex vetus: & quare pars decima exigatur.*
3. *Lex noua.*
4. *Lex iuſtitiæ.*
5. *Grauitas peccati cum ſurripiuntur.*
6. *Pæna fraudatorum.*
7. *Retributio multiplex fideliter largientium.*

THE-

THEMA.

Decimas do omnium, quæ poſſideo. Luc. 18.

A. NIhil, Auditores, magis neceſſarium videtur eſſe domui, quam tectum: & nihil interim periculoſius, quam tegulas & tectum domibus imponere; lapſus namque ex alto perpetuo timendus. Quod de tecto domus dixi, idem mihi dicendum de decimis videtur. Nihil in re temporaria magis neceſſarium ſacerdotibus, quàm Decimæ; inde enim communiter illorum victus, & veſtitus totaque ſuſtentatio prouenit ac pendet. Interim tamen fatendum, nihil ipſis periculoſius eſſe, quam de Decimis concionari. Incipiat enim Parochus adhortari parochianos ſuos, vt fideliter reddant decimas, illico adſiliet tota ruſticorum cohors, & ſuggillabit paſtorem ſuum, quaſi ad rem ſuam nimium attendat, & auaritiæ æſtu flagrans quærat tantum, *quæ ſua ſunt, nõ quæ Ieſu Chriſti.* Quid aget igitur Sacerdos? Niſi quærat Decimas ſuas, non habebit, vnde viuat, & à multis decipietur, non ſine graui fraudantium peccato: ſi quærat, auarus audiet. Quare ſicut ædium Dominus non ipſe aſcendit tectum ſuũ, vt tegulas ei imponat, ſed conſtituit murarium, huius artis gnarum: ita nos, Sacerdotes, non ipſi decimas noſtras per concionem requiremus: ſed alteri rerum perito hoc munus demandabimus. Igitur opportune occurrit nobis Phariſeus in hodierno Euangelio, qui loco Sacerdotum concionatur ſuo exemplo, & prouocat ruricolas ad reddendum debitũ, cũ inter alia iuſtitiæ opera & iſtud de ſe recenſet: *Decimas do omnium, quæ poſſideo.* Et ſi iſtud Phariſæus: cur non Chriſtianus? Dicat ergo Phariſæus, quibus argumentis moueri homines debeant ad reddendas decimas.

B. I. *Lex naturæ.* PRIMVM. Lex naturæ. Si enim natura doctrice ſcimus, obligari nos ad tribuendum Cæſari cenſum, & fructuum quotam Domino pro loco fundi, aut domus, quanto magis Deo obligabimur, à quo omnia habemus? Solent ſæpe Domini tradere ruricolis ſuis agros pro tertia fructuum parte colendos: Deus, cuius ſunt omnia quibus fruimur, non niſi decimam petit. Meretur autem perdere agrum, aut prædium, qui non reddit cenſum: ita & bona ſua, qui Deo non dat decimã Cæſari quoque, velut ſupremo noſtro Domino, nónne tributũ reddimus, (licet ab eo fundum non habeamus) in recognitionẽ ſubiectionis? Cur ergo non Deo? Adhæc illis ſolemus primos fructus tradere, qui agrum ſtercorarunt noſtrum: à Deo autem quid non habemus? Habemus terram, ſemen, ſolem, pluuiam, equos & boues: cur ergo partem ei non tribuamus ſuam, tot debitam titulis? Hinc etiam animalia quædam, ciconiæ & hirundines, quia per æſtatem vtuntur ædibus noſtris, quaſi in cõpenſationem deijciunt prolem vnam, quam nos ideo vocamus *Decimã:* Atqui nos terræ incolæ nónne ſemper vtimur Dei domicilio? Refert etiam Ælianus lib. 4. c. 52. in Lybia animal eſſe, cuius nomen necdum cognitum; quod, cum venatu viuat, in vndecim partes prædam ſemper diuidit, decem quidem comedens, vndecimam vero relinquens. Quanto igitur deteriores homines, qui decimam non dant Deo? Accedunt item Gentiles aliqui; nam Romanos decimam dediſſe Herculi, tradit Cic. l. 2. de offic. & lib. 3. de nat. Deor. Arabes vt ſcribit Plin. l. 12. c. 14. Deo Sabi decimas thuris dabant, quas eius Sacerdotes capiebant. Æthiopes etiã autore eod. l. 12. c. 19. Deo Aſſabino ſeu Ioui decimam Cinnamomi dabant, quam Sacerdos haſta diuidebat à reliquo. Quid igitur? num Chriſtiani gentilibus deteriores ſint?

SECVNDVM. Lex vetus. Deut. 14. *Decimam partem* (loquitur Deus ad populum) *ſeparabis de cunctis fructibus tuis, quæ naſcuntur in terra per annos ſingulos.* Et leuit. 27. dicitur. *Omnes decimæ terræ, ſiue de pomis arborum, ſiue de frugibus Domini ſunt & illi ſanctificantur.* Et Num. 18. *Filijs autem Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Et ſane præceptum de decimis replicat ſæpius in veteri lege Deus. Quid ita? ne forte, ſi Sacerdotes & Leuitæ de decimis ſæpius prædicarẽt, id cupiditatis & commodi ſui cauſa facere viderentur. Multi dicunt: non poſſunt Sacerdotes niſi de decimis concionari. Chariſſimi, ſi non vultis audire Sacerdotes; audite concionantem vobis Deum. Accedunt SS. Patrum exempla, qui in decimis dandis laudantur à ſacris literis, Abraham inprimis, qui de pugna victor rediẽs, & Sacerdoti Melchiſedech obuians, decimas ei dedit ex omnibus quæ acquiſiuit Geneſ. 14. Nepos eius Iacob, *Gen.* 28. vouit Deo: *Cunctorum quæ dederis mihi, decimas offerã tibi.* Tobias *cap.* 1. laudatur, quia omnia primitiua ſua & decimas ſuas fideliter offerebat. Quibus accedit Phariſeus iſte qui audet coram Deo quaſi gloriari, quod decimas daret omnium, quæ poſſidebat: quod quidem gloria dignum erat, niſi ipſe vanus ſuiipſius præco fuiſſet. C. II. *Lex vetus.*

Sed cur primitias (antiquo iure) & decimas, ais, dare iubemur, non ſecundas aut vndecimas? Ratio Prima: quia cum denarius ſit numerus perfectus, omnes in ſe numeros claudens, qui ab vno incipit & deſinit in denario: Deus autem ſit α, & ω. Principium bonorum, à quo omnia, & finis eorundem, in quem omnia tendunt: idcirco in ſubiectionis noſtræ recognitionem & primitias ſoluimus Deo & decimas. Deinde quia à Deo habemus, quod boni eſſe incipimus, & quod tales ad finem vſque perſeueramus. Tertio iuxta S. Tho. 2. 2. q. 87. a. 1. Quia denarius numerus perfectionis eſt, vltra quem nec ingenium, nec natio aliqua alium excogitauit, vt ait Franciſ. Venet. *cant. ton.* 4. c. 33. quia vlterior non datur. Idcirco vt homo ſuam perfectionẽ à Chriſto expectandã ſciret, decimæ decretæ. Quarto quia homo eſt decima pars rationalium creaturarum, cum ſint nouem angelorum chori: homo *Cur pars decima exigitur.* I.

tunt enim Eccleſiaſtici laicos ſacramentis & verbo Dei, atque adeo dant eis pretioſiora, quam ab iiſdem accipiant: dant ſpiritualia, recipiunt corporalia. Prodeat Abraham Patriarcha, qui, cum Sacerdos Melchiſedech proferens panem & vinum, benedixiſſet ei, ſtatim dedit ei decimas ex omnibus, *Gen.* 14. quo nimirum Sacerdotis oblationem & benedictionem modo aliquo compenſaret. Eandem nunc benedictionem, & ni fallor maiorem, præſtantiorem quoque hoſtiam offerunt Sacerdotes laicis; quid magni igitur ſi temporalia metant? Tertia ratio à poteſtate Sacerdotum ſumitur: Plantant enim Eccleſiæ vineam; igitur poteſtatem habent ſuper eam, vt de eius fructibus comedant & bibant.

F. V. Grauitas peccati, cum ſurripiuntur.

QVINTVM. Peccati grauitas, cum non dantur. Inprimis enim qui non reddit decimas quas debet, ſacrilegium admittit, de quo Hieron. ep. 3. ait: *Amico rapere quidquam, furtum eſt: Eccleſiam fraudare, ſacrilegiũ eſt.* Queritur de hoc apud Malach. cap. 3. Dominus inquiens: *Quia vos configitis me. Et dixiſtis: In quo configimus te? In decimis & in primitijs. Et in penuria vos maledicti eſtis & me vos configitis gens tota.* Quid ſibi volunt hæc verba? Paulo ſupra dixerat Dominus: *Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos. Et dixiſtis. In quo reuertemur? ſi affiget homo Deũ: quia vos cõfigitis me.* q. d. quomodo reuertar ad vos, ſi vos affigitis me (vel, vt eſt in Hebr. *violẽtatis me,*) quo minus reuertar ad vos? Sed quæramus vlterius. Quomodo, Domine Deus, configebant & impediebant te in decimis, ne tu reuerteris ad eos? Vt hoc intelligatur, notandum quod Gloſſ. ord. & Hugo Card. ib. dicunt: nimirum tempore Eſdræ fuiſſe maximam famem, vnde Iudæi fraudabant leuitas in decimis, nec eas reddebãt; ideo fugere in regiones ſuas compellebantur Leuitæ. Igitur ait Dominus: Quomodo reuertar ad vos, ſi vos affigitis Leuitas meos in regionibus ſuis, ne reuertantur ad vos, dum decimas eis non datis? Quo ſignificatur, Deum diſcedere à populo, quãdo Leuitas expellit, & cum iiſdem redire. Vnde tam ſedulò præcipit Dominus Iſraeli: *Caue ne derelinquas Leuitã in omni tẽpore, quo verſaris in terra,* Deut. 12. Et iterum cap. 14. *Caue ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem,* &c. Vel ſic: Quomodo reuertar ad vos vt benefaciã vobis, ſi vos affigitis manus meas, ne vobis benefaciam, dum adeo ingrati eſtis & decimam quæ in gratiarum actionem Deo debetur, non datis? Hinc enim Plato fertur dixiſſe, quatuor eſſe difficilia & quintum omnino impoſſibile: primum ſeruire ſuperbo. Secundum petere ab auaro. Tertium, negotiari cum mendace. Quartum, tractare cum ignorante. Quintũ benefacere ingrato, quod impoſſibile viſum Platoni. Magna ſane Iudæorum ſtultitia: veluti ſiquis auiculam è cauea auolantẽ, per inediam vellet reuocare. Quin potius eſcam ei proponit? Aut qui vellet ab altero extorquere donum, & interim eum palo affigeret. Quin potius ei manus dimittit vt largiri poſſit? Ita egerunt tunc Iſraelitæ, & agunt nunc quãplurimi; dum in annona fraudibus vtuntur, decimas detinent aut defraudant, volentes ſic occurrere egeſtati: cum tamen ob idipſum cauſent egeſtatem. Dando enim quod debent, ditiores fient: retinendo autem iniuſta, pauperiores. Vnde Hebræis Prouerbium eſt: *Da decimas vt diteſcas.* Vel configunt iſti Deum, quia cum contriſtant & affligunt ac de nouo quodammodo clauis & lancea cõfigunt, dum ſubtractione decimarum miniſtros eius expellunt, ſicque efficiunt vt Dei cultus negligatur & religio peſſundetur. Vel denique quia eum in membris ſuis, pauperibus, crucifigunt. Sane Auguſtinus de doctrina Chriſt. ait: *Decimæ ex debito requirũtur, & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt. Et quanti pauperes in locis ſuis vbi ipſe habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint: tantorum homicidiorum reus ante æterni Iudicis tribunal apparebit.*

G. VI. Pœnæ fraudatorum.

SEXTVM. Pœnæ Fraudatorum. Prima. Frugum defectus, vt ſupra ex Malach. 3. audiuimus. *Quia vos cõfigitis me in decimis & primitijs: in penuria veſtra maledicti eſtis.* ſuper quẽ locum ait S. Hier. *Quia non reddidiſtis decimas & primitias, ideirco in penuria & fame maledicti eſtis; quia dum parua ſubtrahitis, vbertatẽ poſſeſſionũ veſtrarum & totam abundantiam frugum perdidiſtis. Sciatis vos ideo perdidiſſe abundantiam, quia fraudaſtis me parte mea. Moneo igitur vt reddatis mihi mea, & ego reſtituam vobis veſtra.* Et rurſum: *ſiquando fames & penuria rerum omnium, egeſtas opprimit mundũ, ſciamus hoc ex ira Dei deſcendere, qui ſe in pauperibus, ſi non accipit eleemoſynã, fraudari loquitur, vt ſuas poſſeſſiones poſſimus decimas & primitias interpretari.* Septem illæ vaccæ macilentæ, de quibus ſomniabat Pharao, *Gen.* 41. quod deuorarent ſeptem alias vaccas pingues, nullum ſaturitatis dedere veſtigium, ſed ſimili macie & ſqualore torpebant: ſic eiuſmodi heluones decimarum, non modo non ditantur ex illis, ſed etiam depauperantur, aut certe ſimili ſemper macie, & fame torpent. S. Auguſtinus ſer. 219. de temp. ſcribit: *Elige tibi vnum de duobus. Aut da Deo decimam partem bonorum tuorum & relinquet tibi nouem partes; aut ſi retinueris decimam partem & nihil dederis de ſubſtantia tua in ſuſtentationem, tunc Deus auferet nouem partes, & vix decimam concedet.* Audite quid de Dania referat Ioannes Archiepiſcopus Vſpalenſis *in Hiſtor. Gothor. l.* 18. 13. Saxo Gramma. *lib.* 11. *hiſtor. Danor.* aliique anno Chriſti 1088. Canutus rex cum ſummo ac pio ſtudio contenderet, vt Chriſti miniſtris liberalius & commodius de decimis & primitijs prouideretur, inſigni cuiuſdam Blacconis perfidia traditus, ab inſana plebe trucidatur. Quo facto tanta frumentorum penuria vniuerſam Daniam inuaſit, vt maxima populi pars, alimentorum inops, inediâ cõſumeretur. Enimuero abundè ſeges finitimis erat, vt priuata gentis, non publicam terrarum vltio videretur. Nec prius Danicis agris fœcunditas reſtituta eſt, quam populus ad cor conuerſus, pœnitentiam ageret, ſe tam ſanctum regem occidiſſe, qui tam iuſta & honeſta pro Chriſti miniſtris poſtulaſſet.

Iamque experimento didicerant ſe iuſte nouem frumentorum partes amiſiſſe, qui decimam ex eis Deo & Dei miniſtris reddere noluiſſent. Exemplum aliud ex vita B. Anſelmi Cantuar. Epiſcopi, refertur in ſpec. Exemplor. tit. de decimis de quodam eius ſubdito non dante decimas, cuius horreum cum vidiſſet ſanctus, vidit ſuper id ſedentem diabolum. Quæſiuit igitur è viro, cur horrea non expleuiſſet ſed propemodum vacua haberet anno illo. Et ille: mirari ſe quoque paucitatem frugum, licet omnes illuc reponerentur, etiam ſine redditione decimarũ. Quod vbi intellexit ſanctus, fecit extrahi & decimari, atque ſic reponi. Mirum, cum reponerentur fruges, ita multiplicabantur; vt vix ab horreis caperentur.

2. Secunda. Subſtantiæ diſſipatio; de qua S. Aug. 16.*q.* 7.*c. maiores*, ait: *Maiores noſtri copijs omnibus abundabant, quia decimas Deo dabant, modo autem quia diſceſſit deuotio Dei, acceſſit indictio fiſci. Nolumus cum Deo partiri decimas, modo autem tollitur totum: hoc tollit fiſcus quod nõ accipit Chriſtus*. Et iterum in libro de doctr. Chriſt. *Dabis impio militi*, inquit, *quod non vis dare ſacerdoti.* Addam ego, dabis Iudici, dabis Medico, dabis furi, &c. Sunt enim decimæ, vti & alia bona Eccleſiaſtica veluti pennæ Aquilarum, quæ, vt refert Ariſtoteles *l.* 9. *de animal.c.* 2. & Plin. *l.* 10. *c.* 3. commixtæ alijs pennis, eas deuorant, & putreſcere faciunt, ſic decimæ, vtpote per rapinam acquiſitæ, abſumunt ſecum bona alia, etiam iuſtè acquiſita. Vnde ſimili in cauſa, de pretio Chriſti aiunt Iudæi: *Non mittamus eam in Corbonam quia pretium ſanguinis eſt.*

3. Tertia. Damnatio. Nam vt Auguſtinus de doctrina Chriſt. ait: *Hæc eſt Domini iuſtiſſima conſuetudo, vt ſi tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris; id eſt, dæmonibus, quæ eſt decima pars angelorum, aſſocieris.*

4. Quarta. pœna canonica & excommunicatio, vt in c. tua nobis: &c. ſtatuimus de decimis.

H. VII. Retributio multiplex.

Septimvm. Retributio multiplex fideliter largientium. Prima. Fructuum abundantia. De hac Malach. 3. *Inferte omnem decimam in horreum meum, vt ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus: ſi non aperuero cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam: & increpabo pro vobis deuorantem, & beatos vos dicent omnes gentes.* En quatuor retributiones, quoad fruges: pluuia ſcilicet copioſa & cõgrua: benedictio Dei ſuper fruges, vt poſſint creſcere: increpatio nocentium, locuſtarum ſcilicet & bruchorum. &c. Laus & nomen coram alijs propter frugum ſcilicet abundantiam & propter obedientiam. Exemplum ſcribit Odo Cancell. Pariſ. *in ſerm.* & Cæſarius Heiſterbac. item in ſer. de Nobili, qui ſi eius ſegetes aliquando grandine ferirentur, à diſpenſatoribus ſuis damnũ exigebat, dicens: *ſi fraudẽ non feciſſetis in decimis, Deus non me flagellaſſet.*

Secunda. ſanitas corporis. De hac Auguſt. in c. decimæ. 16.q.1. *Si decimam*, inquit, *dederis non tantum abundantiam fructuum, ſed etiam ſanitatem corporis conſequeris.*

Tertia. Gratia & gloria. De qua ait S. Aug. 3.
in c. decimæ cit. *Qui præmium parare aut peccatorum indulgentiam habere deſiderat, decimam reddat, & de nouem partibus eleemoſynam dare ſtudeat.*

Ratio horum eſt, quia decimarum ſolutio eſt actus præſtantiſſimæ virtutis, religionis videlicet. Nam Primo eſt ſpecies quædam oblationis: quia etſi non dentur Deo immediate, dantur tamen mediate in clericis, eius miniſtris, quà tales ſunt & diuinum cultum peragunt. Secundo quia eſt honor quidam exhibitus Dei ſeruis, qui redundat in ipſum Dominum. Tertio quia qui ſoluit decimas, cooperatur precibus, ſacrificijs, ſacramentorum adminiſtrationibus, alijſque religioſis operibus, quæ à Clericis fiunt. Quomodo enim in actus illos Clerici intenti eſſe poſſent, ſi ſuſtentatio illis deeſſet? Vt ergo ſacerdotes, velut lampades lucere poſſint in Eccleſia, ipſe oleum ſuppetit. Denique ni ſoluerentur decimæ, res diuina langueret & deficeret; ſi nimirum ſacerdotes victu deſtituti, laborare cogerentur manibus: imo omnino peſſundaretur; quis enim ſacerdotio fungeretur, ſi nullum inde vitæ ſubſidium, vel emolumentum ſperaret? Vnde concludit Origenes, auctor antiquiſſimus, hom. 11. in Num. *Indignum, indecens, impium exiſtimo, vt is qui Deum colit & ingreditur Eccleſiam Dei, quia ſcit ſacerdotes & miniſtros aſſiſtere altari, & aut Verbi Dei aut miniſterio ſeruire Eccleſiæ, de fructibus terræ, quos dat Deus ſolem ſuum producendo & pluuias miniſtrando, non offert primitias ſacerdotibus.*

CONCIO IX.

Documenta.

1. *A Chriſto diſce caute loqui, non extolli de bonis, nec deſperare de malis operibus: primos ſæpe fieri vltimos, & contra.*
2. *A Publicano diſce humilitatem, verecundiam, pœnitentiam, actum contritionis quotidie eliciendum.*
3. *A Phariſæo, pro beneficijs Deo gratias agere, Ieiunare, dare decimas, fugere inanem gloriam, ſuperbiam remouere ab oratione, ac timendum eſſe ijs qui carent bonis operibus.*

THEMA.

Publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare. Luc. 18.

QVi reperire aliquid vult, Auditores, non ad cælum oculos leuare, ſed ad terram A
declinare debet. Phariſæus ad cælum eleuauit oculos, & ideo nihil reperit. Contra multum inuenit Publicanus, oculos ad terram deijciendo. Et nos ergo ſimili modo multum inuenire poſſumus, ſi humili & demiſſo animo ſcrutemur Euãgeliũ. Sic enim ait Dauid Pſal. 118. *Lætabor ego ſuper eloquia tua ſicut qui inuenit*

ſpolia

ſpolia multa. Nónne qui ſpicas in agris colligunt, plus lucrantur deiectis ad terram oculis, quam ad cœlum eleuatis? Illa enim ratione ſpicas reperiunt,& panem ſibi comparant: hac autem eſuriente ſtomacho domum vacui redibunt. Et nos ergo cum pauperibus, oculis demiſſis colligamus ſpicas ex agro hodierni Euangelij. Nunc paremus nobis cibum, vt ibi eleuare caput,& plenis manipulis redire ad domum æternitatis poſſimus.

Tres inuenio quaſi agros in hodierno Euangelio, ex quibus optimas ſpicas poſſumus colligere; agrum Chriſti, agrum Publicani, agrum Phariſæi.

I. A Chriſto diſce. 1. Cautè loqui.

PRIMÒ. In agro Chriſti colligimus primò hanc ſpicam: cautè loqui, ne quem infamemus. Sic enim ipſe Dominus parabolam hodiernam non nihil cor rodentem dixit non ad certos homines, ſed *ad quoſdam*, inquit S. Lucas, ne videlicet quenquam infamia notaret. *Hinc eſt quòd in Euangelio*, inquit Salmeron ſuper hanc parab. *neminem ex Phariſæis malis legamus proprio nomine à Chriſto notatum; bene autem interdum bonos, vt Nicodemum, Simeonem, Phariſæum, in cuius ædibus peccatrix remiſſionem peccatorum accepit, Simonem leproſum, & alios, ſi qui fuerunt.* Hanc ob cauſam ſcripſit in terra peccata Phariſæorum, ita vt quiuis ſua tantum legere poſſet, non aliena, Ioan. 8. vt docet Lyranus. Hinc enim omnes diſceſſerunt. Si aliena peccata legere potuiſſent, curioſè perſtitiſſent legendo. Interim tamen digito ſectam Phariſæorum notauit, dum ſuperbum Phariſæum in ſcenam produxit, ne cæci illi ignorarent ſe in genere ſaltem tangi.

Quanquam & hoc inſinuat ea vox, *ad quoſdam*; quod peccatores Deo noti non ſint, quomodo noti ei ſunt iuſti.

2. *Non extolli de bonis, nec deſperare de malis operibus.*

Secunda Spica; Non extolli de bonis, nec deſperare de malis operibus. Reprehendit enim Phariſæum, & laudat Publicanum Dominus. Illum reprehendit, quia is iactauit opera ſua, quaſi Dei miſericordia non egeret: hunc vero commendauit, quod is carens operibus, humilitatem & contritionem habuerit; vt ita nemo extollatur ob bona opera ſua: nemo deſperet ob peccata ſua, ſed cum Publicano ad pœnitentiam confugiat. Quam facile perdidit Phariſæus theſaurum bonorum operum? & quam facile acquiſiuit Publicanus theſaurum regni cœleſtis?

3. *Primos ſæpe fieri vltimos, & contra.*

Tertia Spica: Primos ſæpe fieri vltimos, & vltimos primos: eos, qui ſe exaltant humiliari, & eos, qui ſe humiliant, exaltari. Certè Phariſæus inter homines præceſſit Publicanum, & multis quidem paraſangis: vnde is ad altare, hic vero à longè ſtetit. Sed in Dei iudicio præceſſit Publicanus. Vnde initio parabolæ Phariſæus primo loco ponitur, Publicanus vero ſecundo. At circa finem Euangelij ordinem inuerſum reperio. Ait enim Dominus: *Deſcendit hic*, id eſt, Publicanus, *iuſtificatus ab illo*, id eſt, Phariſæo. Ergo Phariſæus, qui initio præceſſit, ſequitur ad finem: Publicanus contra initio poſterior, ad finem euadit prior. Sic nimirum fiunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.

Bonus initio fuit Phariſæus, cum bona opera fecit, ſed quando ea per ſuperbiam collutulauit, malus effectus eſt. Viciſſim malus initio fuit Publicanus, cum mala patrauit; ſed quando ea per pœnitentiam & humilitatem deleuit, bonus tandem euaſit. Rectè ergo Optatus Mileuit. *l. 2. aduerſus Donatiſtas*, ait: *Meliora ſunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum ſuperbia.* Nemo igitur alterum contemnat; neſcimus enim, quis in illo die preceſſurus, quis ſecuturus ſit.

C. II. A Publicano diſce. 1. *Humilitatem.*

SECVNDÒ. In agro Publicani reperimus Spicam humilitatis; quia ſtabat à longè, quaſi indignum ſe reputaret, qui ſtaret prope altare. Stabat, ceſſando à peccatis, iuxta id Iſaiæ 1. *Quieſcite agere peruerſè.* Bene ergo in diebus Dominicis ſtamus, tum vt à peccatis ceſſemus magis quam alijs temporibus; tum ob memoriam Dominicæ reſurrectionis. Stabat à longè, quia agnoſcebat ſe abiiſſe in regionem longinquam, quando per peccatum à Deo receſſit. Item quia vidit ſua opera longè abeſſe à conſequendo regno cœlorum; quo modo in perſona Chriſti dixit Dauid Pſ. 21. *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum*, id eſt, peccata mundi, quæ in me ſuſcepi, non ſinunt me ſalutem & vitam meam tueri, quia mori debeo propter illa. Denique ex humilitate in vltimo conuiuij loco conſidere voluit, velut omnium poſtremus, aut leproſus.

2. *Verecundiam.*

Secundò. Spicam verecundiæ, quia nolebat nec oculos ad cœlum leuare; agnoſcebat enim ſe coram Deo adulterum, qui oculos eius timeret: vti ſolet adultera deprehenſa coram viro pudefieri, & oculos in terram abiicere. Agnoſcebat, ſe per peccatum auertiſſe à Deo faciem, vnde indignum eſſe, qui nunc videat Deum, quemadmodum Abſalon ob peccatum ſuum à patris conſpectu excluſus fuit, 2. *Reg.* 14. Agnoſcebat, quanta bona in cœlo perdidiſſet, vnde oculos ad cœli bona attollere non audebat: quo modo is, qui opulentum prædium ludo perdidit, non audet id amplius intueri præ dolore. Agnoſcebat ſe peccaſſe in familiam cæleſtem; quam proinde aſpicere timebat.

3. *Pœnitentiam.*

Tertiò. Spicam pœnitentiæ, quia percutiebat pectus ſuum, & per hoc peccatorem ſe fatebatur. Volebat eo geſtu ſcindere cor ſuum, & conterere velut fontem peccatorum, omnibus plagis dignum. Non accuſabat dæmonem, non fortunam, non ſocietatem, non aſtra, ſed cor ſuum tantum; vnde id puniuit. Volebat tundere cor, vt ex eo velut olla extunderet cogitationes malas, deſideria praua, affectus inordinatos, dæmones quoque ipſos. Volebat hac tunſione excitare ſe à ſomno. Volebat ſe diſponere ad perfectam pœnitentiam, quia, vt notat Hugo de S. Victore in Lucam; in percuſſione eſt cor percuſſum, id eſt, contritio; & ſonus, id eſt, confeſſio; & dolor, id eſt, ſatisfactio. Addit expreſſim vocem: *Deus, eſto mihi propitius peccatori: Quinque verba*, quæ for-

taſſe

Google

taſſe deſiderauit Apoſtolus, *in Eccleſia ſenſu ſuo loqui* (vt videlicet intelligeretur) potius *quam decem millia lingua peregrina*, 1. Cor. 14. Senſu ſuo & intelligenter loquitur coram Deo, qui ſe reum agit & accuſat: peregrina lingua loquitur, qui alia blaterat orando, nec intrat in cor ſuum, peccata ſua non agnoſcit. Nulla prætendit merita hæc oratio, nullas affert excuſationes peccatorum, ſed peccata ſibi imputat, & miſericordiam tantum implorat. Perfecta eſt igitur hæc oratio, quia à Chriſto excogitata.

4. *Actum contritionis.* Denique inſignem Spicam hîc reperimus, actum, inquam, contritionis quotidie è nobis eliciendum, quem ea voce expreſſit Publicanus: *Deus, propitius eſto mihi peccatori.* His enim verbis indicat dolere ſe de peccatis ex motiuo ſupernaturali: proponit etiam implicitè fugam peccatorum & mandatorum obſeruationem: ſpem denique in Deo ponit, & deprecatur veniam. Hæc autem tria ſunt, quæ conſtituunt actum contritionis. Qui actus ita elicitus tam eſt potens, vt vel ſolus, antequam fiat confeſſio, ſufficiat ad veniam peccatorum obtinendam & gratiam; ideoque quoniam non datur quotidie confiteri, ſaluberrimo conſilio eliciendus eſt quotidie, præſertim mane & veſpere, priuſquam eamus cubitum. Hoc vero, quæ perſuadent, plures cauſæ ſunt.

Quotidie eliciendum. 1. Primò poſtulat id æquitas. Æquum enim eſt, vt à timore Domini diem incipiamus & noctem, iuxta id Pſ. 110. *Initium ſapientiæ timor Domini.* q. d. Hi verè ſapere incipiunt, qui Deum timent, eoque timore moti abſtinent à peccatis. Ex filiali timore conſueuerunt filij nobilium parentum de mane ſurgentes mox ad patrem ire, eum ſalutare, & manum eius oſculari: ſimiliter antequam eant cubitum, illi valedicere: idem ergo nobis & multo magis faciendum cum Deo; filij enim Dei ſumus. Deinde moueat ſaltem timor ſeruilis. Quis enim audeat vel per vnum diem aut noctem viuere in peccato?

2. Secundò poſtulat pœnitentiæ & contritionis neceſſitas. Ea enim prodromus eſt omnium bonorum operum, & niſi ea præceſſerit (vbi peccatum aliquando admiſſum eſt) ipſa non ſequuntur. Vnde ſæpe aliqui decipiuntur, qui confidunt in certis bonis operibus, quibus ſunt addicti, quaſi eorum ſalus in illis præciſè conſiſtat, interim peccata ſua non dolent, nec vitam emendant: adeoque à ſalute deuiant, quia *niſi pœnitentiam habueritis, omnes peribitis*, ait Dominus Luc. 13.

Succurrit ergo hic ſola & vnica pœnitentia, quæ peccata delet, & gratiam in animam introducit, ſolaque ſufficit, quando alia opera bona patrari nequeunt, Sic teſtatur Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis*, &c. *omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor amplius.* Rurſum Dauid ait: *Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.* Patet exemplo eiuſdem, qui cum dixit: *Peccaui*, mox audiuit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12.

Tertiò. Periculum repentinæ mortis, à qua nec per momentum ſecuri ſumus. Crebra ſunt exempla eorum, qui repentè extinguuntur, & obuerſantur ante oculos noſtros. Quando ergo mors tam inſperatò rapuit alios, quid ſi rapiat & nos? Ac licet aliquam vitæ morulam concedat, quia tamen non videt, quam difficile ſit eo tempore, cum ſenſus deficiunt, & dolores mortis adſunt, contritionem elicere, maximè ſi non ſis aſſuetus? An neſcimus Dauidē pugnaturum contra Goliath, arma Saulis geſtare non potuiſſe, quia non habuit vſum? Eadem ratio de cōtritione, quæ vnica eſt armatura ituro ad mortem contra dæmonem. *Teſtis ego poſſum eſſe*: inquit Cardinalis Bellarm. de arte moriendi l. 2. c. 6. *huius difficultatis, quam ægroti vt plurimum patiuntur. Nam cum aliquando inuiſerem amicum, virum diuitem & nobilem, qui ex peccato quodam graui perpetrato in morbum lethalem inciderat, atque ei dicerem, nihil ei ſalutarius in eo temporis articulo eſſe poſſe, quam veram peccatorum ſuorum pœnitentiam & contritionem, quia Deus cor contritum & humiliatum nunquam deſpicit. Reſpondit ille: & quid eſt contritio? non capio, quid à me requiras. Subieci ego hoc requiro, vt ex vero corde diſpliceat tibi, quod in Deum peccaueris, & omnino ſtatuas, ſi diutius vixeris, nunquam amplius Deum offendere, idq́; totum procedat ex vero amore Dei, qui tibi innumerabilia beneficia præſtitit, cui tu ingratiſſimus pro beneficijs, iniurias reddidiſti. Reſpondit ille: Non intelligo, non ſum capax rerum iſtarum. Ita obijt, ſigna damnationis ſuæ ſatis aperta nobis relinquens.* Hæc Bellarm. 3.

Quartò. Periculum inualiditatis confeſſionum, quas fecimus aut facturi ſumus. Sæpe enim defectus eſt ex parte confitentis, qui ſine attritione etiam aut propoſito emendationis confitetur. Adhæc ex probata ſententia tenetur homo in articulo mortis elicere contritionem, tum quia non eſt de fide, ſufficere attritionem confitenti; (licet ſit recepta ſententia) tum quia quandoque interuenire defectus ex parte miniſtri poteſt, qui inualidet ſacramentum. Tene igitur certum, & dimitte incertum, in re præſertim ſummi momenti, qualis eſt iſta. 4.

Quintò. Ratio proficiendi in virtutibus, quæ conſiſtit in hoc exercitio, cum ſcilicet quotidie renouamus & accendimus in nobis amorem Dei, peccata deteſtamur, emendationem promittimus, peccata punimus, ad ſpem miſericordiæ Dei nos erigimus: hinc enim non modo ad vitanda peccata, ſed etiam ad virtutes addiſcendas & exercendas habiliores ſimus. 5.

Sextò. Periculum, quod imminet nobis, vindictæ diuinæ, ſi tamdiu in peccatis perſiſtamus & peccandi affectibus. Quis enim tolerat, vt inimicus ſuus ſemper armatus incedat & gladium gerat ad ſe iugulandum? nónne vel ad magiſtratum eum defert & pœnas ab eo exigi poſtulat, vel ipſi inſidiatur vt eum prior iugulet, ne iugeletur? Audi quid dixerit Deus Salomoni poſtquàm is ſecutus eſt Deos alienos & factus eſt amator mulierum infamus, diuque talis permanſit: *Quia habuiſti hoc* 6.

apud

apud te, inquit, *& non cuſtodiſti pactum meum & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum & dabo illud ſeruo tuo*, 3. Reg. 10. Idem minatur omnibus peccatoribus, qui gladium contra ipſum gerunt; minatur inquam gladium ſuum, Pſ. 7. *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit*, &c.

Contra ſi mox & quotidie depoſuerimus noſtrum gladium & contriuerimus cum deteſtatione temeritatis noſtræ, deponet etiam Deus gladium ſuum, vti fecit cum Niniuitis, cum Achab, & Dauide. Cucurrerunt ad pœnitentiam Niniuitæ, inceſſit demiſſo capite Achab, Dauid dixit: *Peccaui Domine*; & confeſtim reddidit Deus gladium ſuum vaginæ.

D. III. A Phariſæo diſce. TERTIÒ. Pergamus ad agrum Phariſæi. Sed quid hîc ſpicarum ſeu documenti colligemus, cum non niſi ſpinas & vepres habeat? Hic enim videtur eſſe ager ſtulti, quem Sapiēs ait, totum vrticis repletum eſſe, *Prou.* 24. Verum non caret ſpicis etiam hic ager. Suis enim erroribus docet ſapere nos Phariſæus; & quemadmodum is qui foſſam tranſulturus, incidit in foſſam, docet cautius ſaltare ſocios, ita docet nos Phariſæus melius orare, quam orarit ipſe.

1. *Pro beneficijs Deo gratias agere.* Primò docet nos pro acceptis beneficijs & quod non ſimus ſicut multi peccatores, Deo gratias agere; non quo modo ipſe egit, vt nos ipſos commendemus, & quæ ſunt Dei, nobis adſcribamus; nec vt proximos noſtros vituperemus; ſed potius vt Deo adſcribamus fonti bonorū omniū, quidquid boni habemus, nobis autem nihil niſi peccata noſtra; & quod ad proximum attinet, vt certa bona eius meliora: certa mala, minora: dubia bona, certa: dubia mala, falſa iudicemus. Secùs autē in nobis, vbi contrario modo nos æſtimare debemus; quia inter ſanctos nos poſtremos, inter & peccatores, reputare nos debemus primos. Porro
1. ad gratias Deo agendas excitare nos inprimis debet, quod propterea inſtituit Christus Euchariſtiam, quæ ſignificat gratiarum actionem. Secundò quia maiora accepimus bene-
2. ficia, quā vlla alia natio. Tertiò quia ad hanc
3. quotidie excitat nos Eccleſia in Miſſa dicendo: *Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Quartò
4. quia facillimum opus eſt. Quinto quia ma-
5. gnæ vtilitatis; facit enim nos in virtute creſcere & impetrat nobis noua alia beneficia. Hinc S. Auguſtinus *in Pſal.* 132. ait communem religioſorum ſui æui morem fuiſſe vt ſibi occurrentes dicerent; *Deo gratias*, ideóque à Circumcellionibus per ſcomma vocatos fuiſſe *Deo gratias*.

2. *Ieiunare.* Secundò. Docet nos ieiunare. Ieiunauit enim bis in ſabbatho, id eſt, duobus diebus in hebdomade. Quis hic non pudefiat? Quam ægrè ieiunant multi ſtatutis ab Eccleſia diebus? Quam multi in anno nunquam? At nónne mādauit Dominus vt iuſtitia noſtra abundet plus quam Scribarum & Phariſæorum? Ieiunemus ergo & nos bis in ſeptimana, feria 6. ſcilicet & ſabbatho, abſtinendo ſaltem à carnibus.

S. Chryſoſtomus in cap. 6. Matth. ait: *Sicut nec miles ſine armis eſt aliquid, nec arma ſine milite: ita nec oratio ſine ieiunio, nec ieiunium ſine oratione.* Viderunt hoc & gentiles; nam & Niniuitæ ieiunarunt, Ion. 3. & ij qui cum Apoſtolo in naui erant, Act. 27. ad placandum Deum.

Tertiò. Docet dare decimas; ſiquidem eas dedit: nec de frugibus tantum, ſed de omnibus quæ poſſedit, adeo vt de mentha, anetho & cymino eas perſoluerent Phariſæi, teſte Domino *Matth.* 23. Cæterum vocem, *do*, reprehendit S. Gregorius, cum ait: *Gratuitum putas, quod proximo impendis: velis autem nolis, debitor es.* Non ergo, *do*, ſed, reddo, dicere debebat. Sane cum hoc Euangelium communiter incidat in tempus meſſis, videtur hoc ipſo Phariſæus & eius nomine Eccleſia hortari ad præſtādas decimas; quo modo nuper Deus in victoria Pragenſi admonuit Bohemos, vt redderent Cæſari quæ ſunt Cæſaris, quia eo ipſo die, quo Euangelium id legitur, obtenta eſt victoria de Friderico Palatino, qui regnum Cæſaris inuaſerat. 3. *Dare decimas.*

Id vnum eſt dolendum, quod hæc opera bona miſerit Phariſæus in ſæculum pertuſum & perdiderit vana gloria, adeo vt ijs ipſis, quibus mereri ſibi cœlum poterat, mercatus ſit infernum.

Quare docet quarto fugere vanam gloriam, quoniam hæc tinea in ipſis operū eius veſtibus nata exedit omnes veſtes: hæc pruina decoxit omnes eius fruges: hic vermis eroſit omnia eius poma. Cætera vitia ſingula vaſtant virtutum opera; ſuperbia vaſtat omnia. Teſtudo cum ſe ad ſolem exponens exſiccatur, fundum amplius petere nequit, vnde ab aquilis rapitur. Pier. l. 28. hierogl. Idem euenit Phariſæo, cum per vanam gloriam expoſuit opera ſua ad ſolem, id eſt, Dei conſpectum. 4. *Fugere vanam gloriam.*

Quintò. Docet in ſpecie ſuperbiam remouere ab oratione; ſiquidem ipſa fuit quæ eius orationem fœdauit & inutilem reddidit. Debebat eius oratio cœlos penetrare: ſed inanis gloriatio eam deprimebat quo modo in fine mundi Antichriſtus ad cœlum per ambitionem aſcendere conaturus, inde reprimetur & detrudetur in infernum. *Oratio (tantum) humiliantis ſe penetrat nubes*, ait Eccleſiaſticus cap. 35. 5. *Superbiā remouere ab oratione.*

Sextò. Docet multo magis timendum eſſe illis, qui bonis operibus omnino deſtituti & multis malis referti ſunt. Si enim bona opera comite ſuperbia, nihil apud Deum merentur niſi ignominiam; quid merebuntur mala? Et ſi ſuperbia cum fuga vitiorum, & virtutum comitatu damnare potuit Phariſæum, quid faciet coniuncta vitijs? Certè hodie pauci admodum ſolent gloriari de bonis operibus, ſed potius de malis, v.g. vinolentia, ingluuie, fraudibus, dolis, homicidiis. Et quo deuenient iſti? nónne ad infernum inferiorem? ad tenebras exteriores? A quibus nos præſeruet Deus. 6. *Timendū eſſe, qui prorſus carent bonis operibus.*

CON-

CONCIO X.

Myſteria.

1. *Quæritur cur ad quoſdam anonymos dicta ſit hæc parabola.*
2. *Cur dicantur aſcendiſſe in templum Publicanus & Phariſæus.*
3. *Qua in re peccauerit oratio Phariſæi.*
4. *An liceat bona ſua merita recenſere.*
5. *Cur Publicanus à longe ſteterit.*
6. 7. *Cur noluerit oculos ad cælum leuare, & cur percuſſerit pectus ſuum.*
8. 9. *Cur & quomodo Deus ſuperbos deprimat & humiles exaltet.*
10. *Oſtenditur exemplis.*

THEMA.

Duo homines aſcendebant in templum. Luc. 18.

A CONtraria ſemper via incedunt Deus & Diabolus, Deus ita bonus eſt vt è malis etiam bona ſoleat educere: Diabolus ita malus, vt è bonis poſſit ſoleatque educere mala. Deus ex angelorum lapſu anſam arripuit creandi homines, qui ruinas illorum in cœlo ſupplerent. Diabolus ex hoc bono malum expreſſit, impellendo homines in lapſum. Lapſi ſunt igitur & homines, inde Deus occaſionem cepit mittendi in carnem filium ſuum qui homines erigeret. Sed hinc rurſum Diabolus cœpit exagitare Iudæos, vt Chriſtum neci darent. Occiderunt igitur filium Dei: nec tamen hic ſe continuit Dei bonitas, ſed ex ipſo filij ſui ſanguine & morte fecit hominibus pharmacum ſalutis. Diabolus econtrà vbicumque poteſt redemptionis beneficium vertit nobis in exitium. Videamus hodiernum Euangelium; ibi in Publicano cognoſcimus opera Dei, in Phariſæo opera diaboli; ſiquidem Publicanus è peccatis ſuis dum Dei gratiâ adiuuante humiliter ea agnoſcit, educit ſibi iuſtitiam ac ſalutem: Phariſæus contra ex operibus ſuis bonis, dum inſtinctu dæmonis ſtultè ea iactat, eruit dãnationem. Sed iam accingamur ad exponendum Euangelium, indeque exſugamus non venenum ex phariſæo, ſed ex Publicano ſalutiferum animæ pharmacum:

B. I. Cur ad quoſdam anonymos dicta hæc parabola.

Q. PRIMÒ. Cur ad quoſdam, anonymos videlicet, dicta hæc parabola? Reſp. Primò ne ſi aliquos nominaſſet Euangeliſta, de infamia eos notaſſet. Eandem ob cauſam Lazarum illum ſanctum ſuo expreſſit nomine Lucas: non item Epulonem ad inferos damnatum. Docet ergo Euangeliſta, vitia quidem taxanda, ſed ſuppreſſo peccatorum nomine, ſi fieri poteſt nè quis infametur. 1.

2. Secundò. Vt oſtendat peccatores Deo non eſſe notos, quia nimirum malitiam & delicta eorum improbat. Hinc dicet illis in Iudicio *Neſcio vos vnde ſitis: diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.* Luc. 13. Oues ſuas agnoſcit Dominus, non alienas, quia ſignaculum eius non habent. Reprobi in libro vitæ non inueniuntur ſcripti: ideo neſciuntur. Pauenda res, neſciri à Deo. Nil enim hoc aliud eſt, quam non curari, non quæri, non amari à Deo: nil aliud quam deſeri & relinqui ſibi, darique in prædam dæmonibus.

C. II. Cur dicãtur aſcendiſſe in templum.

Q. SECVNDÒ. Cur Phariſæus & publicanus aſcendiſſe dicuntur in templum? Reſp. 1. quia templum Hebræorum erat ſitum in monte Moria, vbi Abraham immolare voluit filium ſuum, vt habetur 1. *Par.* 3. & vbi Areuna Iebuſæus habuit aream ſuam, in qua ad placandum Deum extruere altare ad ſacrificandum iuſſus eſt Dauid, 2. Reg. 24. Vnde diſcimus, templum eſſe locum ſacrificij, vbi verus Iſaac Chriſtus a Patre ſuo iam immolatus repræſentatur & offertur in altari. Deinde eſſe locum vbi placandus Deus eſt. Denique eſſe locum viſionis Dei; (hoc enim ſonat *Moria*) vnde *Gen.* 22. legimus locum illum appellatum: *Dominus videt.* Scire ergo debemus ibi ſpeciali ratione Deum eſſe præſentem & obſeruare omnes actus noſtros. 1.

Secundò. Vt ſciamus orationem, cuius locus ordinarius eſt templum; eſſe aſcẽnſionem mentis in Deum. Qui enim altiſſimo per orationem coniungitur, procul dubio à terrenis & ſupra ſeipſum eleuatur. Hinc etiam oratio comparari ſolet incenſo: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo,* Pſ. 140. Verum plurimorum oratio tetro potiùs fumo ſimilis eſt, quem ſurſum tendentem ventus iterum deprimit. Huiuſmodi erat oratio Phariſæi, quæ ex vna parte ad Deum aſcendebat, ex altera per ſuperbiam ad ipſum redibat, vt docet S. Baſilius *hom.* 22. *to.* 1. Cum enim preces eius debuiſſent ad cœlum aſcendere, inanis meritorum gloriatio eas deprimebat; quo modo fumus aſcendẽs ſuper tecta, reuerberatus à vento aſtantes excæcat. Et ſicut fumus de camino vi venti retruſus in culinam perdit cibos: ita inanis iactatio Phariſæi omnia eius opera deſtruxit. 2.

D. III. Qua in re peccauit oratio Phariſæi.

Q. TERTIÒ. Qua in re peccauit oratio Phariſæi? Reſp. in duobus potiſſimum, in ſui confidentia & in contẽptu proximi: quæ duo vitia notantur in ſcopo huius parabolæ, quam ait Lucas dictam *ad quoſdam, qui in ſe confidebãt tanquam iuſti & aſpernabantur cæteros.* Peccat ergo in primo, dum ſe iuſtum præſumit & iactat, putans ſe habere iuſtitiam ex ſe, indeque eleuatur. Eâ de cauſâ nihil amplius petit, quaſi iam plenus ſibique ſufficiens ſit: non orat vt Deus cætera eius peccata, quæ oculos eius fugiebant, ignoſcat: non imitatur ſanctorum virorum perfectionem, qui aliorum etiam peccata, ex charitate ſua faciebant, quemadmodum Daniel, c. 9. orans: *peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus & receſſimus, & declinauimus à mandatis tuis & iudicijs.* Et Tobias c. 3. *Quoniam nõ obediuimus mãdatis tuis, ideo traditi ſumus in direptionem & captiuitatem & mortem, &c.* Peccauit & in ſecundo dum non ſolum alios homines, ſed in ſpecie etiam publicanum iſtum ſpreuit velut peccatorem, quem temere talem re-

reputauit, ſed de his ſuprà diximus fuſiùs.

Econtrà Publicanus ſeipſum accuſauit velut peccatorem, indignum quoque ratus qui oculos ad cœlum leuaret; deinde alios ſibi præpoſuit; quia retrò ſtetit, quaſi indignus foret qui prope alios ſtaret.

E. IV. Licétne bona ſua merita recenſere.

Q. QVARTÒ. Licétne de bonis ſuis meritis cogitare, eaque enunciare? Reſp. licere perfectis viris, modò ea vt Dei dona agnoſcant, vt per ea ſpem in Deum excitent & pro ijs gratias auctori bonorum omnium agant. Nam vt ait S. Gregorius l. 12. moral. c. 16. *In auribus Dei ſuperba non ſunt, quæ humili corde proferuntur.* Ita orabat Ezechias Rex: *Memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate,* &c. Iſa. 38. & 4. Reg. 20. Et S. Paulus 2. Tim. 4. *Bonum certamen certaui*, inquit, *curſum conſummaui, fidem ſeruaui &c.* S. Iob cap. 31. memorat eleëmoſynas & hoſpitalitatem ſuam aliaque opera bona. Et S. Hilarion moriens: *Egredere anima mea, egredere, quid times? ſeptuaginta annis ſeruijſti Chriſto & mori times?* Notanda igitur eſt hic aurea D. Auguſtini regula in Pſ. 98. & 102. *Etſi imperfectis*, inquit, *oſtentare theſauros ſuos non expediat, ne illos amittant; nec recitare bona ſua quamdiu in viâ ſunt & adhuc ad interiora ſe conuertere & progreſſus maiores facere debeant, ne illis contingat quod gallinis, quæ mox vt oua pepererunt, clamore ſuo dominos excitant, qui oua edita illis auferant: perfectis tamen & magnis viris licitum eſt non ſolùm bona ſua recogitare, ſed etiam illa alijs pronuntiare, quādo ſuadet neceſſitas, gloria Chriſti vel ad id vrget pia vtilitas proximi: modò illa dona Dei agnoſcāt, & per illa humilientur & ſine aliorum contemptu, qui tales non ſunt, imò cum magnâ eorum commiſeratione cogitentur.* Idem ſanctus tract. 8. in 1. Canon. to. 9. ita ſcribit: *ſi times peccatores, non habebis imitatores. Nec propterea periculum ineſt talibus vel adulationis vel inanis gloriæ: quia teda magna accenſa, à vento non extinguitur ſed potius incenditur: ſecus parua candela quæ mox extinguitur. Nec tales in ſe gloriantur, ſed in Domino, iuxta illud; Qui gloriatur, in Domino glorietur. Nec tales ſunt iudices in propriâ causâ, ſed Deus & proximus, cuius gratiâ & vtilitate ad populum ſeipſos commendant.*

F. V. Cur Publicanus à longè ſteterit.

Q. QVINTÒ. Cur publicanus à longè ſtetit? Reſp. 1. quia æſtimauit ſe indignum qui prope altare ſtare & Deo appropinquare poſſit. Ita leproſi illi miſericordiam Ieſu implorantes, ſteterunt à longè, *Luc.* 17. Et centurio, quia gentilis erat, indignum ſe reputauit qui Dominum ſuſciperet, *Matth.* 8. ſedit ergo ex humilitate in vltimo conuiuij loco.

2. Secundò quia longè ſe abeſſe putauit à veniâ peccatorum ſuorum promerendâ, adeoque à regno cœlorum ob defectum bonorum operum, ſicut longè abeſt ab emendâ domo, quæ væniit tribus millibus talentorum, is qui habet tantùm tres drachmas.

3. Tertiò quia inſtar filij prodigi agnouit ſe peccando abiiſſe in regionem longinquam & fugiſſe à patre ſuo cœleſti ad inferni villicum.

G. VI. Cur noluit ad cœlū oculos leuare.

Q. SEXTÒ. Cur noluit ad cœlum oculos leuare? Reſp. Primo: præ pudore & erubeſcentia coram Deo offenſo; quem aſpicere non auderet: ſicut peccatrix ſtabat retrò: & ſicut adultera deprehenſa oculos non audet attollere in virum, præ dolore & confuſione. 1.

Secundò. Vt oſtenderet per peccatum ſe conſpectum Dei & cœleſtem gloriam amiſiſſe, quemadmodum & Abſalon peccando meruit, vt à conſpectu patris arceretur, 2. *Reg.* 14. Cogitabat ergo amiſiſſe ſe cœleſtia bona, quæ iam præ dolore aſpicere non auderet: meruiſſe verò infernum, quò oculos deflectebat. 2.

Tertiò. Vt ſignificaret ſe in familiam cœleſtem peccaſſe: in Angelos, quorum inſpirationibus reſtitit: in ſanctos, quorum preces & ſpem fraudauit: in Deum ipſum, cuius mandata contempſit. 3.

H. VII. Cur percuſſit pectus ſuū.

Q. SEPTIMÒ. Cur percutiebat pectus ſuum? Reſp. Primo: quia cor eſt ſedes & mater peccatorum. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes* &c. ita publicanus percuſſit cor ſuum, vt inde prodirent ſcelera & dæmonia. 1.

Secundò. Vt dormiens cor ſuum ad pœnitentiam vitæque emendationem excitaret. Solet enim peccator quaſi obdormiſcere in peccatis ſuis. Vnde eſt illud Apoſtoli: *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere*, ad Rom. 13. 2.

Tertiò, Vt doceret conterendum eſſe cor in pœnitentiâ, velut dignum plagis. Percuſſio contritionem, ſonus confeſſionem, dolor ex percuſſione ſatisfactionem repræſentat. 3.

I. VIII. Cur Deus ſuperbos deprimit & exaltat humiles.

Q. OCTAVÒ. Quamobrem Deus ſuperbos deprimit & humiles exaltat? Reſp. Primo quia vt radix omnis peccati & mali eſt ſuperbia *Eccl.* 10. ita radix & fons omnis boni ac virtutis eſt humilitas; ſuperbia ergo depreſſionem, humilitas meretur exaltationem. Ita peſſimos homines profundiſſimè defoſſos & lapidum cumulis obrutos legimus, vti Achanem & Abſalonem. Contrà optimos in altum euectos, vti Ioſephum & Mardochæum. 1.

Secundò. Humilis ſummè honorat Deum; meretur ergo à Deo viciſſim honorari: ſuperbus ſummè inhonorat Deum, vti ſuperbus Pharao, dicens: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius?* Exod. 5. meretur ergo deprimi. Hinc Eccl. c. 3. dicitur: *Quantùm magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius & ab humilibus honoratur.* Deus eſt Zelotes gloriæ ſuæ: vnde ſuperbos eam ambientes, deprimit: humiles eam adorantes exaltat ad gratiam & gloriam. Vmbra fugit ſequentem, ſequitur fugientem: ita exaltatio fugit inſequentem ſe, ſequitur fugientem. 2.

Tertiò gratia eſt donum gratuitum, vnde danda eſt ijs, qui ſe viles & indignos reputant, Deoque gratias agunt, quales ſunt humiles: non ſuperbi, qui eam ſibi ſuiſque meritis attribuunt. Humiles vaſa vacua, adeoque gratiæ capacia: ſuperbi vaſa impleta & diſtenta vento arrogantiæ, ideò gratiæ & gloriæ incapacia. 3.

capacia. Humiles valles ſunt, in quas defluit imber è montibus: ſuperbi montes ſunt à quibus imber refugit.

4. Quartò glorioſa res eſt humilitas, vilis contrà & fœda eſt ſuperbia; ſiquidem in ſuo habitu prodire non audet, ſed laruâ humilitatis palliat ſe, ne vileſcat, vt ſcribit S. Bernard. *de grad. humil. gr. 9.* Hæc ergo meretur abijci in tenebras, illa produci in lucem.

5. Denique quia regum, & præſertim Dei ſublimitas & magnificentia poſcit illud Virgilij 6. Æneid. *Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.* Quod etiam Rex animalium, leo, ſibi à naturâ inditum habet. Requirit ergo Chriſtus Chriſtianos humiles, qualis & ipſe fuit. Ideoque propria Catholicorum virtus eſt humilitas: hæreticorum verò ſuperbia.

X. IX. Quomodo deprimuntur, qui ſe exaltant. Q. Nonò. Quomodo deprimuntur ij, qui ſe exaltant: & contrà exaltantur, qui ſe humiliant? Reſp. Primò dum ſuperbi hic contemnuntur, ridentur, odio habentur & omnium cenſuris notantur; adeoque confuſionem potiùs quàm gloriam aſſequuntur: Humiles contrà amantur & promouentur.

1.

2. Secundò dum ſuperbi in multa labuntur peccata, & ſæpe in aperta & publica, indeque in confuſionem incidunt, vti Adam & Eua, quia Dijs ſimiles eſſe cupiebant, nuditate plexi erubuerunt. Humiles contrà facilè euadunt laqueos diaboli, quemadmodum retia piſciculi, vti S. Antonio dictum eſt diuinitus.

3. Tertiò dum ſuperbi tandem præcipitantur in infernum: humiles exaltantur in cœlum. Quamquam in hoc ſæculo ſæpiſſimè mirâ Dei prouidentiâ illi deijciuntur & confunduntur: hi verò euehuntur.

I. X. Quibus exemplis id oſtenditur. Q. Decima. Quibus exemplis oſtenditur exaltari humiles, humiliari ſuperbos? Reſp. exempla eſſe plurima. Saul, cùm humilis eſſet, euectus eſt in regnum, vti dictum ei à Samuele: *Nunquid cùm paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribus Iſraël factus es?* 1. Reg. 15. Poſteà ſuperbiens regno & vitâ priuatus eſt. Moyſes quia indignum ſe reputauit, qui fieret Dux Iſraëlis, & dimicaret cum Pharaone, Dux Hebræorum & Deus Pharaonis conſtitutus eſt, *Exod. 7.* Pharao contrà, quia ſuperbus contra Deum ſe erexit, deſcendit quaſi lapis in profundum maris. Aman ob ſuperbiam è ſummo curiæ faſtigio deſcendit in patibulum, Mardochæus contrà ex humili ſeruitio euectus eſt in equum regium, *Eſth. 7.* Lucifer, quia ſuperbiſſimus, è ſummo cœli throno in orcum detruſus eſt. Deipara, quia omnium mortalium humillima, ad primam in cœlo ſedem poſt Chriſtum euecta eſt. S. Franciſcus, quia infrà omnes ſe deiecit, ſuper omnes euectus eſt, eique tanquam humili ſedes glorioſa in cœlo, quæ vnius ex ruentibus præcipuis Angelis erat, collata, vti oſtenſum viro ſancto; in vitâ eius apud Bonauent. Refert Antoninus, vir ſanctus & doctiſſimus, Ord. Prædicat. & inde Archiepiſcopus Florentinus 2. *p. ſumma tit.* 3. *c.* 2. §. 4. miram hiſtoriam his ferè verbis. *Legitur de quodam tyranno ſuperbo, quòd cùm audiſſet pluries decantari in Eccleſia illud: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles, vocauit Clericos, & mandauit eis, vt raderent è libris ſuis verſus illos, quòd falſi eſſent; dicens ſe de ſede dominij ſui à nullo poſſe deponi. Cui cùm contradiceretur, non acquieſcebat: ſed ſic humiliatus fuit. Accidit, vt quadam die iret, ad lauandum ſe magno cum comitatu: cumq; exutis veſtibus ſolus fuiſſet balneum ingreſſus, paulò pòſt Angelus Domini apparuit in effigie illius Domini, quaſi exiens de balneis nudus. Cumq; omnes æſtimarent illum Dominum eſſe ſuum, reindutum aſſociantes omnes cum eo redeunt ad ciuitatem & domum, vero Domino remanente in balneis, qui tranſacta aliqua morulâ exiens de balneis nudus neminem inuenit, nec etiam ſuos pannos, ſed quoſdam miſeros & conſciſſos; cumq; alios non haberet in promptu, illos indutus ac furore repletus contra familiam ſuam, quòd eum deſeruiſſent, reuertitur ad ciuitatem, & incipit interrogare ianitores de familia ſua, nominando nunc vnum, nunc alium, conquerendo, quòd auſi fuiſſent eum deſerere. Illi verò, qui viderant Angelum in forma eius reuerſum domum cum comitatu, quem Dominum credebant, videntes hunc malè veſtitum, pro fatuo illum habent, vt qui Dominum ſe faceret ex inſania: ſicq; cum deriſu loquebantur ei velut fatuo. Turbatur iſte magis, & miratur, vaditq; ad palatium, & multi cum eo riſum captantes. Cumq; ab aliquibus primarijs audiret Dominum ciuitatis eſſe in palatio, ipſumq; errare, nec talia loqui debere, attonitus, & quaſi à mente alienatus, ait: Quid eſt, quod dicitis: non cognoſcitis me Dominum veſtrum, qui egreſſus paulò antè de ciuitate iui ad balnea? quomodo ergo dicitis Dominum eſſe in palatio? quis eſt iſte Dominus alius à me? Fiunt hæc nota Angelo, qui Dominus putabatur. Hic ad illius humiliationem maiorem iuſſit eum vocari, vt ſic loquendo coram alijs videretur. Dominus ergo videns Angelum ab omnibus haberi, & coli velut Dominum, & ſe contemni, aſſerit Dominum ſe ciuitatis eſſe, deſertum verò à ſuis, in balneo, nec veſtes ſuas reperiſſe; mirari itaq; ſe quâ mente alter dicat, ſuum eſſe ciuitatis dominium; vnde omnes in riſum conuerſi. Ad extremum Angelus vocauit eum in ſecretum cubile, & admonuit ſuperbiæ ſuæ, quâ dixerat, ſe non poſſe deponi de ſede ſua, ideoq; verſus illos hymni radendos eſſe: oſtendens illi ex euentu quàm facili negotio non ſolùm ſede ſua pulſus, verùm etiam à ſuis pro ſtulto eſſet habitus: itaque deinceps diſceret humilitatem. Qui recognoſcens peccatum ſuum, indutusq; ab Angelo veſtibus ſuis, ipſo diſparente prodiens è cubiculo ſuo, receptus eſt à ſuis tanquam Dominus, narrauitq; eis, quæ ab Angelo geſta erant.*

DOMI.

DOMINICA VNDECIMA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Marci 7.

IN illo tempore: Exiens IESVS de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, & adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum: Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius: & ſuſpiciens in cœlũ, ingemuit, & ait illi: Ephpheta, quod eſt, adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius; & loquebatur rectè. Et præcepit illis IESVS, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant & admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

CONCIONES.

I. *Muti ſenſu myſtico quinam: eorumdem cura.*
II. *Linguæ frænandæ media.*
III. *Aliquot linguæ vitia curantur.*
IV. *Cur aliqui ad verbum Dei audiendum ſurdi ſint; & qui illi.*
V. *Media vt opera noſtra bene fiant.*
VI. *Septem mundi bona.*
VII. *Quomodo omnia in vſum & bonum hominis creata ſint.*
VIII. *Quanto bono ſint Eccleſiæ ſuæ ceremoniæ.*
IX. *Documenta.*
X. *Myſteria.*

CONCIO I.

Muti ſenſu myſtico Quinam: eorumdem cura.

1. *Qui in confeßione reticent peccata.*
2. *Cum proximus corrigendus eſt.*
3. *Cùm afflicto dandum conſilium.*
4. *Cùm iuſtitiæ & veritati teſtimonium reddendum.*
5. *Cum pro acceptis beneficijs gratia agenda.*

THEMA.

Solutum eſt vinculum linguæ eius & loquebatur rectè. Marci 7.

A. VVlgò dicimus, non ſilere tantùm, ſed & loqui artificium eſſe. Verùm addo ego, maioris artis eſſe loqui, quàm tacere. Vt enim in cantu maior eſt ars canere, quàm pauſas obſeruare: ita procul dubio maior eſt ſcientia, noſſe loqui, ſicut decet, quàm ſilere. Hanc artem docuit Dominus in hodierno Euangelio, cum mutum loqui fecit. Atque vtinam hîc cœleſtis Medicus adeſſet etiam noſtro ſæculo? Multi enim paſſim muti reperiuntur, ſed ſponte & voluntate ſuâ, qui ob ſilentium ſuum graues Deo pœnas dabunt. Nec dubium, quin plurimi in inferno clament: *Væ mihi, quia tacui.* Iam verò ſi parentes liberis ſuis loquelæ difficultate laborantibus linguæ vinculum ſoluunt: nónne æquum eſt, vt hoc idem ſoluamus ijs, qui cùm loqui deberent, loqui nolunt aut neſciunt, cum incomparabili damno ſuo? Hoc ergo nunc agamus:

Muti aliqui ſunt PRIMÒ, cùm in confeſſione peccata explicanda ſunt. Iſtos erinaceo non malè comparaueris; ille enim ſub arbore malo poma colligit, rodit, edit, inſuper aculeis ſuis affixa aſportat in latibulum ſuum: at ſi caſu adſcendentem deprehenderis, illicò ſe in globum conuoluit, vt nihil niſi cutis hiſpida in ipſo appareat, quaſi nihil omninò damni fecerit. O erinacee, vbi ſunt manus, quibus poma tractabas? vbi pedes, quibus ea auferebas? vbi os, quo ea edebas? nihil horum habere, imò nec viuere videtur: licet manifeſta furti, & comeſtionis ſigna ad manum ſint. Nónne tales primi noſtri parentes, eorumque filius, Cain? Tametſi enim penè in flagrante delicto deprehenſi ſunt à Deo, tegere tamen illi ſcelus, iſte etiam negare auſus eſt. *Vbi eſt frater tuus*, ô Cain, iam primùm à te occiſus? *Neſcio*, inquit, *nunquid cuſtos fratris mei ſum ego*? At nónne ſanguis fratris tui ante oculos eſt? nónne te accuſat? Nihil hoc mouit Cainum, vt culpam fateretur, quemadmodum & alios multos nihil mouet Confeſſarius, vt peccata ſua explicent, tametſi ea ferè digito notet. Bellè Claudius Vixmontius dum confeſſionem cuiuſdam exciperet, qui clandeſtinas dæmonis ſuggeſtiones detegere trepidabat, iocatus: *Næ tu es*, inquit, *fidelis diabolo ſecretarius; quippe qui times ne fidem apud eum perdas, ſi peccata ab eo ſuggeſta in confeßione prodas.* in Inſtit. de pſal. pœnit. Atque ſalus tibi ſperanda eſt, qui hoſtem animæ tuæ prodere non vis, ſed domi tuę abſcondis? *Ephpheta*, mi homo; niſi enim loquare,

B. I. Qui in cõfeſſionẽ reticent peccata.

capacia. Humiles valles ſunt, in quas defluit imber è montibus: ſuperbi montes ſunt à quibus imber refugit.

4. Quartò glorioſa res eſt humilitas, vilis contrà & fœda eſt ſuperbia; ſiquidem in ſuo habitu prodire non audet, ſed laruâ humilitatis palliat ſe, ne vileſcat, vt ſcribit S. Bernard. *de grad. humil. gr.* 9. Hæc ergo meretur abijci in tenebras, illa produci in lucem.

5. Denique quia regum, & præſertim Dei ſublimitas & magnificentia poſcit illud Virgilij 6. Æneid. *Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.* Quod etiam Rex animalium, leo, ſibi à naturâ inditum habet. Requirit ergo Chriſtus Chriſtianos humiles, qualis & ipſe fuit. Ideoque propria Catholicorum virtus eſt humilitas: hæreticorum verò ſuperbia.

K. IX. Quomodo deprimuntur, qui ſe exaltant.

Q. Nonò. Quomodo deprimuntur ij, qui ſe exaltant: & contrà exaltantur, qui ſe humiliant? Reſp. Primò dum ſuperbi hîc contemnuntur, ridentur, odio habentur & omnium cenſuris notantur; adeoque confuſionem potiùs quàm gloriam aſſequuntur: Humiles contrà amantur & promouentur.

1\.

2. Secundò dum ſuperbi in multa labuntur peccata, & ſæpe in aperta & publica, indeque in confuſionem incidunt, vti Adam & Eua, quia Dijs ſimiles eſſe cupiebant, nuditate plexi erubuerunt. Humiles contrà facilè euadunt laqueos diaboli, quemadmodum retia piſciculi, vti S. Antonio dictum eſt diuinitus.

3. Tertiò dum ſuperbi tandem præcipitantur in infernum: humiles exaltantur in cœlum. Quamquam in hoc ſæculo ſæpiſſimè mirâ Dei prouidentiâ illi deijciuntur & confunduntur: hi verò euehuntur.

L. X. Quibus exemplis id oſtenditur.

Q. Decima. Quibus exemplis oſtenditur exaltari humiles, humiliari ſuperbos? Reſp. exempla eſſe plurima. Saul, cùm humilis eſſet, euectus eſt in regnum, vti dictum ei à Samuele: *Nunquid cùm paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es?* 1. Reg. 15. Poſteà ſuperbiens regno & vitâ priuatus eſt. Moyſes quia indignum ſe reputauit, qui fieret Dux Iſraëlis, & dimicaret cum Pharaone, Dux Hebræorum & Deus Pharaonis conſtitutus eſt, *Exod.* 7. Pharao contrà, quia ſuperbus contra Deum ſe erexit, deſcendit quaſi lapis in profundum maris. Aman ob ſuperbiam è ſummo curiæ faſtigio deſcendit in patibulum, Mardochæus contrà ex humili ſeruitio euectus eſt in equum regium, *Eſth.* 7. Lucifer, quia ſuperbiſſimus, è ſummo cœli throno in orcum detruſus eſt. Deipara, quia omnium mortalium humillima, ad primam in cœlo ſedem poſt Chriſtum euecta eſt. S. Franciſcus, quia infrà omnes ſe deiecit, ſuper omnes euectus eſt, eique tanquam humili ſedes glorioſa in cœlo, quæ vnius ex ruentibus præcipuis Angelis erat, collata, vti oſtenſum viro ſancto; in vitâ eius apud Bonauent. Refert Antoninus, vir ſanctus & doctiſſimus, Ord. Prædicat. & inde Archiepiſcopus Florentinus 2. *p. ſumma tit.* 3. *c.* 2. §. 4. miram hiſtoriam his ferè verbis. *Legitur de quodam tyranno ſuperbo, quòd cùm audiſſet pluries decantari in Eccleſia illud: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles, vocauit Clericos, & mandauit eis, vt raderent è libris ſuis verſus illos, quòd falſi eſſent; dicens ſe de ſede dominij ſui à nullo poſſe deponi. Cui cùm contradiceretur, non acquieſcebat: ſed ſic humiliatus fuit. Accidit, vt quadam die iret, ad lauandum ſe magno cum comitatu: cumq; exutis veſtibus ſolus fuiſſet balneum ingreſſus, paulò pòſt Angelus Domini apparuit in effigie illius Domini, quaſi exiens de balneis nudus. Cumq; omnes æſtimarent illum Dominum eſſe ſuum, reindutum aſſociantes omnes cum eo redeunt ad ciuitatem & domum, vero Domino remanente in balneis, qui tranſacta aliqua morulâ exiens de balneis nudus neminem inuenit, nec etiam ſuos pannos, ſed quoſdam miſeros & conſciſſos, cumq; alios non haberet in promptu, illos indutus ac furore repletus contra familiam ſuam, quòd eum deſeruiſſent, reuertitur ad ciuitatem, & incipit interrogare ianitores de familia ſua, nominando nunc vnum, nunc alium, conquerendo, quòd auſi fuiſſent eum deſerere. Illi verò, qui viderant Angelum in forma eius reuerſum domum cum comitatu, quem Dominum credebant, videntes hunc malè veſtitum, pro fatuo illum habent, vt qui Dominum ſe faceret ex inſania: ſicq; cum deriſu loquebantur ei velut fatuo. Turbatur iſte magis, & miratur, vaditq; ad palatium, & multi cum eo riſum captantes. Cumq; ab aliquibus primarijs audiret Dominum ciuitatis eſſe in palatio, ipſumq; errare, nec talia loqui debere, attonitus, & quaſi à mente alienatus, ait: Quid eſt, quod dicitis: non cognoſcitis me Dominum veſtrum, qui egreſſus paulò antè de ciuitate iui ad balnea? quomodo ergo dicitis Dominum eſſe in palatio? quis eſt iſte Dominus alius à me? Fiunt hæc nota Angelo, qui Dominus putabatur. Hic ad illius humiliationem maiorem iuſſit eum vocari, vt ſic loquendo coram alijs videretur. Dominus ergo videns Angelum ab omnibus haberi, & coli velut Dominum, & ſe contemni, aſſerit Dominum ſe ciuitatis eſſe, deſertum verò à ſuis, in balneo, nec veſtes ſuas reperiſſe; mirari itaq; ſe quâ mente alter dicat, ſuum eſſe ciuitatis dominium; vnde omnes in riſum conuerſi. Ad extremum Angelus vocauit eum in ſecretum cubile, & admonuit ſuperbiæ ſuæ, quæ dixerat, ſe non poſſe deponi de ſede ſua, ideoq; verſus illos hymni eradendos eſſe, oſtendens illi ex euentu quàm facili negotio non ſolùm ſede ſua pulſus, verùm etiam à ſuis pro ſtulto eſſet habitus: itaque deinceps diſceret humilitatem. Qui recognoſcens peccatum ſuum, indutusq; ab Angelo veſtibus ſuis, ipſo diſparente prodiens è cubiculo ſuo, receptus eſt à ſuis tanquam Dominus, narrauitq; eis, quæ ab Angelo geſta erant.*

DOMI.

DOMINICA VNDECIMA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Marci 7.

IN illo tempore: Exiens IESVS de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, & adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum: Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius: & ſuſpiciens in cœlũ, ingemuit, & ait illi: Ephpheta, quod eſt, adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius; & loquebatur rectè. Et præcepit illis IESVS, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant & admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

CONCIONES.

I. *Muti ſenſu myſtico quinam: eorumdem cura.*
II. *Linguæ frænandæ media.*
III. *Aliquot linguæ vitia curantur.*
IV. *Cur aliqui ad verbum Dei audiendum ſurdi ſint; & qui illi.*
V. *Media vt opera noſtra bene fiant.*
VI. *Septem mundi bona.*
VII. *Quomodo omnia in vſum & bonum hominis creata ſint.*
VIII. *Quanto bono ſint Eccleſiæ ſuæ ceremoniæ.*
IX. *Documenta.*
X. *Myſteria.*

CONCIO I.

Muti ſenſu myſtico Quinam: eorundem cura.

1. *Qui in confeßione reticent peccata.*
2. *Cum proximus corrigendus eſt.*
3. *Cùm afflicto dandum conſilium.*
4. *Cùm iuſtitiæ & veritati teſtimonium reddendum.*
5. *Cum pro acceptis beneficijs gratiæ agendæ.*

THEMA.

Solutum eſt vinculum linguæ eius & loquebatur rectè. Marci 7.

A. VVlgò dicimus, non ſilere tantùm, ſed & loqui artificium eſſe. Verùm addo ego, maioris artis eſſe loqui, quàm tacere. Vt enim in cantu maior eſt ars canere, quàm pauſas obſeruare: ita procul dubio maior eſt ſcientia, noſſe loqui, ſicut decet, quàm ſilere. Hanc artem docuit Dominus in hodierno Euangelio, cum mutum loqui fecit. Atque vtinam hîc cœleſtis Medicus adeſſet etiam noſtro ſæculo? Multi enim paſſim muti reperiuntur, ſed ſponte & voluntate ſuâ, qui ob ſilentium ſuum graues Deo pœnas dabunt. Nec dubium, quin plurimi in inferno clament: *Væ mihi, quia tacui.* Iam verò ſi parentes liberis ſuis loquelæ difficultate laborantibus linguæ vinculum ſoluunt: nónne æquum eſt, vt hoc idem ſoluamus ijs, qui cùm loqui deberent, loqui nolunt aut neſciunt, cum incomparabili damno ſuo? Hoc ergo nunc agamus:

Muti aliqui ſunt PRIMÒ, cùm in confeſſione peccata explicanda ſunt. Iſtos erinaceo non malè comparaueris; ille enim ſub arbore malo poma colligit, rodit, edit, inſuper aculeis ſuis affixa aſportat in latibulum ſuum: at ſi caſu adſcendentem deprehenderis, illicò ſe in globum conuoluit, vt nihil niſi cutis hiſpida in ipſo appareat, quaſi nihil omninò damni fecerit. O erinacee, vbi ſunt manus, quibus poma tractabas? vbi pedes, quibus ea auferebas? vbi os, quo ea edebas? nihil horum habere, imò nec viuere videtur: licet manifeſta furti, & comeſtionis ſigna ad manum ſint. Nónne tales primi noſtri parentes, eorumque filius, Cain? Tametſi enim penè in flagrante delicto deprehenſi ſunt à Deo, tegere tamen illi ſcelus, iſte etiam negare auſus eſt. *Vbi eſt frater tuus*, ô Cain, iam primùm à te occiſus? *Neſcio*, inquit, *numquid cuſtos fratris mei ſum ego*? At nónne ſanguis fratris tui ante oculos eſt? nónne te accuſat? Nihil hoc mouit Cainum, vt culpam fateretur, quemadmodum & alios multos nihil mouet Confeſſarius, vt peccata ſua explicent, tametſi ea ferè digito notet. Bellè Claudius Vixmontius dum confeſſionem cuiuſdam exciperet, qui clandeſtinas dæmonis ſuggeſtiones detegere trepidabat, iocatus: *Næ tu es*, inquit, *fidelis diabolo ſecretarius; quippe qui times ne fidem apud eum perdas, ſi peccata ab eo ſuggeſta in confeßione prodas.* in Inſtit. de pſal. pœnit. Atque ſalus tibi ſperanda eſt, qui hoſtem animæ tuæ prodere non vis, ſed domi tuę abſcondis? *Ephpheta*, mi homo; niſi enim lo-

I.
Qui in cõfeſſionẽ reticent peccata.

quare, peribis certo certiùs, licet alia bona quamplurima interim facias. Audi S. Auguſtinum in Comment. in Pſalm. *Elige, quod vis* inquit, *ſi non confeſſus lateas, inconfeſſus damnaberis.* Si tibi optio daretur purgandi manus aquâ vel igne: num tu in flammam potiùs immittere manus tuas, quàm in aquam velles? Atqui Deus *appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam*, inquit Eccleſiaſticus cap. 15. Aqua confeſſio, ignis gehenna eſt. Senſerunt quidam, teſte Euthymio in cap 3. Matth. quòd Ioannes Iudæos, quos in deſerto baptizabat, immerſerit in aquam vſque ad collum, donec vel coacti confiterentur peccata ſua. Non arbitror, Ioannem fuiſſe eam ſeuerum exactorem. At certè talis erit Deus, ſi mutus in confeſſione fueris. Si enim abſconderis peccata tua, demerget te in infernum, pondere peccatorum tuorum.

C. II. Cum proximus corrigendus eſt.

SECVNDÒ. Cùm proximus corrigendus eſt. Præceptum eſt, Leuit. cap. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum.* Quale verò hoc peccatum? Odium dico, vti inſinuat lex; qui enim omittit corrigere proximum errantem, ſanè eum non diligit, ſed odio potiùs habet, quem in errore deſerit, & à viâ ſalutis aberrare ſinit; cuiuſmodi in figurâ erant Sacerdos & Leuita, qui cùm viderent iacentem hominem, vulneratum à latronibus, nec verbulo eum conſolati ſunt, ſed viſo eo pertranſierunt, *Luc.* 10. Scimus etiam præceptum fuiſſe, Exodi 23. *Si occurreris boui aut aſino erranti, reduc eum,* ad dominum ſuum, ſcilicet. Quòd ſi aſinus reducendus ex præcepto Dei eſt, non erit reducendus homo, qui perijt Domino Deo? Grauiter hac de re loquitur S. Auguſtinus ſerm. 16. de verb. Dom. *Tu vulnus fratris tui contemnis?* inquit. *Tu eum vides perire, & negligis? peior es tacendo, quàm ille conuiciando.* Quâ ratione? inquis. Quia tu vides eum perire, ille verò paſſione aliquâ cœcatus neſcit ſe perire. Tu ergo oculatus cœcutientem ducere teneris. Diogenes videns aliquando puerum voraciter edentem, pædagogo plagam incuſſit; quia pædagogus puerum corrigere debebat, vel aliter inſtruere. Idem facit Deus ijs, qui vident delinquere proximos, & non emendant, præſertim ſi ex officio teneantur emendare. Hinc lamentatur Iſa. c. 6. inquiens: *Væ mihi, quia tacui; quia vir pollutus labijs ego ſum.* Quam ob cauſam? quia nimirum, (vt exponit S. Hieron. Cyrillus & Haymo,) vel metu, vel tædio victus peccata populi ac procerum deſtiterit inſectari, & nominatim, quòd Oziam Regem, qui Sacerdos non erat, volentem adolere incenſum, & ſacerdotium inuadentem, non corripuerit, cùm tamen ipſe etiam Propheta è regio ſtemmate oriundus eſſet, adeoque non incongruè facere id poſſet. Væ tibi etiam, ſi tacueris & proximum non correxeris; quia vir pollutus labijs eris. *Mandauit enim Deus vnicuique de proximo ſuo.* Eccl. 17. Denique in hodierno Euangelio adduxerunt mutum ad Chriſtum, docent nos, vt idipſum ſpirituali ſenſu faciamus fratribus noſtris per correctionem; cùm enim errantem corrigimus, ad Chriſtum adducimus. *Afferte* igitur *Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Pſ. 28. q.d. agnos facilè aberrantes.

D. III. Cùm afflicto dãdum conſilium.

TERTIÒ. Cùm proximo afflicto dandum eſt conſilium. Deliquerat in hoc Ionas, cùm à Deo miſſus in Niniuem, vt nunciaret incolis imminentem interitum, fugit metuens ne ad prædicationem ſuam pœnitentiam agerent Niniuitæ, ſicque veniam impetrarent, & ipſe vanus propheta haberetur; vti indicat ipſe *Ion.* 3. Præuidens ergò Niniuitarum conuerſionem, ſi eis loqueretur, noluit eorum ſaluti conſulere: deſiderans potiùs vt rei à diuinâ iuſtitiâ punirentur; ideoque mutus propheta à muto animali, piſce, deuoratus eſt in pœnam: Extat eâ de re ſeuera Dei ſententia apud Ezech. cap. 33. *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris, non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à viâ: ipſe impius in impietate ſuâ morietur; ſanguinem autem eius de manu tuâ requiram.* In quam ſententiam exclamat S. Proſper l.1. de vitâ contempl. c. 20. *Quis tam ſaxeus, tam ferreus erit, quem ſententia ipſa non percellat?* Ab hoc ſanguine immunem ſe canit S. Paulus Act. 20. *Mundus ſum,* inquit, *à ſanguine omnium; non enim ſubterfugi, quo minùs annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Idemque alibi dixit: *Væ mihi ſi non euangelizauero,* 1. Cor. 9. quaſi metuens illam Dei ſententiam: *Sanguinem eius de manu tuâ requiram.* Quia *ipſe hunc occidit, qui eum tacendo morti prodidit*, inquit S. Greg. in eum locum hom. 12. in Ezech. Scimus etiam quid Eſtheri dixerit Mardochæus, cum ei perſuadere vellet, vt ipſa ad Regem ingrederetur & ſalutem Hebræis impetraret. Tergiuerſante enim puellâ & ſibi ab irato Rege metuente, ait Mardochæus: *Si nunc ſilueris, tu & domus patris tui peribitis.* Eſth. 4. Scimus inſuper quatuor illos leproſos, qui in deſertis Syrorum (qui Samariam dirâ obſidione & fame preſſerant) caſtris diuitias ab ijſdem relictas inuenerant, ad ſe mutuò dixiſſe: *Si tacuerimus & noluerimus nuntiare vſque manè, ſceleris arguemur.* Mox ergo fugam Syrorum indicârunt regi & ciuitati; ſicque eos à diriſſimâ liberârunt fame, 4. *Reg.* 7. Quot hi millia hominum partim occidiſſent, partim afflixiſſent, ſi hoc nuntium tacuiſſent? Iure itaque dicunt: *Si tacuerimus, ſceleris arguemur.* Sanè *Prouerb.* 11. ait Sapiens: *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis.* Hoc autem facit & grauiori quidem peccato, qui ſalutari conſilio paſcere omittit proximum ſuum. *Frumenta abſcondere,* inquit S. Greg. 3. p. Paſtor. admon. 26. *eſt prædicationis apud ſe verba retinere.* Atque iſti ſunt, qui talentum ſibi creditum abſcondunt, ac proinde eâ reprehenſione digni, quam commeruit ſeruus ille piger. Audiamus S. Chryſoſt. hom. 1. in Iudæos. *Talentum,* inquit, *quod acceperat & defoderat ſeruus ille Matthæi 25. reddidit integrum: attamen dat pœnas, eò quòd non auxerit lucrum. Ita tu quidem etſi in-*

nocens

nocens perſeueres, cæterùm nō augeas talentum nec fratrem pereuntem reuoces ad ſalutem, eadē quæ ille patitur, patieris. Intellexit hoc Diaconus ille Beniamin in Perſide captiuus apud Caſſiodorum *l. 10. hiſt. trip. cap.* 33. qui dimiſſus à Rege Perſarum eâ lege, ne impoſterum vlli Magorum prædicaret doctrinam Chriſtianorū, reſpondit: *Impoßibile eſt non me participare lumen alijs, quod ipſe percepi. Quantò enim ſupplicio dignus ſit, qui talentum abſconderit, ſacra Euangeliorum teſtatur hiſtoria.* Certè ſi quem in flumine periclitantem cerneres & cùm facilè poſſes, non eriperes, graue te peccatum committere non dubitares. At quanto maior eſt ſalus animæ quàm corporis? Ad extremum docuit nos Dominus bene conſulere proximo, quando (*Luc.* 5.) leproſum à ſe mundatū miſit ad Sacerdotes, prius ab eis approbandum, ne in illum tanquam legis trāſgreſſorē animaduerterēt. Ergo ne leproſus in nouas litium ambages incideret, ſalutari prorſus cōſilio mittitur ad Sacerdotes. Quod vtinam facerent Iudices, Conſiliarij & Aduocati, qui ſæpe cùm poſſent optimè cōſulere partibus & eorū tricas vno verbo extricare, ſicque crumenis parcere, tacent potiùs & permittunt, vt partes inter ſe inuolutæ atque exacerbatæ prolongēt litem & ex vnâ faciāt tres vel quatuor. Audiant iſti Ioſaphat Regem ſic ad Iudices à ſe conſtitutos perorantem. 2. Par. 19. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, &c.*

E. IV. Cùm iuſtitiæ & veritati teſtimonium reddendum.

QVARTÒ. Cùm iuſtitiæ & veritati teſtimonium reddendū. Quales imprimis Iudæi, quos interrogauit Dominus: *ſi licet Sabbatho curare?* Quid enim illi ad veritatem aſſerendam? Nihil omninò. *At illi tacuerunt*, inquit Lucas *cap.* 14. Carpere ſententiam affirmantem non poterant, & tamē confirmare nolebant. Poſt tergū Chriſti loquaces erant Phariſæi: peccatorem, Samaritanum & dæmoniacum aſſerebant, Sabbathi trangreſſorem clamabant: ſed in eius præſentia muti erant. Ita nunc quāplurimi, qui inter pocula & conuenticula nihil non de proximo effutiūt eumque grauiter accuſant: ſed in præſentiâ eius muteſcunt, nec eâ de re vel ipſi vel eius Magiſtratui verbulum dicere audent. Eò pertinent etiam Iudices, qui muneribus corrupti vel ob partis alicuius amicitiam non audent pronuntiare veritatem ac decernere æquitatem. Sic teſtatur Eccleſiaſticus c. 20. *Xenia & dona excæcant oculos Iudicum, & quaſi mutus in ore auertit correptiones eorum.* Quo loco mutus ſignificat (ſecundū Lyran. & Hug. Card.) certam ranulā, quæ calamitatum vocatur, & ſi in os canis inijciatur, facit eum mutum, teſte Iſidoro *l. 12. Etymol. ca.* 6. Eſt & vitium linguę, quod inde ranula vocatur, quia mutum reddit hominē, vt ſcribit Barthol. Anglicus l. 5. propriet. cap. 21. Ergo huiuſmodi ranulæ ſunt Xenia & munera, quæ muteſcere faciunt Iudices *& mutant ac ſubuertunt verba iuſtorum*, vt dicitur *Deut.* 16. & *Exod.* 23. Canes quantumuis initio acres & contētioſè latrantes, ſi offam eis obijcias, mox latrare deſinent: eos verò, à quibus nihil accipiunt, indeſinenter allatrabunt. Celebris hoc vitio factus eſt Canis ille Peruſinus, qui fures quidem noctu venientes ſtrenuè allatrabat, amaſios verò dominæ, à quâ in culinâ nutriebatur, aduentantes tacitus admittebat. Cui proinde hoc epitaphium ſcriptum eſt:

Latrabam ad fures, ſed amantum furta tacebam.
Vt placui domino: ſic placui dominæ.

Rectè Eccleſiaſticus *cap.* 13. *Diues locutus eſt:* (ſuperba & iniqua) *& omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducēt. Pauper locutus eſt, & dixerunt: Quis eſt hic?* Mutum in ore habuit certè Iudex ille, qui cum litem inter lanionē & pellionem dirimere deberet, ferunt ipſi à lanione donatum eſſe bouē. Quod aduertens pellio, Iudicis vxori pretioſam pellē donauit. Iudex tulit ſententiam in fauorem pellionis. Miratus & indignatus lanio iubet mugire bouem ſuum. At Iudex replicauit bouē iam mugire non poſſe, quòd os pelle obſeratum haberet. Imo non bos, ſed Iudex occluſum habuit os. Alius quidam arbiter inter duos litigantes datus, accepit ab vno vrceū olei, eâ ſpe & pollicitatione vt pro ſe Iudex ſententiam ferret. Hoc ſentiens alter porcum pinguem miſit iudici, rogans vt ſibi faueret. Tulit ille ſententiam pro porco. Quod vidēs alter, cùm & fidem datam & oleum miſſum apud Iudicem quereretur: Porcus quidam, inquit Iudex, in domum meam venit & inuēto oleo vas confregit atque oleum effudit, adeò vt tui fuerit moblitus. Referūt Poſtcanic. Maioli t. *col* 4. Sed quid de talibus ludionibus Deus? *Ignis*, inquit Iob, c. 15. *deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Rurſum Iſaiæ 56. *Canes muti nō valentes latrare. Et canes impudentiſsimi neſcierunt ſaturitatem.* q. d. inſatiabiles.

F. V. Cùm pro acceptis beneficijs gratiæ agendæ.

QVINTÒ. Cùm pro acceptis beneficijs gratię agendæ. Hac in re mutum fuiſſe protoplaſtum cēſet Rupertus *in Gen. l. 2. ca.* 39. Creatur enim homo perfectus & decorus, nec tamē gratias agit. Ducitur in paradiſum, & traditur ei domus voluptatis ac diuitiarū plena; adhuc tamē mutus eſt. Adducuntur ad eum animalia, & cōſtituitur eorū Dominus; adhuc tamen mutus eſt. Adiungitur ei adiutorium, ſimile ſibi; adhuc ſilet. Quid mirū, ergo, ſit talis homo ad peccatum exterius veniat, & ea ipſa, quæ in bonum ſuum cōdita ſunt, ſibi in pernitiē vertat? Atque hoc indicari, ait Rupertus, cùm dicitur: *Sed & ſerpēs erat callidior*, &c. Quid enim ſibi vult illud *Et?* nónne præcedēs aliquod Adami peccatum notat? Quodnam verò illud, niſi ingratitudinis & ſuperbiæ in corde Adami? Deriuatum fuit hoc protoplaſti vitium in progeniē eius, præſertim in gentiles, *qui, cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deū, glorificauerūt, aut gratias egerunt*, ad Rom. 1. Quamobrem Habacuc c. 1. comparat eos piſcibus, qui ſoli ex omnibus animantibus muti ſunt: *Facies homines ſicut piſces maris*, inquit. Huiuſmodi piſcem, mutum ad gratiarum actionē, cenſent Hebræi, & alij, fuiſſe Ezechiam Regē, cæteroqui bonum, qui cùm ob inſignē de Aſſyriis reportatam victoriam Deo, ſicut decebat, gratias non egiſſet, poſteà repentè incidit in ægritudinem, Iſa. 38. Similem ob cauſam Moyſen & Aaronē ab ingreſſu terræ promiſſę morte interueniente repulſos cenſet Abulēſis, quòd acce-

accepto beneficio aquæ diuinitùs dato, Deo laudes non cæciniſſent, populumq́ue ad eaſdem non impuliſſent, quod tamẽ priùs fecerant Pharaone demerſo. Timendum etiam; ne ſi in referendis Deo gratijs muti ſimus, mutum aliquando inueniamus Chriſtum, qui alioquin coram patre ſuo cõfitebitur eos, qui ipſum confeſſi fuerint. Mirum eſſe, inquit Rupertus *l. 1. de Gen c. 8.* quòd Deus in creatione meminit infimi elementi, terræ: (*In principio creauit Deus cœlum & terram,*) & non meminerit ſupremi ignis. Reſpondetq́ue cauſam eſſe, quia ignis vorax quidẽ, ſterilis tamen & ingratus eſt, omnia abſumens, nihil rependens, ideoq́ue ſignificat ingratum, quia multa quidem beneficia deuorat, nihil tamen redonat; dignus proinde qui ex numero creaturarum Deum iugiter laudantium expugnatur, & à Deo ſileatur. Vade igitur ingrate, quiſquis es, ad creaturas alias. *Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia agri, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi*, Iob 12. *Terra enim*, inquit D. Ambr. l. 1. Offic. c. 31. *aut ſpontaneos fructus germinat, aut creditos vberiori cumulo refundit ac reddit.* Auiculæ autem *ſurgente & occidente die*, inquit idem l. 5. Exam. c. 12. *ſuos cantus inſtaurare conſuêrunt, vt decurſi vel adoriendi temporis laudes ſuo referant creatori.* Et mox: *Quis ſenſum hominis gerens nõ erubeſcat ſine pſalmorum celebritate diem claudere, cùm etiam minutiſſimæ aues ſolẽni deuotione & dulci carmine ortus dierum ac noctium proſequantur?* Ad extremum arguet hanc ingratitudinem noſtram mutus hodierni Euangelij, qui quam primùm à Chriſto curatus eſt, in Dei laudes prorupit, gratiamq́ue ſibi collatam prædicabat & diuulgabat; licet ei Dominus hæc prohibuiſſet ex modeſtiâ. Nimirum ipſa natura hominem impellebat, vt beneficium hoc celebraret. Nos ergo, Auditores, imitemur mutum iſtum: perrumpamus noxia linguæ vincula & loquamur rectè.

CONCIO II.

Linguæ frenandæ media.

Cæremoniæ quas Chriſtus adhibuit in muti curatione non obſcurè docent linguæ frenandæ modos: qui ſunt

1. *Declinare turbam.*
2. *Præcogitare quid loqui velis.*
3. *Cogitare linguã noſtrã eſſe vehiculũ Euchariſtiæ.*
4. *Petere hanc gratiam à Deo, & cogitare Deum vbique præſentem.*
5. *Conſiderare perniciem linguæ.*
6. *Proponere firmiter cuſtodire linguam.*

THEMA.

Admirabantur dicentes: Bene omnia fecit. Marci 7.

A. Cur in ſanãdo muto tot adhibitæ cæremoniæ.

Mirabantur Spectatores huius miraculi in hodierno Euangelio. Mirari & nos poſſumus, non propterea tantùm, quia mutum curauit Dominus, ſed etiam quia tot præambulis & cæremonijs. Non enim memini aliquem à Domino tam operosè curatum eſſe, præter mutum iſtũ. Vno plerumque verbo cæteros reſtituit; hunc verò primò à turbâ abduxit, deinde miſit digitos ſuos in aures eius, tùm expuẽs in terram tetigit linguam eius, poſthæc ſuſpiciens in cœlum ingemuit, denique vocem extulit. Quid ſibi hæc omnia? Itáne tantæ molis erat, hominem non omninò mutum, ſed tantùm μογιλάλον, id eſt, difficulter loquentem (vt habet græcus textus) rectè loqui facere? Verùm Auditores, nullam in hac re Chriſtus ſenſit difficultatem, ſed nobis inſinuare voluit, quàm difficilè ſit corrigere & frænare linguã, ita vt nunquam malè ſed rectè ſemper loquamur. Ita enim teſtatur S. Iacob. c. 3. epiſtolæ ſuæ, cùm ait: *Omnis natura beſtiarũ & volucrũ & ſerpentum & cæterorũ domantur & domita ſunt à natura humanâ, linguã autem nullus hominum domare poteſt.* Quod non ita intelligendum ac ſi fieri omninò nequeat, ſed quòd abſque Dei gratiâ nequeat; quo modo dixit Dominus Camelum per foramen acus, id eſt, diuitem in regnum cœlorum ingredi non poſſe, niſi cum Dei gratiâ. Frænari lingua poteſt, etſi non ſine gratiâ Dei & magnâ difficultate. Huic igitur tanto malo remedium quæramus. Cęremonię, quas adhibuit Chriſtus in muti huius curatione, nõ obſcurè docent, quid nobis ſit faciendum, vt diſcamus rectè loqui.

B. I. Declina turbam.

PRIMÒ. Chriſtus *apprehendit mutum de turbâ ſeorſum.* Et tu declina turbam & tumultus eius, ſi non vis perperam loqui. Difficillimum enim eſt, vt qui multa videt vel audit, nõ eadem loquatur; ideò lingua cerebro, & os phantaſiæ vicinum eſt: & quod illa cogitat, mox in os deriuatur. Vnde *Eccl. c.* 19. pruritus loquendi tantus aſſeritur, quantus eſt mulieris grauidæ ad pariendum, & vulnerati ad extrahendam ſagittam. Et *Iob.* 32. quantus eſt muſti bullientis & lagenas dirumpentis. Vis ergo abortiuum verbum ex ore tuo non parere? vide, ne grauidus fias mundi rumoribus: noli curiosè ea peruestigare, quæ ad te nõ pertinent: maximè verò prauæ ſocietati, quæ rectè loqui neſcit, te adiungere. Difficile enim eſt cum talibus verſari, & eorum moribus ac ſermonibus ſe non conformare. Vt enim filij Iudæorum diſcebant loqui Azoticè à matribus ſuis Azoticis, Nehem. 13. ita à peruerſis diſcimus loqui peruersè, à mendacibus mendaciter, à blaſphemis blaſphemè, à turpibus turpiter. Quare vt in magnis nundinis tranſeuntes non omnia perluſtramus, ſed ea tãtùm quærimus, quæ nobis vtilia & emenda ſunt, reliqua negligimus: ita in hoc mundo non omnia inueſtiganda vel imitanda, ſed quæ laudatiſſima & vtilia nobis ſunt.

C. II. Præcogita quid loqui velis.

SECVNDÒ. Chriſtus *expuit.* Sputum hoc ſignificat ſapientiã, quia, vt ſaliua è capite defluit, & in ore colligitur, poſteaq́ue eijcitur, (vnde ſaliua à ſalis ſapore dicta eſt; ſal autem ſapientiã notat:) ita ſermo noſter è cerebro ſeu iudicio prodire & priùs põderari debet, antequam effundatur. Rectè proinde monuit Eccle. c. 28. *Verbis tuis facito ſtateram.* Vt enim monetas aureas accuratè ponderamus, priuſquam expendamus vel accipiamus: ita verba ponderanda ſunt, antequam in vulgus eant. Quatuor verò potiſſimùm expendenda ſunt, nimirum quid loquendum, modus quo loquendum, tempus quando loquendum, & cauſa cur loquendum.

Quid loquendum ſit, exponit Apoſtolus ad Epheſ. 4. cùm ait: *Omnis ſermo malus,* (græcè, *pu-*

tris; qui nimirum ſale conditus non eſt,) *ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei*, &c. Et ad Eph. 5. *Fornicatio & omnis immunditia aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet*. Spurcos & impuros ſermones ac tales, diaboli ſputa vocat Guil. Peraldus Epiſcopus Lugdunenſis ſer. 24. in Cant. Quemadmodum itaque nautæ habere ſolent omnia loca periculoſa in mappis ſuis delineata, in quibus nauis poſſit periclitari, vt queant ea declinare: ſic ſeruus Dei debet omnia genera malorum ſermonum habere annotata, ne in illis periclitetur.

In modo loquendi obſeruandum, vt non loquamur nimis delicatè, inconſideratè, turgidè, affectatè, curioſè, & verbis nimiùm exquiſitis, nec contentioſè. In tempore & opportunè loqui, quantum habet gratiæ, tantum meretur odij, loqui intempeſtiuè. De illo enim ait Salomon Prouer. 25. *Mala aurea in lectis argenteis* (alij vertunt, *in retiaculis vel thecis tranſparentibus*) *qui loquitur verbum in tempore ſuo*. De iſto verò Eccleſiaſt. c. 10. *Ex ore fatui reprobatur parabola: non enim dicit illam in tempore ſuo*.

Finis denique ſeu intentio attendēda in ſermone eſt, nimirum Dei gloria & proximi vtilitas. Fugienda ergo vana gloria & hypocryſis. Præter hæc etiam ſæpe refert, quo loco & cui loquaris. Omnia hæc ſaliuam, ſeu ſalem ſapiētiæ requirunt, de quo Apoſt. *ad Coloſſ. 4.* ait: *Sermo veſter in gratia ſit ſemper ſale conditus*. Vt enim cibos ſale, & calamum atramento tingimus: ita locuturi linguam ratióne neceſſe eſt imbuamus.

Hoc qui non obſeruat, ſæpe grauiter delinquet, vti dixit Zeno Citticus adoleſcēti de rebus friuolis garrienti: *Niſi linguâ in mentem intinctâ diſſerueris, adhuc multo ampliùs dicendo delinques*. Stob. ſerm. 36. Expertus id eſt Iephte Iudex Hebræorum, (Iudic. 11.) quando inconſideratè vouit ſe immolaturum Domino eum, qui primus ei occurriſſet de foribus domûs ſuę. Occurrit enim ei vnica filia. Vnde poſteà vehementer doluit: *Heu me, aperui os meum*, inquit. Expertus eſt Herodes, cum ſtolidè promiſit puellæ ſaltanti, quidquid illa petijſſet. Cōtriſtatus eſt enim poſteà propter iuſiurandum, cùm vidit peti caput Ioannis. Ergo ſicut egreſſurus domo priùs vndique ſe circumſpicit, an vultu & veſtitu decoro ſatis prodeat in publicum: ita locuturus videat, quàm decora ſint ea verba, quæ in publicum emiſſurus eſt. Rurſum *ſicut eligis, quo veſcaris; ſic elige, quod loquaris*, inquit D. Auguſtinus in Pſal. 51.

D. III. Cogita linguam tuam eſſe vehiculū Euchariſtiæ.

TERTIÒ. *Tetigit linguam* muti. Et tu Chriſtiane, vt diſcas frænare linguam tuam, cogita eam ſæpiùs tāgi à Chriſto in S. Communione. Lingua enim tua vehiculum & *equus regius* eſt, in quo ſedens Chriſtus ad te ingreditur, vti vocatur à Chryſ. *ho. 52. in Matth.* Sanè equus ille, qui à nobili quadam dominâ ad vſum datus Ioāni Papæ ipſum geſtauit, poſteà Dominam ſuam, quàm priùs vectare ſolebat, recipere noluit, vt qui iam Chriſti vicariū vectaſſet, apud Baron. anno 525. Quomodo ergo linguam noſtram, quæ ipſius regis cœlorum ordinarius equus eſt, faciemus equum diaboli, vt ferat & proferat verba turpia, blaſphema, periura? Ergo vt Romæ aſelli vel equi, qui aliquando S. Euchariſtiam in itinere Pontificio geſtārunt, ad alios profanos vſus nō adhibentur ampliùs: (vti Romæ audiui) ita & nos linguam noſtram, ex quo equus Chriſti facta eſt, ne, quæſo, profanemus. *Quæ enim venia nobis dabitur*, inquit S. Chryſoſtom. homil. 4. ad baptiz. *imò verò quæ ſupplicia non perpendemus, quando linguam noſtram, quâ Dominicam carnem deguſtauimus, linguam efficimus diaboli!*

QVARTÒ. *Suſpexit in cœlum*, oſtendens donum rectè loquendi à cœlo expectandum. Tu ergo, ſi vis dominari linguæ tuæ, reſpice cœlum, & ora Deum ſedulò cum Dauide Pſal. 140. *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis*. Quo loco duo Spiritûs ſancti dona petit ad rectè loquendum neceſſaria, ſpiritum conſilij, vt ſciat quid, quomodo & quando loquendum: Spiritum fortitudinis, vt audeat loqui, quod oportet; & timeat loqui, quod nō oportet. Primum petit, cùm oſtiarium petit: alterum, cùm oſtium. Duo enim hæc ſibi mutuo neceſſaria ſunt, oſtiarius & oſtium, vt domus cuſtodiatur. Sine oſtiario oſtiū vel ſemper erit clauſum, vel ſemper erit apertum. Sine oſtio oſtiarius non poterit prohibere, quin omnes pro libito exeant & intrent. Difficillimum eſſe frænare linguam, audiuimus iam ex S. Iacob. *cap. 3. epiſt. ſuæ*, qui dicere nō dubitauit: *Linguā nullus hominum domare poteſt*; quia nimirum homo ex vitiatâ ſuâ naturâ proniſſimus eſt ad loquacitatem, ad ſuiipſius laudem & proximi vituperiū, ad iudicandum, detrahendum, &c. & quia magnâ prudentiâ opus eſt ad rectè loquēdum. Idcircò Dei auxilium ad hoc eſt implorandum. Vnde S. Aug. *de nat. & gratia c. 15 & ſerm. 4. de verb. Dom.* ait: *Ergo intelligamus, chariſſimi, quia ſi linguam nullus hominum domare poteſt, ad Deum confugiendum eſt, qui domet linguam noſtram*. Et rurſum: *Vt dometur equus, bos, camelus, elephantus, leo, aſpis, quæritur homo. Ergo Deus quæratur, vt dometur homo*. Sanè niſi ad regendam linguam peculiare Dei auxilium requireretur, non dixiſſet Sapiens, Prou. 16. *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam*.

E. IV. Pete hanc gratiam à Deo.

Adhæc ſuſpice in cœlum, hoc eſt, cogita Deum vbique præſentem omniaque tua verba exactiſſimè audientem. Veteres Philoſophi docuerunt, ſic loquendum eſſe cum hominibus, tanquam Dij audiant. Macrob. l. 1. Saturn. Obſeruent hoc Chriſtiani, & nihil improbum loquentur.

Et cogita Deū vbique præſentem.

QVINTÒ. *Ingemuit*, conſiderans, ni fallor, in quanta mala præcipitet hominem lingua. Lingua enim indomita equus eſt abſque fræno, & nauis abſque gubernaculo, vti docet S. Iacobus in epiſtolâ ſuâ citat. vbi quatuor de eius pernicie enunciat. Primum *lingua*, inquit, *modicum membrum, magna exaltat*, id eſt, iactat, vel ducit in præcipitia. Id facit lingua adulatoris, quæ magnates in ſuperbiam eleuat, & altiores quàm reuerà ſint, facit; lingua calumniatoris & detractoris, quæ vitia proximorum parua facit magna, magna maiora; lingua mendax, iactabunda,

F. V. Cogita perniciem linguæ.

querula ſurſurrans, &c. quæ ex muſcâ facit elephantem. Talis lingua ſerpentis: *eritis ſicut Dij*; lingua iuuenum inſtigantium Roboamum ad opprimendos ſubditos; lingua vxoris Iob: *Maledic Deo & morere.* Sed & ipſum loquentem lingua mala perdit: vt Cainũ, ædificatores Babel, iuuenem Amaleciten, Sennacherib, &c.

2. Secundum. *Lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis*; tùm quia implet vniuerſũ ſuâ iniquitate, omnes ciuitates, plateas, domos, tum quia eſt *lena & conciliatrix peccatorum*, vt ait S. Baſilius *in Pſ.* 331. Omnes enim iniquitates per linguam, aut perficiuntur, aut perſuadentur, aut defenduntur, aut excuſantur; tùm quia omnia hoſtiliter inuadit, Deum, Angelos, Sanctos, homnes iuſtos, creaturas irrationales, Dei verbũ, Sacramenta, Chriſti crucem, paſſionem, ſanguinem, vulnera: virtutes omnes: cœlum & elemẽta; tùm quia velut Vniuerſitas ſeu Academia docet omnes iniquitates, vti Vniuerſitas omnes ſcientias.

3. Tertium. *Lingua cõſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus*; quia nimirum totum hominem fœdo colore & odore libidinum, rixarum, vulnerumque nec non infamiæ commaculat, quemadmodum ignis denigrat ea, quæ adurit. Et ſicut lingua murmurans Mariæ ſororis Moyſis ipſam leprâ aſperſit: ita lingua praua v. g. ſuſurronis inficit totum hominem; cor, vt ſiniſtra cogitet de proximo; aures, vt eius preces & excuſationes non admittant; oculos, vt ipſum ægrè aſpiciant, linguam, vt eius innocentiam non defendat, virtutes celet; nares, vt illius bonam famam & laudabilem vitam non olfaciant; manus, vt ipſi nihil tribuant: commodent ſuccurrant, &c.

4. Quartum. *Inflammat rotam natiuitatis noſtræ*, id eſt, vniuerſum vitæ noſtræ curſum, quo modo laminæ ferreæ ignitæ affiguntur à fabro ad rotas eaſque vndique ambiunt. Sic enim lingua mala totum vitæ noſtræ curſum occupat. Alia vitia certam habẽt vitæ metam: petulantia pueritiam, libido iuuentutẽ, ambitio virilem ætatem, auaritia ſenectutem occupat; omniaque tandem cum homine ſeneſcunt & emoriuntur, ſolum linguæ vitium omnem vitam occupat. Audiuntur enim mendacia, turpiloquia, detractiones, iuramẽta & periuria, execrationes, murmurationẽs, iactantiæ, irriſiones, quærimoniæ, nugæ, &c. tam à ſenibus, quàm à iuuenibus.

Denique inflammat & vrit hominem in gehenna, vt patet exemplo Epulonis, cuius lingua quantum hîc deliquit, tantum ibi cruciatur.

Hæc & his ſimilia linguæ damna perpendẽs Chriſtus ingemuit, tùm quòd homines hæc nõ expendant: tùm vt doceret nos ingemiſcere ſuper his malis, eaque ſedulò cauere.

G. VI. Propone firmiter custodire linguam.

Sextò. Ait illi *Ephpheta*, quod eſt, *adaperire*. Hac voce velut claue aperuit linguam muti. Clauis iſta ſignificat firmum propoſitum moderandi linguam, hoc eſt, claudendi per ſilentiũ, nec aperiẽdi ſine cauſâ & prætio examine: denique quàm poſſumus breuiſſimo ſermone nos expediendi. Hoc eſt, quod dixit Eccleſiaſticus cap. 28. *Ori tuo facito oſtia & ſeras.* q. d. obfirma os tuum per ſilentij virtutem, ſerijs propoſitis quaſi ſeris & repagulis, ita vt nunquam pateat, niſi priùs ex decreto rationis ei dixeris: *Ephpheta. Auceps non emittit accipitrem, niſi anſerem videat: dedignatur venator catulum ſoluere, niſi lepus appareat: arcus flexis cornibus fruſtrà nõ intenditur; & rationale os, ad effundenda irrationabilia paſſim relaxatur*: ait Petrus Damian. Cardin. Hoc propoſito ſe armabat David; ait enim Pſa. 38. *Dixi; cuſtodiã vias meas vt non delinquam in linguâ meâ: Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſũ me.* Huic voto, vt efficacius ſit, adde mulctam aliquam, ſi linguâ hallucinatus fueris. Scribit Ioannes Nyder Dominicanæ familiæ Norimbergæ circa annum Dom. 1430. antiſtes in formicar. l. 4. cap. 3. virum ſui æui nobilem, maledicentiæ & execrationi à puero aſſuetum, indicto ſibi ieiunio, quoties linguâ deliquiſſet, tãdem ſeipſum ita viciſſe, vt ne voculam quidem impiam inpoſterum emitteret. Alium quẽdam ciuem Auguſtanũ ſimili vitio obnoxium, quoties impium quid loqueretur, cultello ſibi carnem incidiſſe & guttã ſanguinis elicuiſſe: alium item, ciuem Memminganum in eandem execrandi conſuetudinem prolapſum vino abſtinuiſſe eiuſque loco aquâ ſitim leuaſſe, quoties execratus eſſet: ſicque vtrumque de ſeipſo fæliciter ac breui triumphaſſe. Durum quidem eſt hoc: ſed pẽſandũ quod dixit Dominus Matth. 18. *Bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.*

Addit Eccleſiaſticus ad maiorẽ eiuſdem rei explicationem: *Aurum tuum & argentum confla*, hoc eſt, verba tua, quæ vt aurum vel argentum cuſtodire debes, cõtrahe; ſicut vaſa aurea & argentea, vt in alias terras abſportemus, conflare ſolemus; quaſi dicat id, quod quidam Iuriſconſulto loquaci dixit: *Nõ oportet multis verbis pauca dicere, ſed paucis multa.* Pro, *confla*, alij vt Ambroſius *ſerm.* 22. *in Pſal.* 118. legunt, *alliga*, q. d. alliga ſermonem tuum, ne luxuriet, ne laſciuiat & multiloquio ſibi peccata colligat, quo modo veſtes, vndique defluentes in terram, multum luti contrahant neceſſe eſt. Alexander M. epiſtolam à matre miſſam, quæ occultas accuſationes & calumnias in Antipatrum continebat, legens, eandem Ephæſtioni amico legendam dedit; ſed eâ perlectâ annulum digito detraxit & ori illius ſigillum velut reticentiæ ſymbolũ impreſſit dicens: *Contine hæc, & ne quid eorum effutias.* Plut. Ergo & Chriſtianus ſymbolũ huiuſmodi imprimat ori ſuo, firmum, inquam, propoſitum tacendi ea quæ taceri debẽt. Deinde pauca loquatur, tardè & conſideratè, iuxta conſilium Senecæ epiſt. 40. dicentis: *Summa ſummarum hæc erit: Tardiloquum te eſſe iubeo.*

Dicat ergo vnuſquiſq; & ſtatuat in corde ſuo. *Cuſtodiã vias meas, vt non delinquã in linguâ meâ.* Græcorũ Prouerb. fuit: *lingua quò vadis? ciuitatem erectura & eandem denuò ſubuerſura.* q. d. id Prou. 18. *mors & vita in manu linguæ.* Interroga tu velut ianitor linguam egreſſuram: *lingua quò vadis?* erectura ciuitatem? egredere & erige. Deſtructurâ ciuitate? Siſte in conclaui tuo. Hoc fræno ſi ſtreximus linguam noſtram, extruet illa nobis ciuitatem in coelo, quia, vt ait S. Iacobus: *ſi quis in linguâ non offendit, hic perfectus eſt vir.*

CON-

CONCIO III.

Aliquot vitia linguæ curantur.

1. *Vitioſa taciturnitas.*
2. *Garrulitas.*
3. *Stultiloquium.*
4. *Vaniloquium.*
5. *Turpiloquium.*
6. *Sacrorum verborum abuſus.*
7. *Maledictum ſeu imprecatio.*
8. *Iuramentum temerarium, pro quo aſſignatur remedia.*
9. *Periurium.*

THEMA.

Solutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Marci 7.

A. QVemadmodum Iudæi mirantes Chriſtum dicebant Ioan. 7. *quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit?* Sic etiam poſſet aliquis mirari hodiernum mutum, quomodo ſoluto linguæ vinculo ſtatim rectè locutus ſit, qui priùs mutus erat? Quòd ſi enim Chriſtus fecit eum loqui, quis fecit eum rectè & intelligenter loqui? Non fuit ſanè Chriſto difficile conferre muto etiam linguæ cognitionem, cui impeditam ſoluit linguam. Sed quia ſine causâ non ſunt miracula multiplicanda, ideò Maldonatus exiſtimat hunc ſurdum & mutum aliquando & audiſſe meliùs & liberiùs locutum fuiſſe, adeoque olim didiciſſe linguam, quâ ſanatus poſteà loqui cœperit. Confirmatur hoc ex textu Græco, vbi vocatur μογιλάλος, id eſt, vix ſeu ægrè loquens: quod etiam inde fit veriſimile, quia poſteà dicitur locutus eſſe rectè, quaſi priùs locutus ſit, ſed non rectè. Ex hoc deducere poſſumus, quàm rectè mutus iſte deſignet illos homines, qui loquuntur quidem, ſed malè; quique rectè loquendi ſcientiam habent, ſed eâ neſciunt vti. Huiuſmodi autem ingens hominum multitudo eſt ita vt ferè dies non ſufficeret, ſi omnium talium balborum linguas ſoluere vellemus. Faciemus tamen ad exemplum Chriſti, quantum & quouſque poſſumus.

B. I. Vitioſa taciturnitas. PRIMVM linguæ vinculum, rectam impediens loquelam, eſt *vitioſa taciturnitas,* de quâ alibi diximus, & modò id ſolum aduertemus, non fruſtrà dixiſſe Prophetam Eſa. 6. *Væ mihi, quia tacui. Si aliquando & tacere culpa non eſſet, propheta non dixiſſet: Væ mihi quia tacui,* inquit S. Gregor. 3. *Moral. cap.* 17. Quàm multa enim bona poteſt alijs præſtare lingua ſapiens? Nec fruſtrà datum eſt homini à Deo nobiliſſimum linguæ inſtrumentum: ſicuti nec militi fruſtrà datur gladius, ſed vt ſuo tempore eum exerat contra hoſtes. Hinc Salomon dixit, *Tempus tacendi: & tempus loquendi.* Eccleſ. 3. Vt ergò vitiū eſt loqui, cùm non oportet: ita vitium quoque eſt, non loqui, cùm oportet. Idcircò Sapiens Prou. 25. dixit: *Mala aurea in lectis argenteis* (alij vertunt, *in cancellis*, alij *in cælaturis*, alij *in thecis tranſparentibus*) *qui loquitur verbum in tempore ſuo.* q. d. Sicut malum ex auro fictum retiaculo argenteo incluſum longè pulchrius apparet, quàm nudum: ſic qui in tempore ſuo loquitur, & cùm decet tacet. Vt rectè canere, ita etiam rectè pauſare, artificium & officium eſt muſici. Porrò quando tacendum & loquendum ſit, ſuo loco dictum eſt.

SECVNDVM *garrulitas* ſeu nimia loquacitas; quæ imprimis fugienda, quòd inanem & vacuum ſapientiâ demonſtret hominem. *In multis* enim *ſermonibus inuenietur ſtultitia*, ait Eccleſ. c. 5. Vt enim vas quod pulſatum altè ſonat, inane eſt: ſic & homo loquax, parum habet mentis. Quin etiam qui multum loquuntur, perdunt ſapientiam & produnt ſuam inſipientiam ac defectus. Vnde S. Ambroſius comparat loquacem ſpeculo, quia omnes animi ſui noxas repræſentat. Diadochus *de perfect. ſpir. cap.* 70. ait: *Quod balneo, idem accidit loquacibus; ſi balnei oſtium crebrò pateſiat, calore paulatim emiſſo frigeſit: ſic qui multa ſine neceſſitate loquitur, per oris ianuam, calorem internum exire neceſſe eſt.* Hinc Ariſtotel. *l.* 1. *Œcon.* 6. iubet claudi portâ domûs; ſymbolicè deſignans vitandam loquacitatem. Sæpius delinquant neceſſe eſt, qui oſtium oris ſui non clauſum, ſed ferè ſemper apertum habent. Vt enim eiuſmodi oſtia, qualia cauponum, omnibus ſunt peruia, plena etiam perditis hominibus: ſic ora loquaculorum quibuſcunque vitijs; quia *in multiloquio non deerit peccatum*; ait Sapiens Prou. 10. Et hinc *Num.* 19. dicitur: *Vas quod non habuerit operculum, immundum erit.* In tale vas incidunt omnis generis muſcæ: in os patulū multi incidunt errores. Quare Appollonius rogatus: *Qui ſunt optimi hominum? Qui,* ait, *in dicendo ſunt breuiſſimi.* C. II. Garrulitas.

Denique loquaces ad res gerendas ferè inutiles ſunt. Vt enim infantes, qui celeriùs loquuntur, tardiùs ingredi incipiunt: ita qui ad dicendum promptior eſt, ad rem gerendam minùs eſt idoneus.

TERTIVM, *Stultiloquium*, quod etiam oſtendit hominem inſulſum, & ſæpe in grauia pericula conijcit, præſertim coram aduerſarijs & viris principibus vſurpatum. Azo Iuriſconſultus clariſſimus cùm in carcerem mitteretur ob percuſſum feruente irâ inimicum, exclamauit, *Ad beſtias, ad beſtias*; quod eſt principium legis 31. ff. de pœnis, ſignificare volens ei ſecundùm legem illam parcendum, vt qui plecti quidem mereatur, abſoluendus tamen ſit; velut in arte ſuâ excellens & reip. vtiliſſimus. Sed Iudices, quibus minimè amicis vtebatur, interpretantes ſe ab illo per deriſum vocari *beſtias*, non antè deſtiterunt, quàm ei necem inferrent. Quòd ſi cautiùs locutus eſſet, vel dictionem interpretando ſuſpicionem amouiſſet, vtique mortem euaſiſſet. Rectè itaque monet Eccleſiaſticus c. 28. *Verbis tuis facito ſtateram.* q. p. pondera priùs ſermones tuos, priuſquam effundas; non enim vt nauem arreptam fluctibus, anchorâ licet ſiſtere: ita verbum è portu oris velut in altum emiſſum; ſed ſicut auis ſemel dimiſſa non facilè recuperatur: ita nec dictum ſemel ab ore D. III. Stultiloquium.

ab ore profectum, quia ab alijs volat ad alios. Mirum de picâ cuiuſdam Romani tonſoris, narrat Plutarchus in lib. de induſtriâ animal. Hæc enim cùm humanas voces, ferarumque ſonos reddere & inſtrumentorum effingere ſtrepitus didiciſſet, audijt aliquandò cùm quidam diues efferretur, funebres tubarum ac tibiarum modulos, moram fortè in tranſitu diutiùs trahentes. Ex quo poſtridie pica muta fuit. Mirantibus omnibus, qui eam nouerant, & ſuſpicantibus vel tubarum ſonitu ita obſtupefactam, vel veneno dato elinguem factam: ſubitò reſumpſit vocem & omnes illos tubarum ac tibiarum, quos audierat, modulos dexterrimè expreſſit; quos proinde dicto illo ſilentij interuallo, memoriæ impreſſos, tacita recoluerat & quaſi fides organi aptauerat atque concinnauerat. Iam ſi hæc auicula præclaros effictura modulos, priùs in ſilentio ſecum meditata eſt, quæ modulari voluit carmina; non pudet nos rationis compotes, ſine ratione & præmeditatione tam multa effutire, inſulſa & inepta?

E. IV. Vaniloquium. QVARTVM. *Vaniloquium.* Hoc vanum oſtendit hominem; ſicut enim molendinum talem reddit farinam, quale eſt frumentum molæ affuſum: ita lingua ea loquitur, quæ ipſa mens pertractat, & quibus ipſa plena eſt. Maximè verò dedecet Chriſtianos, qui ſatis habent rerum ſeriarum de quibus loquantur; Omnes enim contendunt in agone, vnde ab omnibus rebus impertinentibus abſtinere debent. Non terunt agricolæ tempus illud nugis, quo eſt colendus vel metendus ager; nec mercatores tempus nundinarum; nec mendicantes negligunt conuentus publicos vel eleëmoſynarum tempora. Adhæc Dominus *Matth.* 12. ait: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Licet enim res parua ſit, verbum otioſum, magnus tamen eſt Deus, qui eo verbo offenditur: magnus eſt & fructus, qui eo tempore negligitur. Vincentius Beluacenſis refert Durantum quemdam ex Abbate Epiſcopum Tholoſanum, cætera pium virum, idcircò in purgatorij ignibus aliquamdiu fuiſſe detentum, quòd ſepiùs verba riſum mouentia incautè vſurpaſſet; indeque tandem ſeptem fratrum monachorum ſilentio ad ſeptem dies continuato, liberatum: *lib.* 26. *ſpec. hiſt. cap.* 5. Gorgias Sophiſta cùm duos audiret indoctos philoſophos, vnum ridicula proponentem, alterum aliena & inſulſa reſpondentem: *Vter*, inquit, *ſtultior eſt, qui mulget hircum, an qui cribrum ſupponit?* Laërt.

F. V. Turpiloquium. QVINTVM. *Turpiloquium.* Hoc imprimis oſtendit mentem dicentis eſſe cloacam ſordidiſſimam, vnde fætor ille exhalet: vti concludit S. Chryſoſtom. *homil.* 69. *in Matt.* quia *ex abundantiâ cordis os loquitur.* Ad hæc S. Hieronym. *non longè eſt à facto,* inquit, *qui delectatur in verbo.* Et Ariſtot. l. 7. polit. c. vlt. *Omnis obſcenitas verborum per legiſlatorem exterminanda eſt de ciuitate. Ex licentiâ enim turpiter loquendi, ſequitur & turpe facere.* Maximè verò hoc dedecet Chriſtianos, qui vocatione, baptiſmo & profeſſione ſancti eſſe debent. Ideò enim Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. ait: *Omnis fornicatio aut immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.* Adhæc: *Videte fratres,* inquit Auguſtinus ſerm. 215. de temp. *ſi iuſtum eſt vt ex ore Chriſtianorum, vbi corpus Chriſti ingreditur, luxurioſum canticum, quaſi venenum diaboli proferatur.* Quòd ſi Diogenes ad iuuenem formoſum turpia loquentem, dicere potuit: *non te pudet ex eburneâ vaginâ plumbeum gladium educere?* quanto magis hoc probri conijci poterit in Chriſtianum, qui ex eburneâ oris vaginâ, quâ Chriſti corpus accipit, plumbeum & ſordidum educit gladium? Quis neget, verba impudica dedecere magis Chriſtianos quàm Iudæos? Et hi tamen, vt narrat Ioſephus, vſque eò abhorrebant à turpiloquiis, vt etiam horrerent animalia valde ſordida proprio appellare vocabulo, ſed per periphraſin nefanda vocarent animalia. Adhæc ſi religioſè abſtinemus à commemoratione excrementorum corporis, vel partium infamium, per quas egeruntur; & non multò magis à turpiloquio, quod ſecum vehit culpam: nónne excolamus culicem & glutimus camelum? Denique ſi in præſentia honeſtorum virorum turpia loqui non audemus: coram Deo audemus? S. Bernardinus Senenſis adhuc adoleſcens, qui ex frequenti conſuetudine ad primum quemque turpioris verbi auditum ſic erubeſcebat, quaſi quis ei colaphum impegiſſet: inter æquales pro inimico publico talium colloquiorum haberi cœptus eſt, adeò vt ſi eiuſmodi rerum tractationi, vt fit, interueniret, ſubitò muſſarent: *Tacete, tacete, Bernardinus adeſt.* In eius vitâ apud Sur. tom. 3. Et non magis nos abſterrere à talibus debeat, ipſius Dei conſpectus & præſentia?

SEXTVM. *ſacrorum verborum abuſus* & tranſlatio ad profanum & ridiculum intellectum. G. VI. Sacrorum verborum abuſus.
Hac linguâ non minùs videtur offendi Deus, quàm ſi vaſa & veſtes ſacræ ad profanos applicarentur vſus; calices ſacri ad conuiuia, veſtes ſacræ ad choreas &c. nec mitius iudicium iſtis expectandum, quàm contigit Nabuchodonoſor regi, qui vaſa ſacra Ieroſolymis abſtulit; & idcirco ad beſtias condemnatus fuit: quàm contigit Baltaſari, eius filio, qui epulabatur & bibebat è vaſis iſtis ſacris de templo Ieroſolymitano ablatis, & idcircò de regno exturbatus eſt, *Dan.* 5. Demetrius Phalereus bibliothecæ Regiæ præfectus à Ptolomeo Ægypti Rege interrogatus, qui factum ſit vt tam admirandæ ſcripturæ diuinæ nec hiſtoricus vllus, nec poëta mentionem fecerit, reſpondit neminem auſum eam attingere; quam conſtaret diuinam eſſe & omni veneratione digniſſimam & punitos eſſe quoſdam à cœleſti Numine, qui illam temerè attrectare non ſint veriti. Theopompum enim volentem inde quædam ſuis ſcriptis inſerere, mente motum fuiſſe diebus triginta & per interualla inſaniæ Deum placaſſe, facilè conij-

Digitized by Google

conijcientem, quæ morbi cauſa fuerit: atque in ſomnis admonitum, hæc ideo pati, quòd fuiſſet circa res diuinas curioſior, eaque voluiſſet proferre profanis hominibus. Quare cùm à cœpto deſtitiſſet, ſanam mentem ei fuiſſe redditam. Theodecti etiam poëtę, cùm in quâdam tragœdia vellet aliquid è ſacris libris admiſcere; oculos glaucomate ſuffuſos caligaſſe: & cùm erratum cognouiſſet, exorato Deo redditam ſibi aciem, refert Ioſeph. *l. 12. antiq. c. 2.* Baron. an. Dom. 231. *Exod.* 30. dicitur, quòd qui compoſitionem thymiamatis fecerit ad profanum vſum; *vt adore eius perfruatur, peribit de populis ſuis.* Et quid aliud facit, qui ſcripturam ſacram ad fœda & ridicula compoſito ioco applicat?

H. VII. Maledictum ſeu imprecatio. SEPTIMVM. *Maledictum ſeu imprecatio*; de quâ Dauid dicit: *Dilexit maledictionem & veniet ei: noluit benedictionem & elongabitur ab eo.* Pſal. 108. Id verò iuſtiſſima Dei vindictâ ſæpiùs oſtenſum. Henricus Comes à Schwarzenburg, quotidianæ huic imprecationi aſſuetus erat: *ſi hoc fecero: mergar in latrinâ.* Tandem Erfordiæ, in conuentu quodam ad D. Petri, collapſo ædificio vnà cum aliquot nobilibus in latrinæ ſordibus perijt; vbi etiam Fridericus I. Imperator, qui illi conuentui intererat, collapſis trabibus, vix ad cancellos feneſtræ ferratos adhærebat. Maiol. *tom. 2. canic. coll. 2.* Cæſarius *in vitâ S. Engelberti Archiepiſcopi Colon. & martyris* ſcribit l. 2. c. 14. apud Sur. *in Nouemb.* nobilem quendam Arnoldum, cùm ſancti illius oſſa in Rheno Coloniam veherentur, de feneſtrâ proſpexiſſe, non procul à Coloniâ, & inſaniam ſibi imprecatum, ſi Engelbertus ſanctus ſit, vt dicebatur. Itaque eodem die inſaniâ correptus cæpit furere in vxorem, liberos & ipſum etiam confeſſarium, qui vocatus erat ad confeſſionem eius audiendam, altero que die ſine ſacramentis & pœnitentiâ obijt miſerè. In Chronicis Polonicis ſcribitur Poloniæ Principem, Popielum ſeniorem conſueuiſſe ſibi & ſuis imprecari murium deuorationem. Ergo filius eius, eodem cum patre nomine, cùm dolo vxoris moribundum ſe ſimulaſſet, & patruos ſuos ad ſe vocatos venenato poculo, quod in ſignum amoris propinare ſe eis ſimulabat, peremiſſet & inhumatos proiecisſet; ex cadaueribus interfectorum inuſitatæ magnitudinis & multitudinis mures enati Regem, vxorem & liberos in arce cum ingenti ſtrepitu inuaſerunt. Itaque Popielus in arcem, ſitam in lacu Goplo, profugit, ſed tantus cum murium grex inſecutus eſt vt penè nauim euerterit. Cumque in turri aquis circumfluâ ſe cum ſuis incluſiſſet, nihilo tutior fuit, ſed ibi cum vxore & liberis à muribus corroſus conſumptuſque eſt, vt ne monumentum quidem eorum relictum ſit. Refert etiam Hieron. Ziel. *de viris illuſtribus Germ. c. 23.* Serar. *in Mogunt.*

I. VIII. Iuramentum. OCTAVVM. *Iuramentum.* Hoc quidem non eſt ex ſe malum, imo bonum, cùm ſit actus latriæ: ſed ex accidenti, ſi non fiat debitis conditionibus. Conditiones autem deſcribit Ieremias cap. 4. (vt aduertit ibi S. Hieronymus) cùm ait: *Iurabis: Viuit Dominus, in veritate & in iudicio & in iuſtitiâ.* In veritate, ne mentiaris aut iures falſum, dubium, incertum, aut fictè, doloſè, amphibologicè. In iudicio, ne iures temerè, incautè, vanè, ſed ex cauſa neceſſariâ & graui, diſcretè, præmeditatè, prouidè, reuerenter. In iuſtitiâ, ne in alterius damnum, læſionem, contra æquitatem & honeſtatem, vt Herodes qui in perniciem Ioannis iurauit: & Iudæi, qui ſe deuouerunt, niſi Paulum occiderent.

Extra has conditiones illicitum & vetitum eſt iuramentum, Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino, &c. ſit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, non, non.* Quo loco non prohibetur omne iuramentum, ſed temerarium & falſum. Arguit enim Iudæos, qui putabant tantùm non eſſe peierandum, atque omninò non iurandum, id eſt, ne temerè quidem, non falsò tantùm. Ratio eſt Primò quia non decet in re quauis leui & futili paſſim Deum inuocare teſtem. Cultiorem veſtem non geſtamus niſi feſtis diebus: & ſanctiſſimum Dei nomen paſſim in ore circumferemus ad omnem futilem ſermonem? Eſt quidem iuramentum actus latriæ, quo Dei magnitudinem, omniſcientiam, veritatem & iuſtitiam profitemur: ſed non decet paſſim & ſine defectu ac neceſſitate Deum vocare in teſtem; ſicut inuocare nomen IESV bonum eſt, ſed paſſim abſque cauſa & reuerentiâ id in ore gerere, malum & indecens eſt atque iniurioſum. Terrenus aliquis Princeps pro iniuriâ reputaret, ſi paſſim in teſtem vocaretur; quanto magis Deum? Vnde in Decalogo, *Deut. 5.* præcipit Deus: *Non vſurpabis nomen Dei tui fruſtrà: quia non erit impunitus, qui ſuper re vanâ nomen eius aſſumpſerit.* — *Non temerè iurandum.* 1.

Secundò. Quia iuramentum inſtitutum eſt ſolùm in humanæ imbecillitatis remediũ, ad comprobandam rem, quam dicimus, cùm aliæ probationes deficiunt. At quis neſcit remedijs & medicinis non vtendum eſſe niſi tempore neceſſitatis, adeoque noxium eſſe illorum vſum extra neceſſitatem? Et ſicut inuiti accipimus medicinam, ita tormenti inſtar eſſe debet nobis iuramentum. 2.

Tertiò. Quia ſicut dicimus eum qui multùm loquitur, ſæpe mentiri: ita qui facilè & temerè iurat, ſæpe peierat neceſſe eſt, teſte Eccleſiaſtico cap. 23. *Iurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illâ.* Et paulo pòſt: *Vir multùm iurans, implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga.* Vt ergo cauemus præcipitium & viam lubricam ac lutoſam: ita cauenda iurandi conſuetudo. S. Chryſoſtom. *hom. 12. in cap. 5. Matth. op. imperf.* ait: *Qui facit conſuetudinem frequenter manu ſuâ percutere, neceſſe eſt vt iniuſtè aliquando percutiat: ſic qui facit conſuetudinem iurare in rebus idoneis, frequenter & in rebus ſuperfluis etiam nolens conſuetudine trahente periurat.* Hinc fit, vt facilè iurantibus, minus credatur; ita vt conſuetudo iurandi — 3.

argu-

argumentum ſit perfidiæ, non fidei, vt ait Philo *l. 1. de ſpecial. legibus*. Chryſoſt. *hom. 26.* ait: *Hoc interdum audiui: Niſi iurauero, non credit. Tu es horum cauſa, qui facilè iur.æ; quoniam ſi id non faceres ſed omnibus conſtaret, quòd non iures, tibi crede dicenti, quòd iis, qui mille deuorant iuramenta, maiorem ipſe fidem ſolo nutu inuenires.* Et *hom. 7. non iuramentum fide dignum hominem facit, ſed vitæ teſtimonium & conuerſationis integritas*, &c. Et Baſilius Pſal. 14. *Turpe eſt & omninò ſtultum, ſeſe vt fide indignum accuſare & ad iuramenti ſecuritatem confugere.*

4. Quartò. Quia dedecet imprimis hominem Chriſtianum, qui tantæ eſſe fidei debet, vt nudis eius aſſertionibus credi debeat. Qui ex gentilibus viri cordati & celebres erant, non iurabant, niſi fortè per iocum, vti Socrates non niſi per anſerem, canem vel platanum iurabat: Zeno per Capparim. Adhæc Flamini diali iurare non licebat, quòd ei paruã in re fidem non habere abſurdum videretur, cui ſumma & diuina credita eſſent. Plut. *in problem. Rom. n. 43. Eſſeni*, inquit Ioſephus l. 2. de bello c. 7. *iuſiurandum quaſi periurio deterius vitant. Iam enim mendacij condemnatum arbitrantur, cui ſine Deo non creditur*, &c. Item, *omne quod dicunt iuramento fortius habent.* ib. Quid ergo facere Chriſtianos decet? Certè Dominus peculiariter nobis commendatum voluit id: *ſit ſermo veſter; eſt, eſt, non, non.*

Remedia. 1. Sed quod remedium contra iurandi conſuetudinem? Tria præbet S. Chryſoſtom. *homil. 17. in Matth.* Primum. Vehemens cupidaque vincendi voluntas. Quid non faceres, vt ſupplicium mortis tibi decretum euitares? Et ad vitandam gehennam nihilné facies? Conare ſaltem, & propone firmiter quotidie abſtinere. *Tantummodò velle ſufficit, & totum quod iubetur, impletum eſt*, ait ibid. Chryſoſtomus.

2. Secundum. Prauam conſuetudinem deſuetudine, velut clauum clauo pelle. At dices: Hoc facere non poſſum. Sed quomodo addidiciſti, quod non potes dediſcere?

3. Tertium. Admonitores appone, qui iurantem admoneant: vel pœnam tibi ſtatue, teque ipſum corripe.

4. Quartum. Timor Dei. Ita Aug. in ſerm. de decoll. Ioan. Bapt. *Timendo*, inquit, *Deum, iurationem abſtulimus de ore noſtro.*

X. IX. Periuriũ. 1. Nonvm. *Periurium* ſiue mendacium, per quod diuino adducto teſtimonio falſum confirmatur. Hoc autem imprimis Deum grauiſſimè offendit, quia cùm iurare per Deum nihil aliud ſit, quàm inuocare eius teſtimonium, cùm iuras falſum, aut credis, Deum neſcire verum, & ſic ponis ignorantiam in Deo; cùm tamen omnia nuda & aperta ſint oculis eius: aut vis Deum diligere mendacium; & derogas eius veritati: aut putas non poſſe ab eo conuinci aut puniri periurium? & ſic derogas eius potentiæ.

2. Secundò, Periurus facit iniuriam ſibi, quia obligat ſe iudicio Dei, quaſi dicat: niſi ita ſit, Deus puniat me. Adhæc authoritatem ſibi detrahit. Nam *vbi qui ſemel peerarit ei credi poſteà, etiamſi per plures ...*
...res, non conuenit, ait Cicero in orat. p...
poſth. Tertiò, Offendit alios, quia toll...
inter homines adeoque ſocietatem; ...
nim iuramentis confirmantur, & *omni...*
...uerſiæ finis eſt iuramentum. Heb. 6. Qu...
immeritò ſæpè horribiliter hîc pun...
periuri. Tres peruerſi homines graue ...
ſcelus confinxerant in S. Narciſſum ...
pum Ieroſolymorum, atque vt fictum ...
libus facerent, periurium addidére, pr...
combureretur, ſecundus vt epilepſiã ...
tur, tertius vt viſu priuaretur. Non...
fuit vindicta Dei. Primus enim, cũ...
ſcintilla de lumine cadens domum in...
ſet, cum domo & omnibus ſuis co...
eſt. Secundus morbo tactus eſt, qui t...
ius corpus peruaſit. Tertius viſâ tam ...
ineuitabili Dei vindictâ, ſuam & ſ...
malitiam erga virum innocentem Na...
confeſſus fleuit, nec plorare deſijt, d...
culi ſiccarentur, & vnà viſu deſtit...
Niceph. Cal. l. 5. c. 9. Alios periuros ig...
tactos legimus, vt in Greg. Turon. *hiſ...*
8. c. 16. vbi periurus igne circundari ...
ri viſus, quem fatebatur, è cœlo lapſ...
Romæ etiam in æde S. Antonij pate...
iuri hominis oſſa igne ſacro combuſt...
enim in ſui criminis conteſtationem ...
dem Eccleſiæ deuouerat, oſſa combu...
ri, publiceque oſtentari mandauit, ...
quoque ſeriem conſcribi publicè, qu...
propalam ibi conſpiciuntur. Maiol. ...
dierum canic. Aliud terribile exemp...
fert Delrius *tom. 2. diſquiſit. l. 3. p. 1.* ...
2. ex Germano quodam Iuriſconſult...
verba. *Ioachimo I. Electori Brandeburgi...*
fuit Ioannis Daniæ, Sueciæ & Noruegiæ ...
Elizabetha, cui, vt alimenta ſe mortuo re...
beret, oppidum Spandaco ad Sueui & Hau...
confluentem maritus attribuit, in quo opp...
adhuc viuente, miles quidam, per March...
faciens, cùm morbo impeditus detineretur, ...
bens, tradidit crumenam pecunia refertam...
aſſeruandam. Poſt aliquot dies, cùm con...
repetit ſaccum. Mulier auara, cùm agrè ...
pecuniam amitteret, deliberat cum viro ...
reddere debeat. Ineunt conſilium, vt muli...
depoſitum. Quare cùm miles ſuum repeter...
confidenter negat, ſe quidquam accepiſſe. ...
ſe mirari impudentiam militis, qui auſit ſ...
cùm nihil dederit aſſeruandum. Miles, ind...
rei motus, obijcit viciſſim hoſpitæ perfidiam...
maritus, tanquam defenſurus ſuam coniug...
trudit militem domo: is ante fores irritat...
hoſpita, ſtringit gladium, veluti impetum ...
in virum, & ferit ianuam. Hoſpes implor...
vicinorum, & queritur ſuas ædes oppugn...
currunt lictores, & militem, quod vim ...
feciſſet, abducunt in carcerem. Poſt aliq...
Senatus oppidi aliò mittit narrationem fa...
ſententiam perſcribi petit. Conſtabat ade...
oppugnatas eſſe, quare fertur ſententia, ...
vltimo ſupplicio afficiatur. Cumq; iam inſt...
iudicij, venit diabolus in carcerem ad capti...

dicans ei, quam ſententiam iudices laturi ſint, & pollicetur ſe hoc periculo eum liberaturum eſſe, hac conditione, vt ſe diabolo dedat. Miles conſtanter reſpondit, ſe potiùs moriturum eſſe, quamuis ſit innocens. Cum verò diabolus verbis multis exaggeraſſet periculum, nec tamen inflexiſſet militis animum, tandem pollicetur ei liberationem, ſine vlla conditione. Et cùm veneris, inquit, in iudicium, dic te imperitum eſſe forenſium negotiorum, & patrono indigere: ibi adſtabo cæruleo pileo tectus, & ornato pennis. Pete igitur, vt me iubeant cauſam dicere. Miles, qui hoc ſine impietate facturus videbatur, ait, ſe hoc conſilio vſurum eſſe. Poſtridie in iudicium ducitur; adeſt etiam orator tectus cæruleo pileo. Ibi cùm actor peteret, militem propter vim publicam, capitali ſupplicio affici; miles reſpondit, ſe imperitum forenſium negotiorum, petere, vt liceat iſti ſuo aduocato pro ſe dicere. Concedunt iudices. Ibi diabolus de iure eruditè diſputat: non eſſe capitali ſupplicio afficiendum eum à quo non ſit ortum rixæ & tumultus initium, ait ab hoſpite militem vi extruſum, & ſpoliatum eſſe, iubet quæri ſaccum; & locum monſtrat. Ibi cùm hoſpes vehementer negaret, addens eius diras imprecationes, vt ipſum, abreptum diabolus perderet, ſi feciſſet. Hanc imprecationem cum inuocatione diaboli cum aliquoties repetiuiſſet: ibi cauſidicus, omiſſâ iam diſputatione forenſi, adoritur hoſpitem, & comprehenſum per feneſtras & medium forum, omnibus perhorreſcentibus, cum fragore abducit, nec poſtea vnquam corpus hoſpitis inuentum eſt.

Itaque faciamus, quod in hodierno Euangelio Chriſtus egit. Primò, abducamus nos à mundo & mundi conſuetudine, qui loqui verè neſcit, niſi cum iuramentis. Secundò, Expuamus in terram, id eſt, contemnamus lucra terrena, ne propter ea acquirenda iuremus, vel peieremus, & hoc ipſo amittamus æterna. Tertiò, tangamus linguam noſtram aliquâ pœnâ nobis præfixâ. Quartò, Suſpiciamus ad cœlum, inuocando Dei auxilium. Quintò, Ingemiſcamus, quando in hoc deliquimus. Sextò, Per firmum propoſitum, dicamus, *Ephpheta, adaperire.* Soluatur vinculum linguæ, ne fiat nobis vinculum gehennæ.

CONCIO IV.

Cur aliqui ad verbum Dei audiendum ſurdi ſint, & qui illi.

1. *Tales ſunt Magnates & potentes.*
2. *Qui ſibi iam ſapere videntur.*
3. *Qui ſæcularibus immerſi negotijs.*
4. *Qui ſibi malè conſcij.*
5. *Qui increduli ſunt.*
6. *Qui malitioſè non audiunt, quorum omnium ſurditati ſingula ſua opponuntur remedia.*

THEMA.

Adducunt ei ſurdum, Marci 7.

A. QVid ſibi vult hoc, Auditores, quòd ſurdus iſte ad Chriſtum adductus eſt? numquid enim cœcus etiam vel infirmus fuit qui adduci debuerit? Quidquid ſit de hoc, ſanè moralis ſurditas, quâ reſpuitur verbum Dei; talis eſt infirmitas, vt niſi adducantur, qui eo morbo laborant, ad Chriſtum numquam veniant, ſed ad interitum pergant. Quare de illis Dauid *Pſ.* 106. dicere non dubitauit: *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, appropinquauerũt vſque ad portas mortis.* Vbi grauem illam ægritudinem, quæ Maraſmus dicitur, deſcribere videtur, eâ enim qui tenetur; ſolo cibi odore adeò offenditur, vt mori ſe malle aſſeueret, quàm inde comedere, vt refert Lorinus ad illum Pſ. inde fit, vt macie conſumptus incedere non poſſit. Accedit Caſſiodorus in eundem Pſ. *Grauis morbus,* inquit, *& execranda calamitas, diuina legis appetentiam non habere. Nam vnde poßit viuere, ſi ſuam vitam cœperit non amare?* Grauis eſt hic morbus, quia medicinam reſpuit, & medicum excludit; ideo appropinquat vſque ad portas mortis ſeu inferni, vt exponit S. Ambroſius in cap. 9. Luc. Vnde ſicut medicus ægros illos deſerit; ita & Chriſtus iſtos. *Non audiuit populus meus vocem meam,* ait Pſ. 80. *& Iſrael non intendit mihi; & dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum; ibunt in adinuentionibus ſuis;* quia ſcilicet permittit, vt exquiſitè reprobi ſint, non contenti viâ ad inferos ordinariâ. Quando igitur tanti periculi eſt hæc ægritudo ſpiritualis, videamus, qui ſint iſti ſurdi & quamobrem.

Variis de cauſis contingit homini ſurditas. B. I. Magnates & potentes.
PRIMÒ: Quidam à natiuitate ſurdi ſunt, eò quòd natura in matris vtero inuenit materiam ſibi inobodientem, vt ait Bart. Angl. *l.* 5. *cap.* 12. Iſti ſunt Magnates & Potentes; qui à puero addiſcunt ſalutaria ſpernere monita, eò quòd obedire non didicerint, cùm ſuperiorem non agnoſcant, nec patiantur. Atque hæc omnium periculoſiſſima eſt ſurditas quemadmodum & naturalis illa, quæ à natiuitate eſt, prorſus incurabilis; vt refert Anglicus *lib.* 7. *cap.* 20. Quæ cauſa quòd tam pauci legantur Imperatores & Reges boni? Nónne dixiſſe fertur Flauij Claudij Imp. ſtultus, ſe omnes Imperatores bonos in ſuo ſculpturum annulo? vt refert Bruſ. lib. 6. c. 31. Cauſam huius rei, dicet tibi Diogenes, qui aiebat magnates & Nobiles, etſi meliores alijs non ſunt, maiori tamen libertate delinquere; quòd ob conditionis libertatem, omnia ſibi licere autumant: apud Laërt. *l.* 6. Dicet tibi Piſtus ille Philoſophus, qui aiebat ideo Principes initio pleſumque bonos eſſe; quia naturâ probi ſunt: finire autem malè; quia non habent, qui eis veritatem dicere, aut diſciplinam tradere auſint. Dicet tibi Seneca, qui *lib.* 6. *de beneficijs cap.* 30. ait: *Monſtrabo tibi, cuius rei inopiâ laborent magna faſtigia, quid omnia poßidentibus deſit, ſcilicet ille, qui verum dicat.* Vnde non dubitauit Religioſus ille Alberti I. Imp. Concionator, Imperatorem & proceres conſpicatus oſcitantes verbo Dei attendere, Viennæ Auſtriæ pro concione dicere? *Quæritur, an ſaluari poßint Principes?* Et re in vtramque partem agitatâ: *Quid ni poßint,* inquit, *ſi modò baptiſmo ſuſce-*

pto, in cuius vagientes moriantur, refert Æneas Syluius *lib. 3. comment. in Panorm.* Non multum hic aberrauit ab Euangelica veritate; ſic enim & Pontifices ac Phariſæi dicunt: *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum?* q. d. nullus, *Ioan. 7.* Contrà verò *turba* (Marc. 12.) *libenter eum audiuit.* Quâ in re Magnates illi per Æſopi fabulam bellè depinguntur apud Herod. lib. 3. Ægrotabat aliquando leo in fœtida admodum ſpeluncâ cubans, ita vt fœtor prætereuntium offenderet nares. Cùm igitur ad viſendum eum veniret aliquando vrſus, interrogatur à leone, num fœtore ſpeluncæ offenderetur. Reſpondit hic, vt res erat, non poſſe ſe fœtorem illum tolerare, nec diutius perſiſtere. Qui mox ob nimiam loquendi libertatem malè mulctatus, vix euaſit viuus. Secundùm hunc venit lupus; qui territus exemplo vrſi, regi aſſentari cœpit, & de fœtore interrogatus, minimè ſe offendi ait, quin potiùs eo ſuper aromata delectari. Hunc in fruſta mox diſcerpit leo, ob impudentiſſimam aſſentationem. Sequitur hos vulpes; quæ priorum ſortem animaduertens, ſimili interrogationi aliud non reſpondit, quam ambulaſſe ſe in nebulis & laborare pituita, ita vt diſcernere inter odores iam non poſſit. Ad viuum ita res habet cum Magnatibus plerisque. Aperit quis mentem ſuam, & loquitur liberè, offendit: aſſentatur, & aſſentitur, itidem offendit; ita vt vix ſuperſit modus, quo ad virtutis regulam reduci Dynaſtæ poſſint. Hi enim inſtar tecti ſunt, quod niſi reparetur, putreſcunt omnia tigna domûs, & quæ in ea ſunt: reparatu tamen difficile eſt, & periculo plenum. Sed quidquid ſit, reparandum eſt hoc tectum, curandi ſunt hi ſurdi. Et quomodo curabimus? Innuit in hodierno Euangelio Dominus, dum ſurdum apprehendit, ſecumque duxit: Apprehendendi ſunt Magnates, id eſt, amicabili & diſcreta monitione, nec non præuio exemplo ad frugem adducendi. Sic enim cùm quem renuentem conciliare alteri volumus; vel ad cœnam noſtram ducere: manu apprehenſum trahimus. Vnde *Iſa. 55.* ait Dominus: *Quomodo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illac vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram: ſic erit verbum meum.* Non comparat verbum ſuum grandini aut vento vrenti, ſed pluuiæ & niui, quæ ſenſim; blandè & ſine offenſâ decidit in viatorem. Sic Nathan correxit Dauid regem propoſitâ parabolâ, quaſi ad alium directâ. Sic vir Dei Ieroboam regem immolantem ſuper altare, dicens: *Altare, altare, hæc dicit Dominus,* &c. *3. Reg. 13.* Non ait, Rex, Rex: ſed regem ex obliquo tangens altare pro ipſo increpat. Quemadmodum verò Principe iter faciente, non ceſſat propter ipſum nix aut pluuia cadere, ſed in illum æquè cadit atque in ruricolam: ita nôrint Principes à verbi Dei auditu nequaquam ſe exemptos. Adduxerunt aliquando ad Chriſtum adulteram Scribæ & Phariſæi ab eo condemnandam. At quia & ipſi rei erant, talem in eam ſententiam tulit, quâ omnes tangerentur, dum ſingulorum ſcelera

Remediũ.

deſcripſit in terrâ, ita vt vnus poſt alterum benè madidus abſcederet, *Ioan. 8.* vt hoc inſinuetur, *2. Par. 23.* cùm rex coronatur, vnâ manu diadema ei imponitur, alterâ liber legis traditur.

Secundò, Alij ſurdi ſunt, quia per ſomnum & inſomnia aures eorum ligantur. Et hi non alij ſunt, quàm qui ſibi ſoli ſapere videntur, nec aliorum egere monitis. Perſimiles hi ſunt Heli ſacerdoti, qui videre niſi extinctâ lucernâ non poterat, *1. Reg. 3.* ſuoptè enim lumine videre ſibi videntur, alienæ doctrinæ lumine, etiam cæcΙores fiunt. Dormierant non procul à ſe inuicem Heli ſeniculus, & puer Samuel. Et tamen voce à cœlo delapsâ, audiuit eam Samuel, non audiuit Heli; (potuiſſe autem audiri etiam ab Heli, inde patet, quòd Samuel putabat vocatum ſe ab Heli.) Nimirum Heli ſomno oppreſſus vocem non audierat: audiit Samuel, quia vigilabat. Ita profectò innumeri ſunt, qui ad verbum Dei obſurdeſcunt & lucernam verbi Dei ab aliis prælatam intueri nolunt; quia ſibi ipſis magis acuti & ſapientiæ veterani videntur, ſomniantque ſe digito cœlum tangere, intraſſe in theſauros niuis & in profunda maris, vt dicitur Iob 38. Et interim fit vt in cæcitate ſuâ perſiſtant, & reuelentur paruulis, quæ abſconduntur ſapientibus; quemadmodum reuelatum fuit Samueli, quid Heli ſit euenturum, quod celatum iſti fuit. Habuit ſuos aſſeclas Heli ſcribas & Phariſæos, vnde dicunt Ioann. 7. *Numquid ex Phariſæis credidit in eum aliquis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti ſunt.* Sed *in me ſit hæc maledictio,* ait Auguſtinus, quia ſignum potiùs benedictionis eſt verbum Dei audire & credere: maledictionis verò non audire, iuxta id *Deuter. 28. Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro: maledictus eris ingrediens & maledictus egrediens.* Sed quod his medicamentum apponemus? Excitandi ſunt ſomniatores iſti voce Chriſti, *Ephpheta,* quod eſt, *adaperire.* Adaperire autem ſignificat valdè vel magis aperire. Igitur ô ſapientuli, adaperiamini: etſi enim ſapere vobis videmini & ſcientiâ pleni eſſe, magis tamen & ampliùs aperite aures vt magis impleamini, iuxta id Prou. 1. *audiens ſapiens ſapientior erit.* Sanè viri ſancti & verè ſapientes monita ſalutaria etiam à rudioribus libenter acceptabant. Sic Franciſcus voluit & præcepit, vt à fratre ſæpiùs obiurgaretur, tanquam mercenarius eſſet & inutilis ſeruus, muneri ſuo non ſatisfaciens; vt eſt in eius vita. S. Chryſoſtomus monitus à muliercula vt ſubtiliorem in dicendo deponeret ſtylum & planiore diceret, quo à rudioribus etiam intelligeretur, è veſtigio paruit, idque deinceps conſecutus eſt vt vulgo *os aureum* diceretur. Metaphr. in eius vitâ. Quis Moſe ſapientior? Et hic tamen à Iethro, homine multò ſe rudiore, admonitus, ſalutare conſilium accepit, *Exod. 18.* Somniabat Nabuchodonoſor & præuidebat parata ſibi mala, nec tamen inde conuerſus eſt, niſi poſtquam viua Danielis commination

C. II. Qui ſibi iam ſapere videntur.

Remediũ.

minatio acceſſit. Dan. 4. Petrus viuâ voce conuertit tria millia; cùm ſi ea, quæ dixit, homines illi legiſſent in libris, forte ne vnus quidem conuerſus fuiſſet. Paulus eruditus erat in lege *ad pedes Gamalielis*, (Act. 22.) & *proficiebat ſupra modum*, (ad Gal. 1.) ſed non priùs, quam viuâ Chriſti voce conuerſus eſt. Actor. 9.

Dauid cui occulta ſapientiæ diuinæ manifeſta erant, (*Pſal.* 50.) curatur à peccato, non per ſe, ſed per alterum prophetam in ſe detonantem, 2. *Reg.* 12. Ad eum ſcilicet modum, quo æger quiſpiam medicus, non ſibimet medetur, ſed ab altero curatur. Vel quo marini piſces, vt Clemens Alexand. *lib.* 1. *ſtrom.* ſcribit, licet in ſalſo ſemper viuant, ſale nihilominus ad condiendum indigent. Igitur ſi quis ſibi ſalſus, vel etiam ſal terræ videtur: magis ſaliatur; ſi quis ſcientiâ plenus, adaperiatur, vt magis impleatur.

D. III. Qui ſæcularibus immerſi negotiis.

TERTIÒ alij ſurdaſtri fiunt, ob vehementiorem ſonum aures percellentem, quo modo (Ambroſio in hexam. apud Anglic. *lib.* 3. *cap.* 18. & Seneca *lib.* 4. *nat. quæſt. cap.* 2. teſtibus) Nili ſtrepitus in ortu ſuo, populos ſurdos facit. Huius generis ſunt, qui ſæcularibus immerſi negotijs & tumultibus ita obruuntur, vt ſpiritualia non percipiant: quemadmodum Hebræi dum Ægypti oneribus opprimerentur; vt ex libro Exodi patet. Monente enim Moſe, vt egrederentur in deſertum, *non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus & opus duriſſimum*, Exodi 6. Vnde ait ibid. Moſes: *ecce filij Iſrael non audiunt me: & quomodo audiet Pharao?* Moſes cùm ad populum conuertebatur, velamen ſuper faciem ponebat: cùm ad Deum conuertebatur, deponebat velamen, *Exod.* 34. Sed quis auerſus, qui conuerſus? *Omnis, qui dum concio fit*, inquit Origen. hom. 12. ſuper Exod. *de negotijs ſæculi, de pecunia, de lucris, de gloria ſæculi & mundi honoribus ſolicitudinem gerit, auerſus eſt. Sed quid eſt cõuerti? ſi his omnibus terga vertamus, & ſtudio & actibus, mẽte & ſolicitudine verbo Dei operã demus, & omiſſis omnibus Deo vacemus, hoc eſt, conuerſum eſſe ad Dominum. Sed quid de illis qui in remotioribus locis dominicæ domus ſæcularibus fabulis occupantur? De his ergo auſus ſum dicere: quia non iam velamen ſuper cor eorum, ſed paries quidem & murus eſt potiùs*, hæc ille. Quid

Remedium. faciendum his ſurdaſtris? Quod Dominus fecit ſurdo, abducẽdo eum ſeorſum à turbâ. Molitor vt loquentes audiat, è molendino exit: ita vt vocem Chriſti audias, è gyrantium curarum ſtrepitu exeas neceſſe eſt. *Quem docebit ſcientiam*, ait Eſaias cap. 28. *& quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.* Et Oſe. 2. *Ego lactabo eam & ducam eam in ſolitudinem & loquar ad cor eius.* Sic enim & Moyſes, poſtquam ad interiora deſerti duxiſſet ſuũ gregem, vidit & audiuit loquentem ſibi Dominum, *Exod.* 3. Vnde Bern. ſerm. de obedientia, patientia & ſapientia. *Studeamus* (inquit) *furari aliquando noſmetipſos & à peſſimis occupationibus iſtis ſurripere vel ad horam, iaculari animos, vibrare corda in id quod ſuum eſt*, &c. Dicamus cum Samſone, Iud. 16. *Egrediar & me excutiam.* Egrediar è molendino, excutiam me à ſolicitudinibus huius ſæculi.

QVARTÒ. Alij ſurdi fiunt, cùm ex vlcere aut apoſtemate aures patiuntur, vt ſcribit Anglicus *lib.* 7. *cap.* 20. quia enim læſum eſt organum, non admittit ſonum. Huc pertinent ij, qui cùm ſibi conſcij ſint quorundam flagitiorum, metuunt ne carpantur & pro concione perſtringantur; hoc enim tolerare nequeunt. Vnde Eccleſiaſt. 21. dicitur: *Audiuit* (verbum Dei) *luxurioſus & diſplicebit ei, & proijciet illud poſt dorſum ſuum.* Nimirum ſola verbi Dei recordatio eiuſmodi vlceroſis pœna quædam eſt: ſicut qui nauſeâ laborant, ipſo cibi aſpectu torquentur; idcircò poſt tergum reijcitur verbum à corrupto animo. Idem confirmat Sapiens Prou. 18. *Nec recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde eius.* Nec mirum; *Quomodo enim poſſunt*, ait S. Ambroſius in Pſalm. 118. *verba Dei dulcia eſſe in faucibus tuis, in quibus eſt amaritudo nequitiæ?* Suauiter loquebatur Caino Dominus Gen. 4. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? nónne ſi bene egeris, recipies?* ſed nihil tamen profecit; quia Cain gerebat in pectore virus, animum occidendi fratrem. Increpat deinde illum: *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Sed necdum hic corrigitur, quia vlcus in animo gerebat, quod tangi nolebat, occultare conabatur. Similiter Herodes Ioannem libenter audiebat, niſi cùm libidinem ſuam taxari ab eo vidit, *Marci* 6. Quid igitur his remedij? Ad imitationem Domini digiti mittendi in illorum aures: perſtringenda ſunt eorum vitia; ibi enim apponenda medicina, vbi eſt vlcus: aures iſtorum vlceroſæ ſunt, vt vidimus; igitur vlcera illa tangenda. Sic enim hodie Dominus, quia aures ſurdi obturatas eſſe & occluſas vidit, digitis ſuis eas quaſi perforat terebratque, vt aduertit ibi Maldonatus. Sic etiam S. Auguſtinus dicere Auditoribus ſuis conquerentibus de nimiâ ſcelerum redargutione, ſolebat: *emendate vitam & mores veſtros & ego emendabo linguam meam.* Vt enim non audiendus eſt vlceroſus, cùm in vlcerum purgatione vel vſtione reclamat: ita nec curanda reproborum oblocutio, cùm ſalubriter increpantur. Cæterùm vti digitos, non manus miſit in aures ſurdi Dominus: ita non niſi diſcretè corrigenda reproborum vitia; digitus enim diſcretionis typus eſt.

E. IV. Qui ſibi malè conſcij.

Remedium.

QVINTÒ. Alij ſurdi fiunt ob incluſum in auribus denſiorem aërem, ſeu ventum aliquem, qui quia incluſus eſt, tinnitum & ſtrepitum in auribus concitat, vnde videntur aliqui audire ſemper campanas, cornua, aut organa. Et hi increduli ſunt, qui iis quæ in concionibus dicuntur, fidem non habent, & hoc ipſo palàm faciunt ſe fideles non eſſe. Vnde fit, vt omnia quæ dicuntur, inanis ſtrepitus & tinnitus eis videantur. Quemadmodum *Ioan.* 12. cùm vox de cœlo ad Chriſtum venit: *Et clarificaui & iterum clarificabo:* turba incredula tonitruum factum eſſe dicebat: fideles ſoli intellexerunt. Similiter *Ioan.* 6. incredulis durus

F. V. Qui increduli ſunt.

eſt ſermo Chriſti; cùm contrà Petrus ibid. dicat. *Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus*, &c. Ita nimirum incredulis omnia ſunt dura & difficilia creditu: omnia ſunt tonitrua & mera aëris verbera. Quid faciemus iſtis? Non video, niſi vt ingemiſcamus & miſeriam eorum deploremus, quemadmodum & Chriſtus circa ſurdum hunc ingemuit. Cùm enim hi fundamento ſalutis careant, fruſtra commonentur vt virtutes amplectantur, vitia abominentur, niſi fide præditi ſint. Quare hi, cæcorum inſtar rectà ad interitum pergunt. Exemplo eſt Dux ille, 4. *Reg.* 7. qui dum prædictionem Eliſei pro fabula & tonitruo habet, viſo prophetiæ euentu in ipſo introitu portæ conculcatus eſt. Appoſito ſanè ſupplicio; ſiquidem & ipſe verba Eliſei auribus ſuis non recepit, ſed in oſtio quodammodò atrium ea conculcauit. Nec aliter euenit incredulis illis, qui prædicenti ſibi Moyſi grandinem ingentem, fidem non habuerunt; *qui enim timuit verbum Domini, de ſeruis Pharaonis, fecit confugere ſeruos ſuos & iumenta in domos: qui autem neglexit ſermonem Domini, dimiſit ſeruos ſuos & iumenta in agris*, vt dicitur Exod. 9. factumque vt iſtis omnia perirent, non illis. Denique ſi remedium hic quæratur, oratio eſſe debet, vt increduli illuminentur: ſic enim & Chriſti gemitum orationi iunctum fuiſſe docet eo loco Theophylactus.

Remediũ.

G. VI. Qui malitioſè nõ audiunt.

SEXTÒ. Alij denique voluntariè & malitioſè ſurdi ſunt, qui vltrò occludunt aures ob certum aliquod odium, quod habent erga monentem. Qui Pſ. 57. dicuntur *aſpides ſurdæ & obturantes aures ſuas, quæ non exaudiunt vocem incantantium & venefici incantantis ſapienter*. Incantator in Eccleſia concionator eſt, qui ſancta & vtilia ſuadet: ſed quemadmodum aſpis ob naturale hominis odium, aures ſuas obturat, alteram caudâ, alteram terrâ, vt ſcribit Iſid. 12. Orig. cap. 4. ita multi lymphato quodam in Doctores odio aures occludunt ſuas, ne incantationem illorum quantumuis ſapientem audiant. Sed quo id artificio? partim caudâ propriæ turpitudinis, partim terrâ alienarum ſordium, dum ea tantùm, quæ in Concionatore culpabilia ſunt, conſiderant & exaggerant; iuxta id Ier. 8. *Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos*. Pugnabat cum huiuſmodi regulis S. Stephanus Act. 7. *At illi continuerunt aures ſuas & impetum fecerunt vnanimiter in eum*. Quin etiam mordebant, dum *ſubmiſerunt viros qui dicerent ſe audiſſe eum dicentem verba blaſphemiæ*, Act. 6. Sed quid dabimus remedij

Remediũ.

iſtis? ſuſpiciebat in cœlum Dominus, quando ſurdum hunc curabat: ita quoque faciat qui ſiue proprio affectu, ſiue ob prædicatoris vitia, ſpernit illius monita. Cœlum aſpiciat, vnde verbum illud fluit, non perſonam per cuius os manat. Vt enim is qui literas à rege per tabellarium accipit, non curat tabellarium, nobilis ſit an plebeius, ſordidus an elegans: ſed literas oſculatur & nũcium honorat, quia regis ſunt. Similiter & æger conſilium à Medico petens, ſolicitus non eſt ſi medicus ipſemet ægrotet: ita par eſt facere eos, qui verbo Dei & indigent & mouentur. Inſaniret is mercator, qui vinum empturus, aut frumentum, magis reſpiceret ad dolium & ſaccum, quàm ad vinum & frumentum. Talis vtique eſt, qui ad prædicatorem magis attendit, quàm ad Dei verbum. Quod ſi in terram aſpexeris, facilè in concionatore inuenies terræ quaſpiam ſordes quibus aures tuas occludas. Quid enim ſi terreni homines, terreni quiddam contrahant? Adhæc nónne lima limando hebetatur? lyra lyrando atteritur? horologium aliis horologiſando eneruatur? Quid mirum ſi quandoque director dirigendo? Quare, Auditores, caueat ſibi quiſque ab huiuſmodi ſurditate: adaperiat potiùs aures ſuas monitis ſalutis, ne ad ſurdas illas aſpides, quibus in æternum non eſt incantatio, aliquando amandetur.

CONCIO V.

Media, vt opera noſtra bene fiant.

Vt opera noſtra bona ad cælum euolent, ſex aliis opus habent.

1. *Vt fiant iuxta Dei voluntatem.*
2. *Bonâ intentione.*
3. *In charitate.*
4. *Accuratè & ſtudioſè.*
5. *Fortiter & conſtanter.*
6. *Fiant quaſi in conſpectu Dei.*

THEMA.

Bene omnia fecit. Marci 7.

SCribunt Veteres (Plut. *in Pericle*, & *lib. de mult. amic.* & alij) Zeuxidem, eximium pictorem, Agatarcho itidem pictori, cùm hic gloriaretur ſe citiſſimè pingere, argueretque tarditatis Zeuxidem, ſcitè reſpondiſſe: *Tu tempori, ego pingo æternitati*. Opera noſtra bona, Auditores, quæ ex lege & ratione religionis Chriſtianæ peragimus, quid aliud niſi picturæ ſunt, quibus Dei oculos oblectare, & vitam æternam promereri volumus? Magno igitur ſtudio, magnâ diligentiâ perficienda ſunt; quia Deo, quia cœlo, quia æternitati pingimus. Dicant, quidquid velint, ſæculi amatores, qui hiſce imaginibus exiguum aut nullum impendunt ſtudium, ſoli mundo vacant; quia ipſi tempori, nos æternitati pingimus. Docemur autem hoc in hodierno Euangelio; vbi Chriſtus forſitan ideò tardiùs & pluribus adhibitis morulis ac cæremoniis ſanauit ſurdum & mutum, vt doceret nos bona, quæ facimus, & benè & accuratè facere; quò nimirum & ipſi audire aliquando mereamur, quod ipſe hodie audiuit: *Bene omnia fecit*, A.

fecit. Quâ verò ratione opera noſtra benefacienda ſint, nunc videbimus.

Iſaias cap. 6. vidit Seraphinos ſex inſtructos alis coram Dei throno. Quòd ſi opera noſtra bona, ſex etiam alas ſeu conditiones habeant, poterunt haud dubiè ad cœlum euolare.

B. I. Fiant iuxta Dei voluntatem. Ala PRIMA. Fiant iuxta Dei voluntatem, Hæc ſit velut regula noſtrarum actionum, ſemper reſpicenda. Quemadmodum enim faber murarius & lignarius ad regulam & perpendiculum omnia ſua opera ſtruit: ita Chriſtianus ſingulis operibus ſuis applicet hanc regulam, an ſint Dei voluntati conformia. Hinc Gregorius *lib. 6. Moral.* ait: *In cunctis, quæ agimus, vim ſupernæ voluntatis inquiramus.* Et Ammon Abbas apud S. Ephrem tom. 2. in c. paræn. c. 10 *In quacunq; re primùm probes oportet, an Dei ſit voluntas iſta.* Imò hanc regulam præſcribit Apoſtolus ad Rom. 12. dicens: *Probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta.* Eaque vſus fuit ipſe Chriſtus, qui dixit: *Quæ placita ſunt ei* (Patri) *facio ſemper*, Ioann. 8. Sic famuli regum qualibet horâ cogitant, quid placeat regi, quid ipſe velit, omneſque eius nutus obſeruant, & ad eos ſe accommodant, ita vt non tam ire quàm volare videantur ad eorum iuſſa perficienda. Quantò magis id nos debemus Deo noſtro? Huiuſmodi Dei ſeruus fuit B. Aloyſius Gonzaga Soc. IESV, qui dictitabat ſe lætum mori, nec vllius rei, ac præſertim nimiæ auſteritatis habere ſcrupulum, quòd nihil feciſſet, niſi ex voluntate Dei, cuius interpres erat ſuperior.

C. II. Fiant bonâ intentione. SECVNDA. Fiant bonâ intentione; purè ſcilicet propter Deum. Demptâ hac conditione, benè fieri nequeunt. Hinc eſt, quòd cæteras creaturas omnes laudauit Deus, ſimul ac creauit: (*Vidit Deus quod eſſet bonum,*) hominem verò non laudauit; quia vt reſpondet S. Ambroſius *l. 1. Inſtit. Virg. ad Euſeb. cap. 3.* cæterum creaturarum profectio conſiſtit in extrinſeco: hominis verò bonitas & perfectio poſita eſt in intrinſeco, ſeu in rectâ intentione operum eius. *Sicut fabrica*, inquit S. Gregorius, *columnis, columnæ autem baſibus innituntur: ita vita noſtra in virtutibus, virtutes autem in intentione intimâ ſubſiſtunt.* Et rurſùm: *Si ſemel,* ait, *cor intentione corrumpitur, ſequentis actionis medietas, & terminus ab hoſte callido ſecurè poſſidetur; quoniam totam arborem ſibi fructus ferre conſpicit, quam veneni dente in radice vulnerauit. Summâ curâ vigilandum eſt, ne vel bonis operibus ſeruiens mens, reproba intentione polluatur.* lib. 1. moral. cap. 38. Prudens igitur arbor fuit ſponſa, quæ dixit: *Omnia poma, noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi.* Cant. 7. q. d. ſtudui omnia mea opera, quaſi fructus tibi gignere, & à ſiniſtræ intentiones labe immunes ſeruare. Turpe æſtimamus, quod ſiniſtra manu porrigimus. Hinc à liberis, qui neſciunt, quid ſit inter dextram & ſiniſtram, parentes exigunt dextram: Das ſchön Handle / vti dicimus. Siniſtra manus, ſiniſtra intentio: dextra manus, recta intentio eſt. Fœdantur ergo opera noſtra, quando ea Deo ſiniſtrâ manu offerimus. Hinc S. Auguſtinus in Pſalm. 136. ait *Nónne corripis eum, qui de ſiniſtrâ voluerit manducare? Si menſæ tuæ iniuriam putas fieri, manducante conuiuâ de ſiniſtra; quomodo non fit iniuria menſæ Dei, ſi quod dextrum eſt ſiniſtrum feceris?* Hoc autem facit, qui opera alioquin ex ſe bona, per intentionem malam violat. *Siue ergo manducatis ſiue bibitis* inquit Apoſtolus 1. Cor. 10. *ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*

TERTIA. Fiant in charitate, ſeù ex impulſu amoris diuini, non coactè, vel ex timore, Ita monet Apoſtolus 1. Corint. 10. *Omnia veſtra in charitate fiant.* S. Euthymius vt refert Surius to m. 1. dicebat: *Charitas hoc eſt virtutibus, quod pani ſal.* Vt ergo panis azymus & ſale deſtitutus, inſipidus eſt: ita opus bonum, quod non fit in Dei amore. Hanc fortaſſe ob cauſam præcepit Deus, Leuit. 2. *Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies.* Et Chriſtus Marci 9. *Omnis victima ſale ſalietur.* Intellexit hoc prudens anus illa, quæ B. Yuoni deſignato Oratori à Ludouico Pio Gallorum rege, ad Sultanum Damaſcenum, obuiam venit, alterâ manu teſtam prunis plenam, alterâ phialam aquæ geſtans. Mirante verò illo, quidnam hoc ſibi vellet & quærente, reſpondit anus: *Hoc igne paradiſum comburere, aquâ infernum extinguere volo. Ecquid*, inquit Yuo, *tam arduam rem moliris? Vt nemo,* reſpondit illc, *inpoſterum benè operetur præmij ſpe inductus, metuq; pœnarum nullus à ſcelere deſiſtat: ſed vt omnes vero amore, quem Deo debemus, accenſi rectè viuamus.* Hanc tam grauem piæ anus vocem ſtupuit & laudauit Sanctus, Ionuil. *in vitâ Ludouici. c. 57.* Non ſint ergo mercenaria vel ſeruilia opera noſtra, ſed ex Dei amore profecta; ita coram Deo ſuauiter redolebunt. Experientia docet, ſi vettonicæ floris radici caryophyllum inſeras, ſimulque complantes, flores omnes eius odorem referre. Ita tota vita noſtra, omniſque actio & ſermo ſpirabit odorem dilectionis Dei, ſi odoriferum hoc germen cordibus noſtris inſeramus. D. III. Fiant in charitate.

QVARTA. Fiant accuratè & ſtudioſè, ad hunc vel ſimilem modum, Primò, quaſi nihil aliud agendum haberes, præter id, quod præ manibus eſt. Dæmonis fraus eſt, dum pio incumbis operi, alia tibi agenda ſuggerere, vt te ab illo diſtrahat. Oras? ſuggerit ſtudia. Studes? ſuggerit orationem aliave negotia, vt neutrum ſcilicet bene facias. Hunc igitur vt eludes, ad vnum id attende, quod agis: reliquorum omnium cogitationem abijce. Hoc ſibi voluit Eliſæus, cùm ſeruum ſuum miſit ad excitandum à morte puerum, 4. Reg. 4. *Si occurrerit tibi homo,* inquit, *non ſalutes eum: & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* Hoc & Dominus noſter, quando mittens ad prædicandum diſcipulos ſuos, dixit: *Neminem per viam ſalutaueritis.* q. d. vni huic negotio prædicationis vobis demandato, intenti eſtote. *Non ſalutationis officium aufertur,* inquit S. Ambroſius lib. 1. in Lucam, *ſed obſtaculum* E. IV. Fiant ſtudioſè.

cultum impediendæ deuotionis aboletur; vt quando diuina mandantur, paulisper ſequeſtrentur humana. Hoc denique & Ethnici ſibi voluere, quando inter ſacrificia ſua præconem clamare iuſſerunt: *Hoc age, hoc age*; teſte Plutarcho; q.d. Ne ad alia nunc intendas animum: ſed ad id, quod agis. Quare Chriſtianus, cùm orat, cùm Miſſam vel concionem audit, cùm exomologeſin facit, cùm Euchariſtiam ſumit ſibimet inclamet: *Hoc age, hoc age.* Neminem ſalutet, cogitationem alio deflectendo; & ſi ab importunâ cogitatione ſalutatus quodammodo fuerit, non reſpondeat illi.

2. Secundò. Quaſi hæc tua actio ſit vltima totius vitæ tuæ. S. Bernardus *in ſpec. Monach.* ita monachum inſtruit: *In omni tempore ſuo dicat ſibi ipſi: Si modò moriturus eſſes, faceres iſtud?* Idem ſibi quiuis Chriſtianus dicere poteſt: Si modò moriturus eſſes, nunc tam obiter confeſſionem tuam perageres? num tam oſcitanter orares, vel Miſſam audires? num de mundi opibus, voluptatibus, honoribus cogitares. Videmus certè eos, qui diem & horam mortis ſuæ præſciunt, velut reos morte plectendos, vel alios de vitâ periclitantes, in pietatis opera multò ardentiùs incumbere, quàm vnquam aliàs incubuerint: orant diutiùs & feruentiùs, inuocant Deum & Sanctos enixiùs, confitentur peccata ſua accuratiùs, communicant deuotiùs; quia nimirum exiſtimant, fore hæc exercitia, vitæ ſuæ vltima. Quando igitur nos omnes neſcimus diem & horam mortis noſtræ, iure optimo & ſalubriter cogitare poſſumus, id quod Horatius cecinit: *Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum*; Omnes proinde actiones noſtras fore nobis poſtremas.

F. V. Fiant fortiter & conſtâter.

QVINTA. Fiant fortiter & conſtanter, animoque imperterrito, non tepidè vel timidè; ſed cum certâ fiduciâ, adfore Deum noſtris conatibus, & qui dedit velle, daturum & perficere. Eximius in hac re fuit Moyſes, qui ad Dei mandatum ſuſpendit contra ſolem omnes Principes populi; qui cum Madianiticis mulieribus peccauerant; effecitque, vt qui priùs ipſo ſpectante ſine omni metu aut reſpectu eius deliquerãt, poſteà contra tam ſeuerum vindicem mutire non auderent. *Num.* 25. Paris animi fuit eius ſucceſſor Ioſue, qui difficilima bella Dei iuſſu aggreſſus, magnâ animi fortitudine perdurauit. Ita ante vrbem Hai, non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai, *Ioſ.* 8. Ita ſolem ſtare juſſit ac fecit, donec vlciſceretur ſe de Gabaonitis, Ioſ. 10. Petrus quia timidè intrauit atrium Pontificis, citò & facilè deiectus eſt à fidei propoſito: contrà diſcipulus alter, quia audacter introiuit, tale periculum non habuit. Multum in eo ſitum eſt, quo animo & pectore opus aggrediamur, timido an audaci, tepido an feruente. Quemadmodum enim leones (ſi modò non ſint degeneres) ſicut ipſi generoſi ſunt, ita generoſos verentur homines & eorum voces horrent, ideoque nolunt limis oculis (vt ſcribit Plin. *lib.* 10. *cap.* 63.) aſpici: ita & bona opera generoſè decet aggredi. Refert Cranzius in Sax. hiſt. de Henrico Comite Holſatiæ, qui à robore dictus eſt ferreus; immiſſum aliquando in eum fuiſſe leonem aſtu Anglorum in palatio Eduardi III. Angliæ regis. Verùm Henricus obuiantem ſibi in gradibus cum rugitu leonem, ſolâ hac voce, *Quieſce canis ferox*; terruit. Proſtratum enim mox leonem manu apprehendit & in caueam ſuam duxit. Aliâ vice, Lutetiæ leonem è clauſtris elapſum, ſibique à tergo adhærentem toruo tantùm aſpectu terruit, vti is ad pedes procubuerit inſtar blandientis & veniam petentis. Maiol. *tom* 4. *canic. coll.* 1. Hunc igitur in modum & nos ſi opera, quamuis difficilia, fortiter aggrediamur, fæliciter peragemus. Palmæ feruidas amant regiones; ita vitiorum victoriæ feruidos poſtulant homines. Flumine aduerſo in cœlum nauigamus; magnus ergo conatus & feruoris impetus nobis neceſſarius eſt, vt vincamus fluminis impetum. Vnde Venerab. Beda in cap. 3. Lucæ ait: *Niſi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur, per quam anima ſemper ad ima reuocatur.* Sanè D. Bernardus *ſerm.* 1. *in F. S. Andreæ* primos parentes idcirco tam facilè lapſos cenſet, quòd in fide & voluntate ſeruandi legem Dei tepidi fuerint, quaſi moleſtum foret eis diuinum mandatum; vti indicant Euæ verba: *Ex omni ligno paradiſi comedimus, de ligno autem ſcientiæ boni & mali dixit nobis ne comedamus. Non dicit: ſic eſt voluntas creatoris: quare ſic, ipſe nouit: nobis ſufficit obedire, quia vita noſtra in voluntate eius.* Similiter Adami *bona voluntas non habuit fortitudinem, quia non habuit feruorem.* Ita Bern.

G. VI. Fiant quaſi in conſpectu Dei.

SEXTA, Ad extremum, vt fiant modis prædictis, medium efficax ad hoc eſt, ſi fiant quaſi in conſpectu Dei. Seneca virtutis ſtudioſo ſimile quid conſuluit: *ſic fac*, inquit, *tanquam ſub alicuius boni viri ac ſemper præſentis oculis*, ep. 25. Quòd ſi præſentiam boni viri ſatis efficacem exiſtimauit hic Philoſophus ad incedendum ſemper in virtutis tramite? quantò efficacior ad hoc erit memoria præſentis Dei? Hoc voluit S. Ioannes, cùm *Apocal.* 4. deſcribens ſancta animalia ſtantia ante thronum Dei, dixit ea fuiſſe plena oculis antè & retrò, foris & intus. Significauit enim eos, qui volunt Deo debitè ſeruire, & ante eius thronum ſtare, debere eſſe oculatiſſimos & circumſpectiſſimos in omnibus ſuis operibus, ne quid tantâ maieſtate indignum committant, loquendo, videndo, audiendo, cogitando, appetendo, &c. Videmus certè eos, qui coram rege vel principe aſſiſtunt, vultum, os, inceſſum, geſtuſque omnes componere ad gratiam principis, ne quid in ipſis deprehendatur, quod oculis eius diſpliceat. Meminit Pierius libr. 2. Hierogl. cap. 2. Elephantem quendam, cæteris indociliorem ad ſaltandum, Romæ extitiſſe, ideoque à magiſtro ſæpiùs caſtigatum, ſeipſum noctu ad lunam exer-

Digitized by Google

exercuiſſe in ſaltatione, donec artem perdiſceret. Fecit hoc brutum animal. Exerceat ergò & homo ſemetipſum in conſpectu Dei ad bene operandum, iuxta id Apoſtoli 1. Timoth. 4. *Exerce teipſum ad pietatem*, cogitet ſe à Deo vndique ſemper aſpici & circumſpici. Ita monuit S. Ioannes ep. 1. c. 3. *In conſpectu eius ſuadebimus* (id eſt, probabimus, vt exponit ibi Corn. à Lap.) *corda noſtra.* Ita faciebat inter alios S. Xauerius, qui dicebat: *Vbicunque fuero, meminero me in orbis theatro & in oculis Dei verſari.* Ita S. Cyprianus tract. de zelo in fi. *Cogita*, inquit, *ſub oculis Dei nos ſtare ac indicante ipſo conuerſationis ac vitæ noſtræ curricula decurrere, peruenire nos tunc demum poſſe vt eum videre contingat, ſi ipſum nunc videntem delectemus actibus noſtris; ſi nos dignos gratiâ eius & indulgentiâ præbeamus; ſi placituri ſemper in regno, in hoc mundo antè placeamus.*

Hæ igitur ſunt alæ, quibus opera noſtra ad cœlum euolare debent, Diſcamus ergo à Chriſto Domino noſtro ex hodierno Euangelio ea quæ facimus, bene facere, ne fruſtrà nos laboraſſe aliquãdo doleamus: & qui æternitati pingere debebamus, tempori, vanitati, morti & æternæ obliuioni pingamus.

CONCIO VI.

Septem mundi bona.

Primum eſt varietas rerum quæ in mundo ſunt.
2. *Vniuerſitas ſeu plenitudo.*
3. *Ordo & diſpoſitio.*
4. *Connexio partium inter ſe.*
5. *Proportio rerum inter ſe cum mundo.*
6. *Sympathia & antipathia.*
7. *Optima mundi adminiſtratio.*

THEMA.

Bene omnia fecit. Marci 7.

A. *Sola Dei opera omnibus numeris perfecta.*

PLinius in præfatione operis ſui tradit, veteres pingendi fingendique nobiliſſimos artifices, opera ſua etiſi abſolutiſſima illa & quæ poſteri mirando nunquam ſatiantur, pendenti titulo ſic inſcripſiſſe: *Apelles faciebat*: vel, *Polycletus faciebat*, non autem: *Fecit*: eâ re inſinuantes, opera eſſe inchoata nec omninò perfecta: & quod in eis deſiderari poſſet, ſe quidem emendaturos fuiſſe, niſi morte eſſent intercepti; Tria tantùm reperta eſſe abſolutè inſcripta. *Ille fecit*; tanquam in illis ſumma artis ſecuritas artifici placuerit; quæ tamen omnia magnæ hominum inuidiæ fuerunt obnoxia. Nec verò immeritò; non enim hominum ſed Dei eſt, facere opera omnibus numeris perfecta, quibus nemo quidquam poſſit addere vel demere: Cuiuſmodi opus eſt hæc mundi machina, adeò abſoluta vt Moyſes ſecuriſſimè potuerit ei adſcribere: *Fecit. Vidit enim Deus*, inquit, *omnia quæ fecerat, & erant valde bona*: tanquam opus illud iudicio ipſius Opificis Dei ſit comprobatum. Et Eccleſ. cap. 3. *Cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo, nec poſſumus eis quidquam addere vel detrahere.* Itaque quod in hodierno Euangelio populus de patrato Chriſti miraculo dixit: id nos quòque de ipſâ mundi fabricâ meritiſſimo iure dicimus: *Bene omnia fecit.* Quare vt hunc opificem eiuſque bonitatem, potentiam, ſapientiam & prouidentiam admirari & laudare poſſimus: contemplabimur eius opus.

B. I. *Varietas rerum, quæ in mundo ſunt.*

Mira & pulcherrima eſt mundi machina, ob ſeptem potiſſimùm eius bona. Quorum PRIMVM eſt varietas rerum, quæ in mundo continentur. Aliæ enim ſunt incorporeæ, aliæ corporeæ; aliæ partim incorporeæ, partim corporeæ. Incorporeæ ſunt Angeli, & hi diuiduntur primò in tres hierarchias, deinde quælibet hierarchiæ in tres choros. Corporearum aliæ ſunt incorruptibiles, vt cœli & ſydera; aliæ corruptibiles eæque duplices, inanimes & animatæ. Inanimatæ aliæ ſimplices vt elementa, aliæ compoſitæ vt lapides, metalla & ſimilia, horumque ſpecies innumeræ. Animatæ aliæ ſenſitiuæ vt animalia; aliæ ſine ſenſu vt plantæ. Vtrarumque ſpecies innumeræ. Denique aliæ partim corporeæ, partim incorporeæ, vt homines. Iam verò in hominibus quanta varietas in forma & vultu, in greſſu, voce, ingenio, linguâ, ſtudiis, moribus, legibus, inſtitutis, religionibus? In brutis quanta rurſum diuerſitas qualitatum non ſolùm in diuerſis ſpeciebus, ſed etiam in eâdem? Papiliones viliſſimi ſunt vermes, & quanta in his ſolis varietas? Alij ſunt albi, alij flaui, alij cærulei, alij oculati, alij aliorum colorum, vt vel in minimis animalculis appareat ſummum artificium Dei. Quanta item in florum coloribus, odoribus, formâ, figurâ, virtute, foliis? cauſa verò tantæ varietatis eſt ornatus mundi, & vt ſingulæ rerum ſpecies à ſe mutuò diſcerni poſſint. Speciatim verò maxima varietas cernitur in coloribus domeſticorum animalium eiuſdem ſpeciei; referebat enim vt vicinus quiſque ſuos equos, boues, canes, feles, ſues, gallinas, columbas, anſeres, anates, &c. ab alienis dignoſceret, ad pacem & ſua conſeruanda.

C. II. *Vniuerſitas ſeu plenitudo.*

SECVNDVM, Eſt vniuerſitas ſeu plenitudo. In mundo enim ſunt omnia tripliciter. Primò, ſecundum gradus genericos rerum, qui ſunt quatuor, Eſſe, viuere, ſentire, intelligere. Secundò, ſecundum horum graduum genera omnia & ſpecies ſubalternas. Vti v. g. intelligentium alij ſunt angeli, alij homines: Sentientium, alia quadrupedia, alia volatilia, alia natatilia, alia reptilia, &c. Tertiò, quòd nihil vſpiam ſic à Deo factum, quod in mundo non contineatur. Addi poteſt quartò, quod omnia ſunt in mundo, quæ ad eius gubernationem & cuiuſcunque rei conſeruationem pertinent & naturam, ita vt nihil in mundo redundet, nihil deſit. Quid inprimis addi ſupra quatuor elementa poſſet? & quo eorum carere poſſemus? Membris deinde humanis, ſi vel vnum adiicias, v. g. digitum, manui aut pedi, oculum capiti, non ſolùm erit ſuperfluum ſed etiam deforme & impedimento. Viciſſim ſi vel

ab ore profectum, quia ab alijs volat ad alios. Mirum de pica cuiuſdam Romani tonſoris, narrat Plutarchus in lib. de induſtriâ animal. Hæc enim cùm humanas voces, ferarumque ſonos reddere & inſtrumentorum effingere ſtrepitus didiciſſet, audijt aliquandò cùm quidam diues efferretur, funebres tubarum ac tibiarum modulos, moram fortè in tranſitu diutiùs trahentes. Ex quo poſtridie pica muta fuit. Mirantibus omnibus, qui eam nouerant, & ſuſpicantibus vel tubarum ſonitu ita obſtupefactam, vel veneno dato elinguem factam: ſubitò reſumpſit vocem & omnes illos tubarum ac tibiarum, quos audierat, modulos dexterrimè expreſſit; quos proinde dicto illo ſilentij interuallo, memoriæ impreſſos, tacita recoluerat & quaſi fides organi aptauerat atque concinnauerat. Iam ſi hæc auicula præclaros effictura modulos, priùs in ſilentio ſecum meditata eſt, quæ modulari voluit carmina; non pudet nos rationis compotes, ſine ratione & præmeditatione tam multa effutire, inſulſa & inepta?

E. IV. Vaniloquium. QVARTVM. *Vaniloquium.* Hoc vanum oſtendit hominem; ſicut enim molendinum talem reddit farinam, quale eſt frumentum molæ affuſum: ita lingua ea loquitur, quæ ipſa mens pertractat, & quibus ipſa plena eſt. Maximè verò dedecet Chriſtianos, qui ſatis habent rerum ſeriarum de quibus loquantur; Omnes enim contendunt in agone, vnde ab omnibus rebus impertinentibus abſtinere debent. Non terunt agricolæ tempus illud nugis, quo eſt colendus vel metendus ager; nec mercatores tempus nundinarum; nec mendicantes negligunt conuentus publicos vel eleëmoſynarum tempora. Adhæc Dominus *Matth.* 12. ait: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Licet enim res parua ſit, verbum otioſum, magnus tamen eſt Deus, qui eo verbo offenditur: magnus eſt & fructus, qui eo tempore negligitur. Vincentius Beluacenſis refert Durantum quemdam ex Abbate Epiſcopum Tholoſanum, cætera pium virum, idcircò in purgatorij ignibus aliquamdiu fuiſſe detentum, quòd ſepiùs verba riſum mouentia incautè vſurpaſſet; indeque tandem ſeptem fratrum monachorum ſilentio ad ſeptem dies continuato, liberatum: *lib.* 26. *ſpec. hiſt. cap.* 5. Gorgias Sophiſta cùm duos audiret indoctos philoſophos, vnum ridicula proponentem, alterum aliena & inſulſa reſpondentem: *Vter*, inquit, *ſtultior eſt, qui mulget hircum, an qui cribrum ſupponit?* Laërt.

F. V. Turpiloquium. QVINTVM. *Turpiloquium.* Hoc imprimis oſtendit mentem dicentis eſſe cloacam ſordidiſſimam, vnde fætor ille exhalet: vti concludit S. Chryſoſtom. *homil.* 69. *in Matt.* quia *ex abundantiâ cordis os loquitur.* Ad hæc S. Hieronym. *non longè eſt à facto*, inquit, *qui delectatur in verbo.* Et Ariſtot. l. 7. polit. c. vlt. *Omnis obſcenitas verborum per legiſlatorem exterminanda eſt de ciuitate. Ex licentiâ enim turpiter loquendi, ſequitur & turpe facere.* Maximè verò hoc dedecet Chriſtianos, qui vocatione, baptiſmo & profeſſione ſancti eſſe debent. Ideò enim Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. ait: *Omnis fornicatio aut immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.* Adhæc: *Videte fratres*, inquit Auguſtinus ſerm. 215. de temp. *ſi iuſtum eſt vt ex ore Chriſtianorum, vbi corpus Chriſti ingreditur, luxurioſum canticum, quaſi venenum diaboli proferatur.* Quòd ſi Diogenes ad iuuenem formoſum turpia loquentem, dicere potuit: *non te pudet ex eburneâ vaginâ plumbeum gladium educere?* quanto magis hoc probri conijci poterit in Chriſtianum, qui ex eburneâ oris vaginâ, quâ Chriſti corpus accipit, plumbeum & ſordidum educit gladium? Quis neget, verba impudica dedecere magis Chriſtianos quàm Iudæos? Et hi tamen, vt narrat Ioſephus, vſque eò abhorrebant à turpiloquiis, vt etiam horrerent animalia valde ſordida proprio appellare vocabulo, ſed per periphraſin nefanda vocarent animalia. Adhæc ſi religioſè abſtinemus à commemoratione excrementorum corporis, vel partium infamium, per quas egeruntur; & non multò magis à turpiloquio, quod ſecum vehit culpam: nónne excolamus culicem & glutimus camelum? Denique ſi in præſentia honeſtorum virorum turpia loqui non audemus: coram Deo audemus? S. Bernardinus Senenſis adhuc adoleſcens, qui ex frequenti conſuetudine ad primum quemque turpioris verbi auditum ſic erubeſcebat, quaſi quis ei colaphum impegiſſet: inter æquales pro inimico publico talium colloquiorum haberi cœptus eſt, adeò vt ſi eiuſmodi rerum tractationi, vt fit, interueniret, ſubitò muſſarent: *Tacete, tacete, Bernardinus adeſt.* In eius vitâ apud Sur. tom. 3. Et non magis nos abſterrere à talibus debeat, ipſius Dei conſpectus & præſentia?

SEXTVM. *ſacrorum verborum abuſus* & tranſlatio ad profanum & ridiculum intellectum. G. VI. Sacrorum verborum abuſus. Hac linguâ non minùs videtur offendi Deus, quàm ſi vaſa & veſtes ſacræ ad profanos applicarentur vſus, calices ſacri ad conuiuia, veſtes ſacræ ad choreas &c. nec mitius iudicium iſtis expectandum, quàm contigit Nabuchodonoſor regi, qui vaſa ſacra Ieroſolymis abſtulit; & idcirco ad beſtias condemnatus fuit: quàm contigit Baltaſari, eius filio, qui epulabatur & bibebat è vaſis illis ſacris de templo Ieroſolymitano ablatis, & idcircò de regno exturbatus eſt, *Dan.* 5. Demetrius Phalereus bibliothecæ Regiæ præfectus à Ptolomeo Ægypti Rege interrogatus, qui factum ſit vt tam admirandæ ſcripturæ diuinæ nec hiſtoricus vllus, nec poëta mentionem fecerit, reſpondit neminem auſum eam attingere; quam conſtaret diuinam eſſe & omni veneratione digniſſimam & punitos eſſe quoſdam à cæleſti Numine, qui illam temerè attrectare non ſint veriti. Theopompum enim volentem inde quædam ſuis ſcriptis inſerere, mente motum fuiſſe diebus triginta & per interualla inſaniæ Deum placaſſe, facilè conij-

conijcientem, quæ morbi cauſa fuerit: atque in ſomnis admonitum, hæc ideo pati, quòd fuiſſet circa res diuinas curioſior, eaque voluiſſet proferre profanis hominibus. Quare cùm à cœpto deſtitiſſet, ſanam mentem ei fuiſſe redditam. Theodecti etiam poëtæ, cùm in quadam tragædia vellet aliquid è ſacris libris admiſcere; oculos glaucomate ſuffuſos caligaſſe: & cùm erratum cognouiſſet, exorato Deo redditam ſibi aciem, refert Ioſeph. *l. 12. antiq. c. 2.* Baron. an. Dom. 231. *Exod.* 30. dicitur, quòd qui compoſitionem thymiamatis fecerit ad profanum vſum; *vt odore eius perfruatur, peribit de populis ſuis.* Et quid aliud facit, qui ſcripturam ſacram ad fœda & ridicula compoſito ioco applicat?

H. VII. Maledictum ſeu imprecatio. SEPTIMVM. *Maledictum ſeu imprecatio*; de quâ Dauid dicit: *Dilexit maledictionem & veniet ei: noluit benedictionem & elongabitur ab eo.* Pſal. 108. Id verò iuſtiſſima Dei vindictâ ſæpiùs oſtenſum. Henricus Comes à Schwarzenburg, quotidianæ huic imprecationi aſſuetus erat: *ſi hoc fecero: mergar in latrinâ.* Tandem Erfordiæ, in conuentu quodam ad D. Petrū, collapſo ædificio vnà cum aliquot nobilibus in latrinæ ſordibus perijt; vbi etiam Fredericus I. Imperator, qui illi conuentui intererat, collapſis trabibus, vix ad cancellos feneſtræ ferratos adhærebat. Maiol. *tom. 2. canic. coll. 2.* Cæſarius *in vitâ S. Engelberti Archiepiſcopi Colon. & martyris* ſcribit l. 2. c. 14. apud Sur. *in Nouemb.* nobilem quendam Arnoldum, cùm ſancti illius oſſa in Rheno Coloniam veherentur, de feneſtrâ proſpexiſſe, non procul à Coloniâ, & inſaniam ſibi imprecatum, ſi Engelbertus ſanctus ſit, vt dicebatur. Itaque eodem die inſaniâ correptus cæpit furere in vxorem, liberos & ipſum etiam confeſſarium, qui vocatus erat ad confeſſionem eius audiendam, alteroque die ſine ſacramentis & pœnitentiâ obijt miſerè. In Chronicis Polonicis ſcribitur Poloniæ Principem, Popielum ſeniorem conſueuiſſe ſibi & ſuis imprecari murium deuorationem. Ergo filius eius, eodem cum patre nomine, cùm dolo vxoris moribundum ſe ſimulaſſet, & patruos ſuos ad ſe vocatos venenato poculo, quod in ſignum amoris propinare ſe eis ſimulabat, peremiſſet & inhumatos proieciſſet; ex cadaueribus interfectorum inuſitatæ magnitudinis & multitudinis mures enati Regem, vxorem & liberos in arce cum ingenti ſtrepitu inuaſerunt. Itaque Popielus in arcem, ſitam in lacu Goplo, profugit, ſed tantus eum murium grex inſecutus eſt vt penè nauim euerterit. Cumque in turri aquis circumfluâ ſe cum ſuis incluſiſſet, nihilo tutior fuit, ſed ibi cum vxore & liberis à muribus corroſus conſumptuſque eſt, vt ne monumentum quidem eorum relictum ſit. Refert etiam Hieron. Ziel. *de viris illuſtribus Germ. c. 23.* Serar. *in Mogunt.*

I. VIII. Iuramentum. OCTAVVM. *Iuramentum.* Hoc quidem non eſt ex ſe malum, imo bonum, cùm ſit actus latriæ: ſed ex accidenti, ſi non fiat debitis conditionibus. Conditiones autem deſcribit Ieremias cap. 4. (vt aduertit ibi S. Hieronymus) cùm ait: *Iurabis: Viuit Dominus, In veritate & in iudicio & in iuſtitiâ.* In veritate, ne mentiaris aut iures falſum, dubium, incertum, aut fictè, doloſè, amphibologicè. In iudicio, ne iures temerè, incautè, vanè, ſed ex cauſa neceſſariâ & graui, diſcretè, præmeditatè, prouidè, reuerenter. In iuſtitiâ, ne in alterius damnum, læſionem, contra æquitatem & honeſtatem, vt Herodes qui in perniciem Ioannis iurauit: & Iudæi, qui ſe deuouerunt, niſi Paulum occiderent.

Extra has conditiones illicitum & vetitum eſt iuramentum, Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino, &c. ſit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, non, non.* Quo loco non prohibetur omne iuramentum, ſed temerarium & falſum. Arguit enim Iudæos, qui putabant tantùm non eſſe peierandum, atque omninò non iurandum, id eſt, ne temerè quidem, non falsò tantùm. Ratio eſt Primò quia non decet in re quauis leui & futili paſſim Deum Non temerè iurandum, 1. inuocare teſtem. Cultiorem veſtem non geſtamus niſi feſtis diebus: & ſanctiſſimum Dei nomen paſſim in ore circumferemus ad omnem futilem ſermonem? Eſt quidem iuramentum actus latriæ, quo Dei magnitudinem, omniſcientiam, veritatem & iuſtitiam profitemur: ſed non decet paſſim & ſine defectu ac neceſſitate Deum vocare in teſtem; ſicut inuocare nomen IESV bonum eſt, ſed paſſim abſque cauſa & reuerentiâ id in ore gerere, malum & indecens eſt atque iniurioſum. Terrenus aliquis Princeps pro iniuriâ reputaret, ſi paſſim in teſtem vocaretur; quanto magis Deum? Vnde in Decalogo, *Deut.* 5. præcipit Deus: *Non vſurpabis nomen Dei tui fruſtrà: quia non erit impunitus, qui ſuper re vanâ nomen eius aſſumpſerit.*

Secundò. Quia iuramentum inſtitutum 2. eſt ſolùm in humanæ imbecillitatis remediū, ad comprobandam rem, quam dicimus, cùm aliæ probationes deficiunt. At quis neſcit remedijs & medicinis non vtendum eſſe niſi tempore neceſſitatis, adeoque noxium eſſe illorum vſum extra neceſſitatem? Et ſicut inuiti accipimus medicinam, ita tormenti inſtar eſſe debet nobis iuramentum.

Tertiò. Quia ſicut dicimus eum qui mul- 3. tùm loquitur, ſæpe mentiri: ita qui facilè & temerè iurat, ſæpe peierat neceſſe eſt, teſte Eccleſiaſtico cap. 23. *Iurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illâ.* Et paulo pòſt: *Vir multùm iurans, implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga.* Vt ergo cauemus præcipitium & viam lubricam ac lutoſam: ita cauenda iurandi conſuetudo. S. Chryſoſtom. *hom. 12. in cap. 5. Matth. op. imperf.* ait: *Qui facit conſuetudinem frequenter manu ſuâ percutere, neceſſe eſt vt iniuſtè aliquando percutiat: ſic qui facit conſuetudinem iurare in rebus idoneis, frequenter & in rebus ſuperfluis etiam nolens conſuetudine trahente periurat.* Hinc fit, vt facilè iurantibus, minùs credatur; ita vt conſuetudo iurandi

dicans ei, quam ſententiam iudices laturi ſint, & pollicetur ſe hoc periculo eum liberaturum eſſe, hac conditione, vt ſe diabolo dedat. Miles conſtanter reſpondit, ſe potiùs moriturum eſſe, quamuis ſit innocens. Cùm verò diabolus verbis multis exaggeraſſet periculum, nec tamen inflexiſſet militis animum, tandem pollicetur ei liberationem, ſine vlla conditione. Et cùm veneris, inquit, in iudicium, dic te imperitum eſſe forenſium negotiorum, & patrono indigere: ibi aſtabo cæruleo pileo tectus, & ornato pennis. Pete igitur, vt me iubeant cauſam dicere. Miles, qui hoc ſine impietate facturus videbatur, ait, ſe hoc conſilio vſurum eſſe. Poſtridie in iudicium ducitur; adeſt etiam orator tectus cæruleo pileo. Ibi cùm actor peteret, militem propter vim publicam, capitali ſupplicio affici; miles reſpondit, ſe imperitum forenſium negotiorum, petere, vt liceat iſti ſuo aduocato pro ſe dicere. Concedunt iudices. Ibi diabolus de iure eruditè diſputat: non eſſe capitali ſupplicio afficiendum eum à quo non ſit ortum rixæ & tumultus initium, ait ab hoſpite militem vi extruſum, & ſpoliatum eſſe, iubet quæri ſaccum; & locum monſtrat. Ibi cùm hoſpes vehementer negaret, addens eius diras imprecationes, vt ipſum, abreptum diabolus perderet, ſi feciſſet. Hanc imprecationem cum inuocatione diaboli cum aliquoties repetiuiſſet: ibi cauſidicus, omiſſâ iam diſputatione forenſi, adoritur hoſpitem, & comprehenſum per feneſtras & medium forum, omnibus perhorreſcentibus, cum fragore abducit, nec poſtea vnquam corpus hoſpitis inuentum eſt.

Itaque faciamus, quod in hodierno Euangelio Chriſtus egit. Primò, abducamus nos à mundo & mundi conſuetudine, qui loqui verè neſcit, niſi cum iuramentis. Secundò, Expuamus in terram, id eſt, contemnamus lucra terrena, ne propter ea acquirenda iuremus, vel peieremus, & hoc ipſo amittamus æterna. Tertiò, tangamus linguam noſtram aliquâ pœnâ nobis præfixâ. Quartò, Suſpiciamus ad cœlum, inuocando Dei auxilium. Quintò, Ingemiſcamus, quando in hoc deliquimus. Sextò, Per firmum propoſitum, dicamus, *Ephpheta, adaperire.* Soluatur vinculum linguæ, ne fiat nobis vinculum gehennæ.

CONCIO IV.

Cur aliqui ad verbum Dei audiendum ſurdi ſint, & qui illi.

1. *Tales ſunt Magnates & potentes.*
2. *Qui ſibi iam ſapere videntur.*
3. *Qui ſecularibus immerſi negotijs.*
4. *Qui ſibi malè conſcij.*
5. *Qui increduli ſunt.*
6. *Qui malitioſè non audiunt, quorum omnium ſurditati ſingula ſua opponuntur remedia.*

THEMA.

Adducunt ei ſurdum. Marci 7.

A. QVid ſibi vult hoc, Auditores, quòd ſurdus iſte ad Chriſtum adductus eſt? numquid enim cœcus etiam vel infirmus fuit qui adduci debuerit? Quidquid ſit de hoc, ſinè moralis ſurditas, quâ reſpuitur verbum Dei, talis eſt infirmitas, vt niſi adducantur, qui eo morbo laborant, ad Chriſtum numquam veniant, ſed ad interitum pergant. Quare de illis Dauid *Pſ.* 106. dicere non dubitauit: *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, appropinquauerũt vſque ad portas mortis.* Vbi grauem illam ægritudinem, quæ Maraſmus dicitur, deſcribere videtur, eâ enim qui tenetur, ſolo cibi odore adeò offenditur, vt mori ſe malle aſſeueret, quàm inde comedere, vt refert Lorinus ad illum Pſ. inde fit, vt macie conſumptus incedere non poſſit. Accedit Caſſiodorus in eundem Pſ. *Grauis morbus*, inquit, *& execranda calamitas, diuinæ legis appetentiam non habere. Nam vnde poſſit viuere, ſi ſuam vitam cœperit non amare?* Grauis eſt hic morbus, quia medicinam reſpuit, & medicum excludit, ideo appropinquat vſque ad portas mortis ſeu inferni, vt exponit S. Ambroſius in cap. 9. Luc. Vnde ſicut medicus ægros illos deſerit; ita & Chriſtus iſtos. *Non audiuit populus meus vocem meam*, ait Pſ. 80. *& Iſrael non intendit mihi; & dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum; ibunt in adinuentionibus ſuis*; quia ſcilicet permittit, vt exquiſitè reprobi ſint, non contenti viâ ad inferos ordinariâ. Quando igitur tanti periculi eſt hæc ægritudo ſpiritualis, videamus, qui ſint iſti ſurdi & quamobrem.

Variis de cauſis contingit homini ſurditas. B. I. Magnates & potentes.
PRIMÒ: Quidam à natiuitate ſurdi ſunt, eò quòd natura in matris vtero inuenit materiam ſibi inobedientem, vt ait Bart. Angl. *l.* 5. *cap.* 12. Iſti ſunt Magnates & Potentes; qui à puero addiſcunt ſalutaria ſpernere monita, eò quòd obedire non didicerint, cùm ſuperiorem non agnoſcant, nec patiantur. Atque hæc omnium perìculoſiſſima eſt ſurditas quemadmodum & naturalis illa, quæ à natiuitate eſt, prorſus incurabilis; vt refert Anglicus *lib.* 7. *cap.* 20. Quæ cauſa quòd tam pauci legantur Imperatores & Reges boni? Nónne dixiſſe fertur Flauij Claudij Imp. ſtultus, ſe omnes Imperatores bonos in ſuo ſculpturum annulo? vt refert Bruſ. lib. 6. c. 21. Cauſam huius rei, dicet tibi Diogenes, qui aiebat magnates & Nobiles, etſi meliores alijs non ſunt, maiori tamen libertate delinquere; quòd ob conditionis libertatem, omnia ſibi licere autumant: apud Laërt. *l.* 6. Dicet tibi Piſtus ille Philoſophus, qui aiebat ideo Principes initio plerumque bonos eſſe; quia naturâ probi ſunt: finire autem malè, quia non habent, qui eis veritatem dicere, aut diſciplinam tradere auſint. Dicet tibi Seneca, qui *lib.* 6. *de beneficijs cap.* 30. ait: *Monſtrabo tibi, cuius rei inopiâ laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit, ſcilicet ille, qui verum dicat.* Vnde non dubitauit Religioſus ille Alberti I. Imp. Concionator, Imperatorem & proceres conſpicatus oſcitanter verbo Dei attendere, Viennæ Auſtriæ pro concione dicere? *Quæritur, an ſaluari poſſint Principes?* Et re in vtramque partem agitatâ: *Quid ni poſſint*, inquit, *ſi modò baptiſmo ſuſce-*

pro, in cuius vagientes moriantur, refert Æneas Sylvius *lib.* 3. *comment. in Panorm.* Non multum hic aberrauit ab Euangelica veritate; ſic enim & Pontifices ac Phariſæi dicunt: *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum?* q. d. nullus, *Ioan.* 7. Contrà verò *turba* (Marc. 12.) *libenter eum audiuit.* Quâ in re Magnates illi per Æſopi fabulam bellè depinguntur apud Herod. lib. 3. Ægrotabat aliquando leo in fœtida admodum ſpeluncâ cubans, ita vt fœtor prætereuntium offenderet nares. Cùm igitur ad viſendum eum veniret aliquando vrſus, interrogatur à leone, num fœtore ſpeluncæ offenderetur. Reſpondit hic, vt res erat, non poſſe ſe fœtorem illum tolerare, nec diutius perſiſtere. Qui mox ob nimiam loquendi libertatem malè mulctatus, vix euaſit viuus. Secundùm hunc venit lupus, qui territus exemplo vrſi, regi aſſentari cœpit, & de fœtore interrogatus, minimè ſe offendi ait, quin potiùs eo ſuper aromata delectari. Hunc in fruſta mox diſcerpit leo, ob impudentiſſimam aſſentationem. Sequitur hos vulpes, quæ priorum ſortem animaduertens, ſimili interrogationi aliud non reſpondit, quam ambulaſſe ſe in nebulis & laborare pituita, ita vt diſcernere inter odores iam non poſſit. Ad viuum ita res habet cum Magnatibus pleriſque. Aperit quis mentem ſuam, & loquitur liberè, offendit: aſſentatur, & aſſentitur, itidem offendit, ita vt vix ſuperſit modus, quo ad virtutis regulam reduci Dynaſtæ poſſint. Hi enim inſtar tecti ſunt, quod niſi reparetur, putreſcunt omnia tigna domûs, & quæ in ea ſunt: reparatu tamen difficile eſt, & periculo plenum. Sed quidquid ſit, reparandum eſt hoc tectum, curandi ſunt hi ſurdi. Et quomodo curabimus? Innuit in hodierno Euangelio Dominus, dum ſurdum apprehendit, ſecumque duxit: Apprehendendi ſunt Magnates, id eſt, amicabili & diſcreta monitione, nec non præuio exemplo ad frugem adducendi. Sic enim cùm quem renuentem conciliare alteri volumus; vel ad cœnam noſtram ducere: manu apprehenſum trahimus. Vnde *Iſa.* 55. ait Dominus: *Quomodo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram: ſic erit verbum meum.* Non comparat verbum ſuum grandini aut vento vrenti, ſed pluuiæ & niui, quæ ſenſim, blandè & ſine offenſâ decidit in viatorem. Sic Nathan correxit Dauid regem propoſitâ parabolâ, quaſi ad alium directâ. Sic vir Dei Ieroboam regem immolantem ſuper altare, dicens: *Altare, altare, hæc dicit Dominus*, &c. 3. *Reg.* 13. Non ait, Rex, Rex: ſed regem ex obliquo tangens altare pro ipſo increpat. Quemadmodum verò Principe iter faciente, non ceſſit propter ipſum nix aut pluuia cadere, ſed in illum æquè cadit atque in ruricolam: ita nôrint Principes à verbi Dei auditu nequaquam ſe exemptos. Adduxerunt aliquando ad Chriſtum adulteram Scribæ & Phariſæi ab eo condemnandam. At quia & ipſi rei erant, talem in eam ſententiam tulit, quâ omnes tangerentur, dum ſingulorum ſcelera

Remediũ.

deſcripſit in terrâ, ita vt vnus poſt alterum bene madidus abſcederet, *Ioan.* 8. vt hoc inſinuetur, 2. *Par.* 23. cùm rex coronatur, vnâ manu diadema ei imponitur, alterâ liber legis traditur.

C. II. *Qui ſibi iam ſapere videntur.*

SECVNDÒ, Alij ſurdi ſunt, quia per ſomnum & inſomnia aures eorum ligantur. Et hi non alij ſunt, quàm qui ſibi ſoli ſapere videntur, nec aliorum egere monitis. Perſimiles hi ſunt Heli ſacerdoti, qui videre niſi extinctâ lucernâ non poterat, 1. *Reg.* 3. ſuopte enim lumine videre ſibi videntur, alienæ doctrinæ lumine, etiam cæciores fiunt. Dormierant non procul à ſe inuicem Heli ſeniculus, & puer Samuel. Et tamen voce à cœlo delapsâ, audiuit eam Samuel, non audiuit Heli; (potuiſſe autem audiri etiam ab Heli, inde patet, quòd Samuel putabat vocatum ſe ab Heli.) Nimirum Heli ſomno oppreſſus vocem non audierat: audiit Samuel, quia vigilabat. Ita profectò innumeri ſunt, qui ad verbum Dei obſurdeſcunt & lucernam verbi Dei ab aliis prælatam intueri nolunt; quia ſibi ipſis magis acuti & ſapientiæ veterani videntur, ſomniantque ſe digito cœlum tangere, intraſſe in theſauros niuis & in profunda maris, vt dicitur Iob 38. Et interim fit vt in cæcitate ſuâ perſiſtant, & reuelentur paruulis, quæ abſconduntur ſapientibus; quemadmodum reuelatum fuit Samueli, quid Heli ſit euenturum, quod celatum iſti fuit. Habuit ſuos aſſeclas Heli ſcribas & Phariſæos, vnde dicunt Ioann. 7. *Numquid ex Phariſæis credidit in eum aliquis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti ſunt.* Sed *in me ſit hæc maledictio*, ait Auguſtinus, quia ſignum potiùs benedictionis eſt verbum Dei audire & credere: maledictionis verò non audire, iuxta id *Deuter.* 28. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro: maledictus eris ingrediens & maledictus egrediens.* Sed quod his medicamentum apponemus? Excitandi ſunt ſomniatores iſti voce Chriſti, *Ephpheta*, quod eſt, *adaperire*. Adaperire autem ſignificat valdè vel magis aperire. Igitur ô ſapientuli, adaperiamini: etſi enim ſapere vobis videmini & ſcientiâ pleni eſſe, magis tamen & ampliùs aperite aures vt magis impleamini, iuxta id Prou. 1. *audiens ſapiens ſapientior erit.* Sanè viri ſancti & verè ſapientes monita ſalutaria etiam à rudioribus libenter acceptabant. Sic Franciſcus voluit & præcepit, vt à fratre ſæpiùs obiurgaretur, tanquam mercenarius eſſet & inutilis ſeruus, muneri ſuo non ſatisfaciens; vt eſt in eius vita. S. Chryſoſtomus monitus à muliercula vt ſubtiliorem in dicendo deponeret ſtylum & planiore diceret, quo à rudioribus etiam intelligeretur, è veſtigio paruit, idque deinceps conſecutus eſt vt vulgo *os aureum* diceretur. Metaphr. in eius vitâ. Quis Moſe ſapientior? Et hic tamen à Iethro, homine multò ſe rudiore, admonitus, ſalutare conſilium accepit, *Exod.* 18. Somniabat Nabuchodonoſor & præuidebat parata ſibi mala, nec tamen inde conuerſus eſt, niſi poſtquam viua Danielis comminatio

Remediũ.

minatio acceſſit, Dan. 4. Petrus viuâ voce conuertit tria millia; cùm ſi ea, quæ dixit, homines illi legiſſent in libris, fortè ne vnus quidem conuerſus fuiſſet. Paulus eruditus erat in lege *ad pedes Gamalielis*, (Act. 22.) & *proficiebat ſupra modum*, (ad Gal. 1.) ſed non priùs, quam viuâ Chriſti voce conuerſus eſt. Actor. 9.

Dauid cui occulta ſapientiæ diuinæ manifeſta erant, (*Pſal.* 50.) curatur à peccato, non per ſe, ſed per alterum prophetam in ſe detonantem, 2. *Reg.* 12. Ad eum ſcilicet modum, quo æger quiſpiam medicus, non ſibimet medetur, ſed ab altero curatur. Vel quo marini piſces, vt Clemens Alexand. *lib. 1. ſtrom.* ſcribit, licet in ſalſo ſemper viuant, ſale nihilominus ad condiendum indigent. Igitur ſi quis ſibi ſalſus, vel etiam ſal terræ videtur: magis ſaliatur; ſiquis ſcientiâ plenus, adaperiatur, vt magis impleatur.

D. III. Qui ſecularibus immerſi negotijs.

Tertiò alij ſurdaſtri fiunt, ob vehementiorem ſonum aures percellentem, quo modo (Ambroſio in hexam. apud Anglic. *lib.* 3. *cap.* 18. & Seneca *lib. 4. nat. quaſt. cap.* 2. teſtibus) Nili ſtrepitus in ortu ſuo, populos ſurdos facit. Huius generis ſunt, qui ſæcularibus immerſi negotijs & tumultibus ita obruuntur, vt ſpiritualia non percipiant: quemadmodum Hebræi dum Ægypti oneribus opprimerentur; vt ex libro Exodi patet. Monente enim Moſe, vt egrederentur in deſertum, *non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus & opus duriſſimum*, Exodi 6. Vnde ait ibid. Moſes: *ecce filij Iſrael non audiunt me: & quomodo audiet Pharao?* Moſes cùm ad populum conuertebatur, velamen ſuper faciem ponebat: cùm ad Deum conuertebatur, deponebat velamen, *Exod.* 34. Sed quis auerſus, qui conuerſus? *Omnis, qui dum concio fit*, inquit Origen. hom. 12. ſuper Exod. *de negotijs ſaculi, de pecunia, de lucris, de gloria ſaculi & mundi honoribus ſolicitudinem gerit, auerſus eſt. Sed quid eſt cõuerti? ſi his omnibus terga vertamus, & ſtudio & actibus, mẽte & ſolicitudine verbo Dei operã demus, & omiſſis omnibus Deo vacemus, hoc eſt, conuerſum eſſe ad Dominum. Sed quid de illis qui in remotioribus locis dominica domus ſacularibus fabulis occupantur? De his ergo auſus ſum dicere: quia non iam velamen ſuper cor eorum, ſed paries quidem & murus eſt potiùs*, hæc ille. Quid faciendum his ſurdaſtris? Quod Dominus fecit ſurdo, abducẽdo eum ſeorſum à turbâ. Molitor vt loquentes audiat, è molendino exit: ita vt vocem Chriſti audias, è gyrantium curarum ſtrepitu exeas neceſſe eſt. *Quem docebit ſcientiam*, ait Eſaias cap. 28. *& quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.* Et Oſe. 2. *Ego lactabo eam & ducam eam in ſolitudinem & loquar ad cor eius.* Sic enim & Moyſes, poſtquam ad interiora deſerti duxiſſet ſuũ gregem, vidit & audiuit loquentem ſibi Dominum, *Exod.* 3. Vnde Bern. ſerm. de obedientia, patientia & ſapientia. *Studeamus* (inquit) *furari aliquando noſmetipſos & à peſſimis occupationibus iſtis ſurripere vel ad horam, ſaculari animos, vibrare corda in id quod ſuum eſt*, &c. Dicamus cum Samſone, Iud. 16. *Egrediar & me excutiam.* Egrediar è molendino, excutiam me à ſolicitudinibus huius ſæculi.

Remedii.

E. IV. Qui ſibi malè conſcij.

Quartò. Alij ſurdi fiunt, cùm ex vlcere aut apoſtemate aures patiuntur, vt ſcribit Anglicus *lib. 7. cap.* 20. quia enim læſum eſt organum, non admittit ſonum. Huc pertinent ij, qui cùm ſibi conſcij ſint quorundam flagitiorum, metuunt ne carpantur & pro concione perſtringantur; hoc enim tolerare nequeunt. Vnde Eccleſiaſt. 21. dicitur: *Audiuit* (verbum Dei) *luxurioſus & diſplicebit ei, & projiciet illud poſt dorſum ſuum.* Nimirum ſola verbi Dei recordatio eiuſmodi vlceroſis pœna quædam eſt: ſicut qui nauſeâ laborant, ipſo cibi aſpectu torquentur; idcircò poſt tergum reijcitur verbum à corrupto animo. Idem confirmat Sapiens Prou. 18. *Nec recipit ſtultus verba prudentia, niſi ea dixeris qua verſantur in corde eius.* Nec mirum; *Quomodo enim poſſunt*, ait S. Ambroſius in Pſalm. 118. *verba Dei dulcia eſſe in faucibus tuis, in quibus eſt amaritudo nequitia?* Suauiter loquebatur Caino Dominus Gen. 4. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? nónne ſi bene egeris, recipies?* ſed nihil tamen profecit; quia Cain gerebat in pectore virus, animum occidendi fratrem. Increpat deinde illum: *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Sed necdum hic corrigitur, quia vlcus in animo gerebat, quod tangi nolebat, occultare conabatur. Similiter Herodes Ioannem libenter audiebat, niſi cùm libidinem ſuam taxari ab eo vidit, *Marci* 6. Quid igitur his remedij? Ad imitationem Domini digiti mittendi in illorum aures: perſtringenda ſunt eorum vitia; ibi enim apponenda medicina, vbi eſt vlcus: aures iſtorum vlceroſæ ſunt, vt vidimus; igitur vlcera illa tangenda. Sic enim hodie Dominus, quia aures ſurdi obturatas eſſe & occluſas vidit, digitis ſuis eas quaſi perforat terebratque, vt aduertit ibi Maldonatus. Sic etiam S. Auguſtinus dicere Auditoribus ſuis conquerentibus de nimiâ ſcelerum redargutione, ſolebat: *emendate vitam & mores veſtros & ego emendabo linguam meam.* Vt enim non audiendus eſt vlceroſus, cùm in vlcerum purgatione vel vſtione reclamat: ita nec curanda reproborum oblocutio, cùm ſalubriter increpantur. Cæterùm vti digitos, non manus miſit in aures ſurdi Dominus: ita non niſi diſcretè corrigenda reproborum vitia; digitus enim diſcretionis typus eſt.

Remedium.

F. V. Qui increduli ſunt.

Quintò. Alij ſurdi fiunt ob incluſum in auribus denſiorem aërem, ſeu ventum aliquem, qui quia incluſus eſt, tinnitum & ſtrepitum in auribus concitat, vnde videntur aliqui audire ſemper campanas, cornua, aut organa. Et hi increduli ſunt, qui iis quæ in concionibus dicuntur, fidem non habent, & hoc ipſo palàm faciunt ſe fideles non eſſe. Vnde fit, vt omnia quæ dicuntur, inanis ſtrepitus & tinnitus eis videantur. Quemadmodum *Ioan.* 12. cùm vox de cœlo ad Chriſtum venit: *Et clarificaui & iterum clarificabo:* turba incredula tonitruum factum eſſe dicebat: fideles ſoli intellexerunt. Similiter *Ioan.* 6. incredulis durus eſt

eſt ſermo Chriſti; cùm contrà Petrus ibid. dicat. *Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus*, &c. Ita nimirum incredulis omnia ſunt dura & difficilia creditu: omnia ſunt tonitrua & mera aëris verbera. Quid faciemus iſtis? Non video, niſi vt ingemiſcamus & miſeriam eorum deploremus, quemadmodum & Chriſtus circa ſurdum hunc ingemuit. Cùm enim hi fundamento ſalutis careant, fruſtra commonentur vt virtutes amplectantur, vitia abominentur, niſi fide præditi ſint. Quare hi, cæcorum inſtar rectà ad interitum pergunt. Exemplo eſt Dux ille, 4. Reg. 7. qui dum prædictionem Eliſei pro fabula & tonitruo habet, viſo prophetiæ euentu in ipſo introitu portæ conculcatus eſt. Appoſito ſanè ſupplicio; ſiquidem & ipſe verba Eliſei auribus ſuis non recepit, ſed in oſtio quodammodò aurium ea conculcauit. Nec aliter euenit incredulis illis, qui prædicenti ſibi Moyſi grandinem ingentem, fidem non habuerunt; *qui enim timuit verbum Domini, de ſeruis Pharaonis, fecit confugere ſeruos ſuos & iumenta in domus: qui autem neglexit ſermonem Domini, dimiſit ſeruos ſuos & iumenta in agris*, vt dicitur Exod. 9. factúmque vt iſtis omnia perirent, non illis. Denique ſi remedium hîc quæratur, oratio eſſe debet, vt increduli illuminentur: ſic enim & Chriſti gemitum orationi iunctum fuiſſe docet eo loco Theophylactus.

Remediũ.

G. VI. Qui malitioſè nõ audiunt.

Sextò. Alij denique voluntariè & malitioſè ſurdi ſunt, qui vltrò occludunt aures ob certum aliquod odium, quod habent erga monentem. Qui Pſ. 57. dicuntur *aſpides ſurdæ & obturantes aures ſuas, quæ non exaudiunt vocem incantantium & venefici incantantis ſapienter*. Incantator in Eccleſia concionator eſt, qui ſancta & vtilia ſuadet: ſed quemadmodum aſpis ob naturale hominis odium, aures ſuas obturat, alteram caudâ, alteram terrâ, vt ſcribit Iſid. 12. Orig. cap. 4. ita multi lymphato quodam in Doctores odio aures occludunt ſuas, ne incantationem illorum quantumuis ſapientem audiant. Sed quo id artificio? partim caudâ propriæ turpitudinis, partim terrâ alienarum ſordium, dum ea tantùm, quæ in Concionatore culpabilia ſunt, conſiderant & exaggerant; iuxta id Ier. 8. *Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos.* Pugnabat cum huiuſmodi regulis S. Stephanus Act. 7. *At illi continuerunt aures ſuas & impetum fecerunt vnanimiter in eum.* Quin etiam mordebant, dum *ſubmiſerunt viros qui dicerent ſe audiſſe eum dicentem verba blaſphemiæ*, Act. 6. Sed quid dabimus remedij iſtis? ſuſpiciebat in cœlum Dominus, quando ſurdum hunc curabat: ita quoque faciat qui ſiue proprio affectu, ſiue ob prædicatoris vitia, ſpernit illius monita. Cœlum aſpiciat, vnde verbum illud fluit, non perſonam per cuius os manat. Vt enim is qui literas à rege per tabellarium accipit, non curat tabellarium, nobilis ſit an plebeius, ſordidus an elegans: ſed literas oſculatur & nũcium honorat, quia regis ſunt. Similiter & æger conſilium à Medico petens, ſolicitus nõn eſt ſi medicus ipſemet ægrotet: ita par eſt facere eos, qui verbo Dei & indigent & monentur. Inſaniret is mercator, qui vinum empturus, aut frumentum, magis reſpiceret ad dolium & ſaccum, quàm ad vinum & frumentum. Talis vtique eſt, qui ad prædicatorem magis attendit, quàm ad Dei verbum. Quod ſi in terram aſpexeris, facilè in concionatore inuenies terræ quaſpiam ſordes quibus aures tuas occludas. Quid enim ſi terreni homines, terreni quiddam contrahant? Adhæc nónne lima limando hebetatur? lyra lyrando atteritur? horologium aliis horologiſando eneruatur? Quid mirum ſi quandoque director dirigendo? Quare, Auditores, caueat ſibi quiſque ab huiuſmodi ſurditate: adaperiat potiùs aures ſuas monitis ſalutis, ne ad ſurdas illas aſpides, quibus in æternum non eſt incantatio, aliquando amandetur.

Remediũ.

CONCIO V.

Media, vt opera noſtra bene fiant.

Vt opera noſtra bona ad cælum euolent, ſex aliis opus habent.

1. *Vt fiant iuxta Dei voluntatem.*
2. *Bonâ intentione.*
3. *In charitate.*
4. *Accuratè & ſtudioſè.*
5. *Fortiter & conſtanter.*
6. *Fiant quaſi in conſpectu Dei.*

THEMA.

Bene omnia fecit. Marci 7.

Scribunt Veteres (Plut. *in Pericle*, & *lib. de mult. amic.* & alij) Zeuxidem, eximium pictorem, Agatarcho itidem pictori, cùm hic gloriaretur ſe citiſſimè pingere, argueretque tarditatis Zeuxidem, ſcitè reſpondiſſe: *Tu tempori, ego pingo æternitati.* Opera noſtra bona, Auditores, quæ ex lege & ratione religionis Chriſtianæ peragimus, quid aliud niſi picturæ ſunt, quibus Dei oculos oblectare, & vitam æternam promereri volumus? Magno igitur ſtudio, magnâ diligentiâ perficienda ſunt; quia Deo, quia cœlo, quia æternitati pingimus. Dicant, quidquid velint, ſæculi amatores, qui hiſce imaginibus exiguum aut nullum impendunt ſtudium, ſoli mundo vacant; quia ipſi tempori, nos æternitati pingimus. Docemur autem hoc in hodierno Euangelio; vbi Chriſtus forſitan ideò tardiùs & pluribus adhibitis morulis ac cæremoniis ſanauit ſurdum & mutum, vt doceret nos bona, quæ facimus, & benè & accuratè facere: quò nimirum & ipſi audire aliquando mereamur, quod ipſe hodie audiuit: *Bene omnia fecit*, A.

Digitized by Google

fecit. Quâ verò ratione opera noſtra benefacienda ſint, nunc videbimus.

Iſaias cap. 6. vidit Seraphinos ſex inſtructos alis coram Dei throno. Quòd ſi opera noſtra bona, ſex etiam alas ſeu conditiones habeant, poterunt haud dubiè ad cœlum euolare.

B. I. Fiant iuxta Dei voluntatem.

Ala PRIMA. Fiant iuxta Dei voluntatem, Hæc ſit velut regula noſtrarum actionum, ſemper reſpicenda. Quemadmodum enim faber murarius & lignarius ad regulam & perpendiculum omnia ſua opera ſtruit: ita Chriſtianus ſingulis operibus ſuis applicet hanc regulam, an ſint Dei voluntati conformia. Hinc Gregorius *lib. 6. Moral.* ait: *In cunctis, quæ agimus, vim ſupernæ voluntatis inquiramus.* Et Ammon Abbas apud S. Ephrem tom. 2. in c. paræn. c. 10 *In quacunq; re primùm probes oportet, an Dei ſit voluntas iſta.* Imò hanc regulam præſcribit Apoſtolus ad Rom. 12. dicens: *Probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta.* Eaque vſus fuit ipſe Chriſtus, qui dixit: *Quæ placita ſunt ei* (Patri) *facio ſemper*, Ioann. 8. Sic famuli regum qualibet horâ cogitant, quid placeat regi, quid ipſe velit, omneſque eius nutus obſeruant, & ad eos ſe accommodant, ita vt non tam ire quàm volare videantur ad eorum iuſſa perficienda. Quantò magis id nos debemus Deo noſtro! Huiuſmodi Dei ſeruus fuit B. Aloyſius Gonzaga Soc. IESV, qui dictitabat ſe lætum mori, nec vllius rei, ac præſertim nimiæ auſteritatis habere ſcrupulum, quòd nihil feciſſet, niſi ex voluntate Dei, cuius interpres erat ſuperior.

C. II. Fiant bona intentione.

SECVNDA. Fiant bonâ intentione; purè ſcilicet propter Deum. Demptâ hac conditione, benè fieri nequeunt. Hinc eſt, quòd cæteras creaturas omnes laudauit Deus, ſimul ac creauit: (*Vidit Deus quod eſſet bonum,*) hominem verò non laudauit; quia vt reſpondet S. Ambroſius *l. 1. Inſtit. Virg. ad Euſeb. cap. 3.* cæterum creaturarum profectio conſiſtit in extrinſeco: hominis verò bonitas & perfectio poſita eſt in intrinſeco, ſeu in rectâ intentione operum eius. *Sicut fabrica*, inquit S. Gregorius, *columnis, columnæ autem baſibus innituntur: ita vita noſtra in virtutibus, virtutes autem in intentione intimâ ſubſiſtunt.* Et rursùm: *Si ſemel,* ait, *cor intentione corrumpitur, ſequentis actionis medietas, & terminus ab hoſte callido securè poſſidetur; quoniam totam arborem ſibi fructus ferre conſpicit, quam veneni dente in radice vulnerauit. Summâ curâ vigilandum eſt, ne vel bonis operibus ſeruiens mens, reproba intentione polluatur.* lib. 1. moral. cap. 38. Prudens igitur arbor fuit ſponſa, quæ dixit: *Omnia poma, noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi.* Cant. 7. q. d. ſtudui omnia mea opera, quaſi fructus tibi gignere, & à ſiniſtræ intentionis labe immunes ſeruare. Turpe æſtimamus, quod ſiniſtra manu porrigimus. Hinc à liberis, qui neſciunt, quid ſit inter dextram & ſiniſtram, parentes exigunt dextram: Das ſchön Händle / vti dicimus. Siniſtra manus, ſiniſtra intentio: dextra manus, recta intentio eſt. Fœdantur ergo opera noſtra, quando ea Deo ſiniſtrâ manu offerimus. Hinc S. Auguſtinus in Pſalm. 136. ait *Nónne corripis eum, qui de ſiniſtrâ voluerit manducare? Si menſæ tuæ iniuriam putas fieri, manducante conuiuâ de ſiniſtra; quomodo non fit iniuria menſæ Dei, ſi quod dextrum eſt ſiniſtrum feceris?* Hoc autem facit, qui opera alioquin ex ſe bona, per intentionem malam violat. *Siue ergo manducatis ſiue bibitis* inquit Apoſtolus 1. Cor. 10. *ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*

D. III. Fiant in charitate.

TERTIA. Fiant in charitate, ſeu ex impulſu amoris diuini, non coactè, vel ex timore, Ita monet Apoſtolus 1. Corint. 10. *Omnia veſtra in charitate fiant.* S. Euthymius vt refert Surius tom. 1. dicebat: *Charitas hoc eſt virtutibus, quod pani ſal.* Vt ergo panis azymus & ſale deſtitutus, inſipidus eſt: ita opus bonum, quod non fit in Dei amore. Hanc fortaſſe ob cauſam præcepit Deus, Leuit. 2. *Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies.* Et Chriſtus Marci 9. *Omnis victima ſale ſalietur.* Intellexit hoc prudens anus illa, quæ B. Yuoni deſignato Oratori à Ludouico Pio Gallorum rege, ad Sultanum Damaſcenum, obuiam venit, alterâ manu teſtam prunis plenam, alterâ phialam aquæ geſtans. Mirante verò illo, quidnam hoc ſibi vellet & quærente, reſpondit anus: *Hoc igne paradiſum comburere, aquâ infernum extinguere volo. Ecquid*, inquit Yuo, *tam arduam rem moliris? Vt nemo,* reſpondit illa, *impoſterum benè operetur præmij ſpe inductus, metuq; pœnarum nullus à ſcelere deſiſtat: ſed vt omnes vero amore, quem Deo debemus, accenſi rectè viuamus.* Hanc tam grauem piæ anus vocem ſtupuit & laudauit Sanctus, Ionuil. *in vitâ Ludouici. c. 57.* Non ſint ergo mercenaria vel ſeruilia opera noſtra, ſed ex Dei amore profecta; ita coram Deo ſuauiter redolebunt. Experientia docet, ſi vettonicæ floris radici caryophyllum inſeras, ſimulque complantes, flores omnes eius odorem referre. Ita tota vita noſtra, omniſque actio & ſermo ſpirabit odorem dilectionis Dei, ſi odoriferum hoc germen cordibus noſtris inſeramus.

E. IV. Fiant ſtudiosè.

QVARTA. Fiant accuratè & ſtudioſè, ad hunc vel ſimilem modum, Primò, quaſi nihil aliud agendum haberes, præter id, quod præ manibus eſt. Dæmonis fraus eſt, dum pio incumbis operi, alia tibi agenda ſuggerere, vt te ab illo diſtrahat. Oras? ſuggerit ſtudia. Studes? ſuggerit orationem aliave negotia, vt neutrum ſcilicet bene facias. Hunc igitur vt eludes, ad vnum id attende, quod agis: reliquorum omnium cogitationem abijce. Hoc ſibi voluit Eliſæus, cùm ſeruum ſuum miſit ad excitandum à morte puerum, 4. Reg. 4. *Si occurrerit tibi homo,* inquit, *non ſalutes eum: & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* Hoc & Dominus noſter, quando mittens ad prædicandum diſcipulos ſuos, dixit: *Neminem per viam ſalutaueritis.* q. d. vni huic negotio prædicationis vobis demandato, intenti eſtote. *Non ſalutationis officium aufertur,* inquit S. Ambroſius lib. 1. in Lucam, *ſed obſta-*

cultus impedienda deuotionis aboletur; vt quando diuina mandantur, paulisper ſequeſtrentur humana. Hoc denique & Ethnici ſibi voluere, quando inter ſacrificia ſua præconem clamare iuſſerunt: *Hoc age, hoc age*; teſte Plutarcho; q.d. Ne ad alia nunc intendas animum: ſed ad id, quod agis. Quare Chriſtianus, cùm orat, cùm Miſſam vel concionem audit, cùm exomologeſin facit, cùm Euchariſtiam ſumit ſibimet inclamet: *Hoc age, hoc age.* Neminem ſalutet, cogitationem aliò deflectendo; & ſi ab importunâ cogitatione ſalutatus quodammodo fuerit, non reſpondeat illi.

2. Secundò. Quaſi hæc tua actio ſit vltima totius vitæ tuæ. S. Bernardus *in ſpec. Monach.* ita monachum inſtruit: *In omni tempore ſuo dicat ſibi ipſi: Si modò moriturus eſſes, faceres iſtud?* Idem ſibi quiuis Chriſtianus dicere poteſt: Si modò moriturus eſſes, nunc tam obiter confeſſionem tuam perageres? num tam oſcitanter orares, vel Miſſam audires? num de mundi opibus, voluptatibus, honoribus cogitares. Videmus certè eos, qui diem & horam mortis ſuæ præſciunt, velut reos morte plectendos, vel alios de vitâ periclitantes, in pietatis opera multò ardentiùs incumbere, quàm vnquam aliàs incubuerint: orant diutiùs & feruentiùs, inuocant Deum & Sanctos enixiùs, confitentur peccata ſua accuratiùs, communicant deuotiùs; quia nimirum exiſtimant, fore hæc exercitia, vitæ ſuæ vltima. Quando igitur nos omnes neſcimus diem & horam mortis noſtræ, iure optimo & ſalubriter cogitare poſſumus, id quod Horatius cecinit: *Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum*; Omnes proinde actiones noſtras fore nobis poſtremas.

F. V. Fiant fortiter & conſtāter.

QVINTA. Fiant fortiter & conſtanter, animoque imperterrito, non tepidè vel timidè; ſed cum certâ fiduciâ, adfore Deum noſtris conatibus, & qui dedit velle, daturum & perficere. Eximius in hac re fuit Moyſes, qui ad Dei mandatum ſuſpendit contra ſolem omnes Principes populi; qui cum Madianiticis mulieribus peccauerant; effecitque, vt qui priùs ipſo ſpectante ſine omni metu aut reſpectu eius deliquerāt, poſteà contra tam ſeuerum vindicem mutire non auderent. *Num.* 25. Paris animi fuit eius ſucceſſor Ioſue, qui difficilima bella Dei iuſſu aggreſſus, magnâ animi fortitudine perdurauit. Ita ante vrbem Hai, non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai, *Ioſ.* 8. Ita ſolem ſtare iuſſit ac fecit, donec vlciſceretur ſe de Gabaonitis, Ioſ. 10. Petrus quia timidè intrauit atrium Pontificis, citò & facilè deiectus eſt à fidei propoſito: contrà diſcipulus alter, quia audacter introiuit, tale periculum non habuit. Multum in eo ſitum eſt, quo animo & pectore opus aggrediamur, timido an audaci, tepido an feruente. Quemadmodum enim leones (ſi modò non ſint degeneres) ſicut ipſi generoſi ſunt, ita generoſos verentur homines & eorum voces horrent, ideoque nolunt limis oculis (vt ſcribit Plin. *lib.* 10. *cap.* 63.) aſpici: ita & bona opera generoſè decet aggredi. Refert Cranzius in Sax. hiſt. de Henrico Comite Holſatiæ, qui à robore dictus eſt ferreus; immiſſum aliquando in eum fuiſſe leonem aſtu Anglorum in palatio Eduardi III. Angliæ regis. Verùm Henricus obuiantem ſibi in gradibus cum rugitu leonem, ſolâ hac voce, *Quieſce canis ferox*; terruit. Proſtratum enim mox leonem manu apprehendit & in caueam ſuam duxit. Aliâ vice, Lutetiæ leonem è clauſtris elapſum, ſibique à tergo adhærentem toruo tantùm aſpectu terruit, vti is ad pedes procubuerit inſtar blandientis & veniam petentis. Maiol. *tom* 4. *canic. coll.* 1. Hunc igitur in modum & nos ſi opera, quamuis difficilia, fortiter aggrediamur, fæliciter peragemus. Palmæ feruidas amant regiones: ita vitiorum victoriæ feruidos poſtulant homines. Flumine aduerſo in cœlum nauigamus; magnus ergo conatus & feruoris impetus nobis neceſſarius eſt, vt vincamus fluminis impetum. Vnde Venerab. Beda in cap. 3. Lucæ ait: *Niſi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur, per quam anima ſemper ad ima reuocatur.* Sanè D. Bernardus *ſerm.* 1. *in F. S. Andreæ* primos parentes idcirco tam facilè lapſos cenſet, quòd in fide & voluntate ſeruandi legem Dei tepidi fuerint, quaſi moleſtum foret eis diuinum mandatum; vti indicant Euæ verba: *Ex omni ligno paradiſi comedimus, de ligno autem ſcientiæ boni & mali dixit nobis ne comedamus. Non dicit: ſic eſt voluntas creatoris: quare ſic, ipſe nouit: nobis ſufficit obedire, quia vita noſtra in voluntate eius.* Similiter Adami *bona voluntas non habuit fortitudinem, quia non habuit feruorem.* Ita Bern.

SEXTA. Ad extremum, vt fiant modis prædictis, medium efficax ad hoc eſt, ſi fiant quaſi in conſpectu Dei. Seneca virtutis ſtudioſo ſimile quid conſuluit: *ſic fac*, inquit, *tanquam ſub alicuius boni viri ac ſemper præſentis oculis*, ep. 25. Quòd ſi præſentiam boni viri ſatis efficacem exiſtimauit hic Philoſophus ad incedendum ſemper in virtutis tramite? quantò efficacior ad hoc erit memoria præſentis Dei? Hoc voluit S. Ioannes, cùm *Apocal.* 4. deſcribens ſancta animalia ſtantia ante thronum Dei, dixit ea fuiſſe plena oculis antè & retrò, foris & intus. Significauit enim eos, qui volunt Deo debitè ſeruire, & ante eius thronum ſtare, debere eſſe oculatiſſimos & circumſpectiſſimos in omnibus ſuis operibus, ne quid tantâ maieſtate indignum committant, loquendo, videndo, audiendo, cogitando, appetendo, &c. Videmus certè eos, qui coram rege vel principe aſſiſtunt, vultum, os, inceſſum, geſtuſque omnes componere ad gratiam principis, ne quid in ipſis deprehendatur, quod oculis eius diſpliceat. Meminit Pierius libr. 2. Hierogl. cap. 2. Elephantem quendam, cæteris indociliorem ad ſaltandum, Romæ extitiſſe, ideoque à magiſtro ſæpiùs caſtigatum, ſeipſum noctu ad lunam

G. VI. Fiant quaſi in conſpectu Dei.

exer-

exercuiſſe in ſaltatione, donec artem perdiſceret. Fecit hoc brutum animal. Exerceat ergò & homo ſemetipſum in conſpectu Dei ad benè operandum, iuxta id Apoſtoli 1. Timoth. 4. *Exerce teipſum ad pietatem*, cogitet ſe à Deo vndique ſemper aſpici & circumſpici. Ita monuit S. Ioannes ep. 1. c. 3. *In conſpectu eius ſuadebimus*(id eſt, probabimus, vt exponit ibi Corn. à Lap.) *corda noſtra*. Ita faciebat inter alios S. Xauerius, qui dicebat: *Vbicunque fuero, meminero me in orbis theatro & in oculis Dei verſari.* Ita S. Cyprianus tract. de zelo in fi. *Cogita*, inquit, *ſub oculis Dei nos ſtare ac indicante ipſo conuerſationis ac vitæ noſtræ curricula decurrere, peruenire nos tunc demum poſſe vt eum videre contingat, ſi ipſum nunc videntem delectemus actibus noſtris; ſi nos dignos gratiâ eius & indulgentiâ præbeamus; ſi placituri ſemper in regno, in hoc mundo antè placeamus.*

Hæ igitur ſunt alæ, quibus opera noſtra ad cœlum euolare debent, Diſcamus ergo à Chriſto Domino noſtro ex hodierno Euangelio ea quæ facimus, benè facere, ne fruſtrà nos laboraſſe aliquádo doleamus: & qui æternitati pingere debebamus, tempori, vanitati, morti & æternæ obliuioni pingamus.

CONCIO VI.

Septem mundi bona.

Primum eſt varietas rerum quæ in mundo ſunt.
2. *Vniuerſitas ſeu plenitudo.*
3. *Ordo & diſpoſitio.*
4. *Connexio partium inter ſe.*
5. *Proportio rerum inter ſe cum mundo.*
6. *Sympathia & antipathia.*
7. *Optima mundi adminiſtratio.*

THEMA.

Bene omnia fecit. Marci 7.

A. Sola Dei opera omnibus numeris perfecta.

PLinius in præfatione operis ſui tradit, veteres pingendi fingendique nobiliſſimos artifices, opera ſua, etſi abſolutiſſima illa & quæ poſteri mirando nunquam ſatiantur, pendenti titulo ſic inſcripſiſſe; *Apelles faciebat*; vel, *Polycletus faciebat*, non autem *Fecit*: eâ re inſinuantes, opera eſſe inchoata nec omninò perfecta: & quod in eis deſiderari poſſet, ſe quidem emendaturos fuiſſe, niſi morte eſſent intercepti; Tria tantùm reperta eſſe abſolutè inſcripta. *Ille fecit*; tanquam in illis ſumma artis ſecuritas artifici placuerit; quæ tamen omnia magnæ hominum inuidiæ fuerunt obnoxia. Nec verò immeritò; non enim hominum ſed Dei eſt, facere opera omnibus numeris perfecta, quibus nemo quidquam poſſit addere vel demere: Cuiuſmodi opus eſt hæc mundi machina, adeò abſoluta vt Moyſes ſecuriſſimè potuerit ei adſcribere: *Fecit. Vidit enim Deus, inquit, omnia quæ fecerat, & erant valde bona*: tanquam opus illud iudicio ipſius Opificis Dei ſit comprobatum. Et Eccleſ. cap. 3. *Cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo, nec poſſumus eis quidquam addere vel detrahere.* Itaque quod in hodierno Euangelio populus de patrato Chriſti miraculo dixit: id nos quoque de ipsâ mundi fabricâ meritiſſimo iure dicimus: *Bene omnia fecit.* Quare vt hunc opificem eiuſque bonitatem, potentiam, ſapientiam & prouidentiam admirari & laudare poſſimus: contemplabimur eius opus.

B. I. Varietas rerum, quæ in mundo ſunt.

Mira & pulcherrima eſt mundi machina, ob ſeptem potiſſimùm eius bona. Quorum PRIMVM eſt varietas rerum, quæ in mundo continentur. Aliæ enim ſunt incorporeæ, aliæ corporeæ; aliæ partim incorporeæ, partim corporeæ. Incorporeæ ſunt Angeli, & hi diuiduntur primò in tres hierarchias, deinde quælibet hierarchiæ in tres choros. Corporearum aliæ ſunt incorruptibiles, vt cœli & ſydera; aliæ corruptibiles eæque duplices, inanimes & animatæ. Inanimatæ aliæ ſimplices vt elementa, aliæ compoſitæ vt lapides, metalla & ſimilia, horumque ſpecies innumeræ. Animatæ aliæ ſenſitiuæ vt animalia; aliæ ſine ſenſu vt plantæ. Vtrarumque ſpecies innumeræ. Denique aliæ partim corporeæ, partim incorporeæ, vt homines. Iam verò in hominibus quanta varietas in forma & vultu, in greſſu, voce, ingenio, linguâ, ſtudiis, moribus, legibus, inſtitutis, religionibus? In brutis quanta rurſum diuerſitas qualitatum non ſolùm in diuerſis ſpeciebus, ſed etiam in eâdem? Papiliones viliſſimi ſunt vermes, & quanta in his ſolis varietas? Alij ſunt albi, alij flaui, alij cærulei, alij oculati, alij aliorum colorum, vt vel in minimis animalculis appareat ſummum artificium Dei. Quanta item in florum coloribus, odoribus, formâ, figurâ, virtute, foliis? cauſa verò tantæ varietatis eſt ornatus mundi, & vt ſingulæ rerum ſpecies à ſe mutuò diſcerni poſſint. Speciatim verò maxima varietas cernitur in coloribus domeſticorum animalium eiuſdem ſpeciei; referebat enim vt vicinus quiſque ſuos equos, boues, canes, feles, ſues, gallinas, columbas, anſeres, anates, &c. ab alienis dignoſceret, ad pacem & ſua conſeruanda.

C. II. Vniuerſitas ſeu plenitudo.

SECVNDVM, Eſt vniuerſitas ſeu plenitudo. In mundo enim ſunt omnia tripliciter. Primò, ſecundum gradus genericos rerum, qui ſunt quatuor, Eſſe, viuere, ſentire, intelligere. Secundò, ſecundum horum graduum genera omnia & ſpecies ſubalternas. Vti v. g. intelligentium alij ſunt angeli, alij homines: Sentientium, alia quadrupedia, alia volatilia, alia natatilia, alia reptilia, &c. Tertiò, quòd nihil vſpiam ſic à Deo factum, quod in mundo non contineatur. Addi poteſt quartò, quod omnia ſunt in mundo, quæ ad eius gubernationem & cuiuſcunque rei conſeruationem pertinent & naturam, ita vt nihil in mundo redundet, nihil deſit. Quid inprimis addi ſupra quatuor elementa poſſet? & quo eorum carere poſſemus? Membris deinde humanis, ſi vel vnum adiicias, v. g. digitum, manui aut pedi, oculum capiti, non ſolùm erit ſuperfluum ſed etiam deforme & impedimento. Viciſſim ſi vel

vnum tollas, illicò impeditum te & inhabilem ad multa deprehendes. Quæ ars, quod opificium eſt, cui commodè exercendo non ſufficiant membra hominis? cui inſtrumento muſico non ſufficiant, & apta ſint os, pedes, manus, digiti?

D. III. Ordo & diſpoſitio.

Tertivm, Ordo & aptiſſima pulcherrimaque rerum omnium diſpoſitio; nobiliores enim ſummum tenent mundi locum, mediæ medium, ignobiles infimum, eaque per ſuperiores aguntur, ſeruantur & reguntur. Sol & luminaria debebant eſſe ſupra nos, ad illuminandum: aër circa nos ad ſpirandum, mouendum & ſpecies rerum ſenſibilium percipiendas: terra ad ſuſtentandum, & aqua ad nauigandum, infra nos. Inter ipſa luminaria ſol poſitus eſt in medio, ad illuminandum tam ea, quæ ſupra ipſum ſunt, aſtra, quàm ea quæ ſunt infra ipſum, qui etiam motum inæqualem habet, modò accedit, modò recedit, vt ſic totam terram viſitet, & ſuo calore ac lumine foueat. Maria ibi potiſſimùm poſita vbi incommodum eſt habitare, ſiue propter æſtus ſub æquatore, ſiue ob exceſſum frigoris, circa polos: Temperatæ regiones in ſicco poſitæ. Regiones ita diſpoſitæ, vt quælibet haberent hinc ſuas aquas, fluuios, riuos, fontes, puteos; ſyluas adhæreſcentes; illinc arua & prata, montes & valles, &c. Idem quoque in humanis membris & cuiuſlibet creaturæ videre eſt. Oculus tanquam ſpeculator in capite poſitus: qui ſi in brachio vel pede foret, non ſolùm deformis, ſed etiam inutilis foret: cæteri ſenſus velut in arce compoſiti, & ad ſuas ſtationes aptè diſtributi. Ordo item temporum pulcherrimè diſpoſitus eſt, ad frugum modò harum, modò illarum varietatem progignendam. Ver floribus, æſtas meſſibus, autumnus vindemiæ, hyems oliuationi deputata, vt ſingulis collecturis vacari queat. Rurſum ne ſola hyems glacie terram vreret, aut ſola æſtas ardore torreret, autumni & veris medium inſertum eſt temperamentum. Adhæc noctis & diei viciſſitudo facta, non ſolùm propter alternam viuentium requiem, ſed etiam propter victum, quo nimirum & feræ quærerent ſibi de nocte cibum ac neceſſaria, & homines atque cicuria animalia de die, abſque timore & inſidiis illarum.

Denique per ſuperiora aguntur, conſeruantur & reguntur inferiora. Cœlorum influxus agit in ſublunaria, & cogit aërem ad varias tempeſtates & ventos: aër nubes vehit ad terræ irrigationem & nauium promotionem, atque ita maria & lacus gubernat: aqua terram ſulcat, diuidit, conſeruat, irrigat.

E. IV. Connexio partium inter ſe.

Qvartvm, Connexio partium inter ſe mira & arctiſſima. Primò, ſecundum quantitatem, vt nihil ſit vſpiam vacuum. Hoc enim tam fœdum eſſet, quàm eſt domus pulchra, vacuas tamen & ſupellectile carentes cameras habens; vel ſcalis deſtituta, per quas de vnâ contignatione ad alias eatur. Propterea igitur grauia potiùs aſcendunt, leuia deſcendunt, quàm vacuum dari ſinant. Sic etiam in ſingulis corporibus vnaquæque pars aliis viciniis aptiſſimè & amiciſſimè aſtricta & deuincta eſt.

Deinde ſecundùm ſpecierum naturalium conſeruationem, vt nulla ſit interruptio. Aliæ enim ex ſe generant ſibi ſimiles, & ad hoc inditam ſibi habent cupidinem; vt animalia; aliæ gignunt & relinquunt poſt ſe ſemen, vnde ſpecies collapſæ reparentur, vt plantæ: aliæ in alias tranſmutantur, vt inanimata, & hoc ferè annuatim. Omni enim anno, qui eſt ſolis reuolutio, redit quaſi nouus mundus, qui poſt corruptionem rerum, quæ eſſe deſinunt, reparatur generatione & ſucceſſione earum, quæ eſſe incipiunt: atque ita conſeruatur mundus, & fit quaſi immortalis, quantumuis habitetur à rebus mortalibus. Videmus itaque omni anno noua in terris animalia, nouos in mari piſces, nouas in aëre volucres: ſimul & cum animalibus quotannis nouum producitur pabulum, quo alantur & illa & nos omnes. Quæ generationum ſeries nec defecit, nec deficiet vnquam ante conſummationem ſæculi.

F. V. Proportio rerum inter ſe & cum mũdo.

Qvintvm, Eſt proportio rerum omnium tùm inter ſe, tum cum mundo ipſo, qualis eſt concinna & decens membrorum humani corporis compoſitio. Itaque cœlo dedit Deus menſuram ampliſſimam, quoniam omnia inferiora ambitu ſuo complecti debet: aëri longè minorem, maiorem tamen quàm aquæ & terræ, quia vtramque continere debet. Solem multis partibus terrâ fecit maiorem, vt totum illuminare mundum & calore ſuo fœcundare poſſet. Lunam ſtellarum minimam, quia terræ viciniſſima eſt. Elephantis & ſimilibus beſtiis, quia onera maxima, & ipſas turres hominibus refertas portare debent, magnam corporis molem dedit: equis paulo minorem, quia ad vnum tantùm equitem ferendum facti ſunt. Auiculas paruas fecit, vt in ramis arborum & foraminibus, ſedere & nidificare poſſent; apes & formicas minutiſſimas, vt in foraminibus terræ vel aluearioram habitare. Rurſum cœlos voluit eſſe plures & diuerſorum motuum, vt varia ſyderum coniunctio varias cauſaret in anno tempeſtates. Solem vnum, quia illuſtrando vni hemiſphærio vnus ſufficiebat: Lunam quoque vnam, quia ad noctis tenebras moderandas vna ſufficiebat: ſtellas alias, plurimas, vt in abſentiâ Lunæ, nocti aliquale præberent lumen. Adhæc debito etiam numero cætera creata: ne aliquorum exceſſus aut defectus mundo interitum afferret. Inde noxia animalia pauciora ſunt & minùs fœcunda. Leæna primo fœtu parit quinque catulos, deinde per annos ſingulos vno pauciores: ab vno ſterileſcit. Aquila non excludit plura tribus ouis, nec pullos alit plures duobus. Lupi cùm laborant inediâ, ſeipſos conficiunt: ſcorpio concipit vndecim fœtus, & cùm peperit, vorat decem, vno ſolo retento ad ſpeciei conſeruationem, qui poſteà vindictam veluti ſumens de nece fratrum, occidit & deuorat matrem. Vipera in conceptu occidit

marem:

marem: in partu occiditur à fœtibus vterum eius perrumpentibus. Econtrà minuta & innoxia animalia magno numero ſunt, vt eſſent cibus maiorum. Vtilia etiam magnæ fœcunditatis ſunt, vt lepus, ouis, gallina, columba, ſus, &c.

Eadem proportio apparet in partibus ſingularum rerum in ordine ad fines earum. Aues capite minuto & in roſtrum acuminato ſunt, ad aërem facilè findendum; pedibus aduncis ad ramuſculos arborum, quibus inſideant, complectendos; plumis auerſis, ne obſint volatui, & quæ inter volandum ita corpori applicantur vt aër non ſubintret. Alæ leuiſſimæ, & ita conformatæ vt facillimè explicari ad volatum & rurſus contrahi poſſint, molli cauitate idoneæ ad aërem in motu colligendum, & in quiete ad corpus decorè arctéque tegendum. Quæ carniuoræ, roſtro ſunt valido & adunco ad diſcerpendum, vnguibus firmis & acutis ad apprehendendum, oculis perſpicacibus ad longè videndum, multarum pennarum, paucæ carnis, ad volatum accelerandum. Quæ ex aquis paſtum habent, collo oblongo, vt in profundum poſſint caput immergere: pedibus item longis, vt inſiſtere paludibus queant. Quæ verò aquis innatant, pedes habent latos, quibus velut remis ſe propellant, & quodammodò nauigent. Quadrupedum alia eſt formatio, quia per terram ambulant. Quæ carniuora ſunt & ex prædâ viuunt, his membra ad capturam accommodata. In rictu supernè & infernè dentes gemini, longi, validi ad tenendum & diſcerpendum: vngues acuti & falcati ad apprehendendum, quos incedendo condunt in vaginas, ne atterantur: ad capturam exerunt inſtar digitorum & prædæ iniiciunt. Quæ herbis, frondibus fructibus veſcuntur, aliter dentes & vngulas diſpoſitas habent, colla breuia, vt eſſent robuſtiora. Dentium ſeries non ſerrata vt carniuoris, ſed continua & æquabilis: quorum priores acuti ad gramina incidenda, ad virentia prata & virgulta tondenda, poſteriores obtuſi & alti ad pabulum comminuendum. Vngulæ firmæ inſtar calceorum, vt firmiùs inſiſtant & ne facilè pedes lædi poſſint in tanto corporis pondere. Colli ea longitudo quæ neceſſaria, vt erecta in pedes paſtum capiant. Hinc camelis ob corporis altitudinem collum longiſſimum. Elephanti proboſcis data, quâ velut manu omnia facilè apprehendit & ori admouet. Piſcium quoque genus quàm aptè ad degendum in aquis formatum? Caput pleriſque anguſtum ad ſecandam faciliùs aquam: cauda lata & expanſa, quâ tanquam gubernaculo motum ſuum in omnem partem mirâ celeritate dirigunt. Pinnas habent ad ventrem alij binas, alij quaternas vel plures, quibus tanquam remis motum impellunt & ſiſtunt, in dorſo quoque pinnam inſtar membranæ productam, quam intendunt vt proni natent, néve facilè in tergum reſupinentur. Branchiæ quas vtrinque ad fauces habent, ſeruiunt ad emiſſionem aquæ, tum eius quam aſſiduè hauriunt ad cordis refrigerationem; tum illius quæ confertim influit, dum eſcam capiunt. Vnde qui branchiis carent, habent foramina vel fiſtulas, per quas hanc aquam emittant, ne ſuffocentur. Squamas habent auerſas, ne obſint natatui, quæ inter meandum ſtringuntur arctiùs. Plantæ ſuas radices habent, vt ſe terræ alligent, & ex eâ humorem ſugant ad totius & omnium partium alimentum: corticem inſtar veſtis contra frigus & æſtum & rerum incurrentium læſiones. Ramos ad fructuum multiplicem prouentum: frondes & folia ad ornatum & inprimis ad fructuum tutamen, ne ſole vel imbribus vaſtentur: fructus ad ſeminis cuſtodiam & plerumque toroſos & ſuccoſos ad hominum & animantium eſcam. fibras ad ſugendum alimentum. Imbecillæ quæ in altum excreſcunt; vel ſe circa aliquid circumuoluunt, vt lupulus, hedera periploca, &c. vel capreolos habent, quibus velut manibus pedimenta apprehendunt, ne corruant, vt vitis, labruſca, pepones, cucurbitæ, &c. vt latè proſequitur Leon. Leſſius *tract. de Prouidentia diuinâ.*

Denique ſingulis ſua proportionata inſtrumenta vel arma data, quibus ſibi neceſſaria parent. Homini manus, quibus veſtes & arma ſibi conficere, confecta aſſumere & pro arbitrio deponere poſſet. Brutis verò, quia iſta ſibi parare non poterant, neque pro re natâ aſſumere & deponere, veſtes & arma ſemper adhærentia conceſſa, quæ etiam cum creſcentibus creſcerent, nec opus habeant interpolari & refici. Pro armis data ſunt aliis cornua, aliis dentes, aliis vngues, aliis robur in calcibus, aliis ſpiculum in caudâ, aliis vis pernicialis in dente, vngue, ſaliuâ, contactu, afflatu: aliis præſidium in fugæ celeritate & aſtu, vel teſtæ quâ includuntur, duritie, vel echinata cute & ſpinarum quibus veſtiuntur horrore, quas etiam in hoſtem vibrare nôrunt aliquæ. Loco veſtium alia habent pilos, plumas, ſquamas, cruſtas, teſtas vt cancri & cochleæ, cutem glabram, quæ tamen ſuâ duritie & firmitate illis ſufficiat.

§. VI. Sympathia & antipathia.

Sextvm, Sympathia & antipathia, ſeu naturalis conuenientia aliarum rerum cum aliis; itemque diſcordia & repugnantia inter alias: quarum rerum non tantùm ſapientibus ſummæ admirationis & inſatiabilis voluptatis eſt contemplatio, ſed etiam omnibus maxima vtilitas, dum per eas partim noxia propelli & fugari atque eliminari, partim vtilia capi, procurari & conſeruari poſſunt. Aduerſantur ſibi naturaliter, lupus & ouis, ita vt fides etiam ouillæ, iuxta lupinas tactæ rumpantur: felis & mus. Elephantus fugit murem: leo terretur igne, rotarum ſtrepitu & cantu galli gallinacei: hyenæ vmbrâ canes obmuteſcunt; ſerpentem & crocodilum Ibidis penna ſiſtit: vipera arundinis percuſſione obſtupeſcit: veſpertilio foliis platani abigitur: aquilæ pennæ alias iunctas deuorant. Tentyritæ paruæ ſtaturæ homines crocodillis dominantur, terrentque illos & domant. Vitis ramos ſuos à braſſicâ iuxta poſitâ abſtrahit: roſæ odore moritur ſcarabæus: panis eſu accipiter. Contrà roſæ

iuxta

iuxta allium ſatæ fragrantiores fiunt: palma mas & fœmina vicinæ fœcundiores. Magnetem inter & ſeptentrionem naturalis amor, & aſpectus: item magnetem inter & ferrum: diſcordia verò magneti cum adamante, qui ferrum illi abſtrahit & rapere vetat. Adamas viciſſim hircino ſanguine rumpitur, aliàs infractus. Remora ſeſquipedalis piſcis adhærens grandi licet nauigio, curſum eius retardat: & alia ſexcenta.

II. VII. Optima mundi administratio. Septimum, Eſt optima mundi adminiſtratio & moderatio. Primò, Quod Deus non minùs prouiderit minimis ac viliſſimis quibuſque rebus, quàm maximis & nobiliſſimis & quæcunque vel neceſſaria vel opportuna erant ad vitam cuiuſque tuendam finemque conſequendum, ſapientiſſimè ac liberaliſſimè comparauit. Habent enim etiam minima animalcula, vt culices, pulices, formicæ, vermiculi, &c. ſenſus ſuos & ſæpe noſtris perfectiores; quanta induſtria araneæ & bombycis in texendo? Quanta vis terebrandi in culice? quanta induſtria & vis portandi in formica? quanta politia & ars in apibus? quanta vis perforandi in teredine & tinea? Secundò, quòd ſingula ad ſuos fines rectiſſimè dirigantur & ſine errore (niſi rariſſimè) licet ratione & ſenſibus careant, perinde ac ſi fines ſuos cognoſcerent & intenderent, vt patet in auium induſtriâ ad nidos extruendos, ſe & pullos defendendos, in vita propriâ tuenda, victu procurando, morbis curandis, tempeſtatibus præuidendis? Patet in cœlorum motibus, ventorum varietate, &c. Tertiò, quòd licet mundus ex contrariis & inter ſe pugnantibus rebus conſtet, omnes tamen ita attemperet, vt refractis inuicem viribus mutuo inter ſe fœdere conſpirent ad bonum vniuerſi tuendum, adeò vt in vnoquoque corpore inſit calor & frigus, humor & ſiccitas, abſque tamen contentione: ſicut in theriacâ continetur venenum attemperatum, non modò nihil noxium, ſed valde ſalutiferum. Quartò, quòd ſingulæ bonum publicum priuato anteponant: ideo grauia aſcendunt, leuia deſcendunt, ne detur in mundo vacuum: ideo quædam animalia vitæ ſuæ diſpendio nobilioribus alimenta præbent, ne illorum ſpecies occidant: ideo aqua, quæ ſecundùm naturæ ordinem & amplior & ſuperior quàm terra eſſe debebat, propter vtilitatem ſtirpium & animantium, & minorem habet molem & inferiorem obtinet locum. Quintò, quòd omnes res mundi ad hominis vtilitatem compoſitæ ſint, aliæ ad vitæ humanæ neceſſitates & commoditates: aliæ ad varias hominum oblectationes: aliæ ſint morborum remedia & ſanitatis præſidia: multæ ad exemplum & imitationem propoſitæ: omnes conducant ad ſcientiam rerum, & maximè ad Dei notitiam, amorem & cultum. Sextò, quòd etiam quæ videntur mala & verè naturæ ſunt vitia & defectus, ad ornatum & decorem mundi faciant. Sunt autem duo malorum genera: alia merè naturalia, vti defectus naturales & monſtra, ex defectu materiæ prouenientia. Et hæc demonſtrant, quantum interſit inter res corruptibiles & incorruptibiles, terrenas & cœleſtes; quamque ſit indeficiens bonitas & inuiolabilis ordo atque illibata omni æuo pulchritudo rerum cœleſtium. Faciunt etiam ad rerum aliarum ſuis numeris conſtantium maiorem decorem & apparentiam; & admonent nos vt Deo grati ſimus, vt qui ſine his defectibus nati ſumus. Alia mala ſunt humana, & hæc duplicia: mala pœnæ, quæ duplici ratione bona potiùs ſunt; quia per ea ſatisfit iuſtitiæ diuinæ, quâ vindicantur hominum ſcelera: & quia ſæpe conducunt ad emendationem hominum velut amaræ quædam medicinæ profligandis vitiis confectæ à cœleſti Medico. Mala culpæ, verè & ſimpliciter mala ſunt, quæ quidem à Deo permittuntur, tanta tamen eius eſt bonitas, vt ea quoque ad bonum aliquod ordinet. Aut enim peccata condonat, & ſic offendit clementiam & miſericordiam ſuam: aut ea rigidè caſtigat ſuppliciis æternis; & rectitudinem ac rigorem iuſtitiæ ſuæ commonſtrat, facitque vt electi ex lapſu ſurgant humiliores & cautiores, nec non ad bene agendum alacriores. Ita lapſum Adami & ſimul totius generis humani in maximum conuertit bonum, Incarnationem videlicet & paſſionem filij ſui; vnde maius bonum prodiit, quàm ſi Adam non peccaſſet. Quam ob cauſam nequaquam temerè exclamauit S. Gregorius & canit Eccleſia in benedictione cerei: *ô felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!* Denique ipſa rerum humanarum inæqualitas, dum ferè bonis malè eſt, & malis benè; optimam eſſe mundi gubernationem arguit. Propterea enim ſic agit Deus cum hominibus, ne virtutis ſtudium, & odium vitiorum faciat mercenarium. Decet enim vt Deus gratis & propter ſe colatur, & virtus ob propriam ametur pulchritudinem: vitia fugiantur ob propriam turpitudinem. Deinde vt intelligant viri prudentes, extincto corpore non extingui animam, ſed poſt hanc vitam ſupereſſe aliam, in quâ, pro cuiuſque meritis, & præmia diſpenſentur & ſupplicia.

Quoniam igitur & nos poſt Deum aliquatenus videmus cuncta quæ fecit Deus, eſſe valde bona, extollamus vocem cum hodierno populo, dicentes: *Bene omnia fecit.* Et cum Dauide Pſ. 103. *Quàm magnificata ſunt opera tua, Domine! Omnia in ſapientia feciſti*; qui es benedictus in ſæcula.

CON-

CONCIO VII.

Quomodo omnia in vſum & bonum hominis creata ſint.

1. *Sol: cuius beneficia enumerantur, ac dierum & noctium alternatio vtilis proponitur.*
2. 3. *Meteora & elementa quorum mirabilia & commoda aſsignantur.*
4. *Mixta; quorum aliqua ad neceſsitates, alia ad remedia, ad oblectationem, quædam alia in ſeruitium & ad hominum inſtructionem creata ſunt.*
5. *Mala ipſa in bonum hominis ordinata ſunt.*

THEMA.

Bene omnia fecit; & ſurdos fecit audire, & mutos loqui. Marci 7.

A. Regius Propheta, Dauid. *Pſal.* 18. ſcribit gloriam Dei à cælis prædicari: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Et hoc quidem inceſſanter: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* Rurſum omni lingua: *Non ſunt loquelæ, quorum non audiantur voces eorum.* Denique omni populo: *In omnem terram exiuit ſonus eorum* &c. Id quod non cœli ſolùm, ſed etiam reliquæ faciunt creaturæ. Quid verò nobis prædicent, exponit S. Auguſtinus lib. 10. confeſſ. cap. 18. *Cælum & terra*, inquit, *& omnia quæ in eis ſunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem: nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint excuſabiles.* Duo igitur à nobis petunt ſuâ prædicatione creaturæ. Primò, vt audiamus & intelligamus Deum omnia propter nos & in vſum ac bonum noſtrum condidiſſe. Secundò, vt propterea Deum laudemus & glorificemus, eique grati ſimus; Siquidem duo etiam fines ſunt creationis mundi; hominum vtilitas & Dei gloria. Quæ duo ſi præſtemus, tunc veriſſimum erit, quod in hodierno Euanglio turbæ dicebant: *Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* ſi inquã, *audiamus* & agnoſcamus, Deum omnia propter nos creaſſe: & Dei laudem propterea *loquamur.* Sed heu quàm multi ſunt mortalium qui creaturas hoc enarrantes non intelligunt? ac propterea etiam muti ſunt & ingrati Deo. Colligunt fruges & comedunt bona terræ, vti porci glandes, qui nunquam ſuſpiciunt ad arborem, vnde eis proueniunt ac decutiuntur. Quibus proinde aures & os aperiendum eſſe duxi.

B. 1. *Solis beneficia.* PRIMÒ, Quantum boni afferat ſol hominibus, pulchrè expreſſit Dauid, Pſal. 18. dicens, *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* In Hebr. habetur: *Soli poſuit tabernaculum in eis,* id eſt, cœlis.
1. Primò, enim ſol inter planetas medius eſt, quemadmodum Ducis tabernaculum in medio exercitu, vt vicinitate nimiâ terras non exureret, nimiâ elongatione non deſtitueret lumine & calore requiſito: & vt reliqua aſtra pariter & ſufficienter illuminare poſſet.
2. Secundò, *Ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*; quia decore & fulgore ſuo omnem creaturam & hominem inprimis recreat; velut etiam lampas lucidiſſima ſedentes in tenebris ſolatur. Cui ſponſo procedenti congaudent, & obuiant quaſi omnia animalia lucis amantia, præſertim aues cantu ſuo: ipſum adeò mare quodammodo reuerentiam exhibet; dum eo exoriente ponit fluctus & ſedatur, ac periclitantibus in mari pacem dat: quod in hymno expreſſit S. Ambroſ. dicens: *Hoc* (ſole oriente) *nauta vires colligit, pontiq; miteſcunt freta.*
3. Tertiò, *Exultauit vt Gigas ad currẽdam viam*; eſt enim quaſi gigas inter cæteras ſtellas, & tantæ magnitudinis, quanta requirebatur ad vniuerſũ orbem illuſtrandum & calefaciendum, centies ſexagies ſexies terrâ maior. Exultat verò ad currendum, quia maximâ celeritate & ſine omni defatigatione aut errore iter ſuum conficit, & intra 24. horas totum terrarum orbem luſtrat? ferè enim quadrantis horæ ſpatio ſuper horizontem totus ſe attollit; vnde colligitur, eum in tam breui ſpatio tot milliaria cõficere, quot terræ diameter continet non ſemel, ſed centies ſexagies ſexies numeratus. Cõficit verò vnâ horâ, vnum millionem, centum quadraginta millia milliarium. Quæ celeritas neceſſaria nobis erat, vt ſic quotidie omnes luſtraret, & diem nobis ac noctem exhiberet. Dierum autem & noctium alternatio vtiliſſimè fit. *Dierum & noctiũ alternatio vtilis.*
1. Primò, ad incolumitatem & cõſeruationem rerum: ſcilicet diei calore ſiccitateque, & noctis humore ac frigore ſalubri temperamento inuicem retuſis ac mitigatis; vnde terras, quæ carent hac alternatione, multorum bonorum ſteriles & multis malis obnoxias eſſe conſtat, velut à naturâ damnatas.
2. Secundò, ad releuandum ipſâ varietate faſtidiũ: longior enim vel perpetua dies intolerabilis eſſet: nox verò inſtar teterrimi carceris aut ſepulchri horrenda foret. Vnde S. Ambroſij hymnus: *Æterne rerum conditor, noctẽ diemq; qui regis, & temporum das tempora, vt alleues faſtidium.*
3. Tertiò, ad diſtinguenda tempora laboris & quietis; dies enim inuitat ad laborem, nox ad quietem, & ſomnum conciliat, quo feſſum corpus releuetur, vireſque reſumat. Vnde S. Chryſoſt. *hom.* 2. *ſuper epiſt. ad Philip.* ait, noctem eſſe homini, quod eſt feſſo viatori diuerſorium. Quartò, vt eſſent diuiſa tempora hominibus cicuribuſque animantibus & feris, ad exercendas ſuas functiones, ne ſe mutuò impedirent. Nox enim aſſignata feris, quâ prodeant è latibulis: dies homini & cicuribus animalibus; quibus alioquin feræ plurima damna inferrent.
4. Quartò, *à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummũ eius*; quia mirâ Dei prouidentiâ ſummum, id eſt, medium ſeu altiſſimum cœli perambulat, vt vim ſuam omnibus terræ incolis communicet, medium iter tenens. Dum verò medium cœli ſecat inter vtrumque topicum, inde fit, vt modò ad nos accedat, modò abſcedat, maximâ hominum vtilitate; ſic enim quatuor anni tempora variat ad frugum generationem. Hyems efficit, vt ſemina & ſtirpes calorem introrſum recipiant,

Google

piant, humorem & alimenta colligant & profundiùs in terram radices figant. Ver ſuo blando tempore omnia forâs euocat, in culmos, caules, gemmas, frondes, flores. Æſtus ſuo feruore humorem ſuperuacaneum abſumit, cruda concoquit, craſſa extenuat, fructus ad maturitatem perducit. Autumnus ſuo humore & moderato frigore rurſum omnia temperat, ſiccitatem & feruorem æſtatis corrigit, & terram ad noua ſemina nouaſque ſtirpes præparat & diſponit, corporaque viuentium exhauſta ad reparandas vires immutat. Quæ temporum varietas facit etiam ad conſeruationem noſtrorum corporum, quę, quia compoſita ſunt ex quatuor humoribus, qui reſpondent quatuor elementis, (ex quibus conſtant omnia) neceſſe eſt, vt ſæpe harum tempeſtatum beneficio reficiantur. Sed quia quatuor eæ tempeſtates inter ſe cotrariæ ſunt, ne vna alteram potentiâ ſuâ opprimeret, ideo vnicuique aſſignati ſunt tres menſes, quibus dominetur. Denique *nec eſt, qui ſe abſcōdat à calore eius*; quia ſol fons vniuerſi luminis & parens omnium rerum, illuminat, recreat, calefacit, & implet orbem, nec tantùm plantas, ſed & ipſa ſubtus terram metalla progignit, & ad omnium animantium generationem concurrit. Cuius vicaria, in eius abſentiâ per noctem, conſtituta à Deo luna, vt modico lumine, quod quieti corporum non obeſſet, viatoribus interim ſufficeret, orbi præluceret, & vim moderatam corporibus impertiret. In cuius defectu ſtellæ conſtitutæ, vt aliquali ſolamine noctis triſtitiam ſolarentur, quæ & ipſæ ſolis ſunt quaſi cooperatrices. Meritò itaque exclamamus cum Eccleſiaſtico cap. 43. *Sol, vas mirabile, opus excelſi. Magnus Dominus, qui fecit illum*, &c.

C. II. *Meteora.* SECVNDÒ, Meteora quoque ad hominum vtilitatem facta ſunt. Pluuia inprimis quid
1. *Pluuiarū commoda.* non humano generi vtilitatis affert? Aërem refrigerat, corpora viuentium reficit, fontes & flumina perpetuat, potum animantibus ſuppeditat, terram irrigat, & fructiferam facit, ex quo nobis panis, vinum, oleum: brutis herbæ & gramina: vnde denique nos paſcimur, calceamur, veſtimur. Obſeruatione ve-
Mirabilia. rò digniſſima ſunt: Primò, quòd cùm aqua ſit
1. corpus graue, creator tamen artem inuênerit, quâ ſurſum aſcendat, faciens vt ſol nubes vaporibus aqueis grauidas è mari aliiſque irriguis locis in altum tollat, quibus poſteà reſolutis, aqua proprio ſuo pondere in terram
2. decidit. Secundò, quòd Deus in ſublimi aëre immenſam vim aquarum cohibeat, ne ſimul decidant, & omnia ſubmergant: ſed cùm opportunum eſt demittat: id quod miratur, Iob c. 26. *Qui ligat aquis in nubibus ſuis*, inquit, *vt non erumpant pariter deorſum.* Et cap. 12. *Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur: & ſi emiſerit eas, ſubuertent terram.* Et Plin. lib. 31. c. 1. *Quid mirabilius*, inquit, *aquis in cœlo ſtantibus?*
3. Tertiò, quòd aquas nubium non confeſtim effundat, ſed guttatim diſtillet, ac quaſi per cribrum diſſectas effundat, vt ita blando illapſu terras aſpergant, eiſque inſideant, flores & plantulas non obruant: Id quod nullo humano artificio per aquæ ductus vel riuulos tam commodè poſſumus facere. Vnde Ieremias c. 14. ait: *Nunquid ſunt in ſculptilibus gentium qui pluant? aut cœli poſſunt dare imbres? nōnne tu es Domine Deus noſter?* Quartò, ne imber 4.
terræ infuſus, ſtatim iterum ardore ſolis auocetur; priuſquam ad ſtirpium radices pertingere poſſit, obtenduntur plerumque nubium infœcundæ reliquiæ, quæ ſolis radium intercipiant, donec per otium terra humorem acceptum combiberit, & introrsùs ad viſcera tranſmiſerit.

Secundò, Venti à Deo facti: Primò, vt aërem ventilent (vnde aquilo maximè ſcopa 2. *Ventorum commoda.*
cœli dicitur:) & ſalubrem reddant inſpirationi, vitalemque attracturis; qui ſi immotus ſtaret, putreſceret, & peſtilente qualitate 1.
conceptâ homines & animantia extingueret: Loca enim concluſa, quæ nullis perflantur ventis, peſtifera eſſe comperiuntur. Secundò, vt 2.
imbres per aërem deferant, ac regionibus diſpertiant. Cùm enim è locis ardioribus & à mari remotioribus nequeant elici vapores, qui imbribus ſufficiant: deberent ea perpetuo ſole torreri, & omni cœleſti rigatione deſtitui. Ventorum igitur beneficio à mari, vbi potiſſimùm excitantur vapores, & cientur nubes, deferri ad loca aridiora debent: alioquin vniuerſæ pœnè pluuiæ directè tantùm in mare & flumina, vnde hauſta earum materia eſt, relaberentur. Imò etiam omnes fontes & flumina breui exhauſta ceſſarent; hæc enim ex niue & imbribus, qui in mediterraneis & montoſis locis decidunt, colliguntur & perpetuantur, vti patet de noſtratibus fluminibus, Lyco, Iſara, Oeno; nix enim quæ per hyemem in montibus coaceruatur, calore æſtiuo ſenſim liqueſcens & per ſaxorum commiſſuras ſtillata, variis locis ad montium radices eruptione factâ, fontes conſtituit: ſimiliter & imbrium aquæ. Ex fontibus verò confluentibus tandem flumina exiſtunt. Vnde fit vt per æſtatem cùm valde rarò pluat, flumina minuantur & niſi per niues Alpium ſuſtententur, prorſus deficiant. Hoc igitur ne fiat, quaquauerſum pluuiæ deferuntur à ventis & certis temporum interuallis, ne diutiùs deſtituti fontes exareſcant. Tertiò, Vt non ſolùm imbres terris ſubminiſtrent, ſed nimios etiam 3.
compeſcant. Nam *modò adducunt nubes, modò diducunt, vt per totum orbem pluuia diuidi poſſint*, ait Seneca *lib. 5. natur. quæſtion. cap.* 18. Quartò, neceſſarij ſunt venti ad inutilem terræ humorem 4.
abſumendum, vias exſiccandas, ad corpora viuentium æſtiuo præſertim tempore recreanda, ad fructus maturandos, ſegetem excitandam & latentem frugem ruptis folliculis adaperiendam; ad nauigandum, & per hoc ad commercia cum tranſmarinis nationibus inſtituenda, & omnem vitæ commoditatem facilè per totum orbem diſtribuendam. Quintò, vt maria 5.
nauigari queant. Sextò, vt æſtum temperent 6.
ac refrigerent.

Tertiò,

3. *Niuium commoda.* Tertiò, Niues plurimùm conducunt; nam præterquam quòd fontes & flumina perennent, vt diximus, etiam terram, ſegetem & plantarum radices, inſtar lanæ inſtratæ fouent & calorem earum cohibent, ne gelu profundiùs penetrans vim ſeminalem extinguat.

4. *Frigoris commoda.* Quartò, Gelu quoque rebus eſt perutile. Nam ſpiritum & calorem terræ ac viuentium omnium repercutit & introrſum agit, non ſinens euaneſcere. Hinc fit vt non ſolùm homines, ſed etiam animantia in regionibus frigidis ſint maiora & robuſtiora, magiſque longæua quàm in feruidis. Vnde *Eccli.* 43. dicitur: *Gelu ſicut ſalem effundet ſuper terram.* Quia vt ſal conſeruat carnes: ita viuentia gelu. Porrò hæc omnia, non promiſcuè quouis tempore eueniunt, ſed ita per anni tempeſtates ſunt diſtributa, vt aptiſſimè rebus conueniant, & humanis vſibus commodiſſimè deſeruiant.

5. *Nebulæ commoda.* Quintò, Nebula quoque ſua habet commoda. Nam & rorem gignit quo herbæ & ſata irrorantur, atque impinguantur: & calorem halitumque vitalem terræ affert: braſſicas conſtringit cogitque in figuram capitum, & uvis maturandis conducit. Hinc experimur, nebulas nec æſtate, nec maximo frigore exiſtere, ait Plinius l. 2. c. 60.

D. III. *Elementa.* 1. *Terræ commoda.* Tertiò, Elementa. Primò, Terra, an non ipſa hominibus & iumentis, omnis generis alimenta, fructus, ligna, lapides, metalla, gemmas, riuos, flumina, puteos in defectu fontium vndequaque præbet? an non ipſa natos excipit, ſuſtentat & quaſi humeris ſuis portat, tandemque in ſepulchro velut pia mater in gremium ſuum ſuſcipit? Sed ſpeciatim obſeruandum eſt. 1. Primò, quòd cùm terra ſuapte naturâ ſit grauior quàm aqua, ideò profundior etiam eſſe & exactè rotunda deberet & vndique ab aquis ambiri; nihilominus ob hominum commoditatem excedat aquas, totâ eâ portione, quæ aquis tecta non eſt: aqua contra quæ ambire terram & tranſcendere deberet, in imis terræ alueis fluxum ſuum peragat, nec inſurgat contra terram, ob centrum ſibi debitum & naturalem locum eminentiæ. Vnde Pſal. 135. dicitur: *Qui fundauit terram ſuper aquas.* 2. Secundò, ea ſic eſt conformata vt à mari verſus mediterranea ſenſim ſe attollat, donec vtramque ripam in montes & rupes terminet, tùm ne eluuionibus vaſtetur, tùm vt flumina alueum ſuum non mutent, aut in minutos nimis riuulos diuidantur, aut concitatiùs fluant. 3. Tertiò, plurimis in locis montes & rupes habet alpeſque, partim ad ventorum nimiam vehementiam refrangendam & impetum retardandum: qui longè magis alioqui ſæuirent & crebriùs, vt in mari patet, vbi omnia æquabilia & nulla ſunt obſtacula: & magna hominibus damna inferrent. Partim ad regiones & regna diſterminanda & quodammodò circumuallanda, ad coërcendam mortalium ambitionem & dominandi libidinem; vt Pyrenæi montes inter Galliam & Hiſpaniam. Alpes inter Italiam & Germaniam. Apenninus mons interſecans Italiam. Montes Arduennæ muri ſunt Galliæ. Quartò, varijs in locis varias habet qualitates, etiam præter naturæ debitum. 4. Alibi calida, alibi frigida, leuis, ponderoſa, pinguis, macra, albicans, rubeſcens, varij ſaporis, odoris, alibi fertilis vini talis, alibi alterius, alibi nullius, alibi olei, frugum, &c. Foſſilia item non vno omnia loco terra producit: Alibi ſaxum gignit, alibi rubricam, alibi cretam, alibi ſulphur, plumbum, æs, aurum, argentum, ſtannum, gemmas, cryſtallum, &c. vt mortalibus omne genus opum, non ad neceſſitatem tantùm, ſed ad commoditatem etiam & delitias ſuppeditet. En quàm diues Dominus, quantum honorauit homines!

2. *Aquæ commoda.* Secundò, Aqua inprimis cupediarum omnis generis feraciſſima eſt & quaſi forum refertiſſimum vniuerſo pæne orbi ſe exhibet, non ſolùm quia piſces varios, variis in locis alit 1. & gratis extrahendos offert, ſed quia præterea inſeruit ad victualia, famis præſertim tempore, paucis diebus aduehenda & per orbem diſpertienda; idcircò enim Oceanus totam terram ambit, & vt mari etiam Mediterraneo, quod cor terræ perluit, miſceretur, anguſtias columnarum Herculis perrupit. Porrò mare tam vaſtum & inquietum licet, nullas regiones aut vrbes opprimit, ſed intra alueum ſuum perpetuò ſe continet; quia Deus poſuit illi terminum arenam; *præceptum ſempiternum, quod non præteribit*, vt inquit Ieremias cap. 5. Cùm enim fluctus in arenam & littus impingunt, mox retroacti in mare redeunt & alijs obuiantibus ſibi fluctibus occurrunt, eorumque impetum collidunt & retardant. Secundò, vniuerſum mare contra naturam ſui elementi eſt miræ ſalſedinis, partim ad ſecuriorem nauigationem, (aqua enim ſalſa minùs mergit naues ob ſuam denſitatem:) partim ad productionem & nutritionem piſcium maiorem & ſaniorem. 2.

3. *Aëris commoda.* Tertiò, Aër præterquam quòd pluuias, niuem, ventum nobis afferat, de quibus ſuprà, vitam nobis conſeruat, cùm in eo reſpiremus; & cor noſtrum refrigerat adeò vt ceſſante hac reſpiratione, homo citiſſimè extinguatur. 1. Secundò, inſtar cryſtalli ſeu feneſtræ pellucidiſſimæ lumen cœli nobis admittit & calorem ſolis aduehit. 2. Quandoque contrà in nubem condenſatur, vt æſtum nimium cobibeat vel ut ſuauis vmbra. Tertiò, Eſt medium & quaſi vehiculum, quod defert ad noſtros ſenſus omnes rerum imagines & ſpecies, formam, figuram, odorem, ſonum. 3.

4. *Ignis commoda.* Quartò, Ignis quanta homini præſtet bona, quis ignorat? Certè apud Romanos grauiſſima ciuium pœna erat, aquâ & igni interdicere: ſic enim nullus in vrbe conſiſtere, ſed ſtatim exulare cogebatur: quòd hiſce duobus elementis homo diu abſtinere nequeat. Quomodo enim caleſiet, quomodo cibos parabit, quomodo noctu cernet abſque igne? Atque idcircò ne rei tam neceſſariæ copia hominibus vllatenus deeſſet, facillimam Deus generationem ignis fecit, naturamque illi dedit

maximè fertilem ſuique fœcundam; ſe namque ignis ipſe parit & multiplicat, minimis creſcens ſcintillis, paruoque ortu in immenſum extenditur. Gignitur ab igne, gignitur luce, motu, corporum attritu, vti ex ſilice, ſolis radiorum reflexione ex ſpeculo concauo. Adhæc plurima ei ſunt alimenta vt facilè conſeruetur, velut eſt oleum, ſeuum, cera, pix, tæda, ſulphur, ligna, &c.

R. IV. Mixta. QVARTÒ, Compoſita ex elementis omnia in bonum hominis creata ſunt. Alia quidem ad neceſſitates & commoditates: vti Primò ad veſtimentum tot genera pellium, alia pro hyeme vt vulpium, cuniculorum, ouium, luporum, &c. alia pro æſtate vt quæ lanâ carent. **1. Quædam ad neceſſitates.** Deinde ad alimentum, quot in aquis piſces? quot aues in aëre? quot quadrupedia in terra? quot genera fructuum, præcocium, ſerotinorum, vt alijs in vere, alijs in æſtate, alijs in autumno, alijs in hyeme poſſimus victitare? Quot ſpecies leguminum tam facilè & tam citò matureſcentium? quot genera ſegetum & granorum, vnde proprium hominis conficitur alimentum? Quot ſpecies vinorum? Quot lacticinia, &c.?

2. Alia in remedia. Secundò, Alia ſunt in remedia morborum: Et ad hæc quot ſpecies herbarum & ſalubrium radicum, imò & lapidum ad curandos malos humores? quot genera lignorum quæ ex India adferuntur ad diuerſarum infirmitatum curam? Quàm variæ thermæ & aquæ medicæ, ad varios morbos curandos, feruentes, frigidæ, tepidæ? quot aquæ acidulæ vario diſcrimine? Denique nullum venenum producit natura, quin eiuſdem etiam remedium producat, inquit Iſidorus.

3. Alia ad oblectationem. Tertiò, Alia ſunt ad hominum oblectationem tantùm: non enim voluit Deus agere cum hominibus, velut Dominus cum mancipijs, neceſſaria ſolùm eis tribuendo: ſed vt pater cum filijs & quidem dilectiſſimis, varias etiam animorum & corporum relaxationes eis inſtituendo, ita vt nullus ſenſus exterior careat ſuâ delectatione. **1. Oculorũ.** Primò, ad oblectandos oculos, quot flores variorum colorum & figurarum producunt vltrò campi? quot in hortis roſæ, caryophylla, violæ, lilia; ita vt nec Salomon in omni gloriâ ſuâ par ſit illis, teſte Domino? Quanta auium pulchritudo & varietas? quot colores vel in vno pauone? quanta colorum varietas in eâdem ſæpe ſpecie, columbis, gallinis, cuniculis, &c.? Quid pulchrius cœlo ſtellato in ſerenâ nocte? **2. Aurium.** Secundò, ad aurium delectationem, quot ſunt auium cantus, mirâ ſuauitate diſtincti? luſciniæ, acanthidis, alaudæ, &c.? Quot inſtrumenta muſica, quot modulamina? Ipſæ hominum quorundam voces, quàm gratiosè oblectant, adeoque ſæpe irretiunt? **3. Narium.** Tertiò, Quot odorifera ſunt pro naribus, Moſchus, Zibettum, Succinum? quot flores diuerſorum odorum? quot liquores? thus, balſamum &c.? **4. Guſtus.** Quartò, ad reficiendum guſtum, quot fructuum, carnium, piſcium, differentiæ? quot inſuper aromata ad ciborum ſaporem acuendum? piper, zingiber, caryophyllum, cinnamomum, ſal, ſaccarum, mel, &c.? Denique tactui quot telæ, ſericæ, bombycinæ, lineæ, tenuiſſimi & ſubtiliſſimi attactus? Quibus accedit copioſum famulitium homini attributum. Primò, **5. Tactus.**

4. Quædam in ſeruitium. Data ei bruta quaſi mancipia, alia quæ iugum trahant, terram proſcindant, vt boues & equi, alia doſſuaria, vt cameli, aſini, elephantes; alia ad conficienda itinera, bella; alia ad capiendas feras, vti canes diuerſorum vſuum, aquatici, venatorij, paſtoritij, domeſtici, &c. feles muribus capiendis, araneæ muſcis. Secundò, homines quaſi aulici; quoſdam enim fecit Deus ingenio ſeruili & rudi: qui ſeruiant & pareant: alijs prudentiores & generoſiores, qui præſint & præcipiant; & hos quidem pauciores, quia pauci requirebantur: illos verò longè plures, quia plurima ſunt inter homines ſeruitia & miniſteria neceſſariò exequenda: ita vt præcipientes poſſint comparari gemmis pretioſis, quæ ſunt rariores: ſeruientes verò lapidibus rudioribus, quorum ingens vbique copia. Atque ita vtriſque eſt conſultum: maioribus ſeruiunt minores, minores defenduntur à maioribus.

5. Alia ad inſtructionem. Quintò, Alia ſunt ad hominum inſtructionem, & ad cognitionem Creatoris; quo modo omnia nobis inſeruiunt, quia *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Partim in exemplum bonorum morum: politiam docent apes & grues prouidentiam formicæ, clementiam leones, temperantiam elephantes, fidelitatem canes, obedientiam camelus, prudentiam ſerpentes, ſimplicitatem columbæ.

Partim ad artium & ſcientiarum comparationem. Architectonicam docuere hirundines, texturam araneæ, nauigandi peritiam mergi, Medicinam hirundines, canes, cerui.

Partim vt præſagiant nobis tempeſtates, vt piſces exultantes, hirundines profundè volantes, anſeres in aquis ludentes, ranæ coaxantes. Nauigantibus tempeſtatem multa ſunt quæ prænuntiant.

QVINTÒ, Mala denique ipſa à Deo in bonum hominis ordinata ſunt & ordinantur etiamnum. Ea verò duplicia diſtingui poſſunt. **R. V. Mala ipſa.** Alia mala pœnæ, alia culpæ. Mala pœnæ ſunt calamitates, quæ hominum generi inferuntur per eclipſes lunæ & ſolis; per meteora, vti per turbines ventorum, grandinem, fulmina, imbrium & niuium exceſſum, ſiccitatem & frigoris vehementiam; per elementa, vti per terræ motus, montium rupturas, & igniuomos montes, Ætnam, Veſuuium; fluuiorum inundationes, aëris infectionem, ignium incendia. Rurſum per animalia ferocia, vti leones, vrſos: per venenata, vt ſerpentes, bufones: per noxia; vt apros, vulpes, lupos, bruchos, locuſtas, verrucas: per infeſtantia, vt muſcas, culices & pulices. Sed hæc omnia præterquam quòd ſua habent in alijs commoda, etiam in eo, quòd nocent, homini inſeruiunt.

tione, ad emendationem ſcilicet & correctionem erratorum. Sunt enim velut amaræ quædam medicinæ profligandis vitijs, conſeruandiſque virtutibus admodum efficaces & ſalutares. Et quemadmodum in rep. bene ordinatâ non ſolùm præmia conſtituuntur bonis, ſed etiam pœnæ malis, & ſunt tribunalia, armarium, carceres, vincula, patibula, in commodum, diſciplinam & quietem ſubiectorum: Sic in rep. huius mundi habet Deus ſuos carnifices & ſupplicia, quibus corripit malos & abſterret. Creaturæ ipſæ, quæ alioqui in ſeruitutem homini addictæ ſunt, meritò contra eum rebelles fiunt, eumque impugnant, cùm ipſarum herus, homo, Deo, communi earum Creatori rebellare incipit. Sic gens aliqua Germanorum iure meritoque contra principem ſuum inſurgit, vbi is à Sedis Romanæ vel imperij Romani obedientia vult diſcedere. Mala culpæ, ſola quidem verè mala ſunt & committi à Deo nequiunt, commiſſa tamen, nihilominùs in bonum ordinantur ab eodem Deo, vti aliàs diximus.

Quâ ex re intelligere licet, totum hunc mundum aſpectabilem cum omnibus rebus, quas intra ſe claudit, eſſe hominis causâ conſtitutum, & veluti ingens aliquod palatium omni ſupellectilis genere, omni deliciarum, opum & ornamentorum varietate & copia inſtructiſſimum, in quo homo conſtitutus eſt vt vitam in eo degens, Deum ſuum & mundi factorem cognoſcat, amet, veneretur & laudet; rebuſque ſibi attributis ad illius honorem, ſuam verò ſalutem & corporis & animæ, iuxta præſcriptum rationis vtatur. Ad hoc enim ipſa creaturarum mundique conformatio perpetuò nos admonet. Ne ergò ſurdi ſimus ad eorum monita. Sed nec muti ſimus; quin potiùs adaperiamur, & cum Dauide & tribus pueris laudemus Deum in & cum omnibus creaturis. Hic enim vltimatus eſt finis, vt homo Deum laudet, eique gratus exiſtat. Exaltemus igitur vocem cum hodierno populo & dicamus: *Bene omnia fecit*; quia omnia in bonum noſtrum. Cui ſit laus & honor in ſæcula.

Conc. Fabri Part. Æſtiualis.

CONCIO VIII.

Quanto bono ſint Eccleſiæ, ſuæ cæremoniæ.

1. *Manuducunt Laicos ad intelligenda fidei myſteria.*
2. *Sunt proteſtatio fidei noſtræ.*
3. *Admonent nos interioris pietatis.*
4. *Corda mouent ad pietatem & venerationem.*
5. *Puritatem internam conſeruant.*
6. *Corpus ad venerationem aptant.*
7. *Sanctificationem aliquam conferunt.*

THEMA.

Bene omnia fecit. Marci 7.

SI vidiſſent noſtri hæretici, quæ fecit Chriſtus Dominus circa muti huius curationem, nequaquam exclamaſſent: *Bene omnia fecit.* Multas enim adhibuit cæremonias, quas illi veluti ſuperſtitioſas, & ad rem nihil pertinentes, vtique reprobaſſent, riſiſſent & carpſiſſent. Quid enim ſibi vult Dominus, cùm mittit digitos ſuos in auriculas ſurdi? cur exſpuens tangit linguam eius? cur reſpiciens in cœlum ingemiſcit? cur adijcit: *Ephphetha?* Fruſtranea, imò ſuperſtitioſa ſunt hæc omnia, dixiſſent noſtri hæretici. Sic enim cauillantur & irrident nos, cùm hæc ipſa facimus in baptiſmo; & vniuerſim ſacras omnes cæremonias, quibus vtitur Eccleſia. Sed non ita ſpectatores miraculi iſtius; nemo vnus fuit, qui geſtum aliquem Chriſti Domini improbarit; omnes exclamarunt: *Bene omnia fecit.* Quod idem nos dicere poſſumus de cæremonijs Eccleſiæ: Bene omnes factæ & conſtitutæ ſunt ab Eccleſia. Quod vt agnoſcamus, videbimus hac concione, quanto bono Eccleſiæ ſint ſacræ cæremoniæ. A.

PRIMÒ, Cæremoniæ ad fidei myſteria, quæ altiſſima ſunt, faciliùs intelligenda, Laicos manuducunt: vnde & *Liber Laicorum* dicuntur. Nam verbi gratiâ ablutio aquæ in baptiſmo, ablutionem animæ à peccatis ſignificat: impoſitio manuum in pœnitentia, reconciliationem cum Deo: ſignum crucis, myſterium Trinitatis, & crucifixionis Domini. Cereus Paſchalis, reſurrectionem Chriſti docet: Palmæ, triumphum victoriæ & ingreſſum Chriſti in Ieruſalem. Candelæ, purificationem Deiparæ. Eleuatio hoſtiæ & calicis in Miſſâ, Chriſti crucifixionem. Ornatus templi, ſplendorem cœleſtis regni, in quo beati omnibus gaudijs affluunt.

B. I. Manuducunt laicos ad intelligenda fidei myſteria.

Quemadmodum paruuli diſcunt legere literas, ex imaginibus adiunctis: ita rudes in Eccleſia erudiuntur per cæremonias in fidei myſterijs. Veteris legis cæremoniæ docebant rudem populum myſteria circa Chriſtum peragenda; nouæ legis cæremoniæ docent myſteria iam peracta.

C. II. Eſt proteſtatio fidei noſtræ.

Secvndò, Per eas proteſtamur & confitemur publicè fidem noſtram & cultum Dei, vt cùm vexillum leuamus in proceſſionibus, cùm Euchariſtiam comitamur, cùm Sacramenta in Eccleſia publicè recipimus, Miſſam audimus, imagines veneramur, roſarium geſtamus, &c. His enim externis ſignis declaramus nos Chriſtianos, Catholicos, ſeruos Chriſti, cultores Crucis, B. Virginis, Sanctorum, &c. Ex foliis cognoſcitur arbor; & ex ritibus illis Chriſtianus. Certum quidem eſt, verum genuinum Dei cultum in ſpiritu & voluntate potiſſimùm conſiſtere; nihilominùs, ſi verè Deum amamus, non poſſumus nos continere, quin cultum & deuotionem illam per ſigna quædam prodamus, & ſæpe propter ædificationem proximi neceſſe eſt, deuotionem & fidem noſtram publicè oſtendere. Hinc de ſponsâ Chriſti, Eccleſiâ, cùm cecíniſſet Dauid Pſal. 44. *Omnis gloria eius, filiæ Regis ab intùs*; mox adiecit: *in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.*

Phariſæi omnem ſuam iuſtitiam in externo cultu ſtatuebant, vnde & vocantur à Domino *ſepulchra dealbata*, Matth. 23. Hæretici contrà omnem externum cultum & cæremoniam aſpernantur, ſolùm internum requirunt. Catholici pro more ſuo mediâ incedentes viâ, vtrumque recipiunt: hunc primariò, illum ſecundariò; vt ſic conditor interioris & exterioris hominis ab vtroque tributum ſuum recipiat. Certè ſi vera eſt interna deuotio, vix ita latere poteſt, vt foris per externa deuotionis ſigna non prorumpat, & ſe ſpectantibus prodat, quemadmodum & amor vehemens latere neſcit.

D. III. Admonēt nos interioris pietatis.

Tertiò, Monent nos tanquam ſigna externa, quid internè facere debeamus; vt dum candelas geſtamus in feſto Purif. monemur, vt in charitate ferueamus, dum incineramur, vt mortem cogitemus: dum palmas gerimus, meminerimus vincere hoſtes animæ. Aſpergimur aquâ benedictâ, vt recordemur baptiſmi noſtri & promiſſionis in eo factæ: ſalem benedictum deguſtamus, vt meminerimus gratiam in baptiſmo acceptam conſeruare; ſiquidem ſal conſeruat carnes. Rurſum dum orantes flectimus genua, leuamus manus, & tundimus pectus, monemur orare cum humilitate, ardore, compunctione. Dum baptiſmus peragitur varijs cæremonijs, nouerimus nos Deo conſecrari in templum, & ſacrificari, iuxta id Ierem. 14. *Tu autem in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos.* Dum thus altari & defunctis adhibemus, monemur orationes noſtras ad Deum dirigere, vt thuris inſtar ad ipſum aſcendant, & gratum & placabile ſacrificium fiant. Similiter dum ad orationes, ſuos cereos accendunt mulieres, monentur, vt orationem non frigidam ſed ardentem fundant ad eum, qui *ignis conſumens eſt*, Deum.

Sine hac interiori deuotione, ſunt cæremoniæ, velut tormenta ſine globis explosa, quæ tonant quidem, ſed ſtragem nullam edunt; hoc eſt, ornant quidem Eccleſiam & Sacramentorum adminiſtrationem, ſed in cordibus fidelium, qui eas non expendunt, vim modicam habent, ſolummodò deuotionem aliquam excitant & venerationem erga res ſacras & Sacramenta, dæmones & peccata non ſternunt.

E. IV. Corda mouēt ad pietatem & venerationem.

Qvartò. Corda fidelium mouent & frigidos ad virtutem ac diuinæ maieſtatis venerationem accendunt. Magis enim ſenſibus ducimur quàm intelligentiâ. Vnde Thriuerus *in apophtegm.* ait: *Vt in gratiam faſtidientium comparata ſunt condimenta, ſic ad prouocandos ſegnes quædam cæremonia.* Talia ſunt, ſonitus campanarum in feſtis, cantus in templis, lumina accenſa, tapetes, reliquiæ, miniſtrorum maieſtas, dignitas, ordo, decor, &c. Ita vt S. Chryſoſt. *hom. 61. ad pop. Antioch.* ſcribat: *Meritò exiſtimare poſſe hominem eo tempore cælum aperiri, & ſe cum cæleſtibus conuerſari.* Sicut enim milites ſono tubarum excitantur ad bellum: & ſicut is, qui regem conſpicit à nobilibus præſtantibuſque viris regio more coli, & honore affici, permouetur ad eiuſdem admirationem & venerationem: ita homo fidelis mirum in modum commouetur ſacris cæremonijs, & accenditur amore cœleſtium rerum. Mirabatur & venerabatur Salomonem Regina Saba: *Videns enim domum eius, quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum & ordines miniſtrantium, veſteſq; eorum & pincernas & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra ſpiritum, &c.* 3. Reg. 10. Ad eundem modum Valens Imperator Arrianus cum faſtu & inani pompâ Baſilij Epiſcopi Eccleſiam ingreſſus, vt eam turbaret, cùm vidiſſet populi multitudinem, ordinem, rerum omnium concinnitatem, pſalmodiam & Baſilij venerandam præſentiam, obſtupefactus, & totus mutatus, in terram corruiſſet, niſi quidam ex primoribus tunicâ correptâ Imperatorem iam ruentem retinuiſſet. Baron. anno 370.

F. V. Puritatē internam conſeruant.

Qvintò, Puritatem internam, fidem & deuotionem conſeruant: ſicut folia tuentur fructus & uvas: ſicut ignem ſeruat cinis, ſicut cortex arborem: ſicut ſepes hortum & fructus cuſtodit: ſicut capillus Samſonis fortitudinem, quo dempto demitur Eccleſiæ robur, *Iudic.* 16. Hinc Iulianus Apoſtata, vt ſuperſtitionem Gentilium in poſterum ſtabiliret; eorum ſacra & ſacrificia ad inſtituta noſtra accommodare ſtuduit. Vnde in Idolorum templis conſtituit ſubſellia, lectiones & certas horarum preces, ſcholas peregrinorum & egenorum domicilia, delictorum pœnitentias, teſte *Greg. Nazianz. orat. 1. in Iulian.*

Rurſum ſicut teſta nucis conſeruat nucleum; ita cæremoniæ fidem, deuotionem & iuſtitiam Chriſtianam. Tolle teſtam, tolle cæremonias, & peribit nucleus deuotionis.

Hinc mirum non eſt apud hæreticos noſtros omnem pietatem periiſſe, quia cæremonias eliminârunt, quibus conſeruatur pietas, vti vinum dolio, circulis & horum ligamentis ſeu viminibus. Vimina tenent circulos, circuli

culi dolium, dolium tenet vinum. Quòd ſi inciderīs vimina, diſſilient circuli, deinde tabulæ dolij, denique vinum effluet.

G. VI. Corpus ad venerationem aptant.

Sextò. Corpus ipſum ad obſequium & venerationem aptant erudiuntque. Vnde dicitur Pſal. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Exod. 12. Non ſolùm vt agnus comederetur, ſed vt ipſius ſanguine etiam poſtes inungerentur, præcepit Deus. Vt ſciremus non ſolùm animam diuinis myſterijs paſcendam, verùm etiam corpus ad obſequium Dei aptandum, vt ex ipſâ corporis compoſitione appareat pietas & cultus Dei. Vtrumque Deo debemus, corpus & animam ab vtroque ergò tributum & homagium ſuum exigit. Si ſpiritus tantùm ſumus, ſpiritus ſolus Deum colat. Si verò etiam corpus ſumus, corpus etiam Deum colat neceſſe eſt.

H. VII. Sanctificationem aliquam afferunt.

Septimò, Sanctificationem aliquam & auxilium Dei afferunt. Aliæ ex inſtitutione quidem Chriſti vt Sacramenta. Aliæ ob orationem Eccleſiæ, quæ illas comitatur, vt aqua luſtralis. Aliæ ob deuotionem recipientium: vti pectoris tunſio, accenſio candelarum, &c. Non minùs enim hæc placent Deo quàm rami & veſtes Chriſto à Iudæis ſubſtratæ. Aliæ ex poteſtate Eccleſiæ: vt exorciſmus & inſufflatio ad expellendos dæmones. Surius to. 4. 25. Auguſti ſcribit hiſtoriam Geneſij Mimi, qui cum ſocijs ſtatuerat imitari Chriſtianorum cæremonias baptiſmales publico ſpectaculo ad Diocletianum Imp. recreandum. Fingit ergò ſe ægrum & in lecto collocat, dicens: *O ſocij, grauatum me inuenio.* Cui ſocij: *Et quomodo te leuiorem faciemus? num fabros nos lignarios reputas, vt ſecuri te leuiorem facere queamus?* Et ille: *Cupio baptizari. Eccur?* aiunt illi: *Vt in illo die fugitiuus in Chriſto inueniar*, reſpondet Geneſius. Ridet adhæc Imperator. Paratur ergò baptiſmus & quæ ad eum ſpectant, induitur veſte albâ, clamans interim ſeriò ſe Chriſtianum eſſe. Mox à miniſtris ad hoc ſubornatis rapitur fictè ad tribunal & ſtatuitur coram ſtatuâ Veneris. Vbi incipit Geneſius coram Imp. & populo palàm conteſtari ſe non iam irriſorem Chriſtianorum, ſed verè Chriſtianum eſſe; dum enim per riſum baptizaretur, vidiſſe ſe Dei manum ſupra ſe extenſam & iuxta ſe angelos, qui proponebant ei librum in quo omnia eius peccata ſcripta erant, dicebantque per baptiſmum hunc omnia delenda: moxque affuſâ aquâ omnia deleta fuiſſe, monebant inſuper vt acceptam gratiam ſedulò conſeruaret. Quare cùm ſe Chriſtianum eſſe conſtanter affirmaret, excandeſcens Imp. iuſſit eum plagis primùm, deinde in eculeo torqueri & facibus aduri. Inter hæc Geneſij vox erat: *non eſt rex præter Chriſtum pro quo ſi millies occidar, ipſum mihi de ore, ipſum mihi de corde auferre non poteritis.* Itaque martyrij palmam capitis obtruncatione promeruit. Ad extremum audiamus quàm punitus ſit contemptor SS. cinerum. Scribit Cæſarius l. 10. hiſt. memorab. cap. 53. *fuiſſe Confluentiæ carnificem quendam, hominem in officio ſuo probum ſatis; qui cùm aliquando, tertia feria ante cineres, totam pæne noctem in comeſſationibus expendiſſet, manè quaſi ad abluendas carnes cum quodam ſuo collega tabernam intrauit, cumq́; ad officium Miſſæ pulſaretur, & fideles ad Eccleſiam confluerent, necnon ex eadem taberna, iamq́; ſoli hi duo illic remanentes potarent, ait alter carnifici: Certè modò diu nimis expectamus, eamus ergò ad Eccleſiam propter ſacros cineres. Cui ille, myſterium cinerum irridendo, reſpondit: Sede, ego tibi dabo cineres, & tu mihi: tollenſq́; cineres de lare iactauit ſuper caput eius. Et ecce, mox pœna irriſionis ſubſecuta eſt: nam ſtatim circa caput, & faciem, tantum ſenſit puluerem, ac ſi follibus ei inſufflaretur: cumq́; territus exclamaret, tantum ore cineris hauſit, vt pæne ſuffocatus fuiſſet. Accurrerunt multi plagam tam mirabilem videntes: ductus eſt in proximam inſulam, in quâ non puluis, ſed gramen erat; ſed nihil ei profuit. In Rheno, in pomerio, in ſolario, neque in aliquo loco à turbine cinerum ſe defendere potuit: à quibus tandem ſuffocatus pœnam irriſionis ſoluit.*

CONCIO IX.

Documenta.

1. *A Chriſto diſcimus, indefeſſum benefaciendi ſtudium, charitatem & humilitatem.*
2. *A turbis, charitatem fraternam, gratitudinem, & laudare Deum in operibus ſuis.*
3. *A ſurdo & muto, aperire oculos, aures, os, manus & nares.*

THEMA.

Ephpheta, quod eſt, adaperire. Marci 7.

Scitis, Auditores, ſabbathum noſtrum ſeu Dominicum diem datum eſſe animabus, quemadmodum dies reliqui per hebdomadem dati ſunt corporibus. Quoniam igitur hoc tempore per hebdomadem pæne omnes occupantur in curâ & ſuſtentatione corporis, in frugibus colligendis & recondendis in horreum: decet vt ſubinde in diebus ſacris prouideamus etiam animæ, & recondamus in cor noſtrum eas fruges, vnde viuere poſſit anima. Nónne enim anima plus eſt quàm corpus? Et num comedente corpore, anima eſuriat? Itaque expediamus equos & currum animæ, intellectum, voluntatem, memoriam, & ex agro hodierni Euangelij colligamus ac recondamus in corde noſtro fruges ſalutares. A.

B. I. A Chriſto diſce. I. *Indefeſſum benefaciendi ſtudium.*

A Chriſto diſcimus Primò, Chriſti indefeſſum benefaciendi ſtudium. Etenim vbi ingreſſus fuit fines Tyri, ſanauit filiam Chananææ. Nunc vbi iterum inde exit, ſanat ſurdum & mutum. Ita nimirum Chriſtus vbiuis locorum reliquit monumenta ſuæ bonitatis, ac veluti ſol terræ globum perambulans, omnia illuminauit, fouit, fœcundauit; ſicut bene de ipſo dixit S. Petrus Act. 10. *Pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.*

Atque hæc eſt præſtantiſſima ac planè diuina virtus, beneficentia paſſim erga omnes effundenda, quomodo ſol radios ſuos in omnes creaturas effundit. *Sicut ſol*, inquit Epictetus apud Stob. ſerm. 44. de Magiſtr. *Non expectat preces, vt exoriatur, ſed illicò fulget, ac ſalutatur ab omnibus: ita neque tu expectaueris plauſus, ſtrepitus & laudes, vt benefacias, ſed ſponte confer beneficia, & æquè ac ſol ambieris.* Theophraſtus rogatus, quidnam vitam humanam conſeruaret? reſpondit, *Beneficentia*. Alexander Seuerus Imp. rogatus, quis eſſet optimus? reſpondit: *Qui amicos muneribus retinet, & inimicos beneficijs ambit, ſibique conciliat.* Atque hæc eſt virtus, ob quam potiſſimum homines olim ab Ethnicis in Deos relati ſunt, quod teſtatur Plin. lib. 2. cap. 7. *Deus*, inquit, *eſt, mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iêre Romani, hac nunc cœleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis æui rector Veſpaſianus Auguſtus, feſſis rebus ſubueniens. Hic eſt vetuſtiſſimus referendi bene meritis gratiam mos, vt tales Numinibus adſcribantur. Quippe & aliorum omnium nomina Deorum nata ſunt ex meritis.* Ratio eſt, quia Dei proprium eſt ita abundare omni bono, vt ſupereffluat, illudque in alios benefaciendo transfundat. Qui ergò hoc imitantur Dei formes & quaſi Dei filij efficiuntur. Alexander Magnus rogatus, vbi theſauros ſuos haberet? amicos oſtendẽs: In his ſcrinijs, inquit Maxim. *ſerm.* 6. At nunc multi, ſi theſaurorum ſuorum oſtendere thecas deberent, ganeas & popinas monſtrare cogerentur. Reperiuntur aliqui, qui ſua nomina inſcribunt campanis, petris, aliiſque rebus memorabilibus, vt ſciantur ibi fuiſſe. Sed hoc vanum eſt. Alij paſſim affigunt nomina vel inſignia ſua parietibus, feneſtris & vitris, maximè in cauponis & tabernis, non tam ad gloriam, quàm confuſionem ſuam. Alij peiùs adhuc relinquunt monumenta ſuæ malitiæ & turpitudinis: hîc debita contracta, ibi furta, alibi adulteria patrata, &c. Et ſicut ſerpens Cherſydros, fumum quà ſerpit, emittit: (apud Pererium in Gen.) ita illi fœtorem nominis ſui. Contrà boni odorem bonæ famæ vbicunque morantur, relinquunt & ſpargunt: quemadmodum Apoſtolus cum ſuis, 2. Corinth. 2. *Deus*, inquit, *odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.* Et quemadmodum periodus Chriſti & ſectatorum eius terminatur in cœlum: ita periodus dæmonis & aſſeclarum eius terminatur in orcum, *Gloria eorum ſtercus*, 1. Mach. 2.

Adhæc multis ambagibus & cæremonijs vti voluit Dominus ad curandum ſurdum: abduxit eum à populo, miſit digitos ſuos in aures eius, expuit in terram, tetigit linguam eius, ſuſpiciens in cœlum ingemuit, vt doceret nos præſertim Concionatores, deinde magiſtratus, parentes, heros, præceptores, nulli parcere labori, ſed omnia tentare, quò inſtruantur illi, qui ad Dei verbum & pias adhortationes ſurdi ſunt. Fieri enim poteſt, vt improbo hoc labore vincatur tandem illorum ſurditas atque improbitas. Habemus huius rei exemplum in vitâ S. Philippi Nerei ann. Chriſti 1562. de iuuene quodam non ignobili, cui Ioanni Thomæ nomen fuit. *Ibat is quotidie ad ſermones, magis id vt inſtitutum irrideret, quàm vt ſaluti animæ ſuæ conſuleret: hoc vbi aduertunt aſtantes, rem ad beatum Patrem deferunt, multaque de iſtius inſolentia queruntur, quibus ille: Sinite eum, inquit, in hac re gerere ſibi morem: hominem, quæſo, æquo animo ferte: ſed cùm is moleſtus adhuc eſſe pergeret, eamque ob rẽ, qui ſermonibus intererant, ipſum iterum ad Philippum deferrent, eadem quæ antea ab eodem audiunt. Interea rem miram operatur Deus, is breui pòſt tempore cum nemo expectaret, ita ex eius rei occaſione, Patriſque conſuetudine immutatus eſt, ad eamque deuenit ſermonum, qui ibi habebantur, beneficio, rerum cæleſtium intelligentiam, & humanarum contemptum, vt omnibus rebus abdicatis, diuitijs & honoribus ſpretis, Chriſti conſilia ſequi in animum induxerit: ergò addixit ſe Religioni S. Dominici, & in cœnobio S. Mariæ ſupra Mineruam, cunctis tam ſubitam hominis mutationem ſtupentibus, ſacrum habitum quarto idus Februarias ſumpſit, qui intra paucos menſes nouitius pietatis ardore feruens fiduciaque plenus diem obijt.* Ita Gallonius in vita S. Nerei.

Secundò charitatem; ſiquidem tanta facit propter vnum hominem ſurdum & mutum; apprehendit eum de turbâ ſeorsùm, mittit digitos in auriculam eius, expuit in terram, inclinat ſe, & facit lutum, tangit luto linguam muti, ſuſpiciens in cœlum ingemiſcit. Quantò igitur magis laborandum pro vnius animæ ſalute ſpirituali? Et nos tamen hanc communiter negligimus. Videmus interdum mutos ſpirituales, qui videlicet vel improbè loquuntur, peierant, blaſphemant, vel numquam confitentur, vel numquam orant. Videmus & ſurdos, qui nullam audiunt concionem, nullam admittunt correctionem. Hos apprehendere & ſputo ſalutaris admonitionis, nec non puluere mortis meditandæ tangere deberemus, ſi Chriſti charitatem imitari vellemus. 2. *Charitatem.*

Tertiò humilitatem; quia miraculum & beneficium tam grande præcipit taceri, ad exemplum vtique noſtrum; Nam in ipſo vana gloria nullum habere locum potuit. Sic legimus Samſonem diſcerpſiſſe leonem, & tamen id noluiſſe indicari patri & matri ſuæ, *Iudic.* 15. Nos contrà tametſi miraculũ nullum facimus, nec leonem interficimus, ob leuiſſima dona vel facta noſtra ſuperbimus, gloriamur & celebrari volumus ad inſtar gallinæ, quæ vbi ouum vnum poſuit, in corte huc illuc ambulat, & ſonorâ ac ſtreperâ voce prodit, ſimulque perdit ouum ſuum. Sic enim honorem, quem quærit ambitioſus, perdit E contrà humilem inſequitur honor, quem is fugit: vti patet ex hodierno Euangelio, vbi Chriſtus tantò magis prædicabatur; quantò magis id prohibebat. Honor enim ad inſtar vmbræ, fugientes ſequitur, & inſequentes fugit. 3. *Humilitatem.*

A turbis diſcimus Primò charitatem fraternam. Adducunt enim mutum ad Chriſtum, & deprecantur illum pro eo: quia id mutus pro ſe facere non poterat. Sic faciant Chriſtiani, C. II. *A turbis diſce.*

1. *Charitatem fratrum.* ſtiani, adducendo ad confeſſionem vel concionem eos, qui per ſe venire vel nolunt, vel non poſſunt; infirmos præſertim maturè admoneant de pœnitentiâ agendâ & ſacramentis ſuſcipiendis. Imprimis verò parentes adducant ad Chriſtum liberos, domini ſeruos, dominæ ancillas, Magiſtri diſcipulos ſibi commiſſos. His enim, ait Chriſtus, quod Ioſeph dixit fratibus: *Non videbitis faciem meam niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum.* Gen. 43. Idem quoque amicus amico faciat. Sic columbæ vnguento odorifero perunctæ ab aucupibus ad columbarium adducunt ſecum alias, vt ſcribit S. Baſilius epiſt. 175. Ita S. Cæcilia adduxit ſponſum ſuum & fratrem eius ad Chriſti columbarium. Ita cùm veniſſet aliquando Chriſtus in terram Geneſareth, *Viri loci illius miſerunt in vniuerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent.* Matt. 14. Itaque vnuſquiſque propinquo, amico, vicino, & noto ſuo nunciabat Chriſti aduentum, etiam ad aliquot milliaria, vt adducerentur eorum infirmi ad hunc medicum. Videte, Chriſtiani, quid vos facere deceat: ſi fecerunt hoc Iudæi, qui ſalutem corporis duntaxat quæſierunt. Laudandus hic etiam Gregorius XIII. Papa, qui Iudæos, Romæ coëgit ad audiendum ſingulis ſabbatinis diebus ſermonem conuerſi cuiuſdam Iudæi, Andreæ, qui fidem noſtram probare ex Hebræorum Doctoribus Chriſto antiquioribus nôrat, vnaque Iudæorum fraudes ſibi perſpectas habebat, vnde factum, vt multi Hebræi ad Chriſtum ſe conuerterint, alij verò obſtinati conqueſti ſint à tempore Abrahami talem perſecutionem Hebræis illatam non fuiſſe. Refert Coſterus in hac Dom. Durat etiamnum ea lex Pontificia Romæ, quâ ad concionem ſabbatinam ſub graui mulctâ coguntur.

2. *Gratitudinem.* Secundò, Gratitudinem; prædicant enim Chriſti miraculum & beneficium & tanto magis, quantò magis tacere iubebantur: quo facto declarant zelum ſuum erga Dei gloriam, dum neque tacere iuſſi tacent. Sic quoties nos beneficium à Deo capimus, glorificare Deum debemus, & dicere cum Dauid Pſ. 65. *Venite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Aſſiduus in hac virtute fuit S. Paulus, vt apparet in eius epiſtolis, in quibus frequentiſſimè gratias Deo agit pro beneficio conuerſionis ſuæ aliiſque innumeris. Similiter S. Auguſtinus *in ſua confeſſione*, quæ aliud non eſt niſi perpetua gratiarum actio pro ſuâ conuerſione. *Quod eſt autem*, inquit idem Auguſt. lib. 1. contra adu. legis c. 18. *ſacratius laudis ſacrificium, quàm in actione gratiarum?* Et epiſt. 5. ad Marcellin. *Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus quàm Deo gratias?* Et quid erant feſta Hebræorum niſi gratiarum actiones pro acceptis beneficiis? Sabbatum pro creatione, feſtum Neomeniæ pro conſeruatione & gubernatione, paſcha pro liberatione Ægyptiacâ, Pentecoſte pro data lege?

Tertiò, Laudare Deum in omnibus ſuis operibus, ac dicere: *Benè omnia fecit.* Meritò autem à nobis Deus aſſiduè laudatur. Primò, quia eſt bonum immenſum & infinitum. Secundò, quia innumera & ingentia beneficia perpetuò in nos confert. Tertiò, quia omnes creaturæ ſuo modo Deũ laudant, ſuâ pulchritudine, ordine, numero, &c. Quartò, quia eſt opus iuſtorum. Dauid: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Iob: *Sit nomen Domini benedictum.* Tres pueri in camino: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Quintò, quia idem proprium eſt Angelorum & beatorum omnium: vti contrà dæmonum & damnatorum blaſphemare. Denique quia omnia bene fecit, & ſapientiſſimè cuncta diſpoſuit. Etiam quæ mala nobis videntur, ſi à Deo proueniant, reuerà bona ſunt; quia Deus nihil facere poteſt, niſi quod bonum eſt. Cæterùm *ſi non laudauerint ſerui Dominum*, inquit S. Auguſtin. in Pſalm. 134. *ingrati irreligioſi erunt. Quid faciunt non laudando Dominum, niſi vt ſeuerum ſentiant Dominum?* 3. *Laudare Deum in operibus ſuis.* 1. 2. 3. 4. 5. 6.

A ſurdo & muto diſcimus aperire aures & linguam & quæcumque prius in nobis malè clauſa fuerunt, ad obſequium Dei. Porrò omnes ſenſus homo aperire debet. Primò, oculos. Hos claudunt imprimis hæretici, cùm nolunt captiuare intellectum in obſequium fidei. Deinde mali Catholici, qui nolunt intelligere vt bene agant. Declinant oculos, *ne videant cœlum*, vti ſenes illi. *Dan.* 13. id eſt, Dei iudicia, æquitatem, &c. Auertunt oculos à propriâ conſcientiâ; & ita turpiter errant: ſicut qui dum ſcribunt, à calamo vultum auertunt. Non conſiderant nouiſſima ſua: non attendunt ad miſerias proximi. D. III. *A ſurdo & muto diſce.* 1. *Aperire oculos.*

Secundò, Aures. Has claudunt aliqui Deo, diuinis inſpirationibus ac vocationibus, nec non concionibus. Quales illi Iudæi Romæ, quibus Apoſtolus prædicans dixit: *Quia bene Spiritus S. locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad patres noſtros dicens: Aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non perſpicietis. Incraſſatum eſt cor populi huius & auribus ſuis grauiter audierunt.* Actor. vltim. Et quid aliud agunt iſti, niſi quòd claudant feneſtras ſoli, ne ad eos mittat radios & calorem ſuum? 2. *Aures.*

Alij eas claudunt conſcientiæ obmurmuranti. Præconis officio fungitur conſcientia. Primò ante peccatum, terrendo hominem ne peccet, ad inſtar illius angeli, qui ſtricto gladio obſtitit Balaam ariolo, ne pergeret ad maledicendum Iſraeli, mortem ei minitans, ſi quid ageret contra Iſraelitas; *Num.* 22. Deinde poſt peccatum, repræſentans homini & exaggerans malum quod geſſit, damna quæ incurrit, Deum quoque vindicem; ſimilis nuncio illi qui poſt acceptas clades ſolus euaſit, vt eas nunciaret Iobo. Verùm ad hunc præconem obſurdeſcit heu non rarò peccator!

Alij eaſdem claudunt proximo gratiam & veniam petenti. Sic Burgenſis ille apud Io. Iuniorem Dominicanum in Scala cœli, nolens

piant, humorem & alimenta colligant & pro-
fundiùs in terram radices figant. Ver ſuo
blando tempore omnia foràs euocat, in cul-
mos, caules, gemmas, frondes, flores. Æſtus ſuo
feruore humorem ſuperuacaneum abſumit,
cruda concoquit; craſſa extenuat, fructus ad
maturitatem perducit. Autumnus ſuo humo-
re & moderato frigore rurſum omnia tempe-
rat, ſiccitatem & feruorem æſtatis corrigit, &
terram ad noua ſemina nouaſque ſtirpes præ-
parat & diſponit, corporaque viuentium ex-
hauſta ad reparandas vires immutat. Quæ
temporum varietas facit etiam ad conſerua-
tionem noſtrorum corporum, quę, quia com-
poſita ſunt ex quatuor humoribus, qui re-
ſpondent quatuor elementis, (ex quibus con-
ſtant omnia) neceſſe eſt, vt ſæpe harum tem-
peſtatum beneficio reficiantur. Sed quia qua-
tuor eæ tempeſtates inter ſe cōtrariæ ſunt, ne
vna alteram potentiâ ſuâ opprimeret, ideo
vnicuique aſſignati ſunt tres menſes, quibus
dominetur. Denique *nec eſt, qui ſe abſcōdat à ca-
lore eius*; quia ſol fons vniuerſi luminis & pa-
rens omnium rerum, illuminat, recreat, cale-
facit, & implet orbem, nec tantùm plantas,
ſed & ipſa ſubtus terram metalla progignit, &
ad omnium animantium generationem con-
currit. Cuius vicaria, in eius abſentiâ per no-
ctem, conſtituta à Deo luna, vt modico lu-
mine, quod quieti corporum non obeſſet, via-
toribus interim ſufficeret, orbi præluceret, &
vim moderatam corporibus impertiret. In
cuius defectu ſtellæ conſtitutæ, vt aliquali ſo-
lamine noctis triſtitiam ſolarentur, quæ &
ipſæ ſolis ſunt quaſi cooperatrices. Meritò ita-
que exclamamus cum Eccleſiaſtico cap. 43.
*Sol, vas mirabile, opus excelſi. Magnus Dominus, qui
fecit illum, &c.*

C. II. Meteora. 1. *Pluuiarũ commoda.* SECVNDÒ, Meteora quoque ad hominum
vtilitatem facta ſunt. Pluuia inprimis quid
non humano generi vtilitatis affert? Aërem
refrigerat, corpora viuentium reficit, fontes
& flumina perpetuat, potum animantibus
ſuppeditat, terram irrigat, & fructiferam fa-
cit, ex quo nobis panis, vinum, oleum: brutis
herbæ & gramina: vnde denique nos paſci-
Mirabilia. mur, calceamur, veſtimur. Obſeruatione ve-
rò digniſſima ſunt: Primò, quòd cùm aqua ſit
1. corpus graue, creator tamen artem inuène-
rit, quâ ſurſum aſcendat, faciens vt ſol nubes
vaporibus aqueis grauidas è mari aliiſque ir-
riguis locis in altum tollat, quibus poſteà re-
ſolutis, aqua proprio ſuo pondere in terram
decidit. Secundò, quòd Deus in ſublimi aëre
2. immenſam vim aquarum cohibeat, ne ſimul
decidant, & omnia ſubmergant: ſed cùm
opportunum eſt demittat: id quod miratur,
Iob c. 26. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis*, inquit,
vt non erumpant pariter deorſum. Et cap. 12. *Si
continuerit aquas, omnia ſiccabuntur: & ſi emiſe-
rit eas, ſubuertent terram.* Et Plin. lib. 31. c. 1.
Quid mirabilius, inquit, *aquis in cælo ſtantibus?*
Tertiò, quòd aquas nubium non confeſtim
3. effundat, ſed guttatim diſtillet, ac quaſi per
cribrum diſſectas effundat, vt ita blando illa-
pſu terras aſpergant; eiſque inſideant, flores
& plantulas non obruant: Id quod nullo hu-
mano artificio per aquæ ductus vel riuulos
tam commodè poſſumus facere. Vnde Iere-
mias c. 14. ait: *Nunquid ſunt in ſculptilibus gen-
tium qui pluant? aut cæli poſſunt dare imbres? nón-
ne tu es Domine Deus noſter?* Quartò, ne imber 4.
terræ infuſus, ſtatim iterum ardore ſolis auoce-
tur; priuſquam ad ſtirpium radices pertingere
poſſit, obtenduntur plerumque nubium infœ-
cundæ reliquiæ, quæ ſolis radium interci-
piant, donec per otium terra humorem acce-
ptum combiberit, & introrsùs ad viſcera
tranſmiſerit.

Secundò, Venti à Deo facti. Primò, vt aë- 2.
rem ventilent (vnde aquilo maximè ſcopa *Vento-*
cœli dicitur:) & ſalubrem reddant inſpiratio- *rum com-*
ni, vitalemque attracturis; qui ſi immotus ſta- *moda.*
ret, putreſceret, & peſtilente qualitate con- 1.
ceptâ homines & animantia extingueret: Lo-
ca enim concluſa, quæ nullis perflantur ven-
tis, peſtifera eſſe comperiuntur. Secundò, vt
imbres per aërem deferant, ac regionibus diſ- 2.
pertiant. Cùm enim è locis aridioribus & à
mari remotioribus nequeant elici vapores,
qui imbribus ſufficiant: deberent ea perpetuo
ſole torreri, & omni cœleſti rigatione deſti-
tui. Ventorum igitur beneficio à mari, vbi
potiſſimùm excitantur vapores, & cientur
nubes, deferri ad loca aridiora debent: alio-
quin vniuerſæ pænè pluuiæ directè tantùm
in mare & flumina, vnde hauſta earum mate-
ria eſt, relaberentur. Imò etiam omnes fontes
& flumina breui exhauſta ceſſarent; hæc enim
ex niue & imbribus, qui in mediterraneis &
montoſis locis decidunt, colliguntur & per-
petuantur, vti patet de noſtratibus flumini-
bus, Lyco, Iſara, Oeno; nix enim quæ per
hyemem in montibus coaceruatur, calore æ-
ſtiuo ſenſim liqueſcens & per ſaxorum com-
miſſuras ſtillata, variis locis ad montium radi-
ces eruptione factâ, fontes conſtituit: ſimili-
ter & imbrium aquæ. Ex fontibus verò con-
fluentibus tandem flumina exiſtunt. Vnde fit
vt per æſtatem cùm valde rarò pluat, flumina
minuantur & niſi per niues Alpium ſuſtenten-
tur, prorſus deficiant. Hoc igitur ne fiat, qua-
quauerſum pluuiæ deferuntur à ventis & cer-
tis temporum interuallis, ne diutiùs deſtituti
fontes exareſcant. Tertiò, Vt non ſolùm im-
bres terris ſubminiſtrent, ſed nimios etiam 3.
compeſcant. Nam *modò adducunt nubes, modò di-
ducunt, vt per totum orbem pluuiæ diuidi poßint*, ait
Seneca *lib. 5. natur. quæſtion. cap.* 18. Quartò, ne- 4.
ceſſarij ſunt venti ad inutilem terræ humorem
abſumendum, vias exſiccandas, ad corpora vi-
uentium æſtiuo præſertim tempore recreanda,
ad fructus maturandos, ſegetem excitandam &
latentem frugem ruptis folliculis adaperien-
dam; ad nauigandum, & per hoc ad commer-
cia cum tranſmarinis nationibus inſtituenda,
& omnem vitæ commoditatem facilè per to-
tum orbem diſtribuendam. Quintò, vt maria 5.
nauigari queant. Sextò, vt æſtum temperent 6.
ac refrigerent.

Tertiò,

3. *Niuium commoda.* Tertiò, Niues plurimùm conducunt; nam præterquam quòd fontes & flumina perennent, vt diximus, etiam terram, ſegetem & plantarum radices, inſtar lanæ inſtratæ fouent & calorem earum cohibent, ne gelu profundiùs penetrans vim ſeminalem extinguat.

4. *Frigoris commoda.* Quartò, Gelu quoque rebus eſt perutile. Nam ſpiritum & calorem terræ ac viuentium omnium repercutit & introrſum agit, non ſinens euaneſcere. Hinc fit vt non ſolùm homines, ſed etiam animantia in regionibus frigidis ſint maiora & robuſtiora, magiſque longæua quàm in feruidis. Vnde *Eccli.* 43. dicitur: *Gelu ſicut ſalem effundet ſuper terram.* Quia vt ſal conſeruat carnes: ita viuentia gelu. Porrò hæc omnia, non promiſcuè quouis tempore eueniunt, ſed ita per anni tempeſtates ſunt diſtributa, vt aptiſſimè rebus conueniant, & humanis vſibus commodiſſimè deſeruiant.

5. *Nebulæ commoda.* Quintò, Nebula quoque ſua habet commoda. Nam & rorem gignit quo herbæ & ſata irrorantur, atque impinguantur: & calorem halitumque vitalem terræ affert: braſſicas conſtringit cogitque in figuram capitum, & uvis maturandis conducit. Hinc experimur, nebulas nec æſtate, nec maximo frigore exiſtere, ait Plinius l. 2. c. 60.

D. III. Elementa. 1. *Terra commoda.* Tertiò, Elementa. Primò, Terra, an non ipſa hominibus & iumentis, omnis generis alimenta, fructus, ligna, lapides, metalla, gemmas, riuos, flumina, puteos in defectu fontium vndequaque præbet? an non ipſa natos excipit, ſuſtentat & quaſi humeris ſuis portat, tandemque in ſepulchro velut pia mater in gremium ſuum ſuſcipit? Sed ſpeciatim obſeruandum eſt. Primò, quòd cùm terra ſuapte

1. naturâ ſit grauior quàm aqua, ideò profundior etiam eſſe & exactè rotunda deberet & vndique ab aquis ambiri; nihilominus ob hominum commoditatem excedat aquas, totâ eâ portione, quæ aquis tecta non eſt: aqua contra quæ ambire terram & tranſcendere deberet, in imis terræ alueis fluxum ſuum peragat, nec inſurgat contra terram, ob centrum ſibi debitum & naturalem locum eminentiæ. Vnde Pſal. 135. dicitur: *Qui fundauit terram ſuper aquas.* Secundò, ea ſic eſt conformata vt à

2. mari verſus mediterranea ſenſim ſe attollat, donec vtramque ripam in montes & rupes terminet, tùm ne eluuionibus vaſtetur, tùm vt flumina alueum ſuum non mutent, aut in minutos nimis riuulos diuidantur, aut concitatiùs fluant. Tertiò, plurimis in locis mon-

3. tes & rupes habet alpeſque, partim ad ventorum nimiam vehementiam refrangendam & impetum retardandum: qui longè magis alioqui ſæuirent & crebriùs, vt in mari patet, vbi omnia æquabilia & nulla ſunt obſtacula: & magna hominibus damna inferrent. Partim ad regiones & regna diſterminanda & quodammodò circumuallanda, ad coërcendam mortalium ambitionem & dominandi libidinem; vt Pyrenæi montes inter Galliam & Hiſpaniam, Alpes inter Italiam & Germaniam. Apenninus mons interſecans Italiam. Montes

Arduennæ muri ſunt Galliæ. Quartò, varijs in locis varias habet qualitates, etiam præter naturæ debitum. Alibi calida, alibi frigida, leuis, ponderoſa, pinguis, macra, albicans, rubeſcens, varij ſaporis, odoris, alibi fertilis vini talis, alibi alterius, alibi nullius, alibi olei, frugum, &c. Foſſilia item non vno omnia loco terra producit: Alibi ſaxum gignit, alibi rubricam, alibi cretam, alibi ſulphur, plumbum, æs, aurum, argentum, ſtannum, gemmas, cryſtallum, &c. vt mortalibus omne genus opum, non ad neceſſitatem tantùm, ſed ad commoditatem etiam & delitias ſuppeditet. En quàm diues Dominus, quantum honorauit homines! 4.

Secundò, Aqua inprimis cupediarum omnis generis feraciſſima eſt & quaſi forum refertiſſimum vniuerſo pæne orbi ſe exhibet, non ſolùm quia piſces varios, variis in locis alit & gratis extrahendos offert, ſed quia præterea inſeruit ad victualia, famis præſertim tempore, paucis diebus aduehenda & per orbem diſpertienda; idcircò enim Oceanus totam terram ambit, & vt mari etiam Mediterraneo, quod cor terræ perluit, miſceretur, anguſtias columnarum Herculis perrupit. Porrò mare tam vaſtum & inquietum licet, nullas regiones aut vrbes opprimit, ſed intra alueum ſuum perpetuò ſe continet; quia Deus poſuit illi terminum arenam; *præceptum ſempiternum, quod non præteribit*, vt inquit Ieremias cap. 5. Cùm enim fluctus in arenam & littus impingunt, mox retroacti in mare redeunt & alijs obuiantibus ſibi fluctibus occurrunt, eorumque impetum collidunt & retardant. Secundò, vniuerſum mare contra naturam ſui elementi eſt miræ ſalſedinis, partim ad ſecuriorem nauigationem, (aqua enim ſalſa minùs mergit naues ob ſuam denſitatem:) partim ad productionem & nutritionem piſcium maiorem & ſaniorem. 2. *Aquæ commoda.* 1. 2.

Tertiò, Aër præterquam quòd pluuias, niuem, ventum nobis afferat, de quibus ſuprà, vitam nobis conſeruat, cùm in eo reſpiremus; & cor noſtrum refrigerat adeò vt ceſſante hac reſpiratione, homo citiſſimè extinguatur. Secundò, inſtar cryſtalli ſeu feneſtræ pellucidiſſimæ lumen cœli nobis admittit & calorem ſolis aduehit. Quandoque contrà in nubem condenſatur, vt æſtum nimium cobibeat velut ſuauis vmbra. Tertiò, Eſt medium & quaſi vehiculum, quod defert ad noſtros ſenſus omnes rerum imagines & ſpecies, formam, figuram, odorem, ſonum. 3. *Aëris commoda.* 1. 2. 3.

Quartò, Ignis quanta homini præſtet bona, quis ignorat? Certè apud Romanos grauiſſima ciuium pœna erat, aquâ & igni interdicere: ſic enim nullus in vrbe conſiſtere, ſed ſtatim exulare cogebatur: quòd hiſce duobus elementis homo diu abſtinere nequeat. Quomodo enim calefiet, quomodo cibos parabit, quomodo noctu cernet abſque igne? Atque idcircò ne rei tam neceſſariæ copia hominibus vllatenus deeſſet, facillimam Deus generationem ignis fecit, naturamque illi dedit 4. *Ignis commoda.*

maximè fertilem ſuique fœcundam; ſe namque ignis ipſe parit & multiplicat, minimis creſcens ſcintillis, paruoque ortu in immenſum extenditur. Gignitur ab igne, gignitur luce, motu, corporum attritu, vti ex ſilice, ſolis radiorum reflexione ex ſpeculo concauo. Adhæc plurima ei ſunt alimenta vt facilè conſeruetur, velut eſt oleum, ſeuum, cera, pix, tæda, ſulphur, ligna, &c.

B. IV. Mixta. 1. Quædam ad neceſſitatem.

QVARTÒ, Compoſita ex elementis omnia in bonum hominis creata ſunt. Alia quidem ad neceſſitates & commoditates: vti Primò ad veſtimentum tot genera pellium, alia pro hyeme vt vulpium, cuniculorum, ouium, luporum, &c. alia pro æſtate vt quæ lanâ carent. Deinde ad alimentum, quot in aquis piſces? quot aues in aëre? quot quadrupedia in terra? quot genera fructuum, præcocium, ſerotinorum, vt alijs in vere, alijs in æſtate, alijs in autumno, alijs in hyeme poſſimus victitare? Quot ſpecies leguminum tam facilè & tam citò matureſcentium? quot genera ſegetum & granorum, vnde proprium hominis conficitur alimentum? Quot ſpecies vinorum? Quot lacticinia, &c.?

2. Alia in remedia.

Secundò, Alia ſunt in remedia morborum: Et ad hæc quot ſpecies herbarum & ſalubrium radicum, imò & lapidum ad curandos malos humores? quot genera lignorum quæ ex India adferuntur ad diuerſarum infirmitatum curam? Quàm variæ thermæ & aquæ medicæ, ad varios morbos curandos, feruentes, frigidæ, tepidæ? quot aquæ acidulæ vario diſcrimine? Denique nullum venenum producit natura, quin eiuſdem etiam remedium producat, inquit Iſidorus.

3. Alia ad oblectationem.

Tertiò, Alia ſunt ad hominum oblectationem tantùm: non enim voluit Deus agere cum hominibus, velut Dominus cum mancipijs, neceſſaria ſolùm eis tribuendo: ſed vt pater cum filijs & quidem dilectiſſimis, varias etiam animorum & corporum relaxationes eis inſtituendo, ita vt nullus ſenſus exterior careat ſuâ delectatione.

1. Oculorũ.

Primò, ad oblectandos oculos, quot flores variorum colorum & figurarum producunt vltrò campi? quot in hortis roſæ, caryophylla, violæ, lilia; ita vt nec Salomon in omni gloriâ ſuâ par ſit illis, teſte Domino? Quanta auium pulchritudo & varietas? quot colores vel in vno pauone? quanta colorum varietas in eâdem ſæpe ſpecie, columbis, gallinis, cuniculis, &c.? Quid pulchrius cœlo ſtellato in ſerenâ nocte?

2. Aurium.

Secundò, ad aurium delectationem, quot ſunt auium cantus, mirâ ſuauitate diſtincti? luſciniæ, acanthidis, alaudæ, &c.? Quot inſtrumenta muſica, quot modulamina? Ipſæ hominum quorundam voces, quàm gratioſè oblectant, adeoque ſæpe irretiunt?

3. Narium.

Tertiò, Quot odorifera ſunt pro naribus, Moſchus, Zibettum, Succinum? quot flores diuerſorum odorum? quot liquores? thus, balſamum &c.?

4. Guſtus.

Quartò, ad reficiendum guſtum, quot fructuum, carnium, piſcium, differentiæ? quot inſuper aromata ad ciborum ſaporem acuendum? piper, zingiber, caryophyllum, cinnamomum, ſal, ſaccarum, mel, &c.?

5. Tactus.

Denique tactui quot telæ, ſericæ, bombycinæ, lineæ, tenuiſſimi & ſubtiliſſimi attactus? Quibus accedit copioſum famulitium homini attributum. Primò,

4. Quædam in ſeruitium.

Data ei bruta quaſi mancipia, alia quæ iugum trahant, terram proſcindant, vt boues & equi, alia doſſuaria, vt cameli, aſini, elephantes; alia ad conficienda itinera, bella; alia ad capiendas feras, vti canes diuerſorum vſuum, aquatici, venatorij, paſtoritij, domeſtici, &c. feles muribus capiendis, araneæ muſcis. Secundò, homines quaſi aulici; quoſdam enim fecit Deus ingenio ſeruili & rudi: qui ſeruiant & pareant: alijs prudentiores & generoſiores, qui præſint & præcipiant; & hos quidem pauciores, quia pauci requirebantur: illos verò longè plures, quia plurima ſunt inter homines ſeruitia & miniſteria neceſſariò exequenda: ita vt præcipientes poſſint comparari gemmis pretioſis, quæ ſunt rariores: ſeruientes verò lapidibus rudioribus, quorum ingens vbique copia. Atque ita vtriſque eſt conſultum: maioribus ſeruiunt minores, minores defenduntur à maioribus.

5. Alia ad inſtructionem.

Quintò, Alia ſunt ad hominum inſtructionem, & ad cognitionem Creatoris; quo modo omnia nobis inſeruiunt, quia *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Partim in exemplum bonorum morum: politiam docent apes & grues prouidentiam formicæ, clementiam leones, temperantiam elephantes, fidelitatem canes, obedientiam camelus, prudentiam ſerpentes, ſimplicitatem columbæ.

Partim ad artium & ſcientiarum comparationem. Architectonicam docuêre hirundines, texturam araneæ, nauigandi peritiam mergi, Medicinam hirundines, canes, cerui.

Partim vt præſagiant nobis tempeſtates, vt piſces exultantes, hirundines profundè volantes, anſeres in aquis ludentes, ranæ coaxantes. Nauigantibus tempeſtatem multa ſunt quæ prænuntiant.

F. V. Mala ipſa.

QVINTÒ, Mala denique ipſa à Deo in bonum hominis ordinata ſunt & ordinantur etiamnum. Ea verò duplicia diſtingui poſſunt. Alia mala pœnæ, alia culpæ. Mala pœnæ ſunt calamitates, quæ hominum generi inferuntur per eclipſes lunæ & ſolis; per meteora, vti per turbines ventorum, grandinem, fulmina, imbrium & niuium exceſſum, ſiccitatem & frigoris vehementiam; per elementa, vti per terræ motus, montium rupturas, & igniuomos montes, Ætnam, Veſuuium; fluuiorum inundationes, aëris infectionem, ignium incendia. Rurſum per animalia ferocia, vti leones, vrſos: per venenata; vt ſerpentes, bufones: per noxia; vt apros, vulpes, lupos, bruchos, locuſtas, verrucas: per infeſtantia, vt muſcas, culices & pulices. Sed hæc omnia præterquam quòd ſua habent in alijs commoda, etiam in eo, quòd nocent, homini inſeruiunt.

tiant, ad emendationem ſcilicet & correctionem erratorum. Sunt enim velut amaræ quædam medicinæ profligandis vitijs, conſeruandiſque virtutibus admodum efficaces & ſalutares. Et quemadmodum in rep. bene ordinatâ non ſolùm præmia conſtituuntur bonis, ſed etiam pœnæ malis, & ſunt tribunalia, armarium, carceres, vincula, patibula, in commodum, diſciplinam & quietem ſubiectorum: Sic in rep. huius mundi habet Deus ſuos carnifices & ſupplicia, quibus corripit malos & abſterreat. Creaturæ ipſæ, quæ alioqui in ſeruitutem homini addictæ ſunt, meritò contra eum rebelles fiunt, eumque impugnant, cùm ipſarum herus, homo, Deo, communi earum Creatori rebellare incipit. Sic gens aliqua Germanorum iure meritoque contra principem ſuum inſurgit, vbi is à Sedis Romanæ vel imperij Romani obedientià vult diſcedere. Mala culpæ, ſola quidem verè mala ſunt & committi à Deo nequiunt, commiſſa tamen, nihilominùs in bonum ordinantur ab eodem Deo, vti aliàs diximus.

Quà ex re intelligere licet, totum hunc mundum aſpectabilem cum omnibus rebus, quas intra ſe claudit, eſſe hominis causâ conſtitutum, & veluti ingens aliquod palatium omni ſupellectilis genere, omni delitiarum, opum & ornamentorum varietate & copia inſtructiſſimum, in quo homo conſtitutus eſt vt vitam in eo degens, Deum ſuum & mundi factorem cognoſcat, amet, veneretur & laudet; rebuſque ſibi attributis ad illius honorem, ſuam verò ſalutem & corporis & animæ, iuxta præſcriptum rationis vtatur. Ad hoc enim ipſa creaturarum mundique conformatio perpetuò nos admonet. Ne ergò ſurdi ſimus, ad eorum monita. Sed nec muti ſimus; quin potiùs adaperiamur, & cum Dauide & tribus pueris laudemus Deum in & cum omnibus creaturis. Hic enim vltimatus eſt finis, vt homo Deum laudet, eique gratus exiſtat. Exaltemus igitur vocem cum hodierno populo & dicamus: *Bene omnia fecit*; quia omnia in bonum noſtrum. Cui ſit laus & honor in ſæcula.

Conc. Fabri Par. Æſtiuali.

CONCIO VIII.

Quanto bono ſint Eccleſiæ, ſiue cæremoniæ.

1. *Manuducunt laicos ad intelligenda fidei myſteria.*
2. *Sunt proteſtatio fidei noſtræ.*
3. *Admonent nos interioris pietatis.*
4. *Corda mouent ad pietatem & venerationem.*
5. *Puritatem internam conſeruant.*
6. *Corpus ad venerationem aptant.*
7. *Sanctificationem aliquam conferunt.*

THEMA.

Bene omnia fecit, Marci 7.

SI vidiſſent noſtri hæretici, quæ fecit Chriſtus Dominus circa muti huius curationem, nequaquam exclamaſſent: *Bene omnia fecit.* Multas enim adhibuit cæremonias, quas illi veluti ſuperſtitioſas, & ad rem nihil pertinentes, vtique reprobaſſent, riſiſſent & carpſiſſent. Quid enim ſibi vult Dominus, cùm mittit digitos ſuos in auriculas ſurdi? cur expuens tangit linguam eius? cur reſpiciens in cœlum ingemiſcit? cur adijcit: *Ephpheta?* Fruſtranea, imò ſuperſtitioſa ſunt hæc omnia, dixiſſent noſtri hæretici. Sic enim cauillantur & irrident nos, cùm hæc ipſa facimus in baptiſmo; & vniuerſim ſacras omnes cæremonias, quibus vtitur Eccleſia. Sed non ita ſpectatores miraculi iſtius; nemo vnus fuit, qui geſtum aliquem Chriſti Domini improbarit; omnes exclamarunt: *Bene omnia fecit.* Quod idem nos dicere poſſumus de cæremonijs Eccleſiæ: Bene omnes factæ & conſtitutæ ſunt ab Eccleſia. Quod vt agnoſcamus, videbimus hac concione, quanto bono Eccleſiæ ſint ſacræ cæremoniæ. A.

PRIMÒ, Cæremoniæ ad fidei myſteria, quæ altiſſima ſunt, faciliùs intelligenda, Laicos manuducunt: vnde & *Liber Laicorum* dicuntur. Nam verbi gratiâ ablutio aquæ in baptiſmo, ablutionem animæ à peccatis ſignificat: impoſitio manuum in pœnitentia, reconciliationem cum Deo: ſignum crucis, myſterium Trinitatis, & crucifixionis Domini. Cereus Paſchalis, reſurrectionem Chriſti docet: Palmæ, triumphum victoriæ & ingreſſum Chriſti in Ieruſalem. Candelæ, purificationem Deiparæ. Eleuatio hoſtiæ & calicis in Miſsâ, Chriſti crucifixionem. Ornatus templi, ſplendorem cœleſtis regni, in quo beati omnibus gaudijs affluunt.

B. I. Manuducunt laicos ad intelligenda fidei myſteria.

Quemadmodum paruuli diſcunt legere literas, ex imaginibus adiunctis: ita rudes in Eccleſia erudiuntur per cæremonias in fidei myſterijs. Veteris legis cæremoniæ docebant rudem populum myſteria circa Chriſtum peragenda; nouæ legis cæremoniæ docent myſteria iam peracta.

C. II. Eſt proteſtatio fidei noſtræ.

Secundò, Per eas proteſtamur & confitemur publicè fidem noſtram & cultum Dei, vt cùm vexillum leuamus in proceſſionibus, cùm Euchariſtiam comitamur, cùm Sacramenta in Eccleſia publicè recipimus, Miſſam audimus, imagines veneramur, roſarium geſtamus, &c. His enim externis ſignis declaramus nos Chriſtianos, Catholicos, ſeruos Chriſti, cultores Crucis, B. Virginis, Sanctorum, &c. Ex foliis cognoſcitur arbor; & ex ritibus illis Chriſtianus. Certum quidem eſt, verum genuinum Dei cultum in ſpiritu & voluntate potiſſimùm conſiſtere; nihilominùs, ſi verè Deum amamus, non poſſumus nos continere, quin cultum & deuotionem illam per ſigna quædam prodamus; & ſæpe propter ædificationem proximi neceſſe eſt, deuotionem & fidem noſtram publicè oſtendere. Hinc de ſponſâ Chriſti, Eccleſiâ, cùm cecinisſet Dauid Pſal. 44. *Omnis gloria eius, filiæ Regis ab intùs*; mox adiecit: *in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.*

Phariſæi omnem ſuam iuſtitiam in externo cultu ſtatuebant, vnde & vocantur à Domino *ſepulchra dealbata*, Matth. 23. Hæretici contrà omnem externum cultum & cæremoniam aſpernantur, ſolùm internum requirunt. Catholici pro more ſuo mediâ incedentes viâ, vtrumque recipiunt: hunc primariò, illum ſecundariò; vt ſic conditor interioris & exterioris hominis ab vtroque tributum ſuum recipiat. Certè ſi vera eſt interna deuotio, vix ita latere poteſt, vt foris per externa deuotionis ſigna non prorumpat, & ſe ſpectantibus prodat, quemadmodum & amor vehemens latere neſcit.

D. III. Admonét nos interioris pietatis.

Tertiò, Monent nos tanquam ſigna externa, quid internè facere debeamus; vt dum candelas geſtamus in feſto Purif. monemur, vt in charitate ferueamus, dum incineramur, vt mortem cogitemus: dum palmas gerimus, meminerimus vincere hoſtes animæ. Aſpergimur aquâ benedictâ, vt recordemur baptiſmi noſtri & promiſſionis in eo factæ: ſalem benedictum deguſtamus, vt meminerimus gratiam in baptiſmo acceptam conſeruare; ſiquidem ſal conſeruat carnes. Rurſum dum orantes flectimus genua, leuamus manus, & tundimus pectus, monemur orare cum humilitate, ardore, compunctione. Dum baptiſmus peragitur varijs cæremonijs, nouerimus nos Deo conſecrari in templum, & ſacrificari, iuxta id Ierem. 14. *Tu autem in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos.* Dum thus altari & defunctis adhibemus, monemur orationes noſtras ad Deum dirigere, vt thuris inſtar ad ipſum aſcendant, & gratum & placabile ſacrificium fiant. Similiter dum ad orationes, ſuos cereos accendunt mulieres, monentur, vt orationem non frigidam ſed ardentem fundant ad eum, qui *ignis conſumens eſt*, Deum.

Sine hac interiori deuotione, ſunt cæremoniæ, velut tormenta ſine globis exploſa, quæ tonant quidem, ſed ſtragem nullam edunt; hoc eſt, ornant quidem Eccleſiam & Sacramentorum adminiſtrationem, ſed in cordibus fidelium, qui eas non expendunt, vim modicam habent, ſolummodò deuotionem aliquam excitant & venerationem erga res ſacras & Sacramenta, dæmones & peccata non ſternunt.

E. IV. Corda mouét ad pietatem & venerationem.

Qvartò, Corda fidelium mouent & frigidos ad virtutem ac diuinæ maieſtatis venerationem accendunt. Magis enim ſenſibus ducimur quàm intelligentiâ. Vnde Thriuerus *in apophtegm.* ait: *Vt in gratiam faſtidientium comparata ſunt condimenta, ſic ad prouocandos ſegnes quædam cæremoniæ.* Talia ſunt, ſonitus campanarum in feſtis, cantus in templis, lumina accenſa, tapetes, reliquiæ, miniſtrorum maieſtas, dignitas, ordo, decor, &c. Ita vt S. Chryſoſt. *hom. 61. ad pop. Antioch.* ſcribat: *Meritò exiſtimare poſſe hominem eo tempore cælum apertum, & ſe cum cœleſtibus conuerſari.* Sicut enim milites ſono tubarum excitantur ad bellum: & ſicut is, qui regem conſpicit à nobilibus præſtantibuſque viris regio more coli, & honore affici, permouetur ad eiuſdem admirationem & venerationem: ita homo fidelis mirum in modum commouetur ſacris cæremonijs, & accenditur amore cœleſtium rerum. Mirabatur & venerabatur Salomonem Regina Saba: *Videns enim domum eius, quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum & ordines miniſtrantium, veſteſq́, eorum & pincernas & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra ſpiritum, &c.* 3. Reg. 10. Ad eundem modum Valens Imperator Arrianus cum faſtu & inani pompâ Baſilij Epiſcopi Eccleſiam ingreſſus, vt eam turbaret, cùm vidiſſet populi multitudinem, ordinem, rerum omnium concinnitatem, pſalmodiam & Baſilij venerandam præſentiam, obſtupefactus, & totus mutatus, in terram corruiſſet, niſi quidam ex primoribus tunicâ correptâ Imperatorem iam ruentem retinuiſſet. Baron. anno 370.

F. V. Puritatẽ internam conſeruant.

Qvintò, Puritatem internam, fidem & deuotionem conſeruant: ſicut folia tuentur fructus & uvas: ſicut ignem ſeruat cinis, ſicut cortex arborem: ſicut ſeps hortum & fructus cuſtodit: ſicut capillus Samſonis fortitudinem, quo dempto demitur Eccleſiæ robur, *Iudic.* 16. Hinc Iulianus Apoſtata, vt ſuperſtitionem Gentilium in poſterum ſtabiliret; eorum ſacra & ſacrificia ad inſtituta noſtra accommodare ſtuduit. Vnde in Idolorum templis conſtituit ſubſellia, lectiones & certas horarum preces, ſcholas peregrinorum & egenorum domicilia, delictorum pœnitentias, teſte *Greg. Nazianz. orat.* 1. *in Iulian.*

Rurſum ſicut teſta nucis conſeruat nucleum; ita cæremoniæ fidem, deuotionem & iuſtitiam Chriſtianam. Tolle teſtam, tolle cæremonias, & peribit nucleus deuotionis.

Hinc mirum non eſt apud hæreticos noſtros omnem pietatem periiſſe, quia cæremonias eliminârunt, quibus conſeruatur pietas, vti vinum dolio, circulis & horum ligamentis ſeu viminibus. Vimina tenent circulos, circuli

culi dolium, dolium tenet vinum. Quòd ſi incideris vimina, diſſilient circuli, deinde tabulæ dolij, denique vinum effluet.

G. VI. Corpus ad venerationem aptant.

Sextò. Corpus ipſum ad obſequium & venerationem aptant erudiuntque. Vnde dicitur Pſal. 33. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Exod. 12. Non ſolùm vt agnus comederetur, ſed vt ipſius ſanguine etiam poſtes inungerentur, præcepit Deus. Vt ſciremus non ſolùm animam diuinis myſterijs paſcendam, verùm etiam corpus ad obſequium Dei aptandum, vt ex ipsâ corporis compoſitione appareat pietas & cultus Dei. Vtrumque Deo debemus, corpus & animam ab vtroque ergò tributum & homagium ſuum exigit. Si ſpiritus tantùm ſumus, ſpiritus ſolus Deum colat. Si verò etiam corpus ſumus, corpus etiam Deum colat neceſſe eſt.

H. VII. Sanctificationem aliquam afferunt.

Septimò, Sanctificationem aliquam & auxilium Dei afferunt. Aliæ ex inſtitutione quidem Chriſti vt Sacramenta. Aliæ ob orationem Eccleſiæ, quæ illas comitatur, vt aqua luſtralis. Aliæ ob deuotionem recipientium: vti pectoris tunſio, accenſio candelarum, &c. Non minùs enim hæc placent Deo quàm rami & veſtes Chriſto à Iudæis ſubſtratæ. Aliæ ex poteſtate Eccleſiæ: vt exorciſmus & inſufflatio ad expellendos dæmones. Surius to. 4. 25. Auguſti ſcribit hiſtoriam Geneſij Mimi, qui cum ſocijs ſtatuerat imitari Chriſtianorum cæremonias baptiſmales publico ſpectaculo ad Diocletianum Imp. recreandum. Fingit ergò ſe ægrum & in lecto collocat, dicens: *O ſocij, grauatum me inuenio.* Cui ſocij: *Et quomodo te leuiorem faciemus? num fabros nos lignarios reputas, vt ſecuri te leuiorem facere queamus?* Et ille: *Cupio baptizari. Eccur?* aiunt illi. *Vt in illo die fugitiuus in Chriſto inueniar*, reſpondet Geneſius. Riſit adhæc Imperator. Paratur ergò baptiſmus & quæ ad eum ſpectant, induitur veſte albâ, clamans interim ſeriò ſe Chriſtianum eſſe. Mox à miniſtris ad hoc ſubornatis rapitur fictè ad tribunal & ſtatuitur coram ſtatuâ Veneris. Vbi incipit Geneſius coram Imp. & populo palàm conteſtari ſe non iam irriſorem Chriſtianorum, ſed verè Chriſtianum eſſe; dum enim per riſum baptizaretur, vidiſſe ſe Dei manum ſupra ſe extenſam & iuxta ſe angelos, qui proponebant ei librum in quo omnia eius peccata ſcripta erant, dicebantque per baptiſmum hunc omnia delenda: moxque affusâ aquâ omnia deleta fuiſſe; monebant inſuper vt acceptam gratiam ſedulò conſeruaret. Quare cùm ſe Chriſtianum eſſe conſtanter affirmaret, excandeſcens Imp. iuſſit eum plagis primùm, deinde in eculeo torqueri & facibus aduri. Inter hæc Geneſij vox erat: *non eſt rex præter Chriſtum pro quo ſi millies occidar, ipſum mihi de ore, ipſum mihi de corde auferre non poteritis.* Itaque martyrij palmam capitis obtruncatione promeruit. Ad extremum audiamus quàm punitus ſit contemptor SS. cinerum. Scribit Cæſarius l. 10. hiſt. memorab. cap. 53. *fuiſſe Confluentiæ carnificem quendam, hominem in officio ſuo probum ſatis; qui cùm aliquando, tertia feria ante cineres, totam pene noctem in comeſſationibus expendiſſet, manè quaſi ad abluendas carnes cum quodam ſuo collega tabernam intrauit, cumq; ad officium Miſſæ pulſaretur, & fideles ad Eccleſiam confluerent, necnon ex eadem taberna, tamq; ſoli hi duo illic remanentes potarent, ait alter carnifici: Certè modò diu nimis expectamus, eamus ergò ad Eccleſiam propter ſacros cineres. Cui ille, myſterium cinerum irridendo, reſpondit: Sede, ego tibi dabo cineres, & tu mihi: tollenſq; cineres de lare iactauit ſuper caput eius. Et ecce, mox pœna irriſionis ſubſecuta eſt: nam ſtatim circa caput, & faciem, tantum ſenſit puluerem, ac ſi follibus ei inſufflaretur: cumq; territus exclamaret, tantum ore cineris hauſit, vt pene ſuffocatus fuiſſet. Accurrerunt multi plagam tam mirabilem videntes: ductus eſt in proximam inſulam, in quâ non puluis, ſed gramen erat; ſed nihil ei profuit. In Rheno, in pomerio, in ſolario, neque in aliquo loco à turbine cinerum ſe defendere potuit: à quibus tandem ſuffocatus pœnam irriſionis ſoluit.*

CONCIO IX.

Documenta.

1. *A Chriſto diſcimus, indefeſſum benefaciendi ſtudium, charitatem & humilitatem.*
2. *A turbis, charitatem fraternam, gratitudinem, & laudare Deum in operibus ſuis.*
3. *A ſurdo & muto, aperire oculos, aures, os, manus & nares.*

THEMA.

Ephpheta, quod eſt, adaperire. Marci 7.

SCitis, Auditores, ſabbathum noſtrum ſeu Dominicum diem datum eſſe animabus, quemadmodum dies reliqui per hebdomadem dati ſunt corporibus. Quoniam igitur hoc tempore per hebdomadem pæne omnes occupantur in curâ & ſuſtentatione corporis, in frugibus colligendis & recondendis in horreum: decet vt ſubinde in diebus ſacris prouideamus etiam animæ, & recondamus in cor noſtrum eas fruges, vnde viuere poſſit anima. Nónne enim anima plus eſt quàm corpus? Et num comedente corpore, anima eſuriat? Itaque expediamus equos & currum animæ, intellectum, voluntatem, memoriam, & ex agro hodierni Euangelij colligamus ac recondamus in corde noſtro fruges ſalutares. A.

B. I. A Chriſto diſce. 1. Indefeſſum benefaciendi ſtudium.

A Chriſto diſcimus Primò, Chriſti indefeſſum beneficiendi ſtudium. Etenim vbi ingreſſus fuit fines Tyri, ſanauit filiam Chananææ. Nunc vbi iterum inde exit, ſanat ſurdum & mutum. Ita nimirum Chriſtus vbiuis locorum reliquit monumenta ſuæ bonitatis, ac veluti ſol terræ globum perambulans, omnia illuminauit, fouit, fœcundauit; ſicut bene de ipſo dixit S. Petrus Act. 10. *Pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.*

Atque hæc eſt præſtantiſſima ac planè diuina virtus, beneficentia paſſim erga omnes effundenda, quomodo ſol radios ſuos in omnes creaturas effundit. *Sicut ſol*, inquit Epictetus apud Stob. ſerm. 44. de Magiſtr. *Non expectat preces, vt exoriatur, ſed ilicò fulget, ac ſalutatur ab omnibus: ita neque tu expectaueris plauſus, ſtrepitus & laudes, vt benefacias, ſed ſponte confer beneficia, & æquè ac ſol ambieris.* Theophraſtus rogatus, quidnam vitam humanam conſeruaret? reſpondit, *Beneficentia.* Alexander Seuerus Imp. rogatus, quis eſſet optimus? reſpondit: *Qui amicos muneribus retinet, & inimicos beneficijs ambit, ſibique conciliat.* Atque hæc eſt virtus, ob quam potiſſimum homines olim ab Ethnicis in Deos relati ſunt, quod teſtatur Plin. lib. 2. cap. 7. *Deus*, inquit, *eſt, mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iêre Romani, hac nunc cæleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis æui rector Veſpaſianus Auguſtus, feſſis rebus ſubueniens. Hic eſt vetuſtiſſimus referendi bene meritis gratiam mos, vt tales Numinibus adſcribantur. Quippe & aliorum omnium nomina Deorum nata ſunt ex meritis.* Ratio eſt, quia Dei proprium eſt ita abundare omni bono, vt ſupereffluat, illudque in alios benefaciendo transfundat. Qui ergò hoc imitantur Dei formes & quaſi Dei filij efficiuntur. Alexander Magnus rogatus, vbi theſauros ſuos haberet? amicos oſtendés: In his ſcrinijs, inquit Maxim. *ſerm.* 6. At nunc multi, ſi theſaurorum ſuorum oſtendere thecas deberent, ganeas & popinas monſtrare cogerentur. Reperiuntur aliqui, qui ſua nomina inſcribunt campanis, petris, alijſque rebus memorabilibus, vt ſciantur ibi fuiſſe. Sed hoc vanum eſt. Alij paſſim affigunt nomina vel inſignia ſua parietibus, feneſtris & vitris, maximè in cauponis & tabernis, non tam ad gloriam, quàm confuſionem ſuam. Alij peiùs adhuc relinquunt monumenta ſuæ malitiæ & turpitudinis: hîc debita contracta, ibi furta, alibi adulteria patrata, &c. Et ſicut ſerpens Cherſydros, fumum quà ſerpit, emittit: (apud Pererium in Gen.) ita illi fœtorem nominis ſui. Contrà boni odorem bonæ famæ vbicunque morantur, relinquunt & ſpargunt: quemadmodum Apoſtolus cum ſuis, 2. Corinth. 2. *Deus*, inquit, *odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.* Et quemadmodum periodus Chriſti & ſectatorum eius terminatur in cœlum: ita periodus dæmonis & aſſeclarum eius terminatur in orcum, *Gloria eorum ſtercus*, 1. Mach. 2.

Adhæc multis ambagibus & cæremonijs vti voluit Dominus ad curandum ſurdum: abduxit eum à populo, miſit digitos ſuos in aures eius, expuit in terram, tetigit linguam eius, ſuſpiciens in cœlum ingemuit, vt doceret nos præſertim Concionatores, deinde magiſtratus, parentes, heros, præceptores, nulli parcere labori, ſed omnia tentare, quò inſtruantur illi, qui ad Dei verbum & pias adhortationes ſurdi ſunt. Fieri enim poteſt, vt improbo hoc labore vincatur tandem illorum ſurditas atque improbitas. Habemus huius rei exemplum in vitâ S. Philippi Nerei ann. Chriſti 1562. de iuuene quodam non ignobili, cui Ioanni Thomæ nomen fuit. *Ibat is quotidie ad ſermones, magis id vt inſtitutum irrideret, quàm vt ſaluti animæ ſuæ conſuleret: hoc vbi aduertunt aſtantes, rem ad beatum Patrem deferunt, multaq; de iſtius inſolentia queruntur, quibus ille: Sinite eum, inquit, in hac re gerere ſibi morem: hominem, quæſo, æquo animo ferte: ſed cùm is moleſtus adhuc eſſe pergeret, eamq; ob rē, qui ſermonibus intererant, ipſum iterum ad Philippum deferrent, eadem quæ antea ab eodem audiunt. Interea rem miram operatur Deus, is breui poſt tempore cùm nemo expectaret, ita ex eius rei occaſione, Patrumq; conſuetudine immutatus eſt, ad eamq; deuenit ſermonum, qui ibi habebantur, beneficio, rerum cæleſtium intelligentiam, & humanarum contemptum, vt omnibus rebus abdicatis, diuitijs & honoribus ſpretis, Chriſti conſilia ſequi in animum induxerit: ergò addixit ſe Religioni S. Dominici, & in cœnobio S. Mariæ ſupra Mineruam, cunctis tam ſubitam hominis mutationem ſtupentibus, ſacrum habitum quarto idus Februarias ſumpſit, qui intra paucos menſes nouitius pietatis ardore feruens fiduciaq; plenus diem obijt.* Ita Gallonius in vita S. Nerei.

Secundò charitatem; ſiquidem tanta facit propter vnum hominem ſurdum & mutum; apprehendit eum de turbâ ſeorſùm, mittit digitos in auriculam eius, expuit in terram, inclinat ſe, & facit lutum, tangit luto linguam muti, ſuſpiciens in cœlum ingemiſcit. Quantò igitur magis laborandum pro vnius animæ ſalute ſpirituali? Et nos tamen hanc communiter negligimus. Videmus interdum mutos ſpirituales, qui videlicet vel improbè loquuntur, peierant, blaſphemant, vel numquam confitentur, vel numquam orant. Videmus & ſurdos, qui nullam audiunt concionem, nullam admittunt correctionem. Hos apprehendere & ſputo ſalutaris admonitionis, nec non puluere mortis meditandæ tangere deberemus: ſi Chriſti charitatem imitari vellemus. 2. *Charitatem.*

Tertiò humilitatem; quia miraculum & beneficium tam grande præcipit taceri, ad exemplum vtique noſtrum; Nam in ipſo vana gloria nullum habere locum potuit. Sic legimus Samſonem diſcerpſiſſe leonem, & tamen id noluiſſe indicari patri & matri ſuæ, *Iudic.* 14. Nos contrà tametſi miraculū nullum facimus, nec leonem interficimus, ob leuiſſima dona vel facta noſtra ſuperbimus, gloriamur & celebrari volumus ad inſtar gallinæ, quæ vbi ouum vnum poſuit, in corte huc illuc ambulat, & ſonorâ ac ſtreperâ voce prodit, ſimulque perdit ouum ſuum. Sic enim honorem, quem quærit ambitioſus, perdit. E contrà humilem inſequitur honor, quem is fugit: vti patet ex hodierno Euangelio, vbi Chriſtus tantò magis prædicabatur; quantò magis id prohibebat. Honor enim ad inſtar vmbræ, fugientes ſequitur, & inſequentes fugit. 3. *Humilitatem.*

A turbis diſcimus Primò charitatem fraternam. Adducunt enim mutum ad Chriſtum, & deprecantur illum pro eo: quia id mutus pro ſe facere non poterat. Sic faciant Chriſtiani, C. II. *A turbis dicta.*

1. *Charitatem fraternam.*

ſtiani, adducendo ad confeſſionem vel concionem eos, qui per ſe venire vel nolunt, vel non poſſunt; infirmos præſertim maturè admoneant de pœnitentiâ agendâ & ſacramentis ſuſcipiendis. Imprimis verò parentes adducant ad Chriſtum liberos, domini ſeruos, dominæ ancillas, Magiſtri diſcipulos ſibi commiſſos. His enim, ait Chriſtus, quod Ioſeph dixit fratribus: *Non videbitis faciem meam niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum.* Gen. 43. Idem quoque amicus amico faciat. Sic columbæ vnguento odorifero perunctæ ab aucupibus ad columbarium adducunt ſecum alias, vt ſcribit S. Baſilius epiſt. 175. Ita S. Cæcilia adduxit ſponſum ſuum & fratrem eius ad Chriſti columbarium. Ita cùm veniſſet aliquando Chriſtus in terram Geneſareth, *Viri loci illius miſerunt in vniuerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent.* Matt. 14. Itaque vnuſquiſque propinquo, amico, vicino, & noto ſuo nunciabat Chriſti aduentum, etiam ad aliquot milliaria, vt adducerentur eorum infirmi ad hunc medicum. Videte, Chriſtiani, quid vos facere deceat: ſi fecerunt hoc Iudæi, qui ſalutem corporis duntaxat quæſierunt. Laudandus hìc etiam Gregorius XIII. Papa, qui Iudæos, Romæ coëgit ad audiendum ſingulis ſabbatinis diebus ſermonem conuerſi cuiuſdam Iudæi, Andreæ, qui fidem noſtram probare ex Hebræorum Doctoribus Chriſto antiquioribus nôrat, vnaque Iudæorum fraudes ſibi perſpectas habebat, vnde factum, vt multi Hebræi ad Chriſtum ſe conuerterint, alij verò obſtinati conqueſti ſint à tempore Abrahami talem perſecutionem Hebræis illatam non fuiſſe. Refert Coſterus in hac Dom. Durat etiamnum ea lex Pontificia Romæ, quâ ad concionem ſabbatinam ſub graui mulctâ coguntur.

2. *Gratitudinem.*

Secundò, Gratitudinem; prædicant enim Chriſti miraculum & beneficium & tanto magis, quantò magis tacere iubebantur: quo facto declarant zelum ſuum erga Dei gloriam, dum neque tacere iuſſi tacent. Sic quoties nos beneficium à Deo capimus, glorificare Deum debemus, & dicere cum Dauid Pſ. 65. *Venite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Aſſiduus in hac virtute fuit S. Paulus, vt apparet in eius epiſtolis, in quibus frequentiſſimè gratias Deo agit pro beneficio conuerſionis ſuæ alijſque innumeris. Similiter S. Auguſtinus *in ſua confeſſione*, quæ aliud non eſt niſi perpetua gratiarum actio pro ſuâ conuerſione. *Quid eſt autem*, inquit idem Auguſt. lib. 1. contra adu. legis c. 18. *ſacratius laudis ſacrificium, quàm in actione gratiarum?* Et epiſt. 5. ad Marcellin. *Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus quàm Deo gratias?* Et quid erant feſta Hebræorum niſi gratiarum actiones pro acceptis beneficijs? Sabbatum pro creatione, feſtum Neomeniæ pro conſeruatione & gubernatione, paſcha pro liberatione Ægyptiacâ, Pentecoſte pro data lege?

3. *Laudare Deum in operibus ſuis.*

Tertiò, Laudare Deum in omnibus ſuis operibus, ac dicere: *Bene omnia fecit.* Meritò autem à nobis Deus aſſiduè laudatur. Primò, quia eſt bonum immenſum & infinitum. 1. Secundò, quia innumera & ingentia beneficia perpetuò in nos confert. 2. Tertiò, quia omnes creaturæ ſuo modo Deũ laudant, ſuâ pulchritudine, ordine, numero, &c. 3. Quartò, quia eſt opus iuſtorum. 4. Dauid: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Iob: *Sit nomen Domini benedictum.* Tres pueri in camino: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Quintò, quia idem proprium eſt Angelorum & beatorum omnium: 5. vti contrà dæmonum & damnatorum blaſphemare. Denique quia omnia bene fecit, 6. & ſapientiſſimè cuncta diſpoſuit. Etiam quæ mala nobis videntur, ſi à Deo proueniant, reuerà bona ſunt; quia Deus nihil facere poteſt, niſi quod bonum eſt. Cæterùm *ſi non laudauerint ſerui Dominum*, inquit S. Auguſtin. in Pſalm. 134. *ingrati irreligioſi erunt. Quid faciunt non laudando Dominum, niſi vt ſeruum ſentiant Dominum?*

D. III. A ſurdo & muto diſce.

A ſurdo & muto diſcimus aperire aures & linguam & quæcumque priùs in nobis malè clauſa fuerunt, ad obſequium Dei. Porrò omnes ſenſus homo aperire debet. Primò, oculos. 1. *Aperire oculos.* Hos claudunt imprimis hæretici, cùm nolunt captiuare intellectum in obſequium fidei. Deinde mali Catholici, qui nolunt intelligere vt bene agant. Declinant oculos, *ne videant cœlum*, vti ſenes illi. *Dan.* 13. id eſt, Dei iudicia, æquitatem, &c. Auertunt oculos à propriâ conſcientiâ; & ita turpiter errant: ſicut qui dum ſcribunt, à calamo vultum auertunt. Non conſiderant nouiſſima ſua: non attendunt ad miſerias proximi.

2. *Aures.*

Secundò, Aures. Has claudunt aliqui Deo, diuinis inſpirationibus ac vocationibus, nec non concionibus. Quales illi Iudæi Romæ, quibus Apoſtolus prædicans dixit: *Quia bene Spiritus S. locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad patres noſtros dicens: Aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non perſpicietis. Incraſſatum eſt cor populi huius & auribus ſuis grauiter audierunt.* Actor. vltim. Et quid aliud agunt iſti, niſi quòd claudant feneſtras ſoli, ne ad eos mittat radios & calorem ſuum?

Alij eas claudunt conſcientiæ obmurmuranti. Præconis officio fungitur conſcientia. Primò ante peccatum, terrendo hominem ne peccet, ad inſtar illius angeli, qui ſtricto gladio obſtitit Balaam ariolo, ne pergeret ad maledicendum Iſraeli, mortem ei minitans, ſi quid ageret contra Iſraelitas; *Num.* 22. Deinde poſt peccatum, repræſentans homini & exaggerans malum quod geſſit, damna quæ incurrit, Deum quoque vindicem; ſimilis nuncio illi qui poſt acceptas clades ſolus euaſit, vt eas nunciaret Iobo. Verùm ad hunc præconem obſurdeſcit heu non rarò peccator!

Alij eaſdem claudunt proximo gratiam & veniam petenti. Sic Burgenſis ille apud Io. Iuniorem Dominicanum in Scala cœli, no-

lens dimittere iniurias: qui cùm ad templum elatus eſſet, vt pro eo exequiæ fierent, Chriſtus cruci affixus, retractis à cruce manibus, aures obturauit ſuas, dicens: *Nec pepercit, nec parcam.*

3. *Os Deo.* Tertiò Os Deo, ad orandum & confitendum. Cùm enim os apertum eſt ad orationem & confeſſionem, ſalua res eſt; cùm clauſum, periculoſa; imò tunc actu videtur, ſicut quando lupus ouem gutture arripuit, balatum ei intercludens. Proximo, ad eum conſolandum vel inſtruendum, deinde ad ſalutandum & amicè alloquendum, etiam inimicum. Sic Apoſtolus 2. Corinth. 6. *Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt.* Cæterùm hìc obſeruandum eſt, priùs audiendum quàm loquendum eſſe; ſiquidem, vt aduertit S. Gregorius *hom.* 10. *in Ezech.* priùs in contextu Euangelij dicuntur apertæ aures muti, quàm lingua. *Ille enim rectè loquitur*, inquit ibi Greg. *qui priùs obediendo fecerit, quæ loquendo admonet eſſe facienda.*

4. *Manum.* Quartò. Manum, iuxta id Prou. 31. *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem;* (ſequitur) *non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis.* Solent Cingari ex apertâ manu prædicere hominibus bonam aut malam fortunam, vitam longam, opes, &c. Veriùs ego vobis, Auditores, ſi aperueritis manum veſtram pauperi liberaliter, prædicam optima quæque: hìc bona terræ & meſſem copioſam, ibi vitam æternam.

5. *Nares.* Quintò. Nares ad percipiendum & examinandum fœtorem peccati, infamiæ, rerum fluxarum, mortis, inferni.

Illis verò qui clauſos habent ſenſus, occlamat hodie Chriſtus: *Ephpheta*, id eſt, *adaperire.* Itaque vt aperiat ſenſus noſtros, adeamus Chriſtum, precemur illum, adhibeamus etiam preces aliorum.

CONCIO X.

Myſteria.

1. *Quæritur, quid ſit Decapolis.*
2. *Cur adductus ſurdus & mutus.*
3. *Cur abduxerit ſurdum Dominus ſeorſim à turba.*
4. *Cur in aures ſurdi immiſerit digitos.*
5. *Cur expuens tetigerit linguam eius.*
6. 7. *Quare ſuſpexerit in cælum & ingemuerit.*
8. *Quid ſignificet vox Ephpheta.*
9. *Cur præceperit ne miraculum euulgarent.*

THEMA.

Adducunt ei ſurdum & mutum. Marci 7.

VIdemus, Auditores, in hodierno Euangelio Chriſtum habere claues tam aurium, quàm linguæ, qui vnâ eademque operâ, & ſurdo aperuit aures, & muto ſoluit linguā. Quare non ſolùm mihi accedendum eſt ad Chriſtum, cùm vobis concionari volo: verùm etiam vobis, cùm audire concionantem vultis. Mihi vt rectè & efficaciter loquar: vobis vt cum fructu audiatis. Sine diuino illo præſidio ego mutus ero, nihil ad rem locuturus; cymbalum tinniens ero: vos verò ſurdi eritis audituri quidem auribus corporis, ſed non auribus cordis. Hinc ergo concionator in præſentiâ Epiſcopi cathedram conſcenſurus, priùs accedit ad Epiſcopum veluti ad Chriſtum, petitque benedictionem, quâ aperiatur ipſi os tanquam claue aliquâ, ad rectè & ſanè loquendum: quo modo Iſaias mittendus ad prædicandum, priùs ſanctificatus & præparatus eſt calculo ignito, quo de altari ſumpto tetigerat labia eius vnus Seraphinorum, *Iſa.* 6. Idemque facit Sacerdos in Miſsâ, antequam Euangelium legat; priùs enim in medio altaris inclinatus, petit gratiam & benedictionem à Deo, vt dignè & competenter pronunciet eius Euangelium. Deinde concionator, vbi ſuggeſtum conſcendit, adducit vos Auditores itidem ad Chriſtum, qui aperiat vobis aures, dum monet, vt ante omnia flexis genibus imploretis Dei gratiam, quâ internis cordis auribus ſalubriter audiatis, quæ dicenda ſunt. Hoc itaque cùm vtrimque iam hìc fecerimus; ego, quæ ad elucidandum hodiernum Euangelium faciunt, loquar: vos audite.

Q. PRIMÒ. Quid Decapolis? Reſp. Eſſe regionem à decem ciuitatibus præcipuis, quibus maximè fulſit, ſic nominatam græco vocabulo. Decem verò ciuitates hæ numerantur: Cæſarea Philippi, Aſorcedes, Nephthalim, Sephet, Corozaim, Capharnaum, Bethſaida, Iotapata, Tiberias, & Bethſan, quæ & Scythopolis. Porrò eam regionem D. Hieronymus, & Vener. Beda collocant trans Iordanē, venientium ab Ægypto. Scythopolis tamen, quam numerat vnam ex illâ Ioſephus *lib.* 3. *de bello cap.* 16. cis Iordanem eſt. Videtur ergo regio illa partim trans, partim cis Iordanem habuiſſe ſuas ciuitates, quod Ianſenio placet. B. I. *Quid Decapolis.*

Q. SECVNDÒ. Cur adductus ſurdus & mutus? Reſp. Quia ad Chriſtum, quem ignorabat, per ſe venire non poterat, neque ſanitatem poſtulare. Nec erat modus ipſi inſinuandi, vt ſponte ad Chriſtum veniret; quia ſurdus erat: Ergo vt compendio ſalutem ei procurarent, adducere eum voluerunt; pulchro nobis exemplo, vt diſceremus proximis noſtris conſulere modo efficaci & compendioſo, magnâ cum charitate, ſine multis ambagibus, metu aut robore. Porrò aliqui ſunt, qui vocati vltrò exiliunt, & ad Chriſtum veniunt, vti Bartimæus ille cæcus, Marci 10. Alij adduci debent & compelli, increpationibus, exemplis, minis, flagellis; quorum typus eſt hic ſurdus & mutus. Alij geſtari, quemadmodum paralyticus ille Matth. 9. ſuntque homines ſpiritu infirmi, quorum vitia & aſperi mores vix corrigi poſſunt, patienter ſolùm ferendi & ſupportandi ſunt, vt vel hac ratione tandem victi manus dent & reſipiſcant; quâ quidem S. C. II. *Cur adductus ſurdus & mutus.*

Moni-

Monica vicit, & ad Chriſtum quaſi geſtauit maritum ſuum, Patricium: aſperitatem eius ſuâ patientiâ & ſilentio expugnando.

D. III. Cur abduxit ſurdum Dominus.

Q. TERTIÒ. Cur abduxit Dominus ſurdum à turba ſeorſum? Reſp. Primò ad literam, ne à turba premeretur, & in confuſa multitudine miraculum obſcurius eſſet. Non enim longè à turbâ vel extra conſpectum eius fecit miraculum: ſed in conſpectu, paululùm tamen
1. ſemotus, vt pluribus pateret. Non vt vanam gloriam, ſed vt animas incredulorum caperet.

2. Secundò, myſticè, vt doceret eos, qui animo curari volūt gratiaque impleri, debere praua vitare conſortia mundique ſtrepitum: renunciare fraternitatibus & amicitijs, quæ inter pocula ſanciuntur. Hinc Oſeæ 2. ait de animâ fideli Deus: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* q. d. flectam eius cor, & conuertam ad me meique amorem. Hoc, vt faceret Arſenio, abduxit eum ex aula Imperatoris Theodoſij (cuius filio Arcadio præceptor datus erat, non ſine vitæ periculo, quòd Arcadius ſemel ab eo caſtigatus mortem ei machinaretur) in ſolitudinem ad vitam anachoreticam, cæleſti voce monitum: Arſeni, fuge, tace, quieſce. Baron. anno 383. Sic Magdalenam abduxit in Baumam ſuam, Maſſiliæ vicinum montem, vt ipſa ibi deflere peccata ſua, & angelicam agere vitam poſſet. Denique *ſcrutemur ſcripturas*, inquit Hugo de S. Victore l. 4. de Arcâ Noë, c. 4. *& inueniemus vix aut nunquam Deum locutum fuiſſe in multitudine, ſed quotieſcunque innoteſcere voluit aliquid hominibus, non gentibus & populis, ſed vel ſingulis vel admodū paucis & à communi hominum frequentiâ ſegregatis, vel per nocturna ſilentia, vel in campis, & ſolitudinibus, & montibus, & vallibus ſe manifeſtauit. Sic locutus eſt cum Noë cum Abrahā, cum Iſaac, cum Iacob & Moyſe, Samuele, Dauid & omnibus Prophetis.*

3. Tertiò, vt typum nobis exhiberet ſecretæ & auricularis confeſſionis, in Eccleſia inſtituendæ. Pulchrè enim hæc curatio ſacramentum pœnitentiæ adumbrat. Dum ſuſpiciens in cœlum Dominus ingemiſcit contritionis actum adumbrat: dum expuit, peccatorum quaſi fœtentium ſputorum eiectionem ac confeſſionem: dum linguam muti tangit, ſigillum confeſſionis: dum digitos in aures eius mittit, ſatisfactionis iniunctionem: dum ait: *Ephphetha*, abſolutionem ſacerdotalem exprimit: dum denique, vt dixi, à turba hominem abducit, ſecretò in auribus ſolius ſacerdotis faciendam confeſſionem innuit.

4. Quartò, vt moneret, interdum eſſe peccatores ſeorſim ac priuatim corrigendos & monendos, ne humano pudore victi exaſperentur, & à pœnitentiâ ſe auertant, fiantque deteriores, ſi publicè emendati confundantur; quales ſunt viri ingenui ac literati, principes præſertim. Sanè Praxaſpes, qui Cambyſen regem in conuiuio de ebrietate correxit, malè rebus ſuis conſuluit. Exacerbatus enim rex iaculo Praxaſpis filium confixit, occiditque, vt monſtraret ei, regem etiam inter pocula ſibi ſatis conſtare, apud Herodot.

E. IV. Cur in aures ſurdi immiſit digitos.

Q. QVARTÒ. Cur in aures ſurdi immiſit digitos ſuos? Reſp. primò, vt oſtenderet ſurdos habere aures, quaſi obturatas atque clauſas; quas proinde digitis ſuis velut clauibus aperire, aut quaſi terebris perterebrare velit, vt notat Maldonatus hîc. Digitos ergo auribus
1. applicat, non naturali, ſed ſupernaturali cum efficientiâ, vt magis conſtaret, curationem muti & ſurdi à ſe profectam & veram eſſe, non fictitiam.

2. Secundò, vt doceret gratiâ Spiritus ſancti aperiendas eſſe aures hominum ad doctrinam fidei & virtutum percipiendam. Digitum ſiquidem, Spiritus ſancti typum eſſe, aliunde ſcimus. Ipſe Chriſtus Dominus fatetur per Iſaiam c. 50. apertam ſibi eſſe aurem; ad cognoſcendam & perficiendam Patris ſui voluntatem. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* Quàm difficiles ſunt ſæpe hæretici ad fidem recipiendam! quàm difficiles multi Catholici ad morum emendationem, & capienda bona conſilia! Iſti ergo ſedulò orant, vt ipſorum aures aperiantur digito Dei, ipſique non contradicant Spiritui S. Quemadmodum enim non eſt ſatis ſpargere in agrum ſemina, ſed præterea opus eſt cœleſti influxu, qui ſemina illa nutriat, & ad maturitatem perducat: ita non ſufficit ſemen prædicationis verbi Dei ſuſcipere, niſi adſit etiam virtus cœleſtis, quæ verbum illud vegetet ac fœcundet. Hanc cauſam reddit D. Gregorius hom. 10. in Ezech. *Digitos in auriculas mittere*, inquit, *eſt per dona Spiritus S. mentem ſurdi ad obediendum aperire.*

F. V. Cur expuens tetigit linguā eius.

Q. QVINTÒ. Cur expuens tetigit linguam muti? Reſp. Primò. Vt congrua & accommodata eſſet medicina morbo. Quia enim muti videntur nimia ſiccitate impeditam habere linguam palatoque adhærentem, ideo congruit
1. ei ſputum ſeu ſaliua; hac enim humectatur lingua fitque volubilis & ad loquendum expedita. Ita ſuprà diximus, aures reſeratas eſſe digitis.

2. Secundò. *Vt ſciremus*, inquit hîc Euthymius, *omnem partem ſancti corporis ipſius diuinâ plenam eſſe virtute. Ecce enim ſputum etiam immaculati oris ſui, quo linguam tetigit impeditam, diuinam quoque participabat virtutem, ac omninò excrementa diuini corporis ſancta erant, vtpote talis corporis; ſolùm autem operabantur, dum vellet. Præterea octauo huius Euangeliſta capite ſputo etiam vſus eſt ad cæci curationem, & Ioann. cap. 9. quando cæcum à natiuitate curauit. Hoc autem agebat, vt fidem faceret vnitæ ſibi diuinitatis. Quo enim pacto hæc operarentur, niſi Deus eſſet?* ſic Euthym.

3. Tertiò. Vt doceret ſaporem cœleſtis ſapientiæ à Deo nobis impetrandum eſſe. *Quid enim eſt*, D. Gregor. hom. cit. in Ezech. *quòd Chriſtus expuens, linguam eius tetigit? Saliua nobis ex ore Redemptoris eſt ſapientia accepta in eloquio diuino. Saliua quippe ex capite defluit in ore. Eâ ergo ſapientiâ quæ ipſe eſt, dum lingua noſtra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur.* Qui ergo ſapientiam veram & guſtum rerum cœleſtium deſiderat, à Deo obtinendum ſciat. Huius mundi

mundi ſectatores terrenis laboribus inſudant, diſtinentur litibus, occupantur mercimonijs, vigilant, currunt, nauigant, fatigantur. Et quamuis interim corpore ſe deficere animaduertant, non tamen ab his laboribus ceſſant, ſed delectantur illis: ad cœleſtem verò ſapientiam, ad ſpiritualia mercimonia nullo afficiuntur guſtu. Quid aliud iſtis deeſt niſi vt Chriſtus Dominus expuat in os eorum? niſi vt immittat eis guſtum illum?

Q. VI. Cur ſuſpexit in cælum. Q. SEXTÒ, Cur ſuſpexit in cœlum? Reſp.
1. Primò vt doceret id, quod S. Iacobus ſcripſit in epiſtola ſua cap. 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* Qui ergo dono ſapientiæ, prudentiæ, ſilentij indiget ad gubernandum linguam ſuam, ſuſpiciat in cœlum & lumen hoc à patre luminum poſtulet. Similiter qui in aliâ miſeriâ conſtitutus eſt nullibi certius aſylum niſi in cœlo reperiet. *Cùm ignoremus, quid agere debeamus* (ita precatur Ioſaphat rex Iudæ 2. Paral. 20. *hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.*

2. Secundò, *ſuſpexit in cælum*, inquit Euthymius hîc, *docens eos, qui alios erant ſanaturi, ad Deum aſpicere & virtutem ab eo petere.* Ita diuinus quidam Catechiſta ſeu homo ſeu angelus Iuſtino Philoſopho lectionem prophetarum ſuadens, hanc ei viam ad veræ ſapientiæ cognitionem monſtrat: *Votis & precibus ante omnia tibi lucis portas aperiri opta.* In dial. contra Tryphonem, factumque vt eo medio & viâ Iuſtinus non modò Chriſtianus, ſed profundus etiam Theologus euaſerit: id quod eadem ratione obtinuêre D. Thomas Aquinas, Gregorius Magnus & alter Thaumaturgus, alijque. D. Franciſcus cùm aliquando coram Papa & Cardinalibus peroraturus concionem compoſuiſſet, repentè totius orationis oblitus eſt. Quare conferens ſe ad orationem, *tam efficacibus ſubitò cœpit verbis affluere, tamq. potenti virtute illorum virorum ſublimium mentes ad compunctionem inflectere, vt aperte clareret, quòd non ipſe, ſed Spiritus Domini loquebatur.*

3. Tertiò, Vt diſceremus opera noſtra bona in cœlum & ad Dei honorem dirigere, per non omnia, quæ agere volumus, à Deo inchoare & iaculatoriâ oratione vel pia intentione Deo commendare. Qui iaculari vult, prius in ſcopum intendit, eoque ſagittam dirigit, omnem adhibens conatum. Scopus noſter & ſummum bonum in cœlo eſt, illuc ergo aſpicere & iacula noſtra mittere debemus. Qui in terram & terrenos ſcopos aciem defigunt, à cœleſti ſcopo longiſſimè aberrabunt. *Facti ſunt quaſi arcus doloſus*, inquit Dominus Oſe. 7. Et Dauid Pſal. 77. *Conuerſi ſunt in arcum prauum*: quia cùm in cœlum iaculari deberent, in terram iaculantur: cùm in dextram dirigenda eſſet ſagitta, dirigitur ab eis in ſiniſtram, in vanum ſcilicet vel etiam inhoneſtum finem. *Arcus peruerſus, non pro nomine Domini, ſed contra nomen Domini*, inquit S. Auguſtinus in eum Pſ.

Q. VII. Cur ingemuit. Q. SEPTIMÒ, Cur ingemuit? Reſpond. 1.
1. ſecundùm Euthymium hoc loco, *ingemuit miſertus hominis afflictionibus & ſimul ærumnæ miſertus naturæ quæ tum à Dæmonibus, tum ab infirmitatibus adeò impetitur, propter peccati tranſgreſſionem.* In ſpecie verò lachrymis & gemitibus deplorandum eſſe hominem illum docet, qui ad Dei verbum ac vocem audiendam ſurdus, ad confitendum verò peccata ſua mutus eſt. Hi enim duo penè incurabiles morbi ſunt, de quorum curâ cùm deſperat medicus, ad extremum ingemiſcit & abit.

Secundò, iuxta D. Gregorium hom. citat. in Ezech. *ingemuit, non quòd ipſe neceſſarium gemitu haberet, qui dabat quod poſtulabat: ſed nos ad eum gemere, qui cælo præſidet, docuit, vt aures noſtras per Spiritum S. dona aperiri, & linguâ per ſaliuam oris, id eſt, per ſcientiam diuinæ locutionis ſolui debeat ad verbum prædicationis.* Celeres curſores & veloces Dromedarij ad cœlum ſunt gemitus, de quibus ait Dauid Pſal. 37. *Domine, ante te omne deſiderium meum & gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Hos ergo ad Deum ablegare in noſtris neceſſitatibus debemus: ſi citò & efficaciter audiri vellemus. 2.

Tertiò. Vt doceret nos ingemiſcere potiùs & condolere, quàm iraſci aliorum peccatis: præſertim cùm noſtri officij aut virium non eſt ea caſtigare. Sic Tobias cæcus cùm audiret vxoris & propinquorum ſuorum inſultationes, ingemuit; dolens non tam ſuam cæcitatem & iniuriam acceptam, quàm peccatum illorum, Tob. 3. Sanctus etiam Ambroſius cùm peccatorum excipiebat confeſſiones, non eos obiurgabat, ſed gemitibus proſequebatur & lachrymis. 3.

Quartò. Dum in cœlum ſuſpiceret, ingemuit, vt nos quoque ingemiſcamus cùm nos in exilio & valle lachrymarum, longè adhuc à patriâ cœleſti remotos aſpicimus, vt faciebat Dauid: *Heu mihi*, inquit Pſalm. 119. *quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedar.* Alexander Magnus cùm audiſſet ab Anaxarcho Philoſopho plures eſſe mundos, illachrymaſſe dicitur, eò quòd needum vnum ſibi ſubiugaſſet: *Heu me miſerum*, inquit, *qui nondum vnius factus ſum Dominus!* Sanius hoc dicere poſſet Chriſtianus: Heu me miſerum; cùm infinitæ in cœlo ſint manſiones hominibus paratæ, needum vnius poſſeſſor factus ſum! Quare, ô fideles, & cœleſtis Hieroſolymæ ciues, *concupiſcamus in atria Domini*, inquit S. Bernardus in ſerm. obed. pat. & ſap. *crebrò ſuſpiremus illuc. Patria noſtra ipſa eſt, adoremus ſaltem & à longè ſalutemus eam.* 4.

Q. OCTAVÒ. Quid ſibi vult vox *Ephphetha?* I.
Reſpond. eſſe vocem Chaldaicam ſignificantem, *adaperire*; retentam verò ab Euangeliſtâ ob maiorem auctoritatem, reuerentiam & emphaſim: alludit enim ad vaticinium Iſaiæ de Chriſto prophetantis cap. 35. *Tunc aures ſurdorum patebunt & aperta erit lingua mutorum*: quod in hoc miraculo completum eſt. VIII. Quid vox Ephpheta.

Porrò obſeruat Salmeron, quemque potiſſimum

tiſſimum eſſe, quæ homo aperire debeat: primò intellectum, vt Deo cognito cætera omnia ſpernat, adeoque hæc duo ſciat: Deum eſſe omnia & ſe nihil, in quo veram ſcientiam ſitam eſſe dicebat S. Laurentius, Iuſtin. apud Sur. *tom.* 2. Secundò, voluntatem, vt cor amori ac timori diuino clauſum incipiat Dei bonitatem deguſtare. Tertiò, Os, vt gratias agat Deo, proximum doceat & ſoletur, peccata propria confiteatur. Quartò, manum, iuxta id Prou. 1: *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.*

X. IX. Q. Nonò. Cur præcepit, ne miraculum euulgarent? Reſpondet Primò Vener. Beda, homil. in hoc Euangel. *An fortè nobis exemplum dare voluit, vt virtutum opera facientes, vitium iactantiæ per omnia gloriamq́; vitemus humanam, ne bona noſtra actio per inanem vulgi fauorem, ſupernæ retributionis munere priuetur? Et tamen ſciamus opera noſtra, ſi digna imitatione ſunt, nullatenus poſſe celari, ſed ad vtilitatem fraternæ correctionis ipſo diſpenſante pateſieri.*

Cur præcepit ne miraculum euulgarent.

Secundò reſpondet S. Auguſtinus lib. 4. de conſenſu cap. 4. *Vt quid hoc præcipiebat niſi quia pigris volebat oſtendere, quantò ſtudioſius quantoq́; feruentiùs eum prædicare debeant, quibus iubet vt prædicent: quando illi, qui prohibebantur tacere non poterant?*

DOMINICA DVODECIMA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Lucæ 10.

IN illo tempore, dixit IESVS diſcipulis ſuis: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legiſperitus ſurrexit, tentans illum, & dicens: Magiſter, quid faciendo, vitam æternam poſſidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Ille reſpondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum. Dixitque illi: Rectè reſpondiſti: Hoc fac & viues. Ille autem volens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum. Et quis eſt meus proximus? Suſpiciens autem IESVS dixit: Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum: & plagis impoſitis, abierunt, ſemiuiuo relicto. Accidit autem, vt Sacerdos quidam deſcenderet eadem viâ: & viſo illo præteriuit. Similiter & Leuita, cùm eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſijt. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericordiâ motus eſt. Et appropians, alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum. Et imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcunque ſupererogaueris, ego, cùm rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi IESVS: Vade, & tu fac ſimiliter.

CON-

Digitized by Google

CONCIONES.

I. *Quid nos mouere debeat ad ſeruandam Dei legem*

II. *Quomodo oporteat proximum diligere ſicut ſeipſum.*

III. *Delinquentes corrigendi.*

IV. *Correctionem æquo animo acceptandam eſſe.*

V. *Damna peccati originalis.*

VI. *Quomodo per gratiam Mediatoris ſanentur vulnera peccati originalis.*

VII. *De multiplici amicitia falſa.*

VIII. *Quis ſit noſter proximus.*

IX. *Documenta.*

X. *Myſteria.*

CONCIO I.

Quid nos mouere debeat ad ſeruandam Dei legem.

1. *Ex parte Dei, ſumma eius auctoritas, ſumma erga nos beneficentia & amor.*
2. *Ex parte mandatorum tres etiam cauſæ ſunt, nempe quia iuſtiſſima ſunt, facilia & vtilia.*
3. *Ex parte noſtra, ſpes præmij, metus pœnarum & exemplum Iudæorum.*

THEMA.

Magiſter, quid faciendo, vitam æternam poſſidebo? Luc. 10.

A. MAgni momenti quæſtio eſt hæc: *Quid faciendo, vitam æternam poſſidebo?* Sed nec minoris difficultatis. Perinde enim eſt, ac ſi quæras: Quomodo poteſt homo ad cœlum volare? Quid igitur ad hoc Chriſtus? Ad legem remittit interrogantem legiſperitum, qui ex eâ mox deprehendit modum & rationem ad cælos euolandi. Et quæ illa? Duas alas nobis aſſumendas ait, idque confirmat Chriſtus, charitatem Dei & proximi. Prior complectitur præcepta primæ tabulæ, quæ ſunt tria prima ex Decalogo. Poſterior continet præcepta ſecundæ tabulæ, ad quam pertinent ſeptem reliqua. Vult ergo Dominus dicere legiſperito, quod aliàs adoleſcenti, eandem quæſtionem proponenti, reſpondit Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata,* ſeu dilige Deum & proximum; ſicut in lege ſcriptum inueniſti. Quod legiſperito dixit, hoc nobis omnibus dixit: Diligite Deum & proximum, ſeu obedite Dei mandatis, hoc facite & viuetis. Hæc eſt via cæli, ambulate in ea. Verùm hîc occurrunt aliqui, quibus via iſta vehementer diſplicet, vtpote ſpinis plena: viam libertatis, roſis inſtratam mallent. Miſeri profectò quia non aduertunt, viam hanc ad perditionem, illam ad ſalutem ducere. Quare errones iſti ad viam cæli ducendi ſunt & ſtimulis agitandi, vt cum regio Prophetâ viam mandatorum Dei currant.

B.

I. Ex parte Dei.

1. Summa Dei auctoritas.

Multa ſunt, quæ nos mouere, imò accendere debent ad ſeruanda Dei mandata. PRIMÒ. Ex parte Dei tres potiſſimùm cauſæ ſunt, quarum Prima eſt ſumma Dei auctoritas & poteſtas ad ferendas leges, vt oſtendit Eccleſiaſtes cap. 8. dicens: *Ego os regis obſeruo & præcepta iuramenti Dei,* &c. *quia omne quod voluerit faciet & ſermo illius poteſtate plenus eſt: nec dicere ei quiſquam poteſt: Quare ita facis?* Præcepta iuramenti vocat, vel quia Deus ea quaſi ſub iuramento ſanxit, quando ſub hac verborum formulâ promulgauit: *Ego Dominus Deus tuus,* &c. Hebr. *Elohim*, id eſt, Iudex & gubernator omnium, *Exod.* 20. Vel quia homines quaſi ſub iuramento ad ea vult eſſe obligatos. Videmus certè ſeruos os regis ſui obſeruare & ad nutum omnia iuſſa eius diligentiſſimè peragere. Ita milites Saulis iuſſi abſtinere cibo vſque ad veſperam, donec ſcilicet pugna finita eſſet; abſtinuerunt omnes (vno excepto Ionathâ, qui mandatum patris ſui non audierat) licet copioſum mel præ oculis iaceret, 1. *Reg.* 4. Ita milites Dauidis iuſſi parcere Abſaloni, cùm vidiſſent eum pendulum de quercu; pepercerunt ei; quorum vnus ait ad Ioab: *ſi appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex dicens: Cuſtodite puerum Abſalom,* 2. Reg. 18. Quantò magis accuratiùs os Dei obſeruandum & ſine hæſitatione ac contradictione exequendum quidquid ille iuſſerit?

2. Summa Dei erga nos beneficentia.

Secunda, Summa eius erga nos beneficentia, ratione cuius obligamur ei velut mancipia per omnia obedire. Nam imprimis ab eo creati ſumus: deinde poſtquam dæmoni venundati fuimus, ab eodem redempti ſumus, nec niſi pretio ſanguinis eius. Denique ab eodem perpetuò conſeruamur, ſuſtentamur, cuſtodimur, dirigimur, &c. vt nullum ſit momentum, quo eius gratiâ non perfruamur. Iam verò, qui tantis titulis Deo obſtringimur, nónne, velut Domino noſtro, iure obedimus?

3. Summus eius in nos amor.

Tertia. Summus eius in nos amor. Præcepta enim Dei aliud non ſunt niſi vincula charitatis, de quibus *Oſeæ* 11. dicitur: *Trabam eos in vinculis charitatis.* His enim coërcere ſolet nos Deus à viâ perditionis & continere in officio. Hæ ſunt faſciæ, quibus alligauit Samaritanus vulnera iacentis. Quò etiam pertinent verba Eccl. c. 6. dicentis: *Vincula illius alligatura ſalutaris.* Rectè dixit Philo in lib. de Ioſepho, *Quod medicus eſt ægro, hoc lex eſt ciuitati.* Corona etiam priſcis hieroglyphicum legis fuit: quia certis eſt vinculis complicata, quibus vita noſtra velut religata coërcetur à diſſolutione. Pier. *l.* 41. *hierogl.* Vnde & Phariſæi *ſcribebant in membranis decalogum Moſis, id eſt, decem verba legis, complicantes ea & ligantes in fronte & quaſi coronam capiti facientes*, vt ſcribit S. Hieron. *in Matth. cap.* 23. Verùm illi phariſaicè; nos ſaniore fine legem Dei velut coronam amplectimur, vt & vitia noſtra coërceat & vitam noſtram coronet.

SECVN-

C. II. *Ex parte mandatorum.*

SECVNDÒ. Ex parte mandatorum Dei tres etiam apparent cauſæ. Prima, quia ſunt iuſtiſſima & puriſſima ab omni prauitatis ſcoriâ, vnde *Pſal.* 11. de iis dicitur: *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum ſeptuplum.* Et *Pſal.* 118. dicuntur, *Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa.* Iudicia quidem, quia ſapientiſſimè & æquiſſimè quaſi in conſeſſu Iudicum decreta: iuſtificata verò in ſemetipſa, quia non admittunt aliam regulam, ſed ipſa ſunt regula & norma omnis rectitudinis, cùm ſint mandata Dei & prima principia iuris naturalis, adeoque ſemper & vbique iuſta.

1. *Quia iuſtiſſima.*

2. *Quia facilia.*

Secunda. Quia ſunt facilia, Ioanne imprimis atteſtante 1. *Ioan.* 5. vbi ait: *Et mandata eius grauia non ſunt.* Multò minùs impoſſibilia, vt hæretici blaſphemant. Grauia autem non ſunt. Primò, quia mandata dilectionis proximi & Dei. Amanti autem nihil graue eſt. Secundò, quia Chriſtus addit gratiam, quâ veluti alis facilè volamus. Tertiò, quia alleuiantur exemplis Chriſti & ſanctorum, nec non promiſſione mercedis æternæ.

3. *Quia vtiliſſima.*

Tertia. Quia ſunt vtiliſſima. Sunt enim perpendiculum, ad cuius directionem ædificium noſtrarum actionum erigimus in cœlum; cuiuſmodi perpendiculum in manu habiturum Zorobabelem templi reparatorem, ſcribit Zacharias cap. 4. iuxta verſ. Chald. Sunt ſpeculum, in quo cernimus & abluimus maculas cordis noſtri; quo modo ſacerdotes olim ingreſſuri tabernaculum, in æneo labro, quod erat confectum de ſpeculis mulierum, ſeſe intuentes maculas vultûs eluebant. Exod. 30. De quibus ait S. Gregor. hom. 17. in Euang. *Specula mulierum ſunt præcepta Dei, in quibus ſeſe ſanctæ animæ ſemper aſpiciunt, & ſi quæ in eis ſunt fœditatis maculæ, deprehendunt, cogitationum vitia corrigunt, & quaſi ex reddita imagine ſuos ſuos vultus componunt.* Accedit Propheta *Pſ.* 18. dicens: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Hinc Cyrus rogatus, quoſnam putaret iniuſtos? *Lege non vtentes*, reſpondit, Plut. in Lacon. Quia videlicet iſti carent legis ſpeculo. Inde Braſilij tam ſunt barbari; quia vt in linguâ carent tribus literis F. L. R. ita in politiâ carent Fide, Lege, Rege. Oſor. & Maffæus *in hiſt. Indic.*

D. III. *Ex parte noſtra.*

1. *Spes præmij.*

TERTIÒ. Ex parte noſtrâ tres aliæ ſe offerunt. Prima: ſpes immenſi præmij. Ampliſſima enim ſunt Dei promiſſa, facta ſeruantibus legem eius; quemadmodum *Leuit.* 26. numerantur 28. benedictiones, quarum aliæ promittunt abundantiam frugum: *Si mandata mea cuſtodieritis & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam & vindemia occupabit ſementem & comedetis panem veſtrum in ſaturitate.* Aliæ pacem & ſecuritatem, ſicut ſequitur: *Abſque pauore habitabitis in terrâ veſtrâ. Dabo pacem in finibus veſtris, dormietis & non erit, qui exterreat. Auferam malas beſtias & gladius non tranſibit terminos veſtros.* Aliæ victoriam: *perſequemini inimicos veſtros & corruent vobis: perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici veſtri gladio in conſpectu veſtro.* Aliæ prolis fœcunditatem: *Reſpiciam vos & creſcere faciam, multiplicabimini & firmabo pactum meum vobiſcum.* Aliæ ſaturitatem & annonæ vilitatem: *Comedetis vetuſtiſſima veterum, & vetera nouis ſuperuenientibus proijcietis.* Aliæ Dei beneuolentiam, amorem & protectionem: *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos & ero Deus veſter, voſq́; eritis populus meus.* Taceo promiſſiones nouæ legis, veluti Matth. 12. *Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Ioan. 14. *Si quis diliget me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Denique *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum*, 1. Cor. 2. Quæ Apoſtoli ſententia S. Adrianum conuertit & accendit ad martyrium. Cùm enim ipſe miles eſſet florente ætate, ſcilicet 28. annorum videretque tantam Chriſtianorum martyrum in tormentis pro Chriſti fide toleratis conſtantiam, interrogauit eos: *Quid pro tantis pœnis expectatis? quid eſt, quod vos tanta tormenta compellit tolerare?* Reſponderunt illi: *Speramus bona illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Hac voce tactus Adrianus conuerſuſque, curat ſe ilicò inſcribi martyrum Catalogo, cum quibus dirè excruciatus, inſpectante & adhortante Nataliâ vxore præclarum ſubijt martyrium ſub Diocletiano, an. 306. vt in eius actis. Potuit hæc vox militem gentilem accendere ad martyrium, & non poſſit nos accendere ad ſeruandam Dei legem, ſuauem & ſalutarem?

Secunda. Metus pœnarũ & ſupplicij æterni decreti in eos, qui non ſeruant mãdata. Lege maledictiones, quas iis intentat Deus, *Leuit.* 27. nec non alias, Deut. 27. vbi iuſſit Deus ſtare ſex tribus nobiliores in monte Garizim ad benedicendum iis, qui ſeruarint legem Dei: ſex nobiliores è regione in monte Hebal ad maledicendum ijs, qui non ſeruarint, ita vt omnis populus reſponderet, *Amen.* Quod ſanè continget in die iudicij, vbi legis obſeruatores ſtatuentur ad Chriſti dextram, præuaricatores ad ſiniſtram, & illi quidem benedictionem, hi verò maledictionem ſibi à Chriſto denunciari audient, omnibus acclamantibus, *Amen, Amen.* Tunc videbitur Chriſtus apparens eâ formâ, quam deſcribit Moyſes, *Deut.* 33. videlicet *cum Sanctorum millibus & in dextra eius ignea lex.* Lex enim, quæ hic fuit *lucerna pedibus noſtris*, ibi erit lucerna & teſtis actionem noſtrarum; & deteget iniquitates rebellium, quas legi Dei contrarias & repugnantes admiſerunt, quemadmodum *Soph.* 1. teſtatur Dominus: *Et erit in tempore illo: ſcrutabor Ieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis.* Tunc lex contra nos teſtimonium feret & arguet nos, quando dicet nobis Iudex: *in lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis vel legiſti?* 2. *Metus pœnarum.*

Denique ignea erit, quia damnationis ignem præuaricatoribus intentabit atque immittet.

3. *Exemplũ Iudæorum.* Tertia. Exemplum Iudæorum, qui legem ſibi à Deo præſcriptam, præſertim cæremonialem exactiſſimè ſeruarunt olim, & pertinaciter adhuc ſeruant, ſolis ijs exceptis, quæ in templo (quo iam carent) fieri præcepta ſunt. Præceptum illis erat, ne comederent adipem victimarum, ſed Deo immolarent, *Leuit.* 4. & 7. At illi quò exactiùs hanc ſeruarunt legem, omni omninò adipe mundorum animalium, tametſi Deo non immolarentur, abſtinebant, cumque abijciebant, vti etiamnum facere perhibentur, Cornel. à Lapid. *in Leuit.* 3. teſte. Rursùm iuſſerat Dominus, Deut. 25. vt plagarum reis inferendarum numerus quadragenarium non excederet: cui vt certiùs & pleniùs ſatisfacerent Iudæi, non 40. ſed vnam minùs, ſcilicet 39. reis infligebant. Vnde S. Paulus ait 2. *Cor.* 11. ſe ab iis quinquies quadragenas vnâ minùs accepiſſe. Præceptum illis erat, vt facerent ſibi fimbrias per angulos palliorum, quibus viſis recordarentur mandatorum Dei, Num. 15. illi autem fimbrijs hiſce inſeruerunt acutiſſimas ſpinas, vt incedentes earum aculeis vexarentur, & ita legis diuinæ crebriùs admonerentur, teſte S. Hieronymo *in cap.* 23. *Matth.* Similiter iuſſi erant Deuter. 6. ligare præcepta Dei in manu ſuâ, & habere eadem ante oculos ſuos; illi hoc ad literam & rigidè exponentes, membranis ea inſcribebant, & fronti alligabant, vt Hieron. loco cit. Quid faciant ergò Chriſtiani? an non ita menti ſuæ inſcribere Dei legem debent, ſicut eam Iudæi inſcripsêre veſtibus & fronti? Denique audite adoleſcentem quendam Iudæum, qui cùm & ipſe hac quæſtione ad Chriſtum veniſſet: *Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* reſpondiſſetque illi Chriſtus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata,* dixit: *Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea,* Matth. 19. Sit nobis hic adoleſcens ſtimulus ad eandem legem cuſtodiendam. Si enim adoleſcens antiquæ legis, iſque diues, ab ineunte ætate mandata omnia cuſtodiuit, quid oportet adoleſcentem & virum & ſenem facere Chriſtianum? Ex quibus intelligere poſſumus, quàm benè dixerit Propheta, Pſalm. 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodire nimis.* Nimis enim cuſtodienda ſunt: Primò, quia nimis magnus eſt, qui ea ſanxit & præcepit, nimis bonus, nimis amans. Secundò, quia nimis æqua ſunt; vnde qui etiam in minimo ea præuaricatur, non erit impunitus; *habet* enim (vt dicitur) *& pilus vmbram ſuam.* Tertiò, quia cuſtodientibus datur præmium magnum nimis. Quartò, quia præuaricantes expectat ſupplicium graue nimis; vnde vita potiùs in diſcrimen ponenda, quàm vt legi Dei vim inferamus, id quod verbo & exemplo ſuo docuêre nos ſeptem illi adoleſcentes ſtrenuique martyres, fratres Machabæi, qui potiùs acerbiſſima quæque pati & tormentis exquiſitiſſimis cruciari: linguâ, manibus & pedibus truncari, cute capitis abſtractâ denudari, in ſartagine torreri, adeoque *ſuas potiùs carnes,* vt ait S. Gaudentius in tract. de Machabæis, *ſupplicijs deuorandas tradere* maluerunt, quàm contra legem patriam edere porcinas, vti 2. *Machab.* 7. legimus. Horum primus, cùm ad ſupplicium raperetur, Antiocho, dicebat? *Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? Parati ſumus mori magis, quàm patrias Dei leges præuaricari.* Minimus verò natu & in ſupplicio vltimus, ita effatus eſt: *Quem ſuſtinetis? Non obedio præcepto regis, ſed præcepto legis, quæ data eſt nobis per Moyſen.* Et mox: *Ego autem, ſicut & fratres mei, animam & corpus meum trado pro patrijs legibus.* Fecerunt hoc illi ante Chriſtũ; quid feciſſent poſt Chriſtum? Lex illa non manducãdi porcinas carnes merè poſitiua & cærimonialis erat, non naturalis neque inſerta Decalogo; quid egiſſent vel exantlaſſent pro ſeruandâ lege Decalogi? Vel horum igitur exemplo animemur, Auditores, ad ſeruandam Dei legem, vt cum ipſis alijſque electis mercedem illam conſequamur, quam oculus non vidit, &c.

CONCIO II.

Quomodo oporteat proximum diligere ſicut ſeipſum.

1. *Condolendum & congaudendum ei.*
2. *Afflicto auxilium ferendum.*
3. *Communicanda obſequia.*
4. *Pro nobilioribus ſe exponat.*
5. *Condeſcendat infirmioribus.*
6. 7. *Non iraſcatur neque inuideat alteri.*

THEMA.

Proximum autem ſicut teipſum. Luc. 10.

BEnè dixit Eccleſiaſticus cap. 31. *Intellige, qui ſunt proximi tui ex teipſo.* Si enim intelligere velit aliquis, quâ ratione diligere debeat proximum ſuum, quærat ex ſeipſo, quomodo diligat ſeipſum. Hoc verò exponit nobis Apoſtolus 1. *Cor.* 12. vbi docet omnes fideles membra eſſe vnius corporis Eccleſiæ: & quemadmodum membra corporis naturalis diligunt ſe mutuò; ſic etiam vnumquemque diligendum eſſe à proximo. Cùm ergo hanc dilectionem doceat & inculcet parabola hodierna: audiamus quâ ratione diligere debeamus proximum. A. *Diligendus proximus, ſicut membra corporis diligunt ſe inuicem.*

PRIMO. Membra eiuſdem corporis ſibi mutuò condolent & congaudent. Dolente enim capite, manu, pede, vel dentibus, dolent & membra reliqua: lachrymantur oculi, lamentatur & gemit os, labia intorquentur. Viciſſim cùm manus pecuniam inueniunt & tollunt, exultat cor, ridet os, pedes exultant, manus plaudunt. Vnde Apoſtolus ſuprà cit. loco ait: *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Et *ad Rom.* 12. iubet, *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Ita Samaritanus in hodierno Euangelio videns iacentem miſerum, *miſericordiâ motus eſt ſuper eum.* Idem exemplo ſuo docuit Dominus, cùm B. 1. *Condolendum & congaudendum ei.*

videns plorantem Mariam ob mortem fratris, & ipſe lachrymatus eſt, *Ioan.11.* Vnde dicebant Iudæi: *Ecce quomodo amabat eum!* Non mala conſequentia. Qui enim videt fratrem afflictum & non condolet, ſed ridet, quomodo amat eum? Refert Albert. M. *in lib. de animal.* ſe vidiſſe in Germania geminos tantæ conformitatis, vt dignoſci non poſſent; qui ægrè à ſe mutuò ſeparabantur & ſeparationem ægerrimè ferebant: vno in ægritudinem incidente, in eandem & alter incidebat: vno conualeſcente, & alter conualeſcebat. Quod ſi tanta vis naturæ & amicitiæ eſt: cur hoc inter nos virtus efficere non queat? idem baptiſmus & fides? eadem cæli hæreditas? Si duo ſimul apud Turcam capti, ſimul ab eodem hero redempti, ſimiliter veſtiti, eiuſdem menſæ & hæreditatis participes facti eſſent: haud dubiè ſe mutuò valde amarent. Cur non & in ſimili? Quòd ſi membrum vnum alteri afflicto non compatitur, ſignum eſt, membrum illud ſenſu carere, vt docet S. Auguſt. ſer. 15. inter 50. *Senſus noſter, fratres, vna fides eſt, vna charitas, vna ſanitas eſt*, inquit.

C. II. Afflicto auxilium ferendum.

SECVNDÒ. Mutuam ſibi opem ferunt iurato quaſi fœdere, maximè in periculo & afflictione; ſiquidem membrum ſanum medetur ſaucio. Cùm pedi ſpina infigitur, quærunt oculi, caput demittitur, venter & fœmora contrahuntur, incuruatur dorſum, digiti extrahunt ſpinam. Manus frigentes calefaciunt axillæ, flatus oris, &c. Vnde Apoſtolus loco cit. ait: *Idipſum pro inuicem ſolicita ſunt membra.* Exemplum nobis præbuit in hodierno Euangelio Samaritanus, qui videns ſaucium, non pertranſiit, vt alij præeuntes, Sacerdos & Leuita; ſed appropiauit & remedium adhibuit. De quo audi Chryſoſtomum orat. 5. aduerſ. Iudæos: *Et tu igitur*, inquit, *cùm videris aliquem, egentem curatione, vel corporis vel animi, ne dicito apud teipſum: Quare ille & ille eum non curauerint ſed à morbo libera. Si inueneris aurum iacens, non dicis apud teipſum: Quare ille aut ille hoc non ſuſtulerunt, ſed feſtinas ante alios rapere. Itidem & de fratribus collapſis cogita, putaq́ te theſaurum inueniſſe, nimirum occaſionem illius medendi. Etenim ſi inſtillaueris illi, velut oleum, ſermonis doctrinam, ſi obligaueris humanitate temperantiaq́, vulneratum, ſi ſanaueris, illa te faciet ditiorem quouis theſauro. Qui enim eduxerit pretioſum ex indignitate, tanquam os meum erit, inquit ille.* Sic Chryſoſt. Verùm heu videas homines canibus non abſimiles! Hi videntes vnum canem proſtratum morderi ab alijs, etiam ipſi accurrunt & in iacentem ſæuiunt. Ita quidam afflictis etiam afflictionem adiungunt: v.g. cùm domus vnius conflagrat, aliqui interim ei ſuffurantur ſupellectilem, quam incendio eripere deberent. Tales illi qui dicunt: *Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum: quia non eſt qui eripiat.*

Quid, quòd reperiuntur aliqui canibus ſæuiores? Nonne canes linxerunt vlcera Lazari, cui Epulo micas negarat? Audi & hoc: Cùm Cambyſes Rex Perſarum fratrem ſuum occidiſſet, & poſt aliquando leonem necdum adultum cum catello cane congredi feciſſet, leoque cani præualere inciperet, eiuſdem canis alius conterraneus forè præſens, & neceſſitatem fratris videns, catenam rupit & laboranti adiutor factus leonem proſtrauit. Quod cùm placeret Cambyſi, foror tamen eius amarè fleuit & indoluit dicens; maiorem eſſe canum inter ſe dilectionem, quàm fuerit Cambyſis in fratrem, vtpote quem occiderat. Quod cùm is audiſſet, etiam ſororem interfecit. Origenes *hom.7. in Ioſue*, ait: *Ne exiſtimes te culpa expertem ſi dixeris: Quid ad me, ſi peccet alter? perinde enim eſt ac ſi caput pedi diceret: quid mea refert ſi tu vulnereris, modò ego integrum & ſoſpes exiſtam?*

D. III. Communicanda obſequia.

TERTIÒ. Communicant ſibi mutuò & exhibent obſequia ſua. Oculus videt non ſibi tantùm, ſed toti corpori: dentes molunt, non ſibi tantùm, ſed ſtomacho; & ſtomachus coquit ac diuidit eſcam toti corpori. Vnde Apoſtolus ſup. *Non poteſt oculus dicere manui: operâ tuâ non indigeo; aut iterum caput pedibus: non eſtis mihi neceſſarij.* Cùm ergo in communitate alius ſit oculus, id eſt, prudens & gubernator; alius manus, id eſt, induſtrius, robuſtus; alius ſtomachus, id eſt, diues, non debent hoc ſibi ſolis, ſed & alijs eſſe. Sic Samaritanus pecuniam ſuam ſaucio communem facit. Sic Imp. & Principes regunt populum, clerus ad cœlum ducit, ruſticus alit, miles defendit. Docet hoc & Græcorum fabula de cæco & claudo in ſyluâ derelictis: neuter inde ſolus poterat emergere. Quid igitur? ſuſtulit cæcus claudum ac portauit, claudus verò cæco viam monſtrauit & ita ambo emersêre. Similiter fieri in rep. debet & communitate. Magiſtratus dirigat ſubditum, velut videns cæcum: ſubditi velut ſani ſuſtentent magiſtratum velut claudum & labori inidoneum. Docti plebem erudiant: plebs Doctores alat: Religioſi pro ſæcularibus orent: Sæculares temporalia eis ſubminiſtrent. Sic in prælio contra Amalec, Moyſes orauit, Ioſue pugnauit. Sed Moyſes plus præſtitit; illo enim remittente manus, vincebat Amalec: attollente, vincebat Ioſue. *Exod.* 17. Vnde licet religioſi non pugnent vel laborent manibus, pugnant tamen oratione, & longè plus efficiunt. Exhibeo teſtes non Eccleſiaſticos ſed ſæculares. Nam Honorius Imp. ſcribit ad quendam: *Certius (eſto) & ipſum Imperium noſtrum & ruere & ſtare precibus Sacerdotum:* apud Baron. An. 407. Et Iuſtinianus Imp. in nouellâ conſtit. 133. ait, *Imperium, militiam, agros ipſos & quidquid habent homines ſæculares, per orationes conſeruari ſanctorum.* Quare clerici ita Deo ſeruiant & orent, vt non ſibi tantùm, ſed toti populo eum placent. Magiſtratus non ſuis ſolùm, ſed ſubditorum commodis promouendis ſtudeat. Ciues & mercatores ita ſua vendant, vt ab omnibus, etiam pauperibus, emi poſſint. Serui & operarij ita ſeruiant Dominis fideliter, vt è Dominis non faciant ſeruos, ſed heu multi inſtar illius ſtulti Nabal ſunt, qui non agnoſcunt proximos egentes pro commembris ſuis, & dicunt iis, quos vel non noſcunt familiariter, vel nullâ ami-

amicitiâ attingunt: *Tollam panes meos & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio vnde ſint?* Sic enim ipſe dixit Dauidi egenti & commeatum petenti 1. *Reg.* 25. Non noſſe proximum, eſt non noſſe commembrum, imò ſeipſum. Verè igitur ſtultus erat ſecundum nomen ſuum. Audi Chryſoſt. hom. 14. in Ioan. *Quemadmodum*, ait, *is ſanè ridiculus foret, qui vnde ſibi ſecum familiaritas, vnde propinquitas, percontaretur, ita is, qui vnde ſibi cum fratre, &c.*

E. IV. Pro nobilioribus ſe exponunt.

QVARTO. Ignobiliora exponunt ſe pro conſeruatione nobiliorum. Manus obiicit ſe ictui pro capite, idque contegit, oculum præſertim; quia membrum nobiliſſimum. Vnde Apoſtolus cit. *Quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt.* Ac proinde ſtudioſius ſeruanda, vti oculus & caput, quibus defendendis brachia ſe obijciunt. Samaritanus certè vulgò deſpectior, pro Iudæo ſe exponit periculo latronum, vixque difficultati, eo ipſo quòd pedes iuit, ipſum equo ſuo impoſuit. Exemplum de Ioanne Raſtello Anglo Societ. IESV, qui conclamato à Medicis Paulo Hoffæo Societatis Prouinciali, pro eo victimam ſe Deo obtulit per votum, vt ſi auctori vitæ videretur, Paulus viueret, ipſe vicariâ morte defungeretur. Ratam habuit Deus piam mentem Patris, qui vix ædem ſacram exierat, ad quam pro Hoffæo peregrè ſupplicarat, cùm è veſtigio morbo correptus, & domum æger deportatus, poſt paucos dies oppetijt. Hoffæus ilicò conualuit, & exequi munus ſuum perrexit. Refert in vitâ P. Caniſij Matth. Raderus *lib.* 2. *cap.* 5. Pari iure in communitatibus vulgus pericula & difficultates onerum pro ſuis ſuperioribus & paſtoribus libenter ſubire debet; quia plus in illis poſitum. Hinc ſubditi Dauidis noluerunt, vt ipſe ſecum exiret in prælium contra Abſalon: *Non exibis*, inquiunt, *ſiue enim fugerimus non magnoperè ad eos de nobis pertinebit: ſiue media pars ceciderit è nobis, non ſatis curabunt: quia tu vnus pro decem millibus computaris. Melius eſt igitur, vt ſis nobis in vrbe præſidio*, 2. Reg. 18.

F. V. Condeſcendat infirmiori.

QVINTO. Firmiora condeſcendunt infirmioribus, vti & honeſtiora inhoneſtioribus. Veſtiuntur enim pedes & partes inhoneſtiores ac frigoris impatientiores, non item facies & manus; brachium infirmum geſtatur à collo in faſciâ, &c. Sic Iudas vult fieri ſeruus pro fratre ſuo minimo, *Gen.* 43. Vnde Apoſtolus cit. *Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus, & quæ inhoneſta ſunt noſtra abundantiorem honeſtatem habent.* Sic tolerandi ſunt fratres infirmiores & ſupportandi à firmioribus; iuxta id Epheſ. 4. *Cum patientiâ ſupportantes inuicem.* Id quod docet primò Samaritanus qui it pedes, ægrum facit equitem. Deinde Iudas ille, qui vult fieri ſeruus pro fratre ſuo minimo, & in vincula ire, *Gen.* 43. Denique ipſa bruta animalia. *Cerui, enim, cùm inſulas tranant*, vt ait S. Auguſt. de verbis Apoſtoli ſerm. 23. *ſicut neceſſe eſt vnum eſſe, qui cæteros præcedens non ante ſe habeat, cui caput inclinet, vicibus dicuntur id agere, & ille, qui præcedit, poſt omnes redit, eiq; ſuccedit, cuius ferebat caput, cùm ipſe præiret.* Si hoc cerui: quid Chriſtianos oportet facere? *Nihil*, inquit, *ſic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.*

Ipſe Chriſtus diſcipulorum ſuorum impolitos adhuc mores, virtutis omnis fons, patientiſſimè ſuſtinuit: ijs dormientibus in Olineto ipſe vigilauit, nec eorum ſomnolentiam indignè, ſed paternè tulit. Denique S. Baſilius in Pſal. 33. ait: *Quemadmodum oſſa ingenitâ ſibi viprâ teneram carnis molliciem ſuffulciunt, & preſſius contrahunt: itidem ſunt in Eccleſiâ quidam, qui poſſint ſua ipſorum conſtanti firmitudine debilium fulcire ac ferre imbecillitatem.*

Similiter etiam non temerè ſtatim abijciendus proximus cùm deprauari incepit: ſicut non ſtatim deſeritur aut amputatur membrum, cùm putere incipit. Certè Dominus iuſſit leproſum, etiam iudicatum, per ſeptem dies retineri & includi, antequam omninò excluderetur, & ad leproſos eiiceretur; ne ei fieret iniuria. *Leuit.* 13. Chriſtus etiam Iudam diu tolerauit, antequam abſcinderet & proijceret.

Denique inhoneſtiora fratrum tegenda ſunt, ſicut manus obtegit nuditatem partium inhoneſtarum; *vt etiamſi quis toto corpore nudus ſit, hæc tamen membra nudari non patiatur*, ait Theophylactus. Excuſanda igitur, quantum fieri fas eſt, proximi peccata ad exemplum Domini dicentis: *neſciunt quid faciunt.* Cùm enim Dominus ſcelus Iudæorum excuſare nô poſſet, palliô ſaltem ignorantiæ texit: *neſciunt, quid faciunt.* Sic Conſtantinus Magnus Imp. contentiones Clericorum libello ſibi exhibitas in ignem abiecit, addiditque, ſe, facinus Epiſcopi, ſi videret, ſuo paludamento coopertu-rum. Pulchrum aliud Exemplum hac de re ſcribit Dorothæus Abbas *doctr.* 6. *to.* 2. *Bibl. SS. PP.* in hæc verba: *Viri ſancti cum patientiâ & charitate fratrē trahunt, neque ipſum calcibus impetunt, aut odio inſectantur, ſed velut mater, quæ deformem filium peperit, non eum ſpernit, quia deformis eſt, ſed materno amore, beneuolentia & manſuetudine ornatum reddit, & quidquid gratum nouerit, facit: Sic illi peccatorem ſemper ſuſcipiunt, ornant, tuentur, protegunt, vt tandem eum reuocent & erigant, neque alius ab eo lædatur; ipſi verò magis in Chriſti charitate proficiant. Ita ſanè fecit Amon ſanctiſſimus cùm ad eum veniſſēt fratres, irâ & furore pleni, quòd mulierem in cella monachi deprehēdiſſent: quantā enim manſuetudinis & charitatis in eo iudicio anima illa ſancta præ ſe tulit? Nā vbi cognouit mulierem ſub dolio latere, ſtatim ſuper illud ſedit, iuſſitq; fratres per cellam vniuerſam quærere. Qui cùm nihil inueniſſent, dixit ad eos: parcat vobis Deus; illoſq; pane confuſos præmonitoſq;, ne facilè crederent aduerſus proximum, dimiſit: Fratrem autem illum ad tempus correxit erexitq;, illis enim explosis omnibus ſolum manum tenens, curam tui habe, frater, dixit. Qui ſtatim oratione cōpunctus reſipuit, & benignitate & clementiâ patris ſanatus eſt.*

SEXTO. Sibi mutuo non iraſcuntur etiamſi G. VI.

vnum

Non iraſcatur alteri. vnum ab altero offenſum ſit. Si enim propriâ linguam momorderis, non ideo dentem excutis; vel ſi pes labatur, non percutis illum, &c. Vnde Apoſtolus cit. *Deus temperauit corpus, vt non ſit ſchiſma in corpore.* Sic Samaritanus, licet ſciret ſe exoſum Iudæis eſſe, nullius tamen odij recordatus eſt, aut appetitûs vlciſcendi. Saucius autem Iudæus fuit. Potuiſſet dicere Samaritanus: nunc de te vlciſcar me Iudæe; ſed nihil horum dixit. Cùm facta eſſet rixa inter paſtores gregum Abraham & Loth; Abraham vno verbo eam compeſcuit, dicens: *Ne, quæſo, ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos; fratres enim ſumus.* Gen. 13. Pudeat ergo fratres cum fratribus, leuiſſimis ſæpe de rebus iudicio contendere. Quid enim ait Apoſtolus 1. Cor. 6. *Frater cum fratre contendit?* Quale ſpectaculum foret, ſi cuius manus ſiniſtra cùm dextrâ altercaretur? Quid non tolerant matres à filijs? quas non ineptias imò iniurias eorum præferunt, quodque amplius eſt, extenuant? Quàm citò oblitæ ad maternum ſeſe affectum recipiunt, à quo aliquantû per ſubitam iram receſſiſſe videntur? In Aquitania nefarius quidam adoleſcens à ſuâ ſæpe obiurgatus eò progreſſus eſt petulantiæ, vt quodam die (ô prodigium!) in eius offam aluum exoneraret. Id vbi reſciuit Magiſtratus, lictores miſit, qui carceri eum manciparent; nec ita multò pòſt extremo affectus eſt ſupplicio. Dum autem duceretur, non ceſſabat infælix mater, excuſare natum & vociferari, nihil in eo culpæ reſidere, iniuſtè damnari innocentem: refert Chauaſſ. de prudentia l. 1. c. 8. §. 4. Cur non ergo leuiores offenſas fratrum toleremus, & quidem ob amorem Chriſti, maximi noſtri amici?

H. VII. Non inuideat alteri. Septimò. Vnum alteri non inuidet, licet eo nobilius ſit & nobiliori loco: alterum humilius & humiliori ſeruitio deputatum. Vnde Apoſtolus cit. *Si totum corpus oculus, vbi auditus? ſi totum auditus, vbi odoratus? nunc autem poſuit Deus membra vnumquodque eorum in corpore, ſicut voluit.* Non inuidet pes oculo, quòd is loco ſublimi & ſub tecto ſtet, ipſe verò lutum perambulare debeat, infimo loco conſtitutus: nec manui, quòd hæc annulo veſtiatur & armillis aureis, & ſuaueolentibus chirothecis; ipſe verò vili dumtaxat corio. Rursùm non indignantur reliqua membra, quòd ventri omnia, ipſis parum valde de cibis communicetur. Ita Samaritanus non inuidebat Iudæo, quòd is equitaret, ipſe pedes iret. Quare idipſum nobis etiam faciendum: non inuideat ignobilior gloriam, opes, dignitatem, aliaſque commoditates nobiliori; ſed cogitet ſe pedem, ipſum verò manum aut caput à Deo conſtitutum eſſe in corpore Eccleſiæ.

Denique nec vnum membrum alteri malum ſuum optat aut infert: imò brachium ægrum patitur ſe abſcindi, ne vicina membra inficiat: eximi dens affectus, ne vicinos dentes putredine ſuâ corrumpat, tametſi id ſine magno dolore fieri non poteſt. Pari igitur lege non imprecetur vnus alteri, multò minus inferat malum, quo ipſe cruciatur.

Atque hæc eſt vnio, Auditores, quàm Apoſtolus requirit in corpore Eccleſiæ; hæc dilectio proximi, ſicut ſuiipſius, quam requirit Dominus in hodierno Euangelio. Quæ ſi in nobis fuerit, tunc verè Deo placebimus, ſicuti vniuerſum tum demum erat *valde bonum*, placuitque Deo, quando ſimul iunctum & in vnum corpus ſummâ concordiâ compaginatum, luſtratum eſt ab eo. Quoniam igitur vnum corpus ſumus omnes, diligamus omnes inuicem, veluti membra vnius corporis, copulemur inuicem mutuo charitatis fœdere, vt ita conglutinati ſimul euehamur ad patriam cœleſtem.

CONCIO III.

Delinquentes corrigendi.

1. *Iubet hoc lex charitatis ex præcepto naturali ratione & charitate Chriſtiana.*
2. *Peccati grauitas: quia alioquin peccas in te, in proximum & Rempub. Aſſignantur circumſtantiæ excuſantes à correctione.*
3. *Suadet ingens fructus: nam lucraris fratrem tuum gaudium paris Angelis, & mercedem tibi Chriſtus dabit.*

THEMA.

Curam illius habe, & quodcumque ſupererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi. *Luc.* 10.

Quod Samaritanus in hodierno Euangelio mandauit ſtabulario ſeu domino hoſpitij, vt curam ægri haberet: hoc idem Samaritanus noſter, Chriſtus, mandauit nobis, Auditores; imprimis verò ſummo Pontifici de vniuerſâ Eccleſiâ. Imperatori de orbe Chriſtiano, Epiſcopo de diœceſi, Prælato de religioſis, Duci de militibus, Patrifamilias de ſeruis, Parentibus de liberis, propinquo de propinquo, imò & cuilibet de proximo ſuo, quia Eccl. 17. dicitur: *Mandauit illis, vnicuique de proximo ſuo.* Mandauit, inquam, vt ſiquis horum videat aliquem ſibi commiſſum in peccatum aliquod lapſum aut labentem, adeoque in latrones, dæmones, incidiſſe, ei mox appropiet, medicinam correctionis adhibeat, eiuſq; curam habeat; quo modo Samaritanus in hodierno Euangelio, Chriſtus, inquam, de cælo ad nos accurrit, vt medelam ægris afferret. Sed quàm parum hoc Domini exemplum & mandatum obſeruetur, in eo monſtrauit Dominus, quòd dixit Sacerdotem & Leuitam viſo iacente ſaucio pertranſiſſe, vnum Samaritanum acceſſiſſe, miſericordiâ commotum. Non obſcurè enim ſignificat, plures eſſe, qui delinquentes negligant, eoſq; ferè præpoſitos, qui ſuo ex officio corrigere eos debeant, quàm qui curam adhibeant. Multi ſunt Caini dicentes: *non cuſtos fratris mei ſum ego?* Geneſ. 4. A

Quibus proinde oſtendendum eſſe duxi, quanto iure ad hoc obligentur.

B. I. Iubet lex charitatis. 1. *Naturali ex præcepto.*

PRIMÒ. Iubet lex charitatis & amicitiæ, ratione cuius obligamur corrigere errantes, & Primò naturali ex præcepto, quod etiam agnouerunt Philoſophi gentiles. Plato *l. 10. de legib.* Ariſtoteles *l. Ethic. c. 3.* Sumus enim eiuſdem naturæ & eundem in cælo patrem habemus; & alter alterius ope indiget, nemo ſolus ſibi ſufficit. Hinc & beſtiæ legem hanc agnoſcunt. Narrat enim Plin. lib. 8. c. 8. quòd, ſi in foueam cadat elephas, protinùs cæteri congerant ramos, moles deuoluant, aggeres conſtruant, omniq́ue vi & communi operâ conentur eum extrahere. Accuratiùs adhuc ſcauri piſces, qui videntes ſocium aliquem in naſſa concluſum, ſi is capite conetur egredi, extrà caudam ei porrigunt, quâ mordicùs apprehenſâ captus eluctetur. Si verò captiuum caudâ apprehendere poſſunt, apprehenſum extrahunt. *Hoc illi quidem faciunt more hominum, tametſi de amicitiâ libros non legerint,* inquit Ælianus *lib. 1. cap. 5.* Abeant igitur ad bruta, qui videntes amicum aut proximum, ſubditum præſertim, in hæreſi aliove errore detentum, educere non feſtinant. Obſeruamus quidem hanc legem in rebus parui momenti: vti cùm aliquem indecorè veſtitum aduertimus, aut maculam in facie contraxiſſe videmus, aut lapſui proximum cernimus; parentes admonent liberos, cùm vident eos ſiniſtrâ vti pro dextrâ, &c. Sed in rebus maximi momenti, cùm videmus in proximo aut liberis turpiſſimam peccati maculam, minimè obſeruamus; Nónne ergo nos ipſos condemnamus? Nónne illi ſumus, de quibus Dominus Matth. 23. *Duces cæci: excolantes culicem, camelum autem glutientes?* Orentus Abbas montis Sinæ, cùm aliquando inuerſo ſago, ita vt deforis totus villoſus appareret, Eccleſiam intraſſet & ob id à fratribus rideretur, ait: *Vos euertiſtis Sina, & nemo quidquam vobis dicit: At ego, quòd ſagum inuerterim, dicitis: Quare conuertis ſagum tuum? Ite, corrigite, quod euertiſtis; & ego corrigam, quod euerti.* Prat. ſpirit. cap. 126.

2. *Ex ratione.*

Secundò, ratio idipſum dictat, vt ignoranti & erranti rectè conſulamus: iacentem erigamus. Hinc lex illa rationi admodum conformis Deut. 22. *Non videbis bouem fratris tui aut ouem errantem & præteribis, ſed reduces fratri tuo.* Et rurſùm: *Si videris aſinum fratris tui aut bouem cecidiſſe in via, non deſpicies, ſed ſubleuabis cum eo.* Hoc enim faciunt, ratione ipsâ dictante, ruſtici & coloni. Quin & Alphonſus Aragonum, Neapolis & Siciliæ Rex, cùm per campaniam iter faceret, & in agaſonem incideret (cuius iumentum ſarcinâ onuſtum in luto hæſerat) prætereuntium opem implorantem; ipſe rex ex æquo deſcendens ſuam in aſino è luto extrahendo operam agaſoni impendit, & conſternatum ob id agaſonem veniamq́ue petentem placidis à ſe dimiſit verbis. Panorm. *in eius vitâ lib. 1.* Voluit igitur Deus eâ lege rationem hominis vrgere, vt multò magis adlaboraret in educenda è peccati luto animâ peccatrice. *Quomodo enim non ſumma inhumanitas eſt & ferina crudelitas,* inquit S. Chryſoſt. *homil. de ferendâ reprehenſione tom. 1.* ſub fin. *non tantum nos curæ impendere hominibus, quantum alij iumentis?* Si tuum iumentum amittas, egrederis ad quærendum & vndique diſcurris: ſi verò ſerui tui anima in diſcrimine pereundi verſetur, non eidē ſuccurrere conaberis? Vnde S. Bern. *lib. 4. de conſiderat. cap. 6.* exclamat: *Heu cadit aſina, & eſt qui ſubleuet eam; perit anima, & nemo qui reputet.*

3. *Ex charitate Chriſtiana.*

Tertiò, Charitas Chriſtiana requirit, vt nos eiuſdem corporis membra ſpeciali obligatione inuicem ſuccurramus, iuxta præceptum Chriſti Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus* (à potiori, ſi in alium) *corripe illū.* Cuius etiam exemplum hodiernâ parabolâ deſignatum ſtimulat nos. Chriſtus enim, verus Samaritanus ideo de cœlo deſcendit vt peccatores ſaluos faceret: & proptereà 33. annis in terrâ diſcurrit, vndique oues errantes quærens; id quod imitari nos iubet cùm ſubiungit: *Vade & tu fac ſimiliter*, q.d. eſto & tu Samaritanus & proximus eiuſmodi homini in peccatum lapſo. Nónne hæc *charitas Chriſti vrget nos?* vt ait Apoſt. 2. *Corinth.* 5. Quemadmodum enim exemplum Alphonſi prædictum abſque dubio mouit eius aulicos, vt nemo non illorum adiuuaret agaſonem: ſic vrgere nos debet exemplum Chriſti. Atque hinc piæ illæ æmulationes Sanctorum. S. Ioannes Euangeliſta iuuenem Epiſcopo commiſſum, & ad latrones elapſum ac peruerſum, conſcenſo equo feſtinus reuocauit: paternis clamoribus Apoſtolus Paulus cupiit anathema eſſe pro fratribus, Rom. 9. S. Ioannes Chryſoſt. homil. in Acta, millies optabat eſſe cæcus, ſi per hoc liceret ſuorum animas conuertere. Serapion ſeipſum vendidit primò mimis gentilibus, deinde Manichæo, quo ad fidem alios conuerteret; vti etiam fecit, apud Theodoret. *in hiſtor SS. PP. c.* 83. Vitalius cum famæ ſuæ diſpendio proſtibula adijt, & ibidem orans meretrices conuertit. In vitis PP.

C. II. Iubet peccati grauitas. 1. *Quia alioquin peccas in te.*

SECVNDÒ. Hortatur peccati grauitas, quia ſi cùm poſſis ac debeas, negligas proximum corrigere, Primò teipſum grauiore crimine obſtringis; dicit enim S. Auguſt. *ſerm. 6. de verbis Domini: Si neglexeris corrigere, factus es peior illo.* Tu enim contra charitatem peccas, ille verò fortè contra temperantiam, caſtitatem, &c. Et ſi ex officio tenearis corrigere, peccas etiam contra iuſtitiam, & prætereà peccantem in errore confirmas. Vnde Seneca *in tragœd. 9.* ait: *Quis non vetat peccare, cùm poſſit, iubet.* Poterit ille vel in ignorantiam vel in cæcum affectum crimen reijcere, tuum verò purgari non poterit, cùm in tuo conſpectu morientem videas & non ſerues. Quare ſibi dictum exiſtimet quilibet, maximè qui præeſt, quod prophetæ illi dictum 3. Reg. 20. *Cuſtodi virum iſtum: qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro animâ eius.* Cum fure nemo vult ambulare, nemo eum domo recipere, nedum furto eius intereſſe; quia nemo vult eius ſcelus in ſe transferre. Iam verò qui blaſphemum v. g. audit, nec reprehendit, aut cùm ex officio tenetur, non

caſtigat

caſtigat: furem gloriæ Dei quaſi receptat, ſceleriſque eius particeps redditur. Hinc Seneca in Prouerb. dixit: *Amici vitia ſi feras, facis tua.* Sed nimirum illud cauemus, quia lege ciuili punitur: hoc non item, quia lege diuina tantum prohibetur, cuius minæ flocci penduntur.

2. *Peccas in proximũ.*

Secundò. Crudelis es in proximum qui peccat, quia ægrum dimittis & perire ſinis, ſicut Sacerdos & Leuita, tranſeuntes iuxta vulneratum. Quomodo non crudelis foret in hominem inſanientem, proprio iugulo cultrum apponentem; qui hoc videns, cultrum ei non adimeret? Similiter medicus, qui mortiferam ægri plagam videret, & cùm poſſet, ſanare nollet? S. Hieronymus *in Pſal* 140. ait: *Si viderit in corpore carnes putridas, & dicat: quid ad me pertinent? ſciat, quia crudelis eſt; ſi autem præcidat & cauterium imponat, miſericors eſt, quia ſanat hominem.* Et S. Auguſtin. ſerm. 16. de verbis Domini: *Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, & negligis? peior es tacendo, quàm ille conuitiando.* Multi ob amorem, quem habent erga amicum, vel honorem etiam, corrigere eius peccata nolunt. Sed amor hic & honor crudelis eſt; nolunt enim contriſtare amicum & non dubitant eum relinquere pereuntem. Pereat hic amor; ſiquidem propterea aliquando maledicent in inferno liberi parentibus, ſubditi magiſtratui, ſodales ſodalibus. Vnde *Prouerb.* 27. dicitur: *Melior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus.* Amor abſconditus eſt, quando metu offenſionis, non audes, quem diligis, corripere: qui amor plurimum nocet.

3. *Peccas in Rempub.*

Tertiò. Delinquis in remp. quia peccatum peſtis quædam eſt, quæ niſi corrigatur, ſæpe totam communitatem inficit. Clarum verò eſt, magiſtratum, ſi peſte infectam domum non occluderet, iniquum fore in totam ciuitatem. Cùm vnum pecus foramen in ſepe aperuit & prorupit in ſegetem, totum mox ſubſequitur armentum, niſi quamprimùm ruptura reparetur. Sic vbi, à magiſtratu præſertim, vni conniuetur aliquod crimen, ſtatim id alij imitantur. *Sicut enim* (ait S. Chryſoſt.) *hom.* 15. *in epiſt. ad Tim. ſi impunè peccetur, plurimi delinquunt; ita ſi peccata puniantur, complures virtuti ſtudent.* Quòd ſi homo quiſpiam huiuſmodi ſepem rupiſſet, cogeretur à magiſtratu reparare damnum, quod per ingreſſum pecudis datum eſt. Similiter coram Deo reddet rationem pro omnibus illis animabus, quæ vnius delinquentis, non emendati, prauo exemplo ſunt ſeductæ, qui cùm poteſt & tenetur, non emendat. Vnde Seneca *lib. de morib.* ait: *Vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit.* Atque hinc fit ſæpe iuſto Dei iudicio, vt propter vnius crimen non punitum, tota puniatur communitas; quemadmodum de Heli Sacerdote legimus 1. Reg. 4. ob cuius peccatum, dum filios corrigere neglexit eâ, quâ decebat ſeueritate, duo eius filij & triginta millia ciuium ceciderunt, ipſaque adeò Dei arca capta fuit, vt diſceremus non ſufficere etiam qualemcumque correctionem, ſed pro ratione criminis ſeueram à Deo exigi. Similiter Ioſ. 7. propter vnius Achan præuaricationem ait Deus: *Peccauit Iſrael & præuaricatus eſt pactum meum*: ideoque Iſrael in prælio fugit & cladem ab hoſte accepit. Quare cognito peccato Achan, Ioſue mox eum omnium manibus lapidari iuſſit, dicens: *Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac.* Et certè S. Auguſt. *de ciuitate lib.* 1. *cap.* 9. communia mundi mala & flagella vniuerſalia putat prouenire ex omiſſione huius correctionis. Nec immeritò; cùm enim Deus magiſtratum non vti ſuo ſceptro contra noxios, eripit illud ex illius manibus & ipſe percutit tam conniuentes quàm delinquentes. Quare, Auditores, ignoſcite magiſtratui & concionatoribus, ſi in vitia ſæuiant atque inuehantur; quia illis minatur Deus Ezech. 34. dicens: *Væ paſtoribus Iſrael*, &c. *quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis; quod confractum eſt, non alligaſtis; & quod abiectum eſt, non reduxiſtis; & quod perierat, non quæſiuiſtis. Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum.* Et Iſai. 56. *Canes muti non valentes latrare.*

Quanquam ſunt aliquæ circumſtantiæ excuſantes ab hoc debito fraternæ correctionis. *Circumſtantiæ excuſantes à correctione.*

1. Prima cùm non ſperatur fructus emendationis & præſertim cùm putatur emendandus deterior euaſurus. Ita enim Sapiens *Prou.* 9. ait: *Noli arguere deriſorem, ne oderit te.* Hinc Zeno cuidam ſciſcitanti; cur ſe vnum omnium non corrigeret, reſpondit: *Quia tibi non credo*; ſcilicet te fore meliorem. Laërt. *in vitâ Philoſoph.*

2. Secunda cùm lapſus ſperatur breui ſeipſum emendaturus, vel cùm ſe iam emendauit. Rectè enim Seneca lib. de morib. ait: *Nemo prudens punit, quia peccatum eſt* (intellige de fraterna correctione, non de iuridicâ) *ſed ne peccetur; res enim optima eſt non ſceleratos extirpare, ſed ſcelera.* Confirmat hoc Apoſtolus, qui 1. *ad Tim.* 2. ait: *Peccantes coram omnibus argue.* Peccantes ait, non eos qui peccauerunt.

3. Tertia ſi non conſtat, ſaltem probabiliter, fratrem peccaſſe. Ait enim Sapiens Prou. 24. *Ne quæras iniquitatem in domo iuſti.*

4. Quarta ſi culpa ſit venialis tantùm. Ratio: quia loquitur Dominus de peccatis lethalibus, quibus homo pereat. Ait enim: *lucratus eſt te.* In quæ verba S. Auguſtin. ſerm. 16. de verb. Dom. ait: *Quid eſt, lucratus eſt te, niſi quia perieras ſi non lucraretur te?*

D. III. Suadet ingens fructus.

Tertiò. Suadet fructus maximus, quem fidelis & diſcreta correctio parit.

1. *Lucraris fratrem tuum.*

Primò enim lucraris fratrem tuum, Domino teſtante Matth. 18. *Nullius* autem *rei pretium*, inquit Chryſoſt. hom. 2. in ep. 1. ad Cor. *eſt cum anima conferendum: ne totus quidem mundus, quamobrem etiam ſi diuitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is qui conuertit animam.* Quid non faceres, vt amicum è periculo ſubmerſionis eriperes? Et ſi illum eripuiſſes, nónne tibi rem magnam præſtitiſſe videreris? Vnde Chryſoſt. homil. de habendâ curâ ſalutis proximi, ait: *Nauta, licet nauis ſecundo vento feratur, cùm tamen videt alios vel à longè nau-*

fragium facere, non ad propriam ſpectantes vtilitatem, illorum contemnunt calamitatem; ſed ſiſtunt nauem, detrahunt vela, eijciunt anchoras, eijciunt funes, proijciunt tabulas, vt ille, qui à fluctibus mergitur, fortè aliquo illorum arrepto emergat. Imitare & tu nautas, cùm videris nauigantium aliquem natare in fluctibus & iam ſubmergi, relictis negotijs tuis, ſtatim illius prouide ſaluti, hæc Chryſoſt. Nimirum tanti eſt vita hominis caduca; ſed quantò præſtantior vita eiuſdem æterna? Et ſi magnum fuit lucrum, quo S. Paulus Romam nauigans ſeruauit à naufragio omnes animas, quæ cum eo erant, 276. (*Act. 27.*) quas Deus donauit Apoſtolo ob illius merita; quantò maius eſt lucrum animarum, quas à naufragio gehennæ præſeruaris? Tametſi verò qui corrigitur, id modò ſæpe non agnoſcit: agnoſcet tamen ſuo tempore, & tunc immortales aget tibi gratias, iuxta id Prou. 28. *Qui corripit hominem, gratiam poſteà inueniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit.* Nonne ebrius aliquis, qui hodie vel pecuniam ludendo perdit, vel duellum inire contendit cum longè fortiori aut pluribus; ſi tu ei pecuniam abſcondas vel gladium, eumque in cubiculo aliquo includas, cras manè vbi crapulam edormijt, ad ſe rediens, magnas tibi aget gratias? S. Amandus Epiſcopus Argentinenſis cùm Dagobertum regem argueret de peccatis iuſſu S. Petri, qui ei apparuerat; primò ingratus erat: ita vt regno extruderetur. Sed tandem reſipiſcenti Dagoberto gratiſſimus factus eſt. Nauclerus tom. 2. gener. 21.

2. *Gaudiũ paris Angelis.* Secundò. Gaudium paris Angelis, ſi quem errantem reduxeris. Sic enim & Saluator noſter gaudium fecit Angelis Dei quando requiſiuit & humeris ſuis retulit ouem perditam, Publicanos, inquam, Luc. 15. Quod ipſum etiam facit ſuo modo, quicumque peccatorem ad viam bonam reducit. Si enim *gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, pluſquam ſuper 99. iuſtis:* ſequitur, quòd eiuſmodi gaudium angelis creet, quicumque peccatorem conuertit. Quantum verò hoc eſt; Angelos in cælo lætificare? Quanta gloria foret Duci, qui nunc hoſtes noſtros hæreticos, vel exterminaret, vel potentiâ ſuâ ſubactos ad fidem noſtram conuerteret, & per hoc totam Eccleſiam noſtram lætificaret? ſi rem deſignaret, vnde ſummus Pontifex & omnes Epiſcopi, Rom. Imperator, & omnes Imperij ordines populuſque vniuerſus mirum in modum recrearentur? Quàm gratum nobis afferret nuntium, qui Turcam aut Principem Imperij ad fidem conuertiſſet? Quantum is ſibi vel hoc ſolo nomine deberet gratulari.

3. *Mercedẽ tibi Chriſtus dabit.* Tertiò. Mercedem promiſit tibi Chriſtus in hodierno Euangelio: *Curam illius habe, & quodcumque ſupererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi.* In iudicio enim particulari compenſabit tibi laborem, quem inſumpſeris in corrigendo & conuertendo proximo. Ibi tot coronas accipies, quot ad meliorem frugem perduxeris. Sic enim Apoſtolus vocat Philippenſes cap. 5. *Gaudium & coronam ſuam.* Sic olim Carthagine tot annulis quis ornabatur, quot militias tolerauerat. Quid in illo die gratius afferre poſſimus Chriſto, non video. Idque vel ex eo ſatis patet, quòd Dominus tertiùm commiſerit Petro oues ſuas tam tenero & ſerio affectu: *Simon Ioannis diligis me? paſce agnos meos.* Et quid tandem merebimur, qui non ſolùm pauerit, ſed inſuper errantes oues reduxerit? Ac licet is quem corrigis & mones, correctionem non acceptet, oleique & vini medicamentum in eo pereat: non tamen perdes mercedem tuam. Non enim dixit Dominus ſtabulario: Sana illum; ſed, *curam illius habe*, id eſt, operam adhibe, fac quod in te eſt, &c. & cùm rediero, reddam tibi.

CONCIO IV.

Correctionem æquo animo acceptandam eſſe.

1. *Quia ſignum eſt diuinæ erga nos beneuolentiæ.*
2. *Quia eſt ſalutaris.*
3. *Gloriam potiùs quàm ignominiam nobis parit.*
4. *Quia correctio ſpreta mali hominis indicium eſt.*
5. *Quia ſpreta celerem Dei vindictam ſolet experiri.*

THEMA.

Alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum. Luc. 10.

Rerum naturalium ſedulus indagator, Plin. l. 14. c. 22. ait: *Duo ſunt liquores corporibus humanis gratiſſimi, intus vini, foris olei.* A. Propterea fortaſſe noſter Samaritanus è duobus his liquoribus compoſuit Pharmacum ſuum, quo ſanaret miſerum illum vulneratum à latronibus: pharmacum, inquam, gratiſſimũ è gratiſſimis liquoribus. Verum, Auditores, ſi intelligamus, quid hoc pharmacum deſignet, timeo, ne permulti ſint, quibus id ingratum, imò ingratiſſimum ſit. Proximorum enim correctionem, auctore D. Gregorio *lib. 20. Mor. ca. 6.* denotat, quæ quidem ita conſtituta eſſe debet, vt ex vnâ parte leniat velut oleum; ex alterâ mordeat velut vinum. At verò quàm multi ſunt, qui hanc à ſe repellunt? Oleum quidem admittunt, ſed adulatoris, quo palpari & mulceri volunt: vinum correctoris reſpuunt. Non ita vir ſecundum cor Dei, Dauid, qui dixit Pſal. 140. *Corripiet me iuſtus in miſericordiâ:* (ecce vinum & oleum Samaritani, correptio & miſericordia) *oleum autem peccatoris*, hoc eſt, adulatoris blandimentum, *non impinguet caput meum.* Non ita etiam homo ille vulneratus à latronibus: medicinâ enim Samaritani tametſi ex parte mordacem libentiſſimè admiſit, & gratiſſimam ſibi habuit; quod itidem nos omnes faceremus, Auditores, ſi intelligeremus, quantum bonum ſit correctio, ſeu paterna, ſeu fraterna; quantum etiam malum, contemptus correctionis; id quod nunc docebimus.

Æquo

B. I. Quia correctio eſt ſignum diuinæ beneuolentiæ.

Æquo igitur & grato animo admittenda eſt correctio. PRIMO, quia ſignum eſt diuinæ erga nos beneuolentiæ. Scimus ex libro *Eſther cap. 4.* regiæ beneuolentiæ indicium fuiſſe, cùm Rex auream virgam protenderet ad aliquem Regi locuturum. Aurea virga eſt correptio: qui verò corripit te, ſiue ſuperior, ſiue frater tuus, manus Dei eſt, in ſignum beneuolentiæ ad te extenſa. Niſi enim te ſaluum vellet Deus, virgam illam & manum ſuam ad te non extenderet. Propheta Malachias miſſus à Deo ad increpandos Hebræos ita incipit ſermonem ſuum: *Onus verbi Domini ad Iſraël in manu Malachiæ.* Quid ſibi vult hoc onus? triſtem, oneroſam & increpatoriam Prophetiam, ſeu concionem. Sed quorſum ea mittitur? Ad Iſraëlitas, Dei ſeruos. Per quem verò mittitur? Per manum & os Malachiæ, qui Hebr. ſignificat Angelum. Ergò reuerà Angelus eſt, qui nos corripit, à Deo nobis miſſus & quidem ad nos non contra nos, quia ad ſalutem noſtram. Amicus eſt, non inimicus. Quid enim amicus niſi animi cuſtos? inde enim appellationem habet. Propterea D. Chryſoſtomus *hom. 24. in Act. Apoſt.* ait: *Corripere peccantem, plus eſſe quàm pro eo orare.* Magis enim propinquè magiſque efficaciter ſuccurritur periclitanti. Hinc olim in Clareuallenſi monaſterio pius hic mos viguit, vt ſi quis ab altero de aliquo defectu moneretur, vel reprehenderetur illicò repreſſenſus in gratiarum actionem pro reprehendente recitaret orationem Dominicam, vt habetur in Chron. Ord. Ciſterc. *Accipe igitur*, inquit D. Bernardus Ciſtercienſium decus, *correptionem tanquam donum è cœlo delapſum, & ita gratum te exhibebis ei, per cuius manum eam accipis.*

C. II. Quia ſalutaris.

SECVNDÒ, Quia ſalutaris, ſanat enim morbos tuos, monſtrat tibi næuos tuos, oſtendit tibi viam cœli. Sed audiamus de hac re SS. Patres. S. Auguſtinus *lib. de correct. & gratiâ c. 5.* ait: *Quicunque corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tua vitia tibi demonſtrari: non vis, vt feriantur, fiatq; tibi vtilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tu ipſe oſtendi, vt cùm deformem te vides, reformatorem deſideres, eiq; ſupplices, ne in illa remaneas fœditate.* S. Chryſoſtomus cùm ab amicis quibuſdam monitus eſſet de prolixitate concionum, in homil. de ferend. reprehenſ. tom. 2. reſpondit ſe valdè illis obſtrictum eſſe ob eam admonitionem. *Nam ſi*, inquit, *veſtem habeas diſſutam aut ſordidam & faciem maculatam: magnum tibi præſtat beneficium, qui eius rei monet, gratiaſq; propterea illi ago. Quantò igitur magis rationi erit conſentaneum gratias ei agere, qui de animæ maculis monet vt eas abſtergas.* S. Baſilius: *Si chirurgos*, inquit, *diligis corporis vulnera curantes etiamſi crucient doloremq; inferant eiſq; mercedem pro labore & animi gratitudinem reddis; quantò magis diligendus is eſt, gratiaq; illi agenda, qui animæ vulneribus medetur?* Intellexerunt hoc & gentiles. Cùm enim quidam ab amico reprehenſore ſeſe abalienaſſet, Cato ei dixit: *Noli indignari amico: apem enim propter aculeum non odiſti, ſed foues & tueris propter fructum. Cur igitur amici obiurgationē fers adeò iniquè, quem propter beneuolentiam plurimum amare debes:* Maximus. ſerm. 6. Apis igitur eſt correctio, quæ etſi pungit, mel tamen præſtat; ideoque S. Auguſtinus ſuper Ioann. ait: *Si me poſſes docere quod neſcio, non ſolùm te verbis, ſed & pugnis cedentem deberem patientiſſimè ſuſtinere.* Gentilis etiam fuit Philippus Macedonum Rex qui cum in auctione ſedens parùm decenter veſtitus eſſet, quidam eorum qui vendebantur, exclamauit: *Parce mihi Philippe, à patre enim ſui tibi amicus.* Philippus interrogauit: Vnde nam hæc amicitia conflata eſſet? Tum ille: *Volo*, inquit, *propiùs accedens dicere.* Qui cùm admiſſus eſſet, quaſi arcani quidquam dicturus: *Dimitte*, inquit, *chlamidem aliquantulum, nam ad iſtum modum indecenter ſedes.* Mox Philippus: *Hunc*, ait, *dimitte liberũ, neſciebam enim priùs illum mihi verum amicũ eſſe, donec melioribus inſtitutus ſum ab ipſo.* Plut. in Apophte. Senſit ergo Rex prudentiſſimus eos præcipuos eſſe amicos, qui probè nos inſtruunt. Quantò ergo amicior nobis eſſe debet, qui non de inhoneſtâ ſeſſione, ſed de inhoneſtâ morum conuerſatione nos fidenter admonet?

D. III. Quia gloriam potiùs quàm ignominiam nobis parit.

TERTIÒ. Quia gloriam nobis potiùs quàm ignominiam parit, ſi aures ei præbeamus. Hoc enim teſtatur Sapiens Prouerb. 25. *Inauris aurea & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem & aurem obedientem.* Senſus eſt. Qui alterum corrigit, quaſi inaurem auream auribus eius appendit. Ornamentum ergo eſt tibi correptio non dedecus. Accedit Eccleſiaſticus cap. 20. *Quàm bonum* (græcè, *quàm pulchrum*) *eſt correptum manifeſtare pœnitentiam!* Pulcherrima eſt enim correctio, ſi grato & obſequenti animo admittat correctionem, humilitas, obedientia, gratitudo, pœnitentia: vt viciſſim abominabilis refractarij arrogantia, pertinacia, & ſerpentinus furor, de quo *Pſ. 57.* dicitur: *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantis ſapienter*; furor, inquam, quia venenum peccati deponere non vult. Sanè ſummi quique viri etiam inde celebrantur, quòd correctiones libenter audierint, ſi quid humanũ illis contigiſſet. Moyſes imprimis vir ſapientiſſimus, qui à ſocero ſuo Iethro increpatus durè ſatis: *Non bonam rem facis, ſtulto labore conſumeris*, &c. Adeò id non iniquè accepit, vt hoc ipſum literis commendârit, Exod. 18. Deinde Dauid Rex, qui correptus à Propheta Nathan, mox errorem ſuum confeſſus eſt, 2. Reg. 12. *Non dixit ad eum*, inquit S. Chryſoſtom. homil. 5. in Pſal. 50. *O ille tu, cur non conſideras fragilitatem humanam? Cur non temetipſum carnalem intelligis? An neſcis me in culmine conſtitutum eſſe regali? cur mihi audacter impegiſti crimen? ſed quid dicit? Peccaui Domino.* Propterea etiam correctionem ſe amaſſe, adulationem verò odiſſe dixit Pſal. 140. *Corripiet me iuſtus in miſericordiâ: oleum autẽ peccatoris non impinguet caput meum.* Laudandus etiam hîc venit S. Auguſtinus, qui epiſt. 19. ad S. Hieronymum de ſeipſo ſcribit: *Identidem rogo vt me fidenter corrigas, vbi mihi hoc opus eſſe perſpexeris: Quanquam*

quam enim ſecundum honorum vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit, Epiſcopus presbyterio maior ſit; tamen multis in rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt: licet etiam à minore quolibet non ſit refugienda vel dedignanda correctio. Huic accedat S. Chryſoſtomus, qui redargutus à piâ muliercula quod eius conciones infrugiferæ eſſent ob ſublime genus dicendi ſupra captum rudiorum, è veſtigio mutauit iuuenilis naturæ inſtitutum dictionemque faciliorem ſimplicium auribus accommodauit; vnde factum vt ab omnibus facilè intelligeretur & frequentibus acclamationibus *Chryſoſtomus*, hoc eſt, *os aureum* diceretur. Metaphraſtes in vitâ. Denique S. Carolus Borromæus duos ex profeſſo conſtituit Sacerdotes, qui omnia eius acta obſeruarent, inſpicerent ac cenſerent, monens vt ſecurè ipſum admonerent, vt in eius vitâ *lib. 8. cap.* 16. Hauſit opinor hanc virtutem à prædeceſſore ſuo S. Ambroſio, qui & ipſe monitus à quopiam, gratias monitori agebat, dicens *ſe ingens ab eo accepiſſe beneficium.* Vt in eius vitâ.

Quinetiam infideles agnouerunt correctionem eſſe beneficium. Etenim Baltaſar à Daniele grauiſſimam audiens cenſuram, & maledici nuncium, nequaquam ei iratus eſt, ſed patienter eum audiuit & honorauit, induens purpurâ & torque aureâ, Dan. 5. Callicles etiam ſeni, monitori ſuo, ita loquitur:

Si quid ſcis me feciſſe inſcitè aut improbè:
Si id non accuſas, tu ipſe obiurgandus es, ſcio.

Rectè etiam Plutarchus lib. de profectu morum ait: *Quiſquis ad bonam frugē ex corruptis moribus peruenire deſiderat, opus habet, auctore Diogene, diligenti amico, feruidoq; hoſte, vt peccatum fugiat aut correptus, aut certe humaniter ac blandè curatus.* Breuiter ac ſapienter D. Anſelmus dicere ſolebat: *Vbi non eſt correptio, ibi eſt corruptio.*

E. IV. Quia correctio ſpreta mali hominis indicium.

QVARTÒ. Quia correctio ſpreta mali hominis indicium eſt. Ita enim Eccleſiaſt. c. 21. ait: *Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris.* Hoc eſt, mali & reprobi hominis; vel vt alij explicant, ipſius diaboli peccatorem poſſidentis iuxta id Pſ. 108. *Conſtitue ſuper eum peccatorem & diabolus ſtet à dextris eius.* Vt ergo iuxta leonum cubilia, leonum apparent veſtigia: iuxta ſerpentum latibula, reptantis corporis ſulci, viſantur: ita in homine contumaci contumacis diaboli parent veſtigia. Aut certè ſicut ſtrati & deiecti ciuitatis muri ſubuerſæque domus argumentum ſunt ciuitatis ab hoſte occupatæ: ita cùm homo ſpernit correptionem & conſilia ſana oſtendit ſe à dæmone iamiam occupatum ac pæne irrecuperabilem. Atque hoc eſt peccatum illud indelebile, proximum excidio, de quo Ierem. 17. dicitur: *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino*, hoc eſt, cum ſtylo vel graphio adamantino; vel in vngue, id eſt, lapide adamantino. Vult dicere, eſſe indelebile, quia correctionem non admittit. Quòd in chartâ malè ſcribitur, cultello corrigi poteſt: at non ita, quod in adamante. Hoc peccato effecit Saul, vt à ſpiritu nequam dirè exacerbaretur & quaſi obſideretur. Redargutus enim à Samuele. *Nonne cùm paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? quare ergo non audiſti vocem Domini, &c.* cum ſuperbo ſupercilio reſpondit: *Imo audiui vocem Domini.* Hoc verò *nequiſſimum eſt*, inquit, in eum locum Rupertus, *cum poſt voluntatem peccati, quod primum eſt, & poſt effectū operis, quod ſecundū eſt: atque poſt vſum peruerſum, quod tertium eſt, additur & defenſio peccati, quod quartum eſt, & hic nullus veniæ locus eſt. Nam & per Prophetam Deus dicit: ſuper tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quartum non conuertam eum. Igitur tantis exacerbatus contumelioſis iniurijs ſpiritus Domini receſſit à Saul & exagitabat eum ſpiritus nequā miſſus à Domino.* Ita Rupertus, diſertè ac verè. Vt n. de illius vitâ actum exiſtimatur, qui efferatus in rabiem horret medicinam, & phreneſi laborans fortunatum ſe, ac ſanum putat, ideoque furit ac ſtomachatur in medicum, ſic etiam illius ſalus deſperata videtur, qui cùm morbo laboret animæ, ſalutare correctionis medium aſpernatur, & præſertim cùm inſanit in reprehenſorem; quemadmodum Eudoxia Auguſta, quæ reprehenſa à D. Chryſoſtomo ob ademptum Callitropæ viduæ agrum, inſidias ei ſtruxit effecitque vt in exilium vir ſanctus eijceretur. Similes ſunt huiuſmodi homines oleæ, quæ ſecurim ſe cædentem lædit atque hebetat, teſte Pierio *lib. 53. hierogl.* Similes item ſcirpo ſeu carecto, quod etſi multos flores profert, ſpinoſas tamen cuſpides habet, quæ aſperitate ſuâ manum carpentis lædunt ac cruentant: & nihilominùs *cùm adhuc ſit in flore nec carpatur manu, ante omnes herbas areſcit*, inquit amicus quidam Iob c. 8. Tales enim ſunt ſuperbi & hypocritæ, vt exponit D. Gregor. 8. *Mor. c. 24.* qui foris quidem præ ſe ferunt vitæ ſanctitatem, improbi tamen ſunt, acutiſſimis ſpinis pleni, quibus pungunt reprehenſores ſuos, noluntque vel blandâ manu carpi; ideoque in contumaciæ pœnam ante omnes homines plectuntur à Deo, vel euaneſcunt in ſuperbiâ ſuâ. *Mira peruerſitas*, inquit S. Bernard. *Medicanti iraſcitur, qui non iraſcitur ſagittanti.* Deberent iſti iram ſuam in Dæmonem conuertere, qui in ipſos iecit ſagittas tentationum: medico verò ſananti & mediâ correctione ſagittam extrahenti immortales gratias agere; nunc autem iraſcuntur medicanti & fauent ſagittanti, mira profectò peruerſitas.

QVINTÒ. Quia contempta reprehenſio celerem Dei vindictam ſolet experiri. Id enim teſtatur Sapiens Prouerb. 29. *Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei veniet interitus & ſanitas non ſequetur.* Cuius veritatis luculenti teſtes fuerunt imprimis duo filij Heli ſacerdotis, qui quòd blandam & paternam eius correctionem audire noluerunt florente ætate eodem die in prælio occiſi ſunt, 1. *Regum* 4. Cauſam repentinæ extinctionis legimus cap. 2. præcedente, vbi dicitur. *Et non audierant vocem patris ſui: quia voluit Dominus occidere eos.* Vbi vocula *quia* videtur poni pro *ideo*, vti fit Oſeæ 9. verſ. 15. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exoſos habui eos.* Et Luc. 7. *Dimiſſa ſunt ei peccata*

F. V. Quia ſpreta celerem Dei vindictam ſolet experiri.

cata multa, dilexit multum, hoc eſt, ideò dilexit multum. Eundem interitum minitatus eſt Deus per Prophetam Amaſiæ Regi Iuda 2. *Paral.* 25. Cùm enim Propheta quidam de idolorum cultu eum redarguiſſet; rex arguenti interminans reſpondit: *Num conſiliarius regis es? quieſce, ne interficiam te.* Ab illo igitur diſcedens Propheta: *Scio*, inquit, *quod cogitauerit Deus occidere te, quia feciſti hoc malum & inſuper non acquieuiſti conſilio meo.* Exinde mox prouocauit Ioam Regem Iſraël ad prælium; cumque Ioas iuberet eum domi quietum ſedere nec pugnare ſine cauſâ, nihil apud eum obtinuit; congreſſus igitur cum Amaſia fugauit eius exercitum ipſumque captiuum duxit in Ieruſalem; ſicque Amaſias mercedem accepit ſuæ contumaciæ. Sed videamus etiam teſtimonia è tempore legis nouæ. Magnus ille Antonius ad Balacium Ducem, dirum Eccleſiæ perſecutorem literas miſit, in quibus hæc ſcribit: *Video iram Dei venientem ſuper te. Deſine perſequi Chriſtianos, ne te ira occupet, quæ proximum iam tibi minatur interitum.* Legit infelix epiſtolam & conſputam proiecit in terram, intentans minas Antonio, ſed quid actum? Confeſtim minatorem oppreſſit ſuppliciũ & poſt quinque dies effrenatum vltio diuina compeſcuit, equo decuſſum in terram, ex quo caſu poſt tertium diem mortuus eſt. Refert Athanaſius in epiſt. ad Orthodoxos, apud Baron. anno 342. Idem Antonius circa id tempus epiſtolam ſcripſit ad Gregorium Cappadocem, qui ſedem Alexandrinam, pulſo Athanaſio, inuaſerat, dehortatoriam; ſed quia contemptus eſt, non multò pòſt Gregorius necatur ab Alexandrinis. Baron. ib. & anno 349. Suprà etiam meminimus Eudoxiam Auguſtam S. Chryſoſtomo pro ſalutari reprehenſione exilium rependiſſe. Sed quid ipſa pro hac ingratitudine retulit mercedis? Deportato in exilium Chryſoſtomo, grando horribilis in ſuburbijs Conſtantinopoli (vbi is Epiſcopus fuerat) decidit & quatriduo pòſt Eudoxia vitam miſerrimo fine clauſit. Cùm enim vterum ferret, nec eniti fœtum poſſet, extincta in vtero proles & quatriduo ſic retenta computruit: eam tandem mater vnà cum animâ eiecit. Cedren. in compend. apud Baron. anno 404. His addamus Anaſtaſium impium & hæreticum Imperatorem, qui Ennodio Ticinenſi Epiſcopo aliiſque Legatis Sedis Apoſtol. ab Hormiſdâ PP. miſſis vt eum ad Catholicæ fidei regulam reducerent, non modò non paruit, verùm etiam à conſpectu ſuo, expulſos naui fragili impoſuit ac dimiſit, præcipiens ne vllam Græciæ ciuitatem intrarent. Quam impiam eius temeritatem diuina mox vltio ſubſecuta eſt. Per viſum enim homo terribilis, librum manu geſtans ei apparuit ac dixit: *Ecce ob peruerſitatem fidei tuæ annos quatuordecim vitæ tuæ deleo.* Quod ille Amantio Præpoſito cubiculi enarrans, viciſſim ab eo audit, viſum ſibi ſe aſtantem eius Maieſtati à porco proſtratum ac deuoratum. Cui vtrique Proclus coniector pronuntiauit vtrumque breui vitâ defuncturum. Paulò pòſt Imperator ictus fulmine diuinitus extinguitur. Refert partim Vlricus Abbas Vrſperg. in Chronic. partim Zonaras, partim Cedrenus apud Baron. an. 518. Cùm B. Ælfegus Vintonienſis in Angliâ Epiſcopus in die cinerum pœnitentes de more ab Eccleſiæ liminibus remoueret, hortatus eſt eos vt tempore Quadrageſimali ieiunio & caſtitati vacarent. Quorum vnus, cæteris Epiſcopi iuſſioni libenter ſubſcribentibus, iocutari cœpit, dicens ſe à cibo pariter & coniugio non poſſe abſtinere. Cui Epiſcopus: *Contriſtas me miſer oppidò, neſciens quid tibi pariat dies ventura.* Quid actum? poſtera die miſer ille in cubiculo ſuo repertus eſt exanimis, incertum vtrum à diabolo ſuffocatus. Baron. anno 947. ex hiſt. Flor.

Quando igitur, Auditores, vidimus quàm ſalutare ſit correctioni acquieſcere, quamque periculoſum reſiſtere, conſulamus nobis ipſis & rebellium interitu eruditi imitemur hominem illum, qui in hodierno Euangelio libenter admiſit in vulnera ſua oleum & vinum. Ita enim fiet, vt cœleſtis noſter Samaritanus ſuſcipiat nos in curam ſuam, euectoſque in equum gratiæ ſuæ perducat ad hoſpitium æternæ fælicitatis.

CONCIO V.

Damna peccati originalis.

1. *Peccato originali vulneratus eſt intellectus.*
2. *Voluntas.*
3. *Vulnerati ſenſus & appetitus.*
4. *Vulneratum corpus.*
5. *Vulneratus homo in externis bonis.*

THEMA.

Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones. Luc. 10.

S. Iob cùm aliquando ſtatum ſuum fœlicem, in quo fuerat, & miſerum, in quem deuenit, conſideraret, hæc ſecum ipſe lamentabundus loqui cœpit, cap. 16. *Ego ille quondam opulentus, repentè contritus ſum: tenuit ceruicem meam, confregit me, & poſuit me ſibi quaſi in ſignũ. Circumdedit me lanceis ſuis, conuulnerauit lumbos meos: non pepercit, & effudit in terram viſcera mea. Concidit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi Gigas:* Hæc quidem Iobo fecit Deus, cùm proſperam eius fortunam repentè in ſiniſtram vertit. Sed hæc eadẽ veriùs, vt reor, fecit Deus vniuerſo generi humano, poſtquam cum Adamo lapſum eſt. Tunc enim iuſto Dei iudicio ex opulento illo ſtatu in miſerrimum detruſum, confractum, conuulneratum, & vulneribus innumeris concisum eſt; id quod hodiernũ nos docet Euangeliũ, in quo miſer ille viator ſpoliatus & ſauciatus nihil aliud niſi genus humanum ſignificat. Quæ verò ſint illa vulnera, videndum nunc, vt hinc diſcamus & peccati grauitatem, & remedij, quód exhibuit nobis Chriſtus, verus Samaritanus, neceſſitatem ac ac pretium. A.

Doctiſ-

B. Doctiſſimus vir, S. I. Benedictus Pererius,
Quinque effectus iuſtitiæ originalis. *lib.5. in Gen.* quinque mirabiles effectus iuſtitiæ
originalis fuiſſe ſcribit. Primò enim faciebat
hominem veri cognoſcendi non ſolùm cupi-
diſſimum, ſed etiam rerum, quæ naturaliter ſci-
1. ri poſſunt, docilem & gnarum. Secundò facie-
2. bat hominem vſquequaque rectum, iuxta id
Eccl. 7. *Fecit Deus hominem rectum*, hoc eſt, ad
omne opus bonum morale propenſum, & ab
3. omni molo auerſum. Tertiò faciebat partes in-
feriores ſuperioribus obedientes & ſubditas.
4. Quartò faciebat naturam humanam ſecundum
omnes ſuas partes & facultates integram &
perfectam, ita vt omnes & ſingulæ munera &
5. functiones ſuas expeditè poſſent obire. Deni-
que præſtabat homini naturalem fœlicitatem,
ita vt nullum ei abeſſet bonum, quod naturali-
ter expetere & comparare poterat, nullum et-
iam adeſſet malum, quod hanc eius felicitatem
Periere peccato originali. offenderet. Omnia hæc bona periere peccato
originali. Nam primò vulneratus eſt intelle-
ctus, & perijt primum bonum. Deinde vulne-
rata eſt voluntas, & perijt ſecundum. Tertiò
pars animæ inferior, ſenſus & appetitus & ipſi
ſauciati ſunt, & periit tertium bonum. Quar-
tò ſauciatum etiam corpus; & perijt quartum.
Denique in bonis etiam externis homo dam-
na plurima accepit, & periit quintum bonum.
I. Omnia hæc damna inſinuata mihi videntur
Vulneratus intellectus. in hodierno Euangelio. Nam primò huma-
num genus deſcendit ab Ieruſalem in Iericho.
Et ecce primum damnum? *Ieruſalem* enim *vi-
ſio pacis, Iericho luna* exponitur. Vnde per Ieru-
ſalem plena cognitio, per Iericho obſcura &
tenebroſa deſignatur. Et quæ ſunt vulnera in-
1. tellectus? Primùm, Ignorantia in infantibus,
quanta nec in beſtijs reperitur. Vnde Auguſt.
l.1. de merit. & remiſſ. c. 38. ait: *Multorum peco-
rum pulli etiam minutiſſimi, matres agnoſcunt, nec
ſugendis vberibus curâ & ope admouentur aliena,
ſed ea ipſi in maternis corporibus loco abdito, poſita
mirabili facilitate inueniunt. Contrà homini nato,
niſi ope nutrientis admotis labris papilla vberis in-
gerantur, nec vbi ſunt, ſentiunt, & iuxta ſe iacenti-
bus mammis magis poſſunt eſurientes flere, quàm
2. ſugere.* Secundum, eſt fatuitas quædam ſubinde
in adultioribus, diſcendi difficultas & faſti-
dium. Vnde Auguſt. in ep. 28. ad Hieron. *Tam
tardi*, inquit, *nonnulli ſunt & obliuioſi, vt ne prima
quidem diſcere literarum elementa potuerint. Qui-
dam verò tantæ ſunt fatuitatis, vt non multum à
pecoribus differant, quos moriones vulgò nominant.*
Et l. 22. de ciuit. c. 22. *Sine labore nihil ſcimus,
diſcimus cum labore: & plerique ſic diſcendi laborem
fugiunt, vt malint in perpetuis ignorantiæ tenebris
verſari, quàm laborem ſubire ad diſcendum neceſſa-
rium.* Teſtis eſt experientia, rariſſimè diſcere
3. pueros, niſi virgis compellantur. Tertium, er-
ror circa Deum; cùm enim nihil clarius ſit,
quàm Deum omnium rerum auctorem eſſe, cui
ſoli cultus, honor & amor debeatur: homines
tamen ſibi Deos manibus fabricant, coluntque
vitulos, ſtatuas, imò cacodæmones: & pæne
ſinguli peculiares ſibi genios pro libitu ſuo fin-
4. gunt, quos ſequuntur & colunt. Quartum,
Ignoratio vltimi finis, non ſolùm ſupernatu-
ralis, ſed etiam naturalis; plurimi enim homi-
nes ignorant, quorsùm viuant: vt alij volupta-
tem, alij diuitias, alij contemplationem ſyde-
rum, finem hominis ſtatuerint. Hinc diuerſæ
Philoſophorum ſententiæ & viuendi rationes,
dum vnus Epicurum, alius alium ſectatus eſt
magiſtrum. Quintum, Ignoratio mediorum ad 5.
finem. Tametſi enim aliqui finem ſuum non
ignorant, cœcutiunt tamen in medijs eligen-
dis, in fide, in lege Dei ſeruandâ, &c. Hinc ne-
mo nō ſæpenumerò dubitat & deliberat, quid
agendum vel omittendū ſit, hîc & nunc præ-
ſertim, ſeu particularibus in negotijs. *Cogitatio-
nes mortalium timidæ, & incerta prouidentia no-
ſtra*, ait Sapiens cap. 9. Sextum, Ignorantia re- 6.
rum naturalium, etiam earum, quæ ſub ſenſus
cadunt. Cùm enim omnes homines naturali-
ter ſcire deſiderent, vt ait Ariſtoteles *lib. 1.
metaph.* eorumque munus ſit contemplari na-
turas rerum, & inde aſſurgere ad cognitionem
Creatoris; tanta tamen eſt imbecillitas men-
tis humanæ, vt ne formicæ quidem naturam
perfectè nôrit: & tantùm abeſt, vt inde Crea-
torem ſuum agnouerit, vt etiam cepis & allijs
aliqui diuinitatem attribuerint. Septimum, 7.
Ignorantia ſuiipſius. Nec enim ſolùm natu-
ram ſuam, animæ nimirum & corporis vires,
partes, operationes: ſed etiam actiones ſuas
ſæpe non agnoſcit, malæue an bonæ ſint, an de-
liberatè ad aliquid conſenſerit, quoties &
quantum peccauerit. Vnde ea difficultas pro-
dit, vt neſciat homo parare morbis ſuis medi-
cinam, dum neſcit, quo laboret morbo. O- 8.
ctauum, Curioſitas in ſcrutandis rebus aliorum
& neglectu ſuiipſius. Plerumque enim in alie-
nos oculati, in noſipſos cæci ſumus, & vide-
mus feſtucam in oculo fratris, trabem autem in
oculo proprio non videmus: atque ita quod
neceſſarium eſt, omittimus, cognitionem no-
ſtri: quod inutile & plerumque noxium, ſecta-
mur ſcrutationem alienorum. Nonum, Diſtra- 9.
ctio ad cogitationes vaniſſimas, ridiculas, in-
eptiſſimas; etiam alieniſſimo tempore, dum
ſcilicet rebus diuinis ſtudere, aut alijs contem-
plationibus intenti eſſe volumus. Vnde queri-
tur S. Hieron. in dialog. adu. Luciferianos:
*Nunc creberrimè in oratione meâ aut per porticus
deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus tur-
pi cogitatione etiam, quæ dictu erubeſcenda ſunt
gero.* Sic ille, fortè in perſonâ aliorum. Decimū, 10.
Impedimentum, quod opponitur homini à
comparatione ſcientiarum, ab ipſo eius corpo-
re; quod ei pro inſtrumento datū eſt ad ſcien-
tias comparandas; cùm tamen nullum aliud
corpus impediat actionē propriæ formæ. Vn-
de fit, vt licet mens noſtra æterna ſit, eique
perpetua operatio debeatur, à corpore tamen
impedita, ne mediam quidem vitæ partem ſibi
vendicare queat. Nā infantia inprimis & pueri-
tia detrahenda eſt: deinde plurimum temporis
requirunt corporis refectio & quies, relaxatio
animorum, aliæque corporis neceſſitates.
Quod ergò ſupereſt animæ, quantulum id eſt!
Ex quibus omnibus patet, quàm verè dixerit
Dauid,

Dauid Pſ. 48. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

C. II. *Vulnerata voluntas.* Secvndò. Deſpoliatum eſt genus humanum rectitudine illâ voluntatis, quâ ad bonum propendebat, à malo verò abhorrebat. Inde enim cœpit voluntas ruere in omnia vitia, vel hoc ipſo, quòd oculo intellectus deſtituta fuit. Si enim cœco ducem auferas, neceſſe eſt ſæpe impingat & labatur. Sed præter hoc ex illâ deſpoliatione in alias miſerias incidit homo, quæ habent ex ſe parte voluntatis.
1. Prima eſt, auerſio à cultu veri Dei etiam poſt tot beneficia, argumenta & miracula, quibus ſe patefecit hominibus: & propenſio ad colendos Deos fictitios, tametſi hi acerbiſſima quæque exigant, vti immolationem liberorum & ſimilia, nec vlla diuinitatis argumenta edere poſſint. Patet in Hebræis, (ne dicam in gentilibus) qui tam facilè & toties reliquerunt Deum ſuum, qui per tot miracula ſuam illis Deitatem & amorem demonſtrauit: Deos verò quos ignorabant, coluerunt & filios ſuos immolauerunt Moloch.
2. Secunda eſt Philautia ſeu amor ſui. Cùm enim rationalis creaturæ ſit amare Creatorem ſuum ampliùs, ſeipſam, & omnia creata (quo modo videmus membra capitis tuendi gratiâ, ictibus ſe objicere) nunc ordo hic inuerſus eſt, & naſcuntur homines magis inclinati ad amandum ſe, & quæ ipſis placent, quàm ad amandum Deum: ex quâ peſſima radice amoris inordinati, naſcuntur omnia peccata. Non enim peccant homines caſu, ſed propter aliquod proprium commodum aut voluptatem, aut gloriam, ad quam peruerſus ille amor adſpirat.
3. Tertia difficultas, quæ exprimitur in vitijs ſuperandis & virtutibus colendis; pronitas verò ad peccata perpetranda. Res enim omnes pondere quodam in ſuum feruntur finem, & ea quæ ſunt naturæ ſuæ conſentanea, auidè arripiunt, impedimenta verò repellunt: ad ea item, quæ naturæ repugnant, ægrè ac difficulter impelluntur, ita vt moles grauiſſimas euertunt potiùs, quàm vt à fine ſuo recedant, vel ad contraria moueantur. Finis autem hominis naturalis eſt viuere ſecundum rationem, eamque ducem ſequi. Proinde virtus, quæ potentiam ad finem illum iuuat, vt cum voluptate bene agat, maximè ſecundùm naturam eſt. Quid enim æquius & rationi conformius eſt, quàm honorare parentes, gratum eſſe benefactoribus, ſectari ſobrietatem, &c? Quid iniquius & rationi difformius, quàm parricidium, ingratitudo, ebrietas? Et tamen experimur illa difficulter, hæc verò facilè fieri. Hinc enim virgis coërceri à peccatis, & impelli ad virtutem pueri debent; ſubditi pœnis varijs à legibus decretis, crucibus, ſecuribus, patibulis, rotis, ignibus, &c. ita vt ſi homines ſibi dimitterentur, rariſſimi forent, qui non in enormia ſcelera & pœnas prædictas inciderent. Quanta autem hæc miſeria, non poſſe ab vna miſeriâ, niſi per aliam liberari? Hinc Monarchiæ huius mundi, qui ſuperiorem non agnoſcunt, nec fidei præditi ſunt, nec habent, qui illorum appetitibus reſiſtant, ordinariè peſſimi fuére. Quot ex illis Sardanapali, Nerones, Caligulæ, Heliogabali, Phalarides, Xerxes, qui omni turpitudini ſe tradiderunt & voluptati? Quorum vltimus Xerxes eò dementiæ deuenit, vt certum præmium propoſuerit omnibus, qui nouum genus luxuriæ inuenirent. De quibus *Prouerb.* 2. dicitur: *Lætantur, cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Et Iob c. 15. *Bibunt ſicut aquam iniquitatem*, id eſt, cum delectatione & facilitate. Hæc autem manifeſtiſſima ſigna ſunt naturæ deprauatæ. Cum enim cernimus creaturam aliquam auidiſſimè comedere terram, facilè animaduertimus eam eſſe infirmam, cùm appetat rem ſuæ naturæ admodum contrariam. Sic cùm videmus auem non poſſe volare, aut piſcem vix poſſe natare, aut hominem aliquem vix poſſe ſtare aut ambulare, ſed perpetuò velle iacere, nónne apparet eum eſſe debilem & ægrotum?
Quarta, negligentia incredibilis ad bene beatéque viuendum. 4.
Cùm enim nobis conſtet, beatitudinem huius vitæ in virtutibus eſſe poſitam, & ſimul ſciamus, quàm difficulter operemur eâ, quæ ſunt virtutis; magnum adhibere conatum deberemus ad virtutes ſectandas. Rurſùm cùm animam ſciamus eſſe immortalem, par eſſet, vt animæ negotium præ omnibus alijs retractaremus & nouiſſima noſtra præcogitaremus. At videmus homines pleroſque hac de re nihil prorsùs ſolicitos, & ne in extremâ quidem ſenectute ſtudium adhibere ad procurandam ſalutem. Tanta nimirum miſeria, tantus lethargus genus humanum oppreſſit.
Quinta. Immodica ſolicitudo in temporalibus lucris captandis. 5.
Cùm enim in veris & ſolidis bonis quærendis ignauiſſimi ſimus, ijdem in ſectandis & comparandis fluxis & inanibus ſumus attentiſſimi. Vnde Satyricus exclamat: *O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!* Cùm audimus concionem, mox dormire incipimus: cùm verò audimus vanitates, & ludicra, vigiles ſumus & indefeſſi. Cùm quid cogitamus de Chriſti Paſſione aut de 4. nouiſſimis, nihil aut parum commouemur, licet ea maxima ſint: cùm verò cogitamus de iniuriâ nobis factâ & vltione, de temporali aliquo lucro quod ſperamus, toti inflammamur ad iracundiam & varia deſideria. Cùm quid erogandum in eleëmoſynam, ſtatim conquerimur de neceſſitatibus noſtris: ſed ſi inutiles fieri ſumptus in ſympoſia & veſtes debeant, nihil ibi deeſſe querimur.
Sexta. Inconſtantia, inſtabilitas & pugna quædam humanæ voluntatis cum appetitu ſenſitiuo, imò & cum ſeipsâ. 6.
Res enim cæteræ ſiue ſuperiores vt Angeli, ſiue inferiores vt pecudes ſemper idem volunt aut nolunt, bonum conſtanter proſequuntur, malum conſtanter fugiunt. At homines rem eandem modò volunt, modò nolunt; modò neque planè volunt, neque planè nolunt. Vnde Auguſt. l. 8. confeſſ. c. 10. *Ego cùm deliberabam vt iam ſeruirem Domino*

Deo

Deo meo, ſicut diu diſpoſueram: ego eram qui volebam, ego qui nolebam: nec plenè volebam nec plenè nolebam, ideò mecum contendebam, &c. Septi-
7. ma, faſtidium proprij ſtatûs, dum nemo ſuâ ſorte contentus eſt. Cæteræ res, ſi habeant quod natura ipſarum requirit, acquieſcunt, neque mutationem vllam expetunt: ſed non ita homo. Signum ergo eſt naturam eius corruptam eſſe. Sic enim ægrotantes nunc vnum, nunc alterum volunt, faſtidiunt cibos ac lectum, & modò huc modò illuc ſe conuertunt. Vnde Chryſoſt. *hom. 7. ad pop. Antioch.* ait: *Sicut qui aliquâ corporis parte dolent ſe proximos doloribus ſuperare putant: & oculum habens vitiatum, nullam ægritudinem aliam talem eſſe cenſet, qualem ſuam: rurſus qui ſtomacho laborat, hoc omnium difficillimum eſſe aſſerit: ſic & in cruce, quâ quis detinetur, hanc aſſerit eſſe difficilli-
8. mam*, &c. Octaua. Ineuitabilitas peccati mortalis ſine gratiâ: & venialium, etiam cum gratiâ, niſi cum priuilegio ſingulari. Cùm autem nemo peccare poſſit, niſi velit, nec quidquam ſit magis in poteſtate hominis quàm velle: quid eſt quod non poſſit ſemper bene velle? Magnæ vtique ægritudinis argumentum. Vt enim æger aliquis poteſt facere ſingulos paſſus è 20. paſſibus, ſed non poteſt omnes: ita & homo poſt naturam corruptam poteſt quidem ſingula vitare peccata, ſed non omnia, mortalia quidem ſine gratia: venialia verò etiam cum gratiâ.

D. III. Vulnerati ſenſus & appetitus.

Tertiò. Plagis impoſitis grauiter ſauciatum eſt in parte animæ inferiore. Prima earum plaga eſt in ſenſibus externis, quibus multi ſæpe naſcuntur orbati: alij cæci, alij
1. ſurdi, muti, claudi, &c. Quod abſque dubio ad pœnam originalis peccati pertinent, & refert S. Auguſt. *l. 6. in Iulian. cap. 4.* neque enim in alijs animantibus talia cernimus, quæ in hominibus ſæpe deflemus. Secunda eſt in ſenſibus internis eaque duplex. Prima, illuſio phantaſiæ, quæ ſomnia cauſat triſtitiæ & horribilia ſæpe, adeoque quietem hominis per-
2. turbat & ſenſus. Secunda, impedimentum quod affert ſæpe interior ſenſus menti. Cùm enim ſeruire intellectui deberet, ſæpe mirum in modum eum confundit, varia figmenta importuniſſimo tempore ſuggerendo, & mentem à contemplatione ad ſuas nugas auertendo. Quin etiam ſæpenumero peruertit iudicium, vt pulcherrimum eſſe iudicet, quod eſt fœdiſſimum: & nobile, quod eſt viliſſimum, idque voluntatem perditè amare faciat. Ter-
3. tia, infirmitas in appetitu qui dicitur iraſcibilis. Cùm enim hæc facultas data ſit homini vt velut miles armatus imperanti rationi pareat & robur atque audaciam ad res bene gerendas præbeat: contrà ſæpe accidit, vt imperium rationis inuadens Tyrannum agat, hominemque in feram quaſi conuertat, cogatque eum impetu ferri, inſilire vt canes rabidos, pungere vt ſcorpiones, mordere vt ſerpentes. Naſcitur nobiſcum iſta peſtis. Vnde S. Auguſt. l. 1. conf. cap. 7. *Vidi ego*, inquit, *& expertus ſum zelantem paruulum: nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aſpectu*
4. *collactaneum ſuum.* Quarta, eſt concupiſcentia, in appetitu concupiſcibili, quæ poſt originalem iuſtitiam ſoluta, contra ſpiritum pugnat aſſiduè, vnde naſcitur inteſtinum illud bellum, quod niſi poſt mortem finiri non poteſt. Propter quod Apoſtolus clamat ad Rom. 7. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quantum verò imperium in rationem hic affectus acceptarit, & contrà quàm debiles ſint vires rationis aduerſus impetum indomitæ illius feræ, teſtatur plurimorum vita adoleſcentum, qui præ incendio turpiſſimarum voluptatum quandoque ad inſaniam aguntur; teſtantur nouæ & inauditæ libidinum inuentiones, quibus omnium belluarum concupiſcentia longè ſeparatur: teſtantur grauiſſimi lapſus & tragœdiæ Samſonis, Dauidis & Salomonis: teſtantur ieiunia, vigiliæ, humicubationes, flagella, cilicia, ſpinarum aculei & horum ſimilia, quibus ſancti viri velut armis cœleſtibus ad hoſtem hunc reprimendum vtebantur. Denique affectuum
5. omnium humanorum inobedientia: qui omnes deſierunt poſt peccatum in hominis eſſe poteſtate, ſed commouentur, non expectato rationis imperio: ipſi imperanti non obediunt, nec aliter iam ad rationis & voluntatis imperium ſe habent, quàm membra paralytica ad voluntatem hominis mouere ea cupientis, vt aſſerit Ariſt. l. 1. Ethic. non enim quando vult, vel quomodo & quantum vult, mouere poteſt.

E. IV. Vulneratum corpus.

Qvartò. Semiuiuum remanſit quoad corporis miſerias, quibus adeò confectum eſt, vt non immeritò Apoſtolus dixerit: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Prima harum miſeriarum, morbi ſunt infiniti, qui corpus infe-
1. ſtant & conficiunt. Secunda, Medicamenta
2. morborum, quæ & ipſa plerunque ſunt tormenta & carnificinæ, vti inedia, ſectiones, vſtiones, &c. ita vt multi ſæpè leuius malum putent eſſe morbum, quàm medicinam. Ter-
3. tia. Inopia cibi & potûs, quæ ſæpe ad immanem rabiem perducit homines. *Nonne* inquit Auguſt. l. 22. de ciuit. c. 22. *ad hoc perduxit ſitientes ardor immanis, vt vrinam quoque humanam vel etiam ſuam biberent? nonne ad hoc fames, vt à carnibus hominum abſtinere ſe non poſſent, nec inuentos homines mortuos, ſed propter hoc à ſe occiſos, nec quoſlibet alienos, verùm etiam filios, matres incredibili crudelitate, quam rabida eſuries faciebat, abſumerent?* Quarta, labor magnus
4. & aſſiduus ad inopiam arcendam. Vnde Iob c. 5. ait: *Naſcitur homo ad laborem, & auis ad volatum.* Et ita miſeria per miſeriam, inedia per laborem pelli debet. Potuiſſet vtique Deus qui paſcit aues etiam non ſerentes, neque metentes neque in horrea congregantes, paſcere etiam ſimili modo ſine labore homines: ſed in pœnam primi peccati ſtatuit & dixit: *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo*; vt homines *à pœnali exitio*, vt loquitur Auguſtin. ſuprad. loco, *non niſi pœnali*
5. *eruerentur auxilio.* Quinta. Breuitas vitæ. Cùm

Cùm enim homines ad ſapientiam & ſcientiarum comparationem, in quâ propria eorum operatio conſiſtit, non niſi longo tempore peruenire queant; æquum videbatur vt diutiſſimè viuerent: alioquin enim pauci vel nulli finem ſibi proprium & naturalem poterant attingere: Contrà tamen vita hominis breuiſſima eſt, & plurimi decedunt, antequam ad maturam ætatem deueniant, & qui longiſſimè viuunt, ceruorum & coturnicum ætatem non attingunt. Vnde non defuêre Philoſophi, qui naturam accuſabant, quòd longiorem vitam cornicibus quàm hominibus dediſſet. Alius tunc mori ſe querebatur, cùm vitam hominis propriam agere inciperet. Alius librum ſuum ſic orditur: *Ars longa, vita breuis.* q.d. non rectè cum hominibus agi, qui propter vitæ breuitatem artes ſibi proprias aſſequi non poſſent. Nec non S. Iob *cap.* 14. lamentatur: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs: qui quaſi flos egreditur, & conteritur & fugit velut vmbra.* Sexta. Timor imminentis mortis continuus. Tametſi enim vita humana amara eſt, amarior tamen eſt mors. Vnde Rex ille Agag dixit moriturus: *Siccinè ſeparat amara mors?* 1. Reg. 15. Ac quantò plus ſolatij & delitiarum percipit homo in vita, tantò amariorem experitur mortem. Quia enim animus immortalis arctiſſimo nexu iunctus eſt corpori, id immortale etiam deſiderat & à ſe inſeparabile. Hinc ergo mors coniuges illos amantiſſimos ſeparans, hoſtis eſt naturæ, & omnium terribilium terribiliſſimum rectè nominata.

F. V. Vulneratus homo in externis bonis.

Qvintò. Relictum eſt ſibi. Sicut enim latrones miſero illo ſemiuiuo relicto abierunt; relicto inquam incurſibus beſtiarum & aliorum infortuniorum: ſic humanum genus per peccatum originale, alijs etiam miſerijs, quæ extrinſecùs accedunt, relictum & ſubiectum eſt; quarum
1. Prima eſt Dei ira & derelictio. Naſcimur enim omnes *filij iræ*, vt ait Apoſtolus *ad Eph.* 2. Quis autem erit pro nobis, ſi Deus contra nos? Dei aſſiſtentia ante peccatum faciebat, vt homo non poſſet decipi, labi, mori. Nunc vnà cum aſſiſtentiâ illâ ſingulari omnia
2. hæc ablata ſunt. Secunda. dæmonis impugnatio & inſidiæ: cuius poteſtati & vexationi traditi ſumus. Nam vt ait S. Petrus ep. 2. cap. 2. *A quo quis ſeparatus eſt, huius & ſeruus eſt.* Exinde omnium mentes ſolicitat ad peccatum, & mille nocendi artifex diu noctuque *circuit quærens quem deuoret.* Quanta eorum potentia? quanta aſtutia? quanta vigilantia & infatigabilitas? quantus numerus? Tertia. Homi-
3. num crudelitas, nam etiam *homo homini lupus.* Quis enim explicet quanta patiantur homines ab hoſtibus, pyratis, latronibus, inimicis? Vnde vincula, exilium, deprædatio, cruciatus, priuatio membrorum & ſenſuum, ſupplicia, occiſio hominum, niſi ab hominibus? Et Apoſtolus Iacobus cap. 4. *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentijs veſtris, qui militant in membris veſtris.* Eodem pertinent ſeruitus, quæ non à natura, ſed à peccato introducta eſt, vt patet ex maledictione Cham & Chanaani *ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis*; Gen. 9. Quarta, rebellio animalium. Præfuit enim ante peccatum homo beſtijs terræ, volatilibus cœli & piſcibus: ſed poſtquam ab obedientia Dei receſſit, etiam animantia pleraque rebellare ei cœperunt, quæ quidem compellere ad obedientiam poteſt, ſed non niſi vi & induſtriâ adhibitâ ac cum periculo. Neque ſolùm agreſtes feræ, ſed etiam manſueta & domeſtica animalia, cùm in rabiem aguntur, hominibus terrorem incutiunt & damna inferunt. Quinta, calamitas, quæ à cœlo & elementis ſæpenumerò prouenit, vti ſunt tempeſtates, incendia, aquarum eluuiones, procellæ & turbines, terræ motus, ruinæ montium, venena animalium & fruticum, &c. Quid non periculorum imminet frugibus? Sexta. Improuiſio caſuum fortuitorum, qui vndique occurrunt. Vnde Auguſtinus? *Quis ambulat*, inquit, *vbicunque non inopinatis ſubiacens caſibus? De foro quidam rediens domum ſanis pedibus ſuis, cecidit, pedem fregit, & ex illo vulnere finiuit hanc vitam. Quid videtur ſedente ſecurius? De ſellâ in quâ ſedebat, cecidit Heli ſacerdos & mortuus eſt.* Sic Auguſtinus. Ex his omnibus quæ diximus, ſufficiet ſi vel vnum aut alterum notemus. Quantum nimirum malum ſit peccatum, quod in tantam miſeriarum congeriem non Adamum ſolum, ſed omnes etiam poſteros eius coniecit. Deinde quàm neceſſarius nobis fuerit Samaritanus aliquis, qui tam miſerè confectis remedium aliquod afferret? Timeamus igitur Deum iuſtum, amemus miſericordiam.

4.
5.
6.

CONCIO VI.

Quomodo per gratiam mediatoris ſanentur vulnera peccati originalis.

1. *Aſſignatur remedium intellectus per peccatum originale vulnerati, nempe illuminatio.*
2. *Voluntatis, quæ roborata eſt ad vitia debellanda & virtutes comparandas.*
3. *Partis animæ inferioris.*
4. *Medela externarum calamitatum, puta diabolicæ tyrannidis, tentationum & tribulationum, ferociæ humanæ & aliorum.*

THEMA.

Appropians alligauit vulnera eius Luc. 10.

Cvm in hodierno Euangelio audimus Samaritanum appropiaſſe ad hominem illum, qui incidit in latrones, & curam eius egiſſe, deberemus, Auditores, in genua noſtra cadere, & dicere cum Apoſt. 1. Tim. 1. *Fidelis ſermo & omni acceptatione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum, peccatores ſaluos facere.* Quid enim homo ille niſi genus humanum in Adamo lapſum, & à latronibus inferni miſerè confectum denotat? quem Samaritanus, niſi Chriſtum? Ergo ſicuti miſer ille ingenti haud dubiè perfuſus gaudio fuit, cùm vidit Sa-

Samaritanum ſibi appropinquantem & medelam adhibentem: ita omninò nos immortales Deo gratias agere debemus, quoties audimus Chriſtum Ieſum veniſſe in hunc mundum veluti Samaritanum, vt nos ſaluos faceret. Vidimus alibi vulnera generi humano inflicta, nunc medicum & medelam videbimus.

B. I. Remediū intellectûs.

PRIMÒ. Cæcus noſter intellectus per Chriſti fidem, gratiam & doctrinam, illuminatus eſt, ita vt iam non in tenebris ignorantiæ & errorum; ſed in luce & meridie ambulemus; vti prædixit Iſaias c. 60. dicens: *Surge, illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum*, &c. Et confirmat Apoſtol. *ad Rom.* 13. cùm ait: *Nox præceſſit; dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus.* Ambulârunt gentes in tenebris, quia nec Deum agnouerunt, nec finem ſuum: iudicium, infernum, beatitudinem cœleſtem, peccati grauitatem neſcierunt, & plurima ſcelera pro peccatis non habuerunt; dæmonis malitiam & laqueos, Idolorum vanitatem ignorârunt. Vnde perpetuò & grauiſſimè impegerunt. At verò nunc per Chriſti gratiam in die ambulamus; quia celſitudinem diuinæ maieſtatis, immenſitatem promiſſionum eius, pœnas impijs reſeruatas, virtutum pulchritudinem, peccatorum fœditatem, diaboli fraudes, Idololatriæ ſtultitiam, vanitatem rerum pereuntium, aliaque quæ agenda vel fugienda nobis ſunt ad ſalutem conſequendam, luce clariùs cernimus. Ex quo patet, grauiùs delinquere Chriſtianos, cùm peccant, quàm gentiles, quemadmodum magis culpandi ſunt, qui interdiu impingunt aut aberrant, quàm qui noctu; quia illi ſciunt, quò ſibi ſit eundum, hi verò viam neſciunt, nec vident. Hac luce illuſtrati alij ab erroribus reſipiſcunt, & ad veritatem redeunt, vti prodigus ille filius, ſtatum, in quo erat, & in quo aliquando fuerat agnoſcens, qui in ſe reuerſus ait: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autē hic fame pereo; ſurgam, & ibo ad patrem meum*, Luc. 15. Et Saulus, qui luce cœleſti circumfuſus dicebat: *Domine, quid me vis facere?* Actor. 9. Et S. Auguſtinus alijque innumeri, qui ſubitò illuſtrati, & errores ſuos deteſtati, viam cœli agnouerunt. Alij tametſi rudes & illiterati, in rebus ad ſalutem ſpectantibus ſunt doctiſſimi, prout prædixit etiam Iſaias c. 54. dicens: *Ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino.* Et Ierem. cap. 31. *Non docebit vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: Omnes enim agnoſcent me, à minimo eorum vſque ad maximum.* Volunt dicere, omnes fideles fidei lumine illuſtrandos, vt non ſit opus magno labore ad cognoſcendum Deum, aliaque fidei myſteria perdiſcenda, vti & illa quæ ad ſalutem cuiuſque ſpectant; ſed à puero vnà cum materno lacte quaſi hæc imbibituros. Siquidem parentes initio docebunt filios ſuos rudimenta fidei, deinde cathechiſtæ teneræ ætati clariùs ea exponent; ſicque vnus puer fidelis doctior erit omnibus Ethnicorum Philoſophis, quoad fidei cognitionem, quæ ſola vera Philoſophia & ſapientia eſt.

C. II. Remedium voluntatis.

SECVNDÒ. Per eandem gratiam reformata & roborata eſt voluntas ad vitia debellanda & virtutes comparandas. Eius enim auxilio poſſumus vitare omnia peccata grauia, quod multos ſanctos feciſſe & facere hodieque, dubium non eſt. Poſſumus & à lapſu facilè reſurgere, & vitioſos habitus deſtruere, adeoque veterem hominem exuere ac nouum induere, ſicque per virtutem emergere ad priſtinum naturæ integræ ſtatum; maiore vtique laude, quàm ſi ex eo nunquam deiecti fuiſſemus. Plurima ſunt huius rei exempla. Bonifacius ciuis Romanus cum Aglaë matronâ priùs impudicè verſatus, pòſt eius rei pœnitentiâ ductus contulit ſe pœnitentiæ causâ ad conquirenda & ſepelienda martyrum corpora, tandemque & ipſe glorioſo martyrio occubuit; Aglaë ſimiliter pœnitens pijs ſe operibus addixit. *Latro quidam*, (in Prato ſpirituali Io. Moſchi c. 143.) *Dauid nomine apud Hermopolim plurimos expoliabat, plures etiam interficiebat, ita vt nullus ei in his crudelitatis operibus conferri poſſet. Die quadam, dum exerceret latrocinia cum ſocijs pluſquam triginta, ad mentem rediens, compunctus eſt corde, relictoq; conſortio abijt ad Monaſterium: quærit de Abbate: interrogatus quid vellet, Monachus, ait, fieri volo. Recuſante Abbate ingreſſum, eo quòd ſenex eſſet, & delicata vita aſſuetus, minùs par eſſet laboribus & abſtinentia religioſa, feruens animo in hæc verba erumpit: Ego ſum Dauid princeps ille latronum; idcircò huc veni, vt defleam peccata mea: ſi me ſuſcipere renueris, Deum teſtor, ad priorem redibo vitam; aſſumptiſq; mihi ſocijs, Monaſteriū hoc funditus euertam. His auditis, ſuſcepit eum Abbas, tondenſq; eum, habitum religioſum induit. Hic in humilitate, obedientia, abſtinentia, alijſque virtutibus tantum profectum fecit, vt inter ſeptuaginta Monachos (tot erant in illo Monaſterio) tanquam exemplar ſingulare emicuerit. Quodam tempore dum in cella eſſet, Angelus Domini his verbis eum interpellauit: Dauid, Dauid, remiſit tibi Deus peccata tua, & eris ex nunc ſigna faciens. Cui Dauid: Credere non poſſum, omnia peccata, quæ arenam maris numero excedunt, tam breui tempore mihi à Deo eſſe remiſſa. Iterum Angelus: Sicut Zachariæ non credenti mihi propter incredulitatem ſuam lingua vſum ademi; ita & tibi faciam, eriſq; amodò mutus. Dauid, humi ſe proſternens, Angelum hoc modo compellat: Cùm eſſem in ſæculo, nefaria ſcelera faciens, & ſanguinem humanum fundens, loquebar; modò, quando ſeruire Deo volo, laudeſq; illi offerre, tunc linguam meam, ne loquar, ligabis? Ad quem Angelus: Cùm implebis pſalmodiæ canonem, loqueris; præter canonem verò penitus tacebis. Quod & factum eſt, plurimaq; per illum Deum miracula fecit.*

Babylas quidam, vt ibid. c. 32. refertur, *Tarſi Ciliciæ mimus profeſſione, & magus, vir flagitioſiſſimus, duas concubinas tenebat. Multa pro dæmonis arbitrio, quo vtebatur familiariter, ſiue cum eo, ſiue cum alijs nefariè tranſigebat. Ingreſſus quodam die Eccleſiam, auditoq; Euangelio quod ad pœnitentiam hortatur. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim*

enim regnum cælorum; ita compunctus eſt, vt redierit domum, & ſuis concubinis: Quo, inquit, amore, quàm aquabili, vtramq; complexus ſim, ſat ſuperq; animaduertiſtis; iam mutatus aliud de meis rebus cogor ſtatuere. Quæcumq; labore conſecutus ſum, per me licet (iam monachus fio) accipite. Illæ, oratione huius permotæ, reſponderunt cum lachrymis: Et nos in flagitijs tibi ſociæ fuimus, erimus & pœnitentiæ. Omnibus ergo in pauperes erogatis, incorruptè deinceps, caſtè, ſanctèq; vixerunt. Hunc Babylam antiquus auctor Ioannes Moſchus dicit ſe vidiſſe, venerabilem, modeſtum, & verè clementiſſimum virum.

Moyſes, vt ſcribit Sozomenus *l.6.cap.29.* cùm ſeruus eſſet, & propter culpam domo expulſus, latrocinio ſe dedit, homicidia multa fecit. Conuerſus ad mentem, Anachoreticam vitam amplexus eſt, Æthiops mutauit pellem, pardus maculoſos colores ſuos. Sex annis per totam noctem ſtans orauit, neque genibus inclinatis, neque oculis ſomno clauſis. Inſuper charitatis officia ſedulus exercuit: noctu enim circuibat cellas Monachorum, & lagenas ſingulorum aquâ implebat, cùm procul inde, decem, aut viginti, aut triginta ſtadijs, manaret.

Adhæc ipſi lapſus noſtri per gratiam nobis ſalutares fiunt; ſiquidem inde ſalubriter erubeſcimus & humiliamur, fortiùs reſurgimus, & deinceps cautiores reddimur. Sic Petro, Magdalenæ, Thaidi, Pelagiæ &c. lapſus plurimum profuit ad parandam vitæ ſanctitatem.

Rurſùm poſt humani generis lapſum pluribus virtutibus per Chriſti gratiam locus factus eſt, quàm fuiſſet in paradiſo: vti pœnitentiæ, patientiæ, martyrio, paupertati, virginitati, dilectioni inimicorum, &c. Plures ergo ad ſalutem, victorias & coronas nobis comparandas nunc habemus vias, quàm habuiſſemus in paradiſo. Et ſi Alexandri M. hoc vnum deſiderium fuit, vt plurimas haberet pugnandi occaſiones, dictitans patrem ſuum nullum maius patrimonium ſibi relinquere poſſe, quàm ſi multos ei relinqueret hoſtes, quibus debellandis militem ſe oſtendere, & victorias poſſet parare (apud Plut. in apopht.) multo magis gratulari ſibi Chriſtiani debent, quòd occaſionem nacti ſint egregijs virtutibus comparandi cœleſtes victorias & coronas. Sapienter enim Plato dixit: *Sapientes primo loco collocant animum, ſecundo corpus, tertio pecuniam: ita in rep. primus locus detur virtuti, ſecundus viribus corporis, tertius pecuniæ.*

D. III. Remediū partis animæ inferioris.

Tertiò. Parti animæ inferiori remedium adhibitum. Poſſumus enim per gratiam refrænare & edomare ſenſus, affectus & paſſiones noſtras; ac licet concupiſcentiam ſine ſpeciali Dei gratiâ extinguere & enecare nequeamus, poſſumus tamen eius motibus obſiſtere, & ita de ipſâ triumphare. Vnde ea facta nobis eſt materia, partim humilitatis, dum ab ea colaphizamur, vt loquitur Apoſtolus: partim luctæ & victoriæ, dum ei ſtrenuè reſiſtimus: partim ſalutaris timoris, dum ab hoſte inſeparabili & perpetuò nobis inſidiante monemur ſemper in armis ſtare.

Poſſumus etiam corrigere prauam complexionem, ita vt prorſus mutemur in viros alteros, iuxta verbum Ioannis Bapt. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, Luc. 3. quod fit, cùm duræ & obſtinatæ naturæ homines, molles, & ad omnia flexiles, cùm cholerici manſueti, ſanguinei graues fiunt & modeſti.

Poſſumus & carnem vincere aſſuetudine, & ſpiritui ſubijcere mediâ oratione, ieiunijs, cilicijs, & hac ex parte Angelis ſuperiores fieri: dum hoc efficimur per virtutem, quod illi ſunt per naturam. Nec defuerunt ſancti, quibus ſpeciali Dei priuilegio carnis titillatio penitùs extincta fuit. Talis S. Equitius Abbas Valeriæ prouinciæ, qui tantùm ieiunijs & oratione apud Deum effecit, vt dormienti Angelus omnem carnis moleſtiam amputarit; vnde *ita alienus extitit à tentatione, ac ſi ſexum non haberet in corpore*, inquit S. Greg. *l. 1. dial. c. 4.* Talis S. Thom. Aquinas, qui cùm procacem fœminam ad ſe in cubiculum immiſſam titione fugaſſet, ſentire ſibi per quietem viſus eſt lumbos ſuos ab Angelo conſtringi, atque ex eo tempore omni prorsùs libidinis ſenſu caruit. Vt in eius vitâ & Breuiar. Rom.

E. IV. Medela miſeriarum corporis.

Quartò. Corporis miſeriæ, vti labor & dolor, egeſtas & paupertas, ſeruitus, morbi, vitæ breuitas, moriendi neceſſitas, &c. non quidem prorsùs ſublatæ, magnoperè tamen mitigatæ ſunt per gratiam mediatoris, imò ſuaues & glorioſæ factæ. Mitigatæ, quia vel ceſſarunt, vti ſeruitus gentilitia mancipiorum, quam religio Chriſtiana paulatim ſuſtulit: vel in comparatione peccati, quod ſolum verè malum eſt, pro nihilo habentur, iuxta Chriſti monitum: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Suaues factæ ſunt, qui ingentia ſecum afferunt merita: ideoque à bonis viris excipiuntur obuijs vlnis velut hoſpites optatiſſimi. Vnde Apoſt. 2. *Cor.* 12. infirmitatem præfert ſanitati: *Cùm infirmor, tunc fortior ſum.* Et 1. *Cor.* 7. ſeruitutis conditionem præfert libertati: *Seruus vocatus es?* inquit, *non ſit tibi cura; ſed & ſi potes fieri liber, magis vtere*; ſcilicet ſeruitute. Cauſam affert S. Auguſtinus in ſent. n. 53. *Iuſtis*, ait, *quidquid malorum aliquis dominus irrogat, non pœna eſt criminis, ſed examen virtutis.* Vnde aliqui ſemetipſos in ſeruitutem vendiderunt, velut Serapion, vt dominum ſuum conuerteret; Paulinus Epiſcopus Nolanus vt filium viduæ redimeret. Aliam affert Saluianus lib. 1. de vero iudicio; quia nemo miſer eſt, qui ſuâ miſeriâ contentus eſt; talis enim eſt, qualis eſſe vult. *Humiles*, inquit, *ſunt Religioſi, hoc volunt: pauperes ſunt, paupertate delectantur: ſine ambitione ſunt, ambitum reſpuunt: inhonorati ſunt, honorem reſpuunt: lugent, lugere geſtiunt: infirmi ſunt, infirmitate lætantur.* Denique hæ miſeriæ promouent nos ad cœlum & expediunt à mundo: carnem eneruant & ſpiritum roborant.

Glorioſæ verò propter exemplum & imitationem Chriſti. Audi Apoſtolum 2. *Cor.* 4.

Tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, (id eſt, inopiâ premimur,) *ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: deijcimur; ſed non perimus.* Et quam ob cauſam? ſubdit: *ſemper mortificationem* IESV *in corpore noſtro circumferentes:* q.d. quia Chriſtum crucifixum & mortificatum ſemper præ oculis habemus, cui ſimiles fieri gaudemus. Hinc glorioſum factum eſt, pro Chriſto pati, eſurire, contemni, &c. Ipſa denique mors, præterquam quòd à Chriſto ſpoliata eſt ſuo dominio & reddere depoſitum debet, iucunda reddita eſt, quia ſalutaris; vnde Apoſtolus dixit, *mori* ſibi *lucrum* eſſe: ad Philipp. 1.

F. V. Medela externarum calamitatum.

1. *Diabolicæ tyrannidis.*

QVINTÒ. Externis calamitatibus ſuum etiam remedium, quantum decuit, adhibitum. Nam Primò dæmonum poteſtas mirè eſt reſtricta. Siquidem eius tyrannis, fraudes & illuſiones, quibus mundo inſultabat, repreſſæ & detectæ ſunt: oracula & reſponſa quæ ex ſtatuis & lapidibus dederat, perpetuo ſilentio mulctata: vti lapis Memnonis, qui exſculptus quotidie oriente ſole radijs percuſſus vocem ſuam dabat, diaboli præſtigijs, vſque ad Chriſti ortum, vbi ceſſauit; quemadmodum & alia falſorum Deorum in Ægypto ſimulachra, vt alibi dictum. Euſeb. Cæſar. Chron. anno mundi 3580. Deinde alligatus eſt, vt nemini nocere poſſit, niſi qui ad eum vltrò acceſſerit. Vnde S. Antonius dicebat: *Dæmon ſicut paſſer irretitus tenetur & conſtringitur à Chriſto. Chriſtiani ergo Chriſto nixi, dæmonem non timeant, ſed rideant.* Quòd verò nos perſequitur & ſolicitat ad peccatum, in hoc ipſo nobis ſeruit, dum ad pugnam excitat & vigilare nos facit pro ſalute noſtrâ, ſicut Magiſter vigilum, qui de nocte circuit caſtellum & luſtrat excubitores, num in ſuâ ſtatione vigilent. Vnde S. Petrus monet: *Fratres, ſobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* 1. Pet. 5.

2. *Tentationum & tribulationum.*

Deinde tentationes & tribulationes gaudium afferunt Chriſti athletis (iuxta id Iacobi 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis*) quia & victoriam, quo modo Alexander M. Iulius Cæſar & alij ſtrenui Duces hoſtes optabant validiſſimos, vt in ijs ſuperandis virtutem & fortitudinem bellicam exercere poſſent. Nec viris iuſtis cauſa ſunt ruinæ, ſed ſtimulus ad virtutem, vti eas vocat Apoſtol. 2. Cor. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet.*

3. *Ferociæ humanæ.*

Rurſum hominum ferocia magnâ ex parte domita eſt, vt prædictum ab Iſaia c. 11. dicente: *Habitabit lupus cum agno & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Vult dicere: In Eccleſiâ Chriſti ſimul quietè verſabuntur iuſti & peccatores, mites & feroces, patientes & cholerici, pauperes & diuites, infirmi & potentes, quia ſcilicet gentes efferæ & barbaræ depoſitâ feritate miteſcent & cum agnis & hædis, id eſt, humilibus & ſimplicibus Chriſtianis conſpirabunt in vnitatem fidei & conuerſationis. Talis fuit Saulus ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, ideoque bene lupus dictus *Gen.* 49. ſub typo Beniamini: qui tamen conuerſus ad Chriſtum habitauit cum agnis, Petro, Ioanne, &c. Talis Conſtantinus M. qui priùs in vxorem & coniunctiſſimos ſæuierat, poſt baptiſmum adeò manſuetus fuit effectus, vt declinaret occaſionem ſæuiendi in ſenatum populumque ſibi infenſum ob religionem, ideoque nouam vrbem, idololatriæ expertem extrueret, Conſtantinopolim. Baron. Anno 324. Talis S. Guilielmus Aquitaniæ Dux, qui priùs perſecutor Eccleſiæ & Epiſcoporum irriſor ſchiſmaticus, S. Bernardi increpatione proſtratus & mitigatus, adeoque in agnum & denique in ſanctum Eremitam mutatus eſt, vt in vitâ S. Bern. l. 2. c. 6. idemque primò tantæ edacitatis & bibacitatis fuit, vt ei vix quouis prandio ſufficerent, quæ octo robuſtis iuuenibus pararentur cibaria: poſt conuerſionem verò pane modico & aquâ contentus, magnâ incolumitate vixit: vt ſcribit Theobaldus Epiſcopus *in eius vitâ c.* 1. & 24. apud Sur. *in Februar.* Videtur ad hos reſpexiſſe Iſaias, cùm loco citat. ſubdit: *leo quaſi bos comedet paleas.* Nec tacendum, quod ait: *Puer paruulus minabit eos.* Hoc enim contingit in Eccleſiâ, vbi paſtorem vnum pauperem & humilem ſequitur grex potentum, diuitum, nobilium, ciuilium, agreſtium: præſertim in religionibus bene conſtitutis, & hodie in Indiâ, Chinâ, Iaponiâ, Braſiliâ.

4. *Calamitatum aliarum.*

Aliæ calamitates, quæ à beſtijs, cœlo, elementis & caſibus fortuitis imminent hominibus, non quidem ſublatæ, ſed tamen in bonum hominum conuerſæ ſunt. Per eas enim continemur in timore Dei, & corrigimur à peccatis, & liberamur ex parte à pœnis atrocioribus in altero ſæculo luendis. Quanquam & ipſæ à pijs hominibus multoties auertuntur per orationes & alia præſidia ſpiritualia magno cum merito. Nec deſunt multi ſancti, quibus beſtiæ feroces ad nutum obedierunt, adeoque ius ſubiectionis, quod inobedienti homini olim ſubtraxerunt, poſteà obedienti reſtituerunt. Scimus enim leonem S. Geraſimo, vrſum S. Corbiniano, ceruam S. Ægidio, onagrum S. Heleno, aues S. Franciſco, beſtias complures Ioſepho Anchietæ ad nutum paruiſſe. Quare ſiquas creaturas nobis aduerſari videmus, peccatis & inobedientiæ noſtræ adſcribamus: dum enim Deo nos rebelles ſumus, quid mirum ſi & nobis rebellent creaturæ? Similiter quod ad reliqua, quæ diximus, attinet, ſi in nobis non ſentiamus ſanata eſſe hæc vulnera, nobis imputemus, non Samaritano. Quid enim ſi illi vinum & oleum infundat noſtris vulneribus, nos autem ei reluctemur? Quid proſunt medicamenta repoſita in pharmacopolio, ſi non applicentur? Quid prodeſt fidei & doctrinæ Euangelicæ lux, ſi non admittatur? quid Chriſti gratia, ſi eam

eam non petamus, nec oblatæ cooperemur? quid cura & medela adhibita in Sacramentis, ſi mox iterum deſcendamus ab Ieruſalem in Iericho, id eſt, è ſtatu gratiæ in peccatum, & rurſum incurramus in latrones? Audi quid Apoſtolus dicat de noſtro Samaritano ad Hebr. 5. *Factus eſt*, inquit, *omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Omnibus, inquit, ſed obtemperantibus ſibi. Quid ergo conqueri potes, non eſſe te ſanatum, ſi medico non obtemperes? *Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? quare ergo non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* inquit Ierem. c. 8. nunquid Sacramenta, nunquid vinum & oleum Samaritani non eſt in Eccleſia? nunquid Samaritanus? minimè; ſolum iſtud deeſt reprobis, velle obtemperare. Verè igitur Chriſtus, noſter Samaritanus eſt. Nudi enim & ſpoliati fuimus; per eius gratiam veſtiti ſumus; vulnerati & ſemimortui fuimus; per eum ſanati & roborati ſumus. A Deo derelicti fuimus: eidem reconciliati & reſtituti ſumus. Quanquam integra noſtra ſanitas non in hoc, ſed futuro ſæculo expectanda eſt, vbi intellectus lumine gloriæ perfectè illuſtrabitur; voluntas, Dei amore ita inflammabitur, vt nequeat peccare; caro & paſſiones ſpiritui ad amuſſim parebunt, corporis aliæque externæ miſeriæ & afflictiones prorsùs eliminabuntur. Denique nihil eſt fælicitas Adami, quam habuit in paradiſo, reſpectu fælicitatis illius æternæ. Audi Card. Bellarm. conc. in Dom. Paſſ. *Erat Adam ſapientior Salomone; erimus nos æquales Angelis Dei. Erat Adam fortior Samſone; erimus nos ferro, & igne & leonibus fortiores. Poterat Adam non mori; nos multò feliciores non poterimus mori: fruebatur Adam magna pace; nos fruemur maxima, tantaq́; erit tunc concordia corporis & animi, carnis & ſpiritûs, vt quocunque voluerit aſcendere animus, ſtatim corpus ſequatur, etiam ſuper ſydera. Erat Adam amicus Dei; erimus nos familiares, intimi domeſtici. Poterat Adam non peccare; nos multo beatiùs non poterimus peccare. Poterat ille non cadere? nos non poterimus cadere. Denique habitabat ille in paradiſo terreſtri; habitabimus nos in cœlo, in illis ornatiſſimis, & ſplendidiſſimis ſedibus ac domicilijs Angelorum.*

CONCIO VII.

De multiplici amicitia falſa.

Falluntur quidam qui pro amicis habent illos.

1. *Qui omnia approbant.*
2. *Qui coram & in faciem laudant.*
3. *Qui obſequia deferunt.*
4. *Qui ſocij menſæ ſunt & prædæ.*
5. *Propinqui.*
6. *Scelerum patroni & ſocij.*
7. *A quibus viciſſim amantur.*
8. *Socij & comites.*

THEMA.

Et quis eſt meus proximus? Luc. 10.

A. NOn eſt facilis, nec inutilis quæſtio iſta, *Quis eſt meus proximus?* Non facilis, quia cauſam huic quæſtioni videtur dediſſe lex antiqua *Leuit.* 19. quæ ſic habet: *Diliges amicum tuum ſicut teipſum.* Cùm ergo incertum ſit, quis amicus vel inimicus ſit cenſendus, hinc non immeritò quæritur: *Et quis eſt meus* amicus? Nec inutilis eſt: Etenim ex hac ignorantia, magna proueniunt incommoda. Primò quia neſcis à quo cauere debeas. Manifeſtos enim hoſtes facilè vitaueris, non ita fictos amicos. Hinc Alexander M. cùm ei vulnus obligaretur & amicus eius Parmenio eum obiurgaret, quòd ſe in medium hoſtium commiſiſſet periculum, reſpondit: *Tu me ſerua à fictis amicis, & ego me ſeruabo ab inimicis.* Alexandrum, Alcibiadem, Ageſilaum, Antigonum, Demetrium, Iulium Cæſarem, Lentulum, Pyrrhum, Pompeium, amici interfecere, quos hoſtes non potuere. Hinc Dauid iubetur à Gad propheta redire ad terram Iuda, de terrâ & domo Moab, quaſi ſecuriùs habitaturus in terrâ aperti inimici, Saulis, quàm in domo falſi amici & ſuſpecti, 1. *Reg.* 22. Deinde ſæpe errabis in hominum dilectione, niſi ſciueris tuos amicos, facies enim quod Dauidi exprobrat Ioab, 2. *Reg.* 19. dicens; *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: quia ſi Abſalon viueret & omnes nos occubuiſſemus, placeret tibi.* Hinc Rob. Holcot. l. 131. in lib. Sapient. inter humanæ vitæ neceſſitates, nihil ita vtile exiſtimat, ac diſcernere inter amicos & inimicos. Igitur Dominus hodie nobis demonſtrat verum amicum, ſcilicet Samaritanum: qui *cuſtos* exponitur: amicus autem quaſi *animi cuſtos* dicitur. Dicat igitur quiſque ſententiam ſuam: nos ſingulas examinabimus.

PRIMÒ. Quidam pro amicis habent eos, qui ſibi numquam contradicunt, ſed facta eorum qualiacunque dilaudant, & approbant, vel ſaltem excuſant. Sed errant; nam *Eſa.* 3. dicitur: *popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* Quibus minatur Deus *Ezech.* 13. dicens: *Væ qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas.* Supponis fortè in menſâ cubitum ceruici & dormire incipis; Sed quia menſa durior eſt, citò expergiſceris. Adeſt itaque famulus & puluinar ſubſternit cubito tuo, ac tùm ſuauius dormis. Ita potentes aliqui dormiunt in peccatis ſuis: ſed remurmurat interim conſcientia, nec multam eis quietem concedit. Quid faciunt igitur falſi amici? excuſant, imò defendunt eorum facinora, vel ſaltem tacendo approbant; inde domini illi iam ſuauiter in peccatis dormiunt. Verùm vbi euigilauerint in iudicio, videbunt quales habuerint amicos, eoſque execrabuntur in omnem æternitatem. Hinc ergo precatur Dauid *Pſ.* 140. dicens: *corripiet me iuſtus in miſericordia & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* q. d. nolo blandiloquentiam adulatoris, qui peccata mea extenuet, excuſet vel fucatis coloribus pingat; correctionem potiùs volo. Oleum, teſte Galeno *lib.* 2. *de ſimpl. medicam. facult. c.* 22. ſi rebus frigidis miſceatur frigidum

B. I. Amici, qui omnia approbant.

eſt,

eſt; ſi calidis, calidum. Ita gnathones iſti: ait? aiunt: negas? negant. Inſtar chamæleontis enim omnes induunt formas rerum quas aſpiciunt: inſtar echonis omnes voces referunt: inſtar ſpeculi omnes formas. Oleum quidem recreat & lenit dolorem vulnerum, cæterùm nimis calidum aut frigidum membro perunctо nocet, & febrim aut inſenſibilitatem affert, teſte Anglico *l.* 17. *c.* 112. Ita & blanditiæ talium amicorum. Vnde in præd. pſalmo, pro *oleo peccatoris*, *oleum veneni* legit Hieronymus. Itaque viri ſapientes eos pro amiciſſimis habuére, qui ipſorum defectus corrigebant. Dauid correctorem ſuum Natham in magno ſemper honore habuit & coluit. Theodoſius Imper. Ambroſium, à quo ſæpiùs etiam publicè corrigebatur, præ omnibus coluit & quaſi vnicum Epiſcopum ſuum agnouit. Ita denique Samaritanus, qui alligauit vulnera ſauciati, & vinum etiam, non oleum tantùm in ea infudit. Mordet vinum, oleum lenit: itaque corrigendi amici ſunt, etſi non abſque lenitate.

C. II. Qui corã & in faciẽ laudant.

SECVNDÒ. Quidam eos amicos putant, à quibus in facie laudantur, vel audiunt ſibi placentia. Sed non ita eſſe diſcimus ex Prou. 27. *Qui benedicit proximo ſuo voce grandi de nocte conſurgens, maledicenti proximus eſt*, id eſt, qui te in faciem intempeſtiuè laudat: potiùs vituperat quàm laudat; ſiquidem te velut ſtolidum aut ſectatorem laudis traducit & confundit. Vnde S. Ignatius martyr *ep. ad Trallianum* ait: *Qui me laudant, flagellant.* Solent iſti ſæpe clam detrahere & illudere ijs, quos in faciem laudant, & Iudæ inſtar oſculo velut amicum ſalutare, interim verò tradere, aut velut Ioab Amaſam in facie oſculari, retrò pugione confodere. Sic faciebant Phariſæi Chriſto, *Matth.* 22. accedunt ad eum velut amici & dicunt: *Magiſter, ſcimus quia verax es*, &c. Non faciunt hoc veri amici: ſed contrà præſentes ſolent arguere & reprehendere eùm delinquunt, abſentes verò commendare. Sic faciebat Iudæis Chriſtus: præſentes enim arguit, Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo eſtis.* Abſentes verò *filios* vocat, *Matt.* 7. Bene Samaritanus ſaucij vulneribus infudit oleum & vinum. *Oleum* enim *foris, vinum intus homini gratiſſimi ſunt liquores*, vt ait Plin. *l.* 14. *cap.* 22. Itaque amici intùs ſeu in ſecreto & coràm exiſtentes arguendi; foris autem ſeu in publico & abſentes commendandi ſunt.

D. III. Amici, qui obſequia deferunt.

TERTIÒ. Quidam pro amicis habent eos, qui ipſis inſeruiunt, honoreſque exhibent, ludos, recreationes excitant, &c. Sed & iſti errant; fundantur enim amici illi in dominorum, quibus inſeruiunt, proſperâ fortunâ: quâ ſublatâ amici non erunt. Audi Eccleſ. c. 6. *Eſt amicus ſecundum tempus, & non permanebit in die tribulationis.* Pulchrè Iob c. 6. *Fratres mei præterierunt me ſicut torrens*, (Hebr. *amici mei feſellerunt me ſicut torrens*) *qui raptim tranſit in conuallibus.* Nam ſi pluuiali tempore, quo ſitis viatorem non affligit facilè, tranſeas torrentem, pleniſſimum reperies & vberrimum: ſi verò paulò poſt mutatâ tempeſtate & æſtuante ſole, eundem tranſeas, ſitias & bibere velis, ne guttam in eo reperies. Id quod S. Iob in ſeipſo expertus eſt; dum enim eſſet fælix à multis agnoſcebatur amicis: vbi verò aduerſam fortunam & valetudinẽ ſenſit, non cognouerunt eum ampliùs amici eius, nec loquebantur ei verbum conſolationis, *Iob* 2. De iiſdem Cicero *l.* 4. *ad Herennium*, ait: *Vt hirundines æſtiuo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt: ita falſi amici ſereno vitæ tempore præſto ſunt, frigore pulſi recedunt, ſimulq́; atque fortunæ hyemem viderint, deuolant omnes.* Vera amicitia in aduerſis maximè viget; tunc enim amico etiam tacente ipſa miſeria eius fidem amici implorat & requirit. Vnde Seneca in Agammen. ait: *poſcunt fidem ſecunda, at aduerſa exigunt.* Et Demetrius Phaleræus ait, *veros amicos adeſſe in rebus lætis vocatos, in aduerſis inuocatos & vltrò.* Laërt. *l.* 5. *cap.* 5. Docet hoc etiam Samaritanus, qui adeſt miſero, in tempore neceſſitatis, & quidem vltrò, non rogatus, cùm de Ieruſalem (quæ *viſio pacis* exponitur) ſeu ſtatu proſperitatis, deſcendit in Iericho (quam *lunam menſis* interpretantur) ſeu in fortunæ mutationem & aduerſitatem. In Ieruſalem & pace multos reperias amicos, ſed vbi deſcenderis inde in Iericho, nullos.

E. IV. Qui ſocij menſæ & prædæ.

QVARTÒ. Quidam illos amicos credunt, quos perpetuò commenſales habent & ſectatores prædæ. Sed hi nequaquam ſunt amici, quia non te ſed tua, adeoque ſe potiùs amant, & vbi viderint ceſſare ſuos cenſus & commoda, deſinunt amare. Audi Eccleſiaſticum cap. 6. *Eſt amicus ſocius menſæ & non permanebit in die neceſſitatis.* Etiam mures ædium noſtrarum de pane & cibis noſtris viuunt, nihilominùs tamen non curantur, nec fidunt nobis: quemadmodum & amici iſti; quos Alphonſus Rex ex Sicilia nauigans comparauit auibus quibuſdam, circa nauim ſecum volitantibus, quamdiu illis eſcam proijciebat. Cùm enim videret eas eſcam certatim arripere & mox iterum aufugere, ait: *perſimiles ſunt hi garrij purpurati & curiales aliquot mei. Simul ac namque aliquod munus aut beneficium dimicantes inuicem à me acceperint, profugiunt.* Panorm. *l.* 1. *de reb. geſt. Alphonſi.* Non ſic Abraham amicus erat Regis Sodomorum, cui licet præclaram nauâſſet operam in opprimendis eius hoſtibus, noluit tamen compenſationem & prædam ab ipſo oblatam acceptare, ſed dixit: *leuo manum meam ad Dominum Deum, quia à filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt*, Gen. 14. Non ita etiam Samaritanus; ſiquidem non fecit inſtar medicorum quorundam, qui illis tantùm medentur, à quibus lucrum ſperant, inopes verò deſerunt: ſed gratis, cùm ab ægro, vtpote iam ſpoliato, nihil ſperare poſſet; imò proprijs expenſis curam illi impendit. Multi comitantur amicum, quamdiu in tabernis pro ipſis ſymbolam ſoluit: multæ ibi garriæ, multi amici. Sed vbi contrahit manum & rationes diuidit, ibi diffugiunt, cùmque non ſine irâ & ma-

& maledictis deſerunt.

F. V. Propinqui

QVINTÒ. Propinquos & neceſſitate aliquâ ſibi iunctos plerique inter amicos computant. Sed & hi multoties aberrant. Nam ſi verè hi amici ſunt, cur Dominus Matth. 10. ait: *Inimici hominis domeſtici eius?* Deinde cur præcipit eos odiſſe, *Luc.* 14. dicens: *ſi quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem & vxorem & filios & fratres & ſorores, non poteſt meus eſſe diſcipulus?* propinquos ſanguinis deſeri odioque haberi vult, non externos & ignotos; quia nimirum illi vt plurimùm temporalia commoda nobis optant & procurant, ſalutem verò impediunt; quia ſalutis via carni eſt contraria. Vnde S. Bern. *ſer. 2. de S. Andreâ*, de eiuſmodi amico ait: *ſi iniquum aliquid tanquam iuſtum perſuadere tentas, à dextris eſt iſte: ſed Iudas eſt, oſculo me prodit.* Talis aliquando Petrus erat, cùm Chriſtum pati volentem auertere conabatur dicens: *Abſit à te Domine: non erit tibi hoc.* Sed quid audit à Domino? *vade poſt me Sathana: ſcandalum mihi es, non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominũ,* Matt. 14. Obſeruârunt hoc & didicerunt à Chriſto viri ſancti, qui nullis blanditijs paſſi ſunt ſe impediri à viâ ſalutis per amicos & neceſſarios carnis. S. Bernardum fratres, S. Thomam Aquinatem mater & fratres multis modis conabantur ab ingreſſu religionis retrahere. S. Gordio. Martyri ſuadebant eius cognati, vt ore ſaltem Chriſtum negaret, corde confiteretur, quò vitam tueri poſſet. Eleazaro ſuggerebant amici aliqui, vt vel ſimularet carnis vetitæ comeſtionem, 2. *Mach.* 6. At magnifiſti Heroës minimè audierunt ſibilum ſerpentis & illecebras propinquorum. Cernimus hoc etiam in ſauciato iſto: nam licet ipſe Iudæus eſſet, contribules tamen eius, Sacerdos & Leuita, eum prætericrunt; Samaritanus verò peregrinus & aligena miſericordiam ei exhibuit, vt ſic intelligas cognatos & propinquos non ſemper amicos eſſe, vt qui ſæpe hominem deſerant & ſalutem animæ eius nullo loco habeant.

G. VI. Scelerum patroni & ſocij.

SEXTÒ. Quidam pro amicis habent, ſcelerum ſuorum ſocios & patronos. Sed hi veri inimici & quidem capitales ſunt, quia ad interitum ducunt miſeros. Vnde Prou. 16. dicitur: *Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam.* Ita lactauerunt pſeudoprophetæ Regem Achab ad bellum iniquum, promittentes ei victoriam, cùm Rex ibi perierit, 3. *Reg. vlt.* De his videtur locutus diſcipulo Dominus, Matth. 10. *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Et quàm multi tales? Quàm multi tabernas cum ſocijs frequentant, quod non facerent ſoli? Quàm multi in amicorum gratiam mentiuntur, peierant, lites & contentiones, nec nõ in inimicitias ſtultè in ſe ſuſcipiunt? Quàm multi parentes filijs prouident & theſaurizant de bonis malè partis? Nónne hîc mortui ſepeliunt mortuos ſuos? Nónne ducunt eos per viam malam? Contraxerat eiuſmodi amicitiam malam ad iniquum prælium mouendum Ioſaphat cum Achab, nimis tenerè, dicens: *ſicut ego ſum, ita & tu,* 3. Reg. vlt. & parum abſuit quin vnà cum ſeductore ſuo Achab in prælio periret; deceptus enim ab Achab, regijs indui veſtibus iuſſus, belli pondus in ſe tranſtulit: dum interim Achab dolosè habitum mutauit. Non ita noſter Samaritanus; quia ſaucium illum non duxit in ſolitudinem aut ſyluam, vt eum ibi relinqueret & deſereret, à beſtijs deuorandum; ſed in hoſpitium, vt curaret. Multi etiamnùm ducunt ſeſe inuicem ad tabernas & hoſpitia, non vt ſui curam gerant, ſed vt vino ſe ſepeliant & ad orcum ducant. Suſtulit Samaritanus ſaucium in iumentum ſuum & equitem fecit, qui ambulare non poterat: Iſti autem amici efficiunt vt qui priùs rectè incedebant, poſteà vertigine acti paſſim collabantur: efficiunt vt ſani in varios incidant morbos aut corporis moleſtias: efficiunt vt equites, qui priùs abundabant, tandem fiant pedites, cùm deſtillatâ per gulam pecuniâ incipiunt egere cum prodigo eo filio.

H. VII. Qui viciſſim amant.

SEPTIMÒ. Quidam eos pro amicis habent, à quibus ipſi viciſſim amantur. Sed nec iſti ſemper veri amici cenſendi ſunt; vbi enim ceſſaueris amare eos tu, & vel vno verbo offenderis, experieris ſæpe hoſtes. Vnde *Eccl.* 6. dicitur: *Et eſt amicus, qui conuertitur ad inimicitiam:* ſcilicet leuem ob offenſam. Inſtar canum aliqui ſunt, qui blandiuntur, dum blandiris illis; dentes exerunt, & mordent, dum vexas, aut ſtimulas. Bombardæ etiam onuſtæ, quamdiu non admoues ignem, nulli ſunt terribiles, patiuntur ſe contrectari, inſpici, moueri: at vbi admoueris ignem, omnia extrema minantur, totæ inflammantur & neminem ſine noxa accedere ad ſe ſinunt. Ita ſuperbi amici leui verbulo minùs mellito tacti, in iram exardeſcunt & acerrimi inimici fiunt. Hinc de ipſis dictum videtur Pſ. 143. *Tange montes & fumigabunt.* Putabat hoc idem dæmon ſe viſurum in S. Iob, cùm ad Deum dixit: *Tange os eius & carnem, & tunc videbis quòd in faciem tuam benedicat tibi.* Sed amici veri, qualis erat Iob, non ita peruertuntur; ſemper amant qui verè amant, etiam factos inimicos. Docet hoc etiam noſter Samaritanus; nam etſi Iudæi infenſiſſimi erant Samaritanis, eoſque quibus poterant modis perſequebantur & ſpernebant, nihilominùs ſaucium Iudæum non eſt aſpernatus, ſed quaſi amiciſſimum tractauit. Accedit etiam Dauid, qui, tametſi indies magis aduertebat ſiniſtros Saulis erga ſe oculos, adeoque manifeſtum odium, non deſijt tamen eum diligere, ſed potiùs corripuit & impediuit Abiſai, qui necem illi moliebatur, mortuum denique diris lachrymis deplorauit & vltus eſt occidendo interemptorem eius, 2. Reg. 1.

I. VIII. Socij & comites.

OCTAVÒ. Quidam illos, cum quibus longâ conſuetudine verſati ſunt, luſerunt, biberunt, pergræcati & peregrinati ſunt, pro amicis habent. Sed hanc amicitiam S. Auguſtinus in quodam ſerm. beſtiali amicitiæ comparat. *Duo equi manducãt ſimul*, inquit, *& deſiderant ſe ad aliam diem: præcedit vnus, feſtinat alter,*

ter, deſiderans, quaſi amicum ſuum, &c. Eiuſmodi amici, tenui vinculo nectuntur & vbi vident calamitatem proximi, eum deſerunt & cum hodierno Sacerdote & Leuitâ iuxta iacentem tranſeunt. Depinxerunt veteres fictam hanc amicitiam huiuſmodi parabolâ. Quidam cupiens explorare amicorum & comportatorum ſuorum fidem, vitulum occidit, & ſacco incluſum dorſo impoſuit, pergenſque ad amicos ſuos tremens illis enarrauit ſe prôh occidiſſe hominem, quem quidem dorſo gerat & ſepeliri cupiat, proinde implorare opem illorum vt occiſi cadauer abſcondere, ſeque in latibulum aliquod domûs ſuæ recipere dignentur. Venit igitur ad eum, quem principem amicorum ſuorum eſſe credebat cum ſacco ſanguine reſperſo, rogatque eum vt factum celare iuuet. Sed hic illû auerſari & verbis etiam aſperis repellere, negareque ſe ſocium ſceleris illi futurum. Tentauit, igitur aliorum amicorum animos, ſed ſimiliter repulſus eſt. Vix tandem reperit vnicum, qui cùm factum audiſſet: Celeriter, inquit de viâ intra, nam foris hæc agi neutiquam conuenit; atque ita in ſecretâ domûs parte ad ſepulchrum effodiendum ſe accinxit. Hinc ergo ille didicit, inter plurimos qui ſe iactant amicos, vix vnum reperiri verum ac ſyncerum. Non erant veri amici Sacerdos & Leuita: vnicus talis repertus eſt Samaritanus, qui nullâ conſuetudine, ſolâ miſericordiâ motus fidelis amicus fuit: de iumento ſuo deſcendit, & ſaucium in id ſuſtulit. Paucorum amicitia eouſque ſe extendit, vt cedat alter alteri commoditatem ſuam, & in gratiam alterius pati aliquid velit.

Multi igitur amici: pauci veri amici, quia, vt Sapiens *Eccl.* 37. ait: *Omnis amicus dicit: Et ego amicitiam copulaui; ſed eſt amicus ſolo nomine amicus.* Non quærit hîc Phariſæus, quis ſit nomine amicus, nec ita reſpondet Chriſtus: ſed quis re & opere, quis practicè ſit amicus, quis officia proximi & veri amici exhibeat, atque hunc amicum eſſe, eumque ſolum cenſent. Quis igitur tandem eſt meus amicus, meus proximus inquies? Solus? Solus ille, qui eſt ſicut hic Samaritanus. Quis eſt meus amicus? Qui te peccantem arguit. Quis eſt meus amicus? qui te abſentem commendat, præſentem verò arguit. Quis eſt meus amicus? qui in neceſſitate tibi adeſt. Quis eſt meus amicus? qui ſua pro te expendit, vel ſaltem gratis te amat. Quis eſt meus amicus? qui te in bono non impedit. Quis eſt meus amicus? qui in malo te non iuuat. Quis eſt meus amicus? qui ab amore reciproco non pendet. Quis eſt meus amicus? qui vinculo charitatis, non meræ conſuetudinis, tibi adhæret: qui de bono tuo ſibi quaſi de ſuo gratulatur: de malo vero tuo triſtatur quaſi de ſuo. *Ille germanus eſt amicus*, inquit S. Maximus de charitate l. 3. num. 78. *qui ingruente infortunio, tribulationes & difficultates & calamitates in tempore tentationis vnà cum proximo perinde vt ſuas ſine animi conſternatione & perturbatione tolerat.* Tales nobis largiatur Chriſtus, qui eſt ſolus veriſſimus & maximus noſter amicus.

CONCIO VIII.

Quis ſit nobis proximus.

Reſpondetur ſingulis quærentibus quis ſit eorum proximus?

1. *Diuitis proximus eſt quilibet pauperculus.*
2. *Fortunati, abiectiſſimus quiſque omnique fortunâ deſtitutus.*
3. *Nobilium ruſticus.*
4. *Iuſti quilibet peccator.*
5. *Iuuenum, decrepitus & æger.*
6. *Proximus vniuſcuiuſq; eſt ipſius inimicus.*

THEMA.

Et quis eſt meus proximus? Luc. 10.

Leuis profectò quæſtio eſt: *Et quis eſt meus amicus?* Nec Legiſperito digna. Nam ſi bruta interrogamus, quis ſit eorum proximus: reſpondebunt vno ore, quodlibet indiuiduum ſuæ ſpeciei ſibi eſſe proximum. Occurrit auis aui, piſcis piſci, quadrupes quadrupedi ſuæ ſpeciei, & mutuò ſe agnoſcunt, quodammodo ſe ſalutant, comitantur & conueſcuntur, non habito reſpectu, non alter eorum venerit ex Calabria, alter ex Nouacembla, num ater ſit an albus, iuuenis an ſenex, ſanus an æger. Solus id homo ignorat. Nimirum faſtus & arrogantia hominem excæcat, vt proximum non agnoſcat. Teſtatur id Eccleſiaſtes c. 3. dicens: *Pauper locutus eſt, & dicunt: Quis eſt hic?* Ita loquebatur de Dauide inſolens ille Nabal: *Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſai?* 1. Reg. 25. Bene ergo dixit Abacuc c. 2. *Quomodo vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus?* Quis neſcit, quomodo ebrius à vino decipiatur? fratres non agnoſcit, & omnia duplicia videt, amicos pro inimicis habet. Talem fuiſſe Legiſperitum hunc, non ex eo tantùm patet, quòd hac quæſtione voluerit iuſtificare ſemetipſum: ſed etiam ex ipſo quærendi modo, cùm ait: *Et quis eſt meus proximus?* quaſi non obuium quemque velut proximum agnoſceret. Sed non eſt ſolus iſte, qui quæſtioni huic facillima reſpondere neſcijt: multi ſunt, qui etiamnum ignorant eam. Et væ illis in extremo illo examine; quia actum erit de illorum aſcenſu ad claſſem æternæ fælicitatis, niſi eam hîc perdiſcant tam practicè quàm ſpeculatiuè. Audiamus ergo & diſcamus. A.

B. I. Quis proximus ſit diuitis.

PRIMÒ. Quærit diues: *Quis eſt meus proximus?* Reſp. breuiter: pauperculus quilibet, qui præ foribus Eccleſiæ vel etiam domûs tuæ iacet, & ſtipem colligit. Dic enim mihi ſi certam pecuniam des alicui deferendam in domum tuam; & ille gratias agens deferat in domum ſuam; des poſteà alteri aliam pecuniam ſimiliter deferendam in domum tuam, qui eam bonâ fide ferat; vter horum eſt proximus tuus? Exiſtimo, dices, illi qui detulit pecuniam meam in domum meam. Rectè iudica-

indicaſti: atque ita res habet in propoſito: Diuiti ſi benefacias, deferet is beneficium in domum ſuam, & fortè nec gratias aget. Si pauperi, deferet is in domum tuam; quia in cœlo reperies eleëmoſynam tuam. Hinc *Luc.* 14. ait Dominus: *Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos, neque diuites, ne fortè ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, cæcos, & claudos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.* Ecce pauperes ferunt tibi cœnam tuam in domum tuam: diuites verò in ſuam, vel ſi eam referunt in domum tuam, ferunt in terrenam, non in cœleſtem. Itaque pauperes, quibus benefacimus, verè proximi ſunt noſtri: diuites verò, propinqui & amici veriùs alieni ſunt, iuxta id Pſ. 48. *Relinquent alienis diuitias ſuas.* Eamus ad hodiernum Euangelium; ibi Samaritanus vulnerato ex Domini ſententia proximus factus eſt, quia illum iuuit: Sacerdos & Leuita non ſunt vocati eius proximi, quia non iuuerunt. Qui ergo tibi in extremâ conſtituto miſeriâ auxiliatur, ille tibi proximus eſt. Hoc autem facient tibi pauperes in articulo mortis ſeu iudicij die, cùm recipient te in tabernacula ſua. Quinque fratres habuit Epulo, quibus reliquit bona ſua. Sed quid opis ab ipſis tulit in inferno? nihil omninò. Non ergo proximi eius fuerunt. Lazarus verò ad fores eius iacens, ſi eleëmoſynâ à diuite accepiſſet, vtique proximus eius fuiſſet, quia eleemoſynâ cœlum ei paraſſet. Atque ob hanc cauſam S. Ioannes Eleëmoſynarius pauperes appellabat *dominos ſuos*, quòd ab eis cœlum pro eleëmoſyna acciperet, vt in eius vitâ Leontius. Sanctus etiã Laurentius primus Venetorum Patriarcha dicere non dubitauit, diuiti ſaluari non poſſe niſi dandi eleëmoſynis. Confirmat idem S. Auguſt. qui ait: *Diues & pauper ſunt duo contraria, ſed ſibi inuicem neceſſaria.* Quare illa Græcorum fabula de cœco & claudo rectè in eos quadrat. Horum vtroque in ſyluâ conſtituto, neuter exire poterat: alter quia pedibus, alter quia oculis caruit. Inierunt ergo hoc conſilium, vt cœcus claudum tolleret in humeros ac geſtaret: ſic euaſerunt ambo, cœcus claudo greſſum, claudus cœco lumen impertiens. Pauperes nonne claudi ſunt, qui pecuniæ neruis deſtituti non habent, vnde vitam ſuſtentent? Diuites verò cœci ſaltem plerique ſunt, qui nimirum terrenis opibus immerſi cœleſtes nec curant, nec agnoſcunt. Certè Apoſtolus 1. Tim. 6. ait eos, qui *volunt diuites fieri, incidere in deſideria inutilia & nociua*; (græcè, *in ſtulta & amentia*) *qua mergunt hominem in interitum.* Quod explicans Theophylact. ait: *Quomodo non eſt ſtultum ſimias alere, belluas ac piſces in viuarijs ac ſeptis includere, equos exornare auro intraq; tectum aquam ducere, ac in ſolo ſiue pauimento domûs faciem veluti in ſpeculo ob nitorem lapidum contemplari? hæc ſtulta ſunt ac noxia, quæ anima diuitias ledunt, ſenſuſq; abſumunt.* Quid ergo cœco diuiti, quid quæſo faciendum, ſi vult emergere ab interitu, & Herciniâ Orci ſylua? Tollere in humeros ſuos claudum, pauperem, inquam, debet, cumque ſuis opibus ſuſtentare. Sic emerget, ſic agnoſcet pauperem illum reuerà fuiſſe proximum ſuum.

Secvndò. Quærit fortunatus? *Quis eſt meus proximus?* Reſp. item breuiter: abiectiſſimus quiſque, amicis, opibus, membris, omnique fortunâ deſtitutus: qui iacet in tuo ſtabulo. C. II. Fortunati proximus. Nam ſi duo ad rotam moralem alligentur, vnus in ſummo, alter in imo: quis eſt proximus illius, qui ſupra rotam eſt? nónne is qui infra? etenim ſi vel parum circumagatur rota, erit ſuperior, quis eſt inferior & contrà. Ita res habet cum fortunato & infortunato: ille nunc elatus ſedet, hic verò deiectus premitur: expecta parumper, & vertetur rota; tunc iſte in alto ſedebit, ille verò infrà gemet. Vidit hoc oculatus quidam à Rege plurimis affectus beneficijs, qui cùm rogaretur, quid ampliùs cuperet gratiarum? reſpondit, *clauum*, quo fortunæ rotam ſiſteret. Romani verò fortunam Viſcatam coluerunt, vt viſco glutinóue eam illigarent, ſibique firmam & conſtantem facerent. Mauritius Imp. Theodorum Legatum ad Caianum Bulgariæ Regem miſit, vt pacem ab eo peteret. Qui talem Regi hiſtoriam recenſuit. *Seſoſtres Rex Perſarum à quatuor Regibus à ſe deuictis, dum in rheda traheretur, vnum illorum ſedulò contemplari rotam vidit. Rogans igitur, quid ſpectaret fortunæ volubilitatem, audit, quomodo mox eleuet, mox deprimat: excelſa humiliet, & humilia extollat. Quo audito & ipſe fortunæ volubilitatem, expendens noluit deinceps à regibus trahi.* Sed & Caianus hoc exemplo motus pacem Mauritio dedit. Refert Nicephorus *l.* 18. *c.* 39. Eamus ad Euangelium: an non fortunæ volubilis typus, Epulo & Lazarus? Petijt hic micam, non obtinet: poſtea petijt ab hoc guttam, neque is hanc obtinuit. Significatur hæc volubilitas in Euangelio *Luc.* 15. vbi initio hiſtoriæ, prius fit mentio Epulonis, poſteà Lazari: in fine contrà priùs Lazari quàm Epulonis. Quare bene S. Iacob. *c.* 3. *epiſt. ſua*, vitæ noſtræ curſum appellat *rotam natiuitatis noſtræ*, quia vt ait Boët. *l.* 1. de conſol. proſa 1. *Rotam volubili orbe verſamus, infima ſummis, ſumma infimis mutare gaudemus. Aſcende ſi placet, ſed eâ lege, ne vtique cùm ludicri mei ratio poſcet, deſcendere iniuriam putes.* Quare Sultanus quidam captus à Rege Francorum, cùm in vinculis nunquam riſiſſet, viſâ currûs rotatione in riſum ſe effudit. Cauſam rogatus dixit hanc rotationem ſibi repræſentaſſe ſuam & rerum humanarum viciſſitudinem, quâ nunc hi, nunc illi, imò quiſque nunc erigitur, nunc deprimitur. Quamobrem à Rege liberatus in amicorum & conſiliariorum numerum receptus eſt. Refert Glycas *l.* 4. *Annal.*

Tertiò. Quærit Nobilis: *Quis eſt meus proximus?* Reſp. vno verbo: Ruſticus quiſque in pago tuo, proximus eſt tuus. D. III. Nobilium proximus. Dic enim, ſi duo ſimul peregrinentur ex eodem pago, ad eundem locum longo & montoſo itinere: & fortè laſſus alter in valle reſideat, præeunte altero

& in

& in monte ſubſiſtente: vbi hic recordatur ſocij, nónne ait, vbi eſt meus ſocius? nónne regreditur ad illum, vel expectat eum? Ita res habet cum nobili & ignobili. Ex eodem pago omnes egreſſi ſumus ab agro & prædio Adami, vel ſi malis, à paradiſo: & ſimul peregrinamur per montes & valles; modò enim, qui nobilis erat, eſt ignobilis, modò contrà: Iam ſi in valle ignobilitatis quis reſederit, num tu eum ideò ſocium & proximum tuum non agnoſces? nónne & tu aliquando in valle eras, dum alter in monte eſſet? Quære in Genealogia Chriſti. Inuenies primò Adamum Agricolam, deinde magnos Patriarchas: poſteà pauperem Dauid paſtorem gregis, dè poſt fœtantes acceptum: perge, & inuenies inde factos maximos reges; perge, & inuenies pauperem Ioſeph, Chriſti nutritium. Idem videre erit in aliorum hominum genealogijs. Vnde Plato apud Senecam *epiſt.* 44. ait: *neminem regem non ex ſeruis eſſe oriundum: neminem non ſeruum ex regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit & ſurſum deorſum fortuna verſauit.* Quamobrem Plutarchus quæſt. *Rom. q.* 79. ſcribit, Romanos Patricios & Nobiles lunulas (qualis eſt in luna prima) in calceis geſtaſſe, in ſignum nobilitatis: idque ideò vt admonerentur, varios nobilitati vultus eſſe, quemadmodum & lunæ. Nam primò ex obſcuro prodit tenui luce coruſcans, mox maiorem acquirit, quò magis aſcendit: Soli oppoſita, plenâ luce ſplendet, lætamque oſtentat faciem: rurſus conſeneſcens deficit, donec planè luce amiſsâ ex conſpectu hominum euaneſcat. Itaque meminerint nobiles pari modo ortam ſuam nobilitatem, & fieri citò poſſe, vt mutatâ ſæpiùs fortunâ tandem omnes prorſus lunulas ſuas perdant. Ita vaticinatur & minatur eis Iſaias c. 34. *Nobiles eius non erant ibi;* in exterminatione Ieroſolymæ ſcilicet: vbi adeò defecit Iudæorum nobilitas, vt nullum iam cernatur inter eos generis diſcrimen. Ita in Vngaria & Græcia Turcis debellatâ nobiles familiæ omnes deletæ & plebi immiſtæ fuére. Vnde ſæpe ſpecioſiſſimæ & ingenuæ formæ viri ac mulieres paſſim vendi cernuntur ex nobilium familijs, & ſeruitijs Turcarum addicuntur, vt ſcribit Busbequius in legat. ſuâ Turcicâ. Idem per iniuriam belli facilè fieri & alijs poteſt: facillimum eſt Deo omnia complanare, vt nulla ſit diuerſitas nobilium & ignobilium, iuxta id Zach. *Quis tu mons magne in planum.* Mons magnus fuit Nabuchodonoſor, ſed in planum redactus eſt, cùm in beſtialem formam mutatus fœnum, vt bos comedit. Mons magnus fuit Valerianus Imp. ſed in planum deiectus eſt, cùm Sapori Perſarum Regi ſcabellum factus. Mons magnus fuit Dionyſius Siciliæ Tyrannus, ſed complanatus eſt, cùm è Rege Ludimagiſter factus; quod & antè fuerat.

E. IV. Iuſti proximus.

QVARTÒ. Quærit iuſtus: *Quis eſt meus proximus?* Reſp. peccator quilibet, qui fortè cras ad ſuſpendium ducetur, proximus tuus eſt. Sic enim ferè reſpondit hodie Legiſperito Dominus, qui iuſtum ſe putabat; oſtendit enim Samaritanum (quod hominum genus reprobum Iudæi exiſtimabant) proximum illius eſſe. Dic enim mihi, ſi in prælio commilito tuus confodiatur, fortè quia ante te in acie ſtetit, & malè armatus erat: nónne dicis proximum tuum ante confoſſum eſſe, & hoc idem tibi euenire potuiſſe? nónne vt proximo compareris? Iam qui in grauia incidit ſcelera, & ob ea plectitur capite, à latere tuo abripitur, quia fortè in acie ſtetit primus, id eſt, pluribus peccandi occaſionibus expoſitus: aut malè armatus, id eſt, minori gratiâ præuentus fuit. Vita hæc militia eſt, atque in Dei poteſtate eſt, conſtituere te in acie prælij, vbi prælium eſt periculoſiſſimum, vel extremitate, vbi ſecurius: quòd ſi igitur in grauiore tentatione conſtitutus, vel minori gratiâ armatus collabitur & perit: cogita idipſum tibi euenturum fuiſſe, ſi ipſius loco fuiſſes, adeoque te huic proximum fuiſſe. Legimus Dauidem 2. *Reg.* 11. iuſſiſſe Vriam conſtitui in loco, vbi prælium eſſet fortiſſimum, vt percuſſus interiret. Quid ſi ſimili loco te Deus conſtituiſſet? Vnde Ieremias *Thren.* 3. ait: *Miſericordia Domini quòd non ſumus conſumpti.* Et Eſaias c. 1. *Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen* (gratiæ vel verbi Dei,) *quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Ex hac causâ S. Franciſcus vocare ſeipſum ſolebat peſſimum mortalium & peiorem latronibus, cumque ob id quaſi falſitatis argueretur, reſpondit: ſi tanta gratia collata fuiſſet latronibus, quanta mihi collata eſt, fortè plura bona feciſſent, quàm ego, ſanctioreſque euaſiſſent. Quare ſi Franciſcus maiorem non accepiſſet gratiam, quàm latrones, ſenſiſſet vtique ſe futurum illis peiorem.

F. V. Proximus iuuenum.

QVINTÒ. Quærit iuuenis & robuſtus: *Quis eſt meus proximus?* Reſp. decrepitus & æger, qui cum morte conflictatur. Hic enim fortè cras aut perendiè ad ſepulchrum efferetur, & tu ſequeris proximè: ille iam mortuus eſt, tu quotidie moreris. Iam dic mihi, quæſo: Si ex vno eodemque arboris trunco, pars vna abſumatur igne, altera in ſtatuam effingatur; nónne hæc illius ſoror, adeoque proxima eſt? Hac ratione oſtendit Iſaias, cap. 44. vanitatem Idolorum: *Medietatem eius combuſſi igni & de reliquo eius Idolum faciam? ante truncum ligni procidam? pars eius cinis eſt.* (Hebr. *ſocius cineris eſt,*) Vt ergo tale Idolum ſocius eſt cineris ſeu compartis iam combuſtæ: ita homo viuens, ſocius & proximus eſt defuncti; quidem ex eâdem maſsâ, fragili & mortali, vterque factus eſt. Vide duos iuuenes ex eâdem patriâ, ciuitate, familiâ & parentibus natos, imò & fratres gemellos, vti Iacob & Eſau; quorum vnus ardore mortis combuſtus, & in cinerem redactus iacet, alter adhuc ſtet viuens, auro & ſerico adornatus, famulorum frequentiâ ſtipatus ac penè adoratus; nónne iſti duo fratres, ſunt, ex eadem maſsâ & ſanguine formati? Vnus ergo cinis eſt, alter cineris ſocius ſeu proximus. Quâ de causâ etiam S. Iob cap. 17.

vermes

vermes vocauit *ſororem ſuam*, vt exponit D. Gregorius *lib. 13. Mor. cap. 21.* Rurſum dic mihi, obſecro: Si duo educerentur condemnati ad vltimum ſupplicium, vnus tamen per ambages & via longiore, alter compendioſâ & breuiore: nónne, licet iſte præueniret illum aliquot horis, tu tamen eum illi proximum eſſe diceres? Cùm ergò nos ad mortem omnes condemnati ſimus, ſi hodie efferatur aliquis, cogita tu iuuenis te ipſi proximum fore; quia is quidem per compendium, tu verò per ambages, ad eundem tenditis finem. Non eſt mea hæc ratiocinatio, ſed præclariſſimi martyris Thomæ Mori, Angliæ Cancellarij, cuius hæc ſunt verba (in lib. de quatuor nouiſſ. apud Staplet. in vitâ.) *Sicut qui e carcere ad patibulum ducitur, quò duæ quidem viæ ducunt, vna per circuitum longa, alia recta & breuis; ſed vtraque ad patibulum ducto ignoratur, donec ad exitum ventum ſit; non habet exiens vnde longiorem ſibi promittat propter alterius viæ incertam longitudinem: ſic iuuenis non poteſt longiorem ſibi vitam promittere quàm ſenex.*

G. VI. Proximus cuiuſque.

Sextò. Quærit alius quilibet: *Quis eſt meus proximus?* Reſpondeo, inimicus tuus. Dic enim mihi, quæſo: Si lethale vulnus haberes, & veniret ad te chirurgus aliquis, qui vulnus ſolùm leniret, vngeret & blandis medicamentis foueret, non tamen ſanaret; veniretque poſteà alius; qui vreret & ſecaret quidem, ſed vulnus tamen ſanaret, vtrum diceres proximum tuum? vtri gratias ageres? nónne poſteriori, qui ſanauit te? Atqui talis eſt inimicus tuus. Solus hic communiter tangit, vrit, & exprobrat tibi vitia tua: amici tui leniter tantùm palpant, laudant, approbant, in perniciem tuã. Hoc eſt, quod reſpondit Dominus Legiſperito in hodierno Euangelio. Etenim Samaritani hoſtes erant Iudæorum, & adhærebant omnibus, qui Iudæos perſequebantur, nec vnquam eis reconciliabantur, vt aduertit Hugo Card. Et tamen infert Dominus in parabolâ Samaritanum iſtum reuerà proximum fuiſſe Iudæo ſemineci; ſiquidem ei curam adhibuit, quod non fecêre eius conciues. Huiuſmodi Samaritanus & chirurgus bonus fuit Semei Dauidi, quando mittens in eum lapides vocauit eum *virum ſanguinum*, iure à Deo punitum, adeóque lapidatione (velut ex lege Deut. 22.) dignum. Id quod adeò non ægrè tulit Dauid, vt potiùs patrocinium eius velut clientis ſuſceperit contra filios Saruiæ, ſeruos ſuos, qui necem ei intentabant, 2. *Reg. 16.* Hinc enim recolens Dauid peccata ſua, adulterium & homicidium, linguam illius Semei maledicam vidit eſſe nouaculam, quâ ſecaretur & amputaretur vulnus ſuum. *Reduxit ad animam malum, quod perpetrauit*, inquit S. Gregorius lib. 31. moral. cap. 17. *& æquanimiter pertulit, quod audiuit, & contumelioſa verba non tam conuitia quam adiutoria credidit; quibus ſe purgari ſibiq́; miſereri poſſe indicauit.* Voluit, ni fallor, hoc ipſum nos docere Dominus, quandò Petrum quidem, paſſionem diſſuadere ſibi conantem, vocauit *Satanam*, ſeu aduerſarium: *Vade poſt me, Satana*; Iudam verò ſe tradentem, amici nomine compellauit: *Amice, ad quid veniſti?* quò ſciremus, nos eſſe amicos noſtros eos, qui blanda nobis loquuntur; ſed illos potiùs, qui nos perſequuntur. Sic etiam Hebræi Beniamitas hoſtes ſuos, *fratres* appellabant, Iudic. 20. *Debeo vltrà procedere ad dimicandum contra filios Beniamin, fratres meos?* Sanctus ille Stephanus monachus apud D. Gregor. homil. 3. in Euang. perſecutores ſuos vocabat *adiutores ſuos.* S. Eupſychius martyr ſub Hadriano Imperatore accuſatus, quod Chriſtianus eſſet, patrimonium ſuum vendidit, & pretium partim pauperibus, partim accuſatoribus dedit: poſteà comprehenſus, & gladio confoſſus eſt. Martyrol. Rom. 7. Septemb. Itaque tam accuſatores quàm pauperes pro amicis habuit. Scimus etiam Dauidem magis deploraſſe mortem inimicorum ſuorum, Saulis & Abſalonis, quàm amicorum. Idem fecit Ludouicus Imperator, Caroli Magni filius. Cùm enim Normandos atque Britones hoſtes & inuaſores regni ſui, quibus ipſe debellatis pepercerat, lues ingruens extinxiſſet; Deo pro ipſo pugnante: nuncio accepto de morte aduerſariorum pius Imperator pugno pectus percuſſit, oculiſque lachrymantibus Deum illis propitium fieri cum ingenti gemitu precatus eſt. Baron. anno 839.

Quando igitur, Auditores, vidiſtis, qui ſint veſtri proximi, nolite iam cum ſupercilioſo Legiſperito quærere: *Et quis eſt meus proximus?* Cùm enim hoc ſciatis, ſupereſt, vt cum proximis veſtris velut proximi viuatis.

CONCIO IX.

Documenta.

1.2. *Diſcunt Principes & Prælati, alijque Magiſtratus, modeſtiam & pietatem, rationem corrigendi delinquentes, purgandique dictionem à latronibus.*

3. *Clerici, curam habere animarum, & liberalitatem erga miſeros.*

4. *Litterati, non deſpicere rudiores, eiſque docere, & facere quod docent.*

5. *Medici ſedulò mederi ægris abſque acceptione perſonarum.*

6. *Diuites, perfectam impendere miſericordiam ac dare eleemoſynam.*

7. *Chriſtiani cæteri, diligere Deum & proximum.*

THEMA.

Alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum. Luc. 10.

HOdiernâ parabolâ, Auditores, non obſcurè taxat nos Concionatores, ſi viſis Auditorum defectibus & peccatis velimus præterire, nec medelam adhibere. Hoc enim dudum exprobrauit Dominus ignauis Hebræorum paſtoribus, & per illos nobis, *Ezech.* 34. dicens: *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis; & quod ægrotum, non ſanaſtis: quod confractum* A.

eſt non alligaſtis; & quod abiectum eſt, non reduxiſtis; & quod perierat, non quæſiſtis. Quare ne in hanc cenſuram ego quoque incidam, ſi ſacerdotem & Leuitam imitatus fuero, Samaritani potiùs exemplum ſequar, & ſiqui fuerint animæ vulneribus miſerè affecti, ijs ego vinum & oleum, doctrinam inquam ſalutarem, infundere conabor. Scimus ex *lib. 4. Regum cap. 4.* oleum ex imperio Eliſæi fluxiſſe in domo viduæ, quamdiu vaſa vacua præſto erant: vbi vaſa defecerant, oleum ſtetiſſe. Pari modo oleum ſalutaris doctrinæ in hodierno Euangelio plurimum & redundans eſt, vacua tantùm vaſa requiro, mentes Auditorum à terrenis affectibus liberas atque exinanitas. Ego igitur oleum parabo, vos parate vaſa.

B.
I.
Diſcunt Principes & Prælati.
1.
Modeſtiā.

Primò. Quid hic diſcunt Principes ac Prælati, & quicunque in dignitate poſiti? Modeſtiam inprimis. Audiunt enim Chriſtum modeſtiſſimè, de ſe quidem, ſuppreſsâ tamen perſonâ ſuâ, loquentem: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Potuiſſet dicere optimo iure: Beati qui me vident, vel, beati vos, qui me præſentem intuemini. Noluit, vt modeſtiæ exemplum magnatibus præberet. Alibi etiam cùm ad tuendam auctoritatem ſuam loqui aliquid debuit, ferè in tertiâ perſonâ id enuntiabat, vti Matth. 8. *Dominus eſt filius hominis, etiam ſabbathi.* Modeſtiam hanc imitati ſunt præ cæteris Maximilianus I. Imp. Auſtriacus, & Carolus V. eius nepos; quorum ille pluribus ante mortem diebus non niſi Maximilianus appellari voluit: hic verò, cùm imperio ſe vltrò abdicaſſet & in monaſterio S. Iuſti abdidiſſet cum 12. familiaribus, Deo & quieti vacaturus, interdixit aliter ſe quàm Carolum nominari. Tymp. in ſpec. Magiſt. ſig. 78. Magis adhuc excellere in hac virtute Epiſcopi & Prælati deberent; nam vt ait S. Hieronymus ep. 3. ad Nepot. *Rex nolentibus præeſt, Epiſcopus volentibus: ille terrore ſubijcit, hic ſeruituti donatur: ille corpora cuſtodit ad mortem, hic animas ſeruat ad vitam.* Et S. Baſilius reg. 43. *Morum manſuetudo,* ait, *& humilitas cordis, hæc præcipua Antiſtitis ſigna ſunto. Talis enim fuit Chriſtus, qui dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.*

2.
Pietat.

Secundò. Pietatem & cultum Dei. Audiunt enim multos reges deſideraſſe videre & audire Chriſtum eiuſque facta & dicta; quod ſi eis obtigiſſet, ſumma gratia fuiſſet. Non deſiderârunt illi dilatare fines ditionum ſuarum, non aliena occupare regna, non delitias & diuitias, non honores & honorum titulos, ſed Chriſtum videre, eius vitam contemplari, eius verba audire. Hoc illorum vnicum votum & ſummum deſiderium erat: cætera nihili æſtimabant. Inter illos fuit Abraham, qui *exultauit vt videret diem eius.* Dauid qui dicebat: *Oſtende faciem tuam & ſalui erimus,* Pſalm. 78. Moyſes, qui à Deo petijt primò ſibi faciem, deinde oſtendi gloriam eius, Exod. 35. Reges qui ab Oriente ad Chriſti incunabula venerunt. Zachæus & ipſe Princeps Publicanorum, qui vt videret Chriſtum, *præcurrens aſcendit in arborem.* Hoc igitur eſt, quod præ omnibus deſiderare Principes debent, Chriſtum videre per fidem & contemplationem vitæ eius in hoc ſæculo, per gloriam in altero; quemadmodum docuit Moyſes, qui primam hanc petitionem Deo propoſuit: *Oſtende mihi faciem tuam;* (Hebr. *viam tuam*) vt ſcilicet tu facie tuâ præcedas me in itinere deſerti ad terram promiſſionis. Hac obtentâ poſuit illam alteram: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Obtinet & hoc, cùm audit: *Ego oſtendam omne bonum tibi.* Primum ergo Principum deſiderium & poſtulatum ſit, videre Chriſtum, viarum & actionum ſuarum ducem ac directorem in periculoſo regiminis itinere; vt ne ab eius præſcripto & exemplo aliquâ in re deuient; alterum, videre eum in gloriâ. Atque iſtud fuit, quod ardenter deſiderauit glorioſus Imperator Conſtantinus Magnus. *Cùm enim Deum, quem pater eius Conſtantius ſanctè adorauerat, ſolum obſeruandum colendumque ſtatuiſſet, eius opem precibus implorauit vtroque obteſtatus eſt, vt tum quiſnam eſſet, illi vellet ſignificare, tum vt dexteram ſuam negotijs propoſitis porrigeret. Cùm iſta peccaretur & obnixè flagitaret, circa meridionalis ſolis horas, die iam in pomeridianum tempus paulùm declinante, in cœlo ſupra ſolem trophæum crucis, ex lucis ſplendore figuratum ac ſcripturam additam vidit; ſic dicentem: ἐν τούτῳ νίκα, in hoc vince. Admiratio ingens ipſum & totum exercitum, qui eum quopiam iter facientem comitabatur, atque adeò huius prodigij ſpectator factus erat, inceſſit: atque diu multumque, quidnam oſtentum illud ſibi vellet, cogitantem oppreſſit nox. Ibi ei dormienti Chriſtus Deus cum ſigno in cœlo monſtrato viſus eſt præcepitque, vt exemplari ad imitationem illius ſigni, quod in cœlo apparuerat, fabricato, eo tanquam præſidio in prælijs cum hoſtibus committendis vteretur. Hoc quia Imperator fecit, ac (Dei ſacerdotibus ſibi tanquam aſſeſſoribus adſcitis) Chriſtum omni genere cultûs & obſeruantiæ venerari decreuit, Maxentium deuicit & cæteris bellis, quæ deinceps geſſit, par fælicitas adfuit.* Ita deſcribit Euſebius *l. 1. vita Conſtant. cap. 20.* & ſeq. Idem Imperator nihil magis voluit filijs ſuis commendatum, quàm vt opibus omnibus adeoque ipſi imperio, Dei ſanctæque religionis cultum anteponerent. Euſeb. *l. 2. cap. 25.*

C.
II.
Diſcunt Magiſtratus alij.
1.
Rationē corrigendi delinquentes.

Secundò. Quid Magiſtratus alij? Primò rationem corrigendi delinquentes. Docet hanc Samaritanus, qui vulneribus ſauciati infudit vinum & oleum. Vinum mordet, oleum lenit; illud ſeueritatem, hoc clementiam deſignat. Non ergò ſemper vinum, neque ſemper oleum, neque vnum ſine altero facilè adhibendum, ſed cum miſturâ vtriuſque, & nunc corripiendi errantes, nunc verò demulcendi. Pulchrè hoc explicat D. Gregorius lib. 1. Regiſtr. ep. 24. l. 20. moral. cap. 8. *Diſciplina,* inquit, *vel miſericordia multum deſtituitur, ſi vna ſine alterâ teneatur. Sed circa ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet & iuſtè conſolans miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina. Hinc eſt quòd ſemiuiui illius vulneribus, qui à Samaritano in ſtabulum*

ductus

ductus eſt, & vinum adhibetur & oleum: vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur: quatenus vnuſquiſque qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum diſtrictionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum ſananda foueantur. Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeueritate, faciendumq́; quoddam ex vtraque temperamentum: vt neque multâ aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimiâ benignitate ſoluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca ſignificat, in quâ cum tabulis virga ſimul ac manna eſt; quia cum ſcriptura ſacra ſcientia in boni rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. Hinc etiam Dauid ait. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Virga enim percutimur, & baculo ſuſtentamur. Si ergo eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & conſolatio baculi, quæ ſuſtentet. Hæc Gregor. qui mox in exemplum adducit Moyſen. Hic enim & oleum adhibuit, cùm Deum populo iratum tenuit ac precibus placauit: & vinum adhibuit, cùm poſteà in vltionem idololatriæ à populo admiſſæ, viginti tria millia hominum occidit, Exod. 32.

2. *Studium purgandi itionem à latronibus.* Secundò. Studium purgandi vias publicas à furibus & latronibus, eoſque à finibus ſuis arcendi. Hoc enim quia factum non eſt à Magiſtratu Hebræorum, hinc via inter Ieroſolymam & Iericho latrocinijs infeſta, adeoque infamis facta eſt, vt locus quidam interiacens à frequentibus cædibus vocaretur *Adomim*, hoc eſt, locus ſanguinum, teſte S. Hieron. in epitaphio Paulæ, ad quem alludit Dominus in parab. hod. Quæ infamia certè redundabat in vicinas ciuitates, à quibus tolerabantur illa latrocinia. Scelera enim quæ non plectit Magiſtratus, facit ſua. Vnde M. Cato eos Magiſtratus, qui maleficos pœnis non coërcent, *non tantùm non ferendos dicebat, ſed lapidibus obruendos eſſe, ne ex pœnæ neglectu ſalus reip. labefieret*, inquit Plut. in eius vitâ. Rectè namque dicitur: *Is qui parcit malis, nocet bonis.*

D. III. Diſcunt Clerici. 1. *Curam habere animarũ.* Tertiò. Quid hîc diſcunt Clerici? Curam animarum inprimis. Ipſis enim dicitur, quod ſtabulario in hod. parabolâ: *Curam illius habe & quodcunque ſupererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi.* Vnde intelligimus, Sacerdotes eſſe animarum medicos à Deo conſtitutos. Quare primò ſicut Medicus curationi potius quàm dominationi incumbit: ita Sacerdotes animarum ſanitatem, non ſuum dominatum quærant. *Sciunt boni fideleſq́; Præpoſiti*, inquit S. Bern. ſer. 25. in Cant. *languentium ſibi creditam curam animarum, non pompam: Medicos ſe & non dominos agnoſcentes: parant confeſtim aduerſus phreneſim animæ non vindictam ſed medicinam.* Deinde ſicut Medicus omnium domos adit, omnium lectis aſſidet, omnium doloribus inuigilat, omnium vulneribus medetur: ita paſtor animarum nullum peccatorem deſerat, & quo maiori in periculo quis verſatur, eo vigilantiùs ipſi adſit. Denique ſicut Medicus ſi neglexerit ægrotum, quem iuuare poterat, culpæ reus fit: ita *Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt*, inquit S. Iſidorus *lib. 3. de ſummo bono.* Et S. Gregorius hom. 11. in Ezech. *Nos Sacerdotes, tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepide & tacentes videmus.* Cæterùm ſicut *non eſt in medico ſemper releuetur vt æger*: ita neque in animarum paſtore. Vnde Dominus non dixit hoſpiti: Cura vel ſana illum; ſed, *curam illius habe. Curam exigeris, non curationem*, inquit S. Bern. lib. 4 de conſiderat.

2. *Liberalitatem ergà indigos.* Secundo, Liberalitatem erga pauperes & miſeros. Docet hanc Samaritanus, qui opem tulit miſero in confuſionem Sacerdotis & Leuitæ, vt qui non tulerunt, ſed viſo eo prætererunt, atque (vt indicat vox græca ἀντιπαρῆλθεν) à viâ deflexerunt, ne clamorem miſeri audirent. Atqui hæc reuerà ingens Sacerdotum ignominia eſt, in operibus miſericordiæ vinci à ſæcularibus. Cùm enim ipſi de patrimonio Chriſti viuant, vtique largiores in Chriſti pauperes eſſe debent; quorum eſt, quod ipſis ſupereſt. Vnde S. Hieronymus in epiſt. ad Pammach. ait: *Pars ſacrilegij eſt; res pauperum non dare pauperibus.* Audiant ipſi D. Gregorium paſtor. p. 2. admon. 29. *Plerunque*, inquit, *actione ſæcularium vita continentium confunditur, cùm illi vltra habitum aſſumunt opera: & iſti iuxta ordinem proprium non excitant corda. Vnde bene per prophetam dicitur Iſa 23. Erubeſce Sidon, ait mare. Quaſi enim per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ ſæcularium atque in hoc mundo fluctuantium, eius qui Deo dicatus & quaſi munitus ſtabilis cernitur, vita reprobatur.*

E. IV. Diſcunt literati. 1. *Non deſpicere rudiores.* Qvartò. Quid literati? Primo non deſpicere rudiores atque illiteratos. Audiunt enim in hod. Euangelio rudem Samaritanum Sacerdoti & Leuitæ literatis, nec obſcurè ipſi etiam legiſperito præpoſitum fuiſſe; quòd illi ſuâ ſcientiâ contenti, charitatis & pietatis opera negligerent: hic verò ſcientiâ deſtitutus bonis operibus vacaret. Magnum quidem bonum eſt ſcientia, quod valdè ad ſalutem promouet, ſed reſpectu charitatis parum aut nihil eſt, teſte Apoſtolo l. 1. Cor. 13. *Si habuero prophetiam & nouerim myſteria omnia & omnem ſcientiam; charitatem autem non habuero nihil ſum.* Licet gauſape & multis veſtibus induas cadauer, nequaquam tamen calefiet; quia calore intrinſeco deſtitutum eſt: ita niſi in corde tuo ignis charitatis ardeat, parum tibi proderit quidquid exteriùs habueris auctoritatis & ſcientiæ. Hinc Cant. 1. Spiritus S. Eccleſiæ: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Cur non potius argenteas vermiculatas auro? quia aurum charitatem, argentum notat ſcientiam: charitas fundamentum & baſis eſt ſalutis, ſcientia non niſi ornamentum. Tunc ergo pulchra eſt ſcientia, cùm iuncta eſt charitati, eique velut baſi innititur. Quid profuit ſcientia hodierno legiſperito, qui ſcientiâ inflatus Chriſtum tentare auſus eſt, quærens non quod diſceret, ſed quod in ipſo argueret; in ſtudio etiam bono-

bonorum operum, charitatis & pietatis tam rudis atque imperitus fuit, vt neſciret quis eſſet eius proximus? *Vt ſol menſe Decembri*, inquit Hector Pintus in cap. 20. Ezech. *etſi eos illuminet, qui Norwegiam, regionem Septentrionalem incolunt; non tamen illos calefacit: ſic ſcientia multos, quos inſtruit quid ſit faciendum non continuò ad faciendum accendit: eos attingit ad ſciendum, non ad operandum.*

2. *Docere & facere.*

Secundo. Docere alios humaniter, & facere quod docent. Vtrumque documentum tradit nobis Chriſtus. Primum quia Legiſperitum, quem velut tentatorem ac criticum iure poterat increpare, ſuauiter & modeſtè monet atque inſtruit longâ & ſalutiferâ parabolâ, congerens carbones ſuper caput eius, vt amoris igne eum accendat. Sic Ieremias cap. 20. licet à Iudæis deriſus, iubetur tamen à Deo iis concionari. Quare etiam paucis, nec non obtrectatoribus aut illuſoribus doctrina ſalutis impendenda eſt. Plato vno Ariſtotele diſcipulo contentus, cæteris omnibus abſentibus, docebat dicens: *Auditorium eſt.* Alterum tradit cùm Legiſperitum remittit ad actionem: *Hoc fac & viues.* Rurſum: *Vade & tu fac ſimiliter.* Intellexerat Legiſperitus, quid in lege requireretur ad conſequendam vitam æternam; rurſumque quis eſſet proximus hominis derelicti: ſed ipſius ſcientiæ opera non reſponderant. Non ſine myſterio dicuntur *Num* 33. filij Iſraël exiiſſe de Ægypto *in manu Moyſis & Aaronis*; quia, vt aduertit Origenes hom. 27. *vtraque manus neceſſaria eſt, vt inueniatur in nobis non ſolùm fidei & legis cognitio, ſed etiam actuum operumq; perfectio.* Hebræorum magnates in murorum Ieroſolymitanorum inſtauratione, vnâ manu faciebant opus, alterâ tenebant gladium, quo, ſi opus foret, ſe defenderent contra hoſtes, *Nehem.* 4. Hunc in modum eruditi & Doctores vnâ manu doceant: alterâ quod docent faciant. Diuinus ille Hebræorum Doctor, Elias, ab Eliſæo diſcipulo appellatur currus & auriga Iſraëlis, 4. *Reg.* 2. quia vt auriga legem Iſraëlitas docebat: vt currus eandem humeris ſuis ferebat ac ſeruabat. Huiuſmodi currus & auriga fuit noſter Samaritanus, quia ſaucium illum & impoſuit in iumentum ſuum & duxit in diuerſorium.

F.
V.
Diſcunt
Medici.
1.
Sedulò mederi ægris.

Qvinto. Quid Medici? Primò magnâ cum prudentiâ parique cum induſtriâ medelam infirmis adhibere. Audiunt enim Samaritanum quaſi ex præſcripto medicinæ congruum medicamentum vulnerato applicuiſſe, duos inquam liquores corpori humano gratiſſimos, vinum & oleum. Deinde eius curam non alteri demandaſſe, ſed propriis manibus vulnera palpaſſe & alligaſſe, imò & obligatum ſuſtuliſſe in iumentum ſuum. Diſcunt ergo Medici cautè & prudenter præſcribere medicinam; deinde ſi fieri poteſt, accedere ad ægrotos, ſine morâ, & faſtidio querelas eorum audire, ſordes tolerare, vlcera abſtergere, &c. ſi cœleſtem noſtrum Samaritanum, Chriſtum, maximo ſuo merito & gloriâ imitari velint.

2. *Non accipere perſonam.*

Secundo, Non accipere in medendo perſonam, nec ſemper lucrum temporarium ſpectare. Etenim homo ille, qui incidit in latrones, omnium ſententiâ fuit homo Iudæus, hoſtis & contemptor Samaritanorum; deinde fuit pauper, omnibus ſuis bonis ſpoliatus atque exutus, ab omnibus derelictus; & tamen nihilominùs tam grauiter & tam promptè Samaritanus ei ſuccurrit, ac ſi fuiſſet ei amiciſſimus aut quiſpiam ditiſſimus. Nôrint ergo medici lege charitatis ſeſe obligari etiam inimicis ac pauperibus.

G.
VI.
Diſcunt
diuites.
1.
Perfectè impendere miſericordiam.

Sexto. Quid diuites? Primò, opera miſericordiæ non qualitercunque, ſed perfectè impendere egentibus. Etenim Samaritanus non interpellatus, viſo tantùm ſaucio, miſertus eſt illius. Sufficiat ergo diuitibus videre vel ſcire miſerorum calamitatem: ſufficiant illis lachrymæ viduarum, gemitus afflictorum, liuida & collapſa facies eſurientium. Deinde non excuſauit ſe, quòd miſer ille eſſet alienigena, quòd à Sacerdote & Leuita neglectus, quòd fortè deſperatus. Ita etiam tu *ne dixeris*, inquit S. Chryſoſt. orat. 5. contra Iudæos, *homo ſum mundanus, vxorem & liberos habeo, iſta Sacerdotum ſunt, iſta Monachorum. Neque enim Samaritanus ille hæc dicebat: Vbi nunc Sacerdotes? vbi nunc Phariſæi? vbi Iudæorum Doctores? ſed perinde quaſi venatum quempiam maximum nactus eſſet, ita lucrum arripuit. Et tu igitur, cùm videris aliquem egentem curatione vel corporis vel animi, ne dicito apud teipſum: Quare ille & ille eum non curauerunt? ſed à morbo libera. Si inueneris aurum iacens, non dicis apud teipſum: Quare ille aut ille hoc non ſuſtulerunt? ſed feſtinas ante alios rapere, &c.* Denique ſolerter, homini ſeruiuit, plagas fouit & obligauit, ægrum iumento impoſuit, in hoſpitium deduxit, hoſpiti commendauit, pro eo ſoluere ſpopondit. Ne ergo parcus ſis erga pauperes, ne porrigas viliora & inutilia. Quid enim prodeſt ægro fragmen panis induratum, quod vix cani dares? Ne relinquas eos in plateis, ſed *egenos vagoſq; induc in domum tuam*, Iſ. 58.

2. *Non excludere facilè aliquem ab eleemoſyna.*

Secundò. Non excludere facilè aliquem ab eleemoſyna; etenim Samaritanus, vti diximus, etiam gentis ſuæ inimico exhibuit miſericordiam. Non ergo attendendum cuius nationis, ſexûs, ſtatûs & conditionis ſit, qui ope noſtrâ indiget; omnibus tribuendum, etiamſi de nobis malè locuti & inimici ſint. Iuſtitiæ officium eſt inquirere in hominum merita: miſericordiæ verò non item, ſed condolere & ſubuenire miſeris.

H.
VII.
Diſcunt
Chriſtiani cæteri.
1.
Diligere Deum.

Septimò. Quid Chriſtiani cæteri? Primò diligere Deum ex toto corde ſeu ſuper omnia, ita vt nihil æquè ac ipſum, multo minùs ſupra ipſum, ſed omnia infra & in ordine ad ipſum diligant; quia ſicut iuxta arcam non poterat ſtare Dagon: (1. *Reg.* 5.) ita cum amore creaturarum inordinato nequit ſtare amor Dei. Stat quidem cum amore creaturarum, quas infra Deum amamus, licet non in

ordine ad ipſum amemus: ſed hoc veniale ſaltem peccatum continet. Itaque bonus Chriſtianus ex toto corde, hoc eſt, toto cordis affectu, nihilque niſi in ordine ad Deum ſtudeat amare. Dicat cum Moyſe Pharaoni, mundo inquam & Diabolo, petenti vt vel ex parte amorem ei noſtrum impendamus: *Cuncti greges ibunt nobiſcum: non remanebit ex eis vngula: quæ neceſſaria ſunt in cultum Dei noſtri.*

2. *Et proximum.* Secundo. Diligere etiam proximum quemque & neminem auerſari. Putabat legiſperitus non diligendos Samaritanos, velut hoſtes Iudæorum; vnde nec vocabulum *Samaritani* pronuntiare voluit; & tamen in propoſita parabolâ confiteri coactus eſt, Samaritanum reuerà proximum fuiſſe Iudæo ſemimortuo, quia opem tulit. Itaque ſæpenumerò plus proſunt nobis inimici quàm amici; quia iſti plerunque vulnera noſtra tegunt, illi verò produnt, vt ea noſcamus atque emendemus; proinde è proximorum numero nemo excludendus eſt, qui tuâ operâ indigeat. Diues es? proximus tuus pauper eſt. Sapiens & ingenio præditus es? ignorantem habes ſocium. Corporis robore vales? memento ægrotantem tuum eſſe proximum. Lætaris in rebus proſperis? recordare triſtem & afflictum vinculo charitatis tibi coniunctum eſſe. Quapropter tuam pecuniam, ſcientiam, valetudinem, proſperitatem partire cum proximo tuo; & noli poſteà quærere: *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Hoc enim fac, & viues.

CONCIO X.

Myſteria.

Aſſignatis ijs, in quibus beatiores Apoſtolis: explicatur ſenſus parabolæ litteralis, allegoricus, & tropologicus, diciturq́ per hominem quemdam ſignificari.

1. *Quiuis pauper.*
2. *Quiuis peccator.*
3. *Hæreticus.*

THEMA.

Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, Luc. 10.

A. Beati erant Apoſtoli, qui viderunt Chriſtum; non inuideamus illis; beati & nos Chriſtiani. Viderunt illi Chriſtum in formâ ſerui præſentem, prædicantem, miracula patrantem. Videmus illum & nos; præſentem in Euchariſtiâ, quamuis in alienâ, panis & vini ſpecie; prædicantem in Doctoribus ſuis: patrantem mira in Sacramentis & ſæpe in Sanctis ſuis. Quare ſi beati Apoſtoli, viderunt hæc corporeis oculis: beatiores nos, qui cùm non videamus, credimus. *Quoad aliqua beatiores nos Apoſtolis.* Aliâ etiam ex parte beatiores nos Apoſtolis iure dici poſſumus. Primò quia videmus Eccleſiam firmatam ſupra petram, per annos 1600. firmiter conſtitiſſe & de hæreſibus omnibus triumphaſſe, totoque

orbe diffuſam eſſe. Secundo, quia nunc videmus ordinem & decorem Eccleſiæ, velut aciei caſtrorum inſtructæ, longè ſplendidiorem. Tertio quia fidei lumen longè maius eſt hoc tempore; vtpote; tot libris & Concilijs explicatæ, tot miraculis firmatæ, tot modis inculcatæ, ita vt nunc pueri & puellæ norint, quæ olim multi reges & prophetæ non nouerunt. Exemplo nobis ſit parabola hod. Euangelij, quam tempore Chriſti Domini pauciſſimi intellexerunt, nunc pauciſſimi ignorant; in quorum gratiam lumen aliquod lippientibus accendemus.

Q Primò. Quis ſenſus huius parabolæ literalis? Reſpond. præcipuum quidem Chriſti inſtitutum eſſe, oſtendere proximum non concludi intra gentem iudaicam, ſed vnumquemque hominum debere proximum cenſeri; interim tamen datâ hac occaſione, plura velle docere, quàm quærebat Legiſperitus. Nam ad reprimendam Iudæorum elationem, qui de pietate & religione gloriabantur, ita vt Samaritanos velut impios aſpernarentur, notat illos in verâ pietate & proximi dilectione Samaritanis etiam inferiores eſſe. B. 1. Quis parabolæ ſenſus literalis.

Rurſum quoniam Scribis maior erat cura intelligendi quàm cuſtodiendi legem, ideo docet hac parabolâ non ſolùm quis cenſendus eſſet proximus, ſed quomodo etiam diligendus. Vnde ad finem Euangelij hortatur hunc Scribam ad imitandum Samaritani exemplum: *Vade & tu fac ſimiliter.*

Igitur vt hæc doceat, introducit hominem, 1. quem Primo ait deſcendiſſe ab Hieruſalem in Iericho, quòd ea via celeberrima eſſet; incidiſſe verò in latrones, quòd is locus, qui interiacet inter vtramque ciuitatem, latronibus infeſtus & infamis fuerit ob frequentia latrocinia. Deſcendiſſe dicitur, quia Ieroſolyma in editiore loco erat.

Secundo ait, Sacerdotem & Leuitam iuxta ſaucium pertranſiſſe (græcè, *ex aduerſo præteriſſe*, q.d. ſtudio ab ipſo deflexiſſe) vt notet Hebræorum primarios & paſtores quorum inprimis viſcera commoueri ſuper homine tam miſero deberent; deinde vt inſinuet parum Deo placuiſſe legalia Hebræorum ſacrificia, qui dilectionis proximi & miſericordiæ obliuiſcerentur: adeoque maiorem & ſolidiorem pietatem cõſiſtere in operibus charitatis, quàm in ſacrificijs illis legalibus, de quibus Iudæi gloriabantur. 2.

Tertiò. Samaritanum quendam iter feciſſe & viſo eo miſericordiâ motum appropiaſſe, 3. vulneribus eius vinum & oleum infudiſſe, eaque obligaſſe, pòſt impoſitum iumento ſuo duxiſſe in ſtabulum, hoc eſt commune diuerſorium, (vt ſonat vox græca, πανδοχεῖον) curamque eius egiſſe, nec non datâ pecuniâ hoſpiti eum commendaſſe; vt de his tam multis charitatis operibus commendet Samaritanum, hominem alienigenam Dei, veri cognitione deſtitutum, Iudæis contemptum: omnia interim miſericordiæ opera Iudæo, adeoque hoſti, impendentem. Porrò vinum & oleum

oleum dicitur infudiſſe eius vulneribus, quaſi ex præſcripto medicinæ: vinum ad abluendam, abſtergendam & conſolidandam plagam: oleum ad leniendam; doloremque mitigandum.

4. Quarto. Interrogaſſe ait Legiſperitum, quis illorum trium proximus fuiſſet miſero; vt oſtendat tantam eſſe veritatis vim, vt etiam ab improbis & illuſoribus ſuffragium accipiat. Itaque reſpondet Legiſperitus. Samaritanum fuiſſe miſeri proximum, idque approbat Dominus, non quòd velit negare Sacerdotem & Leuitam non fuiſſe eius proximos, ſed quòd non geſſerint ſe vt proximi eius; ſiquidem ope ſuâ eum deſtituerunt. Neque etiam vult dicere, illum tantùm pro noſtro proximo habendum, qui nobis benefacit: ſed omnem illum, qui ope noſtrâ indiget, quicunque ille ſit.

C. II. Quis ſenſus parabolæ allegoricus. Q. SECVNDÒ. Quis eſt ſenſus parobolæ allegoricus? Reſpond. hanc parabolam deſcribere ſtatum hominis triplicem, Primo conſtituti in gratiâ & iuſtitiâ originali. Secundo lapſi in peccatum: Tertio reparati per Chri-

1. ſtum. Itaque homo ille eſt Adam cum totâ ſuâ progenie, qui Primo à Dei gratia, velut à Ieruſalem (quæ viſionem pacis & fælicisſimum iuſtitiæ originalis ſtatum, habitum in paradiſo denotat) & ab illo ſublimi innocentiæ culmine deſcendit in humilem & vilem peccati conditionem veluti in Ierichο, quæ lunam ſignificat, adeoque ſtultitiam, iuxta id Eccl. cap. 27. *Stultus vt luna mutatur*; nemo enim peccatore ſtultior. Amiſsâ igitur pace conſcientiæ decidit in perturbationem & inquietudinem mentis: à ſummâ dignitate filiorum Dei deſcendit in exilium Ierichuntinum, anathemati ſubiectum (quod de Iericho legimus Ioſ. 6.)

2. Secundo. *Incidit in latrones*; qui ſunt cacodæmones, dicti quaſi latrones, quia à latere nobis adſunt inſidiando ſemper: vel à latendo, quia transfigurant ſe in angelos lucis: qui in cœlo Deum gloriâ ſuâ ſpoliare conati ſunt. Hi ergo primò *deſpoliauerunt eum*, non externis quidem, ſed internis animæ veſtibus, tunicâ fidei, faſciâ ſpei, interulâ charitatis, cingulo caſtitatis, inauribus obedientiæ, armillis bonorum operum, pallio patientiæ, togâ immortalitatis. Deinde *vulnerauerunt eum* ignorantiâ veri, imbecillitate ad bonum, pronitate ad malum, omnis denique generis peccatis, ſuperbia in capite, impudentiâ in fronte, inuidentiâ in oculis, curioſitate in auribus, maledicentiâ in ore, impatientiâ in humeris, triſtitiâ in pectore, gulâ in ventre, libidine in renibus, pigritiâ in pedibus, auaritia in manibus; ita vt poſſet de eo dici: *A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas*, Iſa. 1. Denique *abierunt ſemiuiuo relicto*, ſiue quia ſecundum corpus quidem viuus, ſecundum animam verò mortuus erat: ſiue quia liberum quidem arbitrium habebat, à peccatis tamen reſurgere viribus proprijs non poterat: vel quia grauiter quidem vulneratus nondum tamen omninò deſperatus erat; vtpote à cœleſti medico ſuo tempore ſanandus.

Tertio. Iuxta eum præterierunt Sacerdos & Leuita, Primo quia vetus Sacerdotium & lex nihil ſanitatis afferre ei poterant; tametſi eum quidem viderunt, agnoſcendo lapſum naturæ & infirmitatem hominis. Omnes enim deſcenderunt eâdem viâ à ſtatu naturæ integræ in ſtatum naturæ lapſæ, à gratiâ in peccatum, ſaltem originale. Secundo quia Sacerdotes & Doctores veteris legis ſuis potiùs rebus & commodis ſtuduerunt; quàm ſaluti aliorum. 3.

Quarto. *Samaritanus quidam iter faciens venit ſecus eum*. Iſte eſt Chriſtus Dominus, Samaritanus, quia cuſtos; qui de cœleſti quidem Ieroſolymâ venit in hanc Iericho, mundum inquam peccatoribus plenum & à Deo anathematizatum; non tamen deſcendiſſe ſed iter feciſſe dicitur, quia longè alio modo & fine deſcendit, quàm Adam è paradiſo in exilium. Venit enim ſaluum facere quod perierat. Viſâ ergo miſeriâ Adami, appropiauit ei induendo carnem humanam: infudit in eius vulnera oleum & vinum, hoc eſt, gratiam ſpiritûs ſancti & pretioſum ſanguinem ſuum; ſeu etiam ſacramenta, quæ ferè oleo & vino conficiuntur. Alligauit vulnera eius, præſcribendo legem nouam. Lex enim à ligando dicta, quia hominem conſtringit & alligat æquitati ac virtuti. Impoſuit eum in iumentum ſuum, dum *ipſe peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, 1. Pet. 2. ac de ſuo dependit, luens in corpore ſuo, quod nos commerueramus: vel cùm nos membra ſua effecit ſuorumque meritorum & myſtici corporis participes. Diſcedens demum & in cœlum reuerſurus duxit eum in ſtabulum, hoc eſt; Eccleſiæ diuerſorium & commendauit ſtabulario ſeu hoſpiti, Petro & cuiuis ſummo Pontifici velut Eccleſiæ gubernatori, curamque eius egit, præſens quidem vſque ad diem aſcenſionis ſuæ, abſens verò vſque ad conſummationem ſeculi. Duos denarios dedit ſtabulario, cùm Petro eiuſque ſucceſſoribus dedit poteſtatem ligandi & ſoluendi: vel intelligentiam noui ac veteris teſtamenti: vel Dei verbum & Sacramentum: vel duo illa præcepta, dilectionis Dei & proximi. Monuit ſtabularium vt curam eius haberet, cùm dixit Petro poſt reſurrectionem: *Paſce oues meas*, Ioan. vlt. daturus ei largam mercedem, ſi de ſuo ſtudio & labore aliquid ei impenderet, in die retributionis & reuerſionis Chriſti ad iudicium. Cùm enim ſtabularius & quilibet operarius bonus dicere ei poterit: Domine duos denarios tradidiſti mihi, ecce alios duos ſupererogaui; audiet à Domino: *Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* 4.

Q. TERTIÒ. Quis eſt ſenſus tropologicus ſeu moralis? Reſpond. Primo. Homo iſte quiuis pauper eſt, humilis, abiectus, infirmus & quicunque indiget alterius ope. Hic ergo Primo dicitur *homo quidam*, quia ſolus & derelictus

D. III. Quis ſenſus tropologicus.

1. *Homo iſte quiuis pauper eſt.*

relictus peregrinatus eſt. Diuites cùm in morbum aliamque calamitatem incidunt, habent medicos, conſolatores, opitulatores, moriones, qui eis triſtitiam eximunt, doloremque mitigant; pauper neminem habet.

2. Secundo. *Deſcendit ab Ieruſalem in Iericho*, à diuitijs in paupertatem, à fœlicitate in calamitatem & volubilem lunæ ſeu fortunæ mutationem: in paupertate & anguſtia, in menſâ vacuâ, in lecto ligneo vel ſtramineo voluitur ac reuoluitur. Vt enim pondera horologij ſemper agitant rotas: ita pauperis neceſſitas ſemper illum vrget, agit & circumagit vt panem ſibi & liberis quærat, quietem nullam concedit. Denique pauperes ſemper deſcendunt, diuites aſcendunt: iſti ad honores & pinguia officia promouentur, illi deprimuntur.

3. Tertio. *Incidit in latrones*. Et quid latronibus cum paupere? Nónne *cantabit vacuus coram latrone viator?* Non ſanè, ſed incidit in auaros & rapaces, qui etiam pauperem eius ſupellectilem accidunt, vſuris eum opprimunt, litibus exhauriunt, mulctis & exactionibus penitus exoſſant, iuxta id Eccleſ. 13. *Venatio leonis, onager in eremo: ſic & paſcua diuitum ſunt pauperes*. Huiuſmodi ſunt iudices iniqui, Aduocati Deum non timentes, executores reprobi, mercatores auari, opifices inſatiabiles, &c. Omnes vrbes, omnes plateæ plenæ ſunt his latronibus.

4. Quarto. Spoliatur & vulneratur. Spoliatur; quia eleemoſynis non fouetur, vel etiam poſitiuè, vt diximus, bonis ſuis expoliatur, iuxta id Iſa. 3. *Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt*. Et Iob 24. *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non eſt operimentum in frigore*, &c. Sauciatur; dum verberibus ſæpe præter fas cæditur, vel in carcerem mittitur, vel in graues anguſtias conijcitur, vel ad lachrymas adigitur, vel conuitijs & contumelijs afficitur. Nonnè plaga eſt, mittere pauperem in vincula, quòd ſyluam nobilis tranſiens, leporem vnum vel perdicem cepit?

5. Quinto. Relinquitur ſemiuiuus. Si pauperum oppreſſores ſaltem aliquando pœnitentia ducerentur ob admiſſam in pauperes iniuriam, ſolatium aliquod oppreſſis afferrent; at hoc minimè faciunt, ſed diſcedunt ſine omni facti pœnitentia aut memoriâ, nec quidquam curant quidnam egerint, ſemiuiuum verò relinquunt, dum ei dimidium ſubſtantiæ tollunt, v.g. boues quibus araturus & vitam pauper ſuſtentaturus eſt: vel dum in carcere eum detinent, ne laborare queat. Vita enim ſartoris eſt acus, vita fabri ferrarij malleus. Si cùm liber eſt, non poteſt ſoluere; quomodo ſoluet in carcere? *Panis egentium, vita pauperis eſt*, inquit Eccl. cap. 34. *qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt*.

6. Sexto. Negligitur à Sacerdote & Leuita; quia etiam qui maximè addicti eſſe deberent operibus charitatis, vti opulenti clerici, diuites, Epiſcopi, pinguia monaſteria, opem pauperibus ſæpe non afferunt, ſed vel in equos nitidos ac ſumptuoſos, in canes venaticos, in ſcurras & mimos, in ludos & conuiuia, veſtiumque apparatum ſua luridè exponunt: vel per auaritiam omnia recondunt, de quibus dicitur Iſa. 56. *Ipſi paſtores ignorârunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam*. Non hic illorum finis, ad quem tendere debent: non pecunia inquam, ſed anima proximi curanda. *Spiritualis omnis præfectura finis eſt, priuatâ vtilitate neglectâ commodis aliorum inſeruire*, inquit D. Greg. Nazianzenus apol. 1.

Septimo. Colligitur tandem à Samaritano, homine ignoto & gentili, ducitur in hoſpitium, commendatur hoſpiti, curatur; quia ſæpe rudes & plebeij magis addicti ſunt operibus miſericordiæ, quàm religioſi, ſacerdotes, & eruditi, veluti Centurio Euangelicus, & alter in Actis Apoſtolorum *cap*. 10. qui per opera charitatis ad fidem peruenerunt; vt ita impleatur Chriſti verbum Matth. 21. *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei*. Et Matth. 8. *Multi ab oriente & occidente venient & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores*. Non excuſauit ſe Samaritanus iſte à charitatis opere, quòd ſaucius eſſet alienigena: quòd à Sacerdote & Leuitâ gentis ſuæ eſſet derelictus: quòd nihil opis à ſe petierit: quòd parum ſpei eſſet de ſalute ſemimortui recuperandâ: quòd in ſuſpicionem poſſet venire; nec egit aliorum iudicem, damnans eos qui viſum præterierunt; ſed tanquam bonus & prudens negotiator inuentum theſaurum, alijs ignotum, ſibi mox aſſumpſit, eoque cœlum mercatus eſt. 7.

Secundo. Homo iſte quilibet peccator eſt. II. Eſt quilis peccator.
Hic enim Primo deſcendit ab Ieruſalem in Iericho, cùm è ſtatu gratiæ & cœleſtis municipatûs decidit in ſtatum peccati, cuius typus eſt Iericho anathemate perculſa, *Ioſ*. 6. Vno verbo, deſcendit è cœlo ad infernum, quia è libro vitæ deletur & libro mortis inſcribitur. 1.

Secundo. Incidit in latrones, dæmones videlicet, quorum ſeruituti ſubijcitur, & niſi Dei gratiâ præuentus è ſeruitute illâ eripiatur, in eorum manibus æternâ morte plectitur. Illi ergo inprimis deſpoliant eum virtutibus & virtutum præſidijs, verbo Dei, libris pijs, ſocijs & ſuperioribus bonis, ſtudio orationis, &c. poſteà infligunt ei varia & lethalia vulnera; (*neque enim facile eſt illis*, inquit Titus Boſtrenus, *lethalia vulnera priùs alicui inferre, quàm virtutum præſidijs & munimentis ipſum deſpoliârint: at vbi primùm virtutum arma abſtulerunt, ſtatim citra intermiſſionem cadunt & ſauciunt*;) nec non de peccato in peccatum, à leuioribus ad grauiora impellunt; tum ita miſerè affectum, ſemiuiuum relinquunt, viuentem, inquam corpore quidem, ſed mortuum ſecundùm animam. Abeunt verò, quia breuis & fugitiua eſt peccati voluptas. 2.

Tertio. Videtur quidem à Sacerdote & Leuitâ, ſed non adiuuatur; quia redargui quidem 3.

d by Google

dem à concionatoribus de peccatis, & inſpici à confeſſarijs ſuis in tribunali pœnitentiæ poteſt: iuuari tamen abſque cœleſtis Samaritani (Chriſti) cooperante manu non poteſt. Aures corporis aperire concionator ſolet: aures cordis Deus, vt verbum Dei animum penetret & in eo operetur. Confeſſarius pœnitentem in peccatorum ſuorum cognitionem ducere poteſt, contritionem verò de peccatis dare ipſi non poteſt. Itaque ſoli Dei gratiæ, vt potiori cauſæ, tribuenda eſt hominis conuerſio. Chriſtus animarum cuſtos ad eum appropinquare ſuâ gratiâ debet eiuſque cor immutare.

4. Quarto. Samaritanus infundit illi oleum miſericordiæ ſuæ, condonans ei peccata: ſed & vinum iuſtitiæ, requirens ab eo pœnitentiam, hoc eſt, dolorem de peccatis, propoſitum emendationis & opera quædam ſatisfactionis; vel, vt ait S. Ambroſius, *fouet vulnera vt oleo, remiſſione peccati: compungit vt vino, denuntiatione iudicij.* Sic ergo tollit eum in iumentum ſuum, dum participem facit meritorum ſuorum, & paſſionis, in quâ ſuſcepit in ſe peccata noſtra. Vel euehit eum in iumentum gratiæ ſuæ, vt ſi a iiter deinceps equitet. Ad extremum commendat illum ſtabulario ſeu hoſpiti, confeſſario inquam ſeu patri ſpirituali, qui ipſius curam agat & ſalutaribus pœnitentiæ operibus reliquias & cicatrices vulnerum ſanet, v.g. oratione eius ſuperbiam; ieiunio & caſtigatione corporis libidinem, eleemoſynis auaritiam & iniuſtitiam. &c. Tametſi enim peccata in confeſſione dimittuntur, vitia tamen ipſa non ſtatim exſcinduntur: diætâ quadam opus eſt, donec perfecta ſanitas ſequatur.

III. *Eſt hæreticus.* Tertio. Homo iſte hæreticum deſignat. Nam Primo is per contumaciam deſcendit ab
1. Ieruſalem in Iericho, hoc eſt, ab Eccleſia Chriſti verâ, in quâ veram pacem videre eſt, in Synagogam ſatanæ ſeu hæreſin, quæ lunæ inſtar mutabilis & inſtabilis eſt tandemque omnino obſcuratur. Eccleſia comparatur in ſcripturâ Soli & *lunæ perfectæ in æternum*, ob ſtabilitatem hæreſis eſt deficiens & imperfecta luna.

Secundo. Incidit in latrones, falſos inquam
2. prophetas & hæreſum præcones, qui vel ab ipſo Chriſto vocantur fures & latrones, Ioan. 10. quia non miſſi à Deo & legitimâ poteſtate, veniunt perdere ac mactare animas. Hi ergo varijs errorum & falſorum dogmatum vulneribus miſerè eum conficiunt: nunc vulnus Lutheranum, nunc Caluinianum, nunc Anabaptiſticum, nunc Schwenkfeldianum ei infligunt, atque ita ſeminecem relinquunt, quia fide deſtitutum adeoque vitâ gratiæ.

Tertio. Præteritur à Sacerdote & Leuita; 3.
quia vel incuriâ Epiſcoporum & Parochorum, vel iuſto Dei iudicio negligitur ab ijs, qui reducere eum ad Eccleſiam poſſent, Eccleſiæ Doctoribus & Concionatoribus. Fit tamen ſubinde etiam vt mittat illi Deus Samaritanum aliquem, bonum inquam ouium cuſtodem, qui zelo & commiſeratione motus ſaluti eius inuigilet: perditam ouem requirat; oleum & vinum, hoc eſt, promiſſionem miſericordiæ & comminationem iræ diuinæ in vulnera eius infundat: iumento gratiæ impoſitum ad Eccleſiæ diuerſorium reducat, ab omni omnino plagâ curandum. Eccleſia enim Catholica ſtabulum illud eſt, de quo loquitur hodierna parabola, ſeu diuerſorium commune; tum quia omnium nationum commune receptaculum per vniuerſum orbem; tum quia ſupremum quendam ſtabularium ſeu patremfamilias habet, Summum Pontificem; tum quia ſtabulario illi duo denarij dati, ligandi & abſoluendi poteſtas: rurſum duo teſtamenta integra & inuiolata cum vero & ſano intellectu; tum quia ſuum ſymbolum ſeu viſibilem notam, vnde agnoſci queat, habet habuitque omnibus ſæculis, vt paſſim reperiri & agnoſci poſſet ab ijs qui ſe ei adiungere volebant; agnoſci inquam, quòd ſit vera Chriſti Eccleſia, quod demonſtrat fidei ſymbolum Apoſtolicum, in quo depingitur his vocabulis: *Vna, Sancta, Catholica & Apoſtolica Eccleſia*; alibi expoſitis. In hoc diuerſorio (non in alio) reperitur vera animarum medicina, vera inquam ſacramenta: hîc ſelectiſſimæ & ſaniſſimæ apponuntur epulæ, Venerabilis Euchariſtia & doctrina Euangelica: hîc inuenitur animarum requies; ad quam dignetur Deus reducere omnes quotquot ab hoc diuerſorio aberrant.

Digitized by Google

DOMINICA DECIMA TERTIA POST PENTECOSTEN

Euangelium Lucæ 17.

IN illo tempore: Cùm iret Ieſus in Ieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi: qui ſteterunt à longè, & leuauerunt vocem, dicentes: IESV præceptor, miſerere noſtri. Quos vt vidit, dixit: Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt. Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Reſpondens autem IESVS, dixit: Nónne decem mundati ſunt? & nouem vbi ſunt? Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te ſaluum fecit.

CONCIONES.

I. *Gratitudinis & ingratitudinis varij gradus.*
II. *Quibuſnam præ cæteris grati eſſe debeamus.*
III. *Incitamenta ad gratitudinem.*
IV. *Lepra peccati quàm polluat vniuerſum.*
V. *Quorumnam conſortium, velut leproſorum, maximè fugiendum ſit, & quidem ex præſcripto SS. Canonum.*
VI. *Qui potiſſimùm homines in communitate non tolerandi, & ab alijs vitandi ſint.*
VII. *Peccata carnis quàm cauenda ſint.*
VIII. *Incentiua & remedia luxuriæ.*
IX. *Quàm congruenter & ſalubriter inſtituta ſit Confeſſio peccatorum.*
X. *Documenta.*
XI. *Myſteria.*

CONCIO I.

Gratitudinis & ingratitudinis varij gradus.

1. *Primus gratitudinis gradus eſt beneficium agnoſcere, contra quem peccant, qui putant ſibi debitum, qui alteri, non auctori adſcribunt, qui obliuiſcuntur & repudiant beneficium.*
2. *Laudare & gratias agere; in quo peccant qui illud diſſimulant & extenuant.*
3. *Compenſare beneficium; vbi delinquunt qui nihil vel parum, aut etiam mala rependunt.*

THEMA.

Nónne decem mundati ſunt? & nouem vbi ſunt? Luc. 17.

A. MAgnum dedecus Iudæorum, qui cùm maiora à Deo acceperint beneficia, magis intellexerint legem & voluntatem Dei, plures habuerint promiſſiones, plura miracula, &c. nihilominùs tamen in virtutum ſtudio à Gentilibus ſæpiùs ſunt ſuperati. Ecce enim ante octiduum (iuxta Domini parabolam) Sacerdos & Leuita pertranſeunt vulneratum: Samaritanus verò Gentilis eum ſubleuat & curat. Pfui dedecus Iudæorum! In hodierno Euangelio nouem leproſi Iſraëlitæ à Domino mundati, non redeunt, vt gratias agant: Vnicus Samaritanus redit, agitque gratias. Pfui iterum dedecus Iudæorum; vt merito dixerit Dominus Luc. 11. *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam.* Vtinam verò, Auditores, hoc ipſum non dicendum ſit de multis Chriſtianis. Certè hoc tempore plerique omnes à Deo magnis affecti ſumus beneficijs, dum horrea noſtra impleuimus, & pro ſequente anno victum nobis collegimus; ſed quis eſt, qui ad Deum redeat, beneficium agnoſcendo? gratias agendo? Omnes ſaturati ſunt: ſed vix vnus eſt è decem, qui ad Deum redeat cum gratiarum actione. Nouem ergo vbi ſunt? nimirum in obliuione, in ingratitudine ſunt. Ingens eſt & hoc Chriſtianorum dedecus, & confundunt nos Gentiles, qui pro & de perceptis frugibus ſacrificabant Dijs ſuis; donaque offerebant, vti Herculi Romani apud Ciceronem *lib.* 2. *Offic.* Arabes Deo Sabi, apud Plin. *lib.* 2. *cap.* 14. Æthiopes Ioui, apud eundem *lib.* 12. *cap.* 19. Quid ſi iſti in iudicio ſurgant, & accuſent nos? Hoc igitur ne contingat nobis, eamus ad virtutum ſcholam, & pro hodierna lectione diſcamus gratitudinem.

D. Thomas 2. 2. *qu.* 106. *ar.* 2. tres gradus ponit gratitudinis, totidemque ingratitudinis. B.
Primus, *quòd homo acceptum beneficium recognoſcat: Secundus eſt, quòd laudet, & gratias agat: Tertius eſt, quòd retribuat pro loco & tempore ſecundum ſuam facultatem. Sed quia quod eſt vltimum in generatione, eſt primum in reſolutione,* ideò

ideò primus ingratitudinis gradus eſt, vt homo beneficium non retribuat: Secundus eſt, vt diſſimulet, quaſi non demonſtrans ſe beneficium accepiſſe; Tertius & grauiſſimus eſt, quod non recognoſcat ſiue per obliuionem ſiue quocunque alio modo. Et quia in affirmatione oppoſitâ intelligitur negatio, ideò ad primum ingratitudinis gradum pertinet, quòd aliquis retribuat mala pro bonis: ad ſecundum, quòd beneficium vituperet: ad tertium, quòd beneficium quaſi maleficium reputet. Ita S. Thomas, ex quo diſcimus tres in hac ſcholâ claſſes eſſe.

I. Agnoſcēdum beneficium. In PRIMA agnoſcendum eſt beneficium, quod cùm omnium minimo conſtet; & maximè ſecundùm naturam ſit, maximè etiam neceſſarium eſt; adeoque grauiſſimum ingratitudinis peccatum, vt audiuimus ex D. Thoma, beneficium non agnoſcere; ſiquidem *officia etiam feræ ſentiunt*, inquit Seneca lib. 1. de benef. cap. 3. *nec vllum tam immanſuetum animal eſt, quod non cura mitiget, & in amorem ſui vertat.* Hac in re delinquunt primò, qui beneficium putant ſibi debitum, vti ferè ſentiunt, qui à conſanguineis accipiunt beneficia, ideoque communiter parum grati ſunt, vt filij parentibus, fratres fratribus. Quales etiam Hebræi in deſerto, qui omnia poſtulabant cum murmure, quaſi debita, manna, aquam, carnes; dicebantque: *Eſtné Dominus in nobis, an non?* q.d. ſi habemus Deum in nobis, quare non prouidet nobis panem & aquam? Ad horum numerum referendos arbitror nouem hos leproſos. Cùm enim Iſraëlitæ eſſent, quemadmodum & Chriſtus, non redeunt ad ipſum, nec agnoſcunt beneficium. At verò Samaritanus, quia alienigena erat, & tanto ſe beneficio indignum reputabat, redijt, gratias agens. Vnde S. Bernardus ſerm. contra ingratitud. *Felix*, inquit, *Samaritanus ille, qui cognouit ſe nihil habere, quod non accepiſſet; idcircò ſeruauit depoſitum & cum gratiarum actione ad Dominum eſt reuerſus.* Et mox: *Felix proinde qui ſe alienigenam reputans, etiam pro quibuſq; minimis beneficijs non minimas refert grates: gratuitum eſſe non dubitans, neque diſſimulans, quod alieno impenditur & ignoto.* Dicat igitur quiſque, cùm accipit à Deo beneficium: *Aduena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Pſal. 38. quò diſcat agnoſcere Dei dona, eique gratior eſſe.

Delinquunt hic

1. Qui putant ſibi debitum.

2. *Qui alteri, non auctori, adſcribunt.* Secundò, qui beneficia non auctori, ſed alteri cauſæ falsò adſcribunt, vel ſibi ipſis & propriæ virtuti aut induſtriæ. Prioris generis ſunt Athei, qui nulla Deo adſcribunt bona, ſed naturæ; quaſi verò aliud ſit natura, quàm Deus vt cauſa creaturarum. *Non intelligis*, inquit Seneca lib. de benef. cap. 5. *te cùm hæc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud eſt natura quàm Deus & diuina ratio toti mundo inſerta?* Tales & Hebræi illi qui magnalia Dei adſcribebant aureo vitulo, dicentes: *Hi ſunt Dij tui, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti*, Exod. 23. Quibus verbis irritatus Deus ad Moyſen aiebat: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Illos imitantur, quiſuam è periculis aut morbis ereptionem Magicis adſcribunt artibus vaniſque obſeruantijs. Mirum certè non foret, ſi Deus homines tales omni ope deſtitueret; nam, vt ait Clemens lib. 3. recognit. *Tale eſt hoc, quale ſi quis æger ad medelam ſui medicum pariter & veneniarios inuitet, cùm illi nocere quidem poſſint: verus autem medicus venenis illorum recuſet ſua medicamenta miſcere, ne aut perniciei bono aut ſanitas nocentibus adſcribatur.*

Poſterioris erant illi, qui dicebant: *Manus noſtra excelſa & non Dominus fecit hæc omnia*, Deut. 32. Cuiuſmodi ſunt, qui honores conquiſitos, diuitias comparatas ſuæ adſcribunt virtuti & ſolerti; Vinitores & agricolæ, qui cùm vberem vindemiam & meſſem ſortiuntur, dicunt ſe diligenter coluiſſe vineas & agros; cùm verò modicum vini & frugum colligunt; Deum in rationes vocant: dulce vinum ſibi, acetoſum Deo adſcribunt. Neque hinc procul abſunt, qui laudati à doctrinâ, formâ, opibus, actu præclaro & ſimilibus, in eâ laude conquieſcunt nec in Deum referunt velut in cauſam præcipuam; ſed tacitè ſibi ipſi tribuunt. Quâ re quàm offendatur Deus, ex eo liquet, quòd eiuſmodi dona in pœnam ſæpe reuocet, vti factum illi Epiſcopo, qui amputatâ ab hæreticis linguâ rectè loquebatur, ſed cùm inde ſuperbiret, eo dono eſt priuatus: apud Sigebertum ad annum 530. Sic cornicula in apologo: alienis adornata plumis, cùm inde extolleretur, deplumata eſt, auribus ſuas pennas repetentibus. *Qui de acceptò extollitur, cuncta quæ acceperat, amittit*, inquit D. Greg. *lib. 9. Moral. cap. 1.*

Tertiò, qui beneficia obliuioni (non naturali, quæ culpâ caret, cùm non ſit in noſtrâ poteſtate: ſed morali & voluntariè) tradunt. Licet enim beneficium ex ſe amabile ſit, non placet tamen omnibus propter obligationis onus, cui obnoxium facit accipientem; ideoque ſæpe poſt tergum abijcitur, & ſtudioſâ obliuione ſepelitur. Huc referendi videntur nouem hi leproſi. Alij enim qui curationis beneficium à Chriſto acceperunt, ſi non ſtatim gratias egerunt, poſteà egerunt, vbi obuium habuerunt, vti cæcus ille natus, Ioan. 9. & æger ille ad piſcinam iacens, Ioan. 5. at iſti nouem leproſi nec poſteà quidem gratias egerunt; vnde accepti beneficij videntur eſſe obliti; proinde iure merito grauiſſimè culpandi. Nam *ingratus*, ait Seneca lib. 3. de benef. cap. 1. *qui beneficium ſe negat accepiſſe quod accepit: ingratus, inquam, qui diſſimulat: rurſum ingratus, qui non reddit: at omnium ingratiſſimus, qui oblitus eſt.* Ab hoc enim nihil amplius ſperatur gratitudinis, cùm beneficia apud eum mortua ſint, & quaſi jam ſepulta. Vnde qui tali beneficium confert, *cadauer pretioſo obliuit vnguento*, ait Maximus Monachus ſerm. 8. Certè pincerna Pharaonis cùm ſuccedentibus proſperis oblitus eſſet Ioſephi vatis ſui, peccati ſe redarguit atque accuſat, vbi eius memoriam reſumpſit: *Confiteor peccatum meum,*

3. Qui obliuiſcuntur.

meum, inquit; quod videlicet oblitus mei benefactoris non locutus ſim Pharaoni pro ipſius liberatione, *Gen.* 41. Homo ergo gentilis reum ſe peccati aſſerit ob beneficij obliuionem, quid faciat Chriſtianus?

4. *Qui repudiant.* Quartò, & omnium grauiſſimè, qui beneficium repudiant, vel contemnunt, habentque pro maleficio. Tales fuère Iudæi illi, qui Euangelium repudiarunt, ideoque à Paulo & Barnabâ audierunt: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes*, Act. 13. Verbum enim ſalutis reputabant verbum perditionis, Euangelium cacangelium: ideoque id repellebant vnà cum Apoſtolis. Proximè ad hos accedunt, qui morbos, caſtigationeſque à Deo ſibi immiſſas, ſalutares quoque admonitiones ac correctiones piorum virorum, tanquam ſibi noxias atque hoſtiles habent, quaſi eorum pernicies, non ſalus quæratur. Eò pertinet etiam, quod ſcribunt Zonaras & Cedrenus apud Baron. anno 869. de Baſilio Imp. qui cùm in venatione à cerui cornibus per zonam arreptus ſublimis ferretur, quidam id videns enſe cingulum diſſecuit, vt Imperatorem liberaret. Imperator hoc ſiniſtrè interpretatus, præclaram ei mercedem reddidit, capitis truncationem, ſpecioſâ cauſâ quæſitâ, quòd contra Regem gladium ſtrinxiſſet: Ingratus Imperator ſuperuixit quidem, ſed non diu, ob euerſa inteſtina. Mira ingratitudo, ſed non rara. Sæpe enim contingit, vt vir bonus & ſpiritualis ſuâ correctione eripiat peccantem, vel certè peccaturum è laqueis diaboli, quibus iamiam indutus erat. Correctio illa paterna gladius videtur, vitam peccatoris petens, cùm potiùs funem abſcindat, quo miſer illaqueatus à dæmone trahitur ad interitum. Sanè huiuſmodi ceruus fuit Sedecias pſeudopropheta, qui falſo vaticinio corripuerat, & quaſi in altum extulerat Regem Achab, ſuadendo ei bellum iniquum, & periculo plenum. Fecit enim ſibi cornua ferrea & bouis inſtar apparuit coram Rege, & dixit: *His ventilabis Syram, donec deleas eam.* At Michæas Dei Propheta dum Sedeciam illum impoſturæ arguit, regemque periculi admonet, atque ab iniuſto bello auertere ſatagit, ecce ab ingrato rege mittitur in carcerem: ſuſtentandus pane tribulationis & aquâ anguſtiæ, 3. *Reg.* 22.

C. II. *Laudandum beneficium & gratiæ agendæ.* In SECVNDA gratitudinis claſſe laudandum eſt beneficium & gratiæ agendæ. Eſt enim hæc laus & gratiarum actio qualiſcunque merces benefactori debita; vt vel ipſæ docent auiculæ, quæ *ſurgente & occidente die*, inquit D. Ambroſ. lib. 4. Exam. cap. 12. *ſuos cantus inſtaurare conſuêrunt: vt decurſi vel adoriendi temporis laudes ſuo referant creatori.* Vidit etiam gentilitas ſolo naturæ lumine æquum eſſe, vt benefactori gratiæ ſaltem agantur. Ita enim Seneca lib. 3. de benef. cap. 1. *Non referre beneficijs gratiam, & eſt turpe & apud omnes habetur.*

Peccant hic. Contra hoc præceptum peccant primò, qui beneficium diſſimulant, dum nec beneficium nec benefactorem laudibus vehunt, neque gratias agunt. 1. *Qui beneficium diſſimulant.* Deliquerunt in hoc leproſi illi, qui non redierunt ad medicum ſuum, vt darent gloriam Deo. Eccleſiaſtes cap. 1. ait: *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Hunc in modum beneficia, quæ à Deo accepta ſunt, ad eundem per gratiarum actionem referenda ſunt, vt exponit S. Bern. ſerm. 13. in Cant. *Si copia*, inquit, *aquarum ſecretis ſubterraneiſq; recurſibus inceſſanter æquora repetunt, vt inde rurſus ad viſus vſuſq; noſtros iugi & infatigabili erumpant obſequio; cur non etiam ſpirituales riui, vt arua mentium rigare non deſinant, proprio fonti ſine fraude & ſine intermiſſione reddantur? Ad locum vnde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, iterum fluant.* Sic Bern. Ergo ſicut non reuertentur ad nos flumina, ſi non fuerint reuerſa ad mare veluti ad fontem ſuum: ita deſinet beneficiorum fluxus, ſi deſierit gratiarum refluxus. Videre id erat in Ionâ, qui lætatus quidem fuit, cùm hedera ſuper caput eius creuiſſet, & vmbram ei præbuiſſet, non legitur tamen ob tam miraculoſum beneficium gratias egiſſe; ideoque mox ſub diluculum præparauit Deus vermem, mirum & miraculoſum, qui repentè erolit atque areſecit hederam, ſicque miſerum Ionam æſtuanti expoſuit Soli, *Ion.* 4. Extraordinarium beneficium extraordinarius abſumpſit vermis, typus ingratitudinis. Nimirum *præſentibus bonis perfruentes*, inquit D. Baſilius hom. 5. in Iulittam, *cùm nullam rependamus largitori gratiarum actionem, vt ſenſum aliquem percipiamus ex iacturâ rei, neceſſe eſt, vt eâ ſpoliemur. Vt enim oculi, quod iuſto propiùs admotum eſt, non vident; ſed opus habent moderatâ quadam diſtantiâ: itidem animos nimis gratos videmus ſenſu attingi prærepta gratiæ, dum priuatos ſe intelligunt prærogatiuâ bonorum.* Econtrà verò qui pro acceptis donis gratias egerint, ſentient perennem beneficiorum fluxum. Vt enim dixit Chryſoſt. hom. in Matth. 26. *Optima beneficiorum cuſtos eſt memoria beneficiorum & perpetua gratiarum confeſſio.* Flumina ad mare, vnde exierant, reuertentia fuerunt Apoſtoli, quando *reuerſi ſunt cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo*, Luc. 10. Siquidem his verbis extollunt beneficium ſibi collatum, ac proinde gratias agunt, vt aduertit D. Hilaron. & Theophylactus *in cap.* 7. *Marci*; idcircò poſteà pluribus cumulati ſunt donis. Viderint ergò ingrati quàm accuſentur vel ab ipſo mari, juxta id Iſa. 23. *Erubeſce Sidon*, ait mare.

2. *Qui extenuant & plura ſemper petunt.* Secundò, Qui beneficium extenuant, pluraque ſemper ac maiora poſtulant, prioribus non contenti, vti Athenienſes illi, qui, vt refert Plut. in apopht. cùm bello capti à Philippo rege Macedoniæ, omnes dimiſſi gratis eſſent, deinde primùm veſtes & ſtragulas à Macedonibus repoſcebant, eoſque propterea in ius vocabant. Quod audiens Philippus, riſit, inquiens: *Quid? arbitrantur Athenienſes ſe*

à nobis

à nobis in talorum ludo victos eſſe? His non abſimilis Senator ille Rom. fuit, charus Auguſto Imp. qui cùm æs alienum ab eo contractum non rogatus diſſoluiſſet, numeraſſetque creditoribus; Senator re cognitâ pro gratiarū actione ſcripſit Imperatori: *Mihi nihil*? Expoſtulans cum ipſo, quòd ſibi nil numeraſſet, qui numeraſſet omnibus creditoribus. Stob. His adnumero ingratos illos Hebræos, qui noua ſemper beneficia cum murmure exigebant. Ita enim *Pſal.77.* dicunt: *Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ; nunquid & panem poterit dare?* Certè potuit dare ac dedit. Sed his non contenti petierunt etiam carnes. Dedit & has Deus, ſed in perniciem eorum. Nam *adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum & ira Dei aſcendit ſuper eos*. Ita nimirum ingrati cùm plura à Deo accipiunt beneficia, in ſuam perniciem accipiunt. Sanè etiam hi nouem leproſi poſt ſanationem magis leproſi facti ſunt in animâ (vitio ingratitudinis) quàm priùs fuerint in corpore: quin & periculoſiùs; quia ob externam lepram erubuère, & ad medicum cucurrère: ob vlcus ingratitudinis nihil erubuère, nec medicum quæſiére.

3. *Qui ſpernunt.*

Tertió. Qui beneficium etiam ſpernunt vel vituperant, quemadmodum impius ille Caluinus, qui *l.3.Inſtit.c.4.§.29.* ſcribere auſus eſt: *Quid, quæſo, nobis præſtitiſſet Chriſtus, ſi adhuc pro peccatis pœna temporalis exigeretur?* Quaſi verò non ſit multum & maximum ab æternis pœnis liberari, Deo reconciliari & cœli hæredem fieri. Hunc imitantur improbi aliqui filij, qui ſatis amplam hæreditatem, à parentibus ſibi relictam cauillantur & pro nihilo habent: quin & bonam educationem ac virtutum monita ſibi ab ipſis tradita derident ac contemnunt.

D. III. Compenſandum beneficium.

In Tertia claſſe compenſandum eſt beneficium ſecundum cuiuſque facultatem. Suprema iſta claſſis eſt, non tam ſtrictè obligans, ac priores duæ: rationi tamen & ipſi naturæ admodum conformis. Nam & bruta animalia compenſaſſe mutuis vicibus beneficia alibi oſtendimus; & ne longè abeamus *canibus inſitum eſt naturâ quadam*, inquit D. Ambroſ. lib. 6. Hexam. cap.4. *referre gratiam & ſolicitas excubias pro dominorum ſalute prætendere*. Et lib. 1. Offic. cap. 31. *Humanitatis exempla ipſa terra ſuggerit: ſpontaneos fructus miniſtrat, quos non ſeueris: multiplicatum quoque reddit, quod acceperit.*

Peccant hic. 1. *Qui nihil rependunt.*

Delinquunt igitur hìc Primo qui nihil omninò beneficij, cùm poſſunt, pro beneficio rependunt, quemadmodum & ignis, qui inſatiabili ingluuie omnia ſibi appoſita deuorat, nihil verò redonat. Quod in aërem iactas, ilicò ad te redit: quod in aquam mittis vel aqua ipſa abripit, alteri ſaltem aduehitur: quod in terram condis, vel multiplicatum tibi reſurgit, vel certè ſecurum ac reconditum manet; at quod in ignem iactas, omninò perdidiſti, nihil ab eo recipies. Quam ob cauſam putat Rupertus in primâ rerum creatione nullam ignis mentionem factam.

2. *Qui parum nimis rependunt.*

Secundo qui nimis parum rependunt cùm plus poſſint ac debeant. Hìc impegit Salomon qui regi Hiram pro viginti annorum operis & ſumptibus, auro & lignis abiegnis cedriniſque liberaliſſimè impenſis in templi ſtructuram, viginti ſolùm oppida eaque vilia dedit in terrâ Galilææ, quam vbi vidit Hiram, ait Salomoni: *Haccine ſunt ciuitates, quas dediſti mihi frater?* appellauitque eas terram *Chabul*, hoc eſt, *vilem & inutilem*, iuxta Rab. Nathman, *arenoſam*, 3. Reg.9. Nimis etiam parum rependit ſuo ſeruatori Alphonſus Rex Secundus Neapolitanus, qui è naiculâ in mare prolapſus, operâ cuiuſdam remigis cùm eſſet liberatus, non plus ei meriti gratiâ, quàm duodecim vncias (16. florenos noſtros) quotannis dum viueret, pendendas ex ærario ſtatuit. Satis quidem hoc remigi, ſed perparum regi, tale præſertim ob meritum fuit. Refert P. Chauaſſ. *lib.4. de prud.cap.4.*

3. *Qui mala rependunt.*

Tertiò qui mala pro bonis rependunt; qui eſt ſupremus ingratitudinis gradus, graui ſupplicio dignus, iuxta id Prou.17. *Qui reddit malum pro bonis, non recedet malum de domo eius.* Et cui verò ſimiles dicam tales homines? ſimiles ſunt hederæ, vt ait Plut. in moral. quia ſicut hedera arbores, quibus adhæret (harum enim ope, cùm ex ſe nequeat, ſtare & in altum ſurgere debet) corrumpit ac deſtruit: ita ingrati illi, ſuos benefactores qui peſſundant. Similes ſunt mulis, qui vbi lacte materno ſaturati ſunt, calcibus petunt matrem; vti Plato de Ariſtotele diſcipulo ſuo dicebat; ſiquidem Ariſtoteles à Platone optimis quibuſque artibus informatus, ſcolam contra Platonem aperuit & in Peripato cum diſcipulis ſuis aduerſus eum pugnauit. Platonis perpetuus aduerſarius eſſe cupiens. Ælian. *lib.4. de var. hiſt.* Poteſt hoc ipſum Deus dicere quamplurimis, qui ab eo varijs dotati bonis contra eum pugnant; vt qui diuitijs abutuntur ad luxum & ſuperbiam: potentiâ ad oppreſſionem pauperum: corporis robore ad latrocinia, rapinas, cædes: formæ pulchritudine ad libidinem: ingenio ad concinnandos dolos, eludendam iuſtitiam: linguâ ad blaſphemandum, &c. His omnibus ait Deus per Iſaiam cap.1. *Audite cœli & auribus percipe terra*; (quaſi rem videlicet ſtupendam & inauditam) *Filios enutriui & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me.* Vult dicere: abiecerunt & demum crucifixerunt me, vt ait Zeno Veron. ſerm. 1. de Iſa. Sanè tanta eſt hæc ingratitudo, vt ad eam redarguendam aperire Deus os aſinæ voluerit, Num. 22. Sic enim illa ad herum ſuum Balaam ait: *Quid feci tibi? cur percutis me? ecce iam tertio? nonne animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueuiſti vſque in præſentem diem?* iumẽta quodam modò tua, ô homo, ſunt ſerui & ancillæ tuæ, ſubditi & operarij tui. His ſi ingratus fueris & pro ipſorum operis, cenſibus, laboribus nil aliud rependeris niſi verbera & conuitia, vide ne aliquando te redarguant in iudicio, cùm ingredieris anguſtias duarum maceriarum, hoc eſt, diſcrimen ſalutis & dam-

damnationis æternæ. Tametſi enim in hac vitâ tacent, quia pro iumentis habentur nec mutire audent, veniet tamen tempus, quo aperiet Deus os illorum, vt redarguant ingratos heros.

Itaque Auditores, demus operam vt imitemur Samaritanum illum leproſum, à Domino commendatum, non imitemur nouem ingratos, ne aliquando in iudicio ſurgant Ethnici & accuſent nos; imò ne loquantur alini & redarguant nos. Arguit certè Samaritanus, qui gentilis licet, per omnes illas claſſes ſtrenuum ſe exhibuit. In Prima, dum exultans magnificauit Deum ac proinde agnouit beneficium. In Secunda dum gratias egit, magna voce benefactorem ſuum prædicans. In Tertia dum procidens in faciem, diuinum ei honorem impendit, adeoque Deo gloriam dedit.

CONCIO II.

Quibuſnam præ cæteris grati eſſe debeamus.

1.2.3.4. *Primò & maximè omnium Deo, peculiariter Chriſto, Deiparæ, & Angelo cuſtodi. Cur!*
5.6.7. *Magiſtratui, Parentibus & Præceptoribus.*
8.9. *Dominis, ſeruiſq; bonis & fidelibus.*

THEMA.

Nónne decem mundati ſunt? & nouem vbi ſunt? Luc. 17.

A. SCribit Ariſtoteles *lib.5. Eth.cap.5.* templa Gratiarum in vrbium medio condi ſolita fuiſſe, vt beneficiorum inter homines reciprocatio excitaretur & conſeruaretur, ſiquidem per hanc ciuitates conſeruentur. Fecerunt hoc Gentiles, rectè & laudabiliter, quia vbi ceſſat retributio & gratitudo, ibi ceſſat actus dandi & beneficentia. Vbi iſta ceſſant, pereunt mutua obſequia, pereunt commercia, pereunt ciuitates. Iam ſi hoc Gentiles, quid faciemus nos Chriſtiani? Simile etiam templum in medio vrbis noſtræ ſtatuemus, non quidem more gentium, ſed potiùs Chriſtianorum; quod fiet, ſi omnes vnanimi conſenſu proponamus in animis noſtris & quodammodò coniuremus, fore nos gratos ijs, à quibus beneficia acceperimus. Hoc vt accuratiùs fiat, oſtendam vobis breuiter quibuſnam potiſſimùm grati eſſe debeamus.

B. Vnum tantùm gratum habemus in hoc Euangelio: ſed præterea nouem alios requiſiuit Dominus. Ita in rep. præter vulgarem gratitudinem: quæ communibus exhibetur beneficijs, nouem alias deſidero ſpeciales maximeque neceſſarias.

I. Deo. PRIMÒ, & maximè omnium grati eſſe debemus Deo; quia omni momento bonis eius fruimur, & nouis ſemper ac perpetuis beneficijs ab eo cumulamur. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum, vnde exeunt reuertuntur vt iterum fluant*, ait Eccleſiaſtes cap. 1. Ita bona omnia; quia à Deo exeunt, ad eundem quoque reuerti per noſtram gratitudinem debent, vt nimirum ea Deo accepta feramus & gratias referamus; non quòd Deus indigeat noſtrâ gratiarum actione (quia velut mare inde non redundat;) ſed vt gratiæ diuinæ iterum ad nos effluant. Hinc commendatur in hodierno Euangelio Samaritanus, quòd redierat ad Chriſtum gratias illi agens; notantur cæteri, quòd non redierint, vt darent gloriam Deo. Et rurſum ſicut flumina ſi in mare non influerent, nulla inde refluerent: ita niſi Deo grati ſimus, facimus nos indignos accipiendis nouis donis. Nam ſicut gratitudo acceptorum beneficiorum conſeruatrix eſt, & nouorum conciliatrix: ita viciſſim ingratitudo & diuinorum beneficiorum obliuio, (D. Bernardo teſte ſerm. contra vitium ingratitudinis,) *eſt ventus vrens, fontem pietatis exſiccans, rorem miſericordiæ & gratiæ fluenta non recipiens.* Agendæ autem ſunt Deo gratiæ de triplicibus bonis, de generalibus, ſpecialibus, ſingularibus. Generalia ſunt creatio, conſeruatio, redemptio, &c. Specialia, vocatio ad fidem Catholicam, ad religionem, ad gratiam & gloriam, &c. Singularia, quæ cuiuis peculiariter contingunt. Sic Alphonſus Aragonum Rex de tribus potiſſimum Deo inceſſanter gratias agebat, quòd hominem, quòd Chriſtianum, quòd inter Chriſtianos Regem eum fecerit. Æneas Syluius de dictis Alphonſi. Et Plato ille gentilis gratias agebat naturæ ſeu Deo, quòd homo, quòd mas, quòd græcus, quòd Athenienſis, quòd tempore Socratis à quo inſtitui poſſet, natus eſſet. Denique quoties aliquo Dei bono fruimur, cenſum gratitudinis ei reddere meminerimus. Hunc enim à nobis exigit Deus, Ioëlis 2. cùm ait: *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus & rubigo & æruca, &c. & comedetis veſcentes & ſaturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei veſtri;* quia nimirum ipſe hæc omnia vobis dedit, ipſiuſque adſcribendi ſunt beneficentiæ, non induſtriæ noſtræ. Nec de bonis tantùm naturalibus, ſed & multò magis de ſupernaturalibus gratiæ agendæ, niſi gloriæ diuinæ fures eſſe velimus. Sic enim docuit ſuos S. Franciſcus. *Quando ſeruus Dei orans*, inquit, *viſitatur diuinitùs, dicere debet: Iſtam conſolationem mihi peccatori & indigno de cœlo miſiſti Domine, & ego illam tuæ committo cuſtodiæ, quia theſauri tui me ſentio eſſe latronem.* D. Bonauentura in vitâ cap. 10.

C. II. Chriſto. SECVNDÒ. Peculiariter grati eſſe debemus Chriſto Domino, quia, vt ait Apoſtolus ad Tit. 2. *dedit ſemetipſum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret ſibi populum acceptabilem.* Dedit enim ſe vadem & fideiuſſorem Deo pro peccatis noſtris, perſoluto pro nobis lytro ſanguinis & vitæ ſuæ. Iam verò *gratiam fideiuſſoris tui*, inquit Eccleſiaſticus c. 29. *ne obliuiſcaris; dedit enim pro te animam ſuam.* Et ſanè videtur nobis Dominus inſuſurrare illud, quod poſt lotionem pedum

dixit ſuis diſcipulis Ioan. 13. *Scitis quid fecerim vobis?* Quod enim illis fecit corporaliter, hos idẽ ſpiritualiter omnibus nobis fecit. *Surrexit de cœna* cœleſtium delitiarũ, & *poſuit veſtimenta* gloriæ ſuæ: *accepit linteum* humanitatis noſtræ & præcinxit ſe. Ad hæc *miſit aquã in peluim*, id eſt, ſanguinem ſuum, quem inſtar aquæ copioſè & largiùs effudit, in terram ſterilem & ingratam, nec non in Sacramenta. *Lauit pedes noſtros*, quando in ſanguine ſuo mundauit nos à peccatis & mundat etiamnum in Sacramentis quotidie. *Exterſit* denique linteo humanitatis ſuæ, quando peccatorum noſtrorum ſordes in ſe tranſtulit, vnde eius humanitas adeò deformata fuit, vt dicerent ſpectatores: *Putauimus eum quaſi leproſum*, Iſa. 53. Hæc nobis Chriſtiani, inſuſurrat Chriſtus: *Scitis, quid fecerim vobis?* Hoc enim ſi ſciamus quomodo non gratâ mente meminiſſe debemus? Hoc ſi neſciamus, quomodo non ingrati ſumus?

D. III. Deiparæ. TERTIÒ. Dei genitrici. Ipſa enim eſt & vocatur paſſim à SS. Patribus mediatrix noſtra, non quidem ad redimendum, ſed alias ob rationes.
1. Primò quia eſt aurora mundi; ſuo enim in Dei maternitatem aſſenſu adduxit nobis ſolem Iuſtitiæ. Suis item meritis & virtutibus, ac virginitate imprimis, cœpit, mitigauit & in ſinum ſuum recipit vnicornem illum, Deum, priùs erga mundum quaſi ferocem.
2. Secundò quia eſt arbor vitæ, quæ protulit nobis fructum illum nobilem & benedictum, quo reſtauramur ad immortalitatem; Chriſtum enim in vtero geſtauit, lactauit aliiſque obſequijs nobis educauit.
3. Tertiò quia eſt luna mundi; ſiquidem Chriſto in cœlos aſſumpto Magiſtra fuit diſcipulorum, & Euangeliſtarum, maximè Ioannis, qui ex eius ore & imperio Euangelium ſcripſerunt & Eccleſiam rexerunt.
4. Quartò quia eſt Aduocata noſtra apud filium, imò mundi totius columna. Nam vt ait D. Fulgentius 4. Mytholog. *Cœlum & terra iam dudum ruiſſent, ſi non Maria precibus ſuſtentaſſet.*

E. IV. Angelo cuſtodi. QVARTÒ. Angelo cuſtodi. Tobias vterque Raphaële offerebant dimidium bonorum, quæ attulerat filius, nec tamen exiſtimabant per hoc compenſari ſatis eius beneficentiam: ita exiſtimare & nos debemus, beneficia Angeli cuſtodis tanta in nos eſſe, vt compenſari à nobis nequeant. Et verò ſicut Raphaël adfuit Tobiæ è domo exeunti, iter foris agenti & ad domum redeunti, ita Angelus cuſtos adeſt homini in triplici ſtatu. Primò in matris vtero exiſtenti, ſicut Raphaël Tobiæ ante profectionem. Secundò à natiuitate vſque ad mortem. Nam vt in itinere Raphaël Tobiam ſemper comitatus fuit, inſtruxit in rebus gerendis, confortauit in periculis, præſeruauit à piſce & dæmone inſidiante, commendauit Domino Deo, haud dubiè offerendo etiam ipſius preces Deo, ſicut preces parentis eius: ſic etiam Angelus cuſtos velut pædagogus hominem comitatur, dirigit bonis conſilijs, confortat in anguſtijs & imprimis tempore mortis defendit ab inſidijs & præſeruat à quamplurimis periculis; offert Deo preces. Denique in tertio ſtatu, poſt peregrinationem huius vitæ conducit animam ad cœleſtem patriam. Iure igitur merito cum Tobiá dicimus: *Quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius?* Tob. 12.

QVINTÒ. Magiſtratui & ſuperioribus. *Ipſi enim peruigilant* (ô ſubditi) ait Apoſtolus ad Hebr. 13. *quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* q.d. non tantùm vigilas & labores, ſed præterea periculum graue ſalutis ſuæ & reddendæ rationis pro ſubditis in ſe ſuſcipiunt; vnde minus eſt, quidquid eis exhibetur. Audiuimus alibi quàm grati fuerint Romani erga anſeres illos, qui ſe dormientibus, vigilârunt & Gallos Capitolium occupaturos clamore ſuo prodiderunt. Idcircò enim anſeres aliquot ex decreto ſenatûs perpetuò alebantur in Iunonis templô, & quotannis anſer vnus in ſplendidâ lecticâ & veſte ſtragulâ ſedens per vrbem circumferebatur cum ſolemni pompâ ob memoriam beneficij illius. Plin. *l. 10. cap. 22.* Roſin. de antiquit. Rom. &c. Atqui ſuperiores noſtri perpetuò pro nobis vigilant, & cùm quid infeſtum nobis aduertunt, clamore ſuo produnt, non ſine moleſtiâ ſuâ & animæ periculo. An non iure illis & alimenta debemus & honorem? F. V. Magiſtratui.

SEXTÒ. Parentibus. Ita monet Eccleſiaſticus c. 3. *Qui timet Dominum*, inquit, *honorat parentes, & quaſi dominis ſeruiet his qui ſe genuerunt. In opere & ſermone & omni patientia honora patrem tuum, &c.* Vbi docet non externo tantùm honore colendos eſſe parentes, ſed obſequijs etiam & ſeruitijs veluti ſuperiores, quorum commodis magis ſtudendum ſit quàm proprijs: ſic enim & parentes ſeruierunt aliquando liberis ſuis, cùm eos educarent; magis enim attenderunt ad filiorum commoda quàm ad propria; quorum gratiâ non exigua ſubeunt pericula, vti inculcat filio ſuo Tob. cap. 4. *Memor eſſe debes*, inquit, *quæ & quanta pericula paſſa ſit* (mater tua) *propter te in vtero ſuo.* Ad hæc ſicut parentes liberorum ſuorum infantiam & infirmitates ſubleuant, ſordes, otium, ineptias aliaſque moleſtias tolerant: ita viciſſim filij ſubleuent & ſupportent parentum vetulorum imbecillitatem & defectus, prout ibidem monet Eccleſiaſticus: ἀντιλάβου id eſt, *ſubleua) ſenectam patris tui & non contriſtes eum in vitâ illius: & ſi defecerit ſenſu, veniam da, &c.* Sic faciunt ciconiæ, licet nullâ ad hoc lege obſtringantur; parentes enim vetulos & penè iam implumes ſuis pennis ſubleuant vtrinque eis aduolantes. Baſil. *l. 8. hexam.* Et licet aliquando filij aliquâ iniuriâ afficiantur à parentibus, non eſt tamen æquum vt propter vnam iniuriolam aboleatur ius, & memoria tantorum beneficiorum. G. VI. Parentibus.

Huc pertinet etiam patria, quam qui vel produnt vel impugnant, genimina viperarum ſe eſſe oſtendunt, quæ matrem propriam necant.

SEPTI-

H. VII. Præceptoribus.

Septimò. Præceptoribus diſcipuli; quoniam ab illis homines primùm fiunt, cùm bonis literis & moribus ab ipſis efformantur. Parentes dant eſſe liberis, magiſtri dant benè eſſe. Excelluit hac laude M. Antonius Imp. qui tantum honoris magiſtris ſuis detulit, vt eos præ cæteris ad oſculum admitteret, imagines eorum aureas in Larario haberet & ſepulchra eorum additis hoſtijs & floribus ornârit. Iul. Capitolin. Similiter & Nero initio quidem præceptorem ſuum Senecam tantis cumulauit opibus & honoribus, vt ipſemet Seneca apud Tacitum l. 14. Annal. alloquens eum dixerit: *Tantum honorum atque opum in me cumulaſti, vt nihil fœlicitati meæ deſit, niſi moderatio eius.* Sed verò poſteà mutatus Imp. morte eum plexit.

I. VIII. Dominis.

Octavò. Dominis; quia ſerui alimenta & mercedem ab ijs capiunt: debent ergo eis grati eſſe & res dominorum ſuorum fideliter ſeruare, nec non & vitam tueri. Docent hoc ipſæ beſtiæ, quæ ſuis altoribus gratæ ſunt & fideles, vti imprimis canes. E quorum numero habebat vnum vir quidam Colophonius (ex Inſula Colophone) quem ad nundinas Teon profecturus, ducebat ſecum vnà cum ſeruo. Seruus qui pecuniam domini non exiguam ferebat, diuertit nonnihil ab itinere vt naturæ ſatisfaceret, quem ſecutus canis marſupio interim ſepoſito ſedulus incubat. Recedens iterum ſeruus marſupium obliuiſcitur, vnaque canem illi incumbantem. Cùm autem ad emporium perueniſſet dominus & ſeruus re infectâ, cùm eis deeſſent nummi, eandem viam, per quam venerant, remenſi ſunt, cumque eò veniſſent, vbi priùs famulus de rectâ viâ diuerterat, eodem locò canem marſupio incubantem & præ fame vix ſpirantem offendunt. Qui vbi eos adeſſe vidit, tanquam pecuniâ in tuto collocatâ, à marſupio ſe remouens vno eodemque tempore & cuſtodire deſijt & viuere. Anton. de Balinghen *in Zoopad.* Hinc vtique ſerui & milites infideles ac rebelles ad ſuam ignominiam iubebantur olim in caſtris circumferre humeris ſuis canem. Maiol. to. 4. canic. coll. 1. quaſi eis diceretur: Diſcite vel à canibus fideles eſſe dominis veſtris.

K. IX. Seruis bonis.

Nonò. Seruis bonis & fidelibus grati ſint etiam domini. Sic enim monet Eccleſiaſticus c. 7. dicens: *ſeruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua; non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.* Et c. 33. *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua; quaſi fratrem, ſic eum tracta* &c. Ideò iuſſit Deus Exod. 21. ſeruum, qui ſe alteri Hebræo vendidit, ſeptimo anno liberum eſſe. Conſueuit accipiter, paſſerem, quem brumæ tempore comprehendit & pectori ſuo admouit ad calorem concipiendum, manè liberum dimittere & illæſum: quodque amplius eſt, ſedulò obſeruat, quonam paſſer auolet; ne poſteà & ipſe ad paſtum euolans in eundem incidat, & incognitum fortè rapiat ac deuoret. Lud. Granat. *l. 1. catechiſ. c. 37.* Atqui ſerui & ancillæ eiuſmodi aues ſunt, quæ labore & induſtriâ ſuâ dominorum res fouent & conſeruant, vnde vocantur die Ehehalten à ſeruandis coniugibus. Viderint ergo domini vt grati ſint illis, & non ſolum non perſequantur eos, ſed proſequantur beneficijs, donent libertate (ſi ſunt obſtricti) vel alant eos etiam, ſenectute & laboribus confectos, ne audiant alioqui, quod canis iſte venaticus exprobrauit hero: *Iuuenem amaſti, ſenem odiſti.* Bucephalo ſuo ſeni Alexander M. ſtabilem annonam decreuit, fructuoſæ iuuentutis gratiâ. Audi rem magis miram. Æneas Syluius lib. 4. comm. in res geſtas Alphonſi: *Sleſiæ dux*, ait, *teſtamentum dum conderet domum ædificari mandauit, in quâ canes qui vtiles venationi fuiſſent ob ſenectutem & corporis debilitatem à ſuis relicti dominis vſque ad mortem alerentur, deſignatis in eam rem nonnullis agris. Nec voluntas irrita fuit.* Docuit autem eo facto ſenes & decrepitos eſſe alendos, ne ætate & annis grauati poſt multos exantlatos labores penuria & fame perire cogantur.

Eodem pertinet quod Sabbos Caſtilioneus in libello, cui titulum *Ricordi* fecit, ait, olim in Brutis ſtatutum vt is qui vellet agere contra ingratos, teneretur ſonare campanulam ad hanc rem deſtinatam. Hoc ſigno dato mox conueniebant quidam Senatores, ij cognita cauſa, ſi reperiebant actorem habuiſſe iuſtas cauſas accuſandi aliquem ob ingrati animi vitium, mox iniungebant reo ſub graui mulcta compenſationem aliquam. Accidit vt cuiuſdam equus propter ætatem & diuturnum laborem oculis orbatus, ſtrigoſus, & prorſus inutilis fuerit factus. Ob eam cauſam expulerat eum herus domo, ideò vmbram quærens in locis opacis, ingreſſus eſt ſacellum in quo erat illa campana, cuius funiculo fortè annexæ erant frondes, quas cùm famelicus decerperet, commouit campanulam vt ſignum daret, mox conuenerunt iudices, & conſpecto equo illo famelico, mandauerant ipſius domino, vt eum ad ſe reciperet neque aliter tractaret ac ſi adhuc eſſet integer viribus, & ad laborem aptus. Quòd ſi bruta animalia non abijcienda viſa ſunt iſtis poſt bene merita: quanto æquiore iure fouendi in ſenectâ ſerui boni & fideles?

Ecce tibi nouem gratitudines, quas requiſiuit Dominus, quæ quàm laudabiles ſunt, ſi adſint in rep. tam ſunt vituperales, ſi deſint.

CONCIO III.

Incitamenta ad gratitudinem.

Expenditur, quàm rara ſit gratitudo; eamque amandam eſſe ſuadet.

1. Eius cum natura conformitas, exemplo delphini, accipitris, leonis & hianæ.

2.3.4. Quia nihil eâ facilius, vtilius & pulchrius, nihilq́; fœdius ingratitudine, quæ deſtruit fontem beneficij, mœrore afficit benefactorem, aliiſq; &c.

THEMA.

Non eſt inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Luc. 17.

A. Rara gratitudo. VEteribus prouerbium erat: *Nemo bene merito bouem immolauit, præter Pyrrhiam.* Quo quidem iudicabant, tantam eſſe hominum ingratitudinem, vt pauci admodum reperiantur, qui gratos ſe exhibeant erga benefactores, quemadmodum fecerat Pyrrhias. Is etenim, vt enarrat Plut. *in quæſtion. Græcanicis*, cùm nauis quædam piratica appuliſſet ad Inſulam Ithacenſem, vbi is degebat, in quâ fortè fortunâ ſenex quidam erat vnà cum cadis fictilibus plenis pice: ſenem dato pretio redimit à piratis: non ob id quòd eo ſibi foret opus, ſed partim quòd miſertus eſſet ſenilis fortunæ, partim hominis oratione perſuaſus. Emit autem vnà cum ſene cados illos picarios idque autore ſene. Deinde profectis piratis, quò Pyrrhiæ gratiam referret ſenex, quòd non ob lucri cupiditatem, ſed ob beneuolentiam ſeſe liberum feciſſet, indicauit in cadis multam pecuniæ vim pici admixtam, abditam eſſe. Quâ repertâ cùm Pyrrhias derepente diues eſſet redditus, cùm magnificè laudauit ſenis erga ſe gratitudinem, tùm eidem bouem immolauit, id eſt, magnificum opiparumque conuiuium inſtruxit, officij præmium. Inuenimus etiam in hodierno Euangelio aliquem, ſed vnum duntaxat eiuſmodi Pyrrhiam, Samaritanum illum, qui ſolùs è decem rediit ad Chriſtum, & dedit gloriam Deo pro accepto beneficio: vnde ſimili elogio celebrat eum Chriſtus, quo vetuſtas Pyrrhiam: *non eſt inuentus, qui rediret & daret gloriã Deo, niſi hic alienigena.* Atque vtinam non etiamnum hoc ipſum dicendum foret. Tanta enim eſt hoc ſæculò hominum ingratitudo, vt penè cum Senecâ dicere oporteat: *omne iam ingratum eſt genus.* At verò quid fœdius, quid homine indignius quàm ingratitudo? quid pulchrius, quid amabilius gratitudine? Hanc igitur vt addiſcamus & amemus virtutem, aliqua in medium afferenda ſunt.

B. 1. Gratitudo maximè conformis naturæ. PRIMVM. Quia nihil naturæ conformius. *Omnis enim effectus naturaliter ad cauſam ſuam conuertitur iuxta modum ſibi conuenientem*, vt ait D. Thom. 2.2.q.106.a.3. Benefactor autē, qua talis, eſt cauſa beneficiati. Debet ergo & homo conuerti ad benefactorem ſuum per intellectum & voluntatem ſuam (hic enim modus eſt ipſi conueniens:) Sic videmus flumina eò reuerti, vnde exierunt; terrea corpora in terram conuerti, iuxta id Domini. *Terra es & in terram ibis.* Iure igitur Dominus hominibus exprobrat: *non eſt inuentus qui rediret & daret gloriam Deo.* Ipſa enim natura reditum & conuerſionem hanc ad benefactorem ab illis exigebat. Quod vt magis pateat, afferemus exempla omnis generis beſtiarum, quibus ab ipſa naturâ inſitam eſſe gratitudinem manifeſtè oſtenditur. Primùm ſit de natalibus. Narrat Leonides Bizantius vidiſſe 1. Exempl. Delphini.
ſe in vrbis, quæ Pleroſelenum dicitur, portu, habitantem Delphinum, qui de manu aniculæ cuiuſdam eiuſque viri educari ſolitus erat ſimul cum puerulo eorum filio, cuius idem nomen etiam Delphino tanquam collectaneo impoſuerunt. Ex qua communi educatione Delphinus atque puer mutuum inter ſe amorem eumque vehementiſſimum conciliàrunt, ita vt à puero compellatus Delphis, licet in medio eſſet mari cum ſuis gregalibus ludens, aut curſûs velocitate cum naui aliquâ contendens, à multâ fame preſſus venaretur, ad puerum tamen tantâ celeritate redibat, vehementi impetu more nauis pleniſſimis velis impulſæ ferretur. Qui cum paulò ætate proceſſiſſet, nutritijs ſuis gratiam educationis ſic perſoluit, vt de prædâ quam venatus eſſet, parte ſibi ad paſtum reſeruata, reliquum ad eos deferret: quod vbi ab ijs animaduerſum eſt, hoc ceu vectigal lubentes expectabant atque admittebant, refert Ælian. *lib. 2. cap. 6.* Alterum ſit ex volatilibus. Accipiter ſolet brumæ tempore; cùm noctes 2. Accipitris.
ſunt longiores & frigidiores, paſſerem comprehendere viuum, quem ſibi vnguibus applicat vt eius calore foueatur & concaleſcat: vbi autem manè ſoluto ſomno euigilauit accipiter, quamquam fame preſſus (tùm ob noctis longitudinem, tùm ob ventriculi calorem) prædæ tamen, quam vnguibus tenet, parcit, paſſeremque priſtinæ dimittit libertati: & quod permirum eſt, attentè obſeruat, quonam ipſe volatu tendat, ne eandem fortè plagam verſus auolans & ipſe in eum incidat, atque non agnitum cogente fame rapiat. Refert Ludouicus Granat. *l. 1. Catech. cap. 17.* Addamus & de quadrupedibus vnum aut alterum. Notiſſimum imprimis illud de leone, cui An- 3. Leonis.
drodus quidam ſeruus Dominum fugiens in Africæ ſolitudine, ſpinam è pede extraxerat & ab eodem in compenſationem beneficij, prædæ venatione triennio in ſpeluncâ ſuſtentatus erat. Qui tandem comprehenſus & ad herum reductus, cùm ab eo ad beſtias damnatus eſſet, leo ille ſerui quondam hoſpes, fortè interim comprehenſus & Romam adductus in theatrum immiſſus eſt, vt diſcerperet ſeruum. At leo contubernalem & chirurgum ſuum agnoſcens, ſuauiter ei blanditus eſt, atque ad eius pedes ſe abiecit; cauens ſummoperè ne ei noceret cui incolumitatem ſuum deberet. Androdus igitur & ipſe hoſpitem

tem & nutritorem ſuum agnoſcens, eum tanquam peregrè venientem amplexatus eſt. Verùm cùm illa arte magicâ fieri exiſtimarentur, immiſſa eſt in Androdum pardalis, quæ cùm inuadere illum conaretur, leo idem ſeruatorem ſuum ab huius laniatu ſeruauit, illamque lacerauit. Rem itaque cùm Cæſari narraſſet, vt erat, Androdus, cunctis petentibus dimiſſus & pœna ſolutus, leoque ei ſuffragijs populi donatus: quocum ille poſteà tabernas obiens multa donabatur pecuniâ, floribus ſpargebatur leo, omneſque ferè obuij dicere audiebantur: *Hic eſt leo hoſpes hominis: hic eſt homo medicus leonis.* Hoc ſe vidiſſe ſcribit Appion. Polyhiſtor. apud Gellium *Noctium Att.l.5.c.14.* Narrat idem ſe vidiſſe in Amphitheatro Seneca, lib. 2. de benef. cap. 19. *Leonem, inquit, in Amphitheatro ſpectauimus, qui vnum è beſtiarijs, cùm quondam eius fuiſſet magiſter, protexit ab impetu beſtiarum.*
4. Exem.
Eum autem fuiſſe leonem illum Androdi docet Lipſius ad eum locum Senecæ. Refert etiam Hiſtoria Lauſiaca Palladij cap. 20. Hyænam, cuius catulo cœco viſum reſtituerat S. Macharius Alexandrinus, grati animi causâ viro ſancto pellem ouinam attuliſſe pro mercede. Quam pellem aſſerebat Melania ſeſe accepiſſe ab eodem Machario, quæ & appellata eſt, *munus Hyænæ.* Simile eſt, quod recenſet P. Damian. Card. lib. 6. epiſtolarum ep. 5. *Sicut fraterna,* inquit, *nihi conſtat relatione vulgatum. Veneti quidam inſtitores marina diſcrimina remigij labore ſulcabant: cumq́; applicuiſſent, formidoloſum ſtupendumq́; conſpiciunt non procul ab ipſa litorea crepidinis arenâ portentum, leonem ſcilicet, vt videbatur, draconis ſpiris obeuntibus inuolutum: cumq́; illinc draco captum ad ſpeluncam ſuam violenter attraheret, hinc miſerabilis leo, quibus valebat niſibus reluctaret, tandem quo loco cœpit deſperata reluctatione deficere, tanto magis draco inextricabilibus eum nodis innectens, animabatur victoriam obtinere. Sed Pandoces, qui repentè huic ſpectaculo ſuperuenerant, miſerantes infœlicem leonis vicem, audenter arma corripiunt, draconem perimunt, leonem de faucibus mortis ereptum abire permittunt. Sed leo, vt ita dicam nobiliſſimus beſtiarum, gratus vitæ ſuæ auctoribus extitit, & per aliquos dies, quibus illic remorati ſunt, vnam illic quotidie pellem capiti à ſe animalis adduxit. Quid ergo mirum, ſi ſancti homines & diuinis legibus eruditi percepto charitatis officio grata vice reſpondeant, cùm idipſum & brutum animal videatur impleſſe?* Plura alibi: hæc enim ſola cui non ſufficiant ad amplectandam gratitudinem? *Quis enim*, inquit Ambroſius l.6. hexam. cap. 4 *non erubeſcat gratiam bene de ſe merentibus non referre, cùm videat etiam beſtias refugere crimen ingrati?* Audi Deum per Iſai. cap.1. hac de re exclamantem: *Audite cæli & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt. Filios enutriui & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Quid ſibi vult illa cœli & terræ inuocatio? nimirum tantum eſt in homine vitium ingratitudinis, vt res etiam ſenſu carentes in eius deteſtationem inuocandæ viderentur; quòd nimirum in hac re beſtiis confunderent homines. Quid enim ſtolidius boue? & quid ſtupidius aſino? at illæ cognoſcunt dominos ſuos, id eſt, blandos ſe & gratos exhibent pro pabulo, arando, triturando, onera eius vehendo, obediendo, &c. Quod tamen pauci homines faciunt Deo & benefactoribus ſuis. Dedit itaque nobis Deus, huius virtutis Doctores beſtias, vt vel ab illis diſceremus: quæ cùm iam à mundi exordio nobis hanc lectionem tradant, an non mirum eſt, reperiri adhuc homines, qui ingrati ſint Deo ſuo, parentibus ſuis, præceptoribus & magiſtratibus ſuis, dominis ſuis?

C. II. Nihil eſt facilius.

SECVNDÒ. Quia nihil facilius. Si quis enim beneficijs beneficia nequit compenſare, faciat id voce, faciat vel corde: laudet benefactorem, agnoſcat beneficium, meminerit beneficij. Vnde S. Auguſtinus ep.5. ad Marcellin. ait: *Quid melius animo geramus & ore promamus & calamo explanemus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audire lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt.* Quæ res patet exemplo. Cùm enim quidam S. Antonino Archiepiſcopo Florentino donaſſet fiſcellam pomis refertam, ſpe maioris remunerationis; ſuſcepit blandè Archiepiſcopus, ſed *Deo gratias* ſolùm dicens, nihil aliud rependit. Abiens ergo qui donauerat, Archiepiſcopo detrahere & ingratitudinem eius proclamare cœpit. Accerſitum eum iubet Epiſcopus ſchedam cui inſcriptum erat, *Deo gratias*, ponere in trutinam, ex vnâ parte; & in alteram lancem poni fiſcellam cum pomis. Mirum, ſchedula illa ponderoſior fuit & in imum delata eſt: fiſcellâ in ſublime raptâ. Vincen. Magnard. in vitâ eius apud Surium *tom.* 3.

Primò itaque agnoſce beneficium & magno affectu ſuſcipe. Vnde Seneca *lib.2. de benef. cap.35.* ait: *Vis reddere beneficium? benignè accipe: retuliſti gratiam.*

Secundò lauda cùm potes & deprædica beneficium: quid hoc graue tibi? vel pro eo preces funde.

Tertiò gratiam etiam refer, pro loci & temporis exigentiâ: reuerentiam, honorem, obſequium, conſilium, opem etiam & ſubſidia, ſi indigeat.

D. III. Nihil eſt vtilius. 1.

TERTIÒ. Quia nihil vtilius. Nam Primò fauorem hominum parit. Vnde Antalcidas rogatus, quid agendum ſit ad hominum fauorem acquirendum, reſpondit: *Si gratus fueris, ſi ipſi grata loquaris, ſi grata ipſi præſtiteris.* Ratio eſt, quia gratus tam ſeruit benefactori, quàm benefactor ipſi. Quid enim maius: apud amicum deponere pretioſum aliquid: an fideliter ſeruare depoſitum? Vtique hoc maius, quia difficilius. At liberalis collatum beneficium deponit apud beneficiatum: hic autem ſi verè gratus ſit, committit illud perenni memoriæ, idque celebrat, deprædicat, & cùm

cùm poteſt, compenſat ac refundit.

Secundò. Quia gratus obligat ſibi benefactorem, vel excitat ſaltem ad nouum beneficium. Vnde Eccleſ.1.dicitur: *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Quò alludens S.Chryſoſt. hom.8. in epiſt ad Coloſſ. *Deus,* inquit, *exigit à nobis gratitudinem, non quod noſtrâ celebratione opus habeat, ſed vt quidquid eſt lucri, iterum ad nos redeat, & dignos nos faciamus maioribus ſubſidijs.* Ita legimus Ioſephum accepiſſe pretium frumenti à fratribus oblatum, ſed illud iterum clam in ſaccos eorum repoſuiſſe; quia cùm eſſet ditiſſimus, eo non egebat, Gen.42.

E. IV. Nihil eâ pulchrius. Nihil fœdius ingratitudine.

QVARTÒ. Quia nihil eâ pulchrius, vti nihil ingratitudine fœdius, in quam neceſſariò incidet, qui non fuerit gratus. Quid enim Primò iniquius, quàm deſtruere eum, cui inniteris? fontem vnde bibis? Vnde hedera, ingratitudinis typus fuit veteribus, quòd muros & ſepulchra deſtruat, quibus nititur. Pier. *in hierogl.l.* 51. Sic enim ingrati aliqui eò deueniunt, vt viuis & defunctis benefactoribus mala pro bonis reddant: quæ iniquitas tanta eſt, vt propterea aperuerit Deus os aſinæ ad redarguendum Balaam, qui pro ſeruitio aſinæ verbera ei infligebat, Num. 22. *Quid feci tibi?* inquit; *cur percutis me? ecce iam tertiò? Nónne animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueuiſti vſque in præſentem diem? dic quid ſimile vnquam fecerim tibi?*

1. *Quia destruit fontem beneficij.*

Deinde ingratitudo mærore quodam afficit benefactorem, propter iacturam malè collocati beneficij. Vnde expoſtulat Deus ipſe cum talibus Iſa. 1. *Filios enutriui & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me.* Et in hodierno Euangelio, *nónne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt?* Bene vtique nouerat Dominus, vbi eſſent. Sed interrogat in deteſtationem ingratitudinis. Sic olim Deus Adam: *Adam vbi es?* Neque hoc tantùm, ſed indignari etiam facit alios. Exemplum refert Seneca *lib.4. de beneficijs c.* 37. Etenim miles quidam Philippo Macedonum Regi perchatus ac ſtrenuus ſed auariſſimus, naufragio eiectus eſt in agrum cuiuſdam Macedonis, à quo gratis & humaniſſimè ſuſceptus eſt homo, alioqui ignotus, miſer peregrinus. Nam Macedo in villam ſuam eum tranſtulit, lectulo ſuo ceſſit, affectum ſemianimemque recreauit, diebus 30. impensâ ſuâ curauit, refecit, viatico inſtruxit, ſubinde dicentem: *Gratiam tibi referam; videre mihi tantùm Imperatorem meum contingat.* Cùm ergo diſceſſiſſet, narrauit Philippo naufragium, auxilium tacuit, & protinùs petijt prædium hoſpitis ſui, illius inquam ipſius, à quo tam benignè habitus erat: nec petijt ſolùm, ſed & impetrauit. Tulit iniuriam tacitus vir, ſed Philippo per epiſtolam ſuggeſſit, ſe eum eſſe qui naufragum illum militem hoſpitio accepiſſet. Quo intellecto irâ exarſit Rex & ſtatim Pauſaniæ mandauit, vt bona priori domino reſtitueret; cæterùm improbiſſimi militis dorſo ſtigma hoc inſcriberet: *Hic ingratus hoſpes eſt.*

2. *Mærore afficit benefactorem.*

Et alios.

Tertiò. Quia ingratus viri liberalis manus claudit & ſibi & alijs. Cogitat enim vir beneficus: Quando ita res habet, vt meis beneficijs non niſi hoſtes & ingratos mihi parem, ſuperſedebo impoſterum his officijs. Vnde *Pſal.* 34. ait Dominus: *Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ.* q.d. ingratitudine ſuâ fecerunt me ſterilem, qui alioquin erga ipſos eram liberaliſſimus & cum fœnore reddebam illis centuplum. Eſt enim ingratitudo *quaſi ventus exſiccans,* inquit S. Bern. ſerm.51. in Cant. *& vrens fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.* Nec mirum; nam per ingratitudinem gloria Dei, & bonitatis ac miſericordiæ eius, non ſolùm non promouetur, ſed etiam offuſcatur, non aliter ac ſol, poſtquam è terrâ vapores ſurſum traxit & euexit, à quibus tamen lumen eius potiùs impeditur. Vnde platonem dixiſſe ferunt, quatuor eſſe difficilia, quintum omnino impoſſibile. Primum ſeruire ſuperbo. Secundum petere ab auaro. Tertium negotiari cum mendace. Quartum tractare cum ignorante. Quintum (omnino impoſſibile) benefacere ingrato.

3. *Quia claudit ſibi manus benefactoris.*

Quartò. Quia ingratitudo Deum tandem vſque eò mouet, vt ingratos omninò abijciat, vti fecit Hebræis, quos ob ingratitudinem prorſus abiecit, quia poſt tot beneficia non retribuebant, ei niſi ſterilitatem, vt ex Pſ. 34. audiuimus: imò mala pro bonis. *Retribuebant mihi mala pro bonis; ſterilitatem animæ meæ.* In quem locum S. Auguſt. ait: *Ego attuli fœcunditatem, ipſi retribuebant ſterilitatem; ego vitam, ipſi mortem; ego honorem, ipſi contumelias; ego medicinam, ipſi vulnera; & in his omnibus, quæ retribuebant, vtique ſteriles erant. Hanc ſterilitatem in arbore maledixit, vbi fructum cùm quæreret, non inuenit &c.* Huc etiam pertinet parabola de vineâ *Matth.*21.& *Iſa.*5. tot ſumptibus extructâ, quæ tamen pro vuis fecit labruſcas. Propterea, ſubdidit Dominus: *Et nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: Auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Et ponam eam deſertam: non putabitur, & non fodietur, & aſcendent ſuper eam vepres & ſpinæ: & nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.* Vult dicere Iſaias in perſonâ Dei: Nudabo populum meum lege & protectione meâ: non reſecabo, nec compenſam luxuriantem eius malitiam: nec cor eius tangam compunctione neque excolam, ſed ſinam vepribus & ſpinis peccatorum oppleri ac ſuffocari: vetabo Doctoribus meis ne rigent cum imbre doctrinæ ſalutaris. Ergo aufert Deus beneficia & præſidia ſua ab indignis, vt per ſupplicia Deum cognoſcant, qui per beneficia cognoſcere noluerunt. Quòd ſi nec hoc pacto reſipiſcant, tandem prorſus abijciuntur quaſi alieni, quemadmodum populus Iudaicus ob ſuam ingratitudinem à Deo reprobatus, vti eis vaticinatus eſt per Oſeam & nomen filij eius, quem idcircò appellari præcipit *lo ammi*, hoc eſt, *non populus meus*

4. *Dei indignationem mouet.*

Digitized

meum. Oſe.1. Rationem ſubdit: *quia vos non populus meus & ego non ero veſter.* Contrà quia gentilis populus, qui longiſſimè à Deo aberat, cœpit tandem diuina in ſe agnoſcere beneficia & Apoſtolorum ad fidem inuitantium voces exaudire, in electum Dei populum ſubrogatur, iuxta id: *Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam.* Rom.9. Et illud: *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei.* 1.Pet.2. Videmus ergo vt ingratitudo ſuos cultores è Dei ſeruorum albo expungat, gratitudo in eum conſcribat.

CONCIO IV.

Lepra peccati quam polluat vniuerſum.

1. *Polluit cœlum, excitando in eo prælium inter Angelos bonos & malos.*
2. *Paradiſum, quem ex horto voluptatis fecit deſertum & execrabilem.*
3. *Eccleſiam, dum eius membra inficit & enecat.*
4. 5. *Rempublicam & genus humanum varijs modis.*
6. *Polluit terram & quæ in ea ſunt.*
7. *Aliquo modo etiam infernum.*

THEMA.

Occurrerunt ei decem viri leproſi, Luc.17.

A. QVæſiit aliquando S. Ludouicus Francorum Rex ex Seneſchalco Cãpaniæ, malletne leprâ infici, an peccato? Reſpondit is: *Peccato.* At Ludouicus acriter eum obiurgans: *Toto* inquit, *cœlo erras. Nequa enim lepra peccato fœdior, quod etiam poſt mortem affligit? Tu itaque, ſi me amas, eam mentem muta.* Ionuil. in eius vitâ c.94. Quid nobis, Auditores, videtur, de hoc Regis dicto? Ego ſanè ſapientiſſimum exiſtimo, idque facilè & pluribus oſtendi poſſet. Verùm ſufficiat in præſenti ſcire, quòd lepra corpus tantùm inficiat, peccatum verò animam; deinde lepra microcoſmum, ſeu hominem polluit; peccatum verò macrocoſmum ſeu vniuerſum. Vultis hoc videre? Aduertite.

B. I. Polluit cœlum. Peccatum PRIMÒ polluit cœlum. Excitauit enim in cœlo prælium inter Angelos bonos & malos, adeoque perturbauit ibidem ſuauiſſimam Angelorum harmoniam, imò infernum euocauit, & induxit in cœlum, eique poteſtatem dedit, veluti carnifici detrahendi inde in tartarum reprobos angelos. Hos enim *rudentibus inferni*, id eſt, catenis tartareis robuſtiſſimis, detractos eſſe in tartarum cruciandos ſcribit S. Petrus *epiſt.2.c.2.* Peccatum ergo cœlum prodidit inferno, ac diripiendum dedit, adeoque cœlum quaſi in infernum, Angelos in dæmones mutauit: & hos è ſubtiliſſimis ſpiritibus adeò graues & ponderoſos reddidit, vt deorſum ruendo cœlos perrumperent, imò & ſolidam ipſam terram, tartarique ima peterent. Quo ex caſu perturbatus fuit ordo cœleſtium ſpirituum & plurimæ in cœlo ſedes vacuæ relictæ, velut ſi ex organo abſolutiſſimo media pars fiſtularum exterminetur, ex quo concentus eius & harmonia plurimum imminuatur neceſſe eſt. Adhæc quia cœlum peccatis Angelorum & hominum quodammodò pollutum fuit. Deus illud clauſit, quo modo templum pollutum clauditur, donec reconcilietur ab Epiſcopo: clauſit, inquam hominibus, donec Chriſtus Pontifex noſter id expiaret ſuo ſanguine, & nobis reſeraret. In cuius rei figuram ſummus olim Pontifex ſanguine victimarum expiare iubebatur ipſum Sanctum Sanctorum, *Leuit.16.* Significat enim id, cœlum ipſum peccatis contaminatum, à Chriſto expiandum fuiſſe, vt docet ibi Radulphus.

C. II. Polluit paradiſum. SECVNDÒ Polluit Paradiſum, quem ex horto voluptatis fecit deſertum, adeoque execrabilem, vt hominibus inde pulſis Deus illum deſeruiret velut caſtrum vaſtatum, hominibuſque interdixerit, denique per diluuium omninò diſſiparit, vt plerique cenſent, & ſatis indicat Moyſes, *Gen.7.* cùm ait aquas diluuij præualuiſſe nimis (vt videlicet omnes domos & vrbes euerterent, omnes agros & hortos vaſtarent, omnes arbores eradicarent, omnia ſata & germina ſolo ſternerent) & operuiſſe omnes montes excelſos ſub vniuerſo cœlo, totamque terram anno integro occupaſſe. Quibus accedit, quòd nuſquam inueniri iam paradiſus poſſit & terra circa Euphratem & Tigrim aliaque flumina è paradiſo deriuata, adeoque illa vbi paradiſus fuiſſe exiſtimatur ad Apamæam Babyloniæ ſeu Chaldeæ vndique cognita & habitata ſit. Huius autem ſtragis & interdicti paradiſi vnica cauſa peccatum eſt. Erat paradiſus locus delitiarum omnium amœniſſimus, temperatiſſimus, redundatiſſimus omnis generis frugum. *Erant ibi*, ait S Baſil. l. de paradiſo, *omnia auicularum genera, quæ pulchritudine colorum & naturali muſicâ ac dulcedine concentûs incredibiliter oblectabant hominem. Erant illic variorum etiam animalium ſpectacula; ſed erant omnia manſueta, obedientia homini, inter ſe concorditer & pacificè viuentia.* Peccatum verò æternis repagulis occluſit homini locum illum, ſubtraxit ei imperium in ſubdita alioquin animalia, nec non delectationem & fructum maximâ ex parte, quem ex illis habere poterat: ipſa inter ſe animalia hoſtiliter diuiſit, & mutuis odijs accendit. Hæccine tibi clades maxima non eſt.

D. III. Polluit Eccleſiã. TERTIÒ. Polluit Eccleſiã, dum eius membra inficit & enecat, adeoq; ad tempus ſaltem inutilia reddit. Etenim Apoſt. ait 1. Cor.12. *Nos vnum corpus ſumus in Chriſto.* Huius corporis oculi ſunt Prælati, os Concionatores, humeri Principes, brachia Nobiles, manus Diuites, pectus Sacerdotes, venter Pauperes, pedes Plebs & Ruſtici alijque operarij. Ergo vbi horum vnum grauiter peccat, mox læditur Eccleſia, & tanto quidem grauiùs, quanto nobiliùs eſt membrum. Vnde enim inter nos perpetuæ lites & querelæ vnius de altero, niſi quia multi non faciunt officium ſuum, adeoque ſuis peccatis lædũt & affligunt proximos?

Præcipuè verò per hæreſin grauiſſimè vulneratur, imò membris ſuis omninò truncatur, vti videre eſt vel vnâ in Europâ, quæ effigiata in tabulâ Geographicâ ſpeciem habet Reginæ ſedentis, coronatæ & veſtitæ: cuius caput eſt Hiſpania, pectus Gallia, brachium dextrum Italia cum Siciliâ, ſiniſtrum Anglia cum Scotiâ & Hyberniâ, venter Germania, vmbilicus Bohemia, dextrum crus Vngaria, ſiniſtrum Polonia, pes dexter Græcia, ſiniſter Moſcouia; veſtis talaris verſus Septentrionem defluens, Dania, Suecia, Noruegia & adiacentes regiones. Iam verò quantas ſtrages ediderit in hoc corpore hæreſis Lutherana & Caluiniana, quis neſcit? ſola ſiquidem Hiſpania & Italia incolumis perſtitit: reliqua omnia membra vel præciſa vel vulnerata ſunt. A Caluino vulneratum pectus & venter, præciſum brachium ſiniſtrum. A Luthero vulneratus venter & vmbilicus, læſum ex parte vtrumque crus cum veſtibus ad Septentrionem protenſis. Crus dextrum maximâ ex parte, vnâ cum pede toto præciſum eſt à Turcâ. Et quis gladium hæreſum & Turciſmi exacuit in hanc regionem, niſi peccata noſtra ſeu maiorum noſtrorum, peruerſi mores, vitæque licentia? Niſi enim ſub illarum hæreſum exortu fuiſſet Clericorum diſciplina ſolutior, Doctorum vel raritas vel ſegnitia maior, omnium vita corruptior, nunquam tantum malorum ſenſiſſet ætas noſtra. Quemadmodum enim è corporum veſtiumque pædore ac illuuie pediculi: ſic è Catholicorum vitijs & ſordibus hæreſes naſcuntur.

F. IV. Polluit Rempublicam.

QVARTÒ. Polluit Rempublicam, & implet innumeris cladibus, quæ tangit etiam innocentes reprobis admixtos. Sic Hier. 3. arguitur Synagoga, quòd ſuâ Idololatriâ cauſarit clades publicas. *Polluiſti*, inquit, *terram in fornicationibus tuis & in malitijs tuis. Quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluuiarum, & ſerotinus imber non fuit.* q. d. Sceleribus tuis cœlum tibi clauſiſti. Publica enim peccata dum non puniuntur, terram & Remp. contaminant, & communes clades accerſunt, quia in publico peccato publicè ab omnibus peccari cenſetur, dum alij ferunt, alij diſſimulant, alij reticent, alij approbant, alij excuſant, alij defendunt, alij imitantur, alij inde quæſtum habent, &c.

Deinde ob peccata Regna & Reſpublicæ euertuntur & transferuntur. Regnum Chaldæorum ſeu Babyloniorum ſacrilegium Balthaſaris tradidit Perſis; Perſarum Regnum luxus, faſtus & ſuperbia euertit, tradiditque Græcis; Græcorum Regnum gula & ebrietas perdidit, tranſtulitque ad Romanos. Iudæorum ditionem, Regnum & Sacerdotium proſtrauit, & diſſipauit ſcelus admiſſum in Chriſtum Dominum. Denique noſtro ſæculo vidimus per bella Regna, ducatus & ditiones partim vaſtatas, partim tranſlatas, eiectos illarum Dominos. Quas Germaniæ mutationes & clades portendit ante paucos annos præcedens Cometa, minitans has clades velut flammeus gladius. Vt meritò de illo dicere poſſemus, quod Ezech. 21. legimus: *Gladius, gladius exacutus eſt & limatus. Vt cadat victimas, exacutus eſt: vt ſplendeat, limatus eſt.* Sed vnde prodijt, vbi fabrefactus eſt hic gladius? ſequitur paulò poſt: *Hic factus eſt in populo meo.* q.d. Ipſimet ſuis ſceleribus fabricati ſunt hunc gladium, quo crudeliter necarentur. Ita Græci, Afri, Syri & Ægypeij ſuis peccatis, hæreſibus, & contumaciâ in Sedem Apoſtolicam gladium Turcis fabricarunt & tradiderunt, quo ab ipſis exſcinderentur. Iiſdem nos ſuperioribus annis præbuimus acinacem, quo nos & noſtra demeterent, ad fines denique noſtros proximè adſerperent. Poteramus verè dicere cum Iſa c.64. *Alliſiſti nos* (vel vt alij legunt, *liqueſeciſti nos*) *in manu iniquitatis noſtræ.* Hoc enim noſtris non ſemel contigit, cùm ſtare ante Turcas non magis potuerant, quàm butyrum ante ſolem. Nimirum iniquitates noſtræ corda Germanorum, ſolida alioquin & imperterrita, liqueſcere fecerunt. *Hic eſt gladius quẽ ipſe feciſti;* dicebat miles quidam Mario (cui olim in fabrili officinâ laboranti miles ille operam nauarat) cùm eum adoriretur, apud Trebell. Poll.

F. V. Polluit genus humanum.

QVINTÒ. Polluit genus humanum & quidem multipliciter. 1. Primò deſtruit in homine gratiam, charitatem, & virtutes ſupernaturales, ſolam fidem & ſpem ei relinquit, ſed informes & mortuas, velut muros ſubrutâ domo. Per conſequens priuat hominem Spiritu ſancto inhabitante & iure cœleſtis hæreditatis. Quanta hæc damnorum moles? Hinc ingens eo momento fit mutatio in animâ; extinguitur enim ſubitò vita eius cœleſtis & pulchritudo ſupernaturalis, quâ Angelis, Sanctis & Deo ſimilis erat; & fit homo ex Dei templo ſpelunca latronum, ex aulâ Regis ſtabulum peccatorum, ex filio Dei hoſtis, ex cœli hærede reus gehennæ: tametſi hanc in ſe mutationem homo minimè aduertit. Vt enim fulmen in gladium incidens, vaginâ illæſâ gladium in eâ conterit: ſic peccatum vaſtat animæ bona interna, licet foris omnia ſarta tecta videantur.

2. Secundò deſtruit & vaſtat omnia eius opera bona, eorumque merita, quæ ipſe apud Deũ inſtar magni theſauri habebat. Hæc enim omnia fiunt inefficacia & mortua, licet plurima ſint & maxima. Teſtatur hoc Dominus Ezech. 18. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitiâ ſuâ,* inquit, *& fecerit iniquitatem omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Vnde quod egit mater illa improuida 3. *Reg.* 3. quæ dormiens oppreſſit filium ſuum: hoc agit ſtultus peccator. Opera enim ſua, quotquot illa ſunt, quæ maximis laboribus ſibi peperit, cũ obdormiſcit in peccato mortali, ſimul omnia opprimit.

3. Tertiò, pacem conſcientiæ exturbat, & introducit vermem cor rodentem ac lacerantem. Hinc illa vox Lamechi: *Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum,* Gen. 4. quia nimirum dum alium occidit, ipſe ſibi vulnus inflixit, dirum & purulentum.

4. Quartò hominem mutat in beſtiam, dum de ſta-

de ſtatu rationis eum ad beſtiales affectiones abijcit, quod teſtatur Dauid Pſ. 48. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Pulchrè id oſtendit Boëtius l. 3. de conſol. Proſa 3. *Quem*, inquit, *tranſformatum vitijs vides, hominem æſtimare non potes, ſed fuiſſe hominem adhuc ipſa humani corporis reliqua, ſpecies oſtentat. Auaritiâ feruet alienarum opum, violentus ereptor? ſimilem lupi dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigijs exercet? Cani comparabis. Inſidiator occultus ſurripuiſſe fraudibus gaudet? Vulpeculis exæquetur. Ira intemperans fremit? Leonis animum geſtare credatur. Pauidus ac fugax non metuenda formidat? Ceruis ſimilis habeatur. Segnis ac ſtupidus torpet? Aſinum viuit. Leuis atque inconſtans ſtudia permutat? nihil ab auibus differt. Fœdis immundiſq; libidinibus immergitur? ſordidæ ſuis voluptate detinetur. Ita homo probitate deſertâ vertitur in belluam.* Sic ille.

5\. Denique præcipitat hominem in omnia mala temporalia & æterna, ſpoliatque bonis omnibus.

G. VI. Polluit terram. Polluit SEXTÒ terram, & quæ in ea ſunt, ratione, ſenſu, vitâ carentia, tum quia ſuâ cohabitatione infamiam eis aſpergit; quam ob cauſam ab Apoſtolo *ad Galat.* 1. præſens ſæculum vocatur *ſæculum nequam.* Sic enim *infamantur & ſaltus*, inquit S. Hieron. *cùm latrocinijs pleni ſunt: non quòd terra peccet & ſylua, ſed quòd infamiam homicidij loca quoque traxerint.* Locus enim inter Ieruſalem & Iericho ſitus, appellatus eſt *Adomim*, id eſt, locus ſanguinum, ob frequentia latrocinia, teſte Hieron. in Epitaph. Paulæ. Propter Idololatriam, quam in montibus & vallibus Iudæi exercebant, increpat Deus montes & valles, Ezech. 6. *Hæc dicit Dominus montibus, & collibus, & rupibus, & vallibus: Ecce ego inducam ſuper vos gladium, & diſperdam excelſa veſtra.* Tùm quia cogit ea quodammodo ſibi ſeruire ad iniuriam Creatoris eorum. Ob quam cauſam affligitur & torquetur, vt ita dicam, terra, omniaque elementa, dum peccatorem ſuſtinent: ſicut qui crudum vel noxium aliquid comedit, nauſeam concipit, & vomitum prouocat. Sic enim monet Deus Hebræos, vt caueant ſibi à ſceleribus, quibus Chananæi polluti erant, & terram ſuam polluerant, ideoque ab eâ euomiti erant, Leuit. 18. *Cauete, ne & vos*, inquit, *ſimiliter euomat* (terra Chanaan) *cùm paria feceritis, ſicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos.* Quando verò terra euomere nequit improbos, punitur ſæpe cum illis; quemadmodum contigit in diluuio, vbi innoxiæ creaturæ exterminari propter hominem, aut ſaltem, pati debuerunt. Quid Pentapolis peccauit, & tota circùm regio, quæ priùs erat ſicut *paradiſus Domini* (Gen. 13.) vt mutaretur pænè in infernum? *Scribit enim Patriarcha Hieroſolimitanus* (inquit Borcardus in deſcriptione terræ S.) *qui ſæpe locum illum inuiſit, mare illud* (mortuum ſcilicet, vbi priùs Sodoma erat) *ſemper fumum reddere, & nebulam in modum camini infernalis; vnde tota illa vallis, quæ aliquando ob ſui fœcunditatem & amœnitatem illuſtris dicta fuit, ad ſpatium dimidiæ dietæ ſterilis & inutilis reddita eſt, ita vt nec vllum germen proferat ferè per ſpatium quinque leucarum*, &c. Subditque: *In quo diſtrictum Dei iudicium nobis ob oculos ponitur, qui tam ſeuerè grauia illa Sodomorum peccata vſque in hodiernum non deſinit punire. Nec niſi viſa hîc ſcribo.* hæc ille. Cui aſſentitur Pſalmus 106. vbi dicitur: *Conuertit terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in eâ*, id eſt, propter malitiam.

H. VII. Polluit infernum. SEPTIMÒ Denique polluit etiam aliquo modo infernum. Infernus enim ex naturâ ſuâ & primâ origine non eſt niſi pars & centrum terræ. Vbi verò Angeli peccarunt, centrum illud Dei operatione excauatum & formatum eſt in carcerem, eculeum ſeu ergaſtulum igne & ſulphure plenum. Peccatum igitur infernum fecit. 1.

Deinde peccata ſunt folles & fomenta gehennæ ignem accendentia & alentia. Cùm enim infinitam malitiam habeant, nullâ creatâ vi ſuperari aut extingui poſſunt; inde ignem illum perpetuò nutriunt. *Impietas malum eſt infinitum, quod ſemel accenſum, nunquam extingui poteſt*: ait Philo. Quoties igitur peccas, toties huic igni fomenta ſubminiſtras. Audi Iſaiam cap. 50. *Ecce*, inquit, *vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri & in flammis, quas ſuccendiſtis.* Conſonat huic loco, quod ſcribit Beda *lib. 3. hiſt. c. 19.* de viſione Furſei, qui videns ignem ſibi appropinquantem, clamauit ad Angelum ductorem: *Domine, ecce ignis mihi appropinquat.* Cui Angelus: *Quod non accendiſti, non vret te.* Igitur qui peccant, accendunt ignem illum, & prouocant inde, fouentque in æternũ. Hoccine verò nõ eſt polluere infernũ; incendio vaſtare? 2.

Denique peccata ita diuiſerunt infernum ab Vniuerſo, & quodammodò abſciderunt, vt nullâ ratione ſuccurri damnatis queat, nec Deus oculo miſericordiæ ſuæ eò pertingere. Hoc eſt, quod pater Abraham Epuloni, mendicanti ex inferno vnicam aquæ guttam, reſpondit: *Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.* Vbi pro *chaos* Græcè habetur *Chaſma*, hoc eſt, hiatus, ſciſſura ſeu vorago. Nunc verò quis hanc tam irreparabilem ſciſſuram fecit? quis immenſum illum hiatum inter beatos & damnatos aperuit, vt non poſſint, licet vellent illi ad hos tranſire opemque eis ferre? Reſpondet Iſaias cap. 59. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* O malum deteſtabile, quod tantum chaos firmare, & Deo ac Sanctis omnibus ita obfirmare poteſt, vt nullum eis aditum præbeat, nullum foramen aperiat, per quod oculum miſericordiæ vel ſaltem commiſerationis miſeris impertire poſſint! Bene igitur S. Auguſt. dixit in ſententijs ſent. 159. *Vnum eſt ſummum bonum, aliud autem ſummum malum: hoc eſt peccatum.* 3.

peccatum, illud Deus. Illud propter quod appetenda ſunt bona cætera, ipſum autem propter ſeipſum: hoc propter quod declinanda ſunt mala cætera, ipſum autem propter ſeipſum.

Vidiſtis, Auditores, qualis lepra ſit peccatum & quantum corpus polluat à capite ad calcem. Huc ergò reſpexiſſe videtur Moyſes, cùm *Deut.* 24. præcipit: *Obſerua diligenter, ne incurras plagam lepræ.* Quid hoc eſt præcipere? nunquid in hominis eſt poteſtate: vitare plagam lepræ? peccatum vitari vult, quod meretur plagam lepræ, quodque ipſum lepra eſt omnium pernicioſiſſima & meretur ſeparari extra caſtra, hoc eſt excludi à Deo & Sanctis omnibus, immenſo & inſuperabili hiatu. Diligenter igitur obſerua, quiſquis es, ô homo, & omnem adhibe conatum, ne lepram hanc incurras.

CONCIO V.

Iudæorum, magorum, hæreticorum conſortium, velut leproſorum, maximè fugiendum, & quidem ex præſcripto SS. Canonum.

1. *Triplicem ob cauſam vitandi ſunt Iudæi.*
2. *Item magi, venefici & diuinatores, quare?*
3. *Hæretici non ſolum iure Pontificio, ſed etiam Cæſareo; imò tribus in caſibus iure diuino vitandi ſunt.*

THEMA.

Occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè. Luc. 17.

A. CVR à longè ſteterint hi leproſi, in promptu cauſa eſt; quia nimirum *Leuit.* 13. præcipit Deus, vt leproſi habitent extra hominum ſocietatem, eam potiſſimùm ob cauſam, ne alios inficiant. Quod quidem ſemper eſt obſeruatum diligenter etiam ad noſtra vſque tempora. Hocque intelligentes leproſi hodierni, non fuerunt auſi Chriſto appropinquare, ſed ſteterunt à longè, cùm ſanitatem petierunt. Quòd ſi leproſi non ſunt tolerandi in hominum conſortio, quantò minùs nefarij homines, qui contagio peccati alios inficiunt? Atque vtinam leproſi iſti ſaltem ab hominibus ſe remouerent, & à longè ſtarent, adeoque ſoli eſſent mali. Sed quod maximè dolendum, impudentiſſimè alijs ſe aſſociant, vt leprâ ſuâ eos contaminent, quales circa nos non pauci. Videat itaque, qui bonus eſt, quomodo illos fugiat, & ſi illi à longè ſtare nolunt, ſtet ipſe longè ab eis, & quidem tantò longiùs, quantò grauior eſt animæ lepra, leprâ corporis. Vnde ad finem Apocalypſis S. Ioannes clamat: *Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ*, &c. Nec non Eccleſiaſticus cap. 7. *Diſcede ab iniquo.* Verùm vt ſciamus, quinam ſint nobis fugiendi, dicendum eſt, quinam maximè

B. ſint leproſi & contagioſi peccatores.

1. PRIMÒ vitandi ſunt Iudæi, triplicem præſertim ob cauſam. Primò, quia interfectores Chriſti fuère, eumque quaſi leproſum habuerunt, *Eſa.* 53. *Nos putauimus eum quaſi leproſum.* Hinc enim eorum Patriarcha Iacob abominatus eſt filios ſuos Simeon & Leui (*Geneſ.* 49.) cùm in ſpiritu præuidiſſet Meſſiam ab eis occidendum: *Simeon & Leui*, inquit, *vaſa iniquitatis bellantia: In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum.* Chriſtum videlicet, vt exponit S. Ambroſ. Origenes & alij, quem occidere præcipuè Scribæ, de tribu Simeon, & Sacerdotes de tribu Leui. Hanc cauſam prætendit S. Ambroſius, eâque conuicit Theodoſium Imperatorem, qui conceſſerat Iudæis ædificare ſynagogam Mediolani; palàm in foro eum reprehendens & confundens: quòd ſcilicet in vrbe, in quâ Chriſtus colitur, & crux adoratur, Synagogam Chriſti interfectoribus extruere conceſſiſſet. Vt patet *l.* 5. *epiſt.* 29. ad Theodoſium. Neque refert, quòd iſti ipſi Chriſtum non occiderint, qui nunc degunt; retinent enim idem in Chriſtum odium, & quotidie adhuc linguâ eum blaſphemâ crucifigunt velut nequitiæ hæredes, & malorum coruorum peſſima oua, vt mox dicam. Sanè Iudæis poſt Chriſti necem (vtique in pœnam ſceleris) naturalis & peculiaris ineſt fætor; vnde Ammianus Marcellinus lib. 2. vocat *fœtentes* Iudæos, additque eos idcircò Marco Imperatori graui fuiſſe faſtidio. Et Martialis *lib.* 4. *epigram.* ad Baſſam: *Olet*, inquit, ô *Baſſa, quod ieiunia Sabbatariorum*, id eſt, Iudæorum. Iure ergo vt fætentes hirci vndique expelluntur.

Vitandi ſunt Iudæi. 1.

Secundò, quia ipſi ſacra noſtra, & nos cane peiùs & angue oderunt atque abominantur. Saluatoris noſtri nomen præ odio nunquam nominant, & ſi fortè illud caſu legere vel ſonare contingat, ſeipſos mulctant, & colaphum ori impingunt: aut ſi id exprimant, dicunt, *Liſcu*, exponendo id per literas initiales, *immac, ſchemmo, vezichro*, id eſt, deleatur nomen eius, & memoria eius, refert Cornelius à Lapide *in cap.* 23. *Exodi.* Eundem dicunt condemnatum eſſe in infernum: occiſum ob ſcelera ſua, &c. B. verò Virginem, cuius puritati nulla creatura, ſecundum Ambroſium etiam Angelica comparari poteſt, ore coinquinato, meretricem vocare non verentur. De ſancta Cruce orant: *Sint maledicti, qui adorant lignum marcidum, & Dei cultum tribuunt ſuſpenſo.* De Chriſti diſcipulis & ſectatoribus orant: *Omnes hæretici, id eſt, diſcipuli Nazareni ſubitò pereant.* Quotidie ter in die in ſuis ſynagogis Rom. Imperij potiſſimumque Eccleſiæ Chriſti euerſionem impijs vocibus à Deo efflagitant. In F. Mardochei deferunt ollas ad ſynagogam & conterunt dicentes: *ſicut contritus fuit Aman, ſic regnum Chriſtianorum ſubitò conteratur.* Quando tranſeunt Eccleſiam Chriſtianorum, dicunt: *Domus ſuperborum, proſternat te Deus.* Quando per cœmiterium: *Erit verecundia & repudiata mater veſtra quæ vos peperit, quia finis Chriſtianorũ venturus eſt.* 2.

Quæ ex libro eorum, Mazor dicto, refert Bernardinus de Buſto in conſilio ſuo de Iudæis, apud Maiol. *to.* 3. *canic. coll.* 1. Taceo quòd licitum ſibi putant quocunque modo perdere Chriſtianos. Vnde quidam eorum magnus Rabbi dicit: *Optimus, qui inter gentes eſt, dignus eſt, vt illi caput conteratur, velut ſerpenti:* Corn. in Leuit. cap. 5. Denique Magiſter Hieronymus à ſancta fide cognominatus ex Iudaiſmo conuerſus & Benedicti XIII. Pontif. medicus refert in tract. quem edidit, de Thalmud. libri falſitate cap. 5. & 6. lege cautum eſſe in Thalmud, vt Hebræi quibuſcunque malis & incommodis potuerint, omnes Chriſtianos afficiant, in fraudem appellant, fortunis euertant, oblataque opportunâ occaſione trucident. Sanè hoc eorum odium non eſt priuatum: odium Dei eſt, religionis eſt, omnium Chriſtianorum eſt; ac proinde peiori odio dignum. Quis enim non odiſſe poteſt eos, qui Seruatorem noſtrum noſque omnes adeò oderunt?

3. Denique quia peſtis & pernicies ſunt Chriſtianorum, quos vſuris iniquiſſimis exhauriunt & fraudibus innumeris circumueniunt, ita vt Iudæos inter Chriſtianos tolerare, non ſit aliud quàm ſerpentem in gremio alere, vel lucios in piſcinam mittere, qui reliquos piſces deuorent. Ac primò quidem vulpinam induunt pellem, Chriſtiano alicui diuiti commercia ſuadent, pecunias credunt: poſtmodùm cùm eum vident nummos expendiſſe, lupinam induunt, ſtrictè pecunias exigunt, quò maiori cum fænore eos cogant moram emere vel plures nummos mutuò ſumere. Demum Crocodili pellem aſſumunt cogendo creditorem vt res ſuas vel ei oppignoret vel leui pretio vendat, ſicque eum omninò deuorant. Et hanc technam ſtatim etiam progeniem ſuam docent, ſicut & crocodili proles ſuas artem rapiendi. Ad extremum nullo ſe iuramento teneri putant, niſi iurent manu impoſitâ ſuper librum legis ſuæ. Idcircò olim Norimbergenſes & aliæ reſp. non admittebant eos ad iuramentum, niſi iurarent ſupra librum legis ſuæ. Adhæc in die expiationis à Rabbinis ſuis abſoluuntur ab omnibus iuramentis. Quomodò igitur eos non vitemus vt leproſos? Sæpè meritò puniuntur & in anguſtias rediguntur, qui rem cum iſtis habent. Quod enim prædixit & minatus eſt olim Iudæis Dominus, ſi Chananæos gentiles non delerent, ſed inter ſe tolerarent *Num.* 33. hoc iam ferè contingit nobis, ſi cum Iudæis negotiemur. Quid ait ibi Dominus de Chananæis? *Erunt vobis claui in oculis & lanceæ in lateribus, & aduerſabuntur vobis in terrâ habitationis veſtræ, & quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam.* Claui ergo Hebræi in oculis Chriſtianorum ſunt, quia ſuis aureis & argenteis nummis, quos oſtendunt & mutuos offerunt, plurimos exoculant & decipiunt, ac deinde rebus ſuis exuunt, vt miſeri ad extremum nihil ampliùs in domibus ſuis videant. Lanceæ in lateribus, ob perpetuam exactionem maioris & minoris fœnoris.

Sed quod peſſimum, claui ſunt in oculis & lanceæ in lateribus, quia ſæpe eorum malis exemplis Chriſtiani peruertuntur & quaſi ſtimulis incitantur ad eorum technas, fraudes & vſuras imitandas: quod vtinam non de aliquibus Chriſtianorum ciuitatibus dicendum ſit. Sed heu ex nimiâ Iudæorum familiaritate videntur multi Iudaizare & in propria membra ſæuire, in proprios, inquam, fratres, dum iuſtæ monetæ à Chriſtianis auferuntur & Iudæis dantur, vt ipſi eaſdem deteriores reddant. Quid? nónne Dominus Matth. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus?* Olim certè canes fuere gentiles, Iudæi filij. Sed quia ipſi repulere patrem, Chriſtum eiuſque Euangelium, nunc ipſi canes ſunt, gentiles verò, id eſt, Chriſtiani, facti filij. Id quod ſignificauit mutatio manuum Iacob, ſuper Ephraim & Manaſſe, *Gen.* 48.

Porrò SS. Canones *causâ* 28. *q.* 1. *c. nullus.* hæc in ſpecie ſtatuunt: nequis cum illis azyma comedat, aut cum iis communicet, aut aliquem eorum ad infirmos vocet, aut medicinam ab eis accipiat, aut in balneo cum eis lauet: & contrà facientes iubent deponi, ſi clerici ſint: excommunicari, ſi laici. Quam ſanctionem aliquot Pontifices inſtaurarunt, vt patet ex decreto Greg. XIII. quod incipit: *Aliàs pia memoriæ,* data Romæ 30. Martij anno 1581. Item Can. *Omnes,* mox ſequenti ſancitur, nequis eos ad communia excipiat: ratioque additur, quia cum illi communibus Chriſtianorum cibis non vtantur, indignum & ſacrilegum eſt, eorum cibos à Chriſtianis ſumi, ac ſi inferiores eſſe incipiant Iudæis, ſi nos quæ ab illis apponuntur vtamur, illi verò à nobis oblata contemnant.

C. II. Magi, venefici, diuinatores. 1.

SECVNDÒ. Magi, & qui magicis vacant artibus, venefici, diuinatores & veratrices, ſimiles, velis remiſque fugiendi. Primò quia ſunt inimici Dei: ait enim lex, *liberi,* c. de inoff. teſtam: *Inimicus meus is etiam eſt, qui verſatur cum inimicis meis.* Magi verò pactum habent ſiue explicitum ſiue implicitum cum dæmone, Dei hoſte, ac proinde & ipſi hoſtes eius ſunt. Vnde Leuit. 20. dicitur: *Anima quæ declinauerit ad magos vel ariolos, ponam faciem contra eam & interficiam illam de medio populi ſui.* Propterea S. Bernardus adhuc puer, ex capite dolens, (vt eſt in eius vita l. 1. c. 2.) cùm vetula ad eum adducta eſſet, quæ carminibus & incantationibus dolorem leniret, cum indignatione exclamans eam repulit; & paulò poſt diuinam ſenſit virtutem, eodem enim die conualuit. Sentiremus ſæpe diuinum auxilium, ſi ad Deum, & non potiùs ad magos, confugeremus. Sed quia Deo contempto ad Dei hoſtes confugimus, meritò Deum hoſtem experimur.

2. Secundò. Quia dæmon illorum operâ plurimos alios homines ad peccatum pertrahit, nequiſſimus nimirum mercator, qui ſalutem corporis vel rem ablatam pollicetur & quandoque dat, vt animæ ſalutem auferat: ac ve-

ac veluti nutrix ſpeculum exhibet infanti, interim illi aureum nummum ſubripit è manu. *Nulla vtilitas temporalis*, inquit D. Thomas 2. 2.q.95.art.4. *comparari poteſt detrimento ſalutis ſpiritualis, quod imminet ex inquiſitione per dæmonum inuocationem.* Si Marius poſt abſciſſum ſibi crus vnum, conſentire noluit in ſectionem alterius, eſtò illam iudicarent medici conſeruandæ vitæ neceſſariam, quanto minùs admittenda vel quærenda eſt curatio corporis trahens poſt ſe animæ ipſius interitum? Cùm iuſſiſſet Ramiſes Ægypti Rex Architectis nobiliſſimam ſurrigere pyramidem & cauere ne aliquâ ex parte violaretur, atque ad vigilantiam eorum ſolicitudinemque acuendam, filium ſuum paruulum alligari iuſſiſſet cuſpidi pyramidis, cautiſſimè circa illam verſati ſunt, præcipuè ne puer ipſe læderetur, cuius proinde ſalus eis commendatiſſima lapidi valde profuit. Ad eundem modum Deus corpori noſtro alligauit animam velut ſpiritum nobiliſſimum, vt in omni noſtrâ actione ad eius ſalutem & incolumitatem præcipuè attenderemus, nec quidquam corporis gratiâ faceremus, quod in animæ detrimentum cedat. Vnde ſi corpus ægrum erigere, rebus tuis temporalibus prouidere cupis, cautè agito, animam ne lædito.

3. Tertiò. Quia talium commercium plenum eſt periculo. Quis enim quæſo ſalutem etiam corporis ab humani generis hoſte, eiuſque miniſtris ſperet? Vitam tibi potiùs eripere & collum frangere omnibus modis quærunt, ſi modò id non impediat Deus, tantum abeſt, vt te ſaluum & ſanum velint. Vnde S.Chryſoſt. lib. contra Iudæos ait: *Medicinam à dæmonibus expetis? Cùm abirent in porcos Chriſti permiſſu, dæmones, in mare ſtatim illos præcipitârunt* (Matth. 8.) *& hominum corporibus parcant? eiecerunt ex paradiſo, honore cæleſti orbârunt, & corpus curabunt?* &c. Plurima ſunt exempla, quæ quàm noxiæ ſint hæ magorum ac dæmonum conſultationes, clarè demonſtrant.

Sacri canones magos excommunicant, ſacris prohibent, & infames eſſe declarant cap. *pro dilectione*, de conſecr. d.2. quod ipſum etiam intelligendum de ijs qui eos conſulunt cap. *quiſquis*.2.q.8. cap. *teſtimonium*. de teſtib. cap *ſiquis ariolus*.26. quæſt.5.

D. III. Hæretici. Tertiò. Hæretici. Hi etiam non in Pontificijs tantùm, ſed etiam in Cæſareis iuribus procul vitari iubentur. *Hæreſum ſectatores*, inquit Codex Theodoſij l.14. de hæret. *ab omnibus locis iubemus inhiberi, à mænibus vrbium, à congreſſu honeſtorum, à communione ſanctorum*, &c. Quin etiam ipſe Apoſtolus ad Tit.3. *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correctionem deuita.* Et quidem Primò quia ſunt

1. profugi de Eccleſia, eiuſque deſertores. Propterea SS. Patres & antiqui Chriſtiani quia magni erant fidei zelatores, ſummoperè eos auerſabantur & fugiebant. S. Ioannes in 2. ſuâ epiſt. vult eos non recipi in domum, nec aue eis dici. *Nec aue ei dixeritis*, inquit. Idem cùm aliquando balneum eſſet ingreſſus vbi Cherinthus hæreticus lauabat, exilijt eo viſo, dicens, *timere ſe ne balneum concideret, vbi eſſet Cherinthus veritatis inimicus.* Sanctus Polycarpus Ioannis diſcipulus Marcioni hæretico obuians & ab eo rogatus an eum noſſet: *noui*, inquit, *primogenitum diaboli.* Laude digniſſima in hac re Samoſata ciuitas fuit, quæ eiecto à Valente Ariano Imp. in exilium Euſebio eorum Epiſcopo, viro ſancto; Arianum acceperunt ab Imp. Eunomium: ſed nemo ex omnibus aures ei præbuit vel cùm eo loquebatur, vnde ſcamnis tantùm & parietibus concionabatur. Qui balneum aliquando ingreſſus, inuitans illos ad balnei ſocietatem, neminem omninò ſocium habuit, niſi aliquos cum ſilentio adſtantes: quo diſcedente effuderunt aquam in qua lauerat, velut contaminatam in cloacam; quare paulò pòſt vltrò diſceſſit. Datus eis poſt hunc Lucius, item Arianus: ſed ipſi ſimiliter eum auerſabantur: qui cùm aliquando in aſello forum tranſiret & pueri ibi luderent, accidit vt pila per aſini illius pedes volueretur, quam proinde contaminatam eſſe exclamantes, circùm accenſo igne luſtrârunt eam, quaſi priùs tangi vt impura non deberet. Refert Baron. Anno 370. S. Paphnutius Abbas inter eos conſidere noluit, nec alium conſidere paſſus eſt. SS. Alexander & Caius martyres, dum ad mortem ducerentur cum quibuſdam hæreticis, id tantùm orabant, vt ſeparatim occiderentur, ne eorum ſanguis miſceretur hæreticis. Beyrlinck in apophth. Coſmas vir piiſſimus, cùm ſepeliretur ad eum hæreticus, clamat de ſepulchro: *noli me tangere hæretice: ne accedas ad me hæretice.* In prato ſpir. c.40.

Secundò quia ſunt fraudulenti, deceptores & blandiloquentiâ ſuâ facilè peruertunt animos, *quorum ſermo vt cancer ſerpit*. teſte Apoſtolo 2. *Tim*.2. in quem locum S. Leo *ſerm*.5. *de ieiunio* ait: *humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, occultè occidunt.* Vt enim leproſus inficit alium, & membrum putridum alia ſibi adhærentia: ita hæretici. Vnde bene Franciſcus I. Galliæ Rex dixit: *ſi ſcirem brachium meum hæreſi infectum, reſcinderem & comburerem:* per brachium ſine dubio coniunctiſſimum ſibi intelligebat, iuxta id: *ſi manus vel pes tuus ſcandalizet te.* &c. Refert Beyrlinck in apopht. Chriſt. Bene inquam, nam alioqui ſerperet & totum corpus inficeret. Quot Eccleſiæ membra vno ſæculo, quot nationes, quot ciuitates infecit hæreſis Lutherana & Caluiniana? Ingens & ſæuiſſima fuit ſub Commodo Imp. peſtis (refert Dion. Nicæus & Xiphilinus in vitâ Commodi) quando malefici homines res oblitas venenis quibuſdam in alios conijciebant, mercede ad hoc conducti: vnde Romæ ſæpe in die ad 2000. moriebantur, & paſſim fere ſub omni Imperio Rom. homines peribant: ſed hæreſis noſtro tempore longè latiùs graſſata eſt & ſubtiliùs hominibus aſperſa; peſte longè pernicioſior. A peſte enim nemo non citò liberari cupit;

cupit: ab hæreſi nemo ſuſtinet, nemo admittit remedium, ſed quærit vnuſquiſque eam alijs inſerere & dilatare.

Denique quia dogmata noſtra & hæreticorum tam diuerſa ſunt in plurimis articulis, vt modus non ſit conciliandi vtrorumque animos; diuerſa ouilia, diuerſi ritus, diuerſi fines, &c. *Quæ* autem *conuentio Chriſti ad Belial?* & quæ vicinitas inter fullonem & carbonarium? Non poſſunt cohærere animi verè Catholici & Lutherani vel Caluiniani, cùm alter alterius doctrinam deſtruat. Nec quidquam hac in re poteſt Confeſſio Auguſtana, quæ pacem tantùm ciuilem concernit, animos connectere non poteſt; quia Lutherani ab Eccleſia in communionem nunquam recepti ſunt, nec recipientur in æternum. Ciuilis illa pax inter vtramque religionem ſancita ſimilis eſt vinculo ligneo, quo colligatur in horto arbor, quæ ſupernè fiſſuram aperuit & diruptionem minabatur. Porrò vinculum illud neque diu durare neque efficere poteſt, vt diuiſa arbor rurſum coaleſcat. Quare licet quidem nobis cum hæreticis illis, qui in imperio tolerantur, agere in rebus ciuilibus, (quando aliter fieri nequit;) nequaquam tamen in rebus fidei: multò minùs cum ijs qui nominatim declarati ſunt hæretici vel excommunicati. In tribus autem caſibus iure diuino ac naturali fugiendi ſunt. Primo cùm periculum eſt, ne tu vel tui ab ijs peruertantur. Secundo cum videris eorum hæreſi fauere. Tertio cùm ſcandalum creas alijs. Quare, Auditores, *fugite impias & Deum abnegantes hæreſes*; (vtor verbis S. Ignatij mart. in ep. ad Trallianos) *diaboli enim ſunt adinuentiones, ſerpentis malorum auctoris, qui per mulierem ſeduxit Adam.* Vniuerſim fugite omnes leproſos prædictos; elongate vos ab eis, ne à vobis ſe elonget Deus.

Quando iure diui. ne vitandi.

CONCIO VI.

Qui potiſſimum Homines in communitate non tolerandi, & ab alijs vitandi ſint.

1. *Qui leprâ carnis laborant; vt ſunt libidinoſi, validi mendicantes, incorrigibiles & contumaces.*
2. *Domus laborantes leprâ domus; vt ſunt malè moratæ, vſurariæ & ſuſpectæ de hæreſi.*
3. *Qui leprâ veſtium laborant: vt compiuli, ſeditioſi & ſcandaloſi.*

THEMA.

Quos vt vidit, dixit: Ite. Luc 17.

A. NVm. 5. loquitur ad Moyſen Dominus: *Præcipe filijs Iſraël, vt eijciant de caſtris omnem leproſum.* Cuius præcepti triplex videtur fuiſſe cauſa. Prima quæ dicto loco, in Hebræo indicatur: *quia ego* (ſcilicet Deus, qui mundiſſimus ſum) *habito in medio veſtrûm.* Altera, ne leproſi alios inficerent, vti ouis ſcabioſa reliquas. Poſtrema, vt in hac ſolitudine leproſi ab hominibus deſtituti, diſcerent ad Deum recurrere. Quòd ſi leproſos eijci voluit Deus & quidem has ob cauſas: quanto rectiùs eijciendi ſunt ab hominum conſortio graues & contagioſi peccatores? ſi enim Deus puriſſimus non vult habitare cum populo, in quo eſt leproſus; quanto magis cum eo, in quo eſt peccator grauis? ſi eijciendi leproſi, quia alios inficiunt; quanto magis tales peccatores, qui & ipſi alios corrumpunt? ſi eijciendi leproſi, vt ad Deum recurrant, cur non & illi peccatores, vt proiecti ab hominibus diſcant ad Deum per pœnitentiam recurrere?

Porrò triplex lepra vitanda & ſeparanda proponitur Leuit. 13. & 14. Lepra carnis, lepra domus, & lepra veſtium. Iuxta hanc triplicem lepram, triplices leproſos reperio ſenſu myſtico; quibus omnibus quamprimùm eos viderimus, dicere debemus cum Domino in hodierno Euangelio. *Ite* id eſt, abite malæ peſtes. Vultin eas nôſſe? audite.

Triplex clim lepra eijci iuſſa.

PRIMA. Lepra carnis. Hac infecti ſunt primo libidinoſi. Scorta inprimis ex communitate pellenda ſunt, quia multos inficiunt & ſecum in barathrum trahunt. Exod. 21. iubet Deus operiri foueam, alioquin dominum illius reddere totum damnum, quod accidit cadentibus in eam. Atqui *fouea profunda* eſt *meretrix*, inquit Sapiens, *Prou.* 23. Peccant igitur non modò ipſæ foueæ & meretrices, quæ ad caſum alios trahunt, ſed & fouearum domini, parentes & magiſtratus, qui eas non operiunt, ſeu non expellunt. Viderunt hoc primi duo Imperatores Chriſtiani, Philippus & Conſtantinus M. quorum ille meretricum impudicitias lege ſuſtulit, hic verò pòſt ab Ethnicis reſtitutas, denuò proſcripſit. Quòd ſi Iudæis Deut. 23. præcepit Deus: *Non erit meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator de filijs Iſraël:* quanto magis præcipitur id Chriſtianis, quorum corpora per baptiſmum facta ſunt templum Spiritûs S.? Præcipit ergo Dei lex Primo filijs & filiabus, vt caueant à ſcortatione: deinde parentibus, ne permittant ſcortari liberos vel proſtituant filias. Deinde magiſtratibus, vt non tollerent publica ſcorta & lupanaria. Nam ſi meretricem vnam non vult Deus eſſe, multò minùs lupanaria.

B. I. Lepra carnis. Hac laborant 1. *Libidinoſi.*

Huc pertinent lyricines & pſaltriæ quas ſuſtulit è ciuitatibus Theodoſius Imp. *lib.* 10. *de ſcenic. C. Theod.* & expelli iubet ex ædibus velut mortifera Syrenarum carmina S. Hieronymus *in ep. ad Furiam.*

Secundò. Tales ſunt validi ſed pigri mendicantes, atque otioſi. Vt enim leproſi ad laborem inutiles redduntur, quia in illis, vt ait Bart. Angl. *l. b. 7. cap. 64.* contrahuntur digitorum articuli & manus quaſi aridæ efficiuntur: ſic inutiles, ſunt otio aſſueti validique mendicantes, qui in communitate nequaquam tolerandi; tum quia per otium addiſcunt etiam grauiora ſcelera, furta, rapinas, &c. quid enim otium niſi nutrix vitiorum? Vnde Martialis: *Quæritur Ægyſtus quare ſit factus adul-*

2. Validi mendicantes.

Etus adulter? In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat. Adhæc Eccle. 33. *multam malitiam docuit otioſitas.* Nimirum, docet ludere, heluari, debita contrahere, litigare, furari. Vnde apud Sinas optima politia, quia nulli otioſi. Tum quia alijs egentioribus nocent, & quæ iſtis debentur, illi deuorant: ſchneiden ihnen das Brott vor dem Maul ab. Cauſant etiam annonæ caritatem, dum non laborant & interim innumeris liberis item otioſis mundum replent. Apes certè expellunt & necant fucos, qui mella non conficiunt, ſed ea dumtaxat quæ apes confecerunt, dilapidant. Nos verò iſtos alimus? Draco Bythiniæ rex, tales lapidari iuſſit, quòd videlicet, quia alienos labores comedunt, digni ſint omnium manibus occidi.

3. *Incorrigibiles & contumaces.*

Tertiò. Tales ſunt incorrigibiles, qui inſtar putridæ carnis nulla ſalis fricatione emendantur, ac proinde velut emortua caro vitantur & excluduntur à communitatibus. Siquis leproſus apparebat, iuſſit eum DEVS priùs recludi ſeptem diebus, quibus elapſis, ſi lepra creuiſſet, debebat leproſus iudicari & omninò excludi; ſin minùs reſtitui. Sic reprobi inprimis corrigendi; ſed ſi non emendentur & peiores euadant, omninò ſunt vitandi & tandem excludendi. Medici etiam explorant lepram fricatione & acu. Si enim caro fricta non rubeat, aut acu puncta non ſanguinem, ſed lacteam aut aquoſam humiditatem reddat, ſignum eſt eſſe lepram, ex Galeno & Auicenna. Pari modo ſiquis correctione frictus & confuſus non erubeſcat: & caſtigatus non doleat, nec ſanguinem lachrymarum effundat: ſignum eſt à DEO proiectum, & ab omnibus meritò tanquam diaboli mancipium vitandum. Ita enim iubet Dominus Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Quare Eccleſia tales excommunicat & interdicit omni commercio hominum: & velut lanio carnem inutilem è macello abijcit ad canes. Ratio, quia qui cum talibus viuunt, participes eorum fiunt, & cum illis puniuntur, vti familiæ Core, Datan & Abiron vnà cum heris ſuis. De his ergo monet DEVS Num. 16. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.*

C.
II.
Lepra domus.
Hac laborant.
1.
Domus malè morata.

SECVNDA lepra eſt, lepra domûs, *Leuit.* 14. Hac laborant, Primo domus illæ, quæ corruptione morum infectæ, proinde infames ſunt: quales ſunt luſoriæ; ibi enim inficiuntur multi, (ſiquidem nemo ſolus ludit) ibi nomen Dei iugiter blaſphematur, ibi multæ fraudes committuntur, & inde contentiones oriuntur ac rixæ, ibi denique alter alterum deuorat; quare huiuſmodi domus terra illa vocari poſſunt, de quâ exploratores dixére: *Terra, quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos.* Num. 13. deuorat enim fortunæ, ſæpè corporis & ordinariè animi bona. Tales item tabernæ potatoriæ, in quibus perpetuæ comeſſationes fiunt. Eiuſmodi domus videntur fuiſſe filiorum Iob, qui quotidie per ordinem conuiuia agitabant: vnde tandem domus ſuper eos corruit, diabolo machinante & Deo permittente, omneſque oppreſſit. Ita euenit ſæpe eiuſmodi domibus vt vel debitis opprimantur & tandem dominos euomant: ſicut dixit Diogenes de domo cuiuſdam heluonis venali factâ: *Minimè dubitabam quòd vini crapulâ excuſſâ dominum euomeres.* Bruſ. lib. 1. cap. 19. vel aliter puniantur.

Secundo leproſæ domus ſunt, quæ alias domos expilant, quales vſurariorum & ſimilium, qui ædificant & dilatant domos ſuas ex vicinorum pauperum ſanguine. Eò pertinent propolæ, qui in ciuitate omnia coëmunt, & alijs præripiunt. Cuiuſmodi mercatores ſanguiſugas populi quiſpiam vocauit: ſuntque inſtar vermis, qui pomum vel nucem exedit. Qui huiuſmodi domos tolerant, ſerpentem in ſinu fouent, & quaſi obſidione quadam ciuitatem ſuam premunt. Dum enim auari illi omnia ad ſe trahunt, reliquis communitatis membris ad parandum victum aditum præcludunt. Bene eos Sanctus Ambroſius vocauit *pauperum ſepulchra*, quia eos abſorbent & conſumunt. Vt ergò ſepulchra decentiori loco ſunt, cùm extra vrbem ſunt: ita & auari illi. Certè illis ſepulchris (auaris, qui *coniungunt domum ad domum, & agrum agro copulant*, quaſi ipſi *ſoli in terra habitare* deberent) minatur Deus aliud ſepulchrum Iſaiæ 5. cùm ſubdit: *Propterea dilatauit infernus animam ſuam & aperuit os ſuum abſque vllo termino & deſcendent fortes eius.* 2. *Vſuraria.*

Tertiò. Tales ſunt domus ſuſpectæ de hæreſi; quia hæreſis eſt malum contagioſum, & ab vnâ domo in aliam facilè deriuatur. *Sermo eorum vt cancer ſerpit*, ait Apoſtolus 2. Tim. 2. *De mundo* enim *ſunt*, ait Ioannes 1. Ioann. 4. *& de mundo loquuntur*, id eſt, mundana, carnalia & placentia; *& mundus eos audit.* Vnde tanto magis cauenda hæreſis, quanto ſubtilius & ſpiritualius eſt peccatum; quod idcircò à magiſtratu non ita cauetur & extirpatur ſicut alia mala, quæ faciliùs cognoſcuntur, vt peſtis, furta, homicidia, &c. S. Ioannes Chryſoſtomus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, non poterat quieſcere, donec Ariani ex vrbe pellerentur. Quare anno Chriſti 400. quando Imp. Arcadius venit ad ſacrum, feſto die Epiphaniæ, ſic ipſum compellabat: *Dic mihi ô Imperator, ſiquis huic pulchræ & pretioſæ coronæ* (monſtrans eam quam in capite geſtabat Imperator) *quoſdam abiectos & obſcuros lapides inſeruiſſet, videretur hoc tibi tolerandum, & non tanquam vniuerſa per illos afficeretur contumelia, ægrè tuliſſes?* Cum annuiſſet Imperator: *Quid verò*, inquit, *non exiſtimas vniuerſorum regem iraſci ſi in piâ ciuitate quæ omninò rectè ſe habet, pars quæ malè ſentit, ſinatur habitare: cùm oporteat vel ab illis exigere vt conuertantur; vel ſi perſeuerant, protinus expellere?* Quo audito Imperator non diſtulit, ſed primos eorum accerſiuit & iuſſit vt hæreſin deſererent; quòd cùm abnuerent, expulit eos è ciuitate. Metaphraſt. 3. *Suſpecta de hæreſi.*

taphraſt. in vita Chryſoſt. Vnus ſanè Lutherus & vnus Caluinus, quia non fuit ſeparatus, multa regna & Ducatus ſuâ hæreſi infecit. Vnde in Concilio Toletano 6. nationali, ab Hiſpanis Epiſcopis, conſpirante rege, rectiſſimè ſancitum eſt, vt nullus niſi Catholicus toleretur in regno Hiſpaniæ, & reges deinceps, antequam regnum ſuſcipiant, hoc ſeruare promittant ſub graui anathemate, vt non immeritò Hiſpaniæ reges *Catholici* cognominentur. Apud Baron. anno Domini 638.

Eadem ratio habenda cum libris hæreticis; hi enim velut lapides leprâ infecti ſunt in domibus, qui niſi eruantur à patrefamiliâs & magiſtratu, multorum manus inficient; ſicut lepra domus, erant lapides infecti & vitioſi reliquam domum arrodentes & contaminantes, atque idcircò ex præcepto Dei eruendi.

Bene etiam ac verè ominatus eſt Maximilianus Imp. qui Viennæ quodam die è feneſtrâ proſpectans & Lutheranos quoſdam videns campanâ ad orationem publicam ſonante nihil ſe mouentes, dixit: *Bone Deus! vereor equidem ne hominum iſtorum ſocietas nobis damnoſa ſit & infalix.* Florim. de orig. hæreſ. lib. 4. cap. 7.

Deinde quilibet paterfamiliâs è domo ſuâ eruere debet vitioſos lapides, qui alios peruertunt: vti blaſphemos, impudicos, ſeditioſos, &c. idque David faciebat, dicens: *Ambulans in viâ immaculatâ hic mihi miniſtrabat, non habitabit in medio domûs meæ qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua*, &c.

D. III. Lepra veſtium. Hac laborant. TERTIA. Lepra veſtium eſt: Quâ laborant. Primò qui in veſtium luxu excedunt. Hi enim neſcio quâ contagione luxum illum propagant, introducendo nouas veſtium formas, quæ ſuperbiæ maculâ non carent, & prodeunt à Magiſtro diabolo, qui coronam

1. Cÿpruli. ſpineam Chriſto adinuenit: proinde nec tolerantur in Dei domo; quia *qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* Ad hoc indicandum, vetuit Deus comedi piſces, qui non habent ſquamas & pinnulas, ſed lubricas pelles, vt ranæ; ſignificans diſplicere ſibi mollem & muliebrem veſtitum: placere aſperum & rudem.

Deinde per hanc veſtium leuitatem multi alliciuntur ad illicita deſideria, & grauia peccata. Quid enim ſunt fæminæ inſolentiùs ornatæ niſi Baſiliſcus flatu & viſu necans? De hoc dicitur Eſa. 41. *De radice colubri egredietur regulus & ſemen eius abſorbens volucrem.* Abſorbet volucrem talis luxus, quando ſui aſpectu prætereuntium etiam caſtorum oculos ad ſe trahit, & virulentis tentationum flatibus interficit. Vnde olim eiuſmodi mulieres pro meretricibus habitæ; & vt noſcerentur, nulli mulierum concedebatur aurum & purpuram ferre, præterquam iis, quæ impudicitiam profitebantur, apud Syracuſanos, teſte Euſtathio *in Iliad.* 1. nec non apud Lacedæmonios, teſte Clem. Alexandr. *lib. 4. pedag.*

Vt enim proſtans cereuiſia, ſuſpenſo ad fores circulo proditur: ſic mulier leuiculè compoſita vænalem ſeſe prodit. Sed dicunt parentes, ſe ornare filias, vt honeſtiori matrimonio collocentur: quibus reſpondendum Primo vinum vendibile non indigere ſuſpenſâ hederâ. Vnde Clemens Alexandr. ex Cæo. *lib. 2. cap.* 10. virtutem depingens, facit ſimpliciter ſtantem, candidâ veſte indutam & purâ, ſolâ verecundiâ ornatam. Improbitatem contrà pingit ſuperfluâ & variâ veſte indutam atque alieno colore exultantem. Deinde aliter ſæpe euenit, quàm ipſi intendant: pro honeſtiori enim matrimonio, leuitatis acquirunt notam, & quandoque abripiuntur ad lapſum: non ducuntur in matrimonium.

Secundò. Seditioſi & rixarum ſeminatores, qui veſtem vnitatis & concordiæ lacerant, ſuiſque diuiſionibus diſcolorem reddunt ac commaculant. Sic de Ario dixit Chriſtus ad S. Petrum Epiſcopum Alexandrinum & martyrem, laceratam eſſe ab eo veſtem ſuam. Iſti ſunt inſtrumenta diaboli, veluti cunei, quos crebris ictibus adigit ad findenda ligna, id eſt, ad concordiam diſſoluendam. Nihil enim magis quærit aut amat diabolus, quàm ſeditiones & diſcordias. Tarquinius Superbus Rom. rex filio ſuo per nuntium quærenti, quomodo procedere cum rebellibus & inflatis proceribus ſuis, turbas cientibus deberet: nihil aliud reſpondit, quàm quòd in horto deambulas ſuprema papauerum capita bacillo decapitauit, iubens id tantùm narrari filio, quod nuntius vidiſſet regem in horto facientem. Quo audito filius proceres illos mox decollauit. Liuio teſte *dec.* 1. *lib.* 1. Hoc idem facere magiſtratus debet rixarum ſeminatoribus & rebellionum: iuxta votum Apoſtoli ad Galat. 5. dicentis: *Vtinam abſcindantur qui vos conturbant!* Accedit S. Greg. lib. 19. Moral. cap. 13. *Mos*, inquit, *veterum fuit, vt ſeniores in portâ conſiſterent & cauſas introëuntium iudicarent, quatenùs tanto eſſet pacificus vrbis populus, quanto ad hanc diſcordes ingredi non liceret.* 2. Seditioſi.

Tertiò. Scandaloſi, qui retrahunt, à bene agendo bonos, ſicut ala veſpertilionis prohibet egredi ad laborem formicas. Huc pertinent homines malæ famæ & notorij criminis; vt enim qui cum fœtente ambulat homine, fœtorem contrahit, qui cum bene olente, bonum odorem: ſic qui cum infami graditur, infamiam ſibi aſpergit. Vnde Apoſtolus 1. Corinth. 5. præcipit: *ſi is qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator aut auarus aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum huiuſmodi nec cibum ſumere.* Ratio; quia *qui tetigerit picem inquinabitur ab eâ, & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam*, ait Sapiens Eccleſ. 13. Seneca epiſt. 104. ait: *ſi vis vitijs exui, longè à vitiorum exemplis recedendum eſt; herebit tibi tumor, quamdiu cum ſuperbo conuerſaberis: herebit auaritia, quamdiu auaro commixeris: incendent libidines tuas adulte-* 3. Scandaloſi.

rerum ſodalitia. Conſortium malum hominem manuducit abripitque ad infernum: conſilium oſtendit viam duntaxat. Lignum putridum igni appoſitum, generat fætorem, ſic mali bonis appoſiti, gignunt eis infamiam. Sic Polypus colorem variat pro varietate petræ cui adhæret teſte Pierio *lib. 27. hierogl.* Quòd ſi tamen eis aliquando conuiuendum eſt, ſepara vt apis de flore mel; veneno relicto: & ſtude eos emendare. Id quod egregio quidem, irrito tamen conatu præſtitit ſanctus Columbanus Abbas Theodorico Burgundionum regi, quem vir ſanctus de concubinarum commercio arguens, ad legitimi coniugij thalamum hortabatur, vt Regia proles ex honorabili Regina prodiret, atque iam Rex ſpoponderat, ſe ab illicitis ſegregare conſortijs. At Brunichildis auia, verita dignitatis & honoris ſui iacturam, ſi reiectis concubinis Reginam aulæ præfeciſſet, diabolici inſtinctu ſpiritûs Regem in ſanctum Columbanum incitauit. Euénit aliquando, vt Columbano venienti in aulam adulterinos Regis filios ei offerret benedicendos. At ille: *Nequaquam,* inquit, *iſtos regalia ſceptra ſuſcepturos ſcias, quia de lupanaribus emerſerunt:* eoque abeunte terræ motus aulam concuſſit cum omnium terrore, nec tamen miſeræ fæminæ furorem compeſcuit, quin illi inſidias moliretur. Cernens autem beatus Columbanus regios animos aduerſum ſe commotos, acceſſit, vt ſuis monitis eorum impetum frangeret, occumbente iam ſole, cùmque in regijs domibus pernoctare nollet: *Melius eſt,* inquit Rex, *ſeruum* DEI *opportunis ſubſidijs honorare, quàm Dominum, ex ſeruorum eius offenſa, ad iracundiam prouocare.* Iubet igitur regio cultu opportuna parari, Deique famulo dirigi: is autem ea abominatus, dixit: *Scriptum eſt, munera impiorum reprobat altiſſimus; nec dignum eſt, vt famulorum* DEI *ora cibis eorum polluantur.* Quibus dictis, vaſcula diſrupta, & comminuta ſunt, vinum & ſicera diffuſa, & cætera diſperſa. Baron. anno 612.

Hæ ſunt lepræ, Auditores, quas fugere oportet, imò exterminare, ſi carni, domui, veſti noſtræ adhærere dignoſcantur. Iſtæ enim ſunt quæ potiorem noſtri partem, animam, commaculant, Deoque exoſam faciunt, & adeò quidem vt homines his lepris contaminatos, niſi emundentur, à facie ſuâ abijciat, à beatorum ciuitate ſeparet & in horrendum illud leproſorium æternæ damnationis abijciat. Quod vtinam à nobis omnibus auertat.

CONCIO VII.

Peccata carnis quare cauenda ſint.

1. 2. 3. *Ob eorum fœditatem, ſummam iniquitatem & perniciem quam adferunt.*
4. *Propter ſummum periculum eorum.*
5. *Ob grauem & tremendam Dei vindictam.*

THEMA.

Occurrerunt ei decem viri leproſi.
Luc. 17.

NEmo ferè eſt mortalium, qui à leprâ & leproſis nõ abhorreat. Hinc enim miſeri leproſi vrbibus excluduntur, & à communi hominum conuictu procul remouentur. Et cur non multò magis horremus lepram myſticam, quæ & carnem & animam inficit, luxuriam videlicet? Et ecce vobis leproſos decem, fœdos omninò & abominabiles, quos non modò intueri, verùm & nominare pudor eſt. Primus vocatur Impudicitia, quæ fit circa tactus & oſcula. Alter, Mollities & pollutio voluntaria. Tertius, fornicatio ſimplex. Quartus, ſtuprum. Quintus, Adulterium. Sextus, Raptus, Septimus, Inceſtus. Octauus, Sacrilegium, quod committitur cum perſona DEO dicata. Nonus, Sodomia. Decimus, Beſtialitas ſeu peccatum contra naturam. Occludite nares, Auditores, à tam abominandâ leproſorum turbâ; imò & aures claudite, quia & nominare pudet. Et tamen his de lepris loqui neceſſe eſt, quia etiam fœda vlcera medico tangenda ac ſecanda. Itaque quàm poſſumus cautiſſimè carcinomata hæc tangemus, vt animi quidem impurorum ſanentur, caſtorum non inquinentur.

A.

Decem peccata luxuriæ.

PRIMÒ. Quanta prôh horum peccatorum fœditas & turpitudo! Nam inprimis S. Scriptura huiuſmodi peccatores dedignatur vocare homines; *carnem* vocat & pecora. Ita *Gen. 6.* dixit Deus de talibus: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* q. d. carnalis & beluinus. In lib. Tobiæ cap. 6. comparatur equo & mulo. Similiter *Ierem. 5.* vbi dicitur: *Equi amatores & emiſſarij facti ſunt; vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.* Noluit ergò Deus, vt ſpiritus, id eſt, anima inſpirata & imago eius in hominibus huiuſmodi pecuinis permaneret; idcircò deleuit eos primò diluuio vniuerſali, poſtmodum ſulphureo incendio in Sodomis. Nec immeritò: *Quia enim ad peruerſa deſideria ex carnis fætore arſerant, dignum fuit, vt ſimul igne & ſulphure perirent. Sulphur quippe fætorem habet, ignis ardorem,* inquit S. Greg. *lib. 14. Moral. c. 10.* Quanta illius vaſculi deformitas eſſe debet, cuius perdendi gratiâ pretioſiſſimus liquor in eo contentus vnà cum ipſo abijcitur in mare vel in ignem? Pretioſus liquor eſt imago Dei, ſecundum quam formatus homo: ea tamen cùm in obſcœno reperitur homine, vnà cum

B.
1.
Quia ſumma eorum fœditas.

cum ipſo iam olim abiecta fuit in diluuium, rurſumque in Sodomiticum incendium, ac demum abijcitur in cloacam ignis æterni.

Deinde tanta huius vitij turpitudo eſt, vt qui illud perpetrant, tenebras & latibula quærant, quaſi ſeipſos in hoc ſcelere cernere non poſſint. Hinc quæſtionibus ſubiecti, ægrè & cum pudore ſua hæc peccata explicant.

Denique quàm deforme ſit hoc vitium, oſtendit ipſe dæmon impudicitiæ barathrum, qui Aſmodæum repræſentaturus apparuit S. Antonio, in ſpecie horridi & nigri pueri; quo viſo dicebat S. Antonius, ſe impoſterum eum multò magis contempturum, ex quo fœditatem eius agnouiſſet. Athan. in vitâ.

C. II. Summa iniquitas.

SECVNDÒ. Quanta horum iniquitas? Sanè de adulterio dixit S. Iob cap. 31. *Hoc nefas eſt & iniquitas maxima. Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans & omnia eradicans genimina.* Quod dixiſſet de alijs criminibus adulterio grauioribus? Peccant alij in religionem, vti ſacrilegi: alij in naturam humanam, vti Sodomitæ: alij in ſuum ſanguinem, vti inceſtuoſi: alij in coniuges, vti adulteri: alij in liberos ſuos, vti fornicarij omnes: omnes denique in corpus ſuum, quod violant & ex templo Dei faciunt templum Diaboli & proſtibulum: item in rempublicam, cuius alia membra corrumpunt, alia prauo exemplo inficiunt: denique & multo maximè in Deum, cuius imaginem in ſe & complicibus ſuis collutulant & cœno fœdiſſimè obducunt. Cogitate quæſo, quantùm offendantur nobiles & honeſti parentes, ſi audiant filiam ſuam à mancipio ſuo conſtupratam? Sanè cùm Vta Theodonis Bauariæ Ducis filia, à Sigibaldo nobiliſſimo alioquin adoleſcente conſtuprata, patri ſanctum Emmeramum Epiſcopum Ratiſbonenſem ſtupri auctorem falsò edidiſſet, *Theodo filiæ & gentis infamiâ propè in rabiem actus* (inquit Raderus in Bau. S. p. 1.) *fatentem in veſtigio obtruncaſſet, niſi proceres interceſſiſſent eademq́, à filiâ partim precibus, partim vi prohibuiſſent: quod proximum erat, proſcriptam omniumq́, egentem exilium relegat. Lantbartus filius, ſororis violatæ contumeliâ irritatus, velut œſtro quodam furoris correptus Emmeramum viris, equis perſequi inſtitit; cui Helſendorſij inuento ſcipionem in pectus adegit & poſt diram ſceleris exprobrationem, omnia membra detruncari iuſſit, quia temerè & imprudenter reum eſſe credidit.* Scimus etiam quàm dirè acceperit, & vltus ſit Abſalon inceſtum ſororis in Ammone fratre, parricidio videlicet 2. Reg. 13. Et quomodo non iniquiſſimè accipere poteſt Deus iniurias & turpitudines in ipſius imagines & filios commiſſas?

D. III. Summa pernicies.

TERTIÒ. Quanta horum pernicies? quanta damna? Verè de his ſceleratis dici poteſt id Ioëlis cap. 1. *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Ita enim ſanctus Gregorius 24. Moral. cap. 6. *Iumenta*, inquit, *in ſtercore ſuo computreſcere, eſt, carnales in fœtore luxuriæ vitam finire. Non enim eſſe homines, ſed iumenta declarantur, de quibus per prophetam dicitur: Vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat, &c.* Computreſcunt autem Primo dum tetrum infamiæ fœtorem ſpirant & in eo obſordeſcunt, vt omnium nares offendant & vix vnquam expiare maculam illam queant. Hinc enim de Magdalena, tametſi iam pœnitente & conuerſâ dicebat Phariſæus: *Quia peccatrix eſt*, i. q. meretrix.

Secundo dum corpus ſuum varijs & fœdis morbis conficiunt.

Tertio dum quaſi viſco quodam implicantur & tenaciſſimè retinentur in peccato. *Reliqua peccata facilius vincuntur, quia extrinſeca ſunt; auaritia cum marſupio deponitur, maledicam linguam ſilentium emendat, ſuperbia veſtium vnâ horâ mutatur; at ſola libido inſita eſt. Grandis igitur virtutis eſt & ſolicita diligentia ſuperare quod natus ſit.* Sic Hieron. in reg. Monach.

E. IV. Summum eorum periculum.

QVARTÒ. Quantum eorundem periculum? Teſte enim Archangelo Raphaële *hi, qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe & à ſuâ mente excludant & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Tob. 6. Typum huius veritatis exhibuit nobis CHRISTVS, cùm legioni dæmonum poteſtatem dedit ex homine commigrandi in porcos, Marci 5. *vt oſtenderet Diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt*, inquit ſanctus Auguſtinus *in epiſt. Ioan. tract. 6.* Porcus cœlum nunquam aſpicit, perpetuò terram fodit, luto & fœtore delectatur, ventri eſt deditus, nec ruminat: Sic homo libidinoſus cœlum non curat, terrena quærit, lutum, id eſt, voluptates corporis ſcelerumque fœtorem amat, ventri ſeruit, denique æterna ſupplicia & tartareas flammas non conſiderat. Quid ergo porci illi, niſi immundos & luxurioſos denotant? Duo millia illorum fuerunt: horum verò numerus incomparabilis. Illos maligni ſpiritus vbi inuaſerunt poteſtate à Chriſto acceptâ, ſtatim impetu facto in mare præcipitârunt & ſubmerſerunt: hos verò ſæpe ſæpiùs vel obtruncat dæmon, vti ſeptem maritos Saræ, (*Tob. 6.*) & Symphoriani Romæ præfecti filium, vim S. Agneti inferre volentem, apud S. Ambroſ. *ſerm.* 90. vel alijs modis affligit, & obſidet, vti Magdalenam in pœnam ſuæ impudicitiæ, *Luc.* 8. & nobilem matronam apud S. Gregorium lib. 1. dial. cap. 9. ac demum niſi reſipiſcant, mergit in infernum. Hic illorum finis, hoc porcorum ſtabulum, hoc macellum. Cùm paſtores viderunt præcipitari & mergi ſues, fugerunt, teſte Euangeliſtâ. Nos ergò cùm videmus, vel audimus malè periiſſe vel tractari libidinoſos, fugiamus porcinos mores. Et quid ſibi, putatis, voluit in lege veteri, interdictum porcinæ carnis, niſi vt abominaremur porcorum immunditiam? Maluerunt ſeptem illi fratres (2. *Mach.* 7.) diriſſimè necari, quam contra legem ſuam, porcinarum carnium eſu pollui. Quid non pati malit Chriſtianus, quàm pollui libidine: ne in tartarum mergatur? Hinc Apoſtolus

lus 1. *Cor.6*. clamat: *Fugite fornicationem.*

Tacco pericula alia, vti homicidia aliaque peccata grauiſſima, in quæ deuoluit hominem libido; quemadmodum Dauidem deuoluit adulterium in Vriæ inebriationem, ac poſtremò in cædem. Eandem expertus eſt Sichem, *Gen.* 34. Iudæus item fornicans cum Madianitide, *Num.* 25. Tribus Beniamin ob violatam vxorem Leuitæ, *Iudic.* 19. & 20. Amnon ob ſororem conſtupratam, 2. *Reg.* 13. &c. Deuoluit in Idolatriam, quod expertus Salomon. In hæreſin & ſchiſma, quod inter alios expertus Henricus VIII. Angliæ Rex ob Annam Bolenam pellicem, legitimæ coniugi ſuperinductam.

F. V. Grauis eorum vindicta.

QVINTÒ. Quantæ horum pœnæ & quàm tremenda Dei vindicta? Inprimis inceſtuoſis pœna mortis ſtatuitur, Leuit. 20. additurque: *Abſque liberis morientur.* Experimur enim inceſtuoſos ferè illiberos manere, idemque ſe obſeruaſſe ſcribit S. Greg. ad Interrogat. Auguſtini Anglorum Epiſcopi cap. 6. Adulteri olim comburi ſoliti, vt colligitur *Gen.* 38. poſteà lapidati, *Leuit.* 20. & *Ioan.* 8. De filijs verò Mœchorum dicitur Sap. 3. *Filij adulterorum in inconſummatione erunt*, (id eſt, non peruenient ad ætatem perfectam) *& ab iniquo thoro ſemen exterminabitur: Et ſi quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit nouiſſima ſenectus illorum. Et ſi celerius defuncti fuerint, non habebunt ſpem*, ſcilicet poſteritatis: *nec in die agnitionis allocutionem*, id eſt ſolatium in die, quo decernuntur aliquibus honores. Audi S. Chryſoſtomum hom. 24. in c. 13. ad Rom. *Quid ſeminas, quod metere non licet: imò ſi meſſueris, multum tibi dedecoris ipſe fructus afferet? Nam ſi puerum pepererit, & tibi dedecus affert, & puero magnam iniuriam, qui propter te nothus & ignobilis natus eſt. Cui etiamſi innumeras pecunias reliqueris, hoc nomen adhærebit, vt ignominioſus ſit in domo, ignominioſus in vrbe, ignominioſus in foro ſiue ex ſcorto ſit, ſiue ex ancillâ. Quin & tu quoque ignominioſus eris, non ſolùm in vitâ ſed & poſt mortem, &c.* Taceo, quod iſtorum liberi ordinariè malè educantur ab improbis parentibus, quorum etiam leuitatem & diſſolutionem imbibunt à teneris.

Quid de alijs plagis, iſtiuſmodi hominibus à Deo immiſſis, dicam? Quis neſcit Pentapolim propter deteſtandam impudicitiam fuiſſe de cælo exuſtam? *Gen.* 10. Quis Her & Onan, quòd rem item deteſtabilem feciſſent, à Deo occiſos? *Gen.* 38. Quis filios Heli fornicarios, in bello peremptos? 1. *Reg.* 2. & 4. Quis denique non legit vel audiuit aliquando ex dial. D. Gregor. *lib.* 4. *c.* 31. nobilem quendam, qui iuuenculam è ſacro fonte à ſe ſuſceptam ebrius conſtuprauerat, ſeptimo die repentè extinctum eſſe, & de ſepulchro eius flammam multo tempore exijſſe, quæ oſſa eius concremauit, & tumulum conſumpſit?

Quid quòd Deus per animalia bruta quandoque ſcelus hoc caſtigauit? Legimus enim in Triumpho caſtitatis, die 4. cap. 7. quod hic dicam: Cùm quidam coniugis ſuæ pertæſus proſtibulum adijſſet, atque in equum ad ædes ſuas reuerſurus conſcendiſſet, tanti agi furijs incitarique cœpit equus, vt eum in terram abiecerit, ita tamen vt altero pede equi fræno irretitus implexuſque adhæreſceret. Quo ita irretito dum equus præcipiti curſu huc atque illuc per viam lapidibus ſtratam ferretur, tanto miſerum impetu ad ſaxa alliſit, vt ei caput frangeret, cerebrumque ei è capite diſſiliret, nec prius conſtitiſſe viſus equus, donec effuſis habenis attigiſſet rurſus proſtibuli locum, ante cuius fores impium adulterum vitâ priuatum reliquit, vt conſtaret omnibus tam inſolentem, tamque improuiſam mortem adulterij commiſſi eſſe mercedem. En igitur quàm verò dixerit de fornicario Sapiens: *Hic in plateis ciuitatis vindicabitur* Eccl. 23. Sed nec minùs verum illud quod ſubditur: *Vbi non ſperauit apprehendetur.* Contigit enim Romæ Tito imperante, vt elephas nutritij ſui vxorem cum adultero deprehenderet; ambos igitur dentibus ſuis præacutis confixit, & ita occiſos ſtragulâ veſte contexit; poſtmodum verò adueniente nutricio reiectâ ab ijs ſtragula adulteros lecto iacentes monſtrauit, refert P. Anton. de Balinghen *in Zoopæd.* En hi vbi non ſperârunt, apprehenſi ſunt. Num enim perditi iſti ab Elephante ſibi timebant? num cauebant? Cauebant ſibi quidem ab hominibus, & potiſſimùm domeſticis; at interim à bruto, quod quid peccatum ſit, neſcit, peccati mercedem accepêre. Dicunt iſti (quemadmodum loco cit. Eccleſiaſticus ſcribit) *Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altiſſimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, &c.* Videte hic, quàm vigilet Deus, qui ad punienda tanta ſcelera etiam brutis vtitur, & fortaſſe ideo, quòd homines in puniendis illis ſegniores animaduertit. Quid enim adulterio magis obuium? & quid eo grauius, quod Deo hominibuſque inprimis eſt exoſum, quod reip. inimiciſſimum, quod priuatorum paci & domeſticæ quieti contrarium; quod filiorum certitudini aduerſum, quod variorum furtorũ origo eſt, dum paternæ atque auitæ hæreditates ad ſpurios transferuntur? Et quid interim hoc ſcelere impunius? Pudor & res indigna eſt, Ethnicos Principes vehementiùs in hoc & ſimilia crimina exarſiſſe, quàm Chriſtianos Iudices. Alexander M. Damonem & Timotheũ, quòd externorum militum vxoribus ſtuprum intuliſſent, morte plecti iuſſit. Plut. in eius vitâ. Ægyptij adulteros virgis cædebant ad mille plagas; adulteras naſo truncabant ad perenne dedecus, Diodor. *lib.* 1. *c.* 6. Arabes & Parthi adulteria morte plexere, Alex. ab Alexand. *lib.* 4. *c.* 1. Cumani adulteram in foro omnibus ridendam exponebant, & aſino impoſitam per vrbem circumducebant. Plut. in problem. Aurelianus Imp. adulteram duabus arboribus alligatam diuelli iuſſit, Cælius Rhodig. *l.* 10. *c.* 6. Saxones adhuc pagani cogebant adulteram ſuſpen-

ſuſpendio ſe necare, tum eam concremabant, & ſuper eius buſtum adulterum ſuſpendebant. Aliquando adulteras fœminæ reliquæ per pagos circumductas flagellis & virgis cædebant, & cultellis lancinabant, teſtis S. Bonifacius *in ep.* 19. ad Ethilbaldum Merciorum Regem. Braſilienſes adulteras vel occidunt, vel vt ſeruas vendunt, Oſor. *l. a. de geſtis Emmanuelis*. Mahomet adulterium fuſtigari centum ictibus ſanxit. Ex quibus colligere poteſt vnuſquiſque, quid apud Chriſtianos mereantur adulteri, & his grauiores fornicarij, quando hæc tulere ſupplicia apud infideles.

Verùm ego, Auditores, nolo ad carnifices, & carnificinas ablegare mæchos, & his ſimiles leproſos alios: ſed potiùs ad Sacerdotes: *Ite, & oſtendite vos Sacerdotibus*: expiate peccata veſtra cum verâ pœnitentiâ coram Confeſſario, & deinceps nolite peccare, Salutem veſtram quæro, non ſanguinem. Leuate vocem cum leproſis: *Ieſu præceptor, miſerere noſtri.* Sanati porrò redite ad Dominum Deum veſtrum, gratias agentes.

CONCIO VIII.

Incentiua & remedia luxuriæ.

1. *Primum incentiuum ſunt turpes cogitationes; quibus pro remedio opponitur Dei præſentia, paſſio Chriſti, mortis meditatio, iudicij metus & oratio.*
2. *Senſuum euagatio; contra quam cuſtodiendi oculi, aures & tactus.*
3. *Impura fœminarum ſocietas, quæ fugienda.*
4. *Gula, cuius remedium eſt abſtinentia.*
5. *Otium, cui opponitur occupatio bona, eáq; continua.*

THEMA.

Occurrerunt ei decem viri leproſi, Luc. 17.

A. FÆdus quidem & abominabilis morbus eſt lepra corporalis, quâ infectos Deus ipſe (Leuit. 13.) iuſſit ſeparari ab hominibus cæteris, & vitari. Sed ſine comparatione fædior atque abominabilior eſt lepra ſpiritualis, quæ eſt vitium luxuriæ, carnem ſimul & mentem inficiens: adeò vt Apoſtolus eam non modò fugiendam (1. Cor. 6 *Fugite fornicationem*,) ſed nec in nobis nominandam eſſe velit (Eph. 5. *Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis.*) Quare ſicut leproſi nulli parcerent labori vel ſumptui, ſi qua viâ ab infectione liberari poſſent; ita multò magis decet, nullum non mouere lapidem, quò à luxuriæ leprâ præſeruemur, & ſi qui eâ infecti ſunt, liberentur. Et certè hodierni leproſi occurrerunt, adeoque currendo venerunt ad Chriſtum Medicum: quanquam ego exiſtimo, magis occurriſſe illis medicum longè maiori deſiderio ad ſanandos ipſos; ſiquidem is de cœlo venit quærere & ſaluum facere, quod perierat. Fælix ergo hic occurſus, vbi medicus & æger, ſeu *diues & pauper*, vt loquitur Sapiens *Prou.* 12. ſibi occurrerunt. Hoc enim occurſu Dominus admonuit Concionatores & animarum Paſtores, vt ſimili deſiderio vitijs occurrant, ſalutaria præſcribendo remedia, quibus illi ſanentur. Monuerint decem leproſi immundos ſecundùm animam, vt & ipſi occurrant medicis animarum. Ego igitur ad exemplum Chriſti faxo, vt occurram peccatis. Vtinam & mihi occurrant peccatores. Solent hoc tempore ſalutares herbæ colligi ad varia medicamenta: conquiramus etiam nos eiuſmodi, ſed ſpirituales herbas, contra peſſimam illam libidinis contagionem.

Vnicum & optimum remedium huius vitij præſcribit Paulus 1. *Cor.* 6. cùm ait: *Fugite fornicationem.* Quam ſententiam cœleſtis vox ad S. Arſenium delata. *Fuge* ſcilicet, confirmauit. Vt verò hanc lepram effugiamus, fugere oportet eius incentiua, quæ ſunt quinque maximè. B.

Incentiuum PRIMVM ſunt turpes cogitationes, quæ ſi deliberatè ijs inhæſeris, cùm ordinentur ad ipſum opus turpe, tanquam media conditionem finis induunt. Ludit diabolus cum homine, ſicut Dalila cum Samſone, facit eum dormire ſuper genua ſua, id eſt, delectatione quadam ſopiri ſuper turpi facto vel imagine: & interim ligat capillos eius, detinendo eum in cogitatione malâ, quam tamen poteſt homo cum Samſone abrumpere, ſi reſiſtat & diſplicentiam habeat. Hoc verò ſi non faciat, impellitur in peccatum & poteſtatem dæmonis. Sic Eua dum ſe detinet in contemplatione ligni vetiti, dum ſermocinatur cum ſerpente, ab eo illaqueatur. Philomela, dum curioſitate ducta luſtrat ſcrobem & decipulam ſibi ab aucupe ſtructam ſpeculúmque in eâ poſitum contemplatur, capitur. B. I. Incentiuum, turpes cogitationes.

Iam verò quibus modis obuiare poſſumus turpi cogitatui? Reſp. primò, Cogita Deum vbique præſentem & omnia cernentem, dicéque cum Dauide: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear*, Pſal. 15. *Homine præſente*, inquit Chryſoſt. in cap. 4. epiſt. 1. ad Cor. *nemo ſcortaretur; ſed licet maiorem in modum libidine flagraret, affectus tamen violentia pudore hominum vinceretur. Cùm autem Deus videat, adulterant. Nónne vel hoc ſolum ſatis eſſet, quo cælitùs innumeris peteremur fulminibus?* hæc ille. Remedium. 1. *Dei præſentia.*

Secundò, Recordare paſſionis Domini, quoties te ſentis turpibus cogitationibus pulſari, & dic iuxta conſilium Hugonis de S. Victore: *Ita redemptor tuus moritur pro te? & tu neſcis, cuiuſmodi ſordidâ cogitatione ſordidatus in mente?* 2. *Paſſio Chriſti.*

Tertiò, Cogita mortem, corporis quoque fœtorem & internam turpitudinem. Quid enim illud? Saccus ſtercorum. Aufer cuticulæ pelliculam, quid illâ tetrius aut horribilius? quid cadaueri propius? ſterquilinium niue contectum albet; ſoluantur niues: pax, pax naribus & oculis, clamabunt omnes & diffugient. Niue fugacior eſt forma: non liquatur, ſed vaneſcit: illam aqua excipit, hanc quid niſi deformitas & formido? Cùm anima diffugerit, quid futura hæc ſiue Lais, ſiue 3. *Meditatio mortis.*

Helenæ? Eſca vermium, cadauer putridum, fœtens, tabe diſſoluendum, ex cuius ſpinæ medulla ſerpens terribilis enaſcetur. Hoc amem? hoc depeream? Narrat Suidas de Hypatiâ Alexandrinâ, eam, cum conſilio nequiret auditoris adamantis importunam ſolicitationem abrumpere, panniculos ei ſuos, fluore menſtruo maculatos obieciſſe: *Hoc*, inquiens, *eſt adoleſcens, quod amas nihil autem pulchrum.* Appa & Gela Foroiulienſis Ducis Giſulfi filiæ, carnis putridæ ſub mammillis poſitæ odore, ſuam defedêre caſtitatem. Barbari enim naturâ ita fœtere fœminas Longobardorum opinati, intactas reliquere. Annal. Boior. l.3. & Bonfin. *l.8. rer. Hungar. dec.1.* Sed & Thom. Cantipratenſis pium quendam virum, cùm cogitationes importunas cuiuſdam mulierculæ formoſæ, dum viueret, animo abigere non poſſet, ſepulchrum narrat eius aperuiſſe; & amplexum cadauer tabidum faciem faciei eius contaminatæ tabe vermibuſque impoſuiſſe, & in hoc fœtore volutatum eſſe, donec fœtor & horror omnem libidinis memoriam ſuperaſſet.

4. *Iudicij metus.* Quartò. Cogita iudicium Dei, & quod *Eccl. 11.* dicitur: *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum multorum, qui cùm venerint, arguentur vanitatis præterita.* Et mox cùm per ironiam dixiſſet ſpiritus S. *Lætare ergo iuuenis in adoleſcentiâ tuâ*, &c. concludit ſeriò, & ait: *Scito, quòd pro his omnibus adducet te Deus in iudicium.* Cùm ad mortem duceretur caſtiſſima Suſanna, liberauit eam Daniel. Suſanna, lilium, Daniel, iudicium Dei exponitur. Quando ergo caſtitas tua in cogitationum procellâ periclitatur, & ad mortem à tentatione trahitur, Danielis opem adhibe, iudicium Dei cogita & reuolue animo, quod Auguſtinus in tract. de honeſtate mulierum cap. 3. ait: *Citò præterit, quod delectat, & permanet ſine fine, quod cruciat.*

5. *Oratio.* Quintò. Denique ora, & cum Moyſe perpetuò leua ad Deum manus, & vincet tuus Ioſue. Sic fecit aliquando Salomon: *Vt ſciui, quòd aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, adij Dominum, & deprecatus ſum illum,* Sap. 8. Vtinam id ſemper, in omni vitâ feciſſet. Sic Apoſt. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, propter quod ter Dominum rogaui,* 2. Cor. 12. Et Aug. *Continentiam iubes. Da quod iubes, & iube, quod vis.* lib. 10. Confeſſ. c. 29. Quò autem faciliùs impetrare valeas, patrocinium interpone vnius vel plurium Sanctorum, qui in ſtatu ſimili vitam caſtiſſimè traduxerunt. Si virgo es, implora opem Deiparæ Virginis, quæ, cùm amantiſſima ſit caſtitatis, libentiſſimè dabit operam, vt ab omni ſpurcitie libereris. Si vidua, B. Annæ Propheteſſæ. Si coniugatus, SS. Zachariæ & Eliſabethæ, &c. Sic S. Thomas Aquinas, cùm à procaci ſcorto infeſtaretur, precabatur: *Ne ſinas, quæſo, Domine Ieſu, & tu ſanctiſſima mater & Virgo Maria, vt tam immani ſcelere me obſtringam.* Mox rapto ex igne titione id fugauit, oſtioque concluſo à duobus Angelis lumbos ſibi conſtringi ſenſit in perpetuæ continentiæ ſignum.

Eadem ferè ratio eſt turpium verborum; qui enim de cogitatione turpi proſilit in verba turpia, iam audacior fit & pronior ad opus ipſum peragendum, *Ex turpiter enim loquendi licentiâ, ſequitur & turpiter facere*, inquit Ariſtot. lib. 7. polit. cap. vlt. Qui turpia loqui audet, iam incipit exuere pudorem: ſicut cùm quis iterum iterumque pedem fert in ſpecum, tandem audet omninò ingredi.

C. II. *Senſuum euagatio.* Secundum. Senſuum euagatio: de quibus S. Hieron. lib. 2. adu. Iouinian. cap. 7. ait: *Per quinque ſenſus quaſi per quaſdam feneſtras vitiorum ad animam introitus eſt. Non poteſt autem metropolis & arx mentis capi, niſi per portas eius irruerit hoſtilis exercitus:* hæc ille; & rectè, quia ſicut per portas intratur & exitur, inferuntur omnis generis merces vel efferuntur: ita per illos, mille rerum ſpecies ad mentẽ penetrant. Imitandi proinde præfecti vrbium, qui portis adhibent præſidiarios, vt non admittant quemlibet: antemurale erigunt, penſiles pontes attollunt, crates ligneas demittunt, cancellis portis ſapiunt: ſic operæ pretium foret ſenſus cuſtodire: oculos inprimis, qui non modò aperti ſemper & patuli ſunt, ſed prætereà etiam vagabundi vndique circumferuntur, & velut nauiculæ inter mundi fluctus circumfluunt & iactabantur. Pactum igitur cum oculis facere, quale S. Iob fecit c. 31. oporteret, vt ne cogitarent quidem de re illicitâ, nedum adnauigarent; Pactum, inquam, quale nauis fecit cum nauta, vt habet prouerbium Italicum: *Guarda mi dalla terra io ti guardarò dal mare.* Serua me à terra, & ego te ſeruabo à mari. Iactantur oculi hinc inde ſicut nauiculæ: vide, ne tu eos ad ſcopulos dirigas, & ipſi te non mergent; incognita enim amare non poſſumus. Vt ergò prudens nauarchus à longè ſpeculatur ſyrtes & ſcopulos, ideòque maturè nauem inde abducit, ne ventorum vi & maris impetu ad illos abripiatur: ſic quamprimùm auertendi oculi ab aſpectu periculoſo. *Quiſquis enim,* inquit S. Greg. l. 21. moral. c. 2. *per has corporis feneſtras incautè exteriùs reſpicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens rapitur, atque obligatus deſiderijs incipit velle, quod noluit. Præceps quippe anima, dum antè non prouidet, ne incautè videat, quod concupiſcat, cæca poſt incipit deſiderare, quod vidit,* hæc Gregor. qui ibidem monet, vt ſint oculi noſtri *ſicut columbæ ad feneſtras ſuas,* id eſt, vt per ſenſus corporis, exteriora quæque non reſpiciant, intentione rapacitatis, inſtar miluorum & accipitrum. Laudatur ob id Alexander M. qui ad filias Darij, quas captiuas tenebat, eximiâ pulchritudine virgines viſendas inuitatus, recuſauit, quòd diceret, ſe qui viros viciſſet, nolle vinci à mulieribus. Q. Curt. lib. 4. Sed longè cautiores ſancti Anachoretæ, qui quandoque per omnem vitam interdicentes ſibi aſpectu fœminarum, oſtenderunt planè, quid facere in ſimili poſſemus. Cùm audiſſet Ioannes abbas à Tribuno plebis: *Permota vxor mea, rumore ſanctitatis tuæ, videre te percupit: rogo, vt te ei videndum præbeas;* poſtulauit indu-

Remedium. 1. *Oculi cuſtodiendi.*

cias,

cias, quibus impetratis Deum rogauit: *Domine Deus, ſi fieri poteſt, oſtende ei in ſomnis ſpeciem meam, quâ plenè ſatietur eius curioſitas, nec aliàs non videat.* Dictum, factum: ſatiata eſt illius imagine, nec vltrà viſit, vel appetijt videre eum. Alior item Monachus, ſororis ſuæ decrepitæ ipſum videre cupientis, ex mandato Abbatis, ſatisfacere volens, venit ex eremo ad fores ſororis, claudens oculos, & dicens: *Ecce me, ſoror mea, fruere aſpectu meo, vt lubet, & ſine me redire ad patriam meam.* Dixit & mox cellam repetijt.

2. *Aures obſerandæ.* Secundò. Aures obſerandæ, iuxta monitum Eccleſiaſtici cap. 28. *Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire.* Spinæ ſunt meditatio damnorum, quæ ex auditu proueniunt, mortis, iudicij, &c. Quis autem inter linguas nequam, non reponat impudicas? Equidem turpiloquus iaculo te linguæ vult perimere, & ſuâ peſte inficere. Quis admittat in ciuitatem hoſtem omnia vaſtaturum? Miſit Antiochus Ieroſolymam Ducem verbis pacificis, qui tamen vrbem ingreſſus omnia prædatus eſt, & fœdauit, non ſine multâ ſtrage, fecitque ſibi arcem fortiſſimam in ipſo monte Sion, ex quo omnem regionem diripiebat. Idem prorſus in homine facit obſcœna vox, vbi eum occupauit & placuit. Cautior aſpis, quæ obturat aurem ſuam caudâ, ne audiat vocem incantatoris, Pſalm. 57. Sic & Poëtæ fingunt Vlyſſem cùm ad Syrenarum habitacula ſuauiter modulantium adnauigaſſet, obturaſſe aures ſuas cerâ, ſocios verò alligaſſe ad malum, ne vocum illecebrâ conſopiti vel emolliti minùs attenderent ad nauigationem periculoſiſſimam. Hoc enim figmento indicarunt, rem periculo plenam eſſe, admittere verba turpia. Contine ergo te domi, loquere cum pauciſſimis & grauibus, vita Veneris nundinas, vti choreas & tabernas: cantilenas amatorias non aliter auerſare, quàm diaboli tibiam, quâ ipſe prurientem carnem ad ſaltandum inuitat: cuius *halitus* vt inquit Iob, *prunas ardere facit.*

Quòd ſi præter mentem & expectationem, turpia cogeris audire, nec aures corporis occludere potes, occlude ſaltem aures cordis & obfirma animum; velut ſi fores clauderes homini leproſo aut infami. Eſto quaſi anſer aquis innatans, cuius pennæ ob pinguedinis abundantiam, madorem non contrahunt, ſed ſiccæ ſemper emergunt; cogita te ad præclariora natum, quàm vt ſordibus aures præbeas velut viam publicam.

Denique ſi quid fœditatis per aures tuas intrò ingeſtum eſt, repurga aures & ſordes rurſum eijce, dicitoque: *foris canes & impudici.* In cuius rei ſignificationem, veteres, ſiquid obſcœni fortè audiſſent, aures ſuas aquâ fluente limpidâ eluere ſolitos ſcribit Rufinus lib. 3. cap. 6.

3. *Tactus ſeruandus.* Tertiò. Tactus velut omnium maximè periculoſus & caſui proximus, maximoperè vitandus. Cæteri ſenſus ligna comportant, tactus igni admouet & accendit. Quod probè ſciuit Deus, qui primis noſtris parentibus non modò interdixit eſu ligni vetiti, ſed etiam ne tangerent illud, ſi Euæ teſtimonio credimus, Gen. 3. *Nunquid enim poteſt homo abſcondere ignem in ſinu* inquit Sapiens Prou. 6. *vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas vt non comburantur plantæ eius: ſic qui ingreditur ad vxorem proximi ſui, non erit mundus cùm tetigerit eam.* Manus alioqui robuſtiſſimæ, fœdo ſæpe contactu eneruatæ & ligatæ fuere. Econtrà Godefridus Bullionius rex Hieroſolymorum primus, rogatus vnde ei tantùm robur eſſet in manibus, vt hoſtes etiam armatos poſſet gladio à vertice ad ventrem vſque diſſecare, dextram protulit & dixit: *Hucuſque manus iſta ab omni contactu libidinoſo ſeſe continuit*, refert Chauaſſ. de Prud. *lib.* 3. *cap.* 4. §. 9. Potuit Ioſeph viribus ſuis ſe defendere à domina, ſed fugit potiùs relictâ in manu eius veſte, non reſtitit, ne contactu eius illiceretur inficereturque, qui, vt inquit S. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. *viro non minùs eſt fugiendus, quàm rabidiſſimi canis morſus.* Socrates apud Xenophontem lib. 1. memorabilium, mirum quid narrat de phalangijs. Hæc animalcula ſunt ne ſemiobolaris quidem magnitudinis: ſi tamen ea hominibus os admouere accidat, incredibili eos dolore afficiunt, è mentis ſtatu deturbant atque emori faciunt; vt lib. 2. c. 17. notat Alexander ab Alexandro. Cui rei aptiùs quæſo comparari poterit tactus impudicus? nonnè hominem acutiſſimo Veneris iaculo ſauciat atque è poteſtate mentis deijcit atque lethali peccato enecat? Ergo mulieres vt phalangia; earum tactus vti morſus phalangiorum cauendi & execrandi ſunt.

D. III. *Impura fæminarum ſocietas. Remedium fuga.* Tertium. Impura fæminarum ſocietas. Quam fugiendam inprimis docuit Eccleſiaſticus cap. 13. dicens: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ.* Docuit deinde exemplo ſuo Antiochus Aſiæ rex huius nominis tertius, cùm eſſet Epheſi & ſe amore captum cerneret ſpecioſiſſimæ fœminæ; quâ potiri ſine ingenti dedecore non poterat, inde diſceſſit, ne aliàs tandem quod nefas erat, perpetraret. Pelicanus auis cùm in alto habitare poſſet, terram eligit, eamque terrâ condit. Quod aduertens auceps, circa locum illum accendit ignem, quem aduolans Pelicanus dum alis ſuis extinguere conatur, magis excitat, & ita peruſtis pennis ſuis nullo negotio capitur. Pier. teſte *lib.* 20. *hierogl.* Ita contingit iis, qui cùm verſari inter caſtos poſſent, malunt inter prauos ſocios & cum mulierculis, nimium præfidentes viribus ſuis. Adeſt mox diabolicus auceps & inter tales excitat fœdi amoris ignes; quos dum extinguere reſiſtendo conaberis, magis inflammabere & tandem capiere. Non ergò comminùs congrediendo, ſed fugiendo oportet tentationes carnis vincere. Neque turpis eſt hæc fuga, ſed potiùs laudabilis. Quis enim non fugeret locum peſte infectum? domum ardentem? Antigonus ſecundus cùm aliquando cederet hoſtibus imminentibus,

bus, aiebat, *ſe non fugere, ſed vtilitatem à tergo ſitam perſequi.* Nullus autem potentior hoſtis quàm caro, vbi rara eſt victoria, teſte S. Auguſtin. Dux belli quando nouit habere ſe in exercitu ſuo multos proditores, qui commiſſo prælio partem hoſtilem adiuuarent, tunc eminùs ſolet pugnare cum hoſtibus. Atqui homo habet in ſe & ſub ſe membra carni addicta, eiq́ue fauentia: ne igitur cum ijs pugnaueris cominùs, qui carnis vitijs militant.

E. IV. Gula.

QVARTVM. Gula, Ex nimia enim ſatietate, vires & incrementum ſumit libido: & ſpeciatim *in vino eſſe luxuriam* ait Apoſtolus Eph. 5. Hæc enim ſunt, quaſi ligna, ſermenta & oleum ad inflammandum ignem, quem ebrius comportat ad domum propriam incendendam, ſeipſum inquam, quemadmodum & phænix facere narratur. Nonné Exod. 32. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere?* Ludum autem illum, iuxta ſcripturæ verecundiam, non niſi impudicum denotare vult Tertullian. in lib. de ieiunio. Confirmant & Rabini qui *vt ludere* exponunt *fornicari.* Gula itaque ſimilis mihi videtur pomo illi aureo, quo Fenella Remethum regem Scotorum occidit, ita fabrefacto, vt qui id tetigiſſet, ſtatim multis telis è pomo proſilientibus transfigeretur, (vti narrat Cardanus lib. 12. de rer. var. c. 56.) Sic enim *ex vno gulæ vitio*, inquit S. Gregorius in lib. 5. II. Reg. cap. 1. *innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur. Vnum quidem gulæ vitium eſt, ſed aculei libidinis innumeri ſunt, qui præcedentem illum quaſi regem ſequuntur, qui læta quidem ſuggerunt, ſed ad æterni fletus lamenta perducunt.* Huiuſmodi pomum fuit, quod Eua porrexit Adamo; victus enim gulâ, vbi guſtauit pomum, mox inde in eum proſilierunt mille calamitatum tela, atque inter ea etiam carnis rebellio, quam compeſcere cùm non poſſent, folijs ficuum texerunt. Ergo abſtinentia colenda; *ſine Cerere* enim *& Baccho friget Venus* (cuius armigerum eſſe Bacchum finxere poëtæ:) non aliter ac remotis lignis extinguitur ignis. Vnde Greg. lib. 5. in I. Reg. cap. 14. ait: *Si enim ignis libido eſt, ſubtrahis ignis materiam, cùm cibos ſubtrahis & vinum præſertim in quo, vt eſt apud Apoſtolum Eph. 5. luxuria eſt.* Hoc remedio vſus S. Hilarion, qui, vt ſcribit in eius vitâ S. Hieron. vrgente turpi cogitatione, iratus ſibi & pectus pugnis verberans quaſi cogitationes cædens manu poſſet excludere; *Ego*, inquit, *aſelle faciam vt non calcitres, nec te hordeo alam, ſed paleis. Fame te conficiam & ſiti, graui onerabo pondere; per æſtus indagabo & frigora, vt cibum potiùs quàm laſciuiam cogites.* Amethyſtus, vt dicitur in Lapidario cap. 16. eſt lapis contrarius ebrietati, ideoq́ue ſobrietatis typus: hic præſeruare dicitur equum à ceſpitatione. Caro eſt *equus fallax ad ſalutem*, Pſalm. 32. adeoq́ue crebrò ceſpitans, nec non in lapſum proruens. Vis ergo vt non ceſpitet, adeoq́ue cadat equus tuus? ſobrietatem ama, & velut amethyſtum tecum ſemper gerito.

Remedium, abſtinentia.

F. V. Otium.

QVINTÒ. Otium. Vt enim auis, quæ otioſa in ramo deſidet, facilè iaculo configitur, ſecùs, quando volat & hinc inde ſaltat: ſic, *otia ſi tollas, periêre cupidinis arcus, cedet amor rebus, res age, tutus eris*, ait Ouidius de remed. amor. Otioſum & in regno ſuo quietum quando inuenit Dauidem tentatio carnis, deiecit: quod non potuit, cùm varijs laboribus & periculis exercebatur Dauid. Quemadmodum in terrâ incultâ naſcuntur vepres & in aquâ ſtagnante ac paludoſa vermes: ita in anima otioſa prauæ cogitationes & deſideria. Quod expertus Dauid. *Accidit enim vt ſurgeret de ſtrato ſuo poſt meridiem & deambularet in ſolario domûs regiæ: viditq; mulierem ſe lauantem ex aduerſo, &c.* mox igitur captus eſt eius amore Rex, 2. *Reg.* 11. Vide quid gignat otium.

Remedium, occupatio bona continua.

Salubre nobis conſilium præbet ſanctus Hieronymus in ep. ad Ruſticum: *Aliquid boni operis facito*, inquit, *vt te diabolus inueniat occupatum.* Vbi etiam narrat, monachum quendam otio deditum cœpiſſe pulſari grauiſſimè luxuriæ aculeis. Quod vbi reſciuit Abbas, ſubmiſit quoſdam qui eum apud ſe reum agerent diuerſorum criminum, otiumq́ue eius conuerterent in negotioſiſſimam curam ac neceſſitatem probandi ſe innocentem. Quam probationem cùm toto currente anno admitti non cerneret, indeq́ue vehementer angeretur, ab Abbate obiter interrogatus, vtrùm ſolitos adhuc carnis impetus ſuſtineret, exclamans reſpondit: *Papa! viuere non licet, & fornicari libeat?* Sanctus etiam Gregorius in II. Reg. lib. 6. cap. 1. ait: *Inter opera & labores ſpirituales contra ſtimulos carnis fortes ſumus: ſed ſi quaſi feſſi à ſolita conuerſionis rigore torpeſcimus vel remittimus, dum paulatim negligimus, aculei carnis inſurgunt, qui quaſi depoſitis Moyſi manibus Iſraëlem vincunt*, Redditq́ue huius rei cauſam, dicens: *cùm duas ſimul res cogitare non poſſimus, fit vt aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda. Celer ergo & facilis victoria libidinis eſt, circumſpectio cogitationis, ſi quoties carnalia obuiant, ad aliquid aliud recurramus; quod libidinis non ſit incitamentum.* hæc ille. Vnde SS. viri vt in hac tentatione ſenſum & cogitationem aliò verterent, mira excogitârunt, & plerique ſeipſos doloribus vexârunt, vt S. Benedictus volutando ſe nudum in ſpinarum aculeis: S. Franciſcus in niue. Iuuenis quidam apud S. Hieron. in vita S. Pauli, cùm in molli lecto alligatus à meretrice laceſſeretur ad peccandum, ne laſciuiâ vinceretur, mordicùs ſibi abſciſſam linguam in faciem meretricis expuit. S. Bernardus Abbas in lacum; Euagrius presbyter in puteum hybernis noctibus deſcendere ſolebat. Dura quidem & difficilia ſunt iſta: ſed malo nodo malus debetur cuneus: fœdo libidinis morbo, quid mirum ſi ingratum paretur pharmacum? Quiſquis igitur es, Chriſtiane, *obſerua diligenter ne incurras plagam lepræ*, inquit Moyſes *Deut.* 24. lepræ inquam, quæ

quæ non tam corpus quàm animam ſolet inquinare, ac demum è beatorum cætu ſeparare atque in gehennam exterminare.

CONCIO IX.

Quam congruenter & ſalubriter inſtituta ſit confeſſio peccatorum.

1. *Conuenientiſſimè ratione Dei offenſi: ſic enim cultum Deo debitum exhibemus, eius iuſtitiam & potentiam, noſtramq́; iniuſtitiam & infirmitatem confitemur.*
2. *Ratione Chriſti, vt eius innocentiam magnificemus &c.*
3. *Ratione ipſius confitentis; vt haberet iudicem ſibi ſimilem, vt haberet ſignum ſenſibile reconciliationis ſuæ &c.*
4. *Ratione delictorum; vt morbus animæ ſuo curetur antidoto; vt peccati libidinem confeſſio frænaret, & pœna delicti mitigaretur.*
5. *Ratione proximi ne ſcandalizetur, ſed ædificetur, nemoq́; ſupra alium extollatur.*

THEMA.

Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Luc. 17.

A. MVlti ſunt, Auditores, Hæretici inprimis, deinde quidam Catholici, quibus non parum diſplicet, quòd remittantur ad Sacerdotes pro remiſſione capiendâ ſuorum peccatorum; ſiquidem videatur ſat ſuperque eſſe, Deo confiteri & ab eodem abſolui: præſertim cùm nos fateamur per actum contritionis iuſtificari hominem etiam ante peccatorum confeſſionem. Ad quid igitur, inquiunt, neceſſaria confeſſio? Diluitur hæc obiectio præclarè in hodierno Euangelio, in quo decem leproſos Chriſtus mittit ad ſacerdotes: *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.* Ad quid hoc fecit Dominus; an non potuit illos per ſe & ſolus mundare? Accedit, quòd, *dum irent, mundati ſunt.* Si voluit eos mundare in viâ; ad quid mittit ad ſacerdotes? Voluit ergo Dominus per hoc nobis delineare confeſſionis præceptum, vt quamuis, ante illam ſæpe deleantur hominis peccata, ſi videlicet priùs elicuerit actum contritionis, nihilominùs ſciamus adhuc nos obligari vt oſtendamus nos ſacerdoti per confeſſionem. Sed quare hoc voluit Chriſtus? Reſp. quare voluit Deus vt leproſi oſtenderent ſe ſacerdotibus? Lex Dei id præcepit, inquis. Dico ſimiliter ego: Lex Chriſti hoc præcepit. Quare ſufficeret homini Chriſtiano hoc ſolum ſcire, quòd præceptum Chriſti ſit: nec curioſè inueſtigare, cur hoc præceptum ſit, adeoque cum leproſis iſtis ſimplici mente ire & ſe oſtendere. Ne tamen querelis locus detur, oſtendam in præſenti, quàm meritò & quàm conuenienter inſtituta & præcepta nobis à Chriſto ſit peccatorum confeſſio.

B. Expiatio illa ſolemnis leproſorum veteris legis, *Leuit.* 14. ob quinque cauſas videtur mi- *Leproſorum ex-*

hi à Deo præcepta & inſtituta. Primò ratione Dei, vt ei gloriam darent, & cultum debitum pro curatione; ideo iubetur leproſus offerre ſacrificium. Secundò ratione Chriſti, per cuius ſanguinem omnes homines, ſecundùm animâ leproſi redimêdi erant, ideo duos paſſeres offerre debebat, eorum vnum occidere, alterum dimittere: ille humanitatem in cruce mortuam, hic diuinitatem Chriſti immortalem ſignificabat. Tertiò ratione ſuiipſius, vt mundatus impoſterum ſecurè & liberè inter homines conuerſari poſſet, ſine contumeliâ & probro. Quartò ratione lepræ ipſius, quæ cùm ſit morbus ab hominum communione & contagione remouendus, hoc pacto expiari & purificari per ſacerdotis contactum debuit. Quintò ratione hominum aliorum ſeu proximi, vt nullus dubitare aut diffidere poſſet de eius curatione. Totidem cauſæ ſunt, vel ſaltem congruentiæ, cur confeſſio inſtituta ſit.

piatio ſit de cauſis præcepta. 1. 2. 3. 4. 5.

PRIMÒ. Conuenientiſſimè inſtituta eſt confeſſio ratione Dei offenſi. — I. *Conuenienter inſtituta, ratione Dei offenſi.*

Primo. Quia per eam debitum Deo cultum exhibemus, non aliter ac per ſacrificia & oblationes. Non erant aliter Deo grata veteris legis ſacrificia, victimæ pecudum & ſimilia, niſi quia ad honorem Dei deſtinata & internis virtutum actibus coniuncta erant. Ab his enim ſi abſtraxerimus, ſtatim audies dicentem Iſa. 1. *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? plenus ſum:* &c. Accepta igitur ei ſolùm erant, quatenùs proteſtatio aliqua diuini cultûs erant, à ſubiectis & humilibus facta. Atqui confeſſio ſacramentalis expreſſiſſima eſt diuini cultûs proteſtatio, dum homo ſe in illa Deo ſubijcit & humiliat, ipſi honorem, ſibi nihil, imò ignominiam attribuendo & confuſionem, iuxta id Dan. 9. *Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei.* Proptereà Dauid Pſal. 50. ait: *Vtique holocauſtis non delectaberis: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum*, &c. q. d. iſtud erit olim gratum tibi ſacrificium, quod corpore & ſpiritu maieſtatem tuam teſtabitur: id quod confeſſio facit multò expreſſiùs, quàm ſacrificia veteris legis; ſiquidem hæc in ſe ſpectata indifferentia erant, illa verò conceptis verbis Dei cultum ſpectat. Quò aſpexiſſe videtur Oſeas *cap.* 14. dicens: *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Vitulus labiorum eſt confeſſio peccatorum, quâ Deo quidem gloriam, nobis autem velut peccatoribus damus confuſionem.

1. Quia ſic cultum Deo debitum exhibemus.

Secundo. Quia per eam, Dei iuſtitiam, noſtram verò iniuſtitiam profitemur. Multi adeò inſanierunt, vt peccata ſua fato & ipſi Deo adſcriberent, vti ferè gentiles omnes, nunc etiam Hæretici multi, Caluiniſtæ maximè. Quin etiam primi ipſi parentes hoc vitio laborabant, dum Adam culpam in mulierem, quam à Deo acceperit, adeoque indirectè in Deum; Eua in ſerpentem, reijciebant culpam. Vnde S. Gregor. *lib.* 4. *Moral. cap.* 15. illius erroris ramum in humano genere ex illa

2. Quia ſic Dei iuſtitiam, noſtram confitemur iniuſtitiam.

illa nunc vſque radice protractum eſſe ait. Igitur vt horrendæ illi blaſphemiæ, quæ Deum peccati facit auctorem, contrauenìremus, aptiſſimè & ſapientiſſimè inſtituta eſt confeſſio, quâ homo ſemetipſum peccati cauſam fuiſſe aſſerit, Deum verò à culpâ vindicat: huic iuſtitiam, ſibi iniquitatem tribuit. Quis enim confiteatur ſcelus, cuius ipſe non ſit auctor? dum ergo confitetur peccator, hoc ipſo ſe auctorem peccatorum ſuorum fatetur, & Deum ab illis vindicat.

3. *Quia per eam Dei potentiã, noſtram proteſtamur infirmitatem.*

Tertiò. Quia per eam Dei potentiam, noſtram infirmitatem proteſtamur. Mos antiquus deuictorum & in prouerbium verſus erat, *haſtam abijcere*, cuius meminit Cic. in orat. pro Murena: nec non *victori herbam porrigere*, cuius meminit Plin. *lib.22. cap.4.* per hoc enim teſtabantur victos ſe eſſe, nec ampliùs hoſtile quid attentare velle: victori palmam & coronam cedere. Quoniam igitur peccator contra Deum arma ſumit, & legibus eius ſe rebellem præbet, quoties eas tranſgreditur; fas eſt, vt qui gloriam Deo abſtulerat, palinodiam cantet ſeque victum & imparem Dei viribus, ſuâ ſubiectione & armorum ſuorum, peccatorum ſcilicet, abiectione teſtetur. Hinc eſt, quòd refractarios quoſdam & inſolentes homines tamdiu humiliârit & preſſerit Deus, donec peccatum ſuum confitendo, victoriam Deo cederent. Ita afflixit Pharaonem, qui dicebat: *Neſcio Dominum*: donec diceret: *Peccaui etiam nunc: Dominus iuſtus: & ego & populus meus impij.* Exod.9. Sic preſſit Nabuchodonoſorem, qui dicebat: *Nonnè hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ & in gloriâ decoris mei?* abiecit enim eum ex hominibus vt fænum quaſi bos comederet, *donec altiſſimum benediceret & viuentem in ſæcula ſæculorum laudaret & glorificaret, quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna.* &c. Dan.4. Ita afflixit Antiochum morbo acutiſſimo, donec diceret: *Cognoui ergo quia propterea inuenerunt me mala iſta*, 1. Mach. 6. Hoc modo redditur gloria Deo, ita vt confiteri veritatem & ſemet accuſare, aliud non ſit quàm dare gloriam Deo; quia vt ait Auguſt. in Pſ. 94. *cùm peccata noſtra cognoſcimus, Dei gloriam commendamus.* Hinc Ioſue Achanem adacturus vt fateretur peccatum ſuum, inquit: *Da gloriam Domino Deo Iſraël & confitere atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas*, Ioſ. 7. Sic Phariſæi eum, qui cæcus erat, permoturi, vt confiteretur veritatem, dicunt: *Da gloriam Deo.* Fœdum profectò ac ſordidum erat donum Philiſthinorum; quod ex conſilio Sacerdotum ſuorum obtulerunt Deo pro delicto ſuo, ani, inquam, & mures aurei. Et tamen rati ſunt eo dono reddendam Deo gloriam ſuam eumque ſibi placandum fore; quid indicant cùm aiunt Sacerdotes: *Et dabitis Deo Iſraël gloriam*, 1. Reg.6. Eo enim dono fatebantur ſuum delictum, propter quod in naribus puniti eſſent & muribus. Dei verò iuſtitiam, potentiam, miſericordiam.

C. II. Ratione Chriſti.

1. *Vt eius innocentiam conteſtemur.*

SECVNDÒ. Ratione Chriſti Domini. Primò. Vt eius innocentiam ore noſtro conteſtemur. Iudæi & Gentiles dicunt Chriſtum ob peccata ſua crucifixum & occiſum, vnde illis eſt *ſcandalum*, his verò *ſtultitia*, 1. Cor. 1. Idcircò enim illum inter duos latrones crucifixere Iudæi, vt cum iniquis reputaretur, quod dixit Iſaias cap.53. Nos verò Chriſtiani vt palàm faciamus innocentem illum *attritum eſſe propter ſcelera noſtra*, vt ait Iſaias 16. noſtra confitemur ſcelera, noſque reos dicimus, vt Chriſtum vindicemus. Nam ſi quis ad mortem condemnaretur, quòd, verbi causâ, aureum furto abſtuliſſe dicatur poculum; ſi interea alius, qui reuerà abſtulit, poculum id in medium coram iudicibus afferat, nonnè is cenſetur innocentem vindicare & ſeipſum reum proclamare? Atqui Chriſtus per Prophetam Pſal. 68. ait. *Quæ non rapui, tunc exſoluebam.* Quare cùm in confeſſione peccata noſtra proferimus, nihil aliud agimus, quàm quòd reos nos, Chriſtum innocentem aſſerimus: id quod iure facimus, ne alienis humeris pondus noſtrum imponamus. Sic enim Dauid videns populos puniri ob ſuum ſolius peccatum, æquis id intueri oculis non poterat, ſed ad Deum exclamat: *Ego ſum qui peccaui & ego iniquè egi: iſti qui oues ſunt quid fecerunt?* 2. Reg.24. Cogita tu idipſum, quoties confiteris & dic: Ego ſum qui peccaui: Chriſtus qui ouis erat, quid fecit? Sic enim à peccati notâ vindicabis Chriſtum, dum te reum clamabis, Chriſtum verò innocentem pro te paſſum eſſe.

2. *Vt eius gloriam magnificemus.*

Secundo. Vt Chriſti gloriam magnificemus, dum tot, tam frequentia, tam grauia animæ vulnera Medico noſtro, Chriſto, curanda exhibemus. Magna eſt gloria Medici, ſi quem deſperatum ſanet: Chirurgi, ſi vulnus, quod incurabile putatur, curet. Propterea enim Antonius Muſa, quòd grauiter afflictum Auguſtum periculo exemiſſet, vt teſtatur Plin. *lib.29. cap.1.* vlcera item inſanabilia, mirâ celeritate perſanaret, vt idem lib.30. cap.13. aſſerit, à Romanis, qui multo tempore medicis caruerant, ſtatuâ alabaſtrinâ Æſculapio proximâ, multis opibus & priuilegijs donatus eſt: vt refert Sueton. in Auguſto. Quanto maior igitur apparet Chriſti gloria, cùm tot quotidie peccatores, tam enormibus ſauciatos ſceleribus, tam ſæpe relabentes, ad ipſum per confeſſionem recurrere & mirâ celeritate ſanatos abſcedere videmus? Vnde meritò ſcripſit S. Auguſtinus in Pſal. 94. *Nunquid & hoc non pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? Imò verò maximè pertinet ad laudem Dei: quia tanto plus laudatur Medicus, quanto plus deſperabatur ægrotus. Confitere itaque peccata tua, quo magis deſperabas de te propter iniquitates tuas. Tanto enim maior laus eſt ignoſcentis, quanto maior exaggeratio eſt peccata confitentis.* Taceo quòd per hoc etiam Chriſti gloriam in confeſſione commendamus, quia propter ipſum nos hominibus tanquam eius miniſtris ſponte ſubijcimus, in re ruboris & pudoris pleniſſimâ.

Tertio.

3. *Vt dilectionem noſtram ei comprobemus.*

Tertiò. Vt dilectionem ei noſtram probemus. Qui verè amicum diligit, omnia ſua ſecreta facilè ei patefacit, ac niſi quidem hoc faciat, nondum verè diligit. Exploratura Dalila Samſonis erga ſe amorem, nil aliud ab eo petijt, quàm vt ſecretum ille ſuum ei aperiret, idcircò enim ait: *Quomodo dicis quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum? per tres vices mentitus es mihi? & noluiſti dicere, in quo ſit maxima fortitudo tua.* Iud. 16. Nihil erat, quod non manifeſtaret nobis Chriſtus ſponſus noſter; manifeſtauit gloriam ſuam in transfiguratione, manifeſtauit infirmitatem ſuam in paſſione, manifeſtauit nomen Dei in prædicatione, vt nemo de illius dubitare dilectione poſſit. Reliquum eſt vti & nos dilectionem ei noſtram comprobemus. Et quâ ratione meliùs probabimus, quàm ſi intima & abſtruſiſſima cordis noſtri arcana, quæ reuelare nulli alij audemus, ei reuelemus? Hoc fit per confeſſionem, quod enim Confeſſario dicitur, Chriſto dicitur.

4. *Vt aduentanti in Euchariſtia viam paremus.*

Quartò. Vt Chriſto Domino aduentanti in Euchariſtiâ, viam & habitaculum mundum præparemus. Cùm Ioannes Baptiſta pœnitentiam prædicaret, crebro id inculcabat: *Parate viam Domini*, Matth. 3. & Luc. 3. Sed quæ via Domini in ſumptione Euchariſtiæ: nónne os & cor hominis? & quomodo ea rectiùs & luculentiùs purgabimus, quàm ſi ſordes peccatorum è corde per os eijciamus? ſcopebat Spiritum ſuum Dauid *Pſ.* 76. qui tantum Dominum recipere non poterat: quid feciſſet ſi hunc hoſpitem habuiſſet? Nos ergo vtamur ſcopis confeſſionis, vt viam & habitaculum Deo dignum præparemus.

D. III. *Ratione ipſius confitentis.* 1. *Vt haberet homo iudicem ſibi ſimilem.*

Tertiò. Ratione hominis confitentis cõuenienter inſtituta eſt. Primò vt haberet homo iudicem ſibi per omnia ſimilem & iuxta voluntatem ſuam. Prouocabat populus Iſraëliticus à Iudice Deo, ad iudicem hominem, Moyſen, dicens ei: *Loquere tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Exod. 20. Si Deum ſolum haberemus iudicem, multis modis miſeri eſſemus, quia incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius; *quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* inquit Paulus ad Rom. 11. Quapropter ceſſit iuri ſuo quodammodo Deus, & iudicem nobis dedit, ſimilem nobis. Similem inquam, non tantùm carne & ſanguine, ſed etiam infirmitate. *Habemus* quidem *Pontificem Chriſtum, qui poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine* (ſed) *abſque peccato*, inquit Paulus *ad Hebr.* 4. Igitur adhuc formidare eum poteramus, quia cùm ſine peccato ſit, aſperiùs fortè cum peccatoribus acturus videbatur. Quare vt neque de hoc conqueri poſſemus, iudicem nobis dedit, per omnia nobis ſimilem, etiam in peccato: vt ſic cum eo confidentiùs agere & veniam faciliùs acquirere poſſemus. Hæc ſanè videtur cauſa, quòd Chriſtus Dominus claues pœnitentiæ, non Ioanni Baptiſtæ, ſed Petro contulerit: quia cum Ioannes ſine maculâ, Petrus autem aliquando peccator eſſet, huic, non illi claues commiſit, vt peccator peccatori faciliùs compareretur & veniam impertiret: pœnitens pœnitenti non difficilè confiteretur.

2. *Vt haberet ſignum ſenſibile reconciliationis ſuæ.*

Secundò. Vt haberet homo ſignum aliquod ſenſibile, ex quo intelligeret, quantum eſt ex parte Dei, dimiſſa ſibi eſſe peccata. Petierat eiuſmodi ſignum remiſſi peccati ſui, Dauid Pſ. 50. dicens: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam & exultabunt oſſa humiliata.* Et obtinuit cùm facta confeſſione audiuit à Nathan propheta quaſi confeſſario ſuo: *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. Quòd ſi Sacramentum confeſſionis inſtitutum non eſſet, nullum prorſus haberemus ſignum remiſſionis peccatorum. Iam verò ſi nos ipſi non ponamus obicem (quod etſi non infallibiliter, prudenter tamen coniectare poſſumus) efficaciſſima eſt abſolutio & ſignum certiſſimum condonationis peccatorum. Poſtquam audierat ab Iſaia Rex Ezechias ſe ſanandum eſſe à Domino, qui mortem ei deſtinârat, petierat ſignum aliquod in prophetiæ teſtimonium, idque tale: vt in horologio reuerteretur vmbra decem lineis; quod & factum 4. *Reg.* 20. Quid vmbræ illius reuerſio niſi peccatorum ſignificabat confeſſionem? Peccatum vmbra eſt, quia vt hæc priuatio luminis, ita illud priuatio rectitudinis debitæ: quâ homo tranſgreſſus eſt decem præceptorum lineas. Intrauit hæc *ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius*, Pſ. 108. Quod ſignum igitur vis remiſſionis peccatorum tuorum? Si vmbra delictorum in corde tuo latens reuertatur per decem præcepta, quæ tranſgreſſa eſt; ſi euomatur per confeſſionem: ne dubita, habebis certum ſanitatis tuæ ſignum, cùm audies: *Ego te abſoluo.*

3. *Vt haberet fidelem amicum cui ſecreta ſua credere poſſet.*

Tertiò. Vt haberet homo fideliſſimum aliquem amicum, cui intima cordis ſui arcana fidenter communicare poſſet. Nemo amicorum eſt, cui ſecurè prorſus ſecretum credi poſſit; poteſt enim is quandoque cogi, cùm publicæ vtilitatis intereſt, vt illud patefaciat. Non tamen eſt infra cœlum poteſtas vlla talis, quæ confeſſarium cogere poſſit, vt ſecretum tuum aperiat, licet inde totius orbis ruina dependeret. Propterea vocatur ſecretum hoc, *ſigillum confeſſionis.* Non eſt cereum hoc ſigillum, ſed ferreum, ac ſi quid ferro fortius. Et fit abſque dubio ſingulari Dei prouidentia, vt licet in ſacerdotio multifaria reperiantur quandoque ſcelera: ſigillum tamen confeſſionis à nemine violari comperitur: id quod ex ore Epiſcopi hoc ipſum admirantis, me audiſſe memini; & demonſtrat experientia. Hoc, vt mihi perſuadeo, inſinuauit Chriſtus, quando *Ioan.* 20. cum inſufflatione dedit Apoſtolis poteſtatem clauium. Quemadmodum enim flatus nec videri, nec menſurari, nec apprehendi poteſt, nec ſcitur vnde venerit aut quo vadat: ita & peccata in confeſſione depoſita, indeprehenſibilia eſſe voluit: ſimulque

ſimulque poteſtati clauium iunxiſſe videtur ſpeciale donum, quo ſecreto confeſſionis ſanctè conſeruaretur. Itaque licet Sacerdotes in alijs homines ſint infirmi, fragiles & lapſibus obnoxij inſtar hominum aliorum: in hoc tamen quaſi Dij ſunt, firmi & inflexibiles, iuxta id: *Ego dixi: Dij eſtis*.

E. IV. Ratione delictorũ.

1. *Vt morbus animæ ſuo curetur antidoto.*

QVARTÒ. Ratione delictorum. Primò. Vt morbus animæ ſuo curetur antidoto. Commune & quaſi hæreditarium eſt hominibus, peccata ſua tegere & latebris occultare, quia naturæ aduerſatur creatoris offenſio. Sed quemadmodum Deus Adamum poſt patratum facinus ſeſe abſcondentem, protraxit in lucem vt agnoſceret ſe peccaſſe: ita meritò diſpoſitum eſt, vt qui peccare non erubuit, confitendo erubeſcat & agnoſcat ſe peccaſſe. Hoc enim eſt quod *Ierem. cap.* 3. dicitur: *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Ergo ſaltem amodò voca me: Pater meus*, Filia diſſoluta nullius ſic erubeſcit conſpectum, vti patris, quem maximè ſe offendiſſe nouit: iuſtum igitur eſt, vt pudore ſanetur impudentia & in conſpectum illius prodeat, quem ſubterfugiebat. Nondum perfectè odit peccatum, qui latibulum eius amat. Igitur *vt perſpicuum facias*, inquit Gregor. Nazianz. orat. 40. *te ſeriò atque ex animo peccatum odiſſe ac deteſtari, illud tanquam contumeliâ dignum traducis ac veluti ludibrio exponis, de eaque triumphum agis*, &c.

2. *Vt peccandi libidinem confeſſio frænaret.*

Secundò. Vt peccandi libidinem confeſſio frænaret: Quia enim naturæ humanæ maximè aduerſatur, peccatum ſuum pandere; non poterat homini aptius immitti frænum coërcens à peccatis, quàm ſi hoc ei iugum imponeretur. Regi Syriæ Sennacherib dixerat Deus 4. *Reg.* 19. & Eſa. 37. *Inſaniſti in me & ſuperbia tua aſcendit in auribus meis: ponam itaque circulum in naribus tuis & chamum in labijs tuis, & reducam te in viam per quam veniſti.* Bubalus in naribus & equus in ore non difficilè perdomantur, qui reliquo corpore duri ſunt & verbera contemnunt: propterea illi ferreus quidam annulus, huic frænum inijcitur. Similiter actum cum peccatore; quia enim terreni Magiſtratûs iudicium facilè vel effugere poteſt vel eludere, ne reus eſſe conuincatur: ecce tibi chamum, confeſſionem, quæ os peccatori aperit & ad ſui accuſationem cogit, ſicque à peccandi libidine reuocat. Experiuntur Nouatores, qui confeſſionem exterminârunt, ex eo tempore innumera ſcelera ac priùs inaudita, paſſim radices egiſſe inter ſe tam altas, vt nullis iam viribus eradicare queant. Narrat Dominicus Soto *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 1. Norimbergenſes per legatos à Carolo V. Imp. poſtulaſſe vt confeſſionem auricularem Imperatoriâ poteſtate, Norimbergæ, vnde exulauerat, denuò introduceret: ſe namque comperiſſe vſu, poſtquam illa ceſſauerat, Rempublicam ſuam vitijs contra iuſtitiam alijſque abundaſſe. Riſi tamen meritò ſunt ab Imperatore, quòd vim ſacerdotali abſolutioni negarent, & quòd ipſi priùs confeſſionem aboleuerint.

3. *Vt delicti pœna mitigetur.*

Tertiò Vt delicti pœna mitigetur, ſeu vt verecundiam, quæ interuenit in confeſſione, patiamur pro pœnâ, vt notat Chryſoſtomus *hom.* 3. *ſupr. Matth.* Qui alteri rem ſuam inuito contrectauit duplici tenetur ſatisfactionis debito: proximi, vt rem ei ſuam reddat: Magiſtratui, vt pro commiſſo furto pœnas luat. Similiter & qui peccat; culpam enim contrahit & pœnam, illam per contritionem, hanc per ſatisfactionem eluere tenetur. Iam ſiquis furi remittere rem furtiuam vellet, dummodò fur humiliter errorem ſuum agnoſceret & fateretur: certè nimium benignè cum fure ageretur. Hoc ferè in confeſſione accidit; idcircò enim præſcripſit peccatori Deus medium confeſſionis ex naturâ ſuâ pœnoſum, vt eo ipſo ſaltem aliqua ſatisfactionis debitæ pars ei condonaretur. Nimis bonus eſſet Medicus, qui potionum & ſimilium medicamentorum, quæ præſcribit, ægro, ſumptionem & vſum, mercedis ſuo loco duceret. Hoc facit in confeſſione Deus, qui aſperius quidem tibi præſcripſit remedium, ſed vt partem pœnæ per id eluere poſſes. *Erubeſcentia enim ipſa*, inquit S. Auguſtin. lib. de pœnit. *partem habet remiſſionis.*

F. V. Ratione proximi.

1. *Ne ſcandalizetur.*

QVINTÒ. Ratione proximi. Primò. Ne ſcandalum patiatur, cùm viderit eos, quos peccatores nouerat, accedere ad menſam Chriſti. Si confeſſio non homini, ſed Deo duntaxat facta in corde, ſufficeret, facilè crederentur illi, qui magnis aſſueti ſunt ſceleribus, indignè acceſſuri. Quomodo enim is, qui in peccatorum ſordibus ad aures vſque immerſus eſt, à luto tam tenaci ſe expediat, ſine adhortante, ſine increpante, ſine extrahente? At vbi quis confeſſionis Sacramento expiatus cernitur, cadit iam ſuſpicio & ceſſat ſcandalum; ſiquidem eum, quem peccatorem nouerant, iam velut è balneo egredi credunt, adeoque à Sacerdote velut balneatore probè lotum & depexum. Phariſæus, cùm peccatricem vidit accedere ad Chriſtum, (*Luc.* 7.) indignè id accepit: nec immeritò accepiſſet, ſi mulier conuiuio aſſediſſet; ſed quia ploratum venerat & vulnera ſua oſtenſum, ad medici pedes acceſſerat, audiuit à Chriſto: *remittuntur tibi peccata tua.* Si peccator ſe mox ingerat ad ſacram communionem, non iniuriâ cenſebitur ſacrilegus, vt qui nemini adhuc pœnitentiam ſuam probârit; ſed ſi diuertat priùs ad confeſſarium, iam hoc ipſo creditur induiſſe hominem alium, & deſijſſe eſſe peccator.

2. *Vt proximus ædificetur.*

Secundò. Vt proximus ædificetur & ad pœnitentiam animetur. Quis enim neſcit, quanti ſit res exempli, humilis plurimorum pœnitentia in aures Sacerdotis certatim inſtillata? Quomodo quis confiteri detrectat, cùm videt orbis Dominos ad pedes accidere Sacerdotis? quomodo quis diffidat, cum videt etiam illos, qui quodammodò toti nati & educati ſunt in peccatis, ad pedes Sacerdotis veniam inuenire? quomodo quis contemnat,

Digitized by Google

temnat, cùm videt etiam homines ſanctitate conſpicuos hoc lauacro vti? quomodo quis pertimeſcat, cùm tam facili negotio, tam ſuaui remedio rem totam peragi & cauſas etiam deſperatiſſimas expediri videt?

3. *Vt nemo ſupra aliũ extollatur.*

Tertiò. Vt nemo ſupra alium extollatur, cùm videt hanc vnam & eandem menſuram omnibus aptari. Alphonſus Rex Aragonum, cinerem eſſe aiebat, qui principes ac priuatos, diuites & pauperes omnes exæquaret; vt refert Panorm. *lib.4. de geſtis eiuſdem.* ſed menſura hæc mortuorum eſt; Viuentium eſt confeſſio, quæ exæquat omnes. *Omnes enim peccauerunt*, inquit D. Paulus ad Rom.3. *& egent gloriâ Dei*, id eſt, gratiâ & miſericordiâ Dei, quam impetramus per pœnitentiam. Poterat ergo Paulus dicere: *Omnes peccauerunt & egent* abſolutione. *Quid* igitur *ſuperbis terra & cinis*, qui eâdem cum omnibus teneris lege? idem ſubire iudicium, eandem flagitare & expectare debes veniam. Quòd ſi igitur cineris memoria criſtam tibi deponit; conſidera & illud: te egere gratiâ Dei, & pari cum omnibus ſorte, flectere ſacerdoti genua, tundere pectus & dicere: *Mea culpa.* Vnde mirum eſt, ſi ſuperbus non dicit apud ſeipſum: Ego non tantus ſum, quantum meipſum facio, neque hæ opes, ſtemma, honores me verè maiorem cæteris reddunt; ſi enim maiorem me redderent, coram Deo prærogatiuam aliquam inuenirem: non enim iniuſtus eſt Deus aut inuidus. Fallor igitur & fallo me. Quare ſicut montis excellens altitudo ſupra collem non aduertitur ſi eum metiaris verſus cœlum: aut 100. anni non ſunt plus reſpectu æternitatis, quàm 10. ita homines reſpectu Dei, cum hominibus comparati.

Quare, Auditores, poſtquam intellex imus tam ſapienti & ſalubri Dei conſilio confeſſionem inſtitutam eſſe, eamus haud grauatè cum leproſis iſtis ad pedes ſacerdotum, vt mundi recedamus. *Adeamus cum fiduciâ*, inquit Apoſtolus ad Hebr. 10. *ad thronum gratiæ ipſius* (Chriſti) *vt miſericordiam conſequamur.*

CONCIO X.

Documenta.

1. *Docent leproſi feſtinanter ſalutem quærere & pœnitentiam non differre, rectè orare, rectè de Chriſto ſentire, nihilq; non ſubire pro ſalute recuperanda.*
2. *Docet Samaritanus, ſeparare ſe à ſocijs prauis vt Deo ſeruiatur, item gratum eſſe, & non accuſare alios.*
3. *Chriſtus arguens nouem ingratos & commendans Samaritanum inſtruit benefactores.*

THEMA.

Iesv præceptor miſerere noſtri, Luc.17.

A. Præceptoris eſt Chariſſimi in Chriſto, promouere ſedulos & eruditos ſuos diſcipulos partim ad aſcenſum in altiorem claſſem, partim etiam ad captanda præmia pro cuiuſque merito. In hodierno Euangelio videamus Præceptorem, Chriſtum; videmus & diſcipulos, decem inquam leproſos, qui niſi ſe agnoſcerent Chriſti Domini diſcipulos, vtique non dicerent ei: *Ieſu Præceptor miſerere noſtri.* Fuerunt ergo diſcipuli eius, non profeſſione, ſed ſubiectione; & quidem eruditi, morigeri & boni, ideoque à Præceptore ſuo promoti ad aſcenſum, vt de leproſorijs admitterentur in ciuitates, velut iam mundati. Vnus etiam illorum, Samaritanus, qui cæteros omnes vicit, præmium cōſecutus eſt, immortale laudis præconium & ſalutem animæ. Ergo inſpiciamus primò virtutem & eruditionem diſcipulorum; deinde contemplemur Præceptorem.

B. I. Leproſi ſimul omnes docét. 1. *Feſtinanter ſalutem quærere & pœnitentiam non differre.*

Ergo leproſi iſti Primò feſtinanter quærunt ſalutem ſuam. Cùm enim Dominus ingrederetur quoddam caſtellum, *occurrerunt ei*, inquit Euangeliſta. Non traxerunt moras; non dixerunt: expectemus craſtinum; vel donec egrediatur è caſtello; ſed cucurrerunt ad eum, ne fortè ingreſſum in ciuitatem, inuocare iam non poſſent, vtpote excluſi ab ingreſſu ciuitatis: & poſteà egredientem negligerent. Docemur ergo à leproſis pœnitentiam non differre, ſed proximam quamque occaſionem pœnitendi arripere; ne fortè ſpatium pœnitentiæ quæramus & inuenire non poſſimus. Nazaræi in veteri lege, ſi fortè contaminati eſſent funereâ contage, *illicò in eadem die* debebant expiari, & radere caput ſuum. *Num.6.* Nazaræi omnes nos, quia in baptiſmo Deo conſecrati ſumus. Ergo ſiquis aliquando mortiferâ labe pollutus eſt, illicò eâdem die emundet ſe per pœnitentiam & forfice ſi non confeſſionis, contritionis ſaltem, radat non quidem caput, ſed cor ſuum ab inordinatis affectibus erga res creatas. Periculum eſt alioquin, ne in peccatis ſuis obſordeſcat & magis magiſque implicetur laqueis dæmonum, quo modo Abſalon per capillos quercui adhærens. Scribit Philo Iudæus in antiquit. Bibl. filios Heli improbos cùm à patre admonerentur officij ſui, reſpondiſſe: *Quando ſenuerimus, tunc pœnitebimus.* Verùm ad canos non peruenerunt, ſed in iuuenili adhuc ætate, repente in prælio occiſi ſunt, 1. *Reg.4.*

2. *Rectè orare.* 1.

Secundò. Debito modo orant. Nam imprimis reuerentiam Chriſto exhibent, dum à longè ſtant, quaſi indigni, ob ſuam contaminationem, qui propè ad eum accedant. Sic orabat Publicanus, à longè ſtans nec oculos ad cœlum leuare audens. *Luc.* 18. Sic orabat Eſdras: *Deus meus confundor & erubeſco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt.* 1. Eſdr.9. Secundò feruenter orant; quia leuant vocem ſuam: omnes neruos intendunt & cum magno impetu orationem ſuam ad Chriſtum eiaculantur, quia agnoſcunt miſeriam ſuam; hinc eorum oratio penetrauit aures & cor Domini. Nos ſi peccatorum noſtrorum deformitatem & alias noſtras miſerias exactè cognoſceremus, pari feruore precaremur & oratio noſtra vtique penetraret nubes. Tertiò humiliter orant, dum miſericor- 3.

ſericordiam eius implorant: *Miſereri noſtri* inquiunt. Suam ergo miſeriam non obſcurè explicant; nec merita ſua allegant, ſed miſericordiam duntaxat Chriſti. Edocti nimirum erant, quid contigiſſet duobus illis quinquagenarijs, qui cum faſtu & imperio regio iubebant Eliam deſcendere de monte Carmelo ideoque ab igne cœleſti abſumpti ſunt; quidque effecerit quinquagenarius tertius, qui cum priorum malo edoctus ſupplex oraſſet: *Homo Dei noli deſpicere animam meam: & nunc obſecro vt miſerearis animæ meæ*; à Propheta exauditus eſt, 4. *Reg.* 1.
4. Quartò cum reſignatione orant; nihil enim definitè precantur, ſed miſericordiam ſolummodò, vt quod ſibi expedire viſum fuerit, donetur; futuri proinde contenti, ſi non à lepra immunes, ſed aliâ quauis gratiâ diuites fierent. Hinc vocant Chriſtum Præceptorem, quaſi obedire ei parati.
5. Quintò cum magnâ fide orant, dum Ieſum & Præceptorem appellant; vt qui ſaluare & præcipere queat, vt lepra ab eis diſcedat.
6. Sextò cum charitate, quia pro ſe omnibus orant: Miſerere noſtri.

3. *Rectè de Christo ſentire.*

Tertiò. Rectè de Chriſto ſentiunt ac credunt, dum non modò Ieſum, hoc eſt, Saluatorem, ſed & Præceptorem ſeu Legiſlatorem appellant. Venit enim Chriſtus vt nos ſaluet quidem, ſed per viam mandatorum. Hæc media ſunt; ſalus noſtra, finis eſt. Ita enim ipſe Dominus: *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*; ait cuidam, Matth. 19. Et rurſum alteri interroganti: *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo*? Reſpondet: *In lege quid ſcriptum? quomodo legis*? &c. Luc. 10. Ipſe etiam ſua peculiaria quædam mandata nobis præſcripſit. Igitur non ſolùm in eum credere ac ſperare velut Ieſum debemus, verùm etiam obedire ei velut Præceptori. Id quòd expreſſis verbis aſſerit Apoſtolus ad Hebr. 5. *Conſummatus*, inquit, (græcè *immolatus*) *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Ergo immolatio & Paſſio Chriſti peperit quidem nobis ſalutem, ſed obtemperantibus ei. Inſaniunt proinde hæretici, & vel ab his leproſis erroris redarguuntur, dum Chriſtum Saluatorem volunt, Præceptorem nolunt. Perinde enim agunt, ac ſi Venetias contendant, ſed mare traijcere nolint: vel aſcendere ex inferiori ad altiorem claſſem quærant, ſtudere interim renuant. Non ita noſtri leproſi, qui Chriſto etiam paruerunt.

4. *Nihil nõ ſubire pro ſalute recuperandâ.*

Quartò. Nihil non pro recuperandâ ſanitate ſubeunt. Imprimis enim ablegati ad Sacerdotes, ſine contradictione obediunt; deinde viam ſatis longam ad Sacerdotes illos conficiunt. Poterant illi oggerere: Cur nos Domine ad Sacerdotes mittis? tu nos ſanare potes, non ipſi. Coram Domino ſtamus; quid nos ablegas ad ſeruos tuos? Deinde qui mox ſanare potes, cur iter facere cogis? Has enim vel ſimiles certè rationes obijciebat olim Eliſæo leproſus ille Naaman, quando ab eo iuſſus lauare ſepties in Iordane, cum irâ dixit: *Putabam, quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſuâ locum lepræ, & curaret me. Nunquid non meliores ſunt Abana & Pharphar fluuij Damaſci, omnibus aquis Iſraël, vt lauer in eis, & munder?* 4. Reg. 5. Verùm illi nihil horum obijciunt, ſed humili & cæcâ obedientiâ pergunt, quò ablegati ſunt; ideoque mox in via ſanati ſunt; quemadmodum & Naaman, vbi tandem conſilio ſeruorum ſuorum, perſuaſus paruit Eliſæo, & lauit in Iordane. Quare redarguuntur hîc, qui Sacerdotum tribunali & ductui ſubijcere ſe renuunt; quaſi ipſorum operâ vel conſilio non egeant, ſatis per ſe docti, &c. Cum Chriſto locuti ſunt hi leproſi, & tamen ad Sacerdotes mittuntur: cum eodem Paulus quoque locutus eſt, & tamen ad Ananiam mittitur, *Act.* 9. Cornelius cum Angelo locutus eſt, & tamen Petrum, à quo fidem diſcat, accerſere iubetur, *Act.* 10.

Deinde non exiguo itinere abeunt ad Sacerdotes. Occurrerunt enim Chriſto vel in Samaria, vel in Galilæâ: mittebantur verò Ieroſolymam ad Sacerdotes. At longè diſtabat Samaria ab Ieroſolymis, longiùs Galilæa. Pro nihilo hoc iter habebant, quia ſanitatem ſuam auidi requirebant. Quid igitur putatis non faciendum nobis eſſe pro recuperandâ ſalute animæ & cœleſti beatitudine? Vidimus alibi quale iter conficere dæmon vellet, ſi ad priorem è quo excidit, ſtatum, redeundi facultatem haberet. Per cultros & nouaculas repere in columnâ vſque ad cœlum vellet, vti per obſeſſum faſſus eſt. Scimus, quid Stylitæ fecerint, qui per multos annos ſteterunt ſemper in columnis; æſtui & frigori alijſque cœli iniurijs expoſiti. Et quæ itinera non conficiunt mercatores? quæ pericula non ſubeunt? quæ maria non traijciunt, vt periturum lucrum faciant? Verè Thomas de Kempis l. 3. c. 3. ait: *Erubeſce Sidon, ait mare: Et ſi cauſam quæris, audi quare: Pro modicâ præbendâ longa via curritur, & pro æternâ vitâ vix à multis pes ſemel à terrâ leuatur.*

Digni igitur aſcenſu ad altiorem claſſem, digni ſanitate cenſendi ſunt hi leproſi. Verùm inter eos vnus omnibus excelluit, adeoque præter ſanitatem promeruit etiam præmium, & hic erat Samaritanus. Hic enim

C. II. *Solus Samaritanus docet.*

1. *Separat ſe à ſocijs prauis, vt Deo ſeruatur.*

PRIMÒ. ſeparauit ſe à ſocijs, quando eos vidit ad propria abire, nec reuerti ad Chriſtum velle; ſoluſque ipſe ad Chriſtum perrexit, gratias acturus: quidquid alij dicerent vel obloquerentur. Heroicum planè facinus, laude & præmio dignum omnibus Chriſtianis imitandum. Quare ſi cæteri ſocij tui conferant ſe ad choreas, ganeas vel popinas, ludos & commeſſationes, feſtis præſertim diebus, cùm Deo vacandum eſt: tu heroëm age, & ſepara te ab iſtis, perge ad rem diuinam. Ita fecit Tobias ſenior, qui *cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat, Rex Iſraël, hic ſolus fugiebat conſortia omnium: ſed pergebat in Ieruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſraël*, Tob. 1. Si cæteri comites itineris tui in diuerſorio hæ-

hæretico veſcantur carnibus eo tempore, quo vetuit Eccleſia: tu heroëm age, & alias tibi eſcas procura, quibus veſci tibi licet. Similiter ſi cæteri amici in peccata ſe præcipitent: tu heroëm te præſta, & contrariam viam inito. Sic Noë, cæteris omnibus diſſolutam vitam agentibus, ſolus ipſe arcam ſibi parabat, & in diluuio intrabat, Geneſ. 7. Si cæteri conciues tui gulæ, ebrietati, libidini, vſuræ ſtudeant: tu Lothum imitare, qui inter impios Sodomitas ſolus bonus fuit, & ab eis diſceſſit, *Gen* 19. Si cæteri omnes ſubditi ad mandatum ſui Principis hæreſin amplectantur; tu Matathiam ſequere, qui compulſis ad gentiliſmum Iudæis, ab Antiocho Rege, dicebat: *Etſi omnes gentes Regi Antiocho obediunt, vt diſcedat vnuſquiſque à ſeruitute legis patrum ſuorum, & conſentiat mandatis eius: Ego & filij mei & fratres obediemus legi patrum noſtrorum*, 2. Mach. 7. Solus ex Senatoribus Athenienſibus Dyonyſius: ſola ex matronis Damaris celebrantur, *Act.* 17. quòd ad fidem Chriſti ſe conuerterint, vti & Lydia purpuraria ex Thiatyrenis, *Act.* 16. quidquid alij facerent. Non dubium, quin ipſi multa deuorare probra, à ſuis ſibi obiecta, debuerint; ſed nihil hæc eos mouerunt, aut à propoſito absterruerunt; quia ſcriptum eſſe nouerunt: *Non ſequeris turbam ad faciendum malum*, Exod. 23.

2. *Gratum eſſe.* Secundò. Regreſſus eſt ad Chriſtum cum magnâ voce gratias agens. Heroicæ fortitudini, quâ ſe ab ingratis ſeparauit, heroicum gratitudinis actum adiunxit. Nam primò agnouit
1. magnitudinem accepti beneficij, ideò geſtiens & exultans *magnificauit Deum*. Magnum enim bonum eſt corpus ſanum & vegetum: vti magna econtrà miſeria corpus morbidum, & præſertim leproſum. Bonus ille Samaritanus nouit experimento, quantum eſſet inter vtrumque diſcrimen; quod nos ſi pari modo ſentiremus, ſingulis diebus pro eo beneficio gratias ageremus. Itaque Samaritanus iſte primum gratitudinis attigit gradum, cùm beneficium agnouit; ſed nequaquam in eo ſubſtitit: ad alterum aſcendit, dum magnâ voce beneficium prædicauit, & pro eo gratias egit. Non ſiluit beneficium, non abſcondit pecuniam Domini ſui: ſed palàm omnibus oſtendit, vt ſimul alios lucraretur, & Chriſto pareret filios. Docuit ergo nos non ſupprimere beneficium aut nomen benefactoris noſtri, cùm occaſio eſt laudandi. *Si quid ab altero edocti ſumus*, inquit S. Baſilius ep. 1. *idipſum non occultandum eſt, velut improbæ mulieres ſpurios partus ſubijciunt, ſed dicti parens cum gratitudine prædicetur*. At licet communia ſint beneficia, qualis eſt creatio, & redemptio totius generis humani, ſolis ortus & pluuiæ, ſuper iuſtos & iniuſtos, plurimorum diſcipulorum eruditio ſub eodem magiſtro, &c. non idcircò minùs obligati ſumus ad referendas gratias; ſiquidem ita ſinguli fruimur beneficijs, ac ſi vni ſoli collata eſſent. Nam *quid intereſt*, inquit D. Chryſoſt. lib. 2. de compunct. cordis, *ſi & alijs præſtitit, cùm quæ tibi præſtita ſunt, ita integra ſint, & ita perfecta, quaſi nulli alij ex his aliquid fuerit præſtitum. Ideo denique & in illâ boni paſtoris parabolâ, non dicitur, quia venit oues multas quærere, ſed vnam. Vna namque eſt, quia ſic omnibus quaſi vni diuina beneficia conferuntur.* Sanè 3.
huius leproſi ſanatio communis fuit cæteris nouem, non ideò tamen ipſe minùs gratias egit, quàm ſi ſoli impertita fuiſſet. Sed neque in hoc ſecundo gradu ſtetit, ad ſupremum etiam aſcendere conatus eſt, beneficium beneficio compenſare ſtudens. Sed quid hic pauperculus dare Chriſto potuit? *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* inquit Apoſtol. Dedit ſanè aliquid, quod teſtatur ipſe Dominus: *Non eſt inuentus*, inquit, *qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.* Dedit ergo gloriam & diuinum honorem Deo, cùm Chriſtum tanquam filium eius ſupplex adorauit, procidens in faciem ſuam. Hac ergo publicâ adoratione proteſtari voluit, ipſum eſſe plus quàm hominem, adeoque Deum verum. Magnum profectò munus, quo maius dare non potuit; quia vnà cum illo ſe quoque ipſum obtulit. Bene Seneca l. 1. de benef. c. 6. *Nec in victimis*, inquit, *licet opimæ ſint, auroq́; præfulgeant, Deorum eſt honos, ſed in piâ ac rectâ voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac fictili religioſi ſunt; mali non effugiunt impietatem, quamuis aras ſanguine multo cruentauerint.* Atque hic fuit reditus, hic circulus Samaritani, quo ad Chriſtum regreſſus eſt, tres, inquam, gratitudinis aſſignati gradus, quos enumerat D. Thom. 2. 2. q. 107. a. 2. & ſcandere nos conuenit, ſi ad cœleſte præmium aſcendere velimus. Scimus columbam ex arcâ dimiſſam à Noë, ad eandem eſſe reuerſam, viridem ramum ore præferentem: coruum verò non eſſe reuerſum. Columba fuit Samaritanus noſter, dignam gratiarum actionem ore ſuo afferens, & rediens ad Chriſtum: coruos ſe monſtrârunt reliqui leproſi, qui nequaquam redierunt. Quid iam nos Chriſtiani? corui eſſe volumus, non columbæ? Abſit hoc à nobis. Sed nec contenti ſimus, qualicumque gratiarum actione. Humilis, ſimplex, ſyncera, adeoque columbina ea ſit, neceſſe eſt, qualis fuit & Samaritani. *Non omnis gratiarum actio*, inquit S. Ber. ſer. 11. in Cant. *accepta eſt Deo, niſi quæ de cordis pudicâ & mera ſimplicitate procedit. Pudica ſanè dixerim propter eos, qui & de malis actibus ſuis gloriantes, Deo gratias agere ſolent, quaſi Deus more ipſorum lætetur, cùm malè fecerint, & exultent in rebus peſſimis. Mera verò ſimplicitate adiunxi propter hypocritas, qui Deum quidem de bonis ſuis ſed verbotenùs glorificantes corde retinent, quod ore præbuerant.*

Tertiò. Memor fuit modeſtiæ, quia venit ſuo functurus officio, non accuſaturus alios. 3. *Non accuſare alios.* Nos vt noſtra commendemus, aliena vituperamus: vt magis eluceſcamus, contrarium iuxta nos ponimus, ſic Phariſæus ille orans, vt extollat opera ſua, deprimit Publicanum: *Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum raptores, iniuſti, adulteri; velut etiam hic Publicanus*, Luc. 18. quaſi alienis ſordibus ſe orna-

ornare velit. Non ita hic Samaritanus, non ſic agit gratias, vt alios collutulet, & ſe nitidiorem faciat; neque enim ait: Monui ſocios meos, vt mecum ad te redirent, ſed perſuadere non potui: ad propria redierunt: beneficij tui obliti ſunt: à Sacerdotibus ſeducti ſunt, ne beneficium tibi adſcriberent. Nihil horum ipſe ſuo bono contentus eſt, alieno malo non gaudet. Exodi 20. præcipit Deus Moyſi: *Non ædificabis altare de ſectis lapidibus; ſi enim leuaueris cultrum ſuper eo, polluetur.* Sectis de lapidibus altare Deo erigunt, qui cum aliorum contemptu vel probro laudes Deo canunt & gratiarum actionem. Itaque ſi huiuſmodi detractionis culter proximum tetigerit, cùm Deo vis altare, ſiue laudis, ſiue gratiarum actionis, ſiue alterius boni operis, erigere: polluetur altare tuum.

D. III. Chriſti præceptoris de his diſcipulis iudicium.

Sed iam tempus eſt, vt Præceptorem audiamus. Quod igitur iudicium Præceptoris de his diſcipulis? Primò nouem illos abſentes alicuius ingratitudinis arguit, quòd non redierint ad benefactorem, exemplo Samaritani. Crediderim quidem ipſos agnouiſſe beneficium, nec omninò ingratos fuiſſe; debebant tamen in gratitudinis ſcholá altiorem gradum facere, vel exemplo Samaritani. Sed nimirum ita ferè ſolemus facere omnes: quamdiu durat morbus vel calamitas, tamdiu recordamur Dei, eumque inuocamus; at vbi conualuimus & erepti ſumus, mox Dei obliuiſcimur, & qui ad eum reuerti debuimus, magis elongamur ab eo, iuxta id Iſa. 26. *Indulſiſti genti Domine, indulſiſti genti: nunquid glorificatus es? elongaſti omnes terminos terræ.* q. d. ex hac tuâ indulgentiâ ingrati populi receſſerunt à te vſque ad vltimæ terræ fines, inquit D. Hieron. Multi qui per Dei gratiam è morbis conualuerunt, verum eſſe oſtendunt, quod prouerbio dicimus: **Als der Kranck ghenaſs / er nur arger waſs.** Quæ cauſa eſt, quòd ingrati ianuam præcludant diuinæ liberalitati & nouis beneficijs; quo enim plura accipiunt, eo deteriores fiunt, & magis obligantur Deo ad reddendam rationem. Vnde Sap. 16. dicitur: *Ingrati ſpes tanquam hybernalis glacies tabeſcet, & diſperiet tanquam aqua ſuperuacua.* Glacies dum manibus tractatur ſenſim in aquam diffluit; rurſum *fluminis aqua ſi ſtare cœperit*, inquit D. Bern. ſerm. 1. in cap. ieiunij, *& ipſa putreſcet, & inundatione factâ ſuperuenient repelletur: Sic planè, ſi gratiarum ceſſat decurſus, vbi recurſus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato; ſed & quod acceperat, vertitur ei in perniciem.*

1. *Arguit nouem ingratos.*

2. *Commendat Samaritanum.*

Secundò. Samaritano magnificum dedit præmium: laudem & ſalutem corporis & animæ. Primò enim commendauit eum, quòd rediiſſet ad medicum ſuum, & dediſſet gloriam Deo: quòd è decem ſolus: quòd gentilis & alienigena. Omnia hæc emphaſin & ſuum pondus habent. Magnoperè laudandum eſt, redire leproſum longo itinere ad medicum ſuum, vt gratias illi agat: magis adhuc laudandum, ſolum inter decem redire: maximè laudandum, alienigenam hoc facere, quod Iudæi non fecerunt. Iam verò prædicari à Chriſto, cœli & terræ Domino, quantum iſtud eſt? Huic tam eximio dono addidit ſalutem, gratiam videlicet (nam ſanitatem antè dederat) quæ eſt ſalus inchoata; atque vt acceptius donum illud eſſet, adiecit hoc ei præmij loco pro meritis decretum eſſe: *Fides tua te ſaluum fecit.* Vnum diſcipuli præmium, quod ex merito ei datur, magis illum recreat, quàm ſi centena donentur aut à patre comparentur, quæ non ſit meritus.

Et ſalutem animæ donat.

3. *Inſtruit benefactores.*

Tertiò. Inſtruit etiam benefactores. Primò, vt ne conturbentur, ſi inter clientes ſuos, quos effundunt dona ſua, multos habeant ingratos. Decem habuit Dominus, vnus duntaxat ei gratias egit. Secundò, vt ne in ingratos fulmina eiaculentur, vel etiam pœniteant de ſuis beneficijs in eos collatis. Non enim idcircò Dominus reuocauit donum ſuum aut nouâ eos leprâ puniuit, qui ingrati fuére; nec etiam in bonum ſuum, ſed in bonum leproſorum gratitudinem ab eis deſiderauit. Optima ſunt beneficia, quæ retributionem non expectant. Tertiò. Vt ne ſibi adſcribant laudem benefactorum ſuorum, ſed Deo. Ait enim Dominus: *Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo.* Deo, inquit, non mihi: tametſi ipſe Deus erat. Patri vult dari gloriam, ad exemplum noſtrum, vt in omnibus noſtris operibus bonis dicamus cum Dauide: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

CONCIO XI.

Myſteria.

1. *Quæritur, cur olim tot in Iudæa leproſi.*
2. *Quæ peccata maximè olim Deus leprâ puniuerit.*
3. *Quæ præcepta olim leproſis data.*
4. *Cur ſteterint à longè.*
5. *Cur in via primum ſanati.*
6. *Quamobrem miſſi ad Sacerdotes.*
7. *Cur quærat Deus: nouem vbi ſunt?*
8. *Cur ſanati antequam ad Sacerdotes venirent.*
9. *Quomodo Samaritanus iſte miſcuit ſe Iudæis.*
10. *An ſola fides ſanauerit leproſum.*

THEMA.

IESV *Præceptor miſerere noſtri.* *Luc.* 17.

QVod dudum antè vidit, & vaticinatus eſt Iſaias populo Hebræorum de Meſſia cap. 30. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*; hoc nunc oculis ſuis vident, & ore confirmant decem viri leproſi, cùm ad Chriſtum exclamant: *Ieſu Præceptor miſerere noſtri.* Vident, inquam, Dominum ſummâ poteſtate omnibus præcipere, omneſque illuminare poſſe. Vidimus ſuprà præcipientem: videamus nunc illuminantem. Nos velut rudes diſcipuli adeamus magiſtrum, & petamus intellectum hodierni Euangelij. A.

B. I. Cur tot olim in Iudæa leproſi.

Q. PRIMÒ. Cur tot olim in Iudæa leproſi? Reſpon. partim ex Dei punitione, quâ certa quædam peccata deformi hac plaga percutere voluit: partim ex cauſis naturalibus. Vt enim

certæ

certæ aliæ regiones certis morbis, magis quàm aliæ, ſunt obnoxiæ, (hinc Vngarica febris, Gallica lues) ita Iudea lepræ. Quæ cauſa fuit, cur tempore Belli ſacri tot Belgæ, Franci, Germani, ex Iudæâ domum redeuntes, leproſi inde redierint, ideoque tot vbique erecta fuerint leproſoria, quæ etiamnum extant, ſed ſine leproſis, vt ſcribit Corn. à Lap. *in Leuit.* 13. Quamquam ea Iudæorum lepra diuerſa fuit à noſtra, quæ magis elephantia eſt quàm lepra, vt ibid. obſeruat Corn. Illa enim in cute ferè tantùm erat; noſtra verò carnes & oſſa depaſcitur. Illa etiam veſtibus & muris adhærebat: noſtra non item. Illa curabilis erat: noſtra curari nequit.

Videtur etiam diuinâ prouidentiâ conſtitutum fuiſſe, vt eo tempore, quo in Iudeâ Chriſtus degebat, plures eſſent leproſi, obſeſſi, & varijs corporis defectibus obnoxij, quò Chriſtus in eorum curatione ſuam diuinitatem & Dei gloriam monſtraret.

C. II. Quæ peccata maximè olim Deus lepra puniuit.

Q. SECVNDÒ. Quæ potiſſimùm peccata olim lepræ plagâ à Deo ſunt mulctata? Reſp. primò, Simonia; ob hanc enim Giezi ſeruus Eliſæi, leprâ percuſſus eſt ab hero ſuo, quòd à Naaman acceperit argentum, pro beneficio curationis, accepto ab Eliſæo, 4. *Reg.* 5. Quia ergo Giezi alienis & iniquis nummis ſuos

1\. commaculauit, iure etiam in corpore ſuo leprâ commaculatus eſt.

2\. Secundò. Sacrilegium; ob hoc Ozias Rex vſurpans Sacerdotium, & volens adolere incenſum, leprâ tactus à Deo, 2. *Paral.* 7. Rectè etiam hoc, vt aduerteret Ozias ſe nequaquam ad id miniſterium ſanctificatum: ſed ſordidum & impurum eſſe.

3\. Tertiò. Homicidium; propter hoc imprecatur Dauid lepram Ioabo, 2. *Reg.* 3. quod is occiderit Abnerum.

4\. Quartò. Rebellio & murmur contra Sacerdotes: vti diſcimus ex c. 24. Deut. *Obſerua diligenter, ne incurras plagam lepræ, ſed* (vt eam euites) *facies quæcunque docuerint te Sacerdotes,* &c. *Mementote, quæ fecerit Dominus Deus veſter Mariæ,* &c. ſorori Moyſis videlicet quæ ob murmur contra fratrem, leprâ fuit punita, *Num.* 12.

5\. Quintò. Hæreſis; refert enim Greg. Turonenſis *lib.* 1. *mirac. S. Martini c.* 11. & ex eo Baron. anno 560. Ariamirum Galliciæ Regem ob Arianam hæreſin, cùm ſuâ regione leprâ infectum, poſtea miſſis ad S. Martinum muneribus & depoſitâ hæreſi curatum eſſe.

D. III. Quæ præcepta olim leproſis data.

Q. TERTIÒ. Quæ præcepta leproſis data in veteri lege? Reſp. quinque Leuit. 13. Primum, vt haberent veſtimenta diſſuta; ſiue vt vapores putidi corporis faciliùs expirarent, ſiue vt meliùs agnoſcerentur. Secundum, vt nudo capite incederent, ob eandem cauſam. Tertium, vt os veſte contegerent; quando nimirum appropinquarent alijs, ne halitu ſuo eos contaminarent. Quartum, vt ſordidos ſe clamarent, vt dignoſci ab alijs & vitari poſſent. Quintum, vt ſoli habitarent extra caſtra; tum ne alios inficerent; tum vt in eâ ſolitudine ab omnibus deſtituti diſcerent ad Deum recurrere. Morali ſenſu admonetur quiuis peccator, vt primò per contritionem ſcindat cor ſuum ad pœnitentiam. Secundò, vt firmiter ſtatuat ac proponat deinceps ambulare ſynceré & honeſté, ita vt non refugiat in ſuis actibus conſpici ab hominibus. Tertiò & quartò, vt in confeſſione clamet ſeſe ſordidum & peccatorem eſſe, tecto tamen ore, ſeu in auribus ſolius Sacerdotis; ne publicâ confeſſione alios offendat. Denique vt per opera ſatisfactionis ſeparet ſe à mundi voluptatibus & delitijs, vacetque Deo in ſolitudine cordis.

E. IV. Cur ſteterunt à longè.

Q. QVARTÒ. Cur ſteterunt à longè decem leproſi? Reſp. 1. ob reuerentiam, quòd ſcirent ſe contaminatos, adeoque ex lege ab hominum conſortio ſeparatos. Putabant ergo ſe Chriſto fore odioſos, ſi propriùs acceſſiſſent. 1.
Quod ſi Iudæi corporalem immunditiam adeò vitandam cenſuerunt: nónne multò magis cauenda erit immunditia ſpiritualis, quæ eſt peccatum.

Secundò. Ad inſtructionem noſtram, vt diſcamus in oratione elongare nos per humilitatem à diuinâ maieſtate; quemadmodum & Publicanus ille fecit, qui in templo ſtans à longè orauit. Hoc autem faciemus agnoſcendo noſtram indignitatem & diuinæ maieſtatis dignitatem. 2.

Tertiò. Ob myſterium, quo indicatur peccatores à Deo abiectos eſſe, iuxta id Prou. 15. *Longè eſt Dominus ab impijs*; propter horrorem ſcilicet peccati, quod Deo è diametro contrarium eſt. Et quia peccatores à DEO ſe elongant, vti filius ille prodigus, qui à patre ſuo diſcedens in longinquam abijt regionem; idcircò etiam *longè à peccatoribus ſalus* eſt, Pſ. 118. 3.

F. V. Cur in via primum ſanati.

Q. QVINTÒ. Cur non protinus ſanauit eos Dominus, ſed in viâ primùm? Reſp. Primò vt probaret eorum fidem & obedientiam. Poterant enim dicere: Cur nos mittis ad Sacerdotes, qui nondum mundati ſumus? iudicare illi de leprâ, non ſanare poſſunt: ſana priùs & pòſt ablega. At nihil horum illi. Crediderunt 1.
& paruerunt, ideoque ſecundum fidem ſuam in viâ ſanati ſunt. Prætereà etiam poterant cogitare, neceſſarium eſſe vt ipſe Dominus ad eos accedat & tangat lepram ſicque præſens curet: quod ſenſit etiam Naaman ille leproſus præſtandum ſibi ab Eliſæo, 4. *Reg.* 5. Verùm ſicut Eliſæus probaturus eius obedientiam, minimè ad eum deſcendit neque tetigit lepram, ſed ablegauit eum ad Iordanem: ita modò Chriſtus agit cum leproſis iſtis; ablegat eos à ſe vt probet num tantæ fidei ſint, vt credant ſe etiam abſentes ab eo ſanari poſſe.

Secundò. Vt examinaret eorum gratitudinem. Si enim coràm eos ſanâſſet, non dubium, quin omnes pudore ſaltem cogente gratias egiſſent; at non omnes egerunt, poſtquam in diſceſſu ſanati ſunt. Tunc virtutis erat agnoſcere beneficium & gratias rependere. Gratum eſt aliquibus non videre benefactorem, ne cogantur ei gratias agere. Hinc Domitius Afer cùm haberet ingratum liti- 2.

gatorem, ipſius conſpectum vitantem, ne cogeretur agnoſcere patroni beneficium, in foro per nomenclatorem illi dixit: *Amaſué me quòd te non vidi?* Eraſ. l. 7. *apopht.*

3. Tertiò. Vt doceret pœnitentes ſanandos quidem fore per confeſſionem, ſed non ſine onere aliquo ſatiſfactionis. Percurrendi ſunt paſſus aliquot, orationis, ieiunij vel eleëmoſynæ, ſi ſanari à peccati leprâ volumus, qui poſt baptiſmum relapſi ſumus in aliquod peccatum. Docent hoc paſſim SS. litteræ. Satiſfecit enim Chriſtus pro peccato Adami, & tamen pœnam ei iniunxit. Satisfecit pro populo Iſraël adorante vitulum, *Exod.* 32. rurſum pro murmurante in deſerto, quin & remiſit peccata eorum; & tamen illi pro priore peccato minatus eſt pœnam, pro poſteriore intulit. Sic egit & cum Dauide. Docet Ioſeph Patriarcha, luculentus Chriſti typus, qui initio ita veniam dedit fratribus, vt interim mirè eos exagitaret, *Gen.* 42. Docent viri ſancti, qui vltrò à ſe pœnas poſt peccatum exegerunt, vti Dauid, Magdalena, Paulus, &c. Docet etiam ratio, vt pœnarum metu ſapiat peccator & vexatio det intellectum; decet enim ita ſentire diuinam miſericordiam vt ſimul etiam iuſtitiæ ratio habeatur, & faciles relapſus per eam inhibeantur. Docent vel ipſi Ethnici, vt nimirum, qui peccauit, pœnas etiam à ſeipſo exigat. Fecit hoc Popilius, quando ob quoſdam ſine iudicij formâ condemnatos extorrem ſe extra Italiam conſtituit: & Callixenes apud Athenienſes, qui ſibi vulnera intulit, eò quòd ſimiliter ſine formâ iudicij condemnaſſet decem Duces, vt ſcribit Pauſanias.

6. VI. Cur miſſi ad Sacerdotes.

Q. Sextò. Cur miſit ad Sacerdotes? Reſp. Primò vt legi Moſaicæ deferret, quæ iudicium de leproſis ferendum conceſſit Sacerdotibus, *Leuit.* 13. Docet ergo nos præcepta Dei & Eccleſiæ ſedulò obſeruare & magno in honore habere.

1.

2. Secundò. Vt honoraret Sacerdotium. Tametſi enim mali erant plerique Hebræorum Sacerdotes, honorandi tamen erant propter officium. Sanè etiam Caiphæ, improbo Sacerdoti conceſſum à Deo fuit donum Prophetiæ, Ioan. 11. quia erat Pontifex anni illius.

3. Tertiò. Vt leproſorum ſanationem clariorem atque expeditiorem faceret. Niſi enim ſe ſacerdotibus ſtitiſſent, facilè vicini Iudæi poterant eis obijcere; quâ auctoritate & quo iure ingererent ſe in populum & in vrbe habitarent, non obtento à Sacerdotibus teſtimonio, quod mundati ſint. Ne ergo in tricas & lites incident, conſultò mittuntur ad Sacerdotes, vt eorum ſanatio ab ijs approbetur. Diſcunt inde iudices, & aduocati non protogare lites partium, ſed præcidere: diuites non differre pauperes opem implorantes, iuxta id Prouerbiorum 3. *ne dicas amico tuo: vade & reuertere; cùm ſtatim poſſis dare.*

4. Quartò. Vt typicè indicaret, peccatorum iudicium ac remiſſionem pertinere ad Sacerdotes nouæ legis. Sicut enim lepra, peccati; ita Sacerdotes veteris legis typus erant Sacerdotum nouæ legis. Illis oſtendi debuit & detegi locus lepræ: iſtis etiam peccata reuelari debent. Illi de lepræ qualitate iudicium ferebant: illi iudicium ferunt de peccatorum qualitate & quantitate. Verùm quia figura ſemper cedit ipſi veritati & vmbra rei, idcircò etiam iudicium illorum Sacerdotum longè defecit à iudicio iſtorum. Sacerdotes enim veteris legis lepram non purgabant, ſed de leprâ ſententiam ferebant. At nouæ legis Sacerdotes, longè maiori poteſtate, ipſam peccatorum lepram purgant atque abſtergunt, abſolutionis beneficio, velut miniſtri Chriſti.

Q. Septimò. Cur interrogat Dominus *nouem vbi ſunt*? nónne ſciuit vbi eſſent? Reſp. ſciuiſſe hoc vtique: ſed eò loquendi modo, Primò, dicere voluiſſe: Cur non veniunt & nouem vt dent gloriam Deo? vbi illi manſerunt? in obliuionem & ingratitudinem lapſi ſunt. Sic dicebat Adamo: *Vbi es?* q. d. cur te abſcondis? cur erubeſcis? in quem ſtatum excidiſti?

R. VII. Cur interrogat Dominus Nouem vbi ſunt. 1.

Secundò. Indicare voluiſſe, ſe neſcire eos (ſcientiâ approbationis) qui ipſi non placent. Sic dicebat fatuis virginibus: *Neſcio vos*, Matth. 25. Sic dicet alijs reprobis: *Nunquam noui vos*, Matth. 7. Econtrà verò *cognouit Dominus, qui ſunt eius*, 2. Tim. 2. Notos & familiares noſtros ſalutamus amicè, alloquimur, inuitamus, honoramus: alienos verò & ignotos prætterimus & negligimus, ſæpe nec aſpectu dignamur. Eodem modo Deus ſolet exhibere ſe erga notos & ignotos ſuos. Quòd ſi magna gratia & conſolatio eſt, notum eſſe familiariter alicui Principi aut potenti viro, in cuius territorio verſamur: quid erit familiarem eſſe Deo? 2.

Tertiò. Notare voluiſſe peculiarem ingratitudinis deteſtationem ac deformitatem; vt quæ hominem expungat è memoriâ Dei, quando ipſe etiam è memoriâ ſuâ expunxit beneficia Dei. Vnde Gloſſa interl. in ea verba ait: *ſic habet ingratos quaſi ignotos. Vbi ſunt? inquirit Dominus.* Sic dicitur Oſe 4. *Oblita es legis Dei tui: obliuiſcar filiorum tuorum & ego.* Obliuiſcitur ingratus benefactoris ſui; quid mirum ſi ipſius etiam obliuiſcatur Deus? Hinc colligere oportet quàm deteſtanda ſit ingratitudo, quæ tam longè ſeparat hominem à Deo, vt quodammodò ab eo conſpici non poſſit? 3.

Q. Octavò. Cur in viâ, antequam ad Sacerdotes venirent, ſanati ſunt? Reſp. Primò *ne virtute legis ſacrificijue legalis aut Sacerdotum putarentur mundati; ſed ſolâ poteſtate diuinâ*, inquit Did. Stella *in Luc.* 17. Certè Sacerdotes, ſi in ipſorum præſentia leproſi curati fuiſſent, eius miraculi honorem ſibi & ſacrificijs ſuis facilè adſcripſiſſent Chriſtoque præripuiſſent.

I. VIII. Cur ſanati antequam ad Sacerdotes venirent. 1.

Secundò. Vt virtutem contritionis typicè notaret. Per contritionem enim veram & legitimam peccator iuſtificatur, etiam antequam 2.

quam ad Confeſſarium & confeſſionem perueniat, iuxta id Pſ. 31. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Sic enim ea verba rectè exponit Ven. Beda: *Dixi*, inquit, *quòd in propoſito meo confitebor Domino; & adhuc non erat verbum in ore: & iam auris Domini erat in corde; quia tu Domine, ſtatim cùm hoc propoſui, remiſiſti mihi.* Nihilominus, quemadmodum leproſi, licet iam ſanati, tenebantur Sacerdotibus ſe ſiſtere, ob præceptum Chriſti & legis: ita etiam peccatores, tametſi per contritionem iam iuſtificati, peccata ſua confeſſarijs debent aperire, ex præcepto Chriſti; cuius impletio facienda implicitè continetur in contritione, quæ propoſitum includit vitandi omnia peccata. Peccatum autem foret, non ſatiſfacere præcepto Chriſti.

K. IX. Quomodo Samaritanus iſte miſcuit ſe Iudæis?

Q. Nonò. Quâ ratione Samaritanus iſte leproſus Iudæis immixtus fuit, cùm teſte D. Ioanne cap. 4. Iudæi non conterentur Samaritanis? Reſp. Primò non omnia commercia cum gentilibus fuiſſe Iudæis prohibita, sed fœdera maximè & coniugia, *Deut.* 7. Poterant ergo inter leproſos Iudæos etiam eſſe Samaritani, præſertim in confinibus vtriuſque nationis, vbi fortè cõmunia habuerunt leproſoria. Quod de his leproſis non eſt difficile creditu; ſiquidem occurrerunt Domino tranſeunti per mediam Samariam & Galilæam.

2. Secundò, Paupertatem & calamitatem feciſſe, vt Iudæi cum Samaritanis, odio depoſito, in ſocietatem coirent. Solent enim diuitiæ & res ſecundæ hominum animos diuidere: paupertas & calamitas vnire. Canes duos rixantes inijce in aquam, & ilicò rixari deſinent. Abraham & Loth antequam ditarentur, vnà ſecum habitabant vnanimes; at vbi diuitijs aucti ſunt, neceſſe fuit eos à ſe mutuò diſiungere, *Gen.* 13. Trecenti pauperes in eodem cœnobio maiorem inter ſe concordiam ſeruent, quàm tres diuites ruricolæ in eodem pago.

Q. Decimò. Itáne fides ſola leproſum ſanum fecit? Reſp. Primò. Chriſtum hîc loqui de fide non iuſtificante; ſed miraculorum; quæ ſufficiebat ad ſanitatem corporis impetrandam, eamque ſolam ferè exigebat Chriſtus ad obtinendum corporale beneficium, vt nimirum crederent ſe à Chriſto ſanari ſupra naturæ vires poſſe. L. X. Fideſne ſola leproſum ſanauit? 1.

Secundò. Leproſum quidem non corpore ſolùm, ſed & animo ſanatum, adeoque iuſtificatum eſſe; non tamen ex fide ſola & nudâ, ſed operante per dilectionem, quam habuit hic Samaritanus. Etenim Domino præcipienti paruit, ad Sacerdotes perrexit, grato animo ad Chriſtum redijt, eum adorauit. Itaque licet per fidem, quâ is ſaluus factus eſt, intelligamus iuſtificantem, non tamen inde ſequetur, eum ſolâ fide ſine operibus iuſtificatum eſſe. Sed de hac re ſæpius dictum. 2.

DOMINICA DECIMA QVARTA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Matth. 6.

IN illo tempore, dixit Iesvs diſcipulis ſuis: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Ideò dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis: neque corpori veſtro quid induamini. Nónne anima plus eſt quàm eſca? & corpus plus quàm veſtimentum? Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nónne vos magis pluris eſtis illis? Quis autem veſtrûm cogitans, poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. Si enim fœnum agri quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Devs ſic veſtit; quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.

CONCIONES.

I. *Prouidentia Dei circa hominem ſpecialis.*

II. *Nimia ſolicitudo pro rebus fluxis ableganda.*

III. *Lilia agri quid nos doceant.*

IV. *Volatilia quid nos doceant.*

V. *Quàm difficile ſit diuitem Deo ſeruire.*

VI. Quomo-

VI. *Quomodo diuitiæ haberi abſque peccato queant.*
VII. *Quare velit Deus ſanctos aliquos hîc florere diuitijs & honoribus, adeoq; proſperari.*
VIII. *Documenta.*
IX. *Myſterium.*

CONCIO I.

Prouidentia Dei circa hominem ſpecialis.

1. *Elucet hæc in hominum ſuſtentatione.*
2. *In diuerſitate vultuum & vocum.*
3. *In horum conſeruatione, tot tamq; variorum ſtatuum, in principum directione, & derelictorum ſuſtentatione.*
4. *In varijs commoditatibus.*
5. *In hominis armatura.*
6. *In varijs diuinæ vltionis & benignitatis exēplis.*
7. *In peccatorum permiſſione.*

THEMA.

Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis. Matth. 6.

A. Magnus ille Zorobabel inſtaurator templi Salomonis, cùm incidiſſet in diffidentiam de conſummatione templi, oſtendit illi Devs in viſione candelabrum ſepticeps, quod habebat lucernas ſeptem & totidem infuſoria ſeu calamos, per quos ſtillabat oleum in lucernas, vti legimus *Zach.* 4. Significabat autem hoc candelabrum, ſecundum Theodoretum, Dei prouidentiam luce clariorem. Septem lampades, 7. Angeli ſunt, quibus adminiſtris vtitur Deus in mundi gubernatione: ſeptem calami ſignificant varios diuinæ prouidentiæ modos & influxus, quibus ſe creaturis & potiſſimùm hominibus inſinuat. Quoniam igitur nos communiter hoc diffidentiæ vitio laboramus, contemplabimur hoc prouidentiæ candelabrum, & imprimis ſeptem modos, quibus ea influit in hominis maximè gubernationem. Qui ad ſeptem iſta lumina, quæ vobis hîc accendam, nondum cernere vult paternam Dei de nobis curam & ſolicitudinem, ne illum cæcum eſſe iure aliquis dixerit.

B. I. *In hominum ſuſtentatione.*

Elucet Primò in hominum ſuſtentatione. Primò enim quamprimùm fætus in vtero matris adoleſcit, ſtatim incipiunt matris vbera turgere; ex quibus velut penu depromantur infanti alimenta. Deinde ingenitus parentibus erga liberos amor eſt, vt neceſſaria ijs prouideant & vitam tueantur, adeò vt ea ſibi potiùs, quàm ſuis liberis ſubtrahant. Reliquorum animantium fætibus ferè mater tantùm aſſiſtit, pater eos negligit, & quandoque hoſtiliter perſequitur; quemadmodum de pauone & columbo ſcimus, qui fæmellarum oua frangunt; at ſoboli humanæ pater æquè ac mater naturali amore deuinctus eſt, & in eorum defectu ſuccedunt tutores, cognati & magiſtratus. Adhæc communis ille Deus & mundi paterfamilias, exigua quædam ſtipendia, anguſta habitacula & vix vnum alterumúe amictum beſtijs aſſignauit, homini contrà vniuerſa. Beluarum aliæ herbis victitant, aliæ carne, aliæ frumento, & ſiquæ multiplici veſcuntur cibo, vti canes & feles, qui fere ex hominum menſis paſcuntur, is tamen admodum limitatus eſt. At homini quidquid libet apponitur, ipſe omnia habet, promiſcueque vniuerſa accepit. Nullum animal in aëre, aquâ, terrâ degit; quod homo in culinam ſuam non cogat, & ſeruire ſibi compellat. Quod ad potum attinet, beſtiæ ſolâ aquâ reſtinguere ſitim ſolent: homo plurimis potuum generibus vtitur. Veſtitus item cæteris animantibus tenuis & ſimplex eſt, Aues pro amictu plumas habent, terreſtria & aquatilia pelles & ſquamas; homo autem vniuerſa. Ipſe enim non animalia tantùm & herbas, ſed metalla etiam, in pannos ſindoneſque conuertit: ipſi oues, vermes, agri, arbores veſtimenta gignunt. Magna quidem brutorum induſtria eſt ad victum ſibi parandum. Aranearum aliæ retia texunt ad capiendas muſcas, aliæ ſaltu eas intercipiunt. Erinaceus inuenta poma aculeis ſuis affigit deferenda in cubile. Vulpes in Cantabriâ, Hiſpaniæ prouinciâ, cancros è mari piſcantur, immergendo caudam aquæ, eamque vbi cancri morſibus ei adhæſerint, iterum eijciendo, cancrorum prædâ onuſtam, Antonius de Baling. *in Zoop.* Cancer ibi conchas venatur, inſerendo lapillum in hiatum earundem, cùm ſe ad ſolem explicant & teſtas nonnihil diducunt; ita hoſtem apertis mœnibus aggreditur & deuorat. Ambr. & Baſil. *in Hexam*, ſuis. Aquila teſtudinem raptam in ſaxum deijciendo frangit. Eadem ceruum puluere excæcat verberando alis, vt in rupes det præcipitem. Sed longè maior hominum induſtria. Ecquando enim ratio otiatur, manus feriatur, merces non conquirit, victualia non inuenit & noua quotidie corporis adiumenta explorat? Iam ſi habitationem ſpectes, habent beſtiæ ſua ſpelæa, aues nidos, piſces latibula: quæ etiam nôrunt mirâ arte extruere, ne pateant inſidijs, v.g. Alcyon, quæ facit nidum ex arbore pendulum, nec alteri niſi artifici peruium. Sed nihil hæc cum artificijs, ſplendore ac luxu domorum, nauium, hortorum, palatiorum, ciuitatum, quas ſibi extruunt homines.

C. II. *In diuerſitate vultuum.*

Secvndò. In diuerſitate vultuum & vocum. Videmus quidem in ſingulis animantium generibus ſingulas differentias, vt internoſci queant; & cùm ad vſum hominum opus eſt, etiam in indiuiduis, vt in gallinis, columbis, & quibuſdam alijs. Cæterum in pleriſque ſpeciebus indiuiduorum paritas eſt, quia diſcretio indiuiduorum neceſſaria non erat, & ſi vſus poſtulet aliqua internoſci, id notarum impreſſione facilè obtineri poteſt. At verò in humanâ ſpecie tanta indiuiduorum differentia eſt, in vultu præſertim ac voce, vt non niſi rariſſimè duo reperiantur, qui vultu & voce ſimiles ſint. Fuit autem neceſſaria

by Google

ceſſaria iſtiuſmodi varietas; ſine hac enim nec poſſet iuſtitia inter homines conſeruari, nec reip. forma conſiſtere. Finge homines vultu ſimiles inſtar ouium, paſſerum, coruorum: nec mariti poterunt diſcernere ſuas vxores, nec parentes ſuos liberos, nec creditores ſuos debitores, nec amici ſuos inimicos, nec magiſtratus maleficos, nec ſubditi ſuos principes: ac proinde omnia plena erunt adulterijs, inceſtibus, fraudibus, proditionibus, cædibus, omniaque maleficia impunè committi poterunt; quiuis enim poterit fingere ſe quemlibet, vti exempla docent eorum, qui ſimilitudine vultus confiſi, alienos thoros, patrimonia & regna inuadere auſi ſunt, interdum fælici euentu, interdum irrito conatu: ſemper tamen cum ingenti perturbatione & multis incommodis. Rurſùm, quia ſola vultuum diſcretio ſatis non erat (ſæpè enim agitur res in tenebris; ſæpè acies oculorum retuſa, lineamenta faciei exactè non diſcernit; interdum quoque magna eſt vltuum ſimilitudo) ſuccurrit diſcrimen vocis & ſoni locutionis humanæ, vt qui ex vultu dignoſci nequeunt, ex voce diſcernantur.

D. III. In hominum conſeruatione.

TERTIÒ. In hominum conſeruatione. Inter mille beneficia nos hîc tria tantùm commemorabimus, primum in conſeruatione tot tamque variorum ſtatuum: alterum in directione principum: tertium in ſuſtentatione hominum derelictorum. Quod ad Primum

1. *Statuum conſeruatione.*

ſunt quidem & inter bruta alia domeſtica ad quotidianum hominum vſum deputata, alia ſylueſtria: & ex his alia, quæ venantur minora, inutilia & noxia animalia, ne nimiùm multiplicentur, quales ciconiæ quæ ranas, bufones, ſerpentes: hirundines quæ muſcas: alia quaſi infamia vt corui, lupi, &c. quæ cadauera depaſcunt, alia liberalia, quæ delectant hominem, vti aues cantu, loquacitate, prædatione, &c. at multò maior inter homines officiorum & ſtatuum eſt differentia, vt reſpublica conſeruetur. Videmus enim omnis generis ſtudia & opificia excogitari & conſeruari ita vt nulli humanæ neceſſitati deſint homines, qui operam adhibere nôrint & velint, adeò vt etiam abiectiſſima quæque ſeruitia, qualia ſunt lictorum & carnificum, item laborioſiſſima & periculoſiſſima, qualia nautarum, hydraulorum, pugilum, paſtorum, &c. ſectatores, imò & competitores habeant. Et hoc totum præſtat Deus mediâ paupertate, quæ & artes excitat & ad viliſſima quæque ſubeunda homines compellit. Nec minùs miranda eſt Dei prouidentia in conſeruandis imperijs, quæ cùm labefactari & vergere ad interitum incipiunt, ſubinde velut pondera in horologio rurſum attolluntur. Verbi gratiâ. Rom. imperium cùm ruere cœpiſſet à tempore Theodoſij vſque ad Carolum M. ab hoc iterum inſtauratum & priſtinæ fælicitati reſtitutum eſt. Rurſum id à Friderici tempore paulatim deficiebat & interitum minabatur ob diſcordias Principum. Itaque Dei nutu per Rudolphum Imp. priùs Comitem ab Habſpurg, denuò reſloreſcere cœpit.

Secundò, quia ſtatus aliqui magis ſunt obnoxij periculis, maiora illjs præſidia à Deo prouiſa ſunt, imprimis Reges terræ, quibus ferè omnibus viros ſapientes adiunxit Deus, vt ſaltem naturæ legem & iuſtitiam ab ijs diſcerent. Scimus enim Ægypti Regibus miſſum à Deo Abrahamum, poſteà Ioſephum, à quibus legem Dei edoceri poterant. Pharaoni Moyſes datus: Niniuitarum Regi Ionas: Babyloniorum Regibus Nabychodonoſori, Baltaſari, Cyro, Artaxerxi, Daniel, Eſdras, Nehemias, Zorababel: Aſſuero Mardochæus: Regibus Iſraëlitarum Samuel, Nathan, Elias, Eliſæus; Michæas &c. Alexandro Magno Ariſtoteles: Philippo eius Patri Plato: Crœſo Solon: Herodi Ioannes Baptiſta &c.

2. *In Principum directione.*

Tertiò. Quia ſæpe accidit homines aliquos prorſus derelinqui & omni humanâ ope deſtitui, non deſerit tamen eos Dei prouidentia. Multis hoc, ſi tempus ferret, oſtendere exemplis poſſem. Duo videamus, vnum in adulto, alterum in infante. Narrant plures auctores (Ioan. Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis, Angliæ martyr *lib. 4. contra Oecolamp.* Fr. Petrus Ponetus Carmelit. *de verit. Euch. parte 2. cap. 2.* P. Richomeus *in ſuo Peregrino)* tantâ fide vt nemini dubium eſſe poſſit, *Sacerdotem quendam neceſſitate niuis & algoris adactum, dum in alpibus à viâ deerraſſet, & mitiorem à ventis & niuibus vallem inuenire ſperans deſiluiſſet, neque reducta quaquauerſum exitum reperiſſet, neque vnde deſilierat propter altitudinem reaſcendere poſſet, ſub exeſam & propendentem rupem ſeſe fame moriturum planè deſperabundum conieciſſe. Sed vt erat luna plena, vidit nocte ſerpentum diuerſa genera contendere ad lapidem quendam, & illinc linguis ſuis eundem lingere, ac poſt horam quoque in antra ſua reuerti. Et incidit ei cogitatus, quidnam illic ita lingerent. Sequenti item nocte factum eſt ſimile; & miratus eſt intra ſe ampliùs quod ita fieret. Tertia demum nocte iam penè viribus deſtitutus, ante omnes ipſe acceſſit & linxit, & inter lingendum ita reſtitutus atque refocillatus fuit, quaſi cibo refectus. Et ſic per totam illic hiemem ſub rupe latitauit, donec in fine Aprilis niue ſolutâ, peruijs iam factis alpibus, quoſdam audiret in vicinia colloquentes, quorum ope adiutus & extractus eſt.* Alterum refert Procopius, & ex eo Simon Maiolus Epiſcopus Vulturarienſis tom. 1. canic. coll. 4. *Belliſario etenim Picenum agrum aduerſus Gottorum impetus tuente, ingens eius regionis homines terror inuaſerat; fœmina itaque cùm derepente fugam capeſſerent, in loco, vbi Vrbiſalia oppidum fuerat, quædam odio partu, eoq́; pannis, vt licuit inuoluto, & in terra relicto, nuſquam deinde comparuit, aliquo vtcumque caſu ſublata. Infantem illum in ſolitudine iacentem ac vagientem, capra quædam aduertit commiſerata, quæ & ipſa recens fœtum ediderat, accedens vbera præbuit exſugenda, diligentiq́; curâ ſeruabat, ne cani-*

3. *In deſolatorum hominum ſublatione.*

nis, aut quæuis alia bellua puerum offenderet. Obtigit poſt dies plurimos, vt Picani ad ſua quiſque redirent. Dum in Vrbi ſaliam permiſſa cum viris fœmina perueniſſent, inuentus ſuperſtes puer; nec quomodo id eueniſſet, vt ibi infantulus vixiſſet, coniectura vlla quiſquam aſſequebatur; alia vbera porrigebat, alia blandiebatur, alia fouebat ſinu: at ille inſuetum muliebre lac reſpuebat. Interim capra adfuit, & balatu fremens huc circumibat, ægrè ſe ferre ſubindicans, mulieres infantulo appropinquaſſe. Vbi id animaduertêre mulieres, prorſus abſtinuêre à puero, capræ officium tum alendi, tum ſeruandi permittentes: ex eaq; die populares puerum illum Ægiſtum appellauêre. Quis non miretur hic Dei miram prouidentiam.

E. IV. In varijs commoditatibus.

QVARTÒ. In varijs commoditatibus, ſolatijs & blandimentis, quibus hominem oblectat per varias creaturas. Habent quidem & cætera animantia ſuas oblectationes; ludunt enim in aquis, aëre & ſyluis, fruuntur ſuis delitijs, gaudent prædis, &c. Sed nihil hæc ad hominem, cui plurima prouidit Deus, quæ ſoli ipſi ſeruiunt, vt pulchritudo florum, roſarum, liliorum, violarum & aliorum diuerſorum, quorum odor & color non brutis ſed hominibus ſubſeruit. Quid dicam de gemmis pretioſis; de vnionibus, pyropis, ſmaragdis, ſapphiris, adamantibus & alijs pretioſiſſimis? Quid de rebus odoriferis, zibetho, muſcho & ſimilibus? quid de aromatibus, cariophyllo, pipere & huiuſmodi ad guſtum oblectandum? Quid de tot ſpeciebus aquarum calidarum, acidularum, herbarum & radicum, quarum vſus eſt in medicinis, vt Rhabarbarum & ſimilia? His adde venas & fodinas, è quibus eruuntur chalybs, ſtannum, plumbum, aurum, argentum, ferrum? Quid herba, quam Itali Barigliam vocant ex quâ tot tantæque vitri maſſæ conficiuntur, quæ cryſtallum ipſum referunt? Quid de terræ fructibus, qui proprij ſunt hominum, vti cannæ dulces, è quibus ſaccarum extrahitur? Quid de vermibus, quæ fila ducunt ſerica, quæ ornamenta præbent templis Dei & principibus terræ? Quid de ſummo illo magnetis miraculo, qui lapis ſingulari Dei prouidentiâ factus maximam commoditatem affert nauigantibus & cum exteris nationibus negotiantibus, vt illius ductu merces quæ in vnâ regione abundant, in aliam importentur, vbi eſt penuria? Cùm ergo Deus tot tantoſque fauores homini prouideat, num neceſſaria negabit? Dicamus ergo cum anxio illo, interim tamen ſpe pleno Abrahamo: *Dominus prouidebit*, Gen. 22. Quo etiam ſymbolo velut clypeo contra omnes fortunæ caſus vti ſolitus eſt Maximilianus II. Imperator, teſte Ioanne Cratone eius Archiatro in oratione eius funebri.

F. V. In hominum armatura.

QVINTÒ. In hominis armaturâ. Magna ſanè præſidia contulit natura brutis animantibus ad ſe defendendum, ſed ea tamen pauca ſunt & non niſi certus eorum vſus & propè vnica adhibendorum ratio. Taurus in fronte, equus in pedibus arma ſua circumfert, ſed non niſi feriendo ijs degladiari poteſt; canis gladium in dentibus gerit, ſerpens telum in linguâ: baſiliſcus iaculum in oculis, erinaceus pharetram & iaculorum vim in dorſo contra turmam canum armato; denique nullum animal adeò paruum & exile eſt, cui non ſint arma ſua, vel induſtria ſaltem ad pericula declinanda. Sepia aquam denigrat & quaſi in attramentum mutat, ne in eâ deprehendatur; torpedo piſcantium manibus torporem inducit. Cic. *l. 2. de natura Deorum.* Echinus qui in mari degit, contra tempeſtatum vim ſcopolum amplectitur eique pertinax adhæret, Ambroſ. *lib. 5. Hexam. cap. 9.* Apis contra turbinem prægrauat ſe lapillo; lepus circa ſuum cubile turbat veſtigia & ſaltu in id intrat, ad eludendum venatorem; vrſus ſuum ingreditur veſtigijs auerſis, Pier. *lib. 11. hierogl.* aut vt volunt alij, volutat ſe in illud. Ælian. Vulpes vt ſe pulicibus liberet, fænum aut ſtipulam ore tenens aquam intrat ac paulatim genua, mox ventrem, humeros ac collum ſubmergit; pulices interim omnes ad caput conuenire: tùm illa ſenſim quoque caput mergit donec pulices in fœnum aut ſtipulam ſe recipiant: quo facto ſe totam mergit & pulices aquis donat. Albertus Magnus de animal. Olaus *lib.* 18. *cap.* 31. Denique nec formicæ ſua bilis & humor adurens deeſt, nec muſcis ſuæ lanceæ, quas vel ore vel caudâ gerunt & in hoſtes vibrant. Verùm vt hæc omnia magna, & mira ſint, vti reuerà ſunt: non tamen ijs comparanda, quæ homini collata ſunt. Hic enim creaturarum operâ & præſidio contra omnes vniuerſi partes, ignem, aërem, aquam, terram & quidquid ex his conflatum eſt, munitus & ſecurus eſt. Quantum hoſtium ſtragem adiumento ignis facit? Quæ mœnia non tuetur aquis in foſſas deriuatis? Quos aggeres non excitat erigitque in propugnacula? An non beſtiarum armis & ipſe ſe obarmat? Nónne eorum tergora & ipſe ſibi coaptat? Et quanta ſibi arma ex ære & ferro fabricat? Accedunt ſexcentæ pugnandi artes, cæſim, punctim, eminùs, cominùs, digladiando, iaculando, fallendo; pedeſtri, equeſtri, curruli certamine, elephantibus vehitur, à leonibus & ferociſſimis beſtijs portatur & trahitur. Taceo ſtratagemata, catapultas, arietes, bombardas, Archimedis machinas, &c.

His accedit extrinſeca Dei protectio; nam & animalia illa, quæ nocere homini poſſent, non ſinit multiplicari. In Braſiliâ narrant eſſe beſtiam venenociſſimam, quæ hominem dicto citiùs occidit; ne autem tanta damna humano generi inferrat, prouidit Creator, ponendo in capite eius quaſi nolam, cuius ſonitu homines periculi venientis admonentur. In regione Peruanâ ſerpentes reperiuntur 35. Palmorum, ſed ſtolidi & inertes, quòd feras quidem venentur, inuoluant, & exoſſent, hominibus tamen non noceant. Lud. Gran. *in Introd. in Symb. lib. 1. cap. 6.* Præter hæc defendit

ferrentur, vt à ventis, à fulmine, à grandine, ab imbribus, à ſiccitate, à terræ motu, ab incendiis, ab eluuionibus: imò aqua ſola omnia, quæ ſuper terram viuunt, deleret, niſi Deus longè maximam eius partem in vaporem tenuem conuerſam in aëre ſuſpendiſſet & vndique diffudiſſet, ac niſi mare intra littora ſua cohiberet; niſi bellūas perterrefaceret humani vultûs aſpectu, aliaque innumera.

Accedunt varia medicinarum genera, quibus à morbis & moleſtiis partim præſeruari, partim curari poſſumus. Habent quidem & nôrunt pæne ſingula animalia ſua pharmaca, ceruus dictamnum ad tela extrahenda, hirundo chelidoniam ad pullorum viſum acuendum, ſerpens funiculum ad oculos illuminandos, &c. At homo his & alijs omnibus pro libito vti poteſt.

G. VI. In variis diuinæ vltionis & benignitatis exemplis.

SEXTÒ. In variis diuinæ vltionis & benignitatis exemplis. Tametſi enim præcipua peccatorum vindicta reſeruatur ſæculo futuro, quando fiet omnibus iuſta meritorum compenſatio; tamen in hoc ſæculo interdum nonnulla eduntur exempla, vt homines intelligant Deum non dormire, ſed ſedulò excubare & omnia aduertere ſuo tempore punienda. Licet ergo laxæ admodum habenæ & magna viuendi libertas hominibus conceſſa ſit, tamen ſiquis temporum decurſus conſideret, videbit Deum non ita ſiluiſſe, quin ſæpius editis ſeueritatis ſuæ exemplis homines monuerit vt ſeriò ſibi attenderent, veluti cùm per diluuium totum genus humanum (exceptis 8. hominibus) deleuit. *Gen.* 6. Cùm Sodomam & vicinas tres ciuitates totamque circùm regionem igne & ſulphure cælitus immiſſo perdidit, *Gen.* 19. Cùm Pharaonem & Ægyptios primò variis cladibus attritos, poſtremò in mare rubrum demerſit, *Exod.* 14. Cùm rebelles Hebræos in deſerto variis pœnis caſtigauit: ſubinde verò etiam maximis beneficiis affecit. Omitto, quæ in libris Iudicum & Regum legimus: captiuitatem babylonicam, obſidionem Romanorum, excidium Iudæorum, in quibus omnibus mirificè elucet, quàm Deus iuuet & extollat pios, humiliet verò & caſtiget impios. Speciatim verò elucet Dei prouidentia in punitione blaſphemiæ, periurij & ſacrilegij, quæ potiſſimùm & directè aduerſantur Numinis reuerentiæ, ideoque præ cæteris inuiſibili manu ſæpius caſtigata ſunt, vti contemptus Dei in Pharaone, *Exod.* 5. blaſphemia Sennacherib, 4. *Reg.* 16. ſuperbia Nabuchodonoſoris, *Dan.* 3. arrogantia Nicanoris, 2. *Mach.* 15. blaſphemia Holofernis, *Iudith.* 6. & 13. Antiochi regis, 2. *Mach.* 9. Præſumptio Philiſthæorum & Bethſamitarum, 1. *Reg.* 5. & 6. ſacrilegium Balthaſaris, *Dan.* 5. & Heliodori, 2. *Mach.* 3. Denique in peccatis illis atrocibus, quæ in cœlum clamare dicuntur quòd vindictam Dei celerem expoſtulent, homicidium voluntarium, peccatum Sodomiticum, oppreſſio pauperum, fraudatio mercedis operariorum; quod ſanè ad paternam Dei prouidentiam ſpectat, ne alter nimiùm grauetur.

H. VII. In peccatorum permiſſione.

SEPTIMÒ. In peccatorum permiſſione. Hæc enim ad ſpecialem Dei prouidentiam circa hominem ſpectat. Primò. Quia decet, vt ſupremus & vniuerſalis gubernator, poſtquam res omnes optimè & ſufficientiſſimè ad finem ſuum conſequendum inſtruxit, ſinat eas ferri moribus ſuis, adeoque hominem vti liberâ ſuâ voluntate, ne alioquin auxilium collatum videatur fuiſſe inſufficiens & bonum opus videatur coactum, nec ſit tanta laude dignum. 1.
Secundò. Vt creatura rationalis ſeſe excitet ad bonum faciendum & malum vitandum, ſemper intenta & ſolicita, ne gratiæ diuinæ deſit; quæ alioqui ſolicitudo vtique ceſſaret, ſi Deus nullum peccatum permitteret. 2.
Tertiò. Quia ex malis nouit elicere bona, quorum Primum eſt oſtenſio diuinæ iuſtitiæ, quæ in caſtigatione peccatorum maximè ſplendet; & magnitudine diuinæ maieſtatis, quæ tanta eſt vt propter eius offenſam vnicum peccatum lethiferum mereatur pœnam æternam. Secundum, oſtenſio diuinæ miſericordiæ, quæ in remiſſione peccatorum cernitur. Tertium, Incarnationis myſterium & quidquid pro nobis Chriſtus fecit & pertulit, quæ omnia non haberemus, niſi peccatum fuiſſet permiſſum. Quartum, Profectu ſaluandorum, qui promouetur ex impietate & perſecutione malorum; ſic Iudæi Chriſtum, Tyranni martyres, fratres Ioſephum, Aman Mardochæum extulit ad gloriam. Quintum, Caſtigatio reproborum, quæ per alios ſæpe reprobos fieri permittitur, vti Iudæorum per Aſſyrios, Chaldæos, Ægyptios & Romanos. Sextum, Punitio vnius peccati per aliud quæ in pœnam reproborum ſæpius permittitur. Septimum, Recollectio lapſi, vt ſe iterum erigat & teporem vel præſumptionem emendet. 3. Ex malis Deus bona facit. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Ex his ſeptem lucernis videre vtique poſſumus quanta ſit in nos Dei prouidentia. Si enim vti vidimus, ita prouidit beſtiis, in rebus adeò exilibus, vt etiam eas docuerit artem excutiendi pulices: an non hoc argumentum eſt, hominem illarum Imperatorem Deo magis cordi eſſe? Deinde etiam vidimus, quantis in rebus homini meliùs prouiderit, quàm aliis creaturis. Quare ne dubitemus, adeſt nobis Deus in omnibus viis noſtris, ipſe vires præſtat, vt templum animæ noſtræ, quod in baptiſmo extruere cœpimus, tandem conſummemus.

CONCIO II.

Nimia ſolicitudo pro rebus fluxis ableganda.

1. *Quia nemo poteſt duobus dominis ſeruire.*
2. *Quia qui dedit maius, dabit & minus.*
3. *Quia paſcit volatilia &c.*

4.5. *Nimia ſolicitudo eſt fruſtranea, & gentiliū eſt.*
6.7.8. *Deus pater noſter regnū cælorum vult nobis dare, & ex pacto promiſit nobis ſuſtentationē.*

THEMA.

Dico vobis: ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini. Matth. 6.

A. MEritò exclamat ſuper hoc Euangelium S. Petrus Chryſologus Epiſcopus Rauennas: *O quantum ſe ſuperna pietas, hominis amore deponit! Nam qui poterat præcepta ſua ſolà auctoritate firmare, toto inſinuat & adſtruit labore Doctoris: vt qui ſufficiebat in ſola fide promiſsionis ſuæ terminum collocare, auditores ad fidem promiſsi, ſuæ foris perducit exemplo.* Sic ille; meritò inquā; *tantum* enim *principis verbum ad fidem ſeruandam valere debet, quantum valet priuatorum iuſiurandum*, vt dicebat Alphonſus Rex Aragonum. Panorm. lib. 1. de eius dictis & factis. Et ſi tantum valet verbum principis, non plus valeat verbum Dei? Poterat ergo Chriſtus vno verbo vti ad promittendam nobis alimoniam, & nos contenti eſſe deberemus: quia verbum Dei plus quàm iuramentum eſt. Nihilominus tamen (ô bone!) perſuadere nobis voluit multis ſuauiſſimis argumentis, vt fidem dicenti haberemus, & nimiam ſolicitudinem noſtrarum neceſſitatum in ipſum iactaremus.

Quando igitur Dominus dignatus eſt ſuadere, quod potuit mandare, audiamus arrectis auribus ſuauiſſimum Oratorem.

B. I. *Quia nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* PRIMVM argumentum. Quia *nemo poteſt duobus dominis ſeruire*: Deo & Mammonæ, quiſquis autem nimiâ ſolicitudine rerum terrenarum diſtinetur, ad Deum & cœleſtia attentus eſſe non poteſt; aut enim Deum amat, & terrena contemnet; aut hæc amat; & illum ſpernet. S. Cyprianus *lib. de duod. abuſionib. ſæculi*, locum illum Matthæi explicans, ait: *Quemadmodum ijdem oculi cælum & terram pariter nequaquā aſpiciunt: ita mundi amor & Dei pariter in vno corde habitare non poſſunt.* Ratio, quia tria potiſſimùm inſunt diuitiis, cùm dominantur homini, quæ à Dei obſequio magnoperè diſſident. Primò enim conſeruari, augeri & magni fieri volunt: at Deus præcipit, vt fideliter adminiſtrentur, in egenos erogentur & ſpernantur. Secundò, amantium corda ad ſe trahunt. *Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, ait Dominus; at verò idem præcipit: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Et rurſùm: *Fili, præbe cor tuum mihi.* Denique ſolicitudinem, timorem & diffidentiam ſecum aduehunt: Deus autem hæc à nobis longè vult abeſſe, dicens: *Nolite ſoliciti eſſe.*

C. II. *Quia qui dedit maius, dabit & minus.* SECVNDVM argumentum; Quia qui dedit id, quod maius eſt, dabit & id, quod minus eſt. Dedit autem nobis Deus animam & corpus. Atqui *nónne anima plus eſt quam eſca, & corpus quam veſtimentum?* ait Dominus: dabit ergo & hæc, quia longè minora ſunt. Vulgò dicimus: *Qui dat equum, dat & frænum*, præſertim ſi dono det equum: cur ergo non idem ſperemus à Deo; præſertim, quia nobis nihil cooperantibus animam & corpus dedit? quantò magis ergo victum & veſtitum nobis cooperantibus? Vim huius argumenti cognoſcimus in Adamo & Eua, quibus ante creationem ſuam, præparauit mundum hunc, velut domum magnificentiſſimam, omnis generis vtenſilibus inſtructiſſimam. Cognoſcimus in infantibus, quos alit in matris vtero, & quibus cum naſcantur, ſtatim parat cellaria & culinam, matris vber videlicet. Vnde hæc? quia qui dedit animā & corpus, idem dat etiam victum & veſtitum. Sed parum eſt dediſſe nobis corpus & animam: dedit etiam vnigenitum filium ſuum; dedit nobis ſanguinem: dedit eundem, & dat quotidie in Euchariſtia; negabit ergo, quæ ſunt viliora?

D. III. *Quia paſcit volatilia, & veſtit lilia.* TERTIVM argumentum. *Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & pater veſter cæleſtis paſcit illa.* Et rurſùm; *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent*, &c. Si ergo Deus paſcit bruta animalia & talia, quæ rapinis non intendunt, nec annonam ſibi corrogant, nec ab hominibus paſcuntur, vti aues cicures, ſed abſque omni curâ liberrimè per aërem volitant: in ſpecie verò coruos, quos inducit Dominus apud Lucam cap. 12. aues edaciſſimas, & quæ deſeruntur in nido à parentibus; Rurſùm ſi lilia agri, quæ vltrò creſcunt, abſque hominum induſtriâ ita veſtit, vt ſplendorem Salomonis ſuperent, cùm tamen hodie ſint, & cras metantur, ac mittantur fortè in clibanum; quantò magis faciet hoc hominibus, quorum ſe patrem aſſerit? Idcirco enim non ait; Deus paſcit illa; ſed, *Pater veſter cæleſtis paſcit illa.* Certè ſingulæ animantium ſpecies diuerſis vtuntur cibis, & de his tamen prouiſum eſt ſingulis; licet aliquæ victum ſuum quærere non poſſint. Sunt enim aliquæ, quæ ad ſaxa adhærentes immotæ nutriuntur ſolo tactûs ſenſu notabiles; aliæ deſeruntur à parentibus, vt coruorum pulli, qui idcirco dicuntur *inuocare Deum*, Pſal. 148. & interim aluntur rore cælitùs demiſſo; vt vult ibi Lira, Hieron. Chryſ. & Iſid. *l.* 15. *etym. c.* 7. aliæ è nidis eiiciuntur, vt aquilini, qui colliguntur & nutriuntur ab Oſſifragâ. Inter cætera, mira imprimis Dei prouidentia apparet erga Alyonem, auiculam maritimam, paulò maiorem paſſere, vt Plin. l. 10. c. 32. ſcribit, quæ in littoribus & ipſâ maris arenâ nidum & oua ponit, ac circiter mediam hyemem pullos excludit. Quis non exiſtimet, nidum vnâ cum pullis interim à mari abripiendum, vel fluctibus

bus mergendum? Verùm, res mirabilis, tum temporis in Aclyonis gratiam (vt videtur) ſilent venti omnes tumidaque placantur æquora, idque diebus quatuordecim, quos Aclyonios vocant nautæ, quibuſque Aclyon oua & excludit, & pullos nutrit. Nôrunt nautæ dies illos, quibus & audacter mari ſe concredunt, probè ſcientes, tutam iis fore nauigationem: præſertim in mari Siculo, vbi id ſemper euenit, teſte Ariſt. lib. 5. hiſt. anim. cap. 8. Plinio lib. 10. c. 32. *Quid igitur à Deo tu* (ſic ferè ſcribunt hanc in hiſtoriam Baſilius homil. 8. Exam. Ambroſ. lib. 5. Exameron. c. 13.) *etiam præter omnium ſpem, etiam ſummis malis preſſus non exorabis, quem imagini ſuæ ſimilem eſſe voluit, quando alitis tam exiguâ gratiâ, mare tam vaſtum, tam terribile, tamq; ſæuiens media hyeme tranquillum pacatumq; efficit?* Aliud eiuſdem prouidentiæ argumentum ſcribitur de cæto, qui cùm ad nimiam pinguedinem peruenit, ampliùs nec videre, nec audire poteſt, carnium mole ſenſus obſtruente. Itaque natura ducem ei aſſignauit, piſcem albo colore, prælongo capite, anguſtâ caudâ, qui numquam à cæto ſeparatus meare cernitur, ſed eius caput antegrediens, quaſi remo & dux eius exiſtit; cuncta illi præſentit & prouidet, extremaque caudâ præmonſtrat tùm declinanda, tùm perſequenda: cibatum ei conciliat, inſidiaſque à piſcatoribus poſitas ſigno prodit: & vbi occurrunt breuia, ne propter molem corporis in illis hæreat tempeſtiuè præſignificat, vt aliò meatum declinare poſſit. Quod ſi eo duce careret, haud dubiè illi pereundum eſſet. Ælianus l. 2. *hiſt. animal. c.* 13. Quis itaque non miretur Dei prouidentiam, qui vaſtiſſimæ maris belluæ, piſcem alium exiguum, motûs, victûs, vitæque ducem & rectorem dederit? Quanto igitur magis prouidebit Deus hominibus de neceſſariis & imprimis Angelum cuſtodem, qui eum dirigat & gubernet? Si enim brutis, quæ beneficium & creatorem ſuum non agnoſcunt, nec laudare illum poſſunt, adeò prouidit: an non maiorem curam habebit de hominibus, qui eum agnoſcunt & adorant, eique gratias agunt? Certè ſi ingrediens aulam regiam, videres imprimis apparatas plurimas menſas, cibis variis inſtructas pro ſtabulariis, venatoribus, coquis, ſatellitibus, &c. nónne mox cogitares, multò certiùs paſcendos ibidem eſſe amicos & filios regis? Quoniam ergo videmus in hac mundi aulâ omnibus creaturis menſas apparatas & neceſſaria propoſita, quid nos diffidimus?

E. IV. Quia nimia ſolicitudo eſt fruſtranea.

QVARTVM. Quia nimia illa cura & ſolicitudo fruſtranea eſt, quod indicatur illis verbis, *Quis veſtrûm cogitans*, ſeu *cogitando*, vt habet Lucas, *poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum*? q. d. ſi id quod minimum eſt, v. g. cubitum vnum ſtaturæ adiicere, ſeu creſcere, non poteſtis efficere veſtrâ ſolicitudine, veſtris curis & cogitationibus, (multum enim & diu cogitabitis, antequam cogitando creſcatis) quid igitur ſoliciti eſtis de cibo, potu & veſtibus quando hac ſolicitudine nihil poteſtis efficere, niſi Deus dederit, qui vobis incogitantibus creſcere vos facit? Colligimus hinc ſolicitudinem hanc veritam verſari ferè in cogitationibus tantùm. Quid autem prodeſt ſolicitè cogitare ſemper, quomodo nauis tua oneraria appellat, quomodo fruges conſeruentur, quomodo debita tibi ſoluantur, quomodo domus te abſente ſeruetur? quid enim hæ curæ proſunt? Quis neſcit, quàm inanes fuerint cogitationes diuitis illius, qui dixit: *Deſtruam horrea mea*, &c. In ipſa enim nocte vocem Dei audiuit: *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te: & quæ paraſti cuius erunt?* Nec ſolùm fruſtranea, ſed inſuper noxia eſt eiuſmodi anxietas corpori & animæ: lædit enim valetudinem, abbreuiat vitam, arcet ſomnum, & perpetuò angit animum. Sed maiora adhuc damna parit animæ; nam obſcurat intellectum, quo minùs diuina cernat, Dei ſcilicet prouidentiam ac veritatem promiſſionum: non aliter ac nubes lucem ſolis nobis aufert. Voluntatem tædio afficit erga eadem diuina: eneruat fidem, ſpem & charitatem in Deum: ſuffocat ſementem patriſſam, ſeu verbum Dei: diſtrahit in oratione, perdit tempus, & quandoque ad deſperationem abripit, veluti mulus ille Abſalonem: & capillis curarum ac perplexitatum inuoluit implicatque: vnde poſteà non difficilè transfoditur à dæmone triplici illâ lanceâ, concupiſcentiâ carnis; oculorum, & ſuperbiâ vitæ. Probè hoc ſciuerunt Ægyptij, qui idcircò impoſuerunt Hebræis onus & ſolicitudinem conquirendarum palearum, quo nimirum auocarentur à ſacrificiis ſuis & profectione ad terram promiſſam, Exod. 5.

F. V. Quia gentilium eſt iſta ſolicitudo.

QVINTVM. *Quia hæc omnia gentes inquirunt.* q. d. Dominus: Vos Chriſtiani, amici Dei eſtis, quibus longè plus debet, quàm infidelibus, qui eum nec colunt, nec agnoſcunt, nec prouidentiam eius credunt; & idcircò mirum non eſt, ſi de ſuâ ſuſtentatione ſint ſoliciti; vos autem creditis & Deum omnia ſapientiſſimè & rectiſſimè gubernare, & eidem fideliter ſeruitis. Decet ſanè ex hoc capite, vt fideles longè magis in Deum confidant, quàm gentes: & propterea Deus fidelium ſpem & confidentiam in ipſum ſæpe variis modis probauit. Hinc enim voluit, vt diem ſabbathi colerent: voluit, vt manna non niſi in vnum diem colligeretur, & ſi quid amplius ab aliquo collectum foret, ilico vermibus ſcateret, *Exod.* 16. Iuſſit, vt ſeptimus annus requietionis eſſet, hoc eſt, vt quouis anno ſeptimo nec fererent quidquam nec putarent vineam, *Leuit.* 25. Promiſerat enim Deus, manna ſe quotidie daturum, & terram ſeptimo anno ſponte germinaturum. Hinc denique voluit nos in oratione petere non annuum, ſed *quotidianum panem*. Si enim credimus Dei prouidentiam, decet vt de eâdem etiam bene & firmiter ſperemus, præſertim quia Chriſtiani ſumus, & oculos Domini ſuper iuſtos maximè vigilare ſcimus. Alioquin quid à gentilibus differimus, niſi ſolo nomine? Quibus & hoc addendum: ſi

Deus etiam infidelibus de neceſſariis rebus & ſæpe mirabiliter prouidet, non prouidebit Chriſtianis? Si coruos illos, Turcas paſcit ſanguini inſidiantes: & ſi fœnum, quod cras in clibanum mittitur, id eſt, Ethnicos, Iudæos & peccatores publicos ſic veſtit & ditat, cur non Chriſtianos ſibi ſeruientes donet rebus neceſſariis? Imprimis in Ægypto, vbi pluuiæ per æſtatem nullæ ſunt propter regionis ſitum, Nilus quotannis inundans limo pingui obducit, & rigat agros, quantum ſatis eſt maturandis frugibus. Inſulæ cuidam Canaricæ, quæ Ferri dicitur, omni aquâ dulci destitutæ ſubuenit diuina prouidentia arboris cuiuſdam præſidio, cuius ea natura, vt aſſiduè inſtar fontis, dulci humore ſtillet, qui hominibus & pecoribus ad potum ſufficiat, vt ſcribit Leſſius *l. 1. de prouidentiâ*. In Arabiâ Ægypto conterminâ circa vrbem Aden, nulla prorſus aqua neque à cœlo pluit, neque è terrâ manat, at nihilominùs omnia cœleſti nocturnoque rore vireſcunt, & mirum in modum adoleſcunt, Andr. Corſalius. In Cappadociâ, Mediâ & Thraciâ, in defectu apum, mel ex arboribus ſtillare, ſcribit Ælianus *lib. 5. cap. 42.* Idem de India ſcribit *l. 15. c. 7.* In remotioribus Septentrionis partibus ob continuum ac ſæuum frigus, ſcribit Olaus M. *l. 25. hiſt. c. 15.* defectum eſſe lignorum: Itaque magnorum ibi copia piſcium eſt, è quorum coſtis domus fabricantur, vt ſic ligna ſufficere ad focos alendos poſſint. Ad montem Caſſium, ait S. Baſilius *hom. 8. hexam.* quotannis locuſtæ naſcuntur innumeræ certo tempore, quæ depaſcunt ſegetes. Quare prouidit Deus certum genus auis *ſeleucis* dictum voraciſſimum, quod illas deuorat, & agros peſte liberat. In Ægypto magna eſt aſpidum copia. Huic peſti prouidentia diuina oppoſuit Ichneumonem, gliris inſtar animalculum, quos illas conficit. Leſſ. vbi ſup. In Theſſalia tanta ſerpentum copia eſt, vt niſi à ciconiis (quæ illic plurimæ & ſacræ ſunt ob beneficium) perimerentur, indigenas migrare oporteret. Plin. *l. 10. c. 23.* Ariſtoteles *de admirab. c. 22.* Denique Euagrius cap. 6. hiſt. Eccl. narrat temporibus Martiani Imperatoris, & Concilij Chalcedonenſis tantam fuiſſe in Phrygia, Galatia & Cappadociâ pluuiarum penuriam, vt deficientibus frugibus terræ homines ſe inuicem deuorarent, ex quo orta eſt ſæua lues, quæ multa millia hominum abſumpſit. Verùm iratus Deus miſericordiæ interim recordabatur, & reliquis qui ſupererant hominibus, miſit illic manna de cœlo per annum integrum. Anno verò ſequente produxit terra ſponte & abſque culturâ fructus optimos. Ex quibus omnibus patet, quàm Deo curæ ſint homines etiam impij & infideles, vt hinc erigi in certam & longè maiorem ſpem omnes Chriſtiani debeant.

G. VI. Quia Deus pater noſter eſt.

SEXTVM. *Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Si enim pater noſter eſt, quomodo obliuiſci filios ſuos poteſt? *Numquid obliuiſci poteſt,* inquit Dominus Iſa. 49. *mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Quære ab aliquo puero,* inquit Card. Bellarm. Conc. in Dom. Lætare; *Quid facies, cùm iſta veſtis detrita & conſumpta fuerit? Tu paruulus es, pecunias non habes, artem faciendarum veſtium non tenes: quid igitur ages? quò te verges? nudus ſis inpoſterum neceſſe eſt. Sed non terrebis eum: habet enim reſponſionem in promptu: Pater meus, dicet, ſolicitus erit de hoc, & nihil mihi deeſſe patietur. Cur igitur, Auditores, non tantum nos in Deo confidimus, quantum in ſuis parentibus confidunt pueri?* Reſpondebit aliquis, ideo ſolicitum ſe eſſe de victu & veſtitu, cæteriſque neceſſariis, quia his opus habet; *Eſto,* inquit S. Chryſoſt. hom. 13. in Matth. *ſed ideo magis confidas, & minùs ſis ſolicitus oportet; quia ſi ſuperflua eſſent non eſt cur à Deo expectes tibi de illis prouideri, &c.*

H. VII. Quia regnum cœlorum vult nobis dare.

SEPTIMVM. Quia Deus regnum cœlorum dare nobis ſtatuit; vt oſtendunt illa verba: *Quærite ergo primùm regnum Dei:* quantò magis ſuppeditabit hæc temporalia & infimaſimò *adijciet*, vt ait Dominus, tanquam vilia videlicet & quæ nihil ſunt apud Deum? Eodem pertinet, quod ſubiicit Luc. 12. *Nolite timere puſillus grex,* (ne videlicet deſint vobis vitæ neceſſaria) *quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.*

I. VIII. Quia ex pacto promiſit nobis ſuſtentationem.

OCTAVVM. Quia promiſit nobis Deus neceſſariam ſuſtentationem ex pacto, ſi nos videlicet quæramus primò regnum Dei, cùm dixit; *Quærite ergo primò regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Videtur enim dicere, nobis quod S. Catharinæ Senenſi dixit: *Cogita de me, & ego cogitabo de te.* Sic dicere ſolet pater filio: Tu ad ſcholas vade, & diligenter ſtude: & cætera quæcunque tibi neceſſaria ſunt, ego procurabo, veſtes, victum, libros ac denique pinguem conditionem. Ita hîc agit nobiſcum Deus. Quæro igitur ex te, an fidem Deo tecum ſic paciſcenti habeas? *Si tibi,* ait loco cit. Bellarm. *Iudæus aliquis mille vel duo millia coronatorum polliceatur, & ſyngrapham ab eo ſcriptam & conſignatam habeas abſque vlla ſolicitudine dormis: & tamen quid aliud miſer, quàm ſyngrapham vnius infidelis habes? At verò non vnam ſed multas Dei ſyngraphas habemus, quibus nobis omnia ad vitam iſtam ſuſtentandam neceſſaria pollicetur: & tamen ſoliciti ita ſumus, quaſi Deum vel impotentem, vel mendacem, vel deceptorem eſſe crederemus.* Sic Bellarm. Quot in hodierno Euangelio habemus eiuſmodi ſyngraphas?

Quare ſit iam finis querelarum, ſit finis anxietatum: ſit finis diffidentiæ: quia non poſſumus his vacare ſimul & Deo: quia qui dedit vitam; dabit & vitæ neceſſaria: quia qui paſcit aues, & veſtit flores, faciet idem vobis: quia inanis & noxia eſt talis ſolicitudo: quia gentium, non Chriſtianorum eſt, talia quærere: quia ſcit pater veſter, quòd his omnibus indigetis: quia idem decreuit vobis regnum ſuum; quia denique vobis ex pacto ſe obligauit. *Quærite ergo primùm regnum Dei, &c.*

CON-

CONCIO III.

Lilia agri quid nos doceant.

1. *Docent non confidere in mundo & rebus quæ à mundo diliguntur.*
2. *Confidere in Deo.*
3. *Modum proficiendi in bono.*
4. *Eccleſiam exornare virtutum ſplendore.*
5. *Suſpirare ad cælum.*

THEMA.

Conſiderate lilia agri. Matth. 6.

A. *Eccleſia Chriſti ſecura ſit de ſuâ ſuſtentatione.*

SPonſus animarum noſtrarum, Chriſtus, Auditores, per os Salomonis, *Cant.* 7. laudat ſponſam ſuam Eccleſiam per omnia ferè membra. Inter alia de ventre eius ita loquitur: *Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs.* Videtur autem his verbis, meo ſanè iudicio, commendare velle in ſponſa ſua magnam & ſecuram confidentiam, quam in ipſum ſponſum habet. Venter enim, qui quotidianum ſuum tributum, victum & amictum exigit, quid, quæſo, niſi neceſſariam corporis ſuſtentationem indicat? Poterat ergo ſponſa, & poteſt quiuis Chriſtianus de ventre ſatiando nec non veſtiendo anxius & ſolicitus eſſe. Sed nullam hîc ſolicitudinem agnoſcit in ſponſa Chriſtus; ſiquidem, ait, ventrem eius eſſe *aceruum tritici.* q.d. horreum plenum tritico, adeoque certum & ſecurum de ſuſtentatione. Quod ſi quis obiiceret, horreum illud exhauriri, eoque exhauſto ſponſam egere & fame interire poſſe, huic reſpondet mox adiunctis verbis, cùm ait, aceruum liliis vallatum ac munitum eſſe, vt nequaquam exhauriri, minùs expoliari queat. At quæ præſidia in liliis? quis vnquam excitari vallum de liliis vidit & floribus? Vidimus certè in hodierno Euangelio, in quo Chriſtus Dominus excitaturus nos ad fiduciam de ſuſtentatione noſtra habendam, remittit nos ad lilia: *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quantò magis vos modicæ fidei?* Hoc igitur eſt vallum, è liliis excitatum, quod tuetur nos contra inanem ſolicitudinem: ſi conſideremus Deum tam liberali manu ſuâ veſtire & nutrire lilia. Quantò enim magis nutriet nos filios ſuos? Cæterùm quia lilia agri præter hoc documentum, plura alia tradunt, ea nunc conſiderabimus.

B. I. *Docent non confidere in mundo.*

1. *Non in homine.*

Docent PRIMÒ non confidere in mundo & rebus quæ à mundo diliguntur, velut primò in homine: quia vti clamare iuſſus eſt Iſa. cap. 40. *Omnis caro fœnum & omnis gloria eius quaſi flos agri.* Qui à flumine abripitur, ſi flores aut herbas littori adhærentes manibus apprehendat, quaſi vitæ retinaculum: deceptum ſe videbit, abrumpet enim herbas & ad fundum ibit. Similiter qui in homine confidit; quia *Omnis caro fœnum.* Omnes morimur, & quaſi herbæ euellimur.

2. *Non in generis ſplendore.*

Secundò. Non confidere in generis ſplendore, formæ elegantiâ, corporis robore, opibus, doctrinâ. Hoc etiam clamat Iſaias loco cit. *Omnis gloria eius quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum & cecidit flos, quia Dominus ſufflauit in eo.* Inter flores campi vnus altero eminentior & elegantior eſt, pari tamen conditione demetuntur omnes, & inter ſeſe corruentes ita miſcentur, vt non ſit facile vnum ab altero diſcernere: ita inter homines, dum viuunt, magna ſunt diſcrimina: vnus altero formoſior, robuſtior, nobilior, ditior & doctior eſt; attamen falx mortis omnia coæquat; vnde mortuorum oſſa iacent in cœmiterio inter ſe confuſa, vt nullâ ratione diſcerni poſſit nobilis ab ignobili, &c. Videre iſtud fuit in exercitu Sennacherib, qui cùm florum inſtar latiſſimum campum operiret, vtpote 185. millia, (4. *Reg.* 19.) per Angelum vna nocte interemptus fuit, & vt notant Hebræi, apud D. Hieronymum & Liran. 4. *Reg.* 19. D. Thomas in opuſculo *de erud. Princ. l.* 3. *c.* 7. & alij, occulto igne combuſtus & redactus eſt in cinerem (vt indicari videtur *Iſa.* 10. vbi eam ſtragem illi prædicens, ait: *Succenſa ardebit quaſi combuſtio ignis*) ita vt ex armis, loricis & thoracibus nil deflueret niſi cinis. Stabant priùs in acie diuerſi ordinis, dignitatis & ſplendoris milites. Duces, Chiliarchi, Centuriones Vexilliferi, Decuriones, gregarij, poſteà nihil niſi cinis ſupererat; & in hoc minimè diſcerni poterat, quis Dux, quis Decurio vel gregarius miles fuiſſet. Hoc verò an non contigit aliis quoque hominibus? *Quis diſcernat ſpecies mortuorum?* inquit S. Ambroſius lib. de Naboth cap. 1. *Redoperi terram, & ſi potes, diuitem deprehende: euderato paululùm poſt tumulum, & ſi cognoſcis egentem, argue, &c.*

3. *Non in incerto diuitiarum.*

Tertiò. Non confidere vel *ſperare in incerto diuitiarum*, vt ait Apoſtolus 1. Tim. 6. quia S. Iacobus cap. 1. epiſtolæ ſuæ inquit: *Diues in humilitate ſua* (ſe contineat vel glorietur) *quoniam ſicut flos fœni tranſibit. Exortus eſt enim ſol cum ardore & areſecit fœnum & flos eius decidit & decor vultûs eius deperiit: ità & diues in itineribus ſuis marceſſet.* Primò, enim vti flos æſtu ſolis citò exſiccatur & areſit: ita & diuitiæ citò auferuntur, ſi non incendio, naufragio, rapinâ; certâ ſaltem morte. 1.
Deinde, ſicut flores fœni, dum virent, dulces ſunt; vbi exaruerunt, amareſcunt; (vnde Cato ſuaſit; *Fœnum ne ſerò ſeces*, apud Plin. *l.* 18. *c.* 28.) ita diuitiæ dulces ſunt cùm acquiruntur, ſed amareſcunt cùm perduntur. 2.
Tertiò, ſicut flores campi oculos noſtros non ventrem noſtrum paſcunt, ſed cibus fiunt pecorum: ita diuitiæ auari, aurum & argentum, torques & monilia, oculos eius paſcunt, non mentem, imò ſæpe nec ventrem, ſed deuorantur ab extraneis, vt teſtatur Eccleſiaſtes cap. 6. *Eſt, inquit, & aliud malum, quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines: Vir cui dedit Deus diuitias & ſubſtantiam & honorem & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus quæ deſiderat: nec tribuit ei poteſtatem Deus vt comedat ex eo, ſed* 3.

homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas & miſeria magna eſt.

4. *Non ſuperbire in veſtitu.* Quartò. Non ſuperbire in veſtitu; ſiquidem Domino teſte vnius floris decor ſuperat omnem Salomonis ornatum. Superat autem Primò, quia is naturalis, hic fictitius eſt. Secundò. Quia is viuus, hic mortuus. Tertiò. Quia is longè ſubtilior & artificioſior; colores habet viuaciores, odorem natiuum ſpargit, nobiliſſimum, denique artificem habet Deum. Quanta in vno floſculo & quàm miranda artificia? Vanus eſt igitur & futilis omnis veſtium ornatus, quandoquidem ſuperatur vel ab agreſti flore. Confuſi fuerunt turpiter magi Pharaonis, quod ciniphes ſeu culices minutiſſima animalcula efficere ſuis præſtigiis non poſſent. *Exod.* 8. Quomodo non erubeſcat mundus de ſuperbiâ ſuâ, qui omni ſuo ingenio & nouis veſtium inuentionibus eò pertingere non poteſt, vt vel agreſtis floſculi gloriam adæquet? Iam ergo ſicut indignum eſt viro, comi & ornari; quia hoc mulierum eſſe dicitur: & ita indignum eſt mulieribus ſuperfluè exornari & coloribus fucari; quia hoc florum eſt.

5. *Non confidere vitæ.* Quintò. Non confidere vitæ, quantumuis robuſtæ & ſanæ. Audimus enim quid dicat Dauid Pſalm. 102. *Homo ſicut fœnum dies eius, tanquam flos agri, ſic efflorebit: Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo & non ſubſiſtet & non cognoſcet amplius locum ſuum*, q. d. Dies hominis breuiſſimi ſunt & mutabiles, proinde ſimiles diebus quibus fœnum in agro perſiſtit. Numquam enim fœnum integro anno permanet; naſcitur vere & mox in æſtate metitur ac colligitur. Et ſicut fœnum non toto illo tempore, quo eſt in agro, floret, ſed manè floret & veſpere areſcit: ſic etiam homo breui tempore viuit & multò breuiore durat in vigore & flore adoleſcentiæ, moxque areſcit in ſenectute. Cognouit & gentilis Plinius, qui *lib.* 21. *cap.* 1. ſcribit: *Reliqua vſus alimentiq́ gratiâ genuit natura; ideoq́ ſecula annoſq́ tribuit iis: flores verò odoreſq́ in diem gignit: magnâ (vt palam eſt) admonitione hominum, quæ ſpectatiſſimè floreant, celerrimè marceſcere.* Accedit perpetua mutatio, qualis etiam cernitur in floribus, qui initio colorem viuidum, paulò pòſt liuidum acquirunt, & tandem contrahunt rugas omnemque omninò colorem perdunt, cùm areſcunt: ita homines in adoleſcentiâ virent ac vigent robore, ingenio, formâ, hilaritate animi: in ſenectute deficiunt & corrugantur, ita vt ſe amplius vix agnoſcant tandemque appropinquante morte omnem prorſus decorem, exiſtimationem, vires, prudentiam, lætitiam amittunt. Quod idem Dauid Pſalm. 89. expoſuit cùm ait: *Manè ſicut herba tranſeat,* (id eſt, tranſibit) *manè floreat & tranſeat: veſpere decidat, induret & areſcat.* Et S. Iob cap. 14. *Quaſi flos egreditur,* inquit, *& conteritur, & fugit velut vmbra & numquam in eodem ſtatu permanet.* Septuaginta vertunt: *Tanquam flos efflorescens decidit*; vt indicent hominem dum adoleſcit etiam paulatim mori & decidere, non ſolùm cùm infirmatur; quia etiam dum iuueneſcit, vita eius conſumitur: ſicut vita floris, etiam dum effloreſcit. Hinc veriſſimè dixit Deus Adamo: *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Eodem iure Dominus gramen hîc, & lilia appellauit & fœnum; quia ſcilicet hodie floret ac viret, cras demeſſum areſcit: hodie lilium eſt, cras fœnum. Similiter dicere potuit Apoſtolus 1. Corinth. 15. *Quotidie morior.* Væ igitur cæcis mortalibus qui dum moriuntur, mortem non conſiderant; & vitam vnius diei ſic amant, quaſi eſſet æterna: & vitam verè ſempiternam ſic contemnunt, ac ſi eſſet vnius diei & pro nihilo habenda.

Docent Secundò confidere in Deo; quod maximè intendit Dominus in hodierno Euangelio. Videte enim obſecro, prouidentiam diuinam in minimo etiam floſculo. Dedit illi Deus partes integrantes & membra corpori proportionata: dedit illi organa ad certas functiones ſaluti totius neceſſarias deſtinata, veluti corpus poroſum ad ſuccum attrahendum & diſpertiendum: radicem in fibras diuiſam, quâ ſolo affigatur: culmum erectum, ne in terra fœdetur & putreſcat, firmum, ne à tempeſtate rumpatur: corticem duriorem vel aculeis munitum contra frigus & æſtum rerumque incurrentium læſiones: ramulos & folia adiecit ad ornatum & tutamen: veſtitum ornatiſſimum, ſupra ornatum Salomonis regium: plurimis odoris fragrantiam addidit: omnibus ſaporem gratiſſimum ſeu beſtiis, ſeu hominibus: denique vim medicam, quodque maximum eſt, vim ſpeciei generatiuam, ſemen. Quanta in vno flore beneficia? In flore, inquam, qui cras metitur & datur beſtiis vel in clibanum mittitur. Quid igitur non præſtabit homini, quem ad ſui imaginem & cœli hæredem fecit? C. II. *Docet confidere in Deo.*

Nec verò prætereundum, loqui Dominum expreſsè de liliis, non campi, ſed agri, quæ pro zizaniis habentur, adeoque in clibanum mittuntur. Scimus autem ex Matth. 13. per zizania intelligi reprobos, qui degunt inter triticum ſeu bonos. Iam ſi zizania, ſi reprobi multoties ita veſtiuntur boniſque huius mundi cumulantur à Domino, qui poſteà in gehennam abiicientur: quantò magis boni & electi, qui Dei voluntatem faciunt, ſperare in ipſum debent, & bona omnia expectare? Si Neronem, Domitianum, Decium, Diocletianum aliosque improbiſſimos, mundi proſperitatibus ita cumulauit; quomodo amicorum ſuorum obliuiſcetur?

Docent Tertiò rationem proficiendi & creſcendi in bono; id quod nos aduertere iubet Dominus, cùm ait: *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt.* Quomodo ergo creſcunt? Primò, ſingulis momentis, tam noctu, quàm interdiu ſeſe extendendo, tametſi ita ſenſim, vt nemo aduertere poſſit (neque enim creſcere, ſed creuiſſe videmus gramen & flores) Similiter & nos creſcemus, ſi quotidie vel parum D. III. *Docet modum proficiendi in bono.*

rum

rum vitij extirpemus, & virtutis implantemus; ſic enim ſenſim proficiemus, vt poſt aliquot annos deprehenſuri ſimus, nos reuerà profeciſſe, quamuis nos proficere numquam aduerterimus. Faciebat hoc Apoſtolus, qui ad Philipp. 3. ait: *Quæ quidem retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor.* Anna filio ſuo Samueli iuxta ætatis & ſtaturæ eius incrementum ſolebat ſtatutis temporibus tunicam maiorem & maiorem afferre: ita Deus flores ſecundum varia eorum incrementa vario colore ac ſplendore veſtit, quem per varia foliorum integumenta ſenſim manifeſtat, donec ad perfectam menſuram & pulchritudinem adducat. Eodem modo nos vnà cum ætate creſcere in virtutibus & de virtute in virtutem decet, donec ad Chriſtianam perfectionem veniamus.

2. Secundò, Succum è terrâ attrahendo, vel potius è nubibus, quaſi è terræ vberibus. Ita creſcemus nos ſugendo lac ſpirituale doctrinæ Euangelicæ & Sacramentorum, præſertim Euchariſtiæ, iuxta id 1. Petri 2. *Sicut modò geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem.* Experimur ſæpe fruges vndique conſiſtere omnique incremento deſtitui, cùm poſt duas vel tres hebdomades æſtu continuato nulla pluuia fuit. Et quid fiet illis hominibus, qui per duos vel tres menſes nullam vnquam pluuiam doctrinæ ſalutaris ſeu ſacræ concionis hauſerunt? Indignamur nos illis frugibus, quæ non creſcunt. Nobis ergo non indignabitur Deus, ſi in virtutibus & ſapientiâ profectum non faciamus?

3. Tertiò, Suſtinendo tempeſtates; his enim dum agitantur plantæ, conſolidantur & creſcunt. Ita Chriſtianus creſcit perſecutionibus, ſi eas fortiter ſuſtineat. Hinc Auguſt. *in Pſalm.* 60. ait ſub initium; *Vita noſtra in hac peregrinatione non poteſt eſſe ſine tentatione, quia profectus noſter per tentationem noſtram fit, nec ſibi quiſquã innoteſcit niſi tentatus.* Perſecutiones, electorum cibus ſunt. Hinc de viro bono dixit Ieremias Thren. 3. *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs.* Saturabitur, inquit, quaſi cibo optatiſſimo. Patuit in Iſraëlitis, qui tantò magis multiplicabantur & augebantur in Ægypto, quantò magis affligebantur; non ſecus, ac cibo ſumpto creſcunt ac confortantur homines.

4. Quartò, Florem velut caput verſus cœlum protendendo, & ſolem quaſi genitorem ſuum aſpectando. Ita Chriſtianus creſcet Deum habendo ſemper præ oculis & omnia ad eius gloriam operando. *Ambula coram me & eſto perfectus* ait Deus Abrahæ, *Gen.* 17. q. d. Sic fies perfectus. Quo præcepto S. Doſitheus imbutus à S. Dorotheo monente, *Cogita ſemper Deum tibi præſentem & te coram illo ſtare*: ex diſſoluto milite perfectus euaſit Monachus.

E. IV. Docent Eccleſiam exornare

Docent QVARTÒ, Eccleſiam exornare virtutum ſplendore & varietate, quemadmodum lilia ſeu flores exornant pratum, vel agrum. Sanè Eccleſia agro comparatur in Euangelio; & S. Auguſt. *lib.* 16. *de ciuit. cap.* 37. in Chriſto eiuſque Eccleſiâ allegoricè impletum eſſe teſtatur, quod de filio ſuo Iacob dixit Iſaac benedicendo illi Gen. 27. *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni.* In hoc agro *aliter olet flos uvæ*, inquit S. Gregorius homil. 6. in Ezech. *quia magna eſt Prædicatorum virtus & opinio, qui inebriant mentes audientium. Aliter flos oliuæ: quia ſuaue eſt opus miſericordiæ, quod more olei fouet ac lucet. Aliter flos roſæ: quia mira eſt fragrantia, quæ rutilat & redolet ex cruore martyrum. Aliter flos lilij, quia candida vita carnis eſt de incorruptione virginitatis. Aliter flos violæ: quia magna virtus humilium, qui ex deſiderio vltima loca tenentes per humilitatem ſe à terrâ in altum ſubleuant & cœleſtis regni purpuram in mente ſeruant. Aliter redolet ſpica, cùm ad maturitatem perducitur: quia bonorum operum perfectio ad ſatietatem eorum, qui iuſtitiam eſuriunt, præparatur*, hæc Greg. Demum vniuerſim *cùm in Eccleſia* (inquit Theophylactus Archiepiſcopus Bulgarorum in id Oſeæ 14. *Iſraël germinabit ſicut lilium,*) *videris aliquem bene viuere & luce virtutum coram hominibus ſplendere, illum voca to lilium.* Ita ornabant Eccleſiam primi Chriſtiani, de quibus Apoſtolus ait: *Chriſti bonus odor ſumus Deo, in ijs, qui ſalui ſiunt, & in ijs qui pereunt*, 2. Cor. 2. — virtutum ſplendore.

F. V. Docent ſuſpirare ad cœlũ.

Docent denique ſuſpirare ad cœleſtem beatitudinem & beatorum ſocietatem. Si enim in hoc mundo tanta cernitur florum varietas, tantus decor, tanta fragrantia: florum, inquam, qui hodie ſunt & cras in clibanum mittuntur; quantus erit decor, quanta varietas, quanta gloria electorum in regno Dei? Qui ad exteras nationes pergeret, ſemper nouos & nouos flores inueniret: ita & in cœlo SS. Angelorum & electorum immenſa varietas eſt. Interim verò in tantâ varietate ſumma quoque vnitas eſt. Vt enim in eodem horto vel areolâ flores omnes ſuo decore contenti ſunt, nullus alterum impedit aut de ſtatione ſuâ pellit, omnes ſolem ſpectant eoque aſpectu viuunt, vegetantur & recreantur: ita in cœlo quoque beati ſuâ gloriæ portione ſinguli contenti ſunt, nemo alteri moleſtus eſt, nemo inuidus eſt. Omnes enim Deum facie ad faciem vident eoque aſpectu viuunt, recreantur & ſatiantur per omnem æternitatem.

CONCIO IV.

Volatilia quid nos doceant.

A volatilibus diſcunt
1.2. Principes clementiam erga ſubditos; ſubditi amorem erga principes.
3.4.& ſeqq. Quid diſcãt magiſtratus, ciues, Patresfamilias, ſerui, ac denique Chriſtiani omnes.

THEMA.

Reſpicite volatilia cœli. Matth. 6.

A. VERA & cœleſtis ſapientia, Auditores, non ſolùm è literarum ſtudio, verùm etiam è creaturis omnibus, ſanâ mente, expenſis, hauriri poteſt. Scimus D. Antonio totum mundum fuiſſe quaſi librum, à cuius creaturis velut è foliis ſuam hauſit ſapientiam. De S. Gregorio cognomento Theologo memoriâ proditum eſt, ſolitum ipſum ex qualibet re occurente, bene moratæ vitæ documenta elicere, ac ſingula quæ audiret & videret, ad morum informandorum diſciplinam conuertere: D. Bernardus doctrinam ſuam fagis adſcribit & quercubus, inter quas verſabatur aliquamdiu in ſolitudine. Propterea igitur Chriſtus in hodierno Euangelio remittit nos ad volatilia cœli & ad lilia campi; vt inde etiam diſcamus confidere in Deo. Cæterùm quia longè plura ſunt, quæ ab his creaturis edoceri poſſumus, conferemus hodie nos ad ſcholam volatilium. Alio tempore conferemus nos ad ſcholam liliorum. Quid ergo & quos homines docent volatilia?

B. I. Diſcunt ab iis Principes. PRIMÒ, Quid à volatilibus diſcunt Principes? Clementiam ergo ſubditos. Docet hanc apum Rex, qui vel ſolus ſine aculeo eſt, vel eo ſaltem non vtitur, De quâ re ſcribit Seneca lib. 1. de clementia cap. 19. *Iracundiſſimæ ac pro corporis captu pugnaciſſimæ ſunt apes & aculeos in vulnere relinquunt: Rex ipſe ſine aculeo eſt. Noluit illum natura nec ſæuum eſſe, nec vltionem magno conſtaturam* (vitâ ſcil.) *petere: telumq́ detraxit & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens.* Alexandro Seuero Imp. Mammea mater & Memmia vxor nimiam clementiam improperabant, dicentes: *Molliorem tibi poteſtatem & contemtibiliorem feciſti.* Quibus ipſe: *ſed ſecuriorem*, inquit, *& diuturniorem.* Refert Spartanus. Teſtis accedit Salomon, qui Prouerb. 20. ait: *Roboratur clementiâ thronus eius* (regis) Adhæc *nihil aliud tam peculiare imperiali maieſtati eſt, quàm clementia & humanitas, per quam ſolùm Dei ſeruatur imitatio*, ait Iuſtinianus Imp. leg. vlt. Cod. de don. inter vir. & vx. Rurſum *nihil eſt quod Imperatorem meliùs commendet gentibus quàm clementia*, inquit M. Antonius Imp.

C. II. Subditi. SECVNDÒ, Quid diſcunt ſubditi? honorem & amorem erga Principes ſuos. Docent hoc cæteræ apes, quæ in conſpectu ſui regis aculeos ſubmittunt, quaſi faſces (priſco Rom. more) veluti illum honorantes agnoſcentesq́ue ſe ei cedere digniorem locum. Adhæc mire ei obediunt in omnibus & cùm eius iuſſu ad ſomnum capiendum ſignum datum eſt, illicò ſe ad ſtratum conferunt. Fugitiuum etiam inſequuntur & in regnum reducunt, ac ſi quidem ſenio affectus eſt, vehunt & conglobati cingunt, protegunt que nec cerni patiuntur: quælibet ipſi proxima eſſe cupit & in officio conſpici gaudet: circa eum ſatellites prò eo pugnantes & perire pulchrum putantes: Regiam ei amplam in vnâ aluei parte extruunt: extinctum lugent, ignauo, inquit Plinius, dolore; ſiquidem nec cibos conuehunt, nec procedunt: triſti tantùm murmure glomerantur circa corpus eius. Quot hîc documenta habent ſubditi, amoris, honoris, obedientiæ erga ſuos Principes?

D. III. Magiſtratus. TERTIÒ, Quid Magiſtratus? Iuſtitiam & ſeueritatem in plectendis ſceleroſis. Docent hanc eædem apes, quæ fures in alueare ſubrepentes & fauos alienos depaſcentes corripiunt, & primo quidem furto non occidunt, ſed modicè verberant expelluntq́ue alis & tanquam in exilium eiiciunt; at rurſum deprehenſos aculeis confixos extremo afficiunt ſupplicio. Nec facile eſt furibus aut latere aut effugere: ſunt enim in quouis aditu cuſtodes: & fur ipſe ſatietate repletus nequit euolare ſed ante alueum volutatur. Ariſtot. *hiſt. anim. lib. 9. c. 4.* Ælianus *lib. 1. cap. 9.* Accedunt & ciconiæ, quæ cùm ad certum locum conuolant vt ſimul ad mitius cœlum migrent, eam quæ nouiſſimò aduenit & cæteris in morâ fuit, lacerant. Pier. *lib. 17. hierogl.* Viderint ergò Magiſtratus vt & ipſi fures alioſque malefactores debito modo puniant, quemadmodum & otioſos & qui bonum publicum affligunt.

E. IV. Ciues. QVARTÒ, Quid Ciues? Communionem onerum pariter & honorum. Docentur hoc à gruibus, quæ dum volandum eſt, vnam ſibi præſtituunt itineris ducem, quæ vbi certo tempore agmen duxit, abdicat ſe ducatu & extremum ſortitur locum, atque ei, quæ ſequebatur, ducendi agminis honorem cedit; idque earum ſingulis obuenit ex ordine. *Quid hoc pulchrius*, inquit D. Ambroſius lib. 5. Hexam. c. 15. *& laborem omnibus & honorem eſſe communem, nec paucis arrogari potentiam ſed quadam in omnes voluntariâ ſorte praſcribi? Antiquæ hoc Reip. munus & inſtar liberæ ciuitatis eſt, ſic ab initio acceptum à naturâ, exemplo auium politiam homines exercere cœperunt vt communis eſſet labor, communis dignitas, per vices ſinguli partiri curas diſcerent, obſequia imperiaq́ diuidere, nemo eſſet honoris exors, nullus immunis laboris. Hic erat pulcherrimus rerum ſtatus, nec inſoleſcebat quiſquam perpetuâ poteſtate, nec diuturno ſeruitio fungebatur, &c. Nemo audebat alium ſeruitio premere, cuius ſibi ſucceſſuri in honorem mutua ferent ſubeunda faſtidia: nemini labor grauis, quem dignitas ſecutura releuaret.* Hæc Ambr.

F. V. Patresfamilias. QVINTÒ, Quid patresfamilias? Confidentiam in Deum & moderamen ſolicitudinis. Docet

Docent hoc in commune aues omnes, quæ per aërem vagantur. Non habent illæ heros, qui pabulum eis præbeant, vti habent aues domeſticæ: non ſerunt, neque metunt, nec congregant in horrea, pro futurâ hyeme, quod faciunt formicæ & alia animalia: ſolo Dei præſidio nituntur & omnes à Deo paſcuntur; nulla vnquã cernitur interire fame. Atque hoc exemplum proponit nobis Dominus in hod. Euangelio. Non proponit Moyſen, Eliam, Ioannem Baptiſtam, Paulum Eremitam, quos in deſerto ſuſtentauit mira Dei potentia. Quia poſſemus dicere, fuiſſe eos magni meriti viros, nobis nihil tale ſperandum, &c. Auiculas proponit, de quibus exiſtimare poſſes, nullam eſſe Deo curam. Quod quidem omnibus dictum eſt, præcipuè tamen Patribusfamilias, qui multos habent liberos & magnam alunt familiam: vt in Domino confidant noxiamque ſolicitudinem ponant.

G. VI. *Serui.* Sextò, Quid ſerui? Vigilandi & laborandi induſtriam. Docent eam grues, quæ & regem habent cui obediant, & quem vnà cum grege ſuo cuſtodiant, vigilando pro vniuerſis; atque vt impenſiùs vigilent, lapillum pede ſuſtinent, qui laxatus ſomno & decidens caſu ſuo dormientem excitet ac redarguat. Ambr. *lib.* 5. *hexam. cap.* 15. Hunc in modum ſerui & ancillæ res dominorum ſuorum cuſtodiant & pro illis excubent. Laborem diſcunt ab apibus: quibus nulla dies, cùm per cœlum licet, otio perit. Interdiu etiam excubant contra veſpas & ſimiles prædones. Vna omnes manè labores excitat edito bombo, quo audito omnes prouolant & ad laborem exeunt, otioſas verò pellunt. Quæ omnia ſi imitentur ſerui & ancillæ, digni erunt mercede ſuâ.

H. VII. *Paſtores animarũ.* Septimò. Quid paſtores animarum? Vigilantiam ſuper gregem ſuum. Hanc diſcunt ab anſeribus, qui de nocte dormientibus hominibus vigilant atque excubant eaſque vigilias cantûs aſſiduitate teſtantur. Cui rei fidem facit Romanum Capitolium, quod in Galli hoſtis poteſtatem veniſſet, niſi vigilantes anſeres hoſtem animaduertentes, cantu ſuo vigiles excitaſſent, qui hoſtem iamiam aſcendentem repellerent. Præcipuum hoc paſtorum eſt officium, inuigilare gregi ſuo, ac ſi quidem hoſtis irrepit in ouile, ſi vitia inualeſcunt, clamoribus & concionibus prodere ac obiurgare hoſtem, dormientes in peccatis homines excitare, ad pellendum hoſtem impellere. Ita præcipit Apoſtolus Timotheo Epiſcopo: *Tu verò vigila, in omnibus labora*, 2. Tim. 4. Ita Chriſtus ipſe per manum Ioannis Epiſcopo Sardicenſi: *Eſto vigilans & confirma cætera, quæ moritura erant*. Et mox: *Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur*. Romani canes, qui tunc muti erant, cùm Galli Capitolium inuaſerant, cruci affixerunt. Viderint paſtores, ſi non anſeres vigilantes, ſed canes muti fuerint. Terreat ipſos, quod ſcribit Antiochus hom. 111. *Oportet vt paſtor totus mens oculuſq́, virgam ſeu baculum geſtet oculatum & vigilantem* (inſtar illius Argi ſcil.) *vt ne vna quidem concieditarum ſibi pecudum reticula fiat.*

Octavò, Quid Parochiani? Obedientiam erga paſtorem. Reſpiciant hi falconem, qui cùm ad nubes vſque emiſſus fuerit in ardeam, facili negotio ad aucupem reuocatur vt pugno eius inſideat & pedicas ſibi rurſum indui permittat: minimo, inquam, ſigno, vel ſibilo aut pabulo propoſito. Huius ergo exemplo, ſi quis per peccatum longiùs euolauit ſectando prædam illicitam, honores, voluptates, lucra: cùm audit ſibilum paſtoris ſui, cùm videt propoſitum ſibi Verbi Dei & S. Euchariſtiæ pabulum, non cunctetur, non comperendinet, ſed illicò ad paſtorem ſuum eiuſque obedientiam reuertatur atque in ſacramento pœnitentiæ inſerat manus ſuas in vincula ſalutis. Reſpiciant & Sinarum anates, quarum maximam vim in agris alunt iuxta littus maris, ouium inſtar: quas ſub veſperam in naues vt reuocent, ſoliti ſunt tympano ſignum dare, quo audito mox celerrimè quò aduocantur, aduolant, atque ad ſua ſe recipiunt. Refert P. du Iarric. *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 18. Ergò etiam Parochiani cùm edito campanæ ſigno conuocantur ad Eccleſiam, quæ vera ipſorum domus eſt, celerrimè omnes aduolent & vocem paſtoris audiant, ſacræ Miſſæ & concionis pabulo animas ſuas impinguent. I. VIII. *Parochiani.*

Nonò, Quid Religioſi? Cultum Dei impenſiorem. Reſpiciant hi imprimis in auiculas pæne omnes, quæ potiſſimam vitæ ſuæ portionem in aëre conſumunt, ad terram non niſi pabuli gratiâ deſcendunt, Deum quoque cantu ſuo manè & veſperè laudant, non ſecus ac in Organo fiſtulæ, quas ad cantum impellit Organicen. Reſpiciant deinde ſpeciatim in Philomelam, quæ vili aſpectu auicula griſeas gerit pennas, cantum tamen edit dulciſſimum, non de die tantùm, ſed de nocte quoque & cùm ouis incubat, vt longæ noctis tædium modulatione pellat. Ergo & religioſi ſuam conuerſationem potiſſimùm in cœlo & cum Deo habeant, ad terram & terrena negotia non niſi neceſſitatis gratiâ deſcendant. Adhæc mundo crucifixi & deſpecti ſint, vili contenti habitu: nec interdiu ſolùm, ſed & noctu ad laudandum Deum aſſurgant: in menſa, in ſtrato, in templo vndique Deum laudent ſeu voce ſeu factis. K. IX. *Religioſi.*

Decimò, Quid ſæculares? Temperantiam, à certis perdicibus, quæ Cirrheæ dicuntur. Hæ ſibi conſciæ, quòd nec ad certamina valeant nec pulchrè canere norint, & ſi capiantur, præda & pabulum futuræ capientium, naturali quodam aſtu ſeipſas macie conficiunt abſtinentque ab omni eſcâ, gratiâ licet palato, quâ impinguari poſſent: comedunt potiùs alia, quæ impediunt pinguedinem & carnes earum inſuaues reddunt ac proinde inidoneas ad hominum conuiuia. Refert Anton. de Balinghem *in Zoop.* Huc reſpiciant ſæculares, & ſiquidem cum Monachis ſe non poſſe cre- L. X. *Sæculares.*

ſe crebrò orare, nec cum Aſoetis pœnitentiæ ſubire certamina aſſerunt, diſcant ſaltem imperare ventri ſuo, ne in abdomen creſcat & temperantiæ limites excedat. Sciant alioquin diabolicos venatores ſibi à tergo fore & innumeris vitiorum, quæ gulam ſequuntur, laqueis animam erepturos; quod non facilè fiet, ſi temperantes ſemper ac ſobrij ſint. Hinc tot Apoſtoli monita de ſobrietate: *Vigilemus & ſobrij ſimus*, 1. Theſſal. 5. Et mox: *Qui diei ſumus, ſobrij ſimus*: Rurſum ad Titum 2. *Senes* (hortare) *vt ſobrij ſint*. Et mox: *Iuuenes ſimiliter exhortare vt ſobrij ſint*. Et S. Petrus epiſt. 1. cap. 8. *ſobrij eſtote & vigilate*. Quanquam quis iſta plus quàm ſobrietati ſtudet, mortificationem etiam adhibet, gratam eſcam ſibi præſcindit & ingratam eligit macieque ſeipſam conficit. Quid ergò faciant homines?

M. XI. Parentes.

VNDECIMÒ, Quid parentes? Liberorum educationem. Reſpiciant illi in aues omnes, quæ magnâ ſolicitudine nutriunt ac tuentur pullos ſuos contra inſidiatores. Reſpiciant in luſcinias quæ proles ſuas cantum edocent ac errantes reprehendunt. Reſpiciant in accipitres, qui fœtus ſuos iam ad volatum idoneos ejiciunt è nido, vt ſibimet eſcam quærant; alioquin nullam eis adferunt. Reſpiciant ad aquilas, quæ pullos ſuos vngue ſuſpenſos probat ad conſpectum ſolis, atque genuinos retinet, ſpurios verò abiicit. Reſpiciant ad cornices, quæ æquali in proles ſuas feruntur amore, pari ſedulitate omnes volatu comitantur ac nutriunt. Ergo etiam ipſi magnam filiorum curam gerant: doceant eos principia fidei Chriſtianæ: aſſuefaciant & impellant ad labores & à puero quidem examinent cui ſtudio ſint idonei vel inidonei: amorem quoque ſuum ex æquo in eos diuidant, ne alioquin odia & æmulationes inter eos excitent.

N. XII. Liberi.

DVODECIMÒ, Qui liberi? Pietatem in parentes. Videant hi ciconias, quæ genitores ſuos defluxu pennarum per ſenium laborantes, ſuis plumis fouent, volantes ſuccollant, eſurientes paſcunt. Videant & Meropes, quæ non ſolùm in ſenectute parentes alunt vt ciconiæ, ſed vbi primùm volare didicerint, eo pietatis officio funguntur. Ergò ipſi quoque omnibus humanitatis & beneuolentiæ officiis proſequantur parentes ſuos: pauperes ſuſtentent: feſſos ſubleuent: infirmis ſeruiant, imò etiam valentibus.

O. XIII. Fratres.

DECIMOTERTIÒ, Quid fratres? Mutuam concordiam. Aſpiciant hi grues, quæ ſimul volant, cumque ab aquilâ ſe impeti ſentiunt, in orbem omnes conſiſtunt & contractæ in ſinum falcatæque exiſtunt & quaſi in aciem compoſitæ ſpeciem pugnæ efficiunt: quâ terretur aquila & regreditur. Spectante etiam Ferdinando rege Alphonſi I. filio ſupra molem Neapolitanam, ad ſturniorum turmam aduolauit aquila: quâ conſpectâ ſturni omnes in vnum congiobati volando ſibi hæſerunt, itaque effecerunt vt aquila nullo pacto auderet eos inuadere. Refert Ambroſ. Nolanus *lib probl*. 314. Ergo fratres quoque animorum vnionem ſedulò obſeruent & inuicti erunt.

P. XIV. Coniuges.

DECIMOQVARTÒ, Quid coniuges? Mutuam fidem atque amorem. Aſpiciant paltumbes, à quibus adeò colitur coniugalis caſtitas, vt nunquam alienum cubile attingant: quòd ſi libidine capti, facere attentent, eos reliqui circumſedentes, mares quidem mares, fœminas verò fœminæ diſcerpunt. Ælian. *lib*. 3. *cap*. 44. Sanciuit ſanè & Conſtantinus Imp. (Cod. ad leg. Iul. de adult. l. *quamuis*) *ſacrileges nuptiarum gladio feriunto*. Sed quis Conſtantinus præcipit hoc columbis illis? Quod attinet ad amorem, aſpiciantur alcedines, quæ ſenes iam maritos medio dorſo geſtantes circumferunt. Graculos aſpiciant, qui mortis potiùs ſubeunt pericula, quàm vt coniuges ſuos derelinquant, auctore Athenæo. Aſpiciant gallos gallinaceos, qui vbi granum aliquod aut vermiculum nacti ſunt, certo quodam ſono conuocant gallinas & prædam illis diuidunt.

Q. XV. Virgines.

DECIMOQVINTÒ, Quid Virgines? Caſtitatem ab apiculis, quæ inprimis à commiſtione immunes Venerem non agnoſcunt; deinde obſcœnum recenter à complexu venereo aduentantem agnoſcunt ac velut hoſtem inſequuntur. Ariſt. *l*. 5. *anim*. *c*. 21. Plin. *l*. 11. *c*. 16. Denique delitias auerſantur, quia vnguentis odoribuſque delibutos inſectantur: oleo perfuſæ emoriuntur, aceto reuiuiſcunt. Ambr. *l*. 5. *Hexam*. *c*. 22. Igitur & virgines fugiant obſcœnos ſeu homines ſeu ſermones, fugiant & delitias, ne mortem virginitatis incurrant: aſperitatem potiùs vitæ colant.

R. XVI. Viduæ.

DECIMOSEXTÒ, Quid Viduæ? Gemitum & luctum. Reſpiciant in turturem, quæ perdito ſemel compare, alterum non admittit, ſed in luctu & ſolitudine reliquum vitæ agit: gemitum pro cantu edit: viridibus ramis non inſidet. Huius exemplo viduæ luctui, orationi & ſolitudini ſe addicant: mortem meditentur: veſtium ornatum, choreas, nuptias aliaſque ſæculi delitias fugiant.

S. XVII. Pupilli.

DECIMOSEPTIMÒ, Quid pupilli? Orationem & ſpem in Deum. Primum à coruorum pullis diſcunt, qui deſerti à parentibus, hoc ſolum in nido reliqui habent vt vociferentur quaſi ad Deum, qui vel rore vel vermiculis paſcere eos ſolet. Vnde *Pſal*. 146. dicitur: *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*. Alterum ab alcyonibus, quæ dum circa mediam hyemem pullos excludunt, obtinent hanc gratiam vt illis diebus (qui inde vocantur à nautis alcyonij) mare conquieſcat, ne pullos eorum obruat, ac demergat. Ergò etiam pupilli ad Deum vociferentur, & aderit illis Deus. In gratiam vnius ſerui Ægyptij, qui derelictus ab hero æger in agro triduo nil comederat, direxit Deus Dauidem cum 400. viris, vt inuentum refocillarent, 1. *Reg*. 30.

T. XVIII. Senes.

DECIMOOCTAVÒ, Quid ſenes? Mortis expectatio

pectationem, hilarem ac tranquillam. Reſpiciant in cygnos, candore ſibi ſimiles, cui ad vitæ exitum tanta eſt animi tranquillitas vt ſibi epicedium ſeu funebre carmen canat; non dolens de vitæ iacturâ, ſed gaudens de ereptione è vitæ ſuæ miſeriis. Ælian. *lib.* 10. c. 23. Ariſt. *lib.* 5. *anim. c.* 34. qui ait eos canentes à quibuſdam mare Africum nauigantibus auditos, nec ita multò poſt mori viſos. Igitur & ſenes ad mortem ſe componant, hilari mente excipiendam, memores, ſe per eam veluti per ianuam ingredi ad vitam immortalem, nullis calamitatibus obnoxiam. Sic canebat Simeon ſenex: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Sic Cyprianus martyr, qui accepta mortis ſententiâ: *Deo gratias*, ait.

V. XIX. Iuuenes. DECIMONONÒ, Quid Iuuenes? Mortis timorem, præ oculis ſemper habendum. Reſpiciant illi in vultures, qui expeditos ad prælium exercitus præſentione naturali conſequuntur, ſcientes ibi non defore cadauerum humanorum adeoque pabuli ſui innumeram congeriem, quam & ex longinquo interuallo odorantur magnâ cum voluptate. Hunc in modum iuuenes præſentire oporterent ſemperq; animo verſare mortem, etſi longè adhuc diſtantem. Cogitare enim deberent quàm multi quotidie ad mortem pergant & quàm multi inſperato ac malo fine pereant. Quod tot aliis contigit, ſibi contingere poſſe. Si hoc modo mortem à longè odorarentur & ad eam ſe componerent, mors illis ſuaue epulum fieret.

W. XX. Diuites. VIGESIMÒ, Quid diuites? Liberalitatem erga pauperes. Inſtruuntur hi ab aquilâ, quæ nunquam ſola prædam ſuam (niſi admodum famelica ſit) deuorare ſolet, ſed cæteris volucribus, prædæ causâ eam ſectantibus, velut menſæ ſociis communicat, ſuâ tamen priùs accepta portione. Vident hîc, opinor, diuites, ſibi etiam incumbere (ſi ingenuo & liberali animo præditi eſſe velint) vt ſuperfluâ ſua diuidant cum egentibus. Hi enim eos ſectantur velut aquilam volucres aliæ, vt ipſorum ope viuant. Talis aquila fuit Tobias, qui omnia, quæ habere poterat, concaptiuis fratribus quotidie impertiebat, *Tob.* 1. Talis & Iob, qui dixit: *Si comedi buccellam meam ſolus & non comedit pupillus ex eâ,* &c. *humerus meus à iuncturâ ſuâ cadat*, Iob 31.

X. XXI. Pauperes. VIGESIMOPRIMÒ, Quid pauperes? Gratitudinem erga benefactores ſuos. Docent hanc aquilæ: quod oſtendi poſſet pluribus hiſtoriis: vnam videamus. Narrat poſt Pilarchum Ælianus lib. 6. c. 29. de puero quodam, à quo aquilæ pullus magno ſtudio alebatur & idcircò ei amiciſſimus eſt factus. Accidit vt puer ægrotaret, tum ei aquila officioſè aſſidebat; cùm quietem caperet puer, ipſa quoque ſe quieti dabat: cùm vigilaret, ipſa quoque ſomnum fugabat: ipſo cibum non capiente, ſimiliter abſtinebat: cumque is è vitâ exceſſiſſet & efferretur humandus, ipſa funus proſecuta eſt: cùm is cremaretur, in rogum ſe immiſit. Ergò hanc gratitudinem pauperes imitentur, & ſi de menſâ vel eleemoſynâ alicuius viuunt, viderint vt ei, quâ poſſunt ratione, grati ſint: afflicto compatiantur & inſeruiant ac pro eo orent: defuncti funus proſequantur: eius honorem tueantur côtra obtrectatores: benefacta eius collaudent.

VIGESIMOSECVNDÒ, Quid iuſti? Cautelam in vitandis peccatis & ſuperandis dæmonum inſidiis. Y. XXII. Iuſti. Docentur hoc ab anſere, partim, qui lauri folia ne quidem fame preſſus attingit, quòd ſciat ea ſibi peſtifera & mortem allatura eſſe; partim ab anate, qui cum aquilam ſibi deſuper imminentem conſpicit, illicò ſe intra aquam abdit atque infra eam natando, alio loco emergit, ſicque aquilam fatigat & eludit. Sic igitur & iuſti peccatum ſuper omnia fugiant velut peſtem animæ ſuæ: nec attendant ad eius dulcedinem, ſed amaritiem conſiderent. Deinde imminente tentatione recipiant ſe in fundum humilitatis ſuæ, non præfidant viribus ſuis, ſed fugâ ſe ſubducant, præſertim in tentationibus carnis: vel in ſepulchrum ſe demergant.

VIGESIMOTERTIÒ, Quid peccatores? Pœnitentiam & reſipiſcentiam. Z. XXIII. Peccatores. Diſcant hanc à perdicum pullis, qui cùm non à legitima, ſed alienâ matre foti atque excluſi ſunt, mox vt eius matris, è cuius ouis prodierunt, vocem animaduertunt, priore illâ relictâ, ad hanc tanquam veram parentem ſe conferunt. Vos ô peccatores à Deo geniti eſtis, medio baptiſmo: verùm à diabolo, illegitimo parente abrepti & quaſi excluſi eſtis. Veſtrum igitur eſt, voce Chriſti perceptâ, mox deſerere diabolum, reuerti ad patrem veſtrum. Hirundines à nido ſuo ſtercora eiiciunt: eccur vos è cordibus veſtris peccatorum ſordes non eiicitis? cur veluti iumenta computreſcitis in ſtercore veſtro? Turtur & hirundo cognouit tempus ſuum; vos non cognoſcitis Dominum veſtrum?

VIGESIMOQVARTÒ, Quid denique Chriſtiani omnes? Charitatem mutuam, inprimis AA. XXIV. Chriſtiani omnes. erga ægros ab exemplo apum, quæ ægrotas quidem ad ſolis exponunt radios in aluearis oſtio, ad eas cibum deferunt, iis comiter aſſiſtunt, quaſi conſolaturæ: nocte appetente eas in ædiculas referunt, nec laborare ſinunt priuſquam conualeſcant, mortuas denique efferunt. Quid aliud præſtari filio ab amantiſſimâ matre poſſet? Sed hîc finiamus. Reſpicite, Auditores, in hæc volatilia, eorumque exemplo ſapite.

CONCIO V.

Quàm difficile ſit diuitem Deo ſeruire.

1. *Difficulter audiunt Dei verbum.*
2. *Suſpecti ſunt de iniquo mammona.*
3. *Difficile eſt opes tractare ſine peccato.*
4. *Ad Deum & diuina vix attendere poſſunt.*
5. *Difficulter vocanti Deo reſpondent.*
6. *Difficilè ſe continent à vitiis.*

THEMA.

Non poteſtis DEO ſeruire & Mammonæ. Matth. 6.

A. QVarto *Reg.* 7. ſcribitur, Syros obſediſſe Samariam & Deum in caſtris eorum ſonitum edidiſſe curruum & equorum & exercitûs plurimi, quaſi contra ſe armati, indeque Syros perterritos fugiſſe & omnia ſua poſt ſe reliquiſſe, tentoria, equos & aſinos: animas tantum ſuas ſaluare cupientes. Tam terribiles verborum ſonitus edidit Chriſtus contra diuites paſſim in Euangelio, vt mirum non eſſet ſi Syrorum inſtar omnibus derelictis, fugerent & animas tantùm ſuas ſaluare cuperent. Quid enim? an non terrificus ille ſonitus Marci 10. *Quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intro ibunt?* An non & ille, qui mox ſequitur & obſtupeſcentibus diſcipulis ingeminatur: *filioli, quàm difficile eſt confidentes in pecuniis in regnum Dei introire?* An non & is qui ſubiungitur: *facilius eſt camelum per foramen acûs tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei?* Nónne & is Luc. 6. *Væ vobis diuitibus qui habetis hîc conſolationem veſtram?* Nónne & is qui in hodierno Euangelio auditur: *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ?* Quid hæc aliud, niſi terribile præſagium aduentantium ſuper nos hoſtium? Certè hæc tonitrua diſcipuli timuerunt & relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum. Audiuit in templo S. Antonius ex Euangelio illud: *Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, & veni ſequere me,* ſtatimque venditis omnibus obtemperauit. Audiuit S. Franciſcus ex Euangelio: *nolite poſſidere aurum neque argentum,* &c. ſtatimque eam ſibi regulam ſequendam ſtatuit. Audiuit & ſub noctem S. Lucius rex Angliæ olim, pòſt Sueuiæ Apoſtolus, vocem Dei dicentem: *Luci non potes duobus dominis ſeruire:* ſtatimque poſito regno ſecutus eſt Deum. Iſti igitur ad vnam Dei vocem omnia reliquerunt: & diuites ad tot terrificos ſonitus nihil moueantur? Nimiùm profectò ſibi fidere videntur & contra Domini verbum, duobus ſe dominis ſeruire poſſe autumant, Deo & mammonæ. Neſcio meherclè. Quòd enim diues qui mammonam & pecunias habet ſaluari poſſit, credo equidem; quòd verò diues, qui mammonæ ſeruit & in pecuniis confidit, ſaluari queat: hoc non credo. Hoc oſtendit Euangelium hodiernum. Illud ego hîc oſtendam, plenum eſſe periculo.

PRIMÒ, Qui Deo ſeruire volunt, vocem eius audire debent iuxta id: *qui ex Deo eſt, verba Dei audit:* atqui diues verbum Dei difficillimè audit. Scimus enim ſemen quod cecidit inter ſpinas, Matth. 13. ſuffocatum periiſſe. Spinæ ſunt diuitiæ ex Domini interpretatione. Vbi ſpinæ altiores fuerint ſemine, id ſuffocant: ita ſi curæ diuitiarum maiores ſint curâ ſalutis, ſimiliter hanc opprimunt. Igitur cor diuitis ager ſpinoſus eſt; cor verò pauperis, terra bona. Vnde Plato rogatus ab Erinenſibus ciuibus vt leges eis daret; renuit, eò quòd diuites eſſent, qui ordinariè regere quàm regi malunt. Cardinalis Bellarminus ſer. de Epiphania, comparat pauperem ligno arido, diuitem viridi, atque verbum Dei ignem eſſe, quem venit Dominus mittere in terram vt accendatur, *Luc.* 12. Iam verò lignum aridum celerrimè concipit ignem, viride verò difficillimè: admodum enim igni ſtrepit, fumat, gemit. Ita diuites ad verbum Dei faſtidioſi ſunt & rebelles: ſi flecti debent ad orationem, oportet eos habere puluinar ne frangantur crura: ſi ieiunare, ſumunt in prandio duplum, ne vacuum in ventre quid remaneat: ſi aurâ frigidiore eundum ad Eccleſiam, priùs domi pellibus inuoluti ad fornacem ſedere debent. Teſtem aduoco expertum ſuo damno diuitem illum epulonem, qui *Luc.* 16. volens conſulere fratribus ſuis, rogat Abrahamum vt mittat Lazarum ad quinque fratres ſuos, quò teſtetur illis, ne & ipſi veniant in locum tormentorum. Cui reſpondet Abraham: *habent Moyſen & Prophetas, audiant illos.* At epulo: *Non, pater Abraham* (id eſt; non eos audient) *ſed ſiquis ex mortuis ierit ad illos, pœnitentiam agent.* Quid ad hæc Abraham? *Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſiquis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Ecce diuites non tantùm non audiunt viuos Prophetas: ſed etiam ſi mortui illis prædicarent, pœnitentiam non agerent. Quid adhuc egemus teſtibus? Non audiunt viuos, ex ſententiâ epulonis; nec mortuos, ex ſententiâ Abrahæ. Igitur ô *quàm difficile eſt diuitem introire in regnum Dei?*

B. I. Quia diuites difficulter audiunt Dei verbum.

SECVNDÒ, Qui Deo ſeruire vult, nihil ſecum alieni ferre debet, vnde iubet Dominus, diſcipulos ſuos etiam pedum puluerem excutere, cùm exeunt alienis è domibus aut ciuitatibus, Matth. 10. in ſignum quòd nihil ab eis acceperint, vt ſentit Chryſoſtomus & Theophyl. *in Marci c.*6. Atqui diuitiæ iniquitatis ſuſpicione non carent. Dicunt quidem omnes diuites; mea ſunt quæ habeo. Neſcio hoc; illud ſcio, vocari à Domino diuitias *mammonam iniquitatis,* Luc. 16. quia vt Hieron. ep. ad Hedibiam ex vulgatâ ſententiâ ait: *Omnis diues, aut eſt iniquus, aut iniqui hæres.* Et Pierius lib. 12. in fine, diuitias quaſi *de vitiis* dictas vult. Cœcus ille Tobias, cùm audiſſet in domo ſua vocem hœdi balantis, dixit: *Videte, ne fortè furtiuus ſit: reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis edere ex furto aliquid, nec contingere,* Tob. 2. Cœcus iſte diues eſt, qui inter tot bona

C. II. Quia diuites ſuſpecti de mammona.

bona ſua meritò ſuſpicari poteſt, furtiui quid latere, tametſi fortè id perſpectum non habet. Reſtat igitur, vt cum Tobia dicat animæ ſuæ; Vide, ne fortaſſe furtiuæ ſint diuitiæ tuæ: atque adeò cum Deo compoſitionem faciat, certum pro incerto pauperibus dando (quo modo ſolet diſponere cum iis Papa, qui incerta incertis debent:) ſicque puluerem alienum qui pedibus ſuis adhæſit, excutiat. Alioqui ô *quàm difficile eſt diuitem intrare in regnum cælorum* !

D. III. Quia opes difficile eſt tractare ſine peccato.

TERTIÒ. Qui Deo ſeruire vult, bonorum ſibi conceſſorum cautus & prudens diſpenſator eſſe debet: at ô quàm difficile eſt, eas ſine peccato tractare & diſpenſare! Certè non ſine causâ Dominus, vt dixi, ſpinis comparauit diuitias, *Luc.* 8. quia vt Theophylactus in 1. ep. ad Timoth. 6. ait: *Vndequaque vbi ipſas attigeris, innatis aculeis manus cruentant.* Clemens Alex. *lib*: 3. *pædag. c.* 6. comparat diuitias ſerpenti, quem ſiquis neſcit inoffensè eminùs accipere & cautè, is manus circumplicabitur & mordebit. Ait quidem Dauid Pſ. 61. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Sed hoc ô quàm difficile? Si muſca, quod ſatis eſt, è melle tantùm ſugeret, roſtro ſolo immerſo, eo non inuiſcaretur; at quia plerumque tota inſidet; mellis dulcedine illecta, eodem inuiſcata capitur. Ita ſiquis neceſſaria tantùm è diuitiis ſibi ſumeret, periculo careret: ſed quia id difficillimum, ideo difficilè diuites intrabunt in regnum cœlorum. Eiuſmodi muſca erat diues ille, qui dicebat Luc. 12. *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.* Interim mox audit: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, & quæ paraſti, cuius erunt?* Non vetat Deus neceſſaria nobis etiam liberaliter è diuitiis applicare, ſed vetat nimium immergendi ſtudium, id quod pleroſque diuites occupat. Cuius rei figuram habemus Iud. 7. vbi Deus è decem millibus militum, eos eligi ad pugnam voluit, qui manu ad os proiiciente, aquam de flumine biberent, non qui proni inſtar canum & aquis immerſi biberent. Et illorum quidem non plus quam 300. ſunt inuenti: cæteri omnes proni pleno ore ſe proluebant. Ita nimirum inter decem millia diuitum, vix trecenti ſunt, qui vnâ manu & moderatè vtuntur diuitiis ſuis, nec totos ſe immergunt.

Difficillimè etiam reſiſtere poſſunt dæmoni, qui quo maiorem circa eos comportat cumulum diuitiarum, eò faciliùs eos expugnat. Quemadmodum enim Nabuchodonoſor Rex obtinuit Tyrum, mari vndique cinctam, dum in mari comportauit aggerem, ſicque ex Inſulâ fecit continentem, quam pedibus inuadere & expugnare poſſet (vti legimus Habac. 1. *Comportabit aggerem, & capiet eam:*) ita etiam dæmon non difficilè expugnat hominem, ſi ipſemet homo circa ſe diuitiarum aggerem erigat; inde enim illum inuadit, inde expugnat. Hinc idem Propheta cap. 2. ait: *Væ ei qui multiplicat non ſua; vſquequo & aggrauat contra ſe denſum lutum?* Pauper quaſi Inſula ſeu ciuitas vndique mari cincta, difficilis expugnatu eſt: diues quaſi peninſula, quæ è terrâ ſine nauibus expugnari poteſt. Paulò aliter D. Chryſoſtomus hom. 13. in Acta Apoſt. idem omninò explicat: *Diues*, inquit, *nihil aliud eſſe videtur, quam ciuitas quædam abſque muris in agro ſita & vndique inſidiantibus expoſita; paupertas verò è contrario ſecurum præſidium eſt & expugnatu difficile.* Et hom. 6. in ep. ad Titum cap. 3. *Quemadmodum*, inquit, *qui nudi fugiunt aduerſarium, nemo facilè tenere poteſt: qui verò veſtimentum poſt ſe trahit, eum quis facile apprehendit; eadem ratione & diues & pauper ſe habent; nam etiam ſi pauper capiatur, fugere facillimè poteſt: diues verò etiam ſi non capiatur, ſuis tamen compedibus irretitur, curis innumeris & cogitationibus obſtrictus.* Ita Chryſoſtom. Igitur ô *quàm difficile eſt diuitem intrare in regnum cælorum* !

E. IV. Quia ad Deum & diuina vix attendere poſſunt.

QVARTÒ. Qui Deo ſeruire vult, Deum in conſpectu ſuo habere oculiſque in eum intentis ſedulò attendere debet: iuxta id Pſ. 122. *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum:* id quod maximè fieri in oratione & contemplatione Dei vbique præſentis debet. Atqui diues hoc difficillimè poteſt facere: Domino enim teſte, *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Matth. 16. Theſaurus diuitis in arcâ eſt, cor ergo illius in oratione non eſt; vnde nec ad Dominum Deum attendere poteſt, vtpote aliis intentus. Vt enim nubes præteruolantes aſpectum ſolis nobis eripiunt: ita diuitiarum amor cogitationem Dei turbat. Pauper quaſi ſereno cœlo orat, diues verò turbido. Hinc non ineptè pinxit quidam diuitem & pauperem orantes: & illum quidem cum plurimis lineis, quarum alia ad theſaurum eius, alia ad prælium, alia ad ſegetes, alia ad cellam, alia ad liberos, alia ad familiam, nulla ad Chriſtum tendit: hunc verò cum vnicâ lineâ ad Crucifixum tendente. Tali ferè modo orabant Phariſæus & Publicanus, *Luc.* 18. Ille ſuiipſius oblitus, nihil petit, ſolùm ſe laudat, proximum aſpernatur, meminit poſſeſſionum ſuarum: hic verò ſolùm ait: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Vnde S. Chryſoſtom. hom. 47. in Matth. ait: *Si intueri volueris animam hominis aurum amantis, inuenies eam vt veſtimentum à decem millibus vermium corroſum, ita eam perforatam vndique à ſollicitudinibus & à peccatis putrefactam & ærugine plenam. Verùm non talis eſt anima pauperis voluntarij ſed potiùs fulgêt vt aurum, ſplendet vt gemma, effloreſcit vt roſa. Non eſt illic tinea, neque fur, neque ſolicitudo negotiorum huius vitæ, ſed ſicut Angelus ita conuerſatur. O quàm ergo difficile eſt diuitem intrare in regnum cælorum?*

F. V. Quia difficulter vocanti Deo reſpondent.

QVINTÒ. Qui Deo ſeruire vult, vocatus ab eo adeſſe debet, ſiue ad pœnitentiam vocetur, ſiue ad perfectionem. Atqui diues hoc ægerrimè poteſt. Ita enim excuſant ſe, apud Luc. 14. illi duo, quorum alter villam, alter iuga boum quinque emit. Contrà pauperes ſtatim aderant, ex tempore licet vocati, & ſemel dumtaxat; cùm diuites iterato vocati renuerent. Vidit hoc & Democrates apud Stob. ſer. 91. quia aiebat, *Vti veſtes talares corpora, ita diuitiæ*

tiis impedire animas. Nimirum amœnum iter viatorem ſæpe retardat, ne in tempore ad vrbis portam veniat & ingrediatur. At qui horrida loca tranſit, maturat iter & portam attingit. Coruus à Noë dimiſſus, non rediit ad arcam, quia cadaueribus inſidens ingluuie detinebatur: ita diues de cadauere in cadauer, id eſt, de vſurâ ad vſuram, de lucro ad lucrum volitãs valdè impeditur, ne redeat ad gremium gratiæ Chriſti, in quem per baptiſmum ingreſſus eſt, & ex quo per peccatum auolauit. Exemplo eſt iuuenis ille, qui Marci 10. cùm ſeruaſſet omnia præcepta, ob diuitias tamen ſuas vocationi Chriſti non reſpondit. Mirabile id quidem: Superauerat is ardorem iuuentutis, iracundiam, vitæ libertatem, quæ ætati illi adhæret, hoc vno diuitiarum vinculo liberari non poterat. Econtrà Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes quia erant pauperes, ſtatim abſque morâ Chriſtum vocantem ſecuti ſunt. Habent plerique diuites alas quidem & velleitates ad ſequendum Chriſtum, ſed viſco implicatas, diuitiis affixas; hinc illud in Eccleſiâ toties cantatum: *Surſum corda*, fruſtrà audiunt, quia cùm euolare contendunt, decidunt diuitiarum viſco & pondere præpediti. Igitur ô *quàm difficile eſt*, &c.

G. VI. Quia ſe difficilè continent à vitiis.

SEXTÒ. Qui Deo ſeruire vult, continere ſe à vitiis debet: At hoc ô quàm difficile eſt diuitibus? Certè Eccleſiaſticus c. 31. dicere non dubitauit: *Beatus diues qui inuentus eſt ſine maculâ*, &c. *quis eſt hic? & laudabimus eum: fecit enim mirabilia.* Quia enim diues omnis generis commoditates facilè habere poteſt; inde ſeipſum extollere, alios vilipendere incipit. Quemadmodum equus Alexandri M. Bucephalus, cùm nudus erat, quemlibet ſeſſorem recipiebat regiis verò ornatus phaleris neminem niſi Alexandrum admittebat, in reliquos omnes ferociebat, teſte Plinio *l.* 8. *c.* 42. Ita prorſus pauperes, humiles & manſueti ſunt; ſed qui diuitiis onuſti, ſuperbi, ſeueri, rigidi & ad omnia vitia proni ſunt. Eiuſmodi erat Aman, *Eſth.* 7. qui dum in gratiâ Regis & ſummo honoris faſtigio eſſet, obterere Mardochæum volebat: hac gratiâ ſpoliatus, deprecabundus corruit ſuper lectulum reginæ. Hinc *Pſ.* 72. dicitur de diuitibus: *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Vbi aduertit Auguſtinus pauperes peccare ex macie, id eſt, neceſſitate: diuites verò ex adipe, id eſt, merâ libidine & viuendi licentiâ. Vnde interrogatus pauper, cur furetur; reſpondet, ex neceſſitate: Diues verò: quia ibi vel ibi locorum habeat plures agros, quibus alienum etiam adiungi congruum eſt. Vti fecit Achab cum vineâ Naboth, 3. *Reg.* 21. Certè diuites non vno videntur equo ad infernum ire, ſed mutatis identidem equis curſum eò properare; nunc equo luxuriæ, nunc equo gulæ, nunc ſuperbiæ ſonipede, nunc auaritiæ, nunc acediæ caballis. Pauper quando ad orcum abit, vno fortè equo vehitur, v. g. furto; cadente vel deficiente furandi occaſione ſiſtere cogitur. Non ita eſt cum diuitibus; ſed quia ſuppetit eis omnium vitiorum materia, totidem equis videntur ad infernum tendere. Ecce enim Luc. 16. non dicitur, quid mali diues ille perpetrarit, ſolùm diues fuiſſe dicitur, & interim tamen aſſeritur ſepultus in inferno. Vnde, niſi quia plurium vitiorũ quaſi concitatis equis vehebatur? Induebatur purpurâ & byſſo, inde orta ſuperbia & mollities; epulabatur ſplendidè, inde orta gula; epulabatur quotidie, inde prodigalitas, neglectus pauperum. Igitur ſufficit diuitem eſſe ituro ad infernum; eo ipſo enim facilè acquiret ſibi equos, quibus eò vehatur. Econtrà mirandum prorſus eſt, ſi non in omne genus vitiorum prouoluatur. Siquis pauper nundinas tranſit, parum afficitur aſpectu rerum pretioſarum, quas mercari nequit; at ſi diues quiſpiam tranſeat, & tot oculorum oblectamenta videns, nihil emat, id verò eſt mirabile. Igitur ô *quàm difficile eſt, qui pecunias habent, introire in regnum Dei?* Deus Opt. Max. det diuitibus ſuam gratiam, vt ſi diuitias habent, in eis non confidant, eis non ſeruiant, ſed imperent, vt ita ſeruire Deo poſſint, & æternas ab eo promereri diuitias. Amen.

CONCIO VI.

Quomodo diuitiæ haberi abſque peccato queant.

1. *Si non quærantur cupidè, quod tripliciter fieri poteſt.*
2. *Si non valde læteris de acquiſitis.*
3. *Si in ipſis non confidas vel extollaris.*
4. *Si non ames, ſed ſpernas eas.*
5. *Si non ſeruias, ſed domineris illis.*
6. *Si non valde ijs afficiaris, cùm perdis.*
7. *Si moderatè ijs vtaris, ad neceſſitatem.*

THEMA.

Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ. Matth. 6.

BEato Arſenio apparuit aliquando Angelus Dei, dicens: *Adeſdum & oſtendam tibi, quomodo ſe habeant opera hominum.* Eduxit ergo illum & inter alia oſtendit ei templum maximum, in quo duo viri equis inſidentes, & maximum quoddam lignum tranſuerſum inferentes, ſic quidem conabantur ſtatim per portam ingredi, ſed non poterant, quoniam, vt dixi, lignum ferebant obliquè, neuter autem volebat id ex alterâ parte dimittere, & ſic introducere. Refert Matth. Raderus 2. *p. Virdarij SS.* c. 4. Quid ſibi hoc oſtentum voluerit, ego non difficilè diuinarem. Hoc enim agunt diuites: grande, inquam, lignum multarum diuitiarum gerunt in ſuis humeris, & cum iſto ligno ingredi conantur per anguſtam cœli portam, cùm tamen Dominus dicat: *Facilius eſt camelum intrare per foramen acûs: quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Et in hodierno Euangelio: *Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ.* Quòd verò intrare nequeant, ſola illorum A.

culpa

culpâ eſt; quia videlicet lignum illud non apprehendunt, ſicut debent. Abſolutè enim loquendo, cum ſano diuitiarum vſu patet aditus in cœlum etiam diuitibus, quod multa exempla docent Pontificum & Regum, aliorumque diuitum. Quâ igitur ratione arripiendum ſit hoc lignum, quomodo tractandæ diuitiæ, vt à cælo non impediant, impræſentiarum videbimus.

B. I. Si non quærantur cupidè.

Non impedient PRIMÒ, ſi non quæras eas cupidè, & primò non eâ intentione, vt diues fias, non enim damnant diuitiæ, ſed cupiditas habendi. Ideo Eccli. 31. dicitur: *Beatus vir, qui poſt aurum non abijt*, id eſt, non inſectatus eſt aurum, non inhiauit auro. Et
1. Apoſtol. 1. *Timoth.* 1. non dixit: qui ſunt diuites; ſed, *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem*, &c. Separanda igitur imprimis cupiditas curaque anxia, ſiue in excogitandis quærendiſque mediis ad lucrum nouum, ſiue in vtendis occurrentibus. Sic tecum ipſe loquere. Habeo, quæ ſufficiunt per Dei gratiam ad vitam iuxta ſtatum meum honeſtè traducendum: quorſum ero valde de iis augendis ſolicitus? quid aliud eſt alia multa conquirere, quàm augere curas, mentis tranquillitati multum detrahere, hæredum meorum fouere inertiam, vel profuſioni materiam parare, ac denique magis magiſque irritari, & accendere habendi cupiditatem? Nouarum itaque opum anſam datam non negligam quidem, ſed cum magnâ exultatione non admittam, nec negatam valde requiram, præſertim cùm eiuſmodi anſam iam domi habeam, parſimoniam videlicet. Leo & felis vngues recondunt in vaginam, & tunc ſolùm, quando prædæ occaſio eſt, eos exerunt: Sed pauci è diuitum numero tales, plerique vngues ſemper ad prædam expoſitos gerunt, & inſtar Iudæorum vndique lucra conquirunt: meditantur velut araneæ, quæ ſe euiſcerando multa vndique texit retia ad capiendas muſcas: & in medio ſedens expectat illaqueandas, & mox ad prædam accurrit irretiendam & iugulandam.

2. Secundò. Si quæras ante omnia regnum cœlorum & iuſtitiam eius, poſt hæc primùm temporalia: ita vt prima cura tua, & potiſſima detur cœlo & iuſtitiæ. Hæc enim eſt differentia inter iuſtos & peccatores, inter eos qui ſaluantur, & eos qui damnantur, quòd illi diuitias, à Deo acceptas tanti faciant, vt eas ſpiritualibus & æternis præponant: iſti verò poſtponant: quemadmodum ſignificauit Patriarcha Iacob (vt perpendit S. Bern. ſerm. 13. paruorum) cùm prophetico ſpiritu filiis benedixit. Iiſdem enim verbis vtrique benedixit, ſed diuerſo ordine. Nam ad Iacob dixit: *Det tibi de rore cœli & de pinguedine terræ.* Ad Eſau verò eo ordine: *In pinguedine terræ & in rore cœli deſuper erit benedictio tua.* Etenim boni & electi diuites, quærunt primariò regnum cœlorum, & iuſtitiam eius; ſeu vt Deo placeant: temporalia ſecundariò, nec ob iſta Deo ſeruiunt: Contrà verò reprobi temporalia primariò, æterna ſecundariò.

Tertiò, Si ita quæras aut accipias opes, vt Deum non offendas; ſeu quando abſque peccato & iuſtè acquiris & conſeruas acquiſitas. 3.
Hic laudandus Fridericus Imper. cùm Ladiſlaum Vngariæ Regem adhuc puerum protegeret, & in palatio ſuo educaret. Suadentibus enim quibuſdam vt clàm perderet puerum, quò illius opes & regna omnia conſequeretur, reſpondit: *Ego ſanè non ita amo diuitias, vt impijs conſiliis perſuaſus, propter eas tam impium facinus attentem.* Æneas Sylu. qui poſteà Papa, Pius II. dictus *lib. 3. comment. de rebus Alphonſi.* Nimirum iuſtiſſimus Imp. nouerat id Eccleſ. 21. *Qui ædificat domum impendiis alienis,* id eſt, bonis iniuſtis, *quaſi qui colligit lapides ſuos in hyeme.* Quod expertus eſt Dionyſius Tyrannus, teſte Ariſtotele l. 2. de re famil. qui aureà amicula & coronas ſculptorum Deorum ſibi vſurpabat, dicens per ludibrium ſe illis compati, quaſi ſub onere illo gementibus, daturum ſe leuiora, amiculum album & virgas populeas. Sed eiuſmodi facetis impietatibus obtinuit, vt tandem regno exutus Ludimagiſtrum agere coactus, & in balneo ſedens omnium riſui expoſitus fuerit.

C. II. Si non valde læteris de acquiſitis.

SECVNDÒ. Si non valde læteris de acquiſitis; nam & hoc indicium erit, te non magni opes æſtimare, nec multum amare. Ita diues erat Iob, qui c. 31. ait: *Si lætatus ſum ſuper multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea, &c. pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.* Nouerat enim ſanctus vir, & experimento didicerat, quàm fluxæ eſſent opes. Bion Græcorum 7. Sapientum vnus dicebat fortunam diuitibus pecunias non dono dediſſe, ſed mutuò; quia quos modò euehit, citò deprimit incautos. Stob. ſerm. 103. Idipſum inſinuat ac monet Dauid Pſalm. 71. cùm ait: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* q.d. ſi vobis per fluxum aquæ veniant, nolite exultare; quia eâdem celeritate defluent, quâ affluxerunt, ſicut v.g. in grandi fluminis inundatione, ſi ad domum tuam multa ſupellex confluat, parum inde lætaberis, aduertens, eandem vnà cum domo & ſupellectile tuâ breuì à flumine abripiendam & hauriendam: Certè, qui mutuò pecuniam accipit, non multum inde lætari poteſt, ſed potiùs cum aliquo remorſu vel timore eam accipit, quia cogitat ſibi reſtituendam non ſine difficultate. Idem cogitet is cui fortuna dat diuitias. Quin & triſtari potiùs deberemus, quàm gaudere, teſte S. Greg. quando magnum aliquod lucrum nobis obuenit: timentes ne fortè hîc velit nobis Deus dare mercedem, & non ibi.

D. III. Si in ipſis non confidas vel extollaris.

TERTIÒ. Si in illis non confidas, nec ſuperbias aut glorieris, iuxta id Eccli. 31. *Beatus vir, qui non ſperauit in pecunia theſauris.* Quod faciebat etiam Iob dicto cap. 31. *Si putaui aurũ, robur meum, & obrizo dixi: fiducia mea.* Idem indicauit Dominus Luc. 18. dicens: *Filioli, quàm difficile eſt confidentes in pecunijs in regnum Dei introire?* Et Apoſt. 1. *Tim.* 6. *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere nec ſperare in incerto*

ed by G

diuitiarum. Si enim non ſuperbias de opibus nec in iis confidas, eo ipſo oſtendes te illarum contemptorem eſſe. Et verò quis Sapiens glorietur de diuitiis? quid enim illæ niſi aurei compedes, quibus retinetur homo à ſuâ libertate? quid niſi mera ſunt medicamenta & pharmaca, ad miſerias hominum ſubleuandas adinuenta? at quis ſapiens ſe iactat de multitudine emplaſtrorum, vel aureorum compedum? Chryſoſtom. *hom.* 1. *in ep.* 1. *ad Cor.* pulchrè comparat hominem ſuperbientem in diuitiis, maſculo incedenti in altis crepidis, & erigenti ſe in altum. *Eſt,*inquit,*quiſpiam altus ſtaturâ corporis,alius autem cùm ſit breuis, acceptis calceis fit altior. Quem ergo vocamus altum & magnum? An non eum qui ex ſe habet altitudinem? ille enim hoc habet alienum, & iis, quæ ſunt parua, aſcenſis,ſic fit altus. Quod multis accidit hominibus, qui pecuniis & gloriâ ſe efferunt; quod quidem non eſt altitudo. Eſt enim altus qui nullis eorum indiget, ſed omnia deſpicit,& à ſeipſo habet magnitudinem,* ſic ille.

Vaniſſimum quoque eſt, confidere in diuitiis: quia baculus ſunt arundineus, qui cùm aliquando foſſa mortis tranſilienda eſt, neminem ſuſtentabit, ſed frangetur ac decipiet. Canutus Anglorum Rex, cùm eius ſortem, opes & potentiam adulatores mirè extollerent, dicentes,omnia ad nutum eius verti, fœdam adulationem repreſſurus, & terrenæ potentiæ imbecillitatem oſtenſurus, iuſſit ſedem regiam iis inſpectantibus in littore maris poni, in ipſo eius acceſſu & reflexu. Tùm dixit: *Tu mare,ditionis meæ es,& terra, in quâ ſedeo, eſt mea;impero tibi & denuntio, ne in terram meam aſcendas, nec membra nec veſtem Domini tui madore perfundas.* Dixerat ille: ſed mare tenorem ſuum tenebat, alluebat, & regem madefaciebat. Tum reſiliens: *En,*inquit *quàm ego omnibus imperito? Quin ſciant omnes, qui terram incolunt, vanam & falſam eſſe regum potentiam: atque vnum eo nomine dignum, qui verè imperium habet cæli, terræ,maris,*refert Tymp.*in ſpec.Magiſt.ſig.* 78. Perſuadentur multi diuites, quaſi omnia poſſint,quia pecuniæ obediunt omnia: **Gelt regiert die Welt.** Sed ſi ita eſt, imperent, quæſo, morti, vt ne ad ipſos accedat, eoſque de mundo abſtrahat. Nónne ſimili modo confundentur? Audient enim id Pſ. 51. *Ecce homo,qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum.* Idcirco monet Dominus Luc.12.*Videte & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt,ex his,quæ poſſidet,*id eſt, non poſſunt diuitiæ liberare hominem à morte, aut gehennâ, quod mox probat exemplo illius diuitis, qui in diuitiis ſuis confidens audiit: *Stulte,hac nocte repetunt à te animam tuam,*&c.

E. IV. Si non ames,ſed ſpernas.

QVARTÒ. Si non ames, ſed contemnas eas, quas poſſides, ſaltem vt cor ſeu affectum non apponas, iuxta id pſalmi 61. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Nemo prudens, qui natare neſcit, temerè ſe credit rapido & vorticoſo amni, ne ab eo abripiatur dum verò opes affluunt, leui negotio ſecum hominem abripiunt *in tentationem & laqueum diaboli & mergunt in interitum*, vt ait Apoſtolus. Hinc Crates Thebanus vir ditiſſimus quondam proiecit eas in profundum maris, dicens: *Ite peſſima diuitiæ, præſtat vt vos mergam, quàm vt à vobis mergar.* Chriſtus ipſe cùm omnibus abundare poſſet pro arbitrio, ne quidem habere voluit, vbi caput reclinaret. Adhæc Deus non fruſtrà in terræ viſceribus opes occultauit, velut ſordes ab hominum oculis remouendas & virorum bonorum aſpectu indignas, ac malorum dumtaxat delitias, iuxta id Pſalm. 16. *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.* priſci authores vt earum vilitatem oſtenderent & contemptum perſuaderent, literis prodiderunt Vlyſſem donatum pretioſiſſimâ & odoriferâ veſte à Calypſo amicâ ſuâ, reieciſſe eam, vbi ſe expertus eſt in aquam prolapſum, ab ea magis magiſque demergi & grauari, nec enatare poſſe. Plutarch. leg. de vitandâ vſurâ. Hoc autem faciunt diuitiæ. Alij virum magnum definiorunt, qui eas infra ſe duceret ac poneret in minimis. Diſputarunt Philoſophi, inquit Theophraſtus, coram Philippo Macedone rege, quæ res eſſet in mundo maxima. Dixerunt quidam montem Olympum, alij ſolem, alij mare intra quod terra natat. Poſtremus verò ac ſapientiſſimus habitus reſpondit, animum terrena omnia deſpicientem & illis omnibus ſuperſtantem. Huiuſmodi autem animus, maximè Chriſtianis, pauperis Chriſti diſcipulis, & ad cœlum natis competit, vt cum Apoſtolo omnia terrena arbitrentur *vt ſtercora*, ad Philipp. 4. Quòd ſi Salomon Domino teſtante in hodierno Euangelio cum omni gloriâ ſuâ, auro veſtitus & argento, non eſt tanti, quanti fœnum agri; quis animum tam generoſum & cor humanum apponat ad diuitias, viliſſimas terræ glebas?

F. V. Si non ſeruias ſed domineris illis.

QVINTÒ. Si non ſeruias iis, ſed domineris, liberè & libenter erogando eas in pios & laudabiles vſus. Hoc enim requirit Dominus in hodierno Euangelio: *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ,* inquit. Signum autem dominij eſt, quando herus mittit ſeruum quò vult, & imperat ei quod vult, ſicut dixit Centurio Matth.8. *Habeo ſub me milites*, inquit,*& dico huic: vade; & vadit. Et alij: veni;& venit.* Quòd ſi ergo ſimiliter animosè imperes opibus tuis & dicas tuo marſupio; modò: vade & ſuſtenta filium in ſtudiis literarum; modò: vade ad domos pauperum ægrotorum, & refice eſurientes; modò: vade ad pauperculam Eccleſiam, & adorna illam; idque tibi obtemperet: profectò tunc fatebor, eius dominum te eſſe. Similiter ſi poſt datam eleemoſynam ordinariè timeas, ne minùs dederis quàm oportet, ſignum eſſe largitatis, dicebat S. Adelhardus Abbas apud Surium *tom.* 1. At verò ſi ipſa te pecunia tua mittat, modò vltra montes, modò vltra maria, modò ad has, modò ad illas nundinas pro lucro apportando: & ſi poſtquam nihil attuliſti,

vel

vel eleemoſynam largiorem erogaſti, vel timeas ne plus dederis quàm debueras: ſi, inquam, pro his impingat tibi colaphos, torqueat te curis & in conſcientiâ te obiurget ac velut altera Dalila liget tibi manus, ne elargiaris: liget etiam ac tondeat capillos, ne de rebus diuinis & animæ ſalute cogites, omnem verò cogitationem ad ipſam transferas: tunc ſanè manifeſtum eſt, te ſubditum eſſe pecuniæ tuæ, ab eaque veluti Samſonem à Dalilâ ſuâ tartareis hoſtibus tradendum. Scimus dixiſſe Dominum, facilius eſſe camelum intrare per foramen acûs, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum: hoc tamen per Dei gratiam poſſibile eſſe, illicò ſubiunxiſſe. Sed quomodo hoc poſſibile erit? κάμιλος græcè & camelum ſignificat & funem nauticum craſſum, quo nauem anchoræ ſiſtunt. Et quidem Theodoretus exiſtimat, de eiuſmodi fune locutum eſſe Dominum; vt aptior ſit parabola, & proportio ad acum. Iam verò quis negabit, funem nauticum quantumuis craſſum, ſi in minuta diuidatur fila, tranſire per acum poſſe? Simili ergo modo, ſi diuitias tuas diuidas, partem neceſſariam tibi ſumas, partem liberis reponas, partem egentibus diuidas, & cum Zachæo dimidium vel bonam ſaltem partem des pauperibus, & ſiquid aliquem defraudaſti, reddas ei quadruplum, vel ad minimum quod debes: quid ni & tu cum ipſo intrabis per foramen acus & anguſtam cœli portam?

G. VI. Si non valdè afficiaris erga eas, cum perdis.

Sextò. Si non valde afficiaris aut triſteris, quando aliquo caſu eas amittis. Id quod docet te S. Iob, qui poſtquam liberos, greges & armenta, & propriam ſanitatem perdidiſſet, ſemper tamen æquo fuit animo, nec aliud dixit, quàm: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit; ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Eum ſecutus eſt S. Franciſcus, qui patri contendenti eum exuere hæreditate adiecit & pallium, dicens, ſibi per hoc anſam offerri tantò ardentiùs precandi: *Pater noſter qui es in cœlis.* Secutus S. Bernardus Abbas, qui cùm ducenta argenti pondo ſibi ad impenſas conſtruendi monaſterij miſſa, à graſſatoribus intercepta fuiſſe audiſſet, gratias Deo egit, quòd tanto ſe onere leuaſſet. Marul. *lib.* 5. *c.* 3. Secuta Eliſabetha vidua Thuringiæ principis, quæ defuncto marito, à propinquis eiecta cum paruis liberis, inops, egens, vaga, & ab ingratis contempta, patientiſſimè id tulit, ac licet ad patrem Regem Pannoniæ accerſeretur, recuſauit, adeò fortiter & conſtanter fortunam tulit. Conrad. in vita eius.

H. VII. Si moderatè iis vtaris, ad neceſſitatem.

Septimò. Si moderatè & ad neceſſitatem tantùm tuam illis vtaris, nec non ad alios laudabiles vſus. Ita monet Sapiens Prou. 25. dicens: *Mel inueniſti? comede quod ſufficit tibi*, id eſt, moderatè, *ne fortè ſatiatus euomas illud.* Mel inueniſti, cùm opes acquiſiſti: ſed ſi immoderatè eas deuores, caue ne iterum euomere cogaris, ſiue per inopiam ad quam redigaris: ſiue per morbos & immaturam mortem, quam ideo incurras; iuxta id Iob. 20. *Diuitias quas deuorauit euomet: & de ventre illius extrahet eas Deus.* Id quod experti ſunt Iſraelitæ, qui aurum ſuum ſtultè profuderunt in vitulum conflatilem: & inde nihil aliud quàm mortem ſibi mercati ſunt, quando propterea 33000. occiſa ſunt, *Exod.* 32. Rurſum quando in obſidione Ieroſolymæ ſub Tito aurum deuorarunt & propterea à Romanis intercepti & diſſecti ſunt, vt vel mortui redderent, quod viui deglutiuerant. Vel denique euomet in inferno: quod fecit diues epulo, cùm petiit guttam aquæ, & non obtinuit, ſed pro eâ audiuit aſperrimum illud verbum: *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua.* O quantùm putamus ſauciatum hac voce pectus eius? Nónne hoc erat euomere crapulam & dies bonos præteritos? *Mel* igitur *inueniſti?* vide ne nimium comedas. Muſcæ quia communiter non delibant mel, ſed toto corpore inſident eoque ſe quodammodò proluunt ideo inuiſcantur & intereunt. Ita res habet cum diuitibus, qui ſi moderatè delibarent opes ſuas, non illaquearentur. Quin & in alios honeſtos vſus erogandæ ſunt diuitiæ, velut aquæ fluentes deriuandæ ad irrigandos hortos & prata, in piſcinas, molendina, fontes publicos, &c. non occultandæ in ciſternis, vbi tandem putreſcunt. Vnde Sapiens: *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*, Prou. 5.

Hæc obſeruate, Auditores, & procul omni dubio diuitiæ vobis non oberunt, ſed cum iis non difficilè intrabitis per anguſtam cœli ianuam, quod nobis impertiri velit Deus.

CONCIO VII.

Quare velit Deus ſanctos aliquos hic florere diuitijs & honoribus, adeoque proſperari.

1. *Primam rationem dat S. Auguſtinus, ne caduca bona putentur in ſe mala.*
2. *Vt oſtendat Deus ſe etiam hæc minima nobis non inuidere.*
3. *Vt erigamur ad quærendum cœlum.*
4. *Ne deſperarent diuites.*
5. *In conſolationem pauperum.*

THEMA.

Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. *Matth.* 6.

Pvgna *inexorabilis eſt Chriſto*, inquit Palatius cap. 6. Matth. *cum auaris, potentibus & diuitibus.* Vbicunque enim Chriſtum in Euangelio circa illos vel loquentem vel agentem video, ſemper inteſtinum eius odium erga diuitias inuenio. In hodierno Euangelio non proprio, ſed alieno nomine eas vocat *Mammonam*, & Deo contraponit quaſi hoſtem eius infenſiſſimum, imò malum A.

 dæmo-

dæmonem. Luc. 16. adhuc magis odioſè, *mammonam iniquitatis* appellat, quaſi iniquiſſimum Mammonam, phraſi Hebræâ: & Luc. 8. *Spinas*, Luc. 12. diuitem quendam *ſtultum* appellat, Ioan. 2. in templo nummulariorum æs effudit, & menſas ſubuertit. Denique nulli diſcipulorum præterquam Iudæ tradidit loculos ſuos Chriſtus, quaſi abiectiſſimam rem abiectiſſimo & perdito homini. Iam ſi ita eſt; quid igitur, dicet aliquis, tot ſanctos viros Deus diuites eſſe voluit, honoratos, potentes, nobiles, qui etiam in vita, proſperâ vtebantur vſque ad obitum fortunâ? Nónne in veteri lege, diues erat Abraham, quem ſcripturâ teſte, ob auri, gregum & armentorum, ſeruorum & ancillarum copiam vix terra capere poterat? *Gen.* 13. & 14. Nónne diuites & fœliciſſimi, Iacob, Ioſeph, Dauid, Ioſias & alij? In lege nouâ, nónne ditiſſimi, potentiſſimi & fœliciſſimi Theodoſius ſenior, iunior, Conſtantinus Mag. Carolus Mag. S. Henricus, Imperatores? S. Ludouicus Galliæ: Eduardus Angliæ, Wenceſlaus Bohemiæ, Stephanus Vngariæ, reges? Si Dei hoſtis, ſi cacodæmon, ſi ſpinæ, ſi ſtultitia ſunt diuitiæ: ſi effundendæ, nec hominis probo credendæ: cur igitur eas Deus credidit tot viris ſanctis: cur eos hîc in mundo florere, affluere, & proſperari voluit? Non vna eſt huius rei ratio, ſed plures vt videbimus.

B. 1. Ne caduca bona putentur in ſe mala.

PRIMAM dat ſanctus Auguſtinus epiſt. 70. quia caduca bona *ne putentur mala, dantur & bonis*, inquit Auguſtinus. Fuere olim aliqui, qui dicebant malum & illicitum eſſe Chriſtianis opes & proprium quid poſſidere, adeoquè neminem ſaluari poſſe, qui non Apoſtolorum & religioſorum more pauper fuerit, vt refert ſanctus Auguſtinus *in lib. de hæreſ. cap.* 40. Vnde & Apoſtolicos ſe nominabant. Sub eodem prætextu perſequebatur Chriſtianos Iulianus Imperat. Apoſtata, qui teſte Gregor. Nazianz. *orat.* 1. *in Iulian.* leges ferebat, ne liceret Chriſtianis Magiſtratum gerere, in curiâ militare, prouinciis præſidere, gladio vti, neque ſe defendere, ſiquando opprimerentur, cæderentur, aut bonis ſuis ſpoliarentur, eò quòd Chriſtus eis præciperet, cædenti ſe in faciem, præbere maxillam alteram, tollenti pallium præbere & tunicam, angarianti ſe ad eundos mille paſſus, ambulare cum eo alia duo, præſentia contemnere, humilitatem ſectari, &c. Vnde cùm Chriſtiani bonis ſuis iniuſtè ſpoliati à præſidibus apud eum conquererentur, reſpondebat: *Veſtrum eſt ferre cùm affligamini, hoc enim eſt Dei veſtri mandatum.* Socrates *lib.* 3. *hiſtor. Eccleſ.* Sozom. lib. 5. Quare vt oſtendit Deus opes in ſe malas nec prohibitas eſſe Chriſtianis, ſi rectè iis vtantur, voluit conſultò vultque etiamnum aliquos etiam ſanctos florere diuitiis, dignitatibus, poteſtate & maieſtate. Alios ad imperia euehit, aliis opes accumulat, alios proſperitate ſecundat. Vnde in hodierno Euangelio, non dicit Dominus: *Non poteſtis ſeruire Deo* & diuites eſſe; ſed *ſeruire Deo & mammonæ*. Ad hunc modum egerat aliquando cum arcâ fœderis Dominus 1. *Reg.* 6. & 2. *Reg.* 6. qui cùm multas ſtrages edidiſſet, primò inter Philiſthæos, deinde inter Bethſamitas, denique cum Oza, timuerunt omnes, adeoque & ipſe Dauid, ne & ſibi ſimile quid accideret, ſi arcam ad ſe reciperent. Quare vt oſtenderet Deus, non tam arcam ſtragum illarum cauſam eſſe, quàm homines qui eam vel irreuerenter tractarunt, vti Philiſthæi, vel curioſè inſpexerunt vti Bethſamitæ, vel temerè contrectârunt vt Oza; diuertit eam primò in domum Abinadab, qui nihil prorſus mali ab eâ paſſus eſt: deinde poſt punitum Ozam in domum Obededom, cui etiam propter arcam benedixit Dominus. Quod agnoſcens Dauid, qui anteà timuerat arcam ad ſe introducere dicens: *Quomodo ingredietur ad me arca Domini?* non iam ampliùs timebat, ſed ſine omni læſione eam ad ſe diuertit. Similiter ne quis putet, opes & dignitates ex ſuâ naturâ tantas edere in hominibus ſtrages, quas videmus, totque homines damnare: voluit Deus dare eas multis hominibus bonis cum magnâ benedictione, vt ſic intelligeremus, non opes per ſe, ſed malum earum vſum homines damnare, ſi eas nimiâ cupiditate quæramus, vel prodigalitate dilapidemus, &c. Philippus Alexandri M. parens equum ferociſſimum, reuerà tamen generoſum habebat, quem quia nullus domare nouerat, imò nec tangere ſine periculo audebat, iuſſit eum Philippus perdi & abiici. Alexander verò cum fortè adeſſet, *qualem*, inquit, *iſti equum perdunt, dum eo per imperitiam ac mollitiem vti neſciunt?* Cumque mirâ arte ſine verberibus tractaſſet equum, eum mitiſſimum ſibi & obedientiſſimum, vtiliſſimumque fecit ad pugnam præſertim, teſte Q. Curtio *libr.* 1. *de rebus ab Alexandr. geſtis*. Ita euenit in propoſito. Cùm enim videmus plurimos ac pleroſque lædi; imò perdi à diuitiis, honoribus, proſperitatibus mundanis, &c. cauſa eſt, quia neſciunt tractare feroces illos equos, nec ſciunt vti diuitiis, honoribus, proſperitatibus. Quod vt agnoſceremus, monſtrauit nobis Deus multos Alexandros, qui nouerunt regere illos equos, nec ſolùm nihil damni ab iis acceperunt, ſed plurima etiam commoda adeoque cœleſtem gloriam iiſdem ſibi pararunt. Tales ſunt Abraham, Dauid, Iob, S. Gregorius, S. Eduardus, S. Ludouicus, &c. qui omnes his equis vſi ad cœlum euecti ſunt, quia cautè tractauerunt. In ſymphonia is tantùm vituperatur, qui malè & diſſonanter canit: ſiue tandem acutâ ſiue graui voce vtatur, ſiue Cantum ſiue Baſſum canat: ita etiam Deus non niſi illos reprobat, qui in ſtatu ſuo, quicunque tandem ſit ille, malè operantur: non qui hæc vel illa poſſident. Minùs igitur ſapiunt oppidi Babytaces, in Septemtrionali Tigris alueo ſiti, incolæ, qui vt ſcribit Plinius lib. 6. cap. 27. *ſoli mortalium aurum in odio coëmunt ac defodiunt, ne cui*

qui mortalium ſit in vſu. Non enim propter abuſus, tollendus creaturarum vſus.

C. II. Vt oſtendat Deus ſe etiam hæc minima nobis non inuidere.

SECVNDA. Vt oſtendat Deus, ſe etiam hæc temporalia & minima non inuidere nobis, modò iis rectè vti velimus citra noſtram perniciem, & Deum præ illis diligere: quin etiam libenter ea nobis dare, ſi aduertat ita expedire nobis ad maiorum meritorum cumulum. Nam vt Iacobus cap. 1. ait: *Deus dat omnibus affluenter & non improperat.* Ad quid enim creaſſet bona temporalia & homini ſubiecisſet, ſi ea illi inuideret? An non audiuimus in hodierno Euangelio: *Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis?* Non ait, dabuntur vobis, ſed adiicientur, tanquam corollaria ſcilicet vel auctaria, quæ gratis, non petita & facillimè dantur, vt ſi mercator emptori ad merces coëmptas addat ficum vnam aut alteram: dummodò aduertat ea tibi expedire vel non obeſſe ſaltem. Imitatur Deus in hac re Medicum (teſte Boetio *lib.4. de conſol. proſ.6.*) qui ægrotos duos inuiſens, vni vinum prohibet & amaram potionem ordinat, alteri alter conſtituto optimas carnes cum vino concedit. Quòd ſi prior conqueratur de Medico, quòd ſibi non eadem concedat quæ poſteriori: reſpondebit medicus: mea nihil intereſt, quid tu comedas vel bibas, nam ſi ægritudo tua eâ ratione conſtituta eſſet, quâ ægritudo alterius, æquè libenter tibi ea concederem quæ alteri conceſſi: nunc autem morbo tuo hoc competit, illud morbo alterius. Simili ratione iuxta cuiuſque diſpoſitionem & capacitatem dat Deus de bonis ſuis tantum, quantum quiſque portare aptus eſt, ita vt ſupra vires ſuas nemo oneretur. Vnde cùm videt aliquem ad bona plura adminiſtranda aptiorem eſſe & fortiorem (quam tamen aptitudinem & robur priùs idem Deus ei dedit) ei plura tradit & ſuper plura eum conſtituit: alium ſuper pauciora, qui minorem accepit aptitudinem & minores vires. Alios igitur ad reip. gubernacula, ad honores & proſperitatem euehit, quos ſufficientes huic ſtatui, & facere poſſe in eo plurima bona videt, licet ſciat eos ibi perituros ſæpe propria ex culpa: alios per tribulationes & paupertatem deprimit, quorum nouit infirmiores eſſe humeros, vti docet Salmeron *ſuper cap.25. Matth.* & alij cum ipſo. Similiter agit mater, quæ vni quidem filio, qui fortioris & ſanioris eſt ſtomachi, facilè concedit pyra vel ceraſa: alteri verò cuius ſtomachum debilem nouit, non concedit. Dicet enim ad hunc mater; Ego tibi libenter hæc concederem & & multò plura, ſi ſcirem ſtomacho tuo competere: ſed quia contrarium ſcio, cupio potiùs tuam ſanitatem & vitam, nolo vt iſta tibi dentur. Sic etiam militibus diſtribuuntur arma, pro cuiuſque virtute, robore & experientiâ, alij haſta, alij ſclopetum, alij officium, prout quiſque idoneus videtur. Recurrite mecum ad Euangelium & *Matth.* 25. inuenietis, quâ ratione Dominus diſtribuerit talenta ſua ſeruis vt cum iis negotiarentur: vni enim dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum: *vnicuique ſecundum propriam virtutem,* inquit Euangeliſta. In quæ verba S. Hieronymus ait: *Non ſuper largitate aut parcitate alteri plus, alteri minus tribuens, ſed pro accipientium viribus, quomodo & Apoſtolus eos qui ſolidum cibum capere non poterant, lacte potaſſe ſe dicit.* Itaque non inuidet vobis Deus, (ô diuites potentes, & quicunque in dignitate eſtis) opes, potentiam, honores: dummodò ea non in perniciem veſtram vertatis. Nec vobis, qui his caretis, per inuidiam ea negauit; quia virium veſtrarum infirmitatem conſiderauit, & imparem his oneribus. Hinc populus in India conſtitutis aurum in copia præbuit Deus, quia illud non æſtimant, nec cupidè conquirunt, ſed ad vitæ tantùm vſum neceſſarium adhibent. Quòd ſi illorum exemplo non plus è bonis caducis, quàm ad neceſſitatem noſtram & quantum canis è Nilo, in tranſitu ſumeremus, abundè haberemus. Quemadmodum ergo vmbra inſequentes fugit, fugientes ſequitur: ita ferè diuitiæ contemptoribus ſæpe dantur: amatoribus verò negantur, teſte Eccleſiaſtico cap. 11. dicente: *Si diues fueris, non eris immunis à delicto: ſi enim ſecutus fueris, non apprehendes & non effugies ſi præcurreris.*

D. III. Vt erigamur ad quærendum cælum.

TERTIÒ. Vt ſpem noſtram erigat ad quærendum & deſiderandum regnum Dei. Si enim hic in exilio dat tanta bona iuſtis, cùm videt eos ſufficientes ad illa ritè adminiſtranda: quid non dabit illis in patria? Siquis Rex ſtabularios ſuos opiparâ menſâ alat, veſtiat holoſerico, & maximis ſalariis remuneret: facilè omnes colligent, multò adhuc ſplendidiùs tractari eius aulicos & nobiles. Quamdiu in hoc mundo ſumus, velut in ſtabulo quodam ſumus; in id compacti merito noſtro, vt equorum noſtrorum, id eſt paſſionum & ſenſualitatum curam haberemus, eos perdomando & frænando. Ad laborem enim nati ſumus vt piſcis ad natandum, auis ad volandum, agricola ad operandum. Non audimus in Euangelio, nos vocari à Domino & mitti tanquam ſeruos ad negotiandum, tanquam operarios ad operandum in vinea? tanquam ſtabularios, vt ægri illius ſaucij, id eſt, proximi noſtri curam habeamus? Quòd ſi igitur ſtabularios, operarios & ſeruos ſuos adeò lautè & liberaliter tractat Deus, cùm videt hoc illis non obfuturum: quomodo tractabit in cælo beatos, aulicos & nobiles ſuos? Quòd ſi mercenarij illius hîc abundant panibus, quid non exhibebit filio? nimirum mactabit ei vitulum ſaginatum, ſtolam byſſinam circumdabit ei, dabit annulum in manu eius, id eſt, mercedem æternam, viſionem beatificam, dotes corporis; &c. Vnde hæc temporanea bona Dominus Matth. 25. *pauca* vocat, reſpectu æternorum: æterna verò *multa,* vt exponit ibi S. Hieronymus. *Quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.* Ideo

etiam in hodierno Euangelio temporalia iuſtis adiicienda aſſerit, vt ſcilicet diſceremus, inquit hic S. Chryſoſtom. *horum, quæ in præſenti dantur, nihil eſſe omninò magnum, ſi futurorum magnitudini comparentur.* Facit etiam huc argumentum illud Chriſti: *Conſiderate lilia agri.* Si enim lilia agri ſplendòre ſuo ſuperant ſplendorem Salomonis, multò magis lilia hortorum, quæ agreſtibus floribus multò præcellunt. Iuſti opulenti lilia ſunt agri, ſancti in cœlo flores horti regij. Item, *ſi fœnum agri, quod hodie eſt, cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit:* Id eſt, ſi homines aliquos, qui fœni inſtar hodie ſunt, cras non ſunt, in hoc mundo tam ſplendidè à Deo veſtiuntur, ditantur, extolluntur: quantò magis in cœlo cùm immortales erunt?

E.
IV.
Ne deſperarent diuites.

QVARTÒ. Ne deſperarent de ſalute ſuâ diuites. Cùm enim res ſit difficillima, ipſo Chriſto teſte, diuitem beari, nihilominus id fieri per diuinam virtutem poſſe, oſtendit Deus, dum multos viros ſanctos & iuſtos ditari, exaltari & proſperari voluit, vultque etiamnum. Deſperare poſſent diuites, dum audiunt illud Chriſti: *facilius eſt camelum intrare per foramen acûs, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Matth. 19. niſi vidiſſent tot exempla Sanctorum opulentorum. Nunc autem cum videant eiuſmodi camelos non paucos per foramen illud intraſſe, Zachæum, Gregorium, Ludouicum, Eduardum, &c. bene ſperare poſſunt, & de potentiâ gratiæ Dei confidere, modò ei cooperentur. Impoſſibile videtur contra ventum vel flumen nauigare, vbi tamen videris præcedere non paucos, qui commodè ſic nauigarint, iam non ampliùs, deſperas. Nauigant contra ventum diuites; quia diuitiæ ventus ſunt contrarius: quòd ſi tamen gratiæ adiumenta adſint, poſſunt tot equi ſeu adminicula gratiarum diuites ad cœlum trahere. Deſperabant filij Iſraël de ingreſſu in terram promiſſam, ob allatum triſte nuntium, quia videlicet Gigantes ibi degerent, vrbes munitiſſimæ eſſent, quòd terra deuoraret habitatores ſuos, &c. vnde animum abiecerunt progrediendi vlteriùs. Igitur vt oſtenderet Deus, quàm imprudenter agerent & immeritò deſperarent, iurauit ſe quidem illos perempt
urum & cadauera eorum in deſerto relicturum, paruulos autem illorum, de quibus dicebant, quòd præda hoſtibus futuri eſſent, in terram promiſſionis introducturum, Num. 14. Quare cùm videamus Deum multos iam opulentos & potentes ad cœlum erexiſſe: non video cur hîc diuites diffidere poſſint, modò ſibi attendant & gratiæ adminicula, quæ ſuggeruntur illis à Deo, acceptent. Sed quoniam hoc pauci faciunt, idcircò hinc maximè commendatur Dei potentia, ſi quem iuſtum audias videáſve qui interim diues ſit & potens, quique in mundo proſperetur. Nónne audimus Pſaltem Pſal. 90. *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis?* Dextra, proſperitatem: ſiniſtra, aduerſitatem, paupertatem & tribulationem ſignificat. Ecce decem diuites pereunt, antequam vnus pauper. Audiamus etiam Eccleſiaſticum cap. 31. *Beatus diues*, inquit, *qui inuentus eſt ſine maculâ, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecunia theſauris. Quis eſt hic? & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita ſua.* Thaumaturgi ergo ſunt, miraculorum patratores ſunt, quotquot iuſti diuites ſunt. Sed dic ó Sapiens, vnde hæc diuitis iuſti tanta præconia? & quænam eius miracula? Ea proſequitur his verbis: *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit, ideo, &c.* Non eſt miraculum, vel quid rarum, ſi pauper aliquis non ſit ſuperbus, guloſus, libidinoſus, ambitioſus, auarus, iracundus, iners: quia paupertas his vitiis materiam & vires non ſubminiſtrat, non habet quò hæc conſequatur pàuper, iiſque vacet. Diues habet; diuitiæ enim illi aperiunt ianuam ad hæc omnia. Rurſum non eſt mirum, ſi pauper ſit humilis, mitis, temperans, modeſtus, laborioſus, &c. quia ad hæc adigitur quodammodo à ſua paupertate, nedum impeditur. At regem, diuitem, nobilem eſſe talem, hoc verò mirum & rarum. *Quis eſt hic? & laudabimus eum.* Hæc miracula oſtendit Deus in aliquibus ſanctis ſuis. In Ludouico rege, qui pauperum noſocomia obiens, iis miniſtrauit & potiùs mortem oppetere quàm lethaliter peccare, paratus erat. In ſancto Eduardo Angliæ; qui in tanta copia ſobrietatem ſemper coluit, nec modò non alienum thorum concupiuit, ſed à proprio etiam abſtinuit, & cum coniuge perpetuam virginitatem ſeruauit. Similiter ſanctus Henricus Bauariæ Dux & Imp. cum coniuge Cunigunde, non victus à carne aut liberorum amore. S. Stephanus Vngariæ Rex, cui nocte intempeſtâ eleemoſynam pauperibus diſtribuenti cùm barba euulſa eſſet ab improbis quibuſdam moræ impatientibus, nequaquam tamen vltus eſt grauiſſimam hanc iniuriam.

F.
V.
In conſolationem pauperum.

QVINTÒ. In conſolationem pauperum. Tametſi enim vult Deus eſſe pauperes, non vult tamen eos deſeri à diuitibus, ſed ali. Vnde mentiuntur Meſſaliani & Enthuſiaſtæ hæretici, qui negant pauperum curam habendam, eò quòd Deus illos ditare noluerit. Plura igitur dedit diuitibus vt pauperes alere poſſent, ſicut nutrici dantur meliores cibi, & matri lac vberius à natura, vt poſſit alere infantem. Diuites ſunt ſicut venæ maiores in corpore, quæ ideo ſanguine abundant vt minoribus venis eum communicare poſſint. Sunt velut Sol in cœlo, qui non ſibi tantùm & propinquis ſtellis, ſed etiam aliis omnibus lucet. Porrò ſi nulli iuſti eſſent diuites, ſed mali dumtaxat, interirent pauperes. Impij enim & auari nil niſi ſeipſos amant, nil niſi ſua retinere, aliena rapere nôrunt. Quòd ſi nunc, vbi plurimi etiam boni diuites reperiuntur, ingemiſcunt pauperes; quid fieret, ſi nulli boni abundarent? Multi malunt perire frumentum ſuum, quàm dare id pauperibus

etiam

d by Google

etiam iuſto pretio. Igitur voluit Deus vt patres pauperum aliqui diuites forent. Talis S. Gregorius Magnus Papa, qui præter 300. ſanctimoniales & innumeros pauperes quos quotidie alebat, infinitos propemodum alios in orbe ſuſtentabat, per Subdiaconos ſuos, quos in hunc finem amandabat, vt pauperes conquirerent, alerent, vel ad ſe mitterent; cui cùm Sabinianus illiberalis in Pontificatu ſuccederet, idcircò ſæpius eum Gregorius per viſum increpuit, demumque in capite percuſſit vt paulò pòſt obiret, Baron. Anno 605. Talis Gregorius XIII. Papa, qui opes Eccleſiæ in Eccleſiæ vtilitatem & ſalutem animarum erogauit: excitauit & dotauit collegia ad viginti: tot millia pauperum intra vrbem & extra aluit, vt Cardin. Baron. tom. 2. Anno Chriſti 172. narret ei erectam à Romanis ſtatuam in Capitolio cum hac inſcriptione: *Siſtertiûm octingenties, ſingulari beneficentia in egenos diſtributum*, id eſt, vicies centena aureorum millia. Alexander Quintus, qui ex Ordine ſancti Franciſci euectus eſt ad Pontificatum, adeò liberalis & effuſus in pauperes fuit; vt diceret, ſe diuitem Epiſcopum fuiſſe, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem. Vtinam igitur omnes pij diuites & magiſtratus intelligerent, ſe idcirco in eo ſtatu à Deo collocatos vt eſſent patres & patroni pauperum, adeoque eo ſibi nomine gratularentur, quòd diſpenſatores bonorum Dei conſtituti ſint. Hiſtoriam audiamus. *Beatus Iuniperus ſancti Franciſci diſcipulus*, vt narrat Raderus p. 2. Virid. cap. 3. *inuiſebat aliquando fratrem ægrum in cœtu Mariæ de Portiunculâ, rogans num quid cibi guſtare vellet: ille, pedem ſuillum, inquit, deſidero. Et Iuniperus: apparabo tibi. Currens igitur mox in agrum, inuento proximo grege porcorum, proximum arripit & pede truncat: elixat & ægro adfert magnâ charitate. Renuntiatur interim à ſubulco factum Iuniperi hero, qui inflammatus irâ ad ſanctum Franciſcum properat, & fratres eius omnes quaſi mortalium hoſtes accuſat. Franciſcus rerum omnium ignarus vociferantem leni oratione placat, dolere ſe de facto, omninò ſe curaturum, vt illi de illato damno ſatiſfiat. Vbi digreſſus accuſator, accerſit Franciſcus familiam totam, & ſolicitè quærit ecquis tantum nefas ſit auſus deſignare. Iuniperus auctorem ſe fatetur & ex officio commiſerationis erga decumbentem ſe feciſſe, & mirari ſe vehementer quenquam in facto tam pio potuiſſe offendi. Et Franciſcus: ò Iunipere quantâ nos inuidiâ & calumniâ oneraſti! iam ille abs te læſus per totam vrbem apud omnes nos traducet. Abi ergo, & ad pedes illius abiectus, culpam deprecare, pacem ora, & te ſatisfacturum copiosè pollicere. Faciam pater, inquit Iuniperus, hoc tamen non intelligo (nempe ſuâ bonitate metiebatur omnes Iuniperus) quomodo quiſquam dolere poſſit ob præſtitum ægroto beneficium, cùm omnia præſentia nihil mortalibus proſint, niſi ad vſum charitatis mutuò impendantur. Abijt ergo, & reperto læſo, abs ſe factum quod ægrè ferret, confitetur, ſed eſſe quod ſibi gratuletur, quando potuerit benefacere alteri de ſuis bonis: Hic alter magis excandeſcens conuitijs & maledictis lacerare Iuniperum, fatuum & fanaticum vocitare, alijsque indignis modis inceſſere. Iuniperus tatus hominem non percepiſſe, quod ipſe dixiſſet, cœpit iratum complecti, amiciſſimè compellare, rogare vti ſecum ſibi gratuletur de tam ſancto opere charitatis. Flexit interim Deus ferocem leonem, vt ſimplicitati Iuniperi animum attenderet, quem admiratus, non indulſit modò veniam, ſed porcum cæſum & lautè apparatum Franciſco & Iunipero cum cæteris abſumendum dono miſit. Ita Iuniperus pio facto alterius leuauit ægrum corpus, ſimplici verbo, alterius curauit ægrum animum.*

Quare Auditores, laudemus Deum in operibus ſuis, qui pauperem creauit & diuitem, vtrumque magno ipſorum bono, ſi ſuâ ſorte contenti eſſe & rectè vti velint, quod largiatur ipſis Deus.

CONCIO VIII.

Documenta.

1. *Docetur quâ ratione fugiendus ſit mammon ſeu lucrum omne iniquum.*
2. *Fugienda nimia ſolicitudo quæ praua ſit ratione finis & materiæ, ratione modi, temporis, ordinis & præſumptionis.*
3. 4. *Quibus modis quærendum ſit regnum Dei præ omnibus, & iuſtitia eius.*

THEMA.

Quærite ergo primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, Matth. 6.

Rectè S. Bernardus *ſerm.* 33. *in Cant.* hiſtoriam S. ſcripturæ vocat hortum ſponſi & paradiſum Dei. Primò, quia vti è paradiſo manant quatuor flumina, quibus orbis terrarum irrigatur: ita è SS. litteris quatuor ſenſus depromuntur, literalis, allegoricus, tropologicus, anagogicus, quibus hominum mentes irrigantur ſeu erudiuntur & ad virtutum fructus producendos fœcundantur. Deinde quemadmodum in paradiſo arbores partim noxiæ erant, vti arbor ſcientiæ boni & mali, quam vitari præcepit Deus; partim ſalutares, vti arbores aliæ, de quibus edi iuſſit Deus: ita in SS. literis reperiuntur partim arbores malæ, vitia malorum hominum, quæ caueri iubet Deus: partim bonæ, quæ ſunt virtutes proſequendæ. Et verò in huius Euangelij hortulo duas imprimis reperio fugiendas arbores, duas item quærendas. Vti mox videbimus. A. S. Scriptura paradiſus. 1.

Fugiendus eſt Primò Mammon, ſeu lucrum omne iniquum; mammon enim linguâ Punicâ lucrum ſignificat. Ratio eſt Primò, quia eiuſmodi lucro plus perdis, quàm lucraris. Perdis enim Deum, cum quo mammone iniquitatis conſiſtere non poteſt, ſicuti nec Dagon coram arcâ ſtare potuit, 1. *Reg.* 15. Perdis itaque & expellis è corde tuo arcam, id eſt, B. I. Fugiendus mammon. 1.

eſt gratiam, vbi intuleris Dagon ſeu lucrum iniquum; quia ſibi contrarij ſunt & contraria imperant, vnde impoſſibile eſt vtrique ſimul ſeruire. Audi Auguſtinum in Pſalm. 123. *Lucrum feciſti, inquit, ſed vt lucrum faceres, Deum offendiſti, acquiſiuiſti aurum, fidem perdidiſti. De arcâ gaudes, de corde non plangis? plus perdidiſti quàm acquiſiuiſti, & perdidiſti quod nec naufragio tibi potuiſſet auferri.* Et infrà: *Quid ergo acquiſiuiſti? Tolle tecum ad inferos quod acquiſiuiſti. Cor tuum inane fidei ad pœnas exit, quod plenum fide ad coronam exiret,* ſic ille. Nouimus certè Dominum è templo eieciſſe vendentes & ementes: cur, niſi quia mammon qui contractibus ferè ſemper adeſt, coram Deo locum non habet? Certè S. Chryſoſtomus in eum locum Matthæi, ex eo Chriſti facto concludit mercatores in Eccleſia non tolerandos; ſed intellige iniquos.

2. Secundò, quia eiuſmodi lucro grauiter te lædis. Sapienter enim Chilon Lacedæmonius apud Laërt. *lib.* 1. *vit. Philoſ. cap.* 4. dicere ſolebat: *Damnum turpi lucro præferendum eſt: illud enim ſemel dolet, hoc autem ſemper.* Damnum acceptum reſarciri per induſtriam poteſt, infamia verò ex iniquo lucro contracta deleri nequit. Thales etiam Mileſius aſſiduè dicebat: *noli ditari nequiter: lucrum enim fraude partum, damnum eſt, non lucrum.* Laërt. *lib.* 1. *de vitis Philoſ. c.* 1. Certè Giezi cum ſorte, quam iniquè tulit à Naaman, tulit etiam lepram, 4. *Reg.* 5. Adhæc oneras animam & conſcientiam tuam, quæ contra iſtud onus ſemper reclamare ſolet: & ita durum iſtum Dominum ſemper ſuſtinebis, vt innuitur in hodierno Euangelio. Expreſſiùs dixit Habacuc cap. 2. *Væ ei qui multiplicat non ſua. Vſquequò & aggrauat contra ſe denſum lutum?* (Septuaginta vertunt: *torquem ſuam grauiter*) Aggrauat contra ſe denſum lutum *qui per auaritiam terrena multiplicans peccati ſui ſe oppreßione coanguſtat,* inquit S. Gregor. *lib.* 34. *Moral. c.* 13. Aggrauat verò torquem ſuam, quia dum fœdo illo lucro, quod cùm lutum ſit, torques aurea reputatur, ſe ditat & adornat, hoc ipſo grauem ſibi torquem iniicit, ſeque ad infernum deprimit.

C. II. Fugienda nimia ſolicitudo.

Fugienda SECVNDÒ Praua ſolicitudo de rebus temporalibus. Hanc enim vt à nobis procul eliminaret Dominus, *modicæ fidei* nos appellat: & aliàs varia tentauit. Eò enim pertinet ſopor eius in nauigio, Petri fluctuatio, panum penuria & examen de commeatu in ſolitudine. Praua autem ſolicitudo fit Primò, ratione intentionis, ſi temporalia quærantur vt finis vltimus, vt faciunt auari, quibus pecunia eſt Deus; quam ob cauſam auaritia vocatur ab Apoſtolo *Idolorum ſeruitus*, ad Eph. 5. Et primò, quia auari omnem ſpem vitæ & victûs ponunt in opibus ſuis. Secundò, qui *ſicut Idololatra*, ait ibi Chryſoſt. *venerantur Idola, nec ea præ reuerentiâ tangere audent: ita auarus pecunias quaſi Idolum veneratur nec eas audet contingere, ſed inani tantum earum aſpectu delectatur.* Et hom. 64. in Matth. *Sicut Idolum lapideum templis, ſic auari aurum clauſtris & veſtibus ſepiunt, pro templo arcam præparantes; deinde adorant ipſi quod concluſerant, oculoſq; & animam malunt quam theſaurum perire.* Tertiò, quia in auro totum cor ſuum defigunt; ad id omnia ſua ſtudia, cogitationes, ſermocinationes & actiones referunt & conuertunt omnes curas & labores vitamque ipſam impendunt & quodammodo immolant. Hoc autem eſt habere aurum pro Deo & vltimo ſuo fine. Hanc ſolicitudinem remouit Dominus, cùm ait; *Hæc omnia gentes inquirunt,* tanquam ſummam fœlicitatem videlicet, quia veram neſciebant.

Ea fit praua. 1. Ratione finis. Auaritia Idolorum ſeruitus. 1. 2. 3.

Secundò, ratione rerum, ſi ſit de rebus ad vitam non neceſſariis aut ſtatui non conuenientibus, ſed ſuperfluis, vt cùm quis vltrà ſufficientiam quærit plures opes, veſtes, famulos, epulas, &c. Hanc excludit Dominus, cùm ait: *Quis veſtrûm poteſt ad ſtaturam ſuam adiycere cubitum vnum?* Sic faciebat ille, qui dicebat: *Anima habes multa bona, poſita in annos plurimos.* Sed ad quid pro tot annis ſolicitus fuit accumulare bona mox aliis diuidenda? Audit enim mox: *Stulte quæ paraſti cuius erunt?* Hunc ergo qui imitantur, non tam ſibi quàm aliis colligunt theſauros. Similes Hoggiæ illi Turcico (vocantur hoc nomine literati) qui, vt ſcribit Augerius Busbequius Legatus FERDINANDI I. Regis apud Conſtantinopolim. epiſt. 4. legationis ſuæ, cùm à Baſſâ quodam inuitatus vnà cum aliis ad conuiuium ſederet, & ante ſe magnam diuerſorum ciborum congeriem videret velletque iam ſatur aliquid portare domum ad vxorem, cœpit quærere ſudarium, quo reponeret, ſed quia illud domi reliquerat, arripit dependentem à tergo manicam, non tamen, vt putabat, ſuam; ſed alienam ſui aſſeſſoris. Hanc infarcit quantum poteſt, & demum panis fruſto, ne quid excidat, quodammodò obſignat, & ita ſalutato hoſpite diſcedit, ſed vbi manicam pertentans reperit inanem, obſtupuit: & quid faceret? vacuus & triſtis in domum ſuam rediit, nec aliud obtinuit, niſi vt poſteà deprehenſo errore, riſu exciperetur & vulgi fabula fieret. Prorſus hunc in modum laborant multi mortales maximis conatibus, vt ex hac mundi menſâ ſuperflua ſibi recondant & reponant in annos plurimos. Interim tamen non tam ſuam; quàm alienam implent arcam, & ita demum audiunt: *ſtulte quæ paraſti, cuius erunt?* fiuntque mundi fabula.

2. *Ratione materiæ.*

Tertiò. Ratione modi, ſi ſit nimis anxia & formidans de Dei bonitate & auxilio. Quærendus ergo cibus, ſed abſque anxietate; ſicut auiculæ quærunt vermes, & gallinæ ſcalpunt pedibus, ſed abſque ſolicitudine. Hanc amouit Dominus, cùm dixit: *ne ſoliciti ſitis*: græcè *anxij*. Noxia eſt hæc anxietas & cor fruſtrà exedit. Hoc voluit ſibi Pythagoras ſuo illo ſymbolo: *Annulum anguſtum non feras,* hoc eſt, ne nimis anxius ſis pro rebus corpori neceſſariis.

3. *Ratione modi.*

Quartò,

Digitized by Google

4. *Ratione temporis.* Quartò, Ratione temporis, ſi nimis præoccupet: vt ſiquis tempore æſtatis ſolicitus eſſet de vindemia. Hanc arguere voluit Ludouicus Galliæ rex in quodam ſtudioſo menſæ accumbente & eſcam ſibi occultante, cùm ei dixit: *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum.* Cui reſpondit ſtudioſus: *ideo hoc mihi reſeruo, ne ſolicitus ſim in craſtinum*, refert Laur. Beyerlinck *in aphot. Chriſtian.* Contra hanc ait Dominus idipſum: *nolite ſoliciti eſſe in craſtinum*, id eſt, in futurum; nam moderata ſolicitudo in craſtinum non reprehenditur.

5. *Ratione ordinis.* Quintò, Ratione ordinis ſi tantùm impendatur victui & amictui, aliiſque neceſſitatibus corporis, vt anima negligatur & ſalutis noſtræ negotia. Contra hanc ait Dominus: *nónne anima plus eſt quàm eſca?*

6. *Ratione præſumptionis.* Sextò, Ratione præſumptionis, ſi ea ſolicitudo, propriis nitatur viribus fraudi vel induſtriæ. Hæc enim ſolicitudo vt plurimùm fruſtranea eſt, vti indicat Dominus dicens: *Quis veſtrûm cogitans poteſt ad ſtaturam ſuam adijcere cubitum vnum?*

III. *Quærendum Regnum Dei præ omnibus.* Quærendum verò PRIMÒ regnum Dei ante omnia. Quod fieri poteſt multis modis & verò etiam debet. Primò. Si præ omnibus cœleſtia bona deſideremus, ad quæ & nati ſumus.
1. Sola enim cœleſtis planta eſt homo, capite erecto, vt alimenta cœlitùs incorruptibilia quærat, cæterarum in terra defixit capita, vt ſcribit Philo in lib. de eo, *quod deterius potiori inſidiari ſolet.*

2. Secundò. Si ad ſcopum illum vltimum nobis præfixum collimemus in omnibus noſtris actibus, ita vt primò & ante omnia ſalutem noſtram quæramus & intendamus, non autem commoda temporalia. Sic licet Iacob ſeptem annis ſeruierit pro Lià, ipſius tamen ſcopus & intentio non erat ſeruire pro Lià, ſed pro Rachele; hæc autem futuram beatitudinem, illa præſentem denotat.

3. Tertiò. Si quando concurrunt negotia ſpiritualia cum corporalibus, corporalia potiùs omittamus quàm ſpiritualia, niſi graue damnum obſtet. Itaque cùm eundum eſt ad Miſſam, cùm peccata confitenda, cùm dies feſti celebrandi, &c. ſepone corporis negotia, quæ ab his te auocant. Similiter ſi fides vera relinquenda, hæretica ſuſcipienda aut retinenda ſit, ob amplam hæreditatem vel diues aliquod connubium, vincat vera fides, pereat quod terrenum eſt.

4. Quartò. Si potiſſimum ſtudium, ſi non quoad extenſionem, ſaltem quoad intenſionem, impendamus regno Dei conſequendo, v.g. vt maiori diligentià & ſolicitudine examinemus conſcientiam & præparemus animam noſtram, vt bene confiteamur, communicemus, &c. quàm ſolemus adhibere in negotiis ſæcularibus. Item ſi potiſſima noſtra cura ſit, ne perdamus cœleſtia, ſed placeamus Deo, & regno eius digni inueniamur.

5. Quintò, Si primum noſtrum negotium ordinariè ſit, quærere ea primò, quæ ad ſalutem ſpectant, vti orare cùm mane ſurgimus, vel cibum ſumere volumus, templum intrare; cùm intramus aliquam ciuitatem; cùm iter longum ſuſcipimus, ſtatum nouum inimus, &c. S. Hugo Epiſcopus Lincolnienſis cum aliis Antiſtitibus iter faciens, & in quoddam hoſpitium diuertens audiit propinquam ſyluam, ſibi tranſeundam, latronibus infeſtam eſſe. Ergo ſocij ſuadent ſummo manè ſyluam, peragrare pro maiori ſecuritate, & poſteà preces perſoluere. At Hugo priùs horarum penſum recitare voluit. Præceſſerunt igitur illi, & in latrones inciderunt: ſecutus eſt Hugo, & nil mali paſſus eſt, Sur. tom. 6. 17. Nouembr.

Sextò. Si ita in externis ſæculi huius negotiis verſeris, vt cor illis non immergas, ſed ad 6.
ſuperna erectum geras, ipſaque intentione & deſiderio ad cœleſtia euoles, ad inſtar illarum auium mare tranſuolantium, quæ vbi volatu delaſſantur, in mare ſe demittunt, ita tamen vt alam vnam ſuper aquas erectam teneant, ne alioquin ambabus madefactis, euolare nequeant. Sic enim dum in huius mundi fluctibus nauigamus, aliquam ſaltem noſtri portionem, mentem ſcilicet & intentionem ad ſuperna bona erectam teneamus, ne toti illis immerſi emergere non poſſimus, ſed ad euolandum ſemper parati & reſoluti ſimus.

Septimò. Si animæ negotium præmittamus 7.
corporis negotiis. Docuit hoc nos Chriſtus *Luc.* 7. cùm ait: *Quis veſtrûm habet ſeruum arantem aut paſcentem boues, qui regreſſo de agro dicat illi: Statim tranſi, recumbe; & non dicat: para quod cœnem, & præcinge te, & miniſtra mihi, donec manducem & bibam & poſthac tu manducabis & bibes.* Porrò anima eſt herus, corpus verò ſeruus. An non decet igitur, vt anima ſuis epulis prius ſaturetur, quàm corpus ſuis?

Quærenda deinde iuſtitia eius. Hæc enim E.
eſt vxor tibi ducenda: regnum cœlorum eſt IV.
dos illius. Sic in lib. Ruth cap. 4. ait Booz ad *Quærenda iuſtitia regni Dei.*
conſanguineum ſuum. *Eme agrum Elimelech fratris noſtri.* Quo annuente, ſubdit: *Quando emeris agrum, Ruth quoque Moabitidem debes accipere*: Porrò ea iuſtitia duplex eſt. Vna interior, quæ eſt gratia Dei, animam inhabitans & Deo gratum faciens. Acquiritur autem per baptiſmum, & amiſſa reparatur per pœnitentiam, augetur verò per ſacramenta reliqua, eſtque neceſſaria ad regnum Dei conſequendum, quia eſt ſemen gloriæ. Quare ſicut non metes, niſi ſeminaueris: ita ad gloriam non peruenies, niſi gratiam poſſideas.

Altera exterior, quæ conſiſtit in bonis operibus & obſeruatione mandatorum. De hac Chriſtus dixit: *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Iuſtitia Dei vocatur, quia fundatur in Chriſti meritis & Dei promiſſione, ita vt his ſuppoſitis, ex iuſtitià debeatur ei regnum Dei. Atque hæc eſt illa pecunia, quâ emitur regnum Dei; hoc viaticum, quo ad regnum Dei peruenitur. Sine hac fruſtrà ad forum itur, ad patriam non venitur.

Duæ

Duæ igitur hæ iuſtitiæ, duæ ſunt quaſi alæ, quibus ad cœlum volatur; duo ſunt latera ſcalæ, quam vidit Iacob à terrâ ad cœlum pertingentem, quando ei Deus oſtendit regnum Dei, *Sap.* 10.

Quare, Auditores, hæc ſit prima noſtra cura & maxima ſollicitudo, quærere regnum Dei & iuſtitiam eius. Et verò mihi ipſi perſuadeo, quæſituros vos impoſterum regnum Dei magis impensè, quàm hactenus ſit factum, ex quo abundare cœpiſtis frugibus, vt iam pro alimento nihil ſolliciti eſſe debeatis. Itaque attendamus nos ad ſalutem noſtram æternam, & Deus prouidebit nobis de temporalibus ſubſidiis. Sic enim ſe obligauit nobis in hodierno Euangelio; velut ſi pater diceret filio: Vade tu ad ſcholam, & cura, vt proficias, ego tibi veſtes & alimenta procurabo, aliaque neceſſaria. Dominus paciſcitur cum ſeruo de mercede annua dumtaxat, de cibo & potu non fit mentio, quia hæc per ſe intelliguntur ſeruo præſtanda eſſe; ita ſi ſeruiamus Deo, & quæramus primò regnum eius, certò dabit nobis victum & amictum. Nihilominùs, ne diffidamus, voluit hoc in pactum expreſsè deducere in hoc Euangelio. Ergo, &c.

CONCIO IX.

Myſteria.

1. *Explicatur quomodo nemo poßit duobus Dominis ſeruire.*
2. *Deum eſſe ſupremum noſtrum Dominum.*
3. *Quibus de cauſis Deus vocetur pater noſter.*
4. *Cur remittat nos Chriſtus ad creaturas irrationales, lilia & volatilia.*
5. *Quodnam Dei regnum ante omnia quærendum.*

THEMA.

Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis. Matth. 6.

A. NOn eſt, Auditores, par omninò ratio panis corporalis & panis ſpiritualis, qui eſt iuſtitia ſeu mandatorum obſeruatio. De priore enim præcipit Dominus ad initium Euangelij. *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis.* De poſteriore verò ad finem Euangelij; *Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius.* Panis ergo corporis quærendus quidem eſt, ſed ſine ſolicitudine; panis verò animæ ſolicitè eſt quærendus; quod etiam alibi ſæpe inculcant nobis ſacræ literæ; veluti *Deuter.* 24. *Facies quæcunque docuerint te Sacerdotes Leuitici generis, iuxta id quod præcepi eis, & imple ſolicitè.* Et Ioſ. 23. *Eſtote ſoliciti, vt cuſtodiatis cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moyſis.* Panem corporalem cum ſolicitudine comedere, pœna & afflictio eſt, vti prædixit Ezechiel cap. 12. Hebræis obſidione & fame premendis: *Panem ſuum cum ſolicitudine comedent*; Panem verò ſpiritualem ſolicitè comedere, magna Dei gratia eſt. Quoniam igitur Dei iuſtitia ſolicitè quærenda eſt, pari lege verbum Dei ſolicitè quærendum, ſolicitè & audiendum eſt, ſiquidem in illo continetur voluntas Dei. Hoc ergo nunc agamus.

Q. PRIMÒ. Quomodo nemo poteſt duobus dominis ſeruire? Reſp. Dictum Chriſti intelligendum de duobus dominis ſibi non ſubordinatis adeoque à ſe mutuò non dependentibus. Id ergo verum eſt primò de dominis diſſidentibus ſeu contraria præcipientibus; cuiuſmodi ſunt Deus & Mammona vel diabolus. Siquidem Deus præcipit ſe amari, mammona verò ſe. Deus præcipit dare eleemoſynam, mammona verò prohibet. Deus præcipit feſtos dies obſeruari, mammona verò iubet illis diebus mercari, nundinari, nauigare. B. I. Quomodo nemo poteſt duobus dominis ſeruire. 1.

Par ratio eſt de dæmone. Vnde Liranus in hæc Matthæi verba ait: *Cor humanum non poteſt ſimul capere Deum & diabolum; ſed ſuſcepto diabolo per peccatum, exit Deus; ſuſcepto Deo per charitatem, exit diabolus.* Idem in Regibus huius ſæculi diſſidentibus videre eſt. Hinc enim Alexander M. rogatus à Dario, vt ſecum imperium diuideret, reſpondit: *Sicut mundus non fert duos ſoles: ita nec terra duos Reges. Quare aut te mihi ſubde, aut in craſtinum aciem para.* Parauit & cæſus regnum Alexandro ceſſit.

Secundò. De dominis non contraria quidem, diuerſa tamen imperantibus, ita tamen vt ex æquo vtrique ſeruiatur, & pari affectu vterque ametur. Quia, vt Maldonatus ait hoc loco, natura ipſa prohibet, vt amor diſtrahatur in diuerſos Dominos; quemadmodum nec mulier duos maritos habere poteſt, quos æquè ſimul amet, etiamſi contraria non præcipiant. Hinc Auſonius: *Duo*, inquit, *ſocios non recipiunt: amor & principatus.* Et Tragœdus: *Nec regna ſocium ferre, nec tedæ* (coniugia) *ſciunt.* In hunc ſenſum dicitur Iſa. 28. *Coanguſtatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non poteſt.* Vult dicere: Deus: Vos, ô Iudæi, præter me ſponſum veſtrum, alium admittitis amatorem, Idola ſeu veriùs diabolum in Idolis habitantem. Non poteſtis duos habere ſponſos, anguſtum eſt ſtratum cordis veſtri, alter decidat neceſſe eſt. Eodem modo Apoſtolus probat, non licere fidelibus comedere de Idolothytis, 1. *Cor.* 10. cùm ait: *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Atque hoc indicat Dominus; ſiquidem non dixit. Nemo poteſt duos dominos habere; ſed: *Non poteſt duobus dominis ſeruire*; pari ſcil. affectu. 2.

Q. SECVNDÒ. Quâ ratione oſtenditur Deum eſſe ſupremum noſtrum Dominum, cui ſeruire obligemur? Reſp. Non vnâ, ſed pluribus. Primò, quia eſt ens ſupremum & digniſſimum, infinito interuallo omnium creaturarum perfectiones excedens. Quando autem vna natura alias magno interuallo ſuperat, iure naturali eis dominatur. Ita ignis elementis ceteris, ſol ſtellis; homo potentiâ, ſapientiâ, C. II. Vnde oſtenditur Deum eſſe ſupremum noſtrum Dominũ. 1.

ſtà opibus cæteros longè præcellens, iure eis imperat. At inter Dei & hominum perfectiones, nobilitatem, ſapientiam, potentiam, pulchritudinem, opulentiam, &c. tanta eſt diſtantia, vt nulla omninò ſit proportio. De iure igitur naturali homo ei ſeruit.

2\. Secundò. Quia homines, vti & aliæ creaturæ, ab ipſo creati ſunt. Quod autem quiſque condit in ſuo territorio, hoc iure etiam poſſidet. Hinc *Pſal.* 94. dicitur: *Ipſius eſt mare*; cauſamque ſubdit: *Et ipſe fecit illud.* Rurſum *Actor.* 17. ait Paulus: *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt; hic cæli & terræ cùm ſit Dominus.* Accedit D. Bern. de quadrup. debito: *Creator*, inquit, *tuus eſt, tu creatura: tu ſeruus, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum: Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes.* Quare non ſolùm nos, ſed omnia etiam noſtra ei debemus, quia ab eo accepimus. Ita enim ipſe *Aggæi* 2. ait: *Meum eſt argentum, & meum eſt aurum.* Ex quo concludit S. Auguſtin. *hom.* 30. *inter* 50. non tam de bonis noſtris, quàm de rebus Dei facere nos eleëmoſynam. *Deus*, inquit, *verè & propriè ſuum dicit eſſe aurum & argentum, quod & largiſſimâ bonitate condidit, & iuſtiſſimo adminiſtrat imperio, vt ſine ipſius nutu ac dominatu nec mali niſi ad auaritiæ ſupplicium: nec boni niſi ad vſum miſericordiæ, poſſint habere aurum & argentum.*

3\. Tertiò. Quia cùm per peccatum periiſſent, ab ipſo redempti ſunt. Hinc Apoſtolus 1. Cor. 6. ait: *Non eſtis veſtri; empti enim eſtis pretio magno.* Temporales ille cruciatus lubens volens ſuſtinuit, ne nos æternos ſuſtineremus; ſumus ergo illi obnoxij velut ſerui emptitij. Vnde Bernardus *de delig. Deo*, ait: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro refecto, & pro refecto hoc modo? nec enim tam facile refectus, quàm factus.* Et paulò pòſt: *In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe, & vbi ſe dedit, me mihi reddidit; datum ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro ſe? nam etiamſi me millies rependere poſſem; quid ſum ego ad Deum?*

4\. Quartò. Quia præcipit nobis, vt ei ſeruiremus, propoſito etiam immenſo præmio; denique nos in baptiſmo fidem ac ſeruitutem ei promiſimus. Eſt enim baptiſmus pactum hominis cum Deo initum, de inſtituendâ vitâ ſanctiore ac puriore ad Dei cultum. Vnumquodque horum, vel per ſe ſolum ſufficit, vt nos obliget ad ſeruiendum Deo. Si enim hoc mandaſſet ſolùm Deus, iam ſeruire ei deberemus; licet nihil mercedis promiſiſſet, (quia eſt abſolutus noſter Dominus) licet etiam in baptiſmo nihil cum eo pacti eſſemus.

Has igitur ob cauſas reſpectu hominum potiſſimùm vult appellari Dominus; vt ex S. ſcripturâ patet, quæ, vt obſeruauit Tertullianus contra Hermogenem, non priùs Domini titulo Deum nuncupauit, quàm condidiſſet hominem. Cœlum creauit, & in eo Angelos, aërem, & in eo volucres, mare, & in eo piſces, terram, & in eâ animantia, quorum omnium licet reuerâ eſſet Dominus, non tamen niſi Deus appellari voluit. At vbi ad hominis creationem deuentum eſt, tum ait ſacer textus: *Formauit igitur Dominus Deus hominem*, &c. Gen. 2. quia nimirum voluit illum peculiari ratione ſibi ſubiectum, monens interim eum, vt ne alium ſibi Dominum præter ipſum eligat.

Q. Tertiò. Quâ ratione Deus vocatur etiam Pater noſter? Sic enim ſemel atque iterum appellatur à Chriſto in hodierno Euangelio. Reſp. Plures etiam ob cauſas. Primò, Pater noſter eſt creatione. Vnde Moyſes *Deut.* 32. ait: *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* q. d. ideò poſſedit te velut pater filium, quia fecit & creauit te. Parentes dant nobis corpus, imò corporis ſementem duntaxat: non animam; Deus dat nobis & infundit animam, formatque & augmentat corpus. Iam *ſi parentes*, inquit S. Ambroſius l. de fugâ ſæculi, *quia nos genuerunt, amamus; quanto magis diligere debemus creatorem, parentem factoremq́, noſtrum?* D. III. Quomodo Deus vocatur Pater noſter. 1.

2\. Secundò. Pater eſt educatione. Solemus & illos appellare ac colere velut patres noſtros, qui à teneris nos educârunt ac nutrierunt, licet reuerà non genuerint nos. Atqui Deus eſt, qui dat eſcam omni carni, & *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, pluitq́, ſuper iuſtos & iniuſtos*; quæ duo beneficia, ſol, inquam, & pluuia, duo potiſſimi coqui ſunt, quorum miniſterio nos nutrit. Nec verò qualicumque, ſed filiali ratione educat, blandè, miſericorditer & liberaliter; *quomodo miſeretur pater filiorum.* Pſal. 102. Portat & cuſtodit per Angelos cuſtodes velut per nutrices: quo modo aquila pullos ſuper alas ſuas, *Deut.* 32. Curam quoque de noſtrâ ſalute & incolumitate habet; vnde Chriſtus ſe gallinæ comparat, quæ congregat pullos ſuos ſub alas, ne rapiantur à miluo, & præ cæteris auibus magis ſolicita eſt de pullis ſuis, *Matth.* 23. Denique *etſi oblita fuerit mater infantem ſuum, ego tamen non obliuiſcar tui*, ait Iſa. 49.

3\. Tertiò. Pater eſt inſtructione & correctione. Iure etiam Præceptores noſtros vocamus Patres noſtros, quia patres quidem dant viuere, præceptores dant nobis bene viuere: illi gignunt, iſti efformant: illi exſculpunt; iſti variis ſcientiarum & virtutum coloribus pingunt nos. At hoc ipſum Deus partim mediis Magiſtris noſtris, partim ſeipſo facit. Ipſe donat Prædicatores & Præceptores idoneos, ipſe inſpirat bona deſideria, ipſe mentem intùs illuminat, ipſe etiam variis modis caſtigat, *& flagellat omnem filium, quem recipit*, ad Hebr. 12. *Quem diligit Dominus corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi*, Prou. 3. Diſplicet ei vitium filij, placet emendatio eiuſdem, inde ſecutura.

4\. Quartò. Pater eſt dotatione & plurimorum honorum cumulatione. Eò videntur propriè pertinere verba Moyſis ſupra citata: *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te & fecit, & creauit te?* Loquitur enim de Hebræorum,

læorum, & in figurá de Chriſtianorum exaltatione ſpeciali; quos primò *poſſedit*, (Hebr. *emit*, redimendo ab Ægypti ſeruitute;) deinde *fecit* ſeu formauit in monte Sinai, per legem ſuam; denique *creauit* (Hebr. *firmauit*) ſtabiliuitque in regno. Atque hæc ingratis Iudæis exprobrat per Iſaiam cap. 1. *Filios enutriui*, inquit, *& exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me.* Nutriuit non ſolùm in terra Geſſen, & manná in deſerto, ſed & lege & prophetiis, libris ſacris, monitis, promiſſis. Exaltauit opibus, miraculis, victoriis, regno, templo, aliiſque donis præ omnibus nationibus: At longè his præſtantiora præſtitit Chriſtianis, vti patet; viderint ergo, ne & ipſis dicat: *Filios enutriui*, &c.

5. Quintò. Pater eſt hæreditatis prouiſione, & quidem cœleſtis atque æternæ. Etenim *regenerauit nos in ſpem viuam & in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem, conſeruatam in cælis.* 1. Petr. 1. *Quod ſi igitur filij* erimus, *& hæredes*, inquit Apoſtolus *ad Rom.* 8. Atque ex his apparet, quanto iure Deum veneremur velut patrem. Certè olim mortales, etiam Iudæi, non fuerunt auſi Deum appellare *Patrem*; *Dominum* appellabant: quia nimirum Deus crebrò illud intonabat: *Ego Dominus.* Et *nuſquam inuenitur*, inquit Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Dom. cap. 8. *præceptum populo Iſraël, vt diceret: Pater noſter, vt oraret Patrem Deum, ſed Dominus eis inſinuatus eſt, tanquam ſeruientibus, id eſt, ſecundum carnem viuentibus.* At in lege nouâ, quia ſe longè blandiorem ac munificentiorem exhibuit fidelibus, pater ab iis vocari voluit, vti coleretur, non iam velut Dominus à mancipiis, ſeruili ſcilicet timore; ſed tanquam pater à filiis, timore filiali ſeu amore. Vnde Petrus Chryſologus ſer. 77. ait: *Qui iudicem mutauit in patrem, amari voluit non timeri. Vtatur* (ergo) *voce noui teſtamenti populus nouus*, inquit Auguſtinus loco cit. cap. 9. *ad æternam hæreditatem vocatus.*

E. IV. Quæ ſollicitudo prohibeatur. Q. QVARTÒ. Quæ ſollicitudo circa temporalia prohibetur hîc à Domino? Reſpondet ad hoc D. Thomas 1. 2. q. 108. a. 3. *Dominus ſollicitudinem neceſſariam non prohibuit, ſed ſollicitudinem inordinatam. Eſt autem quadruplex inordinatio ſollicitudinis vitanda circa temporalia.*

1. Primò. *quidem vt in eis finem non conſtituamus, neque Deo ſeruiamus propter neceſſaria victûs & veſtitûs; vnde dicit: Nolite theſaurizare vobis*, &c.

2. Secundò. *Vt non ſic ſollicitemur de temporalibus cum deſperatione diuini auxilij; vnde Dominus dixit: Scit pater veſter, quòd his omnibus indigetis.*

3. Tertiò. *Ne ſit ſollicitudo præſumptuoſa, vt ſcilicet homo confidat ſe neceſſaria vitæ per ſuam ſollicitudinem poſſe procurare abſque diuino auxilio: quod Dominus remouet per hoc, quòd homo non poteſt aliquid adijcere ad ſtaturam ſuam.*

4. Quartò. *Per hoc, quòd homo ſollicitudinis tempus præoccupat: quia ſcilicet de hoc ſollicitus eſt nunc, quod non pertinet ad curam præſentis temporis, ſed ad curam futuri; vnde dicit: Nolite ſollicitè eſſe in craſtinum.* Hæc D. Thomas loco citato. Porrò quid ſit eſſe ſollicitum in craſtinum explicat q. 188. ar. 7. ad 2. in hæc verba: *Quod ergo dicitur: Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum, ſecundum Hier.* (*Gloſſ. ord. ad finem cap.* 6. *Matth.*) *ſic exponitur: ſufficit nobis præſentis temporis cogitatio: futura, quæ incerta ſunt, Deo relinquamus. Secundum Chryſoſt. ſic* (*hom.* 16. *in Matth. op. imperfect*) *ſufficit labor, quem pateris propter neceſſaria; noli de ſuperfluis laborare. Secundum Auguſt. ſic: Cùm aliquid boni operamur, non temporalia, quæ ſignificantur per craſtinum, ſed æterna cogitemus.* Sic ille. Eodem pertinet, quod 2. 2. q. 55. ar. 2. ſcribit: *Si quis tempore æſtatis de vindemiâ iam eſſet ſollicitus, ſuperfluè præoccuparet futuri temporis ſollicitudinem. Vnde huiuſmodi ſollicitudinem tanquam ſuperfluam Dominus prohibet, dicens: Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum.*

Quintò. *Alio modo*, inquit idem Doctor alibi (2. 2. q. 55. a 6. *poteſt eſſe temporalium ſollicitudo illicita propter ſuperfluum ſtudium; quod apponitur ad temporalia procuranda, propter quod homo à ſpiritualibus, quibus principaliùs inſeruire debet, retrahitur. Et ideò dicit, quod ſollicitudo ſæculi ſuffocat verbum.* 5.

Sextò. *Ex parte timoris ſuperflui; quando ſcilicet aliquis timet, ne faciendo quod debet, neceſſaria ſibi deficiant*, &c. Ita D. Thomas. Habemus ergo, tunc prohiberi ſollicitudinem: Primò, cùm temporalia quærentur vt finis. Secundò, cùm ſuperfluum in iis quærendis ſtudium adhibetur. Tertiò, cùm quis ea ſic quærit, quaſi non à Deo expectet, ſed ſuis dumtaxat viribus acquirere velit. Quartò, cùm intempeſtiuè circa ea quærenda ſe occupat, adeoque ante tempus anxius eſt. Quintò, ſi ſuperfluis abundare velit, & propterea ſollicitè laboret. Sextò, ſi per iſtam ſollicitudinem abducatur à diuino obſequio & ſuo munere. Septimò, ſi nimio timore angatur, ne ſibi neceſſaria deſinit. 6.

Q. QVINTÒ. Cur nos remittit Chriſtus ad creaturas ſenſu & ratione deſtitutas, lilia & volatilia? Reſp. primò, vt memores ſimus lapſûs noſtri de ſtatu innocentiæ in peccatum. In illo enim ſtatu ſapientiâ excelluiſſemus quemadmodum & Adam, neque opus fuiſſet eam nobis conquirere à creaturis irrationalibus; at in ſtatu peccati ita excæcati ſumus, vt à brutis & elementis diſcere debeamus. Quia *homo, cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pſ. 48. Nos ergo iam à brutis edoceri neceſſe eſt, quæ à nobis alioquin deberēt edoceri. E. V. Cur remittit nos Chriſtus ad creaturas irrationales. 1.

Secundò. Ad confuſionem noſtram; vt qui in multis vincimus à creaturis irrationalibus in ſcientiâ & prouidentiâ, ſtudio, labore, &c. Ita Ieremias confundit ſuos Hebræos exemplo illarum auium, quæ nôrunt & obſeruant tempora ſua, cùm Hebræi non obſeruent tempus viſitationis ſuæ, *Miluus in cælo*, inquit, *cognouit tempus ſuum; turtur & hirundo* 2.

birundo & ciconia cuſtodierunt tempus aduentûs ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini, Ier. 8. Sapiens *Prou.* 6. mittit pigrum ad formicam.

3. Tertiò. Ad inſtructionem noſtram. Sunt enim creaturæ omnes quaſi prima literarum elementa, à Deo nobis præſcripta, vt ex earum qualitatibus, forma, induſtriis, actionibus, diſceremus quid nobis ſit faciendum & quantum ſit noſter Deus. Atque hinc olim Ægyptij non habuerunt alias literas, præterquàm creaturarum imagines, (vti adhuc Romæ videre eſt in aliquot Obeliſcis) Per illas enim creaturas, quarum naturas perſpectas habuerunt, animi ſui ſenſa expreſſerunt, ſeque inuicem docuerunt.

Q. VI. Quodnã Dei regnũ ante omnia quærendum.

Q. Sextò. Quodnam illud regnum Dei, ante omnia quærendum? Reſp. eſſe triplex, Eccleſiam, Iuſtitiam, Cœlum. Per primum tranſeundum eſt ad ſecundum: per ſecundum venitur ad tertium. Primum igitur Eccleſia, quæ in Euangelio ſæpiùs appellatur regnum cœlorum, vt alibi explicatum. Porrò id neceſ- 1.
ſariò & ante omnia quærendum eſt; quia extra veram Chriſti Eccleſiam non eſt vera fides; ſine fide nequit obtineri gratia & iuſtitia, adeoque nec beatitudo.

2. De ſecundo ſcribit Apoſtolus ad Roman. 14. *Non eſt regnum Dei eſca & potus; ſed iuſtitia, gaudium & pax in Spiritu ſancto.* Vult dicere gratiam, per quam regnat Deus in cordibus noſtris, eſſe inchoatum Dei regnum. Ex illâ enim reſultant in hominem tria maxima bona, quæ ipſum quodammodò beatum reddunt: Iuſtitia ſeu decor omnium virtutum, pax animi cum Deo & ſeipſo, gaudium conſcientiæ bonæ.

3. Tertium eſt regnum cœleſtis beatitudinis; de quo obtinendo certi & ſecuri erimus, ſi duo illa priora ante omnia quæſierimus & in iis perſeuerauerimus.

DOMINICA DECIMA QVINTA. POST PENTECOSTEN.

Euangelium Lucæ 7.

IN illo tempore. Ibat IESVS in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cũ illa. Quã cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere. Et acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, ſteterunt. Et ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia DEVS viſitauit plebem ſuam.

CONCIONES.

I. *Timor Domini quàm meritò in nobis eſſe debeat.*
II. *Mors cur in mundo relicta.*
III. *Quæ potiſſimum vitia iuuenibus vitam abrumpant.*
IV. *Cauſa cur tam multi ante maturam ætatem moriantur.*
V. *Ars bene moriendi.*
VI. *An & qua ratione mortui lugendi ſint.*
VII. *Emendationem vitæ non eſſe differendam vſque ad ſenectutem.*
VIII. *De ſepultura Chriſtianorum eiuſq; cauſis.*
IX. *Documenta & Myſteria.*

CONCIO I.

Timor Domini quam merito in nobis debet eſſe.

1. *Quia ſupra nos videmus Deum potentiſſimum creatorem ac Dominum noſtrum, omnia intuentem.*
2. *Infra nos purgatorium & infernum.*
3. 4. *Retrò nos peccata præterita: ante futurorum periculum.*
5. *Intra nos naturam corruptam.*
6. *Extra nos videmus hoſtes plurimos.*

THEMA.

Accepit autem omnes timor. Luc. 7.

A. NVm. 14. deſcribitur & taxatur cæcitas ac temeritas populi Hebræi, quòd contra DEI præceptum & Moyſis admonitionem, abſque arca fœderis, abſque Duce ſuo Moyſe aſcendere præſumpſerint in verticem montis Idumeæ, quò nimirum mox penetrarent in terram Chanaan, quaſi id ludus paruulorum & res nullius laboris aut periculi eſſet. Monebat illos Moyſes: *Nolite aſcendere, non enim eſt Dominus vobiſcum, ne corruatis coram inimicis veſtris. Amalecites & Chananeus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis, nec erit Dominus vobiſcum.* At nihilominus *illi contenebrati* (vt ait textus) adſcenderunt in verticem montis. Deſcenditque Amalecites & Chananæus, qui habitabat in monte, & percutiens eos atque concidens, perſecutus eſt vſque Horma, quod exponitur Anathema. Huiuſmodi ſtultitia & temeritas cernitur manifeſtè in hæreticis noſtris, dum ſolâ fide ſuâ freti promittunt ſibi cœlum, ſecluſo omni timore. Et licet eos ſcriptura ſacra ſexcentis in locis moneat, non poſſe tam ſecurè penetrari ad terram Chanaan cœleſtis beatitudinis, ſed cum timore & tremore operari oportere ſalutem; eò quòd multi hoſtes iter id obſideant: nihilominus illi *contenebrati* pergunt aſcendere ad montem illum, & abſque omni metu, quaſi ſaltando pergunt ad horrendum Chriſti tribunal. Vbi abſque dubio terribiliter excipiuntur & pelluntur vſque Horma, ſeu anathema æternæ damnationis. Sed fortè non deſunt etiam Catholici, qui hac cæcitate laborant & de ſuâ ſalute nimiùm præfidunt, omni timore pulſo. Si qui tales ſunt, grauiſſimè aberrant, & vt verbo dicam, clauſis quodammodò oculis ad infernum ruunt.

B. Quod vt cœci iſti videant, afferemus rationes, quæ nobis ingenerare timorem DEI debent. *Legimus de Rege quodam* (ita ſcribit Maiolus Epiſcopus Vulturarienſis to. 2. canic. coll. vlt.) *qui nunquam ridere viſus ſit, quiq; nullis rebus, quantumuis iucundis & facetis ad riſum commoueri potuerit. Aulici & conſiliarij Regis ſui ingenium admirati, fratrem Regis impellunt, cauſam triſtitiæ vt ſciſcitetur. Cui rex cauſam indicaturus, poſtero die iubet foueam profundiſſimam ſtratis in fundo ignitis carbonibus parari, ſolium vetuſtate ferè corruptum ſuperimponi, in quo fratrem diademate, ſceptro & cultu regio magnificentiſſimo ornatum, collocat, abacum auro argentoq; calato, & varij generis vino, epuliſq; exquiſitiſſimis inſtructum poni iubet, adhibentur cantores voce & multiplici inſtrumento muſica modulantes, miniſtrant menſæ nobiles aulici, nec quicquam regalis magnificentiæ deſideratur. Interim capiti fratris Rex enſem filo bombycino imminentem è lacunari demittit, armatos milites quatuor ſubornat, qui ſtrictis enſibus nouum Regem adoriantur, pectus hic, alter tergum, reliqui duo vtrumque latus mucrone petant. Quibus hoc modo conſtitutis fratrem bono eſſe animo, demere ſupercilio nubem & ridere Rex iubet: at is inter tot pericula totus periturus, & penè exanimatus, quò ſe vertat niſi præſentiſſimo cum vitæ periculo non videt; modò vt ſurgere & abire ſibi liceat per Deos omnes precatur. Tum Rex: talis eſt vita omnium, qui ad gubernacula ſedent; in his periculis vita, & fortunarum omnium ſingulis momentis verſor & ego, in regio quidem ſum conſtitutus throno, at is ſingulis horis ruinam minitatur. Cùm nullum ſit in orbe imperium tam firmum, quod non varijs caſibus ſit obnoxium, quocunque me verto imminens periculum ante oculos poſitum cerno: ſupra me Deum iuſtum iudicem, accuratam poſtulaturum paulo poſt à me totius vitæ & gubernationis meæ rationem video, ſiněmq; ſingulis momentis, vitæ meæ tenui filo dependentis, imminentem vereri cogor. Infra me ſi lumina defigo, gehennæ horribile barathrum infernalibus flammis ardere intueor. Si ante me proſpicio vitam vario fortunæ ludibrio expoſitam conſidero & tragicos caſus extimeſco. Retrò reſpiciens vitam anteactam multis peccatis & erroribus deploro; ſi ad vtrumque latus oculos deflecto, imminentium vndique malorum congeriem, & ingruentium calamitatum pericula exhorreo. His malis exercentur quotidie, qui imperia & principatus tenent. Habes igitur frater cauſas triſtitiæ meæ, quas dum ſingulis momentis mihi ante oculos pono, nullam mihi ridendi & ludendi cauſam oblatam video.*

Simili ſin ſtatu quilibet noſtrûm verſari videtur, Auditores. Etenim ſupra nos cernimus DEVM cum iuſtitiæ gladio nobis attendentem ſingulis momentis: infrà nos inferni foueam, peccatoribus paratam: Retrò nos peccata noſtra præterita, remorſum conſcientiæ nos vexantia: Ante nos pericula committendorum peccatorum: Intra nos concupiſcentiam ad peccandum pronam. Extra nos hoſtes plurimos.

Supra nos videmus DEVM, de quo ait Iob cap. 31. *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui* DEVM. Qui primo eſt potentiſſimus, cui non poteſt reſiſti ab vllâ potentiâ, ſed cùm ſit ſupra nos, omnes nos pro libitu ſuo caſtigare & perdere poteſt ac conterere: quomodo nos formicas vel vermiculos pedibus conterimus. Vnde Mardochæus ſic

1. Quia ſupra nos DEVS.

1. Potentiſſimus.

d by Google

ſic orabat: *Domine Domine Rex omnipotens in ditione tuâ cuncta ſunt poſita: & non eſt qui tuæ poßit reſiſtere voluntati*, Eſth. 13. Quòd ſi, cùm ſpiritus aut dæmones videmus, mox ingenti horrore concutimur, quia nimirum ſcimus eos eſſe fortiſſimos, nec poſſe à nobis vinci aut vulnerari, ſed viribus longè nobis ſuperiores eſſe: quomodo non magis timendus DEVS, ante quem ipſi dæmones *contremiſcunt*? vt ait S. Iacobus.

2. *Creator & Dominus noſter.*

Secundò. Ipſe eſt Pater & creator, adeóque etiam Dominus noſter, qui vaſa quæ formauit, conterere & confringere iure ſuo poteſt, nec eſt qui poſſit ei dicere: *Cur ita facis*? Iob 9. Vnde Dominus ait Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Quàm, quæſo, timeres illum, qui te in fune pendulum teneret ſuper altum puteum? quàm tu illi bona verba dares? quàm abblandireris? quàm abſtineres ab omni conuitio aut offenſâ eius? Atqui ita nos à DEO dependemus. *Quis* (ergò) *non timebit te, ô Rex gentium*? ait Ieremias cap. 10.

3. *Omnia noſtra inſpicius.*

Tertiò. Ipſe omnes noſtros actus inſpicit & nouit, notat & inſcribit, vt ſuo tempore iudicet, præmiet vel puniat. Pueri in ſcholis timent eum, qui poteſtatem habet notandi eorum errata, garrulitatem aut leuitates in templo vel ſcholâ commiſſas. Nos ergo non timeamus DEVM, qui per ſeipſum omnia noſtra facta refert in ſuas tabulas? Venite mecum ad Ezechielem; Is c. 9. aſſerit ſe vidiſſe virum veſtitum lineis (Chriſtum ſcilicet iuxta communem expoſitionem) & attramentarium ſcriptoris ad renes eius; *quo nimirum omnium peccata deſcriberet*, vt ait ibi Hieron. *& ſanctorum à peccatoribus numerum ſegregaret.* Scribit Petrus martyr in ſummario rerum Indicarum, in Hiſpaniola Inſulâ folia Coppei arboris papyri vicem præbere, accidiſſeque vt quidam Hiſpanus mitteret aliquando literas in foliis illis conſcriptas cum munere ad amicum. Munus verò non integrum cum literis eſt exhibitum. Reſcripſit ergo amicus ſe munus omne non accepiſſe, quòd literarum lator partem ſibi retinuiſſet. Lectæ igitur literæ, & damnatus fraudis lator, crimen confeſſus eſt. Inde euenit, vt Inſulares non auderent colloqui iuxta eas arbores, quòd animatas crederent & ſecreta pandere. Cogitate nunc Auditores, quam cauti eſſe debeamus in omnibus noſtris actibus; ſiquidem prope nos adſtat DEVS, qui omnia noſtra intuetur & aliquando reuelabit ac iudicabit. Certè in hod. Euangelio & aliàs ſæpius (*Ioan. 1. Dan. 6. Matth. 9. & Matth. 27.*) timor inuaſit homines, ex eo præcisè, quòd miraculum conſpicerent, adeóque diuinitatis præſentiam inde colligerent. Quanto magis tremere deberemus, ſi cogitaremus DEVM nobis adeſſe vt inſpectorem & Iudicem?

C. II. Quia infra nos infernus & purgatorium.

SECVNDÒ. Infra nos videmus pœnas nobis debitas, infernum vel certè purgatorium. Scimus enim peccatis mortiferis deberi infernum, venialibus verò purgatorium, aut pœnas alias in hoc ſæculo: nec facilè reperiri, qui vtriſque careat. DEVM prætereà iuſtum eſſe, qui nullum peccatum impunitum relinquat iuxta id Iob 9. *Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti.* Cùm ergo probabiliſſimum & quaſi certum ſit, alterutrum ignem nobis ſubeundum: quomodo non timemus? Tradunt hiſtorici Didacum Oſorium Hiſpalis in carcerem à rege Catholico coniectum, vnâ nocte, cùm eſſet admodum iuuenis incanuiſſe, præ nimiâ animi anguſtiâ & mortis metu. Iten. Hiſp. Syl. p. 2. c. 7. Nos autem in hoc mundi carcere inclusi, & aliquando educendi ad mortem & ſupplicium ignis, ſeu æterni, ſeu tranſitorij, lætabimur? ridebimus? Quàm leuia ſæpe piacula militum plectuntur mortis ſupplicio? quàm exigua furta laqueo? Et quid faciet nobiſcum DEVS? omniané condonabit? haud credo. Imò tanto ſeueriùs caſtigabit, quanto maior eſt ipſe offenſus; nos enim offenſas hominum ferè plectimus ſuppliciis, non offenſas DEI. Timuerunt certè ignem illum viri ſanctitate conſpicui, vti S. Hieronymus, qui epiſt. 22. ad Euſtoch. ait: *Ille ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum.* Item ſanctus ille Abbas in vitis PP. l. 7. c. 44. dicens: *Ego ob peccata mea inferno adiudicaui meipſum, dicoq́; Eſto cum his, quibus dignus es, iſtis poſt modicum annumeraberis.* Et Cyrill. Alexandr. orat. de exitu animæ: *Gehennam timeo, quippe interminatam, exhorreo tartarum vt cui nimium inſit caloris: paueo tenebras, quoniam nihil admittunt lucis: formido peſtiferum vermem, quoniam eſt perennis.* Et S. Hilarion ex hoc carcere educi timens, viciná iam morte dixit: *Egredere anima mea, egredere, quid times? ſeptuaginta propè annis ſeruiuiſti Chriſto, & mortem times*? teſte S. Hieron. Igitur ſancti illi timent, qui totâ vitâ ſuâ DEO ſeruierunt in maxima vitæ auſteritate; & nos ſecuri erimus? Quàm bene S. Chryſoſt. *ho. 5. ad pop.* comparat nos pueris, qui laruas timent, non ignem, cui dum manus inſerunt, comburunt: Sic enim nos metuimus damna temporalia, confuſionem, paupertatem, opera pœnitentiæ, & afflictiones corporis, confeſſionem: peccatum verò & ignem, ad quem ducit, non formidamus, ſed cæcorum inſtar in illum inſilimus. Mira & miſeranda cæcitas! Nónne ipſi dæmones vehementer timuerunt ne in tartarum ablegarentur à Chriſto? Quid enim eſt quod Luc. 8. *rogabant illum ne imperaret illis vt in abyſſum irent*, ſed potiùs vt permitteret eis in porcos ingredi? Nónne dæmones, teſte Ven. Beda omnibuſque Theologis, etiam qui in aëre & ſupra terram degunt, ſuas quoque pœnas ſecum vndique circumferunt? Et tamen adeò inſtanter rogant, ne in Orcum deiiciantur; quia eorum pœnæ in inferno multis partibus cumulandæ ſint. Timeant ergo dæmones & non timeant homines detrudi in abyſſum?

D. III. Quia retro nos peccata noſtra præterita.

Tertiò. Retro nos videmus peccata præterita & vitam malè actam. Si enim in ſæculo, præſertim diu, viximus, quomodo non innumera coram Deo debita contraximus, vt meritò exiſtimare poſſimus, ſeruum illum, qui decem millia talenta Domino ſuo debuit, nos ſignificare? Dices, ea deleta eſſe per pœnitentiam. Sed vnde imprimis noſti, quòd ea omnia verâ & ſeriâ contritione ac pœnitentiâ expiaueris? Quid ſi multa non ſis confeſſus vel non rectè, defectu examinis, contritionis vel attritionis, propoſiti emendationis,& ſatisfactionis: adeoque tibi vanè blandiaris dicendo, *pax pax, cùm non ſit pax*? Ier. 8. Quàm multi vix decimam partem peccatorum ſuorum confitentur? Quàm multi adferunt ſarcinam peccatorum; quam vix duo equi ferrent, ad confeſſarium, abſque vllo tamen doloris indicio, vel emendationis propoſito? Interim feſtinanter expediri à Confeſſario & abſolui volunt. Quibus id Alberti M. dici poteſt: *Iuiſti priùs ad infernum ſine licentia* (ſine abſolutione) *nunc ibis cum licentiâ*, (cum abſolutione.)

Deinde qui noſti nihil te habere occulti ſceleris? nihil alieni? nihil omiſſionis? Cur enim ait Dauid, qui diligenter ſcopebat ſpiritum ſuum: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo*; Fieri certè poteſt, vt multa ob ſubtilitatem te fugiant, vti cogitationes, intentiones, omiſſiones: vel ex ignorantiâ culpabili peccata eſſe non exiſtimes, quæ peccata ſunt: vel exciderint tibi è memoriâ, culpâ tuâ ob dilatam confeſſionem; vel conſcientiam non ſatis diſcuſſam. Vnde rurſum Dauid Pſ. 39. ait: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* Siquidem non videmus fundum cordis noſtri, & neſcimus an in eo vitium aliquod ſecretum lateat. S. Baſilius *in conſtit. monaſt. cap. 1.* ait: *Cùm in multis rebus offendamus omnes, maiorem tamen offenſuram partem ne intelligimus quidem.*

Adhæc ſi dimiſſa demus peccata, nunquid etiam pœna omnis condonata? *Vt enim ſanetur vulnus, manet tamen cicatrix*, dicebat Alexander M. ita poſt abſolutionem remanet ſatisfactio. Vnde idem Dauid dixit: *Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo & cogitabo pro peccato meo*, Pſal. 37. Hieronymus ex Hebr. vertit: *ſolicitus ero pro peccato meo*: id eſt, anxiè cogitabo, quomodo Deo ſatisfaciam & plenam indulgentiam obtineam. Qui magnum creditorem habet, quem vix ſoluere poteſt, timet illi obuiare, eum alloqui. Devm ergo non timebimus, cui tanta debemus? Verè igitur dixit Eccleſiaſt. cap. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Sanè qui in tabernâ ſedent & potitant, ſæpe ſæpiùs aſpiciunt parietem, & numerant menſuras vini exhauſtas in eo deſcriptas, videntque an habeant ad ſoluendum; & ſi præter opinionem vident excreuiſſe debitum, conſternantur. Cur non timeamus nos, qui tot debita contrahimus, quæ vix aliter deleri poſſunt, niſi ſæuiſſimo ignis incendio?

Denique quæ putamus bene nos feciſſe, ſæpe ſuos næuos habent & coram Deo mala ſunt. Alia enim ſunt iudicia Dei, alia hominum. Et *plerumque in conſpectu ſordet æterni Iudicis, quod intentione fulgit operantis*, ait S. Gregorius. Multa requiruntur ad opus bonum & meritorium; plura ad perſeuerandum in bonis operibus. Vnde Dauid *Pſal.* 142. ait: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* S. Hieron. in Ier. c. 30. ait: *Omnis mundus indiget miſericordiâ Dei. Nullus ſecurus ad iudicium pergat.* Id quod etiam fecit & dixit Auguſtinus: Neminem ſcilicet quantumuis perfectum diſcedere ſine pœnitentia è vitâ debere. Idem S. Auguſt. l. 9. confeſſ. c. 13. non audens omninò iuſtificare ſanctam matrem ſuam, dixit Deo: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam.* Et ideò in Pſal. 41. ait, quòd *abyſſus abyſſum inuocet*, abyſſus ſcilicet humanæ miſeriæ & cæcitatis, abyſſum diuini luminis & miſericordiæ. Ipſemet Apoſtolus 1. Cor. 4. ait. *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Et Iob c. 7. *Etiamſi habuero quidpiam iuſtum, non reſpondebo ei, ſed iudicem meum deprecabor.*

E. IV. Quia ante nos pericula futurorũ peccatorum.

Qvartò. Ante nos videmus pericula futurorum peccatorum & peruerſionis noſtræ. Quàm facilè enim contingere poteſt, vt propter aliquod veniale peccatum tantùm, quod ſæpiùs reperitur, gratiam ſuam Devs ſenſim ſubtrahat ſinatque hominem ſibi; ex quo is tandem in grauia peccata ruat? Quàm ſæpe vincuntur vanâ gloriâ & ſuperbiâ, qui priùs victores erant? Vnde Dauid precatur: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ* (vt ſcilicet in fine ſuperbiam) *& manus peccatoris non moueat me.* Quàm facilè obrepit iuſtis torpor aliquis & negligentia ob nimiam præfidentiam & ſecuritatem, vt ſibi & carni blandientes atque indulgentes paulatim tepeſcant, deficiant & cadant? Audi Devm *Ier.* 22. dicentem: *Viuo ego, dicit Dominus, quia ſi fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda, annulus in manu dexterâ meâ, inde euellam eum*; vbi nimirum cœperit curam ſui abiicere & me relinquere. Quot eiuſmodi annulos, id eſt, ſibi chariſſimos & amiciſſimos abiecit de manu ſuâ Devs? Nonne Luciferum? nónne Saulem? nónne Salomonem in ipſâ demum ſenectute eius? nónne præclariſſima duo Eccleſiæ lumina, Origenem & Tertullianum, illum Græcum, hunc Latinum; vtrumque in iuuentute cupidiſſimum martyrij, vtrumque abſtinentiæ & continentiæ amatorem, vtrumque ſcriptorem egregium non tantùm aduerſus gentes, ſed etiam aduerſus hæreticos? Etenim vterque in ſenectute lapſus eſt in hæreſin. Taceo Anachoretas; vnicum commemorabo, Heronem Eremitam, qui annis 50. vixit in eremo, in ſummâ abſtinentiâ, ſilentio & vitæ perfectione: poſtea tamen illuſus à diabolo ſemet in altiſſimum puteum præcipitauit; quaſi pro merito

merito virtutum ac laborum non poſſet vlli diſcrimini ſubiacere:& ſemimortuus inde ereptus à fratribus, ne ſic quidem reſipiſcere voluit,ſed in ſuâ obſtinatione vitam finiuit. Teſtatur hoc Caſſianus coll. 2. atque rem tempore ſuo geſtam & plurimis fuiſſe notam. Bene igitur S. Leo *ſerm. 8. de Epiph.* ſcripſit: *Hæc ſanctis cauſa eſt tremendi ac metuendi, ne ipſis operibus pietatis elati, deſerantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.*

Ne ergo id in te fiat, mox & diligentiſſimè vtere diuinis auxiliis. Si DEVS porrigit tibi manum, protinùs tuam quoque porrige: ſi in naufragio tabulam ſubminiſtrat, illicò apprehende: ſi oſtium pulſat, aperi confeſtim: Si cum Paulo vocat, reſponde ſine morâ: *Domine quid me vis facere*? Si reſpicit cum Petro, continuò exi foras & amarè fleto.

5. V. Quia intra nos natura corrupta.

QVINTÒ. Intra nos videmus naturam ex lapſu Adami corruptam, velut ſellam vetuſtate abſumptam & teredines gignentem. Videmus noſtram labilitatem imò peccandi neceſſitatem, vt non poſſimus euitare omnia peccata: ſaltem venialia. Tanta enim eſt noſtra fragilitas & inconſtantia, vt leuiſſimo tentationis flatu deiiciamur; vt vnica muſca, ſi nos paulò diutiùs infeſtauerit, faciat iraſci quandoque ad blaſphemiam: vt modica afflictio nobis pariat tædium vitæ: vt vna dies vel nox interpoſita omnia hominis propoſita ac deſideria mutet: vt ſingulis penè horis noua capiamus conſilia, noua quæramus oblectamenta.

Adhæc ſumus quaſi caſtellum, quod vndique portas habet, per quas occupari poteſt, quinque videlicet ſenſus: & intra noſmetipſos habemus milites præſidiarios, qui cum hoſtibus colludunt & perpetuò de traditione caſtelli tractant, concupiſcentias nimirum. Quare vti Caſtellanus eiuſmodi in perpetuo eſt timore: ita & nos eſſe debemus.

6. VI. Quia extra nos hoſtes plurimi.

SEXTÒ. Extra & circa nos videmus hoſtes plurimos & validiſſimos, qui nobis diu noctuque inſidiari non deſiſtunt & contrà nos coniurârunt, dæmones ſcilicet & mundus. *Artifex tegularius*, inquit Chryſoſtomus, *etſi valde peritus ſit, cum timore tamē & tremore ſtat* (in tecto.) *Metuens, ne ab ædificio decidat; & tu credidiſti, multa bona patraſti, in ſublime aſcendiſti: cautè teipſum continebis & cum timore ſtabis, oculumq́; vigilantem habebis, ne inde decidas: ſunt enim multæ nequitiæ ſpirituales, quæ te deiicere conantur.* Sic ille. Et certè ſi talis artifex metuit ob id tantùm, quia facilè pes labitur & vertigine caput inuoluitur, licet nullos habeat hoſtes, qui deiicere illum cupiant: quanto magis timendum homini, qui præter labilitatem & imbecillitatem inſitam, habet etiam plurimos hoſtes, qui perdere ipſum laborant? Indignabantur nautæ Ionæ, quòd in medio tempeſtatis dormiret ſecurè, nihil de tempeſtate ſolicitus, Ion. 1. Et quomodo nos poſſimus dormire in tot periculis & ſecuri eſſe? Videmus quanta in anguſtia ſint cerui cum agitantur, quomodo in fluuios & ſtagna ſe coniiciant omnia perrumpant & tranſiliant. Scribitur etiam eos lachrymari, cùm inter anguſtias ineuitabiles ſe conſtitutos vident. Neque mirum, intra ſe enim cor pauidum & infirmum habent, extra & circa ſe ſclopetarios: ante ſe retia, retrò canes allatrantes. Atqui omnia hæc & plurima terriculamenta circa nos habemus: intra nos naturam fragilem, extra hoſtium inſidias: retrò peccata præterita, ante peccata futura: infrà pœnas nobis debitas, ſuprà DEVM potentiſſimum, Dominatorem, Cardiognoſtam. Non ergo nos timebimus? imò in tot terroribus non fundemus lachrymas? Sed nimirum euenit nobis quod latrunculis Syriæ 4. Reg. 6. qui percuſſi cæcitate, non agnouerunt ſe in medio terræ hoſtilis eſſe. Proinde clamandum eſt ad Deum cum Eliſæo: *Domine aperi oculos iſtorum vt videant.*

Sanè Cardin. Bellarminus cùm audiſſet aliquando, (vt in eius vitâ cap. 36. ſcribit Marcellus Ceruinus) magnum quendam virum morti propinquum, ita ſecurum de ſuâ ſalute diſcedere, vt omnibus diceret, bono animo eſſent, ſe ſaluum fore; extimuit, diabolicam fraudem videns, nec commiſit, quin morituro confeſtim occurreret; & ſaluti eius proſpiceret, ac nimiam illam ſecuritatem menti eius eximeret, timorémque perſuaderet.

Quare nemo noſtrûm ſit, quem non accipiat timor: ſi velimus ingredi terram promiſſionis: quia *timenti Deum non occurrent mala*, ait Eccleſiaſticus cap. 33.

CONCIO II.

Mors cur in mundo relicta.

1. 2. *Vt peccata mundiq; vanitates execremur.*
3. *Ad peccandi libidinem coërcendam.*
4. *Ad depreſſionem potentum.*
5. *In ſolatium miſerorum, pauperum & electorum.*
6. *Ad exercitium Chriſti militum.*
7. *Ad maiorem Dei gloriam.*

THEMA.

Acceſſit & tetigit loculum. Luc. 7.

CVm hodierni Euangelij hiſtoriam expendo, in mentem mihi venit grande illud miraculum, quod operata eſt Arca fœderis cùm in aduētu ſuo Iordanis aquas, quæ in mare mortuum influunt, diuiſit, & ſuperiores quidem ſtare fecit, donec populus Hebræus Iordanem pertranſiret, quibus tranſgreſſis Iordan ad priſtinū ſuum curſum rediit, vt legimus *Ioſue cap.* 3. & 4. Quid enim aquæ Iordanis in mare mortuum defluentes aliud ſignificant, quàm moriendi neceſſitatem mortalibus omnibus incumbentem? Ita enim mulier illa Thecuites dicebat ad Dauidem: *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur*, 2. Regum 14.

A. *Iordanis tranſitus mortis typus.*

gum 14. Porrò aquæ iſtæ rapiebant inter alios impetu ſuo adoleſcentem hodierni Euangelij, qui iam efferebatur. Verùm interuenit veriſſima Arca fœderis Chriſtus, qui fecit vt ſtarent aquæ (*acceſſit enim & tetigit loculum; hi autem qui portabant ſteterunt*) eduxitque de morte iuuenem. Quo ſanè ſignificat, ſe mortis triumphatorem, fideles ſectatores ſuos per mortis vadum ad promiſſam fœlicitatem eſſe traducturum. Verum quærat aliquis, cur mortem non omnino ſuſtulerit. Quemadmodum enim aquæ Iordanis ad fluxum ſuum redierunt: ita moriendi neceſſitas ſuam adhuc vim obtinet, & ille ipſe iuuenis à Chriſto reſuſcitatus, poſteà à Iordane rurſum ad mare mortuum abreptus eſt. Nónne melius fuiſſet, ſi Iordanem omninò ſiccâſſet, & mortem ſuſtuliſſet? Breuiter reſpondeo: ſi melius fuiſſet, Chriſtus vtique feciſſet. Cùm ergo hoc non fecerit, melius vtique fuit relinqui in mundo mortem. Sed quam ob cauſam? inquis. Audiamus.

B. I. Vt peccatum execremur.

PRIMÒ. Reſpondet S. Auguſtinus in l. de peccatorum meritis & remiſſione: vt homines peccatum horreant & execrentur, per quod mors intrauit in orbem terrarum, *Rom.* 5. Quia enim peccatum in ſuâ fœditate & horrore cernere non poſſumus, idcircò nobis reliquit Deus partum eius monſtroſum, quem cernere poſſemus, eſtque ipſa mors, peccati *filia primogenita*, (Iob. 18.) hoc eſt, primaria & princeps inter cæteras eius filias. Cùm videmus pendulos in patibulo, quorum carnes iam defluxére, horrore omnes perfundimur. Et vnde quæſo illa tam triſtis imago, tam prodigioſus fætus, niſi à matre, peccato, quæ hunc partum genuit & florentem formâ hominem tam turpiter veſtiuit? Cùm cadauer hominis paulò diutiùs hoſpitatur in ædibus, intolerabile fit hominibus: omnes occluſis naribus tranſeunt & cadauer eiectum volunt. Quid ſi conſpiceremus illud, poſtquam aliquot menſibus in ſepulchro iacuit? Et vnde horror ac fœtor ille, niſi à peccato? Quando in aliquâ ciuitate dirè graſſatur peſtis, quantæ ibi miſeriæ? quàm fugit vnus alterum? quàm repentè extinguuntur homines? quàm ab omnibus deſeruntur ægri, & quàm miſerè eiiciuntur mortui in communem aliquam foueam? Quæ huius calamitatis cauſa? Adam Pater noſter vnicum pomum rapuit, rapiendoque vnicum peccatum admiſit: & ecce nos omnes morimur, & tam miſerè morimur. O verè *fera peſſima* (peccatum) *deuorauit* genus humanum. Fœdiſſimum prorſus peccatum fuit Sodomorum; Cæterùm vt fœditatem eius homines & agnoſcerent & mente retinerent, vide quid egerit Deus. Sulphure & igne de cœlo miſſo ſubuertit non modò ciuitates illas, ſed & omnem circà regionem, vniuerſos habitatores vrbium & cuncta virentia terræ: (*Gen.* 19.) voluitque Deus extare perpetuum monumentum huius ſubuerſionis; nam confluxit ibi lacus ſalſus & bituminoſus, qui nec piſces fert, nec viuum aliquid, indeque dicitur mare mortuum: & piſces eò delati ex Iordane, mox emoriuntur, vt ſcribit Tertul. *In Carm. de Sodomâ*, aliique plurimi. Addit Philo *in lib. de Abraham* mare hoc ſiue lacum, continuum fumum & ſulphur, quaſi reliquias incendij exhalare. Et Borcardus in deſcriptione terræ S. *Mare mortuum*, inquit, *ſemper eſt fumans & tenebroſum, ſicut ego oculis meis vidi, vt videatur eſſe os inferni; adeò tetrum vaporem fumat vt vicina ad mediam diætam ſcilicet ad 5. vel 6. leucas, ſterilia reddat, ita vt ne germen quidem producant.* Et vnde hæc tam tetra terræ illius facies? vnde mare illud mortuum & mortiferum & quamobrem durat in hodiernum? Reſpondet Sapiens cap. 10. *In teſtimonium nequitiæ*, inquit, *fumigabunda conſtat deſerta terra, &c.* q. d. voluit Deus extare monumentum peccati Sodomorum, vt inde homines intelligant nequitiam peccati, ex quo velut è fonte profluxit mare mortis, quæ omnibus vitam adimit, quotquot naſcuntur in mundum: quæ omnia ſubuertit, & cuncta virentia depaſcit omniaque fœtore & horrore implet. Et vnde hoc niſi à peccato? Decuit igitur vt mors in teſtimonium nequitiæ hominum ſuo loco conſtaret.

SECVNDÒ. Vt mundi vanitates & carnis illecebras aſpernemur, quando videmus floridam & iuuenculam carnem tandem immutari in rugoſam anum & triſtem mortis imaginem. Quid ergo eſt quod colunt carnis amatores, niſi fœtidum cadauer? Colebant Babylonij draconem magnum pro numine, deque eo dicebat eorum Rex Danieli: *Ecce nunc non potes dicere, quia iſte non ſit Deus viuens, adora ergo eum.* Sed Daniel coxit maſſam è pice, adipe & pilis, & iniecit ori Draconis, qui præcluſis faucibus mox diruptus eſt. Tunc ait illis Daniel: *Ecce quem colebatis?* Græcè, *Ecce numina veſtra* Dan. 14. En tibi effigiem carnis. Colitur hæc à Babylonijs, id eſt, mundi ſectatoribus & propemodum adoratur. Vident hi cultam Venerem; & pro Dea habent; Dei enim veri lege & amore ſpreto rapiuntur in eius amorem velut equi emiſſarij, adhinnientes equæ. Sed modicum cibi noxij Venerem hanc occidit & fugatâ animâ dirumpit: tum iacet humi fœtidum cadauer & à vermibus dirupitur. *Ecce numina veſtra! Ecce quem colebatis?* Saccus ſtercorum, ſterquilinium niue contectum, cadauer putridum tabe diſſoluendum, ex cuius ſpinæ medullâ ſerpens naſcetur. Quare S. Gregorius 18. moral. huic inordinato carnis amori remedium dat: *Caro cùm concupiſcitur*, inquit, *penſetur, quid ſit exanimis, intelligetur quid ametur.* Narrat Suidas de Hypariâ puellâ Alexandrinâ, quæ cùm bonis conſilijs adoleſcentem adamantem pellere non poſſet, pannos ei obtulit fluore menſtruo fœdatos, addens: *Hoc eſt, adoleſcens, quod amas; Nihil autem pulchrum.* Eâdem ratione correctus fuit Abbas Elias libidine inflammatus, *in prato ſpirit. cap.* 19. Cùm in extaſi ſe vidit hiatu terræ abſorptum

C. II. Vt mundi vanitates aſpernemur.

ptum ad locum cadaueribus plenum horridumque, datâ libertate vt iis frueretur. Fœlix ergo mors, quæ cæcos amatores tam ſalubriter illuminat.

D. III. Ad peccandi libidinem coërcendam. Tertiò. Ad malorum correctionem & effrænatam peccandi libidinem coërcendam; quemadmodum & patibulum non exciditur poſtquam in eo fur vnus & alter iugulatus eſt, ſed relinquitur in aliorum furum terrorem & correctionem. Carolus V. Imp. cùm tranſiſſet aliquando Neapolim, & vidiſſet per vrbem paſſim equos pictos in ædibus & ianuis Ciuium, abſque fræno ſubſultantes, quæſiuit quid ſibi vellet equorum illorum pictura: Cumque reſponderetur eſſe vrbis inſignia: *Bene eſt*, inquit, *faciam ergo vt frænum habeant hi equi.* Itaque ſuper vrbem extruxit caſtellum munitiſſimum; vocauitque id *La briglià*, hoc eſt, frænum; quo nimirum ſubiectam ciuitatem in obedientiâ continere & frænare ciues poſſet. Refertur in deſcript. præcip. orbis ciuitatũ Houſnaglij. Quiuis non videt in hoc mundo paſſim effrænatos homines, qui velut equi ſoluti inſolentiſſimè ſe gerunt & nihil non mali perpetrant? præuidit ſanè Deus tales in mundo futuros & his longè plures, ſi fræno caruiſſent. Quid igitur egit? mortis caſtellum inexpugnabile rebelli mundo oppoſuit, imò & præpoſuit: vt in illum mors ſua vibraret tela ad eundem continendum in timore Dei. Hoc eſt, quod Dauid dixit & petiit à Deo Pſ. 54. *Veniat mors ſuper illos & deſcendant in infernum viuentes*: hoc eſt, mortem ſibi imminentem ſemper præ oculis habeant horreantque & quaſi iam deguſtent. Sed quamobrem ô Propheta? ſubdit immediatè cauſam: *Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.* q. d. quia pleni ſunt nequitiâ. Quando itaque inualeſcit homo ſceleribus, vel familia vel tota aliqua ciuitas, tum venit ſuper illos mors & immittit eis telum morbi lethalis vel peſtilentiæ ſæuientis. Non ſufficiebat fames, bellum, aliæque plagæ, ſaltem ad diuites coërcendos: mors neceſſaria fuit; quæ vbi appropiat: tum incipiunt homines deſcendere in infernum viuentes; mortem meditari & frænum ſibimet iniicere, vitamque emendare. Vultin huius deſcenſus exemplum, etiam in gentili homine? Plutar. l. de ſerâ Num. vind. narrat Theſpeſium ſceleratæ deploratæ vitæ hominem fuiſſe, de quo conſultum oraculum, num quæ ſpes foret eum emendandi? reſpondit: *Melior erit, poſtquam fuerit mortuus.* Paulò pòſt Theſpeſius graui caſu colliſus per triduum exanimis iacuit, tertio die ad ſe rediit. Interrogatus qui habuiſſet, dixit, in hoc caſu animam ſuam eductam è corpore prorsùs aliam eſſe factam: alia enim omnia vidiſſe & ſenſiſſe, perinde ac ſi quis è naui in mare corruat, alia ſentit & ſapit: vidiſſe ſe pœnas inferorum: quendam etiam è cognatis vitâ functis ad ſe acceſſiſſe & ſalutaſſe: *Salue Theſpeſi.* Cui ille: *Non Theſpeſius vocor ſed Aridæus.* Mox anima: *Aridæus fuiſti, ſed deinceps eris Theſpeſius*, id eſt, *diuinus*. Ita factum, qui anteà ſceleratus erat, bonus & iuſtus effectus eſt. An non tibi videtur in hoc impletum eſſe, quod dicitur Iob 21. *Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit*? Et quàm multi tales, qui niſi ad portas mortis ducerentur, nunquam euigilarent? ſi enim hodie plerique cùm tam multos videant mori & efferri, nihilominùs iocantur & rident: quid ſi nunquam morituri eſſent?

E. IV. Ad depreſſionem potentum. Quartò. Ad depreſſionem diuitum & potentum, qui altiùs de ſe ſentiunt, & alios contemnunt. His enim niſi immineret mors, quid, quæſo, non machinarentur, eorum inſolentiam quis mortalium ferre poſſet? Exemplo ſit Alexander M. qui oppreſſis Aſiæ Regibus omnium terror factus, cùm nec mori nec vinci poſſe videretur, eò inſolentiæ deuenit, vt pro Deo haberi vellet. Subornarat enim Iouis Hammonis Sacerdotes, vt rogati, cuius filius eſſet Alexander? (erat autem ex adulterio natus) reſponderent: *Iouis Hammonis.* Ita Iuſtin. *l.* 11. Et hic antequam perueniſſet ad an. 33. ætatis, Aſiam penè totam vaſtauit. Quid, quæſo, malorum non diſignaſſet, immortalis ſi fuiſſet? Verùm in medio eius imperio, robore & ætate, cum eſſet annorum ſcilicet 32. & 8. menſium, morte ſublatus eſt, cuius extinctionem patheticè deſcripſit Daniel illis verbis: *Fractum eſt cornu magnum*, Dan. 8. vbi de Alexandro M. fortiſſimo Græcorum Imp. loquens, violentam eius mortem vaticinatur. Mors enim inſtar Crocutæ omnia dentibus frangit, protinuſque deuorata conficit in ventre, teſte Plin. *l.* 8. *c.* 21. Quid Nabuchodonoſor? quanta eius ſuperbia fuit, qui Deum cœli cõtempſit? Nonne ipſe, *Dan.* 2. caput aureum ſtatuæ illius, quam in ſomnio vidit, vocatur à Daniele; cæteræ verò Monarchiæ argentum, æs & ferrum? At verò vnicus lapis, ſine manibus abſciſſus de monte, viſus illi eſt totam ſtatuam conterere, ita vt aurum, argentum, æs, ferrum & teſta *pariter* contrita ſint. *Pariter*, hoc eſt, aurum æquè ac teſta, ferrum æquè ac argentum. Lapis ille mortem refert, quæ abſciſſa ſine manibus, hoc eſt, improuisò & ignotis plerumque ex cauſis homines obruens, ita conterit diuites ſicut pauperes, Reges ſicut colonos. Et ſanè cùm ſe Nabuchodonoſor extolleret contra Deum dicendo: *Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui.* &c. ſtatim in ipſum eiuſmodi lapis cecidit, quando, vt inquit Daniel c. 4. vox de cœlo ruit: *Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex: regnum tuum tranſibit à te.* Quare ne potentes nimiùm inſoleſcerent, & opprimerent debiliores, poſuit Deus in mundo mortem velut lapidem capitibus eorum imminentem, vt ſcirent ſe quoque eſſe homines & cum aliis morituros. Salutarem hunc timorem illis imprecatur Dauid *Pſ.* 9. cùm ait: *Conſtitue Domine Legiſlatorem* (Hieronym. & Chaldæus vertit, *terrorem*) *ſuper eos, vt ſciant gentes quoniam homines ſunt.* Quis iſte Legiſlator? quis hic terror niſi mors, quæ etiam ſummos & potentiſſimos docet eſſe homines, videlicet ab humo dictos & in humo reuerſuros?

Quintò.

F. V. In ſolatiũ miſerorũ.

Qvintò. In ſolatium miſerorum, pauperum & electorum. Tanta eſt enim Dei bonitas, vt ſupplicium peccati verterit in remedium omnium malorum, quæ incurrimus per peccatum. Mors autem afflictis deſideratur vti merces & quies poſt laborem. Vnde Iob dies afflictionis ſuæ & aliorum vocat dies mercenarij, qui præſtolatur finem operis & mercedem veſpere dandam, c. 7. & 14. Deſideratur veluti pax poſt bellum, & lectus poſt iter longum. Id quod Iſaias c. 57. dixit: *A facie malitiæ collectus eſt iuſtus* (ne videlicet deinceps poſſet peruerti, vel etiam à reprobis aduerſa pati) *Veniat pax, requiſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directione ſuâ*. Ita nos bene precamur mortuis: *Requieſcant in pace*.

Pauperũ. In ſolatium pauperum cedit, non tantùm quando moriuntur ipſi, ſed etiam quando moriuntur opulenti. Videbis enim multos diuites, qui totâ vitâ ſuâ nihil egenis tribuant, ſuâ ſaltem opulentiâ dignum: at cùm ipſorum ædes mors pulſare incipit, tum iubent fieri eleëmoſynas, nullo accipientium habitu reſpectu. Hinc non malè fabulæ Plutum ſiue Ditem, diuitiarum Deum in aduentu claudum, in receſſũ alatum eſſe fingunt; quia diuitiæ lentè velut claudis pedibus adueniunt in vitâ, in morte verò auolant alis aquilinis. Et quemadmodum Deus dedit gratiam populo Hebræorum coràm Ægyptiis, vt commodarent ei vaſa aurea & argentea, atque ita ſpoliarentur ab eo, *Exod.* 12. ita etiam dat gratiam pauperibus coram diuitibus morituris, vt ſpolia ab ipſo tollant.

Electorũ. In ſolatium Electorum; hi enim nihil magis deſiderant, quàm mortem, quæ ipſis non tàm mors, quàm oſtium eſt vitæ. De iſtis ait Iob c. 3. *Qui expectant mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum: gaudentq́; vehementer, cùm inuenerint ſepulchrum*. Conſuetum erat illis temporibus theſauros in ſepulchra condere, vnde qui theſauros fodiebant, gaudio geſtiebant, cùm effodientes terram in ſepulchrum incidebant. Similiter ergo iuſti, qui theſaurum ſuum in cœlo quærunt, mortem auidè præſtolantur, & cùm inuenirent ſuum ſepulchrum, gaudio perfunduntur, qui theſaurum ſuum inueniunt.

G. VI. Ad exercitium Chriſti militum.

Sextò. Ad exercitium, meritum & gloriam Chriſti militum, qui cum morte luctando maximas coronas erant reportaturi, quod fecerunt imprimis Martyres: deinde quotquot amore Chriſti, Eccleſiæ, iuſtitiæ & proximorum, periculum vitæ adeunt; denique quotquot morti ſe obſidenti prompto offerunt animo & venienti obuiam eunt. Vt ergo Lacedæmonij hoſtem aliquem ſibi ſupereſſe voluerunt ideoque certam vrbem, quæ ſæpe multum negotij ipſis faceſſebat, delere noluerunt: quòd dicerent, *Cotem iuuentutis, non eſſe deſtruendam* (Maiol. tom. 3. Canic. coll. 3.) ita etiam Chriſtus voluit militibus ſuis ſupereſſe mortem, vt in eius aggreſſu viros ſe oſtenderent, adeoque ſibi ipſis propriâ virtute immortalitatem compararent. Potuiſſet Hebræos Deus ita in Palæſthinam ducere, vt mare rubrum non tranſirent. Cur igitur, dicet aliquis, per mare illos duxit? vel cur mare rubrum non penitus ſiccauit? Proptereà haud dubiè, vt in hoc tranſitu Iudæi cordatos ſe oſtenderent (quod primus omnium fecit Moyſes, proximus Aminadab Dux tribus Iuda) dum inter duos liquidos parietes ſoli Deo nixi incederent, & vt ſimul ipſorum hoſtes in eo mergerentur. Simili ratione potuiſſet quidem Deus declinare nos à morte & alia ratione ad cœlum euocare. Voluit tamen potiùs per amaram mortem eiuſque horrenda pericula & tormenta tranſiremus, vt in illo tranſitu totos nos in ipſum proijceremus, nec non hoſtes noſtros capitales (peccata ſcilicet, quæ à tergo nos ſequuntur) ad vnum omnes mergeremus, à quibus alioquin, ſi mors nulla eſſet, vix vnquam nos expediremus, quemadmodum & Ægyptij non ceſſaſſent perſequi Hebræos, niſi vi maris abrepti eſſent. Auſim affirmare maiorem partem è plebe Chriſtianâ, quæ ſaluatur, ſub mortem ingruentem primùm perfectè ad Deum conuerti. Ibi ad Deum fugimus, ibi Sacerdoti conſcientias explanamus, ibi ad Sacramenta recurrimus, ibi omnia noſtra Deo & Confeſſario committimus, ibi denique, vt ſperamus, proiicit Deus peccata noſtra in profundum maris, quo modo & Ægyptij ferebantur in profundum. Et quantum hoc mortis bonum! quàm lætabimur in illo ſæculo, cùm videbimus illos Ægyptios ad littus huius mundi iacere ad vnum ſubmerſos! quale carmen Deo canemus.

H. VII. Ad maiorem Dei gloriam.

Septimò. Ad maiorem Dei gloriam, vt haberet Deus, quos à morte reſuſcitaret; quod maius quiddam eſt, quàm arcere mortem: Sicuti maius fuit reſuſcitare Lazarum iam quatriduo ſepultum & fætentem, quàm ſeruare, ne moreretur: & Ionam è ventre Cæti illæſum expui, quàm ab eius faucibus præſeruari. Abſorbet quidem mors fideles, ſed quaſi viuos retinet ob ſpem reſurrectionis, in quá eos iterum euomet. Longè magis illuſtrata eſt Dei potentia, quando diuiſo mari traducti ſunt Hebræi, quàm ſi eo declinato, aliam tenuiſſent viam. Ita etiam magis eluceſcit Chriſti gloria, cùm per mortis iter incolumes nos educit ad patriam cœleſtem, quàm ſi alio modo id faceret. Ipſe velut Moyſes crucis ſuæ baculo mare diuiſit, & primus omnium tranſiit; quis hunc Ducem non ſequatur? Tunc gratias illi agemus: tunc *omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi?*

CONCIO. III.

Quæ potiſſimum vitia iuuenibus vitam abrumpant.

1. *Primus veſpillonum qui viuos adoleſcentes efferunt eſt ebrietas.*
2. *Libido.*
3. *Iracundia.*
4. *Contumacia.*
5. *Praua ſocietas.*
6. *Otium.*

THEMA.

Hi autem, qui portabant ſteterunt. Luc. 7.

A. TRiſte ſpectaculum, Auditores, cernimus in hodierno Euangelio: Iuuenem, filium vnicum matris ſuæ efferri de Naim ciuitate ad tumulum, de loco pulchro (Naim enim *pulchrum* ſignificat) ad ſepulchrum, ſeu locum minimè pulchrum, (ſepulchrum enim quaſi ſine pulchro, dictum) Certè hoc ſpectaculum ad commiſerationem mouit ipſum Saluatorem noſtrum, vt docet Euangeliſta. Quale verò ſpectaculum foret, ſi videremus huiuſmodi iuuenem ad ſepulchrum efferri viuentem? Atqui ſunt quamplurimi huiuſmodi adoleſcentes, qui dum viuunt, efferuntur properè ad ſepulchrum, dum iis indulgent vitiis, quæ vitam eis abrumpunt, ita vt quodammodò ſepeliantur ante mortem. Huiuſmodi portatores ſunt imprimis Ebrietas, Libido, Rixa, Impietas in parentes, praua ſocietas, &c. Quibus proinde obuiandum & imperandum eſſe, vt ſiſtant, viſum mihi eſt, ſi tamen fieri poteſt. Sanè ad occurſum Chriſti & contactum loculi, ſteterunt geſtatores in hodierno Euangelio. Ergo & nos tangamus ſaltem voce & admonitione talium adoleſcentum animos, imperemus, veſpillonibus, qui viuos adoleſcentes efferunt.

B. 1. Ebrietas. Horum PRIMVS eſt crapula ſeu ebrietas, quæ ſanè inter iuuenes ingentem edit ſtragem. Nam vt ait S. Chryſoſtomus hom. 1. ad pop. *Non ita terra natura vexata aquarum ſuperabundantiâ continuè diſſoluitur, vt corporis vis molleſcit, diffluit & exilis redditur vini potu continuo ingurgitata.* Sanè cernimus in agrorum ſulcis, qui aquis diu oppleti ſunt, nihil frugum creſcere: ſed mergi & ſuffocari ſegetem. Rurſum cùm inundantes aquæ terram ſupergreſſæ in domos irruunt, non modò ſupellectilem omnem vaſtant, verùm etiam domum ipſam ſæpenumerò ſubruunt, cùm ſcilicet maiore impetu eam inuadunt, vel diutiùs occupant. Pari modo in homine corrumpuntur nimio potu vires totius corporis, tandemque omninò conuelluntur & concidunt. Suprà nominatus Chryſoſt. *ho.* 9. *in Gen.* corpus noſtrum comparat naui, ebrietatem fluctibus. Quis autem neſcit mergi nauim cùm fluctibus opprimitur? Et quemadmodum continuò exhauritur nauis, ne aquarum copiâ prægrauata ſubſidat: ita potatorum corpora perpetuis pharmacis exhaurienda ſunt. Iactantur prætereà vertigine, velut naues è fluctibus agitatæ, quia potui innatat eorum phantaſia. Atque hinc, vt opinor, orta fuit iuuenum illorum Agrigentinorum in Siciliâ mania ſeu dementatio, qui, vt ſcribunt Athenæus *l.* 2. *ex* Timæo, & Rhodiginus *l.* 17. *c.* 2. ex nimia ingurgitatione adeò inſanierunt, vt cùm in domo ſimul eſſent, terribili ſe tempeſtate iactari omnes crederent, ideoque ſupellectilem omnem foràs eiicerent, velut nauim exoneraturi; ex quo facto domus illa *Triremis* dici cœpit. Verè enim animæ illorum in vino natabant, & corpora velut naues in tempeſtate fluctuabant. Quid ſuſtulit Baltaſarem, Simonem Machabæum, Holofernem, niſi ebrietas? quid Zenonem Imp. Græcum viuum ſepulchro intulit, & ibidem mori coëgit niſi ebrietas? quid Attilam, quid Alexandrum M. in ætatis flore niſi tumulentia? Propoſuit is aliquando certamen & præmium bibulis, ex quibus Promachus qui præmium tulerat, triduo tantùm ſuperſtes fuit. E cæteris vnus & quadraginta nimiâ ingurgitatione exanimati ſunt, adeoque in hoc vini naufragio perierunt 42. iuuenes, Maiol. *tom.* 2. *coll.* 7. Quare ſi qui adoleſcentes potui iam aſſueti & hepate tam inflammato ſunt, vt ſemper potum appetant: cogitent hi ſe certò certiùs iam efferri ad ſepulchrum, nec ab eo ſe longè abeſſe.

Viderint hîc parentes, qui tenera liberorum corpuſcula potui aſſuefaciunt, vel aſſueſcere ſinunt. Quid enim aliud agunt, quàm vt eos viuos ad ſepulchrum efferant?

SECVNDVS. Incontinentia ſeu libido; quia C.
hæc non tantùm corpus exhaurit, & variis II.
morbis obnoxium facit, verùm etiam externis Libido.
vitæ periculis & corriualium inſidiis aliiſque cædibus exponit. Ebrietas, vt vidimus velut aqua nimia, at incontinentia velut ignis depaſcit adoleſcentes. Eò reſpexiſſe videtur Dauid *Pſal.* 77. cùm ait: *iuuenes eorum comedit ignis.* Non enim ſtatim deuorat ſuos alumnos ignis luxuriæ; ſed paulatim comedit: vno morſu depaſcit eis colorem: altero robur: altero ſanitatem: pòſt inficit morbo Gallico vel bubone, tum paraliſi, &c. Ac licet ignis hic foris non appareat, intùs tamen hominem depaſcit; velut videre eſt in carbonum aceruo, cùm vruntur. Communis Medicorum ſententia eſt (apud Hippol. Guarinonium *l.* 5. *c.* 62.) nihil ita immaturam & præproperam mortem accelerare, ac Venerem. Pantheram ſcribit Plut. *l.* 8. *c.* 27. tam eſſe excrementorum auidam, vt ſi in vaſe ſuſpendantur altiùs, quàm vt ea poſſit attingere, tamdiù ſaltibus petat, donec decidens expiret. Quid verò obſcœna libido, niſi fœdum excrementum? Hoc ergo dum obſcœni inſano amore appetunt, ſeipſos viribus exhauriunt, & immaturâ nece perimunt: vel quandoque perimuntur ab aliis per inſidias externas, quemadmodum Amnon; qui primò Pantheræ inſtar ſororis amores ambiit, ita vt propterea ægrotaret, 2. *Reg.* 13. Verùm paulò poſt à fratre Abſalone propterea inte-

tioſitatis & anteacta vita pænituit: qui alio afflatus ſpiritu prorſus ſcelera, boni exempli vitam procul à populari tumultu egit.

F. V. Praua ſocietas. QVINTVS, Praua ſocietas; quæ quàm noxia ſit, diſcere à ſturno aue poſſumus, (vt refert Neander, apud Maiol. in poſt canicularib. coll. 1.) Cicur enim factus didicerat eloqui verba illa; **hut dich / vor boſer Geſellſchafft**/ caue tibi à prauâ ſocietate; quæ multoties iterabat indies. Accidit eum è cauea euolare & ad ſui ſimiles ſturnos deuenire. Cum quibus dum volitaret, vnà cùm illis in ſubſtructam aucupis aream deuolat. Reti igitur concluſi miſeri, dum ab aucupe alter poſt alterum necatur, ſturnus ille quondam domeſticus rem aduertere & ſuum repetere cantum incipit: **hut dich / vor boſer Geſellſchafft.** Caue tibi à prauis ſociis. Quo audito vitam auceps ei donauit. Itaque ſturnus iſte bene quidem monuit vitandam ſocietatem malam & quamdiu id fecit, ſaluus fuit. At vbi contra monitum ſuum ſe tali ſocietati iunxit, penè vitam perdidit. Simile huic eſt, quod habetur 3. *Reg. vltim.* vbi Achab impius rex Iſraël perſuaſit Ioſaphato regi Iuda pio alioquî, vt ſecum ad bellum procederet contra Syros. Perſuaſus miſer Ioſephat cingitur mox ab hoſtibus putantibus ipſum eſſe Achab; iam-iam necandus. Exclamauit igitur Ioſaphat, in periculo conſtitutus, & ſe Ioſaphatum, non Achabum eſſe prodidit, vel, vt alij volunt, Dei opem implorauit. Quo agnito deſtiterunt ab eo Syri, quia in mandatis habebant, vt neminem percuterent niſi ſolum Achab. Et ſic ipſe euaſit. Paulò pòſt vt eodem cap. habetur, cùm Ochozias filius Achabi & ipſe ſocietatem cum Ioſaphat inire vellet, vt ſimul mitterent naues in Ophir, noluit iam Ioſaphat: quia piſcator ictus ſapuit. Capite hoc iuuenes. Quam multi ſanâ & integrâ pelle ſomnum domi capere poſſent quieti, qui cum ſociis vagantes noctu in plateis & digladiantes vulnerantur ac ſæpe tam periculoſè, vt cum hodierno iuuene in tergo ad Eccleſiam ire debeant?

Ingenui adoleſcentes fugiant prauos ſocios, quod facere legimus Elephantem, qui conſpecto capro ſtatim fugit, Pierio teſte l. 2. Quamprimum ergò fœtorem praui alicuius ſocij ſubolfacis ſi ſapis & ſentis, fuge. Pij etiam parentes auocent ſuos liberos ab huiuſmodi ſocietatibus? quemadmodum vitis ſurculos ſuos abſtrahit à raphanis, braſſicis & ſimilibus amaritiem continentibus plantis.

G. VI. Otium. SEXTVS, Otium, quod ipſummet, teſte Seneca *epiſt.* 83. eſt viui hominis ſepulchrum. Sanè ex Lucæ cap. 13. ſcimus ficum infructuoſam, quæ triennio nullum tulerat fructum iuſſum fuiſſe ſuccidi, quòd terram fruſtrà occuparet. Quæ res indicat ægrè tolerari in mundo & Eccleſia Chriſti præſertim eos, qui otioſè degunt. Nec mirum; quia & apes expellunt atque occidunt fucos, qui aluearia tantùm implent nec mel conficiunt. S. Franciſcus quoque ignauum quendam fratrem expulit è ſuo cætu, vocans eum fratrem muſcam, quòd comederet ſuorum fratrum eleemoſynas, non laboraret; apud D. bonauent. *cap.* 5. *in eius vitâ.* Idem fecit otioſis Draco rex Bithyniæ, qui otioſos capite plexit, auct. Alexandro ab Alexand. *lib.* 3. *cap.* 13. Maſſilienſes, qui eos è finibus ſuis exigebant. Valerius Maximus *leg.* 2. Iure igitur Deus exterminat etiam ignauos, nec viuere diu ſinit. Huius farinæ fuit Carolus quidam rex Francorum, qui otio contabuit & properè fato functus vacuam filio regiam reliquit. Riccius Neapol. leg. 1. Reg. Franciæ. Et Domitianus Imp. qui certum ſibi horarium ſumere ſolitus erat, quo muſcas captaret & præacuto ſtylo configeret, ideoque ob inertiam & alia eius vitia conſpiratione factâ obtruncatus eſt anno ætatis 45. nomenque eius vndique eraſum & arcus deiecti. Macrob. Satur. *cap.* 12. Viderint ergò parentes, quàm in liberos ſuos crudeles ſint, ſi eos domi ſuæ ignauiâ & otio deſtruant. Viua enim ſepulchra alunt & immaturâ morte liberos extinguunt.

Hi ſunt, Auditores, ſex quaſi veſpillones, qui viuos adoleſcentes efferunt ac ſepeliunt. Sapite igitur ô iuuenes vtriuſque ſexûs & veſpillones iſtos fugite.

CONCIO IV.

Cauſæ cur tam multi ante maturam ætatem moriantur.

Moriuntur ſæpe filij in flore iuuentutis.
1. *Ob peccata parentum, ac ſpeciatim ob eorum imprecationes.*
2. *Ob parentum bonum.*
3. *Ob peccata filiorum.*
4.5. *Ob iuuenum ipſorum bonum, & aliorum.*

THEMA.

Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris ſuæ. Luc. 7.

OSTENDERAT aliquando DEVS prophetæ Amos vncinum in viſione dicens: *Quid tu vides amos?* Et ille: *vncinum pomorum.* Et Dominus ad illum: *Venit finis ſuper populum meum Iſraël: non adijciam vltrà vt pertranſeam eum: & ſtridebunt cardines templi in die illâ, dicit Dominus: multi morientur,* &c. Quo loco ad literam prædicit Iſraëli captiuitatem, in quam detracturus eum erat. Myſticè verò minatur mortem multis iuuenibus immaturam, vt exponit ibi Fr. Ribera; ſiquidem vncino pomorum decutiuntur poma etiam immatura, & quæ in cacumine arboris pendent, recondita item & latentia. Matura ſponte decidunt, vel leui vento deiiciuntur, & quæ in imis ramis ſunt, manu decerpuntur: per quæ deno- — A. Plerique ante ſenium moriuntur.

bant. Multis parentibus impedimenta ſalutis ſunt liberi, quorum cauſa ſæpè nimiùm diuitiis inhiant, ſacramentorum & templi frequentationem negligunt, alios opprimunt, vel oderunt: ipſos liberos ſuos deſtruunt, &c. Quos proinde ſpoliat ſubinde liberis Deus, quemadmodum Dauidem Amnone, quem ob amorem nimium, de commiſſo inceſtu noluit contriſtare per correptionem, 2. Reg. 13. idcircò Amnon paulò poſt ab Abſalone fratre peremptus eſt. Facit illis hac in re Devs quod Auguſtus Pollioni: apud quem cùm aliquando cœnans animaduertiſſet ſeruum Pollionis, quòd cryſtallinum fortè fregiſſet vitrum, ab hero ad murenas damnatum abripi; liberari ſeruum juſſit & omnia Pollionis vaſa cryſtallina virgulà confregit, vt ſic anſam ei raperet, impoſterum adeo ſæuiendi & rem fragilem tam perditè amandi. Fulgoſ. l. 5. Similiter cùm aduertit Devs parentes ob nimium liberorum amorem, illicita perpetrare; vſuras conquirere, proximos opprimere, liberos nimiâ indulgentia deſtruere, &c. frangit hæc eorum vaſa: occaſionem adimat talia perpetrandi. In tali igitur caſu, beneficij loco reponere deberent parentes, ſi liberis orbentur; vel non ſuſcipiant liberos; ſiquidem eis liberi forent lapis offenſionis. Quòd ſi id aliquibus nondum accidit: nunquid non fieri adhuc poteſt? Et ſi id non fiat, tunc dimittit vel dat eis liberos ad eorum interitum, quo modo dixit Oſ. 13. Devs: *Dabo eis regem in furore meo.*

D. III. Ob peccata filiorum. 1. Tertiò. Ob peccata propria ſæpe è medio tolluntur iuuenes: vti Her & Onan filij Iudæ, quos ob peccatum mollitiei percuſſit Dominus Gen. 38. vbi de priore dicitur: *fuit Her nequam in conſpectu Domini & ab eo occiſus eſt.* De poſteriori verò, *idcircò percuſſit eum Dominus, quòd rem deteſtabilem faceret.* Item propter impietatem, Nadab & Abiu filij Aaron. Rurſus propter inobedientiam, Ophni & Phinees filij Heli. Quandoque ob incorrigibilitatem & obſtinatam peccandi libidinem: ſicut cùm luſores in aliquâ domo multam in noctem ludunt & acquieſcere nolunt monenti patrifamilias, tandem ipſe lumen eis extinguit. Similes ſunt aliqui iuuenes tauro illi Cornumobili in Æthiopiâ, qui teſte Plinio *l. 8. cap.* 21. feras omnes venatur, & cùm tergora habeat dura inſtar ſilicis, omne vulnus reſpuit, nec aliter quàm foueis capitur. Sic enim iuuenes aliqui omne genus voluptatum conſectantur, nullum eſt pratum quod non pertranſeat luxuria eorum; interim nullis mouentur monitionibus, minis aut flagellis: itaque foueis tantùm ſepulchri capi debent, & de medio ſcelerum curſu abripi. Quòd ſi ſterilis ficus, maledictione Domini areſacta eſt. *Matth.* 21. quanto magis hoc timere debebit iuuenis ſceleribus aſſuetus atque addictus? Certè vt hodiernus iuuenis, ſic ipſi efferuntur ad ſepulchrum; quorum portitores ſunt, conſuetudo peccandi, defenſio peccati, certa malitia cùm in odium corrigentis peccator, ſeductio aliorum. Hæ quatuor cauſæ ſunt, cur ſæpe iuuenes à Deo ſuccidantur.

Accedit quòd multoties ipſi ſibi exitium parant & mortis viſcum, quo capiantur, præbent, dum inordinata ſua viuendi ratione vitam ſibi abrumpunt, vt ſpeciali concione huius Dom. diximus; intemperantiâ maximè. Quemadmodum enim Abſalon nutriit ſibi capillos, quibus poſteà irretitus & pendulus è quercu periit; ſic & iſti faciunt. Alunt alij ſcorta, alij ventrem, alij bilem, &c. & propter hæc ipſa ſæpe propter pereunt. 2.

Denique cùm iſti ob malam ſuam inſtitutionem videntur peſtes fore reipublicæ: ſæpe antequam adoleſcant, à Deo extinguuntur. Cuius rei exemplum refert Suidas. *Zeno*, inquit, *Romanorum Imperator, filium ſuum, admodum adoleſcentem, imperij ſucceſſorem relinquere cupiens, & dignitatibus ornabat, & corpus exercere iubebat, ad ſtaturæ incrementum. At Imperatorij proceres poteſtatem nacti fiſci affatim exauriendi, curabant, vt adoleſcens Sybaritico luxu corrumperetur, & lenocinio ſuo, ad inſanos eum amores æqualium incitabant. Itaque vitæ ratione ad ſuperbiam & voluptatem comparatâ, ab omni honeſtate remotus, & iam tum arrogantiam ob expectationem Imperij è vultu elucentem præ ſe ferens, ſublimis incedere, & erigere ceruices cœpit, ac vt paucis dicam, erga omnes, non alium ſe præbere, quàm aduerſus ſeruos. Verùm inſpector omnium rerum, & natiua & eductâ eius improbitate perſpectâ, ita illum mulctauit, vt alui profluuio, multos dies, ſine ſenſu, lectum inquinans, immaturâ ætate, rebus humanis eximeretur.* 3.

E. IV. Ob ipſorum iuuenum bonum. 1. Qvartò. Ob bonum iuuenum ipſorum; Et Primò ne ſi diutiùs viuant, peruertantur: iuxta id Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius.* Cùm enim mundus totus in maligno ſit poſitus & infinitis laqueis plenus, ſemperque in deterius vergat, ideò Devs ætatem hominum diminuit, & multos è vitâ rapit priuſquàm deprauentur: non ſecus ac vineæ cultor, qui aduertens uvas aliquas pendere vltrà murum in viam publicam, eas tempeſtiuè decerpit antequam matureſcant, & inde ſaltem condimentum aliquod facit, ne alioquin à prætereuntibus decerpantur, & ipſi prorſus eripiuntur. Tales etiam ſunt qui poſt baptiſmum in innocentiâ moriuntur, qui etſi non parem in cœlo obtinebunt gloriam cum ſanctis aliis, vt qui velut uvæ maturæ perſtiterunt in tribulationibus huius mundi & vicerunt, magnum tamen accipiunt beneficium, quòd à gehennâ erepti, ſaltem aliquem in cælos obtinent locum. Huiuſmodi uvæ erant infantes ab Herode necati, quorum multi, ſi adoleuiſſent, fortè vel gentiles futuri, vel cum Iudæis, *Crucifige Crucifige* clamaturi erant.

Secundò ne deteriores fiant aut concepta conſilia mala in opus deducant & grauius inde damnentur. Sic Pſ. 57. dicitur: *priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viuentes,* 2.

in pauimento veſtigia ſua: dicebat Daniel regi: *Ecce pauimentum, animaduerte cuius veſtigia ſunt hæc.* Et dixit Rex: *video veſtigia virorum & mulierum & infantium,* Dan. 14. Quando igitur ô iuuenis credere non vis, tam citò mori iuuenes ac ſenes, vade mecum ad templum & cœmiterium, & vide pauimentum: cuius veſtigia ſunt hæc? quorum hæc & illa mauſolea? nonnè tot vides ſepulchra infantum, puerorum, iuuenum? ac ſenum vel etiam multò plura? Cogita ergò, ô adoleſcens, tibi loqui mortem, quod Ezechiæ nuntiauit Rex Aſſyriorum: *Quæ eſt iſta fiducia, quâ niteris? an confidis in baculo arundineô atque confracto?* 4. Reg. 18. Cogita vncinum pomorum quem oſtendit Prophetæ Deus & vide ne in terram & ſepulchrum detraharis, cum minimè exiſtimas.

CONCIO V.

Ars bene moriendi.

Ad diſcendam hanc artem:

1. Memorare nouiſſima tua.

2. Conde teſtamentum, ſi opus: & quid adhuc requiritur.

3. Muni te Sacramentis, Pœnitentiâ, Euchariſtiâ & Extremâ Vnctione.

4. Prouide tibi arma etiam offenſiua.

5. Adorna lectum tuum virtutum floribus.

THEMA.

Reſedit, qui erat mortuus cœpit loqui. Luc. 7.

A. ACcidit quandoque, vt tabernam aliquis intret & ibidem bene epuletur ac bibat; demum bene curatâ cute clanculum ſe ſubducat non ſalutato hoſpite, nec confectis aut ſolutis rationibus. Tum ſi hoſpes abeuntem offendat, in domum ſuam retrahit, nec dimittit inde, donec is compoſitis rationibus ſoluat id quod debet. Videor mihi ſubodorari iuuenem hunc à Chriſto ſuſcitatum, non meliori notâ ex hac mundi tabernâ diſceſſiſſe. Quis enim neſcit filios vnicos & maximè, qui amiſſo patre, ſolam matrem habent ſuperſtitem, (quemadmodum hic habuerat) indulgentiùs communiter educari, voluptatibus vacare & ſine fræno viuere: nihil verò minùs, quàm de reddendâ ratione & morte cogitare: atque inde fieri vt plerumque imparati vel moriantur vel ſaltem morti appropinquent? Videns igitur ac ſciens hoc Chriſtus, adoleſcentem ſine præparatione debitâ ex hoc mundo diſcedentem retraxit in hunc mundum, retinere eum volens, donec mori diſceret & meliori notâ, ſolutis priùs debitis, è vitâ emigraret. Itaque *reſedit qui erat mortuus*; reſedit, inquam, ad menſam hoſpitis vt meliùs perpenderet, quomodo impoſterum moreretur. Magna ſanè gratia. Sed ea quàm paucis contingit! Plurimi abeunt ex hac vitâ grauiter obærati, ideò lictoribus tartareis capiendi & in gehennam incarcerandi permittuntur, iuſto Dei iudicio. Inter centum millia, non fit vni talis gratia. Qui enim quæſo ex omnibus iis quos ad cœmiterium noſtrum extulimus, reuixit aliquando? Remanſerunt omnes: nemo iterum mortuus eſt. Quando igitur tale miraculum nobis promittere non poſſumus, elaborandum nobis eſt vt nunc ex hac die incipiamus diſcere artem moriendi, quando non ampliùs quàm ſemel mori nobis datur. Artem ſiquidem omnium artium, & quæ difficulter diſcitur, ab omnibus tamen ſciri debet: quam ſi ſolam didicerimus, omnium artium Magiſtri meritò appellari poſſumus. Audiamus

B. PRIMO. Memorare nouiſſima tua, mortem, Iudicium, gehennam. Qui enim ignotum ſibi & periculoſum iter conficere debet, priùs intuetur mappam & inſpicit ciuitates, flumina, ſyluas, montes, qui tranſeundi ſunt; quærit etiam ſedulò ex aliis, qualia ſint illa loca, quibus diuerti in hoſpitiis, quomodo ſe in omnibus gerere debeat vt ſecurè ad locum deſtinatum perueniat, eaque omnia ſibi in tabella adnotat, atque ita prænoſcit ferme iter ſuum, antequam aggrediatur ſicque audacter & magno animo arripit; quod alioquin mœſtum habiturus eſſet, in continuo metu & periculo futurus. Similiter cùm tibi iter ô Chriſtiane ignotum, obſcurum, periculoſum & latronibus infeſtum conficiendum ſcias, de hac vitâ nimirum ad alteram, ſi abſque turbatione, perplexitate & horrore id conficere velis, ingredere illud priùs conſideratione quàm pedibus. Cogita tibi neceſſariò tranſeundum per mortis & iudicij viam, plurimis obſeſſam animarum prædonibus, ad incertum terminum, ſiue gloriæ, ſiue gehennæ. Cogita diuerſurum corpus in anguſtiſſimo, obſcuriſſimo & teterrimo ſepulchri tuguriolo; animam verò in ſeueriſſimo Dei prætorio: interroga teipſum, quo iudice, quibus teſtibus, à quibus accuſatoribus, quibus de rebus interrogandus & accuſandus ſis, quomodo reſpondere velis: num talem habeas cauſam quam defendere ac tueri poſſis, cogita te iam ſtare præ foribus illius diuini tribunalis & conſiſtorij, iamque expectare donec voceris & ingredi iubearis, teque interim vehementer trepidare, ſicuti rei ſolent è carcere ad iudicij examen & torturam abducendi, qui priùs ſecum accuratè cogitant, quid reſpondere velint. Hoc inquam ſi feceris, erit iam magnâ ex parte tibi notum iter tuum & bene tibi circa omnia pericula prouidebis, imò ſecurè & alacriter id ingredieris. Propterea prudentes viri vt ſecurè, hilariter & bene mori poſſent, ſoliciti ſunt ante mortem ſuam nouiſſima conſiderare. S. Ioannes Eleemoſynarius, Epiſcopus, ſe viuente aperiri ſibi ſepulchrum & paulatim extrui fecit, volens interim quotidie moneri, ſepulchrum id necdum perfectum eſſe, iuberet proinde perfici, vt ſcribit Leontius in eius vitâ. Carolus V. p. m. Imp. diu ante imperium à ſe abdicatum, ſarcophagum ſibi conſtrui fecit cum funebri ſupellectile & quacunque iter faceret ſecum deportari, vt ſic

I. Memorare nouiſſima tua.

ante

ante oculos mortem ſemper haberet: qui etiam dicebat, in vſum rei omnium ſibi chariſſimæ id ſibi deſeruire. Refert Iuſtus Lipſius *l. 2. monit. cap.* 14. qui addit idem feciſſe eius auum Maximilianum I. Imp. vt eius aſpectu mortis recordaretur; eo enim viſo dicebat: Maximiliane cogita mori: quid te dilatas & extendis? quem tot regna non capiunt, loculus iſte capiet. Albertus M. abdicato Ratiſponenſi Epiſcopatu Coloniam rediit ad ſuæ religionis paupertatem, vbi omnium penè rerum memoriam, (vti olim ei prædictum erat) amiſit. Tam obliuioſus tamen non fuit quin quotidie meminiſſet ſepulturæ ſuæ locum accedere & ibidem pro ſe velut mortuo preces fundere, vt ſcribit Ferd. Caſtilius *in hiſt. S. Dominici & Ord. prædicat. pſal.* 1. *lib.* 3. *cap.* 7. Ac propterea Eccleſia mortem & nouiſſima paſſim conſpicienda proponit: ideò cœmiteria ante templa & vrbes conſtituit, vt priuſquam illuc ingrediamur, eorumque decorem inſpiciamus, conſideremus priùs omnium noſtrûm finem: ideò in cœmiterij ſeparato loco mortuorum oſſa aſſeruari & nobis vult proponi: ideò cineribus capita noſtra aſpergit, prima die Quadrageſimæ. Præueniamus ergò mortem, ne ab eâ præueniamur: adeamus & viſitemus ſepulchra, comitemur funera, ſuſcipiamus cineres benedictos, atque ita ſæpe moriamur cogitatione vt ſemel bene mori reipsâ valeamus.

C. II. Conde teſtamentum, ſi opus. SECVNDÒ. Diſpone domui tuæ & conde teſtamentum. De hoc admonuit Iſaias Ezechiam regem *Iſa.* 38. Nec video, cur Ezechiæ tantum & non in illo omnibus idipſum præcipiat Deus, quando morituri locupletes ſunt, vxorem, liberos & amicos, multos item debitores vel creditores habent: tenentur enim ad exemplum Chriſti teſtamento pacem nobis legantis: (*pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*) domui ſuæ pacem itidem relinquere, diſcordias impedire, ſeipſos debitis liberare, ſaluti & famæ ſuæ conſule, &c. Quod indicauit Iſaias 4. Reg. 20. vbi pro verbo, *diſpone*, legitur: *præcipe domui tuæ*. Quia enim mortem inteſtati conſequuntur vt plurimùm multa diſſidia & incommoda, quæ moriturum vltimâ ſuâ voluntate, & præcepto facilè inhibere poteſt, meritò iubetur cùm adhuc poteſt, domui ſuæ præcipere, vt pax & æquitas in eâ conſeruetur. Cæterùm vt bene & ſalubriter quis teſtetur, obſeruare debet

Ratio condendi. 1. Primo vt id tempeſtiuè & dum mentis bene compos, ac ſi fieri poteſt, dum ſanus eſt, faciat; nec expectet donec ab amicis cogatur & morbus inualeſcat, quia periculum eſt ne tunc ob defectum iudicij & prudentiæ res ſuas malè diſponat: quod exemplo Ezechiæ prædicti patet; licet enim ſanctus rex foret, quando tamen à prophetâ audiuit; *diſpone domui tuæ, quia morieris tu & non viues*; adeo hunc ictum ſenſit, vt dorſum verteret ipſi prophetæ & nihil de teſtamento aut diſpoſitione domûs ſuæ cogitaret, ſed totum ſe daret lacrymis & precibus ad ſanitatem recuperandam.

Secundò. Vt bene & ordinatè idipſum condat, prout indicat vox *diſpone*, id eſt, ſingula ſuis locis, ordinatè & prudenter; ac primùm omnium oportet vt de ære alieno, ſi quo grauatur, reſtituendo cogitet, niſi velit propterea in vincula inferni conijci cum ſeruo illo nequam, donec reddat nouiſſimum quadrantem. Deinde opes ſuas illis relinquat, ad quos de iure pertinent, nec habeat reſpectum ad eos, quos magis diligit, ſi plus alijs obligatur; ac priùs attendat ad ea quæ ſunt præcepti, quam quæ conſilij: benefactores ſuos præferat, non benefactoribus: domeſticos externis: in iis verò, quæ ab arbitrio eius pendent, conſulat inprimis gloriæ Dei, deinde proximorum neceſſitatibus, adhibito piorum virorum conſilio. Præterea ſi diuitiis abundet, quas vti ſuperuacaneas iam olim diſtribuere pauperibus debuiſſet, curet nunc erogari: eas enim naturali iure deberi pauperum ſuſtentationi oſtendit S. Thomas 2. 2. *q.* 66. *ar.* 7. quòd ſi fortè non ex iuſtitiâ iis debeantur, debentur ſaltem ex charitate: parum autem refert verùm ex defectu iuſtitiæ, an verò charitatis aliquis damnetur. Denique ne obliuiſcatur animæ ſuæ qui alios muneribus affecit; fieri enim poteſt facillimè, vt non rectâ ad cœlum tendat. Porrò has ipſas eleemoſynas, dum in ſtatu gratiæ eſt, faciat, vel ſaltem ratas habeat, vt meritoriæ ſint. 2.

Tertiò. Vt quidquid per ſeipſum exequi teſtamenti ſui poteſt, ne exequendum aliis demandet. Si enim tu in proprio negotio es ignauus & difficilis, quanto magis erunt alij in rebus, quas reputant alienas? Memini me legiſſe de patre morituro, qui cùm filiis ſuis multa relinqueret, quæſiuit ex illis, quid pro animâ eius quiſque facturus eſſet. Vnus promiſit tot miſſas, alter tot eleemoſynas: tertius, *nihil*, inquit, *tibi promitto; quia ſi tu, qui adhuc totam habes hæreditatem, pro tuâmet animâ nihil modò expendis; ne promittas tibi expenſuros aliquid pro te filios, qui ſinguli ſingulas tantùm ſortientur hæreditatis partes.* Quare Tobias vt pacatè mori poſſet, vocauit filium ſuum & de executione ſingulorum cum eo ſeriò egit, *Tob.* 4. Similiter & Gerſon Vniuerſitatis Pariſienſis Cancellarius qui paulò antè obitum mille pauperes duxit ad ſummum templum B. Virgini ſacrum, omneſque iuſſit poſt acceptam à ſe munificam eleemoſinam in genua procidere, atque hac communi voce aliquoties diuinam implorare miſericordiam: *Miſerere Domine Deus Gerſonis ſerui tui*, refert. Balt. Chauaſſ. *de perfect. prudent. l.* 4. *c.* 2. 3.

Quartò vt cum bonorum tuorum ceſſione & diſtributione, deponas etiam affectum erga quaſcunque res creatas, & omnia Deo commendes, de ſolâ tuâ ſalute deinceps cogites; vt ſic *nudus cum nudo* (dæmone) ſecuriùs luctari poſſis, quemadmodum ait S. Greg. *hom.* 32. *in Euang.* vtque inſtar maturi pomi ſpontè & libenter de arbore cadas, 4.

das, ne violenter & damno tuo auelli de mundo debeas. Itaque dices cum Dauide: *Quid mihi eſt in cœlo & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea & cor meum.* DEVS *cordis mei & pars mea.* DEVS *in æternum.* Ita S. Auguſtinus, qui, vt ſcribit Poſſidius in eius vitâ, teſtamentum quidem non fecit, quia vnde faceret, pauper Chriſti non habebat; animum verò ab omni terrenâ ſolicitudine liberum conſeruare in ægritudine ſuâ ſtuduit, & decem ferè diebus ante ſuum obitum voluit ne quis ad eum ingrederetur ampliùs, niſi quando medicus veniret aut refectio afferretur. Quod ipſum præſtitit eius mater S. Monica, quæ alieno licet ſolo moreretur, noluit tamen de ſepulturâ ſua quemquam eſſe ſollicitum; ſed tantùm ad altare Domini memoriam ſui fieri; vt teſtatur Auguſt. ipſe *in lib. 9. Confeſſ. cap.* 11. Raro etiam exemplo Ferdinandus Caſtellæ & Legionis rex, inſtare, ſibi diem extremum ſentiens, ad Eccleſiam deferri regio ornatu voluit, vbi cùm Deo & ſanctis ſe commendaſſet, poſito omni regio cultu & poteſtate, cilicium induit & cinere caput aſperſit atque ita poſt biduum inter manus Epiſcoporum ſpiritum Deo reddidit. apud Baron. anno 1065.

D. III. Muni te ſacramentis. TERTIÒ. Muni te contra hoſtem, & induere armis ſalutarium ſacramentorum, ne quid in te funeſti reperiat, teque aliqua in parte vulnerare queat. Hac in re Eccleſia imitatur Saulem, qui dimiſſurus Dauidem ad præliandum contra Goliath, induit eum veſtimentis ſuis & impoſuit galeam æream ſuper caput eius & veſtiuit eum loricâ vt dicitur 1. *Reg.* 17. Sed quia in his Dauid incedere non potuit, depoſitis iis, ſpiritualibus armis ſe muniuit & venit ad Goliath *in nomine Domini*, id eſt, in virtute Domini. Ad eundem modum Eccleſia, antequam ad ſingulare illud certamen cum diabolo ſubeundum quis hinc abeat, velut ſolicita mater, munit clientem ſuum contra ictus dæmonis, & Primo induit eum lorica pœnitentiæ; quâ poterit omnes ictus dæmonis & accuſationes ſuſtinere, ſi poſſit dicere ſe ritè confeſſum eſſe & pœnituiſſe. Sanctiſſimi etiam viri non contenti pœnitentiæ ſacramento, alia etiam ſeueriora pœnitentiæ & humilitatis opera addidére. S. Hieronymus moriturus, humi ſe deponi & ſacco operiri voluit. S. Auguſtinus obitum ſuum præuidens pſalmos pœnitentiales in cubiculi parietibus deſcribi maiuſculis ſibi voluit, quos dum aſſiduè legeret lachrymas iugiter & vbertim fundebat, dicebatque, neminem quantumuis perfectum ſine pœnitentia ex hac vitâ diſcedere debere. S. Martinus Epiſcopus in cinere & cilicio cubans mori voluit, neque aliter Chriſtianum mori oportere dicebat. S. Franciſcus in pauimentum ſuper nudam humum deponi moriens voluit. Apud Marul. *l.* 5. *c.* 10. Iam ſi hæc talia viri tam ſancti fecére, quid putatis, nobis faciendum reſtabit?

1. Pœnitentia. (margin)

2. S. Euchariſtia. Secundò Eccleſia offert morituro & induit veſtimenta Chriſti SS. Euchariſtiæ communionem, atque adeò ipſum quodammodò Chriſtum, vt per eius merita gratiam coram Deo inueniat. Et hæc eſt veſtis nuptialis, quæ à ſponſo nuptiarum Chriſto prouenire debet: ſine quâ apparere non licet coram rege illo ſponſi patre, *Matth.* 22. Moriturus paulò pòſt apparebit ante conſpectum DEI. Et *quis poterit ſtare in conſpectu Domini Dei ſancti huius?* dicunt Betſamitæ 1. Reg. 6. Et *cœli non ſunt mundi in conſpectu tuo*, inquit Iob. c. 15. Quid igitur faciat miſer? ſequatur conſilium Rebeccæ, *Geneſ.* 27. quæ vt filio Iacob benedictionem à patre impetraret, induit eum veſtibus Eſau primogeniti fratris, valde bonis & odoriferis: & pellibus circumdedit manus eius, vt per omnia fratrem primogenitum repræſentaret? eoque modo benedictionem ei impetrauit. Quoniam igitur cum meritis noſtris præcisè coram Deo apparere non poſſumus, induamus merita Chriſti, qui eſt *primogenitus multorum fratrum*, quod maximè facimus in SS. Communione; ibi enim Chriſtiformes quodammodo efficimur, Chriſtus autem eiuſque meritorum odor non poteſt non placere Deo: ſine iis Deo placere eiuſque benedictionem impetrare non licebit. Proptereà itaque Eccleſia velut altera Rebecca tantum nos vrget, vt hoc conſilio vtamur.

Tertiò. Offert & imponit morituro extremæ vnctionis galeam. Galea poſtremum eſt quod militi imponitur, & caput tuetur; extrema etiam vnctio vltimum morituri remedium eſt. Quoniam ergò infirmus in eo articulo maximè indiget robore & ſolatio, ea tunc illi exhibentur per extremam vnctionem, in quâ, vt S. Iacobus c. vlt ait: *Alleuiabit eum Dominus*; conſolando videlicet & roborando contra horrorem mortis & deiectionem animi: Nemo itaque ſit, qui hanc galeam ante vltimum illum conflictum non aſſumat, ſi robur illud & ſolatium deſiderat in morte; nam tunc moriens relinquitur ſibi-ipſi: nemo eum iuuare poteſt. 3. Extrema vnctione.

Cæterùm vt hæc ſacramenta ſalutaria fiant ægro, ne cogi velit ad ſuſcipienda, ſed vltrò petat; neque etiam eò rem differat, cum iam in extremis & à ſenſibus alienus eſt, adeoque ad fructum ſacramenti percipiendum inhabilis.

QVARTÒ. Prouide tibi arma etiam offenſiua ad pugnandum contra dæmonis inſidias & tentationes, quæ in articulo mortis maximæ eſſe ſolent. Non potuit ita armatus eſſe contra Dauidem Goliath, quin adhuc magis ſe armet contra moriturum diabolus: ille omnia ærea & maximi ponderis habuit, caſſidem, loricam, ocreas, clypeum, haſtile; diabolus verò plurimas & grauiſſimas ingerit tentationes, quibus quomodo ſigillatim obuiandum alibi videbimus. Nunc Dauidis arma nobis ſufficiant. Is itaque tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus, & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, quos fundâ in hoſtem iaceret. Et E. IV. Prouide tibi arma etiam offenſiua.

quis putatis eſt iſte baculus, niſi baculus crucis? Eum certè crucis figuram fuiſſe ſcribit S. Auguſt. *ſer.* 197. *de temp.* Et hunc ſiquid aliud, ſummoperè timet diabolus, vti canis nimirum baculum, quo ſemel eſt percuſſus. Et proptereà morientibus crux apponi & dari in manus ſolet. Sed permultum refert quomodo apprehendas crucem; id enim fieri per fiduciam in Chriſti paſſionem & merita debet; atque vt eam tunc habeamus, nunc dum ſani ſumus, nobis familiarem faciamus, & quodammodò ſemper in manu retineamus, quomodo Dauid baculum ſuum paſtoritium etiam ante pugnam ſemper in manibus geſtabat. Alioqui niſi crucem tractare ſciamus, dæmonem non terrebimus. Hinc fit, vt ſæpè ægri crucem vix agnoſcant (nedum in eâ ſe conſolari ſciant) quia in vitâ non tractârunt. Deinde eiaculare lapides orationum breuium & iaculatoriarum, cœleſtium ſuſpiriorum, inuocationis Sanctorum: cuiuſmodi ſunt ſacratiſſima illa nomina: *Ieſus & Maria.* Oratio S. Fulgentij Epiſcopi, qui in ægritudine ſua frequenter dicebat: *Domine, da mihi hîc patientiam, poſteà indulgentiam*, Baron. anno 529. Illa S. Antonini Archiepiſc. Florentini in ægritudine orantis: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos*, vt in eius vitâ apud Sur. tom. 2. Et illa Dauidis: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, vt ſciam, quid deſit mihi*; ad ſalutis ſcilicet meæ negotium agendum. Maximoperè verò cuiuis commendata velim ea Saluatoris noſtri verba, quæ ipſe vltimo ſpiritu extrema & magnâ voce clamans protulit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, Luc. 23. His enim verbis docet in articulo mortis primò maximo niſu & feruore Deum exorandum & animam ei commendandam; quia ibi iacitur vitæ alea, & vertitur cardo totius ſalutis. Sic cygnus ante mortem omnes ſpiritus ſuos colligit in cor & in morte ſimul expirat, vnde ſuauem cantum efficit. Secundò, non eſſe tunc ſollicitum de corpore & terrâ, ſed ſolùm de animâ & cœlo. His adde actus fidei, ſpei, charitatis, contritionis, patientiæ, qui ſunt quinque limpidiſſimi & aptiſſimi lapides ad debellandum dæmonem.

F. V. Adorna lectum tuum virtutum floribus.

Qvinto. Adorna lectum tuum floribus virtutum, & para tibi in cœlo nidum bonis operibus vt cum ſponſâ dicere poſſis: *Lectulus noſter floridus.* Phœnicem imitare, quæ, vt ſcribit S. Cyrill. *Catech.* 18. S. Clemens Papa *lib.* 20. *c.* 6. Tertull. *de fide reſur. c.* 13. & alij, quando præſentit imminere ſibi mortem, conficit priùs nidum ex fragrantibus lignis, in quorum medio ſe collocat, aſpiciens rectiſſimè ſolem cùm maximè feruet: cuius calore dum alas ſuas ventilat ignis accenditur, quo ipſa tota comburitur, & in cineres redigitur; ex quibus deinde vermis prodit, qui in nouam Phœnicem conuertitur. Appoſita hæc reſurrectionis iuſti figura eſt: quam ſiquis deſiderat, cum Phœnice moriturus congerat ſibi odorifera virtutum & bonorum operum ligna, ſeque & ſua omnia Deo in holocauſtum offerat bona temporalia per eleemoſynam vel renuntiationem & obliuionem; corpus per patientiam dolorum, animam per obedientiam & reſignationem in manus Dei, dicendo cum Chriſto: *Ita pater quia ſic placitum fuit ante te.*; atque inter hæc Deum perpetuò contempletur, & ad eius ſolius gloriam attendat; nullam vanam intentionem admiſceat: alas etiam piorum deſideriorum quatiat, & cum Apoſtolo diſſolui, & eſſe cum Chriſto cupiat. Sic in ipſo accendetur ignis diuini amoris, & ex holocauſto iſto prodibit vermis animæ beatæ, quæ in reſurrectione nouiſſima iterum induet pennas ſuas, & in nouam Phœnicem mutabitur. Præuidens hoc S. Iob c. 29. dixit: *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Alia verſio habet: *Et ſicut Phœnix multiplicabo dies.* Cæterùm noli tui nidi conſtructionem in horam mortis prorſus reiicere, ne fortè tempus exſtruendi non habeas, quemadmodum fatuæ illæ virgines non habuerunt ſpatium ad lampades ſuas oleo exornandas. Prudentes imitare, quæ in tempore ſurgentes ornauerunt lampades ſuas, & cum ſponſo intrârunt ad nuptias.

CONCIO VI.

An & qua ratione mortui lugendi ſint.

1. *Variæ aſſignantur rationes cur lugendi ſint mortui.*
2. *Item variæ cur non ſint lugendi.*
3. *Lugendos eſſe moderatè, non autem more gentilium, Iudæorum, crocodili, puerorum & fœminarum.*

THEMA.

Noli flere. Luc. 7.

A. Meritò quis dubitare poſſit, quo animo mors charorum ferenda ſit, æquone animo, hilari an triſti. Pro vtraque enim parte auctores ſunt & argumenta, vt non ſit obuium vnicuique diſcernere, quid ſentiendum ſit. Atque vt à gentilibus incipiamus; Solon mortem ſuam lugeri iuſſit; contrà Ennicos vetuit, vterque ſapiens. Romani cum luctu nouendiali & præficarum planctu ſuos efferebant: contrà alij vt Maſſilienſes olim ſine lamentatione ſuos ſepeliebant. Troglodytæ mortuorum ceruices pedibus alligabant, ſicque cum riſu & iocis eos efferebant; Rauiſ. Textor. in *officina de vario inhumandi ritu.* Deinde noſtri Legiſlatores non videntur hac in re omninò conuenire: Eccleſiaſticus enim ait cap. 38. *Fili, in mortuorum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare.* Vetat contrà Apoſtolus 1. Theſſal. 4. dicens: *Non contriſtemini de dormientibus.* Quid multis? Ipſe Dominus noſter ſuper mortuum plorauit Lazarum: & tamen in

hodier-

hodierno Euangelio matri filium plangenti ait: *Noli flere.* Quid igitur?

B.
I.
Lugendi ſunt mortui.

Dico PRIMO: lugendos eſſe mortuos, vel certè poſſe lugeri. Nam inprimis Ioſeph planxit patrem ſuum Iacob, *Gen.* 50. Iſraëlitæ Moyſen, Deut. vlt. & Ioſuen c. vlt. Dauid Saulem & Ionatham, 2. *Reg.* 1. Viri timorati S. Stephanum, *Act.* 8. Martha & Magdalena, imò & Christus ipſe Lazarum, Ioan. 11. neque in hodierno Euangelio improbat Dominus fletum viduæ, ſed eam conſolari intendit, quòd filium mox receptura ſit.

1.
Vt teſtemur nos eſſe homines.

Lugendi autem ſunt primò, vt teſtemur, nos eſſe homines vtentes ratione, quæ ſola apprehendit, quid ſit mors: teſtemur, inquam, non eſſe nos inſanos aut belluinos. Quamquam & animalia quædam luctum edere videntur, cùm à ſuis comparibus ſeparantur. Etenim S. Baſilius in orat. de morte, quæ habetur inter opera S. Ephrem, ſcribit: *Vidi ipſe aliquando bouem ad præſepe lachrymantem, cùm contubernalis ipſius morte ereptus eſſet.* Et S. Ephrem ſerm. in eos, qui in Chriſto obdormierunt, ait: *Lachrymas effundamus, quoniam & animalia ſuper aliorum eiuſdem ſecum generis ſeparatione lachrymantur. Lugeamus, quoniam & boues ſuos compares requirentes mugiunt: quoniam & hirundines abreptis ſibi pullis clamitant: quoniam & agni nuper nati à fratribus ſeparati vociferantur.* Sic ille.

2.
Vt teſtemur amorem noſtrum.

Secundò. Vt teſtemur amorem noſtrum eumque ſyncerum erga defunctos. Sic plorauit Christus Lazarum amicum ſuum defunctum. Ideò Iudæi dicebant: *Ecce, quomodo amabat eum!* Ioan. 11. Vnde qui penitùs non dolent mortem amicorum, vulgò exiſtimantur non amaſſe illos. Solent enim aſſentatores & ficti amici præ ſe ferre amorem erga viuentes: quos tamen mortuos minimè plangunt. Alij clàm gaudent de morte propinquorum, vel quia ipſis defuncti inimici aut moleſti erant in vitâ, vel quia hæreditatem aliquam ſibi reliquerunt. Peruerſum ſorget illud gaudium. Vnde Craſſus Romanus exprobrauit Domitio, quòd ſine luctu, tres vxores ſepeliſſet, apud Ælian. l. 8. hiſt. c. 4. Quare, vt teſtemur, non lætari nos de morte propinquorum ob has vel ſimiles cauſas, rectè & meritò luctu publico teſtamur amorem noſtrum. Ita magnâ ſuâ laude fleuit Dauid multis lachrymis mortem Saulis Domini ſui infenſi, ne quis exiſtimaret eam ſibi attuliſſe gaudium.

3.
Vt ploremus damnum Eccleſiæ.

Tertiò. Vt deploremus damnum Eccleſiæ, cui fidus aliquis miniſter & operarius vtileque membrum eſt ſubtractum. Sic Chriſtiani planxerunt mortem S. Stephani. S. Ambroſius mortem fratris, vti & S. Bernardus. Sic Hæbræi fleuerunt Moyſen, Ioſuen, Iudam Machabæum. Si enim reſecato vno membro corporis, dolent membra reliqua: cur non idem facient membra Eccleſiæ?

4.
Vt deploremus peccata noſtra.

Quartò. Vt deploremus peccata noſtra, quæ fortaſſe cauſa fuerunt, vt Deus à nobis offenſus tolleret bonos & dilectos noſtros. Sæpiſſimè enim contingit, vt per mortem nobis tollantur parentes, liberi, benefactores aliique dilecti & vtiles, in pœnam peccatorum noſtrorum. Meritò ergò dolemus, quia telum morti præbuimus, quo occideret charos noſtros. Quòd ſi peccata noſtra non cauſarunt mortem illam, cauſauit tamen peccatum primorum ſaltem parentum per quod mors intrauit in mundum. Hac de causâ volunt aliqui infremuiſſe Chriſtum in ſuſcitatione Lazari, aduerſus peccatum videlicet, quod Lazarum proſtrauerat.

5.
Vt componamus nos ad pœnitentiam.

Quintò. Vt componamus nos ad pœnitentiam vitæque emendationem dum induimus veſtem pullam, habitum lugentium. Quis enim non ſibi metuat, cùm è domo, familiâ aut ſocietate ſuâ videt aliquem abripi? quomodo non cogitat, cras ſibi euenire poſſe, quod hodie amico contigit? quomodo non incipit abſtrahere ſe à nugis ſæculi & vanitatibus mundi? quomodo non mors amici præ oculis eius multo tempore obſeruabitur? Scribit Plinius l. 8. c. 50. *Si quis villo menti apprehenſam capram ex grege vnam trahat, cæteræ ſtupentes ſpectant.* Quid mirum, ſi, cùm mors aliquem è domo vel familiâ noſtrâ correptum è vitâ abſtrahit, omnes nos ſtupeamus, & tractum ſimul ac trahentem attoniti ſpectemus? Itaque iure merito, qui in luctu ſunt, abſtinent à luſu, choreis, nuptiis, conuiuiis aliiſque ſæculi gaudiis, quia acceperunt ſignificationem, *vt fugiant à facie arcûs.* Sic etiam auiculæ, cùm ex earum numero vnam rapit accipiter, diſſoluere mox conuentum, abrumpere cantum, & abſcondere ſe ſolent. Sanctus ille Patriarcha Iacob, perdito filio Ioſepho, quem mortuum credebat, induit ſe ſacco, & noluit à filiis conſolationem vllam capere. Dicebat enim *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum:* q. d. nullum admittam ſolatium ampliù, donec videam in limbo filium meum. Dicat ergò ſimiliter Chriſtianus in luctu poſitus: Deſcendam ad filium vel parentem meum lugens in infernum: iugiter conſiderabo mortem, & reſpuam mundi gaudia, donec veniam ad illum, &c.

C.
II.
Non ſunt lugendi mortui.

Dico SECVNDÒ. Mortuos non lugendos. Docent enim & hoc ſacræ literæ, vti ſuprà vidimus.

1.
Quia mors à Deo eſt.

Ratio eſt primò, quia mors à Deo eſt. Ipſe enim vult, vt moriatur homo. Placeat igitur homini, id quod placet Deo. Deinde Deus repetit quod ſuum eſt, quis ei contradicet? Qui depoſitum tibi credidit, ſi ſuum aliquando repetat, quâ ratione tu obſiſtes? Quid ſi tibi Deus depoſitum hoc non commendaſſet? Hinc Damaſis ad quendam filio orbatum dixit: *Si non triſtatus es, cùm nondum filius eſſet; ne nunc quidem dolere debes, cùm non ampliùs eſt.* Stob. ſen. 121.

2.
Quia mori neceſſe.

Secundò. Quia mori neceſſarium. Non exemptus fuit Dei filius, non beatiſſima eius mater. Et vniuerſim *teſtamentum eſt huius mundi: morte morietur:* ait Eccleſiaſticus c. 14. Vnde illa Thecuitis perſuadere volens Dauidi, ne contriſtaretur de morte filij ſui Amnon: *Omnes morimur,* inquit, *& quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur,* 2. Reg. 14. Iam ſi omni-

omnibus moriendum, quid refert, num quis hodie aut cras moriatur? Ita Coëpiſcopus quidam S. Auguſtini, ab illo viſitatus in ægritudine audienſque poſſe ſe adhuc viuere & Eccleſiæ prodeſſe, reſpondit: *Si nunquam* (ſcilicet moriendum) *bene ſi autem aliquando: cur non modò?* Poſſidius in vitâ S. Auguſt. c. 27. Dic hoc de morte amici tui.

3. *Quia mors charorum ſæpe vtilis.* Tertiò. Quia mors charorum ſæpe vtilis eſt, partim illis, partim tibi. Illis quidem ſi in miſeriis & calamitatibus vixerunt: vel ſi aliquando deprauandi erant, aut deprauati peiores futuri. Tibi verò, quia amici ſæpe cauſa ſunt ruinæ & damnationis æternæ. *Inimici* enim *hominis domeſtici eius*, ait Dominus. Noli igitur dolere, amata tibi obſonia è menſâ eſſe ſublata, quorum immoderato eſu valetudinem lædere poteras.

4. *Quia triſtitia illa inutilis.* Quartò. Quia triſtitia tua inutilis eſt & quandoque noxia. Hac de causâ poſuit luctum Dauid, ſuper morte filij ſui primogeniti. *Nunc quia mortuus eſt, quare ieiuno?* inquit? *Nunquid potero reuocare eum ampliùs? Ego vadam magis ad eum, ille verò non reuertetur ad me*, 2. Reg. 12. Audi Chryſoſt. hom. 61. in Ioan. *Quòd ſi peccator & qui ſæpenumerò Deum offenderit, moritur, is deflendus eſt, vel potius minimè: cùm nihil illi afferat vtilitatis: ſed ea facienda, quæ ei aliquid conferre poſſint, vt ſunt eleemoſynæ & oblationes. In hoc lætandum eſt, quod malitia eius abſciſſa eſt. Quòd ſi iuſtus: rurſus lætandum, quòd in tuto collocatur, quòd liberatus eſt à futurâ incertitudine. Si iuuenis, quòd ex medio malorum ereptus eſt: Si ſenex, quòd eo diutius vſus, quod maximè deſiderabile videbatur, vita ſatietate migrauit.* Sic ille.

5. *Quia mors Chriſtianorum, ſomnus.* Quintò. Quia mors Chriſtianorum ſomnus eſt; & quidem ex parte corporis tantùm, è quo ſuo tempore rurſum euigilabunt. Hinc antiqua Chriſtianorum phraſi mortui dicuntur *obdormiſſe & dormire* ad ſolatium amicorum. Sic Chriſtus de Lazaro: *Amicus noſter dormit.* Et rectè concludunt diſcipuli, *Domine, ſi dormit, ſaluus erit.* Sic de puellâ ſuſcitandâ: *Non eſt mortua puella, ſed dormit.* Et Apoſtolus 1. Theſſ. 4. *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini*: Ergò ſicut abſque dolore, amici dormientis præſentiâ caremus: ita non magnoperè moueamur, ſi ad diem vſque reſurrectionis præſentia eius differatur. Adhæc nemo valdè dolet ſi audiat amicum in prælio decertantem, equo ſubter ſe confoſſo in terram eſſe deiectum, attamen incolumen euaſiſſe, ita res habet in propoſito. Quando propinquus obiit, equus tantùm eius cecidit, corpus videlicet: eques, id eſt, anima incolumis euaſit. Xenophon Socraticus, vti refert D. Hieron. in ep. ad Heliodorum, cùm ſacrificans filium in bello occubuiſſe adiſſet, coronam de poſ[illegible]it: mox tamen vbi intellexit, fortiter dimicantem occidiſſe, in caput eam repoſuit. Ergò ſi audiamus propinquos noſtros piè & Chriſtianè obiiſſe, omnis mœror abſtergendus eſt.

D. III. Lugendi ſunt moderatè & Chriſtianè, nõ ſeu diſcretè. Dico Tertiò: Lugendos eſſe mortuos, ſed luctu moderato & Chriſtiano. Ita monet Eccleſiaſticus c. 22. *Modicum plora ſuper mortuum*, inquit, *quoniam requieuit.* Et Apoſtolus 1. Theſſ. 4. *Non contriſtemini ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* Quare non ſunt lugendi

1. *Non more gentilium.* primò more & ritu gentilium, qui genas ſibi radebant ad ſanguinis effuſionem, capillos euellebant, veſtes lacerabant, in terram cadebant, rogum ſanguine ſeruorum aut etiam charorum cruentabant, brachia ſua vulnerabant; vt ſcribit Roſinus *Antiq. Rom. l. 5. cap.* 39. Herodotus, Lucianus, & alij. Hoc enim inſanum eſt. Et hæc fecerint illi, qui ſpem ſalutis non habebant, & æternùm moriebantur: certè Chriſtianis facere non licet. Quare S. Chryſoſtomus *hom. 4. in ep. ad Hebr.* hunc morem à gentilibus in ſuos deriuatum acriter reprehendit, & pœnâ excommunicationis mulctandum à ſe edicit.

2. *Non more Iudæorum.* Secundò, Non more Iudæorum. Veteres enim Iudæi diutiùs extendebant luctum, nec voce tantùm & lachrymis plangebant, ſed geſtibus etiam, complodendo manus, ſtringendo brachia, tundendo pectus, ſcindendo veſtes &c. Adhibebant etiam tibicines, qui triſte carmen modularentur, vt *Matth.* 9. Fecerint hoc illi, ignoſcendum eſt: quia cælum adhuc clauſum erat, & in limbum deſcenderunt, quotquot in ſtatu bono mortui ſunt. In cuiuſuis rei figuram ſcribit S. Hieron. *in ep. ad Fabiolam de* 42. *manſ.* Aaronem planctum eſſe: Ieſum (Naue, qui fuit typus Chriſti) non eſſe planctum. Rationem addit: *In lege deſcenſus ad inferos: in Euangelio ad paradiſum tranſmigratio.* Multò minus audiendus planctus Iudæorum hodiernorum; qui ad quæſtus & fictas lachrymas addunt veſtium ſciſſuram, quam modicâ in parte à collo cœptam faciunt; quia planctus hic ſuperſtitioſus eſt. Serar. *in c. vlt Ioſ. q.* 9.

3. *Non more crocodili.* Tertiò. Non more crocodili, qui cadaueribus inſidiatur, & ſi quod deprehendat, lachrymis perfundit, non ſanè ex commiſeratione, ſed quia nouit lachrymas ſuas valere ad diſcindenda oſſa, quò medullam hauriat. Vincent. *hiſt. nat. l. 17. c. 606.* Tales ſunt, qui fictè lugent, vel vt hæreditate potiantur defuncti: vel vt alios decipiant, quaſi ſeriò amârint defunctos. Cuius exemplum recitat M. Aurelius Imp. in ep. ad Lauiniam de nobili fœminâ Fuluiâ M. Marcelli vxore, quæ cùm maritus ad rogum ferretur, cœpit faciem laniare, crines euellere, veſtem lacerare, in terram ruere: ita vt duo Senatores accederent, eiuſque manum tenerent, ne adeò ſibi noceret. Interim tamen antequam mariti corpus vreretur, alteri Senatori, qui eam ducebat, manu ſtipulatâ promiſit matrimonium.

4. *Non more puerorum.* Quartò. Non more puerorum, qui inaniter lugent. Præſtat enim mortuos iuuare oblationibus & eleemoſynis, quàm luctu inani profequi. Vnde S. Chryſoſtomus hom. 61. in Ioan. ait: *Honor mortuo non fletus eſt, non eiulatus, ſed hymni & pſalmi & vita optima. Ille moriens cum Angelis euolabit, etiamſi nemo exequijs interueniat: perditus autem etſi in funere vniuerſam*

habuerit ciuitatem, nihil lucrabitur. Vis honorare mortuum? fac eleemoſynas. Quæ tibi in multis fletibus vtilitas? Sic ille. Exemplum refertur à Thom. Cantiprat. lib. 2. apum c. 53. de filio defuncto, qui apparuit matri quaſi retardatus ab inceſſu, ob vas aquâ plenum, quod in dorſo gerebat. Dixit autem matri hanc aquam eſſe eius lachrymas, quas pro ipſo funderet ſed inani fructu; rectiùs igitur facturam ſi lachrymas in ſacrificia & eleemoſynam commutaret, & pro ipſo offerret.

5. *Non more fœminarum.* Quintò. Non more muliebri. Mulieres enim ferè immoderatè lugent, & decorum minùs obſeruant, nec ſe conſolari nôrunt. Quando ergò mollis & tenera natura reſoluitur in lachrymas adſit maſculus animus, qui eandem corrigat, & per fidem erigat ad ſpem ſalutis & reſurrectionis. *Permittantur pia corda charorum,* inquit S. Auguſt. ſerm. 34. de verbis Apoſtoli, *de ſuorum mortibus contriſtari dolori ſanabili, & conſolabiles lachrymas fundant, conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, quâ credunt fideles, quando moriuntur, paululùm à nobis abire, & ad meliora tranſire.* Docuit nos hoc Dominus, quando in ſuſcitatione Lazari *infremuit ſpiritu in ſemetipſo,* hoc eſt motum naturę in lachrymas erumpentis frænauit, & cohibuit ſpiritu ſuo, ne præter decorum quid ageret vel loqueretur, vt exponunt Chryſoſtomus, & alij. Quapropter ſiquando Chriſtiani in ſuorum obitu metas moderationis exceſſiſſe viſi ſunt: non defuerunt hortatores, qui eos intra cancellos orationis reuocarent, & illud Saluatoris ad viduam, occinerent: *Noli flere;* Pone modum luctui: Non amiſiſti quem flebilibus threnis deploras, ſed præmiſiſti vti ſcribit Iac. Gretſerus *de funere Chriſtiano lib. 1. c. 12.*

CONCIO VII.

Emendationem vitæ non eſſe differendam vſque ad ſenectam.

1. *Quia incertum an ad ſenectam perventurus ſis.*
2. *Incertum eſt an in ſenecta vocandus ſis ad pœnitentiam.*
3. *Quia communiter quales in iuuentute, tales ſumus in ſenectute.*
4. 5. *Quia ſenectus non eſt apta pœnitentia, in eaque vitia potius te, quàm tu illa deſeris.*
6. *Quia ſic Deo viliorem, diabolo potiorem dares Vitæ partem; cum tamen ſeruiendum ſit Deo totâ vitâ.*
7. *Quia ſic iniquus eris in teipſum.*

THEMA.

Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Luc. 7.

A. *Tres mortui à Chriſto ſuſcitati quod notent.* TRES mortuos à Chriſto ſuſcitatos legimus in Euangelio: puellam, filiam Archiſynagogi in domo adhuc iacentem, *Matth. 9.* Adoleſcentem hodiernum, iam efferri cæptum ad ſepulchrum, Luc. 7. Lazarum in ſepulchro iam triduo iacentem, Ioan. 11. S. Auguſtinus *ſerm. 44. de verbis Domini,* exiſtimat longè plures mortuos à Domino ſuſcitatos eſſe; hos verò tres ſpeciatim commemoratos ob doctrinam noſtram; tres enim iſtos mortuos ſignificare tria genera peccatorum: & puellam quidem in domo, ſignificare eos qui peccatum in corde habent, in facto nondum habent; adoleſcentem hodiernum extra portam, eos, qui ad factum progrediuntur; Lazarum denique in ſepulchro, eos quos malæ conſuetudinis moles præmit. Sed licet etiam paulo aliter hos mortuos interpretari. 2. Puella in domo iacens & Chriſti aduentum expectans, deſignare mihi videtur eos, qui poſt peccatum procraſtinant pœnitentiam, de die in diem, de menſe in menſem, de anno in annum, perſuaſi à tibicinum & turbæ tumultuantis illecebris; qui tamen Deo adhuc dormiunt tantùm & ab eo facilè excitari queunt, modò eos tangat, interno gratiæ motu adoleſcens hodiernus iam efferri cœptus, eos qui ad ſenectutem vſque differunt emendationem ſuam, & ob id in grauiori ſunt periculo, vtpote ad ſepulchrum iam tendentes & elati per pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem & virilem ætatem: & hi difficiliùs ſuſcitantur; tangere debet loculum Deus, ſiſtere portitores & imperare mortuo: *Tibi dico, ſurge.* Lazarus verò eos, qui in morte primum, vbi in vitiis ſuis iam ſepulti iacent, pœnitentiam agere volunt ac proponunt: & hi omnium difficillimè à peccatorum morte ſuſcitantur. Lachrymis hîc opus eſt, tollendus eſt dè corde lapis, fætor mortui ferendus, orandum pro eo, & voce magnâ clamandum: *Lazare veni foras.* Omnes iſtas mortes ac moras deprecatur Dauid Pſal. 68. dicens: *Non me demergat tempeſtas aquæ*, en primum: *neque abſorbeat me profundum*, en ſecundum: *neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum*; en tertium. Diximus alibi de prima & tertia, nunc de ſecundâ: ne differamus emendationem ad ſenectutem.

B. I. *Quia incertum an ad ſenectā peruenturus ſis.* PRIMA. Quia incertum eſt vtrùm ad ſenectutem perventurus ſis, ſiquidem primò 1. de craſtino es incertus, & experientiâ teſte pauci admodum ſenes reperiuntur, comparatione iuniorum, quia ſcilicet plerique ante ſenium moriuntur. Proſtat exemplum iuuenis in hodierno Euangelio; & in I. Gen. Abelis, qui adoleſcens omnium primus & quidem ante patrem mortuus eſt licet non ipſe, ſed pater eius mortem inuexerit in mundum. Per hoc enim monere voluit Deus iuuenes, ne in adoleſcentiæ flore ſibi blandirentur ac nimium ſibi fiderent; mortem enim velut Tyrannum homines indifferenter proſternere, modò falce ſenes, modò arcu iuuenes: ad inſtar malorum puerorum vel furum qui his temporibus immaturos fructus æquè decerpunt & furantur ex hortis ac maturos: nam ſenes quaſi matura poma vltro decidunt: iuuenes velut in matura vi abripiuntur. Vnde Iob c. 9. ait: *pertranſierunt quaſi naues poma portantes.* Aptiſſimè verò comparat vitam hominis, naui; Etenim nauis, quæ expanſis velis per mare

re fertur, ſi occurrat aliis nauibus, putat illas celerrimo curſu pelagus pertranſire, ſe verò immobilem vno loco hærere, vel certè nonniſi lente progredi: idem nobis euenit; videmus alios ad mortem velociſſimè properare & vnum poſt alterum efferri ad ſepulchrum, nos interim ſtare, & longè à morte abeſſe putamus, cùm tamen velociſſimo item curſu ad
2. eam properemur. Secundò quia periculum eſt, ne tibi abbreuientur dies; & ſenectutem non attingas eo ipſo, quo ad eam differs emendationem. Vt enim diues aliquis pater nollet filio ſuo prodigo dare pecunias, eò quòd aliàs datam tam malè & inutiliter, imò turpiter expenderit: ſic qui iuuentutis ſuæ dies tam malè & perditè tranſegit meretur priuari longiori vitâ, quàm aliàs viuere poſſet. Hominibus imminente diluuio datum eſt à Deo tempus pænitentiæ 120. annorum, Gen. 6. *Quia verò pænitentiam agere contempſerunt*, inquit S. Hieronymus in trad. Hebr. *noluit Deus tempus expectare decretum: ſed viginti annorum ſpatijs amputatis induxit diluuium anno centeſimo*, &c. Putat enim Hieronymus, vti & Chryſoſtomus & Hugo, anno 500. ætatis Noë, deſignaſſe Deum tempus pœnitentiæ 120. annorum: (vt videtur conſequi ex præc. cap.) quod tamen anno 600. inductum eſt. Sic minatur Deus per Ioannem *Apoc.* 3. Epiſcopo Sardicenſi: *Eſto vigilans, &c. ſi non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies quâ horâ veniam ad te.*

C. II. Quia incertum an in ſenecta ſis vocandus ad pœnitentiam.

SECVNDÒ. Quia incertus es an de peccatis te in ſenectute euocaturus ſit Deus, & tu illi vocanti reſponſurus. Scimus ſanè Matth. 20. Patremfamilias exiiſſe in forum diuerſis horis, prima, tertia, ſexta, nona & vndecima ad conducendos cuiuſcunque ætatis homines in vineam ſuam; ſed tamen nullos increpaſſe de otio tranſacto, præterquàm vltimos, qui circa
1. vndecimam horam vocati ſunt. Illis enim ſolis dixit: *Quid hic ſtatis* (græcè ἑστήκατε, *ſtetiſtis*) *totâ die otioſi?* nemo enim magis meretur increpari & deſeri in egeſtate, quàm qui vitam tranſegit in otio, iuxta id Sapientis Prou. 20. *propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergò æſtate & non dabitur illi.* Et illi quidem operarij excuſare ſe potuerunt, quòd à nemine conducti eſſent, quod tamen facere non poſſumus nos. Timendum ne fortè dicere debeamus: Conduxit nos Mundus, Caro, diabolus, Mammon, &c. cui primò ſeruire debuimus: id quod potiùs nos accuſabit.

2. Adhæc ſenes difficiliùs parent vocationibus diuinis & tardiùs. Vt enim qui aliquam ciuitatem diu incoluit, difficulter inde diſcedit, licet ad meliorem conditionem vocetur: ita & ſenes ab eo viuendi genere, cui aſſueuerunt. Patuit in Loth & vxore eius, qui moniti ab angelis vt è Sodomis perituris excederent & ſaluti ſuæ conſulerent, moras nectebant & putabant eos per iocum loqui: vnde & manibus apprehendi & educi debuerunt, *Gen.* 19. Nimirum detinebat eos vel amænitas loci, vel amicorum conſortium, vel ſuppellex, vel quid ſimile. Ita ergo ſenectus multa habet impedimenta, ne Deo vocanti reſpondeat: quemadmodum potatores multi in popinis ac tabernis ſedentes, cùm euocantur ab vxoribus, ſequi renuunt, quia nimirum vino ſepulti, vel luſui addicti, aut cum bonis amicis ſunt. *Apud Ægyptias Thebas, Memnonis ſtatuam olim fuiſſe aiunt è nigro lapide ad ortum ſolis conuerſam. Hæc imberbem adoleſcentem referebat, cuius ambæ manus ſedi ſic innitebantur, vt hominis ſurgere volentis ſimilitudinem exprimerent: videbatur enim ſaxeus ille adoleſcens orienti ſoli velle aſſurgere. Oculorum autem & totius hominis conformatio hominem iamiam locuturum repræſentabat. Et ſunt qui dicant ab hac ſtatua ſonum edi ſolitum, cùm illam ſol oriens radijs ſuis attigiſſet.* Refert Ier. Drex. *in Triſm.* ex Pauſania *in Atticis l.* 35. *c.* 7. & aliis Maiolus *tom.* 1. *canic.* ex Euſebij Chron. Huic adoleſcenti ſimiles ſunt quamplurimi, qui in blandâ vitiorum ſede dies & annos velut clauis affixi ſedent. Quoties illis dicitur; *Adoleſcens tibi dico, ſurge?* Surge, inquam, è cathedrâ peſtilentiæ? Et videntur interdum ſurgere velle ac moliri abitum; ſed iterum victi inertiâ, ſedere pergunt. *Nunquid adhæret* illis *ſedes iniquitatis?* Videntur etiam velle loqui, confiteri inquam & deteſtari peccata; Sed heu quàm fractè & quàm frigidè loquuntur? Nulla erumpit ſeria & reſoluta vox; Volo me emendare; ſed vel faxo, inquiunt, vt me emendem; vel nollem equidem hoc feciſſe; Vellem emendare niſi hoc vel illud obſtaret.

D. III. Quia cõmuniter quales in iuuentute, tales ſumus in ſenectute.

TERTIÒ. Non leue eſt argumentum, talem te futurum in ſenectute, qualis es in iuuentute. Id enim teſtatur Sapiens Prou. 22. *Prouerbium eſt*, inquit, *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab eâ.* Id enim eſt homini ſuauiſſimum, quod totâ vitâ conſueuit. Plato quondam adoleſcentem, quòd luſiſſet aleâ, grauiter increpuit; qui cùm dixiſſet: *Sic obiurgas ob rem paruam?* *At non paruum eſt*, reſpondit, *aſſueſcere.* Laërt l. 3. Quid multis; teſtis eſt experientia, iuuenes quæ aſſueuerint, non dimittere in ſenectâ, ſed tenere vſque ad mortem. Quidam morti vicinus, vt Lucas Pinellus lib. 1. de alterâ vitâ cap. 5. refert, diuitiis plus æquo addictus maximâ cœpit affici anxietate, quòd opes ſuas relinquere deberet, & modò in hanc, modò in alteram ſe partem volvebat & leonis inſtar nonnunquam rugiebat. Cumque M. Robertus Licius, qui tunc ei aderat, eum hortaretur vt animæ ſuæ prouideret cæteris poſthabitis, confiteretur, communicaret; ille totus in ſuis diuitiis: *O quantum*, inquit, *inſumpſi moleſtiarum ad conquirendas has diuitias & nunc alij eis perfruentur!* Robertus inſiſtere; vt de anima potiùs ſolicitus eſſet. At ille priori ſententiæ inſiſtens: *O diuitiæ meæ*, inquit, *quibus vos relinquo? quis vos poßidebit?* atque ita citra confeſſionem miſerrimè expirauit.

Gabriel Inchino in ſcala cœli refert auarum quendam, qui crediderat alteri centum ducatos intra triennium reſtituendos, cùm ad extrema deueniſſet & iam animam ageret,

ret, licet ab amicis & confeſſario admonere-tur de negotio animæ pertractando, nihil aliud reſpondere ſolitum, quàm *centum ducatos intra triennium ſoluendus*: & ita deceſſiſſe. O quàm verum ergò prouerbium *Adoleſcens iuxta viam*, &c. Quin etiam certum eſt multò duriorem te futurum in ſenectute ad pœnitentiam, quam in iuuentute; ſiquidem nemo neſcit, ramos multò faciliùs curuari teneros, quàm inueteratos. Antiſthenes dicebat apud Meliſſ. ſer. 32. *Veterem arborem tranſplantare, difficile eſt.* Facilè tranſplantatur frutex: ſed non ita arbor. Eandem difficultatem experiuntur Confeſſarij, cùm volunt inueteratos malorum & ſenes tranſplantare de horto dæmonis in hortum Chriſti. Quanta enim ibi difficultas! quanta ſenum ſtupiditas! quanta pertinacia. Nôrunt Medici, quàm difficilè ſit curare diuturnas infirmitates, quamque incurabile ſit malum, quod ad oſſa vſque penetrauit: ideoque *languor prolixior grauat medicum*, ait Eccleſ. cap. 10. Idem experiuntur medici ſpirituales. Hinc & Iob cap. 20. ait: *Oſſa eius implebuntur vitijs ab adoleſcentiâ eius, & cum eo in puluere dormient.* Quod explicans D. Gregorius ait: *Dura in eo prauitatum conſuetudines atque quotidie duriores exiſtunt & vſque ad mortem perdurant.* Et ſicut homo ſemper eſt vegetus, quamdiu in oſſibus medullam habet; quaſi nutrimentum eorum: ita qui ab adoleſcentiâ vitiis aſſueuit, ſemper in iiſdem viret ac robuſtus eſt, tametſi alioquin ætate confectus & exhauſtus.

E. IV. Quia ſenectus non eſt apta pœnitentiæ.

QVARTÒ. Quia ſenectus parum aptum pœnitentiæ tempus eſt, vtpotè laborum impatiens & imbecillum: Tunc enim iam aliorum manibus geſtaris; ad frigus ferendum, ad ieiunia, ad humicubationes, ad peregrinationes & ſimilia ineptus es; ad examinandam conſcientiam, excitandam contritionem, ad reſtituendum aliena; ad largiendas eleemoſynas durior (ſiquidem ſenes illiberales ſunt, tumidi & peruerſi) potiùs relaxari ab oneribus Chriſtianæ militiæ cupies. Quemadmodum aquila in ſenectute ita curuum acquirit roſtrum, vt comedere tandem nequeat, & fame mori debeat: vt refert Pier. *lib. 19. hierogl.* ita ferè euenit ſenectuti; non enim poteſt durare in templo, in oratione in audiendo verbo Dei, qui ſunt panes animæ. Quæ igitur amentia eſt, differre eò comeſtionem, quando comedere non poteris? Quid diceremus de illo mercatore, qui ad nundinas pergens & quatuor equos habens, aduerteret tres eorum iuuenes eſſe & alacres, vnum verò iam ætate confectum atque infirmum, ideoque diceret intra ſe: Quid ſi iuuenes hi equi à ſarcinis læderentur? quàm grauem ego iacturam paterer? Itaque ſi onus, quod quatuor equi geſtare debebant, totum ſuper debilem illum & ſenem poneret: nonnè fieret vt iſte mox ſub onere concidens moreretur? & diceréſne hunc ſapere? Atqui tu hoc ipſum agis, dum adoleſcentiam, iuuentutem & virilem ætatem ab onere pœnitentiæ liberam elabi tibi ſinis, ſenectutem ſolam oneras. Dicis enim iuuenis ſum, dolendum eſſet, ſi modò me onerarem ieiuniis, vigiliis, orationibus, confeſſionibus, &c. nec aduertis quàm debilis ſit ſenectus, cui totum hoc onus imponis. *Memento itaque creatoris tui in die iuuentutis tuæ*, ait Sapiens Eccl. c. 12. *antequam veniat tempus afflictionis tuæ & appropinquent anni de quibus dicas: non mihi placent*, &c. Eccl. cap. 25. *quæ in iuuentute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua inuenies.*

F. V. Quia in ſenecta vitia potius te quàm tu illa deſeris.

QVINTÒ. Quia in ſenectute tu non tam vitia deſeris, quàm ipſa te: *Si tunc vis pœnitentiam agere*, inquit Alcuinus Caroli Magni preceptor in lib. de virtut. & vitiis, *quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. Satis alienus est à fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus ſenectutis expectat.* Hæc ille. Ad hoc vt cœlum promereamur, facienda ſunt opera difficilia; quia *regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud*, ait Dominus Matth. 11. *Violentia eſt*, ait ibi S. Hieronymus, *poſſidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam.* Atqui ſenes, ſi multis abſtinent vitiis & concupiſcentiis, id per naturam potiùs habent, quàm per virtutem. Non enim magnum eſt, ſenem non fornicari, non helluari, non ſaltare, non quærere lucra, non ſuperbè veſtiri, non cupere placere mundo; non rixari aut vindictam ſumere, &c. hæc enim illis natura ipſa prohibet, non virtus; niſi priùs iſta didicerint per virtutem. At verò iuuenem talia non agere, hoc virtutis eſt, quia difficultatem continet & violentiam requirit. In mentem hic mihi venit lepidum cuiuſdam effœminati militis factum, qui occiſo cuidam ex hoſtibus brachium amputaſſe dicitur & ad Ducem attuliſſe magnâ cum iactantiâ, quòd videlicet hoc brachium hoſti vno amputaſſet ictu. At verò, cur non potiùs, ait Dux caput illi abſtuliſti? Non habebat ampliùs caput, inquit miles. O ſtrenuum bellatorem! Quare pro mercede iuſſit eum Dux fuſtibus tundi. Huic militi non abſimilis eſt, qui in ſenectâ primùm vult carnis vitia edomare. Etenim caro & mundus ipſi iam ſunt mortui & quaſi capite truncati: quia caro iam vix viuit; mundus eum ſpernit: quid magni ergò eſt, ſi carni iam penè enectæ infligat ictus, & mundum ſpernat, à quo ſe ſpretum videt? *Nullus ergò expectet*, inquit S. Auguſtinus lib. de verâ & falsâ pœnit. c. 17. *quando iam non poſſit peccare. Arbitrij enim quærat libertatem, vt delere poſſit commiſſa, non neceſſitatem. Qui priùs itaque à peccatis relinquitur, quàm ipſa relinquat, ea non libere, ſed quaſi ex neceſſitate condemnat.*

G. VI. Quia ſic Deo viliorem. Diabolo potiorem dares vitæ partem. *Seruiendum Deo tota vitâ.*

SEXTÒ. Quia ſic iniquus eſſes in Deum; dares enim diabolo potiſſimam tuæ vitæ partem, Deo verò viliſſimam ac minimam. Multis ſanè ac maximis rationibus obligamur Deo ſeruire totâ vitâ noſtrâ, adeoque ab infantia. Primò quidem quia ipſe à principio ſuæ æternitatis de nobis cogitauit noſque amauit & innumeris beneficiis afficere decreuit; ergòne æquum erit, vt nos de ipſo non cogitemus, ipſique non ſeruiamus niſi in fine vitæ

2. vitæ noſtræ? Secundo quia merces nobis à Deo promiſſa, æterna erit, hoc eſt, quamdiu Deus erit Deus: nonne igitur decet, vt pro mercede illà tamdiu Deo ſeruiamus, quamdiu viuimus? Et ſi vita noſtra momentum eſt reſpectu æternitatis; itane verò huic momento maximam
3. partem ſuffurabimur? Tertio nonne Deus optimum quod habuit, nobis dedit, filium ſcilicet ſuum? & quâ fronte damus illi, quod eſt vitæ noſtræ viliſſimum, ſenectutem videlicet quæ & à mundo parui penditur & nobis ipſis diſplicet?
4. Adhæc nonne omnes dies noſtros omniaque quæ habemus à Deo poſſidemus? Nonnè legimus Malach. 1. *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus, ego, dicit Dominus exercituum?* Num tibi, putas, placeret, ſi is cui magnam & opulentam donaſti vineam, nihil inde tibi mitteret, niſi vappam aut fæces
5. doliorum? Denique nonne omnes ſerui Dei naturales & emptitij ſumus, adeóque cum Dauide dicere debemus; *O Domine, quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ?* At nunquit, ait Cæſarius Arelatenſis hom. 6. *hoc tibi vis fieri à ſeruo tuo, vt quamdiu fortis & iuuenis fuerit, inimicis tuis ſeruiat, & cùm ad ſenectam venerit, tunc ad tuum ſeruitium redire velit? Quod ergò non vis pati à ſeruo tuo, non eſt iuſtum vt facias Domino tuo*, Ecquis verò eſt, cui florem iuuentutis tuæ ad ſeruitium impendis? nonne hoſtis Dei & animæ tuæ peſſimus? Et quid ait Salomon Prouerb. 5. *Ne des annos tuos crudeli*, inquit. Crudeliſſimus herus Diabolus, qui inſtar Pharaonis poſtquam ei ſeruieris, in fine laborum pro mercede verberibus te mulctat.

H. VII. Quia iniquus eris in teipſum. - SEPTIMÒ. Quia iniquus etiam es in teipſũ, dum mundo, carni & Diabolo das optimam & potiſſimam vitæ partem tibi verò inutiliſſimam & minimam. Quatuordecim annis ſeruierat Iacob ſocero ſuo Laban pro Rachele & Liâ; his finitis dicebat: *Tu noſti quomodo ſeruierim tibi, &c. Iuſtum eſt igitur vt aliquando prouideam etiam domui meæ*, Gen. 30. Cogita & tu, ſi quatuordecim annis per infantiam & pueritiam vixiſti non tibi, ſed parentibus: vel ſi aliquot annis huic mundo ſeruiſti, an non æquum ſit vt reliquum tempus & potiorem ſaltem vitæ partem conſumas in animæ tuæ negotio, tibique ipſi prouideas? Audi Senecam lib. de breuit. vitæ cap. 4. *Non pudet te*, inquit, *reliquias vitæ tibi reſeruare & id ſolum tempus bona menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit? Quàm ſerum eſt, tunc viuere incipere cùm deſinendum eſt?* Quod hîc monet, idem ipſe fecit; nam ep. 61. ait: *Ante ſenectutem curaui vt bene viuerem: in ſenectute, vt bene moriar.* Denique audi S. Auguſtinum ſerm. 144. de temp. *Quid enim vis mali, dic mihi*, inquit, *in omnibus actibus tuis, cogitationibus, cupiditatibus? In terrâ non vis ſegetem malam: non vis vtique malam, ſed bonam arborem, equum, ſeruum, bonum amicum, bonum filium, vxorem bonam. Et quid hæc magna commemoro, quando non vis veſtem malam habere ſed bonam; caligam poſtremò ipſam non vis niſi bonam? Aut da mihi aliquid te velle quod malum eſt: nec te velle aliquid bonum. Puto villam malam non vis, ſed bonam: ſolam animam malam vis? Quid te offendiſti? quid de te tuipſe malè meruiſti? Inter bona tua non vis eſſe malum, niſi te ſolum.* ſic ille. Igitur ô *adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Surge ad pœnitentiam dum adoleſcens, vegetus & ſanus es; quia vbi ſenex fueris, ſurgere vix poteris.

CONCIO VIII.

De ſepultura Chriſtianorum eiuſque cauſis.

Inſtitutæ ſunt ſepulturæ apud Chriſtianos.
1. *Vt debitus illis honor habeatur.*
2. *Vt memoria mortis verſetur in mente noſtrâ.*
3. *Vt præcepto Dei nos conformemus*: Terra es, &c.
4. 5. *Propter fidem reſurrectionis & meritum viuentium.*
Deinde enumerantur ij qui ab hac excluduntur.

THEMA.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7.

A. IN contrariam abiêre multi ſententiam, num mortui ſepeliendi eſſent. Et inprimis fuêre qui negarent, vti Gentiles aliqui. Diogenes inhumatum ſe poſt mortem proiici iuſſit. Cui amici: *volucribuſnè & feris? Minimè*, inquit, *ſed bacillum prope me, quo eas abigam, ponitote. Qui poteris*, inquiunt, *non enim ſenties? Quid igitur mihi*, ait, *ferarum laniatus oberit nihil ſentienti?* vt refert Cic. l. 1. *Tuſcul. quæſt.* Scribit etiam S. Hieronymus contra Iouinian. 1 cap. 36. *Maſſagetæ & Derbices homines vbi ſenuiſſent, iugulatos deuoraſſe, dicentes: melius eſſe vt à ſe quàm à vermibus abſumerentur. Tibareni, quos dilexerint, ſenes, patibulo ſuſpendunt. Hircani ſemiuiuos volucribus & canibus proijciunt. Caſpij beſtijs tradunt. Scythæ tot qui à defunctis amati erant, viuos infodiunt cum defunctorum oſſibus. Bactriani canibus ad hoc nutritis ſenes obijciunt. Quod cùm Nicanor Alexandri præfectus emendare voluiſſet, penè amiſit prouinciam*, Hæc Hieron. Sabei reges mortuos inter ſterquilinia: Lothophagi ſuos in mare defunctos abiiciunt. Scythæ mortuos inter epulas cauſâ honoris vorant: Ita cælius Rhodiginus *l. 9. cap. 43.* Tandem Romani ſuos mortuos extra vrbem comburebant, vt in Antiq. Rom. *l. 5. c. 39.* Quin etiam hæretici quidam apud Bohemos teſte Æneâ Siluio *de orig. Bohem. c. 35.* cœmiteria & funebria improbabant, quos ſecuti Huguenoti. Certè Ciſcas Huſſitarum in Bohemiâ Dux & Anteſignanus rogatus à militibus moriturus, qui ſepeliri vellet, reſpondit: *Mortuo pellem mihi detrahite, relictóq; feris cadauere, ex cute tympanum facite, quo in prælijs vtamini.* Sed relinquamus has Barbarorum inſanias. Contrariũ tenuere reliquæ gentes penè omnes; vti Athenienſes, apud quos ſiquis Dux bello peremptos milites ſepulturâ non cohoneſtaſſet, capite plectebatur. Macedones, quibus nullum fuit tam ſolenne

ſolenne militiæ munus quàm ſuos ſepelire. Omnium verò maximè ſoliciti ſepeliebant ſuos Hebræi, apud quos etiam, vt Cælius Rhodig. l. 9. c. 43. ait, *lege cautum erat, ne inſepultum relinquerent*. Inde adoleſcens in hodierno Euangelio efferebatur ad ſepulturam. Quinimò animalia bruta quædam hoc ipſum docent. Formicæ inprimis, quæ vt narrat ſe vidiſſe Malchus Monachus (apud S. Hieronym. in vita) ſuos mortuos humeris efferebant, & ſi aliqua ſub pondere collabebatur, alia ſuccollabat. Delphini item vt ſcribit Autor libri de nat. animal. mortuo Delphino aliquo, circumſtant reliqui eius corpus ne à piſcibus deuoretur, ac poſtremò deferunt eum in profundum & quodammodò ſepeliunt. Itaque videndum reſtat, quam ob cauſam inſtitutæ ſint ſepulturæ apud Chriſtianos.

B. I. Vt debitus honor Chriſtianis habeatur.

Cauſa Prima, vt debitus honor habeatur Chriſtianis. Ita Auguſt. lib. 1. de ciuit. Dei c. 13. vbi ait: *Non contemnenda ſunt corpora defunctorum maximeque iuſtorum ac fidelium, quibus tanquam organis & vaſis ad omnia bona opera S. Spiritus vſus eſt. Si enim paterna veſtis & annulus, ac ſi quid eiuſmodi, tanto charius eſt poſteris, quanto erga parentes maior affectus: nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtiq; multò familiarius & coniunctiùs, quàm qualibet indumenta geſtamus.* Sic Aug. Ideò licet Chriſtiani tempore perſecutionis cogerentur mortuos ſuos extra vrbem ſepelire ex lege Rom. tamen ea non vti Gentiles cremabant, ſed in cœmiteria inferebant. Nullo enim modo decet vt terræ Imperatorem hominem ſubdita illi animantia veluti corui & lupi inhumatum abſumant. Origenes lib. 5. & 8. contra Celſum ait: *Rationalem animam honorare didicimus, & huius organa ſepulchro honorificè demandare.* Et ſanè inſtar ſupplicij graue ſemper habebatur, ſepulturà priuari. Vnde 3. *Reg.* 4. de Ieroboam quia Idola coluerat. ait Dominus: *Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eum canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cœli.* Eiici è ſepulchro oſſa mortui ad ſolem expandi maximæ Dei iræ ſignum fuit, *Ier.* 8. Inſepulti verò *ſepulturâ aſini* dicuntur ſepeliri. *Ier.* 2. Eſſe autem terram ſatis honeſtum nobis operimentum, teſtatur vel ipſe Cyrus, qui noluit in auro vel argento ſepeliri, ſed in terra. *Quid enim*, aiebat, *beatius, quam terræ miſceri quæ pulchra & bona omnia progignit?* Xenophon in Cyripæd. l. 8. Verùm Eccleſia cœmiteria inſuper ſacris ritibus conſecrare & iuxta templa ferè eſſe voluit: vt in locis Deo ſacratis & propè ſanctorum reliquias requieſcerent Chriſtiani, quod magno ſibi honori ducebant etiam viri principes. Vnde S. Chryſoſt. homil. *quod Chriſtus Deus eſt*, aduer. gent. ait: *Conſtantinopolitani reges & Imperatores magni pendebant corpora eorum non prope Apoſtolos, ſed extra eorum veſtibula ſepeliri. Et hom. 66. ad pop. Antioch.* aſſerit Conſtantinum magno honore affectum, quòd præ foribus piſcatoris eius ſepulturæ mandatum ſit, factuſque ſit Conſtantinus Piſcatoris Ianitor. S. Ambroſius fratrem ſuum Satyrum ad S. Victoris mart. læuam ſepeliuit; vnde eidē ſcripſit hoc tetraſtichon: *Vranio Satyro supremū fratri honorem Martyris ad læuā detulit Ambroſius. Hæc meriti merces, vt ſacri ſanguinis humor finitimas penetrās adluat exuuias.* Idem S. Ambroſius in Baſilica ſua iuxta SS. Geruaſium & Prothaſium ſepeliri voluit. Marcellina eorundem ſoror Rom. transferri & ad S. Fratres condi voluit. S. Maximus etiam in ſer. Natiuitatis SS. Octauij, &c. ait: *Sanctorū oſſibus noſtra corpora ſociamus, vt dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illos Chriſtus illuminat, à nobis tenebrarum caligo diffugiat.*

Aliam cauſam adfert S. Aug. l. de cura pro mort. c. 4. *Cùm recolit animus vbi ſepultum ſit chariſſimi corpus & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus.* Sanè etiam Iacob filio ſuo Ioſepho, Gen. 47. ait: *Non ſepelias me in Ægyptó, ſed dormiam cum patribus meis.* Et propheta ille 3. Reg. 13. ait: *Cùm mortuus fuero, ſepelite me in ſepulchro, in quo vir Dei ſepultus eſt.* Cæterum ſi abſit eiuſmodi deuotio, nihil prodeſt homini in Eccleſia ſepeliri, magis quam extra, nam & Lucifer de cœlo & Adam de paradiſo eiectus eſt. Et maximè ſi hoc ex ſuperbia aut temeritate aliquâ attentatum ſit. Vnde Auguſtinus inquit 12. quæſt. ſecunda. *Quos peccata grauiora deprimunt, ſi in locis ſacris ſepelire ſe faciunt, reſtat vt de ſuâ præſumptione iudicentur: quia eos ſacra loca non liberant, ſed culpa temeritatis accuſat.* Exemplum *in dial. S. Gregor. l. 4. cap.* 56. quòd cùm quidam flagitioſus in Eccleſia B. Fauſtini Brixienſis ſepultus fuiſſet, eâ nocte ſanctus Fauſtinus apparuit Cuſtodi Eccleſiæ dicens: *Dic Epiſcopo vt proijciat hinc carnes fœtentes, quas hic poſuit: alioquin ipſe die* 30. *morietur.* Et cuſtos cùm timeret hæc Epiſcopo indicare; Epiſcopus die 30. mortuus eſt. Idem *cap.* 57. de alio ſcribit, qui cùm ſepultus eſſet in Eccleſiâ, poſtea extra Eccleſiam inuentus fuit, relictis ſolis linteaminibus. Contrà verò non obeſt iuſto indigna ſepultura, nam, vt ait D. Chryſoſt. *vbicumque ſepeliamur, Domini eſt terra & plenitudo.* Et: *optima ſepultura eſt optima vita*; hom. 84. in Ioan. Proptereà aliqui ſancti, ex humilitate, vili in loco & inter humiles ſepeliri petierunt. Ita S. Ephrem (in teſtamento ſuo) petiit ſepeliri in cœmiterio; vbi contriti corde iacent, non in monumento ſuorum. Similiter S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus in tali loco ſepeliri ſe iuſſit, vbi ſemper ab omnium pedibus conculcaretur: ſed tandem id non ferens pia plebs, eum è terrâ leuauit, & iuxta S. martinum in Mauſolæo edito locauit. Surius in vitâ eius, 17. Nouemb.

C. II. Vt memoria mortis verſetur in mente noſtra.

Secunda. Vt mortis memoria reuocetur in mentem. In hiſtoriâ rer. Indic. narrat Hieronymus Xauier, in regno Mogor, cùm dies nuptiarum inſtaret, nupturos cœmiteria & ſepulchra obire & reſerare ſolitos, vt ſic recordarentur mortis, antequam aliis darent vitæ principium. Philoſophi illi, qui Brachmannæ dicuntur, ante ædium ſuarum fores aperta ſepulchra habere volebant, vt ingre-

dientes & egredientes mortis memoriam haberent eaque tanquam fræno libidinem cohiberent. Bellarm. concion. de morte init. Et hoc Ethnici faciebant; quid facient Chriſtiani? Itaque de ſepulchro clamare videtur mortuus: *Memor eſto iudicij mei; ſic enim erit & tuum. Mihi heri & tibi hodie.* Eccleſ. 38. item illud: *Fui quod es: eris quod ſum.* Ideò ſecundùm Aug. lib. de cura pro mortuis cap. 4. *Monumenta* dicta, quia monent mentes. Monent enim mentem ne ſupra alios nos extollamus; ſiquidem tam exiguus locus tam potentes ac diuites claudit & coërcet. De Alexandro M. extincto dicebat quidam: *Heri totus mundus non ſufficiebat Alexandro: hodie defunctum terra ſex pedum capiet.* Philippus Imperator in Hippodromo ab equo delapſus, & reſurgens, locum quo in arenâ iacuerat, cernens aiebat: *Ecce quam exigua arena nos capiat, qui totius orbis dominium ſtultè affectamus,* recitat Maiol. *tom.* 4. *colloq.* 4. Hinc tumba ſeu feretrum *loculus* appellatur, quaſi exiguus locus. D. Chryſoſt. *ſepulchrum,* inquit, *eſt noſtræ humilitatis ſchola.* Monent mentem, neceſſariò nobis moriendum ante cœli ingreſſum, ſicut neceſſariò per cœmiterium tranſimus ad Eccleſiam. Monent mentem, mortem omnibus timendam eſſe; quando tot ferè cernuntur ſepulchra paruulorum & iuuenum, quot ſenum. Monent mentem, mortem ſemper timendam quia ſemper noua conſpiciuntur ſepulchra inter vetera. Monent mentem, quam omnia in mundo exigua, vana & inania adeoque ſpernenda ſint. Ille militiæ Princeps, Naaman Syrus è terrâ ſanctâ, in quâ habitauit Eliſæus, abſtulit ſecum in domum ſuam de terrâ eius loci onus duorum burdonum (4. Reg. 5.) vt eius terræ intuitu ab Idololatriæ cultu arceretur, & veri Dei recordaretur. Vtinã & nos è templo redeuntes eiuſmodi terram nobiſcum auferremus? Fieret ſine dubio vt à cultu ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæ gulæ retraheremur. Milites qui arcem contra hoſtem volunt defendere, extra arcem excitant vallum, è quo tanquam clauſo & editiore loco facilè oppugnant, repellunt & arcent hoſtem. Huiuſmodi igitur vallum excitauit ſibi Naaman, vt inde contra Idolorum cultum & contra regiæ aulæ illecebras fæliciùs pugnaret.

D. III. Vt terra in terram reuertatur.

TERTIA. Vt præcepto Dei nos conformemus, qui parenti noſtro dixit: *Terra es: & in terram ibis.* Quâ de re S. Chryſoſtomus ait homil. 84. in Ioan. *Terram habemus optimum operimentum & ipſi naturæ conuenientem.* Et ſanctus Gregorius Nazianzenus in carm. de hominis externi vilitate, canit: *A tumulo tumulum peto.* Solent pueri, ſiquis ex illis aliquâ in re deliquit, reum ad pœnam vocare & clamare: *Ad tumulum, ad tumulum*: ac deinde capillis probè vellicare. Omnes nos in Adamo deliquimus, vnde meritò *ad tumulum*, vocamur omnes & à morte deplumamur. Agnouit ſe vocatum Iob, qui cap. 1. ait: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Quænam hæc mater niſi terra? Intellexerunt hoc Platonici, qui ortum hominis deſignabant per ſignum Cancri, quòd per eius ianuam homines intromitti in orbem putabant, veluti per eandem regreſſuros. Pier. *L. 60. hierogl.* A tumulo igitur eximus, & per viam aliquantulam mundum quaſi comitamur, mox eo dimiſſo, illuc regredimur, vnde egreſſi ſumus, ad tumulum ſcilicet. Quid igitur mundi delitias affectamus? Interrogemus nos multoties, ſicut angelus Agar, Gen. 16. *Agar, vnde venis & quò vadis?* Agar, *peregrina* exponitur, & hominem ſignificat. Vnde venis, homo? à tumulo? Quò vadis? ad tumulum.

E. IV. Propter fidem reſurrectionis.

QVARTÒ. Propter fidem reſurrectionis. Ita D. Thomas *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 3. *quæſt.* qui ait: *Sepultura ſpiritualiter prodeſt viuis, in quantum per hos aſtruitur reſurrectionis fides.* Ideò crux ponitur ſupra ſepulchrum, vt ſciamus mortuos iterum reſurrecturos, cùm crux in cœlo apparebit. Deinde ſicut ſemina in terram proiecta germinant & ſurgunt in flores & plantas ita germinabunt corpora noſtra proiecta in ſepulchrum. Vnde Apoſtolus. 1. *Cor.* 15. inquit: *Seminatur corpus in ignobilitate, ſurget in gloriâ.* Proiicitur ſemen in aërem, aquam, ignem, non germinat: proiicitur in terram & germinat. Vt ergò ſciamus corpora noſtra aliquando reuictura & proditura cum immortalitate, committuntur terræ, non aëri, igni, aut aquæ. Vnde cœmiterium rectè appellamus *agrum Dei*, **Gottſacker**/ quia ibi aliquando meſſem ſuam habebit Chriſtus: licet in eodem multa zizania ſint futura. Adhæc pretioſas veſtes, quas reſumere aliquando & reinduere volumus loco honeſto & mundo aſſeruamus. Corpora noſtra reſumere, ſperamus: mundo igitur & tuto loco ponimus. Proptereà non quouis loco vt hæretici, profano ſcilicet, ſed ſacro ea condimus & benedicto, quem etiam ſigno crucis quaſi ſerâ vel ſigillo quodam obſignamus: thure item & aquâ luſtrali contra dæmonum infeſtationes & ſæculares profanationes, ſicuti ſolent ituri ad lectum, aquâ luſtrali aſpergere ſe cubiculum ſuum & lectum, cruceque conſignare. At Hæretici, quia hanc benedictionem aſpernantur, paruam vel nullam habere reſurrectionis ſpem non iniuriâ putantur. Teſtatur enim Simon Pauli Prædicans Lutheranus hom. in Euang. hodiernum, eſſe Lutheranos, quibus perinde ſit ſiue ſepeliantur in cœmiterio, ſiue in nallienâ **auff der ſchindtgruben**/ in loco, vbi excoriantur iumentorum cadauera. Hinc bonus quidam ſenex in Palatinatu propè Werdam Bauaricam, vltra Ratiſbonam ad Danubium, morti adeoque Lutherano cœmiterio iam proximus in hanc lamentabilem vocem erupit: **Daſſ ſey Gott klagt/ daſſ ich nach meinem Todt in den Ruben Acker hinauſſ muſſ/ vnd die Ruben hüten.** Proh dolor, quòd poſt mortem meam, ad agrum raparum proficiſci, & raparum cuſtos fieri cogar. refert P. Gretſerus *de funere Chriſtiano. l.* 2. *c.* 10.

QVINTA.

F. V. Propter meritum viuentiū.

QVINTA. Propter meritum viuentium, qui mortuos ſepeliunt. Laudatur ob hoc officium Tobias c. 2. & 12. & commendatur Deo ab Angelo Iudas Machabæus 2. Mach. 12. quòd interfectos in prælio hoſtes ſepeliri iuſſerit. Viri Iabes Galaad à Dauide, quòd ſepelierint Saulem & Ionatham 1. *Reg.* 31. & 2. *Reg.* 2. Diſcipuli Ioannis *Matth.* 11. Nicodemus & Ioſephus *Matth.* 27. illi Ioannis, hi Chriſti tumulatores. Alphonſus Aragonum rex, qui repertum in littore maris Chriſtiani Genuenſis corpus, in mox tumulare cum ſuis iuuit. Panorm. *lib.* 1. *de rebus geſt. Alphonſi.* Contrà Iaſon quòd multos homines inſepultos abieciſſet, ipſe quoque mortuus inſepultus abiicitur. 2. *Machab.* 5. Irriſores item ſepelientium S. Conſtantium martyrem Peruſinum Epiſcopum, cæcitate puniuntur, apud Surium *die* 29. *Ianuarij.* His tamen non obſtantibus iure meritoque excludit aliquos Eccleſia à ſepulturâ ſacra & pio ſepulturæ officio.

Excludendi à ſepultura ſacra. 1. Excommunicati & interdicti.

Primò. Qui ſub cenſurâ excommunicationis, vel Interdicti, inabſoluti deceſſerunt Clem. 1. de ſepul. Et ſepelientes ſunt ipſo facto excommunicati, vt ib. Narrat in Viridario SS. Matthæus Raderus ex Menæis Græcorum, Monachum etſi martyrem, quia tamen contra ſuperioris interdictum ab obedientiâ ſe ſubtraxerat olim, cùm in Eccleſia Diaconus clamaret: *Catechumeni egrediantur: Catechumeni procedant:* omnibus ſpectantibus tumbâ ſublatâ e templo in atrium egreſſum, rediſſeque finitâ miſſâ. Idque tamdiu, quouſque à ſuperiore ſuo ab anathemate ſolutus erat. Idem in annotat. eius loci narrat de S. Gotthardo Hildeſheimenſi Epiſcopo; quòd cùm is contumaces quoſdam anathemate ictos templo excedere iuſſiſſet; ii tamen immoti perſiſterent, tum ecce, dudum ſepultos aliquos qui ſub anathemate adhuc erant, de tumulis ſurrexiſſe, & in confuſionem contumacium templo exceſſiſſe, donec eoſdem impertitâ abſolutione Epiſcopus acciret ad tumulos ſuos ingredientes. Narrat item Maffeus *Indic. hiſt. l.* 5. militis mortui & in mare proiecti corpus miros excitaſſe tumultus & terrores, & in terram delatum ſepultumque poſtridie inhumatum inuentum. Itaque diuinatum, eum ſub excommunicatione deceſſiſſe: quare impertitâ ei abſolutione, mox deinde in tumulo quietus permanſit.

2. Vſurarij manifeſti Et raptores.

Secundò negatur vſurariis manifeſtis, nî pœniteant & faciant cautionem de reſtitutione. Clem. 1. de ſepult. c. *quanquam*, de vſur. l. 6. Item raptoribus, nî ſatisfaciant cum poſſunt c. 2. de raptor. De vſurario in Eccleſia ſepulto narrat Greg. in dial. quòd cùm ſepulturam datâ pecuniâ obtinuiſſet à cuſtode Eccleſiæ noctu viſus ſit per dæmones lamentabundus foras trahi.

3. Qui ſibi ipſis necem inferunt voluntariè. Torneatores.

Tertiò iis qui ſibi ipſis necem voluntariè inferunt. 13. q. 2. quib. 23. q. 5. *placuit.* Similiter iis qui ſe manifeſtis vitæ periculis temerè ingerunt, vt torneatores. c. 1. de torneam. Et qui maleficio, velut adulterio aut latrocinio interfectus periit.

4. Monachi proprietarij.

Quartò Monachis proprietariis vt in c. *cùm ad monaſterium*, de ſtat. Monach. c. *ſuper quodam*, ib. Exemplum recitat ſui temporis S. Greg. *lib.* 4. *moral. capite* 55. de fratre ſui monaſterij, quia tres aureos occultè habuit, iuſſum in ſterquilinio ſepeliri cum aureis ſuis: dicentibus fratribus: *pecunia tua tecum ſit in perditionem.*

5. Blaſphemi.

Quintò Blaſphemis c. 2. de maledic. Idem Greg. 4. *dialog.* de fœmina religioſâ narrat, quomodo detractionis vitium & ſtultiloquium, noctu à dæmonibus (vidente cuſtode) è ſepulchro ſit extracta & cingulo tenus diuiſa, parte ſuperiori crematâ, inferiore relictâ.

6. Hæretici.

Sextò Hæreticis & de hæreſi poſt mortem conuictis. c. *ſi Epiſcopus*, de hæret. Nam vt S. Leo inquit ep. 92. c. 6. *quibus viuentibus non communicauimus, eis mortuis quoq, communicare non poſſumus.* Multò magis Iudæis & paganis. de conſecr. d. 1. c. Eccleſiam & c. ſeq.

7. Qui per annum nunquam confitentur & communicant &c.

Idem de eo qui ſemel in anno ſaltem non confeſſus eſt, nec communicauit, ſi id ſit notorium c. *Omnis vtriuſque*, de pœnit. & remiſſ. Similiter omnis peccator notorius impœnitens decedens, c. *quibus* c. *non extimemus.* c. *pro obeuntibus* c. *cum gratia.* 13. q. 2. Exemplum in dial. Greg. de Valentino Mediol. Eccleſiæ defenſore, qui ob vitam lubricam impœnitens mortuus & in Eccleſiâ ſepultus, videntibus cuſtodibus noctu à duobus teterrimis ſpiritibus cum clamore extractus & extra Eccleſiam in alieno ſepulchro abiectus fuit, maneque ibi inuentus.

CONCIO IX.

Documenta & myſteria.

1. *Explicatur ad litteram deinde myſticè illud: Ecce defunctus efferebatur.*
2. *Cur filius hic mortuus.*
3. *Quomodo pompa funebris proſit viuis.*
4. *Chriſtus cum vidiſſet viduam miſericordiâ motus eſt, quare?*
5. *Cur dixerit*: Noli flere.
6. *Quare accedens tetigerit loculum.*
7. *Quare non rogatus excitat hunc mortuum.*
8. *Proponitur Chriſti potentia.*
9. *Lætitia matris ſuper filio redivivo.*
10. *Deſcribitur triplex huius miraculi effectus: item quòd hic defunctus myſticè ſignificet peccatorē.*

THEMA.

Ibat in ciuitatem, quæ vocatur Naim. Luc. 7.

MAGNVS ille Athleta, Dauid, congreſſurus cum Goliatho ad certamen ſingulare, vt fidem faceret Sauli, ſibi ſat ſuperque virium eſſe, quibus hoſtem illum vincere ac per ludum quidem poſſet, enarrare cæpit velitationes ſuas cum vrſis & leonibus, quos ſibi occurrentes & gregem inuadentes ſæpiùs & facilè, *quaſi per ludum* vt ait *Eccleſ.* 47. vicerit ac proſtrauerit, 1. *Reg.* 17. Typus Chriſti Domini fuit in hoc Dauid. Venit in hunc mundum & *in hoc apparuit filius Dei vt diſſoluat opera diaboli,* 1. Ioan. 3. quæ aliud non ſunt quàm peccata, à diabolo inuecta. Hæc, hæc erant magnus & terribilis ille Goliath, A.

præ-

uaricationem & ſeruitutem noſtram perpetuò nobis exprobrans, nullis hominum viribus ſuperandus; ſolus Dauidis filius vincere eum potuit. Cæterùm vt Iudæis perſuaderet ſatis ſibi virium eſſe ad ſuperandum hoſtem illum, demonſtrauit eis aliquas quaſi volitationes ſuas, quibus vrſum & leonem nullo prorſus labore quaſi per ludum vicit. Leonem dico mortem, quæ robuſti leonis inſtar omnibus dominatur hominibus, omnes ad terram proſternit: Vrſum dico diabolum, qui ad inſtar Vrſi in proſtratos ſæuit, pœnis inferorum. Plures vrſi tales occurrerunt Chriſto & rapuerunt oues eius, in obſeſſis nimirum hominibus; ſed tenuit atque eiecit eos Dominus prædamque eis eripuit. Occurrit illi & Leo, ſæuiens inquam mors, vti in hod. Euangelio, vbi iuuenem corripuit: nec non alibi, vbi Lazarum & filiam Archiſynagogi; tenuit eum Dominus & prædam ei eripuit, mortemque morte affecit. Quorſum verò iniit ſingularia hæc certamina, niſi vt demonſtraret populo ſuo, ſe à Deo miſſum ad debellandum aliquando publico duello peccatum, & *chirographum peccati, quod erat contrarium nobis*, cruci affigendum ac delendum? Non viderunt hoc cæci & inſani Iudæi: videmus nos Chriſtiani. Porrò nunc ſpectemus miram eius victoriam quam tulit de triumphatâ morte adoleſcentis.

B. I. Ecce defunctus efferebatur. PRIMÒ. *Ecce defunctus efferebatur.* Ad literam, quia Iudæis vetitum erat intra vrbes vel caſtra defunctos ſepelire, quòd locus ſepulturæ immundus cenſeretur, quemadmodum & cadauera, quorum contactu polluebantur. Myſticè inſinuatur vnumquemque hominum quotidie ad ſepulchrum efferri à quatuor humoribus; tanquam acerbis portitoribus; ſiquidem ab iis ſenſim abroditur vita noſtra. Vnde D. Hieronymus *ep. 3. ad Heliod.* ait: *Quotidie morimur, quotidie commutamur & æternos nos eſſe credimus.* Mirum certè hoc eſt; ſed illud magis mirandum, quòd tam multi homines dum ad ſepulchrum efferuntur, peccare interim audeant; id quod mirabatur etiam Angelus cum Eſdra loquens. (lib. 4. Eſd. cap. 8. non quidem canonico, magnâ tamen auctoritate prædito.) Ait enim: *ſpreuerunt altiſſimum & leges eius contempſerunt & vias eius dereliquerunt, adhuc autem & iuſtos eius conculcauerunt dicentes in corde ſuo, non eſſe Deum; & quidem ſcientes quoniam moriuntur.* Quod quis furtum committat, cùm adhuc liber eſt & lictorem aut carnificem non videt, nihil mirum At ſi ligatus quis ad ſuſpendium educatur & in ipſo itinere totum ſe ad furandum conuertat, id omnem admirationem ſuperat. Ait igitur Angelus, non mirandum, quòd peccent homines, ſed quòd id faciant *ſcientes, quia moriuntur*, & ad mortem pergunt.

C. II. Filius vnicus matris ſuæ. SECVNDÒ. *Filius vnicus matris ſuæ.* Videtur illum mors corripuiſſe primò ob indulgentiorem educationem. Solent enim matres vnicos præſertim filios blandiùs educare, & nihil non illis concedere, vnde ſæpe contingit, vt vires eorum eneruent, & valetudinem affligant; vel etiam in pœnam nimiæ indulgentiæ filiis orbentur. **Cur hic mortuus? 1.** Exemplo eſt Abſalon, qui cùm nimium poneret ſtudium in alendis, producendis, criſpandis & ornandis capillis, nec propterea à parentibus vel corrigeretur, vel tonderi iuberetur, in pœnam huius inſolentiæ ſuſpenſus eſt in quercu propriis capillis, in quibus tantam ambitionem quæſierat. Quod omninò factum non eſſet, ſi parentes eum à puero ita inſtituiſſent, vt ſæpius in anno tonderet capillum ſuum, nec talem in eo vanitatem ſectaretur. Patris ergò indulgentia ſuſpendit Abſalonem; cuius mors parenti acerrimum infixit aculeum, creauitque dolorem.

2. Secundò. In cautelam adoleſcentum, qui cùm longè ſe à morte abeſſe arbitrentur, hinc licentiùs viuunt, & vitiis indulgent. Multi adoleſcentes ſimiles ſibi videntur ſtatuæ illi Nabuchodonoſoris; habent enim aureum caput, artibus & diſciplinis excultum: habent pectus & brachia argentea, opes & diuitias: habent ventrem & fæmora ærea, bonam valetudinem & victûs parſimoniam: habent tibias ferreas, robur iuuenilis ætatis; ſed interim non aduertunt ſe habere pedes luteos, fragiliſſimam ſcilicet vitæ baſin, quatuor humorum craſin ac temperiem, aurâ mutabiliorem, quâ ſublatâ morbi ac mors ſunt præ foribus, totamque ſtatuam ſubruunt. Venit igitur lapis abſciſſus ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus, ſicque tota machina corruit, *Dan.* 2. Quid verò lapis ille niſi mors inopinata? niſi clanculùm irrepens, vt nemo facilè diuinare poſſit, quâ viâ ſit ingreſſa? Videbis iuuenem inſignem, eruditum, opulentum, ſanum, ſobrium, robuſtum, cui nihil prorſus deſit ad vitam diu & proſperè ducendam: & cùm is minimè cogitat, audis eum mortuum. Quis hanc ſtragem fecit? lapis ſine manibus abſciſſus: nemo cauſam aſſignare poteſt; & tamen mortuus eſt.

D. III. Et turba ciuitatis multa cum illâ. TERTIÒ. *Et turba ciuitatis multa cum illâ* (viduâ.) Cauſam tanti comitatûs exponit Euthymius in cap. 7. Lucæ. *Condolebant*, inquit, *illi; vt quæ non modò virum perdiderat, ſed nunc quoque filium & hunc vnigenitum.* Accedit altera cauſa, pietas Iudæorum & ſingulare ſtudium ſepeliendi mortuos. *Placent Deo*, inquit Alph. Salmeron hoc loco, *qui conducunt funera ad ſepulturam, cuius rei gratiâ magnam laudem Tobias in veteri teſtamento eſt conſecutus; in nouo verò Nicodemus & Ioſeph ab Arimathia. Ægyptij etiam permulti comitati ſunt Ioſeph deducentem oſſa patris in terram Canaan. Qui etiam ſepelierunt Stephanum, & fecerunt planctum magnum ſuper eum, viri timorati dicuntur, Act.* 8.

Pompa funebris prodeſt viuis. 1. Porrò etſi pompa illa funebris (ſi preces & ſacrificia demas) nihil prodeſt defunctis, prodeſt tamen viuis. Primò enim luctum eorum temperat, qui funus ex officio curarunt, Mœſtiſque ſolatium affert. Vnde S. Auguſtinus *de verbis Apoſtoli* 1. *Theſſ.* 4. ait: *Pompa funebris, agmina exequiarum, ſumptuoſa diligentia*

gentia ſepultura, monumentorum opulenta conſtructio, viuorum ſunt qualiacunque ſolatia, non adiutoria mortuorum. Secundò. Eſt quaſi ſpeculum omnium mundi vanitatum quæ omnes cum defuncto quaſi ſepeliuntur, & in terram retruduntur. Oſtendit vitam hanc eſſe quaſi comœdiam vel tragœdiam, in qua vbi quiſque ſuam egit perſonam, ſiue Regis, ſiue Agricolæ, ſiue Pontificis, ſiue Clerici, tum finita comœdia ſuas quiſque veſtes reſumit, & domum, vnde venit, in ſuo habitu diſcedit. Hanc ob cauſam Eccleſiaſtes cap. 7. dixit *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum ſit.* Loquitur autem de funebri luctu & exequiis, vt tradit ibi D.
3. Hieron. & Olympiodorus. Tertiò. Eſt publica fidei non ſolùm Chriſtianæ ſed etiam Catholicæ proteſtatio contra infideles & hæreticos. Infideles admittunt animæ immortalitatem & futuram reſurrectionem: hæretici non admittunt ſuffragia pro defunctis, nec Eccleſiæ cæremonias. Nos vtraque profitemur, cùm exequias peragimus. Quartò. Eſt o-
4. pus pium ac meritorium vitæ æternæ, ſi fiat à Chriſtiano in ſtatu gratiæ exiſtente. Ita S. Auguſtinus loco ſuprà citato teſtatur. *Sit pro viribus*, inquit, *cura ſepeliendi & ſepulchra conſtruendi, quia & hæc in ſcripturis ſanctis inter bona opera deputata ſunt.* Quintò. Eſt ſtimulus viuen-
5. tibus ad ſectandam virtutem ac pietatem, ob quam potiſſimùm defunctis pompa funebris inſtituitur.

E. IV. Cùm vidiſſet eã; miſericordia motus eſt.

QVARTÒ. *Cùm vidiſſet* viduam, *miſericordiâ motus eſt ſuper eam.* Primò, ob multiplicem matris miſeriam. Erat enim defunctus, non filia, ſed filius, qui ſolet eſſe charior: erat deinde vnicus: erat filius matris, quæ teneriùs quàm pater ſolet amare filium: erat filius vi-
1. duæ: erat adoleſcens iamiam vſui & ſolatio futurus matri. Igitur *quidquid oculis matris dulce pretioſumq́; ſuberat, ſolus vnicus efferebat: ſtirps videbatur generis, ramuſculus ſucceſſionis, baculus ſenectutis*, inquit Greg. Nyſſenus *l. de hom. opificio.*

2. Secundò. Quia hanc viduæ afflictionem oculis ſuis vidit. Multum autem facit ad excitandam miſericordiam, videre coràm miſerorum calamitatem, vti clarum eſt. Quàm multi enim largiuntur eleemoſynam miſeris vlcera ſua monſtrantibus, lachrymas fundentibus, famem vultu ſuo præ ſe ferentibus, qui abſentibus alioquin nihil vnquam largirentur? Hinc toties SS. literæ monent, ne auertamus oculos à pauperibus, *Tob.* 4. *Eccl.* 4. & 41. Errant proinde Magiſtratus, qui inhibent pauperibus ne oſtiatim ſtipem colligant, & ſuas miſerias querantur. Licet enim per alios eleemoſynam illis colligant; non tamen ſufficienter conſulunt pauperibus. Vnde Didacus Stella Hiſpanus, vir doctus & religioſus, in hunc locum, grauiter aliquando hac in re erratum fuiſſe, ait in Hiſpaniâ, cùm per duos nobiles collecta eſt pauperibus eleemoſyna, ſtipis interim collectio prohibita.

Tertiò. Quia etiam turba viduæ illius miſera fuit; quomodo ergò non miſertus fuiſſet fons miſericordiæ? vnde græcè habetur ἐσπλαγχνίσθη, ex viſceribus miſertus eſt illi.

Porrò ea miſericordia fuit triplex: Cordis, 3.
quia miſericordia motus: Oris, quia eam conſolatus dixit: *Noli flere.*: Operis, quia dedit ei filium rediuiuum. Non ergò oportet ſolùm videre pauperum miſerias, ſed & miſereri ac conſolari, denique facto ipſo ſuccurrere. Chriſtus quandocunque calamitoſum aliquem vidit, ſemper ope ſuâ ſubleuauit. Vidit in deſerto turbam eſurientem, & pauit; vidit cœcum à natiuitate, & ſanauit: vidit diſcipulos in remigando laborantes, & ſeruauit. Idem imitetur diues Chriſtianus.

F. V. Dixit: Noli flere.

QVINTÒ. *Dixit: noli flere.* Non quaſi malum & illicitum ſit mortuos deflere, ſed primò, quia defunctus filius iamiam in vitam reuocandus erat. *Prohibetur*, inquit D. Ambroſius hîc, *cum cui reſurrectio debebatur, flere.* 1.
Secundò, vt doceret mortem amicorum non 2.
immoderatè deplorandam, ob reſurrectionis ſpem, ſi putantur in gratiâ deceſſiſſe. Accedit 3.
alia ratio; quia Deus repetit, quod ſuum eſt. Sicut ergò iure conqueri aut contriſtari non potes, cùm quis à te repetit rem tibi commodatam: ſic etiam fas non eſt, conqueri aut lamentari valdè, cùm repetit Deus amicum tuum. Denique nemo ſanus ingemiſcit quòd 4.
videat amicum ſuum iter facientem eâ viâ, quâ ipſe nolens volens iturus eſt: cur ergò indignè feras mori amicum, cùm & ipſe ſis moriturus? ſic Dauid ſe conſolatus eſt ſuper morte filij ſui: *Numquid potero eum reuocare ampliùs? Ego vadam magis ad eum: ille autem non reuertetur ad me*, 2. Reg. 12.

G. VI. Acceſſit & tetigit loculum.

SEXTÒ. *Acceſſit & tetigit loculum.* Primò ad literam ex D. Bonauentura, vt ſiſterent portitores. Secundò ex D. Ambroſio, vt oſtenderet ſuo contractu lignum crucis ſanctificandum eſſe, vt inde nobis vita redderetur, 1.
& ſalus prodiret. Tertiò ex Tito Boſtrenſi, 2.
quia voluit, vt hinc diſceremus corpus Chriſti Dei noſtri, corpus vita eſſe eiuſdemque carnem vnigeniti filij Dei verbiq́; cunctipotentis carnem. Nam cùm caro eius illi effecta ſit propria, qui viuificat omnia, ſit, vt ipſa quoque ſit viuifica, mortemq́; & corruptionem interimere idonea. Id Euthymius declarat hîc iſta ſimilitudine: *Quemadmodum ferrum, quod in igne aliquanto tempore permanſit, habet ignis operationem: ita quoque ſancta ipſius caro diuinitati vnita, quæ diuinitatis ſunt, operabatur.* 3.

Quartò, vt doceret eos, qui concitato curſu ad mortem & infernum feruntur, manu Dei 4.
ſeu plagâ aliquâ tangendos ac puniendos eſſe, quò peccare deſinant ac reſipiſcant. Tunc Deus aliquem tangere dicitur, cùm labore aut plagâ premit; vnde eſt illud Iob 9. *Manus Domini tetigit me.* Eſtque hoc magnum Dei beneficium, tametſi corporali alicui damno coniunctum, velut ſiquis te ruentem in puteum, apprehendat, & pedem quidem frangat; ab interitu tamen ſeruet. Cùm ergò petulanti iuueni morbum Deus immittit: cùm leuiculæ puellæ decorem vultûs demetit, lo-

 culos

culos eorum tangit, vt peccatorum curſum ſiſtant.

H. VII. Ait adoleſcens tibi dico, ſurge. *Quare non rogatus excitat hunc mortuũ.*

Septimò. Ait: *Adoleſcens, tibi dico: Surge.* Excitauit hunc adoleſcentem Dominus non accerſitus nec rogatus, primò propter præcedens miraculum ſanati pueri Centurionis. Quia enim potuiſſent aliqui maleuoli dicere, non moriturum fuiſſe illum puerum, adeoque nihil aut parum opis à Chriſto accepiſſe, idcircò mox obuiam it defuncto, eumque ad vitam reuocat, vt inde colligatur, quid in puero Centurionis effecerit. Si enim vno verbo defunctum excitauit: nónne credendum eſt, quòd vno etiam verbo ægrotantem perſanârit; Ita Gregorius Nyſſenus *de hom. opiſ. cap.* 25.
2. Secundò, quia vidit Dominus bonam illam viduam magnâ deſolatione occupatam, indeque perturbatam non potuiſſe cogitare de petendâ filij ſalute; idcirco eius affectum & lachrymas aſpexit, quæ vim orationis habent & potentem quidem. Audiamus D. Laurentium Iuſtinianum de ligno vitæ cap. 9. *O lachryma humilis,* inquit, *tua eſt potentia, tuum regnum. Non eſt, qui te ad Deum accedere vetet: ſi ſola intres, vacua non redibis. Quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cælum, fugas diabolum.* Scimus etiam Magdalenam ſolis lachrymis ſuis ſalutem à Chriſto impetraſſe, & non minùs exauditam eſſe, quàm ſi verbis eam precata fuiſſet. Tertiò, quia viduarum peculiaris protector & conſolator eſt, ita vt etiam non orantes audiat, deſiderio illarum contentus, iuxta id Pſal. 10. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Ita enim 3. *Reg.* 17. ſolicitus de paſcendâ viduâ Sarephthanâ (quæ extremâ fame laborabat) Dominus, mittit ei Eliam, non tam vt Eliam per viduam, quàm vt viduam per Eliam paſceret, licet ipſa tale beneficium non petierit à Deo, & fortè ne cogitarit quidem. Sic etiam in hodierno Euangelio vidit Chriſtus à longè planctũ viduæ & occurrit illi ſat longo itinere, à Capharnao in Naim, vt lachrymas eius abſtergeret; tametſi bona illa vidua de aduentu Chriſti nullam cogitationem haberet.

I. VIII. Reſedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui.

Octavò. *Reſedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui.* Mira Chriſti potentia. Inprimis *vocat ea, quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt,* vt ait Apoſtolus ad Roman. 4. quia viuificat mortuos, vt ibidem explicat Apoſtolus, & euocat in terram mortuum, qui iam non erat. Sic in primâ mundi creatione vocauit cœlum, terram, & quæcunque in iis ſunt; *Stellæ vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus: & luxerunt ei cum iucunditate,* Baruch. 3. quæ ſanè omnia priùs non erant. Fuit ergò hoc tam potens Chriſti imperium, diuinitatis eius argumentum.

Deinde nullo labore, ſolo iuſſu vitam mortuo reddidit. Non ſic Elias & Eliſæus, quorum ille expandit ſe, ac menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, 3. *Reg.* 17. hic item orauit ad Dominum, & incubuit ſuper puerum 4. *Reg.* 4. Nec mirum; illi homines, hic Deus: illi ſerui erant, hic Dominus Dei eſt imperare morti, non hominis. Iam verò ſi abyſſi parent voci Dei: cur homines non parebunt? Quid hoc Auditores? Ea quæ non ſunt, parent Deo: & ea quæ ſunt, parere nolunt. Mortui audiunt vocem eius, & non audiunt viui. Qui non habent aures audiunt: & qui habent aures non audiunt. Quoties, ô adoleſcens, perditè tibi occlamat Chriſtus: *Adoleſcens tibi dico: Surge*; à morte animæ, peccato? Clamat per Concionatores, per libros pios, per Confeſſarios, per inſpirationes bonas, per conſcientiæ ſtimulum, per exempla, per caſtigationes. Et tu ſolus obſurdeſcis, quaſi aures non haberes. Imperat Chriſtus mari, & tranquillatur, Marci. 6. imperat febri, & recedit, *Luc.* 4. imperat morti, & reddit Lazarum, *Ioan.* 11. & hîc adoleſcentem; imperat dæmonibus, & diſcedunt ab hominibus, *Luc.* 4. Tibi imperat, & obſiſtis.

Nonò. *Dedit illum matri ſuæ.* Magnam tribulationem magna ſequitur conſolatio, filium extinctum filius rediuiuus. Maius abſque dubio fuit gaudium matris de filio rediuiuo, quàm priùs erat de viuente. Poterat quidem Dominus imperare matri vt ſibi velut Saluatori filium relinqueret: poterat mandare filio, vt relictâ matri ſibi adhæreret, à quo vitam accepiſſet: ſed noluit Dominus imminuere gaudium matris: reddidit illi filium ſuum; quia omni ſpe & ſolatio orbata fuerat, cùm filium perdiderat. Solet igitur Deus *poſt tempeſtatem tranquillum facere; & poſt lachrymationem & fletum exultationem infundere*, vt ait Tobias cap. 3. Et Iob cap. 17. *Poſt tenebras ſpero lucem*, inquit. Experta eſt S. Monica quæ poſt diuturnas lachrymas pro filij Auguſtini conuerſione fuſas, tandem vidit eum non ſolùm Catholicum, ſed & contemptâ fælicitate terrenâ ſeruum Dei ac religioſum. Experta eſt Ieroſolyma iam Chriſtiana, quæ cùm à Ramiſo Duce exercitus Coſrhoani anno Domini 614. vaſtata & ſpoliata eſſet, recreauit eam Deus per Ioannem Eleemoſynarium Archiepiſcopum Alexandrinum, qui miſit ei Chryſippum virum bonum cum multo auro & frumento, alimentis & indumentis, additis etiam iumentis, quæ deueherent ea Ieroſolymam: miſit quoque Epiſcopos, qui redimerent abductos in captiuitatem, vt in vitâ S. Ioannis Eleemoſynarij.

K. IX. Dedit illum matri ſuæ.

Decimò. *Accepit omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam. Et exijt hic ſermo in vniuerſam Iudæam de eo in omnem circà regionem.* Triplex hîc effectus miraculi huius deſcribitur. Timor populi, laus Dei, rumor in regionem ſparſus. Timor in populo ortus fuit ex reuerentiâ diuinæ præſentiæ. Quia enim cognouerant, ſi non Chriſti ipſius diuinitatem, ſaltem manum & virtutem diuinam cum ipſo operantem, inde præpotenti Deo ſubmittere ſe cæperunt cum timore & ſtupore. Ortum etiam puto ex

L. X. Accepit omnes timor, &c.

metu

metu potentiæ Chriſti. Cogitabant enim (nì fallor) ſi tam facilè poteſt Chriſtus mortuos viuificare , multò faciliùs poterit , ſi velit, viuos enecare , omniaque ſurſum , deorſum vertere. Magnificâ illa laude profitebantur Chriſtum eſſe magnum quendam Prophetam , qui Meſſiam præceſſurus ſit , vel ipſummet Meſſiam , qui Prophetæ nomine eis promiſſus fuit, Deut. 18. Rumor ille ſparſus fuit, non per Galilæam modò, verùm etiam per Iudæam , & adiacentes regiones ; quia miraculum publico loco coram plurimis peractum.

Myſticè hic adoleſcens peccatorum notat.

Myſticè hic defunctus ſignificat peccatorem. Etenim *mors animæ fit , cùm eam deſerit Deus: ſicut corporis , cùm id deſerit anima* ; ait D. Auguſtinus *lib.* 3. *de ciuit. cap.* 1. Et Cyrillus Alexandr. orat. de exitu animæ ; *Mors propriè eſt, non quæ animam dirimit à corpore, ſed quæ animam à Deo ſeparat. Deus vita eſt, à quo, qui disiungitur, perit.* Sex gradus ſunt , quibus corpus effertur in ſepulchrum. Primò deſtruitur corporis temperies ſeu complexio ; Deinde infirmatur homo ; tum moritur ; pòſt effertur ; poſteà ſepelitur ; denique ſepulchrali lapide clauditur. Ita anima per cogitationem prauam à quiete mentis dimouetur ; per delectationem infirmatur ; per conſenſum moritur; per conſuetudinem peccandi effertur ; per contemptum ſepelitur; per obdurationem prægraui deſperationis lapide opprimitur.

Rurſum loculus extinctæ animæ eſt corpus : quatuor portitores ſunt amor peccati, timor pœnitentiæ; ſpes longioris vitæ ; præſumptio de Dei miſericordia. Sepulchrum eſt ſtulta ſecuritas conſcientiæ quæ velut graui mole opprimit hominem, ne videat, in quo diſcrimine ſit. Porrò vt ad vitam ſuam reuocetur anima, accedere ad eam Chriſtus per gratiam præuenientem debet & tangere ac mouere eam ad pœnitentiam. Reſidet anima , cùm per peccati deteſtationem erigit ſe ad Deum ad faciendam eius voluntatem : incipit loqui , cùm peccata confitetur : ſurgit omninò , cùm per opera ſatisfactionis , & vitæ emendationem ambulat in Dei lege: datur matri ſuæ, cùm Eccleſiæ reſtituitur , eiuſque curæ & ſolicitudini commendatur.

DOMINICA DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Lucæ 14.

IN illo tempore : Cùm intraret IESVS in domum cuiuſdam principis Phariſæorum ſabbatho manducare panem, & ipſi obſeruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et reſpondens IESVS : dixit ad legiſperitos & Phariſæos , dicens: Si licet ſabbatho curare? At illi tacuerunt. Ipſe verò apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit. Et reſpondens ad illos : dixit: Cuius veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet , & non continuo extrahet illum die Sabbati ? Et non poterant ad hæc reſpondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent , dicens ad illos : Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit inuitatus ab illo : & veniens is qui te & illum vocauit , dicat tibi , da huic locum : & tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouiſſimo loco : vt cùm venerit qui te inuitauit: dicat tibi: Amice, aſcende ſuperiùs. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus : Quia omnis qui ſe exaltat , humiliabitur : & qui ſe humiliat , exaltabitur.

CON-

CONCIONES.

I. *Cur homines, non Angeli poſt lapſum reparati.*

II. *Feſti dies cur ſedulò obſeruandi, argumenta.*

III. *Dierum feſtiuorum profanatio reprehenditur.*

IV. *Auaritia hydropiſis vitanda.*

V. *Remedia ebrietatis.*

VI. *Qualia eſſe debeant conuiuia Chriſtianorum.*

VII. *Modus corrigendi proximum.*

VIII. *Documenta.*

IX. *Myſteria.*

CONCIO I.

Cur homines non Angeli poſt lapſum reparati.

1. *Quia hominum voluntate alienâ lapſi ſunt, non angeli.*
2. *Homo fraude ſuperiores naturæ cecidit, non Angeli.*
3. 4. *Hominis vires valde læſa, eiuſque lapſi miſeria maior quam Angeli.*
5. *Quia vniuerſa propter homines creata.*

THEMA.

Cuius veſtrum bos aut aſinus in puteum cadet, & non continuò extrahet eũ? Luc. 14.

A. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quem habuit Dominus, cùm dixit: *Cuius veſtrum bos aut aſinus in puteum cadet & non continuò extrahet eum?* Hæc enim verba oſtendunt, noluiſſe Deum genus humanum relinquere in puteo damnationis, in quem incidit, ſed educere voluiſſe, ſiquidem bos aut aſinus educitur à domino ſuo. At ſi hoc ita eſt, quærat fortè aliquis, quare non etiam angelos in profundum abyſſi puteum è cœlo lapſos ſimiliter extraxerit. Quanto enim nobilior creatura eſt angelus, quàm homo, tanto magis ipſe videbatur eripiendus. Vnus angelus, ſi natura ſpectetur, æquipollet infinitis hominibus; cuius ſignum eſt, quod infiniti homines, infinito temporis tractu non poſſent ſibi tantam comparare ſapientiam, potentiam, pulchritudinem, &c. quanta eſt vel in vno angelo. Deinde omnes totius mundi exercitus & tota generis humani multitudo omnibus ſuis armis inſtructa, non poſſet vel vni angelo reſiſtere, aut eius vim ſuſtinere. Cur ergò naturæ tam eximiæ nulla eſt habita ratio? Difficilis & recondita quæſtio, cui quidem reſpondendum duxi, ſed non niſi ex SS. Patrum placitis.

B. I. Quia nos voluntate aliena lapſi ſumus, non angeli.

PRIMA. Quia genus humanum, exceptis duobus primis hominibus, voluntate alienâ abſque proprio conſenſu lapſum eſt: angeli ſuo iudicio, ſuo arbitrio & propriæ voluntatis electione peccârunt. Ita S. Gregorius l. 4. Moral. c. 10. *Angelus*, ait, *ſuâ malitiâ cecidit: hominem verò aliena proſtrauit.* Naſcimur nos filij iræ propter culpam parentum: angeli tales facti ſunt ſuapte culpâ. Quemadmodum ergò longè magis commiſeratione & gratiâ digni ſunt liberi, qui propter aliquod parentum delictum exules vel infames facti ſunt, quàm ij, qui ob propria delicta tales fieri meruerunt: ita potiùs homines, quàm angeli miſerandi & reparandi erant. Ac licet etiam plerique homines ſuis peccatis propriis infernum meruiſſe & merituros ſciuerit Deus, ſciuit tamen & hoc, quòd lapſus primorum parentum radix & origo peccatorum illorum fuerit, dum ſublatâ iuſtitiâ originali homo ſibi ipſi relictus & ſuæ rebelli concupiſcentiæ traditus, difficulter admodum cauere peccata poterat, atque adeò ob alienam culpam poſitus eſt in glaciem quaſi, vbi labi procliue, ſtare difficile erat. Quando igitur iuſtitia diuina eò pertingere potuit, vt propter vnius & alterius peccatum cæteros omnes mortales plecteret: cur non eò pertingat etiam Dei miſericordia, vt per alterius merita redimeret eoſdem? Si æquum fuit vt alterius culpa nos damnaret, cur nos alterius virtus & ſanctitas nõ debebat liberare? An non *miſericordia Dei ſuperexaltat* & excedit *iudicium* ſeu iuſtitiã eius? An homo talis à Deo factus eſt, vt magis mali quàm boni capax eſſet? Tollitur hîc querela illa, quam quis afferre poſſet dicendo. Quid commerui in ventre matris, vt naſcerer in peccato, & ſi ita moriar, à regno Dei excludar? Reſpondetur enim: Quid feciſti tu in baptiſmo, vt per eum iuſtificareris: *Gratis venundati eſtis*, inquit Iſaias capite 52. *& ſine argento redimemini.*

C. II. Quia homo fraude ſuperioris naturæ cecidit, non Angeli.

SECVNDÒ. Ex eodem Sancto Gregorio libro 4. moral. capite 9. quia homo fraude, ſuaſione & impulſu naturæ ſuperioris, diaboli videlicet in culpam prolapſus eſt, angelus non item, ſed ſponte & vltrò. Et quamuis ſuperiores fortè induxerint inferiores, videbant tamen iſti alios ſuos ſocios peſtiferæ ſuaſioni reſiſtentes, quorum exemplo confirmari in bono debebant; id quod de homine dici nequit: non enim habuerunt primi parentes, quorum exemplo confirmati, perſiſterent in gratiâ. Iam verò condolentiâ digni ſunt, qui ad malum impelluntur, non item qui ſponte currunt. Qui ad lapſum impulſus eſt æquum eſſe videtur, vt etiam ſubleuetur; & qui habuit tentatores ad malum incitantes, habeat etiam adiutores ad bonum retrahentes. Si habuit homo, qui ſibi pedes obiecit, vt caderet, cur non habeat etiam, qui manum porrigat vt ſubleuetur? Vnde S. Bern. *ſerm. 1. de Aduentu* ait: *Hominem ſupplantauit aliena malitia: ideoq́; prodeſſe ei poteſt charitas aliena. Ita Domine obſecro, complaceat tibi vt eruas me, quoniam ego infirmus ſum. Quoniam de terrâ meâ furtim ſublatus ſum & hîc innocens in lacum miſſus ſum. Non penitus quidem innocens: ſed quantum ad eum, qui me ſeduxit, innocens aliquatenus.* Hæc Bernard. accedit quòd diabolus hominem tentârit & ſeduxerit, inflammatus odio Dei, vt ita opus eius eximium perderet & euerteret, ne Deus finem propter quem creauerat hominem

Digitized by Google

minem, conſequeretur. At nullo modo decebat vt dæmon gloriaretur, ſe Dei opus & conſilium peruertiſſe. Itaque conueniebat, vt Deus quod ſibi propoſuit, ad optatum finem perduceret, imò & perfectius faceret; quod fecit hominem aſſumendo & redimendo, atque ita de maligno hoſte triumpharet; id quod ipſi comminatus eſt, cùm dixit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius; & ipſa* (vel ipſum) *conteret caput tuum*, Gen. 3.

D. III. Quia vires hominis valde læſæ, non ita dæmonis.

TERTIÒ. Quia vires intellectus & voluntatis in homine valdè ſunt læſæ & debilitatæ: fortes contrà, liberæ & ſolutæ in angelis. Homines carni alligati ſunt tanquam graui pondere, quod deorſum eos trahit ad ea quæ carnis ſunt: ideoque quia notitiam habent obſcuram & affectum paſſionibus obſitum, vt plurimùm ex paſſione & ignorantiâ peccant, iuxta id Apoſtoli Iacobi: *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus.* Angeli verò quia ſimplices creaturæ ſunt & à carne liberæ, perfectiſſimam cognitionem habent & ſolutum animi impetum. Hinc Iob debilitatem ſuam deplorans cap. 10. *Memento quòd ſicut lutum feceris me*; inquit. Quis autem neſcit, parietes è luto factos facilè corruere? Hoc etiam inſinuare videtur Dominus in hodierno Euangelio cùm ait: *Cuius veſtrùm bos aut aſinus*, &c. Homo enim poſt lapſum, quid erat niſi bos ineptus & aſinus indocilis qui facilè in puteum cadit? Audi Greg. lib. 4. Moral. cap. 9. *Duas*, inquit, *creaturas ad intelligendum ſe fecerat Deus, angelicam & humanam; ſed vna tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmū de carne geſtauit. Miſertus ergò creator vt redimeret, illam ad ſe debuit reducere, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid conſtat habuiſſe. Et eò ampliùs debuit Apoſtatam Angelum repellere, quò cùm à perſiſtendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne geſtauit, &c.* Et idcircò homini longa via & prolixum tempus merendi conſtitutum eſt, Angelo breuiſſimum.

Hinc etiam fit vt angeli ſuis decretis pertinaciſſimè adhæreant; homines non item, ſed facilè mutentur & mutent ſua propoſita. Ideò angeli mali propter conceptam ſuam ſuperbiam, (dato etiam ampliori viæ termino) difficillimè ad retractionem eius & pœnitentiam conuerti poterant; vti etiam patet in hominibus, qui magno ſunt ingenio & ſcientiâ, vbi enim ſemel errârunt, pertinaciter in errore perſiſtunt, ne erraſſe videantur. Vnde S. Bern. ſerm. prædicto ait: *Noui in affectum malitiæ & nequitiæ tranſiſſe angelos deſertores, nec ex ignorantiâ aliquâ ſeu infirmitate peccaſſe, ideoq; perire neceſſe eſt, pœnitere nolentes.* Et mox: *Nempe noui ſuperbiam Moab, quòd ſuperbus eſt valdè: & ſuperbia eius pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniam.* Et poſt pauca: *Perſeuerare in malo diabolicum eſt: & digni ſunt perire cum illo, quicunque in ſimilitudinem eius permanent in peccato.* Legimus Cacodæmonem Machario dixiſſe: *Vinco te ieiunio, quia nunquam comedo; Vinco te vigiliâ, quia nunquam dormio: vinco te caſtitate, quia nunquam vtor concubitu: ſolâ humilitate vincor, quia humilis eſſe nequeo.* Cæterùm homo quia tam intelligentis & ſublimis naturæ non eſt, facilè mutari & flecti ad pœnitentiam poteſt, ideoque veniâ dignior eſt.

E. IV. Quia hominis lapſi miſeria maior quam angeli.

QUARTÒ. Quia hominis lapſi miſeria maior erat, adeoque magis miſerabilis. Primò quia natura eius vilior & abiectior. Miſericordiæ autem eſt inclinare, vbi maior abiectio. *Depoſuit* enim *potentes de ſede & exaltauit humiles.* Angelorum natura vti ſublimior erat, ita maiora à Deo acceperat beneficia, ideoque eorum lapſus tanto erat grauior. Vnde ſcribit 1. Auguſt. tract. 110. in Ioan. *Cur non intelligimus quòd tantò damnabiliter illorum iudicata ſit culpa, quantò erat natura ſublimior? tantò enim minus, quàm nos peccare debuerunt, quantò meliores nobis fuerunt.*

Secundò. Quia humanum genus totum periiſſet, niſi Deus ſuccurriſſet; non item cœtus angelici. Audi Auguſtinum in Enchiridio cap. 28. 2. *Placuit*, inquit, *vniuerſitatis creatori atque moderatori Deo: vt quoniam non tota multitudo angelorū Deum deſerendo perierat, ea quæ perierat in perpetuâ perditione remaneret: quæ autem cum Deo illa deſerente perſtiterat, de ſuâ certiſſimè cognitâ ſemper futurâ fœlicitate ſecura gauderet. Alia verò creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque ſupplicijs & originalibus & proprijs tota perierat: ex eius parte reparata, quod angelicæ ſocietati ruina illa diabolica minuerat, ſuppleretur. Hoc enim promiſſum eſt reſurgentibus ſanctis, quòd erunt æquales angelis Dei.* hæc Auguſtinus.

F. V. Quia vniuerſa propter hominem creata.

QUINTÒ. *Quoniam res vniuerſi*, inquit Theodoretus lib. 6. de prouidentiâ diuinâ, *quæ ſub ſenſum cadunt, propter homines creata ſunt, ideò Deus non putauit hominem contemnendum, cuius gratiâ cuncta creauiſſet, &c.* Nec enim decere videbatur, vt vniuerſum & quæ in eo ſunt, perpetuò ſeruirent hoſti creatoris ſui.

Verùm hæ rationes non prorſus euincunt.

Verùm enim verò, hæc omnia quæ attulimus, non prorſus rem euincunt, nec adeo æquam faciunt cauſam noſtram, vt iniquum fuiſſet, ſi DEVS vel angelos etiam redemiſſet, vel vnà cum ipſis humanum quoque genus 1. perire permiſiſſet. Quam enim iniuriam homini feciſſet, ſi ſimilis culpæ reum ſimili pœnâ mulctaſſet? vel quis ei dicere potuiſſet: *Cur ita facis?* Itaque genuina & vltimata cauſa noſtræ redemptionis eſt mera & libera Dei miſericordia, quam homini impertiit, dæmoni non item, quia ita decreuit. Ambo ſerui peccauerant in Pharaonem, Dominum ſuum; piſtor & pincerna; ambo in eius manu & vinculis erant. Et tamen Dominus pincernam reſtituit priſtinæ dignitati vt propinaret ſibi vinum: piſtorem verò ſuſpendit. Et quis propter hoc reprehendit Pharaonem? Scriptura cauſam diuerſi huius iudicij tacet, nec factum reprehendit, *Gen.* 40. Quis ergò reprehendat Deum?

Deinde poſſent etiam angeli lapſi pro ſuâ 2. liberatione allegare Primò ſuam nobilitatem. Quis enim dominus habens duos ſeruos fugitiuos, vnum nobilem alterum ignobilem,

bilem, non potiùs requirat nobilem, quàm ignobilem? Secundò multitudinem lapſorum. Tertiò iuſtitiæ diuinæ rigorem, quia propter vnicum mentale peccatum, illicò mulctati ſunt, cùm tamen Deus homini toties peccanti & tamdiu in peccatis perſiſtenti toties veniam det.

Quare inprimis immortales Deo debemus gratias, quòd eius miſericordia inter iuſtitiam diuinam & peccata noſtra ſeſe interpoſuerit, noſque ab illâ protexerit, quod non fecit angelis. Eramus ambo in eodem molendino, in eodem lecto, in eodem luto: nos aſſumpſit Deus, angelos reliquit. *Miſericordia* igitur *Domini, quia non ſumus conſumpti*, Thren. 3.

Deinde metuamus inprimis peccata diabolica, cuiuſmodi eſt peccare ex certâ malitia, (cùm ſcilicet nec infirmitas, nec ignorantia excuſat) & perſeuerare pertinaciter in peccato. Humanum enim eſt errare; at perſiſtere in errore, non humanum, ſed diabolicum eſt. Quare Auditores, ſiquis noſtrùm humanâ victus fragilitate labatur in puteum peccati, quia nimirum boues & aſini ſumus, imprudentia & infirma animalia: non ibi hæreamus, ſed illicò clamemus cum Dauide: *Domine non me dèmergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Conemur deinde emergere mediante pœnitentia. Quid non facerent dæmones, ſi ex illo ſuo puteo eluctari aliquando poſſent? Vnus eorum dixit, teſte Thoma Cantipratenſi *lib. 2. cap.* 57. ſe paratum eſſe tormenta omnia, quibus damnati cruciantur, ſiue dæmones ſiue homines, in ſe vnum congeſta perpeti vſque ad diem Iudicij. Alius apud Cæſarium *lib. 5. cap.* 10. dixit, ſe paratum eſſe in columnam ferream ignitam, nouaculis acutis vndequaque armatam inſilire, per eamque repere surſum deorſum vſque ad mundi finem. Nihil tale à nobis requiritur: ſuaue tantùm CHRISTI iugum ſubeundum, leue onus pœnitentiæ ferendum eſt.

CONCIO II.

Feſti dies cur ſedulo obſeruandi: argumenta.

1. *Primum argumentum deſumitur ex præcepto Dei & Eccleſiæ: ſunt enim dies feſti Deo & SS. debiti, ad animæ collectionem & corporum quietem inſtituti.*
2. *Ex fructu & præmio illis conſtituto: vt eſt ſpiritualis lætitia, ſpes futuræ fælicitatis & prouiſio bonorum ſpiritualium & corporalium.*
3. *Ex pœna tranſgreſſoribus imminenſe, tam in bonis fortunæ, quàm in corpore & anima.*

THEMA.

Et ipſi obſeruabant eum. Luc. 14.

MEritò quis roget cur CHRISTVS hydropicum die ſabbati curaturus, hodierno in Euangelio, priùs Legiſperitos interrogarit: A.
ſi licet ſabbato curare? Cur enim filius DEI doctrinam aut poteſtatem accipiat ab hominibus? Quomodo ipſa DEI ſapientia, ipſeque Legiſlator non ſit legiſperitior omnibus legiſperitis? Et *ſi Dominus eſt filius hominis: etiam ſabbati*, ait ipſe *Matth.* 12. Nihilominùs tamen; quia vidit ſe ab illis obſeruari num in ſabbato quid operaturus eſſet; voluit interrogare: *ſi licet ſabbato curare?* Et hoc ad inſtructionem noſtram, vt dies feſtos ſedulò obſeruemus, & dubia in re, non ipſi nos conſulamus, ne mentiatur iniquitas ſibi: ſed Eccleſiæ paſtores & legis ſacræ peritos, vtrum & quid liceat, illis diebus agere. Idque ob eam maximè rationem, quia multi ſunt qui nos obſeruant, quomodo ſabbata noſtra celebremus. Obſeruant noſtri ma- *Multi nos*
giſtratus: quibus præcipit Apoſtolus ad Philip. *obſeruant.*
3. *obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Obſeruant Hypocritæ, Pſal. 26. *obſeruabit peccator iuſtum*, vti Phariſæi Chriſtum in hodierno Euangelio. Obſeruant etiam dæmones; quorum vni dixit aliquando Deus, Iob 1. *nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob?* Obſeruant angeli Dei: *quoniam angelis ſuis mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*, Pſal. 90. Obſeruat ipſemet Deus, cui Iob cap. 13. ait, *obſeruaſti omnes ſemitas meas.* Et Dauid Pſal. 13. *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum.* Et cur hi omnes nos obſeruant niſi vt ſtudioſiùs Dei præcepta obſeruemus & inter alia ſabbatum, de quo Deut. 5. præcepit Deus: *Obſerua diem ſabbati vt ſanctifices eum?* Non enim vt ſpectatores tantùm nos obſeruant: ſed vt vel præmient, vel puniant: Deus vt legiſlator, angeli vt præceptores, Magiſtratus vt diuinæ iuſtitiæ executores, Hypocritæ vt cenſores, dæmones vt lictores & carnifices. Igitur vt hoc præceptum ſedulò obſeruemus, videndum nobis eſt, quàm æquum id ſit, quod eius præmium, quæ pœna; hæc enim tria ſunt, quæ mouere vnumquemque debent, vt legem ſibi præſcriptam obſeruet.

Ad obſeruandos dies feſtos PRIMÒ mouere nos debet præceptum Dei & Eccleſiæ, Deus B. I.
quidem id ſeriò nobis inculcauit, cùm dixit *Præceptum Dei*
Exod. 20. *Memento vt diem ſabbati ſanctifices.* *& Eccleſiæ.*
q. d. ante omnia cura; ſeu, noli obliuiſci: laſſ Dirs gſagt ſein. Quâ formulâ inculcandi præceptum non vtitur in aliis mandatis. Eccleſia verò ſimiliter, quia ſub peccato lethali nos obligat ad celebrationem dierum feſtiuorum. Et meritò quidem ita ſeriò tam à Deo, quàm ab Eccleſia præcipiuntur; meritoque obſeruari debent.

Primò. Quia Dei & SS. eius gloriæ debentur. Deo quidem iure naturali & diuino cultum hunc debemus, quo beneficiorum eius 1. *Quia Deo debiti.*
memo-

memores ſimus. Ei, inquit Auguſt. 10. de ciuit. cap. 4. *beneficiorum eius ſolemnitatibus feſtis & diebus ſtatutis dicamus ſacramuſq́; memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepat obliuio.* Quid enim Dominicus dies, niſi memoria creationis noſtræ, & reſurrectionis partim Domini noſtri, partim noſtrum omnium in futura fælicitate? Quid cætera Chriſti feſta, niſi memoria inſignium eiuſdem beneficiorum, nobis collatorum, vt Natiuitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, &c.? Quid denique feſta Sanctorum, niſi memoria eorundem, quâ partim ipſos ob præclarum eorum agonem honoramus, partim nobis ad imitandum vel ſaltem excitandum proponimus, partim victoribus de partâ ſibi gloriâ congaudemus, partim eos vt pro nobis ad Deum orent, commonefacimus: ante omnia verò Deum pro eorum exaltatione & glorificatione laudemus? Quæ omnes quàm iuſtæ ſolemnitatum cauſæ ſint, quis non videt? Et quia longè plura atque inſigniora accepimus à Deo beneficia, quàm Iudæi, meritò etiam plures agimus feſtiuitates. Videmus perfidos Iudæos vſque in hodiernum diem tanto rigore peragere ſuas ſolemnitates, è quibus nihil penitus vtilitatis capiunt: quid nos non decet facere?

2. *Quia ad animæ collectionem inſtituti.* Secundò. Quia ad animæ ſolatium & ſpiritus collectionem neceſſariò inſtituti ſunt. Sicut enim viator oneratus interquieſcere ſubinde debet, & ſicut corpus à labore: ſic animus à pondere corporis trahente ipſum ad terram. Quia *corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Sap. 9. Ergo & animus habere ſuam quietem debet, quâ collapſas inſtauret, vires & ſpiritum reſumat: quod fit, cùm erigitur ad Deum, cùm terrenos affectus excutit & cœleſtibus deſideriis inflammatur, &c. Hoc autem durante corporis labore, commodè facere non poteſt. Teſtes Iſraelitæ, qui inter Ægyptios labores ſacrificare Deo non poterant: propterea Moyſes & Aaron dicunt: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto.* Exod. 5. Et Cicero in Philipp. ait; *Duas res, magnas præſertim, vno eodemque tempore, non dico agere, ſed ne cogitando quidem explicare quiſquam poteſt.* Quoniam igitur maiori vitæ parte terrenis implicamur, & corpori vacamus plerique, cur non certis diebus vacemus etiam animæ? Imò ad hanc animæ quietem direxit Deus quietem corporis. Et propterea dicitur benedixiſſe & ſanctificaſſe diem ſeptimum, eo ſcilicet ſenſu, quo dixit Deuter. 5. *Obſerua diem ſabbati vt ſanctifices eum*; hoc eſt, vt eum animæ quieti & piis operibus dedices. Cuius rei admonere Iudæos voluit Deus naturali quaſi miraculo illius fluuij in Iudeâ, qui vt ſcribit Ioſephus *lib. 7. belli Iud. cap. 24.* & Plin. *lib. 31. cap. 2.* per ſex dies fluit, ſeptimo fluere deſinit & alueum ſiccum relinquit, ideoque *ſabbaticus* dictus eſt. Sic ergo & nos ſemel ſaltem in ſeptimana à mundi curſu, qui deorſum nos trahit, ceſſare & Deo vacare debemus.

3. Tertiò. Quia ad noſtrorum met corporum quietem & commodum inſtituti ſunt. Quam cauſam agnouit etiam Ethnicus Plato, qui lib. 2. de legib. ait: *Dij miſerati laborioſum a natura genus humanum, remiſſiones laborum ipſis ſtatuerunt.* Eandem indicauit Dominus Deut. 5. cùm de die ſabbati ait: *Non facies in eo quidquam operis tu & filius tuus & filia, ſeruus & ancilla, & bos, & aſinus, & omne iumentum tuum, & peregrinus qui eſt intra portas tuas: vt requieſcat ſeruus tuus & ancilla tua, ſicut & tu.* Quod poſtremum addit propter heros, qui parum vel nihil vnquam laborant: illi enim oderunt dies feſtiuos, quibus feriantur eorum ſerui. Sed Dominus inſinuat eis præceptum illud naturæ: *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Si ergo heri diligunt otium & perpetuò ſectantur, non id inuideant aliis ſaltem interdum. Quos vt magis vrgeat, ſubiungit: *Memento quòd & ipſe ſerueris in Ægypto,* &c. q.d. cogita quàm gratæ tibi fuerint feriæ in Ægypto, vt in iis reſpirare poſſes ab operibus luti. Si ergo Domini cùm ſeruirent fortè ipſi, libenter audierunt proclamari dies feſtos, patiantur hoc idem contingere ſuæ familiæ. Quare non caret graui impudentiæ notâ, qui dum heri ſeruiret, optabat ſibi quamplurimos vacationum dies, hodie verò poſtquam dominatur, cupit omnes abrogari. Heus tu, quaſo, *memento quòd & ipſe ſerueris.* Porrò quoniam vires hominum paulatim imminutæ ſunt, meritò etiam poſterioribus ſæculis plura ſunt addita feſta ad Dominicum diem: quibus à laboribus recreentur operarij. Quod aduertentes non ita pridem in Palatinatu famuli & ancillæ, querebantur deteriori ſe eſſe loco apud Caluiniſtas quàm apud Catholicos, hîc multa feſta eſſe, quibus reſpirare liceat, ibi aſſiduo ſe labore opprimi, neque tantillum temporis permittit quo vel laceras veſtes reficere par ſit. Viſa eſt legitima hæc querela: igitur à Magiſtratu feria quarta aſſignata ipſis eſt, quâ ab herili opere aliquantulum ceſſare poſſent & conſuendis ac reficiendis veſtibus operam dare. Quo factum, vt hoc feſtum patrio ſermone à quibuſdam vocetur **das Flickfeſt**. Recenſet Tympius *in menſa Theologoph.* cui inſtituto accinit Agenda (**die Kirchenordnung**) pro ditione Marchionis Brandeburgici & reipublicæ Norimbergenſis anno 1533. Norimbergæ impreſſa apud Iodocum Guettt-knecht, in qua Feſtum Aſſumptionis B. Virginis admittit; *non propterea,* inquit, *quòd vllum fundamentum in ſcripturis habeat, ſed propter agreſtium ſeu ruſticorum labores:* vt ſcilicet habeant tunc vel in meſſis laboribus vel poſt meſſis labores aliquid leuamenti. Verùm Catholicis hæc ratio inſtituendi feſta nec ſola nec primaria eſt. Primariò enim inſtituimus feſta ad Dei & SS. cultum, animæ item refectionem ac ſolatium, ſecundariò verò ad corporis quietem. Primariò Deum & ſanctos eius veneramur, animæque noſtræ conſulimus; ſecundariò verò corpori: ac per hoc diuinæ legi noſtræque obligationi ſatisfacimus, & præterea meritum obedientiæ & religionis acquirimus. Sic qui deſiderans videre Ro- *Quia ad corporum quietem inſtituti.*

mam & ſimul lucrari indulgentiam, ſi ob publicam cauſam tanquam legatus eo mittatur alienis impenſis; nonne is duplex vel triplex commodum reportat, dum & alienum negotium expedit & deſiderium ſuum implet, idque cum mercede & expenſis alienis? Contrà hæreticorum *partem ponet* Deus *cum hypocritis*: quia ſicut illi feriantur, ieiunant, orant, ſed ſine fructu: ſic & iſti.

C. II. Fructus & præmium.

SECVNDÒ. Mouere debet fructus & præmium illis conſtitutum, qui, ſicut decet, feſtiuitates celebrant. Id verò expreſſit Deus Iſa. 58. dicens: *Si auerteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaueris ſabbatum delicatum,* &c. *Tunc delectaberis ſuper Domino & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ & cibabo te hereditate Iacob patris tui, os enim Domini locutum eſt.* Primus igitur fructus eſt, ſpiritualis lætitia & voluptas, quâ perfunduntur ij, qui dignè feſta celebrant; *Tunc delectaberis ſuper Domino*; quia hæc feſtiuitatum noſtrarum varietas valde animos delectat & aſperum hoc exilium crebrâ patriæ noſtræ recordatione temperat. Democritus ſolebat dicere: *Vita ſine feſtiuitatibus, longa eſt via ſine diuerſorijs*, apud Stob. *ſerm. de auaritiâ.* Et talis ferè eſt vita hæreticorum, qui pleraſque feſtiuitates ſuſtulerunt, reliquas nulla ſolemnitatum aut cæremoniarum varietate peragunt, ſed ſolis iiſdemque ſemper cantilenis & Prædicantium perpetuis clamoribus. Non ita nos Catholici, quibus annuus feſtiuitatum circulus quaſi iter quoddam Ieroſolymitanum eſt, pulcherrimâ locorum interiacentium ac circumiacentium varietate recreans. In illo enim ad ſepulchrum Domini quodammodò peregrinamur cæteraque loca, in quibus myſteria redemptionis noſtræ peracta ſunt, dum quaſi in via ad varia ſanctorum templa diuertimus, adeoque ſacra omnia loca, quaſi ibidem corpore præſentes, deuotè peragramus. Dum aduentum inchoamus, quaſi terram ſanctam attingimus & à longè iam Ieroſolymam contemplamur: in Domini Natiuitate, ad Bethlehem diuertimus: in Quadrageſimâ, ad loca Paſſionis Chriſti & montem Caluariæ: in Paſchate ad ſepulchrum, in Aſcenſione ad montem Oliueti, in Pentecoſte ad montem Sion, in Corporis Chriſti Feſto ad cœnaculum, &c. In feſtiuitatibus Sanctorum quaſi ad eorum ædes diuertimur & velut in diuerſoriis recreamur. Magnum experiremur gaudium, ſi corpore præſentes perambulare terram ſanctam poſſemus: ſed non eſt neceſſaria corporis præſentia ad hæc loca cum gaudio & fructu peragranda; ſiquidem Dominus ad Samaritanam dixit Ioan. 4. *Mulier crede mihi, quia neque in monte hoc* (Garizim) *neque in Ieroſolymis adorabitis patrem, ſed venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. Nam & pater tales quærit,* &c. Nunc propriè hoc verificatur; quia ſcilicet non licet nobis adorare in Ieroſolymis: adoremus ergo ſpiritu, &c. Quid prodeſt corporali præſentiâ peragrare ſacra loca: interim verò ſacra myſteria quæ illis peracta ſunt, non perpendere? In omnibus templis habemus Chriſtum in Euchariſtia præſentem: ergo & Ieroſolymam.

1. Spiritualis lætitia.

Secundus. Spes futuræ fœlicitatis & æternæ feſtiuitatis conſequendæ, terrenarum verò voluptatum contemptus. Vnde ait: *Suſtollam te ſuper altitudinem terræ.* q. d. faciam vt cœleſti feſtiuitati appropinques eamque certâ ſpe quaſi de propè aſpicias, vnde omnes terrenarum ſolennitatum delitias velut exiguas deſpicias, & cum Apoſtolo vt ſtercora repetes. Hunc fructum conſecutus erat Tobias, quando adhuc iunior, *Cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Iſrael, hic ſolus fugiebat conſortia omnium, & pergebat in Ieruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſrael*, vt dicitur Tob. 1. Multò maximè verò Magdalena, quæ, vt vidit aliquando presbyter ſolitarius, in deſerto degens, quotidie ab angelis in cœlum tollebatur ad cœleſtis feſtiuitatis ſuauitatem percipiendam, & rurſum in terram deponebatur. Quo fiebat vt non modò terrenarum delitiarum, ſed & cibi prorſus obliuiſceretur: apud Metaph. Itaque ſi debito modo feſta celebremus; veniemus in conſiderationem, amorem & deſiderium cœleſtium feſtiuitatum, quas noſtra repræſentant feſta: ſimulque incipiet nobis deſipere & ſordere *ſtercus ſolemnitatum* mundanarum, quemadmodum vocat Deus *Malach.* 2. ludi, choreæ, ſympoſia, confabulationes, ſpectacula, &c. Ac demum orietur in nobis ſpes futurorum bonorum nequaquam inanis; ſi enim hic in terris imitemur cœlites, & ſyncerâ deuotione peragamus feſta Dei, ſperandum eſt, nos cœli ciues eſſe & cum cælitibus perpetuum illud cœli feſtū aliquãdo celebraturos.

2. Spes futuræ felicitatis.

Sed vt hunc fructum conſequamur, debemus *vocare*, id eſt, agere *Sabbatum delicatum*, vt videlicet non corporis tantùm, ſed & animi quieti intendamus: non ab operibus tantùm ſeruilibus, ſed etiam à peccatis abſtineamus.

Tertius. Prouiſio temporalium & ſpiritualium bonorum, cùm dicitur: *Cibabo te hereditate Iacob patris tui.* Hæreditas autem quam à patre accepit Iacob, fuit benedictio & multiplicatio ſpiritualium & temporalium bonorum: *Det tibi Deus de rore cœli & pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini,* &c. Geneſ. 27. Ergo qui obſeruant feſta, & manum à labore continent, non metuant egeſtatem: quia non patitur Deus, obſequiis ſe vinci. Sanè *Leuit.* 23. iuſſit Deus annum ſeptimum eſſe Sabbaticum, in quo nec ſerere nec metere licebat: fruges nihilominùs ſponte enatæ, quas omnibus communes eſſe voluit. Vnde ſequitur prioribus ſex annis compenſatam fuiſſe fertilitatem agricultoribus, vt ſeptimo etiam ſufficeret. Idem promiſit etiam Leuit. 26. *Cuſtodite Sabbata mea; & pauete ad ſanctuarium meum. Ego Dominus. Si in præceptis meis ambulaueritis & mandata mea cuſtodieritis & feceritis ea; dabo vobis pluuias temporibus ſuis & terra gignet germen ſuum & pomis arbores replebuntur,* &c.

3. Prouiſio bonorum ſpiritualium & corporalium.

D. III.

TERTIÒ. Mouere debet punitio tranſgreſſoribus imminens. Primò in bonis fortunæ. Siqui-

Pœna tranſgreſſoribus imminẽs.

1. In bonis fortuna.

Siquidem Ierem. 17. ait Dominus: *Si autem non audieritis me vt ſanctificetis diem ſabbati & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Ieruſalem in die ſabbati; ſuccendam ignem in portis eius & deuorabit domos Ieruſalem & non extinguetur.* Contigit hoc non ſemel. Gregorius Turonenſis *in hiſt. libro* 10. *cap.* 29. narrat apud Lemouicinam vrbem, ob id quòd Dominico diei illata eſſet iniuria, dum in eo publicam operam exercerent, pleroſque igne cœleſti conſumptos eſſe. Et *in glor. Confeſſ. cap.* 81. commemorat quendam qui beati Mariani feſtum diem celebrare cum reliquis contempſiſſet, adeò diuina vltione per ignem percuſſum, vt domus, ſupellex tota, pecudes ac quidquid illius eſſet, igne fuerit abſumptum: at ne quis ea fortuito caſui tribuenda putet, addit nulli vicinorum proximè habitantium ex eo igne illatum eſſe damnum. In vitâ Sancti Ottonis Epiſcopi Bambergenſis dum quidam in die Sancti Laurentij ad increpationem Bocci presbyteri, non deſiſtunt metere, ignis repentè ſegetem inuaſit & abſumpſit tam demeſſam quàm metendam, *lib.* 3. *cap.* 29. Petrus Damianus *in ſer. de S. Ruffino* ſcribit, Aſſiſij, vbi corpus S. Ruffini ſumma veneratione colitur, cùm quidam incolæ diem eius feſtum textrinis & ruralibus operibus violarent, ſubitò in eorum ædibus ignem exortum omnia corripuiſſe. Et cùm illi ſupellectilem incendio ereptam in vicinum profluentem non magnum abiicerent, quaſi facilè recuperandam, nihil tamen id profuit: data enim aquæ ignea quædam vis vt demerſam ſupellectilem exureret, non ſecus ac incendium ipſum: quoaduſque ciues ad ſancti corpus accurrentes veniam meruêre. Rurſùm Gregor. Turon. *lib.* 1. *de glor. mart. cap.* 15. narrat mulieris cuiuſdam die Dominicâ pinſentis panem, manum protinùs diuino igne fuiſſe ſuccenſam. Si quæras; cur huic peccato Deus ſpeciatim minetur & immittat plagam ignis? Reſpon. quia hoc peccatum eſt quoddam ſacrilegium, quod tempus Deo debitum ac dicatum furatur & applicat ſibi. Si autem igne punitur furtum vaſorum Deo dicatorum, velut ſacrilegium: cur non & furtum ſacri temporis? Et licèt hunc proceſſum non ſemper obſeruet Deus, efficit tamen vt eiuſmodi lucra cum iniuria feſtorum hominem ditiorem non reddant, quemadmodum & bona Eccleſiaſtica à Proteſtantibus Principibus rapta ditiores illos non fecerunt, ſed potiùs, egentiores. Obſeruare eſt frequenter, eos qui ne lucri alicuius iacturam ſuſtineant, feſtis laborant diebus nihilo ditiores fieri; ſed interdum ob id graues Deum pœnas dare. Periculoſum eſt cum potentioribus bella gerere, & eorum iura inuadere: dum enim tu illis ciuitatem aufers, illi tibi totam ditionem auferunt. Multò periculoſius eſt inuadere iura Dei.

Vidi Salisburgi in celebri monaſterio ad S. Petrum, lapidem ad formam panis rotundum, qui olim maſſa panis erat, in die feſtiuo S. Leopoldi in pago Leopûhel, cum aliis furno impoſitus à muliere. Quæ cùm à vicinâ propterea argueretur & moneretur de feſtiuo die S. Leopoldi, reſpondit: Leolp hin, Leolp her daſſ Brodt iſt ſchon im Ofen Sed cùm eximere poſteà panes vellet è furno, omnes quotquot erant, in lapides vidit eſſe mutatos; quorum ille vnus erat. Deinde etiam iure tales puniuntur à Magiſtratu in bonis, quia hac de re dicit vetus lex Baioariorum apud Gretſer. de feſtis l. 1. c. 13. *Talis cauſa vetanda eſt, quia Dominum ad iracundiam prouocat, & exinde flagellantur homines in frugibus, & penuriam patiuntur.*

Secundò, in corpore *Exod.* 35. dicitur: *Septimus dies erit vobis ſanctus: qui fecerit opus in eo, occidetur.* Exemplum habetur *Num.* 15. vbi iuſſus eſt à Deo lapidari, qui in ſabbato ligna collegerat. *Morte moriatur homo iſte*, ait Dominus ad Moyſen, *obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra.* Quem non terreat hæc ſententia? Si enim ita punitus eſt, qui pauca collegit ligna, quid fiet iis, qui totos dies feſtos conſumunt opificiis, aleis, choreis, compotationibus, lectione obſcœnorum librorum? Non ita pridem Muſſiponti in Lotharingia quidam molitor, cùm ſæpe admoneretur ne faceret diebus feſtis mechanicum aliquid circa piſtrinum ſuum, nec abſtineret tamen, ingens pars aggeris circa quem in Feſto S. Matthiæ ſe occupabat, in tibias eius decidit eaſque confregit; ita vt per vitæ reliquum coactus ſit ad templi fores ſtipem colligere, eoque venire ſacro tempore, quò priùs ſponte noluerat, refert Chauaſſ. *de prudentia l.* 1. *c.* 6. accidiſſe ſuo tempore. Alteri cuidam molitori in vita S. Auſtregeſili Archiep. Bituric. apud Sur. 20. *Maij cap.* 9. Monulpho nomine, dominicâ die molam reficienti, manubrium inſtrumenti ita ad manum adhæſit vt nulla vi poſſet eripi: ad extremum tamen tactu S. Auſtregeſili ſanatus eſt, apud Gretſer. *de feſtis l.* 2. *cap vlt.* &c. Plurima ſunt alia eiuſdem rei exempla, quibus ipſæ creaturæ quæ ad operandum talibus diebus adhibeantur, detractabant operam ſuam adhibere ad iniuriam ſui creatoris. Alij brachium aruit vt in die S. Franciſci: alij ligna ſufficere noluerunt ad fouendum ignem pro coquendâ cereuiſiâ vt in die S. Ludgeri; aliis dolium diſſipatum, coire noluit, quamuis à vietoribus totâ die reficeretur, vt in die S. Othmari. Quæ videre eſt apud Surium in eorum vitâ. — 2. In corpore.

3. In anima.

Tertiò, in anima *Ezech.* 20. legimus. *Sabbata mea violauerunt vehementer, dixi ergo vt effunderem furorem meum ſuper eos in deſerto; & conſumerem eos.* Sed non ſolet ordinariè Deus hîc effundere iram ſuper peccatores, ſed diſtillare vel interdum omninò differre vſque ad diem illam; quia non eſt hic ordinarius vindictæ diuinæ locus: ſupplicia, quibus aliquos in hac vita corripuit, tantùm in cautelam aliorum edidit, vt nouerint Deum omnia obſeruare & ſuo tempore iudicaturum eſſe. Ibi primùm effundet iram ſuam. Exemplum memorabile refertur in lib. 2. de vitâ & reb. geſtis Sancti Ottonis Epiſcopi, Pomeraniæ Apoſtoli, c. 22. de vidua nobili & prædiuite, ruri iuxta Caminenſem ciuitatem habitante, quæ cùm reli-

gionem Chriſtianam nollet ſuſcipere, nec ſuos ad feſta Chriſtianorum colenda dimitteret; quadam Dominica gentilis illa mulier ſubditis dicebat tempore meſſis: *Ite, metite mihi agros meos, hoc enim melius eſt, quàm vacare illi neſcio cui nouo Deo, quem de terrâ ſuâ nobis affert ille Otto Babebergenſis Epiſcopus. Ite igitur ad metendas ſegetes noſtras & vt minùs timeatis, parate mihi vehiculum: Ecce ego vobiſcum ipſa in campos meſſura deſcendam.* Vbi cùm retractis manicis falcem arripuiſſet & metere cœpiſſet, (mirum dictu) ſubitò in actu ipſo vt erat inclinis, miſera diriguit & quaſi marmoris effigies nec ſemetipſam erigere nec falcem è manu dimittere potuit, nec ſegetem: ſed muta & nihil loquens ſimilis ſimulachro ſtabat: tantùm intuens intuentes. Concurrentes famuli rogant vt à temeritate reſipiſcat, dicentes, fortem eſſe Deum Chriſtianorum, ſed illa nihil reſpondebat. Iniectis ergo manibus eam erigere conantur, & falcem extorquere; ſed fruſtrà. Stabat enim immobilis quaſi moles terræ affixa. At vbi ſatis miraculi ac ſtuporis intuentibus oſtenderat ipſique famuli iam tædio affecti abire, ipſamque dimittere vellent; ſoluta illa repentè corruit, ſontemque animam in ignem tartareum efflauit. Quam leuantes in vehiculum: *En*, inquiunt, *qualem de agro manipulum die Dominico reportamus*? Inde famuli ad baptiſmum feſtinarunt, & vicini omnes diem Dominicum ſedulò obſeruare cœperunt. Væ itaque hominibus, qui feſtos dies violant! Surgent in iudicio & condemnabunt nos primò Iudæi, qui, 1. Mach. 2. oppugnantibus ſe hoſtibus in die Sabbathi, non obſtiterunt, nec lapidem miſerunt in eos, nec oppilauerunt loca occulta; ſed dixerunt: *Moriamur omnes in ſimplicitate noſtrâ.* Qui & occidi ſe paſſi ſunt, ne Sabbatum violarent. Condemnabunt etiam perfidi illi, qui hodieque viuunt, & feſta ſua rigidiſſimè obſeruant. Condemnabunt gentiles Romani, qui, vt refert Macrobius *lib. 1. Saturn. cap. 16.* mulctabant eos, qui in feſtis aliquid operis feciſſent; præter mulctam verò, qui talibus diebus imprudens aliquid egiſſet, porco piaculum dare debebat. Fortè quia vti porcus os oculoſque ſemper ad terram & ſordes porrectum gerit: cœlum numquam intuetur: & ſi ſurſum aſpiciat, ilicò ob ſtuporem conticeſcit; ſic illi, &c. prudens verò expiare non poterat, vt aſſerebat Scæuola Pontifex apud Machrob. Et quid, quæſo, in iudicio poterunt prætendere ad ſui excuſationem, qui feſta violarunt? Num ignorantiam? At hæc locum non habet; quis enim non audit denuntiari feſta? quis ignorat illa? An infirmitatem? Atqui hanc potiùs prætendere poſſemus, ſi laborare iuberemur. Infirmitas ad otium trahit, non ad laborem. An paupertatem? At hæc vix audietur. Habemus enim Dei promiſſionem, quòd ſi quæſierimus imprimis regnum cœlorum, temporalia nobis adiicere velit. An lucrum temporale, quod nobis alioquin ceſſabat? ſed, *quid prodeſt homini ſi mundum vniuerſum lucretur: animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* ait Dominus *Matth. 16.* An ſufficiet dicere, quòd non ipſi ſed famuli tantùm eorum laborarint? At etiam Pilatus non propriis, ſed militum ſuorum manibus flagellauit Chriſtum, & tamen flagellauit.

Nemo igitur ſibi ſoli fidat, ſed interroget ſapientes & paſtorem ſuum, ſi licet Sabbato hoc facere? &c.

CONCIO III.

Dierum feſtiuorum profanatio reprehenditur.

1. *Reprehenduntur illi qui feriantur & dormiunt feſtiuis diebus: quibus proponunt animæ negotia his diebus peragenda.*
2. *Qui laborant ſeruiliter.*
3. 4. 5. *Qui choreis, compotationibus, ludis ac ſpectaculis vacant.*
6. *Qui nundinantur & lucra quærunt.*
7. *Qui luxum veſtium parant.*

THEMA.

Si licet Sabbato curare? Luc. 14.

Mira quæſtio, Auditores: *Si licet Sabbato curare?* Quis enim dubitabit licere die feſtiuo miſeris opem ferre, cùm hoc ſit opus bonum? Et tamen quærit Dominus, ipſa Dei ſapientia; *Si licet Sabbato curare?* Atque vt magis miremur, eandem quæſtionem alibi (*Luc. 6.*) his proponit verbis: *Si licet Sabbatis benè facere, an malè: animam ſaluam facere, an perdere?* Quis in hac propoſitione vnquam dubius fuit? Mira ergo eſt hæc quæſtio, ſed nequaquam inanis aut fruſtranea, etiam noſtro ſæculo. Quemadmodum enim Iudæi tam peruerſo fuerunt iudicio, vt illicitum clamarent ſanare ægrum in Sabbato; ita & noſtro ſæculo mundus tam peruerſus eſt, vt vix concedat probis, bene ac piè viuere feſtiuis in diebus; facilè autem concedat impiè ac perditè viuere. Vnum templum cultui diuino erexit Salomon in Ieruſalem: in contrarium duos lucos erexit mox Ieroboam, & in eis duos aureos vitulos, vnum in Bethel, alterum in Dan, ad auertendum à diuino cultu & templo Ieroſolymitano populum; factumque vt Hebræi abirent potiùs ad vitulos, etiam vſque Dan (qui erat terminus Iudææ) quàm ad templum Dei veri, *3 Reg. 12.* Simillimâ ratione erexit Chriſtus templum, & in eo cultum diuinum, feſtiuis perſoluendum diebus: in contrarium diabolus erigit non vnum ſed complures lucos vituloſque aureos, choreas, comeſſationes, luxum, aleas, pugilum ſpectacula, mercimonia, aliaſque vanitates & illecebras peccatorum; fitque vt his potiùs, quàm diuino cultui plerique omnes vacent. Dixit olim Deus Pharaoni per os Moyſis & Aaronis: *Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto.* Contrà Pharao ait populo: *Ite ad onera veſtra*; præcipitque operum Præfectis, vt in operibus luti & paleis conquirendis Hebræos occuparent. A

rore. Similiter mandat Deus per Prælatos & Concionatores: *Die Dominicâ nihil aliud agendum eſt, niſi Deo vacandum; nulla operatio die illâ peragatur, niſi in hymnis, pſalmis & canticis ſpiritualibus dies illa tranſigatur*; vt habetur *in c. ieiunia, de Conſecr. diſt.* 3. Diabolus contrà mandat per Præfectos ſuos: Feſtiuis diebus nil aliud agendum, quàm vt ſomno indulgeatur & ventri: alacriùs potetur & cœnetur: ludatur, ſaltetur, inſaniatur: *Ite ad onera veſtra*, ad lutum, ad ſpurcitias, ad vanitates. Proh quàm diuerſa imperia! quàm diuerſa ſabbata! Et iam miretur aliquis interrogaſſe Chriſtum: *Si licet Sabbato benefacere*? Plerique enim non Chriſto, ſed diabolo obſequuntur: plerique ad vitulos aureos non ſine multo labore potiùs contendunt, quàm ad templum Dei. Audiamus igitur reſponſa mundi.

B. I. Otiantur alij & dormiunt.

Primò dicunt aliqui: Otiandum & dormiendum eſt feſtiuis in diebus, ſaltem plus quàm in aliis; deambulandum quoque & expatiandum, curru, equo, pedibus. Sed erratis boni viri; non ad finem iſtum inſtitutæ ſunt feſtiuitates. Quietem quidem admittunt, ſeu ceſſationem à corporis laboribus; ſed non otium, quo tempus fruſtra teratur; nec ceſſationem ab animæ laboribus; quin potiùs eos requirunt, & propterea indulgent corpori quietem, vt animæ vacetur. Audite D. Gregorium Nazianzen. orat. 44. *Feriari*, inquit, *noſtrum non eſt aliud, quàm animæ aliquid eorum aggerere, quæ firma & ſtabilia ſunt*. Fluxa & peritura bona quærimus per hebdomadem: vera & ſolida bona quærenda ſunt in Dominica; ſex hebdomadæ diebus aggerere poſſumus corpori, quæ ipſi neceſſaria ſunt, ſeptimo die aggerendum animæ, quod ipſi neceſſarium. Huiuſmodi autem non eſt otium, quia vt ait Eccleſiaſticus cap. 33. *Multam malitiam docuit otioſitas*. Vultis ſcire negotia animæ diebus ſacris peragenda? Ea vobis exponit Doctor Angelicus opuſc. 7. cùm ait, fideles occupari debere primò in ſacrificiis; tum internis, vti ſunt deuotio, oratio, gratiarum actio, compunctio, actus fidei, ſpei & charitatis; tùm externis, quale eſt miſſæ, non priuatæ ſolùm (tametſi per hanc alioqui ſatisfit Eccleſiæ præcepto) ſed publicæ & cantatæ auditio, nec non ad altare oblatio. Sic enim & Hebræi in ſabbatis duplicabant iuge ſacrificium, *Num.* 18. Secundò. In lætitia ſpirituali, in qua in Domino gaudemus, recolentes eius beneficia. Tertiò. In carnis & concupiſcentiarum mortificatione. Hæ enim ſunt victimæ noſtræ, Deo mactandæ & offerendæ in ſolemnitatibus noſtris; quo exhibeamus corpora noſtra *hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem*, ad Rom. 12. Quartò. In actibus miſericordiæ, iuxta præceptum Apoſtoli ad Hebr. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur* (placatur) *Deus*. Et Iacobi 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt; viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum: & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*. Quintò. In legendo & audiendo verbo Dei. Sic enim & apud Iudæos *voces Prophetarum per omne ſabbatum leguntur*. Act. 13. Hæ ſunt occupationes animæ pro diebus feſtis; hæc ſunt ſacrificia, quæ requirit à nobis Deus. Verùm non permittit Pharao, vt in ſolitudine cordis, vel in templo Dei immolent Chriſtiani; luto eos occupat, ſomno, otio, pigritia; quibus quaſi tenaci luto retinet infixos. Et quemadmodum Pharao in fine laborum flagella pro mercede dedit operariis: ita etiam diabolus flagellat tandem eos, qui tam ſordido otio ſacros terunt dies. Scribit Rodericus Toletan. p. 4. hiſtor. Hiſpan. Ioannem Caſtellæ Regem victorioſum, cum Dominicâ die ante prandium equitationi vacaret, ab equo reſpitante deiectum & obtritum occubuiſſe. Gotſchalcus Holen Concionator religioſus *ſerm.* 50. *part. hyem.* refert, ſe audiiſſe à Patribus Peruſinis de homine indurato, qui Dominicis & feſtis diebus, cùm ad rem diuinam pulſus daretur, ſolebat conſcenſo equo ad campos expatiari. Sed tandem aliquando equitanti occurrit diabolus, qui ex equo eum deiecit, ac dixit: *Quia noluiſti miſſam audire in Dei templo, cum damnatis audies lamentationes in inferno*. Deiectus collum fregit, & veſtigia cruoris ſui lapidi, in quem ceciderat, impreſſa reliquit.

C. II. Alij laborant in ſeruilibus operibus.

Secundò. Dicunt alij: Laborandum eſt, ſacris etiam diebus, quo victum nobis paremus. Sed quid præcepit Deus? Audite Legiſlatorem, Exod. 20. *Non facies omne opus in Sabbato, tu & filius tuus & filia tua, ſeruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum & aduena, qui eſt intra portas tuas*. Nolo igitur, dicis: non ego, ſed ſeruus meus ligna cædit, terram colit, &c. quia *quod quis per alium facit, per ſeipſum facere videtur*, l. ita autem ff. de admitt. tut. Cùm Deus æquè ſerui tui Dominus ſit ac tuus, cur non ab eo quoque coli in Feſto debeat? Mandat Deus Exod. 16. *Videte, quòd Dominus dederit vobis Sabbatum, & propter hoc die ſextâ tribuit vobis cibos duplices*: (ne cogerentur exire die Sabbati ad colligendum manna) *Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo*. Sed opponit ſeſe Pharao: laborare iubet; exire ad cædenda ligna, ad mercaturam, ad inferendam meſſem, ad piſcandum & venandum; vel certè domi furtim & clanculùm operari. Sic *dicit Pharao: Non do vobis paleas; ite & colligite, ſicubi inuenire poteritis*, Exod. 5. vult Deus, vt *maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum*, hoc eſt, vt domi ſuæ manens à laboribus vacet, quò liberius Deo vacare poſſit. Contrà vult diabolus, vt laboret homo & ſeipſum diſtrahat ſeruilibus operibus, ne vacare queat bonis & liberalibus. Et en (mira res) inuenire eſt non paucos, qui potiùs operari diabolo, quàm vacare Deo velint. Sed quid mercedis tandem dabit dæmon his operariis? quod Pharao dedit Hebræis; verbera & flagella. Multis hoc oſtendi poteſt. Eucherius in vita S. Mauritij & ſociorum Martyrum ſcribit, quendam gentilem, quòd Dominicâ die domi laboraret, à Thebæis martyribus verberatum fuiſſe, eoque terrore

tore Chriſtianum effectum. Notgerus etiam in vitâ S. Remacli refert, ruſticum quendam, primo Rogationum die, cùm deberet diuino cultui vacare ex conſuetudine Eccleſiarum Galliæ, abiiſſe ad ſyluam, & ligna cecidiſſe in vſum domus ſuæ. Sed dum lignorum faſcem humeris domum aſportat, baculo innixus, tum; ecce, baculus adhæret manui, vt nullâ vi eripi queat. Concurrentibus vicinis fatetur ſuum peccatum; & baculus quidem truncatur ſupra & infra manum: capulus tamen manui hæret, donec ad aram S. Remacli reſeratâ manu liberatur. Regimbaldus Eccleſiæ Rhemenſis diuexator *dum quoddam Sabbato*, inquit Flodoardus lib. 1. hiſt. Rhem. cap. 20. *colonos ad opus quoddam peragendum congregatos haberet, præciperetque presbytero, ne ſigna veſpertinalia vſque prope noctem pulſaret, operiq́ue implendo iuſiſteret; accidit, vt percuteretur percuſſore inuiſo. Qui dum requireret, quis eum percuſſiſſet, omneſq́ue ſe vidiſſe negarent, furijs agitatus ſenſum amiſit, grauiterq́ue vexatus ſpiritum exhalauit.* Denique Thomas Cantipratenſis *l.* 2. *Apum.* c 49. nobili cuidam Germano, venationis gratiâ dies feſtos profananti ex vxore natam prolem canino capite & auribus dependulis ad inſtar canis venatici. Cauſam monſtri vxor venationi eius adſcripſit, rectè & prudenter: indeque vir emendatus mores ſuos correxit.

D. III. Alij choreas agunt.

TERTIÒ. Dicunt alij: Saltandum eſt iis diebus. Sed quid de hoc SS. Patres? S. Chryſoſt. ait; *Feſta in laſciuiâ traducere, eſt propitiationem in reatum vertere.* S. Auguſtinus lib. de decem chordis inquit: *Melius faceret Iudæus in agro ſuo aliquid vtile, quàm in theatro otioſus exiſteret, & meliùs fœmina eorum die Sabbati lanam nerent, quàm totâ in neomenijs ſuis impudicè ſaltarent.* Scimus Hebræis vetitum fuiſſe longiorem in Sabbato viam conficere. (Exod. 16.) videlicet non vltra ſexcentos, aut, vt alij volunt, quadringentos paſſus. At nónne qui choreas ducunt, longè plures faciunt paſſus & quidem periculoſos? nónne ſæpenumerò magis fatigantur & ſudant, quàm ſi totâ die laboraſſent manibus? Hebræis vetitum erat colligere Sabbato panem de cœlo lapſum: & non erit illicitum legere porcorum ſiliquas ab orco prodeuntes, feſtiuis in diebus? Scimus *Num.* 15. Iudæum, qui in Sabbato ligna comportarat, iuſſum à Deo lapidibus obrui: & nónne hoc idem faciunt, qui choreas ducunt? nónne ſibi conquirunt fomitem libidinis? Arma ſpiritualia paranda ſunt diebus ſacris è S. communione, verbo Dei, piâ lectione, &c. Sed non patitur hoc Pharao: paleas colligi iubet ad conficienda opera luti; vel ad ignem laſciuiæ fouendum. Sed & hunc laborem non alia expectat merces quàm flagellum dæmonis. *Puella quædam in Mechliniâ, Brabantiæ oppido*, inquit Thomas Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 37. *Vt ab eis qui præſentes fuere, cognoui, ſacro die Dominico cum iuuenibus diu choreas duxerat: fatigata ergo domum redijt, & dormitum pergens mox à dæmone obſidetur. Eâ clamante ſurgit familia, ligant vinculis ſæuientem. Manè in Hanſwich ad Oratorium glorioſæ Virginis extra oppidum deportatur*, vbi à puero duodenni ſigno crucis dæmon fugatur. Idem cap. 47. narrat tibicinem in Marchia, Flandriæ villa, feſto Dedicationis, cum cantu & ſaltu ad propria redeuntem, à fulmine extinctum. En mercedem Pharaonis.

E. IV. Alij vacant compotationibus.

QVARTÒ. Alij dicunt: Vacandum eſt conuiuiis & compotationibus, indulgendum ebrietati. Feſtiui enim dies cum hilaritate celebrandi ſunt. Sed videtur hac in re audiendus potiùs D. Hieronymus, qui *in epiſt. ad Euſtochium* ſcribit: *Nobis ſolicitiùs prouidendum eſt, vt ſolemnem diem non tam ciborum abundantiâ, quàm ſpiritus exultatione celebremus: quia valde abſurdum eſt nimiâ ſaturitate velle honorare martyrem, quem ſcias Deo placuiſſe ieiunijs.* Gaudium ergo ſpiritus, non carnis eſſe debet celebritas feſtiua. Carni vbi nimis indultum fuerit, opprimetur ſpiritus, & deſinet eius gaudium. Sed nimirum ita iubet tartareus ille Pharao, luto intemperantiæ inquinat manus hominum, ne ſacrificare Deo poſſint, & lætitiam ſpiritus conuertit in lætitiam carnis. Hinc benè *Malach.* 2. tam impuræ ſolemnitates *ſtercus*, ſeu, (vt habent 70.) *ventriculus* appellantur. *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus (ventriculum) ſolemnitatum veſtrarum.* Vt enim ventriculus optimos ac delicatiſſimos cibos deſtruit atque in ſtercus conuertit: mundus feſtiuitates ſacras perdit, atque in porcorum ferias, ſordes & ſpurcitias mutat. Erat huiuſmodi ſolemnitas, illa Hebræorum, vituli adoratorum. Conflato enim vitulo clamauit Aarô ad populum: *Cras ſolemnitas Domini eſt.* Et quomodo celebrata eſt? *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*, ſaltando, cantando, choros agendo, Exod. 32. Hæc nimirum ſolemnitas vitulantium hominum, erat. Proclamamus & nos Sacerdotes ferias è cancellis; & quæ ratio obſeruandi? Bibitur comeditur, canitur, luditur, clamatur, vomitur: ingeritur, digeritur, egeritur; quin & litigatur, maledicitur, blaſphematur. Antiſthenes Philoſophus rogatus: *Quid eſt feſtum? Gulæ irritamentum*, inquit, *& luxuriæ occaſio.* Maxim. ſer. 27. Idem reſpondere cogerer, ſi de Feſtis noſtris interrogarer.

F. V. Alij ludis & ſpectaculis vacant.

QVINTÒ. Alij dicunt: Adeunda ſphæriſteria: pilâ, chartis, aleis animus recreandus, ſpectanda pugillum certamina, theatra frequentanda, ſpectacula viſenda, vel certè de feneſtrâ domi homines ſpectandi & quæ foris fiunt. Videmus enim pleroſque ad profanas has recreationes ſtatim ſe effundere, quamprimùm res diuina finiit in templo. Non damnatur quidem honeſta & moderata animi relaxatio in diebus ſacris: ſed ſi totus pæne dies recreationi externæ detur, præſertim cum periculo peccati & neglectu rei diuinæ, hoc reprehendendum eſt. Spica intùs granum, foris ariſtam habet; quæ continet, & tuetur granum: ita feſti dies gaudium habent interius, grani inſtar ſolidum ac ſpirituale; habent & externam oblectationem veluti ariſtas. Sed quid

agit

agit mundus? feſtorum ſolemnitatem in externa iucunditate conſtituit, cùm deberet conſtituere in internâ. Illa acceſſoria & quaſi ſubſidiaria, hæc principalis eſt: hæc nucleus, illa cortex eſt; mundus corticem arripit, nucleum verò negligit: totum penè diem corporis oblectationi dicat, ſpiritus oblectationi vix vnam alteramve horam. Medium aliqui diem conſumunt ad feneſtram ſpectando, quæ geruntur foris: in ſuam conſcientiam vitæque ſuæ rationem vix ſemel oculos coniiciunt. Et quid ait S. Ioannes epiſt. 2. *Videte voſmetipſos*, inquit, *ne perdatis, quæ operati eſtis.* Voſmetipſos, inquit, videte, non alios: quæ intra vos, non quæ extra. Sedent alij totum diem ad theatrales ludos, quodque grauius eſt, impuros, vel etiam humano ſanguine cruentos, cuiuſmodi ſpectacula, ſacris præſertim diebus prohibuêre plures Imperatores, vti Leo imperator anno Domini 469. Theodoſius iunior & alij. In Concilio Carthaginenſ. cap. 84. excommunicantur, qui ſolemni Eccleſiæ conuentu prætermiſſo vadunt ad ſpectacula.

G. VI. Alij nundinantur & lucra quærunt.

SEXTÒ. Alij dicunt: Lucrum parandum eſt ſolemnibus in diebus, quibus paſſim nundinæ celebrantur, fitque hominum concurſus. Ibi aleis & conis pecuniæ lucrandæ. Hinc à finito ſacro mox aperiuntur mercatorũ officinæ, eriguntur menſæ luſoriæ, vbi omnis generis fraudes & iniuſtitiæ committuntur. Conqueritur hac de re grauiter S. Baſil. in Hexam. homil. 8. *Si vos dimiſero*, inquit, *& concilium hoc diſſoluero, ſunt qui protinùs ad teſſeras aliaſq; ſe conferent. Iuramenta fiunt illic contentioneſq; pergraues ac auaritiæ partus. Spiritus malignus aſſiſtit, furorem punctis oſſibus illis ludentium inſaniamq; accendens.* Cuius rei exemplum ſcribit Thomas Cantipratenſis lib. 2. Apum cap. 49. *Fuit in quadam villa Campaniæ*, inquit, *vbi Iudæus cum Chriſtiano ſacrâ nocte pareſceues in teſſerarum ludo conſedit. Cumq; Iudæus multam pecuniam perderet, & ex hoc impatientiùs turbaretur tandem in Chriſtum retorquens iniuriam, blaſphemauit. Et mox cùm ad iactandum baſardum teſſeras collegiſſet, manus eius cum teſſeris fit contracta. Qui reprobo furore ſuccenſus, cùm ipsâ manu contractâ menſam luſoriam percutere niteretur, iteratò in Chriſtum, & matrem eius blaſphemiam turpiſſimam euomens, ſtatim euerſis terribiliter oculis cecidit & expirauit. Chriſtianus verò colluſor illius pauore nimio in amentiam verſus elanguit, & vitam miſeram dirâ morte finiuit.* Parum rectè etiam colunt feſtos dies, qui mercimoniis alioqui licitis intendunt, præſertim cum iacturâ rei diuinæ, vel contra loci conſuetudinem. Accuſat hos vel ipſum mare iuxta id Iſa. 23. *Erubeſce Sidon, ait mare*, hoc eſt, inquit D. Ambroſ. de Elia & ieiunio cap. 19. *Meos fluctus negotiator arguis, cùm ſis ipſe inquietior, & erubeſce velut pudore, quoniam periculo non moueris. Verecundiores venti ſunt, quàm veſtra cupiditates: illi habent otia ſua: numquid veſtra quærendi ſtudia feriantur? Et cùm otioſa tempeſtas eſt, nuſquam otioſa ſunt veſtra nauigia.* Ferias ergo ſuas habet, & obſeruat mare, negotiatores nullas habent. Deinde iſti Dies Deo dicatos trahunt ad ſuum commodum; ſibi carnem præripiunt, Deo oſſa dant, dum per vnam horam in templo, toto reliquo tempore in ſua officina ſunt. Qui amicum ſuum vult ad prandium adhibere, debet epulas apparare ad amici guſtum, non ad proprium. Qui verò in diebus Deo dicatis ſuum lucrum quærit, ad ſuum guſtum attendit, non ad Dei guſtum, qui pia opera deſiderat. Hinc eſt, quod per Iſaiam dicat, ſe nauſeam concipere è talibus noſtris feſtis: *Calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea, facta ſunt mihi moleſta* (ſeptuaginta vertunt; *in ſatietatem*,) Iſa. 1. vbi & hoc notandum, quod non ait: ſolemnitates meas, ſed *ſolemnitates veſtras*; quia homines ſeruiendo commodis ſuis, eas faciunt ſuas, ſuo guſtui applicant, nauſeam Deo creant.

H. VII. Alij luxu veſtium parant.

SEPTIMÒ. Alij dicunt. Corpus adornandum, feſtiuo cultu incedendum. Poteſt hoc tolerari ſi intra limites modeſtiæ fiat. Sed in hoc quoque excedunt multi, fœminæ præſertim; quaſi in externo cultu Deo placendum ſit. *Omnis gloria filiæ regis* (Dei) *ab intus*, ait Dauid. Cultus ille inſolentior, abominatio eſt coram Deo. Audiamus D. Gregor. Nazianzen. orat. 4. in Iulianum: *Feſta*, inquit, *celebremus non corporis nitore, non veſtitus mutatione ac magnificentia non comeſſationibus & ebrietatibus, quorum fructum cubilia & impudicitias eſſe didiciſtis*, &c. *ſed animi puritate & mentis hilaritate, & lucernis totum Eccleſiæ corpus illuſtrantibus, hoc eſt, diuinis contemplationibus & cogitationibus, quæ ſuper ſanctum candelabrum excitentur*, &c. Hebræis inter alia prohibitum erat in Sabbato excitare ignem & coquere: at qui luxu nimio corpus ſuum ornant, vt placeant hominibus, nónne in illorum animis libidinis ignem accendunt, vel ſaltem accendere poſſunt? Par ratio eſt de choreis, comeſſationibus, colloquiis & conuentibus impudicis. Iiſdem Hebræis præcepit Iere. cap. 19. *Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die ſabbati*, i. e. quàm chara eſt vobis anima veſtra, tam ſeduló cauere ne portetis onera in ſabbatis. Quale autem pondus, ornare & onerare ſe holoſerico, auro & argento in auribus & armillis; monilibus & gemmis, torquibus & annulis ad ſpectaculum vſque? Quale illud, conſtringere ſe veſtibus, vt gracile appareat corpus? His ſi addamus choreas, ebrietates, aleas, aliaque plurimorum exercitia, nónne fatendum erit geſtari ab eis pondera? Atque hinc eſt, quod idem propheta lamentatur in ſuis Threnis cap. 1. derideri à Dæmonibus ſabbata & feſta noſtra. *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius.* Ad litteram quidem de Ieroſolymâ loquitur, myſticè tamen ad nos reſpicit. Rident enim hæretici, Turcæ, Iudæi, feſta Chriſtianorum, dum ipſi tot vanitatibus, ſpurcitiis & impudicitiis tam peruersè ea celebrant. Rident etiam Dæmones, & multò quidem maximè. Quomodo enim non rideant, cùm vident ſabbata noſtra deſtinata eſſe quieti noſtræ, & interim à nobis

bis tot laboribus occupari? Quomodo non rideant, cùm eos dies vident ſuo dari cultui, qui diuino cultui dicati ſunt? Nonne ridebit inimicus tuus, ſi viderit te ſegetes tuas inferre in ipſius horreum? Feſtorum dierum cultus, meſſis tua eſt, imò & Dei meſſis eſt: hanc tu tibi & Deo auſers, & Diabolo tranſcribis. Quomodo non rideant Dæmones, cùm vident homines feſtis diebus, quibus ſe ab ipſorum laqueis liberare deberent, magis ſe implicare & nouis laqueis induere? Audiamus D. Gregorium libr. 5. moral. cap. 22. *Hoſtes*, inquit, *ſabbata videntes irrident, cùm maligni ſpiritus ipſa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt, vt vnaquaque reproba anima, quò remotior ab externis actionibus ſeruire Deo creditur, eò magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur.* Denique quomodo non rideant, dum vident nos per totam hebdomadem laborare aliis; nobis ipſis verò nec per vnum quidem diem? Bonus ille Iacob cùm per annos quatuordecim ſeruiiſſet ſocero ſuo Laban, tandem ſuis etiam rebus aliquando prouiſurus, veniam diſcedendi petiit: *Tu noſti*, inquit, *quomodo ſeruierim tibi, &c. iuſtum eſt igitur vt aliquando prouideam domui meæ*, Geneſ. 30. Efficax argumentum, cui nec Ethnicus Laban potuit contradicere. Dic igitur & tu Chriſtiane, qui per totam ferè hebdomadem, mundo, mammonæ, abdomini ſeruis, dic, in die feſto: ſatis aliis ſeruiui; iuſtum eſt igitur vt aliquando prouideam domui meæ. His diebus tempori ſeruiui, nunc ſeruiam æternitati.

CONCIO IV.

Auaritiæ hydropiſis vitanda.

Comparatur auarus hydropico non ille.

1. *Sectatur res viles, vti hic quemuis obuium potum.*
2. *Cruciatur ſuis opibus, vt hydropicus aquâ intercute.*
3. 4. *Sicuti auarus operſita hic potum quærit inſatiabiliter.*
5. *Hydropicus deformis eſt & fœtidus, auarus ſordidus, ſeruus, & cuſtos diuitiarum, mendicus & brutum eſt.*
6. *Sicuti ille quò plus bibit magis ſibi mortem accelerat; ita hic plerumque Dei iram experitur, quod probatur exemplis.*
7. *Vti ille aquâ turgidus quaſi in ſepulchro degit: ita hic tumore opum inflatus indoneus fit ad ingreſſum cœli.*

THEMA.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Luc. 14.

QVale genus hominum deſignet hic hydropicus, vel Diogenes ille gentilis edicere nobis poteſt. Aiebat enim hic auaros ſimiles eſſe hydropicis; quòd illi argento pleni, hi autem referti aquâ, amplius deſiderent, quodque dolendum eſt, vtrique in magnam ſui perniciem: apud Stob. ſerm. 10. Cui optimè concordat D. Auguſtinus ſerm. 5. de verb. Domini: *& habes*, inquit, *& concupiſcis & plenus es, & ſitis: morbus eſt, non opulentia. Sunt homines in morbo, humore pleni ſunt & ſemper ſitiunt: humore pleni ſunt & humorem ſitiunt. Quomodo ergo delectas opulentiam, qui habes hydropem concupiſcentiam?* Concordat & D. Gregor. l. 14. mor. c. 6. *Hydropicus*, inquit, *quò amplius biberit, amplius ſitit; & omnis auarus ex potu ſitim multiplicat, quia cùm ea, quæ appetit ad appetenda alia amplius & amplius anhelat.* Quando igitur habemus, quinam ſint hydropici ſecundum animam, videamus accuratiùs morbi huius naturam & periculum. A.

PRIMÒ. Hydropicus aquam & quemuis obuium potum ſitit ac bibit: ita etiam auarus res ſectatur viles, terræ nimirum glebas rutilantiores, aurum & argentum. Vtrumque gignitur in terræ viſceribus ibique latet velut indignum humanis oculis. Nullam in ſe vim habet nutriendi corpus, nullam calefaciendi, neque, niſi per accidens, eximendi ab ægritudinibus. Ad externos ſenſus, nihil planè confert, vnde præteritur à pecoribus veluti inutile. Citò grauat latorem & poſſeſſorem ſuum, quandoque etiam mergit nec ſinit enatare. Solo hominum arbitrio factum eſt, vt pretio ſit æſtimabile. Vnde D. Bernard. ſerm. 4. in Aduentu ait: *Aurum & argentum nónne terra eſt rubra & alba, quam ſolus hominum error facit (aut magis reputat) pretioſam?* Et Thomas Morus libro 2. Vtopiæ: *Aurum argentumq́*, inquit, *quis non videt, quàm longè infra ferrum ſunt? vt ſine quo non magis quàm abſque igni atque aquâ viuere mortales queant, cùm interim auro argentoq́ nullum vſum, quo non facilè careamus, natura tribuerit, niſi hominum ſtultitia pretium raritati feciſſet.* Quare ſicut terram pedibus calcamus, non manibus contingimus: ita aurum & argentum, quia terræ partus ſunt, calcanda & ſpernenda ſunt. Paruuli dumtaxat repere in terrâ manibus ſolent, quemadmodum & beſtiæ; paruulos ergo ſe demonſtrant & inſipientes, qui glebas illas amant. Hinc ſicut infantes, qui rebus vilibus, vti puppis & nolis delectantur, inuoluuntur faſciis: ita diuites, qui vili terrâ rubrâ & albâ, auro ſcilicet & argento delectantur eoque ſe inuoluunt quaſi, idcirco à Sophonia cap. 1. appellantur *inuoluti argento. Diſperierunt omnes inuoluti argento.* Huiuſmodi fuit C. Caligula Imperator pecuniæ auidiſſimus,

B. I. Sectatur auarus res viles.

diſſimus, quem inter immenſos auri theſauros volutari ſolitum ſcribit Suetonius in eius vitâ cap. 43. Ridemus infantes, quando puppas & imagines fictas veluti viuas tractant atque ornant; ſtultos quoque aſſerimus gentiles, qui aureas vel argenteas ſtatuas pro Diis ſuis colunt; at quid aliud agunt auari, cùm auri & argenti maſſas omnibus aliis rebus præferunt? Hinc non immeritò Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. auaritiam appellat *Idolorum ſeruitutem.* Idola apud Hebræos *Elilim* vocantur, id eſt, vanitates & res nihili, quæ vanam & mendacem vmbram diuinitatis præ ſe ferunt, vti Leuit. 19. *Nolite conuerti ad Idola.* Hebr. *Elilim*, q. d. *Deiculos.* Hoc igitur auari ſibi dictum exiſtiment, ſciantque ſe ſtultiſſimos, Deiculorum pupparum & nugarum adoratores eſſe. Audiant Chryſoſtomum in 1. Timoth. 6. *Candore*, inquit, *lucentis margaritæ attraheris? cogita maris eſſe aquam & in eius finibus antè iacuiſſe deiectam. Rapit animam auri fulgor & nitor argenti? cogita terram ac cinerem ea priùs fuiſſe & modò eſſe. Placet pretioſa & ſerica veſtis? At vermium ille contextus eſt: opinio eſt & humana præſumptio: nihil habet in ſe naturalis pulchritudinis.* Sanè populi Orientales, qui abundant auro & gemmis valdè mirantur nos tam eorum cupidos eſſe, cùm ex ſua natura ad nihil ferè vtilia ſint. Nec defuerunt aliqui, qui repertum aurum defoderent, vti Babytaceni apud Solinum Polyhiſt. capite 30. ne polluti eius vſu, auaritiâ corrumperent æquitatem.

C. II. Fruſtra opes poſſidet. Secvndò. Hydropicus fruſtrà bibit quia potum malè digerit, nec in ſanguinem purum, ſed in corruptum, & aqueum humorem mutat. Pari modo auarus fruſtra conquirit & poſſidet pecunias, quia non impendit vtiliter: corrumpit ferè opes ſuas, dum perire eas mauult, quàm cedere in vſum egentium. Sic enim Eccleſiaſtes capite 6. de auaro, qui non fruitur bonis ſuis, ait: *De hoc ego pronuntio, quòd melior illo ſit abortiuus; fruſtra enim venit & pergit ad tenebras, obliuione delebitur nomen eius. Non vidit ſolem*, &c. Similis quidem abortiuo eſt auarus, quia vterque fruſtrà & nulli hominum vſui naſcitur, cùm neuter finem natiuitatis acquirat: vterque fruſtra in hoc mundi theatrum venit: quia abortiuus ſtatim moritur, auarus ſic viuit, quaſi non viuat, vtpote nec ſibi vtilis nec aliis: vterque pergit ad tenebras & deletur obliuione: quia abortiuus nihil omnino, auarus nihil memorabile aut memoriâ dignum geſſit, vt qui nec reipublicæ, nec patriæ, nec ſibi, nec aliis boni aliquid præſtitit: vterque non vidis ſolem, quia abortiuus ſi aliquando ſolem vidit, fortè ad diem vidit & neſciit quid videret; auarus cum mœſtitiâ ſemper aſpexit ſolem, adeoque nullam lucis huius percepit iucunditatem. Hinc forſan à natura comparatum eſt, vt terra quæ auri & argenti venas habet, aliis in rebus ſterilis & inculta ſit; quia etiam auari, qui domi ſuæ aurum abſcondunt, ſemperque in animo gerunt, generant & multiplicant, ſteriles in mundo ſunt nullumque liberalitatis, eleemoſynæ, magnificentiæ; charitatis & honeſtatis fructum edunt.

D. III. Cruciatur ſuis opibus. Tertiò. Hydropicus cruciatur aquâ intercute. Auarus quoque cruciatur à ſuâ cupiditate & pecuniâ. Alioquin Eccleſiaſtes non appellaſſet eam *infirmitatem*; ait enim capite 5. *Eſt & alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole; diuitiæ conſeruatæ in malum Domini ſui, pereunt enim in afflictione peſſimâ*, &c. Cauſam reddit Plutarchus initio libr. de cupiditate diuitiarum; *Siquis enim multa edens multaq; bibens numquam ſaturaretur, nõnnè putas eum ad Medicum iturum & interrogaturum: Quis hic morbus? ſi quis autem multis prædijs, multo argento non expleretur, eum non putabis Medico indigere?* Sanè Achab Rex cùm petiiſſet vineam Naboth, & non obtinuiſſet, *proijciens ſe in lectulum ſuum, auertit faciem ſuam ad parietem & non comedit panem*, 3. Reg. 21. quaſi æger non animo ſolùm ſed & corpore eſſet. Fuit autem ægritudo illa, mera auaritia ſeu mœror inde reſultans, quòd non poſſet frui deſideratâ vineâ. Neque verò in vno dumtaxat membro auari cruciantur, ſed in toto ferè corpore. Laborant Primò, ex capite, quoniam id curis & innumeris cogitationibus fatigant, vulnerant & cruciant: quomodo opes acquirant, augeant, conſeruent, expendant. Hinc diues quidem anxius ſecum ipſe conſultat: 1. *Quid faciam? quia non habeo quo congregem fructus meos*, Luc. 12. De Principe quodam accepiſſe ſe ſcribit Balthaſar Chauaſſius S. I. *in libr. 4. de Prud. cap* 3. quòd cùm improbis ſubditis ſuis magnam & longam creare vellet moleſtiam, diuites eos faceret, quippe accepturos cum diuitiis ingentem curarum ſarcinam. Hanc ob cauſam Chriſtus diuitias appellauit ſpinas. *Matth.* 13. Hebræi verò auaritiam appellant *vulnus*; idque capiti potiſſimum infligi aſſerit Amos *cap.* 9. cùm ait: *Auaritia in capite omnium*: quia curis, & anxietatibus caput maximè contundit. Secundò. Laborant ex oculis, quia pauperum miſerias videre & aſpicere nolunt, ſed cum Sacerdote & Leuita illo præ- 2. tereunt vulneratum, quin & à viâ declinant (vt habet ibi vox Hebræa) ne miſeriam eius aſpicere & ſuccurrere cogantur. Ad hæc *oculos habet* (auarus) inquit S. Iſidorus Peluſiota, diſcipulus S. Chryſoſtomi epiſt. 233. *non vt naturæ conſentaneum eſt, cernentes, aut quemquam verentes, non amicum, non fratrem, non cognatum, non benefactorem: verùm aſperum quiddam & acre atque crudele & inhumanum igneumq; obtuentes.* Tertiò. Ex auribus. *Aures vſque adeo ſeptas*, inquit ibid. Iſidorus, *& obturatas habet, vt* 3. *nec ſupplices preces, nec gemitus, nec fletus; nec vituperationes audiat.* Et D. Ambroſ. l. de Naboth c. 5. *Pauper*, inquit, *te præſente deplorat, & tibi auaritia aurem obſtruit: nec mens tua facti miſerabilis horrore mollitur, & quia non audis, exclamat Eccleſiaſtes. Eſt clamor malus*, &c. Quartò, laborãt 4. ex faucibus: quia proprio ori deteriora quæque apponunt, meliora verò præſcindunt. *Vti Chius ille vina optima vẽdebat alijs, ipſe vappã potabat:*

pientum vnus de auaro dixit. *Hic facultates ſuas non poßidet, ſed ipſum poßident facultates.* Laërt.l.4. c.7. Diogenes de Anaximene auaro dixit: *An non pudet eum tam multa habere, cum non habeat ſeipſum?*

2. Cuſtos eſt. Deinde cuſtos potius eſt quàm Dominus, ſuarum diuitiarum. Ita teſtatur Iob c. 27. *Ædificauit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit vmbraculum.* Tinea in veſte, dum corrodit eam, domum ſibi extruit: interim tamen eandem ſibi demolitur: ita auarus cum aliorum iniuriâ domum ſuam ædificat: ſed in ſuum exitium. Vt enim tinea è veſte facilè excutitur: ita auarus è ſuis opibus. Cuſtos in vinea erigit ſibi vmbraculum, vt cuſtodiat non ſuas, ſed alienas vites, ipſe enim vix delibat uvas: tota vindemia alteri cedit. Ita quoque auarus ſummâ curâ, vigilantiâ, anxietate cuſtodit theſaurum ſuum, ſed aliis non ſibi; ſiquidem vix audet eum delibare. Habebit poſteà hæredem, qui totum breui abligurriet. Audite ſapientem. *Eſt & aliud malum, quod vidi ſub ſole: & quidem frequens inter homines. Vir cui dedit Deus diuitias & ſubſtantiam, & honorem & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus, quæ deſiderat: nec tribuit ei poteſtatem Deus vt comedat ex eo, ſed extraneus vorabit illud.* Eccl. 6. *Cuſtos ergo es*, inquit D. Ambr.l. de Naboth. c.14. *non Dominus tuarum facultatum, qui aurum terra infodis: miniſter vtique eius, non arbiter.*

3. Mendicus eſt. Tertiò, mendicus eſt; quia vt ait S. Hieron. *Auaro tam ea quæ habet, quàm quæ non habet, deſunt.* Cui conſentit D. Bern. dicens: *Auarus terrena eſurit vt mendicus: fidelis contemnit vt Dominus.* Videamus Achab regem; quid illi deeſſe poterat ad terrenas commoditates? Vnica vinea pauperis Naboth, vicinâ eius regiæ, mendicū eum fecit. Cùm enim eius deſiderio teneretur, mendicare cœpit à Naboth: *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum.* Sed cùm non obtineret, decidit in lectulum quaſi omnium mortalium deſolatiſſimus foret. Nihil enim ſe habere putabat, ſi hanc vineam non haberet. Ergo eam mendicare cogitur, pretio etiam oblato: *Da mihi vineā tuam. Quæ alia vox egentis eſt*, inquit Ambr.l.cit. c.2. *quæ alia vox ſtipem publicè poſtulantis, niſi, Da mihi; hoc eſt; da mihi, quia egeo, &c. da mihi, quia ſcriptū eſt; Date eleemoſynā.* Bene ergo Diogenes eos, qui immenſas opes cumularent, ſolebat appellare μεγαλοπτώχους, id eſt, *magnificos mendicos.*

4. Brutū eſt. Quartò, brutum eſt, non homo, quia terram, non cœlum ſpectat. Omnia animantia, quæ manus habent, terram iis contingunt, quia ad terram creata ſunt: ſolus homo manus à terrâ eleuatas gerit, quia ad cœlum factus eſt; ideóque terram non terit manibus, ſed calcat pedibus. Atqui auari manus totæ ſunt in terra, auro ſcilicet & argento, quemadmodum & vultus atq; cogitatio eius ſemper terram ſpectat. Hinc è terrâ diuitias eruit & rurſum ſæpe in terra recondit, in puteos & ſcrobes, quemadmodum Achan ille Ioſ 7. quodq; peius eſt, animā & cor ſuum defodit cum auro; *Vbi eſt enim theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, Matth.6. Vnus tantùm Lacedæmone fuit, qui noctuas (pecunias noctuę imagine conſignatas) ſub tecto occultaſſe accuſatus eſt: cæteri Euclíones ferè omnes & ſordidi theſauriſtæ, Plutoni conditi ſunt: nec tecta ſe ſuaque attollunt, ſed in foſſas deiiciunt. Nimirum quia è terra effodiuntur opes, ideo patriam ſuam repetunt.

Sextò. Hydropicus quò plus bibit, eò magis ſibi mortem accelerat. Idem ſi non ſemper, communiter tamen contingit iis, qui nullos auaritiæ terminos ponūt. Audiamus exempla aliquot. Diximus ſuprà C. Caligulā Imp. ſuprà aurum volutari ſolitum. Et quādiu in his diuitiis Imperator vixit? nō plus quam triennio & decem menſibus, interfectus à coniuratis anno ætatis 29. Baron an. D. 43. Sabinianus PP. ſucceſſor Gregorij M. cum prædeceſſoris ſui liberalitate derogaſſet, nec dira vrgente fame triticum (quod ſolebat Gregorius) erogaſſet in pauperes: ſed vænum expoſuiſſet triginta ſolidis modium vnum; ab eodem Gregorio ter per viſum admonitus, tandem in capite percuſſus obiit præmaturâ morte, cùm non ampliùs quā menſes quinque, dies nouemdecim ſediſſet. Sigebertus in Chron. & Anaſtaſius apud Baron. an.605. Imp. & Pontifici Epiſcopum ſubiiciamus. An. D. 1066 Regintherus Miſnenſis in Saxonia Epiſcopus, homo auariſſimus, dū poſt refectionem in cubiculum, vbi theſauros ſuos infoderat, quaſi paululum quieturus receſſiſſet, iamque die vergente in veſperam pulſantibus ad moram inſolitam cubiculariis minimè reſponderet: tandē effractis foribus inuentus eſt ruptis ceruicibus colore tetro exanimis, ipſis theſauris ſuis miſerabilem in modum incubās. Refert Lambertus Schafnaburg apud Baron. Deſcendamus hinc ad plebem. In loco, qui à Gallis *Rocca amatoris* appellatur, Monachi Eccleſiæ S. Mariæ & S. Amatoris mutuo acceperunt pecuniam à prædiuite quodam homine ſub pignore cortinarum Eccleſiæ: & adueniente Feſto B. Virginis rogarunt eum vt cortinas tantùm ad ornandam eo die Eccleſiam accommodaret, ſtatim poſt ſolemnitatem ei reſtituendas. Ille verò reſpondit cum tumore animi, eas eſſe circa lectum vxoris ſuæ puerperæ, nec poſſe inde amoueri; ſicque Eccleſia eo die ornatum ſuum non habuit. Nocte inſequenti apparuit Dei genitrix vxori illius, ſignificauitque virū eius grande peccatum commiſiſſe; quare in eius pœnam puerum tertio die moriturum, deinde patrem octauo die hanc temporalem vitam ac fœlicitatē cum morte & gehennâ commutaturum: ipſam verò ſingulis feriis quartis mente & ſenſibus defecturam ac velut mortuam vſque ad diem ſabbati permanſuram. Contigêre omnia ex ordine; & tamen vir etiam filij morte nihil emendatus in ſua perſtitit duritia, dieque octauo extinctus eſt. Mulier Romam venit, ipſique ſummo Pontifici omnia narrauit ac de geſtorum fide examinata ac probata eſt, Baron. an. 1180.

G. VI. Cùm inſatiabilis ſit Dei irā experitur.

H. VII. Tumore diuitiarū inflatus inidoneus fit ad ingreſſum cœli.

Septimò. Hydropicus aquâ turgidus, quaſi in ſepulchro degit. Nihilo ſeciùs auarus, qui tumore diuitiarum inflatus inidoneus fit ad ingreſſum cœli, cuius ianua perangusta eſt. *Liberalis & benignus*, inquit Hector pintus in

cap.

cap. 3. Dan. *Ergo pauperes domum ſibi præparat in cœlo & in hac vita amplificatur: & diues auarus hic eget & poſteà in inferis ſepelitur. Vt enim vermiculus ſericus gignit ex ſe fila quædam, ex quibus conficit folliculum, in quo reconditus moritur, ita diues cupiditate & auaritiâ ductus ex ſuis opibus ſepulchrum ſibi in inferno conſtruit & parat. Et impletur id quod eſt apud Lucam cap. 16. Mortuus eſt autem diues & ſepultus eſt in inferno.* Hæc ille. Supereſt vt hoc exemplis illuſtremus. Plutarchus in paralelis narrat Breunum Gallorum Regem rogaſſe ſuos milites, vt in ſinum auariſſimæ virginis, quæ à Breuno quidem amabatur, non tamen ita Regem viciſſim vti aurum adamabat, aurum quod geſtabant, immitterent: quo factum eſt vt magnâ vi auri obrueretur ac viuens ſepeliretur. Itaque aurum huic puellæ, quod ſtultè adamabat, ceſſit in ſepulchrum. Caliphas Babylonis Rex turrim habebat refertam auro, argento & variis lapidibus pretioſis; tandem obſidione cinctus contempſit auocare milites, quò parceret theſauro ſuo. Itaque expugnatâ vrbe captus & vinculis conſtrictus in illam ipſam turrim, omni deſtitutus cibo, incluſus eſt, eâ inſuper voce obiurgatus: *I nunc & famem depelle theſauris iſtis, quos tam auidè ſitiſti.* Ita miſer fame enectus inter auri aceruos cubans, & miſerè extinctus, ſepulchrum aureum habuit. Refert Haittonus Armenus *in hiſt. Tartarica cap.* 26. anno Domini 1258. D. Gregorius Turonenſis *de gloria Martyr. c.* 106. narrat ex ſepulchro cuiuſdam fœminæ auaræ audita lamenta & vocem dicentem ſe in igne aureo torqueri, eoque patefacto Parochum vidiſſe aurum liquefactum cum ſulphure in os defunctæ infundi. Habuit igitur & hæc mulier aureum ſepulchrum, ſed igne inflammatum. In auro hi peccauerunt, in auro puniti ſunt. Sic Tomyris Scytharum Regina cæſo Perſarum Rege Cyro aurum in os infudit dicens: *Aurum ſitiſti, aurum bibe.* Timeo ne hoc idem dæmones auaris facturi & ducturi ſint apud inferos. Ita enim vaticinatur eis S. Iacobus cap. 5. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſerijs veſtris, quæ aduenient vobis.* Quænam verò illæ? *Aurum & argentum veſtrum æruginauit* (q. d. repoſitum à vobis eſt quaſi idolum quoddam nullo prorſus fructu) *& ærugo eorum in teſtimonium vobis erit & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus.* Iuſtè & congruenter ignis auaritiæ punitur igne gehennæ; *auaritia* enim, inquit D. Baſilius ho. 15. de auaritiâ, *malum eſt quod ſtare neſcit aut quieſcere, ſed ignis naturæ ſimile.* Eccur? *Ignis nunquam dicit ſufficit*: itidem & auarus. Rurſum cor auari tam tenaciter adhæret auro & argento, vt niſi igne tartareo ſeparari nequeat. Mercurius ſeu argentum viuum, vti ſcribit Plin. lib. 33. cap. 6. naturali propenſione argento copulari amat & multò magis auro, quod miro affectu quærit tenditque ad illud; vbicunque id eſſe aduertit. Quod ſi terræ ſit commiſtum alteriue metallo, id ab eo ſeparat ac depellit; aurum verò ita fortiter apprehendit vt non niſi vehementiâ ignis ſeparari ab eo queat; ignis autem dum reſoluit Mercurium in fumū, cogit relinquere prædam. Hunc in modum auaritia (quæ radix eſt omnium malorum ſicut Mercurius eſt venenum omnium rerum, Plinio teſte) impellit homines vt aurum & diuitias ſummâ auiditate quærant & ipſis ex viſceribus terræ eruant; legitimos etiam poſſeſſores non rarò ab eis depellant: denique tam fortiter aurum argentumque amplectantur vt non ſit poteſtas in terra, quæ ſeparare eos poſſit: mille potiùs dolos excogitent etiam cum iniuriâ pauperum. Quare huic tam præfracto Mercurio ignem Deus accendit & tartareum quidem, quo ab auro depellatur: ille *manducabit carnes* eius: ille eum diſſoluet, & quaſi in fumum reſoluet. Atque hic eſt theſaurus iræ, quem ſibi theſaurizant auari.

Quando igitur vidiſtis, Auditores, qualis & quàm grauis morbus ſit auaritia, ſupereſt vt quiſque examinet ſeipſum, num fortè hoc laboret. Ac ſi quidem in ſe deprehendat quis hunc morbum, huic ego quidem conſulo vt cum hydropico hodierno ſtatuat ſe ante Chriſtum. Ecquâ verò ratione? Primò conſideret quàm diſſimilis ſit ipſi, qui contempſit omnia regna mūdi, nec tantillum quidam habuit, vt in eo caput reclinaret. Deinde bene expendat, quanta is tonitrua, quanta fulmina mittat contra auaritiam. Ad extremum etiam cogitet, in vno ac ſolo Chriſto omnes eſſe diuitias & omnis generis theſauros.

CONCIO V.

Remedia ebrietatis.

1. *Primum eſt conſiderare quid feceris.*
2. & 3. *Quid perdideris & qualis euaſeris.*
4. 5. *Quid commerueris & quid promiſeris.*

THEMA.

Cuius veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet? Luc. 14.

RArò admodum contingit aſinum aut bouem, niſi impellatur aut luminibus careat, cadere in puteum; adeò ſapiunt beſtiæ, & pericula ſua vitant. Homines verò in puteum cadere adeò rarum non eſt, vt quotidianum ſit. Licet enim pauci labantur in aquæ puteum, plurimi tamen ſunt, qui non ſemel, ſed multoties labuntur in puteum vini vel cereuiſiæ, vbi mergunt & ſuffocant mentem, robur, dignitatem, ſcientias & quidquid aliud poſſident. Ita enim S. Auguſtinus (vel quiſquis author eſt) ſerm. 33. ad fratres in Eremo, ebrietatem vocat *puteum inferni*. Et in ſerm. 231. *Ebrietas quaſi inferni puteum, inquit, quoſcunque ſuſceperit fortiter ſibi vendicat.* Nec non Athenæus lib. 11. qui magnum poculum vocat *argenteum puteum*, in quem cadit ebrius, animam & rationem ſuffocans ſeque & ſua omnia demergens. At verò quāta hęc ignominia: beſtias cauere, ne incidant in puteum, homines nō cauere? Diſcamus igitur ab illis fugere ebrietatem: ſed quibus mediis? Audiamus.

A.

Ebrietas puteus.

Cùm quis labitur aut cadit vel etiam cadere timet,

timet, manum illicò extendit obiicitque caſui, vt ſe eius ope ſeruet vel etiam præſeruet. Quid igitur faciemus, cùm in conuiuio. v. g. aliaue occaſione timemus labi in ebrietatem? Manum obiiciamus Sunt enim in manu, quinque digiti, qui totidem nobis monita ad vitandam ebrietatem dare poſſunt. Sunt autem: Pollex, Index, Medius, Annularis, Auricularis. Primus dixit: quid promiſiſti? Secundus, quantum perdidiſti? Tertius, qualis euaſiſti? Quartus, quid meruiſti? Quintus, quid feciſti? A minimo incipiamus.

B. I. Conſidera quid feceris. Primvs, Auricularis (ſic dictus, quia eo aurem ſcalpimus vel purgamus) dicere nobis in aurem videtur: *Quid feciſti?* & ſi hoc neſcis: interroga chariſſime tuos ſodales, vel domeſticos, quid heſternâ in crapulâ feceris, quantum deliqueris, quibus in periculis fueris. Audi, inquam; ſiquidem tu oblitus es omnium illorum, quæ ebrius egiſti. Audies tunc non neminem dicentem: Domine, tu heri famam contiuarum dirè laceraſti: tu exempto & vibrato gladio vxorem & liberos tuos penè occidiſti: arcana tua prodidiſti: ad duellum deſcendiſti: per gradus ſcalæ præceps ruiſti, &c. Hæc tu ſi audieris, quomodo non pudeſcies & tibi iraſceris argueſque teipſum temeritatis & ſtultitiæ? Certè etiam canis ſi ducatur ad ollam quam confregit, agnoſcit culpam ac ſi impingas illi os in teſtas, cauebit aliquamdiu ſaltem, ne ſimile quid delinquat. Ecquo igitur homo audiens quid egerit in ſua ebrietate, non erubeſcet nec cauebit? Stultus ille Nabal poſtquam ebrietatem decoxit & audiit ab vxore quomodo ebrius offendiſſet Dauidem, & quo in periculo fuiſſet, metu & horrore pœnæ exanimatus eſt, & *factus velut lapis*, 1. Reg. 25. Et quid putamus ſenſiſſe Noën, cùm poſt inebriationem audiit à filiis ſe nudatum in ebrietate, ludibrio fuiſſe filio & nepoti, Chamo ſcilicet & Chanaano? Certè ex illo tempore ebrietatem ſummè caiuiſſe, nec ampliùs incurriſſe credendum eſt, *Gen.* 9. Phocas Imp. cùm eo die, quo ludi equeſtres peragebantur, in edendo & bibendo modum exceſſiſſet, à plebe per ignominiam verbis huiuſmodi notatus eſt: *Rurſus è canco bibiſti, rurſus mentem amiſiſti* (cancum, poculi genus eſt, quod inter bibendum ſonitum edit: nobis ein Angſter) Quod vbi is audiuit, complures ob id conuitium morte mulctauit. Refert Glycas 4. *p. Annal. Byzan.* Rectiùs feciſſet, ſeipſum ſi mulctaſſet, quòd videlicet ſuâ intemperantiâ ludum & fabulam vulgi ſe præbuiſſet. Contrà Alexander M. cùm ebrius Clytum ſibi amiciſſimum, haſtâ transfixiſſet, diſcuſsâ ebrietate adeò indoluit, vt euulſam è corpore iacentis haſtam retorſerit in ſemet, & iam pectori admouerit, vltionem in ſe facturus (Auth. Quinto Curtio l. 8.) niſi fuiſſet inhibitus.

Efficax ergo remedium contra ebrietatem eſt, quod dedit Pytag. apud Stob. ſerm. 18. *Si quæ per ebrietatem feciſti frequens animo voluas.*

C. II. Secvndvs, Annularis, quem annulo & gemmis inſignire conſueuimus, dicere videtur: *Quantum perdidiſti?* Cùm enim vino te ingurgitas ſeu quouis alio potu, perdis primò gratiam Dei, quâ velut aureo annulo priùs inſignitus, eique deſponſus fuiſti. An id non maius damnum eſt, quàm perdere gratiam Principis vel amici, qui te ad bibendum impellit? Audi S. Auguſtin. ſermon. 23. de temp. qui eſt ſuper hanc Dom. *Non ſit tibi amicus*, inquit, *qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & ſuus eſt inimicus. Si te & alium inebriaueris: habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Et ideò ſapienter conſidera, ſi iuſtum ſit vt te à Deo ſepares, dum te ebrioſo coniungis.* Sic ille. Si homo ægrè fert ſe contemptum eſſe; quantò magis Deus? Gentilis fuit Creon, qui cuidam dixit: *Satius eſt tuas eſt nunc inimicitias ſubire, quam valde poſteà gemere*; apud Plutar. Quid metuat hoc ipſum dicere Chriſtianus? Quid perdideris. 1.

Deinde perdis tuam exiſtimationem, quæ teſte Sap. Prou. 22. *melior eſt quàm diuitiæ multæ & ſuper argentum & aurum.* Non ita ſplendet annulus gemmâ pretioſâ, vt homo famâ bonâ; hanc verò ebrietas abſtrahit & riſui ac contemptui hominem exponit, præſertim honoratum & in dignitate poſitum. 2.

Adhæc perdis valetudinem & vitæ ſenium. 3.
Quàm pretioſus annulus eſt bona valetudo? Calliſthenes cùm ei ab Alexandro M. propinatus ſcyphus herculeanus porrigeretur, recuſauit quòd *ſe Æſculapium habere nolle* diceret. Dicito & tu: nolo indigere Medico: præſtat parcere corpori & marſupio; nolo perdere 4.
gemmam meæ ſanitatis. Perdis etiam vinum ſeu quemcumque alium potum ſuo pretio conſtantem, dum abſque omni causâ & quidem in perniciem tuam exhauris, quod natura in ſalutem, corroborationem & ſolatium humani generis protulit. Vinum certè adeò præſtans humor eſt, vti terræ ſanguis meritò appellari poſſit; quo argumento Androcides ad Alexandrum M. ſcribens, intemperantiam eius cohibiturus: *Vinum*, inquit, *potaturus Rex, mementote bibere ſanguinem terræ.* Plin. l. 14. c 5. Verùm non terræ tantùm ſed & pauperum ſanguinem bibis, dum vltra neceſſitatem & appetitum bibis; quod enim tibi ſupereſt, pauperum, non tuum eſt. *Superflua enim diuiti, neceſſaria ſunt pauperi*, inquit. S. Aug. in Pſ. 147. Et S. Bern. ep. 42. ad Archiep. Senonenſem: *Clamant pauperes*, inquit, *noſtrum eſt quod effunditis: nobis crudeliter ſubtrahitur, quod vos inaniter expenditis.* Et quantam tibi in cœlo mercedẽ, quot annulos & gemmas comparare poſſes, ſi quod vltra modum bibis, pauperibus ſeponeres? ſi enim *calix aquæ frigidæ* porrectus ſitienti, *non perdit mercedem ſuam*, teſte Domino, *Matth.* 10. quantò magis vini, aliuſve potus aquâ melior: ſi in terram effundatur vinum, perquam moleſtè accipimus: & tamen melius eſt vt effuſum pereat, quàm vt hauſtum perdat. Eccur ergo non effertur pauperibus, quod ſine damno bibi nequit? quot paſſim languent miſeri, qui ſi id haberent, quod tu vomiturus es, & ipſi reualeſcerent & te ab æterna ſiti eriperent?

Hæc tanta diſpendia tibi non ſufficiunt? Per-

didiſti fortè ebrius annulum pretioſum in nuptiali alióue conuiuio, quantum tu hoc doles? quàm ſedulò inquiris, vbinam perdideris? quomodò recuperes? Modò ex eadem causâ gratiam, famam, valetudinem, vinum perdidiſti, & non doles? non caues?

D. III. Qualis euaſeris. TERTIVS, Medius, aliis impudicus, qui exporrectus infamiam notat. (Apud Pier. *lib.* 36. *hierogl.*) Vnde natum prouerbium: *medium digitum oſtendere*; & Diogen. apud Laert. hoſpitibus quibuſdam Demoſtheneem videre cupientibus, oſtendit medio digito, impuritatem eius taxans. Medius ergo digitus dicit: *Qualis euaſiſti*; Ob oculos enim tibi ponit obſcœnos, fœdos & inſanos ebriorum mores, quos ſi intueri velis, nauſeam abſque dubio ebrietatis capiet, vti dixit Anacharſes apud Plut. & Sto. Hinc Lacedæmonij ſeruos inebriare conſueuerunt, & temulentos filiis ſuis oſtendere, vt eorum deformi ſpectaculo attoniti diſcerent auerſari ebrietatem. Plato etiam iuſſit ebrios ſuos diſcipulos contueri ſe in ſpeculo; ſic enim fore, vt videntes faciem ſuam furibundo & phrenetico ſimilem, fugerent hoc vitium. Fulgoſ. *lib.* 3. *cap.* 2. Quæ igitur ebriorum facies? D. Baſilium audiamus hom. 14. *Eos*, inquit, *videre licet oculis liuentibus, cute ſubpallida, ſpiritu graui, lingua balbutiente ac demiſſa voce confusâ, pedibus puerorum more infirmis ac titubantibus*, &c. Item: *Miſerum ſpectaculum Chriſtianorum oculis, vir ætate florens, corpore robuſtus, obeundis in exercitu laboribus aptus, aliorum ſubſidio domum reportatur, neque erigere ſeipſum valens neque propriis incedere pedibus. Et qui terror hoſtibus fuerat, ridiculus in foro pueris videtur*, &c. Ibidem ebrietatem vocat dæmonem voluntarium. Denique qui omnis generis beſtiarum, ſimiarum, porcorum, canum, leporum, luporum, aſinorum, ouium, anſerum, ipſorumque dæmonum mores vult aſpicere, conferat ſe ad conuiuia ebriorum.

Quare non malè quidam eruditus vir (Glareanus apud Serarium *in dibr. Iudith capit.* 15.) cùm in conuiuio ſe ab vberiore potu honeſtè iam excuſaſſet, inſtarentque alij, canem fortè ſaturum in triclinio iacentem videns: *Num*, inquit, *iſto caue inſipientiorem me vultis? Hic paulò antè nobis omnibus cibum petendo & latrando moleſtus erat; iam ſatur deſiſtit; & ego ſatis iam cùm biberim, non deſiſtam?* Et alius quidam cùm à Principe vrgeretur ad æquo plus bibendum: *Veniam*, aiebat, *clementiſſime Princeps peto. A beſtia parum abſum, vultne Clementia tua totum me beſtiam fieri?* Ibid.

E. IV. Quid cõmerueris. 1. QVARTVS. (Index ab indicando dictus) indicat ſupplicia, quæ commeretur & poſt ſe trahit ebrietas, ex quibus primum eſt, infœlix plerumque interitus, quem ebrioſi ſortiuntur. Scribit Albertus M. *lib.* 24. *animall.* vini nauſeam acquirere, qui biberet è vino, in quo mullus vel anguilla fuerit merſa & enecta. At quot quæſo non anguillæ, ſed homines merſi ſunt in vino & merguntur hodieque? An non ebrij perierunt Ammon. 2. *Reg.* 13. Ela. 3. *Reg.* 16 Holofernes *Iudith.* 13. Baltaſar. *Dan.* 5. Simon. 1: *Matth.* 16. Attila? Michael tertius Imp. Zeno Imp. Phocas Imp.

Indigitat ſecundò ſitim inferni æternam & intentiſſimam, qualis imprimis fuit Epulonis; qui cùm ſiti intolerabili cruciaretur, non tamen auſus eſt petere vt vnâ vel alterâ aquæ ſitulâ perfunderetur, non vt vno calice, non vt cochleari (non enim tantum boni petere ſibi auſus eſt) ſed ſolummodò petiit intingi extremum digiti, vt inde in eius linguam vna vel altera gutta ſtillaret. O ſitim! ô incendium! vbi ſunt illi potatores, qui dicunt ſe à potu largiore abſtinere iam non poſſe, quòd hepate inflammato ad bibendum impellantur? Quomodo enim tolerabunt ſitim Epulonis? Nunquid ille hepar non habuit inflammatum, qui toto corpore arſit? 2.

Tertiò, indicat potum alium apud inferos porrigendum, non qui ſitim leuet, ſed qui accendat & cruciet; calicem furoris Domini. Refert Thomas Cantipratenſis *l.* 1 *c.* 2. Germaniæ Archiepiſcopum quendam, cùm ex hac luce abiret, ſanctiſſimo cuidam viro viſum eſſe: ipſique in gehennam ingredienti poculum à Cacodæmone ſtatim oblatum, quod cùm ebibere coactus eſſet, *illicò per aures*, inquit, *& oculos, os & nares ſulphurea flamma ſurrexit: & ſic æternis incendiis eſt addictus.* De Ludo. Landtgrauio refert Cæſar. lib. 12. capit. 2. *Anima eius cùm educta fuiſſet de corpore, principi dæmoniorum præſentata eſt, ſicuti cuidam manifeſtè reuelatum eſt: ſedente eodem tartarico ſuper puteum & ſcyphum manu tenente, qui huiuſmodi verbis Landtgrauium ſalutauit: Bene veniat dilectus noſter amicus, oſtendite illi triclinia noſtra, apothecas noſtras, ſicq; eum huc reducite. Reducto miſero ad loca pœnarum, in quibus nihil aliud erat niſi planctus, fletus & ſtridor dentium, & reducto, ſic Princeps Principem effatur: Bibe amice de ſcypho meo. Illo valde reluctante, cùm nihil proficeret, imò coactus biberet, flamma ſulphurea de oculis naribuſq; eius erupit. Poſt hoc ſic infit: modò conſiderabis puteum meum, cuius profunditas ſine fundo eſt, amotoq; operimento eum in illum miſit.* Sic ille. Viderint ergo qui toties in puteum ebrietatis cadunt, ne in puteum iſtum aliquando demergantur. Multi potionẽ medicam ſumere non poſſunt: & quando exhaurient ſulphuratum illum calicem, cuius fex non eſt exinanita? 3.

QVINTVS, Pollex (ita dictus ſeu quòd viribus polleat inter cæteros, ſecundùm Iſid. *l.* 11. *Etymol. cap.* 1. ſeu à pollicendo, quòd olim Reges colligatis pollicibus mutuam ſibi fidem pollicerentur, vt refert Pier. *l* 36. *Hierogl.*) dicere videtur: *Quid promiſiſti?* monet enim, quid polliciti Deo ſimus in Baptiſmo, quando mundo & pompis eius abrenuntiauimus: quid in confeſſione, quid extra, cùm toties decreuimus cauere ebrietatem. Hortatur etiam nos ad nouum & heroicum propoſitum cauendi impoſterum ebrietatem. Ad hoc firmandum iuuat ante conuiuia proponere ſibi ſobrietatem velut ſcopum; deinde voto ſe obſtringere ad certam quantitatem; tertiò petere à conuiuis, vt ne cogant ad bibendum, ſi conuiuam habere F. V. Quid promiſeris.

conuinam habere velint; quartò vinum aquâ diluere. Vinum enim *lymphatum creſcit, dulceſcit, lædere neſcit.* quintò paulatim accidere ſibi potum, donec veniatur ad mediocritatem; ſextò pœnam ſibi imponere, ſi aliquando excedere menſuram; ſeptimò conſeſſum citiùs abrumpere: denique Dei gratiam ad hoc ipſum ſedulò implorare.

CONCIO VI.

Qualia eſſe debeant conuiuia Chriſtianorum.

1. *Sunt à Dei laude inchoanda.*
2. *Moderamen in cibo & potu ſeruandum.*
3. *Attendat quiſque ſibi: & quid hoc ſit.*
4. 5. 6 *Moderanda hilaritas cum ſinceritate ac concorata & colloquio honeſto.*
7. *Ambitio abſit.*
8. *Agantur gratiæ Deo & hoſpiti.*

THEMA.

Dicebat & ad inuitatos parabolam.
Luc. 14.

A. Mala patrata in conuiuiis.

IN tota S. ſcriptura nullibi reperimus tot mala eſſe patrata, atque in conuiuiis. In libro *Exod. cap.* 32. poſt conuiuium Iſraelitarum Idololatria inſtituitur, & ingens cædes patratur. In lib. *Iudic. cap.* 16. Philiſtæi coniuantes, dum Samſoni illudunt, opprimuntur à ruinâ domus. In lib. 1. *Reg. cap.* 30. Amalecitæ epulantes de iniqua præda inuaduntur & occiduntur à Dauide. In l. 2. *Reg. cap.* 13. in conuiuio Abſalonis occiditur frater eius Amnon. In lib. *Iob. c.* . filij eiuſdem dum ſimul conuiuantur, opprimantur ruinâ domus. *Iſa.* 21. Babylonij epulantes inuaduntur à Perſis & Medis. *Daniel.* 5. dum Baltaſar Rex ſacrilego aſſidet conuiuio, ſcribitur contra eum in pariete ſententia iudicialis. In l. 1. *Mach. c.* 16. Simon frater Iudæ Machabæi occiditur in conuiuio. *Matth.* 24. ſcribitur comedentibus & bibentibus hominibus tempore Noë veniſſe ſuper eos diluuium, & tuliſſe omnes. *Marc.* 8. in conuiuio Herodis, decollatur Ioannes Baptiſta, & affertur caput eius in diſco. En quanta acciderint mala in conuiuiis, quantæ calamitates! Nimirum vbi multa committuntur ſcelera, ibi multa immittantur ſupplicia. Atqui S. Gregor. in c. 5. Iob ait: *Nulla fiunt conuiuia, vbi non mortalia committuntur peccata.* Et ideò S. Ambroſius, licet omnibus omnia factus, à tribus tamen ſibi perpetuò abſtinendum putauit: ne cui vxorem quæreret; ne cui militiam ſuaderet; ne conuiuia adiret. apud Baron anno 375. A quo idem didicit & obſeruauit Auguſtinus, apud Poſſidium in eius vita. Quod ipſum monuit Sapiens Prou. 23. *Noli eſſe in conuiuijs potatorum,* inquit. Vt quid ergo, dicet aliquis, Chriſtus adiit conuiuia, in quibus tot patrantur mala? Adiiſſe autem comprobatur ex hodierno Euangelio. Reſpondeò, quia Chriſtus peccatorum Medicus erat & morum reformator, cuius erat tollere è medio peccata, hoc ipſo opus fuiſſe, vt conuiuia adiret, & ſuâ præſentiâ, doctrinâ & exemplo reformaret. Etenim Medicus eò ſe confert, vbi maior ægritudo; mercator eò fert merces, vbi maior eſt penuria: Dux eò ducit militem, ubi hoſtis maiora infert damna. Ita etiam Chriſtus. Committuntur multa mala in Encænijs: adiit Encænia. Committuntur & in nuptijs, adiit & nuptias. Comittuntur in alijs conuiuijs; adiit conuiuia. Et verò ſi bene expendamus hodiernum Euangelium, reperiemus ibi normam conuiuandi Chriſtianam, à Luca nobis deſcriptam: vt videbimus.

B. I. Conuiuiũ à Dei laude inchoandum.

PRIMÒ, Conuiuium à Dei laude inchoandum eſt. Ita Chriſtus in hodierno Euangelio priùs ſanat hydropicum. Et (licet hîc ſcriptum non ſit) quis dubitat tamen priùs benedixiſſe more ſuo cibos? Certè ipſi gentiles in principio menſæ libare Dijs ſuis poculum & effundere ſolebant, quo Numinis primùm meminiſſent. Auctor antiquit Rom. *lib.* 5. *cap.* 30. Macrob. *l.* 4. *cap.* 11. Heſiodi etiam monitum fertur, *Ne comede ex illa, quæ non benedicta patella eſt.* Decet enim rogare Deum pro cibi & potus benedictione, vt nobis proſint ad ſalutem corporis, nec non & animæ, ne ſcilicet ijs abutamur: quandoquidem niſi concurrente Deo nihil tale poſſunt, vti nec ſol illuminare, terra fructus gignere, &c. Accedit, quòd diabolus interdum cibo potuque (vtrumque inficiendo vel ſeſe immiſcendo) obeſſe mortalibus conatur; nec non eius miniſtri, mali ſcilicet homines. Apud S. Gregor. 1. *dial. c.* 4. puella quædam monialis diabolum cum lactuca deglutiſſe ſcribitur, quod prætermiſerit benedictionem. *Ego quid feci?* aiebat dæmon ad Exorciſtum: *ſedebam ibi ſuper lactucam; venit illa & momordit me.* Hinc rectè quidem Germani noſtri ſolent poculum alteri propinare priùs benedicendum, alterque reſpondere: *Deus benedicat.* Sed quid illi, qui à blaſphemiis menſam inchoant? Refert Gabriel Prateolus in Chron. anno Domini 1580. de quodam bibone Neckershouii Germaniæ noſtræ oppido, qui murmurans contra Deum illique præbibens, dicenſque: *Tibi Deus: ſi melius hoc anno feciſſes vinum, melius bibiſſes;* ilicò obriguit, & immobilis permanſit, nec funibus aut equis à magiſtratu adhibitis extrahi aut loco moueri potuit.

C. II. Moderamẽ in cibo potuq; ſeruandum.

SECVNDÒ, Moderamen in eſu potuque adhibendum: quod docet hîc Chriſtus, cùm dicitur intraſſe in domum Principis Phariſæorum, *manducare panem*; non quidem eò, quaſi ſolùm panem comederit: ſed quòd epulas ſelectas minimè quæſierit, & abſtinentiæ magiſter fuerit. Proponere etiam hoc loco Ethnicos nobis debemus in exemplum. Nam Romani olim caruêre imprimis poculis ita grandibus, vti nunc vſurpantur; ſiquidem è cornibus bubulis bibebant, vt refert auctor antiquit. Rom. *l.* 5. *c.* 30. vnde patet non feciſſe

hauſtus grandes. Adhæc. *Liber ſiue Bacchus*, ait Plut 3.ſymp. 1. *hederâ bacchantes coronauit, vt minùs à vino læderentur, hederâ frigore ſuo ebrietatem reſtinguente.* Sed ego tibi, Chriſtiane, laudabiliorem ſuadeo hederam, capiti circumligandam, temperantiam videlicet. Sic enim monet Sapiens *Prouerb.* 23. ſedentem ad menſam Principis: *Statue cultrum in guttare tuo*, id eſt, præſcinde tibi gulam & nimiam appetentiam, & moderare tibi in cibo ac potu, non ſecus ac ſi culter, id eſt mortis comminatio, gutturi immiſſus ſeu oppoſitus foret. Vel vt alij exponunt: cogita imminere tibi cultrum, id eſt, certum vitæ diſcrimen, & ſanitatis læſionem, ſi nimiùm ventri indulſeris. Non enim mentitur Eccleſiaſt. cùm ait cap. 37. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam.* Quin etiam integræ ciuitates ſæpe propter luxum perierunt, vti Sodoma & Gomorrha; de quibus *Ezech.* 16. dicitur: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ: ſuperbia, ſaturitas panis, abundantia, &c.* Ipſe etiam Pythagoras apud Stob. ſerm. 41. dicebat, *primum luxuriam ingredi ciuitates, deinde ſaturitatem, poſteà contumeliam, poſtremò exitium.* Quare non abs re Plato ad Dionis propinquos ſcripſit: *Nullo modo debere, quemuis bis in die ſaturum fieri.* Candela erecta diu ardet, quia ſic non arripit plus ceræ flamma, quàm requirat. At cùm ea inuertitur, nimio illo pabulo obruitur, ſubitoque extinguitur. Par ratio cùm vita hominis, quæ moderato cibo conſeruatur, immedico opprimitur.

D.
III.
Attendat quiſque ſibi.

TERTIÒ, Attendat quiſque ſibi. Nam vti in hodier. Euang. intrante Domino in domum Principis Phariſæorum, *ipſi obſeruabant eum*: ita & in conuiuiis multi ſunt, qui obſeruent, quid vnuſquiſque loquatur, agat, comedat. Hinc apud veteres ſolitum erat in propatulo veſci & communiter epulari, *ne ſingularitas luxuriam gigneret*, Iſidor. lib. 20. c. 2. Ob eamdem cauſam dixit Sapiens id, quod ſuprà ex parte declarauimus, Prouerb. 23. *Quando ſederis, vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo:* hoc eſt, vt exponit Caietanus, cogita imminere iugulo tuo gladium, ſicut feciſſe memoratur Dionyſius Tyrannus cuidam paraſito, cùm epulantis capiti gladium tenui filo depedentem impoſuit. Quod igitur conuiuæ ſunt, tot etiam gladij te circumſiſtunt, qui tibi attendunt. Sed imprimis gladius ille ſupernus, Dei, qui omnia conuiuentium dicta & geſta multò attentiùs obſeruat & deſcribit, quàm caupo notat cretâ ſuorum hoſpitum debita. Sic comederunt ſimul Iethro, Moyſes, Aaron & ſeniores Iſrael *coram Deo*, hoc eſt, tanquam ſpectante Deo, cum ſumma modeſtia, circumſpectione, religione, *Exod.* 18. ſeu ad honorem Dei, vt exponunt S. Auguſt. quæſt. 66. & Origen. Obſeruabant Chriſtum Phariſæi, ſed ipſe multò magis obſeruat illos; idcircò enim dicitur reſpondiſſe ad cogitationes eorum, quia nimirum ita eas viderat, ac ſi ore prolatæ fuiſſent. Non recordamur, quomodo obſeruarit Deus Balthaſarem Regem bibentem & edentem è ſacris vaſis: quando illi ſcripſit iudicium in pariete? *Dan.* 5. Rectiùs edocti propinqui illi Tobiæ (Tob 9.) *cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.* Quòd ſi de omni verbo otioſo reddemus rationem Deo: quot ibi verba talia? imò quot inhoneſta, turpia, blaſphema, mendacia, detractatoria.

E.
IV.
Moderãda hilaritas.

QVARTÒ, Non effusè nimis gaudendum; idcircò Dominus ingrediens domum conuiuij, hydropicum ante ſe iacentem inuenit & curauit, vt futuri conuiuij lætitiam triſtitiâ têperaret, & admoneret ſuos conuiuas humanæ miſeriæ ac mortis. Eandem ob cauſam alibi ferè triſtia conuiuijs immiſcuit. In domo Simonis ſub conuiuio auditur plorans Magdalena, *Luc.* 7. In cœna apud eundem Simonem leproſum, mentionem ſepulturæ ſuæ facit, *Matth.* 26. in nouiſſima cœna paſſionis ſuæ vicinitatem ſæpius inculcat & *turbatur ſpiritu*, Ioann. 13. Recumbentibus denique diſcipulis, Marci 16. *exprobrauit incredulitatem eorum.* Quid, quòd ipſi gentiles etiam hoc egerunt? Refert enim Panciroll. in libr. de reb. memorab. apud Ægyptios in more fuiſſe, inter conuiuia laruam mobilem ſeu caput hominis mortui in menſa proponere, vt conuiuias mortalitatis admoneret, dicente aliquo: *viuendum eſſe*, q. d. illud Eccleſiaſt. cap. 11. *Lætare iuuenis in adoleſcentia tua, & ſcito, quòd pro omnibus adducet te Deus in iudicium.* Eò reſpicit S. Dauid, cùm dixit Pſalm. 101. *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam*, q. d. omnem cibum cinere ſeu mortis memoriâ velut ſale condiebam. Quòd ſi eódem nos reſpiceremus & cogitaremus, quem exitum aliquando gula noſtra ſortitura ſit, certè non ita nos effunderemus in conuiuijs ad inſanam lætitiam, clamores, geſtus, ſaltus, &c. Hunc cinerem, quia non admiſcuerunt Hebræi conuiuio ſuo, quando *ſederunt manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*, idcircò confregit Moyſes vitulum, ante quem ſaltabant, in cinerem, & dedit eis in potum. Quid enim ſignificaret iſte cinis, paulò pòſt eis demonſtrauit, quando nimirum præcepit, vt vnuſquiſque occideret fratrem ſuum, & amicum & proximum ſuum. Aſpiciat vnuſquiſque, & bibat cinerem iſtum, cogitetque apud ſe: Quorſum, quæſo, hæc tua inanis lætitia? & quem tandem finem aliquando ſortietur?

F.
V.
Sinceritas & concordia ſeruanda.

QVINTÒ, Sinceritas & concordia animorum conſeruetur; idcircò Chriſtus, ne diſcordiæ & obtrectationi materiam præberet, ſi Sabbato curaret, quærit priùs à conuiuis: *Si licet Sabbato curare?* tacentibus autem illis, adeoque non obſiſtentibus, ſanauit ægrum. Quoniam igitur amicitiæ cauſâ conuenitur ad conuiuia, omnis ibi ſimultas & dolus deponatur. Vnde Romani olim candidis veſtibus ibant ad conuiuia, vt ſe inuicem monerent, candidè agendum eſſe maximè inter epulas: adeoque perfidiam Neronis in occiſio-

occiſione Britannici exaggeraturus Cornel. Tacitus dixit: *Inter ſacra menſæ*: Idem Tacitus ſcribit etiam veteres Germanos in conuiuijs ſolitos fuiſſe inimicos ſibi reconciliare & amicitias contrahere. Id quod de Rudolpho etiam Habſpurgenſi Cuſpinianus ſcribit. Is enim cum Abbate S. Galli grauiſſimum bellum gerens, exiguo comitatu & inermis ad monaſterium S. Galli ſponte (dum Abbas adhuc cœnaret) venit, menſæque aſſedit: atque ita inter cœnandum ſecum ambo in gratiam redierunt, adeò vt mutua etiam auxilia aduerſus alios quoſdam hoſtes ſuos ſibi fuerint polliciti. Idcircò nihil etiam facilè in menſa clanculum agendum vel loquendum eſt. Vnde S. Ludouicus Francorum Rex, cùm viros Religioſos ad menſam ſuam crebrò adhiberet, & aliquando duos ſibi in aurem colloquentes aduerteret, dicebat: *Malè facitis, Domini mei, clàm colloquendo; clarâ voce ſi quid dicendum exponite, ne quiſquam vos malè de ſe loqui ſuſpicetur.* Ionuil in eius vit. c. 94.

G. VI. Colloquium honeſtum & decens adhibendum. SEXTÒ, Colloquium honeſtum & quod recreet atque ædificet, inſtituendum. Sic enim & Dominus in hodierno conuiuio ſalutarem propoſuit doctrinam; cuius exemplo incitatus etiam alius quidam in eodem conuiuio ait: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*. Quare in conuiuijs loqui decet, ſi non de rebus pijs, exemplo illorum, qui *Tob.* 10. epulati ſunt *benedicentes Deum*: adiaphoris ſaltem, honeſtati nihil derogantibus. Certè Athenæus lib. 14. refert veteres in conuiuijs, Deorum laudes decantari ſolitos fuiſſe. In conuiuijs Perſarum ante cibum diſputabatur de modeſtia, anteque potum de temperantia, vt refert Serinus apud Stob. *ſermon.* 42. Longè diuerſæ paſſim audiuntur diſſertationes noſtris temporibus inter pocula, ſpurcitiæ, detractiones, riſus, ſcurrilitates; viui ſepeliuntur, ſepulti exhumantur: quod, vt aduertit S. Chryſoſtomus, non pecorum, ſed hominum carnes deuorare eſt; iuxta id Prouerb. 23. *Noli eſſe in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt.* Hanc ob cauſam S. Gregor. homil. 40. in Euang. putat epulonem illum idcircò potiſſimùm in lingua punitum, quòd cùm epularetur quotidie ſplendidè, facilè inter pocula peccatis linguæ plurimùm deliquerit. Id quod faciunt ordinariè diuites epulones.

H. VII. Ambitio abſit. SEPTIMÒ, Ambitio tollatur; ideò Dominus proponit parabolam de affectando non primo, ſed vltimo potiùs loco. Quod ipſum alibi exemplo ſuo docuit, dùm ſurgens è cœnâ vltimâ, demiſit ſe in terram, & lauit pedes diſcipulorum. Qui tamen hac doctrina non vult vacuum relinqui primum locum, ſed vetat eum ambire & ſibi arrogare: non vetat occupare, cùm quis dignus ad eum vocatur & audit: *Amice, aſcende ſuperiùs.* Vnde autor operis imperf. *homil.* 43. *in Matth.* apud Chryſoſt. *tom.* 2. ait: *Non tantùm curat Deus, vbi corpus hominis iaceat: ſed in qua parte mens conſcientiæ ſit collocata.* Poteſt ergo & in ſummo loco eſſe aliquis humilis, & in imo eſſe ſuperbus, vti Ariſtippus ille Philoſophus, qui cùm à Dionyſio Tyranno poſitus eſſet vltimo loco, dixit: *Voluiſti nimirum, ô Rex, honorare vltimum locum*; apud Salmeron. tract. 22. in parab.

OCTAVÒ, Gratiæ aguntur ei, qui pauit hoſpiti, & imprimis Deo. Sic Dominus inuitatori ſuo, quaſi gratiam relaturus peculiare documentum: *Cùm facis prandium aut cœnam*, I. VIII. Gratiæ agendæ Deo & hoſpiti. inquit, *noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque diuites: ne fortè te & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.* Quo loco non culpantur conuiuia amicorum & diuitum (vtpote ex ſe indifferentia & quæ bona & mala eſſe poſſunt,) ſed præponuntur illa, quibus pauperes inuitantur præſertim quia conuiuia amicorum & diuitum plerumque vanitate aliquâ vitiantur. Docet etiam hæc parabola modum agendi gratias Deo pro præcepta refectione: nimirum ſi de menſa noſtra pauperes cibemus; hoc enim ipſe acceptum referet & retribuet in reſurrectione. Ad extremum ipſi Deo datori bonorum omnium gratiæ agendæ: quod inter alios facere docuerunt S. Antonius & S. Paulus Eremitarum primus, cùm aliquando vnà verſarentur, modicum panem ſumerent; de quibus S. Hieronymus in vita S. Pauli ſcribit: *Cùm gratiarum actione ad fontem capientes cibum vbi tantiſper recreati ſunt, iterum gratijs de more actis noctem in diuinis laudibus conſumpſerunt.* Vide, quantas iſti gratias pro quàm modico cibo egerint! Nunc autem ferè homines *quaſi porci*, vt ait S. Chryſoſt. homil. 83. in Matth. *Cùm iam comederint, euerſâ calcibus menſâ temulenti conſurgunt, cùm agere gratias debeant.* Vidimus Dom. 10. poſt Pent. c. 5. in fin. alibi porcos tales, eorumque diabolicam gratiarum actionem, terribili ſpectaculo compenſatam, hic non iterandam. Nos igitur melioribus edocti, Auditores, ſi contingat nos intereſſe conuiuijs, attendamus ad ea, quæ diximus, ne dum corpus reficimus, animam ſuffocemus.

CONCIO VII.

Modus corrigendi proximum.

1. *Corrigendus eſt ſine iracundia.*
2. 3. *Abſque verbis aſperis, nec nimis acriter.*
4. 5. *Non ad ignominiam correcti, ſed cum inſtructione.*
6. *Opportuno tempore.*

THEMA.

Cuius veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum? Luc. 14.

INſolubile erat argumentum, quod propoſuit Dominus in hodierno Euangelio Legiſ-

Legiſperitis & Phariſæis : (ſi vos aſinum, qui in puteum cecidit, continuò extrahitis in Sabbato ; cur non in Sabbato curare infirmum liceat? (ſiquidem *non poterant ad hæc reſpondere illi*, ait Lucas. Cæterùm ex hoc indiſſolubili argumento, aliud itidem indiſſolubile colligere nobis licet, nimirum ſi homini infirmo ſalus corporis procuranda eſt multò maiori ſollicitudine, quàm aſino : cur non potiùs homini in peccatum lapſo ſalus animæ? Nónne enim anima plus eſt quàm corpus, ſicut homo plus quàm aſinus? puto etiam neminem futurum, qui ad hoc reſpondere poſſit. Quando quis in peccatum lethale labitur, in puteum inferni labitur, ac niſi extrahatur, in eo ſubmergetur, & peribit æternùm. Peccator igitur quiuis, eiuſmodi aſinus eſt, qui in puteum incidit. Omnes verò qui aſinum talem vident, & cùm poſſunt ac debent extrahere, non conantur, rei ſunt aſini ſubmerſi. Sed quemadmodum non eſt nullius artis, aſinum extrahere : (fieri enim poteſt, vt dum aſinus extrahitur, non leuius damnum accipiat, quàm ſi extractus non fuiſſet.) Ita in taxandis aliis prudens requiritur moderatio, *ne*, vt Chryſoſt. ait, *dum rupturam ſarcire volumus, maiorem diruptionem faciamus, collapſáque cupientes erigere, caſum grauiorem inferamus.* Infirmus natator, qui dum ſocio pæne ſubmerſo & inter aquas cum morte luctanti vult ſuccurrere, ſæpe & ipſemet ſe ſubmergit. Quare ne id nobis accidat, diſcamus modum corripiendi errantem, antequam corripiamus.

B. I. Nõ cum iracundia

PRIMÒ, Aliqui funem iniiciunt aſini collo, eumque ita extrahere volunt. Sed quis non videt eos ineptire & aſinum ſuffocaturos? Tales ſunt, qui cum iracundia errantem corrigunt ; hi enim ſuffocant eum, quemadmodum ſeruus ille nequam conſeruum ſuum, *Matth.* 18. quia per iracundiam comprimunt illum, ne errorem ſuum agnoſcat & deprecetur, ſed correctionem ex odio profectam exiſtimet, ſicque magis peruertatur, & obſtinatior fiat, dum irâ tuâ exacerbatur, quò reſiſtat iræ tuæ; ſiquidem nemo libentur patitur per iram alterius ſe ſubiugari. Interpretatur enim correctus correctionem illam ex odio prouenire potiùs, quàm ex charitate ; & corrigens cum iracundia oſtendit ſe non inuehi in vitium, ſed hominem. Atque ita ei euenit, quod Lamech cæcutienti, qui, vt tradit S. Hieronymus ex Hæbræis, cùm in ſyluam perrexiſſet, & à puero ductore oſtenderetur ei fera, ſtrepitu foliorum ab eo deprehenſa : iaculatus Lamech occidit Cain tritauum ſuum, qui tunc fortè fugitiuus in ſylua latebat, & de hoc facto dixiſſe eum, Geneſ. 4. *Occidi virum in vulnus meum*, &c. voluit Hebræi. Similiter aliquando accidit, vt qui irâ cæcatus errantem corrigit, ductus à ſenſualitate & paſſione iracundiæ pro fera, id eſt, vitio, inſectetur hominem.

Deinde iratus facilè limites correptionis tranſgredieris, vtpote perturbatus mente. Hinc Plato iuſſit Xenocratem punire ſeruum, quòd ipſe iratus eſſet, Laert. lib. 3. idemque ſeruo dicebat : *Loris te cæderem, ni iratus eſſem.* ibidem. Vt enim per nebulam corpora, ſic per iracundiam delicta aliorum maiora videntur. Non vtimur aquâ turbatâ, niſi conſtiterit: multò minùs vtendum eſt animo commoto, priuſquam ad ſe redierit ; dicebat Socrates. Quid ſi hoc docere nos voluerit Dominus Deus, quando correpturus Adamum de præuaricatione, venit *ad auram poſt meridiem*? Geneſ. 3. Quid enim ſol in meridie, niſi ira in feruore? Deinde quid aura veſpertina, niſi *ſpiritus lenitatis*, quo inſtrui peccantem præcipit Apoſtolus *ad Gal.* 6. Sanè Deus zelum Eliæ, vt opinor, nonnihil repreſſurus, tranſijt coram eo, ſed non in vento vehementi ; (*non in ſpiritu Dominus*) nec in commotione : (*non in commotione Dominus* :) nec in igne (*non in igne Dominus*) ſed in ſibilo auræ tenuis (3. *Reg.* 19.) hoc eſt, in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis. Hoc modo Deus corrigere ſolet, non in faſtu, non in perturbatione, non in ferocia. Quare S. Auguſtinus in Ep. ad *Gal. cap.* 6. pulchrum documentum dat correctoribus, vt priuſquam aliquem corrigant, priùs ſe examinent, an amore ad correctionem moueantur. *Quidquid enim lacerato animo dixeris*, inquit, *puniendi eſt impetus, non charitas corrigentis: dilige & dic quod voles.* Poteſt quidem erga ſubditos potiſſimùm, aliquando iracundia præſeferri & oſtendi, vt à malo abſterreantur: ſed interim animus corripientis pacatus eſſe debet : ſicut cœlum cùm tonat verſus nos duntaxat commotum, ſuperiùs tranquillum eſt. Vnde S. Auguſtin. de verbis Domini: *Foris terribilis perſonet increpatio, intùs lenitatis teneatur dilectio*, ait.

SECVNDÒ, Alij auribus arripere volunt aſinum & ita è puteo extrahere. Sed & iſti impudenter ; (non enim fert aſinus ſe auribus apprehendi) ſunt autem hi, qui verbis aſperioribus corripiunt errantes, eorumque aures offendunt, velut cum ſannis, riſu, ſcurrilitate, contumelijs, &c. hi enim potiùs exaſperant delinquentem & oſtendunt correctionem non à ratione & beneuolentiâ, ſed ab odio faſtuque proficiſci. Similiter modo ad ſanandum ineptior eſt inciſio quæ fit ferro, quàm quæ ære, vt ſcribit Ariſtot. *ſect.* 1. *probl.* 24. quia ferrum citiùs atque immitiùs diſſoluit continuum quàm æs, atque ita grauiorem affert dolorem. Patet ex *lib.* 3. *Reg. cap.* 12. quid effecerit inſipiens Roboam aſperrimis illis verbis ad ſubditos regni datis : *pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.* Hoc enim effecit, vt deficeret ab eo populus Iſrael, præter tribum Juda & Beniamin, & eligeret ſibi Regem alium. Aliter egerunt ſerui Naaman, qui volentem herum cum indignatione recedere ab Eliſæo, & ſpernere conſilium eius, modeſtè correxerunt : *Pater, etſi rem grandem dixiſſet tibi propheta, certè facere debueras, quantò magis, quia dixit tibi : lauare in Iordane ſepties?* 4. Reg. 5. Similiter corripuit Joſue reum mortis Achan deprehenſum:

C. II. Non verbis aſperioribus

Fili

Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael & confitere atque indica mihi quid feceris. Mox enim ille peccatum ſuum confeſſus eſt *Ioſ.* 7. Ita bonus Loth peſſimos Sodomitas, vim domui ſuæ inferentes: *Nolite fratres mei, nolite malum hoc facere*, Geneſ. 19. Sic Nathan quoque Dauidem, propoſitâ parabolâ de pauperis oppreſſore, correxit artificioſè: non vocauit eum adulterum aut homicidam, licet talis eſſet, 2. *Reg.* 12. Sic propheta alius Regem Achab, 3. *Reg.* 20.

Poſſunt tamen aliquando delinquentes lenioribus conuicijs, quæ erratis pene omnibus accommodari queunt, & veritate vtcunque fulciuntur, reprehendi, (præſertim pueri, quibus hæc probra non ſunt) vt ſi vocentur ſtulti, ſtupidi, pertinaces, pigelli, improbi, ſuperbi, craſſa capita, &c. Sic enim diſcipulos ſuos vocauit Chriſtus *ſtultos*, Luc. 24. Baptiſta Iudæos quoſdam, *genimina viperarum*. Luc. 3. Paulus Galatas, *inſenſatos*, c. 3. Sic ignaui & obſtinati non immeritò vocantur aſini, ebrioſi, porci, &c.

D. III. Non nimis acriter.

TERTIÒ, Alij pedibus poſterioribus apprehendere tentant aſinum: qui ſanè miſerum aſellum miſerè cruciabunt, donec eum extrahant; & fortè miſeriorem ac prorſus inutilem facient. Hoc agunt, qui nimis acriter ſine lenitate delinquentes puniunt, contra id Apoſtoli ad Gal. 6. *Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Coti ad lapidem acuendo affundi ſolet aqua, & nouaculam præcedit lotio: **Man ſoll nit trucken ſcheren.** Ita Samaritanus non tantùm mordens vinum, ſed etiam leniens oleum vulneribus fauciati infudit. S. Hieron. in epiſt. ad Præſidium ſcribit de ſerpente, quod ſemel calamo percuſſus moriatur, iterum verò percuſſus confirmetur. Ita ſæpe immodicis verberibus ſerui, pueri, uxores, peiores efficiuntur, qui moderatis emendarentur. Fuit apud Sarmatas Moſcouiæ faber quidam natione Germanus, nomine Iordanus, qui Ruthenam duxit vxorem, cum qua initio pacificè vixit. Ipſa tamen videns maritum tranquillum & bonum, quietis impatiens, animum mariti explorare volens, datâ occaſione ſic eum alloquitur. Cur me, inquit, coniux chariſſime, non amas? Reſpondet faber. Egò verò te, o coniux, etiam atque etiam amo. Nondum, refert illa, ſigna amoris video. Quærebat ergo maritus, qualia ſigna vellet aut qualianam placerent? Cui vxor, nunquam, ait, me verberaſti. Mihi ſanè verbera, reſpondet maritus, non videntur ſigna amoris, ſed potiùs diſcordiarum, ſimultatis atque odij; ſed tamen, quoniam ita vis, nec hac parte tibi deero. Deinde ortâ inter coniuges contentione, maritus vxorem egregiè verberauit. Quo facto faſſus eſt Iordanus publicè, longè maiore amore ſe à ſua vxore poſt hac obſeruatum fuiſſe. Cùm autem ſæpius eam verberaret, amor in odium verſus eſt, mulier innatâ malitiâ æſtuans, ad furorem quodammodò maritum adegit, adeò vt ira percitus tandem vxori ceruicem fregerit, & mortuam relinquens, fugâ ſibi conſuluerit, refert Hieronym. Zieglerus de viris illuſtrib. German. cap. 102. Patet igitur, non duriorem æquo correptionem eſſe debere, ne qui corripitur, efferatior fiat: moderatam verò caſtigationem *ſignum amoris* eſſe. Apoſtolus 2. Tim. 2. dixit Deum alia vaſa ex auro & argento feciſſe, alia ex ligno, alia ex luto. Quis autem neſcit aurea pati malleum & ignem; lignea malleum, non ignem; fictilia ignem, non malleum? itaque pro varietate ſubiectorum, varietas adhibenda correctionum. *Nobilis equus*, inquit Seneca, *vmbrâ virgæ regitur: ignauus nec calcaribus concitari poteſt.* Bucephalis equus Alexandri M. blanditiis delinitus ferociam depoſuit, qui verberibus compeſci non potuit, Curt. de rebus Alexand. Sic ingenui & delicati blandè corrigendi ſunt, ne in grauius peccatum impellantur, quo modo vitrea vaſa dum eluuntur, leniter tractanda ſunt, ne frangantur. Scimus Apoſtolum Timotheo Epiſcopo præcepiſſe, *argue, obſecra, increpa*, ſed rectè monet S. Proſper lib. 2. de vita contempl. cap. 5. hæc tria diſpertienda eſſe pro varietate corrigendorum. *Argue coæquales*, inquit, *obſecra ſeniores, increpa iuniores, quia leniter caſtigatus exhibet reuerentiam caſtiganti: aſperitate autem nimiâ & increpatione offenſus neque increpationem recipit neque ſalutem.*

Contrà duræ ceruices & qui ex certa malitia peccant, duriùs caſtigandi. Talibus dixit Dominus: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Et S. Stephanus: *Durâ ceruice & incircumciſis cordibus & auribus vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis.*

Tales Dominus flagello eiecit è templo: & Apoſtolus iuſſit tradi Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret.

E. IV. Non ad ignominiam correcti-

QVARTÒ, Alij caudâ apprehendunt aſinum, & ſic extrahere volunt. Sed hi parùm honeſtè tractant aſinum, quid ſi enim caudam miſero euellant? Non audebit tunc apparere aſellus coram ſui ſimilibus. Iſtud verò agunt, qui in correctione peccati non publicè pudefaciunt quem corrigunt, & famam eius dinigrant. Qui ſanè nihil efficient, & fortè deteriorem reddent, quia delinquens, ne publicè confundatur, vel negabit, vel defendere conabitur errorem. Hinc Dominus præcipit Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus: vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Ratio. *Verecundiam* enim *in facie amici gignit*, inquit Euripides, *qui verecundè amicum corrigit.* Refert Plutarch. in apophtegm. Philippum Macedonum Regem ſediſſe aliquando ad auctionem, cùm multi bello capti venderentur, parum decenter veſtitum. Quidam igitur eorum qui vendebantur exclamauit: parce mihi Philippe, à patre enim ſum tibi amicus. Philippus interrogauit, vndenam hæc amicitia conflata eſſet. Tum ille: volo, inquit, propiùs accedens dicere. Qui cùm admiſſus eſſet, quaſi arcani quidpiam dicturus: Dimitte,

inquit, chlamydem aliquantulum: ſic enim indecenter ſedes. Mox Philippus: Hunc, inquit famulo, dimitte liberum; neſciebam enim priùs illum mihi amicum eſſe, donec melioribus inſtitutus ſum ab ipſo. Contrà Clytus, quia Alexandrum M. filium Philippi publicè reprehendit, ab eodem in conuiuio, licet amiciſſimus alioquin pugione confoſſus eſt.

Quòd ſi tamen correctio priuata non iuuerit, tunc ex præcepto Domini adhibendus eſt teſtis vnus aut alter, *Matth.* 18. Primò vt ipſi teſtes confirment eſſe peccatum id, quod proximus facit: vt ita *in ore duorum vel trium ſtet omne verbum*, ait Dominus. Secundò, vt teſtes approbent & teſtentur officium eius, qui corripit; quòd officio ſuo non defuerit. Tertiò, vt etiam teſtes corripiant delinquentem, & ita vel ipſi ſaltem audiantur. Denique vt reus conuincatur, ſi recidat, ſe admonitum fuiſſe; vel etiam confundatur, ne recidat; &, vt Auguſtinus epiſt. 109. ait, *ne deterius putreſcat in corde peccatum eius. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ*, inquit Dominus: ſeu ſuperioribus. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

Publicè etiam peccantes publicè arguendi ſunt, 1. Tim. 5. *peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.*

F. V. Non ſine inſtructione.

QVINTÒ, Alij ſcalam aſino demittunt, in qua de puteo aſcendat. Probarem hoc, ſi ſcalas didiciſſet ſcandere aſinus. Quinam verò iſti? Qui arguunt ſolùm & caſtigant errantes, interim verò non inſtruunt, quomodo ſe emendare & ſibi imposterum cauere debeant; cùm tamen Apoſtolus dicat: *huiuſmodi inſtruite*, vti ſuprà audiuimus. Refert de quodam, cuius nomen ſilet, B. Auguſtinus, quòd cùm in puteum incidiſſet, eiuſque ſortem quiſpiam miſeratus diceret: *Quomodo huc miſer decidiſti?* Ille facetè reſponderit: *Quid rogas aut refert, quomodo inciderim? age potiùs vt me educas.* apud Beyerl. *in apophteg. Chriſti.* Ita videas aliquos delinquentibus longas proponere obiurgationes, nullam verò doctrinam, quâ cautiores reddantur. Parùm ſanè faceres, ſi diceres alicui, quòd à viâ rectâ aberret, interim rectam non monſtrares. Audi S. Iob cap. 29. *Oculus fui cæco, & pes claudo*, ait. Hic vtrumque præſtitit: vt *oculus* viam docuit: vt *pes* eandem præiuit. Inſtrue igitur, partim verbo, partim exemplo: ne alioquin arguaris vti Moyſes ab Hebræo, de eodem vel grauiori delicto. Vel audias id Luc. 4. *Medice, cura teipſum.* Et Luc. 6. *Eijce primum trabem de oculo tuo.* Et illud: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Nitente oratore Gorgiâ ſuadere Græcis concordiam & diſſuadere ſimultates: exclamauit Melanthus: *Hic nobis author eſt pacis, qui nondum perſuaſit vxori & ancillæ vt conſentiant.*

Aureum & regale eſt documentum Pacati Panegyr. Theodoſij Imp. *Exaſperat homines imperata correctio, blandiſſimè iubetur exemplo.* Quin & illud M. Tullij: *Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus eſt dicere.* reſponſ. in Saluſt.

G. VI. Non importuno tempore

SEXTÒ, Alij tempus opportunum non exſpectant, quo aſinum educant. Vel enim nimis citò id agunt, cùm aſinus adhuc furit & auxiliantem non admittit: vel nimis ſerò, cùm pæne ſuffocatus eſt. Tales ſunt, qui tempore importuno delinquentes reprehendunt. Vt enim macula in papyro nec ſtatim eſt eradenda, ne papyrus laceretur: nec tardiùs debito, ne profundiùs inſideat, ita vt eradi nequeat: ſic agendum in reprehenſione hominum perturbatorum. Primò ergo non ſunt corrigendi valdè irati ac pæne furioſi, donec miteſcant: neque ebrij, donec ad ſe redeant, **biſz der Eſel verbobt**; niſi dictet neceſſitas aut vlterioris damni periculum (ſalutis verbum minimè differendum) alioquin addes iræ præſenti fomitem. Vnde Eccleſiaſt. capit. 8. monet: *Non incendas carbones peccatorum arguens eos.* Tradit Hyppocrates *libr. 4. Aphor. 5. & lib. 7. Aphor. 69.* ſub caniculâ difficiles eſſe purgationes eò quòd natura flagrans æſtiuis ardoribus, non fert acrimoniam purgantis pharmaci. Et alibi ſcribit: *ſiquis febricitanti cibum dederit: morbus. Olitoribus etiam peritis lex, ne ſub ardente ſole plantas irrigent, quia tunc propter caloris copiam, radicalis plantarum humor abſumitur, ideoq; languent primùm, poſteà intereunt.* In lege etiam veteri differebatur circumciſio vſque ad octauum diem, quia tenerrimus eſt fœtus toto tempore, quod antecedit: ut trahit Ariſtoteles *libr. 7. de hiſtor. animal. capit.* 12. Expertus eſt id ſuo damno Praxaſpes Cambyſis Regis amicus familiariſſimus, qui cùm Regem vino deditum admoneret vt vino parciùs vteretur; quòd turpis eſſet Regi ebrietas: Rex indignatus non modò non abſtinuit, ſed liberaliùs etiam bibit; & poſteà eius filium adduci iuſſit, ipſumque ſaggitâ confixit & reciſam è pectore patri oſtendit dicens: *Vide an Regis ebrij certa ſit manus & oculus?* Herodoto auctore. Cautior fuit Abigail, quæ temulento viro ſuo non priùs exprobrauit illatam Dauidi contumeliam, quàm ſequenti die ſenſit illum vino vacuum: magnam tamen vim habuit, quidquid tunc ei dixit in faciem. *Emortuum eſt enim cor* Nabal hoc audientis, *& factus eſt quaſi lapis*, 1. Reg. 25.

Sed nec diu nimis relinquendus in puteo aſinus ne ſubmergatur, adeoque (extra prædictos caſus) corripiendus eſt peccator quàm fieri poteſt citiſſimè, ne in peccato pereat vel indureſcat, vel de peccato in peccatum labatur: Hæc enim peccatori facilè contingunt. Et huc tendunt verba Domini in hod. Euangelio: *Cuius veſtrûm aſinus in puteum cadet, & non continuò extrahat illum?* quia ſcilicet periculum in mora. Accidit anno 957. in Oriente, vt cùm Saraceni in Herculis vicum irrupiſſent, quidam presbyter *Thamel* dictus ſacrificium incruentum peragens, ita vt erat indutus, manibus geſtans Eccleſiæ myſterium, ſic eos qui irruerant, propulſauerit, vt & multos vulnerauerit, atque etiam interfecerit reli-

reliquis in fugam verſis : quamobrem interdictus ab Epiſcopo, cùm non poſſet impetrare veniam, ad Saracenos ſe conferens Chriſtianam fidem abiurauit, mulctaque poſteà detrimenta Eccleſiæ Imperioque intulit. Ita Baronius anno dicto ex Curopalate. Poterant ea damna vnaque hominis perditio non difficilè impediri, ſi Epiſcopus in tempore ſuccurriſſet lapſo, & clementiæ ſinum pœnitenti aperire non nimis diſtuliſſet. Permultum igitur, vt videmus, refert, quâ ratione quis corrigatur, nec nullius eſt induſtriæ noſſe eripere è puteo aſinum. Ergo, Auditores, ne de puteo peccati impellamus, quæſo, eam, quam dixi, dexteritatem & induſtriam in emendandis fratribus, quo lucremur eos cœlo, ſibi, nobis.

CONCIO *VIII.*

Documeta.

1. *Docet hîc Chriſtus miſericordiam exhibere.*
2. *Salutem proximorum quærere.*
3. *Non admittere in cor noſtrum cogitationes malas.*
4. *Non intermittere opus bonum propter obtrectatores.*
5. *Paſſim vndique prædicare verbum Dei.*
6. *Ambire vltimum locum.*
7. *Conuiuia ſic celebrare, vt mentem cum ventre paſcamus.*

THEMA.

Et ipſi obſeruabant illum. Luc. 14.

A. SCitis, Auditores, in vaginam curuam non intrare gladium rectum. Gladius, verbum Dei eſt, Apoſtoli teſtimonio ad *Eph.* 6. Vagina, Auditorum cor ſeu animus eſt, in quem intrare, per auditum, verbum Dei debet. Cùm ergo Dei verbum, rectum purum ac ſincerum ſit, teſtante Dauide Pſalm. 32. *Rectum eſt verbum Domini, & omnes viæ eius iudicia*; rectus etiam ac ſincerus Auditorum eſſe animus debet; fruſtra alioquin & loquetur Concionator, & audiet Auditor; quia Sapientis vox eſt: *In maleuolam animam non introibit ſapientia*, Sap. 1. quo modo nimirum rectus gladius non intrat in vaginam deprauatam; in hodierno Euangelio deprehendimus quidem Doctorem rectum ac ſincerum, Chriſtum ſcilicet factis & verbis rectè erudientem Phariſæos: diſcipulos tamen, vt ſic loquar, curuos & deprauatos. *Ipſi* enim *obſeruabant eum*; non ſanè vt ab ipſo aliquid diſcerent aut Magiſtrum commendarent, ſed vt reprehenderent. Bona fuit Magiſtri intentio, ſed mala diſcipulorum: rectus erat gladius Chriſti, ſed curua Phariſæorum vagina; quia in contrarium reflexa, ad Chriſtum arguendum: quamobrem ex miraculo & ſermone Chriſti nihil vtilitatis videntur præcepiſſe. Vos ergo, Auditores, illorum errore edocti, rectos & ſinceros ad concionem afferte animos, paratos ad diſcendum, non arguendum. Porrò nunc audiemus Doctorem noſtrum Chriſtum.

Quid igitur hîc docet Chriſtus; PRIMÒ, miſericordiam exhibere. Videt enim Dominus ante ſe hydropicum, & ſtatim eius miſeretur ac ſanat illum. Non expectat vocem ſe precantis, non differt miſerum ad finem conuiuij; vltrò, motu proprio ante diſcubitum ſanat. Hunc igitur in modum & tu, mi Chriſtiane, cùm vides coram te egentem, noli multas expectare preces, noli differre opem, ſed continuò iuua. *Ne dicas*, inquit Sapiens Prouerb. 3. *amico tuo: Vade & reuertere, & cras dabo tibi: cùm ſtatim poſſis dare*, ne videlicet elabatur tibi è manibus occaſio lucrandi cœlum. *Neſcis enim quid ſuperuentura pariat dies*, vt ait idem Prouerb. 27. Conſidera Tobiam, qui inuitatis & conſidentibus iam ad cœnam amicis, vbi audiuit *vnum ex filijs Iſrael iugulatum iacere in platea, ſtatim exſiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus: tollenſque illud, portauit ad domum ſuam occultè, vt dum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum.* Tob. 2. Quanta hæc miſericordia! mortuo Iſraelitæ ſepeliendo poſtponit cœnam, poſtponit amicos optimos. Ac licet ob hanc ſepulturæ induſtriam iam occidi à Rege iuſſus eſſet, non abſtinuit tamen. Denique ſuffecit illi audiſſe ex internuncio, quòd iaceret in platea mortuus; quantò celerius exiliiſſet de menſa, ſi coram ſe iugulatum vidiſſet? ſolent, quæ cernuntur, magis mouere animum, quàm quæ audiuntur. De ſancto illo Ioſeph memorant SS. literæ, quòd cùm vidiſſet fratrem ſuum minimum, Beniaminum, commota ſint viſcera eius ſuper fratre ſuo, & eruperint lachrymæ, feſtinâritque in cubiculum ad plorandum, *Gen.* 43. Quinam verò ſunt fratres noſtri minimi? nónne pauperes & egeni? De his enim ait Dominus: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, Matth. 25. Maiores natu fratres viribus & intelligentiâ præditi ſunt, vnde ſeipſos iuuare queunt, nec ita aliorum egent ope; atqui natu minimus eſt, nec intellectu viget, nec robore corporis. Iſtis igitur pauperes, illis aſſimilantur diuites. Rurſum qui appellandi ſunt, nónne Beniamini? nónne ijdem pauperes? Etenim Beniamin filius dexteræ vocatur: ſed, priuſquam hoc gauderet nomine, Benoni verò à patre. Atqui nónne pauperes in hoc mundo filij doloris adeoque Benoni ſunt? ijdem tamen in cœlo erunt Beniamini, filij dexteræ Dei; *beati* enim *pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei*; inquit Dominus *Luc.* 6. Eccleſia quidem hîc ſentit & vocat eos filios doloris; ſed Deus ſuo tempore vocabit filios dexteræ ſuæ. Igitur ô Chriſtiane, ſi minimos iſtos fratres tuos, ſi Beniaminos tuam coràm intuearis, quomodo non commoueri poſſint viſcera tua & in lachrymas reſolui? quomodo non effundi ad miſerandum? Audi quid diſcipulus, quem diligebat Ieſus, dicat in ep. 1. cap. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?*

B. I. Miſericordia exhibenda.

eſt Aduerte quid dicat: *ſi viderit*, inquit, *fratrem ſuum neceßitatem habere.* Non ait: ſi libello ſupplici, ſi precibus & lachrymis interpellatus fuerit: ſed *ſi viderit* duntaxat, eum pati, non extremam calamitatem, ſed *neceßitatem habere.* Quare ex hoc loco Doctores oſtendunt eleemoſynæ præceptum obligare non tantùm in extrema proximi neceſſitate, ſed etiam in graui. *Grandis culpa*, inquit D. Ambroſius l. 1. Offic. c. 31. *ſi ſciente te fidelis egeat: ſi ſcias eum ſine ſumptu eſſe, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præſertim egere erubeſcat.*

Longiùs ab hoc Chriſti exemplo diſcedere videntur, qui miſericordiam ſuam, non poſt menſam, ſed poſt mortem differunt. Bona quidem eſt eleemoſyna, quam morientes pauperibus relinquunt, ſed multò imperfectior eâ, quæ fit à vegetis & ſanis. Rationem attulit S. Lucia virgo, quâ & matrem Eutychiam conuicit vt viuens in pauperes erogaret, quæ ad mortis horam eroganda ſeruare volebat. *Quid enim magnum eſt*, inquit, *te dare Chriſto, quod neceſſariò relictura? Quid magnum dare, quod ferre non potes.*

C. II. Salus proximi quærenda.

Secvndò, Salutem proximorum magno ſtudio quærere. Videmus enim Chriſtum ſalutem hydropico impendere, non habito reſpectu Phariſæorum, qui factum id culpaturi erant: nec allegare importunitatem loci & temporis, vel iacturam ſuæ exiſtimationis, &c. Nam, vt argumentatur Dominus, ſi aſinus in puteum lapſus, continuò eripitur; quantò magis eripiendus homo è diſcrimine vitæ à puteo hæreſeos vel alterius peccati? *Magna res anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt*, inquit S. Bernard. epiſt. 54. Sapientis monitum eſt: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes*, Prouerb. 24. Atqui in graue aliquod peccatum lapſi ſunt, nónne ad mortem & interitum eumque æternum ducuntur, imò trahuntur à dæmonibus? Erue igitur, ô Chriſtiane, & magnâ contentione eripe illos è manibus carnificum. Quando Dominus miſit diſcipulos ad prædicandum, & curandos infirmos, inter alia eis præcepit: *Neminem per viam ſalutaueritis*, Luc. 10. Eccur verò hæc? quia nimirum, vt explicat S. Gregorius magnâ feſtinatione voluit eos pergere ad lucrum animarum, idque ad unicum ſedulò curare, reliqua nullo aut ita vili habere loco, vt nihil huic curæ præferatur. Eâdem phraſi vſus eſt Eliſæus cùm miſit famulum ſuum Giezi ad excitandum filium Sunamitidis 4. Reg. 4. *Accinge lumbos tuos, & vade. Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* Quid leuius quàm obuios ſalutare & ſalutantibus reſpondere? Hoc tamen non permiſit propheta, ne occaſione ſalutationis longius texeretur colloquium & impediretur ſalus pueri. Cùm de vita periclitatur amicus charus, curritur ad Medicum, nulli ſumptui parcitur; & cur non parem ſaltem adhibeamus operam ad iuuandum proximum, cùm de ſalute eius agitur? Verùm huic exemplo & doctrinæ Chriſti aduerſantur heu quamplurimi, qui maiorem corporum, quàm animarum gerunt curam. Et quid dico corporum? Aſinos & canes ſuos magis curant aluntque heri aliqui, quàm ſeruos ſuos. Multi etiam Principes maiore ſollicitudine tuentur feras ſuas, quàm pauperes ſuos ſubditos. Multi Epiſcopi magis curant rem domeſticam, quàm creditam ſibi Eccleſiam. *Optimi videlicet æſtimatores rerum* (inquit D. Bernardus lib. 4. de conſid. ad Eugenium PP. cap. 6. *qui magnam de minimis, paruam aut nullam de maximis curam gerunt.* Et mox: *De pretio eſcarum & numero panum cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt* (Epiſcopus videlicet:) *rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorũ. Cadit aſina, & eſt qui ſubleuet eam: perit anima & nemo qui reputet.*

D. III. Non admittendæ in cor cogitationes malæ.

Tertiò, Non admittere in cor noſtrum cogitationes malas. Audimus enim in Euangelio Dominum bis reſpondiſſe Phariſæis, cùm tamen illi nihil interrogarint aut præfati ſint. Reſpondit ergo cogitationibus illorum prauis, quas ad vnguem vidit. Quo modo hydropicus ille ante Chriſtum fuit: eodem etiam cogitationes Phariſæorum ante ipſum fuerunt. Errant igitur qui cogitationes aſſerunt exemptas eſſe à diuino iudicio (Die Gedancken ſeyn Zoll frey) Hoc enim ſi verum eſſet, non clamaret Deus per os Iſa. cap. 1. *Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* Erant conſequenter & illi, qui putant aliquid Deo occultari poſſe. Sic namque ipſe per Jeremiam cap. 23. ait: *Putáſne Deus è vicino ego ſum; dicit Dominus? & non Deus de longè? Si occultabitur vir in abſcondito, & ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non cœlum & terram ego impleo dicit Dominus?* Sed quid opus oſtendere, cùm & Ethnici agnouerint? Virgilius eclogâ tertiâ canit: *Iouis omnia plena.* Lucanus lib. 3. canit: *Iuppiter eſt quodcumque vides, quocumque moueris.* Heraclitus inuitabat amicos ad humilem ſuam domum: *Quia*, inquit, *neque huic loco deſunt Dij immortales*; vti refert Ariſtot. *lib. 1. de Part. animal. cap. vlt.* Optimum igitur antitodum malarum cogitationum eſt, conſtituere eas coram Deo per conſiderationem omnipræſentiæ illius. Quis enim fur furabitur in conſpectu Principis ſui? Aquila ad conſpectum ſolis examinat pullos ſuos: nos ad conſpectum Dei examinemus cogitatus noſtros: & ſiquidem illi Dei obtutum ferre poſſunt, retineamus: ſin minùs, abiiciamus velut ſpurios & degeneres.

E. IV. Non intermittendũ opus bonum propter obtrectatores.

Qvartò, Non intermittere opus bonum propter obtrectatores. Ita enim Dominus egit in hodierno Euangelio. Phariſæi obſeruabant eum, quid faceret in die feſto. Si curaret hydropicum, dicturi erant violatum ab eo Sabbatum: ſi non curaret; ſperabant ruituram eius famam & exiſtimationem, vt qui iam vel non eſſet potens, vel non eſſet pius & miſericors. *Ipſe verò*, inquit Lucas, (q. d. non habito Phariſæorum reſpectu) *apprehenſum ſanauit*

erauit eum. Oblatrant canes Lunæ; at ipſa nihilominus promouet curſum ſuum. Idem fecit Dominus, fac & tu mi Chriſtiane: non cura oblatrantes canes: illi ratione carent, tu polles. Pueri canum timore per viam tranſire nolunt: & puſilli animi ſunt, qui ob ſiniſtrum vulgi ſermonem progredi in virtute timent. De formicis ſcribit Pier. *lib.* 35. *hierogl.* quòd alâ veſpertilionis vetentur egredi ad laborem. Quid ala veſpertilionis, niſi vana tenebrionum & cæcorum hominum terriculamenta? formicæ igitur ſunt, pueri & puſillanimes ſunt, qui illorum metu prodire ad bene agendum nolunt. Multi tempore Noë ſubſannabant eos, qui imminens diluuium vaticinabantur & lapidibus incidebant; vti teſtatur Beroſus Chaldæus *lib.* 1. non ideò tamen Noë ceſſauit ædificare arcam ad diluuij diſcrimen euadendum. Non dubito, malè ſanos homines ei obiectaſſe: Quid tu, delire, cogitas cum arca iſta tua? quorſum tu nauigabis? & quomodo tam grandem nauem in mare aut flumen iniicies? & quando tandem venit diluuium illud tuum, cui hoc aſylum paras? cur vano timore agitaris, & tam ſtulto labore conſumeris? ſed omnibus his ſpretis perrexit Noë in fabrica ſua; factumque vt riſus vicinorum in fletum mutaretur, Noë verò beneficio arcæ diluvium euaderet. Multi ſibi arcam ſalutis præpararent & multa bona facerent, niſi eſſent obtrectatores. Sed tu cum Noë ſperne illos.

F. V. Paſſim vndique prædicandum Dei verbum.

1. QVINTÒ, paſſim vbiuis, quandocumque & coram omnibus iacere rete verbi Dei. Etenim Chriſtus primò non in templo ſolùm & locis publicis, verùm etiam in priuatis ædibus doctrinam ſuam effudit, vt in hodierno Euangelio. Nimirum ſeruis etiam & ancillis, quibus rarò conceditur adire Dei verbum & rem diuinam, concionari in ædibus voluit, vt doceret omnibus neceſſarium eſſe Dei
2. verbum. Secundò non vni tantùm aut alteri, ſed omnibus & ſingulis doctrinæ aliquid tradit; primò Phariſæis & Legiſperitis ad oculum demonſtrat non violari Sabbatum curâ hominis infirmi; docens interim verbum Dei audiendum etiam iis, qui docti ſibi videntur. *Sunt enim aliqui*, inquit Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. *etiam ex his, qui verbum Dei audiunt, marinis piſcibus ſimiles, qui cum ab ipſo ortu in ſalſo nutriantur, ſalibus tamen ad condiendum indigent.* Deinde inuitatis omnibus propoſuit parabolam de vitandâ ambitione & ambiendo vltimo loco. Deinique ad hoſpitem ſuum peculiarem ſubiecit parabolam, quâ inſtruxit eum, quos potiſſimùm conuiuas deberet inuitare, ſi magnum inde lucrum
3. reportare vellet; pauperes videlicet. Tertiò non eo ſolùm tempore, quo Hæbræi in ſynagogis congregati erant, concionari voluit, ſed etiam in conuiuiis, quo alioquin homines de verbo Dei nihil cogitant, nec libenter diſſerunt; docens id, quod Paulus Timotheo Epiſcopo præcipit: *Inſta* (prædicationi) *opportunè, importunè, inſta*, inquit; velut bubulcus videlicet, qui ſemper à tergo pecus ſequitur, ſtimulis vrget ad progreſſum. *Verba ſapientum quaſi ſtimuli*, inquit Eccleſ. cap. 12. Vbi Olympiodorus ait: *Sicut ſtimuli boues pungunt vrgentq; aratro ſulcum proſcindere: ita & Theologorum verba excitant nos, qui ſpe bonâ aramus, proſcindere ſulcum ſpiritualem, vt cum purgatus fuerit ager cordis noſtri, pulchros in eo virtutis ſurculos conſeramus.* Quod addit, opportunè, importunè, nullum excipit tempus, quo non poſſit ſeminari Dei verbum. *Verbum opportunum eſt libenter audienti, importunum inuito*, inquit Primaſius. Licet enim quis fortaſſe nunc inuitus audiat, fortè tamen poſtea libenter audiet & conuertetur; vti æger, cui ligato calculus aut vlcus ſecatur, dolet, clamat, quin & medicum ſubinde abigere conatur, ſectus tamen & curatus gratias agit.

G. VI. Ambiendus vltimus locus.

SEXTÒ, Ambire in hoc mundo contemptum & humilitatem, adeoque vltimum locum: fugere verò primum. *Non diſcumbas in primo loco*, inquit Dominus: *ſed vade, recumbe in nouiſſimo loco.* Sed quamobrem adeò fugiendus primus locus, & eligendus potiùs vltimus? 1.
Cauſæ plures ſunt, Prima, quia in loco primo facilè aliis iniuriam facere potes, in infimo nequaquam. Fieri enim poteſt, vt tu quæſitâ dignitate indignus ſis, & alius te dignior ſit; quo caſu huic debetur, non tibi. Vnde ait Dominus: *Ne fortè honoratior te inuitatus ſit*, &c. 2.
Secundò, quia locus primus periculo plenus eſt: infimus periculo caret. E ſupremo deiici ad infimum potes, ex infimo nequaquam. Intruſit ſe Abimelech in primum locum Regiæ dignitatis; ſed citò inde deiectus eſt, occiſus à muliere; *Iudic.* 9. Ambiit eundem Abſalon: ſed mox è quercu pendulus tribus haſtis confixus eſt, 2. *Reg.* 18. Ambiit & Adonias dicens: *Ego regnabo.* Sed dictum eſt ei: Da huic locum; quia regnum non ipſi, ſed Salomoni datum, 3. *Reg.* 1. & 2. Idem expertus eſt Aman. qui neminem præter ſe regio imponendum equo ſperabat; ſed audiit: Da huic locum; & imperatum ei eſt vt eum honorem conferret Mardochæo; ipſe in patibulum appenſus eſt. 3.
Tertiò, quia locus primus inquietus & inuidiæ expoſitus eſt, infimus vero tranquilliſſimus. Videas paſſim homines, pro celſis locis, pro ſceptris, pro tiaris, pro dignitatibus digladiari & contendere, pro nouiſſimo loco nemo gladium exerit. Vti terra ex elementis omnibus tranquilliſſima eſt, quia omnium infima: ita locus infimus. Ignis, quia ſupremum elementum, omnium inquietiſſimus & impetuoſiſſimus eſt. Duxerunt aliquando Germani variæ nationis aciem in Tigurinos hoſtes; ſed vnaquæque natio prima aggredi hoſtem volebat, & ita vna alteri præceſſionem pugnæ inuidebat; vnde factum, vt omnes re infecta diſcederent. Refert Gerardus de Roo in hiſt. Auſtr. Ita multoties inter ſe contendunt ambitioſi, & nemo fert honorem. Quartò, quia 4.
locus primus graui obnoxius eſt iudicio: non item locus infimus. Quia enim aliis præſunt, non pro ſe dumtaxat, ſed pro ſuis ſubditis etiam

by Google

iam rationem reddere bebent: & quæ in ſubditis ſunt leuia errata, in præpoſitis ſunt grauia. Omnibus diſcipulis in horto dormientibus, ſolus Petrus reprehenditur, quia illorum primas erat, *Marci* 14. Omnium ſubditorum oculi in ſuperiorem coniecti ſunt. Procedente columná nubis ſequebantur & Hebræi: ſiſtente columna ſiſtebant & ipſi, *Exod.* 13. Incedente etiam Prælato in virtutum ſtadio incedunt poſt eum ſubditi: deſinente & otiante
5. illo, deſinunt & iſti. Quintò, quia locus ſupremus multis obnoxius eſt peccatorum laqueis; *Sæpe*, inquit D. Ambroſ. in Luc. l.4.c.4. *quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos.* Infimus verò nequaquam; quia D. Anto-
6. nio dictum à Deo humilitas euadit omnes laqueos. Sexto, quia primus locus Lucifero, imus verò Chriſto propinquus eſt; proinde ille contemptiſſimus, hic verò honoratiſſimus. Lucifer in cœlum conſcendere voluit: Chriſtus vbique infimum occupauit locum: A ſummo deiicitur ſuperbus ad imum: ab imo euehitur humilis ad ſummum.

H.
VII.
Conuiuia ſic celebranda, vt non tantum ventrem paſcamus.

Septimò, Conuiuia, ſi celebranda ſunt, ita celebrare, vt non ventrem ſolùm, ſed & mentem reficiamus. Ita enim Chriſtus inchoat conuiuium ab ægroti ſanatione: durante conuiuio inſtruit inuitatos doctrinâ ſalutari: ad finem conuiuij relinquit etiam hoſpiti ſaluberrimum documentum. Apud gentiles olim foribus cœnaculorum litera S. inſcribi ſolebat, quâ ſilentium diſcubituris indicebatur, ne foris effutirent, ſiquid in conuiuiis licentiore linguâ prolatum eſſet. Vnde ortum prouerbium: *Odi memorem compotorem.* Cæl l.12. c. 8. Eam tamen conſuetudinē improbat Plutar. in Sympoſiacis; quia talibus vult ſermonibus vtendum eſſe in conuiuiis, quos efferri ſit honeſtum & conducibile. Rectè, meo iudicio. Decet enim conuiuia præſertim Chriſtianorum, ſermo non ſcurrilis & inconditus, ſed frugifer & honeſtus, qui ab omnibus audiri abſque pudore queat. Audiamus, quæſo, antiquiſſimum ſcriptorem Tertullian. quid de antiquis Chriſtianorum conuiuiis, ſcribat. *Non priùs* inquit in Apologet. c.39. *diſcumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur, Editur quantum eſurientes capiunt. Bibitur quantum pudicis eſt vtile. Ita ſaturantur vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur vt qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina vt quiſque de ſcripturis ſanctis vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio conuiuium dirimit: inde diſceditur non in cateruas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciuiarum, ſed ad eandem curam modeſtiæ & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm diſciplinam*: hæc ille. Sed quorſum nunc deuenimus Chriſtiani? quantis paraſangis conuiuia noſtra diſtant à conuiuiis maiorum noſtrorum? Quid, quæſo, illi dicerent, ſi iam reſuſcitati, luxum, leuitatem, intemperantiam turpitudinem, beſtialitatem, impudicitiam conuiuiorum noſtrorum cernerent? Hiſne Chriſtus, dicerent, dominatur; an verò Bacchus? Hîné Chriſtiani, an verò Epicurei ſunt? Hîne filij & nepotes noſtri? Quare Auditores cautiùs, quæſo, agite in conuiuiis veſtris mortem inueniatis, vti quondam filij prophetarum, 4. *Reg.* 4.

CONCIO IX.

Myſteria.

1. *Quæritur cur & quo animo inuitatus Chriſtus fuerit à Phariſæo.*
2. 3. *Cur ad Phariſæum diuertit, & hoc ad manducandum panem.*
4. *Cur quæſiuit.* Si licet Sabbato curare?
5. *Cur Iudæis Sabbatum tam rigidè præceptum.*
6. *Quæ conceſſa feſtiuis diebus, quæ non.*
7. *Quomodo non primo, ſed vltimo loco ſedere iubeamur.*

THEMA.

Cùm intraret Iesvs *in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum, &c. Luc.* 14.

A.

Qvàm bene in ſacris literis comparatur Chriſtus ſoli? quemadmodum enim ſol quacumque ingreditur radiis ſuis, lætitiam ſecum adfert viuentibus, lumen & calorem, nec non poſt ſe relinquit vberem præſentiæ ſuæ fructum, frugum videlicet prouentum, aëris ſalubritatem, &c. ita etiam Chriſtus, dum in terris conuerſatus eſt, quacunque ingrediebatur, non ſolùm animos præſentium recreabat, ſed prætereà vndique vberem hoſpitij ſui mercedem relinquebat, adeoque inſtar ſolis terram lumine ſuo percurrentis, *pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo*, vt ait S. Petrus, *Act.* 10. In nuptiis diſcubuit, & aquam conuertit in vinum; diſcipulos in fide firmauit, *Ioan.* 2. In domo Simonis diſcubuit, & abſoluit peccatricem, *Luc.* 7. In domo Zachæi hoſpitatus, ſalutem domui tribuit, *Luc.* 19. Marthæ, hoſpitis ſuæ fratrem, ab inferis reſuſcitauit, *Ioan.* 11. In domo Matthæi diſcumbens ipſum Apoſtolum fecit, *Matth.* 9. In hodierno Euangelio diſcumbens in domo Phariſæi, hydropicum ſanauit, hoſpitem ac conuiuas ſuos ſalutari doctrinâ imbuit. Bene ergo de ipſo prædixit Malachias c. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius: & egrediemini & ſalietis ſicut vituli de armento.* Nam quacunque ingreſſus eſt Dominus, ſanitatem ægris attulit, & oppreſſos infirmitatibus exilire fecit ſanos & incolumes. Quare vt hanc hiſtoriam maiori fructu obſeruemus, per quæſtiones explicabimus.

B.
I.
Quo animo inuiderit.

Q. Prima, Cur & quo animo inuitauit Phariſæus Iesvm? (neque enim niſi inuitatus ad eum veniſſet.) Reſp. incertum eſſe; videri

mo inuitatus à Phariſæo Chriſtus. deri tamen malitioſè inuitaſſe Chriſtum. Primò, quia Sabbato inuitauit, quod putabat Chriſtum facilè violaturum. Secundò, quia hydropicum præ foribus ſuis vel ſtatuit, vel tolerauit, adeóque rete Chriſto tetendit. Tertio, quia nomen eius tacetur, cùm tamen alij nominentur, qui bono animo Chriſtum acceperant. Quartò, quia alios complices ſuperbos cenſores & Chriſti obſeruatores inuitauit. Solent enim reprobi quærere ſibi ſocios & ſcelerum ſuorum complices.

Reprobi ſibi ſocios quærunt. 1. Primò, vt magis noceant, ſicut ſcorpiones Libyci, vt ſcribit Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. qui cùm ſoli nocere homini nequeunt, abeunt & reuertuntur cum pluribus, tum ſeſe mutuò brachijs & caudis innectentes, catenam faciunt & de tecto penduli deſcendentes dormientem feriunt omnes ordine ſeruato, dum qui momordit, alteri ſibi proximo viam ſternit: ſic faciunt & reprobi cùm nocere bonis volunt, edocti à patre ſuo ſpiritu immundo, *Luc.* 11. Vnde dicunt Sapient. 1. *Nemo noſtrûm exors ſit luxuriæ noſtræ.*

2. Secundò, Vt minùs peccare metuant. *Cùm ſit enim timida nequitia*, ait Sapiens Sapient. 17. *dat teſtimonium condemnationis.* Timet peccator Deum vltorem, cùm ſe videat reum læſæ maieſtatis diuinæ, ideoque ad minuendum hunc timorem ſocios ſibi adſciſcit. Varius rebellis, ſciens ſe reum læſi magiſtratûs, omnibus conatibus adlaborat vt plures ſibi adhærentes acquirat, quò vel multorum gratiâ impunis maneat, vel ſaltem non ſolus luat.

3. Tertiò, Vt minùs peccare erubeſcant. Nemo ſolus vult haberi malus: cum multis minùs erubeſcit; quaſi aliorum ſordibus ſuas tegere queat. Hæc nimirum dæmonis fraus eſt ad illaqueandos & retinendos in ſua ſeruitute homines.

C. II. Cur ad Phariſæũ diuertit. 1. Q. Secunda, Cur ad Phariſæum diuertit Chriſtus, cùm ſciret in eius domo conuiuium celebrari, & præterea laqueos ſibi tendi? An neſciebat id Prouerb. 23. *Ne comedas cum homine inuido, & ne deſideres cibos eius*? Adhæc quia periculoſa ſunt conuiuia, ideò S. Ambroſius & S. Auguſtinus nunquam ea adire voluerunt. Reſpond. primò, diuertiſſe Chriſtum ad Phariſæum, vt occaſionem haberet vel in menſa & conuerſatione familiari, erudiendi & miraculo domeſtico lucrandi Phariſæos, etiam cum alioquo famæ & honoris ſui diſpendio. Serapion Abbas oppidum infidelium ingreſſus, cùm publicè prædicantem in medio ciues pellerent, vænundare ſe illis cœpit in ſeruum, vt ſaltem cum dominis priuatim colloquendi poteſtatem haberet, atque ita de vno ad alterum tranſibat, omneſque erudiebat. Pallad. in hiſt. Lauſ. 83. Vitalius Monachus in vrbe Alexandrinâ proſtibula adibat, & pactus pretium cum laſciuis fœminis, loco ſecretiore, procumbens in oratione peruigil iacebat, donec illuceſceret dies: ex quo illæ ſtupefactæ & bonis cogitationibus imbutæ, in ſe reuerti & corrigere vitam cœpêre, Marulus l. 3. c. 1. Multò ſecuriùs potuit adire conuiuia Chriſtus, quia nullum erat de eius peruerſione periculum, & *fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum*, ait Sapiens Prouerb. 1.

2. Secundò, Vt omnibus omnia fieret. Dixiſſent alioquin Iudæi, Dominum eſſe miſanthropum, qui hominum familiaritatem fugeret, & nihil in ſe humani gereret. Voluit ergo ſe accommodare nonnihil hominum moribus; cum illis edere & bibere: tum vt eos ſuauiùs & faciliùs ad ſe alliceret. Quamuis & hac ratione parum profecit; ideò enim *Matthæi* 11. comparat eos pueris in foro ſedentibus, qui nec ad cantum nec ad planctum ſodalium afficiuntur. *Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax & potator vini.* Voluit ergo Dominus non tantùm plangere Iudæis, ſed & canere; ne haberent excuſationem. Tum vt doceret conuiuia ex ſe mala non eſſe, imò, multa ſæpe bona fieri in ijs poſſe, ſi debito modo fiant. Rectè vtique fecerunt Ambroſius, Auguſtinus & alij, qui ob periculum animæ conuiuia vitârunt. Non malè tamen alij Sancti, qui ob fructum animarum eadem adierunt. Magnus ille Abramius Syrus cum nepte meretrice accubuit, vt eam Chriſto lucrifaceret apud S. Ephrem Syrum *tom.* 3. *pag.* 260. S. Anſcharius Epiſc. Bremenſis, velut grauiſſimum Euangelij laborem prælongas Dani Regis perpotationes tolerabat, ne Rex in grauius ſcelus laberetur; vt in eius vita.

D. III. Quare ad manducandum panem dicitur intraſſe. Q. Tertia, Quare dicitur Chriſtus intraſſe ad manducandum panem? nunquid præter panem aliud nihil aut à Phariſæo appoſitum, aut à Chriſto comeſtum fuit? Reſpondeo, panem in Scriptura ſignificare totam refectionem, voluiſſe autem Euangeliſtam vocare eam panem, ad indicandam Chriſti ſobrietatem. Vocauit, arbitror, Phariſæus Chriſtum ad conuiuium: ſed Chriſtus non venit tanquam ad conuiuium, ſed *vt manducaret panem*, id eſt, modicam & vilem refectionem, quaſi ſolo pane futurus admodum contentus. Sobriis enim hominibus meliùs ſapit panis, quàm luxui deditis maximæ cupediæ. Teſtatur id de S. Franciſco S. Bonauentura, Nam Romæ ad menſam Cardinalis inuitatus, priùs iuit oſtiatim mendicare panem: cumque ad menſam Cardinalis apportatum maiore guſtu comedit, quàm alios cibos. Itaque docet Dominus inuitatos ad conuiuia non venire tanquam ad conuiuia & gulam explendam, ſed tanquam ad panem comedendum, ſeu naturam moderatè & abſque cupiditate reficiendam. Inuitârat aliquando Diogenes Platonem ad ficus comedendas. Cœpit vnà comedere Plato, ſed auidiùs. Tum Diogenes: *Participem eſſe dixi, non deuorare.* Ita, in conuiuiis participem fieri licet, deuorare omnia velle non licet. Rurſùm quemadmodum SS. Patriarchæ cum pluribus ſpecioſis vxori-

vxoribus fuêre caſtiores, quàm multi hodie cum vna deformi, quia non, libidinis ſed filiorum procreandorum gratiâ illis iungebantur: ita ſæpe contingit viros principes cum multis & delicatis cibis ac veſtibus temperantiores atque modeſtiores eſſe, quàm ſint aliqui mediocris conditionis veſcentes cibis vilibus. Siquidem *in cibis & alijs prætereuntibus rebus, non vſus rerum, ſed libido vtentis in culpa eſt*, ait S. Auguſtinus libr. 3. de doctrina Christiana capit. 12. Et ſuper epiſtol. Joann. *Delitia qualibet, ſi abſque deſiderio percipiantur, non officiunt, & viles cibi appetenter accepti impediunt profectum abſtinentiæ.*

E. IV. Cur quæſiuit: ſi licet ſabbato curare?

Q. QVARTA, Quare interrogauit Dominus Phariſæos: *Si licet Sabbato curare?* An non licebat illi, quod volebat facere? Reſpondetur primò, vt ſtultam eorum cogitationem confunderet, quâ ſentiebant eſſe vetitum ſanare die ſabbati. Quid enim eſt aliud interrogare, num liceat ſabbato curare, quàm quærere, vtrùm in templo liceat orare? Sabbatum enim pijs operibus & diuino cultui dedicatum eſſe conſtat, vti templum orationi. Itaque hac vna quæſtione, dum extrahit quodammodò gladium è vaginâ, vulnerat hoſtes, & ſecat eos medios. Arguit ſimul hæc noſtra ſæcula, in quibus mundus non iam Deo, ſed potiùs diabolo conſecrat dies feſtiuos, ludis, choreis, comeſſationibus, ſomno, ebrietati, otio, &c. ita vt pæne licentiam à mundo petere debeat, ſiquis illis diebus velit bene agere, & ſubtrahere ſe à peccatis aut peccandi occaſionibus. Quot enim feſtis diebus paſſim audiuntur lyræ & lyripipia, quæ vicinos moleſtant, & impediunt à pijs exercitijs? Quot clamores & inſanæ cantilenæ in tabernis? quantus choriZantium ſtrepitus? quot luſorum & compotatorum conuenticula, ad quæ abſtrahuntur ſocij, vicini, amici? Quot vndiq; laqueos tendit auceps diabolicus hominibus? Nimirum quemadmodum Ieroboam volens continere populum Iſraël in ſua poteſtate, ne reuerteretur ad legitimum Dominum ſuum Roboam Regem Iuda, erexit duos vitulos aureos, vnum in Bethel, alterum in Dan, iuſſitque, vt ne aſcenderet populus in Ieruſalem ad ſacrificandum, ſed iret potiùs ad vitulos illos, 3. *Reg.* 12. ita agit diabolus, qui vt à Dei veri cultu, à templi viſitatione & pijs operibus homines auertat, erigit eis paſſim vitulos aureos, ludos, choreas, ſymphoſia, nundinas, &c. iubetque vt cum iſtis tranſigant ſabbata ſua. Sed quid ſubdit Scriptura? *Factum eſt verbum hoc in peccatum*, inquit. Ita & feſta noſtra, quæ ad ſalutem noſtram inſtituta ſunt, fiunt nobis in peccatum & perditionem.

Secundò, Vt occaſionem murmurandi & cauillandi, hoc modo eis præſcinderet, & animos eorum erga ſe exaſperatos emolliret. Dum enim interrogati tacent, hoc ipſo fatentur, ſe non poſſe culpare ſanationem ægri. Ad hunc modum, cùm quis videt, ſe alicui eſſe lapidem offenſionis, etiam præter culpam; aut occaſionem darealiis murmurandi & detrahendi: decet, vt ſe purget, proximos informet, quâ mente vel quo iure hoc aut illud egerit: non aliter ac charitas fraterna monet, vti lapidem è viâ propellamus, quem timemus alteri fore offendiculum. Sic etiam emolliendi ſunt animi iracundi, benignâ ſcilicet interrogatione aut veniæ petitione, quia *ſermo mollis frangit iram*. Item cùm quid acturi, timemus aliorum offenſionem, decet priùs interrogare, num bonâ eorum veniâ fieri poſſit.

F. V. Cur Iudæis ſabbatum tam rigidè præceptū.

Q. QVINTA, Cur Iudæis ſabbatum tam rigidè præceptum? Non enim licebat eis facere in eo quidquam operis, non egredi de loco ſuo, (*Exod.* 16.) non ſuccendere ignem in tabernaculis, ac proinde nec cibos coquere, (*Exodi* 36.) adeò vt qui ligna collegerat in ſabbato, iuberetur à Deo lapidari, *Num.* 15. Reſpondetur primò, vt eſſet aliquis in hebdomade dies, quo Deo vacarent, recolendo eius beneficia, creationis potiſſimùm & liberationis ab Ægyptiacâ ſeruitute, vt patet *Gen.* 2. *&* *Deut.* 5. 1.
Si enim ſeparatum tempus habemus ad ſomnum & cibum capiendum, cur non etiam ad Deum colendum? Secundò, vt impenſis corpori ſex diebus, impenderetur animæ ſeptimus, quo negotia ſalutis & animæ ſuæ componerent. Tertiò, vt auaritia hominum compeſceretur, & diſceret Deo fidendum, qui nequaquam paſſurus ſit eos interire, licet ſubinde ceſſent à laboribus. Denique vt eo die daretur requies à laboribus, ſeruis, ancillis & iumentis, qui alioquin ab heris prorſùs attererentur laboribus; vt patet *Deut.* 5. vbi dicitur: *Vt requieſcat ſeruus tuus & ancilla, ſicut & tu.*

Et hæ eædem rationes vrgent magis Chriſtianos ad Sabbatum ſuum (quod eſt Dominica dies ex inſtitutione Apoſtolorum ob Reſurrectionem Chriſti) ſedulò obſeruandum. Maiora enim accepimus à Deo beneficia: magis ſpirituales eſſe debemus & Dei cultui intenti: magis ab auaritia remoti: magis erga ſeruos & ancillas miſericordes. Vnde non mirum, ſiquando Chriſtiani ob violationem huius præcepti grauiùs puniti ſint & ſæpiùs.

G. VI. Quæ conceſſa feſtiuis diebus, quæ non.

Q. SEXTA, Quæ ſunt illa, quæ licent diebus feſtiuis, quæ non? Reſpond. primò. Non licere opera ſeruilia, vti mechanica, pingere, militare, &c. Quæ tamen excipiuntur primò, cùm opus eſt paruum & modicum, non diu durans, vt tonſio vnius hominis, labor ad tres horæ quadrantes, &c. Secundò, quæ cum cultu diuino ſunt coniuncta, ad eumque pertinent. Tertiò, quæ fiunt causâ pietatis & charitatis in proximum, vti infirmas & miſerabiles perſonas. Quartò; quæ ob neceſſitatem propriam vel alienam fiunt, vt cùm famuli iubentur laborare ab heris, iuſto metu adacti; & quæ fiunt ob neceſſitatem humanam, nec abſque notabili damno proprio vel alieno differri vel omitti queunt. Quintò, cùm quid introductum eſt communi conſuetudine, cui ſuperior non contradicit.

2. Reſpond. Secundò, Liberalia omnia licere, præter-

præterquam quæ iure vetita ſunt. Vti imprimis, mercantiæ: deinde cauſæ forenſes & quæ illas concernunt, vti iudicium, ſententia cauſâ mortis, ſeue tiam pœnæ ciuilis, iuſiurandum. Hæc enim à iure prohibita ſunt feſtiuis diebus.

H. VII. Quomodo non primo, ſed vltimo loco ſedere iubemur.

Q. SEPTIMA, Quomodo iubet Dominus, vt non diſcumbamus primo, ſed vltimo loco? Nemóne primo loco ſedere debet? vltimo quomodo plures poſſunt? Reſpondetur, Dominum velle, vt non eligamus, ſeu ambiamus, aut præripiamus primos recubitus; ſed quantum in nobis eſt, potiùs vltimum locum appetamus. Potes ergo & in primo loco, ſi ad illum vocatus eoque dignus ſis, ſedens, ſedere interim corde in vltimo, inferiorem te & viliorem cæteris reputando. Vnde Autor imperfecti in Matth. homil. 43. ait: *Non tantum curat Deus, vbi corpus hominis iaceat, ſed in qua parte mens conſcientia ſit collocata. Ergo quod iubet nobis in vltimo loco recumbere, non ſolùm ſic iubet, vt corpore in nouiſſimo iaceamus, ſed etiam animo, vt nouiſſimos nos eſſe iudicemus. Nam ſine cauſa loco ſe humiliat, qui corde ſe prefert.* Sic ille. Peccat ergo contra hanc regulam primò, qui honoratiorem conuiuij locum paribus vel dignioribus præripit. Secundò, qui cùm longo interuallo cæteros præcat, quærit ſibi poſtremum; hoc enim eſt manifeſtè indecens, & ſuſpicionem ingerit affectatæ modeſtiæ. Tertiò, qui poſtremo loco poſitus, affectat digniorem. Quoniam igitur omnes, quicunque & vbicunque ſimus, vltimum obtinere locum poſſumus, modo & ratione indicatâ, contendamus dilectiſſimi, contendamus omnes pro hoc loco: quod fiet, ſi cum Paulo inter peccatores, primos nos exiſtimemus; inter iuſtos verò, infimos. Ille enim ſe peccatorem *primum*, id eſt, maximum vocauit, 1. *Tim.* 1. Sanctorum verò *minimum*, ad Eph. 3. Tales & nos reputemus; vt ibi à Deo exaltari mereamur & audire illud: *Amice, aſcende ſuperiùs.*

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Matth. 22.

IN illo tempore: Acceſſerunt ad IESVM Phariſæi: Et interrogauit eum vnus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magiſter, quod eſt mandatum magnum in Lege? Ait illi IESVs: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ. Congregatis autem Phariſæis, interrogauit eos IESVS, dicens: Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum: neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.

CONCIONES.

I. *Dilectionis Dei mandatum cur magnum.*
II. *Stimuli ad diligendum Deum.*
III. *Incitamenta ad diligendum Chriſtum.*
IV. *Quomodo ſit diligendus Deus.*
V. *Incitamenta ad diligendum proximum.*
VI. *Varia hominum de Chriſto iudicia.*
VII. *Calumnia aliquot Hæreticorum in Pontificem & Pontificios refutantur.*
VIII. *Documenta.*
IX. *Myſteria.*

CONCIO I.

Dilectionis Dei mandatum cur magnum.

1. *Magnum eſt mandatum charitatis dominatus latitudine.*
2. 3. *Nobilitate & opulentiâ.*
4. *Potentiâ & imperio.*
5. 6. *Diuturnitate & neceſſitate. Explicatur deinde quid ſit diligere Deum ſuper omnia.*

T H E M A.

Quod eſt mandatum magnum in lege? Matth. 22.

A. M*Agni* cognomentum, Auditores, paucis datum eſt, iis nimirum ſolis, qui in re aliqua præclara, veluti armorum induſtriâ animique fortitudine, virtute, ſcientiâ, ſupra omnes alios ad miraculum excelluère. Hoc è numero fuère Alexander M. qui animi fortitudine & victoriarum gloriâ inter Ethnicos: Conſtantinus M. & Carolus M. Imperat. qui eâdem inter Chriſtianos inclyti fuère. Gregorius M. qui inter ſummos Pontifices virtute ſimul & doctrinâ: Baſilius M. qui inter Epiſcopos Orientis: Albertus M. qui inter Epiſcopos Germaniæ doctrinæ laude eminuerunt. Prætereo alios quoſdam hoc honoris titulo inſignitos. Si de hominibus virtute præcellentiſſimis ad virtutes ipſas gradum facere velimus, reperiemus inter eas vnam præ cæteris omnibus hoc cognomine dignam, Charitatem videlicet. Huius enim mandatum *magnum*, imò *maximum* & *primum* appellatur ab ipſa Dei ſapientia in hodierno Euangelio: ab Apoſtolo verò Iacobo c. 2. epiſtolæ *lex regalis*. Cùm ergo magnorum Heroum magnas virtutes libenter audiamus, ſpectemus magni huius mandati magnas & miras præcellentias.

Magnum igitur, imò maximum eſt hoc mandatum & imperium Charitatis.

B. I. Magnum eſt dominatu. PRIMÒ, Dominatûs latitudine; quia comprehendit & obligat omnes homines. Nemo ab huius imperio eximitur, quia nemo eſt, qui non debeat diligere Deum factorem, conſeruatorem, redemptorem ſuum: nemo qui non poſſit; quid enim facilius quàm amare? & amare Deum, ſummum bonum? Non poterit ægrotus ieiunare, flagris ſe cædere, peregrinationes ſuſcipere; at poterit amare. Non poterit pauper eleëmoſynas facere; at poterit Deum diligere. Hanc ob cauſam hoc mandatum appellatur *latum nimis*, Pſal. 118. & exponit ibid. S. Auguſt. *ſerm.* 22. Deinde complectitur in ſe omnia alia mandata: quia ex illo pendere legem & Prophetas aſſerit hîc Dominus. Et Apoſtol. ad Rom. 13. *Plenitudo legis eſt dilectio.* Qui enim Deum diligit, omnia eius mandata ſeruat, adeoq; etiam mandatum de diligendo proximo. Vnus ille lapis, quo Dauid proſtrauit Goliathum, tantum valuit, quantum omnes quinque, quos impoſuerat peræ ſuæ; quia illo vno æquè illum occidit, ac ſi omnes adhibuiſſet, 1. *Reg.* 17. ita vnica charitatis lex ſeruata, eſt inſtar omnium aliarum. Denique comprehendit omnes homines, amicos & inimicos, notos & ignotos, ciues & peregrinos. Quemadmodum enim cœlum ſuâ amplitudine totam ambit terram, eamque ſolis radijs calefacit & fœcundat, pluuijs quoque irrigat, etiam in ſpinoſis & ſaxoſis locis: ita præceptum charitatis omnes homines inuoluit, vultque amoris radijs tangi ac foueri, beneficijs quoque irrigari, ſiue amici ſint ſiue hoſtes, ſiue ciuiles ſint ſiue barbari.

C. II. Nobilitate. SECVNDÒ, Nobilitate. Imprimis enim omnium madatorum ſupremum & præſtantiſſimum eſt: & *quemodo oleum*, inquit S. Auguſt. ſer. 42. te temp. *omnibus humoribus ſuperius eſſe cognoſcimus: ita charitas omnibus virtutibus ſublimior comprobatur.* 1. Quod eſt aurum in metallis, ignis in elementis, ſol in planetis, Seraphim in Angelis, empyreum in cœlis, hoc eſt charitas in virtutibus; ait enim Apoſt. 1. Cor. 13. *Maior horum* (virtutum Theologicarum) *eſt charitas.* Ea porrò eſt aurum fulgentiſſimum, quo cæleſtes emimus merces: eſt ignis cœleſtis animas hominum inflammans: eſt ſol omnia illuminans, viuificans & fœcundans: eſt ſeraphica virtus, quæ Seraphinos inflammat: eſt cœlum quaſi empyreum, in quo Deus & beati habitant, mutuo amore ſeſe complectendo.

2. Deinde cultores ſuos nobilitat & ad ſupremam dignitatem euehit. Supremi Angeli ſunt Seraphini, ab amore dicti & ob excellentiſſimum diuini amoris gradum ad eum cœli apicem exaltati; vt hinc intelligamus, quòd dilectio Dei homines ad ſummam dignitatem attollat; ea verò eſt, denominatio & ſors filiorum Dei, teſte D. Joan. ep. 1. cap. 4. dicente: *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt.* q. d. Dei filius eſt; (adoptiuus, non naturalis.) Hoc verò plus eſt, quàm eſſe ſupremum Angelum; ſi ſolam naturam eius conſideremus, præſcindendo ſcil. à gratiâ & charitate eius. Quantò magis igitur excelluerit aliquis in charitate, tantò altiorem in cœlo thronum ſortietur, tantoque maior apud Deum erit. Vnde S. Bernard. *in Cant. ſerm.* 27. ait: *Quantitas cuiuſque animæ æſtimatur de menſura charitatis, quam habet.* Eâ qui caret, etſi aliâ omni virtute, omniq́ue ſcientiâ abundet, *æs ſonans* eſt, *cymbalum tinniens* eſt, *nihil* eſt, vt cit. loc. differit S. Paulus.

3. Denique non cultores tantùm ſuos, ſed eorum etiam virtutes alias nobilitat & ornat. Quemadmodum enim ſol cæteris ſtellis ſplendorem & pulchritudinem communicat: ita charitas fulgorem & ornatum dat virtutibus. Abſque ſole eſſe, cæteræ ſtellæ nullum aut exiguum ſplendorem haberent, omneſque licet vnitæ diem efficere non poſſent: ita abſque charitate cæteræ virtutes mortuæ quaſi & obſcuræ ſunt, nec efficere poſſunt vt in anima refulgeat ſplendor diuinæ ſimilitudinis, quæ eſt gratia. Sola charitas nunc ſplendorem, hanc cœle-

cœleſtem Iridem in anima deſcribit. Quare *venuſtè Plautinus ſenex amorem appellat Deum munditiantem; id eſt, omnia munda & elegantia reddentem*, inquit Beroaldus. *Mater eſt virtutum*, vt ait S. Laurentius Juſtinianus *l. de ligno vitæ c. 3.* vt mater virtutes alit, roborat, ſuſtinet. Si mater hæc moriatur, protinus filiæ cum matre moriuntur. Manet enim fides, manet ſpes, manent & virtutes acquiſitæ: ſed mortuæ manent. Orbitas hanc mortem effecit, mors, inquam, charitatis. Denique anima virtutum eſt, à qua earum vita pendet.

D. III. Opulentiâ. Tertiò, Opulentiâ. Quiſquis enim hoc mandatum obſeruat, Primò ipſum Deum habet, ſeu ius ad cœleſtem hæreditatem. Diuitem ſe aſſerebat Epiſcopus Laodicenus & locupletatum, nullius indigentem. Sed quid ſcribit ipſi S. Joannes Apocal. 3. *Neſcis*, inquit, *quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper & cæcus & nudus.* Quid igitur ipſi deerat, vt reuera diues eſſet? Subdit hoc quamprimum Joannes: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias.* Aurum iſtud charitas eſt (vt optimè exponit Richardus, Beda, Anſbertus, Hugo Cardinal.) ardens & purgata ab hypocriſi & ſcoriâ cupiditatis. Ita *ſine charitate diues pauper eſt*, ait Laurentius Iuſtinianus citatus capit. 4. *& in charitate pauper eſt diues. Charitas enim theſaurus eſt abſconditus. Nulla ſunt maiores diuitiæ, quàm Deum poſſidere & charitatem habere, &c.* Nónne ditior vobis videtur, qui plenus eſt Deo, quàm qui plenus eſt auro? Deinde omnia ſua opera (dummodò mala non ſint) beneficio charitatis aurea facit, hoc eſt, meritoria vitæ æternæ. Midam illum Phrygum Regem ditiſſimum fabulati ſunt Poëtæ obtinuiſſe à Baccho, in hoſpitium aliquando ſuſcepto; in hoſpitij teſſeram, vt quidquid tangeret, in aurum verteretur. Sed cùm epulæ quoque in aurum ipſi mutarentur inter edendum, facti pœnitens, orauit Bacchum, vt hoc munus ab eo tolleret. Quod non potuère ficti Dij, hoc potuit verus Deus: conferre, inquam, homini gratiam, quâ omnia ſua opera quodammodò inauret, & meritoria cœli faciat. Idque obtinet homo beneficio charitatis. Hæc operum anima eſt, ea viuificans: hæc eorundem lux eſt, ea illuſtrans viuis, vt aiunt, coloribus: ignis eſt ea igniens; nam vt ignis ferro ſui conſortium & ſimilitudinem impertit: ita charitas omnium virtutum actus, etiam indifferentes, ſi eos informet, igneos reddit ac meritorios. Sine eâ mortui ſunt, obſcuri & tenebricoſi ſunt, frigidi ſunt. Diſplicuit Deo munus Caini, quia ſine adipe: placuit munus Abelis, quia de adipe fuit. *Geneſ.* 4. Charitas operum adeps eſt, ſine quo macilenta coram Deo & inſipida ſunt. Ac licet munus ſeu opus in ſe vilius ſit, ſi tamen plus huius adipis habeat, plus valebit alio grandi. Denique præter indicata ſtipendia ſperare poteſt plurima alia dona, ſingularem protectionem, proſperitatem in omnibus ſuis actionibus. Ait enim Apoſtolus ad Rom. 7. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; etiam quæ moleſta eis ſunt, tribulationes, dolores, morbi, curæ, mors; ipſi etiam lapſus eorum. Vnde Auguſtinus lib. de gratia & liber. arbit. *Quid eſt, omnia?* inquit, *niſi & ipſa terribiles ſæuaq; paſſiones?*

E. IV. Potentiâ & imperio. Quartò, Potentiâ & imperio. Nam imprimis imperat & dominatur omnibus affectibus, odio, iracundiæ, timori, cupiditati, cæteriſque effrænatis paſſionibus, ſenſibus quoque & membris corporis. Id declarans S. Chryſoſtomus in Act. 18. ſimilitudine citharæ, ait: *Hæc melodia dæmonum furorem compeſcit, & affectionum demulcet impetus, imò eis ſilentium indicit: ſicut muſico choro perſonante omnes auditores, quantumuis garruli & turbidi, ſilent & auſcultant.* Eſt velut regina quædam omnibus imperans facultatibus, vt nihil ipſi durum ſit aut moleſtum, nihil eam à propoſito retrahere aut impedire queat. Adhæc vincit & perrumpit omnia. Quemadmodum mors neminem mortalium curat, ſed omnes inuadit ac ſternit: ita Dei dilectio ad neminem attendit, nec ad proprios parentes, cùm obſtare ei conantur. Vnde *Cantic.* 8. dicitur: *Fortis eſt vt mors dilectio.* Imò fortior eſt morte; quia S. Paulus igne charitatis accenſus ipſam mortem prouocat in certamen: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* inquit. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita,* &c. Rom. 8. Sanè etiam teneræ puellæ ſæpe prouocârunt mortem & omnis generis tormenta, quaſi in duellum. Ipſe Dacianus Præfectus, cùm Vincentium inuictiſſimum martyrem torqueret, nec tamen à propoſito fidei poſſet auellere, exclamauit: *Victi ſumus*; vti egregiè annotauit D. Auguſtin. ſermon. 12. de Sanctis. Eodem Canticorum loco comparatur charitas igni vehementiſſimo, qui extingui nequit: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Ignis eſt charitas, quia vt ignis omnia domat, vti duriſſimum ferrum & marmor: ita amor omnia aduerſa emollit & vincit; tribulationes, tentationes, obtrectationes, vituperia, &c. nihil poſſunt ad eam extinguendam. Adhibe minarum flabra, aquarum blanditias, fluminum ſtrepitus & impetus: fremat & minetur diabolus, aduletur mundus, titillet caro, ſæuiant tribulationes, nihil efficient nec ſeparabunt ſponſam ab amore ſponſi. Nauis eſt fortiſſima, quæ omnes fluctus ſuperat, ſpernit & elidit.

Denique hominem cum Deo fortiſſimè connectit, vt nulla vi aut potentiâ ab eo ſeparari queat. Vnde vocatur *Vinculum perfectionis*, hoc eſt, perfectiſſimum, quia ſuperat vinculum cognationis, imò & deſponſationis ſeu nuptiarum, quas abrumpit potiùs, quàm diuelli ſe patiatur à Deo; *ad Coloſſ.* 3.

F. V. Diuturnitate. Qvintò, Diuturnitate. eſt enim primum & vltimum mandatum. Primum atteſtante Domino in hodierno Euangelio; quia nimirum ante legem Moyſis, in lege naturæ ſtatim à creatione hominis cœpit

eum obligare. Æquum enim ac iuſtum eſt vt homo creatorem, conſeruatorem & rectorem ſuum præ omnibus alijs diligat. Licet igitur hoc mandatum ſcriptum non foret, nihilominus obligaret nos omnes, quamprimum vti ratione poſſumus: & naſcitur quodammodò nobiſcum in vtero matris. Vltimum eſt Apoſtolo teſte 1. *Corint.* 13. quia *charitas nunquam excidit*, inquit. Manet enim cum beatis in cœlo per omnem æternitatem. Ceſſabit in cœlo fides, quia ob ineuidentiam imperfecta eſt, nec creditur ibi, ſed videtur Deus facie ad faciem. Ceſſabit ſpes, quia & ipſa ob rei ſperatæ abſentiam imperfecta eſt, & ibi iam obtinetur quod ſperabatur. Ceſſabunt & alij virtutum habitus, quia & illic illorum actus. Sola charitas non excidit, ſed cum beatis manet, quia per eam vtpote virtutem perfectiſſimam diligunt Deum ſemper. Prætereà alio quoque ſenſu nunquam excidit charitas, quia hominem, quantum in ipſa eſt, nunquam deſerit neque à Deo excidere ſinit. Vnde Caſſianus *coll.* 3. *capit.* 7. ait: *Charitas eſt quæ ſectatorem ſuum nunquam ſinit cadere ſupplantatione peccati*; quamdiu videlicet is ſtudebit charitati, nec per vim eiiciet illam. Liberrimum igitur ac latiſſimum eſt imperium charitatis, quam ſi retinueris, imperator eris perpetuus. Hinc D. Auguſtinus *in* 1. *Ion.* 4. *tract.* 7. ait: *ſemel breue præceptum tibi præcipitur: Dilige, & fac quod vis.*

G. VI. Neceſſitate.

SEXTÒ, Neceſſitate. Huic enim mandato ſubſcribere debent, quicunque Deo placere & cœlo inſcribi volunt. *Qui non diligit, manet in morte*, inquit D. Joannes *epiſt.* 1. *capite* 3. Quare ſicut genuinæ aquilæ proles ad ſolis intuitum examinantur: ita filij Dei adoptiui in hoc probantur, ſi per effectum charitatis Deum irretortis oculis intuentur. Quod ſi creaturam aliquam plus diligant quàm Deum: adulterinæ proles ſunt, & proinde abijciendæ à nido protectionis diuinæ & ſalutis. Diſtinguit ergo charitas improbos à probis, hœdos ab ouibus, milites Chriſti à militibus diaboli. Hæc illorum character eſt, hæc vexillum. Qui veſte nuptiali caruit, è conuiuio abreptus & in tenebras exteriores proiectus eſt: idem contingit illi, qui veſte charitatis, quæ *operit peccatorum multitudinem*, deſtitutus fuerit. Alteruter ignis nobis neceſſarius eſt, aut ignis amoris, aut ignis inferni. Si non arſerimus igne charitatis, ardebimus igne gehennæ. Qui charitatis igne præditus eſt, ad cœlum euolabit, duabus illis alis; amore Dei & proximi. Qui igne illo caret, euehi non poterit; ſed peccati pondere deprimetur ad infernum. Vnde D. Bernard. ſerm. 2. de S. Michaële, ait: *Perire neceſſe eſt hominem, qui charitatem non habet, etiam ſi tradiderit corpus ſuum, ita vt ardeat.* Et S. Auguſtinus lib. 50. homiliarum hom. 50. *Sola charitas ſufficit, ſi adſit. Cætera omnia nihil proſunt, ſi ſola charitas deſit.* Iure igitur mandatum charitatis, mandatum magnum dicitur.

H. VII.

Neque etiam ſufficit qualicunque modo Deum amare: ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus amandus eſt, hoc eſt, ſuper omnia, vt explicat Auctor op. imperf. in Matth. homil. 42. *Quid eſt*, inquit, *diligere Deum ex toto corde? id eſt, vt cor tuum non ſit inclinatum ad vllius rei dilectionem ampliùs, quàm ad Dei: nec delecteris in aliqua ſpecie mundi ampliùs quàm in Deo: non in honoribus, non in auro vel argento, &c. Sed hæc omnia exiſtimes tibi eſſe in Deo, vt præ his omnibus Deum ames. Sic ergo & omnis anima Chriſtiana, quæ ſponſa eſt Chriſti, ita diligere debet Deum, vt nihil ſit in mundo, quod ampliùs amet quàm Deum, aut in tantum. Pro quantâ autem parte plus amauerit, tantâ parte minùs amat Deum.* Poſſunt ergo & creaturæ amari, ſed tamen infra Deum: ſi æquè aut plus amentur, mortem animæ adferunt. Appoſitè Rex Salomon ſponſam, id eſt, animam Deo deſponſatam palmæ comparauit *Cantic.* 7. cùm ait: *ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ.* Etenim palma hoc habet præ alijs arboribus, quòd infrà, ad radicem, ſtipes eius tenuis & anguſtus, ſuprà verò ad cacumen craſſus ſit & robuſtus; infrà anguſtatur, ſuprà dilatatur. Cæteræ arbores infrà craſſum habent ſtipitem, ſuprà verò quò magis in altum aſſurgunt, eò magis tenuem. Anima igitur Deo deſponſata debilem & exilem amorem gerit erga terram & creaturas: fortem verò ac magnum erga Deum. Contrarium videre eſt in mundi amatoribus. Audiamus D. Gregorium libr. 19. moral. cap. 35. *Omnis arbor*, inquit, *ſuo robore iuxta terram vaſta ſubſiſtit, ſed creſcendo ſuperiùs anguſtatur, & quantò paulìſper ſublimior, tantò in altum ſubtilior redditur. Palma verò minor ab imis inchoat, & iuxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit, & quæ tenuis ab imis proficit, vaſtior ad ſumma ſuccreſcit. Ita huius ſæculi dilectores in terrenis fortes ſunt, in cœleſtibus debiles: pro temporali lucro & gloriâ ad mortem deſudare parati ſunt: pro æterna gloria nec parum quidem in labore ſubſiſtunt, &c. At contrà iuſtorum vita per palmam ſignificata, qui nequaquam in terrenis ſtudiis ſunt fortes, ſed longè magis ſtudioſos ſe exhibent Deo, quàm ſæculo.* Arbor vulgaris erat initio Heli Sacerdos, dum magis amauit filios ſuos quàm Deum, dum delinquentes contra diuinum honorem non correxit. Vnde exprobrat ei Deus: *Magis honoraſti filios tuos quàm me*, 1. Reg. 2. Verùm correxit tandem errorem & palma factus eſt, amoremque Dei, amori filiorum prætulit; quod inde colligit Caietanus, quòd nec auditâ populi ruinâ in prælio, nec filiorum ſuorum morte commotus eſt, ſed auditâ arcâ Dei captâ vſque adeò conſternatus ac commotus eſt, vt è ſellâ rueret retrorſum & ceruicem frangeret, 1. Reg. 4. Ex quo colligit Dionyſius Carthuſianus haud dubiè ſaluatum eſſe. *Videtur enim in eo affectus gratiæ & zelus Dei pro tunc præualuiſſe affectioni naturæ amorique ſobolis*, inquit. Abulenſis appellat eum verè virum bonum atque laudabilem, deſideriumque eius ſanctiſſimum circa religionem. *Præelegiſſet enim vir iſte*, inquit, *ſibi mortem,*

Diligendus Deus ſuper omnia.

ſem, etiam ſi in ætate inutili fuiſſet, quàm arcam captam. Id.ò nemini dubitandum eſt circa ſtatum Heli: nam iſtud deſiderium & zelum maximum religionis, qui cum charitate erat, eò quod propter Deum erat, liberare poſſet illum ab omni crimine, quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Nos ergo, Auditores, diligamus Deum ex toto corde & ex tota fortitudine; ac ſi non poſſumus eum ita diligere, vt nihil præter ipſum amemus, ſaltem nihil æquè aut pluſquam ipſum amemus. Simus inſtar palmæ, non inſtar aliarum arborum. Denique ſi aliquando *magni* in cœlo eſſe & vocari velimus, ſedulò obſeruemus *magnum* hoc mandatum.

CONCIO II.

Stimuli ad diligendum Deum.

1. *Amandus eſt Deus, quia Deus, id eſt omne bonum.*
2. *Quia Dominus & ſummus benefactor.*
3. *Quia tuus eſt, per ſimilitudinem & relationem.*

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum.
Matth. 22.

A. Deus ab omnibus diligendus.

EXodi cap. 30. præcepit Deus Moyſi in monte Sinai, inter alia, vt quoties iniret numerum filiorum Iſraël, offerret vnuſquiſque Deo in pretium pro anima ſua medium ſiclum, continentem decem obolos, ita vt diues nihil addere ad dimidium ſicli deberet, pauper nihil minuere. Quid ſibi voluit tam religioſa ſicli exactio, Deo offerendi? Venerabilis Beda *lib. 3. de tab. in. cap. 13.* aſſerit hoc cenſu ſignificari penſum charitatis, quo electorum quiuis redimere animam ſuam apud Deum debet, cùm electorum numero accenſendus eſt. Continet ſiclus medius decem obolos, vt dixi, & in præcepto charitatis continetur totus decalogus. Dimidius exigebatur, quia Dei dilectio, dum peregrinamur in hoc ſæculo, imperfecta eſt in nobis; perficietur in cœlo. Non exigebatur plus à diuite, nec minus accipiebatur à paupere, quia ab vnoquoque, ſiue diues ſit in virtutum profectu, ſiue pauper, charitas exigitur. Denique cenſus iſte tam eſt exiguus, vt pendi à quouis poſſit. Si exegiſſet Deus ſcientiam, robur, nobilitatem, opes, conqueri potuiſſent rudes, infirmi, plebeij, pauperes. Nunc autem tale pretium vitæ æternæ conſtituit, quod omnes poſſunt ſoluere. Tam enim diligere Deum poteſt paſtor, quàm Doctor: æger quàm ſanus; ruſticus quàm Rex; pauperculus, quàm diues. Nihilominus tamen multis res ardua nimis & difficilis videtur, Deum diligere. Quod inde vtique prouenit, quia non expendunt, quis ſit Deus. Ergo vt amori Dei ſtimulos addamus, perpendemus cauſas, quæ ad amorem iſtum incitant.

B. Tria cauſant amorem.

Tria ſunt, quæ amare faciunt. Ipſa rei bonitas cognitione percepta; quia obiectum amoris eſt bonum. Deinde amor reciprocus, cùm quis ab alio ſe amari videt; amor enim amorem accendit, vti ignis ignem. Vnde Seneca epiſt. 9. *Si vis amari, ama*, inquit. Denique conuenientia & ſimilitudo aliqua inter amantem & obiectum amoris. Sic enim Eccleſiaſtic. 13. dicitur: *Omne animal diligit ſibi ſimile.* Niſi fortè per accidens alter alteri impedimento ſit, vt cùm figulus figulum odit. Omnia hæc in Deo ſunt & triplici ore clamant, vt ipſum diligamus: eaque non obſcurè notantur in hoc ipſo præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum.* Ratione enim primi, diligendus quia *Deus*; ratione ſecundi, diligendus quia *Dominus*: ratione tertij, diligendus quia *tuus*.

I. Quia Deus, ſeu omne bonum.

PRIMÒ, Quia *Deus* eſt, id eſt, omne bonum; qui omnia bona omneſque rerum omnium perfectiones in ſe continet, vel formaliter, vti abſolutas: vel eminenter, vti mixtas, quæ cum imperfectione aliqua coniunctæ ſunt. Hinc ad Moyſen cupientem videre Deum, dixit Deus: *Ego oſtendam omne bonum tibi*, Exod. 33. Et Eccleſ. 43. dicitur in textu Græco, τὸ πᾶν, id eſt, *omne. Conſummatio ſermonum*, inquit, *ipſe eſt omne.* q.d. hæc eſt ſumma verborum, ſeu vt vno verbo dicam: Ipſe eſt omnia. Ob eandem cauſam & à veteribus Philoſophis Deus vocatus eſt *Pan*, id eſt, vniuerſum, teſte Eugubino *libro. 3. perennis Philoſoph. capit. 8.* Ergo in Deo eſt omnis & infinita ſapientia, bonitas, iuſtitia, miſericordia, pulchritudo, opulentia, maieſtas, gloria, & quidquid demum boni excogitari poteſt. Vnde vocatur à S. Gregorio Nazianzeno orat. in Natalitia: *Infinitum quoddam & interminatum eſſentiæ pelagus.* Et in quodam carmine ait: *In te omnia permanent, ad te confertim feſtinant omnia.* Quemadmodum ergo in Oceanum omnia orbis flumina maximo conatu tendunt, quia, vt Salomon ait Eccleſ. 1. inde etiam *exeunt*: ita etiam nos maximo amoris conatu tendere debemus in bonorum omnium Oceanum, Deum; præſertim quia etiam ab eo exiuimus vti flumina à mari.

1. Omnis ſapientia.

Ergo ſi in homine amamus ſapientiam, quantò magis in Deo? Quantâ is ſapientiâ condidit hunc orbem? quantâ eum gubernat? Quæ ſapientia in cœlorum motibus & aſtris? quæ in hominum ſtructurâ, vultuum & ingeniorum diuerſitate? quæ in animalium, plantarum, lapidum, metallorum ſpeciebus? Quanta in ſingulis, colorum, vocum, figurarum, virtutum varietas? Et hæc ipſe omnia in momento excogitauit & creauit.

2. Omnis bonitas.

Si amamus bonitatem; quanta illa in Deo? Elucet ea Primò in rerum procreatione & conſeruatione. Cùm enim ſolus ſibi ſufficeret, nec vllâ re alia indigeret, voluit effundere ſuam bonitatem in res alias, creando & conſeruando eas, ſuæque bonitatis & potentiæ diuitias illis communicare. Adhæc cùm tanta ſit creaturarum multitudo, nullius obliuiſcitur, ad ſingulas attendit, dans eis ne-

ceſſaria, ita vt nec paſſer in terram cadat ſine eius voluntate. Imò ſingulis quibuſque etiam viliſſimus ſuos aſſignauit modos felicitatis & voluptatis. Sic videmus ludere in aquis & colludere Delphinos aliosque piſces, nec non aues quaſdam. Videmus ſaltare & arietare in campis agnos: colludere feles cum catellis, oblectari cantu ſuo philomelas aliaſque volucres, quaſi eo cantu publicè teſtentur ſuas delitias & felicitatem: alias, vt hirundines ſuperuolitare aquis; alias delectari ſua venatione, &c. Nimirum ſicuti Deus non tantùm habet eſſe, ſed & beatum eſſe: ita voluit creaturis non tantùm dare eſſe, ſed pro ipſarum captu, felix & iucundum eſſe. Quanta eſt hæc bonitas in tantæ maieſtatis Domino? Certè nemo noſtrûm putat, ſua intereſſe, an muſca vel formica habeat vitæ neceſſaria, triſtis ſit vel læta. Attamen Deo de hoc cura eſt. Et quis inde non perſpiciat, quantò ſit profuſior Dei bonitas in homines, in quorum gratiam, vſum, oblectationem, omnia alia fecit? Si magnum eſt, quòd tam ſit bonus & beneficus in creaturas, à quibus nullam expectat vtilitatem: multò maius eſt, quòd non ceſſit benefacere etiam hominibus à quibus quotidie offenditur, & blaſphematur, vti gentilibus, Turcis, Iudæis, hæreticis, &c. quorum terras & prouincias ditat frugibus, pecoribus, aurifodinis, gemmis pretioſiſſimis. Quis ergo non amet eum, qui tam effuſus eſt & bonus etiam in ingratos? qui *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*? Et quis explicabit bonitatem, quam effundit ſuper ſeruos & amicos ſuos? Vidimus hoc alibi. Illud tantùm dico: ſi famuli amant herum, quem vident erga ſe propenſiſſimum, humaniſſimum, liberaliſſimum: quomodo non amamus Deum, qui talem ſe ſemper exhibuit erga ſeruos ſuos? legite ſanctorum vitas, & videbitis quod dico, quanta ſcilicet gratiarum, beneficiorum, fauorum, blanditiarum genera exhibuerit illis Deus, quibus eos ornabat, lactabat, recreabat, exaltabat.

3. *Omnis miſericordia.* Si amamus miſericordiam: quanta illa in Deo? Imprimis erga pauperes. Quoties in lege commendat eos diuitibus? quo verborum pondere? quanta premij ſpe? quantis minis & ſupplicijs? Nónne de ipſis dixit: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*? Nónne miſericordibus promittit regnum cœlorum? Nónne duris minatur gehennam? Adhæc quantâ ſollicitudine præcepit, vt in meſſe & vindemiâ relinquerentur ſpicæ & vuæ, quæ fugiunt manus metentium, & vindemiantium; & quidem in vſum pauperum? *Leuit.* 19. Quanta feueritate præcepit, ne lædantur viduæ & pupilli? mercenarij ne defraudentur, ſed vt merces laborum eis reddatur ante ſolis occaſum? Legite librum Deuter. capit. 24. & 25. vbi multo verborum pondere vetat fraude circumueniri pauperes. Hinc etiam appellari voluit *Pater Orphanorum & Iudex viduarum*. Pſalm. 67. Et quid mirum Deum miſereri pauperum, qui etiam iumentorum commiſeratione tangitur? Sic enim legimus Ionæ 4. *Ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt, quid ſit inter dextram & ſiniſtram ſuam, & iumenta multa?* Quin etiam in peccatores ingratos & indignos adeò eſt miſericors, vt diutiſſimè illos toleret, cum patientia expectet, fugientes ad ſe retrahat, oppugnantes ſe ad pacem inuitet, reſipiſcentes miſericorditer ſuſcipiat, reis culpas donet, ſuumque adeò meritorum theſaurum. Indignatum legimus Ionam, quòd Deus pepercisſet impiæ ciuitati Niniue, poſtquam reſipiſcens egit pœnitentiam; & ſi per ipſum ſtetiſſet, vtique in omnes Niniuitas ſententiam mortis tuliſſet: ſed non ita Deus, qui pepercit illis, quamprimùm per pœnitentiam ad cor redierunt. Tanta eſt hæc miſericordia, vt quidam ſanctus ei dicat: *Neminem contemnis, neminem repellis, neminem deſeris, niſi quis prior deſerat te.* Apud Granat. *in Aduentu* 1. *memorialis* ſ. 200.

Si amamus pulchritudinem: quid pulchrius eſſe Deo poteſt, *cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur*, quæque in infinitum magis excedit omnium creaturarum pulchritudinem, quàm vel ſolis iubar excedit lucem ſtellarum cæterarum, vel ſupremus Angelus infimum? Quemadmodum enim ſuperior chorus Angelorum continet perfectiones inferiorum ordinum, & prætereà alias ſibi proprias longè præſtantiores; & ſimiliter in Eccleſia dignitas Pontificalis continet inferiores, & aliam ſibi peculiarem: ita Deus continet pulchritudinem rerum omnium creatarum, viſibilum & inuiſibilium, & prætereà infinitas alias in infinitum præſtantiores, ſibi proprias. Sic mare habet abyſſum aquarum ſibi propriarum, præter eas, quæ in id influunt vel effluunt ex eo. Iam ſi omnem totius vniuerſi pulchritudinem in vnum congeſtam cernere liceret, qualis putas foret ille aſpectus? quæ delitiæ? qui paradiſus? Denique pulchritudo Dei tanta eſt, vt eius ſolius contemplatio beatos faciat omnes cœli ciues eorumque appetitum & capacitatis ſinum, alioquin infinitum, ſatiet & repleat; imò beatum faciat ipſum Deum, qui non aliunde ſuam habet beatitudinem, quàm ex ſuæ pulchritudinis contemplatione, vti agnouit vel ipſe Ariſtoteles. Cùm enim ſummum illud bonum, dicebat, non dormiat, ſed in aliqua operatione neceſſariò ſe exerceat, eaque præſtantiſſima, qualis eſt contemplatio: non poſſit autem beatitudinem ſuam habere in contemplatione rei extra ſe poſitæ (hæc enim nobilior ipſo foret ac proinde Deus, non ipſe) ſequitur eam habere in contemplatione ſuiipſius. Iam ergo quid eſt omnis mundi pulchritudo, cum diuina comparata, niſi guttula quædam maris cum Oceano collata? imò non eſt tanti, quia inter creatam & increatam pulchritudinem infinita eſt diſtantia. Hinc fit vt extra Deum nullam pulchri- 4. *Omnis pulchritudo.*

pulchritudinem aliámve perfectionem poſſimus inuenire, quæ appetitum noſtrum ſatiet. Omnes creaturæ repellunt nos à ſe, cùm ab ipſis quærimus ſatiare voluntatem noſtram, & mittunt nos ad Deum, velut omnium bonorum Oceanum: eo ferè modo, quo pauper aliquis mendicantes à ſe ablegat ad diuitem vel Principem, dato vno obolo vel exiguo panis fruſtulo. Videntur enim dicere: Quid tu à me requiris, quod ſatiet famem tuam? non ſum ego bonum illud tam diues, quod tu quæris & ſitis, quodque te replere queat: micæ tantùm eſt & guttula, quod tibi dare poſſum. Abi ad Deum tuum. Et tamen, ô nos miſeros! micas & guttulas delectationum à creaturis emendicamus, & pro ijs acquirendis ſudamus & algemus, iiſque toto affectu copulamur: Deum verò relinquimus. An non audimus eum dicentem ad Abraham Geneſ. 17. *Ego Deus omnipotens, ambula coram me*? Hebr. habetur: *Ego Deus Saddai*, id eſt, *ſufficiens*. Hoc eſt Dei nomen. Nulla creatura eſt *Saddai*, quia nulla nobis ſufficit. Ergo coram Deo ambulemus, qui ſolus eſt noſter *Saddai*. Ita ſanctus Ignatius Loiola: *Domine quid volo, aut quid velim extra te? Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Et Sanctus Ludouicus: *Omnis copia quæ Deus meus non eſt, mihi inopia eſt.*

C. II. Quia Dominus, & ſummus benefactor. SECVNDÒ, Quia Dominus eſt, id eſt, ſummus benefactor & amator tuus. Amoris autem diuini magnitudo erga hominem ex quinque potiſſimum capitibus elucet. Primum eſt multiplex bonum, quod ei communicauit.
1 Bona quæ amat. Primò enim creauit eum è nihilo ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Quomodo autem non amet ipſe creaturam ſuam, quam fecit tam nobilem? Nos certè arborem manu
1. noſtrâ plantatam longè magis amamus, quàm alias extraneas. Igitur & Deus diliget opus
2. ſuum præſertim tam præclarum. Secundò vniuerſam mundi machinam propter hominem creauit. Non enim creauit ſibi, quia ſolus ſibi ſufficit, & nullo alio opus habet: & ſine mundo æquè beatus eſt & magnus, atque eſt cum illo. Non creauit Angelis, quia cum ſint ſpiritus puri, corporali hac rerum machinâ non egent. Multò minùs beſtijs, quia cùm creatorem ac proinde tantum beneficium nequeant agnoſcere, non poſſent illi gratias agere, neque etiam dignæ ſunt tam artificioſâ, mira & grandi fabricâ. Creauit ergo homini tam præclaram domum, tum ad honorandum hominem, tum vt in ea homo veluti in libro poſſet legere & intelligere, quantus ſit eius Deus. Atque vt ea omnia, quæ in gratiam hominis fecerat, homini eſſent vtilia & conuenientia; poſtquam ea creauit, ad examen reuocauit. *Vidit* enim *lucem, quòd eſſet bona*, ait S. textus; & denique: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Nimirum voluit Deus vt hæc omnia eſſent homini vtilia & proportionata, v.g. lux, ne eſſet nimis intenſa, vel remiſſa, &c. eo ferè modo, quo ſartor adaptat alicui veſtem, & confert ad illius corpus, vt ſit illi congrua. Neque tantùm ad neceſſitatem & vtilitatem hominis domum hanc tam amplam & magnificam aptauit, verùm etiam ad delitias & oblectationem eius. Hinc tanta colorum varietas ad oblectandum viſum: tanta vocum & organorum ad oblectandum auditum: tanta odorum, florum & roſarum ad oblectandum odoratum: tanta ſaporum, ciborum, liquorum & condimentorum ad recreandum guſtum. Quis non videt domum hanc tam ornatam, magnificam & inſtructam omnis generis delitiis ab amore profectam & ab amantiſſimo patre dilectiſſimo filio præparatam? Tertiò. Dedit ei corpus & animam, ſenſibus & membris integris, quorum vel vnicum non commutaret homo cum aureis montibus. Quartò. Dedit ei in præſidium Angelicam cuſtodiam; fecit eos (licet homine longè ſint nobiliores) hominis pædagogos, cuſtodes & directores. Quintò. Creauit & præparauit illi cœlum & bona quæ in eo ſunt, communicaturus ei regnum ſuum & æternam beatitudinem. Et cùm per peccatum hæc omnia mereretur homo perdere, addidit multo maiora. Dedit enim ei Filium ſuum, vt pro illo ſatisfaceret, & ad viam cœli gradiendam verbo & exemplo illum prouocaret. Dedit ei pretium & pignus beatitudinis, gratiam ſuam, imò ſeipſum ei inhabitantem. Vnde S. Auguſtin. *in 1. Ioan.* 4. ait: *Ama eum, qui incæpit habitare.* Dedit ei Sacramenta, quibus gratiam augere & perditam recuperare queat. Iam ſi tanta accepit homo à Deo, quomodo amantem non redamat? An non videmus beſtias etiam feroces, vrſos & leones amare eos à quibus aluntur & fouentur? An non ad eorum pedes ſe abiiciunt, cum eis ſaltant, ad luctam cum eis deſcendunt.

(Margin, beside the enumeration: 3. 4. 5.)

2. Maieſtas amantis. Secundum caput eſt maieſtas amantis. Non enim eſt Rex terrenus ſed cœleſtis, æternus, infinitus & immenſus. Et ſi in aulis principum plerique tot laboribus fauorem Principis venantur, quia inde vel honorem vel emolumentum ſperant, quanti cenſeri debet fauor & gratia Dei?

3. Perſona quæ amatur. Tertium, Perſonæ, quæ amatur, vilitas, ingratitudo & peruerſitas. Eſt enim homo inter creaturas rationales infima, brutorum ſocia, errorum tenebris oppleta, peccatorum maculis fœdata: & tamen multis amoris argumentis, ipſis Angelis præpoſita.

4. Modus diligendi. Quartum, Modus diligendi paternus. Primò enim vult à nobis vocari pater, & in filios nos adoptat. Secundò, dimittet ſe ad infima noſtra, & vbi maior eſt miſeria, magis opitulatur. Tertiò, præuenit ſæpe egentes, antequam rogetur, gratijs præuenientibus. Quartò, plus dat ſæpe quàm petatur. Quintò, Dat etiam malis & ingratis.

5. Finis dilectionis. Quintum, Finis dilectionis. Non enim ſui commodi cauſâ, ſicut Principes mundi, diligit hominem, ſed ob commodum hominis. Deinde ſemper diligit. Dilexit ab æterno, Ier. 31 *In charitate perpetua dilexi te.* Denique nullo

nullo momento ceſſat hominem diligere, quia nunquam ceſſat ei benefacere. Ergo æquum etiam eſt, vt homo quoque nunquam deſinat eum diligere. Parum enim peteret, qui diligi à te peteret, quamdiu tibi bene facit. Rurſum ſi diligit nos gratis, æquum etiam eſt, vt ſic diligamus Deum, licet nullam daret mercedem. Si diligit nos paternè, diligamus nos filialiter. Si diligit nos liberaliter profundendo in nos bona ſua; diligamus eum ſimiliter fortiter & ex toto corde.

D. III. Quia tuus, & ſimilis. 1. TERTIÒ, Quia tuus eſt, per ſimilitudinem videlicet & relationem, quanta eſſe poteſt inter creatorem & creaturam, Nam Primò tuus eſt, ô homo, quia tuum prototypon, & tu imago eius; tum quia creatura intelligens; tùm quia Imperator orbis & quaſi Deus quidam terreſtris ab eo factus es; tum quia ex vi huius imaginis obtines capacitatem quandam infinitam, quæ non niſi ab ipſo Deo ſummo bono impleri poteſt. Vnde dicere potes, Deum eſſe *tuum* ac deberi tibi: ſicut hoc vas, v.g. requirit hoc operculum, pro hoc vaſe factum; alteri non quadrat. Et ſicut ſigillum impreſſum, nulli alteri ſigillo quadrat, niſi ei, à quo expreſſum eſt: ita imaginis diuinæ capacitas in homine, à ſolo Deo repleri poteſt. Denique quia filius Dei adoptiuus, gratiâ velut imagine eius alterâ & ſupernaturali inſignitus.

2. Secundò, Quia tuus conſeruator, à quo intimè dependes. Quemadmodum enim rami à radice & trunco pendent, vt ſine ipſo vegetari nequeant, & Iris expreſſa in nube à ſole; ita vita tua à Deo pendet, vt non immeritò dicere poſſis, Deum eſſe vitam tuam. Quare ſicut hedera, quia ex ſe conſiſtere & ſurgere in altum nequit, arborem amplectitur tot quaſi brachiis, quot fibris, & ita ſursùm emergit: ita & tu Deo tuo adhærere per amorem debes vt in altum beatitudinis ſupernæ ſcandas; quod ſine eo nunquam efficies.

3. Tertiò, Quia tua merces & finis vltimus, in quem naturali inclinatione tendis. Quod enim Abrahæ dixit Deus, *Geneſ. 15. Ego merces tua magna nimis*: hoc tibi dictum exiſtima, vt ſcilicet aliam mercedem non requiras; quàm Deum. Ergo vti magnes naturali impetu fertur ad ſeptentrionem, nec priùs conquieſcit, donec illum contueatur: & ſicut elementa maximo conatu ad centrum ſuum feruntur, & fortiſſima quæque obſtacula perrumpunt, donec id attingant: ita amor ad finem ſuum vltimum ferri, imò rapi debet. Itaque mirandum eſt ſi quis non diligat Deum, mundi amore impeditus. Vt enim mirum eſſet, ſi magnus aliquis lapis in aëre pendulus teneretur à paleâ: ita mirum etiam eſt, ſi homo à Dei amore detineri ſe patiatur ab aliqua creatura.

CONCIO III.

Incitamenta ad diligendum Chriſtum.

Diligendus eſt Chriſtus.
1. *Ob formam, loquelam & virtutes.*
2. *Quia ſummè dilexit nos, in gratiam noſtri factus & Doctor & magiſter noſter, &c.*
3. *Quia homo ſimilis nobis.*

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum, Matth. 22.

VVlgatum axioma eſt, amorem deſcendere, non aſcendere. Teſtatur experientia in parentibus, à quibus amor vehemens deſcendit ad eorum liberos, ſed non pari vehementiâ à liberis aſcendit ad parentes. Hinc parentes theſaurizant liberis, non liberi parentibus. A. Amor deſcendit, non aſcendit. Idem fateri debemus contingere Chriſto Domino, communi noſtro parenti, cuius amor ad nos quidem deſcendit, ſed non viciſſim aſcendit à nobis ad ipſum. Arſit nimiùm quantùm Chriſtus amore noſtrî: nos in redamando heu nimium frigemus. Magna ingratitudo, magna & ignominia noſtra. Sed quod huic malo remedium? Apud S. Luc. c. 12. ait Dominus: *Conſiderate coruos, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos.* Scribit Plin. *lib.* 10. *c.* 43. & Ælian. *lib.* 2. *cap.* 48. viſum eſſe coruum lapides congerentem in ſitulam, in qua aqua pluuia durabat, vt hac lapidum congerie aqua, quam alioquin roſtro attingere non poterat, aſſurgeret potaturo. Imitemur nos hanc induſtriam, & vt amor noſter aſcendat ad Redemptorem noſtrum, iniiciamus in cor noſtrum aliquos lapillos, quibus aſſurgamus ad redamandum illum, quandoquidem, vt dicebat S. Antonius; amori Chriſti nihil anteponendum eſt.

Diximus aliàs tria eſſe, quæ in nobis amorem excitant: obiectum ipſum amabile, ſimilitudo aliqua inter amantem & amandum, amor reciprocus. Omnia hæc vti in Deo, ita & in Chriſto ſunt & vrgent nos ad amandum ipſum, nec obſcurè inſinuantur verbis illis: *Diliges Dominum Deum tuum.* Eſt enim Deus; en obiectum amoris. Eſt Dominus; en amor reciprocus. Eſt noſter, en ſimilitudo. Quare

B. I. Quia ſummè amabilis. PRIMÒ, Diligendus Chriſtus, quia ſummè eſt amabilis, non quà Deus tantùm (quo reſpectu amandum eſſe ſuper omnia, velut ſummam bonitatem, ſummam ſapientiam, ſummam potentiam, ſummam clementiam, ſummam maieſtatem, alibi oſtenſum) ſed quà homo etiam; nam vt ſic etiam eſt quoddammodò Deus corporeus, quia in eius humanitate velut in ſpeculo relucet diuinitas & continetur plenitudo omnium gratiarum. Facit autem amabilem forma imprimis & decor, iuxta prouerbium quod celebrat Plato in Lyſide: 1. Forma.

Quid

Quod pulchrum eſt, amicum eſt. Excelluiſſe autem Chriſtum formæ elegantiâ, dignitate oris & vultûs, communis eſt Theologorum ſententia apud Pinedam *de rebus Salomonis lib. 5. cap. 3.* & indicatur *Pſalm. 44.* vbi dicitur *ſpecioſus formâ præ filijs hominum.* Ob quam cauſam inter alias exiſtimat S. Hieronymus ad Principiam, Apoſtolos tam citò eum ſecutos eſſe. Et propterea etiam tantâ contentione adhæſiſſe illi turbam exiſtimat S. Chryſoſtomus hom. 28. in Matth. 8. ſuper id Marci 5. & Lucæ 4. *detinebant illum ne diſcederet ab eis, &: Quia omnes quærunt te. Erant ei affixi,* inquit, *non pauci amantes admirantesq; ipſum, videreq; ſemper cupientes. Nam vt faciendis ſignis erat mirabilis, ſic viſu gratioſiſſimus traditur fuiſſe.* &c. Et ſi cùm adhuc mortalis eſſet, tantâ oris venuſtate fuit, vt videntes ad ſui amorem trahere poſſet: quantâ, exiſtimamus, fuit in reſurrectione, & erit nunc in gloria, vbi vultûs ſui decore ſanctorum oculos beat?

2. *Loquelâ.* Deinde amabilem reddit gratia loquelæ ſeu eloquentia, quam etiam in Chriſto ſummam fuiſſe colligitur ex eodem pſalm. citat. vbi dicitur: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* Et teſtatur S. Lucas cap. 4. dicens: *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius. Procedebant,* inquit, velut omnibus prudentiæ membris & numeris conſtantia **Haben Händt vnnd Füeß gehabt** / quemadmodum ſolemus dicere. Idem patet *Ioan.* 7. vbi miſſi apparitores vt eum caperent & ligarent, capti ſunt ab ipſo, ſermonis eius virtute. Dicebant enim pontificibus: *Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* Petrus & diſcipuli ab eius ore pendebant, vt diſcedere non poſſent: *Domine quò ibimus? verba vitæ æternæ habes,* aiunt *Ioann.* 6. Hinc S. Birgitta in ſuis reuelat. ſcribit Iudæos in ſuis deſolationibus ad Chriſtum perrexiſſe, vt ab illo leuamen caperent. Dicebant enim: *Eamus ad filium Mariæ, vt tantiſper conſolemur.* Et S. Bernard. ſerm. de omnib. ſanct. *Adhærebant ei,* inquit, *affatu pariter & aſpectu illius delectati, cuius nimirum vox ſuauis & facies decora eſt,* &c.

3. *Virtutibus.* Denique amabilem faciunt virtutes: eæque imprimis, quæ in conuerſationem hominum veniunt, vti affabilitas, humilitas, innocentia, clementia, miſericordia, &c. At verò quid Chriſto erat affabilius & humilius, qui etiam paruulos ad ſe venientes amiciſſimè accepit *& complexans eos,* imponenſque illis manus benedicebat eos, *Marci* 10. qui leproſos etiam non alloqui modò, ſed & tangere non dubitauit? qui afflictos verbo erigere & ſuauiſſimè conſolari ſolebat; vt cùm dixit paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; & viduæ filium lugenti: *noli flere*: qui diſcipulos ſuos compellere fratres & filiolos: qui ad ægros & ſeruos ire non dedignatus erat: *Ego veniam & curabo eum.*

Quid ipſo innocentius, qui peccare omninò nequiuit? qui non modo nemini nocuit, ſed nocere etiam volentes diſcipulos ſuos corripuit? Manſuetudo eius incredibilis fuit, iuxta Iſaiæ prædictionem cap. 42. *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Nam cùm Phariſæi inuidentes eius miraculis, conſilium inirent quomodo eum perderent, ceſſit eorum furori, indeque recedens plurimos ſequentium ſe ſanare perrexit. *Matthæi* 12. Nónne arundo quaſſata fuit adultera illa (*Ioan.* 8.) deprehenſa in facinore, accuſata à Iudæis & ad necem poſtulata? cuius tamen crimen non attulit ſpectandum populo, ſed ita depreſſit, vt ſe inclinans digito ſcriberet in terra. ſed quid? *Sanè Phariſæorum accuſationem,* inquit Pineda de rebus Salom. lib. 8. ca. 5. ſect. 4. *facilè delendam, vtpotè ſignatam in monumento pulueris minimè diuturno*; quaſi hac ſcriptione vellet dicere: Bene eſt; ego hanc veſtram accuſationem tabulis inſcribam, ſed talibus, vbi facillimè delebitur. Sed vide eiuſdem clementiam in mulieris abſolutione: *Mulier,* inquit, *vbi ſunt, qui te accuſabant? nemo te condemnauit?* illâ reſpondente: *Nemo Domine*; *Nec ego te,* inquit, *condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare.* Alij dicunt, ideò ſe inclinando in terram ſcripſiſſe: dum mulier accuſaretur, vt velut aliud agens diſſimularet accuſationem, nec attendere videretur his, quæ dicebantur, dilapſis verò accuſatoribus erexit ſe. Quod admirans S. Ambr. ep. 76. ait: *Vide clementiam Christi: cùm accuſatur mulier, caput Chriſtus inclinat, eleuat autem, vbi defecit accuſator: ita nullum damnari vult, abſoluit omnes.* Denique ſe de hoſtibus ſuis adeò non vltus eſt, vt ne mentionem quidem vllius iniuriæ fecerit poſt ſuam reſurrectionem; quemadmodum & latronis blaſphemiam, nullâ reprehenſione vel comminatione redarguit, ſed ſurdâ aure pertranſijt. Ad extremum nihil eo liberalius erat: omnibus aperuit ſinum miſericordiæ, quiduis illis daturus, *Quid vis, vt faciam tibi*, dicebat cuidam. Neminem à ſe dimiſit, qui poſtulata non impetrâſſet. Talis eſt dilectus noſter, vt reliqua omnia taceam. Et quis hunc virum non amabit? quis eum cum turba illa non rapiat, & conſtituat ſibi Regem?

SECVNDÒ, Quia ſummè dilexit nos, & tantis obruit beneficijs, vt ijs quaſi vinculis homines ad ſe viciſſim diligendum traxerit, vti prædixit per Oſeam cap. 11. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, & ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad eum, vt veſceretur.* Quibus verbis indicari videntur primaria Chriſti beneficia nobis collata. C. II. Quia ſummè dilexit nos.

Primum, quo amore noſtri & pro nobis factus eſt *Adam*, id eſt, homo, caro & frater noſter, adeoque infans, nudus, vagiens, eaque tolerans, quæ nos mortales ſuſtinemus: famem, ſitim, frigus, æſtum, &c. Quanta ſunt hæc? Creatorem ad plaſmata ſua de cœlo in terram deſcendere? ex maximo minimum, ex Deo hominem, ex omnibus quodammodò nihil fieri, amore ſolius hominis? 1. *Quia in gratiam noſtri homo factus.*

Secundum, quòd Doctor & ductor noſter eſſe voluit, verbo & exemplo, imò & morborum noſtrorum Medicus. Quæ beneficia iure voca- 2. *Quia noſter doctor magiſter factus.*

vocamus vincula charitatis. Quis non trahatur in amorem ſui Magiſtri, Ducis, Medici, preſertim, ſi intelligat eum eſſe nobiliſſimum, ſapientiſſimum, humaniſſimum, qui non qualemcunque artem, ſed omnium nobiliſſimam, viam cœli docuit: non qualiacunque ſed ſtupenda exempla edidit; non qualeſcunque ſed incurabiles corporis & animi morbos curauit; quique infirmi gratiâ è remotiſſimis terris venit? ſed hæc omnia vincit charitas illa, quâ pro miſeris & moribundis hominibus ſuam ipſe vitam poſuit, vt eos vitâ donaret. Et huc videntur pertinere illa verba, quæ adiungit Oſeas: *Et ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum* (70. Interpr. vertunt: *Ero eis quaſi dans alapas homo ſuper maxillas eius.*) Quid verò hoc ſibi vult aliud, quàm quod Apoſtolus 2. *Cor.* 5. ait *Charitas Chriſti vrget nos*? Solemus vrgere ad currendum vel citiùs progrediendum equos eleuando frænum & cum fræno eorundem ora verberando; nec non palmis & popyſmatibus eorum colla feriendo, vt ſe nutibus noſtris accommodent. Idem fecit Chriſtus, vt feroces homines ad ſui amorem traheret, quando ipſe noſtri causâ flagellis & alapis cedi, iugum crucis in ſuos humeros eleuare, & demum in eam exaltari voluit. Quando enim audimus Dei filium pro nobis flagellatum, alapis cæſum, iugo crucis oneratum fuiſſe, vt amorem ſuum erga nos teſtatum faceret; an non flagella & alapæ illæ feriunt cor noſtrum, monentque, vt redamemus tantum amatorem? iugum item crucis eius, vt ſuaui amoris iugo colla noſtra ſupponamus? Audi S. Bernardum ſermon. 29. in Cant. *Super omnia,* ait, *reddit te mihi amabilem, bone Ieſu, calix quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis: hoc enim amorem noſtrum ſibi vendicat. Hoc, inquam, noſtram deuotionem blandiùs allicit, iuſtiùs exigit, arctiùs ſtringit, & vehementiùs afficit.* Quæſo te, quid illi deberes, quantùm illum amares, qui te acerbiſſimis in doloribus & varijs morbis detentum ita ſolaretur: Bono animo eſto, ego dolores tuos excipiam, & in meo corpore ſuam, tu verò meam accipe ſanitatem, & viue? non tu hunc Saluatorem tuum totâ vitâ coleres, & efflictim ſemper amares? Fecit aliquid eiuſmodi S. Catharina Senenſis, quando pœnas patris ſui in purgatorio conſtituti ex diuina conceſſione in ſuum dorſum tranſtulit, ita vt laterum dolores totâ vitâ ſuſtineret, quemadmodum in eius vita legimus. At quantò maius eſt, quod fecit Chriſtus? Neque enim nos à corporis ſed animæ morbis ac doloribus, iiſque non tranſituris ſed perpetuis, & ita liberauit, vt quod nobis ferendum erat, ipſe pro nobis tulerit: iuxta id Matth. 8: & Iſai. 53. *Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit.* Fierine ergo poterit, vt gratiam huius noſtri fideiuſſoris, qui dedit pro nobis animam ſuam, aliquando obliuiſcamur? (*Eccleſ.* 29.) & ad alias creaturas amorem noſtrum vertamus? Scribit Xenophon de Tigrane Armeniæ Rege, fuiſſe aliquando cum vnâ cum ſuâ coniuge in vinculis Cyri Regis, à quo Tigranes interrogatus, quo pretio paratus eſſet coniugem redimere; reſpondit: *Dabo pro illa vitam libenter.* Placuit Cyro hæc vox, adeò vt ambos liberè dimitteret. In itinere rogauit coniugem Tigranes, quî placuiſſet illi Cyri humanitas? Cui illa: *Non ego in Cyrum oculos conuerti, ſed in illum, qui dicebat, ſe vitâ ſuâ me redempturum.* Audi hoc, Chriſtiane, ſponſa tu es Chriſti, qui non verbo dixit, ſe vitâ & ſanguine ſuo à vinculis gehennæ te aſſerturum, ſed reipsâ aſſeruit. Quomodo igitur tu non ad illum ſolum oculos conuertis, qui vitam pro te dedit? quomodo ad mundum, carnem & diabolum oculos tuos iacere potes, & à Salutari tuo auertere? quomodo præter ipſum admittere amatorem alterum?

Tertium, quo ſeipſum nobis in eſcam reliquit ſub venerab. Euchariſtiâ, quem amoris diuini apicem tangit Oſeas, cùm dicto loco ſubdit: *Et declinaui ad eum, vt veſceretur.* Loquitur ad literam de manna, quo aluit in deſerto Hebræos. Allegoricè notat Euchariſtiam, quâ nos paſcit in Eccleſia. Vnde S. Hieronym. in eum locum ait: *Declinaui* (ego Chriſtus) *ad eos, id eſt, Dedi eis eſum corporis mei, ipſe & cibus & conuiua.* Declinauit autem ad nos, & declinat adhuc quotidie. 3. *Quia noſter cibus in Euchariſtia.*

1. *Ibi declinat ad nos.*

Primò, Dum ad vocem Sacerdotis de cœlo deſcendit, quotieſcunque euocatur in altare, &, cùm volumus, etiam ſub tecta noſtra ingreditur. Quia enim vidit nos in conſpectum eius venire non poſſe, quamdiu in mundo ſumus, venit ipſe ad nos. Multò magis accenditur amantis affectus, cùm dicitur: Ecce hîc vel ibi eſt dilectus tuus, quàm ſi dicatur ſolùm: Non longè eſt à te. Iam verò in Euchariſtia digito oſtendere dilectum noſtrum poſſumus.

2. Secundò, Dum gloriam & ſplendorem ſuum, quem alioquin habet, tam vili & exiguo tegumento, qualis eſt ſpecies panis & vini, abſcondit & includit, ob bonum & meritum noſtrum. Quâ ratione magis exinanire ſe potuiſſet, & amorem ſuum oſtendere?

3. Tertiò, Dum non alio fine niſi vt cibus noſter ſit, & in medio noſtrûm habitet, nobiſque intimè, vniatur, ad nos deſcendit. Quod præclarius & efficacius amoris philtrum adinuenire potuiſſet amor & amator noſter? Et quis illius philtri energiâ non incaleſcat? Verùm cibus iſte pignus tantùm eſt æternæ illius cœnæ; quam præparauit ſeruis ſuis; ibi ſaporem explicabit & dulcedinem ſuam, quam hîc abſconditam gerit.

Diligendus ergo Chriſtus, quia Dominus noſter, qui emit nos, & paſcit nos, & in cœlo remuneratur.

D. III. *Quia homo ſimilis nobis.*

TERTIÒ, Quia homo ſimilis nobis factus eſt, non neceſſitate, ſed voluntate & amoris impulſu. Vnde Dauid vocauit eum proprio nomine *Dominum ſuum. Dixit Dominus Domino meo*; vti conuincit Chriſtus Iudæos in hodierno Euangelio. Et alibi in SS. litteris vocatur propriè *Deus noſter*; vti Deuter. 6. in Heb. textu: *Audi Iſraël: Deus Deus noſter, Deus vnus eſt.* Et Pſal. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noſter bene-*

benedicat nos Deus: En myſterium Trinitatis & mediam perſonam, *Deum noſtrum* propriè vocatum; vti etiam agnoſcit Eccleſia, quæ vulgato nomine vocat eum *Dominum noſtrum*, velut in Symbolo Apoſtolico: *Et in Ieſum Chriſtum filium eius Dominum noſtrum*. Noſter autem eſt:

1\. Primò, Quia pater noſter; ſic enim appellatur Iſai. 9. *Pater futuri ſæculi*; tum quia nos morte ſua peperit ad gratiam, quæ eſt vita animæ; tum quia nos doctrinâ ſuâ Euangelicâ inſtituit ad vitæ nouitatem & ſanctitatem; tum quia nobis meruit hæreditatem vitæ æternæ. Ne verò exiſtimes titulum hunc honoris tantùm eſſe, dicit Apoſtolus *ad Galat.* 4. miſſum à Deo in nos eundem Spiritum ſanctum, qui habitauit in Chriſto; cuius inſtinctu poſſimus ſecurè ad Deum recurrere ſicut filij, & clamare, *Abba pater*.

2\. Secundò, Quia noſter frater per humanitatem noſtram à ſe aſſumptam. Hinc enim ad Rom. 8. vocatur ab Apoſtolo *primogenitus in multis fratribus*. Et ipſemet Ioan. 20. vocat diſcipulos, *fratres ſuos*.

3\. Tertiò, Quia eſt ſponſus noſter; per fidem enim & baptiſmum nos ſibi deſponſauit, & annulo gratiæ ſuæ ſubarrhauit. Magnus eſt amor fratrum, maior filiorum & parentum, maximus autem Coniugum. Quare licet Chriſti charitas non aliunde vos vrgeret ad eum redamandum, vrgeret ſaltem hinc, quòd cùm natura ſua Deus eſſet, ex mera gratia & beneuolentia frater noſter fieri voluit, vt paternam ſuam hæreditatem nobis communicaret, & diuideret nobiſcum. Solent alij fratres ob communem hæreditatem ſibi mutuò inuidere, tametſi paris conditionis ſint vti Eſau Iacobo, Cain Abeli. Romulus vrbis conditor, Remo fratri, quem occidit. Contrario modo Dei filius, vt paterna ſua bona nobis, quibus non debebantur, faceret communia, in noſtram fraternitatem ſe inſinuauit. Quòd ſi hoc parum adhuc videtur, obligamur illi vt patri, qui non tam facilè nos recreauit, quàm facilè creauit; neque enim verbo vno, ſed plurimis & immenſis doloribus, ipſaque morte ſuâ vitam nobis emit, qui vt ſpiraculum vitæ nobis inſufflaret, ſpiritum ipſe reddidit. Et ſi hoc necdum tibi ſatis eſt, ſcito Chriſtum eſſe ſponſum tuum, qui te amat, vt carnem ſuam, & proinde ſimili modo à te amari vult. Nec verò is exiguâ te dote, ſed ſanguine ſuo emit, vt iure ei dicere poſſis, quod Sephora dixit Moyſi: (Exod. 4.) *Sponſus ſanguinum tu mihi es*. Tum quia eius ſanguine emptus es, tum quia ſanguinem potiùs fundere, quàm offendere eum deberes. Nec intereſt, quòd præter te alias habeat ſponſas. Vt enim Sol dum omnibus ſplendet, non minùs tibi ſplendet, quàm ſi ſoli ſplenderet: ita etiam Chriſtus, licet præter te alios amet, non ideo tamen minùs te amat, quia infinitus & inexhauſtus eſt. Iure ergo S. Cyprianus *ſerm. de aſcenſ.* ait: *Quid amplius vis, ô homo? prius dicebatur Deo: Tu es homo; nunc dicitur homini: Tu es Deus*. Ex quo concludit *O homo, ſufficiat tu Deo, ſufficiat tibi Deus*. Si cui verò omnia hæc necdum cor accendunt igne amoris Chriſti, næ illum ferreum eſſe oportet, & marpeſiâ duriorem, ideoque ab Eccleſiâ meritò excludendum iuxta Apoſtoli decretum, 1. Cor. 16. *Si quis nō amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema*. Econtrà ex eiuſdem ſententiâ, ad Epheſ. vlt. ait: *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*.

CONCIO IV.

Quomodo ſit diligendus Deus.

1. 2. 3. Diligendus eſt amore ſupernaturali, propter ſe & ſuper omnia.

4. Conſtanter etiam in tribulationibus, quo tempore?

5. Efficaciter. Aſſignantur varia ſigna amoris diuini.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22.

Svbtiles & præcellentes artes, pluribus annis addiſcendæ ſunt. Subtiliſſima & præſtantiſſima ars eſt amare Deum. Ideo *mandatum magnum* vocatur in hodierno Euangelio. A. Et S. Auguſtinus *in lib. de ſpiritu & literâ c. vlt.* ſcribit, hanc artem non abſolui niſi in altero primùm ſæculo. Quare, Auditores, tempus eſt, vt incipiamus diſcere hanc artem, ſine quâ Deo placere non poſſumus. *Ars longa vita breuis eſt*.

Diligendus eſt Primò, Non ſolùm vt author naturæ, ſed etiam gratiæ & gloriæ, atque adeò amore non tantùm naturali, ſed etiam ſupernaturali. Quia enim nullum bonum diligitur niſi priùs cognitum ſit, vt pro diuerſitate cognitionis reſultet etiam amor alius atque alius. Gentiles Philoſophi cognouêre Deum cognitione naturali, inſpectis nimirùm creaturis. Vnde Cicero *lib. de aruſp. reſp.* ait: *Quis eſt tam vecors, qui cùm ſuſpexerit in cælum, Deus eſſe non ſentiat?* Christiani verò cognoſcunt etiam cognitione ſupernaturali, vt creatorem, redemptorem, trinum in perſonis & vnum in eſſentia, tanquam ſummum & perfectiſſimum bonum, præſentem in Euchariſtia, ſanctificatorem animarum, iudicem omnium noſtrûm & præmiatorem beatorum, vindicem reproborum, &c. Hæc cognitio multò illâ præſtantior eſt, quàm reuerentia exhibita regi, apprehenſo vt rex eſt, vincit eam, quæ defertur ei, quando magnus tantùm nobilis eſſe creditur. Cùm ergo Chriſtiani nobiliori hac & ſublimiori ratione Deum agnoſcant, tenentur eundem nobiliori modo amare, adeoque vt authorem non tantùm naturæ ſed & gratiæ & gloriæ. Siquem pro viro nobili habeamus, ſufficit ſi vt nobilem honoremus & caput a-

B. I. Diligendus eſt amore ſupernaturali etiam

periamus: at vbi regem eſſe agnouimus, non ſufficit honorare vt nobilem, ſed oportet venerari vt regem, genua ſubmittere, &c. Similiter ſiquem putas cognatum eſſe tuum, ſufficit, ſi vt cognatum diligas. At vbi noueris eſſe patrem tuum, maiorem vtique debes illi amorem.

C. II. Diligendus propter ſe.

Secvndò, Diligendus eſt propter ſe, & alia omnia propter ipſum. Propter ſe, inquàm, vt videlicet nec ſolùm nec præcipuè diligatur propter beneficia temporalia vel æterna, quæ confert aut collaturus ſperatur; (hic enim amor mercenarius, ignobilis & inconſtans eſt, adeoque Deo indignus, quia ſummo bono præponit vilia bona, ordine peruerſo) ſed vt diligatur propter ſuammet perfectionem infinitam, bonitatem, ſapientiam, miſericordiam, iuſtitiam, potentiam, maieſtatem, quia ſicut ſummam bonitatem, ſapientiam, &c. ab alio non habet, ſed à ſe: ita propter alia diligi non debet, ſed propter ſemetipſum. Aliud eſt, cùm aureum numiſma amatur propter Principem, qui id donauit: aliud, cùm Princeps amatur propter numiſma. Amor hic ignobilis eſt, ille nobilis. Hoc titulo laudat Cæſarem Martialis lib. 8. epig. 51. *Diligeris populo non propter præmia, Cæſar: Propter te populus præmia Cæſar amat.* Cæterùm poteſt etiam Deus amari propter beneficia, dummodò non ob ea præcipuè ametur: ſed paratus ſis amare ipſum, licet non benefaceret.

Alia propter ipſum.

Alia omnia propter ipſum diligenda ſunt, quia per ipſum bona ſunt (præſertim proximus noſter, qui eſt ipſius Dei imago) & ſine ipſo bona non ſunt. Hinc debemus Deo totum cor noſtrum, quia in ipſo & ab ipſo eſt omne bonum. Quare ſiquis aliquid non propter Deum amat, diuidit cor ſuum, & partem eius creaturæ impendit, Deoque ſuffuratur. Vnde S. Auguſtin. *libr. 10. conf. cap. 29.* inquit: *Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Ideo præcipit Dominus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

D. III. Diligendus eſt ſuper omnia.

Tertiò, Diligendus eſt ſuper omnia non quidem intenſiuè ſeu ardentiore & intenſiore amore. (Hoc enim licèt ſit optimum & laudabiliſſimum, nullibi tamen præceptum eſt, nec mirum, quia eſt res perdifficilis, proptereà quòd amoris intenſio pendet à forti apprehenſione boni amabilis, adeoque à vehementi motu phantaſiæ & ſenſibus; Deus autem quia eſt ſummè ſpiritualis, ſub ſenſum non cadit; vnde fit naturaliter, vt bona ſpiritualia quia tenuiter mouent phantaſiam, tenuiter etiam diligantur: corporalia viciſſim fortiter.) Sed appretiatiuè, ita vt potiùs malles omnia perdere quàm Deum; rurſùm omnia potiùs offendere quàm ipſum; denique vt ei & quidem ſoli optes omne & ſummum bonum, (amare enim eſt bonum velle, teſte Ariſt. *lib. 2. Rhet. cap.*) vt ſcilicet ſemper ſit omnipotens, æternus, immenſus, beatiſſimus, iuſtiſſimus, ab omnibus colatur, ametur, &c. Hoc modo pater plus diligit filium ſuum natu maiorem ſtrenuè laborantem, & futurum aliquando domus ſuæ columen, quàm filium puerum, licet huic plura amoris ſigna exhibeat, magiſque blandiantur quàm alteri; vnde ſi alterutrum perdere deberet, mallet haud dubiè perdere minorem. Atque hæc amandi ratio, priore eſt nobilior, quia propria hominibus: certior item & imbecillitati noſtræ accommodatior. Quamquam ſi ad hanc accedat etiam prior, tunc fit nobiliſſima.

Quare ſiquis cogitet aut ſtatuat potiùs mori fame, quàm viuere ex malè partis: potius pati vxorem importunam, quàm eius deſideriis obſequi offenſo Deo: potiùs mori, quàm conualeſcere ope dæmonis: potiùs perdere famam, quàm honorem Dei offendere; ille eſt, qui diligit Deum. Qui verò hæc cum Dei offenſâ quærere & conſeruare non timet, nequaquam Deum diligit.

E. IV. Conſtanter eſt diligendus.

Qvartò, Conſtanter eſt amandus. De vero enim amico ait Sapiens Prouerb. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus eſt.* In quem locum Beda inquit: *Qui Dominum verè amat, omni tempore eius cuſtodit amorem; neque in anguſtia paſſionis deſerit, quem in pacis tranquillitate confeſſus eſt.* Charitas eſt aurum, quod per ignem probari debet, & ſi verum ac genuinum eſt, non conſumitur, ſed perficitur. Quare ſi exurgat contra te ignis tribulationis, morbus, egeſtas, grando, inimicus, perſecutio Turcæ vel hæreticorum, ſiniſtri euentus & perturbationes, quæ primâ fronte videntur oſtendere Deum minùs bonum, prouidum, ſapientem, iuſtum, adeoque minùs dignum qui ametur & colatur: tunc, inquam, auream tuam oſtende charitatem, & cogita primò, Deum eſſe medicum tuum optimum, probeque ſcientem, quid tibi expediat; ea quæ auerſaris, plerumque pharmaca tua eſſe, vti ſunt, inimici, morbi, paupertas, &c. noxia tibi non niſi per tuam imprudentiam fieri, quo modo *creaturæ factæ ſunt in muſcipulam pedibus inſipientium,* Sap. 14. Etiam in tribulationibus. 1.

Secundò, Hæc & longè maiora centies te promeritum: vt meritò debeas dicere: *Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis,* Pſalm. 102. Habent etiam iuſti ſuos quique næuos, à quibus perpurgari debent eiuſmodi flagellis. Mali viciſſim nulli ſunt, qui non aliquid boni habeant, quod præmiari debeat. Tertiò, Ex eiuſmodi malis erui multa bona; purgantur enim fideles, inſtruuntur, fiunt cautiores. Quartò, Ea quæ nobis minùs recta videntur, quia minùs perſpecta ſunt, patefacienda ſuo tempore & omnium iudicio fore comprobanda: ſicuti cum pictura inuoluta tota explicatur, quæ priùs ex parte tantùm aperta videbatur inconcinna. 2. 3. 4.

Porrò habitualiter ſaltem ſeu ſecundùm internam mentis affectionem Deus ſemper amandus eſt, quod facis, dum es in gratiâ. Actualiter autem ſemper amari à nobis nec debet nec poteſt, quia & aliarum rerum curam gerere debemus. Certa tamen tempora ſunt, quibus potiſſimùm exerceri charitatis actus debent. Primum, quando ad illum extimulant te concionatores, proponendò tibi eximia Dei beneficia. Secundum, cùm à Deo accipis

Quo potiſſimum tempore. 1. 2.

cipis inſigne aliquod beneficium, vt cùm eri-
peris è grandi periculo vel graui tribulatione,
vti fecit Dauid in die, qua eripuit eum Domi-
nus de manu omnium inimicorum eius, cùm
dixit: *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus
firmamentum meũ, & refugium meum, & liberator
3. *meus*, Pſal 17. Tertium, dum S. Euchariſtiam
ſuſcipis; decet enim, vt tanto hoſpiti quàm
potes, ornatiſſimum præpares habitaculum,
quod facies inaurando cor tuum aureâ chari-
tate, quæ eſt ornamentum omnium præſtan-
tiſſimum. Deinde ad neminem libentiùs di-
uertit hoſpes, quàm ad eum, à quo ſe diligi
animaduertit. Denique nullum amicum exci-
pimus hoſpitio, quin ei varia amoris indicia
exhibeamus; quantò magis Deus ita excipien-
dus eſt, præſertim quia ex amore Sacramentum
hoc inſtituit, vt ſit amoris reciproci pignus? Si-
militer cùm Miſſam audis, quia & tunc ſurſum
cor eleuare ad Deum moneris. Quartum, Cùm
4. in confeſſione conſcientias exoneras. Niſi
enim tunc requireretur actus charitatis, non
dixiſſet Deus de Magdalenâ: *Remittuntur ei
5. peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quintum,
in articulo mortis. Vt enim Oratores in epilo-
go ſuarum declamationum quidquid habent
artis adhibent; & Romani in prælijs Triarios
omnium fortiſſimos extremo loco ponebant;
& amici ſub diſceſſum ſibi mutuò valedicen-
tes, vel poſt diuturnam abſentiam mutuò ſe
conſpicientes & ſalutantes, dulciſſima amoris
ſigna promunt: ita par eſt vt faciamus, cùm
vltimam vitæ noſtræ ſcenam acturi, cùm vlti-
mo conflictu dæmonem oppugnaturi, cùm
mundo valedicturi & Deum ſalutaturi ſumus.

F. V. Diligendus efficaciter. Signa amoris Dei.

QVINTÒ, Diligendus eſt efficaciter. Alio-
quin vanus eſt amor, ſi ea quæ amico grata
ſunt, non facias. Diligere enim eſt dilecto bo-
num velle, vt ſuprà diximus. Signum autem
& affectus amoris diuini, Primum eſt, frequen-
ter de Deo cogitare. *Vbi enim eſt theſaurus tuus,
ibi eſt & cor tuum*, ait Dominus, *Matth.* 6. Pa-
1. rum aut nihil amare creditur, qui nunquam de
2. amico cogitat. Secundum, libenter & reue-
renter de Deo loqui. *Ex abundantiâ enim cordis
os loquitur*, Luc.6.

3. Tertium, Reuelare ei arcana ſua, in confeſſione potiſſimùm. Hinc enim Dalila Samſoni nolenti reuelare ſibi arcanum ſuum dixit: *Quomodo dicis, quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum?* Iudic. 16.

4. Quartum, libenter & quaſi inſeparabiliter cum eo conuerſari, conueſci, eumque audire loquentem ſiue per ſe, ſiue per ſuos. Quia *qui ex Deo eſt, verba Dei audit*, Ioan.8. Et Cantic.2. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.* Ergo ad S. Miſſam & communionem libenter ibis, ſi Deum amas. Vel ſi exiguæ te remoræ detineant, ne ad illa pergas, conuinceris non amare Deum. *Inaudita eſt dilectio*, inquit Caſſiod. ſuper Pſalm. 18. *quæ amicum diligit, & præſentiam eius non amat.*

5. Quintum, facere quæ ſunt ei placita, adeoque mandata eius cuſtodire. Cùm enim amantium ſi cor vnum & anima vna, ſequitur amicum ea velle debere, quæ vult amicus ſuus fieri, non aliter ac quis ſuam vult fieri voluntatem. Ita Chriſtus quia patrem dilexit, mandata eius ſeruauit. *Vt intelligat mundus*, ait, *quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio*, Ioan. 14. Et paulò antè: *Qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me.* Quare ſi dicas: liceat mihi hac vice tranſgredi hoc vel illud mandatum; conuinceris non amare Deum.

Sextum, Auerſari, vitare & impedire, quæ ei diſplicent, vti ſunt peccata. His enim potiſſimùm, ſi poſſet Deus mœrere, induceretur in mœrorem. Quò ergo magis vel minùs ſolicitè abſtines à peccatis, vel committenda impedis, vel commiſſa punis, eò magis vel minùs Deum diligis. Eòdem ſpectat dolere de offenſâ Dei, quod faciebat S. Auguſtinus, qui flebat, quoties audiebat graue aliquod peccatum. 6.

Septimum, promouere bonum eius, gloriam ſcilicet & honorem, quantum eſt in te, v. g. & exemplo alios ad Dei obſequium & amorem. Vt enim qui oderunt aliquos, auertere conantur homines ab illis: ita qui amant aliquos, conciliant illis homines. 7.

Octauum, Contemnere pericula propter ipſum; ſiquidem *perfecta charitas foras mittit timorem*, 1. Ioann. 4. Non ergo metuas peccantes reprehendere; mundum offendere; cùm tibi iniqua ſuadet. 8.

Nonum, Non ſolùm ipſum, ſed etiam eius imaginem & quidquid eius eſt, charum habere. Ergo dilige etiam proximum tuum, licet inimicum, quia imago Dei eſt; ideoque præcepto dilectionis Dei mox additur: *& proximum tuum ſicut teipſum*. Inprimis verò dilige ſuperiores tuos, velut Dei vicarios, item ſanctos, ſacramenta, Dei & ſanctorum imagines, miſſam, Dei verbum, pauperes, quia repræſentant Chriſtum. 9.

Ergo Auditores diſcamus amare Deum & proficiamus indies: nec pudeat nos addiſcere etiam cùm ſenuimus. Hîc enim locum habet, ſi vſpiam habet, dictum illud Saluij Iuliani, in pandect. lib. 4. tom. de fidei cõmiſſ. lib. apud Iul. *Etſi alterum pedem in ſepulchro haberẽ, adhuc addiſcere vellem*; diſcere, inquam, amare Deum; quæ eſt ars omnium nobiliſſima & ſubtiliſſima vt ita eam in cœlo ſine fine exercere valeamus cum omnibus ſanctis.

Digitized by Google

CONCIO VI.

Incitamenta ad diligendum proximum.

1. *Primum eſt, quòd id præcipit lex naturæ.*
2. *Serium Domini præceptum.*
3. *Quòd ſine hac dilectione viuere miſerum.*
4. *Quia maximè Deo placet.*
5. *Exempla dilectionis heroicæ.*
6. *Fructus ingens.*

THEMA.

Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Matth. 22.

A. Amor eſt vexillum militantis Eccleſiæ.

CAnticorum 2. inter alia ita canit ſponſa: *Introduxit me rex in cellam vinariam: ordinauit in me charitatem.* Quæ tamen vltima verba paulò aliter leguntur in Hebræo textu: *Vexillum eius ſuper me amor*; rectè tamen inter ſe conueniunt. Cella hæc vinaria, in quam ſponſa introducta eſt à ſponſo, Eccleſia Catholica eſt (vt exponit ibi Mart. Delrius) in qua vini amoris diuini, quod inebriat iuſtorum animas, magna abundantia eſt. Porrò amor ille iuxta Hebræum textum, vexillum ſponſi eſt, quod ipſe velut Dux militibus ſuis præfert, quo eos ad ſe attrahat & congreget, & quaſi ſcopum proponit, in quem oculos conijciant. Quod verò vulgatus interpres legit: *ordinauit in me charitatem*, non aliud eſt, quàm ſi dixiſſet: ſtatuit me ſub vexillo charitatis, iuſſit me in hoc ordine & ſtatione militare. Rectè verò, ſicut & 70. Interpretes, vſus fuit verbo, *ordinandi*; tum quia (vt ait D. Auguſtinus *lib. 22. de ciuit. capite 21.*) nihil eſt aliud perfecta & vera virtus, quam ordo amoris: tum quia amoris vinum animam non dementat, ſed potiùs illuminat, vt ordinatè & prudenter diligat primò Deum, ſecundò ſe, tertiò proximos, & hos ipſos quoſdam in principijs, alios in media acie, alios in fine agminis: vt diligat Deum propter ſe, proximum autem propter Deum: vt diligat Deum ex toto corde, ſeu ſuper omnia: proximum vt ſeipſum: vxorem vti corpus ſuum: inimicum ſicut fratrem. Ad hoc vexillum, ad hunc ordinem & ſtationem, Auditores, vocamur in hodierno Euangelio. Sequamur ergo Ducem noſtrum. Quiſquis ſub hoc Duce & vexillo non militat, hoſtis eſt, transfuga eſt, filius mortis eſt, quia extra charitatem, adeoque in morte degit. Vocauimus vos alibi ad amorem Dei: vocemus nunc ad amorem proximi.

B. I. Quia lex naturæ præcipit.

Incitamentum PRIMVM, Quia lex naturæ præcipit. Omnes enim amari volumus, ergo & amemus. Vnde Dominus Matth. 7. *Omnia ergo quæcumq́; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & prophetæ.* Quemadmodum ergo tu vis, vt proximus te amet: ſic vult etiam proximus tuus, vt tu ipſum ames: & ſicut naturali inclinatione teipſum amas & amari vis: ſic & amare debes. Deinde quia, vt ait Eccleſiaſticus cap. 13. *Omne animal diligit ſibi ſimile, ſic & omnis homo proximum ſibi.* Videmus hoc imprimis in ouibus quæ propterea ſimul paſcuntur, neque gregem temerè deſerunt, ideoque minùs periclitantur ab inſidijs luporum. Ergo ſi oues Chriſti eſſe volumus ad dexteram eius locandæ, mutuò nos amemus & ab inuicem ne ſeparemur. Sic enim & contra hoſtes noſtros, ſecuriores erimus. De Graculis dicitur prouerbio: *Semper graculus aſſidet graculo*, quòd in ſuos gregales maximo amore feruntur. Etenim ſi vel inanem ſui imaginem in pelui olei pellucidi plenâ intueantur, mox in eam deſcendunt, quaſi ad ſociam auem, ibique olei tenacitate imbuti, ſine retibus comprehenduntur, vt auctor eſt Ælianus *lib. 4. cap. 30.* Quòd ſi aues iſtæ etiam vanum ſui ſimulachrum adeò diligunt; non pudeat homines, quòd non ament ſibi ſimiles homines, ſeu vera & viuentia diuinitatis exemplaria, cùm in ipſo intueantur & ſui & Dei ipſius imaginem & ſimilitudinem. Et certè nos longè pluribus & fortioribus ſimilitudinum vinculis connexi ſumus, quàm bruta animantia. Nam primò communem omnes patrem habemus Deum. Idcircò voluit Chriſtus vt orantes diceremus: *Pater noſter qui es in cælis*, Matthæi 4. Et Matthæi 23. *Omnes vos fratres eſtis*, inquit. & mox: *Vnus eſt pater veſter, qui in cælis eſt.* Similiter Malach. 2. *Nunquid non pater vnus omnium noſtrûm? nunquid Deus non vnus creauit nos? Quare ergo deſpicit vnuſquiſque noſtrûm fratrem ſuum?* Deinde eodem Chriſti ſanguine redempti ſumus. Et quod fortius gluten eſſe poteſt feruente & pretioſo iſto cruore? Nonne etiam inimici duo, Pilatus & Herodes, Ethnicus & Iudæus ſanguine illo conglutinati & ſibi inuicem reconciliati ſunt, *Luc.* 23. Id quod manifeſtè indicat, Chriſti paſſionem fontem eſſe totius amicitiæ inter homines gerendæ. Adhæc eodem baptiſmo abluti ſumus, eodem Euchariſtico pane veſcimur. Is quemadmodum ex multis granis vnus fit; ſic voluit etiam Chriſtus vt omnes nos vnum in charitate eſſemus. Herodes & Pilatus amici facti ſunt, quia alter alteri miſit Chriſtum; atqui *panis, quem frangimus, nónne communicatio corporis Domini eſt?* ait Apoſtolus 1. Corinth. 10. Rurſum nónne eandem Chriſti profeſſionem gerimus? *Quæ autem amicitia*, inquit Chryſoſtomus homil. 14. in Ioan. *quæ familiaritas tantam contrahere vnionem poſſet, quantam fidei cognatio? non enim quantam amicus amico debet propinquitatem, tantam nos habere inuicem oportet: ſed quanta eſt membri ad membrum. Hac amicitiâ & curâ aliam maiorem nemo vnquam inuenire poſſet. Quemadmodum ergo is ſanè ridiculus foret, qui vnde ſibi ſecum familiaritas, vnde propinquitas, percontaretur: ita is qui vnde ſibi cum fratre, &c.* Sic ille. Denique ſi nil aliud foret, quàm quòd eiuſdem regni hæredes ſimus, communemque expectemus beatitudinem & vitam per omnem æternitatem iucundiſſimè tranſigendam, an non id vnum ſufficeret?

SECVN-

C. II. Quia ſerium Domini præceptum eſt.

SECVNDVM, Quia præceptum Domini eſt, ſeriò nobis inculcatum. Hinc enim S. Ioannes, Euangeliſta cùm ad Eccleſiam moriturus deferretur manibus diſcipulorum perpetuò in ore habuit: *Filioli diligite alterutrum*; rationemque addens, *quia præceptum Domini eſt*, inquit, & *ſi ſolum fiat, ſufficit*; vt refert Hieronymus in epiſt. ad Galat. Præceptum autem Domini id eſt, non quia ſolum, ſed quia potiſſimum & peculiare. Vnde id in vltima cœna diſceſſurus à ſuis tradidit, & quaſi in perpetuum memoriale eis commendauit; quæ autem morituri vel diſceſſuri ſolent commendare vel mandare, ea ſeria reputantur & fortiùs retinentur. Huius memorialis typus fuit tunica Chriſti inconſutilis, militibus relicta, qui proinde videntes deſuper contextam eſſe per totum, dixerunt: *Non ſcindamus eam*, Ioan. 19. *Charitas*, inquit S. Auguſtinus tract. 105. in Ioan. *eſt tunica inconſutilis Chriſti, quæ ad vnum ſcilicet Deum peruenit & in vnum omnes colligit*. Quod ergo improbi milites ſcindere non ſunt auſi, nos ſcindamus Chriſtiani, quibus ea veſtis præcipuè commendata eſt? Egit nobiſcum Deus, quomodo Scytharum rex Scylurus (apud Plut. in apopht.) fertur egiſſe cum filijs ſuis moriturus, dum faſciculum ſagittarum eis frangendum porrexit: quem illi cùm frangere non poſſent, ipſe ſingulas eximens ſagittas nullo negotio fregit, adiungens: *ſi mutuo amore colligati fueritis, validi inuictiq́; manebitis: contrà ſi diſſidijs ſeditioneq́; diſtrahamini, imbecilles eritis & expugnatu faciles*. Videtur ergo ſimilem in modum dicere nobis Dominus: ſi ad inſtar tunicæ meæ fueritis contexti & amoris vinculo connexi, manebitis integri & inuicti: ſin verò inter vos diuiſi & externo tantùm coactionis filo conſuti ſitis, facilè ſcindemini. Quiſquis ergo fraternam dilectionem per odium aut contentionem ſcindit, tunicam Chriſti inconſutilem ſcindere ſe non dubitet; & Chriſtum de ſe conqueri nouerit, quomodo conqueſtus eſt de Ario hæreſiarcha, quando S. Petro Epiſcopo Alexandrino veſte laceratâ apparuit & dixit: *Arius veſtem meam, quæ eſt Eccleſia, dilacerauit*, vt in eius officio habet Breuiarium Rom.

D. III. Quia ſine hac dilectione viuere miſerum.

TERTIVM, Quia ſine hac dilectione viuere eſt miſerrimum. *Abſque amicis viuere*, inquit Ariſt. lib. 8. Eth. cap. 1. & 8. *licet cætera omnia bona ſuppeterent, eligeret nemo. Nam & diuites & principatûs poteſtatem habentes, maximè indigere amicis videntur.* Vnde Scipio ſemper amicum aliquem ſibi feciſſe dicitur, antequam è foro diſcederet. Cicero dixit: *Solem è mundo tollunt, qui amicitiam è vitâ tollunt.* Quid autem in mundo iucundum eſſe poſſet ſi ſol abeſſet? Neque iniucundum ſolùm, ſed etiam difficillimum ac vix poſſibile eſt viuere abſque dilectione. Vt enim nulla natio habet omnia vitæ neceſſaria: ſed alia habet vinum, alia frumentum, alia ſalem, alia oleum, alia aurifodinas, alia gemmas, alia aquas medicas vel acidulas, &c. adeoque altera alterius ope indiget, ideoque cum ea ſocietatem & amicitiam contrahit: ita diſpoſuit etiam diuina prouidentia, vt nemo vnus omnia haberet, ſed aliorum operâ egeret. Huic igitur indigentiæ ſuccurritur per amoris mutui præceptum. Qui enim ab vnoquoque diligitur, ab omnibus etiam in neceſſitate iuuatur. Tolle dilectionem, & omnes ſimul egebimus. Denique quiſque cupit diligi ab alijs: iniquum igitur eſt alijs negare, quod quis ab alijs ſibi impertiri vult.

E. IV. Quia maximè Deo placet.

QVARTVM, Quia maximè placet Deo, proximi dilectio. Nam *Eccleſ.* 25. dicitur: *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes.* Hoc verò multis miraculis à Deo commonſtratum eſt. Imprimis S. Catharina Senenſis cùm aliquando pauperem quendam, qui pro Chriſti amore bona ſua pauperibus erogarat, penuriam pati intellexiſſet, ſacculum ſuum ouis impleuerat, quibus egentem reficeret. At dum intereà templum intraret, & ibidem extaſim paſſa in terram collaberetur, iacuit aliquot horis ſuper oua illa, & digitale quidem quod in eodem gerebat ſacco, in tres partes, corporis mole contriuit, ouorum verò nullum fregit. Surius in vita 29. April. S. Spiridion Archiepiſcopus Trimiduntis cùm accepiſſet virum quendam innoxium perperam capite damnatum, properè ad Præſidem eundum eſſe decreuit, vt innoxius ille liberaretur. Sed cùm eunti torrens tam valde exundans obſiſteret, præcepit ſanctus torrenti vt diuideretur, viamque ſibi ac comitibus aperiret. Paruit flumen, & ſiſtens curſum, præbuit illis tranſitum. Quod vbi Præſes intellexit, venientemque Spiridionem vidit, confeſtim hominem è carcere ereptum vitâ donauit & Spiridioni dedit. Surius in vita, menſe Decembri. Leo, poſtmodum Imp. cùm ſitienti cuidam cæco commiſeraretur atque è ſcaturigine quadam Dei nutu ſibi oſtenſâ, aquam attuliſſet, oculoſque eius humectaſſet, viſum cæcus recepit. Niceph. *lib. 15. ca. 25.* Nauis quam frumento onuſtam tradiderat naucləro S. Ioannes Eleemoſynarius Epiſcopus Alexandrinus, intra 20. dies ab Alexandria in Inſulas Britanniæ peruenit adeò vehementi vento, vt naucletus quò iret, ignoraret: Sanctus autem Ioannes Epiſcopus ad gubernaculum ſedere & dicere ei viſus eſt: *ne timeas, rectè nauigas.* Itaque in Britannia appellens comperit magnam famem, cui frumento illo ſuccurſum eſt. Leontius *in eius vita.*

F. V. Exempla dilectionis heroica.

QVINTVM, Exempla dilectionis heroica, à ſanctis viris edita. A Chriſti exemplo argumentatur S. Ioannes 1. Ioann. 4. *Chariſſimi*, inquit, *ſi ſic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.* Exemplum primorum Chriſtianorum proponit nobis Lucas act. 4. cùm ait: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Item S. Pauli Act. 26. cùm Agrippæ dicenti: *In modico ſuades me Chriſtianum fieri*; reſpondit

ſpondit: *Opto apud Deum & in modico & in magno, non tantum te, ſed & omnes qui audiunt hodie fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis his vinculis.* Exemplum Chriſtianorum ſui temporis, circa annum videlicet 200. proponit Tertullianus in Apolog. cap. 39. cùm ait, tantam fuiſſe inter eos charitatem mutuam, vt gentes admirarentur dicentes: *Videte vt inuicem ſe diligant, & vt pro alterutrò mori ſint parati!* Et certè in primitiua Eccleſia viri vocabant ſe inuicem *fratres*, fœminæ *ſorores*, vti ex Epiſtolis ſancti Pauli patet varijs in locis.

Recentius exemplum ſubminiſtrant SS. Ignatius & Xauerius, quorum ille vt obſcœnum adoleſcentem extra vrbem ad amaſiam pergentem corrigeret, gelidiſſimis ſeſe aquis, viæ, quà tranſitus erat, adiacentibus immergens vſque ad collum, ad tranſeuntem vociferatus eſt: *perge miſer ad fœdiſſimas tuas voluptates. Impendentem capiti tuo ruinam non vides? Ego hic me tua cauſâ tamdiu macerabo, donec iuſtiſſimum Dei furorem in te paratum auertam.* Quo ſpectaculo compunctus adoleſcens pedem retulit, & vitam emendauit. Ribadeneira in Vita. Alter verò, Xauerius, perditiſſimum quendam militem Luſitanum, quocum vehebatur in naui, per 18. annos nunquam confeſſum, cùm placidis verbis ad confeſſionem perſuaſiſſet & confitentem audiſſet, dimiſit: pœnitentiâ tantùm vnius orationis Dominicæ & ſalutationis Angelicæ iniunctâ: in reliquo ſe pro ipſo ſatisfacturum ſpondens. Moxque pauliſper à milite digreſſus in proximam ſyluam, terga nudare & pro eo acerrimè ſe verberare flagello cœpit: donec miles eum ſecutus deprehendit. Qui vt triſte hoc ſpectaculum vidit, ad pedes ſancti patris abiecit, nec priùs ſurrexit, quàm ille aliena ſcelera in ſeipſo plectere deſineret; indéque omnes anteactæ vitæ fraudes ipſemet in ſe voluntariâ pœnâ mulctauit. Hiſtor. Soc. Iesv, tom. 1. lib. 8. nu. 125.

G. VI. Fructus ingens.

Sextvm, Fructus incomparabilis huius dilectionis. Non fruſtrà dixit S. Ioannes de hoc præcepto: *ſi hoc ſolum fiat, ſufficit.* Vbi enim charitas eſt, ibi nemo alteri inuidet, nemo alterum offendit, ibi alter alterum fraternè corrigit, ſupportat, iuuat, &c. adeò vt S. Dominicus diceret: *Plus in charitatis codice didici, quàm in vniuerſa ſacra Scriptura*, Beyrl. in Apoph. Chriſti. Imò ſi hæc dilectio inter nos vigeret, Magiſtratu opus non eſſet. Audi Ciceronem Ethnicum: *Amicitia continet ciuitates*, inquit libr. de amicitiâ, *& ſi homines ſint amici, non eſt opus iuſtitiâ.* Celeberrimus apud Hiſpanos Concionator Philippus Diez refert tom. 2. Quadrag. p. 2. feria quarta poſt Dom. 1. exemplum nobiliſſimi cuiuſdam ſed moribus peruerſiſſimi hominis, cui vir quidam religioſus, morum & ingenij eius conſcius, hæc tantùm verba, magno tamen ſpiritus feruore dixit: *Bonum quod tibi vis fieri, fac quoque proximo tuo: quam ſententiam ſi memoriâ retinueris & opere executus fueris, ſaluaberis. Audiuit nobilis ille vir breuem hanc exhortationem & exinde ſecum ita ratiocinabatur: Siquis tibi aliquid deberet, an non velles ſtatim tibi ſolui? & ſi tu pauper eſſes, an non libenter videres, ſi diues tibi eleemoſynam largiretur? Iuſtum itaque eſt vt tu reddas quod debes tuis creditoribus, & pauperibus atque egenis ſubuenias. Quibus operibus dum vacaret, quadam nocte excepit in domo ſua ægrotum quendam pauperem: cui poſtquam cœnam bonam dediſſet, iuſſit prope ſuum cubile lectum ei ſterni, dicens: Si ego pauper eſſem & ægrotus, libenter viderem me ita humaniter excipi. Media verò nocte cœpit ægrotus pauper clamare & aquæ hauſtum petere, dicens: ſe graui ſiti vexari. Surrexit nobilis ille, vt hauſtum illi daret, dicens intra ſeipſum: Si tanta ego ſiti premerer, libenter viderem, ſi aquæ hauſtus mihi porrigeretur. Deſcendit itaque ad ciſternam, vt aquam afferret: & cum eſſet obſcurum, & in feruore illo acceleraret, impegit & cecidit intus; & ipſo Domino permittente ſuffocatus eſt. Fuit caſus extraordinarius quidem, ſed & ſenſus & lachrymæ totius domûs fuerunt extraordinaria. Sed breui tempore lachrymas illas Deus fecit exſiccari. Cùm enim defuncti corpus ex ciſterna extraheretur, habuit pretioſiſſimum torquem aureum ad collum ſuum inciſis & elaboratis characteribus ſplendidiſſimis, qui hanc ſententiam continebant; antequam corpus hoc in aqua refrigeſceret, anima eius iam fruebatur Deo. O diuinæ miſericordiæ ſublimitatem! ô veræ pœnitentiæ efficacitatem! Cuius operibus adeò deprauatus homo tam citò volauit in cœlum abſque vllo igne purgatorij, honorante eum etiam Deo in hac vita: vt eius mors fœlix iudicaretur, ſiquidem ita fuit raptus, antequam dæmon & mundus bona eius propoſita imminuerent aut mutarent.*

Denique ſi alius fructus non eſſet, quàm qui indicatur 1. Ioann. 4. *Si diligamus nos inuicem, Deus in nobis manet:* ſatis id foret. Vti & id quod de non diligentibus dicitur: *Qui non diligit, manet in morte* 1. Ioann. 3. Et 1. Ioann. 4. *qui non diligit, non nouit Deum.* Et pòſt: *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Quanta enim hæc tonitrua! quanta fulmina! Vt ergo in nobis maneat Deus: vt maneamus in vita & non in morte: vt noſcamus Deum; vt probemur & credamur diligere Deum, diligamus proximum. Certè ſponſa, de qua initio diximus, vbi in cellam amoris vinariam introducta eſt, vbi ſub vexillo amoris à Chriſto conſtituta eſt, mox præ amore viribus deſtituta exclamauit; *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Nos ergo quia & ipſi in Eccleſiam Chriſti introducti, & ſub vexillo charitatis conſtituti ſumus, impleamur dilectione, inebriemur amoris vino; vt ita demum floribus & malis æternæ felicitatis fulciamur ac ſtipemur.

CON-

CONCIO VI.

Varia hominum de Chriſto iudicia.

1. *Sentire videntur aliqui Chriſtum non eſſe Deum, quinam illi?*
2. *Alij quaſi non ſit eorum Dominus. Qui?*
3. 4. *Quinam ſentiant eſſe impotentem ac inſcium rerum noſtrarum.*
5. 6. *Qui dicant non eſſe iudicem noſtrum, ſed tyrannum.*

THEMA.

Quid vobis videtur de Chriſto? Matth. 22.

A. QVid de Chriſto Domino ſentire debeamus, ſatis apertè docet Pſalmus ille 109. citatus ab ipſo in hodierno Euangelio. Sentire debemus eum eſſe verè filium Dei, non hominis tantùm, quia ibi Deus pater ita ipſum alloquitur: *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Sentire debemus eum eſſe Dominum noſtrum peculiari quodam titulo, quia ibi Dauid vocat eum *Dominum ſuum: Dixit Dominus Domino meo.* Sentire debemus eſſe Aſſeſſorem SS. Trinitatis, qui omnia noſtra acta norit ſemperque intueatur; quia ibidem ei Pater ait: *ſede a dextris meis.* Sentire etiam debemus, eſſe potentiſſimum, cui nemo queat reſiſtere, quia ibidem ei dicit Pater: *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Sentire debemus eſſe Iudicem noſtrum & iuſtiſſimum quidem; quia ibidem audimus: *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terrâ multorum.* Sentire debemus eſſe Sacerdotum ſummum, qui nos Deo conciliet, in gratiam recipiat, ſpirituali & corporali cibo paſcat; nam ibidem ei dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Nec dubito, Auditores, quin & vos, ſi interrogemini: *Quid vobis videtur de Chriſto?* hoc totum reſponſuri ſitis. Quòd ſi tamen opera & conuerſationem hominum aſpicere velimus, in multis alia omnia videbimus, ipſique longè aliter cogentur reſpondere. Inueniemus enim id, quod Iſaac ait de filio ſuo: *Vox quidem vox Iacob eſt: manus autem manus ſunt Eſau,* Gen. 27. Vox quidem & profeſſio Chriſtiana eſt, conuerſatio autem Ethnica vel Iudaica. Deprehendemus enim Chriſtianos, qui ſe ita gerunt ac ſi Chriſtus nec Deus nec illorum Dominus eſſet: nec ſciret eorum acta, nec potentiâ polleret; nec illorum Iudex, nec ſcelerum vindex, nec Sacerdos foret. Quos proinde interrogare oportet: *Quid vobis de videtur Chriſto?* Aliud dicitis: aliud agitis. *Vox Iacob, manus Eſau.* Cæterùm quia nemo hoc fateri vult, ideo ad oculum demonſtrandum eſt.

B. I. *Sentire videntur aliqui Chriſtum non eſſe Deum.*

Primò, Videntur aliqui ſentire Chriſtum nihilo plus eſſe quàm hominem, ita Phariſæi in hodierno Euangelio; filium enim Dauid aſſerebant: ſed filium etiam Dei eſſe, hoc minimè credebant. Quin etiam Chriſti perſonam vili admodum pendebant; aiunt enim Matth. 13. *Nónne hic eſt filius fabri?* Nihilo meliùs de Chriſto ſentire conuincuntur illi Chriſtiani, qui S. Euchariſtiæ exiguam aut nullam exhibent reuerentiam; veluti cùm ea in S. Miſſa eleuatur, vel ad ægrotos defertur, vel in templo præteritur. Hi enim ſi verè crederent Chriſtum eſſe Deum verum, quomodò non in genua ſe curuarent, imò in faciem proſternerent? Certè ſi videres ruſticum tranſire iuxta regem, nullâ exhibitâ reuerentiâ, diceres quamprimùm, regem ab eo ruſtico minimè agnoſci. Ideò ergo de te dico, ſi prætereunte Chriſto in Euchariſtia, videam te genua non curuare, caput non aperire, Chriſtum non adorare, ſed vel fugâ te proripere, vel in domum te ſubducere, vel immoto corpore ſtare. Quid tibi *videtur de Chriſto? cuius filius eſt?* num fabri tantùm, & non Dei, qui ei in Pſalm. cit. dixit. *Ex vtero ante Luciferum genui te?* Neſcis quid Ioannes epiſt. 1. cap. 4. ait: *Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt.* Quis autem ſoluit Ieſum, niſi qui humanitatem eius ſeparat à diuinitate? Hoc autem facere cenſeris, cùm præſentem non adoras. Sanè Ioannes Baptiſta dicebat ſe etiam procumbentem minimè fore dignum, qui corrigiam calceamentorum eius ſolueret; hic vir, inquam, talis ac tantus! Marci 1. Quid nos igitur facere conuenit? Sanè confundet nos in iudicio Rex Babylonis, qui teſte Daniele c. 14. vt Belum fictitium Numen coleret, *ibat per ſingulos dies adorare eum.*

Magis adhuc contemptè de Chriſto ſentire videntur, nec plus quàm fabri filium reputare, qui ſine omni metu ſumunt eum polluto ore in communione. Hi enim panem filiorum canibus abijciunt, adeoque faciunt pabulum canum ex pane Angelorum, & fabrum ex filio Dei cudunt. D. Optatus Mileuitanus ſcribit diſcerptos ac deuoratos à canibus fuiſſe Donatiſtas hæreticos, qui S. Euchariſtiam canibus deuorandam obiecerant. *Iuſſerunt* (Epiſcopi Donatiſtarum, Vrbanus Formenſis & Fœlix Idicrenſis) *Euchariſtiam canibus fundi,* inquit Optatus lib. 2. de ſchiſm. Donat. *non ſine ſigno diuini iudicij. Nam ijdem canes accenſi rabie, ipſos dominos ſuos quaſi latrones, ſancti Corporis reos dente vindice tanquam ignotos & inimicos laniauerunt.* Rectè & iuſtè; quia enim illi Dei filium in Euchariſtia agnoſcere noluerunt, ideò & ipſi à canibus ſuis agniti non ſunt: pabulum canum è Chriſto fecerunt, ideò & ipſi pabulum eorundem facti ſunt. Bene ergo D. Thomas & ex eo Eccleſia canit: *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus.*

C. II. *Alij quaſi non ſit eorum Dominus.*

Secvndò, Alij ſic viuunt, quaſi Chriſtus Dei filius non ſit ipſorum Dominus, nec ipſi eius ſerui. Etenim ſerui inprimis dominum obſeruant, ſedenti aſſiſtunt & miniſtrant, prodeuntem in publicum comitantur, ponè ambulando. At quàm multos videre eſt, qui Chriſto in altare de cœlo deſcendente etiam feſtiuis in diebus præſentes ſe non exhibent nec miniſtrant Domino ſuo? Sanè idcircò

 ſub

ſub eleuatione ſignum dari per campanam ſolet veteri inſtituto, vt omnes Chriſtiani eo audito intelligant Chriſtum Dominum ſuum eò momento de cælo in terram delapſum, ſibique tunc aliquo venerationis actu excipiendum & quaſi ſalutandum eſſe; ait enim Apoſtolus ad Hebr.1. Chriſto in terram iterum introducendo, mandari omnibus Angelis, *vt adorent eum.* Si ergo Angeli, quantò magis homines adorare eum iubentur, cùm iterum iterumque introducitur in terram, conſecratione Sacerdotum? Quot etiam videmus, quibus moleſtum eſt comitari per plateam Ven. Sacramentum cùm defertur ad ægrotum, vel in publica proceſſione circumfertur? Quis non videt aulicos magnâ contentione regem ſuum in publicum proditurum præuenire, magnâ patientiâ exſpectare, prodeuntem comitari, omnique obſequio proſequi, quaquauerſum eat? Nónne magnus ille rex Dauid ſeruum Chriſti ſe fatetur in citato Pſalmo: *Dixit Dominus Domino meo?* Et ſi hoc rex, quid nos infimi?

2. Secundò, Serui reuerentur dominum ſuum, cauentque in conſpectu eius indecorè apparere aut indecens quid agere. Mirum quàm hoc præ cæteris obſeruent Ianizari aliique aulici Turcici Imperatoris. Stant coram eo modeſtiſſimè, oculis immotis, toto corpore ad reuerentiam compoſito, vt ſtatuæ videri poſſint. Nullus ibi ſcreatus, nulla vox, nulla oculorum euagatio, nulla commotio: toti in regem intenti ſunt, nec minimum quid admittunt, quod offendere eum poſſit; vti refert Busbequius in ſua legatione Turcica. Quid hîc dicamus de Chriſtianis, qui in templo coram Deo ſuo impudicos oculos vndique circumferunt? qui de nugis & iocis fabulantur? qui mentem interim habent in patinis, choreis, ludis? qui de præſentia Domini ſui vix aliquando cogitant? qui dorſum altari vertunt &c? *Seruus honorat dominum ſuum*, inquit Deus Malach. 1. *Si ergo Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?*

3. Tertiò, Serui omnes ſuas operas domino impendunt, & in eius commodum te ſerunt. Idem faciat Chriſtianus, ſicut docet B. Apoſtolus 1. Cor. 10. dicens: *ſiue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* At verò ſi quis ſuam gloriam, ſuum commodum, ſuum lucrum, non Dei gloriam, non reip. bonum, non iuſtitiam quærat, quomodo ſe ſeruum, Chriſtum verò agnoſcit Dominũ ſuum?

4. Quartò, Serui obediunt dominis ſuis. Qui ergo Chriſtum confitentur, factis autem negant, conuincuntur non habere eum pro Domino ſuo. Ita enim cum illis expoſtulat Luc. 6. *Quid vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Quidam ſemel appellant Dominum, qui corde ſolùm credunt: nondum edere profeſſionem publicam audent; alij bis appellant, qui corde credunt & voce confitentur, tamen adhuc operibus contradicunt; alij ter appellant, qui corde, voce & opere confitentur Chriſtum Dominum ſuum. Ita vir ſecundùm cor Dei, Dauid, Pſalm. 115. *O Domine, quia ego ſeruus tuus, ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Dum ter ſe ſeruum dicit, conſequenter etiam Deum ter ſuum Dominum dicit. Quare, ô Chriſtiane, ſi vitâ & moribus tuis Chriſto contradicas, aiſne ipſum Dominum tuum? *Quid tibi videtur de Chriſto?* Nónne Chriſti vocabulum in opprobrium tibi & ipſi vertis? *Quid eſt dignitas in indigno*, inquit Saluianus lib. 4. de prouidentia, *niſi ornamentum in luto? Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua.* (Prouerb. 11.) *Et nobis itaque Chriſtianum vocabulum quaſi aureum decus eſt: quo ſi indignè vtimur, fit, vt ſues cum ornamento eſſe videamur.*

D. III. Alij impotentem ſentiunt.

Tertiò, Alij videntur negare (aut certè dubitare) quòd Chriſtus omnia poſſit. Sic impij apud Iob. cap. 22. *dicebant Deo; Recede à nobis; & quaſi nihil poſſet facere omnipotens, exiſtimabant eum.* Huiuſmodi verò ſunt Primò qui in periculo vel morbo conſtituti auxilium non à Chriſto ſiue Deo, ſed à diabolo potiùs & miniſtris eius, magis, ariolis, veridicis, requirunt. Si enim in ciuitate aliquâ præſtantiſſimus foret medicus, & ciues, eo ſpreto, medelam ægritudinum quærerent à carnifice, qui Medicinæ artem affectans plurimos ſuis pharmacis necaret ſummoque cum periculo mederi ſoleret, nónne hoc in Medici cederet opprobrium? Nónne ciues eum, quaſi qui nihil poſſet, contemnere conſeretur?

Non procul ab his abſunt, qui non quidem ad artes magicas, ad humana tamen præſidia priùs ſe conuertunt quàm diuina, neque hæc niſi illis omnibus fruſtra tentatis rebuſque iam planè deſperatis cenſent aduocanda; vti etiam qui Turcarum & Ethnicorum opem contra hoſtes ſuos implorant. Fit enim ſæpenumerò vt vocati auxiliares inſidientur dominis, à quibus aduocati ſunt, ſi eis præualere queant; vti contigit Græcis Imperatoribus à quibus Turcæ id auxilium acciti, imperium Occidentis occupârunt. Rectiùs agunt ii, qui primùm ad diuina ſe conferunt præſidia, vti Conſtantinus Magnus, Theodoſius, aliique, qui idcirco fœliciſſimè pugnârunt; quia vt ait Hanani Propheta ad Regem Aſa. 2. Par. 16. *Oculi Domini contemplantur ſuper vniuerſam terrã, & præbent fortitudinem his, qui in corde perfecto credunt in eum.* Eodem pertinent, qui in ægritudine conſtituti, ad Dei opem & ſalutaria ſacramentorum remedia, non niſi valetudine pæne deſperatâ confugiunt. Idem ſentire videntur, qui diffidunt Deo; quaſi nequeat miro modo ſuſtentare homines tempore grauis penuriæ. Impegit in hunc ſcopulum Moyſes, vir alioquin Deo chariſſimus, quando ſic ad Deum locutus eſt: *Sexcenta millia peditum huius populi ſunt; & tu dicis: Dabo eis eſum carnium menſe integro? Numquid ouium & boum multitudo cædetur, vt poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in vnum congregabuntur, vt eos ſatient?* Cui reſpondit Dominus: *Numquid manus Domini inualida eſt?* Num. 11. Idcircò ingreſſu terræ promiſſæ à morte præueniente ereptus eſt. Peiùs adhuc de potentia Dei ſenſit Dux quidam regis Samariæ 4. Reg. 7. Vaticinanti enim Eli-

Eliſæo, in ſumma annonæ charitate, breuî maximam fore frumenti vilitatem, excepit ille irridens: *Etiamſi Dominus fecerit cataractas in cœlo, numquid poterit eſſe, quod loqueris?* Cui Eliſæus: *Videbis oculis tuis, & inde non comedes.* Ita factum; Dux enim ille ad vrbis portam à turbâ compreſſus & conculcatus eſt in pœnam diffidentiæ, & iuxta ſermonem prophetæ modius ſimilæ vænijt ſtatere vno, ſimiliter duo modij hordei. Nimirum qui diffidunt Deo, non parum eius honori derogant & potentiæ.

Eò denique pertinent hæretici, qui multa, ab Eccleſia credita & SS. literis conteſtata, imaginantur ſibi eſſe impoſſibilia, vti tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti, exiſtentiam totius Chriſti in exigua hoſtia, &c. Rurſum miracula innumera, quæ circa Ven. Sacramentum contigerunt & adhuc viſuntur in multis locis. Quemadmodum enim diſcipuli Chriſti videntes Dominum ambulare ſuper mare, dicebant: *Quia phantaſma eſt*, Matth. 14. ita etiam hæretici, cùm vident vel audiunt in Eccleſia Chriſtum patraſſe hoc vel aliud miraculum, ilicò exclamant: *Phantaſma, phantaſma*: figmentum, figmentum eſt. Itaque demonſtrant nihil eiuſmodi Chriſtum poſſe, quod naturæ vires ſuperet. Quid vobis, ó Phantaſtæ: quid vobis videtur de Chriſto? num Phantaſma à Chriſto cuditis?

Omnes has diffidentias redarguit vox Dauidis in citato Pſalmo Chriſto applaudentis: *Dominare in medio inimicorũ suorum.* Si enim ipſe ſolus in medio inimicorum ſuorum, Dæmonum Iudæorum, paganorum, hæreticorum conſtitutus, omnibus dominatur, omnes ſibi ſubijcit; quid ipſe, quæſo, non poterit? Quid non efficiet Samſon iſte, qui potentiſſimos quoſque hoſtes ſimul ſternere poteſt?

E. IV. Alij inſcium rerum noſtrarum.

QVARTÒ, Alij exiſtimant Chriſtum eſſe idiotam & inſcium rerum omnium, quæ in terris geruntur. Ita enim loquuntur impij, Pſalm. 72. *Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in Excelſo?* Et quidam apud Iob. cap. 22. *Quid nouit Deus? & quaſi per caliginem iudicat.* Septuaginta legunt: *Quid nouit fortis?* q.d. eſto quidem, ille potens ſit & fortis, ſcientiam tamen & cognitionem non habet eorum, quæ à nobis fiunt. Ita de Chriſto ſentiebant improbi illi Nazareni, qui duxerunt eum in montis ſupercilium, vt præcipitarent; exiſtimantes abſque dubio, hanc illorum machinationem & dolum ipſi occultum eſſe, *Luc.* 4. Verùm oculatior ipſis Chriſtus fuit, quando *tranſiens per medium illorum ibat.* Eiuſdem opinionis erat Phariſæus ille, qui cogitabat: *Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtique quæ & qualis eſt mulier hæc, quæ tangit eum,* Luc. 7. Verum mox oſtendit Chriſtus, ſe & noſſe mulierem & ſimul Phariſæi cogitationem. Cæci igitur & ſtulti ſunt, qui cæcum eſſe Chriſtum putant, & idcircò turpia quæque perpetrant: ſimiles ſtruthio camelo, qui cùm equite ſit altior, non ſe videri exiſtimat, ſi ſub frondibus caput abdat. Pier. *lib.* 25. *hier.* Quia enim ipſi non vident Deum, ideo nec ſe videri ab eo cenſent, adeoque Deum æquè ac ſe cæcutire ſentiunt. Stultæ huic opinioni ſapienter reſpondet ſancta illa Anna 1. Reg. 2. *quia Deus ſcientiarum Dominus eſt*, inquit, *& ipſi præparantur cogitationes.* Scientiarum Dominus vocatur, quia omnia abſolutè nouit, quidquid vſpiam ſit, quidquid peccant doctiſſimi & aſtutiſſimi quique Theologi, Philoſophi, Iuriſconſulti, Medici: omnes illorum ſcientias è fundamento callet. Ipſæ etiam cogitationes hominum ei præparantur, hoc eſt proponuntur in conſpectum, velut Principi ludi ſcenici in theatro, vt eorum aſpectu oculos oblectet. Cùm ergo in corde tuo vindictam in aduerſarium coquis, cùm dolos & deceptiones meditaris, cùm noxia conſilia ad præcipitandum aliquem excogitas, cui, obſecro te, præparas iſtas cogitationes? Num tibi, vt tu ſolus nôris & alijs clàm noceas? Erras bone vir: Deo illas præparas veluti ſpectaculum, vt in eo videat tuam improbitatem. Vatablus ait alios legere: *Et ipſi numerantur opera.* q.d. ab ipſo numerantur, ponderantur & examinantur omnia mortalium opera. Quàm igitur veſani ſunt, qui in peccatis ſuis oculos quidem hominum fugiunt, ſed Dei oculos non horrent! Qui ſedet à dextris Dei, quomodo non videt & obſeruat omnia noſtra? De cœlo ipſe ſpectat comœdiam huius mundi & omnes eius perſonas eorumque actiones, vt ſuo tempore laudet vel vituperet.

F. V. Alij non eſſe Iudicem noſtrum.

QVINTÒ, Alij putant Chriſtum vel non eſſe hominum Iudicem, vel non ſatis æquum, vti paulò antè ex Job audiuimus dicentem: *Quid nouit Deus? & quaſi per caliginem iudicat.* q.d. per nebulam & à longè intuetur nos; itaque falli & errare in iudicijs ſuis poteſt. Quinam verò illi, qui ſic blaſphemant Deum? 1. Primò, Illi, qui ſeipſos vlciſci de inimicis volunt; hoc ipſo enim videntur eripere gladium Chriſto Iudici, quaſi parum eius æquitati fidant, vt ſeipſos vindicent. Sanè qui legitimo Iudice neglecto, alienum eligit, cenſetur ſpernere Iudicem ſuum & famam eius, quaſi iniqui denigrare. Atqui Deus *Pater omne iudicium dedit filio*, Ioan. 5. cùm ergò tibi in propria causâ arrogas iudicium, Chriſto Iudici tuo adimis, non ſine graui eius contemptu. Hoc inſinuare volens Abbas Siſois cuidam fratri vltionem paranti, dixit: *Deus, iam non es nobis neceſſarius vt pro nobis ſolicitus ſis & pro tuendo iure noſtro; quia, noſipſi, ſicut frater iſte dicit, & poſſumus & volumus vindicare.* Audiens hoc frater, cecidit ad pedes eius, ignouit & veniam petijt. *In Vitis PP. l.* 5 *cap.* 16.

2. Secundò, Illi, qui cùm vident inualeſcere improbos & proſperis vti ſucceſſibus, aduerſùs innocentes, conturbantur & peruersè de diuina æquitate incipiunt ſentire. Sed iſti ſcire debent aliam eſſe prouidentiam humanam politicam, quæ homines ad vitam & tranquillitatem temporalem dirigit: & aliam eſſe diuinam & ſupremam, quæ totum humanum genus complectitur & ad vitam æternam ordinat. Ad illam pertinet coercere impios, & defendere pios: ad hanc verò ſpectat permittere

vt res

vt res omnes ſuis ferantur motibus, adeoque voluntas humana ſuæ relinquatur libertati, ac per conſequens impiorum ſcelera & inſolentiæ, vt plurimùm ſaltem tolerentur, donec ſuo tempore fiat omnibus retributio. Hæc enim ratio prouidentiæ maximè commendat diuinam benignitatem, quæ dum lentè procedit ad vindictam, expectat peccatores ad pœnitentiam. Commendat Dei ſapientiam, qui ſi pro meritis flagitia omnia plecteret in hac vita, ſicut facit prouidentia politica, breui mundus foret exhauſtus: non exercerentur iuſti, nec augerentur illorum coronæ; magni nimis penderentur hæc temporalia, vt quibus boni ſolùm abundarent: nemo ferè ſpontè & virtutis amore, ſed coactè & formidine pœnæ honeſtum amplecteretur.

3. Tertiò, Illi, qui iniquè ferunt, & Deo obloquuntur, cùm cauſa iuſta & vera religio in prælio ſuccumbit, vti iuſta Hebræorum cauſa iniuſtæ Beniamitarum, *Iudic.* 20. S. Ludouici Regis Franciæ iuſta expeditio iniuſtæ Seracenorum, apud Iud. Clichtouæum. Sebaſtiani Luſitanorum Regis impijs Africanis, apud Natalem Comitem *lib.* 19. quorum ille à Saracenis captus, poſtea in alia expeditione obijt: hic verò in Africa cæſus fuit. Verùm hi conſiderent varias eſſe cauſas poſſe ſiniſtri huius ſucceſsus. Quid enim ſi in iuſtis etiam peccata aliqua plectantur? quid ſi in reprobis aliqua eorum bona remunerentur? Quid ſi iuſtorum nimia in proprijs viribus confidentia puniatur? Quid ſi eorum temeritas & diſciplinæ atque apparatûs militaris neglectus? Quid ſi iuſtorum tepiditas in oratione & alijs pijs operibus? Denique etſi conatus impiorum ad tempus videtur eis ex voto ſuccedere, id tamen non eſt diuturnum, ſed finem ſortitur peſſimum. Patet in Nabuchodonoſore, Balthaſare, Cyro, Xerxe, Alexandro M. Romanis Imperatoribus ſub gentiliſmo. Quemadmodum enim pater, vbi virgâ caſtigauit filium, poſtea placatus & reconciliatus filio, iram ſuam conuertit in virgam, eam confringendo vel in ignem mittendo: ita agit cum iniquis & Tyrannis Deus, quibus, vbi eorum interuentu caſtigauit bonos, ad extremum ſeuerè iraſcitur, & perdit eos. Ita Deus Oſe 20. poſt illatum ſupplicium ſic loquitur: *Arcum, & gladium, & bellum conteram de terra.* Et luculentiùs Iſa. 10. *Væ Aſſur virga furoris mei & baculus ipſe eſt in manu eorum indignatio mea, ad gentem fallacē mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia, vt deripiat prædam.* Et paulò pòſt eam virgam fracturum pollicetur: *Et erit*, inquit, *cùm impleuerit Dominus cuncta opera ſua in monte Sion, in Ieruſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſyriorum*, &c. Omnes hos redarguit Pſalmus à Chriſto in hodierno Euangelio citatus. Ait enim inter alia de Chriſto: *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum.* (Hæc enim verba de Chriſto non de Deo patre, rectè intelligit Auguſtinus) Iudicabit ergo Chriſtus omnes nationes, & æquiſſimè quidem, quia implebit ruinas, hoc eſt, quidquid diſtortum & iniquum fuit, faciet rectum & æquum, omnibus ius dicet & tribuet, quod cuique debetur; denique confringet in die iræ reges, & conteret ſuperbos, qui nunc erecto incedunt capite, & premunt iuſtos.

Sextò, Alij ſibi perſuadent, eum eſſe Tyrannum, ſeu nimis auſterum, de nobis nihil ſolicitum. Ita apud Iob cap. 22. cit. ſubditur in perſona illorum: *Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.* q.d. ſuis commodis attendit, nihil curat nos. Sic ferè etiam, licet dubitatiuè, locuti Chriſto diſcipuli ſæuiente maris tempeſtate: *Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus?* Marci 4. Nimis craſsè ſeruus ille piger apud Lucam cap. 10. qui talentum ſuum in terram fodit atque Domino ſuo (Chriſtum intellige) *Scio quia homo auſterus es, tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti.* Sic reſpondent aliqui, cum vrgentur ad ſeruanda præcepta Eccleſiæ, v. g. ad ſoluendas decimas: Tollis, inquiunt, quod non ſeminâſti. Cùm ad obſeruandos dies feſtiuos: Tollis nobis lucrum, quod poſſemus obtinere è labore & negotiatione noſtrâ, tu verò non poſuiſti. Cùm ad ſeruanda Eccleſiæ ieiunia: Tollis nobis carnem, quæ exhaurietur, & eneruabitur crebris illis ieiunijs. Alij cum diſcipulis illis dicunt: Perimus in paupertate, miſerijs & peccatis noſtris, & nihil ad te pertinet: nihil de nobis ſolicitus es. G. VI. Alij eum eſſe Tyrannum.

Vanam hanc perſuaſionem euertit, quod in pſalmo cit. dicitur de Chriſto: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Melchiſedech reuertenti de prælio & delaſſato Abrahamo obuiam venit, panem & vinum primùm Deo obtulit, deinde ipſi guſtandum dedit, denique ei benedixit, *Gen.* 14. Omnia hæc nos ſperare à Chriſto poſſumus. Ipſe enim fatigatis in prælio tentationum occurrere ſuâ dulcedine & conſolatione ſolet, vti ex vita S. Antonij ſcimus, quem ſuperato cum dæmonibus certamine, miro gaudio repleuit, & ſenſibili voce ſolatus eſt. Ipſe pro peccatis noſtris obtulit Deo patri corpus & ſanguinem ſuum, offertque adhuc quotidie per manus ſacerdotum. Ipſe etiam alit & ſuſtentat non tantùm pane & vino, ſeu cibo quotidiano, ſed etiam pretioſo corpore & ſanguine ſuo. Ipſe denique benedicit nobis, dando gratiam ſuam & bonorum omnium cumulum, tandemque poſt hanc vitam, gloriam.

Digitized by Google

CONCIO VII.

Caluminæ aliquot hæreticorum in Pontificem & Pontificios refutantur.

1. *Cauillantur hæretici Calendarium nouum: cui calumniæ reſpondetur; & proponitur cauſa æquiſſima reformationis Calendarij.*
2. *Prohiberi omnibus lectionem S. Scripturæ. Reſp.*
3. *Papam Ioannem, vt aiunt, fœminam. Reſp.*
4. *Papam euacuare merita Chriſti. Reſp.*
5. *Subripi laicis communionem ſub vtraque ſpecie; quod refellitur.*

THEMA.

Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? Matt. 22.

A. Odium Hæreticorum in Papam. PArum nimis reſponderunt Phariſæi Chriſto ad interrogationem illam: *Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt?* Solam enim regiæ ſtirpis dignitatem, quam, vt homo habuit, illi tribuerunt: diuinæ verò generationis maieſtatem, quam ex Pſalmo (à Chriſto in hodierno Euangelio citato) diſcere poterant, tacuerunt. Nimirum inuidia excæcauerat eos. Multò adhuc contemptiùs reſpondebunt nobis Lutherani & Caluiniſtæ, ſi eos interrogauerimus, quid ſentiant de Chriſti Vicario, Pontifice Romano. Quid enim, ô Nouatores, vobis videtur de Papa? cuius filius eſt? Prorumpent illicò in vocem illam, ipſis decantatiſſimam: *Filius perditionis eſt.* Volunt enim de ipſo Apoſtolum dixiſſe, quod de Antichriſto dixit, 2. Theſſal. 2. *Homo peccati & filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur,* &c. Mira res, Auditores. Chriſtus ſuo Vicario eiuſque ſucceſſoribus dixit: *Tu es Petrus* (ſeu petra) *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Iſti verò dicunt: *Homo peccati eſt, filius perditionis eſt.* Hoc clamitant ex cancellis, hoc ſcriptitant in libris. Dicerent ſaltem, filium eſſe honeſtorum parentum, Principem ſæcularem, Sacerdotem magnum, &c. Sed inuidia in Pontificem longè alia tela iaculatur, calumnias nimirum: quarum aliquas nunc refellemus.

B. I. Cauillantur Calendarium nouum. PRIMÒ, Cauillantur Calendarium nouum Gregorianum, à Papa Gregorio XIII. introductum, & dictitant ab innouatis hiſce feſtis omnia in peius ruiſſe, neque anni tempora ampliùs terminos & ſedes ſuas ſeruare, neque ſolitam cœli temperiem vigere, neque conſuetâ olim fertilitate terram mortalibus ſubuenire, ſicque hoc prætextu alios deterrent ab amplectendo Calendario nouo, ſimulque à religione veteri. Resp. 1. Sed reſpondetur primò, eandem calumniam ſuſtinuiſſe olim Chriſtianos à gentilibus, omnes iſtiuſmodi clades Chriſtianorum religioni adſcribentibus, vt teſtatur Orig. *in Matth. cap. 24. tract.* 28. Tertull. *apolog. cap.* 40. S. Cyprianus *ad Demetrianum.* Iuſtinus martyr. *quæſt.* 126. *ad Orthod.* Arnobius *lib.* 1. *contra gentes.* S. Auguſtinus in Pſalm. 80. Incendium, quod Nero in vrbe excitauit, Chriſtianis imputatum fuit, qui propterea magno numero neci dati ſunt. Baron. in Annal. anno 65. Gnoſticorum hæreticorum turpitudines cæteros Chriſtianos exoſos faciebant. Ibidem anno 120. Ingens peſtis ſub M. Aurelio & L. Vero Chriſtianorum religioni adſcribebatur: Ibid. anno 170 Alia item lues ſub Gallo & Voluſiano: Ibid. 256. Terræ motus ſub Maximo: Ibid. anno 237. Ex quibus etiam colligitur clades huiuſmodi omni tempore in genus humanum deſæuiiſſe; falsò igitur adſcribuntur nouo Calendario. Secundò, ſi nos tam perniciosæ mutationis ob Gregorianum Calendarium receptum cauſa ſumus, par erat, vt ipſi veri Calendarii tam rigidi cuſtodes ab his incommodis immunem vitam ducerent; at hoc non fit; quia quales æſtates & hyemes nos habemus, tales habent & ipſi, & grando, pruina, aurigo, rubigo, bruchus, eruca, locuſta aliquando æquè apud illos fruges terræ vaſtat, ac apud nos. Simili modo dicebant olim Ethnici, Chriſtianos Dijs ſuis ob venerationem Chriſti inuiſos eſſe, & cauſam præbere, cur tot calamitatibus mundum affligant; ideo in vltionem Deorum ſuorum Ethnici contra Chriſtianos inſurgebant. In quos ſcribit Arnobius lib. 1. *Ergo,* inquit, *humana patrocinia Dij quærunt, & niſi veſtrâ fuerint aſſertione protecti, idonei non ſunt ipſi, qui propulſare, defendere ſuas valeant contumelias? quin imò ſi verum eſt ardere illos irâ, permitte illis poteſtatẽ ſui, defendant ſe ipſi, atque in vltionem maieſtatis offenſæ, inteſtinas exerceant, experiantur\[q\]ue virtutes.* Et mox: *Vobis ſecũdas tribuant valetudines, aduerſas nobis ac peſſimas. Opportunis imbribus veſtra irrigent rura; pluuiarum quæcunque ſunt rores noſtris ab agellulis abigant, lanitia curẽt veſtra numeroſis fœtibus multiplicari, ſterilitatem infauſtã noſtris pecuariis inferant. Ex oliuis veſtris atque vineis plenam faciant autumnitatem fundi; at ex noſtris exprimi rorem prohibeant palmites roreis. Ad extremum & vltimum, in veſtro ore præcipiant ſuam fruges retinere naturam: At verò in noſtro mel amarum fieri, olearum fluenta rancеſcere, & ſub ipſis potum labris in acorem perfidiam vinum repentè mutari. Quod cùm nunimè fieri teſtificentur res ipſa, neque minus ad nos quidquam, neque ad vos plurimum redundare vitalibus ex beneficiis conſtet; libido quæ tanta eſt, inimicos atque hoſtes Deos eſſe contendere Chriſtianis; quos in rebus triſtiſſimis atque lætis, nihil abs te videas ratione in aliqua diſcrepare? Si verum vobis permittitis, ac ſine vllis aſſentationibus dici: verba ſunt hæc, verba ſunt, res imò per calumnias credita, non cognitionis alicuius teſtimonio comprobata.* 2.

Tertiò, huiuſmodi clades & perſecutiones in Eccleſia ſemper fore; his enim creſcit & conſeruatur Eccleſia. Inde S. Iuſtinus martyr in dial. cum Tryphone: *Quantò magis in nos ſæuitur,* inquit, *tantò plures pietatem fidem\[q\]ue per nomen Ieſu profitemur: haud ſecus, quàm ſiquis* 3.

vitem

vitem putatione prouocet ad vbertatem fructuum. Et Tertullian. lib. de Scapulam capit. 5. *Nec deficit hæc ſecta, ait, quam tunc magis ædificari ſcias cùm cædi videtur.*

4. Cauſa reformati Calendarij. Quartò, cauſam reformandi Calendarij æquiſſimam & vrgentiſſimam fuiſſe, quod ante Chriſtophorum Clauium, viderunt etiam alij Aſtronomi, vti Stoëfflerus Profeſſor Tubingenſis in ſuo Calendario M. edito ann. 1518. Etenim Patres Concilij Nicæni anno Domini 325. æquinoctio definiuerunt diem 21. Martij. Cùm verò ab illo tempore effluxerint pluſquam mille anni reperimus noſtro ſæculo retroactum fuiſſe æquinoctium vſque ad 10. Martij aut circiter, quia ſcilicet anno biſſextili intercalabantur minuta pluſquam oportebat, & quot efficiunt centeſimam trigeſimam quartam partem vnius diei, iuxta Alphonſinam anni menſuram, quæ dat anno (non vt Iulij Cæſaris menſura, quæ dat ei 365. dies & ſex horas) dies 365. horas quinque, minuta 49. ſecunda 16. quæ minor eſt anno Iulij 134. ferè parte diei. Vnde fit, vt iuxta hanc menſuram, (quæ iuſtior deprehenſa eſt, quàm ſit illa Iulij Cæſaris) quouis 134. annorum ſpatio dies vnus qui alioqui excreſceret, omittendus ſit. Si menſuræ Iulij Cæſaris (365. dierum & ſex horarum) inſiſteremus, ſicut à tempore Nicæni Concilij vſque ad Gregorium XIII. factum eſt; tunc ex reſiduis illis ſex horis quarto quouis annò iuſtè prodirent 24. horæ, adeoque integer dies intercalandus. At ſecundum Alphonſi menſuram (quam nunc ſequimur) veriorem, non prodit integer dies, cùm 134. parte diei (ferè quadrante horæ) minor ſit illa Cæſaris, vt dictum; quo fit, vt exacto quouis 134. annorum ſpatio debeat omitti dies intercalaris, ne à vero curſu ſolis recedamus. Itaque anno 1582. ſub Gregorio Papa decem diebus ſubductis radijs æquinoctium ad tempus, quo contingebat ſub Nicænis Patribus. Proinde deinceps poſt annum 1600. Iubilæo inſignem quouis deinceps anno 134 currente intermittitur dies Intercalaris, nunc anno 132, nunc anno 136. quippe qui ſoli biſſextiles ſunt; non autem anno 134.

Quare ij, qui adhuc obſeruant vetus Calendarium, decem diebus à vero æquinoctio aberrant, adeoque feſta omnia decem diebus tardiùs debitò celebrant. Qui error deinceps quoties exacti fuerint 134. anni, toties vno die augetur. Itaque poſt 1540. annos (à reformato Calendario) recedent à verò æquinoctio viginti diebus, adeoque feſtum S. Iacobi celebrabunt 14. Auguſti, ſeu in Vigilia Aſſumptionis noui Calendarij, & ſic de aliis Feſtis.

C. II. Calumniantur prohiberi omnibus lectiones S. Scripturæ; Reſp. 1. Secundò, Calumniantur à S. Scripturæ lectione omnes pæne Chriſtianos à Pontifice & Tridentino Concilio arceri; in librorum ſcilicet prohibitorum indicis regulâ quarta. Reſp. primò, neminem ibi arceri à Scripturæ lectione, ſed à vernaculis tantùm eius verſionibus, quas ipſimet hæretici teſtantur, non eſſe SS. litteras. Voluit enim ſolos fontes, id eſt, ſolum in veteri teſtamento Hebræum, ſolum in nouo Græcum eſſe SS. literas. Et confirmatur hoc ipſum ex eorum ſententia tripliciter. Primò, Variæ inter ipſos vernaculæ ſunt verſiones, non in diuerſis modò linguis, Germanicâ, Gallicâ, Polonicâ; ſed etiam in eadem. Nam alia eſt apud nos Germanos verſio Lutherana, alia Zwingliana ſeu Tigurina. Diuerſæ igitur in diuerſis gentibus, imò & in eadem, forent SS. literæ, quod eſt abſurdum. Secundò, Corrigunt ipſi modò ſic, modò aliter ſuas iſtas vernaculas, ſacras igitur literas corrigerent. Tertiò, Vetant Caluiniani Lutheranam, Lutherani Caluinianam verſionem. Num ergo vetant SS. literas? Non, inquiunt; ſed earum tantùm verſiones corrigimus & vetamus Rectè; idem facit Concilium Trid. loco cit. & nos cum illo.

Reſp. ſecundò, regulam illam nec vernaculas verſiones omninò prohibere, ſed eas requirendas vult ab Epiſcopis (prout regibus præſcribitur *Deut.* 17.) earúmque legendarum facultatem. Quod ſi regibus præſcriptum fuit, vt deſcripturi Deuteronomium acciperent exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, idque ne in exemplarium aliorum varietate mendi fortè quidpiam aut prauitatis ineſſet; quantò æquius eſt ab iiſdem Sacerdotibus pendere populum: cæterùm, In vernaculis Bibliorum verſionibus, quæ ab Eccleſia nondum probatæ ſæpenumerò etiam nondum ſatis aptæ vel emẽdatæ ſunt? Sanè facultatem ſumendi Euchariſtiam, quâ nihil ſanctius, nihil Chriſtiano magis expoſitum, videmus apud ipſos Lutheranos & Caluinianos à Prædicantibus peti, & poſſe ab iis eius ſumptionem, ſi abuſum cernerent, aliquibus vetari. Cur ergo non idem ius ſit Sacerdotibus in Bibliorum verſiones non probatas,

Reſpond. Tertiò, facultatem hanc, aliis quidem in regionibus facilè Regibus & Principibus, qui tam multa & magna alia impetrant, concedi: in noſtra verò Germaniâ iam pridem conceſſam videri. Nam Catholicorum paſſim manibus Germanicâ Dietenbergij Biblia teri ſciunt ac cernunt Epiſcopi & Parochi, neque tamen reprehendunt; quin verò gaudent potiùs ac laudant, vt vel ſic peſtilentes hæreticorum Bibliacæ tranſlationes emigrent: neque ſunt eorum ignari Catholici, quibus inaniter gloriari ac exultare ſolent hæretici.

D. III. Calumniantur Papam Ioannem vt aiunt fœminam Reſp. 1. Tertiò, Calumniantur Eccleſiæ Romanæ præſediſſe aliquando fœminam ſeu Papiſſam, nomine Ioannam, quæ ex ſtupro peperecrit filium; adeoque Papam meretricis eſſe ſucceſſorem. Sed reſpondetur hoc figmentum eſſe, iam dudum à plurimis ſolidiſſimè confutatum. Primò, quia huius fabulæ primus ſcriptor fuit Marianus Scotus, qui primus eam ſcripſit ducentis & ampliùs annis poſt annum Domini 853. quo eam fabulam contigiſſe ponit; ante ipſum nemo verus ſcripſit, ne Græcorum quidem, (qui aliàs æmuli & Cenſores Romanorum erant,) ex ipſo tranſcripſerunt poſteà Sigebertus Schiſmaticus & alij. Secundò non

poſt annum Domini 853. quo eam fabulam contigiſſe ponit; ante ipſum nemo vnus ſcripſit, ne Græcorum quidem, (qui aliàs æmuli & Cenſores Romanorum erant.) ex ipſo tranſcripſerunt poſteà Sigebertus Schiſmaticus & alij. Secundò non ſcripſit aſſertiuè (ſicut malâ fide refertur in eius Codice Heroldi operâ impreſſo) ſed ex vulgi rumore; ita enim habetur in ſcripto Codice, ex quo prima illa editio prodijt: *Ioannes, qui vt aſſeritur, fuit mulier.* Tertiò illam vulgi famam hauſit abſque dubio à Schiſmaticis Eccleſiam odio proſequentibus, qui quæ de Eccleſia Conſtantinopolitanâ vulgata erant, conuerterunt in Romanam. Eo autem tempore, quo hæc ſcribebat Marianus, fama erat fœminam ordinatam eſſe Patriarcham in Sede Conſtantinopolitanâ: vt apertè conſtat ex epiſtolâ Leonis Noni Romani Pontificis ad Michaëlem Patriarcham & Leonem Acridianum ſcriptâ anno 1053. quo Marianus religionem ingreſſus erat, anno ætatis ſuæ 25. Quomodo verò Leo IX. Romanæ Eccleſiæ hoſtibus id objcere auſus fuiſſet, ſi maiori inſamiâ id in Rom. Eccleſiâ fuiſſet aliquando perpetratum?

2. Secundò, Quia maior habenda fides Anaſtaſio Bibliothecario, qui tunc Romæ præſens erat, & res ſui temporis ſcripſit. Hic autem ſcribit Leonem IV. nequaquam anno 853. (vt habet Marianus) ſed anno 855. demum vitâ functum eſſe, eique poſt ſex dies ſtatim ſubſtitutum eſſe Benedictum III. quem eidem Leoni immediatè ſucceſſiſſe ſcribunt omnes quotquot de ſucceſſione Pontificum ſcribunt, de Joannâ verò illâ altum ſilent. Quo iure ergo Joanna iſta ponitur inter Leonem & Benedictum?

3. Tertiò, Latini ipſi, qui poſt multa ſæcula de eâ fabulâ ſcripſerunt, adeò inter ſe diſſident, vt magis eam deſtruant, quàm confirment. Diſſident in nomine, quo plerique ipſam Joannam anteà nominatam volunt. Nam alij Agnetem, alij Gilbernam, alij Jſabellam, alij Margaritam, alij Tuttam, alij Dorotheam: præterquam quòd alij Germanam, alij Anglicanam dixére. Diſſident in nominis ordine, nam alij eam vocant Joannem VII. alij VIII alij verò IX. cùm tamen fuerint ijdem legitimi Eccleſiæ Rom. Pontifices. Diſſident in tempore, nam alij eam anno collocant 853. alij ſequenti, alij in anno 857. octauo alij, quidam 904. præter eos, qui ponunt eam poſt Martinum J. anno 553. alij poſt Ioannem V. anno Chriſti 686. Et vnde, qui poſt Marianum primum auctorem, iſta ſcripſere, ab eo recedentes iſta ſibi tam diuerſa finxere? Diſſident & in Sedis tempore, dum alij eam ſediſſe tradunt anno vno, & menſe vno, & diebus 4. alij annis 2. totidemque menſibus, & diebus 4. alij duobus annis cum dimidio, duobus tantùm annis alij, alij uerò quatuor tantùm menſibus. Diſſident etiam in fabulæ narratione, vt ne vnus quidem reperiatur, qui conſentiat alteri, & nulla penitus hiſtoria de nomine, loco, tempore, & rebus quæ narrantur, adeò mendax, adeò inconſtans, & varia, diuerſa & omni penitùs veriſimilitudine carens.

Denique ridiculum eſt ſtudium Nouatorum in hac fabulâ fulciendâ & ſuadendâ, vt ex eo continuatam hactenus ſucceſſionem Rom. Pontificum eſſe ſucciſam & interruptam oſtendant, quaſi etiam ſi demus fœminam electam in Pontificem, Pontifex illa fuerit; quæ ne minoris quidem clericalis ordinis capax ſit. Quâ ratione ne primus quidem eius fabulæ ſcriptor Marianus inter Rom. Pontifices eam numeret: dum, qui ante Leonem IV. vixit, Sergium numerat centeſimum primum: Leonem ſucceſſorem, centeſimum ſecundum, Benedictum (Joannâ abſque numeri nota prætermiſsâ) legitimum Leoni ſucceſſorem centeſimum tertium ponit, & ſic deinceps. Quâ ratione nihil lucri capiunt Nouatores, niſi vt dici poſſit, duobus illis annis & menſibus Sedem Pontificiam legitimo vacuam fuiſſe paſtore, non tamen ob eam cauſam ſucceſſionem à Chriſto per Petrum in poſteros continuatam, fuiſſe ſucciſam: nam & aliàs accidit, vt maiore etiam temporis ſpatio ſedes Pontificia, dilata, per diſcordias eligentium, electione vacârit; nec tamen ſucceſſionem deſiſſe quiſquam vnquam auſus eſt dicere. Biſciola anno 853. Baron.

QVARTO, Calumniantur Papam euacuare merita Chriſti, & adſcribere ſalutem noſtram meritis noſtris. Reſpondeo ergo Primò duplicem eſſe ſalutem noſtram: inchoatam, quam ſortimur in hac vitâ, dum iuſtificamur & Chriſto reconciliamur per fidem & gratiam; & conſummatam, quam expectamus à Chriſto in alterâ vitâ. Illam confert nobis Chriſtus vt Agnus qui tollit peccata noſtra, ac proinde gratis & ſine meritis noſtris. Tametſi verò ad eam reconciliationem requiruntur etiam aliqui actus virtutum præuij, vt fidei, ſpei, timoris, pœnitentiæ, dilectionis, (vt expreſsè habetur in Scripturâ, velut Eccleſiaſt. 1. *Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.* Lucæ 8. *Remittuntur ei peccata multa, quiâ dilexit multum, &c.*) velut diſpoſitiones; non datur tamen his actibus ſalus inchoata ſeu reconcilatio, velut merces operi; quia non proficiſcuntur à perſonâ dignâ, conſtitutâ ſcilicet in gratiâ, quæ eſt fundamentum meriti. Itaque hanc ſalutem ſolis CHRISTI meritis & gratiæ adſcribimus. Alteram verò, conſummatam confert nobis Chriſtus vt Iudex redditurus vnicuique ſecundùm opera eius, quemadmodum teſtatur Scriptura; ac proinde non niſi ex meritis noſtris, (ſi modò ad merendum cælum vires atque facultatem habeamus, vnde excipiunt infantes & inſani, quibus datur gloria vt hæreditas ſolùm, non etiam vt merces vel brauium ſeu corona.) Tribuit enim Scriptura bonis operibus mercedem & quidem vitæ æternæ, brauium, coronam iuſtitiæ, &c. eaque omninò requirit.

Calumniantur Papam euacuare merita Chriſti. Reſp. 1.

Reſp. Secundò. Etiam opera illa, quibus meremur ſalutis conſummationem, non derogare 2.
quidquam meritis Chriſti; tum quia etiam ipſa ſunt dona Chriſti, à cuius meritis omnem merendi vim accipiunt, ſicut palmites à vite ſuccum

ſuccum & fructum: tum quia fundantur in mera Dei promiſſione, non in iuſtitia dati & accepti; quia opera noſtra Deo multis alijs titulis debita, imò ipſius dona ſunt, nec ipſi ad quidquam vtilia. Quid quod Chriſti merita potiùs amplificantur per merita noſtra, quando illa tam potentia aſſerimus, vt operibus etiam noſtris vim merendi dare queant, ſicut annulo ferreo magnes affrictus, vim ipſi tribuit ferrum attrahendi, quam & ipſe habet.

3. Reſp. Tertiò, Aduerſarios ſibi ex meritis Chriſti perniciem ſtruere, dum ſibi perſuadent non eſſe neceſſarium ad ſalutem, pœnitentiæ & pietatis operibus vacare, ex eo quòd Chriſtus nobis vita & ſalus fuit. Sic olim Iſraëlitę 4. Reg. 18. æneum ſerpentem, qui eis monumentum eſſe debuit, quo excitati parentum ſuorum cognoſcerent peccatum & impoſitum illis à Domino ſupplicium, ac tandem oblatam medicinam & ſingulare in eâ beneficium vt peccatum horrerent, Deum diligerent, & magis eſſent in viâ Dei conſtantes, quàm parentes fuiſſent, hunc, inquam, ſerpentem colere pro Deo cœperunt & adolere ei incenſum, quaſi in eo diuinum quid eſſet. Ita omninò hæretici abutuntur Chriſti meritis, vt putent ſibi per ea factam eſſe poteſtatem & plenam libertatem ad peccandum, & quiduis mali audendum, qui potiùs Chriſto grati eſſe deberent ob dimiſſa ſibi peccata, & impoſterum cauere, ne rurſum Deum offendant, ſed peccata cane peius & angue fugiant.

P. V. *Calumniantur ſubreptam ſibi communionē ſub vtraque ſpecie.*

QVINTO, Calumniantur ab eo ſubripi Laicis communionem calicis. Sed reſpondetur nihil illis ſubripi, quia nihil illis datum fuit. Nam etſi Chriſtus inſtituit Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie, non tamen præcepit omnibus vſum vtriuſque ſpeciei, ſed reliquit hoc diſpoſitioni Eccleſiæ. Aliud autem eſt aliquid inſtituere, aliud præcipere. Matrimonium, Ordo & plura alia à Deo inſtituta ſunt, non tamen præcepta. Ac licet ea, quæ ad ſubſtantiam & eſſentiam Sacramenti inſtituti pertinent, tenenda & obſeruanda ſint, ſi ijs vti velimus: non tamen ea quæ extrinſeca ſunt, circumſtantiæ & accidentia. At CHRISTVM ſub externo ſymbolo panis aut vini accipi, eſſentiale eſt Euchariſtiæ: ſub duobus, accidentarium; quemadmodum & id, veſpere & poſt cœnam accipi. Non præcepiſſe Chriſtum, oſtendo. Vel enim præcepit illo verbo: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem*, &c. Ioan. 6. vel illo: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. Vel illo; *Bibite ex hoc omnes*, Matth. 26. Non Primo, quia ibi Chriſtus tantùm vrget realem & veram corporis ſui ſumptionem tanquam neceſſariam quoad ſubſtantiam: modum ſumptionis non præſcribit; quia nec vini nec calicis mentionem facit. Poteſt autem caro & ſanguis Chriſti non minùs ſub vnâ quàm ſub vtraque ſpecie ſumi, adeoque ſimul comedi & bibi. Ac licet vtatur etiam verbo bibendi: non tamen ideò requirit, vt per modum potûs etiam ſumatur; ſiquidem in SS. literis ſæpe pro eodem ſumuntur manducatio & potatio; vti Pſal. 68. *Dederunt in eſcam meam fel & in ſiti meâ potauerunt me aceto.* Adhæc copula illa, *Et*, dum ait: (*Et biberitis eius ſanguinem*) ſæpe habet vim disiunctiuæ; vti Actor. 3. *Argentum & aurum* (id eſt, argentum vel aurum) *non eſt mihi*. Non Secundo, illo enim verbo: *Hoc facite in meam commemorationem*: ſi quid imperatur, id ſolùm imperatur, vt ſumatur Euchariſtia in commemorationem: imò ſiquid circa modum ſumendi præcipitur, ſola ſpecies panis præcipitur. Hoc enim CHRISTI verbum ponitur Luc. 25. & 1. Cor. 11. (apud ſolum enim Lucam & Apoſtolum reperitur) poſt ſumptionem panis tantùm, & ante ſumptionem calicis. Quòd ſi apud Apoſtolum reperitur poſt ſumptionem calicis, tamen cum limitatione ponitur: *Hoc facite, quotieſcunque biberitis in meam commemorationem*, q. d. quoties ſumere calicem volueritis; poſt panis verò ſumptionem, ſine limitatione. Vnde hoc Chriſti verbum facit potiùs contra aduerſarios. Non Tertio, nam illud: *Bibite ex hoc omnes*, pertinet tantùm ad Apoſtolos, qui ſoli erant præſentes, & cum CHRISTO diſcubuerant, iuxta id Luc. 22. *Diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.* Patet ex eo, quòd Marcus ait: *Et biberunt ex eo omnes*, capite 14. Qui omnes? vtique non niſi Apoſtoli, quibus hoc dictum erat, quique iam conſtituti fuerant ſacerdotes, antequam illis calix daretur. Voluit autem hoc loquendi modo indicare CHRISTVS, vt ex eo calice omnes aliquid biberent, nemo ſolus exhauriret; quemadmodum habet Lucas *cap. 22.* vbi dixit: *Accipite & diuidite inter vos.* Adhæc ſi, quæcunque in vltimâ cœnâ dixit CHRISTVS, præceptum forent, & ad omnes pertinerent; præceptum foret & illud: *Et vos debetis alter alterius lauare pedes.* Item officium adminiſtrandi Euchariſtiam pertineret ad feminas & paruulos. Itaque nec verbum *Manducate*, nec verbum *Bibite*, præceptum ibi continent, ſed ritum tantùm conficiendi & ſumendi Apoſtolis, vt ſacerdotibus, præſcribunt.

Vos ergo Auditores, *ſinite* Hæreticos, *cæci ſunt, & duces cæcorum.* Et quemadmodum rectè ſentimus de Chriſto cùm dicimus eſſe filium Dei, ita etiam rectè ſentiamus de ipſius Vicario, dicamuſque ipſum eſſe Eccleſiæ caput in terris & Paſtorem ſummum, qui infallibilem habeat aſſiſtentiam Spiritûs Sancti ad Eccleſiam in fide verâ continendam, confirmandam & regendam. Dicamus eum à CHRISTO conſtitutum in ſede Petri, quæ inſtar petræ ſtabit, donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum. Huic nos adhæreamus, ſi veri paſtoris veræ oues eſſe volumus.

CONCIO VIII.

Documenta.

Ex hoc Euangelio diſcimus:

1. *Quomodo impij conſpirēt cùm opprimendos iuſtos.*
2. *Diſcimus miram* Chriſti bonitatem.
3. *Veram dilectionem fidei debere iungi.*

4. *Sacra*

4. *Sacra Scripturæ magnam eſſe vtilitatem.*
5. *Digniora in proximo attendenda, non viliora.*
6. *Impios ſuo tempore puniendos.*
7. *Hæreticos facilè conuinci, non tamen facilè conuerti poſſe.*

THEMA.

Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? Matth. 22.

A. MYSTERIVM eſt, Auditores, quod legimus *Gen.* 32. Iacobum Patriarcham, quia vinci in luctâ noluit ab Angelo, tactum in fæmore, vt claudicandum ipſi eſſet. Significat enim hoc Iudæos, Patriarchæ illius filios, quòd Chriſto pertinaciter nec cedere eius doctrinæ, nec credere voluerint, in pœnam contumaciæ ſuæ perpetuò claudicaturos circa fidem Chriſti. Id videre eſt in hod. Euangelio, vbi credunt quidem Chriſtum eſſe filium Dauid, & hoc pede rectè incedunt: ſed interim agnoſcere nolunt eundem eſſe etiam filium Dei, & hoc pede claudicant. Vnde bene de ipſis dicitur Pſalm. 17. *Filij alieni* (Hebræi à me abalienati) *mentiti ſunt mihi* (negantes me eſſe filium Dei, vt exponit Haymo) *filij alieni inueterati ſunt* (quia defecerunt & refrixerunt in maiorum ſuorum fide & pietate) *& claudicauerunt à ſemitis ſuis.* E contrario de nobis Chriſtianis è gentiliſimo ad fidem vocatis immediatè præmiſit: *Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* Hoc vt verificemus, Auditores, audiamus doctrinam Domini noſtri & obediamus ei.

B. I. *Impij cōſpirant cum opprimendus iuſtus.* Videri poſſet alicui ſterile nonnihil hod. Euangelium: ſed ſi bene expendatur, fecundiſſimum reperietur. Imprimis enim videmus impios, inter ſe alioquin diſcordes, conſpirare in vnum, quando iuſtus opprimendus eſt & veritas. Scribit namque S. Matthæus *capite* 22. eodem ferè tempore acceſſiſſe ad Chriſtum diuerſarum ſectarum homines, vt tentarent eum; primò Phariſæorum diſcipulos cum Herodianis, vt interrogarent eum num liceret cenſum dare Cæſari. Quos cùm ſapientiſſimo reſponſo confudiſſet Dominus, ſuccedunt Sadducæi, qui negabant reſurrectionem, ideoque ridiculam ei quæſtionem proponebant de vxore vnâ, quæ ſucceſſiuè nupta erat ſeptem fratribus, morte immaturâ præuentis: quærentes cuiuſnam è ſeptem fratribus futura eſſet vxor in reſurrectione? Cùm etiam iſtorum cæcum errorem pulcherrimè redarguiſſet, veniunt nouiſſimè Phariſæi & Legis Doctores, quaſi Triarij & inuictiſſimi milites cum quæſtione, quam audiamus in hodierno Euangelio. Omnes iſtorum ſectæ inter ſe diſſidebant, & mutuis ſe vulneribus cædebant, at hunc cùm de Chriſto capiendo agitur, omnes in vnum conſpirant collimantque ſcopum. Refert Plinius l. 10. c. 74. coruo & vulpi naturales eſſe inimicitias, quòd hæc pullos eius infeſtet; at vbi eſalon parua auis catulos vulpeculæ vellit, coruos in auxilium vulpis aduolare & auxiliari velut aduerſus communem hoſtem; ſiquidem parua illa auis etiam coruî ouis inſidiari ſolet. Hunc in modum vulpes illa Herodes (ſic enim appellatur à Domino *Luc.* 13.) & coruus ille Pilatus, alioquin inter ſe diſſidentes & mutuæ iuriſdictioni inſidiantes, inierunt amicitiam cùm aduerſus paruam illam auem, Chriſtum, qui eorum vitia carpebat, pugnandum ſibi arbitrabantur. Idem faciunt canes: Cùm domi de oſſâ inter ſe dimicant, & fortè mendicus domum ingreditur, mox compoſitâ pace vnanimiter eum inuadunt. Experiuntur hoc multi iuſti, quos inuadunt impij pari ſtudio & conſenſu, tametſi inter ſe alioquin diſcordes. Experitur Eccleſia Chriſti, quam ſimul & vnanimiter vexant ſæpè hæretici diuerſorum dogmatum. Hi enim inter ſe licet mirè digladientur, vbi tamen in Catholicos pugnandum eſt, ibi vires & arma iungunt, imò ſæpè Turcam etiam in auxilium aduocant; vti fecêre olim Ariani, qui & gentiles & Iudæos concitare in Catholicos non ceſſârunt. Athenæ & Thebæ inter ſe infeſtiſſimæ erant: ſed cùm Philippus Macedo diu diſſimulatum bellum Athenienſibus inferret, Thebani factâ ſocietate eis ſe iunxêre, metuentes ne victis Athenienſibus, vicinum belli incendium ad ſe transiret. Maiol. *t.* 3. *Canic. coll.* 2. Cautè & prudenter iſti; quos optarem vt ſequeremur nos Catholici, deponendo priuata odia & iungendo vires ad debellandos Eccleſiæ hoſtes, omnibus nobis communes.

C. II. *Mira Chriſti bonitas.* 1. SECVNDO, Videmus Chriſti Domini miram bonitatem, Primò in eo dum legis Doctori ſcientiam eius tentanti, ſincerè & promptè reſpondit inſtar alicuius diſcipuli, qui interrogatur à Magiſtro. Cùm enim vidit Dominus poſſe quæſtionem aliquam redundare in bonum interrogantis, reſpondere dignatus eſt etiam illudenti. Doloſus mercator erat iſte legis Doctor; venit enim cum ſtaterâ ſuæ ſcientiæ, vt ponderaret Chriſti ſapientiam, num in lege verſatus eſſet, non vt ab eo diſceret. Quare ipſi applicari poteſt, quod Oſeæ 12. dicitur: *Chanaan, in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit.* Chanaan mercatorem ſignificat; talis erat Doctor iſte; fumos vendere volebat. Sed hac impoſturâ nihil commotus Dominus pro fumo auream monetam reddit, & quæ ſalutis ſunt, reſpondet; in exemplum noſtrum, ne dolum dolo compenſemus, cùm ſpes eſt emendandi proximum; multò minùs malum pro malo; ac ne dedignemur reſpondere interrogati, ad ea quæ ad fidem & ſalutem noſtram ſpectant, v. g. in Catecheſi, in pœnitentiæ tribunali, &c. quandoquidem etiam Chriſtus reſpondit inſtar alicuius paruuli ad quæſtionem Catecheticam.

2. Secundò in eo, quòd (vt notat Sanctus Chryſoſtomus *hom.* 23. *in ep. ad Rom.*) propoſito nobis expoſitoque magno illo præcepto dilectionis Dei, aſſerit huic ſimile eſſe præceptum dilectionis proximi. *Conſidera*, inquit Chryſoſtomus, *bonitatem Dei, qui cùm ab homine infinitè diſtet, velit tamē amorem hominis in hominē; tam eſſe vicinum ac ſimilem amori illi, quo ipſe vult amari,*

amari, vt eandem vtriuſq; velit eſſe regulam & menſuram. Verùm quemadmodum cùm hic alicui bene volumus, eumq; alij cuidam familiari noſtro quàm commendatiſſimum cupimus, dicere ſolemus: ſi me vis amare, hunc amato, inquit Chryſoſtomus, *hoc ipſum omninò voluit Dominus his verbis dicere: ſecundum autem ſimile huic, q.d. ſi me amas, ama proximum tuum.* Et Petro: *ſi diligis me, paſce oues meas;* ex hoc enim cognoſcam an diligas me.

D. III. Vera dilectio, fidei debet inniti.

Tertio, Videmus, vel certè colligimus non qualemcunque Dei dilectionem ſufficere ad ſalutem, ſed eam quæ innititur fidei tanquam baſi & fundamento. Phariſæi vrgebant ſolam Decalogi obſeruationem; vnde interrogant: *Quod eſt mandatum magnum in lege?* nihil de fide in Chriſtum habendâ ſoliciti. At verò Saluator noſter ipſorum quæſtioni de mandato magno, alteram ſubiungit eiſque proponit, de fide in Meſſiam, æquè neceſſariam. Quemadmodum enim ignis noſter elementaris inferior indiget fomento; ſuperior ille & æthereus nequaquam: ita & charitas viæ ſeu vitæ huius indiget fulcro fidei & ſpei; charitas gloriæ minimè. Errant igitur Politici & Machiauelliſtæ, qui ſolos componunt mores ad nullius offenſionem, fidem nihil curant; docentque ſatis eſſe bene & inculpatè viuere, quomodocunque tandem credatur; quod etiam ſentiebant olim Philoſophi gentiles. Ad hoc namque confutandum ſcitè ſubiecit Dominus propoſitionem de fide in Chriſtum, quæſtioni charitatis, velut fundamentum illius. Fides eſt quaſi materia & corpus hominis Chriſtiani, charitas velut forma & anima, opera bona velut pulſus cordis & arteriarum, indicans vitam eius. Vt ergo vita & anima hominis (non ſeparata) ſupponit corpus hominis: ita charitas & opera bona ſupponunt fidem veram. Interroget proinde quilibet ſeipſum: (acatholicus videlicet) *quid tibi videtur de Chriſto?* Quid de eius diuinitate, omnipotentiâ, veracitate? Quid de eius humanitate & præſentiâ in Euchariſtiâ? Putaſne filium Dauid duntaxat & non filium Dei? nec poſſe ſuâ omnipotentiâ mutare panem & vinum in corpus ſuum, qui vniuerſum hoc è nihilo potuit creare? Rurſum quærat ex ſe Catholicus cùm in peccatum vel tentationem aliquam incidit: *Quid tibi videtur de Chriſto?* Eſtne ille Devs, qui omnia tua acta videt? Eſtne tuus Dominus, cuius tu voluntatem facere teneris? Eſtne tuus Iudex, qui te aliquando ad rationes citabit, & pro merito tuo vel præmiabit vel damnabit? Eſt. ſi talis eſt; quid eſt quod agis & machinaris in corde tuo?

E. IV. Sacræ Scripturæ magna vtilitas.

Qvarto, Videmus ſacræ Scripturæ magnam eſſe vtilitatem? inde enim manifeſtè oſtendit Dominus ſuam diuinitatem, conuicitque Phariſæos ex Dauidico pſalmo, vt ne verbulum vnum contrà mutire poſſent: *Si Dauid vocat eum Dominum ſuum,* inquit *quomodo filius eius eſt?* Erat ſanè Chriſtus filius Dauid ſecundum carnem; & idcircò vocat eum Dauid *ſuum*; ſed præterea erat filius Dei quoque, ſecundum diuinitatem; ideoque appellat eum *Dominum*, non filium ſuum. Totum hoc Scriptura ſatis manifeſtè oſtendiſſet Phariſæis; niſi odio & liuore cæcatos habuiſſent oculos. Vbi ergo malitioſa hæc & affectata ignorantia abeſt, vbi ſacra Scriptura manuducit nos ad intellectum omnium rerum, quæ ad ſalutem noſtram ſpectant; quia vt Apoſtolus 2. Tim. 3. ait, *omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt ad docendum* (ſanam ſcilicet doctrinã) *ad arguendum*) hæreticos,) *ad corripiendum* (peccatores,) *ad erudiendum in iuſtitiâ*, ſeu ad omnem morum honeſtatem vitæque ſanctimoniam. Eſt enim inſtar officinæ apothecariæ, quæ omnis generis pharmacis ad quoſcunque morbos depellendos inſtructa eſt. *Siquis laborat concupiſcentiâ,* inquit S. Baſilius ep. 1. ad Greg. Nazianz. *& caſtitatis eſt cupidus, hiſtoriam Ioſeph aſſiduè legat; ex eâ hauriet & hauriet pudicitiæ amorem & ſpiritum. Siquis impatiens patientiã deſiderat, legat geſta ſancti Iobi. Siquis fortitudinem cupit, legat acta Dauidis. Siquis manſuetudinem appetit, Moſen voluat & imitetur.* Idem ſuo modo præſtat lectio aliorum ſpiritualium librorum. *An. D. 1355. contigit S. Columbinum ſemel redire domum circa prandij horam cum oreni nõ modicâ: qui quòd parata omnia non eſſent, ſtatim irâ commotus cœpit cuncta domi euertere. Eius vxor, mulier prudens, honeſta ac ingenio præſtans, prout poterat, eum placare conabatur, ſupplex rogans vt patienter ferret moram, nec pro tantillâ re ſeſe ita cruciaret, ob oculos proponens ſanctorum hiſtorias, vt in illis ſeſe tantiſper occuparet, dũ inſtrueretur menſa. Tum ille magis magiſq; inde inflammatus, librum arripiens in mediam aulam proijcit, vxori hæc verba obijciens: Nulla tibi alia cogitatio, quàm de ſanctorum legenda. His dictis cùm nonnullis alijs verbis, conſcientia ita eum mordere cœpit, vt extemplò librum de terra collegerit ac reuoluere cœperit. Incidit in hiſtoriam B. Mariæ Ægyptiacæ peccatricis, quæ quamuis longa ſit, ipſi tamen breuiſſima viſa eſt: dum enim legeret, ita cor eius leniebatur, vt à priore conditione mutatus planè receſſerit: quæ enim priùs pluris faciebat, ea contemptui habuit, terrenis non ampliùs inhiebat vt priùs: liberaliſſimus in pauperes effectus templa etiam frequentabat, orationibus rebuſq; diuinis totum ſe poſteà impendebat. Inſuper carnem affligere, eamq; ſpiritui ſubiectam reddere ſtudebat, & vt multa paucis complectar, ſtatim propoſuit caſtam viuere vitam, viuiſq; rationibus vxori vitæ caſtimoniam perſuadet, quæ licet adhuc iuuenis, mariti tamen deſiderio acquieſcit. Tunc Columbinus ad eius pedes prouolutus caſtitatem perpetuam Deo vouet. Inde verò non ampliùs in lecto, ſed aliquando in ſcamno, nonnunquam humi dormire cœpit, potiorem etiam partem noctis in oratione conſumens. Firmè ſtatuit Chriſtum Dominũ in paupertate ſequi, & verè coram hominibus contemptus haberi.* Hæc Paulus Moriſius *lib. 1. de orig. relig. c.* 38. apud Daurolt *cap. 6. t. 12. Catech. hiſt.* Scimus etiam S. Ignatium Loyolam in ægritudine conſtitutũ ex libri, qui ſanctorum vitas deſcribit, lectione repentè immutatum ſtatuiſſe vitæ genus mutare, itaque militiâ relictâ pauperem vitam elegiſſe, & ſacræ religionis cultorem atque inſtitutorem euaſiſſe. Scimus S. Auguſtinum lectione epiſtolæ S. Pauli è Manichæo Catholicum & quidem ſanctiſſimum eſſe factum.

Obſer-

Obſeruandum tamen, ſacræ Scripturæ le-ctionem non paſſim omnibus expedire propter obſcuritatem. Vnde Dominus in hodierno Euangelio non quærit ex plebeijs intellectum pſalmi, ſed ex Legiſperitis & Doctoribus. Et ſi illi non intellexerunt pſalmum, quomodo vulgus intellexiſſet? Ex eo igitur, quòd Apoſtolus aſſerit Scripturas diuinitùs inſpiratas eſſe, colligit D. Chryſoſtomus eas profundos & diuinos habere ſenſus, ac proinde non eſſe cuiuis obuias & claras, ſed arcana multa continere inſtar fluuij, cuius extima aquarum ſuperficies tantùm patet, ſub quâ interior ac longè maior aquarum copia recondita latet, *in qua & agnus* (humilis) *natet, & elephas* (ſuperbus) *mergatur*, inquit S. Greg. *ep. ad Leandr. Præfat. in Iob.* Tametſi verò ſacra Scriptura appellatur *lucerna* Pſ. 118. & 2. *Pet.* 1. non inde tamen conficitur eſſe omnibus claram. Lucerna enim eſt noctis lumen, modicum & ſubobſcurum, indiget ſuggeſtione olei, explicatione in loco patulo: ita ſacra Scriptura lumen eſt ſed ſubobſcurum, eget piâ ac doctâ explicatione, poni debet *ſuper candelabrum publicæ ac infallibilis auctoritatis Eccleſiæ non ſub modio hominis priuati*, ait S. Ambroſ. *l.* 7. *in Luc.*

F. V. Dignitas in proximo attendenda, nō vilitas.

Qvinto, Audimus Chriſtum eſſe quidem filium Dauid, ſed non ita appellari à Dauide patre, qui ſuppreſſo nomine filij vocat eum Dominum ſuum; propter naturam ſcilicet eius diuinam, longè digniorem, quàm eſſet humana, tractâ à Dauide. Decet enim vt de Chriſto honorificentiſſimè ſemper loquamur, nec tam imperfectionem humanæ naturæ, quàm diuinæ perfectionem in eo conſideremus, vti facit Eccleſia, quæ non ſolet inuocare eum vt pro nobis interpellet patrem (quod tamen ſecundum naturam humanam facere poteſt ac ſolet) ſed vt ipſe noſtri miſereatur & det omne bonum nobis. Quòd enim Deus eſt, ab æterno ex naturâ ſuâ habet; quòd verò homo eſt, in tempore miſericorditer fieri dignatus eſt. Quare etiam nos, non quæ humilia & vitioſa ſunt in proximis noſtris, aſpicere & commemorare debemus, ſed quæ ſunt magna & laude digna: vilia verò tegere. Illud odij & inuidiæ, hoc charitatis opus eſt. Deliquit in hoc non parum inuidus ille Saul, qui cùm in Dauide omnia præclara cerneret, nec haberet vnde eum culparet, è generis obſcuritate materiam ſpernendi eum arripuit, appellando eum filium Iſai, qui non ita pridem vnus è populari turbâ vitam egerat ruſticam & paſtoritiam. Nihil humile in Dauide repererat, virtutem & victorias cernebat: parentelam igitur carpit, in quâ nihil erat eximium; non attendens quòd & ipſe è ſimili ſtirpe prodijſſet & aſinos ſecutus eſſet, 1. *Reg.* 20. & 9. Rurſum filium ſuum Ionatham appellat filium mulieris virum vltrò rapientis, hoc eſt, meretricis. Non poterat ei ignobilitatem patris exprobrare, niſi ſeipſum vellet arguere; itaque ſordes & turpitudinem matris obiicit, dicto c. 20. Hunc ferè imitantur inuidi & nequam alij homines, qui vt viros bonos ſibi ſimiles reddant, ſordes eorum quærunt, & in lucem protrahunt, flores verò tegunt.

G. VI. Impii ſuo tempore puniendi.

Sexto, Audimus Chriſti hoſtes, impios videlicet, ſuo tempore puniendos, & quidem ſeueriſſimè. Ita enim ad Filium Deus Pater: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* q.d. quieſce hîc à militiâ tuâ in gloriâ meâ, donec ſubijciam tibi omnes inimicos tuos in die iudicij. Subiecit ei iam dudum perfidos Iudæos, interfectores ſuos, cùm eos templo, vrbe, patriâ, terrâ eiecit & per orbem diſperſit vt vbique eſſent exules & omnium mancipia. Typus illorum Cain fuit, qui ob cædem fratris innocentiſſimi vagus & profugus fuit ſuper terram. Idem ipſis contigit; quia *vox ſanguinis fratris* eorum (Chriſti) *clamat* ad Deum de terrâ. Pulchrè eis hoc prædixit Dauid Pſal. 58. cùm ait in perſonâ Chriſti: *Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos. Ne occidas eos, nequando obliuiſcantur populi mei* (gentiles ſcilicet ad me conuerſi) Quid ergo? *Diſperge illos in virtute tuâ, & depone eos protector meus Domine.* Factum vt poſtulatum: diſperſi ſunt in gentes velut ollæ fragmenta, & depoſiti ſunt è ſede ſuâ poſitique in ſcabellum Chriſti & Chriſtianorum. Subiecit ei paulò pòſt etiam gentiles, Tyrannos & perſecutores eius, quos ferè omnes violentâ & turpi nece ſuſtulit, aut certè è regno depoſuit: vti Diocletianum & Maximianum. Pauca hîc videamus; nam pleraque alibi recenſuimus. Magnus Chriſti inimicus fuit Valerianus Imperator, qui tantam in Chriſtianos excitauit perſecutionem, vt Dionyſius Alexandrinus exiſtimârit tunc impletam eſſe perſecutionem Antichriſti, deſcriptam in Apocalypſi, apud Baron. anno 259. Verùm paucos poſt annos depoſuit eum Deus, & captiuum ſubiecit Regi Perſarum vt fieret ei ſcabellum pedum, in equum conſcenſuro. Quodque magis mirandum, vt preſſit eum ſub hac ſeruitute, quaſi ſcabellum pedibus ſuis vſque ad eius obitum, ſupra annum vitæ ſeptuageſimum. Neque enim Perſa voluit eum dimittere, neque filius Gallienus patrem ſuum redimere. Inſignis etiam Chriſti inimicus fuit Seianus Conſul Romanus, qui Tiberio Imper. nitenti Chriſtum inter Diuos referre, obſtitit (quanquam hoc Chriſto parum honorificum fuiſſet.) Hic ergo toto orbe celeberrimus cum alter quaſi Imperator haberetur & aureo curru in theatrum veheretur, ſibique tanquam Deo res ſacras fieri permitteret; repentè literis Imperatoris depoſitus ducitur in vincula, capite mulctatur, ad Gemonias ſcalas vnco trahitur, triduo habitus ludibrio à populo, pòſt in Tiberim proijcitur, liberi eius carnifici necandi, & imprimis filia (mirum auditu) eidem carnifici priùs conſtupranda, traditi. Dio. l. 58. apud Baron. anno 34. Gentilibus exterminatis ſubiecit ei hæreticos tollendo vnum poſt alterum, & detrudendo ſub ſcabellum, quandoque etiam turmatim integros eorum exercitus, quod teſtatur Matutinum Pariſienſe S. Bartholomæi, quo durante Hugonotti ſunt trucidati: internecio ruſticorum rebellium, Lutheri ſpiritu

ſpiritu afflatorum, ſupra centum millia, in bello Schmalcaldico. Nec præterit impios Catholicos, quia & ipſi Chriſti inimici ſunt. Quis non audiuit aliquid de Veſperis Sicilianis? *Anno* 1281. inquit Genebrardus l. 4. Chron. ex Æmilij l. 7. *Siculi impatientes libidinis & inſolentia militaris Gallorum, die Paſche ad pulſum campanarũ conuocantium ad Veſperas, omnes Gallos ad vnum ſupra octo millia, cum vxoribus etiam grauidis, intra duarum horarum ſpatium contrucidârunt. Vnde Prouerbium: Veſpera Siciliana.* Hunc vel ſimilem in modum ſubijcit DEVS Pater filio ſuo omnes alios hoſtes eius, ſimulque ſubiectos & proſtratos ſiſtet in die iudicij. Diu quidem expectat Dominus ſupplicium inimicorum ſuorum, ſed moram tamen illam grauitate compenſabit. Quid enim quæſo ſignificat poni in ſcabellum pedum Chriſti? Quis hoc nobis explicabit? Meo iudicio ſignificat Primò detrudendos eſſe impios in locum omnium infimum, hoc eſt, in infernum, à cœlo & luce remotiſſimum. Secundò in locum omnium fœtidiſſimum, quò omnes ſordes & putores confluent ad torquendos illos. Tertiò, in locum contemptiſſimum maximeque infamem, vbi omnis generis nebulones vinculis prementur & quaſi pedibus calcabuntur. Quartò, in ergaſtulum perpetuum, vbi per omnem æternitatem prementur & comprimentur, ne emergere queant, immani illo pondere furoris diuini ſeu implacabilis iracundiæ.

H. VII. SEPTIMO, Videmus hæreticos, quorum typum gerebant Sadducæi & Phariſæi, conuinci argumentis poſſe, vt nihil ampliùs obloqui poſſint, conuerti tamen facilè non poſſe. Obſtruxit enim Chriſtus ſapientiſſimis ſuis reſponſis ora Herodianorum, Sadducæorum & Phariſæorum, ita vt non poſſent ei reſpondere verbum, nec auderent ampliùs interrogare eum; verùm poſt hæcne conuerſi ſunt? Minimè verò; quales venerunt, tales abierunt: lapides ante & poſt pluuiam, æquè ſemper duri.

Hæretici facilè cõuinci, ſed non facilè conuerti poſſunt.

Bene horum pertinaciam depinxit S. Iudas in canonicâ ſuâ epiſtolâ. Primò appellat eos *ſectatores Cain*; quia vt Cain increpitus à Deo non reſipuit, ſed magis obduruit & à facie Dei fugit; ita etiam illi, vt videre erat in eorum primo parente Simone Mago, qui obiurgatus à S. Petro peior factus eſt. Secundò, *imitatores Balaami*; quia vti Balaam etiam poſt grauiſſimas Dei minas rediit ad ingenium ſuum & ſcandalum poſuit Hebræis: ita hæretici vix dimoueri à proprio ſenſu poſſunt, & dimoti ad eundem redeunt. Tertiò, *ſectatores Core*; quia vt Core leuiter à Moyſe correptus, arroganter reſpondit & monentem ſpreuit: ita & iſti obſtrepunt monitis ſalutaribus. Quartò, *nubes ſine aquâ*, hoc eſt, ſteriles, quæ nullam aduehunt pluuiam ad irriganda corda ſua. Quintò, *arbores autumnales, bis mortuas*, hoc eſt, eradicatas; à quibus nullus omninò ſperari fructus poteſt. Sextò, *fluctus feri maris*, qui nullo refrænari impetu poſſunt. Septimo, *ſidera errantia*, quæ inconſtantes habent motus, ideoque erratica dicuntur; quales & hæretici, qui de vno errore in alium labuntur.

Depinguntur à S. Iuda.

Sed quamobrem Phariſæi videre noluerunt tam clarum Scripturæ de Chriſto teſtimonium? propter odium in Chriſtum; id enim eſt trabs in oculo; & quid mirum ſi excæcat illum? Deponendum igitur odium, ſi Chriſtum Dei filium volumus videre. Confirmat hoc hiſtoria, quæ extat apud Thomam Campenſem, & refertur à P. Rodriquez p. 1. Exerc. tr. 4. c. 14. *Sacerdos quidam,* inquit, *nota ſanctitatis vir, & Thomæ huius in eodẽ Monaſterio æqualis, proficiſcens certo conſilio ad aliud quoddam Monaſteriũ, offendit per viã ſæcularem quendam, cui ex compoſito ſe adiunxit, familiariterq́; aliquamdiu cum eo collocutus, ad ſpiritualia demum colloquia digreſſus eſt. Hic ille: Committam tibi aliquid Pater, quod iam pridem mihi vſu venit. Diu iam eſt, ex quo dum rei diuinæ interſum, ſacram hoſtiam Sacerdote ſacris operante videre non poſſum: ratus initio id vel ex diſtantia à ſacrificante oriri, vel ex oculorum meorum imbecillitate, acceſſi ad eum propiùs, imò proximè, ſed & hoc incaſſum. Et quidem annus ex eo iam abijt. Animi anceps totuſq́; perplexus ac conturbatus in eam veni cogitationem, rei ſeriem vt ab ouo, Confeſſario retexerem. Feci; ille, vt erat prudens, quærere pro confeſſione accepit, nihilne lateret in mente abditum aduerſus quenquam inimicitiæ? Equidem, inquio; & verò tam atroci iniuriâ talis me affecit, vt nec iam quidẽ animus ſit ipſi noxam, vel totius mundi pretio conſtituto, remittere. Inſanis, inquit Confeſſarius, mi amice: graue illud ſaxum de duriſſimo corde tuo remoue; quod niſi facis, fruſtra es; nam & de ſalute æternâ certiſſimò periclitaris, & ſub ſacratiſſimis illis ſpeciebus Chriſtum ſeruatorem tuum nunquam videbis. Hæc ſiquidẽ omnis mali radix & cauſa. Gratia Dei fuit, vt vir ille ſanctus, Confeſſarius meus adamantinũ cor meum emolliret. Deteſtatus ergo crimen meum, accurata exomologeſi illud elui, filij Dei, Chriſti Domini ſacratiſſimo corpore me paui, inimico ex animo illatam iniuriam condonaui, Eccleſiam ingreſſus Miſſam audiui, Deum Dominumq́; meum toties fruſtra antehac intueri conatus, ineffabili animi lætitia vidi. Ob quod tam luculentum Dei in me beneficium, quo ad viuam, gratiarum actiones referre nunquam intermittam.*

CONCIO IX.

Myſteria.

1. *Explicatur quid ſit diligere Deum ex toto corde.*
2. *Quare diligendus Deus ex toto corde.*
3. *Cur velit à nobis diligi Deus.*
4. *Quomodo hoc præceptum primum & maximum.*
5. *Quomodo oporteat diligere proximũ ſicut ſeipſum.*
6. *Cur Chriſtus propoſuerit Phariſæis quæſtionem de Chriſto.*

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22.

EZechieli oſtendit aliquando Deus librum per viſionem, & dixit ei: *Fili hominis comede volumen iſtud,* hoc eſt, memoriæ commenda, rumina & perpende quidquid tibi per viſionem quaſi in libro oſtendo. Notanda A.

da vox, Auditores: non enim ait Dominus: comede partem voluminis, vel aliquid de volumine iſto; ſed *comede volumen*, totum videlicet & quidquid in eo ſcriptum eſt. Volumen quod à nobis comedi vult Deus, eſt liber Euangeliorum; propterea namque illum toties nobis proponit in templo explanandum, vt ab omnibus capiatur & memoriæ mandetur. Neque ſatis nobis eſſe debet, ſi vnam vel alteram Euangelij particulam capiamus, ſed ad hoc adniti debemus, vt totum intelligamus, & ſingula etiam verba pro viribus expendamus. Vt enim qui metalla eruunt, ſi venam auream inuenerint, omnes eius meatus perſcrutantur, nec minima eius fruſta contemnunt: ita multò magis faciendum cum Euangelio, quod meras auri cæleſtis venas paſſim vndique continet; vnde minima etiam verba in eo expendenda & conſeruanda ſunt. Porrò cùm hodiernum Euangelium præclaram nobis venam aureæ dilectionis oſtendat, eam nunc rimari &, quantum fas eſt, totam eruere volumus.

B. I. Quid eſt diligere Deum ex toto corde, &c.

Q. PRIMO, Quid eſt diligere Deum ex toto corde, & in totâ animâ, & in totâ mente? Reſp. Phraſin hanc eſſe Hebraicam, quâ idem pluribus inculcatur ad maiorem energiam: Cuius rei ſignum eſt, quòd pro his tribus interdum Scriptura ponit quatuor, vt *Luc.* 10. interdum duo tantùm, vt *Deut.* 10. Idem ergo hæc omnia ſignificant, videlicet vt diligamus Deum ſuper omnia, ſeu toto & ſummo amore (non intenſiuè, quod in cælo expectamus) ſed

1. Primò comparatiuè, vt ſcilicet ita totum cor & affectum Deo demus, vt nullam eius partem demus diabolo aut peccato quomodo Moyſes nec vngulam de pecoribus ſuis voluit relinquere Pharaoni, *Exod.* 10.

2. Secundò, finaliter, vt in genere Deum habeamus quaſi finem omnium noſtrarum actionum, eumque vt talem omnibus rebus præferamus, omniaque perdere malimus, quàm Deum Deique gratiam.

3. Tertiò, appretiatiuè, vt applicemus totum cor ſeu voluntatem ad obediendum eius legi, & vt eius voluntati per omnia nos conformemus.

Poſſunt tamen hæc diſtingui (quod faciunt aliqui SS. Patres) ita vt per cor intelligamus intelligentiam; per animam voluntatem; per mentem memoriam: ita vt omnia iſta Dei amori impendere potiùs debeamus, quàm ipſum abnegare vel lethaliter offendere. Diligit ergo DEVM ex toto corde, qui omnes ſuas actiones per rationis intentionem dirigit ad DEI gloriam, ad virtutem & honeſtatem, vt DEO in omnibus placeat: qui in oratione & contemplatione intelligentiam crebrò occupat: qui ſcientias & ſtudia ſua ad Dei cultum applicat dirigitque.

Diligit in totâ animâ ſuâ, qui voluntatem ſuam cùm diuina in omnibus conformat: qui amorem ſuum primarium & ſummum ſoli DEO impendit, cætera in ordine ad DEVM amat: qui mori potiùs paratus eſt, quàm offendere Deum.

Diligit ex totâ mente, qui DEI ſemper meminit. De quâ re monuit Tobias filium ſuum: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto DEVM*, cap. 4. Idipſum ſuos diſcipulos docuit Sanctus Petrus: *Inſtruebat alter ſua vita omni bora cuſtodire & in omni loco DEVM reſpicere*; ait S. Clemens epiſt. ad Iacobum frat. Domin. Qui enim verè amat, crebrò recordatur amati.

C. II. Quare diligendus ex toto corde.

Q. SECVNDO, Quare diligendus Deus ex toto corde? Reſpondeo Primò, quia eſt creator & conſeruator cordis humani & omnium bonorum, quæ in eo ſunt; decet igitur vt hæc in illum refluant. 1.

Secundò, quia cordi tribuit capacitatem infinitam, ita vt nullâ re ſatiari queat præterquam ipſo DEO: æquum igitur eſt, vt toto corde ille quæratur & ametur, qui ſolus totum cor implere poteſt. 2.

Tertiò, quia DEVS vti principium, ita & finis eſt hominis: vt ergo ad centrum coëunt omnes lineæ, ad ſcopum diriguntur omnia iacula, vti flumina omnia tendunt in mare vnde exeunt, elementa ad ſuum centrum: ita ad DEVM omnes actiones & affectiones dirigere fas eſt. 3.

Quartò, quia eſt ſummè amabilis, vtpote ſummum & perfectiſſimum bonorum: iure igitur amatur, quantum amari poteſt; ergò ex toto corde; cætera enim bona fumus & vmbra ſunt, nec merentur locum aut ſeſſionem habere in corde humano. *Omnis enim copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt*, ait Sanctus Auguſtinus. Hinc Sancta Catharina Senenſis amore CHRISTI ſponſi ſui ſaucia vt in Chriſti amorem tota transiret, inſtanter ab eo petijt, ut à ſe cor ſuum & propriam voluntatem radicitùs euelleret. Quare viſa ſibi eſt videre Chriſtum cor ſibi eximentem & poſt dies aliquot cor aliud illuſtre ſubſtituentem ac dicentem: *Ecce filia habes pro corde tuo cor meum.* Inde amore Chriſti penitùs æſtuare cœpit. Vt in eius vitâ. 4.

D. III. Cur vult à nobis diligi Deus.

Q. TERTIO, Cur vult à nobis diligi Deus? Reſp. Primò, vt huius mundi exilium faciliùs toleremus & calamitoſum illud pelagus ſuauiùs pernauigemus. Quid enim non alleuiat amor? & quid ſine amore, non graue & faſtidioſum eſt? Septem anni ſeruitutis videbantur Iacobo pauci dies, quia Rachelem, pro quâ ſeruijt, amauit, *Gen.* 29. Herbas illas præ amaritudine comedere non poterant filij prophetarum, 4. *Reg.* 4. Vnde exclamârunt: *mors in olla, vir Dei.* At vbi Eliſæus farinam ollæ iniecit, dulces & comeſtibiles factæ ſunt. Quare ſi paupertas, ægritudo, iniuriæ, contemptus dorſum tuum premunt & amaritiem afferunt, mitte in cor tuum Dei dilectionem; cogita te hęc omnia pro Dei amore pati; fientque tibi dulcia. Denique ſi vis in mundi calamitatibus vitam ſuauem & quietam agere, Deum ama. 1.

Secundò, Vt habeat vnuſquiſque auream monetam, quâ cælum ſibi comparet. Quod aurum in metallis, hoc charitas eſt in virtutibus, teſte Apoſtolo 1. Cor. 13. *Maior horum eſt charitas.* Aurum verò iſtud nemo non exhibere Deo poteſt. Si Deus requireret ſapientiam, robur, nobilitatem, opes: poſſent ſe excuſare rudes, infirmi, plebij, pau- 2.

pauperes. Si requireret eleemoſynam, ieiunia, vel ſimilia opera, multi ſimiliter ſe excuſarent, qui hæc facere nequeunt. Sed quis dicere poteſt, ſe non poſſe amare bonum ſummè amabile? Multi ſunt in cœlo, qui nunquam ieiunarunt, nullam eleemoſynam dederunt, neminem docuerunt, nunquam orârunt: ſed nemo, qui non amârit Deum. Nemo eſt qui tributum
3. hoc pendere Deo nequeat. Tertiò, Quia amor non vult niſi amore compenſari. Cætera obſequia pecuniâ vel honore, vel alijs modis compenſare poſſumus; veluti ſi cui medemur, pingimus, ſcribimus, aramus, metimus: non requirimus vt is viciſſim nobis medeatur, pingat, ſcribat, aret, metat; ſed contenti ſumus pecuniariâ vel aliâ difformi compenſatione. At ſi quem amamus, ab eodem redamari volumus; alioquin nobis minimè ſatisfactum exiſtimamus, & ingratum illum vocamus. Iam verò Deus mille modis prior dilexit nos: vult ergo & à nobis diligi, cæteris obſequijs, ſi amor deſit,
4. minimè contentus. Denique quia pretioſiſſimum, quod homo de ſuo peculio offerre poteſt, amor eſt: per hunc enim tradit ſe & cor ſuum amato. Quamdiu ſponſus cor & amorem ſponſæ reciprocum non habet, nihil ſe habere exiſtimat. Debetur autem Deo ſummo noſtro benefactori & amatori, ſummum quod dare poſſumus: hoc eſt amor.

E. IV. Cur præceptum dilectionis, primum & maximũ.

Q. QVARTO, Cur præceptum dilectionis primum & maximum dicitur? Reſp. Primò,
1. quia *finis præcepti charitas*; inquit Apoſtolus 1. *Timoth.* 1. Nec ſolùm præceptorum omnium finis eſt charitas, verùm etiam omnium ſacramentorum & virtutum totiuſque religionis Chriſtianæ, quæ vltimatè eò tendit, vt hominem cum Deo bonorum omnium fonte perfectè coniungat, quod per charitatem ſolam fieri poteſt. Hinc in cœlo fides & ſpes leges & inſtrumenta tantùm ſunt ad finem illum obtinendum, qui eſt coniunctio cùm Deo. Sicut ergo machinæ remouentur à turri, cùm eius ſtructura abſoluta eſt: ita quando homo Deo perfectè vnitus eſt, deſinit fides, ſpes, lex.

2. Secundò, Quia omnia alia mandata comprehendit. Qui enim diligit Deum, diliget profectò omnia quæ Deus diligit; eoque magis, quò magis ea Deus diligit. Diliget ergo omnes homines, vtpote à Deo dilectos & ad imaginem eius factos. Si verò diligat proximum, *legem implens*, Roman. 13. ac proinde malum non operabitur, nec vllâ in re offendet proximum. Quomodo enim offendas eum, quem diligis? Vnde Sanctus Auguſtinus *in 2. Ioan.* 4. *tract.* 7. ait: *Dilige, & fac quod vis.* q. d. ſi diligas, non peccabis vnquam.

3. Tertiò, Quia maximum & præſtantiſſimum eſt, quod Deo dare poſſumus: Charitas enim radix & fons eſt omnium bonorum & donorum. Cùm quem ardenter diligis, nihil eſt quod ei neges, nihil quod pro eo non facias. At contrà ſi quem non amas, quàm difficulter vel minimam rem donas? Vnde hoc? niſi quia aperto charitatis fonte procurrunt riuuli donorum: eo verò clauſo ſiſtunt. Qui turpi amore mulierculas amant, ſæpe totam ſuam ſubſtantiam in eas effundunt: contrà Chriſti pauperibus vt vel nummum dent, vix permoueri poſſunt. Quoniam igitur Deo omnia noſtra debemus, par eſt, vt ipſi demus, ſaltem id, quod eſt præſtantiſſimum. Sanè charitatem tanti æſtimat Deus, vt inde ſibi nomen quæſierit. *Deus enim charitas eſt*, inquit S. Ioannes ep. 1. c. 4. Eadem Deum cum homine intimè vnit, vt ibidem teſtatur Ioannes: *Qui manet in charitate*, inquit, *in Deo manet, & Deus in eo.*

Quartò, quia charitas oſtendit, quis & quantus ſit homo. Quis, id eſt, an filius Dei 4.
vel diaboli ſit. Audi S. Auguſt. tract. 1. in Epiſt. Ioan. *Signent ſe omnes*, inquit, *ſigno crucis, reſpondeant Amen, cantent Alleluia, baptizentur omnes, intrent Eccleſias, faciant parietes Baſilicarum; non diſcernuntur filij Dei à filiis diaboli, niſi charitate.* Quantus, id eſt, quàm perfectus. De hoc S. Bern. ſerm. 37. in Cant. *Quantitas*, ait, *cuiuſq; animæ æſtimatur de menſurâ charitatis, quam habet.*

Quintò, quia eſt vinculum perfectionis; *ſicut nihil proſunt*, inquit S. Chryſoſt. in c. 3. ad 5.
Coloſſ. *ſed diffluunt partes nauis, ſi deſint tabulatus, & contignationes, & ligamenta, quibus inter ſe deuinciantur; ita nec virtutes cæteræ aut virtutum opera, niſi in charitate fiant.* Charitas aliarum virtutum vita eſt, ſicut anima membrorum corporis.

Sextò, quia maximam habet mercedem. Sic 6.
enim ait Apoſt. 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Imò operibus etiam minimis maximum valorem tribuit. *Qui enim dederit calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam*, Matth. 10. Ratio eſt, quia charitas meritorum origo eſt. Vnde qui opus ex ſe licet exiguum maiore charitate perficit, maiorem obtinet mercedem, vti operarij vineæ poſtremi, qui æqualem cum primis mercedem accepére; & vidua, quæ duo æra minuta miſit in gazophylacium, plus omnibus miſit.

Denique quia cæteræ virtutes deſinunt in 7.
cœlo, charitas ſemper manet.

F. V. Quomodo oportet diligere proximum ſicut ſeipſum.

Q. QVINTÒ, Quomodo oportet diligere proximum ſicut ſeipſum? Reſp. primò, diligendum proximum amore naturali, cuius duo præcepta ſunt. Vnum indicat Chriſtus Matth. 7. *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Alterum Tobias c. 4. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias* Secundò, amore ſupernaturali; ita vt amor
proximi oriatur ex amore Dei; ſeu vt ametur 1.
proximus propter Deum; quomodo etiam noſipſos diligimus propter Deum. *Charitas vera eſt*, inquit, S. Greg. hom. 38. in Euang. *cùm & in Deo diligitur amicus, & cùm propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos, quos diligit, qui iam & eos diligere, à quibus non diligitur, ſcit.*

Reſp.

Reſp. Secundò, ſecundum D. Thomam 2.2. *qu.44.art.7.* diligendum eſſe proximum ſanctè, iuſtè, verè. Primò ſanctè; vt ſicut aliquis ex charitate ſeipſum diligit propter Deum & ſecundùm bona ſupernaturalia: ita etiam proximum diligat. Secundò, iuſtè, non expetendo proximo malum aliquod, ſed quod bonum eſt; ſicut ſibi quiſque tantùm bona velle debet. Tertiò verè, vt quis diligat proximum propter ipſius proximi commodum, amore ſcilicet veræ amicitiæ.

G. VI. Quare Phariſæis propoſuit Dominus quæſtionem de Christo.

Q. SEXTO, Quare Chriſtus Phariſæis propoſuit quæſtionem de Chriſto? Reſp. primò, vt oſtenderet ſapientiam ſuam, non ab hominibus, ſed è cælo hauſtam, ſicque illis fidem faceret, quod de cælo venerit. Secundò ad retundendam ambitionem Phariſæorum, qui ſe omnia ſcire putabant, & varijs quæſtionibus paulò antè propoſitis nitebantur Chriſtum capere in reſponſione. Vnicâ ergo quæſtione eaque omnibus ſcitu neceſſariâ, eos mutos facit, adeoque indoctos eſſe oſtendit. Tertiò, vt doceret nos vtilia & neceſſaria imprimis, non ludicra & inutilia peruestigare; ſicut fecerant Phariſæi, qui inutiles quæſtiones ipſi propoſuerant. Quartò, vt doceret fidem operibus & opera fidei iungenda, nec vnum ſine altero ſufficere; ideò enim poſt commendatum dilectionis mandatum, requirit rectam in Chriſtum fidem.

1. 2. 3. 4.

DOMINICA DECIMA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Matth. 9.

IN illo tempore: Aſcendens IESVS in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Et ecce, offerebant ei paralyticum, iacentem in lecto. Videns autem IESVS fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt inter ſe: Hic blaſphemat. Et cùm vidiſſet cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua: an dicere, ſurge, & ambula? Vt autem ſciatis, quià filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc dixit paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abijt in domum ſuam. Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

CONCIONES.

I. *Quid requiratur à ciuitate, vt ſit ciuitas Chriſti.*
II. *Paralytici ſecundùm animam.*
III. *Blaſphemiæ grauitas.*
IV. *Cur fugiendum ſit temerarium iudicium.*
V. *Cogitationes malas ſine mora repellendas eſſe.*
VI. *Ad ſpem quæ erigant puſillanimes.*
VII. *Fructus timoris Domini.*
VIII. *Documenta.*
IX. *Myſteria.*

CONCIO I.

Quid requiratur à ciuitate, vt ſit ciuitas Chriſti.

1. Requiritur vt Chriſtum libenter ſuſcipiat, & quinam incolant ciuitates diaboli.
2. Vt auidè Dei verbum audiat.
3. Polleat ſpe & fide magna, vniformi & practica.
4. Magnam erga proximum charitatem habeat.
5. 6. Timorem Dei, & zelum honoris diuini.

THEMA.

Transfretauit, & venit in Ciuitatem ſuam. Matth. 9.

INter ciuitates, quas Chriſtus rebus à ſe geſtis celebres fecit, non caret ſua laude ciuitas Capharnaum. Vocatur enim ciuitas Chriſti in hodierno Euangelio. Neque ob id tantummodò quòd in eâ Chriſtus vt plurimùm habitârit, plurimaque ſigna fecerit; ſed etiam propterea, quòd eam ſibi deuotam præ alijs dilexerit. Alioquin enim ab ipsâ tam citò diſceſſiſſet, quàm citò à Nazareth patriâ ſuâ diſceſſerat, ob eorum incredulitatem. Felix ea ciuitas, de quâ dici poteſt: *Venit Chriſtus in ciuitatem ſuam. Beatus* enim *populus*, ait Dauid Pſalm. 143. *cuius Domi-*

Dominus Deus eius. Miſera verò & infelix illa, cui dicitur illud Oſeæ 1. *Vos non populus meus, & ego non ero veſter Deus.* Quamdiu Hebræi boni fuerunt, vocauit eos Deus *populum ſuum*, vti Exod. 3. *Vidi afflictionem populi mei.* At vbi deprauati ſunt, aliter de iis locutus eſt, vti Exodi 33. *Aſcende de loco iſto tu* (Moyſes) *& populus tuus, quem eduxiſti de terra Aegypti.* Sequitur deinde: *Audienſq; populus ſermonem hunc peſſimum luxit: & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.* Iure igitur ſibi gratulari poſſet ciuitas, quæ vocari mereretur ciuitas Chriſti. Videamus ergo, quæ ſit Chriſti ciuitas, & quomodo talis fuerit Capharnaum.

Ciuitas Chriſti eſt, quæ libenter illum ſuſcipit, libenter illum audit, magnam in eum fidem habet, legem eius obſeruat, ipſum timet, ipſum honorat. Et talis fuit Capharnaum, ſaltem aliquo tempore & in aliquibus ſuis membris.

B.
I.
Chriſtum libenter ſuſcipiat.

Primo, Capharnaitæ Chriſtum non grauatè ſuſceperunt, imò, vt ait Sanctus Lucas, cap. 8. *erant omnes expectantes eum* (quod de Capharnaitis intelligendum colligitur ex Matthæo, qui ordinem temporum obſeruans poſt diſceſſum Chriſti à Geraſenis, hiſtoriam hanc ſubiungit.) Adhæc patiebantur eum ſecum ſine moleſtia degere, ingredi & egredi, vt patet *Marci* 2. Eſt ergo imprimis ea ciuitas Chriſti, quæ libenter illum admittit, ſecumque habitare ſinit, tanquam Dominum ſuum; quando videlicet Chriſtus per ſuos ſeruos, paſtores & concionatores reformat ciuitatem; quando præcipit ſeruari dies feſtos & ieiunia, quando monet, vt indulgentias lucremur, vel vt operibus pœnitentiæ præueniamus tribulationes & flagella Dei. Item ſi contingat Deum ingredi ciuitatem per peſtem, aliamve tribulationem. Tunc enim agnoſcere culpam noſtram debemus, ſicut Lupum, Trecaſinæ vrbis Epiſcopum legimus, Attilâ ciuitatem obſidente, interrogaſſe, quis hic eſſet, qui ſic in ſe arma laceſſeret. Cumque reſponſum eſſet, Attilam *flagellum Dei* eſſe, ingemiſcens ait: *Et ego Lupus, vaſtator gregis Dei, dignus flagello eius.* Portas ergo reſerari iuſſit. Ingreſſi autem hoſtes rectà vrbem pertranſierunt, nihil hoſtiliter molientes, imò quaſi neminem oppidanorum videntes. Sur. *tom.* 4. Hac ratione ſi correctores morum & caſtigationes diuinas libenter admitteremus, ſæpe à correptione immunes eſſemus. Contrà, ciuitatem diaboli

Ciuitates diaboli.
1.

primò incolunt Samaritani, *Luc.* 9. qui Chriſtum ad ſe diuertere volentem non receperunt; quia ſcilicet *facies eius erat euntis in Ieruſalem*, vt ait Lucas, id eſt, quia pergebat in Jeruſalem ad adorandum more Judæorum: non in montem Garizim, more Samaritanorum.

2.

Secundò Geraſeni; qui cùm vidiſſent dæmones eiectos ab obſeſſo, in porcorum gregem Chriſti licentiâ immiſſos, præcipitaſſe gregem in mare, cœperunt rogare eum, vt diſcederet à finibus eorum, *Matth.* & *Luc.* 8. Diſceſſit ergo Chriſtus, & venit in ciuitatem ſuam, Capharnaum, vti in hodierno Euangelio habemus.

3.

Tertiò Nazareni, qui primò quidem admiſerunt Chriſtum velut conciuem ſuum, & audiebant ac mirabantur eum: ſed vbi mores illorum taxare cœpit, eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt in ſupercilium montis, vt præcipitarent, *Luc.* 4. Harum ciuitatum ſimiles plurimæ inueniuntur.

Quales hæreticorum.

Tales enim ſunt imprimis ciuitates hæreticorum, quæ libertatem fidei, hoc eſt, hæreſin vel propriâ authoritate vſurpant, vel priuilegio impetrârunt, quòd Catholicam fidem, damnoſam ſibi exiſtiment. Vnde Chriſtum eiuſque Eccleſiam Catholicam excludunt, vel admiſſam ſæpe malè tractant: aut ſaltem rogant, vti à ſe diſcedere velit. Quod nihil eſt aliud, quàm rogare, vt ſecurè & ſine moleſtiâ pergere poſſint ad diabolum & infernum.

Et quorundam Catholicorum.

Huiuſmodi etiam ciuitatum aliquæ reperiuntur apud Catholicos. Harum aliæ Chriſtum nolunt recipere, vt qui reformationem ſuorum vitiorum & abuſum nolunt acceptare. Quales circa initium Societatis Iesv fuêre non paucæ, quæ Societatem illam, vtpote vitiorum hoſtem & extirpatricem, in ſua recipere mœnia noluerunt. Quia *non amat peſtilens eum, qui ſe corripit*, ait Sapiens *Prouerb.* 15. Tales etiam illæ, quæ non ſuſcipiunt & amant paſtores niſi ſibi ſimiles in vitijs, qui cum ipſis ludant, potitent, ſtulteſcant; adeoque faciem Samaritanorum habeant.

Perſæpe etiam accidit, vt qui initio Chriſtum libenter receperunt, poſtea eiiciant, vti Nazareni fecerunt Chriſto; & Philiſthæi arcæ fœderis, quam è templo & ditione ſuâ excluſerunt, quòd viderent eam ſuo Dagon perniciosam eſſe, 1. *Reg.* 4. Antonius Muſa medicus, cùm Romam (vbi priùs per annos multos nullus fuerat medicus) veniſſet, & Auguſto afflictum genu curaſſet, à Romanis ſtatua alabaſtrinâ multaque pecuniâ & immunitate donatus eſt. Vbi verò poſtea vulnera curare, ignire, cauteriare, manus & pedes abſcindere cœpit, lapidibus obrutus, & per omnes vrbis plateas tractus eſt. Suetonius in Auguſto. Sic multoties accidit Dei ſeruis vera prædicantibus; quemadmodum & S. Paulo, qui ad *Gal. cap.* 4. ſcribit: *Vbi eſt beatitudo veſtra?* (Græcè *beatificatio veſtra*, quâ vos propter me beatos dicebatis!) *Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi. Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?* Nimirum quia correctio & diſciplina Chriſti perniciem affert porcis, id eſt, immundis & carnalibus, vitiaque demergit: rurſum quia ipſe non vult adorare in Garizim cum Samaritanis, ſed in Ieruſalem cum Iudæis, hoc eſt, ſentire non cum improbis ſed cum probis: denique, quia ſcindit & vrit vulnera: hinc excluditur è ciuitatibus.

C.
II.
Auidè Dei verbum audit.

Secvndò, magna auiditate audiebant eius ſermones. Vt enim audierunt, quòd eſſet in domo, *conuenerunt multi* (Græcè habetur; *ſtatim congregati ſunt multi*) *ita vt non caperet neq; ad ianuã* (id eſt, ita vt nõ caperet omnes domus etiam ad

ad ianuam; idcircò enim paralyticus per tectum inferri debuit,) *& loquebatur eis verbum*, ait S. Marcus cap. 2. Ergo illa eſt Chriſti ciuitas qui libenter audit verbum eius; quæ ſtatim & confertim ad id audiendum conuenit: quo modo agnelli ad vocem matris accurrunt, ad vocem alterius ouis non accurrunt. Sic & bonus latro ac centurio ad Chriſti balantis in cruce vocem accurrerunt. Latro ſiniſter & Iudæi non accurrerunt, quia non erant agni Chriſti. Et ratio eſt, quia illa eſt ciuitas Chriſti, quæ à Chriſti vberibus nutritur, adeoque Chriſtum imbibit & induit: hoc autem faciunt, qui ad vbera verbi diuini aſſiduè recurrunt, indeque nutriuntur, & fiunt Chriſtiformes: quemadmodum docet & admonet S. Petrus epiſt. 1. c. 2. *Sicut modò geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutē.*

Ciuitas diaboli. Contrà in ciuitate diaboli ſunt, qui lac diuini verbi ſugere recuſant. Atque his atrocia valde minatur Chriſtus, vti Matth. 10. vbi ait: *Quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* Quia nimirum Sodomæ & Gomorrhæ non fuit prædicatum Dei verbum, ſicut illi ciuitati. Vin, exemplum? Milles fuit in Perſiâ cuiuſdam ciuitatis Epiſcopus, cumque in eâ prædicando nihil proficeret, ciuitatem execratus, inde diſceſſit. Quare Sapores vrbem obſedit, cum 300. Elephantis, & tanquam ream læſæ maieſtatis euertit, atque in agrum conuertit. Sozom *lib. 2. cap. 1.* & ex eo Baron. anno 350. Niceph. *libro 8. cap.* 37. Ob eandem cauſam, ſpreti videlicet verbi diuini, Venetis aliquando imminebat exitium Sodomæ & Gomorrhæ: niſi precibus S. Laurentij Iuſtiniani, eorum Patriarchæ, ſeruati fuiſſent, vti in eius vitâ ſcribit Bernardus Iuſtinianus.

D. III. Fide & ſpe polleat. TERTIO, Fidem & ſpem in Chriſtum magnam habebant, vti colligo tùm ex illis quatuor qui paralyticum tulerunt in lecto, & cùm non poſſent eum præ turbâ inferre in domum, aſcenderunt in tectum, eoque aperto, dimiſerunt eum vnà cum lecto ante IESVM, vt ſcribit Marcus & Lucas: tùm ex fide paralytici, qui certè cum tantâ moleſtia non permiſiſſet ſe ad IESVM deferri, niſi magnam in Chriſtum concepiſſet ſpem & fidem. Hinc Chriſtus, *cernens fidem illorum*, dixit, &c. ait S. Matthæus. Quando ergo iſti tantam habuêre fidem, vt nihil non facerent & excogitarent, quomodo paralyticum Chriſto ſiſterent,

1. Magnâ. colligo ex his paucis fidem aliorum Capharnaitarum. Itaque ciuitas Chriſti eſt, quæ magnam in Chriſtum fidem habet, quæ tectum, id eſt, obſtacula ſeu difficultates omnes perrumpit, quo ad ipſum veniat, ac proinde omnibus eius verbis, omniaque ipſi poſſibilia eſſe credit. Quales certè non ſunt hæretici, quia non per omnia credunt Chriſto, ac proinde nihil crediuſt. *Tam eſt anathema, tam Ethnicus & Publicanus, qui Eccleſiam in paucis, quàm qui in multis non audit: ſicut tam mergitur, qui palmo aquæ, quàm qui abyſſo maris contegitur*, ait Cardinalis Hoſius apud Staniſ. Reſcium in vitâ l. 2. c. 2.

2. Vniformi. Secundò, Fides illorum fuit vna & vniformis. Vidit enim *fidem illorum*, non fides. Quæ ergo ciuitas Chriſti eſſe vult, procuret vt vnam tantùm eamque veram habeat fidem: hæreticos omnes excludat.

3. Practicâ. Tertiò, Fides illorum fuit practica, quâ & credebant ſe impetraturos ſanitatem paralytico, & operabantur per charitatem, deferendo eum ad Chriſtum; non ſpeculatiua tantùm. Vnde dicitur: *Videns fidem illorum.* Fides ſpeculatiua non videtur. Vnde S. Iacobus c. 2. ait: *Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus: & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam*, q. d. quid prodeſt fides tua, quam in corde geris, ſed nudam & operibus deſtitutam, oſtendere non potes? Hinc Georgius Dux Saxoniæ, à Luthero inuitatus ad ſuam hæreſin, reſpondit, opera Lutheri & Lutheranorum oſtendere, ipſius fidem non eſſe à Deo, ſed ex diabolo; velut violare vota, ieiunia, feſta, profanare templa & altaria, Sacramenta conculcare, imagines confringere, cultum Sanctorum abrogare, &c. refert Corn. à Lap. *in Ep. S. Iacobi* c. 2.

E. IV. Magnam erga proximum charitatē habeat. QVARTO, Magnam etiam charitatem habebant erga proximum; ſiquidem paralyticum, quia ambulare non poterat, in lecto geſtabant quatuor baiuli, & cum tantâ difficultate per tectum immittebant in domum; nam & ſcalæ admouendæ erant, & tectum ex parte nudandum, æger in lecto ſuſtollendus, & fortaſſe tegulæ aliquot deciderunt in eos qui inferiùs ſtabant. Omnia nihilominus magno conatu & concordi operâ peragunt, nec reclamat dominus, cuius ædes perſtringitur: nec expoſtulant infrà ſtantes. Talis ergo ciuitas meritò dicitur Chriſti ciuitas in quâ lex eius obſeruatur, quæ eſt dilectio; quoniam ipſe dixit: *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*, Joan. 13. Cuius typum habemus in quatuor illis animalibus, eundem currum trahentibus, Ezech. 1. homine ſcilicet, leone, boue, aquilâ: quæ licet naturâ & conditione admodum differrent, pari tamen paſſu, & vnanimi conſenſu procedebant, quò impellebat Spiritus. Hac enim ratione conciues currum legis Euangelicæ trahere deberent; pari conſenſu animorum, tametſi alij alios habeant humores & complexiones; vnus velut homo affabilem, alius velut leo iracundam & aſperam: vnus velut aquila velocem, alius velut bos tardam. Et hoc eſt, quod Apoſtolus *ad Galat.* 6. ſcribit: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* v. g. tu ferto proximi choleram & verba cholerica, ille ferat tuam melancholiam: tu fer illius tarditatem, ille ferat tuam præcipitantiam: quod alteri deeſt, tu suppleto. Adhæc leues iniuriæ vel offenſæ ferendæ, diſſimulandæ & remittendæ ſunt inter ciues Chriſti: publica item vtilitas priuatæ anteferenda.

Contrà

Dominus Deus eius. Miſera verò & infelix illa, cui dicitur illud Oſeæ 1. *Vos non populus meus, & ego non ero veſter Deus.* Quamdiu Hebræi boni fuerunt, vocauit eos Deus *populum ſuum*, vti Exod. 3. *Vidi afflictionem populi mei.* At vbi deprauati ſunt, aliter de iis locutus eſt, vti Exodi 33. *Aſcende de loco iſto tu* (Moyſes) *& populus tuus, quem eduxiſti de terra Aegypti.* Sequitur deinde: *Audienſq́ populus ſermonem hunc peſſimum luxit: & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.* Iure igitur ſibi gratulari poſſet ciuitas, quæ vocari mereretur ciuitas Chriſti. Videamus ergo, quæ ſit Chriſti ciuitas, & quomodo talis fuerit Capharnaum.

Ciuitas Chriſti eſt, quæ libenter illum ſuſcipit, libenter illum audit, magnam in eum fidem habet, legem eius obſeruat, ipſum timet, ipſum honorat. Et talis fuit Capharnaum, ſaltem aliquo tempore & in aliquibus ſuis membris.

B. I. *Chriſtum libenter ſuſcipiat.*

PRIMO, Capharnaitæ Chriſtum non grauatè ſuſceperunt, imò, vt ait Sanctus Lucas, cap. 8. *erant omnes expectantes eum* (quod de Capharnaitis intelligendum colligitur ex Matthæo, qui ordinem temporum obſeruans poſt diſceſſum Chriſti à Geraſenis, hiſtoriam hanc ſubiungit.) Adhæc patiebantur eum ſecum ſine moleſtia degere, ingredi & egredi, vt patet *Marci* 2. Eſt ergo imprimis ea ciuitas Chriſti, quæ libenter illum admittit, ſecumque habitare ſinit, tanquam Dominum ſuum; quando videlicet Chriſtus per ſuos ſeruos, paſtores & concionatores reformat ciuitatem; quando præcipit ſeruari dies feſtos & ieiunia, quando monet, vt indulgentias lucremur, vel vt operibus pœnitentiæ præueniamus tribulationes & flagella Dei. Item ſi contingat Deum ingredi ciuitatem per peſtem, aliamve tribulationem. Tunc enim agnoſcere culpam noſtram debemus, ſicut Lupum, Trecaſinæ vrbis Epiſcopum legimus, Attilâ ciuitatem obſidente, interrogaſſe, quis hic eſſet, qui ſic in ſe arma laceſſeret. Cumque reſponſum eſſet, Attilam *flagellum Dei* eſſe, ingemiſcens ait: *Et ego Lupus, vaſtator gregis Dei, dignus flagello eius.* Portas ergo reſerari iuſſit. Ingreſſi autem hoſtes rectà vrbem pertranſierunt, nihil hoſtiliter molientes, imò quaſi neminem oppidanorum videntes. Sur. *tom.* 4. Hac ratione ſi correctores morum & caſtigationes diuinas libenter admitteremus, ſæpe à correptione immunes eſſemus. Contrà, ciuitatem diaboli

Ciuitates diaboli. 1.

primò incolunt Samaritani, *Luc.* 9. qui Chriſtum ad ſe diuertere volentem non receperunt; quia ſcilicet *facies eius erat euntis in Ieruſalem*, vt ait Lucas, id eſt, quia pergebat in Ieruſalem ad adorandum more Iudæorum: non in montem Garizim, more Samaritanorum.

2. Secundò Geraſeni; qui cùm vidiſſent dæmones eiectos ab obſeſſo, in porcorum gregem Chriſti licentiâ immiſſos, præcipitaſſe gregem in mare, cœperunt rogare eum, vt diſcederet à finibus eorum, *Matth.* & *Luc.* 8. Diſceſſit ergo Chriſtus, & venit in ciuitatem ſuam, Capharnaum, vti in hodierno Euangelio habemus. Tertiò 3.

Nazareni, qui primò quidem admiſerunt Chriſtum velut conciuem ſuum, & audiebant ac mirabantur eum: ſed vbi mores illorum taxare cœpit, eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt in ſupercilium montis, vt præcipitarent, *Luc.* 4. Harum ciuitatum ſimiles plurimæ inueniuntur.

Quales hæreticorum.

Tales enim ſunt imprimis ciuitates hæreticorum, quæ libertatem fidei, hoc eſt, hæreſim vel propriâ authoritate vſurpant, vel priuilegio impetrârunt, quòd Catholicam fidem, damnoſam ſibi exiſtiment. Vnde Chriſtum eiuſque Eccleſiam Catholicam excludunt, vel admiſſam ſæpe malè tractant: aut ſaltem rogant, vti à ſe diſcedere velit. Quod nihil eſt aliud, quàm rogare, vt ſecurè & ſine moleſtiâ pergere poſſint ad diabolum & infernum.

Et quorundam Catholicorum.

Huiuſmodi etiam ciuitatum aliquæ reperiuntur apud Catholicos. Harum aliæ Chriſtum nolunt recipere, vt qui reformationem ſuorum vitiorum & abuſuum nolunt acceptare. Quales circa initium Societatis IESV fuêre non paucæ, quæ Societatem illam, vtpote vitiorum hoſtem & extirpatricem, in ſua recipere mœnia noluerunt. Quia *non amat peſtilens eum, qui ſe corripit*, ait Sapiens *Prouerb.* 15. Tales etiam illæ, quæ non ſuſcipiunt & amant paſtores niſi ſibi ſimiles in vitijs, qui cum ipſis ludant, potitent, ſtulteſcant; adeoque faciem Samaritanorum habeant.

Perſæpe etiam accidit, vt qui initio Chriſtum libenter receperunt, poſtea eiiciant, vti Nazareni fecerunt Chriſto; & Philiſthæi arcæ fœderis, quam è templo & ditione ſuâ excluſerunt, quòd viderent eam ſuo Dagon pernicioſam eſſe, 1. *Reg.* 4. Antonius Muſa medicus, cùm Romam (vbi priùs per annos multos nullus fuerat medicus) veniſſet, & Auguſto afflictum genu curaſſet, à Romanis ſtatua alabaſtrinâ multaque pecuniâ & immunitate donatus eſt. Vbi verò poſtea vulnera curare, ignire, cauteriare, manus & pedes abſcindere cœpit, lapidibus obrutus, & per omnes vrbis plateas tractus eſt. Suetonius in Auguſto. Sic multoties accidit Dei ſeruis vera prædicantibus; quemadmodum & S. Paulo, qui ad *Gal. cap.* 4. ſcribit: *Vbi eſt beatitudo veſtra?* (Græcè *beatificatio veſtra*, quâ vos propter me beatos dicebatis!) *Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi. Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?* Nimirum quia correctio & diſciplina Chriſti perniciem afferit porcis, id eſt, immundis & carnalibus, vitiaque demergit; rurſum quia ipſe non vult adorare in Garizim cum Samaritanis, ſed in Ieruſalem cum Iudæis, hoc eſt, ſentire non cum improbis ſed cum probis: denique, quia ſcindit & vrit vulnera: hinc excluditur è ciuitatibus.

C. II. *Auidè Dei verbum audit.*

SECVNDÒ, magna auiditate audiebant eius ſermones. Vt enim audierunt, quòd eſſet in domo, *conuenerunt multi* (Græcè habetur; *ſtatim congregati ſunt multi*) *ita vt non caperet neq́; ad ianuã* (id eſt, ita vt nõ caperet omnes domus etiam ad

ad ianuam; idcircò enim paralyticus per tectum inferri debuit,) *& loquebatur eis verbum*, ait S. Marcus cap. 2. Ergo illa eſt Chriſti ciuitas qui libenter audit verbum eius; quæ ſtatim & confertim ad id audiendum conuenit: quomodo agnelli ad vocem matris accurrunt, ad vocem alterius ouis non accurrunt. Sic & bonus latro, ac centurio ad Chriſti balantis in cruce vocem accurrerunt. Latro ſiniſter & Iudæi non accurrerunt, quia non erant agni Chriſti. Et ratio eſt, quia illa eſt ciuitas Chriſti, quæ à Chriſti vberibus nutritur, adeoque Chriſtum imbibit & induit: hoc autem faciunt, qui ad vbera verbi diuini aſſiduè recurrunt, indeque nutriuntur, & fiunt Chriſtiformes: quemadmodum docet & admonet S. Petrus epiſt. 1. c. 2. *Sicut modò geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutē.*

Ciuitas diaboli. Contrà in ciuitate diaboli ſunt, qui lac diuini verbi ſugere recuſant. Atque his atrocia valde minatur Chriſtus, vti Matth. 10. vbi ait: *Quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* Quia nimirum Sodomæ & Gomorrhæ non fuit prædicatum Dei verbum, ſicut illi ciuitati. Vin, exemplum? Milles fuit in Perſiâ cuiuſdam ciuitatis Epiſcopus, cumque in eâ prædicando nihil proficeret, ciuitatem execratus, inde diſceſſit. Quare Sapores vrbem obſedit, cum 300. Elephantis, & tanquam ream læſæ maieſtatis euertit, atque in agrum conuertit. Sozom *lib. 2. cap. 1.* & ex eo Baron. anno 350. Niceph. *libro 8. cap. 37.* Ob eandem cauſam, ſpreti videlicet verbi diuini, Venetis aliquando imminebat exitium Sodomæ & Gomorrhæ: niſi precibus S. Laurentij Iuſtiniani, eorum Patriarchæ, ſeruati fuiſſent, vti in eius vitâ ſcribit Bernardus Iuſtinianus.

D. III. *Fide & ſpe polleat.* TERTIO, Fidem & ſpem in Chriſtum magnam habebant, vti colligo tùm ex illis quatuor qui paralyticum tulerunt in lecto, & cùm non poſſent eum præ turbâ inferre in domum, aſcenderunt in tectum, eoque aperto, dimiſerunt eum vnà cum lecto ante IESVM, vt ſcribit Marcus & Lucas: tùm ex fide paralytici, qui certè cum tantâ moleſtia non permiſiſſet ſe ad IESVM deferri, niſi magnam in Chriſtum concepiſſet ſpem & fidem. Hinc Chriſtus, *cernens fidem illorum*, dixit, &c. ait S. Matthæus. Quando ergò iſti tantam habuère fidem, vt nihil non facerent & excogitarent, quomodo paralyticum Chriſto ſiſterent, colligo ex his paucis fidem aliorum Capharnaitarum. Itaque ciuitas Chriſti eſt, quæ magnam in Chriſtum fidem habet, quæ tectum, id eſt, obſtacula ſeu difficultates omnes perrumpit, quo ad ipſum veniat, ac proinde omnibus eius verbis, omniaque ipſi poſſibilia eſſe credit. Quales certè non ſunt hæretici, quia non per omnia credunt Chriſto, ac proinde nihil crediderunt. *Tam eſt anathema, tam Ethnicus & Publicanus, qui Eccleſiam in paucis,*

1. *Magnâ.*

quàm qui in multis non audit: ſicut tam mergitur, qui palmo aquæ, quàm qui abyſſo maris contegitur, ait Cardinalis Hoſius apud Staniſ. Reſcium in vitâ l. 2. c. 2.

2. *Vniformi.* Secundò, Fides illorum fuit vna & vniformis. Vidit enim *fidem illorum*, non fides. Quæ ergo ciuitas Chriſti eſſe vult, procuret vt vnam tantùm eamque veram habeat fidem: hæreticos omnes excludat.

3. *Practicâ.* Tertiò, Fides illorum fuit practica, quâ & credebant ſe impetraturos ſanitatem paralytico, & operabantur per charitatem, deferendo eum ad Chriſtum; non ſpeculatiua tantùm. Vnde dicitur: *Videns fidem illorum.* Fides ſpeculatiua non videtur. Vnde S. Iacobus c. 2. ait: *Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus: & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam*, q. d. quid prodeſt fides tua, quam in corde geris, ſed nudam & operibus deſtitutam, oſtendere non potes? Hinc Georgius Dux Saxoniæ, à Luthero inuitatus ad ſuam hæreſin, reſpondit, opera Lutheri & Lutheranorum oſtendere, ipſius fidem non eſſe à Deo, ſed ex diabolo; velut violare vota, ieiunia, feſta, profanare templa & altaria, Sacramenta conculcare, imagines confringere, cultum Sanctorum abrogare, &c. refert Corn. à Lap. *in Ep. S. Iacobi c. 2.*

E. IV. *Magnam erga proximum charitatē habeat.* QVARTO, Magnam etiam charitatem habebant erga proximum; ſiquidem paralyticum, quia ambulare non poterat, in lecto geſtabant quatuor baiuli, & cum tantâ difficultate per tectum immittebant in domum; nam & ſcalæ admouendæ erant, & tectum ex parte nudandum, æger in lecto ſuſtollendus, & fortaſſe tegulæ aliquot deciderunt in eos qui inferiùs ſtabant. Omnia nihilominus magno conatu & concordi operâ peragunt, nec reclamat dominus, cuius ædes perfringitur: nec expoſtulant infrà ſtantes. Talis ergo ciuitas merito dicitur Chriſti ciuitas in quâ lex eius obſeruatur, quæ eſt dilectio; quoniam ipſe dixit: *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*, Joan. 13. Cuius typum habemus in quatuor illis animalibus, eundem currum trahentibus, Ezech. 1. homine ſcilicet, leone, boue, aquilâ: quæ licet naturâ & conditione admodum differrent, pari tamen paſſu, & vnanimi conſenſu procedebant, quò impellebat Spiritus. Hac enim ratione conciues currum legis Euangelicæ trahere deberent; pari conſenſu animorum, tametſi alij alios habeant humores & complexiones; vnus velut homo affabilem, alius velut leo iracundam & aſperam, vnus velut aquila velocem, alius velut bos tardam. Et hoc eſt, quod Apoſtolus *ad Galat.* 6. ſcribit: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* v. g. tu ferto proximi choleram & verba cholerica, ille ferat tuam melancholiam: tu fer illius tarditatem, ille ferat tuam præcipitantiam: quod alteri deeſt, tu ſuppleto. Adhæc leues iniuriæ vel offenſæ ferendæ, diſſimulandæ & remittendæ ſunt inter ciues Chriſti: publica item vtilitas priuatæ anteferenda.

Contrà

Contrà ciuitas diaboli eſt, vbi diſcordia; vel ſi eſt ibi concordia aliqua, ea eſt impellentium ad malum & ducentium ad diabolum.

F. V. Timorem Dei habeat.

QVINTO, Timorem Dei habebant. Repleti enim timore, dicebant: *Quia vidimus mirabilia hodie.* Et: *Quia nunquam ſic vidimus.* Timuerunt autem ob potentiam Chriſti, miraculo comprobatam, indeque colligebant: ſi huic tanta ad ſanandum eſt potentia: vtique non minor erit ad puniendum. Ex vnâ igitur parte ſpem in illum concipiebant, tanquam in optimum & humaniſſimum medicum: ex altera timorem, velut in malorum vindicem. Et hæc eſt Chriſti ciuitas, in quâ inter ſpem & metum viuitur: hoc eſt enim aptiſſimum medium ad perſeuerandum in Dei gratiâ, facitque homines de ſalute ſuâ certiores. In cuius rei myſterium, Abraham Gen. 12. *tetendit tabernaculum* & habitauit inter *Bethel*, id eſt, *domum Dei*, & *Hai*, id eſt, *abyſſum ſeu vitam vallium*; ab occidente habuit Bethel, ab oriente Hai. Sic enim quiuis fidelis habitare debet inter ſpem cœli & metum gehennæ. Cogitet ſe conſtitutum inter beatiſſimam & miſerrimam æternitatem, nec ſe certò ſcire, vt tum habiturus ſit. In occaſu ſeu aduerſitate cogitet Bethel & domum Dei: in ortu ſeu proſperitate cogitet Hai ſiue gehennam. Porrò timor iſte non debet eſſe puerilis & humanus, ſed diuinus & ſalutaris, vt videlicet timeamus offendere Deum, timeamus eius iudicia & nouiſſima.

Econtrà in ciuitate diaboli vel eſt deſperatio, vel noxia præſumptio de certitudine ſalutis, vti eſt apud hæreticos hujus æui.

G. VI. Zelum honoris diuini habeat.

SEXTO, Zelum honoris diuini habebant. Nam imprimis paralyticus curatus *Abijt coram omnibus in domum ſuam, magnificans Deum.* Deinde reliqui omnes *magnificabant & glorificabant* Deum, *Marci* 2. *& Luc.* 5. Denique etiam ſcribæ huius ciuitatis zelum honoris Dei præſeferebant: ſiquidem à blaſphemiâ ſeſe abhorrere monſtrabant, quando intra ſe dicebant: *Quid hic ſic loquitur? Hic blaſphemat.* Tametſi verò in hoc iudicio errabant: blaſphemiæ tamen hoſtes & diuini honoris zelatores ſe oſtendebant. Talis ergo eſt Chriſti ciuitas, in quâ Deus glorificatur & zelus honoris diuini viget, blaſphemia verò exulat; vel ſi auditur, cum horrore auditur. Nam, vt argumentatur Malach. c. 1. *Filius honorat patrem, & ſeruus Dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Qui eſt ergo vtilis Chriſtianus,* (ait S. Ambr. in hunc locum) *ſemper debet patri ac Domino ſuo laudes dicere & in eius gloriã omnia procurare*: ad inſtar videlicet luſcinię illarumque auium, quę mane & veſpere Deum laudant, vti docet ibid. Ambroſius. Et verò ſi omnia Deum laudant, ſiue quæ in ciuitate eius cœleſti ſunt, vt Angeli & beati: ſiue quę in ſublunari, vti creaturæ omnes ſuo modo: cur non aſſiduè laudet Deum & homo? Et quis ferat à ſolo homine Deum blaſphemari? Non tulit in cœlo Michaël Luciferum blaſphemum, dicentem *ſimilis ero Altiſſimo*: ſed deiecit illum in abyſſum. Non tulit bonus in cruce latro blaſphemari Chriſtum à ſocio: ſed redarguit eum grauiter publicè. Ergo & nos feruente zelo abhorreamus à blaſphemia, & corrigamus blaſphemantes, aut certè fugiamus. Roberto Francorum regi, filio Hugonis Capeti, aliquando in ciuitate Aurelianenſi pro pace & regni ſui tranquillitate oranti Chriſtus apparuit & reſponſum dedit, quòd pacem in regno non haberet ſuo, donec blaſphemias & crimina notoria extirpaſſet. Refert Nicolaus Boëtius, *deciſione* 301. In Hiſpania non ſolùm quęſtiones de hæreſi, ſed etiam blaſphemiæ & voces in Deum & Sanctos contumelioſæ ad inquiſitionem deferuntur, *Sic Michaël de Barro Nauarâm*, inquit Florimundus de Orig. hęreſ. lib. 5. c. 6. *& de rege ſuo bene meritus, ordinis S. Iacobi Cõmendato, cùm aliquando, por vida de Dios id eſt, per Dei vitam iuraſſet, triginta & vnum dies in compedes ſuit coniectus. Quâ de re cum apud regẽ eſſet queſtus, rex filium ſuum ſe ipſi ſocium additurũ reſpondit, qui catenarum pondus dimidiatum cum ipſo ferret. Ita enim de ſe meritum eſſe vt lubẽter ipſũ iuuare velit: hac verò in re nullam aliam gratificandi rationem diſpicere. Et conclaue quidem carceris hic habuit aulæis ornatum & cætera omnia non minus quàm extra carcerem magnifica: compedes tamen ac catenas non minus duras ac graues, quàm de vulgo quis ferre cogebatur.* Horum igitur exemplo, ſi de ciuitate Chriſti eſſe volumus, vitemus & extirpemus blaſphemias, quæ ad ciuitatem diaboli pertinent, & ſunt lingua damnatorum. Ad extremum, Auditores, date operam quæſo, vt hæc veſtra ciuitas dicatur & ſit Chriſti ciuitas. Sic enim & Chriſtus erit Deus veſter; & quid tunc nobis deerit? quod ipſe nobis non impertiet?

CONCIO II.

Paralitici ſecundum animam.

1. *Tales ſunt mortales omnes poſt lapſum protolapſorum. Remedium datum eſt eis,* Dom. 12. poſt Pent.
2. *Peccatores omnes præſertim inueterati.*
3. *Auari & illiberales; quibus vnicum remedium datur.*
4. *Pigri & negligentes Magiſtratus, Parentes, tardiq; ad rem diuinam.*
5. *Animæ purgatorij.*

THEMA.

Ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto. Matth. 9.

A. MIRA oblatio, Auditores; ſtupendum munus, quod Capharnaitæ in hod. Euangelio offerunt Chriſto hoſpiti & inquilino ſuo: Homo paralyticus, manuum & pedum omniumque membrorum vſu deſtitutus, iacens in grabato. Quid agitis, ô ciues? Nónne Deus in lege veſtra mandauit vobis, ne offeretis ei hoſtiam debilem & defectibus obnoxiam? Nónne ait per Malachiam cap. 1. *Si offeratis claudum & languidum, nónne malum eſt? offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Mira eſt igitur hæc oblatio, ſed grata Chriſto Domino, cuius cibus eſt conuerſio peccatorum. Hæc illius venatio

natio, hæc ferina caro eſt, quâ libenter veſcitur cæleſtis noſter Iſaac; & de quâ dixit aliquando Dominus diſcipulis: *Ego habeo cibum manducare, quem vos neſcitis*: animam videlicet mulieris Samaritanæ, ſecundum animam debilis & paralyticæ, cuius ſalutem tunc quærebat, *Ioan.* 4. Viderunt Capharnaitæ Dominum è medio tollere ac quodammodo deuorare omnes languentium ægritudines; idcircò hodie aduentanti in ciuitatem ſuam offerunt paralyticum, velut epulum gratiſſimum. Rectè equidem; ſed ſciendum eſt offerendos eſſe Domino infirmos, dum verſatur in ciuitate noſtrâ; dum adhuc in præſenti ſæculo expectat peccatores ad pœnitentiam. Nam in altero ſæculo non ſuſcipiet eos. Ibi enim dicet, quod apud Malachiam citatum mox ſubiecit: *Non eſt mihi voluntas in vobis & munus non ſuſcipiam de manu veſtra*. Ergo, Auditores, afferamus, quæſo, ad Chriſtum languidos & languores noſtros, offeramus ei paralyſes noſtras, dum nobiſcum hîc moratur. Porrò nunc videamus qui ſecundùm animam paralytici habendi ſint.

B. I. Mortales omnes poſt lapſũ protoplaſtorum.

PRIMÒ, Paralytici ſunt mortales omnes poſt lapſum protoplaſtorum. Cùm enim primi noſtri parentes perdiderunt iuſtitiam originalem, quæ velut aureum quoddam frænum cohibebat omnes animæ paſſiones & conſtringebat intra limites ſuos, ſubijciebatque rationi, vti & carnem ſpiritui: tunc ablato fræno illo inciderunt vnà cum poſteris ſuis in miſerabilem quendam languorem, paralyſin ac diſſolutionem omnium membrorum, ſenſuum, paſſionum, quæ velut equus effrænis iugum rationis excutere & libidini ſuæ indulgere cœperunt, ſæuiuntque etiamnum, nec niſi magnis conatibus compeſci ac frænari poſſunt. Vidit hoc vel ipſe Ariſtoles qui *libr.* 1. *Ethicor.* oſtendit vitioſos iſtos affectus ita ſe habere ad imperium rationis & voluntatis, vt ſe habent membra paralytica ad voluntatem mouere ea cupientis; non enim ea quando vult, & quomodo & quantum vult, mouere poteſt. *Planè, inquit, quemadmodum reſoluta corporis membra ſi ad dexteram mouere volueris, è contrario in ſiniſtram deferuntur: ſic quoque in anima contingit. In contrarias enim partes incontinentium appetitiones feruntur, &c.* Queritur de hoc Apoſtolus ad Roman. 7. *Non quod volo bonum*, inquit, *hoc facio: ſed quod odi malum, illud facio*, quaſi dicat, ego cupio mouere membra & paſſiones meas in dextrum, ſecundum legem rationis, & illa cadunt in ſiniſtrum ſecundùm legem concupiſcentiæ, carnalis & beſtialis. Ac quemadmodum membra paralytica, ſi ad opus, laborem vel artem exercendam adhibere volueris, perpetuò aberrabunt & vix rectè aliquid facient: ita vires animæ paralyticæ ad malum agendum faciles & pronæ ſunt, ad bene autem agendum difficiles & ignauæ. Cuius etiam rei figuram videre eſt in Agar ancilla, & Sara vxore Abrahæ. Agar enim citò & facilè peperit prolem hero ſuo, ſed Iſmaëlem, malum & immorigerum; Sara vero tardè & difficulter prolem bonam & morigeram, Iſaacum, *Geneſ.* 16. & 19. Agar ſumus in malo, Sara in opere bono.

Remedium Dom. 12. poſt Pent.

Sed quod huic paralyſi remedium? Reſpondebimus ad hoc alibi. Breuiter nunc: Per Chriſti gratiam reparari ad priſtinum ſtatum poſſumus. Ergo ad Chriſtum eiuſque Eccleſiam deferri imprimis per baptiſmum debemus; deinde ſurgere à peccatis per ſacramentum pœnitentiæ; poſthæc tollere lectum noſtrum, non inhærendo priſtinæ conuerſationi noſtræ & cupiditatibus malis, ſed imperando eis, & dirigendo quò voluerimus; denique eundo in domum noſtram, de virtute in virtutem progrediendo & tendendo ad perfectionem illam, quam habuimus in paradiſo, vnde expulſi ſumus; quod per dignum & frequentem ſacramentorum pœnitentiæ & Euchariſtiæ vſum obtinere poſſumus.

C. II. Peccatores omnes.

SECVNDÒ, Peccatores omnes, præſertim inueterati. Paralyſis enim reſolutio neruorum eſt, faciens vt homo nequeat vti membris ab ea tactis, adeoque nec incedere nec laborare queat. Hoc autem in hominis animâ efficit peccatum; efficit, inquam, vt ne paſſum vnum verſus cœlum ambulare, ne minimum quidem opus cœlo dignum præſtare queat. Quemadmodum Ægyptij in craſſiſſimis illis tenebris conſtituti, non ſe poterant loco mouere, atque vt 70. habent, *non ſurrexit vllus ex cubili ſuo* (quaſi iacerent in lectis inſtar paralyticorum) metuentes nimirum, ne ſi paſſum facerent, in ſpectra aut præcipitia inciderent, *Exod.* 10. ita homines in peccatorum tenebris poſiti nihil aliud ex ſe poſſunt, quàm iacere in ſuis fæcibus, abſque diuinæ gratiæ luce ſurgere non poſſunt vt vel vnum opus meritorium faciant. Neruus enim meriti, gratia, in ipſis reſolutus ac præciſus eſt. Ægyptij in tenebris illis quaſi catenis vincti aut in carcere conſtituti (vt habetur *Sapien.* 17.) nihil aliud poterant quàm clamare, & miſerabili voce opem inuocare: (vt habetur *Sapient.* 18.) ita peccatores delictorum ſuorum vinculis conſtricti atque incluſi non niſi opem Dei implorare poſſunt, mereri nihil poſſunt. Ægyptij ſi ignem, quo vtimur, accendebant, is vel *aëre turbato extinguebatur, vel vincebatur à craſſiſſimis tenebris*, inquit Philo; nec diſſentit Salomon, *Sapient.* 17. dicens. *Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere.* Pari modo opera bona, quæ quis in ſtatu peccati vult patrare, vel à dæmone impediuntur, vel ſaltem obſcura & Dei fauore deſtituta ſunt, victa à peccati pluſquam Cimmerijs tenebris, quæ omnia illa obtenebrant. Præ cæteris vero inueterati peccatores, paralytici cenſendi ſunt, hoc eſt, diſſoluti; quia timoris Dei neruis ac vinculis minimè conſtricti. De talibus enim Ieremias ait cap. 31. *Vſquequo delitiis diſſolueris, filia vaga*? quaſi dicat, quamdiu diſſolutam & in omnia ſcelera proiectam vitam ages? quamdiu extra te & Deum tuum euagaberis? quamdiu omnia prata luxuriâ tuâ percurres? Atque hi non in aliquo vulgari, ſed in

in ferreo & immobili lecto ſtertere videntur; cuiuſmodi lectum ferreum nouem cubitorum in longitudine & quatuor in latitudine habuiſſe deſcribitur magnus ille Og Rex Baſan, *Deut.* 3. Quid enim ferreus lectus, niſi peccandi conſuetudo obſtinata, quâ ſe obſtrictum aliquando fuiſſe lamentatur Auguſtinus libr. 8. Conf. cap. 5. *Suſpirabam ligatus*, inquit, *non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſâ facta eſt libido: & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexu (vnde catenam appellaui) tenebat me obſtrictum dura ſeruitus.* Porrò lectum illum peccatoris, præſertim libidinoſi, in ferreo illius Og notatum pulchrè depingit Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis Deut. 3. quæſt. 3. *Og*, inquit, *Hebraicè idem eſt, quòd coaceruans, & ſignat peccatorem, qui peccatis peccata ſuperaddit, donec veniat in profundum malorum: peccatum enim cui per pœnitentiam remedium non adhibetur, mox ſibi nequiores ſocios aggregat; vt fiat habitatio omnis ſpiritûs immundi, maximè luxuria, in quo cùm quis nouem cubitos longitudinis & quatuor latitudinis habuerit, tanquam in lecto requieſcit immobilis. Primus ergo cubitus vel gradus eſt, in cibis exquiſitis. Secundus in dulcibus & continuis poculis: quia venter mero æſtuans deſpumat in libidinem, vt ait Ieremias cap. 9. Intrauit mors per feneſtras noſtras. Et, oculus meus deprædatus eſt animam meam. Quartus eſt in cantilenis laſciuis. Quintus eſt in aromatibus, quæ Venerem prouocant. Sextus eſt in donis & munuſculis. Septimus, in mollibus lectis. Octauus in temporali ſociorum lætitia. Nonus in turpi vſu fœminarum. Habet quoque iſte impudicorum lectus quatuor latitudinis cubitos. Primus eſt turpis cogitatio. Secundus, perficiendi conſenſus. Tertius conſequens operatio. Quartus diuturna aſſuefactio, quæ tandem facit hunc lectum ferreum, vt à nullâ bonâ monitione vel inſpiratione ſuperari poſſit.* Huçuſque doctiſſimus Abulenſis.

Remedium. Nec tamen deſperandum, etiam in hac paralyſi. Quid igitur factu opus? tria indicat Dominus: *ſurge: tolle lectum tuum: & vade in domum tuam.* Primò *ſurge*, & aſſurge in Deum per orationem & continuam gratiæ eius implorationem. *Ita* enim S. Auguſtinus concubinatui aſſuetus poſt crebras orationes, de conuerſione anxius, tandem ſtrauit ſe ſub fici arbore, & cum lacrymis orabat: *Et tu Domine vſquequò? Vſquequò Domine iraſceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab iis teneri*, inquit, *& iactabam voces miſerabiles.* Intereà audit vocem quaſi è vicina domo dicẽtem: *Tolle lege, tolle lege.* Suſtulit librum, & incidit in epiſtolam Pauli: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus: non in cubilibus & impudicitiis, &c.* Vnde mox animo immutatus & conuerſus eſt. Vt in eius Confeſſ. lib. 8. cap. 12. Secundò *tolle lectum tuum*, contrarias vitiis tuis virtutes exercendo; ſi priùs te geſtauit lectus, tu iam geſta lectum: ſi priùs ebrietati ſtuduiſti, ſtude nunc ſobrietati ac ieiuniis: ſi priùs rapuiſti, nunc eroga: ſic clauum clauo pelles, conſuetudinem conſuetudine. Tertiò *vade in domum tuam*, per fortem, conſtantem & crebrò repetitam animi reſolutionem, quòd velis à priſtinis viis tuis recedere, & nouam inire ac pergere in domum tuam, vnde profugiſti. *Quodcunque ſibi imperauit animus, obtinuit*, inquit Seneca libr. 2. de ira capit. 12. *Quidam ne vnquam riderent conſecuti ſunt. Vino quidam, alij Venere, quidam omni humore interdixêre corporibus.*

C. II. Quia ſunt initia peccatorum aliorum.

Tertiò, Auari & illiberales. Hi enim ſi non in aliis membris, in manibus ſaltem paralytici & motu deſtituti ſunt; quorum typus fuit homo ille, qui habuit manum aridam, à Domino ſanatus, *Matth.* 12. Eſt enim manus auari arida, quæ ſucco charitatis & miſericordiæ caret. Audiamus D. Chryſoſtomum hom. 15. ſuper Ep. ad Hebr. *Manus non faciens eleemoſynam, arida eſt*, inquit, *quæ verò etiam aliena aufert, ſceleſta eſt & impura. Nullus cum talibus manibus cibum ſumat*, &c. Non tibi videtur epulo ille, qui Lazaro ne micas quidem de menſa ſua dedit, manus aridas habuiſſe? Et quoniam ipſe ad Lazarum noluit extendere manum ſuam vt paſceret eſurientem; ideò nec Abraham voluit ad ipſum extendere manum, vt refrigeraret ſitientem, in ardoribus inferni; & quia mendicanti Lazaro ſtipem largiri noluit, mendicare tandem à Lazaro debuit: *Mitte Lazarum*, &c. Similem cataſtrophen expertus eſt Ruffinus, vir in aula Theodoſij Imperatoris ſummæ dignitatis, & paris auaritiæ ac rapacitatis, quam exercuit in iis, quos geſſit, Magiſtratibus. Hic igitur cùm aſpiraret ad imperatoriam maieſtatem, & iam purpuram ſibi paraſſet ac monetam auream imagine ſuâ inſignitam, tum ecce cingitur ab Aradij militibus, & mille gladiis appetitur atque in fruſta ſecatur. *Sed & iucundum afflicto populo ſpectaculum*, inquit Spondanus, *Ruffini rapacitatis, ſecta eius dextera præbuit, cùm quæ neruorum, qui mouent articulos attractione vel remiſſione, claudi apta eſſet & aperiri, miles eandem panſam tendendo, mendicare Ruffinum dictitaret. oblatoq; palmæ obolo, tractis neruis ſtrictiſq; digitis, eum à Ruffino auidè acceptum ſignificaret.* In compend. Baron. ann. 395. En tibi manum aridam, quàm congruè punitã. Neſciit Ruffinus extendere manum ad liberalitatem; ſciuit contrahere ad rapacitatem: Deo igitur diſponente factum, vt recta hæc arida manus ſtipem mendicaret & oblatam ludicro ſpectaculo captaret. D. Hieronymus ait ex Euangelio Nazarenorum hominem illum, cuius aridam manum Dominus ſanauit, fuiſſe cæmentarium, qui pro victu ſibi parando maximè manu illâ opus haberet. Appoſitè profectò. Nulla enim re magis indigent diuites, quàm manu extenſâ & liberali, quâ ſibi Dei gratiam parent, & ædificent in cœlo æterna tabernacula. Cæmentarij ergo cùm eſſe debeant, videant ante omnia vt ne manus aridas habeant, quibus deſtruant, non ædificent ſuam in cœlis domum; ſimiles illi diuiti, qui dicebat: *Deſtruam horrea mea & maiora*

iora faciam. Luc. 12. Vberes agrorum fructus vt congregaret, horrea extendit, manum non extendit; ideò horrea ſua deſtruxit & à Deo audiuit: *Stulte.* Quòd ſi manum ſuam ad pauperem extendiſſet & ibi condidiſſet fruges ſuas, horreum ſibi in cœlo multò maximum extruxiſſet.

Remedium. Igitur his Euclionibus vnum hoc remedium ſupereſt, quod edixit Dominus arido illi & ſecundùm manum Paralytico: ***Surge & ſta in medio, & extende manum tuam. Surge*** è telonio auaritiæ & rapacitatis, cum Mattheo telonario: deinde ***ſta in medio***, contentus eſto aureâ illâ mediocritate, quâ nec egeas, nec abundes: hoc in medio ſi ſteteris, nunquam tibi deerit quod tribuas; denique ***extende manum*** ad pauperes: noli ad te retrahere: ***quoniam Dominus dixit: Beatius eſt magis dare, quàm accipere***, inquit S. Paulus Act. 20. Cauſam requiris? *Beatius dare quàm accipere.*

1. Primò, quia dare ſignum eſt abundantiæ, accipere verò ſignum egeſtatis, ait S. Auguſtinus *l. 3. contra Maximin. cap.* 14.

2. Secundò, quia beatior eſt impartientis largitas, quàm accipientis penuria, inquit Caſſianus *lib.* 10. *de Inſtit. renunc. cap.* 18. illud enim ſignum liberalitatis, hoc verò neceſſitatis aut cupiditatis eſt.

3. Tertiò, quia maior eſt benefacientis ad beneficiatum amor, quàm huius ad illum: quoniam ille nobiliùs operatur, ait Ariſtot. 9. *Eth.* qui & hinc concludit plus amare eos qui beneficia conferunt, quàm qui accipiunt, vtpote maius inde bonum conſecuti. Ita à parentibus magis amantur filij, quàm ab eis redamentur.

4. Quartò, quia dans liberior eſt, accipiens obligatus eſt conferenti.

5. Quintò, quia honorabilior eſt qui dat, vilior qui accipit, ait S. Hieronymus ad Nepotian. Dare eſt res regia ac diuina: accipere plebeia & humana.

6. Sextò, quia eſt vtilius dare quàm accipere. Qui dat, temporalia & corporalia dat: viciſſim accipit æterna & ſpiritualia bona.

E. IV. *Pigri & negligentes.* QVARTÒ, Negligentes ac deſidioſi, qui cùm ad rationem officij ſui non vtantur membris ſuis, non immeritò paralytici reputari poſſunt. *1. Magiſtratus.* Huiuſmodi ſunt imprimis Magiſtratus aliqui, qui ſubditorum & negotiorum ſibi commiſſorum nullam curam habent, ſed omnia peſſum ire ſinunt, dummodò ipſi bene habeant. Talem Magiſtratum minatur Deus reprobis in pœnam, *Zachar.* 11. cùm iubet prophetam induere habitum & perſonam paſtoris ſtulti, Iudæis præponendi. Quæ verò huius paſtoris acta ſunt? ***Derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & quod ſtat non enutriet, & carnes pinguium comedet & vngulas eorum diſſoluet. O paſtor & idolum, derelinquens gregem!*** En tibi rectorem paralyticum, cuius punitionem ſubdit mox Propheta: ***brachium eius ariditate ſiccabitur***, q. d. quia in officio ſuo arida brachia habuit & quaſi paralyticus fuit, non exſerendo vires ad plectendos malos & faciendum munus ſuum; idcirco areſcet brachium ejus, hoc eſt, adimetur illi potentia & iuriſdictio. Dixit quidam auctor Politicus: ***Quinque declarant rempublicam benè aut malè habere. 1. Ædes precum. 2. Curia. 3. Schola 4. Forum. 5. Horologium. Prout hæc bene aut malè habent & reguntur, ita & reſpublica erit.*** Quando igitur templum patet eſſe ſtabulum: curia eſſe tuguriũ paſtorum: ſchola eſſe taberna aut ſphæriſterium vel Iudæorum ſynagoga: forum eſſe palus aut cloaca: horologium eſſe Lunaticum, nunc citò, nunc tardè ambulans; quid nunc de Magiſtratu dicas? Nónne exclamabis: ***ô Paſtor & idolum***! ô paralyticum Magiſtratum!

2. Parentes. Deinde hac paralyſi laborant aliqui parentes, qui arida habent brachia, cùm filij immorigeri verberibus plectendi ſunt. Ita Heli Sacerdos, qui auditâ filiorum peruerſitate, verbis ſolùm & quidem blandis ac beneuolis nimis eos reprehendit: ***Nolite filij mei: non enim eſt bona fama, quam audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini.*** 1. Reg. 2. Filios appellat, cùm nebulones & tenebriones, carcinomata & catharmata, filios denique Belial appellare debuiſſet. Adhæc ***& minas illis addere debuerat, & à ſuo eos conſpectu amouere atque abdicare etiam, & verberibus afficere, multoq; illis grauiùs & duriùs inſtare. Quia igitur nihil horum egit, verborumq; tantùm monitis contentus fuit, & illis & ſibi ipſi Deum aduerſum infeſtumq; conſtituit***, inquit D. Chriſoſt. *hom.* 9. *in ep. ad Cor. & l.* 3. *adu. vitup. vitæ mon.* Solon ſeptem Græcorum ſapientum vnus & Legiſlator priuauit aliquando filium ſuô patrimonio, dum pater viueret: & patrem cùm moriturus eſſet, ſepulturâ; eò quòd ille patri non obediſſet, & tamen hæreditatem iudicio peteret: pater autem filium allegantem de mala inſtructione, non meliùs educaſſet.

3. Tardi ad rem diuinam. Tertiò, qui ad rem diuinam Deíque cultum tardi & inertes ſunt. Quaſi enim paralyſin in pedibus habere videntur, qui ferè vltimi ſemper in templo ſunt & mediam officij diuini partem negligunt. In Iaua maiore inſula aues eſſe ſcribunt, apodas dictas, eò quòd pedibus careant, nec niſi in arboribus conſideant: vt tradit Nicol. de Comit. Num iniuriam faciemus talibus paralyticis, ſi eos dicamus apodas, qui licet pedibus inſtructi ſint, iis tamen non vtuntur ad Dei gloriam & ſuam ſalutem? Alij manus non habent, vel certè diſſolutas paralyſi habent; qui ad templi cultum nec non ad altare toto anno nihil offerunt. Cùm ad Dei offenſionem, cùm ad diaboli cultum, cùm ad mundi pompam aliquid expendendum eſt, nullis ſumptibus parcitur, nulla mora trahitur. Videte quæſo Hebræos. Hi cùm in deſerto peterent ab Aarone conflari ſibi Deos, Aaron vt eos ab hac inſania auerteret, poſtulauit in hoc opus omnes illorum inaures aureas, auribus detrahendas, etiam vxorum, filiorum & filiarum; exſtimans eos non tradituros tam pretioſa & chara monilia. At vicit eorum improbitas & præpoſtera liberalitas, etiam mulierum, aliàs ſuarum rerum, ornatûs præſertim, tenaciſſimarum; quodque magis mireris, abſtractas ſibi inaures ipſemet ad Aaronem detulêre. Exo. 32. At cùm ad Dei veri altare vel templum aliquid offerendum eſt, teruncij iactura ploratur.

Ad carnis voluptates, ad pompam, ad luxum manus habent & quidem expeditas: ad promouendum Chriſti cultum manibus carent, ſuntque paralytici. Quin & aliqui indignari audent, cùm ad templa ornatum aurum aliaque pretioſa adhibentur, ſimiles Alexandro Rom. Imperatori auaro, qui ne auri guttulam quidem aut bracteolam in templo reponi voluit, ſuſurrans illud Perſij: *In templo quid facit aurum?* Et hoc vt auaritiam ſuam pallient. Alij toto corpore paralytici videntur, qui magnam dierum, otium feſtiuorum, partem ſomno & pigritiâ perdunt, non minùs lecto affixi, quàm hodiernus paralyticus. Hinc non modò pretioſum tempus, ſed & res diuina ſæpiùs negligitur & habitus pigritiæ quaſi paralyſis contrahitur, quâ fit homo ignauus ad omne opus bonum ac honeſtum, pronus ad malum; quia *nihil agendo, malè agere perdiſcimus*, ait Cato.

Remedium. Sed quod huic paralyſi remedium dabimus? quod Chriſtus paralytico dixit: *Surge &* impera tibi, adhibe conatum vt è pigritiæ cœno eluctaris; qui non tam in lecto quàm in ſepulchro iaces. *Pigritia enim viui hominis ſepultura eſt*, ait Themiſtocles. Quin etiam in ſepulchro grauis peccati iaces, cùm acediæ indulges. Si in ſerpentum foueâ iaceres, quàm repente, putas, ſurgeres? At nónne maioris periculi eſt, in peccato iacere quàm in eiuſmodi antro? Surge igitur ad opus, & ſi vires deficiant, inuoca Deum vt tibi manum porrigat. *Torpor ex imperfecta voluntate oritur: mox vt bonum velle caperis, ardor erit atque impetus*, inquit Petrarcha. Deinde *tolle lectum tuum*, corpori tuo vim affer & coge id ad laborem & operationes bonas. *Experimento enim probatum eſt*, inquit Caſſianus l. 10. de inſt. Mon. cap. 25. *acediæ impugnationem non declinando fugiendam, ſed reſiſtendo ſuperandam.* Quòd ſi opere inchoato difficultas aliqua obrepat, in eo proſequendo fortiter perſiſte, quia progreſſus laborem reddet leuiorem. Vnde Bernard. ſermon. 12. in Cant. *Cùm te torpore,* inquit, *acediâ vel tædio affici ſentis, noli propterea diffidere, aut deſiſtere à ſtudio ſpirituali.* Et mox: *ſi perſeueraueris, triſtitia tua conuertetur in gaudium.* Dauid initio arma Saulis geſtare non potuit, quia vſum non habuit; poſteà militiæ aſſuetus, non arma tantùm ferre, ſed & gladium Goliathi grandem & ponderoſum ſcitè tractare nouit. Tolle igitur lectum, vince ignauiam tuam, geſta inertem carnem, quæ priùs te geſtabat. Denique *vade in domum tuam.* Quænam illa domus? Domus æternitatis; *quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ*, inquit Eccleſiaſtes cap. 12. Vade igitur mente & cogitatione ad ſepulchrum tuum, ad tribunal Iudicis, ad domum gloriæ vel gehennæ; & factâ hac conſideratione, incipe dormire, incipe otiari & ducere in bonis dies tuos. In vitis Patrum diſtinct. 20. § 101 *frater quidam à ſene Achille rogauit, cur ſedens in cella pateretur acediam? Cui ſenex ait: Quia necdum vidiſti requiem quam ſperamus, nec tormenta quæ timemus: ſi enim diligenter inſpiceres, etiam ſi vermibus plena eſſet cella tua vſque ad collum, tu tamen in ipſa iaceres ſine acediâ.* Simillimum eſt quod in prato ſpirit. ſcribit Ioannes Moſcus c. 142. Abbatem Alexandrum fratri acediâ victo dixiſſe: *Si in cella tua ſolicitè cogitares regnum cælorum & cruciatum æternum, in cella tua acediam non ſentires.*

F. V. Animæ purgatorij.

Qvintò, His quaſi pro auctario addamus purgatorij animas. De his etiam dicendum mihi videtur idem prorſus, quod Centurio nuntiauit Chriſto: *Domine, Puer meus iacet in domo paralyticus & malè torquetur.* Pueri ſunt purgantes animæ, propter innocentiam, quia à culpâ liberæ, tametſi nondum à pœnâ. Iacent deinde, ſed heu quo in lecto? in lecto Laurentiano, in craticula, in candentibus carbonibus: Sed in qua tandem domo? in domo horroris & vaſtæ ſolitudinis. Nihil ibi cernere eſt, niſi cruciatus & tormenta: nihil ibi audire, niſi gemitus & ploratus: nihil ibi guſtare, niſi amaritudines: nihil ibi tangere, niſi rogos & ignes. O domum luctuoſam! Et quales ibi degunt animæ? Omnes paralyticæ, omni membrorum vſu, hoc eſt, bene merendi facultate deſtitutæ, quia in viæ termino, extra merendi ſtatum deſunt. Non igitur ſemet iuuare, non de latere in latus vertere, non manum ad os ducere poſſunt: totæ ab aliis pendent, & noſtram expectant opem. Denique malè torquentur, quia duplici tormento & grauiſſimo quidem. Primum prouenit ex pœna damni, quæ maximum eis dolorem ex quadruplici creat capite. Primò, quod videant ſe ad tempus ſummo priuari bono, & quidem eo tempore, quo fruendum illo erat. Acerrimè apprehendunt illius boni immenſitatem, ſimulque id attentiſſimè deſiderant. Secundò, Quòd videant ſe ob culpam ſuam ab eo arceri. Tertiò, Quòd neglexerint pro culpa ſuo tempore ſatisfacere, cùm facillimè potuiſſent. Quartò, Quòd ingentes æternorum bonorum theſauros & cæleſtis gloriæ gradus, quos conſequi potuiſſent, ſuâ culpâ & tepore neglexerint. Alterum ex pœna ſenſus prodit, quæ triplici ratione acerbiſſima eſt. Primò, ratione acrimoniæ & intenſionis ignis purgatorij, quæ longè maior eſt acrimoniâ ignis noſtri elementaris, ſi SS. Patribus fidem damus. Inter alios Vener. Beda in *Pſal.* 37. & verſ. primum: *Domine ne in furore tuo arguas me. Nec immeritò*, inquit, *tantum timet* (Dauid) *hanc correptionem* (purgatorij ignis) *quia attendit eam eſſe grauiorem, quam quidquid vnquam paſſi ſunt latrones vel ſancti Martyres.* Secundò, Ratione durationis. Plurimæ enim animæ ad longum tempus ibi detinentur, vti indicat Eccleſia cum Anniuerſariis defunctorum. Pœna ignis in hac vita non poteſt eſſe diuturna; at ibi poterit eſſe, quia anima nequit mori nec amittere ſensùs vigorem & viuacitatem; quæ tunc extra corpus, adeoque ſola patitur. Tertiò, Ratione continuationis in eodem ſtatu. Cruciatus in hac vita paulatim miteſcunt, deficientibus ſenſim ſpiritibus animalibus diſſolutoque temperamento: non item in altera vita, vbi anima non vtitur operâ ſpiri-

tuum,

tuum, ſed ipſa per ſe immediatè excipit vim cruciatuum. In doloribus huius vitæ crebra interruptio eſt, per ſomnum, per colloquia amicorum, per varias mentis diſtractiones. Nihil horum in purgatorio.

Remedium. Quid igitur, Auditores? quid hîc faciendum nobis? quid agendum cum his paralyticis? Mereri nihil poſſunt; accedere ad nos non poſſunt: clamare ad nos non poſſunt. Nónne igitur ipſorum loco, exemplo Centurionis illius, Chriſtum nos adibimus precantes: Domine, Pueri noſtri, fratres noſtri, parentes noſtri iacent in domo paralytici & malè torquentur? Nónne imitari nos decet viros illos, qui hodiernum paralyticum geſtarunt & quidem perrupto tecto dimiſerunt ad Chriſtum Dominum? Stemus igitur ſimul, effringamus cœli tectum noſtris orationibus, aliiſque piis operibus, quò tandem parentes, fratres & ſorores noſtras ad conſpectum Dei inferre poſſimus, vnaque cum ipſis aliquando æternùm ſociari.

CONCIO III.

Blaſphemiæ grauitas.

Grauiſſimum eſt hoc peccatum,

1. *Ratione offenſi.*
2. *Ratione offenſæ.*
3. *Ratione offendentis.*
4. *Ratione pertinaciæ.*
5. *Ratione difficultatis expiandi.*

THEMA.

Ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Matth. 9.

A. NEſcio ferè, Auditores, vituperémne an laudem potiùs Scribas, qui in hodierno Euangelio blaſphemiæ Chriſtum arguunt. Vnâ enim ex parte vituperio digni ſunt, qui Chriſtũ abſque cauſa, quem Deum credere debebant, blaſphemum eſſe iudicant. Ex altera verò parte laudem promerentur, dum zelo honoris diuini hoſtes ſe blaſphemiæ monſtrant. Bene igitur gladium euaginant, ſed innocentem feriunt: zelum bonum habent, ſed non ſecundùm ſcientiam. Quare nos, Auditores, in vno imitabimur Scribas, in altero execrabimur. Blaſphemiam horrebimus: proximum tamen noſtrum non temerè iudicabimus. Blaſphemiam illi horrebant, vbi blaſphemia non erat: nos qui auribus noſtris tot blaſphemias paſſim audimus, nónne magis indignabimur & clamabimus: *Hic blaſphemat*? Non dubito: ſi modò intelligamus, quàm graue ſcelus ſit blaſphemia; quod nunc explicabimus.

B. I. Grauiſſimum eſt peccatum ratione offenſi. Grauiſſimum eſt hoc peccatum, PRIMÒ ratione offenſi; quia directè committitur in Deum. Vnde ex hoc capite grauius eſt omnibus peccatis, quæ offendunt proximum, furto, homicidio, adulterio, &c. Multis modis grauior eſt læſio Regis, quàm formicæ: ſed longè adhuc pluribus grauior offenſio Dei, quàm hominum. Et quis eſt homo vt audeat blaſphemare Deum & prouocare ad iracundiam, ranuncula leonem? Sanè Iudæi à blaſphemiâ adeò abhorrebant, vt eâ auditâ obturarent aures (ne ſcilicet audientes fierent blaſphemiæ participes) & exclamarent; quaſi inuocantes Deum, vt tantum malum vindicaret? quemadmodum fecerunt *Actor. 7.* cùm ſanctum Stephanum blaſphemiam loqui exiſtimabant; quem etiam propterea prætermiſſo iuris ordine necdum à concilio damnatum, furentes rapuerunt ad necem & & lapidauerunt. Iidem etiam veſtes dilacerabant, cùm blaſphemiam audiebant; ad ſignificandum, quòd cor hominis ſcindi præ mœrore & audientes etiam dolere ac lugere deberent propter tantum ſcelus. Hoc inter alios fecit Ezechias rex, cùm audiuit nuntium regis Sennacherib, blaſphemantis & ſpernentis Deum altiſſimum. Cui etiam reſpondit Iſaias ex ore Dei: *Cui exprobraſti? quem blaſphemaſti? contra quem exaltaſti vocem tuam & eleuaſti in cælum oculos tuos? contra Sanctum Iſrael.* Nocte illâ venit Angelus Domini & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia virorum. Rex verò cùm rediens in Niniuen adoraret in templo Neſroch Deum ſuum, occiſus eſt à filiis ſuis. 4. *Reg.* 19. Scidit etiam Caiphas veſtimenta ſua, cùm exiſtimabat Chriſtum locutum eſſe blaſphemiam. Quid nos Chriſtiani? Tot quotidie audiemus blaſphemias, vt ſi ritum Iudæorum obſeruare vellemus, nemò facilè per vnum diem veſtem integram ſeruare poſſet, quàm ſcindere non deberet. Quare ne miremur, ſi quando clades publicas immittit nobis Deus; has enim promerentur blaſphemiæ quotidianæ, impunè paſſim vſitatæ. Si enim morte plecti merentur, qui paſquillum contra regem affigunt: quantò magis blaſphemi in Deum?

C. II. Ratione offenſæ. SECVNDÒ, Ratione offenſæ, quia maximam Deo infert iniuriam. Vel enim attribuit ei aliquid, quod nullâ ratione debet attribui, Deoque ignominioſiſſimum foret; veluti Epicurus, cùm affirmauit Deum eſſe deſidem: Phariſæi, cùm dixerunt Chriſtum in Beelzebub eiicere dæmonia: Lutherus & Caluinus, qui Deũ auctorem peccati fecerunt: Ioannes Wiclef, qui aſſeruit, ſi vera in Euchariſtia foret tranſſubſtantiatio, Chriſtum fore malignum illum Deum, qui bona à Deo creata in nihilum redigeret: Alphonſus X. Rex Hiſpaniæ, qui in illa verba prorupit: ſi principio mundi adfuiſſem, multa meliùs, ordinatiuſque condita fuiſſent; Fridericus II. Imp. qui dicere auſus eſt, tres fuiſſe inſignes impoſtores, qui humanum genus ſeduxerunt: Moyſen, Chriſtum, Machumetem apud Lipſiũ *Mon. Polit. l. 1. c. 4.* Vel adimit Deo, quod ei debetur, veluti iuſtitiam, potentiam, prouidentiam, bonitatem; veluti Rabſaces, qui negauit Deum Iudæis opem ferre poſſe: item impij illi, qui Bononiæ in conuiuio negarunt gallum aſſum in fruſta conciſum à D. Petro, imò & à Chriſto reſtitui in integrum poſſe, qui gallo mox ſibi reſtituto & alarum concuſſione iuſculum en ora impiorum excutiente, leprâ percuſſi ſunt, Vincent. lib. 25, ca. 64. Vel tribuit creaturæ, quod tribuendum Deo. Vel conuiciatur ea quæ ad Deum ſpectant, vti Sacramenta, paſ-

pa ſſio & vulnera Chriſti, ſancti eorumque reliquiæ. Ad hæc enim audita quis non cohorreſcat? quis non iure timeat ne cœlum ruat vel terra dehiſcat? Taceo ingentem ingratitudinem, quam continet hoc peccatum, dum linguam ſibi à Deo datam ad Dei laudem alioſque ſaluberrimos fines, vſurpat ad Dei contumeliam.

D. III. Ratione offendentis. Tertiò, Ratione offendentis: quia eſt peccatum ex certa malitia, & committitur cum furiâ quadam. Pleraque alia peccata committuntur ex ignorantia, quam etiam allegare poterant Iudæi, qui Chriſtum in crucem ſuſtulerunt, quod nimirum ſeruili formâ inceſſerit, &c. Vel naturæ & carnis infirmitatem; quo modo filius contra parentum voluntatem ſe deſpondens, tantùm quærit ſuas nuptias, non offenſam parentum, quos mallet non offendere. At verò qui blaſphemant, nihil horum allegare poſſunt: nôrunt enim Deum & Chriſtum in cœlis regnantem: nec mouentur ad blaſphemiam ex appetitu honoris, pecuniæ, voluptatis vel vindictæ. Quid enim prodeſt illis blaſphemia? vel quid nocuit illis Deus? imò quid boni habent, quod non ab ipſo habent? Hoc expendens S. Polycarpus martyr cùm iam in ignem mittendus vrgeretur vt ſaltem execrari vellet Chriſtum; reſpondit: *Octoginta & ſex annis ſeruio ei & nihil me læſit vnquam: quomodo poſſum maledicere & blaſphemare regem meum, qui ſalutem mihi dedit*: Euſeb. *l.* 4. *c.* 15. Vnde Abbas Poëmen docuit iuuenem de blaſphemia tentatum, ita reſpondere: *Vellem quidem blaſphemare, ſed non habeo cauſam blaſphemandi Deum.* Furiæ igitur & inſano ſimilis eſt blaſphemus, qui ſæuit in innoxium, imò in optimum patrem, & velut obligatus oculis irruit in Deum. Hinc blaſphemo latroni dixit alter: *Neque tu times Deum?* Olla ſuccenſa eſt, quæ cum impetu & ardore ebullit & ſurſum aquas proiicit. Patet malitia blaſphemorum ex blaſphemandi modis: aliqui enim per ſeptem milliones ſacramentorum blaſphemant: alij foſſas, turres, triremes, & plauſtra implent ſacramentis, &c. An hoc non eſt ex compoſito & cum furiâ peccare?

E. IV. Ratione pertinaciæ. Qvartò, Ratione pertinaciæ, quæ in hoc peccato continetur. Audiamus Iudæos Chriſtum blaſphemantes. Ioan. 8. *Nónne bene dicimus nos*, inquiunt, *quia Samaritanus es & dæmonium habes*? q. d. certi ſumus nec aliud nobis perſuaderi patimur, nec aliud doceri volumus. Ideoque *tulerunt lapides, vt iacerent in eum.* In quem locum S. Auguſtinus ait: *Tanta duritia quò curreret niſi ad ſimiles*: Lapides erant, & lapides ſuſtulerunt. Audiamus Iulianum Apoſtatam, inuiſibili telo lethaliter vulneratum & ſanguinem è vulnere promanantem verſus cœlum eiaculantem: *Vicisti, Galilæe*, inquit, *vicisti*: Item: *Saturare Nazarene*. Ecce victum ſe à Chriſto profitetur, nec tamen veniam ab eo petit, nec ſe victori ſubiicit. Obſtinatio blaſphemum impediit.

F. V. Ratione difficultatis expiandi. Qvintò, Ratione difficultatis expiandi hoc peccatum. Legimus enim *Matth.* 12. Dominum dixiſſe: *Spiritus blaſphemia non remittetur*; hoc eſt, difficillimè & rariſſimè; quod ex prædictis facilè oſtendi poteſt. Nam primò ipſum authorem gratiæ & veniæ largitorem oppugnat, reiicitque, quod nihil eſt aliud, quàm regem, à quo morti adiudicatus es, conuitiis proſcindere. Quo modo veniam impetres? Nihil eſt aliud, quàm medicum, à quo curandus es, repellere. Quis tibi ſanitatem promittat? Iſthæc nimirum cauſa fuit, cur Dominus in cruce fructum ſuæ crucis, ſalutem ſcilicet, non impertierit vni ex latronibus, quam tamen impertit alteri; quia nimirum ille ſuâ blaſphemiâ repulit à ſe medicum. Sed nec pro tali facilè quis orare audeat, vti dixit Heli 1. Reg. 2. *Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus. Si autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo?* Videretur enim talis non habere zelum honoris diuini, & deberet potiùs cum creaturis omnibus inſurgere contra blaſphemum. Sanè bonus latro inſurrexit, quo modo potuit, contra ſocium blaſphemantem, & redarguit quidem illum, ſed pro illo non eſt auſus Dominum precari. 1.

Secundò, Ea ipſe vituperat blaſphemans, per quæ ſanari & Deo reconciliari debet, paſſionem, ſanguinem, vulnera & ſacramenta Chriſti, quæ ipſum tanti conſtiterunt: bonitatem item & miſericordiam Dei. Has omnes medicinas pedibus conculcat, & in venenum ſibi commutat, dum exſibilat & criminatur. Nónne quodammodò pontem deſtruit, per quem ipſemet tranſire ad cœlum debet? Hinc non rarò, vt blaſphemi abſque omni ſacramentorum remedio abripiantur ex hac vita: quia illa ſe indignos reddiderunt, per eorum contemptum & irreuerentiam: vt impleatur illud Pſ. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* 2.

Tertiò, Ex ſua natura nihil habet blaſphemia, quod veniâ dignum ſit; neque enim ignorantiam, neque infirmitatem poteſt allegare. Ex mera malitia & electione proficiſcitur, quemadmodum peccatum Angelorum lapſorum, qui nequaquam ex ignorantia vel naturæ debilitate, vti Eua & Adam, ſed ex mera electione peccauerunt, adeóque redempti non ſunt à Chriſto: homines redempti ſunt. Adhæc blaſphemia cum furia perpetratur. Quare ſicut canis retibus implicatus difficilè explicari poteſt, quia morſibus impetit liberatorē ſuum: ita & blaſphemus quomodo expectet remiſſionem à Deo, in quem dentes ſuos acuit? Quæ etiam cauſa fuiſſe videtur, cur Dominus in cruce blaſphemantem latronem non emendârit, & ſeruarit à gehenna. Canis intricatus erat, mordens liberatorem. 3.

Quartò, Duritiam cordis ferè annexam habet; vnde non recipit medelam. 4.

Addidit Chriſtus blaſphemiam in Spiritum ſanctum non remittendam, neque in hoc, neque in altero ſæculo; hoc eſt, puniendam hîc & ibi; id quod plurimis exemplis doceri poteſt. Sufficiat nunc vnum & alterum. *Villenoua in prouincia Vinarienſi moritur anno* 1613. *Notarius quidam publicus Caluinianus, qui Sacerdotes pro defunctis, dum ad ſepulchrum deferrentur, pſallentes blaſphemè irridere, ac rudentibus aſinis æquiparare conſueuerat. Hic cùm effertur, ecce apparet magnus aſinus*

aſinus coloris fuſci, qui nullâ ratione abigi poteſt, quantumcunque id iubeat Miniſter, quoq; vnde venerit, aut cuius fuerit, nemo ſcit; is quidem circa mortui cadauer horrendum in modum rudens, ac ſepulchrum eius aliquoties circumiens: qui dæmon eos, qui funus erant comitati, ad defuncti domum redeuntes ſecutus euaneſcit. Refert Gualterius ſæculo 17. pag. 821.

Quidam alius ad turpem concubinatum Iudæam fœminam pellexerat, quam cum aliquando ad infauſtum torum vi minisque compuliſſet, prouectâ nocte cœlum tonitru concuti, tremiſcere terra denſaſq; inter tenebras micare ignes, & per feneſtrarum rimas infundi, vt ferirent oculos animoſq; adulterorum. Cadit intereà largiſſimus imber, cum grandi grandine crepitante ſuper tectum. Hic mulier ſubito pauore correpta: Virgo inquit, Maria fer opem, tuere me, obſecro. Ait vir ferox & impius mediam complexus, tace ſis ſtulta, ſcilicet auxilium vllum ferre poteſt Maria. Abſcidit extremam vocem, fulmen ſubitum, quod intonuit, & adhuc loquentem euellit ab amplexu mulierculæ, quatuorq; aut quinque paſſus eiecit extra lectum, & flamma concipit arida nutrimenta, ſurgit mulier perterrita, miſerum inclamat, excitat, peruellit, nempe metu exanimatum, non exanimem putabat, &c. Tandem reperiunt hominem hiante ore, ſine vllis dentibus, ſine lingua, omnia prætereà membra ita ſoluta & fluxa, vt vel leuiter contrectata manum ſequerentur. Refert Ioan. Peretyus in Turri Bab. c. 6. ex Franciſco Benzio in in ann. 1588. In vita S. Ioan. Chryſoſtomi narratur, cum Chryſoſtomus laudaret SS. Trinitatem, quæ nobis ſuppeditat annuos fructus, reſpondiſſe ei Anthemium: *Non Chriſtus, ſed elementa mundi ſuis temporibus eos producunt deorum prouidentia.* Nondum finem acceperat eius ſermo, cùm maligno ſpiritu poſſeſſus, & terræ alliſus, miſerè iacebat rugiens, lacrymarum & timoris ſimul cauſa iis qui aderant, peruertens quidem oculos, ſtridens autem dentibus, ſpumam verò ex ore turpiſſimè expuens. S. Gregorius Turon. *l. 4. hiſt Franc.* 16. ſimile recenſet. *Leo*, inquit, *quidam Pictauienſis, qui iuxta nomen ſuum tanquam leo erat, in omni cupiditate ſæuiſſimus, fertur quadam vice dixiſſe, quòd Martinus & Martialis Confeſſores Domini nihil fiſci viribus vtile reliquiſſent: ſed ſtatim percuſſus à virtute Confeſſorum, ſurdus & mutus effectus, amens eſt mortuus. Venit enim miſer ad baſilicam S. Martini Turonos, celebrauitq; vigilias, dedit munera; ſed non eum reſpexit virtus conſueta: cum ipſa enim qua venerat infirmitate, regreſſus eſt.*

CONCIO IV.

Cur fugiendum ſit temerarium iudicium.

1. 2. *Quia non videmus aliorum corda nec ſumus eorum iudices.*
3. *Quia fortè & nos aliquando rei.*
4. *Quia videmur noſipſos reos prodere.*
5. *Si induti alienis vitiis eſſemus, non tanta apparerent.*
6. 7. *Quia grauis eſt iudicantium pœna; & non iudicantium præmium.*

THEMA.

Ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Matth. 9.

MIrum eſt, Auditores, quòd tam proni ſimus ad iudicandos & condemnandos alios in cogitatione noſtrâ: cùm tamen ad actum iudicandi & condemnandi exteriorem & executiorium difficulter procedamus. A.
Quis enim neſcit, quàm inuiti condemnent capitis reum Iudices, virgamque ſuper ipſo frangant? quàm ægrè adſtipulentur Aſſeſſores ac Senatores? Et nos ſi ſententiam in reos capitis dicere deberemus, non dubito, quin omnes, licèt earum maleficia nobis conſtarent, eos abſolueremus, & parata ſcelera ſi non excuſaremus, ſaltem euitaremus. Et quis noſtrûm poſſet reum rogo adiudicatum impellere in ignem? quis in præcipitium? Et tamen interim in tribunali mentis noſtræ tam faciles & proni ſumus ad condemnandos proximos, etiam non conuictos, vt nihil ſit nobis communius. Quo quidem noſtro iudicio nihil aliud agimus, quàm quòd fratres noſtros pœnæ ignis adiudicemus, ſiue purgatorij, ſiue ipſius Tartari, quantum in nobis eſt. Quæ cauſa eſt, cur Dominus in hodierno Euangelio clamet contra nos. *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris*? q. d. vt quid vos homunciones ſuggeritis clàm Deo, vt condemnet fratres veſtros? *Quouſque irruitis in hominem? interficitis vniuerſi vos?* Pſal. 61. Quare ne huiuſmodi ſanguinarij Iudices, imò carnifices fiamus, audiemus rationes, quæ nos deterrere à temerario iudicio debent.

B.

I. *Quia non videmus aliorum corda.*

PRIMVM, Quod nos deterrere debet, eſt, quòd non videamus aliorum corda & intentiones. Has autem niſi videamus, non poſſumus iudicare de externa actione, quia eius bonitas vel malitia ab intentione pendet. Apelles ſuas picturas in publico proponebat, vt tranſeuntium iudicia audiret, cumque aliquando Sutor tranſiens carperet quid in calceis imaginis, patienter id quidem tulit, ſed cùm is pergeret etiam in crure aliquid cauillari, proſiliit Apelles, &c: *Ne ſutor vltra crepidam*, inquit, *iudicet*. Plin. *l. 35. c.* 10. Nos de externis & ſenſui ſubiectis rebus tantùm & de his quidem vix iudicium ferre poſſumus: ſolus Deus intuetur cor: ergo ne tu vltra crepidam, ne ſupra ea, quæ foris patent, iudicare præſumas. Vides enim opus, neſcis intentionem; vnde facilè errabis, v. g. Vides aliquem tardiùs ingredi in templum, & mox iudicas eundem dormiiſſe vſque ad octauam. Sed quid ſi mediam noctem vel ampliùs in laboribus conſumpſiſſet? Videmus alium è templo egredi poſt concionem, indeque ſtatim colligis negligere eum Miſſam? ſed quid ſi priùs iam miſſam audiiſſet? Vides alium in foro pullos ſibi emere, & mox iudicium fers, hominem delitiis & gulæ deditum eſſe. Sed quid ſi infirmus ſit, & hoc pabulo indigeat? Vides alium in facie rubedinem contraxiſſe, inde mox ebrioſum ſomnias. Sed quid ſi

 rubor

Digitized by Google

rubor ille alio de fonte, velut ex inflammato hepate abſque vllâ hominis culpâ prodeat? Rurſum vetantur aliqui Religioſi barbam alere, alij abſcindere, vtrique ob certas cauſas; num tu hos vel alios taxabis? Videamus exempla Scripturæ. Vidit Aſſuerus Aman corruiſſe ſuper lectulum reginæ; indeque iudicauit, velle eum reginæ vim inferre; ſed grauiter in hoc deceptus eſt. ſupplicare voluit Aman reginæ, non afferre vim, *Eſth.* 7. Vidit Heli Sacerdos Annam labia mouentem, non audit orantem; inde mox coniecit eſſe temulentam, & ipſe fœdè aberrans; orabat enim Anna ſuppreſſâ voce, mulier ſancta & ſobria, nequaquam temulenta; 1. *Reg.* 1. Viderunt Melitenſes viperam adhærere manui Pauli, inde mox clamârunt eum homicidam eſſe; ſed vaniſſimo commento. Vbi Paulus excuſſit viperam ſine læſione, Deum exclamârunt, *Actor.* 28. Vidit S. Henricus Imp. per triduum egredi è thalamo coniugis Cunegundis aliquem ſpecie militis, vnde ſuſpicatus eſſe amaſium, ſuſpectam habere coniugem cœpit; ſed deluſum ſe à dæmone deprehendit, qui ſpeciem militis præ ſe tulerat, vt coniugis virginitatem infamiæ notâ aſpergeret. *Ephrem vir memorabilis* (ſcribit Amphilochius in vita S. Baſilij apud Sur. menſe Ianuario) *cùm eſſet eremi cultor, quodam ſancti Spiritûs edoctus lumine, vidit hominem Baſilij amantem, eumq; percontatus, cognouit ex illo admiranda illius ſancti viri opera. Itaque ſine intermiſſione petiit ſibi à Deo reuelari, cuiuſmodi eſſet Magnus Baſilius. Vidit ergo in ecſtaſi columnam ignis, cuius vertex attingebat cœlum, vocemq; supernè allatam audiuit: Ephrem, Ephrem, columna ignis, quam vidiſti, Magnus Baſilius eſt. Mox igitur adhibito ſibi interprete) neſciebat enim Græcè) venit ad magnam eccleſiam celeberrimæ vrbis Cæſareæ, ipſâ ſancta Theophania ſacrâ ſolemnitate, & ingreſſus clanculò, conſpexit Magnum Baſilium in eccleſiam procedentem, aitq; ſocio ſuo: Fruſtrà nos, opinor, mi frater, laborem hunc ſuſcepimus. Hic namque cùm tali ſit ordine conſtitutus, non eſt quemadmodum per viſum didici. Cernebat enim eum indutum ſtola candida, clerumq; ſacrum, qui iuxta illum erat, candidis amictum veſtibus. Baſilio autem procedente, ille ſtans in loco templi ſecreto, deſperabat viſionis ipſi oſtenſæ veritatem, ita ſecum dicens: Nos, qui portauimus pondus diei & æſtus, nihil conſecuti ſumus: & hic tantis ſtipatus turbis, tantaq; præditus dignitate, ignis columna eſt? id mihi quidem prodigioſum videtur. Eo igitur talia ſecum agitante, ſanctus Epiſcopus mittit ad eum ſuum Archidiaconum, dicens illi: Abi ad portam, quæ reſpicit Occidentem, & illic in angulo templi inuenies Abbatem opertum cucullo, & cum eo alium quendā barbatulum ſtaturâ humili: & cætera addidit, quæ ad eius vultum pertinerent: dicesq; ei: Velis ingredi in preſbyterium: vocat enim te pater tuus Archiepiſcopus. Beatus Ephrem vt per interpretem cognouit, quæ dicebantur, reſpondit: Erras, frater: nos enim peregrini ſumus. Abiens ergo Archidiaconus, retulit hæc ad virum ſanctum. Intereà illo legente ſacros codices, vidit S. Ephrem linguam igneam, loquentem per os eius. Ruſuſq; vir beatus dicit Archidiacono: Vade, & dic ei: Domine Ephrem, velis te intrò recipere in S. preſbyterium. Obſtupeſcens autē S. Ephrem ad viſionem, dedit gloriam Deo, & flexo poplite ait, verè magnus Baſilius, verè columna ignis Baſilius, reuerà Spiritus ſanctus loquitur per os eius.* Errare igitur & ſancti in hoc iudicio poſſunt.

Denique virtus in medio, in quodam indiuiſibili quaſi conſiſtit; vnde facilè contingit, vt me alius prodigum, alius iudicet auarum; quia ſicuti cùm aromata librantur, ſemper lanx vel nimis eleuatur, vel nimis deprimitur, & difficulter inuenitur medium; ita fit in iudicio, quo aliorum virtutes ponderantur. Grandis ſimilitudo eſt inter triticum & zizania, dum adhuc in germine ſunt; ideò vetuit Dominus zizania euelli, quia non facilè diſcernuntur.

C.
II.
Quia non ſumus aliorum Iudices.

SECVNDVM, Quòd tu non ſis Iudex illius. Id obiiciebat Moyſi Hebræus ille Exod. 2. *Quis conſtituit te Principem & Iudicem ſuper nos?* Item Apoſt. ad Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit.* Similiter Iacobus cap. 4. *Tu autem quis es, qui iudicas proximum tuum*; Pater ipſe *non iudicat, ſed omne iudicium dedit filio*, Ioan. 5. Dum ergo tu iudicas, Chriſto ſceptrum eripis, & te iudicem ac regulam æquitatis conſtituis, & perinde agis, acſi pars vna ferre ſententiam vellet ante iudicem pro ſuo humore & placito. Graue vi que delictum committeres, ſi in Principis aut Epiſcopi alicuius iuriſdictionem inuolares, ſiue in alieno territorio ius diceres; quantò igitur grauius erit eripere iuriſdictionem Deo & ſibi arrogare? Legimus certè in Vitis SS. PP. queſtum hac de re aliquando Deum. Cùm enim quidam Eremicola in temerarium iudicium ex falſis indiciis, quæ aut viderat vel audierat, prolapſus eſſet, audiuit ſubitò vocem ex alto dicentem ſibi: *Homines mihi rebelles facti in meam iuriſdictionem perditè inuolarunt.* Terribile etiam exemplum referunt Vitæ PP. *libro* 5. *libello* 9. & Dorotheus *ſerm.* 6. *de monacho*; qui cùm audiſſet quendam in peccatum fornicationis lapſum obiiſſe, mox eum condemnauit ſine vlteriori examine. Verùm paulò pòſt apparuit ei Angelus cum anima illius defuncti, dicens: *Vbi iubes, vt mittam fratrem illum culpabilem, quem addixiſti?* mox ille: *Peccaui; ignoſce mihi.* Cui Angelus: *Surge, ignoſcit tibi Deus, ſed vide, ne de cætero adiudices quemquam, priuſquam Deus adiudicet eum.*

D.
III.
Quia forte & nos aliquando rei.

TERTIVM, Quod in alio carpis, id fortaſſe in te quoque eſt, vel fuit aliquando, aut erit, eſſéne poterit: atque adeo teipſum condemnas, & inſtar Perilli taurum tibi ipſi fabricas. Vnde Seneca *libro* 7. *de benef.* ait: *Fortaſſe vitium, de quo quereris, in ſinu inuenies, ſi te diligenter excuſſeris* (Villeicht haltzt ein Eſel den andern Langohr) *vt meritò in tuum ipſius ſinum inſpuere poſſis ac debeas, & quoties de alio ſuccurrit improba cogitatio, dices: hæc & ipſe commiſi.* hæc gentiils ille. hoc medio coërcuit à prauo iudicio Phariſæos Dominus, *Ioan.* 8. ſcribendo in terram; ita vt vnus poſt vnum omnes exirent, S. Ambroſius putat *ep.* 67. ſcripſiſſe id Matth. 7. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabē autē in oculo tuo non vides?* Alij putant ſcripſiſſe idē quod dicebat: *Qui ſine peccato eſt veſtrū, primus in illam*

illum lapidem mittat. Alij teſte Carthuſiano ſcripſiſſe: *Tria iudicat terram*. Igitur efficaciſſimum medium contra iudicium temerarium putauit Chriſtus eſſe cognoſcere proprios defectus. Hinc Moyſes Abbas è deſerto accerſitus à cuiuſdam monaſterij præpoſitis, ad ſententiam dicendam in fratrem, qui peccauerat, venit ſaccum arenæ plenum in tergo baiulans: & rogatus quid portaret; *Peccata ſua*, dicebat, *quæ ipſe vix ferre valeret, nedum aliena iudicare*. Quo audito remiſſum eſt fratri delictum, apud Marulũ l. 5. c. 12. Quare ſi hoc ipſum obſeruarent homines, vnus etiam poſt vnum exiret, nec facilè quiuis de proximo iudicaret: quemadmodum & Alexander M. cùm intellexiſſet à Dionide Pirata, quòd ipſemet longè maior prædo eſſet, eum vitâ donauit, & liberum dimiſit. Caſſianus *l. 5. de Inſtit. renunc. c.* 30. narrat Machatem virum ſanctum, ſed ſeueri nimis & ſuſpicacis iudicij, ita à Deo punitum & correctum fuiſſe: *Machates*, inquit Caſſianus, *cùm inſtitueret, nos neminem diiudicare debere, intulit tria fuiſſe, in quibus diſcuſſerit vel reprehenderit fratres. Primò, quòd vuam* (morbi ſpecies & pellicula in faucibus effecta eſt) *ſibi nonnulli paterentur abſcindi. Secundò, quòd haberent in cellulis ſagum. Tertiò, quòd oleum benedicentes ſæcularibus expoſcentibus darent: vnde iuſto Dei iudicio hæc omnia ſe incurriſſe dicebat. Nã ægritudinem vuæ contrahens & tabeſcens, coactus ſum, ait, eam abſcindi permittere. Cuius etiam infirmitatis obtentu, ſagum quoq; habere coactus ſum; oleum etiam benedicere & ſupplicantibus dare, cùm alia ratione eorum importunas preces euadere non poſſem.* Vnde concludit: *Quibus mihi manifeſtè compertum eſt, ijſdem cauſis ac vitiis monachũ obligari, in quibus de aliis iudicare præſumpſerit.*

F.
IV.
Quia videmur noſipſos reos prodere.

QVARTVM, Quòd videaris teipſum prodere, te ſimili vitio laborare. Vnde Eccleſiaſtes cap. 10. ait: *In via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat*. Sic enim furioſi omnes putant furere, ideoq; omnes vocant *ſtultos*, eoſque irrident, quaſi ipſis ſtultiores. Et qui aſſiduè inebriatur, non putant alios abſtinentes ſemper & ſobrios eſſe poſſe. Qui ſcortationibus operam dat, neminem poſſe continentem eſſe putat. Qui vſuris, rapinis & furtis, omnes cauillatur quaſi rapaces & iniuſta bona poſſidentes. Qui enim, quæſo, ſunt illi, qui vitam cælibem impoſſibilem dicunt, niſi ſcortatores & adulteri? *Vt enim corpora*, ait Dorotheus doctrinâ 16. *melancholica & mali humoris, quidquid cibi ſumpſerint, illud in choleram conuertunt: ſic anima malè diſpoſita vnaque res, quamuis bona & vtilis, ſuo vitio nocet*. Nimirum palato corrupto etiam optimi cibi deſipiunt. Solis radij ingredientes per feneſtram pictam variis coloribus colores varios repræſentant: ſic & facta proximi iudicamus pro affectu noſtro. In fabulis etiam aſinus iudicauit meliorem eſſe cantum cuculi, quàm philomelæ; quoniam & ipſe abſurdæ vocis eſt. **Es ſucht keiner den andren hinder dem Oſen / er ſey dann ſelb dar hinder geweſen.** Contrà S. Ioſeph videns vterum ſponſæ intumeſcere, nihil temerè iudicauit: ſed ſuſpendit iudicium, quia nimirum ipſe quoque iuſtus erat.

Et hoc eſt, ni fallor, quod voluit dicere Salomon Eccleſiaſtes c. 10. *Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius*. Tametſi enim ſecundum naturam cor in vno homine eandem quam in altero ſedem habet; dicitur tamen cor ſapientis in dextra, quia omnia proximi geſta in bonam partem capit: cor ſtulti in ſiniſtra, quia omnia in ſiniſtram [illegible] deteriorem rapit. Vnde id explicans mox ſubiungit: *Sed & in via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat*. Cor in dextera habuit S. Bernardus de Quintauelle, ſocius S. Franciſci, videns enim ſordidè veſtitum, dicebat ſibi: *Hic patientiùs paupertatem tolerat quàm tu*. Videns pretioſè veſtitum aiebat: *Hic fortè ſub veſte delicatâ melior eſt quàm tu ſub tunicâ rudi*. Bonau. in vita S. Franciſci cap. 7.

F.
V.
Si iiſdem vitiis obnoxij eſſemus, nõ tanta apparerent.

QVINTVM, Si te indueres alienis vitiis, non tanta apparerent: ſicut maculam vel vitium in propriâ veſte non ita aduertis, vti in aliena. Achab Rex bene aduertebat in alio peccatum, quo is commiſſum ſibi virum perdiderat, ſed in ſeipſo id non agnouit, 3. *Reg.* 20. Similiter & Dauid cùm audiit, à diuite quodam ereptam eſſe pauperi ouiculam, ſtatim exclamauit: *Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc*. At hoc ipſum facinus in ſe minimè agnouit, qui non ouem ſed vxorem abſtulerat Vriæ, 2. *Reg.* 12. Accedunt & Iudæi, qui cùm audiſſent filium patrisfamilias ab agricolis, quibus locata erat vinea illius, interemptum eſſe, mox ſententiam in eos dixêre: *Malos malè perdet, & vineam ſuã locabit aliis agricolis*; vt ſcribit Matth. c. 21. At cùm hanc illorum ſententiam Chriſtus repeteret, vti Marcus ſcribit c. 12. & Luc. 20. atque in ipſos retorqueret, quaſi ſeipſos condemnaſſet; reſponderunt: *Abſit*, vt habet Lucas. antea ergo cùm ignorarent dici in ſe parabolam, condemnârunt reos: poſteà cùm aduerterunt dictam eſſe in ſe, ſeipſos abſoluerunt. Cautè ô Iudæi. Quis enim ſeipſum cædat? Ita nimirum in pari crimine alios damnamus, abſoluimus noſipſos; quia in aliis cernimus, quæ in nobis non aduertimus. Vnde quidam apud Terent. dixit: *Tu ſi hîc ſis, aliter ſentias*. Affectus ferè in cauſa eſt, quod de vno bene, de alio malè ſentias. Saul peſſimè de Dauide ſenſit; Ionathas verò optimè. Diſſenſit à patre filius, quia hic amore, ille odio proſequebatur Dauidem. Ionathas in dextra habuit cor erga Dauidem, Saul in ſiniſtra. Obſeruauit quidam manum dextram aptiorem eſſe ad capiendum & attrahendum: manum verò ſiniſtram ad auerſandum & repellendum. Hoc apparuit in Saule, illud verò in Ionatha. Saul repulit Dauidem, quia cor in ſiniſtra: Ionathas eum attraxit; quia cor in dextera erga Dauidem habuit.

G.
VI.
Quia grauis iudicantium pœna.

SEXTVM, Pœna iudicantium: quia iudicio duriore iudicaberis: nimirum ſicut tu iudicaſti proximum immitiùs. Vnde ad Rom. 2. ait Paulus: *Inexcuſabilis es, ô homo, omnis qui iudicas. In quo enim iudicio iudicas alterũ, teipſum condemnas, eadẽ enim agis quæ iudicas*. Non quidem reſpectu culpę, propriè; ſed reſpectu pœnę: eam enim pœnam ſuſtinebis, cuius alterum reum iudicaueris.

Adul-

Adulterium quem temerè ſuſpicaris? adulteri pœnâ teneris, &c. Sicut *qui prophetam in nomine prophetæ ſuſcipit, mercedem prophetæ accipiet*, Matth. 10. Accomodat ſe Deus iudiciis noſtris: & quâ menſurâ menſi fuerimus aliis, eâdem remetietur & nobis, *Matth.* 7. Sic etiam 3. *Reg.* 20. ait Achab ad prophetam: *Hoc eſt iudicium tuum, quod ipſe decreuiſti.* Scilicet mortis ſupplicium, interim tamen hac ſententia ſeipſum condemnauit: quia id ipſum egerat, quod in propheta condemnauit.

Cromuelus Henrici Angliæ regis VIII. impij impius Conſiliarius legem iniquiſſimam tulit, vt ſiquis etiam abſens atque indictâ causâ læſæ maieſtatis damnaretur, non minùs ritè damnatus haberetur, quàm ſi omnibus adhibitis legitimis formulis per duodecemuirale iudicium condemnatus fuiſſet. Quam legem cùm aduerſus alios à ſe latam arbitraretur, contra ſeipſum tulit. Paulò enim pòſt de perfidia ſuſpectus & delatus, ſecundùm legem ſuam quam tulerat indictâ causâ, iuſſu regis publico ſupplicio crematus eſt. Florim. Remond. *lib.* 6. *de orig. hær. cap.* 4. Quod ergo iſti euenit, hoc meritò timere etiam ij poſſunt, qui alios temerè iudicant. Vitali Monacho de proſtibulo egredienti (quò non libidinis causâ, ſed vt meretrices à turpi quæſtu auocaret, ingreſſus erat) quidam, qui temerè iudicabat eum ſiniſtra intentione ibi fuiſſe, colaphum impegit; ſed illicò propterea à dæmone obſeſſus fuit, donec à Vitale liberaretur.

H. VII. Quia magnum nō iudicantium præmium.

Septimum, Præmium non iudicantium, quia *Matth.* 7. dicitur: *Nolite iudicare & non iudicabimini.* Quantum hoc bonum! Quid non dare debeamus vt effugere iudicium Dei ſeuerum queamus? Nihil opus dare; *nolite iudicare, & non iudicabimini.* In oratione de S. Synaxi, Anaſtaſij Sinaitæ apud Baron. anno 599. refertur de quodam religioſo, qui etſi cæteroquì negligenter vixerat, in mortis tamen articulo lætus & ſecurus erat: licet enim delatus eſſet ei ab angelis liber peccatorum eius; eiſque reſponderet ſe illa agnoſcere tanquam peccata ſua: ſubiunxit tamen, ſe, quamdiu monachus erat, neminem vnquam iudicaſſe, nec iniuriarum meminiſſe: igitur Domini verba ad ſe pertinere debere: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Et: *Dimitte, & dimittetur vobis.* Quæ poſtquam audierunt angeli, chirographum peccatorū eius conſciderunt: iiſque ſe ad Dominum cum ſumma lætitia & ſecuritate proficiſci aiebat, ſicuti & mox abiit. Non ſunt vana Chriſti verba: *Nolite iudicare vt non iudicemini; in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Ad extremum audite S. Bern. ſerm. 4. in cant. *Caue*, inquit, *alienæ conuerſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius iudex. Etiamſi perperam actum quid deprehēdas, nec ſic iudices proximum, magis autem excuſa intentionem, ſi opus non potes. Puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Quòd ſi omnem omninò diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud temetipſum: vehemens fuit tentatio; quid de me illa feciſſet, ſi in me ſimiliter poteſtatem accepiſſet?* Dic cum alio pio monacho apud Dorotheum ſerm. 6. *Is hodie peccauit, ego forsã cras; is ad ſe reuertetur, reſipiſcet, agetq; de commiſſo pœnitentiã: ego forſan non agam, nam ad omne opus bonum piger & lentus ſum.*

CONCIO V.

Cogitationes malas ſine mora repellendas eſſe.

1. *Quia ſunt legati dæmonis.*
2. *Sunt initia peccatorum aliorum.*
3. *Sunt clandeſtina.*
4. *Perturbant Spiritum S. animam, & obſtrepunt Dei auribus.*

THEMA.

Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Matth. 9.

DE Pauone ſcribit Barthol. Anglicus *lib.* 12. *de proprietatibus rerum capite* 31. quòd cùm femella poſuit oua, ea mas perquirat & reperta frangat. Quod mirum ſanè videtur; cùm pauo tam ſpecioſa & innoxia ſit auis. Solet quidem ſcorpio deuorare ſuos fœtus, naturâ ordinante, quia noxia ſunt animalcula. Sed quid commiſit fœtus pauonis vt à patre quæratur ad necem? Nimirum etiam pauo non caret ſuis vitiis, habet enim, vt quidam ait pennas quidem angeli, ſed greſſum furis, caput ſerpentis, & vocem diaboli: proinde ſine iniuriâ quæritur ad necem, & cùm inuenitur, necatur adhuc in ouo vel ab ipſo patre. Eiuſmodi fœtus & oua ſunt cogitationes malæ: quæ quidem angelicam habent ſpeciem & pauonis inſtar expandunt decorem ſuum, eoque cogitantem ſiſtunt detinentque: ſed greſſum interim furis, caput ſerpentis & vocem habent diaboli. Duodecim oua ponit pauo, vt ſcribit Angelicus loco citato: & duodecim mali fœtus prodeunt etiam à malis cogitationibus, teſte Domino apud Marcum cap. 7. dicentem: *Ab intus de corde hominum malæ cogitationes procedunt: adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritia, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia.* Fœtus ſeu oua iſta gignuntur à phantaſiâ: ſed debet ratio tanquam mas ea perquirere & deprehenſa ſtatim in teſta confringere: iuxta id Pſal. 138. *Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.* Et hoc eſt quod dixit hodie Dominus: *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Mali fœtus, noxia oua ſunt, malæ cogitationes quas in corde veſtro paritis & fouetis, frangendæ & ad petram allidendæ ſunt. Id nunc oſtendemus.

A. Mala cogitatio ſimilis pauoni.

B. I. Quia ſunt Legati dæmonis.

Mala cogitatio PRIMÒ pennas habet angeli. Eſt enim legatus quidam diaboli, per quem explorat & quærit aditum in cor noſtrum, vt ſi illum admittamus, ipſe mox ſubſequatur; & idcirco induit eum ſpecioſè, quaſi omnia honeſta, vtilia & iucunda, nihil verò mali nuntiantem. Vult initio tantùm vt aſpicias pauonis, id eſt, cogitationis ſuauitatem & pulchritudinem, quomodo etiam pauo flabelli ſui explicatione allicit & ſiſtit

ſtit videntem. Sed interim pauo ſub ſpecioſis pennis nigram habet carnem: & ſub cogitatione ſpecioſá latet Æthiops ſeu horror peccati: non aliter vt olim apud Alexandrinos ſub ſpecioſo ſacrario, remotis velis, cernebatur turpis canis aut nigerrimus ſimius; ſiquidem ipſa delectatio voluntaria de cogitatione eſt peccatum, in ſæpe mortiferum, cùm ſcilicet & opus quod cogitatur, eſt mortale.

Oua aſpidum ſunt cogitationes malæ, quæ ſi vel foueantur, perimunt venenoſo, quem ſpirant, odore; non tantú fœtu prodeunte. Sic enim *Iſai.* 59. dicitur: *Oua aſpidum ruperunt: qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum eſt, erumpet in regulum.* Oua aſpidum foris pulchra apparent, vt notat Vegas in c 6 Apoc. intùs plena ſunt veneno. Tales etiam malæ cogitationes ſunt, quibus ſi inhærendo inſideas, ſicque ea fouendo per complacentiam rumpas, & per conſenſum, ſiue in opus, ſiue in delectationem, comedas, morieris, (ſi res ipſa, de qua cogitas, eſt mortalis) quia peccatum mortiferum admittes; cùm delectatio illa induat conditionem operis turpis, de quo cogitans delectatur: ſicut ouum aſpidis iam habet venenum aſpidis. Sic hoſtis Chriſtianorum eſt, non tantùm qui Turcam adiuuat pugnando; ſed etiam qui arma illi cudit, commeatum præbet, &c. Quantumcunque igitur blandæ appareant, ne immoréris illis, neque eas in cor admittas. Imitare hœdum illum fabuloſum, qui capriſſante præ foribus ſtabuli lupo, & matrem ſimulante, iubenteque vt aperiret, tenuit dicens: *Licet vox capriſſet, per rimas tamen ego lupũ video.* Cùm adhuc in phantaſia ſunt cogitationes, ſtant præ foribus: pulſant verò in corde, cùm conſenſum voluntatis ad delectationem ſaltem petunt: intrant cor, cùm conſenſeris ſiue in delectationem, ſiue in ipſum opus. Quæ verò inſania eſt, admittere in cor diabolum, & cor illi ſuum vendere pro imaginaria vnius cogitationis delectatione? Turpiſſimus & ſtultiſſimus mercator fuit Iudas, quando pro 30. argenteis authorem vitæ magiſtrum ſuum vendidit: ſed tamen aliquid ſunt triginta argentei. Quid verò eſt, vnica imaginaria delectatio? Somnium eſt, phantaſma eſt, nihil eſt. Turpior ergo & ſtolidior eſt mercator, qui pro tam inani & modicà cogitationis illecebrâ Deum ſuum & cum illo ſalutem ſuam vendit. Quis in inferno infelicior illo, qui ob ſolas cogitationum illecebras damnatus eſt? Quis illo fure ſuſpendendo, qui furibus operam nauauit, ſolâ ſpe prædæ ab iis lactatus?

SECVNDÒ, Caput habet ſerpentis, quia
C. II. Quia ſunt initia peccatorum aliorum. eſt initium & ſemen aliorum peccatorum, verborum, operum. Vt enim ſerpens vbi caput inſerit, mox toto corpore ingreditur, nec facilè retrahi ab ingreſſu poteſt; & rurſum quando mordet hominem, mox per totum corpus eius ſpargit venenum: ſic vbi praua cogitatio non repellitur ab initio, citò totum hominem inficit. Hinc Deus dixit ſerpenti, conterendum ab Eua caput illius. *Caput* autem *ſerpentis conterimus,* inquit Gregorius libro 1. moral. cap. 38. *cùm initia tentationis extirpamus.* Et S. Auguſtinus in Pſalm. 48. & 103. *Si diabolus* inquit, *tecum calcaneum obſeruat, tu caput illius obſerua. Caput illius eſt, initium malæ ſuggeſtionis: quando incipit mala ſuggerere, tunc repelle, antequam ſurgat delectatio & ſequatur conſenſus.* Etenim ſi caput inſeruit mala cogitatio, ita vt delectationem pariat, difficilè corrigitur, & facilè ad conſenſum trahit. Audiatur Sanctus Gregorius l. 4. moral. *Facile eſt peruerſa opera vitare,* inquit, *ſed nimis difficile eſt, ab illicitâ cogitatione mentem reuocare.* Quàm citò pertraxit diabolicus ille ſerpens primos parentes noſtros in peccatum, & quidem multiplex? Et quomodo id effecit? vnicâ ſuggeſtione, quæ, quia placere cœpit Euæ, inde curioſitatem illi iniecit vt cum ſerpente ſermocinaretur: & ſtatim pellecta eſt vt viro ſuo vetitum fructum porrigeret, eumque ad comeſtionem incitaret. Quòd ſi cum ſerpente ſermonem non miſcuiſſet & in aſpectu pomi delectata non eſſet, adeoque ſi tunc caput ſerpenti contriuiſſet: eò maiorum non deueniſſet ipſa & vir illius, qui vxori vehementer amatæ facilè credulus & obſequens (vt ſolent amantes) facili negotio ſeductus eſt. Id quod fit etiamnum quotidie. Serpens diabolicus ſuggerit Euæ, id eſt, carni cogitationem, mouendo imaginationem. Caro ſenſuali delectatione illecta & irretita facilè ad aſſenſum trahit ſpiritum, vtpote coniugem chariſſimum: atque ita vbi tres iſti conſpirant, dæmon, caro, ſpiritus, nihil non malorum perpetrant. Ita fit, quod eſt in fabula, qua ruſticus colubrum frigore rigentem, calefacturus domum tulit ad fornacem: is, vbi incaluit, virus cum viribus reſumpſit, totamque deinde domum infecit. Conterendum ergo caput ſerpentis, niſi perire quis malit. Pro miraculo habuere Barbari, & dicebant Paulum eſſe Deum, cùm viderunt è manun illius pendentem viperam, quæ irruerat in ipſum, ſine ipſius læſione; putabant enim ſubitò caſurum & moriturum: cùm tamen Apoſtolus ſine noxâ excuſſerit beſtiam in ignem, *Actor.* 28. Deus igitur videtur & non homo, qui cogitationum malarum delectatione detentus, mortem peccati non incurrit, miraculum eſt, ſi non pereat. Hinc ergo Chriſtus vbi aduertit cogitationes malas intrare in cor alicuius, mox remedium adhibere eaſque eximere ſtuduit, vti *Luc.* 5. è corde Scribarum & Phariſæorum in hodierno Euangelio: rurſum *Luc.* 5. è corde Phariſæi, dicentis in corde ſuo: *Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtique qua & qualis eſt iſta mulier.* Mox enim viperam hanc ab eo excuſſit, proponendo illi parabolam, quâ inſtrueretur. Iterum *Luc.* 9. quando intrauit cogitatio in corda diſcipulorum: quis eorum videretur eſſe maior; illicò enim apprehendit paruulum & ſtatuit eum in medio eorum, vt inde humilitatem diſcerent. Quare ſicut in horto niſi ſemen ipſum erucarum in braſſicâ relictum ſtatim extirpetur, ſed ſi relinquatur, innumeræ mox generantur erucæ, ita vt extirpari ampliùs nequeant: ſic niſi malæ cogitationes perimantur, antequam

in

in delectationem trahant ſpiritum. *Quod radix arboris eſt*, inquit S. Greg. l. 12. moral. cap. 22. *hoc cuique hominum cogitatio ſua eſt*. Quemadmodum ergo viuens radix paulò pòſt profert germina, folia, flores, fructus: Sic & mala cogitatio, cùm per delectationem viuere permittitur, parit praua ad peccandum conſilia, deinde verba turpia, denique opera. Ruſtici cùm vulpeculæ nidum deprehendunt, fœtus illius perimunt, quia pòſt difficilè capiuntur. Sic faciendum cogitationibus. Vnde *Cant.* 2. dicitur: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Hoc ipſum accuratiùs explicare licet infelici Abſalonis lapſu. Nutriebat is capillos ſuos magnâ ambitione. Deinde permittente Deo, ingreſſus ſubter quercum implicatus ramo, per capillos adhæſit quercui. Quo intellecto Ioab infixit tres lanceas in cor illius & depoſitum obruit lapidibus, 2. *Reg.* 14. & 18. Capilli cogitationes denotant, quæ ſi nutriantur & cum delectatione foueantur, implicant affectum hominis cum perituris bonis, ita vt in iis ſuſpenſus hæreat, nihilque aliud cogitet. Quis dicat auarum non teneri ſuſpenſum à pecuniâ? ambitioſum à dignitate? laſciuum à pellice? Et quibus niſi cogitationum ſuarum funibus conſtringuntur? *Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, Matth. 6. accedit liberè dæmon, & infigit in cor hominis eiuſmodi tres illas lanceas, quas Ioannes appellat, concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ, 1. *Ioan.* 2. Tandemque obruit eum peccatorum cumulus, veluti lapidibus, cùm in conſuetudenem & obſtinationem pertrahit. Itaque tempeſtiuè tondendi ſunt capilli malarum cogitationum.

D. III. Quia ſunt clandeſtinæ.

Tertiò, Greſſum habet furis, quia vti pauo ſenſim & occulto paſſu greditur: ſic etiam cogitatio, quæ, quia tota intùs perficitur in cordis cubiculo, & tota ſpiritualis eſt, à multis ſæpe non deprehenditur, atque ita ſæpe ingentes ſtrages in anima facit, antequam fur eſſe deprehendatur. Et hi ſunt illi latrunculi, qui latenter & occultè perque exiguum foramen cor hominis inuadunt, ſpoliant & necant: figurati in latrunculis Syriæ, 4. *Reg.* 5. qui egreſſi captiuam duxerant puellam paruulam de terra Iſraël. Cogitationes enim malæ, quia in occulto gradiuntur, nec facilè apparet earum malignitas, facilè ingrediuntur cubile cordis, & ſubtiliſſimis aſſenſibus (ſiue tacitis ſiue expreſſis) animam illaqueant & victam de ſtatu gratiæ in dæmonis captiuitatem abducunt. Locutiones & opera externa, quaſi funes ſunt, in quibus nodus facilè deprehenditur, facilè etiam ſoluitur. Quis enim non aduertat ſe peccare, cùm blaſphemat, cùm ſcortatur, &c. Sed cogitationum aſſenſus toti intùs & ſubtiles ſunt: in quibus veluti in filo tenui ſerico nodus vix deprehenditur & difficulter ſoluitur. Quàm noxius & ſubtilis, putatis, eſt funis ille, de quo Saluator, *Matth.* 5. ait: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo?* Certè funem & furem illum non deprehenderant omnes Phariſæi & legiſperiti, antequam oſtenderet eis Dominus. Et quàm multi etiamnum, poſtquam indicauit Chriſtus, non deprehendunt, vel potiùs nolunt deprehendere, quàm ſubtilis fur? ſuſpicio? temerarium iudicium? contemptus proximi? Quàm parum autem hi fures & nodi deprehendantur, apparet in confeſſione, vbi pauciſſima talia afferuntur peccata, quibus tamen nihil facilius & communius. O miſeram animam, quæ à talibus capitur latrunculis! Verè enim dicere poteſt illud Prou. 23. *Verberauerunt me, ſed nō dolui, traxerunt me & ego non ſenſi.*

Quin etiam viri aliàs boni, docti & oculati ſæpe his nodis irretiuntur, nec tamen eos deprehendunt, aut illis ſe extricant. Exemplum refert Jordan. à Saxonia *l. 3. de comm. ſpirit. c.* 30. de fratre ſibi noto, ſingularis vitæ, qui mortuus poſt annum apparuit cuidam viro pio, & dixit ſe eouſque in atrociſſimis fuiſſe tormentis tantùm ob cogitationes prauas, quibus ſæpe in mente inquinabatur, quaſque per pœnitentiam non diluerat. Tametſi verò hi fures non aduertuntur ſæpe ab hominibus, aduertuntur tamen à Deo, qui omnes eorum greſſus numerat. Audi Sapientem Prouerb. 6. *Quare ſeduceris fili mi ab aliena & foueris in ſinu alterius? reſpicit Dominus vias hominis & omnes greſſus eius conſiderat. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Nónne hodierno in Euangelio detexit Dominus cogitationes Scribarum? Vah quomodo confundentur ij, qui peruerſas, fœdas & impias agitant cogitationes, in iudicio, cùm à Deo detegentur & omnibus manifeſtabuntur? ſi enim illæ nunc coram paucis tantùm reuelarentur hominibus, quantum confunderentur? Argumento eſt Fr. Leonardus ſocius S. Franciſci: qui cùm aliquando pedes comitaretur patrem ſuum Franciſcum aſello vectum, cogitaretque intra ſe, quantis olim paſſibus præiuerit genere & nobilitate Franciſcum, quem nunc equitem ipſe pedes comitaretur; Franciſcus Spiritu ſancto edoctus vidit hanc ſocij cogitationem in tumorem aſſurgentem, moxque aſello diſiliens, ſe illi aſellum cedere dixit, ſeque potiùs pedibus iter facturum, eò quòd obſcuriori loco natus eſſet. Quare adeò eſt confuſus frater, vt ad pedes eius acciderit, veniam precatus. Bonauent. in vita S. Franciſci. Quæ igitur confuſio apprehendet eos in iudicio, qui fœdiſſimas & iniquiſſimas perpetuò moliuntur cogitationes, per quas, vt ait S. Iob *cap.* 19. latrunculi faciunt ſibi viam & obſident in gyro tabernaculum eorum?

E. IV. Quia perturbant.

Qvartò, Sed quomodo vocem diaboli mala cogitatio habet? Terribilem emiſit vocem ſuperbus ille pauo, diabolus, quâ cœlum omne turbauit, Dei offendit aures, & omnes cœli incolas terrefecit, cùm clamauit: *Conſcendam cœlum, & ſimilis ero Altiſſimo.* Inde enim cæleſtis harmonia perturbata eſt: omnes angeli boni ad arma cucurrêre & contra Luciferum pugnauêre. Eiuſmodi etiam vox eſt mala cogitatio, quia per eam diabolus vult conſcendere in cor tuum & Deum inde eiicere. Perturbat ergo Primò quieſcentem ibi Spiritum S. ſicut 1. *Spiritum ſanctum.*

ſicut latratus canis infeſtat tandemq; expellit è latibulo feram; quia per eiuſmodi cogitationis delectationem & complacentiam incipit homo corridere & colludere cum diabolo: quod cùm ſponſus animæ Deus æmulator ferre nequeat: quomodo non infeſtabitur eiuſmodi latratu, tandemq; expelletur? Audi Micheam c. 2. *Væ qui cogitatis inutile*, inquit, *& operamini malum in cubilibus veſtris.* Moxque per enallagen mutans perſonam, quaſi faciem & ſermonem ab eis per indignationem auertens ſubdit: *In luce matutinâ faciunt illud, quoniam contra Deum eſt manus eorum.* Intellige, ſi ad cogitationem accedat operatio voluntatis ſeu voluntaria immoratio; vnde non tantùm dixit: *Væ qui cogitatis*; ſed addidit: *& operamini.* Enimuerò ſi cogitationi prauæ reclames & ſtrenuè reſiſtas, non modò inde non contriſtabitur Spiritus S. ſed magis recreabitur, cùm viderit te fortiter repugnantem proco diabolo. Etenim ſi maritus latens in cubiculo, audiat vxorem ab adultero ſolicitatam, fortiter & conſtanter ei reſiſtentem & nullatenus aſſentiri volentem ac dicentem: Ego marito meo fidem dedi, eandem illi ſeruabo; non poſſum, nec volo facere quod petis, etiamſi domum auro plenam dederis; apage &c. quomodo non ſummoperè placebit marito hæc vxoris reluctatio? quomodo non tandem proſiliet & adulterum expellet? Similiter ſi reclames ſtrenuè contra obſtrepentem cogitationem, delectabis ſponſum tuum, & ipſe mox proſiliet, teque adiuuabit & tentationem diſſipabit. Contrà ſicut *Deut.* 22. puella viro deſponſa, & ab altero conſtuprata, ſi non clamauit cùm eſſet in ciuitate, iubetur lapidibus obrui vnà cum ſtupratore: ſic etiam anima Deo deſponſa, ſi contra malæ cogitationis ſolicitationem non reclamet, non reluctetur, non inuocet Dei auxilium; vt rea adulterij à Deo punietur.

2. *Animam.* Secundo conturbat etiam ipſam animam, vt Spiritûs S. inhabitantis dulcedine & pace cordis frui nequeat. Hoc enim eſt quod Eccleſiaſtes c. 10. ait: *Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti. Quia cogitationes ſuperfluæ*, inquit S. Greg. lib. 18. Moral. c. 25. *quæ aſsiduè in animo carnalia cogitante & naſcuntur & deficiunt, eam ſuauitatem quâ vnuſquiſq; intrinſecùs per ſpiritum vnctus eſt, perdunt: quoniam integritate eius frui non permittunt.* Notandum verò quod dicitur, *muſcæ morientes*; quia vt muſcæ ſi viuæ extrahantur è calice, non pariunt nauſeam: ita ſi cogitationibus reſiſtas, nec aſſentiaris, non offendes. Mortuæ muſcæ nauſeam creant, & tales ſunt cogitationes malæ conſenſu approbatæ.

3. *Obſtrepit Dei auribus.* Deinde mala cogitatio turpiſſimâ ſuâ voce obſtrepit Dei auribus, vt non audiat orationes noſtras, ſacrificia, communionem, concionem, lectionem librorum piorum, &c. imò vt nec ipſi ſæpe nos orantes audiamus; & ita perdit optimam Deoq; gratiſſimam Muſicam, contra id præceptum Eccl. c. 32. *Non impedias muſicam.* Cùm oramus v. g. Muſicam à nobis requirit Deus, ſubmiſſa genua velut Baſſum, eleuatas manus velut Altum, vocem grauem & moderatam velut Tenorem, mentem attentam & in cœlo verſantem velut Diſcantum. Hanc muſicam perdunt malæ cogitationes, & opus inutile reddunt, non ſecùs ac aues garrientes, quas proinde S. Franciſcus cùm orabat, tacere iubebat. Pari modo muſcæ iſtæ perdunt ſuauitatem *vnguenti*, id eſt, deuotionis, vt exponit Innocentius III. ſer. in die cinerum. Cùm Abraham *Gen.* 15. offerret Deo ſacrificium, deſcenderunt volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham. Myſticè: *ſæpe in ipſo orationis ſacrificio*, inquit S. Greg. l. 10. Mor. c. 20. *importunæ ſe cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare valent, quod in nobis Deo flentes immolamus.* Abigendæ igitur ſunt hæ volucres, niſi fructu ſacrificij carere velimus. Non poſſumus efficere, vt nullæ omninò aues importunarum cogitationum ad ſacrificia noſtra aduolent; nec hoc exigitur à nobis: poſſumus tamen ſemper aſſidere & aues illas abigere, ſeu cogitationibus reſiſtere, idque exigitur à nobis & ſufficit.

Quare certet vnuſquiſque ſicut bonus miles, ne patiatur in cor ſuum aduolare volatiles cogitationes, quæ fœdent orationem: frangat oua pauonis priuſquam excludantur, &c.

CONCIO VI.

Ad ſpem quæ erigant puſillanimes.

1. *Supra nos eſt Deus potens ac volens nos iuuare.*
2. *Infra nos deſperationis barathrum.*
3. *Ante nos alij ſimili onere preſſi.*
4. *Retro, bona opera noſtra.*
5. *Extra & circa nos patrocinia Sanctorum.*
6. *Intra nos perturbationes animi, quibus deſperatis Deus maximè adeſſe ſolet.*

THEMA.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9.

DEut. 24. præcepit Deus: *Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam, quia animam ſuam appoſuit tibi.* Myſtico ſenſu ſecundum S. Greg. *lib.* 33. *Mor. c.* 11. mola inferior, quæ quaſi pigra iacet immobilis, timorem: ſuperior verò, quæ mirâ celeritate voluitur & acceptas fruges ad vſum hominum molit ac comminuit ſpem ſignificat. *Spes ad alta ſubeebit*, inquit S. Gregorius, *timor autem cor inferiùs premit; vna mola ſine alterâ inutiliter habetur. Peccatoris ergò in pectore ſemper debent ſpes & formido coniungi; quia incaſſum miſericordiam ſperat, ſi iuſtitiam non timeat; & incaſſum non metuit, qui nõ confidit.* Sed quis eſt, quia aufert à peccatore molam inferiorem vel ſuperiorem? Iſidorus ibidem: *Tollit, inquit, molam ſuperiorem, qui peccatum flenti dicit: Non habebis veniã de commiſsis; tollit inferiorem, qui peccatum palpando dicit: Age mala quantum vis; Deus pius eſt & ad veniam paratus. Vtiliter namq; mola habetur, ſi ſpes ſit cum emen-* *A. Inter ſpem & metum omni Chriſtiano viandum.*

dante formidine; & formido cum ſpe. Sic ille. Quæ cùm ita ſint, nolim ego, Auditores, à vobis vtramuis molam tollere. Nolo vt præſumendo nimiùm confidatis, nolo vt deſperetis, ſed inter vtramque molam & ſperetis & timeatis.
Suprà Domin. 15. poſt Penteceſt. Quia igitur non ita pridem vos admonui molæ inferioris, vt cum timore & tremore ſalutem veſtram operaremini: nunc admonebo molæ ſuperioris, vt bono animo ſitis & in Deo confidatis; quia, vt ait ibidem Gloſſa ordinaria, *qui prædicat peccatori, tantâ diſpenſatione prædicare debet, vt non relictâ ſpe timorem ſubtrahat, nec ſubtractâ ſpe timorem relinquat.* Et certè vtramq; molam reperimus in hodierno Euangelio expreſſam. Nam paralytico ait Dominus: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quis non bene ſperet? Et poſtquam ille ſanatus eſt, *videntes timuerunt turbæ.* Quis non cum illis timeat? Nunc igitur audiamus, quæ hominem etſi deſperabundum ad ſpem erigere debeant.

Multa ſunt, quæ premunt hominem & in barathrum deſperationis poſſunt deijcere. Inprimis onera ſpiritualia, vti difficultas remiſſionis conſequendæ, virtutis addiſcendæ, conſuetudinis ſuperandæ, & perſeuerantiæ. Deinde onera corporalia, vti debita inſolubilia, morbi diuturni & intolerabiles, iniuriæ graues, inopia ineuitabilis, & ſimiles aliæ anxietates. Sed nihil horum frangere debet animos aut à ſpe deijcere. Nam quemadmodum ſuprà diximus habere nos vndique, cur timeamus: ſic vndique etiam habemus, cur bene ſperemus.

B. I. *Supra nos Deus potens iuuare.* Et Primo ſuprà nos eſt Deus qui poteſt ac vult te iuuare in quacunque afflictione, modò & tu velis. Quod poſſit, non negabis; oſtendit enim Dominus in hodierno Euangelio ſe vtrumque poſſe, & peccata dimittere & infirmitates curare, Deoque vnum & alterum æquè facilè eſſe. Et ſi magnum malum, magnus morbus, magnum ſit peccatum tuum; magnus etiam eſt Medicus Chriſtus, de quo *virtus exibat & ſanabat omnes,* vt habetur *Luc. 6.* niſi fortè incredulitas tua obſtet, vti *Marc. 6.* factum. Olim deſpondere animum non poterant infirmi, qui peritiſſimo illi Medico Hypocrati ſiſtebantur. Et ecce pluſquam Hypocrates, pluſquam Galenus, pluſquam omnes orbis Medici Chriſtus.
Ac volens. Quod verò etiam velit, patet ſimiliter ex hodierno Euangelio, vbi dulciſſimis illis verbis erigit paralyticum peccatorem Dominus ad ſpem vtriuſque mali amouendi. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Nam inprimis licet in Deo ſit iuſtitia, non minùs quàm miſericordia, nihilominus operatio ipſius à dextrâ, vt loquuntur Theologi, magis propria: & virtus ad quam ipſe magis propendet, eſt miſericordia, Prophetâ atteſtante Pſ. 144. *Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Idcircò & ab Apoſtolo dicitur *diues in miſericordia,* ad Epheſ. 2. Sicut hic aut ille diues pecorum, alius prædiorum, alius pecuniarum dicitur, quòd his maximè abundet. Vnde Sanctus Bernardus ſerm. 5. de Natiuitate Domini, *Quòd miſereatur, inquit, proprium illi eſt, ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quòd iudicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus.* Vnde Iſaias c. 28. cùm vindictam vocaſſet opus Dei, corrigit ſe quodammodò & vocat *alienum opus eius.* Sic naturalis apum proprietas eſt mellificare, non pungere, quamuis aculeo armatæ ſint; pungere enim non niſi laceſſitæ ſolent. Ac ne tum quidem, cùm punit Deus, miſericordiæ penitùs obliuiſcitur; ſiquidem cum dolore & compaſſione puniredicitur in SS. Literis Geneſ. 8. *Tactus dolore cordis intrinſecùs: delebo,* inquit, *hominem, quem creaui, à facie terræ.* Et Iſaiæ 1. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Sic cùm Dominus Ieroſolymorum excidium vaticinaretur, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, *Luc. 19.* Stultè igitur & falsò dixit Cain deſperabundus: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* In quæ verba: *Abſit, abſit,* ait S. Bernardus ſerm. 11. ſuper Cantic. *Maior eſt enim Dei pietas, quàm quæuis iniquitas.* Infinitè miſericors eſt Deus, qui proinde plus dimittere poteſt quàm tu committere.

Secundo, quia ipſe eſt pater noſter, qui ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit nos, omniaque nobis ſubiecit & ad miniſterium noſtrum præparauit ac diſpoſuit, ipſos etiam Angelos. Qui ergò te tam nobili loco poſuit, num deſerere vult? Diliget vtique Deus opus ſuum, præſertim nobiliſſimum. Qui initium viuendi dedit, an negabit ea, quæ ad vitam conſeruandam & bene ac beatè ducendam pertinent? *Confide* igitur *fili*, quia patrem in cœlo habes, qui tui curam gerit. Quis pater gignit filium, quem poſteà deſerat, & non ſtudeat excolere? *Confide* igitur *fili.* 2.

Tertiò, quia tam caro pretio emit nos, ſanguine ſcilicet ſuo, & vitam potiùs ſuam, quàm animas noſtras perdere voluit. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* ait Apoſtolus ad Roman. 8. *Omnia* ſcilicet, quæ ſpectant ad vocationem, iuſtificationem, glorificationem & ſalutem noſtram, vt nulla aduerſa vel proſpera, nulli hoſtes eam impedire poſſint, niſi ſponte ſuccumbamus. Qui tanto te pretio emit, non veſtiet? non paſcet? Qui tantis impenſis, ſalutis noſtræ fundamenta iecit, non perficiet opus? An quis de Deo dicet, *Hic cœpit ædificare, & non potuit conſummare?* Rurſum ad Roman. 5. *Si cùm inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati ſalui erimus in vitâ ipſius*; ſcilicet immortali & beata? Qui nos perduelles tam benignis aſpexit oculis, quibus aſpiciet amicos & fideles; qui nos tanto ære comparauit captiuos, num liberos nunc deſeret, quando nullo ampliùs laboris impendio opus eſt? qui peccatorum luto fœdatos ſic complexus eſt, quanto magis amplectetur mundos, in ſanguine ſuo dealbatos? Denique qui fugientes inſecutus eſt & ad ſe pertraxit, quomodo fugiet aut dimittet iam ad 3.

ad ſe pertractos? ad ſe accedentes?

4. Quartò, Si nos perdere quæreret Deus, quoties cauſam perdendi habuiſſet? quoties in mortali culpâ deprehenſos tradere morti & Diabolo potuiſſet? Quid ergò morti, quid Diabolo hucuſque manum inhibuit niſi Deus? & quamobrem, niſi quia *non eſt voluntatis eius mors impij?* Ezech. 18. Tantum abeſt vt noſtrâ perditione lætificare cupiat Diabolum, vt potiùs in eum velut ſeductorem hominum excanduerit, ipſumque eius inſtrumentum, ſerpentem, punierit, Geneſ. 2. *Nam ſicut clementiſſimus pater*, inquit S. Chryſoſtomus homil. 17. in Geneſ. *puniens eum, qui filium ſuum occiderit, & gladium & enſem, per quæ filius ſuus occiſus, deſtruit & in multas partes diuidit: eodem modo Deus egit. Quippe ſerpens quaſi gladius quidam Diabolicæ ſeruiuit malitiæ. Vnde & perpetua ipſi pœna intentata eſt.* Sic ille. Quare non paruam Deo iniuriam irrogat, qui tam paruam de eius bonitate, potentiâ, prouidentiâ & paternâ curâ habet opinionem, cùm moneat Sapiens Sap. 1. *Sentite de Domino in bonitate.* Si enim Reges ſæculi volunt haberi & vocari *clementiſſimi*, & indigniſſimè acciperent, ſi vocarentur duri vel ſeueri: quanto magis Deus, qui eſt ipſa & ſumma bonitas?

C. II. *Infra nos deſperationis barathrum.*

Secundò, Infra nos eſt horrendum deſperationis barathrum, omnibus mundi malis peius, omnibus miſerijs infinities miſerius, in quod ſemetipſum præcipitat, qui deſperat, atque adeò de ſartagine in ignem, de paruâ & temporali afflictione ad extremam & æternam ſalit: & inſtar ſtulti naufragi mauult ſubmergi, quam brachia agitare ad enatandum. Quid verò ſi hîc aduerſum te conueniant omnes homines & Dæmones, quid quæſo in te grauius committere poſſunt, quàm vt de hac lachrymarum valle ad patriam beatorum te tranſmittant? Hoc ſenſu interpretatur S. Auguſtinus *ſer. 78. de temp.* in Gen. 25. *Maior ſeruiet minori*, id eſt, malus Eſau bono Iacob; *quomodo perſecutores martyribus*, inquit, *quomodo lima vel mallei auro: quomodo mola ſeruiunt tritico: quomodo panibus coquendis fornalia, &c.* Hinc SS. Martyres gratias egere Carnificibus ſuis: Sanctus Emmeramus, cùm duo Carnifices iuſſi eum mactare, trepidarent, & veniam ab illo peterent, dixit: *Domine, da illis gratiam ſecundum eorum petitionem.* Vt in eius vitâ apud Sur. Thomas item Morus Angliæ Martyr ad locum ſupplicij deductus, dum veniam Carnifex de more peteret, oſculum ei vnà cùm Angelotto aureo porrexit, dicens: *Tu mihi hodie id beneficij præſtiturus es, quod hactenus nemo mortalium aut præſtitit, aut præſtare potuit.* Tho. Stapl. cap. 20. in eius vita. Quid triſtius in hac vitâ euenire nobis poteſt, quàm vt vita nobis ab hoſtibus eripiatur? Atqui hoc ipſo nos ad cœlum tranſmittent. Contrà is qui deſperat, non tantùm malo ſuo non medetur, ſed in malorum omnium extremum & æternum ruit.

D. III. Tertiò, Ante nos videmus alios quampurimos nos præceſſiſſe, qui ſimili vel grauiore onere peccatorum aut aliarum miſeriarum preſſi erant, & tamen Dei benignitate non ſolùm euaſerunt, ſed etiam ad magnam ſanctitatem & proſperitatem peruenerunt. Hæc beneficia vnguenta Chriſti ſunt, in quorum odorem currere nos monet ſponſa, Cantic. 1. Audi Bernardum ſerm. 22. in Cantic. *Omninò propter manſuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus poſt te Domine Ieſu, audientes quod non ſpernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruiſti confitentem Latronem, non lachrymantem peccatricem, non Chananæam ſupplicantem, non deprehenſam in adulterio, non ſedentem in telonio, non ſupplicantem Publicanum, non negantem Diſcipulum, non perſecutorem Diſcipulorum, non ipſos crucifixores tuos. In odorem horum currimus.* Sic Bernardus & Sanctus Chryſoſtomus hom. 2. in Pſal. 50. *Si impius es*, inquit, *cogita Publicanum; ſi immundus es, attende Meretricem; ſi homicida es, perſpice Latronem; ſi iniquus es, cogita blaſphemum, conſidera Paulum priùs perſecutorem, poſtea annuntiatorem. Nolo mihi dicas: blaſphemus ſum. Nolo dicas: perſecutor ſum, immundus ſum. Habes omnium oſtenſiones &c.* Et infrà: *Quid eſt peccatum ad Domini miſericordiam? tela aranea, quæ vento flante nuſquam comparet.* Ruſum quid eſt, quòd diffidas? ob peccatorum multitudinem? At Magdalena à ſeptem Dæmonibus & omni peccatorum genere liberata & chariſſima Chriſto facta eſt. An ob diuturnitatem? Atqui Latro veroſimiliter longè diutiùs peccauit; & mox cum Chriſto paradiſum intrauit. An ob infamiam? Atqui Matthæus publicanus fuit, & Apoſtolus Chriſti factus eſt. An ob frequentationem reditus ad vomitum? Atqui remittitur *ſeptuagies ſepties*, id eſt, quoties venia petitur. An ob grauitatem? Atqui Paulus perſecutor fuit, & princeps inter Apoſtolos factus eſt poſt Petrum. Anſelmus *in lib. ad Timoth.* 1. ex Sancto Auguſtino *ſerm. 9. de verbis Apoſtoli* ſcribit: *Cùm venit Medicus volens ſibi famam comparare, infirmum quærit aliquem deſperatum, & ipſum ſanat; & ſi pauperrimum inueniat, non ibi quærit mercedem, ſed commendat artem: ita & Chriſtus potentiam ſpecialis medicinæ ſpiritualis ſuæ oſtendit in Saule, vt omnes deinceps nôſſent, eum ſanare poſſe cunctas infirmitates omnium confugientium ad ſe.* Vin' exemplum aliud aliud? Sigiſmundus Burgundionũ Rex in furore proprium filium ſtrangulauit anno Domini 526. cuius tandem facti pœnitentiâ ductus ad monaſterium Agaunenſe abijt, & ibidem per multos dies in fletus & ieiunio durans, petijt vt hoc ſæculo potiùs, quàm in futuro de tam immani facinore pœnas daret, quod & impetrauit. Haud enim multò pòſt à Clodomero victus & captus, interfectus eſt & in puteum abiectus. Vnde extractus & ad Agaunenſe Cœnobium relatus miraculis claruit, atque in Sanctorum tabulas relatus eſt, aniuerſariâ memoriâ celebrandus Calendis Maij. Baronius anno 526. Quod attinet ad miſerias corporales, quàm multos ante nos cernimus longè nobis miſeriores? Attende Lazarum, Seruulum, Martyres qui

Ante nos alij ſimili onere preſſi.

famem, vincula, infamiam, tormenta, aliaque, quæ tu fugis, vltrò elegerunt & expetiuerunt propter Chriſtum.

E. IV. Retrò nos bona opera noſtra.

QVARTÒ, Retrò nos videmus bona, quæ pro Deo facimus; aut mala quæ pro eo ſuſtinuimus, aut certè peccata, quæ per pœnitentiam deleuimus, vel ſaltem adhuc & facilè delere poſſumus. Si quæ bona pro Chriſto fecimus, aut mala tolerauimus, felices nos, quia pignus æternæ mercedis habemus. Deus enim *debitorem ſe fecit*, ait Auguſtinus ſermone 16. de verbis Apoſtoli, *non tantum ſibi ſed & Chriſto & nobis, vt illi dicere poſſimus: Redde quod promiſiſti, quia fecimus quid iuſſiſti.* Deinde ſi peccata præterita per pœnitentiam deleuimus, iterum nos felices; ſic enim mortificata nocere nobis nequeunt ſed potiùs gaudium afferunt, ſi tamen bonâ fide ea nos expiaſſe putemus. Quemadmodum ergò Hebræi nequaquam conſternati ſunt, cùm extincta Ægyptiorum corpora viderunt ad littus maris rubri iacere, ſed inde potiùs recreati canticum Deo cecinerunt pro hoſtium ſuorum demerſione, *Exod.* 14. & 15. ita licet ſubinde ad memoriam redeant nobis præterita peccata, ſi tamen ea per pœnitentiam proiecimus in mare rubrum ſanguinis Chriſti, & bona fide extincta credimus, nihil eſt quod metuamus, ſed potiùs gaudeamus. Si ſcrupulus te angat, ne fortè adhuc viuant, quæ tu demerſa putas; vtere conſilio Confeſſarij, & proijce te in ſinum miſericordiæ diuinæ dicens: ſi euidenter aut valdè probabiliter mihi conſtaret adhuc à me deſiderari aliquid ad reportandam illorum veniam & ſalutem meam conſequendam, confeſtim omnibus poſthabitis ad illud manum admouerem. Quod ſi adhuc in te viuunt peccata tua: ecce tibi mare pœnitentiæ, merge hoſtes tuos. Homines quidem grauiter læſi vix ignoſcere nôrunt & ſupplicibus placari; vnde Numantini nunquam fore rati vt Romanis propitijs vterentur, quibus totis 20. annis repugnando, negotium maximum creauerant, deſperabundi tandem ſe ſuaque in rogum coniecerunt. Chauaſſ. *de prudentiâ lib.* 1. *cap.* 6. At verò hoc de Deo minimè timendum. Audiamus Ambroſium in Lucam: *Nemo diffidat, nemo veterum conſcius peccatorum, præmia diuina deſperet. Nouit enim Deus mutare ſententiam, ſi tu noueris mutare delictum.*

F. V. Extra & circa nos patrocinia Sanctorum.

QVINTÒ, Extra & circum nos videmus patrocinia Sanctorum. Et inprimis Chriſtus ipſemet repræſentat patri ſuo quinque vulnera ſua ſeu meritum paſſionis, pro nobis interpellando. Et ſi coram Deo, radiantiſſimo illo ſole, conſiſtere non poſſumus, Chriſtus tamen velut nubes obumbrans intercedit & calorem ac fulgorem illum temperat. S. Bernardus in quadam infirmitate viſus eſt ſibi ad tribunal Dei ſtare & accuſari acriter à dæmone. Cui reſpondit vir Sanctus: *Fateor, non ſum dignus ego, nec proprijs poſſum meritis regnum obtinere cælorum; ceterum duplici iure illud obtinens Dominus meus, hæreditate ſcilicet patris & merito paſſionis; altero ipſe contentus, alterum mihi donat, ex cuius dono iure illud mihi vendicans, non confundar.* In hoc verbo confuſus inimicus, conuentus ille ſolutus & homo Dei in ſe reuerſus eſt. Vt in eius vitâ libro primo cap. 12. Deinde Virgo Deipara velut omnium noſtrûm communis Mater nunquam ceſſit filio ſuo repræſentare materna vbera ſua pro ſalute noſtrâ. Ipſa enim ab Eccleſiâ vocatur, *Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra.* Sanctus Bernardus ſermo. de Natiuitate Mariæ ait: *Ad Patrem verebaris accedere? Ieſum tibi dedit Mediatorem. Aduocatum habere vis? ad ipſum & ad Mariam recurre. Exaudietur & ipſa pro ſuâ reuerentiâ; exaudiet vtique Matrem filius, & exaudiet filium pater. Filioli hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ.* An non illa Theophilum Archidiaconum in oppido Ciliciæ, qui proprio charactere ſe dæmoni deuouerat & Chriſtianiſmum abiurauerat, è profundo deſperationis barathro eripuit recuperato ei chirographo, poſtque eò ſanctitatis prouexit, vt catalogo Sanctorum adſcribi mereretur & 4. Febr. ſolemni memoriâ ab Eccleſiâ celebraretur? Denique *ad aliquem Sanctorum conuertere*, inquit Job cap. 4. nimirum ad Angelum cuſtodem vel alium Sanctum: omnes enim ſalutem tuam ſitiunt. Echinus marinus cum præſagit tempeſtatem, calculum haud exiguum arripit, ſub ipſo tanquam anchorâ ſeipſum firmans & ſtabiliens; detinetur enim illius pondere, ne facilè à fluctibus trahatur atq; agitetur. Baſil. *lib.* 5. *hexam. cap.* 9. Fac & tu ſimiliter: calculus tuus ſit aliquis Sanctus, cùm ingruit tentatio. Refert S. Gregorius Turon. *de glor. Mart. cap.* 28. hominem quendam deſparatum, iamiam ſibi vitam laqueo erepturum, ſubinde inuocaſſe nomen S. Pauli, & dixiſſe, *adiuua me S. Paule.* Sed en funeſta vmbra præſto eſt, iubetque accelerare opus. Ille rurſum dum laqueo collum induit: *Beatiſſime Paule*, inquit, *eſto adiutor meus.* Sed dum vmbra rurſum vrget, adeſt altera ei ſimilis, priorem obiurgans & clamans: *Fuge miſerrime, en Paulum Apoſtolum huc venientem; innotatus enim ab hoc homine en adeſt.* Tunc euaneſcentibus vmbris, hic ad ſenſum ſuum reuerſus, & Crucem pectori imprimens pœnitentiam cum lachrymis egit.

G. VI. Intra nos deſolatio erigens ad ſpem.

SEXTÒ, Intra nos videmus perturbationem animi vndique obſeſſi & in anguſtias redacti, grauiſſimumque periculum ex quo magis ad ſpem erigi debemus, ſcientes quia rebus deſperatis Deus maximè adeſſe ſolet. Teſtem habemus S. Martinum qui à latronibus comprehenſus & iam quaſi enſe ſtricto feriendus, cùm poſteà rogaretur à latronibus, an timuiſſet, Reſpondit, *Nunquam ſe magis ſecurum fuiſſe, quòd ſciret miſericordem Deum maximè in tentationibus affuturum*, vt in eius vita. Exemplo ſunt Dauid in deſerto Ziph à Saule obſeſſus & ope diuinâ ereptus. S. Felix Nolanus inter duos parietes occultatus apparitoribus per araneæ texturam. Heraclius in pugnâ contra inſolentem Choſroën Dei ope adiutus, qui paulò antè in maximas anguſtias redactus

dactus

ductus, quò ſe verteret, neſciebat?

Quare cùm tanta vndique ſit ſperandi ratio quibuſcunque afflictis, videat vnuſquiſque ne ipſe ſibi deſit; tunc enim impoſſibile eſt, vt pereat. At quâ ratione ſeipſum quis iuuabit? Audi Deum Ezech. 18. *Proiicite à vobis omnes praeuaricationes veſtras, in quibus praeuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum: & quare moriemini, domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini, & viuite.* q. d. cur negligentiâ & impœnitentiâ veſtrâ committere vultis, vt moriamini? Si ego, inquit, qui ſupremus Iudex ſum, in veſtram partem inclino, & modis omnibus damnationis ſententiam à vobis auerto, *Quare moriemini domus Iſrael?* Cùm pro Actore habeatis Aduocatum, & pro Iudice Patronum, *quare moriemini?* Num quia Lex peccatores damnat? ſed ego vos abſoluo, *quare ergò moriemini?* An quia patres veſtri peccauerunt? At *viuo ego, quia filij non portabunt iniquitatem patrum; quare ergò moriemini?* An quia feciſtis pactum cum morte, & fœdus cum inferno? ſed in veſtra poteſtate eſt, diſſoluere hoc fœdus: *quare ergò moriemini?* An quia nimis arduum eſt vobis ad vitam contendere per legis cuſtodiam? At facilè eſt vobis comparare ſpiritum nouum, quo illuc rapiamini: *quare ergò moriemini?* An quia neci iam traditi eſtis à Iuſtitiâ diuinâ? At ego vos eripiam ex ipſis mortis faucibus; *quare ergò moriemini?* Narrat Plutarchus olim Virgines Meleſias furore actas, ſolitas ſibi mortem conſciſcere, cùm nihil haberent cauſæ, niſi, VOLO MORI. Dumque nec minis nec promiſſis ab hac re auerti poſſent, Sapientem quendam conſilium dediſſe, vt quotquot ſe necaſſent, publicè nudæ ſuſpenderentur. Infamiâ hæc Virgines à ſui cæde compeſcuit. Idem facit deſperatus, quod fecerunt Virgines illæ: nullam deſperandi cauſam habent, niſi, VOLO MORI. Vnde iure qui ſe necant, ſub patibulo inhumantur. Et quantus illorum vermis erit in inferno? quantus in iudicio, cùm eorum nuditas, turpitudo & inſania toti orbi reuelabitur? ſed ſerò ſapiunt Phryges. Sapiant igitur in tempore, vt gaudeant in æternitate.

CONCIO VII.

Fructus timoris Domini.

1. *Timor Dei initium eſt ſapientiæ.*
2. 3. *Expellit peccatum ab eoque præſeruat.*
4. *Confirmat in gratia.*
5. *Vincit timorem humanum.*
6. *Dat plurima alia bona.*

THEMA.

Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum. Matth. 9.

A. Timor Dei murus. LIbro 2. *Eſdr. cap.* 4. Legimus, Hebræos, poſtquam rediiſſent è Babylone in terram ſuam ante omnia & ſummo ſtudio ad hoc omnes incubuiſſe, vt murum Ieroſolymæ variis locis interruptum & perfractum repararent, quò nimirum tuti contra inſidias hoſtium forent. Verùm Sanaballat, hoſtis Iudæorum, vbi hoc audiuit, venit manu armata, vt moliretur eis inſidias, & opus impediret; vidit enim eos, ſi muris ſe rurſùm clauderent, iugum gentium facilè excuſſuros. Verùm Hebræi ad cohortationem Nehemiæ fortiter inſtabant operi, & vnâ manu tenebant gladium, alterâ ædificabant. Hunc in modum, Auditores, ſi contra hoſtium noſtrorum inſidias tuti eſſe volumus, ante omnia conemur ædificare murum animæ noſtræ, qui eſt timor Domini. Hoc enim ſi cingamur, nihil eſt quod metuamus de ſalute noſtrâ. At verò quia iſtud nouit noſter Sanaballat, id eſt, *inimicus in abſcondito* (hoc enim ſonat vox) omnibus modis conatur impedire hoc præſidium, vt ſic muro timoris deſtitutos, in ſuâ continere poteſtate & pro libitu tractare poſſit. Verum abſit, vt ceſſemus ab incepto opere; quin potiùs vnuſquiſque ſtrenuè adlaboret, vt hoc ſe muro claudat. Ita docuit facere filium ſuum Tobias, *timere* ſcilicet *Deum ab infantiâ.* Tob. 1. Ita docuit facere S. Bernardus Abbatem de S. Audomaro, cui in epiſtolâ 10. pro ſalute, *timorem Domini* precatur. Idem nobis inculcant paſſim SS. Literæ, nec non mater noſtra Eccleſia & hodiernum denique Euangelium. Atque vtinam ſicut in eo legimus, *Videntes turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum:* ita & nos omnes timeamus, Deumque glorificemus. Quanta verò ſint huius muri commoda, nunc audiemus.

B. I. Eſt initiũ ſapientiæ. 1. PRIMÒ, *Initium ſapientiæ timor Domini*, ait David *Pſal.* 110. & Salomon *Prou.* 1. & Eccleſiaſticus *cap.* 1. Facit enim primò, vt homo ſibi attendat, ſe colligat & tueatur; veluti obſeſſi in aliquâ ciuitate, cùm aduertunt hoſtem machinari ſibi inſidias cuniculis aliiſque modis, ſedulò ſibi attendunt, quomodo ſe tueantur: conferunt ſua conſilia; colligunt ſe in arcem, cùm ſe hoſti impares vident, &c. Ita enim Eccleſ. c. 25. ait: *Qui timet Dominum ſuum, conuertetur ad cor ſuum.* Hanc ob cauſam dedit Deus legem, & promulgauit in monte Sinai, cum minis & terrore; micabant fulgura, reſonabant tonitrua, clangebat buccina, fumabat mons; quo nimirum populus ad legem magis intenderet, tùm capiendam tùm ſeruandam. Hinc etiam in ſcholis, vbi erudiuntur pueri ad ſcientiam; & in domo paternâ, vbi ad mores bonos, virga eminentiori loco conſpicua cernitur, ad cathedram vel feneſtram. Et hanc ob cauſam Plato tradendæ Philoſophiæ locum elegit illum, cui *Academia* nomen erat (vnde altioribus ſcholis hæc remanſit appellatio) quia frequentibus terræmotibus obnoxius erat, vt ita Auditores eius ſalutari timore ad ſapientiam capeſſendam componerentur: vt ſcribit Polybius de natali Platonis ſolo.

Facit ſecundò, vt homo agnoſcat, quæ ſint res verè magnæ, quæ paruæ; ita vt illas magnifaciat, has contemnat. Res autem verè magnæ, æternæ ſunt, vti beatitudo & gehenna: paruæ 2.

ſunt res temporales, diuitiæ, voluptates, honores. Has enim ſtulti mortales magni, illas nihili æſtimant. Vnde Eccleſiaſtes c. 10. ait: *Cor ſapientis in dextrâ eius, cor ſtulti in ſiniſtrâ illius.* q.d. Sapiunt, qui cor habent intentum ad bona dextra, id eſt: æterna: deſipiunt, qui ad ſiniſtra, id eſt temporalia. Iam verò timor Domini transfert cor à ſiniſtrâ parte ad dexteram, & facit hominem non fidere aut nimiùm inhærere fluxis bonis; ſed attendere potiùs ad æterna, & metuere ne pro exiguis & breui duraturis bonis perdat bona æterna, & incurrat mala æterna.

C. II. Expellit peccatum.

SECVNDÒ, *Timor Domini expellit peccatum*, ait Eccleſiaſticus c. 1. *nam qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.* Vnde & diſponit ad pœnitentiam, & introducit gratiam in hominem. Modum explicat S. Auguſt. *tract. 9. in epiſt.* S. Ioannis primam, per ſimilitudinem ſetæ & lini, ſeu aciculæ & fili. Quemadmodum enim ſeta priùs intrat quàm linum, acus quàm filum, cùm conſuitur calceus & veſtis: & linum aut filum non intraret, niſi præcederet ſeta vel acus; ita timor præcedit & inducit gratiam & charitatem in hominem. Sunt enim gratia & charitas res tenues & ſuaues, quæ non penetrant cor durum & amori carnali aſſuetum, niſi præcedat timor pœnæ, qui velut acus pungit & penetrat, atque ita viam aperit gratiæ & charitati. v. g. Ludunt in plateâ homines, ſaltant, pergræcantur, de pœnitentiâ & ſalute ſuâ nihil cogitantes: emicat repente fulgur de cœlo, ſequitur ingens tonitru cum fulmine terrifico: & mox perterrefacti excitantur, ſilent, ceſſant à propoſito opere, cruce ſe ſignant, Deo ſe commendant, & quandoque diſcedunt omnibus relictis. Ita cùm peccatores Deum obliti proſternunt ſe in voluptates & vitia, intonat fulminatque Deus, modò intentando peſtem, modò grandinem, modò bellum, mortem & periculum gehennæ. Hinc incipiunt peccatores redire ad cor, veniam, exorare, ad pœnitentiam confugere. Exemplo eſt Iacob Patriarcha *Geneſ.* 35. qui ob cædem Sichimitarum à filiis ſuis patratam, metuens incurſum & inſidias Chananæorum, confugit ad Deum & Sacrificium, conuocàtque omni domo ſuâ iuſſit eos abiicere Idola. Huic addamus aliud ſtupendum exemplum, quod refert Io. Moſchus *in prato ſpirit. cap.* 78. quod ſibi retuliſſe Ioannem Abbatem Theopoli in Ægypto aſſerit, refertque ex ore Abbatis Ioannis in hæc verba: *Ante modicum temporis venit ad me adoleſcens quidam & ait mihi: Amore Dei ſuſcipe me, volo enim penitere, &c.* Tum incipit iuuenis narrare: *Ego Domine mi Abba, plenus omni ſcelere, & nec cœlo dignus nec terrâ, cùm ante hoc biduum audiſſem, diuitis cuiuſdam ex primariis ciuitatis huius filiam virginem eſſe defunctam, & cum multis ac pretioſis veſtibus ſepultam in vno extra ciuitatem monumento, ex conſuetudine peſſimi iſtius operis abii noctu ad tumulum, ingreſſuſque cœpi expoliare illam. Et cum omnibus iam ipſam exuiſſem, quibus erat induta, nec camiſiæ quidem ipſius parcens, ſed eam quoq; auferens; nudamq; ipſam vt nata fuerat, relinquens, è ſepulchro egredi volebam. Tunc illa reſedit coram me; ſiniſtramque manum ſuam extendens apprehendit dexteram meam, & ait ad me: Nequiſſime hominum itáne decuit te nudare me? An tu non times Deum, neque metuis damnationem vltimæ retributionis? Nónne vel ſaltem mortuæ miſereri debuiſti? ſed & Chriſtianus exiſtens ita me nudam aſſiſtere Chriſto honeſtum fore iudicaſti? &c. Quo corde, homo, quibus manibus accedens, ſumis ſanctum & pretioſum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti? Ego autem vt iſta conſpexi & audiui, pauore & formidine totus comprehenſus, tremens ac metuens, vix aio ad illam: Dimitte me, & iſtud vltrà non faciam. Quæ ait: Profectò non ita erit. Tu enim vt voluiſti, huc intraſti; ſed non ita vt volueris, hinc egredieris. Nam ſepulchrum iſtud commune erit ambobus. Neque putes te confeſtim moriturũ, ſed cùm hic plures dies cruciatus fueris, malã malè animam perditus reddes. Ego autem orabã illam cum lachrymis, vt dimitteret me, multũ illã per omnipotentẽ Deum adiurans, me iniquũ iſtud ac nefarium opus vltrà non facturum. Tandem poſt multas preces & lachrymas crebroſq; meos ſingultus, reſpondens illa dixit mihi: Si vis viuere, & ab hac neceſſitate liberari, promitte mihi, quia ſi te dimiſero, non ſolùm ab his nefariis & profanis actibus tuis recedes, ſed ſtatim perges, & ſæculo renuncians efficieris Monachus, egeſq; pœnitentiam pro his, quæ malè geſſiſti ſeruiens Chriſto. Ego autem iuraui ei, dicens: per Deum qui ſuſcepturus eſt animam meam, non ſolùm quæ dixiſti, faciã, ſed ab hoc hodiernâ die non ingrediar in domum meam; ſed hinc abiens in monaſterium proficiſcar. Tunc ait puella ad me: Indue me ſicut inueniſti priùs indutam. Cùm verò illam induiſſem, rursũ ſe collocans, mortua eſt. Hæc ego* (ſubdit Abbas Ioannes, quem ſuprà nominaui) *cùm ab adoleſcente audiſſem, refouens eum ac erigens verbis, & prouocans ad pœnitentiam & continentiam, totondi illum, indutumque monaſtico habitu incluſi in ſpeluncâ in monte, magnificè gratias Deo agentem, certantemque viriliter pro animâ ſuâ.*

TERTIÒ, *Per timorem Domini declinat omnis à malo*, inquit Sapiens *Prou.* 15. Et c. ſeq. *In timore Domini declinatur à malo.* Vnde à S. Chryſoſtomo comparatur ſatelliti excubanti ad fores Principis, excludenti eos, qui ingredi non debent. *Sicut enim in domo*, ait S. Chryſoſt. hom. 15. ad pop. Antioch. *ſtante milite ſemper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantiũ apparere propiùs audebit: ſic & metu animas noſtras detinente illiberalium nulla perturbationũ facile nobis ſubrepit, &c.* S. Baſil. *orat. in* 1. *cap. libri Prouer.* comparat cum clauis, quibus homo quaſi crucifixus pungitur & retinetur, ne extendere queat manus pedeſque ad res prohibitas & noxias, iuxta orationem Dauidis Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis tuis timui.* Eoque alludit S. Iob. c. 31. vbi reddit rationem, cur pauperes & pupillos opprimere noluerit, etiamſi contra eos cauſam obtinuiſſet in iudicio: *Semper enim*, inquit, *quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Quem locum Græci verterunt: *Timor Dei continuit me & captionem eius non feram.* q.d. timui ne ab illo caperer & punirer. Hæc denique eſt herba illa, quæ continet ſeruos Dei, vt in mediis peccandi periculis illæſi pertranſeant, quod quidam D. III. Præſeruat à peccatis.

Pater Societatis reſpondit Regi Luſitaniæ. Cùm enim in eius aulâ quidam Cœnobita ſine ſeriò ſiue ioco ſparſiſſet, Patres Societatis herbam quandam circumferre, quæ vim haberet perimendæ libidinis, eaque velut antidoto tutò poſſe verſari inter mulieres gynecæi, earumq; confeſſiones excipere: peruenit tandem fama ad aures Regis: qui ſtatim miſit Ioannem de Zuniga ad Patres ſciſcitatum, quod herbæ genus illud eſſet. *Fecit imperata Ioannes, expoſitisq; Philippi mandatis ab Araoſio contendit, vt rem ſibi totam, quàm mox ad Principem exponeret, declararet. Hæſit hic pauliſper Araoſius, & rem totam indicaturum ſe eſſe reſpondit; modò is eam Principi, quemadmodum ab ſe acciperet, accuratè fideliterq; referret. Cùm ille ſe recíperet facturum: Veriſſimum, inquit Araoſius, eſt, quod de huius noſtræ herbæ poteſtate narratur: tantarum quippe virium eſt, vt non modò ad frangendas cupiditates libidineſque ſit vſui, verùm etiam tutum quoddam ad continendam linguam, & conterendam animi elationem, & omnia vitia perſananda præſidium: eademque multas facultates & proprietates complectitur, vt equidem valde velim & Principi & toti Curiæ notam ac familiarem. Porrò nemo neſcit varias à Deo virtutes inditas herbis, quarum beneficio ſolus is potiatur, qui cognitis & inuentis vtatur. Acuerant hæc cupiditatem Ioannis, qui vt ſine mora ſibi nomen ederet tam ſalutaris herbæ, nec ſe diutiùs properantem ad Principem cunctaretur, ac ſuſpenſum haberet, acriùs inſtitit. Cui Araoſius: Hæc, inquit, herba, patrio noſtro Caſtellano ſermone, Timor Domini nuncupatur: is eas omnes, quas enumeraui, virtutes & multò plures continet; eoq; quotquot de Societate ſumus, frequenter vtimur, eius præſidio innoxij in medijs flammis: eo inſtructis ac benè munitis vbiq; gentium nobiſcum benè agitur.* Daurolt. in Catec. hiſ. c. 2. t. 4. ex Annal. Soc. an. 1545.

E. IV. Confirmat in gratiam.

QVARTO, *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum*, ait Dauid *Pſal.* 24. q. d. Deus confirmat illos in gratiâ, qui ſemper eum timent. Quemadmodum enim pondus impoſitum columnæ, firmat eam: ita timor Dei cordi humano ſemper incumbens conſolidat eum in bono, & facit perſeuerare. Vnde S. Greg. *lib.* 5. *Mor. c.* 27. ait: *Anchora cordis eſt pondus timoris.* Et S. Hieronym. ad Fabiol. de 41. manſion. *Timor*, inquit, *virtutum cuſtos eſt.* Et Tertull. l. de cultu fœm. c. 2. *Timor fundamentum eſt ſalutis; timendo cauebimus, cauendo ſalui erimus*, &c. Tantum igitur abeſt, vt hic timor anxios nos & ſcrupuloſos faciat (vti contendunt hæretici) vt potiùs confirmet, & certiores de ſalute faciat: quia ſicut ſpes, ita etiam timor medium eſt à Deo ad ſalutem ordinatum: &, vt ait S. Bernardus *ſerm.* 15. *in Pſal.* Qui habitat: *Timor, ſpei maxima eſt materia, quia Timor eſt donum Dei dirigens nos ad ſalutem.* Hinc plerique lapſi, ex minimâ ſecuritate & præſumptione lapſi ſunt, quòd nimium ſibi tribuerent aut confiderent, qui ſi cum metu & tremore ſalutem ſuã operati fuiſſent, nunquam cecidiſſent. Quemadmodum enim ignis in carbonibus, niſi cinere tegatur, breui extingui ſolet; ſub cinere fouetur: ita ſanctitas & iuſtitia abſque Dei timore citò euaneſcit, cum illo conſeruatur.

F. V.

QVINTO, *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipſe eſt ſpes eius*, ait Eccl. c. 34. Quemadmodum enim virga Moyſis deuorauit virgas Magorum, ita timor Dei vincit, & quodammodò deuorat timorem humanum. Quis verò explicare queat, quàm multa mala pareat, & quàm multa bona impediat timor ille humanus? mentiri docet, vt famam conſerues vel nummos augeas: adulari docet: correctionem fraternam impedit: vltionem prouocat, vitia conſueta fouet, &c. At verò timor Dei vbi locum habet, ibi omnia hæc exulant. Non enim metuit confundi coram hominibus, qui timet confundi coram Deo & Angelis: non timet ſpoliari bonis terrenis, qui timet ſpoliari bonis cœleſtibus: non metuit damnari ad mortem, qui metuit damnari ad gehennam. Eaque cauſa eſt, cur SS. Martyres mortem & confuſionem temporalem tam læto exceperint animo, quia timor gehennæ & confuſionis æternæ non ſinebat eos attendere ad mortem & confuſionem momentaneam ac leuem.

Vincit timorem humanũ.

G. Dat plurima bona.

SEXTO, *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium*, ait Eccleſiaſtic. c. 1. Quid enim non dat timor? Dat bona temporalia, Pſal. 33. *Non eſt inopia timentibus eum.* Et Tob. 4. *Multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum.* Dat ſpem vitæ æternæ, quia quo magis Deum timemus, eo magis ei adhæremus. Vnde Eccl. c. 1. ait: *Timor Domini gloria & gloriatio & lætitia, & corona exultationis.* Dat conſolationem in articulo mortis. Vnde ibidem ſubdit Eccleſiaſticus: *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* Dat denique multam ſobolem, temporalem proſperitatem & vitam æternam, vti patet vel in obſtetricibus illis Ægyptiacis, quibus cùm timerent Deum, & nollent occidere infantes Iudæorum, prout facere iuſſæ erant, ædificauit Deus domos, partim videlicet in terrâ, per numeroſam prolem; partim etiam in cœlo, *Exod.* 1.

Hinc videre eſt, non fruſtrà conari dæmonem murum hunc timoris diſſipare & euertere. Nouit enim ipſe, quantum boni afferat timor, quantum mali praua ſecuritas. Experti ſunt incolæ ciuitatis Lais, *Iudic.* 18. quam cùm vidiſſent exploratores Danitarum in magnâ quiete ac ſecuritate vitam agere, reuerſi ad ſuos dixerunt: *Surgite, aſcendamus ad eos. Videmus terram valde opulentam & vberem, nolite negligere: eamus & poſſideamus eam: nullus erit labor, intrabimus ad ſecuros.* Tribus igitur Dan, quia quærebat ſibi poſſeſſionem ad inhabitandum (ſola enim ipſa ſortem non acceperat, ſatis amplam videlicet & idoneam, in terrâ promiſſâ) hanc occaſionem ſibi negligendam non reputabat. *Venerunt igitur* (Danitæ) *in Lais ad populum quieſcentẽ atq; ſecurum, & percuſſerunt eum in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præſidium.* Dan *ſerpens & ceraſtes in ſemitâ* appellatur à Iacob *Geneſ.* 49. in quo diaboli typus eſt. Hic igitur quia in Eccleſiâ fidelium anguſtam valde poſſeſſionem ſibique parum idoneam habet, (vt quem Chriſtus alligauit & certis terminis conſtrinxit) quærit ampliorem ac commodiorẽ.

Vbi verò locorum eam reperit? vbi timor Dei abeſt, pax verò & ſecuritas adeſt. Ibi enim facilè occupat hominum animos, muro timoris deſtitutos, nemoque eſt, qui præſidium ferat. Vnde Apoſt. 1. *Theſſ.* 5. ait de hominibus poſtremo tempore victuris: *Cùm dixerint, pax & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Nos ergò, Auditores, ne quid ſimile nobis contingat, extruamus murum nobis in tempore, timorem Domini ſcilicet, & ne ad vnum quidem diem carere eo velimus: ne repente & improuisò obruat nos ceraſtes ille tartareus.

CONCIO VIII.

Documenta.

1. *Proponitur quid doceat Chriſtus relinquendo Geraſenos in ſuis tenebris, diuertendo in domum humilem, &c.*
2. *Quid paralyticus portatus in lecto: ſurgens & tollens lectum, &c.*
3. *Docent geſtatores ſedulò miniſtrare ægrotis: quantum bonum ſit ſocietas bona, &c.*
4. *Quomodo Scribæ abhorreant blaſphemias, & calumnientur Chriſtum.*
5. *Quid doceãt turbæ timentes & glorificantes Deũ.*

THEMA.

Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit talem poteſtatem hominibus. Matth. 9.

A. MVlta hominum turba intereſſe debuit huic ſpectaculo; ſiquidem Lucâ teſte paralyticus hic per oſtium domûs inferri ad Chriſtum præ turba non potuit, per tectum illatus eſt nec immeritò; magna enim & mira quædam comœdia exhibita in hac domo eſt. Nos ergo Auditores intrudamus & immiſceamus nos huic turbæ, ſeduloque conſideremus huius Comœdiæ perſonas ſingulas.

B. I. *Chriſtus.* 1. *Reliquit Geraſenos in ſuis tenebris.*

Perſona PRIMA Chriſtus eſt, qui primo poſtquam Geraſeni eum rogauiſſent vt à ſe recederet (quod ipſius permiſſu porci à dæmonibus arrepti in mari periiſſent) rediit per mare in ciuitatem ſuam, vbi eum populus auidè expectabat: & reliquit in ſuis tenebris Geraſenos. Videte ergo Dei iuſtitiam & nolite repellere eius gratiam, fidem & Euangelium. Hinc enim receſſit à Iudæis tempore Apoſtolorum, quia repulerunt Euangelium, *Actor.* 1. & migrauit ad gentiles: hinc tempore Lutheri & Caluini, quia principes & populi Germanorum aliqui fidei Catholicæ iugum excuſſerunt, aſcendit nauim & migrauit in Iaponiam, Indiam, Chinam, Americam. Timendum ergò illi populo, qui ſuillis viuit moribus, indeque verbum Dei ſpernit, ne ſimilem euentum ſortiatur.

2. *Diuertit in domum humilem.*

Secundò, Diuertit in domum humilem & pauperem: quod inde patet, quia per tegulas intromiſſus eſt paralyticus: ſublimiores autem Iudæorum domus non erant imbricibus tegulisque contectæ, ſed ſolaria habebant pauimento conſtrata. Hinc ergò patet quò diuertat Dominus, ad humiles ſcilicet.

3. *Paralyticum appellat filium.*

Tertiò, Paralyticum, etſi peccatorem, *filium* appellat. *Confide fili,* Vide Chriſti humanitatem & ſuauiſſimum amorem, quo omnes complecti ſtuduit, neminem aſpernatus eſt; vnde & alibi dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis,* &c. Quàm hîc erubeſcere deberent multi heri, qui famulos ſuos non niſi nebulones, furciferos, ſtultos nôrunt appellare, cùm Dominus cœli & terræ infimum ſeruulum ſuũ non dedignetur appellare filium! Adhæc vt magis eum ſoletur & erigat ad fiduciam: *Remittuntur*, inquit (non, remittentur,) *tibi peccata tua.* Tam bonus enim & ſuauis eſt Dominus, vt afflictum diu non ſuſpendat, ſed confeſtim ſubleuet, quantum eſt in ipſo.

4. *Confidere iubet.*

Quartò, *Confide*, inquit. Vult ergò vt in ipſum firmiter ſperemus, etiam cùm omnibus rebus & auxiliis deſtituti ſumus, quemadmodum hic paralyticus, qui nec manum nec pedem poterat mouere; imò tunc nos *confidere*, id eſt, firmiter ſperare vult. Hac fiduciâ armatus S. Ioannes Eleëmoſynarius dicebat: *Etiamſi totus mundus conflueret Alexandriam eleemoſynæ causâ, eam omnibus darem; quia totus mundus non poteſt anguſtiare theſauros Dei, quorum ipſe me diſpenſatorem conſtituit.* Quare Deus eis ſtannum in argentum vertit, & tanto plus ſubminiſtrauit, quanto ille plus erogauit. Leontius in vita. Eâdem roboratus Theodorus monachus aiebat: *Si cœlum terræ adhæreat, Theodorus non formidat.* In vitis PP. *lib.* 5. *cap.* 7. Porrò hanc fiduciam maximè habere Chriſtiani debent, quia filij Dei; vti Sancta Catharina Senenſis moriens extremùm monuit: *Oportet*, inquit, *Chriſtianum magnam fiduciam habere de Dei prouidentia, ſcientem omnia quæ ſibi vel alijs eueniunt, ex diuinâ prouidentiâ prouenire, non ex odio iſtius, ſed dilectione eximiâ.*

5. *Remittit peccata.*

Quintò, *Remittuntur tibi peccata tua*, ait: docens ægritudines corporales ſæpe gigni ab ægritudine animi ſeu peccato. Vnde boni chirurgi inſtar radicem mali aggredi & primò extirpare voluit, vt perfecta ſanitas, etiam corporis, conſequeretur. Ergò peccata noſtra germinant nobis virgas & flagella, quibus caſtigamur, vti etiam legimus Ezech. 7. *Iniquitas ſurrexit in virgâ impietatis*, q. d. Iudæorum ſcelera protulerunt gladium Nabuchodonoſoris, quo plecterentur. Huiuſmodi flagellum orbis erant Attila, Tamerlanes, alij, & vniuerſim penè omnes aduerſitates. Ergò cùm has ſentimus, extirpemus primò radicem earum, peccata. Sanemus priùs morbos animi, vt recipiamus ſanitatem corporis, cæleſtem quæramus Medicum inprimis, poſteà terrenum. Sed ferè contrarium vbique fit: corpori medela maximis impenſis quæritur: animæ cura in poſtremis habetur, vnde multi canum inſtar extinguuntur ſine pœnitentia, &c.

Perſona altera eſt Paralyticus, qui Primo portabatur in lecto omni membrorum vſu deſtitutus

deſtitutus: vnde docet nos quantum bonum ſit ſanitas & membrorum integritas. Hoc enim ſi minùs agnoſcimus, inde fit, quia experti non ſumus, quid ſit eſſe paralyticum, podagricum, hydropicum, cæcum, leproſum, vlceribus plenum. Interroga eos qui his malis affecti & audies.

Secundò, Ad Chriſti vocem ſurrexit, ſuſtulit lectum ſuum & ambulauit, eaque re docet nos tria ſigna, è quibus agnoſcere licet, dimiſſa nobis eſſe peccata, vt oſtendit S. Bernardus ſerm. de 4. orandi modis, cùm ait: *Et tu ergo ſi iam ſurgis deſiderio ſupernorum; ſi grabatum tollis, corpus ſcilicet à terrenis eleuans voluptatibus, vt iam non feratur anima concupiſcentijs eius: ſed magis ipſa, vt dignum eſt, regat illud & ferat quò non vult: ſi demum ambulas, quæ retrò ſunt obliuiſcens, & ad ea, quæ antè ſunt, te extendens deſiderio & propoſito proficiendi, curatum te eſſe non dubites.* Ex hiſce autem ſignis oritur in nobis certitudo coniecturalis ſanitatis ſeu iuſtitiæ noſtræ, quæ ſufficere nobis debet, nec maior quærenda eſt. Vult enim Deus nos verſari inter ſpem & metum, vt ſine intermiſſione ſalutem noſtram operemur.

3. *Abit in domum ſuam.* Tertiò, Abijt in domum ſuam; iuxta Chriſti præceptum; docens nos curare non quæ aliena ſunt, ſed quæ noſtra. Abit in alienam domum, qui aliorum acta rimatur & taxat, ſua verò negligit. *Deut.* 24. præcipit Deus, vt qui debitum à proximo ſuo repetit, non ingrederetur domum eius, ſed foris ſtans exſpectaret, ne quis domos alienas rimaretur & res non ſuas alteri auferret. Hoc autem facit, qui ſe neglecto alios iudicat, vel reprehendit: *Vade in domum tuam*, ait Dominus.

Rurſum abeundum eſſe in domum noſtram, quæ eſt ſepulchrum & manſio noſtra æterna. Eò enim ablegauit aliquando Beatus Iacoponus diuitem Tudertinum, dum par pullorum, quos ſibi coëmptos deferre in domum ſuam Iacoponum iuſſerat, intulit eius monumento, quod ſibi diues parârat in æde Sancti Fortunati, (vti alibi retulimus) monens diuitem, ibi eſſe domum eius, eò commeatum & bonorum operum theſaurum omnem inferendum. Ita enim teſtatur Iob capite 30. dicens: *ſcio quia morti trades me, vbi conſtituta eſt domus omni viuenti.*

D. III. *Geſtatores.* TERTIÒ, Cernimus vectores, qui paralyticum portabant. Et hi docent Primò ſedulò & libentér miniſtrare ægrotis eorumque curam gerere. Ecce enim quantâ feſtinatione, ſolertiâ, patientiâ & conſtantiâ deferunt ægrum ad Chriſtum? Non expectant, donec turba recedat & facilis ſit acceſſus: non reſiliunt à cœpto opere propter obiecta impedimenta: non deſerunt paralyticum, ſed omnia media tentant, vt ſi per oſtium nequeant, per tegulas ingrediantur. Denique hi vectores, teſte Sancto Marco, quatuor erant. Sed vbi modò illi, qui tantâ charitate & alacritate ſeruiunt infirmis? Vix vnum ſæpe reperies, qui hoc munus ſubire velit, nedum quatuor. Hinc mira illorum charitas bene à Matthæo & Luca notatur voce, *Ecce*: *Ecce viri portantes in lecto hominem*, ait Lucas q.d. videte rarum & mirum charitatis exemplum. Vbi verò illi qui animas purgantes ſuis portant ſuffragiis ad conſpectum Dei?

1. *Docet ſedulò miniſtrare ægrotis.*

Cæterum exempla aliquot Sanctorum, qui ægrotis impensè ſeruierunt, recenſet Pater Cornelius in *Iſaia cap.* 38. moro ſuo ſuccinctè, quæ hîc adſcribam. *Gallicanus Martyr, vir conſularis, triumphalibus inſulis ſublimatus, & Conſtantino Auguſto charus, à SS. Ioanne & Paulo ad Chriſti fidem conuerſus, cum ſancto Hilarinò ad oſtio Tiberini ſecedens, hoſpitalitati & infirmorũ ſeruitio totum ſe dedit: cuius rei fama in vniuerſo orbe diuulgata, multi vndique illuc venientes videbant virum ex Patricio & Conſule lauantem pauperũ pedes, ponentem menſam, aquam manibus effundentem, languentibus ſollicitè miniſtrantem, & cætera pietatis officia exhibentem: hiſq; actibus meruit martyrium, ad illudq; ſe diſpoſuit. Martyrio enim à Iuliano Apoſtata affectus eſt, ita Baron. in Martyrolog. 25. Iunij ex Vſuardo & Adone. Quidam Apollonius nomine, cùm mundo renunciaſſet, & montem Nitriæ habitaſſet, & nec artem diſcere poſſet, nec literas, quòd ætate eſſet prouectus; viginti annis, quibus vixit in monte hanc habuit exercitationem. Suis pecunijs & ſuis laboribus emens Alexandriæ vaſa medica omnis generis, vniuerſæ fraternitati ea ſuppeditabat ad morbos: & licebat eum videre vſque ad horam nonam diſcurrentem obeundo monaſteria, & oſtia ingredientem, & videntẽ num quis decumberet. Portabat autem vuam paſſam, mala punica, oua, panem ſiligineum, & ea quibus opus habent ægroti. Hanc ſibi conferentem inuenit vitæ rationem vſque ad ſenium Chriſti ſeruus. Ita Palladius in hiſt. Lanſiaca cap. 4. & Niceph. 11. cap. 35.*

Placilla, Theodoſij Imp. vxor, miram ægrorum & mutilatorum curam gerebat, eiſq; mira charitate inſeruiebat. In illorum enim domicilia ventitabat, & qua quiſque indigeret re, eam illi ſuppeditabat; & Eccleſiarum hoſpitales domos circumiens, eos qui grauibus morbis lecto affixi erant, curabat. Non enim tantùm illorum attingebat ollas, & iuſcula delibabat; ſed & patellas admouebat, panem apponebat, ciborum fruſta auferebat, pocula eleuabat, aliaque omnia ſedulò & alacriter obibat, quæ ſeruorum & ancillarum ſunt officia. Ad eos verò qui miniſterium eius, quod per manus ipſa ſuas peragebat, inhibere conabantur, dicere ſolita erat: Imperio quidem conuenit, vt aurum id largiatur; ego verò manuum mearum opus pro imperio ipſo, ei qui id ſemel contulit, effero, ita Niceph. lib. 12. cap. 42. & Ioan. Nauclerus tom. 2. generat. 13.

S. Radegundis regina Franciæ hanc ſibi fixerat legem, vt omni Dominico die pauperibus collectis ipſa manu ſua potum porrigeret. Cùm leproſi venientes ſigno facto ſe proderent, oſculabatur vultus. Deinde menſâ poſitâ, ferens aquam calidam facies lauabat, manus vngens & vlcera; & rurſus adminiſtrabat ipſa, paſcens, per ſingulas. Recidentibus præbebat auri vel veſtimenti munuſcula. Cùm miniſtra diceret: Domina, quis te oſculabitur, quæ ita leproſos amplecteris? illa reſpondit beneuolè: Verè ſi me non oſculeris, hinc mihi cura nulla eſt, inquit. Fortunatus in vita eius lib. 1. c. 9.

Quantâ curâ & beneuolentiâ Euſtochiũ ſeruierit

S.Paula

Digitized by Google

dante formidine; & formido cum ſpe. Sic ille. Quæ cùm ita ſint, nolim ego, Auditores, à vobis vtramuis molam tollere. Nolo vt præſumendo nimiùm confidatis, nolo vt deſperetis, ſed inter vtramque molam & ſperetis & timeatis. Quia igitur non ita pridem vos admonui molæ inferioris, vt cum timore & tremore ſalutem veſtram operaremini: nunc admonebo molæ ſuperioris, vt bono animo ſitis & in Deo confidatis; quia, vt ait ibidem Gloſſa ordinaria, *qui prædicat peccatori, tantâ diſpenſatione prædicare debet, vt nec relictâ ſpe timorem ſubtrahat, nec ſubtractâ ſpe timorem relinquat.* Et certè vtramq; molam reperimus in hodierno Euangelio expreſſam. Nam paralytico ait Dominus: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quis non bene ſperet? Et poſtquam ille ſanatus eſt, *videntes timuerunt turbæ.* Quis non cum illis timeat? Nunc igitur audiamus, quæ hominem etſi deſperabundum ad ſpem erigere debeant.

Suprà Domin. 15. poſt Penteceſt.

Multa ſunt, quæ premunt hominem & in barathrum deſperationis poſſunt deijcere. Inprimis onera ſpiritualia, vti difficultas remiſſionis conſequendæ, virtutis addiſcendæ, conſuetudinis ſuperandæ, & perſeuerantiæ. Deinde onera corporalia, vti debita inſolubilia, morbi diuturni & intolerabiles, iniuriæ graues, inopia ineuitabilis, & ſimiles aliæ anxietates. Sed nihil horum frangere debet animos aut à ſpe deijcere. Nam quemadmodum ſuprà diximus habere nos vndique, cur timeamus: ſic vndique etiam habemus, cur bene ſperemus.

B. I. Supra nos Deus potens iuuare.

Et PRIMO ſuprà nos eſt Deus qui poteſt ac vult te iuuare in quacunque afflictione, modò & tu velis. Quod poſſit, non negabit; oſtendit enim Dominus in hodierno Euangelio ſe vtrumque poſſe, & peccata dimittere & infirmitates curare, Deoque vnum & alterum æquè facilè eſſe. Et ſi magnum malum, magnus morbus, magnum ſit peccatum tuum; magnus etiam eſt Medicus Chriſtus, de quo *virtus exibat & ſanabat omnes*, vt habetur *Luc. 6.* niſi fortè incredulitas tua obſtet, vti *Matt. 6.* factum. Olim deſpondere animum non poterant infirmi, qui peritiſſimo illi Medico Hypocrati ſiſtebantur. Et ecce pluſquam Hypocrates, pluſquam Galenus, pluſquam omnes orbis Medici Chriſtus. Quod verò etiam velit, patet ſimiliter ex hodierno Euangelio, vbi dulciſſimis illis verbis erigit paralyticum peccatorem Dominus ad ſpem vtriuſque mali amouendi. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Nam inprimis licet in Deo ſit iuſtitia, non minùs quàm miſericordia, nihilominus operatio ipſius à dextrâ, vt loquuntur Theologi, magis propria: & virtus ad quam ipſe magis propendet, eſt miſericordia, Prophetâ atteſtante Pſ. 144. *Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Idcircò & ab Apoſtolo dicitur *diues in miſericordia*, ad Epheſ. 2. Sicut hic aut ille diues pecorum, alius prædiorum, alius pecuniarum dicitur, quòd his maximè abundet. Vnde Sanctus Bernardus ſerm. 5. de Natiuitate Domini, *Quòd miſeretur*, inquit, *proprium illi eſt, ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quòd iudicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus.* Vnde Iſaias c. 28. cùm vindictam vocaſſet opus Dei, corrigit ſe quodammodò & vocat *alienum opus eius.* Sic naturalis apum proprietas eſt mellificare, non pungere, quamuis aculeo armatæ ſint; pungere enim non niſi laceſſitæ ſolent. Ac ne tum quidem, cùm punit Deus, miſericordiæ penitùs obliuiſcitur; ſiquidem cum dolore & compaſſione punire dicitur in SS. Literis Geneſ. 8. *Tactus dolore cordis intrinſecùs: delebo*, inquit, *hominem, quem creaui, à facie terræ.* Et Iſaiæ 1. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Sic cùm Dominus Ieroſolymorum excidium vaticinaretur, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, *Luc.* 19. Stultè igitur & falsò dixit Cain deſperabundus: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* In quæ verba: *Abſit, abſit*, ait S. Bernardus ſerm. 11. ſuper Cantic. *Maior eſt enim Dei pietas, quàm quæuis iniquitas.* Infinitè miſericors eſt Deus, qui proinde plus dimittere poteſt quàm tu committere.

Ac volens.

Secundo, quia ipſe eſt pater noſter, qui ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit nos, omniaque nobis ſubiecit & ad miniſterium noſtrum præparauit ac diſpoſuit, ipſos etiam Angelos. Qui ergò te tam nobili loco poſuit, num deſerere vult? Diliget vtique Deus opus ſuum, præſertim nobiliſſimum. Qui initium viuendi dedit, an negabit ea, quæ ad vitam conſeruandam & bene ac beatè ducendam pertinent? *Confide* igitur *fili*, quia patrem in cœlo habes, qui tui curam gerit. Quis pater gignit filium, quem poſteà deſerat, & non ſtudeat excolere? *Confide* igitur *fili*. 2.

Tertiò, quia tam caro pretio emit nos, ſanguine ſcilicet ſuo, & vitam potiùs ſuam, quàm animas noſtras perdere voluit. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* ait Apoſtolus ad Roman. 8. *Omnia* ſcilicet, quæ ſpectant ad vocationem, iuſtificationem, glorificationem & ſalutem noſtram, vt nulla aduerſa vel proſpera, nulli hoſtes eam impedire poſſint, niſi ſponte ſuccumbamus. Qui tanto te pretio emit, non veſtiet? non paſcet? Qui tantis impenſis, ſalutis noſtræ fundamenta iecit, non perficiet opus? An quis de Deo dicet, *Hic cœpit ædificare, & non potuit conſummare?* Rurſum ad Roman. 5. *Si cùm inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati ſalui erimus in vitâ ipſius*; ſcilicet immortali & beata? Qui nos perduelles tam benignis aſpexit oculis, quibus aſpiciet amicos & fideles; qui nos tanto ære comparauit captiuos, num liberos nunc deſeret, quando nullo ampliùs laboris impendio opus eſt? qui peccatorum luto fœdatos ſic complexus eſt, quanto magis amplectetur mundos, in ſanguine ſuo dealbatos? Denique qui fugientes inſecutus eſt & ad ſe pertraxit, quomodo fugiet aut dimittet iam 3.

ad

ad ſe pertractos? ad ſe accodentes?

4 Quartò, Si nos perdere quæreret Deus, quoties cauſam perdendi habuiſſet? quoties in mortali culpâ deprehenſos tradere morti & Diabolo potuiſſet? Quid ergò morti, quid Diabolo hucuſque manum inhibuit niſi Deus? & quamobrem, niſi quia *non eſt voluntatis eius mors impij?* Ezech. 18. Tantum abeſt vt noſtrâ perditione lætificare cupiat Diabolum, vt potiùs in eum velut ſeductorem hominum excanduerit, ipſumque eius inſtrumentum, ſerpentem, punierit, Geneſ. 2. *Nam ſicut clementiſsimus pater*, inquit S. Chryſoſtomus homil. 17. in Geneſ. *puniens eum, qui filium ſuum occiderit, & gladium & enſem, per quæ filius ſuus occiſus, deſtruit & in multas partes diuidit: eodem modo Deus egit. Quippe ſerpens quaſi gladius quidam Diabolicæ ſeruiuit malitiæ. Vnde & perpetua ipſi pœna inuentata eſt.* Sic ille. Quare non paruam Deo iniuriam irrogat, qui tam paruam de eius bonitate, potentiâ, prouidentiâ & paternâ curâ habet opinionem, cùm moneat Sapiens Sap. 1. *Sentite de Domino in bonitate.* Si enim Reges ſæculi volunt haberi & vocari *clementiſsimi*, & indigniſſimè acciperent, ſi vocarentur duri vel ſeueri: quanto magis Deus, qui eſt ipſa & ſumma bonitas?

C. II. *Infra nos deſperationis barathrum.*

SECVNDÒ, Infra nos eſt horrendum deſperationis barathrum, omnibus mundi malis peius, omnibus miſerijs infinities miſerius, in quod ſemetipſum præcipitat, qui deſperat, atque adeò de ſertagine in ignem, de paruâ & temporali afflictione ad extremam & æternam ſalit: & inſtar ſtulti naufragi mauult ſubmergi, quam brachia agitare ad enatandum. Quid verò ſi hîc aduerſum te conueniant omnes homines & Dæmones, quid quæſo in te grauius committere poſſunt, quàm vt de hac lachrymarum valle ad patriam beatorum te tranſmittant? Hoc ſenſu interpretatur S. Auguſtinus *ſer. 78. de temp.* in Gen. 25. *Maior ſeruiet minori*, id eſt, malus Eſau bono Iacob; *quomodo perſecutores martyribus*, inquit, *quomodo lima vel mallei auro: quomodo mola ſeruiunt tritico: quomodo panibus coquendis fornalia, &c.* Hinc SS. Martyres gratias egere Carnificibus ſuis: Sanctus Emmeramus, cùm duo Carnifices iuſſi eum mactare, trepidarent, & veniam ab illo peterent, dixit: *Domine, da illis gratiam ſecundum eorum petitionem.* Vt in eius vitâ apud Sur. Thomas item Morus Angliæ Martyr ad locum ſupplicij deductus, dum veniam Carnifex de more peteret, oſculum ei vnà cùm Angelotto aureo porrexit, dicens: *Tu mihi hodie id beneficij præſtiturus es, quod hactenus nemo mortalium aut præſtitit, aut præſtare potuit.* Tho. Staplet. cap. 20. in eius vita. Quid triſtius in hac vitâ euenire nobis poteſt, quàm vt vita nobis ab hoſtibus eripiatur? Atqui hoc ipſo nos ad cœlum tranſmittent. Contrà is qui deſperat, non tantùm malo ſuo non medetur, ſed in malorum omnium extremum & æternum ruit.

D. III. TERTIÒ, Ante nos videmus alios quamplurimos nos præceſſiſſe, qui ſimili vel grauiore onere peccatorum aut aliarum miſeriarum preſſi erant, & tamen Dei benignitate non ſolùm euaſerunt, ſed etiam ad magnam ſanctitatem & proſperitatem peruenerunt. Hæc beneficia vnguenta Chriſti ſunt, in quorum odorem currere nos monet ſponſa, Cantic. 1. Audi Bernardum ſerm. 22. in Cantic. *Omninò propter manſuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus poſt te Domine Ieſu, audientes quod non ſpernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruiſti confitentem Latronem, non lachrymantem peccatricem, non Chananæam ſupplicantem, non deprehenſam in adulterio, non ſedentem in telonio, non ſupplicantem Publicanum, non negantem Diſcipulum, non perſecutorem Diſcipulorum, non ipſos crucifixores tuos. In odorem horum currimus.* Sic Bernardus & Sanctus Chryſoſtomus hom. 2. in Pſal. 50. *Si impius es*, inquit, *cogita Publicanum; ſi immundus es, attende Meretricem; ſi homicida es, perſpice Latronem; ſi iniquus es, cogita blaſphemum, conſidera Paulum priùs perſecutorem, poſtea annuntiatorem. Nolo mihi dicas: blaſphemus ſum. Nolo dicas: perſecutor ſum, immundus ſum. Habes omnium oſtenſiones &c.* Et infrà: *Quid eſt peccatum ad Domini miſericordiam? tela aranea, quæ vento flante nuſquam comparet.* Rurſum quid eſt, quòd diffidas? ob peccatorum multitudinem? At Magdalena à ſeptem Dæmonibus & omni peccatorum genere liberata & chariſſima Chriſto facta eſt. An ob diuturnitatem? Atqui Latro veroſimiliter longè diutiùs peccauit; & mox cum Chriſto paradiſum intrauit. An ob infamiam? Atqui Matthæus publicanus fuit, & Apoſtolus Chriſti factus eſt. An ob frequentationem reditus ad vomitum? Atqui remittitur *ſeptuagies ſepties*, id eſt, quoties venia petitur. An ob grauitatem? Atqui Paulus perſecutor fuit, & princeps inter Apoſtolos factus eſt poſt Petrum. Anſelmus *in lib. ad Timoth.* 1. ex Sancto Auguſtino *ſerm. 9. de verbis Apoſtoli* ſcribit: *Cùm venit Medicus volens ſibi famam comparare, infirmum quærit aliquem deſperatum, & ipſum ſanat; & ſi pauperrimum inueniat, non ibi quærit mercedem, ſed commendat artem: ita & Chriſtus potentiam ſpecialis medicinæ ſpiritualis ſuæ oſtendit in Saule, vt omnes deinceps nôſſent, eum ſanare poſſe cunctas infirmitates omnium confugientium ad ſe.* Vin' exemplum aliud aliud? Sigiſmundus Burgundionũ Rex in furore proprium filium ſtrangulauit anno Domini 526. cuius tandem facti pœnitentiâ ductus ad monaſterium Agaunenſe abijt, & ibidem per multos dies in fletus & ieiunio durans, petijt vt hoc ſæculo potiùs, quàm in futuro de tam immani facinore pœnas daret, quod & impetrauit. Haud enim multò pòſt à Clodomero victus & captus, interfectus eſt & in puteum abiectus. Vnde extractus & ad Agaunenſe Cœnobium relatus miraculis claruit, atque in Sanctorum tabulas relatus eſt, aniuerſariâ memoriâ celebrandus Calendis Maij. Baronius anno 526. Quod attinet ad miſerias corporales, quàm multos ante nos cernimus longè nobis miſeriores? Attende Lazarum, Seruulum, Martyres qui

Ante nos alij ſimili onere preſſi.

famem, vincula, infamiam, tormenta, aliaque, quæ tu fugis, vltrò elegerunt & expetiuerunt propter Chriſtum.

E. IV. Retrò nos bona opera noſtra.

QVARTÒ, Retro nos videmus bona, quæ pro Deo facimus; aut mala quæ pro eo ſuſtinuimus, aut certè peccata, quæ per pœnitentiam deleuimus, vel ſaltem adhuc & facilè delere poſſumus. Si quæ bona pro Chriſto fecimus, aut mala tolerauimus, felices nos, quia pignus æternæ mercedis habemus. Deus enim *debitorem ſe fecit*, ait Auguſtinus ſermone 16. de verbis Apoſtoli, *non tantum ſibi ſed & Chriſto & nobis, vt illi dicere poſſimus: Redde quod promiſiſti, quia fecimus quod iuſſiſti.* Deinde ſi peccata præterita per pœnitentiam deleuimus, iterum nos felices; ſic enim mortificata nocere nobis nequeunt ſed potiùs gaudium afferunt, ſi tamen bonâ fide ea nos expiaſſe putemus. Quemadmodum ergò Hebræi nequaquam conſternati ſunt, cùm extincta Ægyptiorum corpora viderunt ad littus maris rubri iacere, ſed inde potiùs recreati canticum Deo cecinerunt pro hoſtium ſuorum demerſione, *Exod.* 14. & 15. ita licet ſubinde ad memoriam redeant nobis præterita peccata, ſi tamen ea per pœnitentiam proiecimus in mare rubrum ſanguinis Chriſti, & bona fide extincta credimus, nihil eſt quod metuamus, ſed potiùs gaudeamus. Si ſcrupulus te angat, ne fortè adhuc viuant, quæ tu demerſa putas; vtere conſilio Confeſſarij, & proijce te in ſinum miſericordiæ diuinæ dicens: ſi euidenter aut valdè probabiliter mihi conſtaret adhuc à me deſiderari aliquid ad reportandam illorum veniam & ſalutem meam conſequendam, confeſtim omnibus poſthabitis ad illud manum admouerem. Quod ſi adhuc in te viuunt peccata tua: ecce tibi mare pœnitentiæ, merge hoſtes tuos. Homines quidem grauiter læſi vix ignoſcere nôrunt & ſupplicibus placari; vnde Numantini nunquam fore rati vt Romanis propitijs vterentur, quibus totis 20. annis repugnando, negotium maximum creauerant, deſperabundi tandem ſe ſuaque in rogum coniecerunt. Chauaſſ. *de prudentiâ lib.* 1. *cap.* 6. At verò hoc de Deo minimè timendum. Audiamus Ambroſium in Lucam: *Nemo diffidat, nemo veterum conſcius peccatorum, præmia diuina deſperet. Nouit enim Deus mutare ſententiam, ſi tu noueris mutare delictum.*

F. V. Extra & circa nos patrocinia Sanctorum.

QVINTÒ, Extra & circum nos videmus patrocinia Sanctorum. Et inprimis Chriſtus ipſemet repræſentat patri ſuo quinque vulnera ſua ſeu meritum paſſionis, pro nobis interpellando. Et ſi coram Deo, radiantiſſimo illo ſole, conſiſtere non poſſumus, Chriſtus tamen velut nubes obumbrans intercedit & calorem ac fulgorem illum temperat. S. Bernardus in quadam infirmitate viſus eſt ſibi ad tribunal Dei ſtare & accuſari acriter à dæmone. Cui reſpondit vir Sanctus: *Fateor, non ſum dignus ego, nec proprijs poſſum meritis regnum obtinere cælorum; cæterum duplici iure illud obtinens Dominus meus, hæreditate ſcilicet patris & merito paſſionis; altero ipſe contentus, alterum mihi donat, ex cuius dono iure illud mihi vendicans, non confundar.* In hoc verbo confuſus inimicus, conuentus ille ſolutus & homo Dei in ſe reuerſus eſt. Vt in eius vitâ libro primo cap. 12. Deinde Virgo Deipara velut omnium noſtrûm communis Mater nunquam ceſſit filio ſuo repræſentare materna vbera ſua pro ſalute noſtrâ. Ipſa enim ab Eccleſiâ vocatur, *Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra.* Sanctus Bernardus ſermo. de Natiuitate Mariæ ait: *Ad Patrem verebaris accedere? Ieſum tibi dedit Mediatorem. Aduocatum habere vis? ad ipſum & ad Mariam recurre. Exaudietur & ipſa pro ſuâ reuerentiâ; exaudiet vtique Matrem filius, & exaudiet filium pater. Filioli hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ.* An non illa Theophilum Archidiaconum in oppido Ciliciæ, qui proprio charactere ſe dæmoni deuouerat & Chriſtianiſmum abiurauerat, è profundo deſperationis barathro eripuit recuperato ei chirographo, poſtque eò ſanctitatis prouexit, vt catalogo Sanctorum adſcribi mereretur & 4. Febr. ſolemni memoriâ ab Eccleſiâ celebraretur? Denique *ad aliquem Sanctorum conuertere*, inquit Iob cap. 4. nimirum ad Angelum cuſtodem vel alium Sanctum: omnes enim ſalutem tuam ſitiunt. Echinus marinus cum præſagit tempeſtatem, calculum haud exiguum arripit, ſub ipſo tanquam anchorâ ſeipſum firmans & ſtabiliens; detinetur enim illius pondere, ne facilè à fluctibus trahatur atq; agitetur. Baſil. *lib.* 5. *hexam. cap.* 9. Fac & tu ſimiliter: calculus tuus ſit aliquis Sanctus, cùm ingruit tentatio. Refert S. Gregorius Turon. *de glor. Mart. cap.* 28. hominem quendam deſparatum, iamiam ſibi vitam laqueo erepturum, ſubinde inuocaſſe nomen S. Pauli, & dixiſſe, *adiuua me S. Paule.* Sed en funeſta vmbra præſto eſt, iubetque accelerare opus. Ille rurſum dum laqueo collum induit: *Beatiſſime Paule*, inquit, *eſto adiutor meus.* Sed dum vmbra rurſum viget, adeſt altera ei ſimilis, priorem obiurgans & clamans: *Fuge miſerrime, en Paulum Apoſtolum huc venientem; inuocatus enim ab hoc homine en adeſt.* Tunc euaneſcentibus vmbris, hic ad ſenſum ſuum reuerſus, & Crucem pectori imprimens pœnitentiam cum lachrymis egit.

G. VI. Intra nos deſolatio erigens ad ſpem.

SEXTÒ, Intra nos videmus perturbationem animi vndique obſeſſi & in anguſtias redacti, grauiſſimumque periculum ex quo magis ad ſpem erigi debemus, ſcientes quia rebus deſperatis Deus maximè adeſſe ſolet. Teſtem habemus S. Martinum qui à latronibus comprehenſus & iam quaſi enſe ſtricto feriendus, cùm poſteà rogaretur à latronibus, an timuiſſet, Reſpondit, *Nunquam ſe magis ſecurum fuiſſe, quod ſciret miſericordem Deum maximè in tentationibus affuturum*, vt in eius vita. Exemplo ſunt Dauid in deſerto Ziph à Saule obſeſſus & ope diuinâ ereptus. S. Felix Nolanus inter duos parietes occultatus apparitoribus per araneæ texturam. Heraclius in pugnâ contra inſolentem Choſroën Dei ope adiutus, qui paulò antè in maximas anguſtias redactus

ductus, quò ſe verteret, neſciebat?

Quare cùm tanta vndique ſit ſperandi ratio quibuſcunque afflictis, videat vnuſquiſque ne ipſe ſibi deſit; tunc enim impoſſibile eſt, vt pereat. At quâ ratione ſeipſum quis iuuabit? Audi Deum Ezech.18. *Proiicite à vobis omnes præuaricationes veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum: & quare moriemini, domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini, & viuite.* q. d. cur negligentiâ & impœnitentiâ veſtrâ committere vultis, vt moriamini? Si ego, inquit, qui ſupremus Iudex ſum, in veſtram partem inclino, & modis omnibus damnationis ſententiam à vobis auerto, *Quare moriemini domus Iſrael?* Cùm pro Actore habeatis Aduocatum, & pro Iudice Patronum, *quare moriemini?* Num quia Lex peccatores damnat? ſed ego vos abſoluo, *quare ergò moriemini?* An quia patres veſtri peccauerunt? At *viuo ego, quia filij non portabunt iniquitatem patrum; quare ergò moriemini?* An quia feciſtis pactum cum morte, & fœdus cum inferno? ſed in veſtra poteſtate eſt, diſſoluere hoc fœdus: *quare ergò moriemini?* An quia nimis arduum eſt vobis ad vitam contendere per legis cuſtodiam? At facilè eſt vobis comparare ſpiritum nouum, quo illuc rapiamini: *quare ergò moriemini?* An quia neci iam traditi eſtis à Iuſtitiâ diuinâ? At ego vos eripiam ex ipſis mortis faucibus; *quare ergò moriemini?* Narrat Plutarchus olim Virgines Meleſias furore actas, ſolitas ſibi mortem conſciſcere, cùm nihil haberent cauſæ, niſi, VOLO MORI. Dumque nec minis nec promiſſis ab hac re auerti poſſent, Sapientem quendam conſilium dediſſe, vt quotquot ſe necaſſent, publicè nudæ ſuſpenderentur. Infamiâ hæc Virgines à ſui cæde compeſcuit. Idem facit deſperatus, quod fecerunt Virgines illæ: nullam deſperandi cauſam habent, niſi, VOLO MORI. Vnde iure qui ſe necant, ſub patibulo inhumantur. Et quantus illorum vermis erit in inferno? quantus in iudicio, cùm eorum nuditas, turpitudo & inſania toti orbi reuelabitur? ſed ſerò ſapiunt Phryges. Sapiant igitur in tempore, vt gaudeant in æternitate.

CONCIO VII.

Fructus timoris Domini.

1. *Timor Dei initium eſt ſapientiæ.*
2. 3. *Expellit peccatum ab eoque præſeruat.*
4. *Confirmat in gratia.*
5. *Vincit timorem humanum.*
6. *Dat plurima alia bona.*

THEMA.

Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum. Matth. 9.

A. Timor Dei murus.

LIbro 2. *Eſdr. cap.* 4. Legimus, Hebræos, poſtquam rediiſſent è Babylone in terram ſuam ante omnia & ſummo ſtudio ad hoc omnes incubuiſſe, vt murum Ieroſolymæ variis locis interruptum & perfractum repararent, quò nimirum tuti contra inſidias hoſtium forent. Verùm Sanaballat, hoſtis Iudæorum, vbi hoc audiuit, venit manu armata, vt moliretur eis inſidias, & opus impediret; vidit enim eos, ſi muris ſe rursùm clauderent, iugum gentium facilè excuſſuros. Verùm Hebræi ad cohortationem Nehemiæ fortiter inſtabant operi, & vnâ manu tenebant gladium, alterâ ædificabant. Hunc in modum, Auditores, ſi contra hoſtium noſtrorum inſidias tuti eſſe volumus, ante omnia conemur ædificare murum animæ noſtræ, qui eſt timor Domini. Hoc enim ſi cingamur, nihil eſt quod metuamus de ſalute noſtrâ. At verò quia iſtud nouit noſter Sanaballat, id eſt, *inimicus in abſcondito* (hoc enim ſonat vox) omnibus modis conatur impedire hoc præſidium, vt ſic muro timoris deſtitutos, in ſuâ continere poteſtate & pro libitu tractare poſſit. Verum abſit, vt ceſſemus ab incepto opere; quin potiùs vnuſquiſque ſtrenuè adlaboret, vt hoc ſe muro claudat. Ita docuit facere filium ſuum Tobias, *timere* ſcilicet *Deum ab infantiâ.* Tob. 1. Ita docuit facere S. Bernardus Abbatem de S. Audomaro, cui in epiſtolâ 10. pro ſalute, *timorem Domini* precatur. Idem nobis inculcant paſſim SS. Literæ, nec non mater noſtra Eccleſia & hodiernum denique Euangelium. Atque vtinam ſicut in eo legimus, *Videntes turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum*: ita & nos omnes timeamus, Deumque glorificemus. Quanta verò ſint huius muri commoda, nunc audiemus.

B. I. Eſt initiũ ſapientiæ. 1.

PRIMÒ, *Initium ſapientiæ timor Domini*, ait David *Pſal.* 110. & Salomon *Prou.* 1. & Eccleſiaſticus *cap.* 1. Facit enim primò, vt homo ſibi attendat, ſe colligat & tueatur; veluti obſeſſi in aliquâ ciuitate, cùm aduertunt hoſtem machinari ſibi inſidias cuniculis aliiſque modis, ſedulò ſibi attendunt, quomodo ſe tueantur: conferunt ſua conſilia; colligunt ſe in arcem, cùm ſe hoſti impares vident, &c. Ita enim Eccleſ. c. 25. ait: *Qui timet Dominum ſuum, conuertetur ad cor ſuum.* Hanc ob cauſam dedit Deus legem, & promulgauit in monte Sinai, cum minis & terrore; micabant fulgura, reſonabant tonitrua, clangebat buccina, fumabat mons; quo nimirum populus ad legem magis intenderet, tùm capiendam tùm ſeruandam. Hinc etiam in ſcholis, vbi erudiuntur pueri ad ſcientiam; & in domo paternâ, vbi ad mores bonos, virga eminentiori loco conſpicua cernitur, ad cathedram vel feneſtram. Et hanc ob cauſam Plato tradendæ Philoſophiæ locum elegit illum, cui *Academia* nomen erat (vnde altioribus ſcholis hæc remanſit appellatio) quia frequentibus terræmotibus obnoxius erat, vt ita Auditores eius ſalutari timore ad ſapientiam capeſſendam componerentur: vt ſcribit Polybius de natali Platonis ſolo.

2. Facit ſecundò, vt homo agnoſcat, quæ ſint res verè magnæ, quæ paruæ; ita vt illas magnifaciat, has contemnat. Res autem verè magnæ, æternæ ſunt, vti beatitudo & gehenna: paruæ ſunt

d by Google

ſunt res temporales, diuitiæ, voluptates, honores. Has enim ſtulti mortales magni, illas nihili æſtimant. Vnde Eccleſiaſtes c. 10. ait: *Cor ſapientis in dextrâ eius, cor ſtulti in ſiniſtrâ illius.* q.d. Sapiunt, qui cor habent intentum ad bona dextra, id eſt: æterna: deſipiunt, qui ad ſiniſtra, id eſt temporalia. Iam verò timor Domini transfert cor à ſiniſtrâ parte ad dexteram, & facit hominem non fidere aut nimiùm inhærere fluxis bonis; ſed attendere potiùs ad æterna, & metuere ne pro exiguis & breui duraturis bonis perdat bona æterna, & incurrat mala æterna.

C. II. Expellit peccatum.

SECVNDÒ, *Timor Domini expellit peccatum*, ait Eccleſiaſticus c. 1. *nam qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.* Vnde & diſponit ad pœnitentiam, & introducit gratiam in hominem. Modum explicat S. Auguſt. *tract. 9. in epiſt.* S. Ioannis primam, per ſimilitudinem ſetæ & lini, ſeu aciculæ & fili. Quemadmodum enim ſeta priùs intrat quàm linum, acus quàm filum, cùm conſuitur calceus & veſtis: & linum aut filum non intraret, niſi præcederet ſeta vel acus; ita timor præcedit & inducit gratiam & charitatem in hominem. Sunt enim gratia & charitas res tenues & ſuaues, quæ non penetrant cor durum & amori carnali aſſuetum, niſi præcedat timor pœnæ, qui velut acus pungit & penetrat, atque ita viam aperit gratiæ & charitati. v. g. Ludunt in plateâ homines, ſaltant, pergræcantur, de pœnitentiâ & ſalute ſuâ nihil cogitantes: emicat repente fulgur de cœlo, ſequitur ingens tonitru cum fulmine terrifico: & mox perterrefacti excitantur, ſilent, ceſſant à propoſito opere, cruce ſe ſignant, Deo ſe commendant, & quandoque diſcedunt omnibus relictis. Ita cùm peccatores Deum obliti proſternunt ſe in voluptates & vitia, intonat fulminatque Deus, modò intentando peſtem, modò grandinem, modò bellum, mortem & periculum gehennæ. Hinc incipiunt peccatores redire ad cor, veniam, exorare, ad pœnitentiam confugere. Exemplo eſt Iacob Patriarcha *Geneſ.* 35. qui ob cædem Sichimitarum à filiis ſuis patratam, metuens incurſum & inſidias Chananæorum, confugit ad Deum & Sacrificium, conuocâtque omni domo ſuâ iuſſit eos abiicere Idola. Huic addamus aliud ſtupendum exemplum, quod refert Io. Moſchus *in prato ſpirit. cap.* 78. quod ſibi retuliſſe Ioannem Abbatem Theopoli in Ægypto aſſerit, refertque ex ore Abbatis Ioannis in hæc verba: *Ante modicum temporis venit ad me adoleſcens quidam & ait mihi: Amore Dei ſuſcipe me, volo enim penitere, &c.* Tum incipit iuuenis narrare: *Ego Domine mi Abba, plenus omni ſcelere, & nec cælo dignus nec terrâ, cùm ante hoc biduum audiſſem, diuitis cuiuſdam ex primariis ciuitatis huius filiam virginem eſſe defunctam, & cum multis ac pretioſis veſtibus ſepultam in vno extra ciuitatem monumento, ex conſuetudine peſſimi iſtius operis abij noctu ad tumulum, ingreſſuſque cæpi expoliare illam. Et cum omnibus iam ipſam exuiſſem, quibus erat induta, nec camiſiæ quidem ipſius parcens, ſed eam quoque auferens; nudamque ipſam vt nata fuerat, relinquens, è ſepulchro egredi volebam. Tunc illa reſedit coram me, ſiniſtramque manum ſuam extendens apprehendit dexteram meam, & ait ad me: Nequiſſime hominum itáne decuit te nudare me? an tu non times Deum, neque metuis damnationem vltimæ retributionis? Nónne vel ſaltem mortuæ miſereri debuiſti? ſed & Chriſtianus exiſtens ita me nudam aſſiſtere Chriſto honeſtum fore iudicaſti? &c. Quo corde, homo, quibus manibus accedens, ſumis ſanctum & pretioſum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti? Ego autem vt iſta conſpexi & audiui, pauore & formidine totus comprehenſus, tremens ac metuens, vix aio ad illam: Dimitte me, & iſtud vltrà non faciam. Quæ ait: Profectò non ita erit. Tu enim vt voluiſti, huc intraſti; ſed non ita vt volueris, hinc egredieris. Nam ſepulchrum iſtud commune erit ambobus. Neque putes te confeſtim moriturũ, ſed cùm hîc plures dies cruciatus fueris, malã male animam perditus reddes. Ego autem orabã illam cum lachrymis, vt dimitteret me, multũ illã per omnipotentẽ Deum adiurans, me iniquũ iſtud ac nefarium opus vltrà non facturum. Tandem poſt multas preces & lachrymas crebroſque meos ſingultus, reſpondens illa dixit mihi: Si vis viuere, & ab hac neceſſitate liberari, promitte mihi, quia ſi te dimiſero, non ſolùm ab his nefariis & profanis actibus tuis recedes, ſed ſtatim perges, & ſæculo renuncians efficieris Monachus, egeſque pœnitentiam pro his, quæ malè geſſiſti ſeruiens Chriſto. Ego autem iuraui ei, dicens: per Deum qui ſuſcepturus eſt animam meam, non ſolùm quæ dixiſti, faciã, ſed ab hoc hodiernâ die non ingrediar in domum meam; ſed hinc abiens in monaſterium proficiſcar. Tunc ait puella ad me: Indue me ſicut inueniſti priùs indutam. Cùm verò illam induiſſem, rursũ ſe collocans, mortua eſt. Hæc ego* (ſubdit Abbas Ioannes, quem ſuprà nominaui) *cùm ab adoleſcente audiſſem, reſouens eum ac erigens verbis, & prouocans ad pœnitentiam & continentiam, totondi illum, indutumque monaſtico habitu incluſi in ſpeluncâ in monte, magnificè gratias Deo agentem, certantemque viriliter pro animâ ſuâ.*

D. III. Præſeruat à peccatis.

TERTIÒ, *Per timorem Domini declinat omnis à malo*, inquit Sapiens *Prou.* 15. Et c. ſeq. *In timore Domini declinatur à malo.* Vnde à S. Chryſoſtomo comparatur ſatelliti excubanti ad fores Principis, excludenti eos, qui ingredi non debent. *Sicut enim in domo*, ait S. Chryſoſt. hom. 15. ad pop. Antioch. *ſtante milite ſemper armato, non latro, non fur, non alius quiſquam mala patrantiũ apparere propiùs audebit: ſic & metu animas noſtras detinente illiberalium nulla perturbationũ facilè nobis ſubrepit, &c.* S. Baſil. *orat. in 1. cap. libri Prouer.* comparat cum clauis, quibus homo quaſi crucifixus pungitur & retinetur, ne extendere queat manus pedeſque ad res prohibitas & noxias, iuxta orationem Dauidis Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis tuis timui.* Eoque alludit S. Iob. c. 31. vbi reddit rationem, cur pauperes & pupillos opprimere noluerit, etiamſi contra eos cauſam obtinuiſſet in iudicio: *Semper enim*, inquit, *quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Quem locum Græci verterunt: *Timor Dei contriuit me & captionem eius non feram.* q.d. timui ne ab illo caperer & punirer. Hæc denique eſt herba illa, quæ continet ſeruos Dei, vt in mediis peccandi periculis illæſi pertranſeant, quod quidam

Pater

Pater Societatis reſpondit Regi Luſitaniæ. Cùm enim in eius aulâ quidam Cœnobita ſine ſeriò ſiue ioco ſparſiſſet, Patres Societatis herbam quandam circumferre, quæ vim haberet perimédæ libidinis, eáque velut antidoto tutò poſſe verſari inter mulieres gynecæi, earumq́; confeſſiones excipere: peruenit tandem fama ad aures Regis; qui ſtatim miſit Ioannem de Zuniga ad Patres ſciſcitatum, quod herbæ genus illud eſſet. *Fecit imperata Ioannes, expoſitiſq́; Philippi mandatis ab Araoſio contendit, vt rem ſibi totam, quàm mox ad Principem exponeret, declararet. Haſit hic paulisper Araoſius, & rem totam indicaturum ſe eſſe reſpondit; modò is eam Principi, quemadmodum ab ſe acciperet, accuratè fideliterq́; referret. Cùm ille ſe recipere facturum: Veriſſimum, inquit Araoſius, eſt, quod de huius noſtræ herbæ poteſtate narratur: tantarum quippe virium eſt, vt non modò ad frangendas cupiditates libidineſque ſit vſui, verùm etiam tutum quoddam ad continendam linguam, & conterendam animi elationem, & omnia vitia perſananda præſidium: eademque multas facultates & proprietates complectitur, vt equidem valde velim & Principi & toti Curiæ notam ac familiarem. Porrò nemo neſcit varias à Deo virtutes inditas herbis, quarum beneficio ſolus is potiatur, qui cognitis & inuentis vtatur. Acuerunt hæc cupiditatem Ioannis, qui vt ſine mora ſibi nomen ederet tam ſalutaris herbæ, nec ſe diutiùs properantem ad Principem cunctaretur, ac ſuſpenſum haberet, acriùs inſtitit. Cui Araoſius: Hæc, inquit, herba, patrio noſtro Caſtellano ſermone, Timor Domini nuncupatur: is eas omnes, quas enumeraui, virtutes & multò plures continet; eoq́; quotquot de Societate ſumus, frequenter vtimur, eius præſidio innoxij in medijs flammis: eo inſtructis ac benè munitis vbiq́; gentium nobiſcum bene agitur.* Daurolt. in Catec. hiſ. c. 2. t. 4. ex Annal. Soc. an. 1545.

E. IV. Confirmat in gratiam. QVARTO, *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum*, ait Dauid *Pſal.* 24. q. d. Deus confirmat illos in gratiâ, qui ſemper eum timent. Quemadmodum enim pondus impoſitum columnæ, firmat eam: ita timor Dei cordi humano ſemper incumbens conſolidat eum in bono, & facit perſeuerare. Vnde S. Greg. *lib.* 5. *Mor. c.* 27. ait: *Anchora cordis eſt pondus timoris.* Et S. Hieronym. ad Fabiol. de 42. manſion. *Timor*, inquit, *virtutum cuſtos eſt.* Et Tertull. l. de cultu fœm. c. 2. *Timor fundamentum eſt ſalutis; timendo cauebimus, cauendo ſalui erimus*, &c. Tantum igitur abeſt, vt hic timor anxios nos & ſcrupuloſos faciat (vti contendunt hæretici) vt potiùs confirmet, & certiores de ſalute faciat: quia ſicut ſpes, ita etiam timor medium eſt à Deo ad ſalutem ordinatum: &, vt ait S. Bernardus *ſerm.* 15. *in Pſal.* Qui habitat: *Timor, ſpei maxima eſt materia, quia Timor eſt donum Dei dirigens nos ad ſalutem.* Hinc plerique lapſi, ex nimiâ ſecuritate & præſumptione lapſi ſunt, quòd nimium ſibi tribuerent aut confiderent, qui ſi cum metu & tremore ſalutem ſuã operati fuiſſent, nunquam cecidiſſent. Quemadmodum enim ignis in carbonibus, niſi cinere tegatur, breui extingui ſolet; ſub cinere fouetur: ita ſanctitas & iuſtitia abſque Dei timore citò euaneſcit, cum illo conſeruatur.

F. V. QVINTO, *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipſe eſt ſpes eius*, ait Eccl. c. 34. Quemadmodum enim virga Moyſis deuorauit virgas Magorum, ita timor Dei vincit, & quodammodò deuorat timorem humanum. Quis verò explicare queat, quàm multa mala pariat, & quàm multa bona impediat timor ille humanus? mentiri docet, vt famam conſerues vel nummos augeas: adulari docet: correctionem fraternam impedit: vltionem prouocat, vitia conſueta fouet, &c. At verò timor Dei vbi locum habet, ibi omnia hæc exulant. Non enim metuit confundi coram hominibus, qui timet confundi coram Deo & Angelis: non timet ſpoliari bonis terrenis, qui timet ſpoliari bonis cœleſtibus: non metuit damnari ad mortem, qui metuit damnari ad gehennam. Eaque cauſa eſt, cur SS. Martyres mortem & confuſionem temporalem tam læto exceperint animo, quia timor gehennæ & confuſionis æternæ non ſinebat eos attendere ad mortem & confuſionem momentaneam ac leuem. Vincit timorem humanũ.

G. Dat plurima bona. SEXTO, *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium*, ait Eccleſiaſtic. c. 1. Quid enim non dat timor? Dat bona temporalia, Pſal. 33. *Non eſt inopia timentibus eum.* Et Tob. 4. *Multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum.* Dat ſpem vitæ æternæ, quia quo magis Deum timemus, eo magis ei adhæremus. Vnde Eccl. c. 1. ait: *Timor Domini gloria & gloriatio & lætitia, & corona exultationis.* Dat conſolationem in articulo mortis. Vnde ibidem ſubdit Eccleſiaſticus: *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* Dat denique multam ſobolem, temporalem proſperitatem & vitam æternam, vti patet vel in obſtetricibus illis Ægyptiacis, quibus cùm timerent Deum, & nollent occidere infantes Iudæorum, prout facere iuſſæ erant, ædificauit Deus domos, partim videlicet in terrâ, per numeroſam prolem; partim etiam in cœlo, *Exod.* 1.

Hinc videre eſt, non fruſtrà conari dæmonem murum hunc timoris diſſipare & euertere. Nouit enim ipſe, quantum boni afferat timor, quantum mali praua ſecuritas. Experti ſunt incolæ ciuitatis Lais, *Iudic.* 18. quam cùm vidiſſent exploratores Danitarum in magnâ quiete ac ſecuritate vitam agere, reuerſi ad ſuos dixerunt: *Surgite, aſcendamus ad eos. Videmus terram valde opulentam & vberem, nolite negligere: eamus & poſſideamus eam: nullus erit labor, intrabimus ad ſecuros.* Tribus igitur Dan, quia quærebat ſibi poſſeſſionem ad inhabitandum (ſola enim ipſa ſortem non acceperat, ſatis amplam videlicet & idoneam, in terrâ promiſsâ) hanc occaſionem ſibi negligendam non reputabat. *Venerunt igitur* (Danitæ) *in Lais ad populum quieſcentẽ atq́; ſecurum, & percuſſerunt eum in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præſidium.* Dan *ſerpens & ceraſtes in ſemitâ* appellatur à Iacob *Geneſ.* 49. in quo diaboli typus eſt. Hic igitur quia in Eccleſiâ fidelium anguſtam valde poſſeſſionem ſibique parum idoneam habet, (vt quem Chriſtus alligauit & certis terminis conſtrinxit) quærit ampliorem ac commodiorẽ.

 Vbi

Vbi verò locorum eam reperit? vbi timor Dei abeſt, pax verò & ſecuritas adeſt. Ibi enim facilè occupat hominum animos, muro timoris deſtitutos, nemoque eſt, qui præſidium ferat. Vnde Apoſt. 1. *Theſſ.* 5. ait de hominibus poſtremo tempore victuris: *Cùm dixerint, pax & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Nos ergò, Auditores, ne quid ſimile nobis contingat, extruamus murum nobis in tempore, timorem Domini ſcilicet, & ne ad vnum quidem diem carere eo velimus: ne repente & improuisò obruat nos ceraſtes ille tartareus.

CONCIO VIII.

Documenta.

1. *Proponitur quid doceat Chriſtus relinquendo Geraſenos in ſuis tenebris, diuertendo in domum humilem, &c.*
2. *Quid paralyticus portatus in lecto: ſurgens & tollens lectum, &c.*
3. *Docent geſtatores ſedulò miniſtrare ægrotis: quantum bonum ſit ſocietas bona, &c.*
4. *Quomodo Scribæ abhorreant blaſphemias, & calumnientur Chriſtum.*
5. *Quid doceat turba timentes & glorificantes Deū.*

THEMA.

Videntes autem turba timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit talem poteſtatem hominibus. Matth. 9.

A. MVlta hominum turba intereſſe debuit huic ſpectaculo; ſiquidem Lucâ teſte paralyticus hic per oſtium domûs inferri ad Chriſtum præ turba non potuit, per tectum illatus eſt nec immeritò; magna enim & mira quædam comœdia exhibita in hac domo eſt. Nos ergo Auditores intrudamus & immiſceamus nos huic turbæ, ſeduloque conſideremus huius Comœdiæ perſonas ſingulas.

B. I. Chriſtus. 1. *Reliquit Geraſenos in ſuis tenebris.* Perſona PRIMA Chriſtus eſt, qui primo poſtquam Geraſeni eum rogauiſſent vt à ſe recederet (quod ipſius permiſſu porci à dæmonibus arrepti in mari periiſſent) rediit per mare in ciuitatem ſuam, vbi eum populus auidè expectabat: & reliquit in ſuis tenebris Geraſenos. Videte ergo Dei iuſtitiam & nolite repellere eius gratiam, fidem & Euangelium. Hinc enim receſſit à Iudæis tempore Apoſtolorum, quia repulerunt Euangelium, *Actor.* 1. & migrauit ad gentiles: hinc tempore Lutheri & Caluini, quia principes & populi Germanorum aliqui fidei Catholicæ iugum excuſſerunt, aſcendit nauim & migrauit in Iaponiam, Indiam, Chinam, Americam. Timendum ergò illi populo, qui ſuillis viuit moribus, indeque verbum Dei ſpernit, ne ſimilem euentum ſortiatur.

2. *Diuertit in domum humilem.* Secundò, Diuertit in domum humilem & pauperem: quod inde patet, quia per tegulas intromiſſus eſt paralyticus: ſublimiores autem Iudæorum domus non erant imbricibus tegulisque contectæ, ſed ſolaria habebant paulimento conſtrata. Hinc ergò patet quò diuertat Dominus, ad humiles ſcilicet.

3. *Paralyticum appellat filium.* Tertiò, Paralyticum, etſi peccatorem, *filium* appellat. *Confide fili*, Vide Chriſti humanitatem & ſuauiſſimum amorem, quo omnes complecti ſtuduit, neminem aſpernatus eſt; vnde & alibi dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis*, &c. Quàm hîc erubeſcere deberent multi heri, qui famulos ſuos non niſi nebulones, furciferos, ſtultos nôrunt appellare, cùm Dominus cœli & terræ infimum ſeruulum ſuū non dedignetur appellare filium! Adhæc vt magis eum ſoletur & erigat ad fiduciam: *Remittuntur*, inquit (non, remittentur,) *tibi peccata tua.* Tam bonus enim & ſuauis eſt Dominus, vt afflictum diu non ſuſpendat, ſed confeſtim ſubleuet, quantum eſt in ipſo.

4. *Confidere iubet.* Quartò, *Confide*, inquit. Vult ergò vt in ipſum firmiter ſperemus, etiam cùm omnibus rebus & auxiliis deſtituti ſumus, quemadmodum hic paralyticus, qui nec manum nec pedem poterat mouere; imò tunc nos *confidere*, id eſt, firmiter ſperare vult. Hac fiduciâ armatus S. Ioannes Eleëmoſynarius dicebat: *Etiamſi totus mundus conflueret Alexandriam eleemoſynæ causâ, eam omnibus darem; quia totus mundus non poteſt anguſtiare theſauros Dei, quorum ipſe me diſpenſatorem conſtituit.* Quare Deus eis ſtannum in argentum vertit, & tanto plus ſubminiſtrauit, quanto ille plus erogauit. Leontius in vita. Eâdem roboratus Theodorus monachus aiebat: *Si cœlum terræ adhæreat, Theodorus non formidat.* In vitis PP. *lib.* 5. *cap.* 7. Porrò hanc fiduciam maximè habere Chriſtiani debent, quia filij Dei; vti Sancta Catharina Senenſis moriens extremùm monuit: *Oportet*, inquit, *Chriſtianum magnam fiduciam habere de Dei prouidentia, ſcientem omnia quæ ſibi vel alijs eueniunt, ex diuinâ prouidentiâ prouenire, non ex odio illius, ſed dilectione eximiâ.*

5. *Remittit ei peccata.* Quintò, *Remittuntur tibi peccata tua*, ait: docens ægritudines corporales ſæpe gigni ab ægritudine animi ſeu peccato. Vnde boni chirurgi inſtar radicem mali aggredi & primò extirpare voluit, vt perfecta ſanitas, etiam corporis, conſequeretur. Ergò peccata noſtra germinant nobis virgas & flagella, quibus caſtigamur, vti etiam legimus Ezech. 7. *Iniquitas ſurrexit in virgâ impietatis*, q. d. Iudæorum ſcelera protulerunt gladium Nabuchodonoſoris, quo plecterentur. Huiuſmodi flagellum orbis erant Attila, Tamerlanes, alij, & vniuerſim penè omnes aduerſitates. Ergò cùm has ſentimus, extirpemus primò radicem earum, peccata. Sanemus priùs morbos animi, vt recipiamus ſanitatem corporis, cæleſtem quæramus Medicum inprimis, poſteà terrenum. Sed ferè contrarium vbique fit: corpori medela maximis impenſis quæritur: animæ cura in poſtremis habetur, vnde multi canum inſtar extinguuntur ſine pœnitentia, &c.

Perſona altera eſt Paralyticus, qui Primo portabatur in lecto omni membrorum vſu deſtitutus

Paralyticus. deſtitutus: vnde docet nos quantum bonum ſit ſanitas & membrorum integritas. Hoc

1\. *Portatur in lecto.* enim ſi minùs agnoſcimus, inde fit, quia experti non ſumus, quid ſit eſſe paralyticum, podagricum, hydropicum, cæcum, leproſum, vlceribus plenum. Interroga eos qui his malis affecti & audies.

2\. *Surgit & tollit lectum ſuũ.* Secundò, Ad Chriſti vocem ſurrexit, ſuſtulit lectum ſuum & ambulauit, eaque re docet nos tria ſigna, è quibus agnoſcere licet, dimiſſa nobis eſſe peccata, vt oſtendit S. Bernardus ſerm. de 4. orandi modis, cùm ait: *Et tu ergo ſi iam ſurgis deſiderio ſupernorum; ſi grabatum tollis, corpus ſcilicet à terrenis eleuans voluptatibus, vt iam non feratur anima concupiſcentijs eius; ſed magis ipſa, vt dignum eſt, regat illud & ferat quò non vult: ſi demum ambulas, quæ retrò ſunt obliuiſcens, & ad ea, quæ antè ſunt, te extendens deſiderio & propoſito proficiendi, curatum te eſſe non dubites.* Ex hiſce autem ſignis oritur in nobis certitudo coniecturalis ſanitatis ſeu iuſtitiæ noſtræ, quæ ſufficere nobis debet, nec maior quærenda eſt. Vult enim Deus nos verſari inter ſpem & metum, vt ſine intermiſſione ſalutem noſtram operemur.

3\. *Abit in domum ſuam.* Tertiò, Abijt in domum ſuam; iuxta Chriſti præceptum; docens nos curare non quæ aliena ſunt, ſed quæ noſtra. Abit in alienam domum, qui aliorum acta rimatur & taxat; ſua verò negligit. *Deut.* 24. præcipit Deus, vt qui debitum à proximo ſuo repetit, non ingrederetur domum eius, ſed foris ſtans exſpectaret, ne quis domos alienas rimaretur & res non ſuas alteri auferret. Hoc autem facit, qui ſe neglecto alios iudicat, vel reprehendit: *Vade in domum tuam*, ait Dominus.

Rurſum abeundum eſſe in domum noſtram, quæ eſt ſepulchrum & manſio noſtra æterna. Eò enim ablegauit aliquando Beatus Iacoponus diuitem Tudertinum, dum par pullorum, quos ſibi coëmptos deferre in domum ſuam Iacoponum iuſſerat, intulit eius monumento, quod ſibi diues parârat in æde Sancti Fortunati, (vti alibi retulimus) monens diuitem, ibi eſſe domum eius, eò commeatum & bonorum operum theſaurum omnem inferendum. Ita enim teſtatur Iob capite 30. dicens: *ſcio quia morti trades me, vbi conſtituta eſt domus omni viuenti.*

D. III. *Geſtatores.* Tertiò, Cernimus vectores, qui paralyticum portabant. Et hi docent Primò ſedulò & libenter miniſtrare ægrotis eorumque curam gerere.

1\. *Docet ſedulò miniſtrare ægrotis.* Ecce enim quantâ feſtinatione, ſolertiâ, patientiâ & conſtantiâ deferunt ægrum ad Chriſtum? Non expectant, donec turba recedat & facilis ſit acceſſus: non reſiliunt à cœpto opere propter obiecta impedimenta: non deſerunt paralyticum, ſed omnia media tentant, vt ſi per oſtium nequeant, per tegulas ingrediantur. Denique hi vectores, teſte Sancto Marco, quatuor erant. Sed vbi modò illi, qui tantâ charitate & alacritate ſeruiunt infirmis? Vix vnum ſæpe reperies, qui hoc munus ſubire velit, nedum quatuor. Hinc mira illorum charitas bene à Matthæo & Luca notatur voce, *Ecce*: *Ecce viri portantes in lecto hominem*, ait Lucas q.d. videte rarum & mirum charitatis exemplum. Vbi verò illi qui animas purgantes ſuis portant ſuffragiis ad conſpectum Dei?

Cæterum exempla aliquot Sanctorum, qui ægrotis impensè ſeruierunt, recenſet Pater Cornelius in *Iſaia cap.* 38. more ſuo ſuccinctè, quæ hîc adſcribam. *Gallicanus Martyr, vir conſularis, triumphalibus infulis ſublimatus, & Conſtantino Auguſto charus, à SS. Ioanne & Paulo ad Chriſti fidem conuerſus, cum ſancto Hilarino ad oſtia Tiberini ſecedens, hoſpitalitati & infirmorũ ſeruitio totum ſe dedit: cuius rei fama in vniuerſo orbe diuulgata, multi vndique illuc venientes videbant virum ex Patricio & Conſule lauantem pauperũ pedes, ponentem menſam, aquam manibus effundentem, languentibus ſollicitè miniſtrantem, & cætera pietatis officia exhibentem: hiſq́ actibus meruit martyrium, ad illudq́ ſe diſpoſuit. Martyrio enim à Iuliano Apoſtata affectus eſt, ita Baron. in Martyrolog. 25. Iunij ex Vſuardo & Adone. Quidam Apollonius nomine, cùm mundo renunciaſſet, & montem Nitriæ habitaſſet, & nec artem diſcere poſſet, nec literas, quòd ætate eſſet prouectus; viginti annis, quibus vixit in monte hanc habuit exercitationem. Suis pecunijs & ſuis laboribus emens Alexandriæ vaſa medica omnis generis, vniuerſæ fraternitati ea ſuppeditabat ad morbos: & licebat eum videre vſque ad horam nonam diſcurrentem obeundo monaſteria, & oſtia ingredientem, & videntẽ num quis decumberet. Portabat autem vuam paſſam, mala punica, oua, panem ſiligineum, & ea quibus opus habent ægroti. Hanc ſibi conferentem inuenit vitæ rationem vſque ad ſenium Chriſti ſeruus. Ita Palladius in hiſt. Lauſiaca cap. 4. & Niceph. 11. cap. 35.*

Placilla, Theodoſij Imp. vxor, miram ægrorum & mutilatorum curam gerebat, eiſq́ mira charitate inſeruiebat. In illorum enim domicilia ventitabat, & quæ quiſque indigeret re, eam illi ſuppeditabat; & Eccleſiarum hoſpitales domos circumiens, eos qui grauibus morbis lecto affixi erant, curabat. Non enim tantùm illorum attingebat ollas, & iuſcula delibabat; ſed & patellas admouebat, panem apponebat, ciborum fruſta auferebat, pocula eleuabat, aliaque omnia ſedulò & alacriter obibat, quæ ſeruorum & ancillarum ſunt officia. Ad eos verò qui miniſterium eius, quod per manus ipſa ſuas peragebat, inhibere conabantur, dicere ſolita erat: Imperio quidem conuenit, vt aurum id largiatur; ego verò manuum mearum opus pro imperio ipſo, ei qui id ſemel contulit, offero, ita Niceph. lib. 12. cap. 42. & Ioan. Nauclerus tom. 2. generat. 13.

S. Radegundis regina Franciæ hanc ſibi fixerat legem, vt omni Dominico die pauperibus collectis ipſa manu ſua potum porrigeret. Cùm leproſi venientes ſigno facto ſe proderent, oſculabatur vultus. Deinde menſâ poſitâ, ferens aquam calidam facies lauabat, manus vngens & vlcera; & rurſus adminiſtrabat ipſa, paſcens, per ſingulas. Recidentibus præbebat auri vel veſtimenti munuſcula. Cùm miniſtra diceret: Domina, quis te oſculabitur, quæ ita leproſos amplecteris? illa reſpondit beneuolè: Verè ſi me non oſculeris, hinc mihi cura nulla eſt, inquit. Fortunatus in vita eius lib. 1. c. 9.

Quantâ curâ & beneuolentiâ Euſtochiũ ſeruierit

S. Paula

S. Paulæ matri ægrotanti, enarrat S. Hieron. in Epitaphio Paulæ. Similia de S. Maria Oigniacenſi refert Cardin. Iacobus de Vitriaco lib. 2. vitæ eius cap. 3. de S. Catharina Senenſi Raimundus in eius vita.

S. Bernardini præ alijs Sanctis eluxit hac in re ardor: nam cùm anno Domini 1400. qui erat Iubilæus Senis ingens lues graſſaretur cum fœtore horribili & morte plurimorum, ipſe duodecim adoleſcentibus ignita oratione perſuaſit, vt ijs, ſe duce, totos impenderent: quod & præſtiterunt ipſo præeunte officioſiſſimè, in eius vita die 20. Maij apud Surium.

2. *Quãtum bonum ſit ſocietas bona.*

Secundò, Quantum bonum ſit ſocietas bona. Etenim viſâ portitorum fide & charitate Dominus impertit ſanitatem paralytico. Ergò noſtra merita poſſunt etiam alijs prodeſſe, in quorum ſalutem diriguntur. Ergò vtile eſt peccatoribus verſari inter bonos; quod experti illi, qui cum S. Paulo nauigarunt, *Actor.* 27. numero 23. qui omnes Paulo donati & in eius gratiam ſeruati ſunt, aliàs mergendi vel ob ſuam inobedientiam. Expertus Putiphar gentilis, cuius domui benedixit Dominus propter Ioſeph ſeruum eius, *Gen.* 39. Expertus Laban & ipſe gentilis, cuius ſubſtantiam multiplicauit Deus propter Iacob ſeruum, *Gen.* 30. Experti Sodomitæ, qui non periſſent, ſi vel decem iuſtos, imò auſim dicere, ſi vel vnum Loth iuſtum ſecum perſiſtentem habuiſſent, *Gen.* 18. & 19.

Patet etiam quàm ſalutaris ſit ſanctorum interuentus; hi enim partim exemplis, partim precibus ſuis deferunt ad Deum alios; quemadmodum & SS. Angeli animas noſtras, vti legimus de Lazaro mendico: *Factum eſt vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ,* Luc. 16.

3. *Impedimenta omnia perrumpenda, cũ ad Chriſtum accedendũ.*

Tertiò, Impedimenta omnia perrumpenda, cùm ad Chriſtum accedimus; ſiquidem & hi vectores tectum perfregerunt, vt ægrum Chriſto ſiſterent. Itaq; ſeruituri Deo virili animo ſuperent, quæ ſibi occurrent obſtacula, ad inſtar Zachæi, qui auditis obtrectatoribus ſeſe oppoſuit, & heroicum virtutis actum exſeruit dicens; *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſiquid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* q. d. quidquid ſit de priore vitâ, eſto peccator fuerim, vt hi dicunt: non ero tamen deinceps, &c. Vt enim flante vento magis ſe opponit & accendit ignis: ita *veram fidem impedimenta non retrahunt, ſed accendunt,* ait D. Bonauent. *Luc.* 5.

E. IV. Scribæ. 1. *Abhorrẽt à blaſphemijs.*

QVARTÒ, Cernimus Sribas & aduertimus Primò abhorrere à blaſphemijs. Cùm enim exiſtimarent blaſphemare Chriſtum, territi dicebant: *Hic blaſphemat.* q. d. quæ huius audacia & impietas? Bonus quidem zelus, ſi ſecundum ſcientiam foret. Itaque vel à Scribis iſtis monemur Chriſtiani blaſphemias execrari. Huiuſmodi zelotæ fuere Iuſtinianus Imperator, qui blaſphemos vltimo ſupplicio damnauit, vt patet *in Authent, colat. 6. tit.* 5. Philippus Auguſtus Francorum Rex, cuius primum à coronatione edictum fuit aduerſus blaſphemos, quo cenſuit in flumen citra mortem mergendos. Item S. Ludouicus Galliæ Rex, qui blaſphemorum linguas candente ferro adurebat; nec non reliqui Galliæ reges, qui circa regni auſpicia ferè à legibus & mulctis blaſphemorum faciunt initium, eoſque in chamo & fræno conſtringunt. Denique Senatus Argentinenſis; nam cùm anno ſalutis 1569. duo præſidiarij milites apud Argentinenſes in vincula eſſent coniecti, alter in Deum blaſphemans, alter in Præfectum cohortis iniurius. Pro illo ob ſpectatam fortitudinem, optimi quique intercedebant; pro hoc verò, nulli. Senatus prudens indignum ratus, violatorem Dei meliore conditione eſſe, quàm calumniatorem hominis, cauſæ cognitione ijs quibus oportuit demandata, vbi blaſphemiam horrendam, licet ab ebrio & emotæ mentis homine, admiſſam cognouit; plus diuinæ maieſtati quàm humanæ gratiæ & interceſſioni tribuendum ratus, ſupplicio capitali, extractâ per ceruicem linguâ blaſphemum affecit. Ita refert Theatr. vitæ humanæ *volum. 13. lib.* 4.

2. *Calumniatur Chriſtũ.*

Secundò, Videmus eos iniuriam inferre Chriſto, dum calumniantur eum loqui blaſphemiam. Idem nobis faciunt noui illi Scribæ, Hæretici, qui cùm Eccleſiæ dogmata euertere aut erroris arguere nequeant, conuertuntur ad calumnias, & mentiuntur nos adorare & credere plures Deos, ſanctos pro Dijs habere: adorare ligna & lapides: magis honorare Deiparam quàm Deum: Improbare nuptias: prohibere ſacram ſcripturam laicis, ne clericorum fraudes deprehendantur, &c.

F. V. Turbæ. 1. *Ægro ingreſſum negant, ſanato egreſſum concedũt.*

QVINTÒ, Cernimus turbas, & Primò quidem paralytico malè adhuc affecto ingreſſum ad Chriſtum negantes, ſanato verò egreſſum dantes. Atque hæc eſt mundi conſuetudo, vt pauperem, abiectum, infirmum omnes perditum eant, & à ſuo conſortio excludant; qui iacet, iaceat: **wer ligt / der ligt**: nemo ei ſubuenit, imò vt citiùs cadat, omnes annituntur. At cùm diues, felix, ſanus eſt, omnes ei fauent eumque in ſumma tollunt; quia fauorem reciprocum ab eo expectant. Ita Ioſeph natu minimus in paternâ domo à fratribus odio habitus & venditus eſt in Ægyptum: at Dux in Ægypto factus, ab iiſdem adoratus eſt. In carcere conſtitutus à pincernâ obliuioni traditus eſt: at euectus ad dignitatem principis, ab eo aliiſque ſummis honoribus cultus eſt. Quamdiu ipſe in Ægypto dominabatur, bene habitus eſt propter eum populus Hebræus; at eo mortuo exoſus factus & laboribus attritus eſt.

2. *Timent & glorificant Deum.*

Secundò, Timentes & Deum glorificantes *qui talem poteſtatem dedit hominibus.* Hinc docemur nos pro maximo beneficio agnoſcere Deumque glorificare, quòd in Eccleſiâ reliquerit & dederit Sacerdotibus poteſtatem ſanandi ægritudines animi ſeu peccata. Quanta enim hæc quæſo gratia foret, ſi daret nobis princeps tantæ auctoritatis officiales vt poſſent omnes mulctas, quas ille nobis decreuit, remittere & delere? quid ſi nos prætereà è proſcriptis & capitis reis aulicos, amicos & hæredes

hæredes principis poſſent conſtituere ? Hoc autem facere Sacerdotes poſſunt. Benedictus igitur Deus, *qui dedit talem poteſtatem hominibus.* Sed interim etiam timendum nobis ne hæc ipſa eximia gratia in iram & ſupplicium nobis cedat; quod fieri poteſt, Primò, ſi ea abutamur & ex præſumptione tam liberalis remiſſionis liberiùs delinquamus.

Secundo ſi eâ, cùm poſſimus, non vtamur vel non ſicut decet. Solet enim Deus vocare nos ad pænitentiam, primò quidem per beneficia; ſed ſi ijs non moueamur vel abutamur, iuſtitiam exſerit & gladium. Hinc enim procedendi ordinem tenuit cum Hebræis; primò innumeris beneficijs deuincere ſibi eos ſtuduit, educendo è ſeruitute Ægypti, ducendo per mare ſiccis pedibus, pluendo manna, mittendo coturnices, educendo è petrâ aquas, &c. At vbi hæc parum proficere vidit & reuerti eos in Ægyptum velle, murmurare & rebelles eſſe, tum iuſtitiam acuit, punijt eos ſerpentibus ignitis, igne graſſante, terræ hiatu, peſte alijſque plagis. Quare, Auditores, glorificemus inprimis Deum pro acceptis & quotidianis beneficijs: ſed interim timeamus etiam, ne ſi ingrati fuerimus, beneficia eius condemnent nos: & qui roſas nobis protulit, proferat tandem ſpinas.

CONCIO IX.

Myſteria.

1. *Exponitur cur aſcenderit Ieſus in nauiculam.*
2. *Cur ciuitas Chriſti Capharnaum.*
3. 4. *Cur abſoluit paralyticum à peccatis, eumq́; ſanat propter alterum fidem.*
5. *Quomodo concludat Chriſtus ſe poſſe dimittere peccata ex poteſtate ſanandi.*
6. *Cur iubeat ſanatum tollere grabatum ſuum.*
7. 8. *Quis ſit effectus miraculi, ecquid eo myſticè doceamur.*

THEMA.

Aſcendens IESVS *in nauiculam, tranſfretauit, &c. Matth. 9.*

A. PRæclarè S. Auguſtinus *ſerm. 44. de verbis Domini*, docet, quâ ratione miracula Chriſti obſeruare debeamus. *Dominus enim noſter* IESVS *Chriſtus*, inquit, *ea quæ faciebat corporaliter, etiam ſpiritualiter volebat intelligi. Neque enim tantùm miracula propter miracula faciebat; ſed vt illa quæ faciebat, miræ eſſent videntibus, vera eſſent intelligẽtibus. Quemadmodum qui videt literas in codice optimè ſcripto, & non nouit legere, laudat quidem antiquarij manum, admirans apicum pulchritudinem: ſed quid ſibi velint, quid indicent illi apices, neſcit, & eſt oculis laudator, mente non cognitor. Alius autẽ & laudat artificium, & capit intellectum: ille vtique, qui non ſolùm videre, quod commune eſt omnibus, poteſt, ſed etiam legere, quod qui non didicit, non poteſt. Ita qui viderunt Chriſti miracula, & non intellexerunt, quid ſibi vellent, & quid intelligentibus quodammodò innuerunt, mirati ſunt tantum, quia facta ſunt: Alij verò & facta mirati & intellectum conſecuti. Tales nos in ſcholâ Chriſti eſſe debemus* Hæc Auguſtinus. Certè ob hodiernum miraculum admirati ſunt ſpectatores *& magnificabãt Deum.* Quid tamen id ſibi vellet, non intellexerunt. Nos autem quia in ſcholâ Chriſti perfectiores eſſe debemus, & factum miremur & intellectum conſequamur.

B.
I.
Cur aſcẽdit Ieſus in nauiculam.
1.

QVAEST. PRIMA. Cur aſcendit Ieſus in nauiculam, qui aliàs ſuper aquas ambulare poterat, & verò ambulabat? Reſpondetur primò, vt oſtenderet humanæ naturæ in ſe veritatem Cùm enim Deus & homo eſſet, vtrumque oſtendere voluit in ſuis operibus; quia vtrumque credi debebat. Diuinitatem ergò oſtendit in miraculo, ſanando paralyticum mente & corpore, humanitatem verò aſcendendo in nauiculam. Poterat alioquin haud dubiè ſicco pede ambulare ſuper mare, vel id diuidere, quomodo per mare rubrum, *Exod.* 14. & rurſum per Iordanem duxerat olim populum ſuum. *Ioſue* 3. Nec non Eliam & Eliſæum, 4. Reg. 2.

2.

Secundò, vt doceret nos in omni actione noſtrâ bonâ admiſcere humilitatem, memoreſque eſſe infirmitatis noſtræ. Ita Dauid in omni gloriâ ſuâ non obliuiſcebatur fuiſſe ſe paſtorem. S. Paulus aſſumptus ad Apoſtolatum & tot gratijs donatus, ſedulò recordabatur fuiſſe ſe perſecutorem. Viligiſus Archiepiſcopus Moguntinus filium ſe eſſe Rhedarij, aſſumptis rotæ inſignibus; imò & gentilis etiam Agathocles filium ſe eſſe figuli, propoſitis in menſâ vaſis figulinis. Ita habet vnuſquiſque cur in ſuâ gloriâ, in bonis operibus & præclaris factis memoretur prioris ſuæ tenuitatis, priorum peccatorum.

C.
II.
Quæ ciuitas Chriſti & cur Capharnaũ.
1.

QVAEST. SECVNDA. Quænam hîc vocatur ciuitas Chriſti, & cur? Reſpondetur eam exprimi à S. Marco, Capharnaum videlicet. Quæ vocatur ciuitas Chriſti, primò quòd in eâ habitauerit, vt habetur *Matth.* 4. propterea quòd metropolis eſſet Galilææ & media inter Galilæam & regionem trans Iordanem, ideoq́ue hominum frequentiâ celebrior & ad docendos & lucrandos homines aptior. Hinc S. Chryſoſtomus tres Chriſti patrias diſtinguit, natiuitatis Bethlehem, educationis Nazareth, habitationis Capharnaum in adultâ ætate.

2.

Secundo, quia in eâ ciuitate maxima & plurima fecit miracula, vti obijciunt Chriſto Nazareni Luc. 4. *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tuâ.* Et Chriſtus ipſe Matth. 11. exprobat id Capharnao: *Quia ſi in Sodomis facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in te, fortè manſiſſent vſque ad hanc diem.*

D.
III.
Cur abſoluit paralyticũ à peccatis

QVAEST. TERTIA. Cur abſoluit Dominus paralyticum à peccatis priùs, quàm ſanet? Reſpondetur primò, vt oſtendat ægritudinem animæ longè eſſe periculoſiorem, quàm ſit ægritudo corporis, ideoq́ue à potiori & magis neceſſaria

2. neceſſariâ curâ incipiendum eſſe. Paralyticus & eius geſtatores attendebant tantùm ad ſanitatem corporalem: Chriſtus attendit potiſſimùm ad mentis ſanitatem. Itaque nos ante omnia quærere & petere debemus, quæ ſunt proficua animæ, *regnum cælorum & iuſtitiã eius.*

2. Secundò, vt oſtendat morbos corporales ſæpe oriri ex peccatis; idcircò priùs peccata, quaſi radicem morbi tollit, inſtar boni medici. Idem inſinuauit paralytico alteri, ad piſcinam probaticam ſanato, cùm dixit: *Ecce ſanus factus es: iam ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, Ioan. 5. Et Dauid ait: *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.* Pſ. 39. Hanc ob cauſam Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. præcepit Can. 12. *Vt cùm Medicos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant, vt medicos aduocent animarum, vt poſtquam infirmis fuerit de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubriùs procedatur, cùm causâ ceſſante ceſſet effectus.* Adde ſanitatem faciliùs impetrari ab eo, qui eſt in Dei gratiâ, quàm qui in peccatis hæret.

E. IV. Cur propter aliorum fidẽ ſanat ægrum. 1. QVAEST. QVARTA. Cur propter aliorum fidem ſanat paralyticum corpore & mente? Reſpondetur primò, attendiſſe etiam Chriſtum ad fidem paralytici, non tantùm portitorum eius. Magnam enim & ipſe fidem habuit, cùm attolli ſe in tectum & in domum ſe demitti paſſus eſt. Intellige ergò *fidem illorum*, fidem paralytici & geſtatorum eius, qui ſuâ etiam fide adiuuabant fidem illius, & mouebant Chriſtum ad conferendam ſanitatem.

Reſpondetur Secundò, fidem petentium impetrare quidem alijs ſanitatem mentis & corporis, ſed de congruo, ſeu ex Dei clementiâ; non de condigno, ſeu ex iuſtitiâ; deinde ſanitatem mentis non niſi diſpoſitiuè, hoc eſt, impetrare eis diſpoſitionem ad recipiendam animæ ſalutem, fidem, pœnitentiam, &c. ipſis nimirum cooperantibus; ſanitatem verò corporis obtinere alijs, etiam ipſis nihil cooperantibus.

F. V. Quomodo concludit Chriſtus. 1. QVAEST. QVINTA. Quomodo concludit Chriſtus dimittere ſe poſſe peccata ex poteſtate ſanandi? Reſpondetur primò, Chriſtum ex viſibili miraculo (ſanationis paralytici) voluiſſe oſtendere, ſe habere poteſtatem inuiſibilem dimittendi peccata; quod licet ſecundum ſe maius ſit, minus tamen videtur hominibus, quia non videtur: prioris enim miraculi effectus ſub ſenſum cadit, hic non item. Sic dicimus faciliùs eſſe loqui de excentricis vel ſtellarum numero, materiâ, magnitudine, diſtantiâ, operatione, &c. quàm de ijs, quæ circa nos ſunt: non quod horum ſcientia ſit difficilior, ſed quod faciliùs poſſit redargui erroris. Ita ergò ſanare paralyticum ſecundum ſe minus erat, quàm remittere peccata: ſed tamen maius quid videbatur; quia hoc ſenſibus erat ſubiectum; illud non item. Quare ſi hæc duo opera conſiderantur reſpectu Dei, paria ſunt: quia Deo vtrumque eſt æquè facilè. Si ſecundum ſe; maius eſt remittere peccata, quia hoc ſuperioris ordinis (ſicut gratia nobilior eſt naturâ) & quia hoc habet in homine reſiſtentiam: illud non habet. Si denique ſecundum nos, ſeu cognitionem noſtram: maius quid eſt ſanare paralyticum, quàm dimittere peccata.

Reſpondetur ſecundò fortè aptiùs, Chriſtum non comparare hæc duo inter ſe, ſed dicere velle: Hæc duo, dimittere peccata, & ſanare paralyticum, Deo æquè poſſibilia, homini verò æquè impoſſibilia ſunt, adeoq; vtrumque diuinæ & pluſquam humanæ virtutis eſt. Ergò ſi vnum fecero in confirmationem alterius, quòd nimirum habeam poteſtatem diuinam dimittendi peccata, vtique credendum eſt me habere poteſtatem faciendi & alterum: (Nequeunt enim fieri miracula ad confirmationem falſi dogmatis) adeoque non blaſphemare, ſed habere poteſtatem diuinam remittendi peccata. Remittere peccata Deo ſoli competit, tanquam primæ & independenti cauſæ; Chriſto verò autoritatiuè ob intrinſecam vnionem diuinitatis; nec non meritoriè: Sacerdotibus tanquam Chriſti miniſtris & merè gratiâ. 2.

G. VI. Quare iubet ſanatum tollere grabatum ſuum. 1. QVAEST. SEXTA. Quare iubet ſanatum tollere grabatum ſuum? Reſpondetur primò, in confirmationem ſanitatis verè & integrè recuperatæ: ſiquidem is lectum iam portaret, à quo priùs portabatur.

2. Secundò, In confirmationem effectus remiſſionis peccatorum, quòd nimirum verè & integrè remittantur, non autem tegantur ſolùm, vti volunt hæretici.

H. VII. Quis effectus miraculi. QVAEST. SEPTIMA. Quis effectus conſecutus eſt hoc miraculum? Reſpondetur triplex: Timuerunt turbæ, admiratæ ſunt, (ſecundum Marcum & Lucam) glorificabant Deum.

Timuerunt ob præſentiam ſuperioris & diuinæ virtutis. Admiranda enim Dei opera, ſceleſtis præſertim hominibus incutiunt timorem, ne ob ſua ſcelera à Deo puniantur. Admiratæ ſunt ob rei nouitatem & ſublimitatem, quòd nimirum homo poſſit tam mirabiliter ſanare & remittere peccata. Glorificabant Deum, quòd talem poteſtatem dederit hominibus. Multò æquiùs Deum glorificamus, quòd dederit hominibus poteſtatem remittendi peccata.

I. VIII. Quid hoc miraculo docemur. 1. QVAEST. OCTAVA. Quid hoc miraculo docemur myſticè? Reſpondetur primò ſenſu allegorico: Chriſtus aſcendit in nauiculam, quando in mundum veniens aſſumpſit naturam humanam. Quid aliud eſt corpus humanum, niſi nauicula in principio & fine, infantiâ, inquam & ſenectâ, anguſta, id eſt, imbecillis, miſera, cæca: in medio iuuentutis lata, iucunda, robuſtâ, intelligens? Hac nauiculâ transfretamus ad portum alterius ſæculi. In hac nauiculâ venit Chriſtus in ciuitatem ſuam, ſeu mundum hunc ſuum, quem fecit. *In propria venit*, ait Ioannes cap. 1. Ibi offertur ei paralyticus ſanandus, genus humanum peccato corruptum & impeditum ab vſu membrorum, quibus ad cœlum pergeret. Sanat Chriſtus paralyticum ſuâ prædicatione

dicatione & paſſione: interim Phariſæi blaſphemiæ eum arguunt, dum coram Iudicibus eum velut blaſphemum accuſant & in cruce illudunt. Effectus ſanationis paralytici ſignificat effectum redemptionis humanæ ſecundum Hilar. *Can. 8. in Matth.* Nam vox *ſurge* indicat peccatorum remiſſionem & reconciliationem hominis cùm Deo per gratiam *tolle lectum tuum*, indicat: corporum reſurrectionem; *vade in domum tuam*, declarat cœleſte regnum quod verè eſt noſtra domus & patria, ad quam creati ſumus & extra quam nunc peregrinamur.

Reſpondetur ſecundò, Senſu tropologico paralyticus eſt peccator bonorum operum exercitio deſtitutus. Hic volens Chriſtum eiuſque gratiam quærere impeditur à turbâ cogitationum retrahentium, timore, pudore, amore. Immittitur per tectum, id eſt, per arcana ſacræ Scripturæ explicata & reſerata. *Ponitur ante Chriſtum* à portitoribus, confeſſarijs, prædicatoribus, paſtoribus. Iubetur *ſurgere*, cùm iubetur deinceps abſtinere à peccatis: *tollere lectum*, cùm monetur per opera ſatisfactionis caſtigare corpus ſuum & peccandi occaſiones vitare; *ire in domum ſuam*, cùm iubetur ambulare in vitæ nouitate & pergere ad patriam ſuam cœleſtem.

DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Matth. 22.

IN illo tempore: Loquebatur IESVS cum diſcipulis ſuis, in parabolis, dicens: Simile eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias: & nolebant venire. Iterum miſit alios ſeruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam: Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt: & miſsis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit. Tunc ait ſeruis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egreſsi ſerui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos. Et impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Intrauit autem rex, vt videret diſcumbentes: & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex miniſtris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

CONCIONES.

I. Paucitas electorum oſtenditur.
II. Supplicia damnatorum capitalia.
III. Cur tam varijs pœnis inferi exagitentur.
IV. Iuſta peccatoris condemnatio oſtenditur.
V. Excuſationes peccatorum variæ retunduntur.
VI. Media ac modi quibus Deus vocat.
VII. Præparatio ad imminentem peſtem.
VIII. Documenta.
IX. Myſteria.

CONCIO I.

Paucitas electorum oſtenditur.

1. Ex legis veteris ſententijs, ſimilitudinibus & figuris, legis nouæ parabolis.
2. 3. Ex SS. Patribus & hiſtorijs.
4. Ex inductione.
5. Ex ratione.

THEMA.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi
Matth. 22.

A. TRiſte & funeſtum nuncium vobis afferret, Auditores, qui prædiceret certiſque argumentis oſtenderet orituram in hac vrbe peſtem, quæ maiorem hominum partem conſumptura eſſet. Quis enim tunc non metueret? quis ſibi non conſuleret ſeu fugâ, ſeu pharmacis peſtem auertentibus? quis non ſibi ipſi diceret: quid ſi & tu moriaris? Prædicit nobis in hodierno Euangelio veritas diuina peſtem funeſtiſſimam, quâ maxima pars hominum erit abſumenda, & morte non tranſiturâ ſed æterna depaſcenda, cùm ait: ***Multi ſunt vocati, pauci verò electi.*** Quis non cohorreſcat & totis artubus tremat? Ita enim exclamat S. Gregor. in hæc verba, hom. 38. in Euang. *Tremendum eſt valde*, inquit, *fratres chariſſimi, quod audiuimus. Quia vocati ſumus, nouimus: ſi ſimus electi, neſcimus. Tantò ergo neceſſe eſt, vt vnuſquiſque noſtrum in humilitate ſe deprimat, quantò ſe an ſit electus, ignorat.* Quò verò iſta veritas animis noſtris firmiùs imprimatur, eandem pluribus teſtimonijs ſolidabimus.

B. I. Oſtenditur ex Scriptura veteris legis. 1. Sententijs.

PRIMÒ, Ex Scripturâ, vetere & nouâ. In vetere aſſeritur primò certis temporibus vix repertum in mundo virum bonum, vti Pſ. 13. *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Et Ierem. 5. *Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Et Oſe. 4. *Non eſt veritas & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, & homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Vnde concludit Iſaias cap. 5. *Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino, & deſcendent fortes eius & populus eius & ſublimes glorioſiq; eius ad eum.*

2. Similitudinibus.

Idem explicatur per ſimilitudines. Primò, 4. Eſd. 8. (qui liber etſi non authenticus, magnæ tamen authoritatis eſt.) Ibi ſcribitur: *Hoc ſæculum fecit altiſſimus propter multos, futurum autem propter paucos. Quomodo dabit terram multam magis, vnde fiat fictile, paruum autem puluerem, vnde aurum fit: ſic & actus præſentis ſæculi. Multi quidem creati ſunt, pauci autem ſaluabuntur.* Et c. 9. *Olim locutus ſum & nunc dico & poſteà dicam quoniam plures ſunt qui pereunt, quàm qui ſaluabuntur: ſicut multiplicatur fluctus ſuper guttam.* Secundò,
2. Iſaiæ 24. *Hæc erunt in medio terræ in medio populorum, quomodo ſi pauca oliuæ quæ remanſerint, excutiantur ex oleâ, & racemi cùm fuerit finita vindemia Hi leuabunt vocem ſuam atque laudabunt.* Quod quidem ſecundum literam pertinet ad tempus Antichriſti. Tertiò Michææ 7. *Væ mihi quia factus ſum*, ait propheta, vel potiùs Spiritus S. per
3. os eius, *ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*; (poſt vindemiam ſcilicet factam) *non eſt botrus ad comedendum.* Vbi quæritur, vt videmus, Diabolum facere in mundo vindemiam: Deum autem quaſi colligere racemos, qui fugerunt *manus vindemiatorum.* Quartò, Amos 3. 4.
Hæc dicit Dominus: quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura aut extremum auriculæ: ſic eruentur filij Iſraël. q. d. pauci tantum ijque viles & pauperes ferè eruentur ex ore (ad literam) Aſſyriorum: (ſenſu tropologico(Dæmonis.

3. Figuris.

1. Idem per figuras confirmatur primò: *Gen.* 7. legimus in vniuerſali diluuio octo tantùm animas ſaluatas eſſe. Secundò, *Geneſ.* 19. legimus
2. vnicum Loth cum vxore & binis filiabus ab incendio Sodomorum erutum, in ijs verò ne decem quidem iuſtos eſſe inuentos. Tertiò, *in*
3. *lib. Exod. c.* 12. legimus ſexcenta millia virorum præter mulieres & paruulos exijſſe de Ægypto, & ex tanto numero non niſi duos, Ioſuen & Caleb, intrâſſe in terram promiſſionis, reliquos omnes qui Ægypto exierant, perijſſe in deſerto, *Num.* 14. Hæc autem omnia figuratè inſinuârunt paucitatem Electorum.

Legis nouæ.

1. In nouo teſtamento legimus primò, in hodierno Euang. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.*
2. Secundò, Matth. 7. ait Dominus: *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam! & pauci ſunt, qui inueniunt eam.*
3. Tertiò, Luc. 13. quærentibus diſcipulis, *Si pauci ſunt, qui ſaluantur?* Reſpondit Dominus: *Contendite intrare per anguſtam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.*

Ex parabolis.

Idem confirmatur ex parabolis Chriſti, ſimilitudinibus & figuris *Luc.* 14. ex multis inuitatis ad cœnam pauci venerunt *Luc.* 8. tres ſementis partes infrugiferæ fuerunt: quarta ſolùm in terram bonam cecidit. *Matth.* 3. Reprobi comparantur paleis, electi verò tritico. Ad *Rom.* 8. reprobi comparantur vaſis fictilibus & ligneis alicuius domûs: electi aureis & argenteis. Quis autem neſcit longè plura vaſa lignea & fictilia eſſe in eadem domo, quàm aurea & argentea? denique è decem leproſis non niſi vnus redijt, vt daret gloriam Deo.

C. II. Ex SS. Patribus.

SECVNDÒ, Ex Patribus. Primò ex Origine in Matth. 22. *Si quis conſideret*, inquit, *multitudinem eorum, qui in Eccleſijs congregantur, & diſcuſſerit, quanti ſunt, qui conuerterunt, diſciplinatè iudicabit eſſe verum ſermonem Dei, dicentis: Multi ſũt vocati, pauci verò electi.* Secundò ex S. Auguſtino lib. 3. cont. Creſcen. c. 65. *Ipſi*, ait, *boni viriq; Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt, comparatione malorũ falſorumq; itidem pauci ſunt. Sic multa grana, quibus horrea multa complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* Tertiò ex S. Chryſoſt. hom. 64 ad pop. *Multò ſunt plures*, inquit, *gehennam ingredientes, ſed maius eſt regnum cœlorum.* Et homil. 40. *Quot putatis eſſe in hac ciuitate noſtrâ* (Antiochiâ) *qui ſalui fiant? Infeſtum quidem eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen: non poſſunt inueniri in tot millibus centum, qui ſaluentur, quin & de his dubito. Quanta enim in iuuenibus malitia? quantus in ſenibus torpor*, &c. Quartò ex S. Greg. homil. 19. in Euang. *Ad fidem plures veniunt*, ait, *&*

ad

ad cæleſte regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam feſtiuitatem (Septuageſimam intelligit) *quàm multi conuenimus? Eccleſiæ parietes implemus, ſed tamen quis ſciat, quàm pauci ſunt, qui in illo electorum Dei grege numerantur? Ecce enim vox omnium Chriſtum clamat, ſed vita omnium non clamat. Pleriqúe Deum vocibus ſequuntur, moribus fugiunt.* Sanctus etiam Simeon Anachoreta dixit ex decem millibus vix reperiri vnam animam, quæ ad manum SS. Angelorum perueniret. Apud Baron. tom. 10. anno 976.

D. III. Ex hiſtoriis. 1. TERTIÒ, Ex hiſtoriis. Primò ex vita S. Bernardi Abbatis Clareuallenſis, qui cùm ex hac vita migraſſet anno 1153. 13. Cal. Septemb. anno ætatis ſuæ 64. horrenda viſio Lingonienſi Epiſcopo facta eſt. Apparuit namque ei Eremita quidam mortuus, quem viuentem olim nouerat, qui diuino timore compunctus ante aliquot annos, cùm eſſet Decanus, diues & nominatus, omnia contemnens, Eremitorium pro Chriſti amore intrauit. Quem cùm de ſtatu ſuo & diuini iudicij diſtrictione interrogaſſet, ille reſpondit: *Eâ horâ, in quâ ego de corpore migraui, triginta hominum millia ab hac luce tranſierunt. E quibus Bernardus Clareuallenſis Abbas, qui eâdem hora obiit, vnà mecum ad cælos euolauit; tres alij ad purgatorium miſſi ſunt; cæteri omnes per ſententiam iuſti Iudicij condemnati, ad infernum perpetuò cruciandi deſcenderunt.* Io. Trithem. in Chron. Hirſaug ad annum 1160.

2. Secundò, Ex annalibus Franciſcanorum refert Platus *li. 1. de bono ſtatu relig. cap. 5.* Franciſcanum quendam nomine Bertoldum patriâ Ratisbonenſem concionatorem inſignem, vi & ſpiritu dicendi mulierem peccatricem eò contritionis (de certo quodam peccato) adegiſſe, vt in concione mortua conciderit. Verùm cùm omnibus in preces procumbentibus paulò pòſt reuixiſſet, narrauit mortis cauſam, iuſſamque ſe ad corpus redire, vt peccatum illud confeſſione expiaret. Narrabat verò inter alia: *Cùm apparui ad tribunal Dei, adducta ſunt eò ſexaginta animarum millia, quæ toto orbe è vita exceſſerant, atq; ex his tres tantùm addicta fuerunt purgatorio, reliqui omnes ad ignem æternum damnatæ.* Vnum autem ex Franciſcanis fratribus eodem tempore defunctum per purgatorium quidem tranſiſſe, ſed tamen ibi non modò non diutiùs commoratum, verùm etiam par animarum, quæ præcipuâ cum eo amicitiâ coniunctæ fuerant, ſecum in cœlum abduxiſſe. Quis hæc audiens non totis artubus contremiſcat, & ſaluti ſuæ conſulat?

3. Tertiò, Thomas Cantipratanus *lib. 1. Apum cap. 10.* ſcribit anno 1238. mortuum Cancellarium quendam Pariſienſem, Philippum nomine, qui non multò pòſt apparuit Guilielmo eius ciuitatis Epiſcopo, aſſerens ſe damnatum ob cauſas, quas recenſuit; ad extremum verò interrogauit, vtrùm mundus adhuc ſubſiſteret. Annuente cum admiratione Epiſcopo, ſubdit ille: *Ne mirare, quòd hoc interrogem, quia in inferno nec ratio, nec ſcientia, nec intellectus eſt. Tantus verò numerus damnatorũ deſcendit ad infernum, quamdiu in eo ſum, vt nunquam crediſſem, tot homines reperiri in vniuerſo mundo.*

E. IV. Ex inductione. QVARTÒ, Ex inductione. Primò enim maxima pars orbis terræ in Chriſtum vel omninò non credit, vel non rectè credit. Quantum enim fidei inuenies in Africa, Aſia, & America, niſi quam elapſo ſæculo intulere noſtri in aliquibus earum partibus? Reſtat igitur Europa, ex quatuor orbis terræ partibus omnium minima. Et in hac ipſa quot ſunt nationes Turcicæ & hæreticæ? quot millia Iudæorum vndique diſperſa? Sanè Lud. Granat. in Duce peccator. l. 1. cap. 26. ait: *Negare mihi non potes ex centum huius terrarum orbis partibus vix vnam eſſe Chriſtianam, & ex 99. cæteris ne vnam quidem eſſe ſaluandam; etenim extra controuerſiam eſt, quòd ſicut extra arcam Noe tempore diluuij nullus conſeruatus eſt, nec extra domum Raab in ciuitate Ierichontinâ: ita nemo ſaluus fiat, qui extra domum Dei, quæ eſt Eccleſia, deprehenditur. Cæterùm partem eam, quæ Chriſtianorum nomine celebris eſt, intuere & vide, quo loco res Chriſtianorum hoc exulceratiſſimo ſæculo ſint conſtituta: & fateberis in hoc corpore myſtico à plantâ pedis ad verticem capitis vix aliquod membrum ſanum reperiri. Cape, quamcumque vis ex ciuitatibus celebrioribus, in quibus puræ & ſinceræ religionis atque doctrinæ extent adhuc veſtigia: diſcurre poſtea per minora oppida, pagos, vicos & caſtella, in quibus vix religionis reperitur memoria, & non inuenies virum facientem iudicium & quærentem fidem. Perambula porrò, non dico tabernas & loca publica (ea enim ferè mendacijs, nugis, impoſturis, ludis, ebrietatibus ſunt dicata) ſed domos vicinorum, & audies vndique murmura, mendacia, execrationes, iuramenta, & blaſphemias, lites, contentiones, minas, calumnias. Re denique ipsâ experiere, corda & linguas hominum nullis alijs rebus vacare, quàm terrenis & proprijs commodis, nec audies ampliùs Deum nominari, niſi iuramentis & blaſphemijs, in quibus Dei nomine abutuntur, ita vt per notas exteriores vix ſciri queat, an populus hic Chriſtianus ſit, an verò gentilis: niſi fortè per modum, quo campanas cognoſcimus, quæ quidem non videntur à longè, ſed ex ſonitu cognoſcuntur: ſic eos ex iuramentis & blaſphemiis cognoſcas, quæ è vicino audiuntur; cætera ſciri aut iudicari non poſſunt. Sed, quæſo, quomodo poſſunt tales annumerari ijs, de quibus dicit Iſaias cap. 61. Qui viderint eos, cognoſcent illos quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus?* hæc ferè Granat. & veriſſimè. Rurſum quot millia ſagorum & ſagarum ſunt in orbe Chriſtiano? Quot reprobi milites, homicidiis, furtis, rapinis, blaſphemiis, adulteriis inquinati? Quot infideles ſerui? vt in eos vſurpare poſſimus id Domini: *Quis, putas, eſt fidelis ſeruus?* Quot diuites peruerſi? Non enim fruſtrà dixit Eccleſiaſticus c. 31. *Beatus diues, qui inuentus eſt ſine maculâ, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecunia theſauris: Quis eſt hic & laudabimus eum.* Quot etiam reprobi pauperes, qui furtis ſuæ neceſſitati conſulunt?

Quin de Clericis S. Gregor. *homil.* 17. *in Euang.* prædicare non dubitauit: *Ecce mundus totus Sacerdotibus plenus eſt, ſed tamen in meſſe Dei rarus valde inuenitur operator: quia officium quidem ſacerdotale ſuſcipimus, ſed opus officij non implemus.* Et Apoſtolus ad Phil 2. ait: *Omnes quæ ſua ſunt,*

Vbi verò locorum eam reperit? vbi timor Dei abeſt, pax verò & ſecuritas adeſt. Ibi enim facilè occupat hominum animos, muro timoris deſtitutos, nemoque eſt, qui præſidium ferat. Vnde Apoſt. 1. *Theſſ.* 5. ait de hominibus poſtremo tempore victuris: *Cùm dixerint, pax & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Nos ergò, Auditores, ne quid ſimile nobis contingat, extruamus murum nobis in tempore, timorem Domini ſcilicet, & ne ad vnum quidem diem carere eo velimus: ne repente & improuisò obruat nos ceraſtes ille tartareus.

CONCIO VIII.

Documenta.

1. *Proponitur quid doceat Chriſtus relinquendo Geraſenos in ſuis tenebris, diuertendo in domum humilem, &c.*
2. *Quid paralyticus portatus in lecto: ſurgens & tollens lectum, &c.*
3. *Docent geſtatores ſedulò miniſtrare ægrotis: quantum bonum ſit ſocietas bona, &c.*
4. *Quomodo Scribæ abhorreant blaſphemias, & calumnientur Chriſtum.*
5. *Quid doceãt turba timentes & glorificantes Deũ.*

THEMA.

Videntes autem turba timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit talem poteſtatem hominibus. Matth. 9.

A. MVlta hominum turba intereſſe debuit huic ſpectaculo; ſiquidem Lucâ teſte paralyticus hic per oſtium domûs inferri ad Chriſtum præ turba non potuit, per tectum illatus eſt nec immeritò; magna enim & mira quædam comœdia exhibita in hac domo eſt. Nos ergo Auditores intrudamus & immiſceamus nos huic turbæ, ſeduloque conſideremus huius Comœdiæ perſonas ſingulas.

B. I. Chriſtus. 1. *Reliquit Geraſenos in ſuis tenebris.*

Perſona PRIMA Chriſtus eſt, qui primo poſtquam Geraſeni eum rogauiſſent vt à ſe recederet (quod ipſius permiſſu porci à dæmonibus arrepti in mari periiſſent) rediit per mare in ciuitatem ſuam, vbi eum populus auidè expectabat: & reliquit in ſuis tenebris Geraſenos. Videte ergo Dei iuſtitiam & nolite repellere eius gratiam, fidem & Euangelium. Hinc enim receſſit à Iudæis tempore Apoſtolorum, quia repulerunt Euangelium, *Actor.* 1. & migrauit ad gentiles: hinc tempore Lutheri & Caluini, quia principes & populi Germanorum aliqui fidei Catholicæ iugum excuſſerunt, aſcendit nauim & migrauit in Iaponiam, Indiam, Chinam, Americam. Timendum ergò illi populo, qui ſuillis viuit moribus, indeque verbum Dei ſpernit, ne ſimilem euentum ſortiatur.

2. *Diuertit in domum humilem.*

Secundò, Diuertit in domum humilem & pauperem: quod inde patet, quia per tegulas intromiſſus eſt paralyticus: ſublimiores autem Iudæorum domus non erant imbricibus tegulisque contectæ, ſed ſolaria habebant pauimento conſtrata. Hinc ergò patet quò diuerterat Dominus, ad humiles ſcilicet.

3. *Paralyticum appellat filium.*

Tertiò, Paralyticum, etſi peccatorem, *filium* appellat. *Confide fili*, Vide Chriſti humanitatem & ſuauiſſimum amorem, quo omnes complecti ſtuduit, neminem aſpernatus eſt; vnde & alibi dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis*, &c. Quàm hîc erubeſcere deberent multi heri, qui famulos ſuos non niſi nebulones, furciferos, ſtultos nôrunt appellare, cùm Dominus cœli & terræ infimum ſeruulum ſuũ non dedignetur appellare filium! Adhæc vt magis eum ſoletur & erigat ad fiduciam: *Remittuntur*, inquit (non, remittentur,) *tibi peccata tua*. Tam bonus enim & ſuauis eſt Dominus, vt afflictum diu non ſuſpendat, ſed confeſtim ſubleuet, quantum eſt in ipſo.

4. *Confidere iubet.*

Quartò, *Confide*, inquit. Vult ergò vt in ipſum firmiter ſperemus, etiam cùm omnibus rebus & auxiliis deſtituti ſumus, quemadmodum hic paralyticus, qui nec manum nec pedem poterat mouere; imò tunc nos *confidere*, id eſt, firmiter ſperare vult. Hac fiduciâ armatus S. Ioannes Eleëmoſynarius dicebat: *Etiamſi totus mundus conflueret Alexandriam eleemoſynæ causâ, eam omnibus darem; quia totus mundus non poteſt anguſtiare theſauros Dei, quorum ipſe me diſpenſatorem conſtituit.* Quare Deus eis ſtannum in argentum vertit, & tanto plus ſubminiſtrauit, quanto ille plus erogauit. Leontius in vita. Eâdem roboratus Theodorus monachus aiebat: *Si cœlum terræ adhæreat, Theodorus non formidat.* In vitis PP. *lib.* 5. *cap.* 7. Porrò hanc fiduciam maximè habere Chriſtiani debent, quia filij Dei; vti Sancta Catharina Senenſis moriens extremùm monuit: *Oportet*, inquit, *Chriſtianum magnam fiduciam habere de Dei prouidentia, ſcientem omnia quæ ſibi vel aliјs eueniunt, ex diuinâ prouidentiâ prouenire, non ex odio illius, ſed dilectione eximiâ.*

5. *Remittit ei peccata.*

Quintò, *Remittuntur tibi peccata tua*, ait: docens ægritudines corporales ſæpe gigni ab ægritudine animi ſeu peccato. Vnde boni chirurgi inſtar radicem mali aggredi & primò extirpare voluit, vt perfecta ſanitas, etiam corporis, conſequeretur. Ergò peccata noſtra germinant nobis virgas & flagella, quibus caſtigamur, vti etiam legimus Ezech. 7. *Iniquitas ſurrexit in virgâ impietatis*, q. d. Iudæorum ſcelera protulerunt gladium Nabuchodonoſoris, quo plecterentur. Huiuſmodi flagellum orbis erant Attila, Tamerlanes, alij, & vniuerſim penè omnes aduerſitates. Ergò cùm has ſentimus, extirpemus primò radicem earum, peccata. Sanemus priùs morbos animi, vt recipiamus ſanitatem corporis, cæleſtem quæramus Medicum inprimis, poſteà terrenum. Sed ferè contrarium vbique fit: corpori medela maximis impenſis quæritur: animæ cura in poſtremis habetur, vnde multi canum inſtar extinguuntur ſine pœnitentia, &c.

Perſona altera eſt Paralyticus, qui Primo portabatur in lecto omni membrorum vſu

deſtitutus

Paralyticus. 1. Portatur in lecto. deſtitutus : vnde docet nos quantum bonum ſit ſanitas & membrorum integritas. Hoc enim ſi minùs agnoſcimus, inde fit, quia experti non ſumus, quid ſit eſſe paralyticum, podagricum, hydropicum, cæcum, leproſum, vlceribus plenum. Interroga eos qui his malis affecti & audies.

2. Surgit & tollit lectum ſuū. Secundò, Ad Chriſti vocem ſurrexit, ſuſtulit lectum ſuum & ambulauit, eaque re docet nos tria ſigna, è quibus agnoſcere licet, dimiſſa nobis eſſe peccata, vt oſtendit S. Bernardus ſerm. de 4. orandi modis, cùm ait : *Et tu ergo ſi iam ſurgis deſiderio ſupernorum; ſi grabatum tollis, corpus ſcilicet à terrenis eleuans voluptatibus, vt iam non feratur anima concupiſcentijs eius: ſed magis ipſa, vt dignum eſt, regat illud & ferat quò non vult: ſi demum ambulas, quæ retrò ſunt obliuiſcens, & ad ea, quæ antè ſunt, te extendens deſiderio & propoſito proficiendi, curatum te eſſe non dubites.* Ex hiſce autem ſignis oritur in nobis certitudo coniecturalis ſanitatis ſeu iuſtitiæ noſtræ, quæ ſufficere nobis debet, nec maior quærenda eſt. Vult enim Deus nos verſari inter ſpem & metum, vt ſine intermiſſione ſalutem noſtram operemur.

3. Abit in domum ſuam. Tertiò, Abijt in domum ſuam; iuxta Chriſti præceptum; docens nos curare non quæ aliena ſunt, ſed quæ noſtra. Abit in alienam domum, qui aliorum acta rimatur & taxat, ſua verò negligit. *Deut.* 24. præcipit Deus, vt qui debitum à proximo ſuo repetit, non ingrederetur domum eius, ſed foris ſtans exſpectaret, ne quis domos alienas rimaretur & res non ſuas alteri auferret. Hoc autem facit, qui ſe neglecto alios iudicat, vel reprehendit : *Vade in domum tuam*, ait Dominus.

Rurſum abeundum eſſe in domum noſtram, quæ eſt ſepulchrum & manſio noſtra æterna. Eò enim ablegauit aliquando Beatus Iacoponus diuitem Tudertinum, dum par pullorum, quos ſibi coëmptos deferre in domum ſuam Iacoponum iuſſerat, intulit eius monumento, quod ſibi diues parârat in æde Sancti Fortunati, (vti alibi retulimus) monens diuitem, ibi eſſe domum eius, eò commeatum & bonorum operum theſaurum omnem inferendum. Ita enim teſtatur Iob capite 30. dicens: *ſcio quia morti trades me, vbi conſtituta eſt domus omni viuenti.*

D. III. Geſtatores. TERTIÒ, Cernimus vectores, qui paralyticum portabant. Et hi docent Primò ſedulò & libentèr miniſtrare ægrotis eorumque curam gerere. 1. Docēt ſedulò miniſtrare ægrotis. Ecce enim quantâ feſtinatione, ſolertiâ, patientiâ & conſtantiâ deferunt ægrum ad Chriſtum? Non expectant, donec turba recedat & facilis ſit acceſſus : non reſiliunt à cœpto opere propter obiecta impedimenta : non deſerunt paralyticum, ſed omnia media tentant, vt ſi per oſtium nequeant, per tegulas ingrediantur. Denique hi vectores, teſte Sancto Marco, quatuor erant. Sed vbi modò illi, qui tantâ charitate & alacritate ſeruiunt infirmis? Vix vnum ſæpe reperies, qui hoc munus ſubire velit, nedum quatuor. Hinc mira illorum charitas bene à Matthæo & Luca notatur voce, *Ecce* : *Ecce viri portantes in lecto hominem*, ait Lucas q.d. videre rarum & mirum charitatis exemplum. Vbi verò illi qui animas purgantes ſuis portant ſuffragiis ad conſpectum Dei?

Cæterum exempla aliquot Sanctorum, qui ægrotis impensè ſeruierunt, recenſet Pater Cornelius in *Iſaia cap.* 38. more ſuo ſuccinctè, quæ hîc adſcribam. *Gallicanus Martyr, vir conſularis, triumphalibus infulis ſublimatus, & Conſtantino Auguſto charus, à SS. Ioanne & Paulo ad Chriſti fidem conuerſus, cum ſancto Hilarinô ad oſtio Tiberini ſecedens, hoſpitalitati & infirmorū ſeruitio totum ſe dedit : cuius rei fama in vniuerſo orbe diuulgata, multi vndique illuc venientes videbant virum ex Patricio & Conſule lauantem pauperū pedes, ponentem menſam, aquam manibus effundentem, languentibus ſollicitè miniſtrantem, & cætera pietatis officia exhibentem: hiſq; actibus meruit martyrium, ad illudq; ſe diſpoſuit. Martyrio enim à Iuliano Apoſtata affectus eſt, ita Baron. in Martyrolog. 25. Iunij ex Vſuardo & Adone. Quidam Apollonius nomine, cùm mundo renunciaſſet, & montem Nitriæ habitaſſet, & nec artem diſcere poſſet, nec literas, quòd ætate eſſet prouectus; viginti annis, quibus vixit in monte hanc habuit exercitationem. Suis pecunijs & ſuis laboribus emens Alexandriæ vaſa medica omnis generis, vniuerſæ fraternitati ea ſuppeditabat ad morbos : & licebat eum videre vſque ad horam nonam diſcurrentem obeundo monaſteria, & oſtia ingredientem, & videntē num quis decumberet. Portabat autem vuam paſſam, mala punica, oua, panem ſiligineum, & ea quibus opus habent ægroti. Hanc ſibi conferentem inuenit vitæ rationem vſque ad ſenium Chriſti ſeruus. Ita Palladius in hiſt. Lauſiaca cap. 4. & Niceph. 11. cap. 35.*

Placilla, Theodoſij Imp. vxor, miram ægrorum & mutilatorum curam gerebat, eiſq; mira charitate inſeruiebat. In illorum enim domicilia ventitabat, & qua quiſque indigeret re, eam illi ſuppeditabat; & Eccleſiarum hoſpitales domos circumiens, eos qui grauibus morbis lecto affixi erant, curabat. Non enim tantùm illorum attingebat ollas, & iuſcula delibabat; ſed & patellas admonebat, panem apponebat, ciborum fruſta auferebat, pocula eleuabat, aliaque omnia ſedulò & alacriter obibat, quæ ſeruorum & ancillarum ſunt officia. Ad eos verò qui miniſterium eius, quod per manus ipſa ſuas peragebat, inhibere conabantur, dicere ſolita erat : Imperio quidem conuenit, vt aurum id largiatur; ego verò manuum mearum opus pro imperio ipſo, ei qui id ſemel contulit, effero, ita Niceph. lib. 12. cap. 42. & Ioan. Naucleras tom. 2. generat. 13.

S. Radegundis regina Franciæ hanc ſibi fixerat legem, vt omni Dominico die pauperibus collectis ipſa manu ſua potum porrigeret. Cùm leproſi venientes ſigno facto ſe proderent, oſculabatur vultus. Deinde menſâ poſitâ, ferens aquam calidam facies lauabat, manus vngens & vlcera; & rurſus adminiſtrabat ipſa, paſcens, per ſingulas. Recidentibus præbebat auri vel veſtimenti munuſcula. Cùm miniſtra diceret : Domina, quis te oſculabitur, quæ ita leproſos amplecteris? illa reſpondit beneuolè : Verè ſi me non oſculeris, hinc mihi cura nulla eſt, inquit. Fortunatus in vita eius lib. 1. c. 9.

Quantâ curâ & beneuolentiâ Euſtochiū ſeruierit

S.Paulo

S. Paulæ matri ægrotanti, enarrat S. Hieron. in Epitaphio Paulæ. Similia de S. Maria Oigniacenſi refert Cardin. Iacobus de Vitriaco lib. 2. vitæ eius cap. 3. de S. Catharina Senenſi Raimundus in eius vita.

S. Bernardini præ alijs Sanctis eluxit hic in re ardor: nam cùm anno Domini 1400. qui erat Iubilæus Senis ingens lues graſſaretur cum fœtore horribili & morte plurimorum, ipſe duodecim adoleſcentibus ignita oratione perſuaſit, vt ijs, ſe duce, totos impenderent: quod & præſtiterant ipſo præeunte officioſiſſimè, in eius vita die 20. Maij apud Surium.

2. *Quãtum bonum ſit ſocietas bona.*

Secundò, Quantum bonum ſit ſocietas bona. Etenim visâ portitorum fide & charitate Dominus impertit ſanitatem paralytico. Ergò noſtra merita poſſunt etiam alijs prodeſſe, in quorum ſalutem diriguntur. Ergò vtile eſt peccatoribus verſari inter bonos; quod experti illi, qui cum S. Paulo nauigarunt, *Actor.* 27. numero 23. qui omnes Paulo donati & in eius gratiam ſeruati ſunt, aliàs mergendi vel ob ſuam inobedientiam. Expertus Putiphar gentilis, cuius domui benedixit Dominus propter Ioſeph ſeruum eius, *Gen.* 39. Expertus Laban & ipſe gentilis, cuius ſubſtantiam multiplicauit Deus propter Iacob ſeruum, *Gen.* 30. Experti Sodomitæ, qui non perijſſent, ſi vel decem iuſtos, imò auſim dicere, ſi vel vnum Loth iuſtum ſecum perſtantem habuiſſent, *Gen.* 18. & 19.

Patet etiam quàm ſalutaris ſit ſanctorum interuentus; hi enim partim exemplis, partim precibus ſuis deferunt ad Deum alios; quemadmodum & SS. Angeli animas noſtras, vti legimus de Lazaro mendico: *Factum eſt vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*, Luc. 16.

3. *Impedimenta omnia perrumpenda, cũ ad Chriſtum accedendũ.*

Tertiò, Impedimenta omnia perrumpenda, cùm ad Chriſtum accedimus; ſiquidem & hi vectores tectum perfregerunt, vt ægrum Chriſto ſiſterent. Itaq; ſeruituri Deo virili animo ſuperent, quæ ſibi occurrent obſtacula, ad inſtar Zachæi, qui auditis obtrectatoribus ſeſe oppoſuit, & heroicum virtutis actum exſeruit dicens; *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſiquid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* q. d. quidquid ſit de priore vitâ, eſto peccator fuerim, vt hi dicunt: non ero tamen deinceps, &c. Vt enim flante vento magis ſe opponit & accendit ignis: ita *veram fidem impedimenta non retrahunt, ſed accendunt*, ait D. Bonauent. *Luc.* 5.

E. IV. Scribæ. 1. *Abhorrẽt à blaſphemijs.*

QVARTÒ, Cernimus Sribas & aduertimus Primò abhorrere à blaſphemijs. Cùm enim exiſtimarent blaſphemare Chriſtum, territi dicebant: *Hic blaſphemat.* q. d. quæ huius audacia & impietas? Bonus quidem zelus, ſi ſecundum ſcientiam foret. Itaque vel à Scribis iſtis monemur Chriſtiani blaſphemias execrari. Huiuſmodi zelotæ fuere Iuſtinianus Imperator, qui blaſphemos vltimo ſupplicio damnauit, vt patet *in Authent, colat. 6. tit.* 5. Philippus Auguſtus Francorum Rex, cuius primum à coronatione edictum fuit aduerſus blaſphemos, quo cenſuit in flumen citra mortem mergendos. Item S. Ludouicus Galliæ Rex, qui blaſphemorum linguas candente ferro adurebat; nec non reliqui Galliæ reges, qui circa regni auſpicia ferè à legibus & mulctis blaſphemorum faciunt initium, eoſque in chamo & fræno conſtringunt. Denique Senatus Argentinenſis; nam cùm anno ſalutis 1569. duo præſidiarij milites apud Argentinenſes in vincula eſſent coniecti, alter in Deum blaſphemans, alter in Præfectum cohortis iniurius. Pro illo ob ſpectatam fortitudinem, optimi quique intercedebant; pro hoc verò, nulli. Senatus prudens indignum ratus, violatorem Dei meliore conditione eſſe, quàm calumniatorem hominis, cauſæ cognitione ijs quibus oportuit demandata, vbi blaſphemiam horrendam, licet ab ebrio & emotæ mentis homine, admiſſam cognouit; plus diuinæ maieſtati quàm humanæ gratiæ & interceſſioni tribuendum ratus, ſupplicio capitali, extractâ per ceruicem linguâ blaſphemum affecit. Ita refert Theatr. vitæ humanæ *volum.* 13. *lib.* 4.

2. *Calumniatur Chriſtũ.*

Secundò, Videmus eos iniuriam inferre Chriſto, dum calumniantur eum loqui blaſphemiam. Idem nobis faciunt noui illi Scribæ, Hæretici, qui cùm Eccleſiæ dogmata euertere aut erroris arguere nequeant, conuertuntur ad calumnias, & mentiuntur nos adorare & credere plures Deos, ſanctos pro Dijs habere: adorare ligna & lapides: magis honorare Deiparam quàm Deum: Improbare nuptias: prohibere ſacram ſcripturam laicis, ne clericorum fraudes deprehendantur, &c.

F. V. Turbæ. 1. *Ægro ingreſſum negant, ſanato egreſſum concedũt.*

QVINTÒ, Cernimus turbas, & Primò quidem paralytico malè adhuc affecto ingreſſum ad Chriſtum negantes, ſanato verò egreſſum dantes. Atque hæc eſt mundi conſuetudo, vt pauperem, abiectum, infirmum omnes perditum eant, & à ſuo conſortio excludant; qui iacet, iaceat: **wer ligt / der ligt**: nemo ei ſubuenit, imò vt citiùs cadat, omnes annituntur. At cùm diues, felix, ſanus eſt, omnes ei faueant eumque in ſumma tollunt; quia fauorem reciprocum ab eo expectant. Ita Ioſeph natu minimus in paternâ domo à fratribus odio habitus & venditus eſt in Ægyptum: at Dux in Ægypto factus, ab iiſdem adoratus eſt. In carcere conſtitutus à pincernâ obliuioni traditus eſt: at euectus ad dignitatem principis, ab eo alijſque ſummis honoribus cultus eſt. Quamdiu ipſe in Ægypto dominabatur, bene habitus eſt propter eum populus Hebræus; at eo mortuo exoſus factus & laboribus attritus eſt.

2. *Timent & glorificant Deum.*

Secundò, Timentes & Deum glorificantes *qui talem poteſtatem dedit hominibus.* Hinc docemur nos pro maximo beneficio agnoſcere Deumque glorificare, quòd in Eccleſiâ reliquerit & dederit Sacerdotibus poteſtatem ſanandi ægritudines animi ſeu peccata. Quanta enim hæc quæſo gratia foret, ſi daret nobis princeps tantæ auctoritatis officiales vt poſſent omnes mulctas, quas ille nobis decreuit, remittere & delere? quid ſi nos præterea è proſcriptis & capitis reis aulicos, amicos & hæredes

hæredes principis poſſent conſtituere ? Hoc autem facere Sacerdotes poſſunt. Benedictus igitur Deus, *qui dedit talem poteſtatem hominibus.* Sed interim etiam timendum nobis ne hæc ipſa eximia gratia in iram & ſupplicium nobis cedat ; quod fieri poteſt, Primò, ſi ea abutamur & ex præſumptione tam liberalis remiſſionis liberiùs delinquamus.

Secundo ſi eâ, cùm poſſimus, non vtamur vel non ſicut decet. Solet enim Deus vocare nos ad pœnitentiam, primò quidem per beneficia ; ſed ſi ijs non moueamur vel abutamur, iuſtitiam exſerit & gladium. Hinc enim procedendi ordinem tenuit cum Hebræis ; primò innumeris beneficijs deuincere ſibi eos ſtuduit, educendo è ſeruitute Ægypti, ducendo per mare ſiccis pedibus, pluendo manna, mittendo coturnices, educendo è petrâ aquas, &c. At vbi hæc parum proficere vidit & reuerti eos in Ægyptum velle, murmurare & rebelles eſſe, tum iuſtitiam acuit, punijt eos ſerpentibus ignitis, igne graſſante, terræ hiatu, peſte alijſque plagis. Quare, Auditores, glorificemus inprimis Deum pro acceptis & quotidianis beneficijs : ſed interim timeamus etiam, ne ſi ingrati fuerimus, beneficia eius condemnent nos : & qui roſas nobis protulit, proferat tandem ſpinas.

CONCIO IX.

Myſteria.

1. *Exponitur cur aſcenderit Ieſus in nauiculam.*
2. *Cur ciuitas Chriſti Capharnaum.*
3. 4. *Cur abſoluit paralyticum à peccatis, eumq́; ſanat propter aliorum fidem.*
5. *Quomodo concludat Chriſtus ſe poſſe dimittere peccata ex poteſtate ſanandi.*
6. *Cur iubeat ſanatum tollere grabatum ſuum.*
7. 8. *Quis ſit effectus miraculi, ecquid eo myſticè doceamur.*

THEMA.

Aſcendens IESVS *in nauiculam, tranſfretauit, &c. Matth. 9.*

A. PRæclarè S. Auguſtinus *ſerm. 44. de verbis Domini*, docet, quâ ratione miracula Chriſti obſeruare debeamus. *Dominus enim noſter* IESVS *Chriſtus, inquit, ea quæ faciebat corporaliter, etiam ſpiritualiter volebat intelligi. Neque enim tantùm miracula propter miracula faciebat ; ſed vt illa quæ faciebat, miræ eſſent videntibus, vera eſſent intelligẽtibus. Quemadmodum qui videt literas in codice optimè ſcripto, & non nouit legere, laudat quidem antiquarij manum, admirans apicum pulchritudinem : ſed quid ſibi velint, quid indicent illi apices, neſcit, & eſt oculis laudator, mente non cognitor. Alius autẽ & laudat artificium, & capit intellectum : ille vtique, qui non ſolùm videre, quod commune eſt omnibus, poteſt, ſed etiam legere, quod qui non didicit, non poteſt. Ita qui viderunt Chriſti miracula, & non intellexerunt, quid ſibi vellent, & quid intelligentibus quodammodò innuerunt, mirati ſunt tantùm, quia facta ſunt : Alij verò & facta mirati & intellectum conſecuti. Tales nos in ſcholâ Chriſti eſſe debemus.* Hæc Auguſtinus. Certè ob hodiernum miraculum admirati ſunt ſpectatores & *magnificabãt Deum.* Quid tamen id ſibi vellet, non intellexerunt. Nos autem quia in ſcholâ Chriſti perfectiores eſſe debemus, & factum miremur & intellectum conſequamur.

QVAEST. PRIMA. Cur aſcendit Ieſus in nauiculam, qui aliàs ſuper aquas ambulare poterat, & verò ambulabat ? Reſpondetur primò, vt oſtenderet humanæ naturæ in ſe veritatem. Cùm enim Deus & homo eſſet, vtrumque oſtendere voluit in ſuis operibus ; quia vtrumque credi debebat. Diuinitatem ergò oſtendit in miraculo, ſanando paralyticum mente & corpore, humanitatem verò aſcendendo in nauiculam. Poterat alioquin haud dubiè ſicco pede ambulare ſuper mare, vel id diuidere, quomodo per mare rubrum, *Exod.* 14. & rurſum per Iordanem duxerat olim populum ſuum. *Ioſue* 3. Nec non Eliam & Eliſæum, 4. Reg. 2. B. I. Cur aſcendit Ieſus in nauiculam. 1.

Secundò, vt doceret nos in omni actione noſtrâ bonâ admiſcere humilitatem, memoreſque eſſe infirmitatis noſtræ. Ita Dauid in omni gloriâ ſuâ non obliuiſcebatur fuiſſe ſe paſtorem. S. Paulus aſſumptus ad Apoſtolatum & tot gratijs donatus, ſedulò recordabatur fuiſſe ſe perſecutorem. Viligiſus Archiepiſcopus Moguntinus filium ſe eſſe Rhedarij, aſſumptis rotæ inſignibus ; imò & gentilis etiam Agathocles filium ſe eſſe figuli, propoſitis in menſâ vaſis figulinis. Ita habet vnuſquiſque cur in ſuâ gloriâ, in bonis operibus & præclaris factis memoretur prioris ſuæ tenuitatis, priorum peccatorum. 2.

QVAEST. SECVNDA. Quænam hîc vocatur ciuitas Chriſti, & cur ? Reſpondetur eam exprimi à S. Marco, Capharnaum videlicet. Quæ vocatur ciuitas Chriſti, primò quòd in eâ habitauerit, vt habetur *Matth.* 4. propter eà quòd metropolis eſſet Galilææ & media inter Galilæam & regionem trans Iordanem, ideoque hominum frequentiâ celebrior & ad docendos & lucrandos homines aptior. Hinc S. Chryſoſtomus tres Chriſti patrias diſtinguit, natiuitatis Bethlehem, educationis Nazareth, habitationis Capharnaum in adultâ ætate. C. II. Quæ ciuitas Chriſti & cur Capharnaū. 1.

Secundo, quia in eâ ciuitate maxima & plurima fecit miracula, vti objiciunt Chriſto Nazareni Luc. 4. *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tuâ.* Et Chriſtus ipſe Matth. 11. exprobat id Capharnao : *Quia ſi in Sodomis facta fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent vſque ad hunc diem.* 2.

QVAEST. TERTIA. Cur abſoluit Dominus paralyticum à peccatis priùs, quàm ſanet? Reſpondetur primò, vt oſtendat ægritudinem animæ longè eſſe periculoſiorem, quàm ſit ægritudo corporis, ideoque à potiori & magis neceſſaria D. III. Cur abſoluit paralyticū à peccatis

2. neceſſariâ curâ incipiendum eſſe. Paralyticus & eius geſtatores attendebant tantùm ad ſanitatem corporalem; Chriſtus attendit potiſſimùm ad mentis ſanitatem. Itaque nos ante omnia quærere & petere debemus, quæ ſunt proficua animæ, *regnum cœlorum & iuſtitiã eius.*

2. Secundò, vt oſtendat morbos corporales ſæpe oriri ex peccatis; idcircò priùs peccata, quaſi radicem morbi tollit, inſtar boni medici. Idem inſinuauit paralytico alteri, ad piſcinam probaticam ſanato, cùm dixit: *Ecce ſanus factus es: iam ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, Ioan. 5. Et Dauid ait: *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum*. Pſ. 39. Hanc ob cauſam Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. præcepit Can. 12. *Vt cùm Medicos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant, vt medicos aduocent animarum, vt poſtquam infirmis fuerit de ſpirituali ſalute prouiſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubriùs procedatur, cùm causâ ceſſante ceſſet effectus.* Adde ſanitatem faciliùs impetrari ab eo, qui eſt in Dei gratiâ, quàm qui in peccatis hæret.

E. IV. Cur propter aliorum fidẽ ſanat ægrum. 1.

QVAEST. QVARTA. Cur propter aliorum fidem ſanat paralyticum corpore & mente? Reſpondetur primò, attendiſſe etiam Chriſtum ad fidem paralytici, non tantùm portitorum eius. Magnam enim & ipſe fidem habuit, cùm attolli ſe in tectum & in domum ſe demitti paſſus eſt. Intellige ergò *fidem illorum*, fidem paralytici & geſtatorum eius, qui ſuâ etiam fide adiuuabant fidem illius, & mouebant Chriſtum ad conferendam ſanitatem.

Reſpondetur Secundò, fidem petentium impetrare quidem alijs ſanitatem mentis & corporis, ſed de congruo, ſeu ex Dei clementiâ; non de condigno, ſeu ex iuſtitiâ; deinde ſanitatem mentis non niſi diſpoſitiuè, hoc eſt, impetrare eis diſpoſitionem ad recipiendam animæ ſalutem, fidem, pœnitentiam, &c. ipſis nimirum cooperantibus; ſanitatem verò corporis obtinere alijs, etiam ipſis nihil cooperantibus.

F. V. Quomodo concludit Chriſtus. 1.

QVAEST. QVINTA. Quomodo concludit Chriſtus dimittere ſe poſſe peccata ex poteſtate ſanandi? Reſpondetur primò, Chriſtum ex viſibili miraculo (ſanationis paralytici) voluiſſe oſtendere, ſe habere poteſtatem inuiſibilem dimittendi peccata; quod licet ſecundum ſe maius ſit, minus tamen videtur hominibus, quia non videtur: prioris enim miraculi effectus ſub ſenſum cadit, hic non item. Sic dicimus faciliùs eſſe loqui de excentricis vel ſtellarum numero, materiâ, magnitudine, diſtantiâ, operatione, &c. quàm de ijs, quæ circa nos ſunt: non quod horum ſcientia ſit difficilior, ſed quod faciliùs poſſit redargui erroris. Ita ergò ſanare paralyticum ſecundum ſe minus erat, quàm remittere peccata: ſed tamen maius quid videbatur; quia hoc ſenſibus erat ſubiectum; illud non item. Quare ſi hæc duo opera conſiderantur reſpectu Dei, paria ſunt: quia Deo vtrumque eſt æquè facilè. Si ſecundum ſe; maius eſt remittere peccata, quia hoc ſuperioris ordinis (ſicut gratia nobilior eſt naturâ) & quia hoc habet in homine reſiſtentiam: illud non habet. Si denique ſecundum nos, ſeu cognitionem noſtram: maius quid eſt ſanare paralyticum, quàm dimittere peccata.

Reſpondetur ſecundò fortè aptiùs, Chriſtum non comparare hæc duo inter ſe, ſed dicere velle: Hæc duo, dimittere peccata, & ſanare paralyticum, Deo æquè poſſibilia, homini verò æquè impoſſibilia ſunt, adeoq; vtrumque diuinæ & pluſquam humanæ virtutis eſt. Ergò ſi vnum fecero in confirmationem alteriùs, quòd nimirum habeam poteſtatem diuinam dimittendi peccata, vtique credendum eſt me habere poteſtatem faciendi & alterum: (Nequeunt enim fieri miracula ad confirmationem falſi dogmatis) adeoque non blaſphemare, ſed habere poteſtatem diuinam remittendi peccata. Remittere peccata Deo ſoli competit, tanquam primæ & independenti cauſæ; Chriſto verò autoritatiuè ob intrinſecam vnionem diuinitatis; nec non meritoriè: Sacerdotibus tanquam Chriſti miniſtris & merè gratiâ. 2.

G. VI. Quare iubet ſanatum tollere grabatum ſuum. 1.

QVAEST. SEXTA. Quare iubet ſanatum tollere grabatum ſuum? Reſpondetur primò, in confirmationem ſanitatis verè & integrè recuperatæ: ſiquidem is lectum iam portaret, à quo priùs portabatur.

2. Secundò, In confirmationem effectus remiſſionis peccatorum, quòd nimirum verè & integrè remittantur, non autem tegantur ſolùm, vti volunt hæretici.

H. VII. Quis effectus miraculi.

QVAEST. SEPTIMA. Quis effectus conſecutus eſt hoc miraculum? Reſpondetur triplex. Timuerunt turbæ, admiratæ ſunt, (ſecundum Marcum & Lucam) glorificabant Deum.

Timuerunt ob præſentiam ſuperioris & diuinæ virtutis. Admiranda enim Dei opera, ſceleſtis præſertim hominibus incutiunt timorem, ne ob ſua ſcelera à Deo puniantur. Admiratæ ſunt ob rei nouitatem & ſublimitatem, quòd nimirum homo poſſit tam mirabiliter ſanare & remittere peccata. Glorificabant Deum, quòd talem poteſtatem dederit hominibus. Multò æquiùs Deum glorificamus, quòd dederit hominibus poteſtatem remittendi peccata.

I. VIII. Quid hoc miraculo docemur. 1.

QVAEST. OCTAVA. Quid hoc miraculo docemur myſticè? Reſpondetur primò ſenſu allegorico: Chriſtus aſcendit in nauiculam, quando in mundum veniens aſſumpſit naturam humanam. Quid aliud eſt corpus humanum, niſi nauicula in principio & fine, infantiâ, inquam & ſenectâ, anguſta, id eſt, imbecillis, miſera, cæca: in medio iuuentutis lata, iucunda, robuſtâ, intelligens? Hac nauiculâ transfretamus ad portum alterius ſæculi. In hac nauiculâ venit Chriſtus in ciuitatem ſuam, ſeu mundum hunc ſuum, quem fecit. *In propria venit*, ait Ioannes cap. 1. Ibi offertur ei paralyticus ſanandus, genus humanum peccato corruptum & impeditum ab vſu membrorum, quibus ad cœlum pergeret. Sanat Chriſtus paralyticum ſuâ prædicatione

dicatione & paſſione: interim Phariſæi blaſphemiæ eum arguunt, dum coram Iudicibus eum velut blaſphemum accuſant & in cruce illudunt. Effectus ſanationis paralytici ſignificat effectum redemptionis humanæ ſecundum Hilar. *Can. 8. in Matth.* Nam vox *ſurge* indicat peccatorum remiſſionem & reconciliationem hominis cum Deo per gratiam *tolle lectum tuum*, indicat: corporum reſurrectionem; *vade in domum tuam*, declarat cœleſte regnum quod verè eſt noſtra domus & patria, ad quam creati ſumus & extra quam nunc peregrinamur.

Reſpondetur ſecundò, Senſu tropologico paralyticus eſt peccator bonorum operum exercitio deſtitutus. Hic volens Chriſtum eiuſque gratiam quærere impeditur à turbâ cogitationum retrahentium, timore, pudore, amore. Immittitur per tectum, id eſt, per arcana ſacræ Scripturæ explicata & reſerata. *Ponitur ante Chriſtum* à portitoribus, confeſſarijs, prædicatoribus, paſtoribus. Iubetur *ſurgere*, cùm iubetur deinceps abſtinere à peccatis: *tollere lectum*, cùm monetur per opera ſatisfactionis caſtigare corpus ſuum & peccandi occaſiones vitare; *ire in domum ſuam*, cùm iubetur ambulare in vitæ nouitate & pergere ad patriam ſuam cœleſtem.

DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Matth. 22.

IN illo tempore: Loquebatur IESVS cum diſcipulis ſuis, in parabolis, dicens: Simile eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias: & nolebant venire. Iterum miſit alios ſeruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam: Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt: & miſsis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit. Tunc ait ſeruis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egreſsi ſerui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos. Et impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Intrauit autem rex, vt videret diſcumbentes: & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex miniſtris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

CONCIONES.

I. Paucitas electorum oſtenditur.
II. Supplicia damnatorum capitalia.
III. Cur tam varijs pœnis inferi exagitentur.
IV. Iuſta peccatoris condemnatio oſtenditur.
V. Excuſationes peccatorum variæ retunduntur.
VI. Media ac modi quibus Deus vocat.
VII. Præparatio ad imminentem peſtem.
VIII. Documenta.
IX. Myſteria.

CONCIO I.

Paucitas electorum oſtenditur.

1. Ex legis veteris ſententijs, ſimilitudinibus & figuris, legis nouæ parabolis.
2.3. Ex SS. Patribus & hiſtorijs.
4. Ex inductione.
5. Ex ratione.

THEMA.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi Matth. 22.

A. TRiſte & funeſtum nuncium vobis afferret, Auditores, qui prædiceret certiſque argumentis oſtenderet orituram in hac vrbe peſtem, quæ maiorem hominum partem conſumptura eſſet. Quis enim tunc non metueret? quis ſibi non conſuleret ſeu fugâ, ſeu pharmacis peſtem auertentibus? quis non ſibi ipſi diceret: quid ſi & tu moriaris? Prædicit nobis in hodierno Euangelio veritas diuina peſtem funeſtiſſimam, quâ maxima pars hominum erit abſumenda, & morte non tranſiturâ ſed æterna depaſcenda, cùm ait: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Quis non cohorreſcat & totis artubus tremat? Ita enim exclamat S. Gregor. in hæc verba, hom. 38. in Euang. *Tremendum eſt valde, inquit, fratres chariſſimi, quod audiuimus. Quia vocati ſumus, nouimus: ſi ſimus electi, neſcimus. Tantò ergo neceſſe eſt, vt vnuſquiſque noſtrum in humilitate ſe deprimat, quantò ſe an ſit electus, ignorat.* Quò verò iſta veritas animis noſtris firmiùs imprimatur, eandem pluribus teſtimonijs ſolidabimus.

B. I. Oſtenditur ex Scriptura veteris legis. 1. Sententijs.

PRIMÒ, Ex Scripturâ, vetere & nouâ. In vetere aſſeritur primò certis temporibus vix repertum in mundo virum bonum, vti Pſ. 13. *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Et Ierem. 5. *Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Et Oſe. 4. *Non eſt veritas & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, & homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Vnde concludit Iſaias cap. 5. *Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino, & deſcendent fortes eius & populus eius & ſublimes glorioſiq; eius ad eum.*

2. Similitudinibus.

Idem explicatur per ſimilitudines. Primò, 4. Eſd. 8. (qui liber etſi non authenticus, magnæ tamen authoritatis eſt.) Ibi ſcribitur: *Hoc ſeculum fecit altiſſimus propter multos, futurum autem propter paucos. Quomodo dabit terram multam magis, vnde fiat fictile, paruum autem puluerem, vnde aurum fit: ſic & actus præſentis ſeculi. Multi quidem creati ſunt, pauci autem ſaluabuntur.* Et c. 9. *Olim locutus ſum & nunc dico & poſteà dicam quoniam plures ſunt qui pereunt, quàm qui ſaluabuntur:*
2. *ſicut multiplicatur fluctus ſuper guttam.* Secundò, Iſaiæ 24. *Hæc erunt in medio terræ in medio populorum, quomodo ſi pauca oliuæ quæ remanſerunt, excutiantur ex oleâ, & racemi cùm fuerit finita vindemia Hi leuabunt vocem ſuam atque laudabunt.* Quod quidem ſecundum literam pertinet ad tempus Antichriſti. Tertiò Michææ 7.
3. *Væ mihi quia factus ſum*, ait propheta, vel potiùs Spiritus S. per os eius, *ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*; (poſt vindemiam ſcilicet factam) *non eſt botrus ad comedendum.* Vbi quæritur, vt videmus, Diabolum facere in mundo vindemiam: Deum autem quaſi colligere racemos, qui fugerunt *manus vindemiatorum.* Quartò, Amos 3. 4.
Hæc dicit Dominus: quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura aut extremum auriculæ: ſic eruentur filij Iſraël. q.d. pauci tantum ijque viles & pauperes ferè eruentur ex ore (ad literam) Aſſyriorum: (ſenſu tropologico(Dæmonis.

3. Figuris.

Idem per figuras confirmatur primò: *Gen.* 7. legimus in vniuerſali diluuio octo tantùm animas ſaluatas eſſe. 1. Secundò, *Geneſ.* 19. legimus 2.
vnicum Loth cum vxore & binis filiabus ab incendio Sodomorum erutum, in ijs verò ne decem quidem iuſtos eſſe inuentos. Tertiò, *in* 3.
lib. Exod. c. 12. legimus ſexcenta millia virorum præter mulieres & paruulos exiiſſe de Ægypto, & ex tanto numero non niſi duos, Ioſuen & Caleb, intrâſſe in terram promiſſionis, reliquos omnes qui Ægypto exierant, periiſſe in deſerto, *Num.* 14. Hæc autem omnia figuratè inſinuârunt paucitatem Electorum.

Legũ nouo.

In nouo teſtamento legimus primò, in hodierno Euang. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* 1.
Secundò, Matth. 7. ait Dominus: *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt,* 2.
quæ ducit ad perditionem & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam! & pauci ſunt, qui inueniunt eam. Tertiò, Luc. 13. quærentibus diſcipulis, *Si pauci ſunt, qui ſaluantur?* Reſpondit Dominus: 3.
Contendite intrare per anguſtam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.

Ex parabolis.

Idem confirmatur ex parabolis Chriſti, ſimilitudinibus & figuris *Luc.* 14. ex multis inuitatis ad cœnam pauci venerunt *Luc.* 8. tres ſementis partes infrugiferæ fuerunt: quarta ſolùm in terram bonam cecidit. *Matth.* 3. Reprobi comparantur paleis, electi verò tritico. Ad *Rom.* 8. reprobi comparantur vaſis fictilibus & ligneis alicuius domûs: electi aureis & argenteis. Quis autem neſcit longè plura vaſa lignea & fictilia eſſe in eadem domo, quàm aurea & argentea? denique è decem leproſis non niſi vnus redijt, vt daret gloriam Deo.

C. II. Ex SS. Patribus.

SECVNDÒ, Ex Patribus. Primò ex Origine in Matth. 22. *Si quis conſideret, inquit, multitudinem eorum, qui in Eccleſijs congregantur, & diſcuſſerit, quanti ſunt, qui conuerterunt, diſciplinatè iudicabit eſſe verum ſermonem Dei, dicentis: Multi ſũt vocati, pauci verò electi.* Secundò ex S. Auguſtino lib. 3. cont. Creſcen. c. 66. *Ipſi, ait, boni viriq; Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt, comparatione malorũ falſorumq; itidem pauci ſunt. Sic multa grana, quibus horrea multa complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* Tertiò ex S. Chyſoſt. hom. 64 ad pop. *Multò ſunt plures, inquit, gehennam ingredientes, ſed maius eſt regnum cœlorum.* Et homil. 40. *Quot putatis eſſe in hac ciuitate noſtrâ* (Antiochiâ) *qui ſalui fiant? Infeſtum quidem eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen: non poſſunt inueniri in tot millibus centum, qui ſaluentur, quin & de his dubito. Quanta enim in iuuenibus malitia? quantus in ſenibus torpor,* &c. Quartò ex S. Greg. homil. 19. in Euang. *Ad fidem plures veniunt, ait, &* ad

ad cæleſte regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam feſtiuitatem. (Septuageſimam intelligit) *quàm multi conuenimus? Eccleſiæ parietes implemus, ſed tamen quis ſciat, quàm pauci ſunt, qui in illo electorum Dei grege numerantur? Ecce enim vox omnium Chriſtum clamat, ſed vita omnium non clamat. Pleriqve Deum vocibus ſequuntur, moribus fugiunt.* Sanctus etiam Simeon Anachoreta dixit ex decem millibus vix reperiri vnam animam, quæ ad manum SS. Angelorum perueniret. Apud Baron. tom. 10. anno 976.

D. III. Ex hiſtoriis. TERTIÒ, Ex hiſtoriis. Primò ex vita S. Bernardi Abbatis Clareuallenſis, qui cùm ex hac vita migraſſet anno 1153. 13. Cal. Septemb. anno
1. ætatis ſuæ 64. horrenda viſio Lingonienſi Epiſcopo facta eſt. Apparuit namque ei Eremita quidam mortuus, quem viuentem olim nouerat, qui diuino timore compunctus ante aliquot annos, cùm eſſet Decanus, diues & nominatus, omnia contemnens, Eremitorium pro Chriſti amore intrauit. Quem cùm de ſtatu ſuo & diuini iudicij diſtrictione interrogaſſet, ille reſpondit: *Eâ horâ, in quâ ego de corpore migraui, triginta hominum millia ab hac luce tranſierunt. E quibus Bernardus Clareuallenſis Abbas, qui eâdem hora obiit, vnà mecum ad cælos euolauit; tres alij ad purgatorium miſſi ſunt; cæteri omnes per ſententiam iuſti Iudicij condemnati, ad infernum perpetuò cruciandi deſcenderunt.* Io. Trithem. in Chron. Hirſaug ad annum 1160.

2. Secundò, Ex annalibus Franciſcanorum refert Platus *li. 1. de bono ſtatu relig. cap.* 5. Franciſcanum quendam nomine Bertoldum patriâ Ratisbonenſem concionatorem inſignem, vi & ſpiritu dicendi mulierem peccatricem eò contritionis (de certo quodam peccato) adegiſſe, vt in concione mortua conciderit. Verùm cùm omnibus in preces procumbentibus paulò pòſt reuixiſſet, narrauit mortis cauſam, iuſſamque ſe ad corpus redire, vt peccatum illud confeſſione expiaret. Narrabat verò inter alia: *Cùm apparui ad tribunal Dei, adductæ ſunt eò ſexaginta animarum millia, quæ toto orbe è vita exceſſerant, atq; ex his tres tantùm addictæ fuerunt purgatorio, reliqui omnes ad ignem æternum damnatæ.* Vnum autem ex Franciſcanis fratribus eodem tempore defunctum per purgatorium quidem tranſiſſe, ſed tamen ibi non modò non diutiùs commoratum, verùm etiam par animarum, quæ præcipuâ cum eo amicitiâ coniunctæ fuerant, ſecum in cœlum abduxiſſe. Quis hæc audiens non totis artubus contremiſcat, & ſaluti ſuæ conſulat?

3. Tertiò, Thomas Cantipratanus *lib. 1. Apum cap.* 10. ſcribit anno 1238. mortuum Cancellarium quendam Pariſienſem, Philippum nomine, qui non multò pòſt apparuit Guilielmo eius ciuitatis Epiſcopo, aſſerens ſe damnatum ob cauſas, quas recenſuit; ad extremum verò interrogauit, vtrùm mundus adhuc ſubſiſteret. Annuente cum admiratione Epiſcopo, ſubdit ille: *Ne mirare, quòd hoc interrogem, quia in inferno nec ratio, nec ſcientia, nec intellectus eſt. Tantus verò numerus damnatorũ deſcendit ad infernum, quamdiu in eo ſum, vt nunquam credidiſſem, tot homines reperiri in vniuerſo mundo.*

QVARTÒ, Ex inductione. Primò enim maxima pars orbis terræ in Chriſtum vel omninò non credit, vel non rectè credit. Quantum enim fidei inuenies in Africa, Aſia, & America, niſi quam elapſo ſæculo intulere noſtri in aliquibus earum partibus? Reſtat igitur Europa, ex quatuor orbis terræ partibus omnium minima. Et in hac ipſa quot ſunt nationes Turcicæ & hæreticæ? quot millia Iudæorum vndique diſperſa? Sanè Lud. Granat. in Duce peccator. l. 1. cap. 26. ait: *Negare mihi non potes ex centum huius terrarum orbis partibus vix vnam eſſe Chriſtianam, & ex 99. cæteris ne vnam quidem eſſe ſaluandam; etenim extra controuerſiam eſt, quòd ſicut extra arcam Noë tempore diluuij nullus conſeruatus eſt, nec extra domum Raab in ciuitate Ierichontinâ: ita nemo ſaluus fiat, qui extra domum Dei, quæ eſt Eccleſia, deprehenditur. Cæterùm partem eam, quæ Chriſtianorum nomine celebris eſt, intuere & vide, quo loco res Chriſtianorum hoc exulceratiſſimo ſæculo ſint conſtitutæ: & fateberis in hoc corpore myſtico à plantâ pedis ad verticem capitis vix aliquod membrum ſanum reperiri. Cape, quamcunque vis ex ciuitatibus celebrioribus, in quibus puræ & ſinceræ religionis atque doctrinæ extent adhuc veſtigia: diſcurre poſtea per minora oppida, pagos, vicos & caſtella, in quibus vix religionis reperitur memoria, & non inuenies virum facientem iudicium & quærentem fidem. Perambula porrò, non dico tabernas & loca publica (ea enim ferè mendacijs, nugis, impoſturis, ludis, ebrietatibus ſunt dicata) ſed domos vicinorum, & audies vndique murmura, mendacia, execrationes, iuramenta, & blaſphemias, lites, contentiones, minas, calumnias. Re denique ipſâ experiere, corda & linguas hominum nullis aliis rebus vacare, quam terrenis & proprijs commodis, nec audies ampliùs Deum nominari, niſi iuramentis & blaſphemijs, in quibus Dei nomine abutuntur, ita vt per notas exteriores vix ſciri queat, an populus hic Chriſtianus ſit, an verò gentilis: niſi fortè per modum, quo campanas cognoſcimus, quæ quidem non videntur à longè, ſed ex ſonitu cognoſcuntur: ſic eos ex iuramentis & blaſphemiis cognoſcas, quæ è vicino audiuntur; cætera ſciri aut iudicari non poſſunt. Sed, quæſo, quomodo poſſunt tales annumerari ijs, de quibus dicit Iſaias cap. 61. Qui viderint eos, cognoſcent illos quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus?* hæc ferè Granat. & veriſſimè. Rurſum quot millia ſagorum & ſagarum ſunt in orbe Chriſtiano? Quot reprobi milites, homicidiis, furtis, rapinis, blaſphemiis, adulteriis inquinati? Quot infideles ſerui? vt in eos vſurpare poſſimus id Domini: *Quis, putas, eſt fidelis ſeruus?* Quot diuites peruerſi? Non enim fruſtrà dixit Eccleſiaſticus c. 31. *Beatus diues, qui inuentus eſt ſine maculâ, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecunia theſauris: Quis eſt hic & laudabimus eum.* Quot etiam reprobi pauperes, qui furtis ſuæ neceſſitati conſulunt? E. IV. Ex inductione.

Quin de Clericis S. Gregor. *homil.* 17. *in Euang.* prædicare non dubitauit: *Ecce mundus totus Sacerdotibus plenus eſt, ſed tamen in meſſe Dei rarus valde inuenitur operator: quia officium quidem ſacerdotale ſuſcipimus, ſed opus officij non implemus.* Et Apoſtolus ad Phil 2. ait: *Omnes quæ ſua ſunt,*

quærunt. Denique adi aulas, tribunalia, officinas, nundinas, militiam, fora, naues, currus, &c. & inuenies mores omnium ætatum corruptiſſimos, adeoque mecum ſenties.

Ex his patet maiorem etiam Chriſtianorum partem viuere in ſtatu peccati mortalis. Iuxta regulam autem S. Auguſtini, qui bene viuit, bene moritur: qui malè viuit, malè plerumque moritur.

Dices: Ferè omnes conuerti ad Deum in mortis articulo. Sed reſpondetur primò, plurimos obire ſine Sacramentis & pœnitentiâ, vt qui repentè & inopinatò pereunt. Secundò ex iis, qui Sacramenta ſuſcipiunt, multi ea malè ſuſcipiunt, partim ex ignorantiâ eorum, quæ ad fidem requiruntur & pœnitentiam; partim ex defectu contritionis vel attritionis; partim ex defectu propoſiti emendationis. Plurimi enim adeò immerſi ſunt mundo, vt ſpiritualia non niſi obiter, ex conſuetudine vel metu cogitent & peragant: alij certis peccatis pertinaciter adhærent, à quibus eorum animus tam repentè auelli nequit; alij prauis habitibus inuoluti ſunt: multi habent principia politica peruerſa, quæ nunquam deponunt, propoſito emendationis contraria, vti iniurias vlciſcendas; duella oblata non recuſanda: ad hauſtus propinatos reſpondendum etiam cum periculo certo ebrietatis: ſtatum, vitam & fortunam tuendam etiam cum damno & iniuriâ proximi, &c. Tertiò ex iis qui rectè ea ſuſcipiunt, multi non perſeuerant, ſed relabuntur ſaltem in dilectionem priſtinorum peccatorum recurrentium ad memoriam.

F. V. Ex ratione.

QVINTÒ, Ex ratione, primò, Quia via ad infernum lata, facilis & obuia eſt, etiam non quærentibus; quia eſt via errantium: via verò cœli nec ſtatim inuenitur, nec ſine horrore initur, nec ſine difficultate ſuperatur, ratio eſt, quia ex vna parte ſuperat naturæ vires, ex aliâ natura hominis per peccatum variata & debilitata eſt: quæ etſi confortetur à gratiâ velut medicinâ, facilè tamen relabitur in priſtinam infirmitatem. Ita Hieronymus Matth. 7. *Latam* inquit, *viam non quærimus, nec inuentione opus eſt, ſponte ſeſe offert, & errantium via eſt: Anguſtam verò viam nec omnes inueniunt, nec qui inuenerint, ſtatim ingrediuntur per eam: ſiquidem multi inuentâ veritatis viâ, capti ſeculi voluptatibus de medio itinere reuertuntur.* Ergo ſicut facilius eſt à ſcopo aberrare, quàm eundem tangere; ita facilius, à via cœli deuiare, quàm eandem tenere.

Secundò, Ex S. Chryſoſt. *hom.* 85. *in Matth.* quia pauci ſunt, qui virtutes habent integras & ab omni parte abſolutas. At qui ſaluus eſſe cupit, nulla ei virtus deeſſe debet, alioquin *quicunque offenderit in vno, factus eſt omnium reus*, ait S. Iacobus c. 2. id eſt, æquè peribit, ac qui in omnibus delinquit. Sicut qui toto corpore armis tectus, vnicâ tantùm parte nudus vulneratur plagâ lethali, vti Achab 3. *Reg. vlt.* æquè interit, ac ſi in cæteris etiam membris plagam accepiſſet. Vel ſicut qui vnam portam aperit hoſti, totam vrbem æquè prodit, ac ſi omnes aperuiſſet.

Tertiò, quàm plurima ſunt pericula & ſalutis impedimenta. Vnde S. Antonio oſtenſus aliquando in viſione mundus plenus laqueis: quibus viſis exclamauit Sanctus, *O Domine, quis tandem euadet omnes iſtos laqueos?* S. Bernardus in ſerm. quodam ait: *In mari Maſſiliæ de quatuor nauibus non perit vna: in mari huius mundi de quatuor animalibus vix euadit vna.* S. Anſelmus iter faciens incidit in venatores & canes perſequentes leporem, qui cùm pæne eſſet in canum dentibus, accurrit ad pedes ſancti tremens & ſudans. Itaque manu eum excepit Anſelmus, & ſociis dixit: *Talis eſt anima in extremo periculo vitæ, quã canes infernales perſequuntur & deuorare contendunt*, vt in eius vitâ.

Hæc cùm ita ſint, Auditores, quis non timeat ſibi? quis non ſaluti ſuæ conſulat? Certè ſi milleni duntaxat ex vniuerſo mundo, vel ex noſtra vrbe vnicus damnandus diceretur, nónne omnibus & ſingulis meritò timendum eſſet? Quandò audierunt diſcipuli: *Vnus veſtrûm me traditurus eſt*; omnes timuerunt, & ſeipſos interrogârunt: *nunquid ego ſum?* Matth. 26. Quando ergo non vnus è duodecim, ſed pro vno ſaluando duodecim, imò longè plures damnandi aſſeruntur, quis non magis timeat? quis non ſeipſum interroget quotidie: *Nunquid ego ſum* ex illis futurus vnus? Quare ſeipſum quiſque examinet, quam ad partem tendat; an cum multis viuat an potiùs cum paucis. Vnicam habemus animã, quam ſi ſemel perdidimus, perdidimus in æternum: ſi ſaluamus ſemel, ſaluauimus æternum.

CONCIO II.

Supplicia damnatorum capitalia.

1. *Primum eſt eiectio à facie Dei.*
2. 3. *Tenebræ tartareæ & ſocietas dæmonum.*
4. *Alligatio.*
5. *Ignis.*
6. *Gelu.*
7. *Confuſio & pudor.*

THEMA.

Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Matth. 22.

A.

PSalmo 54. mirum aliquid legimus de Dauide; optat enim & imprecatur inimicis ſuis, quos alioquin amare conſueuit, rem, vt apparet, peſſimam: *Veniat mors ſuper illos*, inquit, *& deſcendant in infernum viuentes.* Itáne Dauid ille manſuetiſſimus, qui inimicorum ſuorum mortem & damnationem, vti Saulis & Abſalonis acerrimè deplorauit, vult vt ipſi deſcendant in infernum viuentes? Verùm S. Bernard. *Orat. ad fratres de monte*, nodum iſtum ſoluit, dum ait, optandum reprobis, vt per meditationem pœnarum infernalium deſcendant ad infernum viuentes, ne deſcendant morientes. Quod ergo Dauid optauit ſuis inimicis, hoc ego vobis opto, Auditores, ſiue amicis ſiue inimicis. Et quoniam hodiernum Euangelium ſchema nobis

bis exhibet inferni, deſcendamus nunc ad illum, ne poſt mortem deſcendamus.

Paucis verbis exponit nobis Chriſtus capitales inferorum pœnas, cùm in perſona Regis ait: *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium.*

PRIMÒ, Iubetur eiici peccator de conuiuio

B. I. *Eiectio à facie Dei.*

nuptiali, & præcipitari in locum ab eo remotiſſimum. *Mittite eum*, inquit, id eſt, eiicite, vnde *Matth.* 8. & 25. dicitur *eiici*. Quibus verbis indicatur pœna damni, quæ eſt aberratio ab vltimo fine, carentia viſionis Dei, exilium ſempiternum à cœleſti patria, amiſſio iuris hæreditarij ad regnum cœlorum, denique iactura & confiſcatio bonorum omnium in ſæcula ſæculorum. De qua & *Iſa. vlt.* dicitur (ſecundum tranſlationem aliquorum(*Tollatur impius ne videat gloriam Dei*. Et hæc pœna viſa eſt ſanctis viris omnium grauiſſima; vti S. Petro, qui cùm Domino abluturo ſibi pedes primò acriter reſiſteret, dicens: *Domine, non lauabis mihi pedes in æternum*, vbi à Chriſto audiit: *Niſi lauero te, non habebis partem mecum*; adeò territus hac voce fuit, vt ſtatim alius fieret, dicens: *Domine, non tantum pedes, ſed & manus & caput*. Quod abſque dubio non erat dicturus, licet ſtrictum ſuper ſe carnificis gladium vidiſſet. Omni ergo gladio & fulmine peius eſſe cognouit, non habere partem cum Chriſto. S. Chryſoſt. *hom.* 24. *in Matth.* ait: *Intolerabilis quidem res eſt etiam gehenna: quis neſciat ſupplicium illud horribile? Tamen ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus eſt quale eſt à beata illius gloria honore propelli, exoſumq́; eſſe Chriſto, & audire ab illo: Nō noui vos. Eſt enim ſatius mille fulmina ſuſtinere, quàm vultum illum manſuetudinis pietatiſq́; plenum, nos tamen auerſantem videre.* Sic ille. Eſau cùm audiret præreptam ſibi à fratre primogenituram & paternā benedictionem, *irrugiit clamore magno, & eiulatu magno fleuit*. Gen. 27. Et quid eſt hæreditas temporalis & hominis benedictio, cum cæleſti hæreditate & diuina benedictione comparata? Et ſi nos terreno aliquo bono ſpoliati, vti viſu, honore, parentibus aut vxore, opibus aut domo per incendium vaſtatâ, adeò cor ſternamur & lamentamur; quid erit perdere ſummū & infinitum bonum, adeoque omnia ſimul bona, quidquid oculos exhilarabat, quidquid guſtum delectabat, quidquid aures recreabat, quidquid tactum & olfactum permulcebat, quidquid mentem ſatiabat? Quamquam hanc iacturam modò non valdè æſtimamus, quia ſcilicet bonum illud ſummum non videmus, nec ſatis apprehendimus; propterea quòd hic carne immerſi inſtar noctuæ cæcutiamus, & guſtum temporali dulcedine infectum habeamus, ideoque cæleſtia minùs ſapiant nobis. *Neque enim nouimus*, inquit S. Chryſoſt. in hom. ſuprad. *illorum beatitudinem præmiorum, vt infælicitatem quoque de eorum amiſſione ſcire poſſimus. Nos autem hanc abſque dubio diſcemus, cùm experimento cœperimus edoceri. Itaque tunc aperientur oculi, tunc auferetur velamen, tunc cum ingenti dolore impij videbunt, quid inter bonum æternum ac ſummum, & inter hæc caduca & fragilia diſcriminis ſit.* Quam rem pulchrè declarat Cardinalis Bellarminus conc. de cruciat. gehen. Si enim Rex adoptaret puerum ingenuum quidem ſed obſcuro loco natum, ea conditione, vt ſi Pedagogo ſuo obediret, & in litteris ac moribus proficeret, hæres Regni eſſet; ſin verò immorigerus & refractarius foret, ad triremes ablegaretur; & puer libros abiiceret, Pædagogo inſultaret, & pro ſtudio nugas tractaret, ſæpiuſque correptus non emendaretur, ideoq́ue aperto tandem & lecto coram eo Regis teſtamento, ad triremes condemnaretur, qui rex eſſe poterat, ſi morem geſſiſſet: quanta, quæſo, triſtitia occuparet iſtum iuuenem? Nunquid non magis eum affligeret Regni deſtinati amiſſio, quàm labor remigandi & duriſſima flagella? Nos verò eiuſmodi pueri ſumus, qui in morte primùm videbimus, quale regnum perdiderimus, indeq́ue iacturam eius magis ſentiemus, quàm pœnas ſenſuales.

SECVNDO, Iubetur mitti in tenebras. Et

C. II. *Tenebræ tartareæ.*

hæc eſt prima pœna ſenſûs ſæpiùs à Domino replicata, nec creditu difficilis, cùm infernus ſit in centro terræ, quò lumen ſolis aut ſtellarum pertingere nequaquam poteſt. Ignis verò infernalis vrendi quidem vim habet, ſed priuatus eſt ſplendore, vt ait S. Baſilius *orat. in Pſal.* 33. niſi fortè ad hoc tantùm vt videant miſeri ærumnas ſuas. Secundum Philoſophos etiam *ſenſibile ſupra ſenſum poſitum non facit ſenſationem*: atqui membra omnia damnatorum igne occupata ſunt. Horribiles erant illæ tenebræ, quibus Ægyptum puniuerat Dominus *Exod.* 10. Erant enim tam denſæ, vt palpari poſſent Scripturâ teſte: nemo tunc mouebat ſe loco ſuo, quaſi omnes eſſent vinculis conſtricti, vt habetur ca. 17. *Nemo* etiam *audebat loqui præ pauore, conſidere aut è cubili ſurgere, ſed per ſilentium fame cruciabantur, nulli vacantes ſenſui, niſi vt præſens malum viderent.* ait Philo. Multò horribiliores erunt tenebræ infernales: quia ibi caſtigat Deus vt Judex, hîc vt pater. Propterea Dominus vocat tenebras illa *exteriores*, id eſt, extremas, & omnium denſiſſimnas atque horribiliſſimas, ita vt pæne ſenſibus exterioribus percipi queant. Eat nunc aliquis ad cœcos & ex ipſis quærat, quanta ſit miſeria ſedere in perpetuis tenebris. Certè Tobias viſu priuatus & ab Angelo gaudere iuſſus: *Gaudium tibi ſit ſemper*, reſpondit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Tob. 5. Et ſi bonus iſte vir non poterat gaudere, quamdiu cœcus erat: quale gaudium illis eſſe poterit, qui per omnem æternitatem in tenebris iacebunt? Cùm quis de nocte in lecto iacet, acuto aliquo dolore vexatus, quàm longam & quàm triſtem experitur noctem? quàm anxiè horas numerat & auroram præſtolatur? Prouerbium eſt Italis: *Aſpettar, & non venir giacer & non dormir, ſeruir & non gradir, ſon tre coſe da morir.* Omnia hæc damnatis accidunt. Expectant enim lucem ſemper & numquam illa venit: iacent perpetuò & nunquam dormiunt: ſeruiunt perpetuò & nunquam placent aut ſatisfaciunt. O pœnâ morte ipſâ crudeliorem? ô noctem intempeſtam! & quid erit

eadem æterna? Apud Iſaiam cap. 21. clamabant quidam ex Seir ad cuſtodem noctis: *Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte?* quibus reſpondet cuſtos: *venit manè & nox.* q. d. fruſtra expectatis diem, manè quod expectatis nox eſt; itaque fruſtra quæritis, actum eſt de vobis, pereundum eſt, vt exponit Vatablus. Idem reſpondetur damnatis diem præſtolantibus.

D. III. Societas dæmonum. TERTIÒ, Iubetur mitti in exteriores tenebras, per quas intelligit S. Auguſt. *epiſt.* 120. *ad Honorat.* Dæmones, qui in peccato ſunt obſtinatiſſimi. Tertia hæc pœna erit ſocietas diaboli & angelorum eius, de qua manifeſtè locutus eſt Dominus Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Et Ioannes *Apoc.* 20. vbi dicit in idem ſtagnum ignis & ſulphuris coniiciendum eſſe diabolum & eos, qui non ſunt ſcripti in libro vitæ. Idem docent SS. Patres, Baſilius, Auguſtinus, Bernardus & alij. Quid autem erit habitare cum hoſtibus capitalibus & homini infenſiſſimis? S. Ignatius martyr cùm Romã perduceretur leonibus obiiciendus, ſcripſit ad Romanos: *De Syria vſq; ad Romam pugno ad beſtias in mari & in terra, nocte dieq; ligatus cum decem leopardis, hoc eſt, militibus, qui me cuſtodiunt, quibus & cùm benefeceris, peiores fiunt.* Sanctus etiam Dauid inter efferatos & impios habitans lamentabatur: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar.* Pſal. 119. Quàm igitur calamitoſum erit habitare cum leopardis & leonibus infernalibus? cum incolis Cedar (nigris & tenebrioſis,) qui hominibus inuidentiſſimi ſunt & infenſiſſimi, nullaque ratione placari ab eis poſſunt? Hi ſunt reguli illi, de quibus Ierem. 8. dicitur: *Mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos,* q. d. qui nullis flecti precibus ad miſericordiam poterunt. An non videmus, quomodo diabolus torqueat obſeſſos? quomodo terræ allidat? quomodo diſcerpat? *Marci* 9. diabolus obſeſſum vnum elidebat in terram & frequenter in ignem & aquam, vt eum perderet. Et hoc, cùm ex permiſſione Dei aliqua ei poteſtas in hominum corpora datur valdè limitata. Quid faciet ergo cum plenam obtinebit in damnatos poteſtatem? Necem ſibi Saul inferre maluit, quàm in Philiſthæorum, hoſtium ſuorum, manus deuenire, ne illuderent ei, 1. *Reg. vlt.* Quantò acerbior & intolerabilior erit illuſio dæmonum, cùm in eorum manus reprobi deuenerint.

E. IV. Alligatio. QVARTÒ, Iubetur ligatis manibus & pedibus eiici in infernum. Vbi indicatur alia pœna, vinculorum ſcilicet, quibus alligati reprobi mouere ſe non poterunt, ſed eidem loco ſemper affixi erunt. Quibus vinculis etiam dæmones reſeruatos ſcribit S. Iudas *in epiſt. ſuâ Can.* Quid verò hoc tormenti ſit, quærat aliquis ex infirmo, qui eidem lecto aliquamdiu ita affixus hæret vt ſeipſum mouere nequeat. Certè ſi quis etiam ſanus adigeretur vt per totum annum in eodem ſemper lecto iacere deberet, quantam ille hanc pœnam reputaret? In vita Sanctæ Lydwinæ ſcribit Surius 14. Aprilis eam aliquando viro flagitioſo, cuius ipſa in confeſſione interpres eſſe debebat, pro pœnitentia ab eo poſtulaſſe, vti in lecto ſuo bene ſtrato cubaret per noctem vnam ſupinus atque immotus. Conditione cum riſu acceptâ, quòd leuiſſima, imò nulla videretur eſſe hæc pœna, recipit ſe in lectum, mollem ad delicatum: ſed non diu iacuit, quin tædio affici & quaſi aculeorum intolerabiles puncturas ſentire inciperet, ita vt fateretur nunquàm ſe per omnem vitam tam malè cubuiſſe, ob ſolam ſibi ademptam libertatem vertendi ſe in vnum vel alterum latus. Intereà dum lecti mollitiem, corporis ſui incolumitatem, noctis vnius breuitatem, viciſſim ſcelerum ſuorum grauitatem, tartarei ignis æternitatem in ſuo illo faſtidio reuoluit animo, ait: *Me miſerum! ſi per vnam noctem in molli culcitra iacere mihi immotum intolerabile videtur, quâ ratione potero in gehennæ incendio perpetuo affixus iacere?* Itaque ex eo tempore vitam in melius commutauit. De gentilium impietate prodidit Sanctus Gregorius Nazianzenus, quòd Marcum Arethuſium Martyrem arctiſſimè colligatum expoſuerint nudum ad ſolem melle perunctum morſibus veſparum atque muſcarum, quas neque recedendo ex eo loco, neque manibus poterat abigere. Crudele prorſus tormentum. Sed Martyrem conſolabatur breuitas ſupplicij & gloriæ perennitas. Inferni verò incolæ alligati manibus ac pedibus expoſitique morſibus vermium & facibus ignitis, neque vermes abigere poterunt, neque incendium effugere, neque leuamentum, nedum gaudium aliquod expectare in omnem æternitatem, quia Apoc. 14. dicitur: *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt beſtiam.*

QVINTÒ, Ibi erit fletus & ſtridor dentium. F. V. Ignis.
Quibus verbis duas alias deſignari pœnas inferni vult Sanctus Hieronymus in *Matthæi cap.* 10. Item auctor libri de triplici habitaculo, qui tribuitur Auguſtino tom. 9. Ignis videlicet & frigoris; ſiquidem fletus & liquefactio oculorum ex calore naſcitur: dentium verò ſtridor ex frigore. Quam vtramque pœnam notat Iob cap. 24. cùm ait: *Tranſibit à calore nimio ad aquas niuium*; atque de hac duplici quaſi gehennâ explicat Ven. Beda in Comment. ſuper Iob. Quamquam alij communiter locum hunc aliter exponunt. Quintum igitur ſupplicium ignis erit, quem multis in locis ſine ambagibus aut parabolis minatur & aſſerit Dominus, ita vt de hoc ſupplicio infernali nulla prorſus dubitatio eſſe poſſit. *Dixit enim hoc infinita Dei ſapientia: & quæ damnatos punit, eſt infinita Dei potentia, quod facit miris ſed veris modis*, vt ait Auguſtinus *lib.* 12. *de ciuitate Dei capite* 10. Inter multa quæ excogitata ſunt reis ſupplicia ab hominibus, nullum acrius eſt igne: ſed hic tamen non accedit ad ignis tartarei acerbitatem, qui, vt dicitur Deut. 32. *Succenſus eſt in furore* Domini, *& ardebit vſque ad inferni nouiſſima, deuorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet*, hoc eſt, furioſè

aget

aget vt inſtrumentum à Deo irato eleuatum ad puniendos ſine miſericordiâ noxios. Quam impetuoſus & vehemens eſt ignis fulminis ſi cum noſtro comparetur? necdum tamen æqualis eſt illi tartareo, qui ſolus in furore Dei ſuccenſus eſt. Noſter ignis vti maximè præ aliis torquet ſuppliciis, ita velociſſimè conſumit corpora, quæ vrit: & cruciare deſinit. Sed non ſic ignis ille, qui ardebit *vſque ad inferni nouiſſima*, ſeu (vt habetur in Hebr. & Chald. *vſq; ad infernum inferiorem*, id eſt, indelebiliter. Quemadmodum herba à pecoribus depaſta mox iterum creſcit, & rurſum depaſcitur, ſic corpora damnatorum ab igne illo. Vnde ſubditur ibi, *Deuorabitque terram cum germine ſuo*. Vt enim aurum & Salamandra in igne perſiſtunt nec diſſoluuntur: ita corpora damnatorum; quamquam illa ſine doloris ſenſu, hæc verò cum acerrimo.

Jam verò, *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante*? ait Iſaias cap. 33. *quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis*? q. d. probate priùs, ô ſtulti peccatores, an ferre queatis ignem illum: mittite vel digitum ſupra lumen candelæ ad ſemihoram; & ſi hoc non poteſtis: quomodo poteritis habitare cũ ardoribus ſempiternis?

G. VI. Gelu. Sextò, Ibi erit ſtridor dentium adeoque frigus intolerabile, vt ſuprà vidimus ſaltem probabiliter oſtendi ex S. Iob, neque impoſſibile eſt, intenſiſſimum etiam frigus reperiri in inferno vel in ipſo eius igne; ſiquidem etiam in fornace Babilonicâ altiſſimè ſuccensâ fecit Deus medium fornacis quaſi ventum roris flantem, *Dan.* 3. Erit verò repentina & vehemens mutatio de vno extremo ad aliud quæ nihil refrigerij, ſed augmentum pœnæ afferet, ob repugnantiam qualitatum. Sic videmus ferrum cadens è fornace in aquam immiſſum excitare ſtridorem, ob pugnam frigoris & caloris. Et ſic pugnantes in homine qualitates dolorem & morbos ei creant, quid faciet tam inſolita extremi ardoris & frigoris pugna in homine damnato? Typum vtriuſque huius ſupplicij exhibuit diabolus in Iaponia, coniuratus in obſeſſo à quodam pio Chriſtiano, Seano nomine, vt refert Gaſpar Cœlius *in Ep. Iaponicâ miſſa anno*. 1582. cùm vrgeretur ad ſpecimen pœnarum infernalium exhibendum. Reſpondit enim damnatos pati maximè ab igne & frigore, dumque ita loqueretur, repente obſeſſus factus eſt totus candens quaſi carbo ignitus, & cœpit toto corpore fumare ac ſudare. Paulò poſt cœpit dentibus ſtridere, toto corpore tremere & rigere, quaſi in media glacie diu perſtitiſſet. Quòd ſi S. Baſilio credimus, frigoris cruciatus nequaquam prioribus leuior eſt, ſiquidem in orat. in 40. Martyres ait, *cùm truculentiſſimus quidam Tyrannus*, Licinius videlicet, *Martyres illos vehementiſſimè torquere vellet, dimiſit illos ſub noctem flante Boreâ in gelidiſſimum & congelatum lacum, vt ita nudi miſerrimè interirent*. A quibus unus deſciuit & in vicinum balneum tranſiuit, vim frigoris non ferens. Atque hæc de frigore dicta ſint iuxta veterum quorundam Patrum opinionem; nam recentiores Theologi communiter frigus inferni negant.

Septimò, Ibi etiam erit confuſio & pudor intolerabilis, quem indicauit Chriſtus in hodierno Euangelio, cùm dixit regem intraſſe conuiuium & viſo aliquo ſine veſte nuptiali, dixiſſe illi: *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* iuſſiſſeque eum è conſeſſu eiici. quæ res certè ingentem confuſionem continet: Velut ſi Rex aliquis iuberet aulicum ſuum vel etiam filium eiici è palatio per carnificem, & vnco trahi ad ſupplicium. Si quis tantùm à patrefamilias iuberetur è conſeſſu & conuiuio virorum honoratorum ſurgere & exire, ingenti pudore ſe affectum diceret: quantò magis hoc ſentient damnati, cùm è conuiuio filiorum Dei videbunt ſe eiectos & ad viliſſimorum hominum fæcem exturbatos? De illis dicit Dominus Iſa. 65. *ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini*. Illorum enim nuditas & turpitudo patebit omnibus inferni incolis, quam hîc etiam coram ſui ſimilibus tegere conati ſunt: nec auferet hanc pudorem ſocietas reproborum, ſed potiùs augebit, ſicuti cùm adulter iuxta adulteram ſtatuitur præ foribus Eccleſiæ. Quàm confundentur tunc Chriſtiani coram Ethnicis, ſi infra ipſos profundiùs demergantur in infernum, qui hîc ſedebant in conuiuio Eccleſiæ regali? Quàm confundentur Principes, & Magnates, ſi videant ſe inter viliſſimos homunciones ſine vllo reſpectu volutari & omnium pedibus proteri, imò à vilioribus ſibi inſultari? Quàm pudefient Epiſcopi & Sacerdotes, ſi videant ſe degradatos iactari & premi inter Ethnicos, Turcas, & Iudæos? Quàm exſibilabuntur diuites, nobiles, & qui in dignitate conſtituti erant, cùm videbunt ſe in ordinem redactos & iis æquales vel etiam ſubiectos, quibus ipſi priùs ſuperbè dominabantur? Quæ confuſio occupabit illos qui hîc ſcelera ſua coram hominibus & confeſſariis ſuis tegebant, & fumum pietatis vendebant? qui ob reſpectus humanos Dei cultum & ſalutaria remedia negligebant? H. VII. Confuſio & pudor.

Atque hoc eſt, Auditores, deſcendere ad infernum antequam moriamur, ſi hæc in vita noſtra perſiculatè meditemur, quod in vitis PP. l. 7. c. 44. faciebat quidam Sanctus, qui dicebat: *Ego ob peccata mea inferno adiudicaui meipsũ, dicebamq; Eſto cum his, quibus dignum te exiſtis poſt modicũ annumeraberis. Video igitur ibi pates gemitus & inceſſabiles lachrymas. Aſpicio ſtridentes dentibus & ſalientes toto corpore & trementes à capite vſq; ad pedes. Video & mare ignis bullientis immenſibile, & circumfluentes & mugientes, vt putent aliqui vſque ad cœlos attingere fluctus ignis & in tremendo illo mari innumerabiles homĩes deiectos, & vna voce omnes clamantes & vlulantes ſimul, quales nemo ſuper terrã vlulatus & voces vnquã audierat, & ſicut arẽtia omnis virgulti cremare, &c.* S. Gre. l. 4. dial. refert Petrum Eremitã defunctũ & protinùs corpori reſtitutum narraſſe, ſe inferni ſupplicia & innumera loca flammarum vidiſſe, atque in eis,

eis quoſdam potentes huius ſæculi ſpectaſſe: qui cùm iam ductus eſſet vt in illa & ipſe mergeretur, ſubitò Angelum coruſci habitûs appanuiſſe, qui eum in ignem mergi prohibebat dicens: *Regredere, & qualiter tibi poſt hæc viuendum ſit, cautiſſimè attende.* Reuiuiſcens tantis ſe vigiliis ieiuniiſque conſtrinxit, vt eum inferni vidiſſe pertimuiſſeq; tormenta, etſi taceret lingua, conuerſatio loqueretur. Vtinã Auditores etiam hoc noſtro deſcenſu ad infernum & nos reſipiſcamus! Regrediamur ergo ex inferno & nos, & ita viuamus, vt ne moriẽtes ad infernũ deſcendamus.

CONCIO III.

Cur tam variis poenis inferi exagitentur.

1. *Cur pœna damni.*
2. *Cur tenebris internis & externis.*
3. *Cur vinculis.*
4.5. *Cur fletu & ſtridore dentium.*
6.7. *Quare igne, & quidem ſulphureo, dæmonumq́; ſocietate.*
8. *Cur vermibus continuò rodentibus, ac verme conſcientiæ.*

THEMA.

Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 22.

A. *Pœna communiter correſpondet culpæ.* RArum & memorabile factum narrat Trebellius Pollio de Mario Tyranno. Hic enim cùm loco natus humili, artem cudendorum enſium initio pertractaſſet, tandem militari fortunâ euectus, imperatoriam dignitatem ſibi arrogauit. Sed (en fortunæ ludum) in hoc tanto honoris faſtigio miles quidam, cuius operâ Marius in fabrili arte vſus aliquando fuerat, gladio eum adoriens transfigit, atque inſultabundus ait: *Hic eſt gladius, quem ipſe feciſti.* Videmus, Auditores, in hodierno Euangelio iratum Regem terribili mortis ſententia; quaſi gladio oris ſui adoriri peccatorem: *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Ac ſi quidem ex illo quærere vellemus, cur tam ſæuo ac terribili tot ſuppliciorum gladio adoriatur peccatorem? Diceret abſque dubio, damnando peccatori: *Hic eſt gladius, quem ipſe feciſti.* Tuis iam multiplicicibus tamque variis ſceleribus has pœnas tibi cudiſti; quòd tibimet intriuiſti, exuendum tibi eſt. Neque hoc immeritò, ſcriptum enim eſt; *Pro menſura peccati erit & plagarum modus.* Deut. 25. Rurſum: *Quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Apoc. 18. Denique Sap. 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Cùm ergo Dei iuſtitia ſemper iuncta ſit eiuſdem ſapientiæ, adeoque nullam pœnam infligat abſque ſumma ratione; ſi non videre, prudenter ſaltem conicere poſſumus, quas ob cauſas inferi tot pœnis exagitentur, id quod hîc faciemus.

II. I. PRIMA, Inferorum & quidem omnibus communis pœna cenſetur pœna damni, quæ eſt excluſio à cœleſti beatitudine, ſimilis confiſcationi bonorum, cùm quis eiiciendus in exilium ad metalla, priuatur omnibus bonis, & redditur inhabilis ad omnia, tanquam ſeruus pœnæ. Priuat enim hominem quinque maximis bonis, cœleſti patriâ, amœniſſimâ, ſaluberrimâ, feliciſſimâ, ſpectaculo pulcherrimo, quo fruuntur beati, intuendo totam mundi fabricam & quæ in eo ſunt; contubernio & ſocietate SS. Angelorum & Beatorum omnium; lumine gloriæ, ac conſequenter viſione beatificâ; gloriâ corporis & animæ. Iuſtiſſima verò hæc damnatorum pœna eſt. Omnis enim peccator quouis peccato duo committit mala: auertit ſe à ſummo & incomparabili bono, & conuertit ad rem creatam, fragilem, caducam, vanam. Vnde Ierem. 2. ait Dominus: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas.* Hoc velut duplex in Deum iniuria eſt. Itaque auerſio à ſummo bono punitur pœnâ damni, ſeu abiectione à ſummo bono, Deo; vt ſentiat peccator, à quanto bono ſe auerterit; conuerſio ad creaturam punitur pœnâ ſenſûs, vt ſentiat quò ſe conuerterit, quàm fallaci & fugaci adhæſerit creaturæ: atque ita experiatur quantum ſit diſcrimen inter fontem aquæ viuæ, Deum, & ciſternas diſſipatas, creaturas. Quoniam igitur peccator eo ipſo, quo auertit ſe à Deo, abiicit & contemnit Deum, præferendo ei creaturam: meretur hoc ipſo excidere à ſummo bono, & abiici à Deo. Quamdiu is in peccatis vixit, tamdiu dorſum vertit Deo: (Ita vidit impios Ezechiel in templo habentes dorſa contra altare c. 8.) iure igitur & Deus dorſum ei vertit in gehenna, ſubtrahendo ei aſpectum & vultum ſuum deſideratiſſimum; quemadmodum minatur Ierem. 18. *Dorſum & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum*, q. d. ſicut mihi vocanti eos dorſum obuerterunt: ita illis eiulantibus in gehenna vertam ego dorſum; ſicut me reſpexerunt; ita ego ipſos reſpiciam. Luculentam huius rei figuram cernere eſt in Saule, qui cùm poſthabito Dei & Samuelis expreſſo mandato prædam abſtuliſſet ab Amalec, & poſtularet à Samuele vt reuerteretur ſecum ad ſupplicandum Domino, noluit Samuel, & ait: *Non reuertar tecum, quia proieciſti ſermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne ſis Rex.* 1. Reg. 15. Itaque Samuel Propheta *conuerſus eſt vt abiret* ab improbo rege, quia Rex dorſum verterat mandanti Prophetæ: *Vade & percute Amalec & demolire vniuerſa eius.* Et quia mandatum Prophetæ, ipſius Dei mandatum erat, ideò addit: *Quia proieciſti ſermonem Domini, proiecit te Dominus.* Iterum par pari redditum. Sed quid porrò actum? diſcedente Samuele, *apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt.* Et ait ad eum Samuel: *Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie.* Prorſus idem agit in peccatore iuſtitia Diuina. Abſcindit Deo peccator ſummitatem pallij eius, quia ſummum gloriæ titulum & eſſe vltimi finis adimit, transfertque in creaturam. Quid mirum igitur, ſi Deus viciſſim abſcindat ab eo cæleſtis gloriæ regnum, ſummamque fœlicitatem? ſi veſtem gloriæ auferat ei, à quo ſpoliatus eſt coronâ ſuâ? Cur pœna damni.

SECVN-

Digitized by Google

C. II. Cur tenebris.

Secvnda, Tenebræ, eæque duplices, internæ & externæ. Internæ ſunt obliuio præteritarum deliciarum, quarum recordatione adeò non ſubleuantur, ſed cruciantur, vt videantur obliuioni traditæ. Quo ſenſu Ieremias ſub eorum nomine lamentantur in Threnis *cap.* 3. dicens *Repulſa eſt à pace* (proſperitate & gaudio huius vitæ) *anima mea: oblitus ſum bonorum.* Quemadmodum enim beati in cælo non recordantur ampliùs præteritorum laborum, ob præmij magnitudinem: ſic damnati obliuiſcuntur bonorum huius ſæculi, ob ſuppliciorum immanitatem. Hinc Epuloni Abraham reuocare in memoriam debuit præteritæ vitæ dulcedinem: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua,* Luc. 16. Tam parum enim prodeſt inferis fuiſſe aliquando felices, quàm ſi nunquam fuiſſent, quod teſtantur illi Sap. 5. *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierũt omnia illa tanquam fumus.* Externæ ſunt Cimmeria illa caligo & obſcuritas inferni, vtpote à ſole, & omni luce remotiſſimi, ingenti terræ mole incluſiſſimi; quas in hodierno Euangelio Dominus vocat *exteriores*, q. d. extremas & denſiſſimas in ſummo gradu. Porrò iure merito incidunt in has tenebras; quia in hac vita tenebras amarunt, partim internas, partim externas. Internas, cæcitatem mentis, quam præ luce dilexerunt, ita vt eripi nollent, cùm facilè potuiſſent, imò erepturis maledicerent & illuderent; vt teſtatur D. Ioannes c. 3. *Hoc eſt iudicium; quia lux venit in mundum; & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, &c.* quapropter iure merito condemnantur ad illas tenebras, vnde eripi non poſſunt, vt notat S. Auguſt. *epiſt.* 120. *ad Honoratum.* Externas, noctem & caliginoſa loca, quibus gaudent peccatores, ad patranda furta, adulteria, impudicitias, fraudes & impoſturas, aliaque flagitia. Vtraſque tenebras amarant impudici illi ſenes, qui inſidias ſtruxerant Suſannæ; internas, quia *euerterunt ſenſum ſuum & declinauerunt oculos vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum.* Externas; quia dicunt Suſannæ: *Ecce oſtia pomarij clauſa ſunt & nemo nos videt, &c.* quamobrem iure merito in ſe experti ſunt, quod Suſannæ irrogare conati: lapidati enim ſunt, qui lapidare eam volebant. Pulchrè etiam Daniel ab ipſorum calumnia deſumit & pronuntiat in eos ſententiam mortis. Vnus dixit, vidiſſe ſe Suſannam ſub ſcino; cui reſpondit Daniel cum ſimili græca voce σχίσει, ſcindere, *Ecce Angelus Domini ſcindit te medium.* Alter dixit ſe vidiſſe eam ſub pruno; cui Daniel græca item voce πρίσαι, ſecare, appoſitè reſpondet: *manet Angelus Domini gladium habens, vt ſecet te medium,* q. d. quia ſub arbore eam vidiſtis, & violare voluiſtis, itote in malam crucem.

D. III. Cur vinculis.

Tertia, ſunt vincula, ex ſententia hod. Regis: *Ligatis manibus & pedibus*, &c. Neque hoc immeritò; quia enim reprobi, dum viuebãt, ſuauia Chriſti vincula reſpuerunt ac ruperunt; quẽadmodum queritur Deus Ier. 2. *A ſæculo confregiſti iugum, rupiſti vincula mea, & dixiſti, Non ſeruiam*; idcircò alligandi & vinciendi ſunt in inferno à Diabolo, qui hîc vinciri noluerunt à Chriſto. Homines alligantur in infantia, ne è cunis excidant; adultiores facti non alligantur: contrà bruta, vti equi & boues, in prima ætate non alligantur, ſed adultâ primùm. Ita homines boni, qui ſoli verè homines ſunt, alligantur, dum in hoc ſæculo degunt, ad ſuaue Chriſti iugum in cœlo liberi erunt. Reprobi verò, qui brutorum vitam degunt, liberi hîc diſcurrunt, dum iugum Chriſti excutiunt; ſed vincientur in inferno. Nimirum quia ſpreto Chriſti iugo, impoſuerunt ſibi iugum Dæmonis, idcircò id geſtare & quidem æternum debent.

E. IV. Cur fletu.

Qvarta, eſt perennis ſtatus ob iacturam temporis & tot bonorum perditorum, incurſionem quoque tot malorum. Propterea Dominus: *Ibi erit fletus*, inquit, q. d. nullus vitæ huius fletus illi fletui comparandus, quia nulla hîc tam grauis iactura eſſe poteſt, atque ibi. flebunt autem iuſtiſſimè.

1. Primò, quia in hoc ſæculo nullis rationibus commoueri ad lachrymas compunctionis poterant. Fleuit propter eos Chriſtus & toto corpore lachrymas quaſi ſanguineas in cruce profudit: fleuerunt coram eis parentes eorum, vt contumaces filios ad frugem reuocarent: fleuerunt Confeſſarij & Concionatores; ſuis precibus & hortamentis eoſdem ſtimulando: fleuerunt Angeli pacis, internis inſpirationibus eorum aures obtundendo. Sed nihil effectum: lapide duriores erant: ne una quidem lachrymula elici ex his pumicibus poterat; fleant igitur in gehennâ, & æternùm fleant, & incaſſum fleant, qui hîc, ad modicum tempus, magno ſuo fructu flere noluerunt. S. Macarius à Fratribus de monte Nitriæ rogatus, vt in Nitriam venire & ſalutari monito paſcere dignaretur fratres, cum lachrymis dicere orſus eſt. *Ploremus, & lachrymas, ò fratres, noſtri oculi producant, antequam hinc eò migremus, vbi lachrymæ comburunt corpora.* Hoc exordium, hoc medium, hic finis orationis fuit; quo quidem fratres omnes animo perculſi, lachrymas & ipſi profundere atque in terram cadere dicereque, *Pater ora pro nobis.* Pelagius interpres libel. 3. numer. 9. apud Roſweid.

2. Secundò, quia in hoc ſæculo nil niſi ridere, alioſque deridere, lætari & iubilare conſueuerunt. Scimus autem dixiſſe Chriſtum apud Luc. c. 6. *Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.* Iam verò cùm peccatores ad pœnitentiam vocantur; cùm arguuntur, cùm minis terrentur, imò etiam cùm caſtigantur ſæpe, rident, cachinnãtur, ſubſannant ſuos correctores; quemadmodum fecerunt homines pleriq; paulò ante diluuium. *Tam multi prædicabant & vaticinabãtur*, inquit Beroſus Chaldæus l. 1. *& lapidibus excidebant de ea, quæ ventura erat, orbis perditione, ſed enim illi aſſueti corridebãt omnia, &c.* Quod fecerunt illi, hoc faciunt etiãnum obſtinati peccatores, qui & *quaſi per riſum operantur ſcelus*, Prou. 10. Audiamus Iſa. c. 22. ſic ſcribentem. *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illâ ad fletum & ad planctum, ad caluitium & ad cingulum ſacci. Et ecce* gaudium

gaudium & lætitia; occidere vitulos & iugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum, Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Sed quid ad iſta Deus, ſequitur: *Et reuelata eſt in auribus meis vox Domini exercituum, ſi dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini! dicit Dominus* q. d. *Conuertam feſtiuitates veſtras in luctum & omnia cantica veſtra in planctum; & inducam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccũ, & ſuper omne caput caluitiũ, & ponam eam quaſi luctum vnigeniti & nouiſſima eius quaſi diem amarũ*, vti dixit per os Amos c. 8.

3. Tertiò, Quia aliorum oculos ſæpe lachrimis oppleuerunt. Iuſtum igitur eſt, vti ſuos quoque impleant ſcriptum enim eſt. Prou. 11. *Qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur.* Inebriarunt alios lachrymis: inebrientur ergo & ipſi, & quidem ſecundum menſuram confertam & cogitatam.

4. *Dom. Septuag. Conc. I.* Quartò, Iuſtè plorant inſtar mulierum, quia non pugnarunt inſtar virorum. Hoc reſponſum dedit Chiquitoni Reg. Granatæ mater eius, cùm è regno & arce ſuâ pulſus à longè ea aſpiceret plorans, vti diximus alibi.

F. V. Cur ſtridore dentium. QVINTA, Stridor dentium, per quem intelligere poſſumus partim famem inferorum intolerabilem, partim frigus intentiſſimum. De fame teſtatur Dauid Pſal. 58. *Famem patientur vt canes.* Cui iungenda ſitis incomparabilis, cuius teſtem habemus Epulonem. Sæuus etiam eſt hic gladius. Quid enim non faciunt homines, vt famem ſitimque pellant? Comedunt equos, canes, feles, mures, glires, gramen, corium, excrementa pecorum. In exercitu Cambyſis Regis, Æthiopiam petentis *ſuſtinebant famem*, inquit Seneca l. 3. de ira c. 20. *Primò tenerrima frondium & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quidquid neceſſitas cibum fecerat. Poſtquam inter arenas radices quoque & herba defecerant, apparuitque inops etiam animalium ſolitudo, decimum quemq; ſortiti, alimentum habuerunt fame ſæuius.* Parum hoc; multæ matres proprios liberos iugulârunt ac vorârunt; imò aliqui proprios artus, vt famem nonnihil ſedarent. Sæuus igitur & crudelis gladius eſt fames, quæ tam diris modis pellitur. Sed hunc gladium, ô Inferi, ipſi vos feciſtis. Quod enim ait Dominus Luc. 6. *Væ vobis, qui ſaturati eſtis; quia eſurietis.* Exemplo ſit Epulo ille, qui in tartareis flammis linguam ſiti æſtuantem refrigerari ſupplex petiit. Et cur linguam maximè? quia per eandem in cibo & potu immoderato, vtpote quotidianis conuiuiis grauiter deliquerat. Exceſſus igitur gulæ exceſſu ſitis puniendus fuit.

Non pauci etiam de frigore ſtridorem dentium exponunt, quia frigus ſtridere dentes facit. Quòd ſi igitur inferi frigore etiam puniuntur, iuſtè puniuntur, vt qui nullis Dei beneficiis, nullis admonitionibus, precibus, blanditiis, minis & ſuppliciis ad amorem Dei incaleſcere voluerunt. Et qui tot Dei beneficiis, præſertim Incarnationis, accendi non potuerunt, quorſum, rogo, pertinent, niſi ad glaciem ſtygis?

G. VI. Cur igne. SEXTA, Eſt ignis ſulphureus. De igne frequens teſtis eſt in Euangelio Chriſtus, cuius vel ſolus teſtimonium nobis ſatis ſuperque eſſe debet. Voluit autem Dei iuſtitia per ignem maximè reprobos punire. 1. Primò, quia vt ignis ſupplicium omnium, quæ ſciamus, eſt grauiſſimum atque acerrimum: ita peccatum, quod admiſerunt, malorum omnium maximum eſt. Maximo igitur malo maximum debetur ſupplicium. 2. Deinde quia per ignem cupiditatis, auaritiæ, luxuriæ, iræ, inuidiæ, gulæ, maximè peccant homines; igne igitur puniendi ſunt; quemadmodum & Abſalon, quia capillos ſuos nimium dilexit, ſibique in iis vanè placuit, è capillis ſuſpenſus arbori adhæſit. 3. Deinque vt Deus viuentium adhuc hominum libidinem peccandi coërceret, appoſuit eis ignem & aquam: (ſupplicium grauiſſimum & refrigerium ſuauiſſimum) ad quod voluerint, extendant manum ſuam. *Eccleſ.* 15. Si ergo ignem elegerint, ſibi hoc adſcribant. Et hic igitur gladius eſt, ô inferi, quem ipſi vos cudiſtis.

Cur ſulphure. De ſulphureo porro igne teſtem habemus D. Ioannem *Apoc.* 14. 19. 20. & 21. vbi crebrò aſſerit reprobos miſſos eſſe in ſtagnum ignis & ſulphuris. Debetur autem illis ſulphuris ſuffitus, quia ſordes & fætores auaritiæ, gulæ & luxuriæ amârunt vti Sodomitæ, ac veluti *iumenta computruerunt in ſtercore ſuo.* Ioël 1. Deinde quia delicatuli & carnis mancipia ſuaui ſemper odore recreare nares volunt, moſcho & cybetto imbuere veſtes ſuas: grauioris viciſſim odoris impatientes ſunt; viles, captiuos & pauperes, ægros, eorumque vlcera auerſantur; idcircò eis continget, quod ſcriptum legimus Iſa. 3. *In illa die erit pro ſuaui odore fœtor.* Hinc ſæpe qui delicatiſſimè enutriti ſunt, teterrimè fœtent in morte, vti Antiochus Epiphanes, qui morti vicinus ne ipſe quidem fœtorem ſuum ferre poterat. 2. *Mach.* 9.

H. VII. Cur Dæmonum ſocietate. SEPTIMA, Dæmonum & aliorum damnatorum perpetua ſocietas; ſiquidem de igne æterno pronuntiat Chriſtus: *Qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Matth. 25. Sicut ergo beatis ingens gaudium eſt verſari cum beatis aliis: ita damnatis ingens mœror erit verſari cum Dæmonibus & damnatis aliis; tum quia res miſerrima eſt cogi ſemper eſſe in medio miſerorum, pati aſpectum omnium malorum, quæ eis inferuntur, & audire querimonias: tum quia omnes ſe mutuò oderunt; tum quia valde credibile eſt, dæmones etiam pòſt iudicij diem fore tortores hominum, ipſos etiam damnatos velut rabidos canes in ſe mutuo ſæuituros. Eò videntur pertinere verba illa Eccleſ. 39. *Sunt ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt; & in furore ſuo firmauerunt tormenta ſua.* Iuſtum verò hoc tormentum eſt, vt ſentiant damnati dominorum ſuorum clementiam & benignitatem, quibus ſe per peccatum ſubiecerunt, ſeu vt Lyranus in illum locum ait: *Vt qui fuerunt eis voluntariè ſubiecti in culpa, eis inuoluntariè ſubiiciantur in pœna.* Cùm Princeps Sacerdotum Ananias præciperet aſtantibus vt percuterent os Pauli; reſpondit Paulus: *Percutiet te Deus, paries dealbate*, Actor. 23. Pari iure reprobi, quia præter fas & æquum alios percutere ac premere con-

premere conſueuerunt, idcircò mandabit Deus
2. miniſtris ſuis, dæmonibus, vt viciſſim in inferno percutiant eoſdem. Valerianus Imp. cùm fidei Chriſtianæ ſacra cœpiſſet conculcare, à Sapore Perſâ comprehenſus & pro ſcabelli vſu adhibitus, quoties Sapor equum aſcenderet, ab eo conculcatus fuit, apud Euſeb. lib. 7. hiſt. c. 9. Idem ſentiunt damnati; quia enim Deum & ſacra omnia pedibus calcârunt, idcircò etiam ipſi calcabuntur à Dæmonibus, velut ſcabella & mancipia eorundem. Denique, quia
3. dæmonis iuſſa facere quàm Dei maluerunt, ab ipſo conſilium & opem in aduerſis requiſierunt, ab eodem verbera pro mercede capient, vti Hebræi à Pharaone, pro opere lateritio, in regis commodum peracto. Ita Salomon argumentatur Sap. 11. *Quòd quidam errantes colebant mutos ſerpentes & beſtias ſupernacuas:* (grecè, viles) *immiſiſti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, vt ſcirent, quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Vnde non improbabiliter concludunt aliqui, Dæmones aſſumpturos varias terribilium beſtiarum formas ad terrendos homines, ſocios pœnarum prout ipſi peccauerant; iuxta id Deut. 32. *Dentes beſtiarum immittam in eos cum furore trahentium ſuper terram atque ſerpentium.* Oculos laſciuorum terrebunt aſpectu monſtrorum, Leonum, Draconum, ſerpentum, bufonum. Aures curioſorum rugitibus, mugitibus, clamoribus, maledictis: Nares affligent teterrimo odore & pluſquam hircino fœtore: Linguam & guſtum felle & abſynthio, veneno aſpidum, felle draconum; & ſi quid his amarulentius eſt: Tactum igneo ardore & mutuâ corporum compreſſione atque immenſâ anguſtiâ. Quicunque igitur hîc cum inimicis ſuis loqui, comedere, conſidere detrectârunt & quiduis aliud potiùs pati maluerunt: quàm iuſtè punientur, ſi cum inimicis ſuis, nec non cum infenſiſſimis ſibi Dæmonibus æternùm conſidebunt nec vnquam ab eorum lateribus poterunt diſcedere?

I. VIII. Cur vermibus. OCTAVA, Eſt vermis aſſiduè rodens, quod teſtatur Iſaias c. 66. & ex illo Chriſtus Marci 9. *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Porrò multi per hunc vermem intelligunt veros & propriè dictos vermes, qui torquebunt inferos, vti Sanctus Auguſt. *in lib. 21. de ciuit. cap. 9.* Baſilius *in Pſal. 33.* Innocent III. Pontif. *l b. de contemp. mun. cap. 1.* S. Anſelm. in Elucidario: *Tertia*, inquit, *pœna in inferno eſt, vermes immortales, id eſt, ſerpentes & dracones viſu & ſibilo horribiles, qui vt piſces in aqua, ita viuunt in flammis.* Appoſitè verò damnati punientur per hos vermes. Cùm enim omnis pænè caro corruperit viam ſuam & pleraque reproborum peccata ſint carnalia, videamuſq; paſſim graſſari libidinem, gulam & crapulam, aptè punientur putridis iſtis vermibus, qui ex gula, libidine, indeque putenti carne oriri ſolent. *Quid namque caro*, inquit S. Greg. lib. 16. Mor. cap. vlt. *niſi putredo ac vermis eſt? Et quiſquis carnalibus deſiderijs anhelat, quid aliud quàm vermem amat?*

Cur verme con- Rectè etiam & plerique alij per hunc vermem intelligunt conſcientiam inferos mordentem; quæ Primò ponet illis ob oculos culpas & flagitia eorum, quæ priùs æſtimare & agnoſcere noluerant: quo modo Theodoſius Diaconus Conſtantem Imp. fratrem, à quo priùs attonſus & poſtea iniquiſſimè interfectus erat, crebrò per quietem ipſi apparens habitu Diaconi infeſtauit & poculum ſanguine plenum porrigens dicebat: *Bibe frater*, fugientem quoque & loca permutantem maioribus inſequebatur clamoribus. Theophan. apud Baron. an. 659. Scriptum enim eſt Ezech. 35. *Cùm ſanguinem oderis, ſanguis te perſequetur.* ſcientiæ. 1.

Secundò, Ponet eis ob oculos magnitudinem cœleſtis præmij, quod ſuâ culpâ perdiderunt: grauitatem atque æternitatem pœnarum, quas incurrerunt ſua ſponte. Hæc enim quia in vita cœcorum inſtar videre noluerunt, ibi in medio tormentorum videbunt; quo modo Epulo cùm eſſet in tormentis vidit Lazarum, quem priùs præ foribus iacentem noluit videre. Excitat & animat hunc vermem iuſtitia diuina, faciendo vt mens eorum, hæc omnia aſſiduè & acriter apprehendat, cogitet & recogitet. 2.

Tertiò, Deuorabit inania illorum vota, quæ mente agitabant, cogitando; ô ſi hoc vel illud egiſſem! ô ſi mihi ad vitam vel per vnam horam redire liceret, &c. Hæc enim omnia vana & inania eſſe oſtendet, ſicque ad deſperationem eos adiget atque in furorem conuertet, vt ſeipſos dilaniare, ac commanducare linguas ſuas incipiant præ dolore, & blaſphemare Deum cœli præ doloribus & vulneribus ſuis, vt dicitur *Apoc. 16.* & ſic agant pœnitentiam fruſtraneam, qui priùs agere noluerunt fructuoſam, & ſeipſos lanient, qui priùs membra & ſenſus ſuos mortificare noluerunt. De Zenone Eutychiano Imp. quem vxor viuum in ebrietate ſepeliuit, ſcribit inter alia Cedrenus: *Satellites, qui ad ſepulchrum, in quo repoſitus fuit, cuſtodiendum erant collocati retulerunt ſe per duas noctes lamentabilem vocem è ſepulchro audiuiſſe: Miſeremini & aperite mihi. Cùm illi dicerent, alium iam regnare: Nihil, inquit, curo, in monaſterium me abducite. Sed cùm non aperiretur, ferunt aliquanto pòſt monumentum fuiſſe recluſum, inuentumq́, in eo Zenonem, qui præ fame ſuos ipſe lacertos manderat, & caligas, quas geſtabat.* Hunc in modum inferi in ſtygio ſepulchro inania concipient vota: Aperite, ô ſuperi, aperite. In monaſterium me detrudite, cædite, concidite, &c. qui nihil horum audire, dum viuerent, volebant. 3.

Quando igitur videmus, Auditores, ſæuiſſimum illum damnationis gladium ſibimet in ſuum malum reprobos cudiſſe, mirari iam non poſſumus, cur obmutuerit homo ille à rege increpatus ob defectum veſtis nuptialis. Quid enim reſpondebit peccator ad Iudicis ſententiam, quando eam ſibimet quodammodo in ſe dictauit? Videat ergo vnuſquiſque, ſi ſalutem ſuam amat, quid agat cùm peccatum aliquod perpetrat, quantum ſibi malum creet, &c.

CONCIO IV.

Iuſta peccatoris condemnatio, oſtenditur.

Peccatorem inexcuſabilem oſtendit.
1. *Ipſius ſcientia.*
2. 3. *Eius voluntas propriumq́; iudicium.*
4. *Peccati grauitas.*
5. *Factum ipſum in quo deprehenſus peccator.*

THEMA.

At ille obmutuit. Matth. 22.

A. QVam verè dixit Apoſtolus ad Heb. 10. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis!* Ecce enim in hodierno Euangelio terribile iudicium, quod exercuit in hominem, non homicidam aut latronem, non furem aut adulterum, non ſeditioſum, aut maleficum; ſed in hominem duntaxat carentẽ veſte nuptiali, charitate nimirum & virtutibus Chriſtianis. Quodque amplius eſt, damnat hominem non auditum, nec confeſſum. Reus obmuteſcit, non excuſat, non petit veniam, non negat, non affirmat. Cæteri conuiuæ omnes ſtant attoniti & Regis voce perterriti: nemo vnus illorum pro reo ſupplicare, aut ſententiæ executionem impedire audet; quin imò iubentur & debent ipſi exequi iudicium: *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Quis hîc non contremiſcat? Sanè in iudicijs humanis interrogatur & auditur reus: preces & excuſationes eius ſæpe admittuntur: reus ſe defendit, aut certè veniam implorat: inueniuntur qui pro illo ſupplices afferunt libellos. Nihil horum hîc factum aut conceſſum; & quamobrem? An quia hic reus repræſentat hominem in peccato morientem, vbi cœleſtis rex cum eo intrat in iudicium? Sanè ita eſt. Teſtatur S. Iob c. 9. *Si repentè interroget, quis reſpondebit ei?* inquit. Nimirum coram Deo quilibet peccator adeò inexcuſabilis erit, vt nec verbum quidem pro ſe reſpondere queat; quod hîc palàm faciemus.

B. I. Peccatorem inexcuſabilẽ oſtendit ſcientia ipſius. 1.

Ergo peccatorem inexcuſabilem oſtendit Primò, Scientia ipſius. Nam primò ſciuit lumine naturali, Deum non offendendum, & malum eſſe peccare. Deinde lumine fidei multò clarius id agnouit. Hac ratione arguit Apoſtolus ad *Rom.* 1. gentiles, quòd cùm ex creaturis cognouiſſent Deum, non glorificauerint eum, ſed in omnia ſcelera ſe effuderint: *ita vt ſint inexcuſabiles,* inquit. Deinde cap. 2. multò magis Iudæos tanquam magis adhuc inexcuſabiles. Gentiles enim lumine naturæ tantum & obſcurè intelligere poterant grauitatem & ſupplicia peccatorum: Iudæi autem prætereà nouerant eam per legem Moſaicam & doctrinam prophetarum. *Propter quod,* inquit, *inexcuſabilis es, ô homo, qui iudicas.* q.d. O Iudæe, qui iudicas & condemnas gentilem ob peccata: tu enim eorum grauitatem & ſupplicia meliùs agnouiſti. Iam verò Chriſtianus in iſta cognitione longè ſuperat Iudæum: quâ ergo ratione excuſabilis ſit ipſe? Iudæis dixit Chriſtus Ioan. 15. *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Idipſum multò magis dicet Chriſtianis. Natura dictat, honeſto veſtitu prodeundum eſſe ad nuptias eadem natura dictat, obuiandum Deo cum conſcientia pura; ſed idipſum prætereà docet nos Euangelium & imprimis hodiernum; deinde alia plura, vti illud, de ſponſo, cui obuiarunt prudentes virgines lampadibus ornatis & ardentibus, &c. Et quoties huius rei commonefacti ſumus in confeſſione & concione?

2. Secundò, Sciuit propoſitum ſibi à Deo præmium & pœnam, vitam & mortem, cœlum & infernum, iuxta id Eccl. 15. *Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.* Aqua refrigerans, gloriam ſignificat; ignis crucians infernum. Hoc, inquam, ſciuit ſeu credidit peccator; ſibi ergo imputet, ſi elegit ignem. Si quis nôſſet decretam à rege mortem ei, qui portam ciuitatis fuerit egreſſus: & nihilominus egredi vellet; quis non diceret illum mortem vltrò eligere, adeoque inexcuſabilem eſſe?

C. II. Oſtendit eius voluntas. 1.

Secvndò, Oſtendit eius voluntas; quia noluit inducere veſtem nuptialem, cùm tamen habere talem potuiſſet. Inprimis enim pôtuit eam parare per pœnitentiam & Sacramenta paſſim obuia & proſtantia. Vnde Euthymius Matth. 22. ait: *In nuptijs corruptibilibus reſpondere quiſpiam poſſet, quòd digna ſtola difficili inuenta foret. In his autem incorruptibilibus nuptijs ablata eſt omnis excuſatio: in proximo namque eſt ornatus ac inuentu facilis, ſi modò illum quæſieris, &c.* Si quis extremè ægrotans audiret in foro proſtare morbi ſui remedium, ita vili pretio, vt quiuis etiam pauperrimus emere illud poſſet; & nihilominùs hoc negligeret: quis non diceret eum mortem vltrò incurrere & ſibi ipſi temerè inferre, adeoque inexcuſabilem eſſe?

2. Secundò, Deus ipſe ſæpiſſimè obtulit ei veſtem illam, monuitque ad inducendum; quoties nimirum vocauit eum ad pœnitentiam & pia opera, per inſpirationes, concionatores, libros, exempla, flagella, &c. Ita enim clamauit Dominus Ioan. 7. *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat.* Et Apoc. 22. *Qui ſitit, veniat & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Et priùs per Iſaiam cap. 55. clamauit Deus: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite: venite, emite abſque argento & abſque vllâ commutatione vinum & lac;* id eſt, epulas cœleſtes. *Hæ nummo propria voluntatis emenda ſunt,* ait S. Bern. *ſerm. 2. de reſurr. Domini,* ô exiguum pretium! *Sitit ſitiri Dominus,* ait Nazianz. orat. in S. Baptiſma, *& ſi tanto bono ſine labore & facillimè, ſcilicet accedendo tantùm ad fontem, potiri poſſumus cuius dementiæ eſt, tantum bonum differre?* Hoc idem ſignificauit Dominus in parabola hodierna, cùm ait miſſos eſſe alios atque alios ſeruos ad vocandum inuitatos. At illi fortè non poterant venire? Haud quaquam; ſed: *nolebant venire,* inquit. Ergo

ſi à

ſi à nuptijs excluſi ſunt, ſibi imputent. Julius Cæſar olim, de factioſis quibuſdam ciuibus iamque ad internecionem coram proſtratis pronunciauit vocem illam: *Sic voluerunt.* Mazol. tom. 3. conc. cvii. 3. Idipſum dicere peccatoribus Deus poteſt.

D. III. Oſtendit proprium iudicium.

Tertio, Oſtendit proprium iudicium. Nam primò peccator nouit condemnare alios, ſimilis vel etiam eiuſdem peccati reos. Sic Dauid reum mortis proclamat diuitem, qui pauperis ouiculam rapuiſſe dicebatur, 2. *Reg.* 12. Eandem ob cauſam taxat Apoſtolus Iudæos, qui gentes ob peccata ſua condemnabant, interim tamen eadem ipſi faciebant. *Inexcuſabilis es, ô homo omnis, qui iudicas, in quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* Ita Iudæi illi dum alios condemnarunt, malæ fidei agricolas, ſeipſos iugulârunt, cùm dixerunt: *Malos male perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis* Matth. 21. Sic & Achab contra ſeipſum tulit iudicium, dum alium iudicauit, 3. *Reg.* 20. Ita & is, qui nummum ſuum abſcondit in ſudario, dicens Domino ſuo: *Timui te, quia homo auſterus es: tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti.* Cui reſpondit Dominus: *De ore tuo te iudico ſerue nequam,* &c. Luc 19.

Secundò, Peccator non fert in alijs, quod agit ipſemet. Non fert vxorem adulteram, ipſe eſt adulter. Non fert liberos inobedientes & prodigos, ipſe talis eſt. Non fert famulum ebrioſum, ſomnolentum, obliuioſum, pigrum, infidelem: ipſe tamen talis eſt. Non vult fraudari, ipſe fraudat. Non vult ſperni, ipſe ſpernit. Hoccine non eſt ſeipſum condemnare?

E. IV. Oſtendit peccati grauitas.

1. Qvarto, Oſtendit peccati mortalis grauitas, quæ tanta eſt, vt vel vnum peccatum lethale ſufficiat ad damnandum hominem in æternum. Primò, quia habet infinitam malitiam ratione perſonæ offenſæ, Dei, qui eſt infinitæ maieſtatis. Regiæ erant hodiernæ nuptiæ: Rex erat, qui offenſus eſt, non agricola, non ciuis: quid mirum, ſi reus læſæ maieſtatis excuſare ſe non potuerit? Accedit perſeuerantia in peccato. Vt enim homo ille non veſtitus nuptialiter, ſedit inter conuiuas nuptiales, quamdiu toleratus fuit, ſine verecundiâ, & diutiùs ſediſſet, ſi diutiùs toleratus fuiſſet: ita & peccator, niſi corripiatur, quamdiu peccandi occaſionem habet, tamdiu peccare perget.

2. Secundò, Quia ſummum Dei contemptum continet; dum peccator fluxa & inania bona, villam, negotiationem ſuam, Deo relicto ſectatur, adeoque à ſummo & æterno bono recedit, & ad viliſſima ac momentanea ſe conuertit. Ob ſimilem cauſam, dum Iſraelitæ, ſpreto manna cœleſti, petierunt cæpe & allia & pepones ac carnes, iratus eſt eis Deus, & ſuccendit eos igne, *Numer.* 11. Atque hanc tam grandem iniuriam queritur Deus cœlis quaſi teſtibus tantæ offenſæ. *Ierem.* 2. dicens: *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* De eodem contemptu queritur Ezech. 13. *Violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei & fragmen panis.*

Quantus autem contemptus, ſequi creaturam potiùs quàm Creatorem? dæmonem quàm Deum? Quid enim reſpondebit peccator dæmoni in iudicio aliquando dicturo: Ecce Deus hominem iſtum de nihilo creauit, morte ſuâ redemit innumeris beneficijs affecit, & hæredem regni ſui conſtituit, nec aliud ab eo pro his omnibus exegit, niſi vt eum diligeret, & voluntatem eius faceret. Ego verò nihil ei vnquam dedi, nihil boni optaui, imò plurima damna intuli, & mala omnia intentaui; & tamen, Deo ſpreto, mihi per omnia obſecutus eſt, pluraque ſæpè, quàm requirerem, ad placitum meum fecit. Quid, inquam, adhæc poterit peccator reſpondere? nónne obmuteſcet?

Quid reſpondebit Chriſto? cùm audiet Iudicem ſibi exprobrantem apud S. Auguſtinum ſermon. 7. de temp. *Ego te, ô homo, de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi ſpiritum, ego tibi meam imaginem conferre dignatus ſum; tu vitalia mandata contemnens, deceptorem ſequi, quàm Deum maluiſti. Cùm expulſus de paradiſo mortis vinculis tenereris, carnem aſſumpſi, in præſepio expoſitus & pannis inuolutus iacui, infantiæ contumelias humanoſque dolores pertuli, irridentiũ palmas & ſputa ſuſcepi, flagellis caſus, vepribus coronatus, cruci affixus expiraui. En clauorum veſtigia, quibus affixus pependi. En perfoſſum vulneribus latus. Cur quod pro te pertuli, perdidiſti? cur ingratè redemptionis tuæ munera renuiſti? cur habitaculum, quod mihi in te ſacraueram, luxuriæ ſordibus polluiſti? cur me grauiore criminum tuorum cruce, quàm illâ, in quâ quondam pependeram, afflixiſti? Grauior enim apud me peccatorum tuorum crux eſt, in qua inuitus pendeo, quàm illa, in quam tui miſertus, mortem tuam occiſurus aſcendi. Et quia poſt omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluiſti, ab auditu malo non mereberis liberari; deſpexiſti enim in Iudice veniam.* Quid ad hæc aut horum ſimilia reſpondere poterit peccator? Illud nimirum vnicum: *Montes cadite ſuper nos, & colles operite nos.* Oſeæ 10.

F. V. Oſtendit factum ipſum.

Qvinto, Oſtendit factum ipſum, in quo deprehenſus peccator, negare id non poteſt. Vt enim filij Iacob deprehenſo apud ſe ſcypho argenteo Ioſephi in ſacco Beniamini, excuſare ſe non poterant, ſed dicebant: *Quid reſpondebimus Domino meo, vel quid loquemur, aut iuſtè poterimus obtendere? Deus inuenit iniquitatem ſeruorum tuorum.* Geneſ. 44. Ita & peccator, cùm in eius conſcientia inueniet iniquitatem Deus, non habebit quod reſpondeat, ſed protinus obmuteſcet; *quia quod dici ſine gemitu non poteſt,* (inquit S. Gregor. hom. 38. quæ eſt ſuper hoc Euang.) *in illa diſtrictione vltima increpationis omne argumentum ceſſat excuſationis: quippe quia ille foris increpat, qui teſtis conſcientiæ intùs animum accuſat.*

Adhæc ſicuti Clericus aut Religioſus deprehenſus ſine veſtitu clericali aut regulari, Clericum aut Religioſum eo ipſo videtur exuere, nec habet quo ſe excuſet, ſi vt laicus tracte-

tractetur, & mulctetur & incarceretur à ſæcularibus; quia ſymbolum ſuæ immunitatis abiecit: ita & Chriſtianus ſi veſtem ſuæ profeſſionis, quam ſuſcepit, & profiteri in Baptiſmo cœpit, abiecerit, ſi velut alienus eijciatur è Chriſti nuptijs, quid poterit obtendere? Hoc aliquando obiecit Elpidophoro Apoſtatæ & carnifici tam ſuo quàm aliorum orthodoxorum Muritta Diaconus apud Victorem Vticenſem *l.3. perſecutionis VVandal.* expandens interim & ventilans lintea illa, quibus Elpidophorum olim è ſacro fonte ſuſceperat. *Hæc,* inquit, *ſunt lintea, Elpidophore, miniſter erroris, quæ te accuſabunt, dum maieſtas venerit iudicantis, cuſtodiente diligentiâ meâ ad teſtimoniũ tuæ perditionis, ad demergendum te in abyſſo putei ſulphuratis, Hæc te immaculatum cinxerant de fonte ſurgentem. Hæc te acriùs perſequentur, flammantem gehennam cùm caperis poſſidere, quia induiſti te maledictionem ſicut veſtimentum, ſcindens atque amittẽs veri baptiſmatis & fidei ſacramentum. Quid facturus eſt miſer, cùm ſerui patris familias ad cœnam regiam congregare cœperint inuitatos? Tunc te aliquando vocatũ, terribiliter indignatus, exutum ſtolam Rex cõſpiciet nuptialem, dicetq́; tibi: Amice, quomodo huc veniſti, veſtem non habens nuptialem? Non video, quod contuli; non noſco quod dedi. Perdidiſti militiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem menſibus texi, & tendiculas crucis; quas extendens aquã mundaui, & purpurâ mei ſanguinis decoraui, non conſpiciunt oculi mei; characterem non video Trinitatis; talis non poteris intereſſe epulis meis: Ligate eum pedibus & manibus,* &c. hæc ille. Itaque *ante iudicium para iuſtitiam tibi,* ait Eccleſiaſticus c.18. ne repentè obrutus & deprehenſus à diſtricto Iudice ſine veſte nuptiali, non habeas quo te excuſes.

CONCIO V.

Excuſationes peccatorum variæ retunduntur.

1. Aliqui reijciunt culpam in Deum.
2. Alij in mundum, parentes, heros, ſocios, exempla, & vulgum, in peccandi occaſiones & ſtatum vitæ.
3. Alij in defectus & vitia naturæ, in ignorantiam, in bonam intentionem & malas inclinationes.
4.5.6. Alij in concupiſcentias, malam conſuetudinem & diabolum.

THEMA.

At ille obmutuit. Matth. 22.

A. *Homines ad ſe excuſandos proni.* QVando primi noſtri parentes poſt admiſſum peccatum, nudos ſe eſſe cognouerunt, vehementer inde confuſi conſuerunt folia ficûs, fecerunt ſibi perizomata, ne videlicet nudati coram Deo apparerent. Quæ quidem folia & perizomata quid indicarint, pulchrè explicat Ambroſius eo loco: *Voluit* (Adam) *ſe operire quibuſdam ficûs folijs,* inquit, *fortaſſe quibuſdam inanibus & vmbratilibus ſermonibus, quos compoſitis mendacijs effuens ad operiandam conſcientiam ſuæ mẽtis factiq́; velamen, peccator intexit, vt pudenda ſua cõtegat. Iacit enim ſuper ſe folia, qui culpam velare deſiderans, aut diabolum delicti memorat auctorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam perſuaſorem prodit erroris,* &c. Vnde *nunc quoque,* inquit S. Gregorius libr. 21. moral. cap. 13. & lib. 3. capit. 31. *humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt, vt cùm de vitio ſuo quiſque arguitur, ſub defenſionum verba quaſi ſub quadã ſe arborum folia abſcondat.* Sanè ſciunt etiam pueri & puellæ, cùm deliquerunt, texere excuſationes; & quidquid tandem delinquant, ſuam defenſionem habent. Quæ cùm ita ſint, cur, quæſo, miſer & infelix ille, qui in hodierno Euangelio ſine veſte nuptiali deprehenſus eſt, nullam attulit excuſationem ad ſe defendendum; cur non conſuit folia, vt ſe ijs tegeret, qui veſtem nuptialem, quâ tegeretur, non habebat? Num tu, ô miſer, ſolus adeò ſimplex es, vt nullam excogitare technam & prætexere excuſationem queas? Cur ſtatim obmutuiſti? ſed nimirum Chriſtus hac parabolâ ſuâ indicare nobis voluit, nihil valere coram Deo excuſationes peccatoris; & ſicut folia non ſunt apta firmaq́ue veſtium materia: (**halten den ſtich nit**) ſic etiam inanes eſſe peccatorum excuſationes: ac proinde fore vt omnes peccatores coram Deo obmuteſcant in iudicio. Quod quàm verum ſit videbimus, & excuſationes peccatorum audiemus.

Primò, Reijciunt aliqui culpam in Deum; Primò, quaſi ipſe præcipiat & incitet ad peccandum. Quod fecit olim Simon Magus, noſtro tempore Caluinus & Lutherus. Quos tamen erroris arguit & iugulat Scriptura. Eccleſiaſticus cap. 15. *Nemini mandauit impiè agere.* Et ib. *Non dicas: Ille me implanauit,* id eſt, errare fecit. Et Pſalm. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* ait Apoſtolus *Roman.* 3. Quare meritò S. Chryſoſt. *hom. 3. in Acta,* ſatius eſſe ait ſexcenties defodi, quàm Deum talia per nos audire. B. I. *Aliqui reijciunt culpam in Dium* 1.

Secundò, Quòd Deus ſit auctor peccati, eò quòd ſit auctor actionis peccaminoſæ, concurrens cum homine peccante. Sed reſpondetur, Deum concurrere cum homine peccante, quatenus homo ille eſt cauſa efficiens, non quatenus eſt cauſa deficiens. Effectum enim producit ſimul cum homine Deus, ſed defectum ſolus homo: ſicut claudicatio non eſt formaliter à virtute motiuâ, ſed tantùm à tibiâ infirmâ, licet virtus motiua concurrat ad claudicationem, ſed quà eſt ambulatio, non quà claudicatio. Actio ipſa peccaminoſa, quatenùs actio eſt, bona eſt, vt occiſio hominis v. g. quæ in bello iuſto licita & bona eſt. Quod autem homicidium malum ſit, ab hominis peccato venit. 2.

Tertiò, Quòd dederit homini liberum arbitrium, quo peccare poteſt. Sed reſpondetur, Deum dediſſe homini libertatem, vti gladium: non vt eo Deum aut ſeipſum offendat; ſed vt hoſtes animæ ſuæ iuguletur, eoque gloriam ſibi paret. *Soli inter animantia,* inquit S. Ber- 3.

Digitized by Google

S.Bernardus in tra. de gratia & lib. arbitr. *datum eſt homini poſſe peccare, ob prærogatiuam liberi arbitrij; datum autem non ut proinde peccaret, ſed ut glorioſior inde appareret, ſi non peccaret, cùm peccare poſſet.* Et infrà: *Non fuit culpa dantis ſed abutentis, qui ipſam facultatem conuertit in vſum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi.* Imò tantò minùs peccare deberet homo, quia liber factus eſt. Si enim Rex aliquis feciſſet te Principem potentem, diuitem, liberum: nónne plus eum deberes venerari & minùs offendere, quàm ſi tantùm nobilem te feciſſet, & arcem cum pago v. g. tibi donaſſet? Et tamen in priori caſu poſſes ei rebellare, quia haberes vires, in poſteriori non poſſes. Sic vel ob idipſum peccare non deberes, quia Deus te libertate donauit. Eris autem nihilominùs liber, etiamſi non pecces: poſſes enim peccare, quantum eſt in te. Et hæc eſt maior gloria, nolle tranſgredi cùm poſſis, iuxta id Eccleſ. 31. *Beatus qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.*

4. Quartò, Quòd permittat mala, & dimittat peccatores *ſecundum deſideria cordis eorum ire in alienationibus ſuis*, cùm poſſet impedire. Sed reſpondetur, Deum non eſſe gubernatorem legibus aſtrictum, qui proinde debeat impedire mala ſubditorum, quemadmodum gubernatores humani: ſed eſſe ſupremum rerum omnium moderatorem, qui ſupra leges eſt, & ideò ad illum ſpectat, non impedire curſum rerum quamuis defectibilium. Cùm ergo hominem liberum fecerit ad bonum malumque flexibilem, conueniens eſt, vt eum agere ſinat, prout ipſe vult, adiuuando quidem ad bonum, non tamen impellendo. Sic demerſio nauis non adſcribitur peregrino, qui illâ vehebatur, quantumuis eam impedire potuerit: ſed ſoli nauclero, qui ex officio impedire debebat: vt oſtendit S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 79. *articul.* 1. Similiter peccata hominum Deo adſcribi nequeunt, quia ipſius eſt curſum rerum & conditionem cuiuſque naturæ non impedire.

5. Quintò, Quòd impoſſibilia vel nimis grauia mandârit. Sed contra primum eſt, quod Dominus Deut. 30. ait: *mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neque in cælo ſitum, neque trans mare, &c. ſed iuxta te eſt.* Deinde Dauid, Ioſue, Zacharias dicuntur in Scriptura, omnia mandata impleſſe. Denique ſupra Tyrannũ fuiſſet Deus ſi impoſſibilia mandaſſet, contra ſecundum, quod Dominus dicit: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Et Ioannes ep. 1. c. 3. *Mandata eius grauia non ſunt.* Sed quemadmodum amanti nihil eſt difficile; ſic non amanti, frigido, delicato, veternoſo nihil non graue & intolerabile. Currus vnctus facilè trahitur; non vnctus cum ſtridore & difficulter.

6. Sextò, Quòd ſubiecerit hominem cœlorum influxibus & aſtris. Sed hæc in ſigna tantùm & tempora facta, vt ſeruiant homini, propter quem facta ſunt omnia, nequaquam verò vt dominentur illi. Deinde cur homini data libertas arbitrij, ſi ab aſtris cogi eum voluit Deus? mentiuntur ergo Aſtrologi, quoties præſagiunt ea, quæ ab hominum voluntate pendent, vti diſſidia, fœdera, rebelliones, &c. quia in hanc nihil poſſunt aſtra: niſi quòd appetitum ſentientem aliquatenùs immutare & ſic ad effectus inclinare poſſunt, nequaquam verò cogere. Quare, *à ſignis cæli nolite metuere*, ait Ieremias c. 10.

SECVNDÒ, Alij in mundum & primò in parentes, partim quòd ab illis hæreditârint vitia: partim quòd ſub ipſorum imperio ſint, qui quandoque illicita iubent. Sed contra primum eſt, quòd ſi à parentibus in prolem transferrentur animi vitia, ex patre malo nullus eſſet bonus filius, nec ex bono malus. Non Cainum genuiſſet Adam, non Iſmaëlem Abraham, non Dauid Abſalonem, non Ezechias Manaſſen. Vitia quidem corporis quandoque tranſeunt in filios, ſed & hæc declinari poſſunt conſuetudine & ſana viuendi ratione: & deinde animo nihil efficiunt. Quòd ſi prætereà malas inclinationes à parentibus hæreditent, ea nullam inferunt neceſſitatem, ſed per diſciplinam & virtutis ſtudium facilè corrigi poſſunt. An non beſtiæ domantur, & artificioſè inſtituuntur, vrſus ad ſaltum, lepus ad tympani pulſationem, aſinus ad choreas: quæ tamen contra eorum naturam ſunt? — C. II. Alij in mundum. 1. In parentes.

Contra ſecundum eſt, quòd in iis, quæ legi Dei aduerſantur, obediendum eſt magis Deo quàm parentibus contraria præcipientibus, quia Dominus ait Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Et Luc. 2. *Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Vnde Hieron. Ep. 10. ad Fur ait: *Honora patrem tuum, ſed ſi te à vero patre non ſeparat.* Ageſilaus Rex iubente patre vt conta leges pronuntiaret, reſpondit: *Abs te, pater, à puero didici. Quàm ob rem nunc quoque ei obtempero, cauens ne quid faciam contra legem.* Et Agis à parentibus iniuſtum quid rogatus: *Iuſtitiam,* inquit, *potiùs quàm vos ſequar.*

Secundò, in heros, quòd ab illis ſibi iniqua præcipiantur. Sed cùm plus Deo obligeris quàm domino ſeculari: *oportet magis obedire Deo quàm hominibus*, ait S. Petrus *Actor.* 5. quando videlicet præcipiunt, quæ Dei vel alicuius Superioris præcellentioris mandato repugnant. Num tu obedies domino tuo præcipienti, vt occidas parentem tuum? Minimè arbitror. Cur ergo obedias præcipienti, vt pugnes contra Deum? Sed plagæ mihi imminent, ais, niſi obſecutus fuero. Eſto: melius eſt incidere in manus hominum, quàm in manus Dei: peius tibi erit, ſi talia imperata facias, quia de ſartagine in ignem ſalies. — 2. In heros

Tertiò, in ſocios. Sed quid Dominus dixit? *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Melius eſt tibi, &c.* Nónne ciuitatẽ vel domum peſte infectam, etiam amicorum, omnibus modis vitas? Nónne ſi fortè aduertas in itinere te incidiſſe in fures aut latrones, quamprimùm potes, te ab illis ſegregas, ne cùm illis comprehendaris & luas? Cùm ergo cor- — 3. In ſocios.

corporalia damna ſic vites, cur non & ſpiritualia? nónne anima plus eſt quàm corpus? Quare in hoc puncto potiùs te accuſas. Vnde Euripides dicebat: *Si quis malorum gaudet commercio, rogare qualis is ſit, non eſt opus: namq; ſimilis eſt ſodalis ſui.*

4. *In exempla mala & vulgum.*

Quartò in exempla mala & communem peccandi vſum. Sed quid præcipit Deus Exod. 23. *Non ſequeris turbam*, inquit, *ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero devies.* Ratio quia communis peccandi vſus non minuit culpam, ſed gehennæ ſocios multiplicat, ſicut ait Chriſtus: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* An neſcis peregrinos, vbi multi ſimul diuertunt, ibi malè hoſpitari? An non Dominus viam communem hominum ſuſpectam fecit, cùm dixit: *Lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam?* Et mirum valde eſt, quòd cui non fideres ſoli, ei fidas in turba ſimilium. Vnde Socrates, inquit Laërtius lib. 2. cap. 5. eos qui multitudini imperitæ fidem habent, aiebat perinde facere, ac ſiquis tetradrachmum vnum contemnens reiiceret, & aceruum è ſimilibus congeſtū probaret reciperetque. Nummus alterinus etiam in quamuis magno aceruo adulterinus eſt.

5. *In peccādi occaſiones & ſtatum vitæ.*

Quintò in peccandi occaſiones & ſtatum vitæ periculoſum, v. g. mercatores dicunt, ſe ſine iuramentis, mendaciis & dolis non poſſe vendere merces: caupones non poſſe ſe vitare crapulam & ebrietatem, quia debeant aſſidere hoſpitibus, & cum illis epulari: milites non poſſe abſtinere à rapinis, blaſphemiis, &c. Iudices, Præfecti, Conſules, adeò ſeſe oneratos curis & negotiis, vt reſpirare nequeant, ſeque ſubtrahere & conſcientiam curare. Sed vide inprimis, an tu non ipſe tibi ſtatum hunc elegeris, cùm ſecuriorem viam tenere potuiſſes. Deinde nullus eſt ſtatus vitæ honeſtus, in quo non poſſit inculpata vita duci, imò etiam perfectio acquiri: quia nulli denegatur à Deo gratia ſufficiens ad ſtatum ſuum. Sed multi diffidentes de Deo, & plus confidentes in propria induſtria, fraudes, mendacia & rapinas adhibent, & alios exceſſus committunt, ſine quibus putant temporalia ſubſidia non poſſe obtineri. Denique qui intelligit ſe in ſtatu perículoſo degere, in medio laqueorum ingredi, & in medio nationis prauæ verſari, debet tantò cautiùs incedere, & ſe contra omnia pericula munire. Si enim ſcias tibi multos inſidiari, multis te munis armis, vt quocunque in loco & quacunque horâ defendere te poſſis.

D. III. *In defectus & vitia naturæ.* 1. *In ignorantiam.*

Tertiò, Alij in defectus & vitia naturæ. Et primò in ignorantiam. Sed ea tantùm excuſat, quando eſt inuincibilis, quando ſcilicet per te non ſtat, quo minùs illam ſtudio adhibito vincas, & in cognitionem rei ſciendæ deuenias. Alioqui ſit vincibilis, cuius nimirum homo ipſemet eſt cauſa, ſiue quia deditâ operâ ignorare aliquid vult; (quæ dicitur affectata,) ſiue quia non adhibet operam, vt rem intelligat, cùm tamen adhibito ſtudio facilè ad cognitionem rei peruenire poſſet, (quæ dicitur craſſa:) tunc, inquam, minimè excuſat: quia hæc ignorantia voluntaria eſt. Et de affectata quidem ſcriptum eſt Dan. 13. *Auerterunt oculos ſuos ne viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum.* Et Pſal. 35. *Noluit intelligere vt bene ageret.* Tales ſunt qui ex intentione fugiunt conciones, ne eorum vitia taxarentur: nunquam legunt vitas ſanctorum & pios libros de pænitentia & vitæ Chriſtianæ inſtitutione, ne in illis cernant vitiorum ſuorum fœditatem: fugiunt viros graues & bene monentes, quemadmodum elephas aquas limpidas, ne in iis turpem ſuiipſius effigiem cogatur intueri: rariſſimè, perfunctoriè & ex abrupto confitentur, obiter recenſendo peccata, ſine numeri, ſpeciei & circumſtantiarum expreſſione, ne reſtituere cogantur, pellicem amouere, &c. De craſſa verò dicitur Prouerb. 17. *Qui euitat diſcere, incidet in mala.* Et propter illam immiſit Dominus in incolas Samariæ, leones, qui interficiebant eos, eò quòd *ignorarent legitima Dei terræ*, ſeu ritum colendi Deum, 4. *Reg.* 17. Quales ſunt, qui conciones leui de cauſa negligunt, quas ſi diligenter adiiſſent, facilè quid agendum ſibi eſſet, perdiſcere potuiſſent. Vnde nihil proderit dicere: Neſciui quando eſſet ieiunandum, feriandum: hoc vel illud eſſe tantum peccatum: ſic vel ſic ambulandum, &c. audiet enim: Ad quid conſtitui tibi prædicatores? cur non requiſiſti legem ex ore ſacerdotis? Et ſi hæreticus quis ſit: cur non adiit Eccleſiam, quæ ſola Chriſti ſchola eſt? Denique de vtraque ait Apoſtolus 1. Cor. 14. *Siquis ignorat, ignorabitur.* Audiet enim illud: *neſcio vos.* Nec proderit dicere: non putabam; ſiquidem in negotio ſalutis præſertim attendere tibi debebas: qui in rebus ſæculi tam ſedulò attendebas.

Secundò, in bonam intentionem; dicunt enim ſe bonâ intentione mentitos v. g. vel iuraſſe vel famam alteriùs denigraſſe, ieiunium violaſſe, damnum alicui dediſſe, &c. Sed nouerint iſti, nullo bonô fine cohoneſtari poſſe, quæ conſtat eſſe peccata, nec licitè fieri poſſe, licet ingens inde promanaret vtilitas; ſiquidem Apoſtolus ait ad Rom. 3. *Non eſſe facienda mala vt veniant bona.* Vnde ſi vno veniali delicto poſſent redimi ex inferno omnes damnati, non liceret id peragere; quia plus habet malitiæ vnum leuiſſimum peccatum, quàm habeat boni omne totius mundi lucrum. Minuit quidem bona intentio peccatum, quemadmodum in obſtetricibus illis *Exod.* 1. quæ excogitato mendacio ſe excuſabant, quòd non perdidiſſent infantes Hebræorum; ſed non tollit. Sic enim Saulem non excuſauit bona intentio ab inobedientiæ peccato, cùm dixit ſe reſeruaſſe greges ad immolandum Domino: quos ex præcepto Domini occidere debuerat, 1. *Reg.* 15. 2. *In bonam intentionē.*

Tertiò, in voluntatis deprauationem & malas inclinationes. Dicunt enim: Sentio voluntatem meam ad diuina tepidam & pertæſam, adeoque à Deo diſtortam: ad terrena verò expeditiſſimam & inclinatam; & hinc 3. *In malas inclinationes.*

hinc *non quod volo facio*, &c. Sed vtut ſit: poſſumus huic voluntatis vulneri facilè mederi, præſertim poſt Chriſtum mediatorem, qui ſufficientem nobis acquiſiuit gratiam, vt contra torrentem niti poſſimus & voluntatem rursùs ad Deum dirigere & quodammodò impellere. Cùm ergo voluntatem tuam ad malum propenſam ſentis, antequam eligas & imperes, ſiſte gradum, propone ei argumenta, hinc infernum, illinc gloriam, merita Chriſti & exemplum, gratiam adiutricem, &c. quibus ei perſuadeas vt bonum honeſtum amplectatur. Noli ita cœcus ruere in foueam. Imitare prudentem Ducem, qui antequam bellum moueat, maturè rem conſiderat, quem finem ſortiturus ſit, adeoque conſiliarios adhibet. Adhibe cæcæ voluntati tuæ conſiliarium rationem, ad hoc enim tibi ea à Deo data. Claudicanti adhibe ſubſidia aliæ gratiæ orationem, &c. Notus quidam fatuus, (Clauſſ Narr, apud Munſteram in Coſmog.) Principi ſuo in Galliam ducturo dixit: *Tu quidem cogitas quomodo Galliam intres; ſed nihil penſi habes, quomodo egreſſurus ſis.* Cur non tibi etiam hoc tua ratio ſuggerit?

E.
IV.
In concupiſcentiam & paſſiones.

QVARTÒ, In concupiſcentiam & animi paſſiones, quæ velut ſtrænes equi hominem in præcipitia abripiunt. Ira. iratus accuſat choleram ſuam, piger melancholiam, &c. ſed quid dicit Dominus Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus eius*, (id eſt peccati) *& tu dominaberis illius.* Pro quo Septuaginta vertunt: *& ad te conuerſio eius*, hoc eſt: licèt concupiſcentia te ſolicitet ad peccandum, debet tamen à te petere conſenſum: & licet fortè ante conſenſum tuum excurrat ad prædam, præueniatque imperium tuum; tu tamen eam reuocare & ad te conuertere potes; ſicut canis reuocatur à venatore & ſiſtitur, quando fortè ante iuſſionem excurrit poſt feram. Quare licèt ſentias æſtus choleræ aut libidinis maximos: tu tamen voluntate tuâ forti & conſtanti renitere, dicitoque illis: nolo vobis conſentire, ego vos deteſtor: non ex voluntate meâ adeò inſanitis: tacete, obmuteſcite. Sicque eris paſſionum tuarum domitor: & coram Deo manſuetus & caſtus. Quòd ſi frænum equis laſciuientibus laxes, & ferocientibus canibus non occlames: culpa tua eſt, excuſatus non es: ſicut non excuſatur homicida, ſi dicat ob nimiam inflammationem & cæcam iracundiam ſe feciſſe cædem. Quòd ſi aduertas te pronum eſſe ad hanc vel illam paſſionem, hoc vel illud vitium: tu tantò magis vigila & attende tibi, vim tibi infer: fuge occaſiones peccandi & obiecta, in quæ inclinatum te ſentis. Sic enim *Eccleſiaſt.* 18. dicitur: *poſt concupiſcentias tuas non eas.*

F.
V.
In malã conſuetudinem.

QVINTÒ, In malum & inueteratam conſuetudinem: cuius quidem magna vis eſt, ſed nequaquam excuſat hominem, duplici de causâ. Primò, quia frequentatis actibus ſeipſum in hoc barathrum prauæ conſuetudinis conieci; tantum igitur abeſt vt per hoc ſe excuſet, vt etiam magis accuſet, & lutum luto tegat. Deinde quia vinci contrarijs actibus poteſt. *Hanc vincere difficillimum eſt*, inquit Auguſtinus l. de ſerm. Domini in monte, *& tamen ipſam, ſi ſe quiſque nõ deſerat, nec reformidet Chriſtianam diſciplinam, Deo duce atque adiuuante ſuperabit.* Clauum igitur clauo pelle. Et, *ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem*, ait Apoſtolus ad Roman. 6. *ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Magnum habemus medicum, Chriſtum, cuius ope nihil non morbi curare poſſumus: multa & efficacia remedia, ſi ijs vti velimus. Sic mutauit pellem Paulus, Magdalena, Zachæus, Auguſtinus, &c. meri olim Æthiopes. Atqui durum mihi, inquis, hoc eſt & difficillimum. Tua culpa: ipſe tibi hoc intriuiſti; quod niſi exedas, væ tibi: quia niſi exuas veterem hominem, Chriſtum induere non potes.

G.
VI.
In diabolum.

Denique in diabolum reiiciunt aliqui culpam, quòd veſte nuptiali careant. *Serpens*, inquit Eua, *decepit me.* Sed neminem impellit diabolus in peccatum nec proſternit quenquam, qui priùs non conſenſerit; quem proinde conſenſum ante omnia impetrare ſtudet, vt cùm dixit; *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Vnico verbo pelli poteſt: *Vade Satana:* ſeu, non conſentio tibi. Audi Auguſtinum ſer. 197. de temp. *Alligatus eſt enim tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere niſi eum, qui ſe illi mortiferâ ſecuritate coniunxerit. Iã videte, fratres, quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi per voluptates & cupiditates ſæculi noli coniungere, & ille ad te nõ præſumet accedere. Latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere omnino non poteſt niſi volentem. Non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet; nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit.* hæc ille veriſſimè. Vbi enim legitur dæmon aliquem momordiſſe, qui ſe priùs illi non iunxerit? Miramur quidem quomodo tot ſagas in ſuam poteſtatem traxerit; ſed veriſſimum eſt, nullam traxiſſe aut trahere potuiſſe nolentem. Omnes priùs mortiferâ ſecuritate ſe illi coniunxerunt, aliæ ſectando auaritiam, aliæ odium & inimicitiam, aliæ ſuperbiam, pleræque luxuriam. Siquis à cane catenis alligato mordeatur, ſibi adſcribere debet. Quàm ſecurus fores, ſi nullus tibi ſerpens nocere poſſet, niſi quem ſponte tollas & in ſinum reponas? Quem tunc poſſes accuſare, niſi teipſum? poteſt quidem dæmon imaginibus quibuſdam te ſolicitare, ſed non conſentias, modò cum illo non ſermocineris, attrahere ad ſe non poteſt. Iniuriam ergo facis dæmoni, ſi culpam tuam in illum reijcias, vt per hoc te excuſes.

Quoniam igitur nihil eſt, in quod reijcias culpam tuam, in te ipſum reijce. *Perditio tua Iſrael.* (Oſe. 13.) Hinc igitur obmutuit, qui veſte nuptiali caruit; & ita obmuteſcent in Iudicio omnes peccatores.

CONCIO VI.

Media ac modi quibus Deus vocat.

1. Vocat nos per Scripturas & libros pios.
2. Per concionatores, confeſſores, parentes &c.
3. Per exempla bonorum.
4. 5. Per proſperitatem & aduerſitatem.
6. 7. Per remorſum conſcientiæ & internas inſpirationes.

THEMA.

Miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias. Matth. 22.

A. *Vocationes Dei etſi crebra, à multis non agnoſcūtur.*

FErunt (in poſtcanic. Maioli) Mancinum quendam ruſticum à mercatu cum aſellis domum redeuntem, fortè vni inſediſſe, itaque computatis qui præibant aſinis, vnum deſideraſſe, quod vectorem ſuum non numeraſſet: itaque eodem illo aſino vectum ad mercatum rediſſe & paſſim vndique aſinum ſuum ab obuijs requiſiſſe; donec tandem ob vxore monitus, illum ipſum cui inſederat, aſinum ſibi deſideratum fuiſſe agnouit. Ridendum ſe profectò expoſuit hic ruſticus; ſed habet tamen is non paucos ſibi ſimiles. Quomodo enim non ridendus eſt, qui ſeruos & ſatellites perpetuò ſecum euntes quærit? At verò talium hominum magnus profectò numerus eſt. Nemo noſtrum eſt, cui non frequentiſſimè mittat Deus ſeruos ſuos, qui nos ad cœleſtes nuptias vocent; & interim quamplurimi non agnoſcunt ſeruos iſtos? ideoque velut alienos nihil ad ſe pertinentes ſine omni honore dimittunt, & vacuos remittunt. Audias dicere aliquem: ſi veniret ad me ſeruus Dei, vocans me ad nuptias illas, ilicò acquieſcerem & ſepoſitis omnibus venirem. Interim tamen is ſæpe non vnum tantùm, ſed plures Dei ſeruos, à quibus inuitetur, à tergo ſibi inſtantes habet: nec eos tamen curat, quia non agnoſcit. Quare Auditores, ne in re tam graui tam ſtultè hallucinemur, aperiamus oculos & agnoſcamus Dei ſeruos, qui nos ad cœli nuptias vocant.

B. I. Vocat per ſcripturas SS. & libros pios.

Vocat nos Primò, per ſcripturas & libros pios. *Quid enim eſt ſacra Scriptura*, ait S. Gregorius lib. 4. ep. 84. *niſi quædam Epiſtola omnipotentis Dei ad ſuam creaturam?* Et S. Auguſtinus ſerm. 112. de Temp. *Cùm oramus, cum Deo loquimur: ſed cùm legimus, Deus loquitur nobiſcum.* Oſtendunt illæ nobis Dei voluntatem, defectus noſtros, pericula ſalutis & rationes ea euitandi, inſtruunt & ſolantur nos, hortanturque ad progreſſum in bono, ad pœnitentiam, &c. quemadmodum Epiſtolæ Ioannis ſcriptæ ad Epiſcopos Aſiæ indicârunt illis næuos eorum, *Apoc.* 2. & 3. Ex his conuerſus eſt S. Antonius, audiens legi illud: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Et Auguſtinus poſtquam audiſſet vocem: *tolle lege*, & accepto codice incidiſſet in illum locum Apoſtoli: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus*, &c. Et Simeon Stylites ex illo *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*, adeò conuerſus eſt, vt 80. annis continuis in columna ſteterit. Verba illa Iſaiæ cap. 1. *Lauamini mundi eſtote*, &c. audiens legi in Eccleſia fornicator quidam, compunctus & conuerſus eſt, planeque vitam inceſtam in caſtam commutauit. Hunc enim Paulus, diſcipulus S. Antonij, cùm priùs ingredientem in Eccleſiam vidiſſet nigrum & nebuloſum à dæmonibus fræno in os miſſo trahi & regi, & angelum ſanctum eius à longè ſequentem triſtem: pòſt egredientem vidit clarâ facie & candido corpore, ac dæmones à longè ſequentes eum, ſanctum autem angelum eius prope eum hilarem & gaudentem nimis, vti refert Ruffin. *libr. 3. in vitis Patrum num.* 167. Alia eiuſdem Iſaiæ ſententia è cap. 14. deſumpta, nimirum, *Subter te ſternetur tinea & operimentum tuum erunt vermes*; delicato cuidam adoleſcenti; qui nullam ſpiritualem admonitionem audire volebat, à viro religioſo occentam tam altè in eius animum deſcendit, vt is nil niſi vermes illos cogitare poſſet, quare mundo eiuſque illecebris relictis, religioni nomen daret. Platus de bono relig. libr. 3. cap. vlt. *Sanè vti in paradiſo, inter vernantes arborum floruḿq; ſurculos, aut rutilantes malorum facies, neceſſe eſt prætereuntem, vel odore ſaltem & colore refici; vt quo qui in ſole, licet animi causâ deambulat, caleſcere tamen, & rubedine imbui vidimus; ita diuinas literas religiosè aſſiduéq; legentium, audientium, diſcentium mentes, ſenſus, conſilia, vota, moreſq; veluti quodam diuinitatis colore tingi, ſanctiſq; affectibus accendi neceſſe eſt*; inquit Corn. à Lap. *in Proœm in pent.*

C. II. Per Superiores, Concionatores, Confeſſarios, parentes.

Secundò, Per Superiores, Concionatores, Confeſſarios, parentes, &c. Hi enim ſunt velut nubes illa præcedens Hebræos per deſertum, quæ indicabat, quando quieſcendum & quando eſſet progrediendum. Hanc ob cauſam, (vti S. Gregorius & alij ſentiunt,) Deus Heli Sacerdotis ſenilem vocem aſſumpſit, quando Samuelem vocauit, (ſiquidem eâ auditâ mox recurrit Samuel ad Heli, cuius imperio regebatur, 1. Reg. 3.) vt diſceremus nos vocem ſuperiorum eſſe vocem Dei, ex illorum ore Deum nos vocare. Cuius rei adducam ſimile exemplum, in quo per os P. Petri Fabri de Soc. IESV repetijt verbum vocationis ſuæ. Sic autem habet hiſtoria. *Ioannes Nunnus, Hiſpanus nobilis ex Guſmanorū familiá, à qua & D. Dominicus oriundus, is eſt, qui primus Patriarchus in Indiam deſtinatus à Pontifice Maximo, multis cōfectus laboribus, magnam ſuæ virtutis veræq; ſanctitatis opinionem poſteris reliquit. Cùm ergo iuuenis anxius de vitæ genere deliberans, integro anno à B. Virgine poſtulaſſet ſibi à Deo certā viuendi viam ac rationem indicari, quā securè tenere ſequiq; poſſet; apparuit dormiēti Dei mater, auguſta ſpecie, comitata duobus Societatis IESV patribus, nempe Petro Fabro, vno ex primis decem, & Franciſco Strada. Inſiſtenti ergo coram Nūno ardentius pro certo vitæ*

curſu

curſu cœlitùs deſignãdo, intulit cœli Regina: Vis ſeruire filio meo vſque ad defatigationem? Cui Nunnus: Omnino, Domina. Sequere ergo, ait illa, hos viros. Oſtendit verò illi comites ſuos, Patres Fabrũ & Stradam, ac diſparuit. Nũnus verò ſuſpicatus eſt ex habitu viros illos eſſe Societatis IESV, *ſed ſibi prorſus ignotos nec Domina indicauit quo eos loco inueniret. Quare partim anxius, partim lætus cœleſti viſitatione, reliquum ſua patronæ Virgini Matri commendauit. Contigit verò vt iter facienti duo Societatis Patres temerè occurrẽt, viſoq; habitu eos aggreſſus eſt; cumq; de admiſsione mentionem intuliſſet, ſũ Pater Faber; Vis, inquit, ſeruire Chriſto vſque ad defatigationem? Qua interrogatione perculſus, venit in mentem verborum Virginis matris, quæ iiſdem verbis vſa fuerat, Vis ſeruire filio meo vſque ad defatigationem? Ille, velut certam vocationis ſuæ teſſeram reputans, oculos in vultum vtriuſque defixit, &, eos agnoſcens, procidit ad pedes, eorũ obteſtans vt ſe ad Societatem admitterent; narrataq; totius vocationis ſeries admiſſus eſt ſumma ſua & Patrum conſolatione.* Refert Maffeius in vita S. Ignatij libr. 2. cap. 6. Ergo ij demùm vtiliter audiunt monita Prælatorum, Confeſſariorum, Concionatorum, qui credunt per eos loqui Deum. Nec refert, ſi ipſi interdum minùs eruditi vel probi ſint. Nouimus enim angelum locutum aliquando per os aſinæ, *Numer.* 22. Hoc nomine laudat Apoſtolus Theſſalonicenſes, quòd acceperint verbum Dei, *non vt verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei.*

D. III. Per exẽpla bonorum.

TERTIÒ, Per exempla bonorum. Vnus carbo cadens accendit alios frigidos & nigros: ſic Chriſtus ſuâ patientiâ & charitate accendit in cruce latronem bonum: ſic alij boni reprobos. Sanè Apoſtolus ad Philip. 2. ait in primæua Eccleſia Chriſtianos in medio nationis prauæ luxiſſe ſicut luminaria in mundo. Et propterea ſuaſit mulieri fideli non dimittere virum infidelem, 1. *Cor.* 7. quia ſperare poterat viri conuerſionem ex ſua conuerſatione: Sicuti S. Cæcilia conuertit ſponſum ſuum Valerianum, S. Monica maritum ſuum Patricium ad fidem ſuâ patientiâ & dexteritate pertraxit *l.* 9. *Confeſſ. Auguſt. c.* 9.

De Eccleſia magis quam de ſynagoga, de Chriſtianis potiùs quàm de Iudæis intelligendum eſt illud Zachariæ vaticinium c. 8. *Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentiũ & apprehendent fimbriam viri Iudæi: dicentes: Ibimus vobiſcum: audiuimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt.* Pauci gentiles facti ſunt Iudæi; ſed innumeri facti ſunt Chriſtiani, ſanctitatis eorum exemplo permoti. Et videmus adhuc monaſteria & Ordines, in quibus viget diſciplina & religio, certatim à pluribus ambiri, adeò vt multi repulſam patiantur: ea verò in quibus laxa eſt diſciplina, negligi & deſtitui tam perſonis quàm alimentis. Nullus enim magnes ita ad ſe ferrum trahit, vti bonum exemplum homines. Vocat itaque Deus non etiamnum, per viros religioſos ſtrictæ ac ſeueræ diſciplinæ vanitatem mundi redarguens, & ad futurorum bonorum amorem & deſiderium nos accendẽs. Rurſum per multos ſæculares, qui in ſumma rerum omnium egeſtate, in diuturnis morbis luculentiſſima patientiæ & ſanctitatis exempla præbent. Ecce, ait quàm iſte & ille modico pane viuit, & tamen feruentior eſt in oratione, Miſsâ, Sacramentorum perceptione quam tu? En quàm contentus eſt ſuo modico? quàm in ſua paupertate hilaris, &c.? Ita S. Auguſtinus occaſione ſermonis habiti de vita S. Antonij prorupit in illa verba: *Surgunt indocti & rapiunt cœlum: & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce vbi volutamur in carne & ſanguine*, lib. 8. conf. c. 6. & 8. Idem auditâ Victorini turgidi Rhetoris Romani mirâ conuerſione, ad imitandum exarſit, vti de ſe fatetur *l.* 8. *confeſſ. c.* 5. S. Pachomius adhuc miles gentilis viſâ Chriſtianorum charitate & liberalitate erga milites afflictos, quibus omnia neceſſaria liberaliter ſuppeditabant: S. Albanus à paganiſmo per clerici cuiuſdam, quem hoſpitio receperat, piam & ſanctam vitam: S. Afra à gentili & meretriciâ vita cum tribus ſuis puellis exemplo pietatis, grauitatis & caſtitatis S. Narciſſi Epiſcopi, quem ſæuiente perſecutione Auguſtæ receperat hoſpitio, ad Chriſtum conuerſæ ſunt. De S. Gregorio Nazianzeno ita ſcribit Ruffinus lib. 11. hiſt. c. 9. *Redditâ pace Conſtantinopolim ad Eccleſiam docendam venire rogatus, non abnuit. Vbi breui tempore tantum ad emendandum populum vetuſtis hæreticorum infectum venenis profecit, vt tunc primùm Chriſtiani ſibi fieri viderentur, & nouellam lucem aſpicere, cùm religionis Doctor multa quidem verbis, plura tamen doceret exemplis: nec videretur ab eo diſcipulis aliquid imperari, quod non priùs ipſe feciſſet.* Denique vnius Danielis & trium puerorum exemplum permouit Monarcham Babyloniorum ferociſſimum & potentiſſimum, vt Deum verum toto regno ſuo deprædicaret publico edicto, *Dan.* 3.

E. IV. Per proſperitatẽ & beneficia.

QVARTÒ, Per proſperitatem & beneficia nobis impertita, vel etiam alijs bonis & pijs hominibus. De his per Oſeam c. 11. dixit Deus: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Ruffinus per funiculos Adam intelligit illam beneficentiam, quâ Deus Adamum poſt lapſum proſecutus eſt, dans ei cibos nullo eius labore partos ſed ſponte natos. Et nonne is traheret te in amorem ſui, qui tibi ſingulis annis mitteret veſtem, commeatum, lectum, ligna, aliaque vtenſilia pro totius anni decurſu? Atqui hæc Deus nobis ſingulis annis donat. Mauult ille trahere nos ad ſe funiculis Adam, id eſt, hominum, ſeu vinculis beneficiorum & amoris, quàm funiculis beſtiarum ſeu timoris, per aduerſitates & flagella. Funiculi Adam ſunt victus quotidianus, honor, facultates, ſanitas, ingenium, vita ipſa, aliaque beneficia corporalia & ſpiritualia, generalia & ſpecialia. *Oſtendis oui gramen & puero nuces*, ait S. Auguſt. tract. 26. in Ioann. *& ſic trahis illos poſt te.* Cùm ergo Deus oſtendat tibi quotidie cibos & delicias vel ſaltem neceſſaria ad vitam, cur vocantem non ſequeris? Hoc funiculo traxit ad ſe Deus Dauidem exprobrando ei beneficia collata, per

os Nathan: *Ego te vnxi in regem ſuper Iſrael, & eruis te de manu Saul, & tibi dedi domum Domini tui,* &c. *& ſi parua ſunt iſta, adijciam tibi multò maiora,* 2. Reg. 12. His enim auditis ceſſit Dauid, & reſipuit. Vocat etiam per beneficia alijs iuſtis impertita. Dauid audiens domui Obededom benedixiſſe Deum propter arcam receptam, non diſtulit eam transferre in domum ſuam, 2. *Reg.* 6. Sic cùm Deus benedicit piæ alicui domui, vocat etiam alios ad eandem benedictionem ſibi comparandam.

F. V. Per flagella & aduerſitatem.

QVINTÒ, Per aduerſitatem & flagella quibus reluctantes peccatores miſericorditer ad ſe compellit. Pulchrè hoc expreſſum Oſ. 2. vbi dicente quadam: *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum & potum meum*; reſpondit Dominus: *Ecce ego ſepiam vias tuas ſpinis, & ſepiam eam maceriâ, vt ſemitas ſuas non inueniat.* Sed quâ ratione? *Quia neſciſti,* inquit, *quòd ego tibi dediſſem frumentum & vinum, & oleum & argentum & aurum, quæ fecerunt* (id eſt, obtulerunt,) *Baal: idcircò conuertar & ſumam frumentum meum & vinum meum, & liberabo lanam meam & linum meum.* q. d. tollam tibi iſta, & puniam te penuriâ, liberaboque iſtas creaturas meas, quibus abuteris, à ſeruitute tua, vt ne impoſterum tibi ſeruiant; quomodo ſi ancilla honeſta, quâ abuti vellet herus, inuocans Iudicem, ab eius ſeruitute liberaretur. Et tunc demùm ſapere incipies ac dices: *Vadam & reuertar ad virum meum priorem,* (ſcilicet ad Deum, ſponſum animæ meæ in baptiſmo electum) *quia benè mihi erat tunc, magis quàm nunc.*

Ergo ſicut Abſalon traxit ad ſe Ioabum venire renuentem, mittendo ad extremum ſeruos, qui fruges eius incenderent, & tunc venire eum coegit: Ita trahit ad ſe Deus rebelles peccatores. Vidimus alibi plures flagellis emendatos & ad Chriſtum venire compulſos; quibus addo hîc, quod ſcribit Eucharius in vita ſancti Mauritij & ſoc. martt. aurifabrum quendam gentilem, quòd Dominicâ die domi laboraret, à Thebæis martyribus verberatum fuiſſe, eoque terrore Chriſtianum effectum. Non recolo vibices & flagella D. Hieronymi, quibus ſe à lectione librorum profanorum reuocatum ad lectionem ſpiritualium ſcribit ipſemet; alibi dicta. v. f. 453.

G. VI. Per remorſum conſcientiæ.

SEXTÒ, Per remorſum conſcientiæ. Neque enim illa quieſcit, ſed oblatrat perpetuò, donec redeas ad Deum per pœnitentiam. Breui quidem durat voluptas peccati, macula verò eius ſemper ante oculos tuos verſabitur. Cùm Iudæi ſub Iuliano Imp. templum Ieroſolymitanum niterentur reædificare, inter alia prodigia, quæ opus impediebant, cruces apparuere in eorum veſtibus, quas nullâ ratione poterant eluere; vnde factum, vt multi Iudæorum conuerterentur. Refert Nicephorus *libr.* 10. *capit.* 33. Gregor. Nazianz. Sozomenus & alij. Simili modo cùm peccatum admittis, ſubitò in animam tuam illabitur deformis macula, quæ tibi obuerſatur ob oculos, ſemperque aduerſatur & arguit tuam malitiam, nec patitur ſe elui, donec reſipiſcas. Id ſanè de ſe teſtatur Dauid. Pſalm. 50: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco,* inquit, *& peccatum meum contra me eſt ſemper*; hoc eſt: *Sine interuallo aliquo recordatio & ſpecies ipſa mei erroris impugnant,* inquit D. Ambroſius in Apol. Dauid capit. 9. Quaſi enim miles armatus & cædem intentans, ſtat peccatum ante peccatorem; cuiuſmodi haud dubiè fuit miles barbarus, qui, vt ſcribitur *in Prato ſpir.* Sophr. cap. 20. cùm fugatus à Mauritanis Romanus exercitus in fuga cæderetur, inſecutus militem quendam Romanum haſtam in eundem vibrauit: *Quod ille cùm cerneret, orare Deum cœpit ac dicere: Domine Deus qui apparuiſti ancillæ tuæ Theclæ, & eripuiſti eam de iniquorum manibus, libera & nunc de hac neceſſitate & ſalua ex hac acerba morte; mox ibo in Eremum & agam vitam ſolitariam. Conuerſus autem neminem ex barbaris vidit. Itaq; continuò venit ad hanc Lauram Cupathæ. Manſerat que iam in ſpelunca Dei ſe protegente gratiâ, annos triginta quinque.* Ita Pratum, & ex eo Baron. Anno 540. Quis hic miles tam repentè diſparens, niſi conſcientia malè factorum fuiſſe cenſebitur.

H. VII. Per internas inſpirationes.

SEPTIMÒ, Per internas inſpirationes. Quoties enim tibi bona incidit cogitatio, quid boni facere vel mali vitare debeas, eam Dei vocem credere iure meritoque debes; ſiquidem abſque eius nutu & certo ac deſtinato fine ne vnum quidem folium in arbore mouetur. Huiuſmodi cogitatio & vocatio fuit procul dubio illa, quæ in mentem venit cuidam Iuriſconſulto, vt ſaluti ſuæ conſuleret. Scribit enim D. Antoninus *part.* 4. *ſumma hiſt. t.* 24. *capit.* 9. Ioannem Florentinum Iuriſperitum & in ciuitate Caſtellana Iudicem reſpexiſſe aliquando per feneſtram, & vidiſſe ſubulcum ſuum cum porcorum grege ad haram redeuntem. Qui cùm eos ad ſtabuli ingreſſum adigere non poſſet, tandem ſic compellebat: *Porci porci intrate in ſtabulum veſtrum, ſicut Iudices & Iuriſperiti intrant in infernum.* Quo dicto porci omnes magnâ contentione in haram inſilierunt. Pro omine & cœleſti oraculo habuit hoc Ioannes, ſecum ita cogitans: *ſi ita currunt ad infernum Iudices & aduocati, quemadmodum ſues illi in ſtabulum, nolo ego Iudex mori.* Itaque mundo mox valedicens ad Ordinum S. Franciſci ſe recepit, in quo tam ſanctè vixit, vt tandem Generalis Miniſter Ordinis fieret, & cùm monaſteria viſitanda eſſent, id faceret nudis pedibus. Eòdem inferendæ ſunt bonæ inſpirationes, quæ in ſomno ſubinde immittuntur, cuiuſmodi erat illa, quæ nobiliſſimam virginem Catharinam Godinez de mundi illecebris abſtractam ad Ordinem Carmelitarum Diſcalceatarum ſub matre Tereſia euocauit. Viſa enim eſt in ſomnis videre ſe in via arctiſſima conſtitutam incedere, vtrimque præcipitijs formidandâ, dumque horreret ſolitaria; religioſus quidam occurrit ex improuiſo, habitum Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum geſtans, qui blandè inuitatam conſolatus, perduxit in domum, in qua ſanctimoniales

niales eiuſdem Ordinis magno numero inuenit. E quibus Prioriſſa acceptâ Catharinæ manu: *Te*, inquit, *hodie filia in ſociam noſtram deligo.* Regulas quoque & Conſtitutiones Ordinis eidem legendas dedit. Quam viſionem cùm diu ſilentio preſſiſſet, tandem mater Thereſa cum ſex ſororibus & religioſo quodam Ordinis ad eam veniunt. Quibus illa ſtatim agnitis, quòd in ſomno eaſdem perſonas vidiſſet, vocari ſe ad religionem ſenſit, collatiſque facultatibus in fundationem monaſterij, ſororum illorum numero & Ordini ſe adiunxit, ſed in gradu Conuerſarum. Vnde tamen euecta, in Prioriſſam tandem ſui monaſterij electa ſanctè admodum vixit. Refert Franciſcus Ribera *in vita S. Thereſæ lib. 1. c. 3.*

Hi ſunt, Auditores, hi ſunt ſerui illi à Deo miſſi, qui vocant nos ad nuptias: ſacra Scriptura & libri pij, Concionatores, Confeſſarij, exempla bona, beneficia, flagella, ſtimulus conſcientiæ, interni Spiritus ſancti motus. Iſti igitur ſerui cùm fores noſtras pulſant, nolite obſurdeſcere, nolite eos repellere: de cœlo miſſi ſunt, ad ſalutem veſtram miſſi ſunt; quam nobis omnibus impertiri velit cœleſtium nuptiarum ſponſus.

CONCIO VII.

Præparatio ad imminentem peſtem.

1. & 2. Expectanda quotidie mors, ac deponenda peccata, affectuſq; inordinati.
3. Induenda veſtis nuptialis bonorum operum.
4. Recurrendum ad Sanctos, Deiparam, SS. Angelos &c.
5. Sapientia ſæculi ineptia.

THEMA.

Miſit ſeruos ſuos, vocare inuitatos ad nuptias. Matth. 22.

A. QVi ad nuptias ire debet, & iam tertium audit campanæ ſignum dari pro ſponſi deductione, is profectò accelerare debet, pro veſte triuiali ſumere feſtiuam ſi in ea deducere ſponſum ad Eccleſiam velit. Inuitamur, Auditores, in hodierno Euangelio à ſummo cœli rege ad nuptias filij ſui in cœlis cum ipſo celebrandas; quodque amplius eſt, iam tertium nobis grandi campanâ ſignum datum. Quænam verò hæc ſigna, dices? Primum eſt, bellum in patria noſtra pluſquam decennale: ſecundum, fames ſubſecuta & annonæ caritas: tertium nunc auditur, peſtilentia paſſim ſæuiens & ad fines noſtros paulatim adſerpens. Tria iſta ſigna paucos intra annos data nobis ſcimus; quæ meritò exiſtimare poſſumus, nobis deſignari per triplices illos ſeruos, qui in hodierno Euangelio dicuntur ablegati ad conuocandos inuitatos. Quid igitur ſupereſt, Auditores, niſi vt feſtinemus induere nos nuptialibus, ne fortè ſine nobis nuptiæ peragantur, aut non veſtiti nuptialiter è conuiuio ejciamur? Hoc igitur nunc agemus, vt ſi fortè Rex cœleſtis hanc vrbem ingredi velit peſtiferâ illâ lue, & ſiſtere nos iudicio ſuo, paratos nos inueniat & debitè veſtitos.

B. I. *Quotidie expecta mortem.*

PRIMÒ, Quotidie expecta mortem, tanquam cras aut hodie moriturus: & perſuade tibi peſte imminente certò te abſumendum. Hoc enim ſi feceris, vtique præparabis te ad mortem; ita non timebis mortem, ita vinces mortem. Audi S. Gregor. homil. 13. *Sic enim, ſic,* inquit, *mors ipſa cum venerit, vincetur ſi priuſquàm veniat, ſemper timeatur. In Italia,* ait Plinius lib. 8. cap. 22. *creduntur luporum viſus eſſe noxius, vocemq; homini quem prius contemplentur, adimere ad præſens.* Ita etiam mors, ſi te prius viderit, quàm tu illam, vocem tibi adimet, ne debitè confitearis & de peccatis pœniteas, cauſamque tuam coram Deo agas. Eadem ratio cum tuo Iudice Chriſto, ſi te priùs in iudicio videat, quàm tu videris illum. Nónne is qui in hodierno Euangelio veſte nuptiali caruit, cùm viſus eſt à rege, illicò obmutuit? quod ſi venturum præuidiſſet, vtique ſibi prouidiſſet, & non obmutuiſſet. Refertur in prato ſpirituali Moſchi cap. 5. religioſum quendam negligentem ſub finem magnum aſſumpſiſſe feruorem: cumque cauſa tantæ mutationis rogaretur, dixiſſe: *Modò moriturus ſum:* & poſt dies tres mortuus eſt. Præuidit nimirum mortem; ideò vicit mortem, ne ab ea abſorberetur. Cogita & tu quotidie cùm ſurgis manè, hodie moriturus ſum; & feruebis illo die, mortemque intrepidus expectabis. Non fuit Chriſtianus Seneca; nec peſtem circa ſe timuit aut mortem prope ſe, omnem tamen diem ſibi diluxiſſe ſupremum exiſtimabat; ſiquidem ep. 94. ait: *Nullum non diem tanquam vltimum aſpexi.* Quid tu Chriſtiane? non erubeſcis coram Ethnico?

Adhæc qualecunque genus mortis nobis obuenturum ſit, æquo animo expectandum eſt; tùm quia non damnat hominem genus mortis; ſcimus enim Sanctum Ludouicum Galliæ Regem, peſte mortuum; tùm quia noſtrum non eſt eligere genus mortis, nec Deo vllatenùs contradicere poſſumus. *Siue enim viuimus, ſiue morimur, Domino viuimus & Domino morimur, & Domini ſumus,* ait Apoſtolus ad Roman. 14. Cùm quidam interrogaſſet nautam, vbinam pater eius obijſſet: In mari, inquit. Cumque ille idem de auo & proauo & atauo nominatim quæſiſſet ex ordine, reſponſumque ille idem de ſingulis accepiſſet, intulit: Et nunquid tu mare ingredi non times? Reſpondit nauta diſſimulans: & vbinam tuus obiit pater? Suo, ait, in lectulo. Vbi auus, inquit? Et is, ait, & proauus & maiores mei omnes ſuis in lectulis obiêre. Tunc nauta: Num tu, inquit, tuum non times in lectulum aſcendere? Franc. Petr. *dialog.* 121. Voluit autem ſignificare, parum aut nihil referre, quo loco aut mor-

tis

tis genere quis vitam finiat: modò cætera ſalua ſint.

C. II. Depone peccata & affectus inordinatos.

Secvndò, Exue veſtem ſordidam, ſeu quidquid Deo diſplicet, & à cœli ingreſſu te impedire poteſt; peccata, & affectus inordinatos erga creaturas, odia, bona iniuſtè parta, &c. Ad hunc modum Patriarcha Iacob, cùm timeret, ne ob cædem Sichimorum à filiis patratam Sichimitæ congregarentur & vltionem de ipſo ſumerent, conuocauit totam domum ſuam aitque: *Abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini ac mutate veſtimenta veſtra. Surgite & aſcendamus in Bethel vt faciamus ibi altare Deo.* Dederunt ergo omnes Deos alienos quos habebant & inaures, quæ erant in auribus eorum: & ille infodit ea ſubter terebinthum: quo facto terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes, *Gen.* 35. Ita & vos Chriſtiani, quoniam nunc metus ſæuæ peſtis terris noſtris imminet, *abiicite Deos alienos*, peccata veſtra ſcilicet, odia, & aliena bona, quæ ſunt in medio veſtri: *mundamini & mutate veſtimenta*, exuite veſtes communes & ſordidas, & induite nouas ac mundas in pœnitentia; ſaltem per contritionem, propoſitum emendationis & confeſſionis proximè faciendæ; & tunc aſcendite in domum Dei ad ſacrificandum Deo, in S. communione voſmetipſos offerendo & reſignando in manus Dei ad quamuis mortem acceptandam. Tunc veſtri Confeſſarij infodient ea ſubter terebinthum S. Crucis, ita vt prorſùs ſepulta & abſcondita maneant etiam coram Deo. Sed quis huius conſilij fructus? Ita fietis terribiles morti & dæmoni. Quemadmodum enim Sichimitæ non ſunt auſi perſequi recedentem à ſe Iacob & Domum eius: ita ſi vos cum Iacobo Deum timueritis & vobis conciliaueritis, faciet vos Deus liberos à metu mortis & dæmonis, imò & ipſis terribiles: neque etiam ipſe Deus tunc perſequetur vos; nam cùm eiuſmodi plagas minatur nobis, non tam vult nos caſtigare, quàm ad pœnitentiam reuocare. Vbi enim videt nos metuere & feſtinare ad pœnitentiam, recondit gladium in vaginam, vti fecit cùm Niniuitis: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*, inquit. Sed illis ad pœnitentiam currentibus, cucurrit Deus ad indulgentiam. *Ion.* 3. Sic egit cum Iudæis Exod. 32. *Dimitte me & delebo populum hunc.* Et cum ficu ſterili, *Luc.* 13. Vnde S. Chryſoſtomus in Pſalm. 7. ait: *Hoſtes & qui volunt ſupplicium infligere, non modò id non dicunt, ſed etiam id celantes inuadunt, ne qui ſunt puniendi, ſi reſciuerint, caueant. At non ſic Deus: ſed contrà omninò & prædicit & differt & verbis terret, & nihil facit vt quæ minatur, non afferat. Hoc etiam fecit Niniuitis. Nam illic quoque arcum tetendit & gladium vibrauit & iacula parauit, & illum non inflexit.* Præmonet autem nos modò Deus per ſuperiores noſtros Eccleſiaſticos & ſæculares: nec non reipſa, dum paulatim magis & magis ad nos adſerpit peſtis. Quemadmodum enim diluuium non repentè, ſed ſpatio 40. dierum & 40. noctium immiſit, ita vt paulatim aqua altiùs & altiùs, nunc ad hos, nunc ad illos aſcenderet, *Geneſ.* 7. ita nunc etiam peſtem pedetentim propellit ad noſtros fines. *Si voluiſſet*, inquit in eum locum Chryſoſtomus, *potuiſſet omnia in vno momento perdere diluuio, ſed pro ſua miſericordia, tanta dierum productione vſus eſt, ut etiam aliqui ex caſtigatis generalem hanc internecionem effugere poſſent, cùm ante oculos viderent proximos ſuos perire & imminere ſibi communem interitum. Veriſimile enim eſt primo die bonam aliquam partem diluuio periiſſe & ſecunda die accreuiſſe, & ſimiliter tertio & quarto & reliquis*, ſic ille.

D. III. Adorna te bonis operibus.

Tertiò, Indue nouam nuptialem veſtem, adornando te bonorum operum fructibus, iuxta id Iob 29. *Iuſtitiâ indutus ſum & veſtiui me quaſi veſtimento*; vt cùm venerit Dominus, fructum in te inueniat, tibíque non maledicat velut ficui illi ſterili: nec eiiciat cum hodierno conuiua; quem licet amicum compellet; quia is ex fidelibus in Eccleſia diſcumbentibus fuit, eiici tamen præcipit in tenebras; quia charitatis & bonorum operum veſte caruit. Pericles Philoſophus cùm præter conſuetudinem veſtibus ſe adornaſſet iturus ad pulchri iuuenis nuptias, rogatus cur id faceret, reſpondit: *Vt pulcher ad pulchrum vadam.* Ammian. de Pericle. Atqui Rex noſter, ad cuius nuptias hodie vocamur, *ſpecioſus formâ præ filiis hominum* dicitur in ſuo illo Epitalamio *Pſ.* 44. Decet igitur vt ad eius nuptias ituri pulchrè nos adornemus. Quod etſi totâ vitâ faciendum; maximè tamen cùm in conſpectu Regis apparere nos oportet. Vnde virgines illæ audito rumore illo, *Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei*: de ſomno mediâ nocte *ſurrexerunt omnes & ornauerunt lampades ſuas*, Matt. 25. Modò autem fit clamor apud nos, aduentare ſponſum, & multis in locis iam diuertiſſe. Nunc ergo ſi ſapimus, ſurgamus & ornemus lampades noſtras. Ita S. Auguſtinus teſte Poſſidio, ad mortem ſe parabat, legendo aſſiduè Pſalmos pœnitentiales, flendo vbertim, orando aſſiduè vt per decem vltimos vitæ dies neminem niſi medicum vel refectionem afferentem ad ſe admitteret. Ita parauit ſe ad mortem S. Fulgentius mortificando ſe, flendo, balnea recuſando, orando: *Domine da mihi modò patientiam & poſteà indulgentiam*; & quod reliquum erat, pecuniæ pauperibus diſtribuendo. Baron. anno. 529. Ita Ludouicus Imp. anno 837. cometâ apparente, noctem ſequentem peruigilem ac Dei laudibus & obſecrationibus honoratam luci ſuperuenienti præſentauit, manéque eleëmoſynas quàm largiſſimas pauperibus & Dei ſeruis erogauit, ac Miſſarum ſolennia per quoſcunque potuit, celebrari fecit. Triennio poſt in grauem morbum lapſus quotidie confeſſionis munus peregit: nullo alio cibo præterquam SS. Euchariſtiâ per dies 40. victitans, Dei iuſtitiam laudauit: *Iuſtus es Domine. Quia quadrageſima tempus non ieiunans exegi, ſaltem coactus idem tibi ieiunium exſoluam*; priuatum theſaurum diſtribuit. Ludouico

nico filio omnes iniurias remiſit, &c. Baron. anno 840. Ita Ferdinandus Caſtellæ & Legionis rex anno D. 1065. ſentiens ſe deficere, deferri ſe exiguo habitu ad Eccleſiam fecit, ibique fixis genibus regnum Deo reſignauit, exuens regalem chlamydem, deponens gemmatam coronam: & pro chlamyde induitur cilicio, & aſpergitur cinere pro aureo diademate, atque ita biduo ante altare vitalem agit pœnitentiam, tandemque inter manus Epiſcoporum tradit ſpiritum. Lucas Tudenſis, & ex eo Baron. anno 1065. Quando Ioſue tranſiturus erat cum populo Iſrael Iordanem, præcepit principibus populi, vt irent per medium caſtrorum & imperarent populo: *Præparate vobis cibaria, quoniam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem, & intrabitis ad poſſidendam terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis.* Ioſue 1. Fortè etiam nobis poſt tres aut paucos dies tranſeundus eſt Jordanes, id eſt, *fluuius iudicij*, ſcilicet diuini. Itaque præparemus nobis cibaria, opera pietatis & pœnitentiæ, iuxta id Eccleſiaſtici 14. *ante obitum tuum operare iuſtitiam; quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum.* Hac de cauſa noſter Ioſue, id eſt, Ordinarius monuit nunc Párochos omnes, vt hanc prouiſionem imperarent populo.

E. IV. *Recurre ad Sanctos.* QVARTÒ, Recurre ad Sanctos. Si enim Aaron continuit iram Dei per incendiũ graſſantem in Hæbræos, dum ſtans inter viuos & mortuos obtulit pro illis thus; *Numer.* 16. cur non item Sancti alij, nunc cum Deo in gloria vniti, præſtare nobis queant, vt medios ſe conſtituant inter nos & Deum, & extinguant peſtilentiæ ignem, paulatim ad nos adrepentem? Certè S. Gregorius Thaumaturgus, quas ædes Neocæſareæ intrabat tempore peſtis, eas à peſte liberas fecit; vnde certatim rapiebatur ab incolis, ad ſua cuiusque domicilia. *Gregorius Nyſſenus in eius vita.* S. Rochus, dum Italiæ vrbes peſte infeſtas peragraret, ſigno crucis ſanauit, quos peſte tactos reperit. Et cùm tandem & ipſe inficeretur, ab angelo curatus eſt. Potuére hoc iſti in via, & non poterunt in patria?

Ad Deiparam. Inprimis recurramus ad B. Virginem, communem noſtram Matrem. Huius enim imaginem, à S. Luca pictam, cùm tempore grauiſſimæ peſtis, S. Gregorius Romæ circumgeſtaret in ſupplicatione ſolemni (in qua vnius horæ ſpatio 80. homines mortui conciderunt) viſus eſt in ſummitate Molis Adrianæ Angelus recondere gladium in vaginam: vnde contagies maximâ ex parte ceſſauit. Quapropter in hodiernum Moles illa, *caſtellum S. Angeli* nuncupatur. Baron. Anno 590.

Ad Angelos SS. Deinde ad Angelos cuſtodes, vt qui non animarum tantùm, ſed & corporum noſtrorum curam gerunt. Anno Domini 1554. cùm in Braſilia terra lues locum quendam occupaſſet, & complures icti quotidie caderent, Patres Societatis IESV ſupplicationes publicas inſtituere, nouies repetendas, ad implorandos Angelos cuſtodes, vt ſic nouem choris Angelorum ſupplicationes reſponderent. Hic alij flagris ſe cædebant, alij manibus faces ſuſtinentes, Litanias decantabant. Nec incaſſum. Expleto enim ſupplicationum prædicto numero, lues ceſſauit. Hiſtor. Societat. IESV. *lib.* 14. *n.* 114.

Ad ſanctos Patronos. Tertiò, ad ſanctos vrbium & Eccleſiarum noſtrarum Patronos. Si enim Paulo nauiganti omnes animas, quæ in ipſius naui erant, numero 270. donauit Deus, vt in naufragio omnes incolumes euaderent, *Act.* 27. non dubium quin etiam Patroni concreditas ſibi animas impetrare à Deo poſſint. Ita S. Remigius, cùm palla de eius corpore ſumpta circumferretur in proceſſione, liberauit à lue Rhemenſes ſuos. Eucharius & Maximinus Treuerenſes ſuos, &c. vt alibi vidimus.

Ad ſanctos in hoc præſidio celebres. Quartò, ad Sanctos, qui in hoc genere præſidij celebrantur; vt ad S. Sebaſtianum. De quo refert Paulus Diaconus *l.* 6. *c.* 5. Cùm anno 680. peſtis ingens vaſtaret Vrbem & nonnullas Italiæ ciuitates, tunc multi viſi ſunt boni & mali Angeli obeuntes ciuitatem; & ex iuſſu boni malus venabulo, quod manu ferre videbatur, quatiens oſtia domorum: & quoties percuſſiſſet, tot de eadem domo, die ſequenti homines interiere. Tunc cuidam reuelatum eſt, peſtem non ceſſaturam, donec in Baſilica B. Petri ad vincula, B. Sebaſtiano martyri altare poneretur: quo facto, delatiſque ad Vrbem reliquijs, peſtis quieuit. Celebris etiam eſt hoc nomine S. Rochus, cuius imago cùm in Concilio Conſtantienſi publicâ proceſſione circumgeſtaretur tempore peſtis, tum ceſſauit lues.

F. V. *Seponendæ ſeculi ineptiæ.* QVINTÒ, Denique ne velut diluuium & incendium Sodomæ obruat nos peſtis dum edimus, bibimus, &c. ſeponendæ ſunt ineptæ ſæculi, lætitiæ & leuitates, vti choreæ, comeſſationes, aliæ & ſimilia, quæ homines à ſalute ſua auocant, Deumque ad iracundiam prouocant, dæmonem verò tripudiare faciunt. Et verò quis talibus afficiatur in tam grandi periculo & triſti mortis ſpectaculo? *Et tua res agitur, paries cùm proximus ardet.* Certè aſſentator ille Dionyſij, regio licet throno poſitus & regiâ menſâ exceptus eſſet, lætari tamen haudquaquam poterat, quamdiu euaginatum ſupra ſe gladium tenui filo pendulum vidit. Quâ igitur ratione laſciuiant Chriſtiani, videntes ſupra ſe virgam Dei vigilantem, & infra ſe ſuccenſam inferni ollam? Vidi lacum oppido S. Wolfgangi adiacentem, & in eo locum ad radicem montis Falckenſtein; vbi feruntur coniuiæ nuptiales ſupra lacum glacie concretum choreas inſtituiſſe, ruptáque glacie omnes, præter tibicinem, qui ſaxo inſidebat, periiſſe, in pœnam haud dubiè temeritatis. Sed quid minus agunt, qui tam periculoſo & triſti tempore eiuſmodi leuitatibus & laſciuijs vacant? Quid eſt vita hominum, in tam periculoſo præſertim ſtatu, niſi fragilis glacies? Et in hac ſaltare lubet, ludere, & ineptire? Et quid ſi Deus inſtituat vobis choream mortis, den Todtentantz? Certè iuuenes

uenes magis obnoxij ſunt, peſti, quia magis ſanguinei; tales autem ad inflammationem & putredinem magis apti ſunt, & ampliores habent meatus. Vt docet Marſil. Ficinus Epidem.antit. cap. 3. Habent ergo cur non minùs ſed magis ſibi metuant, quàm ſenes. Inprimis verò cauendum omnibus, ne quis alteri vel ſibi peſtem imprecetur. Quid enim ſi hæc tela in te recidant? Et quid mirum, ſi tandem veniat malum, quod toties vocatur?

CONCIO VIII.

Documenta.

Ex parabola hodierna diſcimus,

1. *Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem & iuſtitiam.*
2. *Rationem caſtigandi ſontes.*
3. *Acquieſcere vocationibus diuinis.*
4. *Quomodo accedere debeamus ad S. Euchariſtiam.*

THEMA.

Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occiſa ſunt, venite ad nuptias. Matth. 22.

A. PRandium, Auditores, præcedere cœnam ſolet. Cœna nuptialis conuiuij in cœlo nobis exhibebitur in Eccleſia triumphante: prandium hîc exhibetur in Eccleſia militante. Quiſquis ergo vult deguſtare cœnam illam, neceſſe eſt, vt priùs veniat ad hoc prandium. Porrò huius prandij duæ potiſſimùm epulæ nominantur in hodierna parabola, tauri & altilia; quia homini Chriſtiano alia facienda, alia ſcienda & credenda ſunt. Scienda & credenda ſunt fidei myſteria ad ſalutem neceſſaria; & hæc ſunt quaſi altilia ſeu volatilia, ad contemplationem pertinentia: facienda ſunt, quæ Chriſtus præcipit & Eccleſia: Decalogus, quinque Eccleſiæ præcepta, Sacramentorum ſuſceptio, opera virtutum; & hi ſunt quaſi tauri, ad laborem nati. Vtraque hæc fercula toties ferè coquuntur & apponuntur vobis, quoties ad vos habetur aliqua concio. In concione etenim ſeu doctrinâ Euangelicâ vocat vos cœleſtis Rex per ſeruum ſuum Concionatorem ad cœleſtes nuptias, & partim inſtruit vos, quid oporteat credere, & monet vt quæ agenda ſunt, agatis. Iure igitur vel vnicam concionem prandium huiuſmodi apellare poſſumus: vt meritò ſibi timere debeant, qui ad prandium hoc rarò vel nunquam veniunt. Imitantur enim Iudæos, qui neglecto Chriſti prandio iuerunt potius ad villas & negotiationes ſuas: ideoque non ſolùm à prandio Eccleſiæ militantis excluſi ſunt, ſed etiam à cœnâ Eccleſiæ triumphantis. Quare, auditores, facite vos officium veſtrum, & venite ad nuptias: ego faciam meum, & proponam vobis Euangelicam doctrinam, in qua repertetis partim altilia, partim tauros, hoc eſt, alia ſcienda, alia facienda: non epulas materiales, quia S. Auguſtinus *ſerm. 27. de verb. Dom.* ait: *Maior eſt refectio mentis, quàm ventris.*

B. I. Diſcimus quatuor primaria Dei attributa.

PRimò Igitur diſcimus ex parabola hodierna, quanta ſit Dei potentia, ſapientia, bonitas, & iuſtitia; quatuor illa primaria eius attributa, quibus gubernat mundum.

1. Potentiam.

Potentia elucet primò in tam magnifico nuptiarum conuiuio, ad quod vocauit omnes hominum nationes, tanquam ſibi ſubditas, & venire obligatas ſub grauiſſimo ſupplicio, ſi venire recuſarent. Magnus fuit Rex Aſſuerus, qui regnauit ab India vſque Æthiopiam ſuper centum vingenti ſeptem prouincias, ideoque *fecerat grande conuiuium cunctis principibus & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum & Medorum inclytis, & Præfectis prouinciarum coram ſe: vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem atq; iactantiam potentiæ ſuæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus. Cumq; implerentur dies cõuiuij, inuitauit omnem populum, qui inuentus eſt in Suſis à maximo vſque ad minimum.* Sed quid hoc conuiuium reſpectu illius, quod inſtruxit Deus? merendula vna fuit, bolus fuit, nihil fuit. Omnes terræ Reges veriùs Reguli ſunt, imò nihil ſunt, ſi cum cœleſti comparentur Rege, qui imperat toti mundo, viuis & defunctis, nec vni aut alteri populo, ſed omnibus omninò mortalibus conuiuium parauit: non ex epulis materialibus & terrenis, ſed ſpiritualibus & cœleſtibus; non duraturum centum octaginta diebus, ſed per omnem æternitatem. In hoc igitur conuiuio veriſſimè oſtendit Deus diuitias gloriæ regni ſui ac magnitudinem atque iactantiam potentiæ ſuæ. Secundò, Elucet in tam potenti contemptorum ac rebellium ſubditorum coercitione; ſiquidem miſſis exercitibus ſuis perdidit illos, & ciuitatem eorum ſuccendit. Rebelles illi fuerunt inprimis Iudæi, quos, immiſſis Romanorum, Titi & Veſpaſiani, exercitibus, arctiſſimâ obſidione preſſit, necuit partim, partim captiuos abduxit, & per orbem diſperſit, vbi illos vſque in hodiernum diem per annos ferè 1600. potenti virtute quaſi ſub pedibus premit, vt nulla vi reſurgere queant; adhæc templum eorum & vrbem ſuccendit operâ militum, etiam contra edictum Imperatoris, ac licet is magnis vocibus & imperijs iuberet extingui incendium, id tamen fieri nullâ humanâ ope potuit, perurgente Iudæos fato diuino, quo etiam premente iacent etiamnum velut vaſa figuli confracta, ſine Rege, ſine regno, ſine templo, ſine ſacrificio, ſine ſacerdotio, nullâ potentiâ reparandi. Solantur quidem ſe miſeri ſpe redemptionis promiſſa ſibi à Deo, præſertim *Leuit. 26.* vbi de ipſis ait Deus: *Et tamen etiam cùm eſſent in terra hoſtili, nõ penitus abieci eos, neque ſic deſpexi, vt cõſumerentur, & irritum facerem pactum meum cũ eis.* Et quia prima vox huius periodi Hebraicè eſt Aph, id eſt, attamen: Aph verò Germanicâ linguâ ſignificat ſimiam, hinc ipſi hanc periodum

Digitized by Google

riodum vocant auream ſimiam, & quoties eam in ſynagogis legunt, mirè iubilant atque exultant. Sed veræ ipſimet ſimiæ ſunt; qui tam inani voce & verbi Dei corruptelâ ſibi blandiuntur. Loquitur enim Deus ibi de tempore Iudaiſmi duraturi & veteris legis: quæ quia à Chriſto abolita eſt, promiſſio illa Dei finem habet. Videmus ergo Dei potentiam, qui Iudæos vti olim per Regem Aſſyriorum quaſi per nouaculam conductam, vt vocatur Iſa. 7. ita poſteà per Regem Romanorum Titum, alioſque abraſit à terrâ ſuâ tantâ facilitate, quantâ nouacula pilos capitis abradit. Habet ergo Deus omnis generis exertus ad puniendum reprobos, exercitus Angelorum, hominum, vti Turcarum, Tartarorum, Hæreticorum, quin & exercitus creaturarum omnium, locuſtarum, ranarum, muſcarum, grandinis, murium, &c. quibus nos in momento, ſi vult, perdere poteſt. Hinc dicto cap. 7. Iſa. dicitur: *Sibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo flumine Ægypti* (hoc eſt, Ægyptijs) *& api, quæ eſt in terrâ Aſſur* (Aſſyrijs) *& venient*, &c. ſibilo tantùm vno euocabit innumeros exercitus.

2. *Dei Sapientiam.* Secundo, Quanta Dei ſapientia. Nam inprimis locum conuiuij ingreſſus ſtatim inter tam multos vidit ibi vnum non veſtitum veſte nuptiali. Quo res apertè oſtendit ſummam Dei ſapientiam, qui vno intuitu omnes foris & intùs nouit, ita vt nec vnicus homo, vel vnicus eius defectus ipſum latêre queat: neque vnica quidem palea in immenſo frumenti cumulo. Atque vt ſciamus iſtum etiam in intimis viſceribus Regi cognitum fuiſſe, ad regis interrogationem illicò obmutuit. *Quia*, vt ait S. Gregorius in hom. ſuper hoc Euang. *in illa diſtrictione vltimæ increpationis omne argumentum ceſſat excuſationis: quippe quia ille foris increpat, qui teſtis conſcientiæ intùs animum accuſat. Ego, inquit, ſum iudex & teſtis, &c.*

3. *Dei bonitatem.* Tertio, Quanta Dei bonitas, qui omnis generis homines, Iudæos & Gentiles vocat ad cœleſtes nuptias ſuas, imò vt eſſent ſponſæ filij ſui, quibus nuptias has inſtituit; quodque magis mirum, vocat tot legationibus, ſuauiſſimis quoque illecebris ſelectarum epularum iamiam paratarum; & quod ſummè mirandum vocat etiam eos, quos præſcijt non venturos, ſed contemptâ vocatione ad ſua commoda abituros. Hoc pacto vocauit Pharaonem, & Chriſtus Dominus Iudam quamplurimis beneficijs, quos tamen futuros obſtinatos ſciuit. Adhæc poſtquam Iudæi nuptias ſpreuerunt, & ſeruos Dei afflixerunt atque occiderunt, non continuò illos perdidit, ſed ſpatium reſipiſcentiæ eis tribuit triginta & octo annos poſt paſſionem Chriſti; quibus exactis venit primùm Veſpaſianus cum Tito filio, & excidit Ieroſolymam. Verificatum eſt igitur hîc, quod olim Iſaias c. 39. dixit Iudæis: *Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri.*

4. Quarto, Quanta Dei æquitas, qui tandem punit quidem refractarios, tametſi non priùs quàm cognitâ quodammodò eorum cauſâ & patefactâ iniquitate. *Dei iuſtitiam.* Propterea enim inducitur Rex parabolicus intraſſe in conuiuium, vt videret diſcumbentes; quo modo videlicet olim puniturus Sodomitas dixit: *Deſcendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam*, Gen. 18. vbi verò conſtat de reorum noxâ, tum ſeueriſſimè punit, perdens eos, hoc eſt, corpore & animo torquens in gehennâ, omnibus bonis exuens, & omnibus malis implens. Quam perditionem deprecans Ieremias c. 10. ait: *Corripe me Domine: veruntamen in iudicio* (leniter & paternè in hoc mundo) *& non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.*

C. II. *Diſcimus rationem caſtigandi ſontes.* SECVNDÒ, Diſcimus (maximè qui Reges, Rectores & Magiſtratus ſunt) proceſſum iudicialem & rationem caſtigandi ſontes. 1. Primò vt non præcipitanter nec incognitâ cauſâ procedamus ad plectendos reos. Audiuimus enim priùs intraſſe Regem, vt videret diſcumbentes, poſteà deprehenſum reum eijci iuſſiſſe. *Veritatem dies aperit*, inquit Seneca lib. 1. de irâ *poteſtq; pœna dilata exigi, exacta reuocari non poteſt.* Faciebat hoc S. Iob, qui cap. 29. ita. *Et cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam.* In quem locum ſcribit D. Gregorius lib. 19. Moral. cap. 23. *Deus cùm omnia illi nuda & aperta ſint, mala Sodomorum puniuit, non audita, ſed viſa.*

2. Secundò, Vt cum tranquillitate iudicemus, & corripiamus delinquentes. Ita enim Rex in hodierno Euangelio correpturus reum: *Amice, quomodo huc intraſti?* inquit, oſtendens animum ſuum nequaquam furore percitum aut irâ inflammatum eſſe. Ita etiam de Deo teſtatur Salomon Sap. 12. *Tu dominator virtutis cum tranquillitate iudicas.* Igitur cùm de ſubditis reis ſumit aliquis ſupplicium, ſeruet animi tranquillitatem, vt correptus videat, ſe non ex odio, ſed amore caſtigari; abſtineat probris & contumelijs verbiſque furibundis, licet ſeruus viliſſimus ſit cædendus.

3. Tertiò, Vt memores interim grauitatis atque auctoritatis ſimus, cùm id ratio officij & occaſio poſtulat. Solerter enim aduertit D. Hieronymus in matth. Regem iſtum parabolicum appellari *hominem Regem*, cùm ad nuptias vocat; at cùm intrat triclinium velut Iudex, puniturus reum, non iam appellari à Matthæo *hominem Regem*, ſed *Regem* duntaxat. Quare docentur Principes & Magiſtratus, vt cæteroquî humani quidem & affabiles ſint, at cùm ſubditi in officio continendi & vitia plectenda ſunt, ſeueritatem induant, quaſi non iam homines ſed Reges hominum ac vindices ſcelerum ſint, omnibus tremendi. Miro modo obſeruauit hoc Fredericus II. Daniæ Rex, qui præter multas regias virtutes, grauitates comitate ita temperabat, vt nec maieſtas odium, nec humanitas contemptum ei adſerret. Is quando cum familiaribus animum recreare volebat, quaſi depo-

ſitâ Regis perſonâ : *Agite*, inquit, *amici ludamus, & animum planè ſoluamus, dum Rex abeſt.* Sic igitur tanquam priuatus inter priuatos aliquamdiu luſui & iocis indulgens, vbi ſatis iam luſum videbatur, quaſi aſſumptâ iterum Regis perſonâ, vultu ad grauitatem compoſito : *Obe*, aiebat, *ſatis eſt, iam Rex rediit.* Quo dicto, omnes confeſtim ſummâ cum modeſtiâ & ſilentio adſtabant, iuſſa Regia exſpectantes. Tymp. in ſpec. Magiſtr. ſig. 77. Simile conſilium dedit S. Bernardus lib. 4. de conſiderat. Papæ Eugenio : *In palatio Papam, domi te patremfamiliâs exhibe.*

D. III. Acquieſcendum vocationibus diuinis.

TERTIÒ, Diſcimus acquieſcere & aures dare vocationibus diuinis. Multa ſunt quæ hoc ſuadent. Primò, Si cogitemus, quis nos vocet. eſt enim Creator, Redemptor, Magiſter, Dominus & Iudex noſter. Decet ergo, vt ei obediamus creaturæ, redempti, diſ-
1. puli, ſerui & ſubditi eius. Ipſe poteſtatem habet vocandi & imperandi; ipſius enim eſt regere & dirigere omnia ad ſuos fines, iis viis & mediis, quibus ipſi placuerit. Quòd ſi Rex vocaret ad ſe famulum ſuum iſque venire recuſaret, nónne eum continuò è domo exturbaret? Adhæc ſumma gratia eſt, vocari à Domino Deo. Aman ille primus in Aulâ Regis Aſſueri, ſummo ſibi honori ducebat, quòd ad menſam Reginæ vocatus eſſet, eaque re mirè exultabat, *Eſth.* 5. at quanto maius, vocari à Deo ad conuiuium cœleſte? Agnus auditâ matris voce, ſtatim ad eam accurrit : perdicis etiam pullus alienâ matre excluſus, auditâ ligitimæ matris voce, ad eam aduolat, illâ relictâ, vti legimus *Ierem.* 17. Cur igitur nos homines auditâ Dei, legitimi parentis noſtri voce, non deſeramus alienos, quibus fortè adhæſimus?

2. Secundò, Si penſemus, qui ſimus non vocati; miſeri nimirum & miſerabiles : partim boni, partim mali : adhæc villani aut mercatores, qui egredimur ad villam aut negotiationem noſtram : vel etiam mendici & vagabundi, qui in compitis ſedemus, ſtipem colligendo : vel ad exitus viarum diuagamur, prædas fortè agendo & alios deſpoliando. Tales fuiſſe videntur, qui ad nuptias vocati ſunt, & fortè ipſis nos nihilo meliores ſumus : miſeri corpore & animo. Quî igitur fieri poteſt, vt non audiamus Deum vocantem nos ad gratiam & gloriam ſuam? *Surdi, audite*, inquit Iſaias cap. 42. *& cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus niſi ſeruus meus? & ſurdus niſi ad quem nuncios meos miſi? quis cæcus niſi qui venundatus eſt peccato.* Tu es ille cœcus, niſi neceſſitatem, in quâ verſaris, agnoſcas; idem quoque ſurdus es, niſi vocem Domini & nunciorum eius audias.

3. Tertiò, Si cogitemus, quorſum vocemur; ad nuptias nimirum, eaſque regias & cœleſtes : ad tauros & altilia, omniſque generis delitias ſine fine percipiendas. Quòd ſi de militante Eccleſiâ loquamur, habet etiam illa ſuos tauros & altilia : Sacramenta videlicet, doctrinam Euangelicam, gratiam, virtutes, gaudium cordis, &c. quibus animum noſtrum impinguare & recreare poſſumus, velut nobiles illi pueri Regis Nabuchodonoſor, qui enutriti regiis epulis per triennium, ad aulam Regis euocati ſtabant in conſpectu Regis, *Dan.* 1. B. Franciſcus Borgias, cùm adhuc ſæcularis Dux aucupio vacaret, hoc frequenter in ore habebat : feras & volucres carniuoras modicæ eſcæ gratiâ agreſte ingenium exuere, manſueſcere, ac voce hominis accitas ſtatim aduolare : hominem verò rationis participem tot bonis ac beneficiis prouocatum Deo parére nolle. Ribad lib. 1. c. 5. Pudenda res & dolenda. Et quàm hoc indignum!

Quartò, Si conſideremus modos, quibus 4.
vocat. Inprimis enim vocat non ſemel, ſed bis, ter, variis legationes, mittens modò hos, modò alios ſeruos, miracula, ſermones, libros, internas inſpirationibus. Subinde monſtrat, & promittit tibi grandia bona : *Ecce, prandium meum paraui : tauri mei & altilia occiſa ſunt.* Subinde etiam terret minis, vel aliorum, quos ob contumaciam ſuam perdidit, ſuppliciis, vt tu illorum malo ſaperè diſcas. Quandoque vrget aduerſitatibus propriis. Tot tantiſque legationibus ſi non acquieſcamus, omni prorſus ratione deſtituti ſumus.

Quintò, Si expendamus ſupplicium, quo 5.
expectat contumaces, eſtque perditio & incendium gehennæ. Vbi enim argumenta & rationes nihil proficiunt, ibi accipit Deus flagella, gladium & ignem. Fugit Ionas à facie vocantis Dei, & incidit in furioſum mare, iactaturque in os belluæ. *Ecce fugitiuum Dei*, inquit Gregorius lib. 6. Mor. cap. 12. *tempeſtas inuenit, ſors ligat, mare ſuſcipit, bellua includit : & qui auctori ſuo obedire renititur, ad locum quo miſſus fuerat, ſuo reum carcere portatur.* Sed iſte adhuc clementi pœnâ exceptus eſt, ad correctionem. Non omnibus hoc contingit : plurimi refractarii eiiciuntur mox in infernum & in os ceti tartarei; nec iniuriâ; Dei enim vocantis ſinum fugiunt, & ad creaturas ſe recipiunt, inueniuntque turbulentum mare, cetos & monſtra, à quibus deuorentur. Quare ſapienter vltimi Regis ſerui, poſt perditionem rebellium, miſſi ſunt *in exitus viarum*, vt vocarent obuios quoſque. Quid enim ſunt exitus illi, niſi termini viarum? Nihil ergo efficacius ad peccatores conuertendos eſſe videtur, quàm conſiderare *exitus viarum* ſuarum, finem ſcilicet vitæ & conuerſationis ſuæ, quò tandem peruenturi ſint, ſi Deo ſemper rebelles tam perditè viuere pergant : finis enim & exitus illorum perditio & incendium eſt, vti teſtatur Apoſtolus ad Philip. 3. de inimicis Chriſti: *Quorum finis interitus*, inquit; græcè *ἀπώλεια perditio.* q. d. in fine perdentur & interibunt, qui ſectantur gulam & laſciuiam, quorum Deus venter eſt; voluptates eorum deſinent in perditionem & incendium gehennæ.

E. IV. Quomodo accedendum.

QVARTÒ, Diſcimus accedere ad S. Euchariſtiæ communionem; cùm veſte nimirum charitatis ſeu gratiæ. Quemadmodum enim is, qui ſine veſte nuptiali repertus eſt in nuptiis,

ad S. cõmunionem.

peijs, eiectus eſt è conuiuio: ita abijciuntur à conſpectu Dei, qui cum ſordidó peccati veſtitu accedere præſumunt ad regium illud conuiuium filij Dei. Debebant inuitati ad honorem ſponſi veſtire ſe nuptialiter ſeu feſtiuè: pari modo ad honorem Chriſti, ſanctiſſimi & puriſſimi, Dei & Virginis filij decet accubituros in menſâ Euchariſticâ, indui veſte gratiæ, quæ ſola ipſi placet: & exui ſordidis peccatorum centonibus, quibus ſolis offenditur.

Quòd ſi dicat aliquis, ad nuptias illas vocatos etiam pauperes eſſe è compitis & vijs publicis, ideóque ægrè ferendum non fuiſſe, ſiquis ſordido veſtitu venit. Reſpondeo cum Barradio hoc loco, regem iuſſiſſe dari veſtes nuptiales conuiuis, quibus carerent; hominem verò illum eas non acceptâſſe. Pari modo nolo dicas, non fuiſſe tibi communicaturo copiam veſtis gratiæ; quia eam per pœnitentiam facilè habere potes; illic ergo priùs à confeſſario requirenda eſt. Sanè Iudæi, ſi quâ ratione, corpore non animo, contaminati forent, non ſunt auſi manducare paſcha, quod erat Typus Euchariſtiæ. Hinc enim noluerunt ingredi prætorium, *ne contaminarentur, ſed vt manducarent paſcha.* Quanto magis decet vt nos Chriſtiani ſimus puri & immaculati, cùm manducare volumus, non agnum illum typicum, ſed verum illum & immaculatum Virginis filium, qui tollit peccata mundi? Quâ ergo ratione accumbere ad hoc paſcha poteſt, qui paulò antè intrauit non prætorium, ſed proſtibulum? Cæterùm non tam corporis, quàm animi puritas requiritur à nobis vt manducemus noſtrum paſcha. Non curat Rex & Dominus noſter, ſi foris niteamus in feſtiuis veſtibus: intùs & in animo vult nitere nos; quia amicos vult, non hoſtes. Poteſt autem foris monſtrare quis ſe amicum, qui in cute eſt inimicus. Plerique omnes cùm accedunt ad communionem, pretioſis ſe adornant veſtibus. Non culpo quidem iſtud, ſi ad honorem Sacramenti, abſque ambitu & exceſſu fiat. Sed non eſt iſte habitus, quem deſiderat noſter ſponſus. Qui mundo ſeruiunt, ſimiles ſunt vulpibus & martibus, quæ pretioſas quidem gerunt pelles, ſed carnem habent inſipidam & inutilem. Qui verò Deo ſeruiunt, ſimiles ſunt capreis, quæ vilem quidem pellem, carnem autem optimam & generoſam habent. Illæ poſt mortem pellibus nudatæ, eijciuntur in ſterquilinium; hæ verò afferuntur ad menſas Principum. Illarum finem ſortientur improbi: iſtarum verò probi. Hæc ſit ergo Auditores, hæc ſit veſtis noſtra, charitas & gratia, quam nobis largiatur rex cœleſtis.

CONCIO IX.

Myſteria.

1.2. *Aſsignatur ſignificatio harum nuptiarum, cauſaq; contracti matrimonij.*
3. *Quinam ſerui & quò miſsi.*
4. *Quid ſibi velint tauri & altilia occiſa.*
5. *Quinam inuitati qui venire noluerunt, tum ad litteram, tum myſticè.*
6. *Quæ pœna irrogata refractarijs.*
7. *Veſtis nuptialis ſignificat charitatem.*
8.9. *Cur vnus tantùm deprehenſus ſine eâ; & quâ pœnâ plexus.*

THEMA.

Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Matth. 22.

A. Eccleſiam Chriſti, Auditores, duplici agmine comprehendi, multoties audiſtis: militante nimirum & triumphante. Vtrumque etiam *regnum cælorum* ſæpiùs appellatur à Seruatore noſtro: quia quò triumphans Eccleſia iam peruénit, eò militans contendit: illa quaſi ciuitas regni cœleſtis, hæc ſuburbium eſt. Propterea etiam Dominus ſimilem conuiuij parabolam de vtraque nobis propoſuit; de triumphante quidem parabolam cœnæ, vt quæ vltimum diei conuiuium eſt, diem claudens, Luc. 14. De militante verò parabolam nuptiarum ſeu prandij nuptialis, in Euangelio hodierno. Vtraque enim habet ſuas epulas & cupedines; quamquam hæc ad meridiem, tempore laboris: illa verò ad veſperam, tempore quietis. In hac admittuntur boni & mali: in illa verò nequaquam: in hac reperitur homo non veſtitus condecenter, ideóque à conuiuio eijcitur: in illâ nemo talis reperitur aut eijcitur. Quàm bonus igitur Deus & Dominus noſter Chriſtus; qui non ſolùm triumphantem illam Eccleſiam ſub deſcriptione cœnæ, ſed etiam militantem noſtram, ſub typo nuptiarum depingere dignatus eſt? Vidimus alibi cœnam, typum triumphantis: videamus hodie nuptias, typum militantis.

B. I. Quid ſignificant hæ nuptiæ.

Q. Primò, Quid ſignificant hæ nuptiæ filij regis? Reſp. Primo, vnionem & quaſi deſponſationem diuinæ Chriſti naturæ cum humanâ. Ita D. Greg. homil. 38. in Euang. *Cùm humanam naturam*, inquit, *Verbum diuinum aſſumpſit, tunc pater filio nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humanæ naturæ coniunxit.* Similiter D. Auguſt. orat. contra Iud. & Arian. c. 9. to. 6. *Chriſtus*, ait, *proceſsit ex vtero virginali tanquam ſponſus de thalamo ſuo, in quo vtero ſpiritales nuptiæ celebratæ ſunt: DEVS coniunctus eſt carni, & caro adhæſit Deo.* Hanc coniunctionem mox ſecuta eſt communicatio Idiomatum, in Chriſto, ita vt quod de Deo prædicatum eſt, prædicetur etiam de homine, & econtrà: Deus dicitur naſci, eſurire, pati, mori: homo dicitur æternus, omnipotens, immenſus, &c. Contractum eſt hoc matrimonium, vt di-

vt dixi, in vtero Virginis, vbi humana Chriſti natura ſecundum animam, ſtatim vidit Verbum tanquam ſponſum ſuum. Conſummatum verò in cruce, dicente Domino: *Conſummatum eſt*; vbi Dei Verbum humanitati aſſumptæ reuerà *ſponſus ſanguinum* factus eſt, quemadmodum dixit Sephora Moyſi, *Exod.* 4.

2. Secundo, Coniunctionem Chriſti cum Eccleſia; quò reſpiciens Ioannes Baptiſta dixit de eo: *Qui habet ſponſam ſponſus eſt*, Ioan. 3. Et de hac exponit parabolam D. Hieronymus, nec non etiam D. Gregor. loc. cit. & alij. Matrimonium hoc ratum habitum eſt in cruce, vbi Chriſtus ſponſam ſuam ſanguine ſuo emit; conſummabitur in die iudicij, vbi eandem introducet in thalamum ſuum cœleſtem. In hoc communicauit Chriſtus Eccleſiæ omnia ſua merita & bona, ipſumque adeò regnum ſuum cœleſte, promiſſum quaſi in dotem.

3. Tertio, Deſponſationem Chriſti cum quauis animâ fidei; de quâ Apoſtolus 2. *Cor.* 11. ait: *Deſpondi enim vos vni viro virginem exhibere Chriſto.* Deſponſatur autem anima Chriſto in baptiſmo per annulum fidei: adhæret ei per charitatem. In hoc etiam coniugio participat anima bona ſponſi ſui, gratiam & gloriam, fitque regina quædam, de quâ Pſ. 44. dicitur: *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* In hoc concipit & parit proles ſpecioſiſſimas, actus virtutum præclaros omnis generis, mediante Chriſti gratiâ. Triplicem hanc deſponſationem quaſi digito notat Deus per Oſeam cap. 2. dicens: *Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio* (q.d. tuebor te & iudicabo ac puniam hoſtes tuos) *& in miſericordiâ & in miſerationibus: & ſponſabo te mihi in fide.*

C.
II.
Quæ cauſæ huius contracti matrimonij.

Q. Secvndò, Quæ cauſæ fuerunt huius conciliati matrimonij? Audiamus ad hoc reſpondentem Alphonſum Salmeronem, piè & eruditè. Cauſa *prima inter alias occurrit; vt cæleſtis regni hæreditas præuaricatione parentis noſtri principis deperdita recuperaretur.*

1. *Regnum enim amiſſum & abalienatum meliùs non recuperatur, quàm per matrimonium contractum inter perſonam legitimam regni hæredem, & alteram diſtantem. Nam natura humana de genere Dei eſt, iuxta illud Apoſt. Act. 17. Ipſius enim & genus ſumus. Genus ergò cum ſimus Dei, &c. Sed per peccatum ab eo diſtans: & quamdiu fuit in recta linea conſanguinitatis, id eſt, veritatis, & virtutis, capax erat regni, ſicut ille, qui in recta linea regali permanet. Vnde in Sapientia c. 10. dicitur: Iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Sed quia deflexit à recta veritatis via, perdidit regnum, quod per eiuſmodi nuptias recuperauit.*

2. *Secunda ratio initi matrimonij fuit, vt bellum inter Deum, & homines quod erat, tolleretur. Solent enim regna inimica inter ſe, per matrimonia inuicem pacificari. Eſt ergo incarnatio, Deum inter & homines, qui animo hoſtili, & odio Deum perſequebantur, reconciliatio. Cùm verò odio ſint Deo impius, & impietas eius: tales & ipſe quoque vt hoſtes auerſabatur. Et vt conflaretur vera & conſtans amicitia, debebat eſſe amicus alter ego, vel potiùs ipſe idem ego, non alter ego. Itaque meus amicus eſt ego, & ego ſum meus amicus: debentq́; eſſe voluntate tam conformes, vt vnas ædes inhabitent. Atque ita Deus cum Humanitate beata viſcera Mariæ Virginis inhabitarunt, vbi primum ſe inuicem viderunt Deus, & Homo, ibi ſeſe amplexati, & oſculati ſunt, ibi dederunt dexteras ſocietatis, & mutuo ſe in ſignum amicitiæ dignata ſunt alloquio, vnam & eandem menſam ad comedendum, & bibendum habuerunt, imò, vt ſic dicam, ex vno & eodem diſco vnam & eandem buccellam ſimul edebant, vnum & eundem lectum ad cubandum habebant. Et tam arcto vinculo amicitiæ coniuncti fuerunt, vt nihil vnus ſine altero efficeret, ita vt mota, & defatigata, & crucifixa, & mortua Chriſti Humanitate, verè dicatur Deus motus, Deus defatigatus, Deus crucifixus, Deus mortuus, propter communicationem idiomatum: quemadmodum quæ Diuinitatis ſunt, illi homini viciſſim tribuuntur, vt verè dicatur: Hic homo eſt filius Dei, hic homo fecit cœlum, & terram: hic homo virtute ſua ſuſtinet mundum, hic beat Angelos, hic edit miracula. O vinculum ſuper omnia vincula arctius & fortius, dæmonibus formidandum, Angelis venerandum, omnium hominum linguis celebrandum atque prædicandum!*

Tertia ratio: Contrahitur matrimonium deſiderio prolis habendæ, & incontinentiæ vitandæ gratiâ, & ob mutuum iuuamen præſtandum ſibi inuicem, & ad propagandos fines amicitiæ: ad hunc modum incarnatio ſobolem ſpirituale facit, de qua Ioannes c. 1. loquitur, cùm ait: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, & ſubdit: Et Verbum caro factum eſt, hoc eſt, quia Verbum caro factum eſt. Facit etiam declinare obſcœnæ voluptatis incendium: nam dedecus eſt, & ignominia, carnem, quam Filius Dei ſua vnione ſanctam effecit, polluere, vt meritò Hieremias c. 31. dicat: Vſquequo delicijs diſſolueris, filia vaga? quia creauit Dominus nouum ſuper terram, Femina circumdabit virum. Id eſt, ex quo tantum, tanque inuſitatum & nouum Deus homini contulit, non decet impudicis voluptatibus vacare. Iuuat etiam Deus per Chriſtum hominem in homine ſeruando, quia corpore pati potuit, ac proinde ſatisfacere, anima potuit mereri: quorum neutrum per ſe ipſum præſtare valuit Deus, qui omnis paſſionis & meriti eſt expers. Amplianit etiam Deus amicitiam ſuam per Humanitem aſſumptam ad conſanguineos ſponſæ, illam extendendo quaſi ad affines, & cognatos, vt iam non tantum ex parte animæ ſimus conſanguinei Dei, quia ipſius genus ſumus, ſed etiam ex parte corporis aſſumpti affines. hæc ille. 3.

D.
III.
Quinam ſerui & quò miſſi

Q. Tertiò, Quinam ſerui regis & quorſum miſſi? Reſp. Tribus vicibus miſſos eſſe ſeruos; primos & ſecundos ad Iudæos, qui poſt contractum Chriſti cum Eccleſia & humana natura matrimonium, adeoque poſt aduentum eius fuerunt; poſtremos verò ad Gentiles. Ita D. Hieronymus & Gregorius. Vocati autem ſunt Iudæi illi per prophetarum libros ſaltem; quanquam & per Ioannem Baptiſtam, eiuſque patrem Zachariam, Simeonem ſenem, Ioſephum, & fortaſſe plures alios viuâ voce partim explicitè partim implicitè vocati

vocati eſſe videntur. Cæterùm his Iudæi nihil moti ſunt, quia à lege ſuâ in quâ tanquam pueri exercebantur, diſcedere noluerunt; non attendentes ad Iſaiæ comminationem c. 65. *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Miſſi igitur ad eos alij ſerui, Apoſtoli eorumque diſcipuli, quibus primò quidem præcepit Chriſtus: *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum* (ſemigentilium) *ne intraueritis: ſed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domûs Iſrael*, Matth. 10. Et hi nuntiabant prandium iam paratum eſſe. Quamquam alij exiſtimant primo loco miſſos eſſe Apoſtolos: ſecundo loco eorum diſcipulos; quod bene etiam quadrat huic parabolæ, quæ in vtraque legatione vocat inuitatos tanquam ad nuptias iam paratas. Quia verò Iudæi, vt diximus, venire noluerunt, ſed partim neglexerunt ex incuriâ: partim poſtpoſuerunt alijs ſuis negotijs, agriculturæ, mercimonijs; partim tenuerunt ſeruos, recludendo eos in carcerem, vti Apoſtolos omnes (*Act.* 12.) nec non contumelijs affecerunt, cædendo velut ſeruos & maleficos; denique occiderunt, vti Stephanum, Iacobum maiorem & minorem, Matthiam & alios; idcircò excisis atque exterminatis Iudæis per Titum Imp. miſit ſeruos alios, non iam ad inuitatos, Iudæos ſcilicet (qui primi & ſpeciali modo ac beneficio inuitati fuerant) ſed ad exitus viarum, ſeu ad terras longinquas, extra Iudæam in gentiliſmo degentes, ſiue bonos ſiue malos, hoc eſt, ſiue ſecundum legem naturæ degentes ſiue non.

E. IV. Quid tauri & altilia

Q. QVARTÒ, Quid ſibi volunt tauri & altilia occiſa ad conuiuium nuptiale? Reſpond.

1. Primo ad literam denotare merita Chriſti iam occiſi parata & tam copioſa, vt æquiualeant plurimis imò infinitis tauris & altilibus: rurſum tam ad omnium guſtum & fructum comparata atque accomodata, vt inde ſatiari queant, qui taurorum, id eſt, actiuam vitam: & qui altilium, hoc eſt, contemplatiuam ſectari volunt. Adhæc ſignificant paratam eſſe doctrinam Euangelicam, Sacramenta, virtutum exempla, DEI miſericordiam: victoriam obtentam eſſe de morte, peccato, inferno, diabolo.

2. Secundò, Myſticè alij per tauros vetus teſtamentum eiuſque patres; per altilia nouum eiuſque ſanctos intelligunt. Vetus teſtamentum occupabat ſuos in actione potiſſimùm, vti in ſacrificijs, cæremonijs, operibus legis: penè omnes iugum trahebant matrimonij: vacabant ſæculi negotijs & huius mundi curis. Nouum dirigit ſuos ad vitam potiùs contemplatiuam & religioſam: vnde in Eccleſiâ tot monaſteria & monachorum millia, qui abdicatis ſæculi negotijs ſoli DEI cultui vacant. Itaque illi velut tauri: hi velut alites, iam occiſi, hoc eſt, ad imitandum nobis propoſiti ſunt, vt eorum exemplis ſaturemur. Velut tauri ſunt SS. Martyres, pro Chriſti fide occiſi: altilia religioſi, qui in ſuis Ordinibus impinguantur ſpiritu, & moriuntur mundo & mortificant ſeipſos, cæteriſque Chriſtianis in epulum & exemplum proponuntur, quos & meritis ac virtutibus ſuis recreant, ſatiant & ſaginant. Habent ergo in hoc conuiuio fideles tauros & altilia, hoc eſt, exempla actiuorum & contemplatiuorum, vt quos velint ſectari queant, vel ex vtriſque partem ſibi deſumere, vt ſint partim Marthæ, partim Magdalenæ.

Tertiò, Tauri & altilia occiſa ſignificare poſſunt ſacrificia veteris legis, in quâ eiuſmodi animantia DEO immolari & mactari conſueuerunt. Quia enim per Chriſti immolationem ſacrificia illa finem acceperunt, adeoque emortua fuerunt atque infructuoſa, idcircò debebant Iudæi vel hoc ſolo nomine ad nuptias Chriſti venire, ſuaſque ſacrificiorum epulas deſerere. Facit ad hunc ſenſum, quòd tauri & altilia non dicuntur cocta vel aſſata (quod tamen factum eſſe debebat, cùm inuitati vocabantur iam ad prandium) ſed occiſa tantùm; quia videlicet ſacrificia illa in ſe mortua & egena fuerunt elementa: ſola Chriſti paſſio & quaſi aſſatio in veru crucis compleuit quidquid mortuis illis ſacrificijs deerat; verùm vſque ad promulgationem legis nouæ, poſt hanc enim omninò putria & inutilia, imò noxia euaſerunt. Paſſio Chriſti quaſi ſal illarum carnium ſacrificatarum in lege veteri fuit. Sublato iſto ſale in lege noua, putredinem & fœtorem contraxerunt. 3.

Q. QVINTÒ, Qui inuitati venire noluerunt? Reſp. tria Iudæorum genera. Primum minorum & pauperiorum, qui labore manuum victum ſibi parabant, & ferè in agriculturâ aut pecorum paſtu; qui deſignantur per euntes ad villam. Alterum maiorum & ditiorum, qui ingenio & induſtriâ per negotiationem diuitias ſibi comparabant, quales hodie mercatores, aduocati, Iudices, Medici, gubernatores; & hi notantur in ijs, qui abierunt ad negotiationem ſuam. Tertium maximorum ſeu potentum, principum & magiſtratuum, qui prætextu auctoritatis & legis ſuæ manus iniecerunt ſeruis DEI, Apoſtolis eorumque diſcipulis, verbera & mortem intulerunt; vt habetur in Actis Apoſt. cap. 5. & alibi.

F. V. Qui inuitati venire noluerunt. 1. 2. 3.

Significant porrò iſti tria genera, hominum, qui communiter DEI nuptias ſpernunt. Primi eorum, qui ſectantur commoditates, delectationes & voluptates ſuas in eſu, potu, veſtitu, delitijs, conuiuijs, tripudijs, & ſimilibus vanitatibus. Atque hi eunt in villam ſuam, quam pro domo & loco recreationis habent. Miſeri & inſani, qui villanas & ruſticanas delectatiunculas præferunt regijs & cœleſtibus. Vt enim in villis omnia ſunt vilia, ſordida, rudia & inculta; domus luteæ, tecta ſtraminea, menſæ ſordidæ, cochlearia lignea, patinæ figulinæ, cibi crudi & inſipidi, lecti duri, veſtes laceræ, horti inculti, &c. quæ omnia nobilis aliquis contemnit: ita mundi huius delitiæ, villa ſunt reſpectu palatij cœleſtis. Secundum eorum qui diuitijs & lucris inhiant, de quibus pronunciat Apoſtolus 1. Tim. 6.

Myſticè. 1. 2.

Tim. 6. quod incidant *in tentationem & laqueum diaboli*; deſignati in mercatoribus. Multa enim peccata committuntur in mercaturâ: mendacia, iuramenta, periuria, fallaciæ, doli, inuidiæ in alios negotiatores ſimiles, neglectus dierum feſtiuorum, propolia ciuitatibus pernicioſa, &c. Tertium eorum, qui ex odio & pertinaciâ Chriſti nuptias ſpreuerunt & ſeruos Chriſti perſecuti ſunt: vti primis Eccleſiæ temporibus Iudæi, per annos circiter 40. donec è terrâ ſanctâ eijcerentur: poſteà gentiles per annos trecentos; denique hæretici, qui gentilium perſecutioni ſucceſſerunt, nec deſinent vexare Eccleſiam vſque ad mundi finem.

G. VI. Quæ pœna irrogata refractaris.

Q. Sexto. Quæ pœna irrogata refractarijs? Reſp. triplicem indicari: iram regis, perditionem rebellium, & incendum ciuitatis eorum. Has inprimis experti ſunt Iudæi, quibus Primo Devs poſtquam per annos ferè
1. 40. fruſtrà eos expectauit ad pœnitentiam, tandem iratus, ſubtraxit vultum gratiæ ſuæ, reprobando eos, in eorum locum vocando ad ſe gentes; quod Iudæis denunciatum eſt paulò ante excidium per ſtrepitum & vocem exeuntium è templo (Angelorum abſque dubio) ac dicentium: *Migremus hinc*, vt author eſt Ioſephus Iudæus *l.* 7. *de bello c.* 12. & Tacitus
2. *gentilis lib.* 5. *hiſt.* Deinde miſſis Romanorum exercitibus, Duce Veſpaſiano & Tito perdidit eos varijs modis, fame ſcilicet, peſte, gladio hoſtili & captiuitate. Sanè Ioſephus colligens interemptorum & captiuorum numerum (vt qui præſens facilè iniſſe potuit) ait: ***Captiuorum quidem omnium, qui toto bello comprehenſi ſunt, nonaginta & ſeptem millium comprehenſus eſt numerus: mortuorum verò per omne tempus obſidionis, vndecies centum millia.*** Addit idem, fuiſſe eo tempore (Paſchali) numerum eorum, qui puri erant, adeoque azymis veſci poterant, ad vicies centena & ſeptingenta millia. Reliquorum etiam ingens fuiſſe numerus debet. ***Tunc ergò***, inquit, ***velut in carcerem tota gens fato concluſa eſt, & farta hominibus ciuitas obſidebatur.*** Captiuorum alij ad opera damnati in Ægyptum: alij formoſiori corpore triumpho ſeruati & Romam abducti ſunt: plurimi robuſti per prouincias miſſi vt cum beſtijs pugnarent in theatris: qui infra 17. annum erant, venditi ſunt viliſſimo pretio, quòd deficeret eis annona, nec eſſent empto-
3. res. Ioſeph.lib.7.c.16. Denique ciuitatem eorum & metropolim Ieroſolymam ſuccendit: Nam inprimis cùm Titus turrim Antoniam propè templum oppugnaret, edixit quidem vt ne templum incendio vaſtaretur. Verùm ipſo abſente miles quidam ignem per feneſtram auream inſeruit, qui templum omne paulatim corripuit, & cùm Titus interueniens magnis clamoribus iuberet incendium reſtingui & parci templo, non potuit ob tumultum audiri: ſicque graſſans incendium nullâ potuit ope ſopiri: poſtmodum capta ciuitas & ipſa inflammata eſt, ſoloque proſtrata (tribus tantùm turribus, Phaſelo, Hippico & Mariamne, cum exiguâ parte muri exceptis) ita vt *qui ad vrbem poſteà acceſſiſſent, habitatam aliquando eſſe vix crederent*, inquit Ioſephus lib. 7. cap. 18.

H. VII. Quid ſignificat veſtis nuptialis? Charitatem.

Q. Septimò, Quid ſignificat veſtis nuptialis? Reſp. ſignificare charitatem, non autem fidem vel Chriſtum, vt volunt hæretici. Primò quia veſtis hæc deſideratur in eo, qui ad nuptias intrauit & cum alijs conſedit; ergo per fidem debuit iam intràſſe in Eccleſiam: qui enim fide carent, non veniunt ad nuptias, vti illi qui in prima & ſecunda legatione neglexerunt venire. Vnde S. Greg. *hom.* 38. *in* 1.
Euang. ait: ***Quid fratres chariſſimi exprimi per nuptialem veſtem putamus? ſi enim veſtem nuptialem baptiſma vel fidem dicimus, quis ſine baptiſmate & fide has nuptias intrauit? Eo enim ipſo foris eſt, quo necdum credidit.*** Et infrà: ***Qui ergo per charitatem venit ad homines, eandem charitatem innuit eſſe veſtem nuptialem.*** Secundò 2.
quia Rex vocat eum amicum. Non erat amicus per charitatem, erat ergò per fidem; qui verò & fide carent, nullâ ratione amici Dei ſunt. Vnde Greg. ibid. rectè ſic exponit: ***Amice per fidem, ſed non amice per operationem.*** Tertiò 3.
quia veſtis nuptialis geſtari à Chriſtiano etiam in alterâ vitâ debet; cùm ibi nuptiale conuiuium primùm ſolemniter incipiat: atqui ſola charitas manet nobiſcum in gloriâ: fides & ſpes euacuatur & deſinunt; comitantur nos ad portam regni cœlorum, non ingrediuntur nobiſcum: ſola ***charitas nunquam excidit***, 1. Cor. 15. Quartò quia pœna proportio- 4.
nari ſolet culpæ, Sap. 11. ***per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.*** Iſte autem ligatur manibus & pedibus, quia par charitatem operari noluit: mittitur in tenebras, quia dilexit peccatorum tenebras: mittitur ad locum fletûs, quia flere hic peccata ſua noluit.

Neque etiam imputatiua Chriſti iuſtitia dici veſtis nuptialis poteſt, vt volunt alij hæretici; quia veſtis adhærere conuiuæ debet; & potuiſſet alioquin iſte miſer dicere, ſufficire ſibi veſtem ſponſi, illius ſplendorem ſibi imputandum eſſe. Charitas ergò eſt nuptialis veſtis, quia veſtis inſtar inhæret nobis & adornat nos, facitque Dei filios: operit etiam ſeu delet multitudinem peccatorum: defendit contra frigus & æſtum tentationem, &c.

I. VIII. Cur vnus tantùm deprehenſus ſine veſte nuptiali.

Q. Octavò, Cur vnus tantùm deprehenſus ſine veſte nuptiali inter tot conuiuas? Reſp. Primo: per vnum hunc deſignari omnes eos, qui fidem ſine charitate & operibus habent. ***In hoc vno homine non veſtito veſte nuptiali***, inquit Auguſtinus lib. contra Donat. c. 2. ***grande quoddam corpus figurari omnium malorum ante Domini iudiciū conuiuio Dominico permiſſorum, &c.*** Secundo vt oſtendat Dominus 1.
ne vnum quidem in tantâ turbâ latere eum 2.
poſſe nec tutum eſſe, eò quòd vnus ſit; quia ***non intrabit*** in cœleſte conuiuium ***aliquid coinquinatum***; Apoc. 21. Coram hominibus vnus fortè inter multos latere poteſt, at non coram Deo. Tertio quòd quilibet peccator ita iram 3.
Dei portabit, ac ſi ille ſolus puniretur; nam ſocios

4 ſocios habere pœnarum nihil ibi proderit. Denique fortaſſis (non enim certum eſt hoc) indicat maiorem ſaltem Catholicorum adultorum partem (nam ſi paruulos poſt baptiſmum in innocentiâ mortuos ſimul computemus, non videtur dubitandum) ſaluandam; eò quòd plerique omnes in fine vitæ ſaltem ſuſcipiant Sacramenta, quibus expiati ſalutem conſequantur. *Superexaltat* enim *miſericordia Dei iudicium*, Iac. 2. hoc eſt, miſericordia vincit iuſtitiam. Ita ex Siluestro, Fr. Suarez *de DEO trino & vno*, *l.* 6. *c.* 3.

K. IX. Qua pœnâ plexus qui ſine veſte nuptiali deprehenſus.

1. Q. NONÒ, Quâ pœnâ plexus eſt, qui deprehenſus ſine veſte nuptiali? Reſp. Primo ligatum fuiſſe manibus & pedibus; quod indicat Primo eum more facinoroſorum in carcerem & vincula coniectum. Secundo ex mente Theophylacti, quòd poſt hanc vitam non ſit ampliùs poteſtas operandi aliquid, quo vel præmium vel pœnam mereatur. Tertio quòd inferi certo loco addicti & quaſi vinculis conſtricti ſint, ne queant ſe à pœnarum ſæuitiâ defendere manibus, aut pedibus effugere. Quarto quia bene operari cùm poſſent noluerunt, in pœnam conſtringuntur eis membra, quod non exiguum cruciatum gignit.

2. Secundò, Miſſum ſeu eiectum fuiſſe è conſeſſu conuiuarum, quod indicat Primo pœnam damni, quæ conſiſtit in priuatione gloriæ & omnium bonorum cœleſtium, paritéque in damnato immenſam triſtitiam, quando is conſiderabit ſe infinito bono & quidem in infinitum ſeu æternùm cariturum. Indicat Secundo cum ingenti impetu & horrore abijciendum à conſpectu DEI in locum à DEO & cœlo remotiſſimum, infernum ſcilicet.

Tertiò, Miſſum eſſe in tenebras exteriores; quod ſignificat Primò: infernum fore locum obſcuriſſimum, ſubterraneum, omniq́ue luce deſtitutum; niſi fortè in quantum ſuas & ſuorum pœnas damnati intueri debent. Secundo iuſtè eos puniri tenebris, qui lucem ſpiritualem & diuinam contempſerunt. Exterioribus verò; quia cùm tenebras internas habeat hîc peccator (dum inſtar noctuæ videt ſolùm externa & profana, ad interna verò & ſpiritualia, in ſeipſum & conſcientiam ſuam cæcus eſt) ideo patietur ibi tenebras externas, in quibus nihil videat rerum externarum, ſed internam tantùm ſtultitiam & confuſionem ſuam. 3.

Quartò, Fore ibi fletum & ſtridorem dentium, hoc eſt, gemitus, & vlulatus immenſos vnà cum externâ pœnâ ſenſibili. Fletus indicat ſummam animi triſtitiam ex apprehenſione ſummi boni amiſſi & ſummi mali contracti: ſtridor dentium ſummos corporis dolores ab igne & alijs pœnis externis. Cruciabitur ergo anima & corpus: illius cruciatus vermis, huius verò ignis vocatur à Domino: animæ dolorem fletus, corporis verò ſtridor dentium indicat. 4.

Tanto igitur & tam terrifico exemplo admoniti, enitamur, vt poſtquam iam ad nuptias filij DEI vocati ſumus, veſtem nuptialem nobis comparemus, ne alioquin in ſordidâ deprehenſi, idem cum iſto iudicium experiamur.

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Ioan. 4.

IN illo tempore: Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audiſſet quia IESVS adueniret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum vt deſcenderet, & ſanaret filium eius; incipiebat enim mori. Dixit ergo IESVS ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine, deſcende, priuſquam moriatur filius meus. Dixit ei IESVS: Vade, filius tuus viuit. Credidit homo ſermoni, quem dixit ei IESVS, & ibat. Iam autem eo deſcendente, ſerui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit, & dixerunt ei: Quia heri hora ſeptima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei IESVS. Filius tuus viuit. Et credidit ipſe, & domus eius tota.

CONCIONES.

I. *Fructus tribulationis.*
II. *Indicia atrocitatis pœnarum Infernalium.*
III. *S. Eucharistia neceſſaria morientibus.*
IV. *Extrema vnctio commendatur infirmis.*
V. *Præſcripta patris familias.*
VI. *Quomodo principes terræ mirabiliter ad fidem adducti ſint.*
VII. *Prodigia & miracula in mundi conuerſione exhibita.*
VIII. *Documenta Euangelica.*
IX. *Myſteria.*

CONCIO I.

Fructus tribulationis.

1. *Purgat à ſordibus iam contractis, contrahendis, à pœnis, peccatis, debitis.*
2. *Illuminat: videre enim facit quæ ſupra, infra, circa, & in nobis exiſtunt.*
3. *Perficit; quia diſponit ad virtutes, in ijſque progreſſum promouet, conſeruat & confirmat.*

THEMA.

Abijt ad eum, & rogabat eum, vt deſcenderet & ſanaret filium eius. Ioan. 4.

A. *Tribulatio mel in ore leonis.* IVdicum cap. 14. propoſuit Samſon in conuiuio problema: *De comedente exiuit cibus & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Quid ſibi vult hoc ænigma? Occiderat Samſon leonem in viâ ſibi occurrentem, poſtmodum regreſſus per eandem illam viam, reperit in ore leonis fauum mellis. Et hæc eſt ſolutio ænigmatis: mel ex ore leonis. Sed poſſumus nos myſtico ſenſu aliter ſoluere hoc ænigma & quidem ex hodierno Euangelio. Nónne ſæuus quidam leo, mors aut lethalis morbus? Cœperat hic filium reguli iamiam deuorare: *incipiebat enim mori* filius. Et tamen ex hoc leone egreſſa eſt dulcedo; quia filij percuſſio, patris fuit conuerſio. Dum comedit leo filium, pater abit ad Chriſtum, atque ita recipit filium & cum filio ſalutem; *credidit*, enim *ipſe & domus eius tota*. O leonem bonum! ô mel dulce! Si non intraſſet leo domum huius reguli, ipſa non crediſſet. Momordit ergò domum leo & mel in eam expuit, fidem & ſalutem. Sed non eſt ſolus Regulus, cui hoc boni contigit. Quoties aliqua tribulatio, fames, peſtis, morbus, mors &c. in domos noſtras intrat, leonem cernere videmur; ſed ſi poſteà ad illum cogitatione noſtrâ reuertamur, videbimus quod mel in ore gerat; fructum videlicet incomparabilem, quem nunc contemplabimur.

B. S. Dionyſius in lib. de cœleſti hierarchiâ, tria ponit opera hierarchica, quibus tota Eccleſiæ perfectio continetur & abſoluitur: *purgare, illuminare, perficere.* Quæ omnia præſtat inprimis tribulatio, eſtque præclariſſimum Dei inſtrumentum ad hæc peragenda.

I. PRIMÒ, Purgat: & primo à ſordibus iam contractis; quia facit hominem redire in ſe & poſteà à Deum. Ita prodigus filius fame perurgente *in ſe reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam igitur & ibo ad patrem meum*, &c. Luc. 15. Ita Ionas à facie Domini fugiens, in ventre piſcis demùm in ſe redijt, & orauit Dominum flebiliter, inter alia: *Cum anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum*, &c. Ion. 2. Ita v.g. adoleſcens, qui diu in flagitijs vixit, cùm incidit in morbum, vel conijcitur ob maleficia in carcerem, mox in ſe reuerti, & vocare ſacerdotem, confiteri ſua peccata & ſpondere emendationem omnibus votis incipit, ob metum partim temporalis, partim æternæ mortis. Quod quidem nunquam feciſſet, niſi in eam aduerſitatem deueniſſet. Hac ratione Abbas Moyſes timore mortis, quæ ei ob homicidij crimen intentabatur, impulſus, ad monaſterium cucurrit. Caſſian. *coll.* 3. *cap.* 5. Ita ad frugem conuerſus S. Ephrem, poſtquam in carcerem coniectus & pœnis ſubiectus fuit, vti ipſe de ſe ſcribit, & nos alibi diximus. Refert Augegerius Busbequius Cæſ. Ferdinandi I. legatus ad Turcam epiſt. 1. ſe cùm in Aſiâ proficiſceretur ad Imperatorem Turcarum, propè fluuium Halym, conſpectum hominem ruſticanum interrogaſſe, num is fluuius piſcibus abundaret & quemadmodum caperentur: reſpondit ille, piſcium eſſe ſatis, ſed capi non poſſe, quòd nimirum ſiquis manum inijcere conetur, illi ſe proripiant, neque captantem expectent. Quo cum riſu audito, quidam ex eius ſocijs rete, quod ſecum habebat, ad piſcationem expediuit, & multos piſces cepit, Turcis, qui aderant, Chriſtianorum induſtriam ſummoperè mirantibus. Certè Dominus Deus ſæpe ſapiùs extendit manus ſuas liberaliſſimas ad capiendas hominum animas; ſed illi piſcium inſtar fugiunt piſcantem, nec capi ſe patiuntur. Vt bene dixerit Abacuc cap. 1. *facies homines quaſi piſces maris.* Quid igitur facit Deus? expandit rete tribulationis ſuper illos, veluti famem, peſtem, bellum, & ſimilia, ſicque vel nolentes includit & ad ſuum obſequium trahit. Teſtatur hoc Ieremias in perſonâ Ieruſalem, Threnor. 1. cùm ait: *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis* (ſcilicet ad excoquendum & purgandum me) *& erudiuit me: expandit rete pedibus meis*, (Chaldæos ſcilicet quaſi venatores) *conuertit me retrorſum.* Idem expertus fuit Ionas, qui cùm fugeret Dei mandatum, cepit illum Deus in mari, & ventri ceti incluſum reduxit, ad exequendum munus ſuum, in Niniuen ciuitatem, Ioan. 1.

Tribulatio purgat.

1. *A ſordibus iam contractis*

2. *A pœnis, quæ peccatis debentur.* Secundò à pœnis quæ peccatis debentur, ſi non prorſus, at magna ſaltem ex patre. Quemadmodum enim purgat tribula triticum à paleâ: ita tribulatio animam à materia combuſtili, quæ ſunt pœnæ exſoluendæ in purgatorio. Hinc tribulatio dicta eſt à tribulâ, quâ ſegetes tribulantur & triturantur, vt grana à paleâ excutiantur: tribula

bula verò à terendo, quia ſegetes terendo granum excutit. Si adhæſerit tibi palea reatûs alicuius, vrêris in purgatorio: Si ab eâ hic purgeris, non erit quod ibi in te ardere poſſit, ſed illicò in horreum Dei colligeris ad cœli ciues. Hinc Deus populum ſuum Iſraël, quem plagis emendare ſolebat, vocat *trituram ſuam & filios areæ ſuæ*. Iſa. 21. *Tritura mea, & filij areæ meæ.* Quare maximum beneficium eſt, tribulari hîc à Deo. *Si aurum es*, ait Auguſtinus de tempore Barbarico cap. 3. tom. 9. *quid times ignem? Si frumentum es, quid times tribulam? non apparebis, qualis anteà eras in ſpicâ, niſi tribula conterendo à te ſeparauerit paleas. Si oleum es: quid times preſſuram prali? non declarabitur ſpecies tua, niſi etiam pondus lapidis à te ſeparauerit amurcam.* Sic ille.

3. *A ſordibus peccatorum fortè contrahendis.* Tertiò, A peccatorum ſordibus contrahendis, quia exercet hominem, ne otio diffluat & voluptatibus ſe dedat: atterit etiam carnem eius, & compingit in caueam beſtiam illam ferocem, concupiſcentiam, ne nobis noceat & in varia ſcelera nos abripiat. Quemadmodum enim Romani, quamdiu à Carthaginenſibus, hoſtibus ſuis, exercebantur & agitabantur, tamdiu bellicoſi & ſtrenui fuere; poſtquam verò ex Catonis conſilio, nequicquam reclamante Scipione, Carthaginem deleuerunt, nimio otio & proſperitate diſſolutiores facti, non tantùm vitijs ſe inquinârunt, ſed inteſtinis etiam odijs & bellis ſemetipſos grauiùs vulnerârunt, quàm priùs ab hoſtibus vulnerarentur. Auguſt. *lib. 1. de ciuit.* 30. Ad hunc modum quamdiu nos Deus vexat excurſionibus militum ſuorum, famis, belli, peſtis, morbi, inopiæ, grandinis, &c. tamdiu nobis attendimus & à voluptatibus & vitijs abſtinemus. Vbi verò ceſſat nos vexare, inde peiores ſimus. Ipſa noſtra concupiſcentia, niſi coërceatur, quaſi equus eſt indomitus, ducens nos ad interitum, iuxta id Ier. 8. *Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Quid igitur remedij? Id, quod Ioſue olim precipit Deus, Ioſ. 11. *Equos eorum ſubneruabis.* Subneruat igitur Deus hunc equum noſtrum fame, morbo, peſte, &c. Tùm incipit ſiſtere vel claudicare equus: tùm ceſſant commeſſationes, aleæ, choreæ, libido, &c. vti apparet cùm fortè peſtis vrbem aliquam corripuit. Quàm omnia ibi ſunt quieta? Nullæ choreæ, nulli clamores, nulla conuiuia, nulla pompa, nullæ ferè lites, nullum aut exiguum auaritiæ ſtudium. Vnde hoc? niſi quia mortis chorea, choreas alias ſuſtulit & virgas Aaronis (Dei) alias magorum virgas deuorauit? Quare ſicut non doleres, ſiquis cadentem te in puteum, pede apprehenderet, & eriperet, licet interim pedem, quo te extrahit, fortè luxaret: ita beneficij loco reputandum eſt, ſi per temporales plagas eripiamur à lapſu illo profundo in puteum infernalem.

C. II. Illuminat. SECVNDO, Illuminat. Id quod optimè repræſentatur felle illius piſcis, quem ope & hortatu Angeli cepit Tobias; cui dicebat angelus: *Tolle tecum ex felle piſcis, erit enim neceſſarium*, Tob. 11. Eo igitur felle illuminauit Tobias patris ſui oculos, qui ex hirundinum ſtercore fuerant cæcati. Quid hirundinum ſtercora, niſi mundi blanditias, honores, opes, voluptates repræſentant? his verò excæcatur homo, nec niſi per tribulationem ſeu earundem rerum ſubtractionem illuminatur, veluti per contemptum, infamiam, paupertatem, famem, morbum, peſtem, &c. vti primi parentes cùm ſpoliati fuerunt iuſtitiâ originali, tùm primùm cognouerunt ſe eſſe nudos. Vnde S. Gregorius dixt: *Oculos quos culpa claudit, pœna aperit.* Sed quid videre facit? Primo ea quæ ſupra nos, Deum & Sanctos. 1. *Videre facit ea quæ ſupra nos.* Qui enim tempore proſperitatis Deum obliuiſcuntur & ſanctos eius, tempore tribulationis reminiſci & ad eos recurrere ſolent; ſerò eruditi, quòd in ſolo Deo & ſanctorum patrocinio refugium inueniatur. Ita Hebræi rebus proſperis ad Idola declinârunt: rebus verò triſtibus ad Deum verum redierunt, vt videre in libro Exodi & Iudicium. Idem patet in hodierno regulo, qui ad Chriſtum non veniſſet, niſi tribulatio vrſiſſet. Ita enim ſcribit Lactantius in lib. de orig. erroris cap. 1. de gentibus: *Nunquam Dei meminerunt*, inquit, *niſi dum in malis ſunt. Poſtquam metus deſeruit, & pericula receſſerunt, tùm verò alacres ad Deorum templa recurrunt, his libant, his ſacrificant, hos coronant; Deo autem quem in ipſâ neceſſitate implorauerant, ne verbo quidem gratias agunt.* Ita Iulianus Apoſtata, cùm intuitu ſpectrorum, dum necromantiæ operam daret, iteratò percelleretur, iteratò ad crucem, Chriſtianorum clypeum, fugit, eam fronti ſuæ imprimens: quod alioquin in æternum non feciſſet. Gregor. Nazianz. *orat. in Iulian.* Ita communiter homines alij, *ſiqua neceſſitas grauis preſſerit* (vtor verbis Lactantij, ſuprac.) *tunc Deum recordantur, ſibi belli terror infremuerit, ſi morborum peſtifera vis incubuerit, ſi alimenta frugibus longa ſiccitas denegauerit, ſi ſæua tempeſtas, ſi grando ingruerit, ad Deum confugiunt, à Deo petitur auxilium, Deus, vt ſubueniat, oratur.* Taceo, quòd tunc agnoſcitur Dei potentia, qui quantumuis robuſtos, potentes & magnos facillimè premere & deprimere poteſt. Dei iuſtitia, qui peccata tandem punit pro merito. Dei miſericordia, qui etiam cùm iraſcitur, miſericordiæ recordatur, & *dat niuem ſicut lanam,* Pſalm. 147. hoc eſt, non ſimul totam deijcit; vt nos & noſtra opprimat, ſed per modum lanæ eam quaſi carminat, vt ſenſim & ſuauiter ad nos defluat; quod idem cum tribulatione facit: non ſimul imponendo grauiorem, ſed ſuauiter & per vices.

2. *Ea quæ infra nos* Secundò, Ea quæ infra nos, infernum & purgatorium. Cùm enim dentium, capitis, oculorum aut renum doloribus cruciamur, dicimus aut cogitamus: DEVS bone, quid erit purgatorij aut inferni pœna, ſi vnius membri dolor breuî duraturus, inter tot remedia & ſolatia, adeò affligit? quid erit abſque omni

omni ſolatio, & ſpe redemptionis cruciari in interno, omnibus in membris, ſenſibus, potentijs?

3. *Ea quæ circa nos.* Tertiò, Ea quæ ſunt circa nos, mundum & quæ in eo ſunt. Mundum quidem vix agnoſcimus proſperis in rebus; quis amicus, quis inimicus ſit; quis triticum, quis palea. Sed vbi hæc ventilabro tribulationis fuerint ventilata, ibi demùm agnoſcimus, quis amicus noſter & Dei ſit, quis non ſit. Triticum perſiſtit, paleæ verò auolant. Deinde quæ in mundo ſunt bona, parum valde agnoſcimus; quia aut nimio ea æſtimamus, aut per ingratitudinem non tanti æſtimamus, quanti deberemus. Vel enim ijs nimio amore adhæremus, quaſi æterna forent, & nos facere beatos poſſent; & tunc oſtendit tribulatio, quàm ea ſint caduca, quàm infirma, quàm vana, quàm baculus arundineus. Quot enim qui ex ſummis honoribus, opibus, voluptatibus repentè deiecti, ad infamiam, mendicitatem, & quandoque etiam atrocia ſupplicia detracti ſunt? vel nunquam cogitamus, vnde ea bona habeamus, & Deo ingrati ſumus; quare aufert ea tribulatio, & tunc oculos aperimus ac dicimus: ô quantum bonum eſt ſanitas! quàm pulchra parſimonia! quàm iucunda pax! quàm benè nobis fuit antequam expoliaremur, cùm adhuc cellæ & horrea noſtra plena eſſent!

4. *Ea quæ in nobis.* Quartò, Ea quæ in nobis ſunt: infirmitatem, cæcitatem, inconſtantiam, defectus & peccata noſtra. Quàm multa enim cum Petro præſumptuosè proponimus, quæ aduerſitate aduentante obliuiſcimur Chriſtum negantes? Quàm cœci ſumus in defectus noſtros, quos niſi per tribulationis perſpicilia non videmus? Fratres Joſephi non priùs agnouerunt peccatum ſuum in eum perpetratum, niſi poſtquàm ab eodem licet ignoto anguſtiati & afflicti ſunt. Tunc demùm dicere cœperunt: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum minimum*, Gen. 42. Similiter Antiochus ille impius lethali morbo percuſſus: *Nunc reminiſcor malorum*, inquit, *quæ feci in Ieruſalem. cognoui ergo, quia propterea inuenerunt me mala iſta*, 1. Mach. 6. Ita filius prodigus fame afflictatus in ſe redijt, dicens: *Pater, peccaui in cœlum & coram te, &c.* Luc. 15. Denique obtrectatores noſtri ſæpe oſtendunt nobis peccata, quæ ipſi in nobis non agnoſcimus. Sic teſte B. Auguſtino lib. 9. Confeſſ. cap. 8. B. Monica eius mater, *cùm à ſuis coætaneis adhuc paruula meribibula vocaretur, hoc conuitio excitata illud vitium totâ poſteà ætate correxit.* Eadem de cauſa Macedonum Rex Philippus lætabatur ſibi infeſtos eſſe Athenienſes, eò quòd ex eorum criminationibus in ſuorum vitiorum notitiam veniret, & vt eos mendaces redderet, corrigebat. Plut. lib. de vtilit. capiend. ab inimicis.

D. III. Perficit. Tertiò, Perficit, quia ad finem, cuius gratiâ conditi ſumus, nos perducit. Et Primò diſponit ad omnes virtutes & gratiam ampliorem. Vnde Apoſtolus ad Romanos 5. ait: *Tribulatio patientiam operatur.* Hoc ipſo verò quòd hominem reddit patientem, facit etiam obedientem ad omnia. Sicut enim ſylueſtres aues cicurantur caueâ, equi indomiti fræno, canes loro: Sic homo aliàs incompoſitus & indomitus, fit mitis, patiens, flexilis, Deóque obediens, tribulatione mediante. Videmus ſæpe ægrotos, priùs feroces tandem planè mitigari, & omnia patienter ferre; homines item iracundos, homicidas, raptores, latrones in carceribus edomari, & ſiquando ad ſupplicium educuntur, ad pœnas ſibi decretas per omnia ſe volentes & obedientes exhibere. Patientia eſt velut terra fructifera, tribulatio velut aratrum. Quando ergò hæc illam arat & exercet, tum patientia vberes fert fructus. Pulchrè etiam B. Antiochus hom. 78. ait: *Sicut cera niſi recaleſcat aut præmolliatur, non facilè in ſe recipit ſigilli impreſſionem: ita & homo niſi laborum & multifaria infirmitatis probetur exercitio, nequiquam ſinet inſigniri ſe ſignaculo diuinæ gratiæ.* Sanè *pauperem Lazarum prouexit ad Philoſophiam paupertas, ad virtutem dolor, contemptus ad patientiam*, inquit Petrus Chryſologus *ſerm.* 124. Quis ita ſubegit hunc mendicum, vt ab omnibus deſertus famem & vlcera ſua tam patienter ferret, neminique malediceret, etiam auaro diuiti, tandemque Angelorum manibus ad cœlum efferretur? Paupertas vtique & tribulatio. Notiſſima nobis auicula eſt emberiza flaua, quæ per æſtatem quidem in ſyluis & campis moratur, vbi ſpretâ quaſi hominum amicitiâ canit: **Edl/ edl/ edl bin ich/** nobilis ego ſum (ſicut vulgò cantum eius interpretamur) vbi etiam capi non facilè ſe patitur; at vbi hyems venerit, & niue omnia cooperta ſunt, tum ad ædes noſtras & plena horrea aduolat, nec iam nobilitatem ſuam canit, ſed acciſâ & humili voce in amicitiam noſtram ſe inſinuat, quaſi dicat: **Vetter/** amice. Adhæc tam cicur efficitur, vt propè accedentes non fugiat magnoperè. Quis hanc auem, quæſo, adeò edomuit, vt ſuâ quaſi exutâ naturâ & cantilenâ, aliam indueret, niſi hyems aduerſitatis? Hæc quotidie ferè ante oculos noſtros cernimus, & interim non expendimus, quòd hunc ipſum ludum ludat nobiſcum Deus. Quàm multi tales nobiles proſperitatis tempore reſident in ſuis arcibus & dominijs, faſtu & tumore pleni, iactantes ſuam nobilitatem & diuitias! At vbi eos apprehendit hyems aduerſitatis, ibi ad inferiores etiam ſe demittunt & appellant amicos, quos prius non agnouerant. Quàm multi cicurantur egeſtate, qui in diuitiis poſiti fuêre duri & feroces.

1. *Diſponit ad virtutes.*

2. *Promouet ad progreſſum in virtutibus.* Secundo, Promouet & impellit ad progrediendum in virtutibus, & ad amorem Dei, dum eâ, quæ in mundo ſunt, bona aut interdicit, aut amare facit. Vnde S. Gregorius lib. 23. Mor. cap. 15. *Viatorum greſſus*, inquit, *tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo ſuis ad ſe pergentibus Dominus huius mundi iter aſperũ facit, ne dum quiſque vitæ præſentis requie, quaſi amœnitate viæ paſcitur, magis ad eum diu pergere,*

quàm

quàm citiùs peruenire delectet. Nemo ſe diu detinet in itinere, quod latronibus eſt obſeſſum, aut deſertum. Vbi amœnitas, vbi multa hoſpitia, vbi omnia vili pretio offeruntur, ibi detinent ſe viatores. Sed quid ſunt mundi delitiæ, niſi ſtercora? & diuerſoria, niſi ſtabula? Itaque Deus per tribulationem docet nos amare meliora: *ne viator tendens ad patriam, ſtabulum pro domo diligat*, inquit S. Auguſtinus *in ſent. ſent.* 186.

3. *Conſeruat in virtute & gratia.* Tertio, Conſeruat & confirmat in virtute & amore Dei, veluti pondera columnam. Solis æſtus facilè detrahit pallium viatori, ſed non item frigidus aquilo; imò eo flante magis it aptat corpori viator, ſeque eo inuoluit. Ita proſperitas ſæpè ſpoliat hominem gratiâ & charitate Dei, dum ei ianuam aperit ad ſolatia externa & temporalia. Aduerſitas verò hominem quaſi includit, vt non poſſit, etiamſi velit, effundere ſe ad temporalia commoda & voluptates.

Denique hæc ipſa cœli clauis eſt, quâ porta cœleſtis referatur, vt teſtantur Apoſtoli Actor. 14. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Hac claue Chriſtus ipſemet ad ſuam gloriam aditum ſibi patefecit: *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*, inquit ipſe, Luc. 24. Errant igitur, qui quos affligi & varijs tribulationibus exerceri vident, peiores exiſtimant alijs hominibus. Hunc enim errorem corrigit in Iudæis Chriſtus Luc. 13. cùm ait: *Illi decem & octo ſupra quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos: putatis, quia & ipſi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ieruſalem? Non dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Incolæ Melitenſes improbum & homicidam iudicabant eſſe Paulum Apoſtolum, quòd viderent viperam inuaſiſſe eum, & pendere ex eius manu, *Actor.* 28. Similiter amici Iob, detrahebant eius innocentiæ, quòd viderēt eum tam multis plagis tactum. Sed errârunt hi & illi. Rectiùs ſenſiſſent, ſi Dei filios iudicaſſent, quos à patre ſic caſtigari viderant. Quare potiùs *omne gaudium exiſtimate fratres*, ait Iacobus, *cùm in tentationes varias incideritis*, &c.

CONCIO II.

Indicia atrocitatis pœnarum infernalium.

1. *Indicat hoc Chriſtus* Luc. 23.
2. *& 3. Beati & Sancti dum in mundo vixerunt.*
4. *Indicant reorum ſupplicia.*
5. *Ipſi Ethnici.*
6. *Damnati, dæmones, & infernus ipſe.*

THEMA.

Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Ioan. 4.

A. REfert Giraldus Cambrenſis *in ſuâ Topographiâ*, apparuiſſe repentè Inſulam in mari, quod Hyberniam vndequaque alluit; cumque ad eam iuuenes quidam nauigio contenderent, & exſcendere in eam vellent, Inſulam refugientem aliò ſe tranſtuliſſe. Quòd cùm ſæpiùs fieret, inſtructi à ſene iuuenes, præſtigias ſubeſſe, ignem porrò valere contra eiuſmodi phantaſmata. Edocti hoc modo iuuenes igneam ſagittam eiaculati ſunt in Inſulam, quo facto repentè conſtitit & inhabitari cœpit, quæ ex hoc euentu *Inſula fugitiua* dicta eſt. Quid aliud eſt cor hominis, niſi *Inſula fugitiua* in hoc turbulento mundi mari? Quoties ſerui Dei quærunt Inſulam iſtam & ſibi & Deo ſedem ſtabilem facere? Verùm inſtabile eſt cor hominis & fluctuans cogitationibus refugit ab ijs, qui eius ſalutem quærunt. Quid igitur remedij? Inſpirat Deus ſuis, vt igneas ſagittas, plenas comminationibus æternæ damnationis iaciant in cor hominis: ſic fore vt dent manus, ſeque inhabitandos præbeant. Sanè in hodierno Euangelio poſtquam Deus igneam quaſi ſagittam æſtuantis febris miſit in domum Reguli, & vulnerauit eius filium, venit ille ad Chriſtum, procidit ante eum, & credidit cum domo ſuâ. Quod ſanè nunquam feciſſet, adeoque ſuam domum Chriſto inhabitandam nunquam præbuiſſet, niſi febris illa filium occupaſſet. Propterea ei dixit Dominus: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.* Quod quidem omnibus nobus dicitur.

Audiuimus ante octiduum multa horribilia de pœnis inferorum. Sed vereor, ne multorum corda fluctuent adhuc & fugiant, quia fortaſſe iacula illa ignea non fuerunt, dum ſignis & prodigijs inſtructa non fuerunt. Addamus ergo ſigna, quæ inducant animum ad facilius credenda ea, quę ibi diximus.

PRIMÒ, Interrogemus Chriſtum: Quod ſignum nobis oſtendis, Domine, pœnarum inferarum? Reſpondet nobis Lucæ 23. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quod fiet?* Vult dicere: Si ego Dei filius ob alienam culpam, totus innocens talia & tanta perferre ex decreto diuinæ iuſtitiæ debui: quæ pœna manebit reprobos, qui lignum aridum, inutile & igni debitum ſunt ob peccata propria? Cogita Chriſti ſupplicia, contumelias, dolores externos, internos. Cogita vel ſolam crucem, & quæ in eâ tormenta pertulit, clauorum fixuram, crucis erectionem & quaſſationem, nuditatem, defatigationem, ſitim, membrorum adſtrictionem, conſpectum matris, contumelias & blaſphemias, mortem denique violentiſſimam. Et ſi huiuſmodi crux parata eſſet inferis, non tibi videtur pœna hæc ſufficiens, imò intoleranda? Sed nihil iſtud eſt; quia *ſi in viridi hæc* fecerunt, *in arido quid fiet?* nec adduci poſſum, vt credam non fore atrociorem pœnam illorum, qui ſuiſmet ſceleribus Deum irritârunt, quàm illius qui ex merâ charitate aliena in ſe ſuſcepit, vt DEVM nobis placaret. B. I. Indicat Chriſtus.

C. II. Indicant beati. SECVNDÒ, Interrogemus Beatos: Quod nobis ſignum datis? Reſpondebunt iuxta id *Luc.* 6. Menſuram bonam, confertam & coagitatam

gratiam accepimus in ſinum noſtrum. Itaque credendum, talem etiam in contrario fore menſuram inferorum, hoc eſt, longè maiorem, quàm ſit menſura pœnarum præſentis vitæ. Tametſi enim Sancti præmiantur vltra condignum, damnati plectuntur citra condignum, ex ſententiâ Theologorum, magnam tamen inter vtroſque ſeruandam proportionem ratio perſuadet; quia quàm illi bene, tam iſti malè vixerunt. Quod ſi Dauid improbis imprecatus eſt Pſal. 78. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum*: contingit hoc ſanè illis, ſaltem in inferno. Et quemadmodum de beatis Pſal. 35. dixit idem Sanctus: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ*; qui videlicet beatis vitam & gaudia ſumma iugiter inſtillet: ita de inferno prophetat Iſaias cap. 32. *Præparata eſt ab heri Topheth:* (Chald. *gehenna*) *nutrimenta eius ignis & ligna multa; flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Ergo quod eſt torrens voluptatis ſuperis, hoc eſt torrens ſulphuris inferis; quod eſt beatis Ieruſalem cœleſtis, hoc eſt damnatis Topheth. Topheth enim locus erat in valle Ennon, non procul à Jeruſalem, vbi parentes filios ſuos crudeliſſimè immolabant & cremabant Idolo Moloch. Si hoc fecère parentes liberis ſuis, à quibus nihil offenſi erant: mirabimur, ſi hoc & grauius quid faciat Deus mancipijs ſuis, à quibus toties & tam atrociter offenſus fuit?

D. III. Indicant Sancti huius vitæ.

Tertiò, Interrogemus Sanctos, dum in mundo vixerunt: Quod ſignum oſtenditis nobis? Reſpondebit inter alios ſanctus Hieronymus ep. 22. ad Euſtochium: *Ille ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere damnaueram, ſcorpionum tantùm ſocius & ferarum*; aſperrimam intellige, in quâ vixit, ſolitudinem. Idem reſpondebunt alij Sancti, qui vt effugerunt gehennam, in ſeipſos ſæuierunt, carnem ſuam cum concupiſcentijs crucifixerunt, ſeipſos in ergaſtula & vaſtiſſimas eremos incluſerunt. Quod ſi non horrendum foret incendium gehennæ, tanta forſitan illi non egiſſent & tuliſſent. Audi ergò Ieremiam contra impiam Idumæam detonantem cap. 49. *Hæc dicit Dominus*, inquit, *ecce quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent; & tu quaſi innocens relinqueris? non eris innocens, ſed bibens bibes.* Vult dicere: pij & innoxij non effugerunt captiuitatem: & tu impia Idumæa non bibes eundem calicem? omninò bibes, & ad fæcem vſque exhauries calicem iræ Dei. Cogita calicem martyrij & pœnitentiæ, quem biberunt Sancti. Si eum tam amarum propinauit Deus amicis ſuis, qualem in inferno propinabit hoſtibus? Cogitâ morborum varia genera, quæ ſæpe cum vno & iuſto homine diutiſſimè conflictantur. Franciſcus Borgias Soc. Iesv, cùm febri æſtuaret: *Hic*, ait, *conijce Franciſce, quanta ſint inferorum flammæ.* Refert Cornelius à Lap. in Iſai cap. 32.

E. IV. Indicant reorum ſupplicia.

Qvartò, Interrogemus illos, qui ob ſua ſcelera plexi ſunt ab hominibus, & plectuntur adhuc indies. Reſpondet illorum loco S. Chryſoſtomus hom. 49. ad pop. Antioch. *Nónne videmus terrenos milites Principibus ſeruientes, quomodo criminoſos trahunt, quomodo ligant, quomodo radunt coſtas, quomodo faces tormentis adhibent? ſed hæc omnia ludicra & riſus ad illa ſupplicia. Nam & temporanea ſunt hæ pœnæ: illic verò nec vermis moritur, nec ignis extinguitur.* Videamus pauca exempla. Dauid capta ciuitate Rabbath, ciues eius adducens ſerrauit & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diuiſitque cultris, (2. Reg. 12.) ita vt diſſecarentur & contererentur, 1. Par. 10. Gedeon contriuit viros Soccoth cum ſpinis deſerti & tribulis, Iudic. 8. Sed præ omnibus miſerabile & inauditum ſupplicium fuit Andronici Comneni Imp. Orientis, qui cùm Alexium Imp. adhuc puerum ſtrangulaſſet, vt ipſe imperio potiretur, miſerandum in modum punitus eſt, quemadmodum ſcribit Nicetas Choniates lib. 2. his verbis: *Duabus grauibus catenis ferreis collo iniectis, & compedibus oneratus ad Iſaacium perductus, contumelioſis verbis exceptus eſt, alapa ei impacta, nates pulſatæ, barba vulſa, dentes excuſſi, capilli euulſi, deinde publicè omnium ludibrijs expoſitus, etiam à mulieribus pugnis caſus eſt, ac præciſâ dexterâ in carcerem coniectus, ſine cibo, ſine potu, ſine vllo cuiuſquam officio. Poſt aliquot dies altero oculo effoſſo, ſcabioſo camelo impoſitus per forum triumphi ſpecie traductus eſt, caluâ glabrâ inſtar aridæ quercus & ouo nudiore ac breui tuniculâ tectus: quem petulantiſſima plebs & circumforanea ſordida turba, nullâ ratione habitâ, quòd is nudiuſtertius Imperator, regio diademate ornatus, ab omnibus laudatus, celebratus, adoratus eſſet, quodq́; ſanctiſſimo iureiurando fidem ſuam & beneuolentiam erga illum teſtati eſſent; efferatis animis in eum ruentes, nihil mali prætermiſerunt, quo non eum afficerent. Alij clauas in caput impegerunt, alij ſtercore nares fœdarunt, alij ſpongias excrementis hominum & pecudum conſpurcatas in faciem expreſſerunt, alij verubus latera pupugerunt. Impudentiores quidam lapidibus coniectis, rabidum canem appellârunt. Scortum quoddam ollam feruenti aquâ plenam, è culina raptam, in faciem effudit. Nemo denique erat, qui is malè ei faceret. Ac demum ita ignominioſè in theatrum perductum, ac miſero illo camelo detractum iuxta duas columellas, quibus supernè lapis incumbebat, pedibus ſuſpenderunt fune alligatis. Qui tot mala perpeſſus, & alia ſexcenta, tamen generoſo animo ea perferens, nihil aliud dicebat, niſi, Domine miſerere; & ad populum: Quid calamum contritum infringitis? ſed dementiſſima turba ne ſuſpenſo quidem parcens, direptâ tuniculâ virilia eius vexauit, & quidam longum enſem per fauces vſque ad inteſtina adegit: duo verò Latini generis, enſes ambabus annixi manibus in nates adegerunt, vt periculum facerent vter eſſet acutior. Poſt tot ærumnas & clades ægrè vitam abrupit, dextera cum dolore ad os admota, vt multi putarent, eum calidum ex ea ſanguinem, ob recentem plagam adhuc deſtillantem exugere. Aliquot verò diebus interiectis, inde detractus in theatri fornicem quendam, vt beſtia proiectus iacuit, donec quidam humaniores in alium locum tran-*

tranſtulerunt: : quam tamen Iſaacius non permiſit ſepeliri. Hæc Nicetas. Quod ſi tantus Princeps & pœnitens quidem tam atrociter hîc punitus eſt: quid putatis, fiet impœnitentibus in inferno? terribile etiam crudelitatis ſpectaculum edidit Lyſimachus in Teleſphoro Rhodio amico ſuo, quem *decurtatum*, Seneca lib. 3. de ira cap. 17. *cum aures illi naſumque abſcidiſſet, in cauea velut nouum animal aliquod & inuſitatum diu pauit, cùm oris detruncati mutilatique deformitas humanam faciem perdidiſſet. Accedebat fames & ſquallor & illuuies corporis, in ſtercore ſuo deſtituti, calloſis ſuper hæc genibus manibuſque, quas in vſum pedum anguſtia loci cogebant. Lateribus verò attritu exulceratis, non minus fœda quàm terribilis erat forma eius viſentibus!* Atque hunc in modum tractant homines ſe inuicem, ac ſæpe præter culpam. Quid mirum, ſi in reprobos omnia dira meritos, ſimili vel acerbiori modo ſæuiat Dei iuſtitia?

F. V. Indicant Ethnici.

QVINTÒ, Interrogemus Ethnicos: iſti enim dicent tibi: ſibi ex parte cognitas inferorum pœnas; ſiquidem de iis varij ſcripſerunt, (vt Virgilius *lib.6. Æneidos.* Propertius *lib.2.* & 4. Tibullius *lib.1.* Ouid. *lib. 4. Metamorph.* & alibi, Horatius, Seneca) doctrinæ Chriſtianæ conformia. v. g. Tantalum apud inferos perpetua ſiti ac fame torqueri, aquis & pomis ori imminentibus, quæ non poſſit arripere, quod aliud non ſignificat, niſi famem & ſitim inferorum intolerabilem, inhiantiſſimam. Siſyphum perpetuò voluere ſcopulum ad montis verticem & reuoluere relabentem dixerunt; quod interminabilem pœnarum reuolutionem ſignificat. Ixionem Theſſalum rotâ perpetuâ volui aiebant, eadem ſignificatione. Titium ob ſuum ſcelus ita mulctatum, vt renaſcentes eius fibras iecurque vultur dilaniet, quod ſanè vermem damnatorum corda ſemper rodentem & nunquam morientem oſtendit. Plutarchus *lib. de ſerâ numinis vindicta*, quendam aſſerentem inducit, homines teterrimos ſcelerumque maculis notatiſſimos poſt mortem in obſcurum quendam & qui referari nequeat, locum intrudi. Socrates apud Xenocratem ait, impij animum in occultum ſub terra locum migrare, & regionem illam æneis catenis vndique vinciri. Conſtabat ergo & gentiles, infernum eiuſque intolerabiles pœnas reprobos expectare.

G. VI. Indicant ipſi inferi.

SEXTÒ, Interrogemus Inferos ipſos, Reſpondebunt primò damnati omnes vno ore cum illo Epulone: *Quia crucior in hâc flammâ*; & cum illo tinctore apud S. Gregor. *lib. 4. Dialog. cap. 54.* qui ſepultus in templo S. Laurentij noctu è ſepulchro clamauit: *Ardeo, ardeo.* Cuius ſepulchrum cùm inſpiceretur, veſtes eius viſæ ſunt, ſed corpus non inuentum. Plures de hâc re viſiones ſcribit S. Gregorius *in Dialog.* veluti *lib. 4. cap. 31.* vbi narrat Reparatum vidiſſe parari cuidam ſcelerato rogum, cuius cacumen in cœlum porrigi à terrâ videbatur.

1. Dãnati.

2. Dæmones.

Reſpondebunt ſecundò dæmones, ſe huius rei teſtes coactos quidem, ſed veros ſæpiùs fuiſſe. Scribit ante annos 400. Cæſarius *lib. 13. cap. 5.* de nobili quodam Walthero, qui cùm decumberet in villâ Endenig prope Bonnam ad Rhenum, vidit ſecus lecticam ſuam diabolum ſtantem caprinis cornibus & ſimiæ facie: ex quo quantus eſſet infernalis ignis æſtus, percontabatur. Reſpondit diabolus: *Noſti arces illas in vicino ſeptimontio dictas VVolckenberg & Drakenfeld? Quo annuente ſubdit dæmon: Etſi arces hæ & montes ferrei eſſent, proiecti tamen in infernum, momento citius liqueſierent, quantumlibet magni ſint, alti & lati.*

Patres Societatis Hiſpani, oculati teſtes Romam perſcripſerunt anno 1604. (quòd in litteras annuas Collegij Huetenſis Prouinciæ Toletanæ relatum eſt) dæmonem per energumenam, concionem ſibi à Deo impetratam habuiſſe ad circumfuſam multitudinem, quâ eius peccata coarguebat, ac inter alia dicebat: *Me ex cœli vertice ad baratrum deiecit peccatum, & vos vllum in terra locum tutum exiſtimabitis? Eundum igitur vobis erit, niſi caueatis, cum inferis Sathan ad ſulphur, ad ignem, ad pontem, ad caſtellum, ad fluuium, ad rotundam domum.* Quibus verbis vtique varia tormentorum & genera & loca in gehennâ ſignificabat.

3. Infernus ipſe

Reſpondebit denique infernus ipſe: Videte ora mea ſeu caminos incendij mei Veſuuium & Æthnam, illum in Campaniâ, iſtum in Siciliâ, perpetuò fumantes, & ſæpe flammarum globos cum immenſo cinere euomentes. Vidiſtis & experti eſtis primò anno 81. Veſuuij eruptionem, vt ſcribit Suetonius *in Tit. capite 8.* Dio in Tito. Plinius *in Epiſt. ad Tacit.* Ait igitur Dio primò magno numero homines inuſitatâ magnitudine in eodem monte regioneque finitimâ interdiu noctuque vagari in aëre viſos eſſe: poſt hæc conſecutam maximam ſiccitatem, & graues terræmotus: auditos etiam ſonitus ſubterraneos, tamquam tonitrua: deinde mare fremere cœpiſſe, omneque cœlum reſonare, ingentemque & repentinum fragorem, quaſi montes ſimul conciderent, exauditum. Tum verò exiliiſſe primum immenſos lapides, deinde magnam copiam ignis fumique, ita vt omnem aërem obſcuraret, occultaretque ſolem. Vnde pleriſque perſuaſum eſſet, mundum in chaos redigi, aut igne conſumi. Tantam enim fuiſſe copiam cineris, vt terram mareque atque ipſum aërem compleret, maximo illato hominibus, prædiis atque pecoribus damno, omnibuſque piſcibus ac volucribus peremptis & duabus vrbibus, Herculano & Pompeiis, populo ſedente in theatro, penitus obrutis. Poſtremò tantum fuiſſe cinerem, vt inde peruenerit in Africam, Syriam & Ægyptum, introierit etiam Romam, eiuſque aërem compleuerit & ſolem obſcurauerit, ac deinde grauem peſtilentiam excitauerit.

Rurſum anno 471. exuſta euomuit viſcera nocturniſque in diem tenebris omnem Europæ faciem minuto contexit puluere, eiuſque metuendi memoria cineris poſtea octauo Idus Nouembris Conſtantinopoli celebrari ſolita eſt annuâ ſupplicatione, quòd eouſque illo die perlatus eſſet cinis; vt tradit Marcellinus in Chronico, Procopius *de bello Goth.* Rurſum anno 1068. quando Pandulphus Princeps Ca-

Capuanus & Ioannes Magiſter militum ob vitę improbitatem damnati ſunt ad inferos: (quo tempore viſi ſunt à quodam Solitario prope Neapolim habitante Dæmones pabula ferre ad comburendos proximè morituros:) Hic enim mortuis mons Veſuuius erupit in flammas; ſiquidem, vt ait Petrus Damiani Card. ep. ad Dominic. cap. 13. quandocunque in illis partibus præcipuus aliquis reprobus diues vel alius inſignis peccator ſine pœnitentia moreretur, ignis erumpere de prædicto monte videbatur & tamquam ſulphureæ reſinæ congeries fluere, vt torrentem faceret atque decurrente impetu in mare deſcenderet. Hinc aliqui exiſtimarunt binos illos montes duas quaſdam inferni fauces eſſe. Certè prodigioſis illis incendiis typum ſaltem inferni oſtendit nobis Deus, vt toto pectore eum fugiamus velut longè ſæuiorem: quod vtinam nobis donet Deus.

CONCIO III.

S. Euchariſtia neceſſaria morientibus.

1. *Neceſſaria velut teſtimonium vitæ.*
2. *Velut via dux & index.*
3. *Velut gladius ad defenſionem contra incurſus hoſtium.*
4. *Velut viaticum.*

THEMA.

Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus. Ioan. 4.

A. *Euchariſtia morientibus neceſſaria.*

MEminiſtis, Auditores, quod l. 4. Reg. cap. 4. legimus, Eliſæum à Sunamitide rogatum vt deſcenderet de monte Carmeli in domum eius, & filium, qui paulò antè mortuus erat, in vitam reuocaret. Ingreſſus enim Eliſæus domum defuncti, incubuit ſuper eum, cõtrahens membra ſua vt os ori, oculi oculis, manus manibus pueri commenſurarentur; ſicque calefactâ carne eius, vitam ei reſtituit. Quid verò Eliſæus iſte de monte ad extinctum puerum deſcendens eique ſe coextendens, niſi Chriſtum Dominum in Sanctâ Euchariſtiâ de cœlo ſe demittentem ad hominem peccatorem eique ſe vnientem ac quodammodò commenſurantem typicè deſignat? Ad hoc enim vt peccator ſalutem cõſequatur, requiritur deſcenſus, & vt ſic dicam incorporatio Chriſti per ſuſceptionem Euchariſtiæ, ſuo tempore peragendam, ſiue reipsâ; cùm eſt facultas: ſiue in voto, cùm non eſt facultas. Id enim expreſsò dixit Chriſtus Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod explicans D. Thomas part. 3. quæſt. 80. art. 11. ait: *Sine voto percipiendi hoc Sacramentum, non poteſt homini eſſe ſalus: fruſtrà autem eſſet votum, niſi impleretur quando opportunitas adeſſet; & ideò manifeſtum eſt, quòd homo teneatur hoc Sacramentum ſumere, non ſolùm ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini, &c.* Hoc idem ſenſu myſtico, videtur nobis inſinuaſſe regulus hodiernus, qui vt filio iamiam morituro ſanitatē impetraret, rogauit Chriſtum inſtanter vt deſcendere ad filium dignaretur. Iam verò ſi vnquã vrget præceptum ſumẽdi Euchariſtiã, vrget in periculo mortis; ideoq; ex laudabili Eccleſiæ conſuetudine, quam omninò retineri vult Concilium Nicænum 1. Can. 3. aliaque relata cauſâ 26. q. 6. c. *ſi quis* c. *Ab iis*; & Tridentinum *ſeſſ.* 13. c. 6. omnibus Chriſtianorum ſæculis vſitatum erat Euchariſtiam ab infirmis flagitari & ad eoſdem deferri, vt nos videatur negandam eſſe hanc traditionem Apoſtolicam. Cuius rei cauſas aliquot hîc diſcutiemus.

Exodi 12. præcepit Deus vt Iſraëlitæ ad peregrinationem in terram promiſſionis ſeſe accincturi, priùs agnum comederent, peregrinorum habitu, adeoque accingerent renes ſuos, haberent calceamenta in pedibus, tenerent baculos in manibus & comederent feſtinanter. Quæ omnia peregrinorum ſunt, indicantque ad literam, vt eo indicio agnoſcerent Hebræi ſe peregrinaturos de Ægypto in Palæſtinam, myſticè verò, vt Chriſtiani etiam monerentur, verùm agnum, Chriſtum in Euchariſtiâ, tunc ſibi maximè neceſſarium ac ſumendum, cùm ex hac vitâ peregrinari ad alteram debent, cùm iam ad iter accinguntur lethalis morbi cingulo, iam pedibus non inſiſtere, ſed aliorum brachiis teneri & ductari incipiunt.

Quatuor autem ſunt, quæ videntur peregrino maximè neceſſaria. PRIMÒ: Teſtimonium, ſeu vitæ honeſtatis ſeu ſanitatis loci, à quo venit. Quod verò meliùs teſtimonium, quem maiorem teſtem ferre nobiſcum ex hac vitâ poſſumus, præterquam Chriſtum Dei filium, de quo ſcriptum legimus à Dauide Pſal. 88. *Teſtis in cœlo fidelis.* Ad quem locum alludens Ioannes Apocal. 1. ait. *Gratiâ vobis & pax à Ieſu Chriſto qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum & princeps regum terræ: qui dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Græcè teſtis vocatur cum articulo, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς. Syriacè adhuc magis emphaticè: *Et à Ieſu Chriſto, illo teſte, illo fideli, illo primogenito mortuorum.* Vult ergo dicere Ioannes Chriſtum eſſe eximium quendam omniumque excellentiſſimum teſtem, qui vel ſolus coram Deo in cœlo omni fide digniſſimus ſit, vt qui in ſumptione Euchariſtiæ intimo cordis noſtri ſcrutatus ſit; eſt etiam *primogenitus mortuorum.* q. d. fundator & inſtaurator reſurrectionis noſtræ; *Princeps* item *regum terræ* cuius teſtimonio ſtandum, qui & ipſe lauit nos in ſanguine ſuo, partim vt cauſa vniuerſalis in cruce, partim vt particularis in vſu Sacramenti. Quis huic teſti non det fidem? Quamobrem *Iſa.* 55. vocatur *teſtis & teſtimonium.* Vbi enim vulgata legit: *Ecce teſtem populi dedi eum*; ibi 70. legunt: *Ecce teſtimonium gentibus dedi eum.* Tametſi verò cœleſtis pater nouit omnia noſtra, nec indiget alio teſte vitæ noſtræ: quia tamen regnum ſuum nemini concedit niſi per merita filij ſui, idcircò ipſius teſtimoniũ iure merito requirit. Sic enim v. g. Epiſcopus nemini confert beneficium, niſi quis afferat commendationem &

1. *Neceſſaria eſt velut teſtimonium.*

(vt vo-

(vt vocant) præſentationem à Patrono, qui beneficium id fundauit; licet Epiſcopus nouerit eſſe dignum, qui id petit. Atqui fundator gloriæ & reſurrectionis noſtræ Chriſtus eſt, *primogenitus mortuorum. Complacuit* (Deo Patri) *per eum reconciliare omnia, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terrâ, ſiue quæ in cœlis ſunt.* Et ad Eph. 1. *inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis & quæ in terrâ ſunt.* Noluit Ioſeph fratres ſuos agnoſcere pro amicis (tametſi reuerà agnouit) ſed pro exploratoribus habuit & durè ſatis excepit, donec adducerent ſecum fratrem ſuum minimum, Beniaminum, quaſi teſtem ſinceritatis & verborum, quæ ipſi enarrauerant: *Non videbitis faciem meam*, inquit, *niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum*, Gen. 43. Quod vbi factum eſt, quàm durè eos anteà, tam clementer poſteà excepit, & conuiuium eis inſtruxit ſplendidum atque opiparum. Hunc in modum Deus pater requiret à nobis in iudicio cuiuſque particulari fratrem noſtrum non vltimum, ſed primogenitum Chriſtum, verum Beniaminum, verum *filium dexteræ eius*, (tametſi & ipſe frater noſter minimus eſt) qui exinaniuit ſemetipſum vſque ad mortem crucis, noſtri etiam gratiâ in minima Euchariſtiæ ſpecie minimus efficitur, vt ſit teſtis fidei & amicitiæ noſtræ, velut fundator gloriæ. Hunc niſi in voto ſaltem, & vbi facultas fuit, reipsa à nobis ſuſceptum adduxerimus ad tribunal Dei, timeo vehementer ne velut exploratores è conſpectu eius eiiciendi ſimus. Cæterùm, Auditores, & hoc aduertendum eſt, bonúmne an malum ſit hoc teſtimonium. Scimus enim ex Apoſtolo, iudicium ſibi manducare, qui malè: vitam, qui bene manducat. Beniamin certè fratribus ſuis bonum teſtimonium fuit, quia bonos & veraces oſtendit. Viderint morituri vt ſimile teſtimonium habeant, neque indignè Chriſtum ſumant, dicentes ipſum eſſe amicum, cùm reuerà ſit inimicus. Scitis abſque dubio quanto ſuo malo tulerit Vrias literas propriæ mortis ad Ducem ſuum Ioab, ita ſonantes: *Ponite Vriam ex aduerſo belli, vbi fortiſſimum eſt prælium, & derelinquite eum, vt percuſſus intereat.* 2. Reg. 11. O funeſtum teſtimonium! Nihilo minùs, longè acerbiùs ac funeſtius teſtimonium ſecum in ſinu feret, qui cum indignâ communione ad Deum hinc migrabit; dæmonum enim inſidiis expoſitus in articulo mortis, vbi prælium eſt fortiſſimum, heu percuſſus interibit. Mirum quid de charadrio aue minimâ ſcribit Ælianus libro 17. hiſtor. animal. cap. 12. nec non Albertus M. *l.* 23. *animal. lit.* C. quod ſi ictericium aliquem ſine nictatione ex animo reſpiciat, ſic affectum hominem ſuo obtutu ad ſanitatem reducat: ſin autem ab ægroto viſum auertat, indicet illum eſſe moriturum. Credant mihi ægroti: huiuſmodi auis minima Chriſtus Dominus eſt in minimâ S. Euchariſtiæ hoſtiâ. Hic ſi placido vultu & rectis oculis aſpiciat eos in ægritudine per dignam communionem, præclarus erit teſtis, tribuendam ipſis ſalutem æternam. At verò ſi indignè ſuſceptus vultum ab eis auerterit, mortem eis præſagit æternam.

Diximus alibi Wedekindum Saxonum Ducem vidiſſe in caſtris Caroli M. communicantes Chriſtianos, & Chriſtum in S. Hoſtiâ, ſpecie pueruli, ad alios quidem blando & ridente vultu, ad alios verò auerſo & renitente ingreſſum eſſe. Aſpiciat vnuſquiſque ſuam conſcientiam, & videat quo vultu aſpiciat ipſe hunc puerulum & minimam auiculam: quo animo erga ipſum affectus ſit; eodem enim vultu aſpiciet ipſum Chryſtus. Audiamus D. Chriſoſtomum in *libro de Sacerdotio* ita ſcribentē: *Quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, ſed dignus habitus, qui & id vidiſſet ipſe & audiſſet: quòd qui de hac vitâ migraturi ſunt, ſi myſteriorum huiuſmodi cum purâ conſcientiâ fuerint participes, ſpiritum efflaturi, ab angelis, illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud Sacramentum hinc rectà in cœlum adducuntur.* *Infrà conc.* 6.

C. II. Velut viæ dux & index.

Secvndò. Viæ dux & index. Ad cœlum omnes contendimus; ſed quâ ratione eò euolabimus? Aſpirarunt ſanè eò etiam Gentiles, ſaltem potentiores; ſed quia viderunt propriis ſe volatibus eò peruenire non poſſe, quid excogitarunt? Mortuo aliquo Principe & ſuper rogum poſito, cùm accendebatur rogus, dimiſerunt ex eius loculo aquilam in ſublime euolantem, quaſi ea Principis animam ad cœlum euectura eſſet, teſte Pierio *l.* 19. *hierogl.* Sed ô miſerum vectorem! Non habebant iſti, qui ad cœlum eos veheret aut viam cœli monſtraret: habemus nos Chriſtiani, & quem alium niſi Chriſtum, qui in ſuâ aſcenſione velut inſignis aquila cœlos penetrauit, eademque ratione nos ſecum euehere poteſt & portare in humeris ſuis, quomodo aquila ſolet geſtare in alis pullos ſuos. Nemo nobis viam cœli meliùs monſtrare poteſt, quàm qui in cœlo fuit & de cœlo deſcendit. Hic autem Chriſtus eſt, qui de ſeipſo ait: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cœlo* (propriis ſcilicet viribus) *filius hominis*. Hic igitur viæ dux, hic index, hic *currus & auriga* nobiſcum accipiendus eſt, (quod fit in S. communione) cùm hinc ad cælos emigrare volumus. Cùm aliquando domus Ioſeph occupare vellet ciuitatem Bethel, nec ſcirent ingreſſum eius, viderunt hominem egredientem de illâ ciuitate, duxeruntque ſecum vt oſtenderet eis introitum ciuitatis; atque ita nullo negotio occuparunt ciuitatem *Iudic.* 1. Quid verò *Bethel* niſi *domum* Dei ſonat? & quid niſi cœlum denotat? Hoc ergò qui violentâ manu expugnare & intrare vult, ducat ſecum hominem illum, qui inde egreſſus eſt, Saluatorem noſtrum, qui de ſeipſo ait: *Ego ſum via*, Ioan. 14. Felices Chriſtiani, qui aquilam illam grandem, ante ſuum obitum condunt in loculo pectoris ſui, vt cum eâ euolent ad cœleſtem gloriam. Felices, qui hunc hominem de cœleſti domo egreſſum ſecum ad eandem ducunt. Infelices contrà infideles & hæretici imprimis, qui eo deſtituuntur. Miſerandi etiam Catholici aliqui, qui vel culpâ ſuâ, vel etiam abſque culpâ frui hoc ductore nequeunt. Iure hi ingemiſcunt & cum deſolato illo languido dicunt: *Hominem non habeo, vt mittat me in piſci-*

CONCIONES.

I. *Fructus tribulationis.*
II. *Indicia atrocitatis pœnarum Infernalium.*
III. *S. Euchariſtia neceſſaria morientibus.*
IV. *Extrema vnctio commendatur infirmis.*
V. *Præſcripta patris familias.*
VI. *Quomodo principes terræ mirabiliter ad fidem adducti ſint.*
VII. *Prodigia & miracula in mundi conuerſione exhibita.*
VIII. *Documenta Euangelica.*
IX. *Myſteria.*

CONCIO I.

Fructus tribulationis.

1. *Purgat à ſordibus iam contractis, contrahendis, à pœnis, peccatis, debitis.*
2. *Illuminat: videre enim facit quæ ſupra, infra, circa, & in nobis exiſtunt.*
3. *Perficit; quia diſponit ad virtutes, in iiſque progreſſum promouet, conſeruat & confirmat.*

THEMA.

Abijt ad eum, & rogabat eum, vt deſcenderet & ſanaret filium eius. Ioan. 4.

A. *Tribulatio mel in ore leonis.* IVdicum cap. 14. propoſuit Samſon in conuiuio problema: *De comedente exiuit cibus & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Quid ſibi vult hoc ænigma? Occiderat Samſon leonem in viâ ſibi occurrentem, poſtmodum regreſſus per eandem illam viam, reperit in ore leonis fauum mellis. Et hæc eſt ſolutio ænigmatis: mel ex ore leonis. Sed poſſumus nos myſtico ſenſu aliter ſoluere hoc ænigma & quidem ex hodierno Euangelio. Nónne ſæuus quidam leo, mors aut lethalis morbus? Cœperat hic filium reguli iamiam deuorare: *incipiebat enim mori* filius. Et tamen ex hoc leone egreſſa eſt dulcedo; quia filij percuſſio, patris fuit conuerſio. Dum comedit leo filium, pater abit ad Chriſtum, atque ita recipit filium & cum filio ſalutem; *credidit*, enim *ipſe & domus eius tota*. O leonem bonum! ô mel dulce! Si non intraſſet leo domum huius reguli, ipſa non crediſſet. Momordit ergò domum leo & mel in eam expuit, fidem & ſalutem. Sed non eſt ſolus Regulus, cui hoc boni contigit. Quoties aliqua tribulatio, fames, peſtis, morbus, mors &c. in domos noſtras intrat, leonem cernere videmur; ſed ſi poſteà ad illum cogitatione noſtrâ reuertamur, videbimus quod mel in ore gerat; fructum videlicet incomparabilem, quem nunc contemplabimur.

B. S. Dionyſius in lib. de cœleſti hierarchiâ, tria ponit opera hierarchica, quibus tota Eccleſiæ perfectio continetur & abſoluitur: *purgare, illuminare, perficere.* Quæ omnia præſtat inprimis tribulatio, eſtque præclariſſimum Dei inſtrumentum ad hæc peragenda.

I. PRIMÒ, Purgat: & primo à ſordibus iam contractis; quia facit hominem redire in ſe & poſteà à Deum. *Tribulatio purgat. 1. A ſordibus iam contractis.* Ita prodigus filius fame perurgente *in ſe reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo! Surgam igitur & ibo ad patrem meum*, &c. Luc. 15. Ita Ionas à facie Domini fugiens, in ventre piſcis demùm in ſe redijt, & orauit Dominum flebiliter, inter alia: *Cum anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum*, &c. Ion. 2. Ita v.g. adoleſcens, qui diu in flagitijs vixit, cùm incidit in morbum, vel conijcitur ob maleficia in carcerem, mox in ſe reuerti, & vocare ſacerdotem, confiteri ſua peccata & ſpondere emendationem omnibus votis incipit, ob metum partim temporalis, partim æternæ mortis. Quod quidem nunquam feciſſet, niſi in eam aduerſitatem deueniſſet. Hac ratione Abbas Moyſes timore mortis, quæ ei ob homicidij crimen intentabatur, impulſus, ad monaſterium cucurrit. Caſſian. *coll.* 3. *cap.* 5. Ita ad frugem conuerſus S. Ephrem, poſtquam in carcerem coniectus & pœnis ſubiectus fuit, vti ipſe de ſe ſcribit, & nos alibi diximus. Refert Augerius Busbequius Cæſ. Ferdinandi I. legatus ad Turcam epiſt. 1. ſe cùm in Aſiâ proficiſceretur ad Imperatorem Turcarum, propè fluuium Halym, conſpectum hominem ruſticanum interrogaſſe, num is fluuius piſcibus abundaret & quemadmodum caperentur: reſpondit ille, piſcium eſſe ſatis, ſed capi non poſſe, quòd nimirum ſiquis manum inijcere conetur, illi ſe proripiant, neque captantem expectent. Quo cum riſu audito, quidam ex eius ſocijs rete, quod ſecum habebat, ad piſcationem expediuit, & multos piſces cepit, Turcis, qui aderant, Chriſtianorum induſtriam ſummoperè mirantibus. Certè Dominus Deus ſæpe ſæpiùs extendit manus ſuas liberaliſſimas ad capiendas hominum animas; ſed illi piſcium inſtar fugiunt piſcantem, nec capi ſe patiuntur. Vt bene dixerit Abacuc cap. 1. *facies homines quaſi piſces maris.* Quid igitur facit Deus? expandit rete tribulationis ſuper illos, veluti famem, peſtem, bellum, & ſimilia, ſicque vel nolentes includit & ad ſuum obſequium trahit. Teſtatur hoc Ieremias in perſonâ Ieruſalem, Threnor. 1. cùm ait: *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis* (ſcilicet ad excoquendum & purgandum me) *& erudiuit me: expandit rete pedibus meis*, (Chaldæos ſcilicet quaſi venatores) *conuertit me retrorſum.* Idem expertus fuit Ionas, qui cùm fugeret Dei mandatum, cepit illum Deus in mari, & ventri ceti incluſum reduxit, ad exequendum munus ſuum, in Niniuen ciuitatem, Ioan. 1.

2. *A pœnis, quæ peccatis debentur.* Secundò à pœnis quæ peccatis debentur, ſi non prorſus, at magna ſaltem ex parte. Quemadmodum enim purgat tribula triticum à paleâ: ita tribulatio animam à materia combuſtili, quæ ſunt pœnæ exſoluendæ in purgatorio. Hinc tribulatio dicta eſt à tribulâ, quâ ſegetes tribulantur & triturantur, vt grana à paleâ excutiantur: tribula

bula verò à terendo, quia ſegetes terendo grana excutit. Si adhæſerit tibi palea reatûs alicuius, vreris in purgatorio: Si ab eâ hic purgeris, non erit quod ibi in te ardere poſſit, ſed illicò in horreum Dei colligeris ad cœli ciues. Hinc Deus populum ſuum Iſraël, quem plagis emendare ſolebat, vocat *trituram ſuam & filios areæ ſuæ*. Iſa. 21. *Tritura mea, & filij areæ meæ*. Quare maximum beneficium eſt, tribulari hîc à Deo. *Si aurum es*, ait Auguſtinus de tempore Barbarico cap. 3. tom. 9. *quid times ignem? Si frumentum es, quid times tribulam? non apparebis, qualis anteà eras in ſpicâ, niſi tribula conterendo à te ſeparauerit paleas. Si oleum es: quid times preſſuram prali? non declarabitur ſpecies tua, niſi etiam pondus lapidis à te ſeparauerit amurcam*. Sic ille.

3. *A ſordibus peccatorum fortè contrahendis.* Tertiò, A peccatorum ſordibus contrahendis, quia exercet hominem, ne otio diffluat & voluptatibus ſe dedat: atterit etiam carnem eius, & compingit in caueam beſtiam illam ferocem, concupiſcentiam, ne nobis noceat & in varia ſcelera nos abripiat. Quemadmodum enim Romani, quamdiu à Carthaginenſibus, hoſtibus ſuis, exercebantur & agitabantur, tamdiu bellicoſi & ſtrenui fuere; poſtquam verò ex Catonis conſilio, nequicquam reclamante Scipione, Carthaginem deleuerunt, nimio otio & proſperitate diſſolutiores facti, non tantùm vitijs ſe inquinârunt, ſed inteſtinis etiam odijs & bellis ſemetipſos grauiùs vulnerârunt, quàm priùs ab hoſtibus vulnerarentur. Auguſt. *lib. 1. de ciuit.* 30. Ad hunc modum quamdiu nos Deus vexat excurſionibus militum ſuorum, famis, belli, peſtis, morbi, inopiæ, grandinis, &c. tamdiu nobis attendimus & à voluptatibus & vitijs abſtinemus. Vbi verò ceſſat nos vexare, inde peiores fimus. Ipſa noſtra concupiſcentia, niſi coërceatur, quaſi equus eſt indomitus, ducens nos ad interitum, iuxta id Ier. 8. *Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium*. Quid igitur remedij? Id, quod Ioſue olim præcipit Deus, Ioſ. 11. *Equos eorum ſubneruabis*. Subneruat igitur Deus hunc equum noſtrum fame, morbo, peſte, &c. Tùm incipit ſiſtere vel claudicare equus: tùm ceſſant commeſſitiones, aleæ, choreæ, libido, &c. vti apparet cùm fortè peſtis vrbem aliquam corripuit. Quàm omnia ibi ſunt quieta? Nullæ choreæ, nulli clamores, nulla conuiuia, nulla pompa, nullæ ferè lites, nullum aut exiguum auaritiæ ſtudium. Vnde hoc? niſi quia mortis chorea, choreas alias ſuſtulit & virgas Aaronis (Dei) alias magorum virgas deuorauit? Quare ſicut non doleres, ſiquis cadentem te in puteum, pede apprehenderet, & eriperet, licet interim pedem, quo te extrahit, fortè luxaret: ita beneficij loco reputandum eſt, ſi per temporales plagas eripiamur à lapſu illo profundo in puteum infernalem.

C. II. Illuminat. SECVNDO, Illuminat. Id quod optimè repræſentatur felle illius piſcis, quem ope & hortatu Angeli cepit Tobias; cui dicebat angelus: *Tolle tecum ex felle piſcis, erit enim neceſſarium*, Tob. 11. Eo igitur felle illuminauit Tobias patris ſui oculos, qui ex hirundinum ſtercore fuerant cæcati. Quid hirundinum ſtercora, niſi mundi blanditias, honores, opes, voluptates repræſentant? his verò excæcatur homo, nec niſi per tribulationem ſeu earundem rerum ſubtractionem illuminatur, veluti per contemptum, infamiam, paupertatem, famem, morbum, peſtem, &c. vti primi parentes cùm ſpoliati fuerunt iuſtitiâ originali, tùm primùm cognouerunt ſe eſſe nudos. Vnde S. Gregorius dixt: *Oculos quos culpa claudit, pœna aperit*. Sed quid videre facit?

1. *Videre facit ea quæ ſupra nos.* Primo ea quæ ſupra nos, Deum & Sanctos. Qui enim tempore proſperitatis Deum obliuiſcuntur & ſanctos eius, tempore tribulationis reminiſci & ad eos recurrere ſolent; ſerò eruditi, quòd in ſolo Deo & ſanctorum patrocinio refugium inueniatur. Ita Hebræi rebus proſperis ad Idola declinârunt: rebus verò triſtibus ad Deum verum redierunt, vt videre in libro Exodi & Iudicium. Idem patet in hodierno regulo, qui ad Chriſtum non veniſſet, niſi tribulatio vrſiſſet. Ita enim ſcribit Lactantius in lib. de orig. erroris cap. 1. de gentibus: *Nunquam Dei meminerunt*, inquit, *niſi dum in malis ſunt. Poſtquam metus deſeruit, & pericula receſſerunt, tùm verò alacres ad Deorum templa recurrunt, his libant, his ſacrificant, hos coronant; Deo autem quem in ipſâ neceſſitate implorauerant, ne verbo quidem gratias agunt*. Ita Iulianus Apoſtata, cùm intuitu ſpectrorum, dum necromantiæ operam daret, iteratò percelleretur, iteratò ad crucem, Chriſtianorum clypeum, fugit, eam fronti ſuæ imprimens: quod alioquin in æternum non feciſſet. Gregor. Nazianz. *orat. in Iulian.* Ita communiter homines alij, *ſiqua neceſſitas grauis preſſerit* (vtor verbis Lactantij, ſuprac.) *tunc Deum recordantur, ſibi belli terror infremuerit, ſi morborum peſtifera vis incubuerit, ſi alimenta frugibus longa ſiccitas denegauerit, ſi ſæua tempeſtas, ſi grando ingruerit, ad Deum confugiunt, à Deo petitur auxilium, Deus, vt ſubueniat, oratur*. Taceo, quòd tunc agnoſcitur Dei potentia, qui quantumuis robuſtos, potentes & magnos facillimè premere & deprimere poteſt. Dei iuſtitia, qui peccata tandem punit pro merito. Dei miſericordia, qui etiam cùm iraſcitur, miſericordiæ recordatur, & *dat niuem ſicut lanam*, Pſalm. 147. hoc eſt, non ſimul totam deijcit; vt nos & noſtra opprimat, ſed per modum lanæ eam quaſi carminat, vt ſenſim & ſuauiter ad nos defluat; quod idem cum tribulatione facit: non ſimul imponendo grauiorem, ſed ſuauiter & per vices.

2. *Ea quæ infra nos.* Secundò, Ea quæ infra nos, infernum & purgatorium. Cùm enim dentium, capitis, oculorum aut renum doloribus cruciamur, dicimus aut cogitamus: DEVS bone, quid erit purgatorij aut inferni pœna, ſi vnius membri dolor breuî duraturus, inter tot remedia & ſolatia, adeò affligit? quid erit abſque omni

quàm citiùs peruenire delectet. Nemo ſe diu detinet in itinere, quod latronibus eſt obſeſſum, aut deſertum. Vbi amœnitas, vbi multa hoſpitia, vbi omnia vili pretio offeruntur, ibi detinent ſe viatores. Sed quid ſunt mundi delitiæ, niſi ſtercora? & diuerſoria, niſi ſtabula? Itaque Deus per tribulationem docet nos amare meliora: *ne viator tendens ad patriam, ſtabulum pro domo diligat*, inquit S. Auguſtinus *in ſent. ſent.* 186.

3. *Conſeruat in virtute & gratia.* Tertio, Conſeruat & confirmat in virtute & amore Dei, veluti pondera columnam. Solis æſtus facilè detrahit pallium viatori, ſed non item frigidus aquilo; imò eo flante magis ſe aptat corpori viator, ſeque eo inuoluit. Ita proſperitas ſæpè ſpoliat hominem gratiâ & charitate Dei, dum ei ianuam aperit ad ſolatia externa & temporalia. Aduerſitas verò hominem quaſi includit, vt non poſſit, etiamſi velit, effundere ſe ad temporalia commoda & voluptates.

Denique hæc ipſa cœli clauis eſt, quâ porta cœleſtis reſeratur, vt teſtantur Apoſtoli Actor. 14. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Hac claue Chriſtus ipſemet ad ſuam gloriam aditum ſibi patefecit: *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*, inquit ipſe, Luc. 24. Errant igitur, qui quos affligi & varijs tribulationibus exerceri vident, peiores exiſtimant alijs hominibus. Hunc enim errorem corrigit in Iudæis Chriſtus Luc. 13. cùm ait: *Illi decem & octo ſupra quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos: putatis, quia & ipſi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ieruſalem? Non dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Incolæ Melitenſes improbum & homicidam iudicabant eſſe Paulum Apoſtolum, quòd viderent viperam inuaſiſſe eum, & pendere ex eius manu, *Actor.* 28. Similiter amici Iob, detrahebant eius innocentiæ, quòd viderēt eum tam multis plagis tactum. Sed errârunt hi & illi. Rectiùs ſenſiſſent, ſi Dei filios iudicaſſent, quos à patre ſic caſtigari viderant. Quare potiùs *omne gaudium exiſtimate fratres*, ait Iacobus, *cùm in tentationes varias incideritis*, &c.

CONCIO II.

Indicia atrocitatis pœnarum infernalium.

1. *Indicat hoc Chriſtus* Luc. 23.
2. *& 3. Beati & Sancti dum in mundo vixerunt.*
4. *Indicant reorum ſupplicia.*
5. *Ipſi Ethnici.*
6. *Damnati, dæmones, & infernus ipſe.*

THEMA.

Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Ioan. 4.

A. REfert Giraldus Cambrenſis *in ſuâ Topographiâ*, apparuiſſe repentè Inſulam in mari, quod Hyberniam vndequaque alluit; cumque ad eam iuuenes quidam nauigio contenderent, & exſcendere in eam vellent, Inſulam refugientem aliò ſe tranſtuliſſe. Quòd cùm ſæpiùs fieret, inſtructi à ſene iuuenes, præſtigias ſubeſſe, ignem porrò valere contra eiuſmodi phantaſmata. Edocti hoc modo iuuenes igneam ſagittam eiaculati ſunt in Inſulam, quo facto repentè conſtitit & inhabitari cœpit, quæ ex hoc euentu *Inſula fugitiua* dicta eſt. Quid aliud eſt cor hominis, niſi *Inſula fugitiua* in hoc turbulento mundi mari? Quoties ſerui Dei quærunt Inſulam iſtam & ſibi & Deo ſedem ſtabilem facere? Verùm inſtabile eſt cor hominis & fluctuans cogitationibus refugit ab ijs, qui eius ſalutem quærunt. Quid igitur remedij? Inſpirat Deus ſuis, vt igneas ſagittas, plenas comminationibus æternæ damnationis iaciant in cor hominis: ſic fore vt dent manus, ſeque inhabitandos præbeant. Sanè in hodierno Euangelio poſtquam Deus igneam quaſi ſagittam æſtuantis febris miſit in domum Reguli, & vulnerauit eius filium, venit ille ad Chriſtum, procidit ante eum, & credidit cum domo ſuâ. Quod ſanè nunquam feciſſet, adeoque ſuam domum Chriſto inhabitandam nunquam præbuiſſet, niſi febris illa filium occupaſſet. Proptereà ei dixit Dominus: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.* Quod quidem omnibus nobus dicitur.

Audiuimus ante octiduum multa horribilia de pœnis inferorum. Sed vereor, ne multorum corda fluctuent adhuc & fugiant, quia fortaſſe iacula illa ignea non fuerunt, dum ſignis & prodigijs inſtructa non fuerunt. Addamus ergo ſigna, quæ inducant animum ad facilius credenda ea, quę ibi diximus.

B. I. *Indicat Chriſtus.* PRIMÒ, Interrogemus Chriſtum: Quod ſignum nobis oſtendis, Domine, pœnarum inferarum? Reſpondet nobis Lucæ 23. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Vult dicere: Si ego Dei filius ob alienam culpam, totus innocens talia & tanta perferre ex decreto diuinæ iuſtitiæ debui: quæ pœna manebit reprobos, qui lignum aridum, inutile & igni debitum ſunt ob peccata propria? Cogita Chriſti ſupplicia, contumelias, dolores externos, internos. Cogita vel ſolam crucem, & quæ in eâ tormenta pertulit, clauorum fixuram, crucis erectionem & quaſſationem, nuditatem, defatigationem, ſitim, membrorum adſtrictionem, conſpectum matris, contumelias & blaſphemias, mortem denique violentiſſimam. Et ſi huiuſmodi crux parata eſſet inferis, non tibi videtur pœna hæc ſufficiens, imò intoleranda? Sed nihil iſtud eſt; quia *ſi in viridi hæc* fecerunt, *in arido quid fiet?* nec adduci poſſum, vt credam non fore atrociorem pœnam illorum, qui ſuiſmet ſceleribus Deum irritârunt, quàm illius qui ex merâ charitate aliena in ſe ſuſcepit, vt DEUM nobis placaret.

C. II. *Indicant beati.* SECUNDÒ, Interrogemus Beatos: Quod nobis ſignum datis? Reſpondebunt iuxta id *Luc.* 6. Menſuram bonam, confertam & coagitatam

tranſtulerunt: : quam tamen Iſaacius non permiſit ſepeliri. Hæc Nicetas. Quod ſi tantus Princeps & pœnitens quidem tam atrociter hîc punitus eſt: quid putatis, ſiet impœnitentibus in inferno? terribile etiam crudelitatis ſpectaculum edidit Lyſimachus in Teleſphoro Rhodio amico ſuo, quem *decurtatum*, Seneca lib. 3. de ira cap. 17. *cum aures illi naſumque abſcidiſſet, in cauea velut nouum animal aliquod & inuſitatum diu pauit, cum oris detruncati mutilatique deformitas humanam faciem perdidiſſet, accedebat fames & ſqualles & illuuies corporis, in ſtercore ſuo deſtituti, calloſis ſuper hæc genibus manibuſque, quas in vſum pedum anguſtia loci cogebant. Lateribus verò attritu exulceratis, non minus fœda quàm terribilis erat forma eius viſentibus.* Atque hunc in modum tractant homines ſe inuicem, ac ſæpe præter culpam. Quid mirum, ſi in reprobos omnia dira meritos, ſimili vel acerbiori modo ſæuiat Dei iuſtitia?

F. V. Indicant Ethnici. QVINTO, Interrogemus Ethnicos: iſti enim dicent huiuſ ſibi ex parte cognitas inferorum pœnas; ſiquidem de iis varij ſcripſerunt, (vt, Virgilius *lib.6. Æneidos.* Propertius *lib.2.* & 4. Tibullius *lib.1.* Ouid. *lib. 4. Metamorph.* & alioi, Horatius, Seneca) doctrinæ Chriſtianæ conformia. v. g. Tantalum apud inferos perpetua ſiti ac fame torqueri, aquis & pomis ori imminentibus, niſi non poſſit arripere, quod aliud non ſignificat, niſi famem & ſitim inferorum interminabilem, inhiantiſſimam. Siſyphum perpetuò voluere ſcopulum ad montis verticem & reuoluere relabentem dixerunt; quod interminabilem pœnarum reuolutionem ſignificat. Ixionem Theſſalum rotâ perpetuâ volui aiebant, eadem ſignificatione. Titium obſcuum ſcelus ita mulctatum, vt renaſcentes eius fibras iecurque vultur dilaniet, quod ſanè vermem damnatorum corda ſemper rodentem & nunquam morientem oſtendit. Plutarchus *lib. de ſerâ numinis vindictâ*, quendam aſſerentem inducit, homines teterrimos ſcelerumque maculis notatiſſimos poſt mortem in obſcurum quendam & qui referari nequeat, locum intrudi. Socrates apud Xenocratem ait, impij animum in occultum ſub terra locum migrare, & regionem illam æneis catenis vndique vinciri. Conſtabat ergo & gentiles, infernum eiuſque intolerabiles pœnas reprobos expectare.

G. VI. Indicant ipſi inferi. SEXTO, Interrogemus Inferos ipſos, Reſpondebunt primò damnati omnes vno ore cum illo Epulone: *Quia crucior in hâc flammâ;* & cum illo tinctore apud S. Gregor. *lib.4. Dialog. cap.54.* qui ſepultus in templo S. Laurentij noctu è ſepulchro clamauit: *Ardeo, ardeo.* Cuius ſepulchrum cùm inſpiceretur, veſtes eius viſæ ſunt, ſed corpus non inuentum. Plures de hâc re viſiones ſcribit S. Gregorius *in Dialog.* veluti *lib.4.cap.31.* vbi narrat Reparatum vidiſſe parari cuidam ſcelerato rogum, cuius cacumen in cœlum porrigi à terrâ videbatur.

1. Dãnati.

2. Dæmones. Reſpondebunt ſecundò dæmones, ſe huius rei teſtes, coactos quidem, ſed veros ſæpiùs fuiſſe. Scribit ante annos 400. Cæſarius *lib.13.cap.5.* de nobili quodam Walthero, qui cùm decumberet in villâ Endenig prope Bonnam ad Rhenum, vidit ſecus lecticam ſuam diabolum ſtantem caprinis cornibus & ſimiæ facie: ex quo quantus eſſet infernalis ignis æſtus, percontabatur. Reſpondit diabolus *Nôſti arces illas in vicino ſeptimontio dictas VVolckenberg & Drakenfeld?* Quo annuente ſubdit dæmon: *Etſi arces hæ & montes ferrei eſſent, profectò tamen in infernum, momento citius liqueſierent, quantumlibet magni ſint, alti & lati.*

Patres Societatis Hiſpani, oculati teſtes Romam perſcripſerunt anno 1604. (quòd in litteras annuas Collegij Huetenſis Prouinciæ Toletanæ relatum eſt) dæmonem per energumenam, concionem ſibi à Deo impetratam habuiſſe ad circumfuſam multitudinem, quâ eius peccata coarguebat, ac inter alia dicebat: *Me ex cœli vertice ad barathrum deiecit peccatum, & vos vllum in terra locum tutum exiſtimabitis? Eundum igitur vobis erit, niſi caueatis, cum inferis Sathan ad ſulphur, ad ignem, ad pontem, ad caſtellum, ad fluuium, ad rotundam domum.* Quibus verbis vtique varia tormentorum & genera & loca in gehennâ ſignificabat.

3. Infernus ipſe. Reſpondebit denique infernus ipſe: Videte ora mea ſeu caminos incendij mei Veſuuium & Æthnam, illum in Campaniâ, iſtum in Siciliâ, perpetuò fumantes, & ſæpe flammarum globos cum immenſo cinere euomentes. Vidiſtis & experti eſtis primò anno 81. Veſuuij eruptionem, vt ſcribit Suetonius *in Tit. capite* 8. Dio in Tito. Plinius *in Epiſt. ad Tacit.* Ait igitur Dio primò magno numero homines inuſitatâ magnitudine in eodem monte regioneque finitimâ interdiu noctuque vagari in aëre viſos eſſe: poſt hæc conſecutam maximam ſiccitatem, & graues terræmotus: auditos etiam ſonitus ſubterraneos, tamquam tonitrua: deinde mare fremere cœpiſſe, omneque cœlum reſonare, ingentemque & repentinum fragorem, quaſi montes ſimul conciderent, exauditum. Tum verò exiliiſſe primum immenſos lapides, deinde magnam copiam ignis fumique, ita vt omnem aërem obſcuraret, occultaretque ſolem. Vnde pleriſque perſuaſum eſſet, mundum in chaos redigi, aut igne conſumi. Tantam enim fuiſſe copiam cineris, vt terram mareque atque ipſum aërem compleret, maximo illato hominibus, prædiis atque pecoribus damno, omnibuſque piſcibus ac volucribus peremptis & duabus vrbibus, Herculano & Pompeiis, populo ſedente in theatro, penitus obrutis. Poſtremò tantum fuiſſe cinerem, vt inde peruenerit in Africam, Syriam & Ægyptum, introierit etiam Romam, eiuſque aërem compleuerit & ſolem obſcurauerit, ac deinde grauem peſtilentiam excitauerit.

Rurſum anno 471. exuſta euomuit viſcera nocturniſque in diem tenebris omnem Europæ faciem minuto contexit puluere, eiuſque metuendi memoria cineris poſtea octauo Idus Nouembris Conſtantinopoli celebrari ſolita eſt annuâ ſupplicatione, quòd eouſque illo die perlatus eſſet cinis; vt tradit Marcellinus in Chronico, Procopius *de bello Goth.* Rurſum anno 1068. quando Pandulphus Princeps Ca-

Capuanus & Ioannes Magiſter militum ob vitę improbitatem damnati ſunt ad inferos: (quo tempore viſi ſunt à quodam Solitario prope Neapolim habitante Dæmones pabula ferre ad comburendos proximè morituros:) Hic enim mortuis mons Veſuuius erupit in flammas; ſiquidem, vt ait Petrus Damiani Card. ep. ad Dominic. cap. 13. quandocunque in illis partibus præcipuus aliquis reprobus diues vel alius inſignis peccator ſine pœnitentia moreretur, ignis erumpere de prædicto monte videbatur & tamquam ſulphureæ reſinæ congeries fluere, vt torrentem faceret atque decurrente impetu in mare deſcenderet. Hinc aliqui exiſtimarunt binos illos montes duas quaſdam inferni fauces eſſe. Certè prodigioſis illis incendiis typum ſaltem inferni oſtendit nobis Deus, vt toto pectore eum fugiamus velut longè ſæuiorem: quod vtinam nobis donet Deus.

CONCIO III.

S. Euchariſtia neceſſaria morientibus.

1. *Neceſſaria velut teſtimonium vitæ.*
2. *Velut viæ dux & index.*
3. *Velut gladius ad defenſionem contra incurſum hoſtium.*
4. *Velut viaticum.*

THEMA.

Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus. Ioan. 4.

A. *Euchariſtia morientibus neceſſaria.*

MEMINISTIS, Auditores, quod l. 4. Reg. cap. 4. legimus, Eliſæum à Sunamitide rogatum vt deſcenderet de monte Carmeli in domum eius, & filium, qui paulò antè mortuus erat, in vitam reuocaret. Ingreſſus enim Eliſæus domum defuncti, incubuit ſuper eum, cõtrahens membra ſua vt os ori, oculi oculis, manus manibus pueri commenſurarentur; ſicque calefactâ carne eius, vitam ei reſtituit. Quid verò Eliſæus iſte de monte ad extinctum puerum deſcendens eique ſe coextendens, niſi Chriſtum Dominum in Sanctâ Euchariſtiâ de cœlo ſe demittentem ad hominem peccatorem eique ſe vnientem ac quodammodò commenſurantem typicè deſignat? Ad hoc enim vt peccator ſalutem cõſequatur, requiritur deſcenſus, & vt ſic dicam incorporatio Chriſti per ſuſceptionem Euchariſtiæ, ſuo tempore peragendam, ſiue reipsâ; cùm eſt facultas: ſiue in voto, cùm non eſt facultas. Id enim expreſsò dixit Chriſtus Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod explicans D. Thomas part. 3. quæſt. 80. art. 11. ait: *Sine voto percipiendi hoc Sacramentum, non poteſt homini eſſe ſalus: fruſtrà autem eſſet votum, niſi impleretur quando opportunitas adeſſet: & ideò manifeſtum eſt, quòd homo teneatur hoc Sacramentum ſumere, non ſolùm ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini, &c.* Hoc idem ſenſu myſtico, videtur nobis inſinuaſſe regulus hodiernus, qui vt filio iamiam morituro ſanitatẽ impetraret, rogauit Chriſtum inſtanter vt deſcendere ad filium dignaretur. Iam verò ſi vnquã vrget præceptum ſumẽdi Euchariſtiã, vrget in periculo mortis; ideoq; ex laudabili Eccleſiæ conſuetudine, quam omninò retineri vult Concilium Nicænum 1. Can. 3. aliaque relata causâ 26. q. 6. *c. ſi quis c. de iis*; & Tridentinum *ſeſſ.* 13. c. 6. omnibus Chriſtianorum ſæculis vſitatum erat Euchariſtiam ab infirmis flagitari & ad eoſdem deferri, vt nos videatur negandam eſſe hanc traditionem Apoſtolicam. Cuius rei cauſas aliquot hîc diſcutiemus.

Exodi 12. præcepit Deus vt Iſraëlitæ ad peregrinationem in terram promiſſionis ſeſe accincturi, priùs agnum comederent, peregrinorum habitu, adeoque accingerent renes ſuos, haberent calceamenta in pedibus, tenerent baculos in manibus & comederent feſtinanter. Quæ omnia peregrinorum ſunt, indicantque ad literam, vt eo indicio agnoſcerent Hebræi ſe peregrinaturos de Ægypto in Palæſtinam, myſticè verò, vt Chriſtiani etiam monerentur, verùm agnum, Chriſtum in Euchariſtiâ, tunc ſibi maximè neceſſarium ac ſumendum, cùm ex hac vitâ peregrinari ad alteram debent, cùm iam ad iter accinguntur lethalis morbi cingulo, iam pedibus non inſiſtere, ſed aliorum brachiis teneri & ductari incipiunt.

Quatuor autem ſunt, quæ videntur peregrino maximè neceſſaria. PRIMÒ: Teſtimonium, ſeu vitæ honeſtatis ſeu ſanitatis loci, à quo venit. Quod verò meliùs teſtimonium, quem maiorem teſtem ferre nobiſcum ex hac vitâ poſſumus, præterquam Chriſtum Dei filium, de quo ſcriptum legimus à Dauide Pſal. 88. *Teſtis in cœlo fidelis.* Ad quem locum alludens Ioannes Apocal. 1. ait. *Gratiâ vobis & pax à Ieſu Chriſto qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum & princeps regum terræ: qui dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Græcè teſtis vocatur cum articulo, ὁ μάρτυς ὁ πιστός. Syriacè adhuc magis emphaticè: *Et à Ieſu Chriſto, illo teſte, illo fideli, illo primogenito mortuorum.* Vult ergo dicere Ioannes Chriſtum eſſe eximium quendam omniumque excellentiſſimum teſtem, qui vel ſolus coram Deo in cœlo omni fide digniſſimus ſit, vt qui in ſumptione Euchariſtiæ intimo cordis noſtri ſcrutatus ſit; eſt etiam *primogenitus mortuorum.* q. d. fundator & inſtaurator reſurrectionis noſtræ; *Princeps* item *regum terræ* cuius teſtimonio ſtandum, qui & ipſe lauit nos in ſanguine ſuo, partim vt cauſa vniuerſalis in cruce, partim vt particularis in vſu Sacramenti. Quis huic teſti non det fidem? Quamobrem *Iſa.* 55. vocatur *teſtis* & *teſtimonium.* Vbi enim vulgata legit: *Ecce teſtem populi dedi eum*; ibi 70. legunt: *Ecce teſtimonium gentibus dedi eum.* Tametſi verò cœleſtis pater nouit omnia noſtra, nec indiget alio teſte vitæ noſtræ: quia tamen regnum ſuum nemini concedit niſi per merita filij ſui, idcircò ipſius teſtimoniũ iure merito requirit. Sic enim v. g. Epiſcopus nemini confert beneficium, niſi quis afferat commendationem &

1. *Neceſſaria eſt velut teſtimoniũ.*

(vt vo-

(vt vocant) præſentationem à Patrono, qui beneficium id fundauit; licet Epiſcopus nouerit eſſe dignum, qui id petit. Atqui fundator gloriæ & reſurrectionis noſtræ Chriſtus eſt, *primogenitus mortuorum. Complacuit* (Deo Patri) *per eum reconciliare omnia, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terrâ, ſiue quæ in cœlis ſunt.* Et ad Eph. 1. *inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis & quæ in terrâ ſunt.* Noluit Ioſeph fratres ſuos agnoſcere pro amicis (tametſi reuerà agnouit) ſed pro exploratoribus habuit & durè ſatis excepit, donec adducerent ſecum fratrem ſuum minimum, Beniaminum, quaſi teſtem ſinceritatis & verborum, quæ ipſi enarrauerant: *Non videbitis faciem meam*, inquit, *niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum*, Gen. 43. Quod vbi factum eſt, quàm durè eos anteà, tam clementer poſteà excepit, & conuiuium eis inſtruxit ſplendidum atque opiparum. Hunc in modum Deus pater requiret à nobis in iudicio cuiuſque particulari fratrem noſtrum non vltimum, ſed primogenitum Chriſtum, verum Beniaminum, verum *filium dexteræ eius*, (tametſi & ipſe frater noſter minimus eſt) qui exinaniuit ſemetipſum vſque ad mortem crucis, noſtri etiam gratiâ in minima Euchariſtiæ ſpecie minimus efficitur, vt ſit teſtis fidei & amicitiæ noſtræ, velut fundator gloriæ. Hunc niſi in voto ſaltem, & vbi facultas fuit, reipsa à nobis ſuſceptum adduxerimus ad tribunal Dei, timeo vehementer ne velut exploratores è conſpectu eius eiiciendi ſimus. Cæterùm, Auditores, & hoc aduertendum eſt, bonúmne an malum ſit hoc teſtimonium. Scimus enim ex Apoſtolo, iudicium ſibi manducare, qui malè: vitam, qui bene manducat. Beniamin certè fratribus ſuis bonum teſtimonium fuit, quia bonos & veraces oſtendit. Viderint morituri vt ſimile teſtimonium habeant, neque indignè Chriſtum ſumant, dicentes ipſum eſſe amicum, cùm reuerà ſit inimicus. Scitis abſque dubio quanto ſuo malo tulerit Vrias literas propriæ mortis ad Ducem ſuum Ioab, ita ſonantes: *Ponite Vriam ex aduerſo belli, vbi fortiſſimum eſt prælium, & derelinquite eum, vt percuſſus intereat.* 2. Reg. 11. O funeſtum teſtimonium! Nihilo minus, longè acerbiùs ac funeſtius teſtimonium ſecum in ſinu feret, qui cum indignâ communione ad Deum hinc migrabit; dæmonum enim inſidiis expoſitus in articulo mortis, vbi prælium eſt fortiſſimum, heu percuſſus interibit. Mirum quid de charadrio aue minimâ ſcribit Ælianus libro 17. hiſtor. animal. cap. 12. nec non Albertus M. *l.* 23. *animal. lit.* C. quod ſi ictericum aliquem ſine nictatione ex animo reſpiciat, ſic affectum hominem ſuo obtutu ad ſanitatem reducat: ſin autem ab ægroto viſum auertat, indicet illum eſſe moriturum. Credant mihi ægroti: huiuſmodi auis minima Chriſtus Dominus eſt in minimâ S. Euchariſtiæ hoſtiâ. Hic ſi placido vultu & rectis oculis aſpiciat eos in ægritudine per dignam communionem, præclarus erit teſtis, tribuendam ipſis ſalutem æternam. At verò ſi indignè ſuſceptus vultum ab eis auerterit, mortem eis præſagit æternam.

Diximus alibi Wedekindum Saxonum Ducem vidiſſe in caſtris Caroli M. communicantes Chriſtianos, & Chriſtum in S. Hoſtiâ, ſpecie pueruli, ad alios quidem blando & ridente vultu, ad alios verò auerſo & renitente ingreſſum eſſe. *Infrà conc. 6.* Aſpiciat vnuſquiſque ſuam conſcientiam; & videat quo vultu aſpiciat ipſe hunc puerulum & minimam auiculam: quo animo erga ipſum affectus ſit; eodem enim vultu aſpiciet ipſum Chriſtus. Audiamus D. Chriſoſtomum *in libro de Sacerdotio* ita ſcribentem: *Quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, ſed dignus habitus, qui & id vidiſſet ipſe & audiuiſſet: quòd qui de hac vitâ migraturi ſunt, ſi myſteriorum huiuſmodi cum purâ conſcientiâ fuerint participes, ſpiritum efflaturi, ab angelis, illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud Sacramentum hinc rectà in cœlum adducuntur.*

C. II. *Velut viæ dux & index.*

Secvndò. Viæ dux & index. Ad cœlum omnes contendimus; ſed quâ ratione eò euolabimus? Aſpirarunt ſanè eò etiam Gentiles, ſaltem potentiores; ſed quia viderunt propriis ſe volatibus eò peruenire non poſſe, quid excogitarunt? Mortuo aliquo Principe & ſuper rogum poſito, cùm accendebatur rogus, dimiſerunt ex eius loculo aquilam in ſublime euolantem, quaſi ea Principis animam ad cœlum euectura eſſet, teſte Pierio *l. 19. hierogl.* Sed ò miſerum vectorem! Non habebant iſti, qui ad cœlum eos veheret aut viam cœli monſtraret: habemus nos Chriſtiani, & quem alium niſi Chriſtum, qui in ſuâ aſcenſione velut inſignis aquila cœlos penetrauit, eademque ratione nos ſecum euehere poteſt & portare in humeris ſuis, quomodo aquila ſolet geſtare in alis pullos ſuos. Nemo nobis viam cœli meliùs monſtrare poteſt, quàm qui in cœlo fuit & de cœlo deſcendit. Hic autem Chriſtus eſt, qui de ſeipſo ait: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo* (propriis ſcilicet viribus) *filius hominis.* Hic igitur viæ dux, hic index, hic *currus & auriga* nobiſcum accipiendus eſt, (quod fit in S. communione) cùm hinc ad cœlos emigrare volumus. Cùm aliquando domus Ioſeph occupare vellet ciuitatem Bethel, nec ſcirent ingreſſum eius, viderunt hominem egredientem de illâ ciuitate, duxeruntque ſecum vt oſtenderet eis introitum ciuitatis; atque ita nullo negotio occuparunt ciuitatem *Iudic.* 1. Quid verò *Bethel* niſi *domum* Dei ſonat? & quid niſi cœlum denotat? Hoc ergo qui violentâ manu expugnare & intrare vult, ducat ſecum hominem illum, qui inde egreſſus eſt, Saluatorem noſtrum, qui de ſeipſo ait: *Ego ſum via*, Ioan. 14. Felices Chriſtiani, qui aquilam illam grandem, ante ſuum obitum condunt in loculo pectoris ſui, vt cum eâ euolent ad cœleſtem gloriam. Felices, qui hunc hominem de cœleſti domo egreſſum ſecum ad eandem ducunt. Infelices contrà infideles & hæretici imprimis, qui eo deſtituuntur. Miſerandi etiam Catholici aliqui, qui vel culpâ ſuâ, vel etiam abſque culpâ frui hoc ductore nequeunt. Iure hi ingemiſcunt & cum deſolato illo languido dicunt: *Hominem non habeo, vt mittat me*

in piſcinam (cœli,) *Ioan.* 5. Hominem non habeo, qui mihi monſtret viam cœli. At nos Auditores, nunquid dicere poſſumus: Hominem non habeo? Aſpice ſacrarium: Ecce homo ille, qui expectat tuum ex hac vitâ abitum: non aliter ac Raphael, præcinctus & paratus ad ambulandum expectauit in foro Tobiam. vt duceret eum in Rages, *Tob.* 5. Neque ſolùm ducere, ſed & difficultates omnes à viâ amoliri nouit. Recordamini arcæ fœdoris, quæ populum Hebræorum iamiam ingreſſurum terram promiſſionis, duxit per Iordanem: geſtabant eam Sacerdotes & cùm ingrederentur Iordanem, ſteterunt aquæ à dextris & intumuerunt montis inſtar, quæ verò à ſiniſtris erant, defluebant in mare mortuum. Dum itaque fœderis Arca ſtetit in medio fluminis, tranſierunt ſiccis pedibus, quotquot erant Hebræi *Ioſ.* 4. Quid Iordanis ripa, niſi mortis propinquitas? Illic tranſeundum eſt; vnde S. Ioannes cap. 13. Chriſti mortem appellauit *tranſitum*; tranſeundum eſt, & per fluctus quidem dolorum, tentationum, anguſtiarum. Terrent maximè & minantur aquæ, quæ à dextris conſtitutæ in altum ſeſe erigunt, amara ſcilicet mortis memoria homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis, *Eccl.* 41. Quid igitur remedij? quis retroaget fluctus iſtos? quis inhibebit aquas, quò ſiccis pedibus tranſeamus? Afferatur ad nos arca humeris Sacerdotum, afferatur Euchariſtia, præeat nos per Iordanem; illa Sacerdotum operâ aquarum illapſus ſuſtinebit, & ſi voluerimus, ſicco nos veſtigio deducet in terram illam, ab omni culpâ immunes.

Verùm ad tanti momenti tantique periculi tranſitum præparatione bonâ opus eſt. *Viuere*, ait Seneca l. de breuit. vitæ cap. 7. *totâ vitâ diſcendum eſt.* Quin & mori quoque totâ vitâ diſcendum eſt. Sanctificent igitur ſe ægroti, & comparent cibaria operum bonorum, Sacerdotum monita ſequantur, magno demùm animo & fide Iordanis huius alueum ſubeant. Aderit Dei virtus. Exiguum interuallum eſt inter hanc & illam ripam.

D. III. Velut gladius ad defenſionem.

Tertiò, Gladius ad defenſionem contra incurſus hoſtium. Circumdari & oppugnari morientem à malignis ſpiritibus, nemo eſt qui dubitet & SS. literæ docent. At nonne in eo temporis articulo homo imbecilliſimus & ineptiſſimus eſt ad prælium? ſui ipſius obliuiſcitur, vix manum ad os ducere poteſt, & quomodo tunc pugnabit, niſi à fortiore aliquo adiutus? *O anima mea,* inquit D. Bernardus in lib. Medit. *quis erit ille pauor, cùm, dimiſſis omnibus, quorum tibi præſentia eſt tam iucunda, ſola ingredieris & ignotam tibi penitùs regionem: vbi occurrentia cateruatim teterrima monſtra videbis? Quis tibi in die tanta neceſſitatis ſuccurret? quis conſolabitur? quis te deducet?* Tum ſubdit: *Elige ergo illum tibi amicum tuum, qui, cùm omnia ſubtracta tibi fuerunt, ſolus tibi fidem ſeruabit in die ſepulturæ tuæ.* Quis verò hic amicus noſter, niſi Chriſtus Ieſus, quem per dignam communionem nobis agglutinamus? Si ſolus iter agere debeas per locum periculoſum, melior tibi amicus non eſt, quàm inſignis gladius, quo vitam tuam defendas. Talis porrò Euchariſtia eſt; vti ex illius figurâ diſcimus. Etenim *Iudic.* 7. periclitante Iſraëlitico populo propter obſidionem Madianitarum, immiſit Deus militi cuidam Gedeonis ſomnium, quo videbatur ei panis ſubcinericeus volui & deſcendere in caſtra Madian, cumque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud atque ſubuertit. Quod ſomnium cùm narraſſet miles ſuo commilitoni, reſpondit alter: *Non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis*; factumque vt pauculis viris Gedeon hoſtes fuderit ac fugarit, clamante toto exercitu: *Gladius Domini & Gedeonis.* Quid hic panis, quæſo, niſi Euchariſticum illum deſignat? Cùm ergo tibi inſtat obſidio Madianitarum, *litigantium* ſcilicet Dæmonum, (hoc enim ſonat Madian) arma te hoc pane; voluetur enim in caſtra illorum, eaque funditus ſubuertet, & erit tibi gladij inſtar quo Dominus ipſe pro te pugnabit. Huc fortaſſe reſpexit Apoſtolus cùm *ad Epheſ.* 6. ſcripſit: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores, tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitia in cœleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo & in omnibus perfecti ſtare.* Quinam ille dies malus, niſi dies agonis, quo cum morte pariter ac Dæmone luctandum? Ibi igitur accipienda eſt armatura Dei: & quæ aptior quàm ipſe Ieſus in S. Euchariſtiâ? Hac enim dum armamur, quaſi Chriſtum ipſum induimus, ipſius potiùs quàm noſtram perſonam referentes. Echinus marinus, vt ſcribit D. Ambroſius *lib.* 5. *Hexam. cap.* 9. præſentiens tempeſtatem, calculum validum arripit, eoque ſe velut anchorâ firmat prægrauatque contra fluctus. Quid ſalubrius nos docere hoc animalculum potuiſſet? Cùm igitur imminet nobis ſæua mortis tempeſtas & tentationum fluctus, calculum nobis quæramus, quo firmati ac prægrauati reſiſtere poſſimus. Calculus hic Euchariſtia eſt, de quâ intelligit Hugo Cardinalis quod legimus Apocalypſis 2. *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum.* Sanè olim Chriſtiani in tempeſtate perſecutionis, S. Euchariſtiâ ſe muniebant, ituri ad tribunalia, eculeos, cataſtas & ſupplicia, vt patet ex S. Cypriano l. 1. ep. 2. ad Cornelium. Qui etiam in expoſit. orat. Domini ait: *Non eſt idoneus ad martyrium, qui ab Eccleſiâ non armatur ad prælium; quia mens deficit, quam recepta Euchariſtia non erigit & accendit.* Eâ etiam de cauſâ dabatur tunc fidelibus Euchariſtia domum deferenda, vt eam inſtante periculo ſumerent, quod etiam Mariæ Stuartæ Scotiæ reginæ conceſſum à Pio V. Pontifice, vt in carcere poſita ante martyrium S. Euchariſtiam è ſuis ipſa manibus ſumere poſſet: apud Florim. *de Orig. hæreſ. l.* 6. *capite* 19. Sanxit etiam Anacletus, quartus à S. Petro Pontifex, vt incrudeſcente perſecutione omnes Chriſtiani priùs in officio Miſſæ S. Communionem ſumerent eaque

ſe roborarent ad martirij agonem. Cuius etiam rei typum in libro Exodi habemus, vbi Iſraëlitę non priùs bello infeſtati ſunt ab Amalecitis, quàm præuio manna & aquâ de petrâ ſatiati eſſent. *Exod.* 16. & 17. quaſi præmiſſo hoc munimento poſtea inuncti eſſent.

E. IV. Velut viaticum. QVARTÒ, Neceſſarium eſt viaticum ad vires corporis delaſſatas ſubinde reſtaurandas. Eliæ, tædio vitæ, mortem optanti (ob Iezabelis perſecutionem) atque adeò ad eam ſe iam quaſi componenti ſub iunipero defertur ab Angelo ſubcinericius panis, diciturq; *Surge & comede.* Comedit ergo aliquantulum; ſed cùm rurſum obdormiſſet, iterum adeſt Angelus, monens vt plus comedat; ſiquidem nondum extra periculum ſit & multam adhuc viam debeat conficere, donec in tuta veniat: indigeat proinde maiori & iteratâ refeſtione. *Surge*, inquit, *comede; grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb.* 3. Reg. 19. Panem illum deſignaſſe Euchariſtiam morientibus neceſſariam agnoſcit Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cit. cap. 8. dum ait: *Cuius vigore* (Euchariſtiæ) *confirmati ex huius miſeræ peregrinationis itinere ad cœleſtem patriam peruenire valeant.* Indiget ſanè infirmus hoc confortamento, quia grandis adhuc via ipſi emetienda reſtat; multæ enim Iezabelis ſeu mundi perſecutiones, multæ dæmonis tentationes vrgent morientem; via mortis aſpera, difficilis, tædioſa & armata eſt: ac licet ſenſus omnes penè oppreſſi ſint, nondum tamen extra aleam eſt; ſed viuit adhuc gugiculus prauæ concupiſcentiæ; vti clamabat bonus quidam ægrotus alibi relatus. Grandis denique via eſt perſeuerantia, quæ ad vltimum ſpiritum ſe extendit, eſtque omninò neceſſaria. Quam ob cauſam veriſſimè de his etiam dicere Chriſtus poteſt, quod de aliis peregrinis dixit Marci 8. *Miſereor ſuper turbam, quia non habent quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos, deficient in via.* Propterea S. Euchariſtia nomen viatici obtinuit retinuitque in Eccleſia, quod morientibus neceſſaria ſit ad conficiendam mortis viam, non minùs quàm viaticum eſt peregrinantibus. Lex apud Hebræos erat ne ſerui manumiſſi dimitterentur vacui, ſed vt daretur eis viaticum à dominis, de gregibus, areâ & torculari, *Deut.* 15. Ex quâ lege Cyrillus Alexandrinus *l.* 7. de adorat. in ſpiritu, deducit neceſſitatem S. Communionis in articulo mortis. Quando igitur Chriſtianus aliquis Deo in Eccleſiâ ſeruiuit vſque ad vitæ periodum, adeoque iam manumitti atque ad alteram vitam dimitti debet, iuſtum & æquum eſt vt detur ei viaticum corporis & ſanguinis Domini, agnuſque Dei immaculatus, qui tollit peccata mundi. Non ſolet autem Eccleſia negare id morientibus, imo omnibus modis hortatur, vti ne ſine illo diſcedere velint. Viderint ergo illi, qui hoc ſe munimento ſponte ſuâ priuant. Viderunt etiam gentiles Romani naturali quodam inſtinctu neceſſarium eſſe morientibus aliquod viaticum; argenteam enim monetam in ora defunctorum immittere ſolebant, ſicque eos efferre, quo nimirum extincti naulum ſoluere Charonti poſſent, quem dicebant ſtygium nautam, ad deuehendas in Elyſios campos illorum animas conſtitutum. Superſtitio hæc Gentilium fuit. Veritas Chriſtiana eſt, defunctorum animas, quæ in ſtatu gratiæ ſunt, deferri à SS. Angelis ad Elyſios cœli campos. Porrò non dubitandum, ſanctos illos vectores à morientibus Chriſtianis exacturos naulum ſuum. Quem verò alium ipſi exigent, niſi quem ſummè amant ac venerantur, Chriſtũ in Euchariſtia? Pluſquam aurea moneta eſt hæc SS. Angelis, quæ propterea etiam vocatur panis Angelorum, *Pſal.* 77. Eam verò requirent Angeli in ore defunctorum ſeu veriùs morientium, num videlicet iuxta Chriſti & Eccleſiæ præceptum exceperint ore naulum iſtum, priuſquam migrarent. Vidimus ſuprà S. Chryſoſtomo animas fidelium hoc viatico munitas rectà à SS. Angelis ad cœlos euehi. Felices qui hoc naulo benè inſtructi ſunt: infelices qui deſtituti: inſani qui eum negligunt. Licet verò pœnitentia iam præceſſerit vitamque ægro dederit, conſummatam tamen ſalutem non niſi adiuncta Euchariſtia dabit, cùm haberi commodè poteſt. Facilè eſt poſt pœnitentiam relabi in priora peccata; Euchariſtia ſingulare præſidium eſt ad perſeuerandum in acceptâ gratiâ, præſertim ſæpiùs dignè ſuſcepta; quod etiam ſuadendum infirmis, quando in infirmitate diutiùs detinentur. Audiuimus enim paulò ſuperiùs Angelum Eliæ iteratam & largiorem ſuaſiſſe refectionem; *quia grandis tibi reſtat via*, inquit. Hanc etiam ob cauſam Euchariſtia *panis Angelorum* appellatur *Pſalmo* 77. interprete Hugone, Quia Angelis propemodum pares & incorruptos facit. Potuit manna, de quo ad literam Pſalmus ibi loquitur, adeò confortare & incolumes ſeruare Hebræos in deſerto per annos 40. vt non eſſet *in tribubus eorum infirmus* (Pſalmo 104.) vt Moyſi iam ſeniculo non caligaret oculus eius, & dentes eius non mouerentur, (*Deuteron. cap.* 34.) vt Caleb anno ætatis 85. tam vegetus ac valens eſſet, quàm erat anno 45. (*Ioſ.* 14.) Et ſi hoc potuit manna præſtare corporibus, idem abſque dubio poterit Euchariſtia, crebrò, inquam, & dignè ſumpta, præſtare animabus. Hinc itaque ſancti viri in extremis poſiti ardentiſſimo deſiderio viaticum hoc expetebant; vti ſanctus Nicolaus Tolentinas, qui hanc cauſam addidit: *Vt tanto viatico munitus non deficiam in viâ ad cœleſtem patriam profecturus: & ſi ob demerita mea improbus Belial, hoſtis meus, mihi occurrerit, poſſim fidenter dicere: Dominus mihi adiutor & ego deſpiciam inimicos meos.* Itaque corpus Domini cum profuſiſſimis lachrymis ſumpſit, dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* In vitâ apud Sur. 10. Septemb. cap. 12. Aliqui etiam Sancti in extremâ neceſſitate, cùm humanitùs non potuere, cælitus Euchariſtiâ delatâ communiti ſunt. S. Ambroſius, cùm

è vitâ diſceſſurus Euchariſtiam deſideraret, nec iam fari poſſet, Honorius Vercellenſis Epiſcopus ter in ſomno admonetur vt abeat ad Ambroſium eumque communicet. Paulin. in vitâ. Beatus Stanislaus Koſtka Soc. Ieſu Euchariſtiam, quam in periculoſo morbo concupierat, ex Angelorum manibus, ductu Sanctæ Barbaræ mediæ inter eos incedentis, accepit. Sacchin. in eius vitâ. Sanctus Dionyſius Areopagita in carcere detentus & Euchariſtiam ante martyrium deſiderans, à Chriſto communicatus eſt. Hilduinus in eius vitâ. S. Lucia etiam iugulo perfoſſo mori non potuit, donec ſacram accepiſſet communionem. Aloyſ. Lipom. *in hiſt.* SS. Prætereo alia, quæ recenſet Dauroltius *in Catech. hiſt. cap.* 5. *t.* 18. Cæterùm vbi nullâ ratione haberi, vel etiam ob periculum irreuerentiæ ſuſcipi non poteſt, ibi ſufficit votum & deſiderium Euchariſtiæ, acceptatque Deus noſtram voluntatem; quomodo ferunt hiſtoriæ Hugonem de S. Victore, Doctorem Pariſienſem, zelo & virtute plenum, cùm ex morbi impotentiâ ſumere Euchariſtiam, non poſſet; dixiſſe præſente Euchariſtiâ: *Aſcendat filius ad patrem, & ſeruus ſequatur Dominum ſuum*; moxque euanuiſſe Euchariſtiam, ipſum verò obiiſſe. Ad extremum igitur rogemus, Auditores, vti ne hoc ſalutari viatico priuemur in extremis. Vrgeamus cum hodierno Regulo: *Domine aſcende*, &c.

CONCIO IV.

Extrema vnctio commendatur infirmis.

1. *A S. Scriptura partim ſub figuris, partim expreſſo verbo.*
2. *A fructu primario, qui eſt reliquiarum peccati deletio; & ſecundario, qui eſt ſanitas corporalis, bona mors, illuſtratio intellectus &c.*
3. *Commendat periculum imminens.*
4. *Conformatio cum Chriſto.*
5. *Ædificatio proximi.*

THEMA.

Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus. Ioan. 4.

A. Legit Eccleſia hodiernum Euangelium, cùm infirmis datur extrema vnctio. Nec immeritò; primò, quia in eo vocatur Dominus ad ægrum vicina iam morte, quo etiam tempore dari extrema vnctio ſolet. Bis rogatur Dominus, vt deſcendat: ita bis vocandus eſt ad ægrotum ſacerdos, primò vt veniat cum S. Euchariſtiâ: Secundò vt cum S. oleo. Deinde quia ibi conſecuta eſt ſanitas filij: quæ eadem tanquam ſecundarius effectus ſperari poteſt ab extremâ vnctione, ſi è re ægroti fuerit. Denique inſtanter Dominus rogatus eſt, vt deſcenderet ad ægrum: ita extrema vnctio inſtanter eſt petenda, nec facilè negligenda, quia morituro opportuniſſimum eſt remedium; quod proinde vobis, Auditores, impræſentiarum volo commendare.

B. I. *Commēdatur à S. Scriptura.* I. *In figuris.* 1.

Extremam igitur vnctionem ægris commendat Primò Scriptura ſacra, partim in figuris, partim apertè. Figuram arbitror, cum *Leuit.* 2. præcepit Deus: *Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila erit eius oblatio: fundetque ſuper eam oleum & ponet thus.* Simila ſignificat animam hominis morientis, quæ Deo offerri debet tanquam panis ſimilaceus & mundus, iuxta id ſancti Ignatij martyris: *Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Oleum & thus ſimilæ imponendum, S. Vnctionem intellige. Per oleum materia, per thus (quod orationem ſignificat) forma illius repræſentatur, iuxta id Iacobi vlt. *Vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum.*

2. Rurſum legimus Dauid ter inunctum eſſe. Primùm in domo patris ſui, 1. Reg. 16. Quæ vnctio ſignificat eam quæ fit in baptiſmo, quaque conſtituimur heredes futuri regni cœleſtis. Secundò, vnctus eſt in Hebron, vt regnaret ſuper domum Iuda, 2. *Reg.* 2. poſt quam vnctionem mala & aduerſa multa paſſus eſt. Hæc ſignificabat vnctionem confirmationis, per quam accipimus Spiritum ſanctum ad reſiſtendum diabolo, qui in vitâ, poſtquam ſapere incipimus, numquam non impugnat nos. Tertiò demùm vnctus eſt in regem ſuper omnem Iſrael, 2. *Reg.* 5. poſt quam vnctionem in pace regnauit. Et hæc denotat vnctionem noſtram tertiam & extremam, per quam datur nobis, vt ſuperatis hoſtibus tandem in regno illo, quod in baptiſmo nobis promiſſum eſt, pace fruatur æternâ.

3. Tertiò, Adumbrauit Dominus in Euangelio hoc Sacramentum, cùm Apoſtolos miſit, vt prædicarent pœnitentiam vngerent oleo infirmos ad ſanandum eos, *Marci.* 6. Hic enim velut typus & delineatio inſtituendi Sacramenti præmiſſus eſt à Domino, vti fere aliorum etiam Sacramentorum. Baptiſmi in baptiſmo Ioannis: Euchariſtiæ in conuiuio quinque panum: Pœnitentiæ in promiſſione clauium, &c.

II. *Expreſſo verbo.*

Denique apertè commendatur hoc Sacramentum Iacobi vlt. cùm ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Vbi habes omnia, quæ ad Sacramentum pertinent: Miniſtrum, presbyteros; formam, *Orent ſuper eum*; (continetur enim forma huius Sacramenti in certâ precum formulâ;) Materiam, *Vngentes eum oleo*; Effectum, Saluationem, alleuiationem, peccatorum remiſſionem. Promulgauit ergo hic Apoſtolus inſtitutionem huius Sacramenti, priùs vtique à Chriſto factam. Neque dicant hæretici: agere hoc loco Iacobum de gratiâ curationum, non de Sacramento; loquitur enim de vnctione tanquam de re ordinariâ & permanente; gratia autem curationum eſt res extraordinaria & ad tempus aliquod. Deinde iubet adduci presbyteros, non diſcipulos Chriſti, quibus gratia illa data fit.

Denique

Denique quia effectum aſſignat remiſſionem peccatorum, quæ per gratiam curationum non poterat obtineri.

C. II. *A multiplici fructu.*

Secvndò, Multiplex fructus huius ſacramenti, per oleum, quod eſt eius materia, ſignificatus. Primus & primarius eſt, reliquiarum, quæ ex præteritis peccatis ſuperſunt, deletio.

I. *Primario, qui eſt reliquiarum peccati deletio.*

Huiuſmodi autem reliquiæ ſunt Primo, Torpor & horror quidam ſeu triſtitia, quæ inuadit ægrotos, primo ex conſideratione mortis & dolorum præcedentium. Verè enim *terribilium omnium terribiliſſimum* dixit mortem Ariſtoteles; & Dominus ipſe in horto oliuarum:
1. mortem præ oculis videns cœpit pauere & contriſtari, vnde & ab Angelo confortatus eſt. Exhilarat ergo hoc Sacramentum ægrum & confortat, vt dum amici dolentes eum circumſtant, ipſe non deiiciantur, ſed ſeſe heroëm præſtet & *morbi incommoda ac labores leuiùs ferat*, vt ait Concilium Trid. quemadmodum & oleum naturale recreat membra, teſte Plinio *l. 12. c. 1.* qui effectus ſæpe tribuitur oleo in SS. literis.

Secundò, Ex conſideratione diuini iudicij breui ſubeundi. Etenim, vt Sanctus Gregorius lib. 24. moral. cap. 7. ait: *Creſcit pauor vicinâ retributione iuſtitiæ & vrgente ſolutione carnis; quantò magis diſtrictum iudicium iamiamque quaſi tangitur, tantò vehementiùs formidatur. Et ſi ea quæ ſciunt nunquam ſe prætermiſiſſe, meminerunt, formidant tamen ea quæ neſciunt, quia videlicet ſeipſos diiudicare & comprehendere omninò non poſſunt, atque vrgente exitu ſubtiliori metu terrentur, adeò vt cum propheta dicant: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Sic ille. Itaque Sacramentum hoc alleuiat & erigit hominem ad ſpem, magnam in eo miſericordiæ diuinæ fiduciam excitando, vt ait Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap 3. idque conforme eſt oleo, quod miſericordiæ diuinæ typus, vt in hiſtoriâ Samaritani; ſpei item, quod oliua ſemper viret. Tertiò ex conſideratione tentationum dæmonis, qui calcaneum, id eſt, exitum hominis potiſſimùm obſeruat. (*Gen.* 3.) & tunc ad hominem *deſcendit habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habeat*, Apoc. 12. Hinc etiam viri ſancti eo temporis articulo maximè timuerunt, & omnes animi ſui vires redintegrarunt, vt occurrere hoſti poſſent. Audi Franciſcum ſub id temporis loquentem: *Fratres*, inquit, *vſque nunc parum profecimus; incipiamus ſeruire Deo, redeamus ad humilitatis & nouitatis primordia.* Quare Sacramentum hoc corroborat ægrotum vt dæmoni inſidianti fortiùs reſiſtat; quemadmodum & oleum corroborat luctatores, qui idcircò ante luctam oleo inungebantur ad agonem, teſte S. Hyeronymo *in cap.* 14 *Oſeæ*. Scribit Pierius oleum in mare fuſum ſedare tempeſtatem. Veriùs ſacrum oleum ſedat fluctus tentationis à dæmone excitatos in agone mortis vbi maxima ſæuit tempeſtas. Sanè Chriſtianorum vnctionem odio & horrori eſſe dæmonibus, demonſtrat illa priſcorum ſacrificulorum, dum oracula dæmonis captabant, vox: *Procul hinc ſit lotus & vnctus*; quòd nimirum dæmones præſentibus Chriſtianis impedirentur à ſuis oraculis & deluſionibus. Atque hunc effectum deſignauit S. Iacobus, cùm dixit: *Alleuiabit eum Dominus*, & declarat Concilium Tridentinum loco cit.

Secundò, Huiuſmodi reliquiæ ſunt peccata 2.
tum mortalia, tum venialia, quæ per alia Sacramenta ac remedia remiſſa non ſunt, modò per attritionem diſpoſitus ſit æger & in ipſa ſuſceptione Sacramenti non peccet. Quare ſiquis poſt Sacramentum pœnitentiæ lethaliter peccauerit, eius verò peccati vel obliuiſcatur, vel peccatum lethale eſſe neſciat, vel poſtea in phreneſin incidat aut loqui ac confiteri nequeat, &c. abſoluetur ab eo per hoc Sacramentum. Et hoc inſinuat Sanctus Iacobus, cùm ait: *Et ſi in peccatis eſt, remittentur ei.* Declarat verò Concilium Tridentinum, cùm ait: *Vnctio Spiritus Sancti delicta, ſi quæ ſunt adhuc expianda, abſtergit.* Quòd ſi lethalia etiam peccata, modo prædicto, remittuntur in hoc Sacramento, multò magis venialia, quæ ſunt reliquiæ. Idque volunt ſibi illa verba formæ: *Per hanc vnctionem ignoſcat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum,* &c. Quare ſicut oleo, teſte Plinio *lib. 11. cap. 19.* exanimantur apes & omnia inſecta: ita hoc Sacramento reliquiæ peccatorum tolluntur.

Tertiò, Tales reliquiæ ſunt pœnæ tempo- 3.
rales, peccatis priùs remiſſis debitæ, quæ quidem vi huius Sacramenti remittuntur, tametſi non integrè, ſed iuxta menſuram inſtitutionis Chriſti: deinde plus vel minùs iuxta diſpoſitionem ſuſcipientis. Simili modo oleum vulnerum dolorem lenit, vt in parabolâ Samaritani videre eſt. Quare qui debitâ cum diſpoſitione Sacramentum hoc accipit, pœnas purgatorij mitiores vel etiam, ſi tanta diſpoſitio, nullas ſentiet. Si enim reliquiæ peccatorum tollantur per vnctionem, nihil erit reliquum igni purgatorio.

II. *Secundario.* 1. *Sanitas corporalis.*

Secundus & ſecundarius eſt Prima ſanitas corporalis, ſi nimirum expediat ægroto. Sanctus enim Iacobus ait: *Oratio fidei ſaluabit infirmum.* Suppetunt exempla, quæ hoc confirment. Refert vnum Sanctus Bernardus de Sancto Malachiâ in vitâ eius, quâ ratione obierit & precibus eius ad vitam reuocata, poſtmodum ab ipſo, ſacro oleo inuncta ſit & ſanitati reddita. Alios refert Hiſtoria Societatis Iesv *tom.* 1. *libro* 12. num. 41. qui poſt hanc vnctionem mox conualuerunt. Quidam verò æger, vulgi opinione ſeductus cùm renueret inungi, quòd diceret, omnes qui inunguntur, certò mori; nihilominus mortuus, poſtea Deo ita diſponente viuis narrauit ſe nec moriturum fuiſſe, nec diutiſſimis purgatorij pœnis addicendum, ſi ſacram vnctionem accepiſſet. Vnde hanc poſtea ſententiam pronunciauit: *Sacra vnctio non eſt mortis acceleratio, ſed dilatio.* Nicol. Dionyſ. *in Gemmâ prædicant. tract.* 2. *Deſtruct. part.* 2. & hinc crediderim raro conſequi hunc effectum, quia communiter creditur actum eſſe de illius vitâ

cui extrema adhibetur vnctio. At verò Sanctus Iacobus requirit *orationem fidei*, id eſt, coniunctam cum magnâ fide de implendâ Dei promiſſione, quomodo etiam oleum, ſed vino iunctum (vt in hiſtoria Samaritani, & ex Medicorum doctrina patet) ſanat. Quamuis etiam plerumque ſeriùs quàm oportet, hoc Sacramentum conferatur noſtro tempore: vnde nihil mirum, ſi rariùs conſequatur ſanitas. Non enim ab hoc ſacramento expectanda ſunt miracula, quale foret, ſi iamiam moriturus repentè conualeſceret; vti obſeruat Cardinalis Bellarminus de arte moriendi *lib.* 2. *cap.* 8. Denique ſicut oratio noſtra non auditur, quo modo funditur, quando non expedit nobis: ita res habet cum effectu iſto. Sufficiebat Regulo audiſſe: *Filius tuus viuit*; tametſi ad eum Chriſtus non deſcenderet, quod tamen petierat: ita ſufficit ægro ſalus animæ vel gratiæ augmentum hoc Sacramento obtentum, tametſi non ſequatur ſalus corporis.

2. *Bona mors.* Secundò, Procuratio bonæ mortis; iuuat enim plurimùm ad conſeruandam gratiam priùs in aliis Sacramentis acceptam; quemadmodum & oleum lucernæ affuſum conſeruat lumen, ne extinguatur.

3. *Inſtructio ex ceremoniis vnctionis.* Tertiò, His adiungi poteſt eruditio quædam & illuſtratio intellectûs, quæ ex cæremoniis huius Sacramenti prodit. Recitantur enim pſalmi pœnitentiales cum Litaniis omnium Sanctorum: vt intelligat æger ſine pœnitentiâ nemini moriendum, quantumuis ſibi iuſtus videatur, iuxta doctrinam S. Auguſtini, qui etiam pſalmos illos maiuſculis conſcriptos ob oculos ſibi decumbenti poni iuſſit, & crebrò recitauit. Sanctorum item adiutorium eſſe requirendum in tam periculoſo & ſingulari certamine.

1. (margin)

2. Deinde, oſtenditur illi ſignum crucis, quaſi ei dicatur, quod dictum eſt Conſtantino M. Imperatori, cùm paulò ante conflictum, oſtenſum eſt in aëre ſignum crucis, *In hoc ſigno vinces*.

3. Tertiò, Membra inunguntur ſigno S. crucis, vt hoc charactere notati & quaſi ſigillati bene ſperent, veluti oues Chriſti hac notâ ei conſignatæ; dæmon verò fugiat vaſa hæc ſignata.

4. Quartò, Multiplici voto & benedictione munitur & commendatur Deo, tanquam mox à nobis receſſurus ad longinquam terram, difficillimo itinere. Sacræ iſtæ preces tantum potuerunt apud Robertum, poſtea Romanorum Regem, vt qui priùs æger ab vnctione abhorrebat, quòd vulgi opinione perſuaſus mortem inde ſe incurſurum exiſtimaret, poſtea admiſſâ vnctione & auditis ſacris eius precationibus, diceret: *Reuerà ſi hoc Sacramentum ſciuiſſem tantum pro vtroque valuiſſe homine, quemadmodum iam audio, dudum ipſum deuotiſſimè poſtulaſſem.* Qui & inde conualeſcens, factuſque Imperator pluribus annis vixit. Ioan. Nider. *l.* 4. *formicarij cap.* 11.

D. III. A periculo imminenti. Commendat TERTIÒ periculum imminens. Quia tunc init homo difficillimum certamen cum dæmone, & pergit ad tremendum Dei tribunal; eſtque valde probabile, habere vnumquemque noſtrûm rationes nondum omninò compoſitas & ſecuras. Accedit, quòd tunc homo parum ſui potens & vix ſibi præſens ſit ob vehementiam dolorum, quia, vt S. Auguſtinus ait ſerm. 48. ad fratres in Eremo. *Illuc rapitur tota intentio mentis, vbi eſt vis doloris.* Quæ cauſa eſt, cur iis qui ſano corpore moriuntur, non detur hoc Sacramentum, quia cùm polleant iudicio & integris naturæ viribus, ſemet munire poſſunt Sacramentis confeſſionis & communionis: infirmis, & quidem grauiter ac periculosè laborantibus (vt habet vox græca, ἀσθενεῖ) datur. *Siquis infirmatur*, inquit Iacobus; Et: *Oratio fidei ſaluabit infirmum.* Quare ſicut temerè ageret, qui abſque armis prælio, abſque remis & remige alto mari ſe committeret: ita qui ad mortem ſine huius Sacramenti armaturâ & præſidio pergeret. Quid, quod fieri poteſt, vt quis ſine hoc Sacramento damnetur? Qui enim poſt ſacramentum pœnitentiæ peccat lethaliter, per hoc ſacramentum veniam obtinere poteſt, ſine eo damnabitur, ut diximus.

QVARTÒ, Confirmatio cum Chriſto. Per huius enim ſacramenti vſum teſtamur obedientiam noſtram erga Eccleſiam, matrem noſtram, vſque ad mortem, ſicut Chriſtus obediens fuit Patri vſque ad mortem crucis. In cruce extendit manus & pedes ſuos ſanguine cruentandos, vt crucifigi poſſet: ita æger in vnctione illa profert & præbet manus ac pedes ſuos oleo inungendos. In cruce Chriſtus, poſtquam omnes prophetiæ in ipſo completæ erant, dixit: *Conſummatum eſt*: ita in vnctione extremâ teſtatur æger ſe poſt ſuſcepta omnia Sacramenta, quæ ſuſcipere debuit, mori, nec quidquam eorum, quæ ad ſalutem eius neceſſaria ſunt, prætermittere velle. Vnde hoc ſacramentum à Concilio Tridentino ſeſſ. 14. vocatur *Conſummatiuum totius vitæ Chriſtianæ.* E. IV. A Chriſti conformatione.

QVINTÒ, Ædificatio proximi. Qui enim hoc Sacramentum negligit, cùm ſuſcipere commodè poſſit, proximum ſcandalizat, & venialiter ſaltem peccat, quia ſpirituale bonum aliquod prodigit. Vel ſi ex contemptu negligit, aut nouit inde alios ſcandalizandos; aut conſtitutus in mortali, alio remedio vti nequeat, mortaliter peccat. Eſt hoc Sacramentum proteſtatio fidei, quòd in fidei vnitate & communione conſtanter perſtiterimus; quod ægrum quidem maximè conſolatur, alios verò ædificat. Contrà qui id negligeret, meritò illuderent ei homines, dicentes: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit* (vel non voluit) *conſummare.* F. V. Ad ædificationem proximi.

CON-

CONCIO V.

Præſcripta patrisfamilias.

1.2. & 3. Explicatur qualis eſſe debeat erga coniugem, liberos & ſeruos: & adferuntur aliquot inſignium Patrumfamilias exempla.

THEMA.

Credidit ipſe, & domus eius tota. Ioan. 4.

A. CHilon, Græcorum Sapientum vnus, beatam illam dicebat eſſe familiam, *quæ ſimilis eſt vrbi, in quâ ſapiens Rex imperat*, teſte Plutarcho in conuiuio 7. *Sap.* Non malè, meo iudicio; qualis enim Rex, talis communiter & grex: & ſi bonus ſit paterfamilias, bona erit & familia. Videmus id luce clariùs in hodierno Euangelio, vbi Regulus poſtquam credidit, ſtatim ad Chriſti fidem perduxit omnem domum ſuam. Bonus ergo paterfamilias fuit Regulus iſte, quia boni Regis munere functus eſt in domo ſuâ. Cùm ergo quiuis paterfamilias in domo ſuâ Regulus quidam ſit, & tantum in ipſo poſitum eſſe conſtet, videamus, quæ potiſſimùm eius præſcripta ſint. Bonus fuit Regulus iſte erga coniugem, erga filium, erga ſeruos & totam domum ſuam.

B. I. Qualis eſſe debeat erga coniugem. PRIMÒ, erga coniugem; quod inde colligi poteſt, quia ipſe ad Chriſtum venit, ſalutem filio quæſiturus, longo nonnihil itinere; non vxorem ablegauit. Voluit ergo & vxori tanquam imbecilliori parcere ab itineris labore, & res maioris momenti qualis erat perſuadere Chriſto, vt deſcenderet ad ægrotum filium, & ſanitatem ei conferret, ipſemet peragere. Bene igitur præerit paterfamilias domui ſuæ, ſi ipſe foras prodeat, & externa negotia conficiat, vxorem domi relinquat, vt domeſtica curet; quod docet Ariſtoteles l. 2. Oecon. c. 1. E ſomnio quod vidit Ioſeph Gen. 37. intelligimus patremfamilias Soli, matrem verò Lunæ, filios deinque Stellis aſſimilari. Aſſerit enim Ioſeph ſe in ſomnio vidiſſe adorari ſe à Sole, Luná & Stellis vndecim. Hi verò erant pater, mater & vndecim fratres. Rectè vidiſti, ô Ioſeph: vt enim ſol regit diem, luna noctem; ita virum quæ foris ſunt, vxorem verò domi, adminiſtrare decet. Vir tanquam maius lumen maiora in ſe onera ſuſcipiat, vxori tanquam minori lumini minora relinquat. Deinde ſicut ſol ſuo lumine illuſtrat lunam, quæ alioqui proprij luminis parum valde habet: ita viri eſt docere coniugem, mediaque ſuggerere, quibus ea, ad quæ obligata eſt, complere queat. Propterea enim Deus maius lumen indidit viro quàm mulieri: voluitque illum varijs excoli ſcientijs, non mulierem. Adhæc in paradiſo præceptum de non comedendo ligno vetito, per ſeipſum ſoli Adamo intimauit: Adamus verò, Dei nomine (vt obſeruat Auguſtinus *l. 3. de Gen. ad lit. c.* 17. illud Euæ ſignificauit, ne & ipſa tranſgrederetur præceptum: volens indicare, mulierem à viro inſtruendam eſſe. Rurſum vti Luna infra Solem eſt: ita coniux marito ſubdita eſſe debet, nec leges illi præſcribere, ſed ab eo expectare. Sic enim ipſi mandauit Deus Gen. 3. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Quamuis igitur vxor ſapiens videatur, non patiatur tamen eius imperium maritus. Habemus exempla in diuinis literis, ex quibus diſcere liceat, quanta ſit mulierum impotentia, & ad quàm horrenda præcipitia viros ſuos adegerint. Prima Eua, non quidem Adamo dominari voluit, ſed conſilium ei dedit, vt pomum à Deo vetitum guſtaret, vnde mors & exitium totius poſteritatis conſecutum eſt. Conſilium autem illud Adamus accepit, neque auſus eſt reſpondere, quod Iob coniugi ſuæ reſpondit: *Tanquam vna de ſtultis mulieribus locuta es*; quia Euam valde diligebat; & (vt ſanctus loquitur Auguſtinus) delicias ſuas contriſtare nimiùm timuit. Exemplum Euæ ſecuta eſt Dalila vxor Samſonis, Iudicis ac Principis Hebræorum, quæ tam abſolutum imperium in virum accepit, vt vir nihil ei negare poſſet, & tandem per eam principatum & vitam amiſit. Salomonem autem olim feliciſſimum & ſapientiſſimum Regem, amor mulierum ad eam infelicitatem & inſipientiam adduxit, vt ſeptingentis vxoribus & trecentis concubinis, quaſi mancipium vile, ſeruiret. Quid de Achab Rege, & Iezabel eius coniuge dicam? Addictus erat Achab valde vxori ſuæ idololatræ; itaque ipſe quoque idola coluit, & conſentiens ſceleribus grauiſſimis vxoris ſuæ, atque dominari eam in regno ſinens, cauſa fuit, vt & ipſa & omnes filij, qui erant numero ſeptuaginta, occiderentur, & regnum ad alios tranſiret. Sed Achab meritas pœnas luit; quia ad ipſum pertinebat, coniugem in officio continere. Luna aduentante Solis lumine cedit, & abſcondit lumen ſuum: pari modo coniux cedat mariti imperio; tametſi conſilium prudens inſinuare ei poteſt. Hoc ipſum indicare, cùm volumus dicere, ſolemus: Non decet gallinam cantare ante gallum. Vir, principalis tibicen eſt, der Schalmeyer: vxor ſecundarius, der Sackpfeiffer / qui principali admodulatur, ſuamque cantilenam ipſi accommodare debet. Hinc *Prov.* 19. dicitur, *A Domino datur vxor prudens*; alij è Græco ſic legunt: *A Domino modulatur vxor viro.* Ex quo liquet vxoris eſſe ad viri tonum ac modulos ſeſe componere: viri autem proprium ſic ſemet ipſum temperare, vt vxor eius modulos, hoc eſt, mores & conuerſationem aſſequi poſſit. Alioquin hoc niſi obſeruent, matrimonij harmoniam & conſonantiam diſſoluent; quòd cum facillimè contingat, idcircò addit, Sapiens à Deo dari talem mulierem, quæ admoduletur viro. Habuit certè talem Regulus hodiernus, cuius præeuntem fidem ipſa ſtatim ſecuta eſt.

C. II. Erga liberos. SECVNDÒ, Erga liberos, quod hinc patet, quia pro ſalute filij ſolicitus ad Chriſtum ipſe perrexit, & tam inſtanter orauit: *Domine, deſcende, priuſquam moriatur.* Non miſit ad Chriſtum famulos, metuens ne commiſſionem parum cordi

cendi haberent, & re infectâ redirent. Neque ſolam corporis ſalutem filio quæſiuit, verum & animæ quoque; dum eundem ſuo exemplo & imperio ad Chriſti fidem adduxit. Bonus itaque paterfamilias liberorum ſuorum ſaluti ſpirituali & corporali ſolicitè inuigilet; ſpirituali tamen potiſſimùm, vt in timore Dei educentur. Amandi quidem ſunt liberi, ſed in ordine ad ſalutem eorum æternam. Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Regi interroganti quæ eſſet maxima negligentia? vnus ex ſeptuaginta interpretibus ordine quadrageſimus primus reſpondit: *Si quis non curat liberos, nec eos educandos quàm diligentiſſimè informat. Nam oramus*, inquit, *Deum ſemper non tam pro nobis quàm pro liberis noſtris, vt illis adſint omnia bona*, apud Ariſtæam. Diuus etiam Chryſoſtomus hom. De Anna & Samuelis educ. *An non abſurdum eſt*, inquit, *nos domum veterem, ruinam minantem fulcire, pecunias impendentes, fabros accerſentes, denique nihil non facientes; domum autem Dei (nam Dei domus eſſe debet adoleſcentis anima) ne vulgari quidem dignari cura? Vide, ne idem audias, quod olim audiêre Iudæi. Nam illi poſteaquam è captiuitate templum materiale conſpicientes neglectum, priuatas ædes ſuas exornarunt, adeò Deum exaſperârunt, vt mitteret eis prophetam, qui famem minitaretur, magnamq; rerum neceſſariarum penuriam, atque hanc comminationis cauſam eloqueretur: Vos quidem in domibus vndique habetis manſiones: domus autem mea deſerta eſt. Quòd ſi illum templi neglectum tantam excitauit iram Numinis, multò magis huius templi neglectus ad iracundiam prouocabit Dominum.* Communiter parentes ſatis ſe proſpicere filijs exiſtimant, ſi diuites eos relinquant; parum aut nihil curant, probòſne an improbos. Quos vel Ethnicus ille Socrates accuſat apud Xenophontem: *Qui filiis*, ait, *multis opibus proſpiciant, vt autem boni & egregij euadant, negligunt, ſimile quid agunt equos alentibus, quos belli diſciplinam non docent, multum verò pabuli exhibent. Sic enim equos habituri ſunt pinguiores, ſed rerum, quas præſtare oportebat, imperitos.*

Quare inprimis quærat paterfamilias, & conſtituat filijs optimum pædagogum ſeu magiſtrum, quemadmodum Regulus quæſiuit filio ſuo Medicum excellentiſſimum, Chriſtū; quandoquidem eis ipſe non ſemper adeſſe poteſt. *Vt enim agricolæ*, inquit Plutarchus de Inſtit. Liberorum *ſtirpibus pedamenta apponunt: ſic probi magiſtri accuratis præceptis admonitionibuſque adoleſcentes ſuffulciunt, vt mores recti inde germinent. Nunc verò etiam deſpuas in contumeliam quorundam parentum, qui priuſquàm futuri magiſtri vllum fecerint periculum, ignoratione aliquando aut etiam imperitiâ decepti, non ſpectatis, adeoq; etiam malæ notæ hominibus filios ſuos committunt.* In eoſdem inuehitur D. Chryſoſtomus hom. 60. in Matth. *Si burdonibus atque aſinis*, ait, *agaſo nobis præficiendus eſt, non parum vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut furem, aut rei eius imperitum præficiamus: ſi verò ad colendum filiorum ingenium pædagogus ſit nobis inueniendus, qui caſu oblatus fuerit, eum recipimus, nec conſideramus vllam artem hac artificio ſublimiorē inueniri. Quid enim maius quàm animo moderari? quàm adoleſcentulorum fingere mores? Omni certè pictore, omni ſtatuario, cæteriſq; huiuſmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuuenum animos fingere non ignorat.* Idemque repetit hom. 9. in 1. ad Timoth. *Vt fundus quidem ſit optimus cuncta molimur, eumq; fideli viro magno cum ſtudio tradimus: & agaſonem atque mulionē, procuratoremq; atque diſpenſatorem, qui nobis magnâ beneuolentiâ afficiatur, inquirimus. Cæterùm quod nobis omnium chariſſimum eſt, admodò negligimus, neque curamus, quo pacto filium noſtrum fidelo cupiam viro permittamus, qui ipſius ſeruare pudicitiam poſſit.* Porrò, quia non omnes pædagogi & præceptores tales ſunt, quales iſti requirunt, debet ſubinde pater coràm ipſe inſpicere filiorum inſtitutionem. Faciebat hoc Theodoſius Imperator, qui cùm filios Arcadium & Honorium Arſenio præceptori inſtituendos commiſiſſet, aliquando ingreſſus ſcholam, vidit Arſenium ſtantem, Arcadiumque auditorem ſedentem; moxque indignatus abſtulit filio Imperatoris inſigne, & ſtare eum detecto capite iuſſit, Arſeniumque ſedere, illud addens, *tunc prolem ſuam fore dignam imperio, ſi ſcientiâ æquè ac pietate fuerit imbuta.* Baron. *tom.* 4. *an.* 383. Nicephorus *l.* 11. *c.* 23. *l.* 4. *c.* 9. Viciſſim Dauid Rex, quia perpetuis ferè implicatus bellis, non potuit liberorum ſuorum educationi attendere, ſed totos aliorum inſtitutioni commiſit, inde factum; vt plures immorigeros filios habuerit, Abſalonem, Adoniam. Quæ etiam cauſa eſt, cur aliqui parentes optimi alioquin peruerſos habeant filios. Ioſaphat Rex optimus reliquit filium ſucceſſorem Ioram Regem deterrimum. Ioathan Rex bonus genuit Achaz virum malum, qui ei ſucceſſit in regnum. Ezechias Rex clementiſſimus & optimus habuit hæredem regni Manaſſem Regem crudeliſſimum & peſſimum. Ioſias Rex ſanctiſſimus ſucceſſores habuit filios valdè malos, Ioachaz, Eliakim, quorum prior regnauit ſolùm menſibus tribus, & abductus eſt captiuus in Ægyptum; poſterior regnauit annos vndecim, & propter peccata ſua ductus eſt catenis vinctus in Babylonem. Prouidendum igitur patrifamilias, vt optimos educatores filijs proſpiciat, & illorum interim inſpector ſit, nec tantùm inſtitutionis negotium alijs committat.

Quod attinet ad filias, præcipit D. Hieronymus ep. ad Lætam, eas à matribus non diſcedere. *Nuſquam abſque matre*, inquit, *procedat in publicum. Baſilicas martyrum & Eccleſias ſine matre non adeat*, *&c.* Nimirum vt Delphini catulos ſuos etiam adultos diu comitantur magnâ erga partum charitate; quin & paruos ſemper aliquis grandior comitatur vt cuſtos, (teſte Plinio *l.* 9. *hiſt. c.* 8.) ita filias ſuas comitari matres debent.

Præterea attendat pater, vt remoueat liberos à conuictu improborum. Vſitatus ſermo eſt: *Si cum claudo vicinus habitaueris, & ipſe claudus ambulare diſces.* Memorat Plutarchus *in Lac. Apophtheg.* cùm aliquando Hippocratidi obuius fuiſſet adoleſcens, quem amator ſequebatur, erubeſcenti adoleſcentulo: *Cum hic*, inquit, *oportet ambulare*,

ambulare, cum quibus conſpectum non mutes colorem; docens ex improbis conuictoribus nihil capi fructus, ſed probrum & ignominiam. Cyrus in aſperâ regione inter paſtores ferè victu frugali educatus, magnanimus euaſit, & vitiis æquè ac hoſtibus ſuperior fuit. At filius eius Cambyſes, patre bellis diſtricto, mollibus Eunuchis & mulieribus educandus traditus mollis & ignauus atque in ſubditos inſolens extitit.

Maximam verò ſolicitudinem adhibeat, filios iuuandi, cùm in vitia prolapſi ſunt, exemplo huius Reguli, qui vt febrim & periculum mortis à filio depelleret, omnem mouit lapidem, ad Chriſtum ipſus accurrit, multaſque adhibuit preces. Panthera aliquando, Plinio teſte l. 8. c. 17. cùm eius catuli in foueam cecidiſſent, in viâ ſedens hominis opem ſupplex implorauit, atque ad foueam duxit, quò illius ope catulos ſuos reciperet, è foueâ eximendos. Si hoc beſtia: quid agat pater, vt liberos in vitia delapſos ad frugem reuocet? Hîc ergo Chriſtus adeundus & precibus fatigandus, vti fecit S. Monica, quæ vt filium Auguſtinum, lapſum in Manichæiſmum, eriperet, lachrymarum riuos fudit. Deinde ſi verba nihil proficiunt, verbera addenda ſunt, teneræ præſertim ætati, ad vitia procliui. *Et pueri & feræ*, inquit Ariſtoteles l. 3. Ethic. *ipſas voluptates ſequuntur: ſunt ergo corripiendi, à licentiaque retrahendi pueri omnes*. S. Auguſtinus in epiſt. ad Fabianum ſuadet ipſi, vt caſtiget filium ſuum; ſiquidem alioquin non plus boni operis expectandum ſit in ſenectute, quàm fructûs ab arbore, in quâ priùs flores non apparuerunt. In lege quadam duodecim tabularum hæc verba extant: *Quicunque ciuis Romanus iuxta vel extra vrbis pomerium domicilium habet, filium decem annis maiorem ſeuerè habito. Quòd ſi fortè puer, quoniam vel otioſum vagari illum pater permiſit, vel nullum opificium docuit, flagitij quippiam commiſerit, æquè pater ac filius punitor.*

Denique ſicut Regulus noſter filium ad fidem inſtruxit, & exemplo ſuo induxit: ita patris eſt docere liberos ſuos ea, quæ Chriſtiani ſunt, & exemplo ſuo ducere, iuxta id Eccleſiaſtici 7. *Filij tibi ſunt? erudi illos, & curua illos à pueritiâ illorum.* Ita parentes Suſannæ, cùm eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſis; ex quo ipſa adeò timens Deum facta eſt, vt mori mallet, quàm peccato conſentire. Dan. 13.

D. III. Erga ſeruos.

Tertiò, Erga ſeruos, quod inde coniicio, quia gaudio impleti occurrunt hero ſuo, nunciantes & gratulantes ei filij ſanitatem. Quòd ſi herus durè & iniquè eos tractaſſet, non ipſi congauderent, ſed triſtarentur potiùs, & inuiderent ipſi hoc bonum. Ergo paterfamilias verè ſe patrem exhibeat erga ſeruos & domeſticos ſuos. Ita enim ſuadet Eccleſiaſticus cap. 33. *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem tracta illum.* Qui tamen ſi immorigeri & duræ ceruicis ſint, corripi etiam debent, iuxta regulam S. Bernardi lib. 4. de Conſid. *Ament te, domeſtici tui: ſi non, facito, & timeant.* nec non Eccleſiaſtici loco cit. *Cibaria & virga & onus aſino panis: & diſciplina & opus ſeruo.* Amorem timori præponit Bernardus: cibaria virgæ Eccleſiaſticus, vt ſciant heri priùs tentanda eſſe media humanitatis & beneuolentiæ, poſtea, ſi hæc non profecerint, adhibenda media timoris & correctionis.

Præterea Regulus iſte iter in ſe ſuſcepit, quod committere poterat ſeruis ſuis. Non ergo à laboribus eximat ſe paterfamilias, & omnes in ſeruorum dorſa reiiciat, ſed ſuos etiam humeros laboribus ſupponat. Ita olim fecerunt ditiſſimi etiam Hebræi: Abraham, licet ſupra 300. haberet vernaculos, quando diuerterunt ad eum peregrini, cucurrit ipſemet ad armentum & tulit inde vitulum, deditque eum puero (Iſmaeli filio, vt volunt Hebræi apud Liran.) qui ferret eum Saræ coquendum; coctas quoque epulas ipſemet appoſuit, & miniſtrauit menſæ, *Geneſ.* 18. Itaque pater, filius & mater omne hoc obſequium ſine famulis præſtiterunt. Gedeon totius Iſraëlis Iudex conſtituendus purgauit triticum in areâ, *Iudic.* 6. Saul iam factus rex boues agebat, 1. *Reg.* 11. Si hæc tanti viri, quantò magis opifices & ruricolæ ſuum etiam laboris penſum exhibere vnâ cum ſeruis debent? Imo Ariſtoteles in Oecon. ipſos ad laborem primos, ad quietem vltimos eſſe vult. *Expergeſci*, inquit, *decet priùs dominum quàm ſeruum, & cubitum ire poſteriùs.* Similiter Cato de ruſticâ, c. 5. & Cicero lib. 2. de diuin. hoc præceptum ruſtico dant: *Primus cubitu ſurgat, poſtremus cubitum eat.* Sic etiam mulier illa ſapiens, laudata à Salomone Prouerb. 31. *panem otioſa non comedit, ſed de nocte* (primâ vtique) *ſurrexit, deditque prædam* (cibum ſeu admorſum) *domeſticis ſuis & cibaria ancillis ſuis.*

Rurſum iſte regulus non videtur habuiſſe ſeruos ad pompam & ſplendorem. Non enim legimus ſeruos eius latera ſtipâſſe cùm accederet ad Chriſtum, ſed domi ad operas relictos, reuertenti primùm occurriſſe. Non ergo carent reprehenſione illi patresfamilias, qui ad ſolum ſplendorem multis vtuntur ſeruis. Audiant illi D. Chryſoſtomum *homil.* 28. *in Epiſtola ad Hebraeos*, in hæc verba perorantem: *ſint tibi etiam, ſi volueris, pueri duo. Sed pudor*, inquit, *eſt, ſi cum duobus ſeruulis matrona procedat. Non eſt pudor, ſed magis pudor eſt cum plurimis ambulare: fortaſſe enim etiam irridetis hæc audientes: Credite mihi, quia iſtud pudor eſt. Sicut nundinatores pecorum vel ſicut caupones vænalium ſeruulorum, ita magnum hoc putatis cum ſeruis plurimis ambulare.* Et infrà: *Dic mihi nonne Angeli ſoli totum mundum circumeunt, & pediſſequis nullis egent? num propterea nobis inferiores exiſtunt, indigentibus non indigentes?* Quæ familia illuſtrior fuit familiâ Noë, ex quâ poſt diluuium totus mundus prodiit? Et tamen nullos in arcâ ſeruos habuit: ipſe cum tribus filiis ſuis eorumque vxoribus omnia ſeruitia obiit, omnibus animantibus pabula ſua dedit.

Adhæc inter ſeruos Reguli apparet fuiſſe magnam concordiam, vt qui vnanimi conſenſu domino

ſu domino occurrerunt, & de horâ reſtituti filij interrogati, in eandem ſententiam reſponderunt: *Here horâ ſeptimâ reliquit eum febris.* Signum igitur hanc concordiam inter ipſos ab hero fuiſſe ſtabilitam; Magnum quid præſtabit, ſi hoc præſtet paterfamilias. Iuuabit porrò ad hoc conſequendum, non quoſuis admittere in familiam, ſed delectum meliorum habere; vti fecit Dauid, qui in Pſal. 100. ait; *Non adhæſit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoſcebam: detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar: ſuperbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.* Quales ergo admiſit? *Oculi mei ad fideles terræ: ambulans in viâ immaculatâ hic mihi miniſtrabat.* Sed & luſtrationem ſeruorum faciebat, & ſuperciliosos eiiciebat; ſubdit enim: *Non habitabit in medio domûs meæ, qui facit ſuperbiam.*

Denique non ſatis habuit Regulus fidem perſuaſiſſe vxori & liberis, perſuaſit etiam ſeruis ſuis; quia, teſte Ioan. credidit domus eius tota. Ergo paterfamilias ſaluti etiam ſeruorum ſuorũ ſpirituali conſulat, & quàm ſtrenuè poteſt, peccata illorum impediat ac redarguat. *Pro Chriſto,* inquit D. Auguſtinus tract. 51. in Ioan. *& pro vita æterna ſuos admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat beneuolentiam, exerceat charitatem; ita in domo ſuâ Eccleſiaſticum & quodammodò Epiſcopale implebit officium.* Non dicat cum Caino: *Num cuſtos fratris mei ſum ego?* Geneſ. 4. *mandauit* enim *Deus vnicuique de proximo ſuo,* Eccleſ. 17. quantò magis paterfamilias de domeſticis ſuis?

Nunc ad extremũ videamus talem patremfamilias, qualem hîc deſcripſimus. Fuit ſanè talis, ſiquis alius, Sanctus Elzearius Comes Ariani, vt habetur in vitâ eius capite 28. Primò enim conſtituit, vt omnes è domo ſuâ, quotidie Miſſam integrè audirent. Secundò, vt viuerent caſtè & purè: qui ſecus facerent, eos domo ſuâ expellebat. Nolebat enim, vt quiſquam pane ſuo veſceretur, quem ſciret peccato mortifero implicatum, ne alios inficeret, & ne eius peccatum fouere videretur. Tertiò, vt nobiles & milites, itemque virgines & matronæ ſemel in hebdomade confiterentur, & ſemel in menſe communicarent. Quartò, vt eædem virgines & matronę manè vſque ad prandium precibus & piis exercitiis vacarent: à prandio manuariis operibus ſeſe occuparent. Quintò, vt nemo auderet blaſphemare Deum, Beatam Virginem, aut aliquem Sanctorum, vel iurare temerè, vel inhoneſta proferre; (*corrumpunt* enim *bonos mores colloquia praua*) eum qui ſecùs feciſſet, in pane & aquâ ieiunare cogebat. Sextò, vt nemo luderet teſſeris aut alio luſu turpi & inhoneſto. Septimò, vt omnes pacem, amicitiam & concordiam colerent: ſi quis alium offendiſſet, mox cum offenſo rediret in gratiam. Octauò, vt quotidie à prandio aut veſpere inter illos, ipſo præſente, fieret collatio & collocutio de rebus piis & ſalutiferis. Noſtro quoque ſæculo B. Thomas Morus Angliæ Cancellarius & Martyr ita proles & familiam ſuam tam in literis quàm in virtute & pietate Chriſtiana inſtituit, vt de eâ ſcribat Eraſmus Rot. in frag. epiſt. lib. 27. *Haud domum rectiùs dixeris ſcholam & gymnaſium Chriſtianæ religionis. Nullus ac nulla illic eſt non vacans liberalibus diſciplinis frugiferæque lectioni, tametſi præcipua primaq; pietatis cura eſt. Nulla illic rixa, nullum petulantium verbum auditur, nemo conſpicitur otioſus. Ac tantam familiæ diſciplinam vir ille non ſupercilio turgiſus tuetur, ſed comitate ac beneuolentia. In officio ſũt omnes: ſed adeſt alacritas, nec deeſt ſobria hilaritas,* apud Stapletonum in vitâ; qui & hæc ſubiicit: *Caſtitatis eam curam habebat vt in diuerſis habitaculis miniſtri & ancillæ cubarent, & rarius conuerſarentur, nec niſi ob res neceſſarias feminæ in eam partem domûs prodirent in quâ agebant viri. In more habebat ſingulis noctibus cum domi eſſet, familiæ ſuæ bonam partem in Aulam domûs conuocare, antequam cubitum iret, pariterq; cum illis orare; & tres Pſalmos, omnibus genua flectentibus, recitare, Miſerere mei Deus; Ad te Domine leuaui: Deus miſereatur noſtri. His adiunxit, Salue Regina, cum collecta: & in fine, de profundis, pro defunctis. Hæc etiam Cancellarius regni facere non deſtitit. Non eſt paſſus quenquam ſuorum, diebus feſtis à diuino officio abeſſe; & quidem vt principio intereſſent, fecit. Diebus magis ſolennibus, Natalis Domini & Reſurrectionis, de nocte omnes ſurgere & toti officio adeſſe curauit. Quum aliquis ſuorum peccaret, ita obiurgabat & cum tanta lenitate, vt poſt obiurgationem magis amaretur.* Filius & tres filiæ eius ad menſam recitare Sacræ Scripturæ lectionem cum commentariis per vices debebant: de quâ etiam poſt menſam collationem inſtituebat. Denique eâ cum pietate ac grauitate familiam rexit, vt ad eum poſtea in carcere conſtitutum filia eius Margareta ſic ſcribat; *Quid eſſe arbitraris, pater chariſſime, quod in hac abſentiâ tuâ nos potiſſimùm conſolatur? Certè ipſa vitæ tuæ nobiſcum anteactæ memoria, conuerſatio tua ſancta, conſilia ſalutaria, exemplum virtutũ; ſpes ac fiducia fore vt hæc in te non perſeuerent modò, ſed & augeantur magis diuinâ adſtipulantur gratiâ.* Et talis quidem paterfamilias Morus fuit, ſic illam rexit, inquit Stapletonus. Hos imitentur vtinam omnes patresfamilias, vti & hodiernum Regulum, quo nimirum & de ipſis dici coram Deo poſſit: *Credidit ipſe & domus eius tota.*

CONCIO VI.

Quomodo principes terræ mirâ Dei operatione ad fidem adducti ſint.

1. *Quomodo Abagarus Toparcha Edeſſæ.*
2. *Conſtantinus magnus.*
3. 4. 5. *Bacarius Iberorum, Clodoueus Francorum, Adadus Auximitarum reges.*
6. *Rex Perſarum cum coniuge ſua Caſara.*
7. *Widekindus Saxonum dux.*
8. 9. 10. *Bogoris Bulgarorum, Geyſa Hungarorum, Miecziſlaus Polonorum Principes.*
11. 12. *Caſſanus Rex Tartarorum, item Palatinus Podoliæ: ex quibus varia colliguntur documenta.*

THEMA.

Niſi ſigna & prodigia videritis, non credi-tis. Ioan. 4.

A. EX libro Numerorum capite 10. diſcimus præcepiſſe Deum fieri duas tubas, quibus Hebræi conuocarentur, ſed diuerſa ratione. Modò enim vnica, modò ambæ inſlari debebant: ad hæc modò plano & æquabili tono, modò vario ſeu conciſo atque flexili. Populum quidem conuocari voluit Deus vtriuſque tubæ ſono, eoque plano & ſimplici. Principes verò vnius tantùm, vt ex Hebr. Septuag. & Ioſepho *libro 3. capite* 11. conſtat (quod noſter interpres vertit ſemel clangere) eoque vario & conciſo, ut colligitur ex verſu ſeptimo. Quid verò hæc ad nos, Auditores? Multum per omnem modum. Tubarum namque ſonum Euangelici præconij typum eſſe docet Cyrillus *lib. 5. de adoratione*. Cæterùm duobus potiſſimum modis Euangelium Chriſti per orbem propagatum mundoque perſuaſum eſſe ſcimus, prædicatione & miraculis. Prædicatio velut vna tuba ſufficere debebat terræ huius principibus vtpote capacioribus, vt conuerterentur: rudi & imperito populo ſi vtraque tuba inflaretur, prædicatio & miracula, nemo mirandum diceret. Propterea igitur Chriſtus cum Regulo in Euangelio hodierno videtur expoſtulare, quòd is præter Euangelium requirat etiam miraculum; quaſi ipſi dicat: Nónne vos principes & reguli magis ſapere quàm plebs adeoque vnius tubæ, prædicationis meæ, ſonitu contenti eſſe deberetis, iuxta legem Dei? Sed vt video, vobis quoque, quemadmodum & plebi, vtramque inflare tubam debeo, & doctrinæ miracula addere. Itaq; bonus Dominus & magiſter condeſcendit iſtis regulis, & præter Euangelicam doctrinam adiecit eis, ſaltem aliquibus, miracula, vt vel vtràque tubâ fidem perſuaderet. Videamus hic exempla.

B. I. Quomodo Abagarus Toparcha Edeſſæ.

PRIMÒ, Abagarus Rex ſeu Toparcha ditionis vltra Euphratem, (refert Nicephorus l. 2. cap. 7. & alij grauiſſimi auctores) reſidens in Edeſsâ ciuitate, cùm irremediabili detineretur morbo, audiens famam miraculorum Chriſti in Iudæâ, quomodo languores omnes abſque medicamentis curaret, rogauit eum per literas vt ad ſe venire dignaretur & ſe à morbo liberare; ſiquidem crederet ipſum aut Deum eſſe qui cœlos deſerens ad terras deſcenderit, aut certè Dei filium: dignaretur porrò ſecum habitare in ſuâ ciuitate, in quâ à Iudæorum inuidiâ & inſidijs ſecurus eſſet. Reſcripſit illi Chriſtus propriâ manu, ſe quidem ad ipſum venire non poſſe; ſiquidem oporteret eum ad Patrem, à quo exierit, iterum redire, poſtquam imperata eius feciſſet: hoc verò iter, vbi confeciſſet, miſſurum ſe illi vnum ex diſcipulis ſuis, qui non tantùm morbum eius abſtergeret, ſed etiam auctor illi foret ad meliorem vitam. Abagarus igitur, cùm de aduentu Chriſti deſperaret, maximo tamen eius videndi deſiderio teneretur, miſit peritiſſimum pictorem, qui faciem eius ad amuſſim delinearet. Sed cum hoc tentaret pictor, & in opere impediretur à fulgore faciei dominicæ: Chriſtus id aduertens, puriſſimo linteo faciem ſuam impreſſit & in eo ad viuum expreſſit, eamque dans pictori, miſit ad Abagarum. Exinde rex in Chriſtum credidit & medelam ab eo ſperauit. Ergò poſt Chriſti aſcenſum Thomas miſit eò loci vnum ex 70. diſcipulis, Thadæum; qui dum mira patrat in Edeſſena ciuitate, rex memor promiſſionis Chriſti, eum ad ſe vocari iuſſit, & cùm Chriſti diſcipulum eſſe perſpexiſſet, ab eodem manûs impoſitione mox ſanatus eſt; vti & filius eius Audus à pedum doloribus, ac multi alij. Prætereà ab eodem in fide inſtructus, iuſſit vt omnes ſubditi conuenirent & audirent prædicationem Thadæi & ab eo baptizarentur. Remanſit illa imago maximo cum honore in eâ vrbe, & præclara edidit miracula, de quibus luculenta extant teſtimonia apud Baron. anno. Chriſti 31. Ecce primum reguli noſtri ſectatorem, qui *credidit, & domus eius tota.*

C. II. Conſtantinus Magnus.

SECVNDO, Anno 312. Conſtantinus Magnus Imp. cùm de bello Maxentio Tyranno inferendo cogitaret, & Dei omnium creatoris, non Deorum, auxilium imploraret: ei poſt meridiem, crucis ſignum ex lucis ſplendore figuratum, in ipſo cœlo manifeſtè apparuit, in itinere cùm eſſet, ſpectante & obſtupeſcente exercitu in eoque hæc verba: *In hoc vince.* De ſignificatione oſtenti ſolicito & dormienti, Chriſtus Deus, cum ſigno in cœlo monſtrato, videndum ſe præbet, præcipitque vt exemplari ad imitationem illius fabricato, tanquam præſidio in prælio vtatur. Vnde mox Chriſtianæ religionis Profeſſores euocat Conſtantinus, & ab eis de Chriſto edoctus ſtatuit eum ſibi colendum eiuſque Sacerdotes ſibi Aſſeſſores adeſſe voluit. Itaque hoc ſigno armatus in hoſtem mouet, moxque territum fugat & in Tiberim præcipitem eum exercitu ſuo agit & ſuffocat: poſteà etiam plurimas inſignes victorias obtinet. Ex inde adhuc Catechumenus Chriſtianam religionem plurimùm promouit, gentiliſmum verò attriuit: plurimas etiam nationes ad fidei ſuſceptionem inuitauit & pellexit. Denique cùm leprâ laborarat, quam ex medicorum præſcripto, infantum ſanguine curare nitebatur, monitus ab Apoſtolis eſt per ſomnium, vt ab hoc deteſtabili balneo deſiſteret, & Silueſtrum Papam acceſſeret, qui piſcinam illi monſtraturus eſſet, in quâ ſalutem conſequeretur. Quod & factum eſt, dum baptizaretur anno Chriſti 324. Baron. ib. Eius baptiſterium amplâ & eleganti formâ adhuc Romæ integrum viſitur prope S. Ioannem in Laterano.

D. III. Bacurius Rex Iberorum.

TERTIÒ, Anno 327. Bacurius Rex Iberorum cum gente ſuâ, quæ iuxta Caucaſum habitat verſus mare Caſpium, per captiuam quandam piam fœminam ad fidem conuerſus eſt. Cùm enim filius eius infans grauiter infirmaretur & à nutrice ad alias feminas, de more eius gentis, medelæ gratiâ circumgeſtaretur, deuenit tandem ad captiuam Chriſtianam,

vultum obſcuraſſet.) Rurſum, *inquit, vidit hodierna die te primùm ſollicitum, & ad rem attentiſſimum: poſteaquam verò menſam adieras templo mediã, ita hilari mihi conſpectus es vultu, vt repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre, quòd de manu purpurati Sacerdotis ſinguli pulchellũ puerum in os ſuſciperent, quẽ quibusdã ludibundum arridere, vltrò properare: alijs verò abhorrentem auertiſſe vultum, & tamen in ora demiſſum, nec redeuntem aſpexi. Hoc quid ſit, necdum accipio. Tum Rex: Bene, inquit, profeciſti, plus tibi aliquid, quàm cunctis Sacerdotibus, & omnibus nobis oſtenſũ eſt. Inde mutata veſte, manu ſecũ abſtractum, docuit grande pietatis myſteriũ in altaris Sacramẽto. Qua re cognita, exhilaratum ducem oraſſe, vt proprium illi Sacerdotem permitteret, qui diuinæ rei curam haberet, crebriuſque in conſpectu perageret altaris ſacratum miniſterium. Rex etiam Pontificem illi daturũ promittit, modò illi habitationem Epiſcopo dignã prouideret. Ducem verò arcem ſuam ad VViſeram vtrinſque capacem oſtendiſſe, deditq́; in eiuſdem arcis non exiguo circo locum ædificandæ Eccleſiæ. Ferunt proinde nomen Eccleſiæ proueniſſe, quod meum & tuum, quaſi communis duorum poſſeſſio, ſonat in lingua Saxonum vernacula.* Min/Din. *Erat vir præcipua religione Herimbertus, qui cùm Carolũ latere non poſſet, dignus eſt habitus, quem primũ præficeret Eccleſiæ Mindenſi Epiſcopum. Adiecit illi miniſteriales non paucos, nec paruos: vt haberet Eccleſia defenſores ſuos. Illi verò quia ex imo gradu in nobilitatem excreuerant, vt partim Comites, partim Duces fierent, ſpreuiſſe matrem videntur. Ornata autem eſt Eccleſia iam tum ab initio multis Sanctorum Reliquijs, Felician: Fulginatis Epiſcopi & martyris: Theodori Epiſcopi, Carpophori & Habundi martyrũ. Profecit autem Eccleſia tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus ſub hoc pontifice: agente nouitio feruore in populo recens conuerſo. Inſtante nihilominus bono Pontifice, qui frugem diuini verbi curauit in populo multiplicari.* Refert Baron. & Brandenb. l.2. c. 5. ex Alberto Cranzio l.2. Saxon. cap. 23. & l. 1. metrop. cap. 9.

I. VIII. *Bogoris Bulgarorũ Princeps.*

OCTAVO, Anno 845, Bogoris Bulgarorum Princeps adhuc gentilis, cùm ingens fames Bulgarorum regionem occupaſſet, omnique deſtitueretur auxilio, Chriſtianorum Deum, (de quo iam anteà à ſorore edoctus erat) vt ſibi opem ferret, inuocauit, idemque facere omnem ſibi ſubiectam nationem iuſſit; & remedium impetrauit. Adhæc cùm inſatiabiliter venationi deditus eſſet, quâ oblectare ſe ſtudebat non modò cùm ſe venatum conferret, ſed etiam cùm otioſus eſſet domi, idque per animalium pictas figuras. Constructâ nouâ domo Methodium quendam monachum, arte pictorem, iuſſit domum illam picturis exornare. Verùm quaſi diuina quadam prouidentiâ ductus, non præſcripſit definitè, quænam & qualia pingeret animalia: verùm quæcunque ipſe vellet, iuſſit depingere; terribilia tamen eſſe quæ pingerentur, vt ſpectantibus terrorem & metum incuterent. Ille verò nihil terribilius ſciens ſecundo Chriſti aduentu, hunc ibi deſcripſit. Cumque iam finita illa eſſet pictura; conſpicatus Princeps ex alterâ parte, iſtorum cœtum coronari, ex alterâ verò impios puniri, & à pictore perceptâ picturæ mente, ſtatim propriam eiurat religionem, imbutuſque ab Epiſcopo diuinis myſterijs, intempeſtâ nocte ſacrum percipit baptiſma, & Michaël vocatus eſt. Cum autem cognouiſſent nationis præfecti, communem mutatum religionis cultum, in Principem conſpirantes, eum de imperio deijcere ſtudebant; quos ille paruâ, quam ſecum habebat, manu fudit fugauitque præeunte crucis ſigno, & inopinata re perculſos, Chriſtianos eſſe cit. Refert Ioan. Curopolates apud Baron. annò Domini 845.

K. IX. *Geyſa Hungarorum Princeps.*

NONO, Ante annum Domini milleſimum, Geyſa Hungarorum Princeps iam diu Chriſtiana ſacra cogitabat, eratque in eâ curâ totus, quomodo id perfici poſſet. Nocte igitur dormienti adſtitit iuuenis formoſiſſimus, prænuntians forè vt illi filius naſceretur, qui Chriſti cultum latè propagaret in Hungaricis regnis; ipſe modò experrectus occurreret Præſuli ſanctiſſimo, eique in omnibus rebus obediret. Euigilans Geyſa acceſſitis Chriſtianis nonnullis & intimis ſuis ſomnium narrat, & mox illi nuntiatur aduenire Adalbertum Pragenſem Antiſtitem, qui ipſum inuiſeret. Obuiam proceſſit Geyſa & quid ſibi ſomnium vellet agnouit, nomen Chriſto cum ſuis dedit; & vxori eius iam grauidæ apparuit in ſomnis Stephanus Protomartyr prædicens fore vt pareret filium, cui primo dignitas regia inter Hungaros deberetur, eique nomen imponeretur Stephani. Atque ita contigit vt præſignificatum. Bonfinius *lib. 1. dec. 1.*

L. X. *Miecislaus Polonorum Princeps.*

DECIMO, Anno 965. Micziſlaus Polonorum Princeps (Mieſca vocatur à Witikindo, qui temporibus illis vixit) cùm ſeptem, more barbarico, vxores ſeu concubinas haberet, neque ex ijs vllam poſſet prolem ſuſcipere, perſuaſus eſt à quibuſdam Chriſtianis, fore, ſi CHRISTO nomen daret, vt filios gigneret & magnâ felicitate poſteri eius florerent. Neque res fefellit. Drahomiram namque (alij Dambroncham vocant) vxorem duxit regis Bohemi filiam, Chriſto ſe adiungens, & nobiliſſimâ cœlitus progenie eſt honeſtatus. Baron. anno 965. Simili euentu Zaccomus Dux & anteſignanus vnius tribus Saracenorum ad fidem conuerſus eſt cum totâ tribu ſuâ, poſtquam precibus alicuius monachi filium obtinuiſſet, apud Niceph. lib. 11. cap. 45.

Zaccomus Dux Saracenus.

M. XI. *Caſſanus Rex Tartarorum.*

VNDECIMO, Anno 1298. Rex Tartarorum Caſſanus, quem vocant alio nomine Magnum, cum ducentis equitum millibus Syriam cepit, & finitimas regiones. Omnibus itaque formidandus petijt ſibi vxorem filiam regis Armeniæ, quod audiſſet eſſe pulcherrimam. Rex Chriſtianus tanti regis viribus exterritus, dedit. Illa poſt aliquod tempus viro ſuo Caſſano edidit in lucem partum tantæ deformitatis, vt rex maritus nullo modo illum veluti ſuum voluerit agnoſcere; quòd monſtrum videretur. Vocat ad conſilium primarios; de ipſorum ſententiâ vxorem

veluti adulteram, partum, veluti ex adulterio ſuſceptum vltimo ſupplicio adiudicat. Innocens mulier infelicitatem ſuam deplorans ad preces confugit; ignata conſilij petijt, vt ſibi liceret baptizare quem peperiſſet. Data illi facultas, ita tamen, vt adeſſent baptiſmo aliqui fidei ſpectatæ viri, vnà cum rege, nequa fraus fieret. Mira res, vbi baptizatus eſt puer, adeò venuſtus ac formoſus apparuit, vt rex tantâ re permotus, cum plurimis nomen Deo dederit, & maximum rei Chriſtianæ factum fuerit incrementum. Hæc Ioannes Villaneus qui illis temporibus fuit lib. 8. c. 35.

N. XII. Palatinus Podoliæ. DVODECIMO, Recentius eſt quod ſcribit Florimundus Ræmundus *de orig. hæreſ. lib. 4. c. 11.* de Palatini Podoliæ notabili conuerſione. *Palatinus hic*, inquit, *cùm die quodã Sacerdoti Catholico plus pietatis quàm doctrinæ habenti, vellet illudere, hominem ad prandiũ inuitârat. Menſæ aſſidentem, Palatino innuente, Prædicãs quidam varijs quæſtionibus vrgere cœpit, iam caput aliquod doctrinæ, iam Papæ tyrannidem, iam diſſolutam Eccleſiaſticorum vitam in medium proponens. Tacet ad omnia bonus ille Sacerdos, ac ſtrenuè interim appoſitis veſcitur. Tandem ad Palatinum conuerſus: Quid hîc hominis eſt, quæſo? O, inquit; Equidem ad prandium, non ad diſputationẽ inuitatus ſum. Ibi riſu ſolui omnes, & boni Sacerdotis ſimplicitatem, vel potiùs inſcitiã (ita enim videbatur) ludibrio habere. Tum ille; Equidem, inquit, iam hoc agam, & prandebo; vbi pranſus fuero, tum fortè homini iſti reſpõdebo. Sublatis menſis, Sacerdos ita inſit: Hodie ſacrum in altari peragens, hac vſus ſum precatione: Diſcerne cauſam meam de gente non ſancta. Spero ſanè hunc ipſum Deum pro ſua omnipotentia & miſericordia preces has meas exauditurum. Facto deinde Crucis ſigno, Prædicantẽ ita alloquitur: In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, per Dei, cuius ego indignus ſeruus & Sacerdos ſum, auctoritatem & poteſtatem mando tibi maligne ſpiritus, vt obmuteſcas, nec per os iſtius hominis loquaris. Quid fit? vix ille hæc verba pronunciauerat, cùm ecce Prædicans piſce magis mutus ſedet. Tum Sacerdos iterum; Iam, inquit, vt homo loquere: & tibi reſpondebo. Hactenus enim cum maligno illo ſpiritu, qui per os tuum locutus eſt, & tam atroces contra Ieſu Chriſti ſponſam iniurias euomuit, verba cõmutare religioni mihi duxi. At Prædicans fruſtra loqui conatus, cùm ne gry quidem proferre poſſet, demiſſo capite, totus pudore perfuſus inde ſe proripuit, omnibus hoc miraculo obſtupefactis. Illi tamen eidem, muto quidem, nihilo tamen minùs aſtuto diabolo color non defuit, quo hanc Prædicantis infamiam palliaret, vi magicæ artis factum eſſe dictitans à quâ tamẽ ſuſpicione Gorſcium (id enim nomen erat Sacerdoti) vitæ ſimplicitas atque innocentia facilè vindicabat. Palatinus verò miraculo obſtupefactus, in ſe rediens, errore, in quo educatus fuerat, abiurato, vnà cum familia ſua ad Catholicam Eccleſiam eſt reuerſus, & in ea conſtanter perſeuerauit: quem Pibracus noſter tam ob ſingularem eruditionem & eloquentiam, quàm armorum vſum & rei bellicæ peritiam maiorem in modum laudare eſt ſolitus.*

Diſce hinc. 1. Ex dictis varia documenta poſſumus colligere. Primò quàm bonus ſit Deus noſter, qui tam ſuauibus & mirabilibus medijs voluit terrarum principes, veluti ad credendum & fidei humilitatem difficiliores ad ſe pertrahere, ſeque eis accommodare. Sufficiebat quidem, vocaſſe eos per nudam & ſimplicem prædicationem. ſed quoniam illi ad hanc duriores ſunt, & ægrè ſe ſubmittunt iugo alicui, aut doctrinæ: *numquid enim ex principibus aliquis credidit in eum?* aiunt Phariſæi) ideò ſpecialibus quibuſdam gratijs ac ferè per miracula ad ſe trahere eos voluit.

Secundò, Principum ac regum iſtorum zelum ac feruorem, licèt recèns conuerſorum. Nõ enim ſatis habebant, quòd ipſi conuerſi eſſent, ſed inſuper domos ac gentes ſibi ſubditas conuertere ſtuduerunt, ac verò conuerti iuſſerunt. Nimirum ad exemplum hodierni reguli, qui cum totâ domo ſuâ credidit. Sic enim decet facere patresfamilias in ſuis ædibus, Principes in ſuis Ducatibus, &c. 2.

Tertiò, Fidei Chriſtianæ comprobationem, quæ tantis miraculis principum animos obtinuit, & tam mirabiliter per orbem propagata eſt. Sic enim intelligimus non temerè credidiſſe primos Chriſtianos: ac ſicut Thomas tangendo Chriſti carnem confirmauit cæteros Apoſtolos: ſic illi nos confirmant. 3.

Quartò, Vanitatem hæreſeon, quæ nihil horum afferre queunt; quibus ipſę propagatæ ſunt. 4.

Quare meritò cum Apoſtolo Petro 1. Pet. 2. dicere vobis, Auditores, poſſum: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.*

CONCIO VII.

Prodigia & miracula in mundi conuerſione exhibita.

Primum fuit Idololatriæ euerſio.
2. *Paucorum Apoſtolorum mira prædicatio.*
3. *Doctrinæ difficultas tam quoad intellectum, quàm voluntatem.*
4. *Conſtantia credentium.*
5. *Mutatio morum in hominibus.*

THEMA.

Niſi ſigna & prodigia videritis, non credetis. Ioan. 4.

MERITÒ nobis terrorem inijcere deberet reſponſio illa Domini, quâ Regulo in hodierno Euangelio exprobrat incredulitatem ſigna deſideranti. Si enim reprehenditur, qui fortè ſignum non vidit: quomodo non reprehendentur, qui poſtquam viderunt ſigna, adhuc tamen nolunt credere, vel ſaltem aliter viuunt quàm credunt? Nos certè dicere non poſſumus, quòd ſigna non viderimus: qui magnum illud ſignum conuerſionis mundi videmus & palpamus. Vnde ſi fortè noſtrûm quis ſignum aliquod peteret; meritò audiret id quod Phariſæi *Matth. 12.* deſiderantes ſignum videre: *Generatio mala & adultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ prophetæ.* Signum condemnationis, vt vult Maldonatus, quia tot viſis ſignis non cre- A.

ed by Google

crediderunt. Vnde ſubdit Dominus: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſtâ & cõdemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quam Ionas hic.* Etenim Niniuitę crediderũt Ionę prophetæ licet ignoto postquam vnius diei iter in ciuitate progreſſus eſſet prædicando. Mox enim vbi *peruenit verbum ad aures regis, omnes induti ſunt ſaccis & ieiunauerunt &c.* Multò maius ſignum eſt conuerſio mundi, facta per Apoſtolos & eorum ſucceſſores. Nam poſt 40. annos iam exiuerat ſonus eorum in omnem terram, teſte Apoſtolo ad Rom. 10. Et poſt 300. annos, cùm peruenit verbum ad Imperatorem Conſtantinum, ipſe primus Chriſtum induit & poſt eum Romanum Imperium ac paulatim vniuerſus orbis. Hoc verè miraculorum maximum eſt, quod incredulos in die illâ condemnabit. Surgent Niniuitæ; ſurget orbis totus Chriſtianus & illos accuſabit, quòd tam ſtupendâ orbis conuerſione visâ & palpatâ, ipſi vel non crediderint vel non ita vixerint, ſicut fides præcipit. Quantum igitur prodigium ſit mundi conuerſio, videamus.

B. I. Idololatriæ euerſio. PRIMVM Miraculum, Idololatriæ euerſio, quæ per tot ſecula in vniuerſum orbem diffuſa erat & altiſſimas radices egerat, quæ à tot Principibus & Monarchis gladio, à tot argutiſſimis philoſophicis rationibus mordicus defendebatur, & carni, cui omnem licentiam permittebat & frænum laxabat vitijs quibuſcunque tam accepta erat. 1. Ac Primò quis neſcit quàm tenaces ſint homines auitæ religionis? Sanè Pythius Apollo conſulentibus Athenienſibus de religionis obſeruantiâ, reſpondit, patriam religionem & quam coluiſſent eorum maiores, retinendam eſſe. Deinde quàm difficulter deſeratur id quod ab omnibus vel pleriſque tenetur? rurſum quàm ægrè dimittatur id quod carni blanditur? Experimur hoc in hæreticis noſtris, qui licet abſurdiſſima habeant dogmata & ſpurciſſimos eorum architectos, hæreſin tamen non abiurant, quia ipſis hæreditaria & carni valde accepta eſt. Et tamen Ethnicorum ſuperſtitio extirpata eſt à Chriſto: quod indicauit lapis ille de monte abſciſſus ſine manibus, qui comminuit ſtatuam Nabuchodonoſoris Dan. 2. quique poſtea factus eſt mons magnus & impleuit vniuerſam terram. Hic enim lapis, Chriſtus eſt, ſine virili operâ conceptus, qui contriuit Idololatriam per omnia regna diffuſam: factuſque eſt mons magnus & impleuit totum orbem. Quâ de causâ Luc. 20. comparat ſe Dominus lapidi angulari qui factus eſt in caput anguli, & ait: *Omnis qui ceciderit ſuper illũ lapidem, conquaſſabitur: quem autem ceciderit, comminuet illum.* Etenim iuxta prouerbium illud: **Falt der Stain auff den Krueg/ ſo zerbricht er: Falt der Krueg auff den Stain/ ſo zerbricht er auch**: cecidit Chriſtus eiuſque religio ſuper Idololatriam vtpote iam exiſtentem & contriuit eam: cecidere poſtmodum hæreſes ſuper Chriſtum vtpote præcedentem, & ſimiliter contritæ ſunt.

2. Secundò Mundus & diabolus velis remiſque contendebant Idololatriam defendere fidemque Chriſti extinguere. Armauit enim ad hoc penè omnes Imperatores per trecentos annos: qui inexplebili ſiti in Chriſtianorum ſanguinem ſæuiebant, omniſque generis machinas & tormenta excogitabat ad eos excarnificandos. Si difficile eſt vrbem muris & vallo munitam occupare, quanto difficilius ſi etiam obſiſtant præſidiarij milites, tormenta, machinæ? Quòd ſi dormiſſet Ethnici, ſicut dormierunt Catholici cùm Lutherus ſuperſeminauit zizania, mirum adeò non fuiſſet; ſed vigilabant illi & quidem plurimi immaniſſimi Imperatores: vti Nero, Traianus, Adrianus, Decius, Diocletianus, Maximianus, Valerianus, Maxentius, Maximinus, Iulianus & alij, qui omnibus diaboli tormentis excogitatis, equuleis, vngulis & pectinibus ferreis, ollis bullientibus, craticulis, crucibus, in Chriſtianos debacchati ſunt occiſorum prætereà corpora auibus & canibus dilanianda obiecerunt, vel in mare demerſerunt; adeò vt ipſoſmet gentiles humanitatis tantùm causâ puderet ac tæderet. Sed & ipſa terra prodigioſo quodam modo exhorruiſſe rabiem illam videtur, cùm ſereno & ſudo cœlo columnæ ipſæ publicorum operum guttatim fluxerint, fora & plateæ humore maduerint, omnibus ſtupentibus, & quaſi terræ & lapidum lachrymas de tantâ hominum feritate agnoſcentibus: Baron. anno 307. Cùm verò Imperatores non ſufficerent ad necandos Chriſtianos, ideò ſub Diocletiano & Maximiano vulgatum erat edictum, vt cuilibet volenti liceret impunè Chriſtianum occidere, vt eſt apud eundem anno 303. Tuncque verè dic erepoterant Chriſtiani id Pſalmi: *Quoniam propter te mortificamur totâ die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Proptereà enim à gentilibus vocabantur *Biothanati*, id eſt, violenter perituri, teſte Tertul. l. de animâ cap. 57. Et *Sarmentitij*, à ſarmentis, in quibus ordinariè comburebantur, teſte eodem in apolog. aduerſus gentes c. 46. Si qui perſecutorũ mitiores videbantur, ſtatuebant: *ſi ſeductoſi non ſunt, ne inquirantur; ſi ſemel in iudicium pertracti fuerint, ne elabantur.* Adhæc doctrinam Chriſti qui profitebantur, omnibus dignitatibus & muneribus excludebantur; pueri in ſcholas eorum non admittebantur; exponebantur in gymnaſijs dialogi quidam ſuppoſititij Chriſti & Pilati, alijque libri in contumeliam Chriſti conſcripti, impietatibus & blaſphemijs pleni, quibus odium nominis Chriſti à pueritiâ imbiberetur: libros conſcripſerunt in Chriſtianos vti Vlpianus. Loca religioſa in quibus Chriſtus aliquid præclarum fecit vel ſuſtinuit, turpiſſimis Idolorum ſtatuis, Veneris, Adonidis, &c. conſpurcabant, vt inde memoriam & cultum Chriſti abolerent. Sub Diocletiano & Maximiano, non licebat in foro emere quid Chriſtianis, niſi thura priùs, poſitis ad hoc ſtatuis, adolerent: nec non circa inſulas, vicos & aquas poſiti fuére compulſores, qui

cordi haberent, & re infectâ redirent. Neque ſolam corporis ſalutem filio quæſiuit, verum & animæ quoque; dum eundem ſuo exemplo & imperio ad Chriſti fidem adduxit. Bonus itaque paterfamilias liberorum ſuorum ſaluti ſpirituali & corporali ſolicitè inuigilet; ſpirituali tamen potiſsimùm, vt in timore Dei educentur. Amandi quidem ſunt liberi, ſed in ordine ad ſalutem eorum æternam. Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Regi interroganti quæ eſſet maxima negligentia? vnus ex ſeptuaginta interpretibus ordine quadrageſimus primus reſpondit: *Si quis non curat liberos, nec eos educandos quàm diligentiſsimè informat. Nam oramus,* inquit, *Deum ſemper non tam pro nobis quàm pro liberis noſtris, vt illis adſint omnia bona,* apud Ariſtæam. Diuus etiam Chryſoſtomus hom. De Anna & Samuelis educ. *An non abſurdum eſt,* inquit, *nos domum veterem, ruinam minantem fulcire, pecunias impendentes, fabros accerſentes, denique nihil non facientes; domum autem Dei (nam Dei domus eſſe debet adoleſcentis anima) ne vulgari quidem dignari cura? Vide, ne idem audias, quod olim audiêre Iudæi. Nam illi poſteaquam è captiuitate templum materiale conſpicientes neglectum, priuatas ædes ſuas exornarunt, adeò Deum exaſperârunt, vt mitteret eis prophetam, qui fames minitaretur, magnamq; rerum neceſſariarum penuriam, atque hanc commenationis cauſam eloqueretur: Vos quidem in domibus vndique habitis manſiones; domus autem mea deſerta eſt. Quòd ſi illius templi neglectus tantam excitauit iram Numinis, multo magis huius templi neglectus ad iracundiam prouocabit Dominum.* Communiter parentes ſatis ſe proſpicere filijs exiſtimant, ſi diuites eos relinquant; parum aut nihil curant, probòſne an improbos. Quos vel Ethnicus ille Socrates accuſat apud Xenophontem: *Qui filiis,* ait, *multis opibus proſpiciunt, vt autem boni & egregij euadant, negligunt, ſimile quid agunt equos alentibus, quos belli diſciplinam non docent, multum verò pabuli exhibent. Sic enim equos habituri ſunt pinguiores, ſed rerum, quas præſtare oportebat, imperitos.*

Quare imprimis quærat paterfamilias, & conſtituat filijs optimum pædagogum ſeu magiſtrum, quemadmodum Regulus quæſiuit filio ſuo Medicum excellentiſſimum, Chriſtū; quandoquidem eis ipſe non ſemper adeſſe poteſt. *Vt enim agricola,* inquit Plutarchus de Inſtit. Liberorum *ſtirpibus pedamenta apponunt: ſic probi magiſtri accuratis præceptis admonitionibuſque adoleſcentes ſuffulciunt, vt mores recti inde germinent. Nunc verò etiam deſpuas in contumeliam quorundam parentum, qui priuſquàm futuri magiſtri vllum fecerint periculum, ignoratione aliquando aut etiam imperitiâ decepti, non ſpectatis, adeóq; etiam malæ notæ hominibus filios ſuos committunt.* In eoſdem inuehitur D. Chryſoſtomus hom. 60. in Matth. *Si burdonibus atque aſinis,* ait, *agaſo nobis præficiendus eſt, non parum vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut furem, aut rei eius imperitum præficiamus: ſi verò ad colendum filiorum ingenium pædagogus ſit nobis inueniendus, qui caſu oblatus fuerit, eum recipimus, nec conſideramus vllam artem hoc artificio ſublimiorē inueniri. Quid enim maius quàm animo moderari? quàm adoleſcentulorum fingere mores? Omni certè pictore, omni ſtatuario, cæteriſq; huiuſmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuuenum animos fingere non ignorat.* Idemque repetit hom. 9. in 1. ad Timoth. *Vt fundus quidem ſit optimus cuncta molimur, eumq; fideli viro magno cum ſtudio tradimus: & agaſonem atque mulionē, procuratoremq; atque diſpenſatorem, qui nobis magnâ beneuolentiâ afficiatur, inquirimus. Cæterùm quod nobis omnium chariſsimum eſt, omninò negligimus, neque curamus, quo pacto filium noſtrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipſius ſeruare pudicitiam poſsit.* Porrò, quia non omnes pædagogi & præceptores tales ſunt, quales iſti requirunt, debet ſubinde pater coràm ipſe inſpicere filiorum inſtitutionem. Faciebat hoc Theodoſius Imperator, qui cùm filios Arcadium & Honorium Arſenio præceptori inſtituendos commiſiſſet, aliquando ingreſſus ſcholam, vidit Arſenium ſtantem, Arcadiumque auditorem ſedentem; moxque indignatus abſtulit filio Imperatoris inſigne, & ſtare eum detecto capite iuſſit, Arſeniumque ſedere, illud addens, *tunc prolem ſuam fore dignam imperio, ſi ſcientiâ æquè ac pietate fuerit imbuta.* Baron. *tom.* 4. *an.* 383. Nicephorus *l.* 11, *c.* 23. *l.* 4. *c.* 9. Viciſſim Dauid Rex, quia perpetuis ferè implicatus bellis, non potuit liberorum ſuorum educationi attendere, ſed totos aliorum inſtitutioni commiſit, inde factum; vt plures immorigeros filios habuerit, Abſalonem, Adoniam. Quæ etiam cauſa eſt, cur aliqui parentes optimi alioquin peruerſos habeant filios. Ioſaphat Rex optimus reliquit filium ſucceſſorem Ioram Regem deterrimum. Ioathan Rex bonus genuit Achaz virum malum, qui ei ſucceſſit in regnum. Ezechias Rex clementiſſimus & optimus habuit hæredem regni Manaſſem Regem crudeliſſimum & peſſimum. Ioſias Rex ſanctiſſimus ſucceſſores habuit filios valdè malos, Ioachaz, Eliakim, quorum prior regnauit ſolùm menſibus tribus, & abductus eſt captiuus in Ægyptum; poſterior regnauit annos vndecim, & propter peccata ſua ductus eſt catenis vinctus in Babylonem. Prouidendum igitur patrifamilias, vt optimos educatores filijs proſpiciat, & illorum interim inſpector ſit, nec tantùm inſtitutionis negotium alijs committat.

Quod attinet ad filias, præcipit D. Hieronymus ep. ad Lætam, eas à matribus non diſcedere. *Nuſquam abſque matre,* inquit, *procedat in publicum. Baſilicas martyrum & Eccleſias ſine matre non adeat, &c.* Nimirum vt Delphini catulos ſuos etiam adultos diu comitantur magnâ erga partum charitate; quin & paruos ſemper aliquis grandior comitatur vt cuſtos, (teſte Plinio *l.* 9. *hiſt. c.* 8.) ita filias ſuas comitari matres debent.

Præterea attendat pater, vt remoueat liberos à conuictu improborum. Vſitatus ſermo eſt: *Si claudo vicinus habitaueris, & ipſe claudus ambulare diſces.* Memorat Plutarchus in *Lac. Apophtheg.* cùm aliquando Hippocratidi obuius fuiſſet adoleſcens, quem amator ſequebatur, erubeſcenti adoleſcentulo: *Cum his,* inquit, *oportet ambulare,*

ambulare, cum quibus conſpectum non mutes colorem; docens ex improbis conuictoribus nihil capi fructus, ſed probrum & ignominiam. Cyrus in aſperá regione inter paſtores ferè victu frugali educatus, magnanimus euaſit, & vitiis æquè ac hoſtibus ſuperior fuit. At filius eius Cambyſes, patre bellis diſtricto, mollibus Eunuchis & mulieribus educandus traditus mollis & ignauus atque in ſubditos inſolens extitit.

Maximam verò ſolicitudinem adhibeat, filios iuuandi, cùm in vitia prolapſi ſunt, exemplo huius Reguli, qui vt febrim & periculum mortis à filio depelleret, omnem mouit lapidem, ad Chriſtum ipſus accurrit, multaſque adhibuit preces. Panthera aliquando, Plinio teſte l. 8. c. 17. cùm eius catuli in foueam cecidiſſent, in viâ ſedens hominis opem ſupplex implorauit, atque ad foueam duxit, quò illius ope catulos ſuos reciperet, è foueâ eximendos. Si hoc beſtia: quid agat pater, vt liberos in vitia delapſos ad frugem reuocet? Hîc ergo Chriſtus adeundus & precibus fatigandus, vti fecit S. Monica, quæ vt filium Auguſtinum, lapſum in Manichæiſmum, eriperet, lachrymarum riuos fudit. Deinde ſi verba nihil proficiunt, verbera addenda ſunt, teneræ præſertim ætati, ad vitia procliui. *Et pueri & feræ*, inquit Ariſtoteles l. 3. Ethic. *ipſas voluptates ſequuntur: ſunt ergo corripiendi, à licentiaque retrahendi pueri omnes*. S. Auguſtinus in epiſt. ad Fabianum ſuadet ipſi, vt caſtiget filium ſuum; ſiquidem alioquin non plus boni operis expectandum ſit in ſenectute, quàm fructûs ab arbore, in quâ priùs flores non apparuerunt. In lege quadam duodecim tabularum hæc verba extant: *Quicunque ciuis Romanus iuxta vel extra vrbis pomærium domicilium habet, filium decem annis maiorem ſeuerè habito. Quòd ſi fortè puer, quoniam vel otioſum vagari illum pater permiſit, vel nullum opificium docuit, flagitij quippiam commiſerit, aquè pater ac filius punitor*.

Denique ſicut Regulus noſter filium ad fidem inſtruxit, & exemplo ſuo induxit: ita patris eſt docere liberos ſuos ea, quæ Chriſtiani ſunt, & exemplo ſuo ducere, iuxta id Eccleſiaſtici 7. *Filij tibi ſunt? erudi illos, & curua illos à pueritiâ illorum*. Ita parentes Suſannæ, cùm eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſis; ex quo ipſa adeò timens Deum facta eſt, vt mori mallet, quàm peccato conſentire. Dan. 13.

D. III. Erga ſeruos.

Tertiò, Erga ſeruos, quod inde coniicio, quia gaudio impleti occurrunt hero ſuo, nuntiantes & gratulantes ei filij ſanitatem. Quòd ſi herus durè & iniquè eos tractaſſet, non ipſi congauderent, ſed triſtarentur potiùs, & inuiderent ipſi hoc bonum. Ergo paterfamilias verè ſe patrem exhibeat erga ſeruos & domeſticos ſuos. Ita enim ſuadet Eccleſiaſticus cap. 33. *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem tracta illum*. Qui tamen ſi immorigeri & duræ ceruicis ſint, corripi etiam debent, iuxta regulam S. Bernardi lib. 4. de Conſid. *Ament te domeſtici tui: ſi non, facito, & timeant*. nec non Eccleſiaſtici loco cit. *Cibaria & virga & onus aſino panis: & diſciplina & opus ſeruo*. Amorem timori præponit Bernardus: cibaria virgæ Eccleſiaſticus, vt ſciant heri priùs tentanda eſſe media humanitatis & beneuolentiæ, poſtea, ſi hæc non profecerint, adhibenda media timoris & correctionis.

Præterea Regulus iſte iter in ſe ſuſcepit, quod committere poterat ſeruis ſuis. Non ergo à laboribus eximat ſe paterfamilias, & omnes in ſeruorum dorſa reiiciat, ſed ſuos etiam humeros laboribus ſupponat. Ita olim fecerunt ditiſſimi etiam Hebræi: Abraham, licet ſupra 300. haberet vernaculos, quando diuerterunt ad eum peregrini, cucurrit ipſemet ad armentum & tulit inde vitulum, deditque eum puero (Iſmaeli filio, vt volunt Hebræi apud Liran.) qui ferret eum Saræ coquendum; coctas quoque epulas ipſemet appoſuit, & miniſtrauit menſæ, *Geneſ.* 18. Itaque pater, filius & mater omne hoc obſequium ſine famulis præſtiterunt. Gedeon totius Iſraëlis Iudex conſtituendus purgauit triticum in areâ, *Iudic.* 6. Saul iam factus rex boues agebat, 1. *Reg.* 11. Si hæc tanti viri, quantò magis opifices & ruricolæ ſuum etiam laboris penſum exhibere vnâ cum ſeruis debent? Imo Ariſtoteles in Oecon. ipſos ad laborem primos, ad quietem vltimos eſſe vult. *Expergeſci*, inquit, *decet priùs dominum quàm ſeruum, & cubitum ire poſteriùs*. Similiter Cato de ruſticâ, c. 5. & Cicero lib. 2. de diuin. hoc præceptum ruſtico dant: *Primus cubitu ſurgat, poſtremus cubitum eat*. Sic etiam mulier illa ſapiens, laudata à Salomone Prouerb. 31. *panem otioſa non comedit, ſed de nocte* (prima vtique) *ſurrexit, deditque prædam* (cibum ſeu admorſum) *domeſticis ſuis & cibaria ancillis ſuis*.

Rurſum iſte regulus non videtur habuiſſe ſeruos ad pompam & ſplendorem. Non enim legimus ſeruos eius latera ſtipâſſe cùm accederet ad Chriſtum, ſed domi ad operas relictos, reuertenti primùm occurriſſe. Non ergo carent reprehenſione illi patresfamilias, qui ad ſolum ſplendorem multis vtuntur ſeruis. Audiant illi D. Chryſoſtomum *homil.* 28. *in Epiſtola ad Hebræos*, in hæc verba perorantem: *ſunt tibi etiam, ſi volueris, pueri duo. Sed pudor*, inquit, *eſt, ſi cum duobus ſeruulis matrona procedat. Non eſt pudor, ſed magis pudor eſt cum plurimis ambulare: fortaſſe enim etiam irridetis hæc audientes: Credite mihi, quia iſtud pudor eſt. Sicut nundinatores pecorum vel ſicut caupones venalium ſeruulorum, ita magnum hoc putatis cum ſeruis plurimis ambulare*. Et infrà: *Dic mihi nonne Angeli ſoli totum mundum circumeunt, & pediſſequis nullis egent? num propterea nobis inferiores exiſtunt, indigentibus non indigentes?* Quæ familia illuſtrior fuit familiâ Noë, ex quâ poſt diluuium totus mundus prodiit? Et tamen nullos in arcâ ſeruos habuit: ipſe cum tribus filiis ſuis eorumque vxoribus omnia ſeruitia obiit, omnibus animantibus pabula ſua dedit.

Adhæc inter ſeruos Reguli apparet fuiſſe magnam concordiam, vt qui vnanimi conſenſu domino

ſu domino occurrerunt, & de horâ reſtituti filij interrogati, in eandem ſententiam reſponderunt: *Here horâ ſeptimâ reliquit eum febris.* Signum igitur hanc concordiam inter ipſos ab hero fuiſſe ſtabilitam. Magnum quid id præſtabit, ſi hoc præſtet paterfamilias. Iuuabit porrò ad hoc conſequendum non quoſuis admittere in familiam, ſed delectum meliorum habere; vti fecit Dauid, qui in Pſal. 100. ait; *Non adhæſit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoſcebam: detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar: ſuperbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.* Quales ergo admiſit? *Oculi mei ad fideles terræ: ambulans in viâ immaculatâ hic mihi miniſtrabat.* Sed & luſtrationem ſeruorum faciebat, & ſuperciliosos eiiciebat; ſubdit enim: *Non habitabit in medio domûs meæ, qui facit ſuperbiam.*

Denique non ſatis habuit Regulus fidem perſuaſiſſe vxori & liberis, perſuaſit etiam ſeruis ſuis; quia, teſte Ioan. credidit domus eius tota. Ergo paterfamilias ſaluti etiam ſeruorum ſuorũ ſpirituali conſulat, & quàm ſtrenuè poteſt, peccata illorum impediat ac redarguat. *Pro Chriſto,* inquit D. Auguſtinus tract. 51. in Ioan. *& pro vita æterna ſuos admoneat, doceat, hortetur, corripiat impendat beneuolentiam, exerceat charitatem; ita in domo ſuâ Eccleſiaſticam & quodammodò Epiſcopale implebit officium.* Non dicat cum Caino: *Num cuſtos fratris mei ſum ego?* Geneſ. 4. *mandauit* enim *Deus vnicuique de proximo ſuo,* Eccleſ. 17. quantò magis paterfamilias de domeſticis ſuis?

Nunc ad extremũ videamus talem patremfamilias, qualem hîc deſcripſimus. Fuit ſanè talis, ſiquis alius, Sanctus Elzearius Comes Ariani, vt habetur in vitâ eius capite 28. Primò enim conſtituit, vt omnes è domo ſuâ, quotidie Miſſam integrè audirent. Secundò, vt viuerent caſtè & purè: qui ſecus facerent, eos domo ſuâ expellebat. Nolebat enim, vt quiſquam pane ſuo veſceretur, quem ſciret peccato mortifero implicatum, ne alios inficeret, & ne eius peccatum ſouere videretur. Tertiò, vt nobiles & milites, itemque virgines & matronæ ſemel in hebdomade confiterentur, & ſemel in menſe communicarent. Quartò, vt eædem virgines & matronę manè vſque ad prandium precibus & piis exercitiis vacarent: à prandio manuariis operibus ſeſe occuparent. Quintò, vt nemo auderet blaſphemare Deum, Beatam Virginem, aut aliquem Sanctorum, vel iurare temerè, vel inhoneſta proferre; (*corrumpunt* enim *bonos mores colloquia praua*) cum qui ſecùs feciſſet, in pane & aquâ ieiunare cogebat. Sextò, vt nemo luderet teſſeris aut alio luſu turpi & inhoneſto. Septimò, vt omnes pacem, amicitiam & concordiam colerent: ſi quis alium offendiſſet, mox cum offenſo rediret in gratiam. Octauò, vt quotidie à prandio aut veſpere inter illos, ipſo præſente, fieret collatio & collocutio de rebus piis & ſalutiferis. Noſtro quoque ſæculo B. Thomas Morus Angliæ Cancellarius & Martyr ita proles & familiam ſuam tam in literis quàm in virtute & pietate Chriſtiana inſtituit, vt de eâ ſcribat Eraſmus Rot. in frag. epiſt. lib. 27. *Haud domum rectiùs dixeris ſcholam & gymnaſium Chriſtianæ religionis. Nullus ac nulla illic eſt non vacans liberalibus diſciplinis frugiferæque lectioni, tametſi præcipua primaq; pietatis cura eſt. Nulla illic rixa, nullum petulantius verbum auditur, nemo conſpicitur otioſus. Ac tantam familiæ diſciplinam vir ille non ſupercilio iurgiiſue tuetur, ſed comitate ac beneuolentia. In officio ſũt omnes: ſed adeſt alacritas, nec deeſt ſobria hilaritas,* apud Stapletonum in vitâ; qui & hæc ſubiicit: *Caſtitatis eam curam habebat vt in diuerſis habitaculis miniſtri & ancillæ cubarent, & rarius conuerſarentur, nec niſi ob res neceſſarias fœminæ in eam partem domûs prodirent in quâ agebant viri. In more habebat ſingulis noctibus cum domi eſſet, familiã ſuã bonam partem in Aulam domûs conuocare, antequam cubitum iret, pariterq; cum illis orare; & tures Pſalmos, omnibus genua flectentibus, recitare, Miſerere mei Deus; Ad te Domine leuaui: Deus miſereatur noſtri. His adiunxit, Salue Regina, cum collecta: & in fine de profundis, pro defunctis. Hæc etiam Cancellarius regni facere non deſtitit. Non eſt paſſus vnquam ſuorum, diebus feſtis à diuino officio abeſſe; & quidem vt principio intereſſent, fecit. Diebus magis ſolennibus, Natalis Domini & Reſurrectionis, de nocte omnes ſurgere & toti officio adeſſe curauit. Quum aliquis ſuorum peccaret, ita obiurgabat & cum tanta lenitate, vt poſt obiurgationem magis amaretur.* Filius & tres filiæ eius ad menſam recitare Sacræ Scripturæ lectionem cum commentariis per vices debebant: de quâ etiam poſt menſam collationem inſtituebat. Denique eâ cum pietate ac grauitate familiam rexit, vt ad eum poſtea in carcere conſtitutum filia eius Margareta ſic ſcribat: *Quid eſſe arbitraris, pater chariſſime, quod in hac abſentiâ tuâ nos potiſſimùm conſolatur? Certè ipſa vita tua nobiſcum anteacta memoria, conuerſatio tua ſancta, conſilia ſalutaria, exemplum virtutũ; ſpes ac fiducia fore vt hæc in te non perſeueterit modò, ſed & augeantur magis diuinâ adſtipulentur gratiâ.* Et talis quidem paterfamilias Morus fuit, ſic illam rexit, inquit Stapletonus. Hos imitentur vtinam omnes patresfamilias, vti & hodiernum Regulum, quo nimirum & de ipſis dici coram Deo poſſit: *Credidit ipſe & domus eius tota.*

CONCIO VI.

Quomodo principes terræ mirâ Dei operatione ad fidem adducti ſint.

1. *Quomodo Abagarus Toparcha Edeſſæ.*
2. *Conſtantinus magnus.*
3. 4. 5. *Bacarius Iberorum, Clodoueus Francorum, Adadus Auximitarum reges.*
6. *Rex Perſarum cum coniuge ſua Caſara.*
7. *Widekindus Saxonum dux.*
8. 9. 10. *Bogoris Bulgarorum, Geyſa Hungarorum, Mieziſlaus Polonorum Principes.*
11. 12. *Caſſanus Rex Tartarorum, item Palatinus Podoliæ: ex quibus varia colliguntur documenta.*

THE-

THEMA.

Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Ioan. 4.

A. EX libro Numerorum capite 10. diſcimus præcepiſſe Deum fieri duas tubas, quibus Hebræi conuocarentur, ſed diuerſa ratione. Modò enim vnica, modò ambæ inflari debebant: adhæc modò plano & æquabili tono, modò vario ſeu conciſo atque flexili. Populum quidem conuocari voluit Deus vtriuſque tubæ ſono, eoque plano & ſimplici. Principes verò vnius tantùm, vt ex Hebr. Septuag. & Ioſepho *libro 3. capite 11.* conſtat (quod noſter interpres vertit ſemel clangere) eoque vario & conciſo, ut colligitur ex verſu ſeptimo. Quid verò hæc ad nos, Auditores? Multum per omnem modum. Tubarum namque ſonum Euangelici præconij typum eſſe docet Cyrillus *lib. 5. de adoratione.* Cæterùm duobus potiſſimum modis Euangelium Chriſti per orbem propagatum mundoque perſuaſum eſſe ſcimus, prædicatione & miraculis. Prædicatio velut vna tuba ſufficere debebat terræ huius principibus vtpote capacioribus, vt conuerterentur: rudi & imperito populo ſi vtraque tuba inflaretur, prædicatio & miracula, nemo mirandum diceret. Proptereà igitur Chriſtus cum Regulo in Euangelio hodierno videtur expoſtulare, quòd is præter Euangelium requirat etiam miraculum; quaſi ipſi dicat: Nonne vos principes & reguli magis ſapere quàm plebs adeoque vnius tubæ, prædicationis meæ, ſonitu contenti eſſe deberetis, iuxta legem Dei? Sed vt video, vobis quoque, quemadmodum & plebi, vtramque inflare tubam debeo, & doctrinæ miracula addere. Itaq; bonus Dominus & magiſter condeſcendit iſtis regulis, & præter Euangelicam doctrinam adiecit eis, ſaltem aliquibus, miracula, vt vel vtràque tubâ fidem perſuaderet. Videamus hic exempla.

B. I. Quomodo Abagarus Toparcha Edeſſæ. PRIMÒ, Abagarus Rex ſeu Topharcha ditionis vltra Euphratem, (refert Nicephorus l. 2. cap. 7. & alij grauiſſimi auctores) reſidens in Edeſsâ ciuitate, cùm irremediabili detineretur morbo, audiens famam miraculorum Chriſti in Iudæâ, quomodo languores omnes abſque medicamentis curaret, rogauit eum per literas vt ad ſe venire dignaretur & ſe à morbo liberare; ſiquidem crederet ipſum aut Deum eſſe qui cœlos deſerens ad terras deſcenderit, aut certè Dei filium: dignaretur porrò ſecum habitare in ſuâ ciuitate, in quâ à Iudæorum inuidiâ & inſidijs ſecurus eſſet. Reſcripſit illi Chriſtus propriâ manu, ſe quidem ad ipſum venire non poſſe; ſiquidem oporteret eum ad Patrem, à quo exierit, iterum redire, poſtquam imperata eius feciſſet: hoc verò iter, vbi confeciſſet, miſſurum ſe illi vnum ex diſcipulis ſuis, qui non tantùm morbum eius abſtergeret, ſed etiam auctor illi foret ad meliorem vitam. Abagarus igitur, cùm de aduentu Chriſti deſperaret, maximo tamen eius videndi deſiderio teneretur, miſit peritiſſimum pictorem, qui faciem eius ad amuſſim delinearet. Sed cum hoc tentaret pictor, & in opere impediretur à fulgore faciei dominicæ: Chriſtus id aduertens, puriſſimo linteo faciem ſuam impreſſit & in eo ad viuum expreſſit, eamque dans pictori, miſit ad Abagarum. Exinde rex in Chriſtum credidit & medelam ab eo ſperauit. Ergò poſt Chriſti aſcenſum Thomas miſit eò loci vnum ex 70. diſcipulis, Thadæum; qui dum mira patrat in Edeſſena ciuitate, rex memor promiſſionis Chriſti, eum ad ſe vocari iuſſit, & cùm Chriſti diſcipulum eſſe perſpexiſſet, ab eodem manûs impoſitione mox ſanatus eſt; vti & filius eius Audus à pedum doloribus, ac multi alij. Prætereà ab eodem in fide inſtructus, iuſſit vt omnes ſubditi conuenirent & audirent prædicationem Thadæi & ab eo baptizarentur. Remanſit illa imago maximo cum honore in eâ vrbe, & præclara edidit miracula, de quibus luculenta extant teſtimionia apud Baron. anno. Chriſti 31. Ecce primum reguli noſtri ſectatorem, qui *credidit, & domus eius tota.*

C. II. Conſtantinus Magnus. SECVNDO, Anno 312. Conſtantinus Magnus Imp. cùm de bello Maxentio Tyranno inferendo cogitaret, & Dei omnium creatoris, non Deorum, auxilium imploraret: ei poſt meridiem, crucis ſignum ex lucis ſplendore figuratum, in ipſo cœlo manifeſtè apparuit, in itinere cùm eſſet, ſpectante & obſtupeſcente exercitu in eoque hæc verba: *In hoc vince.* De ſignificatione oſtenti ſolicito & dormienti, Chriſtus Deus, cum ſigno in cœlo monſtrato, videndum ſe præbet, præcipitque vt exemplari ad imitationem illius fabricato, tanquam præſidio in prælio vtatur. Vnde mox Chriſtianæ religionis Profeſſores euocat Conſtantinus, & ab eis de Chriſto edoctus ſtatuit eum ſibi colendum eiuſque Sacerdotes ſibi Aſſeſſores adeſſe voluit. Itaque hoc ſigno armatus in hoſtem mouet, moxque territum fugat & in Tiberim præcipitem eum exercitu ſuo agit & ſuffocat: poſteà etiam plurimas inſignes victorias obtinet. Ex inde adhuc Catechumenus Chriſtianam religionem plurimùm promouit, gentiliſmum verò attriuit: plurimas etiam nationes ad fidei ſuſceptionem inuitauit & pellexit. Denique cùm leprâ laborarat, quam ex medicorum præſcripto, infantum ſanguine curare nitebatur, monitus ab Apoſtolis eſt per ſomnium, vt ab hoc deteſtabili balneo deſiſteret, & Silueſtrum Papam acceſſeret, qui piſcinam illi monſtraturus eſſet, in quâ ſalutem conſequeretur. Quod & factum eſt, dum baptizaretur anno Chriſti 324. Baron. ib. Eius baptiſterium amplâ & eleganti formâ adhuc Romæ integrum viſitur prope S. Ioannem in Laterano.

D. III. Bacurius Rex Iberorum. TERTIÒ, Anno 327. Bacurius Rex Iberorum cum gente ſuâ, quæ iuxta Caucaſum habitat verſus mare Caſpium, per captiuam quandam piam fœminam ad fidem conuerſus eſt. Cùm enim filius eius infans grauiter infirmaretur & à nutrice ad alias feminas, de more eius gentis, medelæ gratiâ circumgeſtaretur, deuenit tandem ad captiuam Chriſtia-

vultum obſcuraſſet.) Rurſum, inquit, vidi hodierna die te primùm ſollicitum, & ad rem attentiſsimum: poſteaquam verò menſam adieras templo mediã, ita hilari mihi conſpectus es vultu, vt repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre, quòd de manu purpurati Sacerdotis ſinguli pulchellũ puerum in os ſuſciperent, quẽ quibusdã ludibundum arridere, vltrò properare: alijs verò abhorrentem auertiſſe vultum, & tamen in ora demiſſum, nec redeuntem aſpexi. Hoc quid ſit, necdum accipio. Tum Rex: Bene, inquit, profeciſti, plus tibi aliquid, quàm cunctis Sacerdotibus, & omnibus nobis oſtenſũ eſt. Inde mutata veſte, manu ſecũ abſtractum, docuit grande pietatis myſteriũ in altaris Sacramẽto. Qua re cognita, exhilaratum ducem oraſſe, vt proprium illi Sacerdotem permitteret, qui diuinæ rei curam haberet, crebriuſque in conſpectu perageret altaris ſacratum miniſterium. Rex etiam Pontificem illi daturũ promittit, modò illi habitationem Epiſcopo dignã prouideret. Ducem verò arcem ſuam ad VViſeram vtriuſque capacem oſtendiſſe, deditq́; in eiuſdem arcis non exiguo circo locum ædificandæ Eccleſiæ. Ferunt proinde nomen Eccleſiæ proueniſſe, quod meum & tuum, quaſi communis duorum poſſeſsio, ſonat in lingua Saxonum vernacula. **Min/Din.** *Erat vir præcipua religione Herimbertus, qui cùm Carolũ latere non poſſet, dignus eſt habitus, quem primũ præficeret Eccleſiæ Mindenſi Epiſcopum. Adiecit illi miniſteriales non paucos, nec paruos: vt haberet Eccleſia defenſores ſuos. Illi verò quia ex imo gradu in nobilitatem excreuerant, vt partim Comites, partim Duces fierent, ſpreuiſſe matrem videntur. Ornata autem eſt Eccleſia iam tum ab initio multis Sanctorum Reliquijs, Feliciani, Fulginatis Epiſcopi & martyris: Theodori Epiſcopi, Carpophori & Habundi martyrũ. Profecit autem Eccleſia tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus ſub hoc pontifice: agente nouitio feruore in populo recens conuerſo. Inſtante nihilominus bono Pontifice, qui frugem diuini verbi curauit in populo multiplicari.* Refert Baron. & Brandenb. l.2. c. 5. ex Alberto Cranzio l.2. Saxon. cap. 23. & l. 1. metrop. cap. 9.

I. VIII. *Bogoris Bulgarorũ Princeps.*

Octavo, Anno 845, Bogoris Bulgarorum Princeps adhuc gentilis, cùm ingens fames Bulgarorum regionem occupaſſet, omniq́ue deſtitueretur auxilio, Chriſtianorum Deum, (de quo iam anteà à ſorore edoctus erat) vt ſibi opem ferret, inuocauit, idemque facere omnem ſibi ſubiectam nationem iuſſit; & remedium impetrauit. Adhæc cùm inſatiabiliter venationi deditus eſſet, quâ oblectare ſe ſtudebat non modò cùm ſe venatum conferret, ſed etiam cùm otioſus eſſet domi, idque per animalium pictas figuras. Conſtructâ nouâ domo Methodium quendam monachum, arte pictorem, iuſſit domum illam picturis exornare. Verùm quaſi diuina quadam prouidentiâ ductus, non præſcripſit definitè, quænam & qualia pingeret animalia: verùm quæcunque ipſe vellet, iuſſit depingere; terribilia tamen eſſe quæ pingerentur, vt ſpectantibus terrorem & metum incuterent. Ille verò nihil terribilius ſciens ſecundo Chriſti aduentu, hunc ibi deſcripſit. Cumque iam finita illa eſſet pictura; conſpicatus Princeps ex alterâ parte, iſtorum cœtum coronari, ex alterâ verò impios puniri, & à pictore perceptâ picturæ mente, ſtatim propriam eiurat religionem, imbutuſque ab Epiſcopo diuinis myſterijs, intempeſtâ nocte ſacrum percipit baptiſma, & Michaël vocatus eſt. Cum autem cognouiſſent nationis præfecti, communem mutatum religionis cultum, in Principem conſpirantes, eum de imperio deijcere ſtudebant; quos ille paruâ, quam ſecum habebat, manu fudit fugauitque præeunte crucis ſigno, & inopinata re perculſos, Chriſtianos eſſe cit. Refert Ioan. Curopolates apud Baron. anno Domini 845.

K. IX. *Geyſa Hungarorum Princeps.*

Nono, Ante annum Domini milleſimum, Geyſa Hungarorum Princeps iam diu Chriſtiana ſacra cogitabat, eratque in eâ curâ totus, quomodo id perfici poſſet. Nocte igitur dormienti adſtitit iuuenis formoſiſſimus, prænuntians forè vt illi filius naſceretur, qui Chriſti cultum latè propagaret in Hungaricis regnis; ipſe modò experrectus occurreret Præſuli ſanctiſſimo, eiſque in omnibus rebus obediret. Euigilans Geyſa accerſitis Chriſtianis nonnullis & intimis ſuis ſomnium narrat, & mox illi nuntiatur aduenire Adalbertum Pragenſem Antiſtitem, qui ipſum inuiſeret. Obuiam proceſſit Geyſa & quid ſibi ſomnium vellet agnouit, nomen Chriſto cum ſuis dedit; & vxori eius iam grauidæ apparuit in ſomnis Stephanus Protomartyr prædicens fore vt pareret filium, cui primo dignitas regia inter Hungaros deberetur, eique nomen imponeretur Stephani. Atque ita contigit vt præſignificatum. Bonfinius *lib.* 1. *dec.* 1.

L. X. *Miezislaus Polonorum Princeps.*

Decimo, Anno 965. Miezislaus Polonorum Princeps (Mieſca vocitur à Witikindo, qui temporibus illis vixit) cùm ſeptem, more barbarico, vxores ſeu concubinas haberet, neque ex ijs vllam poſſet prolem ſuſcipere, perſuaſus eſt à quibuſdam Chriſtianis, fore, ſi Christo nomen daret, vt filios gigneret & magnâ felicitate poſteri eius florerent. Neque res fefellit. Drahomiram namque (alij Dambroncham vocant) vxorem duxit regis Bohemi filiam, Chriſto ſe adiungens, & nobiliſſimâ cœlitus progenie eſt honeſtatus. Baron. anno 965. Simili euentu Zaccomus Dux & anteſignanus vnius tribus Saracenorum ad fidem conuerſus eſt cum totâ tribu ſuâ, poſtquam precibus alicuius monachi filium obtinuiſſet, apud Niceph. lib. 11. cap. 45. *Zaccomus Dux Saracenus.*

M. XI. *Caſſanus Rex Tartarorum.*

Vndecimo, Anno 1298. Rex Tartarorum Caſſanus, quem vocant alio nomine Magnum, cum ducentis equitum millibus Syriam cepit, & finitimas regiones. Omnibus itaque formidandus petijt ſibi vxorem filiam regis Armeniæ, quòd audiſſet eſſe pulcherrimam. Rex Chriſtianus tanti regis viribus exterritus, dedit. Illa poſt aliquod tempus viro ſuo Caſſano edidit in lucem partum tantæ deformitatis, vt rex maritus nullo modò illum veluti ſuum voluerit agnoſcere; quòd monſtrum videretur. Vocat ad conſilium primarios; de ipſorum ſententiâ vxorem

veluti adulteram, partum, veluti ex adulterio ſuſceptum vltimo ſupplicio adiudicat. Innocens mulier infelicitatem ſuam deplorans ad preces confugit; ignara conſilij petijt, vt ſibi liceret baptizare quem peperiſſet. Data illi facultas, ita tamen, vt adeſſent baptiſmo aliqui fidei ſpectatæ viri, vnà cum rege, ne qua fraus fieret. Mira res, vbi baptizatus eſt puer, adeò venuſtus ac formoſus apparuit, vt rex tantâ re permotus, cum plurimis nomen Deo dederit, & maximum rei Chriſtianæ factum fuerit incrementum. Hæc Ioannes Villaneus qui illis temporibus fuit lib. 8. c. 35.

N. XII. Palatinus Podoliæ. DVODECIMO, Recentius eſt quod ſcribit Florimundus Ræmundus *de orig. hæreſ. lib. 4. c. 11.* de Palatini Podoliæ notabili conuerſione. *Palatinus hic*, inquit, *cùm die quodã Sacerdoti Catholico plus pietatis quam doctrinæ habenti, vellet illudere, hominem ad prandiũ inuitârat. Menſæ aſſidentem. Palatino innuente, Prædicãs quidam varijs quæſtionibus vrgere cœpit, iam caput aliquod doctrinæ, iam Papæ tyrannidem, iam diſſolutam Eccleſiaſticorum vitam in medium proponens. Tacet ad omnia bonus ille Sacerdos, ac ſtrenuè interim appoſitis veſcitur. Tandem ad Palatinum conuerſus: Quid hîc hominis eſt, quæſo? O, inquit; Equidem ad prandium, non ad diſputationẽ inuitatus ſum. Ibi riſu ſolui omnes, & boni Sacerdotis ſimplicitatem, vel potius inſcitiã (ita enim videbatur) ludibrio habere. Tum ille; Equidem, inquit, iam hoc agam, & prandebo; vbi pranſus fuero, tum fortè homini iſti reſpõdebo. Sublatis menſis, Sacerdos ita inſit: Hodie ſacrum in altari peragens, hac vſus ſum precatione: Diſcerne cauſam meam de gente non ſancta. Spero ſanè hunc ipſum Deum pro ſua omnipotentia & miſericordia preces has meas exauditurum. Facto deinde Crucis ſigno, Prædicantẽ ita alloquitur: In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, per Dei, cuius ego indignus ſeruus & Sacerdos ſum, auctoritatem & poteſtatem mando tibi maligne ſpiritus, vt obmuteſcas, nec per os iſtius hominis loquaris. Quid fit? vix ille hæc verba pronunciauerat, cùm ecce Prædicans piſce magis mutus ſedet. Tum Sacerdos iterum; Iam, inquit, vt homo loquere: & tibi reſpondebo. Hactenus enim cum maligno illo ſpiritu, qui per os tuum locutus eſt, & tam atroces contra Ieſu Chriſti ſponſam iniurias euomuit, verba cõmutare religioni mihi duxi. At Prædicans fruſtra loqui conatus, cùm negry quidem proferre poſſet, demiſſo capite, totus pudore perfuſus inde ſe proripuit, omnibus hoc miraculo obſtupefactis. Illi tamen eidem, muto quidem, nihilò tamen minùs aſtuto diabolo color non defuit, quo hanc Prædicantis infamiam palliaret, vt magicæ artis factum eſſe dictitans à quâ tamẽ ſuſpicione Gorſcium (id enim nomen erat Sacerdoti) vitæ ſimplicitas atque innocentia facilè vindicabat. Palatinus verò miraculo obſtupefactus, in ſe rediens, errore, in quo educatus fuerat, abiurato, vnà cum familia ſua ad Catholicam Eccleſiam eſt reuerſus, & in ea conſtanter perſeuerauit: quem Pibracus noſter tam ob ſingularem eruditionem & eloquentiam, quàm armorum vſum & rei bellicæ peritiam maiorem in modum laudare eſt ſolitus.*

Diſce hinc. 1. Ex dictis varia documenta poſſumus colligere. Primò quàm bonus ſit Deus noſter, qui tam ſuauibus & mirabilibus medijs voluit terrarum principes, veluti ad credendum & fidei humilitatem difficiliores ad ſe pertrahere, ſeque eis accommodare. Sufficiebat quidem, vocaſſe eos per nudam & ſimplicem prædicationem, ſed quoniam illi ad hanc duriores ſunt, & ægrè ſe ſubmittunt iugo alicui, aut doctrinæ: *nunquid enim ex principibus aliquis credidit in eum?* aiunt Phariſæi) ideò ſpecialibus quibuſdam gratijs ac ferè per miracula ad ſe trahere eos voluit.

Secundò, Principum ac regum iſtorum zelum ac feruorem, licèt recèns conuerſorum. Nõ enim ſatis habebant, quòd ipſi conuerſi eſſent, ſed inſuper domos ac gentes ſibi ſubditas conuertere ſtuduerunt, ac verò conuerti iuſſerunt. Nimirum ad exemplum hodierni reguli, qui cum totâ domo ſuâ credidit. Sic enim decet facere patresfamilias in ſuis ædibus, Principes in ſuis Ducatibus, &c. 2.

Tertiò, Fidei Chriſtianæ comprobationem, quæ tantis miraculis principum animos obtinuit, & tam mirabiliter per orbem propagata eſt. Sic enim intelligimus non temerè crediſſe primos Chriſtianos: ac ſicut Thomas tangendo Chriſti carnem confirmauit cæteros Apoſtolos: ſic illi nos confirmant. 3.

Quartò, Vanitatem hæreſeon, quæ nihil horum afferre queunt; quibus ipſe propagatæ ſunt. 4.

Quare meritò cum Apoſtolo Petro 1. Pet. 2. dicere vobis, Auditores, poſſum: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.*

CONCIO VII.

Prodigia & miracula in mundi conuerſione exhibita.

Primum fuit Idololatriæ euerſio.
2. *Paucorum Apoſtolorum mira prædicatio.*
3. *Doctrinæ difficultas tam quoad intellectum, quam voluntatem.*
4. *Conſtantia credentium.*
5. *Mutatio morum in hominibus.*

THEMA.

Niſi ſigna & prodigia videritis, non credidis. *Ioan.* 4.

MERITÒ nobis terrorem inijcere deberet reſponſio illa Domini, quâ Regulo in hodierno Euangelio exprobrat incredulitatem ſigna deſideranti. Si enim reprehenditur, qui fortè ſignum non vidit: quomodo non reprehendentur, qui poſtquam viderunt ſigna, adhuc tamen nolunt credere, vel ſaltem aliter viuunt quàm credunt? Nos certè dicere non poſſumus, quòd ſigna non viderimus: qui magnum illud ſignum conuerſionis mundi videmus & palpamus. Vnde ſi fortè noſtrûm quis ſignum aliquod peteret; meritò audiret id quod Phariſæi *Matth. 12.* deſiderantes ſignum videre: *Generatio mala & adultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ prophetæ.* Signum condemnationis, vt vult Maldonatus, quia tot viſis ſignis non cre- A.

crediderunt. Vnde ſubdit Dominus: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſtâ & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quam Ionas hîc.* Etenim Niniuitę crediderũt Ionę prophetæ licet ignoto poſtquam vnius diei iter in ciuitate progreſſus eſſet prædicando. Mox enim vbi *peruenit verbum ad aures regis, omnes induti ſunt ſaccis & ieiunauerunt &c.* Multò maius ſignum eſt conuerſio mundi, facta per Apoſtolos & eorum ſucceſſores. Nam poſt 40. annos iam exiuerat ſonus eorum in omnem terram, teſte Apoſtolo ad Rom. 10. Et poſt 300. annos, cùm peruenit verbum ad Imperatorem Conſtantinum, ipſe primus Chriſtum induit & poſt eum Romanum Imperium ac paulatim vniuerſus orbis. Hoc verè miraculorum maximum eſt, quod incredulos in die illâ condemnabit. Surgent Niniuitæ; ſurget orbis totus Chriſtianus & illos accuſabit, quòd tam ſtupendâ orbis conuerſione visâ & palpatâ, ipſi vel non crediderint vel non ita vixerint, ſicut fides præcipit. Quantum igitur prodigium ſit mundi conuerſio, videamus.

B. I. Idololatriæ euerſio.

PRIMVM Miraculum, Idololatriæ euerſio, quæ per tot ſecula in vniuerſum orbem diffuſa erat & altiſſimas radices egerat, quæ à tot Principibus & Monarchis gladio, à tot argutiſſimis philoſophicis rationibus mordicus defendebatur, & carni, cui omnem licentiam permittebat & frænum laxabat vitijs quibuſcunque tam accepta erat.
1. Ac Primò quis neſcit quàm tenaces ſint homines auitæ religionis? Sanè Pythius Apollo conſulentibus Athenienſibus de religionis obſeruantiâ, reſpondit, patriam religionem & quam coluiſſent eorum maiores, retinendam eſſe. Deinde quàm difficulter deſeratur id quod ab omnibus vel pleriſque tenetur? rurſum quàm ægrè dimittatur id quod carni blanditur? Experimur hoc in hæreticis noſtris, qui licet abſurdiſſima habeant dogmata & ſpurciſſimos eorum architectos, hæreſin tamen non abiurant, quia ipſis hæreditaria & carni valde accepta eſt. Et tamen Ethnicorum ſuperſtitio extirpata eſt à Chriſto: quod indicauit lapis ille de monte abſciſſus ſine manibus, qui comminuit ſtatuam Nabuchodonoſoris Dan. 2. quique poſtea factus eſt mons magnus & impleuit vniuerſam terram. Hic enim lapis, Chriſtus eſt, ſine virili operâ conceptus, qui contriuit Idololatriam per omnia regna diffuſam: factuſque eſt mons magnus & impleuit totum orbem. Quâ de causâ Luc. 20. comparat ſe Dominus lapidi angulari qui factus eſt in caput anguli, & ait: *Omnis qui ceciderit ſuper illũ lapidem, conquaſſabitur: quem autem ceciderit, comminuet illum.* Etenim iuxta prouerbium illud: **Falt der Stain auff den Krug / ſo zerbricht er: Falt der Krug auff den Stain / ſo zerbricht er auch**: cecidit Chriſtus eiuſque religio ſuper Idololatriam vtpote iam exiſtentem & contriuit eam: cecidere poſtmodum hæreſes ſuper Chriſtum vtpote præcedentem, & ſimiliter contritæ ſunt.

Conc. Fabri pars Æſtiualis.

2. Secundò Mundus & diabolus velis remiſſque contendebant Idololatriam defendere fidemque Chriſti extinguere. Armauit enim ad hoc penè omnes Imperatores per trecentos annos: qui inexplebili ſiti in Chriſtianorum ſanguinem ſæuiebant, omniſque generis machinas & tormenta excogitabat ad eos excarnificandos. Si difficile eſt vrbem muris & vallo munitam occupare, quanto difficilius ſi etiam obſiſtant præſidiarij milites, tormenta, machinæ? Quòd ſi dormiſſet Ethnici, ſicut dormierunt Catholici cùm Lutherus ſuperſeminauit zizania, mirum adeò non fuiſſet; ſed vigilabant illi & quidem plurimi immaniſſimi Imperatores: vti Nero, Traianus, Adrianus, Decius, Diocletianus, Maximianus, Valerianus, Maxentius, Maximinus, Iulianus & alij, qui omnibus diaboli tormentis excogitatis, equuleis, vngulis & pectinibus ferreis, ollis bullientibus, craticulis, crucibus, in Chriſtianos debacchati ſunt occiſorum præterea corpora auibus & canibus dilanianda obiecerunt, vel in mare demerſerunt; adeò vt ipſoſmet gentiles humanitatis tantùm causâ puderet ac tæderet. Sed & ipſa terra prodigioſo quodam modo exhorruiſſe rabiem illam videtur, cùm ſereno & ſudo cœlo columnæ ipſæ publicorum operum guttatim fluxerint, fora & plateæ humore maduerint, omnibus ſtupentibus, & quaſi terræ & lapidum lachrymas de tantâ hominum feritate agnoſcentibus: Baron. anno 307. Cùm verò Imperatores non ſufficerent ad necandos Chriſtianos, ideò ſub Diocletiano & Maximiano vulgatum erat edictum, vt cuilibet volenti liceret impunè Chriſtianum occidere, vt eſt apud eundem anno 303. Tuncque verè dic erepoterant Chriſtiani id Pſalmi: *Quoniam propter te mortificamur totâ die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Propterea enim à gentilibus vocabantur *Biothanati*, id eſt, violenter perituri, teſte Tertul. l. de animâ cap. 57. Et *Sarmentitij*, à ſarmentis, in quibus ordinariè comburebantur, teſte eodem in apolog. aduerſus gentes c. 46. Siqui perſecutorũ mitiores videbantur, ſtatuebant: *ſi ſeditioſi non ſunt, ne inquirantur; ſi ſemel in iudicium pertracti fuerint, ne elabantur.* Adhæc doctrinam Chriſti qui profitebantur, omnibus dignitatibus & muneribus excludebantur; pueri in ſcholas eorum non admittebantur; exponebantur in gymnaſijs dialogi quidam ſuppoſititij Chriſti & Pilati, alijque libri in contumeliam Chriſti conſcripti, impietatibus & blaſphemijs pleni, quibus odium nominis Chriſti à pueritiâ imbiberetur: libros conſcripſerunt in Chriſtianos, vti Vlpianus. Loca religioſa in quibus Chriſtus aliquid præclarum fecit vel ſuſtinuit, turpiſſimis Idolorum ſtatuis, Veneris, Adonidis, &c. conſpurcabant, vt inde memoriam & cultum Chriſti abolerent. Sub Diocletiano & Maximiano, non licebat in foro emere quid Chriſtianis, niſi thura priùs, poſitis ad hoc ſtatuis, adolerent: nec non circa inſulas, vicos & aquas poſiti fuére compulſores, qui

veluti adulteram, partum, veluti ex adulterio ſuſceptum vltimo ſupplicio adiudicat. Innocens mulier infelicitatem ſuam deplorans ad preces confugit; ignata conſilij petijt, vt ſibi liceret baptizare quem peperiſſet. Data illi facultas, ita tamen, vt adeſſent baptiſmo aliqui fidei ſpectatæ viri, vnà cum rege, nequa fraus fieret. Mira res, vbi baptizatus eſt puer, adeò venuſtus ac formoſus apparuit, vt rex tantâ re permotus, cum plurimis nomen Deo dederit, & maximum rei Chriſtianæ factum fuerit incrementum. Hæc Ioannes Villaneus qui illis temporibus fuit lib. 8. c. 35.

N. XII. Palatinus Podoliæ. DVODECIMO, Recentius eſt quod ſcribit Florimundus Ræmundus *de orig. hæreſ. lib. 4. c. 11.* de Palatini Podoliæ notabili conuerſione. *Palatinus hic,* inquit, *cùm die quodã Sacerdoti Catholico plus pietatis quam doctrinæ habenti, vellet illudere, hominem ad prandiũ inuitârat. Menſæ aſſidentem. Palatino innuente, Prædicãs quidam varijs quæſtionibus vrgere cœpit, iam caput aliquod doctrinæ, iam Papæ tyrannidem, iam diſſolutam Eccleſiaſticorum vitam in medium proponens. Tacet ad omnia bonus ille Sacerdos, ac ſtrenuè interim appoſitis veſcitur. Tandem ad Palatinum conuerſus: Quid hîc hominis eſt, quæſo? O, inquit; Equidem ad prandium, non ad diſputationẽ inuitatus ſum. Ibi riſu ſolui omnes, & boni Sacerdotis ſimplicitatem, vel potiùs inſcitiã (ita enim videbatur) ludibrio habere. Tum ille; Equidem, inquit, iam hoc agam, & prandebo; vbi pranſus fuero, tum fortè homini iſti reſpõdebo. Sublatis menſis, Sacerdos ita infit: Hodie ſacrum in altari peragens, hac vſus ſum precatione: Diſcerne cauſam meam de gente non ſancta. Spero ſanè hunc ipſum Deum pro ſua omnipotentia & miſericordia preces has meas exauditurum. Facto deinde Crucis ſigno, Prædicantẽ ita alloquitur: In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, per Dei, cuius ego indignus ſeruus & Sacerdos ſum, auctoritatem & poteſtatem mando tibi maligne ſpiritus, vt obmuteſcas, nec per os iſtius hominis loquaris. Quid fit? vix ille hæc verba pronunciauerat, cùm ecce Prædicans piſce magis mutus ſedet. Tum Sacerdos iterum; Iam, inquit, vt homo loquere: & tibi reſpondebo. Hactenus enim cum maligno illo ſpiritu, qui per os tuum locutus eſt, & tam atroces contra Ieſu Chriſti ſponſam iniurias euomuit, verba cõmutare religioni mihi duxi. At Prædicans fruſtra loqui conatus, cùm negry quidem proferre poſſet, demiſſo capite, totus pudore perfuſus inde ſe proripuit, omnibus hoc miraculo obſtupefactis. Illi tamen eidem, muto quidem, nihilo tamen minùs aſtuto diabolo color non defuit, quo hanc Prædicantis infamiam palliaret, vi magicæ artis factum eſſe dictitans à quâ tamẽ ſuſpicione Gorſcium (id enim nomen erat Sacerdoti) vita ſimplicitas atque innocentia facilè vindicabat. Palatinus verò miraculo obſtupefactus, in ſe rediens, errore, in quo educatus fuerat, abiurato, vnà cum familia ſua ad Catholicam Eccleſiam eſt reuerſus, & in ea conſtanter perſeuerauit: quem Pibracus noſter tam ob ſingularem eruditionem & eloquentiam, quàm armorum vſum & rei bellicæ peritiam maiorem in modum laudare eſt ſolitus.*

Diſce hinc. 1. Ex dictis varia documenta poſſumus colligere. Primò quàm bonus ſit Deus noſter, qui tam ſuauibus & mirabilibus medijs voluit terrarum principes, veluti ad credendum & fidei humilitatem difficiliores ad ſe pertrahere, ſeque eis accommodare. Sufficiebat quidem, vocaſſe eos per nudam & ſimplicem prædicationem. ſed quoniam illi ad hanc duriores ſunt, & ægrè ſe ſubmittunt iugo alicui, aut doctrinæ: *numquid enim ex principibus aliquis credidit in eum?* aiunt Phariſæi) ideò ſpecialibus quibuſdam gratijs ac ferè per miracula ad ſe trahere eos voluit.

Secundò, Principum ac regum iſtorum zelum ac feruorem, licèt recèns conuerſorum. Nõ enim ſatis habebant, quòd ipſi conuerſi eſſent, ſed inſuper domos ac gentes ſibi ſubditas conuertere ſtuduerunt, ac verò conuerti iuſſerunt. Nimirum ad exemplum hodierni reguli, qui cum totâ domo ſuâ credidit. Sic enim decet facere patresfamilias in ſuis ædibus, Principes in ſuis Ducatibus, &c. 2.

Tertiò, Fidei Chriſtianæ comprobationem, quæ tantis miraculis principum animos obtinuit, & tam mirabiliter per orbem propagata eſt. Sic enim intelligimus non temerè crediſſe primos Chriſtianos: ac ſicut Thomas tangendo Chriſti carnem confirmauit cæteros Apoſtolos: ſic illi nos confirmant. 3.

Quartò, Vanitatem hæreſeon, quæ nihil horum afferre queunt; quibus ipſę propagatæ ſunt. 4.

Quare meritò cum Apoſtolo Petro 1. Pet. 2. dicere vobis, Auditores, poſſum: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.*

CONCIO VII.

Prodigia & miracula in mundi conuerſione exhibita.

Primum fuit Idololatriæ euerſio.
2. *Paucorum Apoſtolorum mira prædicatio.*
3. *Doctrinæ difficultas tam quoad intellectum, quam voluntatem.*
4. *Conſtantia credentium.*
5. *Mutatio morum in hominibus.*

THEMA.

Niſi ſigna & prodigia videritis, non credi- tis. Ioan. 4.

MERITÒ nobis terrorem inijcere deberet reſponſio illa Domini, quâ Regulo in hodierno Euangelio exprobrat incredulitatem ſigna deſideranti. Si enim reprehenditur, qui fortè ſignum non vidit: quomodo non reprehendentur, qui poſtquam viderunt ſigna, adhuc tamen nolunt credere, vel ſaltem aliter viuunt quàm credunt? Nos certè dicere non poſſumus, quòd ſigna non viderimus: qui magnum illud ſignum conuerſionis mundi videmus & palpamus. Vnde ſi fortè noſtrûm quis ſignum aliquod peteret; meritò audiret id quod Phariſæi *Matth. 12.* deſiderantes ſignum videre: *Generatio mala & adultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ prophetæ.* Signum condemnationis, vt vult Maldonatus, quia tot viſis ſignis non cre- A.

crediderunt. Vnde ſubdit Dominus: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſtâ & cõdemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quam Ionas hic.* Etenim Niniuitę crediderũt Ionę prophetæ ſicut ignoto poſtquam vnius diei iter in ciuitate progreſſus eſſet prædicando. Mox enim vbi *peruenit verbum ad aures regis, omnes induti ſunt ſaccis & ieiunauerunt &c.* Multò maius ſignum eſt conuerſio mundi, facta per Apoſtolos & eorum ſucceſſores. Nam poſt 40. annos iam exiuerat ſonus eorum in omnem terram, teſte Apoſtolo ad Rom. 10. Et poſt 300. annos, cùm peruênit verbum ad Imperatorem Conſtantinum, ipſe primus Chriſtum induit & poſt eum Romanum Imperium ac paulatim vniuerſus orbis. Hoc verè miraculorum maximum eſt, quod incredulos in die illâ condemnabit. Surgent Niniuitæ; ſurget orbis totus Chriſtianus & illos accuſabit, quòd tam ſtupendâ orbis conuerſione visâ & palpatâ, ipſi vel non crediderint vel non ita vixerint, ſicut fides præcipit. Quantum igitur prodigium ſit mundi conuerſio, videamus.

B.
I.
Idololatriæ euerſio.

PRIMVM Miraculum, Idololatriæ euerſio, quæ per tot ſæcula in vniuerſum orbem diffuſa erat & altiſſimas radices egerat, quæ à tot Principibus & Monarchis gladio, à tot argutiſſimis philoſophicis rationibus mordicus defendebatur, & carni, cui omnem licentiam præmittebat & frænum laxabat vitijs quibuſcunque tam accepta erat. Ac Primò quis neſcit quàm tenaces ſint homines auitæ religionis?

1\. (margin, beside "que tam accepta erat")

Sanè Pythius Apollo conſulentibus Athenienſibus de religionis obſeruantiâ, reſpondit, patriam religionem & quam coluiſſent eorum maiores, retinendam eſſe. Deinde quàm difficulter deſeratur id quod ab omnibus vel pleriſque tenetur? rurſum quàm ægrè dimittatur id quod carni blanditur? Experimur hoc in hæreticis noſtris, qui licet abſurdiſſima habeant dogmata & ſpurciſſimos eorum architectos, hæreſin tamen non abiurant, quia ipſis hæreditaria & carni valde accepta eſt. Et tamen Ethnicorum ſuperſtitio extirpata eſt à Chriſto: quod indicauit lapis ille de monte abſciſſus ſine manibus, qui comminuit ſtatuam Nabuchodonoſoris Dan. 2. quique poſtea factus eſt mons magnus & impleuit vniuerſam terram. Hic enim lapis, Chriſtus eſt, ſine virili operâ conceptus, qui contriuit Idololatriam per omnia regna diffuſam: factuſque eſt mons magnus & impleuit totum orbem. Quâ de causâ Luc. 20. comparat ſe Dominus lapidi angulari qui factus eſt in caput anguli, & ait: *Omnis qui ceciderit ſuper illũ lapidem, conquaſſabitur: quem autem ceciderit, comminuet illum.* Etenim iuxta prouerbium illud: **Falt der Stain auff den Krueg / ſo zerbricht er: Falt der Krueg auff den Stain / ſo zerbricht er auch**: cecidit Chriſtus eiuſque religio ſuper Idololatriam vtpote iam exiſtentem & contriuit eam: cecidere poſtmodum hæreſes ſuper Chriſtum vtpote præcedentem, & ſimiliter contritæ ſunt.

Secundò Mundus & diabolus velis remiſſque contendebant Idololatriam defendere fidemque Chriſti extinguere. Armauit enim ad hoc penè omnes Imperatores per trecentos annos: qui inexplebili ſiti in Chriſtianorum ſanguinem ſæuiebant, omniſque generis machinas & tormenta excogitabat ad eos excarnificandos. Si difficile eſt vrbem muris & vallo munitam occupare, quanto difficilius ſi etiam obſiſtant præſidiarij milites, tormenta, machinæ? Quòd ſi dormiſſet Ethnici, ſicut dormierunt Catholici cùm Lutherus ſuperſeminauit zizania, mirum adeò non fuiſſet; ſed vigilabant illi & quidem plurimi immaniſſimi Imperatores: vti Nero, Traianus, Adrianus, Decius, Diocletianus, Maximianus, Valerianus, Maxentius, Maximinus, Iulianus & alij, qui omnibus diaboli tormentis excogitatis, equuleis, vngulis & pectinibus ferreis, ollis bullientibus, craticulis, crucibus, in Chriſtianos debacchati ſunt occiſorum præterea corpora auibus & canibus dilanianda obiecerunt, vel in mare demerſerunt; adeò vt ipſosmet gentiles humanitatis tantùm causâ puderet ac tæderet. Sed & ipſa terra prodigioſo quodam modo exhorruiſſe rabiem illam videtur, cùm ſereno & ſudo cœlo columnæ ipſæ publicorum operum guttatim fluxerint, fora & plateæ humore maduerint, omnibus ſtupentibus, & quaſi terræ & lapidum lachrymas de tantâ hominum feritate agnoſcentibus: Baron. anno 307. Cùm verò Imperatores non ſufficerent ad necandos Chriſtianos, ideò ſub Diocletiano & Maximiano vulgatum erat edictum, vt cuilibet volenti liceret impunè Chriſtianum occidere, vt eſt apud eundem anno 303. Tuncque verè dic crepotерant Chriſtiani id Pſalmi: *Quoniam propter te mortificamur totâ die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Propterea enim à gentilibus vocabantur *Biothanati*, id eſt, violenter perituri, teſte Tertul. l. de animâ cap. 57. Et *Sarmentitij*, à ſarmentis, in quibus ordinariè comburebantur, teſte eodem in apolog. aduerſus gentes c. 46. Siqui perſecutorũ mitiores videbantur, ſtatuebant: *ſi ſeditioſi non ſunt, ne inquirantur; ſi ſemel in iudicium pertracti fuerint, ne elabantur.* Adhæc doctrinam Chriſti qui profitebantur, omnibus dignitatibus & muneribus excludebantur; pueri in ſcholas eorum non admittebantur; exponebantur in gymnaſijs dialogi quidam ſuppoſititij Chriſti & Pilati, alijque libri in contumeliam Chriſti conſcripti, impietatibus & blaſphemijs pleni, quibus odium nominis Chriſti à pueritiâ imbiberetur: libros conſcripſerunt in Chriſtianos vti Vlpianus. Loca religioſa in quibus Chriſtus aliquid præclarum fecit vel ſuſtinuit, turpiſſimis Idolorum ſtatuis, Veneris, Adonidis, &c. conſpurcabant, vt inde memoriam & cultum Chriſti abolerent. Sub Diocletiano & Maximiano, non licebat in foro emere quid Chriſtianis, niſi thura priùs, poſitis ad hoc ſtatuis, adolerent: nec non circa inſulas, vicos & aquas poſiti fuére compulſores, qui 2.

neque molere neque haurire aquas eos ſinebant, niſi qui Idolis libaſſent. Ex actis SS. mart. Bebaſtiani & ſocior. Apud Baron. anno 286. Denique Iulianus Apoſtata peſtilentiſſimo perſecutionis genere excogitato, ſuaſionibus, blanditijs, honoribus Chriſtianos piſcabatur: renitentes, non quaſi Chriſtianos, ſed quaſi perduelles & facinoroſos condemnabat: Labaro. Imperatorio crucis ſignum abſtulit, & Deorum imagines appinxit, vt Chriſtiani, cum ſolitâ veneratione Principis, etiam Deos venerarentur. Militibus donatiuum non dabat, niſi qui thus offerrent: quorum alij id renuerunt: alij non aduertentes poſteà pœnitentia ducti, relato auro ceruices extenderunt; quos ille exautorare maluit quàm martyres facere. Conſtantinopoli cibos non niſi pollutos vænum proponi iuſſit, &c. Baron. Anno 362.

C. II. Paucorũ Apoſtolorum mira prædicatio.

SECVNDVM, Prædicatio mira Apoſtolorum paucorum, ignobilium, rudium. Non enim plures quàm 12. numero, pauperes, ignobiles, infacundi, mendici mundum conuerterunt, intra annos 40. ſaltem ita vt per orbem totum iam audiretur Chriſtus & religio Chriſtiana. Solent Oratores qui à regibus mittuntur ad alios reges, eligi facundiſſimi, ſapientiſſimi, nobiles, qui facilè perſuadeant. Sed hic Deus conuertit oratores per piſcatores, non contrà. Etenim eloquentiſſimus illorum Paulus, vocabatur ab Athenienſibus *ſpermologus*, id eſt, *ſeminerbius*, qui verba ſine intellectu multiplicat. Actor. 27. Figuratum hoc in aſini maxillâ, quâ Samſon interfecit mille viros, Iudic. 15. quam poſtea proiecit de manu, & cùm ſitiret valdè, egreſſis ex illâ aquis extinxit ſitim. Samſon Chriſti typus fuit; maxilla aſini, Apoſtolorum, quoniam *ſtulta mundi elegit Deus vt confundat ſapientes*, ait Apoſtolus: per illos interfecit potentes & ſapientes mundi. Et licet eos demum de manu ſuâ proiecerit, permittendo eos occidi: indé tamen potum propinat Eccleſiæ, quæ per hoc magis in fide confirmata fuit, creuit ac recepit vires, ſtillante ex occiſorum corporibus miraculorum gratiâ. Sic exponit Rupertus. Quæſo iam te, ſiquis Petrum Romam euntem interrogaſſet, quò tenderet; & is reſpondiſſet, Romam tendo vt Idola extirpem, Imperatores mihi ſubijciam, Idolorum ſacrificulos extinguam; crucifixum illis pro Deo colendum perſuadeam, &c. nunquid non riſiſſes illum? Vel ſi in diuiſione Apoſtolorum quis dixiſſet, per illos 12. peregrinos mundum inuertendum; quis credidiſſet? Mahomet ſuam ſectam propagauit armis, fraudibus & blanditijs: vti ferè etiam hæretici, quod mirum non eſt, nec indicium diuinæ virtutis. Non blandiebantur Apoſtoli & Chriſtani præcones Imperatoribus, ſed terribilia dicebant, & timorem Iudicij eis inculcabant: Idola eorum confringebant, conſpuebant & comburebant. Iam ſiquis vlterius interrogâſſet Petrum: Et quâ tandem ratione tibi Romam ſubiugabis? Iſque reſpondiſſet? Idola eorum confringam, comburam ac pedibus conculcabo. Quis non inſanum eum reputâſſet? Dic enim, quæſo, ſi nos Chriſtiani videremus Turcas in templis noſtris imaginem crucifixi aut Sacramentum Altaris, conſpuere, conculcare, conterere: an factum hoc nos ad fœdus & amicitiam eorum inuitaret? an æquo ferremus animo? Atqui Apoſtoli hæc gentilium Idolis fecerunt, & pro ijs crucem illis exoſiſſimam repoſuerunt ac prædicarunt. Et hac tamen ratione Ethnicos in ſententiam ſuum traxerunt. Hoccine non eſt Dei opus & mutatio dexteræ excelſi?

Secundò, Non modò non blanditijs, ſed nec armis aut potentiâ vſi ſunt: contrà potiùs ſuâ in ernecione mundum ſubiugârunt: non cædebant, ſed cædebantur: non occidebant, ſed occidebantur: Non enim haſtis, gladijs aut bombardis res agenda erat, ſed fortitudine, patientiâ, conſtantiâ, humilitate, ſinceritate, ſimplicitate. Et quidem his armis ſuperata eſt Idololatria. Cùm occidebantur Chriſtiani, viuificabatur fides, & moriebatur Idololatria. Cùm in exilium pellebantur Chriſtiani: pellebantur Idola, intrabat ciuitates Euangelium. Qui vincebantur, vincebant: qui cædebant, interibant vt meritò de hoc pugnandi genere dici poſſit id Deboræ Iud. 5. *Noua bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit: clypeus & haſta ſi* (id eſt, non) *apparuerunt in 40. millibus Iſrael.* Vnde Dominus milites ſuos contra gentiles mittens, dixit: *Mitto vos ſicut oues in medio luporum*, vt ſcilicet lupos capiant, & conuertant in agnos, idque efficiant ſuâ morte, cùm à lupis diſcerpêtur. Qualis hæc venatio: lupos capere agnis? Figuratum hoc Chriſtianorum bellandi genus in cæde innumerabilium Madianitarum, qui à trecentis duntaxat Iſraëlitis, non armis ſed tubarum clangore & laguncularum confractione fugati & fuſi ſunt, *Iud.* 7. Sic enim & gentiles per Euangelicæ prædicationis tubam & ipſam prædicatorum internecionem exterminati ſunt; quemadmodum de hoc prophetat Iſaias c. 9. *Sceptrũ exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian.* Miratur orbis Alexandrum M. qui quadraginta millibus circiter in Aſiam traiecit; eamque ſibi vectigalem fecit vniuerſam. Quid diceremus, ſi cum quadraginta hoc effeciſſet? quid ſi non pugnando, ſed terga vertendo & clades accipiendo viciſſet? Atqui ſi vicit orbem Chriſtus. *Is Deus eſt*, dicebat Sapiens ille, *qui facit, quæ nulla creatura poſſit.* Num quis vnquam ante aut poſt Chriſtum talia patrauit?

TERTIVM, Doctrinæ difficultas: ac primò quoad intellectum. Prophonebant imprimis Apoſtoli SS. Trinitatis myſterium, intellectu difficillimum, quòd ſcilicet in Deitate tres ſint diſtinctæ perſonæ, quarum vnaquæque verus ſit Deus, & tamen tres Dij non ſint ſed vnicus. Docebant vnam ex his, filium ſcilicet factum hominem, non reliquiſſe quod erat, ſed aſſumpſiſſe quod non erat, atque ita Deum ſimul & hominem eſſe, qui tametſi à Iudæis crucifixus cum latronibus & necatus eſſet, eum tamen interim cœli terræque Dominum

D. III. Doctrinæ difficultas.

1. *Quoad intellectum.*

num verùm fuiſſe & curſum ſolis, lunæ & ſtellarum direxiſſe mundique molem ſuſtinuiſſe. Dicebant corporum reſurrectionem futuram, & carnes etiam deuoratas ac combuſtas redintegrandas. Prædicabant Deos iam à tot ſæculis ab vniuerſo orbe cultos, non Deos ſed dæmonia eſſe, & perſuadebant illis ignotum Deum *Prædicamus Chriſtum crucifixum*, ait Apoſtolus 1. Cor. 1. *Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.*

Senatus olim Romanus plebem metu adegit, vt Romulum Deum fateretur. Alexander M. cùm adorari voluit, tunc primùm exercitus eius ſeditionem mouit, & domeſtici eius verbera potiùs paſſi ſunt, quàm vt illum adorarent. Caligulam, Domitianum, Heliogabalum & cæteros qui diuinos ſibi honores arrogabant, dum vixerunt, populus riſit, mortuorumque, diuina ſcilicet, cadauera (humo quippe, nedum cœlo indigna) non ſecus ac canum ad ſcalas Gemonias traxit, refert. Maiol. *tom.* 3. *Canic. coll.* 1. At verò crucifixum Chriſtum, ne homines Deum proclamarent, & vt talem colerent, nullis adigi tormentis potuerunt. En miraculum!

2. *Quoad voluntatem.*

Secundò quoad voluntatem proponebant magis ardua quàm blanda: vitanda ſcilicet vitia turpitudineſque carnales quibus homines ad aures vſque immerſi erant: ſeruandam verò caſtitatem, ſobrietatem, temperantiam: dicebant meliorem eſſe paupertatem opibus, humilitatem honoribus, obedientiam & ſubiectionem libertate. Monſtrabant genus vitæ, quæ continua crux erat, carniſque & omnium appetituum mortificatio. Et hæc non homines tantùm plebeij & vulgares, ſed etiam Sapientes, Philoſophi & Reges credebant atque amplectebantur. Non igitur hoc grande miraculum? Qui gallinam ad ſe allicere & capere vult, nequaquam intentat illi baculum, ſed auenam obijcit, & poſtea in aduertenti manus aut funiculum inijcit. Contra fecerunt Chriſti Apoſtoli: baculum intentarunt, ad cruces inuitarunt. Cyrus Rex ad Lacedæmonios dicebat: *Quicunque mihi militârit: ſi pedes eſt, faciam equitem, ſi eques, quadrigas addam: ſi villam poßidet, dabo pagum: ſi pagum, vrbem, ſi vrbem, regionem: aurum porrò pondere, non numero tribuetur.* teſte Plut. in apophþ. priſc. Regum. Et quid Chriſtus ſectatoribus ſuis dicit? *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, &c.* Qui regni mei particeps eſſe cupit, bona, parentes, liberos, vxorem, agros adhuc autem & animam ſuam odio habeat & deſerat, crucem in humeros ſuſcipiat, meo nomine omnis generis ærumnas, mortem & ignominitam pati, decus, gloriam & fœlicitaem ſupremam putet. Sic de Paulo aiebat: *Oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Paulus ipſe ait Actor. 2. *Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens, quoniam vincula & tribulationes Ieroſolymis me manent: ſed nihil horum vereor.* Et hæc eadem Apoſtoli prędicebant ijs, quos ad fidem alliciebant; *confirmantes animas diſcipulorum*, vt Actor. 14. dicitur, *exhortanteſque, vt permanerent in fide, & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Quid hoc aliud erat, niſi abigere ſectatores? Siquis Dux conſcribere volens milites, promitteret eis exiguum ſtipendium, plurima verò verbera, patibula, famem, nuditatem, cædes, &c. ſpolia verò non niſi mortuis illis diuidenda; quis hunc ſequeretur Ducem? At verò Chriſtum talia promittentem totus mundus ſecutus eſt.

E. IV. Conſtantia credentium.

QVARTVM, Conſtantia credentium. Ridebant minas & ſupplicia non viri tantùm, ſed & pueri & fœminæ, qui naturali fortitudine præditi non ſunt; interim hilares & læti in carceres & ſupplicia iuerunt ac iugulum præbuerunt, quaſi non ad ſupplicium, ſed ad conuiuium irent. *Beſtias acerſe*, dicebat S. Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus irriſis Tyranni minis ac ſupplicijs; *aut aliquid quod voles; Rata nobis ſtat ſententia, longéque ab eo abſumus, vt aliquando mutato conſilio meliorum nos pœniteat, quo deteriora ſequamur*, Euſeb. lib. 4. c. 14. Laurentius in craticulâ Tyranno illudens ſemiaſſatus dicebat: *Verſa & manduca.* Macedonius & Theodulus ſimiliter ab Almachio in crate toſti, Tyrannum appellant: *Almachi, aſſum deſideras? conuertito nos in alia latera, ne ſemiaſſati palato tuo minùs ſapidi videamur*; apud Suidam. S. Chriſtina patri, Tyri præfecto, à quo vngulis diſcerpebatur, laceri corporis partem in os inijciens; *Saturare miſer*, aiebat, *carnibus quas genuiſti: at certè impietati tuæ vt conſentiat, facere non potes.* Surius tom. 3. in vitâ. Magni faciunt Ethnici ſuum illum Zenonem Eleatem, qui linguam in Tyrannum expuit, ne loqui cogeretur; Leænam quoque Atticam, quæ nullis tormentis adigi potuit, vt loqueretur. Sed quid mirum, ſi iſti tacendo crimen, tormenta quàm mortem pati maluerunt? At Chriſtianorum, qui rogum conſcendere & ceruices præbere maluerunt, quàm coram vniuerſo populo, non crimen aliquod, ſed Chriſti gloriam tacere, multæ ſunt myriades, Aurelio Antonio, cùm adhuc Aſiæ proconſulatum gereret, quæſtiones in Chriſtianos exercenti, tota vna ex ciuitatibus Aſiæ Chriſtiana, ſe illi ad necem obtulit. Quâ re perterritus, paucis damnatis exclamat: *O miſeri ſi cupitis perire, præcipitia & reſtes habetis.* Tertullian ad Scapulam. c. vlt. Denique rariſſimi leguntur, qui in martyrio defecerint, nec niſi illi, qui alicui peccato addicti, id deſerere noluerunt. Quæramus iam; qui fuerunt iſti? Angeline, an homines? Homines certè ſimiles nobis; & vnde tanta illis fortitudo? Nonne mors eſt omnium terribilium terribiliſſimum? Quis non extremè horret mortẽ? Num fortè illi neſciebant mortem eſſe priuationem omnium bonorũ temporalium? num fortè inſenſibiles erant ad equuleos, ignes, rotas, beſtiarum dentes? Non ſanè, Dei igitur opus erat hoc, non hominum.

F. V. Mutatio morum in hominibus.

QVINTVM, Mutatio morum in hominibus: qui ante peruerſiſſimi & omnibus vitijs, quæ ſecũ trahit Idololatria, dediti, poſteà facti ſunt ſãctiſſimi, adeoque propemodum è diabolis angeli. Iſocrates cùm iuuenem inſtituendum recepiſſet, ante omnia interrogauit: an aliquid ſciret, nec ne; ſi nihil ſciret, ſimplicem daret mer-

mercedem : ſi aliquid, duplicem; vnam vt dedoceret prius, quod malè iuuenis didicerat, alteram vt de nouo eum inſtrueret. Quoniam ergo gentiles contrarijs erroribus quamplurimis imbuti per tot ſæcula erant, tam in intellectu, quàm in voluntate, idcircò difficillimum erat, gentes Chriſtianâ diſciplinâ imbuere : qui tot immanibus vitijs dediti erant, (vti recenſet Apoſtolus ad Rom. 1.) quæ ipſi pro vitijs non agnoſcebant. Quòd ſi multi Chriſtiani, qui fidem & Sacramenta habent, qui iudicium, infernum ac cœlum credunt, Deum quoque pro ſe in cruce mortuum fatentur; tam diſſolutè tamen viuunt, & tam difficulter auertuntur à vijs ſuis peſſimis: quantò difficilius factu id fuiſſe putabimus in gentilibus? Dixit Ieremias c. 13. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Sed pace tuâ, Ieremia, innumerabiles Æthiopes mutarunt pellem ſuam per tincturam baptiſmi & Chriſti Euangelium. Dicebat etiam Chriſtus: facilius eſſe camelum intrare per foramen acûs, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Sed per gratiam illius, quàm multi tales cameli depoſito diuitiarum gibbo cœlum intrauerunt? quàm multi etiam eo retento? Conſtantinus M. ante baptiſmi & fidei ſuſceptionem ferociſſimus, poſtea totus mutatus & manſuetiſſimus factus eſt. Baron. anno 324. Imò nonnulli etiam qui per iocum & ludibrium baptizari ſe fecerant ad illuſionem baptiſmi, in ipſo actu repentè mutati, fidem Chriſti ſeriò confeſſi ſunt & morte teſtati, mimus Iuliani Porphyrius, Ardalio, Dioſcorus. Præterea quot in ſummis opibus & honoribus vixerunt innocentes quaſi roſæ inter ſpinas, vt S. Ludouicus Galliæ, & S. Eduardus Angliæ, S. Wenceſlaus Bohemiæ, S. Stephanus Vngariæ Reges, S. Henricus Imp. & alij? Quanta eorum humilitas qui in ſummis honorum veſtigijs poſiti erat? S. Ludouicus pauperum pedes lauabat, tergebat, deoſculabatur. S. Eduardus non detrectauit pauperem in dorſo ferre ad Eccleſiam. S. Eliſabetha Regis Vngariæ filia quæ non ſeruitia pauperibus impendebat? Quid mirabilius facto Alexij, & Ioannis Calybitæ, quorum ille Romæ, hic Conſtantinopoli multis annis in paternis, iiſque opulentiſſimis, ædibus ignoti ſummâ in paupertate & contemptu vixerunt? Quid mirabilius quàm viuere coniuges in perpetuâ virginitate, quemadmodum S. Henricum Imp. & Eduardum cum coniugibus ſuis? Legantur vitæ SS. legantur martyrologia, ibi velut in ampliſſimo campo apparebunt innumeræ Martyrum roſæ, Confeſſorum violæ, Virginum lilia.

Significabat hanc mutationem linteum illud S. Petro oſtenſum *Actor.* 10. plenum viperis ſerpentibus alijsq; feris & venenoſis animalibus: & in cœlum reſumptum. Hæc enim animalia Deus ita purificauit & ſanctificauit, vt cibum ſuum eſſe voluerit & cœli ciues. Nonne igitur hæc *mutatio dexteræ excelſi?*

Vidimus, Auditores, vidimus miracula, quæ in fidei propagatione, ſole clariùs elucent. Sed iam alia non minùs ſtupenda occurrunt miracula. Qualia verò illa? Primum, quòd aliqui reperiantur, qui à fide tantis miraculis plantatâ recedere & ad nouas ſectas deflectere non dubitarint. Secundum quòd Chriſtiani aliqui, poſtquam cernunt fidem tam mirâ Dei dexterâ propagatam, adhuc audeant fidei ſuæ tam diſſonam agere vitam: quòd ea quæ credunt, factis negare auſint: quòd ita viuant, quaſi Deus non eſſet, nec vlla meritorum retributio. Vereor itaque, ne iſti aliquando condemnentur in die illâ vel à Niniuitis, qui homini peregrino & ignoto tam promptè obſecuti ſunt, & vitam emendarunt. Quod tamen à nobis auertere velit Deus.

CONCIO VIII.

Documenta Euangelica.

Docet hoc Euangelium.

1. *Mortem nemini parcere.*
2. *Tribulationem eſſe telum quo fugientes ad ſe retrahit Deus.*
3. *Non expectanda ſigna aut extrema neceſſitas ad conuerſionem.*
4. *Magnam liberorum curam habere.*
5. *Procurare ſalutem ſubditorum.*
6. *Creſcere in fide & alijs virtutibus.*

THEMA.

Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus, & ibat. Ioan. 4.

DVo membra ſunt imprimis neceſſaria vnicuique homini volenti peruenire ad deſtinatum locum: Oculus & pes. Nam ſi pedem habeat, oculo autem careat: vel ſi econtra pede careat, oculum tantùm habeat, quomodo progredietur? Pari ratione, ſi vis ad vitam ingredi, oculum neceſſe eſt habeas & pedem. Oculum, inquam, fidei, pedem verò operis. Vtrouis horum careas, non peruenies, quò tendis. Caruerunt oculo gentiles, ideo aberrarunt: caruerunt pede Iudæi, vnde nec ipſi peruenerunt. Audi S. Gregorium l. 19. moral. c. 21. *Populus gentilis, ait, quaſi oculos non habuit, quia non receptâ lege non vidit, quo ire debuiſſet: at contrà Iudaicus habens oculos, claudus fuit, quia legem quidem tenuit, ſed in eâ greſſum recti operis non tetendit.* Iam verò noſter Regulus neutro horum caruit. *Credidit* enim *ſermoni, quem dixit ei Ieſus*; ecce tibi oculum; *& ibat*; ecce tibi pedem. Et tales ego opto vos eſſe, Auditores, credentes, inquam ſeu videntes: & in fide ambulantes. Atque vtinam poſſem vobis eſſe, quod S. Iob aſſerit ſe fuiſſe c. 29. *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Verùm quod non poſſem ego, poterit Euangelium hodiernũ, quod ad vitam ſalutis & dirigit & promouet, vti nunc audiemus. A. *Fides & opera Chriſtiano neceſſaria.*

Docet PRIMÒ, mortem nulli parcere, & ſed tam Regum & Regulorum, quàm pauperum ædes pulſare, nec vllâ humanâ vi aut precibus auerti aut excludi poſſe. Ecce enim filius Reguli *mori incipiebat*, ait Euangeliſta, Græcè legitur: *futurus erat mori.* q. d. deplorata erat ſalus eius, nec vlla in medicis aut medicinis ſpes ſupererat; non obſtabant opes, non honor, non florens ætas, quin *futurum eſſet mori. O futurum!* Itaque verè dixit Seneca: *Æquat omnes cinis: impares naſcimur, pares morimur*: Platina in Fælice II. Pontifice refert Conſtantinum filium Conſtan- B. I. *Mors nemini parcit.*

ſtantini M. Imp. dum poſt ſuſceptum imperium cum triumpho Romam aureo carpento ingrederetur, ciues obuiam factos veneratum eſſe ac dictitaſſe, illud Cyneæ Pirrhi Legati verum eſſe, tot ſe videre Reges in vrbe Româ, quot ciues. Viſis deinde palatijs, Pantheo, templis, columnis, aquæductibus, arcubus triumphalibus, &c. obſtupuiſſe ac dixiſſe, naturam vires, omnes in hanc Vrbem effudiſſe; mox Hormiſdam Architectum ſuum interrogaſſe, quid de Româ ſentiret: Qui id ſolum ſibi placere reſpondit, quòd *didiciſſet Romæ æquè mori homines ac alibi.* Nimirum mors inſtar beſtiæ illius dentifragæ, crocutæ, eſt, quæ omnia dentibus frangit, protinuſque deuorata in ventre conficit, vt ſcribit Plin. l. 8. c. 21. Quando ergo intelligimus nihil à morte in hoc mundo tutum aut exemptum, quid ita amamus mundum, & quæ in mundo ſunt? *Nemo*, inquit S. Chryſoſtomus hom. 32. in ep. ad Hebræos, *in ciuitate quæ caſura eſt, ſana mentis ædificat. Non ædificemus in hoc mundo; poſt paululum enim caſurus eſt, & cuncta perditum ibunt.*

C. II. Tribulatio telũ, quo fugientes ad ſe retrahit Deus.

Docet SECVNDÒ, tribulationem eſſe telum, quo fugientes homines retrahit ad ſe Deus. Ecce enim Regulus nunquam veniſſet ad Chriſtũ, & proinde numquam credidiſſet, niſi filius ægrotaſſet & mori incepiſſet. Quodque magis mirum, cùm eſſet Capharnaita, habere ſemper ad manum poterat Chriſtum, vtpote maiori ex parte ibi verſantem: nunquam tamen adijt; nunc verò tactus aduerſitate, aſcendit non exiguo itinere ad Chriſtum vſque in Canam. Ita mirum communiter, quando ſecundo curſu res feruntur noſtræ, Deum obliuiſcimur, & negligimus diuina, licet ſint præ foribus. At cum aliquâ tribulatione tangimur, tùm demùm ad Deum currimus, nihil non facere ſpondemus, vota concipimus, & longas ad Deum peregrinationes, quem priùs in templo proximè exiſtentem non ſalutauimus, vouemus, ſicq; vndique opem expetimus; iuxta id Oſeæ 6. *In tribulatione ſuâ manè conſurgent ad me. Venite & reuertamur ad Dominum; quia ipſe cepit, & ſanabit nos.* Vbi ad litteram prædicit Iudæos, poſtquam diu ſatis in captiuitate fuerunt, redituros tandem ad Deum ſuum. Plerumque impendentia nobis mala non conſideramus, priuſquam ſentiamus ſurum inſtar, qui licet paſſim videant patibula & pendulos in eis fures, nihil tamen inde mouentur, nec ſibi timent, niſi poſtquàm capti ſunt; tùm implorant gratiam Iudicis, & preces aliorum, nihilq; non promittunt; denique cùm à magiſtratu non audiuntur, ad Deum ſe conuertunt. Minùs quidẽ laudis habet iſtiuſmodi conuerſio, vtpote per vim quodammodo extorta (quâ de cauſâ Regulus à Chriſto reprehenſus fuit;) fælix tamen & ſalutaris eſt; ideoque Deo gratiæ agendæ pro malis, quæ dum nos hîc premunt ad Deum ire compellunt.

D. III. Non expectanda ſigna aut extrema neceſſitas ad cõuerſionem.

Docet TERTIÒ, Non requirere ſigna & prodigia, nec expectare extremam neceſſitatem, Deique virgam, ad hoc vt veniamus ad ipſum. Hac enim de cauſâ reprehenditur hîc Regulus, voce Domini: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.* Huiuſmodi autem Reguli multi ſunt, qui neſciunt ſibi imperare, vt deſerto mundo & peccatis veniant ad Chriſtum, niſi compulſi prodigijs aut flagellis. Quando ſæua tempeſtate iactantur, quando peſtis in vrbe graſſatur, quando ad portam mortis appropinquant; tum demum confiteri, iniurias condonare & aliena reſtituere volunt. Sed quid ſi tunc non audiantur? Narrat Herodotus l. 1. Cyrum cùm Iones pacis conditiones, quas priùs repudiârant, ab eo repoſcerent, dixiſſe eis apologum tibicinis, qui ad alliciendos piſces tibiâ cecinerat; ſed cùm nihil proficeret, ſagenam miſit in mare, multoſq; pertraxit, quos cùm palpitantes videret: *Temperate*, ait, *iam à ſaltationibus, quia me canente noluiſtis ſaltare.* Ita olim Iudæos inuitauit Deus ad choream virtutis & iuſtitiæ per tibiam Ezechielis & aliorum Prophetarum. Sed fruſtrà eis cecinit. Vnde ait Ezech. c. 33. *Es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulciq; ſono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Ideo ſuper eos expandit rete Chaldæorum, & abduxit eos in Babylonem captiuos, quod in perſonâ eorum lamentatur Hierem. Thren. 1. dicẽs: *Expandit rete pedibus meis: conuertit me retrorſum.* Idem timendum, ne contingat nobis, ſi pœnitentiam agere nolimus ad Dei monitionem præuiam, v. g. antequam peſtis vel hoſtis vrbem occupet, vel morbus nos inuadat; ne fortè præoccupati pœnitentiam agere velimus & non poſſimus.

Meliùs ſapiunt illi, qui præueniunt iram Dei; quod diſcere poſſumus à Raab meretrice, *Ioſ. 6* & à Gabaonitis, *Ioſ. 9.* Illa enim præuidens vrbem Ierochuntinam in quâ habitabat, ab Hebræis capiendam & vaſtandam, priùs eorum gratiam ſibi comparauit, vt immunis eſſet à clade cum omni domo ſuâ; eiuſq; ſecuritatis ſignum prout conuentum erat, funiculum coccineum demiſit per feneſtram ſtatim poſtquam diſceſsere Hebræorum legati, ibique pendulum reliquit, quoad Hebræi occuparent & intrarent hoſtili manu vrbem, vti colligitur ex S. textu *Ioſ. 2.* vbi dicitur: *Dimittenſq; eo vt pergerent, appendit funiculum coccineum in feneſtrâ;* & docet ibi Liranus, rationem afferens: *ne obliuioni daretur*, inquit, *& vt hoc exploratores viderent antequam recederent.* Similiter ergo nos, cum à longè videmus aut metuimus plagam aliquam diuinam, non expectemus donec ea nos occupet, & à mente deiiciat, ita vt neſciamus quid nobis agendum ſit. Sed potiùs præuenientes, *funiculum coccineum*, id eſt, ſignum gratiæ & remiſſionis, pœnitentiam animæ noſtræ appendamus, aliaque afflictionis & ſatisfactionis opera, ita vt contritionem ſaltem numquam dimittamus, ſed dicamus cum Dauide: *Iniquitatem meam ego cognoſco & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Gabaonitæ id ipſum docent, qui nequaquã expectarunt, donec Hebræi venirent contra ſe armati, ſed obuiã eius facti ſupplices aſſumptis veſtibus attritis & panibus induratis pacem cum eis pacti ſunt, quam poſtea non obtinuiſſent, ſed cum alijs nationibus extincti fuiſſent. Similem proceſſionẽ inſtituamus nos ad Deum in ieiunio & fletu & planctu.

E. IV. Magna liberorũ cura habenda.

Docet QVARTÒ, Magnam liberorum curam habere,

habere, cum pro ſalute eorum corporali, tum multò magis præ ſpirituali. Ecce enim Regulus, quàm ſolicitus pater, non mittit ad Chriſtum famulos ſed ipſemet eum adit, itinere non modico, & ſalutem filio quęrit. Deinde rogat inſtanter: *Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus.* Denique ſalutem eius ſpiritualem procurat, dum ſecum eum credere facit. Ergo & parentes ſoliciti ſint, Primo de naturali filiorum vitâ, vti ne deſtituti neceſſarijs ad vitam tuendam paſſim diſcurrere famelici, mendicare & tandem furari cogantur. Reſpicite volatilia cœli, quàm ſolicita ſint pro vitâ & victu pullorum. v.g. gallinas, hirundines, paſſeres, ciconias. Gallina pullos ſuos congregat ſub alas, pro quibus contra canes, contra homines etiam depugnat; quibuſcum infirmis & ipſa infirmatur, quibus annonam, terram ſcalpendo procurat: quam vbi primùm nacta eſt, eos aduocat, ad idque certò vocis vtitur ſono, diſtincto ab eo quem adhibet, quando eos ſub alas ſuas congregat, atque item ab eo, quo ſibi à miluo vt caueant. Illud etiam non paruum eſt gallinæ in pullos amoris ſignum, quòd cibo, qui tum ſibi tum pullis ſuggeritur, acriter prohibeat pullos alienos, ne ſuis non ſufficiat. Hirundinum ac paſſerum matres, quando earum pulli de nido volare primum cœperint, cum ſtrepitu eos circumuolant: neque facilè deſerunt, donec tutò volare poſſint, vocibuſque pijs teſtantur pericula filiorum. Eædem roſtro in eorum prædatores acriter depugnant; denique ablatos pullos aut aliâ ratione perditos ſummâ diligentiâ conquirunt, quos vbi ſunt nacti, ijs licet caueâ concluſis cibum deferunt. Quæ omnia in oculis noſtris cùm ſint quotidie, mirum eſt quomodo ad ea non attendamus. Ciconiæ pullos ſuos qui per ætatem nondum euolare queunt è nido, ſibique cibum prouidere, ſollicitè admodum nutriunt, & quod mirandum eſt, cùm aliundè ijs alendis cibum nanciſci nequeunt, eſcas quas priùs ederant, euomunt, atque in educandos fœtus conuertunt; ſunt præterea ijs ad volandum imperitis duces & magiſtræ.

2. Secundò, De vitâ eorum ciuili, vt bonis artibus & honeſtis moribus imbuantur. Docet hoc inter aues imprimis luſcinia, quæ inſtruit pullos ſuos in modulis formandis, verſuſq; quos imitentur, illis tradit; cuiusrei argumentum eſt, quòd quicunq; matris educatione, è nido ſublati, caruere, inconcinniùs canunt, idque obſeruatum ſcribit Ariſtòt. *l.4. de animal. c.9.* Attendunt pulli ad matrum cantilenas eaſq; perdiſcunt, licet varias & longas. Ergo & parentes curent vt inſtruantur filij in bonis diſciplinis.

3. Tertiò, De vitâ eorum ſpirituali, vt ne peccēt & peruertantur. Docet hoc auis alia, perdix, inquam, paruulos ſuos, quantiſper per ætatem nequeunt fugere aucupē: aſſuefaciunt enim eos, vt ſupini ſternant ſeſe glebâ aut fæce, velut integumento ſuperingeſto Anton. Baling. *in Zooped. tit. Educatio.* Hunc in modum doceant parentes liberos fugere aucupem imprimis tartareum, deinde ſocios malos & rationem vitandi peccata. Inſtruant in doctrinâ & diſciplinâ Chriſtianâ vel alijs inſtruendos tradunt. Auctor & Rhodigin. *l. 3. antiq. lect. c. 23.* extitiſſe Romæ in ædibus Aſcanij Cardin. pſittacum, qui articulatiſſimè continuatis perpetuò verbis Chriſtianæ veritatis ſymbolum pronuntiabat inſtar viri periti. Quod ergo pſittacus didicit, hoc neſciant Chriſtianorum liberi? Verùm communiter parentes de naturali tantùm vitâ liberorum ſolliciti ſunt: quomodo ſcilicet eos alant & magnâ dote onerent, non de ciuili & ſpirituali: quomodo etiam Regulus initio ad ſanitatem filij dumtaxat corporalem attendit, non ad ſpiritualem. Quid verò diceretis de pictore illo, qui plurimos omnis generis coëmeret colores, nunquam interim pingeret, licet ſæpe foret occaſio? Ad quid enim comparat ſibi colores pictor? nonne vt pingat? Similiter ad quid prodeſt parentibus prædia & nummos corradere pro bono filiorum, ſi interim eos non curent inſtitui bonis artibus & diſciplinis? Ibi occaſio pingendi eſt, & quidem effigiem pulcherrimam, vbi filij tibi ſunt capaces diſciplinæ. Si non in finem iſtum impendas nummos tuos, fruſtrà tibi comparas prædia & diuitias.

F. V. Procurāda ſalus ſubditorum.

Docet QVINTÒ, Procurare etiam ſalutem ſubditorum; ſiquidem Regulus iſte non ſat habuit credere pro perſonâ ſuâ, ſed quamprimum operā dedit, vt cum ipſo crederet domus eius tota. Idem etiam fecerunt, quotquot habentes familiam, perfectè ad Chriſtum conuerſi ſunt, vti Cornelius Centurio, *Act.* 10. Lydia purpuraria, & cuſtos carceris, *Act.* 16. Criſpus Archiſynagogus, *Act.* 18. Impoſſibile enim videtur, vt qui Chriſtum verè amat, non inſtiget etiam alios præſertim ſuos, ad amandum illum: ſicut ignis neceſſariò adurit, calefacit & illuminat eos, qui ſibi propè adſtant, & quò propiùs, eò magis. Vnde Apoſtolus 1. Tim. 5. pro infideli habet eum, qui ſuos maximè domeſticos ad fidem & diſciplinam Chriſtianam non hortatur. *Siquis, inquit, ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Infidelis enim cùm nō quęrit ſalutē ſuam, nec agnoſcat, non mirum ſi non quærat ſalutem ſuorum. Magnæ laudis eſt, cùm dicitur pater familias eſſe pius, iuſtus, quietus, beneficus cum omni domo ſuâ; vti econtrà ſordet, cùm dicitur contrarium. Quantum etiam ſolatium erit bono patri familias in articulo mortis, ſi familiam ſuam ad Dei cultū adduxit? S. Greg. Thaumaturgus Neocæſareæ Epiſ. in extremis rogabat, quot in ciuitate adhuc ſupereſſent infideles; reſponſumq; eſt, ſeptemdecim: *Deo gratias, inquit, totidem erant fideles, cùm Epiſcopatum cepi.* Vt in Breuiar. 17. Nouē. Procurret vnuſquiſque vt hoc vel ſimile verbum de ſuis ſubditis, familiâ, liberis, diſcipulis, parochianis, clientibus pronuntiare moriens poſſit.

G VI. Creſcere oportet in fide & virtutibus

Docet SEXTÒ, Creſcere in fide & alijs virtutibus. Sic enim creuit Regulus. Primò Chriſtū habuit pro viro ſancto, vel pro magno aliquo medico, qui vel ſuis precibus vel manuum impoſitione vel alijs remedijs poſſet mederi. Ideo defectum fidei reprehendit in eo Chriſtus. Secundo cum audiuit: *Vade filius tuus viuit*; credidit ſermoni Chriſti, tanquam veri prophetę, qui in ſpi-

in ſpiritu cognouerit filium eſſe ſanatum, ſed ope alienâ. Tertiò, quando agnouit eâdem horâ ſanatum filium, quâ dixit illi Ieſus: *Filius tuus viuit*; credidit perfectè, ſcilicet Chriſtum eſſe Deum, qui ſuâ virtute licet abſens filium ſanârit. Et demum effecit vt cum ipſo crederet domus tota. Hunc igitur in modum creſcere nos decet in omnibus virtutibus, quomodo deſiderant omnes creſcere viribus, potentiâ, opibus, ſapientiâ. Quid enim eſt, quod non creſcat & in dies perficiatur? Creuit caput noſtrum, Chriſtus, tenerâ in ætate, ſapientiâ & gratiâ, vt teſtantur Euangeliſtę. Quis autem neſcit turpe fore, ſi caput ſolum creſceret, non membra? Vndè Apoſtolus ad Epheſ. 4. ait: *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus*. Creſcunt animalia non mole tantùm corporis, ſed aſtutiâ etiam rerumque experientiâ. Quis enim neſcit vulpes annoſas aſtutiores, ideoque captu difficiliores eſſe? Canes venaticos venationi aſſuetos aptiores ad venandum, quàm catulos immaturos, nondum aſſuetos? Creſcunt plantæ; vnde Dominus, *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcant*. Denique creſcunt anni noſtri, creſcunt & cani. Ergo ſicut ij qui creſcunt, crepundia abiiciunt & nugas pueriles aſpernantur: ita nos aſpernemur mundi puppas, & ſeria quærere ac tractare ſatagamus. Turpe foret ſenem equitare in arundine: ſic turpe eſt adultum Chriſtianum occupari & delectari rebus fluxis & inanibus.

Creſcamus autem *per omnia*, inquit Apoſtolus: ita videlicet, vt nobiſcum credat tota domus noſtra interior, id eſt, omnès vires corporis & animæ, ita vt ex geſtibus & conuerſatione externâ omnes colligant nos eſſe fideles. Deinde etiam exterior & familia, ita vt in modeſtiâ & pietate in dies proficiant, ſicque de nobis dici queat, quod ſanè de Chriſtianis prophetauit Iſaias cap. 61. *Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.*

CONCIO IX.

Myſteria.

1. 2. & 3. *Explicatur quis & qualis fuerit hic Regulus, cur non exprimatur eius nomen & conditio, & cur eum reprehendit Chriſtus.*

4. *Quare ad ſeruum Centurionis, non ad filium Reguli iuerit Dominus.*

5. *Cur quærat Regulus horam ſanati filij.*

6. *Exponitur ſenſus myſticus huius hiſtoriæ.*

THEMA.

Credidit ipſe & domus eius tota. Ioan. 4.

A. Piorum vita, Auditores, Comœdiæ ſimilis eſt, quæ licet triſte initium habeat, hilarem tamen ſortitur exitum. Contrà impiorum vita Tragœdiæ inſtar eſt, quæ tametſi lætum habet exordium, in luctum tamē deſinit. Comœdiam cum pijs ludere ſolet Deus: tragœdiam cum impijs ludere ſolet diabolus. Vita illius Epulonis quid niſi tragœdia fuit? *Epulabatur* enim *quotidie ſplendidè, & induebatur purpurâ*; ſed ad extremum *mortuus eſt & ſepultus in inferno*. Vita verò Lazari quid niſi comœdia fuit? Iacuit ante fores diuitis & nemo illi dabat vel de menſâ micas. Sed audite finem: *mortuus eſt & geſtatus ab Angelis in ſinum Abrahæ*. Sed quid procul imus? Recurrite mecum ad Euangelium, quod audiuimus ante octiduum de nuptijs filij Regis, Interfuit nuptiali conuiuio inter alios etiam homo non veſtitus nuptialiter, qui haud dubiè non minùs quā alij hoſpites opiparè comedit & bibit, æquè lætus ac iucundus fuit. Sed ecce vobis, inter conuiuarum delitias mediā è turbâ repentè abripitur & eiicitur in tenebras exteriores, vbi fletus eſt & ſtridor dentium. Viciſſim in hodierno Euangelio prodit in ſcenam Regulus, primò quidem anguſtiâ & mœrore plenus; ſiquidem filius eius cum morte luctabatur. Hinc tota illius domus luctu & lachrymis repleta; quia conclamatus erat filius: nullum ſiue in Medicis ſiue in medicinis apparuit remediū. Verùm hunc mœrorem repentè ſecutum eſt ingens gaudium, dum audiit bonus parens: *Vade, filius tuus viuit*. Hinc reduxit vnà cum filio tota eius domus vndique iubilus & gaudium. Atque hic eſt ludus, quem cum electis ſuis ludit in hoc mundi theatro Deus. Nos ergo comœdiam hanc ſpectatum veniamus omniaque accuratè inſpiciamus.

Q. PRIMÒ. Quis fuit iſte Regulus? Reſp. incertum eſſe, an fuerit propriè dictus Regulus ſeu Toparcha alicuius ditionis vel vrbis, an verò regius tantùm miniſter ſeu palatinus. Hanc partem tenet D. Hieron. eò quòd in textu græco vocetur βασιλικὸς, id eſt, *regius*; vnde Syriaca editio vertit *ſeruum regis*. Illam perſuadere videtur noſter Interpres, qui videtur legiſſe βασιλίσκος, quod *regulum* ſignificat. Saltem ergo regius quidam procurator aut prorex, vel de regio ſanguine fuit. Incertum quoque an Iudæus fuerit, vel gentilis. Aliqui Iudæum, alij gentilem: Origines proſelytū credit. Iudæū potiùs fuiſſe, ſuadere videntur Chriſti verba: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*; Iudæi enim *ſigna quærūt*. Solum hoc igitur certum de hoc Regulo habemus, quòd non fuerit magnus Rex. Quod etiam ſibi perſuadeant omnes mundi reges & magnates, quia non niſi reguli & puſilli ſunt coram Deo, qui omnes, velut gigas pigmæos, proſternere vno ictu poteſt. Ita minatur Sobnæ præpoſito templi ſuperbo ſe aſportaturum eum in Babylonem venundatum, velut gallū gallinaceum in forum: & velut pilā eiaculaturum, Iſai. 22. Nonne inflatum Regem Nabuchodonoſor eiecit in ſiluā ad beſtias? nonne hodiernum Regulum per aliquot milliaria currere ad ſe coëgit? Hinc Zeno Imp. imperio deiectus dixit: *Ludibrium Dei eſt homo*. Certè Reguli erunt in ſepulchro, cùm exiguâ vrnâ claudentur. Vnde Seuerus Imperator, vrnam ſuo funeri paratam crebrò manibus contrectans aiebat: *Tu virum capies, quem totus orbis capere non potuit*. Teſtatur Dio Nicænus in eius vitâ. Accedit Poëta: *mors ſola fatetur quantula ſint hominum corpuſcula.*

B. I. Quis fuit hic Regulus.

Q. SECVNDÒ. Sed cur non exprimitur eius nomen & conditio? Reſp. vt ſciamus diuitias, dignitates, titulos & nomina potentum aliaque, quæ mundus ſuſpicit & colit, apud Deum nullo loco eſſe: ſolam fidem & virtutes alias earumq; ſectatores locum obtinere & nominis celebritatem. Pauli Eremitæ tunicam è palmæ folijs contextam præfert S. Hieronym. (in eius vitâ) regum purpuris & ſceptris, eamque S. Antonius

C. II. Cur non exprimitur eius nomen & conditio.

nius tanti æſtimauit vt non niſi in ſummis feſtis indueret. In hoc etiam Antonio *admirabile eſt*, inquit S. Anaſtaſius in eius vitâ, *vt hominem in extremo mundi limite conſtitutum & Principum fauor & omnis celebraret aula regalis. Nam & Conſtantius Auguſtus & eius liberi, Conſtans atque Conſtantinus, talia cognoſcentes crebrè ad ipsũ quaſi ad patrem iuſſu literis obſecrabant vt reciprocis ſcriptis ſe exhilararet. At ille eiuſmodi manens, qualis antequam literæ ad eum venirent, fuerat, nec ſalutatione principum mouebatur, & tanquam non acceptis literis conuocatis Monachis aiebat: Reges ſæculi ad nos miſerunt Epiſtolas. Quæ hîc Chriſtianis adhibenda admiratio eſt? Licet enim diuerſa ſit dignitas, attamen eadẽ naſcendi & moriendi conditio eſt. Illa ſunt omni admiratione percolenda, illa toto animi affectu retinenda ſunt, quòd hominibus Deus legem ſcripſerit; quòd per filium ſuum proprijs Eccleſias ditauit eloquiis. Quæ Monachis ratio eſt cum regum epiſtolis? cur accipio literas, quibus conſueta neſciam reddere ſalutationis obſequia? igitur rogatus ab vniuerſis fratribus, vt Chriſtianos reges ſuis litteris refrigeraret; ne ſcilicet per ſilentium eius exaſperarentur, ad ſuſceptas literas conuenientia reſcripſit. Laudauit primum quòd Chriſtum colerent, deinde ſalutaria perſuaſit, ne magnam putarent Regiam poteſtatem, ne præſentis carnis imperio tumentes, ſe homines eſſe neſcirent, & à Chriſto iudicandos obliuiſcerentur. Ad poſtremum clementia erga ſubiectos & iuſtitia, cura quoque inopum admonuit: atque vnum ſempiternum eſſe Regem omnium ſæculorum Chriſtum Ieſum, epiſtolis teſtatus eſt. His Principes ſuſceptis, vehementiſſimè lætebantur*, &c.

Diſcamus hinc Chriſtiani quæ magna coram Deo, & quæ vilia ac nulla ſint. Magni ſanè erimus, ſi ea quæ mundus magna æſtimat, contempſerimus, iuxta id Deut. 11. *Omnis locus, quẽ calcauerit pes veſter, veſter erit.* Quâ verò ratione calcabimus mundi regna? Cùm ea velut inania & fluxa ſpreuerimus: vti fecit Antonius, Paulus, Franciſcus, &c. qui nunc mundo notiores & honoratiores ſunt, quàm vllus Rex aut Imperator. Mundi ſectatores inſtar paruulorum & illiteratorum ſunt, qui libros illos ſuſpiciunt, mirantur & commendant, quos literarum picturis & imaginibus exornatos vident. Mundi verò contemptores viris ſapientibus & literatis, qui literarum ornatum & ſplendorem externum negligunt ac vix quidem aſpiciunt, ſolam ſapientiam in libro traditam quærunt, laudant & extollunt. Quid omnis mundi faſtus, niſi picta quædam charta, quam vbi exigua pluuia læſerit, mox coloribus defluentibus tabefacit adeoque vilem efficit, vt eam mox abiiciamus Vnde Apoſt. 1. Cor. 7. mundi ſplendorem appellauit *figuram. Præterit figura huius mundi*, Græcè *ſchema* ſeu *ſpecies*. Quare vt equum phaleratum empturi non attendimus ad phaleras, ſed ad equi corpus & membra: ita ad perſonatos honores, & laruatas mundi voluptates nequaquam attendendum eſt. Tolle laruas & intus aſpice mundum.

D. III. Cur reprehendit Chriſtus Regulum 4. Q. Tertiò, Cur reprehendit Regulum Dominus: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*; cùm ipſe ſigna non petierit, ſed filij tantum ſanitatem? Reſp. Primò: vt oſtendat Regulum & Iudæos Samaritanis, qui paulò antè ad nudam eius prædicationem crediderant, longè inferiores eſſe. Tametſi ergo Regulus non acceſſit animo tentandi Chriſtum & miraculum impetrandi, crediturus tamen non erat, niſi hoc miraculo Chriſtus filium ſanaſſet.

Secundò, Vt vulnus Reguli tangat, fidei ſcilicet imperfectionem, quâ Domini præſentiâ expetebat ad ſanandum filium, putans eam neceſſariam eſſe. Vt ergo hunc defectum in eo emendaret, voluit abſens filium eius curare, cum proteſtatione tamen & increpatione aliquâ. q. d. quia non credis me abſentem poſſe filium ſanare debeo tibi, vt video, potentiæ meæ ſpecimen oſtendere & abſens filio mederi, vt credas me hoc poſſe, adeoque pluſquam hominem eſſe. 2.

Tertiò, Vt oſtendat diuites & potentes huius ſæculi difficulter & non niſi increpationibus excitari ad quærendam ſuam ſalutem. Quemadmodum enim cerui *cùm erexère aures, acerrimi ſunt auditûs: cùm remiſère, ſurdi*, (ait Plinius l. 8. c. 32.) ita principes & potentes, ſiquid eſt quod placeat, id procul etiam percipiunt: ſiquid ſecùs, quantumuis clames, non intelligunt. Patet manifeſtè in Regulo iſto, qui increpationem Chriſti: *Niſi ſigna & prodigia videritis*, &c. ſurdâ aure pertranſijt, quaſi nihil ad ſe pertineret. At vbi paulò pòſt eundem audijt dicentem: *Vade, filius tuus viuit*; ſtatim id arrectis auribus excepit & credidit, domumque ad filium contendit. Tales igitur reges quis non iure vocet regulos, quales deſcribit Ieremias c. 8. *Mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incãtatio.* 3.

E. IV. Cur ad ſeruum Centurionis ire voluit Dominus non ad filium Reguli. Q. Quartò, Cur ad Centurionis ſeruum ſanandum libuit ire Chriſto, non ad filium Reguli? Reſp. Primò: quia fides Centurionis longè perfectior erat; credidit enim abſentem poſſe ſanare; vnde ait: *Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Voluit ergo ad Centurionem ire, vt illius fides, humilitas & reuerentia hac occaſione in exemplum aliorum patefieret. Noluit ire ad Reguli filium, ſed abſentem ſanare, vt ſimul incredulitatem patris ſanaret, qui præſentiam huius medici neceſſariam putabat, ideoque in Chriſtum ſaltem vt Deum non crediſſet, niſi Chriſtus abſens filium curaſſet. Ita reſpondet Chryſoſtomus *homil.* 34.

Secundò, Vt retunderet noſtram ſuperbiam, *qui in hominibus non naturam, quâ ad imaginem Dei facti ſunt, ſed honores & diuitias veneramur*, inquit ſanctus Gregorius hom. 28. in Euang. ideoque diuites & potentes vndique præferimus, pauperes poſtponimus. *Increpata eſt ſuperbia noſtra*, ſubdit Gregorius, *quæ neſcit penſare homines propter homines; ſola quæ circumſtant hominibus, penſat, naturam non aſpicit, honorem Dei in hominibus non cognoſcit.* Solet mundus negligere pauperes, ideò voluit eos colligere & honorare Dominus. Sed cur ad filiam Archiſynagogi, qui ſimili imperfectione petijt: *Veni, impone manum tuam ſuper eam.*; voluit deſcendere? Reſpond. nouiſſe Chriſtum quid cuique expediret; tametſi nos neſciamus. Fuit ſanè in Archiſynagogo maior humilitas, maior etiam fides; quia putauit & defunctum ab eo reſuſcitari

ſcitari poſſe. Fortè etiam Dominus voluit honorare dignitatem eius Eccleſiaſticam. Certò etiam nobis perſuadeamus Deum nobiſcum ſummo iure non agere, ſed infirmitati ſæpe noſtræ ſeſe accommodare.

F. V. *Cur quæſit Regulus horâ ſanitatis filij.* Q. Qvintò, Cur interrogat ſeruos Regulus, quando meliùs habuerit filius? Reſpondetur Primò: vt diſcat vtrum ſanitas filio à Chriſti verbo prouenerit, an verò aliunde vel caſu obtigerit. Prodit ergo hîc imperfectionem ſuam, quâ nondum crediderat Chriſto tanquam auctori ſanitatis, ſed vt viro ſancto vel Prophetæ fide digno. Poſtquam ergo intellexit eâdem horâ conualuiſſe filium, quâ dixerat Dominus: *Filius tuus viuit*: inde certò collegit filij ſanitatem à Chriſto profectam eſſe.

2. Secundò. Vt inde benefactorem noſcere, laudare, confiteri atque in eum credere queat. Reperiuntur hodie multi, qui tametſi multa acceperunt beneficia, non inquirunt tamen eos, à quibus ea obtinuerunt, vel diſſimulant, præſertim cùm ab eis digreſſi ſunt; quandoque etiam clàm gaudent, cùm is longè recedit vel moritur, exiſtimantes ſe tunc temporis à debito gratitudinis iam liberos & ſolutos eſſe. Vnde pauci ſanè reperiuntur grati in defunctos & quos non facilè ſe viſuros ſperant. Non ita Regulus iſte, qui in gratiarum actionem, tametſi à Chriſto iam digreſſus, mox reformauit totam domum ſuam & inſtituit in fide Chriſti. Non ita etiam Elephas ille, de quo hæc Elianus lib. 3. cap. 44. *Indorum Rex ab Indo quodam ſibi munere mitti Elephantem popoſcerat; is cùm eum miro amore diligeret, negauit ſe daturum, ac vnà cum Elephante perfugit in deſertiſſimam regionem. Rex ferens iſtud ægrè, ad eum inſequendum miſit, qui beſtiam Indi auferrent: aggreſſi igitur, qui miſſi fuerant, vt comprehenderent, homo quidem lapidibus eos appetebat, elephantus verò, vti inſigni iniuriâ acceptâ, impetum illorum repellebat; occumbente tandem ictibus altore & doctore ſuo, Elephantus more hominum armis ſe accerimè tuentium pro ſuo nutritio pugnauit, tum etiam ex inuadentibus partem occidit, partem in fugam dedit; atque nutritium proboſcide circumplexus, ad ſtabula portauit, ac tanquam amicus permanſit fidelis amicô etiam defuncto.*

Diſcite hinc Chriſtiani quid defunctis veſtris benefactoribus, parentibus, ſuperioribus, nutriciis præſtare obſequij debeatis. Poteſtis & vos ore veſtro per orationem, manu per eleemoſynam geſtare eos in cœlum, ſi velitis; videte an ad hoc faciendum non magnoperè obligemini.

G. VI. *Quid hæc hiſtoria ſenſu myſtico.* Q. Sextò. Quid ſibi vult hæc hiſtoria ſenſu myſtico? Reſp. Primò. Senſu allegorico Regulus ſignificat Adamum, cuius filius, tota eius poſteritas ob præuaricationem parentum incidit in ardentem febrim, quando concupiſcentiâ dominante lapſa eſt in grauia ſcelera. Venit ergo Dei filius à Iudæâ in Galilæam, hoc eſt, à domo laudis, cœlo, in domum transmigrationis ſeu terram. Itaque horâ ſeptimâ filium curauit, quando pro eo in cruce paſſus eſt. Horâ ſiquidem diei ſextâ Dominus crucifixus eſt, horâ ſeptimâ adhuc in cruce pependit & pro peccatoribus rogauit, nec non latroni paradiſum promiſit. Exinde credere in Chriſtum mundus cœpit perſpectâ eius diuinitate in prodigiis tunc editis: ac demum credidit domus tota.

Secundò. Senſu tropologico Regulus iſte quiuis noſtrûm eſt, qui paruum quoddam regnum in animâ, membris & potentiis ſuis habet. Filius noſter eſt fides, quæ per charitatem operatur, prognatus partim à noſtro libero arbitrio, velut à matre; partim à Deo excitante & cooperante, velut patre. Hunc filium niſi habuerimus, maledictioni ſubiacebimus & velut ſterilis illa ficus è vinea Domini excidemur atque in ignem mittemur. Magnâ ergo ſolicitudine ſeruandus eſt hic filius. Verùm heu multoties incidit in febrim, cùm vel fluctuat, vel ardore vitiorum æſtuat. Hinc deſipit oratio, Dei verbum, Sacramentorum vſus, pia lectio, ſacra omnia: & inde incipit mori. Quid igitur factu opus? Perge ad Medicum animæ tuæ, Chriſtum, & inſtanter ora: *Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus.* Quòd ſi forſan te mortifero peccato iam enectum ſentis, noli deſperare; primâ ſolùm morte, quæ eſt peccatum; non ſecundâ, quæ eſt gehenna, mortuus es, adeoque mori primùm cœpiſti. Adhuc igitur rogare, confiteri peccata & ſanari potes. Vt enim qui incidit in flumen, non obruitur, quamdiu aqua non accedit ad os, quoniam reſpirare poteſt; ſin autem aqua attigerit & adimpleuerit os, ſtatim obruitur & moritur: ſic qui incidit in peccati gurgitem, adhuc ſpem habet vitæ, ſi os non habet impeditum, ſi paratus eſt de ſceleribus pœnitere & confiteri. Sin autem tanta eſt culparum aqua, vt ei ſuper os aſcendat, quo flagitia ſua ſilentio prætereat, nolens confiteri, obruitur miſer, & ad ima tartarorum deſcendit. Eam ob cauſam dicebat Regius Vates: *Non me demergat tempeſtas aquæ, nec abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Aquis maris obruti ſunt Ægyptij, non Iudæi: Iudæus enim ſignificat *confitentem*, Ægyptius *turbatum*. Ille eripitur qui ad veram confugit confeſſionem; ille perit, qui obſtinatione turbatur, peccatorum ſuorum confeſſionem contemnit. Itaque memor eſto horæ ſeptimæ, memor paſſionis Dominicæ, quâ & paradiſum latroni aperuit, & omnibus offert veniam. Deinde vade ad confeſſarium, ſpiritualem Medicum tuum, & aperi ei morbum animæ tuæ. Roga vt in domum tuam deſcendat & per examen conſcientiæ omnes actus tuos rimetur, quò nimirum deprehendat & pellat morbum tuum. Vnge & roga inſtanter, neque indigneris; ſi fortè & ipſe obiurgarit te; quia eſt Medicus & Iudex tuus, ad extremum te ſanaturus, & à peccatis ſoluturus. O quantum ſenties gaudium, cùm dicentem tibi audies: *Vade filius tuus viuit:* anima tua ſanata eſt: à peccatis abſoluta & libro cœli inſcripta!

DOM. XXI. POST PENTECOST.

Euangelium Matth. 18.

IN illo tempore: dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum Dominus eius vænumdari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem ſeruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenens, ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conſeruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valde: & venerunt, & narrauerunt Domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum Dominus ſuus, & ait illi: Serue nequam; omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nónne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus quoadusque redderet vniuerſum debitum. Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

CONCIONES.

I. Rationes & ſtimuli ad iniurias remittendas.

II. Dilectio inimicorum ſuadetur exemplo totius vniuerſi.

III. Vindicta quàm multos offendat.

IV. Vindictam nullum hominis bonum conferre oſtenditur.

V. Qui ſunt illi, qui ſuffocant proximum.

VI. Examen futuri iudicij, quàm diſtrictum ſit.

VII. Stygij carceris æternitas deſcribitur, varijs de cauſis miſerrima.

VIII. Documenta.

IX. Myſteria.

CONCIO I.

Rationes & ſtimuli ad iniurias remittendas.

Remittendæ ſunt iniuriæ.

1. *Propter Deum, qui exemplo præit, qui & nobis ignoſcit, & quia idipſum Chriſtus ſpeciatim commendauit.*
2. *Propter proximum: quia modicùm offendit, offenſâ non tam à proximo procedente, quàm ab ipſo peccato, diabolo, & materialiter à Deo.*
3. *Propter teipſum.*

THEMA.

Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris Matth. 18.

A. DIes Solis, Auditores, magnâ veneratione nobis eſt colendus, quia in iſto die ortus eſt nobis ſol Iuſtitiæ, Chriſtus, tam in natiuitate, quàm in reſurrectione, adeoque iſto die Deus pacem orbi dedit eique reconciliatus eſt. Admonet nos proinde, vti etiam nos reconciliemur fratribus noſtris. Ait enim Apoſtolus ad Eph. 4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* De quâ re S. Aug. hom. 41. inter 50. ait: *Non debuit occidere ſol ſuper iracundiam veſtram, & multi ſoles occiderunt: tranſeat aliquando iracundia veſtra, dies magni Solis celebramus.* Et mox: *ſi ergo iraſceris, ne occidat ſol iſte in corde ſuper iracundiam tuam, ne fortè & occidat tibi ſol iuſtitiæ.* Quando igitur, Auditores, conuenimus in Eccleſiam die ſolis, ſimus, quæſo, memores magni illius ſolis, qui non vult occidere ſolem ſuper iracundiam noſtram. Porrò ſiquis eſt huiuſmodi dies per totum anni curriculum, hodiernus eſt, in quo audimus Chriſtum proponentem Primò, nobis exemplum patris ſui cœleſtis, quo perſuadeat condonationem iniuriarum. Secundò, preces conſerui modicum debentis & humillimè ſupplicantis; denique pœnas ſerui nequam remittere nolentis. Quæ tria, ſi expendamus, ſufficere nobis debent, vt iniurias remittamus. Ea verò hîc diſcutiemus.

Remittere debes PRIMÒ propter Deum. Et Primò, quia ſuo exemplo præit & ignoſcit non modò inimico tuo, verùm etiam tibi peccata tua, ſæpe multò grauiora. Tunc ergo in proximum tuum crudelior eris, quàm ſit Deus erga teipſum? Profectò ſi quoties nos delinquimus in Deú, toties ille in nos enſem ſuum ſtingeret, vbi nunc eſſemus? B. I. Propter Deum. I. *Quia exemplo præit:*

Secundò. Quia & ipſi nobis remitti à Deo peccata noſtra volumus. Iuſtum igitur eſt vt hoc idem proximis noſtris faciamus. Hac galeâ munitus S. Bernardus contempſit omnes iniurias. A quôdam enim clerico Regulari, qui in eius Ordinem recipi importunè poſtularat, pugno grauiter percuſſus, ita vt rubor & tumor ictui ſuccederet, patientiſſimè tulit, hominemque in pace, ne à quoquam læderetur, educi iuſſit, addens: *Oportet eum alijs ignoſcere, cui toties ignoſcitur à Deo.* Vt in vita lib. 3. cap. 6. Huic affinis eſt manſuetudo Caroli Magni Imperat. qui monitus ne indignos & ingratos etiam inter ſuos toleraret, reſpondit: *Et quâ charitate nos hactenus tulit pater cæleſtis?* Mutius lib. 8.

Tertiò,

3. *Quia Christus ſpeciatim iubet.* Tertiò. Quia Christus ſpeciatim id nobis commendauit, & inimicitiam ac vindictam propriam ſustulit: partim cùm in Euangelio toties nobis præcepit remittere iniurias: partim cum ipſemet in cruce ignouit ſuis inimicis; partim cùm in paſſione ſuâ reconciliauit & quodammodò ſanguine ſuo conglutinauit Herodem & Pilatum, *Luc.* 23. Scribit Valerius Max. l. 4. c. 1. Thraſybulum Athenienſium legiſlatorem poſt recuperatam populo patriam plebiſcitum feciſſe, ne quis præteritarum iniuriarum meminiſſet aut mentionem faceret? quæ lex obliuionis, *amnestia* vocata, labentem ciuitatis ſtatum in priſtinum habitum reuocarit. Fecit hoc & Christus multò efficaciùs cùm iniuriarum obliuionem nobis commendauit & reipsâ in cruce docuit, adeoque Chriſtianis perpetuum Iubilæum ſeu remiſſionis annum induxit, de quo etiam Lucæ 4. ex Iſaia locutus eſt. *Hoc autem vere ſanctum & pulcherrimum Iubilæi feſtum eſt,* inquit Rupertus in Leuit. cap. 25. *Euangelicâ clangente buccinâ celebrandum, ita vt reuertatur homo ad poſſeſſionem & familiam ſuam, cùm offenſam in nos remittimus, vt omni diſcordiâ ſolutâ cuncti redeant ad priſtinam familiam pacis & concordiæ, atque habeant cor vnum & animam vnam; canantque: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum!* hæc ille. Quando Hæbræi in factiones diuiſi, ita vt alij adhærerent Dauidi, alij filio Saulis, inter ſe digladiabantur, *inſonuit Ioab buccinâ & ſtetit omnis exercitus, neque perſecuti ſunt vltra Iſrael, neque iniêre certamen,* 2. Reg. 2. Igitur & nos Chriſtiani deſinamus inuicem perſequi, quia noſter Ioab Chriſtus, buccinâ inſonuit, pacem & amicitiam præcepit; ſiquidem & ipſe in cruce inter nos & Deum pacem fecit, conſtituendo ſe in medio & excipiendo pro nobis iram patris in ſe. Quod ibi fecit, hoc etiam nunc ſuo modo facit, quotieſcunq; tu vindictam ſumere vis de proximo. Non feries enim proximum, niſi priùs ferias Chriſtũ. Quid igitur tu facies? Adhuc ne ſæuies? Elephas quantumuis iratus placatur, cùm proponitur ei ouicula. Tu propoſitum tibi Chriſtum, agnũ illũ manſuetiſſimum, cogitans, non depones iram & vindictam?

C. II. Propter proximum. Secundò. Propter proximum, qui te offendit. Primò, quia modicum tibi nocuit & nocere potuit. Quidquid tibi abſtulerit, Deum & ſalutem auferre non potuit. Centum denarij ſunt omnes tuæ iniuriæ; & quid hæ reſpectu decem millium talentorum, quæ tu debes Deo? Sed grauitur læſit famam tuam? eſto; non læſit ſaltem corpus tuum. *Fertur B. Conſtantinus* (*Imp. Magnus nomine*) inquit S. Chryſoſtomus hom. 20. ad pop. Antioch. *effigie ſuâ quandoque lapidatâ, multis ipſum inſtigantibus ad ſupplicium de auctoribus contumeliæ ſumendum, & dicentibus, quòd omnem ipſius faciem ſaxis conuulnerâvint; manu faciem palpans & leniter ridens dixiſſe, Ego verò nuſquam vulnus in fronte factum video, ſed ſanum quidem caput, ſana verò & facies tota. Illi verò veneriti & confuſi ab hoc iniquo deſtitêre conſilio.* Notandum in Imperatore dictum, qui ante baptiſmum in intimos etiam truculentus, poſtmodùm verò Chriſtianus in ipſos etiam maieſtatis reos tam erat mitis.

Sed, inquies, quærunt inſuper vitam & fortunam meam, bono animo eſto; parum tibi nocere poſſunt, nec plùs, quàm permittat illis Deus, qui nocituris iſtis beſtiis dentes priùs excutit, ne tibi quantum volunt, nocere poſſint. Audi Dauidem Pſalm. 3. *Non timebo millia populi circumdantis me. Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa:* (Hebr. *in maxillâ*) *dentes peccatorum contriuiſti.* Quod etiam in ſe expertus eſt: dum ſæpiùs ereptus fuit è dentibus Saul, hoſtis ſui. Quemadmodum ergo ſimiæ, apri, lupi, quibus dentes acutiores ſunt confracti, parum nobis nocere poſſunt; ita & inimici noſtri. Hac ratione Deus confregerat aliquando dentes illi Laban, qui perſequens Iacobum, machinabatur ei malum; vnde dicebat: *Valet manus mea reddere tibi malum: ſed Deus patris tui heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius,* Gen. 31. Hoc eodem argumento Dauid volens ſedare hoſtilem Saulis animum, dicebat: *Quem perſequeris rex Iſrael? quem perſequeris? Canem mortuum perſequeris & pulicem vnum,* 1. Reg. 24. q. d. Non poſſum tibi valde nocere, quoad Deus non permittit; quid ergo me perſequeris? Canis mortuus & edentulus ſum: quomodo te mordere poſſum contra Dei voluntatem? Sanè canes generoſi contemnunt latratus catellorum, & quaſi non audirent, prætereunt; quia norunt eos ſibi nihil aut parum valde nocere poſſe. Narrat Ludou. Granatenſ. *p. 1. ſymboli c.* 22. audiuiſſe ſe à viro fide digno, qui magnâ cum admiratione ſpectarit canem venaticum tranſeuntem iuxta littus maris, quem cùm allatraret quidam catulus, & vndiq; aggrederetur, ille tamen immotus permanſit. Catulus autem ita importunus fuit, vt canis patientiam fregerit. Itaque arreptum mordicùs catulum tamdiu in aquâ demerſit, quoad ſuffocaret, quaſi indignum cenſuiſſet, in quem arma dentium ſuorum conuerteret. Ex quo apparet, verum eſſe illud Senecæ lib. 3. de irâ cap. 25. *Proprium eſt magnitudinis veræ, non ſe ſentire percuſſum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta reſpexit: ſic illiſus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat. Qui non iraſcitur, inconcuſſus in iniuria perſiſtit: qui iraſcitur, motus eſt. Non ergo iniuriam pati, ſed iniuriam facere, vel neſcire pati, malum eſt.* Sic ille, profectò ſapienter & Chriſtianè.

2. *Quia offenſa illa nõ tam à proximo procedit quàm ab eius peccato.* Secundò, quia offenſa illa non tam à proximo tuo procedit, quàm aliunde. Primò enim procedit ab offendentis peccato, velut inſtrumento. Quemadmodum ergo Pater cùm audit filium arcu vel ſclopeto damnum alteri dediſſe, arcum imprimis ei aufert & confringit, vel in fornacem abiicit, non filium: ita nos peccatum potiùs, quo proximus nos læſit, deteſtari debemus, quàm proximum. 1. Sanè ſi tu ipſe ſclopeto exploſo manum læſiſſes, ſclopetum vtique abiiceres & frangeres, non teipſum punires. Huc forſan reſpexit David, cùm Sauli dormienti nocere in perſonâ noluit, ſed lanceam tantùm abſtulit, 1. *Regum* 26. quia nimirum illa fuit, quâ nitebatur olim Saul ipſum conficere, 1. *Regum* 10. de

inſtrumento vltionem ſumpſit, non de Saule.

2. A diabolo. Secundò, procedit ſæpe à diabolo velut inſtigatore. Audi S. Hieronymum in Pſal. 71. *Si te impius perſequitur, inquit, ſcito, quia equus eſt: ſed equus eſt diabolus: iſte currit, hic lanceâ ſuâ percutit: iſte ducitur calcaribus, & inuitus inſanit, hic agit & ſtimulat.* Quid tibi nunc agendum putas? contra equumne pugnabis, an potiùs contra equitem? Memento Eleazarum illum (1. *Machab.* 6.) gladium infixiſſe Elephanti, cui inſidere putabat Regem; & Elephantem quidem occidiſſe, ſed ab eo collapſo obtritum eſſe. Ita ſibi exitium parant, qui inimicum impugnant: dæmon potiùs impugnandus eſt, inimici inſeſſor. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem,* ait ex Apoſtolo S. Auguſtinus ſer. 38. de temp. *ſed aduerſus principes & poteſtates & ſpiritualia nequitiæ, id eſt, aduerſus diabolum & angelos eius, quia & quando patimur homines importunos, ille inſtigat, ille inflammat, ille tanquam vaſa ſua mouet. Attendamus ergo duos hoſtes, quem videmus, & quem non videmus: hominem videmus, diabolum non videmus, hominem diligamus, diabolum caueamus.*

3. Materialiter à Deo. Tertiò, procedit materialiter à Deo, qui te per inimicos exercere & purgare vult; vti de ſe teſtatur Dauid, cùm lapidibus impeteretur & malediceretur à Semei, 2. Reg. 16. *Dimittite eum, vt maledicat,* inquit; *Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid; & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* Quò etiam pertinere videntur illa verba Pſal. 38. *Opprobrium inſipienti dediſti me: obmutui, & non aperui os meum; quoniam tu feciſti.* Dic mihi, ſi quis pugnum alterius arriperet vel gladium, & illo te percuteret; cui imputares ictum? nónne illi, qui alienam manum vel gladium leuauit ad te verberandum. Scito igitur Deum eſſe, qui te per inimicum vexat, vt tu ictus ſapias. Ita enim Dauid Pſalm. 88. dixit Deo: *Exaltaſti dexteram deprimentium eum.* Tace igitur & obtumeſce, cùm opprobrium audis: Deus eſt, qui te percutit, non inimicus tuus; *quoniam tu feciſti.* Ipſe exaltauit dexteram eorum, qui te percuſſerunt. Hinc Sennacherib dicitur *virga furorum Dei*, Iſai. 10. Hinc Attila *flagellum Dei*: Tamerlanes *iram Dei* ſeſe appellarunt; quia hiſce inſtrumentis caſtigauit Deus orbem. Sciebat ſanè Iob liberos, camelos & oues ſibi ablatas à vento, Chaldæis & igne, & potiſſimùm à dæmone harum cladium auctore: nihilominùs tamen dæmoni eas non adſcripſit; ſed Deo, qui per dæmonem, Chaldæos & elementa exercere ipſum voluit. Non ait: dæmon abſtulit; ſed *Dominus abſtulit*; quia nimirum, vt S. Auguſtinus notat, ſciebat ſibi à dæmone ne pilum quidem auferri poſſe ſine Dei voluntate.

D. III. Propter teipſum. TERTIÒ. Propter teipſum; quia tibi ipſi longè plus noces, quàm inimico, ſi ignoſcere non velis. Qualem enim te exhibueris erga inimicum, talem ſe & Deus exhibebit erga te, vti docet hodiernum Euangelium. De S. Leone Papa I. ſcribit Baronius anno Domini 452. quòd cùm peroraret coram Attila, monens vt Vrbi parcere & Italiâ excedere vellet, Attilam mox paruiſſe; quòd diceret, vidiſſe ſe aliquem alium (fuit is S. Petrus) ſacerdotali habitu diuinum quid præ ſe ferentem minantemque ſibi mortem, ni poſtulatis Leonis acquieſceret. Idem tibi, qui vltionem in hoſtem paras, contingere ne dubita. Stat retro inimicum tuum Deus, qui gehennam tibi comminatur, niſi ignoſcere velis veniam petenti. Sic enim *& Pater meus cæleſtis faciet vobis*, inquit Dominus, id eſt, non ignoſcet vobis, ſed in carcerem gehennæ vos detrudet; & adhuc tu vlciſci perges? *Quid facis, homo?* inquit S. Chryſoſt. homil. 62. in Matth. *non ſentis te aduerſus teipſum* (dum ſcilicet non dimittis) *mucronem adigere, & ſententiam ac minas Domini reuocare?* Quare eueniet tibi, quod Baiazeti Turcarum Regi, quem, in bello captum, cùm ad ſe duci iuſſiſſet Tamerlanes Tartarorum Imperator, & iuxta ſe in throno magnifico conſidere feciſſet, interrogauit modeſtè & adiurauit, apertè diceret, quid ſibi deuicto, ſi fortè reportaſſet victoriam, facere decreuiſſet, reſpondit mox ſuperbè Baiazetes: *Ratum mihi erat, mittere te in caueam ferream, & cum ludibrio per loca omnia circumducere, atque ad conſcendendum equum dorſo tuo quaſi ſcabello vti.* Tamerlanes viciſſim in iram conſurgens, nec tantum faſtum ferre ſuſtinens: *Ex ore tuo iudico te,* inquit, *dem planè ſuperbia crudelitaſque tua ſentiet, quod mihi deſtinauerat.* Itaque incluſum caueæ ferreæ, ſecum vndique duxit, & pro ſcabello adhibuit: refert Chalcondylas lib. 3. Idem prorſus iudicium ſuſtinebit is, qui inimicis ſuis machinatur malum: ſentiet, quod alteri fecit, aut facere ſaltem voluit.

Quare videat vnuſquiſque, qualem habere Iudicem velit, placatum an iratum, detque operam, vt dum ſol hìc lucet, deponat iracundiam & vindictæ appetitum, ne occidat ei ſol iuſtitiæ, & occidat æternùm.

CONCIO II.

Dilectio inimicorum ſuadetur exemplis totius vniuerſi.

1. 2. *Exemplo cœli & elementorum.*
3. 4. *Plantarum & beſtiarum.*
5. 6. *Ethnicorum & Hebræorum, Moyſis.*
7. 8. *Sanctorum Angelorum & Chriſti.*
9. *Exempla Dei Patris.*

THEMA.

Nónne ergo & te oportuit miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Mat. 18.

PVERIS legere incipientibus præberi ſolet tabella literaria, in quâ difficiliora vocabula figuris exprimuntur, vt faciliùs addiſcantur. A.
v.g. **Holtz hacken**/ durum eſt vocabulum: ideò huic vocabulo appingitur vir ligna findens. Eandem adhibuit induſtriam præceptor noſter Chriſtus, tradens nobis Euangelium ſuum; è quo omnis generis virtutes & diſciplinam Chriſtianam velut pueri addiſceremus. In hoc inter alia multa difficile verbum eſt, Remitto inimico; longè adhuc difficilius: Diligo inimicum. Reperiuntur enim homines, qui extrema potiùs pati, imò vitam perdere malunt, quàm

quàm hæc verba pronuntiare. Quapropter Chriſtus in hodierno Euangelio difficili huic verbo figuram appingit cœleſtis Patris liberaliſſimè remittentis: & præterea ſerui, qui remittere noluit, ſeueriſſimè caſtigati; *vt quod per ſimplex præceptum teneri ab auditoribus non poteſt, per ſimilitudinem exemplaque teneatur*, inquit S. Hieronymus in Comment. ſuper hanc parabolam. Pueri ſunt omnes, qui facilè iraſcuntur & difficilè ignoſcunt; ideo hanc figuram eis contemplandam modò proponemus aliaque exempla plura totius penè vniuerſi, legem hanc ſuadentia. Nos ergo Chriſtiani in hunc mundum quaſi in ſcholam ibimus, vt doctrinam hanc diſcamus. Diſcimus verò eam.

B. I. Exemplũ cœli.

PRIMÒ. Exemplo cœlorum. Nam imprimis, licet homines ſub cœlo ingentia mala & fœdiſſima quæque perpetrent, à cœlo tamen teguntur, fouentur, illuſtrantur, nutriuntur, &c. Audi S. Auguſtinum in id Pſal. 102. *quoniam ſecundum altitudinem cœli à terrâ*, &c. *Peccant*, inquit, *homines, ſub cælo, faciunt omnia mala ſub cœlo, cœlo tamen proteguntur. Inde lux ad oculos, inde aër, inde ſpiritus, inde pluuia ad terram propter fructus, inde omnis miſericordia à cœlo.* Adhæc videtur terra non minimas inferre cœlo iniurias; nam vapores contra id emittit, iiſque lumen eius obſcurat & impedit; nihilominùs tamen cœlum nubes illas obſcuras non ſolùm lumine ſuo diſcutere, ſed etiam in ſalutarem pluuiam conuertere, eaque terram fœcundare videmus. Quin & in iiſdem atris nubibus ſol pulcherrimam ſui imaginem, Iridem imprimit, quo frutices noſtras odoriferas reddit, teſte Plinio, pacem nobis denuntiat, imò & patellam auream conficit, & ex alto ad nos defert. *Nónne ergo & te oportet miſereri conſerui tui*, & ſimilia ei præſtare? Quare ſi in corde inimici tui aduerteris aliquod tui odium vel malignitatem; quâ nomen tuum obſcurare, vel aliter tibi nocere cupit, vapores eſſe cogita, & hos luce charitatis tuæ diſpelle ac vince beneficijs; ſic è tenebris lucem, ex inimico amicum facies. Ita ſimilis fies Deo, qui *de tenebris dixit* (id eſt, fecit) *lucem ſplendeſcere*, 2. Cor. 4. Ita ſimilis fies cœlo.

C. II. Exemplo Elementorum.

SECVNDÒ. Exemplo Elementorum. Nam imprimis licet inter ſe contrarias habeant qualitates, aliud ſursùm, aliud deorsùm naturâ ſuâ feratur, in gratiam tamen aliorum contra naturam ſuam vel aſcendunt vel deſcendunt, v. g. ſi vrceus ſit liquore plenus, in ipſius autem fundo multa ſint foramina, nihil inde liquoris effluit, obturato ſuperiùs orificio; idque in gratiam aëris, qui clauſo orificio nequit ſubintrare. Quin igitur & tu in gratiam inimici tui, qui fortè obſtructo ſibi per aliquam paſſionem aditu, demittere ſe ad te non poteſt, contines te & iram tuam, ne vacuum, hoc eſt, diuiſionem animorum facias? Sanè vti elementa ita connexuit Deus, ne vacuum quid eſſet: ita voluit connexos eſſe animos noſtros, præſertim Chriſtianorum, ne aliquo odio inter ſe vnquam ſeparentur. Vnde Chriſtus ante paſſionem ſuam tot verbis precatus eſt, *vt ſint vnum*, Joan. 17. Deinde quid aliud vorax flamma vult aut quærit, quàm viridia ligni in ſuam conuertere naturam & ſibi vnire? Quid quærit arida terra, cùm poſt diuturnam ſiccitatem vndique ſe findit & ſua quaſi ora pandit, niſi vt ſitim ſiccitatem ſuam pluuiâ aliquâ releuari petat? Quid nos, cùm aridas fauces ſentimus, niſi humidum appetimus? Et tamen aridum & humidum à diametro ſecum pugnant. Coire igitur in vnum hoſtes iſti volunt, & mutuam facere amicitiam. Denique, nónne terram, vt ait Cardinalis Bellarminus *conc.* 25. in rebus humanis ſemper conculcamus, terimus, effodimus; & in eam omnes ſordes & omnia purgamenta proiicimus? & tamen ipſa à Deo edocta reddit bonum pro malo, profert nobis herbas, fruges, aurum & argentum & omnia metalla? Quare ſi in te etiam proiiciatur quid aſperum aut immundum, vide ne terrâ in quâ ſtas, ſis inſipientior; ſed *vince in bono malum*, ad Rom. 12. Idem non difficile eſt oſtendere de mari. Quàm enim eius operâ abutuntur multi? Abutuntur certè piratæ, qui eius beneficio dum fruuntur, interim prædas agunt, & maria infeſtant. Vnde & gentilis ille Seneca hoc exemplum nobis proponit imitandum: *Nam & piratis patent maria*, inquit. Abutuntur alij, qui plurima in eo mala perpetrant, & tamen ab eo vehuntur & ſuſtentantur.

D. III. Exemplo plantarũ.

TERTIÒ. Exemplo plantarum. *Nónne vites & arbores*, inquit loco cit. Bellarminus, *ſingulis annis ſpoliamus & tondemus? & tamen ipſa vuas & poma liberaliſſimè nobis producunt?* Certè nuces arbores baculis & perticis acerrimè verberamus, dum fructibus eas exuimus: & tamen ipſæ nihilo pauciores, ſed tantò vberiores fructus poſteà nobis ferunt. Itaque ſicuti priùs benefacere conſueuiſti, noli ceſſare, licèt in te iniurius fuerit; ſed pugna contra eum beneficijs. Et ſicuti palma ponderibus preſſa non curuatur deorsùm; ſed contra pondus aſſurgit, & ſurſum nititur, recuruaturque, teſte Ariſtotele 7. problem. ita *vince in bono malum*, maleficia beneficijs.

E. IV. Exemplo beſtiarũ.

QVARTÒ. Exemplo beſtiarum. Nam primò gallinis oua, columbis pullos perpetuò ſuffuramur: tantùm verò abeſt, vt illæ indignentur, (cùm tamen ea non hominum, ſed ſpeciei ſuæ conſeruandæ gratiâ ponant) vt etiam nouis nos fœtibus remunerent. 1. Deinde nónne iumenta noſtra duriſſimè tractamus, oneribus & iugis grauamus, verberibus quoque tundimus? ipſa tamen omnia ferunt, nutriunt & ſuſtentant nos; id quod obiecit aſina Balaamo, hero ſuo, Num. 21. 2. Rurſum: *Nónne canes*, ait Bellar. loco. cit. *aliquando vehementiſſimè verberamus & ipſi ſtatim omnium iniuriarum obliti motu capita nobis blandiuntur?* 3. Prouerbio etiam dicimus, *non clamare canem, qui oſſe proiecto petitur.* Et quid ſi iniuria, quâ afficeris, tale quoddam os ſit, tibi vtile & ſalutare? Certè ſolet Deus eiuſmodi iniurias permittere ad exercitium patientiæ, adeoque velut oſſa in nos proiicere, vnde plurimum meriti abrodere, ſi velimus poſ-

poſſumus, licet aliquid duritei contineant. Propterea S. Dauid, cùm à Semei lapidibus appeteretur, intellexit hos ſibi à Deo immitti, in ſuorum remiſſionem peccatorum, vnde cohibuit ſuos, ne Semei nocerent. Intellexit enim lapides illos, oſſa potiùs eſſe, à quibus roderet indulgentiam, quàm lapides à quibus vulneraretur: & quaſi illis contumelijs & lapidibus bene paſceretur, noluit ea ſibi adimi, quemadmodum & canes faciunt, dum oſſa rodunt, 2. *Reg.* 16.

F. V. Exemplo Ethnicorum.

QVINTÒ. Exemplo Ethnicorum, & imprimis Philoſophorum, ad quos remittit nos Chryſoſtomus hom. 17. in Matth. *Philoſophos,* inquit, *conſiderate gentilium, & diſcetis, quanto ſimus digni ſupplicio, qui diuinæ legis prâcepta contemnimus, quandoquidem inueniuntur illi propter humanam hanc honeſtatem innumera feciſſe.* Audiamus exempla aliquot Philoſophorum ex D. Baſilio hom. 24. de leg. lib. gentil. *Quidam in foro Periclem probris omnibus inceſſabat, is autem minimè curare viſus, toto die ſuſtinuit: deinde veſperi iam diſcèdentem cum lumine comitatus eſt. Rurſum quidam Euclidi mortem ſe illaturum iurauit: ille verò contrà iurauit, ſe patienter eam laturum, & ei quamuis infeſto ſe conciliatum iri. Quidam vehementi impetu Socratis faciem cecidit: Socrates nihil cõmotus, aliud non fecit, quàm quòd propriæ fronti inſcripſerit: Talis fecit; vti ſtatuæ nomen auctoris inſcribitur.*

Addamus aliqua ex Seneca. *M. Catonem,* inquit, in lib. 2. de irâ cap. 32. *in balneo quidam percuſſit imprudens; poſteà ſatisfacienti, Cato: Non memini,* inquit, *percuſſum me.* Et in Conſolat. ad Heluiam. *Ducebatur Athenis ad ſupplicium Ariſtides; cui quiſquis occurrebat, ingemiſcebat, non tanquam in hominem iuſtum, ſed tanquam in ipſam iuſtitiam animaduerteretur. Inuentus eſt tamen, qui in eius faciem ſpueret: at ille abſterſit faciem, & ſubridens ait comitanti ſe magiſtratui: Admone iſtum, ne poſteà tam improbè oſcitet.* Narrat Ælianus *lib.* 12. Phocionem innocentiſſimum, & imperatorem, damnatum ad mortem & ad venenum hauriendum, cùm lictor illi poculum obtuliſſet, rogatum à propinquis, quidnam filio mandaret; reſpondiſſe: *Mando ei, vt obliuiſcatur potûs huius, quem nunc ab Athenienſibus oblatũ bibo.*

Non minùs rarum & mirabile fuit exemplum Lycurgi Regis Lacedæmoniorum, qui cùm à feroce iuuene, Alcandro, oculo orbatus eſſet, eumque à populo traditum accepiſſet in ſuam poteſtatem, vt ad libitum eundem tractaret & plecteret, nihil grauius in iuuenem ſtatuit: imò verò illum optimè inſtituit, vitia correxit, & ad omnem honeſtatem efformauit; itaque bonis moribus iam præditum in theatrum ad populum perduxit, dicens: *En iuuenem, quem a vobis iniurium & violentum accepi, iam frugi & popularem vobis reſtituo.* Auctor eſt Plutarchus in vitâ Lycurgi, & alij.

Tyrrhæum Pittaci filium, Cumis faber occiderat. Cumani homicidam vinctum miſerunt ad Pittacum, vt de eo ſupplicium ſumeret. At ille cognitâ cauſâ, dimiſit hominem, dicens: *Ignoſcentia potior pœnitentiâ.* Sentiens vtilius eſſe condonare quàm meminiſſe iniuriæ, & vlciſci.

Quin & de Turcâ Aſam Sultano memorabile exemplum prodidit Curopalates apud Baron. anno 1071. cùm enim Romanus Diogenes Imp. pugnans aduerſus Turcas *oblatam pacem ab Aſam Sultano per Legatos magno arrogantiæ ſupercilio reieciſſet, ipſumque cum ſuis proficiſcentem eſſet aggreſſus, diremptus noctis crepuſculo cùm rediret ad ſuos: poſtrema acies exiſtimantes illum fugere, in fugam ſeipſos irreuocabilem dederunt, adeò vt fugâ milites ſparſos adoriendi hoſtibus occaſio fuerit patefacta, quâ bene vſi, victoriam inſperatam adepti, captiuum duxerunt etiam Imperatorem, quem ille benignè habuit, ſuâ quoque menſâ dignatum. Sed cùm aliquando* (inquit Curopalates) *Sultanus eum interrogaſſet: Quid mihi feciſſes, ſi me in tuâ poteſtate habuiſſes? Simpliciter & ſine adulatione reſpondit Imperator: Multis plagis bene notis tuum corpus confeciſſem. At ego, inquit Sultanus, tuam ſeueritatem aut crudelitatem non imitabor. Verùmtamen audio veſtrũ vobis præcipere Chriſtum pacem & obliuionem malorum, ſuperbiſque reſiſtentem, humilibus gratiam dare. Præſtititque ex animo Dux barbarus, quod promiſit: nam inito cum ipſo fœdere, factâ pace perpetuâ, habitâ filiorum ratione, & ſucceſſorum omnium, nunquam ampliùs Romanum Imperium à Turcis inuadendum, labefactumque fore pollicitus, captiuos etiam relaxari præcepit, ipſumque per ſuos Legatos deduci iuſſum, amplexatum dimiſit. Cùm intereà perlato de clade nuntio Conſtantinopolim, mox alium ſubrogarunt Imperatorem Michaelem Conſtantini Ducis filium, coguntque exulare Eudociam Imperatricẽ, in monaſteriumque detrudunt. Miſſuſque Andronicus in occurſum Diogenis Imp. eundem captum, nigraque veſte indutum ſuper mulum, humanæ miſeriæ ſpectaculum factum toto illo perlongo itinere, perduxit: quem & iuſſit nouus Imperator effodi oculis; ſed vulneribus ex ſuffoſſione oculorum non curatis, cùm eis caput intumuiſſet, vermibuſque ſcateret, graueolens, horribilis viſu, vt humanum oſtentum expoſitus omnium oculis, finem viuendi fecit, luens hic pœnas, ne æternas incurreret. Nam de ipſo illud idem Curopalates memoriâ dignum prodit: In talibus, inquit, & tot malis nullum maledictum protulit, neque aliquid nefarij locutus eſt, ſed Deo gratias agere perſeuerabat, caſus æquo animo ferens.* Ita Baron. Didicit ergo hic Imperator Chriſtianus vel ab Ethnico principe gratias pro maledictis, beneficia pro iniurijs reddere, quod priùs ipſe non nôrat.

G. VI. Exemplo Hebræorum. I. Moyſis.

SEXTÒ. Exemplo Hebræorum; inter quos enituit imprimis Moyſes, qui virorum omnium mitiſſimus ingrato populo ſuo, à quo murmurationes & obtrectationes multas audiebat, parum à lapidatione aberat, bona pro malis reddidit, vt cùm pro ipſorum incolumitate enixè Deum rogauit, ac precibus quaſi tenuit, ne perderet illos ob patratam idololatriam. Inde factum, vt Hebræi plus eum ob manſuetudinem diligerent, quàm ob facta & portenta admirarentur. Nam vt de ipſo ſcribit S. Gregorius lib. 27. Moral. c. *Charitas in ſancto eius pectore ex perſecutione igneſcebat magis,* ac velut per antiperiſtaſin ſe intendebat, vti ſe intendit calor, cùm à frigore circumſtante oppugnatur. Idem pro Mariâ ſorore, quæ grauiter ipſi detraxerat, ideoque à Deo leprâ caſtiga-

ta erat, *clamauit ad Dominum, dicens: Deus obſecro, ſana eam*, Num. 13. Sed quis præclarior Dauide in dilectione inimicorum? In eâ enim tantùm

2. Dauidis. excelluit, vt ipſemet hoſtis infenſiſſimus, Saul, hoc ipſi teſtimonium dederit: *Iuſtior tu es quàm ego; tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* 1. Reg. 24. Non ſolùm enim ipſi ſemel iterumque deprehenſo pepercit, ſed cohibuit etiam & repreſſit ſexcentos viros, ne irruerent in ipſum, vt ibid. legimus. Poſthæc eius cædem acerrimè vindicauit in puero Amalecitâ nec non maximâ cum indignatione accepit, & lamentabili carmine planxit, 2. *Reg.* 1. denique ciues Iabes Galaad, qui eum honorificè ſepelierunt, mirè dilaudauit, 2. *Reg.* 2. idemque fecit filio ſuo Abſaloni, à quo tam dira paſſus fuerat, 2. *Reg.* 18. ſolicitus nimirum erat vir ſecundum cor Dei, de ſalute æternâ illorum, quos de eâ grauiter periclitari nouerat. Nihilo

3. Ioſephi. his inferior Ioſeph, qui quanta à fratribus recepit mala, tanta eis rependit bona. Eorum enim ſcelus lachrymis quaſi abluit, dum per ſingulos plorauit, & mœrentes ob iniuriam ipſi irrogatam, blandiſſimè conſolatus eſt, Gen. 45. *Oſculabatur ſingulos*, ait S. Auguſt. ſerm. 83. de temp. *& per ſingulos flebat & irriguis lachrymis pauentium colla perfundebat; itaque odium fratrum charitatis lachrymis abluebat.* Cumque ipſi veniam peterent ac ſupplicarent, ne memor eſſe vellet iniuriæ acceptæ, rurſum fleuit; dolens anxiari fratres & reconciliationi ſuæ diffidere, Gen. 40. magis ſentiens ipſorum dolorem & pœnitentiam, quàm ſuam iniuriam, quâ ab ipſis olim venditus & malè habitus fuerat.

H. VII. Exemplo SS. Angelorum. SEPTIMÒ. Exemplo SS. Angelorum, maximè Cuſtodum, quorum oculos peccatis, ineptijs & ſordibus noſtris quotidie offendimus, interim tamen ab eis fouemur, iuuamur, cuſtodimur & promouemur ad ſalutem. Quamplurimi mortalium nunquam recordantur eorum, nedum vt pio aliquo opere eos venerentur: & tamen illi preces noſtras aliaque opera ferunt ad conſpectum Dei, vt diuinos nobis fauores referant. Legimus *in Vitis PP. l. 7. c.* 19. de Ioanne Thebæo diſcipulo Abbatis Ammonis, quòd ſeni huic ægrotanti duodecim annis ſeruierit perquam ſtudioſè: ſenex autem nunquam blando, placidóve verbo eum allocutus ſit. *Senex ergo moriturus coram alijs ſenibus tenuit manus eius, & dixit ei tertiò: Salueris, ſalueris ſalueris. Et tradidit illum ſenibus, dicens: Ille nõ homo eſt, ſed Angelus, qui tot annos mihi infirmanti ſeruiẽs, nec bonum ſermonem audiens, fecit tamen obſequium cum magnâ patientiâ.* Rectè ſuum miniſtrum *Angelum* nuncupauit; quia Angelorum eſt indeſinenter nobis ſeruire; cùm interim tamen eos vix aliquando ſalutemus vel vnâ oratione, rarò aut nunquam honoremus, imò ſæpe illorum multo tempore obliuiſcamur. Quapropter etiam Sanctus Stephanus viſus eſt perſecutoribus ſuis habere vultum angelicum, *Act.* 6. quia nimirum ipſis pro malis bona reddidit, orationem pro lapidibus; quod ſolent facere Angeli. Quàm ergò ſuo exemplo inuitant nos ad dilectionem inimicorum.

I. VIII. Exemplo Chriſti. OCTAVÒ: Exemplo Chriſti, qui vt nobis ingratis & rebellibus delicta condonarentur, tradidit ſemetipſum in hoſtiam Deo Patri, immolandam in altari crucis. Atque vt Pater hoſtiam iſtam pro nobis acceptare vellet, rogauit etiam in cruce ſupplex: *Pater, dimitte illis.* Excuſans eoſdem, quo modo poterat: *Quia neſciunt, quid faciunt.* Notandum verò quòd hoc fecerit eo ipſo tempore, quo indigniſſima quæque ab hominibus patiebatur; deinde illis fecerit, qui veniam non petebant; imò potiùs contrarium moliebantur, vt ſibi videlicet non ignoſceretur; ſiquidem volebant rei eſſe ſanguinis Chriſti: *Sanguis eius ſuper nos*, exclamant. q. d. tranſeat in nos vindicta, ſi iniuſtè moritur. Videte certamen inauditum: inſaniunt iſti in medicum, & repellunt eum: interim tamen medicus à curâ non deſiſtit. Hæc expendens S. Auguſtinus *ſerm.* 170. *de temp.* proponit nobis Chriſtum in exemplum, his verbis: *Attende igitur magiſtrum tuum & Dominum Deum non in cathedrâ ſedentem, ſed in ligno pendentem, circumſpectis vndique turbis inimicorum, & dicentem: Pater, ignoſce illis. Nunquid tunc Dominus pro rogantibus rogauit, & non potiùs pro inſultantibus & interficientibus? Nunquid deſeruit medicus officium ſuum, quia phreneticus ſæuiebat? Ignoſce, inquit, quia neſciunt quid faciunt. Attende vbi hoc fecit; in cruce, non in cœlo: ſemper namque in cœlo cum patre, in cruce autem pro te homo, vbi ſe imitandum præbuit omnibus, pro te emiſit ipſam vocem, vt ab omnibus audiretur. Nam potuit orare pro illis in ſilentio, ſed tu non haberes exemplum.* Ita Auguſtinus. Similiter S. Bernardus tract. de paſſ. c. 8. *Fecit bonus Doctor*, inquit, *quod iuſſerat: orat non ſolùm pro perſequentibus, ſed etiam pro occidentibus ſe, dicens: Pater ignoſce illis. Reconde in theſauro cordis tui hoc verbum, vt, quotieſcunque ſæuiunt inimici, memoriam abundantiæ ſuauitatis IESV valeas eructare, hunc clypeum contra inimicorum inſultus opponens.* Idem exemplum proponit nobis Apoſtolus ad Eph. 5. cùm paulò antè monuiſſet, vt mutuas offenſiones alter alteri condonaremus: *Ambulate in dilectione*, inquit, *ſicut & Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam DEO in odorem ſuauitatis.* Hunc odorem ſuauitatis emiſit ad Deum hæc hoſtia, quando in cruce immolata ſuauiſſima illâ oratione, *Pater ignoſce illis*, placare eum ſtuduit.

K. VIII. Exemplo Dei Patris. NONÒ. Exemplo Dei Patris. Nónne Deum offendimus omni flagitiorum genere? nónne eius nomen blaſphematur inter nos quotidie? & tamen interim, *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Penſate quantum ſit beneficium ſolis & pluuiarum. Quanto mœrore afficeremur, ſi vel per vnius diei ſpatium non rediret ad nos ſol? quid ſi per annum integrum? Certe quando ſub Ezechia ſol decem horis retrogreſſus eſt, adeoque confecit diem 32. horarum, vt vult D. Auguſtinus & S. Dionyſius Areopag. territi hoc portento Babylonij miſerunt, legationem ad Ezechiam, cauſam inquiſituri, 2. *Paral.* 32. Quid tunc cogitaſſe putatis Antipodas, quibus ſol 20. horis tardiùs ſolito illuxit? Quæ calami-

ſendit enim proximum ſuum, offendit omnes ſanctos, offendit Magiſtratum, offendit Chriſtum, Deum, ſeipſum, vti nunc videbimus.

B. I. Offendit inimicũ. Qui vindictam quærit, PRIMÒ: Offendit inimicum, de quo vindicta ſumitur. Primò 1. In corpore & bonis externis. in corpore vel bonis externis, honore, opibus, libertate, &c. Atque ita ſuffocat illum: vel exhauriendo eius ſubſtantiam litigatione ſuâ; vel auferendo ei famam, quæ eſt vita ciuilis; vel adimendo ei vitam naturalem. Et quomodo reſtituet, quæ abſtulit, honorem, fortunas, ſanitatem, membrum, ſanguinem? Et quomodo miſerias, quæ ab illo deriuantur in vxorem, liberos, propinquos? Et vt poſſit hæc omnia reddere, quomodo reddet lachrymas, quas expreſſit eius vindicta ex oculis læſorum? quomodo animi anguſtiam & perturbationem, quâ illos contriſtauit?

2. Animâ. Secundò in animâ, quia eum deteriorum & in odio obſtinatiorem facit. Quod etiam ſignificat ſuffocatio conſerui in hodierno Euangelio; ſuffocat enim vltor proximum; quia *corde per odium reſtricto & amaro comprimit*, vt ait Salmeron hoc loco. Hinc detinetur in odio proximus, ne culpam deprecetur, ne alloquatur inimicum & ſalutet obuium, ne illi reconcilietur, ne peccatum ſuum in confeſſione aperiat.

Porrò quanta res eſt ſundere ſanguinem proximi & perdere animam eius? Absciderat aliquando David Sauli partem chlamydis tantùm, inimico, inquam, infenſiſſimo, à quo ad necem quærebatur: & tamen mox percutiebatur à pectore ſuo, quòd chlamydem regi truncâſſet, 1. *Reg.* 24. Quid ergò erit tollere homini bona potiora, honorem, membrum, ſanguinem, ſalutem? Quomodo talem hominem non percutiet cor ſuum? Legimus in vitis Patrum, Euagrium presbyterum eximiæ ſanctitatis virum, cum eremum incoleret, neſcio quod detractionis verbum ſemel protuliſſe & pro eo ita ſe caſtigâſſe, vt dies 40. ſub dio manſerit, nec priùs tectum ſubierit, quàm ſe ſatis pro delicto feciſſe cenſuiſſet. Refert Marulus lib. 4. cap. 10. Viderint qui grauiùs nocent, quomodo ſcelus expient.

C. II. Offendit rempublicam Chriſtianam. SECVNDÒ. Offendit rempublicam Chriſtianam, omnes pios & ſanctos, cælites & angelos. Quòd ſignificant conſerui illi, quid ob vindictam ſerui nequam *contriſtati venerunt & narrauerunt domino ſuo omnia, quæ facta erant*. Imprimis ſuſpiria piorum viuentium, qui vindictam tuam vident vel audiunt, cœlum penetrant & vltionem à Deo in te expoſcunt. E quorum numero Abacuc cap. 1. ait *Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio iuſtiorem ſe?* Deinde ſancti in cœlo ita offenduntur, vt pro tali non orent. Audi Eccleſiaſticum c. 8. *Homo homini reſeruat iram: quis exorabit pro delictis illius?* q.d. nemo. Item angeli cuſtodes eorum, qui offenduntur. Cùm enim à Deo miſſi ſint ad defendendos ſuos clientes, quomodo non offenduntur, ſi offendantur eorum clientes? Hinc Balaamo obſiſtit angelus Cuſtos Iſraëlis, vt aſſerit Theodoretus q. 42. properanti ad maledicendum illum. Dicebat enim angelus: *Ego veni vt aduerſarer tibi, quia perverſa eſt via tua, mihique contraria.* Num. 22. Certè ſi Deus annueret, multoties angeli cuſtodes læſorum irruerent in vltorem, velut mille apes, ſuoſque clientes defenderent. Si enim Abiſai ſeruus Dauidis fideliſſimus & lateri eius ſemper adhærens, cùm audiſſet Semei calumnias contra dominum ſuum Regem, zelo & irâ inflammatus, voluit amputare caput eius, idque vtique feciſſet, ſi Rex non vetuiſſet, 2. Reg. 16. quomodo non etiam angeli cuſtodes maximoperè offenduntur in clientibus ſuis, & pro iis depugnarent, ſi Deus non inhiberet? Quare ſi non times hominem, angelum eius time. Certè ferociſſimus ille orbis vaſtator Attila Romanæ vrbi pepercit, quia perorante coram eo ſancto Leone Papa, vidit iuxta eum aſtantem alium Sacerdotali habitu, gladio ſibi minitantem, niſi Leonis mandatis paruiſſet. Baron. anno 452. Cur non igitur & tu parces inimico tuo, cui adſtare cuſtodem angelum noſti, tibi minitantem, niſi pacem des inimico? Ipſi etiam angelo contraria eſt via tua, non ſolùm eius clienti; vti ſuprà audiuimus.

TERTIÒ. Offendit Magiſtratum, cui præiudicat tollens ei gladium, quem à Deo accepit (*Rom.* 13.) atque ita facit cauſam ſuam iniuſtam; vt ei obiici poſſit, quod olim Moyſi obiectum: *Quis conſtituit te Iudicem inter nos?* Exod. 2. Quid autem magis iniquum, quàm Iudicem ſimul & actorem eſſe velle? Deo debetur vindicta & Iudicibus ab eo conſtitutis, vti docet Apoſtolus ad Rom. 12. cùm ait: *Non voſmetipſos defendentes* (Græcè ἐκδικοῦντες, id eſt *vlciſcentes*) *ſed date locum iræ; ſcriptum eſt enim: mihi vindictam, & ego retribuam.* Pater videns puerum arripere cultrum ad ſcindendum panem, ipſum ei eripit & ſeruo maturo tradit, vel ipſemet panem ſcindit, quia periculum eſt ne puer ſeipſum lædat: ſic voluit nobiſcum agere Deus, cùm ait: *Mihi vindictam.* q.d. da mihi cultrum. In propriâ vindictâ facilè erratur, primò in perſonâ, dum ſæuitur in innoxium; ſæpiſſimè enim neſcitur vnde proceſſerit læſio. Deinde in fine, cùm non ex amore, ſed ex odio ſumitur vindicta. D. III. Offendit Magiſtratum.

Denique erratur facilè in modo, dum ſæuitur nimiùm. Neſcit enim homo, præſertim perturbatus, quantum alter deliquerit. Et vt hoc ſciret, periculum tamen nihilominùs foret, ne modum adhuc excederet, ob ſui impotentiam. Hinc M. Bibulus, punire per ſe noluit filiorum ſuorum interfectores ad ſe à Cleopatrâ reginâ miſſos, vt pro libitu eos tractaret. Mox enim ſanguinis ſui carnifices intactos ad Cleopatram reduci iuſſit; dicendo, poteſtatem huius vindictæ non ſuam, ſed Senatûs eſſe debere. Val. *lib.* 4. *cap.* 1. Ecce hominem Ethnicum; & non faciet hoc Chriſtianus?

QVARTÒ. Offendit Chriſtum, qui vindictam & prohibet in hodierno Euangelio, & quodammodò ſe medium interponit inter vltorem & inimicum. Sic enim egit, cùm Apoſtoli Samaritanos abſumi cupiebant igne cœleſti, *Luc.* 9. Item cùm in Olueto percutere vole- E. IV. Offendit Chriſtũ.

volebant Chriſti comprehenſores, *Luc.* 22. Ita cū iiſdem proditorem ſuum noluit manifeſtare, ne videlicet in illum omnes inſurgerent, quod futurum fuiſſe ſentit Chryſoſtomus, Theophyl. & D. Thom. in cap. 13. Ioan. Ratio eſt, quia *filius hominis non venit perdere animas ſed ſaluare*, vti reſpondit Dominus Luc. 9. filijs tonitru. Et quò magis periclitatur inimicus tuus, eò magis quærit & inſequitur illum Dominus. Hinc poſuit ſignum ſuper Cain, vt quicunque eum occidiſſet, ſeptuplo puniretur, *Gen.* 4. Hinc in cruce Dominus poſuit ſe medium inter Deum & peccatores, & vulnus à patre in proprium corpus excepit, ne illi vulnerarentur. Iam ergò ſi inter inimicum tuum & te, medium ſe poneret pater tuus, aut amicus tuus chariſſimus, ita vt niſi iſto percuſſo, percutere inimicum non poſſes, num tu pergere ad vindictam velles?

F. V. Offendit Deum Iudicem.

1. QVINTÒ. Offendit DEVM Iudicem. Primò, quia ſeruum, imò filium eius punit. Quis autem pater fert æquo animo, puniri filios ab alieno, qui ius non habet? *Tu quis es*, ait Apoſtolus, *qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit*, ad Rom. 14.

2. Secundò, quia eripit Deo ſceptrum, ſoli ipſi debitum. Vnde ait Deut. 32. *Mea eſt vltio, & ego retribuam.* Quàm grauiter autem offendat, patet ex hodierno Euangelio, vbi Rex tunc primùm iratus eſt ſeruo vltori, poſtquam audijt eius tyrannidem in conſeruum. Non iraſcebatur, quando reperit eum debere ſibi decem millia talentorum: iraſcebatur quando audijt eum ſæuijſſe in conſeruum debitorem. Priùs ob contractum debitum punire decernit eum venditione, poſteà ob vindictæ appetitum tormentis ſubijcit. Priùs oratione flexus remittit pœnam: poſteà inflexibilis iuſſit omnia reddi vſque ab obolum. Et quid putas eſt, habere Deum ſibi iratum? Si Eſther nullius mali ſibi concia non potuit ferre iratam Aſſueri faciem: ſed præ terrore corruit, Eſther 15. quid erit habere Deum iratum cum malâ conſcientiâ? Hanc ergò eius iram toties deprecatur Dauid dicens: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.*

Et quid erit tradi tortoribus? Amarum eſt tradi magiſtratui, amarius tradi carnifici: quid erit tradi dæmonibus torquendum? Hanc traditionem deprecatur etiam David, cùm ait: *Non tradas me calumniantibus me.* Saul ne deueniret in manus hoſtium ſibi infenſorum Philiſthæorum, conſtitutus in periculo captiuitatis, incubuit proprio gladio & peremit ſe, 2. *Reg. vl.* ne videlicet Philiſthæi capto illuderent, quo modo olim illuſerant Samſoni, dum effoſſis oculis molere eum coëgerunt, & in Dagonis templo bene paſtis ac potis ludum præbere & iocum. At longè atrociores hoſtes noſtri ſunt dæmones, quare & acerbiùs multò illudent condemnatis.

Et quid erit eouſque tradi, donec ſoluatur vltimus quadrans? an non idipſum, quod æternum tradi! Quando enim & quomodo ſoluet homo pauperrimus tam ingens debitum, vinctus in carcere? nunquam, nunquam. O ſtultum igitur hominem, qui vltione vnius horulæ vel momenti emit cruciatus æternos? Si tibi Princeps diceret: Ecce in manus tuas trado tibi inimicum tuum, tracta eum vt vis per vnam horam; eâ tamen lege, vt tu poſtea ſimiliter tracteris à me per integrum diem: num tu adeò inſanires, vt quid mali contra inimicum attentares? Atqui hæc eſt concluſio & decretum Dei: *Sic & Pater meus faciet vobis*, &c. hoc eſt, ſi vos modico tempore afflixeritis inimicos veſtros, affliget vos pater meus ſimili modo, ſed atrociori longè & æternùm. In pari punit communiter Deus in hac vita. v. g. ſicut canes linxerunt ſanguinem innocentis Naboth occiſi à Rege Achab, operâ Iezabelis: ſic linxerunt etiam ſanguinem Achab, 3. *Reg.* 21. & 22. Sicut Adonibezech 70. regibus amputauit manus & pedes: ſic reddidit illi Dominus. Jud. 1. Sed in alterâ puniet eos in abundanti, hoc eſt, pœnâ æternâ.

G. VI. Offendit ſeipſum.

1. SEXTÒ. Offendit ſeipſum. Primò enim angitur & laceratur eius conſcientia, ante & poſt vindictam. Vnde Chryſoſtomus homil. 41. in Apoſt. *Vindicta*, inquit, *in corde poſita, nocentior vipera*; quia nimirum vti vipera matris aluum rodit eoque perefo paſcitur: ſic vindicta rodit animum vltoris. Exemplo eſt Ludouicus Seuerus Boiorum Dux, qui cùm innocentem coniugem ſuam, Mariam Brabantinam, ex falsâ ſuſpicione, in furore capite plecti Danuvverdæ feciſſet, inſequente ſtatim nocte ab occiſæ coniugis manibus in conſcientiâ agitatus, repente totus incanuit, quaſi ſeptuagenarius eſſet, cùm tamen annos non plurus 37. natus eſſet. Matth. Raderus 2. *p. Bauar. ſancta & pia.* Nimirum *conſcientia impiorum magna pœna eſt*, vt ait Chryſo. in Pſal. 50.

Secundò. Occludit ſibi ianuam ad remiſſionem peccatorum ſuorum, ſeu deſtruit pontem miſericordiæ diuinæ, per quem tranſire debet. Audi Eccleſiaſticum c. 28. *Homo homini reſeruat iram; & à Deo quærit medelam? In hominē ſimilem ſibi non habet miſericordiam; & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe, dum caro ſit, reſeruat iram; & propitiationem petit à Deo?* Nimirum ſicut ipſe obturauit aures ſuas deprecatori culpæ: ſic obturabit illi ſuas etiam aliquando Deus; & ſicut ipſe reſeruauit iram in inimicum: ita Deus reſeruabit ſibi vindictam in ipſum, ſicut paulò antè dixerat: *Peccata illius ſeruans ſeruabit*, hoc eſt, nullatenus obliuiſcetur aut impunita relinquet. Vin' exemplum? Macedonius quidam magiſter officiorum Gratiani Imperatoris aliquando S. Ambroſio ad prætorium (vt pro quodam interponeret preces) venienti fores occluſerat; ad quem Ambroſius: *Et tu quidē venies ad Eccleſiam, quam, neque clauſas ianuas inueniens, non ingredieris.* Quod & factum. Nam mortuo Gratiano, ad Eccleſiam confugit, nec tamen ad eam aditum patentibus licet foribus, inuenire potuit, Baronius ex Paulino anno 383. Sic eueniet ijs qui claudunt viſcera miſericordię petentibus veniam, nam apertam etiam diuinæ miſericordiæ ianuam non inuenient; quemadmodum nec ſeruus nequam, eam aut quæſiuit aut inuenit, poſtquam ipſe non pepercit. Attende portò, quis tu ſis, qui remittis, quis ille, cui remittis; quid illud, quod remittis; & inuenies maximam differen-

ferentiam inter tuam & Dei remiſſionem. Tu remittis, homo & ſeruus es, caro es & ipſe etiam Domini tui debitor: quid mirum, ſi remittas? Cui remittis, conſeruus tuus eſt, ſimilis tibi: quid mirum, ſi eius miſerearis? Quod remittis, exiguum eſt, centum fortè denarij: quid mirum ſi remittas? At Deum remittere homini, ſeruulo ſuo debita ingentia, hoc mirum eſt & magnum. Quare ſi tu tantulus, conſeruo ſimili tui, tantulum non remittis: num mirari aut indignari poteſt, ſi Deus tibi ſeruo tanta non remittat?

3. Tertiò. Occidit propriam animam eo ipſo, quòd vlciſcitur ſe. Grauiſſimum igitur vulnus ſibi infligit, vt leuiſſimum aliud ſanet: ſimiles Dioxippo Athenienſi, qui violentas ſibi ipſe intulit manus, ſtultæ vindictæ gratiâ, quòd ei in conuiuio quodam obiectum eſſet, ſcyphum aureum ab eo ſublatum: apud Curtium l. 8. Nemo, quantumcunque te offendat, tantum tibi inferre damnum poteſt, quantum tu ipſe cùm te vindicas; alius fortè corpus, famam aut fortunam tuam lædit; at tu lædis animam tuam. Theagenes Thaſius nobilis athleta ſtatuam in præmium meruit; cumque iam è vitâ exceſſiſſet, quidam eius obtrectator ſingulis penè noctibus accedens, eam flagris cecidit; non ſecus ac ſi de ipſo viuente ſumeret vltionem. Quid factum? tamdiu ille ineptus æream eius ſtatuam cæcidit atque afflixit, donec illa corruens in ipſum cecidit, eumque oppreſſit. Refert Pauſanias in Eliacis. Habetis hîc Auditores, viuum vlciſcentis animi exemplar; ex quo diſcere poteſtis, quòd proprio magis ſubiecto, quàm alteri noceat vltio. Quid enim iſte ſtultus obfuit ſtatuæ? & cui alij mortem ſuam, præterquam ſibi imputare poterat? Itaque *qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam*, inquit Eccleſiaſticus cap. 28.

CONCIO IV.

Vindictam nullum homini bonum conferre oſtenditur.

1. *Non confert bonum honeſtum.*
2. *Non vtile.*
3. *Non iucundum.*

THEMA.

Tenens ſuffocabat eum. Matth. 18.

A. Certa Philoſophorum ſententia eſt, Auditores, nihil appeti ab homine niſi quod ſit bonum (vel appareat ſaltem) ſiue honeſtum, ſiue vtile, ſiue iucundum. Alioquin enim niſi horum aliquod appareat in fine, ceſſat omnis appetitus. Quòd cùm ita ſit, ſi rogemus ſeruum nequam in hodierno Euangelio, quem ob finem adeò crudeliter tractârit ſuum conſeruum, non video profectò, quid reſpondere queat; certè nullum bonum ſuâ immanitate conſecutus eſt. Non honeſtum; quia à Rege & domino ſuo ſeruus nequam appellatur. Non vtile, quia poſt dimiſſum debitum reuocatur ad rationes, & ſoluere compellitur totum id, quod donatum erat. Multò minùs iucundum; quia traditus eſt tortoribus, quoad redderet vniuerſum debitum. Quid igitur dicendum, niſi ſtultum eſſe hominem, qui vindictam appetit? Atque hinc iam intelligo, quamobrem ſacræ literæ hominem iratum *ſtulti* nomine compellent: vti Iob cap. 5. *Stultum interficit iracundia.* Sapient. 27. *graue ſaxum & onoroſa arena, ſed ira ſtulti vtroque grauior.* Eccleſ. 10. *Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Etenim, vt videmus, iracundi qui vindictam quærunt, ſtultè & fruſtra fatigantur, cùm nullum aſſequantur bonum. Quid igitur ſupereſt aliud niſi vt dicamus, vindictam neque honeſtam, neque vtilem, neque iucundam eſſe? Id verò demonſtrabimus.

Hiſtoria Ioſephi docet nos quod diximus, vindictæ appetitum neque honeſtum eſſe, neque iucundum. Oderant illum fratres & occidere cogitabant; ſed Deo aliter diſponente, miſerunt in ciſternam & vendiderunt Iſmaëlitis. Atque hac vindictâ exſatiârunt odium ſuum; ſed quo tandem fructu; quid inde conſecuti ſunt? Num honeſtatem? At ingloriũ erat decem fratres inſurgere contra vnum, præſertim maiores natu contra minorem. Propter quod non auſi ſunt prædicare ſuum facinus: occultare ſtuduerunt. Num vtilitatem? at qui propter hoc in vincula ſunt miſſi à Ioſepho & duris excepti verbis grauibuſque minis territi. Num iucunditatem? At remorſus conſcientiæ ob patratum ſcelus dirè eos exagitauit. Vnde ſibi obiiciunt: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum*, Gen. 42. Nihilo plus confert vindicta iracundo.

B. I. Non bonum honeſtum confert.

PRIMÒ. Non gloriam ſeu honeſtatem; quia non exſerere iram, ſed frænare, honeſtum ac glorioſum eſt. Audiamus D. Ambroſium l. 1. offic. cap. 36. *Vindicare ſe non eſt actus fortitudinis*, inquit, *ſed abiectionis & timiditatis. Vincitur ab inimico, non vincit, qui ſe vindicat.* Vincitur profectò, quia paſſioni ſuæ imperare nequit, ſed ab eâ abripitur, quò ipſa vult, non quò ipſe. Iam ſi videres equitem equo ferocienti inſidentem abripi per compita, perdito retinaculo, toto pallentem vultu, omnibus interim è viâ cedentibus; num tu hunc peritum aut glorioſum equitem pronuntiares? minimè verò; ineptum diceres ridiculum, qui equitare neſciat. Atqui nihil aliud agit, qui vindictam de inimico ſumit. Ab irâ enim abreptus & quaſi de ſtatu mentis deiectus, fertur non quò ratio iubet, ſed quò paſſio rapit. Et qualis erit gloria, ſi huic efferato equo, ſi tygridi, ſi furioſo homines alij cedant? Audiamus Philoſophos etiam gentiles. Seneca l. 2. de irâ c. 32. ait: *Non vt in beneficijs honeſtum eſt, merita meritis repenſare: ita iniurias iniurijs. Illic vinci turpe eſt, hîc vincere.* Et infrà: *Ille magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus exaudit.* Et cap. 34. *Puſilli hominis & miſeri eſt*, inquit, *repetere mordentem; vt mures & formicæ, ad quas ſi manum admoueris, ora conuertunt. Imbecilla ſe lædi putant, ſi tanguntur.* Tange formicã; tange

tange murem, tange auiculam; ſtatim ſe ad vltionem & morſum parabunt; quia imbecilla ſunt animantia, lædi ſeſe putant. Tange equum, tange Elephantem, tange bouem, non difficilè id ferunt, quia animalia generoſa ſunt. Non ergò fortitudinis eſt, vindictam exercere, ſed debilitatis & puſilli animi. Addamus & Ariſtotelem. Hic *libro 4. Ethic. capite. 3.* docet, magnanimi hominis eſſe non vlciſci iniurias: *Sicut* enim *debilis ſtomachi eſt*, inquit, *cibum duriorem non poſſe concoquere: ita puſillanimi eſt, verbum duriuſculum non poſſe ſuſtinere.* Ex huius igitur ſententia, qui iniurias ferre nequit ſed vlciſci parat, debilem ſuum ſtomachum, ſeu animi virtutem prodit, vt qui nihil ſiniſtrum de ſe audire & concoquere poſſit. Quid, quòd etiam dum vlciſceris hoc ipſo te reum prodis vel certè ſuſpectum facis de eo, quod tibi obiectum fuit? Ita enim Sanctus Ambroſius libro 1. Offic. capite 6. *Qui citò mouetur*, inquit, *iniuriâ, facit ſe dignum videri contumeliâ, dum vult indignus videri.* Canem ſi tangas eâ parte, quâ vulneratus eſt, ſtatim eiulatu vulnus prodet; cæteroqui in toto corpore tangi ſe patietur; nec minimam edet vocem. Pari coniecturâ monſtrat ſeſe reum, qui ſe armat in vltionem. Chriſtus coram Iudicibus, quia innocens erat, omnes Iudæorum calumnias per ſilentium diſſoluit, qui alioquin facili negotio poterat defendere. Bene proinde Iſaias dixit: *In ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra*, cap. 30. *In ſilentio*, ſi non reſpondeamus ad calumnias & iniurias ſeu verbo ſeu facto: *in ſpe*, ſi Deo vindici omnia commendemus. Quæ ſanè regula & lex eſt Chriſtianorum, quibus vtique honorificum eſt, ſequi magiſtrum ſuum: & obedire legi ſuæ, in quam iurârunt: ſicut honorificum eſt ciui viuere ſecundùm leges ſuæ ciuitatis; eſto alij aliter viuant, quia alias leges habent. Sint duo fratres, quorum vnus maneat ſæcularis, alter fiat religioſus: videbis illum enſe accinctum, hunc verò minimè; illum comam & barbam nutrientem, hunc eam tondentem; illum ſplendidè veſtitum, hunc verò triuialiter aut ſordidè etiam. Nec eſt quod hoc mireris, aut clerico ſuccenſeas ſordidam viuendi rationem, quia hæc de ipſius profeſſione, adeoque ipſi perhonorifica eſt; non minùs quàm alteri fratri ſplendida illa. Iam ergò nos, quia Chriſtiani, nec iam mundi ciues, ſed Eccleſiæ Chriſti ſumus, aliam viuendi legem habemus, quàm habeant ciues mundi. Iſti iubentur ſe vindicare, nos vetamur. Quis ergò dicat non eſſe nobis honorificum ſi ſeruemus legem noſtram? Adhæc nos Chriſtiani quodammodò ligati ſumus, vt non pro libitu liceat nobis pugnare; quia prohibimur malum pro malo reddere. Quis autem dicat turpe eſſe ligato, ſi ſe non defendat? Hanc rationem expendit S. Chriſtophorus, robuſtiſſimus ille martyr, qui à miniſtro Iudicis alapâ percuſſus, ſolummodò illum reſpiciens dixit: *Niſi Chriſtianus eſſem*! q. d. niſi ligatum me teneret lex Chriſtiana, quam profiteor, quàm te parî monetâ ſoluerem! quàm te miſerum conficerem! quàm non impunè ferres! Quàm glorioſa vox! Auditores: ita reſpondendum docuit Sanctus Chryſoſtomus homil. 3. in capite 1. Ioan. *Dic*, inquit, *te vrgenti: Quid faciam tibi? alius mihi dextram & linguam cohibet & ligatam tenet. Hoc profectò verbum & tibi & illi fiet Philoſophiæ materia.* Omnia ferè iſta cernere eſt in Dauide. Hic Pſalm. 26. ait: *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui & mentita eſt iniquitas ſibi.* Quid verò ad hæc ipſe? *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* In Hebræo habetur: *Niſi credidiſſem videre bona Domini in terrâ viuentium*! q. d. niſi fidelis eſſem & ſpem meam in cælo ponerem, quàm me vlciſci vellem! Vidit idem Dauid glorioſius eſſe ſeipſum, quàm inimicum vincere, quando Sauli in ſpeluncâ deprehenſo pepercit & oram chlamydis ſolùm abſcidit. Poterat tunc illum facillimè occidere & ſe ab imminentibus alijs eius iniuriis ſemel expedire; aderant etiam ſerui hortantes & monentes hanc eſſe diem, de quâ dixerat ei Dominus, tradendum eſſe Saulem in manus eius; quaſi etiam religio cædem Saulis ſuadeat. Et cogitauit quidem Dauid occidere illum, ſed repente ſubſtitit, ſtimulatus à conſcientia, & conſilium mutauit, glorioſius fore arbitrans ſi parceret, & oram chlamydis ſolùm veſti eius abſcinderet. Victor itaque ſui *egreſſus eſt è ſpeluncâ*, inquit, D. Chryſoſtomus homil. de 2. Dauide & Saule, *tantâ cum gloriâ, cum quantâ tres pueri egreſſi ſunt è camino ardente. Nam quemadmodum illos non exuſſit ignis: ita hic non conflagrauit iræ incendio, &c.* Propterea exiſtimo Dauidem affixiſſe oram chlamydis ſummitati lanceæ vel haſtæ ſuæ: partim vt eâ à longè regi oſtenderet; partim vt trophæum victoriæ quam de ſeipſo obtinuerat, monſtraret, 1. Reg. 24.

C. II. Non vtile.

SECVNDÒ. Non vtilitatem, ſiue in bonis fortunæ, ſiue in bonis corporis, ſiue in bonis animi. Diſcere hoc poſſumus ab ipſo etiam Dauide, qui vt iram Saulis & vindictæ ſitim in ſe conceptam frangeret, poſtquam eum à ſpeluncâ, vt diximus, dimiſit, his verbis allocutus eſt: *Quem perſequeris rex Iſrael? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris & culicem vnum.* Quo argumento oſtendere vult imprimis non decere regem vt tanto præſertim conatu & impendio perſequatur ſeruum ſuum, neque nobilem, neque robuſtum. q. d. nihil gloriæ venaberis, ſi me deprehenſum occideris; perinde enim erit ac ſi canem eumque exanimem, aut culicem cepiſſes. Laborat vſque in hodiernum Domitiani nomen, quòd in receſſu ſeparatus licet ab ſpectatorum oculis, muſcas venaretur. Deinde & hoc vult dicere: nil tibi proderit, ô rex, ſi me interfectum videas. Canem cecidiſti mortuum; culicem occidiſti: quid inde tibi commodi? Conſiderauit hoc Rudolphus Auſtriacus, qui ad certamen ſagittariorum, de ſagittandi peritiâ certantium, properans, cùm propiùs accedens ab imperito quodam ſagittâ emiſsâ ſauciatus, è vulnere decumberet: ſuadente quodam

dam

dam vt ſagittario illi dextera amputaretur: *Bene*, inquit, *& prouidè, priuſquam me læſiſſet; ſed quid nunc emolumenti exinde conſequar?* Sicque hominem è cuſtodiâ liberum dimiſit: refert Pogg. Florent. Hoc ipſum argumentum expendit ſanctus Auguſtinus de ſerm. Dom. in monte, l. 1. cap. 37. *Quid prodeſt*, inquit, *quòd percuſſus repercutis? numquid propterea aliquid quod in corpore læſum eſt, reſtituetur in integrũ? Sed tumidus animus talia fomenta deſiderat: ſanum autem firmumque iſta non iuuant; quin potiùs miſericorditer perferendam alterius infirmitatem iudicat, quàm alieno ſupplicio ſuam mitigandam, quæ nulla eſt.* Strenuiſſimus ille Rudolphus imitatus eſſe videtur ſtrenuum illum Iudam, qui non abſimili modo fratrum iram in Ioſephum ſopiuit, obtinuitque vt eductum de ciſterna, vitâ donarent & venderent potiùs Iſmaëlitis: *Quid nobis prodeſt*, inquit, *ſi occiderimus fratrem noſtrum?* Geneſ. 37. Scire cupitis ô fratres, quid vobis profuiſſet? id profuiſſet, vt fame pereundum vobis eſſet; niſi enim illum ſeruaſſetis, nequaquam vos ſeruati tempore caritatis annonæ fuiſſetis. Ita nimirum fit multoties, vt eius quem perſequimur, operâ & auxilio poſteà maximè indigeamus. Declarauit hoc Æſopus non inutili fabellâ, quâ muribus per leonis fortè cubantis terga diſcurrentibus, captum è grege vnum leo conterere parabat: ſed rogante illo pro vitâ vt ſeruaretur; ſiquidem nihil leoni prodeſſet, ſi muſculus interiret; placatus leo dimiſit liberum. Poſtmodùm cùm fortè in caſſes incidiſſet & rugitu ſuo opem imploraret, accurrit ocyus muſculus ille, quem dimiſerat leo; & circum leonem retia vndique abrodit, adeoque leonem extricat in beneficij compenſationem. Hac ergò ratione, quem tu nunc perſequeris, facillimè fieri poteſt, vt tibi neceſſarium habeas; quare non procul nimis abiiciendus inimicus; quia fieri poteſt, vt rurſum eum inquiras, iuxta parœmium noſtram: **Wirff deinen Nechſten nicht zu weit / damit du ihn weder auffheben kündeſt.** Experti id ſunt Ioſeph fratres; qui ſi vſque ad inferos abiecisſent fratrem, profectò famis tempore requirere non potuiſſent; at quia in Ægyptum abiecerunt, ibi vrgente fame quæſierunt iterum ſupplices & magno ſuo bono inuenerunt. Idem expertus Semei, qui Dauidem exulantem lapidibus impetierat & opprobrijs onerârat. Nam vbi rex cum maieſtate reſtitutus eſt regno ſuo, quàm eum requiſiuit Semei? *Feſtinauit*, inquit textus 2. Reg. 19. *& deſcendit in occurſum regis Dauid, & proſtratus coram rege dixit ad eum: ne reputes mihi, Domine, iniquitatem, neque memineris iniuriarum ſerui tui*, &c. Hinc appoſitè D. Ioannes epiſt. 1. capite 2. dixit: *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt & in tenebris ambulat & neſcit quò eat.* Sicut enim qui in tenebris ambulat, dum vult incurrere in inimicum, incurrit ſæpe in amicum; & qui de nocte lapidem iacit, dum putat ſe tacturum inimicum, tangit ſæpe amicum: ita qui vindictam ſumit, ſæpe, dum de inimico ſumere eam ſe reputat, ſumit de amico.

Denique vltori vitio plus obeſt, quàm ipſis de quo ſe vlciſcitur. Dum enim malum pœnæ, quod tibi ab inimico irrogatur, cupis emendare & abigere, incidis in malum culpæ, quod in infinitum grauius eſt; atque adeò vt leue vulnus cures, lethale tibi infligis. Sanctus Chryſoſtomus eiuſmodi vindictam comparat ei qui veſte inimici indutus, vt eam perforet, pugione ſe transfigit. Cardinalis Bellarminus *libro de 7. verbis Chriſti capite 3.* comparat eiuſmodi vltorem illi, qui videns ſtringi nimis pedem à calceo breuiore, abſcindit pedem, cùm calceum debuiſſet potiùs. Philo, partui viperæ, qui matrem enecat: Dauid apibus, quæ vbi aculeum alteri infixerunt, emoriuntur; plaga verò modico luto curatur, iuxta Pſ. 117. *Circumdederunt me ſicut apes.* Hinc Sacerdos quidam Rheatinus, Stephanus nomine, audiens à puero horreum ſuum eſſe incenſum, dicente puero: *Væ tibi, area tua incenſa eſt*; reſpondit: *imò væ illi, qui accendit*; Greg. l. 4. dialog. c. 19. Ita & Chriſtus de Iudâ. *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur*, Matth. 26. non ait: væ mihi; quia ipſi tantùm irrogabatur pœna, etſi grauiſſima, quæ nihil eſt reſpectu culpæ, quam Iudas contrahebat.

Adhæc malum etiam pœnæ tibi adauges, dum litibus vacas, & vindictam ſumis; in mulctam etenim Magiſtratui incidis, & ſubſtantiam tuam exhauris tandem: vt mirum ſit, quomodo ſaltem hæc temporalis iactura homines non abſterreat, pecuniarum ſcilicet, quarum adeò ſunt tenaces. Effaſcinatos oportet eſſe illos, qui nouam & integram ſcindunt tunicam, quâ veterem & dilaceratam reficiant. Accidit meo iudicio iſtis, quod figulo illi vaſi ſua fictilia nauigio vehenti, qui à Michaële Sicidite è Palatio Contantinopolitano conſpectus, ita effacinatus eſt, vt immanem ſerpentem ſe deuoraturum quaſi ſupra vaſa ſua ſe conſpicere putaret: quare accepto baculo vaſa ſua penè omnia comminuit: ſublatâ phantaſiâ barbâ ſe prehendere & lamentari inſaniam ſuam vel potiùs ſortem, quâ deceptus vaſa ſua contriuerit, refert Nicetas Choniata *l. 4. de vitâ Emmanuelis*. Sic prorſus dum inimicum ferire & conterere te putas, tuammet ſubſtantiam conteris. Exemplo eſt Roboam ille, qui dum ſubditos magis magiſque atterere parat, regnum ſuum diſcindit, & 10. tribus à ſe abalienat. Hoc lucri habuit. 3. Reg. 12.

TERTIÒ, Sed fortè iucunditatem ſaltem conferet vindicta; canit enim Poëta: D. III. Non iucundum.

Eſt vindicta bonum, vitaque iucundius ipſâ.

Falleris, mi homo. Verum eſt, quod ait Poëta, ſed de vindictâ illâ, quam aliquando ſumet Deus de noſtris inimicis; non de eâ, quam quis ſibi ipſe ſumit. Hæc enim etſi fortè ad momentum recreat, gignit tamen in homine interim metum & perturbationem, relinquit etiam poſt ſe aculeum, quæ conſcientiam exulcerat, & carnificis inſtar torquet: perpetuoque velut canis allatrat: quemadmodum ſenſit Cain, poſt patratam fratris cædem, cùm profugus ſuper terram, nullibi conſiſtere potuit, nuſpiam ſecurus, agitatus & allatratus

tus à fratris ſui manibus: id quod ei prædixerat Dominus: *Si malè egeris, ſtatim in foribus peccatum aderit.* (Hebr. *accubabit*, quaſi canis ſcilicet furem allatrans, & de peccato redarguens) Gen. 4. Nimirum vti Salamandra *perire conſcientia dicitur homine percuſſo, neq; ampliùs admitti ad terra*, inquit Plinius *lib. 29. cap.* 4. ita Cain & homicidæ alij vel ab ipsâ ſuâ conſcientiâ ad exilium damnantur & profugi ſunt in terrâ. Senſêre & horruêre hunc canem, quicunque grauem aliquando vindictam priuatâ auctoritate de hoſtibus ſumpſerunt, vti Alexander M. cùm Clitum ſibi chariſſimum ac fideliſſimum ob rem leuem temulentus occidiſſet; mox enim conſcientiâ ſceleris furens ſibi mortem inferre voluit, prohibitus tamen à ſuis, aliquandiu pòſt delituit, vt ſcribit Seneca *Ep.* 84. Nero matre trucidatâ aiebat, ſe ſpecie maternâ exagitari, ac nullo loco poſſe tutum conſiſtere, Dione auctore. Viginti & tres anni iam elapſi erant à vendito Ioſepho vſque ad id tempus, quo fratres in Ægypto velut proditores durè accipiebat; & tamen à tot annis memoria iniuriæ in fratrem admiſſæ, ſtatim omnium mentibus ſe ſiſtit, ita vt ob eam ſe caſtigari exiſtimarent. Nimirum *ſicut ebrius*, inquit in eum locum Chryſoſtomus, *quando multum vini ingurgitat, nullum ſentit à vino damnum; poſteà autem ſentit, quantum ſit damnum: ſic peccatum, donec conſummetur, obtenebrat mentem & quaſi denſa nubes ita mentem corrumpit; deinde conſcientia inſurgit, & quouis accuſatore mentem grauiùs arrodit, monſtrans abſurditatem facti.* Quod etiam verum eſt in leuibus vindictis, vti ſenſit Dauid, cuius cor & conſcientia ſtatim eum percuſſit, quando vel oram chlamydis abſcidit veſti Saulis, quem occidere potuiſſet, 1. *Reg.* 24. Fuit autem illa percuſſio, angor conſcientiæ & remorſus, factum eius improbans & quaſi ad rationes vocans, tametſi id leuem tantùm iniuriam continebat. Quid ſi honorem? quid ſi membrum Sauli abſcidiſſet? quæ verbera, quos ictus conſcientia Dauidi inflixiſſet? De hoc eodem remorſu prudentiſſimè eum monuit Abigail cap. ſequente, cùm eum ab vltione, in maritum eius conceptâ, abſterrere conata eſt. Inter alia enim hoc argumento Dauidem à propoſito reuocauit: *Non erit tibi hoc in ſingultum & in ſcrupulum cordis Domino meo, quòd effuderis ſanguinem innoxium, aut ipſe te vltus fueris.* Præuidit enim ſapiens mulier animum Dauidis paulò pòſt pœnitentiâ inquietandum, ſi vltionem ſumeret de Nabal. Rectè verò eum remorſum vocat *ſingultum* & *ſcrupulum.* Singultus enim eſt conuulſio quædam corporis ab acrioribus ventriculi humoribus proueniens: ſcrupulus eſt lapillus calceo immiſſus, & pedem inter eundum affligens. Talis autem eſt remorſus conſcientiæ, memoria triſtis ſcientiæ, memoria triſtis ſceleris admiſſi, rodens & accuſans hominem. Præuidens itaque Dauid hoc ſibi euenturum, quod prædixerat mulier, abſtinuit vindictâ, tametſi à ſtulto Nabal grauiter offenſus fuerat. Licet verò hic remorſus communis ſit omnibus peccatis, peculiari tamen ratione & pertinaciùs atque inſtantiùs ſequitur peccatum vindictæ, præſertim effuſionis ſanguinis, vt patet in Caino, Dauide, fratribus Ioſephi, qui, cùm primùm aliquid aduerſi eis contingebat, ſtatim id peccato vindictæ ſuæ adſcribebant; & effuſus ſanguis ilicò vellicabat eorum memoriam. Caino dicitur: *Sanguis fratris tui clamat ad me.* Dauidi obiicit Semei: *Egredere vir ſanguinum: ecce premunt te mala tua, quoniam vir ſanguinum es.* Ipſe etiam peccata ſua *ſanguinis* appellat: *Libera me de ſanguinibus.* Fratres Ioſephi aiunt: *En ſanguis eius exquiritur.* Iuſtam hanc Dei in hos vindices vindictam ex Ezechiële diſcimus cap. 35. vbi dicitur: *Cùm ſanguinem oderis, ſanguis perſequetur te.* Eodem ſenſu arbitror Dominum dixiſſe Matth. 26. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Non omnes quidē reipsâ, omnes tamē obiectiuè, gladio remorſûs, qui perpetuò eos inſequitur, lancinat ac laniat. Gladio etiam pereunt omnes; quia dum gladium accipiunt, gladio peccati, inquietudinis, perturbationis & furoris feriunt ſeipſos grauiùs quàm inimicum. Qui enim vindicare vult, noctes ducit inſomnes, à laboribus ſibi congruis & conuenientibus ceſſat in die, cogitationibus abſumitur, timoribus angitur, curis affligitur, facultates ſuas prodigit, periculis magnis ſe exponit, corporis vitam conſumit, & animam mortuam quaſi in loculo defert. Qui autem ſeruat quod Chriſtus præcipit, his omnibus liber manet, quietus dormit, ſua cura, periculis ſe liberat, corpus ſeruat, animam ſaluat. De ſanguinariis quibuſdam militibus Ezechiel c. 32. ita ſcribit: *Deſcenderunt ad infernum cū armis ſuis, & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis.* Qui ſunt iſti, quæſo, niſi ſanguiſugæ, qui die noctuq; meditantur gladium, ſanguinem, cædem. Gladius eorū puluinar eſt, qui nullam ſibi quietem niſi à cæde & vulneribus perſequitur eos die noctuque, vſque dum moriantur & ad inferos deſcendant. Non putatis gladium pro ceruicali habuiſſe Ludouicum Seuerum Boiorum Ducem; qui poſtquam falsâ ſuſpicione de violatâ coniugis fide deceptus, furore & iracundiâ plenus aduolauit Donavverdam, (vbi coniunx degebat) moxque primum domus ſatellitem, deinde vnam è gynæceo virginem gladio peremit, altero die coniugem gladio feriri iuſſit; ſequenti nocte cæſorum manibus ita exagitatus eſt, vt eâ vnâ totus incanuerit (vti alibi diximus). quaſi ſeptuagenario maior eſſet? Hæc igitur, Auditores, hæc eſt iucunditas vindictæ, inquietudo, perturbatio, furor, totius corporis fœda commotio, pauor, horror, ſcorpionum aculei, lancinatio cordis. Ac licet fortè dum vindicta exercetur, paſcatur animus irati, & iucundè quaſi epuletur: ea tamen momentanea iucunditas mox deſinit in mœrorem & amaritudinem, ac denique in interitum ſempiternum. Lætabantur ſupra modum Philiſthæi Samſone deprehenſo, infenſiſſimo hoſte ſuo; vnde exoculatum molere coëgerunt, ſuo etiam in conuiuio. ludere cum pueris, vel puerorum potiùs ludum & ludibrium eſſe voluerunt, dicentes

Suprà Conc. 3. G.

eos gratulabundi: *Tradidit Deus noſter inimicum noſtrum Samſonem in manus noſtras.* Intereà dum illius ludibrio paſcunt animos ſuos, dum eum ludunt & illudunt, ab eodem acerrimo vindictæ iaculo feriuntur, concuſſiſque domûs columnis omnes opprimuntur, *Iudic.* 16. itaque *ad infernum deſcenderunt cum armis ſuis.* Nemo igitur in propriâ vindictâ quærat hîc iucunditatem: ibi, ibi, in altero ſæculo *lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Ibi *manſueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

CONCIO V.

Qui ſint illi, qui ſuffocant proximum.

1.2. *Tales ſunt paſſionati & iracundi, auſteri & violenti.*
3.4. *Qui pauperes opprimunt oneribus, & vſurarij.*
5. *Qui veniam petentibus dare nolunt.*
6. *Qui in alijs ſeueriùs reprehendunt quod ipſi faciunt.*

THEMA.

Tenens ſuffocabat eum. Matth. 18.

A. *Hominũ ferocia.*

IMMANE crudelitatis exemplum videmus in hodierni Euangelij parabolâ, ſeruum videlicet in conſeruum ſuum ob exiguum debitum dirè ſæuientem, eum ſuffocantem & in vincula eum mittentem. Quâ quidem parabolâ exprobrare nobis & oſtendere voluiſſe videtur Chriſtus feritatem noſtram, quâ multoties varijs modis in proximos noſtros inſanimus. Meritò quidem Plautus in Aſinariâ dixit: *Homo homini lupus.* Id enim quàm verum ſit, ex hodierno Euangelio patet, ſed parum eſt, quod Plautus dixit: Lupi enim hominem non inuadunt, niſi ſemel in anno, menſe Februario, nec niſi in magnâ fame: multò minùs ſpeciem ſuam niſi in extremâ eſurie, quâ conuenire dicuntur, & in circulum diſcurrere; vbi non quemuis, ſed qui primus ex ipſis cadit, adeoque debiliſſimum tantùm deuorant. Aſt homo etiam ſatur homini non parcit, & ne debili quidem. Satur erat conſeruus iſte, debitis non premebatur ampliùs, quia dimiſſa erant illi omnia, & tamen inuadit conſeruum debitorem ſuum. Si adhuc ære alieno oppreſſus fuiſſet, potuiſſet allegare ſuam neceſſitatem & indigentiam; ſed hoc iam non potuit. Quàm rectè igitur *Matth.* 10. dixit Dominus diſcipulis: *Ecce ego mitto vos ſicut agnos in medio luporum?* Et quaſi ſatius ſit inter lupos degere quàm inter homines, ideò mox ſubiunxit: *Cauete autem ab hominibus*; nimirum, vt Chryſoſtomus ſuper Matth. ait, *præ omnibus malis, homo potiſſimum eſt malum.* Inde etiam Dauid optione datâ eligendi peſtem, aut hoſtium incurſus, peſtem elegit, dicens: *Melius eſt, vt incidam in manus Domini, quàm in manus hominum*, 2. Reg. vlt. Sanè quàm inhumanum fuerit hoc facinus, teſtantur conſerui, qui videntes illud, *contriſtati ſunt valdè, & narrauerunt domino ſuo omnia, quæ facta fuerant:* teſtatur ira Regis, qui ſeruum nequam dirè increpatum tradidit tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum. Sed quid ſi plures tales adhuc inueniamus? Non equidem puto inter meos Auditores. Nihilominùs vt tales impenſiùs vitemus, digito eos notabimus.

B. I. *Paſſionati & iracundi.*

PRIMÒ. Tales ſunt paſſionarij & iracundi, qui ob leuem quamuis offenſionem vel ad conſpectum inimici ſtatim exardeſcunt, quaſi omnia inuertere velle videantur, nec placantur, donec vltionem ſumant, offenſorem damno aliquo afficiant. Suffocant iſti proximum, partim corporaliter, quia vel bonis eum exuunt, vel vulnerant, vel contumelijs onerant & infamem reddunt, adeoq; miſerum: partim ſpiritualiter; quia præcipiti hac correptione facultatem adimunt reo veniam precandi: magiſque eum exaſperant, ne errorem ſuum agnoſcat, ſed potiùs defendit & ad iracundiam ipſe quoque inflammetur. Aliud eſt iniuriam propulſare, cùm actu infertur: aliud acceptam vindicare. Illud concedunt iura: hoc non item, ſicut nec iudicem agere in propriâ cauſâ. Prætereà aliud eſt vindicare acceptam iniuriam; aliud accepti damni reparationem in iudicio exigere: hoc enim licet, non illud; quia *Leuit.* 19. præcepit Deus: *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.*

Ratio eſt primò, quia per hoc non quærit homo vt malè ſit ei, à quo damnum accipit vel iniuriam: ſed intendit tantùm indemnem ſe ſeruare, & reum emendare, Vltor verò ſpectat, vt eidem malè ſit nullâ ratione emendationis habitâ; qui affectus pugnat cum charitate. Quis verò es tu homo, qui audeas Deo eripere gladium è manibus, vel etiam magiſtratui, cui illum Deus credidit? Non audis illam Dei vocem: *Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore?* Deut. 32. Non metuis, ne in temet ſum exeras gladium tuum, iuxta illam Domini vocem: *Qui acceperint gladium, gladio peribunt?*

2. Secundò, an non vides in homine, quem perſequeris, ſignum immunitatis, imaginem Dei? Tu verò *qui es qui iudicas alienum ſeruum?* ait Apoſtolus; *Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Non enim ſeruum, ſed conſeruum tuum perſequeris, vti in hoc Euangelio diſcis.

3. Tertiò. Nónne hoc ipſo cauſam tuam malam facis, qui teipſum vindicas? prodis enim te, quaſi ius in aduerſarium non habeas, quod dicere, tibi Iudex poſſit: ideoque tibi ipſi iudex eſſe vis, ne coram legitimo iudice cauſâ cadas. At verò hoc æquúmne eſt? Deinde quomodo tu tractas proximum tuum, ita aliquando tractaberis ab alijs. Non enim fruſtrà Sapiens comparat tales ollæ bullienti, cùm ait: *Os fatuorum ebullit ſtultitiam.* Prou. 15. Vt enim olla bulliens, omnem, quam continet, eiicit pinguedinem, & ignem quidem extinguit, ipſa verò ad extremum rumpitur: ſic etiam paſſionati; dum furore æſtuantes proximos lædunt, ipſi tandem malè diſpereunt; & ſæpe à

vili homuncione perimuntur, quia ſic voluerunt rixarum amatores.

C. II. Auſteri & violenti. Secvndò. Tales ſunt, qui cum auſteritate & violentia imperant, proceduntque contra proximos vel ſubditos, nec audire volunt eorum querelas vel excuſationes. Hi enim quàm ſuffocent ſuos conſeruos, quis non videt? Multi ſanè in ſubditos ita dominantur eorumque cauſas reiiciunt, vt neque aduocati neque lamenta quidquam valeant. Tales viri Dan. *Iud.* 18. qui cùm abſtuliſſent Michæ ſuum ſculptile & omnia quæ habebat, clamanti poſt eos & ſua repetenti dicebant: *Caue, ne vltrà loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tuâ pereas.* Audiamus recens aliud huius tyrannidis exemplum. *Scio præfectum quendam equitum*, ait Chauaſſius de prudentia lib. 2. cap. 6. *cuius erat latrones inſectari, comprehendiſſe aliquot in ſyluâ prope Aurelias, & ſtatim iuſſiſſe omnes in crucem agi. Tum ex illis vnus ſic eum eſt affatus: Domine ſcitote cinem me eſſe Aurelianenſem, familia mea omniū ferè ditiſſima hæredem, columen domûs, & toti ciuitati chariſſimum, nihil minùs profitentem, quàm latrocinium; ſed heu cùm ante duas horas inde diſceſſiſſem, villa cuiuſdam noſtra contemplanda gratiâ, incidi miſer in hos prædones mihi inſidiantes necemque intentantes, niſi eos ſequerer. Quod quàm inuitus fecerim, voſipſi cogitate. Obſecro itaque ne præcipitetis in me ſententiam, retinete me, Aurelias mittite, qui exploret, num ita ſit. Si deprehenſus fuero vobis illuſiſſe, nullum recuſo mortis acerbæ genus, tantùm explorate quod dico; & perſuaſum habetote ſi me prius occideritis, actum iri vobiſcum peſſimè. Quid ille ad hæc? Contempſit iuſtiſſimas preces ſupplicis lachrymantis, omni commiſeratione digniſſimi, præcepitque vt ex arbore penderet cum ſocijs. Quod vbi reſcitum eſt Aurelijs, abominationi fuit omnibus, Rexque ipſe de tam iniquâ præcipitatione factus certior, confeſtim remouit eum ab officio.* Sed mitiori adhuc pœnâ affectus eſt; nam coram tribunali diuino audiuiſſet id Iacobi 2. *Iudicium ſine miſericordia ei, qui non fecerit miſericordiam.* Et hoc eò retuli, vt appareat, quanta iniquitas ſit, non audire ſupplicum defenſiones.

D. III. Qui pauperes opprimunt oneribus. Tertiò. Tales ſunt, qui pauperes opprimunt oneribus atque exactionibus: item qui litium prolongationibus eos atterunt & exhauriunt. Tenent enim illos ſub iuriſdictione & dominio ſuo, premuntque oneribus importabilibus, vti Pharao Iſraëlitas: donec ad mendicitatem redigant. Parcunt quoque bonis ſuis, & vtuntur bonis ſubditorum; cuiuſmodi virum diuitem introducit Nathan in parabolâ coram Dauide, 2. Reg. 12. Cùm enim peregrinus quidam veniſſet ad eum, parcens ille ſumere de ouibus & bobus ſuis, quos habebat plurimos, tulit ouem vnicam viri pauperis, vt præpararet hoſpiti conuiuium. Hoc facinus cùm audiſſet Dauid, *iratus indignatione aduerſus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc.* At verò quàm multi reperiuntur tales inter Chriſtianos, qui parcunt bobus & equis ſuis, vacantibus ab onere, & ſubditorum vtuntur iumentis ad operas ſuas? Vultis dicam, cuiuſmodi ſit hæc tyrannis? Simiam habebat Iulius II. Pontifex, quæ recluſa in ſeruorum camerâ, cùm vidiſſet à ſeruis Pontificis caſtaneas ſub prunis aſſari, & vnco ferreo extrahi; aliquando dum omnes incumberent alijs miniſterijs abſentes, caſtanearum auida, cùm non haberet inſtrumentum, quo caſtaneas extraheret; felem, quæ fortè ſola aderat, arripit vnâ manu, ſinuque obſtrictam detinet, alterâ manu felis dextram capit, eoque, prunas diſſipat, & extrahit caſtaneas, nequicquam eiulante fele, cuius pedes vrebantur: apud Maiolum tom. 1. canic. coll. 7. Ita agunt multi domini, vel tyranni potiùs, cum ſubditis; quidquid enim vrit, quidquid dolet, id non ſuis, ſed ſubditorum peragunt manibus; nec mouentur eorum lachrymis ac lamentis. Sed quid dicit Dominus? *Non facias violentiam pauperi*, inquit Prou. 22. *quia pauper eſt, neque conteras egenum in portâ* (id eſt iudicio) *quia iudicabit Dominus cauſam eius, & configet eos*, (id eſt affliget) *quia confixerunt animam eius.*

Fincelius l. 2. ſcribit, anno Dom. 1532. virum nobilem iniunxiſſe ruſtico ſuo, vt iuncto ad currum equo ſuo prægrandem quercum è nemore ad domini ædes aduеheret, idque ſub graui pœnâ. Ruſticus hoc ſibi impoſſibile cernens, ſuſpirans pergit ad nemus, cui obuiat humanâ ſpecie dæmon: ac doloris cauſam quærit: eâ intellectâ, ſpondet ſe cras quercum ad heri ædes aducturum; & domum ire iubet ruſticum. Tum dœmon denſiſſimam ramis quercum ante ædes nobilis tranſuerſam proijcit; cumque adamantinam duritiem induiſſet quercus, vt diſcindi ampliùs non poſſet, nobilis è domo egredi non poterat, itaque alibi oſtium per murum effringere coactus eſt, quercu in loco ſuo remanente ad diuinæ vltionis memoriam. Quare non malè Ludouicus XII. Rex Franciæ dicere ſolebat (vt habent Annales Franciæ) *plebem & ruſticos eſſe paſcua Tyrannorum & militum: Tyrannos autem & milites eſſe paſcua diabolorum.* Quod etiam dici poteſt de potentioribus quibuſdam ciuibus, qui ſuis diuitijs & pecunijs omnia mercimonia ad ſe trahunt & propolia inſtituunt, iiſque ciues alios exhauriunt ac ſuffocant, vt nunquam emergere queant. Qui ſicut pauperes deuorant, ita ipſi deuorabuntur à dæmonibus, quorum cognatum ſibi nomen habent, teſte D. Ambroſio l. de Naboth & Achab cap. 6. *Ditem*, ait, *dicunt gentiles inferorum præſulem, arbitrum mortis. Ditem appellant & diuitem, quòd niſi mortem diues inferre non nouerit, cui regnum de mortuis, cui ſedes inferi ſunt.* Minatur illis Deus Iſa. 5. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. Nunquid habitatis vos ſoli in medio terræ?*

Qvartò. Tales ſunt vſurarij: qui, dum pignora debitorum ſuorum retinent, & niſi ad præfixum terminum cum vſuris ſoluant, hortos, ædes, agros eorum inuadunt, & debitoribus abſtrahunt, terminos ſolutionis abruptos ponunt, poſtea exactionibus angunt, at- E. IV. Vſurarij.

que ita paulatim ſubſtantiam eo exugunt, quid aliud agunt, quàm quòd conſeruos ſuos tenentes ſuffocant? propterea S. Ambroſius lib. de Tobiâ cap. 14. *Vſuram petere, ſuffocare eſt*, inquit; & lib. 3. offic. vſuram vocat *homicidium*. Similiter Cato rogatus quid eſſet fœnerari? reſpondit: *eſt hominem occidere*. Cicero 2. de offic. Germanis, Cornelio Tacito auctore, olim adhuc gentilibus fœnus omne ignoratum & execratum erat; vtinam etiamnum foret! Vnde patet rationi naturali repugnare vſuram; quæ etiam Ethnicis ſolo lumine naturæ degentibus execrabilis erat, idque facilè patet: nam manifeſtè iniuſtum eſt, vt rei non fructiferæ, qualis eſt pecunia, exigatur fructus, idque cum proximi, præſertim pauperis, graui damno. Pecunia talis res eſt, cuius vſus eſt ipſa eius conſumptio, vnde non poteſt ſeorſim computari vſus à reipsâ: ſed ex eo quod conceditur res, conceditur eius vſus: ſicut non licet vendere alteri vini vſum, retento vini dominio. Aliter dicendum, cùm res & eius vſus diuerſa ſunt, vt cùm equus alicui ad iter vel laborem commodatur. Quæ ſi non ſufficiunt ad execrationem vſuræ: terreat ſaltem malus vſurariorum finis, quem vt plurimùm ſortiuntur. In hiſt. de viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis legitur de quodam fœneratore, qui dum in extremis eſſet, vocauit Notarium pro faciendo teſtamento, idque in hunc ferè modum dictauit. In nomine diaboli, anno damnationis meæ, cùm eſſem peſſimæ mentis, commendo corpus terræ, animam diabolo. Animam meam dæmoni trado, quia multa aliena rapui, & iniquis contractibus acquiſiui. Et quia vxor mea fuit complex facti, do illam etiam diabolo; Et quia filij mei de vſura illâ vixerunt, do & illos diabolo; Et quia Confeſſarius ſæpe me confitentem non correxit, nec ad reſtitutionem obligauit, etiam illum do diabolo. Et his dictis expirauit. En quàm verificatur hodiernum Euangelium in homine? Audiuimus enim venundatum debitorem cum liberis & vxore, quia videlicet peccata patris multoties cauſant vel promouent: id quod in præſenti exemplo contigit.

F. V. Qui veniam petentibus dare nolunt.

Qvintò. Tales ſunt, qui veniam petentibus dare abnuunt; tenent enim illos, dum appetitum vindictæ retinent in mente: ſuffocant verò, dum veniam rogantibus negant, & per hoc eos in odio etiam confirmant. Quibus iuſtâ Dei vindictâ ſæpe accidit, quod ſeruo nequam, vt in foueam incidant, quam inimicis ſuis foderant. Exemplum de Nicephoro Imp. refertur apud Baron. anno 811. qui cùm diu afflixiſſet & vaſtâſſet regnum Crunni Bulgarorum regis, & pacem ſuppliciter petenti Crunno dare abnuiſſet, illud ſubinde repetens: *Quis ibit & decipiet Achab? Quis ſine Deo, ſiue aduerſarium trahet me nolentem?* Tandem Crunnus videns ſe nihil obtinere, offerendo quas vellet alter conditiones pacis, in furorem verſus, per noctem eum fortiter inuadens, profligauit & occidit, amputatoque illius capite, ex cranio ipſe & principes Schlauinorum biberunt. Carè etiam conſtitit Clothario Francorum regi, Clodouei filio, in ſimili cauſa veniam negaſſe Iuetoto nobili Gallo, quem reum credebat læſæ maieſtatis, cùm verè eſſet innocens, tantumque per calumniam ab eius gratia excidiſſet, ex eo verò tempore toto decennio contra Saracenos in Africâ fortiter dimicâſſet. Quo exacto Romam ſe contulit, impetratiſque ab Apoſtolicâ ſede commendatitijs literis in Galliam redijt, regem ſibi infenſum in templo apud Sueſſiones verſantem eo die, quo Chriſtus in cruce pendens veniam impertiuit ſuis crucifixoribus, adijt, ſupplexque obtulit Summi Pontificis literas, obteſtatuſque eſt vt communis illius Redemptoris ergò in ſuæ Maieſtatis gratiam reciperetur. Nemo non ſperabat fore vt veniâ donatus recederet, ſed fefellit Rex expectationem vniuerſorum; educto pugione tempore & loco ſacro mox ſupplicem interemit; quâ immanitate incurrit in odium plurimorum, ab Apoſtolicâ ſede percuſſus anathemate, à quo non eſt antè liberatus, quàm totam Iuetori familiam libertate donauit, & declarauit nullo vnquam tempore obnoxiam fore regiæ poteſtati, niſi fortè exemptionem illam ſuam venderet. refert Belleforeſtius in Clothario. Sed mitiùs cum hoc rege actum. Væ talibus cùm Dei iudicio tradentur! quia veniam non impetrabunt, qui veniam non dederunt.

G. VI. Qui in alijs ſeuerius reprehendunt, quod ipſi faciunt.

Sextò. Tales ſunt qui in alijs ſeueriùs reprehendunt, quod ipſimet faciunt. Vt Primò, qui rigidiùs exigunt debitorum ſolutionem, cùm ipſi ſua non ſoluant, vti ſeruus iſte nequam. Hi enim ſeipſos condemnant, dum ſecum haberi patientiam volunt, cum alijs verò habere nolunt. Non didicerunt iſti prima Chriſtianæ diſciplinæ rudimenta, quæ
1.
doceat: *Quod vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Huc referendi quidam mariti, qui fidem thori quidem ab vxore exigunt, eandem tamen ipſis non ſeruant; id quod fecit Ælius Verus Cæſar, qui propterea vxori de extraneis mariti voluptatibus conquerenti reſpondit: *Vxorem dignitatis nomen eſſe, non voluptatis*; quaſi viro liceat voluptatis gratiâ ſe alijs fœminis miſcere refert Spartianus in Ælio. Sanius & æquius Antoninus Imperator, qui legem tulit, ne maritus adulterij accuſare poſſet vxorem, ſi ipſe impudicè vixiſſet. *Periniquum enim mihi videtur*, inquit, *vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipſe non exhibeat.* refert D. Auguſtinus de adult. Coniug. lib. 2. cap. 8.

Secundò. Qui in alijs parua reprehendunt, 2. ipſi interim magnâ committunt; itaque 100. denarios requirunt, cùm ipſi 10000. talenta debeant. Ita *eleganter & veraciter*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. 4. de ciuit. cap. 4. *Alexandro Magno quidam pirata comprehenſus reſpondit, cùm ab eo interrogaretur, quid ei videretur vt mare haberet infeſtum? Ille liberâ voce: Quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo nauigio facio, vocor latro: quia tu magnâ claſſe, Imperator.* Viſus eſt aliquando ridere Socrates præter con-

Google

conſuetudinem, & interrogatus cur rideret? *Video*, inquit, *magnos latrones ducentes paruum ad ſuſpendium, qui digniores ſunt ſuſpendio*: additque: *ſacrilegia parua puniuntur, ſed magna in triumphis feruntur.* Valerius Max. l. 7.

3. Tertiò. Qui miſericordiam à Deo expectant vel iam acceperunt, eius tamen mox obliti, immiſericordes ſunt in alios. Aduertere deberent iſti ſe nondum exceſſiſſe è Dei iuriſdictione & territorio, adeoque reuocari ad iudicium poſſe, ſicut reuocatus eſt ſeruus nequam. Longiſſimæ enim ſunt Deo manus. *Cum exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Jerem. 49. Et de iure ciuili, ob ingratitudinem donatarij, reuocari poteſt donatum & beneficium collatum *de poſt. cap. 1. Feudum 96. d. c. eo §. alia* Legatum. *ff. de inoff. teſtam. l. Papinianus.* Id etiam expertus eſt ſeruus nequam in hodierno Euangelio. Quare, Auditores, abhorreamus toto pectore ab his immanitatibus, & dicamus cum Ioſepho illo patriarchâ: *Quomodo poſſum hoc malum facere?* Induamus potiùs viſcera miſericordiæ, quò miſericordem aliquando inueniamus Iudicem. Quanta res hæc foret, ſi diceret nobis Deus: En vobis calamum & atramentum, ſcribite vobis ipſis, quale vultis iudicium ferri in vos iudicij tempore; id enim ego feram! Quanta hæc res foret! Atqui in hodierno Euangelio hanc nobis poteſtatem facit, dum aſſerit tale futurum Dei in nos iudicium, quale noſtrum eſt in proximum. Non ergò ſcribamus, *iuſtitia, iuſtitia*: ſed potiùs *miſericordia, miſericordia*; vt miſericordiam conſequamur.

CONCIO VI.

Examen futuri iudicij quàm diſtrictum ſit.

Aſſignantur tria in iudicio diuino metuenda.

1. *Multitudo rerum de quibus reddenda ratio, & quænam illa ſint.*
2. *Iudicis examen & diſquiſitio accuratiſſima de omnibus & ſingulis.*
3. *Summa rerum, quarum ratio exigetur, æſtimatio.*

THEMA.

Voluit rationem ponere cum eis. *Matth.* 18.

A. SCRIBIT Iacobus de paradiſo Carthuſianus in lib. de peccat. mental. fratrem religioſum honeſtæ conuerſationis, poſt mortem alteri cuidam fratri ſuo, quem viuens intimè dilexerat, oranti apparuiſſe habitu vili & vultu triſti. Cujus rei cauſam cùm ſuperſtes quæſiuiſſet, reſpondit defunctus: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit.* Attonitus hac reſponſione viuus iterum interrogat, quidnam illud ſit, quod nemo credit. Cui defunctus: *quàm diſtrictè Deus iudicet, & quàm ſeuerè puniat.* Hoc dicto diſparuit, & viuentem magno concuſſum timore reliquit. Et verò quem non terreat hæc vox, quæ in omnium noſtrûm gratiam facta & audita eſt.

Tria ſunt in iudicio diuino ſummoperè metuenda, quæ nemo hominum credit, donec quis experiatur. Primum, multitudo earum rerum, de quibus eſt reddenda ratio. Alterum, Iudicis examen & diſquiſitio accuratiſſima, ſeueriſſima. Tertium, grauiſſima rerum æſtimatio, quam habebit Iudex. Et forſan ob hæc tria defunctus ille Monachus tertiò dixit, *Nemo credit.* Ea verò vt crederemus, propoſuit nobis Chriſtus triplicem parabolam de ſuo illo examine. Primam in hodierno Euangelio, de ſeruo, qui vocatus ad rationes, debebat domino ſuo decem millia talentorum. Secundam *Matthæi* 25. de talentis, quæ repetit à ſeruis cum adiecto fœnore. Tertiam *Luc.* 16. de Villico, quem ob diſſipata bona ſua, munere ſuo priuauit. In primâ diſcimus debitorum noſtrorum multitudinem, in ſecundâ exactionis rigorem, in tertiâ æſtimationis grauitatem. Ea verò nunc excutiemus.

PRIMÒ. Nemo credit, quàm multa ſint, de quibus ratio erit reddenda. Ea verò colligi poſſunt ex debitore decem millium talentorum, & redigi ad quinque bonorum genera, iuxta numerum quinque talentorum: ſuntque bona gratiæ, corporis, animæ, fortunæ, iuriſdictionis. Bona gratiæ ſunt fides, gratia, vocationes diuinæ per Dei verbum, per libros pios, per bona exempla, per inſpirationes internas, per beneficia, per flagella & caſtigationes: ſacramenta item & ſacrificia, & quæcunque nobis Chriſti ſanguine parta ſunt. B. I. *Multitudo rerum de quibus reddenda ratio.*

Itaque reddenda imprimis ratio eſt de fide Chriſtianâ, ad quam vocati ſumus, num eam in vacuum receperimus, hoc eſt, nullo operum bonorum fructu, quem à fidelibus exigit Deus, ſicut ficus à ficulneâ; item an iuxta fidei præſcriptum vixerimus: an fidem nobis oblatam & prædicatam acceptauerimus, & quâ mente: an eamdem incontaminatam ad finem vſque ſeruauerimus. De gratiâ deinde duplici, gratis datâ & gratum faciente. De illâ, num eam ad quod data eſt, veluti ad docendum, ſanandum, &c. debitè diſtribuerimus; de hac verò an eam ſedulò cuſtodierimus; nec pro vili pretio diſtraxerimus; an cum eâdem fructuosè laborauerimus & merita regni cœleſtis parauerimus. De vocationibus diuinis; an eas audiuerimus & pulſanti Deo aperuerimus; an pro ijs grati fuerimus, an potiùs rebelles cum Pharaone. De Sacramentis, an ea ſuo tempore crebrò debitâ cum præparatione & intentione ſuſceperimus; an ea verbis & externo cultu prout decet honorauerimus, &c. 1. *De bonis gratiæ.*

Bona animæ ſunt, intellectus, voluntas, memoria, ſynderesis, ingenium, ſcientiæ acquiſitæ; & bonæ ad virtutem propenſiones à naturâ inſitæ. Interrogabimur igitur, an ambulauerimus quaſi ſapientes & ratione prædìti, iuxta *lumen vultûs Dei, quod ſignatum eſt ſuper nos*; an potiùs inſipientes & velut beſtiæ; an rectè vſi ſimus voluntate & memoriâ; an ſtimulos arguentis vel monentis conſcientiæ audiuerimus, an ingenium in res vtiles & la[illegible]abi- 2. *De bonis animæ.*

laudabiles, an verò in ludicras & inanes impenderimus; an ſcientijs vſi ſimus & artibus & quidem ad finem debitum, an potiùs ad fraudes, oblectationem ſolam, &c. an denique bonis noſtris inclinationibus conformiter vixerimus.

3. *De bonis corporis.* Bona corporis ſunt, ſanitas, longæuitas, vires, forma, ſenſuum integritas, bona complexio. Ergo reſpondebimus: quomodo vſi ſanitate & pro ea grati Deo fuerimus, quantum lucri fecerimus ex longiore vitâ; an eam culpâ noſtrâ abruperimus; an & quo fine ac modo vires, formam, ac ſenſus ſeruire nobis voluerimus; an bonam complexionem, velut præſtans inſtrumentum bene applicuerimus, an potiùs margaritam pretioſam in lutum proiecerimus.

4. *De bonis fortunæ.* Bona fortunæ ſunt, dignitates, honor, victus & amictus, nobilitas, fauor, tempus. Audiet igitur aliquis Iudicem dicentem: Ego te Epiſcopum; ego te Principem: ego te Rectorem conſtitui; ego te opulentum: ego te nobilem feci: dedi tibi gratiam in conſpectu Regum: Addidi & tempus, quò augeres talenta tua; vbi nunc vſura? vbi lucrum meum? An potiùs his omnibus abuſus es ad licentiam peccandi, ad luxum, ad ſuperbiam, ad contemptum & oppreſſionem pauperum? quomodo ea acquiſiſti? quomodo amplificaſti? quomodo adminiſtraſti? quomodo perdidiſti?

5. *De bonis iuriſdictionis.* Bona iuriſdictionis ſunt, liberi, ſubditi, diſcipuli, mercenarij, familia, adeoque proximus etiam (*mandauit* enim *vnicuique de proximo ſuo*, ait Eccl. cap. 17.) Dicet ergo Iudex: quomodo ad hanc poteſtatem aſcendiſti? quomodo oues tuas pauiſti? quomodo exemplo eis præiſti? quomodo errantes reduxiſti? quomodo rebelles caſtigaſti? quomodo obſequentes amaſti & præmiaſti? Vide igitur an non in his quinque talentorum generibus decies millies offenderis, adeoque decem millium talentorum debitum contraxeris. Tum incipis agnoſcere, quàm verè & ſapienter Chriſtus diuitias & voluptates appellarit ſpinas. Quas enim hîc exiſtimas & amplecteris vt roſas, ibi cùm de ijs reddenda erit ratio, ſenties eſſe ſpinas, quæ pluſquam mille vulneribus cruentarunt animam tuam, & ſi priùs doloris ſenſum nullum attulerunt, afferent in iudicio tantò acerbiorem, quantò minùs expectatum. Has ſpinas vt memoriæ infigeret Iacobus Patriarcha Hieroſolymorum, qui deinde Pontifex, Vrbanus IV. eſt appellatus, ſymbolum præferebat, cor hominis palpitans in ſpineto, cum epigraphe: *Recordare nouiſſimorum*, vti refert Sadoletus in Symb. to. 2. p. 78. Quiſquis ergo nunc volutat ſe in roſis diuitiarum & voluptatum, cogitet quàm aliquando in diſtricto illo examine cor eius palpitaturum ſit in medio ſpinarum!

C. II. *Diſtrictũ Iudicis examen.* SECVNDÒ. Nemo credit quàm exacta & diſtricta ſit Iudicis inquiſitio. Quam tamen poſſumus colligere aliquatenùs ex parabolâ talentorum, vbi dominus totidem repetit talenta pro fœnore, quot dedit ad lucrandum. Deinde vnicum etiam talentum traditum requirit: & licet ſeruus id non perdiderit, aut diſſiparit, ſed tantùm abſconderit, ac demum domino ſuo reſtituerit, nihilominùs tamen acerrimè obiurgatus & punitus eſt, eò quòd nihil inde lucrifecerit & Domino attulerit. Porrò triplici de causâ examen id ſeuerum erit. Primò enim perquiret omnia; & primò, exiget rationem de cogitationibus: Sap. 1. *In cogitationibus impij interrogatio erit.* Sap. 6. *Cogitationes veſtras ſcrutabitur.* Secundò, de omni locutione: *omne verbum otioſum*, ait Dominus Matth. 12. *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij.* Tertiò, de omni opere: *Cuncta quæ fiunt*, ait Eccleſ. 12. *adducet Deus in iudicium, pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit.* Quartò, de omiſſione bonorum operum: vt in parabola de abſcondito talento. Quintò, de ipſis etiam operibus bonis, an & quàm bene facta ſint & an reuerâ bona ſint: Vnde dicitur Pſalm. 74. *Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. Iuſtitias*, id eſt, opera iuſtorum; vt exponit S. Bern. ſerm. 55. in Cant. Vel *iuſtitias* intelligit leges humanas, regulas, ordines, taxas, menſuras, vlnas à magiſtratibus præſcriptas, iuſtæne fuerint & an rectè vſurpatæ. *1. De omnibus rebus.* Secundò, rationem exiget de vſu talentorum prædictorum. Et primò de omnibus omnino talentis ſupradictis, æquè ac de ſingulis, ita vt ſi vel vnum tantùm, vnicâ aliquâ ex prædictis ratione (cogitatione ſcilicet, vel verbo, vel opere, vel omiſſione) malè diſpenſatis, reus ſis futurus; quia nihil omninò vult de ſuo perire. *2. De vſu talentorum.* Quæret igitur primò, an omnia talenta tibi tradita expenderis: an non tibi ſoli applicaris aut omninò in terram foderis; vti pecunias pauperibus communicandas, &c. Secundò, an expenderis in res noxias, tibi & alijs interitum mercando. Tertiò, aſ ſaltem in res minùs vtiles minuſque integras; vt ſi ingenium tuum in rebus vilibus occupes. Quartò, an in res bonas quidem, quas tamen negligentiùs, quàm par erat curaris; vt ſi non pro viribus operatus ſis minuſque lucri reportes, quàm vires tuæ ferebant; monuit enim Sapiens: *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare*, Eccl. 9. Quintò, an contra Dominum tuum talentis vſus ſis; veluti ſcientiâ ad hæreſes, pecunijs ad luxum, ſenſibus ad libidinem, &c. Sextò, an talenta ritè à Domino acceperis, an potiùs furto abſtuleris, & in ijs nihilominùs velut in proprijs deliciatus fueris; vt ſi pecunias fraude vel rapinâ: artes ope Dæmonis: dignitatem ſimoniacè obtinueris, &c. Tertiò perluſtrabit & diiudicabit omnes actus noſtros: ac primò minima quæque eruet & ponderabit. *3. De ſingulis actibus. 1.* Dicitur enim Sap. 16. *Omnes viæ hominis patent oculis eius: Spirituum ponderator eſt Dominus.* Ecce ſubtiliſſimas intentiones, deſideria & inclinationes atque affectiones ſtateræ ſuæ imponet: ponderabit item ſpeciem peccati & circumſtantias. Solent Iuriſtæ dicere: *De minimis non curat prætor.* Sed curat tamen Deus. Tanta nimirum eſt puritas Chriſtianæ religionis, vt ne minimam quidem labeculam toleret.

2. Secundò, occultiſſima quæque rimabitur & in lucem proferet, teſte Sophonia cap. 1. per quem ait: *Et erit in tempore illo: ſcrutabor Ieruſalem in lucernis & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis.* Ecce omnes angulos cordis humani rimabitur, & perluſtrabit etiam loca fœtida ab oculis remoueri & occludi ſolita, id eſt, peccata turpia, quæ aliàs horroris causâ non nominantur, & deprehenſos in ſuis fæcibus homines manifeſtabit ac confundet.

3. Tertiò, antiquas offenſas nec non alienas peruestigabit, vti eas etiam quarum nos obliti ſumus; vel quas non putauimus eſſe noxas. Sic Petrus ille telonarius vidit à Mauris appendi in vnâ lance peccata ſua, etiam quorum iam oblitus erat, viciſſim in alterâ vnicum panem à candidatis, quem nihil æſtimauerat, vt in vitâ S. Joan. Eleemoſ.

4. Denique ad nouiſſimum quadrantem exiget rationem, & ne vnum quidem obolum condonabit. Quis talem vidit patrem familias, qui in imaginis rationibus obolum vnum, qui fortè negligentiâ famuli periit, exigat ab eo? Atqui Chriſtus talis erit. Ait enim ipſe Matth. 5. *Amen dico tibi, non exies inde* (è carcere ſcilicet ob debita vinctus) *donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Adhæc inibit numerum omnium peccatorum; vnde ait Job: *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti.*

D. III. Summa rerum æſtimatio.

TERTIÒ. Nemo credit quanta ſit futura rerum, quarum ratio exigetur, æſtimatio. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cæli à terrâ, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris*, Iſa. 55. Hinc Abbas Agathon moriens dicebat ad ſuos; *Homo ſum, & vnde ſcio, ſi opera mea Deo placent?* Cui fratres: *Non confidis in opera tua, quia ſecundum Deum ſunt?* Ait ille: *Non confido*, inquit, *quia aliud eſt iudicium Dei & aliud hominum.* In vitis Patrum.

1. Nam primò, qui bonos habet oculos & acutum viſum, minimas obſeruat maculas, videt atomos in aëre, maculas in ſole & lunâ; quas non videt nec æſtimat alius. Chriſtus autem Iudex *acuto viſu eſt*, vt ait S. Bern. ſerm. 55. in Cant. *Nihil inſcrutatum relinquet oculus eius.* Nos hîc oculos carneos tantùm & carne obuelatos habemus, ideoque non magnoperè apprehendimus aut magni æſtimamus, niſi quæ corporalia ſunt, corporique nocent aut proſunt. Deus autem alios habet oculos, ſpiritualia penetrantes.

2. Secundò, qui valde amans eſt munditiei, etiam exiguas maculas horret, nec fert in veſte pretioſâ; quòd magnum ſibi dedecus exiſtimet allaturas. Chriſtus puritatis amantiſſimus, imò puritas ipſa eſt, ideoque nihil coinquinatum intromittet in regnum ſuum.

3. Tertiò, quantò maior eſt qui offenditur, tantò grauius eſt peccatum. Tunc autem oſtendet Deus maieſtatem ſuam, quam cùm impij, tum demum *videntes turbabuntur timore horribili* & agnoſcent peccatorum ſuorum grauitatem, iuxta id Joan. 19. *Videbunt in quem transfixerunt.* Modo enim nolunt homines agnoſcere, in quem & quantum Dominum tela ſuorum peccatorum vibrent; tunc temporis agnoſcent. Idcircò peccata vocantur debita talentorum, id eſt, ſumma & incomparabilia, ſicut talentum eſt moneta ſumma, reliquas omnes excedens; quia peccata in ſummum bonum, ſummæ ſunt malitiæ.

Quartò, ſuas quiſque res, quas ſuâ manu 4.
fecit, ſuo ſudore comparauit, vel caro pretio emit, magni æſtimare ſolet. Bona nobis à Deo tradita Dei bona ſunt, quas partim ipſe fecit, vt ſunt bona ſecundi, tertij & quarti generis. Partim ſanguine ſuo emit & ſudore ſuo comparauit, vti ſunt bona primi & vltimi generis ſuprà enarrata. Et hoc inſinuat Dominus in parabolâ de Villico, quem ait diſſipaſſe bona domini ſui, adeoque in ijs quaſi in proprijs dominatum eſſe, & quantum in ipſo eſt, Dominum ſuum ex opulento pauperem feciſſe. Id Apoſtolus ad Hebr. 10. ait eſſe, *filium Dei conculcare, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducere*; quod fit cùm bona Chriſti ſanguine parta negligimus, diſſipamus, contemnimus, indignè accipimus.

Atque hæc erit æſtimatio, hoc pondus peccatorum in cœlo: quod figuratè deſignabat pondus ſicli ſanctuarij, ſeu ſicli ſancti, qui aſſeruabatur in templo, & cuius ponderi reſpondere debebant omnes ſicli, qui offerebantur à ſingulis capitibus, iuxta id Leuit. vlt. *Omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarij ponderabitur.* Quia enim ſicli communes iuſto pondere communiter carebant, ideò ad ſiclum ſanctum iuſtiſſimi ponderis, omnes qui offerebantur ſicli, debebant examinari. Sic in Capitolio ſeruabatur amphora menſura reliquarum, de quâ Priſcian.

Amphora fit, cuius vim ne violare liceret,
Sacrauêre Ioui, Tarpeio in monte, Quirites.

Ad hæc confirmanda videri poſſunt exempla Stephani Monachi rigidiſſimè ſub obitum de vitâ tranſactâ examinati: apud Climacum *grad.* 7. S. Henrici poſt mortem appenſi in ſtatera, & ope S. Laurentij ſeruati: in eius vitâ. Primus tam ſanctus erat, vt leopardum ferocem ſecum quaſi catellum aleret mitiſſimum. Poſterior, vt cum coniuge virgo ſanctè vixerit.

Denique ſeriò & ſapienter quidam, qui in vitâ ſtultus fuerat, poſt mortem Domino ſuo apparens & de ſtatu interrogatus, reſpondit: *Rigidè computatur, & nihil remittitur.* Refert P. Ioannes Dauid *in Virid. Chriſti. cap.* 93.

Quid ergo faciemus, Auditores? *Vnum eſt*, ait S. Bernardus ſerm. 55. in Cant. *ſi nosmetipſos diiudicauerimus, non vtique iudicabimur* (1. Cor. 11.) *Bonum iudicium, quod me illi diſtricto diuinoque iudicio ſubducit & abſcondit. Prorſus horreo incidere in manus Dei viuentis, volo vultui iræ iudicatus præſentari, non iudicandus. Iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona. Scrutabor vias meas & ſtudia mea: quò is qui ſcrutaturus eſt Ieruſalem in lucernis, nihil inſcrutatum in me ſine indiſcuſſum inueniat. Neque enim iudicaturus eſt bis in idipſum.* Hæc Bernardus.

ogle

CONCIO VII.

Stigij carceris aeternitas deſcribitur, variis de cauſis miſerrima.

Prima miſeria huius carceris, eſt carentia ſpei liberationis.
2. *Quod claudatur immani ſaxo & quodammodo prematur.*
3. *Continuatio tormentorum ſine interruptione.*
4. *Abſentia omnis lucis.*
5. *Quòd ſit locus diſertiſsimus*
6. *Quòd ſit ſpectaculum Beatis.*

THEMA.

Iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum. Matth. 18.

A. *Stygij carceris imago.*

IN Meſſene, Græciæ ciuitate, carcerem fuiſſe ſcribunt ſubterraneum, aurâ & luce omni deſtitutum, plenum ſtygij horroris. Nullæ ei fores erant, ſed reus per funem demiſſus, immani claudebatur ſaxo. *Theſaurus* illi nomen erat, in quem magnus ille Græciæ Imperator Philopœmen reconditus eſt, ibique veneno vitam finijt. Carcer hic, Auditores, imago quædam eſt ſtygij illius carceris, in quem magnus ille debitor, decem millium talentorum, compactus eſſe deſcribitur in hodierno Euangelio. Quia enim tantum debitum nunquam poterit ſoluere, in carcere præſertim; nunquam inde liberabitur per omnem æternitatem. Vnde D. Chryſoſtomus homil. 6. in hunc locum: *Ad perpetuitatem eum ſupplicij tradidit*, inquit, *nunquam enim inde rediturus eſt*. Rectè etiam carcerem illum, *theſaurum* appellamus; tum quia ibi recondit Deus ingentium debitorum reos, imò inſolubilium; tum quia tam profundo & abdito loco, vt erui non poſſint; tum denique quia ibi theſaurum iræ ſuæ conditum habet, quo omni pœnarum genere ſoluit debitores ſuos; vti legimus Jer. 50. *Aperuit Dominus theſaurum ſuum* (iuſtitiam vindicatiuam, quam maximè exerit in inferno) *& protulit vaſa iræ ſuæ.* Nec non ad Roman. 2. *Theſaurizas tibi iram in die iræ.* Porrò huius carceris pœnas & horrorem alibi examinauimus: videamus nunc æternitatem eius, varijs de cauſis miſerrimam.

B. I. Omni exitu & ſpe liberationis caret.

PRIMA huius æterni carceris miſeria eſt, quòd omni liberatione omnique exitu careat & fine. Durabit ergo non longiſſimo ſolùm tempore, (quod perperam ſenſit Origines, eò quòd Scriptura interdum longiſſimum tempus vocet æternum) ſed verè abſque vllo termino, quamdiu Deus erit Deus, & quamdiu beatorum durabit vita & felicitas. Ita enim clarè loquitur Scriptura plurimis in locis; vti Matth. 2. *Paleas comburet igni inextinguibili*, &c. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.* Sicut ergo horum vita erit æterna, ita ſupplicium illorum æternum. Rurſum Iſa. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quam ſententiam Chriſtus *Marci* 9. ter repetit; vt propriam, non metaphoricam locutionem eſſe ſciamus. Stupenda quidem ac miſeranda res, ignem illum nunquam extingui: & inferos in eo ſemper vri, nunquam exuri: ſed facile eſt Deo vtrumque hoc efficere; quod imprimis diſcere poſſumus ex natura. Producit natura asbeſtum lapidem in Arcadiæ montibus: ſic dictum, quòd ſemel accenſus ſit inextinguibilis, vt tradit D. Auguſt. *l.* 21. *de ciuit. c.* 5. Solinus c. 12. Plinius l. 37. *c.* 10. Iſidorus *l.* 14. *c.* 4. qui addit in templo quodam Veneris conſtitutam fuiſſe lucernam ex asbeſto ardentem, quæ nec imbrium nec ventorum vi potuerit extingui. Producit etiam natura linum incombuſtile, ideoque viuum appellatum; ex quo confectæ telæ, ſi igni iniiciantur, pulchriùs abluuntur & ſplendeſcunt, quàm ſi aquis lauarentur; vt ſcribit Plinius l. 19. c. 1. qui addit, regum inde funebres tunicas factas, vt combuſti corporis fauillam continerent & ab alijs cineribus ſepararent. Tradunt etiam plurimi Salamandram, frigidiſſimæ naturæ animal, ſine noxa in igne viuere. Monſtrat ergo vel natura argumentum aliquod æterni ignis, qui nunquam extinguetur: ſemper vret, nunquam exuret inferos.

Iam verò quis animo concipere queat, quanta & quàm longa ſit hæc æternitas? Dicat mihi aliquis, quamdiu regnaturus ſit Deus & Sancti cum eo in cœlo: & dicam ei quamdiu in inferno cruciandi ſint damnati. Illud SS. literæ hunc in modum explicant: *Dominus regnabit in æternum & vltrà.* Exod. 15. Rurſum: *Ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in æternum & vltrà.* Mich. 4. Quid verò eſt vltra æternum? Volunt dicere Prophetæ, nullam concipi poſſe durationem tam longam, vltra quam ſe non extendat æternitas. *Quaſi dicat Moyſes*; inquit Origenes in Exod. *Putáſne in ſæculum ſæculi Deum regnaturum? regnabit adhuc, vel vltrà: & quodcunque dixeris illud de regni eius ſpatiis, ſemper tibi propheta dicet: Et adhuc, ſiue vltrà.* Concipe igitur mille milliones annorum; patientur inferi adhuc & vltrà; quia reſtabit adhuc tota æternitas. Cogita totum Oceanum inferis exhauriendum & quidquid aquarum eſt in mundo, ita tamen, vt poſt ſingulos mille annos vnicam duntaxat guttam auferant; quantum iſtud temporis ſpatium erit? Sed nihil reſpectu æternitatis eſt; quia patientur adhuc vltrà. Cogita omnes arenulas, quotquot ſunt ad littora maris & in toto mundo, inferis aſportandas & in mare proiiciendas, ita tamen vt ſingulis mille annis vnicam arenam tollant; quis hoc comprehendere ſpatium queat? ſed nihil iſtud eſt: patientur adhuc vltrà. Cogita ad firmamentum vſque (quod à terrâ diſtat 80. millionibus milliarium & medio) inferis aſcendendum, ita tamen vt ſingulis mille annis vnum paſſum, non plures, facere debeant; quantum inſument tempus? ſed nihil hoc: patientur adhuc vltrà. Si bis mille annis viueres, & quotidie in altum directè aſcenderes ad centum milliaria, ac continuò quidem: poſt bis mille annos nondum peruenires ad concauum firmamenti; quia conficeres primùm 73. milliones. Quando igitur illuc perueniturus

tus à fratris ſui manibus: id quod ei prædixerat Dominus: *Si malè egeris, ſtatim in foribus peccàtum aderit.* (Hebr. *accubabit*, quaſi canis ſcilicet furem allatrans, & de peccato redarguens) Gen. 4. Nimirum vti Salamandra *perire conſcientia dicitur homine percuſſo, neq; ampliùs admitti ad terra*, inquit Plinius *lib. 29. cap.* 4. ita Cain & homicidæ alij vel ab ipsâ ſuâ conſcientiâ ad exilium damnantur & profugi ſunt in terrâ. Senſére & horruêre hunc canem, quicunque grauem aliquando vindictam priuatâ auctoritate de hoſtibus ſumpſerunt, vti Alexander M. cùm Clitum ſibi chariſſimum ac fideliſſimum ob rem leuem temulentus occidiſſet; mox enim conſcientiâ ſceleris furens ſibi mortem inferre voluit, prohibitus tamen à ſuis, aliquandiu pòſt delituit, vt ſcribit Seneca *Ep.* 84. Nero matre trucidatâ aiebat, ſe ſpecie maternâ exagitari, ac nullo loco poſſe tutum conſiſtere, Dione auctore. Viginti & tres anni iam elapſi erant à vendito Ioſepho vſque ad id tempus, quo fratres in Ægypto velut proditores durè accipiebat; & tamen à tot annis memoria iniuriæ in fratrem admiſſæ, ſtatim omnium mentibus ſe ſiſtit, ita vt ob eam ſe caſtigari exiſtimarent. Nimirum *ſicut ebrius*, inquit in eum locum Chryſoſtomus, *quando multum vini ingurgitat, nullum ſentit à vino damnum; poſteà autem ſentit, quantum ſit damnum: ſic peccatum, donec conſummetur, obtenebrat mentem & quaſi denſa nubes ita mentem corrumpit; deinde conſcientia inſurgit, & quouis accuſatore mentem grauiùs arrodit, monſtrans abſurditatem facti.* Quod etiam verum eſt in leuibus vindictis, vti ſenſit Dauid, cuius cor & conſcientia ſtatim eum percuſſit, quando vel oram chlamydis abſcidit veſti Saulis, quem occidere potuiſſet, 1. *Reg.* 24. Fuit autem illa percuſſio, angor conſcientiæ & remorſus, factum eius improbans & quaſi ad rationes vocans, tametſi id leuem tantùm iniuriam continebat. Quid ſi honorem? quid ſi membrum Sauli abſcidiſſet? quæ verbera, quos ictus conſcientia Dauidi inflixiſſet? De hoc eodem remorſu prudentiſſimè eum monuit Abigail cap. ſequente, cùm eum ab vltione, in maritum eius conceptâ, abſterrere conata eſt. Inter alia enim hoc argumento Dauidem à propoſito reuocauit: *Non erit tibi hoc in ſingultum & in ſcrupulum cordis Domino meo, quòd effuderis ſanguinem innoxium, aut ipſe te vltus fueris.* Præuidit enim ſapiens mulier animum Dauidis paulò pòſt pœnitentiâ inquietandum, ſi vltionem ſumeret de Nabal. Rectè verò eum remorſum vocat *ſingultum* & *ſcrupulum*. Singultus enim eſt conuulſio quædam corporis ab acrioribus ventriculi humoribus proueniens: ſcrupulus eſt lapillus calceo immiſſus, & pedem inter eundum affligens. Talis autem eſt remorſus conſcientiæ, memoria triſtis ſcientiæ, memoria triſtis ſceleris admiſſi, rodens & accuſans hominem. Præuidens itaque Dauid hoc ſibi euenturum, quod prædixerat mulier, abſtinuit vindictâ, tametſi à ſtulto Nabal grauiter offenſus fuerat. Licet verò hic remorſus communis ſit omnibus peccatis, peculiari tamen ratione & pertinaciùs atque inſtantiùs ſequitur peccatum vindictæ, præſertim effuſionis ſanguinis, vt patet in Caino, Dauide, fratribus Ioſephi, qui, cùm primùm aliquid aduerſi eis contingebat, ſtatim id peccato vindictæ ſuæ adſcribebant; & effuſus ſanguis ilicò vellicabat eorum memoriam. Caino dicitur: *Sanguis fratris tui clamat ad me.* Dauidi obiicit Semei: *Egredere vir ſanguinum: ecce premunt te mala tua, quoniam vir ſanguinum es.* Ipſe etiam peccata ſua *ſanguinis* appellat: *Libera me de ſanguinibus.* Fratres Ioſephi aiunt: *En ſanguis eius exquiritur.* Iuſtam hanc Dei in hos vindices vindictam ex Ezechiële diſcimus cap. 35. vbi dicitur: *Cùm ſanguinem oderis, ſanguis perſequetur te.* Eodem ſenſu arbitror Dominum dixiſſe Matth. 26. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Non omnes quidē reipsâ, omnes tamē obiectiuè, gladio remorsûs, qui perpetuò eos inſequitur, lancinat ac laniat. Gladio etiam pereunt omnes; quia dum gladium accipiunt, gladio peccati, inquietudinis, perturbationis & furoris feriunt ſeipſos grauiùs quàm inimicum. Qui enim vindicare vult, noctes ducit inſomnes, à laboribus ſibi congruis & conuenientibus ceſſat in die, cogitationibus abſumitur, timoribus angitur, curis affligitur, facultates ſuas prodigit, periculis magnis ſe exponit, corporis vitam conſumit, & animam mortuam quaſi in loculo defert. Qui autem ſeruat quod Chriſtus præcipit, his omnibus liber manet, quietus dormit, ſua cura, periculis ſe liberat, corpus ſeruat, animam ſaluat. De ſanguinariis quibuſdam militibus Ezechiel c. 32. ita ſcribit: *Deſcenderunt ad infernum cū armis ſuis, & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis.* Qui ſunt iſti, quæſò, niſi ſanguiſugæ, qui die noctuq; meditantur gladium, ſanguinem, cædem. Gladius eorū puluinar eſt, qui nullam ſibi quietem niſi à cæde & vulneribus perſequitur eos die noctuque, vſque dum moriantur & ad inferos deſcendant. Non putatis gladium pro ceruicali habuiſſe Ludouicum Seuerum Boiorum Ducem; qui poſtquam falsâ ſuſpicione de violatâ coniugis fide deceptus, furore & iracundiâ plenus aduolauit Donavverdam, (vbi coniunx degebat) moxque primum domus ſatellitem, deinde vnam è gynæceo virginem gladio peremit, altero die coniugem gladio feriri iuſſit; ſequenti nocte cæſorum manibus ita exagitatus eſt, vt eâ vnâ totus incanuerit (vti alibi diximus). quaſi ſeptuagenario maior eſſet? Hæc igitur, Auditores, *Suprà Conc. 3. G.* hæc eſt iucunditas vindictæ, inquietudo, perturbatio, furor, totius corporis fœda commotio, pauor, horror, ſcorpionum aculei, lancinatio cordis. Ac licet fortè dum vindicta exercetur, paſcatur animus irati, & iucundè quaſi epuletur: ea tamen momentanea iucunditas mox deſinit in mœrorem & amaritudinem, ac denique in interitum ſempiternum. Lætabantur ſupra modum Philiſthæi Samſone deprehenſo, infenſiſſimo hoſte ſuo; vnde exoculatum molere coëgerunt, ſuo etiam in conuiuio ludere cum pueris, vel puerorum potiùs ludum & ludibrium eſſe voluerunt, dicentes

eos gratulabundi : *Tradidit Deus noſter inimicum noſtrum Samſonem in manus noſtras.* Intereà dum illius ludibrio paſcunt animos ſuos, dum eum ludunt & illudunt, ab eodem acerrimo vindictæ iaculo feriuntur, concuſſiſque domûs columnis omnes opprimuntur, *Iudic.* 16. itaque *ad inferum deſcenderunt cum armis ſuis.* Nemo igitur in propriâ vindictâ quærat hîc iucunditatem : ibi, ibi, in altero ſæculo *lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam : manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Ibi *manſueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

CONCIO V.

Qui ſint illi, qui ſuffocant proximum.

1.2. *Tales ſunt paſſionati & iracundi, auſteri & violenti.*
3.4. *Qui pauperes opprimunt oneribus, & vſurarij.*
5. *Qui veniam petentibus dare nolunt.*
6. *Qui in alijs ſeueriùs reprehendunt quod ipſi faciunt.*

THEMA.

Tenens ſuffocabat eum. Matth. 18.

A. *Hominũ ferocia.* IMMANE crudelitatis exemplum videmus in hodierni Euangelij parabolâ, ſeruum videlicet in conſeruum ſuum ob exiguum debitum dirè ſæuientem, eum ſuffocantem & in vincula eum mittentem. Quâ quidem parabolâ exprobrare nobis & oſtendere voluiſſe videtur Chriſtus feritatem noſtram, quâ multoties varijs modis in proximos noſtros inſanimus. Meritò quidem Plautus in Aſinariâ dixit: *Homo homini lupus.* Id enim quàm verum ſit, ex hodierno Euangelio patet, ſed parum eſt, quod Plautus dixit : Lupi enim hominem non inuadunt, niſi ſemel in anno, menſe Februario, nec niſi in magnâ fame : multò minùs ſpeciem ſuam niſi in extremâ eſurie, quâ conuenire dicuntur, & in circulum diſcurrere ; vbi non quemuis, ſed qui primus ex ipſis cadit, adeoque debiliſſimum tantùm deuorant. Aſt homo etiam ſatur homini non parcit, & ne debili quidem. Satur erat conſeruus iſte, debitis non premebatur ampliùs, quia dimiſſa erant illi omnia, & tamen inuadit conſeruum debitorem ſuum. Si adhuc ære alieno oppreſſus fuiſſet, potuiſſet allegare ſuam neceſſitatem & indigentiam ; ſed hoc iam non potuit. Quàm rectè igitur *Matth.* 10. dixit Dominus diſcipulis : *Ecce ego mitto vos ſicut agnos in medio luporum*? Et quaſi ſatius ſit inter lupos degere quàm inter homines, ideò mox ſubiunxit : *Cauete autem ab hominibus* ; nimirum, vt Chryſoſtomus ſuper Matth. ait, *præ omnibus malis, homo potiſſimum eſt malum.* Inde etiam Dauid optione datâ eligendi peſtem, aut hoſtium incurſus, peſtem elegit, dicens : *Melius eſt, vt incidam in manus Domini, quàm in manus hominum*, 2. Reg. vlt. Sanè quàm inhumanum fuerit hoc facinus, teſtantur conſerui, qui videntes illud, *contriſtati ſunt valdè, & narrauerunt domino ſuo omnia, quæ facta fuerant* : teſtatur ira Regis, qui ſeruum nequam dirè increpatum tradidit tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum. Sed quid ſi plures tales adhuc inueniamus ? Non equidem puto inter meos Auditores. Nihilominùs vt tales impenſiùs vitemus, digito eos notabimus.

B. I. *Paſſionati & iracundi.* PRIMÒ. Tales ſunt paſſionarij & iracundi, qui ob leuem quamuis offenſionem vel ad conſpectum inimici ſtatim exardeſcunt, quaſi omnia inuertere velle videantur, nec placantur, donec vltionem ſumant, offenſorem damno aliquo afficiant. Suffocant iſti proximum, partim corporaliter, quia vel bonis eum exuunt, vel vulnerant, vel contumelijs onerant & infamem reddunt ; adeoq; miſerum : partim ſpiritualiter ; quia præcipiti hac correptione facultatem adimunt reo veniam precandi : magiſque eum exaſperant, ne errorem ſuum agnoſcat, ſed potiùs defendit & ad iracundiam ipſe quoque inflammetur. Aliud eſt iniuriam propulſare, cùm actu infertur : aliud acceptam vindicare. Illud concedunt iura : hoc non item, ſicut nec iudicem agere in propriâ cauſâ. Præthereà aliud eſt vindicare acceptam iniuriam ; aliud accepti damni reparationem in iudicio exigere : hoc enim licet, non illud ; quia *Leuit.* 19. præcepit Deus : *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.*

Ratio eſt primò, quia per hoc non quærit homo vt malè ſit ei, à quo damnum accipit vel iniuriam : ſed intendit tantùm indemnem ſe ſeruare, & reum emendare, Vltor verò ſpectat, vt eidem malè ſit nullâ ratione emendationis habitâ ; qui affectus pugnat cum charitate. Quis verò es tu homo, qui audeas Deo eripere gladium è manibus, vel etiam magiſtratui, cui illum Deus credidit ? Non audis illam Dei vocem : *Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore* ? Deut. 32. Non metuis, ne in temetipſum exeras gladium tuum, iuxta illam Domini vocem: *Qui acceperint gladium, gladio peribunt* ?

2. Secundò, an non vides in homine, quem perſequeris, ſignum immunitatis, imaginem Dei ? Tu verò *qui es qui iudicas alienum ſeruum* ? ait Apoſtolus ; *Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Non enim ſeruum, ſed conſeruum tuum perſequeris, vti in hoc Euangelio diſcis.

3. Tertiò. Nónne hoc ipſo cauſam tuam malam facis, qui teipſum vindicas ? prodis enim te, quaſi ius in aduerſarium non habeas, quod dicere, tibi Iudex poſſit : ideoque tibi ipſi iudex eſſe vis, ne coram legitimo iudice cauſâ cadas. At verò hoc æquúmne eſt ? Deinde quomodo tu tractas proximum tuum, ita aliquando tractaberis ab alijs. Non enim fruſtrà Sapiens comparat tales ollæ bullienti, cùm ait : *Os fatuorum ebullit ſtultitiam.* Prou. 15. Vt enim olla bulliens, omnem, quam continet, eiicit pinguedinem, & ignem quidem extinguit, ipſa verò ad extremum rumpitur : ſic etiam paſſionati ; dum furore æſtuantes proximos lædunt, ipſi tandem malè diſpereunt ; & ſæpe à vili

que ita paulatim ſubſtantiam eo exugunt, quid aliud agunt, quàm quòd conſeruos ſuos tenentes ſuffocant? proptereà S. Ambroſius lib. de Tobiâ cap. 14. *Vſuram petere, ſuffocare eſt*, inquit; & lib. 3. offic. vſuram vocat *homicidium*. Similiter Cato rogatus quid eſſet fœnerari? reſpondit: *eſt hominem occidere*. Cicero 2. de offic. Germanis, Cornelio Tacito auctore, olim adhuc gentilibus fœnus omne ignoratum & execratum erat; vtinam etiamnum foret! Vnde patet rationi naturali repugnare vſuram; quæ etiam Ethnicis ſolo lumine naturæ degentibus execrabilis erat, idque facilè patet: nam manifeſtè iniuſtum eſt, vt rei non fructiferæ, qualis eſt pecunia, exigatur fructus, idque cum proximi, præſertim pauperis, graui damno. Pecunia talis res eſt, cuius vſus eſt ipſa eius conſumptio, vnde non poteſt ſeorſim computari vſus à reipsâ: ſed ex eo quod conceditur res, conceditur eius vſus: ſicut non licet vendere alteri vini vſum, retento vini dominio. Aliter dicendum, cùm res & eius vſus diuerſa ſunt, vt cùm equus alicui ad iter vel laborem commodatur. Quæ ſi non ſufficiunt ad execrationem vſuræ: terreat ſaltem malus vſurariorum finis, quem vt plurimùm ſortiuntur. In hiſt. de viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis legitur de quodam fœneratore, qui dum in extremis eſſet, vocauit Notarium pro faciendo teſtamento, idque in hunc ferè modum dictauit. In nomine diaboli, anno damnationis meæ, cùm eſſem peſſimæ mentis, commendo corpus terræ, animam diabolo. Animam meam dæmoni trado, quia multa aliena rapui, & iniquis contractibus acquiſiui. Et quia vxor mea fuit complex facti, do illam etiam diabolo; Et quia filij mei de vſura illâ vixerunt, do & illos diabolo; Et quia Confeſſarius ſæpe me confitentem non correxit, nec ad reſtitutionem obligauit, etiam illum do diabolo. Et his dictis expirauit. En quàm verificatur hodiernum Euangelium in homine? Audiuimus enim venundatum debitorem cum liberis & vxore, quia videlicet peccata patris multoties cauſant vel promouent: id quod in præſenti exemplo contigit.

F.
V.
Qui veniam petentibus dare nolunt.

QVINTÒ. Tales ſunt, qui veniam petentibus dare abnuunt; tenent enim illos, dum appetitum vindictæ retinent in mente: ſuffocant verò, dum veniam rogantibus negant, & per hoc eos in odio etiam confirmant. Quibus iuſtâ Dei vindictâ ſæpe accidit, quod ſeruo nequam, vt in foueam incidant, quam inimicis ſuis foderant. Exemplum de Nicephoro Imp. refertur apud Baron. anno 811. qui cùm diu afflixiſſet & vaſtâſſet regnum Crunni Bulgarorum regis, & pacem ſuppliciter petenti Crunno dare abnuiſſet, illud ſubinde repetens: *Quis ibit & decipiet Achab? Quis ſiue Deus, ſiue aduerſarius trahet me nolentem?* Tandem Crunnus videns ſe nihil obtinere, offerendo quas vellet alter conditiones pacis, in furorem verſus, per noctem eum fortiter inuadens, profligauit & occidit, amputatoque illius capite, ex cranio ipſe & principes Schlauinorum biberunt. Carè etiam conſtitit Clothario Francorum regi, Clodouei filio, in ſimili cauſa veniam negaſſe Iuetoto nobili Gallo, quem reum credebat læſæ maieſtatis, cùm verè eſſet innocens, tantumque per calumniam ab eius gratia excidiſſet, ex eo verò tempore toto decennio contra Saracenos in Africâ fortiter dimicâſſet. Quo exacto Romam ſe contulit, impetratiſque ab Apoſtolicâ ſede commendatitijs literis in Galliam redijt, regem ſibi infenſum in templo apud Sueſſiones verſantem eo die, quo Chriſtus in cruce pendens veniam impertiuit ſuis crucifixoribus, adijt, ſupplexque obtulit Summi Pontificis literas, obteſtatuſque eſt vt communis illius Redemptoris ergô in ſuæ Maieſtatis gratiam reciperetur. Nemo non ſperabat fore vt veniâ donatus recederet, ſed fefellit Rex expectationem vniuerſorum; educto pugione tempore & loco ſacro mox ſupplicem interemit; quâ immanitate incurrit in odium plurimorum, ab Apoſtolicâ ſede percuſſus anathemate, à quo non eſt antè liberatus, quàm totam Iuetoti familiam libertate donauit, & declarauit nullo vnquam tempore obnoxiam fore regiæ poteſtati, niſi fortè exemptionem illam ſuam venderet. refert Belleforeſtius in Clothario. Sed mitiùs cum hoc rege actum. Væ talibus cùm Dei iudicio tradentur! quia veniam non impetrabunt, qui veniam non dederunt.

G.
VI.
Qui in alijs ſeuerius reprehendunt, quod ipſi faciunt.

SEXTÒ. Tales ſunt qui in alijs ſeueriùs reprehendunt, quod ipſimet faciunt. Vt Primò, qui rigidiùs exigunt debitorum ſolutionem, cùm ipſi ſua non ſoluant, vti ſeruus iſte nequam. Hi enim ſeipſos condemnant, dum ſecum haberi patientiam volunt, cum alijs verò habere nolunt. Non didicerunt iſti prima Chriſtianæ diſciplinæ rudimenta, quæ doceat: *Quod vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*. Huc referendi quidam mariti, qui fidem thori quidem ab vxore exigunt, eandem tamen ipſis non ſeruant; id quod fecit Ælius Verus Cæſar, qui propterea vxori de extraneis mariti voluptatibus conquerenti reſpondit: *Vxorem dignitatis nomen eſſe, non voluptatis*; quaſi viro liceat voluptatis gratiâ ſe alijs fœminis miſcere refert Spartianus in Ælio. Saniùs & æquiùs Antoninus Imperator, qui legem tulit, ne maritus adulterij accuſare poſſet vxorem, ſi ipſe impudicè vixiſſet. *Periniquum enim mihi videtur*, inquit, *vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipſe non exhibet*. refert D. Auguſtinus de adult. Coniug. lib. 2. cap. 8. 1.

Secundò. Qui in alijs parua reprehendunt, ipſi interim magnâ committunt; itaque 100. denarios requirunt, cùm ipſi 10000. talenta debeant. Ita *eleganter & veraciter*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. 4. de ciuit. cap. 4. *Alexandro Magno quidam pirata comprehenſus reſpondit, cùm ab eo interrogaretur, quid ei videretur vt mare haberet infeſtum? Ille liberâ voce: Quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo nauigio facio, vocor latro: quia tu magnâ claſſe, Imperator.* Viſus eſt aliquando ridere Socrates præter 2.

conſuetudinem, & interrogatus cur rideret? *Video*, inquit, *magnos latrones ducentes paruum ad ſuſpendium, qui digniores ſunt ſuſpendio*: additque: *ſacrilegia parua puniuntur, ſed magna in triumphis feruntur*. Valerius Max. l. 7.

3. Tertiò. Qui miſericordiam à Deo expectant vel iam acceperunt, eius tamen mox obliti, immiſericordes ſunt in alios. Aduertere deberent iſti ſe nondum exceſſiſſe è Dei iuriſdictione & territorio, adeoque reuocari ad iudicium poſſe, ſicut reuocatus eſt ſeruus nequam. Longiſſimæ enim ſunt Deo manus. *Cum exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Jerem. 49. Et de iure ciuili, ob ingratitudinem donatarij, reuocari poteſt donatum & beneficium collatum *de poſt. cap. 1. Feudum 96. d. c. eo §. alia* Legatum. *ff. de inoff. teſtam. l. Papinianus.* Id etiam expertus eſt ſeruus nequam in hodierno Euangelio. Quare, Auditores, abhorreamus toto pectore ab his immanitatibus, & dicamus cum Ioſepho illo patriarchâ: *Quomodo poſſum hoc malum facere?* Induamus potiùs viſcera miſericordiæ, quò miſericordem aliquando inueniamus Iudicem. Quanta res hæc foret, ſi diceret nobis Deus: En vobis calamum & atramentum, ſcribite vobis ipſis, quale vultis iudicium ferri in vos iudicij tempore; id enim ego feram! Quanta hæc res foret! Atqui in hodierno Euangelio hanc nobis poteſtatem facit, dum aſſerit tale futurum Dei in nos iudicium, quale noſtrum eſt in proximum. Non ergò ſcribamus, *iuſtitia, iuſtitia*: ſed potiùs *miſericordia, miſericordia*; vt miſericordiam conſequamur.

CONCIO VI.

Examen futuri iudicij quàm diſtrictum ſit.

Aſſignantur tria in iudicio diuino metuenda.

1. *Multitudo rerum de quibus reddenda ratio, & quænam illa ſint.*
2. *Iudicis examen & diſquiſitio accuratiſſima de omnibus & ſingulis.*
3. *Summa rerum, quarum ratio exigetur, æſtimatio.*

THEMA.

Voluit rationem ponere cum eis. Matth. 18.

A. SCRIBIT Iacobus de paradiſo Carthuſianus in lib. de peccat. mental. fratrem religioſum honeſtæ conuerſationis, poſt mortem alteri cuidam fratri ſuo, quem viuens intimè dilexerat, oranti apparuiſſe habitu vili & vultu triſti. Cujus rei cauſam cùm ſuperſtes quæſiuiſſet, reſpondit defunctus: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit.* Attonitus hac reſponſione viuus iterum interrogat, quidnam illud ſit, quod nemo credit. Cui defunctus: *quàm diſtrictè Deus iudicet, & quàm ſeuerè puniat.* Hoc dicto diſparuit, & viuentem magno concuſſum timore reliquit. Et verò quem non terreat hæc vox, quæ in omnium noſtrûm gratiam facta & audita eſt.

Tria ſunt in iudicio diuino ſummoperè metuenda, quæ nemo hominum credit, donec quis experiatur. Primum, multitudo earum rerum, de quibus eſt reddenda ratio. Alterum, Iudicis examen & diſquiſitio accuratiſſima, ſeueriſſima. Tertium, grauiſſima rerum æſtimatio, quam habebit Iudex. Et forſan ob hæc tria defunctus ille Monachus tertiò dixit, *Nemo credit.* Ea verò vt crederemus, propoſuit nobis Chriſtus triplicem parabolam de ſuo illo examine. Primam in hodierno Euangelio, de ſeruo, qui vocatus ad rationes, debebat domino ſuo decem millia talentorum. Secundam *Matthæi* 25. de talentis, quæ repetit à ſeruis cum adiecto fœnore. Tertiam *Luc.* 16. de Villico, quem ob diſſipata bona ſua, munere ſuo priuauit. In primâ diſcimus debitorum noſtrorum multitudinem, in ſecundâ exactionis rigorem, in tertiâ æſtimationis grauitatem. Ea verò nunc excutiemus.

PRIMÒ. Nemo credit, quàm multa ſint, de quibus ratio erit reddenda. Ea verò colligi poſſunt ex debitore decem millium talentorum, & redigi ad quinque bonorum genera, iuxta numerum quinque talentorum: ſuntque bona gratiæ, corporis, animæ, fortunæ, iuriſdictionis. Bona gratiæ ſunt fides, gratia, vocationes diuinæ per Dei verbum, per libros pios, per bona exempla, per inſpirationes internas, per beneficia, per flagella & caſtigationes; ſacramenta item & ſacrificia, & quæcunque nobis Chriſti ſanguine parta ſunt. B. I. Multitudo rerum de quibus reddenda ratio.

Itaque reddenda imprimis ratio eſt de fide Chriſtianâ, ad quam vocati ſumus, num eam in vacuum receperimus, hoc eſt, nullo operum bonorum fructu, quem à fidelibus exigit Deus, ſicut ficus à ficulneâ; item an iuxta fidei præſcriptum vixerimus: an fidem nobis oblatam & prædicatam acceptauerimus, & quâ mente: an eamdem incontaminatam ad finem vſque ſeruauerimus. De gratiâ deinde duplici, gratis datâ & gratum faciente. De illâ, num eam ad quod data eſt, veluti ad docendum, ſanandum, &c. debitè diſtribuerimus; de hac verò an eam ſeduló cuſtodierimus; nec pro vili pretio diſtraxerimus; an cum eâdem fructuosè laborauerimus & merita regni cœleſtis parauerimus. De vocationibus diuinis; an eas audiuerimus & pulſanti Deo aperuerimus; an pro ijs grati fuerimus, an potiùs rebelles cum Pharaone. De Sacramentis, an ea ſuo tempore crebrò debitâ cum præparatione & intentione ſuſceperimus; an ea verbis & externo cultu prout decet honorauerimus, &c. 1. *De bonis gratiæ.*

Bona animæ ſunt, intellectus, voluntas, memoria, ſynderesis, ingenium, ſcientiæ acquiſitæ; & bonæ ad virtutem propenſiones à naturâ inſitæ. Interrogabimur igitur, an ambulauerimus quaſi ſapientes & ratione præditi, iuxta *lumen vultûs Dei, quod ſignatum eſt ſuper nos*; an potiùs inſipientes & velut beſtiæ; an rectè vſi ſimus voluntate & memoriâ; an ſtimulos arguentis vel monentis conſcientiæ audiuerimus, an ingenium in res vtiles & laudabi- 2. *De bonis animæ.*

Digitized by Google

laudabiles, an verò in ludicras & inanes impenderimus; an ſcientijs vſi ſimus & artibus & quidem ad finem debitum, an potiùs ad fraudes, oblectationem ſolam, &c. an denique bonis noſtris inclinationibus conformiter vixerimus.

3. *De bonis corporis.*

Bona corporis ſunt, ſanitas, longæuitas, vires, forma, ſenſuum integritas, bona complexio. Ergo reſpondebimus: quomodo vſi ſanitate & pro ea grati Deo fuerimus, quantum lucri fecerimus ex longiore vitâ; an eam culpâ noſtrâ abruperimus; an & quo fine ac modo vires, formam, ac ſenſus ſeruire nobis voluerimus; an bonam complexionem, velut præſtans inſtrumentum bene applicuerimus, an potiùs margaritam pretioſam in lutum proiecerimus.

4. *De bonis fortunæ.*

Bona fortunæ ſunt, dignitates, honor, victus & amictus, nobilitas, fauor, tempus. Audiet igitur aliquis Iudicem dicentem: Ego te Epiſcopum; ego te Principem: ego te Rectorem conſtitui; ego te opulentum: ego te nobilem feci: dedi tibi gratiam in conſpectu Regum: Addidi & tempus, quò augeres talenta tua; vbi nunc vſura? vbi lucrum meum? An potiùs his omnibus abuſus es ad licentiam peccandi, ad luxum, ad ſuperbiam, ad contemptum & oppreſſionem pauperum? quomodo ea acquiſiſti? quomodo amplificaſti? quomodo adminiſtraſti? quomodo perdidiſti?

5. *De bonis iuriſdictionis.*

Bona iuriſdictionis ſunt, liberi, ſubditi, diſcipuli, mercenarij, familia, adeoque proximus etiam (*mandauit enim vnicuique de proximo ſuo*, ait Eccl. cap. 17.) Dicet ergo Iudex: quomodo ad hanc poteſtatem aſcendiſti? quomodo oues tuas pauiſti? quomodo exemplo eis præiſti? quomodo errantes reduxiſti? quomodo rebelles caſtigaſti? quomodo obſequentes amaſti & præmiaſti? Vide igitur an non in his quinque talentorum generibus decies millies offenderis, adeoque decem millium talentorum debitum contraxeris. Tum incipis agnoſcere, quàm verè & ſapienter Chriſtus diuitias & voluptates appellarit ſpinas. Quas enim hîc exiſtimas & amplecteris vt roſas, ibi cùm de ijs reddenda erit ratio, ſenties eſſe ſpinas, quæ pluſquam mille vulneribus cruentarunt animam tuam, & ſi priùs doloris ſenſum nullum attulerunt, afferent in iudicio tantò acerbiorem, quantò minùs expectatum. Has ſpinas vt memoriæ infigeret Iacobus Patriarcha Hieroſolymorum, qui deinde Pontifex, Vrbanus IV. eſt appellatus, ſymbolum præferebat, cor hominis palpitans in ſpineto, cum epigraphe: *Recordare nouiſſimorum*, vti refert Sadoletus in Symb. to. 2. p. 78. Quiſquis ergo nunc volutat ſe in roſis diuitiarum & voluptatum, cogitet quàm aliquando in diſtricto illo examine cor eius palpitaturum ſit in medio ſpinarum!

C. II. Diſtrictū Iudicis examen.

SECVNDÒ. Nemo credit quàm exacta & diſtricta ſit Iudicis inquiſitio. Quam tamen poſſumus colligere aliquatenùs ex parabolâ talentorum, vbi dominus totidem repetit talenta pro fœnore, quot dedit ad lucrandum. Deinde vnicum etiam talentum traditum requirit: & licet ſeruus id non perdiderit, aut diſſiparit, ſed tantùm abſconderit, ac demum domino ſuo reſtituerit, nihilominùs tamen acerrimè obiurgatus & punitus eſt, eò quòd nihil inde lucrifecerit & Domino attulerit. Porrò triplici de causâ examen id ſeuerum erit. Primò enim perquiret omnia; & primò, exiget rationem de cogitationibus: Sap. 1. *In cogitationibus impij interrogatio erit.* Sap. 6. *Cogitationes veſtras ſcrutabitur.* Secundò, de omni locutione: *omne verbum otioſum*, ait Dominus Matth. 12. *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij.* Tertiò, de omni opere: *Cuncta quæ fiunt*, ait Eccleſ. 12. *adducet Deus in iudicium, pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit.* Quartò, de omiſſione bonorum operum: vt in parabola de abſcondito talento. Quintò, de ipſis etiam operibus bonis, an & quàm benè facta ſint & an reuerà bona ſint: Vnde dicitur Pſalm. 74. *Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. Iuſtitias*, id eſt, opera iuſtorum; vt exponit S. Bern. ſerm. 55. in Cant. Vel *iuſtitias* intelligit leges humanas, regulas, ordines, taxas, menſuras, vlnas à magiſtratibus præſcriptas, iuſtæne fuerint & an rectè vſurpatæ. Secundò, rationem exiget de vſu talentorum prædictorum. Et primò de omnibus omnino talentis ſupradictis, æquè ac de ſingulis, ita vt ſi vel vnum tantùm, vnicâ aliquâ ex prædictis ratione (cogitatione ſcilicet, vel verbo, vel opere, vel omiſſione) malè diſpenſatis, reus ſis futurus; quia nihil omninò vult de ſuo perire. Quæret igitur primò, an omnia talenta tibi tradita expenderis: an non tibi ſoli applicaris aut omninò in terram foderis; vti pecunias pauperibus communicandas, &c. Secundò, an expenderis in res noxias, tibi & alijs interitum mercando. Tertiò, an ſaltem in res minùs vtiles minuſque integras; vt ſi ingenium tuum in rebus vilibus occupes. Quartò, an in res bonas quidem, quas tamen negligentiùs, quàm par erat curaris; vt ſi non pro viribus operatus ſis minuſque lucri reportes, quàm vires tuæ ferebant; monuit enim Sapiens: *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare*, Eccl. 9. Quintò, an contra Dominum tuum talentis vſus ſis; veluti ſcientiâ ad hæreſes, pecunijs ad luxum, ſenſibus ad libidinem, &c. Sextò, an talenta ritè à Domino acceperis, an potiùs furto abſtuleris, & in ijs nihilominùs velut in proprijs deliciatus fueris; vt ſi pecunias fraude vel rapinâ: artes ope Dæmonis: dignitatem ſimoniacè obtinueris, &c. Tertiò perluſtrabit & diiudicabit omnes actus noſtros: ac primò minima quæque eruet & ponderabit. Dicitur enim Sap. 16. *Omnes viæ hominis patent oculis eius: Spirituum ponderatur eſt Dominus.* Ecce ſubtiliſſimas intentiones, deſideria & inclinationes atque affectiones ſtateræ ſuæ imponet: ponderabit item ſpeciem peccati & circumſtantias. Solent Iuriſtæ dicere: *De minimis non curat prætor.* Sed curat tamen Deus. Tanta nimirum eſt puritas Chriſtianæ religionis, vt ne minimam quidem labeculam toleret.

Right margin: 1. *De omnibus rebus.* — 2. *De vſu talentorum.* — 3. *De ſingulis actibus.* 1.

2. Secundò, occultiſſima quæque rimabitur & in lucem proferet, teſte Sophonia cap. 1. per quem ait: *Et erit in tempore illo: ſcrutabor Ieruſalem in lucernis & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis.* Ecce omnes angulos cordis humani rimabitur, & perluſtrabit etiam loca fœtida ab oculis remoueri & occludi ſolita, id eſt, peccata turpia, quæ aliàs horroris causâ non nominantur, & deprehenſos in ſuis fæcibus homines manifeſtabit ac confundet.

3. Tertiò, antiquas offenſas nec non alienas perueſtigabit, vti eas etiam quarum nos obliti ſumus; vel quas non putauimus eſſe notas. Sic Petrus ille telonarius vidit à Mauris appendi in vnâ lance peccata ſua, etiam quorum iam oblitus erat, viciſſim in alterâ vnicum panem à candidatis, quem nihil æſtimauerat, vt in vitâ S. Joan. Eleemoſ.

4. Denique ad nouiſſimum quadrantem exiget rationem, & ne vnum quidem obolum condonabit. Quis talem vidit patrem familias, qui in imaginis rationibus obolum vnum, qui fortè negligentiâ famuli periit, exigat ab eo? Atqui Chriſtus talis erit. Ait enim ipſe Matth. 5. *Amen dico tibi, non exies inde* (è carcere ſcilicet ob debita vinctus) *donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Adhæc inibit numerum omnium peccatorum; vnde ait Job: *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti.*

D. III. Summa rerum æſtimatio.

Tertiò. Nemo credit quanta ſit futurarerum, quarum ratio exigetur, æſtimatio. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terrâ, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris*, Jſa. 55. Hinc Abbas Agathon moriens dicebat ad ſuos; *Homo ſum, & vnde ſcio, ſi opera mea Deo placent?* Cui fratres: *Non confidis in opera tua, quæ ſecundum Deum ſunt?* Ait ille: *Non confido*, inquit, *quia aliud eſt iudicium Dei & aliud hominum.* In vitis Patrum.

1. Nam primò, qui bonos habet oculos & acutum viſum, minimas obſeruat maculas, videt atomos in aëre, maculas in ſole & lunâ; quas non videt nec æſtimat alius. Chriſtus autem Iudex *acuto viſu eſt*, vt ait S. Bern. ſerm. 55. in Cant. *Nihil inſcrutatum relinquet oculus eius.* Nos hîc oculos carneos tantùm & carne obuelatos habemus, ideoque non magnoperè apprehendimus aut magni æſtimamus, niſi quæ corporalia ſunt, corporique nocent aut proſunt. Deus autem alios habet oculos, ſpiritualia penetrantes.

2. Secundò, qui valde amans eſt munditiei, etiam exiguas maculas horret, nec fert in veſte pretioſâ; quòd magnum ſibi dedecus exiſtimet allaturas. Chriſtus puritatis amantiſſimus, imò puritas ipſa eſt, ideoque nihil coinquinatum intromittet in regnum ſuum.

3. Tertiò, quantò maior eſt qui offenditur, tantò grauius eſt peccatum. Tunc autem oſtendet Deus maieſtatem ſuam, quam cùm impij, tum demum *videntes turbabuntur timore horribili* & agnoſcent peccatorum ſuorum grauitatem, iuxta id Joan. 19. *Videbunt in quem transfixerunt.* Modo enim nolunt homines agnoſcere, in quem & quantum Dominum tela ſuorum peccatorum vibrent; tunc temporis agnoſcent. Idcircò peccata vocantur debita talentorum, id eſt, ſumma & incomparabilia, ſicut talentum eſt moneta ſumma, reliquas omnes excedens; quia peccata in ſummum bonum, ſummæ ſunt malitiæ.

Quartò, ſuas quiſque res, quas ſuâ manu fecit, ſuo ſudore comparauit, vel caro pretio emit, magni æſtimare ſolet. Bona nobis à Deo tradita Dei bona ſunt, quas partim ipſe fecit, vt ſunt bona ſecundi, tertij & quarti generis. Partim ſanguine ſuo emit & ſudore ſuo comparauit, vti ſunt bona primi & vltimi generis ſuprà enarrata. Et hoc inſinuat Dominus in parabolâ de Villico, quem ait diſſipaſſe bona domini ſui, adeoque in ijs quaſi in proprijs dominatum eſſe, & quantum in ipſo eſt, Dominum ſuum ex opulento pauperem feciſſe. Id Apoſtolus ad Hebr. 10. ait eſſe, *filium Dei conculcare, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducere*; quod fit cùm bona Chriſti ſanguine parta negligimus, diſſipamus, contemnimus, indignè accipimus. 4.

Atque hæc erit æſtimatio, hoc pondus peccatorum in cœlo: quod figuratè deſignabat pondus ſicli ſanctuarij, ſeu ſicli ſancti, qui aſſeruabatur in templo, & cuius ponderi reſpondere debebant omnes ſicli, qui offerebantur à ſingulis capitibus, iuxta id Leuit. vlt. *Omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarij ponderabitur.* Quia enim ſicli communes iuſto pondere communiter carebant, ideò ad ſiclum ſanctum iuſtiſſimi ponderis, omnes qui offerebantur ſicli, debebant examinari. Sic in Capitolio ſeruabatur amphora menſura reliquarum, de quâ Priſcian.

Amphora fit, cuius vim ne violare liceret,
Sacrauêre Ioui, Tarpeio in monte, Quirites.

Ad hæc confirmanda videri poſſunt exempla Stephani Monachi rigidiſſimè ſub obitum de vitâ tranſactâ examinati: apud Climacum *grad.* 7. S. Henrici poſt mortem appenſi in ſtatera, & ope S. Laurentij ſeruati: in eius vitâ. Primus tam ſanctus erat, vt leopardum ferocem ſecum quaſi catellum aleret mitiſſimum. Poſterior, vt cum coniuge virgo ſanctè vixerit.

Denique ſeriò & ſapienter quidam, qui in vitâ ſtultus fuerat, poſt mortem Domino ſuo apparens & de ſtatu interrogatus, reſpondit: *Rigidè computatur, & nihil remittitur.* Refert P. Ioannes Dauid *in Virid. Chriſti. cap.* 93.

Quid ergo faciemus, Auditores? *Vnum eſt*, ait S. Bernardus ſerm. 55. in Cant. *ſi noſmetipſos diiudicauerimus, non vtique iudicabimur* (1. Cor. 11.) *Bonum iudicium, quod me illi diſtricto diuinoque iudicio ſubducit & abſcondit. Prorſus horreo incidere in manus Dei viuentis, volo vultui iræ iudicatus præſentari, non iudicandus. Iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona. Scrutabor vias meas & ſtudia mea: quò is qui ſcrutaturus eſt Ieruſalem in lucernis, nihil inſcrutatum in me ſiue indiſcuſſum inueniat. Neque enim iudicaturus eſt bis in idipſum.* Hæc Bernardus.

CONCIO VII.

Stigij carceris aeternitas deſcribitur, variis de cauſis miſerrima.

Prima miſeria huius carceris, eſt carentia ſpei liberationis.

2. *Quod claudatur immani ſaxo & quodammodo prematur.*

3. *Continuatio tormentorum ſine interruptione.*

4. *Abſentia omnis lucis.*

5. *Quòd ſit locus diſertiſſimus*

6. *Quòd ſit ſpectaculum Beatis.*

THEMA.

Iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum. Matth. 18.

A. *Stygij carceris imago.*

IN Meſſene, Græciæ ciuitate, carcerem fuiſſe ſcribunt ſubterraneum, aurâ & luce omni deſtitutum, plenum ſtygij horroris. Nullæ ei fores erant, ſed reus per funem demiſſus, immani claudebatur ſaxo. *Theſaurus* illi nomen erat, in quem magnus ille Græciæ Imperator Philopœmen reconditus eſt, ibique veneno vitam finijt. Carcer hic, Auditores, imago quædam eſt ſtygij illius carceris, in quem magnus ille debitor, decem millium talentorum, compactus eſſe deſcribitur in hodierno Euangelio. Quia enim tantum debitum nunquam poterit ſoluere, in carcere præſertim; nunquam inde liberabitur per omnem æternitatem. Vnde D. Chryſoſtomus homil. 6. in hunc locum: *Ad perpetuitatem eum ſupplicij tradidit*, inquit, *nunquam enim inde rediturus eſt*. Rectè etiam carcerem illum, *theſaurum* appellamus; tum quia ibi recondit Deus ingentium debitorum reos, imò inſolubilium; tum quia tam profundo & abdito loco, vt erui non poſſint; tum denique quia ibi theſaurum iræ ſuæ conditum habet, quo omni pœnarum genere ſoluit debitores ſuos; vti legimus Jer. 50. *Aperuit Dominus theſaurum ſuum* (iuſtitiam vindicatiuam, quam maximè exerit in inferno) *& protulit vaſa iræ ſuæ.* Nec non ad Roman. 2. *Theſaurizas tibi iram in die iræ.* Porrò huius carceris pœnas & horrorem alibi examinauimus: videamus nunc æternitatem eius, varijs de cauſis miſerrimam.

B. I. Omni exitu & ſpe liberationis caret.

PRIMA huius æterni carceris miſeria eſt; quòd omni liberatione omnique exitu careat & fine. Durabit ergo non longiſſimo ſolùm tempore, (quod perperam ſenſit Origines, eò quòd Scriptura interdum longiſſimum tempus vocet æternum) ſed verè abſque vllo termino, quamdiu Deus erit Deus, & quamdiu beatorum durabit vita & felicitas. Ita enim clarè loquitur Scriptura plurimis in locis; vti Matth. 2. *Paleas comburet igni inextinguibili*, &c. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.* Sicut ergo horum vita erit æterna, ita ſupplicium illorum æternum. Rurſum Jſa. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quam ſententiam Chriſtus *Marci* 9. ter repetit; vt propriam, non metaphoricam locutionem eſſe ſciamus. Stupenda quidem ac miſeranda res, ignem illum nunquam extingui: & inferos in eo ſemper vri, nunquam exuri: ſed facile eſt Deo vtrumque hoc efficere; quod imprimis diſcere poſſumus ex natura. Producit natura asbeſtum lapidem in Arcadiæ montibus: ſic dictum, quòd ſemel accenſus ſit inextinguibilis, vt tradit D. Auguſt. *l.* 21. *de ciuit. c.* 5. Solinus c. 12. Plinius l. 37. c. 10. Iſidorus *l.* 14. *c.* 4. qui addit in templo quodam Veneris conſtitutam fuiſſe lucernam ex asbeſto ardentem, quæ nec imbrium nec ventorum vi potuerit extingui. Producit etiam natura linum incombuſtile, ideoque viuum appellatum; ex quo confectæ telæ, ſi igni iniiciantur, pulchriùs abluuntur & ſplendeſcunt, quàm ſi aquis lauarentur; vt ſcribit Plinius l. 19. c. 1. qui addit, regum inde funebres tunicas factas, vt combuſti corporis fauillam continerent & ab alijs cineribus ſepararent. Tradunt etiam plurimi Salamandram, frigidiſſimæ naturæ animal, ſine noxa in igne viuere. Monſtrat ergo vel natura argumentum aliquod æterni ignis, qui nunquam extinguetur: ſemper vret, nunquam exuret inferos.

Iam verò quis animo concipere queat, quanta & quàm longa ſit hæc æternitas? Dicat mihi aliquis, quamdiu regnaturus ſit Deus & Sancti cum eo in cœlo: & dicam ei quamdiu in inferno cruciandi ſint damnati. Illud SS. literæ hunc in modum explicant: *Dominus regnabit in æternum & vltrà.* Exod. 15. Rurſum: *Ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in æternum & vltrà.* Mich. 4. Quid verò eſt vltra æternum? Volunt dicere Prophetæ, nullam concipi poſſe durationem tam longam, vltra quam ſe non extendat æternitas. *Quaſi dicat Moyſes;* inquit Origenes in Exod. *Putáſne in ſæculum ſæculi Deum regnaturum? regnabit adhuc, vel vltrà: & quodcunque dixeris illud de regni eius ſpatiis, ſemper tibi propheta dicet: Et adhuc, ſiue vltrà.* Concipe igitur mille milliones annorum; patientur inferi adhuc & vltrà; quia reſtabit adhuc tota æternitas. Cogita totum Oceanum inferis exhauriendum & quidquid aquarum eſt in mundo, ita tamen, vt poſt ſingulos mille annos vnicam duntaxat guttam auferant; quantum iſtud temporis ſpatium erit? Sed nihil reſpectu æternitatis eſt; quia patientur adhuc vltrà. Cogita omnes arenulas, quotquot ſunt ad littora maris & in toto mundo, inferis aſportandas & in mare proiiciendas, ita tamen vt ſingulis mille annis vnicam arenam tollant; quis hoc comprehendere ſpatium queat? ſed nihil iſtud eſt: patientur adhuc vltrà. Cogita ad firmamentum vſque (quod à terrâ diſtat 80. millionibus milliarium & medio) inferis aſcendendum, ita tamen vt ſingulis mille annis vnum paſſum, non plures, facere debeant; quantum inſument tempus? ſed nihil hoc: patientur adhuc vltrà. Si bis mille annis viueres, & quotidie in altum directè aſcenderes ad centum milliaria, ac continuò quidem: poſt bis mille annos nondum peruenires ad concauum firmamenti; quia conficeres primùm 73. milliones. Quando igitur illuc peruenturus

rus eſſes, ſi non quotidie centum milliaria, ſed ſingulis mille annis vnum facere paſſum deberes? Et tamen nihil hoc ad æternitatem; quia plus vltrà ſe extendit. Ineffabilem lætitiam inferis nunciares, ſi diceres vel poſt dictum illud itineris ſpatium, cœlum ipſis reſerandum. Sed heu neque hoc ſperare poſſunt. O æternitas, quàm longa eſt! Sed iam demonſtremus, eam quodammodò ſeipsâ adhuc longiorem eſſe, ex eius proprietatibus.

C. II. Totius æternitatis pondus ſimul incumbit damnatis

Secvndò, ergo illius carceris miſeria eſt, quòd immani ſaxo claudatur & quodammodò prematur. Saxum verò hoc nil aliud eſt, quàm immenſum illud pondus totius æternitatis, quod ſuſtinent damnati: dum ſimul patiuntur totum id, quod in æternum patientur. Æternitas enim vti bonum, quod affecerit, infinitè melius efficit: ita etiam malum: primò ratione durationis, quia tribuit ei infinitam durationem; adeóque infinitum eſſe, ac per conſequens infinitè melius vel peius eſſe. Quis enim neſcit voluptatem vnius anni pluris æſtimari, voluptate vnius horæ? vſtionem vnius anni acriùs ſentiri, vſtione vnius horæ? Secundò ratione collectionis illius boni vel mali; quia æternitas colligit totum id bonum vel malum in vnum, & ſimul percipi ac guſtari facit; velut ſi omnes cupediæ & deliciæ lauti conuiuij ſimul vno bolo vel hauſtu ſorberentur; vt docet Leſſius *l. 4. de perf. diu. c. 3.* Atque hoc eſt *talentum* illud *plumbi*, ſeu, vt eſt in Hebræo, *lapis plumbi*, quò occluſa fuit amphora, in quam proiecta prius mulier erat deſignans impietatem, *Zach. 5.* Amphora namque illa infernum: impia mulier damnatos: talentum verò plumbi amphoræ os claudens, pondus æternitatis denotat, quo opprimuntur inferi & vndique clauduntur, vt manifeſtè videant nullum ſibi patere exitum per omnem æternitatem. Adumbrarunt hoc idem gentiles apud Virgil. *l. 6. Æneid.* in quorundam ſceleratorum ad inferos damnatorum ſupplicio, quo imminens ſibi ſaxum, omni momento caſurum ſuper ſe metuebant:

Hi quibus atra ſilex iamiam lapſura, cadenti
Imminet aſsimilis, &c.

Quid enim iſta rupes imminens damnatis ac quodammodò iam incumbens, niſi totius æternitatis immenſa duratio ſemper animo apprehenſa, ſemper premens cogitationem, ita vt tolerari ac ſentire debeat omni momento, quod infinitis retrò ſæculis tolerandum ac ſentiendum eſt? Et ſi timor ſupplicij magis plerumque affligit animum, quàm ſupplicium ipſum (vnde quidam dixit: *Prior eſt bello timor ipſe belli;*) quid erit obſecro, omni momento deguſtare pœnas per omnem æternitatem ſuſtinendas? quid expectare ſemper alias & alias?

D. III. Perpetuã tormentorum continuationem habet ſine interruptione.

Tertia, illius carceris æterni calamitas eſt, quòd omni aurâ aëriſque ventilatione ſubinde aſpirante careat. Hæc autem in inferno eſt perpetua tormentorum continuatio, ſine omni eorum interpolatione aut miſerorum reſpiratione; vti teſtatur S. Joannes *Apoc. 14.* dicens *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt beſtiam.* Cùm fumus magnâ vi in ſublimem effertur aërem, ſignum eſt valdè æſtuantis incendij: quia igitur, teſte Ioanne, fumus à tartareo igne ſemper aſcendet in ſæcula ſæculorum; hinc facilè credi poteſt, quod ſubiungit: *nec habent requiem die ac nocte.* Qui ſub torridâ zonâ degunt, interdiu quidem vruntur maximis ſolis ardoribus, noctu tamen refrigerantur eiuſdem abſentiâ. Qui morborum vi premuntur, ſubinde habent interualla, quibus remittit dolor. Qui in carceribus torquentur, quandoque à tormentis liberi ſunt & cibo ac ſomno refocillantur. At qui in gehennæ carcere ſunt, nullam vnquam requiem, nullum refrigerium, nullum leuamen habent in ſæcula ſæculorum. Quidquid apud inferos eſt, æternum eſt, quemadmodum & ipſi æterni & immortales erunt: carcer æternus, vermis conſcientiam rodens æternus, ignis æternus, ſententia Iudicis vltima, illum ſuccedens, æterna & immutabilis; de quâ Iſaias c. 30. ait: *Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam* (Tophet ſeu gehennam.) Sicut ergò ventus excitat atque exſtimulat perpetuum Æthnæ incendium: ita ſententia & decretum damnationis ſine omni ceſſatione ſuccendet ignem inferni, non ſecus ac ſi torrentem ſulphuris continuum ac perennem exſpueret in illum. Quid, quæſo, magis horrendum concipi mente poteſt? Quàm moleſta eſt febricitanti ſitis & paulò diuturnior abſtinentia à frigidâ? quàm moleſta alijs perpetua vigilia & ſomni fuga? alijs continua dolorum intenſio? Audiui ſæpè dicentes ægros: ô ſi vel ſemel ad libitum ſedare ſitim meam poſſem! ſi vel vnâ nocte dormire! ſi vel ad horam ab his doloribus liberari! quid non expenderem? quid non libenter poſteà ſuſtinerem? mori non abnuerem. Et quantulum eſt hoc ad paucos aliquot dies cruciari ſiti, inſomnijs, doloribus? Neque enim hæc diu in hac vitâ continuari poſſunt. Quàm moleſtus eſt nobis ſæpè calor æſtiuus! vt languemus? vt anhelamus! vt tabeſcimus! Veſtes exuimus, lecti operimentum excutimus, huc illuc nos vertimus ac reuertimus, quia vrit lectus. Sed reperimus tamen ſubinde ſpatium aliquod lecti ſubfrigidum; reperimus vmbras, in quibus requieſcimus; flat quandoque aura lenis, quæ refrigerat anhelos. Sed nihil horum ſperari poteſt in incendio gehennæ. Non ibi aura ſuauis, non frigidulus veſper, non ros matutinus, non vmbræ vel tantillum ſpatium. Bene hoc agnouit Dauid, qui *Pſalm. 76.* ait: *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt: vox tonitrui tui in rotâ.* Fames, ſitis, ærumnæ, morbi, mors, aduerſa denique omnia, quæ in hoc ſæculo nos premunt, Dei ſagittæ ſunt, ſed alatæ ſunt & tranſuolant ab vno ad alterum: at verò vox tonantis Iudicis rotam æternitatis, quâ torquentur inferi, perpetuò circumaget, non ſecus ac ſi puluere tormentario inconſumptili ſtipata foret. Ea ſemper gyrabitur, nunquam interquieſcet, quia vox illa Iudicis perpetuò tonabit, eamque circumaget.

Qvar-

QVARTA, Illius carceris miſeria eſt, lucis omnis abſentia; hoc eſt, vita tædio, faſtidio & horrore pleniſſimâ, quæ idcircò æternitatem illam magis adhuc quodammodò extendit, facitque vt ibi ſpatium horæ correſpondens longius eſſe damnatis videatur, quàm hìc multi dies aut hebdomades. Fatentur paſſim ægri, qui per hyemem totâ nocte inſomnes iacent, vnam noctem videri ſibi inſtar trium; numerant omnes horę quadrantes, quos integris horis longiores exiſtimant. Idem experiuntur cęci, & qui in diuturnis tenebris ſedent; adeò amicum lumen eſt, vt tempus omne corripiat: adeò odioſæ tenebræ, vt tempus omne producant & decuplo longiùs faciant. Ratio, quia in luce peregrinantur quodammodò oculi, & vnà cum ipſis mens de vno obiecto in aliud: & ita noua ſemper & noua cum ſummâ delectatione vident: at in tenebris hæret animus eodem ferè in obiecto ſemper, aut in nullo prorſus, quia nihil incurrit in oculos; inde vitæ tædium. Hinc Pſalmiſtâ teſtante, Pſalm. 89. *Mille anni ante oculos Dei, tanquam dies heſterna, quæ præterit.* q. d. Qui nobis in hac vitâ ſunt mille anni, ij Deo & Beatis in cœlo ſunt quaſi vna dies; adeò iucundè tranſiguntur. Confirmat eam rem Speculum Exemplorum *diſt. 9. c. 65.* mirâ quâdam & incredibili hiſtoriâ, quam tamen P. Franciſcus Coſterus veram ſe comperiſſe aſſerit, vt quæ reuerà in Monaſterio Affligimenſi Ordinis ſancti Benedicti, quod in Belgio ſitum eſt inter Bruxellas & Aloſtum: ſicut refert Corn. à Lap. *Iac. cap. 3.* Eam verò ſic refert Auctor Speculi. *Legitur in Libro Exemplorum; quòd fuit quidam Monachus, qui legens in Matutinis cum aliis Fratribus: Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præterit, miratus eſt nimis, quomodo illud eſſet poßibile. Erat enim ſanctus & deuotus valdè. Poſt Matutinas ergò manſit in Choro in ſuâ deuotione vt conſueuerat, & petiuit ſibi illum verſum reuelari à Deo, & incepit diſcere, & cùm ſtaret, auis pulcherrima ante oculos eius volauit & auolauit. Sequebatur eam, quia totus fuit intentus ad viſionem eius. Tandem volauit extra eccleſiam, tamen ſemper prope ipſum vt poſſet videri, & ita prope, vt poſſet apprehendi. Tandem deduxit eum extra clauſtrum, & vlteriùs deduxit eum ad vnum nemus, quod fuit ante clauſtrum, magnum & ſpatioſum valdè. Et ibi Monachum illum detinebat per dulcem melodiam per trecentos annos nunc auolando, nunc appropinquando, quouſque omnes Monachi dicti monaſterij eſſent defuncti. Et præ dulcedine cantûs dicta auis non eſuriuit, nec ſitiuit, nec comedit, nec bibit: poſtea auis auolans Monachum dimiſit. Statim Monachus ad ſe reuerſus Monaſterium ſuum petiit, quia propè erat, putans ſe eâdem nocte poſt Matutinas receßiſſe. Iam erat hora tertia vt ſibi videbatur, & ſe petiuit intromitti. Dixit portarius, quis eſſet? Qui dixit: Sum Sacriſta iſtius Monaſterij qui poſt matutinas egreſſus ſum. Portarius putans eum delirum, non cognouit eum omnino, tamen requiſiuit ab eo nomina fratrum, ſcilicet Abbatis, Prioris, & cellarij. Recitauit ergo nomina eorum qui erãt temporibus ſuis, & portario omnino incogniti erant. Et admirans Monachus, quòd non intromitteret eum, & ſimularet ſe neſcire nomina fratrum, petiuit vt duceſet eum ad Abbatem. Ductus autem ad Abbatem, nec ipſe cognouit Abbatem, nec Abbas è conuerſo eum. Et inquiſiuit Abbatem de prædeceſſore ſuo, & ſic inuentum fuit, quod Abbas ille, cum alijs quos nominauit, ante trecentos annos eſſet defunctus. Tunc oſtendit Abbati & omnibus fratribus quod Deus ſecum operatus eſt per tot annos in eremo per auem & illum verſiculum: Mille anni, &c. & de gaudio paradiſi, & tunc ipſum in Fratrem receperũt, qui ſtatim ſumptis Sacramentis Eccleſiaſticis dulciter obdormiuit in Domino, & ad gaudia vitæ æternæ peruenit.* Non difficillimè aſſentiri huic ſententiæ debemus. Si enim iucundos agimus dies, cùm conuiuiis interſumus, cùm ſpectaculis, ludis & iocis vacamus, tempus nobis imminui & breuiſſimum fieri querimur: quomodo hoc non multò magis in cœlo Beatis? Iam ergò à contrario quomodo non in tartaro productior fiet æternitas ob perpetuas tenebras, fœtores, horrores, dolores? Credo ſanè quod ſcribit Theodidactus ille Thomas à Kempis lib. 1. de Imit. Chriſti cap. 4. *Ibi erit vna hora grauior in pœnâ, quàm hìc centum anni in amariſſimâ pœnitentiâ.* Non erunt quidem inferi omni modo cæci aut tenebris inuoluti; ſed videbunt circa ſe obiecta aliqua; non alia tamen, niſi quæ horrorem aut terrorem, tædium & nauſeam ingerere ipſis poſſunt: vti ſuos amicos & propinquos, ſocios ſcelerum & pœnarum, terribilia dæmonum ſpectra, vermes, ignem & ſulphur. Et quæ illis afflictio erit, perpetuò iſta cernere & coram ſe habere? Quòd ſi Hæbræi dulciſſimi illius mannæ nauſeam ceperunt, conquerentes: *Anima noſtra arida eſt* (q. d. *nauſeat*, vt aiunt Num. 21.) *nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi man;* Num. 11. Quæ nauſea, quod faſtidium occupabit inferos, qui circa ſe non ſelectum & cœleſtem cibum, ſed meros dracones, bufones, ſerpentes, dæmonum laruas, charorum ſuorum pœnas cernent? Hebræi illius mannæ faſtidium ſecundo ſtatim anno ceperunt, vt oſtendit Cornelius à Lapide *Num. 11. verſ.* Quis ergò explicabit nauſeam, quam poſt multas annorum myriades de ſuis illis miſeriis capient damnati? Quam illi, vt ſic dicam, numerabunt horas, minuta, momenta horarum! quantopere conquerentur de morâ æternitatis, quòd non fluat inſtar temporis, ſed perpetuò ſtet & moram trahat, inſtar rupis, quæ nullis moueri viribus poteſt?

QVINTA. Huius carceris moleſtia eſt, quòd ſubterraneus ſit, ab omni hominum viuentium conſpectu remotiſſimus, deſolatiſſimus, deſertiſſimus; vt potè in intimis terræ viſceribus, vbi perpetuâ obliuione ſepulti à nemine audiri, licet immenſis clamoribus aliorum opem implorent, vel iuuari poſſunt inferi. Quæ ſanè noua & ingens æterni illius carceris miſeria eſt. Quis enim neſcit ſolatium aliquod miſeris eſſe, cùm vident ſuas miſerias aliis conſtare, ſuas lachrymas & lamenta audiri? Hinc enim afflicti nonnihil ſe ſubleuari putant, cùm ſuas afflictiones conqueruntur aliis. At cùm quis hoc non poteſt, aggrauari ſibi afflictionem ſupra modum ſentit. Apud Perſas extitiſſe ferunt carcerem, cui *Lethe*, ſeu *obliuio*, nomen; quòd ibi-

CONCIO VIII.

Documenta.

Ex hoc Euangelio apparet.

1. *Quanta ſit Dei bonitas & clementia.*
2. *Quanta vis humilitatis & confeſsionis.*
3. *Aliud eſſe culpam, aliud pœnam.*
4. 5. *Mira hominum inconſtantia; ferocia & crudelitas erga alios.*
6. *Quanti interſit remittere iniurias.*

THEMA.

Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, &c. Matth. 18.

A. DIcite, Auditores; ſi quis Rex bello nos impetiturus, præmoneret non ſolùm de futuro aduentu ſuo, verùm etiam deſcriberet nobis arma, quibus nos oppugnaret: indicaret etiam artem bellandi & modos, quibus ei reſiſtere omneſque eius conatus eludere aut elidere poſſemus; quis iſtum Regem non amicum potiùs quàm hoſtem appellaret? Atquî hodiernum Euangelium manifeſtè nobis oſtendit, ita nobiſcum Deum agere. Nam aſſerit inprimis venturum aliquando Regem cœli & terræ, & poſiturum rationes cum ſeruis ſuis, adeoque etiam nobiſcum: & quaſi in prælium deſcenſurum, prout olim etiam prædixerat per Ioëlem. *c.* 3. *In tempore illo cùm conuertero captiuitatem Iuda & Ieruſalem* (id eſt, cùm in fine mundi conuertero Iudæos ad Chriſtianiſmum) *congregabo omnes gentes & deducam eas in vallē Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi.* Hebr. *iudicio contendam cum eis.* Deinde monſtrat arma, quibus nos impugnare vult, duritiam & immiſericordiam noſtram, vindictæ appetitum & crudelitatem, quam exercuimus erga proximum: *Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, niſi remiſeritis vnuſquiſq; fratri ſuo.* Denique mōſtrat artem ſeſe defendendi & iram Dei exarmandi, nempe miſericordiam & iniuriarum remiſſionem; non obſcurè iudicans, quâ clementiâ nos tractauerimus inimicos noſtros, eâdem nos aliquando tractandos eſſe ab ipſo. Fatendum igitur eſt, quod alibi docuit Dominus, non eſſe voluntatem Dei, vt pereat vnus homo, quantum videlicet in ipſo eſt, *Matth.* 18. Et quod per Ezechielem dixit: *Nolo mortem morientis: reuertimini & viuite, Ezech.* 18. Quod vt penitiùs inſpiciamus, intremus penetralia hodierni Euangelij, indeque depromamus, quæ ad noſtram doctrinam faciunt.

B. I. Magna Dei bonitas & clementia.

Videte, quæſo, PRIMÒ, quanta ſit Dei bonitas & clementia; qui ſeruo, non roganti niſi dilationem, remittit omne debitum & tam grande quidem. *Quantus amor!* inquit Chryſoſtomus; *plus dat, quàm petitur.* Hanc ergo liberalitatem & clementiam imitari decet diuites & potentes, præſertim erga egenos & miſeros, etiam inimicos. Nam vt ait Iulius Cæſar epiſt. ad Oppium *lib.* 9. ad Atticum: *Hæc noua eſt vincendi ratio, vt munias te miſericordiâ & liberalitate.* Nec dixit ſolùm, ſed & fecit; nam Bruto & alijs, qui contra ſe Pompeij partes fouerant, ignouit; detectas etiam contra ſe coniurationes non aliâ ratione arguit, quàm vt edicto oſtenderet ſibi eſſe notas. Alexandro Seuero Mammea mater & Memmia vxor nimiam regnandi clementiam improperabant, dicentes: *Molliorem tibi poteſtatem & contemptibiliorem feciſti.* Quibus ille: *ſed ſecuriorem & diuturniorem.* Refert Spartianus. Præclara & vel Chriſtiano in homine laudanda vox. Idipſum enim tradidit Salomon *Prouerb.* 20. cùm ait: *Roboratur clementiâ thronus eius.* (Regis ſcilicet.) Præclariſſimè & verè Chriſtianē ſanxit Carolus Magnus, vt omnes domini clementer tractarent ſubditos *Scientes*, inquit, *fratres ſuos eſſe, & vnum ſecum habere Dominum ad quem clament omnes Pater noſter qui es in cælis.* In capitularibus Caroli Magni *lib.* 2. *cap.* 39. Non diſſimiliter Rudolphus Imperator de ſuâ clementiâ interpellatus reſpondit: *Seuerum & immitem fuiſſe me aliquando pœnitui, lenem & placabilem nunquam.* Æneas Syluius *lib.* 2. *de eius geſtis.* Nihilo his inferior Alphonſus Aragonum Rex, qui ob nimiam redargutus clementiam, etiam erga eos, qui ipſum offendiſſent: *Malo,* inquit, *multas meâ clementiâ & manſuetudine ſeruare, quàm paucos meâ ſeueritate perdere*; Cumque in obſidione Caietæ ſuſceptis impuberibus, ſenibus, omnique ſexu bellis inutili, quos Caietani ob annonæ penuriam ciuitate expulerant, quidam ei dixiſſet: *Si tu hos non admiſiſſes, Caietani paucis poſt diebus ſe dediſſent*; Reſpondit optimus Rex: *Pluris ſe facere eorum vitas, quàm centum Caietas*: ideoque vrbem quam quadraginta fermè millium conatu capere requiuiſſet, poſteà ſolutâ obſidione, ſine vi, ſine armis, in deditionem redegit: refert Panorm. de rebus ab eo geſtis. A magnatibus iſtis diſcant inferiores domini.

C. II. Magna vis humilitatis & confeſſionis.

Videte SECVNDÒ, quanta ſit vis humilitatis & confeſſionis. Procidit enim ſeruus & paucis verbis orat, moxque flectit iratum Dominum, reuocatque eius decretum & ſupplicium in ſe latum; impetrat præterea totius debiti remiſſionem: Mira quidem vis abiectionis colligitur ex eo; quòd ſæui etiam leones parcere proſtratis ſoleant, in viros potiùs quàm in fœminas fremant, in infantes non niſi magnâ fame, teſte Plinio *lib.* 8. *cap.* 16. Sed eadem longè magis hinc elucet, quòd etiam iratum Deum & ad ſupplicia iam armatum exarmare queat, atque ex ſeueriſſimo beneuolentiſſimum reddere; quod etiam alijs in locis teſtantur SS. literæ, vti Eccleſiaſticus *cap.* 35. *Oratio humiliantis ſe penetrat nubes: & donec propinquet, non conſolabitur; & non diſcedet, donec altiſſimus aſpiciat.* Iudith quoque *cap.* 9. *Humilium & manſuetorum,* inquit, *ſemper tibi placuit deprecatio.* Scimus hac induſtriâ Gabaonitas obtinuiſſe gratiam & pacem à Ioſue, (delendos alioquin;) humiliando nimirum ſe coram illo & paratos ſe offerendo ad omnia, *Ioſ.* 9. Eâdem ratione exarmabimus iram Dei, ſi coram eo nos humiliemus, & paratos ad mandata eius ſeruanda exhibeamus. Quamobrem D. Auguſtinus *ſent.* 110. ait: *Melior eſt in malis humilis cō-*

feſſio, quàm in bonis ſuperba gloriatio. In parabolâ talentorum legimus quidem ſeruum illum, qui abſconderat talentum ſuum, dure à Domino acceptum, nec obtinuiſſe veniam; quia nimirum arroganter & ſuperbè ſeipſum juſtificando & Deum accuſando agere viſus eſt; at iſte quia ſe in terram abjecit & gratiam implorauit, eam mox inuenit. Vnde rectè ait Salmeron hoc loco: *Præſtare vel omnia peccata mundi habere cum humilitate & confeſſione errores, quàm vnum cum ſuperbiâ & cordis duritia.* Quanquam eâ etiam de cauſâ ſeruus ille durum, hic verò mitem reperit Dominum; quia hic in tempore negotiandi & præſenti vitâ, alter verò in die judicij veniſſe intelligendus eſt. Itaque vir humilis eſt quaſi vas inane & vacuum, diuini illius liquoris, gratiæ, capax: ſuperbus eſt quaſi vas repletum, adeoque gratiæ incapax; ille velut vallis, in quam defluit humor cœleſtis: hic velut mons, à quo fugit humor ille.

D. III. Aliud eſt culpa, aliud pœna.

Videte TERTIÒ, aliud eſſe culpam, aliud verò pœnam; ait enim ſacer textus: *Miſertus autem dominus ſerui eius dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Dimiſſio ſerui culpam, per quam dæmonis ſeruituti ſeſe mancipârat; dimiſſio debiti pœnam ipſi relaxatam notat. Non ergò neceſſariò hæc duo ſe comitantur, ſed poteſt remitti culpa abſque remiſſione pœnæ; vti contigit latroni bono, qui poſtquam juſtificatus & in gratiam receptus fuit, pati adhuc in cruce & nouum quidem dolorem, crurifragij debuit, quo reliquum pœnæ ſolueret, futurus eo ipſo die cum Chriſto in paradiſo gloriæ cœleſtis: contigit Moyſi & Aaroni, qui dimiſſi ſibi peccata morte prematurâ luere debuerunt, ab ingreſſu terræ S. excluſi: contigit Dauidi, qui poſt remiſſum adulterium mortem filij aliaſq; graues calamitates in pœnâ illius pati coactus eſt: contigit Heli Sacerdoti, qui (vt probabilius, à peccato nimiæ filiorũ indulgentiæ reſipuit:) ſuſtinere tamen filiorum cædem & ſuam repentinam ac violentam mortem debuit in peccati pœnam: contigit Ieroſolymæ à peccato reſipiſcenti, quæ tamen excidio damnata ait: *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei Mich.* 7. Eſt enim duplex ira Dei; alia tendit in perſonam peccato iniquinatam, alia in eius debita pœnarum contracta. Prior ira tollitur, cùm tollitur peccatum per pœnitentiam: poſterior non item, niſi aliqua ſatisfactio pro peccato exſoluatur. Itaque dimiſſo peccato, non quidem manet Deus inimicus perſonæ: manet tamen inimicus offenſæ, quoad pœnâ aliquâ luatur; quo modo Dauid reuocauit quidem Abſalonem ab exilio in ciuitatem, dimiſſo ſcelere eius: in pœnam tamen illius, non admiſit eum in conſpectum ſuum, 2. *Reg.* 14. Propterea etiam ipſe iam in gratiam receptus, adhuc de peccato ſuo ſolicitus orat: *Amplius laua me ab iniuſtitia mea, Pſalm.* 50. d.q. lauiſti me à culpâ, laua etiam à pœnâ. Fieri tamen poteſt, vt contritio & pœnitentia fit tam intenſa & ſeria, vt impetret pœnitenti, quemadmodum huic ſeruo, remiſſionem culpæ & pœnæ; cujuſmodi exemplum recenſet Thomas Cantipratenſis *lib.* 2. de vniuerſo *cap.* 51. *p.* 7. his verbis: *Quod noſtro tempore in Gallia partibus accidit fideliſſimâ relatione traditum non ſilebo. Ad illum venerabilem virum Magiſtrum Petrum de Corbeil Senonenſem Archiepiſcopum, quidam peccator, qui propriam filiam violenter oppreſſerat, confeſſionis gratiâ venit: cõfeſſus igitur in maxima & mirabili contritione & lachrymis, quæſiuit ſi vnquam poſſet vllo dolore vel pœnâ à Domino veniam impetrare. Cui Præſul: Ita, inquit, indubitanter, ſi tanti mali pœnitentiam ſubire volueris: at ille vehementer exclamans, Volo, inquit, etiamſi mille mortes me ſuſtinere volueris. Collachrymatus ergò infelici, imò iam infeliciſſimo peccatori: Et ego, inquit, ſeptenniũ tãtùm tibi pœnitentia pœnã impono. Tunc ille: Quid eſt, ait, quòd pœnitentiam mihi flagitioſiſſimo ſeptennem tantùm iniungis, qui ſi viuerem vſque ad finem mundi, tantum facinus pœnis innumerabilibus diluere non valerem! Cui præſul: Vade, inquit, & tres dies tantùm in pane & aqua ieiuna. Tum ampliùs ille plorans & contundens ſe, rogabat vt pœnitentiam iniungeret ſalutarem. Supra modum ergò admiratus, & exhilaratus Antiſtes, tandem definitiuè præcepit homini, vt abiret, & vnum tantùm Pater noſter diceret, ſciretq́ pro certo peccatum ſibi eſſe remiſſum. Nec mora: dirum ille emittens eiulatum, & in terram procidens expirauit. Nec dubia fides, ſicut DEO dignus Epiſcopus poſtea prædicauit, quin idem pœnitens ſine vllâ aliâ purgatorij pœnâ, validiſſimâ tantùm contritione purgatus ad gloriam euolauerit.*

E. IV. Mira hominũ inconſtãtia & mutabilitas.

Videte QVARTÒ mirum hominum inſtabilitatem, in ſeruo illo nequam, qui dum adhuc grandi ære obſtrictus erat humilis & patiens erat, procidens ante creditorem ſuum, debitoris verò ſui immemor, quia non tam conſiderabat exiguum, quod ſibi debebatur, quàm grande illud æs, quod debebat ipſe. At quàm primùm condonato ſibi debito liber fuit, illicò inſoleſcere & in debitorum ſuum ſuperbo inſanire ſupercilio eumque ſuffocare cœpit. Cùm debitis premeretur, ingreditur ad Regem ſuum humilis, patiens, mitis: mutato autem fortunæ vento, mox egreditur à Rege ſuperbus, arrogans, crudelis: nec jam meminit prioris ſuæ miſeriæ, ſed incumbit totus in opprimendo proximo & repetendo debito ſuo. Duplex genus tempeſtatis imminet nauigantibus, vnum ex ventis contrarijs, alterum è ſecundis & proſperis, ſed immoderatis; & hoc, priore illo, periculoſius eſſe aiunt; quia nimiâ ventorum vi abrepta nauis facilè aut in profundum ferri, aut in ſcopulos allidi, aut in arenam ejici poteſt. Vtriuſque euitando periculo anchoræ neceſſariæ ſunt, quæ in terram fixæ vel rupi adhærentes nauem ſiſtant. Pari modo homines duplici fortunæ obnoxij ſunt, proſperæ & aduerſæ. Hæc multos quidem mergit, vt v. g. propter paupertatem grandia contrahant debita cum ſeruo hodierno, vt furentur, mentiantur, latrocinentur; vt propter rigorem vitæ deficiant à fide vel religione, &c. Verùm proſpera illa longè plures mergit, dum vel in ſuperbiam euehit, vel in contemptum proxi-

proximorum, in voluptates ſæculi crudelitatem & tyrannidem, &c. *Quis ſanctior Dauid?* inquit ſanctus Gregorius in Pſal. 50. *qui cùm Saulis perſecutionibus vrgeretur, non ſolùm inimicum perſequentem occidere noluit, ſed cùm poſſet liberè occidere, liberè pepercit; tanto enim firmius in Dei miſericordiam, ſpem ſuam fixerat, quanto miſerabiliùs infirmitatem ſuæ tribulationis ſentiebat: verùm vbi demùm hoſtibus, preſſuris caruit, homicidium adulterio incautè ſecurus adiecit; & qui malis antè nouerat piè parcere, in bonorum quoque nece pòſt didicit ſine obſtaculo retractionis anhelare: priùs ferire deprehenſum perſecutorem noluit, & poſt cum damno deſudantis exercitus, etiam deuotum militem extinxit.* Ita Gregorius. Reperiuntur gemmæ, quæ de nocte magis, quàm de die ſplendent. Nox aduerſitatem, dies proſperitatem denotat, vt aduertit idem Gregorius *lib. 4. Moral. cap. 17.* Hac ergò ratione multi in aduerſitate fulgent, quos in proſperitate videmus obſcurari. Vnde edoctus Dauid lapſu ſuo, deinceps diem proſperitatis ſuſpectum habere cœpit: Ait enim Pſal. 55. *Ab altitudine diei timebo*, id eſt, cùm fortuna ſuo ſplendore nimium fauet. Itaque duplex anchora Chriſtiano neceſſaria: vna ſpei, tempore aduerſitatis; altera timoris; illa in cœlo, hæc in terrâ & in conſideratione propriæ miſeriæ figenda. Apes cùm præſentiunt ventum validum, lapillo arrepto ſeſe prægrauant, ne à turbine abripiantur, vt ſcribit Ælianus 1. *de hiſtoriâ animalium cap. 12.* & diuus Ambroſius *lib. 4. de virginit.* Hunc in modum cùm Eurus proſperitatis vehementiùs inualuerit, vide, vt te armes timore, ac deprimas teipſum conſideratione vilitatis & fragilitatis tuæ. Hoc quia non fecit ſeruus iſte, hinc tam repentè vento proſperitatis abreptus in ſupercilium, tam durè tractauit conſeruum; quod acutè indicat parabola, dum ait: *Egreſſus autem ſeruus ille.* Egreſſus enim à ſui ipſius cognitione, (in quâ priùs demiſsè de ſe ſentiens, bene habebat, & omne bonum ſibi comparauerat) in ſui obliuionem, iram & indignationem Domini incurrit, & perdidit quidquid priùs acceperat.

I. V. Hominũ ferocia & crudelitas erga homines.

Videte QVARTÒ hominum crudelitatem & ferociam erga ſui ſimiles. Egreſſus enim ſeruus improbus à conſpectu domini & recenti beneficio, inuenit debitorem, & ſtatim canis aut lupi inſtar illum in gutture inuadit, tenet ac ſuffocat, repetens debitum, licet valde exiguum; atque hic non extraneus aliquis, ſed conſeruus erat: ſupplicabat etiam creditori eâdem remiſſione & verborum formulâ, quâ ille veniam obtinuerat; adhæc dilationem ſolùm, non remiſſionem debiti flagitabat; nec tamen his omnibus mitigari ferox ille canis potuit, ſed ferocior effectus miſit eum in carcerem. Miratur hoc S. Chryſoſtomus hom. 62. *in cap. 18. Matth.* *Ne verba quidem ipſa veritus eſt ſeruus*, inquit, *quibus ſalutem acquiſiuit. His enim ipſe verbis: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi; decem millium talentorũ debitum euitauit. Ita ne portum quidem cognouit, quo tutatus à naufragio euaſit, nec modus ipſe ſupplicationũ ad miſericordiæ Domini memoriam eum reduxit.* Porrò huius vnius exemplo voluit nobis Dominus exprobrare ferociam & immanitatem multorum hominum, qui humanitatem omnem exuentes, luporum & canum, imò leonum ſæuitiam induunt atque exſerunt erga fratres ſuos. Plautus dixit: *hominem homini lupum*: alius, etiam *dæmonem* eſſe. Sed parum dixiſſe videntur. Lupus enim menſe ſolùm Februario homini metuendus eſt, dæmon ſigno crucis pelli poteſt: at hominum ferocia nullo tempore circumſcribitur, nullis penè euitari machinis poteſt. Vnde enim in vrbibus mœnia, portæ penſiles & cancelli ex acuminatis ferro trabibus, pomeria, valla, munitiones, foſſæ, excubiæ, niſi ad coërcendam hominum ferociam? Beſtiæ cùm inuadere hominem volunt, priùs eum ſigno admonent; canes etiam cùm ſubdolè morſum intentant, caudam priùs demittunt: at homo in hominem ſæpe ſpecie amicitiæ & improuisò irruit. Rurſum beſtiæ, quando ab hominibus incitantur, ferociores ſunt, quàm cùm proprio motu ſæuiunt; quod argumento eſt, maiorem eſſe hominum, quàm illarum ferocitatem. Nulla etiam fera in propriam ſpeciem ſæuit, niſi extremâ fame: ſæuiunt autem homines etiam in conſanguineos, nullâ neceſſitate, ſolâ ſæpe nocendi libidine. Verùm quàm hæc immanitas offendat Dominum Deum, ex hodierno Euangelio poſſumus colligere, vbi rex auditâ ſerui ſui tyrannide, reuocauit eum: & poſtquam dirè exprobrauit ei collatam gratiam, *iratus tradidit eum tortoribus*, donec redderet ingens debitum, quod iam dimiſſum ei fuerat. Mira res! proprias iniurias liberaliſſimè remittit Deus: hominum iniurias grauiſſimè vlciſcitur. Vnde hîc exclamat D. Chryſoſtomus hom. 27. in Gen: *Magna & ineffabilis Dei miſericordia: cùm in ſe quidem peccatum eſt, ad nudas tantùm preces totum remittit; cùm autem in conſeruum videt crudelem & inhumanum, ſuam renocat libertatem, monſtrans illi reipsâ, quòd non tam illum quàm ſeipſum offendiſſet.* Videtur ergò Deus grauiùs ferre iniurias in proximum commiſſas, quàm ſuas; quod etiam in ſupplicio Adami & Caini colligi poteſt. Peccauit Adam in Deum, & tamen non idcircò ipſe maledicitur, ſed *terra in opere* eius. Peccauit Cain in fratrem, & dicitur ei: *Maledictus eris ſuper terram.* Vnde iſtum ne terra quidem voluit ſuſtinere, vndequaque profugum: illum verò ſolus expulit paradiſus. Quare *Chryſoſtomus *hom. 19. in Gen.* hoc expendens ait: *Quanto maius peccatum hoc* (Caini) *præuaricatione protoplaſti, ex maledictionis varietate ſcire volenti licet.* Quia etiam audiuimus huius improbè conſeruos contriſtatos eſſe de ſæuitiâ illius & retuliſſe factum hero ſuo, inde nos docemur parem commiſerationem exhibere iis, qui iniuſtè opprimuntur. Non enim dubito euenturum, quod Græcorum Sapiens Solon dixit: *ſi ob iniuriam æquè triſtarentur, qui non affecti, quàm qui affecti ſunt, minimũ iniuriarum fieret.*

G. VI. Remittendæ neceſſariò iniuriæ.

Videte SEXTÒ, quanti interſit remittere iniurias. Niſi enim id præceptum eſſet & quidem ſub letali peccato, nequaquam rex iratus ſeruo fuiſſet, nec appellaſſet eum *nequam*, nec duritiem ei exprobraſſet, nec debitum ei replicâſſet, nec in carcerem miſiſſet, nec tortoribus tradidiſſet. Omnia hæc oſtendunt non eſſe bonum, ſed malum & nequam hominem, qui iniurias non remittit, adeoque gehennâ dignum. Vnde Chryſoſtomus loco citato. *Verè*, inquit, *hic videre licet, quantum malorum ſit, iniuriarū reminiſci, quoniam cùm decē millia talenta conſumpſiſſet, non vocauit eum malum; ſed nunc quia conſeruo crudelis fuit: male ſerue, inquit*, E-contra ſignum hominis boni, imò & prædeſtinati eſt, prompto & hilari animo remittere iniurias. De primo habemus etiam teſtimonium Sancti Dionyſij epiſt. 8. ad Demophilum, vbi ſcribit: *Hebræorum tradit hiſtoria Moyſen eximiæ manſuetudinis merito diuina amicitia & familiaritate dignatum; at ſi quando ipſum diuino aſpectu excidiſſe commemorat, non id ei priuſquam à manſuetudine defecerit, contigiſſe deſcribit. Erat enim*, inquit, *manſuetus valde, atque ideò DEI famulus dicitur, &c.* Nec obſcurè indicat parabola, quàm dure acceptus eſt ſeruus immiſericors à Rege, tam ſuauiter & amicè fuiſſe accipiendum, ſi remiſiſſet alteri debitum. De ſecundo habemus teſtimonium D. Lucæ, qui *Act.* 7. teſtatur Beato Stephano oranti pro ſuis lapidatoribus cœlum patuiſſe, quaſi in certiſſimum indicium decretæ ipſi coronæ; quodque notandum eſt, in eiuſdem rei ſignificationem, vbi deſcripſit Stephanum orantem pro inimicis; immediatè ſubdit: *Et cùm hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino*: quaſi nihil magis hominem diſponat ad beatam requiem, quàm orare pro inimicis. Vnde Sanctus Auguſtinus hoc aduertens ait: *Ecce quid eſt requieſcere: pro inimicis orare.* ſerm. 2. de ſanc. & 237. de temp. Quare optare quiuis deberet, multos ſibi inimicos, vt haberet quibus remittere, & hoc ipſo ſuorum peccatorum veniam, cœlumque obtinere poſſet; quod hac ſimilitudine declarat Iſidorus orat. 53. in Matth. *Fingamus*, inquit, *liberaliſſimum quempiam Regem aut principem, qui multos habeat, qui ſibi plurimùm debeant, qui etiam, cupiens æs alienum, quod aliis deberetur, in tota ciuitate diſſolui, legem promulgaret, vt quicunque ſuis debitoribus remitterent, grauius exiguumue eſſet quod deberent, fore vt rex maxima quæque debita illis remitteret: quicunque verò neminem haberet qui ſibi deberet, oportere eum, quidquid deberet regi, ad teruncium perſoluere. In hac lege quiſquis debitorem nullum habuiſſet, & multa regi deberet, multo deteriore quàm cæteri eſſet conditione, optaretque aliquos habere, qui ſibi quidquam deberent. At hæc ipſa eſt lex cœleſtis patris, qui etiam cupiens habere occaſionem ignoſcendi, permittit offenſiones inter homines accidere, vt omnes, debitores aliquos habeamus quibus remittendum ſit, vt poßit ipſe, ita maxima nobis remittere debitaque illi debemus.*

CONCIO IX.

Myſteria.

Expenditur parabola hæc per partes: ac

1. 2. Quis ille Rex, quis ſeruus.

3. 4. Quomodo, remiſſione debiti impetratâ per humiliationem, confeſſionem & ſponſionem ſatiſfactionis, iterum incurrerit iram Domini ſui.

5. Quomodo mulctatus deferatur ad herum, vexetur à Domino &c.

THEMA.

Iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus. Matth. 18.

CVM proceſſus iudicialis & ſupplicium publicum de reo aliquo ſtatuitur, ſolet vndequaque populus accurrere, & funeſto huic ſpectaculo magnâ animi partim attentione, partim trepidatione aſſiſtere, omniaque, quæ dicuntur & aguntur, ſedulò obſeruare. Ac propterea leges ſtatuunt huiuſmodi tragœdias palam & in publico edi, vt inde alij eruditi vel caueant ſibi ab huiuſmodi ſceleribus, vel certè ſe emendent. Tunc enim ſolent dicere filijs parentes: Vidiſtis hodie, filij, quid actum ſit cum latrone iſto? ſpectaſtis eius carnificinam? audiſtis eius gemitus & preces? percepiſtis cantilenam, quam in ſeipſum dixit vltimis verbis, vos exhortans vt ne ipſum imitemini, ſed caue peius & angue flagitia fugientes, &c? Huiuſmodi tragœdiam exhibet nobis Chriſtus in Euangelio hodierno, ſeruum inquam crudelem & latroni non abſimilem, qui propterea quòd conſeruum deprecantem audire noluerit, imò & ſuffocârit atque in carcerem miſerit, traditus eſt tortoribus æternùm cruciandus. Eccur verò Dominus tragicum hoc ſpectaculum ob oculos nobis ponit, niſi vt nos abſterreat ab odio proximorum, quod ſeruum iſtum perdidit? Vult ergò quadammodò dicere: Videte filij mei, quid actum ſit cum ſeruo illo, qui noluit ignoſcere. Iratus ei rex eſt, & tradidit eum carnificibus, vt torquerent eum acerrimè, quoadusque redderet debitum; & quia nunquam reddere potuit, torquendus eſt æternùm. *Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis, niſi remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo ex cordibus veſtris.* Huius igitur malo vos ſapite & diſcite ignoſcere, Quare, Auditores, accurramus & nos in theatrum iſtud & ſpectemus hanc tragœdiam, omniaque quæ aguntur expendamus ac memoriæ commendemus. A.

P. I. Quis iſte Rex rationem. Porem.

Q. PRIMO. Quis eſt iſte homo Rex? Reſp. eſſe Chriſtum, qui dicitur Primo *homo Rex*, quia verus homo, interim etiam Rex Regum & Dominus dominantium fuit; deinde quia ad inſtar hominis Principantis egit cum ſeruis ſuis, humaniter & iuſtè. Vt homo precanti ſeruo miſericordiam exhibuit, vt rex verò crudeli iuſtitiæ rigorem. Olim Ægyptij in ſummo ſceptri ciconiam,

I. *Dicitur homo Rex.*

niam, pietatis: & in imo Hippopotamum, (equum fluuialem, qui interdiu ſub aquis, noctu in terrâ degit) iuſtitiæ typum effingebant: innuere volentes regibus has primas virtutes, fundamentum & finem omnium actionum eſſe debere, Maiol. *to.3. canic. coll.3.*

2. *Cœpit rationem ponere.* Secundo, dicitur cœpiſſe rationem ponere cum ſeruis ſuis; quod facitis in præſenti vitâ, quoties peccator in ſe redit, peccata ſua agnoſcit, conſcientiam ſuam diſcutit & aperit Confeſſario. Tunc enim mediante illo vel teipſo tanquam Iudice tuo (in examine ſcilicet conſcientiæ) audit CHRISTVS & cognoſcit rationes tuas, deprehendit debita tua, reprehendit negligentiam & temeritatem; & ſiquidem agnoueris reatum, ac veniam rogâris cum propoſito emendationis & ſatisfactionis, dicendo: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*; abſoluit & dimittit te. Itaque hîc iam incipit ponere rationes iſtas; conſummabit verò in iudicio particulari, quantum ad ſingulos: vniuerſali, quantum ad omnes attinet. Verùm ibi conſummatis rationibus non eſt ampliùs dimiſſioni locus. Quiſquis ergò veniam inuenire vult, præſentis temporis tribunal adeat, vti monet Apoſtolus 1. Cor. 11. *Quòd ſi noſmetipſos diiudicaremus* (græce, διεκρίνομεν, *diſcuteremus & examinaremus*, vt ſiquid peccati inueniamus, mox per contritionem & confeſſionem expiemus) *non vtique iudicaremur*; in iudicio ſcilicet diuino ad damnationem. Nobis igitur ipſis capillos noſtros pectamur, & vitiorum vermiculos per venatum examinis deprehenſos mactemus, ne aliquando Iudex viuorum & mortuorum, ſeuerus ille tonſor, pectere nos debeat.

3. *Offertur ſeruus debitor.* Tertio. Dicitur oblatus illi eſſe ſeruus debitor; quia per gratiam excitantem ſtimulari ad conuerſionem peccator, adeoque pœnitentiæ tribunali ſiſti & offerri debet: quemadmodum & languidus ille ad piſcinam non poterat ſanari, niſi per aliquem mitteretur in piſcinam; vnde ait: *Hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam*, Ioan. 5. Mittitur autem in piſcinam pœnitentiæ & offertur CHRISTO peccator vel à Spiritu ſancto ducente animam, vt peccatorum ſuorum magnitudinem agnoſcat, & recordetur viarum ſuarum peſſimarum: vel ab Angelo Cuſtode intùs mouente vel caſtigante & impellente ad ſui & ſuorum debitorum cognitionem, & ſurgendum è vitiorum ſumno: quo modo Angelus Petrum percuſſo eius latero excitauit à ſumno corporali, *Act.* 12. Vel à propria Syntereſi, quæ ſemper ad meliora hominem inclinat, & pro DEO militat: Vel à Concionatoribus & Confeſſarijs, qui exaggerant peccata: vel ab exemplis terrorem incutientibus, vti morte quorundam ſubitâ, triſti & malâ: quo modo mors Doctoris Pariſienſis adduxit CHRISTO Brunonem cum ſocijs: mors Auguſtæ Franciſcum Borgiam Gandiæ Ducem ad ſectandam vitam Religioſam. Omnia hæc ad gratiam excitatam ſpectant, ſine quâ ad CHRISTVM non veniret peccator, vtpote deſtitutus virtute illâ motiuâ, quâ ad cœlum itur. Paraclyticus eſt peccator, & quaſi collapſus Elephas, qui niſi adiuuetur ſurgere non poteſt.

Q. SECVNDÒ. Quis ille ſeruus debitor decem millium talentorum? Reſpon. eſſe peccatorem plurimis & grauiſſimis obſtrictum ſceleribus. Dicitur hîc Primò debere decem millia talenta. Decem ob tranſgreſſionem decem mandatorum, vt exponit Aug. *l.* 1. *qq. Euang. cap.* 25. Millia, ob multitudinem & repetitionem peccatorum, quaſi millies tranſgreſſus. Talenta, ob grauitatem peccatorum. Talentum enim argenti (ſecundùm Villaſpandum, Cornelium à Lapide & alios) facit tria millia ſiclorum ſeu florenorum Brabanticorum, noſtratium duo millia. Quantum igitur erit debitum centum talentorum? quantum mille? quantum decies mille? nonné triginta (monetæ noſtræ) viginti millionum? Quis Regum? quis Imperatorum, tantam numerare ſummam poſſit? Attamen hæc fortè ſi non ab vno, ſaltem à pluribus obtineri queat: verùm peccati debitum infinitum eſt quia ob offenſo Deo, qui eſt ſummum & infinitum bonum grauitatem malitiæ deſumit; vnde à nullâ creaturâ quibuſcumque tandem operibus ex rigore iuſtitiæ compenſari poteſt, niſi per CHRISTI merita infinita. Vnde ſequitur, quod ſubiicitur, non habere peccatorem vnde reddat, ſuis nimirum viribus; & propterea etiam in inferno citra condignum ponitur. Poteſt quidem peccator debitum hoc contrahere & quidem quouis lethali peccato, ſed non ex ſuo ære ſoluere, tum quia in peccati ſtatu nullum opus Deo gratum ſeu meritorium facere poteſt; tum quia opera noſtra etiam in gratiâ facta, finitum tantùm valorem habent, deſumptum ab operante. Finiti autem ad infinitum nulla eſt proportio. Bene igitur *Pſal.* 77. dicitur homo *ſpiritus vadens & non rediens*: vadens, inquam, ex ſe ad peccatum, ſed non rediens ex ſe in DEI gratiam.

C. II. *Quis ſeruus debitor 10000. talentorum.*

I. *Debit 1000. talenta.*

2. *Vnus dicitur.* Dicitur ſecundò *vnus*; ad indicandum non eſſe multos, qui poſt grauia & crebra peccata redeant ad DEVM per veram & ſinceram pœnitentiam, vt dimittantur à peccatis. Quod etiam figuratum per piſcinam in quâ iacebat quidem multitudo languentium (ferè incurabilium tantùm, vt opinior & colligo ex Euangelio) cæcorum, aridorum, claudorum; non tamen ſanabatur niſi vnus, qui primus deſcendiſſet in piſcinam, *Ioan.* 5. Quid enim hoc aliud denotabat, niſi quòd ex multis inueteratis malorum vix vnus ſanetur, quodque hoc ſit quaſi miraculum, nec facilè contingat alicui, niſi quis magno conatu feſtinet ad pœnitentiam.

3. *Venundari iuſſus cum vxore & liberis.* Dicitur Tertiò venundari iuſſus vnà cum vxore & filijs & omnibus quæ habebat;

Eccleſiaſticus *cap.* 28. *Homo homini reſeruat iram & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam; & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe cùm caro ſit, reſeruat iram: & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro peccatis illius?* q.d. ſi vermis vermi, caro carni, frater fratri non vult ignoſcere, quomodo ignoſcet Deus homini, creator creaturæ ſuæ, Dominus ſeruo? At hìc pepercit Dominus ſeruo, non parcat ergò ſeruus conſeruo? Nonnè beſtiæ etiam ferociſſimæ cùm in alias omnes pugnent, in ſuam tamen ſpeciem mites ac benignæ ſunt?

3. Tertiò, Non vult remittere modicum, imò nec dilationem dare, qui ingenti debito liberaliſſimè exutus fuit. Quid enim denarius reſpectu talenti? decem cruciferi reſpectu trium millium florenorum? & quid centum denarij reſpectu decem millium talentorum? nónne quod eſt ſtagnum reſpectu Oceani; quod inſula reſpectu terræ totius? Et tamen verè deprehendimus tales eſſe iniurias quæ inferuntur nobis, reſpectu earum quæ in Devm committuntur; ſi ſpectemus quàm frequenter, quàm multis modis quiſque in Devm peccet; quanta item Dei, in quem peccatur, dignitas; quàm multa & multiplicia crebraque eius in nos beneficia; quàm grauia & iniqua, quæ contra omnem naturæ æquitatem delinquimus.

4. Quartò. Non exoratur iiſdem verbis & precandi ritu, quibus ipſe exorârat Regem. Procidens enim & conſeruus rogabat eum ſimili modo: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Sed ſurdo iſte cecinit; cùm tamen alter his verbis decem millium telentorum debitum euitârit.

5. Quintò. Ne prorogare quidem vult conſeruo tempus ad ſoluendum debitum, quia iniectâ manu obtorto collo eum trahit (vt indicat textus græcus:) neque hoc contentus, vinculis etiam ac carcere premit ad genua ſua accidentem, cùm ipſe à ſuo domino nihil ſimile paſſus ſit. Suffocat autem proximum, qui corde per odium reſtricto & amaro eum comprimit: item qui preces vel excuſationes eius non audit.

F. V. *Quomodo mulctatus hic ſeruus.* Quintò. quomodo igitur mulctatus tandem hic ſeruus? Reſp. Primò delatum à conſeruis eſſe ad dominum & tyrannidis accuſatum. *Contriſtati* enim *ſunt valdè & venerunt & narrauerunt Domino omnia quæ facta fuerant.* Hi verò ſunt: Primò Angeli, quorum vnus dixit

1. *Defertur ad herū.* Ioanni *Apoc.* 19. *Vide ne feceris* (hoc eſt, ne adoraueris me) *conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum.* Hi enim vti gaudent de noſtris bonis, ita ſuo modo iraſcuntur & triſtantur de peccatis. Narrant verò Deo tam mala quàm bona noſtra opera, dum ea Deo repræſentant, vt habemus *Tob.* 12. quandoque etiam vindictam poſtulant in reprobos, ſuorum præſertim clientum oppreſſores, vti indicat Dominus *Matth.* 18. *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis; dico enim vobis, quia angeli eorum ſemper vident faciem patris mei,* q. d. accuſaturi vos. quandoque ſunt ac loquuntur pro ſuis, vti Zach. 1.

Secundò ſunt viri ſancti in Eccleſia, zelo iuſtitiæ præditi, qui cùm huiuſmodi ſcelera videre cogantur, nec tamen impedire queant, Deo conqueruntur, vti Elias 3. *Reg.* 19. *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt & prophetas tuos occiderunt gladio.* Ieremias *cap.* 12. *Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus, qui præuaricantur & iniquè agunt?* David *pſal.* 118. *Vidi præuaricantes & tabeſcebam.* Et mirum ac horrendum eſt, Devm dum impiorum ſcelera audit, magis commoueri ad vltionem, quàm dum videt. Caueat ſibi quiſque à iuſtorum querelis & clamoribus. 2.

Secundò. Vocatum eſſe à domino ſuo. Vocatur autem per mortem ad rationes alteras reddendas, in quibus non iam miſericordiæ, ſed iuſtitiæ locus eſt. Tremenda vocatio! Similis illi, quâ è carcere euocatur, vel extrahitur potiùs, reus ad iudicium & ſupplicium. Non licet hîc effugere, non excuſare, non defendere: moriendum eſt, ad iudicium pergendum eſt. quàm hìc ſudant morientes! quàm luctantur in hoc agone! maximè peccatores, qui malè ſibi conſcii repentè abripiuntur cùm adhuc in bonis dies ſuos ducerent! Quod indicat parabola, cùm ait: *Vocauit illum Dominus.* Tunc, inquam, quando ſeruus irâ occupatus longè alia agitabat & cogitabat. Ita abreptus ad crucem Aman, dum perſequitur Mardochæum: Pharao in abyſſum maris, dum Iſraëlem. 2. *Vocatur à domino.*

Tertiò. Exprobratione domini ſui ita oppreſſum eſſe, vt ne verbo reſpondere poſſet. *Serue nequam*, inquit, *Cùm decem millia talenta conſumpſiſſet*, ait Chriſoſtomus homil. 27. *in Gen. non vocauit eum malum; ſed nunc quia conſeruo crudelis fuit: malè ſerue, inquit.* Addit: *Omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me: nonnè ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* q.d. Ego Rex tibi ſervo peperci: tu noluiſti percere conſeruo! Ego tibi omne debitum & quidem ingens dimiſi: tu noluiſti modicum & triobolare? Ego omninò donaui: tu noluiſti dilationem dare! Ego vnà cum debito te quoque dimiſi; tu verò in conſeruum etiam ſæuiſti; eumque in carcerem miſiſti! Ego paucas preces tuas illicò audiui: tu eaſdem à conſeruo tuo audire noluiſti! Quid ad hæc reſpondere miſer potuit? ne verbum quidem. Velut enim fulmine ictus, vel bouis inſtar vno Herculis ictu proſtratus fuit. 3. *Exprobratione domini opprimitur.*

Quartò. Ab irato Domino traditum eſſe tortoribus, *quoadusque redderet vniuerſum debitum.* quatuor hic tremenda ſunt. Primò ira Dei ſeu vindicta, duplici ex capite grauiſſima: primò quia omnipotentis Dei. Ira Aſſueri & facies inflammata proſtrauit Reginam Eſther in terram. Ira Nabuchodonoſoris accendit fornacem ignis ad 49. cubitos, vt in eam mitteret tres pueros; qualis igitur, putatis, erit ira Dei? Secundò quia clementiſſimi patris; amor enim contemptus fit furor; quam etiam ob cauſam ira Aſſueri & Nabuchodonoſoris tantoperè accenſa fuit, quod iis à dilectâ 4. *Traditur tortoribus.* 1.

lectâ Reginâ, hic à charis ſibi miniſtris offenſum ſe reputârit. Et quid erit DEVM abijcere in gehennam filios ſuos tanto pretio emptos, & tradere tortoribus.

2. Secundò. Traditio in manus & voluntatem tortorum, vt pro libidine ſuâ omni tormentorum, ludibriorum & vexationum genere ſæuire in reum poſſent. Quinam verò hi terrores niſi dæmones, teterrimi, robuſtiſſimi, inſenſiſſimi, plurimi? quorum vel vnus ſufficeret ad torquenda multa hominum millia.

3. Tertiò, Repetitio & retractatio prioris debiti, non quidem propriè, quaſi prior remiſſio perſequens peccatum irritetur, ſed alio quodam modo; ac primò quia per peccatum ſequens æquè fies reus gehennæ, ac fuiſti per priùs, ſicque rurſum incurres pœnam, quam euitaſti per remiſſionem. Sed hoc eſt commune omnibus peccatis. Secundò quia ſi poſt beneficium remiſſionis iterum pecces, propter ingratitudinem grauiùs delinques, grauiuſque punieris. Sic Eccleſia ſeruum à ſe manumiſſum, ſi ab eo accuſetur, reuocare in ſeruitutem poteſt, *cap. Episcopus 12. q. 2.* ſic ob ingratitudinem reuocantur donationes factæ. Tertiò ſpeciatim quoad propoſitum, delicta repugnantia principio remiſſionis faciunt quodammodò redire priora delicta, quia afficiunt vt tibi remitti nequeat, qui remiſſionis formam euertiſti, dum alteri non remiſiſti. Talia ſunt odium fratris, inuidentia fraternæ gratiæ, hæreſis, apoſtaſia, quæ beneficio remiſſionis directè quaſi opponuntur.

Quartò. Detentio in tormentis perpetua. 4. Vnde enim tantum debitum captiuus ſoluere aliquando poſſet. Et in inferno vti non eſt locus gratiæ & merito, ita nec remiſſio. Ergò qualem ſe exhibuit ſeruus conſeruo, talem ſe illi exhibebit ibi DEVS, durum ſcilicet & inexorabilem. Et hoc eſt, quod ait Eccleſiaſticus *cap. 28. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius ſeruans ſeruabit.* q. d. nunquam dimittet. Si enim homo homini reſeruat iram, *ſeruans ſeruabit* & DEVS. Hoc denique eſt, quod concludit Dominus: *ſic & pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi nõ remiſeritis vnuſquiſq; fratri ſuo de cordibus veſtris. Formidoloſa ſententia,* inquit Hieronymus: ex quâ videtur B. Iacobus deſumpſiſſe illam aliam: *Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam.* Sine miſericordia namque iudicabitur (inquit Auguſtinus, eam expendens) qui miſericordiam non fecit antequam iudicaretur.

DOMINICA VIGESIMA SECVNDA POST PENTECOSTEN

Euangelium Matth. 22.

IN illo tempore: Abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt, vt caperent IESVM in ſermone, & mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter ſcimus quia verax es, & viam DEI in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo. Non enim reſpicis perſonam hominum: dic ergo nobis quid tibi videtur: Licet cenſum dare Cæſari, an non? Cognitâ autem IESVS nequitiâ eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis IESVS: Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Dicunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quae ſunt Caeſaris, Caeſari, & quae ſunt DEI DEO.

CONCIONES.

I. *Adulatorum mores & nequitia.*
II. *Hypocritarum nequitia oſtenditur.*
III. *Quid vnuſquiſque debeat, ſibi, proximo, Deo.*
IV. *Bona noſtra quomodo cum Deo diuidenda.*
V. *Imago Dei in homine quoad multa.*
VI. *Cur homo ad imaginem Dei conditus ſit.*
VII. *Hominis præcipua membra quarum rerum ſint imago.*
VIII. *Imaginum cultus comprobatur.*
IX. *Documenta.*
X. *Myſteria.*

CONCIO I.

Adulatorum mores & nequitia.

Adulatores ſimiles Canicidis pro more habent

1. *Aliorum moribus ſe accomodare.*
2. 3. *Coram laudare & extollere eorum dicta; clàm ridere & deſpicere.*
4. 5. *Defendunt malè-agentes conanturq; ſcrupulos eripere.*
6. 7. *Delinquentes non corrigunt; niſi leniter & ad ſpeciem.*
8. 9. *Ad placitum loquuntur, diuinant & promittunt mira.*
10. *Omnia tolerant.*

THE-

THEMA.

Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, vt caperent Ieſum in ſermone. Matth. 22.

A. *Adulatores ſimiles canicidis.*

CERTVM genus hominum eſt, infami quidem notâ, reip. tamen vtile & homini Chriſtiano præſertim, nequaquam execrandum aut abominandum, Canicidarum inquam. Circumeunt illi vrbium plateas, iaculatorio inſtructi laqueo, quem blando quidem inceſſu allectis ad ſe canibus derepente iniiciunt, nihil tale metuentibus; ſicque illaqueatos poſt ſe per vrbem trahunt, demùm ſtrangulant & necant. Mirum eſt, quàm hoc genus hominum canibus exoſum ſit. Siue enim ex odore, ſiue ex naturali antiphatiâ ſtatim eos agnoſcunt, & velut hoſtes ſuos latratibus inſectantur, etiam cùm ab eis nullum ſibi periculum imminet. Non arbitror me iniuriam facturum adulatoribus, ſi infamibus canicidis eos comparauero. Vt enim iſti canibus: ita illi inſidiantur hominibus. Iſti diſſimulanter & blandè incedentes, ſubdolè iaciunt laqueum & collis canum induunt: illi blando & amico ſermone ſeſe inſinuantes, incautos illaqueant homines. Quamobrem ille Diogenes blandam orationem non ex animo profectam, ſed ad gratiam compoſitam vocare ſolebat *melleum laqueum*; quòd blandè amplectens hominem iugulet. Laërt. *lib.* 6. Cuiuſmodi ſanè laqueum iure merito vocamus orationem illam Phariſæorum, quâ peſſimi iſti canicidæ, capere & iugulare conabantur ipſum Dei filium in hodierno Euangelio: *Magiſter, ſcimus quia verax es,* &c. Deinde vt canicidæ ſuo illo laqueo canum quidem interitum, ſuum verò quæſtum ex illorum pellibus quærunt: ita adulatores ſuum dumtaxat lucrum ac profectum, amicorum verò perniciem & ruinam. Hæc cauſa eſt, cur omnes ferè mortales adulatoribus infenſi ſint & diras imprecentur. Plato in Phædro vocat adulatorem *beſtiam humano generi peſtilentem ſimilem veneſico, imò impuro dæmoni, qui animos incautos funeſtis epulis fouet & ſordibus noxiis inquinat.* Et in Menexeno, ſimilem *præſtigatori*, qui iudicium & rationem alijs eripiat. Plutarchus in opuſc. de diſcret. adul. & amici. appellat eum *patriæ & virtutis inimicum.* Epictetus *coruum*; quod ſicut ille mortuorum oculos, ita iſte viuentium animos perdat atque excæcet. Antiſthenes *meretricem.* Anaxilaus opum vermen. Conſtantinus Magnus tineam & ſoricem. Ecce quot latratibus obiurgant iſti adulatorem! Ipſe Chriſtus Dominus in hodierno Euangelio durâ voce excipit: *Quid me tentatis hypocritæ?* Quando igitur aſſentatores tam exoſi ſunt apud omnes rectè ſentientes, videamus eorum artificium, mores & nequitiam.

B. I.

PRIMÒ, Principum & aliorum amicorum moribus ſe accommodant eoſque imitantur. Vt enim vmbra, quidquid agis, imitatur; ſi ſtas, ſtat; ſi curris currit: ſic adulator quocunque te vertas, ſequitur. Si taces, laudat tuum ſilentium; ſi loqueris, celebrat & admiratur tuam orationem; ſi exultas, fingit ſe exultare; ſi doles, dolere. Ita Chiſophus ille Philippi Macedonum Regis aſſentator; cum exoculato prodiit eodem oculo faſcijs obligato, cum claudicante claudans. Siquem acrem cibum Philippus ori admoueret, ipſe vultum contrahebat, quaſi eo & ipſe morderetur. Heliotropio tantus amor ſolis eſt, vt cum ipſo circumagatur, & quocunque ſe verterit ſol, eò flectat cacumen: noctu etiam tanquam deſiderio ſolis contrahat florem: ſic gnathones ſe principibus & amicis per omnia accommodant. *Si videant Principem venationibus*, inquit Heresbachius Iuriſconſultus, *aucupiis deditum, nihil præter venationes, canes, accipitres crepant, identidem viſam à ſe ingentem feram clamitantes. Si luxum aut ſplendorem, nihil præter gemmas bracteaſque, veſtes ingerunt; hæc principe, inquiunt, digna veſtis. Si crapulis poculiſque delectari ſentiant, ſubinde commeſſationes adornant, quin & ipſi quoque ebrietati vacant, atque cùm ingentem pateram exhaurire Principem vident, ô dignum Principe hauſtum! ſuccłamant. Si erga eos quos vocant Euangelicos, Princeps ſit propenſior, in promptu ſunt in Pontifices & Eccleſiaſticos conuitia. Si rurſum Pontifici faueat, mox Euangelicos lacerari audias eoſque, vt ſeditioſos tolendos, vt hæreticos cremandos.* Adhæc mutabiles & varij ſunt; prout viderint amicum variare ac mutare animum. Simulet aliquis Princeps facti pœnitentiam, mutetque ſuum conſilium; illicò aderit aſſentator ac dicet; iure dubitare dominum an hoc ſtatuendum ſit, ſe quoque miratum fuiſſe, cur id conſilium placuiſſet: ſapientis fore mutare propoſitum. Quemadmodum enim chamæleontes omnium, quas coram vident, rerum colores induunt ac mutant eum iiſdem: ſolum candidum & rubrum aſſumere negantur: ita adulatores omnium ſe moribus conformant, ſolum animi candorem ac ſinceritatem, ruborem quoque pudoris & erubeſcentiæ non induunt. Vnde Alciatus: *Et ſolùm mores imitatur Principis atros albi & pudici neſcius.*

Aliorum moribus ſe accommodant.

C. II. *Mirantur & extollunt eorum dicta & facta.*

SECVNDÒ. Mirantur & extollunt eorum dicta & facta, opes & ſplendorem, potentiam & ſapientiam; teſte S. Iudâ in ep. ſuâ dicente: *Os eorum loquitur ſuperba: mirantes perſonas quæſtûs causâ.* Ita Niceſias Alexandri Magni aſſentator, qui cùm Rex à muſcâ ſe conpunctum quæreretur, ideoque muſcas velut ſibi moleſtas abigeret, ait: *Atqui profectò muſcis hæ, quæ tuum ſanguinem degustârunt, præſtantiores multò futuræ ſunt ac ſtrenuiores.* Idem cùm Alexandrum ſumpto medicamento cruciari torminibus videret: *Quid,* inquit, *ô Rex nobis fiet, quando vos Deos hæc tormenta premunt* Athen. *l.* 6.

D. III. *Coràm laudant, clàm rident & deſpiciunt.*

TERTIÒ. Laudant coràm & in faciem, interim tamen clàm eos rident ac deſpiciunt. De his *prouerb.* 17. dicitur: *Qui benedixit proximo ſuo voce grandi de nocte conſurgens, maledicenti ſimilis*

ſimilis erit, hoc eſt, qui coràm & in faciam laudant amicum, tempore importuno, ad inſtar eorum, qui olim ſummo manè & cum clamore conſalutabant opulentos in ſuis ædibus; ij non meliores ſunt, quàm ſi maledicerent; quia non niſi ſportulam & lucrum ſuum quærunt, amicum interim velut ſtultum & ambitioſum traducunt. Propterea viri prudentes & cordati huiuſmodi laudes repulerunt cum indignatione; vti Auguſtus Imperator qui ludos ſpectans, pronunciante mimo: *ô Dominum æquum & bonum!* populoque applaudente, ſtatim manu vultuque indecoram adulationem repreſſit, & ſequenti die vetuit edicto, Dominum ſe appellari. Suetonius *cap.* 53. Idem fecit Tiberius, eius ſucceſſor. Benè enim D. Gregorius *lib.* 21. Moral. *cap.* 33. ait: *Sapiens cùm laudatur in facie, flagellatur in mente.* Quod inprimis ſapientiſſimè vitauit Chriſtus Dominus, qui fideliſſimum & digniſſimum amicum ſuum, Ioannem Baptiſtam, mirè quidem commendauit, non tamen in faciem, neque etiam præſentibus adhuc eius diſcipulis, ſed abeuntibus, *Matth.* 11. Similiter Centurionem de fide commendaturus, non locutus eſt *voce grandi*, vt audiret Centurio: ſed *ſequentibus ſe dixit:* (adeoque ad eos conuerſus, à Centurione verò auerſus) *non inueni tantam fidem in Iſrael*, *Matth.* 8. Porrò rectè addit Sapiens, huiuſmodi laudatorem maledicenti ſimilem eſſe; quia tam importunæ laudes feriunt aures ſapientum: & qui palam amicos laudant, communiter abſentes rident & vituperant. Vnde quidam apud Senecā *epiſt.* 27. ait adulatores, dominorum ſuorū eſſe *arroſores, arriſores, & quod his duobus coniunctum eſt, deriſores.* Et S. Hieronymus in epiſt. ad Ruſticum *Ne credas tuis adulatoribus, qui cum te adulationibus fouerint, aſini auriculas poſt te agitant, aut ciconiarum colla curuant, aut æſtuantis canis portendunt linguam.* Vt enim ſpeculum intuentium imagines repræſentat, ſed inuerſo ordine: quæ dextra ſunt, repræſentat ſiniſtra; quæ Orientem ſpectant, repræſentat ad Occidentem. ita adulatores ſiniſtrâ intentione laudant ſuos amicos; quos enim voce commendant, corde vituperant: quos in faciem laudant, à tergo rident: præſentibus beneuoli, abſentibus infenſi ſunt.

E. IV. Laudant & defendunt malè agentes.

Qvartò, Laudant etiam malè agentes, & defendunt eorum vitia. Exempli gratia: ſumpſit quis vindictam de inimico; illicò adſilit palpator, & heroicum illius animum dilaudat, iuſtitiam eius deprædicat. Ita Anaxarchus cùm videret Alexandrum Magnum ſe ob Clyti necem dirè excruciantem: *Neſcis*, inquit, *ius & fas adſidere Ioui, vt quidquid Rex fecit, id iuſtum faſq; ſit?* Laert. *lib.* 9. *cap.* 10. Dioniſij crudelitatem adulatores iuſtitiam appellabant. Aſſueri indignationem, licet immeritè conceptam in Reginam coniugem, (quæ prodire in publicum conuiuium renuerat) mox approbauit miniſtrorum vnus, Mamuchan, exclamans: *Iuſta eſt Regis indignatio*, *Eſth.* 1. Atque ita fit, quod *Matth.* 8. dixit Dominus: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Nam vt exponit D. Gregorius *l.* 4. moral. *cap.* 25. *Mortui mortuos ſepeliunt, cùm peccatores peccatorem fauoribus premūt. Quid enim eſt aliud peccare, quàm occumbere; & ſepelire, quàm abſcondere? ſed qui peccantem laudibus proſequuntur, extinctum ſub verborum ſuorum aggere abſcondunt.* Contingit ſæpe, vt quis è peccato ſuo quaſi è ſepulchro eluctari velit; ſed dum adeſt huiuſmodi diabolicus veſpillo, minimè id valet, obrutus blanditijs quaſi terræ glebis à peſſimo palpatore. Sunt hi ancillæ infantariæ, quæ dum agitant cunas, cantum etiam adhibent, quo infantem ſopiant. Sic enim adulatores maligno ſuo cantu in profundum peccati ſoporem dant peccatores. Rurſum, vt illæ cunis alligant infantem: ita iſti amicum lecto peccatorum. Vnde Auguſtinus in ſententiis *ſent.* 137. ait: *Adulantium lingua alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non ſolùm non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudator auditur.*

F. V. Mentes & ſcrupulos eripere conātur.

Qvintò. Mentem & conſcientiæ ſcrupulos eripere illis conantur. Hanc ob cauſam Antiſthenes adulatores meretricibus comparauit. *Vt enim meretrices*, aiebat, *bona omnia præter mentem & prudentiam ſuis amatoribus imprecantur: eodem modo adulatores in quibuſcum agunt.* Viderat aliquando Gaal Sichimorum capitaneus, de montibus ad vrbem deſcendere exercitum hoſtilem (qui erat Regis Abimelech) remque vt erat, ſuſpicatus ait: *Ecce de montibus multitudo deſcendit.* Verùm ſocius eius Zebul, (qui erat occultus vrbis proditor) ſuſpicionem illi exempturus: *Vmbras*, inquit, *montium vides quaſi capita hominum, & hoc errore deciperis.* Verùm euentus docuit, rem dixiſſe Gaal; venit enim Abimelech & in fugam compulit capitaneum Gaal, *Iudic.* 9. Hunc in modum Principes & Magnates ſentiunt ſubinde conſcientiæ ſuæ ſcrupulos, videntque Dei iram ſibi imminentem. Sed adſunt ilicò improbi ac doloſi adulatores, eiſque dicunt: *Vmbras hominum vides, quaſi capita hominum.* Falleris, non eſt hoc à Deo, caſu id accidit, natura id fecit: laruæ ſunt, quas reputas inferorum pœnas: vmbræ montium ſunt. At interim deſcendit contra eas ira Dei ſæpè. Incidit aliquando Iulianus Apoſtata, nondum Imperator, in præſtigiatorem, ſciſcitans ab eo, num Imperij compos aliquando fieri poſſet. Cùm ergò in adyta cuiuſdam delubri deductus à Mago eſſet, accidit vt cùm apparentibus ad illius Magi inuocationem terribili ſpecie dæmonibus, ipſe metu perterritus, cruce frontem ſignâſſat, dæmones ad Dominici trophæi figuram confeſtim euanuerint. Quare cùm virtutem crucis vehementer admirari cœpiſſet, tamen præſtigiatore cauſam receſſus dæmonum non ipſorum formidini, ſed deteſtationi eiuſmodi Iuliani facti adſcribente, miſer ipſe in fraudem impulſus, impijs initiatus eſt myſteriis & imperij cupiditate omnem penitus pietatem exuit, vt ſcribit Theodoretus *lib.* 3. *cap.* 3.

apud

apud Baronium anno 351. Vidimus hîc quàm rectè Plato in Phædro (vti ſupra diximus) adulatorem comparârit venefico, imò impuro dæmoni, *qui animas incautas funeſtis epulis fouet.* Id enim Iuliano fecit præſtigiator ille.

G. VI. Delinquentes non corrigunt.

SEXTÒ. Delinquentes minimè corrigunt; tametſi alioquin amici haberi volunt. De Patroclo narrat Plutarchus in Moral. in bellum proditurum, reliqua quidem Achillis arma ſibi ſumpſiſſe, ſolam haſtam vt grauem & prævalidam non attigiſſe. Hunc in modum aſſentator omnia veri amici ſymbola imitatur, præter ſolam admonendi libertatem. Expertus id in aulâ ſuâ fuit Aſiæ Rex Antiochus, eodem Plutarcho auctore; qui adeò circumſeptus fuit adulatoribus, vt veritatem nunquam perceperit, niſi à quodam viro ruſticano, apud quem diuerſabatur. Nam cùm in venatu quodam feram inſequeretur, aberrans ab amicis ac famulis, in caſam pauperum quorumdam, quibus ignotus erat, mutatâ veſte introiit, atque inter cœnam iniectâ mentione Regis audiuit, tum quòd pleraſque functiones mandaret amicis improbis, & ad eorum facta conniueret; tum quòd immodico venandi ſtudio frequenter neceſſaria negligeret; Regem quidem eſſe virum bonum, ſed prauis conſiliarijs ſtipatum, quique ſeria regni negotia ob inſanum venandi ſtudiũ poſtponeret. Ad hæc tum temporis Rex nihil reſpondit, nec qui eſſet prodidit. At primò diluculo aduolantibus ad vile tuguriolum miniſtris, allatâ purpurâ ſimul cum diademate: *Age*, inquit, *ex quo vos induo, heri primum vera de meipſo audiui*; & non diſſimulanter diſſimulatoribus dixit: *Veritatem heri demum intellexi, nec à quoquam veſtrûm, à quo tempore mihi adeſtis, liberiorem vocem audiui.* Nam ferè hoc ſtudio eſt iis, qui viuunt in aulis, vt nil dicant niſi blandum auribus. Quantum verò hoc damnum ſit, Regibus præſertim & Principibus, qui tot populis præſunt, quis eſt, qui non videat? intellexit ſanè vel ipſe Alexander Magnus, cæteroquì ab aſſentatoribus ſæpe dementatus. Fertur enim quendam Philoſophum, quo anteà familiariter vtebatur, à ſuo conſortio repuliſſe, quod nunquam Regem obiurgaſſet, dicens: *Si mala, quæ facio, non intelligit, eſt inſipiens: ſi intelligit & non arguit, eſt maleuolus adulator. Vtroque nomine dignus, qui à Regiâ familiaritate planè arceatur.*

H. VII. Corrigũt interdum ſed leuiter.

SEPTIMÒ, Corrigunt interdum, ſed leuiter & ad ſpeciem; ne reputentur aſſentatores; quo modo adulatorij quidam & mendaces Prophetæ vaticinati ſunt Ieroſolymæ *Aſſumptiones* (Hebr. *onus* ſeu plagas diuinas) *falſas*, vt ait Ieremias Thren. 2. ne viderentur ei ſemper blanda & placentia loqui, more Pſeudoprophetarum. Ita enim adulatores ne ad gratiam ſemper loqui videantur, aliquando eos, quibus maximè adulantur, reprehendunt: ſicut Melitæi catelli, qui fingunt ſe interdum dominam mordere, dentes tamen non infigunt; morſum ſimulant, ſed non mordent. Rectè etiam Ezechiel *cap.* 13. puluinaribus comparat adulationes, quas Regibus & Principibus ſubſternunt aſſentatores, ad ſopiendas & confouendas vulneratas eorum conſcientias. *Conſuunt puluillos*, inquit, *ſub omni cubito manûs, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas.* Nam, vt notat etiam Plutarchus lib. de diſcrim. adul. & amici, ſermones adulatorij ſimiles ſunt puluillis & ceruicalibus, quæ cùm videantur capitibus incumbentium reſiſtere & reniti, cedunt potiùs, ſeque accommodant. Sic enim & adulator aſſumit fucatam dicendi libertatem, & ſubinde quædam carpit ac reprehendit, quaſi reſiſtere amico velit, interim tamen ei magis ſe inſinuat, & reprehenſionem in laudem vertit, quò fortiùs eum irretiat. Sanè talis gnatho fuit, qui Tiberio Imperatore Senatum ingrediente exclamauit eſſe liberè loquendum, nec reticenda, quæ ad rempublicam attinerent. Erectis ergò ad hanc vocem omnium auribus, ipſo etiam Tiberio attento: *Audi*, inquit, *Cæſar, in quo te reprehendamus omnes, licet nullus audeat palam fateri. Impendis teipſum nobis, corpus tuum diurnis nocturniſq́; laboribus & curis pro republicâ conficiens.* Cui tam turpi adulationi ſubjecit C. Seuerus: *Iſta tanta libertas hunc hominem dabit exitio.* Sueton. Tacit. Plut. de amico ab adul. diſcer. Atque hoc eſt peſtilentiſſimum aſſentatorum genus, quod à veris amicis difficilè diſcernitur, & leuia reprehendit, vt tutiùs & faciliùs in grauia præcipitet. Spurium eſt triticum, vero tritico ſimillimum (αἰγίλωψ) quod proinde à vero difficilè ſeparatur in cribro; atrum tamen efficit panem: vitrum eſt pellucidum cryſtallo quàm ſimillimum: putridum eſt lignum, quod igneum præ ſe fert ſplendorem.

L. VII. Ad placitum loquuntur.

OCTAVÒ. Ad placitum loquuntur, pro cuiuſque geſtu & genio. Similes quoad hoc Rebeccæ, quæ cùm audiſſet coniugem Iſaacum filio dicentem: *Fac mihi pulmentum, ſicut velle me noſti*; rapuit hoc verbum ex ore ejus, & dixit filio ſuo Iacob: *Faciam eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur*, *Gen.* 27. Ita enim adulatores quia aduertunt Principes ſuos ea duntaxat audire velle, quæ perplacent; hinc ad eorum guſtum omnes ſuos ſermones ac geſtûs componunt. Coqui igitur ſunt, qui id ſolum ſpectant vt cibus hero ſapiat: proſit verò, an obſit, nihil penſi habent; ori & palato coquunt, non capiti, non ſtomacho, non hepati: imò plurima miſcent valetudini contraria, nec tamen iſtud curant; ſolum enim hoc quærunt: ſapuit ne cibus? Quâ in re multum profectò differunt à ſe Medici & coqui. *Illi enim*, inquit Philo in l. de Ioſepho, *quidquid ad ſanitatem conducit, etiamſi ægroto ingratum videatur, ſolum magno apparant ſtudio. Hi contrà ſuauia curãt, vtilia negligunt.* Medici ſunt amici veri, coqui ſunt gnathones. Tales erant Oratores illi Athenienſium ſuperbiâ turgidorum, qui pro concione populo aſſentantes dixerunt: *Græcis cum aliis nationibus eſſe communia cætera; at viam,*

quâ

quâ in cœlum iter, ſolos Athenienſes noſſe. Talis Anaxander paraſitus Alexandri Magni, qui cum Rege (qui Iouis filius audire geſtiebat) iter faciens, vt repentè ſtupendo fragore intonuit, omnibus pauore conſternatis dixit: *Hoccine tu feciſti, Alexander Iouis fili?* Athen. *lib.* 6. Viri igitur amici Medicos imitentur, non coquos, ſalubria potiùs quàm ſuauia fautoribus ſuis loquantur. Non ſine myſterio Deus veteri in lege mel in ſacrificio offerri noluit. *Leuit.* 2. Cauſam dat Hieronymus *epiſt.* 19. ad Euſtochium. *Apud Deum enim*, inquit, *nihil voluptuoſum, nihil tantum ſuaue placet, niſi quod in ſe habet mordacis aliquid veritatis.* Deo ergò placet non adulatio blanda & fallax, ſed veritas ſeuera & mordax.

K. IX. Diuinant & promittunt mira.

Nonò. Diuinant ac promittunt mira & ſtupenda, quæ præſtare nequeunt. Quemadmodum enim aquila teſtudinem in altum euehit, vt inde det præcipitem & confringat; ita adulatores euehunt fautores in altiſſimum vanitatis apicem, vt inde in grauia peccata præcipitent. Eò pertinet, quod *Oſe.* 4. dicitur de huiuſmodi aſſentatoribus populi Hebræi: *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum. q. d.* Peccata populi laudant, & in ſe ſuumque caput ſuſcipiunt, quaſi nulla ſint; atque ita populum ſuum blanditijs eleuant in altum atque extollunt, quaſi gentem Deo charam & amicam, propter Abraham patrem eorum. Talis populus ille Tyrius & Sidonius, qui perorante Herode Agrippâ, adulatoriè exclamauit: *Dei voces & non hominis.* Sed quid actum? dum hac aſſentatione in ſuperbiam elatus Rex, honorem diuinum admittit, nec à ſe amolitur, repentè ab Angelo Domini percutitur viſcerum dolore ac demum putrefactione; vnde exclamare coáctus eſt: *En ego ille veſtrâ apellatione Deus vitam relinquere iubeor, fatali neceſſitate coarguente veſtrum mendacium, & quem immortalem ſalutaſtis, ad mortem rapior.* Ioſephus *lib.* 9. *antiquit. cap.* 8. & *actor.* 12. Deceptus etiam hac muſcipulâ eſt Iuſtinianus ſagaciſsimus alioquin Imperator, cui Tribonianus Iuriſconſultus aſſentando ingeſſit, *Non moriturum ipſum, ſed vnà cum corpore in cœlum migraturum*, teſte Suida in voce Tribonianus. Verùm ſuâ iuriſprudentiâ & dignitate turgidior Imperator hoc conſecutus eſt, vt à fide Catholicâ in hæreſin laberetur ac periret. Quare rectiùs audiſſet Agapetũ Pont. ita cũ monentem: *Amplectere eos, Imperator, qui bonorum te conſiliorũ admonitũ volunt, non eos qui adulari ſæpe ſtudent, &c. apud* Corn. *in cap.* 13. *Ezech.* Meliùs ſapuit Ageſilaus Lacedemoniorum Princeps, qui intelligens Thaſios ſibi templa diuinoſque honores decreuiſſe ob beneficia eis præſtita, quæſiuit è Legatis, an ciuitas eorum poſſet homines in Deos conuertere? cùm affirmarent: *Agedum*, inquit, *vos ipſo primùm Deos facite; eo facto credam vobis, poſſe me quoque à vobis in Deum mutari.* Plutarchus in Lacon.

L. X. Omnia tolerant.

Decimò. Nihil non patiuntur & tolerant, vt quæſtum faciant. Quales erant illi paraſiti Dionyſij, qui faciem ſputo eius conſpergendam objiciebant: ſaliuam & quæ vomitu egreſſerat, delinquentes eàque melle dulciora eſſe affirmantes, *talem fuiſſe referunt*, inquit Hereſbachius Iuriſconſultus, *qui ad gratiam eius quem captabat, vxorem repudiabat, quòd ſciebat illi, cui adulabatur, coniugem parum gratum*, *Quoſdam accepimus noſtro tempore apud maximum Monarcham morbũ ſimulaſſe, ac vnà cũ Principe in periculoſorum remediorũ ſocietatem deſcendiſſe.* Verùm his omnibus eò ſolùm collimant, vt ſibi & ſuis commodis conſulant; quod tam auidè faciunt, vt cùm poſſunt, amicos etiam exhauriant? vnde bene Plutarchus l. de adul. & amici diſcr. pediculis eos comparat, *Nã vt hi corpora extincta deſerunt ſtatim atque ſanguis, quo alebantur, euanuit: ſic illi eos, quorũ res perit, affugiunt.* Sotion dicebat: *Sicut qui amicos peregrè abeuntes, dum via plena eſt, deducunt; dum aſperior eſſe incipit, recedunt: ita adulatores comitantur diuites; at ſumptus cùm deficit, ſtatim referunt pedem.* Stobæus ex Max. ſerm. 11. Denique *ſicut vermes*, aiebat Anaxillaus, *triticum nacti non diſcedunt, donec vacuum reddiderint: ſic illi diuitum ſubſtantiam edunt.* Athen. ex Theophraſto. Ex quibus, opinor, ſat ſuperque patet, quàm noxij quamque infames ſint aſſentatores. Quiſquis ergò huic infami ſtudio operam dedit, oculos ſuos aperiat ac reſipiſcat, ne vnà cum amicis ſeipſum perdat. Intueatur exemplum reſipiſcẽtis adulatoris, cuius monumentum extat Lutetiæ Pariſiorum. Ibi enim in foro frumentario, vt ſcribit Tympius in ſpec. Magiſt. *fig.* 2. oſtenditur os cloacæ, in quâ ſepeliri ſe iuſſit quidam, quem ſerò pœnituit mali conſilij & prauæ adulationis. Hic viderat Regem triſtem & ſolicitum propter anguſtiam rei pecuniariæ. Is quò Regem ſubleuaret, ſuaſit, vt ex minimis etiam rebus, quas ruſtici deferunt in vrbem, vnum aut alterum nummulum exigeret, idque in biennium duntaxat. Ex eo, cùm viderent in vrbe frequentiſſimâ colligi pecuniæ vim non modicam (iuxta ſententiam Heſiodi, *ex multis minutis granis conflatur ingens aceruus*) non remiſſum eſt, quod ſemel cœptum eſt dari, imò ad hoc exemplum plures exactiones excogitatæ ſunt. Qui dederat conſilium, cùm videret ſe non idem authoritatis habere in diſſuadendo, quod habuerat in ſuadendo, in maximos animi mœrores incidit, adeò vt de ſalute quoque ſuâ deſperaret. Et vt de ſeipſo pœnas ſumeret inconſulti conſilij, ſimulque moneret alios, ne ad eundem impingerent lapidem, teſtamento cauit, vt in eâ cloacâ, in quam totius illius fori ſordes confluunt, ſepeliretur, in quo manet etiamnum in hunc vſque diem ſuaſæ exactionis executio. Videte adulatores, ne ijdem conſcientiæ aculei vos aliquando lancinent.

CONCIO II.

Hypocritarum nequitia oſtenditur.

1. *Hypocritæ dupliciter mali oſtenduntur.*
2. *Deum decipere tentant.*
3. *Opera ſua bona perdunt.*
4. *Difficile conuertuntur.*
5. *Prouocant in ſe iram Dei.*

THEMA.

Quid me tentatis, Hypocritæ?
Matth. 22.

A. NOn facilè reperiemus vitium, quod tam acriter obiurgarit Chriſtus, quemadmodum hypocriſin. Patet hoc ex varijs locis Euangelicæ hiſtoriæ, veluti Matth. 7. *Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo.* Et c. 15. *Hypocritæ bene prophetauit de vobis Iſaias*, &c. Et cap. 21 in hodierno Euangelio: *Quid me tentatis hypocritæ?* Et cap. 23. bis ſepties repetit: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ!* Rurſum apud Lucam cap. 12. *Hypocritæ, faciem cæli & terræ noſtis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis?* Et cap. 13. *Hypocritæ vnuſquiſque veſtrùm Sabbatho non ſoluit bouem ſuum aut aſinum à præſepio & ducit adaquare?* En quàm multa fulmina contra hypocritas eliſa à Dei filio? meritò igitur quærat aliquis, quid Dominum commouerit ad tantum hypocritarum odium: quæ & quanta illorum iniquitas ſit. Id quod nunc videbimus.

B. I. Sunt dupliciter mali. PRIMÒ. Sunt dupliciter mali, teſte S. Auguſt. *ſuper Pſ. 23.* cùm ait: *Simulata æquitas non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas, quia iniquitas eſt & ſimulatio.* In corde mali ſunt hypocritæ, foris deceptores ſunt; ſunt veluti qui amici ſpecie caſtra hoſtium ingreditur, vt eos prodat vel occidat. Inimici ſunt, pro amicis tamen haberi volunt: ſtant ex parte diaboli, & tamen ſimulant ſe ſtare ex parte Dei, qua ex cauſâ multum Eccleſiæ nocere poſſunt. Nam & Hæretici per hypocriſin decipiunt fideles; quemadmodum & illorum caput, Antichriſtus per eandem capiet ſibique adiunget plurimos. Vnde Chryſoſtomus ſuper Matth. 7 ait: *nulla res ſic exterminat bonum, ſicut ſimulatio: nam malum ſub ſpecie boni celatum, dum non cognoſcitur, non cauetur.* Itaque ſimiles ſunt Belo Babyloniorum Idolo, quod 40. pedes longum, videbatur comedere, & eſſe totum aureum teſte Herodoto lib. 1. Diod. l. 3. c. 4. adeoque ſuo paſtu & decore attrahebat homines, ipſumque adeò Regem ad ſui cultum & adorationem. Verùm non comedebat Bel, ſed eius ſacrificuli: rurſum inauratus tantùm erat, intùs æreus & luteus. Vnde Daniel Regi ait: *Ne erres Rex: hic enim intrinſecùs luteus eſt & forinſecùs æreus, neque comedit aliquando.* Dan. 14. Similes etiam ſunt Pantheris, de quibus ſcribit Plin. l. 8. c. 17. *Ferunt odore earum mirè ſollicitari quadrupedes cunctos, ſed capitis toruitate terreri. Quamobrem occultato eo, reliquâ adulcedine inuitatos corripiunt.* Rectè etiam à S. Gregor. Nazianz. in orat. funebri, comparantur fœminæ turpi impudicæ, quæ fuco ſe adornat, vt intuentes capiat. Ab alijs vulpi quæ ſomnum ſimulat vt allectas gallinas rapiat.

Deinde ex eo etiam capite dupliciter mali ſunt, quia intendunt in operibus ſuis prauum finem, honorem ſcilicet, quem Deo furantur & ſibi attribuunt: atque ad hunc finem adhibent vetitum medium, opus ſcilicet ex ſe bonum. Vnde primò ſunt fures gloriæ Dei: deinde falſarij monetæ illius, quam ex aureâ faciunt cupream, dum eam dant pro re viliſſimâ, quæ facta eſt ad comparandum cœlum.

C. Deum decipere tentant. SECVNDÒ. Deum quodammodò decipere volunt; ſed reuerà ſeipſos decipiunt, non Deum qui cor ipſorum videt. Deceperunt quidem olim hypocritæ Gabaonitæ magnum illum Ioſuen, quando attritis veſtibus & calceamentis, paneque marcido venerunt pacem poſtulantes, quaſi de longè veniſſent, Ioſ. 9. Sed nemo hypocritarum, quantumuis ſimulet nuditatem, paupertatem, aliamque ſanctitatem, decipiet noſtrum Ioſuen, Ieſum. Audimus enim in hod. Euangelio, quàm citò agnouerit, ſubdolos Phariſæos & quàm ſapienter confuderit. Idem videre eſt Apoc. 3. vbi Epiſcopum Sardicenſem de hypocriſi arguens per epiſtolam, ait: *Hæc dicit, qui habet ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem ſtellas: ſcio opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.* Quaſi diceret. inquit Richardus de S. Victore: *tu qui coram hominibus per hypocriſim bonum facis, ſed in occulto malus exiſtis, dum me audis ſeptem Spiritus habere, animaduerte me per ſapientiam, non ſolùm manifeſta, ſed etiam occulta opera, imò & intimas cogitationes intueri. Dum etiam audis me habere 7. ſtellas, intellige me ad te & tui ſimiles puniendos maximè potentem eſſe, vtpote ipſarum ſtellarum Conditorem.* Hoc igitur ex capite ſimiles ſunt Struthiocamelo, qui tametſi grandior eſt equite, collum tamen inter frutices occultans, totum ſe latere exiſtimat. Pier. *lib. 25. hierogl.* Dum enim ſibi laruam induunt deuotionis & Deum non vident, iam ſe deuotos habendos & nequitiam ſuam tectam reputant. Similes vxori Ieroboam, quæ commutato habitu venit ab Ahiam prophetam (quem coniectabat ſibi & marito infenſum eſſe) vt reſponſum ab eo caperet. Sed agnita mox eſt à Propheta dicente: *Ingredere vxor Ieroboam: quare aliam te ſimulas? Ego autem ad te miſſus ſum durus nuntius*, 3. Reg. 14. Quàm, putas, confundentur hypocritæ, cùm ad iudicium à Chriſto vocati audient: Ingredere hypocrita: quare alium te ſimulaſti! Ego autem durus tibi nuncius ſum!

D. III. Opera ſua bona perdunt. TERTIÒ. Opera ſua bona perdunt & abſque fructu faciunt, quemadmodum indicat Chriſtus in epiſtolâ ad ſuprà dictum Epiſcopum Sardicenſem ſcriptâ, vbi ait: *Non inuenio opera tua plena coram* DEO *meo.* Quia ſcilicet carebant rectâ intentione, quippe ad inanem gloriam relata: ideò erant vacua & inania, nihilque merebantur. Similes proinde in hoc ſunt

ſunt hypocritæ arboribus, quæ iuxta mare mortuum reperiuntur, & fructus quidem ad ſpeciem elegantes proferunt, poma, pyra, perſica: quæ tamen prorsùs euanida ſunt; & vbi tanguntur, in cinerem & fauillam reſoluuntur. Vnde Tertullianus ſeu Cyprianus carmine de Sodomâ ſcribit:

Promittunt oculis pyra, perſica & omnia mala,
Donec carpantur: nam protinus indice tactum
Soluitur in cinerem, fit vana fauillaq; pomum.

Licet igitur ad præſens coram hominibus videantur eſſe plena & ſpecioſa hypocritarum opera; tamen vbi à Chriſto tangentur in iudicio, abibunt in fauillam. Pulchrè etiam Dauid comparat eorum opera fæno tectorum, quod nullius eſt pretij nulliſque vſui aptum, ac propterea nec metitur nec in manipulos redigitur, ſed areſcere & perire ſinitur. *Fiant*, inquit, *ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit, de quo non impleuit manum ſuam, qui manipulos colligit*, Pſalm. 128. In quem locum S. Gregorius l. 8. Moral. cap. 28. ait: *fænum tectorum in alto naſcitur, ſed nequaquam radice ſolidatur: ſic etiam hypocrita ſumma quidem agere cernitur, ſed non in eis ex cordis puritate roboratur; quod nimirum fænum antequam euellatur, areſcit: quia cùm hypocrita ſine intentione recta cogitationis bona ſtuduit agere, ea amittens indicat ſe ſine radice floruiſſe.* Idem Gregorius l. 31. Moral. c. 6. hac etiam in re hypocritam comparat Struthioni. Vt enim Struthio tametſi cum dolore & labore edit oua ſua, nihilominus tamen edita *derelinquit in terrâ, & obliuiſcitur quòd pes conculcet ea aut beſtia agri conterat, duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui, fruſtrà laborauit nullo timore cogente*, vt ait Iob. 3. 38. ita etiam hypocrita, licet opera ſua ex ſe bona cum labore & ſuiipſius mortificatione peragat, ea tamen nequaquam tuto loco ſed in publico videnda imò conculcanda reponit. Vnde fit vt fruſtrà laborârit, ieiunârit, orârit, eleemoſynas erogârit, &c. Denique ob hanc cauſam vocatur hypocriſis, fermentum à Chriſto Luc. 12. *Cauete à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Vt enim fermentum *totam maſſam corrumpit* (ad Galat. 5.) & illius puritatem inficit: ita hypocriſis omnia bona opera; vt patet in Phariſæis, qui omnia faciebant vt viderentur ab hominibus.

E. IV. Difficilè conuertuntur.

QVARTÒ. Difficilè conuertuntur. Cuius ratio eſt primò, quia nolunt fateri culpas ſuas, adeoque nec veniam petere; volunt enim ab omnibus videri & haberi tales, quales ab imperitis habentur. Vnde Iob. cap. 36. de ipſis di-
1. citur: *ſimulatores & callidi prouocant iram Dei: neque clamabunt cùm vincti fuerint. Clamor validus ad Deum eſt confeßio*, inquit ibi gl. interlinearis. Hunc tamen cùm in peccatis ſuis nec non & morbis lethalibus vincti ſunt, edere nolunt, quia ſancti videri volunt; vel quia iuſto Dei iudicio à ſeipſis decepti tales reuerà ſe exiſtimant.

2. Secundò, quia peccata eorum latent oculos hominum & Confeſſarios imprimis: neſcitur in illis latere diabolus. *Sub vmbrâ dormit, in ſecreto calami*, ait Iob. capite 40. *in locis humentibus: protegunt vmbræ vmbram eius: circumdabunt eum ſalices torrentis.* Vmbra, ſub quâ latet & ſecurus dormit dæmon in hypocritis, eſt ſpecies innocentiæ & ſanctitatis, quam protegunt vmbræ aliæ, cùm ſcilicet alij homines, innocentiæ & pietati illorum dant teſtimonium; qui tamen communiter ſunt ſalicum inſtar, leues, inanes, mobiles & ad placitum vnicuique loquentes.

Tertiò, quia corripi nolunt, imò ſe defendunt cum arguuntur, & obmurmurant, ſi à Confeſſario de grauioris alicuius ſceleris conſcientiâ interrogentur, v. g. vtrum non laborent hypocriſi, adulterio, veneficio, ſuperſtitionibus, dolis, &c. indignantur enim quòd talium peccatorum rei quaſi inſimulentur. Hinc acquieſcere debet Confeſſarius, nec videt modum ac rationem expurgandi eorum conſcientias. Cuius rei figuram habemus Iudicum 1. vbi dicitur Dominus fuiſſe cum Iudâ ad delendos Chananæos, qui habitabant in montanis; non potuiſſe tamen Iudam delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. Eſt ſanè Deus cum Confeſſariis vt ſine magnâ difficultate expugnent corda eorum, qui in montibus habitant, id eſt, qui apertè cum illis agunt & peccatores ſe agnoſcunt. Sed non poſſunt expugnare corda hypocritarum, qui habitant in vallibus, id eſt, qui ſub ementitâ ſanctitate humiliter viuunt & rectè agunt. Hi enim falcatis abundant curribus, quia ſpeciem ſanctitatis præſeferunt, quâ ſeipſos defendunt, & arguentes ſe redarguunt. Nam, vt ait Gregorius in Moral. *hypocrita paratus eſt mori, quàm redargui.* 3.

F. V. Prouocant in ſe iram Dei.

QVINTÒ. Prouocant in ſe iram Dei, vti paulò ſuprà ex Iob audiuimus; *plus enim damnationis accipient, eò quòd prætextu boni operis malum committunt*, inquit Theophilactus in Matt. cap. 23. Quod ex maledictione ficulneæ poſſumus colligere. Legimus enim Dominum, poſtquam Phariſæos hypocritas redarguiſſet & relictis illis abijſſet, ficulneam, quam viderat ſecus viam (cùm folia tantùm haberet, non ficus) maledixiſſe: *Nunquam ex te naſcatur fructus in ſempiternum*, Matthæi 21. Quod factum iure mirantur SS. Patres id enim non proceſſit ex aliquo iræ impetu, ſicut cùm nos calamo non reddenti atramentum iraſcimur, illumque conterimus; hic enim inordinatus affectus in Chriſto eſſe non potuit. Neque verò animus Chriſto fuit ficulneam punire, quam nouerat culpæ incapacem, eò præſertim, quòd (vt Sanctus Marcus aduertit cap. 11.) non erat tempus ficorum. Itaque non tam erga ficulneam, quàm erga hypocritas Phariſæos, à quibus paulò ante relictis ad ficulneam venerat, & quorum typus erat ficulnea illa, folia non fructus adeoque externam tantùm, per viriditatem, apparentiam habens, iram & iuſtiſſimam indignationem ſuam oſtendere voluit, ideoque typum

typum & imaginem illorum, ficulneam inquam ſterilem maledixit, vt hinc agnoſcerent eius diſcipuli alijque omnes, quantam Dei iram mereantur & ſuo tempore experturi ſint hypocritæ. Ferunt illuſtriſſimum Comitem, cùm à filio graui offenſione prouocatus fuiſſet, nolletque in ipſum manus conuertere, quem perdere nolebat, viſam filij imaginem in fruſta dilaceráſſe, vt inde filius aduerteret, quàm grauiter parentem offendiſſet. Hoc eſt, quod facto ſuo oſtendere voluit Chriſtus, & quodammodo dicere: *Si in ligno viridi* hæc feci, *in arido quid fiet?* Si in arbore inculpabili, quæ typus tantùm hypocritarum & imago fuit, talem ſtatui vindictam: quantum, exiſtimatis, ipſi veri hypocritæ aliquando punientur? nimirum ſicut ea maledictio arborem illam omni decore & virore ſpoliauit: ita maledictio CHRISTI Iudicis ſpoliabit bonis omnibus & nudabit hypocritas, ita vt præter communem alijs reprobis bonorum confiſcationem, ſingulari pœnæ ſubiaceant ingentis confuſionis; quando nimirum videbunt, ſe bonis ſuis operibus nihil aliud mercedis præter ignominiam & gehennam ſibi promeruiſſe. De his enim dicitur Iob 20. *Gaudium hypocritæ adinſtar puncti. Si aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent: vbi eſt?* Vnde enim iuſti præmia ſibi tollent, inde ſibi pœnas hypocritæ: ex eadem aurifodinâ illi ſibi aurum, hi verò ſterquilinium ſibi eruent: ex eodem agro illi ſibi triticum, hi verò ſpinas metent; & qui videbantur cœleſtem vitam agere & nubes tangere, ſanctorum merita penè attingendo, fient execrabiles velut ſterquilinium. Ita perijt miſerrimè poſtquam altiſſimè aſcendit Abſalon; quia vota ſimulauerat, quæ redderet in Hebron, 2. *Reg.* 15. Sub eo enim prætextu conuentus egit & coniurationem in parentem adornauit, indeque rebellis ei factus, paulò poſt victus & occiſus eſt. Ita & Herodes, qui ſimulauit ſe venturum in Bethlehem vt adoraret Dominum, vltione diuinâ eum perurgente, aquâ intercute & vermium ebullione, præter alios acerbiſſimos dolores extinctus eſt. Baron. Anno Chriſti 8. Iudas item proditor qui ficto oſculo, amici ſpecie, Chriſtum ſalutauit, poſt non multas horas laqueo ſe ſuſpendit. Iulianus quoque Apoſtata, qui adhuc adoleſcens clàm gentilium ſuperſtitioni addictus, metu tamen Conſtantij Imp. foris ſe Chriſtianum, (imò raſâ cute Monachum ſimulauit) vti & initio imperij donec id ſibi ſtabiliret: (apud Baron. Anno 357. & 361.) peſſimè interijt, diuinâ vltione percuſſus & contra Chriſtum exclamans: *Viciſti Galilæe.* Quâ voce ſe ceciſſe causâ iureque plexum eſſe vtique confeſſus eſt. Id quod omnes hypocritæ ante Chriſti tribunal facere debebunt. Nam vt ait S. Gregor. 16. Moral. *Hypocritæ ante diſtrictum Iudicem excuſationem de ignorantiâ habere non poſſunt, quia dum ante oculos hominum omnem modum ſanctitatis oſtentant, ipſi ſibi ſunt teſtimonium, quia bene viuere non ignorant.* Sanè apud hunc eundem Gregor. *lib.* 4. *Dial. cap.* 38. Monachus quidam cœnobij Tongolaton Iconij, qui ſanctitatem & abſtinentiam ſimulabat, interim tamen occultè vacabat comeſſationi & voluptati, moriens conuenientibus ad ſe fratribus faſſus eſt ſuam hypocriſin, addens ſe deuorandum datum eſſe Draconi, qui iam pedes eius caudâ ſtringeret & os ſuum ori eius infereret animamque exſugeret: eoque dicto infælix obijt. Finio cum S. Chryſoſtom. *Hypocrita,* inquit, *ſi bonum eſt bonum eſſe, vt quid vis apparere, quod non vis eſſe? ſi malum eſt malum eſſe, vt quid vis eſſe, quod non vis apparere, ſi bonum eſt bonum apparere, melius eſt bonum eſſe. Si malum eſt malum apparere, peius malum eſſe: ergo aut appare quod es, aut eſto quod appares.*

CONCIO III.

Quid vnuſquiſque debeat, ſibi, proximo, Deo.

Tribus bonis obligatus eſt:

1. Vt ſit iudex erga ſeipſum tum quoad corpus, tum quoad animam.
2. Vt ſit mater erga proximum. Quâ ratione.
3. Vt ſit filius erga Deum. Quomodo.

THEMA.

Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & Quæ ſunt DEI DEO. *Matth.* 22.

SCribit Ælianus *in hiſtor. animal. lib.* 7. *cap.* 13. ſublata aliquando Athenis ornamenta è templo Æſculapij; furem tamen à cane A
proditum fuiſſe. Hunc enim inſecutus canis continuò allatrauit, ita vt nec lapidibus nec buccellis pinguibus abigi potuerit, quoad fur in ſuſpicionem furti venit, prædaque ſpoliatus, pœnas dignas dedit. Videtur mihi hoc calamitoſo tempore ſimile quid contingere. Quid enim ſibi vult ira DEI iam per annos aliquot perpetuò nos inſequens, allatrans & mordens, nunc tumultu bellico, nunc annonæ caritate, nunc peſtilentiâ? Nimirum inſtar canis illius literâ caninâ videtur nobis dicere: *Reddite, reddite, reddite. Reddite quæ ſunt Dei, Deo*: quæ ſunt proximi, proximo: quæ ſunt veſtra, vobis. Cauſam, cur hoc exiſtimem, facit illa DEI vox, ad Cainum data, Gen. 4. *Nónne ſi bene egeris, recipies? ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit*, id eſt, *peccati pœna, quæ quaſi canis aut Cerberus cubans (hoc enim eſt Hebræum, Robets) fores peccati obſidet, tanquam peccati vindex; hic mox, vt malè egeris, tibi aderit, tibi adlatrabit, te mordebit & lanciabit*, ait ibi Cornel. à Lapide. ergo Auditores, reddere nos iubet canis iſte, quæ reddenda ſunt. Quænam verò illa ſint, nunc videndum.

Omnes Chriſtianæ virtutes, vno compre-

Tribus homo obligatus eſt.

henſæ nomine, *Iuſtitia* vocantur. Nec malè; nam iuſtitiæ proprium eſt, vnicuique dare quod ſuum eſt. Tribus autem vniſquiſque obligatus eſt: ſibi, proximo, DEO. His qui, quod debet, reddit, iuſtum ſe eſſe ſciat. Quæ autem illa ſint, explicat Michæas cap. 6. cùm ait: *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Primum debes tibi, ſecundum proximo, tertium DEO. Vis dicam paucis verbis? ſis iudex erga teipſum, mater erga proximum, filius erga DEVM. Atque in his tribus ponit Sanctus Bernardus *ſerm.* 57. *in Cant.* plenam hominis perfectionem, nimirum: vt ſit placens DEO, cautus ſibi, vtilis proximo.

I. Sit iudex erga ſeipſum.

Ergo PRIMÒ ſit Iudex erga ſeipſum. Ita monet Apoſtolus 1. Corinth. 11. *Si noſipſos dijudicaremus,* inquit, *non vtiq; iudicaremur.* Duo autem ſunt, in quæ ſuam exercere iuriſdictionem debet. Primum, Corpus. Et quomodo hoc tractandum? velut aſinus & ſeruus. Et

1. Erga corpus.

quid de his Eccleſiaſticus cap. 33.? *cibaria & virga & onus aſino: panis & diſciplina & opus ſeruo.* Debetur ergo corpori Primo panis ſeu

1.

victus moderatus, minimè exquiſitus aut ſuperfluus: quem & petimus in oratione quotidie. Qui nimio pabulo aſinum paſcit, deprehendet calcitrantem. Similiter qui ſeruo potum tribuit nimium, habebit eum ebrium ſibique rebellem, & ad munia ſua inutilem. Idem expectandum de corpore ſaginato. Caro exſanguis niſi myrrhâ condiatur, citò putreſcit & vermes gignit: ſic & caro noſtra delitijs corrumpitur, amaritudine abſtinentiæ conſeruatur. Secundò diſciplina & compoſitio exterioris hominis in inceſſu, veſtitu, loquelâ: vt ex eius conuerſatione ædificentur

2.

proximi. Vnde Apoſtolus *ad Rom.* 12. ait: *Prouidentes bona non tantùm coram Deo; ſed etiam coram hominibus: Tribus autem modis*, ait S. Bernardus ſerm. de triplici iudicio, *prouidemus bona coram hominibus! habitu, actione, ſermone. Habitu, ne ſit notabilis; actione, ne ſit reprehenſibilis; ſermone, ne ſit contemptibilis.* Et 2. Corinth. 2. vult idém Apoſtolus Chriſtianos eſſe bonum odorem omnibus: *Chriſti bonus odor ſumus*, ait. Vnde ſicut qui contrectant aliquid odoriferum, etiam ipſi odorem contrahunt: ſic verba, geſtus & opera Chriſtiani talia eſſe debent, vt quicunque illo familiariter vtuntur, per illius conuerſationem, quodammodò ſanctificentur. Sic decet vt hæreticos ædificent & imbuant ſuâ conuerſatione Catholici. Tertiò opus, id eſt, labor aſſiduus,

3.

quia etiam hic præſeruat hominem à vitijs quamplurimis, (quæ alioquin gignit otium,) & vtiliter exercet hominem. *Quis vtilior eſt*, ait S. Chryſoſtomus homil. 35. in Acta, is *qui in delitijs, vel qui exercetur? qua nauis, ea qua nauigat, vel ea qua in littore manet? qua aqua, eâne qua fluit, vel quæ ſtat? quod ferrum, an quod ſecat & ſcindit, vel quo nemo vtitur? nónne illud quidem ſplendet, ac argento ſimile eſt; hoc autem rubigine conſumitur, & vbique inutile eſt? Tale quiddam fit etiam in otioſâ animâ. Rubigo enim quædam apprehendit illam, & conſumit ſplendorem ac alia omnia.* Ergo ſicut otioſos homines compingere ſolet Iudex in ergaſtula: ſic faciat quiſque corpori ſuo. Gymnoſophiſtæ, Indorum Sapientes, cùm cibi menſis apponerentur, priùs adoleſcentes interrogabant, quid à lucis ortu didiciſſent vel feciſſent. Qui nihil afferre in medium poterat, impranſus extrudebatur foràs. Apuleius 1. Florid. Simile iudicium exerceat in ſe quiſque. *Si quis non vult operari, nec manducet*, ait Apoſtol. 2. *Theſſal.* 3. ſi enim hoc facit vnuſquiſque ſeruo & aſino ſuo: faciat & ſibi.

2. Erga animam.

Secundò. Anima, cui veluti ciuitati obligatur potiſſimùm ad tria. Primò vt ciuitatem ſeruet & tueatur. Secundò, vt ciues in officio contineat & legibus adſtringat. Tertiò, vt ius dicat. Primò ergo obſeruare debet portas ciuitatis, id eſt, quinque ſenſus & linguam, ne per illas ingrediatur vel egrediatur aliquid noxium, hoſtile vel peſtiferum. De his enim ait Ieremias cap. 9. *Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras,* &c. Quod explicans ſanctus Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinian. capite 7. ait: *Per quinque ſenſus quaſi per quaſdam feneſtras vitiorum ad animam introitus eſt. Non poteſt antè metropolis & arx mentis capi, niſi per portas eius irruerit hoſtilis exercitus.* Ergo ſicut præfecti vrbium in cuſtodiendis portis ſunt cautiſſimi: præſidiarios abhibent, latâ lege, ne promiſcuè admittant quoſlibet, nec niſi ſub iuramento, ſi de peſte aut proditione ſuſpecti ſint: antemuralia erigunt aut ponticulos, qui pro arbitrio attolli poſſunt: addunt vtrinque turres munitas, ſuſpendunt ante portam crates ferreas aut ferro acuminatas, quas deijciunt contra hoſtium ingreſſum: ita muniat quiſque ſenſus ſuos, per quos veluti per portas, mille rerum ſpecies ad mentem inferuntur. Quod vel monet ipſa natura, quæ tot vallis, ambagibus, tunicis, palpebris, ſupercilijs, &c. muniuit ſenſus noſtros. Nec mirum; quia fures per eos ingreſſi, plurimis bonis ſpoliant hominem, vti attentione & ſuauitate orationis, mentis quiete & ſerenitate, ipſaque demùm gratiâ. Quod ſi qui tales fortè irrepſerint, mox cogantur edere nomina ſua, vti fit in aliquibus ciuitatibus: prodantur vt capiantur, ſaltem in examine conſcientiæ.

Secundò. Ciues legibus adſtringat & in officio contineat, potentias videlicet animæ, & Primò appetitum ſenſitiuum cum omnibus ſuis deſiderijs & motibus naturalibus, vt ſunt, amor, odium, lætitia, mœror, deſiderium, ſpes, timor, ira, &c. Hic enim appetitus, cùm ſit animæ pars ignobilior, & bruta magis quàm humana, facit nos vileſcere & potiſſimùm trahit ac terrena atque à cœleſtibus longiſſimè abducit. Et quomodo Eua pellexit Adamum vt oculos attolleret ad arborem interdictum: ita pars illa animæ inferior 1.

rior, infirma & ſenſualis, trahit partem ſuperiorem, intellectum & voluntatem, ad illicita & noxia. Ergo ſicut maritus imperat vxori, & ſicut Iudex vel Magiſtratus diligens perambulat ciuitatem vt tumultuantes in tabernis ciues, vel infames mulierculas coërceat & compeſcat: ita faciat Chriſtianus in ciuitate animæ ſuæ; alioquin non tam Chriſtianus quàm gentilis, carnalis & beſtialis erit. Secundò, Imaginationem ad officium ſuum compellat. Eſt enim inſtar ſerui fugitiui, qui ex ædibus ſe proripit non acceptâ licentiâ, & totum ſæpe percurrit mundum, antequam ſciatur vbi ſit. Eſt fere inſtar beluæ, capreæque fugacis, ſaliens in montibus, tranſiliens colles; ideoque ad præſepe alliganda. Eſt veluti canis, qui, vt fit in quibuſdam culinis, rotam aſſaturæ vertere debet, ſed ſubinde ſeſe proripit & omnes platearum angulos percurrit, omnia rimatur & rodit, nec ſine difficultate & verberibus ad rotæ ergaſtulum impelli poteſt. Ergo comprehendendus eſt hic canis & rotæ alligandus attentæ orationis vel alterius pij ſtudij, vt in eo occupetur & perſiſtat, donec grata DEO aſſatura percoquatur. Tertiò. Ciuibus ingenuis, intellectui & voluntati pacem, quietem & bene agendi libertatem faciat: malè autem agendi ad peſtifera loca excurrendi vias præcludat.

3. Tertiò. Iuriſdictionem in ſubditos ſuos exerceat. Quemadmodum enim Iudex lictorem ſuum habet, qui perambulet ciuitatis plateas, forum, tabernas, officinas: obſeruet legum præuaricatores, blaſphemos, fraudulentos mercatores, rixantes, præceptorum Eccleſiaſticorum violatores, &c. deinde reos deprehenſos citat, examinat, incarcerat & mulctat pro ratione delicti: itaque vnuſquiſque in ſeipſum animaduertat, & Primò perueſtiget ſolerter vbinam deliquerit, deinde citet reos, delicta ſua, ad reddendam rationem: cur ita deliquiſti? quomodo ſic cecidiſti? Poſteà mittat ea in carcerem, mandando ſedulò memoriæ; vt proxima occaſione producantur ad tribunal confeſſionis: interim in ſeipſo non differat ea punire. Superbiam plectat capite, ponendo ſupercilium, terram oſculando, humilitatem ſectando. Auaritiam bonorum proſcriptione, id eſt, eleëmoſynæ elargitione puniat; luxuriam exilio; odium incendio obliuionis; gulam laqueo abſtinentiæ; acediam ergaſtulo laboris, &c. Hoc iudicium in ſeipſos quotidie exercebant, Seneca, Sextius, Cato, homines Ethnici, vt vidimus alibi. Quid ni faciat hoc Chriſtianus?

C. II. Sit mater erga proximum.

SECVNDÒ. Sit mater erga proximum. Iubetur enim ex lege diligere proximum ſicut ſeipſum. Nemo autem hoc meliùs facit, quàm mater diligens filium, qui eſt pars quædam ipſius matris. Ideò in SS. litteris amor matris in filium præfertur omnibus alijs. Et ſic dilexit Dauid Ionatham, optimum ſuum amicum, de quo perempto dixit: *Sicut mater vnicum amat filium: ita ego te diligebam*, 2. Reg.

1. Iam quid facit mater filio? Primò, Alit & veſtit filium (quamdiu id ſibi ipſi præſtare non poteſt filius) & ita quidem ſollicitè, vt ſibi neceſſaria detrahat, quò filio impertiat. Ream etiam ſe parricidij exiſtimaret, ſi filium fame pateretur interire. Ergo fac hoc & proximo tuo, cùm vides eum deſertum & pati neceſſitatem. Alioquin, *qui habet ſubſtantiam huius mundi*, ait S. Ioannes epiſt. 1. cap. 3. *& viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Viſcera, inquit, q. d. deberet ex intimis viſceribus quaſi mater compati filio ſuo, adeoque ſua viſcera ei communicare; ſicut dicimus Germ. **das Hertz im Leib mittheilen**. Ergo vt mater paſcit fœtum in vtero, velut viſcera ſua; ſi non paſcat, occidit: ita & tu proximum fame morientem *ſi non paviſti, occidiſti*, ait S. Ambroſius.

2. Secundò. Inſtruit verbo & exemplo, in loquelâ, in doctrinâ & diſciplinâ Chriſtianâ boniſque moribus; cum illo balbutit & errat, donec errare eum dedoceat. Sic fac & tu proximo, & diſce ab Apoſtolo, qui 1. *Theſſal.* 2. ait: *Facti ſumus paruuli in medio veſtrûm, tamquam ſi nutrix foueat filios ſuos.* q. d. balbutiui vobiſcum in meis ſermonibus, donec loqui vos docerem.

3. Tertiò. Corrigit errantem & caſtigat cum lenitate & moderamine, non cum ira & aſperitate; virgâ, non baculo, vt ferè ſolent patres. Sic corripiens proximum vtere mollitis verbis, ne aliàs correptio videatur non à ratione & beneuolentiâ, ſed ab odio faſtuque proficiſci, ideoque fiat moleſta. Atque ita etiam monet Apoſtolus delinquentem fratrem inſtruendum *in ſpiritu lenitatis. Huiuſmodi inſtruite*, inquit Gal. 6. (Græcè: *erigite* vel *inſtaurate*) *in ſpiritu lenitatis*; quo modo debilem collapſum erigimus.

4. Quartò. Mater lapſum filium, accurrens erigit, & plagam quaſi abſterſura demulcet: ſubuenit afflicto, condolet dolenti, congaudet viciſſim gaudenti: ſic faciendum proximo.

5. Quintò. Suffert eius defectus, imbecillitatem, ignorantiam, fletum; ſordes aliaſque moleſtias omnes amore eius deuorat. Simili ratione *debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere*, ait Apoſtolus ad Rom. 15. & ad Gal. 6. *alter alterius onera portate.* Sic tranant cerui maria, dum ordine natantes, poſteriores ponunt capita cornibus prægrauata in dorſa priorum.

6. Sextò. Ignoſcit offendenti ſe, ſtatimque reconciliatur & excuſat iniurias atque extenuat. Ita excuſa & ignoſce & tu iniurias, quas infert tibi proximus.

D. III. Sit filius erga Deũ.

TERTIÒ. Sit filius erga DEVM. Ita mandauit CHRISTVS, cùm iuſſit nos orare. *Pater noſter, qui es in cœlis.* Idem oſtendunt DEI in nos beneficia, creationis, conſeruationis, alimoniæ, redemptionis, iuſtificationis, adoptionis. Idem requirit imago DEI, quam in nobis expreſſam cernimus, tùm naturalis, quæ conſi-

conſiſtit in naturâ rationali tùm, ſupernaturalis, quæ in gratiâ. Iam quid debet filus Pa-
1. tri? Primò, Honorem. Ideò bene morati filij, cùm manè è lecto ſurgiunt, ante omnia patrem ſalutant & munum eius oſculantur: pone ipſum incedunt adultiores facti, honorem patris tuentur & armis defendere non dubitant. Simili modo nos manè ante omnia DEVM ſalutemus, noſque ipſi commendemus & homagium præſtemus. Deinde ad S. miſſam eundem veneremur, flexiſque adoremus genibus. Si enim David matrem 3. *Reg.* 2. ſi Ioſeph adorauit patrem, *Gen.* 48. nos non adoremus DEVM? Nec minorem honoris eius zelum gerere nos decet. Quis enim æ-
I. quis oculis videat offendi patrem? Crœſi filium nouimus ex muto factum vocalem cùm inhiberet militem, ſtringentem in patrem gladium, exclamando: *O homo, ne Crœſum Regem occide!* Val. Max. *libro* 5. *capite* 4. Et taceamus nos Chriſtiani, cùm videmus offendi DEVM patrem noſtrum? non exclamemus: O homo, ne cæde DEVM, linguâ tuâ, manu tuâ, &c.

2. Secundò, Obedientiam. Bonus enim filius obſeruat nutum patris & mandata eius exequitur hilariter, nullâ aliâ præmij ſpe, niſi vt patri placeat; totuſque ab eius arbitrio regitur & pendet. Vide Iſaac baiulantem ſibi rogum & ambulantem cum patre, velut ouem ad macellum ſuum: quomodo dorſum ſupponit oneri? quomodo patitur ſe ligari? quomodo rogo imponi? eandem debemus Eccleſiæ tanquam ſponſæ CHRISTI, in obſeruandis eius præceptis.

Tertiò, Imitationem in virtutibus & acti-
3. bus heroicis. Sic enim ferè imitantur filij parentes, in loquelâ, inceſſu, moribus. Itaque Chriſtianus imitetur DEVM, cuius imaginem gerit, iuxta monitum apoſtoli ad Eph. 5. *Eſtote imitatores* DEI, *ſicut filij chariſſimi.* Videat, cùm quid acturus eſt, ne gloriæ patris ſui crimen inferat. Scipionis Africani filio, quòd parentis gloriam ſceleribus ſuis obfuſcaret, iuſſit adimi Senatus annulum, parentis effigiem habentem, de ipſius manu. Valer. Max. *Lib.* 3. *cap.* 5. Quid aliud meretur Chriſtianus, qui DEI patris ſui nomen peccatis ſuis inquinat? Dionyſius Tyrannus cùm inaudiſſet filium alterius vxori vim intuliſſe, iratus ei dixit: *An tu aliquando in me tale quid deprehendiſti?* Balth. Chauaſſ. de prud. lib. 2. cap. 11. Idem tibi homo, quandocunque peccas, dici à DEO & CHRISTO puta; nimirum: An tu aliquando in meâ vitâ tale quid deprehendiſti, vidiſti aut legiſti?

Quartò, Patientiam in caſtigatione. Videmus
4. filios ingenuos virgam oſculari & parentibus gratias agere, poſtquam ab iis emendati ſunt. In hunc modum & nos dicamus cum Dauide: *Ego autem in flagella paratus ſum.* Et poſt tribulationem cum martyre Laurentio: *Aſſatus gratias ago.*

Quintò Timorem. Timent boni filij of-
5. fendere parentem, & ideò in ſuis actionibus, oculos ad eum identidem conuertunt, num fortè ipſorum geſta diſpliceant parenti. Sic ambulandum & cum DEO, quia puriſſimi eius oculi facilè offenduntur. Qui campanas fundunt & tormenta bellica ex liquato ære, maximam curam & ſolicitudinem adhibent, ne vel minimùm aberrent, eò quòd vitæ periculum certò ſibi immineat, ſi metalo aſpergantur. Simili modo, crede mihi, cum Deo eſt agendum; quia *Deus noſter, ignis conſumens eſt*, Deut. 4.

Sextò, fiduciam. Recurrunt enim filij 6.
in ſuis neceſſitatibus illicò ad parentem, & ſufficere exiſtimant, ſi modò ſciat pater, quid mali incurrerint vel patiantur. Adhæc ſecurè dormitant, nullâ de re ſoliciti, præſertim cùm ſciunt ſe patrem habere opulentum. Deo ergo confidamus, & neceſſitates noſtras per orationem aperiamus, ad eius gremium recurramus, quaſi ad aſylum ſecuriſſimum.

Et hoc eſt, Auditores, *ſolicitè ambulare cum Deo.* Et quàm hoc ipſum ſolicitè faciendum eſt? Quàm enim honorandus & colendus Deus, ſumma illa eſt auguſtiſſima maieſtas, in cuius conſpectu columnæ cœli contremeſcunt? Quàm ei obediendum, qui *mandauit mandata ſua cuſtodiri nimis*, id eſt, exactiſſimè, & ſub pœna inferni? Quàm ille imitandus, qui cùm Deus eſſet, de cœlo ad nos venit, vt rectè ambulare nos doceret, dum inter tot hoſtes & pericula verſamur? Quàm patienter ferenda eius caſtigatio, quam tot modis commeruimus? Quàm timendus, qui omnia noſtra obſeruat ſemper, & poteſt corpus & animam mittere in gehennam? Quàm ſolicitè inuocandus, in quo ſolo ſpes noſtra poſita eſt, cuius nos omnes mendici ſumus, toti quanti ſumus ab eo dependentes?

Reddite ergo quæ ſunt veſtra, vobis: quæ ſunt proximi, proximo: quæ ſunt Dei, Deo: & fortè experiemini, canem illum, quem diximus, à latratu ceſſaturum, &c.

CONCIO IV

Bona noſtra quomodo cum DEO diuidenda.

1. *Diuidendæ ſunt cogitationes cordis, & quantum fieri poteſt, Deo dandæ.*
2.3. *Sermones, ſtudia & labores, iiſque ex parte Deo dandi.*
4. *Dies quarum feriales Deo danda.*
5. *Opes.*

THEMA.

Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt DEI, DEO
Matt. 22.

NArratur 3. *Reg.* 3. duas mulieres litigaſſe A.
coram Rege Salomone, de filio, quem vtraque contendebat eſſe ſuum. Rex itaque ſapien-

ſapientiſſimo excogitato conſilio, quo deprehenderet veram matrem, iubet infantem in duas partes diuidi & cuique mulieri tradi vnam partem. Quo audito vera mater precari cœpit, vt traderetur infans viuus alteri: ea verò quæ mater non erat, dicebat, *nec mihi, nec tibi ſit, ſed diuidatur*. Atque inde deprehenſum eſt, non hanc, ſed illam, pueri matrem fuiſſe. Simili modo litigant pro homine Deus & Mundus. Deus tanquam creator & Dominus: Mundus tanquam amicus, ſine quo viuere difficile eſt. Sed optimum iudicium fert Chriſtus in hodierno Euangelio: vt nimirum diuidatur, & Deo detur, quod Dei eſt: mundo, quod eſt mundi.

B. I. Cogitationes. Diuidendæ PRIMÒ ſunt cogitationes cordis; quæ quidem vulgò parui æſtimantur, cùm tamen maximi æſtimandæ ſint, vtpote fætus nobiliſſimæ matris, ſcilicet intellectûs; ideoque à Deo magnopere deſiderantur, vt circa ipſum verſentur & non circa vana & ſæcularia. Hinc enim dicit ſponſæ, id eſt, cuiuis animæ iuſtæ Cant. 8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*. q. d. fac mei ſemper memineris & de me ſemper cogites: ſicut ſolent, qui ſignum aliquod memoriæ ſibi conſtituerunt. Cera à ſignaculo recipit eius formam & ſimilitudinem: ita cor noſtrum Dei actualem ſimilitudinem, cùm de ipſo cogitat. Deſiderat igitur Deus, vt quantum fieri poteſt, ſemper in ipſius & diuinarum rerum contemplatione verſemur, ſicut & ipſe ſemper in contemplatione ſummi boni verſatur, adeòque ipſi actu aſſimilemur. Sed tamen contra hoc Mundus proteſtatur, & ſicut Pharao Hebræos laboribus adeò occupauit, vt de Deo & ſacrificio ſuo cogitare non poſſent: ita & ipſa rapere ad ſe conatur omnes cogitationes noſtras, eò quòd multa neceſſariò peragenda, diſponenda, quærenda, accipienda, eroganda ſint ad alendum corpus, liberos, familiam, amicitiam conſeruandam, &c. Quid igitur faciendum? diuidantur hæ cogitationes, & pars Deo tribuatur, quando omnes non poſſunt; pars Mundo neceſſaria. Nulla dies prætereat, quin ſepiùs de Deo ſummo bono, & rebus ad eum pertinentibus cogitemus. Cur hîc ſum? à quo creatus & ad quem finem: cur animam rationalem & immortalem accepi? & quam diu hîc morabor? Et quis tandem ſtatus animam meam excipiet? Quid reſpondebo aliquando Iudici illi? quî ſe habet conſcientia mea? num in hoc ſtatu mori auderem &c. Memorare item quotidie nouiſſima tua & ſimilia, Hoc enim primò eſt æquiſſimum, tùm quia Deus eſt, intellectûs noſtri obiectum nobiliſſimum maximéque neceſſarium, & ſcopus omnium actionum noſtrarum, ad quem in omnibus operibus noſtris collimare debemus, adeóque eum ſemper præ oculis habere: tùm quia ab ipſo omnibus momentis vitæ noſtræ dependemus, tum quia alioquin apertè demonſtramus, nos Deum nihil amare, qui nunquam aut rariſſimè ac præter intentionem noſtram, ipſius recordamur; ſiquidem amantis cor ibi eſt, vbi amat; ſeu vt Dominus ait: *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, Matthæi 6. Hinc dixit Dalila Samſoni: *Quomodo dicis, quòd ames me, cùm animus tuus non ſit mecum*? Iudic. 16.

Quãtum fieri poteſt, Deo danda. I.

2. Secundò id eſt iucundiſſimum; memoria enim Dei omnem è corde noſtro pellere triſtitiam poteſt, vt expertus eſt Dauid, qui dixit: *Renuit conſolari anima mea*, (quantumuis blandirentur carnales voluptates) *Memor fui Dei & delectatus ſum*, Pſal. 76. Eſt enim aliqua beatitudinis ſcintilla & portio, Deum cogitare; ſiquidem ipſa beatitudo conſiſtit in Dei viſione intellectuali. Quis non gaudeat, ſi conſideret ſe habere maximum, æquiſſimum, ditiſſimum, mitiſſimum Deum, & hunc ſibi à nemine auferri poſſe; hunc à ſe omni loco & tempore inueniri poſſe: apud hunc ſe falſò accuſari non poſſe.

3. Tertiò quia vtiliſſimum. Eiuſmodi enim cogitationibus, vel momentaneis, non tantùm paſcitur & roboratur animus, ſed etiam magna acquiruntur merita; cùm viciſſim cogitationibus ſæcularibus tempus vt plurimum malè impendatur. Vnde S. Hieronymus in Pſal. 39. ait: *Vultis ſcire quoniam cogitationes hominum vana ſunt? Pater & mater nutriunt filium, promittunt ſibi de illo fœlicitatem, mittunt ad ſtudia, erudiunt: venit vſque ad adoleſcentiam: diſponunt vt etiam militet: cum omnia cogitauerint per annos 30. vna febricula venit & tollit omnes cogitationes. O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane! Vna cogitatio felix, cogitare de Domino*. ſic ille.

C. II. Sermones. SECVNDÒ. Qui ſunt ſermones noſtri, quos conferimus ad inuicem? Omnes penè de victu & veſtitu, de epulis & conuiuijs, de lucro, de mercimonijs, de bello, de rebus nouis, &c. nihil penè vnquam de Deo & rebus diuinis: imò qui tale quid in medium proferret v. g. ſub conuiuio, rideretur, non audiretur. Sed quo hæc iure? Qui tibi ſermonem & linguam cedit, an non & ſibi quoque partem aliquam ſermonis vendicat? Sanè Apoſtolus Petrus dicit: *Si quis loquatur quaſi ſermones Dei*. 1. Pet. 4. Itaque iure diuidimus ſermones noſtros, & partem quidem rebus ſæcularibus damus, partem verò Deo. Hoc primò æquiſſimum eſt; quia ſi Deum in corde gerimus & ſincerè amamus, de ipſo libenter loquemur, agemus vel audiemus; *ex abundantiâ etiam cordis os loquitur*: vt taceam beneficia Dei quotidiana, quæ meritò extollere per gratiarum actionem deberemus, & dicere cum Daniele, pro cibo ſibi in lacum miſſo gratias agente: *Recordatus es mei Deus*. Itaque in templo ſaltem, in proceſſionibus & diebus feſtiuis ſermo noſter ſit de Deo & rebus diuinis; cùm pulſatur ad orationem: in die communionis & confeſſionis: veſperi in examine conſcientiæ, &c.

Et ipſi ex parte Deo dandi. I.

2. SECVNDÒ quia hoc etiam iucundum eſt, ideò enim Dauid cum tædio aliquo laboraret, pſalmos canere ſolebat. Vnde ait Pſ. 118.

Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ: Idem ſuadet Apoſtolus ad Epheſ. *Implemini Spiritu S. loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris.* Quis enim non recreatur peregrinus, ſi audiat ſermones de terrâ ſanctâ ad quam tendit? quis non de ea libenter legit, loquitur, interrogat? Atqui nos omnes tendimus ad terram illam ſanctam beatitudinis cœleſtis. Certè olim tempore S. Hieronymi etiam ruſtici inter labores ſuos ſacra cantica canebant, aratores, meſſores, vinitores, vt teſtatur ipſe *epiſt. 17. ad Marcellam.* Item infantes cùm fari incipiebant, *alleluia*, primam vocem diſcebant. Idem ad Latam. Tempore S. Baſilij etiam ruſtici cantabant, *Gloria Patri & Filio*, &c. teſte Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 7. & 29.

3. Tertiò idem quoque ſaluberrimum. *Vbi enim duo vel tres in nomine meo fuerint congregati, ibi in medio eorum ſum,* ait Dominus, idque præſtitit diſcipulis euntibus in Emaus, de paſſione eius colloquentibus. Sicut è contrà abſque dubio cùm profana, turpia, & detractoria colloquia fiunt, diabolus in medio adeſt, exultans, inſtigans & tripudians.

D. III. *Studia & labores.*

TERTIÒ. Si ſtudia, labores & induſtrias noſtras conſideremus, omnes penè ſibi vendicat Mundus. Velut enim formicæ diſcurrimus in terrâ, & totis viribus incumbimus ad victum & veſtitum parandum, ad nundinas, ad agriculturam, ad opificia, &c. quibus paupertatem arceamus & diuitias comparemus. Sed quid ad hæc Dominus noſter? *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terrâ, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo neque tineà demolitur, & vbi fures non effodiunt.* Matth. 6. Et Ioan. 6. *Operamini non cibum qui perit; ſed qui permanet in vitam æternam.* Ecce induſtriam noſtram Deus petit: petit etiam Mundus. Quid ergo faciendum? Optandum quidem eſſet vt ſemper Deo vacare poſſemus, ſed quoniam id nobis impoſſibile eſt, diuidatur labor, & pars Mundo aſſignetur ad ſuſtentationem corporis, pars Deo ad ſuſtentationem animæ. Itaque nulla dies ſine lineâ boni operis nos prætereat. Si enim Titus Imp. nullam prælabi diem paſſus eſt, quin alicui benefaceret: & cùm id aliquando omiſiſſet, dixit. *Amici, diem perdidi:* quanto magis decet, vt nos Chriſtiani hoc agamus? nos enim quæ hîc agimus, in cœlo reponimus, & ſuo tempore inueniemus. Vnde ſi parum ibi repoſuerimus, cùm potuiſſemus multa: nónne tunc dicturos nos putamus: *Amici*, heu quot dies *perdidi*? Si quærere poſſemus ex damnatis & purgantibus animabus, omnes penè reſponderent: Heu mihi quot dies perdidi! Domitianus Titi frater prorſus fratri diſſimilis & ignauus erat, tempuſque in muſcis capiendis terebat. Tales ſunt, qui ſoli mundo vacant. Perit itaque labor, quem corpori impendimus: ſolus ille manet, & reponit lucrum in cœlo, quem animæ impendimus vnde Eccleſiaſt. c. 2. ait: *Quid proderit homini de vniuerſo labore ſuo & afflictione ſpiritûs, quâ ſub ſole cruciatus eſt?* Qui duos equos habet, ex æquo pabulum eis diuidit: nos habemus corpus & animam: vtrique ergo cibum demus, ſuum cuique debitum.

Secundò exigit hoc præmij cœleſtis incomparabilis excellentia. 2. Quia *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* An non igitur decet, vt ſtrenuè pugnemus, & heroica facta deſignemus pro tam grandi præmio? Non quotidie parabimus aliquid meriti pro mercede æterna? ſi enim totos dies, ſeptimanas, menſes, annos, ſæculo impendimus, & nihil ſpiritualis lucri facimus: quâ fronte, quo animo mercedem æternam expectamus, & aliquando petemus? Audi Apoſtolum 1. Theſſal. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.*

E. IV. *Dies.*

QVARTÒ. Dierum etiam noſtrorum facienda eſt diuiſio: operarij mundo dandi, feriales verò Deo: quoniam illos vocat Deus *ſuos* Ezech. 20. *Sabbatha mea violauerunt*, &c. Et Exod. 35. *Septimus dies erit vobis ſanctus*, id eſt, Deo dicatus. Demus itaque Deo, quæ ſunt Dei; quod ſi fecerimus, dabit etiam nobis Deus, quæ ſunt noſtra, victum & ſuſtentationem. Hanc enim tamquam communis pater dabit, ſi quæ ipſius ſunt, non abſtulerimus: negabit verò diffidentibus & ex diffidentiâ operantibus. Quemadmodum Petrus non cœpiſſet mergi, niſi dubitaſſet ambulans ſuper mare: pari modo nos nihilo plus egeremus, ſi diebus feſtis à labore ſuperſederemus, confiſi in Deo. Sed quoniam Deo diffidimus, inde mergi & egere incipimus.

Quòd ſi potiorem temporis partem ſelegiſſet Deus ad ſeruitium & cultum ſuum à nobis impendendam: eſſet fortaſſe, cur excuſaremus. At nunc ſelegit ſibi longè minorem.

QVINTÒ. Sed quid de ſubſtantiâ noſtra? nihilne Deo dabimus? Cur ergo omnes nationes etiam Ethnicorum Dijs ſuis libabant de ſuis poſſeſſionibus? Certè Salomon duplo plus expenſarum conſumpſit in ædificatione templi, quàm in ædificio domûs propriæ. 3. Reg. 6. Et cur Deus noſter præcepit Prouerbior. 3. *Honora Dominum de tua ſubſtantiâ?* Quanquam non quærit bona noſtra Deus, ſed honorem ſuum, vt exiguam ſaltem offerendo partem, pro more omnium gentium, proteſtemur nos eſſe quaſi fundatarios ipſius & ab ipſo habere omnia.

F. V. *Opes.*

Nulla adhuc lex extabat, quando Cain & Abel obtulerunt Deo, ille de fructibus terræ, hic de primogenitis gregis ſui: natura ſola inſtigauit eos ad hoc faciendum. Sed contrà inſtat mundus, & opes omnes profundi in liberos, amicos, veſtium ſplendorem, famulorum turbam, canes, moriones, fidicines, popinam iubet. Sed quàm hoc iniquum eſt, habere quod profundas in mundum & vanitatem: & non habere quod communices Deo & eius pauperibus? & cuinam Dominus æquiparat talem hominem? Diuiti illi ſtulto, qui

qui dixit: *Anima mea, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare*: nocte verò inſequente audiuit Deum ſibi dicẽtem: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cuius erunt*? ſubijcit enim immediatè Dominus: *Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues*, Luc 12. Diuites in Mundum multi quidem ſunt: ſed non item in Deum. Vis ergo non idem tibi euenire, quod contigit ſtulto illi; vide, vt etiam erga Deum diues ſis.

Id verò non ſolùm æquum, verùm tibi ſalutare quoque eſt; tali enim munere non tam debitum tuum reddis, quàm Deum nouo tibi beneficio obligas, vt centuplum tibi reddat. Prouides etiam tibi in ſæculum futurum. Certè ſi duas arces haberes, & in vnâ hybernare deberes, nónne per æſtatem eò præmitteres victualia, quæ ibi non habentur, vinum, frumentum, butyrum, &c? omninò id ageres. Atqui nos in cœlo perennare cupimus, cur igitur non præmittimus partem noſtræ ſubſtantiæ; ſiquidem dicit Apoſtolus 2. Cor. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, id eſt liberaliter & largiter? Alioquin meritò aliquando reprehendemur à Deo & toto mundo, quòd cùm tam facilè mercari nobis cœlum poſſemus, omiſerimus. Turcicæ hiſtoriæ referunt, Turcarum Imperatorem Mahometen anno 1453. cùm Conſtantinopolim cepit, comportari ciuium armillas, annulos & torques in vnum cumulum (qui maximus euaſit) medio in foro iuſſiſſe, viſoque eo cumulo cum ſtupore, obiurgaſſe ciues, quòd hoc auro non ſint vſi ad defenſionem ciuitatis; ſiquidem eo facto nunquam occupanda fuiſſet. Simili modo Deus, cùm aliquando capiet animas noſtras in articulo mortis, obiurgabit nos, quòd tam inconſultò omnia noſtra impenderimus, & nihil ferè pro animarum noſtrarum ſalute expendere voluerimus. Serue piger & ignaue, dicet; quare non dediſti pecuniam tuam ad menſam (pauperum) vt cum fænore eam reciperes?

At quid de illis dicimus, qui deteriora Deo offerunt? Scribunt Veteres, viatorem fuiſſe, qui vouerit è re, quam inueniſſet, dimidium Mercurio: porrò ſacculum inuenit nucibus plenum. Itaque nucleos ipſe comedit, cortices numini obtulit, quaſi dimidium quod vouiſſet. Tales hodie non paucos inuenire eſt. Nónne verò cum his expoſtulare poteſt Deus, vti olim Caino, cui dicebat: *Nónne ſi rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccaſti?* (vt habent 70. Geneſ. 5.) Quod S. Ambroſius, Auguſtinus & Chryſoſtomus ſic exponunt: *Quia in rectâ diuiſione prima ſecundis, cœleſtia terrenis præferenda ſunt: Cain autem primas ſibi, ſecundas dabat Deo, ideoq; non rectè cum Deo diuiſit*. Quàm multi autem tales, qui prima & meliora ſibi, ſecunda & deteriora Deo dant? Primæ eorum cogitationes de lucro, de conuiuijs, de voluptatibus & honoribus ſunt: poſtremæ de Dei cultu, amore & honore. Primi ſermones de rebus nouis & ludicris, de ludis, equis, canibus, venationibus, haſtiludijs: vltimi de rebus pijs & ſerijs. Primi eorum labores, curæ & ſolicitudines de victu & amictu: vltimi de paſcendâ animâ verbo Dei & Sacramentis. Primos & meliores iuuentutis dies mundi ſeruitio impendunt: poſtremos & viliores ſenectutis, pietati & pœnitentiæ dicare volunt. Meliora de ſubſtantiâ ſuâ in pellices, gnathones, mimos & ſcurras effundunt, deteriora pauperibus abijciunt. Hoccine non eſt nucleum comedere, & corticem Mercurio offerre? rectè quidem offerre, ſed non rectè diuidere? Tu igitur, mi Chriſtiane, ne Cainum imitare, ſed Abelem, qui obtulit Deo primos & meliores fructus, de primogenitis gregum ſuorum & de adipibus eorum, &c.

CONCIO V.

Imago Dei in homine quoad multa.

1. *Imago Dei naturalis propriè eſt in mente hominis, ſecundùm ſex animæ dotes.*
2. *Minùs propriè eſt in homine multipliciter.*
3. *Impropriſſimè ratione fabricæ corporis.*
4. *Altera Dei in homine imago ſupernaturalis eſt, & conſiſtit in gratia.*

THEMA.

Cuius eſt hæc imago? Matth. 22.

A. IN more habent domini, vt mancipiorum ſuorum frontibus inurant ſtigmata ſeu ſigilla ſua indelebilia, teſte Cælio Rhodigino *lib. 7. cap. 31.* quò nimirum ea in ſeruitute ſuâ contineant, & ſi fortè aufugerint, è ſtigmate deprehendant, atque in ergaſtulum reducant. Creatus eſt homo à Deo, vt ſeruiret illi, quia Deut. 6. Deus dixit: *Dominum Deum tuum timebis & illi ſoli ſerues*. Quare vt fortiùs hominem obligaret ad ſeruiendum ſibi, indelebile ſtigma ei impreſſit pulcherrimæ imaginis ſuæ, adeò vt ſi fugere conaretur, & alteri adhærere domino, hoc ſigno deprehendi poſſet & redargui tanquam fugitiuus, denique ad Dominum ſuum reduci. Sic enim Dauid Pſ. 4. ait: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine*. Ita nimirum amauit Deus hominem, vt propriâ imagine eum inſignierit, quo palàm oſtenderet ſe hominis dominum & poſſeſſorem proprium eſſe velle. Sic generoſo cani, quem perdere non vult dominus, circumdat collare ſuis decoratum inſignibus. Hoc tamen nihil obſtante quamplurimi mortalium ſubducere ſe à legitimo ſuo domino conantur, & adhærent alieno, imò nec in ſe agnoſcere volunt imaginem Dei ſui. Qui proinde, ad ſpeculum adducendi ſunt & interrogandi: *Cuius eſt hæc imago?* Quod in præſenti faciemus.

B. Imago Dei naturalis. Imago Dei in homine duplex aſſignari poteſt; naturalis & ſupernaturalis. Naturalis tripliciter. Nam principaliter & propriè loquendo

I. Propriè eſt in mente hominis. quendo, conſiſtit in mente hominis, ſiue in eo quòd homo in ſummo rerum gradu ſit, in quo eſt Deus & Angelus: videlicet, quòd ſit naturæ intelligentis. Quatuor enim ſunt generales gradus naturæ, & quatuor ſumma rerum genera. Alia namque ſolum habent eſſe, vt lapides & metalla: quædam præterea vitam, vt ſtirpes; nonnulla inſuper ſenſum & motum, vt animalia, denique alia in ſummo gradu conſtituta, præter hæc mente, ratione & ſapientia pollent: in quo tamen gradu infinita latitudo eſt, quia perfectio diuini intellectûs infinito interuallo maior eſt, quàm hominis aut Angeli. Ex quibus patet, in ſolo homine Dei imaginem reperiri: in inferioribus creaturis non niſi veſtigium quoddam: ſicut ferè in aureis & magnis monetis effigiantur Principum imagines, in minoribus verò & vilibus inſignia tantùm. Omnis quidem creatura Deo quodam modo aſſimulatur: ſed ad rationem imaginis requiritur ſimilitudo ſecundum vltimum rei & propriiſſimum: non ſufficit quæcunque; ſicut ad rationem ſimilitudinis vnius hominis cum alio, non ſufficit ſimilitudo manûs aut pedis: ſed ſimilitudo faciei & vultûs. Quædam ergo creaturæ aſſimulantur Deo in eſſe, quædam in vitâ, quædam in ſenſu: alia denique in mente, quæ eſt quaſi vultus Dei vt *Pſalm.* 4. dicitur: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine.* Quoniam igitur ſoli poſt Angelum homini data eſt mens, quâ vera & ſolida bona à falſis diſcernere & eligere poteſt, hinc apparet, quantum obligetur homo, vt ſectetur iuſtitiam, virtutes, Deum. Vnde S. Auguſt. tr. 8. in 1. ep. Ioan. ait: *Vbi factus eſt homo ad imaginem Dei? In intellectu, in mente, in interiore homine, in eo quòd intelligit veritatem, dijudicat iuſtitiam & iniuſtitiam, nouit, à quo factus eſt, poteſt intelligere Creatorem ſuum, laudare Creatorem ſuum. Ideo multi cùm per cupiditates malas detererent in ſe imaginem Dei, & ipſam quodammodò flammam intelligentiæ peruerſitate morum extinguerent, clamat illis Scriptura: Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, hoc eſt dicere: Præpoſui te equo & mulo, te ad imaginem meam feci, poteſtatem tibi ſuper iſta dedi. Quare? Quia non habent fera rationalem mentem, tu autem rationali mente capis veritatem, intelligis, quod ſupra te eſt, ſubdere ei qui ſupra te eſt, & infra te erunt illa, quibus prapoſitus es.* hæc Auguſtinus.

Secundò ſex animæ dotes. Porrò hic gradus naturæ intelligentis ſex dotes & eximias proprietates habet, in quarum modo vnâ, modo aliâ SS. Patres ſubinde hanc Dei imaginem collocant, partialiter ſcilicet & incompletè. *1. Quia incorporea & inuiſibilis.* Primò. Anima rationalis eſt incorporea & inuiſibilis, vti & ipſe Deus: & in hac collocat S. Auguſt. *in l. de Eccleſiaſt. dogmatib.* Tametſi verò incorporea & proinde inuiſibilis eſt anima, eius tamen eximia pulchritudo ex effectibus deprehenditur, ſicut & Dei pulchritudo ex pulcherrimis eius facturis. Quid enim eſt, quod facit corpus hominis ambulare, currere, luctari, loqui, ridere, ludere, canere, pulſare organa, videre, ratiocinari, &c? nónne anima? quid eſt, quod facit id tam formoſum & aſpectu gratum ac gratioſum niſi anima? quid enim corpus ſine animâ? omnis igitur pulchritudo corporis, mutuata eſt ab animâ: ſicut omnis pulchritudo creaturarum & perfectio à Deo; vt proinde ipſe fons ſit omnis pulchritudinis. Porrò in rerum naturâ experimur, quò ſubtiliora & magis ſpiritualia ſunt elementa, eò altiùs ferri, & maiori cum impetu aſcendere: ideò ignis qui eſt maximè ſubtilis & quaſi ſpiritualis, ſupremum ſibi inter elementa locum vendicat, eoque maximo fertur impetu. Quoniam ergo anima purus eſt ſpiritus, ſurſùm petit & cœleſtem habitationem quærit, ſicut terreum corpus terram. Vnde qui terrena ſectantur, animæ ſuæ violentiam inferunt, eamque velut ignem in ſpecum recludunt, qui toto impetu conatur erumpere. Et hinc eſt, quòd cor noſtrum ſemper inquietum eſt in terrâ, donec requieſcat in Deo, quia hîc eſt in exilio & peregrino loco: patriam in cœlo habet. Vnde Dauid: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & requieſcam?* Qualis igitur pœna erit, cùm ſpiritus cœlo natus, detrudetur in profundum inferni, & ibi æternùm alligabitur? Cùm filius tanti patris prodigus videbit ſe eſſe inter porcos? Anguſtiatur noſter ſpiritus in terrenâ habitatione, velut piſcis extra aquam, & nullibi reperit quietem: magis adhuc angitur & reclamat, cùm deprimitur per peccatum ad terrenas cupiditates; quantum igitur anguſtiabitur, cùm deprimetur ad infernum? Atque hinc exiſtit pœna damni in inferno.

Secundò eſt immortalis, vti & Deus: & in hoc collocat rationem imaginis Origenes, vt refert Beda in expoſi. allegoricâ libri Geneſ. *2. Quà immortalis.* Deus quamuis in hoc mundo ſit, non tamen ab eo dependet, nec interit, etiamſi cœlum & terra perirent: ſimiliter anima rationalis etſi in corpore ſit mortali, eo tamen moriente, non moritur. Et hinc Dominus ſecuros nos eſſe iubet à perſecutoribus quibuſcunque: *Nolite timere eos*, inquit, *qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Quis enim non lætus & ſecurus incederet inter latrones, ſi ſciret ſibi plus ab iis auferri non poſſe, quam veſtem? Et propterea SS. Martyres intrepidi prodierunt in conſpectum Tyrannorum, quia nouerant ſibi vitam animæ eripi non poſſe. Quòd ſi immortalis eſt anima, quemadmodum & Deus, Deo igitur debetur, quoniam ipſe eſt fons vitæ; & cœlo, vbi ſola vera eſt vita. In inferno enim non niſi mors eſt; hoc eſt, vita miſerrima & ipsâ morte triſtior: vbi optabitur mors, & non obtinebitur. Quàm ſolliciti ergo deberemus eſſe pro animâ noſtrâ, vt eam tuto & bono loco reponamus, quoniam vbi repoſita fuerit, ibi æternùm manebit. Qui per vanam noctem cubituri in lecto ſumus, priùs eum ſternimus, vel ſterni nobis facimus, vt vel paucis horis ſuauiter quieſcamus: quod ipſum naturâ inſtigante canis facit. Quid ergo non diligentiæ adhibendum, vt animæ noſtræ lectum bene componamus,

ponamus, in quo æternùm iacebimus? Erit ſanè ille vel mollis gloriæ culcitra, vel carbones inferni ardentes.

3. *Quia eſt intellectu memoriâ & voluntate prædita.*

Tertiò eſt intellectu, memoria & voluntate prædita: ſicut in Deitate eſt Pater, Filius & Spiritus S. in quo ponit imaginem Damaſcenus. Ea verò perfectiùs cernitur in harum potentiarum actibus; ſicut enim Deus Pater per intellectum ſe cognoſcẽs producit Verbum, puta Filium; eumque amando, producit vnà cum ipſo Spiritum ſanctum; ita homo intelligendo ſe producit in mente ſuâ verbum intelligibile, ſuiipſius expreſſiuum ſibique ſimile, atque inde prodit in voluntate eiuſdem amor. Ita S. Auguſt. *l.*10. *de Trinit.ca.*20. Hac ratione adumbrat homo in ſe duas in SS. Trinitate proceſſiones, vnam Filij per modum verbi intelligibilis: alteram Spritus ſancti per modum amoris: præſertim verò, vt notat S. Auguſtinus *l.*14. *de Trinit.* ſi homo cognoſcat Deum & amet, tunc enim propriè in animâ Dei imago reſultat. Et quidem ſi ad Dei imaginem has dotes accepimus, æquum eſt, vt ad finem deſtinatum eis vtamur, intellectum non in mundi vanitatibus, mendacijs, fraudibus & nugis, ſed in contemplatione diuinarum & honeſtarum rerum occupemus: quemadmodum Deus perpetuò verſatur in contemplatione ſummi boni; Voluntatem non in creaturarum ſed in Dei amorem feramus, quomodo ipſe Filium per Spiritum ſanctum amat: Memoriam in diuinorum beneficiorum recordatione firmemus. Alioqui ſi intellectum, memoriam & voluntatem noſtram deflectamus ad terrena, iam peregrinam imaginem imagini diuinæ ſuperinducimus. Speculo enim ſimilis eſt anima noſtra, qualem ei imaginem oppoſueris, talem ipſa repræſentabit. Statuis intellectum, memoriam, voluntatem tuam ante Bacchum? Bacchum repræſentabunt. Ante Venerem? Venerem repræſentabunt. Ante Mammonam? Mammonam repræſentabunt. Ante Deum? Deum repræſentabunt.

4. *Quia habet liberum arbitrium.*

Quartò eſt liberi arbitrij & dominus ſui ſuorumque actuum. In quo ponit imaginem Dei Ambroſius *lib.*6. *hexaem. cap.* 8. Damaſcenus *lib.* 2. *orthod. fidei cap.*12. Sicut enim Deus omnium Dominus eſt, & à nemine cogi poteſt, ſic & homo à nullâ creaturâ poteſt cogi. Gladium libertatis habet Deus, gladio etiam libertatis accinxit hominem. Non ſolùm conceſſit ei Deus mundum vniuerſum, ſed etiam vt ſuiipſius dominus eſſet; quia dixit Caino: *Subter te erit appetitus tuus.* Vt ergo magnum eſt priuilegium, ſiquis immediatè ſoli ſummo Pontifici ſubiaciat, & ab omni aliâ inferiori iuriſdictione exemptus ſit: ita maximum eſt hominis priuilegium, libertas, cui nemo præter Deum vim aut neceſſitatem inferre poteſt. Quare cùm naturâ liber factus ſit homo, turpiſſimum ipſi eſt, ſi ſe voluptatibus, ſcortis, diabolo denique ſubijciat & captiuum det: ſicut Samſon, qui cùm omnia vincula rupiſſet, nec ligari poſſet, Dalilæ ſe ligandum præbuit, in cuius ſinu dormijt, & robur ſuum depoſuit. Audi S. Baſilium hom. 10. in hexaem. *Animal itaque es, ô homo,* inquit, *imperio natum. Ecquid miſeram hanc affectuum ſeruis ſeruitutem? Ecquid te dedis peccato tu vile mancipium? Cur tuapte ſponte mancipium te, & captiuum conſtituis diabolo? Iuſſit te Deus in creaturis principem locum tenere: & ecce tanti principatûs dignitatem à te excutis & repellis. Sed ſeruus vocatus es? En habes rationem, vitioſi omnis affectûs planè dominatricem, &c.* ſic ille. Certè auicula, cui natura libertatem dedit, cùm in caueam mittitur, nunquam ferè interquieſcit, ſemper exitum quærit. Multò acerbius eſt animæ captiuitas, cùm diabolo per peccatum mancipatur. Sed quanto triſtior erit homini ſeruitus inferni, cùm perpetuò perditiſſimis ſpiritibus ſubeſſe, eidem loco affixus hærere & acerbiſſimis pœnis ſubiectus eſſe debet.

5. *Quia capax virtutis, ſapientiæ & gratiæ.*

Quintò eſt capax virtutis, ſapientiæ, gratiæ, gloriæ & omnis boni: quemadmodum omnis bonitatis plenitudo eſt diuinitas. Et in hoc ponit imaginem Dei, Nyſſenus in hexaemeron. Sicut etiam Deus non poteſt ſatiari vllâ re niſi ſeipſo: ſic & animæ capacitas nequit impleri, niſi ipſo Deo. Vnde S. Macharius hom. 43. ait: *Sicut pupilla oculi, cùm ſit exigua, tamen eſt vas ingens, quoniam intuetur vnà cælum, aſtra, ſolem, lunam, vrbes & alias creaturas,* &c. *hoc pacto ſe habet mens in corde.* Vt ergo oculus omnium in ſe rerum ſpecies recipere poteſt, ſic & anima hominis omnia bona. Et ſicut oculus viſâ ſemel aliquâ re, mox aliam videre deſiderat nec ſatiatur vnius rei creatæ aſpectu: ita & animus hominis nullâ re creatâ ſatiari poteſt. Quare cùm capaces ſimus ſummi boni, & ad id percipiendum facti: cur relicto illo, nugas quærimus? An non ſtultus foret filius, qui cum prodigo illo impatiens moræ donec totam hæreditatem adeat, petit vel elegit ſibi portionem ſubſtantiæ ſuæ, & in tabernâ prodigit? Nihilo plus ſapit, qui modicâ voluptate præſenti contentus, ſummum bonum futurum negligit.

6. *Quia dominatur animantibus.*

Sextò. Eſt domina & imperatrix ſuper omnia animantia: ſicut Deus omnium rerum dominus eſt. Et in hoc ponit imaginem, Baſilius *hom l.* 10. *in Geneſ.* Et hanc rationem indicaſſe videtur Deus, cùm dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæq; terræ.* Propter hanc etiam rationem ait Apoſtolus 1. Corinth. 11. imaginem Dei eſſe in viro, non in muliere; quia ſcilicet vir nemini ſubſit, mulier autem ſubſit viro. Datum ergo eſt homini plenum dominium ſuper animantia, vt poſſet animalia capere, coërcere & ſine iniuriâ occidere, ad ſui recreationem vel ſuſtentationem. Quod vehementer admirans Dauid ait: *Domine quid eſt homo quòd memor es eius? Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius; oues & boues,* &c. Poſitus enim eſt homo velut Dei Vicarius & prorex in Mundo ſuper omnes creaturas; Vnde

in

in Euangelio vocatur à Chriſto Dei *villicus*. Et quidem huius dominij vſum plenum habuit homo ante peccatum, vbi omnia animalia ad nutum homini parebant: poſt peccatum verò vſus ille maiorem in modum imminutus eſt. Ex quo enim homo rebellauit Deo, cœperunt & quam plurima animalia rebellare homini, ita vt non niſi magno labore & induſtriâ coërceri & capi queant: cuiuſmodi duo potiſſimum genera ſunt, vt annotauit Hugo de S. Victore in annotat. ſuper Geneſ. maxima ſcilicet, vt leones, tigres, phantheræ; quò homo intelligeret ſe illâ excellenti poteſtate, quam à Deo acceperat, fuiſſe priuatum; deinde minima & viliſſima, vti muſcæ, pulices, & culices, &c. vt hinc colligeret, quantam in vilitatem propter peccatum delapſus & abiectus ſit. Quam ob rem DEVS vt puniret Ægyptios, non miſit in eos leones aut tigrides, ſed muſcas, cyniphes & locuſtas. Elucet nihilominus in hac punitione, Dei erga hominem benignitas; ſiquidem eius obedientiæ ea tantùm ſubtraxit animalia, quæ ad declarandam magis dignitatem & excellentiam hominis quàm ad eius utilitatem pertinebant; vt ſunt magna & ſæua animalia; reliquit autem ei, quæ emolumentum vel ornamentum aut oblectamentum illi afferre poterant. Ceterùm quia horum villicus eſt homo, audiet aliquando à Deo: Redde rationem villicationis tuæ.

C. II. Minus propriè in aliis prærogatiuis. SECVNDO. Minùs propriè imago Dei eſt in homine multipliciter. Primò, quia ſicut Deus continet in ſe eminenter omnes creaturas: ſic homo omnes rerum gradus, eſſentiam inanimatorum, vitam ſtirpium, ſenſum animalium, mentem Angelorum ac Dei. Et hinc dicitur Microcoſmus. Habet in ſe mixta inanima, vngues & pilos: animata non ſentientia, vt oſſa & dentes: ſentientia rationis expertia, vt carnem & neruos; mentem denique intelligentem. Continet præterea in ſe rationalem & irrationalem naturam, viſibilem & inuiſibilem, mortalem & immortalem.

2. Secundò, quia ſicut Deus eſt omnipotens: ita modo ſuo & homo, vel per artem imitando naturam & ſimilia veris faciendo, vel imaginatione fingendo, vel cogitatione mentis efformando. quid enim non excogitat humana induſtria? quas feras, quas aues non nouit capere? Poteſt etiam homo homini eſſe Deus, ſicut eſt quodamomodò animalibus domeſticis: poteſt proximos ſuos alere, inſtituere; ſapientes, denique beatos facere. Poteſt cognoſcere & alteri inſinuare longè diſſita per literas, & ita loqui ad plurima miliaria. Poteſt cœleſtium globorum motum, terram vni aſpectui repræſentare in mappâ: tonare per tormenta. Archimedes incendit naues longè diſtantes per ſpeculum: fecit columbum volantem: Albertus Magnus ſtatuam loquentem: alij alia.

3. Tertiò, ſicut Deus eſt finis rerum omnium ſic & homo quodammodò eſt finis omnium rerum corporearum; ſiquidem omnia propter ipſum facta ſunt. Si enim cœleſtes globos & aſtra, quæ in rebus corporatis principatum dignitatis obtinent, in miniſterium & ſeruitium hominis condita eſſe dixit Moyſes *Deuter.* 4. quanto veriùs idem de alijs rebus corporeis dici poteſt? Certiſſimum namque eſt, DEVM pro delicijs ſuis non creaſſe hunc mundum; ſiquidem ante eius creationem æquè fuit ſemper beatus & glorioſus, ac poſt. Nec pro Angelis, quia Spiritus puri non eget rebus corporalibus: nec pro beſtijs, quia non decebat tam ingentem & artificioſam molem facere pro ijs, qui eam diſcernere, mirari, laudare & voluptatem inde capere non poterant. Abſque homine igitur fruſtrà eſſet Mundi opificium: ſicut domus omni ſuppellectile inſtructa: ſi non eſſet qui eam incolere & vtenſilibus eius vti poſſet.

Quartò. Sicut animus hominis præeſt ac præſidet corpori, ipſum viuificans, mouens ac regens, eſtque totus in toto corpore & totus in qualibet eius parte, ſine vllâ ſui diuiſione, diminutione aut inquinatione: ſic & Deus habet ſe ad vniuerſum Mundum, omnia viuificans, mouens & gubernans, ſicut Apoſtolus confirmat, quia *in eo viuimus, mouemur & ſumus*. Et in hoc ponit DEI imaginem Ambroſius *l. b. de dignit. condit. hum.* Vis igitur intelligere, quomodo DEVS Mundum regat? vide quomodo anima regat corpus; ſimul enim mouet pedes ad ambulandum, & manus ad laborandum, & linguam ad loquendum, & oculos ad videndum, & alia adhibet ad aliorum miniſteria. Vis ſcire, quomodo cum omnibus agentibus Deus operetur? vide quomodo anima omnia membra moueat & cum omnibus operetur. Vis ſcire quomodo DEVS ſit vbique totus? vide quomodo anima ſit tota in toto corpore & in quauis eius parte. 4.

Quintò. Sicut Deus Pater eſt ingenitus, Filius ex Patre genitus, Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedens: ſic in genere humano, Adam à nullo generatus eſt, Eua ex Adamo; Seth ex Adamo & Eua. 5.

D. III. Impropriiſſimè in ſtructurâ corporis humani. TERTI, Improprijſſimè imago Dei eſt in homine, ratione fabricæ corporis vt vult S. Auguſtinus *lib.* 83. *quæſtion. q.* 81. *& cap.* 17. prioris libri de Gen. contra Manichæos, quatenùs ſcilicet corpus hominis ita eſt conformatum figuratumque, vt euidenter oſtendat, animum qui in ipſo eſt, ad imaginem Dei eſſe factum. Recta namque ſtatura & erectus in cœlum vultus perſpicuè indicant animum, eius habitatorem, Dei ſimilem & æternitatis eſſe capacem; ſicut palatium in ciuitate magnificè exſtructum indicat magnum eſſe eius incolam & primatum. Vnde Auguſtinus cap. 12. lib. 6. de Gen. ad lit. ait: *Congruit ergo & corpus hominis animæ rationali, non ſecundum lineamenta figuraſq́; membrorum, ſed potiùs ſecundum id, quòd in cœlum erectum eſt ad intuenda, quæ in corpore ipſius Mundi ſuperna ſunt: ſicut anima rationalis in ea debet erigi, quæ in ſpiritualibus*

libus naturam maxima excellunt; vt quæ ſurſum ſunt ſapiat, non quæ ſuper terram. Cœlo ergo nati, cœlo creati ſumus; hic finis, hic ſcopus noſter: ab hoc ſi aberremus, fruſtrà homines ſumus, fruſtrà ſolem cœlumque ſuſpicimus; ſatius foret bruta aut ſaxa fuiſſe: Sin aſſequamur, terque quaterque beati. Atque hic nobis æquè ac S. Bernardo perennis ſit ſtimulus ad vitam puram & ſanctam; *Bernarde dic quare hic?* cur cœlum ſuſpicis? cur animam rationalem & corpus erectum accepiſti? Vnde Anthropos Græcè dicitur homo, id eſt, contemplans ſeu ſurſum aſpiciens. Deſtruunt imaginem Dei in ſe, qui ſe in terrena curuant.

E. Imago Dei ſupernaturalis.

Altera Dei in homine imago, ſupernaturalis eſt: & conſiſtit in gratiâ, quâ is diuinæ fit conſors naturæ, præſertim in viſione beatificâ. Et hæc imago eſt prioris conſummatio & perfectio. Imago naturalis eſt quaſi Dei in homine rudis delineatio carbone vel atramento deſcripta: Supernaturalis verò eſt eiuſdem illuminatio viuis coloribus virtutum, gratiæ & gloriæ expreſſa. Per naturalem homo eſt adhuc quaſi nudus, per ſupernaturalem pulchrè veſtitur. Et hanc acquirit homo per iuſtificationem, perdit per peccatum, poſſident ſoli iuſti. Quemadmodum igitur nudus homo deſiderat veſtem; ſic imago naturalis deſiderat ſupernaturalem, ſine quâ nuda imago eſt. Hæc enim illa veſtis nuptialis eſt, quæ ſi non quæratur & habeatur, Deum ad iracundiam prouocat, & hominem in tenebras eiicit. Proptereà Apoſtolus clamat Epheſ. 4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitiâ & ſanctitate veritatis.* Hanc iuſtus indeſinenter perpolire debet & efformare ad exemplar Chriſti, ad cuius vitæ normam quantò magis acceſſerit, tantò magis perficiet imaginem ſuam Deoque placitam reddet. Sed heu quàm multi deturpant naturalem Dei imaginem in ſe, cùm ei peccata ſuperinduunt! Id lamentatur Ieremias *Thren.* 4. dicens: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis.* Reuerà iſti Bacchanalia diaboli agunt, quia naturali Dei imagini, quam in ſe gerunt, quamque ornare ſupernaturali velut eximiâ veſte deberent, ſuperinduunt imaginem diaboli horridiſſimam. Vt meritò interrogare ſeipſos deberent: *Cuius eſt hæc imago?* ne alioquin in iudicio audiant: *Amen dico vobis, neſcio vos:* non agnoſco vos, quia non geritis imaginem meam, ſed alienam & diabolicam.

Perſpeximus igitur non vnâ ratione Dei imaginem eſſe in homine. Supereſt igitur vt iuxta Chriſti argumentum concludamus: Quandoquidem imaginem Dei in vobis geritis, ô homines, ac per hoc teſtamini vos Deo ſubiectos eſſe: *reddite ergo quæ ſunt Dei, Deo.* Date vos Deo, ſicut mancipium datur hero ſuo ad ſeruiendum: ſicut miles Duci, ad obſequendum; ſicut diſcipulus Magiſtro, ad inſtruendum: ſicut imago pictori, ad illuminandum cœleſtis lumine gloriæ.

CONCIO VI.

Cur homo ad imaginem Dei conditus ſit.

Huius rei aſſignantur ſeptem cauſæ.

1. *Vt cætera creaturæ reuerentur hominem.*
2. *Vt ſciremus hominem eſſe quid proprium Dei.*
3. *Vt eſſet cum quo Deus familiariter ageret.*
4. *Vt homo ex ſeipſo in cognitionem ſui creatoris veniret.*
5. *Vt pateat quantum interſit inter Dei benignitatem, & hominis malignitatem.*
6. *Vt homo eſſet æternitatis & quaſi diuinitatis capax.*
7. *Vt eſſet index opificis.*

THEMA.

Cuius eſt hæc imago? Matth. 22.

COlligimus, Auditores, è libri Geneſis initio, ex omnibus creaturis ſolum hominem præuiâ quaſi conſultatione ſanctiſſimæ Trinitatis creatum eſſe; ſi quidem in aliarum rerum creatione dixit Devs: *fiat lux, fiat firmamentum, fiant luminaria, producant aquæ, producat terra,* &c. & continuò facta ſunt. At in hominis creatione aliter locutus eſt: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram;* quaſi præuiâ conſultatione hominem creare vellet. Quâ re, niſi fallor, oſtendere voluit, tantam eſſe imaginis ſuæ dignitatem & excellentiam, vt ſi res humanâ ratione æſtimaretur, meritò in conſultationem vocari poſſet, verùm expediret homini eam communicare; ſiquidem omnis homo mendax, labilis, peccabilis erat futurus; & ita fieri poterat, vt Devs ipſe vileſceret in imagine ſuâ. Vnde celeberrimus ille Philoſophus Pythagoras, vt teſtatur S. Cyrillus tract. contra Iulian. monebat in ſuis ſymbolis, ne quis imaginem Dei ſculptam geſtaret in ſuo annulo: ne Devs contemptui fieret. Quantò magis igitur timendum erat, ne vilis redderetur Devs, ſi imaginem ſuam imprimeret homini, quem ſciebat à ſe degeneraturum, ac beſtiarum potiùs formas & naturas aſſumpturum? Itaque ſi Pythagoræ, ſi noſtram, & fortè ſi angelorum opinionem Devs ſecutus eſſet, ſuam imaginem in nobis nequaquam impreſſiſſet. Vnde Dauid *Pſalm.* 8. exclamat: *Quid eſt homo quòd memor es eius* (in Hebr. habetur; *quid eſt Enos,* id eſt, obliuioſus?) q.d. quare tantam dignitatem confers in hominem, qui tam citò obliuiſcitur ſuæ dignitatis & bruteſcit? Sed enim ſecretiſſimo SS. Trinitatis conſilio aliter placuit, decretumque eſt facere hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! quis enim cognouit ſenſum Domini: aut quis conſiliarius eius fuit?* Conabimur tamen indagare ſi non cauſas, ſaltem rationabiles congruentias diuini A.

diuini huius conſilij. Septem cauſas enumerat Bened. Pererius in *Gen. lib.* 4. Videamus ſingulas.

B. I. Vt cæteræ creaturæ reuererentur hominem, &c.

PRIMA, Vt res omnes creatæ reuererentur hominem, velut vniuerſi rectorem: & ne cœli & aſtra homini inſeruire, aut etiam angeli miniſtrare dedignarentur: denique ne dæmones hominem lædere, néve propter hominis rebellionem omnes creaturæ in eum inſurgere auderent, in quo imaginem DEI expreſſam cernerent. Nam ſi illam ab homine demas, ſuperatur naturæ præſtantiâ ab angelis: pulchritudine à ſtellis; lilijs agri & floribus, pauonibus: durabilitate à cœlis: robore à leone, equo: corporis vaſtitate ab elephante, boue, cœto: pernicitate, à lepore, cane, delphino: longæuitate à ceruis & coruis: viſu à lynce & aquilâ: olfactu à cane, vulture: auditu à talpâ, apro: muſicâ ab auiculis: dialecticâ à canibus: aſtrologiâ à delphinis, ranis, mergis, hirundinibus. Vnde ratione harum dotum nullæ creaturæ hominem obſeruarent, vt quæ eum longè excedunt. Non obſtantibus tamen iſtis, & aſtra homini lucent, & cœli rotantur: deinde, vt teſte Senecâ epiſt. 85. ait Philoſophus, *leonibus magiſter manum inſerit, tygridem cuſtos ſuus oſculatur, elephantem minimus Æthiops iubet ſubſidere in genua & ambulare per funem*: præterea equos frænis domat, tauros iugo alligat, aniculas decipit, piſces vel ſolo aſpectu terret: omnia denique, etiam ipſi angeli ei inſeruiunt; quia nimirum in eo Dei imaginem cernunt. Quemadmodum enim Ioſeph Patriarcham Ægyptij, Mardochæum Perſæ & Medi, Iudæos licet & alioquin infimæ ſortis homines ſummoperè reuerebantur atque obſeruabant, flexoque genu adorabant, quòd is annulo regis Ægyptij, hic verò regis Perſarum diademate inſignitus eſſet: ita & creaturæ hominem, quòd Dei inſignia & imaginem geſtet, ſuſpiciunt ac timent. Imò ne aliquando propter hominis rebellionem inſurgerent in eum, & ipſi quoque rebellarent; voluit in homine indelebilem ſui imprimere imaginem, vt etiam rebellem vereri cogerentur: vnde & poſt diluuium hominibus dictum eſt à Deo, Gen. 9. *Terror veſter ac tremor ſit ſuper omnia animalia.* Quod figuratum eſt in Caino, in quo poſuit DEVS ſignum, ne ipſe, rebellis licet, ab obuiis quibuſque ſeu hominibus ſeu beſtijs, tanquam læſæ diuinæ Maieſtatis reus occideretur. *Gen.* 4. Vnde mirari & laudare DEI bonitatem debemus, qui etiam poſt rebellionem noſtram contra creaturarum incurſus defendere nos voluit.

C. II. Vt ſciremus hominem eſſe quid Dei proprium.

SECVNDA, Vt intelligeremus, hominem eſſe quid DEI proprium & peculiare, quod ipſi propriè debeatur. Omnia quidem DEVS homini donauerat & ſubiecerat, ipſum tamen hominem diuini iuris & poſſeſſionis eſſe voluit; ac propterea ſigillo imaginis ſuæ eum communiuit: quo modo res chariſſimæ & peculiariter cuſtodiendæ proprio ſigillo notantur, ne à quopiam attrectentur. Et hoc quidem adeò firmiter homini impreſſit, vt inde auelli nullatenus queat; ſed indeſinenter hominem redarguat, quotieſcunque ſe non DEO, ſed mundo & diabolo addicit: ſicut ſeruum fugitiuum arguit ſtigma impreſſum. Inclytus ille ſculptor Phydias, vt auctor eſt Ariſtoteles lib. de mundo ad Alexandr. Mineruæ clypeo ſuam effigiem tam artificioſè inſculpſerat, vt ea niſi confracto clypeo eximi non poſſet: ita etiam DEVS imaginem ſuam homini tam ſcitè impreſſit, vt deleri nequeat. Conantur quidem ſæpe impij exterminare facies ſuas, & ſynderesis igniculum extinguere, quò minùs iram DEI ſibi imminentem, iudicium & gehennam metuere cogantur. Sed *quæ ſuperuenit forma*, inquit S. Bernard. ſerm. 82. in Cant. *obſcurare ingenitam potuit, ſed non exterminare. Remurmurat adhuc natiua, & conſortem alteram veluti peregrinam reſpuit.* Quis non putaret abolitam penitus fuiſſe DEI imaginem in ſuperbiſſimo illo rege Nabuchodonoſore, qui ad extremum fœnum vt bos comedit, donec capilli & vngues eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, *Dan.* 4. neque tamen extinctus in eo fuit rationis igniculus: quin potiùs tunc *oculos ſuos ad cœlum leuauit & Altiſſimo benedixit*, atque ita ſibi ipſi reſtitutus eſt & pœnituit. Non potes igitur ô homo, à DEI poteſtate & ſeruitio ac poſſeſſione vllatenùs liberari; nam *cuius eſt hæc imago?* nónne DEI? da ergo DEO quæ DEI ſunt. Væ tibi ſi mundo eiuſque vanitati, carni eiuſque laſciuiæ, diabolo & eius pompis teipſum dederis; quia ſacrilegium committis, DEI poſſeſſionem furaris, & alteri iniquè vendis; itaque arguet te imago DEI, conſcientia tua: ſicut inſignia appicta produnt furem, qui rem alienam alteri vendit. Sed ad quid tradere me DEO debeo? inquis. Reſpondeo, vt filius patri, eum amando & timendo, quem facie repræſentas: vt miles ſuo Duci, ei in omnibus obſequendo & fidem ſeruando: vt diſpenſator hero ſuo, eius bona fideliter diſpenſando: vt mancipium domino ſuo, ei ſeruiendo & operando: vt diſcipulus magiſtro ſuo, ei te tradendo, vt ab eo perficiatur & illuminetur imago illa per gratiam & tandem per gloriam.

D. III. Vt eſſet cum quo Deus familiariter ageret.

TERTIA, Vt eſſet, quocum familiariter ageret DEVS, & ſe quaſi recrearet. Quemadmodum enim quia nullum animalium inueniebatur Adæ ſimile, cum quo familiaritatem & amicitiam contrahere poſſet, creauit DEVS Euam ei ſimilem & ſociam, quâ viſâ mox lætabundus, quaſi exclamauit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis*: ita creatis rebus irrationalibus cùm nulla eſſet DEO ſimilis, cum quâ familiariter agere poſſet, fecit hominem, vt eſſet quem amaret, & à quo viciſſim amaretur, amore amicitiæ. Vnde alias quidem creaturas DEVS approbaſſe dicitur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* De homine autem longè aliter locutus eſt; nimirum: *Delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Prouerb. 8.

Solent.

Solent Principes viri adſciſcere in aulam nobiles adoleſcentes & viros, quibuſcum familiariter conuerſari, luſui & venationi operam dare poſſint. Similiter etiam DEVS adſciuit ſibi hominem propriâ imagine nobilitatum: atque vt cum eo familiariſſimè conuerſari poſſet, de cœlo ad eum deſcendit; vt iam ne miremur cum Iobo: *Quid eſt homo quia magnificas eum? aut cur apponis erga eum cor tuum? viſitas eum diluculo?* (in incarnatione.) Hoc enim ideo facit, quia ad imaginem DEI factus eſt homo, adeoque nobiliſſimus DEI aulicus eſt. Quâ ex re concludo, hominem ſtrictiſſimè obligari ad DEVM amandum, & vanitates reſpuendas. Quis enim neſcit ſimilitudinem eſſe cauſam amoris? Refert Vinc. *in hiſt. lib. 23. cap.* 162. Pipino Francorum regi binos pueros in aulâ fuiſſe, nobili progenie: alterum quidem Comitis Aluernenſis filium, alterum milite quodam Bericano ortum. Mirum, cùm vultu eſſent apprimè ſimiles, eâdemque fortunâ Romam ducerentur, ac fortè fortuna apud Lucam, Italiæ vrbem, ſibi mutuo obuiarent, eâdemque die baptiſmo Romæ tingerentur, deinceps fratrum inſtar mirum in modum ſe amabant. Vide igitur homo, quid debeas DEO tuo, qui te ſibi ſimilem fecit, vt quo modo is te dilexit & ampliùs diligere cupit; tu quoque eum diligas. Et, *dicam tibi ô homo*, inquit Michæas cap. 6. *quid Deus requirat à te: vtique ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Solicitum, inquam, quo modo aulici cum Principe ludentes, loquentes aut conuerſantes, ſolicitè cauent, ne vel eum offendant, vel ipſum deſerentes, cum pueris aut ſcurris nugas tractent. Quid enim, putas, dicet ſupremus ille Rex tuus, ſi tu eo ſpreto & deſerto, amorem & conuerſationem tuam omnem mundo & carni impendas? Non audis quid Pſal. 8. dicat: *Filij hominum vſquequò graui corde*, &c. (in Hebr. habetur: *Filij viri vſquequo incly ti mei ad ignominiam diligentes vanitatem, quæritis mendacium?*)

E.
IV.
Vt homo ex ſeipſo in cognitionem ſui Creatoris venire poſſet.

QVARTA, Vt homo haberet in ſeipſo, vnde in cognitionem ſui creatoris & opificis faciliùs deuenire poſſet. Quanquam enim *inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*: (ad Rom. 1.) ne tamen homo eam notitiam extra ſe & aliunde quærere cogeretur, poſuit DEVS in ipſo pulcherrimam ſui imaginem, quæ in eo quaſi in ſpeculo reluceret & exemplar ipſum ac creatorem DEVM repræſentaret, ac longè quidem expreſſiùs, quàm omnes creaturæ aliæ; ſiquidem in illis veſtigium tantùm aliquod DEI cernitur, quod ipſum non aliter repræſentat, quàm ſicut effectus cauſam, fumus ignem. Quare quando homines DEVM quærunt, vti apud Dauidem Pſalm. 4. *Multi dicunt: quis oſtendit nobis bona?* reſpondetur: *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine.* Prothogenes aliquando ex vnius ſubtiliſſimæ lineæ ductu, quam Apelles in illius abſentis officinâ deſcripſerat, continuò auctorem Apellem agnouit, vt refert Plinius lib. 35. cap. 10. (ſiquidem dicebat, non cadere in alium, opus tam abſolutum) ita non difficile eſt homini cognoſcere auctorem ſuum, ſi lineam illam ſubtiliſſimam, animam, inquam, rationalem in officinâ corporis ſui deſcriptam intueatur; qualis enim eſt imperfectè hominis animus, talis eſt perfectiſſimè, remotis imperfectionibus, DEVS. Animus noſter eſt intelligens: intelligentiſſimus DEVS. Animus omnia poteſt ac cupit intelligere: DEVS actu omnia intelligit. Animus ſuſcipit innumeras rerum diuerſiſſimarum imagines ſine vllâ ſuâ immutatione: DEVS omnium rerum idæas in mente gerit, ſine omni ſuâ mutatione. Animus omnia membra viuificat, multò magis id poteſt & facit DEVS omnibus viuentibus. Animus eſt in vnaquaque corporis parte totus & indiuiſus: ita in vniuerſo DEVS. Animus noſter libertate præditus eſt: quantò liberior DEVS? Animus noſter virtute, ſapientiâ, gratiâ perficitur: quantò perfectior in his DEVS? Animus corpus conſeruat, regit, continet: ſimiliter DEVS mundum. Ex quâ cognitione illud ſequitur, vt homo, qui in ſeipſo cognoſcit velut in ſpeculo DEVM vt exemplar ſuum, eundem etiam imitetur. Sicut enim imago in ſpeculo tota dependet à corpore, & omnes illius geſtus imitatur; eo ſtante, ſtat, ambulante ambulat, ridente ridet, flente flet, &c. ita & homo imitari DEVM debet, ſi quidem vita eius imago eſt, non mortua. Vnde in Hebr. pro *imaginem*, habetur *vmbram*: vt ſicut vmbra ſequitur & imitatur corpus, ita ſequatur homo DEVM. Quare rectè S. Leo Papa ſerm. de ieiunio dixit, hominem ideo ad imaginem DEI conditum, *vt imitator ſui eſſet authoris*; & hanc eſſe naturalem generis noſtri dignitatem, *ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo diuinæ benignitatis forma reſplenderet.*

F.
V.
Vt pateat quantum interſit inter Dei benignitatem & hominis malignitatem.

QVINTA, Vt paſſim eſſet ÿ quantum interſit inter DEI bonitatem & benignitatem, atque hominis malignitatem & inuidiam. Homo enim ſi re aliquâ excellat, velut diuitiis, potentiâ, nobilitate, honoribus ac ſapientiâ, nollet quenquam aliorum hominum ſibi eâ re parem aut etiam ſimilem eſſe. At DEI tanta eſt bonitas tamque omnis expers inuidiæ, vt quibus rebus excellit ipſe, earum capacem & participem fecerit hominem: & quidem omnibus quibus poterat modis. Fecit enim ſibi ſimilem in naturalibus, prouehendo eum ad ſummum naturæ gradum, intellectiuum ſcilicet & rationis capacem, adiungendo ei libertatem. Similem in ſupernaturalibus, faciendo eum virtutum, gratiæ, & gloriæ participem. Habes hîc igitur, ô homo, cur mireris DEI bonitatem, & tantum tibi collatum bonum ſedulò conſerues.

G.
VI.
Vt eſſet homo æternitatis & quaſi diuinitatis capax.

SEXTA, Vt poſſet homo æternitatis, infinitatis ac diuinitatis quodammodo eſſe capax, nullumque eſſet tantum bonum, quod non auderet à DEO petere, imò impetraturum ſe ſperaret. Cùm enim DEVS nihil vacuum in naturâ reliquerit, nec quidquam fruſtrà fece-

fecerit : nobis autem infinitam quodammodò mentis & voluntatis capacitatem dederit (quia ſicut intellectu noſtro cognoſcere ſummum bonum poſſumus : ita & per voluntatem appetimus) poſſumus Deo fidenter dicere : Domine, imple hoc vacuum, hanc capacitatem, hunc appetitum noſtrum : cùm nihil vacuum reliqueris, nihil fruſtrà feceris. Non poteſt autem appetitus noſter contentari bono finito, cùm ſit ipſe infinitus, ſicut nec vas rotundum repleri niſi à corpore ſimiliter rotundo : nec ſigilli expreſſi vacuitates & partes omnes niſi ab eo ſigillo, à quo illud expreſſum eſt. Figura huius noſtri appetitûs videtur fuiſſe menſa illa in tabernaculo conſtituta ad plagam ſeptentrionalem *Exod.* 40. in quâ ſemper 12. panes iacebant, & per ſingula ſabbata permutabantur recentibus. Talis enim menſa eſt cor noſtrum, in quo licet plura apponas & ſemper noua quæ appetit, etſi lautiſſima ſint, mutenturque in dies ; nauſeabit tamen breuî ſuper omni re creatâ. Ratio, quia menſa cordis noſtri inſtar acûs nauticæ ſemper ad plagam ſeptentrionalem, id eſt, ad cœleſtia bona reſpicit, verſus illa poſita eſt, ijs ſolis ſatiari poteſt. Vnde S. Auguſt. lib. 1. Confeſſ. *feciſti nos ad te & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Et Eccleſiaſticus cap. 17. *Deus creauit de terrâ hominem & ſecundum imaginem ſuam fecit illum, & iterum conuertit illum in ipſam.* Quâ ex doctrinâ collige, fruſtrà omnes illos laborare, qui terrenis bonis ſatiari cupiunt ; quia nequeunt vllo modo explere capacitatem mentis infinitam : Devs poteſt.

H. VII. *Vt eſſet index opificis.*

Septima. Vt eſſet index opificis, qui totum hunc mundum fecit. *Quemadmodum enim,* inquit Theodoret. in Gen. *ſi quiſpiam Rex, cùm maximam vrbem excitaſſet, multiſq; & variis operibus adornaſſet, imaginem ſuam, maximam decentiſſimamq; in vrbis medio collocaret, vt hac imagine regem huiuſce vrbis authorem conditoremq; indicaret, quem omnes vrbis habitatores venerarentur & gratias agerent, quòd ſibi vrbem conſtruxiſſet : eodem modo Deus poſtquam mundum condidit, hominem ad imaginem ſuam à ſe creatum in eo tanquam imaginem propriam collocauit, cui omnes creaturæ deſeruirent.* Certè etiam Imperatores olim ſua decreta annulo ſubſignabant, propriâ imagine inſignito, teſte Plin. *lib.* 37. *cap.* 1. Suet. *in Aug. cap.* 5. Par ergò erat, vt etiam Devs mundi ſui fabricam imagine ſuâ condecoraret. Iam verò quis neſcit, læſæ maieſtatis reum haberi, qui imaginem regis in publico poſitam conſpurcaret, deturbaret, vel iniurijs appeteret? Sanè Theodoſius Imp. delere ſtatuerat Antiochiam, quòd Antiocheni ipſius & Placillæ coniugis imagines deieciſſent, & per plateas traxiſſent ; niſi Flauiani Epiſcopi & Monachorum precibus fuiſſet placatus, vt ſcribit Niceph. lib. 12. cap. 43. Quid ergo faciet Devs illi, qui imaginem eius in alijs hominibus lædit, vel etiam in ſemetipſo peccatis & ſceleribus conſpurcat, & quantum in ipſo eſt, deturbat? Qui Imperatoris imagini cornua, aſinorum aures, auium roſtrum & ſimilia belluarum membra appingeret, nónne magnam Imperatori iniuriam irrogaret? At hoc facit homo imagini Dei, grauiter peccando. Audi S. Chryſoſt. hom. 4. in Matth. *Quando vt aſinus calcitras, vt taurus ſuperbis : libidine incenſus hinnis vt equus : quando in epulis vrſorum imitaris voratum, & pinguedine corpus mulorum more diſtendis : cùm exercendâ ſimultate camelum, lupum imiteris rapinâ : cùm iraſcaris vt ſerpens, & atrocitate ſcorpionum percutias : cùm ſubdolè inſidieris vt vulpes, tumque veneno malignitatis armeris vt coluber & vipera : cùm quaſi diabolus ipſe aduerſus fratres crudelia bella ſuſcipias : quonam vnquam modo, quâ ratione in hominum te poſſum numero collocare, nulla in te cernens humanæ ſigna naturæ?* Et mox : *Verùm hoc eſt multò deterrimum, quòd tamen cùm omnium vitiorum ſqualore turpemur, nec intelligimus quidem noſtræ animæ fœditatem, nec eam prorſus deforme cognoſcimus. Nam tu quidem apud tonſorem reſidens, diligenter capitis tui attendis comam. Sumpto ſiquidem ſpeculo, multo cum ſtudio, ſummaque curâ æqualitatem conſideras, & nitorem capilli : nec tamen in imagine tua temetipſum inſpexiſſe contentus, tum ipſum artificem, tum alios adſtantes ſolicitè homo iam ſenex non vereris iuuenili ſtultitiâ inſanus, interrogare, an alicubi incomptiùs manus properantis operata ſit, an ſatis deceat frontem leniter attonſa cæſaries : Anima verò noſtra, quæ non ſolùm deformis eſt, verùm etiam ferarum omnino conformis, & quæ Scylla aliqua, vel Chimæra (vt fabula celebrat) effecta eſt, nulla nos cura, nulla ſolicitudo vnquam remordet.* Sic ille. Quare, Auditores, nos ipſos ſedulò examinemus, cuius imaginem geramus. Tametſi enim Dei imaginem nunquam perdere omnino poſſumus, vbi tamen ea vitijs fœdata eſt, non agnoſcit illam Devs ; quod expertæ fatuæ illæ virgines, quibus dixit : *Neſcio vos.* Veniet aliquando hora, in quâ examinabimur : *Cuius eſt hæc imago?* Et ſi quidem imaginem Dei gratiâ illuſtratam geſſeris, pro filio Dei agnoſceris : ſi verò peccatis deformatam, pro filio diaboli.

CON-

CONCIO VII.

Hominis præcipua membra quarum rerum ſint imago.

1. *Caput dignitatem indicat.*
2.3.4. *Oculi intellectum; cerebrum memoriam; facies conſcientiam repræſentat.*
5.6. *Mores rationis, aures iudicij norma ſunt & typus.*
7.8. *Lingua loquelam inſtruit, manus operationem informat.*
9. *Digiti Decalogi obſeruationem inſinuant.*
10. *Pedes appetitus vtriuſque figura ſunt.*

THEMA.

Cuius eſt hæc imago & ſuperſcriptio? Matth. 22.

A. DE Socrate ſcribit Laërtius lib. 2. conſueuiſſe eum adoleſcentes formâ præſtantes ad ſpeculum adducere, vt ſeipſos contemplarentur, ne quid indignum gererent tali formâ & venuſtate. Rectè & Chriſtianè; ſic enim & S. Job ad hoc ipſum ſpeculum omnes nos adducit quodammodò, dum ait cap. 5. *Viſitans ſpeciem tuam, non peccabis.* q.d. ſtatue te coram ſpeculo & vide cuius ſit hæc imago; & abſtinebis à peccatis. Perſpexerunt iſti corporis humani ſtructuram, effigiem, figuram, membra ſic à Deo efformata eſſe, vt eorum inſpectu ſatis ſuperque admoneantur homines, quid ſibi agendum ſit ad bene beatéque viuendum, adeoque etiam quales ſecundum animum eſſe debeant. Propterea Plotinus dicebat corpus eſſe *imaginem*: Pythagoras eſſe *thecam mentis*, vtcunque eam exprimentem; quò ſit non in animâ ſolùm, ſed etiam in corpore nonnulla Dei imago agnoſcenda ſit; quam ſi accuratè inſpiciamus, deprehendemus etiam in illo Dei legem nobis præſcriptam eſſe, iuxta id Pſal. 4. *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Verùm quia lumen hoc pauci videntur agnoſcere, pauciores perluſtrare, idcircò in hoc ſermone conabor Auditores meos ad ſpeculum adducere & interrogare: *Cuius eſt hæc imago?* Inſpicite & audite.

B. I. *Caput hominis dignitatem indicat.* PRIMÒ, Capitis conſtructio hominis dignitatem omnibus ſublunaribus rebus maiorem manifeſtè indicat. Etenim Primò Sphæricam habet figuram, quemadmodum vniuerſum, cuius imaginem quandam refert. Ibi enim oculi bini, quaſi ſolis & lunæ duo luminaria: ibi venti & aër, halitus oris & narium: ibi pluuiæ, pituita per nares de cerebro diſtillans: ibi lapides, dentes & oſſa: ibi ſyluæ & plantæ, barba & capilli: ibi valles & colles, oculorum cauitas, genarum ac frontis tumor: ibi fontes & riuuli, venæ ſanguinem per caput diffuſæ: ibi duo quaſi cœlorum poli, binæ ſcilicet aures. Quæ omnia oſtendunt maximam hominis excellentiam, admonentque eum officij ſui, vt quemadmodum omnia creata ſeruiunt Deo & ad nutum parent: ita & ipſe Deo exactiſſimè obediat; præſertim quia etiam ipſi velut Orbis Imperatori omnia ſubiecit Deus, vt tantò magis homo ſubiiceret ſe Deo creatori ſuo.

Secundò, Erectum eſt, non in terram pronum; Vnde Poëta canit: *Os homini ſublimè dedit, cœlumq́; videre.* Cauſam exponit Lactantius Firmian. l. de Opificio Dei c. 28. *vt eadem ſpectet, vnde illi origo eſt.* Hominem igitur cœlo natum ideoque cœleſtem patriam ſibi deſtinatam quærere, ac conuerſationem ſuam in cœlo habere debere oſtendit. Deiicit ſeipſum à culmine nobilitatis ſuæ, qui relictis ſolidis & cœleſtibus bonis, fluxa & terrena quærit, non ſecus ac ſi Princeps ruſticam puellam amaret. Vnde iure merito S. Bernardus ad eos, qui terrenis inhiant: *Non pudet*, inquit, *te corpore cœlum ſuſpicere & mente in terrâ repere? caput ſurſum & cor habere deorſum?* Empedocles rogatus cur viueret? *Vt cœlum*, inquit, *aſpiciam. Tolle cœlum & nullus ero.* Rectiùs ac veriùs reſpondebit Chriſtianus: Vt cœlum non tantùm aſpiciam, ſed & conſequar. 2.

Tertiò, Supremum in corpore locum obtinet, eminetque ſuper omnia membra; vt diſcat homo per rationem præeſſe & imperare ſenſibus, appetitibus & paſſionibus ſuis; & hæ quidem ſint velut equus, ratio velut eques. Quare ſi ſe homo ſubiiciat paſſionibus ſuis; perinde eſt ac ſi caput gerat infra pedes, vel bouis inſtar capite depreſſo in pratis pabuletur, vti expreſſit Dauid *Pſalm.* 105. dicens: *Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Vnde S. Bernardus ſerm. 24. in Cant. ait: *Erubeſce anima mea diuinam in pecorinam commutaſſe ſimilitudinem. Erubeſce volutari in fœno quæ de cœlo es. Erubeſce anima (ait corpus) in mei conſideratione. Creata ſimilis creatori recta, me quoque accepiſti adiutorium ſimile tibi, vtique ſecundum lineamenta corporea rectitudinis.* Et mox: *Me ergo meam (quam tui gratiâ) accepi) retinente & ſeruante prærogatiuam, in quomodo non confunderis amiſiſſe tuam.* Hæc Bern. 3.

C. II. *Oculi intellectum repræſentant.* SECVNDÒ, Oculi hominis intellectum eius repræſentant. Simillimum enim amborum eſt officium, & quod iſte in animâ præſtat, hoc illi in corpore exequuntur. Per intellectum ſpiritualia contemplamur: per oculos corporea intuemur. Vnde D. Chryſoſtomus hom. 21. in Matth. ait: *Quod oculus corpori, hoc intellectus eſt animæ.* Iam ergo Primò ſicut oculus in capite velut ſpeculator in ſpeculâ vigilat corpori, omnia circumſpiciens & de inſidiis hominem admonens: ita vigilare debet intellectus ſemper, omniaque inueſtigare, an vtilia vel noxia ſint. *Quemadmodum igitur in corpore*, ſubdit citat. loc. Chryſoſtomus, *hoc maximè prouidemus, vt oculos habeamus incolumes: ſic etiam in animâ intellectûs conſeruemus ſalutem.* Hinc enim natura oculum palpebris contexit & ſu-

& ſuperciliis muniuit, ne facilè poſſet lædi; nos etiam contra ictus naturâ inſtructrice præ omnibus aliis membris oculos tuemur, brachiis obiectis; quia ſi vel minimus puluis incidat in oculum, iam eclipſim patitur oculus & corpus malè regitur. Pari ergo, imò longè maiori ſtudio ſeruandus intellectus, ne cupiditatibus turbetur & paſſionibus, velut iræ, auaritiæ, laſciuiæ, & ebrietatis, quæ prorſus eum excæcat.

2. Secundò, Duo ſunt hominis oculi, qui tamen per lineam rectam ſemper coëunt in idem obiectum, efficiendo conum ſeu pyramidem; ita vt non poſſimus vno oculo cœlum, altero terram videre: ita duo quoque in intellectu ſunt lumina, ſupernaturale, fides; naturale, ratio; illa eſt magiſtra, hæc miniſtra; debent proinde & ipſæ in idem ſemper conuenire obiectum, in eandemque conſpirare ſententiam: vt fides quidem credenda reuelet, ratio autem perſuadeat ea credibilia nec non credenda eſſe. Rurſum in intellectu duplex diſtingui ſolet ratio: ſuperior, quæ conſiderat rationes æternas; inferior, quæ temporales. Debent ergò & iſtæ in vnum coire terminum, vt ratio quidem inferior ſequatur ſuperiorem, & temporalia omnia ordinet ad æterna bona. Neque enim ſimul attendere ad Deum & ad Mundi vanitatem poteris, ſeruire Deo & mammonæ.

D. III. Cerebrũ memoriæ typus.

1. TERTIÒ, Cerebrum memoriæ vti ſedes, ita & typus eſt. Vt enim cerebrum iuxta Phyſicos duas habet pelliculas, quibus tegitur & ſeruatur, tenuem vnam, quæ pia mater dicitur: alteram duram, quæ & dura mater appellatur: ita & memoria noſtra, quæ duo maximè retinere ſolet, iniurias & beneficia, duas habere cuticulas debet, teneram & duram: illâ quaſi piâ matre includere iniurias, facilè ignoſcendas obliuiſcendaſque: hac verò beneficia nunquam è memoriâ deponenda. Etenim res pretioſæ & vtiles diligenter aſſeruantur, ciſtis includuntur, ſeris muniuntur: non item viles & inutiles. Pretioſa res eſt beneficium, igitur memoriæ, quæ animæ noſtræ ciſta eſt, & *ſcriba*, vt ait Ariſtoteles, fortiter includenda, ſeduloque inſcribenda: vilis verò & inutilis eſt iniuria, non ergo tam tenaciter memoriæ commendanda, ſed per piam matrem facilè remittenda. Hinc D. Iſidorus epiſt. 211 ad Euſtatium ait: *inimicitiam in aquam ſcribere oportere, vt quam primùm obliteretur: amicitiam in æs incidere, vt perpetuò firma ſeruetur.*

2. Rurſum quia cerebrum ſupremum in homine locum obtinet cœloque propius eſt, quàm cætera membra, hinc non obſcurè docet, cœleſtia priùs quàm terreſtria, Deum quàm creaturas ipſi commendanda & in mente habenda eſſe. Hoc enim S. Tobias pro extremo monito & vltimâ voluntate ſuâ filio inculcauit: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, cap. 4.* Similiter & Moyſes populo Hebræorum iamiam moriturus idipſum crebrò commendat, Exod. 8. *Caue nequando obliuiſcaris Domini Dei tui.* Et paulò infrà: *Recorderis Domini Dei tui.*

E. IV. Facies conſcientiæ figura.

1. QVARTÒ, Facies conſcientiæ typus eſt; qui teſte D. Bernardo *ſerm. 1. in cap. ieiunij* & Auctore op. imperf. *homil. 15.* hominis interna facies & ſpiritualis eſt conſcientia; per quam placemus Deo vel diſplicemus, ſicut hominibus per faciem externam, in quâ natura plurimum gratiæ & pulchritudinis repoſuit. Primò itaque ſicut naturali inſtinctu præcipuè obſeruamus faciem, ne ſordida appareat, ideoque eam in ſpeculo contuemur, vt fœdatam abſtergamus; non contuemur alia membra: ita prima noſtra eſſe cura deberet, nitor conſcientiæ; cui curæ S. Paulus à tempore conuerſionis ſuæ ſemper inuigilauit, vti teſtatur ipſe Act. 24. *In hoc & ipſe ſtudeo*, inquit, *ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum & ad homines ſemper.* Eadem cura Auguſtino prima & ſola fuit, cuius hoc celebratur dictum: *Senti de Auguſtino quidquid velis; ſola me conſcientia non accuſet.* Eſto igitur, vt malè audiamus, rudes & illiterati ſimus: neſciamus aulicos mores: ſimus abiecti & odioſi hominibus; non attendamus ad iſta, ſed ad ſolam conſcientiam, vt ſana ſit & pura.

2. Secundò, Facies hominem accuſat, cùm conſcius ſibi arguitur; (niſi fortè depuduerit) illicò enim erubeſcit, dum ſanguis de corde in faciem procurrit, quaſi lictor reum proditurus: ita debet conſcientia poſt admiſſum ſcelus hominem accuſare, rodere & lancinare, donec reſipiſcat & errorem emendet. Bonus eſt faciei pudor, bonus & conſcientiæ remorſus; ſi tamen audiatur. Peſſimi hominis ſignum eſt non erubeſcere de peccato; quemadmodum etiam non ſentire poſt peccata conſcientiæ remorſum. Quare non imitemur turpia animalia, elephantes & camelos, qui ob faciei deformitatem non volunt bibere ex limpida, ſed turbant priùs aquam; quod etiam faciebat aliquando Auguſtinus nondum conuerſus: qui in ſuâ Confeſſione de ſeipſo fatetur: *Poſueram me Domine ad ſcapulas meas, vt me non viderem: & tu poſuiſti me coram facie meâ, vt me videns corrigerem.* Multò minùs imitemur muſcas, impudentia animalcula, qualis fuit Caligula Imp. qui dicebat *ſe nihil magis in ſuâ naturâ probare, quàm inuerecundiam*, voce, non Imperatore, ſed carnifice & meretrice dignâ. De talibus enim ait Jeremias cap. 3. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi: noluiſti erubeſcere.* Et D. Gregorius in Pſal. 1. pœnit. *Illud verum eſt apertæ deſperationis indicium, ſi verecundia non ſequitur peccatum.*

F. V. Nares rationis imago.

QVINTÒ, Nares rationis imago ſunt. Vt enim naribus odorum differentiam: ita duce ratione exploramus mediorum & finium, ad quos tendimus, naturam. Hinc ratione vtentes dicuntur naſuti, gnari, & veteribus nari, à narium ſagacitate, quâ inter animantia excellit canis, qui ſolo narium ductu feras indagat. Iam verò in ſolâ facie humanâ eleuatior prominet naſus, vt moneatur homo omnibus ſuis actionibus præuiam adhibere rationem, explorando fini & mediis, quid agen-

agendum, quid omittendum ſit. Vnde etiam vulgò dicimus: **Gehe nur der Naſen nach/ ſo triffſtu nit**: ſequere naſum, & non errabis. Solent certè boues & capræ papulum ſuum priùs odoratu explorare, antequam attingant: & cur hoc in ſuis actionibus homines non faciant? Priuſquam emas rem, priùs licitaris & conuenis de pretio: ſic agendum in peccandi occaſionibus & illecebris, & ſi Dei & ſalutis propriæ iacturâ conſtant, dicendum cum Demoſthene: *Non emo tanti pœnitere*; iacturam ſcilicet decem millium drachmarum, quæ poſtulabat ab eo nobile illud Corinthi ſcortum, Lais. Et quia narium canalis vnus tendit ad cerebrum, alter ad palatum; ideo tam quæ ad corpus, quàm quæ ad animam confouendam nobis offeruntur præuio rationis & diſcretionis examine trutinanda ſunt. Offertur conſilium, dogma ſuſpectum, amicitia periculoſa, ſocietas, conditio, compotatio cum periculo alicuius peccati? priùs adhibe nares, & conſidera quid expediens ſit. Mundus, caro, dæmon ſuadent clauſis naribus exhaurire potionem, quam tibi miſcuerunt, ſæpiùs heu mortiferam. Tu, ſi ſapis, noli bibere, priuſquam explores.

G. VI. Aures iudicij norma & typus. 1. SEXTÒ, Aurium ſtructura docet, quale iudicium de quauis re ferendum ſit. Primò enim non vnam ſed duas nobis aures dare voluit natura, vt inter litigantes vtrique parti ſuam præbeamus aurem, nec vni plus quàm alteri. Obſeruauit hoc Alexander M. qui vt Plut. & Anton. *in Meliſſa p. 1. ſer.* 53. referunt, accuſatore perorante alteram aurem occludere ſolebat. Rogatus cur id faceret: *alteram*, inquit, *aurem integram ſeruo reo.* Hinc ædibus iudiciarijs quandoque cernimus inſcriptum: *Audi & alteram partem.* Idem nos faciamus inter ſententias diſcrepantes & aliorum delationes.

2. Secundò, Aures conſtructæ ſunt ad inſtar cochleæ, variis anfractibus ſonum introducentes; vt moneamur ea, quæ contra proximum aut reum dicuntur, non ſtatim ex ſimplici relatione credere, ſed multo priùs examine ponderare, an veritati nitantur. Et quemadmodum aures viſco intùs munitæ ſunt, ne minuta animalcula ingredi & cerebrum offendere queant: ita vanos & inanes vulgi rumores, leuiuſcula quoque & futilia, quæ in alterum vel teipſum dicuntur, admittere non debes, cùm quietem & tranquillitatem animi ſine causâ perturbent.

3. Tertiò, Sicut homo inter animalia ſolus aures mouere non poteſt notabiliter: ita decet hominem in medio æquitatis conſiſtere immobilem, nec ab eâ dimoueri donis, precibus, facundiâ, minis.

H. VII. Lingua inſtruit loquelam. SEPTIMÒ, Linguę fabrica loquelam inſtruit. Nam Primò cùm homo binos habeat oculos, binas quoque aures, vnicam tantùm linguam habet, vt moneatur plus ſibi audiendum, quàm loquendum eſſe, iuxta id Jac. 1. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Et quia ſæpe lingua nimis loquax eſt, ideò ſæpe fit, vt dentium morſu caſtigetur.

Secundò, Sedulò à naturâ incluſa & cuſtodita eſt, labijs quaſi vallo, dentibus quaſi muro, adhæc quaſi catenâ gutturi alligata eſt inſtar mordacis canis, vt nimirum magno ſtudio refrænare eam moneamur; ſiquidem *mors & vita in manu linguæ*, ait Sapiens Prouerb. 18. Hinc etiam linguæ & ori proximè naſus imminet, vt ne ſine ratione & conſideratione os ad loquendum aperiamus: ſed, vt ait S. Chryſoſt. in Comment. ſuper Pſal. 140. *Os noſtrum perpetuò cuſtodiamus, rationem ei tanquam clauem adhibentes.* Certè qui naſo carent, turpiter & abſonè loquuntur: ita etiam qui ſine ratione loquuntur. 2.

Tertiò, Cordi affixa eſt, vt cordi & animo conſentiat, memor veritatis. Hoc voluére Veteres, cùm per pomum Perſicum adhæreſcente folio veritatem depinxére, deſignantes linguam & cor cohærere ſemper debere. Pomum illud cordis, folium linguæ figuram habet. 3.

OCTAVÒ, Manuum compoſitio ad laborem nos hortatur. Duæ enim manus, dextra & ſiniſtra, indicant laborandum eſſe tam pro ſalute animæ, quàm pro ſalute corporis; ita tamen vt quemadmodum dextra fortior eſt, ideoque plus operatur quàm ſiniſtra: ſic pro ſalute animæ ampliùs laboremus; quia *longitudo dierum in dexterâ eius, & in ſiniſtrâ eius diuitiæ & gloria*, inquit Sapiens *Prouerb.* 3. q. d. æterna beatitudo dextera adeoque fortiùs arripienda eſt, at proſperitas temporalis manu ſiniſtrâ adeoque minùs grauiter. Et licèt cor in ſiniſtrâ corporis parte collocatum ſit, plus tamen ſpirituum mittit ad dextram quàm ad ſiniſtram. Eadem ratione licèt animus noſter corpori ſit immerſus, & mundo huic rebuſque temporalibus affixus, debet tamen vim ſuam multò ardentiùs diffundere in res cœleſtes, iuxta id Sponſæ Cant. 2. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* q.d. res mundi huius per contemptum mihi ſubiicio. At ea, quæ cœli ſunt, totum occupant, & amplectuntur cor meum. Cæterùm vti multi ſiniſtrâ vtuntur pro dextrâ: ita & hîc, &c. I. VIII. Manus operationem informat.

Deinde monent, vti viciſſitudine quadam modò vitæ actiuæ, modò contemplatiuæ operam demus, ſicut modò vnâ, modò alterâ manu laboramus. Dextra contemplatiuam, ſiniſtra actiuam denotat. Ergo vt elephas per vices altero dente vtitur, alteri parcit: ita Chriſtianus ſubinde cum Magdalenâ ſedere ad pedes Domini, & audire verbum, legere, meditari, orare debet: ſubinde cum Martha & ſiniſtrâ manu familiam adminiſtrare, laborare, eleemoſynas dare. 2.

NONÒ, Denarius digitorum in duabus manibus, decalogum præceptorum Dei, duabus expreſſum tabulis aptè repræſentat. Vnde Caſſiodorus in l. de animâ ait: *Pedes noſtri manuſq́, denariâ digitorum quantitate formantur, ne præter legem Domini aut cogitare aliquid aut agere deberemus.* Quin & Sapiens Prou. 7. eò alludere videtur, cùm ait: *Liga eam* (legem) *in digitis tuis*; hoc eſt, memoriâ, vt legem teneas omninò, vtere hac arte, ſingulis digitis ſingula præcepta illiga. K. IX. Digiti, decalogi obſeruationem inſinuant.

illiga. Cumq́ue eâ ratione intêr decem digitos decem præcepta legis diſtribueris, ſemper occurrent facilè, ſemper in promptu habebis, vt ait & exponit ibi Salazar. Sic mandatum erat Judæis Deut. 6. *Ligabis ea* (decem præcepta) *quaſi ſignum in manu tua.* Cùm ea igitur quaſi digitis noſtris alligauerit auctor naturæ, nihilq́ue magis aut aſpiciamus aut moueamus quàm digitos, admonemur inde nunquam obliuiſci diuinorum mandatorum; quin etiam exerceri ſemper in eorum obſeruatione. Hoc in libro, his in tabulis ſedulò exercebatur Dauid, qui Pſ. 118. ait: *Anima mea in manibus meis ſemper*; hoc eſt, vt exponit Bruno Epiſcopus Herbipolenſis; *Animam meam in bonis operibus, ſecundum quod lex tua iubet, paratam ſemper habeo*; quemadmodum de ſtudioſo iuuene dicimus, ſemper hærere in libris animum illius.

L. X. Pedes appetitûs vtriuſque figura.

Decimò, Pedes figura ſunt appetituum noſtrorum; vti enim pedibus fertur, quò vult corpus; ita appetitibus animus. Porrò duo pedes, vti & appetitus duo ſunt; dexter appetitum ſuperiorem ſeu rationalem; ſiniſter inferiorem ſeu ſenſitiuum denotat. Cæterùm hoc naturæ inſitum eſt, vt motus incipiat à dextro; pari ergo ratione omnes noſtræ actiones non ab imperio ſenſualitatis, ſed ab imperio rationis dependere & incipere debent. *Bruta*, inquit D. Thomas 1. p. qu. 81. art. 3. *vbi apprehendunt, ſtatim mouentur; quòd in illis non eſt ſuperior appetitus repugnans; at in homine expectatur imperium voluntatis.* Igitur inſurgente appetitu ſenſitiuo, qui inania & corporis bona deſiderat, ſiſtendus eſt pes ſiniſter, dum præeat pes dexter, appetitus rationalis, qui ſolida bona quærit, conformia rationi. Rursùm à pede dextro inchoamus greſſus noſtros, cùm noſtras actiones incipimus à Deo eiuſq́ue adiutorio, quo modo Eccleſia omnes Precum horas incipit ab eo verſiculo; *Deus in adiutorium meum intende*, Atque hæc eſt, Auditores, imago corporis noſtri, &c.

CONCIO VIII.

SS. Imaginum cultus comprobatur.

1. *Probatur ex Scripturâ, & reſpondetur obiectionibus.*
2. *Ex continuo Eccleſiæ vſu & conſenſu.*
3. *Ex ratione.*
4. *Ex earum varia vtilitate.*
5. *Ex odio cacodæmonis in imagines.*
6. *Ex punitione Iconoclaſtarum.*
7. *Ex miraculis in comprobationem earum factis.*

THEMA.

Cuius eſt hæc imago? Matth. 22.

A. Videte, Auditores, quàm conformes ſint hæretici noſtri temporis ſuperſtitioſis Iudæis. Putabant Iudæi, vt ex Ioſepho colligitur lib. 8. Antiq. c. 2. nullas omninò imagines pingere, ſculpere aut habere fas eſſe, interim tamen nummos Jmperatoris imagine inſignitos nequaquam abiiciebant, ſed omnio potiùs ſtudio corradere & conſeruare ſtudebant. Neque enim in hodierno Euangelio conquerebantur, quòd numiſmata ſua Cæſaris imaginem haberent expreſſam, ſed quòd ea Cæſari dare cogerentur. Ita ad vnguem Caluiniſtæ. Cùm enim aſſerant & clament vetari in lege veteri, (Exod. 20. Deut. 5.) omnes omninò imagines: interim tamen eas, quæ offeruntur ijs expreſſæ in aureis & argenteis monetis, non modò non auerſantur, ſed potiùs exoſculantur, & cùm non offeruntur, rapere conantur. Stulti; non prohibuit Deus omnes imagines, quod vel ex hodierno Euangelio diſcere poteſtis; neque enim Chriſtus carpit numiſmata Iudæorum ob effigiem Cæſaris, ſed ſua Cæſari reddi iubet. Dicent fortè: ſi non omnes imagines prohibitæ ſunt à Deo, ſunt tamen imagines Dei & Sanctorum. Falluntur & in hoc: vti videbimus.

B. I. Probatur ex Scripturâ.

Ergo SS. imaginum cultus probatur. Primò, ex S. Scripturâ. Nam Primò, Exod. 15. præcepit Deus Moyſi, vt faceret duos Cherubinos aureos, & quidem in ipſo propitiatorio. 1. Secundò, præcepit eidem, *Num.* 21. facere ſerpentem æneum, & ponere pro ſigno, vt 2. percuſſi à ſerpentibus, eum aſpicerent & ſanarentur. Quem quidem longo pòſt tempore confringi præcepit Rex Ezechias, quod à Iudæis pro Numine coli inciperet, 4. *Reg.* 18. Tertiò, Salomon in templo fecit Cherubim, 12. boues, mare æneum ſuſtinentes, pluresq́ue alias imagines, 3. *Reg.* 6. & 7. nec tamen hoc 3. à Scripturâ reprehenditur, ſed potiùs inter diuini cultûs inſtrumenta & ſupellectilem ampliſſimam recenſetur; neque credibile eſt id Salomonem contra Dei legem & non potiùs ex diuinâ inſtitutione & deſcriptione templi, Dauidi à Deo traditâ, feciſſe. Si licuit 12. boues ſculpere, cùm magis eſſet de idololatriâ timendum; cur non licebit 12. Apoſtolos pingere, quorum illi figuram gerebant? Si licuit ſerpentem exaltari coram populo ad Idololatriam prono, cur non licebit nunc Chriſtum in cruce exaltatum pingere, vt ex illius aſpectu reducamus ad memoriam beneficium redemptionis? ſi vmbras licet pingere & ſculpere, cur non & corpus? Denique Deus imaginem ſui corpoream & ſenſibilem obiecit oculis Abrahæ, Jſaac, Jacob, Jſaiæ, Ezechielis, Moyſis & aliorum, ergo eam non vetuit quaſi rem per ſe illicitam. Sed cur præcepit Deus Deut. 5. *Non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem omnium*, &c.? Reſpondetur: per ſculptile intelligi tantùm Idola, ſeu imagines falſorum Deorum aut potiùs ipſos fictitios Deos, quales erant Idola. Primò, quia 70. pro *ſculptile* vertunt *Idolum*. Secundò, quia ibi tantùm vetatur aliorum Deorum cultus, vt patet ex antecedentibus & conſequentibus: alioqui ſecundum illud præceptum non vnum, ſed multiplex eſſet. Vnde & Moyſes infrà id explicans ait: *Non facietis Deos argenteos, neque Deos aureos.* Tertiò, quia hoc videtur ſignificare vox *tibi*, cùm

Ad locū Deut. 5. reſpondetur.

cùm ait: *Non facies tibi ſculptile*: quod ſcilicet tibi ſit inſtar DEI ſeu idolum. Item, quod ſequitur: *Non adorabis ea, & non coles*; videlicet Idola; hæc enim ſola adorantur.

C. II. Ex continuo Eccleſiæ vſu & conſenſu.

SECVNDÒ. Ex continuo & approbato Eccleſiæ vſu ac conſenſu. Nam imprimis Chriſtum ſuam ipſius imaginem in linteo ad faciem admoto expreſſiſſe & Abagaro Edeſſæ, Syriæ ciuitatis Regi, miſiſſe ſcribit S. Damaſcenus *lib. 4. de fide orthod. cap. 7.* & alij. Eamdem Sudario impreſſiſſe & Veronicæ reddidiſſe, tradunt multi; eaque Romæ aſſeruatur ad S. Petrum. Sindoni item, quâ inuolutum erat Chriſti corpus, impreſſam eius figuram, aſſeruatamque in Eccleſiâ Taurinenſi; refert Baronius anno 34. Erectam etiam Chriſti ſtatuam æneam à Syrophæniſſa, in gratiarum actionem pro fluxu ſanguinis depulſo ad tempora Iuliani Imperatoris perſeueraſſe Cæſareæ Philippi ſcribit Sozomenus lib. 5. cap. 20. Euſebius & alij. S. Lucam plures pinxiſſe imagines Chriſti, B. Virginis, SS. Petri & Pauli, quarum aliquæ, adhuc Romæ viſuntur, tradit Nicephorus *lib. 2. c. 43. lib. 6. cap. 16.* Adhæc imaginem Chriſti paſtoris ouem geſtantis olim in vaſis ſacris pictam fuiſſe teſtatur. Tertullianus apud Baronium anno 216. Conſtantino Magno apparuerint in ſomno Petrus & Paulus baptiſmum ei ſuadentes, quos tum demum agnouit, poſtquam eorum imagines produxit Sylueſter Papa, vt ſcribit Adrianus Papa in literis ad Conſtantinum & Irenen Imperatores datis in Conc. Nicæn. 2. act. 2. Denique ſemper in Eccleſiâ fuiſſe cultum imaginum SS. conteſtatur Germanus Patriarcha ad Leonem Iſauricum Imperatorem, nec non Gregorius II. Papa in ep. ad eundem, apud Baronium anno 726. (vbi aſſerit, neminem facilè piorum, ſine imaginibus iter agere conſueuiſſe.) Et Damaſcenus apud eundem anno 730. Quare cùm Imperatores Orientis diu ſacras impugnâſſent imagines, coacto demum Concilio 350. Epiſcoporum, Nicææ Bithyniæ, anno Domini 787. ſub Conſtantinó & Ierene Imperatoribus defenſus & decretus eſt earundem cultus, his duobus verſibus comprehenſus

Nam Deus eſt, quod imago docet, ſed non Deus ipſa.
Hanc videas; ſed mente colas, quod cernis in ipſâ.

D. III. Ex ratione.

In eo Concilio act. 4. refertur ex Theodoreto, Simeonis Stylitæ imagines Romæ in omnium officinarum veſtibulis & porticibus poſitas fuiſſe, in ædium præſidium & tutelam. Id factum circa annum 452.

TERTIÒ. Ex ratione. Quia imago conſiderari poteſt Primò materialiter, quâ nimirum aurea vel argentea, pulchrè vel deformiter picta. Secundò formaliter, quâ repræſentat vel ſignificat aliquid. In priori acceptione non colimus imagines, quia vt ſic ſunt quid rationis expers, ac proinde etiam cultui & adorationis incapax; & qui eiuſmodi imaginem amat, v. g. quòd aurea vel affabrè picta ſit, non ob id amat rem ab eâ repræſentatam v. g. Iudam pulchrè pictum. In ſecundâ acceptione colimus, quia ſecundùm hanc idem omninò eſt motus in imaginem & in rem ſignificatam, vt docet Ariſtoteles lib. de memoriâ: adeoque qui ſic honore vel ignominiâ afficit imaginem, afficit & rem ſignificatam. Vnde Concilium Trid. ſeſſ. 25. ait: *Honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant*; &c. Et S. Baſilius in lib. de Spiritu ſancto ait: *Rex dicitur Regis imago, & non duo Reges: nec enim imperium ſcinditur, nec gloria diſſinditur, &c.* Ita exempli gratiâ, Iacob cùm adorauit faſtigium virgæ, ſeu ſcepteri filij ſui Ioſephi, dominantis in Ægypto (*Gen. 47. ad Hebr. 13.*) non ipſum per ſe ſceptrum, ſed Ioſephum Principem (cuius ſymbolum & imago erat ſceptrum) adorauit: ergò niſi impium & ſuperſtitioſum velimus dicere Iacobum, quod abſit, cùm adoratur imago, adoratur ipſum exemplar. Quo argumento vtitur Adrianus Papa in epiſt. ad Conſtantinum & Irenem in Concil. Nicæno 2. Rurſùm quando alicuius Regis v. g. imago afficitur iniuriâ, afficitur ipſe Rex. Vnde Adrianus in eâdem epiſtolâ ex S. Chryſoſtomo affert hæc verba: *Nonne iniuriâ afficit Regem, qui Regiam veſtem violat? Non noviſti, quòd is, qui iniuriâ afficit imperatoriam imaginem, in Imperatorem ipſum veluti exemplar imaginis eiuſque dignitatem iniurius eſt? Neſcis, quòd quicunque ex ligno & coloribus imagini conuitia dicit, illum non damnari veluti in rem inanimatam, ſed contra Regem ipſum dixerit? Iudicatur enim occultè Regi iniuriam intuliſſe.* Certè Imperator Theodoſius anno 388. cùm Antiocheni ipſius & coniugis eius imagines deieciſſent, ac per plateas traxiſſent, ſuam hanc & coniugis ſuæ Placillæ iniuriam reputabat adeò, vt propterea cogitaret ciuitatem vnà cum ciuibus delere, deleuiſſetque, niſi eum Flauianus Epiſcopus placaſſet. Nicephorus lib. 12. cap. 43. Vnde Simeon Iunior Stylita in epiſt. ad Iuſtinum Imp. contra Samaritanos hæreticos imaginum deluſores, ait: *Cùm videamus pias leges veſtras, eos qui imaginem aut ſtatuam Imperatoris ignominiâ afficiunt, extremo & iuſto mortis ſupplicio plectere: quâ tandem pœnâ puniendi ſunt, qui in imaginem Domini noſtri eiuſq; matris nefando facinore graſſati ſunt?*

E. IV. Ex earum variâ vtilitate. 1.

QVARTÒ. Ex earum multiplici vtilitate. Nam Primò indoctam plebem erudiunt. *Quod legentibus ſcriptura*, inquit ſanctus Gregorius lib. 9. epiſt. 9. *hoc & Idiotis præſtat pictura, quia in ipſâ ignorantes vident, quid ſequi debeant: in ipſâ legunt, qui literas neſciunt.* Continent enim imagines vel hiſtoriam aliquam S. Scripturæ, vel compendium aliquod vitæ Sanctorum, aut virtutem aliquam ipſorum principem. Hinc nôrunt etiam rudes, quid actum cum SS. Apoſtolis & martyribus, quid potiſſimùm egerint SS. Confeſſores, &c. quorum omnium ſumma ignorantia eſt apud eos, qui imagines repudiant. Hinc ſanctus Nilus ad Olympiadem Proconſ. monet, vt hinc

hinc inde parietes templi repleantur noui & veteris teſtamenti hiſtorijs propter illiteratos. Propterea olim maiores noſtri feſtiuis diebus circumducebant liberos ſuos ad templa & altaria, docentes eos per picturas fidei myſteria & Sanctorum acta.

2. Secundò, Reuocant nobis identidem in memoriam, quæ olim legimus, vidimus, audiuimus vel experti ſumus, Dei beneficia, creationem & redemptionem noſtram, præclara Sanctorum opera: *Sicut olim fimbria aſſuebantur veſtibus ad memoriam mandatorum Dei, Num. 15.* vt ait Concilium Nicæn. 2. act. 4. *Perſæpe* enim *vſuuenit*, ait Damaſcenus lib. 4. orthod. fid. cap. 17. *vt Dominicæ paßionem animo minimè verſantes, conſpectâ Chriſti crucifixi imagine, in ſalutiferæ paßionis memoriam redeamus, ac proſtrati, non materiam, ſed eum, cuius imago eſt, adoremus.*

3. Tertiò, Excitant in nobis pios affectus deuotionis, amoris, contritionis & ſanctæ æmulationis. Hiſtoria immolati Iſaac picta adeò mouebat S. Gregorium Nyſſenum, vti de ſe teſtatur: *Vidi ſæpe inſcriptionis imaginem & ſine lachrymis tranſire non potui, cùm tam efficaciter pictura ob oculos poneret hiſtoriam,* &c. Orat. de Deitate Filij & Spiritûs ſancti. Imago S. Pauli quaſi viui & ſpirantis ſubinde aſpecta, maximum amorem erga Apoſtolum gignebat in mente S. Chryſoſtomi, vti ipſe ſcribit in orat. quod veteris & noui teſtamenti idem ſit auctor. Imago Crucifixi primo ſtatim contuitu S. Eliſabetham Hungariæ Regis filiam penitiſſimè compunxit, compunctæ lachrymas excuſſit, & ſalutarem pudorem iniecit, quòd ipſa gemmis, auro, byſſo & purpurâ ſe contectam, Chriſtum verò nudum ſpineâ redimitum coronâ aſpiceret. Surius 19. Nouemb. cap. 7. Effigies extremi iudicij Bogarim Bulgarorum Regem in ædibus eius per Theodorum captiuum Chriſtianum depicta adeò commouit, vt perfidiâ eiuratâ fidem Chriſtianam amplexus ſit. Joan. Curopalates apud Baronium anno 845. Denique ſicut olim imago Alexandri Magni Gadibus conſpecta Iulio Cæſari pudorem & mœſtitiam iniecit, quòd ipſe eâ ætate, quâ Alexander pæne totam ſubegerat Aſiam, nondum incepiſſet præclarum aliquid agere: (vt eſt apud Fulgoſ. lib. 8.) ita icones Sanctorum aut excitant animos noſtros ad ſimiles virtutes, aut certè pudefaciunt.

4. Quartò, Iuuant ad feruentiùs orandum, quia quodammodo DEVM nobis præſentem ante oculos ponunt; cuius alioqui citò obliuiſcimur. Ita S. Paula Romana proſtrata ante crucem Domini, quaſi pendentem Chriſtum cerneret, adorabat, & Bethlehem ingreſſa atque in ſpecum Saluatoris introiens iurabat, cernere ſe oculis fidei infantem pannis inuolutum, vt teſtatur S. Hieronymus epiſt. 27. ad Euſtoch.

F. V. Ex odio Cacodæmonis in imagines.

QVINTÒ, Ex odio Cacodæmonis, quod habet erga SS. imagines. Refertur in Concil. Niceno 2. act. 5. exemplum ex Prato ſpirituali Joan. Moſchi ad Sophronium Sophiſtam, poſteà Patriarcham Ieroſolymitanum, de quodam incluſo in monte oliuarum, qui mirè impugnabatur à ſpiritu fornicationis, & aliquando ei dixit; *Quamdiu non dimittis me? Recede iam à me, qui mecum conſenuiſti.* Mox apparuit & reſpondit dæmon, diſceſſurum ſe, ſi poſtulatum vnum obtineret; ſpondentique ait: *Noli amplius adorare hanc imaginem* (erat autem imago Deiparæ Chriſtum geſtantis) *& vltrà te non impugnabo.* At incluſus deliberationem petens, recenſet hoc Abbati Theodoro, qui reſpondit: *Expedit tibi potiùs nullum in vrbe lupanar omittere, quod non ingrediaris, quàm vt ceſſes adorare Chriſtum & matrem eius.* Confirmatus igitur incluſus, perrexit in ſuo obſequio & dæmonem contempſit. Vincentius Beluacenſis lib. 23. ſpec. hiſt. c. 147. prodidit Conſtantinopolitanos, ſuaſu cuiuſdam magi, D. Virginis imagine in mare demerſâ, Saracenorum claſſi tempeſtatem immiſiſſe. Vnde colligas licet, quo genio agantur noſtri Iconomachi.

G. VI. Ex punitione Iconoclaſtarum.

SEXTÒ, Ex punitione Iconoclaſtarum, quorum primus ex Imperatoribus fuit Leo tertius Imperator, dictus Iſauricus & Iconomachus, quo contra SS. imagines inſaniente, commoti reliqui Chriſtiani principes, omnes illius ſtatuas & imagines deijcere & varijs ignominijs ac ludibrijs afficere cœperunt: Italiæ populi tributum ei pendere recuſarunt. Baron. anno 726. Poſteà anno 732. ingens claſſis ab eo aduerſus Papam & Italiam immiſſa in mari Adriatico perijt naufragio. Cedren. apud Baron. Tum anno 740. Conſtantinopolis, Sacrilegi Imp. Sedes per 12. menſes graui terræ motu affligitur, Eccleſijs & monaſterijs ibidem & per plures prouincias, vrbibus & villis corruentibus, ſtatuis etiam Imperatorum, quæ erant Conſtantinopoli, deiectis. Baron. anno dicto. Denique Imperator *tum anima, tum corporis morte mortuus eſt*, inquit Theophanes apud Baron. anno 741. Filius & Succeſſor eius Conſtantinus, à fœdato baptiſmatis fonte *Copronymus* dictus, ob eandem impietatem primo ſtatim anno impugnaturus imagines, impeditur ab Artabaldo acclamato Imperatore: nec non probris & maledictis inceſſitur. Pòſt recuperato ab eo Imperio, Conſtantinopolis peſtilentiâ Bubonis vexatur per triennium & pæne ad ſolitudinem redigitur, Dei iuſtitiâ ſic impium Imp. vlciſcente, quâ & ipſe è medio ſublatus eſt, vt ait Conſtantinus Tij Paphlag. Epiſcopus, de inuent. reliq. S. Euphem. Tanta ea fuit, vt deeſſent mortuis ſepulchra, feretra & baiuli, auct. Theod. Studite. Baron. anno 746. Denique cùm carbunculi morbum in pedibus ſenſiſſet, moriens dixit: *Propter inſaniam meam viuus inextincto igni tradar.* Glycas. Huic ſucceſſit filius Leo quartus, eiuſdem farinæ, cùm Eccleſiæ magnæ coronam accepiſſet & in capite geſtaſſet, exierunt carbunculi in capite eius, & captus validâ febri, mortuus eſt. Theophanes apud

Baron.

Baron. anno 780. Huic ſucceſſit Conſtantinus filius, qui primò quidem iuxta decretum Concilij Nicæni ſub ſe habiti, cultum imaginum amplexus eſt, ſed poſtmodum *matris flagitia ſecutus*, vt ait Platina in Hadriano primo, conſtitutionem illam abrogauit. Hic quoque mercedem ſuam accepit, nam ex matris conſilio à proceribus comprehenſus & luminibus priuatus eſt, ex quo ſtatim mortuus. Baronius anno 797. Demum anno 814. Leo Armenus Imperat. rurſum induxit iconomachiam. Sed nec iſte impunis abiit; ſiquidem à coniuratis in templo deprehenſus & quamplurimis vulneribus conciſus & necatus eſt, poſtquam diu ſe apprehensâ cruce fruſtrà defenderet. Baron. ibi ex Zon. & Cedreno. Plura alia huius vindictæ exempla referuntur in Conc. Nicæno II. act. 4. Inter alia recenſuit Conſtantinus Conſtantiæ Cypri Epiſcopus de quodam Cyprio armentario in vrbe Conſtantiâ, qui in ſacellum Beatæ Virginis orandi gratiâ ingreſſus, cùm videret eius imaginem in pariete depictam, ait: *Quorſum hæc?* Et ſtimulo quo boues agebat ſublato, imagini dextrum oculum exſculpſit. Egreſſus autem templum, cùm pecus pungeret, ſtimulus fractus eſt, eiuſque cuſpis ferrea in oculum viri illata & infixa eſt. *Hunc ego virum*, addit Epiſcopus, *vidi & vnoculum eſſe etiamnum cognoſco.* Alius quidam (pergit narrare Conſtantinus) *in vrbe Citio, cùm in Feſto Aſſumptionis MARIÆ templum velis ornaturus, clauum in parietem adigeret, & adigendo frontem imaginis D. Petri in pariete pictæ ictu deformaret: vix appendit velum, & mox ei frons dolere cœpit acriter, donec conſilio Epiſcopi clauum de imagine extraxit.* Subdit Conſtantinus: *Interrogetur, ſi libet, Epiſcopus, adeſt enim in hac congregatione.* Interrogatus autem Epiſcopus Citij iureiurando affirmauit ita ſe habere in medio Synodi. Tertium ſubiicit de quodam Agareno in Gabala Syriæ ciuitate, qui ingreſſus templum cum 32. Cypriis Chriſtianis, videnſque ibi quandam imaginem, interrogauit Chriſtianos, quid prodeſſet illa imago. Reſpondit vnus ex illis, his quidem qui eam honorant prodeſſe: nocere autem iis qui inhonorant. Tum Agarenus: *En ego effodiam illius oculum, & videbo quid mihi noceat.* Effodit igitur dextrum oculum imaginis, & protinùs dexter eius oculus in terram exſilijt; idemque igneâ febre correptus, aſportatus eſt in ciuitatem ſuam. *Hæc nobis narrarunt*, inquit Conſtantinus, *redeuntes Cyprij, qui 32. numero fuêre.* Atque hæc in Concilio illo pro imaginum defenſione allata & probata ſunt, vnde ego ea deprompſi.

H. VII. Ex miraculis in comprobationem earum factis.

SEPTIMÒ, Ex miraculis in approbationem SS. imaginum factis, quorum multa exhibita ſunt tempore Conſtantini Copronymi, quo in Oriente pugnabatur contra imagines, à B. Stephano monacho in monte Auxentiano, qui venientes ad ſe à varijs curauit languoribus, vbi tamen priùs imagines aut adorârunt, aut colere ſe profeſſi ſunt. Inter alios militem quendam Armenum, Stephanum nomine, contorto & incuruato corpore, qui poſt adoratam Chriſti & Matris eius imaginem, illicò erectus & reſtitutus eſt. Aſt vbi is ad ſuos commilitones redijt, modumque ſuæ curationis aperuit, ductus eſt ad Imperatorem, à quo interrogatus de imaginum cultu, eas ſe execrari dixit, & ob id Centurio à Tyranno creatus eſt. Sed vltio Dei præſtò fuit; ſiquidem equum conſcendens, ab eo in terram excuſſus & calcibus contritus atque extinctus eſt. Baron. anno 765. In eiuſdem veritatis approbationem S. Joanni Damaſceno manus iuſſu Iconomachi Imperat. amputata, reſtituta eſt beneficio imaginis B. Virginis, ad confutandam Iconomachorum hæreſin, Niceph. & alij.

CONCIO IX.

Documenta.

1, 2. *Docetur tribus de cauſis repellendos eſſe adulatores, & hypocritas.*
3. *Perſonam non eſſe accipiendam.*
4. *Cautè & conſideratè loquendum.*
5. *Noſipſos ſæpe examinare debere, Deoque reddere.*
6. *Reddendum eſſe vnicuique ſuum.*

THEMA.

Magiſter, ſcimus quia verax es &, viam Dei in veritate doces, Matth. 22.

A.

VIdete, Auditores, quanti æſtimare & quantopere amare Chriſtum debeamus, Dominum & magiſtrum noſtrum, qui vel ab ipſis æmulis & aduerſarijs ſuis præclarum hoc teſtimonium nactus eſt: *Magiſter, ſcimus quia verax es & viam DEI in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum.* Quid præclarius dici de magiſtro noſtro poterat? Nimirum vel inuitis excidit hæc veritas. Quando itaque talis eſt Dominus & magiſter noſter, decet vtique vt eum docentem audiamus; quamquam non vt Phariſæi, qui audire eum cupiebant, vt caperent in ſermone: nos audire eum volumus, vt capiamur eius ſermone.

B. I. Adulatores repellendi.

PRIMÒ, Docet nos magiſter noſter adulatores repellere & dirè increpare. Hoc enim ipſe fecit, cùm eos, à quibus adulatoriè commendabatur, increpauit velut tentatores; (*Quid me tentatis?*) eò quòd niterentur ipſum ſuis blanditijs inducere in errorem, vt iniquum aliquid decerneret, imò in crimen læſæ maieſtatis, *vt traderent illum poteſtati Præſidis*, vt ait Lucas. Bene enim Diogenes dicebat, ſatius eſſe incidere in κόρακας, quàm in κόλακας, id eſt, in coruos, quàm in aſſentatores; qui ſcilicet corui eruunt tantùm oculos corporis, adulatores verò oculos mentis. Laërt. libro 1. capite 2. Hinc eos ſapientes viri,

viri, CHRISTI exemplo, acriter obiurgare ſoliti ſunt: veluti Sigiſmundus Imperator, qui adulatori Diis ipſum ſimilem facienti impegit alapam; dicentique: *Cur me cadis Imperator?* reſpondit: *Cur me mordes adulator?* Teſtis Æneas Syluius lib. 2. de geſtis Alphonſi. Conſtantinus Imp. tantus erat ſpadonum & adulatorum hoſtis, vt eos *tineas & ſorices palatij* appellaret. Teſtis Niceph. lib. 8. cap. 54. Nemo itaque fidat iſti hominum generi, nemo eos audiat. Primò, Quia ſunt ſubdoli inimici,
1. ſub amicorum habitu, ideoque peſtilentiſſimi, velut difficiles agnitu. Similes ſunt aquis dulcibus, in quibus leui tempeſtate mergitur nauis: qui verò nos reprehendunt, ſimiles ſunt mari amaro, in quo propter aquæ denſitatem non tam facilè mergitur nauis. Plin. libro 2. capite 103. Similes ſunt piſci, quem Faſten appellant, in cuius ore maritima ſalſaque aqua mox fit dulcis, quâ dulcedine illecti accedentes piſces, ab illo degluriuntur; vt tradit Jorath de animal. apud Vinc. lib. 14. cap. 54. Similes ſunt diabolo, qui tentator hominum eſt, quia blanditiis illectos ad lapſum impellit. Similes amphisbenæ è ſerpentum genere, quæ ancipiti ingreſſu & progreditur & retrogreditur, ita vt non ſcit diſcernere, quis eius ſit progreſſus, quis retrogreſſus, cùm vtrinque caput habeat, antè & retrò. Plinius *libro* 8. *capite* 23. Sic enim & adulatores in omnem ſe fortunam vertere atque accommodare ſciunt, vt non ſit facile eos nôſſe, amici an inimici ſint; prorſum an retrorſum eant. Quibus ſanè minatur Deus per Eccleſiaſticum cap. 2. *Væ duplici corde, & peccatori terram ingredienti duabus viis.*

2. Secundò, Quia viles & infames; quando vt cutem ſuam curent, nihil non in aliorum gratiam faciunt & tolerant. Aues grauiæ ſunt, teſte Alphonſo rege, quæ nauim circumuolitant, donec aliquid eſculenti eis adiiciatur. Tineæ ſunt & ſorices palatij, teſte Conſtantino Magno, viliſſima, quæque rodentes. Fidicines ſunt & lyricines, qui ad cuiuſque placitum cantilenam canunt. Figuli mendaciorum ſunt, qui nigrum vertunt in candidum & lucida obſcuris tegunt, mendacia pro veritate vendunt. Diaboli hiſtriones ſunt, qui gratiſſimam ipſi comœdiam ludunt, in lapſum præcipitando homines ſpecie amicitiæ, ac per ludum. Imò & fratres quodammodò diaboli ſunt; is enim cùm aliâ ratione CHRISTVM ſuperare non poſſet, adulatione eum adortus laudibus vehere cœpit: *Quid mihi & tibi fili Dei ſummi?* Quod ſecundum D. Chryſologum, vt non obſequens & deuotus, ſed vt adulator dixit: ſperans ſe manſionem in homine impetraturum ab ipſo, beneficio aſſentationis.

3. Tertiò, Quia maximè noxij hominibus. Non tot homines pereunt perſecutione, quot pereunt adulatione. Agricola ſi lapidibus velit paſſeres impetere, qui in eius villâ pabulantur, nullum ex iis capiet; vt venator qui laqueo & aſtutijs inſidiatur, capiet quampluri-mos. Suo igitur melleo laqueo peſſimi adulatores decipiunt terræ dominos, vnaque in re publica cauſant mala. Vnde Ariſtoteles lib. 9. Ethic. dixit: *Qui fingit ſe amicum & non eſt, peior eſt eo, qui facit falſam monetam.* Bion verò è Sapientum numero rogatus, quod animal eſſet nocentiſſimum? *Si de feris*, inquit, *percontaris, Tyrannus: ſi de mitibus, adulator.* Antigonus ſacrificans vnum hoc poſtulabat, vt à ſimulatis amicis Dij eum ſeruarent; *quia*, inquit, *hoſtes cùm cognoſco, mediocri diligentiâ caueo; at ab amicis fucatis & perfidis non poſſum mihi ipſe cauere, ſed Deo protectore opus eſt.* Maxim. ſerm. de amic.

Docet SECVNDÒ, Hypocriſin auerſari; ſiquidem hypocritas, qui ſpecie amicorum in hodierno Euangelio ipſum adorti erant, detexit & pudefecit; cognouit enim mox nequitiam eorum & hypocritas appellauit. Similes ſunt hypocritæ Spathario regis Totilæ, qui regio indutus cultu, à rege ſubornatus vt ſe Totilam ſimularet, ad S. Benedictum venit, ſanctitatem viri exploraturus. Hunc igitur cùm accedentem vidit, mox agnouit Benedictus: &, *Depone*, inquit, *fili, depone quod geris: nam tuum non eſt.* Breuiar. in eius feſto lect. 5. Quantùm hìc putatis confuſum fuiſſe Spatharium? Simili prorſus aſtu hypocritæ vtuntur: ſub veſte religioſâ ad DEVM appropinquant quaſi ipſum decepturi. Sed nouit DEVS nequitiam illorum, multò adhuc meliùs quàm S. Benedictus. Sinit quidem eos laruâ tectos aliquandiu ambulare & vſque ad ſe accedere, vſque ad mortem, inquam. Verùm ibi eos deprehendet, ibi eis laruam detrahet, ibi eos confundet. Audimus enim eum dicentem per os Sophoniæ cap. 1. *In die hoſtiæ Domini viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrinâ.* Ad literam minatur excidium ciuibus Ieroſolymæ, quæ gentilitio, non Iudaico incedebant habitu. Tropol. minatur hypocritis, qui ementito religionis alienæ habitu inter Chriſtianos degunt. *Quid enim magis eſt peregrinum*, ait ibi Rupertus, *quàm ſunt lupis rapacibus veſtimenta ouium? quid magis peregrinum, quàm eum qui intùs plenus eſt iniquitate, foris hominibus iuſtum apparere?* Cùm ergo in die iudicij (particularis & vniuerſalis) mactabuntur hoſtiæ & detrahetur eis pellis, ô quantum pudeſient, qui ſub ouinâ lupinam gerunt? Tantò ampliùs videlicet, quantò ampliùs hìc honorantur. Nemo itaque præſumat DEO imponere, vel eius oculos aut manum effugere. *Ego ſcio Ephraim*, inquit per Oſeam cap. 5. *& Iſraël non eſt abſconditus à me.*

C. II. Hypocriſis auerſanda.

Docet TERTIÒ, Perſonam non accipere, ſed ex æquo omnibus ius & veritatem dicere. Hoc enim cùm in eo ſubdolè prædicaſſent Phariſæi, mox in ipſiſmet oſtendit, dum eos reprehendit & appellauit, quod erant, hypocritas. Non reſpexit ad doctrinam & famam Phariſæorum, non ad Herodianos aulicos, qui cum illis aderant: ſed redarguit illos ex ipſorum ore. Doctrina hæc præ cæteris neceſſa-

D. III. Perſona non accipienda.

neceſſaria eſt Rectoribus & Magiſtratibus, qui Dei perſonam repræſentant, vt proinde inſtar Dei (qui vt ait Sapiens c.6. *puſillum & magnum ipſe fecit & æqualiter cura eſt illi de omnibus*) parem erga omnes propenſionem habere in ſuis iudicijs debent. Hoc enim eſt quod Deut. 1. illis inculcatur, cùm dicitur: *Nulla enim diſtantia perſonarum: ita paruum audietis vt magnum; nec accipietis cuiuſquam perſonam quia Dei iudicium eſt.* Digna laude ſententià eſt illa Caroli V. Imper. *Quemadmodũ ſol tam egenis quàm diuitibus æquali modo ac menſurâ lumen diſpenſat: ſic principum eſt ſine vllo perſonarum reſpectu ſubditorum cauſas examinare & æquali iuſtitiæ temperatione iudicare.* Tymp. *in ſpec. Magiſtr. ſig.* 93. Laudandus etiam hoc nomine Alex. Magnus cui cùm mater Olympias innocentis cuiuſdam necem ab ipſo extorquere conaretur & nouem menſium geſtationem in vtero vrgeret: *aliam*, inquit, *mater, mercedẽ poſce, hominis ſalus nullo beneficio cõpenſatur.* Cæl. l. 16. c. 7. Nihil inferior Canutus Wandalborum Imp. de quo Crantzius l. 3. wandal. c. 32. ait: *Deprehenſi erant in Marca ſuæ ditionis latrocinantes quibus ad vltimum ſupplicium condemnatis, cùm pœnam ſumere carnifices iuſſiſſet è medio damnatorum grege quidam proclamat, eſſe ſe de Principis Canuti cognatione, iure ſanguinis impunitatẽ & vitã deposcens. Quo Rex audito. Cognato, inquit, noſtro vt honoratior ſit locus, ſublimiorẽ parate crucẽ.*

E.
IV.
Cautè loquendum.

Docet QVARTÒ, Cautè & conſideratè loqui, præſertim cùm iudicium de altero ferendum. Nihil procliuius, quàm linguâ offendere: lingua enim præceps & infræne membrum eſt. Vnde S. Iacobus cap. 3. epiſt. ſuæ ait: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Ac propterea Phariſæi exiſtimabant ſe Chriſtum abſque dubio capturos eſſe in ſermone, quando aliâ viâ capere non poterant. Quid igitur inter hos aucupes Chriſtus non ſtatim profert ſuam ſententiam; ſed: *Oſtendite mihi numiſma censûs*, inquit. Et rurſum: *Cuius eſt hæc imago* &c. ac tum demum ſeſe explicat. Ad hunc ergo modum prius rem conſideremus, antequam decidamus & loquamur; & ſicut non facilè quid expendimus è crumenâ, niſi priùs examinatum: ita priuſquam ſermonem proferamus, inſpiciamus verbum mentis, & dicamus: cuius eſt hic nummus? cuius imago & ſuperſcriptio? quorſum tendit iſte ſermo? quam ſpeciem præſefert? Ita monuit Eccleſiaſticus cap. 21. *Verba prudentium*, inquit, *staterâ ponderabuntur.* Et *cap.* 28. *Verbis tuis facito ſtateram & frenos ori tuo rectos, & attende ne fortè labaris in lingua & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem.* Et cur putamus naturam duplici repagulo linguam incluſiſſe dentium ſcilicet & labiorum, niſi vt hæc eſſent inſtar portarum, illi velut clatræ portis imminentis ad cuſtodiendam linguam? vt ergo ianitor ad vrbium portas vigilat, qui tranſeuntes examinet: ita mens & ratio inuigilare ori & ſermonibus noſtris deberet.

F.
V.
Seipſum quiſque examinet Deoque reddat.

Docet QVINTÒ, Sæpe ſæpius conſiderare & examinare noſmetipſos, nec non Deo reddere. Sumus enim nos imago Dei, partim naturalis, per mentem & rationem: partim ſupernaturalis, per gratiam. Illa veluti rudibus cupri lineamentis expreſſa eſt, hæc illam viuis illuſtrat & perficit coloribus. Atquem admodum imagines nummis impreſſæ facilè atteruntur vſu quotidiano, vt poſtremùm vix agnoſci queant (quam ob cauſam forſitan Dominus interrogauit: *Cuius hæc eſt imago?*) ita contingit quamplurimis hominibus. Alij enim naturalem fœdant in ſe imaginem veluti qui ſe inebriant: qui irâ & furore ſe inflammant: qui in libidinem exardeſcunt. Item qui fuco ſe depingunt vel leuiculum in modum veſtiunt & quaſi in alteram creaturam transformant, vt vix ſcias, maréſne an fœminæ, homines an diaboli ſint. Fœdant, inquam, quia ſapientiſſimi pictoris (Dei) imaginem dum emendare volunt, deſtruunt. Vnde meritò tales interrogare Deus poſſet: *Cuius eſt hæc imago?* mea vtique non, ſed quam vos feciſtis. Legimus Benedictũ II. obſcuro loco natum, è tenui fortunâ ad Pontificatus apicem veniſſe, primæuæ tamen paupertatis memorem ſemper fuiſſe. Venerat igitur ad hunc mater: ſed ſplendidiore cultu ac tali filio digno ornata à matronis Romanis; quam cùm vidiſſet Pontifex, diſſimulauit ſe eam agnoſcere; ac monitus, adeſſe matrem: *Egone*, inquit, *tam ſpecioſo amictu matrem eſſe credam! non agnoſco, matrem enim & pauperem ſcio & ignobilem.* Erubuêre cuncti, matriſque eductæ pannoſas exuuias reddidere: quibus indutam reducunt. Tum Pontifex genitricem amplexus: *Hoc*, inquit, *habitu matrem reliqui, & talem libenter agnoſco recipioq;.* Crantzius *l. 8, metrop. c.* 46. Quid ſi huiuſmodi comptulis idem aliquando reſpondeat Deus; & quod fatuis dixit virginibus, *non noui vos?* Sed & illud magis dolendum, cùm imago ſupernaturalis per peccatum deformatur. Et quam multi tales, quorum animæ velut vulgares monetæ verſantur continuò manibus mundi, carnis, dæmonis; adeoque vitiis obteruntur, vt vix agnoſci pro Chriſtianis queant, imò diaboli figuram habere videantur? ſic enim de Iuda ait Dominus: *Vnus ex vobis Diabolus eſt.* Quorſum verò hos ablegandos dicemus, niſi ad eum, cuius imaginem præſeferunt? Narrat Ioſephus *l. 2. de bello cap.* 8. Iudæos ceruices obtuliſſe militum ictibus mortemque ſubire voluiſſe potiùs, quàm Cæſaris imagines ſuſcipere. Nos cur non potiùs mori malimus, quàm dæmonis imaginem ſuſcipere?

G.
VI
Reddendum vnicuique ſuum.

Docet SEXTÒ, Reddere vnicuique ſuum, Cæſari quæ Cæſaris, Deo quæ Dei ſunt. Iudicium hoc intulit Chriſtus ex imagine, quæ Cæſaris erat, inſpectione; & proinde omnes monuit, ne aliena contrectaremus, ſed ea dominis ſuis redderemus. Simile prorsùs factum legimus ab homine quamuis barbaro, Tamberlane videlicet Tartarorum rege deſignato, in Bapt. Fulg. lib. 4. Hic enim quodam tempore, cùm iter per Syriam faceret, obtulit ſe ei arator, qui tunc in ingens vas aureæ monetæ arando impegerat. Cùm autem omnes, qui cum rege erant, regis aurum illud eſſe dicerent, (iure fiſci regij ſcilicet) iuſſit rex agricolam ad

Vide ſimilia part. 2. f. 463. c. 2.

ſe monetam deſerre. Quâ inſpectâ, Rex ab aſtantibus petiit, putaréntne patris ſui imaginem eſſe, quam pecunia illa impreſſam habebat? Cui cùm reſpondiſſent, Romanorum Principum effigiem eſſe, ait Rex: *Si ergo hac pecunia maiorum meorum non fuit, aratori eam relinquamus, ad quem Deum eam detulit.* Videtur mihi barbarus iſte præclarum illud factum in Euangelio legiſſe & à Chriſto didiciſſe. Ante hunc etiam Tobias cæcus, cùm audiſſet in domo ſuâ vocem balantis hædi, nec ſciret vnde eſſet: *Videte* inquit, *ne fortè furtiuus ſit: reddite eum dominis ſuis.* Tob. 2. Quid ergo facit Chriſtianus? Hoc nimirum, vt cùm aduertit res ſubditorum aliorumque pauperum ſibi non deberi, ſed ipſis vxoribus & liberis eorum; eas ne attrectet, ſed relinquat iis, quorum labore & ſanguine partæ ſunt. Si domi tuæ haberes rem alienam vel dubiæ fidei, interroga conſcientiam tuam, vel etiam Iuriſperitos: *Cuius eſt hac imago?* poſſumne his bonis gaudere tutâ conſcientiâ? Quid ſi ſudor & ſanguis pauperum his impreſſus ſit? Et ſi deprehendas eſſe aliena, redde Cæſari, quæ Cæſaris: proximo, quæ ſunt proximi. Vtinam hoc aduertant hæretici noſtri temporis, qui fundationes, Epiſcopatus, Abbatias, Monaſteria, templa, eorumque redditus in ſuos deriuarunt & rapuerunt vſus. Interrogent enim illa: *Cuius eſt hac imago?* nónne Catholicorum, fundatorum & poſſeſſorum? Sanè non Lutheranorum, nec Caluinianorum. Reddant ergo Deo, quæ ſunt Dei; Cæſari quæ ſunt Cæſaris; id quod nuper in Pragenſi victoriâ audierunt hac ipſâ Dominica, quâ ea obtenta fuit.

Verùm hîc attendendum, ne ordinem peruertas, & Deo reddas, quæ ſunt proximi; vel proximo aut tibi, quæ ſunt Dei. Tyrij & Sidonij diuinum honorem impertiebant regi Herodi, cùm peroranti acclamabant: *Dei voces & non hominis*; (Actor. 12.) grauiſſimo errore. Econtrà ſi quæ proximo debes, Deo dare velis, verbi gratiâ, per eleemoſynam liberare te à reſtitutione certorum bonorum, quorum domini ſuperſunt: nihilominùs errabis. Rurſum ſi quæ Dei ſunt, tibi velis tribuere, verbi gratâ, dies feſtos laboribus tranſigere, vt rem tuam augeas; iterum delinques. Redde quæ *ſunt Cæſaris Cæſari, quæ ſunt Dei Deo.*

Supereſt nunc vt fructum è magiſtri noſtri concione referamus. Phariſæorum ſanè diſcipuli non alium retulêre, niſi hunc, quem ſubdit Mattheus: *Audientes mirati ſunt, & relicto eo abierunt.* Non eſt hoc bonorum diſcipulorum, vt magiſtrum tantùm mirentur, & eo relicto abeant; ſed imitentur & lectionem ſibi ab eo præſcriptam domi ruminent & diſcant. Hoc ergo & nos faciamus, Chriſtoque Domino noſtro ita adhæreamus, vt omnia potiùs relinquere quàm ipſum parati ſimus.

CONCIO X.

Myſteria.

1. 2. *Quæritur quare & quomodo Phariſæi voluerint Chriſtum capere in ſermone.*
3. *Interrogant Chriſtum per diſcipulos ſuos, non per ſeipſos. Quare?*
4. *Cur increpet eos Chriſtus.*
5. 6. *Cur petat ſibi oſtendi numiſma cenſûs, quid illud ſit, & vnde Cæſari datum.*
7. *Qualis fuerit Chriſti reſponſio, affirmatiua an negatiua.*

THEMA.

Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, vt caperent IESVM *in ſermone. Matth. 22.*

SEruator noſter, Auditores, vnicorni comparatur Pſalmo 28. *Dilectus quemadmodum filius vnicornium.* A. Fertur autem vnicornis tantæ eſſe fortitudinis vt, nullâ vi nulliſque venatorum inſidiis capi queat: manſuetudine & amore queat. Virgo enim eî puella proponitur, quæ venienti ſinum aperiat; tum is feritate poſita ad gremiû virginis vltrò accurrere & caput in eo deponere ſcribitur à S. Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi *l. 12. Etymol. cap. 2.* & D. Gregorio Papa *lib. 31. Moral. cap. 13.* Non capitur ergo à venatoribus, qui inſidiis & venabulis ipſum aggrediuntur, capitur à virgine, quæ ſinum amicitiæ illi expandit. Huiuſmodi igitur vnicornis dilectus & ſpecioſus eſt Saluator noſter, qui nullis inſidiatorum dolis, nullis armatorum telis decipi aut capi poteſt: manſuetudine & amore poteſt. In hodierno Euangelio tetenderunt illi inſidias Phariſæi & Herodiani, concinnarunt rete peſſimi conſilij *vt caperent eum in ſermone*; ſed non ceperunt eum: capti potiùs ſunt & præacuto ſapientiæ diuinæ cornu ab ipſo vulnerati, ita vt mirarentur, eoque relicto abirent, quod teſtatur S. Matthæus. Econtrà verò, Auditores, ſi capere hunc vnicornẽ volumus, facilè poterimus, & quidem in ſermone: ſed non eo modo, quo vſu Phariſæi. In ſermone, inquam, ſi verbo eius diuino ſinum noſtrum aperiamus, adeoque cum amore & ſpirituali auiditate verbum eius excipiamus; ita vt eius ſuauitate paſcamus animos noſtros. Tunc enim abſque dubio vltrò ad nos accurret magnaque cum dulcedine nobiſcum commorabitur, nec minore noſtro fructu. Ergo expandamus ſinum; præparemus animum ad capiendum hunc vnicornem: & quia hiſtoria hodierna venatio quædam eſt, in qua Phariſæi CHRISTVM capere quærebant, ſpectemus venationem. B.

I. Q. PRIMÒ. Quare Phariſæi voluerunt CHRISTVM capere in ſermone? Reſp. quia cùm aliis modis capere eum non poſſent, ſperabant laqueo ſermonis ſe haud dubiè capturum, quandoquidem omnium difficillimum eſt linguâ non offendere, teſte D. Iacobo cap. 3. dicente: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.*

Quare Phariſæi voluerunt Chriſtum capere in ſermone.

q. d,

q.d.hic in in alijs non offendet, nec cadet, qui in hac glacie ambulare ſine lapſu poteſt, vbi labi maximè procliue eſt. Idem teſtatur Eccleſiaſticus cap. 19. *Quis eſt qui non deliquerit in linguâ ſuâ?* Ratio eſt, quia lingua membrum admodum volubile eſt, & vt ait S. Iacobus, *inquietum malum*; vndique diſcurrit, omnia peruagatur, ideo crebrò offendit, quemadmodum is, qui plateas omnes percurrit, crebriùs impingit, quàm qui domi ſe continet. Vnde Sapiens Prouerb. 10. ait: *In multiloquio non deerit peccatum. Lingua facilitatem habet motûs*, inquit S. Auguſt. ſer. 31. de verb. Apoſtoli, *in vdo poſita eſt, facilè in lubrico labitur.* Vanè ergo & ſtultè gloriatur, qui ſe iactat nullum vnquam protuliſſe verbum, quod reuocare vellet: teſte S. Auguſtino ep. 7. ad Marcellinum: *Quamuis*, ait, *Tullius (vt ſcribitur) nullum verbum vnquam emiſerit, quod reuocare vellet; hac tamen laus credibilior eſt de nimiùm fatuo, quàm de ſapiente perfecto.* Propterea igitur Eccleſiaſticus c. 51. linguam iniuſtam vocat *laqueum*; quia non modò aliòs verùm etiam proprium ſubiectum multoties decipit & illaqueat. Quare vti venatores feras, quas canibus ſolis comprehendere non poſſunt, laqueis circumdant, quaſi infallibiliter capiendas: ita Phariſæi CHRISTVM, quem ſuis obtrectationibus & cauillis capere non poterant, laqueo proprij ſermonis deprehendere ſperabant. Vnde quod Latinus noſter interpres vertit: *vt caperent eum in ſermone*, Græcus ſic legit; *vt illaquearent eum ipſo ſermone tanquam laqueo.* Quando ergo lingua tam periculoſa charybdis eſt, vt ſperarent iſti vel ipſum CHRISTVM in ea naufragium facturum: quis ſibi non magnoperè timeat caueatque offendere in ſermone? Quis non crebrò oret: *Pone Domine cuſtodiã ori meo & oſtium circumſtantia labijs meis: non declines cor meum in verba malitia.* Pſ. 140.

C. II. Quomodo voluerunt eum capere.

Q. SECVNDÒ, Quomodo voluerunt eum capere? Reſp. propoſitâ quæſtione, num liceret tributum dare Cæſari. Erat enim Iudæorum populus Dei populus, quamobrem fas non eſſe videbatur vt Romanorum Imperatori Ethnico, qui armis & vi ſubegerat Iudæos, tributum penderet, ſeruitutemque profiteretur. Etenim Pompeius capto templo Iudæos primò Romanis ſtipendiarios fecerat, teſte Ioſepho *l. 14. cap. 8.* Quam ſubiectionem iniquè tulit Iudas quidam Galilæus, qui propterea ſectam excitauit aſſerentem, neminem in terris Dominum vel Principem habendum, niſi ſolum Deum, eodem Ioſepho teſtante *l. 18. c. 2.* Conabantur ergo Iudæi CHRISTVM in hanc trahere ſententiam, vt Cæſari tributum negaret, atque ita in Cæſarem delinqueret, eiuſque Præſidi mulctandus traderetur. Hunc in finem præmittunt adulationem: *Magiſter ſcimus quia verax es & non eſt tibi cura de aliquo; non enim reſpicis perſonam hominum.* q.d. tu non curas Cæſarem vel Cæſarianos, quin eis veritatem dicas. Quid igitur? licétne tributum reddere nos Cæſari? Ecce rete expanſum. Ais non reddendum? Cæſaris iram incurres. Ais verò reddendum? populi fauorem perdes & libertati Iſraeliticæ derogabis. In priori caſu accuſabimus te apud Præſidem Cæſaris: in poſteriori apud populum. Quàm bene de his prophetauit Oſeas *cap. 5.* (ſenſu alleg.) ſecundum Cyrillum dicens: *Attendite domus Iſraël & domus regis auſcultate* (per illam Phariſæorum miniſtros, per hanc Herodianos intellige:) *quia vobis iudicium eſt; quia laqueus facti eſtis ſpeculationi* (id eſt, ſpeculatori, vt Syrus vertit: Chriſto videlicet, qui eſt Epiſcopus & ſpeculator omnium) *& rete expanſum ſuper montem Thabor*, q.d. quo modo aucupes in fruticoſo monte Thabor inſidiãtur auibus. Sed bene ſubiungit Syrus; (qui ſequentia verba ſic vertit:) *Et venatores qui venantur, operuerunt laquei*, q.d. capti ſunt laqueis ſuis quos alteri tetenderunt.

D. III. Per quos interrogãt Chriſtum Phariſæi.

Q. TERTIÒ, Per quos interrogant Phariſæi Chriſtum? Reſp. per diſcipulos ſuos & Herodianos. Hi fuerunt canes venatici in hac venatione. Herodiani autem ſecundum D. Epiphanium *hær. 20.* Tertull. *l. de præſcript. c. 45.* Victorem Antioch. *Marci 12.* D. Hieron. in dial. aduerſus Luciferianos (quamuis *Matth. 12.* aliter ſentiens ridiculam vocet hanc ſententiam) & alios, valdè probabiliter fuerunt quidam ex Iudæis quaſi hæretici, qui Herodem primum, Infanticidam illum, pro Meſſiâ habuerunt, perſuaſi prophetiâ Iacob Geneſ. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus eſt*; ſiquidem ipſe primus fuit Hebræorum Rex non Hebræus, adeoque in eius prædeceſſore ablatum eſt à Iuda ſceptrum. Secundum alios fuerunt aliqui nobiles de domo Herodis Antipæ, qui illuſit Chriſtum, & illis diebus, Paſchati proximis, erat Ieroſolymis. Fauet his Euangelium Syriacum, quod eos nominat *domeſticos Herodis.* Miſerunt ergo Phariſæi diſcipulos ſuos velut catellos, qui Chriſtum ad ſermonem prouocauerent: Herodianos velut moloſſos, qui ſermonis teſtes & apud Herodem accuſatores eſſent Chriſti, quaſi Cæſari infeſti. Non venerunt ipſi: Primò, ne dolum, vt ipſi putabant, Chriſtus aduerteret; norant enim ſe Chriſto ſuſpectos; miſerunt ergo diſcipulos ſuos & Herodis aulicos; homines communiter ad mores aliorum explorandos ac diiudicandos, idoneos & compoſitos: malorum coruorum mala oua; quo modo dæmon tentaturus Euam ſerpente interprete vſus eſt: in ſua ſpecie, ſi appáruiſſet, minimè auditus fuiſſet. Non per ſeipſos. 1.

Secundò, quia iſti internuncij iuſtos ſe ſimulare debebant, vt ſcribit S. Lucas, Chriſtiq; amicos ac dilaudatores, vt ſibi ab eius commendatione beneuolentiã conciliarent, dicendo: *Magiſter ſcimus quia verax es*, &c quod Phariſæi ipſi facere nec poterant ſine manifeſto doli argumento, nec volebant ob inuidiam. Sciebant fruſtra, iaci rete ante oculos pennatorum. Quare vt oculis Chriſti fucum faciant, alios ignotos mittunt, induuntque veſte venatoriâ feris non ſuſpectâ ſed amicâ, fictâ, inquam adulatione & ſpecie amicitiæ. Diogenes ille Ariſtippum Philoſophum vocabat regium canẽ, quòd Dionyſio Siciliæ Tyranno canis inſtar adularetur. Huiuſmodi canes erant internuncij iſti. 2.

E. IV. Cur increpat eos Chriſtus.

Q. QVARTÒ. Cur increpat eos Chriſtus: *Quid me tentatis hypocritæ?* Reſp. Primò, *ne Domino aſtutè ſeſe impoſuiſſe gloriari queant*, inquit Victor Antiochenus Marci 12. Sperabant hi Gigantuli magnum de Chriſto ſupplantando & quaſi de cælo expugnando triumphum & gloriam; ergo vt hac ſpe eos deludat ac riſui contemptuique, ſicut merebantur, exponat, acriter obiurgat: *Quid me tentatis hypocritæ?* ad inſtar nimirum generoſi leonis, qui vno pede canes ſibi infeſtos proterit & vulnere inflicto lamentabundos repellit. Hoc eſt quod docuit Sapiens Prouerb. 26. *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam* (q.d. contempto homini contemptim reſponde) *ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Naſutos ſe reputabant diſcipuli & aulici illi; & quantum triumphaſſent, ſi Chriſtum in ſermone cepiſſent? Sed reſponſionem ſe dignam acceperunt, quâ omnis eorum ſapientia deuorata eſt. Iucundum eſt, quod ſanctus Wolſtanus Epiſcopus obtrectatori cuidam interroganti, cur ipſe ouinam pellem geſtaret & non potius felinam; reſpondit: *Quia*, inquit, *non dicimus: Catus Dei; ſed agnus Dei; ideo agno volo caleſieri*, apud Suriũ 19. Ianuar. Solet Deus ſuperbiam velut ſtultum & vile peccatum confuſione plectere. Ita præſumptionem illorum qui turrim Babel vſque ad cœlum erigere moliebantur, linguarum confuſione plexit, vt ſe mutuò non intelligerent, adeoque omnium fabula & ludibrium fierent, *Geneſ.* 11. Inſanam Amanis ſuperbiam, quâ ab omnibus adorari & Iudæos vno bolo omnes deuorare voluit, ſuſpendio puniuit, *Heſt.* 7. Superbiam Pharaonis, non grandium immiſſione beluarum, leonum, vrſorum, pardorum, ſed per ranas, cyniphes & muſcas depreſſit, *Exod.* 8. vt hinc confuſi & eruditi diſcerent ſe nihil eſſe, qui tam vilibus rebus tamque facili negotio edomari poſſint.

2. Secundò, *quo Chriſtum Dominum intima cordis illorum ſenſa explorata habuiſſe, certò hinc cognoſcant*, ait idem Victor Antioch. loco citato. Idcircò laruam eis detrahit vocando eos hypocritas, qui ſub ſpecie iuſtitiæ & amicitiæ decepturi eum venerant, adeoque cum vulpinâ fraude foris oues, intus lupi. q.d. Quare alios vos ſimulatis? noui quinam ſitis, & quid in corde geratis: vno verbo, hypocritæ eſtis. Ita Ahias Propheta vxorem Ieroboam regis mutato habitu, ſpecie ruſticanæ mulieris, ad ſe venientem ſtatim agnouit ac prodidit dicens: *Ingredere vxor Ieroboam, quare aliam te ſimulas?* 3. Reg. 14. Non latent ergo Deum etiam hypocritæ, qui ſe alios mentiuntur: quemadmodum nec iſti. Et verò dum nihil ad hoc verbum reſpondent, tacitè fatentur ſe reos eſſe; idque teſtatur ſanctus Marcus ſcribens: *Qui ſciens verſutiam illorum*, &c.

3. Tertiò, Vt doceat adulatores acriter increpandos & repellendos eſſe velut canes morſum intentãtes. Omnium enim pernicioſiſſimè mordent, qui clanculùm & ſpecie amici mordent, quaſi oſculum impreſſuri.

4. Quartò, Vt ne falsò Dominum commendaſſe videantur. Dicebant enim: *Non reſpicis perſonam hominum, nec eſt tibi cura de aliquo.* Ergo vt hoc in ipſiſmet comprobetur, ſuis eos coloribus depingit, appellandos eos hypocritas, quales reuerà erant. Tradit Plutarchus Braſidam Ducem educto è corpore telo, eodem confodiſſe eum qui miſerat. Idem fecit hic Dominus; telum enim illud (*non reſpicis perſonam hominum* &c.) quo ipſum impetiuerant, aſſumit, eoque ipſos iaculatores configit.

F. V. Cur petit ſibi oſtẽdi numiſma cenſus, interrogans: Cuius eſt hæc imago.

Q. QVINTÒ, Cur petit oſtendi ſibi numiſma cenſûs, interrogans: *Cuius eſt hæc imago & ſuperſcriptio?* Reſp. Primò, non ex ignorantia, ſed vt ex eorum ore conuincere eos queat. Non eſt enim efficacius argumentum ad hominem, quàm id quod ex ipſiuſmet ore deſumitur, cuiuſmodi eſt illud, quo vinitores illi ſeipſos condemnarunt dicentes: *malos malè perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis*, Matth. 22. Et illud ſerui pigri, qui abſcondit talentum ſuum, quòd ſciret Dominum ſuum eſſe hominem durum, metere vbi non ſeminauit. Audiuit enim reſpondentem Dominum: *Serue nequam ex ore tuo te iudico*, &c. Matth. 25.

Secundò, Vt doceamur non præcipitare ſententiam, ſed omnia priùs maturè conſiderare & partes ipſas audire, earumque dicta bene examinare, ac, ſi fieri poteſt, deciſionis æquitatem ad oculum eis demonſtrare, ne cui iniuria fiat aut occaſio detur calumniandi Magiſtratum. Proptereà apud Hæbræos olim iudicia publico in loco ad portas vrbium exercebantur, vt patet *Deut.* 21. & 22. *Iob.* 31. *Prou.* 31. fiuntque adhuc apud Italos in publico auditorio, vt in omnium præſentia cauſæ ventilentur, ne quid indiſcuſſum maneat aut in alicuius gratiam contra legis præſcripta decidatur. 2.

G. VI. Quod numiſma cenſus & cur Cæſari datum.

Q. SEXTÒ, Quod numiſma cenſûs & vnde Cæſari datum? Reſp. Deum Exod. 30. præcepiſſe vt quoties ineundus eſſet numerus populi Iſraelitici publicam ob cauſam, toties ſinguli pro animabus ſuis penderent templo dimidium ſiclum, qui continet didrachma ſeu duas drachmas ſiue denarios; monetæ noſtræ imperialis 20. cruciferos. Idque ob plures cauſas, quarum prima eſt, vt ſcirent Iudæi 1. multiplicationem populi ſui ex Dei promiſſione ortam, Deumque ſingularem curam illius populi gerere, quem quaſi in numerato velit habere. Secunda, vt doceret neminem 2. ſui capitis ſuæque vitæ eſſe Dominum, ſed omnis vnum habere Dominum, ſcilicet Deum, inquit S. Cyrillus *l.* 2. *in Ioan. cap.* 92. Tertia, vt 3. per hoc temporale tributum ſignificaretur ſpirituale illud legis nouæ, quod omnes recenſiti, id eſt, Chriſtiani pendere Deo debent, adorando eum in ſpiritu & veritate. Ita idem Cyrillus. Quarta, vt moneremur tam in nouâ 4. quàm in veteri lege obligari nos ad ſeruandum Decalogum, quem ſignificat denarius, in duplo pendi ſolitus; vt ita mereamur in veſpere huius vitæ accipere denarium illum diurnum, operarijs decretum, gloriam videlicet. Porrò cenſus iſte templo pendebatur à Iudæis vſque ad tempora Ariſtob[uli] & Hircani, qui fuerunt

vltimi duo principes Hebræorum de ſtirpe Machabæorum uq; fratres: quibus inter ſe diſſidentibus & de principatu litigantibus Pompeius vrbem occupauit eamque Romanis tributariam fecit, teſte Ioſepho *l.14. antiq. c.8.* Ita cenſus ille priùs templo Ieroſolymitano numeratus, Romanis pendi cœpit: quod idem penſum Romano Capitolio ſoluendum, denuo ſtatuit Veſpaſianus Imperator deuictis Iudæis, vt idem Ioſephus ſcribit *lib. 7. de bello Iud. cap. 27.*

Mirandum hîc quòd Deus imprimis tam exiguum tributum, medium ſcilicet Siclum eumque rarò ſoluendum templo depopoſcerit: deinde quòd Rom. Imperatores cenſum hunc ſibi poſteà ſoluendum non auxerint. A quibus ſanè diſcere poſſunt principes Chriſtiani, ne immodicis tributis ſubditos exhauriant. Attendant ad Conſtantem Imp. qui dicebat opes publicas meliùs à priuatis pluribus haberi, quàm intra vnum Principis clauſtrum reſeruari; teſte Eutropio. Audiant Traianum Imp. qui fiſcum vocabat *lienem*, quòd eo creſcente reliqui artus omnes tabeſcerent. Fabricium item Romanum, qui dicebat legato Epirotarum Cineæ magni auri copiam offerenti, malle ſe aurum habentibus imperare, quàm aurum habere.

II. VII. Qualis Chriſti reſponſio. 1. Q. SEPTIMÒ, Qualis tandem reſponſio Chriſti: affirmatiua an negatiua. Reſp. primò, affirmatiuam eſſe, ita vt liceat dare tributum Cæſari, ſiquidem moneta exhibita Cæſaris imaginem adeoque dominatum etiam in Iudæos oſtenderet. Dices: Ergo habent Phariſæi quod quærebant, nimirum vt vel in fauorem Hæbræorum Chriſtus tributum negaret, vel in fauorem Cæſaris dandum aſſereret. Iam autem in fauorem Cæſaris pronunciat. Reſp. Phariſæos alterùm potiùs imò ſolum optaſſe, vt in fauorem populi contra Cæſarem decideret non eſſe dandum tributum (vt nimirum *traderent eum principatui & poteſtati præſidis*, ait Lucas) quod non ſunt aſſecuti.

Reſp. Secundò, ſententiam illam affirmantem tam ſapienter eſſe propoſitam vt non poſſet facilè reprehendi, etiam à Iudæis. Nam imprimis manet in ſtatu quæſtionis propoſitæ, num liceret ſoluere. Reſpondit enim licere; non reſpondit deberi; quia hoc non petebatur. Deinde, *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, inquit. Quis hoc iniquum pronuntiet? Nummus ex Iudæorum ſententiâ Cæſaris imaginem & nomen continebat; vnde ſaltem ex hoc præiudicio Cæſari dandus videbatur. Denique adiunxit etiam: *Reddite quæ ſunt Dei Deo*. Primò, *ne quam Iudæis cauillandi anſam relinqueret*, inquit Victor Antioch. loc. cit. *Nam ni hoc feciſſet, dicere poterant, Cæſari eum adulari voluiſſe. Siquidem abiecta quadam res vilisq́, ſeruitus videtur, hominem homini obſtrictum certumq́, vectigal illi exſoluere obligatum eſſe, Deo autem nihil*. Hucuſque Victor. Secundò, vt intelligerent non repugnare Deo ſolutionem illam tributi, poſſeque ſimul reddi Deo, quæ ſunt Dei. Tertiò, vt ſcirent ſe non minùs imò potius ſollicitos eſſe debere, quomodo reddant Deo, quæ Dei ſunt, de quo tamen quæſtionem non mouerent. Quod nobis etiam notandum, qui ferè omnes lites & quæſtiones de mundo inſtituimus, de agris, de limitibus, de cenſibus, de lucris, &c. vix vnquam interrogamus, quid debeamus Deo. Et quæ debemus corpori, ſedulò perſoluimus; debita verò animæ in poſtremis ducimus. Verùm nos, Auditores, incedamus aliâ viâ, & priùs exſoluamus quæ Deo & animæ debemus, poſteà demùm ea quæ corpori & mundo; quia ſcriptum eſt: *Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius.*

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Matth. 9.

IN illo tempore: Loquente IESV ad turbas, ecce Princeps vnus acceſſit, & adorauit eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet. Et ſurgens IESVS, ſequebatur eum & diſcipuli eius. Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero. At IESVS conuerſus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora. Et cùm veniſſet IESVS in domum Principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum. Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit & tenuit manum eius, & dixit: Puella, ſurge. Et ſurrexit puella. Et exiit fama hæc in vniuerſam terram illam.

Digitized by Google

CONCIONES.

I. *Pœnitentia commendatur infirmis.*
II. *Pœnitentia cur non differenda de die in diem.*
III. *Lingua iniurioſa vitia corriguntur.*
IV. *Qui Chriſtum comprimant, impediant, derideant.*
V. *Bona ægritudinis.*
VI. *Solatia ægrotum.*
VII. *Explicantur ceremoniæ, quæ defunctis adhibentur.*
VIII. *Cantus ſacer Eccleſiaſticus cur inſtitutus.*
IX. *Documenta.*
X. *Myſteria.*

CONCIO I.

Pœnitentia commendatur infirmis

1. *Quia ſciunt ſe damnandos ſi in peccato mortali decedant.*
2. *Neſciunt an in ſtatu gratiæ ſint, & an perſeueraturi.*
3. *Neſciunt, moriturine an victuri ſint.*

THEMA.

Veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet. Matth. 9.

A.
Omnia ferè animalia nôrunt & quærunt ſua remedia.

NVllum ferè animal eſt, quod in ægritudine conſtitutum non quærat ſuum remedium; vti docet Tertullianus lib. de pœnitentiâ, Iſidorus Clarius *vol. 1. Orat.* 56. Nam, vt aliqua videamus, leo æger ſimiam quærit, quâ comeſta conualeſcit: ſimia ſanguinem canis, canis deuorat gramen: leopardus capream: caprea dictamnum: ceruus ſerpentem: ſerpens fœniculum: vrſus aluearium: ciconia origanum: columba ramum lauri: vpupa herbam, quæ lapillus Veneris dicitur: vulpes pyni lachrymis ſibi medetur: teſtudo origano: hirundo chelidoniâ herbâ cæcutientibus opitulatur pullis. Iam ſi bruta animalia nôrunt mederi infirmitatibus ſuis, naturali quoque impetu medelam ſibi quærunt: æquum ſanè eſt, vt illorum Imperator, homo, & ipſe ſuæ ægritudini medicinam nôrit & impensè quærat. Eam verò ſub eleganti ſymbolo demonſtrat Archiſynagogus in hodierno Euangelio, cùm extremè laboranti filiæ (vt habent Marcus & Lucas) remedium quæſiturus, manum Chriſti implorat: *Veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet.* Quid verò manus iſta, niſi poteſtatem & efficaciam abſolutionis ſacramentalis, quæ ab antiquo & recepto more per manûs impoſitionem confertur, imprimit? Manus igitur Sacerdotis remedium eſt peccatoris, ſecundum animam ægrotantis; quam, ſi vnquam aliâs, requirere & ſummo quidem ſtudio, in ægritudine graui ſimilique vitæ periculo conſtitutus debet. Alioquin enim certo vel probabili periculo damnationis ſe exponeret, ſi confitendi occaſionem, in peccato mortali poſitus culpâ ſuâ negligeret. Et propterea medicis præcipitur in cap. cùm infirmitas, de pœnitent. & remiſſ. *vt cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant atque inducant, medicos aduocent animarum.* Rationem exponit S. Auguſtinus lib. 50. homil. hom. 37. *Si ſic curritur*, (ad Medicum) inquit, *propter lucrum paucorum dierum; quia & vſque in ſenectam pauci dies: quomodo currendum eſt pro vitâ æternâ?* Cùm ergo quiuis ægrotans periculosè decumbens teneatur iure diuino remedium hoc pœnitentiæ animæ ſuæ quærere: videamus argumenta, quæ ad hoc præſtandum compellere eos debent.

B.

Tria videntur impuliſſe Archiſynagogum ad implorandam Chriſti ſalutarem atque auxiliarem manum. Primum ſciuit, alterum neſciuit, tertium ex parte ſciuit, ex parte neſciuit. primum eſt, quòd Chriſtus poſſet ſanare filiam, & hoc ſciuit nihil dubitans: ait enim: *Impone manum tuam ſuper eam & viuet.* Alterum vtrum Chriſtus venturus eſſet ad filiam; & hoc neſciuit, ideò adorat eum & rogat. Tertium, vtrum filia adhuc viueret: & hoc partim credidit, quia apud Marcum aſſerit: *Filia mea in extremis eſt*, partim non credidit, quia apud Matthæum ait: *Filia mea modo defuncta eſt.* Tam enim extremè laborantem domi reliquerat, vt videretur ipſi iam mortua. Pari ratione tria ſunt argumenta, quæ impellere ægrotum debent ad ſacramentum pœnitentiæ ocyùs requirendum. Vnum eſt, quod nouit, ſe nimirum damnandum ſi in peccato lethali decedat. Alterum quod neſcit; vtrum in gratia ſit conſtitutus, an in peccato mortifero. Tertium partim ſcit, parum ſcilicet temporis ſibi ſupereſſe ad agendam pœnitentiam: partim neſcit, quia conualeſcere poteſt.

I.
Quia ſciunt, ſi in peccato mortali decedant, ſe damnandos.

Igitur imprimis nôſti, mi ægrote, quid Sapiens dicat Prou. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. ipſe morietur, quia non habuit diſciplinam.* Quibus verbis indicat peccatum eſſe quaſi lictorem, qui furem inſequitur, & deprehenſum vincit, traditque Magiſtratui. Iam verò quis neſcit furem, cùm in periculo captiuitatis eſt, furtum illicò abiicere & fugâ ſibi conſulere? Certè etiam piſcium prædones, vt Lucij, cùm ſe in anguſtiis concluſos & captiuos animaduertunt, prædam iam deuoratam ac pæne digeſtam euomunt. Atqui tu infirme nónne in anguſtiis poſitum te vides? nônne vides inſidiantem tibi mortem, veluti lictorem funibus peccatorum tuorum onuſtum, vt te iis liget, & ad mortem æternam abripiat? quin igitur te exoneras, & furta omnia abiicis, ne reum te deprehendat? Cur non ocyùs arripis *diſciplinam* pœnitentiæ? Hanc enim qui non habuerit, *ipſe morietur*, inquit Sapiens; q. d. æternùm peribit. Dic, quæſo: ſi cui Domino infideliter ſeruiiſſes, & res precioſas ei ablatas in ciſtam tuam abdidiſſes, audireſque Dominum paulò pòſt omnium ſeruorum ciſtas luſtraturum, quò res ſuas recuperaret, & reum in crucem ageret, nónne

tu hoc audito res illas quamprimùm è ciſtâ tolleres, & loco ſecuriore conderes, vel clàm Domino reſtitueres? Atqui reuerà tu hoc egiſti, peccatis enim tuis Deo gloriam & obſequium debitum abſtuliſti: furtum verò illud in conſcientiâ tuâ recluſum geris. Væ igitur tibi ægrote: iam enim Dominus tuus viſitare te conſtituit, iam in viâ eſt, iam claues arripit, iam quærit, *Quid dices, cùm viſitauerit te?* inquit Ieremias cap. 13. quid cùm reum deprehenderit? Obmuteſces vtique, quemadmodum & ille, qui ſine veſte nuptiali deprehenſus eſt in conuiuio, & olim fratres Ioſephi deprehenſo apud ſe ſcypho eius. *Geneſ.* 44. Contigit hoc ipſum Salomoni alioquin ſapientiſſimo, qui cùm ipſo etiam ſenio ſecutus eſſet Deos alienos, & adamaſſet mulieres alienigenas, poſtquam ei Deus apparuerat ſecundò & monuerat, ne ſequeretur Deos alienos, tandem apparuit ei vltimò quaſi viſitans illum, vt in ſcelere deprehenſum reum ageret. Quid verò ad ipſum ait? *Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactũ meum: diſrumpens ſcindam regnum tuum & dabo illud ſeruo tuo.* 3. Reg. 11. Quidnam illud *hoc?* Idola & meretrices; hæc inuenit Deus apud Salomonem. Et quid nunc reſpondes Salomon, virorum ſapientiſſime? quomodo te purges? Ne verbo quidem. Obmuteſcit igitur ſapientia Salomonis deprehenſa in flagitio; & quid dices tu peccator, *cùm viſitauerit te* Deus? Videtur Deus cum Salomone ſeruare voluiſſe iuridicum proceſſum, citando & monendo eum tertiò: ſemel cap. 1. rurſùm cap. 6 denique cap. 11. quaſi peremptoriè, cùm redarguit deprehenſum. Quando lethalis ægritudo corripit peccatorem, tum certò ſibi perſuadeat citari ſe peremptoriè, ac proinde feſtinet viſitare ſemetipſum, priuſquam viſitetur. Viſitat ſeipſum in confeſſione, cùm inquirit in peccata ſua, vt ea tutiore loco abſcondat, ſub tribunali pœnitentiæ. Non dubito, mi ægrote, vel quicunque es, qui de vitâ periclitaris: ſi per totum diem potaſſes in tabernâ, quia tandem ingruente nocte domum diſceſſurus priùs cum caupone ſubduceres rationes. Si enim clam ipſo te ſubducere non confectis rationibus velles, num ſecurus fores? nónne à tergo haberes, qui te comprehenſum retraheret in tabernam, & ob bene curatam cutem pro merito mulctaret? Ita opinor; nec dubita idem facturum Deum, in cuius tu taberna toto pæne vitæ decurſu ediſti, bibiſti, luſiſti: ſi inſalutato ſeu non conciliato hoſpite diſceſſeris ex hoc mundo.

Videtur hoc præceptum Deus, ſub alio etiam ſchemate inculcare nobis voluiſſe, quando *Geneſ.* 9. præcepit, vt pecudum mactandarum ſanguis effunderetur, ita vt non liceret edere carnes pecorum in ſanguine ſuo ſuffocatorum. Sanguis autem in SS. literis peccati typus eſt; quia ſicut caro animalium mactatorum inficitur à ſanguine, ſi non effundatur, ſed in ipſis maneat: ita hominis anima inficitur à peccato; & quemadmodum ſanguis brutorum comeſtus facilè morbos gignit, vtpote grauis & melancholicus: ita peccatum animam ſauciat ac debilitat. Ergo ſi quis talem ſanguinem in animo ſuo gerit, priuſquam à lanione illo, morte, feriatur, effundat illum neceſſe eſt, quia abominatur Deus conſcientias ſuffocatas in peccatis: Exclamet itaque cum Dauid Pſalm. 50. *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ.*

SECVNDÒ. Neſcis mi infirme, vtrum in ſtatu gratiæ ſis; & ſi iſtud ſcires, neſcis tamen, an in eo ſis perſeueraturus. Ait enim Eccleſiaſtes cap. 9. *Neſcit homo, vtrùm odio an amore dignus ſit.* Idem faſſi ſunt viri etiam alioqui ſancti, vti S. Iob cap. 9. *Si ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* S. Paulus: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* 1. Corinth. 4. S. Bernardus ſerm. 3. de Aduentu: *Cùm & meam & proximi conſcientiam*, inquit, *debeam ſeruare, neutra mihi ſatis nota eſt: vtraque abyſſus eſt imperſcrutabilis, vtraque mihi nox eſt.* Gregorius l. 6. Epiſt. 22. ad Gregoriam auguſtæ cubiculariam ſcribit: *Secura de tuis peccatis fieri non debes, & quouſque veniat vltima vita tua dies ſemper, ſuſpecta, ſemper trepida metuere debes.* Abbas Agathon moriturus tres dies manſit immobilis, apertos habens oculos. Pulſauerunt autem eum fratres, dicentes: *Abba vbi es?* Et ille reſpondit: *In conſpectu diuini iudicij aſſiſto.* Dicunt ei: *Et tu times?* Quibus ille: *Interim laboraui virtute, quâ potui in cuſtodiendis mandatis Dei, ſed homo ſum, & neſcio, vtrum placuerint opera mea coram Deo.* Dicunt ei fratres: *Et non confidis de operibus tuis, quia ſecundum Deum ſunt?* Et dixit ſenex: *Non præſumo, niſi venero ante Deum, aliter enim ſunt iudicia Dei, aliter hominum.* In vitis PP. l. 5. cap. 11. Denique Salomon Prouerb. 20. exclamat: *Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum?* Ac licet hoc aliquis dicere poſſet, num tamen addere auderet: Mundum erit ſemper cor meum? minimè gentium. Iam verò vt ſalutem aſſequamur, perſeuerare in gratia vſque ad vltimum vitæ ſpiritum oportet. Quamobrem etiam Pythagoras dixit: *In poculi fundo reſiduum ne relinque*; indicans cœptum opus bonum viuendique rationem ad finem vſque perducendam eſſe. Hinc igitur elicimus, neceſſariam eſſe pœnitentiam omnibus hominibus, quando nemo aſſeuerare poteſt, ſeſe iuſtum eſſe. Docuit hoc inter alios ſanctus Auguſtinus, qui in vltimâ ſuâ ægritudine Pſalmos pœnitentiales maiuſculis ſibi deſcribi iuſſit in pariete, vt eos præ oculis ſemper habens relegeret; quod & fecit aſſiduè profuſis lachrymis, adiungens: *Neminem Chriſtianum, quantumcunque laudabilem, ſine pœnitentiâ decedere debere.* Surius in vita, menſe Aug. cap. 31. Adſtipulatur ei Sanctus Hieronymus in Ierem. c. 30. *Omnis mundus*, inquit, *indiget miſericordiâ Dei, & nullus quamuis ſanctus ſit, ſecurus pergat ad Iudicem.* Viator qui per latiorem foſſam ſaltum facere periculoſum debeat, priùs indagat, vbi pedem figere debeat, tum ſarcinâ ſe exonerat, poſteà ad ſaltum pedes colligit, nixuſque ſcipione tranſilit. Lata & periculoſa foſſa eſt tranſitus ex hoc in alterum illud ſæculum, iureque de hoc intelligimus, quod Iſai. c. 24. vaticinatur improbis ad

C. II. Quia neſciunt an in ſtatu gratiæ ſint, & an perſeueraturi.

 extre-

extremam mundi cladem: *Formido & fouea & laqueus ſuper te, qui habitator es terra.* Eadem enim hæc mala expectant peccatorem in fine vitæ ſuæ: Formido ſeparationis à corpore & hoc mundo: fouea tranſilienda, ab hoc in aliud ſæculum, ſiue ad iratum ſiue ad placatum Iudicem: laqueus ſententiæ iudiciariæ. quæ ligabit & tenebit iudicatum. Atque hæc videntur eſſe tria illa, quæ timuit Abbas in vitâ SS. PP. *Primum*, inquit, *quando egreſſura eſt anima mea de corpore; ſecundum, quando occurſurus ſum Deo; tertium, quando aduerſum me proferenda eſt ſententia.* Quando igitur tam periculoſa fouea tranſilienda eſt morituro, nónne prius diſpicere debet, vbi pedem figere & quomodo ſalutem ſuam in tuto ponere velit? nónne ſarcinâ peccatorum ſeſe exonerare? nónne affectuum ſuorum pedes à terrenis abſtrahere & ad cœleſtia paranda colligere? Hanc ob cauſam Ezechias acceptâ mortis ſententiâ, auertit faciem ſuam ab aſtantibus, & conuertit ad parietem, (4. *Reg.* 20.) flens & orans Deum, vt ab alijs curis liber, ſibiipſi attenderet, quemadmodum ſentit Liranus ibi. Idipſum vt myſterio exprimeret, Iacob Patriarcha iamiam moriturus, *collegit pedes ſuos ſuper lectulum*; (Gen. 49.) quaſi ſe componens ad ſaltum in vitam alteram. Securior porrò hic ſaltus erit, ſi præter pœnitentiæ ſacramentum, etiam S. Euchariſtiæ quaſi ſcipionis nixu fiat, vt ita poſſit moriens dicere vnà cum Iacobo: *In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum*, Gen. 32. Tranſitum Iordanis fuiſſe mortis typum, perſpicuum eſt ex SS. literis. Etenim Jordan, *fluuius* ſeu *delapſum iudicij* ſignificat, idemque oſtium & ingreſſus eſt in terram ſanctam; proinde tranſitum ex hac vita ad alteram, ſeu mortem aptiſſimè deſignat. Quis autem dubitat Iordanis tranſitum fuiſſe Iudæis pauendum, intumeſcentibus ex vna parte aquis & merſionem comminantibus? Propterea itaque Ioſue populo in craſtinum traſituro pœnitentiam & ſanctificationem ſeu puritatem animi indixit: *Sanctificamini; cras enim facit Dominus inter vos mirabilia*, Ioſ. 3. Nónne mirabilia ſunt, quæ in altero ſæculo experiuntur recens mortui: ſeueriſſima Dei iudicia, dæmonum aſpectus, inferorum pœnæ, beatorum gaudia, &c. *Sanctificamini* igitur, ſeu, vt 70. exponunt *Puri & caſti efficiamini*, ô morituri, priuſquam hæc mira intueamini. Nemo niſi purus, nemo niſi lotus in promiſſam cœli patriam admittitur. Olim Deus ſacrificium pro peccato, priuſquam acceptaret, cremari in altari voluit, *Leuit.* 4. Et nos ad menſas noſtras auem non admittimus, niſi priùs interemptam, deplumatam & aſſam; quid mirum, ſi Deus pari modo non admittat in regnum ſuum, niſi crematos igne contritionis? niſi mactatos, deplumatos & exoctos per pœnitentiam? Contritio mactat peccatorem, confeſſio deplumat, ſatiſfactio verò excoquit & aſſat.

D. III. *Quia neſciunt moriturine an victuri ſint.*

Tertiò, Forſan ais: Iuuenis adhuc aut vegetus ſum: conualeſcam ex hac infirmitate. Sed quid ſi decipiaris? Tam enim iuuenis, quàm ſenex: tam vegetus quàm debilis citò mori poteſt; quia ex eadem fragili maſſa & hic & ille conſtat. *Vt vaſa fictilia*, inquit Hector Pintus in Ezech. cap. 48. *æquè ſunt obnoxia periculo, ſiue ſint noua, ſiue diuturna: ſic homines æqualiter ſunt mortales & interitûs periculis expoſiti, ſiue ſint adoleſcentes & in ætate florente, ſiue ſint ſenes & ætate progreſſi. Si in figulinam ingreſſus videris menſã fictilibus vaſis refertam, quibuſdam recentibus, quibuſdam verò antiquis: alijs magnis, alijs autem paruis: & ex figulo quæſieris: quod ex illis eſt prius frangendum? Illud reſpondere poterit: Quod priùs ceciderit in terram. Ita ex hominibus ille priùs excedet è vitâ, non qui fuerit antiquior, ſed qui prior fuerit delapſus in terram, qui ſepulchrum priùs tetigerit. Quid aliud eſt ſæculum hoc quàm figulina quædam, nos autem quid aliud ſumus, quàm vaſa quædam fictilia? Id intuens Regius vates aiebat: Tanquam vas figuli confringes eos*, *Pſalm.* 2. Hæc Pintus. Quid quòd iuuenes ſæpe citiùs expediuntur à morbo quàm ſenes & maturi? Ægrotauit Ochozias Rex, lapſus per cancellos, 4. *Reg.* 1. miſitque ad Beelzebub, conſultum an victurus eſſet. At occurrit ei Elias & reſpondit, eum de lectulo ſuo nequaquam ſurrecturum, ſed morte moriturum. Ægrotauit etiam Abia, filius Ieroboam Regis, adhuc puer: miſit ergo pater coniugem ad Ahiam Prophetam, interrogatum de ſalute filij. Reſpondit etiam Ahias, moriturum eſſe filium, & incunctanter quidem, ad ingreſſum matris in vrbem, 3. *Reg.* 14. Tam ergo puero, quàm adulto mors denunciatur, ſed puero feſtinantior, qui mortem à ſe longiùs diſtare opinabatur. *Vt qui faciunt iter*, inquit Pintus loco citat. *de ſolis occaſu aliquando non cogitant, & eos nox opprimit incautos: ſic mors multos aggreditur de illâ minimè cogitantes.* Inexpugnabilem reputabat ſuam Babylonem Rex Balthaſar, vt pote muro altiſſimo (200. cubitorum) & latiſſimo (50. cubitorum) ex alia quoque parte Euphrate, flumine profundiſſimo munitam; itaque licet Cyrus eam obſideret, ipſe nihilominus dies feſtos & conuiuia agebat, epulabatur & bacchabatur. Sed interim Euphratem Cyrus in quampluirimas foſſas priùs præparatas, vnâ nocte deriuauit (quod factu impoſſibile putabant Babylonij) ſicque nullo negotio per ſiccum ád ciuitatem penetrauit, eamque occupauit, vt tradit Xenophon l. 7. Herodot. l. 1. & ex parte Daniel c. 5. Contingit hoc quam plurimis adoleſcentibus, qui licet morbo obſeſſi, inuictos ſeſe reputant, ideoque de pœnitentiâ & reconliando ſibi Deo nihil ferè cogitant, ſed ſpe ſalutis pleni in peccatis ſuis quieſcunt: interim miſeri non cernunt, quot cuniculos ipſis paret mors, quodque decurſum vitæ eorum aliò deriuet, in alterum ſcilicet ſæculum; & ita ſæpenumerò ex improuiſo obruuntur, vt iam nec loqui nec pœnitere queant. Stultus & deplorandus foret, qui videns hoſtem foris molendina deſtruere, commeatum interuertere, aquas vrbi adimere, vias obſidere, & iam tormentis muros quatere: interim ipſe ſecurus intra ciuitatem degeret, rideret, luderet, biberet, dormiret, quaſi inſuperabilis eſſet. At hoc

multi

multi faciunt, qui tametſi videant vim morbi inualeſcere, dentes cibum ægrè molere, appetitum perire, ſenſus hebitari, artus & oſſa concuti, nihilominùs ſibi perſuadent ſe incolumes fore, nec cogitant de Deo propitiando per pœnitentiam vel de oppugnando dæmone: mortem ſibi à tergo inſtantem ſentiunt vel audiunt etiam à Medico, nec ad pœnitentiam feſtinant. Quæſo, inſpiciant iſti filiam Iephte. Hæc ex voto patris morti & immolationi deſtinata, hoc vnum à parte petiit, vt deflere priùs ſterilitatem ſuam poſſet, quaſi maledictionis notam. *Hoc ſolum mihi præſta*, inquit, *quod deprecor: dimitte me vt duobus menſibus circumeam montes & plagam virginitatem meam*, quòd ſcilicet abſque liberis moriar, *Iudic.* 11. Iam verò quid ſi tu ægrote huiuſmodi virgo ſis, ſterilis videlicet & bonis deſtitutus operibus? & quid ſi Deus pater tuus, te morti iam deſtinarit? quod ſi breui mactet? Et tu igitur in tanto conſtitutus periculo non quamprimùm petes à Deo ſpatium pœnitendi, dicens cùm S. Iob. cap. 10. *Nũquid nõ paucitas dierum meorum finietur breui? dimitte me ergo vt plangam paululùm dolorem meum, antequam vadam & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine?* Poſtulo, inquit, temporis ſpatium, ſed non riſui, non voluptati; ſed lachrymis, ſed mœrori. Et mirabile eſt, quomodo ægroti aliis rebus intenti præterquam ſaluti ſuæ adeoque pœnitentiæ eſſe poſſint, in tali conſtituti periculo. Filia illa Iephte non poſtulat à patre vt priùs nuptias celebrare & filios progignere: non vt cum ſodalibus choros & choreas inſtituere, non vt charos parentes & propinquos amplecti; ſed vt montes circumire & plorare queat. Igitur & tu infirme hoc vnum à Deo poſtula, vt quod ſupereſt tuæ vitæ, in mentis ſolitudine, in pœnitentia & lachrymis, qui ſterilitatem & peruerſitatem tuam deplores, inſumere tibi liceat. Circuito montes, perambula omnes viæ & vitæ tuæ ſemitas, in quibus deliquiſti: tum mitte ad ſacerdotem vt veniat & imponat tibi manum ſacræ abſolutionis, quò ſecundùm animam ſaltem viuere æternùm queas.

CONCIO II.

Pœnitentia cur non differenda de die in diem.

Aſſignantur variæ aſſignationes,

1.2. *Quia Deus te expectat ad pœnitentiam, & eſt periculum in mora.*

3. *Quia de vno peccato in alia labi procliue.*

4.5. *Quia qui ſemper differunt, vix vnquam efficaciter volunt, & interea multa bona perdunt.*

6. *Quò diutius differtur pœnitentia, eò fit difficilior.*

7. *Stultum eſt nolle ſtatim eijcere hoſtem, cum poſſis.*

THEMA.

Domine, filia mea modò defuncta eſt, ſed veni impone manum tuam ſuper eam & viuet. Matth. 9.

A. Animæ ſalus feſtinanter quærẽda

ARchiſynagogum iſtum, meritò & nos tanquam legis etiam noſtræ Doctorem audimus, Auditores. Duo enim nos docet ſummopere neceſſaria & ſalutaria. Primum, poſt peccatum admiſſum, ſtatim quærere remedium, nec differre pœnitentiam. Alterum, feſtinare ad ſacerdotem, qui per manûs impoſitionem abſoluat nos peccato. Nimirum *cum eſſet Archiſynagogus*, ait Petrus Chryſologus ſer. 33. *legis notitiam hic habebat, & verbo cætera, hominem manu Dei legerat eſſe figuratũ: credit ergo eadem manu, quâ creatã ſenſerat filiam, recreari & reduci poſſe ad vitam.* Filia noſtra vnica (qualis erat hæc Iairi) anima eſt, quæ heu moritur, cùm peccatum lethale admittit. *Anima enim quæ peccauerit, ipſa morietur*, Ezech. 18. Eſt tamen morti huic remedium, ſi pergas ad confeſſarium, rogeſque vt per manûs impoſitionem reuocet ad vitam animam tuam. Sed vide vt feſtines cum Archiſynagogo, dum adhuc calet anima: vide ne die in diem differas, quia vnica tibi eſt anima. Nam, vt ait Chryſoſtom. hom. 22. ad pop. *Omnia nobis duplicia dedit Deus: duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes. Si igitur horum vnum lædatur, per alterum neceſſitatẽ conſolamur. Animam verò dedit vnam nobis. Si hanc perdiderimus, quantum viuemus? Huius igitur prouidentiam faciamus, nihil ipſius ſaluti præferentes.* Sic Chryſoſt. Animæ igitur ſalutem ne differamus quærere, multa ſunt, quæ vrgeant; vti mox videbimus.

B. I. Quia Deus te expectat ad pœnitentiam,

PRIMÒ. Quia Deus nos expectat ad pœnitentiam, quia nos omni momento perdere in gehennam poteſt multò faciliùs, quàm ſinu manu noſtrâ ſinamus cadere vitrum in terram vt minutatim confringatur. Sanè ſi vocaremur ab aliquo Rege vel Principe noſtro ad amicitiam reſarciendam, quam nos violauimus, quis auderet tergiuerſari? quis vellet moras nectere? Atqui hunc in finem vocat nos Deus: Et audemus nos vel ad momentum inimicitiam cum eo gerere? Antiochus Epiphanes cùm obſideret Alexandriam, quæ ſub tutela Romanorum erat, miſſus ad eum Popilius Lænas Senator Romanus eſt, qui iuberet eum obſidionem ſoluere; ſin minùs, hoſtis Romanorum cenſeretur. Reſpondit ille ſe hanc rem maturiùs deliberaturum ac reſponſurum. Ad quod Senator, lineam in circuitu Antiochi fecit, dixitque: *Hocne in dubium reuocãdum eſt, an hoſtis Romanorum ſis? non præteribis hanc lineam, donec id definias ac decernas.* Tunc ille: *parebo*, inquit; & obſidionem ſoluit. Plutarch. in apopht. Quanto æquiùs dici peccatori poteſt: Túne audeas differre reditum in Dei amicitiam? Non præteribis diem, Solis circulum, donec id definias. Alioquin quomodo non iram Dei in te magis magiſq; extimulas, qui tãdiu expectantem differs?

fers? Memor eſto vineæ illius Iſa.5. à quâ Dominus expectauit vuas & accepit labruſcas, ideoque diripi eam iuſſit. Memento ficûs infœcundæ, quæ triennio fruſtrà expectata vt faceret fructum, tandem exſcindi iuſſa eſt: *Luc.* 13. Nec mirum; in maximam enim Dei iniuriam redundat hæc negligentia, quaſi ſtupidum aut ligneum haberemus Deum. Vnde S. Chryſoſt. hom. 46. ait; *Peccantes non dolere, magis Deum irritari facit & iraſci, quàm peccare.*

C. II. Quia periculum in mora.

SECVNDÒ, Quia periculum in morâ; fortè enim vita tibi tamdiu non prorogabitur, donec reſipiſcas; & ſi ea concedatur, fortè non dabitur gratia per quam reſipiſcas. Feſtinandum igitur ad pœnitentiam, ſicut ad piſcinam probaticam, cùm moueretur aqua, ne fortè alius prior deſcendat, & poſtea occaſio caſſa ſit; qui enim prior deſcendiſſet in piſcinam, ſanus fiebat, *Ioan.* 5. Vnde Eccleſiaſticus cap. 5. ait: *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim venit ira illius & in tempore vindictæ diſperdet te.* Et fortè non dubitandũ, quin ſæpiùs mouenda ſit aqua, hoc eſt offerenda tibi gratia vocationis: ſed incertum eſt, an tu motionem illam & vocationem animaduerſurus ſis. Optimè Tertullianus in lib. de pœnitent. ait: *Pœnitentiam tu peccator ita inuade, ita amplexare vt naufragus alicuius tabulæ fidem.* Et Ambroſius in tract. ad Virginem lapſam capite 8. *Inſiſte fortiter, inhære tanquam naufragus tabulæ.* Eiuſmodi enim homo nequaquam differt, ſed proximè oblatam tabulam arripit, quia periculum eſt in mora. Sic agendum in pœnitentia, quæ eſt ſecunda poſt naufragium tabula. Sed forſitan obijcias, paſſim in ſcripturis vitam & ſalutem promitti ſperantibus in Deum. Sed non aduertis miſer promiſſiones illas, non peccatoribus, ſed iuſtis tantùm factas. *Oculi Domini ſuper iuſtos,* ait Dauid Pſalm. 33. *& aures eius ad preces eorum.* Et Iſa. 3. *dicite iuſto, quoniam bene.* Aliter ſanè loquitur de peccatoribus; nimirum: *ſuccide arborem, vt quid etiam terram occupat?* Luc. 13. & Matth. 3. *Omnis arbor quæ non fecerit fructum bonum, excidetur,* &c. Neque blandiaris tibi de Dei miſericordiâ; ſiquidem in ipſo eſt etiam iuſtitia & quidem ſeueriſſima: quoniam angelis peccantibus non pepercit, ſed ob vnum peccatum eos in tartarum demerſit. Idem etiam ipſe eſt, qui de altiſſimo throno gloriæ conſpicit animas in illis intollerandis gehennæ ardoribus miſerrimè torqueri, eiulare & lamentari; nec tamen his lamentis mouetur aut mouebitur ad miſericordiam in omnem æternitatem. Vide igitur tu, ne nimiùm tibi blandiaris.

D. III. Quia de vno peccato in alia labi procliue.

TERTIÒ, Quia de vno peccato, niſi citò reſipiſcas, mox præcipitaberis in alia: vnum pariet plura, vti patet in Caino, qui ex inuidia in odium, inde in homicidium, hinc ad mendacium, deinde ad rebellionem in Deum, vltimò in deſperationem prolapſus eſt. In Dauide, qui ex adulterio in homicidium. Vnde S. Chryſoſtomus homil. 22. ad pop. Antioch. ait. *Peccatorũ conſuetudo lapſum in peius trahit. Si purum habes veſtimentum, lauas ne peſſundes omninò quomodo ſordidetur. Si primam, ſecundam & tertiam contempſeris maculam, iam velut ſordidum habens veſtimentum, non graue videtur, licet totum fiat lutum.* ſic ille. Quis neſcit funiculum vnum facilè quidem rumpi, ſed ſi plures connectantur, difficillimè? Atqui peccata peccatis addendo nectis tibi funem ſemper craſſiorem. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis,* ait Iſaias cap. 5. Quæ verba ſic vertit Syrus: *Væ qui protrahunt peccata ſua tãquam funem oblongum & quaſi vinculum curriis peccatum ſuum.* Quemadmodum etiam pecuniæ à fœneratore acceptæ, niſi maturè ſoluantur, ſemper debitum augent: ita & peccata, quæ non mox delentur, accreſcunt. Fœnerator enim diabolus peccata de peccatis quaſi vſuram exigit: quæ dum reddis, theſaurizas tibi iram in die iræ, &c.

E. IV. Quia interim multa bona perduntur.

QVARTÒ, Quia plurima interim bona perdis, quæ lucrari poſſes, ſi in ſtatu gratiæ eſſes. Quamdiu enim in peccato es, vxor tua, anima tua, mortuos tibi fœtus parit: opera videlicet merito carentia, ad cœlum nihil proficua: & quo tempore alij cœlum diripiunt, tu interim abes, dormis & nihil participas. Euenit itaque tibi, ſicut cuidam Iudæo vitriario in vita S. Simeonis Salis; qui Iudæus quamdiu in perfidia ſua manſit, nullum integrum vitrum (precante hoc à Deo Simeone) facere potuit, ſed omnia ipſi fracta ſunt: donec crucem in fronte pingeret, & perfidiam eiuraret: quod & fecit, hortatu Simeonis; apud Sur. in vita. Pari modo tu, dum in peccato hæres, nullum facere opus bonum cælo dignum potes. Frangitur quidquid facis.

F. V. Quia qui ſemper differunt vix unquam efficaciter volunt.

QVINTÒ, Quia qui de die in diem differunt, ferè numquam efficaciter volunt: & qui proximâ oblatâ occaſione non incipit, vix poſteà incipiet. Differunt de feſto in feſtum, de anno in annum, nullum tempus placet: Sicut Acaſteus iners nauta omnes lunas cauſabatur eſſe infauſtas, & ideo nunquam nauigabat: (Chauaſſ. *de prudentia lib.* 1. *cap.* 3.) ſemper in ſtatione erat. Velut etiam pigræ puellæ linum quidem alligant colo; & ſic eam circumferunt, ſed manum fuſo non applicant, nec filare incipiunt: ita multi linum in colo gerunt, quia proponunt ſe emendare (ſi enim interroges vſurarium vel concubinarium, an ſperet ſe ſaluum fore? reſpondebit vtique, ſe vitam emendaturum;) interim fuſum numquam arripiunt. Contrà mulier illa Sapiens digitis apprehendit fuſum, *Prouerb. vlt.* Alcuinus *lib. de virtutibus & vitijs* ait: *Fortè reſpondes cras, cras* (ſcilicet conuertar.) *O vox coruina! coruus non redijt ad arcam, columba redijt.* ſic ille. Videtur quidem coruus ille ſubinde rediiſſe ſaltem ad cacumen arcæ eiq; inſediſſe, (vt ſentit Pererius, eò quòd in Chaldæo textu dicatur: *egrediebatur & reuertebatur*) ſed non eſt reuerſus in arcam & ad Noën. Eadem ratione proponunt aliqui redire ad Deum per pœnitentiam, nec procul inde abſunt: veniunt in templum, ſed ad tribunal confeſſionis adigi non poſſunt.

Denique *qui differt in futuram & forſitan non futuram ætatem,* inquit Anſelmus ep. 1. *ſuam vitam*

ram corrigere, certum bonum dimittit, pro dubio,& contemnendo quod perdit, probat ſe non amare, quod expectat, & meretur non accipere,&c. Hinc etiam lex ciuilis dicit: *Non eſt cenſendus hæres qui non feſtinat capere hæreditatem.* Cenſetur enim illam contemnere.

G. VI. Quia quò diutiùs differtur pœnitentia, eò fit difficilior

SEXTÒ, Quia quò diutiùs differtur conuerſio, eò fit difficilior. Vti vel ex hodierno Euangelio colligi poteſt. Filia enim ad ſui reſuſcitationem nihil operata eſt: Mulier hæmorrhoiſſa multa facere debuit, per turbam irrumpere, CHRISTVM ſequi & veſtem eius tangere. Rurſum puella hæc recenter mortua mox erigitur à Domino & dormire tantùm dicitur; (erat enim velut fax nuper extincta & quaſi adhuc fumigans, ideoque facilis accenſu) quatriduanus verò in ſepulchro Lazarus clamore valido excitatus eſt, quia typus erat inueterati peccatoris. Vnde Iairus de filiâ ſuâ: *Impone manum tuam ſuper eam & viuet*; quaſi ſuſcitatio certa & facilis eſſet; contra verò Martha de ſuſcitatione Lazari quaſi diffidens dixit Domino iubenti recludi ſepulchrum: *Domine iam fœtet, quatriduanus eſt enim.* Quatriduanus, inquam propter quatuor cauſas, ex quibus prouenit hæc difficultas.

1. Primò à diaboli vigilantia, qui ſeruos ſuos captiuos retinet, & tantò fortiùs, quantò diutiùs ſibi obſtrictos tenuit; allegare enim quodammodò poteſt ius præſcriptionis. Vnde diſcipuli CHRISTI non potuerunt eiicere dæmonem, qui poſſederat hominem ab adoleſcentiâ, Marci 9. Quemadmodum muſca in caſſes araneæ incidens, niſi citò ſe inde expediat, ab aranea mox ita irretitur, vt explicare ſe vix vnquam poſſit: ita & peccator niſi è dæmonis laqueo citò ſe expediat, magis magiſque implicatur.

2. Secundò, à turbâ cogitationum impediente conuerſionem: qualis eſt amiſſio bonorum, honorum, amicorum, aliarumque commoditatum, recordatio præteritarum voluptatum, &c. Quâ ferreâ catenâ retentum ſe fuiſſe fatetur Auguſtinus *lib. 8. confeſſ. cap. 5.* Hæc etiam impedimenta ſemper creſcunt, ſicut riuus inundans: quem ſi manè vix tranſire poteris, veſperi multò minùs poteris, dum interim tu ſperas imminuendum. Multi, exempli gratiâ, tam rarò audiunt conciones, vt tandem audire erubeſcant; nec alia vitia relinquunt, quibus diu aſſueti ſunt, ne vicini eos mirentur, ſi contrariâ viâ incedant & reſipiſcant.

3. Tertiò, à propriâ debilitate & virium languore; nam intellectus obſcuratur per peccatum, iudicium hebetatur, voluntas deprauatur, rebellio appetitus ſenſitiui creſcit, fitque ægritudo ſemper maior: ex quartana tertiana: ex hac tandem quotidiana. Vt autem in horologio, ſi vel vna rota retardetur, totum horologium impeditur: ita ſi vires animi langueant ac deprauatæ ſint, totus homo languet. Samſon raſo capillitio non potuit ampliùs funes rumpere, quos priùs velut ſtupam ruperat. Atqui rumpere catenam peccati, res difficilis eſt: requiritur amor Dei ſuper omnia, ſerius dolor ob Dei offenſam conceptus & propoſitum emendandi vitam: quæ non ita facilè parantur.

Quartò, ex habitu contracto, qui eſt quaſi altera natura. Vnde *Ierem.* 13. dicitur *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Imò Diogenes cùm improbum quendam argueret, interrogatus quid ageret: *Æthiopem*, inquit, *abſtergo, vt candidum reddam*; ſignificans ſe operam in illo perdere. Anton. Meliſſ. ſerm. 32. Quo pluribus ictibus adigitur clauus in parietem, eò altiùs infigitur: ſic quò frequentiùs flagitia committuntur, eò fortiùs animo imprimuntur & difficiliùs eximuntur. Credibile eſt Siſaram Ducem illum (*Iudic.* 4.) vbi ſenſit ſe affixum terræ, manum admouiſſe ad clauum, & conatum eſſe educere illum. Id tamen fruſtrà fuit, quia iam pluribus ictibus pauimento affixus fuit. Ita in propoſito, cùm ſentiet peccator ictus morbi lethalis, conatur quidem educere clauum prauæ conſuetudinis; ſed quàm id difficulter fit? quis ergo finis conſequitur tandem vitam malam? nónne malus? Euolue ſcripturas omnes, & nihil crebrius inuenies, quàm quod ſeminauit homo, hoc etiam meſſuiſſe; qualis in vitâ fuit, talem etiam in morte fuiſſe. *Neque enim* (ait Saluator Luc. 6.) *de ſpinis colligunt ficus, neque ex rubo vindemiant vuas.* Et Prou. 2. *Si inclinata ſit domus peccatoris ad mortem: & ad inferos ſemitæ ipſius.* Ille igitur, cuius vita, cuius cogitata, cuius verba, cuius opera ſemper inclinant ad infernum: quò tandem ibis niſi ad infernum? Qui hìc ambulat in tenebris interioribus, quorſum ibit niſi in tenebras exteriores? 4.

H. VII. Quia ſtultum eſt nolle ſtatim eiicere hoſtem.

SEPTIMÒ, Quia ſtultum eſt, cùm poſſis nolle hoſtem eiicere ſtatim; quod quidem egit Pharao, qui interrogatus à Moyſe, quando vellet liberari à ranarum plagâ: *Cras*, reſpondit, Exod. 8. O inſane! & cur non hodie & modò? Vexabant illæ indeſinenter & vbique Pharaonem, in menſa, in lecto, in palacio, in foro: obſtrepebant ſuis clamoribus infelici regi: cruciabant eum aſpectu & fœtore ſuo; & tamen eas non hodie, ſed *cras* è medio tolli orat. Sic agis & tu peccator. Ranæ peccatorum tuorum tibi ſemper adhærent, tibi obſtrepunt in conſcientia, tibi fœtorem ſuum aſpirant, tibi horrorem ſuum monſtrant: & tamen tu non hodie, ſed (*cras* & quando erit ille *cras*?) ab his liberari cupis. Adhæc ſtultum eſt eligere incertum & dimittere certum. Hodie tibi certum eſt, cras vero eſt incertum. *Hodie* ait Dauid Pſal. 49. *ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Sapientiſſimus Cato, teſte Plutarcho, inter alia maximè dolebat quòd eò per mare nauigio profectus eſſet, quò poterat ire per terram & pedes. Nimirum ſtultum exiſtimabat, viam ire periculoſam, cùm poſſis ire tutam. Atqui hoc peccator agit, qui in craſtinum differt ſuam pœnitentiam; nam dimiſſo hodierno certo, eligit craſtinum incertum. *Dimitte ergo incertum & tene certum*, ait ſanctus Auguſtinus.

CONCIO III.

Linguæ iniurioſæ vitia corriguntur.

Inſtruitur chorus quinque tibicinum ex ædibus noſtris arcendorum: quorum.

1. *Conuitiator canens triplicem næniam.*
2. *Deriſor etiam tres diuerſos modulos canens.*
3. *Calumniator, quis ſit & quos offendat.*
4. *Suſurro, quis & qualis ſit.*
5. *Exprobrator: quid ille cantet & moduletur.*

T H E M A.

Et deridebant eum. Matth. 9.

A. VVlgò dicimus, auiculam è cantu facilè agnoſci. Cuiuſmodi auiculæ fuerunt tibicines, qui defunctam puellam ſuis næniis plangebant, non tam ex eorum tibiis, quàm ex voce & cantu licet intelligere. Ipſi enim ſunt, qui dicente Domino: *Recedite; non eſt enim mortua puella, ſed dormit; & deridebant eum.* Scurræ igitur erant, qui non ſolùm mortuis ſuas tibias inflabant, ſed etiam viuentibus ſuâ ſcurrilitate obſtrepebant. Sunt autem hi tibicines viua quædam imago hominum maledicorum, qui ſuæ maledicentiæ tibiis partim infeſtant mortuos, partim etiam viuos. Mortuos intelligo, qui peccatis ſunt obnoxij adeoque Deo mortui: viuos verò qui cùm inculpatæ vitæ ſint, maleuolorum tamen dentes euadere non poſſunt. Vtriſque hi tibicines nullo ferè diſcrimine ſuas occinunt nænias, hoc eſt, funeſtas, odioſas & hiulcas cantilenas, quales ſunt, calumnia, conuitium, deriſio, exprobratio, contumelia, & ſimiles. Quare, Auditores, inſtruamus funebrem chorum huiuſmodi tibicinum; non ſanè vt in ædes noſtras eos inducamus, ſed potiùs vt deprehenſos inde eiiciamus.

B. I. Conuitiator. Tibicen PRIMVS, eſt Conuitiator, qui triplicem canit næniam; contumeliam, quâ obijcit alteri defectus animi: conuitium, quo defectus corporis: improperium, quo defectum bonorum fortunæ, quæ tria conueniunt in forma, quâ quis alterum coram & iniquè criminatur, vt honori eius deroget: differunt in materia. Qualis verò eſt hic tibicen? Dico, qualis eſt ſcurra quiſpiam, qui in faciem alterius ſpuere non veretur. Qui enim alterum conuitiatur, quaſi ſordida iniuriarum ſputa in eius faciem expuit, vt docet S. Gregorius libro 20. Moral. cap. 18. *Ad extremam autem iniuriam refertur, ſputamenta accipere*, inquit Origenes in id Iſa. 50. *faciem meam non auerti*, &c. Luſit hac tibiâ Michol, cùm in faciem mariti ſui, Dauid regis, hæc conuitia expuit: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris. 2.* Reg. 6. Sed profectò Michol prodit ſeipſum hîc vt ſcurrilem fœminam; quæ in marito ſuo carpit, quod ſummè laudandum erat, obſequium cultûs diuini & gaudium de præſentiâ arcæ fœderis; quam ob cauſam Michol mulctata à Deo ſterilitate, dedit pœnas ſuæ temeritatis. Rurſum talis eſt hic tibicen, qualis eſt vilis rabula, qui in alterum lapides iacit; cuiuſmodi erat Semei, qui in exulantem Dauidem de procul mittebat lapides, cum hoc conuitio: *Egredere, egredere vir ſanguinum & vir Belial*, &c. 2. Reg. 16. Quod faciebat manibus, hoc exprimebat ore: conuitia nimirum aliud non eſſe quàm iacula ſaxorum. Sed & iſte tandem accepit debitam ſibi mercedem, mortis ſupplicium à Salomone, 3. Reg. 2. nihil mitiùs accepti Marcionitæ, qui grauem etiam contumeliam iactarunt in S. Ioannem Chryſoſtomum, adhuc presbyterum Antiochenum. Dum enim præſidis Antiochenæ ciuitatis vxor graui morbo laboraret, nec ex Marcionitarum oratione meliùs haberet, ſtatuerunt ſi per Ioannem ſanaretur, hæreſin abdicare. Deferunt ergo illam ad fores templi & auxilium precantur. Ioannes iubet afferri aquam, eamque à Pontifice benedictam illi ſuperfundit; quam ſtatim ſanitas conſequitur, tum corporis, tum animæ, cùm in Chriſtum credidiſſet. Cæterùm Marcionitæ præſtigiatorem ac magum Ioannem appellabant; is autem cladem illis prædixit, quæ conſecuta eſt, cùm terræ motu corruens domus, in qua conuenerant, omnes oppreſſit; ſolis ijs, qui rectè ſenſerant in fide, ſeruatis. Ex quo caſu multi correcti ab ea hæreſi reſipuerunt. Metaphr. in vitâ, & Baron. anno 386. Denique talis eſt hic tibicen, quales ſunt petulantes pueri, qui clamoribus & conuitiis inſectantur eos, qui aliquo corporis defectu ſunt notati; vti & malitioſi illi pueri, qui Prophetæ Eliſæo caluitiem obiicientes exclamarunt contra eum: *Aſcende calue, aſcende calue.* Mox enim vt ipſis maledixit vir Dei, duo vrſi egreſſi de ſaltu lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros, 4. *Reg.* 2. Cui ſimillimum eſt, quod de S. Magnobodo Andegauenſi Epiſcopo refert Ioan. Pelecyus in turri Babel cap. 12. *Hic cùm in prædium quoddam iret, leues quidam pueri conuitia in eum iactare dicteriiſq; eum proſcindere non ceſſabant. Ad ludibrium oculos retorquente viro ſanctiſſimo, tantus ſubitò pulueris turbo exortus eſt, vt ex pueris ſublatum vnum per aëra globi inſtar libraret, perq; auia inuia ſublimem raperet. Secuti mox parentes in confragoſu montibus filium quærant, atque eum multo denique labore inter aſpera vepretium ſemianimem repererę. Quem cùm ita cruentum S. Pontifici lacrymabundi obtuliſſent, curatus ab eo parentibuſq; reſtitutus eſt.*

C. II. Deriſor. SECVNDVS. Deriſor, qui etiam non vnum ſed tres diuerſos canit modulos. Alios enim ſimplici riſu vel deriſorio verbo impetit, vt eos in ruborem & contemptum det: alios adhibito geſtu ſcurrili, v. g. oris hiatu, medij digiti oſtenſione, linguæ exſertione, aſininarum auricularum efformatione, alios naſo ſuſpendit, ſpecioſis verbis in magnam expectationem euehens, rurſumque deiiciens atque eludens. Improbus eſt & hic tibicen: nam imprimis grauem iniuriam irrogat deriſo; qui vel bonus eſt & innocens, & hoc ipſo grauiſſimè læditur, vti S. Iob & Tobias in ſua ſim-

ſimplicitate deriſi ab vxoribus & amicis. Quâ de re ipſe Job c. 12. ait: *Qui deridetur ab amico ſuo ſicut ego, inuocabit Deum & exaudiet eum*: deridetur iuſti ſimplicitas; hoc eſt, innocentia, inquit Chryſoſtomus: quæ neminem lædit, læditur tamen ab aliis ideoque Deum prouocat ad ſeueriſſimam vltionem. Quid enim Deo iudice ſeueriſſimo dignius, quàm cum quis irridetur & læditur qui neminẽ læſerit? Idcircò talis *inuocabit Deum* (velut patronũ ſcilicet & vindicem) *& exaudiet eum*, inquit Job. Senſerunt hoc Philiſthæi, qui Samſonis cæcitatem adeóque etiam ſimplicitatem, quâ vndique impingebat, vtpote excoculatus, & ſeipſum lædebat, in cõuiuio ſuo ridebât. Idcircò enim præceperũt vt vocaretur Samſon & ante eos luderet. Vel vt eſt in Hebræo: *Vocate Samſonẽ vt ludat & rideat nobis*, ſeu potiùs, *vt ludatur & rideatur à nobis* (vtrũque enim voces Hebreę tſachek & ſachek ſignificant.) Deriſerunt itaque iocantem ante ſe Samſonem. Sed quo fine? Inter hæc ludibria inuocauit Samſon Deum: *Domine Deus memento mei & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam Deus meus vt vlciſcar me de hoſtibus meis & pro amiſſione duorum luminum vnam vltionem recipiam.* Statimque exauditus apprehendit binas columnas, quibus innitebatur cœnaculum, concuſſiſque illis ſubruit totum ædificium, contriuitque ſecum inimicos ſuos, quotquot ibi erant Philiſthæos, *Iudic.* 16. Quod ſi peccator eſt, qui ridetur; & ipſe etiam deriſus non leuiter offenditur, dum vulnerata eius conſcientia nouo vulnere exacerbatur. Vnde dicitur Eccleſiaſtici 7. *Non irrideas hominem in amaritudinem animæ ſuæ.* Et Prou. 24. *Cùm ceciderit inimicus tuus ne gaudeas & in ruinâ eius ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus & diſpliceat ei & auferat ab eo iram ſuam*, q. d. ne iram, quam in illum conceperat, vertat in te deriſorem. Adhæc deriſor bonos ſæpe à virtutis tramite reuocat atque abſterret: multi etiam metu vel impatientiâ irriſionis ducti ſe inebriant, ad duella prouocant aut prouocati prodeunt aliaque peccata committunt. Fecerunt hoc Principes Socoth, quantum in ipſis erat. Hi enim requiſiti à Gedeone, vt darent eius militi panes, quibus confortatus perſequi poſſet hoſtes, Zebee & Salmana; reſponderunt ei: *Forſitan palmæ manuum Zebee & Salmana in manu tuâ ſunt, & idcircò poſtulas vt demus exercitui tuo panes?* q. d. Itáne iam cepiſti hoſtem? Nihil damus; quia nihil efficies. Itaque hoc verbo abſterrere poterant Gedeonem à proſequendâ celebri victoriâ. Sed non impunè tulerunt. Reuerſus enim à cæde hoſtium contriuit principes illos cum tribulis & ſpinis (*Iudic.* 8.) nouo & acerrimo ſupplicio. Grauis enim pœna huic peccato debetur; vnde dixit Sapiens Prouerb. 19. *Parata ſunt deriſoribus iudicia & mallei percutientes* (id eſt, grauiſſimi ictus, ſeu confractiones & contuſiones, vt legit Origenes) *ſtultorum corporibus.* Rarum huius rei exemplum recenſet P. Joan. Pelecyus in ſuâ turri Babel c. 16. quod Bruxellis typo vulgatum. *Anno namque 1602. in Bacchanalibus, 24. Februarij in Hollandia, in ciuitate Edam, triginta milites, qui breui venerant Oſtendâ, impiè irriſerunt ceremonias Eccleſiæ Catholicæ; induſia enim ſuper cætera veſtimenta induerunt, vt irriderent veſtimenta Clericorum. Vnus ipſorum induit Caſulam, & locum editiorem conſcendit, in manu formam ciborij, ac figuram SS. Sacramenti geſtauit, alius vrnam aquæ cum ſcopis portauit, hinc omnes ſaltantes & cantilantes, frequenterq́; repetentes: Dominus vobiſcum, intrarunt templum. Caſulâ amictus cæteros præceſſit. Demũ vnum ex ipſis veſte ſacerdotali ornarunt, alligatum arbori, bombardis papyro oneratis petierunt, quaſi mortuum ſepelierunt, ex ſepulchro iterum extractum in templum duxerunt: Vbi Conſules ipſis quatuor cupas cereuiſiæ, loco honorarij dederunt, quas in templo cum Conſulibus euacuarunt. Poſtridie vnum ipſorum, inſtar Epiſcopi veſtierunt, mitrâ exornarunt, conſpicilium naſo eius impoſuerunt, & magnum cereum ei in manus dederunt, videntes ipſum, quaſi nihil videret, nihilq́; intelligeret; ad quæ ipſe reſpõdit, quorſum mihi cereus & conſpicilium, cum videre nolim? Taceo multa alia quibus religionem Catholicam populo ridendam propinarunt. Cùm eaſdem nequitias ipſo die S. Matth. (24. Febr.) Dominica prima Quadrageſimæ repetere conarentur, manè poſt quartam, fulmen incidit in prædictum templum, & ſimul Cacodæmon in forma ſerpentis, habentis caudam inſtar cometæ quâ in orbem complectebatur vniuerſam turrim templi, euomebat ex faucibus magnos globos flammarum, quibus incenſæ ſunt quatuor domus templo vicinæ, identidem etiam vociferabatur: Dominus vobiſcum, & prædicta ludibria blaſphemorum multùm repetebat; turris tota incendio conflagrauit cum templo, & ſexaginta ædibus vicinis; vnica domus manſit illæſa, nimirum, quam olim inhabitauit Paſtor eiuſdem Eccleſiæ, & iam inhabitant eiuſdem cognati, pij Catholici. Niſi ciues Hornenſes & Muni kendamenſes Edamenſibus ſuccurrerent, tota ciuitas cum incolis periiſſet.*

D. III. Calumniator.

Tertius. Calumniator, qui inſcium & abſentem ſceleris alicuius falsò accuſat defertque ad alios. Peſſimus hic tibicen peſſimo ſuo cantu ſimul tres offendit, vt veriſſimè dixerit S. Baſilius: illum, quem traducit, auditorem & ſeipſum. Primum, quia ipſi clanculùm adimit honorem, bonum in humanis rebus præſtantiſſimum. Quam ob cauſam olim calumniatores conuicti iis, quos falsò detulerant, in poteſtatem tradit, fuerunt, vti Daniel militum magiſter Gratiano magiſtro Sancti Palatij, quem ad Ludouicum Imperatorem calumniando detulerat, apud Baron. An. 355. D. Athanaſius calumniis maleuolorum ſæpe impetitus, apol. 1. ait: *Qui lapide eſt ictus, medicum quærit; ſed ictus calumniæ grauiùs, quàm lapides feriunt.* Ratio facilis eſt, quia ictus lapidis ſentitur, & qui iecit lapidem, facilè agnoſcitur: at calumniæ ictus ab icto minimè ſcitur, quemadmodum & calumniator. Vnde qui calumniam patitur, ad Medicum nequit currere, nec vulneri ſuo remedium quærere, cùm neſciat ſe vulneratum, multò minùs ſciat vulnerantem. Ex occulto prodit iaculum calumniæ, vt reſiſtere aut ſe tueri nequeat, qui impetitur: indictâ enim causâ condemnatur & alteriùs iræ obiicitur. Sunt venena quædam ſerpentum Arabicorum

1. *Offendit illum, quem traducit.*

corum tam præſentia & extioſa, vt priùs inferant mortem quàm dolorem. Prorſus tale venenum eſt calumnia, quæ hominem vitâ ciuili ſeu famâ & honore ſpoliat, antequam aduertatur. Ita bonus ille Joſeph citiùs ſe in carcere vinctum aſpexit, quàm ſciuerit ſe calumniâ dominæ ſuæ delatum fuiſſe ad herum. Ita quoque innocens Daniel priùs ſe in lacu leonum recluſum vidit, quàm ſciuerit cauſam ſui ſupplicij, quod ipſi quorundam calumnia apud Regem ſtruxerat. Bonus quoque Miphiboſeth, priùs ſe bonis ac prædijs ſuis exutum aduertit, quàm ſciret ſe calumniâ ſerui delatum ad Dauidem. Quibuſdam etiam calumnia vitam abrupit, priuſquam illis innoteſceret, vti 1. Reg. 22. accidit 85. ſacerdotibus Domini.

2. *Audientem.* Offendit quoque audientem, quia illum falſâ narratione decipit & ab amico ſeparat (iuxta id Democriti: *Gladius ſecat corpus: calumnia autem ſeparat amicos*;) quandoque etiam in ipſum ſine cauſâ armat concitatque. Multi ſe calumniatorum dolo circumuentos pœnitenda commiſiſſe, grauiſſimè poſtea ſenſerunt & ſerò doluerunt; vti Otho III. Jmperator qui ad inſtar illius Putifaris, vxori nimiùm credulus, Comitem ab eâ falsò delatum morte mulctauit. Sed cùm vxor Comitis innocentiam mariti ferro ignito probaſſet, ideoque Jmperatorem ad talionem poſtulaſſet, ſummas in anguſtias coniectus Jmperator iugulum ſpopondit, inducias tantùm petiit, vixque interuentu Procerum ſeruatus eſt, vxorem tamen calumniatricem flammis tradere coactus; vti alibi diximus. Viciſſim Eduardus II, Angliæ rex falſis delatorum criminationibus inflammatus 12. nobiliſſimos Angliæ Barones ad ſupplicium rapuit, vxorem quoque cum filio è regno expulit. Verùm regina amicorum ope reducta non ſolùm delatores omnes atrocibus ſupplicijs puniuit, verùm etiam regem maritum, velut regno inutilem cuſtodiæ mancipauit, filiumque patri regem ſubrogauit. Froſſard. *vol.* 1. Ex quo patet, verum dixiſſe Eccleſiaſten cap. 7. *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius.* Quocirca Mecænas apud Dion. l. 52. ſuaſit Auguſto, vt ſuis delatoribus non omnia ſtatim crederet. *Quòd ſi enim tardiùs*, inquit, *fidem adhibueris, nullo tuo magno id fiet damno, feſtinando autem fieri poteſt, vt peccatum aliquod irreparabile admittas.* Hinc prudentes viri delatores reprimere conſueuerunt, vti Veſpaſianus Jmperator qui dicebat: *Princeps qui delatores non caſtigat, irritat.* Antoninus Jmperator ſi non probarent crimen, capitali eos ſupplicio affecit: ſi probarent, præmio dato dimiſit infames. Fridericus Saxoniæ eâ lege illos admittebat, ſi quæ de abſentibus narrarent, etiam illis præſentibus dicere in faciem auderent. Peucer. in *Lect. Chron. anno* 1572. Antiquâ etiam lege Remmiâ calumniatori litera C. in fronte inurebatur, vt calumniator & noſceretur & vitaretur. Capitol. in Macrino. Cicero pro Roſcio.

3. *Seipſum.* Denique offendit ſeipſum & grauiſſimè quidem. Non enim ſe ſolummodò graui obſtringit peccato, verùm etiam pœnæ talionis, & diuinæ punitionis, quæ à tergo calumniatores ſequitur. Contingit enim ferè illis, quod infelici cuidam iaculatori, qui Braſidam ducem telo confixerat. Educto namque è corpore telo Braſidas illum ipſum iaculatorem confodit, Plut. teſte. Intorquent calumniatores telum linguæ ſuæ in proximos: ſed non rarò euenit, vt eodem telo ipſi configantur. Danielem quidam æmuli intruſerant ſuis calumnijs in leonum lacum: ſed deprehenſâ eius innocentiâ & incolumitate in ipſo lacu, poſt eum ipſi in lacum intruſi & in momento deuorati ſunt *Dan.* 14. Improbi illi ſenes ſuis calumnijs Suſannam penè iam in mortis ſupplicium impulerant: ſed deprehenſi à Daniele eodē ipſi ſupplicio perierunt, quo Suſannam perdere cogitârat, *Daniel.* 13. Aman eodem ſuo patibulo ſuſpenſus eſt, quo Mardochæum calumnijs circumuentum ſuſpendere parauerat, *Eſth.* 7. Accedit vltio diuina. Annam quandam viduam, quæ monaſterio ſe incluſerat, calumniata eſt ancilla, dolo Conſtantini Copronymi ſubornata, quaſi cum Stephano monacho, viro innocente & ſancto turpiter conſueſſet; vnde Annam Jmperator virgis cædi iuſſit. Verùm ancilla cùm nupſiſſet & gemellos peperiſſet, ij repentè ſub mediam noctem conturbati arreptas matris mammillas horrendum in modum exederunt, eamque protinùs necârunt, atque vnâ cum ipſâ viperini illi partus extincti ſunt. Baron. anno 763. S. Othmarum calumniatus fuit quidam de eius fratribus, nomine Lambertus, quaſi impudicitiâ ſe polluiſſet. Verùm diuina vltio mox eum corripuit, tam fœdâ membrorum contractione, vt capite in terram inclinato quadrupedis more incedere cogeretur. Bar. an. 759.

QVARTVS, Suſurro, qui occultis obtrectationibus in odium vocat quos vult, amicitias diſſoluit & odia incendit. Peior hic detractore (de quo alibi multa) tametſi ei affinis eſt; quia detractor famam, hic amicum & amicitiam (de quibus Eccleſiaſt. 9. dicitur: *Amico fideli nulla eſt comparatio*) aufert: ille vni, hic ſimul pluribus nocet, inter quos diſcordias ſeminat. Qualis ergo hic tibicen? qualis vtique tubicen ille, qui in prælio captus & neci addictus cùm cauſaretur neminem hoſtium à ſe occiſum, ideoque ſibi parcendum, audiit à Iudicibus: *At tu, qui plurimos occiderunt, incendiſti claſſico; proinde occidendus es.* Talis profectò hic tibicen, qui etſi nemini litem intendit, lites tamen ſerit & in mutuas cædes ac vulnera alios incendit. Similis eſt Saulo qui lapidantium veſtes ſeruabat, quò expeditiùs illi lapides in Stephanum emittere poſſent. Similes incendiariis auibus, quæ carbones è foco rapiunt & in ſubiectas ædes elabi ſinunt, itaque domos incendunt. Similes illis carnificibus, qui fornacem Babylonicam gratiſſimo ignis pabulo, naphta, ſtuppa, pice & malleolis incendebant, ad innocentes exurendos pueros, *Daniel.* 3. Teſtatur enim Salomon Prouerb. 26. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis; & ſuſurrone ſublato iurgia conquieſcunt*; quaſi dicat econ-

E. IV. *Suſurro.*

è contrario: ſi adfuerit ſuſurro, ligna foco addet & incendium excitabit. Tales quidem propè ſe habuit Dauid, tametſi non audiuit, cùm deprehendit in ſpeluncâ Saul hoſtem ſuum: *Ecce dies*, inquiunt, *de qua locutus eſt Dominus: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei ſicut placuerit in oculis tuis*, 1. Reg. 24. At verò Dauid maſculum aſſumens animicum *confregit viros illos ſermonibus*. Quod imitari deberent omnes, quia niſi eſſet auditor, non eſſet ſuſurro: niſi eſſet receptor, non eſſet fur. Habuit tales apud ſe & Saul, ſed audiuit eos, quod obiicit ipſi Dauid eo ipſo loco & tempore: *Quare audis verba hominum loquentium: Dauid quærit malum aduerſum te?* ſuſurronum ſcilicet. Ibid. Cauſam igitur odij inter ipſum & Saulem, coniicit in ſuſurrones. Fœdum huius vitij exemplum præbuit Theodorus monachus poſteà Epiſcopus, cognomento Santabarenus, homo vafri ingenij ac perditus, qui cùm ſciret ſe odio haberi à Leone Baſilij Jmp. filio, ſimulatâ beneuolentiâ ei perſuaſit, vt egreſſurus ad venationem, pugionem occultum ferret, quo vel feras vel fortè parentis aut ſuos inſidiatores confoderet. Obtemperauit adoleſcens, dolo non animaduerſo: Santabarenus autem Baſilio denuntiauit, Leonem filium ei inſidias ſtruere & ad eum interimendum pugionem in Senatu ferre. Quem cùm Baſilius inueniſſet, ardens iracundiâ, nullamque filij admittens defenſionem, ei oculos eruiſſet, inſtigante Santabareno, niſi aſſiduis Senatûs precibus ſententiam mutaſſet. Zonaras & Curopalates apud Baron. anno 870. Antipater Herodis filius vt patri in regnum ſuccederet, ſeniores fratres ſuos ita exoſos patri ſuis ſuſurris fecit, vt eos pater occideret. Verùm iuſtas Numini pœnas dedit, cùm ipſe fraude detectâ ab Herode patre iam animam agente pariter occiſus eſt, vt ſcribit Ioſephus *l. 16. Antiq. c. vlt. & l. 17. c. 9.*

F. V. Exprobator. Quintus, Exprobrator, qui quam priùs cecinit bonam cantilenam, poſteà corrumpit abſonâ & abſurdâ, atque ita *beneficium conuertit in iniuriam*, vt inquit Seneca *l. 2. de benef. cap. 14.* quod enim manu dextrâ beneuolè dedit, hoc ſiniſtrâ malignè repetit: quod vnâ manu ædificat, alterâ idem deſtruit. Quâ de re Eccleſiaſtici 34. dicitur: *Vnus ædificans & vnus deſtruens, quid eis prodeſt niſi labor?* Quidquid hic tibicen præclarè ſtruxit, repentè ſubruit exprobando: v. g. mihi eſt quod agas gratias: meo beneficio hoc habes: abſque me foret, in hunc gradum non aſcendiſſes: de meâ menſâ cutem curâſti, &c. Inamœnæ & odioſæ ſunt hæ cantilenæ: tineæ beneficiorum & ærugines liberalitatis ſunt. Rectè etiam aliqui comparant exprobrationem Scribæ, qui ſupplicem libellum accuratâ manu ſcribit: ad finem pro arenariâ pixide, dum aliud cogitat, atramentarium corripit, & in chartam illam effundit. Id enim lingua facit, dum atrò improperationis liquore obliterat beneficia alteri collata. Scriba qui characteres illos ſciens volens perderet, ſtultus haberetur: inſipiens ergo ſit neceſſe, qui beneficium alteri exprobrat, quia hoc ſciens agit. Vnde Eccleſ. 18. dicitur: *Stultus acriter improperabit.* Deus *dat omnibus affluenter & non improperat.* Iac. 1. at *inſipiens exigua dabit & multa improperabit*, inquit Eccleſiaſticus c. 20.

Hi potiſſimùm ſunt funeſti illi tibicines, qui bonis auribus obſtrepunt: proinde cum hodiernis illis ab ædibus Chriſtianorum longiùs propellendi. *Recedite* igitur & abite in malam rem peſſimi tibicines. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat*, ait Apoſtolus ad Eph. 4. *Sed ſiquis bonus ad ædificationē fidei, vt det gratiā audientibus*

CONCIO IV.

Qui Chriſtum comprimant, impediant, derideant.

1. *Comprimunt Chriſtum, qui in templo irreuerenter verſantur, qui ſibi vſurpant quæ ſunt iuris diuini, & qui indignè communicant.*
2. *Impediunt, qui Deo diffidunt, malè agentes confirmant in malo à bono propoſito retrahunt, &c.*
3. *Derident, qui Dei verbum in iocum trahunt, qui Chriſti & Eccleſiæ præcepta, Deiq́; minas ſpernunt.*

THEMA.

Recedite. Matth. 9.

NOn arbitror, me reperiſſe in aliquo Euangelio tot perditos homunciones, quot in hodierno. Nam imprimis cùm Chriſtus Dominus pergeret ad domum Archiſynagogi, ſequebatur eum turba multa, & *comprimebant eum*, vt ait S. Marcus *c. 5.* Et hinc Hæmorrhoiſſa vehementer adlaborabat, vt vel fimbriam veſtis Dominicæ tangeret, quando præ turbâ accedere non poterat, vt Chriſtum ipſum tangeret. Deinde ingreſſus in domum Iairi Dominus inuênit aliam turbam ſibi moleſtam & obſtantem in miraculo perpetrando, tibicines videlicet, quos & mox eiecit. Denique peiores adhuc reperit, à quibus deridebatur, cùm diceret puellam non eſſe mortuam, ſed dormire; quaſi neſciret, quid actum eſſet cum puellâ. Nónne igitur peruerſi homines videntur fuiſſe iſti? Primi Chriſtum comprimunt; ſecundi à bono propoſito impedire conantur; tertij derident. Sed quod eſt deterius, videntur iſti improbi ſemen reliquiſſe ſuum inter Chriſtianos, ſemen, inquam, Chanaan, filiorum ſceleratorum & Chriſti irriſorū. Quod vtinam ne inter nos reperiretur! Vt igitur hos caueamus, audiamus, qui ſint tales. A.

B. I. Comprimunt Chriſtum 1. Qui in templo ſine reuerentia verſantur. Comprimunt Chriſtum Primo, qui in templo ſine reuerentiâ, decore & animi attentione ad diuina verſantur. Tales enim premunt Chriſtum, dum ei corpore appropinquant, animo interim ab eo longius diſtant, & ſæpe in foro & cauponis verſantur. Sic enim queritur *Iſai. 29.* dicens: *Appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me.* Nos certè mortales corpora mortua in ædibus noſtris ægrè ſuſtinemus, & iiſdem premi nos putamus, ſi vel ad alterum diem retinere ea cogimur; quia nimirum tetrum ac deforme eſt corpus ſine animâ, indeque viuentibus oneroſum. An non igitur & Chriſtum premimus in domo ſuâ, cùm

cùm corpora tantùm noſtra in eâ conſtituimus, animis domi relictis vel foris diuagantibus? Hoc enim Chriſto perinde eſt, ac ſi copia ſtipitum & truncorum in dorſum eius incumberet. Hinc vendentes & ementes flagello eiecit è templo, & menſas nummulariorum euertit; quia nimirum hæ negotiationes ad templum non pertinebant, & orantes à deuotione auocabant, adeoque ipſum Chriſtum impediebant & premebant. Atqui nihil minus agunt, qui corpore in templo exiſtentes, animo in ſuis negotiationibus & terrenis deſideriis foris euagantur. Oues enim in templum afferunt, qui in eodem clamores excitant, altiùs fabulantur: boues verò, qui nullam corporis reuerentiam, manuum erectioné, genuum flexione vel pectoris tunſione, ſenſuumque collectione ibi præ ſe ferunt, ſed veluti boues ad quietem aut etiam ſomnum capeſſendum procumbunt: menſas & nummos, qui ibidem de patinis loquuntur & lucris: columbas, qui oculis circumuolant, &c. Hæc ſunt, quæ Deum à templo ſæpe expellunt, vt non videatur audire preces noſtras, nec ibi præſens eſſe: quemadmodum ipſe teſtatus eſt ad Ezech. c. 8. dicens: *Fili hominis, putaſne, vides tu, quid iſti faciunt, abominationes magnas, quas domus Iſraël facit hîc, vt procul recedam à ſanctuario meo?* Cumque oſtendiſſet ei per foramen, quid mali agerent homines in templo, quomodo verterent dorſa contra altare, plangerent Adonidem, applicarent flores ad nares ſuas, ſubdit: *Ergo & ego faciam in furore meo: non parcet oculus meus, nec miſerebor: & cùm clamauerint ad aures meas voce magnâ, non exaudiam eos.* Propterea igitur toties ſalutatur in miſsâ populus à Sacerdote, voce illâ: *Dominus vobiſcum*; vt admoneatur, Deo ſemper adeſſe & animo & corpore, eumque ſuis bonis cogitationibus cum Hæmorrhoiſsâ tangere, non propellere cum turbâ.

2. *Qui ſibi vſurpãt, quæ ſunt iuris diuini.*

Secundò, Premere mihi videntur Chriſtum, qui, quæ iuris ipſius ſunt, infeſtant, ſibique vſurpant: quo modo aliquis premere vicinum dicitur, qui in fundum ipſius, domum, atrium vel agrum ſuum extendit; vel arctis nimis limitibus eum conſtringit, vel etiam clamoribus & alijs modis ipſi importunus eſt in rebus ſuis. Hoc ſanè modo ſæpe infeſtatur domus Chriſti à tranſeuntibus, qui non modò nullâ factâ reuerentiâ, ſed præterea cum clamoribus, garritu, ſordidis actionibus eam coinquinant. De hoc queritur Dominus contra Reges, qui palatium ſibi extruxerant templo contiguum; vnde factum erat, vt ſtrepitus & tumultus aulę in ipſum templum deriuaretur, *Ezech.* 43. dicens: *Fabricati ſunt limen ſuum iuxta limen meum, & poſtes ſuos iuxta poſtes meos, & murus erat inter me & eos. Et polluerunt nomen ſanctum meum in abominationibus, quas fecerunt, propter quod conſumpſi eos in irâ meâ.* Si enim iure indignaretur Princeps, quòd eius ciues palatium ſuum infeſtarent aut conſpurcarent: cur non magis Deus? Sanè Salomon in ædificatione templi, ſtrepitum in eo audiri noluit, ideoque lapides alibi poliri & aptari iuſſit, 3. Reg. 6. tametſi is alioqui ad ſtructuram templi pertinebat. Porrò vti templa, ita & dies feſti, iuris ſunt diuini, & proinde qui illos violat, ac per operas ſeruiles ſibi arrogat, abſque dubio Chriſtum premit, quia limites eius ſacros tranſgreditur, nimium extendendo laborem vltra terminum (**uber die Feijerabends-glocken**) & præterea dies illos honore ſuo priuat & obſequijs debitis: quemadmodum & illi, qui non expectato fine ſacrificij, in feſtis ad nugas ſuas excurrunt, nundinationes ſuas incipiunt, vel etiam ſub miſsâ exercent, &c. Hinc apud Iſa c. 1. eiuſmodi homines ſibi oneroſos ait: *Solemnitates veſtras odiuit anima mea; factæ ſunt mihi moleſtæ: laboraui ſuſtinens.* Quomodo enim non fiant moleſta Deo noſtra feſta, ſi in hac domo doletur, in aliâ cudatur, in aliâ ſarciatur, in aliâ texatur, in aliâ ſaltetur aut ludatur? Hoccíne non eſt Chriſtum in ſuis terminis conſtringere? vt taceam, quòd hoc ipſum Eccleſiæ Prælatos (qui per Chriſti veſtes repræſentantur, teſte Auguſtino ſerm. 6. de verb. Dom.) vehementer premat & affligat. Dies feſtiui nobis ad hoc dati & Deo dicati ſunt, vt in illis Chriſtum honorificè tangamus ſiue per ſacramentorum ſuſceptionem, ſiue per vitæ imitationem, ſiue per ſacras preces & contritionem: ex quo tactu ſanitatem mentis & alia beneficia conſequi poſſemus. At verè *tangit Chriſtum*, ait S. Auguſtinus ibid. *fides paucorum: premit eum turba multorum:* ſæcularibus nimirum & vetitis occupationibus.

3. *Qui indignè communicant.*

Tertiò, Qui indignè communicant. Illi enim Chriſtum in domum hoſtilem inducunt, & vndique hoſtibus premunt, videlicet peccatis, quæ per pœnitentiam priùs non eiecerunt. Atque hæc eſt turba illa Chriſtum premẽs: turba item tumultuãs è domo Iairi eiecta. Scimus quantum anguſtiatus fuerit Chriſtus ex præſentiâ Judæ, ſcelus proditionis iam in corde gerentis, dum cum ipſo in menſâ ſedit & cœnauit; nam *turbatus eſt ſpiritu*, ait Ioannes c. 13. *& proteſtatus eſt, & dixit: Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Secundum Lucam c. 22. *Ecce manus tradentis me mecum eſt in menſâ.* Neque mirum hoc; quis enim non premi ſe & angi diceret, qui in menſam hoſtium ſuorum capitalium collocaretur? Nónne Rex Aſſuerus, quando comedens cum Aman audiuit à Reginâ: *Hoſtis & inimicus noſter peſſimus iſte eſt Aman*: ilicò ſurrexit de loco conuiuij & abijt iratus? *Eſth.* 7. Idipſum verò facere Chriſtum, quando ad conuiuium peccatoris adducitur in communione, nemini dubium eſſe debet, quia capitaliores non habet hoſtes quàm peccata. Contrà verò ſi cum Hæmorrhoiſsâ debito modo tangeremus veſtem humanitatis Chriſti in Euchariſtiæ ſuſceptione, ſi cum ſimili humilitate, feruore, pudore, reuerentiâ, fide, peccatorum confeſſione accederemus, quo modo acceſſit ipſa: ô quantam reciperemus animæ ſanitatem & confortationem? Ipſa enim primò irrupit per turbam, ſeu *venit in turbâ*, vt ait Marcus c. 5. Ecce feruorem. Secundò *acceßit retrò*, videlicet ob morbi ſui fœditatem: ecce verecundiam. Tertiò *dicebat: ſi tetigero tantùm veſtimentũ eius, ſalua ero*: ecce fidem. Quartò conſpe-

ctà Chriſto, *timens ac tremens venit ad eum*: ecce timorem. Quintò *procidit ante pedes eius*: ecce reuerentiam. Sextò confeſſa eſt morbum & ſanationem ſuam coram omni populo, & *dixit* Chriſto *omnem veritatem*, vt habent Euangeliſtæ: ecce confeſſionis ſinceritatem. Nihil ampliùs requiri à nobis poſſet, ſi hæc eadem ageremus, cùm ad S. communionem accedimus; diſcamus igitur hoc à muliere, & quidem, vt communiter ſentiunt cum Euſebio, à gentili.

C. II. Impediunt Chriſtum. 1. *Qui de Deo diffidunt.* Impediunt Chriſtum in puellæ mortuæ reſuſcitatione, veluti turba tumultuans & tibicines: Primò, qui de Dei bonitate vel potentiâ diffidunt, vti faciunt, qui partim malis artibus panem ſibi conquirunt, partim laborant vetitis diebus. Hi, inquam, ſuâ diffidentiâ impediunt Chriſtum, ne opem illis ferat, & ſolita beneficia largiatur. Quemadmodum enim propter incredulitatem Nazarenorum non potuit apud illos virtutem vllam facere, nec niſi paucos infirmos ſanauit, vt eſt apud Marcum *cap.* 6. ita propter multorum pauperum diffidentiam, quâ metuunt, ſi tot feſtiuis diebus à labore vacent, dolis & fraudibus abſtineant, ne familiam ſuſtentare nequeant; non poteſt illis oſtendere ſuam miram prouidentiam, bonitatem & potentiam. Dicunt illi: Quomodo aliàs me meoſque ſuſtentabo? ſed hæ ſunt tibiæ diabolicæ & inanes flatus, Chriſtum impedientes. Potens eſt enim Deus innumeris & miris modis opem nobis ferre, res noſtras conſeruare & augere, licet miraculum non edat: ſi nimirum conſeruet nos in bonâ valetudine, ſi domum ab incendio & ruinâ, ſi pecora & fruges, ſi à potentiorum oppreſſione, mulctis, rapinis, noſtra ſeruet, & benedicat rebus noſtris, &c. Et hæc abſque dubio præſtaret, nobiſque adijceret iuxta promiſſionem ſuam, ſi primùm quæreremus regnum cælorum & iuſtitiam eius: denique ſi neceſſitas exigeret, ſæpe miraculosè nobis ſuccurreret, quod alijs ſæpiſſime fecit; non enim patitur ſe vinci obſequijs Deus noſter. Sed quia plus in noſtris laboribus, artibus, fraudibus & mendacijs ſæpenumerò confidimus, hinc mirum non eſt, ſi nos multoties deſerat, & difficultatibus obrui ſinat; ſi deſit panis, non ſit pecunia, mendicent liberi, &c. Videtur enim dicere illis Dominus: Quia in veſtro labore, dolis & verſutiâ plus confiditis quàm in me meâque promiſſione: *Surgant* igitur *Dij veſtri*, doli & laboris, *& opitulentur vobis*; mihi enim ligatis manus, ne poſſim vobis opem ferre & neceſſaria porrigere, quia mihi non confiditis. Atque ita tandem accidit illis, quod Iudæis temporalia potiùs quàm ſpiritualia curantibus, regnum terrenum quàm cæleſte quærentibus: *Temporalia perdere timuerunt*, ait S. Auguſt. tract. 49. in Ioan. *& vitam æternam non cogitauerunt, ac ſic vtrumque amiſerunt*. Ita vereor, ne quamplurimi ſint hîc & ibi miſeri.

2. *Qui malè agentes confirmant in malo, vel retrahũt à propoſito bono.* Secundò, qui malè agentes confirmant in opere, vel meditantes emendationem retrahunt à bono propoſito, adeoque in morte ſpirituali detinent, ne reſurgant. Et hi tibicines ſunt diaboli & turba tumultuans; Chriſtum impendiens à ſuſcitatione peccatorum. Nihil enim docent, defendunt, aut ſuadent præter honores, voluptates, opes quærendas & retinendas: hoc inani flatu & Syrenum cantu demulcent miſeros, & pertrahunt ad gehennam: ſicuti venatores fiſtulâ paſtorali demulcent & ſiſtunt ceruum, donec in poteſtatem ſuam redigant. Pierius *libr. 7. hierogl.* Eiuſmodi adulatores Pipinus Rex, Caroli Magni pater, Religioſos diaboli appellabat; ſiquidem canerent, *Placebo Domino*. Tangitur fortè alicuius conſcientia in concione vel exemplo punitionis diuinæ, vel internâ inſpiratione; & cogitat de animæ ſuæ ſuſcitatione, cogitat reſtituere aliena, deſerere hæreſin, pellicem, ebrietatem: ſicque intrat ad ipſum Chriſtus, vitam animæ daturus; ſed frequenter inuenit tibicines illos, qui à propoſitio eum reuocant, peccata eius approbant ac defendunt.

Hanc ob cauſam, Auditores, mihi velim ignoſcatis, ſi vobis non abblandior, ſed in vitia inuehor: quia nolo eſſe tibicen diaboli, ad animas veſtras in peccatis retinendas.

3. *Qui ægrotantes periculosè retrahũt à pœnitentiâ.* Tertiò, qui ægrotantes periculosè, vanis ſuis blanditijs & promiſſionibus retrahunt à confeſſione, reſtitutione, eleëmoſynis, &c. Multi enim reperiuntur propinqui, qui talibus blandiuntur de ſanitate indubiè recuperandâ vſque dum repentè mors eos abripiat. *Pulſat* Chriſtus, *cùm iam per ægritudinis moleſtias mortem vicinam eſſe deſignat*, ait S. Gregorius homil. 13. in Euangel. Intrat verò cùm inſpirat pœnitentiæ propoſitum. Quòd ſi igitur mali quidem tibicines huic obſtrepunt propoſito, protinùs eijciendi ſunt; quia de illis dixiſſe Dominus cenſendus eſt abſque dubio: *Inimici hominis domeſtici eius*. Vt enim porco iamiam mactando, fricatione blanditur herus, interim ſubitò ictu proſternit eum lanio: ſic dum hi propinqui bene ſperare ægrum iubent, nihilque metuere de periculo: interim mors ſecuri ſuâ miſerum ſæpe obtruncat.

D. III. Chriſtum derident. 1. *Qui Dei verbum in iocum trahunt.* Denique Chriſtum derident: Primò, qui verba & doctrinam eius nec non ſeruorum eius ſiniſtrè interpretantur, & ad iocum trahunt. Hoc enim faciebant etiam Iudæi in hodierno Euangelio, dum verba illa Chriſti: *Non eſt mortua puella, ſed dormit*, pro falſis habebant & ridebant: cùm tamen veriſſimo & ſaniſſimo ſenſu à Chriſto dicta eſſent, ab ipſis verò perperam intellecta. Dormiebat Chriſto puella, quia ſciebat à ſe facilè & mox excitandam: hoc illi neſcierunt: ridendi igitur potiùs ipſi, vti poſtea intelligere potuerunt, cùm puellam reſuſcitatam viderunt. Ad exemplum igitur iſtorum ridentur etiam à Catholicis quandoque verbum & ſerui Dei; quia nimirum loquuntur ea, quæ non placent ipſis, ideoque nec creduntur vel non intelliguntur. Diſſerebat aliquando Dominus coram Phariſæis de fructu eleëmoſynæ & periculo mammonæ iniquitatis. Luc. 16. *Audiebant* autem *omnia hæc Phariſæi*, ait Euangeliſta, *qui erant auari: & deridebant illum*; quia nimirũ vel auaritiâ impediti, fidem dicenti non habebant (*carnalis* enim *homo non percipit ea, quæ ſpiritûs*

tis ſunt, 1. Cor. 2. Et Prou. 18. *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi dixeris, quæ verſantur in corde eius*) vel dicentem non intelligebant, exiſtimantes Chriſtum damnare diuitias, cùm tantùm damnârit auaritiam & cupiditatem. Oſtendunt ergò deriſores iſti partim vlcera & vitia ſua, partim ignorantiam, partim etiam nequitiam, quâ peruertunt alios, ne fidem verbo Dei adhibeant. Refert Sozom. *libr. 5. hiſt. Eccleſ. c. 7.* Apollinarium Syrum conſcripſiſſe aliquando doctiſſimum librum contra Julianum Apoſtatam & Philoſophos quibus addictus erat, in quo efficaciſſimis rationibus ab ipsâ naturâ deſumptis vnum tantùm Deum eſſe oſtendit. Quem cùm legiſſet Julianus, in riſum & fabulam vertit, & exinde ad quoſdam Catholicos Epiſcopos hæc verba ſcripſit: *Legi, intellexi, improbaui.* Qui ad hæc reſponderunt: *Legiſti, ſed non intellexiſti: nam ſi bene intellexiſſes, nõ improbaſſes.* Hoc idem ſibi dictum intelligant deriſores Concionatorum.

Nihilo meliores ſunt, qui ſeruos Dei rident, eorumque ſimplicitatem: quo modo ridebantur Job & Tobias à ſuis tanquam ſcrupuloſi. *Qui* enim *vos ſpernit, me ſpernit*, ait Dominus.

2. *Qui Chriſti & Eccleſiæ præcepta eludunt.* Secundò, qui Chriſti & Eccleſiæ eius præcepta eludere conantur, contemnunt & perperam in ſenſum ſuum trahunt. Præcipit Chriſtus, vt remittamus iniurias ex cordibus noſtris, idque facere ſe aſſerunt multi: faciunt tamen ore tantùm, nam in corde retinent odium, nec ceſſant reipsâ perſequi inimicos ſuos. Præceptum Domini eſt, confeſſio omnium peccatorum lethalium: aliqui grauiora tegunt, ſicque confeſſionem & abſolutionem irritam faciunt. Et iſtos non putamus deridere Chriſtum, cui omnia ſcienti & corda hominum aſpicienti occultare ſuos dolos volunt? Falleris, ô miſer, ſi exiſtimas neſcire Chriſtum, quòd anima tua mortua ſit. Rursùm præcipit Eccleſia, vt feſtiuis diebus Miſſa integra audiatur, à ſeruilibus operibus abſtineatur: diebus abſtinentiæ & ieiunij carnes non edantur: & quàm friuolè hæc obſeruantur? quàm parui æſtimantur? Sanè in his Eccleſiæ præceptis liberrimè & vt Sapiens ait Prouerb. 10. *quaſi per riſum peccant* homines: quaſi Eccleſiam Dei contemnant, & matrem ſuam irrideant. Ad Miſſam tardè venitur, & ante finem receditur, ſine pudore & timore, ac ſine neceſſitate?. & quàm friuolas ob cauſas tota ſæpe negligitur? Videmur Deo dicere: *Iam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet ampliùs.*

In feſtorum obſeruantiâ, quanta, quæſo, leuitas & peruerſitas? Quid noſtræ feriæ, Solennitates, Dedicationes poſt peractam Miſſam, niſi Bacchanalia? Ibi choreæ, compotationes, aleæ, mercaturæ, imò & ſeruiles operationes, præſertim ſutorum & ſartorum: finis tandem, ob quem feriæ inſtitutæ ſunt, à paucisſimis obſeruatur. Prô quàm longè abſcedimus à Dei inſtituto, qui hos dies ſanctos eſſe voluit, ſanctiſque impendi operibus! Quàm longè etiam recedimus ab auitâ antiquorum Chriſtianorum religione! Audiamus, quæſo, exemplum Olai Norwegiæ Regis, quàm ſanctos eſſe voluerit dies feriales, & quam ſeuerè neglectos in ſeipſo vindicârit. Nam fortè feſto die cortice bacillum nudabat. Monitus de ſacro die tali ſectione non violando, ſtatuit à malè otioſâ manu pœnas continuò expetere: itaq; aſſulas in ipsâ manu incêdi voluit, & peccantem ignibus expiari. Ex Vit. Aquilonarium.

In ieiunijs noſtris quàm multi ſecum ipſi diſpenſant ſine causâ! Imò multi fingunt, carnem non eſſe, quæ caro eſt, veluti pecorum inteſtina, quę ſine metu deuorantur. In Sabbatis item carnibus veſcuntur, quaſi in eo minus aut nullum peccatum ſit. Lepidi ſanè homines, qui ſibi tam beneuoli iudices ſunt.

Et quomodo hæc agentes obſeruamus matrem Eccleſiam? imò quomodo eius præcepta non flagellamus & cachinnamur?

Tertiò, qui derident & contemnunt ſacræ Scripturæ aut etiam Concionatorum & ſeruorum Dei ſibi intentatas minas, quaſi figmenta & fabulas. Fecerunt id olim Conſtantinopolitani, quibus Daniel Stylita prædicabat ex reuelatione imminentem Dei iram & virgam, monens proinde vt ſupplicationes hebdomadatim inſtituerent; ſic enim Dei iram futuram mitiorem. Sed contemptui habita eſt prædictio & admonitio. Tempore itaque euoluto, quod Daniel prædixerat, repentè in maximâ & regiâ ciuitate incipit incendium, quod vſque adeò exarſit, adeoque inualuit, vt ferè vniuerſam peruaſerit ciuitatem. Vix tandem in tanto malo eis venit in mentem S. Danielis prædictio. Metaphr. apud Surium in vitâ Daniel. Styl. 11. Decembr. Sic olim cùm Loth annuntiaret generis ſuis futurum Sodomæ incendium, viſus eſt eis quaſi ludens loqui, *Gen.* 19. Sed exitus breuî rei veritatem oſtendit. Idem faciebant homines ante diluuium. Nam, vt Beroſus Chaldæus lib. 1. ait: *Tùm multi prædicabant & vaticinabantur, & lapidibus excidebant de eâ, quæ ventura erat, orbis perditione, ſed enim illi aſſueti corridebant omnia, cœleſtium illos irâ atque vltione perurgente, pro impietate atque ſceleribus.* Itaque *nolite errare*, ait Apoſtolus ad Gal. 6. *Deus non irridetur: quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet.* Quòd ſi ergo ſeminamus deriſionem & contemptum, Chriſti, Eccleſiæ & ſeruorum eius: deriſionem etiam & contemptum abſque dubio metemus; iuxta id Prou. 1. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, aduenerit.*

3. *Qui derident aut ſpernunt Dei minas.*

Et quid tandem his omnibus aliquando dicet Dominus? Id nimirum quod tibicinibus hodiernis: *Recedite*: eijcietque tot è conſpectu ſuo, & iuſtorum congregatione; in mortis articulo imprimis, cum inuiti & anxij hinc abripientur, deinde in iudicio. Sanè efficax fuit vel vnica vox, *recedite*, ad eijciendam turbam. Quantò efficacior & horribilior erit illa parturiens: *Ite maledicti in ignem æternum?*

CONCIO V.
Bona ægritudinis.

1. *Eſt purgatio medica.*
2. *Suaue purgatorium, vel ſaltem eius portio.*

3.4. *Eſt frenum peccatorum & ſtimulus ad meliorem vitam.*
5. *Eſt collyrium intellectûs, quare?*
6.7. *Eſt ſuaue carnis ergaſtulum & nuntius mortis.*

THEMA.

Ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur 12. annis. Matth. 9.

A. *Ægritudo nequaquam pernicioſa.*

TObia 6. legimus Tobiâ iuniore ad ripam fluminis Tigris accedente, piſcem immanem exiſſe ad deuorandum eum, quem expauſcens Tobias clamauit voce magnâ ad Raphaëlem comitem itineris: *Domine inuadit me.* Sed iuſſit angelus vt apprehenderet branchiam eius & traheret eum ad ſe; fore enim ſibi valdè ſalutarem. Quo facto, non modò non nocuit piſcis Tobiæ, ſed vehementer etiam profuit, præbens ei alimentum & medicinam. Non multùm aberrauero, ſi corporis infirmitatem piſci huic comparauero. Ea enim primâ fronte ſæua quidem apparet & hoſtilis, quaſi hominem deuoratura: vnde ab hominibus timetur, ab ædibus excluditur, & cùm fieri poteſt, medicorum operâ eiicitur. Sed reuerâ hoſtilis non eſt, imò admodum ſalutaris, dummodò fortiter & prudenter eam amplectaris & patienter feras. Si noxia eſſet ægritudo corporis, non dixiſſet Dominus Paulo conquerenti de eiuſmodi ægritudine: (vt volunt multi SS. PP.) *Sufficit tibi gratia mea*: ſed infirmitatem abſtuliſſet. Similiter & alios amicos ſuos ſingulares infirmitatibus non affixiſſet. Affixit autem plurimos: Timotheum, Gregorium Magnum, Theodorum, Bernardum, Franciſcum, Claram, Catharinam Senenſem, &c. Potuiſſet curare Timotheum Paulus, ſed noluit, ſuaſit tantùm modico vino vti. Potuiſſet S. Petrus filiam Petronillam curare, non curauit. Nimirum ſalutaris eſt, ideoque obuiis vlnis amplectenda ægritudo corporis; quod modò oſtendemus.

B. I. *Eſt purgatio medica.*

PRIMO, Ægritudo eſt ſalutaris potio ſeu purgatio; eiicit enim prauos motus, diſpoſitiones & inclinationes ad vitia; quia ſicut per intemperantiam cibi & potûs augentur humores mali, qui velut intumeſcentes fluctus implent & denique mergunt nauem corporis: ita etiam per multos peccandi actus gignuntur in homine peſſimæ inclinationes amorque inordinatus ad vitia; vnde iactatus tandem velut nauta animus & terrenis deſideriis grauatus perit. Eiiciuntur autem humores illi per ægritudinis pharmacum; compeſcuntur hi fluctus cum nauis corporis ægritudinis moleſtiis aggrauatur. Quando pallium aut veſtis tua nimio vſu pulueres imbibit & ſordes contraxit, bacillum arripis eamque diligenter excutis, non ſanè vt veſtem deſtruas, ſed vt nitidiorem reddas. Similiter & nos, quia variis ſæculi negotiis diſtrahimur & multoties in ſordidis locis conſidemus, nec ſine multis reatuum pulueribus ſurgimus, arripit Deus bacillum ægritudinis & excutit è veſte corporis noſtri ſordes, animam fœdantes. De hac virgâ loquitur Deus Zachariæ 11. dicens: *Aſſumpſi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum.* Virga decor, ægritudo eſt; quia vt illa decorem veſti ſordidæ, quam excutit: ſic iſta homini vitioſo parit. Funiculus flagellum eſt, quo in purgatorio punit Deus.

Aliquæ ſunt ægritudines quæ niſi irritationibus & vexationibus non pelluntur. Cuiuſmodi exemplum ſcribit Egnatius de Palæologo II. Conſtantinopolitano Jmperatore, qui per annum ferè ægrotans nullis remediis poterat conualeſcere. Tandem mulierculæ cuiuſdam conſilio inſtructa Jmperatrix, didicit virum conualeſcere non poſſe, niſi acribus & importunis moleſtiis crebrò vexaretur: eo enim modo dilapſuros malos humores, vnde ægritudo manabat. Admiſſo mulierculæ conſilio, Imperatrix cœpit virum acriter & variis modis diuexare, vix vllâ in re obſequens ei. Quo facto & diu continuato, diſcuſſis humoribus vir integrè conualuit, & impoſterum ſemper valuit annis, quibus vixit, viginti. Id refert etiam Mondognetus in vitâ M. Aurelij *lib. 2. cap. 25.* Ad eundem modum nouit Deus vitiorum noſtrorum originem, eaque niſi crebris vexationibus pelli non poſſe. Quid igitur? vexat nos doloribus, minimè crudelis, ſed ad ſanitatem velut medicus, quò humores noxij dilabantur. Vnde ſæpiùs fit, vt per ægritudinem alij perdant deſideria carnis, alij motus iracundiæ & vindictæ olim conceptæ, alij appetitum ad vinum & ebrietatem, &c. Quare ſi quis per totum annum vel ampliùs ægrotet, ne miretur, néve murmuret; ſignum enim eſt humores malos nondum vſquequaque dilapſos eſſe, ſed diuturniore vexatione indigere. Id quod optimè nouit Deus.

C. II. *Eſt ſuaue purgatorium.*

SECVNDO, Eſt ſuaue purgatorium, vel ſaltem aliqua eius portio; punit enim ſuauiter membra, quæ peccauerunt, ne ibi acriùs puniantur: punit virgâ paternâ filium, ne à carnifice gladio puniatur. Vnde ſicut pueris poſt caſtigationem datur exoſculanda virga: ſic decet nos amplecti morbos & ſimiles afflictiones. Porrò iure merito patitur hîc corpus, ne in purgatorio patiatur ſola anima, & tantò acriùs quidem. Nam ſi duo ſocij ſimul intrent tabernam & ambo bibant epulenturque ad ſatietatem & hilaria celebrent; ſi poſtmodum, cùm rationes faciendæ ſunt, alter ſe ſubducens, ſocium deſerat; num hic qui reliquus eſt, ſuam tantùm partem, & non potiùs totum ſoluet debitum? Imò ſanè. Pari modo, corpus & anima in homine optimi commilitones ſunt, ſimul intrant tabernam mundi, ſimul epulantur, & bibunt, delectantur, ludunt, ſimul etiam debitum contrahunt; (cùm enim ſuperbit animus, ſuperbè veſtitur corpus; cùm heluatur corpus, lætatur & iubilat animus, &c.) Verùm mortis adueniente veſperâ, corpus ſe ſubducit & in ſepulchro abſconditur: animus verò tanquam alter ſocius continuò arripitur & in carcerē purgatorij coniicitur, vt totum debitū ſoluat ad nouiſſimum quadrantem. Quid igitur facit Deus?

diuidit debitum maturè, antequam dilabatur corpus, & diſponit mediâ ægritudine, vt hîc partem ſuam corpus luat, ne ibi anima totum luere debeat. Fugit certè in dies corpus & ad latibulum ſepulchri properat, ſed per ægritudinis moleſtias arreſtatur (vt ſic dicam) à Deo: vt mitius contingat animæ purgatorium. Igitur ſi hîc purgari nolis, ne dubita, in purgatorio grauiorem mulctam ſolues. At ſi æquo animo feras corporis ægritudines, magnam crede mihi debitorum partem exſolues, teſtante ipſomet Deo Nahum 1. *Afflixi te & non affligam te vltrà.* Exemplo nobis ſit Lazarus ille mendicus, qui poſt mortem dicitur ab angelis portatus in ſinum Abrahæ, (mox vtique) non in purgatorium, ſed in requiem, quia ſcilicet viuens, cùm vlceribus plenus eſſet & fame interim premeretur, patienter id pertulerat, adeoque debitum ſuum, ſi quod habuit, exſoluit.

D. III. Eſt frænum peccatorum.

TERTIO, Eſt frænum peccatorum. Currunt multi dum ſani ſunt quaſi concitato equo ad infernum, nec patiuntur ſe retineri vllis adhortationibus. Clamat Deus per prædicatores, vti per Iſaiam capite 1. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere,* &c. Sed ſurdis canit: frangunt iſti iugum, rumpunt vincula. Iam quomodo compeſci poterit ferox equus? Si faber ferrarius clauum vngulæ infigat, penetrantem vſque ad carnem; ſic enim mox claudicabit. Videns igitur DEVS multos ad infernum currere nec monitionibus retineri, tangit eos morbis, ſicque à curſu peccatorum inhibet. *Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum*, ait Jerem. capite 8. *ſicut equus impetu vadens in prælium.* Quid igitur remedij? *Equos eorum ſubneruabis*, ait Dominus Joſue, (*Ioſ.* 11.) regum ſcilicet illorum, qui pugnabant contra Iſraël. Hoc pacto etiam vicit angelus Jacob, poſtquàm cum eo diu vſque manè, totâ nocte luctatus eſſet, *Geneſ.* 32. Videns enim quòd eum ſuperare non poſſent, tetigit neruum fœmoris eius: qui ſtatim emarcuit, & claudicauit Jacob. Similiter DEVS cum homine ſæpe diu luctatur, multis eum beneficijs afficiendo, adhortationibus, minis reuocando: repugnante ei ſemper peccatore per totam huius vitæ noctem: quid igitur tandem facit? tangit neruum fœmoris eius, mittit illum in lectum, tangit ægritudine. Ibi iam ſubſiſtit equus: non lubet ampliùs epulari, luxuriari, ludere, cantare, rixari, loqui impudicè, ſaltare, ſuperbire, inebriari, &c. hæc enim omnia requirunt cordis dilatationem, quæ proinde per ægritudinem velut ſeuero adueniente Iudice, conticeſcunt, claudicant, & emarcent. Fœmur illud concupiſcentia eſt, cuius neruus eſt ſanitas & corporis vires. Quibus debilitatis, claudicat caro. Hoc medio retinuit DEVS Pharaonem, equum alioquin iam paratum currere ad libidinem, quando tulerat Abrahæ vxorem Saram, vt conſueſceret cum illâ. Ne enim hoc ageret Pharao & ſcelus committeret, flagellauit eum Dominus plagis maximis, quas Philo & Pererius cenſent fuiſſe dolores acerbiſſimos, ita vt nec diu nec noctu quieſcere aut reſpirare poſſet, *Geneſ.* 12. Sicque factum vt Pharao nihil ſceleris tentare poſſet, ſed reddere cogeretur Abrahæ vxorem ſaluam. An non idipſum experientiâ conſtat? Immittat aliquando DEVS in ciuitatem vel domum aliquam, peſtem, morbos alios; & nemo ibi audiet tibicines vel turbam tumultuantem, nulli ibi ebrij, nullæ meretrices, nulla conuiuia, choreæ, luſus nulli. Nimirùm ægritudo velut catus mures hos compeſcuit. Non tantum efficerent omnes huius prouinciæ Doctores & Prædicatores, contra hæc clamantes, quantum vna peſtis. Quid quod etiam natura remedium hoc demonſtrat. Scribit enim Solinus leonem ſemper quartanâ laborare, & hoc ad mitigandum naturalem eius ferociam. Poterit ergo infirmitas etiam in homine temperare eius iracundiam, libidinem, gulam, &c. Sanè teſtatur Seneca: *Infirmitati meæ gratias ago, quæ cogit me non poſſe, quæ non debeo velle.*

E. IV. Eſt ſtimulus ad meliorem vitam.

QVARTO, Eſt ſtimulus ad meliorem vitam, & virtutes exercendas. Princeps aliquis, cùm ciuitas ei rebellare incipit, obedientiam ſubtrahit, tributa non pendit; tum exercitu eam cingit, riuos auertit, victualia inferri prohibet, turres denique & mœnia tormentis quatit: Sicque ciues coacti tandem foràs prodeunt, dedere ſe incipiunt & gratiam petunt, omnia ſe facturos ſpondent. Multi os ad confeſſionem & communionem, manus ad eleemoſynam, aures ad verbum DEI aperire nolunt, Deoque tributum melioris vitæ pendere; ergo obſidet illos DEVS agmine morborum, appetitum & ſomnum auertit, membra & vires quatit atque eneruat: tandem igitur illi ſe dedere, os ad confeſſionem apetire, emendationem proponere & ſpondere, preces Sacerdotum & piorum implorare, eleemoſynas, peregrinationes vouere, quin & religionem ſæpe aut certè vitam arctiorem & cautiorem: dimittere odia, reſtituere aliena. Ibi diſcunt laſciui iuuenes agnoſcere reatus ſuos, mundum contemnere & exclamare cum Salomone: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*; vident neceſſitatem bonorum operum, ſentiunt timorem gehennæ, &c. Ibi diſcitur charitas in DEVM, cognitio ſui, abiectio amoris proprij, miſericordia in proximum ex propriâ miſeriâ, obedientia, patientia. O quàm libenter tunc credunt aliorum miſerijs! quàm libenter patiuntur ſe duci, à Medicis ſecari, & vri! quàm diſcunt pati, quod ſibi intolerandum priùs reputabant! An non audiuimus huius rei exempla in hodierno Euangelio? quis Archiſynagogum, quis mulierem hanc ad CHRISTVM, & ad fidem adduxit niſi ægritudo partim propria, partim aliena? Nónne Pharao tunc primùm vocauit ad ſe Moſen & Aaronem, cùm affligebatur, obſecrans vt pro ſe DEVM orarent, ſibi mederentur? Exod. 8. Nónne & Antiochus tunc primùm veniam & preces petiit à Iudæis; Maximianus Imperator perſecutor

ſecutor maximus à Chriſtianis, cùm extremè ægrotarent? Quare optimè reſpondit Theodoricus Epiſcopus Colonienſis Elector Sigiſmundo Imperatori ſciſcitanti, quâ ratione æternam felicitatem conſequi poſſet, dicens: *Si vitam tuam inſtitueris dixeriſq́; vt facturum te promiſiſti, dum valetudo aduerſa actius te oppreſſit*. Refert Æneas Syluius *de rebus geſtis Alphonſi lib. 2.* Nam ſi id ageres, quod æger proponis & optas, rectâ ad cælum pergeres.

F. V. Eſt collyrium intellectûs. QVINTO, Eſt collyrium intellectûs; aperit enim oculos ægro vt videat, quæ antè videre noluit: Primò Dei potentiam, ſuamque imbecillitatem. Hanc agnouit in ægritudine ſuâ Alexander Magnus de quo 1. *Matth.* 1. dicitur: *decidit in lectum, & cognouit quia moreretur*: quaſi alludatur ad eius Thraſones, qui iactabant eum immortalem eſſe & Deum. Cognouit Clotharius Francorum Rex, qui vt ſcribit Greg. Turon. l. 4. cap. 21. moriens cùm grauiter vexaretur à febre, dixit: *Vah quid putatis? qualis eſt ille Rex caleſtis, qui ſic tam magnos reges interficit?* apud Baron. anno 565. Quàm multi Alexandri, qui confiſi in ſuo robore & iuuentute intemperanter viuunt, ſcortantur, inebriantur, heluantur & gloriantur quòd vno tractu totas penè amphoras exhaurire poſſint, rixas cient & ad duella prouocant, quaſi ferrei & immortales eſſent! Qui tandem modica febre cùm deijciuntur aut à vili caculâ grauiter vulnerantur, ibi primùm agnoſcunt quales ſint eorum vires: & quàm fragilis iuuentus. Atque hic eſt ille præceptor erudiens imperitos, de quo Pſal. 9. dicitur, *Conſtitue Domine Legiſlatorem ſuper eos, vt ſciant gentes, quoniam homines ſunt.* Chal. *Incute eis terrorem*, q.d. immitte eis grauem ægritudinem vel ſimilem calamitatem, quæ eos velut Tyrannus exagitet, vt ſciant ſe eſſe mortales.

Secundò, Dei bonitatem, quantum videlicet beneficium ſit ſanitas, & quàm parum id agnouerit, Deoque gratias egerit. Si quid eſt, quod parui æſtimamus, ſanitas eſt, quia cùm ea vt plurimùm nobis adſit, vilipenditur, ſicut & omnia beneficia quotidiana & ordinaria: interim tamen nihil homini optatius eſt. Quid enim in mundo iucundum eſt abſque ſanitate? Vt igitur hoc beneficium agnoſcamus quantum ſit, & vnde ſit, & quod gratuitum ſit, adeoque continuâ gratiarum actione dignum, quandoque nobis eripitur. Tunc dicunt ægri: ô quàm ſuaue eſt bene valere! ô quàm præclarum donum ſanitas! ô quàm deberent Deo gratias agere, qui fruuntur tanto bono! ô ſi vel ad octiduum ſanus eſſem! Sanè Ezechias Rex accepto nuntio mortis fleuit valde, & ſanitate recuperatâ gratias egit Deo, vt *Iſai.* 38. patet: quod tamen anteà non legitur feciſſe.

Tertiò Dei iuſtitiam, quàm meritò ſcilicet à Deo puniantur in membris, quibus peccauerunt. Sic agnouit Antiochus ille 1. *Matth.* 6. ſe propter ſcelera ſua, quæ commiſit in templum Ieroſolymitanum, affligi doloribus acerbiſſimis. Multi iuuenes totos annos in peccatis tranſigunt: monentur à parentibus & præceptoribus, ne Deum ad iracundiam prouocent, vtpote hanc vitam eorum tam diſſolutam non diu toleraturum. Sed fruſtrà iſta dicuntur: non capiunt, non intelligunt. Quid igitur? adhibet eis commentaria Deus, ardentem immittit febrim, vt ſic recordentur eorum, quæ illis prædicta fuerant; tunc denique dicunt: ô quàm ſæpe mihi iſta dicebantur! quoties monitus fui! iam intelligo, & damno meo experior veriſſima eſſe quæ dicebantur: *Iuſtus igitur es Domine.*

G. VI. Eſt ſuaue carnis ergaſtulum. SEXTO, Suaue carnis ergaſtulum eſt, eam ſpiritui ſubijciens & ad officium reducens. Etenim caro quaſi rebellis tibi ſubdita eſt, gladium ſemper in te ſtringit, perpetuò à te exigit quæ tandem te ad interitum trahent, ad extremam miſeriam redigent. Ægritudo hæc omnia ei prohibet, imò eam tibi ſubijcit, & quæ priùs te oppugnauerat, ad partes tuas tranſire facit, vt ſpiritum in bono adiuuet; tunc enim & ipſa ieiunare & vigilare diſcit, tunc orat, eleëmoſynas elargitur, & ex neceſſitate patiendi virtutem facit: ſicque fit vt ſpiritus carne adiutus fortiùs pugnet & faciliùs vincat mundum & dæmonem, vtpote duo contra duos; qui priùs vnus contra tres certabat. Hinc verum eſſe apparet, quod Paulus dixit 2. Cor. 12. *Cùm infirmor, tunc potens ſum.* In quæ verba S. Bern. ait: *Quid mirum, ſi hoſte debilitato fortior efficiaris?* Eam ob cauſam S. Petrus filiam Petronillam ęgram, rogatu aliquorum curauit quidem, ſed mox ad lectum redire iuſſit atque ægritudinem priſtinam, quòd hoc ei prodeſſet ad conſeruandam virginitatem. Dicebat enim: *ſic expedit ei.*

H. VII. Eſt nuntius mortis. SEPTIMO, Eſt nuntius mortis, qualis Iſaias Propheta miſſus Ezechiæ regi, monens vt diſponeret domui ſuæ, 4. Reg. 20. Magnum foret beneficium, ſi certo tempore præmoneremur de inſtante morte, quò nos diſponere poſſemus. Sic enim pro magno agnoſcunt beneficio Budienſe & Amorenſe Monaſterium, de quibus alibi diximus, quòd certa quędam campanula vltrò ſonitum edat, cùm aliquis è Monaſterio mortem eſt obiturus. Atqui eiuſmodi campanula & legatus eſt ægritudo, tametſi non infallibus, ſemper tamen timendus & ſalutaris. Audi S Greg. homil. 13. in Euang. *Pulſat Dominus, cùm iam per ægritudinis moleſtias mortem vicinam eſſe deſignat.* Quid? an non aduertimus in ægrotis, pulſum arteriarum variari & accelerari: cur fortiùs palpitare quàm aliàs? Quid hoc ſibi vult, niſi quòd inſtar campanæ tumultuariæ fortiter pulſatæ nos periculi noſtri admonet, & hoſtes vitæ noſtræ corpus inuaſiſſe indicat? Ac ſiquidem morbus inualeſcat, cogita Deum iam peremptoriè te citare. Quid igitur tunc conſilij? Quod Dominus conſuluit Matth. 5. *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in viâ cum eo: ne fortè tradat te aduerſarius Iudici, & Iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris.* Aduerſarius iſte ſecundum D. Athanaſ. *quæſt.* 62. ſynderesis & conſcientia tua eſt, quæ te ad Iudicem trahit, cùm grauiter ægrotas; accuſatura te coram Deo. Da operam igitur vt dum adhuc ſpiras, eius poſtulatis conſentias, dum penitus

acquieſcat,

acquieſcat, ſicque ab eâ libereris, ne incidas in DEI manus & in carcerem mittaris perpetuæ damnationis.

CONCIO VI.

Solatia ægrorum.

Primum ægri ſolatium eſt cogitare, non fieri ſibi iniuriam.

2. Ægritudinem ſibi eſſe vtilem & quandoque neceſſariam, quare.

3. 4. 5. Parum eſſe quod ſuſtinet, Deumque velle vt patiatur ac reſpicere certamen ipſius.

6. 7. Manere ipſi vitam meliorem, Deumque daturum patientiam.

THEMA.

Ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur 12. *annis. Matth.* 9.

A. MIrum quid de Hæmorrhoiſsâ ſcribit Euſebius lib. 7. hiſt. cap. 14. repertam videlicet in Cæſareâ Philippi (inde enim oriundâ fuiſſe) ante fores domûs eius æneam imaginem mulieris proſtratæ ad pedes Chriſti; præterea ad imaginis eius pedem enaſci ſolitam herbam inuſitatam, quæ vbi ad fimbriam veſtitûs Chriſti excreuiſſet, vim medicandi habuerit varijs morbis. Ego ſi huic herbæ nomen dare auderem, dicerem fuiſſe patientiam, quâ mediante pertulit bona mulier grauiſſimam infirmitatem totis duodecim annis, quoad nimirum Chriſti fimbriam tetigit. Magnæ virtutis herbula profectò eſt patientia; ſed interim ſatis inuſitata; nec creſcit in omnium hortulis. Quid igitur obeſſet, ſi hanc vnuſquiſque noſtrûm plantaret in hortulo cordis ſui? Dicet aliquis: *non opus habent ſani medico* ſeu malagmate; ægrotis & afflictis hac de re concionandum eſt. Sed quid ſi ægrotemus aliquando & nos? Nónne multi in hortis ſuis plantant herbas medicas: vel emunt medicamenta à circumforaneis medicaſtris: vel parant ſibi domi ſuæ varia electuaria etiam cùm ſani ſunt, vt habeant quibus vtantur aliquando infirmi? Quàm multi ſecum gerunt ſemper pyxidem varijs balſami odoribus inſtructam pro occurrentibus animi deliquijs? Huiuſmodi ergo pyxidem hodie vobis expediam, in quâ reperietis plura ægrorum ſolatia & confortamenta.

Patientia præſtans herba in morbis & afflictionibus.

B. I. PRIMVM, Non fit tibi iniuria; quia commeruiſti hos & plures alios eoſque acriores dolores; & bene tecum agitur, ſi tibi in hac vitâ rationes ſubducat Deus. Scimus ex Euangelio cauſam ægritudinis ſæpe eſſe peccata. Ita enim paralyticum illum, priuſquam Dominus ſanaret, abſoluit à peccatis, *Matth.* 9. inſtar boni videlicet medici, qui priùs morbi cauſam tollit, morbum ſublaturus. Sic & alteri paralytico, ſanato ad piſcinam, Joan. 5. dixit: *Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Dic igitur, quiſquis es, cum Michæa cap. 7. *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei; donec cauſam meam iudicet & faciat iudicium meum: educet me in lucem, videbo iuſtitiam eius.* In quæ verba ſanctus Baſilius in Regulis interrog. 55. ait: *Morbi ſæpe peccatorum flagella ſunt, quibus nihil aliud agitur, niſi vt vitam in melius commutemus. Quare qui eiuſmodi ſunt, ij, omiſſis medicorum auxilijs, inuectas ſibi acerbitates ferre ſilentio debent, quandocunque ſe peccaſſe animaduerterint; atque illum imitari, qui dixit: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei; nec non vita ſua praua ſtudia emendare & dignos pœnitentiæ fructus edere.* Quòd ſi nunc iuſtitiam Dei non agnoſcis, agnoſces tamen ibi, cùm educet te in lucem. Tantum igitur abeſt, vt iniquè nobiſcum agatur, cùm per morbos caſtigamur; vt etiam miſericorditer & paternè. Spes enim eſt, velle Deum in hac vitâ animaduertere in peccata noſtra, vt parcat nobis in alterâ. Solatium hoc expreſſit Dauid, quando dixit: *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Pſal. 22. Suggerunt enim animo tuo Deum non puniturum bis in idipſum.

Cogita non fieri tibi iniuriam.

SECVNDVM, Ægritudo tibi vtilis & quandoque neceſſaria eſt. Nam Primo te ad Deum ire compellit. Sanè Princeps hodierni Euangelij ad Chriſtum nunquam veniſſet, multò minùs ad eius pedes accidiſſet, niſi filiæ infirmitas compuliſſet. Similiter & mulier, ſi vel ſana ſemper, vel à medicis adiuta fuiſſet, CHRISTVM tangere non quæſiuiſſet, adeoque nec agnoſſet. Vt ergo equus indomitus & effrænis, iniecto fræno coërcetur & reducitur ad dominum ſuum: ita refractarius homo per ægritudinem ad Deum. Patet in Manaſſe & Achab Regibus. C. II. 1.

Ægritudinem, tibi vtilem & quandoque neceſſariâ eſſe.

Secundò, Continet te in gratiâ & timore Dei. Videtur quidem auicula moleſtè ferre incluſionem ſuam dum perpetuò eluctari conatur & exitum diſquirit: ſed interim dum in caueâ eſt, ab hero ſuo amatur & alitur, & ab aliis periculis libera eſt. Quis liberè errantem ab aucupis viſco & laqueo, vel accipitris vngue ſecuram dicat? Eadem cum infirmo ratio. Captiuus enim Dei eſt, ab eo fugere nequit, à plurimis peccandi periculis ſecurus eſt. 2.

Tertiò, Continet te in humilitate, qui alioquin æneum te aut immortalem reputares. Ob hanc immiſſa eſt ægritudo à DEO regi Ezechiæ *Iſa.* 38. vt ne inſoleſceret de ingenti victoriâ contra Sennacherib ſibi promiſſâ & obtinendâ, vt docet ſanctus Hieronymus & alij eo loco. Agnouit hoc & Antigonus Rex, qui vbi à graui morbo conualuit: *His morbus*, inquit, *ſubmonuit nos, ne animo efferamur, cùm ſimus mortales.* Plut. in Apohtheg. Anaxarchus item Alexandrum M. ridebat, quòd cùm DEVS haberi vellet, interim tamen æger potionem à medico ſumeret. *Noſtro Deo*, inquit, *omnis ſpes in ſorbitione patellæ poſita eſt.* Ælian. lib. 8. 3.

Quartò, Purgat à vitiis animam tuam; facit enim vt inquiras in tuam conſcientiam, quod priùs obiter tantùm faciebas: & ita agnoſcas defectus & peccata tua. Qui in tenebris vulneratur, producitur in lucem, vt ſanari à chirurgo poſſit. Multa peccaſti in tenebris, multa in te non agnoſcis vitia occulta: ideò Deus illa in corpus tuum educit, vt ex corporis vulneribus agnoſcas vulnera animæ. 4.

Teſta-

Teſtatur experientiâ nullam ferè confeſſionem fieri tantâ humilitate, ſinceritate, promptitudine, &c. ac quæ fit ab infirmis. Sæpe igitur hoc nitrum, hæc fullonum herba, de quibus Jerem. 2. quæque maculas veſtium corporumque abolent, peccatoribus neceſſaria ſunt, quò videlicet aliquando, ſaltem timore mortis compulſi ſincerè confiteantur & pœniteant. Hinc Abbas Joannes in vitis Patrum monacho febricitanti, qui ab eo ſibi ſanitatem impetrari poſtulabat, reſpondit: *Rem tibi neceſſariam cupis abijcere: vt enim corpora nitro abluuntur à ſordibus: ita animæ languoribus alijsq; huiuſmodi caſtigationibus purificantur.* Eſt ergo morbus ægroto quaſi prætium quoddam & tumultuarium examen, quo virtus eius probatur: & ſi in iſto bene ſtetit, bene etiam ſperare de altero poteſt. *Tria*, inquit Auſonius, *commendatione non indigent, vt probentur vel improbentur; Sapiens oratio cùm profertur: bonum vinum cùm bibitur: vir bonus in calamitatibus.*

D. III. *Parum eſt quod ſuſtines.*

TERTIVM. Parum eſt quod ſuſtines: Plus alij tolerârunt tolerantque etiamnum. Quid enim commeruerût SS. viri continuis doloribus afflicti, Paulus, Gregorius Magnus, Franciſcus, Lydvvina, &c. Quid innocens ille Job? Etenim vir tam celebris, tam opulentus, tam ſanus paulò antè, repentè omnia perdit, toto corpore exulceratur, ſed & in ſterquilinio & teſtâ ſaniem radit. Quid commeruerunt SS. martyres tot exquiſitiſſimis tormentis excarnificati? Hinc Polemon ſocius B. Pachomij cùm doloribus ſplenis grauiter affligeretur & proinde moneretur à fratribus vt ſibi aliquid remedij impendi pateretur, reſpondit: *Si martyres Christi, alij per fruſta lacerati, alij capite plexi, alij ignibus cremati ſunt, & tamen vſque in finem fortiter pro fide tolerauerunt: cur ego patientiæ præmia paruis cedens doloribus impatienter abijciam?* Quid paſſim in toto orbe patiuntur captiui, naufragi, mancipia Chriſtiana apud Turcas? Denique vix dubitare potes (niſi ab omni culpâ lethali liberam ſemper vitam duxeris) multos eſſe apud inferos, qui grauiùs non peccarunt quàm tu, imò ſæpe leuiùs. Illi igitur æternùm luent in gehennis, quod tu ſuaui medicamine expiare graue ducis. Huc forſitan reſpexit Deus, cùm dixit ad Job cap. 40. *Memento belli, nec vltrà addas loqui.* Memento belli, quod cum reprobis gerit dæmon, præſertim in inferno, & tace dolores & flagella tua, quia nihil ſunt reſpectu cruciatuum & ſcorpionum, quibus eos in gehennâ cædit dæmon. Verùm ſuper omnia ſolari debet ægrum paſſio Chriſti, quæ omnis generis amaritudines, quaſcunque æger aliquis ſentire poteſt, quaſi in vno carcere continet. Sitis te affligit? Cogita ſitim Chriſti in cruce longè acerbiorem. Lectuli durities? at lectulus Chriſti Crux, quantò tuo durior? Malè coopertus? vide nudatum Chriſtum. Nullo te mouere membro aut vertere in latus potes? Et quid Chriſtus? nónne cruci affixus? quod membrum vertere poterat? Potiones medicas faſtidio habes? Recordare fellis & abſynthij eius.

E. IV. *Deum velle vt patiaris.*

QVARTVM, Deus vult te pati; ſi enim paſſer non cadit in terram ſine Dei voluntate: quantò minùs tu? & ſi omnes capilli capitis tui numerati ſunt à Deo: (Matth. 10) tuam ægritudinem Deus neſciet? Quare à Deo eſt, Deoque curæ eſt morbus tuus; ne igitur ei contradicas, ſed potiùs gratias agas.

Patere ergo. 1. Primò, quia fruſtrà ei obſiſtes. Decreta eſt à Deo tua ægritudo, ſicut curſus ſiderum: & ſi hunc retrahere aut inuertere potes, poteris etiam ægritudinem tuam contra Dei voluntatem. Propterea Ezechiæ dedit Deus ſignum recuperandæ ſanitatis, reuerſionem ſolis & vmbræ in horologio per decem gradus, 4. *Reg.* 20. Sicut ergo fruſtrà obniteris curſui ſolis, ita & diuinæ voluntati.

2. Secundò, quia *ſi bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus?* ait Job cap. 2. Bibiſti priùs mulſum, dum ſanus eſſes: bibe nunc abſynthium, vt vel hinc intelligas, quàm ſuauis fuerit ſanitas. Pro vtroque medicamine, & pro dulci & pro amaro, medico gratias agimus, quia vtrumque expediens nobis. Cur non igitur & Deo pro morbo & ſanitate ſimiliter gratiâs agimus, qui vtrumque nobis prouidit medicamentum ad ſalutem?

3. Tertiò Deus vult iuſtiſſimè & ad tuum commodum, in quemcunque tandem finem immiſerit tibi morbum. Piſcantibus in mari diſcipulis apparuit aliquando Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem, ſed à nemine eorum agnitus fuit præterquam à Joanne, qui dicebat: *Dominus eſt*, Joan. 21. Ita nimirum plerique in rerum turbatarum fluctibus non agnoſcunt Dominum, turbati maris auctorem: ſoli Dei amici & quaſi intimi nouerunt. Scias igitur Dominum eſſe, qui tibi procellam hanc immiſit. Quòd ſi Dominus eſt, non iniquè tecum agit. Quid enim dixit Heli Sacerdos, cùm Samuel ei narrauit vindictam à Deo decretam ob nimiam erga filios indulgentiam? *Dominus eſt*, inquit, *quod bonum eſt in oculis ſuis faciat*, 1. Reg. 3. q.d. Ingrata quidem mihi narraſti, ſed quando liquet de diuinâ voluntate, paratus ſum ad excipiendam Dei iuſtiſſimam virgam. D. Cyprianus recitatâ in ſe è tabellâ mortis ſententiâ: *Thaſcium Cyprianum gladio animaduerti placet*; dixit: *Deo gratias*. Baron. anno 262. Cogita & certus eſto tuam ægritudinem tibi à iuſtiſſimo Deo decretam, Deo placuiſſe ſic in te animaduertere: itaque gratias age. S. Gregorij ſententia eſt: *Mitigat vim doloris conſiderata æquitas ferientis.* Intellexit hoc B. Seruulus, totâ penè vitâ miſer & paralyticus: vti & B. Clara continuis 28. annis morbo intabeſcens, quorum ea vox aſſidua fuit: *Deo gratias.*

D. III. *Deum aſpicere certamen tuum.*

QVINTVM, Deus inſpicit certamen tuum & vltimam præſertim luctam. Spectaculum factus es mundo, Deo, Angelis & hominibus. Deus tibi coronam porrigit; Angeli vires addunt; homines ſpectant, applaudunt, mirantur, laudant, ædificantur, vbi te heroëm præſtiteris. Ad præclaram Muſicorum harmoniam conueniunt ex vrbe primores: ad muſicam patientiæ cum diuinâ voluntate bellè conſonantem, conueniunt cœli ciues. Quare S. Auguſtinus

in Pſalm. 42. ait patientiam eſſe citharam, tribulationes eſſe chordas, quæ dum pulſantur, melodiam in Dei & Sanctorum auribus edit patientia, dum in tribulationibus atque morbis laudat Deum eique gratias agit. *Omnis enim patientia*, inquit, *dulcis eſt Deo: ſi autem in ipſis tribulationibus defeceris, citharam fregiſti.* Alexander Magnus cùm ſacrificaret & pueri nobiliſſimi ei miniſtrarent; vni eorum carbo ardens in brachium delapſus eſt. Puer verò, licet odor aduſtæ carnis ad circumſtantium nares perueniret, preſſit ac diſſimulauit dolorem, ne ſacrificium regis concuſſo thuribulo aut edito gemitu turbaret. Quo ſpectaculo Alexander mirè delectatus, viſâ pueri patientiâ, conſultò ſacrificauit diutiùs: Valerius Maximus *l.* 3. *cap.* 3. Quis dubitat multò magis placiturum Deo & cœleſtibus, qui dum vritur infirmitate, dolorem fortiter premit, & ne gemitum quidem edit impatientiæ ſimilem, ne Dei oculos aurésve oſtendat? Et propterea haud dubiè qui tam ſtrenuè pati nôrunt, ſæpe in ægritudine diutiùs detinentur, quàm ij, qui non nôrunt: vt ſuâ fortitudine bellum Deo ſpectaculum præbeant.

G. VI. Manere te vitam meliorem. SEXTVM. Spera vitam meliorem, breuî obtinendam. Hæc ſit anchora tua, in cœlo fixa, dum iactaris dolorum procellis: Nulli dies minùs quieti, quàm qui quietem præcedunt? minùs feſti, quàm qui feſtiuos præcedunt. Sanctam illam hebdomadam mœſtitiâ Paſſionis Dominicæ, ieiunio & laboribus plenam, lætiſſimum paſcha ſequitur. Morbus tuus Paraſceue eſt (præparatio ad ſequens Feſtum) quæ citò tranſibit in æternum Paſcha. Vnam hebdomadem lugubrem ſeu pœnoſam, vt vocant, octo conſequuntur paſchales, lætitiam ſpirantes. Anno 1590. in Auſtriâ inferiore latro quidam multis cædibus inſignis in rotam actus eſt cruribus tantùm fractis, in exemplum aliorum. Qui ſe virum præſtitit, imò & concionatorem ex ipſâ rotâ. Quidquid enim dixit, patientiam ſpirabat & pœnitentiam; ſed & gratias Deo egit, qui ita caſtigaret, vt interim etiam parceret. In illo tormento, quod vltra triduum putabatur duraturum, alterutrum orabat, vel maturitatem obitûs ad finiendos dolores, vel imbris opportunitatem ad mitigandos æſtus & ſitim; vtrumque verò obtinuit. Nam ſub occaſum ſolem copioſa defluxit pluuia, & ipſe paulò pòſt pœnâ ſimul & vitâ defunctus eſt. Refert P. Jeremias Drexelius in Prodromo ætern. capite 2. §. 22. Habes & tu ægrote rotam tuam, lectulum doloris cui velut rotæ implexus es. Virum igitur & tu te præſta, & conſolare duplici eâ ſpe; quòd videlicet dolores tui breuî finiendi ſint; & quòd eos exantlatos cæleſtis gloriæ imber, imò torrens voluptatis diuinæ ſecuturus ſit, ſiti tuæ æternùm reſtinguendæ. Pulchrè S. Auguſtinus in Pſal. 52. ait: *Quo pungeris, inde naſcitur roſa, quâ coroneris.*

H. VII. Daturum tibi Deū patientiam. SEPTIMVM. Dabit tibi Deus patientiam, qui dedit infirmitatem. Hoc ſolatio fretus S. Dominicus obiurgauit aliquando ſocium, à quo monitus erat, rogaret Deum pro dolorum ſolito grauiorum remiſſione, aiebat enim: *Niſi de tuâ ſimplicitate mihi conſtaret, te protinus hinc expellerem, quòd hæc dicere non ſis veritus.* Et mox in nudam humum ſe abijciens: *Gratias*, inquit, *tibi ago mi amantiſſime Deus, pro his, quæ mihi dediſti perferenda. Auge dolores, multiplica cruciatus, da centum morbos: dabis etiam, ſat ſcio, ſimul patientiã.* Refertur in Ghr. S. Dominici *c.* 2. §. 45.

Igitur Auditores, plantet ſibi vnuſquiſque herbam iſtam in corde ſuo, vt cùm ea in lethali ægritudine vicina fuerit Chriſto aduentanti Iudici noſtrò, vim ſuam maximè exerat, omneſque morbi dolores ſuperet ac vincat.

CONCIO VII.

Explicantur cæremoniæ quæ defunctis adhibentur.

1. *Quæ ſunt ante funeris elationem.*
2. *In deductione funeris.*
3. *Poſt deductionem.*

THEMA.

Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Matth. 9.

A. Non prohibentur hic cæremoniæ noſtræ funebres. VIDEBVNTVR fortè alicui prædicta Euangelij verba pugnare contra nos, qui in funeribus Chriſtianorum varios adhibemus ritus; ſiquidem tibicines qui more apud Judæos recepto mortuam plangebant, recedere iuſſit Dominus. Pari igitur ratione, dicet aliquis, ceſſare iuſſit noſtras cæremonias, quibus vtimur in funeribus. Sed non eſt, quod hoc cuiquam ſcrupulum moueat. Voluit enim Dominus hac tibicinum eiectione ſignificare, puellam reſuſcitandam eſſe, adeoque fruſtra occini ei nænias. Deinde ritus noſtri, quos funeribus adhibemus multum ſanè differunt à luctu illo tibicinum. Etenim noſtrarum exequiarum pompæ, vt aduertit S. Auguſt. l. 1. de ciuit. partim ſubſidia ſunt defunctorum, dum admonent viuentes vt ſubueniant defunctis, dumque preces & pia pro ipſis vota continent: partim ſolatia viuorum, dum per eas viuentium dolor de amicorum morte mitigatur: dum fides reſurrectionis adſtruitur: dum cernitur bonis Chriſtianis etiam cùm defuncti ſunt, ſuos deferri honores. Nihil horum faciebat tibia illa lugubris, meritò itaque conticere iuſſa eſt: noſter verò luctus iure in Eccleſiâ retinetur. Quod vt accuratiùs perſpiciamus, ſingulorum rituum ſignificata percurremus.

B. I. Ante elationem. Claudebantur olim oculi defuncti. Ante funeris elationem. PRIMO cùm quis animam edidiſſet, olim amicorum aliquis oculos eius claudebat, vt teſtatur Dion. Alex. in ep. apud Euſeb. *lib.* 7. *hiſt. c.* 17. Idemque feciſſe ſe matri ſcribit S. Auguſt. *l.* 9. *Conf. c.* 12. Primò ad arcendum horrorem. Secundò ad indicandum defuncti ſomnum: dormit enim ſuo tempore euigilaturus ad vitam. Inde cœmiteria, id eſt, dormitoria dicta.

Lauatur à quibuſdã corpus. Secundò. Lauatur corpus defuncti, vt fit adhuc in Italiâ & alibi. Sic lota Tabitha mortua.

tur, *Act.* 9. Sic S. Vldarici Epiſcopi Auguſtani corpus, cùm ad lauandum more ſolito denudatum fuiſſet, ſuaui odoris fragrantiâ nares omnium repleuit. Auctor Anonymus, & Berno in vita eius. Fit autem hoc primò, vt animæ iuſtæ tabernaculo aliquando ad gloriam reſuſcitando ſuus honor habeatur. Secundò, vt hoc ritu precentur animæ defuncti talem emundationem à reatibus, beneficio ſanguinis Chriſti, qualem ipſi lauantes impertiun corpori, dum mundant id à ſordibus.

3. *Vngitur & conditur aliquando.* Tertiò, Vngitur & conditur myrrhâ & aromatibus. Quod quidem Iudæis ſolemne erat: olim item Chriſtianis fiebat, teſte S. Greg. *in c. 1. Cant.* nunc ferè magnatibus tantùm fit. Primò vt corpora diutiùs à corruptione præſeruentur, tanquam animarum in Chriſti ſanguine redemptarum habitacula, breuì iterum ſuſcitanda. Secundò, vt indicetur defunctos, fuiſſe Chriſtianos ſeu vnctos, adeoque templa Spiritui ſancto ſacrata.

4. *Veſtitur.* Quartò, Veſtitur corpus, vel ſolo linteamine, vel etiam veſtibus inſtar viuentium & quidem ornatis. Ratio primæ conſuetudinis videtur eſſe, vt hoc ritu inuocemus in memoriam innocentiam baptiſmalem, in cuius indicium albâ item togulâ fuimus induti; & vt moneamur conandum eſſe vt cum eâdem innocentiæ veſte è vitâ excedamus. Ratio ſecundæ, vt ſic honoremus corpus defuncti & precemur eius animæ ſimilem ornatum, cum quo velut cum veſte nuptiali appareat in conſpectu Dei.

5. *Feretro includitur.* Quinto, Tumbæ ſeu feretro ligneo includitur. Et hoc in fidem reſurrectionis, in qua ligna arida refloreſcent ad inſtar virgæ Aaronis. Palmes enim abſciſſus & in terram defoſſus refloreſcit. Indicat id Ambroſ. *in c. 7. Luc.* de filio viduæ reſuſcitato loquens: *ſed ſpem*, inquit, *reſurgendi habeat, quia ferebatur in ligno. Quod etſi nobis antè nos proderat: tamē poſteaquam Ieſus id tetigit, proficere cœpit ad vitam: vt eſſet indicio ſalutem populo per crucis patibulum refundendam.* Sic ille.

6. *Feretro imponitur velamentum.* Sexto. Super feretrum ponitur ſericum vel aliud pulchrum velamentum, vt Hieron. de obitu Bleſillæ ad Paulam refert. Fortè vt indicetur defunctum bonis operibus adornatum eſſe debere adeoque regnum cœlorum non titulo tantùm hæreditatis, ſed etiam meriti adipiſci.

7. *Vigilatur in pſalmis ad corpus.* Septimò, Nocte funus præcedente, vigilatum olim in pſalmis & hymnis iuxta defunctum. Vnde Vigiliæ mortuorum iuxta Greg. Nyſſen. Epiſc. *ab Olymp.* Factum id Primò, ad ſolatium & ſubſidium defunctorum. Tertull. *l. de animâ cap.* 15. refert ſe nouiſſe fœminam quandam, quæ cùm in pace dormiſſe & morante adhuc ſepulturâ, interim oratione preſbyteri componeretur, ad primum habitum orationis manus lateribus dimotas in habitum ſupplicem conformauit, rurſumque finitis precibus, ſitui ſuo reddidit. Secundò, in admonitionem viuentium, vt ſibi vigilarent, qui notum vel amicum inſperatò perdidiſſent. Ariſtotelem refert Sabell. *l. 1.* cùm fortè nocturnis lucubrationibus fatigatus ſomno ſe daret, pilam æneam manu comprehenſam ſuper aheneum tenuiſſe, vt ſi fortè è manu caderet, eius ſtrepitu expergiſceretur. At eundem modum cùm amici & fratres noſtri, quos velut res chariſſimas in manibus quaſi tenemus, per mortem nobis excidunt: hinc nos excitari & vigilare nobis ſtudioſiùs debemus.

C. II. *In deductione funeris.*

1. *Exponebatur corpus in publico.* In Proceſſione primò: Exponebatur corpus defuncti in publico loco ad ſpectaculum omnibus intueri volentibus. Et hoc vt intuentes mortis admonerentur. Id petiit ſibi fieri à filio S. Pelagia, apud Greg. Turon. *lib. de glor. Conf. cap.* 104. Similiter Maximilianus I. Imperator iuſſit vt quando inter viuos eſſe deſiiſſet, cadauer ſuum omnibus hominibus etiam infimæ ſorti conſpiciendum proponeretur; cauſamque addens: *Vt ita*, aiebat, *vel meo exemplo diſcant omnes, nulla diademata, opes nullas, nec vlla imperia à morte eripere poſſe.* dentem. Reinhad. Hadamar. in Inſtit. Principum.

2. *Veſtitus lugubris ſumitur.* Secundò, Veſtes mutantur à propinquis defuncti maximè, & nigræ induuntur: Vt luctum de amici obitu teſtentur, cuius anima ad regionem migrauit nobis ignotam; & quòd vnà cum illo mundi etiam delitiæ ipſis mortuæ ſint.

3. *Crux præfertur.* Tertiò, Crux præfertur, vt indicetur, mortuum ſub hoc vexillo dum viueret, militaſſe Chriſto. Teſſeram ergo militarem præferimus, ac ſimul Chriſtum Ducem admonemus, vti militem ſuum præmiare & meritorum Crucis participem facere velit.

4. *Geſtantur cerei.* Quartò, Geſtantur propè corpus lumina & cerei accenſi. Vti factum in tumulatione B. V. Mariae ſcribit Nicephorus *libr. 2. cap.* 22. Et in funere Conſtantini M. Euſebius *lib. 4. de vitâ Conſtant. cap.* 66. Idem fieri præcipit S. Athanaſius apud Damaſcenum *lib. de mortuor. ſuffrag.* Fit hoc primò, vt indicetur defunctos ſecundum animam viuere & fuiſſe filios lucis, adeoque lucernâ ardente fidei viuæ Chriſto obuiare. Item vt ſignificetur eos lumen fidei in baptiſmo acceptum ad finem vſque vitæ conſeruaſſe. S. Chryſoſt. *homil.* 14. *in* 1. *ep. ad Timoth.* hæc de re ait: *Quid ardentes, quæſo, lāpades ſibi volunt? Nónne tanquam Athletas eos comitemur?* Sic ille.

5. *Pſalmi accinuntur.* Quintò, Pſalmi & hymni accinuntur voce lugubri: quem ritum etiam legere eſt in S. Dionyſio de Eccl. hierarch. *c.* 7. Primò, ad luctum temperandum; ſiquidem Chriſtianos non oportet contriſtari in morte charorum, ſicut ſolebant facere gentiles, qui genas ſibi lacerabant. & capillos euellebant. Ait enim Apoſtolus: *Nolite contriſtari ſicut & cæteri, qui ſpem non habent*, &c. Et S. Chryſoſtom. hom. de SS. Berenice & Proſdoce; *Mors*, inquit, *eſt requies quædam, laborum finis, ſudorumq́; retributio, ac certaminum præmium & corona. Propterea principiò quidem ſuper mortuos planctus & lamentationes fiebant, nunc autem pſalmi & cantus hymnorum*, &c. Secundò, vt defunctus honoretur diſcedens, quemadmodum ſcribit idem Chryſoſtomus

ſoſtomus *hom. 70. ad pop. Antioch.* Quia enim bene ſperamus victorem ingredi in cœlum ſymphoniâ Angelorum, carmen ei triumphale accinimus, ſimulque Deum laudamus, quòd defuncto dederit in fide perſeuerantiam & fœlicem finem. *Quanam de cauſâ*, inquit Chryſoſt. hom. cit. *quaſo, presbyteros vocas & pſallentes? nónne vt te conſolentur? nónne vt defunctum honorent?*

Sextò, Campanæ pulſantur primò, vt fide-
6. Cāpanæ pulſantur les admoneantur ad præſtanda charitatis officia & bene precandum defuncto, prout etiam fit; nam plerumque audito tali campanæ pulſu, minimùm in has voces Catholici erumpunt: *Deus ſit illi propitius*; vel: *Deus det illi æternā requiem.* Vnde ſonitus ille, quaſi vox defuncti eſt, inuocantis viuos in auxilium. Pulſantur etiam mox, cùm quis expirauit: quia tunc anima defuncti ſubit diem ſuum iudicialem, & accipit extremam immutabilemque ſententiam vitæ aut mortis, vt ita pro eâ Deum Iudicem interpellemus. Secundò, vt hoc ſonitu recordemur tubæ illius vltimæ, quæ mortuos è ſepulchris euocatura eſt ad iudicium, ſicuti iſto nunc ſonitu euocatur corpus è domo ad ſepulchrum.

Septimò, Turba hominum funus comita-
7. Turba funus comitatur. tur: vt *Luc.* 7. legitur, & apud S. Hieronymum de funere S. Paulæ in epiſtola ad Euſtoch. & de funere Fabiolæ in epiſt. ad Oceanum. Ad funus S. Martini confluxêre monachorum duo millia, & inter alios adſuit diuinitùs ſanctus Ambroſius corpore Mediolani exiſtens, teſte Sulpitio in epiſt. ad Baſſulam de vita S. Martini. Primò, vt defunctum honorent, quo modo SS. Angeli comitantur animas iuſtorum in cœlum, vti de Lazaro legimus. Si enim animam deducunt Angeli, decet vti nos deducamus corpus. Secundò, vt ſeipſos mortalitatis ſuæ admoneant, dicantque: *Hodie tibi, cras mihi.* Quamquam talis cogitatio ſæpe citò euaneſcit, vt aduertit S. Auguſtinus *ſerm.* 120. de diuerſis. *Cùm efferuntur mortui*, inquit, *cogitatur mors & dicitur: Væ miſero, talis fuit, heri ambulabat aut ante ſeptem dies illum vidi: atque illud mecum locutus eſt: nihil eſt homo. Murmurant iſta. Sed fortè cùm mortuus plāgitur, cùm funus curatur, cùm exequia præparantur; cùm effertur, cùm iter, cùm ſepelitur, viget iſte ſermo. Sepulto autem mortuo, etiam talis cogitatio ſepelitur, Redeunt illa cura mortifera* &c. Et *lib. 50. hom. ho.* 28. *Quotidie moriuntur homines, & qui viuunt deducunt illos, exequias celebrant, & vitam ſibi promittunt. Nemo dicit: corrigam me, ne cras hoc ſim, quod iſte, quem deduxi.* Sic ille.

D. Poſt deductionem funeris. PRIMO thure ſa-
III. Poſt deductionē. cro incenſantur & aſpergitur aquâ benedictâ defunctus & ſepulchrum. Primò, vt dæmones
1. Thurificatur corpus. fugentur, ne mortuorum corpora & tumulos infeſtare queant. Secundò, aſperſio aquæ ſacræ ſignat fuiſſe baptizatum, qui deceſſit. Thurificatio monet, vt pro eo ardentens ad Deum preces fundamus, quæ inſtar incenſi ad eum dirigantur. Rurſùm defunctum vixiſſe velut Chriſtianum, ſpargendo odorem bonæ famæ, iuxta id Apoſtoli: *Chriſti bonus odor ſumus.*

Secundò, Sepelitur non ſtans more Iudæo- 2. Sepelitur ſupinus.
rum, ſed ſupinus & iacens; verſus Orientem. Ratio primi eſt, quia non ampliùs expectamus Meſſiam vt Iudæi, ſed adueniſſe credimus. Ratio ſecundi, quia Chriſtus in cruce ad Occidentem vertit faciem. Itaque ante faciem Redemptoris facies redemptorum conſtituimus, quia fidem & ſalutem ei debent, ab eoque reſurrectionem expectant.

Tertiò, Sacerdos & poſteà circumſtantes 3. Terra ei iniicitur.
partem terræ depoſito in tumulum corpori iniiciunt: Primò, vt ſic opus miſericordiæ exerceant, quaſi parati ſuis manibus ſepelire mortuum. Secundò, vt ſeipſos noſcant: dum Sacerdos ait non tam defuncto, quàm viuis circumſtantibus: *Memento homo, quia puluis*, &c.

Quartò, Tumulus ſuper ſepulto erigitur, vt 4. Tumulus erigitur.
appareat, quid & quantus ſit homo, qui tam exiguo loculo nunc clauditur: vnde tumulus idem quod tumens tellus. Hinc S. Chriſoſt. in orat. de fide & lege: *Circa ſepulchra philoſophamur*, inquit *videntes oſſa nuda & ſtatim cogitamus & inter nos diſputamus, dicentes: Ecce quid tandem & nobis fit? Et quò abimus?* Et infrà, *Ea propter Deus vbique ſepulchra fieri voluit, vt illis noſtra ipſorum infirmitatis memores fieremus. Ideo omnis ciuitas, omne caſtellum ante ingreſſum ſepulchra habet vt contendens intrare ciuitatem, qua imperat & floret diuitijs & potentatu aliiſq; dignitatibus, priuſq nam videt, quod ſecum concipit, videat primùm quid ſit:* ſic ille.

Quintò, Tumulus floribus reſpergitur mul- 5. Tumulus floribus reſpergitur.
tis adhuc in locis: vtique amoris & honoris gratiâ; ſed rectiùs faciunt, qui eleemoſynis & aliis piis operibus defunctorum animas iuuant. Vnde Hieronymus ad Pammachium: *Cæteri*, inquit, *mariti ſuper tumulo coniugum ſpargunt violas, roſas, lilia floreſq; purpureos, & dolorē pectoris his officiis conſolantur. Pammachius noſter ſanctam fauillam oſſaq; veneranda eleemoſyna balſamis rigat*, &c. ſic ille.

Sexto, Crux ſuper tumulum erigitur. Vt in- 6. Crux in tumulo figitur,
dicet ſepultum militaſſe ſub hoc ſigno, & per id ſaluandum eſſe. Quod enim viui in fronte depingunt, idem & in morte palàm oſtendere debent. Et hic eſt character agni, ſine quo ad cœlum nemo admittitur. Hoc ſignum Thau In F. inuent. S. Crucis c. 5. C.
in poſtibus Hebræorum, quod Angelus percutiens tranſiliit. Vnde quidam gentilis de ſepulchro faſſus eſt ſibi hoc ſignum non deberi, ſed Chriſtiano deputatum eſſe, apud Gretſerum de *Cruce l. 2. c.* 15. vt alibi diximus. 7. Oratio funebris adhibetur aliquibus.

Septimò, Defuncti, maximè viri ſancti & præclari ac qui publicæ dignitatis erant, oratione funebri laudantur, vt teſtatur Dionyſius apud Gretſerum *de fun. Chriſt. lib. 2. cap.* 13. Theodoretus *l. 2. hiſt. Eccl. c.* 14. de S. Meletio. Sed laudabatur ibi virtus tantùm, non forma, diuitiæ, genus, multitudo coniugum aut liberorum, &c. vti Prædicantes faciunt ſartori cuicunque. Verùm optima illa oratio eſt, quæ 8. Exequiæ defunctorum habentur.
pro defunctis ad Deum funditur: qualis eſt dies depoſitionis primus, tertius, ſeptimus & trige-

trigeſimus atque anniuerſarius. Dies primus quòd eo die corpus ſepeliatur. Tertius, propter eum qui tertiâ die reſurrexit, vt ait S. Clemens *l.6.Conſt.Apoſt.cap.*48. Dies ſeptimus, quia ille dies futuræ quietis eſt. Auguſtinus *l.1.qu.ſuper Geneſ. ad fin.* Vnde luctus ſeptem dierum habetur Eccleſiaſtici 22. Triceſimus ex veteri Hebræorum more; quia Ioſeph defunctum Iacob patrem luxit 30. diebus (præter alios 40. qui condiendo cadaueri inſumpti) *Geneſ.*50. Moyſen etiam defleuit populus 30. diebus, Deuter. vlt. Similiter Aaronem, Nu.20. Eundem trigeſimum celebrari ſibi petiit S. Ephrem in ſuo teſtamento. Anniuerſarius, quia vti Sanctorum in cœlis colimus anniuerſarium propter vtilitatem noſtram: ita fas, vt (quia neſcimus ſtatum animarum illarum) earumdem anniuerſarium obeamus propter vtilitatem illarum & deuotionem noſtram. Amalar *l.3.de diu. offic. cap.*44. Quapropter dilectiſſimi dum hæc & ſimilia aguntur, quæſo, adeſte animis & non corpore ſolùm, quo modo ligo aut aliud veſpillonis inſtrumentum hærens iuxta ſepulchrum. Non tam mortuis quàm viuis ea fiunt & dicuntur: imò ritus iſti voces quaſi & geſtus ipſius defuncti ſunt, quibus excitet circumſtantes, partim vt pro eo preces fundant, partim vt ſibiipſis attendant tamquam breuì futuri, quod eſt ipſe: quaſi illud Eccleſiaſtici c.38. pronuntians: *Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi hodie.*

CONCIO VIII.

Cãtus ſacer eccleſiaſticus cur inſtitutus.

1. *Vt Deum quantum poſſemus laudemus.*
2. *Vt reddamus orationem Deo gratiorem.*
3. *Vt mentem ad Deum facilius eleuemus, triſtitiamque pellamus.*
4. *Vt triumphantem Eccleſiam imitemur.*
5. *Vt beneficia diuina cum lætitia prædicemus.*
6. 7. *Vt Eccleſiam adornemus, & hâc illecebrâ populus alliciatur ad rem diuinam.*

THEMA.

Cùm vidiſſet tibicines & turbã tumultuantem dixit: Recedite. Matth.9.

A. *Hæretici cantum Eccleſiaſticũ improbant.* EX hodierno Euangelio conati ſunt hæretici euertere ritum cantandi Eccleſiaſticum, (qui in Eccleſiâ Græcâ à S. Ignatio martyre, in Latinâ à S. Ambroſio inſtitutus fuit) & vſum inſtrumentorum ad officia diuina adhiberi ſolitum; ſiquidem ea hic Chriſtus improbarit & faceſſere iuſſerit, dum tibicines & turbam tumultuantem eiecit è domo Archiſynagogi, quaſi eorum nomine Organiſtas & Cantores Eccleſiarum comprehenderit. Ita olim Donatiſtæ, qui Catholicos reprehendebant circa annum Dom.400. quòd diuina cantica Prophetarum in Eccleſiâ pſallerent. Eundem errorem ſuſcitarunt Waldenſes, qui dixére, fruſtrà teri tempus in cantibus Eccleſiaſticis: quos ſecutus eſt Wickeffus, cantantes in Eccleſiâ vocans Sacerdotes Baal, qui clamoribus Deum ſuum, ac ſi dormiret, excitare conabantur. Quod idem noſtris temporibus docuit Caluinus & tenuére Proteſtantes; qui initio non modò cantum aboleuére, ſed etiam organa & inſtrumenta. Sed quàm rectè fecerint vel ex eo poteſt colligi: quòd paulò pòſt eadem reuocarint, & organa pluribus in locis, magnis ſumptibus repoſuerint, vti in ipſorum Synagogis hodie cernere eſt. Sanè in hodierno Euangelio non voluit Dominum abolere aut prohibere cantum Eccleſiaſticum aut muſica inſtrumenta, quæ in Eccleſiâ decenter vſurpantur; non enim è templo exegit Muſicos, ſed è domo: vnde potiùs ſequeretur, profanam & domeſticam Muſicam abolendam eſſe. Sed nec iſta mens erat Chriſti; voluit tantùm non lugendam eſſe filiam, quaſi mortuam, quæ ipſi dormiret, mox reſuſcitanda. In contrarium verò Chriſtus cantum ſacrum approbauit, & defendit contra obtrectantes, quando de pueris ſibi accinentibus, *Hoſanna*, ait ad Phariſæos: *Vtique nunquam legiſtis: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? Matth.* 21. Quare Phariſæis iſtis aſſimiles ſunt hæretici: qui laudem Dei decantari in Eccleſiis vetant. Nos verò videbimus, quàm vtiliter & laudabiliter inſtitutus in Eccleſiâ ſic cantus & concentus ſacer.

B. I. *Vt Deum quantum poſſumus laudemus.* Inſtitutus eſt PRIMÒ, vt toti & modis omnibus, quibus poſſumus, Deum laudemus. Cùm enim conſtemus ſpiritu & corpore, (vt S. Damaſcenus ait *l.4.de fide orthod c.3.*) decet adorare & laudare Deum non tantùm affectibus, ſed verbis etiam ac vocibus, vt corpus & ſpiritus, ſiue vt Dauid ait *Pſalm.*83. *Cor & caro noſtra exultent in Deum viuum.* Et licet nobis ora centum, linguæ totidem & ferrea vox eſſent, non poſſemus ſatis laudare Deum. Vnde *Eccleſ.* 43. dicitur: *Qui benedicitis Dominum, exaltate illũ, quantum poteſtis: maior enim eſt omni laude.* Pulchra igitur hæc harmonia eſt, cùm ore ſimul & mente Dei laudes canimus; ſicut Apoſtolus *1.Corint.*14. ait: *Pſallam ſpiritu* (voce) *pſallam & mente.* Multò magis adhuc requiritur conſonantia morum, vt ſine peccato canamus; iuxta id S. Auguſtini ad *Pſal.*148. *cùm laudatis Deum,* inquit, *toti laudate: cantet vox, cantet vita, cantent facta;* quo modo ſcilicet debet cantus tactui ſeu menſuræ congruere. Alioqui tuum ipſius cantum deſtruis raucedine peccati, vt habet Origenes *homil. 6. in lib. Iud.* ac ſicut luſcinia fruſtrà canit, cùm ei coruus crocitans obſtrepit: ita & qui cum peccato adeoque obſtrepente ſibi conſcientiâ canit. De tali enim Cantore dixit Deus Amos 6. *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiã.* q.d. Dantus tuus non niſi tumultus eſt & ſtrepitus in auribus meis: non delector cantu lyræ vel lyripipij, &c. Obſtrepunt etiam cantui ſacro, qui ſub illo profana cogitant & deſiderant, vti coruus crocitans cadauer. Denique cantus noſter eſſe debet, qualis eſt cicadæ, quæ, cùm ore caret, pectore canit: *Vnum hoc ex*

iis, quæ viuunt, inquit Plinius lib. 11. cap. 26. *ſine ore eſt. Pro eo quiddam aculeatum, linguis ſimile & hoc in pectore, quo rorem lambunt. Pectus ipſum fiſtuloſum; hoc canunt.* Pectore igitur canere, non ſolo ore debemus, eoque cœleſtem rorem excipere. Et ſi ore quis cantare neſcit, pectore ſaltem canat. Sic clamabat & cantabat Moyſes ad Dominum, tametſi vox eius non audiebatur, *Exod.* 14. dicente Domino: *Quid clamas ad me?* Sic orabat Anna, cuius labia quidem mouebantur, vox verò non audiebatur, 1. *Reg.* 1.

C. II. Vt reddamus orationē Deo gratiorem.

SECVNDÒ, Vt reddamus orationem Deo gratiorem, eique viam ad cor noſtrum præparemus; tum quia hilarem datorem diligit Deus, cantus autem hilaritatem orationis & laudis diuinæ indicat; tum quia *qui cantat*, vt dicit quidam, *bis orat*, quamobrem & mendici, qui præ foribus noſtris cantant, plus impetrant communiter, quàm qui nudâ voce mendicant. Itaque tali laude & oratione, quæ hymno exornatur, Deus quoque citiùs placabitur. Vnde dixit S. Gregorius *homil.* 1. *in Ezech. Cùm vox Pſalmodiæ per intentionem cordis agitur omnipotēti Deo, iter ad cor præparatur*, iuxta *pſal.* 49. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Et Pſalm 67. *Cantate Deo, pſalmum dicite nomine eius: iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum*. q. d. per pſalmū diſponitur homo ad excipiendum Deum in cor ſuum. Sanè Eliſæus iuſſit ſibi adduci pſalten ad excipiendum ſpiritum prophetiæ, & tunc *facta eſt ſuper eum manus Domini*, 4. *Reg.* 3. per cantum enim illuminatur animus à Deo, liquefit ad contritionem & amorem Dei. Potuit hoc cantus ſacer efficere apud homines, cur non etiam apud Deum? Abbas Floriacenſis, nomine Thodulphus, cùm ob ſuſpicionem coniurationis in Ludouicum Imperatorem in carcerem coniectus eſſet, obſeruabat Imperatoris tranſitum, & tùm per feneſtram carceris canere cœpit hymnum illum, quem in carcere compoſuerat, & Eccleſia in die Palmarum canit: *Gloria laus & honor tibi ſit Rex Chriſte redemptor.* Qui cantus adeò placuit Imperatori, vt mox educi eum è carcere iuſſerit & Epiſcopum Aurelianenſem fecerit. Baronius anno 835.

De Imperatore Theodoſio ſcribit Sozomenus *l.* 7. *c.* 23. cùm is in Antiochenos vehementem iram concepiſſet: Flauianum Epiſcopum ſtipatum aliquot elegantibus pueris, quos accuratè docuerat cantionem quandàm lamentabilem, ipſum addiiſſe. Mox Flauianus inuitatus ad prandium ab Imperatore, cauſam ſuſcepti intineris exponit, & pro Antiochenis veniam humiliter precatur, ſed Imperator tetrico vultu, de hoc ne cogitandum quidem ait, manere in Antiochenos ſententiam. Quare vt ſaltem pueros ſuos cantantes audire dignetur orat, moxque impetrat. Qui cùm lugubrem & ſumma arte præparatum cantum voce depromerent, totus immutatur Imperator & lachrymas vix continens, acceptâ paterâ Epiſcopo ait: *Ecce Anthiochenis propino in ſignis beneuolentiæ, pacis & gratiæ.* Quòd ſi igitur ex animo & deuotè cantus Eccleſiaſticus orationi iungatur, non dubium quin Deus quoque pronum ad miſericordiam, efficaciùs emolliat, (vt ſic loquar) quàm ſola & nuda oratio.

D. III. Vt mentē ad Deum faciliùs eleuemus & triſtitiam pellamus.

TERTIÒ, Vt mentem ad Deum faciliùs eleuemus, & triſtitiam pellamus. Vnde Iſidorus *l.* 2. *de offic.* ait cantum Eccleſiaſticum introductum, vt maior in eo eſſet ad Deum attentio, ſolemnitas & reuerentia diuinæ laudis: & vt excitet animos fidelium in ſinceriorem deuotionem & pium affectum. Et *lib.* 3. *de ſummo bono cap.* 7. ait: *Quamuis dura ſint carnalium corda, ſtatim vt pſalmi dulcedo inſonuerit, ad affectū pietatis animum eorum inflectit.* Et S. Auguſtinus *l.* 10. *Confeſſ. cap.* 33. ait approbare ſe in Eccleſia cantandi conſuetudinem, vt per oblectamenta aurium infirmior animus ad affectum pietatis aſſurgat. Et *l.* 9. *cap.* 6. ait: *Quantum fleui in hymnis & canticis tuis ſuaueſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter? voces illæ influebant auribus meis & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Facit etiam ad tædium in oratione depellendum. Remiges canere ſolent teſte Cælio Rhodig. *l.* 9. *cap.* 10. ad remigandi laborem temperandum. Similiter & qui arant ruſtici, vt ſeſe ad laborem excitent; facit igitur idipſum Eccleſia. Vnde chori alternatim canunt, vt ſe mutuo ad Dei laudem exhortentur: iuxta quod exponit Haymo id Apòſtoli ad *Epheſ.* 5. *Loquentes vobiſmetipſis in hymnis*, &c. Ob hanc cauſam 1. *Eſd.* 3. inter Hebræos Babylone redeuntes fuerunt cantores & cantatrices ducenti, ad itineris moleſtiam ſubleuandam & reducum captiuorum animos exhilarandos. Quin & Philomela, vt ſcribit S. Ambroſius in Hexam. longæ noctis laborem cantûs ſui ſuauitate ſubleuat. Sic Dauid cùm adhuc paſtor eſſet in ſolitudine, paruo pſalterio, laudes diuinas decantans melancholiam pellebat, vt notat S. Hilarius in principio expoſit. pſalmor. Igitur vt etiam nos exilij noſtri mœrorem ſubinde temperaremus, Eccleſia inſtituit cantum ſacrum.

E. IV. Vt triūphantem Eccleſiā imitemur.

QVARTÒ, Vt triumphantem Eccleſiam, modo quo poſſumus, imitemur & repræſentemus. Quare S. Hieronymus in *pſalm.* 115. ait: *Sicut martyres laudant Dominum in regione viuorum: ita monachi, qui die ac nocte pſallūt Domino debent habere eādem pietatem. Martyrum ſiquidem ipſi martyres ſunt.* Hæc Hieron. ſanctus verò Bernardus ſuper Cantica ſcribit: *Nihil in terris ita propriè repræſentat cœleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas Deum laudantium.* Etenim Iſaias c. 6. vidit Angelos cantantes, qui *clamabant alter ad alterum, ſanctus, ſanctus, ſanctus*, &c. cantu videlicet reciproco; qualis S. Ignatius martyr, tertius poſt S. Petrum Antiochiæ Epiſcopus, aliquando ad vitam beatorum raptus audiuit Deum laudari; qui poſteà eandem inſtituit in Eccleſia Antiochena canendi formulam, teſte Socrate *l.* 6. *hiſt.* 8. Similiter & Ioannes *Apoc.* 5. vidit ſanctos in cœlo habentes citharas ſuas, qui cantabant canticum nouum. Vt igitur indicemus nos eorum conciues eſſe, eoſdem imitamur, & hîc eorum cantica quaſi in ſchola addiſcimus

diſcimus, vt ibi ſciamus; quo modo futuræ moniales priùs docentur cantum, quàm religionem ingrediantur, vt in religione ſciant, quod totâ vitâ exerceant. Vnde in hymno angelico ſub Miſſa canimus: *Cum quibus & noſtras voces vt admitti iubeas deprecamur*, &c. Cantare igitur in Eccleſia eſt officium angelorum;& propterea non erubuére etiam viri Principes cantu Eccleſiaſtico Deum venerari. Theodoſius iunior Imperator primo diluculo cum ſororibus ſuis hymnos decantare ſolitus erat, vt refert Socrates *l. 7. c. 22.* Robertus Francorum rex, feſtis diebus in monaſteriis commorari ſolebat, choro aſſiſtere & cum monachis cantare, vt refert Martinus in Chron. anno 951. Honori ſibi ducebant Imperatores iſti, quòd ſanctos in cœlo imitari, ſeque ipſis iungere & Deum ſuum laudare poſſent. Porrò ſicut in cantu plures licet & diuerſi voces, ſint, aliæ aliis ſemper altiores, omnes tamen optimè conſonant, eandemque menſuram obſeruant; ita & inter beatos etſi varij ſunt gradus meritorum & præmiorum, omnes tamen Deum ſummâ vnanimitate ſine inuidiâ pro ſuo quiſque modulo laudant. Et vt varietas illa vocum, cantum reddit ſuauiorem: ita varietas meritorum in cœlo Dei laudem. Quâ in re cantus ille nos monet, vt quemadmodum canendo in Eccleſiâ concordamus, ſic etiam mutuò nos diligendo in vnum conſpiremus; etſi ingenia, officia & ſtatus valde ſint diuerſi. Voces, fides & fiſtulæ temperantur vt conſonent: ſic temperare quilibet & mortificare paſſiones ſuas debet, vt in Eccleſiâ muſicam charitatis Deo & angelis exhibere poſſit.

F. V. vt beneficia diuina cum lætitia prædicemus.

QVINTÒ, Vt beneficia diuina debitâ cum laude & lætitiâ decantemus. Patet enim ex ſacra Scriptura, celebriora Dei beneficia cum cantu & inſtrumentis muſicis ſolemniter decantata fuiſſe. Sic Maria poſt tranſitum maris rubri & demerſum Pharaonem: ſic Debora, poſt proſtratum Siſaram: ſic Iudith poſt deuictum Holofernem: Zacharias, B. Virgo, Simeon beneficia Dei hymnis decantarunt. Nos igitur Chriſtiani quia præ omnibus nationibus maxima & frequentiſſima accepimus Dei beneficia, ideò iure merito ea cantu quotidiano & perpetuo celebramus. Peculiariter religioſi & Canonici ſepties in die laudem Deo dicunt, veluti alaudæ, quæ ſepties in die canere perhibentur; vnde Ægyptij diuinam laudem deſignabant per alaudæ caput ſepties in tabula depictum: vt ſcribit Ioannes Steph. Durant, de ritibus Eccleſiæ *l. 3. c. 3. & 5.* Dauid etiam de ſe ait, *Pſal. 118. Septies in die laudem dixi tibi.* de quo S. Ambroſ. l. 3. de virginib. ait: *Si Propheta dicit: ſepties in die laudẽ dixi tibi, qui regni erat neceſſitatibus occupatus, quid nos facere oportet qui legimus: Vigilate & orate ne intretis in tentationem? Certè ſolemnes orationes cum gratiarum actione ſunt deferendæ, cùm à ſomno ſurgimus, cùm prodimus, cùm cibum paramus ſumere, cùm ſumpſerimus, & hora incenſi, cùm denique cubitum imus; ſed etiam in ipſo cubili,* &c. hæc ille. Sanè antiqui Chriſtiani etiam partem noctis orationi & pſalmis tribuebant. De illis enim ſcribit Plinius Secundus *l. 10. ep. 97.* ad Trianum Imp. eos ſolitos ſtato die ante lucem conuenire carmenque ſecum Chriſto dicere inuicem, hoc eſt, in choros diſcretos. Et hinc cantatur Matutinum in memoriam tum Natiuitatis Chriſti, qui mediâ nocte natus: tum captiuitatis, qui ſub noctem captus & ingentes ſuſtinuit cruciatus: tum reſurrectionis eiuſdem, propter quam peculiariter inſtitutæ ſunt laudes. Prima in memoriam deductionis Chriſti ad iudices & accuſationis. Tertia in memoriam condemnationis Chriſti, flagellationis & coronationis. Sexta in memoriam Crucifixionis eius. Nona in memoriam expirationis Chriſti. Veſperæ in memoriam depoſitionis de Cruce. Completorium in memoriam Dominicæ Sepulturæ.

Septem horarum preces ad quid.

G. VI. Et Eccleſiam adornemus.

SEXTÒ, Vt Eccleſiam Catholicam etiam hoc decore ornemus. Si enim Salomon ad ornatum templi & ſacrificiorum ſuorum tot tamque varios inſtituit Cantores & Inſtrumentiſtas: quantò magis id pertinet ad Eccleſiæ noſtræ decorem? Et ſi regiæ domus & aulæ Principum decorantur Muſicis, cur non item Baſilica & regia Dei Templum? Decet autem cantus Eccleſiam noſtram ſingulariter, quia in ea Chriſtum in altari præſentem habemus. Si Apes regum ſuum ſonitu circumdant & bombos ac cantum ei cient, teſte Ariſtotele *lib. 10. de animal.* quantò æquiùs nos Deo & regi noſtro carmina accinimus? Quòd ſi coram Arcâ Dauid ipſemet luſit in omnibus lignis fabrefactis: quantò rectius id facimus nos, præſertim coram S. Euchariſtiâ? Confundit haud dubiè hic Ecclæſiæ decor hæreticos: ſicut cantus & laus Dauidis coram arcâ, vxorem Michol: Sicut cantus ſacer Publiæ & ſociarum virginum Iulianum Imperatorem Apoſtatam, vt narrat Euſebius *lib. 6. hiſtor. tripart. cap. 36.* quæ tantò magis eo prætereunte pſallebant, quò magis ille id vetabat: præſertim verſus illos: *Simulachra gentium, argentum & aurum opera manuum hominum.* Et: *Exurgat Deus & diſſipentur omnes inimici eius.* De Valente Imp. Ariano refert Baron. in Annal. anno D. 370. quòd cùm is Cæſareæ Cappodociæ Eccleſiam, cui S. Baſilius præerat, vexaturus ingrederetur, ob populi multitudinem, ordinem & diuinam pſalmodiam & Baſilij venerandam præſentiam obſtupefactus ſit, ita vt cor eius prorſus emolliretur, & ipſe perſecutionem remitteret.

H. VII. Vt hac illecebrâ populus alliciatur ad rem diuinam.

SEPTIMÒ, Vt hac quaſi ſanctâ eſcâ populus alliciatur ad diuinorum officiorum & Eccleſiæ frequentationem. Quia enim ſenſibus maximè trahimur: eſcam nobis proportionatam Eccleſia propoſuit, quâ alliceremur ad frequentanda diuina officia. Sanè ad profanam Muſicam, ad fidicines & tibicines multi longam viam currunt: & cur non potiùs ad ſacram Muſicam venire deberemus? Verùm heu diabolus longè plures habet auditores, quàm Chriſtus, qui tibicines & profanos cantores, vtpote indignos qui audiantur, eiicit è domo.

domo. Nimirum vti Iſraelitæ faſtidiebant manna ideò tantùm, quia quotidianum erat & abundans: cæpe contrà & alia Ægypti deſiderabant: ita quia iſtis ſæcularibus hominibus ſtomachus eſt deſtructus, non ſapit niſi tibia & lyra, quæ vocem ad clamores & pedes ad choreas excitant. Qui muſicæ cenſores, aſino illi ſimiles videntur, qui cantum philomelæ improbauit vtpote intricatum & difficilem intellectu: cantum verò cuculi prætulit, velut planum & intelligibilem. Sed quid de his ſcriptum eſt Eſa. 5. *Cithara & lyra & tympanum & tibia & vinum in conuiuijs veſtris & opus Domini non reſpicitis.&c. Propterea dilatauit infernus animam ſuam & aperuit os ſuum abſque vllo termino, & deſcendent fortes eius & populus eius ſublimes glorioſiq́, eius ad eum.*

CONCIO IX.

Documenta obiter indicantur.

1. *Diſcimus credere & ſperare in Deo, à Principe & Hæmorrhoiſſa.*
2. 3. 4. 5. *Orare, fugere peccata ea corrigere & expiare per pœnitentiam.*
6. *Dignè communicare à Chr ſto & Hæmorrhoiſſa.*
7. 8. *Bona agere & pati mala.*
9. *Mundum ſpernere à Chriſto & filia Iairi.*
10. *Diſcimus in bono perſeuerare.*

THEMA.

Loquente Ieſu ad populum, ecce Princeps vnus acceſsit. Matth. 9.

A. IN hodierno Euangelio alia bona, alia mala: alia ſectanda, alia fugienda ſunt. Sunt ibi qui Chriſtum comprimunt, irrident & impediunt; ſunt & qui adorant & cum veneratione tangunt, aliaque laude digna præſtant. Nos iuxta conſilium Domini *Matth. 10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ*, animacula hæc imitabimur. Vt enim ſerpentes reperiuntur, qui audiunt quæ placent, occludunt aures iis, quæ audire nolunt: & ſicut columbæ meliora grana ſeligunt, deteriora relinquunt: ita nos ſeligemus quæ nobis imitanda, relinquemus fugienda.

B. I. Diſce credere & ſperare in Deo. 1. A Principe. PRIMÒ, Diſcimus credere & ſperare in Deo. Primò à Principe, qui credidit ſanandam eſſe filiam, modò ei Chriſtus impoſuiſſet manum ſuam. Ac licet occurrerent ei, qui dicebant: *quia filia tua mortua eſt; quid vltrà vexas Magiſtrum?* Vt ait Marcus. Nihilominùs tamen in fide perſtitit & cum Chriſto in domum ſuam perrexit. Magna hæc fides fuit, tum quia nullum adhuc mortuum à Chriſto ſuſcitatum (viderat hæc enim filia prima eſt, quæ reſuſcitata legitur) tùm quia triſti occurrentium nuncio & obiurgatione nihil motus eſt.

2. Ab Hæmorrhoiſſa. Secundò, Ab Hæmorrhoiſſa, quæ pari fidei firmitate: *Si tantùm*, inquit, *tetigero fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero.* Credidit ergo hæc mulier, etiam veſtem Chriſti virtutem ab ipſo ſortitam eſſe ad ſanandum ægros. Deinde credidit ſe ſanandam, licet retro & occultè accederet, Chriſto etiam pro ſanitate non interpellato. Magna ſanè vtriuſque fides, quæ imprimis confundit hæreticos, qui cùm multò maiora & difficiliora de Chriſto credant, quàm ſit myſterium Euchariſtiæ: (v.g. aſcenſionis Chriſti in cœlum, ex quo ipſemet comprobat myſterium Euchariſtiæ. Ioan.6.) myſterio tamen illi præſentiam Chriſti realem abnegant. Deinde eos, qui negant ſacerdotibus poteſtatem conſecrandi datam; cùm tamen hic videamus ipſam Chriſti veſtem mutuaſſe à Chriſto virtutem ſanandi morbos. Laudo etiam mulierum deuotionem in venerandis Chriſti & Sanctorum imaginibus, modò ſuperſtitione & irreuerentiâ careant.

C. II. Diſce orare. Diſcimus SECVNDÒ, Orare; & hoc à Principe. Nam Primò, exhibuit in orando reuerentiam & humilitatem, quia, vt ſanctus Lucas ait, *cecidit ad pedes Ieſu*; & vt ſanctus Matthæus, *adorabat eum.* Secundò, feruorem, quia vt ait ſanctus Marcus: *deprecabatur eum multum.* Tertiò, fiduciam, quia credidit ſe exaudiendum. Non credebat adhud Iairus Chriſtum eſſe Deum, ſed virum dumtaxat ſanctum aut Prophetam. Quantam ergo in orando Deo adhibere reuerentiam, fauorem & fiduciam decet?

D. III. Diſce fugere peccata. Diſcimus TERTIÒ fugere peccata, tùm quia propter peccata punitam eſſe mulierem & principem, credibile eſt; tum quia peccata Deum tangunt & offendunt, ideoque latere eum nequeunt; quemadmodum & mulier iſta, licet retrò clanculum acceſſerit, nequaquam tamen latuit, vt ait S. Lucas; quia fateri debuit CHRISTO, ſe fuiſſe quæ illum tetigit. Peccata itaque morbo & ipſam mortem vti inuexêre in mundum, ita etiamnum crebrò cauſant. Deinde quantumcunque occultè & tectè fiant, Deum minimè fallunt vel fugiunt.

Imprimis verò fugiendam inanem gloriam diſcimus à CHRISTO, qui parentibus puellæ præcepit vt nemo ſciret beneficium, quod illis impertiuit. Nimirum inanis gloria venenum eſt bonorum operum; miluus eſt raptor pullorum; Draco inſidians proli vix editæ, *Apoc.* 12.

E. IV. Diſce peccata corrigere. Diſcimus QVARTÒ, peccata corrigere; & quidem grauia ac manifeſta, (quæ ſignificantur per fluxum ſanguinis in muliere) manifeſtè; occulta verò (quæ ſignificantur per mortem filiæ nondum elatæ ſed adhuc in conclaui recluſæ) occultè. Nam CHRISTVS morbum mulieris ſanauit in publico, voluitque vt ſe proderet: filiam verò reſuſcitauit in conclaui, paucis præſentibus. Vbi igitur ſanguis effunditur, id eſt, grauiter & publicè peccatur, publica adhibenda eſt correctio: priuata verò delicta priuatim emendanda nec facilè euulganda ſunt. Canum eſt hoc, non hominum: qui etiam oſſa rodunt eaque ex angulis & latebris protrahunt, de quibus Prouerb. 1. dicitur:

Digitized by Google

dicitur: *Inſidiemur ſanguini.*

F. V. *Diſce expiare peccata per pœnitentiam.* Diſcimus QVINTO peccata expiare per pœnitentiam, & quidem ab Hæmorrhoiſſa, quæ primò per fidem illuſtrata dicebat intra ſe: *ſi tantùm tetigero, ſalua ero.* Itaque primò 1. peccator illuſtratus à Deo cogitet, quâ ratione à peccatis ſeſe expedire velit: reuertatur in ſe cum prodigo filio & dicat *ſurgam & ibo ad patrem meum.* 2. Secundò, acceſſit retrò cùm verecundia: ita etiam peccator rubore ſuffundatur ob admiſſa peccata. 3. Tertiò, tetigit fimbriam veſtimenti: faciat hoc peccator conſiderando nouiſſima, nec non paſſionem Chriſti (quæ eſt vitæ eius terminus) cui cauſam dedit, indeque compungatur. 4. Quartò, interrogata à Chriſto, ingenuè confeſſa eſt fœditatem infirmitatis ſuæ addiditque annos, quibus eam paſſa fuit, 12. videlicet, ſeque illam eſſe, quæ veſtem eius tetigit: denique vt S. Marcus ait: *dixit ei omnem veritatem*: ita pœnitens à Confeſſario de ſtatu conſcientiæ ſuæ interrogatus, fateatur ingenuè omnem veritatem & quantumuis fœda, vnà cum circumſtantiis, peccata ſua, quibus Deum non tam tetigit, quàm feriit. Tunc audiet à Confeſſario velut ab ipſo Chriſto: Eſto ſanus, ſeu abſoluo te. Nec omittenedum quòd hæc expiatio peccatoris fieri debet in via, id eſt, in hac vita & quidem tempeſtiuè: quemadmodum & mulier illa ſanata eſt in itinere Chriſti ad Iairum. Et ſicut ipſa per mediam turbam intruſit ſe vimque adhibuit quò ad Chriſtum veniret: ita & peccator non ſinat ſe vllis negotiis vel obſtaculis impediri à pœnitentiâ, quia *regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud*, multò etiam nobilior eſt ſalus animæ, quàm corporis.

G. VI. *Diſce dignè communicare.* Diſcimus SEXTO dignè communicare; 1. *A Chriſto.* primò, ab ipſo Chriſto, qui ingrediens domum Iairi eiecit mox turbam tumultuantem, tum ingreſſus eſt conclaue puellæ, & manu prehenſam excitauit iuſſitque illi cibum dari, vt habent Lucas & Marcus. Ad eundem modum eiici primò per contritionem & confeſſionem debet turba peccatorum: & tunc per gratiam ſuam ingreditur Chriſtus in animam, erigitque illam datâ amicitiæ ſuæ dexterâ: poſteà per cibum S. Euchariſtiæ animam confortat.

2. *Ab Hæmorrhoiſſa.* Secundò, ab Hæmorrhoiſſâ, quæ cùm Chriſti tetigiſſet fimbriam (per quam intelligere commodè poſſumus ſacram Euchariſtiam) tremens venit & procidit ante pedes eius, ſecundum Lucam: tameſi paulò antè iam ſanata erat. Pari modo ſanus iam & purus eſſe debet qui ad Chriſti communionem accedit, & nihilominus cum timore & tremore accidere ad eius pedes, quem ſcimus eſſe Deum: quod ſi mulier illa ſciuiſſet, quantò ampliùs trepidaſſet? Et tunc fiet Chriſto familiaris adeoque filius: quemadmodum & mulier ab eo filia vocata eſt.

H. VII. *Diſce bona agere.* Diſcimus SEPTIMO bona agere: à Chriſto, 1. qui primò, docens & diſputans de ieiunio, cùm interueniſſet Iairus rogans eum pro filia, ſtatim ſurgens ſecutus eſt eum. Quanta hæc humanitas Dei erga hominem, dimittere concionem & mox ſequi præeuntem, quò ducebat? facto reſpondit Dominus non verbo. Secundò, in ipſa via aliud inſigne beneficium impertiuit mulieri, tùm vt Iairum triſti nuncio perculſum, in fide roboraret, tum vt omnes doceret nullam benè agendi occaſionem prætereundam, ſed quodcumque poteſt manus noſtra inſtanter operandum, adeóque vt Apoſtolus ait *ad Epheſ. 5.* tempus redimendum eſſe, ne vel vna hora infructuosè nobis elabatur. Tertiò, parem erga pauperem fœminam & erga principis filiam exhibuit charitatem & beneuolentiam.

Diſcimus OCTAVO pati etiam mala ſeu aduerſa. ab eodem Chriſto, qui primò, cum à turbâ comprimeretur & affligeretur teſte S. Petro, nihil de hoc conqueſtus eſt. Quod vtinam aduertant nobiles noſtri, cùm in templo morantur, vel alibi locorum inter pauperes verſantur. I. VIII. *Diſce etiam pati mala.* 1.

Secundò, Tulit æquo animo ſannas & irriſiones in ædibus Iairi à turbâ tumultuante & tibicinibus. Pertranſiit verò eos & fecit quod facturus erat. Neque enim curandum ſi cæci irrideant videntes, aut claudi rectè ambulantes. Nec vituperatur bonus, cùm à malis vituperatur: potiùs laudatur. 2.

Tertiò, Non reſpondit irriſoribus, ne eos exaſperaret, illique in blaſphemias erumperent. Ob quam etiam cauſam placidiſſimis verbis eoſdem recedere iuſſit: *non eſt enim mortua puella ſed dormit*, inquit. Memor nimirum illius Eccleſ. 8. *non incendas carbones peccatoris.* 3.

Diſcimus NONO, Mundum contemnere, & quæ in eo ſunt, ſpes mundi inanes: Primò, à Chriſto, qui nullo penitus pretio ſanitatem omnibus impertiuit. Mulier illa omnia ſua erogauerat in medicos, nec tamen inde meliùs, ſed peiùs ſemper habebat: à Chriſto verò ſanata eſt, nullâ ſuâ impenſâ. Sed nec laudem quidem pro mercede recipere Chriſtus voluit à mundo; prohibuit enim parentibus puellæ, ne beneficium acceptum propalarent. Deinde mulieri prædictæ ſanitatem quidem reſtituit, non reſtituit tamen aurum in Medicos erogatum; quemadmodum nec alium vllum è paupere diuitem fecit: quia videlicet opes contemnendas eſſe duxit, quas nec ipſe requiſiuit, nec ſuos habere voluit. K. IX. *Diſce mundum ſpernere.* 1. *A Chriſto.*

Secundò, A filiâ Iairi, quæ maximas ſpes parentum ſubitò feſellit, dum in ea ætate, quâ maxima parentibus gaudia ſperabatur allatura è vita emigrauit. Erat vnica filia & totius domûs fundamentum, cui omnis honor, nomen, opes & fiducia parentum inædificanda erat; & en vnica febris adfuit & totum ædificium ſubruit. Ita nimirum mors omnes mundi ſpes, conatus & machinas euertit. Forſitan parentes illi cogitarent in animo ſuo, quod ferunt fabulæ de ruſtico, qui lactis amphoram portans ad forum, tacitè ſecum cogitabat: Tanti vendam lac meum: ex pretio emam gallinam, illa mihi generabit pullos: illos alam & gran- 2. *A filiâ Iairi.*

grandiores effectos vendam: ex pretio emam porcellum, quem impinguatum vendam, emamque vitulum, illum ſaginabo & vendam. Quid tanto pretio emam & faciam? emam equulum, cui filius meus inequitet. Hoc dicto geſtiens ſubſultare cœpit ac exprimere ſpeciem filij in equo exultantis, interim è capite amphoram excuſſit & lac omne in terram effudit, ac cum lacte pariter omnes ſuas ſpes & res, gaudia & molimina. Ita ſibi multi multa & mira fingunt, pollicentur, moliuntur, quæ tamen mors vel morbus vel ſiniſter aliquis caſus illicò euertit. Audiamus Sanctum Hieronymum in *Pſal.* 93. *Vultis ſcire*, inquit, *quoniam cogitationes vanæ ſunt hominum? Pater & mater nutriunt filium, promittunt ſibi de illo felicitatem, mittunt ad ſtudia, erudiunt, venit vſque ad adoleſcentiam, diſponunt vt etiam militet: cùm omnia cogitauerint per annos triginta, vna febricula venit & tollit omnes cogitationes.*

L. X. Diſce in bono perſeuerare. Diſcimus DECIMÒ, in bono perſeuerare, nec terreri obtrectationibus malorum, quemadmodum & Chriſtus poſthabitis obtrectatoribus clamantibus actum eſſe de puellæ ſalute, perrexit ad locum, vbi iacebat, eamque excitauit tam facilè, quàm ſi dormiens, non mortua fuiſſet. Artificium eſt dæmonis initio boni operis tricas excitare & ſementem in germine ſuffocare, difficultates ingerere, &c. Sed tu ſi ſapis, perſiſte in propoſito & eluctare pro viribus: videbis, in progreſſu rem quam propoſuiſti, difficilem adeò non eſſe & *cùm ingreſſus fueris* (per ſemitas æquitatis) *non arctabuntur greſſus tui & currens non habebis offendiculum*, ait *Prou.* 4. Sapiens.

CONCIO X.

Myſteria.

Aſſignantur tres rationes cur mulier tetigerit fimbriam Christi.
2. *Cur Chriſtus hoc miraculum manifeſtari voluit.*
3. *Mulier hæc allegoricè gentilitatem, moraliter animam peccatricem ſignificat.*
4. *Cur ierit Dominus ad filiam Iairi, non ad filium Reguli.*
5. *Cur eiecerit tibicines & turbam.*
6. *Cur tenuerit manum puellæ.*
7. *Quare voluerit taceri hoc miraculum.*
8. *Quid myſticè hæc puella.*

THEMA.

Recedite; non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Matth. 9.

A. Hæretici abutuntur hoc Euangelio. MIrum de herbâ Sabinâ, aliis Rododaphne dictâ, ſcribit Plinius *lib.* 34. *cap.* 11. folia eius quadrupedibus venenum eſſe, homini verò contra ſerpentum venena præſidium. Non abſimilis huic herbæ ſacra ſcriptura eſt, quæ Catholicis quidem, vtpote ratione vtentibus veraque fide prædìtis ſalutiferum eſt præſidium contra omnes diabolici ſerpentis tentationes & illecebras peccatorum; at verò Nouatoribus, fide deſtitutis, qui non ſecundùm rationem, ſed iuxta carnis ſuæ appetitum viuunt ac ſcripturam interpretantur, venenum fit & toxicum. Ecce enim hodiernum Euangelium, vnde nos ſana omnia & ſalutaria haurimus, ipſi in ſuam perniciem trahunt, ad errores concinnandos. Aſſerit Marcus & Lucas Chriſtum Archiſynagogo dixiſſe: *Crede tantùm & ſalua erit*, (filia tua.) Hoc ipſi auidè arripiunt & inde venenum ſugunt peſtiferi erroris, ſufficere ſolam fidem abſque operibus ad ſalutem; cùm tamen hîc apertè non de ſalute aut iuſtificatione, ſed de miraculo ſanandæ puellæ ſermo ſit. Sufficiet ergo fides ad miraculum hoc obtinendum & filiæ ſanitatem; ſed non inde colligas ſufficere eam ſolam ad ſalutem animæ. Rurſum iubet Dominus è domo Archiſynagogi faceſſere tibicines & turbam tumultuantem, flentes quoque & eiulantes. Arripuère & hoc Nouatores aliqui, indeque collegerunt eliminanda eſſe è templis Organa & inſtrumenta harmonica, Muſicamque vniuerſam: prohibendum quoque eſſe luctum mortuorum. At quis hîc non videt, neutrum improbari à Domino; qui id ſolùm inſinuare vult, non eſſe deplorandam ſeu luctu proſequendam puellam, quæ veriùs ipſi viuat, mox ad vitam reuocanda? Manifeſtè igitur cernimus venenum eſſe hæreticis ſacrum Euangelium, quod fidelibus eſt theriaca, præſentiſſimum veneni remedium. Sed iam ad Euangelij declarationem nos accingamus.

B. I. Cui mulier tetigit fimbriam Chriſti. 1. Q. PRIMÒ, Cur mulier illa tetigit fimbriam veſtis Chriſti? Reſp. Primò. Ex magna fide; credidit enim tantam eſſe Chriſti ſanctitatem; vt etiam eius veſtes earumque minimæ partes vim ſanctificandi ac ſanandi ab eo trahere poſſent: quodque amplificat eius virtutem, prima ipſa fuit, quæ hoc credidit, habuitque plures ſectatores, qui rogabant Chriſtum vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent, *Matth.* 14. Confundit ergo hæreticos, qui perſuaderi nequeunt, crucem v. g. aliaque Paſſionis inſtrumenta virtutem aliquam ſupernaturalem traxiſſe à Dominici corporis contactu, vti & reliquias ſanctorum. Quodque mirandum eſt, negant viuenti Chriſti corpori, quod concedere debent emortuo Eliſæi, cuius oſſa in tumulo poſtquam attigit quidam defunctus, caſu in eum iniectus, illicò reuixit. 4. *Reg.* 13.

Secundò, Ex humilitate; cùm enim fœdo laboraret morbo, & (vt ſenſit Euſebius *lib.* 7. *cap.* 14.) mulier eſſet gentilis ex Cæſarea Philippi, non ſe dignam reputabat, quæ Chriſtum ipſum tangeret, vel per veſtem apprehenderet; itaque extremitatem ſolam digito ſaltem tangit, & quaſi nec hoc auderet, retrò accedit. Quinta humilitatis adinuentio? quia ergo ſe minimam reputabat, magna facta eſt, audiitque à Domino: *Confide filia, fides tua te ſaluam fecit.* 2.

fecit. Filia vocatur, quæ ſe ancillæ inſtar ad infima deiecit. Ita nimirum Deus exaltare humiles & ex infimis, qui ſe tales æſtimant, facere ſummos ſolet, quemadmodum & hanc mundi machinam è nihilo creauit. Vnde S. Auguſtinus *ſerm. 10. de verb. Dom.* ait: *Magnus eſſe vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis.* Hinc tantus euaſit Franciſcus, quia minimus eſſe ſtuduit; cuius hæc erat oratio: *Domine cuſtodi tuum donum in me, quia ego eius ſum latro; dum tibi eius gloriam ſuffuror mihiq́; adſcribo.* Bonau. in vita.

5. Tertiò, Ex veneratione Iudaicæ religionis & mandatorum Dei. Quia enim *Num.* 15. præceptum erat Iudæis vt facerent ſibi fimbrias per angulos palliorum, vt earum aſpectu recordarentur mandatorum Dei & dignoſcerentur à gentilibus, colligitur etiam Chriſtus geſtaſſe in ſua veſte fimbrias tales. Has ergo venerabunda tetigit mulier, velut ſymbolum religioſi viri, cuius conuerſatio cœleſtis eſſet, (quod indicabat ianthynus color iiſdem inſertus) ſperans ſe per eas conſequi poſſe, quod optabat. At huius, vt opinor, imitationem ſolent aliqui, præſertim Itali, Sacerdotum caſulas in extremitate arripere ac deoſculari, laudabili pietate.

C. II. *Cur Chriſtus hoc miraculum manifeſtari voluit.*

Q. Secvndò, Cur Dominus miraculum hoc occultè patratum manifeſtari voluit? Reſp.
1. Primò, propter gloriam Dei, quò nimirum mulier beneficium clariùs agnoſceret Deoque gratias ageret. Cenſum aliquem petit Deus de bonis in nos collatis, ſed exiguum valdè, vt beneficium agnoſcamus ac profiteamur, ne de eo, quaſi propriis viribus obtento ſuperbiamus, & mereamur plura alia accipere. Non eget Deus gratitudine noſtrâ, ſed egemus nos.

2. Secundò, Propter ipſam mulierem, vt magnam eius fidem populo manifeſtaret publiceque commendaret. Sciuit Dei ſapientia quisnam ipſum tetigiſſet; quæſiuit tamen: *Quis me tetigit?* vt mulier ſe proderet, ipſeque eius fidem aliis imitandam proponeret. Frequens hoc erat Domino, quædam interrogare, vt virtutes aliorum extimularet ac monſtraret, adeoque lucernam quaſi abſconditam ſuper candelabrum poneret; noſtrum ergo profectum, noſtrum honorem, non ſuum vndique quæſiuit.

3. Tertiò, Propter Archiſynagogum, vt opinor; vt in fide ſuſcitandæ filiæ eum præuio hoc miraculo, obiter quaſi patrato, confirmaret. Vidit enim Dominus breuì aduenturos nuntios, qui dicerent ei: *Quia filia tua mortua eſt: quid vltrà vexas Magiſtrum? Marci* 5. Ne ergo deiiceretur hoc nuntio, vacillaretque in fide; miraculum ſanatæ mulieris conſtare ipſi voluit. Quàm bonus & benignus Dominus, qui pro viro hoc ſolicitus, lapſum eius præuenire tam paternè ſatagit.

4. Quartò, Propter circumſtantem populum, hoc miraculo ædificandum & ad fidem perducendum; non enim tam corporibus, quàm ſanandis animabus miracula patrabat. Atqui ſi latuiſſet hoc miraculum, nullum inde fructum populus hauſiſſet; vti etiam nos. Ipſa mulier ſi motu proprio, non interrogata à Chriſto, beneficium proteſtata fuiſſet, audita non fuiſſet, & fidem non meruiſſet. Sapientiſſimus etiam Dominus non ipſe miraculum deprædicat, ſed mulieri occaſionem præbet id deprædicandi: ambitionem à ſe amoliens.

Quintò, Propter nos, vt doceret non ſufficere per fidem & contritionem confiteri Deo peccata ſua, ſed requiri etiam confeſſionem oris Sacerdoti faciendam, non obſtante noſtrâ verecundiâ. Propterea circumſpiciens & quærens: *Quis me tetigit?* mulierem ad confeſſionem traxit, vt non erubeſceret eſſari, quo morbo detenta fuiſſet; & nos interim doceret non erubeſcere confiteri, ſi non erubuimus peccare. 5.

Confeſſio vt facilis fiat.

Quod ſi volumus alleuiare confeſſionis difficultatem. Primò, ſæpe confiteamur. Faciliùs euerritur cubiculum vel templum ſingulis ſeptimanis, quàm ſingulis annis. Secundò, vita grauia peccata, & facilis erit confeſſio, quæ ad hoc etiam à Chriſto inſtituta eſt, vt eſſet frænum grauibus peccatis. Tertiò bene pondera peccata tua & animo deteſtare: tunc videbis nihil eſſe grave, quidquid pro iis redimendis feceris.

D. III. *Quid mulier hæc myſticè.*

Q. Tertiò, Quid mulier hæc myſticè notat? Reſp. Primò, ſenſu allegorico gentilitatem.
1. *Gentilitas.* Primò. Hæc ſanatur in itinere: filia Iairi, quæ Iudaiſmum ſignificat, vtpote puella Iudaica, ſenatur in domo; quia gentiles extra Eccleſiam vagabantur, expoſiti dæmonis inſidiis, Iudæi verò in Eccleſia & peculiari Dei tutelâ erant. Secundò, Hemorrhoiſſa priùs ſanatur quàm puella; tametſi Chiſtus ad hanc dumtaxat inſtituerat iter ſuum: ita licet Chriſtus ad Iudæos tantùm miſſus fuerit, iis tamen gentiles ſalutem præripuêre; priùs enim & faciliùs crediderunt: Iudæi ad finem mundi primùm conuertendi ſunt. Tertiò. Duodecim annos nata erat Iairi filia, & per totidem illos annos Hæmorrhoiſſa laborauerat fluxu ſanguinis, quia quamdiu apud Iudæos verus Dei cultus viguit, tamdiu laborauit gentilitas idololatriæ cultu, quo in omnis generis vitia diffluens omnes animæ vires perdidit omnique virtutis vigore exhauſta. Quartò, Erogauerat hæc mulier, fruſtra tamen, omnia ſua in Medicos: gentilitas quoque omnes ſuas vires in Philoſophorum præcepta impenderat; nihil tamen inde virium, ſapientiæ & auxilij conſecuta, nec à ſordibus ſuis liberata eſt. Quintò, Apprehendit illa fimbriam ſolam, non veſtimentum Chriſti; quia non vidit Chriſtum in carne oculis ſuis, quemadmodum Iudæi; (quorum typus, filia Iairi manu Chriſti apprehenſa & erecta eſt) niſi in pauciſſimis ſubiectis: fide tantùm apprehendit Chriſtum, ex auditu Euangelij. Adhæc à veſte Chriſti ſolà, hoc eſt, ab Apoſtolis eius edocta & ſanata eſt per fidem: Iudæi ipſam Chriſti manum tetigerunt, qui miracula & conuerſationem eius vide-

viderunt, edocti ab ipſomet. De hac igitur gentilitate pulchrè vaticinatus eſt Zacharias *c.8. In diebus illis;* (gratiæ & Euangelij) *in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gẽtium & apprehendent fimbriam viri Iudæi; dicentes: Ibimus vobiſcum: audiuimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt.* S. Hieronymus per Iudæum accipit Chriſtum, alij Apoſtolos. Puto cum S. Hieronymo Chriſtum eſſe Iudæum illum, veſtem eius Apoſtolos, per hanc apprehenderunt Chriſtum gentiles, dum Apoſtolos ſecuti, dicebant: *Ibimus vobiſcum*; & quemadmodum pueruli apprehendunt veſtem patris, ſectando eum ne cadant néue ab eo ſeparentur: ita & gentiles ſecuti ſunt Apoſtolos, committendo ſe eorum directioni & diſciplinæ, adhærendo eis per fidem.

2. *Anima peccatrix.* Secundò, Senſu morali ſignificat quamuis peccatricem animam. Hæc enim per peccatum in fœdum incidit morbum, quo pæne omnes animæ vires ſupernaturales perdit, & à Dei conſpectu elongatur: cupiditatibus diffluit: alios Medicos & quaſi Deos quærit, in quos omnem ſuum laborem, curam, cogitationem & amorem impendit; mundum, carnem, voluptatem, pecuniam, honorem; hi illius Medici ſunt; ſed in ijs nullum reperit remedium, redigitur potiùs ad extremam inopiam ac famem: quotidiano etiam & quaſi continuo peccatorum fluxu prorſus eneruatur. Quare ſi curari vult, veniat ad Chriſtum, inſiſtat eius veſtigiis, non curet mundi compreſſionem atque irriſionem, impedimenta omnia perrumpat, tangat Chriſtum per fidem & contritionem, recenſeat quoque Confeſſario ſuas ægritudines dicatque ei omnem veritatem: vti Hæmorrhoiſſa fecit.

E. IV. *Cur iuit Dominus ad filiam Iairi, non ad filium Reguli.* Q. QVARTÒ, Cur iuit Dominus ad filiam Iairi, non iuit ad filium Reguli, tametſi rogatus? Reſp. Primò, ad Regulum non deſcendiſſe, quia ipſi voluit oſtendere potentiam virtutis ſuæ, quâ etiam abſens mederi eius filio poſſet, quod nondum credebat Regulus: ad Iairum deſcendiſſe, quia ipſi voluit exhibere humanitatem & comitatem ſuam; nec erat opus oſtendere iſti virtutem ſuam in diſtantia loca. Simili modo ob aliam & aliam rationem in hac ipſa hiſtoria vult manifeſtari miraculum ſanatæ mulieris, taceri miraculum ſuſcitatæ filiæ.

2. Secundò, Ad Iairum deſcendiſſe propter nouitatem & magnitudinem miraculi, veritate comprobandi. Erat enim filia eius à morte excitanda, quòd eatenùs non fecerat Dominus. Itaque vt conſtaret fides & certitudo miraculi, conueniebat vt ipſe ad mortuam veniret, eamque tangeret & ad vitam reuocaret. Quod ſi abſens eam ſuſcitaſſet, dubium eſſe poterat, num ab ipſo ſuſcitata, an potiùs è lethargo experrecta eſſet.

F. V. *Cur eiecit tibicines & turbam.* Q. QVINTÒ, Cur eiecit tibicines & turbam tumultuantem? Reſp. Primò, quia non erat cur defunctam plangerent, mox reſuſcitandam. Indicauit eo verbo Dominus, certam eſſe filiæ reſuſcitationem, nec per orationem, ſed per imperium ab ipſo excitandam, velut à Domino vitæ & mortis. Hanc cauſam inſinuat cùm ait: *Recedite, non eſt enim mortua puella.* q. d. fruſtra eſſet leſſus veſter, quia reſurget puella.

Secundò, Quia indigni erant, qui viderent myſterium reſurgentis; *ſuſcitantem enim irriſerant,* inquit D. Hieronymus. Scribit S. Auguſt. *tract.76.* in Ioan. *Suſcitatum Chriſtum nemo vidit impiorum.* Quia nimirum *non reſurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum. Pſ. 1.* idcircò à myſterio & gloriâ reſurrectionis ſpectandâ iure amoti ſunt. 2.

Tertiò, Quia *voluit hoc miraculum aliquatenùs eſſe occultum propter inuidiam Iudæorum, ne per hoc daretur eis maior occaſio perſequendi eum ante tempus,* inquit Didacus Stella *in c.8. Lucæ.* Noluit tamen prorſus eſſe abſconditum, ne omninò ignoraretur. De iure autem ſufficiebant tres Apoſtoli, quia *in ore duorum vel trium ſtat omne verbum, Deut.19.* Docuit ergo nos ex operibus noſtris gloriam noſtram non quærere: ſed ſoli Deo velle placere; ne dum hominum gloriam quærimus, gloriam Dei perdamus. Hugo de S. Victore dicere conſueuit: *Superbia aufert mihi Deum, inuidia proximum, ira meipſum.* Deum aufert vana gloria vnaque meritum operis boni. Hanc igitur qui ſectantur, ſtolidi & vecordes ſunt, inſtar columbæ ſeductæ, non habentis cor (*Oſe.7.*) quæ ſine omni reſiſtentiâ & triſtitiâ patitur ſibi eripi pullos ſuos, ſingulis pæne menſibus. 3.

Q. SEXTO, Cur tenuit manum puellæ, & (teſte Lucâ) clamauit: *Puella ſurge?* Reſpond. ad Primum, apprehendiſſe manum puellæ, vt ſatisfaceret voto & fidei patris qui dixerat: *Impone ſuper eam manum, & viuet,* ſimulque inſinuaret diuinam ſuam potentiam, quâ nulli certo alligatus medio aut remedio, ſed quauis ratione quoſuis ſanare poſſet morbos & depellere miſerias. Ita Did. Stella. Deinde vt confirmaret quod paulò antè dixerat, non eſſe mortuam ipſius puellam, ſed dormire; apprehendit enim manum puellæ, & erigit eam, ſicut excitare ſolemus aliquem è ſomno. G. VI. *Cur tenuit manum puellæ.*

Reſp. Ad ſecundum, clamorem adhibuiſſe, vt indicaret non præſentem vocari animam, ſed abſentem, in occulto aliquo receptaculo interim detentam. Mox enim vt audiuit hanc vocem *Spiritus* puellæ, *reuerſus eſt* in corpus eius, vt ſcribit Lucas. Rurſum, vt oſtenderet verbi & imperij ſui potentiam, cui etiam ipſa mors, potentiſſima alioquin & omnium viuentium domitrix, ſtatim & in puncto obedire debeat. Non orabat nec ſe fatigabat, cùm miracula patrabat, vti fecerant Elias & Eliſæus; ſed cum imperio iubebat: quod imprimis mirabantur Iudæi; qui proinde ex hoc vel vno colligere eius diuinitatem debebant. *Cur clamauit: Puella, ſurge.*

Q. SEPTIMO, Cur (teſte Marco & Lucâ) præcepit vehementer parentibus puellæ, ne miraculum hoc euulgarent? Reſp. Primò, ne populi fauorem, Principum verò & Phariſæorum inuidiam erga ſe accenderet. Cùm enim hoc miraculum primo prædicationis anno H. VII. *Cur præcepit tacere hoc miraculum.*

anno ab ipſo deſignatum ſit & adhuc multa alia per triennium patranda eſſent, conueniebat vt hoc tantum miraculum non vndique pateſieret, ne magna nimis inuidia æmulorum in ipſum conflaretur, ſicque Dominus ante tempus ad necem ab eis raperetur aut exulare, vel certè deſiſtere à miraculis & prædicatione cogeretur. At verò vbi tertio prædicationis anno ad terminum & paſſionem ſuam appropinquabat, iam tunc huiuſmodi miracula publicè patrabat.

2. Secundò, Vt ſuſpicionem affectatæ gloriæ declinaret; maximè quia multa turba præ foribus expectabat & euentum præſtolabatur. Sciebat quidem Dominus, non omninò occultari poſſe miraculum, facit tamem quod potuit, ne ipſius inſtinctu fieret manifeſtum, quo notam captatæ gloriæ hominumque plauſum fugeret.

3. Tertiò, *Seruis ſuis*, inquit, D. Gregorius *l. 19. Moral. c. 14. exemplum Chriſtus dedit, vt ipſi quidem virtutes ſuas occultare deſiderent; & tamen vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti, &c.* Id quod etiam Chriſto contigit; *exijt* enim *fama hæc in vniuerſam terram illam*, inquit Matthæus; quamuis fortè non ſtatim per omnem omninò Iudæam & Galilæam: quod vt diximus, impedire pro nunc voluit.

I. VIII. Q. OCTAVÒ. Quid myſticè hæc puella notat? Reſp. tres defunctos à Chriſto ſuſcitatos triplicem indicare gradum peccatorum, Puella in domo ſuſcitata, ſignificat peccatorem adhuc in peccato latentem: adoleſcens extra portam iam elatus: peccatorem publicum: Lazarus in ſepulchro, peccatorem inueteratum. Ita D. Gregorius 4. *Mor. cap. 15.* Puella in domo, conſenſum in peccatum; adoleſcens extra portam, ipſum peccati actum; Lazarus fœtens, peccandi indicat conſuetudinem. Ita gloſſa. Puella in domo facilè ſuſcitatur & manu erigitur: adoleſcens extra portam aliquantò maiori operâ, quia tangi debuit loculus & ſiſti portitores: Lazarus adhuc maiori cum impendio; turbat enim ſe Dominus & lachrymatur priùs; non quòd his opus haberet, ſed vt nos doceret peccata grauiora grauiore indigere remedio. Ita Ven. Beda. *Quid myſticè hæc puella.*

Porrò tria egit Dominus in ſuſcitatione huius puellæ; clamauit: *Puella tibi dico ſurge:* tenuit manum eius: iuſſit ei cibum dari. Clamat Deus per conciones aliaſque pias admonitiones in cor peccatoris, vt ſurgat à peccatis: erigit eum manu, cùm abſoluit pœnitentem manu peccatoris & erigit à morte ad vitam animæ: iubet ei cibum porrigi, in S. Communione, quæ confortat hominem vt vitam illam conſeruet & in bono perſeueret.

DOMINICA VIGESIMA QVARTA ET VLTIMA POST PENTECOSTEN.

Euangelium Matth. 24.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat: tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non deſcendant tollere aliquid de domo ſua: & qui in agro non reuertatur tollere tunicam ſuam. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate autem, vt non fiat fuga veſtra in hyeme vel Sabbatho, erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modò, neque fiet. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur dies illi. Tunc ſi quis vobis dixerit, ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere: Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergò dixerint vobis. Ecce in deſerto eſt, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere, Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem: ita erit & aduentus Filij hominis. Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabuntur, & Luna non dabit lumen ſuum; & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur. Et tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo. Et tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ & maieſtate. Et mittet Angelos ſuos cum tubâ & voce magnâ: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cœlorum, vſque ad

ad terminos eorum. Ab arbore autem fici diſcite parabolam: cùm iam ramus eius tener fuerit & folia nata, ſcitis, quia propè eſt æſtas. Ita & vos cùm videritis hæc omnia, ſcitote, quia propè eſt in ianuis. Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.

CONCIONES.

I. De perſecutione Antichriſti omnium grauiſsimâ.
II. Perſecutio Antichriſti cur à Deo permittenda.
III. Grauitas peccati vnde colligatur.
IV. Pœnitentia non differenda vſque ad finem vitæ.
V. Sex aſyla protegentia ab ira Iudicij venturi.
VI. Quibus maximè pertimeſcendum ſit Iudicium.
VII. Quare crux apparitura in die Iudicij.
VIII. Eccleſiam Catholicam veram eſſe Chriſti Eccleſiam demonſtratur ex quatuor eius notis.
IX. Documenta.
X. Myſteria.

CONCIO. I.

De perſecutione Antichriſti omnium grauiſsima.

1.2. Grauiſsima erit ſi conſideretur ipſe Antichriſtus & præcurſor illius.
3. Si conſideretur eius ductor, dæmon.
4.5. Si conſiderentur eius mores & doctrina.
6.7. Si conſideretur eius perfectio, exercitus & miniſtri.

THEMA.

Cùm videritis abominationem deſolationis, &c. Matthæi 24.

A. TAmetſi abominatio deſolationis ad literam ea hîc intelligitur, quæ futura erat in excidio Ieroſolymæ ſub Tito Imperatore; tamen eadem ſenſu allegorico clarè repræſentat aduentum Antichriſti, adeò vt aliqui SS. Patres ad literam ſic intellexerint. Hinc enim Daniel, qui *c.* 9. profanationem templi ſub Tito vocauit *abominationem deſolationis*, idem etiam *c.* 12. Antichriſtum vocauit *abominationem in deſolationem.* Nec immeritò; quia vti prior illa abominatio depopulata eſt templum & vrbem: ita hæc poſterior deuaſtabit Eccleſiam & orbem. Vnde prior illa abominatio typus & præludium fuit abominationis illius, quam faciet Antichriſtus. Quæ cauſa eſſe videtur, cur Chriſtus vtramque conuoluat, cùm ab excidio vrbis Jeruſalem ſubitò tranſit ad excidium orbis, quaſi vnum & idem vrbis & Orbis excidium foret; quia videlicet typus idem quodammodo eſt cum antitypo. Porrò excidium Vrbis, quàm calamitoſum fuerit, vidimus: videndum ergo nunc futurum Orbis excidium longè calamitoſius. Referemus autem certiora tantùm, & quæ in SS. literis continentur, aut inſinuantur.

B. I. Grauiſſima erit, ſi conſideretur ipſe Antichriſtus. Grauiſſima erit hæc perſecutio. PRIMÒ, ſi conſideremus ipſum Tyrannum, Antichriſtum. Nam imprimis erit Iudæus iuxta omnium opinionem; (quia pro Iudæorum Meſſiâ ſe venditabit:) & iuxta communem, ex tribu Dan; ſiquidem de eo vaticinatum Patres volunt Iacob Gen. 49. cùm de filio Dan dixit: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemitâ, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò.* Deinde idcircò creditur S. Ieannes in commemorandis electis tribuum Iſrael omiſiſſe tribum Dan, propter Antichriſtum, qui ex ea naſcetur, propterea pæne omnes Danitæ illi adhærebunt. Iam verò quis neſcit, quantum ſit Iudæorum in Chriſtianos imprimis odium: quantas olim tyrannides contra illos exercuerint, cùm Religio Chriſtiana plantaretur? Colet igitur Antichriſtus Judæos, eorum ritus obſeruabit, eoſque ſibi deuinciet in odium potiſſimùm & vexationem Chriſtianorum: interim tamen & illos decipiet, mentietur ſe è tribu Judâ oriundum, vt faciliùs perſuadeat, ſe illorum Meſſiam eſſe.

2. Secundò, Naſcetur humili loco & ex vilibus Judæis. Ideo à Daniele *c.* 7. vocatur *cornu paruulum*, quod ſenſim creſcit, quodque non hæreditate, ſed fraude regnum obtinebit, Dan. 11. At verò, vt bene quidam dixit: *Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum.*

3. Tertiò, Nomen eius conficiet numerum 666. vt habetur *Apoc.* 13. quod conſummatam & triplicatam eius malitiam indicare videtur. Numerus enim ſenarius, numerus laboris, ſudoris & afflictionis eſt, iuxta id: *Sex diebus operaberis, &c. Exod.* 20. Et: *In ſex tribulationibus liberabitte*, Job. 5.

4. Quartò, Fiet Monarcha Orbis omnium Imperatorum, qui vnquam fuerunt, potentiſſimus, iuxta id Dan. 7. *Ipſe potentior erit prioribus*, Pugnabit enim contra 10. Reges: quorum tres primò ſuperabit, poſtmodum reliqui ſeptem ei ſe ſponte ſubiicient, *Apoc.* 3. Quantam ergo putamus futuram tyrannidis eius aſperitatem, qui ſuperiorem nullum timebit?

5. Quintò. Sedem ſuam figet Hieroſolymis ibique in templo à ſe inſtaurato ſedebit, & adorabitur vt Deus, menſibus 42. id eſt, tribus annis cum dimidio, *Apoc.* 11.

C. II. Si conſideretur eius præcurſor. SECVNDO, Si conſideremus eius præcurſorem (*armigerum* vocat Irenæus *l.* 5. *adu. hær. c.* 28.) quem habebit, vt Chriſtus habuit Joannem Baptiſtam. Is erit inſignis impoſtor, de quo legimus, exponunt S. Ambroſius in *Apoc.* 8. Irenæus locus *cit. Apoc.* 13. *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terrâ, & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut Draco, & poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius.* Hic ergo præco & concionator Antichriſti, primò aſcendet de terrâ, quia de terrâ erit, & terram loquetur ac terrena. Secundò, habebit

2. & terram loquetur ac terrena. Secundò, habebit cornua duo ſimilia agni, quia manſuetudinem & innocentiam ſimulabit, atque ita blandis verbis & fucatâ ſanctitate auditores ſuos velut cornibus feriet ac decipiet. Tertiò, 3. loquetur ſicut Draco, quia ſub eius linguâ latebit venenum & venenata malitia ac calliditas. Quartò, poteſtatem accipiet faciendi 4. prodigia & miracula ſicut ipſe Antichriſtus, ficta ſcilicet & dæmonum arte confiſcta, idque ex mandato Antichriſti. Quintò, 5. faciet terram & habitantes in eâ adorare beſtiam primam, quia infinitos propemodum homines terrenarum rerum amantes peruertet, vt adorent Antichriſtum. Sextò, faciet ſi-6. gna magna, etiam ignem deſcendere de cœlo in terram in conſpectu hominum, & ſeducet habitantes in terrâ propter ſigna, quæ data ſunt ei facere in conſpectu beſtiæ. Septimò, 7. dicet habitantibus in terrâ, vt faciant imaginem beſtiæ, id eſt, ſtatuas & ſimulachra Antichriſti eaque adorent. Octauò, dabit ſpiri-8. tum imagini beſtiæ, id eſt, Antichriſti, vt loquatur operatione dæmonis, quemadmodum dæmon olim fecit reſponſa dare Idolâ; & faciet, vt quicunque non adorauerint imaginem 9. beſtiæ, occidantur. Nonò, faciet omnes, puſillos & magnos, diuites & pauperes, liberos & ſeruos habere characterem beſtiæ in dexterâ manu ſuâ, aut in frontibus ſuis, & ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habuerit characterem aut nomen beſtiæ aut numerum nominis eius.

D. III. Si conſideretur eius ductor, dæmon.

Tertiò, Si conſideremus eius ductorem, conſultorem & magiſtrum dæmonem, qui tunc cum totâ ſuâ cohorte ſoluetur è carcere, & exibit atque ſeducet gentes, vt ait Joannes *Apoc.* 20. Imprimis verò vtetur Antichriſto velut organo aptiſſimo, cui immittet omnem plenitudinem malitiæ; ſicuti Spiritus ſanctus Chriſto contulit omnem plenitudinem diuinitatis & virtutis. Sic enim de eo ſcribit Apoſtolus 2. *Theſſal.* 2. cùm ait: *Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute* (id eſt, potentiâ) *& ſignis & prodigijs mendacibus.* q. d. In eius aduentu Satanas operabitur, & exeret omnem ſuam potentiam, faciendo eius complexionem ad omnia vitia propenſiſſimam, inſtituendo eum à puero ad omne malum, & in virili ætate operando per ipſum omnem nequitiam, edendo portenta mendacia; per aſtutiam & fraudes, minas & terrores, munera & illecebras, homines decipiendo. Nam quemadmodum Chriſtus mundum ad ſe traxit triplici funiculo, promiſſione regni cœleſtis, minis damnationis, ſermone miraculis confirmato: ſic dæmon per Antichriſtum velut aptiſſimum ſuum inſtrumentum triplici illo fune trahet ad ſe homi-

Trahet ad ſe homines. 1.

nes. Primò, munerum exhibitione & variarum illecebrarum propoſitione; nam auri theſauros paſſim abſconditos exhibebunt ei dæmones; qui in hunc finem eos cuſtodire putantur, vti cuidam ariolo reſpondiſſe dæmonem ſcribit Laurent. Ananias lib. 2. de natu-

râ dæmon. Accedit Daniel cap. 11. dicens: *Et dominabitur theſaurorum auri & argenti & in omnibus pretioſis Ægypti.* Secundò, menda- 2. cibus verbis & prodigijs, adeò tamen apparentibus, vt teſte Saluatore, ſufficere poſſent ad electos etiam, ſi fieri poſſet, in errorem inducendos. Olim certè licet martyres varia tormenta paterentur, ipſi tamen interim miracula faciebant: ſed tunc ipſe carnifex & Antichriſtus faciet miracula; & martyr patietur. Vnde S. Gregorius lib. 33. Moral. cap. 12. ait: *Quæ erit humana mentis illa tentatio, quando pius martyr & corpus tormentis ſubijcit, & tamen ante oculos eius tortor miracula facit?* Tertiò, vi, ar- 3. mis & cruciatibus.

E. IV. Si conſideretur eius mores.

Qvartò, Si conſideremus eius mores. Erit enim perditiſſimus omnium mortalium. Vnde 2. Theſſal. 2. appellatur ab Apoſtolo, *homo peccati, & filius perditionis, & ille iniquus.* Nam primò erit magus, & habebit dæmonem fa- 1. miliarem Maozim nomine, (Dan. 11.) qui eum auertet ab omni bono, & ad omnia vitia ſuaſionibus ſuis pertrahet. Secundò, erit im- 2. pudens facie, (Dan. 8.) ita vt ſe præ omnibus Diis coli velit. Rurſum atheus & blaſphe- 3. mus in Deum; Dan. 11. *Faciet iuxta voluntatem ſuam Rex,* id eſt, Antichriſtus, *& eleuabitur & magnificabitur aduerſus omnem Deum: & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica;* (id eſt, verba ſuperba.) *Et Deum patrum ſuorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit, quia aduerſum vniuerſa conſurget.* Colet tamen ſuum Maozim, licet occultè tantùm. Et Apoc. 13. *Et aperuit os ſuum in blaſpemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in cœlo habitant,* Et 2. Theſſal. 2. *Extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus, &c.* Quartò, erit Tyrannus crudeliſſimus, maxi- 4. mè in Chriſtianos, Apoc. 13. vbi dicitur: *Hæc eſt patientia & fides Sanctorum.* Et iterum: *Et eſt datum illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos,* videlicet cruciatibus, vt vel peruertantur, vel ſaltem moriantur. Quintò, erit hypocrita, & 5. initiò quidem ſimulabit ſe valde humanum, caſtum, benignum, pium, legis Moyſis zelatorem, vt pelliciat ad ſe Judæos, & perſuadeat ſe Meſſiam eſſe; in pectore tamen virus geret, & hoſtis omnium virtutum erit: totus proinde politicus, vti pòſt videbitur, cùm rerum potitus fuerit; eritque inter alia etiam *in concupiſcentijs fœminarum,* ait Daniel cap. 11. id eſt, libidini ſeruiens, qui tamen priùs caſtum ſe ſimulabit: vnde meritò à Joanne *beſtia* vocatur, id eſt, more beſtiarum viuens libidinosè.

F. V. Si conſideretur eius doctrina.

Qvintò, Si conſideremus eius doctrinam, quæ doctrinæ Chriſti tota erit contraria. Primò enim Chriſtum Dominum noſtrum 1. & omnia ſacra Chriſtiana abneganda & abijcienda eſſe docebit, veluti meram & vanam ſuperſtitionem. Ideo enim Antichriſtus dicitur 1. *Ioan.* 2.

Secundò, Legem Iudaicam, ſeruari volet, 2. initiò, quoad Iudæos ad ſe trahat, Ioan. 5.

3. Tertiò, Factus monarcha, legem etiam Moyſis & naturæ abijciet, ſacraque feſta abolebit. Vnde dicitur Dan. 7. *Putabit, quòd poſſit mutare leges & tempora.*

4. Quartò, Suam ſectam inducet, quæ eſt atheiſmus & omnimoda carnis & vitiorum libertas ad peccandum impunè & abſque omni pudore. Ad hoc enim imprimet ſectatoribus ſuis characterem in fronte vel manu dexterâ, *Apoc.* 13. In fronte quidem, quia fidei & vitæ Chriſtianæ profeſſionem abolebit, & eius loco dabit licentiam peccandi abſque omni verecundiâ. In manu verò quia & bona opera tollet, & vetabit, ne quis ſe conſignet ſanctæ crucis ſigno, vtpote ſibi infeſto.

5. Quintò, Volet vt Deus coli, & proindè adorari, ſacrificijs honorari, aris, templis, &c.

G. VI. Si conſideretur ipſa eius perſecutio.

SEXTÒ, Si conſideremus ipſam perſecutionem, quæ erit extrema & qualis non fuit ab origine mundi, vt habetur in hodierno Euangelio. Nam primò coget homines abnegare Chriſtum & ſacra omnia, ipſum verò confiteri: & in hunc finem conſignabit eos

1. charactere, id eſt, imagine vel nomine ſuo impreſſo, ita vt nemo poſſit quidquam vendere aut emere, niſi qui habuerit characterem illum, Apoc. 13. Julianus Apoſtata aliquando vexauit Chriſtianos fontibus pollutis & omnibus eſculentis aquâ luſtrali Idololatricâ aſperſis (apud Baron. an. 361.) ſed longè ſuperat, non poſſe emere aut vendere, niſi accepto beſtiæ charactere.

2. Secundò, Auferet ſacrificium altaris ita vt publicè quidem ceſſaturus ſit eius vſus, nec niſi in occulto celebrari queat. Vult enim omnem ſacratiſſimæ paſſionis Chriſti memoriam abolere, omniaque Chriſtianorum ſpiritualia præſidia, quorum præſtantiſſimum eſt Euchariſtia, tollere, ſuumque ſolius cultum inuehere. Ita legimus Dan. 12. *A tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatiò in deſolationem* (id eſt, ipſe Antichriſtus quaſi Idolum in deſtructionem omnis boni) *dies mille ducenti nonaginta*, id eſt, tres anni cum dimidio.

3. Tertiò, Sanctos altiſſimi conteret, Dan. 7. Enoch & Eliam contra Antichriſtum ducentes & prædicantes occidet alioſque Chriſtianos, *Apoc.* 11. Corpora Enoch & Eliæ Ieroſolymæ in plateis iacebunt inſepulta per tres dies cum dimidio, poſt quos reuiuiſcent & reſurgent, & mox audietur vox de cœlo, dicens: *Aſcendite huc*: & ſtatim totâ vrbe ſpectante aſcendent in cœlum; vt habetur ibid. Deinceps poſt 30. dies Antichriſtus cum ſuo præcurſore viuus detrudetur & rapietur in tartara, vt ſcribitur *Apoc.* 19. Porrò acerbitas vltimæ illius perſecutionis notatur etiam Apocal. 1. vbi Ioanni apparuit Chriſtus habens pedes ſimiles aurichalco ſicut in camino ardenti: quia ſcilicet nouiſſimi temporis fideles (repræſentati per Chriſti pedes.) vehementiſſimam omnium perſecutionem ſuſtinebunt, & velut aurichalcum copioſiſſimo igne perſecutionis cremabuntur: nec mirum, quia non contra homines ſed contra dæmonem omnes ſuas exerentem vires, pugnare debebunt.

SEPTIMÒ, Si conſideremus miniſtros & exercitum. Hic primò erit Gog & Magog, *Apoc.* 20. & *Ezech.* 38. hoc eſt exercitus ferus, barbarus & crudelis ex Scythis, Turcis, Barbaris collectus, venturus ex Aquilone, exercitus vehemens. H. VII. Si conſideretur eius exercitus & miniſtri. 1.

Secundò, Erit maximus inſtar arenæ maris, *Apoc.* 20. Et *Ezech.* 39. tantus, vt poſtquam is occidetur, occiſorum arma ad comburendum pro lignis ſufficere poſſint ſeptem annis toti Iſraëli. 2.

Tertiò, Veniet ad Antichriſtum in Ieruſalem, vt in eâ & circumiacente Iudæâ Chriſtianos, qui eò confluent ad prædicationem Enoch & Eliæ, deleat, Apoc. 20. ſed ibi ab igne cœlitùs lapſo conſumetur, &c. *Apoc.* 20. *Ezech.* 38. Hæc ſunt, Auditores, quæ de vltimâ illâ & acerrimâ perſecutione produnt SS. literæ. Sed inquiet aliquis, quid hæc ad nos? Non prorſus nihil. Nam primò quis ſcit, an non pars ſaltem aliqua illius tribulationis non expectet? Secundò habemus, cur Deo gratias agamus, & vitam emendemus, quia illos non videbimus. Tertiò, ſi talis tribulatio tunc veniet etiam ſuper innocentes num DEVS parcet peccatis noſtris? Melius & ſuauius eſt hîc tribulari, quàm ibi. Denique habemus, cur tantò inculpatiùs viuamus & ſanctiùs, quia non habemus tam acres hoſtes, qui nos à pietate & fide Chriſtianâ abſterreant. 3.

CONCIO II.

Perſecutio Antichriſti cur à Deo permittenda.

1. 2. *Ob Iudæorum pertinaciam & peccata mundi grauiſſima.*
3. *Ad Chriſti gloriam, magna enim Chriſti gratia aderit tunc electis.*
4. *Ad bonum electorum.*
5. *Ad noſtram inſtructionem.*

THEMA.

Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modò, neque fiet. Matth. 24.

BENE SS. Patres Eccleſiam comparant naui. Nam vt alia prætercam, quemadmodum nauis in medio latior; in prorâ & puppi anguſtior eſt: ita & Eccleſia in ſui quidem exordio graues paſſa eſt anguſtias à Iudæis & Tyrannis, poſteà ſub regibus & principibus Chriſtianis terrâ marique prolata, opibus & honoribus aucta, ambulauit in latitudine: tandem in fine mundi rurſùm in anguſtiam & preſſuram maximam, qualis non fuit ab initio mundi nec erit, deueniet. Et quid mirum hoc euenire Eccleſiæ, quod nobis omnibus euenit? Naſcimur cum anguſtiâ: poſteà dilata- A. *Eccleſia nauis.*

dilatamur; & rurſum morimur cum anguſtiâ. Prima noſtra domus, anguſtiſſimus matris vterus eſt. Deinde amplum aliquod ædificium. Denique loculus & tumulus. In infantiâ coarctamur & cunis adhæremus; poſteà dilatamur, diſcurrimus, exſpatiamur. Ad extremum in ſenectute rurſùm contrahimur & lectulo affigimur. Eadem igitur ſors matris eſt, quæ & filiorum; Eccleſiæ, quæ noſtra. At verò quia audimus dictum à Chriſto Domino, tribulationem illam vltimam tam acerbam fore, vt ſimilem nec habuerit nec pòſt habitura ſit: ſcire cupiet nonnemo, ad quid eam tribulationem Deus permiſſurus ſit. Cui quæſtioni nunc aliquid reſpondebimus.

B. I. Ob Iudæorum pertinaciam.

Primò, Ob Iudæorum pertinaciam, quâ Chriſtum noluerunt recipere. Id enim indicat Chriſtus *Ioan.* 5. cùm ait illis; *Ego veni in nomine patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo illum accipietis*, hoc eſt, Antichriſtum, vti paſſim intelligunt Patres. Et clariùs adhuc Apoſtolus 2. *Theſſal.* 2. cùm de Antichriſto loquens, ait; *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt vt ſalui fierent, ideò mittet illis DEVS operationem erroris, vt credant mendacio.* Non quòd Deus velit Iudæos inducere in errorem & mendacium; ſed Primò quòd promeruerint iuſtiſſimam hanc pœnam, vt ſinat graſſari in eos Diabolum & Antichriſtum fraudibus & mendacijs, quibus decipiantur. Quia enim tanto tempore dilexerunt tenebras magis quàm lucem, ideo laxabit habenas tenebrionibus, à quibus ſeducentur. Ita enim & Achab, quia noluit audire Michæam prophetantem ſibi bonum & verum, traditus eſt Spiritui mendaci, qui deciperet illum in ore Pſeudoprophetarum. Huius igitur mendacio & deceptione ad bellum eductus perijt, 3. *Reg.* 22.

2. Secundò ad coarguendam illorum malignitatem, quòd Chriſti vera miracula, veram doctrinam, veram & ſanctam vitam amplecti noluerint, ſed econtrà falſa Antichriſti miracula, falſam doctrinam, & vitam impiam amplexi ſint. Hac ratione Pilatus ſciens quòd per inuidiam tradidiſſent Iudæi Chriſtum, ſtatuit inſignem latronem iuxta eum, vt liberum peterent quem vellent, *Matth.* 27. & quia Barabbam petierunt, manifeſtè apparuit illorum malignitas, qui quemuis potius liberum, licet nequiſſimum, mallent, quàm Chriſtum. Eadem Iudæorum malignitas apparebit tempore Antichriſti, cùm repudiato Meſſiâ, nebulonem recipient omnium peſſimum. Quis non arguat Iudæos malitiæ & inuidiæ, quòd (vt eoſdem arguit Sanctus Petrus *Act.* 3.) virum homicidam petierunt donari ſibi; autorem vitæ interfecerunt? Ita arguentur peruerſæ malignitatis in Chriſtum, cùm Antichriſtum recepturi ſunt. Vnde Sanctus Hieronymus ait illam Barabbæ electionem ſignificaſſe hanc alteram, quâ Antichriſtum aliquando recipient Chriſto repudiato.

C. II. Ob peccata mundi grauiſſima.

Secundò, Ob peccata mundi grauiſſima. Nam Deus *regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, ait Job 34. & de Antichriſto, vtpote inſigni hypocrita, intelligit S. Gregorius eo loco. Et Dan. 8. *Cum creuerint iniquitates, conſurget rex impudens facie*: Primò quidem Antiochus, deinde Antichriſtus, cuius ille typus fuit. *Abundabit enim tunc iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum*, ait Dominus. Nimirùm quantò magis inualeſcunt liberorum vitia, tantò acerbiorem virgam adhibet illis pater. Ita cùm ſub Philippo Primo Imperatore Chriſtiano, fides & religio Chriſtianorum tepeſceret, vitia increbreſcerent, miſit illis Deus diriſſimam Decij perſecutionem, vti S. Cyprianus teſtatur in l. de lapſis. *Quia traditam nobis diuinitùs diſciplinam*, inquit, *pax longa corruperat; iacentem fidem & penè dixerim dormientem, cenſura cæleſtis erexit.* At verò ſi iacere ac dormire cœperat fides, cùm adhuc eſſet iuuenis, 250. ſcilicet annorum: quid fiet cùm decrepita erit in fine mundi? Itaque neceſſe erit vt tantò ſeuerior adhibeatur virga dormientibus tunc hominibus; quantò profundiùs dormituri ſunt. Scimus in parabolâ cœnæ magnæ Dominum miſiſſe ſeruum vltimum, qui ignauos & circa ſepes ac vias ſedentes compelleret intrare, Luc. 14. Eiuſmodi igitur ſeruus, multis ſaltem hominibus, erit extrema illa tribulatio & preſſura gentium. Nam *mala quæ nos in hoc mundo premunt, ad Deum ire compellunt*, ait Sanctus Gregorius homil. 36. in Euang.

D. III. Ad Chriſti gloriam.

Tertiò, Ad Chriſti gloriam, vt pateat quanta ſit efficacia gratiæ eius in ijs, qui Antichriſto reſiſtent. Per paſſionem CHRISTI ligatus fuit Dæmon in inferno quaſi in carcere; vt latrare poſſet, mordere omnino non poſſet, niſi qui ſe temerè illi coniunxerint. At in fine mundi ſoluetur dæmon è carcere illo, vt ait Sanctus Joannes *Apoc.* 20. & acriùs tentabit homines, vt pateat quanta ſit Chriſti & Eccleſiæ eius fortitudo etiam in nouiſſimis temporibus, quando charitas multorum refrigeſcet, ad vincendum tam verſutum & bellicoſum hoſtem. Omnia certamina, quæ cùm hoſte illo vſque ad id temporis gerit Eccleſia, præludia tantùm & velitationes ſunt: vbi toto exercitu, totis concurretur viribus. Deſcendet enim diabolus *habens iram magnam, ſciens quòd modicum temporis habet*, ait Joannes *Apoc.* 12. Et quia primos Chriſti milites in acie exercitûs conſtitutos olim ſuperare non potuit: nunc adorietur poſtremam eius partem velut infirmiſſimam. Vnde bene vocatur *Ceraſtes in viâ, mordens vngulam equi*, Gen. 49. id eſt, vltimos. Sed deſcendet etiam Chriſtus habens gratiam magnam, quâ armabit milites ſuos. Imprimis quia Antichriſti aduentum, fraudes, mores, doctrinam, perſecutionem, exercitum, præcurſorem, perſonæ qualitatem per SS. ſcripturas nobis patefecit, prædixit, & ad longum accuratè, ſiquid vſpiam, deſcripſit, ita ex plumis auis illa peſtifera ab omnibus facilè agnoſci poſſet, adeoque

Magna Chriſti gratia aderit tūc electis.

que vt ipſemet Antichriſtus tam luculenter prædictus, futurus ſit argumentum fidei Chriſtianæ, & falſitatis Antichriſtianæ. Itaque fruſtrà tum iaciet dæmon rete ante oculos pennatorum, id eſt, electorum, quia alis fidei, ſpei, & charitatis ad cœleſtia contendunt. Soli illi (quorum tamen maxima pars erit) qui terrenis bonis inhiant, cupiditate illorum victi in manifeſtas inſidias incident.

2. Secundò, Contra duas illas beſtias, Antichriſtum & præcurſorem eius, duos Prædicatores & legatos ſuos omni ſanctitate præditos mittet, Enoch & Eliam. Enoch quidem vt prædicet omnibus ſuis filijs, (fuit enim Atauus Noë) inprimis verò vt det Gentibus pœnitentiam; Elias, vt Iudæis. Iſti per conciones, diſputationes & miracula opponent ſe Antichriſto, ideoque ab eo occidentur Ieroſolymæ: corpora eorum inſepulta iacebunt per tres dies cum dimidio. Poſteà viui & glorioſi tota ſpectante vrbe reſurgent aſcendentque in cœlum vt habetur *Apoc.* 11. Maximum erit hoc fidelium confortamentum. Illi enim fucatis Antichriſti miraculis vera opponent, quæ quodammodo illa deuorabunt, ſicut virga Moyſis & Aaronis virgas deuorauit magorum, *Exod.* 7. Adhæc mendacia Antichriſti verâ ipſi doctrinâ euertent: narrabunt enim quæ viderunt, Enoch ante diluuium, Elias ſub lege & in monte Tabor. Denique ſpurciſſimam Antichriſti vitam, vitæ ſuæ ſanctitate confundent ipſoque adeò externo habitu; nam amicti erunt ſaccis, *Apoc.* 11. Hi erunt *duæ oliuæ & duo candelabra.* ibid. Quis ergo tam vecors erit, vt his contemptis Antichriſto adhærere velit? Adhærebunt ſanè quamplurimi, ſed ipſorum culpa inexcuſabili.

3. Tertiò, Dies illi breuiabuntur, & durabit Antichriſti imperium non niſi per tres annos cum dimidio, *Dan.* 7. *Apoc.* 11. & 13. idque *propter electos*, vt ait Dominus.

4. Quartò, In tempore illo conſurget Michaël Princeps magnus contra Antichriſtum, & detrudet eum in tartarum, Dan. 12. & Apocal. 12. Diabolus Antichriſtum iuuabit, & ſuper olíueti montem extollet, quaſi ad cœlum euolaturum. Sed Michaël Eccleſiam iuuabit & deijciet Antichriſtum ad inferos. Quæ res mortalium animos mirificè commouebit & ad fidem Chriſti conuertet. Sicut enim deiectio Simonis magi, per orationem Petri, conuertit gentiles: ita Antichriſti deturbatio plurimum valebit ad conuerſionem malorum, conſtantiam bonorum. Denique poſt deiectum Antichriſtum dabitur lapſis tempus pœnitendi. Ideo Daniel capite 12. beatum dicit, qui victurus eſt ad diem quadrageſimum quintum poſt occiſum Antichriſtum, non quòd præcisè tot dies ſuperfuturi ſint ad Iudicium, cuius tempus nos latet: ſed quòd intra tot dies hominibus patefiet periiſſe Antichriſtum & terror omnis abſtergetur. Prodibunt enim tunc Epiſcopi & Sacerdotes è latebris, & cultum Chriſtianum publicè exercebunt, lapſos recipient, &c.

QVARTÒ, Ad bonum electorum, vt eâ tribulatione purgentur, probentur & manifeſti fiant. Nam imprimis electis purgatio aliqua neceſſaria eſt: in die verò iudicij purgatorium deficiet, & tunc in mundo non erit amplius purgandi tempus ſufficiens per dolores, morbos, afflictiones, opera mortificationis, &c. Purgabit ergo illos DEVS per Antichriſti perſecutionem, vt vel fiant martyres & ita rectà ad cœlum eant, vel in latebris & ſpeluncis alias afflictiones martyrio non impares ſuſtineant. Erit ergo eis illa perſecutio inſtar purgatorij; idque indicat Daniel cap. 12. cùm ait: *Eligentur & dealbabuntur & quaſi ignis probabuntur multi*, id eſt, ſicut ignis probat metallum & purgat; vel ſicut ignis purgatorij excoquit & dealbat animas: ſic ignis vltimæ perſecutionis purificabit electos. E. IV. Ad bonũ electorum. 1.

2. Secundò neceſſaria eſt probatio & manifeſtatio, vti immediatè ex Daniele audiuimus. Erit enim tunc mundus quaſi ingens quædam maſſa ex diuerſis metallis compacta, plurimum habens ſcoriæ. Itaque per ignem illius tribulationis excoqui & probari debet, vt qui ſint aurum vel argentum, qui plumbum & ſcoria, pateat. Hoc enim licet DEVS nôrit, intereſt tamen etiam hominum nôſſe, vt ſciant quid in altero imitari, laudare & mirari; quid fugere & odiſſe debeant. Adhæc multi putabuntur fortes in fide, qui non ſunt, & econtrà ſplendor virtutis in electis multitudine reproborum opprimetur; ſceleribus malorum velum oppandetur. Itaque conflatorio opus erit, quo pretioſum de vili ſeparetur. Hæc erit perſecutio Antichriſti, hic lapis Lydius, ad quem probabitur vniuſcuiuſque virtus. Vnde Ioannes *Apoc.* 13. deſcribens illam perſecutionem, ait: *Hic eſt patientia & fides ſanctorum.* q.d. hîc eluceſcet, quanti faciant electi fidem & DEVM ſuum: hic clarebit illorum patientia & conſtantia. Granum ſinapis, viſum nihili fit, ſed vbi teritur, virtutem & ardorem ſuum exerit: ita tunc electi nihil fient ab impijs; ſed vbi acerrimâ illâ perſecutione fuerint attriti, tum denique fidei & charitatis ſuæ ardorem mundo demonſtrabunt. Vnde S. Auguſtinus ſentit maximos tunc futuros ſanctos & illuſtriſſimos martyres. Vt enim piſces marini licet in mari ſalſo degant, nihil tamen ſalſedinis contrahunt, ſed ſapidiores fiunt; quia nôrunt dulcem aquam ebibere è ſalsâ: ita electi etiam in medio nationis prauæ & amariſſimæ illius perſecutionis nôrunt ſeligere bonum à malo, ſicque perfectiores fiunt, vti Abraham inter Chaldæos, Loth inter Sodomitas.

QVINTÒ, Ad noſtram inſtructionem & ædificationem: vt intelligamus quanto bono nunc per CHRISTI gratiam fruamur, dum ligatus dæmon mordere nos non poteſt: dum ſecurâ pace vtimur & abſque impedimento, imò plurimis cum adiumentis DEO ſeruire, ingredi & egredi poſſumus. Nos in medio nauis F. V. Ad noſtram inſtructionem.

nauis Eccleſiæ & latiſſimâ eius parte ſumus; non coanguſtamur, non periclitamur. Quàm difficulter, quàm periculosè ſederunt olim in prorâ primi Chriſtiani, quando vix prodire in publicum poterant; quando in montibus ſubterraneis conuenire ad conciones, ad ſacrificium, ad ſacramenta percipienda cogebantur; quando vnicuique liberum erat occidere (ſub Diocletiano) Chriſtianum: quando omnis conuentus eis interdictus; quando cibi & aquæ illorum idolothytis polluebantur! Quàm rurſùm difficulter & periculosè ſedebunt in puppi vltimi Chriſtiani, quando Antichriſtus omnes perſequetur; quando feſta tollet, quando templa diruet, quando Euchariſtiæ & omnium Sacramentorum vſum interdicet, nec niſi in cauernis & ſolitudinibus inuenire licebit, vbi ſuper rudi lapide Euchariſtia conficietur, & cum ingenti pauore confeſſio in aliquo angulo peragetur; quando DEI verbum audiri non poterit, & acceſſus ad Enoch & Eliam non niſi maximo cum labore & periculo haberi poterit; quando nemo vendere aut emere poterit, niſi aſſumpto priùs charactere Antichriſti! Vtramque anguſtiam nos euaſimus, & dicere cum Iſaaco poſſumus: *Nunc dilatauit nos Dominus & fecit creſcere ſuper terram*, Gen. 26. Ibi foderant eius ſerui puteos, ſed eos inuidia Palæſthinorum iterum mox obſtruxit, vt perpetuò cum illis rixari oporteret. Tandem foderunt puteum, pro quo non contendebant Palæſthini. Hunc igitur vocauit Iſaac, *latitudinem*, dicens: *Nunc dilatauit nos Dominus*. Primi Chriſtiani cùm plantarent fidem, ædificarent oratoria, gentiles ex inuidiâ ea deſtruebant, & ideò cum illis diu quaſi rixabantur, vſque ad annos ferè trecentos. Idem faciet Antichriſtus vltimis Chriſtianis. At verò nos per CHRISTI gratiam eiuſmodi habemus puteos, pro quibus non contendunt illi aduerſarij. *Nunc* igitur *dilatauit nos Dominus*: proinde nunc ſeruiamus Domino & ambulemus in latitudine, &c.

CONCIO III.

Grauitas peccati vnde colligatur.

1. Colligitur ex ſupplicijs quibus olim Deus puniuit peccata, Angelorū, Adami, Sodomæ & Pharaonis.
2. Ex Paßione Chriſti.
3 Ex cladibus quotidianis.
4. Ex mundi vaſtatione vltima.
5. Ex pœnarum æternitate.
6.7. Ex odio quo id creaturæ proſequuntur, & Sancti ac gentiles aliqui execrati ſunt.

THEMA.

Cùm videritis abominationem deſolationis, &c. Matth. 24.

A. CVm graſſatur peſtis, omnes circumcircà vicini magno in timore ſunt & ſedulò ſibi cauent, ne hoc malum in ſe deriuent. Hinc proſcribunt à ſuis vrbibus loca infecta, prohibent ſuis ciuibus aditum eorumdem & commercia cum illis; quæ ab ijs mittuntur, fumo priùs expiant, infectos domibus ſuis includunt, &c. Neque hoc imprudenter. Sed velim, Auditores, ſimili ſaltem induſtriâ vitaremus peſtem animæ, quæ eſt peccatum. Certè de abominatione deſolationis monet hodie Dominus, vt qui viderit eam, fugiat ad montes, & qui in tecto eſt, non deſcendat tollere aliquid de domo ſuâ, & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam ſuam. At verò abominatio illa nihil aliud videretur fuiſſe, quàm abominanda illa ſcelera zelotarum ſeu Iudæorum, qui inſano zelo defendere conabantur vrbem, legem & patriam, interim verò templum, quod armis occupârant, rapinis & cædibus impleuerunt. Igitur peccata ſunt abominatio deſolationis, à quibus fugiendum magis quàm à peſte. Sed quia hoc non omnes vident, ideò oſtendemus & quidem ex eâ abominatione, quâ peccatum auerſatur DEVS, creaturæ, ſancti.

Colligitur PRIMÒ ex ſupplicijs: quibus olim puniuit DEVS peccata. Et Primò ex ſtrage Angelorum, qui poſtquam ſemel tantùm peccauerunt, ilicò condemnati & *rudentibus inferni* detracti ſunt in tartarum cruciandi. Non attendit DEVS ad eorum multitudinem innumeram, pulchritudinem eximiam, naturæ excellentiam, magnitudinem ingenij; nec ad bona illa, quæ ex eorum proueniſſent beatitudine, amorem & viſionem DEI, laudem & gratitudinem: nec ad ea mala, quæ ex eorum damnatione ſciebat prouentura, blaſphemias, hoſtilitates, inuidiam in DEVM & genus humanum. Nec vel horæ ſpatium ad pœnitendum eis conceſſit: ſed in flagranti delicto comprehenſos mox corripuit. Quanta hæc DEI ira! Iam ſi Rex quiſpiam in vaſe aureo, fætidum liquorem deprehendens, non modò liquorem effunderet, ſed ipſum quoque vas proijceret in cloacam, nónne hinc colligeres fætorem illum teterrimum fuiſſe? Atque DEVS Luciferum, quaſi *vas auri ſolidum & ornatum omni lapide pretioſo*, ob fætorem peccati proiecit in infernum. Quàm igitur putas ille graueolentus erit?

B. I. Ex ſupplicijs, quibus olim Deus peccatum puniuit.

1. Ex Angelorum punitione.

Secundò, Ex punitione Adami. Nam primò cum totâ ſuâ poſteritate ſpoliatus eſt paradiſo omniq́ue eius felicitate. Secundò traditus eſt iugo & tyrannidi diaboli per tot annorum centurias vexandus. Tertiò poſitus in periculo æternæ damnationis, eoq́ue ruere permiſſa infinita poſterorum eius multitudo, non habitâ ratione, quòd à DEO immediatè creatus, præclariſſimis donis ornatus & orbis Imperator factus eſſet.

2. Ex Adami ſupplicio.

Tertiò, Ex diluuio vniuerſali. Non pepercit ibi DEVS innumerabili hominum multitudini, non infantibus & pueris, non beſtijs innocuis; nemini patebat effugij locus. Vidiſſes ibi creſcentibus paulatim aquis circumcurſare per ædes cum paruulis tremulas matres; alios de cubili, alios de menſâ exſilire; alios

3. Ex diluuio vniuerſali.

alios in tecta domorum repere, alios in montium, multos in arborum cacumina conſcendere: alios in ciſtis & tabulis natantes cum fluctibus dimicare: omnes tamen perire, partim inediâ, partim labore, partim aliis modis & tandem ab vndis obrui, quæ etiam centum & quinquaginta dies terram obtinuerunt, ad indicandam iræ diuinæ magnitudinem; quo tempore non viuentia tantùm omnia exanimata ſunt, ſed etiam ciuitates, arces, turres & ſylvæ vi aquarum ſtratæ & euerſæ.

4. *Ex Sodomæ incēdio.* Quartò, Ex Sodomæ & Gomorrhæ excidio, vbi igne ſulphureo de cœlo lapſo maxima hominum multitudo, non tantùm adultorum, ſed puerorum quoque & infantum vnà cum animantibus, ædibus & ciuitatibus cunctiſque rebus virentibus ſubitò & inopinatò exuſta & in cinerem redacta eſt; indeque locus ille funeſtus, horridus, fœtens & ſterilis redditus eſt, ac quaſi os inferni factus: vt præter arbores quaſdam ſqualidas nihil ibi creſcat, & graue ſit illic conſiſtere ob tetrum & peſtilentem fumum ſeu vaporem perpetuò exhalantem.

5. *Ex Pharaonis interitu.* Quintò, Ex Pharaonis eiuſque exercitûs interitu miſerabili. Ex hiatu terræ ſorbentis Core, Datan & Abiron, aliiſque plagis & pœnis reproborum, quæ recenſere longius foret. Iam ergo quantum eſſe hoc malum putas, quod DEVS tot puniuit ſuppliciis & tot modis ad internecionem quæſiuit? Eiecit id primò ex aulâ ſuâ & in tetrum incluſit carcerem; poſteà idem repertum in homine, relegauit in exilium; rurſùm deprehenſum in aquas demerſit. Sed hæc hîc omninò ſubmerſum, poſteà flammis exuſſit: pòſt iterum demerſit: rurſum terræ hiatu abſorpſit.

C. II. *Ex paſſione Chriſti* Colligitur SECVNDÒ ex paſſione CHRISTI. Cùm enim nullæ hominum lachrymæ & pœnitentiæ, nullæ SS. Angelorum preces & ſupplicationes DEO ſufficerent ad remittenda hominum peccata, inauditam omnibus ſæculis ſatisfactionem exegit à filio ſcilicet proprio, vt humanâ carne veſtitus mortem crudeliſſimam pro hominibus pateretur: nec aliâ viâ illis veniam dare decreuit. Violauit decretum Regium infirmus aulæ ſeruus & reus mortis peragitur: Supplicat pro illo Regi tota curia & omnes regni ordines; tot Epiſcopi & venerabiles Prælati; tot Principes, Duces, Comites, nobiles & illuſtres viri: nec tamen Rex mouetur, ſed perſtat in ſententiâ mortis, niſi filius vnicus regni hæres, delitiæ & gaudium totius curiæ, mancipii ſtatum aſſumat & mortem pro reo ſubeat. Quis ad hanc tam inauditam ſeueritatem non obſtupeſceret? quis in manus iſtius Regis incidere non formidaret? Talem & longè maiorem ſeueritatem oſtendit DEVS in filio ſuo. Vide nunc CHRISTVM ſputis & alapis deformatum, flagellis conciſum, ſpinis coronatum, clauis cruci affixum & lanceâ transfixum: vide eum quaſi leproſum & deſpectum, omnium ludibriis expoſitum. Hæc omnia & longè atrociora nos ferre debebamus, & ſi peccatum eſſet perſona aliqua viuens, eâ damnandum eſſet pœnâ, quâ CHRISTVS damnatus eſt, vt flagellaretur, conſpueretur, blaſphemaretur, eiiceretur, illuderetur, cruci affigeretur cum ſummâ ignominiâ, quin & latus eius poſt mortem transfigeretur. Quàm grauis igitur morbus debet eſſe peccatum, qui tam miſerabili indiguit phlebotomiâ! Quàm dira lepra, quæ non infantum ſanguine: vt illa Conſtantini Magni, ſed ſanguine filii DEI debuit curari? Et tamen poſt adhibitum illud remedium voluit DEI iuſtitia ſupereſſe adhuc aliquid, præſtandum à nobis ipſis, vt videlicet pretium ſanguinis CHRISTI applicemus nobis, non per fidem tantùm (vt Hæretici volunt,) ſed per ſacramenta etiam & opera bona, mandatorumque obſeruationem, & ſi poſt baptiſmum in peccatum incidimus, per pœnitentiam & ſatisfactionem aliquam temporaneam; quò vel ex parte aliquâ peccati amaritudinem deguſtemus, & inde colligamus quantum fellis & veneni mellita peccati ſuperficies intùs tegat, & qualis ſit ille calix furoris, quem bibunt in inferno damnati.

Colligitur TERTIÒ ex cladibus quotidianis. Quod enim DEVS olim tot puniuit modis non modò in nocentibus, ſed etiam in filio ſuo innocuo, idipſum punit adhuc quotidie in delinquentibus, peſte, fame, bello, latrociniis, ferarum & noxiarum beſtiarum populationibus, ventorum procellis, aquarum eluuionibus, terræ motibus, imbribus, ſiccitatibus, incendiis, naufragiis, aliiſque modis plurimis. Has namque omnes clades quibus plenus eſt hîc Mundus, nemo alius immittit, niſi peccati vltor DEVS. *Ego Dominus & non eſt alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum*, id eſt, calamitatem, ait Iſa. 45. & Ier. c. 18. *Ecce ego fingo contra vos malum*, pœnæ ſcilicet. Vnde Amos 7. *fictor locuſtæ* appellatur. Quemadmodum ergo Iudex vt peſſimum aliquem reum & ſigniferum latronum puniat pro meritis, noua in ipſum excogitat tormenta, ad terrorem & cautelam aliorum: ita etiam Deus vt peſſimum hoc malum caſtiget, noua ſemper & noua excogitat ſupplicia, ad deterrendos à peccatis homines. Quot eiuſmodi clades intra paucos annos experti ſumus? Et quid hæ aliud ſunt, niſi amari quidam fructus longè amarioris peccati? Vult enim hoc pacto DEVS guſtare nos aliquantum, quantum fellis inſit peccato; quod ambabus manibus & totis faucibus bibunt in infernò damnati; quaſi nobis dicat: Parua hæc & nulla ſunt; longè maior in inferno fames, peſtis, cædes, inundatio, incendium, &c. Hoc loquuntur euerſæ vrbes, impleta cœmeteria, leproſoria, carceres, patibula, quæ ſanè nullibi eſſent, ſi peccata nulla eſſent. D. III. *Ex cladibus quotidianis.*

Colligitur QVARTÒ ex Mundi vaſtatione vltimâ, omnium elementorum & creaturarum perturbatione, Incendio, interitu. Quemadmodum enim Ægyptii multis & aſperrimis plagis E. IV. *Ex Mũdi vaſtatione vltimâ.*

plagis afflicti ſunt ob impietatem, vt reſipiſcerent, priuſquam demergerentur in profundum maris & delerentur omnes: & ſicut antè excidium Iudaicum, multa per ſeptennium præceſsêre prodigiâ & ſigna terrifica, bellorum clades, peſtilentiæ, fames, incendia & direptiones, iram Dei Iudæis, niſi reſipiſcerent, impendentem denunciantes: ita extremum reproborum exterminium, quod erit in inferno, denunciabunt omnis generis clades illud præcedentes. Huius enim extremæ calamitatis vtraque illa, Ægyptiaca & Iudaica, typus fuit & proinde adûbratio tantùm. Et quid ſibi vult, inquies, illa totius Mundi perturbatio, ſtrepitus, confractio, tumultus? Peccatorum molem & grauitatem indicat, quibus adeò onuſtus erit Mundus, vt præ onere gemens ac veluti ſtridens inſtar currûs onuſtiſſimi, corruere, conteri & confringi debeat. Sic enim legimus Amos, cap. 2. *Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.* Verba Dei ſunt, quæ exponens S. Hieronymus: *Sicut plauſtrum*, inquit, *ſtipula vel fœni onere pragrauatum ſtridore & ſonitu longè exululat: ſic ego peccata veſtra vltrà non ſuſtinens, & quaſi ſtipulam tradens incendio clamabo, &c.* Illa ergo Mundi ruina & confractio clariſſimè oſtendet onus & grauitatem peccatorum. Et verò ſi aſpiciamus Mundi huius ornatum, diuitias & delitias, quis non gemat tam præclaræ machinæ, tot nobiliſſimarum creaturarum interitum? Nihil tamen hoc Deum mouet, quin omnia hæc deſtruat in peccati vltionem. Quis non inde colligat, quantum malum ſit peccatum, quando in eius odium Devs vaſtat regnum proprium & opus manuum ſuarum; ſæuit etiam in res innoxias atque inanimes, quæ quauis ratione inſtrumentum peccati fuere?

F. V. Ex pœnarum tartarearum æternitate.

Colligitur Qvintò ex pœnarum tartarearum æternitate & atrocitate; ſiquidem propter peccatum pœnitentiâ non deletum abijcit Devs hominem, quantumuis ſibi aliquando charum & familiarem, in ardentiſſimum inferni rogum: nec eius miſeretur aut exorari poteſt, vt eripiat illum, per omnem æternitatem: & licet priùs habuerit homo ille ingentes meritorum tumulos, nihili illos facit Devs, ſed omnium obliuiſcitur, quaſi nunquam fuiſſent: itaque propter peccatum priuat Devs hominem bono infinito, & punit malo infinito. Rem exemplo oſtendamus ex Joann. Villaneo l. 8. c. 35. anno D. 1298. Rex Tartarorum Caſſanus cum ducentis equitum millibus Syriam cepit & finitimas regiones; omnibus itaque formidandus petijt ſibi vxorem filiam Regis Armeniæ, quòd audiſſet eſſe pulcherrimam. Rex Chriſtianus tanti regis viribus territus dedit. Illa poſt aliquod tempus è viro ſuo Caſſano edidit in lucem partum tantæ deformitatis, vt Rex maritus nullo modo illum veluti ſuum voluerit agnoſcere; quòd monſtrum videretur. Vocat ergo ad conſilium primarios, & de ipſorum ſententiâ vxorem veluti adulteram & partum velut ex adulterio ſuſceptum vltimo ſupplicio adiudicat: tametſi executio ſententiæ miraculo impedita eſt, vt alibi dictum. Quis ex hoc iudicio colligere non poterat, quàm deformis & monſtroſus fœtus ille fuerit? Iam verò idipſum cernere eſt in quouis peccatore. Tam enim deformem partum edit, peccatum ſcilicet mortiferum, vt propterea Devs adiudicet peccatorem vnà cum ſobole ſuâ æterno ignis ſupplicio: quodque amplius eſt, omnes illius proles, quas edidit priùs formoſas & elegantes, comminuit & necat. Diceret fortè aliquis Regem illum Caſſanum minùs ſapuiſſe, minuſque rectè egiſſe. Sed certè hoc de Deo dicere non potes: omni enim virtute, omni ſapientiâ, omni pietate præditus eſt; & nihilominùs peccatorem ſibi licet per baptiſmum deſponſatum, ob fœtum illum peccati, quia nullo modo ſuum agnoſcit, abijcit in infernum, nec eius commiſeratione tangitur in æternum. Vidén ergo tandem, quantum hoc ſit malum?

G. VI. Ex odio, quo id creaturæ proſequuntur.

Colligitur Sextò ex odio, quo creaturæ ſenſu & ratione carentes peccatum proſequuntur. Illuſtre huius rei exemplum habemus in profugo illo Ionâ, cuius inobedientiam ipſum mare ferre noluit, ſed ferocientis inſtar equi iactabat nauim, in quâ Ionas ferebatur, ſummo omnium diſcrimine, nec antè deſedit furor eius, quàm Ionam deglutiret; quo facto ſtetit mox à feruore ſuo Ioann. 1. Notabile verò eſt quod Arias Montanus ex Rege Eleazaro, vetuſtiſſimo Hebræo refert, nautas quinquies periculum feciſſe, quò diuinum de ſubmergendo Iona conſilium diligentiùs exquirerent. Sublatum enim Ionam in mare vſque ad collum ſæpiùs demittebant, ruſumque ad ſe in nauim recipiebant: quoties verò demiſſus erat, mare conquieſcebat; cùm autem receptus, rurſum fremere & intumeſcere ſentiebatur; quo ſigno diuinæ voluntatis certiores facti, Ionam tandem in mare coniectum penitus demiſêre; ac tum mare conquieuit. Facit hoc credibile nautarum ſolicitudo in liberando Ionâ. Stetit ergo tunc mare à feruore ſuo, *quia inuenerat quem quærebat*, inquit S. Hieronymus, *velut ſiquis perſequatur fugitiuum, & concito pergat gradu, poſtquam fuerit conſecutus, deſiſtit currere & ſtat, ac tenet quam apprehenderit, &c.* Similem huic hiſtoriam ſcribit Io. Moſchus *in Prato ſpirit.* c. 76. de fœminâ parricidâ, quæ cùm duos filios peremiſſet, nauis, quâ vehebatur, immota ſtetit, cæteris progreſſis. Faſſa igitur ſcelus & in ſchapam demiſſa, mox vnà cum ſchapa in imum demerſa eſt.

Ex quibus clarè intelligimus quantum malum ſit peccatum, quando peccatores tam exoſi ſunt vel ipſis elementis, & quàm bene de illis dixerit Sapiens Sap. 5. *Excandeſcet in illa aqua maris.* Et hæc videtur etiam cauſa eſſe, cur ante diem iudicij omnia elementa perturbanda & quaſi in aciem ducenda ſint: poſtulabunt enim peccatores ad commertia ſupplicia, nec priùs conquieſcent, donec tradantur

dantur rei: quomodo filij Iſraël obſederunt Beniamitas, dicentes: *Tradite nobis viros, qui hoc flagitium fecerunt*: eiſque cæſis ciuitatem ſuccenderunt, Iudic. 20.

H. VII. *Ex odio quo Sancti id execrati ſunt & gentiles aliqui.*

Colligitur SEPTIMÒ ex odio quo Sancti illud abominati ſunt, imò & Philoſophi aliqui gentiles. Ex his Primò Ariſtoteles 3. Ethic. ait: *Melius eſt mori, quàm facere aliquid contra bonum virtutis.* Secundò, Seneca: *Et ſi ſcirem*, inquit, *homines ignoraturos & Deum ignoſciturum, tamen peccare nollem ob peccati turpitudinem.* Quin etiam Pilatus qui nec admonitione vxoris, nec populi clamoribus permoueri poterat vt dimitteret Chriſtum, cùm audiſſet eum dicentem: *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*; exinde quærebat eum dimittere, quaſi timor peccati admittendi plus eum mouiſſet quàm vxoris querela & populi clamor, *Ioan.* 19.

Ex illis Primò S. Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus: *Malo*, inquit, *inſilire in rogum ardentiſſimum, quàm peccatum vllum ſciens admittere in Deum.* Secundò, D. Anſelmus l. de ſimilitud. c. 19. *Si hinc peccati pudorem*, inquit, *& illinc gehennæ cernerem horrorem, & neceſſariò eorum vni deberem immergi, priùs me in infernum immergerem, quàm peccatum in me admitterem. Mallem enim purus à peccato gehennam intrare, quàm ſorde pollutus cælorum regna tenere.*

Tertiò, Sancta quædam virgo, apud Corn. à Lap. in c. 2. Ierem. moriens non immeritò dixit: *Diſcedo ex hoc mundo cum hac ſolâ incapacitate, quomodo creatura poſſit deliberatè committere peccatum mortale contra ſuum Creatorem.* Conſonat huic ſententiæ, quòd Iacob Patriarcha petenti quidem Ruben noluit filium Beniamin præbere ducendum in Ægyptum, tametſi vouenti: *Ambos filios meos interfice, niſi reduxero eum tibi viuum.* At Iudæ proteſtanti peccati ſe reum fore, niſi illum reduceret, ſtatim conceſſit; quaſi longè grauius ſit malum, peccati ſe reum conſtituere, quàm proprios filios ad necem offerre, *Gen.* 42. & 43.

Quando igitur, Auditores, tantum malum eſt peccatum, tantaque deſolationis abominatio: vbicunque eam viderimus, fugiamus illicò, nec reuertamur in domum pro temporali aliquo commodo, vbi eſt periculum huius peſtis contrahendæ.

CONCIO IV.

Pœnitentia non differenda vſque ad finem vitae.

1. *Quia tempus mortis hyems eſt, proindeq; ad conuerſionem incommodum ob varia.*
2. *Quia Sabbatum eſt, reſpectu animæ, corporis & Dei.*

THEMA.

Orate vt non fiat fuga veſtra hyeme, vel Sabbato. Matth. 24.

A. *Duplex*

QVAM verè dixerit ad DEVM Dauid Pſ. 59. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcûs*; inter alia ex eo patet: quod fidelibus ſuis, qui Ieroſolymæ degebant, duplex ſignum dedit impendentis excidij ſimulque duplex tempus fugæ indicauit & ſuaſit. Primum in hodierno Euangelio ſecuriſſimum & tempeſtiuum; *Cùm videritis abominationem deſolationis*, hoc eſt, templi profanationem, quæ ante obſidionem, Tito adhuc apud Alexandriam agente, facta eſt à Zelotis, hoc eſt, ſeditioſis quibuſdam Iudæis, qui templum occupârunt, & in caſtellum mutârunt, ſuper eius portas machinas & arma diſpoſuerunt, nec non ſacrificantes in eo trucidârunt, adeoque templum & aram ipſam innocentum ſanguine reſperſerunt, vt refert Ioſephus l. 6. *de bello c.* 1. Alterum magis propinquum Luc. 12. *Cùm videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem*, &c. cùm iam ſcilicet Titus ad vrbem caſtra metari eamque obſidione cingere incepit, quo tempore properantibus adhuc patebat fuga, licet non ita ſecura, vti prior. Atque tunc Chriſtiani, vt refert Euſebius, fugerunt in oppidum Pellam nomine. Myſtico ſenſu, ſuadet nobis Chriſtus fugam æternæ duobus maximè temporibus. Primò, cùm videmus abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto; id eſt, quamprimùm aduertimus peccatum lethiferum in animâ noſtrâ; de quâ Apoſtolus 1. Cor. 3. ait: *Neſcitis quia templum Dei eſtis & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus.* Peccatum verò abominatio deſolationis eſt. Et hoc eſt optimum ac ſecuriſſimum tempus fugæ, cùm viſo in conſcienciâ peccato ſtatim fugimus ad pœnitentiam. Alterum & extremum; minùs autem tutum, cùm incipit peccator paulatim obſideri à morbo: vbi non debet expectare, donec morborum exercitus & dolores mortis eum circumdent & pericula inferni inueniant: quia tunc non patebit ampliùs fuga: ſed fugere antequam inualeſcat morbi vis. Et hoc eſt quod indicat Dominus illis verbis: *Orate vt non fiat fuga veſtra hyeme vel Sabbato.* Videamus ergo cauſas cur ad mortem imminentem differenda non ſit reſipiſcentia. Duobus maximè temporibus incommodam aſſerit fugam Dominus: hyeme & ſabbato. Atqui tempus mortis quaſi hyems eſt & ſabbatum.

Fuga tempus fidelibus datum.

B. I. *Quia tempus mortis hyems eſt.*

1. *Ob dies breuiores.*

PRIMÒ, Hyems eſt, proindeque ad conuerſionem incommodum. Primò, quia vt hyeme dies breues ſunt ad iter faciendum: ſic tempus mortis breue eſt ad agendam pœnitentiam. Nam initio morbi non expectatur mors, ſed leuis tantum putatur adeſſe alteratio, quam amici, domeſtici, adeoque medici aliqui febriculam appellant facilè curabilem; ipſemet æger ſibi de conualeſcentiâ & morbi leuitate blanditur, aitque: Vbi conualuero, cautior ero; & quamdiu adhuc robuſtus eſt, non libenter audit de morte, de confeſſione, de vocandis ſacerdotibus, ipſique amici ſedulò cauent ne quid tale ægro obſtrepant, nondum deſperato, præſertim nobili & potenti.

tenti. De quibus veriſſimè dici poteſt id Saluatoris: *Inimici hominis domeſtici eius.* Sunt enim velut ſerui carnificis, qui reum conſolantur dicentes, nondum habere quod ſibi timeat; imponuntque manum ſuam capiti illius, quaſi nondum inſtet ictus, cùm interim carnifex ſubitò caput reo præcidat. Quando igitur res ægroti in magno verſatur periculo & deſperationi proxima eſt, tum demum admoneri ſolet, velitne admittere confeſſarium: qui cùm aduolârit, videt pœnitentem nihil aut parum diſpoſitum, nullo præuio examine conſcientiæ ſuæ præparatum, peccatorum ſuorum immemorem, nec ipſe longum examen inſtituere cum ægro poteſt, quia timet ne nimium fatiget illum & ad impatientiam prouocet: atque ita negotium ſalutis plerumque obiter & feſtinanter agitur. Et quâ ratione exiſtimabimus bene confici poſſe negotium tanti momenti in tam breui tempore? Bene mori eiuſmodi res, quæ præparationem exigit totius vitæ. Huc enim SS. Patres, omnes ſuos conatus, omnia exercitia ſpiritualia dirigebant: huc antequam deuenirent, priùs ſe multoties ad libram examinis ponderârunt: & quomodo is qui fortè diu non eſt confeſſus & peccatorum pondus, quod Camelum oneraret, in dorſo gerit, tam citò ſe exonerabit? Augetur interim morbi vis, & ſæpe obruit incautum, vt nihil ampliùs loqui poſſit. Et quàm multos excludit à confeſſione temporis breuitas? quàm multi dicunt: cras vocabo ſacerdotem; & hodie moriuntur? Similes Pharaoni eiuſque exercitui *Exod.* 14. qui cùm iter facerent in mari rubro, ſtantibus vtrinque aquis velut muris, & viderent angelum Domini percutientem, dixerunt: *Fugiamus Iſraëlem.* Sed dum fugiunt, reuertuntur in eos aquæ & ſubmergunt omnes.

2. Propter frigus.

Secundò, Propter frigus. Experientia enim teſtis eſt, quàm frigidi ſint ægrotantes ad amandum Deum, ad meditanda & deſideranda cœleſtia, ad ſpernenda terrena, ad virtutes exercendas. Morituri confitentur & communicant plerique, quia ita receptus mos Chriſtianorum habet, ne parum Chriſtiani reputentur: vel ex metu mortis quale quale quærunt remedium. Cuius ſignum eſt, quia ſani multo perſiſtunt tempore in peccatis, nec medelam quærunt. Contritio procedere ex amore Dei debet, non ex coactione, aut formidine inferni: requirit feruorem charitatis, Deum ſuper omnia amantis. Quomodo autem infirmi medijs in doloribus excitabimus in nobis ignem iſtum, quem ſani difficulter excitamus? Dicite mihi; ſi ſeruus empticius dominum fugiſſet & poſtmodum ex fugâ retractus à domino grauiter cæderetur, putatiſne hunc ſeruum dum adhuc ſub flagellis eſt & verberum dolores ſentit, poſſe dominum caſtigantem diligere? an non potiùs contra illum fremet & de eius ſæuitiâ conqueretur? Si enim priùs non dilexit etiam blandientem & benefacientem, quomodo nunc diliget verberantem? Tu peccator es ſeruus talis, emptus pretio magno, ſed per peccatum ab hero profugiſti & alteri adhæſiſti: retraheris tamen aliquando & in articulo mortis iterum incides in eius manus, vbi atrociter vapulabis. Et tunc illum tunc amabis ſuper omnia, qui hìc blandientem non amaſti, ſed creaturis poſtpoſuiſti, & toties offendiſti? Denique ſi magna delectatio mentem ita occupat, vt ad alia attendere nequeat, multo magis ingens triſtitia; vnde colligitur rationem afflicti & cum morbo luctantis hominis parum attendere poſſe ad Deum & ſalutem ſuam: vti patet cùm quis dentium dolore vel oculorum affligitur. Tametſi enim ad excitandam hominis mentem vt in Deum conuertatur, cœleſtia deſideret & terrena ſpernat, multa adhibentur media, adhortationes, ſacramenta, lectio pia, &c. ea tamen illi, qui priùs mundo deditus & frigidus Chriſtianus fuit, parum proderunt. Cuius rei typus fuit Dauid, qui ſenio confectus & morti vicinus non poterat calefieri, licet operiretur veſtibus, 3. *Reg.* 1. Ita enim homo moriturus, præſertim mundo deditus, in mortis articulo diſficilè accenditur ad amorem Dei, tametſi adhibeantur varia remedia ſpiritualia: potiùs enim dicere debet cum Dauide Pſalm. 118. *Factus ſum ſicut vter in pruinâ.* Vter enim etſi priùs diſtentus, mollis & vnctus, in pruinâ conſtringitur & fit aridus ac durus: quemadmodum & homo in acrimoniâ morbi. Falluntur ergo, qui putant ſufficere, ſi infirmus oſtendat ſe patientem, libenter audiat ſpiritualia, quæ illi præleguntur & recenſentur, ſuſcipiat Sacramenta. Hæc enim tametſi in ſe bona & efficacia, parum tamen proſunt homini peccatorum frigore rigenti, niſi in ſeipſo etiam excitet incendium veri doloris & propoſiti emendationis; atque adeò omnem ſuam cogitationem à diabolo, carne, mundo abſtrahat, & in Deum conuertat: quæ ſanè homini doloribus circumdato valde ſunt difficilia. Non enim omnes ſunt Jobi, non omnes Tobiæ, non omnes ſunt tres pueri, qui in fornace ignis & maximis anguſtiis Deum benedicere poſſint. *Caput meum doleo, caput meum doleo*; (4. Reg. 4.) hoc ſolum ferè omnes afflicti ingeminant.

3. Ob crebras & graues tempeſtates.

Tertiò, Propter graues & perpetuas tempeſtates niuium, imbrium, ventorum ac frigoris. Etenim morientem inuadunt timor gehennæ, amor mundi & amicorum, quos relinquere debet: tentationes dæmonum grauiſſimæ, dolor ipſe & cruciatus morbi; quæ omnia velut vno impetu irruunt in hominem, eumque vndique perplexum & quaſi amentem faciunt: vt proinde difficillimum ſit in tantis tempeſtatibus conuertere ſe ad Deum, & negotium ſalutis agere, quod omni negotio grauius eſt. Iactabant quidem ſe duo illi filij tonitrui, Iacobus & Ioannes, quaſi calicem Domini bibere poſſent: ſed cùm caperetur Dominus, arripuerunt fugam eo derelicto, Matth. 20. & 26. Animoſior adhuc Petrus, dicebat: *Domine, tecum paratus ſum*

& in

& in carcerem & in mortem ire, Luc. 22. ſed cùm ſederet ad focum, voce vnius ancillæ oſtiariæ perculſus negauit & pernegauit CHRISTVM, quemadmodum prædixerat illi Dominus. Et quomodo ſe heroës præſtabunt ægri, cùm in articulo mortis cernent comprehendi ſeipſos? Quid ſi prodeat tunc ancilla oſtiaria, conſcientia, (quæ obſeruat oſtium mortis maximè) & redarguat eos: *Nunquid & tu Galilæus es?* nónnè *te loquela tua manifeſtum facit*? quid, inquam, huic reſpondebunt? Propterea itaque ſancti etiam viri magnoperè timebant, ne in articulo illo ſuccumberent. Et tu peccator vis ibi conuerti, vbi ſanctiſſimi quique timuerunt peruerti?

C. II: Quia Sabbatum eſt. SECVNDÒ, Sabbatum etiam eſt tempus mortis. Primò reſpectu animæ, quæ multoties ex vi morbi ligato intellectu & voluntate nihil ampliùs liberi operis exercere poteſt, ac proinde nec pœnitentiam agere: & ita ſabbatum eſt, cùm ceſſit operatio animæ. Si multi etiam ſani nolunt intelligere, & horrent vocabulum pœnitentiæ, contritionis, propoſiti emendationis, reſtitutionis, condonationis offenſarum, &c. quàm peregrina putas erunt hæc vocabula morituris? Sanè videmus eos ad propoſitum nihil penè reſpondere, cùm de talibus interrogantur. Nimirum qui modò non vult intelligere, quæ dicuntur de pœnitentiâ, ſed diſſimulat: tunc cùm volet, non poterit intelligere. Sic Hannibal cùm poſt pugnam ſtatim Cannenſem potuiſſet Romam capere: poſtea bis imbre denſiſſimo coactus recedere dixit: *Cùm potui, non habui voluntatem; & quando volui, non habui poteſtatem capiendi Romam.* Deinde mortis tempore voluptates, creaturæ & peccata, quæ amaſti, te potius relinquunt, quàm tu illa; quia tunc frui ijs non potes ampliùs; & proinde non voluntariè ſed coactè deſeres illa, non deſerturus, ſi diutiùs frui poſſes. Potes quidem facere ex neceſſitate virtutem, vt ſcilicet ea quæ ſiue iam obtinere ſiue tecum auferre nequis, ex voluntate cum odio & deteſtatione deſeras, nunquam ea repetiturus licet habere poſſes: ſed experientia oſtendit hoc perrarò fieri. Plerique enim qui in mortis periculo confeſſi ſunt, promiſerunt vitæ emendationem, vbi conualeſcunt, in priſtina ſtatim redeunt peccata, quamprimùm ea perpetrandi ſit poteſtas. Quis tunc afferat ſeriam illos egiſſe pœnitentiam & non potiùs fictam & coactam? Si mercator in periculo conſtitutus eijciat in flumen merces; & poſtquam euaſit periculum, ſtudioſè iterum conquirat, & extrahi de aquis curet: vel ſiquis à tauro impetitus, pallium abijciat & fugiat, poſt periculum verò ſtatim pallium ſuum repetat: quis dicet illum merces, hunc verò pallium voluntariè abieciſſe & non cogente formidine? Quocirca grauiter ſanctus Auguſtinus monet in lib. de verâ & falsâ pœnitentiâ: *Nullus expectet, quando iam non poſſit peccare: qui priùs vtiquè à peccato relinquitur, quàm ipſa relinquat, ea non liberè ſed quaſi ex neceſſitate condemnat: illi autem qui cùm potuerunt conuerti, noluerunt, confitentes cùm iam peccare nequeunt, non ſic facile acquirunt, quod volunt.* Cùm ergo pœnitentia illa ſit dubia ſaltem, debes in ſummo hoc periculo, tutiorem partem eligere. Sic enim idem Pater *hom. 41. ex 50.* (vt refertur de pœnit. diſt. 7.) ait: *Siquis poſitus in vltimâ neceſſitate ſuæ ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, non illi negamus, quod petit, ſed nec præſumimus, quod bene hinc exit: & ſi ſecurus hinc exierit, ego neſcio: Pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem autem non poſſumus. Sed quid dico? damnabitur? ſed nec dico, ſaluabitur. Vis, quod incertum eſt, euadere? age ergo pœnitentiam, dum ſanus es. Si ſic agis, dico tibi, quòd ſecurus es, quia egiſti pœnitentiam eo tempore, quo peccare potuiſti: ſi autem vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Hæc Auguſtinus loco citato cap. Siquis.

Deinde Sabbatum eſt reſpectu corporis, quod in infirmitate ineptum eſt ad pœnitentiam ſubeundam, & quandoque ſenſibus priuatur, vt nec cernere aut homines agnoſcere, nec loqui, nec audire poſſit: quo ſtatu Sacerdotes re infectâ diſcedere ab ægro debent, quia heu Sabbatum agit infirmus. Promiſit quidem Deus, ſe recepturum peccatorem, quacunque horâ ingemuerit, & conuerterit ſe ad Deum, ſed non promiſit tempus ad hoc ſemper dandum. Vnde miſeri homines, cùm audiunt, quocunque tempore poſſe agi pœnitentiam, ideóque eam ſemper differunt, miſerè decipiuntur & moriuntur *in tempore non ſuo*, vt ait Eccleſiaſtes cap. 7. Simili ſtultitiæ deluſit & decepit ſemetipſum Sedecias Rex, qui, vt aduertit Joſephus *lib. 10. antiquit. c. 10. & 11.* cùm duo Prophetæ, Jeremias & Ezechiel, prædicerent Ieroſolymam capiendam à Rege Babylonis, ipſúmque Sedeciam in Babylonem ducendum eſſe captiuum, ſuaderent proinde, vt traderet illi ciuitatem; Sedecias id non credidit, multò minùs aſſentiri voluit. Cauſam verò deceptionis hauſit ex prauâ intellectione verborum vtriuſque Prophetæ. Dicebat enim Jeremias: *Comprehenſione comprehenderis, & in manu eius tradêris; & oculi tui oculos Regis Babylonis videbunt*, &c. vt habetur Jer. 34. Ezechiel verò dicebat, Sedeciam non viſurum Babylonem, vt habet c. 12. Vnde concludebat ipſe, vel neutri Prophetę credendum eſſe, vel Ezechieli potiùs quàm Jeremiæ. Sed euentus oſtendit, vtrumque verum dixiſſe. Captus enim à Nabuchodonoſore & ad illum adductus Sedecias erutis oculis in Babylonem ductus eſt; ita vidit Regem Babylonis, & ductus eſt in Babylonem, ſed non vidit Bybylonem. Simili modo decipiunt ſe peccatores, cùm ſe conſolantur varijs ſcripturis promittentibus veniam & Dei miſericordiam ac longanimitatem: vti illud: *Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri.* Eſa. 30. Et illud: *Si impius egerit pœnitentiam, vitâ viuet*, &c. Ezech. 18. nec aduertunt, quòd ex aliâ parte dies Domini

2. Reſpectu corporis.

mini comparetur furi & fulguri, & quòd vtrumque verum ſit: Deum ſcilicet recipere peccatores quandocunque venerint, interim verò non promittere eis tempus ad conuerſionem, ſed potiùs inſperatò ſæpe & repentè quaſi excæcatos abducere in alterum ſæculum. Sic euenit iuueni cuidam, cui Grinizo nomen, qui habitauit Peruſij in Italiâ, in Conuentu S. Vincentij, cum Petro Damiano, poſteà Cardinale & Epiſcopo Oſtienſi, qui hanc hiſtoriam ſcripſit ante nos annos 550. Hic cùm ad omnem ſe voluptatem carnis proijceret, cum diabolo paciſcitur, obſecuturum ſe illi, eâ lege vt triduo ante mortem præmoneat eum obitûs ſui; ſperans tunc ſe pœnitentiam acturum. Euolutis aliquot annis, quos in peccatis exegerat, acceſſit eum diabolus ex pacto monens, eum poſt triduum moriturum. Conuocat ergo is Religioſos omnes, & quid cum diabolo pactus ſit, omnibus aperit; quo facto ſtatim obdormiuit. Religioſi omnem mouebant lapidem, vt illum excitarent, ad confeſſionem adducerent, & ſacramentis munirent: ſed obdormiebat ille, quantumcunque traheretur ac pungeretur, quamdiu pœnitentiæ fiebat mentio: euigilabat verò, & reſpondebat, ſi profanum aliquid diceretur; dein rurſus ſi de confeſſione fieret mentio, imò ſi vel nomen pœnitentiæ audiretur, profundè indormiebat. Durauit hoc vſque ad tertium diem, quo expirauit. Poſt ſepulturam multi canes nigri ad ſepulchrum conuenerunt, & ſuper eo multis noctibus manſerunt: quò videlicet fideli ſeruo ſuo caninas agerent exequias. Videtis quomodo hic miſer, qui ex ſubdolâ prædictione non putauit ſe viſurum infernum, excæcatus tamen eò ductus ſit? Quàm facilè hoc idem cuiuis accidere poteſt? Veriſſimum igitur quod Eccleſiaſtici 21. dicitur: *Repromiſſio nequiſſima multos perdidit.* Patet enim hinc, quod S. Auguſtinus ait: *Percutitur hac animaduerſione peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui viuens oblitus eſt Dei.* Quemadmodum ergo ſerui Aſſueri operuerunt faciem Amam, ſuſpendendo in patibulum, *Eſth.* 7. ita cacodæmones laborant, vt morienti peccatori tenebras abducant, quò obliuiſcatur ſui & Dei.

3. Reſpectu Dei. Denique reſpectu Dei, qui in tempore illo etiam otiabitur, hoc eſt, non dabit gratiam illam, quam daret aliàs, ſpecialem & copioſam, quæ ſit efficax ad conuerſionem; exigentibus id peccatoris demeritis. Gratiam Dei ad conuerſionem eſſe neceſſariam, verius eſt, quàm vt oſtendi debeat: imò Auguſtinus ait: *Hoc eſt magnum miraculum Dei, cui Deus inſpirat & adiuuat, vt frangatur per contritionem.* Deinde quò diutiùs homo in peccatis perſiſtit & pergit, eò maior requiritur gratia ad eius conuerſionem. Denique qui ſuam pœnitentiam ex induſtriâ differt ad mortem, eo ipſo meretur gratiæ debitæ ſubtractionem, quia ex præſumptione peccat miſericordiæ diuinæ, adeoque ipſum remiſſionis principium, quantum in ſe eſt, deſtruit. Non audis, quid dicat Iſaias c. 33. *Væ qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris?* Et Deus per Dauidem Pſ. 15. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt. Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus.* In Hebr. habetur: *Non libabo libamina eorum de ſanguinibus.* Vides, Deo non placitura ſacrificia peccatoris, quæ ex præſumptione in mortem differt? Quid etiam dicat Deus Prou. 1. *Vocaui, & renuiſtis,* inquit, *& deſpexiſtis omne conſilium meum: ego quoque in interitu veſtro ridebo, cùm irruerit ſuper vos calamitas & interitus: tunc inuocabunt me, & non exaudiam, eò quòd exoſam habuerint diſciplinam.* Miraculum & igitur quidem maximum petis, cùm in tali ſtatu gratiam à Deo petis & beatam mortem. *Vix ex centum millibus hominum,* ait S. Hieronymus, (referente Hadriano Papâ) *quorum mala fuit vita, in morte diuinam indulgentiam obtinebit vnus.* Ratio eſt, quia illud tempus non peccatoris, ſed Dei eſt: ſicut cùm Dux dat ciuitati, quam obſidet, pacem ad certos dies, vt intra eos ſe dedat, & gratiam oblatam acceptet. Poſtquam verò illa pergit in pertinacia, & Dux eam omninò circumdat, ac tormentis quatit, manuque armatâ capere incipit, iam non audit eorum preces, ſed mactat, ſpoliat, vaſtat omnia. Sic fecit Titus Ieroſolymam cingens, qui initiò pacem & ſecuritatem incolis multoties obtulit, ipſoſque adeò rogauit, vt ſaluti ſuæ conſulerent; at vbi auditus non fuit, arctiſſimâ & obſidione & muro prealto ciuitatem vndique cinxit, ita vt quicunque effugere de vrbe conarentur, mox in eius, exercitum inciderent & mactarentur. Mortis ergo tempus, tempus obſidionis eſt, quâ rebellem & obſtinatum peccatorem Deus doloribus circumdat, nec iam, ordinariè ſaltem, deprecantem audit ampliùs, ſed perdit. Vnde Eccleſiaſtes c. 7. ait: *Noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Olim Iudices reum capitis condemnaturi, inter ſe & reum cortinam obducebant, & interiecto velo ſe continebant, ne facilè ad miſericordiam flecterentur (vt meminit Clemens Rom. *l.* 2. *Conſtit.* & D. Baſilius *ep.* 78. Codex Theod. & Iuſtiniani) quia erat tempus iuſtitiam exercendi. Pari iure Deus peccatoribus, cùm iamiam ad iudicium ſiſtendi & damnandi ſunt, vultum gratiæ ſuæ ſubducet, quem priùs contempſerunt: Opponet, *nubem ſibi, ne tranſeat oratio eorum,* Thren. 3. *Operuiſti in furore, & percuſſiſti nos: occidiſti, nec pepercisti. Oppoſuiſti nubem.* &c.

Nota eſt hiſtoria de Iudæo illo, nomine Salomone, qui poſtquam in latrinam incidiſſet, & in ſabbato extrahi nollet, dicens: *Sabbata noſtra colo, de ſtercore ſurgere nolo:* Magiſtratus poſtea in die Dominico, quo Iudæus extrahi volebat, reſpondit: *Sabbata noſtra quidem Salomon celebrabis ibidem.* Quid mirum, ſi & peccator, qui tempore iuuentutis & ſanitatis, quo ſabbatum ſuum agit in mundi voluptatibus, de peccatorum ſuorum fæcibus non vult extrahi, audiat tempore mortis, tempus & ſabbatum Dei eſſe: *Sabbata noſtra quidem,* &c.

&c. Quis dubitat obſeſſos Ieroſolymitanos, cum viderunt præ oculis vndique extremam anguſtiam, famem, peſtem, gladium; tunc dixiſſe ad ſe inuicem: ô nos miſeros & ſtolidos, cur non hinc aufugimus, cùm fugere poterāmus? cur non credidimus ijs, qui hanc cladem nobis prædixerunt? Idem dicent vel cogitabunt morientes, qui pœnitentiam in mortem vſque diſtulerunt. Orate ergo dilectiſſimi, per ſalutem veſtram oro, orate, imò ipſi procurate, vt non fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato.

CONCIO V.

Sex Aſyla protegentia ab ira iudicis venturi.

Primum eſt Eccleſia Catholica fides & obedientia.
2. *Tribunal pœnitentia.*
3. *Opera miſericordia.*
4. *Oratio ſedula & perſeuerans.*
5. *Timor perennis & præmeditatio iudicij.*
6. *Ingreſſus in Religionem, vel alium ſecurum ſtatum.*

THEMA.

Tunc, qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes. Matth. 24.

A. MAgnum fuit beneficium, quod exhibuit Deus familiæ iuſti illius Loth, *Gen.* 19. quando miſit ei binos Angelos, qui de futuro Sodomæ incendio eum monerent atque eriperent. Sed longè maius eſt, quod exhibuit nobis omnibus, quando miſit filium ſuum Chriſtum, magni conſilij Angelum, ad præmonendum nos de futuro & vltimo mundi incendio extremoque iudicio. Id quod in hodierno Euangelio fecit Chriſtus. Angeli monebant Loth, vt fugeret ab incendio: Chriſtus monet nos, vt fugiamus ab excidio mundi & futurâ irâ. Angeli præcipiebant, vt nemo fugientium retroſpiceret: Chriſtus monuit, vt qui in agro eſt, non reuertatur tollere tunicam ſuam: qui in tecto eſt, non deſcendat in domum ſuam. Angeli dicebant: *In monte ſaluum te fac*: Chriſtus dicit: *Tunc, qui in Iudeâ ſunt, fugiant ad montes.* Sed qui ſunt iſti montes, ad quos recipere nos debemus, ſi à venturâ Dei irâ abſcondere nos volumus? Audiamus.

B. Iuſſit Deus *Num.* 35. deſignari ſex ciuitates, ad refugium eorum, qui nolentes ſanguinem fudiſſent, vt ad eas confugerent, & immunes eſſent à perſecutione eorum, qui cognati erant hominis occiſi. Eæque reipsâ deſignatæ ſunt *Ioſ.* 20. poſt ingreſſum filiorum Iſraël in terram promiſſionis. Ego totidem inuenio præcipua aſyla, ad quæ recipere nos poſſumus, vt fugiamus à venturâ Dei irâ.

I. Eccleſiæ Catholicæ fides & obedientia. PRIMVM Aſylum eſt Eccleſia Catholica, eiuſque fides & obedientia. Hoc aſylum videtur expreſſiſſe Dauid Pſ. 103. cùm ait: *Petra refugium herinaceis.* Teſte enim Ambroſio l. 5. hexam. c. 9. & B. Baſil. *in hexam. hom.* 7. herinaceus marinus prouidens tempeſtatem, petræ alicui manibus pedibuſque adhæret, ne à fluctibus eijciatur ad littus. Nos ergo petræ Eccleſiæ firmiter adhæreamus, ſi tempeſtatem illam incolumes ſuſtinere volumus. Extra eam ſalus non eſt, ſed interitus certus. Quemadmodum extra arcam nemo diluuium euaſit & interitum: ſic extra Eccleſiam nemo tunc ſaluabitur. Vnde Joan. 3. ait Dominus: *Qui autem non credit, iam iudicatus eſt.* Quia verò ſola fides non ſufficit ad ſalutem, & in Eccleſiâ mali ſunt & boni, oues & hœdi, quemadmodum & in arcâ Noë, tam immunda quam munda fuerunt animalia: idcircò addendum, vt qui cum magnâ fiduciâ apparere in iudicio vult, Eccleſiæ & Prælatorum eius directionem ſequatur, ſeque ouem præſtet in ouili Chriſti. Propterea enim Chriſtus *Matth.* 25. electos in iudicio ad dextram ſuam locatos, *oues* vocat: reprobos verò ad ſiniſtram *hœdos*; quia nimirum illi velut oues eius vocem paſtoris audierunt, cumque ſecuti ſunt, prout dixit Joan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me*; hi verò inſtar hircorum præcipitia aſcendebant; nec recto gradiebantur itinere. Ratio idipſum comprobat; nam qui Eccleſiæ ductum & paſtorum directionem tanquam ouis ſequi per omnia ſtudet, qui præcepta Eccleſiæ obſeruat, Prælatorum ſuorum conſilio vtitur, ad paſcua verbi DEI & ſacramentorum duci ſe ab ijs ſinit, non tam is pro ſe, quàm Eccleſiæ & paſtores pro ipſo reddere rationem in die illo debebunt. Etenim, *in obedientiâ*, ait S. Hieronymus in reg. monial. *non ſolùm mens excuſetur à reddenda Deo ratione de ſubditis, ſed nec etiam obligatur reddere de ſe ipsâ. O ſumma libertas, quâ obtentâ vix poſſit homo peccare!* ſic ille. Vt enim ſi cœcus ducatur in ſegetes, eaſque conterat, non ipſe, ſed ductor eius reus erit: ſic etiam paſtor non ouis reddet rationem, ſi malè duxit ouem. Plutarchus in lib. 1. de prudentiâ animalium ſic ſcribit: *Is piſciculus, quem gubernatorem vocant, grandiorum balænarum cupiam ſemper hæret, præitq́, curſum dirigens, ne vel in breuia cœnoſa impingat, vel in anguſtias ſeſe penetret, vnde exitus non datur. Hunc balæna veluti temonem nauis ſequitur, duciq́, ſe fert non inuita. Eo quieſcente quieſcit, progrediente progreditur: hoc niſi faciat, errare impingereq́, certum eſt. Periere multa dum velut gubernatore carens nauigium, delatæ ad terram ſunt.* ſic ille. Exemplum itaque Chriſtianis in hoc maximo piſce dedit DEVS obedientiæ Eccleſiæ eiuſque paſtoribus præſtandæ. *Quantacunque enim Religionis & ſapientiæ* (inquit Baſilius Macedo Imp. in adhort. ad Laicos apud Baron. an. 869.) *laicus exſtat, ouis vocari non deſinet*; proinde ductum Eccleſiæ & gubernatoris ſui ſpiritualis ſequi debet. Hoc faciens non impinget in cœnum & ſcopulos iudicij diuini. Sine illo eiuſque ductu facilè errabit & impinget.

SECVNDVM, Tribunal pœnitentiæ. S. Joannes Baptiſta Matth. 3. venientibus ad ſe Ieroſolymitanis & confitentibus peccata ſua, miratur, quomodo ipſis oſtenſum ſit hoc aſylum, dicens: *Progenies viperarum, quis demonſtrauit* C. II. Tribunal pœnitentiæ.

vobis

vobis fugere à venturâ irâ? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. q.d. Vnde vobis peſſimis hominibus hoc conſilium, poſteris tantùm ſæculis Chriſtianorum reſeruatum, vt per confeſſionem virus euomatis ad fugiendam Dei iudicis iram? dignam ergo & veram agite pœnitentiam. *Ventura* enim *ira*, inquit S. Gregor. hom. 26. in Euang. ſuper illum locum, *eſt animaduerſio vltionis extremæ; quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit.* Et S. Chryſologus hom. 167. *Currat pœnitentia*, inquit, *ne præcurrat ſententia: ne iudicemur, iudices noſtri ſimus*, &c. Fecerunt hoc Niniuitæ, & ſententiam vltionis diuinæ mutârunt, qui feſtinando ad pœnitentiam Iudicem præuenerunt. Iam verò comparet quis tribunal pœnitentiæ cum tribunali iudicii, & videbit quàm ſuaue ſit hoc aſylum. Hîc examinanda eſt conſcientia à pœnitente, ibi examinabitur à Iudice, & accuſabitur ab Angelis; hîc dolor adhibendus eſt ſeu contritio, ibi vermis rodet immortalis; hîc confuſio aliqua ſuſtinenda coram confeſſario, ibi coram Deo & toto mundo; hîc leuis pœnitentia acceptanda, ibi pœna ignis æterni; hîc reus abſoluitur, ibi condemnatur. Quis non libentiſſimè ſubeat leuiſſimum hoc & quaſi ludicrum iudicium, quò fugiat illud alterum, triſte ac ſeuerum? Sanè vt morbos temporarios caueamus, amaras ſumimus potiones, crebras ſcarificationes adhibemus, venas incidi patimur. Cur non ergo ſimiliter amaram pœnitentiæ potionem ſumamus, vt futuram iram doloremque declinemus? *Ante languorem adhibe medicinam*, inquit Eccleſiaſticus c. 18. *& ante iudicium interroga teipſum & in conſpectu Dei inuenies propitiationem.* Quare iudicemus hîc noſipſos per ſedulum & quotidianum examen conſcientiæ, deinde per crebram confeſſionem; quâ, vt ait S. Auguſtinus ſerm. 181. de temp. *ſtudeamus iugiter vitiorum exhaurire ſentinam.*

D. III. Opera miſericordiæ.

TERTIVM, Opera miſericordiæ; his enim magna ſecuritas promiſſa eſt, in iudicio: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequẽtur*, Matth. 5. Et Tob. 4. *Fiducia magna erit corã ſummo Deo, eleemoſyna omnibus faciẽtibus eam.* Etenim, *eleemoſyna*, inquit Chryſoſt. hom. 33. ad pop. *Chriſti adſtat tribunali, non tantùm patrocinans, verum & ipſi Iudici perſuadẽs: vt reo patrocinium præſtet & pro eo ferat ſententiam.* Adhæc eleemoſyna inſtruit hominem, quomodo in iudicio reſpondere Deo debeat, teſte Dauid Pſalm. 111. *Iucundus homo*, inquit, *qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.* Magnum eſſet beneficium, ſi quis inſtrueret candidatum, reſponſurum pro laureâ Doctorali, diceretque ac ſolueret quæſtiones illi proponendas; quàm enim iucundo animo ingrederetur is examen? Hoc autem facit eleemoſyna: quæ, cùm ſciamus examen Dei inſtituendum eſſe potiſſimùm de operibus miſericordiæ: *Eſuriui*, &c. *Matth.* 25. ſoluit tibi quæſtiones illas. Sic conſuluit ſibi villicus iniquitatis, qui cùm audiret reddendum ſibi rationem villicationis ſuæ: *Quid faciam?* inquit, *quia dominus meus aufert à me villicationem*, &c. Inter hæc optimum ei refugium præbuit eleemoſyna, quam fecit de bonis domini ſui: & ita laudatus eſt ab eo, quòd prudenter egiſſet. Quòd ſi igitur aliquis præ ſenio vel corporis infirmitate fodere non valet, hoc eſt, corpus caſtigare per ieiunia & alias voluntarias afflictiones: & ſi mendicare nequit, hoc eſt, orationibus inſtare; quia fortè publicis aut priuatis impeditur negotiis: faciat ſibi amicos de mammonâ iniquitatis. S. Gregorius hom. 32. in Euangelia narrat exemplum huius rei. *Gothorum tempore*, inquit, *matrona quædam fuit valdè religioſa, quæ ad horum martyrum Eccleſiam crebrò veniebat* (erant autem illi SS. Proceſſus & Martinianus.) *Quadam die dum ex more ad orandum veniſſet, egrediens, duos ſtãtes ſub peregrino habitu monachos inuenit, peregrinos credidit, dari ei aliquid eleemoſynæ præcepit. Sed priuſquam eim erogator eis ad largiendum eleemoſynam propinquaſſet, aſtiterunt illi viciniùs, & dixerunt: tu nos modò viſitas, nos te in die iudicij requiremus, & quidquid poſſumus, præſtabimus tibi. Quo dicto ab oculis eius ablati ſunt.*

Funiculus coccineus pendens de feneſtrâ Raab, miſericordiam & ſecuritatem ei præſtitit, quia eo funiculo miſericordiam etiam fecit, quãdo demiſit exploratores per feneſtram. Ideo pro clypeo ſuo obiecit eis hunc funiculum. *Ioſ.* 2. & 6. Ita qui fecit miſericordiam cum miſeris, hoc titulo ſecurus erit in iudicio. Dicere enim poterit Deo: nónne tu mei miſereberis, qui tuorum miſertus ſum?

E. IV. Oratio ſedula & perſeuerans.

QVARTVM, Oratio ſedula & perſeuerans. Hanc aſſignauit ipſe CHRISTVS Lucæ 21. vbi poſt denuntiationem Iudicij ſubdidit: *Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia, quæ ventura ſunt, & ſtare ante filium hominis.* Quo loco manifeſtè indicat, non quamcunque, ſed inſtantem & continuam orationem dignam eſſe quæ effugiat iram venturam. Vnde parum aut nihil efficiunt, qui ſemel tantùm in hebdomade aut etiam rariùs orant.

Idem diſcere poſſumus ex illâ Domini parabolâ *Luc.* 14. vbi ait Dominus, quòd rex qui committere vult bellum aduerſus alium regem longe potentiorem, ſedens priùs cogitet ſi poſſit cum 10000. occurrere ei qui cum 20000. venit ad ſe: & ſi viribus imparem ſe videat, legationem, illo adhuc longè agente, mittat, rogetque ea quæ pacis ſunt: quod idem nobis faciendum ſuadet. Quis autem potentior ille rex, niſi DEVS, qui contra nos in iudicio cum exercitu ſuo infinitorum angelorum & ſanctorum præliaturus veniet? *Congregabo omnes gentes*, inquit Ioel. 3. *& deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi.* Quoniam ergo viribus tam impares ei ſumus, vt, teſte Iob, nec vnum pro mille reſpondere ei poſſimus, quid ſupereſt, niſi, vt illo adhuc longè agente, id eſt, tempeſtiuè legationem mittamus inſtantis orationis, & rogemus ea quæ pacis ſunt? Nam ſi non præoccupemus faciem eius, antequam cum exercitu & irâ ſuâ appropinquet, irâ illius creſcet

creſcet & exacerbabitur; quia hoc ipſo diuitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis eius contemnimus, teſte Apoſtolo, *ad Rom. 2.* ſicque theſaurizamus nobis iram in die iræ. Id quod etiam exemplo terrenorum regum patet; nam quò magis perſeuerat rebellis in rebellione ſuâ, & veniam non precatur, nec coram rege ſe humiliat, eò magis exaſperat iram eius & tandem non ampliùs auditur, cùm dominum ad arma ſumenda coëgit. Vnde Ioab 2. *Reg.* 2. ad Abner pacem expetentem dixit: *Si locutus fuiſſes manè, receßiſſet populus perſequens &c.* Quare ne aliquando iratum offendamus Deum, recurramus nunc ad placatum. Sic enim monet S. Auguſtinus ſuper Pſal. 74. cùm ait: *Non eſt quò fugias à Deo irato, niſi ad Deum placatum.* Videtur hîc alluſiſſe ad mulierem illam, quæ Cæſaris opem implorabat: ſed cùm is ira æſtuans, eam non audiret, appellauit illa ad Cæſarem. Et ille: *At quem alium Cæſarem? Ab irato ad placatum*; ait illa. Hoc idem nos faciamus; ſed appellemus nunc placatum, non placandum olim. Simili ſolertiâ appellauit aliquando mulier alia à Philippo dormiente ad vigilantem, apud Stob. ſerm. 13. & Plut. in apopht. Dormiet aliquando Chriſtus, & non excitabitur: nunc verò nobis vigilat: appellemus ergo ad vigilantem.

F. V. Timor perennis & præmeditatio iudicij.

QVINTVM, Timor perennis & præmeditatio iudicij. Scriptum eſt enim Eccleſ. 1. *Timenti Dominum bene erit in extremis*: Nam qui diem illum ſemper timet ac meditatur, ita actiones ſuas dirigit, vt Deum non offendat, nec in iram eius impingat. Nauta non in prorâ, ſed in puppe reſidens, nauem facilè regit, ne in ſcopulos allidatur. Sic noſtræ vitæ gubernator, animus, proſperè cuncta diriget, ſi fuerit intentus vltimo iudicio. Sanè vox illa Domini ad villicum: *redde rationem villicationis tuæ*: fecit eum prouidum, vt media inquireret quibus ſe tueretur ab extrema calamitate. *Quid faciam?* inquit; & ita optimum conſilium excogitauit eoque ſibi conſuluit. Hoc ipſum fecit S. Job cap. 31. cùm ait; *Quid faciam, cùm ſurrexerit ad iudicandum Deus? & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi?* Et cap. 9. exponit quid fecerit: *Verebar omnia opera mea,* inquit, *ſciens quòd non parceres delinquenti.* Hoc aſylum petiit S. Hieronymus, qui de ſeipſo fatetur ſuper Matth. *Siue comedã, ſiue bibam, ſiue aliquid aliud faciam, ſemper vox illa videtur ſonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium. Quoties diem iudicij cogito, toto corde & corpore contremiſco.* Additque: *Si qua præſentis vitæ eſt lætitia, ita agenda eſt, vt nunquam amaritudo futuri iudicij recedat à memoriâ.* Hoc eodem refugio tutabatur ſe S. Ephrem, qui diem illum præ oculis ſemper habuit. Idem ſuaſit Abbas Amon cuidam fratri poſtulanti ſermonem quempiam vtilem: *Vade,* inquit, *& fac talem cogitationem tuam, qualẽ faciunt illi, qui ſunt in carcere. Illi enim interrogant homines: vbi eſt Iudex, & quando veniet? & in ipsâ expectatione pœnarum ſuarum plorant. Sic etiam debes animam tuam obiurgare, dicens: Væ mihi, ſi non cogitauero, quomodo habeo aſtare ante tribunal Chriſti, & actionum mearum reddere rationem. Si ſic ſemper meditatus fueris, poteris ſaluus eſſe.* Denique S. Ceadda Merciorum in Angliâ Epiſcopus, vt ſcribit Venerab. Beda *lib. 4. hiſt. Angl. c. 3.* dum viueret, diem Domini ſolicitus expectabat, & quoties tonaret aut fulguraret aut vehementior aliqua procella ingrueret, ſolebat in memoriam reuocare extremum diem iudicij & miſericordiam Domini inuocare atque eam humano generi propitiare. Vnde meruit ab angelis de die obitus ſui præmoneri, à quibus ad ſe die ſeptimo prædicto redeuntibus, in cœlum eſt deductus. Omnes iſti nautæ feliciſſimè nauigârunt, quia in puppi ſteterunt. Quare Theophilus Archiepiſcopus moriturus Arſenio dicere non dubitauit: *Beatus es Abba Arſeni; quia ſemper hanc horam ob oculos habuiſti.* In Vitis PP. lib. 5.

G. VI. Ingreſſus in Religionem.

Denique ſiquis adhuc ſecuriorem montem expetat; monſtrabo illum quidem, ſed neſcio an placiturum. Mundo renuntia & certum genus vitæ perfectioris capeſſe extra mundi huius fluctus & procellas, vbi ſecuriùs ſeruire Deo poſſis. Hoc illa de hirundinibus fabula nos docet: Cùm primùm enim cœptum eſt ſeri linum, hirundo ſuadet auiculis impedire ſementem, dictitans, ſibi fieri inſidias. Irrident illæ, ſtultam vatem hirundinem vocant. Surgente iam lino & viriſcente, rursùs monet euellere ſata. Iterùm irrident. Matureſcit linum, hortatur populari ſegetem. Cùm ne tunc quidem conſulentem audirent, hirundo auium cœtu relicto, hominis ſibi conciliat amicitiam, init cum eo fœdus, cohabitat, cantu demulcet. Cæteris auibus è lino fiunt retia & laquei. O præclarum auiculæ documentum! Noſtin' quid ſibi velit? Serit Deus linum, quando ſcribit contra nos amaritudines, ſententiam videlicet & inſtrumenta condemnationis pro merito noſtro: matureſcit linum, cùm Dei iudicium appropinquat. Quid faciamus miſeri? Sementem extirpemus per accuratam & ſeriam pœnitentiam, vitæque emendationem. Sed irridet mundus, nec facilè ad hoc operam nauat, potiùs nos impedit. Si ergo periculum quis euadere & ſaluare animam ſuam velit, fugiat mundi conſortium, recipiat ſe ad ſtatum ſecuriorem, religionem, vbi conciliet ſibi DEVM, habitet cum illo, demulceat eum cantu ſacrarum horarum, &c. Sed hîc querelam Lothi audio, qui monitus ab angelis vt in monte ſaluum ſe faceret, diffidens viribus ſuis, voluit potiùs remanere ad pedem montis & ſaluare ſe in ciuitate Segor paruâ. Difficilis aſcenſu eſt mons religionis, & quis poteſt capere verbum hoc? Ergò ſalutem noſtram quæramus vel in Segor ſaltem, hoc eſt, tali in ſtatu, qui à mundi negotiis paulò eſt remotior. Videmus mercatores, non parum quâ ratione iter ſuum inſtituant merceſque coëmptas in patriam deuehant, eſſe ſolicitos. Si flumen aliquod vaſtum & præceps ſit tranſmittendum, magnum ille ſubit periculum, qui mercibus in humeros ſublatis, natandi arte confiſus, aquis ſe ſuaque committit. In minore, non tamen extra periculum erit, qui in lintrem vel ſcapham ſe reſ-

Vel alium ſecurum ſtatum.

que ſuas imponet: qui verò onerariâ naue vtetur, magis adhuc cautè aget. At quia illa quoque ventorum vi in ſcopulos impelli & frangi poteſt, omnium tutiſſimus ibit is, qui ponte licet per aliquot ambages quæſito & conſcenſo, vehiculo merces ſuas tranſportabit. Non abſimilis eſt mundus vaſto & periculoſo flumini: eius procellis & periculis ſe committunt, qui totos ſe in moleſtias & curas ſæculares immergunt. Qui verò vtuntur mundo, quaſi non vtantur: non penitùs in eum effuſi, ei tamen ob rei familiaris curam addicti: aliquantò ſecuriùs nauigant. Rurſum quibus eſt maior DEO ſeruiendi cura & occaſio (vti ſunt cœlibes & viduæ ac clerici ſæculares) in naui ſunt onerariâ, multò quidem tutiori, ſed non extra omne periculum. At verò qui relicto ſæculo ad religionis pontem aſcendunt, nihilque ſibi cum mundo commune eſſe volunt, illi non metuunt pericula, quoniam mari, quibus pons eſt ſeptus, aſpectum fluminis intercludunt. Metiatur ergo quiſque vires ſuas & quâ videbitur ratione tranſmittat. Qui pontem nequit aſcendere, intret onerariam: qui hanc non vult aut poteſt, intret ſaltem ſcapham, & exoneret dorſum ſuum à ſæculi tumultibus, curis & negotiis: animi tranquillitatem quærat, vt ſecuriùs DEO ſeruiat. Tantùm ne adeò dementes ſimus vt cum onere ſæcularium negotiorum ſupra dorſum poſito, natare audeamus, quia res plena eſt periculo. Tandem, quod angelus monuit Loth, & CHRISTVS nos in hodierno Euangelio, ne quæſo reſpiciamus, ſicut vxor Loth. Siquis ingreſſus eſt horum montium ſeu ciuitatum aliquam non reſpiciat, non reuertatur. Qui in agro eſt vitæ actiuæ, non redeat ad mundum: qui in tecto vitæ ſpiritualis, non deſcendat ad ſæcularem.

Sed dum electi cum Loth ad montes prædictos fugiunt & ad iudicium ſe parant: quid agunt interim reprobi? Idem omnino quod peſſimi Sodomitæ, quemadmodum prædixit Dominus *Luc.* 17. Nam, *in diebus Loth edebant & bibebant*, inquit, *emebant & vendebant, plantabant & ædificabant: quâ die autem exiit Loth à Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cœlo & omnes perdidit: ſecundum hæc erit quâ filius hominis reuelabitur.* Ita Dominus. Et heu quàm multi illorum ſimiles! Qui ſerò & fruſtrà aliquando dicent montibus & petris: *Cadite ſuper nos & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum & ab irâ agni*, Apoc. 6. Vtantur ergo hoc conſilio, & fugiant ad hos montes, vt ibi ſecuri lateant.

CONCIO VI.

Quibus maximè pertimeſcendum ſit iudicium.

1. *Iis qui Chriſtum hîc confiteri erubeſcunt.*
2. *Blaſphemis.*
3. *Abutentibus ſpecialibus Dei donis.*
4. *Qui malè præſunt.*
5. & 6. *Qui alios temerè & iniuſtè iudicant.*
7. *Duris & immiſericordibus.*

THEMA

Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Matth. 24.

INter alia præſagia euerſionis Ieroſolymæ refert Ioſephus *lib.* 7. *de bello Iud. cap.* 12. virum quendam plebeium, nomine Ieſum, per vicos vrbis circumiſſe & perpetuò clamaſſe: *Væ, væ Ieroſolymis*: idque continuaſſe ſeptem annis & quinque menſibus ante euerſionem, *donec obſidionis tempore ipſâ re perſpectis auguriis ipſe quieuit*, ait Ioſephus. Nimirum præco iſte vltimus nuntius erat Ieroſolymæ miſſus à CHRISTO Domino, cuius & nomen gerebat: vt triſte illud *Væ*, quod Ieroſolymæ comminatus erat in hodierno Euangelio CHRISTVS, ipſe denuò repeteret & obſtinatis incolis extremè inculcaret. Cæterùm eiuſmodi præconem etiam videtur CHRISTVS miſiſſe nobis Eccleſiam, quæ lugubre illud *Væ*, perpetuò nobis occineret, ſicque ad Iudicij diem nos diſponeret. Id enim facit Eccleſia cum quotannis repetit & prælegit nobis illud: *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*; quod certè non faceret, niſi etiam ad nos comminatio illa pertineret. Vult igitur per hoc commonere etiam nos futuri iudicij, quod omnibus nobis imminet. *Væ prægnantibus*, inquit, qui nimirum peccata in corde gerunt per conſenſum & peccandi propoſitum. *Væ nutrientibus*, qui peccata iam perpetrârunt & perpetrare pergunt. Vtriſque enim imminet vltima calamitas ſeueriſſimi illius iudicij. Verùm ſicut obſidio & euerſio Ieroſolymæ nemini magis calamitoſa erat, quàm prægnantibus & nutrientibus: ita etiam iudicium extremum certis quibuſdam peccatoribus plus quàm aliis terribile continget: vti ſacræ teſtantur literæ. Quinam verò ſint illi, nunc audiemus. A.

PRIMÒ, Qui CHRISTVM hîc confiteri verbo & operibus erubeſcunt: & à potiori qui eum omninò negant. De illis enim dixit Dominus Luc. 9. *Qui me erubuerit & meos ſermones; hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſuâ & patris & ſanctorum angelorū.* De his B. 1. Qui Chriſtum hîc confiteri erubeſcũ

his verò Matth. 10. *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt.* Itaque, qui cùm opus eſt, fidem,& quæ ſunt fidei non profitentur: item viuere iuxta fidei præſcripta, Chriſtique & Eccleſiæ mandatis obedire erubeſcunt: & rurſùm qui verbis aut factis fidem aut Chriſtum abnegant: hi omnes ſingulari terrore concutientur in iudicio & præ aliis confundentur, cum videbunt Chriſtum Iudicem cum maieſtate & potentiâ venientem, quem contempſiſſe ſe recordabuntur. Quemadmodum enim is, qui regem ſub vulgari veſte latentem & ignotum ſperneret & à ſuâ ſocietate ac commercio velut indignum repelleret, vehementer poſteà confunderetur, cùm Rex detractâ ſibi laruâ & plebeio exuto amictu, regium indueret: ita qui hîc Chriſtum à mundo & infidelibus ſpretum confiteri, vel in Euchariſtiâ exiſtentem, venerari coram hæreticis aut etiam fidelibus erubeſcunt: ſupra modum confundentur, cùm Chriſtus aliquando in maieſtate ſuâ Iudex eorum apparebit. Nouimus quâ ratione Aman, poſtquam vidit ſupra ſe exaltatum ab Aſſuero Mardochæum, quem priùs contempſerat & ſuſpendere parauerat, lugens & operto capite feſtinârit ire in domum ſuam, gloriam videlicet Mardochæi & confuſionem ſuam videre non ſuſtinens, Eſth. 6. Quanta igitur confuſio erit inimicis crucis Chriſti, quando in die illâ cernent gloriam eius? Quando à longè ſtantes & dicentes: *Domine, Domine nônne in nomine tuo prophetauimus*, &c. audient: *nunquam noui vos?* Quo modo pudefient coram cœleſti Patre, cùm videbunt ab eo tantoperè exaltari & honorari filium, cuius ipſos puduit? quomodo coram angelis, quos cernent cum tremore & incredibili reuerentiâ inſeruire illi, cui ipſi flectere genu detrectabant? Quomodo coram SS. Martyribus & Confeſſoribus, quos cernent voce, ſanguine & calamo Chriſti gloriam propugnaſſe & coram toto mundo intrepidè prædicaſſe?

C. II. *Blaſphemi.* Secundò, Blaſphemi. Hi enim linguâ ſuâ virulentâ velut lanceâ aut clauo Chriſtum pungunt & configunt; ſiquidem Auguſtinus ſuper id: *Blaſphemauit*, ſcribit: *Non minùs peccant, qui blaſphemant Chriſtum regnantem in cælis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris.* De his autem ſcribit S. Ioannes Apoc. 1. *Ecce venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus,& qui eũ pupugerunt*, q.d. ſpecialiter iſti videbunt ad terrorem ſuum. Et rurſum poſtquam vnus militum lanceâ latus Chriſti aperuiſſet: *Videbunt in quem transfixerunt*, Ioan. 19. Hoc itaque Primò ad crucifixores Chriſti pertinet, qui vel reipsâ eum crucifixerunt; vel linguâ, cùm clamârunt, *Crucifige.* Secundò iuxta ſententiam S. Auguſtini ad quoſcunque blaſphemos. Et quomodo non iſtis etiam terribiliſſimus erit Chriſti aduentus, quando is ad oculum eis demonſtrabit, quem offenderint? Qui in Imperatorem ſcommata aut infamem euulgaſſet libellum: quo, putatis, terrore corriperetur, ſi deprehenſus & in lucem protractus Imperatori ſiſteretur? Non volunt intelligere blaſphemi, quàm grauiter & quantum peccent in Imperatorem: ſed intelligent aliquando, cùm in conſpectum eius producentur. *Serpentes, genimina viperarum,* (quæ nimirum virulentam linguam exercitis in Chriſtum) *quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* ait Dominus Matth. 23.

D. III. *Qui ſpecialibus Dei donis abutuntur.* Tertiò, Qui magnis ac multis Dei donis & gratiis abutuntur, quique Dei vocationes repellunt. De talibus enim ait Dominus *Matth.* 10. ad diſcipulos ſuos: *Quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros; exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerẽ de pedibus veſtris. Amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* Quo loco excutere puluerem è pedibus iubentur Apoſtoli, vt ſignificent ſe nolle cum illis domibus vel ciuitatibus, tanquam grauiſſimè puniendis in iudicio, commune aliquid habere. Eódem pertinet quod Luc. 11. ait Dominus: *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius & condemnabit illos, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis; & ecce pluſquam Salomon hic. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione hac & condemnabunt illam; quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ; & ecce pluſquam Ionas hic.* Quod ne in nos etiam quadret, vehementer vereor. Etenim Niniuitæ ad vnius hominis ignoti comminationem conuerterunt ſe & pœnitentiam egerunt: nos cùm plurimos audiamus Dei ſeruos & concionatores pœnitentiam inculcantes, nihil mouemur. Illis vnus dies ſatis fuit, quo prædicantem audierunt Ionam: nos multis ſæpe annis fruſtrà audimus conciones. Illis Propheta vrbis tantùm ſubuerſionem minabatur, & toto tamen pectore horruerunt: nos toties intentatis nobis ſuppliciis æternis non afficimur. Illis 40. dierum ſpatium ad reſipiſcendum dabatur: nobis ne hora quidem certa ſecuraque promittitur. Illi vniuerſi, ſummi, medij, infimi vitam in melius commutauére: nos pene vniuerſi in dies peiores euadimus aut ſaltem non emendamur. Denique illi ſeipſos grauiter afflixêre ieiunijs, cinere, cilicijs, vt Deum ſibi placarent, licet adhuc ignotum: nos cùm Dei veri cognitionem habeamus, ita affixi voluptatibus hæremus, ita corpus hoc amamus, vitiis immergimur, vt quiduis etiam minimum pati renuamus. Quare bene S. Gregor. in homil. 9. quæ eſt de talentorum diſtributione, monet: *Lectio S. Euangelij ſollicitè conſiderare nos admonet, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepiſſe aliquid cernimur, ab auctore mundi grauiùs inde iudicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum,* &c. Et certè ſi Dominus talentorum, in eum qui vnicum acceperat & abſconderat, tam ſeuerum protulit iudicium: *Inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium*, Matth. 25. quid dixiſſet ei, ſi is quinque aut plura accepiſſet & ſimiliter abſcondiſſet? Poteſt quidem is, qui abundat opibus & præcellit honoribus plus meriti & parare, ſed & plus demeriti, quod communiter fit, idque hac ſimilitudine

dine declarat Macharius apud Caſſianum *col-lat.24.* Tonſor quidem in pago erat, qui à quolibet pro ſuâ tonſurâ tres denarios accipiebat, vnde tantum quidem lucrabatur, vt quotidie ſupra victum decem denarios ad rem ſuam familiarem conquireret. Sed cùm audiret in vrbe aliquâ pro cranium cuiuſuis hominis abraſione tres ſtuferos tonſori numerari ſolere, omnia ſua bona diuendit, atque eò proficiſcitur. Quâ in vrbe dum iam eſſet, etiam, vt dictum ei erat, à quolibet tantum accepit: ſed veniens ad forum, in quo ſua neceſſaria emere cogebatur, omnia adeò carè diuendi experitur, vt ad veſperum nihil ſibi reſeruare poſſet, imò quidquid in pago acquiſiuerat, hoc illic totum conſumebat. Igitur cùm lucrum & ſumptus rectis rationibus expenderet, aduertit ſe vtiliùs longè in pago quàm in vrbe habitare. Similiter accidit hominibus, qui dignitates huius mundi appetunt, quibus videtur quidem quòd velint facere multa bona, & interim committunt multa peccata, non ſolùm, quòd qui altiùs cadit, is etiam periculoſiùs cadat, ſed quòd in diuitiis, dignitatibus, & amplitudinibus plures ſint occaſiones peccandi, imò multò maiores quàm in aliquâ priuatâ aut paupercula vitâ.

E. IV. Qui malè præſunt. QVARTÒ, Qui malè præſunt ſubditis. His enim minatur Sapiens Sap. 6. *Horrendè & citò apparebit vobis* (iudicium ſcilicet) *quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormēta patientur.* Cuius ratio eſt, quia ſubditus cùm officio ſuo deeſt, ſibi ſoli deeſt & ſuam vnius Deo abſtrahit animam. Prælatus autem & ſuam, & ſuorum ſubditorum: vt taceam quòd hic plura ad virtutem præſidia habeat, quàm ſubditus. Conſtat autem non duci integrum exercitum contra vnum furem, qui ſupellectilem aſportauit, ſed mitti tantùm vnum vel alterum baculo armatum: at verò in eum qui integram ciuitatem aut prouinciam occupauit vel ſpoliauit, duci integram aciem & ferro ac flammâ ſæuiri. Legimus *Num.* 25. quando fornicatus eſt populus Hebræus cum filiabus Moab & adorauit Deos earum, DEVM Moyſi præcepiſſe: *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis.* In quem locum Orig. ho. 20. ait: *Populus peccat & Principes puniuntur: non enim tantùm pro ſuis arguuntur delictis. Pro populo enim coguntur Principes reddere rationem, ne fortè non docuerint, non monuerint, non ſolicitè arguerint eos, qui primùm peccauerant, ne contagio diſpergeretur in populos: in ipſos enim conuertetur ira Dei & ceſſabit à populo. hoc ſi cogitarent homines, principatus non ambirent. Sufficit cuique pro peccatis propriis argui & reddere rationem*, hæc ille.

F. V. Qui alios temerè iudicant. QVINTÒ, qui alios temerè iudicant & condemnant. Ait enim Dominus Matth. 7. *Nolite iudicare, vt non iudicemini; in quo enim iudiciò iudicaueritis, iudicabimini, & in quâ mēſurâ menſi fueritis, remetietur vobis*, q. d. acriùs & ſeueriùs quàm alij iudicabimini, (de peccatis veſtris, vt explicat S. Chryſoſt. *hom.* 24. *in matth.*) iuxta modum nimirum, quo iudicaſtis alios. *Facit tibi*, inquit Chryſoſtomus, *terribilius eſſe iudicium, cogiſq; aduerſus te diligentiſſimam fieri etiam de minimis viſionem.* Quòd ſi proximus proximum iudicat, cuius tamen iudex non eſt & cuius cauſam perſpectam non habet: quantò is ſeueriùs meretur à DEO iudicari, cùm reus inuenitur? Et quia ſæpe reprehendimus in proximo, cuius ipſimet rei ſumus, hinc etiam ſeueriùs meremur iudicari, ſi alios condemnemus: ſicut is qui perpetrat, quæ docendo diſſuadet, grauiùs delinquit. Vndè Apoſtolus ad Rom. 2. *Inexcuſabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* Tales itaque ſecum ad iudicium ferunt in proprio ſinu literas Vriæ, ſeu proprium iudicium quo condemnentur.

G. VI. Duri & immiſericordes. SEXTÒ, Duri & immiſericordes. De his enim ſcriptum legimus Eccleſ. 3. *Cor durum habebit malè in nouiſſimo.* Et Iac. 2. *Iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam.* Nouimus etiam quàm terribili ſententiâ detonet in illos Dominus Matth. 25. *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare*, &c. Poſtquam verò ad ſiniſtram ſuam eos poſuit inter hædos, & excuſationem eorum reiecit, tribunali illo fulmine eos percuſſit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

H. VII. Qui iniquè iudicant iniuſtè. Quòd ad ſiniſtram ponentur & tam horrendè increpabuntur, qui miſericordiam non fecerunt: qui pauperes non cibârunt, non veſtierunt, non receperunt & viſitârunt; quid fiet illis, qui prætereà pauperes ſpoliârunt, exoſsârunt, oppreſſerunt?

SEPTIMÒ, Qui iudicium peruertunt & iniquè iudicant. Talibus enim minatur Deus ſeueriſſimum ſcrutinium & iudicium Sap. 6. *Interrogabit opera veſtra & cogitationes ſcrutabitur; quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis*, &c. Et Iſai. 10. *Væ qui condunt leges iniquas & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt: vt opprimerent in iudicio pauperes & vim facerēt cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ præda eorum & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis & calamitatis de longè venientis? Ad cuius confugietis auxilium?* &c. Hinc CHRISTVS Caipham iniquiſſimum Iudicem de venturo ſuper eum iudicio extremo monuit Matth. 26. *Videbitis*, inquit *filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Similiter & Paulus *Act.* 23. coram Præſide Felice diſputauit de Iudicio futuro & tremefecit eum; quò nimirum memores eſſent & ſe aliquando iudicandos, tantoque ſeueriùs, quanto iniquiùs iudicarint. Proptereà etiam diuinâ diſpenſatione ſæpiùs contigit vt vota eorum, qui iniuſtè iudicabantur & ad mortem trahebantur, contra eorum Iudices fuerint exaudita, præſertim cùm ad tribunal DEI Iudices ſuos citârunt. Dauid à Saule vexatus & pæne oppreſſus, tandem: *Iudicet Dominus inter me & te*, inquit; & paulò pòſt ſecutus eſt Saulis interitus. Zacharias Pontifex à rege Ioas in atrio templi lapidatus: *Videat Dominus, & requirat*, inquit.

Itaque exacto anno venérunt Syri & in rege Ioas ignominioſa exercuêre iudicia & dimiſerunt eum in languoribus magnis; inde ſerui eius occiderunt eum in lectulo ſuo, 2. *Par.* 24. Fernandus Caſtellæ & Legionis Rex cùm duos nobiles ex Caruaialorum familiâ inauditos de rupe præcipitari iuſſiſſet, ab iiſdem ad tribunal intra trigeſimum diem citatus, ipſo trigeſimo die morte percuſſus comparere debuit. Fulgoſ. *lib.* 1. *c.* 6. Nauclerus, &c. Eques Neapolitanus cum confratribus Templariis ad ſupplicium raptus cùm Clementem VI. Papam & Philippum Pulchrum Franciæ regem, quorum auctoritate necabatur, vidiſſet, vtrumque ad tribunal CHRISTI, quando in terris non haberet ad quem appellaret Iudicem, intra annum & diem citauit. Dictum factum: ambo intra id tempus è vitâ exceſſerunt. Idem Fulgoſ. Rudolphus Auſtriæ Dux cùm equitem auratum condemnaſſet vt ſacco incluſus mergeretur; cùm ab eo intra annum vocaretur ad tribunal CHRISTI, irridens reſpondit: *Bene, praito; ego tùm adero.* Exacto tempore incidens in febrim & appellationis recordatus ait ſeruis: *Tempus mortis meæ inſtat; ad iudicium eundum.* & ſic obiit. Refert Ioannes Pauli. Franciſcus Armoricæ Dux cùm Ægidium fratrem læſæ maieſtatis falsò accuſatum in carcere necari iuſſiſſet: vocatus ab eodem per internuntium quendam Franciſcanum ad tribunal Dei intra diem Quadrageſimum; cùm audiſſet nuntium, illicò malè habere cœpit & creſcente morbo ad condictum diem expirauit. Æneas Syluius. Magiſter Ordinis Teutonicorum in Liuoniâ, cùm quendam prætenſo falſo crimine ſciens ac prudens laqueo peremiſſet, ab innocente ad tribunal Chriſti citatus, ad tertiam decimam diem: ea die mori & comparere debuit, cùm paulò antè adhuc incolumis multis audientibus diceret, *oportere ſe ſiſti coram Deo.* Cranzius in Vandal. l. 11. Sed quis nunc explicare nobis queat, quale fuerit horum iudicium? Profectò S. Iacobus dixit: *Iudicium ſine miſericordiâ fiet ei qui non fecit miſericordiam.* Fridericus Rom Imp. & ipſe de principibus dixit: *Quales ſe dum viuere, alijs praſtiterunt; tales cùm moriuntur, in ſe Iudices experturi ſunt.* Æn. Syluu. *de dictis Alphonſi.* Vtinam hæc ſibi exempla proponant Principes & Magiſtratus! Væ igitur prægnantibus, væ nutrientibus talia peccata: contrà, beati ſteriles qui talia nec pariunt nec parturiunt.

CONCIO VII.

Quare crux apparitura ſit in iudicio.

1. *Ad Chriſti gloriam, vt oſtendat ipſum eſſe legitimum iudicem, & quidem à Iudæis crucifixum &c.*
2. *Ad ſolatium iuſtorum, vt habeant quo ſe tunc recipiant, ſciantq́, cui ſalutem ſuam acceptam ferant.*
3. *Ad terrorem reproborum, ad ingratitudinis eorum exprobationem, ad maiorem pœnam &c.*

THEMA.

Tunc parebit ſignum filij hominis in cælo. Matth. 24.

EX *libro* 1. *Regum cap.* 17. ſcimus Dauidem amputaſſe caput Goliatho, proprio eius gladio, quo Goliath parabat occidere Dauidem. Gladium verò illum ad perpetuam rei memoriam aſſeruatum fuiſſe & poſitum in tabernaculo poſt Ephod; eundemque rurſum à Dauid acceptum & accinctum ad debellandos hoſtes eius diſcimus ex eodem libro *c.* 21. Doctiſſimus Heſychius ſuper *Pſalm.* 44. gladium Chriſti, Crucem interpretatur, & de illâ dictum putat ibi; *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime;* quia nimirum eo diabolum obtruncârit, qui eo ipſo gladio Chriſtum obtruncare parabat & Iudæos ad crucifigendum Chriſtum incitârat. Sed occiſus eſt Tyrannus proprio ſuo gladio, quo occidere voluit. Decet igitur vt in perpetuam huius victoriæ memoriam SS. Crux in templis aſſeruetur & adoretur. Sed quemadmodum Dauid poſtea gladium ſuum reſumpſit & contra hoſtes exeruit; ita reſumet aliquando Chriſtus gladium Crucis ſuæ, & vibrabit in hoſtes ſuos. Quando autem id facturus ſit, dicitur in hodierno Euangelio: *Tunc,* id eſt, in die Iudicij extremi, *parebit ſignum filij hominis in cælo.* Tametſi enim Caluinus aliíque hæretici negent hîc de Cruce agi: aſſerunt tamen SS. Patres pæne omnes, Origenes, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hilarius, Cyrillus, Beda, Theophylactus, Euthymius. Quia vt ait Cyrillus *catech.* 15. ait, verum ac proprium Chriſti ſignum eſt Crux. Tenet id ipſum Eccleſia, quæ canit: *Hoc ſignum Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit.* Accinit etiam Sibylla libro 6. oraculorum in fi. *O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit; nec te terra capit, ſed cæli tecta videbis: cùm renouata Dei facies ignita micabit.* Sed iam meritò quærat aliquis, quam ob cauſſam apparitura ſit Crux in Iudicio. Sed enim cùm Cometa aliquis illuxerit, contentiosè quærimus, quidnam ille portendat; cùm tamen ordinariè magnates ſolùm & reges tangat: multò æquiori iure nos interrogamus, quid Crux in Iudicio ſignificet, cuius oſtentum non reges tantùm, ſed communiter nos omnes tangit.

A. *Apparebit Crux in iudicio.*

B.

Exiſtimo ſanè gladium illum Dauidis loco ſacro aſſeruatum fuiſſe, tres potiſſimùm ob cauſas, ad honorem Dauidis; ad ſolatium Iſraëlitarum, qui beneficio illius ab hoſtibus liberati fuère; in terrorem & confuſionem hoſtium, qui beneficio illius cæſi & fugati ſunt. Similiter etiam Crux in iudicio apparebit, ad Chriſti gloriam, ad conſolationem iuſtorum, ad terrorem reproborum: vti aſſignat S. Chryſoſtomus homil. 1. de Cruce & latrone. Ac gloriam Chriſti.

I
Ad gloriã Chriſti.

1.
Vt oſtendat ipſum eſſe legitimũ Iudicem.

PRIMÒ, Vt palàm ſit Chriſtum eſſe verum & legitimum mundi totius Iudicem, vt qui per Crucem totum ſibi ſubiecerit orbẽ & contriuerit omnes conatus hoſtium, atque ita iudiciariam ſibi poteſtatem acquiſierit, vnaque claues cœli & abyſſi. Visâ igitur in cœlo Cruce Chriſtum præcedente, nemo dubitare de competentiâ aut poteſtate Chriſti Iudicis poterit, multò minùs eum repellere; ipſe enim Crucis ſplendor omnibus oſtendet, eum verum ac ſolum eſſe vniuerſalem Iudicem, multò clariùs quàm ſi literas aut teſtimonia exhiberet: vnde vocatur in hodierno Euangelio *ſignum filij hominis*, id eſt, veriſſima eius inſignia & certiſſimum teſtimonium. Quamdiu in terris vixit Chriſtus, Iudæorum plerique noluerunt eum pro ſuo acceptare Iudice; vnde quando ab ipſo eiecti fuère è templo, dicunt, Matth. 21. *In quâ poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem?* Item ad Pilatum: *non habemus regem niſi Cæſarem.* Hoc ipſum etiam poſt Iudæos dicunt plurimi alij gentiles, hæretici, mali Chriſtiani; qui offendunt Chriſtum, quaſi eum pro Iudice ſuo non agnoſcant. Verùm vbi in die illo, Crucem Chriſti aſpicient; iam non poterunt dubitare, fore hunc ſuum Iudicem competentem & ineuitabilem.

2.
Et quidem in Iudæis crucifixi

Secundò, Vt palàm etiam ſit, hunc Iudicem, cum ipſum eſſe, qui à Iudæis crucifixus, & tam contemptim habitus, ab alijs quoque peccatoribus tam ignominioſè acceptus & toties offenſus eſt. Noluerunt Iudæi agnoſcere Dominum in carne ambulantem, multò minùs in Cruce pendentem, eſſe ſuum Meſſiam; imò poſtquam etiam reſurrexit; & proinde quidquid iniuriarum ei intulerunt, non Meſſiæ ſuo, ſed alteri ſe inferre putabant: licet ex culpabili ignorantiâ. Simili modo etiamnum plurimi in Chriſtum grauiſſimè peccant, eius ſacramenta, vulnera inhonorant, quaſi ne ſciant quem offendant. Vnde *Ier.* 5. dicitur de iis: *Negauerunt Dominum & dixerunt: Non eſt ipſe.* Sed in illo die *videbunt in quem transfixerunt*, ait Ioannes cap. 19. ex prophetia Zachariæ. Videbunt enim ſignum filij hominis ſeu crucem eius, in quam egerunt ipſum, quæ vel omninò eadem illa erit, in quâ pependit Chriſtus, vt non improbabiliter exiſtimat Thomas Waldenſis tom. 3. de ſacrament. tract. 20. cap. 158. vel tam accuratè repreſentabit, vt inficiari nemo queat Saluatoris noſtri Crucem eſſe, Velut *ſiquis lapide percuſſus, oſtendit lapidem*, vt inquit Theophylactus hîc. Demonſtrabitur enim illis locus vbi Chriſtum crucifixerunt, vulnera quæ fecerunt, clauorum in cruce fixorum foramina, contumeliæ, illuſiones, &c. Et quis tunc, putatis, erit ſenſus Iudæis, quando aſpicient in quem pupugerunt, & quaſi manibus palpabunt? Quis malis Chriſtianis, cùm videbunt ſe tam grauiter offendiſſe & tam contumelioſè tractaſſe, ſæpe indigniſſime in Euchariſtiâ ſumpſiſſe, ore blaſphemaſſe, quem vel non firmiter Deum & Iudicem ſuum crediderunt, vel ſurdum aut cœcum exiſtimârunt, vt qui libidinem eorum non conſideraret? Cogitate quid eſſet ſiquis regem ſuum de nocte gladio impeteret, neſciens eſſe regem; ipſe verò rex ſequenti die gladium ei oſtenderet, quo ab ipſo vulneratus eſſet? Legite hiſtoriam Ioſephi, & inuenietis, poſt quam is à fratribus venditus, à Pharone verò euectus ad Principatum, fratres agnoſcens allocutus eſt: *Ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum*, adeò conſternatos & quaſi fulmine percuſſos fuiſſe, vt ne verbum quidem reſpondere poſſent, *nimio terrore perterriti*, Geneſ. 45. Quòd ſi fratres iſti adeò ſunt perculſi, agnitione fratris, quem oderant & vendiderant: quid erit videre Deum Iudicem in quem toties pupugiſti? Et ſi Iudæi Chriſtum in horto comprehenſuri, retrorſum ceciderunt, poſtquam audierunt Dominum dicentem: *Ego ſum*; quem tamen tunc merè hominem reputabant: quid ſentient, cùm videbunt eundem illum eſſe ſuum Iudicem & Deum, eumque dicentem audient: Ego ſum Ieſus quem crucifixiſtis, quem tam fœdè & ludicrè tractaſtis?

3.
Vt appareat, quã iuſtè impios damnet.

Tertiò, *Vt per hoc iuſtior* (inquit D. Thom. Add. q. 90. a. 2.) *condemnatio eorum appareat, qui tantam miſericordiam neglexerunt, & eorum præcipuè qui Chriſtum perſecuti ſunt: ſicut cùm homicida pleƈtitur iuxta cadauer occiſi.* Cùm enim Chriſtus etiam in propriâ cauſâ Iudex omnium ſit futurus; & alioquin inter homines Iudex in propriâ cauſâ ſuſpectus ſit; Chriſtus Iudex ne ſuſpectus haberi poſſit, ſed iuſtiſſimus Iudex appareat, Crucem proponet vniuerſo mundo tanquam teſtem iniuriarum, quas ab hominibus pertulit, locupletiſſimum, vt ſic non tam ipſe quàm totus mundus inimicos eius condemnet; iuxta id Sap. 5. *pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* In eâ legent omnes cauſam iuſtiſſimam damnationis impiorum; & quod ſcriptum eſt, ſcriptum eſſe. Vnde Chryſoſt. homil. 77. in cap. 24. Matth. ait: *Non enim accuſantibus opus erit, cùm Crucem viderint.* Tunc dicent ad ſe inuicem, quod fratres illius Ioſephi: *En ſanguis eius exquiritur.*

C.
II.
Ad ſolatium iuſtorum.

1.
Vt habeant quò ſe tunc recipiant.

SECVNDÒ, Ad ſolatium iuſtorum. Primò vt habeant, quò ſe recipiant in die furoris Domini. Crux ipſis arcus quaſi cœleſtis erit, certiſſimum pacis ſignum & ſerenitatis: funiculus ille coccineus erit, dependens è feneſtrâ cœli, Ioſ. 2. certiſſimum ſecuritatis indicium:

Significans illos mundo pereunte tegendos
Quos crucis inuicta ſignat cruor.

Vt de

Vt de eo canit S. Paulinus Natali VIII. S. Felicis. Sanè etiam ipſis Ægyptiis Gentilibus Crux ſeu litera Tau, ſalutis & vitæ venturæ ſignum erat, teſte Nicephoro lib. 12. cap. 26. & Euſebio lib. 11. cap. 29. Sed tale ſignum erit in illâ die, iuſtis tantùm. De his enim ait Angelus ille ad mulieres: *Nolite timere vos; ſcio enim quòd IESVM, qui crucifixus eſt, quæritis*, Matth. 28. q. d. paueant hoſtes Crucifixi: vos amici eius confidite: examinentur illi: vos reſumite ſpiritum, quibus Chriſti crux vitam & ſalutem nuntiat. Et de hac optimè intelligitur parabolâ ficûs in hodierno Euangelio. *Cùm iam ramus eius tener fuerit & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas: ita & vos cùm videritis hæc omnia*, (Crucem ſcilicet, quæ anteà deformis & deſpecta erat, glorioſam & in cœlo virentem ac fulgentem) *ſcitote quia propè eſt in ianuis*, (ſalus nimirum veſtra.)

2. *Vt ſciant cui ſalutem ſuã acceptam ferant.*

Secundò, Vt intelligant, cui gratiam & gloriam ſuam acceptam ferre debeant: Cruci videlicet, tanquam fonti omnis gratiæ, à quo omnia eorum opera bona valorem & meritum ſuum acceperunt. Crucem igitur aſpicient tunc velut clauem cœli vnicam, per quam ſibi ad paradiſum aditus factus eſt. Velut arcam Noë in qua vna & extra quam nulli ſalutem obtinuerunt. Quantum igitur lætabuntur iuſti, cùm intuebuntur crucem! quàm exoſculabuntur arborem illam vitæ, vnde ſibi fructum æternæ vitæ decerpſerunt: feliciùs quàm olim Adam ab arbore vetita!

3. *Vt ſciant omnes crucem eſſe regiam cœli viam.*

Tertiò, Vt intelligant omnes, non per aliam quàm per regiam Crucis viam beatis eundum fuiſſe ad cœlum: vt ſic & impij videant, quàm meritò iuſti præmientur, ipſi relinquantur: & electi ſibi gratulentur quòd viam Crucis elegerint & conſtanter tenuerint. Quemadmodum Aſſuerus ad ſe accedere volentibus protendebat virgam ſuam priùs exoſculandam in ſignum beneuolentiæ, vt patet ex lib. Eſth. ita etiam Chriſtus ad thronum gloriæ ſuæ neminem admittit, qui non priùs crucem eius modo aliquo deguſtârit. Erit igitur crux electis quaſi igneus Eliæ currus, quo ad cœlum eueh entur. Quantum ſibi gratulabuntur iuſti, quòd hîc in curru ægritudinis, paupertatis, contemptûs, oppreſſionis, opprobrij, martyrij patienter ſederint! quòd Chriſto in cruce confixi fuerint! Propterea S. Andreas crucem ſibi paratam videns adeò lætabatur; aſpiciebat enim illam non vt crucem, ſed vt igneum Eliæ currum, in quo cœlum iam conſcenſurus eſſet.

D. III. Ad terrorem reproborũ.

TERTIÒ, ad terrorem reproborum. Ac

1. *Ad ingratitudinis exprobrationem.*

Primò ad ingratitudinem eis exprobrandam, vt qui beneficium mortis Chriſti & ingentium cruciatuum in Cruce exantlatorum, contempſerint & conculcârint. Crux enim illa oſtendet mundo & reprobis pretium, quo redempti fuêre; & quam fruſtra ſit expenſum pro eis. Hercules poſtquam extremos Hiſpaniæ fines peragraſſet, duas ad Gaditanum mare columnas fixit cum hac inſcriptione: *Non plus vltrà*: quaſi nemo adhuc eò vſque progreſſus eſſet. Eiuſmodi columna erit crux in die illâ, cui veriſſimè congruit ſcriptio illa: *Non plus vltrà*; quia omnium contemptiſſimam mortem pro nobis pertulit Chriſtus, & copioſiſſimè nos redemit. Vnde Iſaiæ c. 5. poſtquam dixiſſet vineam ſuam plantatam fuiſſe electam cum omnibus requiſitis, ſubdit: *Nunc ergo habitatores Ieruſalem & viri Iuda iudicate inter me & vineam meam. Quid eſt, quod potui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei?*

2. *Ad confuſionem eorum, qui hic crucem ſpreuerunt.*

Secundò, Ad confuſionem impiorum, & inimicorum crucis, qui hîc crucem contempſerunt, eiuſque ſectatores deriſerunt, ac potiùs ventrem ſuum, aurum, honores & voluptates coluerunt. His enim tunc dicetur id Deut. 32. *Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant, & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant.* Sed nullibi videbunt, quos hîc ſibi elegerant Deos: non aurum, non ſceptrum, non amicos, non vina in vtro ſplendentia; videbunt verò crucem, quam ſpreuerant, inter aſtra imò præ omnibus aſtris rutilantem. Quid tunc dicent perfidi Iudæi, quibus crux eſt ſcandalum, cùm videbunt eam radiare ſuper ſolem? Sanè cùm aliquando in ipſorum veſtibus cruces impreſſæ diuinitùs apparerent, (quando videlicet concedente Iuliano Imp. templum reſtaurare voluerunt) vehementer eo ſpectaculo percuſſi fuerunt, & maximâ contentione eas eluere conabantur, licet irrito conatu, vt refert Nicephorus l. 10. cap. 33. Quomodo igitur ferent in oculis ſuis crucem illam micantem ab ortu vſque ad occaſum? Quid dicent impij Gentiles & Tyranni, quibus crux ſtultitia erat, crucis oppreſſores? quid dicet Iulianus Apoſtata, qui cruces terrâ obruebat, pingi in ædibus vetabat, de propriâ fronte, in quâ olim Chriſtianus conſignatus in baptiſmo & confirmatione erat, ſanguine idololyto eluere conabatur? Nimirum quemadmodum moriens in prælio haſtâ percuſſus, ſanguinem proprium ad cœlum iaciens clamabat contra Chriſtum: *Vicisti Galilæe, vicisti* (vt refert Theodoretus lib. 3. c. 20.) ita etiam tunc inuitus licet & furens cruci palmam cedet. Quid dicent mali Chriſtiani, qui licèt cruci nomen dederint, eâ conſignati fuerint, & ſub eâ militârint, interim tamen eam erubuerunt, & pro ignominiâ habuerunt: præ eâ ventrem, aurum & argentum, voluptates & honores ſectati ſunt? Nimirum idem quod impij Sap. 5. *Ergo errauimus à viâ veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Videbunt enim tunc, quod in hac vitâ credere noluerunt, crucem Chriſti ſuaue iugum, & facile Deo ſeruire fuiſſe, ac dicent: Nónne videbamus pios tranquillâ mente Deo ſeruire & maiori cum commodo, quàm nos ſeruiremus mundo?

3. *Ad maiorem eorum punitionem.*

Tertiò, ad maiorem reproborum punitionem. Videbunt enim Crucem iam non ampliùs ſibi vtilem aut ſalutarem, ſed prorſus inutilem, imò moleſtam, quia ſalutem in eâ dum

poſſent,

poſſent, non quiſierunt: atque ita Crux, quæ illis priùs inſtrumentum ſalutis eſſe poterat ac debebat, tranſibit eis in inſtrumentum ſupplicij: & arbor, quæ eis roſas priùs offerebat, exhibebit ſpinas. Eſt ſanè nunc Crux, arbor plena ſalutis: In eâ Chriſtus, ſalus noſtra, extendit ad nos manus, vt nos amplectatur: in eâ inclinat caput, vt nos oſculetur, & petitionibus noſtris annuat: in eâ diſtillat balſamum ſanguinis ſui, vt vulnera noſtra curet: in eâ pectus ſuum patulum nobis offert, vt nos in viſceribus ſuis condat, & ab irâ venturâ abſcondat: iuxta eam Virgo ſanctiſſima & Mater eius, vt pro nobis aduocet. Sed in die illâ nihil horum amplius in Cruce reperietur. Vbi tunc Deipara? vbi apertum latus? vbi ſanguis? vbi caput inclinatum? vbi brachia amplexantia? vbi Chriſtus? Audi Oſeam c. 5. *Vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient: ablatum eſt ab eis.* O verbum aſperum! non ergo iam feret roſam, ſed præterea etiam ſpinas & tribulos germinabit eis, partim eo ipſo quod recordabuntur ſe tam multas occaſiones à Cruce oblatas neglexiſſe: partim, quia propterea maiorem damnationem ſibi paratam intelligent. Ita enim ratiocinabuntur: ſi tam dirum & acerbum fuit remedium, quo redempti ſumus à gehennâ: quid erit gehenna ipſa? Et *ſi in viridi ligno*, id eſt, innocente Chriſto tanta facta ſunt, *quid fiet in arido*, id eſt, nocente ſeruo? Et ſi grauis erat gehennæ pœna, à quâ tam carò redempti ſumus: nónne grauior erit illa, in quam nos rurſum poſt redemptionem, temere præcipitauimus?

Itaque vt hoc malum vitemus, præmonet hodie nos Chriſtus ad inſtar patris, qui virgam facit in conſpectu filiorum, eamque immergit caldario, quo eos terreat, & cogat ad diſciplinam.

CONCIO VIII.

Eccleſia Catholica vera eſſe demonſtratur ex quatuor eius notis.

1. *Quia vna eſt: nam vnanimi conſenſu eadem crediti vniformis & conſtans in doctrina certam regulam habet; qualis non reperitur apud Hæreticos.*
2. *Sancta eſt: quia docet ſanctitatem vitæ & peccata impugnat; non item hæreſes.*
3. *Catholica; quia ſemper ſic appellata, per orbem diffuſa, ad eamq́; ſolam conuerſio gentium facta; non item hæreſes.*
4. *Apoſtolica; quia ab Apoſtolorum tempore ad nos deriuata, &c.*

THEMA.

Tunc ſiquis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. Matth. 24.

A. NImis certè verum eſſe experimur noſtrâ ætate, quod Dominus hîc prædixit: *Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Tanta enim hæreſum & hæreticorum hodie eſt multitudo & varietas, tam denſæ per eos orbi terrarum tenebræ ſunt offuſæ, vt mirum non foret, ſi in errorem inducerentur etiam electi, cœcutirent etiam literati, trepitarent ac dubitarent, qui in Petrâ fundati ſunt. Si enim in Orientem oculos coniicimus; quot ibi Pagani, Turcæ, Iudæi, Græci, Schiſmatici & Hæretici, Iacobitæ, Neſtoriani? Si ad meridiem, Africam vniuerſam repleuerunt infideles Mauri & Æthiopes. Si ad Septentrionem, ibi hæreſis Ariana, Sabelliana, Lutherana, Græca, Anabaptiſtarum, Huſſitarum. Si ad Occidentem, ibi Hugonotæ, Caluiniſtæ, Lutherani, Zwingliani, qui ſpatio 50. annorum totam ferè repleuére Germaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Hyberniam. Quorum ſigna & prodigia an non magna ſunt, ſeductio tot Principum & Nationum, bella, cædes, templorum euerſiones, ſacrorum direptiones? Omnes illi dicunt: *Ecce hic eſt Chriſtus*, apud nos: *Ecce illic*; apud nos eſt vera Religio. In tantis ergo tenebris, Auditores, Saluatoris noſtri conſilium fortiter tenendum eſt: *Nolite credere* (nouatoribus) *Nolite exire* (ab Eccleſiâ Catholicâ ad ſectas acatholicas.) Atque vt in hac, quâ fundati ſumus, fide Catholicâ ſolidemur & firmemur, adeóque iis, qui contradicunt, reſpondere poſſimus, fidem & Religionem noſtram veram eſſe oſtendemus, eamque ſolam, ex quatuor maximè Eccleſiæ veræ notis & ſignis.

B. Ibi non dubium eſt, Chriſtum eſſe, vbi eſt vera Eccleſia, & ibi veram Eccleſiam, vbi vera fides. Vnde ſi oſtenderimus Eccleſiam Catholicam habere veram fidem adeoque eſſe veram Eccleſiam, habebimus & Chriſtum. Eccleſiæ veræ notæ quatuor colliguntur ex Symbolo Apoſtolico, & expreſsè ponuntur in Niceno; *Credo in vnam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.*

I. Vera & catholica Eccleſia eſt Vna.

PRIMÒ, Vera Eccleſia vna eſt, ſola noſtra vna eſt, ergo vera. Maiorem deducit ex Cant. 6. S. Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ vbi dicitur; *Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ.* Et clarè exprimitur ad Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Hanc vnitatem ſignificauit inconſutilis Chriſti tunica, *Ioan.* 19. quam non ſine myſterio noluerunt ſcindere milites; vt ſic monerentur alij non ſcindendam eſſe diſſenſionibus fidei Eccleſiam. Iam autem vti in eiuſmodi tunica omnia fila neceſſariâ & intrinſecâ quodammodo connexione ſibi cohærent; ita & membra Eccleſiæ vnum corpus efficiunt. Primò, quia vnanimi conſenſu eadem fidei dogmata tenent, credunt, ſcribunt, docent; Græci, Afri, Galli, Itali, Germani, Angli, &c. tot ſæpe regnis, maris & terrarum ſpatiis diuiſi. Tot etiam Concilia paſſim habita, non modò non ſibi contradicunt, ſed mutuò ſe confirmant, & mirabili connexione catenam firmiſſimam efficiunt

1. *Quia vnanimi conſenſu eadem cred.*

ficiunt: licet diuerſiſſimis locis temporibus & Patribus habita: ita vt hactenus aduerſarij noſtri nullam in dogmatibus noſtris pugnantem ſententiam oſtendere potuerint, niſi fortè quas ipſi friuolè & inſulsè confinxerunt. Lege Græcum, & confer cum Hiſpano vel Anglico, vel Germano Catholicô aliiſue: omnes fatentur liberum arbitrium, recipiunt Miſſam, bona opera, confeſſionem, vota monaſtica, ieiunium Quadrageſimale, feſta, reliquias, Sanctorum venerationem, &c. Neque hoc negare poſſunt, vel negant hæretici noſtri, ſed ſolum id aſſerunt, Patres ſanctos in multis nimis ſuperſtitioſos & humanis traditionibus deditos fuiſſe; quaſi verò ipſi nuper nati & terræ poſteri meliùs rem intelligant, quàm veterani illi Patres.

2. Quia vniformis & conſtans in doctrinâ. Secundò, vna eſt, quia vniformis & conſtans ſemper in doctrinâ fuit, nec aliud modò docet, quàm olim docuerit; nullum enim fidei noſtræ dogma oſtendi poteſt nouum, quod non ab antiquo traditum ſit, & in Eccleſiâ olim viguerit; ſi enim poteſt, oſtendatur à quibus & quando introductum ſit. Ipſa igitur eſt, de quâ *Pſalm.* 88. dicitur: *Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo & ſicut luna perfecta*, id eſt, ſemper eadem & ſtabilis erit Eccleſia, vt exponit tibi ex Hebr. Bellarminus.

3. Quia vnam & certam credendi regulam habet. Tertiò, quia vnam & certam habet credendi regulam, vnanimem ſcilicet Patrum conſenſum, & in dubijs, Summum Pontificem & Concilium: quibus vnitas fidei facilè conſeruatur, credenda decernuntur, concertationes tolluntur, & appellationes compeſcuntur. Cùm enim Summus Pontifex & Conciliorum Patres vniuerſalem repræſentent Eccleſiam, vti ſumma eius capita, non dubium quin infallibilem habeant Dei aſſiſtentiam, ne Deus Eccleſiam ſuam errare patiatur: Similiter etiam poteſtatem definiendi & tollendi controuerſias; alioquin Eccleſia miſerior eſſet omnibus regnis & regiminibus: nullus foret litium finis, & neceſſariò Eccleſia in mille partes ſcindenda foret. Nec putandum Chriſtum ſoli Petro & non ſucceſſoribus eius, hanc poteſtatem dare voluiſſe, neque enim Eccleſiam inſtituere voluit, quæ 20. aut 30. annis tantùm permaneret.

Non reperitur hæc vnitas apud hæreticos. Non prima. Videamus nunc, vtrùm hæc vnitas ſit apud hæreticos noſtros. Non prior, nam omnes eorum ſectæ in plures partes ſciſſæ ſunt. Huſſitarum, alij Orebitæ, alij Adamitæ, alij Orphani ſunt & dicuntur. Lutheranorum alij Confeſſioniſtæ, alij Anabaptiſtæ, alij Sacramentarij. Alibi recipiunt Miſſam, alij explodunt; alij duo Sacramenta habent, alij tria, &c. Caluiniſtarum alij Puritani, alij Proteſtantes dici volunt, non abſque vtriuſque capitali diſſenſione. Summa, quot vrbes hæreticorum, tot ferè diſſenſiones fidei: ſæpiſſime in eadem domo reperias, in quâ aliud maritus; aliud vxor, aliud ſerui & ancillæ credunt: nimirum Ægyptiorum inſtar in tenebris conſtituti, in eâdem domo ſe mutuò non agnoſcunt. *Nec ſecunda.* Nec ſecunda vnitas apud ipſos: quis enim neſcit, Lutherum ſibi perpetuò contrarium fuiſſe? tolli paſſim libertatem arbitrij, bona opera, ieiunium, confeſſionem, præcepta, ridet Miſſas, campanas, pſalmodias, feſtos dies. Et tamen in libro de viſitatione Saxonica hæc omnia approbat, & contradicentes reprehendit. In quâ re ſecuti ſunt eum diſcipuli & Scholæ: Vnde dicebat Catholicus ille Saxoniæ Dux Georgius, ſe ſcire quidem, quid hoc anno crederent vicini ſui Wittenbergenſes: quid verò proximè inſequenti anno credituri eſſent, ſe neſcire, quòd ſubinde dogmata ſua variarent: refert Staniſl. Hoſius *in Conf. Cath. de fide & ſymbol. c.* 25. Et quoties iam Auguſtanam ſuam confeſſionem mutârunt Confeſſioniſtæ, vti & ipſemet eius artifex Melanchthon? Nimirum ita euenire neceſſe eſt, cùm à veritate receditur: vt enim viatoribus contingit, ſi quando à recto itinere deuiârunt, vt magis & magis aliis & aliis ſemitis errent, quòd nullum peritum itineris ducem ſequantur: ita & ipſi carentes Eccleſiâ duce in errore in errorem ducantur, neceſſe. Cauſa eſt defectus tertiæ quoque vnitatis *Nec tertia.* quia cùm Patrum conſenſum Pontificum & Conciliorum decreta reiiciant, & proprium tantùm ſequantur iudicium, nullam ſtabilem habent credendi regulam. Tametſi enim verbum Dei omnes iactant, & regulam fidei eſſe dicant, id tamen quiſque prout ipſe vult, intelligit & exponit, reiectâ Patrum expoſitione communi: quò fit, vt quot capita, tot ſententiæ ſint, & quot ſententiæ, tot Religiones: nulla vera, omnes falſæ. Omnes enim hæreſes appellant ad ſcripturam, & per eam confirmant dogmata ſua licet diuerſiſſima: quare aut omnes veræ ſunt, quod impoſſibile; aut quod veriſſimum, omnes falſæ. An non tibi expreſſus iſtorum typus fuiſſe videtur colligatio illa vulpium, quas Samſon colligauit? Cùm enim inter ſe capitibus diſſecti ſint, caudis tamen nequitiæ colligantur in Catholicæ Eccleſiæ perſecutionem.

Secundò, Sancta Primò, ratione ſanctitatis & puritatis vitæ, quam docet & requirit, viam ſimul ad illam ſuis fidelibus parans. Veræ enim Religionis ſcopus præcipuus eſſe debet, vt animos hominum à terrenis ad cœleſtia bona euocet, deſideranda & quærenda: hoc autem præ omnibus aliis facit Catholica Religio, hortatur enim ad virtutes, ad paupertatem, caſtitatem, vigilias, ieiunium, cilitia, &c. quibus caro ſubiiciatur ſpiritui, & perfectio acquiratur. Rurſùm ad conſilia Euangelica inſtigat: cuius hortatu tot millia in hodiernum mundo valedicunt opibus, honoribus, voluptatibus, pompis, amicis, vouent Religionem, ſub variis regulis militant, & ſeruiunt Deo: domant carnem, & ſtulti fiunt propter Chriſtum, hoc Reges faciunt, hoc Duces, diuites, ſapientes, iuuenes, ſenes, vtriuſque ſexûs. Quis affirmare auſit, mirabiles has mutationes non eſſe à dexterâ excelſi? quis credat, non maximè placere Deo tot conatus ad innocentiam *G. II. Sancta. 1. Quia ſanctitatem vitæ docet & requirit.*

conſe-

conſequendam & vitam angelicam, ad Deo dignè ſeruiendum.? vel ſi non placerent, tanto tempore Deum hæc tuliſſe? Iam verò hæreſes noſtræ tantum abeſt, vt animos ad virtutem ſtimulent, à terrenis ad cœleſtia deſideria auocent, vt potiùs vehementer impediant: ieiunia excludunt, caſtitatem damnant, vota irritant & improbant, matrimonia præcipiunt, conſilia Euangelica eliminant. Imò vias & adminicula ſanctitatis prorſus præcludunt, dum bona opera non modò inutilia, verùm etiam peccata eſſe dicunt, vti Luth. *art.* 31. *&* 36. Caluinus *lib.* 3. *Inſtit. c.* 12. *&* 14. docuerunt: Idem nihil ea mereri, nec à Deo reſpici, &c. Quis, quæſo, his poſitis, virtutem amplectatur: quis bona opera non potiùs horreat quàm peragat? Neque hæc ſolùm eſt eorum doctrinâ: ſed & praxis. Nulla inter ipſos Religio, nulla voluntaria paupertas, caſtitas, obedientia, nulla ieiunia, quæ tamen omnia Chriſtus tantoperè commendauit, tot clamoribus prædicauit, toties ad ea adhortatus eſt. Omnes ferè opibus & voluptatibus inhiant: Mundi laqueos nemo illorum effugere ſtudet, aut poſſibile putat ſine carne in carne viuere, quod anteà tot Sancti fecerunt. Fruſtrà igitur Chriſtus toties dixit: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum,* &c. Item: *Vade, vende omnia quæ habes.* Item *ſunt Eunuchi,* &c. Quis, quæſo, credat, Chriſtum ſanguine ſuo tam ſterilem & inanem Religionem plantare, tot adhortationibus excolere voluiſſe?

Non item hæreſis noſtra.

2. *Quia peccata & vitia impugnat*

Secundò, Ratione peccatorum & vitiorum, cum quibus perpetuò & armis omnibus pugnat, homines ab iis abſterrendo & impediendo: vt enim Religio, quæ à Deo eſt, homines ad virtutem & perfectionem ducere, ita & à vitiis auocare debet. Hoc autem Catholica Religio facit: ipſa & non aliæ, frænum imponit peccatis, idque variis, quibus poteſt, modis. Primò, retinendo & vrgendo perpetuum & ſedulum vſum ſacramenti pœnitentiæ, per quam peccata in mentem reuocari, per lachrymas & contritionem deleri, per accuratam confeſſionem ſingulorum enuntiari cum propoſito emendationis iubet: quæ omnia magnum eſſe peccatorum frænum teſtati ſunt Norimbergenſes Legatione ſuâ ad Carolum V. quâ reſtitui confeſſionem auricularem petierunt, ob populi peruerſionem; vt aliàs diximus ex Dom. Soto in 4. Secundò, iniungendo in ſatisfactionem pro exigentia rei ſeueras pœnitentias, priuatas pro priuatis, publicas pro publicis ſceleribus, quæ in ſacris Canonibus continentur: reſtitutionem prætereà bonorum iniuſtorum & famæ ablatæ: iniuriarum obliuionem: peccatorum expiationem per orationem, ieiunium, eleemoſynam: nouam vitam, &c. Tertiò, docendo conſtanter, quòd vnicum peccatum mortale ſufficere poſſit homini ad æternas pœnas condemnando. Quartò, variis terroribus, minis & adhortationibus excitando, vt vigilemus, ad pœnitentiam feſtinemus, & ab hoſte maligno nobis caueamus, inculcando diem Iudicij, Dei ſeueram iuſtitiam, purgatorij auſteritatem, ignis infernalis veritatem & æternitatem, &c. Iam verò, vbi, quæſo, hæc vel ſimilia fræna apud hæreticos? An non potiùs peccatis & ſceleribus frænum omne laxant, dum confeſſionem auricularem expungunt, & hominum commentum dicunt? dum aiunt, contritionem facere maiorem peccatorem, vt Lutherus *art.* 6. aſſerit? dum pœnitentiam negant eſſe ſecundam poſt naufragium tabulam, vt Caluinus *lib.* 4. *Inſtit. c.* 19.? dum ſatisfactionem explodunt, imò meritis & ſatisfactioni Chriſti detrahere aiunt? dum negant remanere pœnam culpâ dimiſsâ, vt Lutherus epiſt. ad Waldenſes. Caluinus *l.* 3. *Inſtit. c.* 5.? dum negant Chriſtianos teneri ad ſeruanda decem præcepta, vt Lutherus *de libert. Chriſtianâ.* Caluinus *lib.* 3. *Inſtit. c.* 4.? dum vbique clamant ſufficere ſibi fidem, quam ſpecialem vocant, & delere purgatorium atque infernum dicunt? dum purgatorium negant? dum verum inferni ignem, vt Caluinus *l.* 3 *Inſtit. c.* 25.? dum fideles omnes prædeſtinatos dicunt. Caluinus *lib.* 3. *Inſtit. c.* 2.? dum libertatem arbitrij tollunt, vt Lutherus *in aſſert. art.* 36. & Caluinus *l.* 1. *Inſtit. c.* 26.? dum impiè aſſerunt peccata à Deo omnia præordinata eſſe; eo authore & inſtigatore fieri; inclinante & dirigente hominem ad peccandum, vt Caluinus *l.* 1. *Inſtit. c.* 17. Lutherus vbi ſup.?. Quid hoc, quæſo, aliud quàm ſinuas innumeras aperire ſceleribus quibuſcunque? Quid tam graue eſſe poteſt, quod non audebunt homines ſi hæc ipſis prædicentur? Et hoccine eſt, quod ipſi ſibi attribuunt, reformare Religionem? an non potius vaſtare, & deformare, ac venenum hominibus propinare, quod faciunt ſub prætextu ſpecialis illius fidei?

Non hæreſis.

3. *Quia habuit ſemper Sanctos.*

Tertiò, Ratione Sanctorum, qui in ea omnibus ſæculis fuerunt & vixerunt: quod certè non leue eſt veræ Religionis iudicium. Vt enim teſte Domino, non poteſt arbor bona malos fructus facere, nec mala bonos: ita nec Eccleſia tot Sanctos parere, niſi vera ſanctitas in eius religione foret. Item quia fides eſt fundamentum ſanctitatis, vera autem ſanctitas nequit inniti falſo fundamento. Rurſum, quia ſine verâ fide non potuiſſent ſancti placere Deo. Et quia falſa fides non diuina, ſed diabolica eſt; quid verò diabolo cum ſanctitate? Atqui Eccleſia Catholica talis eſt, quæ omni ſæculo plurimos Sanctos, qui vt plurimùm Papæ, Epiſcopi, Abbates, Sacerdotes, Monachi, Eremitæ, Moniales & Ordinum fundatores fuêre, adeoque extra controuerſiam Romanæ Eccleſiæ addicti; quos omnes aberrare & cœcutire in fide tot ſæculis permiſſos eſſe incredibile eſt: præſertim in re grauiſſimâ, qualis eſt fides; vnde ſequeretur eos non modò non Sanctos fuiſſe, ſed & impios & Idololatras, vtpote qui Chriſtum in Euchariſtiâ adorârunt, Miſſam coluerunt, Papæ obedientiam præſtiterunt, reliquias, imagines, Sanctos venerati ſunt, &c. Vbi ſunt nunc ſancti hæreticorum? perquirant totum Calendarium

Non hæreſis.

rium & nominent vel vſum : quod quia nequeunt, nominabimus nos alibi eorum autores ſpurciſſimos.

D. III. Catholica. 1. *Quia ſemper ſic appellata.*

Tertiò, Catholica, Primò quia vera Eccleſia ſemper hoc nomen obtinuit & retinuit, vt teſtatur D. Auguſtinus aduerſus epiſtolam fundamenti ca.4.dicens: *Tenet* (me in Eccleſia) *ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſola obtinuit.* Et idem, de vera religione cap.7.ait: *Tenenda nobis eſt Catholica religio & eius Eccleſiæ cõmunicatio, quæ Catholica eſt & nominatur: non ſolùm à ſuis, verùm ab omnibus etiam inimicis. Velint enim nolint ipſi quoque hæretici & ſchiſmatum alumni, quãdo non cum ſuis ſed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocãt: Non enim poſſunt intelligi, niſi hac eam voce diſcernant, quâ ab vniuerſo orbe appellatur.* Et S. Hieronymus in dial. aduerſus Luciferianos ait. *Si audieris, qui dicuntur Chriſti, non à Chriſto nuncupari, vt puta Marcionitas, Valentinianos, Montenſes ſeu Campates; ſcito non eſſe Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti Synagogam.* Quæ etſi Patres iſti ante 1200. annos ſcripſerunt, [illegible]tiſſima tamen ſunt vſque in hodiernum. Qui enim, quæſo, ſunt, qui vſque hodie Catholici dicuntur ab ipſis etiam hæreticis, niſi Eccleſiæ Romanæ addicti ſunt? Quærat aliquis ex puero in Ciuitate Imperiali, vbi Catholicorum ſit Eccleſia vel domus; ſtatim indicabit eos qui Romanam ſequuntur religionem: Et hoc ipſi nomen ſibi arrogare numquam audent, præſertim quando cum extraneis loquuntur nec in libris quidem eorum: ſed vt alij hæreticis hæreſiarcharum ſuorum vel aliis abſtruſis nominibus indigitantur, Lutherani, Caluiniſtæ, Zwingliani, Schwenkfeldiani, Huſſitæ, Proteſtantes, Euangelici, &c, quod Hieronymo teſte certum eſt hæreticorum indicium. Et quomodo Catholicos ſe nominare queant, qui vix vnum alterumve angulum implent?

Non hæreſes.

2. *Quia per omnem orbem diffuſa.*

Secundò. Igitur Eccleſiæ veræ indicium, Catholiciſmus eſt, quia ſola ipſa Catholica eſt & per omnem orbem diffuſa, reperitur in omnibus regnis, linguis, nationibus Orbi cognitis: in quibus ſi modò non ita floret vt aliis religionibus præferatur, floruit tamen aliquando. Vade ad Orientem & inuenies Catholicos in Aſiâ, Græciâ, Palæſtinâ, Chinâ, Iaponiâ: Ad meridiem, in Africâ, Æthiopiâ, Indiâ, Hiſpaniis, Americâ; ad Occidentem, in Italiâ, Galliâ, Belgio: ad Septentrionem, in Poloniâ & vicinis terris, Bohemiâ, Germaniâ. Vnde meritò S. Auguſtin. tract. 11. in Ioann. ait: *Quadripartita veſtis Domini noſtri IESV CHRISTI, quadripartitam figurauit eius Eccleſiam, toto ſcilicet quæ quatuor partibus conſtat, terrarum orbe diffuſam & omnibus eiuſdem partibus æqualiter, id eſt, concorditer diſtributam.* Non poſſunt omnes hæretici nec vnquam potuerunt palliolum ſuum extendere in quatuor iſtas partes, cum omni ſuo conatu: ſed in paucis terræ rimis latitant. Conabantur Lutherani hæreſin ſuam introducere in Græciam & allicere ad ſe eorum Patriarcham: qui tamen eam doctrinam non modò non acceptauit, ſed contrariam eſſe SS. Patribus oſtendit & vt hæreticam damnauit. Certè in Turciâ, Perſiâ, Chinâ, Indiâ, Iaponiâ, Hiſpaniâ, Italiâ, Africâ, Tartariâ, &c. neſciuntur Lutherani & Caluiniſtæ; cùm tamen Catholici vbique reperiantur & exercitia ſua habeant. Sed nimirum hæretici noſtri cum Donatiſtis de paucitate gloriantur, Chriſti Domini dignitati eiuſque copioſæ redemptioni turpiter detrahentes, cùm ſcriptum ſit Prou. 14. *In multitudine populi, dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.* Audi Auguſtinum tract. 2. in epiſtolam Ioannis: *Illi autem Donatiſtæ,* inquit, *ſic honorant Chriſtum, vt dicant illum remanſiſſe ad duas linguas, latinam & Punicam, id eſt, Afram. Solas duas linguas tenet Chriſtus? Iſtæ enim duæ linguæ ſolæ ſunt in parte Donati, plus non habent.* hæc ille. Ita noſtro tempore Caluiniana hæreſis duas aut tres habet linguas, Lutherana vix plures quàm Germanicam, Huſſitica tantùm Bohemicam, &c. Et S. Bernard. *ſerm. 66. in Cant.* contra ſui temporis hæreticos ait: *Itáne lapidem de monte abſciſſum ſine manibus* (ſcilicet Dan. 2.) *montem factum & implentem mundum, veſtris creditis intruſum antris?*

Non hæreſes.

3. *Quia ad eam ſolã gentium conuerſio facta.*

Tertiò, Quia ad eam ſolam conuerſio gentium facta eſt, quod ſæpiùs prædictum in ſcripturis. *Iſa. 2. & Mich. 4.* de eâ dicitur: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium & ſuper colles eleuabitur, & fluent ad eum omnes gentes.* Quod longâ inductione oſtendi poteſt, quâ ratione ſcilicet ad omnes gentium nationes à Romana ſede prædicatores miſſi ſint, vti ad nos Germanos S. Bonifacius & alij (de quo alibi fusè) ad quorum doctrinam & prædicationem reges & principes ſe conformarunt & colla Romanæ Eccleſiæ humiliter ſubdiderunt, idola reliquerunt, plures vxores repudiarunt, Eccleſias magnificentiſſimas ædificarunt & dotarunt, Epiſcopatus & monaſteria ditiſſima per totum orbem fundarunt. An non hæc mutatio dexteræ Excelſi? Et quomodo, quæſo, Deus tot regna & populos ſeduci paſſus fuiſſet, ſi fides, quàm ſuſceperunt, vana fuiſſet? Proferant ipſi, quæ regna, qui populi gentilium conuerſi ad ipſos & per ipſos fuerint. Sed nimirum veriſſimum eſt quod Turtull. lib. de præſcript. ait: *Numquam laborarunt hæretici, vt gentiles conuerterent, ſed vt Catholicos peruerterent.* Id quod proximè elapſis centum annis egregiè fecerunt: quod pro miraculo afferre nequeunt; ſiquidem facilis deſcenſus auerni, & homines præſertim mundo & carni dediti facilè libertatem quærunt & admittunt, quam hæretici noſtri abundè concedunt.

Non ad hæreſes.

E. IV. Apoſtolica. 1 *Quia ab*

Quartò, Apoſtolica: Primò, quia debet eſſe antiquiſſima & ab Apoſtolorum tempore ad nos vſque ſine interruptione deriuata; iuxta id Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Ei enim vel omninò recens eſſet, vel

Digitized by Google

vel aliquando interiiſſet, quomodo portæ inferi contra eam non præualuiſſent? Vnde indubium eſt, quod ait S. Hieronymus aduerſus Luciferianos: *In illa Eccleſia permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fundata vſq; ad diem hunc durat.* Quæritur ergo, quęnam eſt illa Eccleſia? reſpondemus: Catholica. Euoluantur antiquitatis hiſtoriæ monumenta, templa, libri & vitæ Sanctorum, veterum Chriſtianorum, nónne id tenuerunt, quod modò nos tenemus? Nónne ſedem Romanam tanquam primam venerabantur, vota monaſtiça obſeruabant, & ieiunia, Miſſas dicebant, reliquias venerabantur, feſtis diebus ſanctos honorabant? &c. oſtendant hæretici, vbi fuerint ante centum annos. Certè ante Lutherum & Caluinum nulli eorum prædeceſſores. Aliarum etiam hæreſum ortus & interitus ſingulatim aſſignari poteſt. Quid? quod etiam Lutherana ſecta tempore iſto iam planè exaruit & in dies à Caluiniſmo deuoratur? Et ſi nunc ab inferis rediret, periculum ne neminem inueniret, qui eam ampliùs agnoſceret: nec ipſa ſua dogmata reperiret.

1. Quia ab Apoſtolorum tempore ad nos deriuata.

Non ita hæreſes.

2. Secundò, quia poteſtatem, quam habet Eccleſiaſticam, traditam ſibi per manus Apoſtolorum & horum diſcipulorum habere debet: eamque duplicem, Ordinis & Iuriſdictionis. Vt enim in regno nemo pro legitimo Iudice acceptatur, niſi vel ipſemet rex ſit ad regnum legitimè euectus, vel parentes & poteſtatem ſibi à rege factam ad hoc, vt ſit Iudex, exhibere poſſit: Simili ratione Papa, eo ipſo quòd legitimè in ſupremum caput electus eſt, poteſtatem ſupremam immediatè ab ipſo Chriſto habet: à Papâ verò tanquam Petri Succeſſore Epiſcopi, ab his velut à diſcipulis Apoſtolorum parochi. Atque hæc eſt ianua, per quam vult Dominus in Euangelio ingredi miniſtros: alioqui minimè audiendos, ſed vt fures declinandos. Atqui nónne in Eccleſia Catholica hæc legitima miſſio, vbi alteri quaſi per manus poteſtatem, quam à prædeceſſoribus miniſtris accepit, ſucceſſoribus tradit? Non poſſunt hoc oſtendere noſtri hæretici. Vel enim immediatè à Chriſto miſſi ſunt, vel mediatè, vel nullo modo. Non primo: oſtendant enim id miraculis & ſimilibus teſtimoniis, quemadmodum oſtenderunt Apoſtoli immediatè à Chriſto miſſi; alioqui nemo tenetur illis credere. Deinde eorum ſectę ſibi contrarię ſunt inter ſe, ergo ſi vnus eorum miſſus eſt, non alius: quia Deus ſibi non contrarius. Non ſecundo: à quo enim Lutherus & Caluinus legitimam poteſtatem habente ad munus prædicationis & Iuriſdictionis miſſus & conſtitutus eſt? Cuius ſedem occupauit Lutherus? Quare rectiſſimè de eo dici poteſt, quod S. Cyprianus *ep.6.l.1.* de Nouatiano hæreſiarcha ſcribit: *Paſtor haberi quomodo poteſt, qui manēte vero paſtore & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedaneâ præſidente, nemini ſuccedens, & à ſeipſo incipiens, alienus fit & profanus?*

Quia poteſtatem Eccleſiaſticam habet ab Apoſtolis ſibi traditam.

Non item hæreſes.

3. Tertiò, Quia ordinatam & continuam habet ſummorum Pontificum ſucceſſionem, quam inter alias Eccleſiæ notas maximi fecerunt Tertullianus & SS. Patres, Irenæus, Optatus Mileuitanus, Epiphanius, Hieronymus, Auguſtinus, quorum tempore tamen, nempe vſque ad annum 460. pauci adhuc ſederant, ſcilicet non vltrà 40. Quid hoc tempore dicerent, quomodo triumpharent ob tam longam Pontificum ſeriem? quomodo hæreticis ora obſtruerent ſi per annos 1600. numerare potuiſſent, qui ſine interruptione ſedem Romanam tenuiſſent? Obijciebant illi hæreticis vt Cathedræ ſuæ rationem redderent, ſucceſſionem Epiſcoporum numerarent: ad quod illi obmuteſcebant. Multò magis noſtri hæretici: qui idcircò hanc Eccleſiæ notam reiiciunt, quòd in ſua non inueniant. At non fruſtrà SS. Patres tam ſedulò Romanorum Pontificum indicem tenebant; Videbant enim ſedem illam ſingulari præeminentiæ priuilegio dotatam, vt quæ ſola ſemper inconcuſſa fuit: reliquæ omnes vbi à Romanâ defecerunt, prorſus deſierunt. Ita Hieroſolyma, in qua Iacobus, Achaia vbi Andreas, Aſia vbi Ioannes, India vbi Thomas, Perſis vbi Iudas, Æthiopia vbi Matthæus, Phrygia vbi Philippus, Græcia vbi Paulus fuerat. Sola fuit & eſt Romana Eccleſia, ad quam, ſicut ſcribit S. Cyprianus l.1. ep.3. *nunquam acceſſum habere potuit perfidia.* Vnde meritò gloriari poſſumus in eo, dum ab hæreticis Papiſtæ vocamur; quę enim Eccleſia inuicta hactenùs præter papiſticam?

Quia ordinatam & continuam ſucceſſionem habet Pontificum.

Non hæreſes.

Quibus poſitis, veniamus nunc cum hæreticis ad Dei iudicium & articulum mortis, in quo, quæſo te, da gloriam Deo: quam eligeres religionem? An non malles habuiſſe illam religionem, quæ allicit & ducit ad virtutem & bona opera, quæ nemo non ſibi optat in eo articulo? Atqui Catholica eſt, quæ hæc vrget: reliquæ vel ea damnant vt Lutherus & Caluinus, vel certè non curant. Secundò. An non malles in illa Eccleſia eſſe, quæ ſola habet & adhibet morituris, procurat & ſuadet ſalutaria remedia, contritionem, confeſſionem, abſolutionem, communionem, reſtitutionem, indulgentias, extremam vnctionem, &c. per quæ participantur merita Chriſti? Quomodo enim tibi perſuadeas te per Chriſtum ſaluandum, qui mediis ab eo ordinatis non vteris? Tertiò, An non optares poſt mortem amicorum preces & ſuffragia pro te fieri, ſiquidem neſcis, quid tibi poſt mortem euenturum ſit? Atqui hæc talia ſola dat religio Catholica: quæ ſi fortè parum proficua putas, ſaltem nequis exiſtimare noxia. Hæretici mortuos deſerunt, ſicut ſuſpenſos in patibulo relinquere ſolemus, nullis exequiarum ſubſidiis eos adiuuando.

Citantur iam hæretici ad Dei iudicium.

Deinde cùm ad iudicium veneris, an non faciliùs & ſecuriùs cauſam tuam defendes, ſi dicas: Ideo fidem Catholicam acceptaui, quia vidi in illa maximam vnitatem doctrinæ & vnanimem conſenſum Doctorum, nec non conſtantiam & vniformitatem perpetuam, & quod validiſſimum eſt, nolui credere meo capiti, vel Scripturas pro arbitrio meo exponere, ſed malui ſequi ſenſum & intellectum ſuperiorum, ſupremæ ſedis & SS. Patrum. 1. Secundò, quia vidi hanc Eccleſiam ſanctam eſſe, tum 2.

Recapitulatio.

quia ad ſanctitatem & virtutem ducit, docet Magiſtratui obedientiam, charitatem proximo, pietatem & cultum Deo exhibendum: tum quia vitiis & vitioſis varia imponit fræna atq; faceſſere iubet: tum quia in ea innumeri erant viri ſancti, toto orbe laudati: Epiſcopi, religioſi, qui Deo arctè ſeruierunt, & ſine dubio omnes non errarunt, ſed rem meliùs quàm ego intellexerunt.
3. Tertiò, quia vidi eam eſſe Catholicam, tum quia ſola talis vtiq; vocabatur, ſicut in ſymbolo Apoſtolico: tum quia ſola ipſa in omnibus terræ oris reperiebatur: tum quia ad eam ſolam gentium conuerſio facta legebatur in antiquis libris.
4. Quartò, quia vidi eſſe Apoſtolicam, tum quia antiquiſſima, ad nos à Chriſto vſque continuò deriuata & antiquior omnibus, tum quia non interrupta Pontificum ſucceſſio. Quæ omnia adeò fortia erant religionis meæ argumenta, vt nihil prorſus inuenire potuerim, in quo ſuſpecta eſſet hęc religio. Quis, quęſo, hîc ſibi metuat?

CONCIO IX.

Documenta.

1. *Diſcimus miſerum ſtatum illorum qui ad finem mundi vocati ſunt.*
2. *Magnam Dei bonitatem in homines extremi illius temporis.*
3. *Cautelam in diſcernendis veris ac falſis prophetis.*
4. *Quid agendum cùm exurgunt noui Prophetæ & nouatores. Quomodo domus Raab fuerit Eccleſiæ typus.*
5. *Tempore afflictionis fugiendum ad Chriſti vulnera.*
6. *In quo ſecundus Chriſti aduentus differat à primo.*

THEMA.

Ab arbore autem fici diſcite parabolam. Matth. 24.

A. Hodiernum Euangelium, Auditores, de mundi conſummatione & iudicio extremo claudit annum Eccleſiaſticum: quemadmodum iudicium extremum claudet mundi curſum? quem depingere mihi videtur Chriſtus ſub parabolâ fici in hodierno Euangelio. *Ficus mundi curſum depingit.* Etenim ficus primò teneros acquirit ramos cùm ver appropinquat: deinde producit germina; tum emittit folia & groſſos; poſteà protrudit & maturat fructus; quibus decerptis paulatim perdit virorem & decorem ſuum vſque ad ingruentem hyemem, quæ omni eam virore & quaſi ipsâ vitâ ſpoliat, ſicque nudatam terrâ ſepelit vſq; ad ver ſequens, quo denuò reſurgit ac reuireſcit. Ita ferè ſe habet decurſus anni Eccleſiaſtici, quem Eccleſia deſcribit ac diſtribuit iuxta progreſſum vitæ Chriſti. Etenim ab Aduentu incipit recolere myſteria, quæ Natiuitatem Chriſti præceſſerunt, vti prophetias de Chriſto, ardentiſſima Patrum vota, Chriſti conceptionem, incolatum materni vteri; & tum quodammodo ficus teneros gignere ramos cœpit. A Natiuitate tempus infantiæ & pueritiæ Chriſti, vſque ad Purificationem; & tum ficus germinauit. A Purificatione vſq; ad Dominicam Paſſionis recolit Eccleſia vitam Chriſti, miracula & prędicationem; & tum ficus protulit groſſos ſuos cum decore foliorum. A Dominicâ Paſſionis vſque ad Paſcha, paſſionem, mortem & ſepulturam; ac tum æſtu ſolis ficus maturuerunt. A Paſchate decurrunt 40. dies vſque ad Aſcenſionem; quia totidem diebus Chriſtus rediuiuus in terris moratus eſt; quibus exactis dulciſſimum laborum ſuorum fructum in cœlo cœpit comedere. Inde dies decem vſque ad Pentecoſten; quia totidem diebus diſcipuli expectarunt miſſionem Spiritus ſancti, in qua & ipſi fructum illius ficûs deguſtare in terris cœperunt. Inde vſque ad Aduentum deſcribit reliquum tempus gratiæ vſque ad nouiſſimum diem; & tum ficus noſtra paulatim perdit virorem ſuum vſque ad initium hyemis, quo emoritur quodammodò & in terram conditur. Hunc igitur decurſum vitæ Chriſti Domini & anni Eccleſiaſtici claudit hodie Eccleſia, & ſtatuit nobis ob oculos vitæ noſtræ ſcenam vltimam, finem mundi & iudicium, quod finem & mercedem dabit operibus noſtris. Et quia hodiernum Euangelium ſalutaria nobis proponit conſilia & documenta, quibus ad beatum illum finem parare nos poſſimus, ea nunc diſquiremus.

B. 1. *Miſer calamitoſus ſtatus hominũ ſub finem mundi.* Primò, Diſcimus miſerum & calamitoſum ſtatum illorum hominum, qui ad finem mundi victuri ſunt. Erunt enim debiles in fide, frigidi in charitate & virtutibus: fortes ac ferventes in patrandis vitiis; erunt improbi quamplurimi; iuſti verò perpauci. Colligimus id ex hodierno Euangelio, vbi audimus in vltima perſecutione pleroſque à Deo defecturos: & ſi diutiùs ea duraret, neminem omnino ſaluandum, adeoque neminem ferè iuſtum reperiendum. Erit ergo tempus illud quaſi hyemale, cui ſuccedet ver reſurrectionis, vti ex parabola ficûs oſtendit Dominus: in illo *abundabit iniquitas & refrigeſcet charitas multorum*, vt immediatè præmiſit huic Euangelio. Quò longiùs à ſole diſtant nationes, eò frigidiores ſunt, vti quæ ad polum arcticum ſitæ: & quò longiùs recedis à foco, eò magis refrigeſces: ita quò poſteriora ſunt ſęcula, quò diſtantiora à tempore & memoriâ Chriſti, eò frigidiora & peruerſiora. Idem teſtatur Apoſtolus 2. Tim. 3. *Hoc autem ſcito*, inquit, *quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, &c.* Et quia hæc in noſtra etiam ſæcula magna ex parte quadrant, vel hinc colligere poſſumus, ab vltimo illo & peruerſiſſimo ſæculo non longè nos diſtare; præſertim quia nunc hæreſes incrementum ſumunt, & in dies magis veram religionem premunt. Vidit hoc etiam ſuo tempore S. Gregorius Magnus vaticinans de noſtris temporibus, nimiùm profectò verè, in epiſt. ad Maximum Salonitanum Epiſcopum; vbi deploratis Italiæ calamitatibus, ſubdit: *Sed nolite de talibus omnimodè contriſtari; quia qui poſt nos vixerint, deteriora tempora videbunt, ita vt in comparatione ſui temporis, felices nos exiſtiment dies habuiſſe* Nimirum verum eſt vulgare illud: *Rarò meliora ſequuntur.* Videre iſtud erat in regibus Hebręorum ple-

pleriſque. Salomonem durum exactorem ſecutus eſt Roboam nequior filius, qui dicebat ſubditis: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.* Huic in imperio decem tribuum ſucceſſit Ieroboam, Roboamo adhuc deterior, qui *peccare fecit Iſrael*, & inuexit Idololatriam 3. *Reg.* 12. Rurſum regi Zambri ſucceſſit Amri, qui *operatus eſt nequiter ſuper omnes, qui fuerunt ante eum.* Dereliquit hic ſucceſſorem Achab, patre adhuc deteriorem, quia ipſe, vt ait Scriptura 3. Reg. 16. *fecit malum in conſpectu Domini, ſuper omnes, qui fuerunt ante eum*; qui etiam duxit vxorem Iezabel, gentilem, & ſeruiuit Baal. Obſeruarunt idipſum etiam Gentiles, quod ſequens docebit hiſtoria, *Venit aliquando Cenſor Romanus Nolam, Campaniæ vrbem, regionem pro more viſitaturus. Sed quia æſtas erat, regioq́ æſtuoſiſſima, nemo tunc in publicum prodibat. Hoſpiti ergo, apud quem diuerterat: Amice, inquit, ego ſum Cenſor à ſenatu Romano ad regionē hanc viſitandam miſſus; itaq; feſtinus abito, omneſq́ è populo bonos huc ad me vocato: ſunt enim nonnulla ſacri Senatus nomine illis dicenda. Hoſpes ad ſepulchra abit mortuorū, qui illic erant humati, & clara voce: Heus, inquit, boni viri venite mecum, vocat enim vos Cenſor Romanus. Cenſor neminem venire videns, iterum iubet hoſpitem illos accerſere. Is ad ſepulchra denuo reuerſus, mortuis ait: Adeſte boni viri vocat enim vos Cenſor Romanorum. In hunc modum, & iiſdem verbis tertiùm quoque fuêre vocati. Cùm autem iterum ad tertiùm accerſiti non venirēt, pertæſus ac indignatus Cenſor, inquit hoſpiti: Quandoquidem iuſſu meo boni viri nolunt venire, illuc ibo; itaque mecum progreſſus mihi illos monſtra. Grauē enim meretur animaduerſionem, quicunq́ Senatus dicto non eſt audiens. Hoſpes pauperculus Cenſorē manu prehenſum ad ſepulchra ducit, ad quæ dudum abierat, & mortuos denuò clarâ voce compellans: Ecce, inquit, boni viri, adeſt Cenſor Romanus vos allocuturus. Cenſor indignatus, & excandeſcens: Quid agis, inquit, hoſpes? ego te viuos vocatum miſi, tu verò mortuos vocas? Cui hoſpes: Si prudens es, Cenſor Romane, haud mirum tibi videbitur quod feci: omnes quippe boni viri huius regionis iam olim ſunt mortui, & in his monumentis ſepulti: iuſto quippe Dei iudicio factum eſt, vt intra terræ ſinum quieſcant illi, quorum commercio non digna erat, vt frueretur Reſp.* Refert Tympius in *ſpec. Magiſt. fig.* 50. Non multum aberrauerit, qui hoc idem noſtris temporibus dixerit, multò minùs qui ſecuturis & præſertim extremis. *Filius enim hominis veniens, putas, inueniet fidem in terrâ?* ait ipſe *Luc.* 18. q. d. Chriſtianum bonum & perfectum?

C. II. Magna Dei bonitas in homines extremis illius temporis

SECVNDO, Diſcimus magnam Dei bonitatem, quam extremis illis temporibus exhibebit Chriſtianis. Magna quidem erit tunc tribulatio, cùm ſoluetur ſatanas: ſed magna etiam erunt Dei auxilia, quibus adiuuabit Chriſtianos. Primum eſt prædictio & præuia Antichriſti deſcriptio, ita vt ſeductorem illum facilè poſſint agnoſcere ex pluribus indiciis, reuelatis à Ioanne in Apocal. à S. Paulo & Daniele. Ecce hic eſt, inquient, Antichriſtus ille, qui fidem noſtram cupit euertere. Atque ita in fide magis confirmabuntur electi. Secundum, Eliæ & Enochi aduentus, prædicatio, teſtimonium, martyrium & reſurrectio. Quis tantorum teſtimonium doctrina & prodigiis non moueri debeat ad fidei conſtantiam? Tertium, perſecutionis breuitas; *propter electos* enim *breuiabuntur dies illi.* Quartum, ſubſidium Angelorum, Michaelis imprimis, qui ex alto in tartarum deturbabit Antichriſtum. Quibus addenda interna alia & priuata auxilia. Solet enim Deus vnà cum tribulatione immittere etiam leuamina & arma ſpiritualia, eoque fortiora, quò grauior eſt tribulatio. Quare bene Ezechias Rex, *Iſa.* 38. vitam ſuam partim ærumnis, partim diuinis fauoribus variantem telæ aſſimilauit. *Præciſa eſt*, inquit, *velut à texente vita mea*, quaſi tela ſcilicet. Telæ autem fila non omnia eodem tendunt; ſed alia recta, alia tranſuerſa ſunt: ita vita noſtra partim aduerſitatibus fatigatur, partim beneficijs & ſolatiis recreatur. Vnde S. Chryſoſt. hom. in c. 2. Matth. *Deus*, inquit, *tum ex aduerſis, tum ex proſperis iuſtorum vitā quaſi admirabili varietate contexit.* Quemadmodum enim Iacob dilectiſſimum filium ſuum Ioſeph polymitâ, ſeu multorum colorum veſte induit, *Gen.* 37. ita Deus electos & dilectos ſuos varia & multicolori vitâ ex triſtibus & lætis, ex dulcibus & amaris, ex proſperis & aduerſis contextâ ſolet exornare: quo modo etiam veſtis illa Ioſephi variegata vna ex parte referebat patris amorem ac beneuolentiam; alia ex parte fratrum odium & inuidiam: & quæ priùs decora & pulchra aſpectu fuit, poſteà ſanguine tincta triſtis & terribilis.

D. III. Cautela adhibenda in diſcernendis veris & falſis prophetis.

TERTIO, Diſcimus cautelam in diſcernendis veris ac falſis prophetis eorumque miraculis à nobis adhibendam, quando interdum à talibus non plebeij tantùm ſed etiam clerici & literati decepti eſſe leguntur. Exemplum vnum hîc dabimus ex Greg. Turonenſi lib. 10. c. 25. apud Baron. anno 595. *Quidam*, inquit, *ex Biturico dum ſaltus ſiluarū ingreſſus, ligna cæderet ad explendam operis cuiuſdam neceſſitatem, muſcarum eum circumſedit examen: quâ de cauſa per biennium amēs eſt habitus; vnde intelligi datur diabolicæ emiſſionis fuiſſe nequitiam. Poſt hæc tranſactis vrbibus propinquis, Arelatenſem prouinciam adiit, ibiq́ indutus pellibus quaſi religioſus orabat, ad quem illudendū pars aduerſa diuinandi ei tribuit facultatem. Ex hoc vt in maiori proficeret ſcelere, cōmotus à loco prouinciam memoratā deſerens, Gabalitanæ regionis terminum eſt ingreſſus, proferens ſe magnū, ac profiteri ſe non metuens Chriſtum, aſſumptâ ſecum muliere quadam pro ſorore, quam Mariam vocitari fecit. Confluebat ad eum multitudo populi exhibens infirmos, quos contingens ſanitati reddebat. Conferebāt enim ei aurum, argentumq́ & veſtimenta ij, qui ad eum conueniebant: quod ille, quo faciliùs ſeduceret, pauperibus erogabat, proſternens ſe ſolo, effundens orationē cum muliere memorata, & ſurgens, ſe iterùm à circumſtātibus adorari iubebat. Prædicebat enim futura, & quibuſdam morbos, quibuſdam damna prouenire denuntiabit, paucis ſalutem futuram. Sed hæc omnia diabolicis artibus & præſtigiis neſcio quibus agebat. Seducta eſt autem per eum multitudo immēſa populi & non ſolùm ruſticiores, verùm etiam Sa-*

cerdotes Eccleſ. Sequebantur autem eum ampliùs quàm tria millia populi. Interea cœpit quoſdam ſpoliare ac prædari quos in itinere reperiſſet: ſpolia tamen non habentibus largiebatur. Epiſcopis ac ciuibus minas mortis intentabat, eò quòd ab ijs adorari deſpiceretur. Ingreſſus autem Vellaua (ſeu Bellnaci) vrbis terminum, ad locum quem Anicium vocitant, accedit: & ad baſilicas propinquas cũ omni exercitu reſtitit, inſtruens aciem, qualiter Aurelio ibidem tunc conſiſtenti Epiſcopo bellum inferret, mittens etiam ante ſe nuntios, homines nudo corpore, ſaltantes atq; ludentes, qui aduentum eius annuntiarent. Quod ſtupens Epiſcopus, direxit ad eos viros ſtrenuos inquirentes, quid ſibi vellent iſta quæ gererent. Vnus autem ex iis, qui erat ſenior, cùm ſe inclinaſſet, quaſi oſculaturus genua eius, ac diſcuſſurus viã illius, iuſsit pſeudopropheta eum apprehenſum ſpoliari. Nec mora, ille euaginato gladio in fruſta concidit: ceciditq́; Chriſtus ille, qui magis Antichriſtus nominari debet & mortuus eſt; diſperſiq́; ſunt omnes qui cum eo erant. Maria autem illa ſupplicijs dedita, omnia phantaſmata eius ac præſtigias publicauit. Nam homines illi, quos ad ſe credendum diabolicâ circumuentione turbauerat, nunquã ad ſenſum integrum ſunt regreſſi, ſed hunc ſemper quaſi Chriſtum, Mariam autem illam partẽ deitatis habere profitebãtur. Sed & per totas Gallias emerſerunt pleriq́;, qui per has præſtigias adiungentes ſibi mulierculas quaſdam, quæ debacchantes ſanctos eos confiterentur, magnos ſe in populis præferebant: ex quibus nos pleroſque vidimus, quos obiurgantes reuocare ab errore niſi ſumus. Hucuſque Gregorius Turonenſis.

Audiamus etiam vnum è miraculis pſeudoprophetarum (nam plura alibi vidimus) ex eodem Greg. Turon. de glo. Conf. c. 13. 12. *Anno 583. cernens Lewigildus Rex Arianus in Hiſpaniis, tanta miracula per ſeruos Dei, qui noſtræ religionis erant, fieri, vocauit vnum Epiſcoporum ſuorum: dixitq́; ſecretiùs ad eum: Quamobrem vos, vt iſti, qui ſe Chriſtianos dicunt, non oſtenditis ſigna in populos ſecundùm fidem veſtram? dicit ei Epiſcopus: Sæpiùs ego cæcis lumen reddidi, & ſurdis auditum, nunc autem hæc poſſum facere quæ dicis. Et vocato ad ſe vno de hæreticis, clanculò ait ad eum: Accipe quadraginta aureos, & clauſis oculis reſide in loco, vnde nobis eſt tranſitus: & prætereunte mecum rege, exclama in virtute, vt perditum lumen meâ tibi credulitate reſtituam. Cumq́; hic acceptâ pecuniâ feciſſet quod ſibi fuerat imperatum, procedit nouus Cyrola ad dexteram conſtipatus hæreticorum catervâ. Exclamat & iſte cæcatus pecuniâ, vt fide Epiſcopi reciperet oculos ſuos. At iſte cum non minimâ arrogantiâ imponens manus ſuper oculos eius, ait: Secundùm fidem meam fiat tibi. Hæc eo dicente, ita obſerati ſunt oculi hominis cum dolore, vt nõ ſolùm viſum perderet, verùm etiam dolum, quem auaritiâ impellente finxerat, publicaret.* Hactenus Gregorius, qui idcircò Epiſcopum hunc, cuius non refert nomen, nouum appellat Cyrolam, quòd eiuſdem nominis Epiſcopus iſtiuſmodi facinus tempore Wandalico in Africa perpetraſſet. Plures huiuſmodi impoſturas hæreticorum, vti illius Cyrolæ, Caluini, Lutheri pſeudomiracula alibi notauimus. Quiſquis ergo veritatem amat oditq́ue mendacium, deteſtetur impoſtores iſtos: vera Eccleſiæ miracula attendat, à tot viris ſanctis omniq́ue fide dignis conſcripta, tot teſtimonijs comprobata, & vel vſque hodie ante multorum oculos fieri conſueta.

E. IV.

Quid agendum cùm noui exurgunt Prophetæ & nouatores.

QVARTÒ, diſcimus, quid agendum nobis ſit, cùm noui exurgunt prophetæ, noua afferentes & perſuadere volentes dogmata. *Tunc enim ſiquis vobis dixerit*, inquit Dominus: *Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. Si dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente & paret vſq; in occidentem: ita erit & aduentus filij hominis.* Quibus verbis docet Dominus non ſolùm ſignum & manifeſtationem aduentûs ſui ad iudicium; verùm etiam ſignum & manifeſtationem Eccleſiæ veræ, ſponſæ ſuæ; quæ hinc agnoſci queat, quòd non in deſerto ſeu pauculis fidelibus vnâ & altera natione vel linguâ dumtaxat; nèc in penetralibus, hoc eſt, in angulis, obſcuris & occultis hæreticorum conuenticulis quærenda: ſed in toto paſſim orbe viſenda, omnibus nationibus conſpicua ſit futura, quo modo fulgur includi vel excludi ſe non patitur, ſed illuminat totam terram & penetrat etiam per feneſtras ac rimas domorum. Quiſquis ergo in ea Eccleſia ſe conſtitutum videt, quæ per vniuerſum orbem micat, vel certè micuit, tametſi hodie fortè à quorumdam terris exulet: ibi hæreat, ibi pedem figat; neque ad ſolitudines & penetralia hæreticorum exeat. Quâ in re perelegans Eccleſiæ typus fuit domus Raab *Ioſ. 2.* quæ, quia Legatos Hebræorum abdidit & incolumes dimiſit, priuilegio immunitatis donata eſt ab Hebræis, ita vt vaſtatâ vrbe Iericho, ſola illa domus & qui in ea habitarent, incolumes manerent.

Domus Raab Eccleſiæ typus.

Etenim Primò Raab *latitudinem* ſigni- 1.
ficat, & Eccleſiæ velut fulguris diffuſionem
in omnes terras notat. *Quæ eſt ergo latitudo*, in-
quit eo loco Origenes, *niſi Eccleſia hæc Chriſti quæ
(Iſa. 49. v. 20.) dicit: Anguſtus eſt mihi locus; fac
ſpatium vt habitem.* Secundò, Raab Legatos 2.
Hebræorum exceptos domi ſuæ magno ſtudio tutata ab hoſtium manibus, ſub lino texit & ad domûs ſuæ ſuperiora euocauit: ita *Eccleſia quos ſuſcepit*, inquit Origenes homil. 2. *in editis & excelſis fidei conſtituit Sacramentis. Nemo enim qui ab Ieſu mittitur, inuenitur deorſum & humi iacens, ſed in ſuperioribus permanet*; quia videlicet Eccleſia ſuos ad cœleſtia deſideranda & quærenda inſtruit & hortatur, nec non ad ſublimem & ſpiritualem viuendi rationem vitæque perfectionem, in qua tamen eos lino humilitatis contegit atque in obedientia & humilitate continet. Aliæ ſectæ ſuperbiam & præſumptionem, Catholica demiſſionem & timorem docet inculcatq́ue ſuis, velut in Sacramentorum ſuſceptione, in diſciplina Chriſtianâ, legibus & cenſuris. Tertiò, Periclitantes 3.
Hebræos demiſit per feneſtram, & montana conſcendere iuſſit: ita Eccleſia, à Chriſto in hod. Euangelio edocta, inſtante hæreticorum perſecutione & ſeductione, iubet ſuos fugere ad montes, hoc eſt, ad SS. Patres eorumq́; Concilia; iubet conſulere viros ſanctiſſimos, qui ab

ab Apoſtolorum tempore vſque ad nos vixerunt, ſcripſerunt, Eccleſiam defenderunt: iubet inſpicere eorum vitam, mores, ritus, ſanctitatem, auctoritatem, mores; inde edocebimur & firmabimur in fide noſtrâ Catholicâ. Non vult adiri colliculos, Lutherum, Caluinum, Bezam, Oecolampadium, Zwinglium, alioſque Nouatores, in quibus nihil præſidij eſt; ſed Eccleſiæ Doctores, alioſque SS. Patres.
4. Quartò, Rahab in ſuæ ſuorumque ſalutis ſymbolum accepit funem coccineum, de feneſtrâ dependentem: Eccleſia quoque Chriſti ſymbolum fronti inſcriptum, ſignum S. Crucis habet. *Coccineus, inquam, funiculus*, ait Rupertus, *ſanguineum eſt crucis ſignaculum, iugiter pingendum in fronte.*
5. Quintò. Quiſquis è domo Raab exiuiſſet, in gladium Hebræorum incurriſſet; quia extra eam nulli ſalus erat: ita extra Eccleſiam Chriſti nemo ſaluabitur. *Qui oſtium domûs tuæ*, inquit Rupertus in eum locum, *egreſſus fuerit, quicunque ſeipſum ab vnitate fidei præciderit, hæreſeſq́; ac ſchiſmata fecerit, ſanguis ipſius erit in caput eius.* Vnde monuit Dominus in hodierno Euangelio: *Nolite exire, nolite credere.* Refert Herodotus l. 1. ſolitas quondam vrbes integras, eorum, quos colerent Deorum finis ſeſe funibus alligare. Hunc in modum alligemus noſmetipſos fune inconcuſſæ fidei ad Eccleſiam Catholicam & immobilem Petri rupem: nemo nos inde abripiat.

F. V. Tempore afflictionis fugiendum ad Chriſti vulnera.

Qvintò, Diſcimus quorſum nobis fugiendum ſit tempore afflictionis, ad vulnera ſcilicet & paſſionem Chriſti meditandam. Id enim inſinuat Dominus verbis illis: *Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*: vt exponunt Origenes tract. 30. in Matth. S. Hieronymus in cap. 24. Matthæi. Siquidem corpus ibi ſignificat cadauer, vti vox græca πτῶμα oſtendit? Vnde Hieronymus: *Poſſumus corpus, id eſt, πτῶμα (quod ſignificantiùs Latinè ſignificat cadauer, ab eo quod per mortem cadat) paßionem Chriſti intelligere, ad quam prouocamur, vt vbicunq; in Scripturis legitur, cõgregemur, & per illam venire poßimus ad verbum Dei. Si ergo irrationales volucres naturali ſenſu tantis terrarum ſpatijs & maris fluctibus ſeparatæ, paruum cadauer ſentiunt vbi iaceat: quantò magis nos & omnis multitudo credentium debet feſtinare ad eum, cuius fulgur exit ab Oriente & paret vſque ad Occidentem?* Quoties ergo anima noſtra ſpirituali inediâ contabeſcit, quoties interno ſolatio deſtituitur, quoties afflictione debilitatur aut tentatione premitur, ad corpus crucifixi aduolet per eius meditationem, memoriam, inuocationem, ibiq́ue robur inueniet & refugium: Vnde S. Petrus epiſt. 1. cap. 4. ait: *Chriſto igitur paſſo in carne & vos eâdem cogitatione armamini*, q. d. in Crucifixo inuenietis omnis generis armaturam. Atteſtantur hoc ipſum SS. Patres. S. Bern. ſer. 62. in Cant. *Quid tam efficax*, ait, *ad curanda conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio?* S. Bonau. coll. 7. *Qui ſe intentè & deuotè in ſanctißimâ vitâ & paßione Domini exercet, omnia vtilia & neceſſaria ſibi abundanter ibi inuenit; nec opus eſt vt extra Ieſum aliquid quærat.* S. Aug. in Manual. c. 22. *Cùm me pulſat*, inquit, *aliqua turpis cogitatio; recurro ad vulnera Chriſti. Cùm me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei reſurgo. Cùm diabolus mihi parat inſidias, fugio ad viſcera miſericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione vulnerum Domini noſtri filij Dei extinguitur. In omnibus aduerſitatibus non inueni tam efficax remedium quàm vulnera Chriſti: in illis dormio ſecurus & requieſco intrepidus.* Illuc quoq; aliȩ multæ generoſæ aquilæ ſeſe contulerunt è femineo ſexu: Maria Magdalena imprimis, omnium anteſignana, quæ mortuo etiam Domino indiuiſibiliter adhæſit, *cumq́; eo ſepulto ſepeliuit pariter ſpiritum ſuum*, ait Origenes de S. Magdalena. S. Clara, quæ inter horam diei ſextam & nonam, quâ obijt Dominus, maiori compunctione afficiebatur, & chordâ 13. nodorum carnem conſtringebat. Vt in vita eius cap. 20. S. Coleta, quæ in feriis ſextis paſſionem meditans videbatur ſibi præ doloris vehementiâ, in manibus, pedibus & latere, quaſi clauis & lanceâ configi. Apud Sur. tom. 2. Quibus accedit S. Birgitta, Gertudis, Mechtildis, &c. Huiuſmodi etiam aquilȩ ſunt, quæ ad corpus Chriſti Domini in S. Euchariſtiâ, mortem ipſius repræſentante, conſtitutum aduolant, ibiq́ue nobili illo pabulo animas ſuas impinguant, ac conſortant. Vbi tamen aduertendum, aquilas eſſe debere, non coruos, qui corpore illo ſaginari volunt; angelis ſimiles, non dæmonibus.

G. VI. Secundus Chriſti aduentus multùm differt à primo.

Sextò, Ad extremum diſcimus ſecundum Chriſti aduentum multùm diſcrepare à primo. Primus à Dauide Pſalm. 71. comparatur pluuiæ: *Deſcendit ſicut pluuia in vellus.* Secundus comparatur fulguri ab ipſo Domino, in hodierno Euangelio. In primo deſcendit Deus occultè, ſicut pluuia deſcendit in vellus, ſenſim & abſque ſtrepitu: in ſecundo deſcendet manifeſtè, ſicut fulgur, quod ſuo ſplendore complet totum hemiſphærium. Cauſam aſſignat Auctor inperfecti homil. 49. *In primo*, inquit, *aduentu ideo Dominus occultus venit corpore, vt probaret fideles: in ſecundo autem veniet manifeſtus in gloria, vt remuneret fidem illorum. Ideo tunc neceſſarium erat, vt quæreretur: nunc autem, id eſt, in ſecundo aduentu non eſt quærendus vt credatur, ſed quærit ipſe à quibus creditus ſit.* In primo deſcendit vſque ad terram, quemadmodum & pluuia: in ſecundo deſcendet vſque ad infimam aeris regionem quemadmodum & fulgur: ibiq́ue ſedens iudicabit. Ratio, quia in primo venit in forma ſerui vt omnibus miniſtraret: in ſecundo veniet in formâ Iudicis, qui in ſublimi ſedens, omnibus eſſe conſpicuus debet. In primo per aliquot annos commoratus eſt in terris: in ſecundo verò breuiſſimam moram faciet, & quaſi in momento omnia expediet: quo modo & fulgur momentaneum eſt, cùm viciſſim pluuia duret aliquanto tempore. Ratio; quia in primo venit vt inſtrueret & perficeret mentes hominum, quod aliquo temporis ſpatio fieri debuit: in ſecundo veniet, vt reuelet animos hominum, quod citiſſimè fieri poteſt. In primo venit placidus & abſque vllo

terrore ad placandum nobis Deum quemadmodum & pluuia non modò non affert terrorem, ſed potiùs annunciat tempeſtatis mitigationem: in ſecundo veniet tremendus, quemadmodum & fulgur communiter poſt ſe trahit horriſonum aliquod tonitru & quandoque ſimul fulmen. De primo Scriptum legimus; *Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam* Matth. 21. de Secundo legimus: *Ignis ante ipſum praecedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: illuxerunt fulgura eius orbi terrae, vidit & commota eſt terra. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini*, &c. Pſalm. 96. De primo ſcripſit Iſaias c. 42. *Calamum quaſſatum non conteret & linum fumigans nõ extinguet*: hoc eſt, nemini moleſtus, oneroſus aut damnoſus erit; at de ſecundo ſcripſit idem c. 13. *Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus & irae furorisq́, ad ponendum terram in ſolitudinem & peccatores eius conterendos*, &c. In primo enim venit humilis velut iudicandus: in ſecundo veniet glorioſus velut iudicaturus.

CONCIO X.

Myſteria.

1. *Exponitur abominatio deſolationis, quae ad litteram eſt profanatio templi: tropologicè haereſis & quoduis peccatum.*
2. *Explicantur illa verba*: Qui in tecto eſt, &c.
3. *Cur fuga hyeme vel Sabbato non captanda.*
4. 5. *Quaenam tribulatio maxima; quinam pſeudoprophetae & pſeudochriſti.*
6. *Quid ſibi velit ſimilitudo fulguris & cadaueris.*
7. 8. *Quomodo ſol & luna obſcurabuntur: & quid illa obſcuratio.*

THEMA.

Qui legit, intelligat. Matth. 24.

A. ADmodum neceſſarium & maximi momenti eſt hoc Saluatoris monitum, vaticinio Danielis annexum: *Qui legit, intelligat.* Cum enim vaticinia prophetarum, vti & ea quę in hodierno Euangelio vaticinatur Dominus partim de excidio vrbis, nec non alia pleraque in Scripturis SS. abſtruſa & recondita ſint, ſani & perſpicaces requiruntur oculi ad ea diſcernenda atque intelligenda. Vnde enim hæreſes omnes niſi ex Scripturis perperam intellectis? Propterea S. Auguſt. *in Pſal.* 10. Scripturas bene intellectas comparat imbri fœcundanti terram: malè verò intellectas laqueis, iuxta id Pſalmi 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos.* Ait enim; *Cùm malè intelliguntur, pluit Deus ſuper peccatores laqueos. Cùm autem benè intelliguntur, fœcundat pectora piorum atq; fidelium*: Quamobrem non fruſtrà ſanè Eunuchum illum legentem in Iſaia Philippus interrogauit: *Putáſne intelligis quae legis?* Cui ille: *Et quomodo poſſum ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Act. 8. Rogauit igitur Philippum vt Scripturam ſibi exponeret, *Qui legit* igitur *intelligat*; vel qui non intelligit, non legat, aut certè intelligentes conſulat. Nos quoque vt hodiernum Euangelium intelligamus, SS. Patres & Doctores conſulamus.

B. 1. *Quid eſt abominatio deſolationis.* 1. *Ad literam profanatio templi.*

Q. PRIMÒ, Quid eſt abominatio deſolationis? Reſpon. 1. ad literam non videri fuiſſe aliud, quàm profanationem templi Ieroſolymitani, quae facta eſt à Zelotis, ſeditioſiſſimis hominibus, paulò ante vrbem à Tito captam, teſte Ioſepho l. 6. c. 1. & l. 7. cap. 6. Illi enim à zelo ſibi nomen vſurpantes, quaſi Zelum legis tuendae profiterentur & Vrbis, interim flagitiis pleni templum occuparunt & caedibus ac cadaueribus impleuerunt: ita vt miſſilia etiam in ſacerdotes ſacra facientes vſque ad aram caderent & ſanguis interfectorum per atria ſacra ſtagnum quoddam conficeret: templum non iam loco ſacro ſed caſtello potiùs & praedonum aſylo, diſpoſitis ſupra id tormentis vndequaque ſimile foret. Propter quae Titus ipſe Dux ob violatum templum ſeditioſo arguit his verbis: *Quid in templo etiam mortuos conculcatis ô nocentiſſimi? Aut cur templum externi & gentilis ſanguinis confuſione polluiſtis? Teſtor Deos patrios, non ego vos violare hoc compellam. Seruabo autem vobis etiam templum nolentibus ſi locum acies veſtra mutauerit*, &c. Ioſeph. l. 7. c. 4. Fuiſſe autem hos Zelotas & templi violationem ſignum deſolationis atque excidij teſtatur idem Ioſephus l. 5. c. 2. his verbis: *Vetus quidam ſermo ferebatur, tunc demum ciuitatem captum iri, ſancta quoque flammis exurenda eſſe lege belli: cùm ſeditio fuiſſet exorta, fanumq́, Dei propria* (Iudaeorum) *manu antè violaſſent. Quibus Zelotae miniſtros ſe praebuerunt.* Ita ille, qui etiam l. 2. c. 25. ait, mox à clade Ceſtij, qui paulò ante Veſpaſiani aduentum (ante ſex menſes) vrbem vexarat, & templum oppugnarat, multos inſtantis Iudaeorum cladis coniectores vrbe elapſos in alias regiones migraſſe. Ex his autem fuiſſe Chriſtianos teſtatur Sanctus Epiphanius *haer.* 29. & 20. & Euſebius l. 3. *hiſt. c.* 3. qui eos diuinitùs admonitos in vrbẽ Pellam profugiſſe ait, idque conſtat de S. Simeone Ieroſolymorum Epiſcopo. Videntur autem Iudaei collegiſſe id ex Daniele cap. 9. de quo hìc Dominus: *Erit in templo abominatio deſolationis, &c.* Addit Ioſephus *l. 6. c.* 16. *Puto, quòd ſi Romani contra tam noxios noſtrae gentis homines venire tardaſſent, aut hiatu terrae deuorandam fuiſſe ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulminum, ad ſimilitudinem Sodomae, incendia paſſuram. Multò enim magis impiam progeniem tulit, quàm ea fuit, quae illa ſupplicia pertulerat.* Quando igitur habemus abominationem, quia deſolationis fuit ſignum & cauſa, inſuper in templo ſtetit; nec apparet alia, quae excidium praeceſſerit, de eâ locutus videtur Daniel c. 9. & Chriſtus in hodierno Euangelio. Ita ſentiunt Abulenſis, Ianſenius, Baronius.

2. *Tropologicè.* 1. *Haereſis.* 1. 2.

Secundò, tropologicè eſſe hæreſin, praeſertim Iconoclaſmum; denique omne peccatum mortiferum. Etenim hæreſis primò ſtat in loco ſancto, quia in vrbe vel oppido, vbi priùs floruit fides & ſanctitas; (occupat enim hæreſis loca & templa Catholicorum, eaſque profanat, & in ſuas conuertit ſynagogas.) Secundò, eſt abomi-

abominatio, hoc eſt, peccatum abominabile, ex ſuperbia & contumacia & contumaci prognatum. Propterea S. Agatho omnia ſibi crimina impingi à maleuolis patiebatur, ſolum hæreſeos crimen audire noluit, quòd alia peccata infirmitatis eſſent, hæreſis autem pertinaciæ & notæ malitiæ; apud Euagr. *lib. 2. de Vitis Patrum.* Similiter S. Hieronymus cap. 2. ad Damaſum: *Errare poſſum*, inquit, *hæreticus eſſe non*
3. *poſſum.* Tertiò, eſt deſolatio ſeu vaſtatio totius boni: Eccleſias conuertit in ſtabula, altaria in menſas, vaſa ſacra in profana, clericos in laicos, monaſteria in ſolitudines, Sacramentorum
4. vſum in neglectum & deriſum, &c. Quartò, ſtat, velut idolum ſcilicet in corde hæreticorum, quod ſibimet erexerunt. Vnde Hieronymus in Ezech. 18. *Idola, id eſt, ſimulachra*, inquit, *quæ de ſuo corde finxerunt, omnes hæretici faciunt.* Sua enim phantaſmata colunt. Vnde etiam ex vno idolo plurima alia fabricant; iuxta id Ier. 2. *Iuxta numerum ciuitatum tuarum facti ſunt tibi Dij tui Iuda.* Quod certè in hæreticis noſtri temporis patet, qui in ſingulis pæne vrbibus diuerſa dogmata ſequuntur.

Propterea igitur hæreſis deſolationem & excidium nec non iugum Turcicum regnis & prouincijs inducit, vti iam Aſiæ, Græciæ, Syriæ, Africæ cernimus inductum, cladem verò
2. *Quoduis peccatum.* & vaſtitatem Germaniæ &c. Sed & peccatum quoduis mortiferum abominatio talis eſt. Abominatio, inquam, quia Deo è diametro repugnat, nec admittitur in conſpectum eius, Quidquid etiam boni moralis fit in peccati ſtatu, in cælum non admittitur. Denique ipſos homines facit abominabiles, iuxta id Oſe. 9. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt.* Deinde eſt abominatio deſolationis, quia omnimodam vaſtitatem inducit animæ, corpori, fortunis ac bonis omnibus. Vaſtat gratiam, virtutes, merita, gloriam cœleſtem, pacem conſcientiæ, valetudinem corporis, famam, opes. Vnde diluuium, ignis Sodomæ, bella, peſtes, fames, niſi ex peccato? Denique ea ſtat in loco ſancto, quia in animo Chriſtiani, qui Dei templum, vtpote in baptiſmo ei conſecratum, ſanctum eſſe debet.

C. II. *Quid illa verba: Qui in tecto eſt, &c.* Q. SECVNDÒ, Quid ſibi volunt illa: *Qui in tecto eſt, non deſcendat tollere aliquid de domo ſuâ: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam ſuam?* Reſp. primò, ad literam indicare partim fugæ celeritatem illis arripiendam, qui ſaluari ab excidio vel captiuitate velint; alioquin eos vix
1. ſaluandos: partim calamitatis ingruentis magnitudinem, quæ tanta ſit, vt quis omnia deſerere, etiam veſtes ac cibos debeat, quò eam euadere queat. Atque hæc monitio Iudæos potiſſimùm tangit; nam Chriſtianos per oraculum monitos, vt fugerent antequam bellum exardeſceret, ſcribit Euſebius *l. 3. hiſt. c. 3.* nec quadrat in Chriſtianos, quod de fugâ in Sabbato ſubiicitur; quia Sabbatum non ſeruarunt.

2. Secundò, tropologicè notare, omni celeritate peccatum fugiendum: ne fortè cùm fugere velimus, non poſſimus. Sanè Titus ſpatio tridui totam vrbem muro cinxit, ita vt nemo ampliùs fugere poſſet; quod miraculi loco habitum. Pari modo poteſt dæmon intra breue tempus ita illaqueare peccatorem, vt difficillimè euadere queat. Mors etiam à tergo homini inſidiatur. Vnde Eccleſiaſticus c. 14. monet: *Memor eſto, quoniam mors non tardat.* Serò nimis dicebant Ægyptij: *Fugiamus Iſraelem*: cùm iam in medio maris alueo poſiti viderunt irruere ſuper ſe aquas, *Exod. 14.* Itaque qui in tecto vel in agro, in menſa vel in lecto eſt, & recordatur ſe peccato inquinatum eſſe, ante omnia maculam eluat per contritionem, primum hoc eius negotium ſit, quia maximi momenti.

Rurſum ſecundum Auguſtinum ep. 8. *Qui in tecto eſt, non deſcendat*, hoc eſt, *qui in ſpirituali vita ſublimitate eſt velut in tecto, ne deſcendat ad carnalem vitam: Qui in agro, non reuertatur, hoc eſt, qui proficerat in anteriora ſe extendens, ne deficiendo in poſteriora reſpiciat*, non reſumat veſtem vitiorum, quam per pœnitentiam depoſuit. 3.

Q. TERTIÒ, Cur orare iuſſi Iudæi, ne fuga eorum fieret hyeme vel Sabbato: & cur væ prægnantibus & nutrientibus? Reſp. primò ad literam, quia hæc ſunt quatuor fugæ impedimenta & incommoditates: vterus prægnans, filius lactens; hyems; Sabbatum, quo longiùs ire prohibitum. Etenim Iudæi vel neſciebant licere ſibi fugere in Sabbato, vt illi 1. *Mach.* 2. qui die Sabbati reſiſtere hoſtibus nefas exiſtimantes occidi ab iis maluerunt; vel certè exiſtimabant fas quidem eſſe fugere, ſi hoſtes inſequerentur: at non eſſe fas, ſi non inſequerentur, cuiuſmodi erat fuga illa. D. III. *Cur fuga non in hyeme vel Sabbato, &c.*

Secundò, tropologicè indicat Dominus quatuor pericula eorum, qui conuerſionem ſuam differunt. Primum, Hyems, id eſt, procelloſum mortis tempus; dolorum, tentationum, terrorum, imbribus plenum, ideoque hominem à curâ ſalutis auocans vel ita inuoluens, vt de eâ vix cogitare queat. Vel hyems eſt tempus in fide & pietate frigidum, vitiis & hæreſibus infeſtum. Secundum, Sabbatum, id eſt, quies & delectatio in rebus temporalibus, diuitijs, honoribus, voluptatibus, amicis aliiſque creaturis inordinatè amatis, quæ conuerſionem peccatori quodammodo prohibere ſolent. Vel Sabbatum eſt tempus alterius ſæculi, vbi fugæ non eſt locus, quia nec meritis. Tertium, vterus prægnans, id eſt, graue peccatorum pondus, hominem deorſum trahens, & reſpirare ac virtutis viam currere non ſinens: vel audax præſumptio ad peccandum concepta: vel conſenſus quiuis in peccata patranda: vel ſecundum alios, deſiderium conuerſionis ineſficax. Quartum, infans lactandus, id eſt, conſuetudo peccandi diuturna, quæ ſicut infans lac à matre, ita peccata quotidie exigit à peccatore, vt quotidie ferè inebrietur, ſcortetur, fraudet, litiget, &c. adeoque bibit *quaſi aquam* (imò quaſi dulce lac) *iniquitatem.* Vel nutriens infantem eſt debilitas in fide & virtutibus. D. Hilarius ita hæc interpretatur: *Orare*, inquit, *admonemur ne vel hyeme fuga noſtra vel Sabbato ſit, id eſt, ne aut in peccatorū frigore, aut in otio bo-* 2. *Quatuor conuerſionis impedimenta.*

nouorum operum reperiamur. D.Greg. eadem verba ſic exponit: *Videte, ne tunc quæratis peccata veſtra fugere, quando iam non licet ambulare.*

E. IV. Quænam illa tribulatio omnium maxima.

Q. QVARTÒ, Quænam illa tribulatio, cui ſimilis non fuit ab initio mundi? Et quinam illi dies, qui niſi abbreuiati fuiſſent, nemo ſaluus fieret? Reſpon. hęc intelligenda partim de excidio Ieroſolymæ: vt oſtendit particula, *Enim,* (*Erit enim tribulatio,*&c.) nectens hanc tribulationem fugæ Iudæorum: partim de perſecutione Antichriſti & conſummatione mundi, propter verba ſequentia: *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur*, &c. Non eſt autem ſtatim obſcuratus ſol poſt tribulationem Iudæorum, ſed poſt perſecutionem Antichriſti primùm obſcurabitur. Tres interrogationes propoſuerant Chriſto diſcipuli: *Quo tempore Ieruſalem deſtruenda ſit, quo venturus Chriſtus, quo conſummatio ſæculi futura ſit*, inquit S.Hieronymus, & teſtatur S.Matthæus cap. 24. Et quia excidium Ieroſolymæ figurabat excidium mundi, ita reſpondet Dominus, vt reſponſio vtrique queat accommodari, miſcetque typum cum antitypo, quia omnia Prophetarum oracula priùs obſcura, tunc primùm parent, cùm euenerint. Itaque ait Dominus ſimilem calamitatem Iudæos numquam apprehendiſſe, atque illa fuit tempore excidij illorum. Deinde toti mundi talem tribulationem numquam accidiſſe, qualis erit vltima illa tempore Antichriſti. Ac niſi abbreuiati fuiſſent dies obſidionis Ieroſolymæ, omnes inibi Iudæi fame, peſte, gladio periiſſent: ac niſi abbreuiarentur dies perſecutionis Antichriſti (quæ per annos tres & dimidium tantùm durabit) nemo perſecutionem eius effugere poſſet, quin vel vitam vel vnà quoque ſalutem perderet.

F. V. Quinam illi pſeudoprophetæ & pſeudochriſti.

Q. QVINTÒ, Quinam illi pſeudochriſti & pſeudoprophetæ daturi ſigna magna & prodigia ad ſeducendos homines? Reſpondeo, eos fore vel æmulos, vel miniſtros, vel etiam prodromos Antichriſti; ſiquidem verò miracula non ſunt edituri, ſed falſa & fallacia tantùm: ope non ſupernaturali & diuinâ, ſed naturali & auxilio dæmonum, ad decipiendos homines. Signifer & Dux illorum pſeudochriſtorum erit ipſe Antichriſtus, reliqui eius aſſeclæ. Tales autem non ſolùm futuros tempore Antichriſti, ſed etiam ante ipſum, oſtendi poteſt ex multis impoſtoribus, qui ſe Chriſtum profiteri auſi ſunt, & ad hoc confirmandum fictitia patrarunt miracula, ſeu impoſturas potiùs. Huiuſmodi erant Hæreſiarchæ plerique, qui vt ſua figmenta hominibus perſuaderent, prodigia edero conati ſunt, ſed irrito ferè & ridiculo euentu, vti Cyrola Epiſcopus Arianus, Caluinus, Lutherus. Tales & impoſtores quidam alij pecuniæ corrogandæ vel populi deludendi cauſâ Chriſtum mentiti; vti Kerſtenius quidam Pruſſus, qui adiunctis ſibi duodecim nebulonibus (quos Apoſtolos ſuos nominabat) pro Chriſto ſe venditabat, & ruſticos dementabat, varia prædicendo, ægros (qui ſe tales ſimularant) ſanando, occulta eorum pandendo (ex ſuggeſtione vnius ex duodecim, qui confeſſiones ciuium excipiebat) ita vt magno paſſim honore exciperetur, & vulgò Deus Reſſelinorum vocitaretur. Tandem furti reus deprehenſus & ſuſpendio adiudicatus, vltima hæc verba effatus eſt: *Dicite ciuibus Reſſelinis: Hac ratione Deus veſter cœlum aſcendit.* Refert Simon Grunouius tract. 18.c.11. Vultin' audire alium huic non diſſimilem impoſtorem? *Tempore Sigiſmundi I. Regis Poloniæ, Iacobus Melſtinki prætor oppidi Brezini, leuitate quâdam animi, authoritatem nomenq́; Chriſti ſibi adſciuit, Petrumq́; Zatorſki Cracomenſẽ, cæteroſq́; ſibi ſimiles latrones duodecim elegit, ſingulisq́; nomina Apoſtolorum impoſuit, ſe verò Ieſum Chriſtum appellauit. Qui per villas vbiq; ambulantes prodigia morionum & profligatorum more exercebãt, ſycophantaſq́; alios & latrones, velut mortuos, ſubornãtes, ſuſcitabãt, piſces in paludes lutoſas primò impoſitos vbi nũquã eos naſci poſſibile erat, in nomine Chriſti ſuis in manibus capiebant, panes in fornaces imponebant, in nomineq́; Chriſti cùm illic antè non eſſent, depromebãt, cum ingẽti ſimplicis vulgi admiratione. Quodã tempore ad Ceſtochoniã monaſteriũ, D. Virginis imagine celebre, cum ſuis Apoſtolis venit, cumq́; illic aliquot diebus morarentur, vnum ex ſuis quaſi obſeſſum à dæmone ſubornauerant, cuius operâ victũ acquirebãt. Ille enim per hoſpitia ambulãs carnes de coquina rapiebat, in ſuoſq́; proijciebat, qui cruce illas munitẽs carnes comedebãt. Cumq́; ingẽs illic eſſet cõcurſus populi ad diuæ Virginis imaginẽ, Sycophãtæ illi obſeſſũ ſuũ ad altare ducunt, duplici veſte indutum, in cuius intercapedine neceſſaria imponere poſſet: lapillos verò intra induſium ei impoſuerunt: cumq́; ad altare deduceretur, ille è manibus deducentium furibundus ſeſe proripiens, in altare donarijs onuſtũ irruit, pecuniaſq́; rapiens in veſtis duplicata intercapedine eas abſcõdit. Monachus ab altari diuino intermiſſo officio aufugit. Cæteri monachi accurrentes cingulũ eius ſoluunt. Ibi lapilli duntaxat in terrã ceciderunt, pecunia verò in veſte duplicata remanſit. Monachi pecuniam arte dæmonis in lapillos transformatam putantes, exorciſmis eã in priſtinã formam transformare nitebantur: ſed cùm lapilli permanerent, monachus librum ſacrum indignabundus in terram proiecit, dicens: Similem dæmonem numquam habuimus: abite cum eo ad omnes diabolos: Sycophantæ illi cum pecuniâ rectà in Sileſiam fugerunt. Ibi apud matronam nobilem in quodam pago diuertentes, cùm illa viro abſente eos recipere nollet, ſaltem mappam vel telam ad ſacrificandum petierunt. At mulier faſciculum telæ illis obtulit. Tũc illi, hanc nobiſcum accipiemus, & Chriſtus tibi benedicet, vt tibi linum abundantius creſcat. Oſtende aliam, ſi habes: quam cùm ſimiliter accipere vellent, mulier recuſauit, maritum timens. Illi autem fruſtulum fomitis cum igne in telam clàm inuoluentes, mulieri reddiderunt. Itaq; ciſta à telâ, ciſtâ verò domus accenſa conflagrauit. Viro domum reuerſo, vxor ob Chriſtum cum Apoſtolis malè tractatum hoc ſibi iuſtè contigiſſe dixit: At vir irâ excandeſcens: Latro hic (inquit) nequiſſimus, & non Chriſtus fuit. Itaque cum vicinis eos inſequitur, & in quadam villâ aſſequitur. Tum pſeudochriſtus ad illum, qui vocabatur Petrus, dixit: Iam mea paſſio, Petre, calixq́; quem bibiturus ſum, appropinquat. Cui Petrus, & mihi, vt video, Domine, imminet. Ille verò dixit,*

Petro

Petre, ego aliter non poſſum, niſi per feneſtram hinc euadere. Tum Petrus: & ego te, quoad viuam, non derelinquam: ſed quocunq; fugeris, ſequar. Ergo per feneſtram aufugit, cæteri quoq; Apoſtoli, quà potuerunt, euaſerunt. Ruſticanos ſecuti baculis fuſtibuſq; cecinêre, dicentes: propheti za nobis Chriſte cum tuis Apoſtolis, quá in ſilua baculis iſti cecinerint. Ergo plagis emendati vitam ſuam poſtea emendarunt, dicentes: Difficile eſt nobis Chriſti paſſionem, Apoſtolorumq́; tormenta ſubire. Sic Poloniæ Chronica Martini Bielski in Annal. & Guaguin. *in vita Sigiſm. I.* Et ex iis Delrius *l. 2. diſq. q. 8.* & Maiolus *t. 2. coll. 3.*

C. II. Quid ſimilitudo fulguris.

Q. Sextò, Quid ſibi vult ſimilitudo fulguris & corporis ſeu cadaueris? Reſpon. fulguri comparari ſecundum Chriſti aduentum. Primò, quia vt fulgur ſubitò omnibus apparet: ſic Chriſtus Iudex repentè apparebit omnibus hominibus. Secundò, quia vt ſplendet fulgur, ſic rutilabit Chriſtus gloriâ maieſtatis ſuæ. Tertiò, quia vt fulgur in excelſo aëre, non in terra cernitur: ita Chriſtus non in terra, ſed in nubibus cæli conſpicietur. Quartò, ſicut fulgur momentaneum eſt, & mox diſparet: ſic Chriſtus Iudex breui temporis momento apparebit. Quintò, fulgur horrorem incutit ob ſequens tonitru & interdum fulmen: ita Chriſti aduentus erit terribilis impiis ob ſententiam condemnationis eis imminentem.

Quid cadauer.

Corpori ſeu cadaueri comparatur idem aduentus. Primò, quia ſicut ad cadauer congregantur aues carniuoræ odore eius attractæ: ita ad Chriſtum Iudicem omnes homines iudicandi congregabuntur ſiue Angelorum ductu, ſiue occultâ quadam impellente vi. Aquilini pulli ad ſolem euehi & vngue ſuſpendi à matre feruntur, vt ſolem intueantur: & qui rectâ intuentur, vt genuini reſeruari: qui ex obliquo, abiici vt ſpurij. Simile iudicium ſubibunt ibi boni & mali hominis; illi, quia ex aſpectu Chriſti velut amici gaudebunt, aſſumentur: hi, quia ex eiuſdem conſpectu velut inimici terrebuntur, abijcientur. Quanquam electi ſpeciali ratione aquilis ibi ſimiles erunt, quia in ſublimi äëre per donum agilitatis ad Chriſtum quaſi volatu ferentur: reprobi humi repent vel raptabuntur potiùs. Illi corpore illo paſcentur: hi famem patientur. Secundò, quia locus iudicij erit in valle Ioſaphat propè montem Caluariæ, in quo Chriſti corpus emortuum pependit, vt aduertit D. Hilarius hîc.

H. VII. Quomodo ſol & luna obſcurabuntur & ſtellæ cadent.

Q. Septimò, Quomodo ſol & luna obſcurabuntur, & ſtellæ de cælo cadent? Reſp. quia reuerà aſtra illa omnia ſubtrahent orbi lumen; ſicut *Apoc. c. 6.* dicitur ſolem futurum nigrum velut ſaccum cilicinum, lunam velut ſanguineam; ſtellas de cælo caſuras, ſicut ficus emittit groſſos, cùm à vento mouetur, hoc eſt, varios ignes, cometas, fulgetra, &c. ex aëre in terram lapſura. Fiet autem obſcuratio ſiderum, partim ex denſarum nubium interpoſitione inter illa & terram: partim ex miraculoſis eclipſibus, quæ prouenient ex inuſitato & irregulari cælorum motu, vt vult Bened. Pererius. Cui accedit Lactantius *l. 7. c. 16.* de ſole & lunâ ſcribens: *Motus extraordinarios peragent, vt non ſit homini promptum aut ſiderum curſus aut rationem temporum agnoſcere. Fiet enim vel æſtas in hyeme vel hyems in æſtate: tunc & annus breuiabitur & menſis minuetur, & dies in anguſtum coarctabitur.* Partim ex ſuſpenſione concurſus diuini ad illuminationem aſtrorum neceſſarij. Vnde erunt denſiſſimæ in toto orbe tenebræ. Ita Franc. Suarez *3. p. q. 59. art. 6. diſp. 55. ſect. 3.*

Q. Octavò, Ad quid illa obſcuratio, mutatio & quaſi deliquium ſiderum fiet? Reſp. I. VIII. Ad quid illa obſcuratio fiet.
Primò, vt ſignificetur obſcurari ac finiri iam gaudium impiorum: ac diem quidem illorum finiiſſe, noctem iam æternam aduentare; quaſi tunc dicat illis Deus, quod Ezechieli c. 14. dixit: *Ecce, ego tollo à te deſiderabile oculorum tuorum.* 1.
Secundò, ſol induet ſaccum nigrum & cilicinum, vt lugeat mundi & peccatorum interitum. Luna verò fiet rubea inſtar ſanguinis, vt videatur quaſi pudore vultus ſui, de turpiſſimis & atrocibus hominum ſceleribus noctu præſertim, ſplendente lunâ, patratis erubeſcere, quòd talibus dominis tam impiis ſeruierit, & ſuam ad eorum ſcelera lucem accenderit. 2.
Tertiò, ſidera illa quaſi metu Iudicis Chriſti venientis perculſa ſplendorem ſuum retrahent; ſicut homines in metu ſolent calorem & ſanguinem ad cor retrahere, vt denuntient impiis iram venturi iudicis. 3.
Quartò, Sol Chriſtum, Luna Deiparam, Stellæ Sanctos repræſentant; qui tunc omnes lucem, id eſt, ſerenitatem, fauorem & gratiam vultûs ſui retrahent ab improbis: vti ſidera negarunt lumen Iudæis, cùm Chriſtum crucifigerent. 4.

Quare, auditores, ſi in illo die nolumus obſcurari nobis, ſed ſplendere potiùs volumus ſidera illa, demus operam, vti nec dum viuimus, ea nobis amica & propitia reddamus. Imploremus opem, & imitemur vitam Sanctorum, qui velut ſtellæ in perpetuas lucent æternitates: veneremur Deiparam Virginem, pulchram vt lunam: ſuper omnia verò amemus ſolem illum iuſtitiæ, Dominum noſtrum Iesvm Chriſtum, cui ſit honor & gloria, Amen.

FINIS.

Ad maiorem Dei Deiparæqve *gloriam.*

INDEX

INDEX MATERIARVM ET RERVM PRÆCIPVARVM,

quæ in hoc ſecundo Tomo tractantur.

A.

Abſtinentia.

Abſtinentia commoda, Dom. 6. poſt Pent. c. 1. B.

Acceptio Perſonarum.

Perſona non accipienda, Dom. 22. poſt Pent. c. 9. D.

Acedia. Vide Otium.

Pigri & negligentes quaſi paralytici, Dom. 18. poſt Pent. c. 2. E

Adulatio. Vide Amicus.

Fauorum ſectatores fruſtrà laborant, Dom. 4. poſt Pent. c. 3. G

Adulatorum mores & nequitia, Dom. 22. poſt Pent. c. 1. tot.

Adulatores repellendi, ibid. c. 9. H

Ambitio. Vide Honor.

Ambitioſi fruſtrà laborant, Dom. 4. poſt Pent. c. 3. B *Gloriæ cupidi,* C

Ambiendus vltimus locus, Dom. 16. poſt. Pent. c. 3. C

Amicus, Amicitia.

Pauci amici veri. In Fer. Rogat. c. 14. B

Amicus Dei fit, qui orat, ibid. C

Propter amicum iuuandum labor ſubeundus, ibid. D

Fauorum ſectatores fruſtrà fatigantur, Dom. 4. poſt Pent. c. 3. G

Amici falſi multi Dom. 12. poſt Pent. c. 7. per tot.

Quis ſit noſter proximus, ibid. c. 8. per tot.

Quis proximus diuitis, ibid. B *Quis fortunati, ibid.* C *Quis nobilium,* D *Quis iuſti,* E *Quis iuuenum,* F *Quis proximus cuiuſque* G

Amor, Vide Charitas.

Angeli.

Angeli cur poſt lapſum non reparati, Dom. 16. poſt Pent. c. 1. per tot.

Docent inimicos diligere, Dom. 21. poſt Pent. c. 2. H

Antichriſtus.

De perſecutione Antichriſti grauiſſimâ, Dom. 24. poſt Pent. c. 1. per tot.

Eius præcurſor, mores, doctrina, exercitus, &c. ibid.

Antichriſti perſecutionem cur Deus permiſſurus ſit, ibid. c. 2. per tot.

Tempore Antichriſti aderit Deus magnâ cum gratiâ, ibid. D *& c. 9.* C

Erunt homines tunc peruerſi, ibid. c. 5. B.

Apoſtoli.

Quomodo Chriſto reddiderint teſtimonium, Dom. 6. poſt Paſcha. c. 1. per tot. Et c. 10. D

Quorſum Chriſto Apoſtoli teſtes, Dom. 6. poſt. Paſcha, c. 10. E

Cur Iudæi & gentiles perſecuti ſunt Apoſtolos, ib. G

Cur prædixit eis Chriſtus perſecutiones, ibid. F

Apoſtolicæ prædicationis virtus, Fer. 2. Pent. c. 2. E

Auari, Auaritia.

Auari fruſtrà laborant, nihil capiunt, Dom. 4. poſt Pent. c. 3. D

Auarus maximus diſſipator, Dom. 8. poſt Pent. c. 1. per tot. Diſſipat bona fortunæ, B *Bona corporis,* C *Bona animi,* D *Bona ſupernaturalia,* E

Auaritia eſt idolorum ſeruitus, Dom. 14. poſt Pent. c. 8. C

Auaritia hydropiſis vitanda, Dom. 16. poſt Pent. c. 4. per tot.

Auari & illiberales quaſi paralytici, Dom. 18. poſt Pent. c. 2. D

Auaritia auocat à cœnâ cœleſti, Dom. 2. poſt Pent. c. 5. E 3.

Duri & immiſericordes ſeueriùs iudicabuntur, Dom. 24. poſt Pent. c. 6. C

B.

Baptiſmus, Vide Sacramentum.

Beatitudo, Vide Cælum.

Medicum requiritur ad parandam beatitudinem, Dom. 3. poſt Paſcha, c. 7. H

Via & ratio aſcendendi in Cælum poſt Chriſtum, In F. Aſcenſ. c. 7. per tot.

Cæli deſiderium via ad Cælum, ibid. c. 1.

A cœnâ beatificâ qui ſe aliqui excuſent, Dom. 2. poſt Pent. c. 5. E

Beatitudo conuiuium ibid. c. 10. C *Cœna, ibid.*

Nihil non pro ſalute faciendum, Dom. 13. poſt Pent. c. 10. B 4.

Benedictio.

Benedictio prodeſt, maledictio obeſt, In Feſto Aſcenſ. c. 4. D 5.

Blaſphemia.

Blaſphemia caſtiganda, Dom. 18. poſt Pent. c. 1. G

Blaſphemia quàm graue peccatum ſit, ib. c. 3. per tot.

Abhorrendum à blaſphemijs, ibid. c. 8. E

Blaſphemi ſeueriùs iudicabuntur, Dom. 24. poſt Pent. c. 6. C

Bona.

Abdicatio bonorum temporalium medium ad perfectionem, Fer. 3. Pent. c. 2. E

Bona Dei qui diſſipent, Dom. 8. poſt Pent. c. 3. per tot. Bona animi, B *Bona corporis,* C *bona fortunæ,* D

Donis & bonis Dei qui vtendum, ibidem c. 4. per tot. Bonis animi, B *Corporis,* C *Fortunæ,* D *Vitæ neceſſitatibus,* E

Bona noſtra quomodo cum Deo diuidenda, Dom. 22. poſt Pent. c. 4. tot.

Donis Dei magnis qui abutuntur, ſeueriùs iudicabuntur, Dom. 24. poſt Pent. c. 6. D.

C.

SS. Cæremoniæ approbatæ, & viles, Dom. 1. poſt Paſcha c. 8. G *defenduntur, ibid.*

Cereus Paſchalis cur in die Aſcenſionis extinguatur, In F. Aſcenſ. c. 11. A

Cæremoniæ Sacramenti Confirmationis exponuntur Fer. 3. Pent. c. 6. per tot.

Quanto bono ſint Eccleſiæ ſuæ cæremoniæ, Dom. 11. poſt Pent. c. 8. per tot.

Quid

Digitized by Google

Quid ſignificet pallium Pontificis & Archiepiſcoporum, Dom. 6. poſt Paſcha, c. 7. B
Cæremonia circa defunctos, Dom. 23. poſt Pent. c. 7. per tot.
Cantus ſacer Eccleſiaſticus ad quid conſtitutus, ib. c. 8 per tot. Septem horarum preces ad quid, ibid. F

Caro.

Caro, Pſeudopropheta, Dom. 7. poſt Pent. c. 6. C

Charitas.

Quàm ſublimis res diligere Deum, In Dom. Pent. c. 8. B
Amoris erga Deum effectus, Fer. 2. Pent. c. 6. per tot.
Charitas fraterna in Iudæis, Domin. 15. poſt Pent. c. 9. C
Quomodo oporteat diligere proximum ſicut ſeipſum, Dom. 12. poſt Pent. c. 2. per tot. & Dom. 17. poſt Pent. c. 9. F
Miniſtrandum ægrotis, Dom. 18. poſt Pent. c. 8. D I
Charitas Dei & proximi Chriſtianis commendatur, ibid. H.
Salus proximi quærenda, Dom. 16. poſt Pent. c. 8. C
Dilectionis Dei mandatum cur appelletur magnum, Dom. 17. poſt Pent. c. 1. per tot.
Stimuli ad diligendum Deum, ibid. c. 2. per tot.
Deus ab omnibus diligendus, ibid. A
Incitamenta ad diligendũ Chriſtum, ib. c. 3. per tot.
Quomodo ſit diligendus Deus, ibid. c. 4. per tot.
Diligendus Deus etiam in tribulationibus, ibidem E. Signa amoris Dei, ibid. F
Incitamenta ad diligendum proximum, ibid. c. 5. per tot.
Vera dilectio fidei debet inniti, ibid. c. 8. D
Digniora in proximo attendenda, non humiliora, ibid. c. 8. F
Quid diligere Deum ex toto corde, ibid. c. 9. B
Quare ex toto corde diligendus, ibid. C
Cur Deus vult à nobis diligi, ibid. D
Cur præceptum dilectionis, primum & maximum, ibid. E
Charitas veſtis nuptialis, Dom. 19. poſt Pent. c. 9. H
Charitas eſt vexillum militantis Eccleſiæ, Dom. 17. poſt Pent. c. 5. A
Dilectio inimicorum ſuadetur exemplis totius vniuerſi, Dom. 21. poſt Pent. c. 2 per tot.

Chriſtianus.

Indicium veri Chriſtiani, Dom. 1. poſt Paſcha, c. 8. E
Chriſtiani omnes ſunt oues, Domin. 2. poſt Paſcha, c. 8. D
Chriſtianis ſemper expectandæ tribulationes, Dom. 6. poſt Paſcha, c. 9. G
Chriſtiani profeſſione, non conuerſatione dicunt, Domine, Domine, Dom. 7. poſt Pent. c. 4. C
Chriſtianus Eccleſiam ornet, Dom. 14. Pent. c. 3. E

Chriſtus.

Chriſtus cur toties in medio, Dom. 1. poſt Paſcha c. 2. per tot.
Chriſtus cur retinuerit quinque Vulnerum cicatrices, Dom. 1. poſt Paſcha, c. 3. per tot.
Chriſti virtutes, charitas, humilitas, affabilitas, ſapientia, Dom. 1. poſt Paſcha, c. 8. I
Chriſti reſurgentis typus, ſecuris Eliſæi, Dom. 1. poſt Paſcha, c. 9. A
Chriſtus cur primo reſurrectionis die ſtatim ſuis apparuit, ibid. B Cur intrauit ianuis clauſis, ibid. C Cur apparuit ſerò, ibid. D Cur ſtetit ſolùm poſt reſurrectionem, ibid. E Cur in medio ſtetit, ibid. F Cur pacem ſuis precatus, ibid. G Cur oſtendit eis manus & latus, ibid. H Cur Spiritum ſanctum inſufflatione dedit, ibid. I.
Chriſtus quomodo Paſtor, Dom. 2. poſt Paſcha, c. 9. B Quomodo Paſtor bonus, ibid. C
Chriſto honor & reuerentia exhibenda, Dom. 3. poſt Paſcha, c. 8. B
Ardenter amandus, ibid. C
Quatuor deplorandi Chriſti diſceſſus, Dom. 4. poſt Paſcha, c. 4. per tot. Quando recedit cum gratiâ ſuâ. B Quando cum fide. C Quando incorrigibilem deſerit. D Cur in iudicio diſcedit à damnatis. E
Incarnationis & paſſionis Chriſti fructus, Dom. 5. poſt Paſcha, c. 8. per tot.
Quid eſt petere in nomine Chriſti, ibid. c. 9. B
Quomodo Chriſtus rogat pro nobis Patrem, ibid. F
Chriſtus aſcendens Aquilæ comparatur. In F. Aſcenſionis, c. 1. per tot.
Triumphus aſcendentis Chriſti, ibid. c. 2. per tot.
Cauſa Aſcenſionis Chriſti, ibid. c. 3. per tot.
Circumſtantiæ Aſcenſionis reliquæ, ibid. c. 4. per tot. Vnde aſcendit, B Quando, C Quomodo, D Quorſum, E
Cur in die Aſcenſionis Chriſti faciant Angeli mentionem iudicij, ibid. c. 5. per tot.
Quomodo aſcendentem proſequi & comitari in cælum deceat, ibid. c. 6. per tot.
Quid rependendum Chriſto pro beneficijs, ibid. c. 8. per tot. Beneficiorum memoria, B Amor, C Seruitus, D Gratiarum actio, E
Omnia noſtra videt. ibid. c. 10. B.
Quomodo Apoſtoli Chriſto perhibuerint teſtimonium, & perhibere Chriſtiani debeat, Dom. 6. poſt Paſcha, c. 1. per tot. Voce, B Conuerſatione, C Miraculis, D Martyrio, E
Quomodo Chriſtus ſemper ſit cum Eccleſiâ ſuâ, Dom. Trinit. c. 8. per tot. & c. c. 15. H
Cur in Euchariſtia voluit manere nobiſcum, ibid. G
Quomodo ſemper ſit cum Iuſtis, ibid. c. 9. per tot.
Chriſti mandata quæ, ibid. c. 10. G
Cur tanto labore quæſierit ouem perditam, Dom. 3. poſt Pent. c. 1. per tot.
Chriſti manſuetudo, Dom. 4. poſt Pent. c. 9. D I. Potentia II. Liberalitas III.
Cur aſcendit in nauim, ib. c. 10. C Cur ſedẽs docet, D Cur miraculum in captura piſcium edidit. E
Diuina Chriſti potentia, Dom. 9. poſt Pent. c. 8. H
Cur fleuit ſuper ciuitatem, ibid. c. 9. B
Cur eiecit è templo ementes, ibid. F
Omnibus vndique benefecit, Dom. 11. poſt. Pent. c. 9. B 1. Eius charitas, ibid. 2. humilitas, ibid. 3.
Incitamenta ad diligendum Chriſtum, Dom. 17. poſt Pent. c. 3. per tot.
Varia hominum de Chriſto iudicia, ibid. c. 6. per tot.
Mira Chriſti bonitas, ibid. c. 8. C.
Cauſa contracti matrimonij Chriſti cum humana naturâ, Dom. 19. poſt Pent. c. 9 C
Chriſtum qui comprimant, impediant, derideant, Dom. 23. poſt Pent. c. 4. per tot.
Ad Chriſti Vulnera fugiendum tempore afflictionis, Dom. 24. poſt. Pent. c. 9. F
Secundus Chriſti aduentus multùm diſpar à primo, ibid. G

Cælum.

Cælum.

Vide Beatitudo.

Cæli deſiderio proſequenda Chriſti Aſcenſio, In F. Aſcenſ. c. 7. C 1

Ad cæleſtia bona mens à terris eleuanda, In Domin. Pent. c. 2. B

Suſpirandum ad cælum. Dom. 14. poſt Pent. c. 3. F.

Regnum Deipara omnibus quærendum, Ibid. c. 8. D

Item iuſtitia regni Dei, ibid. E

Quod regnum Dei primùm quærendum, ibid. c. 9. F

Cogitatio.

Non admittenda in cor cogitationes malæ. Domin. 16. poſt Pent. c. 8. D

Cogitationes malæ ſine morâ repellendæ, Domin. 18. poſt Pent. c. 5. per tot.

Cogitatio mala ſimilis Pauoni, ibid. A

Cogitationes malæ mox ſuffocandæ, In Feſt. Aſcenſion. c. 9. D.

Concordia.

Reconciliatio & concordia animarum neceſſaria ad Spiritus S. receptionem, In Dom. Pent. c. 2. D

Reconciliandi fratres, Domin. 5. poſt Pent. c. 9. G

Cur accelerari iubetur reconciliatio, ibid c. 10. I

Concupiſcentia.

Cur & ipſa vetita, Dom. 5. poſt Pent. c. 10. C

Concupiſcentia arbor mala & quinque eius fructus, Dom. 7. poſt Pent. c. 1. C

Confeſſio.

Muti in confeſſione. Dom. 12. poſt Pent. c. 1. B

Quàm congruenter & ſalubriter inſtituta ſit confeſſio peccatorum, Dom. 13. poſt Pent. c. 9. per tot.

Magna vis confeſſionis, Dom. 21. poſt Pent. c. 8. C

Confirmatio.

Vide Sacramentum & Cæremoniæ.

Conſilium.

Conſilia praua non audienda, In Feſt. Aſcenſ. c. 9. E

Contritio.

Actus contritionis quotidie eliciendus, cauſa, Dom. 10. poſt Pent. c. 9. C. 4.

Conuerſio, Vide Pœnitentia.

Iudicium conuerſionis veræ, Dominic. 1. poſt. Paſcha. c. 8. D

Cur tam pauci conuertuntur verbo Dei, Dom. 4. poſt Pent. c. 4. per tot.

Non expectanda ſigna aut extrema neceſſitas ante conuerſionem, Dom. 20. poſt Pent. c. 8. D.

Conuiuium, Vide Gula.

Correctio.

Delinquentes corrigendi, Dom. 12. poſt Pent. c. 3. per tot.

Qui non corrigunt peccant in plures, ibid. C

Circumſtantiæ excuſantes à correctione, ibid.

Fructus correctionis, ibid. D.

Correctionem æquo animo acceptandam eſſe, ibid. c. 4. per tot.

Ratio & modus corrigendi proximum delinquentem. Dom. 16. poſt Pent. c. 7. per tot.

Ratio caſtigandi ſontes & plectendi reos, Dom. 19. poſt Pent. c. 8. C

Non oportet facere, quod in alio quis corrigit, Dom. 12. poſt Pent. c. 5. G

Creaturæ.

Lilia quid nos doceant, Dom. 14. poſt Pent. conc. 3. per tot.

Volatilia quid nos doceant, ibid. c. 4. per tot.

Cur remittit nos Chriſtus ad creaturas irrationales, ibid. c. 9. G

Crux.

Crux cur apparitura in Iudicio, cauſa plures, Dom. 24. poſt Pent. c. 7. per tot.

D.

Decimæ.

Decima cur reddenda, argumenta, Dom. 10. poſt Pent. 8. per tot.

Detractio.

Quàm deteſtandi ſint detractores, Dominic. 3. poſt Pent. c. 4. per tot. Sunt aues diaboli cantatrices. B *Aues garrulæ.* C. *Aues prædaces.* D *Aues venatoriæ.* E *Aues illices.* F *Aues furciferæ.* G *Aues altiles.* H

Quid faciendum inter detrahentes, ibid. c. 5. per tot. Modeſtè corrigendi. B *Aliò diuertendi.* C *Frons corruganda.* D *Fugiendum.* E *Aures obſerandæ.* F *Saltem aures cordis.* G

Remedia contra detractionem actiuam, ibid. c. 6. A B C D E.

Remedia contra paſſiuam, ibid. F G H I

Detractio fugienda, ibid. c. 9. B

DEVS.

Exercitij de omnipræſentia Dei fructus, Dom. 1. poſt Paſcha, c. 6. per tot.

Modus concipiendi omnipræſentiam Dei, ibid.

Deus timendus Dom. 2. poſt Paſcha c. 8. E

Modicum eſt ſeruitium quod Deo impendimus, Dom. 3. poſt Paſcha, c. 2. C

Tres funiculi, quibus trahit Deus homines ad ſe, Dom. 4. poſt Paſcha, c. 7. per tot. Amor, ibid. B *Pudor, ibid.* C *Timor.* D

Dei beneficia. ibid. B

Deus quatuor claues ſibi reſeruat, Dom. 5. poſt Paſcha, c. 2. H

Cur differat ſæpe audire orationem. In Fer. Rogat c. 4. per tot.

Cur ſinat nos calamitatibus premi, ibidem c. 13. per tot.

Ratio flectendi Deum ad miſericordiam, ibid. E

Cur permittit Deus bonos affligi à malis, Dom. 6. poſt Paſcha, c. 10. H

Quantum dilexerit Deus mundum, dando ei filium ſuum, Fer. 2. Pent. c. 5. per tot.

Cur dederit filium ſuum pro redemptione mundi, ibid. c. 9. B

Deum eſſe oſtenditur, Dom. Trinit. c. 3. per tot.

Deum eſſe vnum oſtenditur, ibid. G

De attributis Eſſentiæ diuinæ ſecundum ſe, ibid. c. 4. De perfectione Dei, B *De incomprehẽſibilitate,* C *De immenſitate,* D *De æternitate,* E

Attributa Dei, quibus reſpicit creaturas, ibid. c. 5. per tot. Potentia, B *Sapientia,* C *Miſericordia,* D *Iuſtitia.* E

Dei benignitas erga genus humanum perditum, Dom. 3. poſt Pent. c. 9. H

Dei vindicta manifeſta in excidio Ieroſolymitano oſtenditur, Dom. 9. poſt Pent. c. 5. per tot.

Quàm potens, bonus & iuſtus in excidio illo ſplendeat, ibid.

Dei

Digitized by Google

Dei miſericordia & longanimitas. Ib. c.8. C ſeuera eius iuſtitia. D ib.
Cur deprimit ſuperbos & exaltat humiles Dom. 10. poſt Pent. c. 10. I
Specialis Dei prouidentia circa hominem. Dom 14. poſt Pent. c. 1. per tot.
Deum eſſe ſupremum noſtrum Dominum. Ib. c. 9. C Quomodo vocetur pater noſter ib. D
Deo ſeruiendum totâ vitâ. Dom. 15. poſt. Pent. c. 7. G
De dilectione Dei, vide Charitas.
Dei prouidentia in brutis. Dom. 14. poſt Pent. c. 1. B F Erga gentiles. ib. c. 2. F
Dei quatuor primaria attributa, Potentia, Sapientia, Bonitas, Iuſtitia. Dom. 19. poſt Pent. c. 8. B.
Dei bonitas & clementia magna. Dom. 21. poſt Pent. c. 8. H

Diabolus.

Quomodo Diabolus doceat omnem falſitatem. Dom. 4. poſt Paſcha c. 6. per tot.
Diabolus in articulo mortis de tribus virtutibus Theolog. tentat. in Fer. Rogat. c. 6. per tot. Quomodo ei obuiandum. ib.
Cur appellatur Princeps huius mundi. Dom. Pent. c. 9. I
Quomodo nihil habuit in Chriſto. ib. K
Dæmones cur in mundo. Fer. 3. Pent. c. 4. per tot.
Dæmon pſeudopropheta. Dom. 7. poſt Pent. c. 6. D

Dilectio Dei, proximi & inimici. Vide Charitas.

Diuites, Diuitiæ.

Non ament mundi bona diuites. Dom. 2. poſt Pent. c. 9. D
Sciant ſe eſſe villicos. Dom. 8. poſt Pent. c. 10. B. 1. Bene collocent opes. ib. 2. Diſcant modum dandi Eleemoſynam. ib. 3.
Diuitiæ cur appellantur mammona iniquitatis. ib. c. 11. E
Qui amici faciendi ex mammona. ib. F
Diuites dignas faciant eleemoſynas. Dom. 12. poſt Pent. c. 9. G 1. Neminem facilè excludant. ib. 2.
Quam difficilè ſit diuitem Deo ſeruire adeóq; ſaluari. Dom. 14. poſt Pent. c. 5. per tot.
Quomodo diuitiæ haberi abſq; peccato queant. ib. c. 6. per tot.
Quare velit Deus aliquos ſanctos hîc florere diuitijs & honoribus. ib. c. 7. per tot.
Mammona fugienda. ib. c. 8. B

Dolor.

Qui dolores puerperio comparentur in SS. literis. Dom. 3. poſt Paſcha c. 9. G
Condolendum proximi miſerijs. Dom. 9. poſt Pent. c. 3. F

E

Ebrietas.

Damna ebrietatis. Dom. 6. poſt Pent. c. 3. per tot. Incantator eſt. B Detractor eſt. C. Proditor eſt. D Fur eſt. E Tortor & lictor. F Homicida. G
Cur Germani ad ebrietatem proniores. ib. c. 4. per tot. Cauſa: Societas compotantium. B Mutua prouocatio. C ſuperiorum conniuentia. D. Superiorum exemplum malum. E Communitas huius vitij. F
Prouocatio ad bibendum ſtulta eſt. ib. C Iuuenibus vitam abrumpit. Dom. 15. poſt Pent. c. 3. B
Remedia ebrietatis. Dom. 16. poſt Pent. c. 5. per tot.

Eccleſia.

Vnum ouile ſeu Eccleſia Chriſti. Dom. 2. poſt Paſcha c. 8. G.
Vnus Eccleſiæ paſtor ſupremus. ib. H
Eccleſiæ regimen Monarchicum. ib. c. 9. K
Perturbationem Eccleſiæ varia omnia præceſſerunt. Dom. 3. poſt Pent. c. 8. B
Nauicula Petri typus Eccleſiæ Cath. Dom. 4. poſt Pent. c. 1. per tot.
In Eccleſia ſunt altaria & ſacrificia. Dom. 5. poſt Pent. c. 9.
Eccleſia Chriſti ſecura ſit de ſuâ ſuſtentatione. Dom. 14. poſt Pent. c. 3. A
Eccleſia aſylum & arca Noë. Dom. 24. poſt Pent c. 5. B
Eccleſia Catholica vera Chriſti Eccleſia ex 4. eius notis. ib. c. 8. tot.
Eccleſia typus domus Rahab. ib. c. 9. E

Eleemoſyna.

Quàm rectè iungatur orationi & ieiunio. In Fer. Rogat. c. 3. per tot.
Eleemoſyna frequens medium ad perfectionem Chriſtianam. Fer. 3. Pent. c. 2. G
Incitamenta ad faciendam eleemoſynam. Dom. 8. poſt Pent. c. 8. per tot. Quia res præſtantiſſima. B Ad eam obligantur diuites. C Maximus eius fructus. D Speciatim nos Chriſtianos obligat. E. Quia multa exempla. F
Incitamenta ad ornatum templorum promouendum. ib. c. 9. per tot.
Modus dandi eleemoſynam. ib. c. 10. B 3.

Euangelium.

Euangelij virtus. Fer. 2. Pent. c. 2. D
Euangelio qui non obediunt, cur damnandi. ib. c. 9. H
Euangelij virtus. Dom. 5. poſt Pent. c. 10. A

Euchariſtia.

Ad S. communionem vi eundum. Dom. 4. poſt Paſcha. c. 3. H
Communicaturus ſit inſtar columbæ. In Dom. Pent. c. 7. per tot.
Digna & frequens communio medium ad perfectionem. Fer. 3. Pent. 2. C
S. Communionis fructus. ib.
Exiſtentia Chriſti realis in Euchariſtia probatur. Dom. Trinit. c. 6. per tot.
Cauſa cur in ſolemnitate Corporis Chriſti circumferatur Euchariſtia. ib. c. 7. per tot.
Cur Chriſtus in Euchariſtia voluit nobiſcum in terris eſſe. ib. c. 8.
Euchariſtia cœna magna. Dom. 2. poſt Pent. c. 1. per tot.
Facilia creditu oſtenduntur circa Euchariſtiam, quæ aliquibus difficilia videntur. ib. c. 2. per tot.
Conuiuium Aſſueri typus Euchariſtiæ. Ib. c. 1. A
A S. Communione quî ſe aliqui excuſent. Dom. 2. poſt Pent. c. 5. D
Vnâ Euchariſtiæ ſpecie cur eſſe contenti debeamus, & cur

Digitized by Google

& cur id velit Eccleſia. Dom. 6. poſt Pent.c.9. E
Præparatio ad communionem typicè expreſſa.ibid.c. 10. G
Communionem ſub vtraque an ſubripiat Laicis Eccleſia.Dom. 17.poſt Pent.c.7.F
Quomodo accedendum ad S. Communionem. Dom. 19.poſt Pent.c.8.E
Eucharistia neceſſaria morientibus. Dom. 20. poſt Pent.c.4 per tot.
Indignè communicantes Deum comprimunt. Dom. 23.poſt Pent.c.4.B 3.

Examen conſcientiæ.

Conſcientiæ examen quotidie faciendum quæ ſuadeant.Dom.4.poſt Pent.c. 6. per tot. Exemplum præclarorum virorum. B Periculum. C Anceps noſtra negotiatio.D Nocturna dæmonis inſidiæ. E Fructus F
Modus examinandi conſcientiam.ib.G

Excommunicatio.

Excommunicatio metuenda. Dom.6. poſt Paſcha c. 9. C

Extrema Vnctio.

Vide Sacramentum.

F

Familia. Domus.

Familia & domus mala morata. Dom.13.poſt Pent. c. 5.C

Fauor.

Fauorum ſectatores fruſtrà laborant. Dom. 4. poſt Pent.c.3.G

Feſtum.

Gaudium & ſolennitas Feſti Pentecoſtes. In Dom. Pent.c.1.per tot.
Feſtus dies cur ſeduló obſeruandi. Dom.16. poſt Pent.c.2.per tot.
Dierum feſtiuorum profanatio reprehenditur. ib .c. 3. per tot.
Sabbatum cur Iudæis tam rigidè præceptum.ibid.c. 9. F
Quæ conceſſa feſtiuitas diebus, quæ non.ib. G

Fidelitas.

Fidelitas multiplex ſuadetur. Dom. 6. poſt Paſcha. c. 2. per tot.

Fides.

Quomodo credendum ſit. Dom. 1.poſt Paſcha. c. 4. per tot.
Media ad conſeruandam fidem.ib.c.5.per tot.
Redarguendi, qui necdum credunt. In F.Aſcenſ. c. 10.C
Præmium incredulitatis, damnatio ib. D
Fides Chriſti toti mundo prædicanda ib.E
Ad ſuadendam fidem requiritur miſſio & miracula. ib. F
Quomodo omnes qui credunt, ſalui fient.ib. c. 11. E
Fidei Chriſtianæ argumenta & teſtimonia. Dom.6. poſt Paſcha c. 6.per tot.
Non ſoli fidei promittitur Dei gratia.In Dom.Pent. c.8. D
Fidei & religionis Chriſtianæ excellentia,oſtendens eam cæleſtem. Fer. 1. Pent. c. 2. per tot.
Cur ſolius fidei ſæpè Chriſtus mentionem faciat. Fer.2. Pent. c. 9. D
Quomodo qui credit, non iudicatur. ib.E
Quomodo qui non credit, iam iudicatus eſt. ib.F
A fide ſuſcipienda qui ſe aliqui excuſent. Dom. 2. poſt Pent.c.5.C
Non eſt alia via ad ſalutem niſi per fidem Catholicam.Dom.2.poſt Pent.c. 9.G
Principes terræ quàm miro modo ad fidem adducti. Dom. 20.poſt Pent.c.6.per tot.
Fides & opera Chriſtiano neceſſaria.Dom. 20.poſt Pent.c.8.A
Qui Chriſtum confiteri erubeſcunt, confundentur in die Iudicij.Dom.24. poſt Pent. c.6.B

Fortitudo. Vide Martyres & Magnanimitas.

Animus imperterritus ſignum inhabitantis gratiæ. In Dom. Pent.c.4. F

Furtum.

Furtum & omne lucrum iniquum quantopere auerſandum.Dom.8.poſt Pent.c. 5. per tot.

G

Gaudium.

Gaudium verum in Deo quærendum. Dom. 1. poſt Paſcha c.8.F
Gaudium malorum quàm ſit modicum. Dom.3.poſt Paſcha c. 4. per tot.
Gaudium verum ac ſolidum in quo conſiſtat.ib.c. 6. per tot.
Non vanè lætandum in mundo, ſed lamentandum, potius.ib.c.7.per tot.
Diſcrimen inter verum & falſum gaudium. Dom. 3.poſt Paſcha c.8.E
Gaudium ſpirituale promouet perfectionem. Fer. 3. Pent. c. 2. H

Gentiles.

Gentilium dicta & facta faciunt ſæpe ad inſtructionem Chriſtianorum. Dom. 4. poſt Paſcha c. 8.A
Turcarum crudelitas in Chriſtianos. Dom. 5. poſt Paſcha c.6. G

Gloria.

Vana gloria cupidi fruſtrà laborant. Dom. 4. poſt Pent.c. 3. C
Gloria mundana vanitas. Dom.9.poſt Pent.c.8. I.

Gratia.

Diſpenſationes ad recipiendam gratiam.In Dom. Pent. c.2.per tot.
Quanta bona conferat homini gratia habitualis. ib. c. 3. per tot.
Signa inhabitantis gratiæ in homine. ibid.c.4.per tot.
Quomodo per gratiam Mediatoris ſanentur vulnera peccati originalis.Dom.12.poſt Pent.c.6. tot.

Gratitudo.

Gratiarum actio pro beneficijs diuinis. Dom. 10.poſt Pent.c.5. per tot.
Gratiæ Deo pro beneficijs agendæ.ib.c.9. D
Non tacenda beneficia Dom.11. poſt Pent. c. 1. F.
Gratitudinis & ingratitudinis varij gradus. Dom. 13. poſt Pent.c. 1. per tot.
Quibus præ cæteris grati eſſe debeamus. ib. c. 2. per tot.
Incitamenta ad gratitudinem.ib.c.3. per tot.
Rara gratitudo. ib. A

Grati-

Gratitudo docetur.ib.c.10. C 2.

Gula.

Gula dediti fruſtrà laborant. Dom. 4. poſt Pent. c. 3. F

Gula & luxus reprehenditur.Dom.6.poſt Pent. c.1. C Mali eius effectus ib.1.2.3.4.5.

Gula punita exempla.ib.C 5.

Quinque exceſſus gulæ.ib. c. 2.per.tot.

Conuiuia Chriſtianorum qualia eſſe debeant. Dom. 16. poſt Pent.c.6.per tot.

Mala patrata in conuiuiis.ib.A

Conuiuia dum celebrantur, mens cum ventre paſcenda.ib.c.8.H

Gula auocat à cœna cœleſti.Dom.2.poſt Pent.c. 5. E 3.

H.

Hæreſis, Hæretici.

Non diu durat hæreſis.Dom.3.poſt Paſcha.c. 3. D

Ad hæreſim quàm periculoſum ire. Dom.4. poſt Paſcha.c. 3.H

Hæreſis mala. Dom.5.poſt Paſcha.c.9.F

Hæreticorum miniſtri porrigunt ſuis Lapidem inanis cœna, ſerpentem inanis abſolutionis, ſcorpionem corrupti verbi diuini. In Fer. rogat. c. 7. per tot.

Hæretici in quibuſdam deteriores Iudæis & gentilibus Dom.6.poſt Paſcha. c.9.E

Hæreſis per quæ foramina irrepſerit in Imperium. Fer.3.Pent.c.5.per tot.

Quid retineat hæreticos ne conuertantur. Dom. 2. poſt Pent.c.8.per tot.Villa II Iuga boum quinq, C Vxor D. & c. 5. C

Multiplex lucerna hæreticis noſtris accenſa.Dom.3. poſt Pent.c.8.per tot.

Hæreſes noſtræ à multis graui cenſurâ damnatæ.ib. D

Confuſio & diuiſio Lutheraniſmi. ib.E

Turpis & ignobilis vita Hæreſiarcharum.ib. F

Victoria de hæreſibus obtenta.ib.G

Quæ ſuſpectas faciant noſtrorum hæreticorum ſectas.Dom.4.poſt Pent.c.8. per tot.

Hæretici dicunt: Domine, Domine. Dom. 7. poſt Pent.c.4. H

Hæretici Pſeudoprophetæ.ib.c. 6.E

Fructus hæreſios.ib.c. 8.per tot.Cæcitas & errores. B Impietas.C Morum corruptio.D

Hæretici depinguntur.ib.c.9. per tot.

Sunt lupi.ib. E Sunt ſpinæ & tribuli. F

Cur hæreſis maximè cauenda. ib.c.10.B.

Hæreticus homo ille,qui incidit in latrones.Dom.12. poſt Pent.c.10. D 3

Hæreticorum conſuetudo vitanda. Dom. 13. poſt Pent.c.5.D

Calumnia aliquot Hæreticorum in Pontificem & Pontificios refelluntur.Dom.17. poſt Pent. c. 7. per tot.de Calendario Rom.B de prohibitâ lectione S. Scripturæ.C de Ioanne Papiſſa. D de IuſtificationeE de Communione ſub vnâ ſpecie.F

Hæretici conuinci facilè,ſed non facilè perſuaderi & conuerti poſſunt.ib.c.8. H

Compelli ad fidem poſſunt.Dom.2. poſt Pent.c.6.E 1. Et compulſi ſunt.ib.c.7.D 1

Hæreſis, abominatio deſolationis. Dom. 24. poſt Pent.c.10. B 2.

Hæreticorum vitanda conſortia Dom. 1. poſt Paſcha.c.5. E Connubia, libri, conciones, diſputationes.ib.

Homicidium.

Humani ſanguinis effuſio cauenda.Dom.6.poſt Paſcha.c.9. F

Parricidæ ſupplicium.Dom.5.poſt Pent.c.7. A

Abhorrendum ab homicidio.ib.c.9. D

Homo.

Regere ſeipſum quomodo quiſque debeat. Dom. 2. poſt Paſcha.c.5. per tot.

Cur tot homines pereant, ſi Chriſtus venit eos ſeruare.Fer.2.Pent.c.9.C

Cur multi tenebras magis quàm lucem diligunt. ib. L

Vnius hominis quantum pretium. Dom.3.poſt Pent. C 9. I

Omnia quæ in mundo ſunt, in vſum & bonum hominis creata ſunt.Dom.11.poſt Pent.cap. 7. per tot.

Genus humanum eſt homo ille qui incidit in Latrones.Dom.12. poſt Pent.c. 10. B

Homines à ciuitatibus excludendi qui.Dom.13.poſt Pent.c.6. per tot.

Specialis Dei prouidentia circa hominem. Dom.14. poſt Pent.c.1. per tot.

Cur homines non Angeli poſt lapſum reparati.Dom. 16.poſt Pent.c. 1. per tot.

Homo poſt lapſum factus quaſi paralyticus.Dom.18. poſt Pent.c.2. B

Hominum ferocia. Dom.21.poſt Pent. c.5.A & c. 8. F

Hominum inconſtantia & mutabilitas. Dom. 21. poſt Pent.c.8.E

Imago Dei in homine quoad multa. Dom. 22. poſt Pent.c.5.tot.

Cur homo ad Imaginem Dei conditus.ib.c.6.tot.

Hominis præcipua membra quarum rerum ſint imago.ib.c.7. tot.

Honor.

Vide Ambitio.

Humilitas.

Nemo ſe cuiquam præferre debet. Dom. 10. poſt Pent.c.6.per tot.

Quæ ſint partes viri humilis. ib.c.7. per tot.

Primi ſæpe vltimi,& contrà.ib.c.9.B 3.

Humilitas Publicani.ib.C

Humiles cur exaltet Deus, deprimat ſuperbos. ib. c. 10. I

Vltimus locus ambiendus. Dom. 16. poſt Pent. c. 8. G Quomodo in eo ſedere omnes poſſumus.ib.c.9. H

Magna vis humilitatis. Dom.21.poſt Pent.c.8.C

Hypocriſis.Hypocrita.

Hypocritarum indicia. Dom. 7.poſt Pent. c. 7. per tot.

Hypocritæ ſimiles ſtruthioni. ib. G Sunt lupi. ib. H.

Hypocritarum nequitia oſtenditur. Dom. 22. poſt Pent. c. 2. tot.

Hypocriſis auerſanda.ib. c. 9. C

Digitized by Google

I.

Ieiunium.

Quàm ſalubriter iungatur orationi & eleemoſynæ. In Fer. Rogat. c.3. per tot.

Imago.

Vide Homo & Sancti.

Indulgentia.

Indulgentiæ cur nunc liberaliùs dentur quàm olim. Dom. 6. poſt Paſcha c. 7. per tot.

Indulgentiæ probantur. Fer.3. Pent.c.8. per tot.

Infernus.

Modicum requiritur ad damnationem. Dom.3. poſt Paſcha. c.2. G

Infernus cur Gehenna appelletur. Dom.5. poſt Pent. c. 10. K

Supplicia damnatorum capitalia. Dom. 19. poſt Pent. c.2. per tot.

Cauſa cur tam diuerſis pœnis Inferi exagitentur. ib. c. 3. per tot.

Indicia atrocitatis pœnarum infernalium. Dom. 20. poſt Pent. c. 2. per tot.

Carceris infernalis æternitas quàm miſera. Dom.21. poſt Pent.c.7. per tot.

Iniuria.

Ad iniurias remittendas rationes & ſtimuli. Dom. 21. poſt Pent. c. 1. per tot.

Inimicorum dilectio ſuadetur exemplis totius vniuerſi. ib.c.2. per tot.

Quinam ſuffocent proximum. ib. c.5. per tot.

*Iniurias qui non remittunt, proximũ ſuffocant. ib.*F.

Iniuria neceſſariò remittenda. ib. c. 8. G

Inobedientia.

Inobedientia & rebellio damnatur. Dom. 2. poſt Paſcha. c. 2. per tot.

Iuuenibus ſæpe vitam abbreuiat. Dom.15. poſt Pent. c. 3. E

Ira.

An irraſcendi ſine peccato. Dom.5. poſt Pent. c. 4. per tot. Ob quæ non iraſcendum. B *Quibus non iraſcendum.*C *Quando iraſcendum.* D *Quomodo.*E *Quouſque.* F

Iræ propriæ ſedandæ remedia. ib.c.5. per tot.

Iræ damna. ib. F

Iræ alienæ remedia. ib. c. 6. per tot.

De malis iræ effectibus. ib. c.7. per tot.

Reprimendi iracundiæ motus ib.c.9. E

Cuius ſupplicij rei irati. ib. c. 10. E

*Omniſne ira contumelia lethalis. ib.*F.

*Cur non pudeat hominem iræ. ib.*G

Quænam ira grauiſſima. ib. H

Vitam ſæpe abrumpit. Dom.15. poſt Pent. c.3. D

Iracundi ſuffocant proximum. Dom.21. poſt Pent.c. 5. H

*Duella improbantur. Dom.5. poſt Pent.c.9.*D

*De rixa & contentione. ib.c.7.*E

Iudæi.

Quorſum per orbem diſperſi. Dom.9. poſt Pent. c.9. H

Vitandum eorum conſortium à Chriſtianis. Dom. 13. poſt Pent. c. 5. B

Cur Iudæis ſabbatum tam rigidè præceptum. Dom. 16. poſt Pent. c. 9. F

Iudicium.

Sex aſyla protegentia in futuro iudicio. Dom. 14. poſt Pent.c.5. tot.

Quibus maximè pertimeſcendum ſit Iudicium. ib.c. 6. tot.

Iudicij futuri examen quàm diſtrictum ſit. Dom.21 poſt Pent.c.8. tot.

Simile fulguri. Dom.24. poſt Pent.c.10. G

Signum præuium iudicij ſyderum obſcuratio; qualis. ib. H *ad quid. ib.*I

Iudicium temerarium.

Iudicium temerarium cur fugiendum. Dom.18. poſt Pent.c.4. per tot.

*Qui temerè alios iudicant, ſeueriùs iudicabuntur. Dom.24. poſt Pent.c.6.*F

Iuſtitia.

Quomodo noſtra iuſtitia ſuperare debeat Phariſaicam. Dom.5. poſt Pent.c.1. per tot.

Defectus iuſtitiæ Phariſaicæ. ib. per tot.

Phariſaica ſuperat in quibuſdam iuſtitiam multorum Chriſtianorum. ib. K

Qualis iuſtitia à Chriſtianis requiratur. ib. c. 9. B

Iuſtitia regni Dei quærenda primùm. Dom. 14. poſt Pent.c.8. E

Quid vnuſquiſque debeat, ſibi, proximo, Deo. Dom. 22. poſt Pent.c.3. tot.

*Seipſum quiſque Deo reddat. ib. c. 9.*F

Reddendum vnicuique ſuum ib. G

Iuuenes. Iuuentus.

Iuuenes quibus vitiis ad mortem abripiantur. Dom. 15. poſt Pent.c.3. per tot.

Plerique ante ſenium moriuntur. ib.c.4. A

Cauſa cur tam multi ante maturam ætatem moriantur. ib.c. 4. per tot.

L.

Plorandum potiùs quàm ridendum vel lætandum in hoc ſæculo. Dom.3. poſt Paſcha.c.7. per tot.

Quæ potiſſimùm deploranda videantur in aliqua ciuitate. Dom.9. poſt. Pent.c.2. per tot.

Deflendam fuiſſe Ieroſolymam, & eſſe peccatorem, ib.c.4. per tot.

Lex. Vide Præceptum.

Veteris & nouæ legis differentia. Dom. poſt Pent. c. 2. per tot.

Chriſtiana libertas non excludit legem. ib. c. 9. H

Lex vetus an prohibuerit motus peccati internos. ib. c.10. B

*Quomodo Chriſtus legem veterem perfecit. ib.*D

Quid nos mouere debeat ad ſeruandam Dei legem. Dom.12. poſt Pent.c.1. per tot.

Liberalitas.

Commodandum & mutuò dandum. in Fer. Rogat.c. 14. E

*Liberalitas Dei ad largiendum. ib.*F

*Liberalitas docetur à diſcipulis Chriſti. Dom.6. poſt Pent. c.9.*C

Liberi. Vide Parentes.

*Magna liberorum cura habenda. Dom. 20. poſt Pent. c.8.*E

Lin-

Lingua.

Vide Mendacium.

Calumnia. Dom.4 poſt Paſcha.c.6.I.
Lingua à Spiritu S. reformata. Fer.2.Pent.c.2. F.
*Cautè loquendum. Dom.10 poſt.Pent.c.9.*B.
Muti ſenſu myſtico qui. Dom. 11. poſt Pent.c.1.per tot. In confeſsione. B *In correctione proximi.* C *In conſiliis dandis.* D *In atteſtandâ veritate.* E *In agendis gratiis.*F
Lingua frænanda media Ib.c.1.per tot.
*Pernicies linguæ effrænis.ib.*F
*Aliquot vitia curantur. Ib.c.3.per tot. Vitioſa taciturnitas.*B *Garrulitas.* C *Stultiloquium.* D *Vaniloquium.* E *Turpiloquium.*F *Sacrorum verborum abuſus.*G *Maledictum ſeu imprecatio.*H *Iuramentum.*I *Periurium.*K
Non temerè iurandum.ib.
Lingua à vetuſtate purganda & reformanda.In F *Aſcen.c.9.*C
*Cautè loquendum. Dom.22.poſt Pent.c.9.*E
*Linguæ iniurioſæ vitia corriguntur. Dom 23. poſt Pent.c.3. tot. Conuitium.ib.*B *Deriſio.* C *Calumnia.ib.*D *Suſurrus.ib.*E *Exprobratio.ib.* F

Luxuria.

Libidini diditi fruſtrà laborant. Dom.4. poſt Pent. c.3. E
Peccata carnis quàm cauenda. Dom. 13.poſt Pent. c.7.per tot.
Incentiua & remedia luxuriæ Ib.c.8.per tot.
*Iuuenibus vitam abrumpit. Dom.15.poſt Pent.c.3.*C
*Luxuria auocat à cœnâ cœleſti. Dom.2. poſt Pent. c.5.*E 3.
Luxurioſi inſatiabiles. Dom.6.poſt Pent.c.5 D

M

Magia.

*Ad Magos non eundum. Dom. 4.poſt Paſcha.c.3.*F
*Diuinatores pſeudoprophetæ. Dom. 7. poſt Pent. c.6.*F
*Magi, ſagi & venefici vitandi Chriſtianis. Dom.13. poſt Pent.c. 5.*C

Magiſtratus.

Magiſtratûs officia erga ſubditos. Dõ.2.poſt Paſcha c.1.per tot.
Magiſtratuum & Principum præcipuè virtutes.ib. c.3.per tot.
*Magiſtratus bonus magnum bonum.ib.*A
Magiſtratus Reip. neceſſarius. ib. c.4. A
Magiſtratibus quæ obſeruantia debeatur. ib. C 1. 2. 3. 4.
Paſtor ſui ipſius quomodo quiſque eſſe debeat.ib.c.5. per tot.
*Paſtor gregi neceſſarius.ib. c.8.*B
Paſtores adſint gregi.ib. C
*Vnus Eccleſiæ paſtor ſupremus.ib.*H
*Quinam mercenarij. ib. c.9.*E
Licétne Paſtori fugere perſecutionis tempore. ib. F *Quis lupus. ib.*G
*Cur Eccleſia regimen Monarchicum. ib.*K
*Superior ſubditorum potiùs commodis ſtudeat quàm ſuis. Dom.4. poſt paſcha.c.8.*C
Arguant ſubditos. ib. D. *Condeſcendant inferioribus.*E
Quibus ex cauſis ferè contemnatur Magiſtratus. Fer 3.Pent.c.3.per.tot.
*Auctoritatem Magiſtratûs conſeruandam vult Deus ib.*A
Non aſpernentur pauperes. Dom.2.poſt Pent. c. 9. B1.
Iram frænent.ib.2.
*Lente procedant ad condemnationem. Dom. 8. poſt Pent.c.10.*D *Abſtineant verbis amaris.ib.*
*Miſericordiam iuſtitiæ iungant. Dom. 9. poſt Pent. c.3.*E
*Principes & Prælati ſint modeſti. Dom. 12. poſt Pent.c.9.*B *1.pij ib. 2.*
*Magiſtratus alij ſciant modum corrigendi delinquentes.ib.*C *1. ſtudeant vias publicas purgare à latronibus.ib. 2.*
Patrisfamilias præſcripta Dom. 10. poſt Pent. c.5. per tot.
Principes terræ quàm miro modo ad fidem adducti ib.c.6.per tot.
*Auſteri Magiſtratus, qui ſubditos ſuffocant. Dom. 21.poſt Pent.c.3.*C
Qui malè præſunt, ſeueriùs iudicabuntur. Dom. 24. poſt Pent.c.6. E *Item qui iniquè iudicant.ib.* H

Magnanimitas. Fortitudo.

*Non timenda mundi eiectio & ſpoliatio. Dom. 6. poſt Paſcha.c.9.*C *Dom.Pent.c.6.*C
Fortitudinis donum & exempla. Fer.2.Pent.c. 4. F

Manſuetudo.

Diſcenda à Chriſto. Dom.4.poſt Pent.c.9. D

Martyres.

*Martyrum conſtantia. Dom. 6. poſt Paſcha c.6.*C

Matrimonium.

*Coniugati ſciant ſe verſari in periculo. Dom.2.poſt Pent.c.9.*F
Cur Chriſtus matrimonium ſpirituale contraxerit cum natura humanâ. Dom.19.poſt Pent.c.9. C

Mendacium

Mendacia docet diabolus Dom. 4.poſt Paſcha.c.6 B *affinia mendacio peccata. ſeq.Peirare.*G
*Mendacium apud hæreſes reperitur. ib.c.8.*E
Mendacium quam ſit fugiendum. Dom.7.poſt Pent c.5 per tot.
Circa mendacium plura peccata Dom.8.poſt Pent. c.6. per tot. Qui mendacia fingunt. C *Qui augent.* D *Qui diuulgant.* E *Qui libenter audiunt.*F *Qui alios mendacij arguunt.*
Mendacium ſimile vitro.ib. [illegible]

Meritum.

*An euacuet Eccleſiæ merita Chriſti, & quomodo tribuat ſalutem meritis noſtris. Dom. 17. poſt Pent.c.5.*E

Miles. Militia.

Militia periculoſa. Dom.4.poſt Paſcha.c.3. D
Adhortatio ad milites pro Eccleſiâ Dei pugnantes, animandos. Dom.6.poſt Paſcha.c.8.per tot.

Miracula.

Miracula credentium quo modo ſpiritualiter edenda. In F.Aſcenſ.c.9.per tot. Dæmones vt eiiciendi. B *Linguis nouis vt loquendum.* C *Serpentes vt tollendi.* D *Mortiferum ſine noxâ vt bibendum.* E *Ægri vt ſanandi.*F
*Miracula Eccleſiæ promiſſa.ib.c.11.*F
*Cur ſubinde variis in locis edita miracula.ib.*H
*Miracula à fidelibus patrata. Dom.6. poſt Paſcha. c.6.*F

Digitized by Google

Miracula in Eccleſiâ eáq; vera Dom.4. poſt Pent. c.1.D
Hæreticorum falſa. Dom.24. poſt Pent.c.9 D
Miracula in mundi conuerſione exhibita. Dom. 20. poſt Pent .c.7.per tot.

Miſericordia.
Vide Eleëmoſyna.

Opera miſericordiæ diſponunt ad recipiendum ſpiritum S. In Dom. Pent.c.2.C
Docetur à Chriſto. Dom. 6. poſt Pent.c.9.B
Incitamenta ad miſericordiam faciendam. Dom.8. poſt Pent.c.8. per tot.
Exempla eorum, qui omnis generis opera miſericordiæ exercuerunt.ib.F In paſcendis eſurientibus. ib.In veſtientibus nudis. ib.In viſitandis ægrotis. ib.In liberandis captiuis. In defendendis pupillis. In ſepeliendis mortuis.ib.
Miſericordia exhibenda Dom.16. poſt c.8.B
Miniſtrandum ægrotis. Dom 18.poſt Pent.c.8.D1.
Proximus in calamitate iuuandus. In F. Aſcenſ. c.9 F
Miſericordiæ opera protegunt in Iudicio. Dom .24. poſt Pent.c.5.D

Miſſa.

Sacrificii Miſſæ quatuor fines. Fer.3.Pent.c. 7 .per tot.Eſt ſacrificium laudis.B Gratiarum actionis. C Propitiatorium.D Impetratorium.E
Sacrificium Miſſæ aſſeritur. Dom. 2.poſt Pent.c.3. per tot.
Miſſa cœna magna.ib.A
Dignitas ſacrificij Miſſæ. ib.c.4. per tot.
Miſſa typus conuiuium Aſſueri.ib.A

Morbus

Bona ægritudinis.Dom.23.poſt Pent .c. 5.tot
Solatia ægrotorum ib.c.6.tot
Miniſtrandum ægrotis. Dom.18.poſt Pent.c.8. D.

Mors.

Mortis agoni ſuo quiſque conſulat. Dom.3.poſt Paſcha.c.8.H
Ad mortem præparatio & præmeditatio. Dom. 4. poſt Paſcha.c.3.H
Mortis via præmeditanda ib. c. 5 .per tot.
Mors charorum æquo animo ferenda. Dom.4. poſt Paſcha.c.8.B
Mors piorum gaudio potiùs quàm mœrore proſequenda. Dom. Pent. c. 8.G
Morientibus dæmon maximè inſidiatur.ib.H
Anguſtia morientis hominis in peccato exiſtentis. Dom.9. poſt Pent. c. 1. per tot.
Mors cur in mundo relicta. Dom. 15.poſt Pent.c.2. per tot.
Quæ potiſſimùm vitia iuuenibus vitam abrumpant. ib.c.3.per tot.
Cur multi ante maturam ætatem moriantur.ib.c.4. per tot.
Ars bene moriendi. ib.c.5 . per tot.
An & quâ ratione mortui lugendi ſint. ib. c. 5. per tot.
Tres mortui à Chriſto reſuſcitati quid notent. ib. c.5.A
De ſepultura Chriſtianorum eiuſq; cauſis.ib.c.8. per tot.
Pompa funebris prodeſt viuis.ib.c.9.D
Preparatio ad imminentem peſtem. Dom .19. poſt Pent. 7.per tot.
Mors nomini parcit Dom.20.poſt Pent.c.5.B
Circa defunctos cæremoniæ. Dom.23.poſt Pent.c.7. tot.Exequiæ. ib.8D.

Mundus.

Omnia in mundo modica.Dom. 3.poſt Paſcha.c.1. per tot. Sapientia.ib. B Nobilitas, honor, dignitas.ib. C Robur corporis. D Forma. E Diuitiæ. F Fauor Principum. D Dominatus.B
Omnia in mundo modica.ib.c.8.D & c.9.B
Multi amatores mundi. Dom. 2. poſt Pent.c.9. D
Peruerſum mundi ingenium. Dom. 3. poſt Pent. c.9.D
Mundi ſectatores quàm fruſtrà laborent. Dom. 4. poſt Pent. c.3. per tot. Ambitioſi. B Gloriæ cupidi. C Auari D Voluptuarij. E Gulæ dediti.F Fauorum ſectatores.G
Mundi amatores nunquam ſatiari oſtenditur Dom. 6. poſt Pent.c. 5. per tot. Superbi. B Auari . C Luxurioſi. D Iracundi. E Inuidi.F Guloſi. G
Mundus pſeudopropheta. Dom. 7. poſt Pent .c.6. B
Septem mundi bona. Dom. 11. poſt Pent.c .6. per tot.
Omnia quæ in mundo ſunt, in bonum hominis creata ſunt. ib.c.6.per tot.
Mundus felices colit, infelices ſpernit. Dom. 18.poſt Pent.c.8. F
Mundi conuerſio miraculoſa. Dom. 20. poſt Pent. c.7. per tot.
Mundi ſpes inanis. Dom.23. poſt Pent. c. 9. K 2. Contemnendus.ib.K1.
Mundi ſtatus miſer vltimis temporibus. Dom. 24. poſt Pent.c. 9.B

Murmuratio.

Murmurationes diſſuadentur. Dom. 3. poſt Pent. c.3.per tot. Contra proximos. B Contra Magiſtratum. C Contra Deum.D
Murmur muſca canina. ib.A

O.

Obedientia.

Obedientia ſubditorum erga Magiſtratus. Dom. 2. poſt Paſcha.c.2.per tot.
Obedientium typus oues.ib.A
Obedientia via ad cœlum. in.F.Aſcenſ.c.7. B
Promptitudo obediendi ſignum inhabitantis gratiæ.in Dom. Pent.c.4.G
Obediendum Deo.Dom.4. poſt Pent.c.9 .C4.
Obedientia protegit in iudicio. Dom. 24. poſt Pent. c.5.B

Oblatio.

Cauſæ & fines oblationum.Dom.5.poſt Pent. c .8. per tot.

Opera.

Modica opera bona longo ſæpe tempore patramus Dom.3.poſt Paſcha.c.2.E
Opera bona cur lux & arma lucis. Fer.2.poſt Pent c.9.G
Opera bona non omittenda propter aliorum obtrectationem. Dom.3 . poſt Pent. c. 9 .G & Dom. 16. poſt pent. c. 8.E
Omnis arbor mala, quæ non facit fructum bonum exſcindenda. Exponitur ſententia. Dom.7. poſt Pent.c.2 . per tot.

Cur requirat à nobis Deus bina opera .ib. c. 3. per tot.& c. 10.E
Qui omnem deuotionem in externis operibus ponunt, dicunt : Domine, Domine.ib.c.4.E
Opera ſua bona an recenſere liceat. Dom. 10. poſt Pent.c.10.E
Media,vt opera noſtra benè fiant.Dom.11.poſt Pent. c. 5. per tot.
Opera fidei iungenda. Dom.20.poſt Pent.c.8.A

Oratio.

Incitamenta ad orandum.Dom.5. poſt Paſcha.c.1. per tot.Dignitas orationis ib.B Neceßitas.C Facilitas. D Vtilitas. E Exemplum Sanctorum. F
Vtilitas & fructus orationis.ib.3. per tot.
Cur interdum non audiantur preces noſtræ, cauſa. ib.c. 4. per tot.
Circumſtantia orationis.ib.c. 5. per tot. Quis orandus. B Quis orare debeat. C Quando orandum. D Quoties. E Quid petendum. F Quomodo petendum.G
Pro quibus potißimùm orandum. ib. c. 6. per tot. Pro ſe. B Pro ſummo Pontifice.C Pro ſtatu clericali.C Pro Regibus & Principibus.D Pro exterpatione veneficorum. E Pro conuerſione hæreticorum. F Pro repreßione Turcarum. G pro defunctis. H
Cauſa & remedia diſtrictionum in orando. ib. c.7. per tot.
Quid eſt petere in nomine Chriſti.ib. c.9.B
Conditiones bonæ orationis. In Fer. Rogat.c. 1.per tot.
Quid præcipuè petendum in oratione. ibid.c. 2. per tot.Fides. C Spes. D Charitas.E
Quàm vtiliter coniunguntur oratio,ieiunium,eleemoſyna.ib.c.3.per tot.
Cur differat ſæpe Deus audire orationem.ib.c.4.per tot.
Supplicationum ritus. ib. c. 10. per tot. Cum crucis vexillo. B Cum Litaniis. C Cum reliquiis & imaginibus. D Cum cereis. E Cum ordine. F Cum mortificatione. G
Oratio Dominica remedium contra ſeptem vitia capitalia.ib.c.11. per tot.
Orationis Dominicæ expoſitio.ib.c. 12. per tot.
Triplex panis petendus.ib.c.14.A
Orans ſit amicus Dei. ib.C
Orationis virtus & efficacia. ib.G
rectè inſtituuntur ſupplicationes. ib.H
Oratio perſeuerans diſpoſitio ad recipiendum ſpiritum S. In Dom. Pent.c.2. E
Aßidua oratio medium ad perfectionem.Fer.3.Pent. c.2.D
Orandus Deus ante alia negotia.Dom.9. poſt Pent. c.8. E
Orationis Phariſæi defectum.Dom.10. poſt Pent.c. 3. per tot.
Varij orandi ritus exponuntur. ib.c. 4. per tot.Cur clara voce oremus.B Cur caput nudemus. C Cur iungamus manus.D Cur flectamus genua. E Cur nos poſternamus. F Cur inclinemus caput.G Cur ſubinde ſtemus.H
Gratiarum actio pro beneficiis diuinis ibid. c.5. per tot.
Bene orandum.Dom.13.poſt Pent.c.10.B 2.
Cantus ſacer cur inſtitutus.Dom.23.poſt Pent.c.8. tot.
Septem horarum preces ad quid. ib. F
Oratio perſeuerans protegit ab ira iudicis venturi. Dom. 24.poſt Pent.c.5.E

Otium.

Vide Acedia.

Otium ſæpe cauſa immaturæ mortis. Dom.15. poſt Pent.c.3.G

P

Papa.

Fabula de Papâ Ioanne femina exploditur.Dom.17. poſt Pent.c.7. D
Vnus Eccleſiæ ſummus paſtor.Dom. 2. poſt Paſcha. c.8.H

Parentes.

Matres proli & ſibi attendant.Dom.3.poſt Paſcha. c.8. G
Parentes qui liberis ſuis porrigunt lapidem, ſerpentem, ſcorpionem. In Fer.Rogat.c. 8. per tot.
Magna liberorum cura habenda. Dom. 20. poſt Pent.c.8. E
Patrisfamilias præſcripta ib.c.5.per tot.

Patientia.

Docetur à diſcipulis Chriſti.Dom.6. poſt Pent.c.9. D

Paupertas.

Paupertas tolleranda, quia modica. Dom. 3. poſt Paſcha.c.3.F
Pauperes bene ſperent.Dom.2. poſt Pent. c. 9. E
Pauperes inſtruuntur. Dom. 6. poſt Pent. c. 6. per tot.
Solatia pauperum.ib. B
Pauperes ſedeant potiùs quàm mendicent. Dom. 8. poſt Pent. c. 10. C Bene viuant & orent pro benefactoribus ib.
Pauperes eſt homo ille,qui incidit in latrones.Dom. 12. poſt Pent. c.10. D 1.
Pauperum oppreſſores,eos ſuffocant. Dom. 21. poſt Pent. c. 9. C

Pax.

Triplex pax. Dom.1.poſt Paſcha. c.1.per tot. cum Deo. B cum proximo. C cum ſeipſo. D
Pacis bona. In Dom. Pent. c. 8. E
Pax,quam Chriſtus dat,qualis.ib. c. 9. E

Peccatum. Peccatores.

Peccata nubes. Dom. 1. poſt. Paſcha. c. 9. I
Mali cur oderint bonos. Dom. 6. poſt Paſcha. c. 5. A B C D E
Peccatum non excuſatur zelo vel intentione bonâ, nec ignorantiâ vincibili. Dom. 6. poſt Paſcha. c. 9. D
Cur permittuntur mali affligere bonos. ib. c. 10. H
Peccatum tenebræ, ſeu turpitudo peccati. Fer. 2. Pent. c. 7. per tot.
Peccati auus.ib.B Mater. C Sorores. D Fratres. E Filia F
Quæuis peccata tenebræ. ib. c. 9. G
Tres peccatorum gradus.Dom.2. poſt Pent.c. 5.B
Quouſque & quibus cum peccatoribus conuerſari liceat. Dom. 3. poſt Pent. c. 9. F

Quare gaudent Angeli ſuper vno pœnitente. ib. c. 10. C Cur magis quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis. ib. D

Peccata etiam venialia curet vitare Chriſtianus. Dom.4. poſt Pent.c.5. C

Peccata etiam venialia pro viribus vitanda. Dom.5. poſt Pent.c.3. per tot.

Peccatum arbor mala, ferens quinque peſtilentes fructus. Dom.7. poſt Pent.c.1. B

Peccatorem qui diffament vel accuſent, Dom.8. poſt Pent.c.11. C

Quantum malum ſit peccatum. Dom.9. poſt Pent.c. 3. B

Modus eluendi peccata. ib. C

Deflendum eſſe peccatorem. ib. c.5. per tot.

Peccati originalis damna. Dom.12. poſt Pent. c. 5. per tot. Quomodo ea per gratiam reparentur. ib. c.6. tot.

Peccator quinis eſt homo ille, qui incidit in latrones. ib.c.10. D 2.

Lepra peccati quàm polluat vniuerſum. Dom. 13. poſt Pent.c.4. per tot.

Peccatorum grauium conſortium fugiendum. ibid. c. 5. per tot. Iudæorum. B *Magorum.* C *Hæreticorum.* D

Qui potiſſimum peccatores in ciuitatibus non tolerandi. ib. c.6. per tot.

Quæ peccata olim potiſſimum leprâ punita. ib. c. 11. C

Peccata cur permittuntur. Dom.14. poſt Pent.c.1. H

Peccator deſignatus per adoleſcentem, filium viduæ in Naim. Dom.15. poſt Pent.c.9. L

Peccatores ſuo tempore puniendi. Dom. 17. poſt Pent.c. 8. C

Peccatores quaſi paralytici. Dom.18. poſt Pent.c.2. C

Iuſta peccatoris condemnatio oſtenditur. Dom. 19. poſt Pent.c.4. per tot.

Excuſationes peccatorum variæ refutantur. ib.c.5. per tot.

Aliud eſt culpa, aliud pœna. Dom.21. poſt Pent.c.8. D

Peccata dimiſſa quando & quomodo per ſequens peccatum redeant. ib. c.9. F 4.

Peccati grauitas vnde colligatur. Dom.24. poſt Pent. c.3. tot.

Peccatum abominatio deſolationis. ib. c.3. A *& c.* 10. B 3.

Perfectio.

Media ad Chriſtianam perfectionem inſpirata primis Chriſtianis. Fer.3. Pent.c.2. per tot.

Quomodo ſecularis quiſq; perfectus eſſe debeat ac poſſit. Dom.4. poſt Pent.c.5. per tot.

Perfidia.

Multiplex perfidia caſtigatur. Dom.6. poſt Paſcha. c.2. per tot. Quæ committitur in Deum. B *in dominos.* C *In coniugem.* D *In proximum.* E *In hoſtem.* F *In amicum.* G

Perſecutio.

Bonum perſecutionis. Dom.1. poſt Paſcha.c.8. B

Pœnitentia.

Pœnitentia præcedere debet ſpiritus ſancti receptionem. in Dom.Pent.c.1. H

Qui ſe excuſent à pœnitentiâ ſubeunda Dom.2. poſt Pent.c.5. B

Vis & efficacia pœnitentiæ. Dom.3. *poſt Pent. c. 2. per tot.*

Pœnitentia nō differenda. Dom.13. *poſt Pent.c.10.* B

Pœnitentia non differenda ad ſenectutem. Dom.15. *poſt Pent.c. 5. per tot.*

Tres pœnitentiæ partes. Dom.21. *poſt Pent* 9.

Pœnitentia commendatur infirmis. Dom. 23. *poſt Pent.c. 1. tot.*

Pœnitentia non differenda de die in diem. ibid.c. 2. tot.

Pœnitentia non differenda vſque ad ingruentem mortem. Dom.24. *poſt Pent.c.* 4. *tot.*

Pœnitentia protegit in iudicio. ib.c.5. C

Pœnitentia dilata ſemper fit difficilior ob plures cauſas. Dom.23. *poſt Pent.c.2.* G

Præcepta. Vide Lex.

Præcepta Dei *ſeruari poſſunt. In* Dom.*Pent.c.*8. C

Prædeſtinatio.

Signa prædeſtinationis. Dom.2. poſt Paſcha.*c.6. per tot.*

Signa reprobationis. ib.c.7. per tot.

Modicus electorum numerus. Dom. 3. *poſt Paſcha.c.* 2. F

Paucitas electorum oſtenditur. Dom.19. *poſt Pent. c.1. per tot.*

De prædeſtinatione ſuâ nemo perturbari debet. Dom.*Pent.c.* 6. G

Prodigalitas.

Prodigi euacuantur. Dom.8. *poſt Pent.c.2. per tot*

Diſſipatores bonorum Dei. ib.c.3. per tot.

Prodigi reddent Deo *rationem. ib.c.11.* F 1.

Quorſum deſinat prodigalitas. ib. 2

Profectus.

Deſiderium maioris profectûs, ſignum inhabitantis gratiæ in nobis. In Dom.*Pent.c.4.* H

Chriſtianus ſemper proficiat. Dō.4. *poſt* Pent.*c.5.* E

Ratio proficiendi in bono. Dom.14. *poſt Pent.c.3.* D

Proficere oportet in fide & virtutibus. Dom.20. *poſt Pent.c.* 8. G

Prophetia.

Spiritus Propetia in Eccleſiâ tantùm Catholicâ. Dom. 4. *poſt Paſcha.c.*8. G

Prophetiæ implicita Dom. 6. *poſt Paſcha.c.6.* G

Quinque Pſeudoprophetæ. Dom.7. poſt Pent.c.6. per tot. Mundus. B *Caro.* C *Dæmon.* D. *Hæretici.* E *Diuinatores.* F

A fructibus quomodo cognoſcendi pſeudoprophetæ. ib. c.10. C

Falſi Prophetæ à veris cautè diſcernendi. Dom. 24. *poſt Pent.c.*9. D

Quid agendum, cùm noui Prophetæ ſeu nouatores exurgunt. ib. E

Quidam Pſeudochriſti. ib.c.9. D *& c.*10. F

Propoſitum.

Bona propoſita exequenda. Dom.3. poſt Paſcha.c. 8. F

Propoſita bona qui non effectui dant, dicunt: Domine, Domine. Dom.7. poſt Pent.c.4. D

Proſperitas.

Impiorum proſperitas modica & momentanea, Dom. 3. *poſt Paſcha.c.* 3. B

Tempore proſperitatis oportet meminiſſe aduerſitatis Dom.9. *poſt Pent.c.3.* D

Proximus.

Proximus.

Vide Amicus & Charitas.

Prudentia.

Prudentia filiorum huius ſaculi mira, ſed caſtigata. Dom.8 *poſt* Pent. c. 7. *per tot.*

Prouidè omnia agenda. Dom.8. *poſt pent.c.* 10. G

*Quomodo filij huius ſaculi prudentiores ſunt filiis lucis.ib.c.*11.G

*Quanam prudentia carnis & ſpiritûs.ib.*I

Præcogitanda imminentia mala & finis vitæ, Dom. 9.*poſt* Pent.c.8.B

Purgatorium.

Animæ purgatorij quaſi paralitica malè torquentur, nec iuuare ſe poſſunt. Dom.18. *poſt* Pent. c. 2. F

R.

Religio.

Nouæ religiones contra Lutheri hæreſin erectæ. Dom. 3. *poſt* Pent.C

Religioſi boni, valde boni: mali, valde mali. Fer. 3. Pent.c.5.B

Religionis ingreſſus aſylum contra futurum iudicium. Dom.24.*poſt* Pent.c.5.G

Reſpublica.

Reſpublica quæ optima. Dom.2.*poſt* Paſcha c. 1.A

Quid requiratur à Ciuitate vt ſit ciuitas Chriſti. Dom.18.*poſt* Pent.c.1.*per tot.*

S.

Sacerdos.

Sacerdotalis muneris dignitas. Dom. 1.*poſt* Paſcha. c. 7. *per tot.*

Sacerdotes quâ obſeruantiâ colendi. Dom. 2. *poſt* Paſcha.c.4.B 1.2.3.4.5.

Sacerdotes non niſi apud Catholicos.in Fer. Rogat. c. 7. B

Sacerdotes ſanctos eſſe debere. Dom.4.*poſt* Pent.c.7 *per tot.*

Sacramentum.

Sacramenti Confirmationis Cæremoniæ exponuntur. Fer. 3. Pent. c. 6. *per tot.* Confertur à ſolo Epiſcopo. B *Per vnctionem Chriſmatis.* C *In formam crucis.*D *cum manûs impoſitione aliqua.* E *Cum leui ictu.* F *Obligatur frons.*G *Datur Patrinus.*H

Cur baptiſmus aqua inſtitutus. Dom. Trinit. c. 10. D *Cur in nomine SS. Trinitatis adminiſtrandus.ib.*E

Quàm conuenienter inſtituta ſint ſeptem Sacramenta. Dom.6.*poſt* Pent.c. 7. *per tot. Cauſa inſtitutionis.ib.* B *Cur ſub ſignis viſibilibus.*C *Cur adhibentur certa verba.* D *Cur numero ſeptem.* E *Cur ab hominibus adminiſtranda.* F *Duplex virtus ijs collata.* G

*Septẽ panes typus ſeptem Sacramentorũ.ib.c.*10.D

Extrema vnctio commendatur infirmis. Dom. 20. *poſt* Pent.c.4. *per tot. Eius figura.ib.* B *Fructus ib.*C *Cærimoniæ ib.* C 3.

Sacramenta cur inſtituta. Fer.2.Pent.c.8.H

Sancti.

Sanctorum inuocatio firmatur.In Fer. Rogat. c. 9. *per tot.*

SS. Imaginum cultus improbatur. Dom. 22. *poſt* Pent.c.8. *tot.*

Scandalum.

Scandalum actiuum omnium ſuffragio damnatur Dom.6.*poſt* Paſcha.c.3.*per tot.*

Mortua ne ſcandalizemur in peccatis quorumcunque.ib. c. 4. *per tot. Scandalizantur hæretici in peccatis Catholicorum.* B *Catholici in peccatis Clericorum.* C *Alij in proximorum.*D

Scientia.

Literati non deſpiciant rudiores. Dom. 12. *poſt* Pent.c.9. E 1. *Doceant & faciant.ib.*2.

Medici ſedulò curent ægros.ib. F 1. *Sine reſpectu perſonarum.ib.*2.

Scriptura.

Vox, modicum, quàm variè nos conſoletur. Dom. 3. *poſt* Paſcha c. 3. *per tot. In reproborum proſperitate.ib.*B *In malorum præuaricatione.ib.* C *In hæreſum infeſtatione ib.* D *In tribulationibus.*E *In paupertate.* F *in vita peregrinatione.* G *In morte.* H

S. Scripturæ lectionem an & quomodo laicis prohibeat Eccleſia. Dom.17.*poſt* Pent. c. 7. C

*S. Scripturæ magna vtilitas.ib.c.*8.F

Senectus. Senes.

Senes quâ obſeruantiâ colendi. Dom.2. *poſt* Paſcha c.2.D 1.2.3.4.5.

Senſus.

Senſus cuſtodiendi. Dom.13.*poſt* Pent. c.8.C

Societas.

Bonum Societatis. Dom.1.*poſt* Paſcha.c. 8. C

Socijs prauis renunciandum. Dom. 13. *poſt* Pent. c. 10. C

Praua ſocietas ſæpe immaturam vitam abrumpit. Dom.15.*poſt* Pent.c. 3.F

Reprobi ſibi ſocios quærunt: dom.16.*poſt* Pent. c.9. B

Impij conſpirant cùm opprimendus iuſtus Dom. 17 *poſt* Pent.c.8.B

Quantum Bonum ſit ſocietas bona. Dom. 18. *poſt* Pent.c.8.D 2.

Solicitudo.

Nimia ſolicitudo pro rebus fluxis ableganda. Dom. 14. *poſt* Pent.c.2.*per tot.*

Nimia ſolicitudo fugienda.ib. c. 3. C & c. 8. C *Quando ſit praua.ib.*

Quæ ſolicitudo prohibeatur.ib.c. 9. E

Solitudo.

Solitudo & receſſus mentis medium ad perfectionem Fer.3. Pent.c. 2. F

Spes.

Confidendum in Deo, etiam in aduerſis. Dom. 4. *poſt* Pent.c.9.C 3

Confidentia in Deum docetur à diſcipulis Chriſti. Dom.6.*poſt* Pent. c. 9. D

Non confidendum in mundo, homine, ſtirpe, opibus, vita. Dom.14.*poſt* Pent. c.3. B

Confidendum in Deo.ib. C

Ad ſpem quæ erigant puſillanimes. Dom. 18. *poſt* Pent.c. 6. *per tot.*

Inter ſpem & metum Chriſtiano viuendum. ib. A

Spiritus Sanctus.

Iniuriæ in Spiritum ſanctum quadruplices. Dom. 4.*poſt* Paſcha. c. 1. *per tot. Aliqui reſiſtunt ſpiritui ſancto. ib.* B *Alij mentiuntur ei.* C. *Alij*

contriſtant

contriſtant eum. D *Alij extinguunt.* E

Quatuor munia Spiritus ſancti. ib.c. 2.per tot. Eſt conſolator.ib. B *Arguit mundum.* C *Docet omnem veritatem.* D *Clarificat Chriſtum.* E

Spiritus S. arguit mundum de tribus maximè. Dom. 4. poſt Paſcha.c.7.per tot.

*Spiritus Sanctus cur non miſſus ante Chriſti mortem, reſurrectionem, aſcenſionem. Dom. 4. poſt Paſcha.c.9.*D

*Quomodo arguit mundum de peccato, iuſtitiâ, iudicio.ib.*E

Cur vocatur Spiritus veritatis. ib. G

*Quomodo docuit omnia.ib.*H

*Quomodo non loquitur à ſeipſo.ib.*I

*Spiritus ſanctus vnde procedat. Dom. 6.poſt Paſcha. c.*10.B

Cur eius proceſſionem à ſe non expreſſit Chriſtus claris verbis. ib. C

Quomodo teſtimonium reddat Chriſto.ib. D

Diſpoſitiones ad Spiritûs S. receptionem. In Dom. Pent.c.2. per tot.

Quanta bona conferat homini Spiritus ſanctus inhabitans.ib.c.3.per tot.

Signa inhabitantis Spiritus ſancti in nobis. ib. c.4. per tot.

Modus accendendi in nobis ignem Spiritûs ſancti.ib. poſt H

Circumſtantiæ aduentus Spiritûs ſancti.ib.c. 5. per tot.Venit in die Pentecoſtes. B *Super ſedentes in eadem domo.* C *Repentè cum impetu.* D *Cum ſonitu.* E *Cum vento vehementi.* F *Repleuit totam domum.* G *Venit Ieroſolymam.* H

*Spiritus S. cur Paraclitus dicatur. ib.c.9.*C

*Quomodo miſſus in nomine Chriſti. ib.*D

*Quot & quibus formis apparuit Spiritus S. ib.*L

Miſſio Spiritus S.quantum donum.Fer.2. Pent.c.1. per tot.

Cur in linguis igneis apparuit.ib.c.2.per tot.

De ſeptem donis Spiritûs ſancti.ib.c. 3. per tot.

*Cur in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum, in ſpecie ignis ſuper Apoſtolos deſcenderit. ib.*A

Eadem Spiritûs ſancti dona aliter exponuntur. ib.c. 4. per tot.

Variæ Spiritûs ſancti functiones in hoc mundo. Fer. 3. Pent.c.1. per tot.

Status.

Nullus ſtatus, quem malitia hominum non queat peruertere. Dom.3.poſt Pent.c. 9. B

Seculares ne immiſceant ſe in res Eccleſiaſticas. Dom. 9. poſt Pent.c. 8. G

*Clerici curam habeant animarum. Dom. 12. poſt Pent.c.9.*D *1.ſint liberales erga indiges ib. 2.*

Subditi quid debent ſuo magiſtratui. Dom. 2. poſt Paſcha c. 1. per tot.

Inobedientia & rebellio ſubditorum damnatur. ib. c. 2. per tot.

Obediant dominis. Dom.2.poſt Pent.c. 9. C *1. admoneant eos damni ſui.ib. 2. Reddant rationem muneris ſui.ib.3.*

Subditi non fraudent dominos. Dom.8.poſt Pent.c 10. E *Nec participes ſe furti faciant.ib.2.*

Quomodo nemo poſſit duobus dominis ſeruire. Dom. 14.poſt Pent.c.9 H

Subditorum ſalus procuranda. Dom. 20. poſt Pent. c. 8. F

Superbia.

*Superbos cur Deus deprimat. Dom. 10. poſt Pent.c 10.*I

*Quomodo deprimantur qui ſe exaltant.ib.*K *Quibus exemplis id oſtendatur.ib.* L

*Superbia auocat à cæleſti curâ. Dom. 2. poſt Pent. c.5.*E 1.

T.

Templum.

*Ad Templum vt eundum. Dom.4.poſt Paſcha.c.3.*B

Ad templorum ornatum promouendum incitamenta. Dom.8.poſt Pent.c.9.per tot.

Iniuria varia templis illata. Dom.9.poſt Pent..c.7. per tot. Templorum euerſio. B *Spoliatio.* C *Sacrorum abuſio.* D *Pollutio.* E *Reorum abſtractio.* F *Iuriſdictionis occupatio.* G *Grauatio.* H

*Aliæ iniuriæ minùs graues, quæ templis inferuntur. ib.*I

Templa veneratione & cultu proſequenda, ib. c. 8. F

Ratio ingrediendi in templum. Dom. 10.poſt Pent. c.1. per tot.

Ratio conuerſandi in templo.ib.c.2. per tot.

Tempus.

*Tempus eſt modicum ac fluxum. Dom. 3. poſt Paſcha. c.2.*B

Modica & fluxa malorum proſperitas.ib.c.3. B

Calendarij noui introducti cauſa. Dom. 17. poſt Pent. c.7. B 4.

An propterea cæli temperies mutata. ib. 1.2.3.

Teſtis.

Teſtes quales eſſe debeant. Dom.6. poſt Paſcha. c. 9. B

Timor.

*Nemo turbetur ob incertitudinem ſalutis ſuæ. Dom. 2.poſt Paſcha.c.8.*F

*Timor humanus expulſus ſignum inhabitantis gratiæ.In Dom.Pent.c.4.*E

*Timor Dei ſignum inhabitantis gratiæ. ib.*C

Varij timores pelluntur igne charitatis.ib.c.6.tot.

*Timor ſeruilis & inutilis pellendus.ib. c.8.*F

Timor Domini quàm meritò in nobis eſſe debeat. Dom. 15.poſt Pent.c.1.per tot.

Inter ſpem & timorem Chriſtiano viuendum. Dom. 18.poſt Pent. c.6. A

Fructus timoris Domini.ib.c. 7. per tot.

Timor Dei mutuus.ib. A

*Timor protegit à ſeuero iudicio. Dom.24. poſt Pent. c.5.*F

Traditiones.

*SS. Traditionum approbatio & neceſſitas. Dom. 1. poſt Paſcha.c.8.*H

Traditionibus & Scripturis ſimul docenda Eccleſia. ibid.

Tribulatio.

*Tribulatio eſt modicum quid. Dom. 3. poſt Paſcha. c.3.*E

Modicum tribulationis ſeu quod hic patimur.ib.c.5. per tot.

*Patientia tribulationum via ad cælum. in Feſto Aſcenſ. c.7.*C 3.

Tribula-

Digitized by Google

Tribulationes ſemper expectandæ Chriſtianis. Dom. 6. poſt Paſcha. c. 9. G
Æquanimitas in tribulatione ſeruanda. Dom. 4. poſt Pent. c. 9.
Quæ cauſa cur erepta nobis Ieroſolyma. Dom. 9. poſt Pent. c. 6. per tot.
Tribulatio mali in ore leonis. Dom. 20. poſt Pent. c. 1. A
Fructus tribulationis. ib. c. 1. per tot.
Tribulatio telum, quo fugientes ad ſe retrahit Deus. Dom. 20. poſt pent. c. 8. C
Tribulationis tempore fugiendum ad Chriſti vulnera. Dom. 24. poſt Pent. c. 9. F
Cur ſinat nos Deus calamitatibus premi. In Fer. Rogat. c. 13. tot.
Cur permittat bonos affligi à malis. Dom. 6. poſt Paſcha. c. 10. H

Trinitas.

Quomodo SS. Trinitas veniat ad hominem, Dom. Pent. c. 9. B
Quomodo pater maior filio. ib. G
Myſterium SS. Trinitatis oſtenditur. Dom. Trinitatis. c. 1. per tot.
Profeſſio SS. Trinitatis Chriſtianis commendatur. ib. c. 2. per tot.
Cur Baptiſmus in nomine Trinitatis adminiſtratur. ib. c. 10. E
Cur non Explicauit Chriſtus myſterium Trinitatis. ib. F

V

Verbum Dei.

Verbi Dei frequens auditus, medium ad perfectionem. Fer. 3. Pent. c. 2. B
Efficacia & natura verbi Dei ſimilitudinibus explicatur. Dom. 3. poſt Pent. c. 7. per tot. Simile eſt Aqua. B I. Vino, II. Lacti, III. Pani, IV. Imbri. V. Igni, C I. Malleo, II. Lucernæ. D I. Sagittæ, II. Semini, E I. Grano ſinapis. II. Gladio, F Speculo. G Medicinæ. H
Sedulò audiendum. ib. c. 9. C
Piſcatio Euangelica qui fieri debeat. Dom. 4. poſt Pent. c. 2. per tot.
Per verbum Dei cur tam pauci conuertantur. ibid. c. 4. per tot.
Feruor audiendi verbum Dei in Iudæis. Dom. 4. poſt Pent. c. 9. E
Plebi audiendum potiùs quàm legendum Dei verbum. Dom. 5. poſt Pent. c. 9. C
Verbum Dei etiam minimum non negligendum. Dom. 6. poſt Pent. c. 9. A
Ad verbum Dei audiendum cur aliqui ſurdi & qui ſint, cauſæ, Dom. 11. poſt Pent. c. 4. per tot.
Dei verbum paſſim omnibus prædicandum. Dom. 16. poſt Pent. c. 8. F
Qui verbum Dei in iocum trahunt, Deum derident. Dom. 23. poſt Pent. c. 4. D

Veritas.

Veritas apud Catholicos reperitur, Dom. 4. poſt Paſcha. c. 8.
Veritas cur odio habeatur Dom. 6. poſt Paſcha. c. 5. E F G H I
Veritas atteſtanda, Dom. 11. poſt Pent. c. 1. E

Vindicta.

Vindicta quàm multos offendat. Dom. 21. poſt Pent. c. 3. per tot.
Vindicta nullum homini bonum confert. ib. c. 4. per tot.
Vindicta appetitus malus. Dom. 5. poſt Pent. c. 7. D

Virtus.

Virtutes Theologicæ maximè neceſſariæ, In Fer. Rogat. c. 2. B Fides. C Spes, D Charitas. E
Fœlix eſt virtutis clauſula. In F Aſcenſionis. c. 10. G
Quâ ratione comparandæ ſint virtutes morales. Dom. 6. poſt Pent. c. 8. per tot.

Vita.

Vita noſtra peregrinatio modica. Dom. 3. poſt Paſcha. c. 3. G

Vitium. Vide Peccatum.

Modica vitia magno licet tempore deponimus. Dom. 3. poſt Paſcha, c. 2. D

Vnctio extrema.
Vide Sacramentum.

Vocatio.

Varij modi compellendi homines ad ſalutem. Dom. 2. poſt Pent. c. 6. per tot.
Tria tempora & tres modi, quibus vocati ad fidem homines. Dom. 2. poſt Pent. c. 7. per tot.
Vocationi diuinæ acquieſcendum. Dom. 2. poſt Pent. c. 9. H
Media ac modi quibus Deus vocat homines. Dom. 19. poſt Pent. c. 6. per tot.
Vocationibus diuinis acquieſcendum, cauſæ. ib. c. 8. D
Vocationi diuinæ qui & cur non acquieſcant. Dom. 2. poſt Pent. c. 8. tot. Vocationi ad pœnitentiam. ib. B ad fidem. ib. C ad S. Communionem. ib. D Ad cœlum. ib. E

Voluptas.

Voluptas arbor mala & quatuor eius fructus. Dom. 7. poſt Pent. c. 1. D

Vſura.

Vſurarij ſuffocant proximos. Dom. 21. poſt Pent. c. 5. E

FINIS.

ANT 171.276 C

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

contriſtant eum. D Alij extinguunt. E
Quatuor munia Spiritus ſancti. ib.c. 2.per tot. Eſt conſolator.ib. B Arguit mundum. C Docet omnem veritatem.D Clarificat Chriſtum. E
Spiritus S. arguit mundum de tribus maximè.Dom. 4. poſt Paſcha.c.7.per tot.
Spiritus Sanctus cur non miſſus ante Chriſti mortem, reſurrectionem, aſcenſionem. Dom. 4. poſt Paſcha.c.9.D
Quomodo arguit mundum de peccato, iuſtitiâ, iudicio.ib.E
Cur vocatur Spiritus veritatis. ib. G
Quomodo docuit omnia.ib.H
Quomodo non loquitur à ſeipſo.ib.I
Spiritus ſanctus vnde procedat.Dom. 6.poſt Paſcha. c.10.B
Cur eius proceſſionem à ſe non expreſſit Chriſtus claris verbis. ib. C
Quomodo teſtimonium reddat Chriſto.ib. D
Diſpoſitiones ad Spiritûs S. receptionem. In Dom. Pent.c.2. per tot.
Quanta bona conferat homini Spiritus ſanctus inhabitans.ib.c.3.per tot.
Signa inhabitantis Spiritus ſancti in nobis. ib. c.4. per tot.
Modus accendendi in nobis ignem Spiritûs ſancti.ib. poſt H
Circumſtantia aduentus Spiritûs ſancti.ib.c. 5. per tot.Venit in die Pentecoſtes. B Super ſedentes in eadem domo.C Repentè cum impetu.D Cum ſonitu. E Cum vento vehementi. F Repleuit totam domum. G Venit Ieroſolymam. H
Spiritus S. cur Paraclitus dicatur. ib.c.9.C
Quomodo miſſus in nomine Chriſti. ib.D
Quot & quibus formis apparuit Spiritus S. ib.L
Miſſio Spiritus S.quantum donum.Fer.2. Pent.c.1. per tot.
Cur in linguis igneis apparuit.ib.c.2.per tot.
De ſeptem donis Spiritûs ſancti.ib.c. 3. per tot.
Cur in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum,in ſpecie ignis ſuper Apoſtolos deſcenderit. ib.A
Eadem Spiritûs ſancti dona aliter exponuntur. ib.c. 4. per tot.
Varia Spiritûs ſancti functiones in hoc mundo. Fer. 3. Pent.c.1. per tot.

Status.

Nullus ſtatus, quem malitia hominum non queat peruertere. Dom.3.poſt Pent.c. 9. B
Sæculares ne immiſceant ſe in res Eccleſiaſticas. Dom. 9. poſt Pent.c. 8. G
Clerici curam habeant animarum. Dom. 12. poſt Pent.c.9.D 1.ſint liberales erga indigos ib. 1.
Subditi quid debent ſuo magiſtratui. Dom. 2. poſt Paſcha c. 1. per tot.
Inobedientia & rebellio ſubditorum damnatur. ib. c. 2. per tot.
Obediant dominis.Dom.2.poſt Pent.c. 9. C 1. admoneant eos damni ſui.ib. 2. Reddant rationem muneris ſui.ib.3.
Subditi non fraudent dominos. Dom.8.poſt Pent.c 10. E Nec participes ſe furti faciant.ib.2.
Quomodo nemo poſſit duobus dominis ſeruire. Dom. 14.poſt Pent.c.9 B
Subditorum ſalus procuranda. Dom. 20.poſt Pent. c. 8. F

Superbia.

Superbos cur Deus deprimat. Dom.10. poſt Pent.c 10.I
Quomodo deprimantur qui ſe exaltant.ib.K Quibus exemplis id oſtendatur.ib. L
Superbia auocat à cœleſti curâ.Dom. 2. poſt Pent. c.5.E 1.

T.

Templum.

Ad Templum vt eundum.Dom.4.poſt Paſcha.c.3.B
Ad templorum ornatum promouendum incitamenta. Dom.8.poſt Pent.c.9.per tot.
Iniuria varia templis illata.Dom.9.poſt Pent..c.7. per tot. Templorum euerſio. B Spoliatio. C Sacrorum abuſio. D Pollutio. E Rerum abſtractio. F Iuriſdictionis occupatio. G Grauatio. H
Alia iniuria minùs graues, quæ templis inferuntur. ib.I
Templa veneratione & cultu proſequenda, ib. c. 8. F
Ratio ingrediendi in templum. Dom. 10.poſt Pent. c.1. per tot.
Ratio conuerſandi in templo.ib.c.2. per tot.

Tempus.

Tempus eſt medicum ac fluxum. Dom. 3. poſt Paſcha. c.2.B
Medica & fluxa malorum proſperitas.ib.c.3. B
Calendarij noui introducti cauſa. Dom. 17. poſt Pent. c.7. B 4.
An propterea cœli temperies mutata. ib. 1.2.3.

Teſtis.

Teſtes quales eſſe debeant. Dom.6. poſt Paſcha. c. 9. B

Timor.

Nemo turbetur ob incertitudinem ſalutis ſuæ. Dom. 2.poſt Paſcha.c.8.F
Timor humanus expulſus ſignum inhabitantis gratia.In Dom.Pent.c.4.E
Timor Dei ſignum inhabitantis gratia. ib.C
Varij timores pelluntur igne charitatis.ib.c.6.tot.
Timor ſeruilis & inutilis pellendus.ib. c.8.F
Timor Domini quàm meritò in nobis eſſe debeat. Dom.15.poſt Pent.c.1.per tot.
Inter ſpem & timorem Chriſtiano viuendum. Dom. 18.poſt Pent. c.6. A
Fructus timoris Domini.ib.c. 7. per tot.
Timor Dei murus.ib. A
Timor protegit à ſeuero iudicio.Dom.24. poſt Pent. c.5.F

Traditiones.

SS. Traditionum approbatio & neceſſitas. Dom. 1. poſt Paſcha.c.8.H
Traditionibus & Scripturis ſimul docenda Eccleſia. ibid.

Tribulatio.

Tribulatio eſt medicum quid.Dom. 3. poſt Paſcha. c.3.E
Modicum tribulationis ſeu quod hic patimur.ib.c.5. per tot.
Patientia tribulationum via ad cœlum. in Feſto Aſcenſ. c.7.C 3.

Tribula-

Digitized by Google

Tribulationes ſemper expectandæ Chriſtianis. Dom. 6. poſt Paſcha.c.9. G
Æquanimitas in tribulatione ſeruanda. Dom. 4. poſt Pent.c. 9.
Quæ cauſa cur erepta nobis Ieroſolyma. Dom.9.poſt Pent.c.6. per tot.
Tribulatio mel in ore leonis. Dom.20. poſt Pent.c.1. A
Fructus tribulationis. ib.c. 1. per tot.
Tribulatio telum, quo fugientes ad ſe retrahit Deus. Dom. 20.poſt pent.c.8. C
Tribulationis tempore fugiendum ad Christi vulnera. Dom. 24.poſt Pent.c. 9.F
Cur ſinat nos Deus calamitatibus premi. In Fer. Rogat.c.13. tot.
Cur permittat bonos affligi à malis. Dom. 6. poſt Paſcha. c. 10. H

Trinitas.

Quomodo SS. Trinitas veniat ad hominem, Dom. Pent.c.9.B
Quomodo pater maior filio. ib.G
Myſterium SS. Trinitatis oſtenditur. Dom. Trinitatis.c.1. per tot.
Profeſſio SS. Trinitatis Chriſtianis commendatur. ib.c. 2. per tot.
Cur Baptiſmus in nomine Trinitatis adminiſtratur. ib. c. 10.E
Cur non Explicauit Chriſtus myſterium Trinitatis. ib.F

V

Verbum Dei.

Verbi Dei frequens auditus, medium ad perfectionem. Fer.3.Pent.c.2.B
Efficacia & natura verbi Dei ſimilitudinibus explicatur. Dom. 3. poſt Pent. c.7.per tot. *Simile eſt Aqua.* B *I.Vino,II.Lacti,III. Pani,IV.Imberi. V.Igni,*C *I. Malleo,II. Lucernæ,* D *I. Sagittæ, II.Semini,*E *I. Grano ſinapis. II.Gladio,* F *Speculo.*G *Medicinæ.*H
Sedulò audiendum. ib.c.9.C
Piſcatio Euangelica quî fieri debeat. Dom. 4. poſt Pent.c.2. per tot.
Per verbum Dei cur tam pauci conuertantur. ibid. c. 4. per tot.
Feruor audiendi verbum Dei in Iudæis. Dom.4. poſt Pent.c.9.B
Plebi audiendum potiùs quàm legendum Dei verbum. Dom.5. poſt Pent.c.9. C
Verbum Dei etiam minimum non negligendum. Dom.6.poſt Pent.c.9.A
Ad verbum Dei audiendum cur aliqui ſurdi & qui ſint, cauſa, Dom.11.poſt Pent.c.4.per tot.
Dei verbum paſſim omnibus prædicandum, Dom.16. poſt Pent.c.8.F
Qui verbum Dei in iocum trahunt, Deum derident. Dom. 23.poſt Pent. c.4.D

Veritas.

Veritas apud Catholicos reperitur, Dom. 4. poſt Paſcha. c. 8.
Veritas cur odio habeatur Dom.6.poſt Paſcha. c.5. E F G H I
Veritas atteſtanda, Dom. 11.poſt Pent.c. 1.E

Vindicta.

Vindicta quàm multos offendat. Dom. 21. poſt Pent. c.3.per tot.
Vindicta nullum homini bonum confert. ib. c. 4. per tot.
Vindicta appetitus malus. Dom.5.poſt Pent.c. 7. D

Virtus.

Virtutes Theologicæ maximè neceſſariæ, In Fer. Rogat.c.2.B *Fides*·C *Spes,* D *Charitas.*E
Fælix eſt virtutis clauſula. In F *Aſcenſionis.*c. 10.G
Quâ ratione comparandæ ſint virtutes morales. Dom.6.poſt Pent.c. 8. per tot.

Vita.

Vita noſtra peregrinatio modica. Dom.3. poſt Paſcha.c.3. G

Vitium. Vide Peccatum.

Modica vitia magno licet tempore deponimus. Dom. 3.poſt Paſcha,c.2. D

Vnctio extrema.
Vide Sacramentum.

Vocatio.

Varij modi compellendi homines ad ſalutem. Dom. 2.poſt Pent.c.6.per tot.
Tria tempora & tres modi, quibus vocati ad fidem homines. Dom.2.poſt Pent.c.7. per tot.
Vocationi diuinæ acquieſcendum. Dom.2.poſt Pent. c.9. H
Media ac modi quibus Deus vocat homines. Dom. 19.poſt Pent.c.6.per tot.
Vocationibus diuinis acquieſcendum, cauſa. ib. c. 8. D
Vocationi diuinæ qui & cur non acquieſcant. Dom. 2.poſt Pent.c.8. tot. *Vocationi ad pœnitentiam.* ib. B *ad fidem.* ib.C *ad S. Communionem.* ib.D *Ad cælum.* ib.E

Voluptas.

Voluptas arbor mala & quatuor eius fructus. Dom. 7.poſt Pent.c. 1.D

Vſura.

Vſurarij ſuffocant proximos. Dom. 21. poſt Pent. c. 5. E

FINIS.

ANT 17/2760

Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google

G.14.

Digitized by Google

Digitized by Google